MADE IN SPAIN



Amsterdam. Bibliotheek Vrije Universiteit

Del Colegio de la Comp.ª de Jhs de Granada
R.6827
BRS

SECVNDVS

TOMVS OPERVM M. Antonii Coccii Sabellici, continens sex posteriores Enneades Rapsodiæ historicæ.

Cum autorum, è quorum monumentis hæc petita sunt, catalogo.

Por comision de los S.S. Inquisidores correxi este libro conforme al expurgatorio del año de 1632. en Granada a 5. de Mayo de 1632.
M.º de Herrera

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

BASILEAE.

NOMINA AVTORVM, QVOS SABELLICVS HVIC TOMO POTISSIMVM ADHIBVIT.

Ablauius
Agitonus
Alcuinus
Anaſtaſius Bibliothecarius
Armenius Aytonus
Appianus
Aurelius Feſtus
Bibolus
Bonitendius ſcriba
Bernardus Iuſtinianus
Blondus Forliuienſis
C. Piſo
Callicrates Tyrius
Capito
Caſsiodorus
Cælius
Cegonius
Cepio Coriolanus
Chinatius Tauriſius
Cordus
Cornelius Tacitus
Cornelius Balbus
Criſpus Saluſtius
Cyprianus
Damaſus
Dandulus
Delius
Dexippus
Diodorus Tripho
Dion
Dionyſius
Egeſippus
Eginardus
Eratoſthenes
Eucolpius
Euſebius
utr opius
Fabius Celerianus
Fabius Pictor
Feneſtella
Flabanicus
Flauius Vopiſcus
Florentinus Antiſtes
Gilbertus
Gothifredus Vetulonenſis
Guido Rauennas
Guilielmus Lateranenſis
Helius Spartianus
Helius Lampridius
Hieronymus
Hircius
Hoſtarius
Iacobus Eremitanus
Iordanus
Ioſephus
Iulius Capitolinus
Lampridius
Leonardus Aretinus
Marcellinus
Mariotus Montanus
Marius Maximus
Martinus SegoniusNouomõtan⁹
Martinus Pololmacenſis
Muſeus
Nicolaus Calchocondiles
Obdo Rauennas
Oneſimus
Oppius
Oroſius
Palfurius Sura
Pandulphus Lateranenſis
Paſius Ariminenſis
Paulus Longobardicæ hiſtoriæ
Paulus Singibertus (ſcriptor
Paulus Diaconus
Platina
Plinius
Plutarchus
Philippus Eremitanus
Polybius
Pomponius Lætus
Poſsidius
Poſsidonius
Priſcus
Procilius
Procopius
Proſper
Rochianus Vlyſſes
Septimius Acilius
Spartianus
Strabo Gnoſius
Theoclius
Theodorus Abbas
Thucydides
Timogenes
T. Liuius
Trebellius Pollio
Trogus Pompeius
Turpinus Remenſis antiſtes
Vgo Floriacenſis
Vincentius
Vohatius Gallicanus
Xanthius Lydus
Zenophon Lampſacenus.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI, DE OPERIS EDENDI CAVSIS, ET CONTRA CRIMINATORES TAM DECADUM hiſtoriæ Venetæ, quàm Enneadum huius Rapſodiæ, Apologia & defenſio, & de titulo Operis, quod eſt Rapſodia, ad Democritum ſuum, ratio.

M. ANTONIVS SABELLICVS, DEMOCRITO S.

QVID *amici hominis apud amicum ualeat autoritas, cùm ſæpe aliàs ſum Democrite expertus, tum præcipuè his diebus in tua amicitia. Certus eram nolle nũc edere has noſtras Enneades, quibus ſum omnium res gentium complexus, à primordio mundi ad Arcadij & Honorij tempora. His enim imperantibus, Roma direpta à Gothis & incenſa, labefactari cepit Rom. imperium. Profiſſemq; tam diu has meas uigilias, quoad extrema manus inſtitutæ imponeretur hiſtoriæ. nam eo conſilio ad ſcribendum uenimus, ut ad noſtrorum temporum memoriam præſens rerum extenderetur explicatio, ſi tamdiu ſupereſſet uita. Videbam ad hæc fore, ut quo lucubratio hæc magis maturuiſſet, eo tutior futura eſſet editio. Sed neq; amicorum pleriq;, neq; tu omnium amiciſſime paſſus es ita euenire, qui Io. Harmonij Marſi iuuenis doctiſſimi, & utriuſq; noſtrum familiaris conſilio, ut mihi dicis, uſus, hortando, monendoq;, niſi per partes opus ederetur, futurum ut Lector eius magnitudinem pertæſus, prius faſtidire cepiſſet, quàm lectio, quæ proponeretur, qualis eſſet, rectè iudicari poſſet, facile perpuliſti, ut mutato conſilio quicquid erat laboris huius exhauſtum, tuo hortatu pateremur in apertum exire. Cæterùm ne præcipitari uideretur editio, quæ maturari non potuit, quantum in uarijs occupationibus, per quas ne reſpirare quidem datur, efficere potui, diligenter curaui, ut quàm emendatiſſimè hæ noſtræ Enneades impreſſoriam ſubirent officinam: in qua nuper recognitione, multum ac ſupra quàm dici poſsit, noſtrum iuuit laborem Bernardinus Cadolus Camalduenſis monachus, uir diuinarum humanarumq; literarum, ut ſcis, impenſe doctus, & ex Brixienſi illa probitate, quam Plinius celebrat, multũ referens. Fuit illius opera tam nobis utilis, quàm iucunda: & in his præcipuè, quæ ad ſacram attinent hiſtoriam. Sed ſatis ſcio, fruſtra utrunq; laboraſſe, niſi tua fides & induſtria id demũ mihi præſtiterit, ut lucubratio hæc maneat nobis inoffenſa ab omni opificum iniuria: inſtando, monendo, ſingula penſitando dabis operam, ut ſartũ & tectum inde opus, omniq; ex parte emaculatum nobis reſtituatur. Nam, quod ad hiſtoriæ fidem attinet, nullam reformido calumniam, quum omnia quæ ſcribuntur, uetuſtiſſima ſint, & procul ab hominum memoria remota, atq; ex ijs potiſsimum ſcriptoribus excerpta, qui hiſtoriæ legem non ſeruaſſe ſolũ, ſed conſtituiſſe etiam uideri poſſunt: quam obtrectationis anſam adepti alienarum rerum oblatratores, noſtram, ut audio, fidem in Veneta criminantur hiſtoria, tanquam in ea relatione, quæ in noſtra deſcendit tempora, periclitari neceſſe fuerit: nec fieri potuerit, ut non gratia aut odium ſtylum à uero deflexerit: quæ hominum calumnia, ſi quid habeat ponderis, Thucydides, Xenophon, Polybius, Ioſephus, Egiſippus, & ex noſtris Liuius, Criſpus, Cornelius, & alij qui permulti ſunt, pro uanis repudiari poſſunt, qui non res tantum ſuorum temporum in literas miſere, ſed quibus etiam gerendis eorum aliqui præfuerunt. Cæterùm nullus eſt, quod ad calumniæ uanitatem attinet, in Veneta hiſtoria locus, ut publicè teſtari ſoleo, quem non ſim uel magna ſponſione paratus, in Venetis annalibus ex fide repræſentare, aut in ijs certè qui commentarios de ea re ſcriptos reliquere. Quod ſi domeſticis ſcriptoribus eſt fides abroganda, Liuius fabulam ſcripſit, non hiſtoriam, qui Romanos, non Punicos ſecutus eſt annales: enimuero duobus recentiſsimis bellis, Othomãnico & Ferrarienſi (quod in Rhetico poſtea bello & Gallico feci) quia nulla adhuc de his rebus extabant literarum*

monumenta, eorum sum fidem secutus, qui hoc uel illud obiuere negocium: nec unius interim, sed plurium simul commentarios sequebar, quos de eadem re ad me datos diligenter conferebam, ut non nisi quæ plures traderent, ac propiora uero uiderentur, pro ueris haberemus: in quibus, si quid illi memoriæ lapsu (nam gratis mentiri quid attinuisset) à uero laborarunt, nõ studium mihi defuit ueri indagandi, sed inueniendi felicitas. Quanquam non uideo, qua alia ue teres illi historiarum conditores uti potuerint ratione, in suorum temporũ rebus referendis: nam negocijs omnibus interesse nõ potuerunt. Sed audi quæso, quàm cæca sit inuidia, quæ nil aliud nouit, quàm aliena corrumpere. Vrbani obtrectatores (nam ubi nam hæc pestis non plus nimio inualuit) quæ sunt Venetorum secunda, me frigidè & uelut inuitum scribere criminantur, si qua aduersa, rerum atrocitatem uerbis augere: contrà externi plus æquo Venetæ laudi datum cauillantur, quæ diuersa calumniæ ratio planè arguit historiæ temperamentum, quod tam hi quàm illi ex caliganti inuidiæ specula, nequeunt intueri: quod si inuidiæ quid uerum sit, quid æquum persuaderi posset: uel hoc uno nos omni absoluerent suspicione, quòd peregrinus homo ueni ad res Venetas scribendum, nulli propemodũ notus, procúlq; à Venetæ ciuitatis conspectu totam (Verona est mihi testis) texui historiam: fui proinde tunc ego tam procul ab omni odio & gratia quum illa commentabar, quàm in ijs me esse oportuit, quæ nunc aliarum gentium eduntur. Sunt enim ab omni hominum memoria remota. Sed ualeãt inuidi, ac ne non semper sit illis quod agere possint, cepas mandere iubeo & flere. Tu mi Democrite, quando lucubratio hæc procul abest ab eiusmodi calumnia, da operam si me amas, ut in hac parte, quæ ad emendationem attinet, nullus relinquatur inuidiæ locus: quod si sedulò ut spero, feceris, amabunt te meritò, qui hanc non oderint lectionem. Vale: & si quis de Rapsodiæ uoce nobis litem intenderit, ita occurrito: me unam Graij nominis partem secutum, peregrinam maluisse uocem usurpare, quàm ex nostratibus unam, quæ nulla satis honesta fingi potuit: quanquam meminisse poterunt illi fuisse (quod ad reliquum dictionis attinet) canere apud maiores, quod nunc eloqui est, si Strabo uerus est autor: nec quia modulatus sit Poëtarum sermo, minus quadrat nobis ratio: est enim poëticæ cognata historia, ac quodammodo solutum carmen, ut scribit Fabius: idq; adeò uerum est, ut Liuius autor grauissimus ab Heroico hemistichio sit historiam exorsus. Sed qui minus crudo erunt stomacho, uidebunt hæc, & boni consulent.

ARGV/

EX LIBRO PRIMO, ENNEADIS SEXTAE.

XLVI. DVO Quinti Pompeius & Metellus plebeij ambo cẽsores unà creati sunt, quod ad id tempus nunquam acciderat. Idem Metellus ex Tarpeia rupe propemodum à Catinio Tribuno plebis deiectus est. Simon Machabæi frater Antiochi exercitum superauit. Septimus quisq; annus fuit Iudæis solennis. Ptolemæus Phisco nefaria cæde in suos grassatus, ab Alexandrinis eiectus est. Demetrius qui bis fugam ex Hircania frustra molitus fuerat, bello Phrarte implicito in Syriam reuersus, in regnum receptus est. Idem immodica superbia iterum eiectus, in Tyro insula oppressus perijt. Populus Aphricani minori concionanti obstrepuit, quia Gracchorum conatibus aduersaretur. Idem Aphricanus noctu domi necatus est. Ingens uis Gallorum est à Romanis ad Rhodanum cæsa. Fregellæ circa Lyrim à L. Opimio prætore dirutæ. Tribunitiæ C. Gracchi actiones nouæ discordiæ materiam præbuerunt. Graccbus & Fuluius Flaccus, quiũ Auentinum occupassent, ambo interfecti sunt. Gracchi caput auro repensum. Concordiæ templum quando & qua de causa constitutũ. Baleares insulæ à Metello subactæ, uictori cognomen dedere. Sextiæ aquæ quando & à quo conditæ. Fabius Maximus CXX. Auernorũ milia una acie ceciidit. Sunt & Allobroges in deditionẽ accepti. Iugurtha Hiempsalem fraude interfecit. Adherbal à Iugurtha superatus, Romã aufugit. Numidia Iugurthæ & Adherbali diuiditur. Antiochus Griphus uenenum in se à matre paratum in autorem uertit. Samaria à Iudæis excisa est. Aemylia Licinia & Martia uestales incesti damnatæ sunt. Iugurtha Adherbalem obsidione fatigatum deditumq; crudeliter necauit. Idem Romam accersitus ubi se populi odio imparem sensit, occultè ex urbe digreditur. Albinus cum exercitu à Iugurtha subiugatus est. Metellus Iugurtham ad Muthul fluuium ingenti uicit prælio, lateq; Numidiam est populatus.

EX LIBRO SECVNDO.

XLVII. CImbri qui hominum fuerint, & unde nuncupati. Cimbrorum in Gallia successus. Metellus Vaccenses ui captos fœdè trucidauit. Iugurtha ex Thala urbe cum filijs aufugit Metelli metu. Philenorum fratrum memorabile facinus: & ubi aræ Philenorum constitutæ. Marius Iugurtham armis exuit. Capsa à Mario excisa est. Bocchus & Iugurtha à Mario uicti sunt. Bocchus Iugurtham Syllæ quæstori à Mario ad id missо tradidit. Bis Romani à Cimbris modico tempore uicti sunt. Cæpione & Seruilio consulibus circa Rhodanum octoginta milia Romanorum sunt una acie à Cimbris interfecta. Marius de Iugurtha triumphauit. Memorabilis fulminis casus, quo Romana est puella icta. Marius consul adolescentẽ absoluit, qui tribunum militum occidisset, dum stupri uim à se repellit. Qui mores & ritus fuerint olim Germanorum. Multa Ambronum milia à Mario uno die cæsa sunt: sed multo maiore cæde ad Sextias aquas sunt Teutoni ab eodẽ occidione occisi. Terribilis Cimbrorum in Italiam transcensus. Cimbri & ipsi acie congressi, aut cæsi sunt, aut capti. Marius insignẽ de Teutonis & Cimbris triumphum egit. XXX. Iudæorũ milia una acie cecidit ad Iordanem fluuium Ptolemæus Lathyrus. Secuti inde uarij Iudæorum motus, domesticáq; seditione ualidè sunt eius gentis opes concussæ. P. Malleolus maternæ cædis reus, culeo insutus, in mare est deiectus. Metello A igni & aqua est interdictũ. Capitolium humana fraude deflagrauit. Glaucias & Apuleius seditionis autores, in curia interfecti sunt. Cyrenæorũ regnum Romano populo testamento cessit. Drusus Tribunus plebis domi interfectus est. Plures Italiæ populi uno tempore à Romanis defecerunt. Romanorum & hostium ualidissimi bellorũ apparatus. Rutilius consul ad Lyrim fluuium oppressus perijt. Marsi acie uicti cæsiq; sunt. Romani sociali bello aliquot Italiæ populos ciuitate donarunt. Hostibus per partes uictis, Romanus populus sociali est bello defunctus.

EX LIBRO TERTIO.

XLVIII. PRodigiosa crinitæ stellæ facies in Mithridatis ortu apparuit. Quæ Mithridatici belli causa & origo fuerit. Mithridates Ariaratem fraude oppressit. Vnde Bithynia nuncupata, & qualis terræ huius Paphlagoniæq; sit situs. Romani ad Anneum fluuium à Mithridate uicti captiq; ludibrio hostibus fuere. Primi ciuilis belli causæ, simul & prodigia quæ id bellum præcessere. Sylla & Marius in Exquilijs acie dimicarunt. Marius urbe pulsus cum suis est hostis iudicatus. Idem Minturnis captus, penè interfectus est. Marius prodigio à Minturnensibus missus in Aphricam nauigauit. Mithridates præter magnam Asiæ partem multa Græciæ loca armis occupauit, Aristone tyranno Athenis imposito. Sylla Athenis receptis duabus pugnis circa Cheroneam adeò Mithridatis opes afflixit, ut hostem ad petendam pacem compulerit. Marius in Italiam reuersus, collecta seruorum manu cum Cornelio Cinna urbem ingressus est. Cædes ab Octauio consule orta, per illustrium uirorum & ignobilium capita plures dies euagata est. Marius quum septimò iam consul esset, fato perijt. Fimbria Flacco cõsule interfecto, Ilienses crudeli excidio affecit. Pax Mithridati à Sylla reddita est. Fimbria à Sylla circunsessus sibi manũ intulit. Satyrus ea qua pingitur forma ad Syllam Italiam repetentem, quum Apolloniæ esset, perductus est. Capitolium Romæ deflagrauit. Cinna militũ incursu perijt. Sylla in Italiam reuersus mira felicitate Martianos duces, qui CCCC. ductabant cohortes per partes superauit. Sertorius in Hispaniam nauigauit. Marius Iunior Prænestæ oppressus perijt. Sylla perpetuam dictaturam induit. Tygranes rex Syriam occupauit. Bellum cum Mithridate renouatum est: & mox pax eidem reddita. Pompeius, obres præclarè in Aphrica gestas, à suis magnus appellatur, triumphansq; in urbem redijt. Sylla qui primus Romanorum ciues proscripsit, dictaturam ultrò deposuit. Post Syllæ obitum, consul Lepidus armis urbe à collega eiectus in Sardinia perijt. Cilices piratæ latè maria infestarunt. Sertorius Hispania eiectus in Mauritaniam traiecit, ubi aliqua de Antæi sepulchro & Fortunatis insulis, ad quas penetrare in animo habuit Sertorius: idẽ mox in Hispaniam reuersus magnam illius partem obtinuit.

EX LIBRO QVARTO.

XLIX. ROmana arma pro Macedonia tuenda nonnihil à Barbaris eius accolis solicitata sunt, uictiq; sæpius Sordisci. Brutus M. Bruti pater à Pompeio Mutinæ occisus est. Præclara militaris disciplinæ exempla à Pompeio & Sertorio in Hispania edita. Quando Bithynia & Cyrenæ Rom. pop. cesserint. Mithridates & Sertorius inter se fœdus iniuerunt. Sertorius à suis interfectus est. Pompeius Perpenna interfecto Hispaniam pacauit. Seruile bellum in Italia à Spartaco & paucis fugitiuis est ortum. Spartacus Rom. duces & exercitus sæpius fudit. M. Licinius Crassus Spartaco cadente, eius exercitum deleuit. Pompeius & Crassus ob discordem consulatum inter se inimici Pop. Rom. precibus redierunt in gratiam. Lucullus Mithridatis copias duplici clade circa Cyzicum ualidè afflixit, Mithridates maiore parte classis amissa, naufragio

penè periit. Idem duplici clade à Lucullo paucis diebus affectus, ad Tigranem profugit tribus sororibus duabusq; coniugibus prius ueneno sublatis. Amasus àl. ucullo capta direptaq; est. Lucullus fœneratorũ rabiem fregit. Tigranes ingenti prælio est à Lucullo uictus ad Tigranocertã: atq; mox urbs ipsa direpta est. Tigrane iterum victo, Lucullus circa Taurũ copias reduxit. Nec ita multo pòst imperiũ est Lucullo abrogatũ: LX. senatores Gn. Lentulo & L. Gellio cõsulibus sunt curia eiecti. Q. Catulus Capitolium dedicauit. L. Roscius Otho legẽ tulit de quatuordecim gradibus ijs assignandis in theatro, qui quadringenta posiderent sestertia. Rom. Ioui prælio nauali sunt à Cretẽsibus victi, quos postea Metellus armis subegit. Pompeio decernitur maris imperium ad piratas toto mari persequendos. Pacato mari piratisq; in deditionẽ acceptis, Pompeius in Cilicia Pompeiopolim condidit. Lucullus de Mithridate & Tigrane triumphauit. Luculli sumptus luxuriaq; usq; ad infamiam inclaruit. Pompeius Mithridatem exuit castris, mox Colchidem transgressus, Albanos & Hiberes uicit, ancepsq; ibi de Amazonibus fama. Tigranes se Pompeio dedidit. Aristobolus graui bello fuit implicitus eo tempore quo Pompeius in Syriam uenit, post cuius accessum confestim illi deditus est, templumq; profanatũ. Pompeius sacro abstinuit. Mithridates à filio & exercitibus destitutus uenenum hausit. Pompeius orientis rebus ex sententia constitutis, Romam reuersus clarissimum triumphum egit.

EX LIBRO QVINTO.

L. LVcius Catilina in patriam coniurauit, à Ciceroneq; in senatu lacessitus, mox à patribus conuicio exceptus, minitabundus ex curia sese proripuit. Legati ex Manlianis castris ad Marium missi, nihil impetrarunt. Catilina in Manliana castra sese contulit. Cic. Allobrogũ indicio certior factus de ijs, quæ à coniuratis in urbe parabantur, eorum literis interceptis illos sceleris in curia coarguit. Lentulus & socij Ciceronis iussu sunt in carcere necati. Cicc. pater patriæ primus in toga appellatus. Catilina acie cum Antonio Ciceronis collega congressus fortiter pugnans in confertissimo hostiũ cuneo cecidit. Clodius in domo C. Cæsaris pollutis Bonæ deæ sacris deprehensus, gratia & fauore quo pollebat, magis quàm innocentia absolutus est. C. Cæsar ex prætura Hispaniam sortitus, Magni Alexandri statua Gadibus animaduersa ingemuit, suam ignauiam pertæsus. Idem consul factus legem agrariam tulit inuito collega. Clodius Cæsare autore, à patribus ad plebem transijt. Cæsar Gallias & Illyricum prouincias adeptus ad bellum profectus est. Eodem ferè tempore Cato ad Ptolemæũ Cyprium tollendum Clodij est rogatione missus, qui Ptolemæo Alexandrinorũ regi ad se uenienti nõ assurrexit. Ptolemæus Cyprius ueneno epoto interijt. Cato Ptolemæi rebus Romã delatis iustũ propemodũ triumphũ egit. Cicero cui Clodius Trib. pleb. diem dixit, eiũ magno ciuitatis motu causam dicere potuisset, maluit tamen exulare, quàm statum ciuitatis in discrimen conijcere. Ciceroni igni & aqua est interdictũ, eius ædes dirutæ, uillæ direptæ & incensæ. Cæsar octo dierum spacio in Galliam uenit. Heluetij Gallorum fortissimi ad Ararim flu. sunt à Cæsare occidione occisi, mox iterum cæsi, qui duabus cædibus superfuere, deditionem fecerunt. Cæsar in Ariouistum mouit, cum quo in colloquium uenit, inde ambo hostiliter congressi, difficilem pugnam pugnauere. ad extremum egregiè uicit Cæsar. Cicero magno totius Italiæ fauore ab exilio reuocatus, magnum domi aduersus Clodium sustinuit certamen. Quæ gens Belgæ fuerint, & quæ belli causæ cum ea gente conflatæ. Cæsar Belgas metu turbatos insigni clade adfecit. Nerijj multa suorum strage affecti, Aduaciq; capti cum pleriſq; gentibus Oceani accolis Rom. armis cessere.

EX LIBRO SEXTO.

LI. IMperium C. Cæsari in quinq; annos est prorogatũ. Aulus Gabinius Ptolemæum iniussu pop. Rom. in regnum reducit. Galba cum paucis aduersus Veragorum gentes prosperè dimicauit. Veneti accolæ Oceani à Cæsare deficiunt. Inibiq; status urbium & locorum, quæ gens ipsa accolit. Romani feliciter in Venetos classe decertarunt. Q. Titurius Vnellos magna clade affecit. P. Crassus, M. Crassi filius in Aquitania multa præclarè gessit. Cæsar Germanos qui in Galliam eruperant, uno prælio disiectos palantesq; ad Rhenum usq; cecidit. Romanæ legiones Cæsaris ductu in Germaniam ponte transierunt. Cæsar Sycambrorum rebus insigniter afflictis, Sueuisq; in syluas cõpulsis Britanniam inuasit. Romanæ naues pleræq; Oceani æstu circa Britanniam corruptæ sunt. Britanni prælio uicti obsides dedere. Nec multo pòst Britannia bello repetita est, eamq; uectigalem fecit Cæsar. Qualis sit Britanniæ situs, qualis & Iberniæ, & qui ritus & mores sint hominum utriusque insulæ. Iulia C. Cæsaris filia fato defuncta, in campo Martio sepulta est. Titurius Sabinus & Auunculeius in Eburonibus cum suis cohortibus cæsi sunt: à Q. Cicerone castra ualidè defensa. Cæsar Gallis prælio uictis, subito cursu suos obsidione leuauit. M. Crassus cum filio & florentissimis legionibus in Parthia cæsus est. Cæsar iterum Rhenum ponte superauit, atq; ibi quædam de Hircinia sylua, locisq; et fluminibus Germaniæ. P. Clodius Romæ circa Bouillas à Milone interfectus est. Milo etsi à Cicerone defensus, solum uertit homicidij causa. Nonnulli etiam uiri illustres sunt per idem tempus Romæ ambitus damnati. Tota fermè Gallia uno tempore rebellauit. Cæsar Gebenna, monte uel media hyeme superato, ingentem Gallis metum intulit. Legio una Cæsaris ad Gergoniã fusa est, & mox paulò Cæsar cum tota Gallia ad Alexiam uno tempore dimicauit. Galli ingenti cæde affecti, partim fuga dilapsi sunt, partim dediti: Gallisq; per hæc multiplici clade fractis, prouincia pacata est.

EX LIBRO SEPTIMO.

LII. SEcundi belli ciuilis causæ primo referuntur. L. Domitius datur Cæsari successor. Curio magnis itineribus ad Cæsarem uenit. Cassius & Antonius Tribuni curia eiecti ad Cæsarem, qui in cisalpinam Galliam uenerat, se contulerunt. Cæsar Rubicone superato Ariminum occupauit, quiq; olim fuerint Italiæ fines demonstrantur, & quæ prodigia ciuile bellũ præcesserunt. Cæsar pleriſq; alijs Italiæ locis captis, L. Domitium Corphinij in suam potestatem redactum, incolumem dimisit. Idem Pompeio Italia pulso ex Brundusio Romã reuersus ærarium expilauit. Massilienses Cæsari in Hispaniam cunti portas clauserunt. Cæsar Sicoris inundatione nonnihil in Hispania impeditus, aquis remittẽtibus, tres paucis diebus Pompeianos prætores cum suis exercitibus in suam potestatẽ redegit. Massilienses interea oppugnati, binq; nauali prælio uicti, postremò sub Cæsaris reditum dediti sunt. Curio Cæsarianarum partium dux, in Aphrica ad Bagradam cum duabus est legionibus cæsus. Cæsar in Macedoniam transgressus, aliquot loca confestim hostibus ademit: mox copijs auctus, haud procul Dyrrhachio Pompeiũ ingenti uallo clausit, tanta rerum omnium inopia, ut non tam obsidenti esset similis, quàm obsesso. Cæsar ad Dyrrhachiũ susus Pharsaliam petijt. Hic Pompeius apud Pharsalũ acie uictus in Lesbum nauigauit. Idem cũ Cornelia uxore in Aegyptum delatus, Ptolemæi iussu interfectus est. Cæsar Cassio in traiectu Hellesponti cum classe ad se recepto Aegyptũ petijt. Ptolemæus Cæsarẽ Alexandriæ deprehẽsum aliquandiu domestico bello fatigauit. Rege demũ sublato Cleopatrã eius sororẽ, cuius erat consuetudine captus, & ex qua iam filiũ tulerat, Aegypti reginã cõstituit. Cæsar mira celeritate

Ieritate Pharnacem regem uicit, literasq; ad senatum dedit subitæ uictoriæ indices, Veni, uidi, uici. Idẽ in Aphricã transgressus, post uarios hostiũ conatus, uno prospero prælio quo trina hostium castra cepit, rerum potitus est. M. Cato Vticæ sibi mortem consciuit. Hinc Cæsar Romam reuersus quater triumphauit, muneribus inde uariq; spectaculorum munificentia ciuitatem multis cladibus afflictam recreauit. Cleopatram Romam uenientẽ beneuolentissimè accepit. Idem in Hispaniam profectus est ad Pompeij filios debellandos. Cum his ad Mundam acie congressus, uictos prouincia expulit. Exquisitissimi honores, & supra fastigiũ humanitatis Cæsari à senatu decreti, suspicionq; affectati regni ingentem illi inuidiã pepererunt. Postremò à tribus & lx. senatoribus, quorum Brutus & Cassius principes fuere, in senatu tribus & uiginti uulneribus interfectus est.

EX LIBRO OCTAVO.

LIII. POst cædem Cæsaris senatus metu dilapsus est. Lepidus cũ legione una in forum irrupit. Brutus & Cassius in æquũ descenderunt ex Capitolio, actumq; est de concordia ciuitatis & iniuriarum obliuione. Plebs Antonij concione odio in coniuratos concita, ægrè ab illorum domibus repulsa est. Cæsar honorificentissimè est funeratus. Octauius Romam reuersus cum Antonio confuse simultari cœpit, Antonioq; à patribus alienato, ipse ad optimates se contulit. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit. Idem uno die est utramq; belli fortunam expertus. Postremò ab Hircio & Pansa consulibus uictus, ad Alpes se proripuit. Octauius sublatis consulibus quæ eius fraude periisse creduntur, cum legionibus quas post illorum mortem receperat, Romam uenit, ubi non adhuc uiginti annos natus, consul creatus est. Antonius & Lepidus iunctа inter se societate in Italiam reuersi, cum Octauio ad Labinium amnem triumuiratũ iniuere. Brutus quũ in Macedoniam iter intendisset, medio conatu à suis destitutus periit. Triumuiri, quum plures omnium ordinum proscribi sissent, Romam cum exercitibus ingressi, crudeliter proscriptionẽ exercuere. Cicero circa Formianũ suum occisus est: sunt et alij plerique uiri illustres pari clade afflicti. P. Sextius ab Octauio in Aphricam missus, prouinciã obtinuit. Cassius & Brutus rogatione Pedia iã anteà hostes iudicati, ualidos in Asia & Macedonia exercitus coẽgere. Cassius Dolabellam diu obsessum ad mortem compulit, Rhodios prælio uictos uarijs cladibus affecit. Xanthij M. Bruti metu se & suos peremerunt. Cleopatra quum ad Octauium nauigaret, classe naufragio amissa, animo & corpore ægra, se in Aegyptum recepit. Antonius & Octauius, cũ Bruto & Cassio in Philippis uarie priore prælio dimicarunt. Victus Octauius à Bruto, Antonius Cassium acie uictum castris exutum ad mortem compulit. Brutus altero prælio & ipse uictus, manum sibi intulit. Antonius ex Philippis in Asiã transgressus, sese Cleopatræ illecebris addixit. L. Antonius triumuiri frater ab Octauio Perusiæ obsessus, & in potestatem redactus, in fratris gratiam meruit ueniam. Octauius ab Antonio triumuiro suspicione præsentis belli alienatus, cum eo in Italiam reuerso redijt in gratiam: Octauia sorore illi matrimonio locata, ambo cum Sexto Pompeio pacem sanxerunt.

EX LIBRO NONO.

LIIII. ANtonius ad Parthicum bellum exiturus, ex Italia profectus Athenis desedit. Parthi bis à Ventidio sunt uicti. Idẽ primus Romanorum de ea gente triumphum egit. Bellum inter Octauium & Sextum Pompeium circa Italiam & Siciliã renouatum, Antonium in Italiam reuocauit. Octauius duplicem classem breui tempore circa Italiæ oram amisit, & cum Antonio fœdus renouauit. Parthi Hierosolymã diripiunt Antigoni ductu. Herodes est à senatu rex appellatus. Idem in Syriam reuersus, uarijsq; casibus iactatus, Hierosolymam obtinuit. Antonius ad Parthicum bellum profectus, non modò nõ domuit gentem ipsam, sed fugienti similis, magnaq; exercitus parte amissa in Aegyptũ reuersus est. Octauius refecta classe Pompeium nauali prælio uictum Sicilia expulit, Lepidum in triumuiratu collegam, legionibus ademptis, Circeios relegauit. Pompeius quum in Asia res nouas moliretur, Antonij iussu Mileti interfectus est. Octauius Siculo bello defunctus, omne ferè Illyricum nomen domuit. Antonius & Octauius abrupta amicitia toties malè focillata, ante Ambracium sinum nauali prælio conflixerunt. Antonius Cleopatram secutus, quæ pugna uix bene inita fugam præoccupauit, ingentis uictoriæ materiam hostibus præbuit. Terrestres Antonij copiæ sui imperatoris fuga proditæ, in Octauij potestatem uenere. Cleopatra Alexandriã reuersa per Arabicum dorsum classem traducere conata est, ut uelut in ignotas mundi partes per Erythræum fugam moliretur. Octauius in Aegyptum profectus, Antonium ad mortem compulit. Cleopatra & ipsa breui pòst ultrò mortem oppetijt. Octauius in Italiam reuersus Alexandrium triumphum egit. Qui uiri ingenio clari ea tempestate fuerint. Inde Augusti amicitiam per legatos petiere. Cantabris ab Octauio uictis, Hispania pacata est. Alpinæ gẽtes partim Augusti ductu, partim auspicijs Romanis, armis subactæ sunt. Quintilius Varus cum duabus legionibus in Germaniã cæsus est. Tyberius Augusti priuignus Illyricũ bellũ triennio confecit, mox & Germaniam pacauit. Parthi Romana signa Crasso & Antonio adempta ultrò Romanis restituerunt. Pace terra mariq; parta, Octauius Augustus Gemini Iani templum tertiò clausit.

ARGVMENTA ENNEADIS VII.

EX LIBRO PRIMO.

LV. VIS tum in omnibus esset gentibus rerum status, quum Christus rex omnium natus est, primo loco continetur. In quæ tempora salutaris eius inciderit ortus. Vbi & qua matre sit natus. Pastores cœlesti uoce moniti, ad puerperij locum festinatò occurrerunt: atq; multa inibi miracula referuntur, quæ in Saluatoris ortu euenerũt. Puer octauo ab ortu die circuncisus est. Tres Magi stellæ ductu cum muneribus celebriq; comitatu, ut puerum adorarent, in Iudæam uenere. Herodes nefarium capit consilium pueri, si inueniretur, interficiendi. Virgo, pueri mater, ne quid legi abrogaretur, quadragesimo die à partu lustrari uoluit. Prophetica uox Symeonis de Christo, quem ad templum delatũ ulnis uenerabundus excepit. Iosippus in Galilæam reuersus, per quietem iussus est in Aegyptum cum puero & matre proficisci, quando Herodes eius uitæ inmineret. Peregisset Herodes confestim destinatã puerorum cædem à Magis deceptus, nisi ad dicendam causam Romã fuisset accersitus. Herodes Roma reuersus, omnes pueros intra suæ tetrarchiæ fines, infra bimatum uno tempore iussit interfici. Quibus inde iactatus casibus sit Herodes, & q̃ atroci tabe ad extremum confectus. Iosippus pòst Herodis interitum, in Iudæam reuertitur. Iesus xij. annos natus, triduum à parentibus requisitus, in templo cum sapientibus est repertus. Ioannes Zachariæ filius, Christum in Iordane baptizauit. Quis tum status esset Italiæ, & qualis ipsius terræ situs. Quæ gentes, qui mores ab initio fuerint. Christi salutaris prædicatio, stupendaq; miracula, quæ toto operatus est triennio. Cur

pontifices & phariſæi Chriſtum oderunt. Saluatoris & diſci A pulorum cœna, & quibus ſuper illam ſint apoſtoli præceptis inſtructi. Ieſus à Iuda traditus, arctiſſimè uinctus Hieroſolymam perducitur. Chriſtus ad Annæ, Caiphæ & Herodis conſpectum contumelioſe habitus: & mox apud Pilatum præſidẽ flagris atrociter cæſus, Iudæis efflagitantibus crucis affixus eſt patibulo. Quæ ſub exitũ Saluatoris ſint circa crucem & alibi miracula obſeruata. Chriſtus tertio die, à quo fuerat paſſus, propria uirtute ſurrexit. Quibus poſt reſurrectionem apparuit, & quæ ueræ reſurrectionis argumenta in eo extiterunt. Io. Zachariæ, filius, antequam Chriſtus pateretur, fuit Herodis iuſſu interfectus. Veterum prophetarum Ioſephi & Pilati de Chriſto teſtimonium. Auguſtus princeps Chriſto in terris agente, uita deceſſit. Quæ fuerint publica Auguſti opera. An Auguſtus felix fuerit, ut exiſtimat uulgus. Quæ ſigna præceſſerint Auguſti exitum. Quæ fuit illius ſtatura, & quæ in cultu frugalitas. Qui uiri ingenio clari uixerint. Quàm Tyberius popularis fuerit ab initio ſui principatus. Cur Iudæi per ſpeciem militiæ ſint ab eo in Sardiniam relegati. Cur Iſiacus cultus ex urbe Roma ſublatus. Tyberius in nurum & nepotes atrociter ſæuijt. Plurimi nobilium ciuium ab eodem afflicti ſunt. Flagitia Capreenſis ſeceſſus. Armeniam Parthi occuparunt. Pilatus Romam accerſitus eſt ad dicendam cauſam. Noui Parthorum motus, & quæ bella illic exarſerint. Qualis fuerit Tyberij exitus, quæ ſtatura, quæ gentium clades in Tyberij principatum inciderint. Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſum prouincias inter ſe partiti ſunt. Iacobus Ioannis frater ab Herode interfectus eſt, & Petrus ex Herodis cuſtodia miraculo liberatus.

EX LIBRO SECVNDO.

LVI. GErmanicus Caligulæ principis pater, quamus domi foriſq; fuerit, & quàm ab initio populáris princeps: quæ publicè opera inchoauit, & quæ edidit ſpectacula, & in his pontem quo Baias Puteolis commiſit. Et Lugduni Latinæ & Græcæ eloquentiæ certamen. Caij crudelitas in omnes, et deteſtabilia uota. Titi Liuij monumenta Maroniſq; abolere in animo habuit, utrunq; inſectatus: uelut hic ingenio caruiſſet, ille plus nimio uerboſus, parumq; diligẽs fuiſſet. Duo libelli poſt eius mortẽ reperti, Pugio & Gladius inſcripti. Tanta uenorum uis, ut maria infecerint. Cum tribus ſororibus inceſtum fecit. Vxores ſibi ſtultè iunctas, ſtultius dimiſit. Caius numorum aceruis inambulauit, interdum ſe totum obruit. Gallica expeditione milites iuſſi ſunt ab eo conchas legere pro ſpolijs oceani. Germanicas legiones conatus eſt trucidare, ſed metu deſtitit. In Iouis cultu ſæpe uiſus eſt fulmen habens. Sæpe cũ Ioue litigabundus ſedit in Capitolio. Inter Caſtorẽ & Polluce adorandum ſe præbuit. Caligula paucorũ conſpiratione in palatio interfectus eſt. Claudius Caij patruus caſu magis, quàm conſilio imperator creatus eſt. Petrus Chriſti apoſtolus altero Claudij anno uenit Romã. Marcus euangeliũ ſcripſit. Alexãdriæ nouam fundauit eccleſiã. Maria uirgo quinto Claudij anno, humanis defuncta in cœlũ aſſumpta eſt. Claudius Britannia ſuo ductu & auſpicijs pacata triumphauit. Ex Iudæis qui adhuc in Meſopotamia erant, duo fratres ingentes in ea terra motus conciuere: & in Iudæa gregarij militis temerariũ factũ, noui fuit tumultus cauſa. Quæ publica Claud. Romæ foriſq; edidit opera. Meſſalina Claudij uxor probris cooperta, illius iuſſu interfecta eſt. Agrippinã fratris filiã ſibi matrimonio iunxit, quæ ex altero marito Neronẽ fuerat enixa. Claudius Agrippinæ impulſu Neronẽ adoptauit. Scripſit Claudius Græcè & Latinè multa, ſed parũ accuratè. Claudius iam grandis natu Agrippinæ opera perijt. Stultum principem ſtultior hominũ conſenſus conſecrauit. Marcus Euangeliſta Alexandriæ fato defunctus eſt. Petri apoſtolorũ principis, & Simonis magi memorabilis cõtentio. Quàm manifeſta numinis prouidentia ſit Paulus Tharſenſis ad fidem uocatus. Ad quos Paulus ſcripſerit. Nero duos Apoſtolorũ principes morte affecit, & Chriſtianæ pietatis cultores crudeliter inſectatus eſt. Vrbs Roma à Nerone incenſa eſt. Domitius Corbulo multa in Armenia & Media præclarè egit. Fœda à Romanis clades acceptа eſt in Britannia, ſubita inſulanorũ rebellione. Suetonius Paulinus Britannos immenſa cæde afflixit. Romanæ legiones à Parthis in Armenia ſubiugatæ ſunt. Tiridates rex Romam uenit ad Neronẽ. Nero Britannicum fratrem ueneno ſuſtulit, Agrippinã matrem interfecit, ſororem Octauiam, Pompeiam uxorẽ, & cum his ex neceſſarijs plurimos. Anneus Seneca & Lucanus ab eodem ſunt ad mortẽ compulſi. Sporũ pro uxore habuit, ipſe Doriphoro nupſit: domũ extruxit, quæ à uaſtitate nimia tranſitoria eſt appellata: muſicen ad inſaniã uſq; coluit: cantauit publicè in Italia & tota Græcia: ab exercitibus deſtitutus ſibi manũ intulit. Romani exercitus inter ſe confligunt in Gallia. Quibus ſignis Galbæ futurũ imperium ſit demõſtratũ. Galba imperator creatus Romã uenit. Piſo Licinius à Galba adoptatus eſt. Galba Othonis iuſſu in foro eſt interfectus.

EX LIBRO TERTIO. (ctus.

QVibus terroribus ſit Otho primis noctibus ſui principa- LVII. tus à Galbæ manibus agitatus. Aulus Vitellius in Germania imperator appellatus eſt. Mutua Vitellij & Othonis conuicia. Cecinna & Valens Vitelliani duces bipertitò in Italiam tranſcendunt. Romæ ſubitus prætorianorum tumultus ciuitatis ſtatum in diſcrimen adduxit. Quæ ſigna futuri euẽtus ſint Othoni oblata. Othoniani ſub alpibus ſæpius proſperè dimicarunt: mox ad Bebriacum in Cremonenſi agro uicti, fœda occidione ad unum propè occiſi ſunt. Otho præcipiti deſperatione ſibi manum intulit. Vitellius in Italiam tranſgreſſus, manifeſta ſuæ crudelitatis ſigna ad Bebriacum dedit. Romam Vitellius ferro cinctus ingreditur, multiq; eius ſæuitia ſunt afflicti: matrem præterea necaſſe creditus eſt. Vitellij luxuria et infamis patina. Origo & ſucceſſus Iudaici belli. Veſpaſianus totam Galilæam magna Iudæorum ſtrage ſubegit, mox & Idumæam, ibiq; imperator eſt à ſuis appellatus. Vitelliani circa Cremonã à Flauianis uincuntur. Cremona direpta & incenſa eſt. Vitellius Flauianæ factionis uiros, qui Romæ erant; in Capitolium compulit. Iouis ædes incenditur. Sabinus Veſpaſiani frater ad Gemonias ſcalas tractus eſt. Flauianis exercitibus urbem irrumpentibus, nonnihil intra tecta urbis cum Vitellianis eſt dimicatũ. Pulſis diſiectiſq; Prætorianis, Vitellium Flauiani crudeliter excarnificati ſunt. Qui in Gallia & Germania per id tempus noui motus extitere. Veſpaſiano Romã abeunte, Titus Hieroſolymã obſidet. Atroces circa muros Iudæorum Romanorumq; conatus. Dira fames immenſam uim hominũ conſumpſit. Titus templo prius capto, urbẽ irrupit. Hieroſolyma capta excidio dedita eſt. Quæ ſigna id excidium præceſſerint. Titus Hieroſolymis ex: iſis ad Euphratem proceſſit. Pacato prouinciæ ſtatu, Romam reuerſus cum patre triumphauit. Macheruntij expugnantur poſt Titi ex Iudæa diſceſſum. Antiochus Comagenus, quia cum Parthis ſentiret, Romam ad Veſpaſianum miſſus. Memorabile Iudæorum excidiũ ad Meſadam caſtellum. Iudæorum templum in Aegypto claditur. Qui mores in Veſpaſiano fuerint, quo uitæ tempore, & ubi fato defunctus.

EX LIBRO QVARTO.

TIti principis ingenium q̃ efficax fuerit ad promerendam LVIII. omnium gratiã. Apoſtolorũ pleriq; martyrij palmã tulere. Veſuuius incendio conſumptus eſt. Domitianus imperio potitus Cathos uicit & Dacos, L. Antonius, qui in Germania bellum

bellum conciuerat, felicitate magis q̃ uirtute uictus eſt. Quæ A recepit. Cõmodus in omnia flagitia præceps abijt. Ciuilis mo
Domitianus publicè opera extruxit. Domitianus imperatorũ tus qui Cleandri cæde reſtinctus eſt. Maternus uir facinoro-
primus dominus & deus dici uoluit. Domitiani ſæuitia in o- ſus Cõmodo inſidiatus eſt. Vrbs fœdo incẽdio deformata. Com
mnes ciuitatis ordines. Quàm idẽ ſtultè ſecreto uſus eſt. Quæ modus mille uhetiarios aut uicit, aut occidit: trecẽties ſexa-
ſigna illius mortem præceſſerint. Domitianus in cubiculo à gieſquinquies in gladiatoriũ certamẽ deſcẽdit: plures mẽſes à
ſuis interfectus eſt. Qui uiri ſanctitate clari fuerint per id tem- ſuis nominibus appellauit: Herculis æmulus uideri uoluit: do
pus, & in his Cletus qui Lino ſucceſſit, & Clemens qui poſt meſtica cõiuratione oppreſſus eſt, in multos mox paulò ſæ-
Cletum pontifex fuit: ſed omnium clariſſimus Io. Zebedæi fi- uiturus. Quibus natalibus ortus ſit Aelius Pertinax. Pertinacis
lius Chriſti apoſtolus, qui eo principe in Pathmum fuit inſu- in cunctis popularitas. Pertinax à militibus interfectus eſt. Vi
lã deportatus. Qualis Cocceius Nerua imperator fuerit. Ner- ctoris pontificis inſtituta. Didius Iulianus primus omnium
ua Traianum adoptauit. Clementis & aliorum Chriſtiani no Ro. imperium à militibus mercatus eſt. Peſcennius Niger in
minis nobile martyrium. Anacletus pontifex, & eius decreta. Syria imperator ſalutatus, & Seuerus in Germania. Iulianus
Traianus Chriſtianæ pietatis uiros inſectatur. Memorabilis fauore militum deſtitutus, ferro occubuit. Seuerus Romam
Plinij epiſtola de Chriſtiano cultu. Quæ Traianus in Dacos ingreſſus Prætorianos inſigni ignominia notatos exautora-
proſperè geſſerit. Traianus pontem lapideum Danubio impo- uit. Seueri ad Peſcennium debellandũ profectio. Seuerus ad
ſuit, atq; inibi forma põtis & magnitudo. Traianus Decebalo Cizycum Peſcennianos ſuperat, Tauriq; anguſtias ui tranſ-
Dacorum rege extincto, eius theſauris indicio potitus eſt, mi- greſſus, Peſcennium in Cilicia cruento prælio uicit. Peſcenius
ra arte ſub fluminis alueo defoſſis. Quæ Traianus opera pub- acie egreſſus, haud multo pòſt circa Antiochiam occiſus eſt.
lica extruxerit, & in his columnã laborioſe exciſam. Specta- Peſcennij uox ingens, nec in re militari ſeueritas minor. Seue
cula edidit Traianus multa & uaria. Traianus in Armenia rus Clodium Albinum Cæſarem à ſe appellatum in Gallia ui-
& Parthia feliciter bellauit. Terræmotus ingens Antiochiam cit & occidit. Quàm prodigioſæ edacitatis fuerit Albinus. Se-
cõcuſſit ac penè euertit, quum in ea Traianus hybernaret. Idẽ uerus imperio potitus plurimos interfecit, alios alia de cauſa:
claſſe ad Diabenem peruenit & Arbelam, ubi Darĩ Alexan- cæterum omnes ut Albini amicos. Seculares ludos Seuerus ce-
der ingenti prælio uicit. Traiani conſilium de Euphrate in Ti lebrauit. Proſperè in Armenia bellauit Arabia & Meſopota-
grim corriuando. Traianus ſecundo Tigri ad occanum dela- mia. Seuerus in Britannia obijt duobus filijs relictis diuerſo
tus eſt. Parthi quum ſubitò rebellaſſent, paucis ſunt diebus pa- ingenio, & ob id animo neutro in alterũ amico. Quæ Zephi-
cati. Agarenos in Arabia Traianus oppugnauit. Idem quũ Ro rinus pontifex in cærimonijs decreuerit. Quæ fuerit conſe-
mam ægrotus repeteret, in Syria ueneno deceſſit. Iudæi qui cir crandorum principum ratio. Antoninus Caracalla Gethã fra-
ca Cyrenem incolebant, ſubita rebellione ad ccxx. milia homi trem interfecit. Antonini ſæuitia in Gethæ amicos. Eiuſdẽ in
num interimẽre. Eiuſdem generis uiri in Aegypto & Cypro re militari memorabilis patientia: Alexandri & Achillis æmu
agitantes cædem aliquanto fœdiorẽ ediderunt. In Iudæos re- lus uideri uoluit: Alexandrinos miſerabili occidione occidit:
belles utrobiq; ſæuitum eſt. Adrianus qui Traiano ſucceſſit, B Parthorum regem ſimulato affinitatis ſtudio penè incautum
Chriſtiani nominis uiros atrociter inſectatur. Euariſtus pon- oppreſſit: Macrini conſilio Caracallæ à Martiale cuius fratrẽ
tifex huius impio edicto interfectus eſt. Quæ Alexander, qui interfecerat, confoſſus occubuit. Cur Caracallæ cognomen tu-
Euariſto ſucceſſit, in ſacris inſtituerit. Halanos Adrianus pa- lerit. Iuliam nouercam ſuam duxit uxorem. Macrinus impe-
cauit. In Britannia inſulanos à Romanis muro lxxx. milium rator ſalutatus, cum Parthis bellum compoſuit, parum bo-
paſſuum diſcreuit, omnes Rom. pop. prouincias inuiſit, circa neſtis conditionibus.
Caucaſum Pompeij ſepulchrum inſtauravit. Hieroſolymam
Heliopolim dixit à ſe nonnihil inſtauratam. Cum externis po- EX LIBRO SEXTO.
pulis citra bellum omnia tranſegit. Fuit & uideri uoluit om- MIlites Heliogabalum puerum dictum Caracallæ filium LX.
nium artium peritiſſimus. Qualis fuerit Aelius Verus, qui ab imperatorem crearunt, atq; ibi quis Deus Heliogaba-
Adriano adoptatus eſt. Vbi & qua ætate Adrianus obijt. Poſt lus fuit, cuius ille erat ſacerdos. Macrinus à militibus deſtitu-
Alexandrum, qui martyrio affectus eſt, Sixtus pontifex fuit, tus, in Bithynia cum filio eſt interfectus. Quo Macrinus fue-
multaq; inibi multorũ põtificum in ſacris decreta. Sixtus pro rit ingenio. Quæ Caliſti pontificis fuerint decreta. Portento-
Chriſto martyrium paſſus eſt. Theleſphorus ſequitur. Valenti ſa Heliogabali uita, fœdæq; libidines & luxuria citra fidem
niana hæreſis, & eius decretum. Teleſphori pontificis marty memorabilis. Stulta Heliogabali ſacinora. Heliogabali cædes.
riũ & Higini, qui Theleſphoro ſucceſſit. Quas gẽtes Pius An- Alexãd. cõſobrinus frater, et is Caracallæ filius creditus impe
toninus alieno ductu, aut uicit, aut ſua authoritate cõpreſſit. rator creatus eſt. Alexãd. popularia inſtituta. Alexãder parũ
Quæ prodigia facta ſint Pio principe: quæ & Pij pontificis in ,pſperè in Perſas bellauit, ut quidã meminerũt. Alij inde incly
cerimonijs decreta. In Armenia & in Parthos Pio principe tã uictoriã relatam ſcribũt, triumphatumq; ab Alexandro de
proſperè eſt bellatum. Qui hominũ Marcomani fuerint: hos ea gente. In Germaniã Alexander profectus, aliquot ibi pro-
Marcus princeps & coniuratas gentes per partes ſuperauit. ſpera geſſit prælia. Alexander ſubita militum defectione cum
Fauſtina Marci coniunx ſub Tauro monte diem obijt. Syria- matre interfectus eſt. Quàm Alexander in adminiſtrando im
ca expeditione qualis Fauſtina fuerit. Memorabile Fauſtinæ perio mitis fuerit. Quæ Alexander domi foriſq; extruxerit
facinus in nefario gladiatoris cuiuſdam amore abolendo. M. opera. Vrbani pontificis in diuinis ſacriſq; rebus inſtituta.
Commodo filio amicis pro concione commendato, uita decef- Maximinus militum prærogatiua contentus, imperium arri-
ſit, quum Marcomanos adhuc bello premeret. puit. Maximini robur, bibaciſſimáq; natura. Maximinus Ger
manos pluribus prælijs afflixit. Gordianus in Aphrica ſalu-
EX LIBRO QVINTO. tatus eſt imperator, & filius Cæſar. Maximinus hoſtis iudica-
LIX. QValis Aelius Verus fuit, qui cum Marco aliquot annos tus eſt. Mite Gordiani iunioris ingeniũ. Nobilis Gordiani bi-
imperauit. Decreta Anniceti põtificis qui Pio ſucceſ- bliotheca à Sambonico relicta. Quibus ſummis uiris duo Gor
ſit. Eleutherio ſedente, qui Anniceto ſucceſſit, Britannia pri- diani ſimiles fuerint. Maximinus auditis quæ Romæ & in
ma omnium terrarum Chriſtianæ pietatis cultu populariter Aphrica facta erant, Romam iter intendit. In Aphrica Gor-
dianus iunior à Capeliano uictus concidit, pater ſe laqueo

ſuſpendit. Romæ in ſubita trepidatione tres imperatores creati ſunt, Maximus Pupienus, Balbinus, & Gordianus minoris Gordiani filius. Creati ſunt & ex principibus ſenatus, qui per partes Italiam tuerentur. Pupienus Maximino obijcitur. Balbinus Romæ ad ſedandam ciuilem diſcordiam ſubſedit. Fœda inter prætorianos & ciues certamina. Vrbs cædibus & incendio deformata. Maximinus & filius circa Aquileiam à militibus obtruncati ſunt. Capita per Italiam, & in urbe contumelioſe geſtata. Balbinus hecatomben fecit, atq; ibi quæſit hecatombes ratio. Pupienus & Balbinus militari incurſu interfecti ſunt. Gordianus adhuc puer Auguſtus appellatus. Mneſtei ſoceri cõſilio fretus Gordianus aliquãdiu feliciter imperauit. Mneſteus Philippi fraude perijt. Gordianũ imperio prius illi abrogato, milites interfecerũt. Philippus imperator ſalutatus

EX LIBRO SEPTIMO. (eſt.

LXI. *EDidit Philippus ſpectacula uaria eximiaq;: imperatorũ primus Chriſtianum nomen tulit. Iunior Philippus, huius filius nunquam riſiſſe dicitur. Romæ Pompeij theatrũ incẽdio eſt conſumptũ. Fabianus pontifex in ſacris quædam inſtituit. Decius, cuius fraude duo Philippi interfecti ſunt, imperium obtinet. Fabianus Decij iuſſu martyrio coronatus eſt. Decius Cornelium qui Fabiano ſucceſſit relegatum repetijt, repetitum martyrio affecit. Laurentius à Decio combuſtus eſt: alij in Valerianum id facinus reijciunt. Gallus poſt Deciũ imperauit. Ingẽs peſtilentia Romæ & tota Italia fuit Gallo principe. Gallus & Voluſianus filius, quum in Myſiam contenderent, ſubita militum defectione perierunt. Valerianus in Rhetia & Norico eſt imperator creatus. Quæ Lucij pontificis fuerint decreta. Quale fuerit Decij & aliorum de Valeriano adhuc priuato iudicium. Cenſoria poteſtas quãtum in ciuitate potuerit. Valerianus ad Perſicum bellum profectus, uiuus uenit in hoſtium poteſtatem. Galeni inertia. Valerianus à uinculis non eſt uindicatus. Galeni contemptu plures uno tempore orti ſunt tyranni. Gothi pontum, Aſiam & Macedoniã populati ſunt. Macrianus in Syria eſt nomen imperatoris adeptus. Macriani & filij cædes. Odenatus Palmyrenus in Galeni gratiam altero Macriani filio interfecto, aliquot urbes Perſis ademit. Scythæ Bithyniam ingreſſi, Nicomediam excidio dedunt. Galenus in Gallia plura cum Poſthumio fecit prælia. Idem Gallico bello intermiſſo Byzantium profectus eſt. Prætidiarij milites, quia ciuiũ fortunas latrocinio afflixiſſent, Galeni iuſſu ad unum interfecti ſunt. Ridiculus eiuſdem triumphus. Scythæ Cappadociam populati ſunt. Odenatus cum filio ſuorum fraude perijt, Zenobia coniuge & duobus filijs ſuperſtitibus. Heraclianus in Perſas miſſus, exercitu à Palmyrenis exutus eſt. Scythæ in Illyricum uſq; proceſſere. Galenus eorum impetum preſſit, victorq; prælio repulit. Idem cum Valeriano fratre circa Mediolanum militari eſt iniuria oppreſſus. Publica Galeni opera, & quæ prodigia ſint facta eo imperante. Stephanus pontifex Galeni iuſſu martyrium tulit. Claudius imperio potitus, CCC. Gothorum milia interfecit, deleuit & ij. milia nauium. Aureus clypeus in curia & in Capitolio ſtatua Claudio à ſenatu decreta eſt. Qui hominũ Palmyreni fuerint, et unde dicti. Quintilius Claudij frater Aquileiæ ſibi manum intulit. Quàm ſeuero fuit ingenio Aurelianus. Quibus principum licuit pomœrium proferre. Aurelianus Zenobiã Palmyrenorum reginam bello captam, Romã perduxit, deq; ea triumphum egit. Qualis Zenobia uultu & ingenio fuerit. Quæ publica fuerint Aureliani opera. Felix pontifex quædã in ſacris inſtituit. Inſignis Rom. ciuitatis concordia, & qualis nunquam ab urbe condita fuerit. Tacitus imperator optimus militari tumultu occiſus eſt. Quæ in Probo principe fuerit indoles. Militaris Probi opera, CCCC. milia hoſtiũ ab eo cæ-*

A *ſa. Omne Scythicum nomen aut uicit, aut ſibi ſocium adiũxit: Ciliciam & Pamphiliam latrocinijs purgauit: Saturninũ in Aegypto oppreſſit: Blemias uicit. Proculus à Probo in Gallia oppreſſus eſt, atq; inibi Proculi ſalacitas in centum Sarmaticas uirgines. Bonoſi quem Probus oppreſſit, temulentia. Probus militari tumultu periit*

EX LIBRO OCTAVO.

CHarus, qui Probo ſucceſſit, omnem Meſopotamiã Rom. LXII.
ſubiecit imperio. Charus ictus fulmine periit, quum ad Cteſiphontem haberet caſtra. Numerarius Chari filius ſoceri fraude occultè occiſus eſt. Diocletianus imperator ſalutatus, Aprum à quo Numerarius fuerat interfectus, pro concione cõfodit. Charini libido & immodica luxuria. Charinus in Dalmatia à Diocletiano uictus mortem occubuit. Quando Rom. pop. Tichobatem ſpectauit & Aerobatem, & centum Salpiſtas uno tẽpore concinentes. Diocletianus Galliã pacauit. Maximianus Herculeus à Diocletiano conſors imperij inſtitutus eſt. Maximianus Galerius, & Conſtantius, Cæſares appellantur. Vario marte uno die dimicauit Conſtãtius in Gallia. Diocletianus Aegyptum hoſtiliter afflixit. Galerius ob rem malè geſtam, à Diocletiano malè acceptus eſt. Galerij præclarũ facinus. Diocletianus Baſternas & Sarmatas uicit. Caius pontifex & innumeri Chriſtiani nominis Diocletiano imperante martyrio affecti ſunt. Diocletianus & Maximianus ultrò ſeſe in ordinem redegerunt. Quæ publicè Diocletianus extruxit opera. Conſtãtius Gallias & Hiſpaniã obtinuit. Romæ Maxẽtius Herculei filius imperator ſalutatus eſt. Galerius Orienti præſidet. Conſtantinus Conſtantio patre defuncto in Gallia imperauit. Maximianus Herculeus Maſſiliæ interfectus eſt. Marcellus pontifex Maxentij ſeuitia martyrio affectus. Catherina, Anaſtaſia, Barbara, & multi Chriſtianæ pietatis uiri

B *uirgines q;, Maxentij imperio interfecti ſunt. Maxẽtius à Conſtantino uictus, in Tyberim præcipitatus eſt. Conſtãtinus Roma potitus, Sylueſtro Chriſtianæq; rei impenſius fauet. Conſtantinus Maximino & Licinio, quos Galerius Cæſares fecerat, è medio ſublatis, ſolus imperio potitus, filios Cæſares creauit. Gothos Conſtantinus prælio uicit. Vrbem in Byzãtiacis ſtatuit ruinis ingentẽ, & quæ ab initio Roma dicta eſt, mox Conſtãtinopolis. Aliæ alibi à Conſtantino urbes cõditæ. Quæ Conſtantinus opera Romæ extruxerit. Arrianæ ſectæ origo. Damnatus eſt Arrius celebri antiſtitum conuentu. Sacratiſſimæ crucis lignum, ubi & per quos repertum. Athanaſius Alexandrinæ eccleſiæ antiſtes in exiliũ agitur. Quæ Iulius pontifex in ſacris inſtituerit. Conſtãtius Conſtã. filius in Meſopotamia parũ proſperè cum Perſis dimicauit. Conſtans eius frater Gallos ad imperium retraxit. Idem Maxentij fraude interfectus eſt. Maxentius à Conſtantio uictus, manum ſibi intulit. Nepotianus temerè Romæ imperiũ occupauit, pauciſq; diebus imperio & uita ſpoliatus eſt. Cõſtantius Arrianorum fautor orthodoxæ fidei uiros infenſe odit. Arriana peſtis totum ferè corpus eccleſiæ inuaſit. Fœda pontificum contentio. Conſtantij iudicium de Rom. ſenatu. Iulianus cognomẽto Apoſtata, Chriſtiani nominis uiros infectatus eſt. Quæ in Babylæ ſepulchro euenerint. Quam uim Iulianus eſſe ſenſerit in ſigno crucis. Impia uox Iuliani in Meſopotamia cadentis. Qui Iuliano principe pro Chriſto paſſi ſint.*

EX LIBRO NONO.

IOuinianus, q poſt Iulianũ imperator eſt ſalutatus, pacẽ cũ LXIII.
Perſis fecit magis neceſſariã, q honeſtã. Iouinian. in Galaciæ finibus fato deceſſit, uir tãta pietate, ut imperiũ nõ fuerit acceptus, niſi ſciret ſe à Chriſtiano exercitu imperatorẽ appellari. Damaſus põt. in celebri antiſtitũ cõuentu aduleriĳ cauſam dixit, innocensq; abſolutus eſt. Quæ fuerint Damaſi ſcripta & inſti-

& inſtituta. Valẽtinianus Saxones & alias malè pacatas gentes bello ſuperauit. Monachi à Valente militare coacti ſunt. Quæ gens Gothi fuerint, & quoties ſint Daci à Romanis uicti. Qui Hunni fuerint, & quas habuerint ſedes. Gothi ab Hunnis eiecti, circa Iſtrum conſedere. Valens à Gothis uiuus in ignẽ coniectus eſt. Conſtantinopolis muliebri conſilio defenſa. Quæ fuerint Cyriaci pontificis in ſacris decreta. Gratianus imperator Gallicum bellum feliciter confecit. Theodoſius à Gratiano adoptatur, oriẽtaliq; imperio tuendo præficitur. Athanarici uerba de Rom. imperatore. Gratianus Lugduni occiſus. Valẽtinianus iunior Gratiani frater à Theodoſio in imperium reſtituitur. Qui uiri ſanctitate & eruditione clari cũ his uixerint, & in his Ambroſius Mediolanenſis antiſtes. Baſilius, Gregorius Nazanzenus. Valentinianus ab Arbogaſte in Gallia fraude oppreſſus eſt. Theodoſius in Arbogaſtem & Eugenium feliciter dimicauit. Theodoſius moriens Arcadio & Honorio filijs duo per manus tradidit imperia. Quàm Aurelius Auguſtinus orthodoxæ fuerit fidei utilis, atq; inibi non pauca de Eremitanæ familiæ origine. Quæ in ceremonijs fuerint ab Innocentio pontifice conſtituta. Gildo res nouas in Africa molitus eſt. Ruſinus perfidiæ cõuictus meritam mortem occubuit. Gothi à Romanis alienati, Italiam bipertitò inuadunt. Diui Hieronymi ſtudia, & quæ ſit ab eo religio inſtituta. Redagaſius Gothorum dux cum ingenti Gothorum numero eſt in Apennini anguſtijs oppreſſus. Alaricus aliquot prælijs fractus, quum pacatus in Galliam abiret, Stiliconis fraude rebellauit. Stilico Honorij iuſſu occiſus eſt. Gothi Romã obſidione captam ſemel atq; iterum diripuere.

ARGVMENTA ENNEADIS VIII.

EX LIBRO PRIMO.

B

LXIIII.

IBRO octauæ Enneadis primo Hunnorum origo, & res ab his geſtæ continentur. Prior Hunnicus tumultus. Qui hominũ priſci Veneti fuerint, & unde orti, ac quatenus eorum fines propagati. Vbi prima Venetæ urbis iacta ſint fundamẽta, & quo die urbs fundata. Qui primi in uacuũ uenerint, quæ mox cõuenarum ſit multitudo conſecuta. Britannia cum exercitu ab Honorio recipitur. Alpes aduerſus Gothos obſtruuntur. Gothi Italia excluſi, Hiſpaniæ imminent. Athalus cui Gothi imperium aſtruebant, captus Romam perducitur. Heraclian. in Africa tyrannidem occupat. Idem prælio à Romanis uictus, ingentem amiſit claſſem. Gothi in ulteriorem Hiſpaniam à Conſtantio compelluntur. Ingens Gothorum naufragium. Barbari inter ſe partiuntur Hiſpaniam. Athalus utraq; manu multatus, Byzantiũ mittitur. Etij ducis in Gallia ſucceſſus. Romanorũ inter ſe ducum hoſtilis cõgreſſus. Quibus fortunæ fluctibus iactatus ſit Etius. Noui Britanniæ motus. Valentiniani duces in Africa à Bonifacio uincuntur. Franci Galliam inuadunt. Vuandali Africam, Britanniam Angli. Neſtorij hæreſis. Athila Galliam inuadit. Memorabilis Athilæ & Etij pugna apud Tholoſam. Italia ab Athila inuaditur. Recens Venetorũ in inſulas migratio. Athilani Venetiæ urbes populãtur. Aquileiæ excidiũ. Athila Leoni Ro. pontifici ceſſit. Idem nuptiali temulentia ſubitaria mortе extinguitur. Vrbs Roma à Genſerico et Vandalis diripitur.

EX LIBRO SECVNDO.

LXV. *PRimus Græci nominis Leo Byzantij imperio potitur. Neſtorius & Eutychius ſuo uterq; delirio illuſtrantur. Pauli Nolani antiſtitis inſigne pietatis exemplũ. Prima Venetæ urbis forma qualis fuerit, & qui ab initio magiſtratus. Vandali à Romanis ſuperantur. Pannonia & Meſſa Gothis conditione cedunt. Plures unus poſt aliũ Romæ tumultuoſe imperant. Heruli Italiã inuadunt Odoacris ductu. Britãnia inſula in Angliæ nomen abijt. Italia multo maxima ſui parte Herulorũ cedit armis. Theodoricus Gothorũ rex, Odoacre uicto Italiæ imperio potitur. Italia à Burgũdijs inuaditur. Odoacris cædes. Quæ Simplicius pontifex tulerit decreta. Magnum pietatis exemplum in Eudoxa, quæ Hilmerici fuit Vandalorum regis uxor. Clodoueus Francorum rex Chriſti fidem ſuſcipit. Theoderici edictũ Italiæ calamitoſum. Vbi primùm Chriſtiani nominis uiri in hoſtes fidei dimicarint. Gelaſij pontificis ſcripta. Boetius et Symmachus Theoderici iuſſu necantur. Theoderici interitus. Benedictus abbas ſuum conſtituit dogma. Qui hominum ſint Boemi, Poloni & Sclaui, & unde profecti. Iuſtinianus imperator iuris ſcientiæ cultor, & uindex optimus.*

EX LIBRO TERTIO.

TErtius liber Gothici belli cauſam & originem refert, no LXVI.
uumq; Africæ motũ. Qui Beliſarij in Italia ſucceſſus fuerit. Neapolis à Beliſario capitur. Vitigis rex à Gothis creatur. Roma Beliſario deditur. Gothi urbem Romam obſidione fatigant. Franci Tholoſam diripiũt. Francorum regia domeſtico diſidio agitatur. Eiuſdem gentis in alpibus et Italia ſucceſſus. Duplex prælium inter Græcos & Gothos circa Tybrim annem. Primi Langobardorum motus, & eius gentis ſucceſſus. Comundus Gepidarũ rex. Syluerius pontifex, Antoninæ iuſſu dignitate ſpoliatur. Gothi Mediolanũ excidio dedunt. Franci in Italiã irrumpunt: duplexq; hic eiuſdem gentis victoria. Gothi afflictis totius gentis opibus circa Rauennã poſtremò uicti deduntur. Vitigis rex Byzantium mittitur. Gothorum res à Totila reſtituuntur. Græci ad Trebiã à Gothis magno prælio uicti cæduntur. Totilæ humanitas in Romanas mulieres. Græca claſſis à Gothis circa Neapolim profligatur. Neapolis Gothis deditur. Beliſarius in Italiam reuerſus, omnia à Græcis in ipſa terra mutata offendit.

EX LIBRO QVARTO.

ROma iterum à Gothis obſidetur. Virgilius pontifex exã LXVII.
gitatur, probaturq; eius patiẽtia. Diræ cõditiones, quæ à Totila ſunt Rom. ciuitati propoſitæ. Totila Tyberim obſtruit. Brutij & Lucani deficiunt à Gothis. Vrbs Totilæ proditur. Ruſticiana Romanæ indolis matrona miræ pietatis exẽplum edidit. Totilas nudat urbem mœnibus. Roma ſine cultu deſeritur. Vrbs à Beliſario inſtauratur. Totilas Græcos cæſtris exuit. Romanum ſolum intra muros ab obſeſſis ſeritur. Totila Roma potitur ab Iſauricis militibus prodita. Pertinax Græcorum certamẽ. Totila Romam reſtituit. Totilæ geſta in Sicilia. Italicũ bellũ Narſeti decernitur. Gothorũ claſſis Græciæ oram populatur. Gothi terra & mari uno tempore ſuperantur. Narſetis in Italiam acceſſus. Totila à Longobardis circa Padum uictus, mortem occubuit. Narſes Romã recipit. Gothorum ſæuitia in Romanos. Teia Gothorum rex Caſenã intempeſtiuè oppugnat. Cumis in ora Campaniæ conditi Gothorum theſauri. Gothi poſt Teiæ interitum Græcis dedũtur. Per quæ regnare deſierunt in Italia.

EX LIBRO QVINTO.

QVintus ſupputationẽ in fronte habet temporũ, & Narſe LXVIII.
tis reditum ad urbem. Græci Lucam & forum Cornelij obſident. Franci & Burgundij ad Tannetum caſtra muniunt. Burgundij & Gothi acie funduntur. Narſes contumelioſis literis Sophiæ, quæ fuit Iuſtiniani, à Græcorũ ſtudio alienatur. Omnis Gothorum gens abijt in Italicũ nomen. Narſetis interitus. Qui hominum Langobardi fuerint, & unde profecti, Langobardi Pannoniam Hunnis conditione relinquunt.

Gradenſis

Gradensis ecclesiæ origo. Exarchi nomen quando in Italiam allatum. Cur aureus numus ducatus sit dictus. Alboinus Langobardorũ rex parte Italiæ potitur. Alboini patera ex humano capite. Idem uxoris opera interficitur. Rosimunda, quæ Alboini fuit, uenenũ quod in nouũ coniugem parauerat, hauire coacta extinguitur. Cephis Langobardorũ rex immaniter regnat. Quo casu Tiberius imperator sit dies factus. Italia Langobardorum sæuitia affligitur. Quantum Italiæ Langobardis cesserit. Franci bello petuntur à Langobardis, qui bello uicti magna sunt clade affecti. Quibus Saxones casibus sint iactati. Quo tempore desitũ sit Romanè loqui. Hispani Christi fidem suscipiunt. Celebris diui Gregorij pontificatus. Angli Christianæ fidei accedunt. Exarchi uiolenta administratio. Theodelindæ pietas insignis. Patauium instauratur. Agilulphus Langobardorum rex Romam obsidet.

EX LIBRO SEXTO.

LXIX. CRemona solo æquatur. Gregorius pont. fato defungitur. Rom. ecclesia omnium ecclesiarũ princeps declaratur. Quæ Bonifacius III. tulerit decreta. Hierosolyma capitur à Persis. Phocæ, Langobardorũ regis cædes. Forum Iulij prodi tur Bauaris. Romildis atrox supplicium. Sclaui Dalmatiã & Illyricũ occupant. Intestina Francorũ regum discordia. Aphrica Persicis cessit armis. Heraclius imperator Persis haud uno prælio uictis Dominicæ crucis lignum recepit. Mahometes leges Arabibus sanxit. Qui hominũ olim circumciderentur. Isacius Exarchus sacrã pecuniam in Laterano diripit. Saraceni Persidæ potiuntur. Vnde sit Saracenorum nomen ortũ. Mahometis interitus. Opitergium tertiò exciditur. Constantius imperator orthodoxã fidẽ persequitur. Saraceni Colossum Rhodium demoliuntur, Siciliã inuadunt. Cæsarea regina Christianæ fidei studio ex Persidæ in Græciam uenit. Constantius imperator omnia sacra et prophana urbis loca rapina fœdauit. Intestina Langobardorũ discordia. Forũ Popilij excidio dedi tur. Cõstãtius merita cæde in Sicilia interficitur. Qui hominũ sint Bulgari. Ro. ecclesiæ ritus probatur à Græcis. Constãtimi imperatoris edictũ memorabile. Vesuuius incendio deflagrauit. Iustinianus à Bulgaris pacem ignominiosam reportauit.

EX LIBRO SEPTIMO.

LXX. REcens Langobardorum discordia in fronte libri memoratur, & quàm in ea gente probrosum tonderi. Pipini nomen in Gallia apud Francos nobilitari incipit. Paulus Heraclensis primus in Venetis dux creatur. Aquileiẽsis ecclesiæ & Gradensis discordia. Saxones Christianam recipiũt fidem. Iustinianus uarijs uitæ fluctibus iactatur. Aphricam Saraceni occupant, & mox paulò Hispaniã. Iustinianus ab exilio restitutus, sugillatã imperij maiestatẽ ulciscitur. Benedicti abbatis corpus furto in Galliam transfertur. Carolus Coloniã Agrippinã ui capit. Gentilis mos dimicãdi in Saracenis, teterrimáq; eius gentis cædes. Qui hominum sint Frisones. Aurelij Augustini corpus ex Sardinia in Italiam aduehitur. Saraceni haud uno loco cæduntur. Langobardi Italiæ statum solicitant. Veneti classem comparant in Pauli Exarchi gratiam. Langobardi ex Rauenna Venetorum opera eijciuntur.

EX LIBRO OCTAVO.

LXXI. GRegorij tertij pontificatu celebri antistitũ cõuentu decretum est, ut diuorũ imagines in templis retinerentur, cõtra Leonis imperatoris studium. Langobardi Italiæ ocium turbant. Francorũ reges suscipiunt res Romanæ ecclesiæ tuendas. Caroli Martelli filij inter se regnũ partiuntur. Francorũ regum pietas, & regij stemmatis relatio. Pipinus rex prospere rem gerit in Italia. Pipini pietas in Romanã ecclesiam. Carolus cognomento magnus, Aquitaniam subigit, mox & Langobardorũ opes in Italia affligit. Res ab eodem Carolo in Hispania gestæ, & q̃ uario marte sit cũ Saracenis & hostib. fidei in ea terra bellatũ. Constãtini imperatoris finis Byzantij dissipatur. Recẽs de imaginibus decretum. Carolus Sclauos bello subigit. Hunnos acie fundit. Leo pontifex ad Carolũ regẽ profiscitur. Carolus à Leone pontifice inungitur imperator.

EX LIBRO NONO.

LXXII. NOnus liber decretum Caroli cõtinet in Langobardos, et quæ Ticinẽsis Parisiensisq; gymnasij fuerit origo. Duo imperia orientale & occiduũ fœdere iunguntur. Pipinus rem ab initio prospere gerit in Italia. Saxonicum bellum Carolus ex sententia conficit. Nicephorus imp. tributarius fit à Saracenis. Io. Gradensis antistes præcipitatur. Heraclia & Equilium in Venetis internicino bello ad excidium perducuntur. Pipinus Venetis bellum infert. Galli à Venetis nauali prælio uincuntur. Bohemi Sclauiq; à Carolo armis uincũtur. Mauri deijciuntur ex Sardinia. Moritur Pipinus rex: secutus nec longo inde interuallo Magni Caroli interitus. Diui Marci corpus ex Alexandria furto sublatũ, Venetias deuehitur. Particiacus dux Venetus Matemaucũ diripit & incẽdit. Italia à Saracenis inuaditur, ac quatenus ab his uexata sit ultimo loco proditur.

ARGVMENTA ENNEADIS IX.

EX LIBRO PRIMO.

LXXIII.

Odouici Francorum regis filij domestica discordia inter se hostiliter confligunt. Græci & Veneti à Mauris nauali prælio uincuntur. Ancon ab eadem gente diripitur. Carolus Caluus Britãnos bello superat. Basiliscus Romæ interficitur, atq; inibi aliqua de Basilisco. Mauri à Rom. uincuntur. Cur Leonina pars urbis sit dicta. Ioan. põtificis turpis exitus, cuius probroso uitæ ludibrio sugillata est pontificia maiestas. Græci Venetorũ munere campano ære uti cœperunt. Bulgari, qui olim Triballi Ro. iunguntur ecclesiæ. Carolus Caluus ueneno sublatus est. Normanorũ origo, & alliqua ibi loci de ratione eius nominis. Galli imperare desierũt. Sclaui Christi fidem suscipiunt. Quàm atrociter in Formosum pontificem desanctum sit Ro. sæuitũ, & quæ in resisso cadauere miraculose extiterunt. Berengarius imperator prælio uincitur. Hungari Venetos bello inuadunt, ijdem nauali prælio uicti retrò abierũt. Saraceni Italiã inuadũt, nec multo pòst ab Hũgaris eadẽ terra repetitur. Italiæ res eodẽ tẽpore à Mauris et Hũgaris affligũtur. Genuã Mauri diripiũt.

EX LIBRO SECVNDO.

LXXIIII. OTho qui primus Germani sanguinis est nomen imperij adeptus, Bolesiaum Bohemiũ prælio uictũ capit: est & Italia non multo pòst ab eo petita. Candianus dux Venetus cũ filio multitudinis incursu interfeitur. Saraceni Italiã relinquunt. Græci Italia pelluntur. Camaldulensiũ monachorũ origo. Otho imperator Francorũ res bello infectatur. Græci Calabriã & Apuliã occupant. Iidẽ Othonẽ grandi prælio superant. Istri, Liburni & Dalmatæ Venetorũ ditionis fiunt. Iidẽ Narentanis bello uictis pacem reddunt. Otho tertius Venetijs apud principẽ occultè in hospitio fuit. Otho Romã hostiliter petit. Quæ creãdi imperatoris sit lex sancita. Montferratẽsiũ principũ origo. Sylusstri põt. exitus. Malatestarũ clarissimæ in Italia familiæ origo. Saraceni Sicilia eijciuntur. Normani Apuliã armis subigunt. Turcorũ origo, uariéq; de his opiniones. Vbi & quando Turci sint Mahometi fidem cõplexi. Hierosolyma à Turcis capitur. Troiæ in Apulia conditio. Non una ratio imperatoriæ coronæ, Gregorij sexti exitus.

EX

EX LIBRO TERTIO.

LXXV. QVæ statuæ ratio fuerit, in quã incidit Guiscardus Hunfredi filius. Græci Calabriæ possessione eijciũtur. Quo modo contigerit Calabriam & Siciliam pontificiæ autoritati subijci. Fœdum schisma in Rom. ecclesia. Ius creandi pontificis, & formula creationis. Quæ à Normanis sint in Italia insigniter gesta. Henrici imperatoris & Gregorij pontificis discordia. Henricus humiliter pontificem adijt. Veneti soluunt Dyrrhachium Normanica obsidione. Byzantium hostiliter diripitur ab Alexio imperatore. Veneti & Græci à Normanis ad Dyrrhachium nauali prælio uincuntur. Roma à Normanis incenditur. Amathildis fœmina illustris Henricũ prælio superat. Bellum à Christianis ducibus in Turcos comparatur: atq; inibi qui belli duces fuerint, & quæ celeritas in apparatu. Nicea à Christianis capitur. Boẽmundus & cæteri duces prosperè in Turcos dimicant. Cilicia horum ductu Christianis armis subijcitur. Antiochia laboriosè oppugnata, demum Christiani duces potiuntur.

EX LIBRO QVARTO.

LXXVI. QVæ post Antiochiam receptã Galli in Syria gesserint. Hierosolyma à Christianis capitur. Templũ iam antea profanatum, humana cæde polluitur. Hierosolymitanum regnum Gothifredo decernitur. Nouus rex prosperè in Turcos dimicat. Veneti Brundusium capiunt. Balduinus qui Gothifredo succesit, à Venetis & Genuensibus adiutus Ptolemaidem capit. Idem à Turcis ingenti prælio uincitur. Templariorum militũ ratio. Veneti Dalmatia recepta, Liburniam subigunt, quæ nunc Croacia est. Balduinus rex cum ducibus plerisq; Christiani nominis à Parthis prælio uictus capitur. Veneti cum numerosa classe in Syriam proficiscũtur, prosperéq; rem haud uno loco gerunt. Mihaẽlis Veneti ducis consilium in stipendio classiarijs persoluendo. Pisani à Genuẽsibus prælio uicti ignominiosam ab his pacẽ acceperũt. Innocentij pontificis Gallicana peregrinatio. Rogerius Calabria & Apulia pellitur. Disceptatio de almi Spiritus processu. Rogerij in Aphrica successus. Lodouicus Francorum rex bellum in Turcos comparat. Histri tributarij fiunt à Venetis.

EX LIBRO QVINTO.

LXXVII. AMericus rex Hierosolymitanus Alexandriam obsidet, quo casu ferui in Aegypto regnare cœperint, & ratio in his militandi. Federicus imperator Mediolanũ solo æquat. Hemanuelis Græciæ imperatoris in Venetos perfidia. Ius gentium ab Hemanuẽle uiolatur. Mediolanum finitimæ ciuitates instaurant. Alexandria in eodem Italiæ tractu conditur. Federicus imperator in Comensi agro prælio superatur. Alexandri pontificis fuga ad Venetos. Federici classis à Venetis superatur. Hemanuel imperator capitur à Turcis. Ingens in Syria terræmotus. Christiana res labitur in Syria. Saladini successus. Hierosolyma à Saladino capitur. Recẽs apparatus in Turcos. Federici Barbarubræ interitus. Tusculũ diruitur à Rom. Ptolemais in Syria recipitur. Venetorum & Pisanorum discordia. Galli duces & Veneti Byzantium capiunt. Balduinus imperator creatur. Diuisio Constantinopolitani imperij. Carmelitarum fratrum origo.

EX LIBRO SEXTO.

LXXVIII CAlaguritanus Dominicus, & Frãciscus Assisias, uitæ sanctitate & prædicatione clarescunt. Aphri Hispaniã inuadunt. Veneti Patauinos ad Bebias superant. Lateranensis conuentus celebritas. Heliopolis in Aegypto à Christianis capitur. Clara uirgo, nouam uirginum familiam instituit. Dominici Calaguritani cõsecratio, & Antonij Patauini. Helisabeth diuarum numero ascribitur. Nouus belli apparatus in Turcos, Cretenses à Venetis ad obsequiũ retrahuntur. Recens bellum Cretense. Quando Guelphi & Gibellini esse cœperint. Patauini Gymnasij origo. Qui hominũ sint Tartari, & quæ regni origo. Quibus terris sint eius gentis arma euagata. Quãdo puniceus galerus gestari cœperit. Ecelini crudelitas. Origo recẽs belli Ligustici. Genuenses in ora Syriæ à Venetis uincuntur. Byzantium Balduino electo, Paleologo cesit. Claræ uirginis consecratio. Veneti Genuenses ad Drepanum superant.

EX LIBRO SEPTIMO.

LXXIX. SIciliæ regnũ Gallis cesit. Carolus rex, Conradinũ ingenti prælio uicit. Triginta milia Tartarorũ fracta glacie fluctibus perierunt. Cassiani regis gesta. Venetorum & Genuensiũ bellũ. Anconitani à Venetis bello premuntur: est & cũ Histris nõ multo pòst bellatũ. Galli in Sicilia ad unũ interficiuntur. Seruorũ Deiparæ uirginis origo. Pisanorũ opes teterrima clade ad Iamellũ accepta, funditus corruũt. Res Christiani nominis in Syria cõcidunt. Bonifacius VIII. capitaliter Colũnenses insectatur. Sarræ Columnij casus. Res à Venetis in Euxino gestæ. Veneti Paleologũ bello insectantur. Quando primum Iubileus annus in Italia celebratus. Fraterculorũ ludibrium. Quando Ro. curia migrauit in Galliam. Templariorũ supplicium. Noui in Italia dominatus simul exorti. Rhodus à Turcis recepta est. Francisci Danduli pietas erga patriam.

EX LIBRO OCTAVO.

LXXX. HEnricus imperator ex urbe pellitur. Lodouici consecratio, mox Thomæ Aquinatis, & alterius huius nominis Herfordensis. Lodouicus Bauarus imperator. Qui tum illustres in Italia principes. Aliæ Italiæ urbes, ab alijs occupãtur. Quot milia hominum militaris ætatis sint Venetijs censa. Fœdus in Scalanos inter Venetos & socios ictũ. Accersitur Rubrius ad imperium copiarũ. Scalani Opitergium recipiunt. Oratio Veneti principis ad Rubrium. Affliguntur Scalanorũ opes. Pax Scalanis redditur. Terra horrendè mota est, morbusq; letalis euestigiò secutus. Causæ tertij belli Ligustici. Genuensiũ classis à Venetis ad Carystiũ intercepta est. Auinio pontificiæ sit ditionis. Tres classes à Genuensibus circa Bosphorũ superantur. Genuenses alienæ ditionis fiunt. Sapientina Venetorum clades. Veneti & Genuenses pacẽ inter se iungunt. Rancij urbis Romæ Tribuni cædes. Varij Italiæ motus. Angli Gallos superant. Taurisium à Lodouico rege oppugnatur. Veneti cum Lodouico rege pacẽ sanciunt. Recens Cretensium defectio Veneta in se arma reuocat. Pannon Italiam bello repetit, cum quo uario est cuentu à Venetis certatum.

EX LIBRO NONO.

LXXXI. VRbanus pontifex ex Gallia uenit in Italiã, uenit & Carolus imperator. Iesuatorũ origo. Qui Banderesij Romæ fuerint. Genuenses Phamã Augustam in Cypro occupant. Res à Venetis & Genuensibus in Dalmatia gestæ. Pontificia sedes Italiæ restituitur. Veneti à Genuensibus in Histria superantur: Ligur fossam Clodiam expugnat. Venetorum & Genuensium conatus circa fossam Clodiã. Ligur longa obsidione fatigatus, in Venetorum uenit potestatem. Veneti & Genuenses pacem inter se iungunt. Noui Italiæ motus, per quos Pannonum & Gallorum sunt arma exercita. Est & Vrbani sexti pontificatus. Vndetriginta Cardinales uno die creati sunt. Sociale bellum in Galeacium Vicecomitem. Comitis Armeniaci in Italiam accessus. Annatarum usus inducitur. Galeacij Vicecomitis interitus. Quæ Tanberlanes in oriente & septentrione gesserit. Dealbatorum secta. Patauium Venetæ ditioni cesit. Magnorum principum conspiratio in tollendo schismate. Presbyteri regulares quando esse cœperint. Sigismundus imperator Venetis bellum infert. Ioannes uigesimus tertius pontificia dignitate priuatur.

ARGV

ARGVMENTA ENNEADIS X.

EX LIBRO PRIMO.

LXXXII.

Nſigne uolubilitatis exemplum in Philippi Vicecomitis rebus. Beatricis fœminæ illuſtris, miſerabilis exitus. Vbi, & quo dignitatis gradu, diem obiuerit Ioan. xxiij. Suitenſes ad Bellicionã cædũtur. Philippus Genua, & mox Forliuio potitur. Florentinorum copiæ funduntur. Florentini Philippo bellum indicunt. Quibus uitæ fluctibus ſit Ioanna regina agitata. Io. Andegauenſis Neapolitanus, rex declaratur. Sfortia circa Aterni oſtiũ fluctibus obrutus perijt. Caieta Aragonijs ceſſit armis. Florentini à Philippi ducibus magno prælio ad Sagonariam uincuntur. Bracchius in Amiternis uictus interficitur. Turcorum ſucceſſus. Carmaniola à Philippo ad Venetos tranſit. Veneti fœdus et ſocietatẽ cũ Florẽtinis aduerſus Philippũ uicecomitẽ ineũt.

EX LIBRO SECVNDO.

LXXXIII *Qvibus fortunæ uoluminibus agitatus ſit Sigiſmundus imperator. Pannoniæ deſcriptio, cum relatione circumiectarum gentium. Qui hominum ſint Valachi & Bohemi, & qui mores utriuſq; gentis. Brixia Carmaniolæ ductu à Venetis capitur. Inſigne Mediolanenſium in ſuum principem ſtudium. Bembus Venetæ claſſis præfectus proſperè rem gerit in Pado. Carmaniola infeliciter dimicat ad Otholengium. Philippi copiæ ad Maclodium profligantur. Brixia & Bergomũ ex fœdere Venetis cedunt. Nicolaus cognomento Stella, Lucenſes bello proſequitur. Nouum inter Venetos & Philippũ bellum. Eugenij pontificis & Columnenſium diſcordia. Veneti circa Rapallum proſperè dimicant. Veneta claſſis in Pado profligatur. Carmaniola Venetijs capitali ſupplicio afficitur. Sigiſmundus imperator Italiam ingreſſus, Mediolani ferrea corona cingitur: mox Romæ cæteris ornatur imperij inſignibus. Franciſcus Sfortia Picenum nomen ſubigit. Franciſci Sfortiæ & Nicolai Picinini comparatio. Eugenius pontifex ex urbe pellitur. Veneti & ſocij cũ Philippo pacẽ iungũt.*

EX LIBRO TERTIO.

LXXXIIII. *Qvàm memorabili euentu circa Caietam ſit à Genuenſibus aduerſus Alphonſum regem dimicatum. Alphonſus, & qui cum eo capti ſunt, Philippi ducis munere liberantur. Nicolai Stellæ exitus. Genuenſes à Philippo deficiunt. Alphonſus Caietam ſubigit. Picinini geſta in ora Hetruriæ. Paleologi imperatoris, & multorũ ducum in Italiam acceſſus. Eugenij pontificis & Paleologi congreſſus. Vitellij antiſtitis geſta. Eugenio abſenti dignitas abrogatur Baſilienſi conuentu. Alcorani converſio in Latinum. Qui hominum Franci, & unde oriundi. Franciæ ſitus moreſq;, & ritus gentis. Varij armorum caſus in Neapolitano regno. Mellitæ ducis audax facinus. Sfortiæ & Picinini conatus circa Apenninũ. Sfortia à Philippo ad Venetos trãſit. De Rutenia, quæ et Ruſſia eſt, & morib. gentis: atq; inibi de Carinthiæ ſitu, Auſtriæ & Styriæ.*

EX LIBRO QVARTO.

LXXXV. *Romanæ eccleſiæ eius quam Græci habent, unio. Brixia ſumma ope à Philippi ducibus oppugnatur. Triremes per montium iuga in Benacum tractæ. Sfortia Picininũ prælio uictũ, in Thenium compellit. Picininus Veronam occupat. Verona à Sfortia recipitur. Vitellius antiſtes in Adriani mole necatur. Veneti Philippi claſſem in Benaco ſuperant. Picininus ingenti prælio funditur ad Anglariam. Poloniæ deſcriptio, & mores gentis. Pruſiæ & Lithuaniæ ſitus. Deiparæ uirginis milites ingenti prælio uicti, magnáq; ex parte cæſi ſunt. Sclauorum ritus & mores, & Liuoniæ ſitus.*

EX LIBRO QVINTO.

LXXXVI *Alphonſus Neapoli potitur. Intempeſtiua Picinini expeditio in Brixienſes. Veneti & Philippus pacificantur. Sfortiæ arbitratu. Eugenius claſſem in Turcos inſtruit. Vladislaus à Turcis prælio uictus, mortem occubuit. Recens Chriſtianorum clades. Noui Italiæ motus. Alphonſus, rex à pontifice declaratur. Picinini copiæ ad Vlmum profligantur. Nicolai Picinini interitus. Venetis recens cum Philippo bellũ conflatur. Attenduliſucceſſus circa Mediolanum. Suitenſium crudele exemplum. Philippi Vicecomitis interitus. Alphonſi regis tranſitus in Hetruriam. Galli ad Boſtum uincuntur. Venetæ copiæ ad Garauagiũ profligantur. Sfortia cum Venetis fœdus icit. Veneti cum Mediolanenſibus fœdus iungunt. Sfortia Mediolano potitur. Res à Carolo ſeptimo geſtæ. De Angliæ ſitu, atq; inibi Scotorũ mores. Renatus in Italiã tranſit. Ciſalpina Gallia bello quatitur. Stephani Porcij facinus.*

EX LIBRO SEXTO.

LXXX VII. *Byzantium à Turcis oppugnatur. Conſtantini imperatoris cædes. Byzantium captum diripitur. Quæ mutatio facta ſit in terrarum & gentium nominibus. Nicolai pontificis acta. Inſtauratio latinæ linguæ. Bernardini Senenſis conſecratio. Caliſtus pontifex, claſſem in Turcos comparat. Nobilis Chriſtianorum victoria ad Bagradum. De Cathaio & moribus gentis. De uarijs prouinciarum nominibus, in quibus magna mutatio facta eſt. Comania, quæ terrarum olim fuerit. Balthach hodie, quæ olim Babylon. Variatio Aſiani imperij. Trapezuntis imperium cuertitur. Myſia inferior ſubigitur à Turcis. Librariæ impreſionis exordiũ. Vincentij Hiſpani conſecratio. Alphonſi regis interitus. Mantuanus conuentus, quo de bello in Turcos comparando eſt, deq; homouſio nonnihil agitatum. Caput Andreæ apoſtoli Romam eſt delatum. Iſthmus à Venetis obſtruitur. Neapolitani regni metus. Memorabilis pugna ad Troiam in Apulia depugnata. Veneti in Peloponneſo infeliciter pugnãt. Sigiſmũdus Malateſta Spartã oppugnat. Britannorũ motus. Pius pont. bellũ Turcis indicit. Memorabile præliũ ad Monimellã editũ. Turci Euboeã Venetis*

EX LIBRO VII. (adimũt.

LXXX VIII. *Iacobus Piciminus à Ferdinando rege captus, incerto genere mortis euanuit. Gallorum principum diſcordia. Leodini ſua pertinacia periclitantur. Hedoardus regno eijcitur. Matthiæ Pannoniæ regis geſta. Petri Mocenici geſta in ora Aſiæ. Caſtiani regis legatus. Caſtianus arte à Turcis uincitur. Cypri inſulæ motus memorabilis. Scodræ obſidio. Simonis pueri martyriũ illuſtratur. Turci Capha urbe nobiliſſima in ora pontici maris potiũtur. Croiana pugna Venetis infelix. Munitionis Sontiacæ apparatus. Sontiaca cædes. Scodra iterum oppugnatur. Veneti cum Turcis pacẽ ſanciunt. Bellũ Thuſciũ. Florentinorũ copiæ ad Bonicij Podiũ funduntur. Rhodus à Turcis oppugnatur. Galeacij Mediolanenſiũ ducis cædes. Turci Hidrũtem occupãt. Ferrariẽſis belli origo. Padi fluminis deſcriptio. Veneti circa Padũ res Eſtenſiũ bello affligunt. Alphonſius dux Calabriæ ad Campũ mortuũ in Veliterno magno prælio uincitur. Federici Vrbinatis exitus. Tota Italia in Venetos cõſpirat. Aragoniæ claſſis conatus. Calabri ducis & ſociorum ad Vallegiũ progreſſus. Seuerinatis celeritas in præueniendo hoſte. Callipolis à Venetis capitur. Gallia ciſalpina pacatur.*

EX LIBRO OCTAVO.

LXXXIX *Baiazetis & Zizymi fratris diſcordia. Zizymi ad Aegyptios transfugium. Idem fratri bellum infert. Zizymi ad fratrem. Quæ Barbari forma fuerit, & qui mores. Zizymus Gallis traditur Sixti pontificis opera. Recens Neapolitani regni motus. Neapolitanum regnum pacatur. Robertus Seuerinas copijs exuitur. Cauſæ Rhetici belli. Roboretum à Germanis oppugnatur. Memorabilis pugna ex prouocatione. Difficilis pugna ad Rapationem commiſſa. Copiæ Atheſtin transfuehuntur. Clades ad Atheſim à Venetis accepta. Pax Venetorum cum Sigiſmundo Auſtriæ duce. Vis bellica late uno tempore per omnes prope terras euagata. Atrox pugna inter ualidiſſimos Barbararum gentium exercitus. Catherina Cornelia Cypri regina Venetias proficiſcitur. Federicus imperator in Italiam tranſcendit. Diuerſarum gentium mores. Luſitanorum longinqua & noua nauigatio. Plurium gentiũ ad ſeptentrionem repoſitarum, ritus & mores. Matthiæ regis interitus. Prodigioſa fluuiorũ inundatio circa alpes. Neapolitani belli cauſæ. Federici imperatoris interitus. Alphonſi regis oratio ad Pontificem maximũ. Caroli in Italiam acceſſus. Ioannis Galeacij interitus. Prodigioſus aquarũ auctus.*

EX LIBRO NONO.

XC. *Piſæ Carolo regi deduntur. Medicei Florentia eijciuntur. Carolus urbem Romam noctu ingreditur. Zizymus regi traditur. Alphonſius filium regem declarat. Alphonſus regnum relinquit. Ferdinandi oratio ad Neapolitanos. Capua Gallis deditur. Carolus rex Neapoli potitur. Aragonij excidunt Neapolitano regno. Nouum principum & populorum fœdus. Alexandri ex urbe diſceſſus. Carolus Romam ingreditur. Alexandri conſilium in Carolo decipiendo. Memorabile prælium ad Tarrum amnem. Ferdinandus iunior in regnum reſtituitur. Gallorum motus circa Neapolim. Pax inter Carolum regem & Lodouicum Sfortiam. Gallici morbi ratio. Lodouicus cum Venetis fœdus inſtaurat. Ferdinandus minor moritur. Federicus eius patruus rex ſalutatur. Vrſini prælio ſuperant pontificium exercitum. Vrſini & Columnenſes inter ſe acie confligunt. Aegyptiaci regni motus. Piſana cauſa accenſit Italorum animos ad certamen. Venetæ copiæ Bibienã occupant. Res parum proſperè geritur à Venetis ducibus in Caſſentinati. Veneti Piſanam cauſam omittunt, & cum Lodouico rege fœdus ſanciunt. Lodouici Sfortiæ conſilium in diſcutiendo bello, quod ſibi imminebat. Galli Mediolano potiuntur. Foroiulienſis ager à Turcis incurſatur. Naualis pugna ad Sapientiam. Valentini ducis geſta in Flaminia. Aſcanius & Lodouicus fratres Mediolanum recipiunt. Lodouicus Sfortia capitur, & mox paulò Aſcanius captus eſt. Quæ militandi ratio in Turcis. Metone à Turcis expugnatur. Benedictus Piſaurius claſſi præficitur. Conſalis ducis domeſticum ſtemma. Cephalenia à Venetis expugnatur.*

ARGVMENTA ENNEADIS XI.

EX LIBRO PRIMO.

XCI. *Errarum omnium reges & principes primo loco referuntur. Italiæ deſcriptio, & qui mores ſint ritusq; populorũ. Piſaurius Turcorum claſſem in Ambracio ſinu opprimit. Claſſiarij Venetarũ triremium ad Eantem fluuiũ ui tempeſtatis in littus deiecti, in hoſtiũ poteſtatẽ uenere. Bis Fauentia pontificis armis eſt oppugnata. Fauentini deditionem faciunt. Bononia tentatur. Lodouicus rex Gallorum & Ferdinandus Hiſpaniæ, fœdus inter ſe ſanciunt aduerſus Federicum regem. Noui Apuliæ motus. Apuliæ defectio ad Gallos. Capua Gallis deditur. Capua hoſtiliter diripitur. Federici regis deditio. Federicus rex in Galliam proficiſcitur. Mitylene oppugnatur. Gallorum naufragium. Leonardus Lauretanus ex Barbarici interitu dux Venetijs creatur. Sophis noui prophetæ ſucceſſus. Nouus Hetruriæ motus. Nouum ſpectaculi genus Venetijs editum. Mira celeritas & aſtus in Valentino duce. Vrſinorum defectio. Piſaurius Venetæ claſſis præfectus Neritum expugnat. Noui rerum motus in Vmbria. Vrſini in pontificis & Borgiæ fidem redeunt. Borgiæ mira calliditas in defectionis ducibus opprimendis. Duces defectionis Valentini iuſſu necantur. Vrſini Romæ opprimuntur.*

EX LIBRO SECVNDO.

XCII. *Cere pontificis armis oppugnatur. Vicinorũ in Vrſinos fides & ſtudium. Gallorum pugna & Italorum ex prouocatione. Itali Gallos ſingulari certamine ſuperant. Veneti cum Turcis pacem ſanciunt. Hiſpani Rubum expugnãt. Conſalis profectio in hoſtes. Galli ingenti prælio ab Hiſpanis ſuperantur ad Criniolam in Apulia. Neapolis Hiſpanis ceſſit armis. Neapolitanæ arces ab Hiſpanis expugnantur. Anceps Alexandri Pontificis fauor inter reges. Aqualinorum conatus circa Lyrim amnẽ. Piſauri præfecti Venetæ claſſis interitus. Gallorum clades. Alexandri pontificis mors. Pij III. creatio & mors. Albiani ducis facinus. Iulij ſecundi creatio. Gallorum conſiliũ in Lyri traijciendo. Albiani conſiliũ. Galli ad Lyrim profligantur. Petri Medicei interitus. Iordani Vrſini in Gallos ſtudiũ. Gallus et Hiſpanus reges inter ſe inducias pangũt.*

Finis Epitomes ultimæ.

MARCI ANTONII COC-

CII SABELLICI, RAPSODIAE HI-

STORIARVM AB ORBE CON-

dito, in Enneadem sextam præfatio.

SPECTABAT iam terrarum orbis, uictorem omnium gentium populum, uelut athletam in celebri agone stantem, quem cęteris, aut uictis, aut se uincere desperantibus, nemo lacessiuit amplius: etsi adhuc parum pacatæ erant gentes quædam, quæ non tam in armis esse perseuerabant, quòd spem ullam in his repositã haberẽt, quàm quod temere sumpta tuto exuere nõ poterant. Tot regibus uictis, tot subactis gẽtibus, formidolosum erat omnibus terris Romanum nomen. Incessere proinde magis quàm incesserẽtur ferox populus, uincicq; se existimabat, nisi haberet quem posset uincere. Cæterùm excisa Carthagine, Numantia euersa, uelut nullum amplius supereſſet certamen suis uiribus dignũ, quàm ualidæ illæ essent in seipsam experiri adorta est bellicosa ciuitas. Sed tanto quidem id scelus est cum pudore ab initio tentatum, ut Gracchus, & qui cum eo prima ciuili discordia perierunt, subselliorum fragmentis: quando in ciuẽ ferrum stringere impium crederetur, interfecti sint. Secuta est alterius Gracchi cædes, ac tum primum ciuili sanguine Romanum ferrum imbutum, in eo tamen temperatum, quod in paucorum capita cædes est illa peruagata. Sed ut feræ quædam, quæ humano cruore semel gustato, in apertam rabiem exeunt, ita ciuitas suorum ciuium sanguine semel atq; iterum infecta, in tanta domestici cruoris sitim exijt, ut iusta acie sit nonnunquam inter ciues in parentũ & natorum conspectu media urbe dimicatum. Hinc nefarium illud Marij & Syllæ certamen, quod tot milia ciuium patriæ abstulit, triste ac dirum futuris malis rudimẽtum. Gesta sunt inde alia ciuilia bella, quorum uelut non satis capax esset Roma, non satis Italia, nefasq; putaretur ciuẽ in eo solo cadere, in quo & natus esset & educatus, ciuilis furor in Macedoniam primò trãslatus est, ad meridiem mox se uertit, & inde ad occidentem solẽ, ut omnibus diffunderetur terris uictoris populi cruor. Senserunt & maria id nefas, Libycum, Siculum, Ambracium. Ad postremum terræ rursus, Philippi, Gallia, Germania, ne qua mundi plaga esset nõ Ro. sceleris cõscia, donec ciuitas omnium alioqui gentium uictrix, in suum concidit uulnus. Talis rerum series iam hinc nobis explicanda est, usq; ad ea tempora, quibus pace terra mariq; parta, ab Augusto principe templum sit Iani tertio clausum, in quem pacatissimũ temporis statum humanæ salutis incidit exordium, unde altera multoq; iucundior ad nostra usq; tempora, si longior uita contigerit, à nobis texetur historia. Cæterùm hæc quæ in nostrarum Enneadum ordine sextum uendicat sibi locum, haud tantum ciuilia continebit bella, sed externa quoq; & uaria & immensa, quibus res Romana non solum creuit, sed ad fastigium etiam est rerum humanarum euecta: qua uictoria glorioſe parta, quia ciuitas malè usa est, sic accidit, ut quantum terra mariq; septingentos circiter annos bellando quæsiuerat, tantum breui tẽpore domestica amiserit discordia. Enimuero alieni iuris facta, amisit & imperandi materiam, quæ fuit cum libertate coniuncta. Hæc fortunæ uolumina percurret deinceps stilus, qui non tantũ rerum uarietate poterit lectoris animum afficere, sed docere etiam & instruere, quatenus ijs qui reipublicæ præsunt, domestica arma sint credenda: quòd si florentibus suis rebus Romani prouidere potuissent, diutius fuissent rerum cum libertate potiti. Verùm ut illis ea clades exitio fuit, ita alijs documẽto esse poterit. Nunc ad ea quæ sequuntur, reuertamur.

MARCI

MARCI ANTONII COC-

CII SABELLICI RAPSODIAE HISTO-

RIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS SEXTAE, LIBER PRIMVS.

Duo plebeij censores.

Metelli uerba de connubijs.

Metelli Macedonici discrimen.

Decem præconia.

Scipionis uox.

Antiochi præfectus à Iudæis superatur.

Hircani pietas in matrem & in fratres.

Obsidẽtur Hierosolymæ.

RANT Censores Romæ per id tẽpus quo memorabilis illa pestilẽtia, cuius proximè mentio facta est, tantam uim hominum in Aphrica consumpsit, duo Q. Pompeius & Metellus Macedonicus, sunt qui hunc Macedonici fuisse filium scribant. Ambo plebeij, quod ad eam diem nunquã acciderat, ut ex eo ordine duo simul essent censores creati. Fecerũt censuram illam nobilem ad posteros Metelli acta. Extitit is autor, ut creandorum liberorum causa, ciuitas connubijs sedulò daret operam. Habuitq; super ea re orationem ad populum, cuius pauca adhuc restant. Si sine uxore, inquit, Quirites possemus esse, omnes ea molestia carerem⁹, sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, ne sine illis omnino uiui possit, saluti perpetuæ potius quàm breui uoluptati est consulendum. Et mox illud: Dij immortales plurimum possunt, sed non plus uelle debent nobis, quàm parentes: at parentes si pergunt liberi errare, bonis exhæredant: quid ergo nos à dijs immortalibus diutius expecte mus, nisi malis rationibus finem faciamus? Iis deos propitios esse æquũ est, qui sibi aduersarij non sunt. Dij immortales uirtutem approbare, non adhibere debent. Sed quàm hoc de Metello pulchrum est auditu, tam quod sequitur, triste & horridum relatu. Præterierat idem Metellus, quum censor esset, in recensendo senatu (ea sanè fuit illius ordinis nota) C. Attilium Labeonem, apud quosdam Catinium pro Attilio scriptum reperio: Is posteà tribunus plebis factus, Metellum iam priuatum è campo meridiano tempore, & iam uacuo foro reuertentem, uiolenter raptum ex Tarpeia rupe præcipitari iussit. Traheba tur uir nobilis ad crudele supplicium uirtutis opera, censuraq; grauissimè administrata periturus, nisi filij, trepido de patre nuncio domo exciti, præstò illi affuissent, qui uix tribuno uno reperto, qui pro patre intercederet, ab ipso mortis limine reuocarunt. Fuerũt alioqui in Metello multa & uaria uitæ ornamenta. Nam præterquã quod ex Macedonia clarum cognomen reportauit, quod Censor, q. orator summus ea tempestate fuit, à quatuor filijs est rogo illatus, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno cęsorio. Fuit huius auus L. Metellus, in quo decem illa fuisse tradunt, in quibus quærendis sapientes uiri ætatem exigant. Primarius bellator. Optim⁹ orator. Imperator fortis. Quod eius auspicijs res maximæ gestæ essent. Maximis honorib. esset usus. Quod præcipua sapientia fuisset. Quod senator summus. Quod grandem pecuniam innocenter quæsiuisset. Plures filios tulerit. Et quod in ciuitate fuerit clarissimus. Cæterũ quo minus tanta felicitas solida esset, ipsius cæcitas effecit: nam quũ bis consul, Dictator, Magister equitum, Pontifex maximus, Sexdecimuir fuisset diuidundis agris, Primus Romanorum elephãtos in triumpho duxit, Pontifex tamen quum Palladium ex Vestali æde incensa, per medios ignes repeteret, luminibus captus, orbã exegit senectam, ad quam cladem resarciendam, datum est illi, quod Romanorũ nulli ad id tempus, ut curru in senatum ueheretur. Sed dum Macedonicus, A censor esset, ne ciuitas externis bellis uacua, domesti co frueretur ocio, Gn. Carbo Trib. pleb. rogationem tulit, ut plebi quoties libitum esset, eundem tribunũ sępius reficere liceret. Eam rogationem quum grauiter Aphricanus insectaretur, pro cõcione dixisse fertur: Videri sibi Tyberiũ Gracchum iure cæsum, qui ocium ciuitatis pernicioſis rogationibus, ut Gn. Carbo exagitare esset ausus, quæ uox multitudinis studium, ob Gracchi memoriã, uehementer ab eo alienauit. Erantq; res domi per hæc parum pacatæ. Foris interea, quum Antiochi arma in Iudęam irrupissent, Simon Machabæi frater, penes quẽ erat rerum omnium summa, etsi iam grauis annis, filiorum tamen præsidio fultus, exercitum aduersus hostem, haud contemptibilẽ instruxit. Tum arte uiribus adhibita, præfectum regij exercitus in montium angustijs adort⁹, cum multa strage fugauit, eratq; ille per hæc pacem adeptus, satisq; sibi ab omni externa ui tutus uidebatur, quũ domestica est fraude oppressus, fuitq; Ptolemæus eius necis autor, cuius Simon uenenum in conuiuio imprudens hausit. Eius uxorem & liberos in uincula coniecit, præter unum Hircanum, quem Ptolemæus capere nõ potuit. Is haud multo pòst rege Hierosolymis exclusò, à suis popularibus exceptus, in paternas opes succesſit, ac breui pòst parato exercitu, Ptolemæum ad Dagonem in Hiericunte obsedit, ad quem deterrendum, Ptolemæus matrem cum duobus fratribus murorũ fastigio statuit, in ipsius hostis conspectu eos obtruncaturus, nisi ille oppugnatione abstineret. Suorũ periculo commotus Hircanus, remissius instabat, quoties illi in muris statuebãtur, trahere tamen obsidionem, sæpius accidit, ut nutu matris admonitus, cùm muros subijsset, ubi in eos tormenta expediri sensit, confestim prælio abstinuerit. Intercurrit interea annus ille quo Iudæi ab omni opere, ut septimo quoq; die, uacare cõsueuerunt, quo contigit, ut soluta obsidione Ptolemæus nihilo secius Hircani necessarios occiderit, & ne nõ semper alicunde terrores impenderent, Antiochus qui Simonis armis fuerat nuper ex Iudæa pulsus, Hircanum bello adortus, Hierosolymis clausit, urbeq; minaciter circumsessa, centum tres turres urbanis muris altiores, aduersus murorũ propugnatores erexit. Sed nihil æquè ac fames Iudæos fregit, quę hostibus diu asidentibus adeò inualuit, ut Hircanus coactus sit imbellem multitudinem ex urbe eijcere, eam hostis non modò non accepit, sed ad muros urbis minaciter compulit. Vagabatur miserabilis turba portis excluſa circa pomœriũ, cum ploratu & flebili lamẽtatione. Postremò appetentibus Tabernaculorũ diebus, Hircanus pietate commotus, in urbem femineos recepit, inde in castra ad hostem misit, qui in paucos dies sacrorũ gratia, ab eo inducias peterent, quas nõ solum rex concesſit, sed optimum etiam taurum auratis cornibus in urbem misit, & uasa quædam odoramentis referta, cuius pietate animaduersa Hircanus, per legatos pacem petijt, quam cùm æquam impetrare non potuisset, his conditionibus accepit, ut traditis armis, præsidium in ciuitatẽ acciperent, ut obsides darent, tributi nõ redditi partem soluerent: obsides dati, & cum his quingẽta argenti talenta. Acq; in hunc modum obsidio soluta est. Antiochus aurea corona Hie-

 rosolymis

rosolymis depositа,exercitum procul inde abduxit. Hircanus Dauidis sepulchrum aperuit, unde tria milia pecuniarum talenta promsit, primusque omnium Hebræorum ducum mercenarium cœpit militem alere. Iosephus horum autor est. Eusebius non Hircanum, sed Simonem obsessum prodidit. In eo ambobus cõuenit, incidisse hæc, quæ tum circa Hierosolymam gesta sunt, in Olympiadẽ alteram ac sexagesimam supra centesimam, quo tempore Attalus rex Asiæ uita decesit. Ptolemæus Phisco qui prius Cyrenis regnauerat, ut alio est loco significatum, fratris Ptolemæi cognomento Philomatoris, qui Syrio bello perijt, regnum & uxorem Cleopatram ultrò delatam adeptus, primum omniũ priuigni fauto res (erat enim ex Philomatore & Cleopatra filius qui iam puerascere cœperat) ad unum sustulit. Inde medio nuptiarum apparatu, quo Cleopatram uxorem recipiebat, puerum ipsum in complexu matris occidit, atque ita genitalem thorum priuigni sui, ex fratre & sorore geniti, cruore respersum Rex crudelissimus conscendit. Peregrino inde milite usus, per ignobilia Alexandrinorum capita ẽst debachatus. Ad postremũ amicis iuxtà & inimicis atrociter sublatis, Cleopatram repudiat, eius filiam uirginem, prius tamen uitiatam sibi matrimonio iungit. Fecerat interim regis crudelitas ingentem Alexandriæ uastitatem, Alexandrinis magna ex parte interfectis, alijs ne interficerentur, in exilium sua sponte dilapsis. Solus igitur in tanta urbe, quum regem se non hominum, sed uacuarum ædium cerneret, peregrinos ad se per edictum inuitare cœperat, quum legati ex urbe ad sociorum res inspiciundas missi, portum tenuerunt, eratq; in his Aphricanus minor, qui magno spectaculo fuit regi, & ijs qui cum rege erat. Sed quàm ille uenerabilis, tam Ptolemæus omnib. sub ipsum congressum ridiculo fuit. Erat sanè uultu deformis, statura brevis, sagina uentris nõ homini, sed belluæ similis, quam fœditatem perlucida uestis multo insigniorem faciebat. Post legatorum discessum Ptolemæus nouo populo odiosior factus, cum filio, quem ex sorore susceperat, & uxore matris pellice occultè in exilium abijt, cõtractoq; mercenario exercitu, bellum unà sorori atq; patriæ infert, filiũq; maiorem natu ex Cyrenis ad se accersitum interficit. Ob eam rem eius statuæ passim sunt ab Alexandrinis disiectæ, quod Cleopatræ sororis, quam repudiauerat, consilio accidisse ratus, filium quem ex ea quoq; sustulerat, sui exilij comitẽ necauit, eumq; in membra diuisum, paruaq; cista inclusum, matri natali ei⁹ die inter epulas offerri iussit, quæ tragici muneris species, non reginæ tãtum, sed uniuersæ etiam ciuitati peracerba & luctuosa uisa est. Finito orbitatis luctu Cleopatra, quũ fraterno bello premeretur, ad Demetrium generum Syriæ regem se se contulit, auxilium implorans. Fuerat Demetrius ad id tempus per memorabiles uitæ casus iactatus, & primũ omnium bello quod Parthis intulerat, quum uirtute uinceret, fraude uictus est. Eum Arsacides Parthorum rex in potestatẽ redactum, magno & regio animo usus, in Hircaniam, ut alio est loco demonstratũ, relegauit: sunt qui in Bithyniam scribant, non tantum regio illi cultu concesso, sed filia etiam in matrimonium locata, pollicitus fore, ut eum in Syriæ regnum aliquando restitueret, id enim Diodorus Tripho, post ipsius captiuitatẽ, parricidio, ut diximus, occuparat. Cæterum Arsacide uita defuncto, Demetrius priuatam uitam pertæsus, fugam occultè meditatur, unoq; duntaxat Calimandro comite, ducibusq; precio quæsitis, Babylonem usq; Parthico habitu processerat. Hunc equites à Phraate, qui Arsacidæ successerat, ad insequendum missi, in Parthiam retraxerunt. Calimander nõ tantum ueniam, sed ob egregiam in amicum fidem præmio donatus, ipse grauiter castigatus, in Hircaniam ad uxorem remittitur, multo diligentius asseruari iussus. Procedente tempore, quum iam & filios ex uxore suscepisset, hac fiducia, usus, cum eodem Calimandro fugam repetit. Cæterum pari infelicitate ad regem retractus, uxori & liberis est condonatus, Phraates eum talis aureis cum puerilis leuitatis exprobratione donauit, donatumq; in Hircaniam pœnalem terram remisit, in quo seruando non tam cognationem secutus creditur, quàm quòd in animo habebat, Syriam Antiocho adimere. Erat is Demetrij frater, qui Diodoto sublato regnum, ut suprà est memoratum, recuperauerat. Antiochus ratus Demetrium ob eam rem à Phraate seruari, ut ipsius fauore in se debellando uteretur, bellum Parthis ultrò intulit, in quo ornando non minor luxuriæ fuit, quàm uirium ostentario. Octingẽta milia armatorum sub signis illi fuisse dicuntur, alteriusque hominum colluuionis, trecenta milia & amplius. Argenti & auri adeò ingens copia ut uel gregarij milites caligas auro figerent, procul carentq; materiam, cuius amore cæteri mortales ferro dimicant. Culinarum argentea instrumenta uelut ad festas epulas, non ad bellum exiretur. Fuit sic quoque fortuna belli Antiocho prospera. Parthis triplici prælio uictis, intraque patrios fines coniectis Babyloniam occupat: inde plerasque recipit gentes à Phraate deficientes. Ille ad uertendum hostem, iam Parthiæ imminentem, Demetrium cum Parthico præsidio ad occupandum Syriæ regnum mittit. Interea Antiochus diuiso in hyberna exercitu (etenim una terra tantam uim hominum haud facile alebat) subita Persarũ defectione, qui militum iniurias ferre non poterant, desitutus, trepidis nuncijs ad suos auxilio leuandos, in quos uno tempore Barbari per partes impetum fecerant occurrit. Cæterum Phraates obuius ex composito factus, iniecto prælio, facile superauit. Pugnauit multò fortius Antiochus rex, quàm milites qui cum eo erant, à quibus medio certamine destitutus, ad extremum dimicans, honestè mortem occubuit, anno quàm regnare cœperat nono. Phraates uictor confestim ad Demetrium reuocãdum animum adiecit, celerrimis equitibus missis, qui illum ad se traherent. Interim Antiocho regalibus exequijs funerato, eius filiam uirginem, quæ patrem ad bellum secuta fuerat, uxorem duxit. Demetrius priusquam equites adessent, Syriã ingressus, Phraatẽ ad quem reuocabatur, ualere iussit. Permultos igitur fortunę casus plures annos iactatus, atque per hũc modum in regnum restitutus, latè Syriam obtinebat, quum ad eum Cleopatra Ægyptijs opibus in naues impositis, in Syriã transmisit. Erat Cleopatra Demetrij socrus, cuius hortatu ille bellum Ptolemæo intulit. Cæterum dum alienum nititur regnum occupare, proprium amisit. Antiocheni & Apameni ipsius Demetrij superbiam pertæsi, primi omnium ab eo defecerunt, secuta deinceps totius Syriæ defectio. Zebenna uir Ægyptiaci sanguinis Protarchi negociatoris filius à Ptolemæo subornatus, uelut ab Antiocho, qui in Parthia perijt, in familiã adoptatus, prorege est receptus. Nomen iuueni, ut maior inesset autoritas, Alexandro est inditum. Nec ita multo pòst Demetrius prælio ab Alexandro uictus, quum Ptolemaidem ad uxorem & liberos confugeret, inde exclusus, in Tyrum modico seruorum comitatu nauigauit, ut ibi se templi religione tueretur. Sed uix bene huc appulerat, quum priusquam Asylum teneret, ab insulæ præfecto interficitur. Regnauit Demetrius duodecimo loco inter Syriæ reges, annis tribus. Inde postliminio reuersus, post Antiochi interitum regum quartusdecimus Syriam annos quatuor tenuit. Seleucus inde, alter ex Demetrij filijs, quia iniussu matris diadema assumere esset ausus, illius opera interficitur, altero filio, cui ob nasi magnitudinem Grypho cognomen fuit, rege constituto.

Ptolemæi Phisconis crudelitas.

Fœda Ptolemæi corpulentia.

Tragica cœna.

Bis à Demetrio fugatus.

Luxuriosus belli apparatus.

Antiochi interitus.

Demetrius Syria eijcitur.

Interficitur.

Gryphus.

Alexander

Alexander interim Syriæ regno tumens, Ptolemæũ Phisconem, per quem ad regium fastigium fuerat euectus, ludibrio habebat, qua ille ingratitudine cõmotus, reconciliata sororis gratia, ad euertendum Alexandri regnum, cuius acquirendi in Demetrij inuidiam autor fuerat, & mentem & animum adiecit. Gryphum Ægyptijs extructum auxilijs, in Syriam mittit, ad cuius accessum Alexander subita populorum defectione destitutus, Antiochiam perfugit, ubi pecunię inops, quum non esset, unde stipendium solueret, ex templo Iouis auream sustulit Victoriã, cauillatus sibi à Ioue uictoriam commodari. Paucis inde interiectis diebus, quum Iouis aureum simulachrum imméssi ponderis conuelli iussisset, subitò opidanorum incursu, urbe eijcitur. Fœda inde temperstate orta, à comitibus destitutus, in latrones incidit, à quibus captus, et ad Gryphum perductus, eius iussu interficitur, quum iam annos quatuor regno esset in Syria potitus. Qua porrò Gryphus sit deinceps fortuna usus, suo loco explicabitur. Nec Iudęorum res per hæc tempora ocium tenuerunt. Hircanus qui tum princeps erat gentis, post Antiochi interitum, cum quo aduersus Phraatem (Iosephus Arsacem pro Phraate scripsit) gentilibus militauit auxilijs, in Syriam reuersus Idumęos armis subegit, & Samariã ui captam deleuit. Eam multos post annos Herodes instaurauit, appellauitq; Sebasten, renouauit & cum Populo Romano fœdus, eius legatis à Fannio in senatum introductis. Circa Siciliam per id tempus quo Demetrius secundò in Syria regnauit, insula repentè extitit, quæ Hiera inter Æolias nuncupata est. In hæc tempora incidit M. Terentij Varronis ortus, qui togatorum eruditissimus est iudicatus, post quẽ decẽnio interiecto, si rectè Eusebi⁹ colligit, est & M. Tul. Cicero nat⁹. Nec Romę interim quieuit ciuilis status. Post Gracchi cædẽ triũuiri agrarij Fuluius Flaccus, Papyrius Carbo, & C. Gracchi frater agrorum diuisionẽ adorti, magnum in ciuitate & tota Italia motum exciuere, possessoribus indignè ferentibus, quod ex agris pellerentur, atque ne id fieret omnia turbantibus. Cæterum ubi cœpti sunt deijci, omni alia ope destituti, Aphricani fidem implorant, rogantes ut honestissimi ordinis causam susciperet. Scipio senatum ingressus, Gracchi legem metu populi non est ausus contemnere, tantum censuit iniquum sibi uideri Triumuiros iudicare in agrarijs causis. Liuius autor est Carbonem tribunum plebis ad populum tulisse, ut quoties populus uellet, fas illi esset eundem tribunum reficere, eamque rogationem Scipio graui oratione dissuaserit, atque inter agendum, quia Tyberij Gracchi cædem probare uisus esset, tanquam pernicio sus ciuis iure fuisset occisus, adeò indignè tulerit populus, ut concionanti illi, quod nulli acciderat, obstrepuerit multitudo. Hinc primum odium à plebe est Scipioni ortum. Mox triumuiris agrarijs obiectus, eo usque, ut Liuius & Appianus scribũt, in eum odia exarserunt, ut quum incolumis domum se uesperi recepisset, tabulamque penes se locasset, noctu aliquid scripturus, quod ad populum postridie diceret, sine uulnere mortuus sit postridie in lecto repert⁹. Exijt non unus de eius morte rumor. Fuerunt qui Cornelię Gracchorum matris fraude extinctum crederent, quæ illi uenenum dederit, ne Tyberij filij lex per eum solueretur, Sempronia quæ Scipioni erat matrimonio locata, materni consilij haud ignara. Erat quidem Sempronia deformis, & stoliditate quadam insignis, & ob eam rem Scipioni parum grata, ita ut neque illam diligeret, neque ipse ab ea diligeretur. Plerique persuasum habuerunt eum sua sponte uita decessisse, quod quæ de antiquatione legis ab initio pollicitus fuisset, uideretur sibi præstare non posse. Alij seruorũ indicio, qui sunt postea quæstioni adhibiti, compertum ferunt ab exteris quibusdã & ignotis, qui noctu domi delituissent, eum necatum, nec id palàm dicere ausos, ob populũ iratum & eius cædis conscium, sed quacunque ui perijt Scipio ille Carthaginis & Numantiæ euersor, hunc exitum habuit, cuius funus, ut omni studio celebrarent, Metellus ipsius inimicus filios uehementer hortatus dicitur, atque ita testatus fore, ut maioris uiri exequias uisuri essent nunquam. Dicuntur in eo fuisse tria, quæ summum ciuem efficere possint, ut optimus imperator fuerit, optimus orator, atque optimus senator. Sunt qui & Catoni censorio eam laudem tribuant. Interea C. Sempronius consul contra Iapides malè primò rem gessit, mox uictoria quæ altero prælio secuta est, ignominiam discussit cladis nuper acceptæ. C. Aurelius consul per id tempus Sardos subegit. Ligures adhæc transalpini tum primum bello domiti Fuluij Flacci consulis ductu, qui opem Massilienſibus tulit aduersus Calamos Gallos, qui eorum populabantur fines. Eutropius autor est, C. Cassio Longino, & Domitio Caluino consulibus, qui annus fuerit septimus, ac uigesimus sexcentesimusq; ab urbe condita, primùm Romana arma in Gallos translata, aduersusque Aruernorum gentem, eorumque regem Virturtum feliciter dimicatum. Is uirorum numero fretus, iactare erat solitus, fore ut Romani ob insignem paucitatem, ad escam canibus, quos Galli in exercitu alerent haud satis futuri essent. Habebat sub signis Virturtus ad centum octoginta hominum milia. Cæterum conferta pugna ingenti prælio ferox Gallus est uictus, centum quinquaginta bellatorum milibus partim cæsis, partim Rhodano submersis, soluto ponte quem ex iunctis nauibus supra fluuium hostes extruxerant. Præda ingens ex Gallorum torquibus sublata, Virturtusque uiuus uenit in Romanorum potestatem, deque eo consules Romam reuersi, celebrem triumphum egere. Hæc Eutropius. Alij aliquanto postea ea accidisse tradunt, Virturtumq; non à Domitio Caluino, sed à Fabio Maximo Æmyliano superatum. L. Opimius prætor Fregellanos ad Lirim fluuium per id tempus in deditionem recepit. Fregellas diruit. Liuius in hæc tempora reiecit illam pestilentiam, quæ locustarum strage, ut superius est dictum, orta, latè Aphricam mortalium internicione uastauit. Lustrum Romæ conditum, censaque sunt trecenta nonaginta milia ciuium, & septingenti octoginta quinque. Erantque iam alterius Gracchi actiones nõ solum patribus suspectæ, sed adeò etiam inuisæ, ut appareret procellam nihilo minorem ab optimatium factione ipsi Graccho imminere, quàm quæ fratrem non multis antè annis oppresserat. Id illi aliquanto antea per quietẽ de monstratum ferunt. Visus erat sibi in somnis minor Gracchus à Tyberio fratre iam extincto, moneri ne cessaret Populum Romanum tueri, quando ita fato statuissent, ut eadem uia ambo ad mortem tenderent. Horrere itaque patres illum, non solum quia fraternis artibus imbutus, meritò popularis haberetur, sed quod ferociore etiam erat ingenio, & ad dicendum multo promptiore. Cæterum post fratris interitum, quum admodum adhuc iuuenis esset (erat enim nouem annis minor Tyberio) patricijs certantibus adhuc impar, ut procul foro & rostris abesset, libens in Sardiniã quæstor Horesti consuli profectus est. Hic multiplex eius uirtus extitit, audacia & promptitudo in hostem, iustitia in subditos, in consulem obseruantia, temperantia tanta & industria, ut ætate prouectos, nedum æquales longè anteiret, quo contigit, ut à Iugurtha legati ad senatum missi, præter cætera nunciarent, regem suum frumentum in C. Gracchi gratiam ad exercitum in Sardiniam misisse, & Sardiniæ ciuitates eius suasu uestem militibus dedere. Verum quo maiores in eo eminebant uirtutes, eo in dies senatui suspectior fie-

Alexander regno deijcitur.

Populus Scipioni concionanti obstrepuit.

Scipionis interitus.

Virtutes Scipionis.

Consules.

Gallorum strages.

Fregellæ diruuntur.

Insomnium Gracchi.

C. Gracchi filij doles.

bat, qui ut *diutius* domo abesset, Horesti prorogatum est in sequentem annum imperium. Sensit ille patritiorum artem, eaque iniuria instructus, non expectato consulis decessu, Romam redijt, ubi ad censores accusatus, quod ante consulem questor prouincia decessisset, duodecim se annos militasse ostendit, quum lex cæteris decem tantum in necessitatibus definiret. Impleuisse adhæc quæsturæ tempus, tulisseque secum plenos pecuniarum sacculos, uacuos reportasse, quum alij epoto quod in prouinciam extulissent uino, plenas auro & argento reportarent amphoras, ualideque per hæc apud censores purgatus, rursus in aliud incidit discrimẽ, tanquam Fregellanæ coniurationis fuisset particeps, qua calumnia pari innocentia discussa, tribunatum petijt, tanto totius Italiæ fauore, ut comitium non fuerit multitudinis capax, sintque ex tentorijs & tegulis lata suffragia. Tribunus itaque creatus, primis actionibus multa de iniuria patritiorum questus, qui fratrem suum tribunum plebis in conspectu Romani Populi interfecissent, quum olim M. Vectius idcirco ultimo fuisset supplicio affectus, quod transeunti per forum Tribuno plebis de uia non cessisset. Cæterum non contenti eius inimici, quod sacrosanctũ magistratum uiolassent, corpus etiam interfecti in Tyberim proiecissent, occidissentque eius amicos indicta causa, quibus uerbis concitata multitudine aggressus est nouis legibus Popilium, qui prætor in Tyberij amicos temerè animaduerterat, & Marcum Octauium, cui tribunatus fuerat abrogatus. Popilius quum in se iudicium parari uidisset, fuga ereptus est. Marci Octauij salutem cui noua rogatione Populi Romani beneficium in perpetuum adimebatur, Corneliæ matri condonauit. Nec Cornelia minus ob filiorum uirturem, quàm ob Aphricani patris memoriam à Populo Romano colebatur. In statua, quæ ei postea decreta est, sic fuit scriptum. Corneliæ Gracchorum matri. Et C. ipse quum quidam perulantius pauca quædam fuisset de Cornelia matre locutus: Tu, inquit, Corneliam uituperare audes, quæ Tyberiũ peperit? an te cum Cornelia comparas? num tu peperisti ut illa? Erat enim conuiciatoris mollities uulgo infamis. Atque nemo ait, hoc ignorat, diutius Corneliam sine uiro fuisse, quàm tu te uirum egeris. Leges tulit Gracchus aduersus senatus potentiam, de Colonijs deducendis, & uestibus publicè militibus dandis. Ne quis minor septemdecim annorum militaret. Vt ciuibus & socijs æquum ius esset suffragiorum, ut frumentum pauperibus distribueretur, & ut trecenti, quemadmodum Plutarchus scribit, ex equestri ordine iudices legerentur, quum senatorum tantum ad id tempus iudicia fuissent, quæ lex maximè præcidit eius ordinis neruos. Liuius sexcentos equites iudicijs ascriptos autor est. Idem primus omnium quum in rostris ad populum loqueretur, in forum conuersus stetit, quum priores curiam spectare soliti essent. Hæc ille ad labefactandam inuisi ordinis potentiam. Cæterum ne nõ ubique frugi & popularis esset, publicas uias rectis regionibus duxit, muniendasque curauit, dimenso earum spatio, ut ad singulos mille passus lapideas fixerit columnas, spatij indices: & ab utraque uiarum parte altiora saxa statuit, ut ex illis facilior esset in equos ascensus. Ob hæc igitur populo gratior adhuc factus, in sequentem annum Tribunus reficitur, cuius anni principio, ut populum recenti merito demereri posset, legem promulgauit de Capua & Tarento colonijs deducendis, cui ut commodius senatus resisteret, Liuium Drusum occultè subornant, ut ipse quoque ad frangendã collegæ potentiam, popularem aliquam legem ferret. non defuturam ad id patrum autoritatem. Id ille libens sequutus, ut duodecim coloniæ deducerentur, legem promulgauit, fuitque ea res eo gratior, quòd ex autoritate patrum Drusus id se populo dare profitebatur, ac tum demum in eo apparuit, senatum non tam Gracchi acta, quàm Gracchum ipsum odio habere. Quippe qui nuper Gracchanę legi aduersatus, uelut duarum coloniarum deductione ciuitas nimium exhauriretur, Druso in duodecim deducendis annuisset, quæ ex ipsius præscripto sex & triginta colonorum milia ciuitati adimebant. Hac Drusus lege, & alijs nonnullis populo gratificatus, haud mediocriter infregit Gracchi autoritatẽ. Ille interea in Aphricam nauigauerat, ut in solum Carthaginis nouos deduceret colonos, quæ tribunitia ipsius rogatione restituebatur, bis lupi metas ibi positas subito incursu subuerterant, quo responsum erat Coloniã ipsam infelicem futurã. Appianus autor est, Fuluium Flaccum cum Graccho ad eam Coloniam deducendam nauigasse. Contrà Plutarchus Graccho absente, Romæ Flaccum fuisse ait, ex cuius certaminibus multum Drusi potentia creuerit, quoniam utrique erat ordini Flaccus inuisus. Cæterum Carthagine restituta, quam Gracchus Iunoniam appellauit, Romam reuersus, tanquã & alias leges promulgaturus, magnam ex tota Italia multitudinem in urbem conscisuit, quam Fannius consul, patrum suasu, edicto urbe summouit. Et Gracchꝰ iam collegis inuisus erat, quorum fraude tertio est tribunatu deiectus, suffragijs quæ illi multitudinis studio superabant interceptis. Ibi uero inimicis exultantibus, maligneq; irridentibus, Gracchus dixisse fertur. Ridere eos Sardonicum risum, ignaros quàm magnis tenebris ex suis essent actis circumfusi. Nec ita multo pòst Opimius consul fauore patrum creatus, edicto populum ad cõcionem uocauit, de Gracchanis legibus antiquandis relaturus, & primò de Carthagine in alium locum transferenda, quę omnia mouebantur, ut Gracchus ea iniuria irritatus, inimicis suæ necis occasionem præberet. Erat Caius impar nobilium factioni quieturus, nisi Fuluius Flaccus, & multitudo ingens resistere parata, quæ frequens circa illum coiuerat, ad certamen excitasset. Quidam à Cornelia matre ad id facinus impulsum existimant. Alij ea inuita & repugnãte commotum. Vbi itaque dies affuit, quo erat consul cum populo acturus, Gracchus & Fuluius cum ingenti multitudine, Capitoliũ occupant, & consul nihilo secius in templum ascendit, factóque ibi de more sacrificio, quum Antilius quidam minister intestina porriciens, ijs qui Fuluij latera stipabant, dixisset, Cedite bonis ciuibus mali ciues, in obscœnam quę formam, ut quidam adijciunt, manum cõglobatam cum brachio sustulisset, illicò confossus est: & Plutarchus in hunc modum Antilium interfectũ scripsit. Appianus Opimio iam cum populo agente Gracchum in Capitolium uenisse ait. Cæterum uitata multitudine, quum in porticum quandam inambularet, Antilium (sic ille non Antilium uocat) uirum popularem ad eum accurrisse, apprehensaque manu rogasse, ut patriæ ignosceret, cui quum nihil Gracchus respondisset, torueque hominem intueretur, ibidem inuito Graccho, fœdè trucidatum. Secundum eam cædem fuga continuò facta est. Antilij corpus feretro impositum, in forum iussu consulis est delatum, ut maior inuidia cædis fieret. Indignari fremereque multitudo, quòd Tyberius Gracchus eodem loco interfectus, in Tyberim proiectus esset, ministri funus in celeberrimã partem urbis esset constitutum. Fuluius ubi sibi periculum instare uidit, plebem ad se uocauit. Gracchus omni penè fauore destitutus, in foro aliquandiu constitit circa statuam patris, eamque tacito obtutu cõtemplatus, expresso gemitu illachrymauit, quod intuiti, q in próximo steterant, misericordia commoti, illi sese certatim agglomerant, noctem peruigilem circa eius ædes, nequa illi iniuria fieret, egerunt. Postridie Flaccus, cum sua manu, minaciter Auentinum occupat.

Legitimũ militiæ tempus.

Vicenum dimẽsiones.

Statua Corneliæ.

Gracchi lex.

Lex de duodecim colonijs.

Carthago instauratur.

Risus Sardonicus.

Antilij ministri cædes.

cupat. Eo Gracchus magis amicorũ impulsu, quàm repugnãdi consilio accelsit. Ipsum domo egressum, Licinia coniunx cum multa lamentatione est prosecuta, uelut ad euidens exitium euntem, à cuius complexu resoluta, doloris magnitudine uelut exanimis concidit, mox inde alleuata per manus in Crassi fratris sui domum est delata. Ex Auentino Fuluij filius in forum ad consulem est cum caduceo missus, qui de reconciliatione ordinum ageret. Erat iam consul in armis, quem honestus adolescens multis cum lachrymis precatus, magnam senatus partem mouerat, ut pacem dandam censerent. Cæterum Opimius pugnæ & ultionis cupidus, irent respondit, & aut Gracchus Fuluiusque in æquum descenderent se purgaturi, aut neminem mitterent. Ferunt Gracchum uoluisse in forum uenire, ut senatum alloqueretur: uerum amicis dissuadentibus, in retinendo loco ab eo perseueratum. Fuluij filius iterum missus à consule, custodiri est iussus. Ipse Opimius, cum multitudine militum & Cretensibus sagittarijs, in Auentinum profectus, post leuem pugnam, hostium fecit fugam. Maior omnino cædes quàm prędium fuit. Fuluius destitutus in quoddam balneum se cõiecit, unde haud multo pòst cum maiore filio abstractus occiditur. Gracchus, ne tentato quidem prælio, in Dianæ templum concesit, conatusque sibi manum inferre, à Licinio & Pomponio amicis fidissimis prohibitus est, mox ex templo fugam molitus, priusquam egrederetur, procumbens in genua, deam precatus dicitur, ut populus Romanus pro præsenti in se ingratitudine, in perpetuam seruitutem incideret, quando suæ libertatis asserto res perfidè trucidandos percussorib. proderet: nam ubi primum per præconem promissa fuit impunitas omnibus ad consulem transeuntibus, confestim qui circa illum steterant, in æquũ descendere. Gracchum fugientem quum armati prosequerentur, & iam ad potem ligneum, qui Tyberi impositus erat, uentum esset, ibi Licinius & Pomponius restitere, donec telis obruti, ut decuit fortes uiros, in uestigio perierunt. Gracchum, quacunque ibat, etsi omnes ad fugam hortabantur, nemo tamen illi ferre opem, nec equum petenti concedere est ausus, quod ubi ita futurum uidit, ut pòst paulo inimicorum manu caderet, & iam qui ad cædem missi fuerant, appropinquabant, in sacrum quendam deorum lucum, cum seruo Philocrate diuertit. Ibi Gracchus suo ipsius iussu est à Philocrate interfectus. Nec ille hero superstes fuit, sed statim ferrum herili cruore respersum, in seipsum uertit. Quidam uiuos ambos in hostium potestatem uenisse aiunt. Caput Gracchi à Septimuleio Opimij amico relatum, septemdecim libras & semissem appendit, quod fraude accidit, plumbo in caluam cerebro exinanitam infuso. Tantundem nanque auri edicto consulis propositum erat huic, qui Gracchi caput retulisset: & Septimuleius aurum quidem tulit, qui Fuluij caput deportauit, mercede fraudatus est. Amborũ corpora, & aliorum qui in Auentino, & in fuga cæsi sunt, ad tria milia numero in Tyberim sunt proiecta. Cæterum Opimius adeò crudeliter exercuit uictoriam, ut & Quintum Fuluij filium iuniorem, quem custodiri iusserat, necauerit, facta tamen illi mortis potestate. Sed nihil èquè multitudinem offendit, ac templum à senatu Concordię nomine erectum, ea enim ratione de se triumphatum credere. Nec plebs studium suum in Gracchos dissimulauit, quibus statuæ in celeberrimis locis urbis constitutæ sunt, & sacella ubi ambo ceciderunt, ita ut quotidie utrobique fierent sacra. Mater Cornelia fertur sæpius dicere solita, ea demum uera dignaq; fuisse filiorum sepulchra. Ipsa circa Misenum reliquum uitæ egit, multa ob Aphricani memoriam, filiorumque præstantiam, hospitum celebritate. Frequens illa in rebus patris, & natorum memorandis: quo contigit, ut plerique eam magnitudine doloris uictam, minus iam sibi constare arbitrarentur. Sed generositas fuit potius naturæ ad dolorem moderatè perferendũ: ut enim fortuna nonnunquã aduersus uirtutem ualet bona custodientem, ita fortiter & moderatè cadentibus nihil auferre potest. Cæterum primo C. Gracchi tribunatu, nam biennio & amplius, hæc Romæ acta sunt. Q. Cæcilius Metellus consul Baleares insulas subegit, unde Balearici fuit illi cognomen. Sunt insulæ duæ contra Hispaniam parum inter se distantes, quas Græci ab eo quod æstate ibi incolæ nudis agerent corporibus, Gymnesias appellarunt. Sunt & Baleares dictæ. Dubium à teli missu, quia fundæ usus apud eos esset frequens, & ut quidam tradunt, ipsius etiam gentis inuentum, an à Baleo Herculis comite ibi relicto, quum Hercules ad Gerionem naui garet. In Sallyis quoq; Alpina gẽte P. Sextius proconsul, sub id tempus prosperè bellum gesit, illius illati causam haud reperio. Suspicari libet, ob Massilienses ueteres socios, qui ab ea gente infestarentur, Romana arma eousq; progressa: à Massilia longo intra Alpes & Rhodanum cursu, ad Druentiam usque fluuium Sallyi incolebant quingenta circiter stadia porrecto tractu. Gente itaque bello uicta, Sextius haud procul à Massilia oppidum condidit, loco calidis frigidisque aquis irriguo, atque à suo nomine Sextias aquas dixit, locato ibi præsidio aduersus Gallos, ad quos penitus cohibendos Massiliensium opes ad id tempus impares fuerant. Strabo est huius rei autor, à cuius opinione coniectura de origine belli in Sallyos gesti, quam superius posui, nihil discrepat. Sallyorum bellum Allobrogicum peperit, quòd ea gens Teutomalium Sallyorum regem profugum accepisset, acceptumque summa ope iuuare aduersus Romanos esset aula, & quòd Eduorum agros sociorum Populi Romani hostiliter populata esset: Gn. Domitius proconsul, ad Vindalium oppidum, cum Allobrogibus feliciter dimicauit. Sunt Allobroges Narbonensis Galliæ incolæ, Rhodanumque ex parte accolunt. Eorum Metropolis Vienna fluuio imposita, rei bellicæ olim studiosi, mox agrorum cura subijt: gesit inde cum his bellum Fabius Maximus Æmylianus Pauli nepos, Bituitumque Aruernorum regem ingenti prælio uicit, cæsaque sunt una pugna, ut Liuius scribit, centum uiginti Gallorum milia. Strabo ducenta nume ro profligata prodidit, quum triginta nec amplius Romanorum milia in acie steterint. Bituitus Romam profectus, ut senatui satisfaceret, Albæ est iussu patrum custoditus. Enimuero dimissus, omnia uidebatur nouo bello turbaturus. Est & Congentianus eius filius Romam deductus, ut autoribus belli sublatis, pacatior deinceps esset Galliæ status. Tum demum & Allobroges in deditionem uenere. Pugnatum est id prælium in Aruernos, quum tanta uis hostium absumpta est, circa Comerium montem, ubi Isar & Rhodanus confluunt, duoque tempia his locis à uictore Fabio erecta. Marti unum, alterum Herculi: Et Trophęa ex candido lapide. Similitudo nominũ in regibus, & Rhodanus utriusque pugnæ testis, efficiunt ut credam Bituitum hũc Aruernorum regem esse, quem Eutropius, ut est suprà memoratum, Virturtum appellat, eundemque à Cæsio Domitioq; consulibus ingenti scripsit prælio superatum, atque non bis tam prospero euentu in Gallos, sed semel dimicatum. Diuersum tamen bellum creditum, quia fuerit à scriptoribus haud uno modo relatum, sed utcunque res habet, porrò inclytam eam uictoriam fuisse oportuit, quæ tanta fuerit hostium occidione parta. L. Opimius inter e à Q. Decio Tribuno plebis Romæ est ad populũ ac-

Fuluius Flaccus & Gracchus Auentinum occupãt.

Fuluij cædes.

Cõcordiæ templum.

Corneliæ dicti & mores.

Baleares.

Sallyi.

Sextiæ aquæ.

Aruernorum cædes.

Allobrogum cædes.

Trophæa.

Bituitus.

Dies Opimio dicitur.

cusatus, quòd indemnati ciues ab eo in uincula con-
iecti necatiq; essent, quia cũ Graccho & Fuluio Flac-
co fuissent. Cæterum qui sub populi iudicio casurus
putabatur, seu optimatium factione adnitente, seu
quia factum probaretur, præter omnium opinio-
nem absolutus est populi suffragio. Cum Sarnijs
quoque Alpina gente, Martij consulis ductu & au-
spicijs prosperè bellatum hoc tempore reperio, ex-
pugnatum domitumq́ue uniuersum nomen Sar-
nium. Nec quæ fuerit belli causa, quíue armorum co-
Micipsa. natus, satis habeo dicere. Eodem sanè tempore Mi-
cipsa Masinissę filius, qui Mastanabale & Gulussa fra-
tribus morbo absumptis Numidiæ regnũ aliquan-
Adherbal. Hiempsal. diu solus tenuit, uita decessit, cui Adherbal & Hiem-
psal filij superstites fuere, & cum his Iugurtha Masta-
nabalis filius, qui à patre quòd concubina ortus es-
Iugurtha. set, priuatus fuerat relictus. Fuit Iugurthæ indoles
ab initio Micipsæ suspecta, etsi eodem cultu quo li-
beri ab eo domi aleretur, adolescens decora facie, in-
genio & uiribus pollens. Non luxui & inertiæ, ubi
primum adoleuit ætas, se dedidit, sed equitare, iacu
lari, certare cum æqualib. cursu atque alijs certami-
nibus, qui quum cæteros uirtute anteiret, æquè o-
mnibus erat charus. Multa adhæc præclara uenan-
do, ut mos est gentis edere facinora, & quod ad con
ciliandam illi gratiam plurimum ualuit, quo magis
erat omnib. admirationi, eo minus de se loqui. His
primæ ætatis rudimẽtis Micipsa permotus, oppres-
sisset fraude adolescentem, nisi ueritus esset, ne ob
eius mortem seditio aliqua, aut intestinum bellum
sibi oriretur. Erat uehementer Iugurtha suis popu-
laribus gratus, occultiore itaque uia ingressus, per
speciem militiæ in Hispaniam ablegat, ubi tum Nu-
mantia à Scipione premebatur, ratus fore, ut ferox
iuuenis, obiectando se periculis, procul domo, sine
domestica inuidia extingueretur, sibiq́ue iam exa-
cta ætate regnanti filijsq́ue suis regnaturis in poste-
rum securitas pararetur. Sed longè aliter euenit,
Iugurthæ indoles. quàm callidus rex euenturum credidit. Iugurtha, ut
impiger & aceringenio, modestissimè parendo, eun
dóque obuiam periculis, in tantam breui euasit cla-
ritudinem, ut Romano imperatori æquè ac militi-
bus notissimus esset, ac uehementer acceptus. Erat
(quod in paucis sit reperire) prælio strenuus, & bo
nus consilio, quorum alterum timor ex prouiden-
tia comitari solet, alterum temeritas ex audacia. Ac-
cedebat huic munificentia, animi & ingenij soler-
tia, quibus studijs plerosque nobilium Romano-
rum sibi amicitia & familiaritate deuinxit, & in pri-
Iugurthæ ami-citio. mis eius generis homines, quibus diuitiæ bono &
honesto potiores essent, quorum pollicitis in spem
haud dubiam uenerat ferox iuuenis fore, ut Mici-
psa extincto, solus Numidiæ regno potiretur. Quo
prauo Iugurthæ studio animaduerso (nihil enim so
lertem potest ducem latere eorum quæ milites a-
gant) Numantia euersa Scipio iuuenem pro con-
cione laudatum, donatumq́ue militaribus donis, se
cretò monuit, ut publicè potius quàm priuatim Ro
manam coleret amicitiam, nec inuescaret cuiquam
largiri, periculose emi à paucis, quod multorum es-
set. Futurum ut facile ad regnum peruenire, si his
artibus insisteret, quarum prima apud se rudimen-
ta deposuisset, contrà nimis festinando cum sua lar-
gitione caderet. Atque hæc Scipio locutus, cum lite
Literæ Scipionis ad Micipsã ris quas Micipsæ redderet, castris dimisit. Epistola
quam ille ad regem attulit, hoc fuit argumento con
scripta. Iugurthæ tui in bello Numantino longè ma
xima uirtus fuit, quam certò scio tibi gaudio esse, no
bis ob merita sua charus est, ut idem senatui Popu-
loq́ue Romano sit, summa ope nitemur, tibi qui-
dem pro nostra amicitia gratulor, uirũ habes te at-
que auo suo Masinissa dignum. Micipsa fama prius,
mox tanti uiri testimonio permotus, ut Iugurtham
beneficio uinciret, eum adoptatum cum filijs hære-
dem testamento instituit. Nec ita multo interiecto
tempore, quum iam finis uitæ adesset, coram Ad-
herbale & Hiempsale filijs, & cum his amicorum
plerisque adhibitis, ita Iugurtham affatus dicitur.
Oratio Micipsæ ad Iugurt. Suscepi ego te Iugurtha paruum à patre relictum, su-
sceptumque ea spe æquè ac filium clementer insti-
tui, ut non minus tibi quàm liberis quos genuis-
sem, charissimus essem, tuq́ue is futurus esses, qui
tibi & tuis fores gloriæ & ornamento, nec decep-
tus. Etenim ut alia omittam, quæ egregiè ad hunc
diem gessisti, nouissimè ex Hispania reuersus, tan-
tum famæ & laudis tecum attulisti, ut non ego tan-
tum, qui te instituì, sed omne etiam Numidicum
nomen sit per te multò illustrius factum, nostræq́ue
familiæ decus in Hispania renouatum, quod non
tantum laudi accedit, sed emolumento etiam ma-
ximo. Ex amicis enim Romani nobis amicissimi
sunt facti. Postremò superasti laude omnem huma-
nam inuidiam, quo nihil est in uita difficilius. Nunc
quoniam mihi fatali est necessitati parendum, per
hanc dextram Iugurtha fili, per regni fidem te oro
et obtestor, ut hos qui tibi sanguine propinqui sunt,
meo beneficio fratres, omni tempore charos ha-
beas, nec alienos malis tibi adiungere, quàm san-
guine coniunctos retinere, non exercitus, non the-
sauri præsidia regni sunt, sed amici qui non ui & au-
ro, sed fide & officio parantur. Cæterum quis ami-
cior quàm frater fratri? nec quenquam facile ami-
cum inuenias, si tuis fueris inimicus. Ego si boni e-
ritis, regnum uobis stabile ac firmum trado, si ma-
li fragile & caducum: ut enim res paruæ concor-
dia crescunt, ita discordia maximę dilabuntur. Sed
te præ cæteris Iugurtha, qui ætate & sapientia præ-
stas, ne quid accidat, prouidere oportet, siquidem
in omni certamine, qui opulentior est, nisi etiam mo
destior sit, quia plus potest, facere iniuriam, non ac-
cipere creditur. Vos Adherbal & Hiempsal colite &
obseruate hunc hominem, imitamini uirtutem, &
Responsum Iugurthæ ad Micipsam. emitamini, ne ego meliores liberos optasse quàm ge
nuisse uidear. Ad ea Iugurtha, etsi longè aliter ani-
mo agitabat, benignè tamen respondit, satis gnarus
Micipsam ficto fuisse animo omnia locutum. Nec
multis interiectis diebus, senex moritur. Tum fu-
nere & exequijs multa celebritate peractis, quum re
guli in unum cõueniissent, de regno in medium con
sultaturi, Hiepsal fratrũ minimus natu, dexter Ad-
herbali assedit, ne Iugurtha medius sederet, qui lo-
cus ut plerisque gentibus, ita fuit & Numidis hono
ratissimus, ęgreq; alterius fratris monitu adduci po
tuit, ut ætati cederet, mox uero quum primum om
nium Iugurtha censuisset omnia Micipsæ cõsulta &
decreta proximi quinquẽnij rescindi oportere, quo
sanè tẽpore rex senio cõfectus, parũ ualuisset: Placet
hoc, inquit Hiempsal: nã & tu hoc triẽnio ab illo ad-
optatus, in regnũ peruenisti. Iugurtha duplici cõtu-
melia offensus, cædem Hiempsali machinatus est, &
quia prioreillo conuentu, ob discordes animos pla
cuit thesauros & regnũ diuidi, paucis diebus alij in
alia loca thesauris propinqua, cæterũ Hiempsal Thi
rinda, pfectus est, ut hinc opportunè ad diuisionẽ oc
curreret, utebatq; interim domo Numidæ cuiusdã,
qui Iugurthę erat amicissimus, apparereq; illi cõsue
uerat. Huius opera adulterinas ædium claues, nam
Hiempsal Iugurthæ fraude occiditur. ueræ noctu ad Hiempsalem deferebantẽ, adeptus Iu
gurtha, immissis occultè militibus ad eum, noctu in
terficit. Tum uero uniuersum regnũ in duas uelut fa
ctiones abijt: sed multò plures Adherbali fauebant.
Iugurtha quãmaximas potest copias comparat, ur-
bes partim ui, alias uolũtate suo adiungit imperio,
Adherbal etsi cõfestim Romã miserat, qui senatũ de
his quæ facta essent, edoceret, militũ tamen multitu
dine fretus, armis decernere constituit, mox uictus
prælio

prælio in prouinciam Populi Romani pulsus se
recepit, ex prouincia Romam nauigauit. Iugurtha
uniuerso iam regno potitus, Romanorum ultrone
ueritus, auaritiæ nobilium non ignarus, Romam cũ
magno auri & argenti pondere legatos misit, qui &
ueteres amicos muneribus explerent, & nouos si-
bi conciliarent, nec largitio illa fuit irrita, tantaq́ue
animorum commutatio post legatorum ad urbem
accessum secuta est, ut ex maxima nuper inuidia
in gratiam Iugurtha & fauorem uenerit. Et iam pa-
trum plurimi, pars spe, alij precio singulos ambi-
endo nitebantur efficere, ne quid in Iugurtham gra-
Oratio Adherbalis ad senatũ uius statueretur. Interim senatus Adherbali datur.
Ibiq́ue Iugurthæ legatis audientibus, ita est ille fa-
ri exorsus. Micipsa pater meus ex humanis dece-
dens præcepit mihi Patres conscripti, ut eius regni
quod per manus tradebat, procurationem meam
esse existimarem, ius & imperium penes uos futu-
rum, domi præterea militiæq́ue eniterer, ut quàm
maximo uobis Populoq; Rom. usui essem. Vos mi-
hi cognatorum, uos affinium loco ducerem, futu-
rum, ut in uestra amicitia umbraque Ro. nominis
perpetuo florerem, in uestro præsidio fore exerci-
tus, opes, regnum, & nostri regni munimenta. Agi-
tabamq; ego mecum patris mei præcepta, studioq;
obseruabam, quum Iugurtha homo omnium qui
sunt hodie in terris sceleristissimus, uestrum imperi-
um & autoritatem aspernatus, me Masinissæ nepo-
tem, & propterea à stirpe socium & amicum Popu-
li Romani regno ac fortunis exuit. Cæterum uel-
lem ego P. C. quando ad hoc miseriæ uenturus e-
ram, ut meis afflictis rebus petiturus essem à uobis
auxilia, meo alicui potius quàm meorũ merito gra-
tia deberetur. Nunc quoniam ita contigit, ut prius
oneri uobis futurus sim, quàm usui esse potuerim,
per antiquum nostræ familiæ in Ro. nomen studi-
um, per Masinissæ aui mei fidem, qui Carthaginiensi
bello uobiscum amicitiam instituit, quo tempore
magis eius fides quàm fortuna petenda fuit, ne pa-
riamini me illius progeniem, domo, regno, cæte-
risque fortunis exutum, frustra à uobis auxilium
implorare, ad quod impetrandum si nihil causę ha-
herem, nunc quia regia familia sum ortus, nuperq;
paterno regno collocatus, opibus, fama, diuitijs flo-
rens, nulli infestus, Romani nominis hæreditarius
cliens, infanda eius proditione, cui mea dignitas ac
salus in primis curę esse debuit, extorris sum factus,
exul, inops, omnibus bonis, quæ ad ornamentum
uitæ meæ necessaria sunt, hostiliter spoliatus. Maie-
statis & clementiæ Romani Populi erat iniuriam
prohibere, nec pati cuiusquam regnum per scelus
crescere. Quid quòd ijs sum finibus eiectus, quos
Populus Romanus meis maiorib' dedit? unde auus
meus Masinissa uobiscum Syphacem eiecit? Vestrũ
mihi beneficium adimitur, uestra hæc iniuria, uestra
contumelia est: Cur Iugurtha parricidio posside-
at, quod maiores uestri uirtutis esse præmium uolue-
Exclamatio cõmiserationis plena. runt? Heu me miserum, huc ne tuum Micipsa pater
euasit beneficium, huc tua in alienos paterna pietas,
ut quem tu unà cum liberis clemẽter instituisti, ad-
optasti, regni participem feceris, is tuæ stirpis sit hodie
extinctor? heu miserabilem indignamq́ue fortu
nam, nunquam ergo familia nostra ab insectatione
& fuga quietura est, semper in ferro & tristi discor-
dia uersabitur? quãdiu infensa Carthago stetit mul-
ta hostilia patiebamur, hostes finitimi erant, uos a-
mici procul, in assiduo metu esse oportebat, uerum
posteaquam pestis illa extincta est, læti pacem age-
bamus, nullum habituri hostem, nisi quem Roma-
nus Populus iussisset, quum Iugurtha infando sce-
lere omnia in luctum & mœrore uertit, fratre meo
eodemq́ue ipsius propinquo prius interfecto, illius
meumque regnum sui sceleris præmium fecit, ad
quod uindicandum una spes supereſt Populus Ro-
manus. Etenim ad quem confugiam, aut quos im-
plorem præter uos, in quorum manibus & tutela à
patre relicti sumus? Ille ut necesse erat naturæ con-
cessit. Frater mihi nuper ademptus est, affines, amici,
propinqui, alij alia ui oppressi à Iugurtha, nonnul
li etiam bestijs obiecti. Quanquam si omnia nunc
ut olim incolumia manerent, si quid ex improuiso
mali accidisset, uestrum auxilium non secus ac facio
implorassem Patres conscripti, quibus pro maiesta
te & amplitudine uestri imperij ius & iniurias om-
nes curæ esse decet. Nunc uero rerum omnium e-
gens, quos alios implorem non habeo. Appellem
ne ego exteras gentes aut reges? qui omnes ad unũ
ob uestram sunt nobis amicitiam infesti. An terra-
rum ulla est in qua non hostilia meorum maiorum
sunt monumenta impressa? Nemo fuit uobis aliquã
do hostis, qui ob Masinissæ & eius familiæ perpe-
tuum in uos studium, non nostro gaudeat exilio.
Postremo ita nos Masinissa instituit Patres conscri-
pti, ut uestram solius populi amicitiam coleremus,
ut nullam societatem, amicitiam nullam Romanæ
præferremus, satis præsidium in uestri nominis um-
bra fore arbitratus, ut, si quod dij auertant, fortuna
imperij huius mutata esset, nos & unà cum eo casu-
ri essemus, si percepta felicitate usi, nobis quoque
omnia secunda euenirent: eritq́ue ut arbitror uobis
malorum curatio eo facilior Patres conscripti quo
impensius omnes, uel officio, uel metu, uestrum se-
quantur imperium: tantum illud uereor, ne quos Iu
gurtha, quia parum adhuc sit cognitus, priuata ami
citia tranſuersos agat, quos audio summa ope niti,
ambire, uos singulos fatigare, nequid de Iugurtha
absente statuatur. Simulare me has querelas, medi-
tatumque ex regno fugam, quum per ocium regna-
re licuisset, quod utinam illum cuius scelere in has
sum miserias coniectus, eadem hęc simulantem ui-
deam aliquando, oriaturq́ue à uobis aut à dijs im-
mortalibus ultor, ut qui nunc sceleribus suis ferox
est ac clarus, omnibus supplicijs excruciatus, eorũ
quæ in fratrẽ meum, mox in me ipsum crudeliter &
impie fecit, meritas luat pœnas. Quod tametsi dolẽ-
dus mihi est tuus charissime frater interitus, præser-
tim quod unde minime debuit, uita est tibi erepta,
gratulor tamen tibi præsentẽ sortem, quod has qui-
bus premor erũnas cum uita simul amisisti. Ego mi-
ser. Ego infelix, qui auxilij egens, nec tuã queo mor
tẽ ulcisci, nec afflictis rebus meis consulere, quando
& uitæ & necis meæ potestas ex alienis opibus pẽ-
det, quo sit ut neq; uiuere libeat, nec sine dedecore li
ceat mori: quare uos P. C. & oro & obtestor per libe- *Peroratio.*
ros uestros, per parẽtum umbras, per maiestatẽ Ro.
nominis, opitulamini mihi misero, ite obuiam iniu-
rię, nolite pati Numidiæ regnũ quod uestrũ est, per
cędẽ & exilia familię nostrę labefactari, quod indig-
nũ facinus mihi miserũ sit, uobis P. C. Romanoq;
nomini triste & inuidiosum. Postquã Adherbal di-
cendi finẽ fecit, legatiq; qui cum eo in curiã intro-
ducti fuerãt, magis sua largitione q̃ causa freti, ad ea
tam multa quę rex dixerat, pauca subijciunt. Hiem-
psalis cædem nihil ad Iugurthã attinere. Eum quia
in suos sæuum exerceret imperium, improuiso Nu-
midarum incursu interfectum, nec Adherbalem ha
bere quod iuste queri posset, nisi forte eam querelã
iustã putaret, quod bello quod ipse ultro mouisset,
esset superatus, doleretq; non tam iniuriam factam,
quàm quod facere nequiuisset. Peti à Iugurtha, ne
senatus se alium iudicaret, q̃ qui apud Numantiã fu
isset, neu inimici uerba factis anteponeret. Vtrisque
curiare[illegible]it [illegible]isis, ubi senatus cõsuli cœptus est, mul-
ti pręgurt [illegible]hæ causa nõ aliter q̃ pro propria gloriã
conn[illegible] [illegible]irum fortem, & Romanæ militiæ a-
lumnu[illegible]um prædicabant. Adherbalis quum fa-
cta, tum uerba palam aspernari. Contrà pauci, qui-
bus bonum & æquũ diuitijs charius erat, subueniẽ-
dum

dum Adherbali censebant, Hiempsalis cædem uindicandam, atque omnium maxime id Scaurus Æmylius, qui non tam honesta causa à regia pecunia abstinebat, quàm quòd talis largitio cœperat uulgo esse infamis. Callide igitur sua uitia occultans, cum iis qui non precium aut gratiam uero anteferebant

x. legati in Numidiam decernuntur.

obtinuit: ut decem legati in Aphricam mitterentur, qui regnum quod Micipsa tenuerat, inter Iugurthã & Adherbalẽ diuiderent, cuius legationis princeps fuit L. Opimius, qui consul C. Graccho & M. Fuluio Flacco interfectis, nobilium uictoriam, ut supra est significatum, acerbe nimis in plebem exercuit. Cæterum quum is, tum legatorum plerique auro corrupti, ita in regni diuisione egerunt Iugurthæ gratificantes, ut nulli dubium fuerit, quin illis multo charius eo tempore regis aurum fuerit, quàm publica aut priuata fides. Pars Numidiæ quæ Mauritaniæ

Diuisio Numidiæ.

contigua est, agro & uiris opulentior Iugurthæ datur. Altera magis specie quàm usu diues, urbibus &

Dalmatia.

ædificijs frequentior Adherbali cessit. In Dalmatia, dum hæc in Aphrica gerebantur, nonnihil à Romanis est bellatum L. Cæcilij Metelli ductu, atque obsidione certatum, sed quo euentu parum compertum habeo. Necres Syriæ interim quietiores fuerunt. Gryphus, qui post Alexandri interitum patrium recuperauit regnum, externis periculis liberatus, domesticis insidijs pene perijt. Cleopatra eius mater, quæ Demetrio patri nupserat, & quæ hunc ipsum postliminio reuersum medio ardore belli destituit, iniquo animo ferens autoritatem suam post filij uictoriam de Alexandro infirmiorem contigisse,

Gryphi astus in matrem.

ab exercitu domum reuerso ueneni poculum obtulit, qua fraude iam antea instructus, ueluti cum matre pietate certaret, recusat se ante illam bibiturum, cui abnuenti quum frustra aliquãdiu institisset, demum indice in medium adducto, destinati sceleris arguit, unamque ad diluendum crimen uiam superesse dictitans, si quod filio obtulisset ipsa biberet, atque ita illa uenenum quod in alium parauerat in se uertit. Octo deinceps annos Gryphus ociose regnauit, quoad eius frater Cyricœnus nomine, ex eadem matre & Antiocho Demetrij fratre qui perijt in Parthis genitus, regni æmulus est illi ortus: quem Gryphus ueneno perdere conatus ad bellum concitauit. Erantque iam res Syriæ ob fraternam discordiam parum quietæ, quum Ptolemæus Phiscon uita decessit, regno uxori & alteri filiorum, quem ipsa legeret, relicto: quæ quum in minorem natu pronior esset, maiorem tamen iussu populi legere coacta est. Erant huic duæ filiæ, maior natu Seleuce, & altera Cleopatra, quam maiori filio iam ante matrimonio locatam, beneque cõuenientem, priusquam illi regnum daret, repudiare coëgit, ac Seleucem ducere. Necita multo pòst Cleopatra quæ matris iniuria passa fuerat repudium, ambobus infesta, Cyricœno in Syria nupsit. Iosephus & Eusebius Cyzicenum pro Cyricœno scribunt. Et ne Cleopatra nudum nomen coniugis secum afferret, Cyprium exercitum ad res nouas solicitatum, uelut dotalẽ ad maritum traxit, quibus copijs auctus Cyricœnus, cum Grypho acie dimicauit, uictusq; prælio Antiochiam ubi uxor erat Cleopatra aufugit. Necita multo pòst Antiochia à Grypho capitur. Gryphina Gryphi uxor, quę & ipsa ex eodem erat Phiscone genita, quo & Cleopatra, sororem ad suppliciũ requisiuit: quòd & inuita matre ex Ægypto profecta, Cyricœno uelut regni æmula nupsisset, eumq; aduersus se & Gryphum maritum suum hostiliter instruxisset. Illa infestum sororis animum uerita, in templum profugerat, ubi Gryphinæ iussu interfecta est, Grypho frustra reclamante, ne in cognatum sanguinem sęuiret, à quo omnia belli iura abstinerẽt. Pręcipuæ sunt Cleopatræ manus à militibus, quæ deæ simulachrũ complexum habebant, Ipsa uiolatum numen in tãti scelcitque obstidioni Aristobolum & Antigonum filios. Horum opera Samaritæ ad tantam rerum inopiam sunt redacti, ut ne ab obscœnis quidem cibis abstinerent. Postremo Cyricœnus, eorum precibus fatigatus, cum exercitu fessis auxilio uenit, contractoque sub eius accessum circa urbem prælio, uictus fugatusque Cyricœnus Scythopolim fuga euasit. Samaritæ iterum intra mœnia compulsi, arctius quàm antea obsideri cœpti sunt, Syrorumque rebus diffisi ab Antiocho eius hoste auxilium implorant. Is etsi de summa totius regni solicitus erat, ne suam fidem implorantes, destituisse uideretur, cum Ptolemæo Lathiro egit, ut sibi auxilia mitteret, ad Samaritas obsidione eximendos. Lathiri cognomen Ptolemæus ille tulit, qui à Cleopatra matre regno pulsus, post eius interitum ab Alexandrinis fratre prius pulso, quia matrem interfecisset, in regnum restitutus est. Is itaque priusquam materna iniuria exulasset (enimuero priusquam extorris ille ad Cyricœnum ueniisset, hæc in Iudæa & Samaria gesta sunt) sex milia auxiliariorum ex Ægypto illi affuere, quibus auctus Antiochus Iudææ fines inuasit, tumultuoseque agros incursare est adortus, ratus fore, ut Hircanus suorum clade commotus, filios ex Samaria reuocaret. Sed longe aliter euenit quàm hostis credidit, nam necilli reuocati sunt, nec impune Antiochus est per hosticum diutius euagatus, prædatoribus quum locorum inscitia, tum hostium insidijs ubique infestis. Ille quum nihil præter ignominiam præsens lucraretur, Calimandro & Epicrate cum exercitu ad Iudæam uexandam relictis, in Syriã reuersus est. Calimander paucis diebus hostium arte captus cũ suis perijt. Et Epicrates pecunia corrupt⁹, Scythopolim cũ circũiectis oppidis

Cyricœnus.

Cleopatræ cædes.

Cleopatræ exitus.

Samaritarum obsidio.

Ptolemæus Lathirus.

Hircano

Samariæ excidium.

Hircano tradidit. Et Samaria nondũ anno adhuc ex quo oppugnari cœperat, circumacto capta est, atq; ita funditus excisa, ut certiora hostilium castrorum ad posteros quàm urbis extarent uestigia. Erat Hircanus sacerdos summus, qui quum forte eo die quo filij cum Cyricœno acie dimicarunt, solus thura in templo adoleret, uox ex proximo illi reddita est. Filij tui hostem uincunt. Ille ratus se cœlesti uoce monitum, ex templo egressus filiorum uictoriam populo significauit, idque multo prius accidit, quàm uictorię nuncij adesse potuissent. Creuerat his successibus Hircanus, florebantque sub eius principatu Iudæorum res, quum ipse Pharisęis à quibus fuerat in

Pharisæi. Saducæi.

stitutus, relictis, ad Saducæorum sectam transijt, unde illi & filijs inexpiabilis inuidia est à populo orta, ut enim Saducęis potentiores & optimi quique fauebant, ita uulgus & ignara multitudo Pharisæorũ tota erat. Cęterum reconciliato populo & re Iudaica optimo statu collocata, fato decessit, quum unũ & xxx. annos summæ rerum præfuisset. Felix tribus rebus, Principatu populi, Summo sacerdotio, & Prophetica diuinatione iudicatus. Aristobolus eius filius non Ionathę, ut Eusebius scribit, ueterem principatus fortunam, sumpto diademate, ad regiã dignitatem transtulit, qui annus quadringẽtesimus fuit atq; octogesimusseptimus, siue ut Eusebius ait, quartus ab eo quo Iudæi ex Babylone in Palæstinam remigrarunt. Sed hæc gesta sunt in Iudæa post bellum quod est cum Iugurtha gestum in Numidia, profligatum. Nunc ne ab instituto ordine longius aberret explicatio, res Italæ externas excipient. Cato Porcius Salonius consul per id tempus, quo Numidiæ regnum Iugurthæ & Adherbali est diuisum, aduersus Scordiscos gentem ex Gallia oriundam, in Thracia parum memorabili euentu bellauit. Romę Æmylia, Licinia, & Martia Vestales incesti damnatæ. Per idem tempus Papyrius Carbo in Illyrico cum Cimbris (is primus Romanorũ ipsi genti cum exercitu occurrit) infeliciter dimicauit, fusus fugatusque est cum multa cęde Ro. exercitus. Sed quãtum hic ignominię acceptum, tantũ nec minus laudis haud multo pòst in Thracia est quęsitum recenti uictoria, ubi Liuij Drusi consulis ductu & auspicijs, Scordisci ingenti sunt prælio à Romanis uicti. Sed hęc parum illustri fama ueterum scriptorũ monumentis temporum iniuria deperditis. Certior ac plenior relatio eorum, quę in Numidia, eadem tempestate gesta sunt. Diuiso Micipsæ regno legatorũ arbitrio, ut supra est memoratum, Iugurtha ubi primum illi Aphrica excesserunt, reputans animo sic sane habere ut apud Numantiam acceperat, omnia apud Romanos esse uenalia, fretus præterea eorum amicitia, quos muneribus expleuerat, ad Adherbalis regnum animum adiecit. Ferox ipse & facinorosus, contrà imbellis ille & iniuriæ obnoxius. Primo igitur ex Adherbalis finibus prędę hostiliter abducte, missique ad Iugurthã legati qui de iniuria quererentur. His non modo res non redditæ, sed bellum haud multo pòst ex confesso illatum. Quacunque Iugurtha iret uastabantur agri, uici, oppida ui capta incendebantur, eratque breui omnia unus habiturus, quum Adherbal haud amplius cunctandum ratus, parato exercitu ad Cyrthã oppidum haud procul à Iugurtha castra fecit, & quia diei extremũ, pugna utrique abstinuerunt. Ibi Iugurtha in omne occasionem intentus, noctu silenti Luna, signo repẽte dato Adherbalis castra tumultuose inuadit, quibus primo impetu captis, multi semisomnes oppressi, alij subita trepidatione & pauore disiecti, beneficio noctis seruati sunt. Adherbal cum paucis equitibus Cyrtham confugit, & ni rogatorũ turba (nam multi Romani & Italici generis Cyrthæ negociabãtur) Numidas fugientibus hęrentes à mœnibus auertisset, eodem die quo cœptum erat id bellũ profligari

Tres Vestales damnatæ.

Cimbrorũ uictoria.

Profligantur Adherbalis copiæ.

contigissent. Iugurtha oppidum corona cingit, turres, uineas, & alias id genus machinas mœnibus admouet, opprimendi Adherbalis cupidus, priusquã eius legati Romam ire possent, quos aliquanto antea ille miserat. Cæterum illi secunda nauigatione usi mandata pertulerũt, missique sunt duo legati in Aphricam, qui senatus Populique Ro. nomine iuberent ambos reges ab armis discedere. Iugurtha in potestate patrum Populiq; Ro. esse se respondit, libenterq; eam cognitionem patribus delaturum. Cęterum bellum Adherbalis culpa contractum, qui sibi capitales molitus esset insidias. Adherbalis appellandi copia legatis nulla facta est, aut certe sibi factã noluerunt. Iugurthę responso contenti, uelut per id bellum soluissent, continuo Aphrica excessere. Iugurtha ubi de illorũ discessu certior est factus, multo ferocior quàm antea, Cyrthenses adortus fossa & uallo urbem circundat, instatque uarie propugnatoribus nunc præmia, nunc formidinem ostentando. Suos ad uirtutem hortari, erigere, prorsus nihil laxamenti hostibus dare. Adherbal ubi res suas in extremo situs uidit, nam præterquam quod hostis arctius urgebat, ne trahendi quidem belli spes ulla erat ob rerum omnium inopiam, ex ijs qui secum in urbem confugerant, duos maxime impigros delegit, quos pollicendo rogandoque, ut præsentem fortunam suam miserarentur, perpulit, ut per hostiũ munitiones noctu dilapsi, Romam cum suis literis ad

Legatorum ignauia.

Literæ Adherbalis ad senatũ

senatum irent. Felix horum audacia fuit, atque Adherbalis literæ in senatu recitatæ, quibus ille significabat non sua culpa fieri quod sępius Romam oratum mitteret. Tanta, inquit, patres conscripti libido mei extinguendi Iugurthæ animum inuasit, ut neq; uos, neque deos immortales reuereatur amplius, meum sanguinem sitit, hunc mauult quàm omnia, quintum iam mensem ego socius & amicus Populi Romani obsidione premor, nec mihi Micipsæ patris beneficia, nec uestra decreta auxiliantur. Ferro an fame magis urgear incertus sum, de Iugurtha tantum dicam, petere eum haud dubie supra quàm ego sim aliud quiddam, neque enim simul & meum regnũ & uestram sperare potest amicitiam. Vtrum pluris faciat nemini occultum est. Ab initio Hiempsalem fratrem meum occidit, inde me patrio regno expulit. Sed quales priuatæ illæ iniuriæ fuerint, nihil ad uos. Nunc uestrum est hoc regnum quod armis tenet, me quem Numidis regem imposuistis, plusquã hostiliter obsidet. Quanti ille uestrorum legatorum uerba fecerit, præsens fortuna mea declarat. Reliquum est ut ille ab suo scelere arceri non possit, nisi uestra ui cohibeatur. Vellem ego patres conscripti & hæc quæ nunc scribo, & quæ antea fuiin senatu questus, uana forent, nec miseria mea uobis fidẽ faceret. Sed quando eo natus sum, ut ille in me omnia suæ crudelitatis exempla exerceret, tantum inimici imperium & corporis cruciatum deprecor, de Numidiæ regno quod uestrum est, ut libet consulite: meque ex impij hostis manibus, per maiestatem uestri imperij, per amicitiæ fidem, si qua aui mei Masinissæ apud uos memoria adhuc restat, eripite obsecro. Senatus Adherbalis literis permotus, multis censentibus esse illi subueniendum, misisset illico in Aphricam exercitum, nisi Iugurthæ fautores summa ope connixi, autores fuissent, ut tantum legati mitterentur. Maiores natu nobiles missi, & in his Æmylius Scaurus, qui princeps erat senatus. Hi Vti

Altera Rom. legatio.

cam delati, Iugurtham per literas accersunt, qui ab initio anceps, pareret ne, an in obsidione perseueraret, hinc metus Romanorum ni illorum dicto obediens esset, inde cæca perficiendi sceleris cupiditas, diuersum rapiebãt. Postremo subita ui oppidũ adortus, totis uiribꝰ capere est conatus, qdꝰ ubi nulla est uia ad irrumpendũ data, Vticã ad legatos se cõtulit. Hic tametsi graues illi minę nunciabant, nisi ab obsi

dione

dione desisteret: multa tamen oratione consumpta, ad postremũ infecta re, legati discesserunt, quod ubi Cyrthę est auditũ, qui Italici nominis cũ Adherbale erant, & quorum uirtute fuerat præcipue oppidum defensum, rati fore, ut maiestate Ro. nominis deditione facta incolumes à rege mitterẽtur, Adherbali autores fuerũt, ut oppidum Iugurthæ traderet, uitã tantum ab eo pactus, de cæteris curam senatui fore. Ille etsi omnia potiora Iugurthæ fide putabat, ueritus tamẽ ne aduersando cogeretur, deditionẽ fecit. Iugurtha Adherbalem deditũ crudeliterq; prius excruciatum interfecit. Sunt & cũ eo omnes puberes Numidę, Italiciq; negociatores promiscuè, ut quisq; armato hosti obuius fuit, ad unũ cæsi, quod ubi Romæ auditum est, nec in senatu quicquã ob Iugurthę fautores aduersus tantam iniuriam decerni poterat adeò plus regia pecunia & gratia male parta, quàm publica dignitas in eo ordine ualebat. Sed nec impune, crudelis auaritia in eam fuit ut eam remp. quam Romæ florentissimã habebant, paucis annis amiserint, & quod pene æquum fuit maiore nullius ordinis clade, q̃ illius cuius fraude tunc Adherbal socius & amicus Po. Ro. perijt. Cęterũ patres ubi C. Memnium trib. plebis se criminari ad populum sensẽrũt, quòd ipsorum fraude tantũ scelus Iugurthæ condonaretur, Sempronia lege Numidiam & Italiam prouincias cõsulibus decernũt. Consules declarati sunt L. Calpurnius, qui prouincia pessime administrata, Bestiæ postea cognomẽ tulit, & P. Scipio cognomẽto Nasica, diuersus (ne quis erret) ab eo qui iudicat fuit olim Romanorũ optimus. Calpurnio Numidia sorte euenit, Italia Naſicę. Cõscribitur exercitus, qui in Aphricam deportaretur, cæteraq; ad bellum comparantur. Iugurtha factus certior de ijs quæ Romæ parabantur, filium cum duobus legatis ad senatum mittit, quibus præcipit, ut omnes indifferenter auro aggrederentur. His appropinquantibus publico B nomine nũciatum est, nisi regnum Iugurthamq; deditum uenirent, ut intra decẽ dies Italia excederent. Numidis infecta re, ꝓfectis, consul Calpurnius haud multo pòst legiones per Italiã Rhegiũ traduxit. Ex Rhegio in Siciliam, mox inde in Aphricam exercitũ deportauit. Hic Numidiam ingressus breui multos mortales, atq; aliquot urbes pugnãdo cepit. Erat L. Calpurnius uir acri ingenio, bellicarũq; artiũ haud ignarus, ad pericula cauenda, & ad quę casu inciderent mature discutienda, præsenti firmoq; consilio. Præpediebat tã bonas artes in homine inexplebilis auaritia, quã ꝑ legatos, & M. Scaurũ in primis Iugurtha uersare adortus, eo perpulit, ut pacẽ quã ipse uoluit, paucis sit diebus consequutus. Inde in deditionem acceptus, & ad turpissimę pacis deformitatem tegendam triginta elephanti, pecus, atq; equi multi cum non paruo argenti pondere quęstori tradũtur, nec multum inde Calpurnius in prouincia moratus Romam ad comitia consularia habenda decessit. In Numidia interea, & in Ro. exercitu pax erat. Cęterũ ubi hæc quæ in Aphrica acta erant, Romæ uulgata sunt, incredibilis inuidia Calpurnio apud plebẽ orta est. De eo per omnes locos & conuentus, turpis sermo habebatur. Nec patres satis constitutũ habebant probarent ne pacem adeo infamem. Itaq; inter dubitationem & moram senatus C. Memmius trib. plebis, cuius facundia tum clara pollensq; erat in urbe, ita est Po. pro cõcione affatus. Satis superq; esse potuit & debuit Quirites, q, auaritia & superbia patrũ, post Gracchorum cędem tam insolenter in Ro. urbe dominantur, sed nõ satis est q, ad hunc diem homines huius ordinis ęrarium sæpius expilarunt, uectigalia interceperunt, q, liberi populi paucis nobiliũ tributa soluunt, iam eò impudentiæ processerũt, ut leges & maiestatem publicã uenalẽ habeant, quibus quoniã fides, pietas, decus, omnia honesta & inhonesta quæstui sunt, rẽp. inexplebili auaritia externis regi-

Adherbalis & Rom. cædes. Iugurtha hostis iudicatur.

Capitur regis pecunia Calpurnius.

Oratio Mẽmij ad populum.

A bus uendũt, & quod adhuc sit iniquius ferendũ, ut eorum quisq; pessime fecit, ita maxime tutus uiuit, metu à suo scelere ad populi ignauiã translato. Cæterũ maiores nostri Quirites, semel atq; iterũ Auentinũ armati insederũt, uos pro libertate & iure quod ab illis accepistis, non summa ope nitemini, ut paucorũ immoderato dominatui eatur obuiam? satius quidẽ fuisset talia non acquirere, q̃ quęsita ignauiter amittere. Non manu, non ui quicquam gerendũ censeo, q, magis indignum sit uos id facere quàm illos pati, sed quęstionibus & indicio illorũ scelus arguẽdũ. Deditus Iugurtha est, si uere est deditus, uestris erit iussis obediens, Romam publice accersitus ueniet, si minus, facile existimabitis qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad illum impunitas scelerum, ad paucos diuitiæ, ad remp. damna ac dedecora peruenerunt. His ego sic quoq; ignoscẽdum censerẽ Quirites, quia ciues sint, nisi talis uenia in publicam perniciem uerteret. Sed parum erit illis impune male fecisse, nisi faciundi licentia eripiatur, & nobis perpetuo solicitudo hæreat necesse est, quũ aut seruiẽdum sit, aut libertas à maioribus accepta, alsiduis certaminibus tuẽda. In quo ciuitatis statu quænam spes fidei aut concordiæ esse poterit, quũ nobiles dominari uelint, uos liberi esse, illi iniurias faciant, uos cõtra arceatis? qd̃ quũ ita sit, quęro quæ pax, quæ concordia, tã diuersis mentibus esse possit? oportet, in- *Peroratio.*
quam, oportet & fas est, quũ propter alia multa, tũ propter hoc ipsum, ne id malum impunitatis spe, supra quàm corrigi possit, inualescat, uindicatũ iri, ne senatus autoritas, ne uestrum imperiũ in tã fœda pace, scelere eluſum uideatur. Adde q, malis ignoscere idẽ sit quod bonos perdere: ubi enim & bene & male facta cõtemperis, segnior fit bonus ad uirtutem, & malus improbior. His plebs accẽsa iussit Iugurtham Romã accersi, ut coràm expostulatus, Calpurnij Scauri & aliorum flagitia patefaceret. Cæterum dum hæc Romæ aguntur, uelut contagio quædam imperatoris labes ad eos qui exercitui præerãt peruenit, edita ab his quoque flagitiosissima facinora. Elephãtes regi ob aurum redditi, & perfugæ precio restituti. Alij ex pacato prædam egerãt, uelut ex hostico, tãta uis auaritiæ omnium animos uelut tabes inuaserat. L. Cassius prętor ex urbe ad id missus, Iugurtham priuata fide interposita, Romam perduxit, *Accersitur Romam Iugurtha*
quem in concionem populi sordida ueste productũ C. Memmius trib. pleb. dicere iubet, quorum autoritate & fauore fretus, rex tot & tanta in suos & Po. Rom. scelera perpetrare esset ausus. Scire Populũ Romanũ qui illi sint, cęterũ uelle ipsius indicio magis omnia patescere. Si uera diceret, futurum ut in fide & clementia Po. Rom. magna spes esset illi sita. Contrà si reticeat, neq; socijs saluti sit, & res suas in discrimẽ adduceret. Iugurtha turbatus ac scelerum conscientia male sibi fidens, quum iam ut inciperet expectaretur, à C. Bebio qui iã antea ad hoc ipsum *C. Bebius uetat regem fari.*
erat præparatus, fari uetitus est. Ibi circũfusa multitudo ira accensa terrere regem clamore, ac minis instare, altercationeq; tribunorum in lõgum distracta postremo Bebius obtinuit, ut sine effectu cõcio soluta sit. Erat tum Romæ Massiua Gulussæ filius Masinissæ nepos, qui in discordia regũ Cyrtha dedita, & interfecto Adherbale, Romã extorris uenerat. Hunc Sp. Albinus qui cum Quinto Minutio Rufo consul *Consules.*
creatus erat, perpulit, ut quando Iugurtha omnium inuidia flagraret, à senatu Numidiæ regnũ posceret, quam prouinciam sorte adeptus, noluisset pacatam sed magno aliquo negocio accipere. Et Massiua agitare rẽ cœperat, nec Iugurthę multum spei in amicis esse, qui uulgo aduersa fama laborabant. Conuersus itaque rex in suas artes, Bomilchari uiro proximo *Massiua Iugurthæ opera obtruncatur.*
sibi ac maxime fido occultè imperat, ut Massiuæ matura necẽ machinetur. Huius igitur opera, per homines talis negocij artifices, adolescenti insidias parat.

Erat

Erat cædes clandestine patranda, & ob id locus & A in bonis artibus eam continuerat. Praua gloriæ & tempus à percussoribus destinatum: Accidit tamen, ut inconsultius ex his unus Numidam adortus, cædem palam fecerit, ipsęque deprehensus, apud consulem Albinum indiciũ deposuit. Fit itaq; reus Bomilchar, magis ex æquo & bono, quàm iure gentiũ, qui comes regis sub publica fide Ro. uenerat. Iugurtha aliquãdiu pro Bomilcharis causa nixus, ubi maiorem uidit sui facti inuidiam esse, quàm gratia aut pecunia sustineri posset, Bomilcharem publice uadatum occulte ex urbe demisit, ipse paucis diebus Italia abire iussus, postquam Ro. egressus est, identidem eam respiciens, uenalis urbs dixit, ac si emptorem inueneris cito peritura. Nec Albinus multo pòst paratis, quę ad bellũ erant necessaria, in Aphricam transmisit, bellumq; acriter agere adortus, appetente comitiorum tempore, quoquo modo bellũ conficere studebat. Contrà Iugurtha trahere omnia, alias atq; alias moræ causas nectere, nunc deditionẽ polliceri, mox paulo metum simulare, cedere instãti, ac rursus ne suorum animi frangerentur, fortius resistere, atq; ita nunc belli, nunc pacis mora hostem ludificari, ut iam propemodum cõsul merito suspectus esset, tanquam consiliorũ Iugurthæ & ipse particeps. Annoq; iam propemodum circumacto, Albinus Aulo fratre qui legatus in castris erat cum copijs relicto, Romam ad comitia discessit. Aulus belli conficiendi cupidus, aut certe pecunię regi permutum exprimendę, media hyeme milite ex hybernaculis educto, magnis itineribus ad oppidũ Suthul duxit, ubi regis asseruabãtur thesauri. Erat locus & opere & natura oppidò munitus, in speciem tamen rei quoquo modo obeundæ uineas & aggeres Aulus erigit in hostem. Iugurtha Auli uanitatem intuitus, ut illum in maius aliquod traheret discrimẽ, ad eum suppliciter misitare, ipse per saltuosa loca, & B ignotos tramites uitabundo similis ductare exercitum, inde auro corruptum ducem, ex composito in abditas traxit regiones, corruptiq; interim ex centurionibus quidam & duces turmarum trãsfuerunt ad regem. Alij dato signo locum deseruerunt. Tum Iugurtha legati castra noctu adortus est, una Ligurũ cohorte & duabus turmis Thracum ad hostem medio tumultu transeũntibus, fœda est trepidatio orta. Mox ex composito uia Numidis data, castra capiuntur, Romani passim alij aliò diffugiunt, pleriq; proximum collem pene inermes cum ipso duce occupauere. Postridie Iugurtha cum Aulo in colloquiũ uenit, testatusq; se humanarum rerum memorem, uictoriam malle quàm cædem, subiugaturum se ex ercitum dixit, quem fame & ferro circumsessum teneret, ea tamen conditione ut pace deinceps secum pacta dux ipse x. dierum spatio ex Numidia decederet. Hæc grauia erant & flagitij plena, mortis tamen metu æqua uisa sunt. Pax ut libuit regi, confecta est. Id fœdus populus Ro. irritum habuit. Albinus consul, etsi Tribunis inhibẽtibus, paucis diebus quibus hæc in Numidia gesta sunt, in prouinciam redijt, eratq; ualde intentus ad aliquod præclarum facinus agendum quo suam & fratris inuidiam leuaret. Romę interea C. Manilius trib. plebis ad populum tulit. Populusq; sciuit, ut in eos quæreretur, quorum consilio Po. Ro. autoritatem aspernatus esset Iugurtha, quiq; elephantos regi tradidissent, fuissentq; ignominiosæ illius pacis autores. Manilia rogatione triumuiri creati sunt, qui eam quæstionem haberẽt, in quibus M. Scaurus fuit, qui Bestię legatus fuerat. Cæteris nobilibus metu perculsis, hic unus multa ambitione obtinuit, ut triumuir crearetur. Quæstio aspere uioleterq; exercita est ex rumore & libidine plebis, tanta tum insolentia aduersus nobiles præsenti successu, eum ordinẽ ceperat. Qui mos ciuitatis uelut in duas factiones scissæ, post deletam Carthaginẽ Romæ ortus erat sublato hostili metu qui

Omnia apud Rom. uenalia.

Metellus.

Militum mollities.

Metellus sibi regem tradi postulat.

Manilia rogatio.

Diuersa ciuitatis studia.

Oratio Iugurthæ ad suos.

narum

narum initium fore. Alios utiq; sui beneficij cõmonefacere nonnullis aut polliceri aut minari, ut strenue obirent pugnam. Et Iugurtha per hæc suos confirmabat, quum Metellus haud procul inde cũ exercitu est cõspectus, qui hostem intuitus paulisper agmen continuit, mox suos pro tẽpore hortatus, paululum mutatis ordinibus, in planum descendit. Cęterum ubi hostes quietos collem obtinere uidit, Rutilium legatum, cũ expeditis legionibus, ad flumen præmittit, iubetq; circa ripã metari castra. Ipse paulatim procedere, ratus fore, ut à tergo hostis ex occasione extremum esset agmẽ inuasurus. Iugurtha ubi partem agminis prætergressam uidit, quam Ro. imperator agebat, mõtem quà egressus erat, ex improuiso occupat, ne suis consul auxilio esse posset, consestimq; signo dato, reliquum agmen inuadit. Fuitq; ab initio difficile Romanis certamen, Numidis, uti ab rege iussi fuerant, eminus iaculãtibus, sparsimq; nõ turmatim incursantibus. Erat adhæc loci natura Barbaro ad rẽ gerẽdã habilis. Numidarũ equis facile inter uirgulta dilabentibus. Contrà Ro. soli asperitas & insolẽtia à negocio remorabatur. Fœda & insueta erat pugnæ facies, dispalati milites neq; signa, neq; ordines obseruare, quo quisq; loco deprehensus erat, periculo occupatus, pro se pugnam ciebat: Arma, tela, equi, uiri, ciues, atq; hostes permixti dimicabant. Nihil cõsilio aut imperio agi, & iam multum diei processerat, quum Numidis minus ferociter incursantibus, paulatim Metellus aciẽ restituit, quatuorq; legionarias cohortes hostium peditibus objicit, hortaturq; milites, ut Numidas fessos & fugam circũspectantes, instaurato prælio adoriantur. Contrà Iugurtha ipse quoq; suos adequitãdo in pugnam concitare. Sic duo imperatores ex aduerso certabant, inter se pares animo & uirtute, Metello militum uirtus maior aderat, & iam uesper erat, quũ Ro. ut præsenti prælio aliquando defungerentur, in aduersum collem connixi, hostẽ loco sub mouent, submotum in fugã uertunt. Celeritas & regio hostibus ignota, uictis auxilio fuit. Cæterum dum hic prælio tenuit. Bolmichar cum leui armatura & elephantis, ut Rutilium qui ad metãda castra fuerat præmissus ex improuiso opprimeret, citato agmine ad flumen contendit. Nec Ro. fefellit puluis procul inspectus: tũ miles pugnæ cupidus, munitione relicta, uenientí hosti sese ferociter obijcit. Numidæ elephantorum præsidio freti, intrepide prælio capessunt. Sed nihil illis præsidij in beluis esse potuit, arborum perplexitate impeditis, quas Barbari ubi passim Ro. pilis cõfossas disiectasq; uidere, continuo & ipsi fugam capessunt. Quatuor elephanti uiui capti, reliqui numero triginta ad unũ interfecti sunt. Rutilius, pulsis hostibus, quia Metellus amplius opinione morabatur, illi obuiam processit. Et iam haud procul inter se erant, quum propinquo strepitu utriq; alteris metũ & formidinem fecere, effetq; fortassis obscura iã nocte inter eos miserabile facinus editum, ni præmissi utrinq; equites rem cõminus explorassent. Pro metu igitur ingens est gaudium ortum, mutuaq; gratulatio. Milites alius alium læti appellant, & quæ fortiter egissent, pro se quisq; effert laudib⁹, ut in uictoria assoleat, in qua uel ignauis licet gloriari. Cõtrà res aduersæ bonis etiam detrectãt. Metellus quatriduo quoad saucij curarentur, in eisdẽ fuit castris, milesq; interim pro cõcione laudatus. Quidam etiam militaribus præmijs donati sunt. Missi ex profugis, qui ex propinquo pulsi regis itinera explorarent, quo se recepisset, & quid consilij post aduersam pugnã caperet. Ille quia Numidarũ mos est, ut præter equitem nemo regem ex fuga sequatur, nec id militię sit flagitiũ, in occultiores saltus concesserat, ibiq; breui exercitum numero hominum ampliorem coegerat uerum inermẽ & parum rei bellicæ idoneum. Metellus postquàm Iugurtham audiuit exercitũ repa-

Iugurtha præsidium capessit.

Vincitur Iugurtha ad Mutthul flu.

A

B

rasse, mutata belli ratione, in frequentissimam Numidiæ partem ducit exercitum, ubi quũ omnia partim metu, partim armis subigeret, multaq; interim præda Romanus miles ditaretur, Iugurtha opinione deceptus, quippe cui omnis spes fuit ab initio in fuga, ut frustra hostem longis erroribus fatigaret, ubi omnia sua ferro & igni uastari uidit, cum lectissimo equitatu Metellum sectari, nihil illi à tergo tutum relinquere, pabulatores caloneſq; Numidæ equites passim excipiebant, celeriq; cursu in proximos refugiebant tumulos, atq; ita rex hostem sequi coactus est, ut suis auxilio esset. Romæ interea post Numidicæ uictoriæ nuncium allatum, ingens lætitia fuit, suppliciaq; dijs ob rem præclare gestam publice decreta. Metellus ne qua inuidia post gloriam sequeretur, caute bellum administrabat: ac ne qua obnoxius hosti fieret, cohortes cũ suo equitatu, frumentatoribus præsidio aderant. Ipse partem unam exercitus ductabat, alteram C. Marius. Bina fiebant castra, ubi ui opus erat, cuncti aderant, uastabaturq; interim hostilis ager. Nec Barbarus ociose suorum cladem spectare, nunc à fronte occursans, pabulaq; & aquas qua hostis uenturus putabatur corrumpere, nunc ex obliquo aut à tergo agmen carpere, omniaq; Rom. reddere infesta. Metellus ut hostem ad pugnam compelleret, Zamam urbem obsidione cingit, quod Romani ducis consilium præsentiens Iugurtha, aliquãto celerius eò occurrerat, oppidanosque ad urbem ualide tuendam cohortatus, ad Siccam ire contendit, quo Marium cum paucis cohortibus frumentatum iuisse acceperat. Defecerãt Siccenses primi omnium post aduersam regis ad Muthul fluuium pugnam. Ibi Iugurtha Romanos urbe egressos subita ui adortus, alta uoce Siccenses hortatur, ut à tergo hostem inuadant, fortunam eis occasionem dedisse sese in perpetuam libertatem uindicandi, regisque sui in regnum restituendi. Mutassent fortassis Siccenses in eo motu fidem, nisi Marius signa inferre maturasset, qui hostem aperto campo adeptus modico negocio fudit, prælioq; discusso, cum incolumi præsidio ad Zamã in castra est reuersus. Erat Zama in plano sita, nõ tam natura, qua opere ualida. Eam Metellus corona adortus, magnum oppidanis terrorem intulit. Miles mœnibus insinuatus, pluribus locis scalas admouet. Barbari saxa in subiectos deuoluunt, sudes, pila, picem sulphure & tęda mixtam. Eratque utrinq; ualidum certamen accensum, quum Iugurtha à tergo castra tumultuose aggressus, perculsis qui ad præsidium relicti fuerant, munimenta irrumpit. Pauci Romanorum, editiore in castris loco ui retento, hostium uictoriam in suorum aduẽtũ remorati sunt. Metellus audito à tergo clamore, ubi castra ab hoste teneri sensit, C. Marium cũ toto equitatu eò occurrere iubet, eum identidem obtestans, ne pateretur uictoriam suam ignominia illius diei labefactari. Sub Marij accessum, Numidæ cum multa cæde sunt castris deturbati. Postridie consul castris ualidius munitis iterum urbem inuadit. Vtrobique acre fuit certamẽ Romanique sub noctem, sua spe frustrati, in castra reuersi sunt. Metellus quia iam hyems appetebat, præsidio in his urbibus relicto, quę à Iugurtha defecerant, cum reliquo exercitu in hyberna concesserit. Cõsilio inde magis quàm armis, hostem capere adortus, per Bomilcharẽ, promissa illi impunitate cædis, quæ Romæ ipsius consilio fuerat perpetrata, liberaq; bonorum omnium possessione, Iugurtham ad deditionem compulit, ut se & regnum Metello traderet: imperata illi sunt ducenta milia pondo argenti. Omnes elephanti ex fœdere adepti, & equorum armorumque aliquantulum, ut omnes perfugas Romano traderet. Perfugarum plurimi, conditionibus pacis uix bene motis, in Mauritaniã transfugerunt, cætera ex fide consuli data. Et iam unum reliquum

Iugurthæ fuga

Metellus mutat belli rationem.

Zama.

Zama bis frustra oppugnata.

Iugurtha deditionem pacisci tur.

reliquũ erat, ut Iugurtha à Metello accersitus in castra ueniret, quum scelerum conscientia, consilio repente mutato, multis magnisque præsidijs temere amissis, consternatus animo iterum arma induit.

ENNEADIS VI. LIBER II.

REgerat Metellus Iugurthę opes, sed tumultuaria deditione quæ postea irrita fuit adeo acciſę sunt, ut omnibus appareret breui futurum, ut in Numidia ex Populi Ro. sententia debellaretur. Interea M. Iunius Syllanus cum sul Metelli collega, in Gallia cum Cimbris parum feliciter dimicauit. Fuerunt Cimbri, ut Romanorum quidam tradunt, Germanici Oceani accolę, cui opinioni astipulatur peninsulę nomen, quę ex ipsa terra in boream prętenta Cimbrica est Chersonesus appellata, & quod prædones Cimbri apud Germanos dicuntur. Alij Celticam terram eam esse crediderũt, quam gens ipsa incoluit, quæ ab externo littore lon giſsime porrecta, in Scythiam excurreret, adducti credo ea coniectura, quod Celtæ Scythæ sint à quibusdam nominati. Alij (nam non unus est de his sermo) Cimmerios qui Cimbri postea dicti sint, à priſcis Græcis cognominatos autumant, qui seditione domo pulſi, Lydamo duce à Mæoti profecti sunt, atq; horum plurimi ad Oceanum cõcesserint, sylueſtremq; terram sortiti, ac multa arborum umbra inaccessam in Hercinios usq; reiectã tenuerint, q̃ quia polo pene subiecta esset, mũdi cardines, extremosq; siderum ambitus, his esse locis uetustas fabulata est, semestri luce ac pari nocte. Sed quæ de Cimmerijs Plutarchus scribit, Plinius Hyperboreis ait contingere: quę gens ultra aquilonem clementissimo degat cœlo, oriaturq; his Sol semel à solstitio, diesq; una in brumam extendatur, atq; mox sidus in tantũdem noctis occidat. Sed de Cimbris notior mihi fama uidetur, quàm ut tam reposita gẽs credi debeat, quippe qui Germanici littoris accolæ, maris ęstu, ut quidam tradiderunt, suis sedibus pulſi sint, siue prędæ cupiditate eas ultro reliquerint, finitima, quod satis constat, prius loca infestare cœperint. Succeſſu deinde rerum blandiente, alias atq; alias terras sint latrocinio peruagati, ccc. milia armatorum, uno tẽpore, inde egreſſa dicũtur. Genus hominum procera statura, horrendis oculis, in prælium & cædes adeo præceps, ut ante C. Marium nullum Romanorũ ducum cum his nisi infeliciter dimicauerit. Syllano, ut diximus, uicto, legatos Romam miserunt, sedes & agrum in quo quieſcerent petentes. Ea legatio etsi irrita fuit Barbaris, ab Italia tamen inuadenda in præsentia abstinuerunt. In Numidia interim Vaccenses Iugurthæ precibus fatigati Romanum præsidium obtruncant: Turpilius Collatinus præsidij præfectus unus omnium incolumis euasit. Nec ea perfidia diu Barbaris inulta fuit. Biduo postquã res acta est, Metellus cum legione una Vaccam magnis itineribus contendit, qui posteaquã urbi appropinquare cœpit, militibus mandat, ut tectis armis in hostem ire pergant. Vaccenses amicum id agmen rati, Iugurthamq; adesse arbitrantes, erant enim in primo agmine Numidę constituti, ex urbe certatim ſese effundunt, regi obuiam ituri. Ibi à Romanis incaute excepti, promiſcue puberes impuberesque cæduntur. Vrbs capta ac direpta. Turpilius dicere causam iussus, tanquam eius culpæ non ignarus, capite pœnas luit. Bomilchar interea, adiuncto sibi Nadalſa uiro nobili, cuius opera Iugurtha in rebus nõ paruis utebatur, regi capitales instruit insidias, proceſſiſſetque haud dubie illis consilium, nisi Bomilcharis literæ ad Nadalſam datę, indicium feciſſent. Horabatur ille hominem, ut ad destinatum facinus ob-

Cimbrorum origo.

Cimbrorum nomen.

Cimbrorum ferocia.

Metelli strategema aduersus Vaccenſes.

C. Marij parentes.

Iulia Mario nubit.

Martius consul creatur.

A

B

eundum properaret. Literæ ex Nadalſæ dormientis cubiculo à seruo subtractæ sunt, & ad regem delatæ, quo accidit, ut Bomilchar & omnes destinatæ cædis consci, confestim sint supplicio affecti. Nec deinceps dies aut nox quieta regi fuit, neque loco, neque hominum cuiquam, aut tempori satis credere. Numidas Romanosq; iuxtà metuere, locum noctu, contra regium decus, sæpius mutabat. Somnoquadoq; exterritus, sumptis armis tumultuari. Metellus ubi de Bomilcharis casu experfugis cognouit, studio bellum reparat. Erat Marius à Metello alienatus, quod inuitus aliquandiu esset ab eo in prouincia retẽtus, ludibrioq; habitus, quod homo obscuro loco natus, ad consulatus petitionem animũ adiecisset. Is modicis parentibus Mario & Fulcinia ortus plurimum in Ciuernate uilla Arpinatis agri egerat ab initio ætatis. Cæterum ubi primum adoleuit, factaque est ætas militiæ patiens, in Hiſpania primo militauit sub Scipione Æmyliano, in cuius conſpectu cum forte ferociſsimum hostem confeciſſet, aliaque præclara militiæ munia obiuisset, dubiũ coniectura, an diuinitus, Scipio (quod satis constat) rogatus, ecquem post ipsum satis dignum imperatorem Romani habituri essent, Marij qui tum forte aderat, humerum tetigiſse dicitur dixiſseque, hic præstanti uirtute erit. Militiæ deinceps clarus Trib. ple. est factus, ut Plutarchus scribit, ut Crispus Tribunus militũ. Mox bis eodem die repulſam habuit, quod nulli ad id tempus acciderat, curulis ædilitatis prius, inde & plebeiæ, candidatus in prætura petenda ambitus appellatus, & quia in publico frigidam aquam bibiſſet, per seruum poculo ailatam, uelut parum ciuiliter egiſſet, à censoribus est senatu eiectus, obtinuit tamen præturam, quam præclare gesſit, sed multò præclarius Hiſpaniam quam ex prætura fuerat sortitus administrauit, per quæ illuſtrior factus Iuliam uxorem duxit, C. Cæſaris qui postea dictator fuit, amitam. Græcam Latinamque facundiam æque aſpernatus dicitur, nec urbanæ illius munditiæ studiosus. Domi modicus, belli ingens, libidinis & diuitiarum uictor, tantæq; tolerantiæ, ut ad deformitatem euitandam uarices ex altero crure sit paſſus sibi extrahi, ac defixis in uulnus oculis, sine gemitu suſpirióue, immotus inter secandum curandumque conſtiterit. Alterum crus curari non est paſſus magnitudini doloris impar futurus. Quum igitur in Aphrica legatus esset, atque Vticæ rem diuinam faceret, in spem magnam futurę dignitatis aruſpicis monitu est adductus, prędicantis magna porrò ac penè incredibilia portendi. Iret, & quę animo agitarentur, dijs fretus capesseret. His illum ad consulatus petitionem accensum, Metellus, homo multa alioqui uirtute, superbia tamen & cõtemptu duobus in nobilitate malis, monere cœpit, ne supra fortunam suam gereret animum, nec id à Populo Rom. peteret, quod iure negari posset, satis eum habiturum, si cum filio suo consulatum esset petiturus. Erat tum is in contubernio patris uiginti circiter annos natus. Ea contumelia Marius instructus iam inde non deſtitit Metellum maledictis apud milites infectari, donec, ut dixi, Consul bellum reparaturus, hominem sibi infeſtum Romam dimiſit, quo iam antè literę ex Aphrica de Metello & Mario à militibus miſsæ, huic multum fauoris, illi inuidiæ parauerant, quo contigit, ut proximis comitijs, ingenti plebis fauore, Marius fit consul factus, iuſsuque Manliana rogatione, extra sortem bellũ cum Iugurtha gerere decreto Patrum sublato, quo imperium Metello in ea prouincia prorogabatur. Sed dum hęc Romæ aguntur, Metellus Iugurtham iusto prælio uicit. Ille & amicis & armis propemodũ exutus, cũ equitatu & perfugarum manu, Thalam urbem ex fuga sese recepit. Erant hic pleriq; eius thesauri, plurimusq; filiorum cultus. Huc quia per arida & siti-

culoſa erat loca ueniendum, Metellus ex nouiſsimo flumine aquatus, ingentem uim aquę in ligneis uasis, quibus uulgo Numidę utuntur, clauſam iumentis impoſuit, ad Thalamę regem conſecutus Romanus imperator, uix bene meratus erat caſtra, quum tantus repęte imber eſt cœlo deiectus, ut milites fere cœleſti aqua uſi, fluuialę aſpernarentur, addiditq; ea res multum fiduciæ Romanis, tanquam dijs immortalibus res ſuæ curæ eſſent. Rex nihil infectum Metello credens, cum liberis & magna pecunia ex oppido noctu profugit, neq; poſtea ullo in loco amplius uno die, aut nocte una eſt cõmoratus, ne cuiquam locũ ad inſidias relinqueret. Velut igitur negocio urgeretur, celeritate proditionẽ uitabat. Thala quadraginta amplius dies, uineis, aggere, & turribꝰ oppugnata eſt. Oppidani feſsi, ubi diſiectis muris apparuit oppidum paulo pòſt captum iri, omni auro precioſaq; ueſte, in regiam domum comportata, uino & epulis grauati, ſubiecto igni ſeſe cum tota domo, & omni gaza incendio conſumpſerũt, atq; ita pœnas quas ab hoſtibus metuebant, ipſi uolentes pependerunt. Sub id tempus quo capta eſt Thala, legati à Lepti ad Metellum uenerunt, orantes ut ſe iam antea deditos præſidio tueretur, eſſe in urbe ſua Hamilcharem hominem factioſum, qui rebus nouis ſtuderet, uereri ſe ne ſtatus ciuitatis, illius temeritate in aliquod ſeruitutis diſcrimen conijceretur, niſi eius conatibus iretur obuiam. Miſſus eſt eò C. Antonius cum quatuor Ligurum cohortibus. Id oppidum Sidonij condiderunt, ciuili diſcordia domo pulſi. Vrbs inter duas Syrtes ſita eſt. Duo ſunt hi ſinus in extrema penè Aphrica impares magnitudine, natura ſimili, quorum proxima terræ prælata ſunt, cętera, ut ſors tulit, hic alta & profunda, breuia illic & ſupra modum uadoſa: nam ubi mare æſtuire cœpit, fluctus, limum, arenam & ſaxa ingętia huc ſecum trahunt, ita locorum facies cum uentis mutatur, Syrtesq; ab ipſo tractu nominatæ. Inter hos ſinus & frequentem Numidiã multi uaſtiq; loci ſunt, & in his Philenorum aræ, nomen ob facti memoriã ad poſteros inſigne. Ea enim tempeſtate qua Carthaginienſes pleræq; Aphricę imperitabant, eſſentq; Cyrenenſes ipſi in multa celebritate & opulentia, unaq; arenoſa terrę facies inter utroſq; fines iaceret, quæ nullum diſcrimen faceret, poſt longum certamẽ, legionibusq; & claſsibꝰ utrinq; fuſis, fugatisq;, ambarum ciuitatum rebus ob id certamen afflictis, ueriti duo populi ne mox uictos uictoresq; feſſos nouus aliquis aggrederetur hoſtis, ita inter ſe pacti dicuntur, ut certo die legati domo proficiſcerentur, ac quo in loco ſibi obuij fuiſſent, id utriuſq; populi confiniũ haberetur. Duo fratres ex Carthagine miſſi, quibus Philenis nomen erat, hi maturauere iter. Cyrenenſes & ipſi domo profecti minus uię confecerant, ſocordia, an caſu aliquo tardati, non traditur. Hi poſteaquam poſteriores ſe uiderunt, & ob rẽ parum utiliter nauatam domi pœnas metueret, criminari Carthaginienſes quod prępropere iter occupaſſent, turbare fœdus, omniaque prius malebant, quàm pro uictis abire. Demum Cyrenenſes conditionem Philenis fratribus deferunt, ut uel illi in finibus quos ſuo populo peterent, uiuos ſeſe obrui paterentur, uel eadem conditione liceret ſibi quo uellent ſuos fines promouere. Phileni optione probata uitam patrię condonarunt, ſeq; uiuos ibidem obrui paſsi ſunt. Carthaginienſes ut in omne æuum facti memoria prorogaretur, Philenis fratribus, ubi ſepulti fuerant, duas conſecrauerunt aras. Sunt & alij eorũ memorię honores decreti. Iugurtha poſt Thalam amiſſam Getulos genus hominum ferum & incultum, ignarumq; ad id tempus Romani nominis, ad bellum contraxit, Bocchumq; Maurorum regem per amicos quos ſibi muneribus deuinxerat, eo perpulit, ut aduerſus Romanos bellũ inchoaret, quod ut Bocchus libentius faceret, affinitas quæ illi cum Iugurtha iuncta erat, effecit. Nupta erat Mauro Iugurthæ filia, ut Criſpus ſcribit. Plutarchus Bocchi filiam Iugurthæ nupſiſſe autor eſt. Alienauit ſuper nouam affinitatem regem ipſum à Romanis, quod pacem & ſocietatem per legatos petitam Romę nõ impetraſſet. Copijs igitur inſtructis duo reges in unum caſtra conferunt. Ibi fide data & accepta, ut cõmunes iam inde hoſtes Romanorum eſſent, ad Cirtham oppidum iter conſtituũt. Hic Metellus captiuos, prædam & impedimenta locauerat. Is de regũ fœdere primo factus certior, mox de eorum aduentu, caſtris haud procul Cirtha munitis futuro ſe prælio comparabat, quum amicorum literis factus eſt certior, Numidiam prouinciam Mario conſuli plebiſcito datam, nam de eius conſulatu iam antea audiuerat. Ea re ſupra bonum honeſtumque perculſus Metellus, ne lachrymis quidem uir alioqui egregius temperaſſe dicitur. Multi id factum in ſuperbiam uertebant. Alij bonum ingenium contumelia permotum arbitrari: quidam eum non tam ſua iniuria, quàm Marij honore ita affectum crediderũt. Nec Metellus iam inde bellum eo ſtudio quo antè geſſit, ſtultum ratus, alienam rem ſuo periculo curare, tantum Bocchum per legatos bello auertere conatus eſt, identidem monens, ne Populo Romano ſine cauſa hoſtis fieret, nec res ſuas florentes cum Iugurthæ perditis miſceret, licere cuiuis bellum inchoare, inchoatũ finire in uictoris arbitrio eſſe. Bocchus ad ea benignè reſpondit, omnia conuentura dictitans, modo pax cuius ipſe cupientiſsimus eſſet, Iugurthæ redderetur, atq; ita Metellus tempus legationibus mittendis in Marij aduentum de induſtria diſtraxit. Is poſteaq; prouinciam extra ſortẽ ſibi datam uidit, populo ad concionẽ uocato, ita de ſe & de tota adminiſtrandi belli ratione eſt locutus, ut omnibus appareret, in uirtute & innocentia ſpem omnem collocatam habere, potius quàm in domeſtico ſplendore aut diuitiarum inſania, quod nobiliũ pleriq; facerent, ac ſumma ope adnixurum, ut plebem nunquam pœniteret beneficij & ſtudij ſui in nouo homine, ut ſuperbi quidã dicerent, collocati. Summa totius orationis ea fuit, ut dixerit non nobilitatem in homine, ſed uirtutẽ ſpectari oportere. Quod ſi prima origo hominum ſpectanda eſſet, naturam communem omnium matrem habendam, fortiſsimum quemq; uere & dici & eſſe nobilem, multoq; pulchrius homini ſuis nobilitatem parare, quàm à maioribus partam, per ignauiam & ſcelus corrumpere. Neq; quod Græcas literas nunquam didiciſſet, probro ſibi dari oportere, quippe quæ ne Græcis quidem ipſis ad uirtutẽ quicquam profuiſſent, ipſius gentis imbelliam præclare id teſtari. Aſt illa multo utiliora reipublicæ docte hoſtem ferire, præſidium agitare, nihil metuere, niſi turpem famam, hyemem & æſtatem iuxtà pati, inopiam & laborẽ tolerare. Quibus præceptis milites multò melius quàm literis imbuerentur, præſertim ſi qui ea facienda monſtret, talis ſit, ut nõ tantum recte præcipere, ſed facere etiã uelit, alioqui is dũm ſe uerius agat q̃ imperatorem. His ille & alijs in hanc ſententiam dictis, quum plebis animos in ſpem maximã prouinciæ fortiter obeundæ erexiſſet, Aulo Manlio legato cum commeatu in Aphricam miſſo, ipſe paucis diebus, dum delectus haberẽ, Romæ commoratus, in quo habendo, nõ ex claſsibus, ut ſemper aliàs, ſed ex capite cenſis humillimoq; genere hominum, qui utiq; ob inopiam haud in claſsibus cenſerentẽ, militem recepit, & ob id cum aliquãto maiore numero, q̃ decretum erat, in Aphricã tranſmiſit. Ibi à M. Rutilio legato exercitũ accepit, nam Metellus Marij conſpectũ fugerat. Cæterum Romam reuerſus, præter ſpem ſuam, magno ciuitatis ſtudio & fauore eſt acceptus, tulitq; iam inde Numidici cognomen,

Metelli aquatio.

Thalenſium fanum.

Leptis.

Syrtium natura.

Aræ Philenorum.

Phileni fratres

Bocchus iungitur in Ro.

Marij concio ad populum.

men, ob ea quæ præclare in Iugurtham geſſerat. Marius bellũ gerere aggreſſus, paucis diebus quàm in Numidiam uenit, haud procul à Cirtha oppido Iugurtham prælio congreſſum, armis exuit. Inde urbes circuire ſtatuit. Nam Bocchus crebris nuncijs ſignificabat ſe amicitiã uelle Po. Ro. nõ eſſe cur à ſe hoſtile quicq̃ expectari deberet. Conſul ubi nulla rerũ ſuarum clade compelli poſſe uidit, ut in cõſpectum ueniret amplius, ſed procul inde agere, Caplam oppidum opulentum (id Hercules Libycus cõdidiſſe ferebatur) oppugnare conſtituit. Erant Capſenſes non ſolum mœnibus aduerſus omnem externã iniuriam tuti, ſed ſitus etiam & locorum aſperitate, ſqualloꝛ & ſolitudo omnia obtinebat, præter loca oppido propinqua, terrã ad hęc ſerpentibus infeſta. Conſul, omnibus exploratis Aulum Manlium cum cohortibus ad Larim oppidum ire iubet, ubi ſtipendium & commeatum locauerat, ipſe prædãdi prætextu, ut res occultior eſſet, cum cętero exercitu, ſexto die ad Thanaim flumẽ peruenit. Ibi ingenti utrium ui, quam obiter ex cæſis pecoribus parari iuſſerat, milites aqua & iumenta onerat. Erat per aridas ſolitudines Capſam ueniendum, nec circa oppidum fons ullus, aut fluuius unde exercitus aquari poſſet. Ex Thanai tertia luce ad duo milia paſſuum ab oppido occultus ſedit, inde ciuium pleriſq; extra mœnia interceptis, ad oppidum adequitauit. Capſenſes ſubito malo perculſi continuo deditionem fecere, dediti contra ius belli interfecti, oppidum & inuium, & parum Romanis utile, direptum eſt, atq; incendio conſumptum, quod non tam conſulis perfidia fecit, quàm loci importunitas. Ingens ibi præda quæſita, quo factum, ut multo clarior Marius ad ſuos ex ea uictoria cum incolumi exercitu redierit, capta inde aut dedita pleraq; Numidarum oppida. Ad poſtremum conſul caſtellum inexpugnabile adortus, haud procul à Mulucha flumine (erat id regnorum Iugurthæ & Bocchi confinium) multis diebus fruſtra conſumptis, quum irriti eſſent omnes Romanorum conatus, Marius anceps conſilij, iam de ſoluẽda obſidione animo agitabat, quum fortuna perficiendæ rei uiam inuenit. Ligur quidam quum forte auerſa oppidi parte cochleas legeret, aliam atq; aliam legendo, per abrupta & conſragoſa loca in arcem euaſit. Defert ille rem continuo ad conſulem. Lætus Marius Ligurẽ magnis pollicitationibus oneratũ, cum quatuor tubicinibꝰ, & aliquot fortiſsimis uiris, eiſdẽq; agilibus, locũ occupare imperat. Ipſe ad oppidanorum animos à periculi ſuſpitione auertendos, alterum ſpecie aliquanto atrocius illis à fronte obijcit, in quod unum Barbaros pertinaciter intentos, ſubitus tubarum clangor, & clamor militum à tergo exauditus adeo perculit, ut omiſſa pugna trepide & inconſulte fugientibus Romanus cõteſtim oppidum inuaſerit. Atq; ita correpta Marij temeritas, ex culpa gloriam inuenit. Cæterũ dum hęc aguntur, L. Sylla quæſtor, cum magno equitatu uenit in caſtra, qui ut ex Latio & ſocijs cogeret exercitum, Romæ relictus fuerat à conſule. Is ille Sylla eſt, qui funeſtis Ro. ciuitatis ac totius Italiæ cladibus, ciuile bellũ poſtea cum Mario geſsit, primusq; perpetuam induit dictaturam, primus proſcriptione ciuium uſus, patritia familia ortus, literis Græcis & Latinis æque eruditus, facundus, callidus, amicitia facilis, altitudo ingenij incredibilis, multarum rerũ & præcipue pecunię largitor. Vbi igitur in caſtra uenit, rudis adhuc & ignarus belli milites appellãdo, præſtandoq; officia nec repetendo, militariaq; munera impigre obeundo, breuiter Mario & militibus chariſsimus eſt factus. Iugurtha Capſa & alijs pleriſq; locis amiſsis, Bocchum iam bellum detrectantem, tertia Numidiæ parte illi promiſſa, ſi aliquãdo præſenti bello defunctus eſſet, iterum in diſcrimen traxit. Cum ualido igitur exercitu in Numidiam reuerſus, iũctis cum Iugurtha copijs, ambo reges Marium in hyberna decedẽtem tumultuario prælio inuadunt, inclinabatq; iam dies in occaſum, quod repus ſibi aptum, hoſtibus infeſtum, de induſtria reges gerendæ rei delegerãt, ſiue fuga, ſiue infectatione opus eſſet. Trepidatum eſt nonnihil à Romanis primo hoſtium congreſſu, mox prælio pluribus locis iniecto (nam in re tam ſubita acies inſtrui nõ potuit, neq; imperium ullum exaudiri) equites peditesq;, ut quiſq; hoc uel illo deprehenſus erat loco, tenere, arma expedire, manũ conſerere, latrocinium magis à principio id fuit quàm prælium. Verum ubi coire unà ac manipulatim cõgredi cœpit miles, multo facilius uis hoſtium ſuſtineri cœpta eſt, iuuabatq; rem Marius ſua præſentia & hortatione, eo ſeſe ingerens cum lectiſsimorũ militum globo, quo plus erat laboris periculiq;. Et iam nox aderat, cum conſul hoſtium conſilio animaduerſo, qui de induſtria certamen in noctem trahebant, duos colles pene inter ſe contiguos metandis caſtris haud inhabiles cepit, ſuoſque ſenſim pugnæ ſubtractos, in tutum reduxit. Barbari utrunq; locum multitudine circundant, clamore & ſtrepitu exultantes. In Romanis caſtris interim conſulis iuſſu ſilentium fuit, & iam longa nox peruigilio à Barbaris acta erat, quum noctur no demum clamore ſeſsi, in ſomnum reſoluuntur. Nec Marius expectatam occaſionem neglexit, quin ſubito ſignorum cantu & clamore terribili militem in hoſtem totis caſtris effundit. Tum uero Getuli Mauriq; repente exciti, ſubita re perculſi, neq; fugã, neq; arma expediunt, multi mortales ſemiſomnes, aut ſtupore defixi, more pecorũ iugulati, alij noctis beneficio dilapſi in tutum conceſſerũt. Atq; ita Marius in hyberna, incolumi & uictore exercitu abibat, quum quarto pòſt die haud longè à Cirtha trepide nunciatur, hoſtes ex pluribus locis adeſſe. Tenuit Marius agmen in omnes partes intentum, nec multo pòſt haud uno loco bellandum fuit. Quadripertito Iugurtha Marianos inuaſerat, addidit & uiribus fraudem gregario milite forte interempto, enſem cruore reſperſum Romanis oſtẽtat, fruſtra eos dimicare clamitans, occiſum ex congreſſu à ſe Marium conſulem. Id palsim Romanè locutus, nam linguam apud Numantiam didicerat, adeo militem atrocitate rei perculit, ut nihil propemodum res à fuga abeſſet, fuiſſetq; eo die cum ignominia & clade dimicatum, niſi Sylla ea parte qua primum hoſtes impetumecerant, ferociter adortus, Bocchum confeſtim auertiſſet. Mox Iugurtha cæteris fugientibus, dum certamen pertinacius ſuſtinet, à ſuis excluſus ægre inter denſa Romanorum tela uitabundus euaſit, tum cęde totis campis late edita, conſtrata eſt cadaueribus planities. Secundum eam pugnã Marius Cirtham peruenit, quo quinto die poſtquã iterum à Barbaris male pugnatum eſt, legati à Bocchо uenerunt, qui regis nomine à conſule petierũt, ut duos fidiſsimos ad ſe mitteret, uelle de ſuo Populiq; Romani cõmodo cum his differere. L. Sylla & A. Mallius eo miſsi ſunt, qui etſi accitus ibant, Sylla tamen (erat enim facundior Mallio) tempeſtiuo ſermone regem ad id quod ſua ſponte facturus uideba tur, incendit, ut pacem cum Po. Ro. quàm bellum mallet, identidem hortatus, ne ſe regem optimum cum Iugurtha hominum peſsimo, miſcendo cõmacularet. Opportunitatem illi adeſſe non ſolum corrigendi, ſed ſuperandi etiam errata officijs, Po. Ro. nũquam ab ullo fuiſſe beneficio uictũ. Iret etſi quid ad ineundam gratiam ſecum agitaret, forti animo exequeretur. Rex ad ea pauca benigne reſpondit, purgãs factum. Inuitus, inquit, arma in uos Romanos indui, ut Numidiæ partem, mihi à Iugurtha datam, à ueſtra Romanorum tuerer iniuria. Nec in eo mediocri ſum contumelia affectus, quod legatis Romã miſsis, à Ro. ſum amicitia repulſus. Sed uetera,

Capſa oppidũ.

Thanais flu.

Capſenſiũ excidium.

Mulucha flu.

Sylla quæſtor.

Bocchus & Iugurtha Mariũ inuadunt.

Marij ſtrategema.

Iugurthæ fraus.

inquit, obliteranda sunt, nunc illud à uobis peto, ut liceat mihi Romam legatos mittere ad senatū, qui ibi publice de pace agant. Studebatq; per hæc futurę paci Bocchus, quum iterum per amicos, quos suis artibus Iugurtha corruperat, à præsenti est consilio auersus, nec multis inde diebus interiectis, incertū sua sponte, an à turiora monentibus impulsus, quinque legatos ad Marium misit, factaq; regi potestate Romā mittendi, pactisq; in id tempus inducijs, qui ad senatum iuere, responsum regi attulerunt: Senatum, Populūq; Romanū beneficij & iniurię esse memorem. Cæterum Boccho, quoniam delicti pœnitet concedi, ut quum meruerit, in fœdus & amicitiam recipiatur. Eo Bocchus responso permotus, à Mario per literas petijt, ut ad se Syllam mitteret, cuius arbitratu de cōmunibus negocijs consuleretur. Fuerat is ab initio ad regem missus cum Mallio, ut dixi, cuius postea legatos in castra Romana missos, plures dies apud se comiter ac munifice habuerat. Sylla ad Bocchum profectus est cum presidio equitum, & cohorte una Peligna, leuiq; armatura. Quinto deinceps die cum Voluce Bocchi filio, qui cum mille equitibus illi obuiam processerat, coniunctus diei unius iter confecit. Hic quum castra fecissent, nunciatum est Iugurtham haud procul inde abesse. Erant qui Syllę consulerent, ut obuoluto capite, occulte in tutum abiret. Id consilium ille aspernatus, multis ignibus accensis, silenti agmine noctu profectus, postridie sub ortū Solis metatus castra ex Mauris equitibus didicit, Iugurtham ad duo milia passuum qua iturus erat Sylla consedisse. Ingens Romanos pauor inuasit, uulgo credere se à Voluce proditos, atq; insidijs circumuentos. Multi itaq; eum subito obtruncandū censebant, ne ea proditio esset Barbaro inulta. At Sylla etsi eadem quę & alij arbitrari, omnem tamen à Voluce iniuriā abstinuit, suos hortatus, ut forti animo sint, sæpe à paucis fortibus ingentes exercitus superari contigisse. Multa inde testatus, quod à Boccho perfide hostibus proditus esset, Volucem castris iubet excedere. Ille lachrymās orare obtestarię;, ne se aut patrem in id crimen deuocaret, quippe qui procul à tam nefario cōsilio abessent. Cæterū quando Iugurtha totus ex patris sui opibus penderet, hortari Syllam ut per media Iugurthæ castra secum iret, uix se credere posse regem in se, aut eos qui secum essent, quicquam hostile ausurum. Placuit id consiliū, atq; ex improuiso ad Numidarum castra progressi, dubio atq; hæsitante Iugurtha incolumes in tutum processerunt. Vbi uero ad Bocchum uentum est, fluctuatus creditur ille animo, Syllam ne Iugurthę traderet an Iugurthā Syllę. Iussusq; Romanus quæstor post decimum diem ad Bocchum redire: nam Romani castra seorsum à Barbaro fecerant, aderant enim & Iugurthę legati Bocchi consilia folicite explorantes. Publice itaq; Bocchus Romano diem condixit, qui ubi sese in castra recepit, diem obseruaturus, noctu est ad regem accersitus, ibi fidis interpretibus adhibitis, benigne ac propemodum familiariter Bocchus, quod publice non fecerat ne quam moueret suspitionem, est iuuenem complexus. Mox plurima de amicitia, deq; repub. inter se locuti, Sylla quoquomodo annitendū Boccho dixit, ut meritum aliquod secum ferret, in Populi Romani amicitiam uenturus, aliquid præstandum esse in nouo fœdere iungendo, quod magis Romanorū interesset, quàm ipsius regis qui pacem peteret. Nec id multo labore quærendum, quū Iugurthæ copiā haberet, quem si Romanis tradidisset, futurum ut præter amicitiam, quæ ei perpetuo mansura esset cū Populo Romano, Numidiæ quoq; partem dono acciperet. Vereri ab initio Bocchus affinitatis iura, uereri & suorū popularium iram, quibus sciebat Iugurtham esse charissimum, necessitas tamen & Syllæ hortationes plus potuerunt. Pollice

Bocchi legati quod responsa tulerint.

Rom. metus.

Syllæ & Rom. constantia.

Bocchi & Syllæ congressus.

A tur igitur omnia se ex Syllæ uoluntate facturum, cō positoq; inter se dolo, Bocchus Asparem Iugurthæ legatum appellat, docetq; bellum certis conditionibus posse cum Romanis componi, iret & regis sui sententiam exploraret. Iugurtha etsi pacis cupidissimus erat, respondit tamen se nihil Mario confidere. Cęterum si Bocchus ambobus consultum uellet, daret operam, ut Syllam in speciem colloquij adductū sibi traderet. Fore, ut eo uiro in potestatem redacto, tolerabilior pax à Romanis impetraretur, ne tantus uir publica causa captus, in hostium potestate relinqueretur. Annuit primo Rex, ac plures dies anceps fuisse dicitur, utrū utri traderet. Postremo Sylla ad se accersito, ex illius sententia Iugurthæ insidias tendit. Inde ubi dies affuit, Iugurthaq; cum paucis amicis appropinquare est dictus, Bocchus cum Sylla, uelut officij causa, illi obuiam procedit, insidijs prius certo loco dispositis, quo ubi uentum est, statim signo dato undiq; Iugurtha inuaditur. Qui circa regē steterant, confestim obtruncati sunt, ipse ut erat inermis, captus Syllæ traditur, & ab eo ad Mariū perductus. Vnde nefaria illa discordia inter ambos orta est, quæ rem Romanam pessimo exemplo ad internicionem perduxit, hinc Sylla Iugurthæ capti ad se laudem trahente, contrà Mario prædicante, quecūque Sylla & alij in Numidia gessissent, suis auspicijs geri contigisse, totamq; proinde laudem suam non quæstoris esse, qui suo iussu ad Bocchum profectus fuisset. Cęterum dum in Numidia bellatur, uarie res Romana est alibi administrata. Cimbri in Gallia à Marco Iunio Syllano, qui cum Metello fuit consul, prælio fusi sunt, eius rei obscura memoria. Apud quosdam legere est eam pugnam, ut supra significaui, Romanis aduersam fuisse, & M. Minutius procōsul, cum Scordiscis & Triballis, quod satis constat, feliciter dimicauit. Contrà clades haud ignobilis in B Allobrogum finibus sub idem tempus accepta est, L. Cassio cōsule cum exercitu à Tigurinis Gallis cęso. Fuit ea Eluetiorū gens, quæ suis finibus digressa, in his forte locis consederat. Milites qui prælio superfuerunt, obsidibus dimidiaq; parte rerum omnium hostibus data, incolumes dimissi. Incidirq; ea clades in id tempus, quo C. Marius afflictis Iugurthæ rebus imminebat, sed non dum bello in Aphrica profligato, altera recentior clades est in Gallia accepta. M. Aurelius Scaurus consulis legatus, fuso à Cimbris exercitu, uiuus in hostium potestatem uenit. In consilium inde à Barbaris euocatus, quū Ro. Po. inuictum prædicaret suaderetq; hostibus ne alpes superare temere aggrederentur, à Bolo eius gentis regulo iuuene ferocissimo ferro traiectus est. Secuta haud multo pòst clades longe omnium fœdissima, C. Manlius & Q. Seruilius Cœpio procōsules, ab eadem gente circa Rhodanum ingenti prędio uicti, castris exuti sunt, & ex Romano exercitu octoginta milia hominum cæsa, calonum & lixarū xl. milia. Nullo unquam prælio tanta uis hominum à Romanis desiderata. Cœpioni cuius temeritate ea clades accepta est, plebiscito, quod post Tarquiniū nulli acciderat, est imperium abrogatum, atq; eius bona publicata. Iugurtha à Mario cum duobus filijs in triumpho ductus, mox detractis uestibus in carcerem cōiectus, qui quum opacum barathrum subiret, exclamasse fertur, ô Hercules quàm frigidum est hoc balneum, ibi sex dies fuit, ubi inedia ut Plutarchus scribit cōsumptus est. Liuius & Eutropius, Marij iussu, in uinculis necatum prodiderunt. Sunt qui ex Tarpeia rupe præcipitatum arbitrentur. Marius triumphali uestę curiam ingressus, quod nemo ad id tempus fecerat, ubi factum insolens accusari sensit, assurgens sumpta prætexta senatui se reddidit. Distractum est Iugurthinum bellum in quartū annū, qui fuit undequinquagesimus urbis Romæ ac sexcentesimus, ut Eutropius colligit. Fuit annus, quo Iu

Iugurtha Sylla traditur.

Duplex Rom. clades.

Maxima omnium Rom. cladium.

Iugurthæ exitus.

quo Iugurtha in Romanorum potestatem uenit, se- A cundus Olympiadis sexagesimæ octauæ ac centesimę, quo triennio. M. T. Cicero ex Eluia matre, patre equestris ordinis, ex regio, ut Eutropius scribit, Volscorum genere Arpini oritur. Pompeius, qui magni postea cognomen tulit, sub id etiam tempus est Romæ natus. Rhodius Colossus, quo nihil ipsa insula unquam clarius habuit, per hæc quoq; tempora, terra ibi horrendè mota corruit, ut quida scribunt: nō desunt, ut alio est loco significatum, qui rem ipsam in aliud tempus reijciant, in Italia res memorabilis accidit. Puella Romę nata, in Apuliam proficiscens, obiter de cœlo icta est, uestibus & calceamētis sine scissura ulla ademptis, monilibus collo & annulis discussis, nudum corpus sine uestigio ullo cœlestis iniuriæ exanime iacuit. Est inter fulminum genera quod clarum uocant mirificæ naturæ, hoc dolia exhauriuntur intactis eorum operimentis: aurum & argentum liquatur, nec sacculi aliquo modo amburuntur, ne confuso quidem ceræ ligno si obsignati fuerint. Simili casu Martia Romanorum princeps, quum grauida esset icta est, exanimatoque partu, citra omne aliud incommodum uixisse fertur. Sed hęc eò spectant ne naturalium rerum ignari fabulas nos conspectari arbitrentur. Estque puellæ per hūc modum extinctæ Eutropius autor. Marius ob Cimbricum tumultum, in sequentem annum consul refectus est, quum adhuc absens esset. Ipse postea quā Romæ de Iugurtha triumphauit, ad militarem disciplinam conuersus, cursu, uarijsque & implexis itineribus militem exercuit, qui graui onere pressus, signa sequi cogebat, quo factū ut milites huiusmodi laboribus assueti, Mariani postea sint muli appellati. Alij Marij uocem, quum apud Numantiam sub Scipione esset, auditam aiunt, eum optimum mulū quæsitū habere, ad impedimenta conuehenda, qui ualetudine corporis, & robore cæteros anteiret: ac B iam inde factum, ut qui robustus miles haberetur hunc Marianum mulum uulgo nuncuparent. Sed dum Marius exercitum in Barbaros comparat, Cimbri subito impetu in Hispaniā abierunt. Interim C. Lucius, ex Marij sorore natus, homo alioqui acer, à Trebonio adolescente, cuius pudicitiæ uim inferre conatus est, interficitur. Aberat tum forte cōsul, qui ad milites reuersus, postquam ex Trebonio ad iudicium uocato cædis causam accepit, adolescentę pro concione laudatum corona donauit. Id iustitiæ exemplum tertium C. Mario cōsulatum peperit. Cimbri tametsi ad Pyrenęum usque saltum progressi erant, sub uernum inde tempus in Italiam uenturi dicebantur, sed illi omnium opinione tardius sunt reuersi, quippe qui trans Pyrenen, uelut procella quadam, suo impetu euecti, aliquot Hispanię loca, multa cædę & populatione fœdauere. Postremo à Celtiberis prælio uicti, Galliam repetunt: ubi Theutoni & Ambrones, duæ ferocissimæ gentes, socias cū illis copias iunxere. Theutoni & ipsi ut Cimbri in Germania orti, quę una terra ex omnibus pene reliqua erat, de cuius situ & incolarum moribus, ex incepti operis instituto erat adhuc nobis dicendum. Ea tota septētrionalis à Gallis Rheno fluuio diuiditur, à Rhetijs & Pannonibus Danubio, à Dacia quidem & Sarmatia montibus, mutuoque olim metu discreta. Cætera Oceanus ambit. Ea etsi innumeris ferè gentibus coitur, in duas uelut partes fuit ab initio diuisa, ut quę alpibus est propinquior, sit superior Germania appellata. Altera ad septentrionem & Oceanum uersa, inferior. Durat hęc partitio sub Alemanię appellatione (quæ à Lemano ut quidam autumant lacu est) in hunc usque diem. Gens ipsa indigena, ut ueterum scriptorum quidam opinari uidentur, coniectura haud inepta adducti, quod terra sit cœlo aspera, cultu aspectuque penè informis, niuosis alpibus, uastisque fluminibus, aut æstuoso Oceano adeunda, & ob id minime inuidiosa, nullam unquam sensit aduenarum colluuionē. Tuisto quidam in ipsa terra genitus, & Mannus eius filius autores gentis conditoresque memorātur. Manno unde terræ appellatio, & lacus ducta uideri possit, tres fuisse filij dicuntur, unde Ingeuones sunt medij, & Hermiones Oceani accolæ, cæteri Isteuones nuncupati. Alij ex Tuistone plures filios genitos arbitrati sunt, à quibus Sueui orti sint, Gābriuij, Vandalij, & Marsi. Germaniæ nomen multo quidem recentius, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, Germani dicti sunt, ut Tacitus Cornelius scribit, & ab his paulatim nomē in cæteras gentes eualuit. Prælium inituri Herculi sacrum canebāt hymnum, quem uolebant aliquando in eam terrā uenisse. Graui & terribili sonitu non dissono, cæterum ad terrorem quęsito, pugnam capessebant. Truces oculi pluribus, ac cęrulei. Rutilæ comæ. Procera corpora. Ad primos impetus subita & præceps natura. Cæterū laboris & operum impatiens. Sitim & æstum ut Galli, non ferunt, frigorum patientissimi. Auri & argēti olim nullus in ea gente usus. Argentea uasa eorum legatis data, aut principibus muneri missa, non minore contemptu quàm fictilia tractabant. Cōmerci orum usu aurum & argētum ab his primo receptū. Credita & à quibusdam tellus ipsa talium metallorum expers, quin & ferri inops, quo accidit, ut olim rari uterentur gladijs in prælio, sed longiore hasta, quam ipsi frameam uocant, & in ea breui ferro, habili telo, siue cominus siue eminus dimicarent. Eques scuto & hasta instruebatur. Pedites missilia spargebant, plura singuli. Nudi in pugnam, aut breui sagulo ruebant, nulla cultus occultatione, scuta tātum coloribus, his q; lectissimis distinguebant, paucis loricæ usus, uix uni alteriue cassis aut galea: equi nec formæ, nec uelocitate conspicui, nec in gyrum, ut nostri, sed recto tantum conatu aguntur. Scutum in pugna amisisse præcipuum flagitium, ut sacris & publico concilio excluderentur eiusmodi clade affecti. Multi tali infamię superstites uitam laqueo finierunt. Reges nobilitate legebantur, nec his libera infinitaq; potestas fuit. Exercitus is ductabat, qui præcipua uirtute præstaret, quiq; exemplo magis quàm imperio polleret. Vincire, uerberare, animaduertere in quęquam nullius ius esse præterquam sacerdotū, ut non imperio, sed diuinitus flagitia uindicari crederentur. Signa quędam deorū lucis detracta in prælium gestari, præcipuum in pugna incitamentū, omnes suas necessitudines in proximo statuebant, ut in suorum conspectu aut gloriose uincerēt, aut cum laude caderent. Liberi, coniuges, parentes, sanctissimi pugnæ testes adhibebātur. Ad matres & uxores accepta uulnera deferebant, nec illæ & numerare & exigere plagas formidabant. Eædem cibos hortationesq; pugnātibus suggerunt. Proditum memoriæ est inclinatam aciem aliquando illarum hortatu restitutam. Creduntur adhæc arbitrari aliquid sancti prouidiq; esse in fœminis, earumq; cōsilia haud propterea aspernari, respōsaue negligere. Mercurio certis diebus humanas hostias immolabāt, Herculi & Marti ex cæteris animalibus. Sortes & Auguria in usu. De minoribus rebus principes ciuitatū consultabant. De maioribus uniuersa ciuitas. In inchoādis rebus noua Luna, aut plena obseruabatur. Noctium non dierum numerus supputabatur in ea gēte. In concilium armati uenitabant, sententiam approbaturi frameas concutiebant, id honoratissimum assentiendi genus. Contrà aspernati fremitu significabant. Transfugę & proditores ex arboribus pendētes, ignaui & imbelles atque infami corpore, cœno obruti, aut à palude aliqua superiecta crate necabantur, tanquam scelera in aperto ponenda essent, flagitia contegenda. Nihil publice, aut priuatim magistratus agere, nisi armis instructi. In cōmeatu & asse-

M. Tullij Ciceronis ortus.

Mirificus fulminis casus.

Theutoni & Ambrones.

Germania.

Muli Mariani

Marij iudiciū.

Tuisto & Mannus.

Germanorū descriptio.

Auri & argenti contemptus.

Framea.

Militandi ratio in Germania.

Autoritas fœminarum.

Supplicioru genera.

ctatione incredibilis æmulatio. Qui maiore globo iuuenum ſtipatus in publicum proceſsiſſet, præcipua celebritate apud ſuos & finitimos eſſe. Turpe & in omni uita infame ſuo duci ſuperſtitem in prælio eſſe, niſi uictoris ex acie deceſsiſſet. Princeps pro uictoria, comites pro principibus dimicabant. Bella ultro appetere, utpote quibus omnis à re bellica eſſet quies ingrata. Inertiæ & ignauiæ dabatur ſudore aliquid quærere, quod poſſet cruore parari. Bellorum cura deſtituti, ſomno & cibo uel fortiſsimi quique indulgebant. Domo & agrorum cura fœminis & ſenibus delegata, ut mirum uideri poſſit, duo tam diuerſa eidem genti affuiſſe, & inertiæ amorem & odium quietis. Vicatim plurimum diſcretisque domicilijs habitabant. Tegumen fuit, ſagum, fibula, aut ſi ea defuiſſet, ſpina conſertum, locupletiſsimi ueſte diſtinguebantur, non fluxa ſed ſtricta, ac penè ſingulos artus exprimente. Idem fœminis habitus, qui & uiris. Atque Germani ipſi omnium ferè, qui ad ſeptentrionem & ortum habitant, ſoli unica uxore contenti ab initio fuere, quanquam & in his nonnulli plura celebrarent connubia, non uxor uiro, ſed uir uxori dotem comparabat. Nec ad delitias quærebatur cultus, ſed iugati boues dabantur, frænatus equus & ſcutum cum framea & gladio. Mira in fœminis pudicitia, nulla ſpectandi fuit illecebra, nulla conuiuiorum ratio, rara in tam numeroſa gente adulteria, cuius conuicta mulier, reſectis capillis nudatam coram propinquis maritus, domo exactam, toto uico uerberibus agebat. Proſligatæ pudicitię nulla uenia, non ætas, non forma, non opes, connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen uitia ridere. Id enim corrumpere ſeculum, & corrumpi arbitrabantur. Sic unum mulieres maritum accipere, ut unum corpus, & unam uitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas, tanquam matrimonium amarent, non maritum: plus apud illos boni mores ualuerunt, quàm alibi bonæ leges. Serus in iuuenibus uſus ueneris, atque eo minus exhauſta pubertas. Nec connubia uirginum properabantur, ut ualidior eſſet procreatio. Homicidium certo pecorum numero luebatur, atque uniuerſa domus ſatisfactionem capiebat. Conuictibus & hoſpitali menſæ ſupra modum ſtudebant. Nefas habebatur quenquam domo aut epulis arcuiſſe. Gaudebant muneribus, nec data imputare, aut obligari acceptis. Diem noctemque potando continuare. Temulentia nulli probro data eſt. Crebræ poſt crapulam rixæ, raro conuicijs, cæde ſæpius tranſigebantur. De pace & bello in conuiuijs conſultare, quaſi nullo alio tempore ſimplicius paterent hominum curæ, aut ad res magnas magis incaleſcerent. Gens minime aſtuta, ſimpliciter omnia arcana detegere, poſtridie acta retractabant, ut de ſumma rerum deliberarent, dum fingere neſcirent, decretum uero ferrent, dum errare non poſſent: potus ex hordeo in ſimilitudinem uini corruptus. Proximi fluuiorum accolæ aduectitia uina in uſu habuerunt. Cibus ſimplex, agreſtia poma, recens farina, & lac concretum. Potus immoderatior. Vno ſpectaculorum genere uſi, ut nudi iuuenes inter gladios & frameas ſeſe celeriter expedirent. Exercitatio artem parabat, ars decorem: aleæ adeo ſtudioſi, ut cęteris amiſsis nouiſsimo iactu de libertate contenderent, uictus uoluntariam ſeruitutem adibat, & quanquam iuuenis & robuſtus, ligari ſe & uendi patiebatur. Annum in hyemem uer & æſtatem diuiſum habuere. Autumnum uini & cæterarum frugum inopia neſcientes. In funere lamenta & lachrymas cito abſtergebant, in dolore & triſtitia permanebant diutius, fœminis tantum lugere permiſſum, uiris meminiſſe ſolum, & hi olim fuerunt Germanorum mores, talis uiuendi ritus, quem longo temporum interuallo ut in cæteris gętibus mul-

Virtus bellica.

Cultus corporis.

Optima conſultandi ratio.

Luctus gentis.

A tum mutari contigiſſe crediderim. Sed quæ mutatio ſit facta, ſi ad noſtra uſque tempora proceſſerit huius hiſtoriæ ſeries, ex præſenti ſtatu rerum, qui à nobis ſuo tempore explicabitur, poterit facile cognoſci. Germanici igitur ſanguinis Cimbri & Theutoni, qui cum his ex Hiſpania reuerſis ſocia coniunxerunt arma: quibus Italiæ imminentibus, C. Marius quarto eſt conſul creatus: collega illi datus Q. Luctatius Catulus, homo inter optimates clarus, nec inuiſus multitudini. Marius, quia hoſtes appropinquare dicebantur, ſuperatis alpibus, ad Rhodanum conſedit, grandi commeatu in caſtra comportato, ne alicuius rei inopia cogeretur cum hoſte manum conſerere. Cæterum ut mari quoque aliquanto habilius neceſſaria ſubucherentur, quia Rhodani oſtia ut uadoſa nauigari non poterant, militari opere foſſam nauium capacem, flumine corriuato, ad mare deduxit. Fuit inde rei monumentum, quod ſtagnum & foſſa à Mario deinceps nomen habuere. Hoſtes multitudine freti, iam enim & Ambrones cum his erant, bipertito Italiam ingredi conſtituunt. Cimbri itaque impetu auerſi Noricos petunt. Theutoni & Ambrones, in Romanorum conſpectu uaſtam occupant planitiem, à quibus Romanus conſul prouocatus intra uallum ſeſe tenuit, non niſi occaſione aduerſus tantam uim hoſtium dimicaturus. Oſtentare interim eos ex uallo militibus, ut paulatim terribilem illorum aſpectum uocemque diram, & à latino ſono abhorrentem, diſcerent pati, haud ignarus, ut quædam nouitate ſua terribilia uideri, ita aſſuetudine, quæ uerè terribilia eſſent, miteſcere. Irritari adhęc miles hoſtiũ uocibus contẽptus & cõtumelię plenis, ut iam propemodũ moleſte ferret, q, tandiu prælio abſtineret, ſentire id Marius ſimul & gaudere, cunctandoq; uictoriã meditari. Inſtabat atrox prælium. Roma interim ex Ameria &
B Tuderto allatũ eſt noctu in cœlo uiſas ardentes haſtas, & ſcuta primo errare, mox uelut duas ex aduerſo acies inter ſe cõcurrere, alterã profligatã ad terrã decidiſſe. Barthabaces quoq; magnæ matris ſacerdos ad ſenatũ uenit, deæq; monitu illi uictoriam ſe nunciare dixit, monereq;, ut templũ ipſi deę faciendum decerneret. Eadẽ ad populũ nunciare uolentẽ Aulus Põpeius Tri. ple. ut nanũ fari prohibuit. Theutoni & Ambrones Marij caſtra oppugnare adorti telorũ nube à Ro. repelluntur, qui ne lõgius aſsidendo tererẽt tẽpus, ad Alpes iter intendũt. Inſtructi ſecus Rom. caſtra ſex cõtinuos dies lõgo agmine prętereuntes, cõtemptim à militibus intra uallũ ſeſe tenẽtibus ſciſcitant, an haberẽt quæ uellẽt ſuis uxoribꝰ nunciari, Romã ſe rectà ituros. Hæc illi. Marius, ubi tranſire deſierunt, cõfeſtim motis caſtris extremum agmen tumultuario carpit prælio. Ad Sextias aquas inde uentum eſt, unde breue erat iter ad Alpes. Hic conſul, quia in animo habebat acie cum hoſte conſligere, priuſquam in Italiam tranſcenderetur, ut pugnandi neceſsitatẽ militi imponeret, aliquanto remotius à flumine caſtra locat, loco minime irriguo, quod quũ milites quererentur, ad flumen manum intendẽs, inde (inquit) potus uobis ſanguine emendus eſt. Lixæ igitur & calones ui, ſi prohiberentur, aquaturi, dextra armis inſtructa, altera urnã habentes ad fluuium decurrunt. Hic aliquot hoſtium repente circa amnem oppreſi, qui lauandi ſtudio eò cõceſſerant (erant enim in proximo balnea) continuo tumultum exciuere, ac primi omnium, Ambrones triginta milia numero, iam crapula graues, cæterum ſuperba & inſolenti oſtentatione arma capiunt, nec tamen acies illa cum impetu, aut phanatico procurſu, ſed rhythmico pulſu, & conſonantia quadam armorum, pedumque ferebatur, crebro clamore Ambronis nomẽ clamitantes, dubiũ ut ea ſe uoce inuicem hortarentur, an ut nominis admonitu, terrorẽ Romanis incuterent, quoniam Cœpio &

Stagnum Marianum.

Prodigia.

Phanaticauox

Barbarorum multitudo.

Ambronũ proceſſus in pugnam.

Carbo

Carbo ab his potiſsimum fuiſſent ad Rhodanum uicti. Hæc Plutarchus, cui ſi quis accedat, fateaꝰ oportet, prius Ambrones cum Cimbris militaſſe, quàm illi in Hiſpaniã diuerterint. Autores ferè oẽs quos ſequimur, Cæpionẽ à Cimbris prælio ſuperatũ meminerunt, ut uictorię laus ſit illis tributa quorũ ductu & auſpicijs tum geſta res eſt. Ambronibus primi Ligures ex Romanis caſtris occurrunt, & ipſum genus ferox hominum, prælioq; circa fluuium contracto obruti Ligures (multo enim pauciores erant numero) ab hoſte eſſent, niſi Romani continuo illis auxilio aſſuiſſent, quorum ui Ambrones continuo fuſi fugatiq; ſunt, cædesq; circa ripas ingens edita, & flumen cadaueribus oppletum. Romani diſpalatos hoſtes ad caſtra uſque perſecuti, in nouum certaminis genus inciderunt. Ambronum mulieres ſecuribus & gladijs temere arreptis, mixto agmini ferociter occurrunt, terribili clamore inſtãt, ſuos conuicio inceſſunt, in hoſtes truci aſpectu & fremitu ferarum ritu irruunt. Nonnullæ per uulnera & crebra tela ſeſe expedientes, gladios & ſcuta ex illorũ manibus extorquent, atq; hoc euentu eſt primo die cum hoſte concurſum. Romani, etſi Ambrones late à flumine ad caſtra ecciderant, turbulẽtam tamen & terrorum plenam noctem egerunt, neque enim caſtra multa ope communita erant, multæq; hoſtium myriades adhuc intactæ ſupererant: tumuli, ualles, totaq; planities, flebili minaciq; clamore, per noctem reſultabant, horrendi gemitus exaudiri eorum, qui ex prælio adhuc inter utraque caſtra uagabantur. Timere conſul & cæteri nocturnum hoſtium incurſum, atq; ita futurum arbitrari, ut ſequenti die ad ſuorum cædem uindicandam, in ſe impetum facerent. Sed illi, præter ſpem, inſtructa acie ſequenti die ad noctem ſteterе. Tum Marius locum hoſti imminentem M. Claudium Marcellum noctu capere iubet, atque ibi
B tãdiu in inſidijs ſedere, quoad hoſtes uidiſſet prælio occupatos, tũc eos a tergo cum clamore inuaderet. Data illi ad id negocium tria milia peditum. Cõſti cæteras copias in aciem eduxit. Id Ambrones & ſocij conſpicati, ultionis cupidi, in Romanos nõdum in æquum digreſſos, irruunt, eſtq; ab initio iniquo loco dimicatũ, mox hoſtibus ad ima deturbatis, ibi uelut ex æquo utriq; congreſsi, atrocius prælium ineunt: erantq; in eam dimicationẽ utrinq; erecti animi, cum Marcellus ſubito clamore ex inſidijs exortus, ingentem hoſtibus terrorem & ſtragem intulit, illi uelut in inſidias lapſi, ubi à frõte & à tergo urgeri ſe uident, perculſi adhæc recenti clade, ſoluta acie diffugiunt. Romani ſui uoti cõpotes fugientes paſſim trucidant, totamq; planitiem ſtrage & ruina cõplent. Ad decem & amplius myriades, id eſt, ſupra centum milia hoſtium, aut cæſa eo die, aut capta dicuntur. Liuius ducenta milia cęſa, & nonaginta capta autor eſt, & in his Theutobocum eorum regem, hominẽ eximia magnitudine, & qui quaternos ſenoſq; equos ſolitus erat tranſcendere. Maſſilienſes quod ad magnitudinem cædis attinet, procedente tempore humanorum oſsium congerie uineas munitiſſe dicuntur, terraq; dilutis crebro imbrium caſu cadaueribꝰ humano cruore & adipe macerata in ubertatem & frugum copiam incredibilem reſoluta eſt. Marius magna ui armorũ ad triumphũ delecta, cætera in unum coaceruata circũſtãte exercitu ſubiecta face incendit. Multæ inde fuerunt circa conſulem gratulationes: Quintum illi conſulatum fauore deſtinantium, quem abſenti oblatum, haud multo poſtquàm ad Sextias fuit aquas dimicatum, iniuit. Erãtq; res hac belli parte admodum lætæ, quũ alius recens terror eſt Ro. exortus. Sic enim ſæpe accidit, ſiue fortuna ſit, ſiue aliqua occultior inuidia, quæ nullam in humanis rebus felicitatẽ moleſtiæ expertem eſſe patiatur, aduerſaq; ſecundis miſceat, nemo unquam diu felix fuit. Iam enim Cimbri, qui diuerſi

Marij ſtrategema.

Theutonũ ſtrages.

Quintus Marij conſulatus.

Cimbri.

A à Theutonis & Ambronibus abierant, Alpes tanta uirium oſtentatione tranſcenderant, ut nudi per niuoſa adhuc quibuſdam locis iuga incedẽtes, ubi adderiuia & anfractus mõtium uentum eſt, lata ſcuta corporibus ſubijcientes, uelut tormento aliquo cõtorti, ad imum per lubrica ruerent potius quàm laberentur. Communiuerat interim Catulus caſtra ad Athiſonẽ, ut Plutarchus ſcribit. Liuius Atheſim uocat, ſic enim fluuius dicitur, qui ex Tridẽtinis mõtibus lapſus Veronam interluit, & Florus Liuio aſtipulatur, qui per Tridentinũ ſaltum Cimbros in Italiam deſcẽdiſſe autor eſt. Plutarchus iterum rem in dubium trahit, qui autor eſt, cũ Cimbris haud procul Vercellis dimicatum. Florus in patentiſsimo ait campo concurſum, cui Caudio fuit nomen. Cimbri itaq; fluuiũ ſuperare adorti, tumultu & clamore terribili, arborũ truncos, ualidaq; robora, ad uim aquarum frangendam ripis deuoluunt, tumulos æquãt, complent ualles, multaque huiuſmodi ad hoſtium terrorem moliri. Romani, qui ultra flumen caſtra metati fuerant, animo perculſi, iam apertam meditabantur fugam, quod ubi Catulus animaduertit (iam enim pleriq; caſtris exceſſerant) ne maiorem aliquam cladem exercitus adiret, caſtello, quod circa flumen communiuerant, armis & commeatu firmato in tutum caſtra tranſtulit. Milites, qui ad præſidiũ relicti fuerant, à Barbaris omnia late obtinentibus ſub fide publica & gentilitio chirographo in quo æneus erat taurus, incolumes dimiſsi ſunt. Erat tum Romæ Martius, poſt Theutonicam uictoriã ad triumphũ accerſitus, nec enim Cimbri tã cito affuerant. Is hoſtium aduentu audito, confeſtim ad Catulum iam proconſulem reuerſus milites ex Gallia recepit. Mirari interea Cimbri quid eſſet quòd Theutoni nondum in Italiam deſcẽdiſſent, omnium, quæ ad Sextias aquas facta erant, adhuc ignari, aut certe ea ſe neſcire ſimulabant. Eorum legati, qui ad Mariũ uenerũt placidè ſibi & Theutonis cognatis ſuis, terram aſsignari petebant, eam habituri, quam Ro. datam uellent. Ad ea Marius ſubridẽs, mittite (inquit) uos Cimbri hanc de Theutonis curã, habent illi terram quam tantopere optabant, habituriq; ſunt ſemper, inde eius gẽtis Regulos uinctos in mediũ produci iuſsit, ex quibus cognita ſuorũ clade legati hoſtiũ mœſti in caſtra abierũt. Nec ita multo pòſt Byorix Cimbrorum rex, citato agmine, ad Romana caſtra contẽdit, Mariumq; omnia ad uſum belli circũſpectantem ad pugnam prouocat, cui Marius, Romanorum (inquit) mos eſt ſuo, nõ hoſtium arbitrio dimicare. Paucis diebus uelut ex compoſito, eſt utrinq; in aciem deſcenſum. Erãt in Romanis caſtris duo & quinquaginta milia peditum. Marius ſuos in cornibus locauit, Catulus mediam aciẽ tenuit. Conſul pugnam initurus uota ſuſcepit. Ad primum concurſum tam denſus eſt puluis in nubem elatus, ut adempto rerum omnium conſpectu, haud intelligi poſſet quid hac aut illa parte gereretur. Sylla ui prælio interfuit, hoſtes à Catulo in medio multa ui fractos ſcripſit, ac cæde diſiectos, ſed Sylla Marij ex cõfeſſo inimicus. Præcipua eius pugnæ laus, quod ſatis conſtat, penes Marium poſtea fuit, reſq; eius conſilio adiuta, quod ita acie concurrerit, ut à tergo Ro. haberent Solem, contrà Cimbrorum oculi ſideris fulgore perculſi parum aut nihil cernerent quid facto opus eſſet, quę res ab initio reddidit hoſtibus pugnam difficiliorem. His incommodis, & quòd gẽs ipſa ſua natura magis erat frigoris quàm caloris patiens, manante totis corporibus ſudore, magno cum anhelitu ſcutis ora obregebant. Pugnatum eſt ad tertium calendas Auguſti, quo tempore uehementiſsimi ſentiuntur æſtus. Maiore itaque hoſtiũ parte cæſa, fuga retro ad caſtra inclinauit. Ibi multi à mulieribus fugam & dedecus auerſantibus ferro obtruncantur. Quæ curribus ſtantes, ubi nihil

Qua Cimbri in Italiam irruperunt.

Aeneus taurus Cimbrorum ſignum.

Anceps pugna

Cimbrorum cædes.

æ qui ab hoste impetrari posse apparuit, nam quæ- A
dam id publicè à consule petierunt, parentes, natos, & omnem imbellem turbam neci dedūt, inde in se ipsas sæuientes, aliæ ferro aut restibus, quędam etiā ex suis capillis laqueo facto, arboribꝰ & curribus suspensæ, uitā finierunt, nonnullæ bobus stimulo agitatis ex illorum cornibus laqueo pependerunt. Sic
Cæsorum numerus. quoq; supra sexaginta milia capta dicuntur, bis totidē & amplius cæsa. Pecunias Marij milites diripuere. Spolia, tubę & cętera insignia, in castra Catuli delata sunt, orta inter Marij & Catuli milites contētione, utrorū opera esset uictoria quæsita, etsi Parmensium legatorum iudicio Catuli militibus ea laus dabatur, quia plura pila Barbarorum corporibus infixa essent, quibus Catuli erat nomen, quàm Marij inscriptum, fama tamen & decus omne, ob prioré uictoriam & Catuli fugam, Mario tribuebatur. Po. Ro. eū tertium conditorem urbis appellauit, quòd non minori discrimine tū Roma seruata esset quàm quum Senones sunt à Furio Camillo ex urbe eiecti. Læti itaq; ciues, cum uxoribus & liberis, dijs domesticis,
Marij triumphus. & Mario libabāt. Ipse etsi uterq; sibi uni triumphus decernebatur, cum collega tamen triumphare maluit, militum inuidiam ueritus, qui sub Catulo militarant. Insignis hęc uictoria, eo die, quo fuit dimicatum, Romæ nunciata est. Iuuenes duo laureati, pro ædę Castoris, prætori de eadem re literas reddidisse dicuntur, rumorq; frequēs Cimbricæ uictoriæ peruasit populum, tum forte in cauea spectātem. Et cū Theutonis, Cimbris, & Ambronibus hoc maxime euentu, C. Marij ductu & auspicijs triplici est prælio debellatum. Fuerūt ea tempestate uiri ingenio clari apud Romanos Turpilius comicus, qui admodum
Turpilius. senex Cimbricis temporibus Sinuessæ perijt. Lucilius Aurūcus, qui primus apud nos Satyram scripsit,
Lucilius. cuius q; interitus in hæc quoq; tempora incidit, anno sexto & nonagesimo uitæ Neapoli perijt, publice ibi funeratus. M. Furius Bibaculus poēta, sub id
Bibaculus. tempus Cremonæ ortus est. Natus & Romæ Hortensius orator sua ætate insignis, ac Ciceronis æmulus. In hæc quoq; tempora Eusebius reijcit, quæ de Ptolemæo Lathiro & Cleopatra eius matre, quæ illum in exilium egit, Trogum & Liuium secutus, superius scripsi. Et in Iudæa Aristobolus Iudæorū primus, postquam ex Babylone in Iudæā est remigratū, regiū diadema tulit, matre, cū qua aliquandiu de regni administratione simultas fuit, custodiri iussa, atq; in media consumpta. Antigonum fratrem, officij causā ad se uenientem ratus ad cędem uenire, interfecit. Nec ipse multo pòst in turri Stratonis, ubi fratrem occiderat, morbo perijt, nō dum anno eius circūacto. Timagenes in historia Aristobolum moderatum fuisse regem scripsit, ualdeq; Iudæis utilem: quippe qui & opes gētis, & ritum domi forisq; amplisset, Itureorum parte circūcisioni admota, & Iosephus aliena fraude potius quàm regis cōsilio, Antigonum interfectum arbitratus est. Post Aristoboli interitum Alexander eius frater, qui & Ianneus dictus est, Alexandra Aristoboli coniuge adnitēte rex
Oraculum. constituitur. Ferunt Hircanum patrem monitū oraculo, quum adhuc in humanis esset, fore, ut Alexander in Iudæa aliquando regnaret, quod ille ægre ferēs (erat enim puer in Galilæa natus) pene abdicatum destituit. Sed fatalis necessitas mutari non potuit. Diademate recepto Iudaicæ rei ampliandę cupidus, Ptolemaidem Syriæ urbē bello aggreditur. Hæc & Gaza adhuc in Syrorum regū potestate erāt.
Antiochus Cyricœnus. Disceptabant per id tempus armis duo inter se fratres, ut supra est significatū, Antiochus Philometor & Cyricœnus ex Cleopatra & duobꝰ fratribus, quibus illa nupserat, ambo geniti. Ea temporū occasione Ianneus fretus Ptolemaidas prælio uictos, atque intra mœnia cōiectos, graui obsidione fatigabat. Hi desperato Antiochi & Cyricœni auxilio, ob domesticam discordiā, qua illi plures annos impliciti suas
Ptolemaidarū anceps cōsiliū. inuicem opes afflixere, ad Ptolemæum Lathirū mittunt, qui à Cleopatra matre pulsus, tum Cyprū obtinebat. Nec ille multo pòst trāsmisit in Syriam, cum triginta milibus equitum, peditumq;, spe adductus Ptolemaidis sibi, per occasionem, subijciendę. Verū priusquam in terram appelleret ex urbe legatos obuios habuit, publico nomine nunciantes, ne Ptolemaidem copias admoueret, quando ciuitas recens decretū tulisset, Lathiri auxilijs nolle uti. Mutati cōsilij autor fuerat Demetrius, orator tum clarus in ea urbe. Is monstrato periculo, quod à Cleopatra Ptolemęi matre uniuersæ ciuitati immineret, si eum intra mœnia accepissent (iam enim cōstans fama erat exercitum ab ea in filium comparari) adeò suorū popularium animos circūegit, ut continuo implorati auxilij pœnitētia ceperit. Expo suit nihilo secius ille copias in littus, Gazeis & Zoilo tyrāno ipsius opem aduersus Iudæos implorantibus, qui Alexandri ductu, suos fines hostiliter uastarent. Parte igitur una exercitus ad Ptolemaidem obsidendā relicta, cū reliquo exercitu Iudæam irrupit, primoq; impetu Afcharon Galilææ urbem, sabbatorū die cepit. Alexander nouo bello perculsus, tumultuario delectu, ad quinquaginta milia hominū contraxit. Fuerunt qui octoginta scriberēt. Nec multis inde interiectis diebus, ad Iordanem amnem acie cum hoste cōgressus, pergraue iniecit Lathiro negociū. Primo paribus est animis concursum, fuitq; cruentum utrinq; prælium. Ad postremum Iudæi uicti stratiq; sunt totis cāpis. Triginta milia hominum eo die desiderata sunt. Timagenes quinquaginta milia prodidit. Qui cędi superfuerunt ad unum ferme capti sunt, pauci admodum ex tā numeroso nuper exercitu funestæ illius cladis nuncij domum abierunt. Ptolemæus Iudææ uicos uillasq; peruagatus, mulieribus & pueris passim interfectis, humana mēbra ahenis iussit elixari: B
sed ad terrorem potius id dirū facinus editum, q̄ ad usum crediderim, uelut cū eo hoste Iudæis res esset, qui ne à mortuis quidem hostibus abstineret. Cepit & Ptolemaidē Lathirus haud multo pòst. Quibus fi lij succesibus cōmota Cleopatra, terrestrē nauales q; in Lathirum instruit exercitū. Tentauit ille interim occultè Ægyptū ingredi, quod quū longe aliter euenisset, cum omnibus copijs Gazā in hyberna cōcessit. Et Cleopatra Ptolemaide potita est, & cū Alexādro, Ananiæ arbitrio, quo militię magistro utebatur (erat is Iudaici sanguinis) societatē iunxit. Reginæ amicitia fretus Alexāder, cum nouo exercitu domo egressus Gadara, in inferiore Syria, expugnauit & Amathunta, profugium omnium supra Iordanē habitātiū, quibus locis Theodori incursu, qui prouinciæ præsidebat, ad decē milia militū, & impedimēta Alexander amisit. Cæterū nihil clade illa territus, secus mare ducens, Raphiā & Anthidonam, quam postea Agrippiadem uocauit Herodes ui cepit. Ptolemęus *Ptolemæi reditus in Cyprū.*
in Cyprum abierat, quo ex Syria pulso, Cleopatra & ipsa in Ægyptum se recepit. Eam Alexander nactus occasionem, Gazeos, qui Ptolemæum ad Iudaicum bellum concitauerant, obsidione cingit, multaq; interim citro ultroq; clades illatæ & acceptę, donec anno ferè peracto, Lysimachi, p ditione, qui Apollodoro fratri Gazeorum duci præsentem gloriam inuidebat, urbs capta est. Iudæis in cædem discurrentibus Gazei, obstinatis ad mortem animis, diu multumq; restitere, quoad perditis rebus, incensis domibus, liberisq; & uxoribus interfectis, alij alia ui plures tamen ferro, ne Iudæis seruirent, sibi mortem consciuerunt. Quingenti numero ex nobilioribus qui in templum Apollinis confugerant, inde abstracti, ad unum iugulati sunt. Vrbs incendio absumpta ac dirura est. Per id tēpus Antiochus, cognomento Gryphus perijt Heracliani insidijs, cuius filius Seleucus rex appellatus, Cyricœnū patris sui fratrem, *Gryphi & Cyricœni interitus.*
& diutur-

& diuturnū hostem, prælio uictum interfecit. Mox A
Cyricœni filius Antiochus cū Seleuco confligit, eūq; exercitu exutum regno expulit, qui in Ciliciam profectus, quū ibi ab Mopsuestanis, ad quos profugus uenerat, acerbè nimis tributum exigeret, subita populi defectione, cū regia domo & amicis, est cōcremat⁹. Nec diu postea Antiochus Cyricœni regni cōpos fuit, qui ab Antiocho Seleuci fratre uictus mortem occubuit (difficile dictu est quanta per id tempus discordia Syrorum regum progenię ceperit) Antiocho, qui Gryphi fuit filius, & Seleuci frater, duo superstites Cyricœni filij, Philippus & Demetri⁹ appellationē & regia insignia adepti, pro uno duo sunt hostes nati, fuisset fortasis par ille ambob⁹, nisi Laodicæ Gameorū regine precib⁹ aduersus Parthos, ut socius & amic⁹ accersitus, eo bello fortiter dimicās interijsset, quo factū ut Demetrius & Philippus fratres, Cyricœno geniti, tota sint Syria poriti. Sed hæc aliquanto postea facta sunt. Alexāder post Gazeum
Sedition Iudæorum. excidium, in domesticū incidit discrimen. Iudæi tumultuose templum ingressi, sacris eū arcere conati sunt, negātes rei diuinæ interesse oportere eum, qui captiua ferua in Galilæa esset natus, qua ille contumelia irritatus sex milia ciuiū Scenopegiorū die interemit. Adiecit & ligneum parietem templo, quo prophanū uulgus à sacerdotibus distingueretur. Vicit inde Moabitas & Galaaditidas, uictosq; tributarios fecit. Expugnauit & Amathunta Theodoro nihil cōrra tēdere ausō. Bello mox inter ipsum & Abida Arabum regem orto, in Galaaditide prolapsus in insidias Hierosolymam multo omnibus inuisior rediit. Fuit mox illi duplex pugna infelix quā ad eam diem cum multa suorum strage depugnauerat, tantæ apud Iudæos inuidiæ, ut sex cōtinuos annos domesticis sit armis oppugnatus. Demum eo rogante quid uellent se facere, omnes ad unum respōderunt moriendum esse. Iosephus autor est quinquaginta B
Alexandri seditio. milia hominū ab eo pluribus prælijs occisa. Postremo Alexander Demetrio Cyricœni filio ab ijs, qui in se arma induerāt, in auxilium accersito, cum magno exercitu ad Sycimam castra fecit. Hic cū Demetrio in aciem descēdit, uictusq; tribus equitum milibus & quadraginta peditum amisis, in montium deuia refugit. Nec ita multo pòst reparato exercitu ex multitudine eorum, qui ad eū confugerant, satis ad uim arcendam instructus uidebatur, quum Demetrius Iudæa excesit. Tū uero solutus externo bello, confestim Iudęos rebelles adortus, atque acie uictos, in Bethone urbe obsidione fatigauit, redactosque in potestatem extremo affecit supplicio, liberis, uxoribus antea in eorum conspectu crudeliter necatis, qua fœuitia multo maiora in eum exarserunt odia, quibus quum impar futurus esset, præsertim quòd externa arma ad id bellum ex Arabia acciri dicerentur, Galaaditidē terram & Moabitidē, cū omnibus uicis Arabum regi se daturum pollicitus est, ne Iudæos, qui toties in se arma induerant, auxilijs iuuaret. Ea res ita fregit rebelles, ut quinq; milia hominū sibi uoluntarium consciuerint exilium. Atq; ita Alexander domestico bello solutus reliquū uitæ feliciter & ociose egit. Sed dum in Iudæa hæc gesta sunt, Demetrius cognomento Ceraunius (fuit hic Cyricœni filius) Philippum fratrem in Berœa hostili obsidione fatigauit. Straton Berœę tyrannus Philippo fauebat. Affuit & Tincus Arabum princeps illi auxilio. & mox paulo Mithridates Parthorū præfectus, quibus hostium auxilijs Demetriani milites ad tantam sunt rerum omnium inopiam redacti, ut spe uenię coacti sint Demetrium Mithridati tradere, nec traditum Parthus interemit, sed in summo apud se honore habuit. Philippus non solum est obsidione solutus, uerū fratre alieni iuris facto, totius est Syrię regnum cōsecutus. Sed dum res Syriæ & Iudææ in hoc motu erant, Romæ interea P. Malleolus maternæ cędis reus, primus omnium, ut Liuius scribit, in- *Malleoli cæleus.*
sutus culeo in mare deiectus est. Cæterū Dionysius autor est, M. Attilium duumuirū Sibyllinorū librorum, quia eos temere transcribēdos priuato homini dedisset, impie fecisse iudicatū, bubulo corio insutū, atq; in mare Tarquinij iussu proiectum. Secuta inde *Saturninus.*
& alia ciuilis discordia. Gn. Apuleius Saturninus à Q. Cecilio Metello censore senatu eiectus, iniuriam ulturus, tribunatum summo studio petijt. In qua petitione Nouium siue Numium, ut Liuius ait, competitorē, quòd ab eo comitialib⁹ diebus publice esset criminibus lacessitus, iam tribunum creatum, atq; è campo se domum recipiētem, ficariorum manu in eum immissa, interfecit. Ipse statim Glaucia prętore *Numij cædes.*
adnitente (is enim tribunitijs prętat comitijs) tribunus relatus est, & ob eā rem, Nouij cæde suppressa, legem promulgauit, ut omnis Gallaciæ ager qui Gallorū fuerat, populo diuideretur, statuitq; diem senatui, quo in eam legē iuraret, irrogata uiginti talentorum pœna ijs, qui eam non probarent, & ut senatu submouerētur. Lex multo certamine primum lata, inde quum in eā iurare senatus cœpisset, C. Mario sextum consule ad id totum senatum adigente, Metellus iusiurandum recusauit. Cæterum quū legi contradiceret, eam dictitans non esse legem, quæ tonante Ioue cōtra patrium morē lata esset, Apuleius lictore ad eū misso, curia educi iussit, inde ad populum latū ut igni & aqua Metello interdiceretur, nisi *Metello aqua & igni interdicitur.*
in legem iuraret, dies una ad id cōstituta illi est, qua exacta, quū in ꝓposito perstaret, posset q; in urbe armis disceptare, patria excedere maluit, quàm illā in certaminis alicuius discrimen adducere. Eo in exilium acto Apuleius tertio est tribunus refectus. Secuta est inde recentior cædes, Glaucias & Apuleius, *Memmij cædes*
quum Memmium tribunum fieri uiderent, haud dubie diuersarum partium, in cōspectu populi per homines suæ factionis peremerunt. Populus horū flagitiū detestatus in eos impetū fecit, quo metu perculsi, cum magna agrestium manu, quæ legi fauebat & C. Saphinio Censore, Capitolium inuadūt. Senatus eos interficiendos cēsuit. Marius ea re turbatus iam plures armis instruxerat, cæterum eo segnius arma expediēte (fauebat enim haud dubie damnatorum causæ) qui ad cædē discurrerant, aquarū fistulas quę in Capitoliū confluebant incidunt. Tum Saphinius *Capitolium incenditur.*
desperatione actus, templum incēdit. Dedunt inde sese, siri adacti, Marij opibus confisi, quos cōsul in curia inclusit uelut rem lege executurus. Cæterū agresti hominū manu metu dissecta Saphinius Glaucias & Apuleius in senatu obtruncantur. Censore igitur, prętore, & tribuno in hunc modum interfectis, clamore populus significauit Metellū ab exilio reuocādum, cuius uolūtati P. Furius trib. ple. adeò pertinaciter obstitit, ut ne Metelli quidē filij lachrymæ pię- *Metelli pietas.*
ue preces, multa & suppliciter pro patre precantes, flectere potuerint. Ipse adolescēs ob id pietatis officium, iam inde Pij cognomen tulit. Furius sequenti anno in iudiciū uocatus, quòd tātę pietati nō cessisset, pro cōcione à populo discerptus est. Metellus ab exilio reuocatus, in amplectendis ciuibus obuiā effusis diem consumpsit. Per id tempus M. Aquilius, qui seruile bellum in Sicilia confecit, repetundarum accusatus, quū causam diceret M. Antonius orator, qui illi aderat, tunica ab eius pectore discissa, plurimas cicatrices aduerso pectore, & ob id honestissime acceptas, iudicibus ostēdit, quibus inspectis cōtinuo est populi suffragio absolutus. In Hispania Didius proconsul in Celtiberos prospere bellauit. Perijt eodem tempore Ptolemęus Cyrenarum rex, cui Apioni cognomen fuit. Populus Romanus hæres *Cyrenæ fiunt Ro. Po.*
ab eo relictus Cyrenas & cæteras eius regni urbes liberas esse iussit. Trogus in prouincię formam tum primum redactam Cyrenaicam regionem autor est. Rutilius quoque uir singularis innocentiæ equestri ordini

ordini inuisus, quia Asiam prouinciam ab illorū aua A
ritia tueretur, repetundarum hoc tempore postula-
tus in exilium agitur. C. Geminius prætor aduersus
Thraces, hac quoque tempestate, infeliciter dimica-
uit. Isque tunc erat ciuitatis status, quum sociale bel
lum ex pluribus Italię populis est Romanis ortum.
Origo socialis belli. Id principio ciuilem discordiam sustulit, exitu mul-
to grauiorem excitauit. Belli huius origo ex consu-
latu Fulvij Flacci aliquot antè annos gesto, haud du-
biè extitit, qui omniū primus palam agitauit, ut Ita-
li in ciuitatem assumerentur, fierentq; dignitatum
participes. Cæterum eo cum C. Graccho interfecto,
Italiæ ciuitates ratæ sua causa tales uiros periclita-
tos, eorum cædem molestissime tulerunt. Mox Li-
uius Drusus trib. plebis pollicitus de eadem re sa-
lem promulgaturū, domi, incerto autore, ictus con
cidit, quum in sua porticu ius diceret, esset; multi-
tudinem dimissurus. Sutorius culter repertus est fe
mori affixus. Post Drusi interitum quum Itali peio-
ra in dies multoq; iniquiora meruerēt, nec spes me-
lioris status interim ulla adesset, plures uno tępore
Populi à Romanis defecerunt. Hi primo fœdere in-
ter se occultè icto, mutuis obsidib⁹ datis & acceptis
fidem sanciunt. Erat tum Seruilius proconsul in Pi-
ceno agro. Ad hunc res primo est indicio delata, qui
Seruilij procō sulis cædes. cum Asculum temere occurrisset, ibi publice interfi-
citur. Mox post illum & Fōteius legatus. Postremo
& in alia Romanorum capita libere est cædes euaga
ta. Ad hunc Asculanorū motum, uelut ad signum ali
quod bellicum Marsi, Peligni, Vestini, Marucini, Pi-
centes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venusini, Ia-
piges, Lucani, Samnites, & quicunque ultra Lirim
incolunt, consternati ad arma concurrunt, collatisq;
in unum uiribus equitum peditumque centum mi-
lia ad bellum, communi nomine instruunt. Erant tū
Consules. Romæ consules Sextus Iulius Cæsar, & P. Rutilius
Lupus. His per partes bellum gerendum decerni- B
tur, ita ut uterq; plures sub se fortes haberet uiros, p
quos bellum administraret. Rutilio dati sunt Pom-
Romani duces. peius Strabo, qui fuit magni Pompeij pater. Q. Cæ-
pio, Perpenna, C. Marius, & Valerius Messala. Sexto
Iulio, Cæsar consulis frater, T. Didius, Licinius Cras
sus, & Cornelius Sylla. Hostium duces, etsi singuli
populi singulos dederunt, primi tamen omnium pe
Hostium duces nes quos fuit totius rei summa, fuerunt T. Afranius,
C. Pompilius, Marius Egnatius, Q. Pompedius, G.
Papius, Vectius Cato, M. Lamponius, C. Iudacilius,
Erius Asinius. Hi quoque partiti inter se copias, alij
aduersus alios Romanos steterē, uarium quidem &
multiplex bellum, uarioque fortunæ euentu depu-
gnatum. Primus omnium ab initio Sextus Iulius
consul à Vectio Catone acie uictus, duobus milibus
in prælio amissis, in Eserniam est cōpulsus, quę urbs
adhuc in fide Populi Romani erat: L. Scipio, & L.
Aulius seruorū ueste amicti sese hostibus subtraxe-
runt. Cæteri longa obsidione & fame fessi in hostiū
Socialiū par tium successus. potestatē uenere. Marius interim Egnatius, Vena-
fro proditione occupato, duas Romanorum cohor-
tes quæ eo præsidij causa uenerāt interfecit, & quē-
admodū accidere solet, ut clades multę quum sæui-
re cœpit fortuna una post aliam sequātur, Perpenna
ab eodem Egnatio fusus ac fugatus est, ad quatuor
milia Romanorum militum desiderata, & ob eam
rem dux ipse dignitate priuatus à Rutilio consule.
Lampodius ex ijs, qui cum Licinio Crasso erant, o-
ctingentos occidit, quo tempore & Papius Nolam
proditione cepit. Erant tum Nolæ ad duo milia Ro
manorum, quorum si qui hostium commilitium re-
cusarunt, in carcere necati sunt. Castabulos inde Pa-
pius & Salernum Romanam coloniam cepit. Nu-
ceriæ deinceps finitima adortus, omnia igni & fœ-
da populatione uastauit, auctoque per hos successus
exercitu ad Acerras Papius castra posuit. Cū Sexto
Iulio Celtæ milites erant, Numidæque & Mauritij,

his Oxintham Iugurthæ filium, qui Venusiæ custo- *Oxinthas Iu gurthæ filius.*
diebatur, purpura amictum, quum spius Papius in
conspectum dedisset, ut eorum nōnulli uelut ad re-
gem transfugerint, effecit. Eratque iam & cæteror-
um fides suspecta, ob eamque rem consul Barba-
ros in Lybiam dimisit. Nec ita multo pòst Papius Iu
lij castra adortus, temere uallum subierat, quū con-
sul subita eruptione hostem perculit, perculsum cū
multa cæde & strage fugauit. Ad sex milia hostium
ibi cæsa dicuntur. Erant interea Rutilius consul, &
C. Marius circa Lirim fluuium, & ut facilior illis es-
set in hosticum transmissus, duo erant pontes fluuio
impositi. Vetidius, qui his occurrerat, tametsi non
procul à Marij ponte metatus fuerat castra, in Ruti- *Rutilij consu lis interitus.*
lij tamen copias ex improuiso impetum fecit, ac ple
rosque subito accessu inter arida oppressit, multo ta
men plures in fluuium præcipitati sunt. Consul eo
prælio sagitta saucius, paucis diebus expirauit. Ma-
rius ex scutis & cadaueribus fluitantibus suorū cla-
dem coniectans, haud cunctandum ratus hostium
castra occupat, quo contigit ut Vetidius castris exu
tus procul inde copias abduxerit. Consulis corpus
& aliorum nobilium, qui eo prælio occubuerant, Ro
mam delata, ingentem ciuitati luctum præbuere.
Vetuit tamen senatus publice funerari, ne id specta-
culum ciuium oculis admotum, militaris ætatis a-
nimos frangeret, quod in Romanis mox hostes imi
tati dicuntur. Erat interim Cœpioni P. Pompedius *Pōpedij fraus.*
oppositus. Is capiendi hostis gratia huiusmodi est
consilio usus. Duos impuberes seruos, liberali in-
dole, purpuraque ornatos, secum pro filijs ad ho-
stes traxit, obtulitque plumbi massas auro & argen-
to oblitas, atque tum ibi, hæc, inquit Cœpio, cum
filijs certum meæ fidei pignus habeto, tu me sequę-
re, nam in fidem Romanorum rediturus, constitui
non sine magno merito redire. Castra, quibus præ-
fui, & totum exercitum, uno tempore, in tuam po-
testatem redigam. Cæterum maturato opus est, ne
qui in castris sunt meam absentiam suspectam ha-
bere incipiant. Cœpio hostem pro transfuga secu-
tus, in insidias que precipitatus, cum multis interce-
ptus perijt. Qui ex ea clade fuga seruati sunt. C. Ma-
rio patrum decreto parere sunt iussi. Sextus Cæsar
& ipse parum prospere rem gessit, qui in uallē quan
dam ab Egnatio perdifficilem compulsus, in mor-
bum incidit, inde quum lectica ad proximum am-
nem ueheretur, ut exercitum in tutum transmitte-
ret, hostis transeuntem adortus, præcipuam copia-
rum partem afflixit, cæteri fuga dilapsi, nā ad quin-
que & triginta milia numero fuere, ad Acerras cum
ipso duce, consederunt: obsidebantur à Papio iam-
dudum Acerrani. Interim Cornelius Sylla & Marius
Marsos per implexa uitibus loca compulsos, ad sex
milia interfecerunt, uictoria etsi non adeò memora- *Marsorum ca des.*
bili, quia hostis locorum iniquitate sit potius q̄ uiri-
bus uictus, nihilo secius est ob eam rem de Marsis
triumphatū, quum ad id tempus nemo de his triū-
phum egisset. Gnæus Pompeius à Iudacilio & Affra
nio hostium ducibus prælio uictus Firmium se trę-
pide recepit, hærebantq; Romanis hostes, ut res ab
obsidione haud procul abesset, quum Sulpitius à ter
go illos ex improuiso adortus, igni castris iniecto,
in fugam auertit. Duces exuti castris Asculum fu-
gam intendunt. Affranius in fuga interfectus est.
Pompeius Firmio profectus Asculum obsedit, quo *Romanorum successus.*
Iudacilius cum octo cohortibus suppetias laturus,
occulte sese insinuauit, ut eruptione ex oppido fa-
cta, ipse hostes à tergo inuaderet, pariq; exem-
plo caperet quo ipse ad Firmium haud multo antea
fuerat captus, fecissetque se Iudacilius uoti com-
potem, si oppidani mandata executi essent. Cæte-
rum illis siue metu, siue quia fides labare cœpis-
set, tardantibus, per medios hostes in urbem eua-
sit, exprobrataque suis popularibus aut perfidia, aut
imbellia,

imbellia, interfectisque ijs quorum culpa eruptio A
nulla fuerat secuta, ipse pyra in templo instructa, ibi-
demque laute epulatus, ueneni poculum inferri ius
Iudacilij exi tus. sit. Atque ita ille pro patria, ubi spes omnis illius tu-
endæ, adempta est, pulchre mortem occubuit, sed
multo pulchrius periturus, si media acie fortiter di-
micans cecidisset. Sextus Cæsar procōsul (iam enim
primus socialis belli annus exierat) cum uiginti mi-
libus hostium prælio cōgressus ad octo milia ex his
occidioni dedit. Senatus, quia fama erat Tyrrhenos
& Vmbros defectionis consilia agitare, reputans se-
cum quanta esset moles belli subeūda, si reliqua Ita-
lia à suo imperio defecisset, ut sociorum animi be-
neficio aliquo occuparentur, censuit quòd quicun-
que Italorum adhuc in fide essent uno tempore ciui-
tate donarentur. Populus id sciuit, ualuitque ea res
non solum ad cæteros in fide continendos, sed qui
iam antea defecerant, spe eius muneris demerendi,
aliquanto sunt pacatiores facti. Ii qui tum primum
sunt in ciuitatē allecti, ne numero in suffragijs præ-
ualeret, decimati, & in cēturias redacti, ultimo sunt
loco ascripti. Cęterum, quum nouissime suffragium
Fraus Rom. in suffragijs. ferret, ea suffragatio nullius fuit momēti: quæ fraus
aliquanto postea animaduersa, noui motus prębuit
causam. Italiæ populi hostes, qui ad Ionium incole-
bant, quum de Vmbrorum pœnitentia nihil adhuc
resciuissent, quindecim uirorum milia in Vmbriam
miserant, quibus Gn. Pompeius cōsul ex improuiso
occurrens, tertiam eorum partem ferro confecit, re-
liqui mōtibus dispalati, quum hyberno tempore se
domum reciperent, frigore & inedia maiore sunt ex
Consules. parte consumpti. Eadē hyeme Porcius Cato in Mar-
sis interfectus est, erat is cōsul hoc anno cum Gnæo
Pompeio, à quo Ionij accolæ cæsi sunt, qui in Vm-
briam intenderant. Et L. Sylla in Pōpeijs montibus
cum Cluentio hostiū duce bis conflixit, priore præ- B
lio uictus, mox populatoribus ex proximo receptis
superior Romanus fuit. Confluentibus inde ad ho-
stem Galatis, Cluentius audacior factus, pugnā po-
scere, ibi ex auxiliaribus Galatis unus amicū agmen
cursu præuectus, ex Romanis aliquem prouocabat.
Huic Mauritius statura breuis ex aduerso inuectus
primo congressu prostrauit hostem. Viderunt Bar-
bari popularem suum cadentem, eiusque casu per-
culsi, in fugā uertuntur, ibi confusis ordinibus haud
amplius constitit Cluentio acies: Nolam uersus fu-
gam inclinauit. Syllani hostem euestigiò secuti pas-
Ingēs hostium cædes. sim uias & agros cadaueribus complent triginta mi
lia in fuga cæsa dicuntur, qui cædi super fuerunt nu-
mero uiginti milia à Nolanis excluſi mœnib⁹, ne ho-
stes secum in urbem traherent, ad unū in sociorum
conspectu ferro dediti sunt. Nolam inde quum op-
pugnari cœpta esset, magis metu, quàm uoluntate
dediram, militibus diripiendam præbuit Sylla. Se-
cundum hanc uictoriam plerique hostium imperiū
recepere, & Hirpini armis subacti sunt. Samnium
mox Sylla occultè ingressus, Emotilum ducem in-
opinato accessu castris & exercitu exuit, suntque &
aliquot deinceps oppida ex hoste capta. Et hęc à Syl
la æstate una feliciter gesta, quę tertia fuit ab ea, qua
fuerat sociale bellum initum. Gn. Pompeius in Mar
sos, Marucinos, & Vestinos, parū memorabili euen-
tu bellauit. Cosconius & ipse Romanorum prætor
ad Canusium cum Samnitibus cruento prælio dimi
cauit. Cæterum afflictarum uirium conscius Cānas
uicum cōcessit. Eò Trebatius Samnitium dux secu-
tus Cosconiū conditione ad prælium inuitat, ut aut
ipse Aufidum amnem transcenderet, secum acie cō-
flicturus, aut sibi in prælium ituro ripa cederet. Id
Romanus se libentius facturum respondit, paulu-
lumque à ripa recedens, trāsgressum hostem, prius-
Recentior ho stium cædes. quam aciem explicaret, aggreditur. Tum uero cędes
ingens hostiū edita quindecim milia ferro circa flu-
uium cōsumpta, cæteri cum Trebatio Canusiū fuga

abierunt. Cosconius insigni uictoria clarior factus, A
Larinatem Vestinum, & Asculanum agrum popula
tur. Peduceos biduo subegit. Cęcilius Metellus qui
Cosconio successit, Iapigas armis domuit. Interim
Pompedius hostium dux fato perijt, post cuius in-
teritū, si qui adhuc in armis erant, per partes ad Me-
tellum uenerunt. Et hæc quidem sociali bello gesta,
quo contigit, ut tota Italia Lucanis dūtaxat & Sam
nitibus exceptis, qui & ipsi hoc quoque aliquanto
sunt postea consecuti, in Romanæ ciuitatis corpus
concesserit. Id bellum quod Pop. Rom. contra plu-
res populos uno tempore gesit, ueteres scriptores
nunc sociale, nunc Marsicum uocāt, credo quia tum
primum de Marsis sit triumphatum, aut certe quia
sub Asculanum motum primi omniū Marsi ex pro-
fesso sunt hostes facti. Fuit annus ille quo ita bella-
ri cœptum est, quinquagesimus ac sexcentesimus
Romanæ urbis, estque in quintum annum protra-
ctum, quo L. Cornelius Sylla, & Q. Pompeius sunt
consules creati.

ENNEADIS VI. LIBER III.

VCIO Cornelio Sylla, & Q. Pom-
peio consulibus, bellum est Mithri-
dati Pontico illatum, cum nullo un-
quam regum diutius, magisque ua-
rie Po. Rom. prius aut postea bella-
uit. Cęterum priusquam ad res bel-
licas referēdas fiat accessus, Mithridatis ortus & in- *Mithridates.*
crementa, ac belli causæ à nobis explicabuntur. Fuit
is illius Mithridatis filius, qui rem Romanam iuuit
bello, quod aduersus Aristonicum post Attali inte-
ritum est in Asia gestum, fuitque sextus à primo Mi-
thridate, qui regio Persarum genere post Alexandri
obitum, Antigono hęsit. Is quum rex esset, per quie-
tem sibi uisus est aurū ferere, quod Mithridates me-
teret, ac quum eo demesso in Pontum abiret: uoluit
ob id insomnium Antigonus hominem interficere,
sed siue Demetrij precibus ut quidā tradunt, ille ser- *Mithridates*
uatus sit, siue quia fatalis necessitas mutari non po- *seruatus.*
tuit, cum sex equitibus in Cappadociā aufugit, ubi
loco ab initio munito alijs super alios ad eū conflu-
entibus, Cappadocia, & cæteris gentibus Ponto cir
cūiectis bello subactis, regnum latè propagatum po
steris per manus tradidit. Iunioris huius Mithrida-
tis futura maiestas euidētissimis, ut dicitur, prędi-
strata est prodigijs. Anno quo genitus est, & quo pri
mum regnare cœpit, cometes, stella per utrūq; tem- *Mirificus co metes.*
pus octoginta diebus ita luxit, ut cœlū omne confla
grare uideretur (occupabat eius magnitudo quartā
mundi partem) fulgorq; Solis illius nitore interdiu
perstringeretur. Eius ortus & occasus quatuor absu
mebatur horis. Ipse admodum puer tutorū insidijs
petitus, fero equo impositⁿ iaculari cogebatur, qui
conatus quū parū insidiatoribus procederet, uene-
no puerum aggressi, haud dubie perdidissent sępius
repetitum, nisi aduersus eam iniuriā pluribus se an-
tidotis muniuisset, ut assiduo remediorū usu, ne mo
ri quidem, quum morte opus fuit, ueneni haustu po
tuerit. Veritus prætereа ne ferro domi opprimeret̄,
uenandi studium mentitus, quatuor annos saltus &
nemora peruagatus est, nullibi locorum supra noctē
unam diuersatus feras interim aut procul figere, aut
cominus prosternere, quibus & uitauit insidias, &
corpus ad omnē uirtutis patiētiā firmauit, mox ubi
regnum adijt, de eo non regendo solum, sed augen-
do etiam primum omnium cœpit cogitare, uicitque
primus omnium finitimos Scythas, gentē ad id tem
pus inuictam. Pontum inde, mox & Cappadociam,
omnemque Asiam ignoto habitu peragrauit. Vr-
bium situm ac statum diligēti cura perscrutatus, do
mū postremo reuersⁿ domestica fraude pene perijt.

Laodice

Flagitiũ in uxore Mithridatis.

Laodice uxor eadem & soror recepta eius mortis opinione, quę falsis rumoribꝰ fuerat disipata, quum se in concubitus amicorum proiecisset, filium marito absente conceptum enixa erat, cuius culpæ conscia bona coniunx, Mithridatem tollere conata est. Venenum ancillæ indicio deprehensum ille in autoris perniciem uertit. Hyeme deinceps imminente non in conuiuio, sed in campo, non inter sodales, sed inter ęquales, aut equo, aut cursu, aut uiribus certabat. Pari exercitatione suos bello cõparabat. Inita inde cũ Nicomede Bithyniæ rege societate Paphlagoniam subegit, subactamq; cum socio diuisit. Quæ ubi à regibus teneri dicta est, legatos ad utrunq; misit senatus, ut Paphlagoniam in pristinum statũ restituerent. Legatis qui ab Roma uenerant, Mithridates ratus se parem Romanis futurum, id regnum patri suo hæreditarium obuenisse respondit. Mirari se eam controuersiam tum demum sibi intendi, quæ nunquam patri fuerit intentata. Nicomedes suis uiribus diffisus, se iusto regi restituere uelle dixit, atq; Philomenem filium, Pylemenem Paphlagonum regum nomine nuncupat, regnoq; imponit. Legati per hæc ludibrio habiti, Romam reuersi sunt. Sustulit inde Mithridates Ariaratem Cappadocum regem per Gordium quendam, cui altera Laodice eius quã ipse occiderat soror nupsit, inde cum paruis eius lĩberis immineret, Laodice pacta cum Nicomede matrimonium, eum in regnum induxit: Mithridates id iniquo animo ferens, Nicomedis præsidio ex Cappadocia pulso, regnum Ariaratis filio restituit. Conatus inde Mithridates Gordium, quo in Ariarate patre interficiendo fuerat usus, in Cappadociã ab exilio reuocare. Iunior Ariarates eius frater, id ægre ferens (cœperat enim iam adolescere) exercitũ in Mithridatem comparat. In hunc ille quum octoginta milia peditum, & decem equitum armasset, & falcatos currus sexcentos, nec adolescẽs finitimorum B regum auxilijs, suisq; uiribus fultus, multo inferior haberetur, ueritus Mithridates ancipitem pugnę euentum, Ariaratem per speciem colloquij ad se uocatum occidit, regnoq; filium octo annorũ, & ipsum Ariaratem uocatum, regem imposuit, Gordio illi rectore dato. Nec Cappadoces diu tulerũt Gordij crudelitatem, quin subita defectione alienati, Ariarate, alterum senioris illius filium, qui in Asia educabatur, regem constituunt, quẽ Mithridates haud multo pòst reparato exercitu regno expulit. Expulsus puer breui pòst fato perijt. Laodice à Nicomede subernata Romam uenit, mentita tres se ex Ariarate filios enixam, precari ut unũ ex Ariaratis filijs adhuc superstitem, in paternum regnum restitueret, & iam puer aderat, quem ipsa falso ex se & Ariarate genitũ prædicabat. Id impudens mendaciũ, quum Mithridatis legatus ad id Romã missus, in curia redarguisset, senatus Cappadociam Mithridati ademit, & Paphlagoniam Nicomedi, iussitq; utrãq; gentem liberam esse, sed negantibus Cappadocibus se sine rege esse posse, Ariobarzanes à senatu rex cõstituitur. Mithridates Cleopatra filia Tigrani Armeniæ regi in uxorem data, cum eo egit, ut Ariobarzanem hominem imbellem regno pelleret, qui primo hostiũ motu territus, Roma aufugit. Moritur interim Nicomedes, cuius filius patris perquàm similis, ex Bithynia à Mithridate pulsus, ad senatum questum illius iniuriam uenit. Ad hos igitur reducendos duo sunt ex urbe legati missi, Aquilius, & M. Attiliꝰ. Qui in prouinciã profecti, L. Cassij qui in Asia cum modico exercitu erat, Phrygumq; & Galatharũ copijs freti, Nicomẽdem in Bithyniam & Ariob, in Cappadociã restituerunt. Appianus Bithynos Thraces esse autumat, qui ex his fuerint qui cum Rheso ad Troiã militarunt, regeq; interfecto ratibus ad Ponti ostia delati sint, ubi sedes sibi optauerint. Herodotus & Plinius ipsi quoq; Thynos Thraces arbitrantur, un-

Mithridates Ariaratẽ fraude obtruncat.

Causa Mithridatici belli.

Ariobarzanes Paphlagonum rex.

Vnde Bythinia

A de & Bithyni sint. Cæterum Appianus nunc Bithyniam à Bebrycia corriuatam esse uocem suspicatur, quo nomine fuerit ea terra prius nuncupata, nunc Bithym celebrat fluuium, apud quem Thraces consederint. Adijcit Bithym fuisse Iouis & Thracis filiũ, qui ab initio in ea gente regnauerit, unde & populo & regioni sit nomen postea datum. Habet Bithynia ab occasu os Ponti, & Thracium Bosphorum, ad septentrionem Euxini partem, Asiam à meridie, ab ortu Galatiam in Paphlagoniam usq;. Est & Cappadocia de qua nunc agitur, & ipsa qua ad Arctoam plagã spectat Euxino mari adiecta, & ad occasum Galatiæ affinis, inde ad orientem excurrens, Euphrate à minori Armenia diuiditur. Cilicia illi australis est. Fert Sinopicam terram Hibericæ ęmulam, Crystallum, Onychitem lapidem. Qui fuerit huius terræ status ante Alexandri tempora, parum ut uideo liquet: dubium, paruerint ne Persarum regibus, an liberi proprijs usi sint legibus: ab Alexandro, quod satis constat, eius gentis principes tãtum tributum dare sunt coacti. Nicomedis igitur & Ariobarzanes restituti, suis Romanorumq; opibus freti, cum ualido exercitu Mithridatis fines hostiliter infestant. Eã Mithridates iniuriam apud Romanos queritur. Legatis qui ad id uenerant, responsum est, neq; uelle se Mithridatem quicquã iniuriæ à Nicomede pati, neque passuros se Nicomedem ab eo armis oppugnari. Quum id ambiguum responsum Pelopidas Mithridatis legatus redarguere adortus esset, è consilio iussus est facessere. Tum uero Mithridates, uelut aperta esset iniuria à Romanis affectus, ualidissimum instruxit exercitum, ut cc. milia peditum, & equitũ quinquaginta sub signis haberet, naues ad bellicum usum instructas ccc. numero. Nec ita multo pòst, L. Cassius cum legatis & socijs regibus, ad Amneon fluuium ingenti prælio sunt à Mithridate uicti. Dimicauit eo prælio ferociter Nicomedes, maximaq; Bithynorum pars cæsa à falcatis hostium curribus, quicunq; uiui capti sunt ad conciliandam clementiæ famam Mithridates dimisit incolumes. Oppius à Laodicensibus Mithridati traditus ignominiose, cum lictore qui præcedebat, per hostium castra est circunductus. Mannius Attilius legatus conflati belli causa, asino uinctus sedens circunuehitur, præcedente tibicine, inde liquefactum aurum eius faucibus infudit rex, auaritiam Romanis exprobrans. Ea uictoria Mithridates elatus, non solum Bithyniam Bithyniæq; adiacentes terras, sed Phrygiam, Pamphiliam, & cæteras gẽtes ad Ioniam usq; armis subegit, Romana interim discordia fretus, nam L. Sylla cui ea fuerat prouincia decreta, quum Ponticũ meditaretur bellum, in domesticũ & ciuile incidit: quo cõtigit, ut omnium opinione tardius in prouinciam exierit. Prima ciuilis discordiæ causa inde extitit, q, triumphales statuas, quas Bocchus Maurorum rex Po. Ro. & Syllæ gratificaturus, in Capitolio erexerat, & in his auream Iugurthæ imaginem à se quæstori Syllæ traditi, Marius detrahere conatus, graue in urbe excitit motum: fuisset q; iam inde cœptum inter ciues armis disceptari, nisi sociale bellũ, quod supra est memoratum, accensis ad certamen animis interuenisset: quo contigit, ut ex eo uix bene compositio confestim ciuile extitit. Erat Sylla iam cõsul Pontum prouinciam sortitus, quum Marius per Serium Sulpitium Trib. plebis populum rogãdum curauit, ut sibi Mithridaticum bellũ decerneretur, cui rogationi quum Sylla & Pompeius cõsules summa ope resisterent, pararentq; de ea re iudicium, in ambos concionem in templo Castoris habentes, Sulpitius cum armatorum manu ex improuiso impetum fecit: filioq; Pompeij consulis prius interfecto, fœdam circa templum seditionissimus tribunus edidit stragẽ. Pompeius medio tumultu dilapsus periculo se subtraxit. Sylla in domum Marij perductus, iusti-

Bithyniæ & Paphlagoniæ situs.

Ludibria Ro.

Prima ciuilis belli causa.

Sylla consul.

Mithridatis copiæ.

tium, quod ob eum tumultum indixerat, soluere coA actus est. Dignitas illi haud quidem adempta. Exercitus, qui ad Mithridaticum bellum erat comparatus, Nolęq; conuenerat, Mario Sulpitij rogatu attribuitur, ad quem Sylla celeri cursu delatus (occultè enim sese ex urbe subtraxerat) postquam mitem pro concione docuit, quàm insolens iniuria à Sulpitio trib. plebis & Mario in se profecta esset, accensi sunt omnium animi, ut tribunos ad se profectos, lapidibus obruerint. Marius de ea re factus certior, omnes amicos Syllæ in urbe deprehensos occidit, ad quam insuetam cædem ingens terror omnium animos inuasit. Prodigia quæ passim facta dicebantur, non mediocriter præsentem metũ augebant. Hastæ quibus publica gestabantur signa, adeò pertinaciter arsere, ut ægre emicans flamma restingui potuerit. Tres corui pullos in uia perductos fœde laniarunt. Sereno cœlo tubę sonitus in aëre auditus, acutã uocem & luctificam intendens, quod prodigiũ omniũ maxime ciuitatẽ perculit. Mures suspẽsum in templo aurum rosere. Senatu ad Bellonã sedente, passer ore cicadam gerens, illius dimidium in tẽplo quo se intulerat deiecit, reliquũ præpeti uolatu in prophanum extulit, ex eoq; futuram uates agrestiũ & urbanorum seditionẽ interpretati sunt. Solicita & anxia his terroribus ciuitate, trepide nunciatur Syllã cum exercitu ad urbem uenire. Senatus qui metu nõ officio totus ex Marij & Sulpitij nutu pẽdebat, Brutum & Syluium prætores mittit Syllæ obuiam, qui eum publice monerent, ne exercitũ ad urbẽ admoueret. Horum fasces milites fregerunt, & ipsi paludamentis exuti, cũ ignominia retro abierũt. Habebat Sylla sub signis sex legiones, reputansq; à principio quãtum facinus adoriretur, quia cunctantius de suo ad urbem accessu deliberaret, Posthumius augur, omnem ex eius animo metum discussit, nullum se supplicium recusaturum dictitans, nisi omnia prospere B euenirent. Est & Bellona illi per quietem uisa fulmẽ tradere, quo inimicos prosterneret, quibus malorũ dæmonum stimulis agitatus, urbem petere perseuerauit. Circa Triripam altera ex urbe legatio obuiam eunti facta est, petijtq; senatus nomine, quum haud dubie id Mario & Sulpitio daretur, ne ad quadraginta stadia urbi exercitum admoueret. Senfit Sylla ut callido erat ingenio, quorum illa mandata essent, be nigneq; respondit se ita facturum, ac simul quędam expediri iubet, uelut inibi metaturus, legatosq; uano opere frustratos, postquàm in urbẽ dimisit, L. Bafilium, & C. Mancinium præmittit, qui Exquilinã portam insiderẽt. Pompeius alter consul Collinam occupat portã. Ex murorũ fastigijs & tectis domorum tela ab initio in Syllanos cõiecta sunt: cęterum postquam Sylla affuit, quatiensq; accensam facẽ incendium urbi minitãs, nisi telorum iactu absisteret, perculsa ciuitate legiones in urbẽ immisit. Marius & Sulpitius cum ea multitudine quã circa se collectã habebant, in Exquilijs Syllæ occurrunt. Fit prælij, nec fuit cõcursus ille fortuitus & qualis in ciuili seditione esse solet, sed duę acies sub signis ex aduerso cõstixerunt, ac tum primũ Roma suos uidit ciues hostiliter concurrentes. Qui annus ab illius origine sexagesimus secũdus fuit, ac cẽtesimus. Primo igitur concursu Syllani paululũ gradu submoti sunt. Consulis deinde præsentia & adhortatione in prælium reuersi, Marianos pauciores numero fundunt. Conatus est Mariꝰ seruitia solicitare, sed ubi omnia incassum tentari uidit, urbe excesit. Sylla per sacrã uiam non sine cæde progressus, ubi in forũ uenit senatum uocari iussit, ibiq; multa de Marij & tribunorũ iniuria questus, autor fuit, ut Marius Sulpitius, & qui cũ his sensissent, hostes iudicarentur. Sulpitius à seruo proditus atque interfectus est. Indicem Sylla libertate prius donatum, è saxo præcipitauit, grandẽ inde pecuniam per præconem pollicitus est, quicunque

Ciuilis cædes.

Ciuile præliũ.

Primum inter ciues acie dimicatur.

Sulpitij cædes.

Syllæ ingeniũ.

Sylla ad urbem armatus redit.

Marij errores.

Vaticinium.

Cõstitutio circa Ro. signa.

Aquilarum partus.

Marium interfecisset, non paruo ingratitudinis exemplo, quum ipse nuper in Marij domum uiolenter ductus, haud dubie perijsset, nisi ille omnem Sulpitij & aliorum uim ab eo arcuisset. Offendit id Syllæ edictum uehemẽter populum, adeò ut proximis comitijs Nonius & Seruius Syllæ necessarij, quum in campum candidati descendissent, illius fauore freti, ambo repulsam tulerint, quod Sylla ciuili hilariq; uultu tulisse dicitur, libertatis illum esse fructum dictitãs, ut populus in quẽ uellet sua libere inclinaret suffragia. Hæc ille præ se ferre, quum iniquo alioqui animo suorum repulsam tulisset. Fuit, ut dixi, uersuta hominis natura, uaria tamen & incõstans, ut ipse secũ sępius discrepare uideretur, rapere, multo plura largiri, cõtumelia dignos colere, supplices ludibrio habere, ut difficile dictu sit, assentatoris an potiꝰ cõtemptoris in eo esset ingenium, nũc leuibus de causis in puniendo grauis, nunc in magnis sceleribus plectẽdis dissolutus, utpote, qui Albini uiiri prætorij legati sui cædem, quem milites sociali bello saxis & fustibus interfecerant, uindicare contempserit, contrà plerosq; uiros optimos ob minimã noxam proscripsisset. Fuit eidẽ ingenita iracũdia, oculi glauci, ac uehementer acerbi, rubor in facie sparsim immixtus efflorebat, unde illi Syllæ nomen inditũ quidã arbitrati sunt, alij à Sibylla una detrita syllaba id nomen factum potius uoluere, sed quod non ipse primus in familia tulerit. Marius circa Ostiã nauim ingressus læuam Italiæ oram circũuectus, sæuiẽte mari, Circeis est deiectus, inde paucis comitãtibus omnem hominũ occursum uitabundus aliquandiu per deuia errauit, inedia inde adactus quum ad pastores diuertisset, ut ab eis esculenti aliquid sumeret, monitus est ut cautius fugã teneret. Veniẽte ad eum dudum Syllanos equites, qui solicita indagine eum uestigarent. Marius pręsenti periculo adhuc magis territꝰ, comitibus fame & labore fessis, uia deflexit: profundumq; & deuium nemus adeptus, ibi proxima nocte quieuit, nulla alia re quàm uereri augurio fretus quo prædictum illi fuerat, sic fore, ut septies consul fieret. Enimuero quum admodum puer esset, ruriq; sub parentibus aleretur, aquilæ nidus cum septenis pullis ei oblatus dicitur, quo domum delato, atque à parentibus ad aruspices, responsum est, non parua puero portendi, qui sepies sub se signa Romana haberet, atq; hinc credo fuit quòd ille suo secũdo consulatu aquilam Romanis legionibus peculiariter dicauit, quum ab initio haud tantum aquilę signum sed lupi, minotauri, equi, & apri singulos ordines anteirent. Paucis antè annis sola aquila in aciem portari cœperat, cæteris signis intra uallũ relictis, quibus in totum à Mario abdicatis singulare signũ aquila iam apud Romanos fuit, ex eoq; postea obseruatum, ut nusquam Romanæ legiones in castris hybernarint, ubi non cõspectum sit aquilarum iugum. Sed in Marij augurio subit illa reputatio, aquilas terna, ut Plinius scribit, duntaxat ouа parere, binosq; pullos excludere, cui opinioni Plutarchus ex Musæi autoritate astipulatur, nisi contrà aliquis dixerit plura esse aquilarum genera, & in his fortasse uariam fœturam. Fuerat itaq; Marius ad id rẽpus sexies cõsul, supereratq; iam spes septimi cõsulatus ad quem fato se seruari persuasum habebat, repetita proinde fuga, quũ iam uiginti stadia procul à Minturnis esset (fuit id oppidum circa Lirim amnem in Latij finibus ad mare expositum) hic duabus hostiũ turmis in proximo conspectis, Marius & socij præcipiti cursu ad littus sese proripiũt, erantq; duo forte ibi nauigia, quibus uix bene conscensis, Syllani equites affuerunt, minacissime nautis denũciant daturos eos Syllæ & Populo Romano pœnas, nisi Marium hostem iudicatum sibi dedant. Contrà Marius supplex & cum lachrymis orare, ne inimicorũ uerba audirent, quin suæ fortunæ misererentur. Interim

nauium altera, ſublatis uelis cum parte ſociorum in Ænariam tranſmiſit, quæ Marium exceperat paulu-
lum eſt littus circũuecta, quoad ex Syllanorum con-
Marij diſcrimẽ ſpectu abijt. Tum iterum terræ applicita, nautæ Ma-
rium curandi corporis ſpecie in littus expoſitũ, ſub-
latis repente anchoris ſolum deſtituunt. Ille ubi ſe
proditum uidit, omni ſpe uitę abiecta, iacuit nonni-
hil in nudo littore elinguis, inde ad ſe rediẽs, reſum-
pto animo, per paluſtria loca ad tugurium ſenis per-
uenit, à quo in proximam ſcrobem demiſſus, cala-
moq; & paluſtri herba inſtratus, uix quieſcere cœpe
rat, quum aduentantium fremitus, & uox ſenis tu-
multuoſe à uenientibus excepti eius aures perculit,
quo ille metu perculſus, abiectis ueſtibus, in altam
ſeſe immerſit paludem. Mox hinc ab ijs qui ex Te-
racina à Geminiano miſsi fuerãt, extractus Minturn-
Marius necandus. nenſibus necandus traditur. Hi decretum tulerunt
ut Marius, quando à Ro. Pop. hoſtis iudicatus eſſet,
publice necaretur. Ex ciuibus nemo erat qui tãti ui-
ri cæde contaminari uellet. Gallus eques ſiue Cim-
ber ibi forte repertus eſt, qui in ultionẽ gẽtis ſtricto
ferro, ad Marium eſt ingreſſus. Erat locus in quo ca-
priuus cuſtodiebatur, ſubobſcurus. Ferũt ignem ui-
ſum illi ex Marij oculis micare, uocemq; terrificam
ex abdito redditam ad percuſſoris aures peruenisſe.
Tũne homo Marium interficere audes? quibus ille
prodigijs territus, abiecto ferro conſternatus ſeſe in
apertum proripuit. clamitans nõ licere ſibi Marium
occidere. Minturnenſes pœnitẽtia ducti (ſatis enim
conſtabat ingrate fieri, ut is qui Italiam ſua uirtu-
te ſeruaſſet, ad explendam paucorum inuidiã interfi
ceretur) carcere eductum ad mare euntem comitan
tur, augurioq; ei demonſtratum ferunt ſaluté mari-
tima fuga non terreſtri quærendam. Aſinus ex pro-
ximo eum intuitus, relicto repente pabulo ingenti
uoce uelut clasico quodam edito, ad fontẽ petulca
geſticulatione procurrit. Naui igitur ablatus, quum
aquæ inopia Siciliã petiſſet, parũ abfuit quin apud
Erycen ab inſulæ ſit quæſtore interceptus. Aliquot
itaq; ex præſenti comitatu amiſsis, infeſto littore di
Marius in Aphricam nauigat. greſſus in Aphricam nauigauit, quo nõ multo prius
Marius filius & alij pleriq; eius factionis uiri, & ipſi
fuga dilapſi appulerant. Et Marius ſenex poſtquam
iudicatus eſt hoſtis, huiuſmodi eſt caſibus iactatus.
Sylla interea cum exercitu ad Mithridaticum bellũ
profectus eſt. Iam enim noui conſules creati erant,
Gn. Octauius, & L. Cinna. Mithridates ſocijs Pop.
Rom. regibus ex Bithynia & Paphlagonia pulſis,
Pergami conſederat, eius filius & ipſe Mithridates
dictus, Pontum cum Boſphoro obtinebat. Alter Ar-
iarates nomine Thraciam & Macedoniam cum in-
genti exercitu ſubegerat. Archelaus dux late mari
imperitans Cycladas in ditionem trahebat. Cythe-
ra intra Maleam promontorium, cum ipſa Eubœa iã
antea fuerat armis ſubacta: erantq; ab Athenis in
Theſſaliam uſq; omnes maritimæ gẽtes à Romanis
alienatæ. Brutius Surra legatus Sentij Macedoniæ
prætoris obſtitit nonnihil Archelai conatibus, uerũ
triplici prælio ad Cheroneam fractus, regijs armis
ceſsit. Profuit omnino aliquid illi⁹ præſentia ad me-
diterraneas Græciæ ciuitates in fide retinẽdas. Is re-
rum ſtatus erat in Aſia, & tota Græcia, quũ Sylla ad
bellum eſt profectus, qui quum ad primũ ſuum in
terram Græciam acceſſum pleraſq; urbes ad impe-
rium retraxiſſet, Athenas, quæ ab Ariſtione tyranno
tenebantur. Piræo capto, circũſedit. Erat is Epicu-
reæ diſciplinæ præceptis egregie doctus, cæterum
ſubita ui patriam adortus, apertam exercuit tyrãni-
dẽ. Enimuero Archelaus Mithridatis præfectus, ma
iore Græciæ parte armis ſubacta. ſacram pecuniã ex
Delo, & duo milia hominum qui eã cuſtodirent, per
Ariſtionis crudelitas in Athe. Ariſtionem Athenas miſit. His Ariſtio fretus uirib⁹,
primoribus ciuitatis qui rem ad Romanos trahere
putabantur, crudeliter interfectis, aut ad Mithrida-

A tem ire iuſsis, uim patriæ intulit, ſic & Critias olim,
ſic & qui cum eo philoſophiæ aſſectatores fuerant,
aliquot antè ætatibus Athenis tyrannidem exercue
runt, ſic & Pythagoras in ea Italiæ parte, quę magna
Græcia dicta eſt, multo crudelius quàm qui literarũ
ignari fuerunt, in alienam libertatem graſſatus dici-
tur, ut merito alij qui ſapientiæ nomen adepti ſunt,
Opinio de philoſophis. in ſuſpicionem uenerint, ut ocium literarum & pau
pertatem idcirco complexi ſint, quia eis principatũ
& tyrannidem indipiſci non ſit datũ, alienis opibus
& imperijs, non tam animi modeſtia & recti ſtudio,
quàm inuidia infeſti. Sed dum Sylla urbem Græciæ
clariſsimã oppugnat, pecuniæ indigus ex omnibus
illuſtribus templis & oraculis, quę in ea terra erant,
iuſsit ad ſe donaria ſacrasq; pecunias deferri, atq; in
Syllæ ſacrilegium. Delphicis theſauris expilandis cauillo uſus, qui quũ
inde ſignificaretur auditam eſſe in templo dei citha-
ram, tãtum abfuit, ut ex ea re ulla ſit religio homini
incuſſa, quòd ad Caphim, quẽ ea de cauſa Delphos
miſerat, quiq; ea per literas ſignificabat, reſcripſerit
mirari ſe, quid eſſet quòd Delphicam pecuniam nõ
auderet attingere, ad quã tollendam ipſe deus hila-
ris, atq; citharæ concentu inuitaret. Athenienſes in-
terea arcta obſidione preſsi, ad tãtam rerum omniũ
Fames inaudita Athen. inopiam redacti ſunt ut mille drachmis ueniret tri-
tici medimnus, inops multitudo gramina circa ar-
cem naſcentia pecudum ritu depaſcebatur, quibuſ-
dam coctos calceos. aliaq; obſcœna eſculẽta mãdere
conãtibus. Ridere miſerorum ciuium calamitatem
Ariſtion, homo ad crudelitatem, non ad ſapientiam
natus, ſacerdotiq; dimidium frumẽti ſextarium pe-
tenti piperis miſit. Viros præcipuę dignitatis & ſa-
cerdotes ſuppliciter ab eo petentes, ut afflictæ ciui-
tatis miſereret. pacemq; ab hoſte quoquo modo im
petraret, ſagittis diſsipatos ſummouit. Ad poſtremũ
uictus rerum omnium inopia, duos in caſtra ad Syl-
lam miſit, qui ex tyranni ſententia, non humili ora-
B tione, præſentiue fortunæ accõmodata ſunt uſi, ſed *Vana Athen. oratio.*
à Theſei laudibus & Eumolpi exorſi, memoriã inde
rerũ aduerſus Medos & alias gentes ab Athenienſi-
bus geſtarum, ſtulte & inſolenter executi, nõ modo
non flexerũt aliquo modo hoſtem, ſed ijs multo in-
feſtior factus quàm antea fuiſſet, beatos abire iuſsit
retroq; ſecum totam illam laudationẽ ferre, ſe à Po-
pulo Romano Athenas miſſum, non capiendæ diſ-
ciplinæ cauſa, ſed ut infidam urbem bello captam
euerteret. Nec ita *multis* inde diebus interiectis,
Sylla noctu Athenas occupauit. Cędes ingens edita
eſſet, & urbs excidio dedita, niſi Midias & Caliphon
exules, ſuppliciter & cũ lachrymis à Sylla petijſſent,
ut quum ſua, tum maiorum cauſa, urbi nobiliſsimæ
parceret: quibus precib⁹ motus Sylla, ſe multos pau
cis & uiuos mortuis condonare dixit. Captæ ſunt
Athenæ Calendis Martijs. Ariſtion in arce incluſus,
ſitiq; domitus, à Curione, cui id negocium Sylla de-
derat, in poteſtatem redactus eſt. Secundum eam ui
ctoriam Sylla in Bœotiam conceſsit, regionem mul
to quàm Attica eſſet ad alendum bellum aptiorem.
Hicq; tumulum in Eleaticis campis occupat ad Ce-
phiſum amnem. Erant illi mille & quingenti equi-
Syllanæ copiæ. tes, peditum quindecim milia. Thaſiles Mithridatis
præfectus ex Thracia & Macedonia cum centũ mi-
libus peditum, & decem equitum, curribusq; falca-
tis nonaginta nuper egreſſus in eiſdẽ locis caſtra fe-
cerat: uenit eo & Archelaus, qui quandiu obſidio te-
nuit circa Athenas habuerat claſſem. Hoſtes Roma-
norum paucitatem intuiti, pugnam efflagitabant.
Thaſiles & ipſe prælij autor erat. Contrà Archelaus
à congreſſu abhorrere. Cæterum uictus plurũ con-
ſenſu, nauales copias terreſtribus iunxit, explicant
inde aciem hoſtes in Romanorũ conſpectu, qui quũ
Romanorum metus. omnia latè obtinerent, terribili armorum ſtrepitu a-
deò Romanos perterruere, ut multum diuẽ Sylla
nunc hortatione, nunc minis inſtando elaborarit,
priuſquam

priuſquam trepidatio illa in caſtris orta ſedari potu- A
erit. Barbari, quia Sylla ſe caſtris tenebat, Panopeo-
rum oppidum euertunt, Lebadiaq́ue urbe capta, ue-
tus eius loci oraculum hoſtiliter diripiunt. Sylla in-
terim & in Cephiſo corriuando, alijsq; caſtrenſibus
operibus militem ita laborioſe habuit, ut qui nuper
hoſtem tantopere horrebãt, aſsiduum laborem per-
tæſi, & ipſi pugnã ultro efflagitarent. Tum callidus
imperator: Haud quidem pugnare uolentium hoc
eſt, inquit, ſed nolentium operari, aut ſi uera eſt hæc
pugnandi cupiditas, cur non ſumptis armis tumu-
lum illum quem occupare hoſtis properat, mecum
inuaditis? Erat locus ſaxeus ab Edilio monte diſiũ-
ctus, qua Aſſus fluuius Cephiſo infunditur. Celeri-
tate igitur ſtrenuaq́ue militum opera uſus Sylla lo-
cum tenuit, cuius potiundi Archelaus ubi ſpem ſibi
ademptam uidit, ex improuiſo Cheroneam inuaſi-
dit. Duxit Cheron in eum locum colonos, unde no
men poſtea urbi fuit. Eius mater Thuria, à qua &
Thurij loci nomen urbi fuit. Sunt qui bouem his lo
cis à Cadmo immolatum primo apparuiſſe exiſti-
ment, quia Phœnices Thur uaccã uocant. Hinc quo-
que hoſtes ſubito Gabini acceſſu, ſiue Hircij, ut alij
ſcribunt, cum una cohorte Cheronenſibus auxilio
miſsi, ſine ulla ſociorum noxa, re infecta abierunt:
Cõflictus Syllæ & Archelai. nec multo pòſt Sylla cũ Archelao acie conflixit. Ipſe
dexterum cornu tenuit, Murena læuum. Galba &
Hortenſius legati poſtremi cum cohortibus ſucce-
dere ſunt iuſsi, cauteq́ue proſpicere, ne ab hoſte qui
multitudine abundabat, à tergo circunuenirentur.
Primo falcati currus plauſu diſiecti ſunt, mox pede-
ſtre prælium fuit. Hic quindecim ſeruorũ milia quę
in fronte ſteterant, ſagittis & glandibus illico à Ro-
manis in fugã uertuntur. Conatur interim Arche-
laus læuum Romanorum cornu circũuenire, quem
Hortenſius ex tranſuerſo illatus, haud magno ne-
gocio repulit. Sed dum ferocius cedenti hoſti inſtat B
ab Archelai equitatu excluditur à cętera acie, ad quẽ
periculo eximendum Sylla à dextro cornu, ubi nõ-
dum prælium erat initum, occurrit. Ibi Archelaus
ex ſublato puluere Syllæ aduentum conſpicatus, re-
licto Hortẽſio, in dexteram Romanorũ aciem duce
ſpoliatam totus auertitur. Sylla animaduerſo hoſtis
conſilio, recepto Hortẽſio ſuis auxilio ire properat,
ubi iam uehemens erat pugna. Cæterũ Romani mi-
lites ducis præſentia ferociores facti continuo hoſ-
Syllæ uictoria. tem loco ſubmotum, ad Cephiſi ripam propellunt.
Paſsim inde fuga facta eſt, iuxtaq; cædes edita: tota
planitie & ſub ipſis caſtrorum munitionibus hoſtes
cæſi, ex tam numeroſo exercitu uix decem milia in
Chalcidẽ euaſerunt, & quod non minus uideri poſ-
ſit, quum multa milia Barbarorum una acie ſtrata eſ
ſent, ex Rom. exercitu, ut Sylla in commentarijs ſcri
pſit, duodecim ſunt tantũ deſiderati. Romanus im-
perator maiore felicitate rem actã quàm uirtute ra-
tus, ſtatuit in his locis trophæũ quod Marti, Victo-
riæ, & Veneri inſcripſit. Et ad Cephiſum amnem ita
Romani proſpere dimicarunt. Secuta inde nihilo
minor uictoria. Doryla us Mithridatis præfectus cũ
octoginta milibus lectorum hominum ex Chalcide
Melas fluuius. in continentem tranſgreſſus, Syllam ad Melam flu-
uium metantẽ ex improuiſo eſt adortus. Oritur Me
las ſub Orchomenorum urbe, unus omnium fluuio
rum Græciæ ab ipſo fonte nauigabilis, atq; circa ſol-
ſtitium æſtiuum, ut Nilus ſtata accipiens incremen-
ta, nec longius excurrit, ſed in lacus & cuniculos di-
lapſus, modica ſui parte Cephiſo infunditur. His lo-
cis Dorylaus Romanũ hoſtem metandis caſtris in-
tentum adortus, ſubito acceſſu fugã fecit, Sylla arre
pto ſigno milites in prælium reuocat, fugientes cõ-
uicio inceſsit. Duæ primo cohortes hoſtium impe-
tum fregere. Militibus inde ad ſigna reuocatis, quũ
ferocius Barbarus incumberet circa interruptas mu
nitiones, pugna in noctẽ diſtrahit. Poſtridiæ prima

luce, ſubita Romanorum eruptione, hoſtes ad lacus
& paludes fœda ſtrage cõpelluntur. Plutarchus au-
tor eſt, ſua tempeſtate, quum cc. ferme anni intereſ-
ſent, galeas, arcus, & armorum fruſta his locis ab a-
gricolis refoſſa, atq; ita duplici prælio, ad Cephiſum
Mithridatis legati duplici prælio uincuntur. uno, altero ad Melã Mithridatis opes à Sylla magna
ſunt ex parte acciſę. Appian⁹ autor eſt, biduo ad Or-
chomenum pugnatum, ac priore prælio quindecim
milia hoſtium cęſa, & in his Diogenem Mithridatis
filium. Plutarchus Archelai, non Mithridatis, nec fi-
lium, ſed priuignum eum fuiſſe tradidit. Mithrida-
tes quod ſatis conſtat, duobus aduerſis prælijs irri-
tatus. cl. milia Ro. in Aſia, & ijs prouincijs, quas ui
& armis ſubegerat, cum liberis & uxoribus uno die
interfecit. Erant hi procul domo negociorũ cauſa.
Cicero & Plutarchus ſunt nefariæ illius cędis auto-
res. Cæterum quantum res Syllæ foris lætæ erant,
tantum domi poſt eius diſceſſum ab inimicis fuerãt
acciſæ. Cinna & Octauius poſt eũ conſules facti, de
reipublicę adminiſtratione primo inter ſe contẽ-
dere cœperunt. Conabatur Cinna nouos ciues tri-
bubus aſcribere. Cõtrà inhibere Octauius, ueterum
ciuium cauſam complexus. Eo uſq; igitur ſimultas
proceſsit, ut armis media ſit urbe diſceptatũ. Octa-
uius uictor Cinnam urbe expulit, atq; in eius locum
Cornelium Merulam conſulem ſuffecit, qui flamen
erat. Cinna Capuæ primo apud exercitum, multa de *Cinna urbe pellitur.*
collegę iniuria eſt queſtus, quòd ſe publica dignita-
te ſpoliaſſet, patriaq; extorre eieciſſet. Adhibitæ his
lachrymæ, & ueſtis in argumentũ doloris à pectore
diſciſſa. Exceptus ingenti fauore Cinna, receptis q;
conſulatus inſignibus, Italiam peruagatur, undique
uires contrahens. Interea Marius qui in Aphricam
tranſmiſerat, quum ſub primum in eam terram ap- *Marius Aphricа arcetur.*
pulſum per lictorem à Sextilio prætore iuſsus eſſet
prouinciæ finibus excedere, mœſtus & exanimatus
inter Carthaginis ruinas aliquandiu iacuit. Interim
ſubita fortunæ mutatione pleriq; ex amicis illi af-
fuerunt, qui audito ipſius in Aphricam appulſu, ad
eum ſtudio conuenerant, Cethegus, Granius Albi-
nouanus, Lectorius, & alij quidam uiri illuſtres, qui
cum eo hoſtes iudicati fuerant. Affuit & Marius Iu-
nior, qui ad Iampſam Nomadum regem ſe contu-
lerat auxilia imploratum. Hic quum ſibi inſidias à
Barbaro parari indicio comperiſſet, regiæ pellicis o-
pera, quæ adoleſcentem ex miſericordia amare cœ-
perat, mox & cõcupiſcere, occultè dimiſſus magnis
itinerib⁹ ab ſuos uenit. Marius ſuis prętер ſpem rece
ptis, quũ in ipſo littore deliberare cœpiſſet, quo po-
tiſsimum ad afflictas opes ſubleuandas curſum in-
tenderet, oblatum eſt illi inſuetum ſpectaculũ. Duo *Scorpionum pugna.*
ſcorpiones, chelis & cauda ſeſe acriter inceſſentes,
pugnam ciebant. Eſt malum hoc Aphricæ peculia-
re, nec ullibi terrarum magis noxium. Marius tale o-
men auerſatus, in Cercinam proximam continenti
inſulam ſubito traſmiſit, ibiq; de nouo motu ciuita-
tis certior factus, paucis equitibus Mauris, & ex ijs
qui ex Italia ceſſerant, circiter mille in naues impo-
ſitis, Italiam repetit. In Hetruriam ſecũda tempeſta-
te delatus, ſeruos ad libertatem uocat. Multi quoq;
liberæ fortunæ ſua ſponte ad Mariũ confluxere, ue-
terem hominis celebritatem ſecuti, quo contigit, ut
paucis diebus ad ſex milia hominum in unũ coiue-
rint. His ille copijs inſtructus, ſeſe Cinnæ per lega- *Marius Cinnæ iungitur.*
tos id petenti ſocium adiunxit, à quo proconſul de-
claratus, purpuram, & faſces tanquam pręſenti for-
tunæ parum cõuenirent, repudiauit. Enimuero iam
inde, ex quo hoſtis iudicatus exulare cœpit, capil-
lum & barbam promiſerat, in nulla ferme ueſte niſi
ſordida conſpectus. Hæc quidẽ & quòd iam ſeptua
genarius erat, miſericordiam illi uulgo & fauorem
conciliabãt. Cinna Oſtia prius intercepta, ad urbem
copias admouit. Appianus à Mario Oſtiam occupa-
tam ſcribit & direptam, & à Cinnanis Ariminum ad

supertum mare captũ. Octauius consul, quũ ab amicis moneretur, ut seruos ad libertatẽ uocaret, negauit se seruis patriam daturum, à qua Marius arceret, nec interim aliquid moliri, quo Cinnam ab urbe armis excluderet, quo contigit, ut sine ullo maiore certamine Cinna & Marius ad primum accessum Ianiculum insederint. Milites qui in urbe erãt, damnata Octauij tarditate ad Metellum eius Metelli filiũ, qui fuerat à Mario expulsus, imperium deferunt, ille ut moderato erat ingenio, hortatus est ut ad consulem redirent. Illius esse exercitum regere, qui potestate præiret. Eam repulsam milites iniquo animo ferentes, ad hostem transfuere. Qua defectione perculsus Metellus, publicæ cauſæ diffidens, patria excesit.

Octauij consulis cædes.

Octauius q in urbe esse perseuerauit, à militibus qui ad cædẽ præmissi fuerant, multis est uulneribus cõfossus. Appianus autor est sedẽti illi caput à Censorino amputatum, qui exitus certo omine fuerat illi haud multo antea præmonstratus, ipseq; suam cladem auguratus est, ubi caput ex statua Apollinis, sine ulla euidenti causa collapsum, humiq; confixum conspexit. Senatus cõsulis cæde perculsus, Cinnam & Marium per legatos precatur, ne in miseros ciues sæuirent. Cinna Curuli sella ut consul sedens, benigne legatis respõdit. Contrà Marius tacitus sedebat rigidoque & truci aspectu, haud dubie præ se ferens quantã paulo pòst editurus esset stragem. Alijs itaq; urbem irrumpentibus solus ipse ad portas subsistit, ibiq; professus est non licere exuli urbem unde legibus arceret, ingredi. Proinde si quis patrocinio suo indigeret, daret is operam, ut lex de se lata cõfestim antiquaretur. Cõtemptim inde populum in forum uocari iussit, & suffragia eodem ferri. Inde militibus septus, quos præcipites appellabat, urbem ingreditur, dato suis signo, ut quẽ ipse non salutaret, aut salutanti nihil respõdisset, pro hoste haberetur, eumq;

Audi crudele Marij imperiũ

in uestigio obtruncarent. Multi igitur ex eo occursu B contrucidati sunt, & in his Anchurius uir senatorius C. & L. Iulij, Attilius Seranus, P. Lentulus, C. Nestorius, M. Bebius in uijs deprehensi. Interfectus est & Crassus in fuga, qui filium ne ab inimicis trucidaretur, suis manibus interemit, quasi uero ullo maiore supplicio infelix adolescens potuerit affici, quàm ut demum occideretur. Sed sic profecto est, non pauci consilio & malitia, sed multo plures ira & consternatione, in magna prolabuntur scelera. Est deinde cædes per nobilium atq; ignobilium capita sine discrimine euagata. Pauci fuerunt qui non metu mortis amicos & hospites ad se fugientes prodiderint. Vix unũ memorabile fidei exemplum in seruis extitit, qui ex cæsorum numero unum occultè sublatũ, impositoq; annulo pro Cornuto hero suo percussoribꝰ pyræ impositum monstrauere. Eum uero incolumẽ in Galliam deportarunt. M. Antonius orator ea tempestate insignis, quum apud hospitẽ lateret, cauponis indicio proditus est, quia puer ab eo uinum suauius solito mercaretur, res animaduersa est. Vix Marius est à suis retentus quin ipse ad hominis cædem

Antonij oratoris cædes.

occurreret. Milites qui ad Antoniũ obtruncandum missi sunt, illius suauitate demulcti, tãdiu ab eo uiolando abstinuerunt, donec Annius cui id negocium fuerat à Mario demandatum, cubiculum ingressus, increpita suorum ignauia, loquentem confodit. Catulus qui cũ Mario de Cimbris triumphauit, ubi sequoq; morti destinatum sensit, carbonibus in cubiculo nuper illito accensis, seipsum intercluso spiritu peremit. Cadauera passim proiecta horrori ciuibus esse, & quod non mediocri mœrori accesserit, pueri & uxores interfectorum, à seruitijs & ijs qui Mario fœdum id ministerium exhibebãt, cũ multo dedecore ad stuprũ trahebantur, quam rei indignitatem Cinnani milites haud ferendam rati facto in Marianos impetu, id flagitiũ ferro uindicarunt. Ex Syllæ amicis & necessarijs pauci euasere. Ipsius domus euersa A est, bonaq; in publicũ redacta. Eratq; tunc is ciuitatis status, quum Marius septies, Cinna iterum cõsules creati sunt. Cæterũ Calendis Ianuarijs inito consulatu, quia Sextus Lucius calamitatẽ ingentẽ ac cladẽ ex portento quod tum forte acciderat urbi immi nere dixisset, Marij iussu præcipitatus est. Constans fama erat Syllam rebus tũ prospere in prouincia gestis, de reditu ad urbem cogitare. Reputans proinde secum Marius, quantũ periculi instaret sibi, & collegę à ferocissimo hoste, atq; codẽ uictore, uarijs curis anxius, nocturnisq; terroribus inquietatus, in languorem incidit, quo septem dierum spatio cõflictatus perijt, ut C. Piso prodidit. Alij in quibꝰ Posidonius fuit, iliaco morbo consumptũ meminerũt. Excessit, quod satis cõstat, duos & sexaginta annos natus, primus Romanorum omniũ septies consul, uir acri ingenio, & ad rem bellicam potius q̃ urbanam quæsiro, difficile dictu paludatus ne magis utilis patriæ fuerit, an pernicios in toga. Verum inexpleta honorum cupiditas omniũ illi malorũ causa extitit. Moriens crudelem fortunam dixisse fertur, q, priusquam consilia & uota sua explere potuisset, uita decederet, omnium successuum & honorum qui illi in uita cõtigerãt, ut ex ipsius querela apparet, oblitus. At quanto Antiparer Tarsensis gratior, qui uita migraturus eidem fortunæ gratias egisse fertur, q, quũ semel omnino se mari credidisset, optima usus esset nauigatione. Sed sic certe res habet, q totus ex fortuna pendet, nec satietatẽ sentit ullam, nec integrã felicitatem. Cinna Mario defuncto, Valerium Flaccũ sibi collegam ascitum, loco Syllæ hostis iudicati, ad Mithridaticum bellum dimisit. Flaccus Brũdusium progressus, parte exercitus in Thessaliam præmissa, classem prope totã, partim sæuitia maris, partim hostium incursu amisit. Nec multo pòst quia in milites supra modũ sæuiret, ab uniuerso pene exercitu destituitur. Qui ab eo defecere, per Thessaliam in Syllę castra transiuerũt. Ipse cũ reliquo exercitu, qui Fimbriæ quęstoris opera in officio perseuerauit, in Græciam transijt. Erat Fimbria admodum miti ingenio, multaq; bellicæ artis experiẽtia, ac propterea omnibus gratissimus, quo contigit, ut orta inter eũ & cõsulem contentione, Flaccusq; nescio quid ignominiose in Fimbriam decreuisset, illeq; Romam abiturum se dixisset, dignitate etiam spoliauerit, eaq; iniuria ille alienatus, absente consule, prætorẽ quẽ Flaccus in castris substituerat, fascibꝰ militari fauore spoliauit. Inde Flaccum ex Chalcide reuersum, subita ui adortus, exercitu nudauit, nudatum Nicomediam usq; persecutus est, ibiq; in suam potestatem redactum hostiliter interfecit, abiecitq; insepultum. Ita cõsul & imperator Romanus à priuato homine imperio & uita spoliatur. Inde Fimbria aliquot prælia prospere gesit cum Mithridatis filio, quem acie uictum Pergamum usque est persecutus. Ex Pergamo in Pythanem, ubi eum fossa circunsedit. Mox inde quoq; hostem naui ablatum in Mitylenem compulit. Postremo Asiam ingressus, multas hostiũ regiones populatus, Ilium obsedit. Ilienses ad Syllam miserunt, qui illi urbem dederent, à quo legati benigne accepti, iussiq; sunt ad Fimbriam ire, nunciareq; Iliẽses in Syllæ potestate esse. Collaudauit eos Fimbria ut socios & amicos, & quia cognati essent & ꝑgenitores Romanorum, uisere se uelle dixit eorum urbem. Cæterum intra mœnia receptus, ferro in omnem sexum & ætatem immisso, miserabilem Iliẽsium stragẽ edidit, urbem incendit. Qui autores fuerant, ut ad Syllam mitteretur, alios aliis cruciatibus affecit, omnia sacra & prophana, cędę & rapina uiolauit. Mineruæ templum cum ijs, qui eo uelut in asylum confugerant, concremari iussit. Ædificia publica & priuata solo adæquauit. Atq; ita Ilium mille & quinquaginta annis pòst excidium, quod sub Agamẽnone & Græcis acciderat, à Romanis est funditus

Consules.

Marij interitus.

Marius fortunam increpat.

Sylla iudicatur hostis.

Flaccus consul à Fimbria interficitur.

Fimbriæ crudelitas in Iliẽses.

Palladium.

ditus euersum. Ferũt uerum Palladium, quod ad id A tempus fuisset Ilij asseruatũ, illæsum inde inter murorum ruinas repertum. Alij Diomedem extulisse meminerunt. Sub id tempus Mithridates reputans animo, quantum uirium duplici prælio in Bœotia amisisset, per Archelaum inducias belli tẽtare constituit. Archelaus conflati belli culpa in priores Rom. duces, & legatos reiecta, qui sua auaritia & stulta bel

Mithridates ad pacem inclinat.

li cupiditate, Mithridatẽ Romani nominis studiosissimũ, inuitum ad mare traxissent, à Sylla petijt, ut bellum cum rege quibus sibi uideretur conditionibus, modo tolerabiles essent, componeret, futurum pollicitus, ut Mithridates bellum aliorum culpa ortum, Syllę esset arbitrio finiturus. Sylla stipendij inopia, iam enim sacrę pecuniæ quas templis ademerat, consumptæ erant, ipseque non solum ex urbe non expectabat belli adiumentum aliquod, sed hostis iudicatus liberis & uxore secum extorribus, & cum his magnam senatus partẽ ex urbe pulsam cerneret, ad pacem ultro inclinauit, ut rebus in prouincia compositis, ad inimicorum ultionem in Italiam reuerteretur. Pacis itaque cupidus ita Archelao respondit: Profuit, inquit, ô Archelae Mithridati multis cladibus affecto, ob ea quæ patiebatur, legatos ad petendam pacem mittere, inde ordine enumeratis, quæ rex ab initio in Romanos & Romanorum socios, perfide & crudeliter egisset, quibus appareret illum iusta & non iniqua passum, has illi condi-

Cõditiones pacis Mithridati datæ.

tiones obtulit. Exercitus quem Archelaus haberet, sibi traderetur: ut legati & prætores qui in regis potestate erant, cæterique captiui Romani redderentur, darenturq; transfugæ & fugitiui, ut Chij, quos medio belli ardore adempris prius armis, urbeque eductos, cum liberis & uxoribus ad regem miserat, rexque in Pontum ablegauerat in suas sedes restituerentur: ut præsidia deducerentur ex urbibus & locis, quæ Populus Romanus tenuisset, totaque gesti B belli impensa persolueretur. Postremo si Mithridates paterni regni finibus contentus esse posset, futurum, ut Romana arma non ulterius progrederẽtur. Hæc Appianus diserte posuit. Plutarchus duo milia talentorum cum septuaginta nauium classe petisse Syllam sibi dari autor est, & ut Asia, Pamphilia, Bithynia, Nicomedia, Cappadocia Mithridates cederet. Archelaus eductis undique præsidijs, cætera ex regis sententia componenda, in suum in Asiam accessum distulit, in quod tempus Sylla inducias pactus, ne interim in ocio esset, Dardanos Enetos & alios quosdam Macedoniæ accolas, qui Romanarũ rerum perturbatione freti, assiduis incursionibus eã terram infestabant, bello adortus, cæde & populationibus adeò perculit, ut & ipsi supplices pacẽ acceperint. Interim nuncij à Mithridate affuerunt renũciantes regem paratum esse cætera imperata facere, præterquam quòd Paphlagonia à se decessum nollet. Orare ut id Sylla sibi præstaret, præsertim quum multo equioribus sibi conditionibus pax à Fimbria offerretur. Sylla ad ea excandescens: Et Fimbria, inquit, mihi pœnas dabit, & ego postquam in Asiam transmisero, uidebo bellóne magis an pace Mithridates indigeat, ac cum his per Thraces ad Hellespõtum iter intendit, præmisso Lucullo qui haud multo antea cum classe, ex Cypro, Rhodo, Phœnice, & Pamphilia collecta, ægre per difficiles piratarũ congressus ad ipsum uenerat. Superato Hellespõto, Sylla ex Cypselis, Mithridates ex Pergamo in colloquium uenere. Prior rex pauca uerba fecit, quibus omnem culpam eorum quæ acciderant, à se moliri conatus est. Contrà Sylla omnia quæ ille crudeliter ac perfidè in Romanos fecerat, à primis armorũ motibus ad id tempus ferociter executus, adeò Barbarum præsenti accusatione perculit, ut confestim supplicitérque sit pacem complexus, ijs conditionibus quibus iam antea per Archelaum mota fuerat. Atq;

Mithridatis et Syllæ congressus.

ita Mithridaticum bellum ad tempus est sopitũ. Secundum eam pacem Sylla exercitum à Fimbria sibi dari popoſcit, quod ipsum quia sibi negatũ iri haud ignorabat, ducem ipsum & exercitum fossa circundedit. Nihil nõ fecit Fimbria, ut milites in officio retineret, uerum ubi eos detrectare pugnam & ad defectionem spectare uidit, Syllæ percussorem subornauit, cuius indicio proditus, colloquium ab eo petijt. Rutilius est à Sylla missus, iussusque illi denunciare, si solus uellet Asia excedere, futurum ut Syllæ præsidio usq; ad mare incolumis abiret. Facilius se iter habiturum si decedendum sit, Fimbria respondit, ac cum his Pergamum reuersus in templo Æscu

Fimbria sibi manũ infert.

lapij sibi manum intulit. Sed quum id uulnus minus alte esset impressum, seruum hortatus est ut incœptum iuuaret. Is herum primo, mox seipsum ferro transegit. Et Fimbria in hunc modum perijt. Eius exercitum benigne Sylla suscepit clementerque sub signis habuit. Inde Curioni dat negocium Nicomedis & Ariobarzanis regum, huius in Cappadocium, in Bithyniam illius reducendorum. Atq; rebus Asię utcunque ad tempus pacari potuerunt, constitutis, Ilienses, Chios, Lycios, Rhodios, & Magnesios, qui publica, aut sua causa, alij alias clades & incommoda adierant, libertate donauit, amicitiæque Populi Romani ascripsit. Contrà plurimis Asiæ ciuitatibus libertas adempta est, urbiumque mœnia funditus diruta. Postremo ab Ephesijs & alijs ciuitatibus quæ pro Mithridate steterãt, fuerantq; in Romanorum ciuium cæde adeò illi gratificatæ, ut ne ab ijs quidem qui in templa confugerant, ferrum abstinuissent, ita acerbè tributum exegit, ut multæ earum coactæ sint ob inopiam Theatrum, Gymnasia, Porticus, aliaque publica ædificia creditoribus addicere. Sylla ex Asia profectus triduo Piræum tenuit, ibique Eleusinis initiatus, ex Apeliconis Teij Bibliotheca omnia Aristotelis & Theophrasti, siqua extabant, uolumina deprompta Romam deportauit, quorum Tyrannio grammaticus partem maximam in numerum digesit. Cæterum in Theophrasti libris cognoscendis non adeò multi sunt, ut in Aristotelis scriptis uersati, Nelei Scepsij causa, cui Theophrastus suam Bibliothecam legauit, quæ ad imperitos homines postea delapsa est, quos nulla honoris aut laudis tetigit cura. Ex Athenis Sylla per Thessaliam & Macedoniam ad mare descendit, mille & ducẽtis nauibus ex Dirachio Brundusiũ transmissurus. Proxima est Dirrachio Apollonia, & circa hanc Nympheum. Sacer ibi lucus, uirenti colle, ac pratis, quæ fontes multifariam irrigant. Hic sub id tempus, quo Sylla eo cum exercitu uenerat, Satyrum animal humano ore, atque ea forma, qua pingitur, somno pressum atque ita captum locorum ac-

Satyrus ad Syllã perducitur.

colæ ad Syllam uinctum perduxerunt: ibi haud una uoce interrogatus quis esset? multisq; uariarum linguarum peritis ad hoc ipsum adhibitis, tantum uociferatus dicitur, uoxque aspera ex eo profecta, inter balatum & hinnitum media. Sylla religione tactus, datis comitibus, qui eum in solitudinem deducerent, missum fieri imperauit. Æstimabunt hæc alij, ut uolẽt, nam in his fidem meam, ut sæpius sum testatus, nunquam obstrinxerim. Cæterum si opinatio omnium libera est, non Satyrum, sed malum dæmonem eum fuisse crediderim, qui Syllæ ad Italiæ & urbis uastationem redeunti, ea forma sese obtulerit, qui ad id scelus exequendum hortaretur, ut per id omen acciperet facile cætera terrestria suę felicitati cessura, cui dij quoque qui terras ipsas colerent cessissent. Quanquam ab initio huius belli & alia quædam terrifica accidisse dicuntur. Nã & mu-

Prodigia.

la peperisse fertur, & mulier uiperam pro infante enixa est. Terra in urbe adeò horrende mota, ut quibusdam in locis omnino soli faciem mutauerit. Capitolium anno circiter quadringentesimo, ex quo

conditum erat, incendio est consumptum. Fuerunt qui Gn. Carbonis qui tum consul erat, opera ignem templo immissum arbitrarẽtur. Sylla priusquam ex Dyrrachio transmitteret, milites pro concione hortatus dicitur, ut in officio permanerent, omnesq; nouo sacramẽto adegit, haud enim in pacatum deportabatur exercitus. Quindecim Marianarum partiũ imperatores, sub quibus quadringentæ quinquaginta armatorum militabant cohortes, Italiam obtinebant. Cæterum ea res non solum nõ terrori Syllanis fuit, sed alacri animo operam suam polliciti, certatim singuli aliquam ipsi duci ad usum belli pecuniam obtulerũt. Collaudato militum in se studio Sylla nihil accepit. Inde spei plenus in Italiam transmisit. Mille & septingentæ naues, ut Appianus scribit, sub Syllæ imperio fuerunt, & armatorum quadraginta milia, in quibus sex Italicæ erant legiones. Liuius autor est ex Brundusio, ubi Sylla exercitum exposuit, legatos Romam missos, qui ipsius nomine pacem peterent, ciuesque ad concordiam hortarentur, qui contra ius gentium ab Gn. Carbone consule uiolati sint. Affuit itaq; Syllæ haud multo post ipsum appulsum, primus omnium Cecilius Metellus, qui à Cinna & Mario ex urbe pulsus, in Liguria usq; ad eius reditum se tenuerat, totius rei euentum opperiens. Secutus Gn. Pompeius Strabonis filius, qui sociali bello Asculũ occupauit. Is quum uix pubescere cœpisset ex Piceno uolũtariorum legionem adduxit, quam paterni nominis fauore fretus in ea gente ad bellũ cõcitauerat, mox duæ legiones priori additę. Fuit in gerendis rebus Pompeius Syllanis partibus supra ætatem utilis. Nec Sylla cuiquã suorum ducũ maiores honores impertiuit, quippe cui uni uenięti assurgeret, uni caput nudaret, eumq; honorifice appellaret. Venit & Cethegus secundũ Marium & Cinnã Syllano nomini antea infestissimus, cæterum impetrata uenia, mirifice in partibus fuit. Et iam consules Romæ erant, C. Norbanus & L. Scipio. Cinna quum superiore anno se consulem cũ Papyrio creasset, cogeretq; inuitum exercitum naues conscendere, ut aduersus Syllam in Asiam transmitteret, subito militum incursu fuerat interfectus. Primi igitur omniũ Norbanus & Marius Iunior in Campania, ut Plutarchus scribit, cum Sylla acie congressi, septem milia hominum amisere. Appianus circa Cannusium ait pugnatum, cæsaque sex milia militum, ex Norbani exercitu. Consul uictus prælio, Capuam se recepit. Scipio eius collega, cum ualido exercitu, sed abiectiore animo, Syllæ haud multo pòst est obuius factus. Cęterum mentione pacis iniecta, quum citro ultroque à Scipione ad Syllam, & ab eo rursus ad Scipionem legati commearent, corrupto ab hoste exercitu, consul ipse & filius à militibus relicti, in Syllæ potestatem uenerunt, incolumesque sunt ab eo dimissi, ut Marianorum consilij expertes. Appianus autor est Scipionem fraude in spem pacis adductũ, exercitu occulta illecebra corrupto, ab hoste spoliatum. Misit & ad Norbanum Sylla, qui cum eo de pace ageret, dubium an eo cõsilio ut hunc quoque uelut Scipionem spe pacis iniecta reliquo exercitu priuaret, uel quia consensum Italici nominis aduersus se formidaret. Nemo fere non Syllam per id tempus ut publicum hostem capitaliter oderat, uulgoque arbitrari eum ad excidiũ, non solum urbis, sed totius Italiæ, cum tam numeroso exercitu reuersum. Metellus eodẽ tempore & qui ad Syllam se contulerat, C. Carbone & alijs Marianis annitentibus, hostes sunt à senatu iudicati, actum demum Capitolium Carbonis opera plerique, ut dixi, incensum crediderunt, alij consulum iussu id factum arbitrati sunt. Causa tamẽ in occulto fuit. Sertorius qui cõditionibus pacis tum primum motis Suessam Syllæ ademerat, eam inuito etiam consule aliquandiu retinere perseuerauit: ubi Scipionem cuius ductu militabat, armis exutum uidit, in Hispaniam cuius erat iam antea prætor designatus, nauigauit. Norbanus Capua profectus, auersis à Sylla itineribus, in Cisalpinam Galliam transijt, exercitum reparaturus: Scipio & ipse in comparandis uiribus pari studio erat occupatus. Sylla interea plerisque Italiæ locis, aut metu aut uoluntate sibi adiunctis, in dies terribilior hostibus fiebat. Abijtque per hæc prima æstas belli huius ciuilis in Italia gesti. Sequens annus consules habuit, Papyrium Carbonem, & Marium senioris Marij, ut Liuius & Plutarchus scribunt, filium, ut Appianus, affinem. Liuius uiginti nec amplius tum natum fuisse annos prodidit, quum cõsul est creatus. Appianus septem & uiginti. Primi itaque conflictus sequentis anni sub uernum tempus fuere circa Esim fluuium. Ego hunc esse crediderim, quem alij Esim uocant, antiquissimum, ut Strabo ait, Italię terminum. Hic Metellus Syllanarum partium dux, Carinam Carbonis prætore meridiano prælio pepulit, mox Carbo Metellum ad obsidionem usque insectatus est. Diuersa parte Italiæ Marius cum quinque & octoginta cohortibus ad Sacriportum, haud procul Prænestę cum Sylla conflixit, ibique sinistra acie inclinante, quinque cohortes cum duabus alis equitum, ad Syllam transiuere, quæ subita defectio tantum metum Marianis in acie stantibus iniecit, ut continuo fuga inde secuta sit, mox & cædes passim totis campis edita. Marius celerrimo equi cursu seruatus, à Prænestinis per funem, quia clausæ essent portæ, per muros est in urbẽ acceptus. Viginti milia Marianorum sunt eo die cæsa, & octo milia capta. Aiunt eam cladem à seniore Mario per quietem ipsi consuli demonstratam, sed fatum mutari nequiuisse. Fenestella prodidit Marium prælio non interfuisse, sed dato signo pressum somno iacuisse, perditis quę demum rebus, tumultuose experrectum, ac tum uix tempus ad expediendam fugam illi datum. Per eos dies, quibus ita est ad Sacriportum dimicatum, Carbonis exercitus à Metello superatur, & Pompeius Marium circa Senas debellauit, urbemque hostiliter diripuit. Interea plerique Syllanarum partium senatores, sunt Romæ obtruncati à L. Damasippo urbis prætore, & in his Mutius Scæuola pontifex maximus in uestibulo Vestæ interfectus. Sylla Marium fossa & uallo Prænestę occlusum, per Lucretium Offellam, quem operi præfecit, obsidione fatigat. Ipse Pontio Thelesino Samnite, & Lamponio, qui cum uiginti milibus hominum ad Marium obsidione eximendum uenerant, Romam metu compulsis, castra in campo Martio fecit, inde urbem ingressus, seditiosissimi cuiusque bona, qui metu urbe cesserant, in publicum redegit. Populum deinceps pro concione affatus, spem omnibus fecit, breui futurum, ut pacatiorem ciuitatis statum cernerent, ipsamque rempublicam in pristinam dignitatem restitutam, inde quibusdam ex suorum numero urbi præsidere iussis. Clusium cum exercitu contendit, pugnatumque est sub eius accessum ad Clanium fluuium: interfecti eo congressu quingenti equites, qui ex Celtiberia ad consules uenerant, nonnulli & sponte ad Syllam defecere. Nec multis inde interiectis diebus alterum prælium Sylla prospere ad Saturniam pugnauit, ubi Carbonis copiæ fuga dissectæ stratæque sunt. Est & ad Clusium, haud multo pòst per totum diem inter Syllam & Carbonem dubio marte certatum, quibus diebus Pompeius & Crassus, Syllanæ factionis duces, tria milia hostium in Spoletino agro interfecerunt, Carina cum reliquo exercitu obsesso. Sed ille noctis beneficio usus deceptis hostibus, se & suos periculo subtraxit tacita profectione. Premebatur interim Marius rerum omniũ inopia Prænestę circunsessus, quod ubi Carbo eius collega

Belli apparatus.
Esis fluuius.
Sacriportus.
Pompeij indoles.
Cethegus.
Pompeius Senas diripuit.
Scæuolæ cædes.
Syllæ successus in campania.
Clanius fluuius
Saturnia.
Varij partium conatus.

collega accepit, Martium cum octo legionibus Pręneste ire iubet, Mario suppetias laturum. Hunc insidijs exceptum, Pompeius cum multa cæde in tumulum quendam editiorem compulit, noctuque inde Martius digressus, à toto penè exercitu reliquitur. Pars arreptis signis Ariminum contendit. Alij in suas urbes dilapsi abierunt. Septem tantum cohortes cum ipso duce ad Carbonem, infecto negocio retro reuersæ sunt. Marius desperato suorum subsidio urbe egreditur, ac multum diuq; conatus hostium munitiones refringere, ut in apertũ euaderet, sed à Lucretio qui longè uiribus præstabat, in oppidum cõpulsus est, & ut per partes ubiq; Mariani uincerentur, per eos ipsos dies Carbo & Norbanus haud procul Fauentia, quum iam aduesperasceret, Metellum munitiore se loco tenentem, temere adorti, non modo non clade aliqua affecerunt, sed ipsi locorum inicquitate uicti, omnes propemodum copias amiserunt, ex milibus in pugna cæsis, & sex, ubi amplius res inclinare cœpit, ad hostem transgressis, cęteri fuga dispalati, quo quenque impetus tulit, alij aliò in tutum concesserunt. Hanc cladem alia recens secuta est. Lucanorum legio, quæ sub Albinouano erat, ubi res à consule & Norbano perditas audiuit, ad Metellum & ipsa fugam intendit, quæ militum inclinatio, ipsum quoque ducem traxit in partes. Verum ne ea transitio sine aliquo merito fieret, C. Antipestrium & Flauium Fimbriam Carbonis prætores ad se uocatos Albinouanus pfide interemit, atque ita suorum cæde pollutus, ad hostem perfugit. Norbanus ubi rem ad defectionem spectare uidit, quum iam nemo in fide mansurus uideretur, ex Ariminо Rhodum nauigauit, unde postea à Sylla repetitus, ubi Rhodios ad dedendum se inclinatos uidit, medio foro sibi manum intulit. Post Norbani discessum Galathę, qui superiora Alpium incoluntq; quique ad id tempus sub eo fuerant, ad Metellũ defecerunt, reliquum Carbonis exercitũ eodem tempore Lucullus circa Placentiã oppressit: quę quum Carbo qui absens erat, cognouisset, etsi xxx. milia hominum adhuc Clusij sub signis erant & duæ sub Damasippo legiones, aliæq; cum Carina & Martio, desperatis rebus cum paucis amicorum ex Italia in Libyam nauigauit, eo consilio, ut in Aphrica repararet bellum. Ex ijs q Clusij relicti sunt cum Pompeio acie confligere ausi, plus dimidio in pugna cecidere. Martius & Damasippus, cũ cęteris copijs uelut Romam occupaturi, in Albano confederunt. Affuit Sylla urbi metuens, circaque Collinam portam est acie dimicatum, fuitque ipse dextro cornu superior, altero uictus est, & ad portas urbis reiectus, cædesq; terrima in illis edita. Ad postremum Martiani uicti fugam capessunt. Ceciderunt ea pugna ex utraque parte quinquaginta milia hominum, x. ex uictis capta. Sanites, qui in numero captiuorũ reperti sunt, sex milia numero, Syllæ iussu in circo maximo interficiuntur, dum ipse interim in templo Bellonę senatum haberet, ad quem locum quum clamor & gemitus cadentium peruenisset, incussissetque terribilis ille fremitus patribus pauorem, dixisse fertur, ne superuacua attenderent, esse illos flagitiosos quosdam quos corrigi iussisset, atque ita interfatus insti tutum sermonem repetisse. Liuius octo milia deditorum fuisse scribit, qui in publica uia trucidati sint, postridie Martium & Carinã ex fuga retractos Sylla securi percussit. Eorum capita Pręneste allata, quibus inspectis, Prænestini quia nulla spes amplius in partibus esset, urbem Lucretio dedunt. Marius fugã cuniculo molitus, ubi omnia obsepta ad salutem uidit, manum sibi intulit. Sunt qui uiuum in hostium potestatem uenisse dicãt, atq; à Lucretio interfectũ. Caput eius postea Romam missum, in rostris suspẽdit Sylla, oportere dictitans iuuenem prius remo q̃ gubernaculo admoueri, intempestiuum eius consulatum irridens: quicunq; etiam Romanorum Prænestę fuerant, præter paucos senatores qui cum Mario urbem iniuerãt, quos Lucretius occiderat, ab eo seruati sunt. Samnites & Prænestinos præter filios & uxores, quos liberos dimisit, ex urbe eductos ferro conficiendos militibus obiecit, urbem hostiliter diripuit. Norbani, qui & ipsi in partibus fuerãt, Prænestinorum excidio cõsternati ubi urbem ab hoste occupatam sensere, multi sibi manũ intulerunt. Alij se mutuis confecerunt uulneribus. Quidam se & liberos, cum tota domo concremarunt. Ad postremũ ita ferrum & flãma omnia cõsumpsit, ut præter agrũ & aream, nihil ex capta urbe ad uictores peruenerit. Et in Italia toto triennio post Syllæ reditum, hoc demum est euentu inter ciues bellatum. Ipse missus in Aphricam Pompeio, ad Carbonem & reliquias partium cum eo debellandas, Romam reuersus, crudelissime in Marianos uictoriam exercuit. Multi clari & illustres uiri fœde trucidati sunt, & in his Marius uir senatorius, quem brachijs & cruribus fractis, nasoq; & auribus fœde mutilatis, ac postremo effossis lũminibus, insigni crudelitatis exẽplo necauit, Marij credo nomen in eo potissimũ persecutus. Et iam urbs referta erat cadaueribus, quum Sylla à Metello in curia rogatus, ecquisnam præsentium malorum finis esset, aut quæ futura ferri requies? respondisse dicitur, nondum se compertum habere qui seruandi essent. Tum Metellus: Statue, inquit, Sylla quos demum perditum ire uelis. Atq; ita ille monitus xl. senatores, mille & sexcentos equites uno tempore proscripsit, primusq; omnium nefarium proscribendorũ ciuiũ morem induxit. Ascripsit & percussoribus sua præmia. Contrà occultantibus supplicia. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulsiones ciuium, bonorũ publicationes, iudiciaq; priuatorum per Italiam dire exercebantur, quibus exhaustis, ciuitates ad pœnas publicè deuocatę. His arces, illis thermę, quibusdam mœnia adempta, alijs pecuniæ mulctæ nomine ascriptæ, & ex his pleraſq; colonias fecit, atq; ita supra c. milia hominum quos in agris collocauerat, sibi perpetuo obsequio & beneuolentia obstrinxit. Priuauit adhæc proscriptorum filios nepotesq; honoribus. Proditum est quosdam nullam aliam ob causam, nisi quia diuites essent, in proscriptis relatos. Q. Aurelius, homo ciuilis ocij & quietis amicus, quiq; ea temporum nouitate in nullis fuerat partibus, forũ ingressus, quum ad proscriptionis tabulam secutus uenisset, offendissetq; in ea præter spem nomẽ suum, exclamasse fertur, heu mi serum, Albana me uilla perdidit, paululumq; inde progressus, à percussore iugulatus est. Dictaturã Sylla in cxx. annos induit, fecitq; magistratum ipsum perpetuum, quum semestris, ex maiorum instituto, ad id tẽpus fuisset. Pompeius interea Carbonem ex Libya in Siciliam digressum, & ex Sicilia in Corsicã fugam molientem, medio conatu interceptum capitis condemnauit. Attulit res inusitatum spectaculum, cæterũ atrox fœdumq;, militibus pro concione stantibus mœrorem incredibilem. Romanus nobilis, & qui ter consul fuerat, triplici catenarum serie uinctus, uelut latrocinij damnatus, ignominiose ad supplicium est perductus, addiditq; ipse morti dedecus, quod tanq̃ uitæ cupidus, ubi ferrum in se strictum uidit, spacium poposcit ad exonerandum uentrem. Fuit annus ille quo Sylla se perpetuũ dictatorẽ dixit, sexagesimus octauus ac sexcentesimus ab urbe condita, qui in septuagesimam quintã ac centesimã incidit Olympiadẽ, ut ex Eusebio colligit, cui Appianus haud dubie astipulatur, qui Olympiadę quę hãc proximè præcesserat, Syllã ex Mithridatico bello in Italiã reuersum autor est. Bellatũ inde triennio in Italia inter ciues, prius q̃ Sylla rerum potitus sit. Fuerunt hac tempestate uiri ingenio clari, T. Lucretius poëta, qui amatorio poculo in furorem

Marij conatus
Norbanorum excidium.
Prælium in urbe
Marij senatoris supplicium
Q. Aurelij cædes.
Direptiones urbium.
Marij interitus.
Anni Ro. urbis.

uersus,aliquot uolumina per insaniæ interualla scri
psit, ad postremum ipse sibi manum intulit. Cicero
Viri illustres. eius libros emendauit. Fuit & L. Pomponius Bono
niesis Atellanarũ autor. Plocius Gallus qui primus
Romæ rhetoricé latine docuit. Catullus Veronésis,
& Crispus Salustius qui Romanam scripsit historiã.
Amiterni hic in Sabinis, ille in Syrmione Benaci in-
sula ortus est, & Atace uico Narbonensis Galliæ na-
tus Terentius Varro, cognométo Atacinus, L. Octa
cilius Pilutus & ipse per id tẽpus rhetoricen docuit.
Fuit is Pompeij magni præceptor, primusq; Liberti
norum apud Romanos historiã scripsit, ut Tacitus
Cornelius prodidit, quum ad id tempus ingenui dũ
taxat scribere consuessent. Materia illi fuit Pompeij
Strabonis, qui Pompeium magnum genuit, sociali
bello gesta. Regnabant per id tempus Mithridates
in Ponto. Tigranes in Armenia: In Iudæa Alexãder
iunioris Aristoboli pater, Auletes Ptolemæus in Æ-
gypto. In Syria Antiochus & Philippus Demetrij
fratres, quem à Mithridate Parthorum duce captũ
diximus, hi aliquot annos post eius captiuitatẽ Sy-
rię regnum tenuerunt, Arabico bello plurimum oc-
cupati. Eratq; tum rex eius gẽtis Herotimus, uel ob
Herotimi so- fœcundam sobolem memorabilis. Trogus Pompe-
boles. ius, nisi id mendose apud illũ scribitur, autor est sex-
centos ei ex numeroso pellicatu filios fuisse, per
quos uarie bella administrabantur. Huiusmodi præ
fidio fretus Herotimus, Syriæ erat & Ægypto infe-
stus. Nec Philippus & Antiochus, cui Liberi patris
cognomẽ fuit, multũ inter se concordi animo esse,
quin domestico malo, & quasi furijs quibusdam ad
regni euersionem impulsi, eò mutuo odio processe-
runt, ut domesticum certamen cum ipso regno fini-
uerint. Erat itaq; Antiochus tũ forte Arabico bello
implicitus, quum Philippus illius absentiã nactus,
Prodita Da- Damascum proditione occupauit. Fuit inter Dama
mascus. scenos Milesius quidam *huiusmodi illustris*, qui ar-
cem Philippo tradidit. Is ubi non præmium modo,
sed ne gratiam quidem ullam ab eo se laturum uidit
(iam enim cœperat regi suspectus esse) suis popula-
ribus autor fuit, ut Philippum ad campestrẽ medita
tionem egressum urbe excluderent, sicq; accidit, ut
paucis diebus, Damascus unius arte bis sit prodita.
Antiochus ex Arabia reuersus, quia Philippus pro-
cul Phœnice aberat, in Iudęam uertit impetũ. Huius
uires ueritus Alexander, qui tum Hierosolymis re-
gnabat, à Carphala, quæ postea est Antipatris dicta,
ad Ioppen murum centũ quinquaginta stadiorũ spa
tio, turribus interiectis, late hostibus obiecit. Antio
chus perrupta Alexandri munitione, in Arabiam i-
terum concesit, ubi commisso prælio quum iam e-
gregie uinceret, mediaq; acie incautus uersaretur, le
tali uulnere accepto concidit. Rege extincto Syri fa
cile uincunt, multi sunt in acie cęsi, sed plures omni
no in fuga. Qui superstites fuerunt, ab hoste circun-
uenti, fame consumpti sunt. Tenuit post hunc mino
rem Syriam Aretas, à Damascenis in Ptolemæi inui
diam ad regimen uocatus. Erant Ptolemęo Dama-
sceni irati, quod ex Ægypto cũ exercitu accersitus,
quum Alexandrum Iudæorum regem cuius opes
Damascenis inuisæ erant, prælio ad Idida uicum su-
perare potuisset, eiusq; regnũ euertere, nescio quid
pecuniarum cum eo pactus, prouincia excesisset.
Post Ptolemęi digressum Alexander qui in armis e-
rat, Essemon cepit, Gaulam & Seleucam, & uallem
quæ Antiochi dicebatur armis subegit. Cepit & ca-
stellum Gamala. Et Alexandri expeditio tam felix
fuit, ipse Hierosolymam reuersus magno omnium
fauore & gratulatione accipitur, eratq; iã omnis ora
Syriæ Iudaicæ ditionis facta, à Stratonis turre Rhi-
noceram usq;, quę fuit citra Raphiam, & introrsum
plurimæ urbes & castella Alexandri regno cesserãt.
Ipse uero haud omnino pacatus agere, bella bellis
serendo, plurimum in armis esse, quoad morbo mul

A ta crapula contracto interijt, quum Rabagam castel *Alexandri*
lum trãs Iordanem obsideret, annos septem &. xx. *interitus.*
regno potitus. Erat in castris uxor eius Alexandra, *Alexandra.*
quæ tandiu uiri interitum in occulto habuit quoad
Rabaga potita sit, mox uictrix Hierosolymam re-
uersa, Pharisæos, quorum magna erat apud populũ
autoritas, complexa, per eos regnum à marito per
manus acceptum, sibi & duobus paruis filijs, Hircа- *Hircanus &*
no & Aristobolo stabiliuit. Hircanum qui mitiore *Aristobulus.*
erat ingenio, principem sacerdotum instituit. Aristo
boli natura ferocior, & à re bellica minime abhor-
rens. Cæterum dum ambo adolescunt, reginę appel
latione contenta, omnem ferè regni administratio-
nem in Pharisæos contulit. Regnauit illa per hęc an
nos nouem, perijtque ut Iosephus scribit, septuage-
naria: quo apparet Hircanum & Aristobolũ sub pa-
tris exitum, non pueros sed iam puberes fuisse, nisi
credat aliquis Alexandram quinquaginta & ampli-
us annos natam peperisse, sed mulier plurimũ qua- *Mulieris na-*
dragesimo anno sistit genitalem fluuium, ad quin- *tura.*
quagesimum tamen annum in nonnullis extendi-
tur procreatio. Cornelia ex Scipionum gente diuer
sa ab ea, quę fuit Gracchorum mater, Volusium Sa-
turnium uirum consularem, duos & lx. annos nata,
ut Plinius scribit, enixa est. Sed taliũ fides erit apud
eos quibus fuit curæ hæc prodere, nam qui annorũ
quinque &, lxxx. puerperas tradiderunt, magis mi-
randa quàm credenda mihi secuti uidentur, nisi ad
diuinam prouidentiam tam sera procreatio referа-
tur. Alexandra adhuc in humanis agente, quum Sy-
riæ res domestica regum discordia penè afflictæ es-
sent, omnes ferè eius terræ populi ad externa auxi-
lia peregrinosque reges, studia & fauoré uerterunt.
Pars Ptolemæum ex Ægypto accersendum cense-
bant, alij Mithridatem, plures ad Tygranem incli-
nabant, qui Parthica societate fultus & Mithrida- *Tygranes Sy-*
B tis affinitate, cum trecentis milibus hominum om- *riam occupat.*
nem superiorem Syriam ingressus, breui occupa-
uit, annosque duodeuiginti sine maiore aliquo re-
rum motu tenuit: quo tempore, sicut omni bello-
rum molestia tuta fuit Syria, ita crebris motibus ter
ræ fœde uastata est, qua clade centum septuaginta
hominum milia, ut Trogus scribit, multæque ur-
bes unà interierunt, quod prodigium mutationem
rerum quæ postea secuta est, portendere aruspices
responderunt. Sed dum Tygranes Syriam sibi uen-
dicat, Mithridates in nouum bellum penè inuitus
recidit. Fuerat L. Murena in Asia à Sylla relictus cũ
duabus legionibus. Is triumphi cupidus, undique
belli materiam captabat, erat Mithridates per id
tempus Bosphorano bello occupatus. Cimmerij
Bosphori accolę & Colchi ab eo alienati, eius filium
sibi regem deposcebant, quem Mithridates ob id
aureis catenis uinxit, uinctumque necandum cu-
rauit. Ea res non modò non extinxit ferociſimа-
rum gentium motum, sed uehementer etiam accen
dit: duabus itaque gentibus tumultuantibus, coa-
ctus est rex, super terrestres copias, classem etiam ad
id bellum instruere. Percrebuerat interim fama bel
lũ à Mithridate in Romanos parari, ad quos rumo-
res Murena tanquam ad clasicum quoddam belli-
cum temere excitus, cum uniuerso exercitu per Cap
padociam Comana duxit, omnium urbiũ quæ Mi-
thridati parebant longe opulentisimam. Hic nõ-
nullis ex regio equitatu interfectis, pecuniaque ex
sacro templo direpta, totam regionem Murena ho- *Murenæ mo-*
stiliter uastauit, regios inde legatos aspernatus, qui *tus.*
fœderis cum Sylla icti, identidem admonendo, ora-
bant ne pacẽ temere uiolaret, tumultuose Halim flu
uium transgreditur, quadringentasque Mithrida-
tis uillas fœde populatur. Rex ad Syllam & senatũ
misit de Murenæ iniuria questum, nec legati certi
quicquã ex urbe retulerũt, nisi quod senatus iusisi-
set ut regi parceretur, cũ quo induciæ pactæ essent.
Nec

Vincitur Mu- Nec Romanus dux iam inde iniuria abstinuit, quo
rena. accidit, ut ad Halim cum Mithridate congressus ca-
stris & exercitu exutus, in Phrygiam turpiter aufu-
gerit. Eo expulso Mithridates Cappadociam per o-
cium occupauit, qua recepta, *sui militari* sacrificiũ
fecit, cui lignorum struem ingentem more gentis,
multis odoramentis in unũ congestis incendit. Nec
ita multo pòst Gabinus in Asiam uenit à Sylla mis-
sus, cui, indigne regem oppugnari ratus, ut bello ab
stineretur edixit. Restituta igitur Cappadocia Ario-
Pax Mithrida- barzani, cui adempta erat, Mithridates Romano bel
ti redditur. lo solutus, Bosphoranos per ociũ domuit. Pompe-
ius interea Carbone, ut diximus, in Sicilia oppresso,
quum ad ordinandum insulę statum animum adie-
cisset, ciuitatesq; tanto rerum motu perculsas clemẽ
ter acciperet, unis duntaxat Mamertinis infesto fu-
isse animo traditur, quibus petentibus sibi ius dici
ex ea iuris formula quæ à Po. Ro. sibi olim concessa
esset, Mittite, inquit Pompeius, undiq; armis septi
iura & leges celebrare. Idem quũ in uniuersam ciui-
tatem alterius populi animaduersurus consedisset,
rogatus à sene quodam ut reos prius audiret, ne iu-
xta nocentes innoxijq; plecterentur, eum Pompei-
us in quæstionem arripuit, tum ille seipsum ultrò
Senis fiducia. est defectionis autorem fassus, quoniam id flagitiũ
ciuibus persuasisset suis, dignus à Pompeio iudica-
tur, qui ob eam fiduciam non sibi solum, sed uniuer-
sæ etiam ciuitati ueniam impetraret. Sed dum hæc
in Sicilia aguntur, literæ illi à Sylla & senatu reddũ-
tur, quibus iubebatur in Aphricam aduersus Domi
tium trãsmittere. Is oés secũ copias habebat quibus
Marius usus fuit in Italiam ab exilio reuersus. Cum
sex legionibus Pompeius, &. cxx. nauibus ad bellũ
profectus, ubi Aphricam tenuit, tãtum hostibus ter
rorem suo iniecit appulsu, ut cõtinuo septem arma-
torum milia à Domitio ad illum transfuerint. Fuit
inde aliquot dies exercitus in eruendo Carthaginis B
solo occupatus, spe pecuniæ inueniendæ, quam ex-
tremis suis temporibus Pœni obruisse credebãtur.
Fecerant rei fidem raræ quædam pecuniæ, in quas
milites, quum forte aliud quęreretur, incidissent, ua
na inde spe elusi, posteaquam multum laboris fru-
stra est exhaustum, ut inde continuo abducerentur
Pompeium milites rogare occœperunt, qui ab ini-
tio uanam tot milium hominum cupiditatem asper
natus, eam militibus ueniam dandam, ut in cæteris
obsequentiores haberet, existimauit. Itum inde in
hostem, estq; cœlo imbribus & fragore maximo ob
strepente prospere cum eo dimicatum. Ex. xx. mili-
bus, qui cum Domitio erãt, uix tria milia ex acie cũ
ipso duce excesserunt, ibiq; Pompeius imperator ab
Pompeius à su- uniuerso exercitu appellatus, se eam dignitatẽ haud
is imperator quidem admissurum respondit, nisi prius esset hosti
appellatur. um castris potitus. Nec ulla quidem mora fuit. Ca-
stra momento temporis oppugnata captaq; sunt.
Dux quoq; & qui cum illo prælio superfuerant, ad
unum interfecti. Hiarbas rex qui cum Domitio bel
lum instruxerat, captus est, Hiempsalq; illius loco
regnare iussus. Pompeius secundum eam uictoriã
nonullos dies consumpsit in Numidicis feris agitã-
dis, testatus ne beluas quidẽ Aphricę indigenas Ro
mani roboris ignaras esse oportere. Omne Aphrica
ni belli tempus xl. habuit dies. Vticã inde reuersus
Syllæ dictatoris literas accepit, quibus significaba-
tur, ut dimisso exercitu cum una legione succedorẽ
expectaret. Tulit Pompeius id Syllæ imperium ini-
quo animo, sed milites multo iniquiore, ut pro con-
cione tumultuosa acclamatione moneretur, ne tyrã
ni literis pareret. Ille etsi non mediocriter animo af
fectus, quod præter spem suam priuatus erat in Itali
am rediturus, parendũ tamen dictatori censuit. Cę-
terum circũfusa multitudine, atq; exercitum & im-
perium retinendũ affirmante, nec Pompeius æqui-
ora monendo quicq; proficeret, testatus est sibi ma-

A num illaturũ, si à Syllæ imperio se abstrahere cona-
rentur. Quieuit inde exercitus, sed rumor nihilo se-
cius Romã est perlatus, Pompeiũ cũ exercitu à Syl-
la defecisse, ac tum ille inter suos questus dicitur, q;
fatale sibi esset, ut iam senex factus, cũ pueris disce-
ptaret, ad iuniorẽ Marium adagium referẽs, quẽ an-
te uigesimũ annum consulẽ factum hostẽ habuerat.
Pompeius quatuor tũc erat &. xx. annos natus. Sed
ubi ea quæ facta erãt uerius audita sunt, & iam no-
uo decreto inde accersitus Pompeius Romã uenire
dictus est, Sylla cum ingenti multitudine illi obuiã
processit, eũq; ad primũ congressum Magnũ appel- *Pompeius Ma-*
lauit. Sunt qui dicãt Magni cognomẽ illi, quũ in A- *gnus.*
phrica adhuc esset, fauore militari datum. Appianus
Pharnace penè prius fugato q̃ uiso, Cęsarẽ exclamas-
se ait. Hi sunt qui te magnũ fecere Pompei, quę uox
significare uidetur ex ea nobili uictoria, quã Pompei-
us ex oriẽte reportauit, Magnũ appellari contigisse.
Cæterũ satis constat tum primũ in epistolis Magni
appellationẽ usurpasse, quum in Hispania aduersus
Sertoriũ gessit bellũ. Fuit ea appellatio quidẽ ingẽs,
& quæ Romanorũ nulli ad id tempus contigerat,
quũ Maximi cognomẽ duobus contigisset, & quod
magis mirum sit, ex urbanis actionibus Valerio qui
patres à plebe discedẽtes recõciliauit, & Fabio Rul-
lo, per quẽ diuites quidã Libertini generis curia sub
moti sunt. Obstitit Sylla nõnihil Pompeio triumphũ
de Hiarba, quẽ cum Domitio uicerat, petẽti, quũ di-
ceret eum honorẽ consulibus duntaxat, & summis
ducibus, qui suis non alienis auspicijs bellũ prospe-
re gessissent, decerni solere. Accedere ad id immatu
rã ætatẽ, cui nunq̃ Ro. Po. talẽ esset honorẽ decretu-
rus. Tum Pompeius: Multo plures, inquit, mortaliũ *Pompeij ada-*
ó Sylla orientẽ uenerarẽ Solem q̃ occidentẽ, ad æta *gium.*
tẽ quę sibi exprobrabaẽ haud dubie alludẽs: etenim
sic habet. Nascentẽ laudẽ comitaẽ fauor, cõtemptus
senescentẽ. Obtinuit quidẽ Pompeius ut triumpha
ret, qui ut cõspectiore aliquãto apparatu urbẽ inue- *Triumphus*
heret, quatuor currui elephantes adiũxit, quod pri- *Pompeij.*
mus omniũ Liber pater India uicta fecisse dicit. Et
Pompeius tã conspicuus, ut quidã aiunt, est urbem
ingressus. Procilius, autore Plin. equis inuectũ scri-
psit, quia urbis porta nõ fuisset beluarum capax, cui
opiniõi astipulaẽ Plutarchꝰ. Magnus inde fauor Põ-
peio cõciliatus, q, partim illi uireti ætate acciderat,
partim q, eques adhuc, necdũ per ætatẽ in curiã asci
tus insignẽ triumphũ egisset. Torquebaẽ alieno suc
cessu dictator Sylla, sed pudore adductus, ne præsen
tẽ iuueni fauorẽ inuidere putareẽ, silentiũ agere, tãta *Syllæ ambitio*
in eo iam sene erat ambitio, ut ne amicis quidẽ ho- *et iactantia.*
norẽ ullũ impertiret. Satis cõstat Lucretiũ Ofellã, cu
ius p̃cipua opera in iuniore Mario opprimendo fue
rat usus, medio foro interfecisse, q, eo inuito in con-
sulatus petitione perseueraſſet. Ipse pręter triũphũ,
quẽ exquisitisimo apparatu de Mithridate egit, an
nũ quo tantus sibi honor cõtigisset, felicẽ appellari
iussit, se & uenustũ & felicẽ inscripsit, gemellos uno
Metellæ cõiugis partu editos, marẽ Fausti, alterius
sexus Faustã appellauit. Quicquid enim felix est & *Faustum.*
hilare, id faustũ ueteres dixere Ro. Suspectior inde
Syllę est Põpeius factus, q, ex Aphrica reuersus, quũ
cõsularibꝰ comitijs præesset, omnia Po. suffragia q̃
sibi inuigilabãt Sylla inuito in Lepidũ uertisset, eũq;
prius consulem q̃ Catulũ renunciasset. Quod ne ab
eo quidem tacitũ tulit, uelut parũ ciuiliter fecisset,
qui Lepidum omniũ stultisimũ prætulisset Catulo
Romanorum optimo. Nec Sylla multum postea su-
perstes fuit. Is postquam rerũ potitus est, decimam
bonorũ omnium Herculi persoluit, epulumq; sum-
ptuosisimè instructũ dedit populo, cõuiuatusq; est
plures dies lautisimè, quo temporis Metellæ e uita
migraturæ, ne domũ funestaret, amicorum con-
silio repudium misit ex scripto, sed in ea funeranda,
legis, quam ipse tulerat, modum transgressus est. Pa
ri con-

ri contemptu sumptuariam legem, cuius ipse autor fuerat, epularum luxuria fœdauit. Paucis inde mensibus, quibus est Metella defuncta, quum gladiatorium munus Sylla ederet, spectareturq; adhuc promiscue à uiris & fœminis Valeria mulier insigni facie, Messalę oratoris filia, & Hortensij soror, post Syllam transiens, manu leniter eius uesti applicita in suas sedes transijt. Mulieris audaciam Sylla secũ mirarus, quum intentioribus oculis intueri perseueraſſet: Nihil, inquit illa, est ô Sylla cur mihi grauius succenseas. Volui ego quoq; tuę felicitatis portiunculam sortiri. Qua mulieris urbanitate delectatus Sylla, oculorum aspectu captus, ubi qua familia orta esset satis exploratum habuit, eam in matrimonium recepit. Cæterum luxuriæ intempestiuisq; conuiuijs deditus, nullius enim consuetudine magis tenebatur, quàm Roscij Pantomimi, & Macrobij Bachanalium cantoris, cibi & potus intemperie infesti num morbum tum primum nascentem aluit. Procedente tempore uitiatum corpus totum in fœdam pediculorum tabẽ abijt, ut tunicæ, thermæ, balnea, quæ assidue frequentabat, dapes quoque diris polluerentur sordibus. Nulla postremo cura par erat tetro morbo in horã renascenti. Nec id calamitatis genus hunc solum hominem, quod proditum sit, attigit, ut hæc citra fidẽ de Sylla tradita uideri possint, Acastus Peliæ filius pari clade consumptus dicitur, Alcmanes conditor carminum, Pherecides rerum diuinarum scriptor, & Callisthenes Olynthius. Pręuidit adhæc Sylla suum interitum, ut ipse scriptum reliquit, filius quem ex Metella tulit, quiq; paucis diebus ante matrem uita decesſit, ei per quietem astare uisus est, multumq; ac diu hortatus, ut pater pręsentibus se curis absolueret, secumq; ad Metellã matrem tenderet, cum qua reliquum æuum curarum expers exigeret. Plutarchus autor est neq; ui morbi, neq; somnij portento adduci potuisse, ut reip. curã abijceret. Appianus præterquam quod dæmonem quendam per quietem illi uisum scribit, qui imminens fatũ nunciarit, ultrò eum se dictatura abdicasse prodidit, quippe qui in medium progressus, populo & patribus nihil tale expectantibus, media cõcione uirgas & secures fregerit, lictores & corporis custodes à se dimiserit, professus se eo consilio dictaturam deposuisse, ut omnium quæ in repu. egisset, priuatus rationem redderet. Tantum animi & felicitatis uni uiro superfuit, ut qui in ea ciuitate, in qua centum milia ciuium & amplius occidisset, & in his duo milia & sexcentos equestris ordinis, senatores xc. quindecim cõsules, qui multos insepultos abiecisset, multorum bona publicasset, priuatam ausus sit uitam agere, non imperij potestate filio, ut Prolemæus in Ægypto fecit, Ariobarzanes in Cappadocia, Seleucus in Syria, sed ijs qui ipsius tyrannidem infense oderant, cum ulciscendi facultate relicta. Satis constat eum in ordinem redactum, domumque se recipientem, adolescentis conuicio exceptum, nemine interea reperto qui illius intemperiem castigaret. Tulit Sylla patienter ętatis intemperiem. Cęterum ubi domum uentum est, siue coniectura, siue diuinatione quadam futurorum ad eos, qui prope aderant, conuersus dixisse fertur, intempestiuam illam insectationem in causa fore, ut quicunq; post se dignitatẽ illam inuaderet, nunquam nisi cum morte deponeret, quod haud multis inde pòst annis, in Caio Cæsare euenit. Fuit ille biennio dictator, quo tempore Dimocratia ex urbe sublata est. Sed ut omnino aliqua esse uideretur, cum Metello uoluit ipse priore anno consulatum gerere, mox Seruiliũ Isauricum & Claudium Pulchrum referri passus est. Catulo & Lepido consulibus uita decesſit, quum forte Puteolis esset. lx. iã annos natus. Eius corpus aurea lectica ad urbem ingẽti pompa est delatũ, quod ne fieret, Lepidus consul homo aduersæ factionis

Vrbanitas in Valeria.

Syllæ morbus.

Pediculis absumpti.

Alcmanes.

Syllæ diuinatio.

Syllæ interitus

A summa ope restitit. Vicit tamen Catulus eius collega, & homines Syllanarum partium, qui ut honorificentissime sepeliretur, sacerdotes & Vestales uirgines corpus extulere. Laudatus primo est pro rostris, mox in campum delatus, ad duo milia coronarum præter alia ornamenta, sunt illi honoris gratia congesta. Tria milia lectorum in eius funere strata dicuntur, circumstante exercitu, totaq; ciuitate circumfusa, eius corpus est rogo impositum. Quod ut fieret testamento mandasse dicitur, talionem ueritus, ne si Corneliorum more humari contigisset, cadauer ab inimicis refossum, in Tyberim quod ipse Mario fecerat, abijceretur. Atq; ita primus Corneliorum Sylla, post mortem crematus est, quum alioqui gẽtilitium his esset humi condere defunctos. In campo Martio est sepultus, ubi reges duntaxat fune rari consueuerunt. Eius sepulchrum hoc habuit. Nemo amicus mẽ beneficentia superauit, neq; in iniuria inferenda inimicus. Prædicare multi fortunam illi comitem usq; ad rogum fuisse, & ipse satis sibi felix uisus, qui felicis cognomen ferre uoluit. Cæterũ si patriam, ciues q; suos, cæde, proscriptionibus, rapinis affligere felicitatis est, felix ille, & qui talium cõpotes fuere, quanquam ut cætera omittantur, & in his dira illa Phthiriasis, qua corpore sibi supplicia gignente, tam alto fuerit opus somno, ipse uiuens ultrò fassus est, aliquid suæ felicitati defuisse, quod sibi Capitolium dedicare non contigisset. Catulus & Lepidus consules ex Syllano funere reuersi, statim sunt inter se uerbis disceptare adorti. Censebat Lepidus Syllæ acta rescindi oportere, ut agri qui Italis ab eo adempti fuerant, ueteribus dominis restituerentur. Locauerat Sylla ad centum. xx. milia hominum, quorũ opera fuerat in bello usus, in alienis agris. Cæterum senatus ueritus ne consulum discordia, in aliquod nouum discrimen ciuitatis status incideret, ambos publice iurare coẽgit, fore, ne inter se armis disceptarent. Lepidus inde Galliam, quę supra Alpes est, prouinciam sortitus, continuo bellũ in Syllanos moliri cœpit, quod ubi Romæ est auditũ, in urbem à senatu reuocatus, ipse quia haud ignarus erat, cur reuocaretur, cũ exercitu ex Gallia profectus copias ad urbẽ admouit. Catulus contrà populum per præconẽ ad arma concitat, fitq; subitũ prælium in campo Martio, Lepidusq; ui pulsus in Sardiniã nauigauit, ubi nõ multo pòst distillationis morbo decesſit. Alij nuncio de adulterio coniugis accepto, eum mœrore confectũ perijsse tradũt. Perpẽna, post Lepidi interitũ, cum non parua Marianorũ parte in Hispaniã cõcesſit, ubi erat Sertorius. Is medio ciuilis belli ardore in eam terrã se contulit, quã fuerat prouinciã ex prætura adeptus. Nursia Sabinorũ urbs fuit illi patria, fecitq; prima sub Cœpione aduersus Cimbros stipendia, quo tẽpore Romanis ad Rhodanũ uictis, quum saucius equũ amisisset, Rhodanum thorace & scuto prępeditus nãdo traiecit. Sub Didio inde Cathalonẽ urbẽ in Hispania oppidanorũ proditione amissam, ea nocte, qua inde Romanũ præsidiũ fuerat cum cęde deiectũ, incredibili celeritate & audacia recepit. Bello Marsico oculũ amisit in prælio, quã cladem eximię laudis loco ponebat. Cinnanã inde factionẽ secutus, neminẽ in suarũ partiũ uictoria læsisse dicitur: quã temporũ nouitate, quatuor milia seruorũ, quibus Marius ad cædem & contumeliam ciuium utebatur, quoniã in pueros ingenuos & matronas insolẽtius lasciuirent, in campo trucidandos curauit. Postremò Syllanis armis in Italia prægrauantib. in Iberiam, ut alio est loco significatum, abijt, ubi sub primũ accessum tributorũ remissiõe, eximiaq; comitate, principes gẽtis sibi facile deuinxit, & p eos populorũ studia cõciliata, q̃ ne hemẽter auxit hybernaculorũ mutatio. Enimuero militẽ, ut cęteri, haud in urbib⁹ habuit, sed in apto, ubi tabernacula cõstruere cogerenẽ. Nec multo pòst C. Man-

Syllæ funus.

Syllæ epitaphium.

Nouæ discordiæ origo.

Lepidi interitus.

Prima Sertorij stipendia.

C. Mannius à Sylla cum exercitu missus, Liuio Salinatore, per quem Sertorius Pyrenęum saltum cum sex milibus hominum insederat, fraude oppresso, in Hispaniam transcendit: ibi Sertorius, quum multo esset hoste inferior, Carthaginẽ nouam, cum tribũs milibus militum profugit, inde ad Mauruſium in Libyam est naui delatus. Milites, qui aquatum in litus forte exierant, subito indigenarũ incursu cum multa cæde in naues compelluntur. Sertorius ex tã infesta ora in Iberiã uela fecit. Sed quũ hinc quoq;, Mannianis armis omnia obtinentibus, excluderetur, cum Cilicibus piratis omnia per id tempus latrocinio fœdantibus societatem inijt, horumq; auxilio fretus, Pityusam insulam mediam inter Iberiam & Aphricam, electo inde Mannij præsidio occupat. Cilices, quoniam horum mentio recẽs incidit, haud multo pòstquàm cum Mithridate Ro. Populus terra mariq; bellare cœpit, suis egressi finibus. Est enim Cilicia, ut alio est loco demonstratum, media inter Phœnicem & Pamphyliam ad meridiem, qua Cyprũ spectat pelago obuersa, obscuro paruoq; initio rem maritimam latrocinio infestare adorti, paulatim ut fit, prædæ dulcedine allecti, adiutiq; Mithridatis opibus, late maria suis cursibus infesta reddidere, idoneam grassandi occasionem nacti, quod eapotissimum tempestate res Romana ciuilibus esset bellis implicita, atq; ita concussa, ut ne domesticis quidem malis non modo externis satis mederi posset. Abiecta itaq; pelagi cura, quum nulla usquà præsidia essent, nullæ classes, quibus tali iniuriæ iretur obuiam, Cilices haud tãtum nautas, sed maritimas urbes, insulas q; prędari, quorum opes, quia assiduis successibus crescerent, multos quæstuoso latrocinij commercio allectos, in societatem traxerunt: pluribus itaq; locis eorum stationes esse, naualia maritimaq; præsidia. Postremo eò res processit, ut assiduo quæstu eorum quidam auratis nauium rudentibus uterentur, purpureis uelis, remos q; argento, œris loco præmunirent. Naues iam mille & amplius piraticæ circumquaq; littora insederant, quadringentæ ab his urbes teneri, Asyla religiosaq; deorum tępla passim uiolari, & in his Clarium, Didymeum, Samothracium, Telluris phanum in Hermione, in Epidauro Æsculapij, in Isthmo & Tænaro & Calabria Trœzenis Neptuni, in Actio & Leucade Apollinis. In Samo Argis & Lucania Iunonis. Duo Romani prætores ab his capti Sextilius & Belinus, qui cum lictorũ fascibus, & cæteris magistratus insignibus, in eorum potestatem uenere. C. Cęsar, qui postea dictaror fuit, iuuenis admodũ, quum priuatus adhuc esset, & in Rhodum nauigaret, ab ijsdem circa Pharmacusam captus, etsi ut magno fuit & elato animo suam breui ultus est iniuriam. P. Clodius, qui Ciceronem in exilium egit, in id quoq; discrimen incidit, magnaq; se pecunia redemit. Venere & fœminę quędam nobiles in eorum potestatem & in his Antonij triumphalis uiri filia, quum forte in agrũ iret. Adiectum præsenti iniuriæ ludibrium, ut quum captiuorum aliquis se Romanum esse fateretur, uelut subito pauore perculsi, manus & femur percuterẽt, inde illum toga indutum, è naui uelut in terram dimissuri, in subiectum mare præcipitabant. Tam fœdum latrocinium quicquid pelagi à Gadibus in Syriam excurrit & Hellespontum, longe lateq; occupauerat. Nec Sertorius diu Pityusam tenuit, quin nauali prælio, non tam hostium, quàm pelagi sæuitia uictus, plures dies, quia ubiq; infestas terras haberet, mari euagatus, postremo insulas aquarum in digas tenuit, unde in exteram Iberię oram trãsgressus, qua Bethis flu. Oceano infunditur, in quasdam nautas incidit, qui, ut ipsi memorabant, ex Atlantici maris insulis, quas Fortunatas uocant, nuper uenerant. Hæ duæ numero, paruoq; inter se spatio distare tradebantur, x. milibus stadiorũ à Libya remotę.

Primi Cilicum motus.

Cilicũ successus.

Templa à piratis spoliata.

Rom. à Cilicibus capti.

Fortunatæ insulæ.

Imbres illic rari mediocres q; uenti, ipsiq; plurimum suaues, ac roriferi, solum pingue, nec arari tantum plantariue idoneum, sed sua etiam sponte suauissimos fructus ferens, ociosæq; multitudini alimenta suffecturum. Cœlum adhæc multa temperie, anniq; parua mutatione contentum. Venti qui à terra flarent, Septentrio & Aquilo, ob longissima maris spatia, languidi, ac penè prius euanescerent, quàm eò applicarent, qui à pelago spirent, Argestes & Zephyrus, modicos cierent imbres, ibiq; omnia facile humido aëre nutriri. Hæc quum illi prædicarent, & quia apud Barbaros quoq; percrebuerat fides, ibi Elysios campos esse, & beatorum domicilia ab Homero decantata, incredibilis cupiditas Sertorium cepit ad ea loca penetrandi, ut à bellorum cura remotus quietam ibi uitam ageret. Sed quod ad insularum naturam attinet, plura de his sunt à me alio loco memorata & ab his quædam etiam diuersa. Sertorius quia sub id tempus, quo ad Iberum appulit, à Cilicibus destitutus est (enimuero ad latrocinium illi magis animum intenderant, quàm ad ocium & quietem) ubi fama accepit eos in Mauriſiorum terram traiecisse, ut Ascalium in regnum restituerent, Mauriſijs se auxiliarem obtulit, atq; ibi Ascaliũ prælio uictum obsidione cinxit, ad quem bello liberandum Pacuanus à Sylla missus, à Sertorio interfectus est. Milites qui cum eo uenerant sese Romano duci etsi exuli dediderunt, eius q; ductu iam inde haud inuiti militarunt. Atq; ita Sertorius, uiribus auctus Tingennam urbem, quo Ascalius & fratres confugerant, expugnat. Hic Antei sepulchrum fuisse tradi tur, cuius magnitudine Sertorius cõmotus, ad argu endam uulgi uanitatem, conditorium dirui iussit. Inuentum ibi cadauer aiunt. lxx. cubitorum, quod ille intuitus ac religione tactus, tumulum instauraſuit, honoresq; & famam auxit. Sunt scio hęc talia ut propemodum fidem historiæ abrogent. Verũ quia & à grauissimis sunt scriptoribus prodita, ut eisdẽ fidem meam non obstinxerim, ita nec pro uanis autor repudiare. Adijcit Plutarchus, qui huius est rei autor, Tingennam fuisse Antei coniugem, quæ post uiri interitum ex Hercule sit Syphacem enixa, qui regnum in ea terra sortitus urbem de matris nomine Tingennã condidit. Syphax Diodorum genuit, unde postea longo ſtẽmatis interuallo, ortus sit Iuba regum omnium in historia prestantissimus. Sertorius pacato Mauriſiorum statu à Lusitanis per legatos accersitus in Iberiam redijt. Ingens erat eius uiri fama, quippe qui fortissimus in aduersis esset, & in secundis moderatissimus, ac prẽter cęteras uirtutes, quæ in eo permultæ & magnæ fuerunt, in militum uirtute ornanda erat munificus, in puniendo mitis. Sed de eius clementia anceps ad posteros manauit fama, ipse recepto à Lusitanis imperio, omnes Iberiæ accolas breui subegit. Erat illi cerua eximij candoris, quam Dianæ munere sibi oblatam credi uoluit, nec uulgus, ut est in superstitionem sua natura pronum, id habuit pro mendacio. Augebat eam opinionem callidissimus dux, qui quoties rem aliquam feliciter tentasset, se, quid agendum esset, per eam in quiete monitum prædicabat, haud pauci Hispanorum hãc famam secuti, illi ultro imperium detulerunt, quasi numinis alicuius ductu stipendia facturi. Erant circa ducem ipsum ad septeni milia peditum, & equites septingenti, his ille copijs fretus, cxx. milia peditum, &. vij. equitum, quæ sub Romanis ducibus fuere, uarijs prælijs profligauit, uicitq; primo circa Mellariam quę contra Aphricam in extrema Hispania est, nauali prælio Cortã, mox & Phidiam prętorem cum duobus milibus Romanorum interfecit. Attriuit & Domitium proconsulem pari successu, & Toranium missum à Metello consule cũ toto exercitu profligauit. Secutus inde Metellus imperator aliqui ea tẽpestate nobilis, hic quoq; tam male

Elysij campi.

Antei sepulchrum.

Tingenna.

Iuba rex.

Sertorij cerua.

Sertorij uictoriæ.

male est à Sertorio habitus, ut Lucius Lollius ex Gallia Narbonensi, quam ille prouincia obtinebat, accersitus laboranti auxilo uenerit. Reddiderat ferocissimus hostis omnia Metello infesta, ut ne aqua tio quidem satis tuta esset illius militibus, nec tamẽ in prælium Sertorius descendebat, quum multo inferior esset uiribus sed consulem ex occasione fatigabat. Prouocasse tamen dicitur Metellum ad singulare certamen, qui præterquam quod grauis erat annis, haud ignarus eum qui exercitibus præesset, ducis non militis mortem obire oportere, honeste id pugnæ genus detrectauit. Inde Metellus Lagobritas oppugnare est adortus, hostẽ domiturus, quando ex uno fonte tota aquaretur ciuitas. Occurrit eò Sertorius certo argenti pondere ijs proposito, qui utrem aquę urbi intulissent, ipse interim Aquilium cum sex milibus hominum à Metello missum insidijs excepit, exceptum omnibus copijs exuit, eaque clade territus Metellus obsidionẽ soluere coactus est, & Sertorio his successibus magnus est fauor in Hispania conciliatus, sed multo maior ex eo quod nobilissimos eius terræ adolescentes in Osca urbe, Græcarum nostratiumq; literarum præceptoribus instituendos tradidit. Fuit res ipsa æque omnibus grata, tametsi obsidum uerius quàm discipulorum fuit ille cœtus. Per hæc ille, ut dixi, Hispanis gratissimus factus, magna deuotorum frequentia stipatus, in publico agebat. Vetus mos Hispanorum fuit unà mori cũ eo duce, cui seipsos sponte deuouissent. Eratq; is rerum status in Iberia, quũ Gn. Pompeius in eam est terram cum exercitu missus.

Ducis mors.

Sertorij consilium in obsidibus accipiẽdis.

ENNEADIS VI. LIBER IIII.

OSt dictatoris Syllæ obitum M. Æmylio Lepido, & Q. Catulo consulibus, plura uno tempore bella in Romanos exarserunt. Hispanienſe unũ aduersus Sertorium, nam per id tẽpus ille est in Hispaniam à Lusitanis reuocatus, de eo ne omnia suo loco dicerẽtur, haud quidem pauca proximo uolumine conscripsi. Est & alterum in Cilicia & Pamphilia ortum. Tertium in Macedonia aduersus Thraces, qui à Sylla grauiter afflicti, eo uiuo ad tempus quieuere, & in Delmatia est per id tempus aliquãdiu bellatum Cn. Cosconij ductu, qui magna eius terræ parte subacta, Salonas cepit, biennioq; id bellum resedit. Aduersus Cilices rem terris gerendam P. Seruilius est sortitus. Belli causa à maris iniuria orta, cum his quoq; certamen est in tertium annum distractum, multæq; interim ex ea gente sunt urbes captę, & in his Phaselis & Olympus, Isauros inde Seruilius aggressus, omnem eorum terram ad deditionem compulit, attulitq; ea uictoria ipsi duci Romam reuerso, non solum triumphi materiam, sed Isaurici etiam cognomen, quod ipse Romanorum primus eam terram esset cum exercitu ingressus. Est Isauria Ciliciæ indiscretis penè finibus inserta. Aduersus Thraces circa Macedoniã Appius Claudius proconsul aliquot secunda fecit prælia. Postquam Macedonia prouincia facta est, raro accidit, ut eius terræ fines non subitis finitimarũ gentium incursibus incesserentur. Hinc crebræ illæ disceptationes cũ Thracibus, Triballis, Scordiscis, Dardanis, & Illyrijs, sæpius adhuc memoratæ, & quæ postea memorabuntur. Nec illi finium populatione contenti, per Thessaliam & Delmatiam effusi, in Adriam usque tumultuose processerunt, ibi barbarica rabies ui naturæ coërcita, frendens ira, gemensq;, quod ultrà tendere nõ liceret, in oppositos fluctus tela impia contorsit. Mactare interim pecorum more captiuos in sacris, humanis capitibus potare, sæuissimiq; omnium Scordisci. Nec hi uiribus tantum, sed insidijs bellare, syluarum & montium asperitate freti: quo accidit, ut Catonis ductu totus Romanus exercitus sit ab his interceptus. Didius primus gentem ipsam uagam in suos fines compulit, Danubium usq; armis egit, eratq; ea gens sæpius Romanis armis fusa uerius quàm uicta, quũ Claudij ductu multo acrius afflicta est. Eutropius Claudium in ea expeditione fato ait extinctũ. Sed dum hæc diuersa terrarum parte geruntur, aut certe non multo prius posteriusue, Pompeius in Hispaniam cum exercitu profectus est. Is post Syllæ dictatoris interitum, orta inter Lepidum & Catulum discordia, optimatium partes secutus, Brutum, qui Marci Bruti fuit pater, Mutinæ, quam ille cum Lepido occuparat, aliquandiu obsedit, atq; in potestatem redactũ interemit, & quod memorabile sane uideri possit, haud multis inde interiectis annis, D. Brutus ab Antonio triumuiro eodem in loco obsidione fatigatus haud multo pòst perijt, quum forte fugã inde molitus esset. Cæterũ Lepido, ut dixi, Italia pulso, retinuit autoritate patrum Pompeius tãdiuexercitum, quod in Hispaniam ire sit iussus, ut cum Metello qui iã proconsul ibi erat, bellũ in Sertoriũ gereret. Tenuit disceptatio quo nomine Põpeius in prouinciã mitteretur, rogatusq; Lucius Philippus sententiam dicere, censuisse dicitur, Pompeiũ non pro consulem, sed pro consulibus in prouinciam mitti oportere. Sunt qui quæstoris nomine illum exercitui præfuisse dicant. Liuius quum quæstor, inquit, adhuc esset, consulari potestate in Hispaniã est missus. Sub primum igitur ad hostem accessum Sertorio impedimenta ademit, indeLauronẽ urbẽ subita ui adortus captam diripuit. Hic ille gregario militi oculos eruit, quod per contemptum obscœnis partibus indigenę mulieris medio tumultu oblatæ digitos adegisset. Quod exemplũ Sertorius imitatus totam cohortem ob eam iniuriam interfecisse dicitur. Solicitabat interim ciuitates Pompeius ad defectionem, & iam nõnullas ab hoste alienauerat, quũ cauillabundus ille uirga, inquit, mihi & loris opus est ad puerum hunc corrigendum, ut uetulam sectetur, ad Metellum forte alludens, qui præterquam quod annis iam grauis erat, uoluptati & ocio uel medio ardore belli libens indulgebat, eratq; ob id grauis socijs ciuitatibus nimio sumptu, quo contigit, ut Pompeius breui sit multo maior chariorq; quàm uenerat apud milites & socios factus. Accessit ad eam famam recens facinus, quod Herennium & Perpennam Sertorianos duces Pompeius ad Valentiam fudit. Verno deinceps sequentis anni tempore ad Sucronem (Appianus Surum pro Sucrone scribit) totis est uiribus in aciem descensum, Metelusq; ab altero cornu Perpennã fudit. Pompeius di uersa parte est à Sertorio superatus, femurq; saucius prælio excesit. Plutarchus Metello absente scribit prælium initum, Sertorioq; ægre uincente illius interuentu pugnam diremptã: ac tum à Sertorio memorabilem uocem illam cum fremitu emissam: Pulsassem hunc puerum hodie ad satietatem nisi anus interuenisset. Cessatũ deinceps est aliquot dies Sertorio uehementer soliciro, quod ceruã quam penes se religiose habuerat, aliquandiu nullibi locorũ exitisset, qua demum conspecta spei plenus continuo suos in aciem eduxit. Fuit tamen leue prælium. Pugnatum inde ad Maguntiam à meridie ad noctem pari pene euentu, quo nuper ad Sucronem, pulsus e/ questri prælio à suo cornu Pompeius sex milia hominum amisit, ex altera parte Metellus ex Perpennæ exercitu quinque milia neci dedit. Et hæc ferè sunt eo anno gesta, quũ in septuagesimam septimam Olympiadem incidit, quo tempore Bithynia, ut Appianus scribit, & Cyrenaica prouinciæ factæ sunt Po. Ro. Hęc Ptolemęi Apionis illa Nicomedis testamento.

Plura bella Romanis conflata

Scordiscorum fractæ uires.

Fatalis Mutina Brutorum genti.

Pompeius militi oculos eruit.

Sertorij cauillum.

Alterum Sertorij cauillum.

Isauricus.

Isauria.

Plura bella Romanis pro Macedonia fuere.

mento. Sed de Cyrene alia fuit relatio. Bithynia recens prouincia Mithridatem ad arma reuocauit. Ortum est sub id tempus & in Creta nouum bellum, & in Italia gladiatorum aliud, quorum causæ & successus suo postea loco memorabũtur. Erat in Hispania bellum adhuc integrum, tantumq; aberat, ut Metellus & Pompeius spem ullam uictoriæ alerẽt, q, tota ferè Iberia exclusi, circa Pyrenęum ultimo eius belli anno coacti fuerint hyemare: & Pompeius, quũ sua penè omnia cõsumpsisset in alendo exercitu, ad senatum scripsit fore ut relicta prouincia in Italiam cũ suis copijs rediret, nisi pecunia sibi mitteretur ad stipendium militibus soluendũ, quod aliquanto difficilius ob rem in prouincia parũ prospere gestã fuisset impetratũ, nisi Lucullus qui Mithridaticũ bellũ sibi animo destinarat (erat enim iã rex ob Bithyniã, ut dixi, ex ꝓfesso hostis) ueritusne Põpeius Romã reuersus fauore multitudinis Pontũ prouinciã indi pisceretur, autor extitisset ut pecuniæ ad Ibericũ bellum exequendũ mitterẽtur, cuius euentus eò magis dubius erat, quòd & à Mithridate legati ad Sertoriũ non multo antea uenerãt, naues & pecuniã regis no mine pollicentes: initaq; societate M. Marius cũ aliquot fortibus uiris missus erat à Sertorio qui cõmuni nomine cũ rege rem in Asia gereret. Vemo igitur huius anni tẽpore Metellus & Pompeius à Pyrenęo mouentes hostẽ ex aduerso cõciuerunt. Plutarchus autor est, Sertorium prius perijsse, q, Pompeius esset hyberna egressus. Appianus eũ cũ Perpenna primis hostium motib⁹ ex Lusitania occurrisse ait, ubi quia Ro. plerq; à Sertorio ad Metellũ transierũt, remota à se suorũ popularium custodia, Hispano milite suũ muniuit corpus, simul & suorum studia à se alienauit, mãsit tamen ob ipsius ducis præstantiã miles in officio, estq; eo anno Palantia à Pompeio oppugnata, sed Sertorius suo accessu obsidionẽ soluit. Mox Metellum adortus hostis, qui circa Calagurũ castra habebat, ad tria milia ex eius exercitu interfecit. Et Sertorio hactenus res prospere cesserãt, bellicarum inde rerũ cura paulatim deposita, uoluptatibus intẽpestiuisq; conuiuijs deditus, omnia circa se in peius labi patiebaꝫ. Accedere huc domestica odia, quæ postremo in eum ob sæuitiã adeò exarsere, ut in cõuiuio à Perpenna & paucis qui cum eo coniurarunt fraude sit interẽptus. Signum destinatæ cędis fuisse traditur, phiala à Perpẽna cũ strepitu in mediũ proiecta. Surrexit miles confestim in autorẽ cędis, fuisſetq; incursu militum discerptus, nisi per primores exercitus, quos muneribus subornauit militarẽ seditionem oppressisset. Sed nihil æque præsentẽ inuidiam auxit, ac testamenti publicatio, quo pro concione recitato conuictus est Perpẽna non solũ ingratitudinis, sed etiã impietatis, q, in eum manũ iniecisset, à quo testamento scriptus esset hæres in prima cæra. Sed Sertorius hũc exitũ habuit, homo bellicis artibus egregius, amoreq; erga patriam incredibili, quippe qui exul solitus esset prædicare, malle se Romæ ignobilem haberi, q̃ procul à patriæ conspectu multarum gentium imperiũ tenere, quẽ animi affectum secutus ad leniendum patriæ desiderium, Ro. nobiles qui fuerant suæ fugę comites senatũ appellabat, p quos etiã urbes maioraq; rerũ negocia obire perseuerauit, prætorib⁹ inde quęstoribusq; creatis, nec patiebatur in aliquo Ro. disciplinam labefactari, matrem quoq; mirifice dilexit, cuius morte audita, prę nimio mœrore pene extinctus est. Perijt nono circiter anno, q̃ in Hispaniã uenerat. Metellus & Pompeius Sertoriana cęde elati bipertito in hostem profecti: hic Perpennã petijt, ille ad recipiendas Hispanię urbes diuersus abijt. Põpeius leuib⁹ quibusdam prełijs, cũ Perpenna ab initio cõmissis, decimo die ex quo castra cõtulere in aciẽ descendit, de summa belli decreturus, nec difficilis pugna fuit, quum neq; miles duci, neq; dux militi satis fideret, ad primum penè cõgressum fuga ex altera parte facta est, cæterisq; fœde cæsis aut captis, Perpẽna sub quodã cespite nõnihil latuit, magis suos q̃ hostem reformidans, nec multo pòst inde abstractus, ut se ad Pompeium ducerent milites hortabatur, pollicitus fore, ut illi literas à primoribus ciuitatis ad Sertoriũ datas traderet, ipseq; indicio deferret multorum nomina qui Sertorianæ factioni occulte fauissent, tãtum abfuit, ut Pompeius per ea ullã nouæ discordiæ causam quæsierit, q, literas diligenter conquisitas, nec ipse legit, nec ab alio legi passus est, sed in fasce unũ collectas fideliter cõcremauit. Perpẽnæ cęde prius quam ad se traheretur imperata. Habuit Sertorianum bellum quod in decimum ferè annũ est distractum, hunc quem dixi exitum. Pompeius pacata Hispania in Italiam exercitũ deportare cogitabat, ubi medio Hispanienſis belli ardore inopinatũ & atrox periculum Ro. Po. est ex seruitijs ortum. Nutriebat Capuæ Lentulus quidam Bartiatus grandem familiam ad gladiaturæ usum, erantq; plurimi Galathæ aut Thraces. Ex his pleriq; laniſtæ sæuitiã pertæsi, quum fugiendi consilium cepissent indicio proditi, cæteris metu implicitis duo & octoginta fugã expediere. Alij septuaginta scribunt. Horum princeps Spartacus fuit, uir Thrax genere, uiribus & audacia inter suos longe princeps. Is quum primum uenalis est Romã ductus, Draco in spirã cõuolutus ad quiescẽtis caput apparuit, quod prodigium Saga mulier intuita, formidabilem in homine potentiam pertẽdi dixit, sed quæ infelicẽ habitura esset exitũ. Primò itaq; ex Capua Vesuuium Spartacus occupauit, quò breui ad decem milia fugitiuorum confluxère, & ex agris spe prędę multi sese his ultrò agglomerãt, gladiatorijs armis ut inutilibus abiectis bellica induũt partim à uiatoribus rapta, partim ex uillis uicisq; cõtiguis quæsita. Montem inde arduũ insident, circũquaq; præterquam ab una parte eaq; perãgusta altis rupibus pręruptũ, in eo præcipue occupati, ut armis corpora munirent, quorum inopia quidã uimineos clypeos superiniecto corio texuere, latrocinari adhæc atq; ex proximo quærere sibi prædam. Huc primus omnium Claudius uenit cũ tribus milibus armatorum, quam manum ex agris, quũ ad eum motum opprimendum ueniret, tumultuose cõciuerat. Appianus Varimum pro Claudio posuit. Is cõcluso mõtis aditu spẽ pręceperat seruilis manus illius breui opprimẽdę, ut sedendo fame domaret. Spartacus ubi omnem aliã ad euadendũ uiam sibi ab hoste septã cõspexit, autor fuit socijs, ut uitigineis restibus noctu sese ex rupibus ad imũ demitterẽt, demissi atque armis instructi Ro. stationem à tergo inuadunt. Nec ibi ullum negocium uictoriã retardauit. Fuga à Ro. facta Spartacus castris potitur omnifariam commeatu refertis. Fama præclari huius facinoris magnam uim fugitiuorũ ad Spartacũ traxit: coire huc & ingenuorũ multi in horã, ut iam iusto opus esset exercitu ad inchoatũ latrociniũ opprimendũ. P. igitur Vatinius siue ut alij habent, Vorenus cũ duobus legatis exercitum in Spartacũ est ducere iussus, qui acie cum eo cõgressus, ne difficili quidem pugna uictus est, nec multo pòst & Cosinium proconsulem Liuius Casium scribit, cũ maioribus copijs missum hostis ex improuiso adort⁹, cũ incaute circa Salinas lauaretur, parum abfuit, quin captum in suã potestãtem redegerit. Cæterũ Cosinius impedimẽtis exutus, incolumẽ inde exercitum duxit. Vatinius præterea leuib⁹ aliquot certaminibus fatigatus uno ingẽti prelio uictus, equũ & lictores amisit. Etiam ad lxx. milia armatorum Spartacus habebat, in dies; eius opes inualescebãt, quũ Romę L. Gellius & Gn. Lentulus consules facti sunt. Ira simul ac pudor patrũ animos uersare, quòd ciuitas ad id tempus inuicta tãtum à maiorũ indole desciuisset, ut fugitiuorũ latrocinio prętorij & cõsulares exercitus cessissent.

Bithynia.

Nouum cũ Mithridate bellũ.

Sertorij interitus.

Sertorij pietas

Perpennæ cędes.

Seruilis tumultus.

Spartaci facinus.

Consules.

Maiore itaque indignatione quàm cura bellum con sules instaurant, qui ad hostem profecti, Crisum unum ex Spartaci ducibus cum.xxx. milibus armatorum circa Gargarum mõtem obuium habuere. Hic demum hostis à duobus consulibus duobusq; exercitibus uictus, post tetram suorum cædem mortem occubuit. Ducere interim Spartacus per Apennini iuga in Galliam abiturus, quem alter cõsulum post uictoriam uiarum compendio præteruectus, atque fronte occurrens instituto itinere auertit, nec collega procul aberat abeũtis uestigio insistens. Tum uero Spartacus necessitate adductus utroq; uersum agmen conuertit, duosq; consules cum duobus consularibus exercitibus per partes uicit, uictorq;. ccc. Romanorum captiuos Crisо immolauit. Inde præsenti successu elatus, cum ingenti exercitu Romam iter cõuertit. Incredibile est quàm Plutarchus & Appianus qui horũ sunt autores quę aduersus Spartacũ Rom. per id tẽpus gessere, uterq; ab altero diuersi abeant. Ille non à duobus consulibus circumuentum Spartacum scribit, sed à Lentulo, posteaquàm uictus est: atq; ita contigisse, ut Spartacus consulibus à se discussis ad Padum usq; processerit, alij Mutinam dicunt, ubi C. Cassius prætor qui Galliã cum exercitu obtinebat, factus sit eunti obuiã, atq; tam infeliciter cũ eo dimicarit, ut cæso exercitu uix prætor ipse incolumis euaserit. Appianus, nulla pugnæ huius mentione facta, consules, qui in Apennino uicti fuerãt, hosti iterum in Piceno occurrisse ait, ibiq; nihilo meliore euentu quàm antea dimicatum. Nec propterea hostem Romam ducere ausum ciuiũ multitudine deterritum, quanquam nullum ei consiliũ in re tumultuaria & incerta constare potuit, præsertim cum nulla ciuitas illi post tot uictorias defecisset, nec multitudo, quę sane ingens erat, adhuc satis instructa esset armis. Cursu igitur inde auerso Turium petijt, cui abeũti M. Licinius Crassus qui tertio seruilis belli anno imperator ad id creatus, opportune occursurus Mumium (quidam Minutium pro Mumio scribunt) legatum præmittit qui cum duabus legionibus abeuntem assecutus tuto eius uestigio inhęreret, abstineretq; interim ab omni certamine. Cæterum ferox ille ubi primum est hostem adeptus in pugnã temere descendit, hic quo q; disiectæ cæsęq; sunt Romanæ legiones. Mumius eius cladis autor, cum paucis ad Crassum reuersus est. Ille legato grauiter increpito ex militibus decimum quęq; sorte ductum capitali supplicio affecit. Hoc magis crediderim, quàm quod Appianus scribit accepto à ueteribus cõsulibus exercitu, quatuor milia exigno minioſis illis legionibus à Crasso capitali supplicio affecta, quoniam talis animaduersio non noui ducis fuisset, sed ipsorum cõsulum quorum tunc cum male dimicarum est, fuit imperium. Plutarchus quinquaginta dũtaxat ait securi percussos, ex quingẽtis qui cũ Mumio siue Minutio, siue, ut alij scribũt, Mãlio in castra refugerant, quo apparet decimum quęque sorte ad supplicium ductum. Crassus ueteris disciplinæ exemplo militibus ad officium reuocatis, hostem per Lucaniã ad mare secutus est. Hic quoq; autores quos sequimur in diuersum trahunt. Appianus ait, Spartacum uno prælio uictum ad mare cõtendisse, conatumq; freto in Siciliam ratibus traijcere: sed à Crasso qui præsto affuit, traiectu prohibitũ in pugnam descendisse, duobusq; prælijs, matutino uno, altero ad uesperam commisso, ad. xx. Iatronum milia interfecta. Liuius quinq; & xxx. prodidit, cum ex Licinianis tres duntaxat cecidissent. Plutarchus sine prælij mentione ad mare descensum scribit, ibiq; Spartacum cum Cilicibus piratis, qui impune toto mari uãgabantur, certam mercedem pactum, ut duo milia ex suo exercitu in Siciliam transueherẽt, qui eo consilio in insulam mittebantur, ut seruile bellum nondum ibi restinctum, nouarum uirium

Crisi interitus

M. Licinius Crassus Spartaco occurrit.

Spartaci clades.

A accessu instaurarent, sed à prædonibus deceptũ qui pecuniarũ parte accepta diuersum inde cursum tenuerunt, Chersonesum in Rhegino agro occupasse, huius isthmus triginta patebat stadia, qua Crassus fossam xv. pedum latitudine ab uno littore ad alterum duxit, atq; ita hostem à cõtinenti exclusum aliquandiu obsidere perseuerauit. Erat talis obsidio ut pudenda ita patribus permolesta, quod tam fœdum latrocinium diutius in Italiæ lacinia hęsitaret. Ea indignatio fecit, ut patres Pompeium, quia iam bellum esset in Hispania profligatum, in Italiã cum exercitu reuocarint. Magna ex eo cura est Crasso iniecta ne confecti belli laus sibi præriperet, eratque de ea re uehemẽter solicitus, quũ fortuna residuo bello exitũ inuenit. Spartacus ut Appianus scribit, audito Pompeij aduẽtu conatus est bellũ dissoluere, sed omni spe pacis adempta, fossã ui superata Brunduſium uersus iter intẽdit. Sed factus certior Lucullum ex Asia reuocatum, iam Brunduſij esse, tum demum desperatis rebus omnẽ uirium conatum in Crassum ex improuiso uertit, qui uestigiò sequebatur, ibi acriter utrinq; est pugnatum, postq; multam cædem Spartacus femore uulnerato in genu concidit, alteroque poplite demisso nonnihil hostem à se clypei obiectu distinuit. Ad postremum eo cadente cætera multitudo multa cum strage fusa ad montes fugam intendit, ubi instaurato prælio ad unũ sunt omnes cęsi, sex milibus exceptis quos captos Romanus uictor crucibus affixit. xl. milia eo die ex Spartaci exercitu Liuius interfecta prodidit. Plutarchus fossa ait Isthmi ab hostibus repleta, Spartacũ cum omnibus copijs in apertũ euasisse, quem Crassus ad Leucanidis paludem adeptus leuioribus prælijs lacessitum, quum ad extremum certamẽ compellere non posset, sed in fuga & celeritate omnẽ trahendi belli spem repositam haberet, literas à Crasso ad senatum datas, Spartacũ cum his copijs quæ in Italia essent ſi sti non posse, quo minus suo arbitrio euagaretur: ſi patribus uideretur Pompeiũ ex Hispania cum exercitu reuocarent, aut Lucullum ex Asia, bellũ cum fugacissimo hoste geri, & qui non tã uiribus quàm fuge & celeritati fideret. Atq; hęc illum ad senatũ scripsisse ait. Sed ne confecti belli laus ad alios perueniret, summa ope deinceps sit connixus ut hostem ad conserendã manum uel inuitũ cogeret, C. Cassio & Caninio missis qui eum insidijs exciperent. Sed hi à callidissimo hoste cũ omnibus copijs deleti essent, nisi peropportune Crassus cũ robore exercitus subuenisset, actum demũ cõmisso prælio xiiij. milibus hominum amissis, Spartacum in Petelinos montes concessisse: Quinto legato & Scropha quæstore qui uestigio hærebãt cum cede à se repulsis, eoq; successu Spartacũ elatũ militibus id petẽtibus in Crassum agmẽ conuertisse, ut priusquã Põpeius adesset (iam enim aduentare dicebatur) de summa rei dimicaretur, ac tum demum in aciem utrinq; descensum. Fertur Spartacus equũ qui aciem ingresso oblatus est ferro confecisse, non defuturũ sibi equum testatus ſi uinceret, nec sibi uicto ullum profuturũ, ac mox inualescente prælio quum per confertissimum agmẽ Crassum peteret, multis simul uulneribus cõfossus concidit, ita duo clarissimi autores Græci penè æquales in re tam celebri diuersa tradiderũt. Crassus, quod satis cõstat, outãs urbẽ ingressus est, laurea corona caput præcinctus, quũ ad id tẽpus in eiusmodi triũpho Myrtea dari cõsuesset. Pompeius & ipse de Hispania triũphauit. Mox ambo creati sunt cõsules, quem magistratum adeò discordi animo gessere, ut per indecoras cõtentiones totus ille annus sine ulla alia re memorabili sit actus. Sed quum cõsularis dignitas iam ad exitũ spectaret, neuterq; prius altero exercitũ dimissurus uideretur, esseterq; Po. Ro. uehemẽter de ea re solicitus, frequẽti foro Gnatius Aurelius in equestri familia natus, ex superiore loco ac tauo-

Pompeius.

Spartaci fuga.

Spartaci interitus.

Consules.

ta uoce pronunciauit sibi Ioue per quietẽ imperasse, A
ut Po. Ro. commoneret, ne paterẽtur cõsules prius magistratu abire q̃ inter se reconciliati essent. Tũ accenso ad eam uocem populi studio coràm efflagratum est, ut omni simultate depoſita in gratiam rediret, donarentq; patribus & Po. Ro. ſi qua inter eos offensa orta esset. Quũ ad publicas preces Põpeius immoto staret uultu, Crasſus assurgẽs illi dexterã porrexit, nec Põpeius illum minus cupide cõplexus est. Subita & ingens lætitia totam concionem extulit, laudati publice ambo, gratiæq; utriq; actę, q̃ remp. priuatæ discordiæ præstitissent. Nihil toto eo cõsulatu popularius fieri cõtigit, nisi quòd tribunitia potestas ab his, ut Liuius scribit, restituta est, quam dictator Sylla uehementer refugerat, lege lata, ut qui tribunus plebis esset nullam amplius gerere posset potestatem, quo cõtigit, ut iam inde nemo nisi idem obscurè sordidiusq; tribunatũ peteret. Sed dum in Hispania cum Sertorio & cum fugitiuis in Italia bellatum est, Mithridates rex Romana arma circa Propõtidẽ & Bithyniã exercuit, quieuerat ille post Murenã ad Halim flu. uictũ, positis ex Syllæ & senatus auctoritate armis. Verum Sylla defuncto quũ legatos Romam misisset, qui noua cum Po. Ro. fœdera conscriberent, essetq; nemo illis id petentibus in curia assensus, Mithridates ad Tigranem generum suũ scripsit, ut Cappadociã quam ipse Sylla autore Ariobarzani restituerat, suo nomine occuparet. Nec ea res latuit Romanos, tametsi satis celebre erat ubiq; Tigranis nomen, quum ob regni opulentiam, tum quòd Tigranocertam urbem per id tempus condidisset, quo ad trecenta hominum milia uelut in coloniam deducta ferebantur. Misit Mithridates & ad Sertorium, ut suprà est memoratum, cum quo his legibus fœdus percussit, ut minor Asia, Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, Galatia Sertorio cederent, essetq; eo nomine Martius Varus cum L. Fanio ad regem missus, ut hi suo cõsilio & uirtute regem in administrando bello iuuarent, ipse summo opere bellum reparauit, utpote qui in extremum esset certamen descensurus. Præter uetera auxilia accesſere illi Chalybes, Armenij, Scythæ, Tauri, Achæi, qui supra Colchos incolũt à Troia, ut Appianus existimat, in eas terras postliminio profecti. Eniochi ad hos, Leucosyri, & qui circa Thermodoontem amnem agunt, quæ Amazonum terra fuisse dicitur. Ex Europa Sauromatum reges, Iapyges Coralli, Thraces, & Basternæ, qui ad Istrum fluuium sedes habẽt, auxilia miserunt, ut centum quinquaginta milia peditum, & equitũ sexdecim sub signis essent. Cum his copijs Mithridates in Bithyniam moturus, pro concione suos hortatus dicitur, ut forti alacriq; animo nouum bellum secum capesserent, ad quod inuitus Ro. superbia & auaritia compelleretur, spem certã secum ferrent id bellum ſi ullum unquã aliud optatum exitum habiturum, Po. Ro. uelut in duas esse ciuitates diuiſum atq; eas ipsas sibi infestissimas. Certatum inter ciues in media urbe, totam q̃ Italiã ciuili sanguine fœdatam, breui fore ut sine ulla etiam ui externa Ro. nomen suis uiribus confectum concidat, iam ex eo imperio quod antea quæsitum esset, umbram tãtum superesse, Hispaniam à Sertorio teneri, totum internũ mare cum insulis Cilices possidere, Italiam à seruitijs oppressam, adeò ut ne urbs quidem ipſa ob intestinam discordiam ciuibus tuta esset amplius. Contrà nobis florentissimę, inquit, copiæ adsunt, & auxilia à gentibus inuictissimis, omnia ita instructa & parata, ut ne Romana quidem re incolumi par esse tur nobis hostis futurus. Sed præter cætera occasio omnium rerum gerendarum mater, præsentem uictoriam pollicetur, quã ne maiore quidem ausus esset quisquã à dijs immortalibus implorare: fæuient Romani in se, & uelut unis mœnibus inclusi intra Italiæ fines cũ seruitijs dimicabunt,

Põpeij & Crassi reconciliatio.

Mithridatis uires.

Horatio Mithridatis ad suos.

Occasio rerũ gerendarũ mater.

B

dum nos per ociũ quicquid illi citra Taurũ ad mare latrocinio occuparunt, cum tota Græciæ ora, Macedoniaq; nobis bello uendicabimus. Hac ille hortatione usus Bithyniam petijt, quæ Nicomedis, ut est suprà significatum, testamẽto Ro. cesserat. M. Cotta, qui tunc eius erat prouinciæ prætor, suis opibus diffisus in Chalcidem ausugit. Bithyni Romanorũ auxiliaritim pertæſi, regem magno studio & fauore excipiunt. Hostis præsenti successu auctus, per Proponidem & Hellespõtum Cottam secutus in Chalcidem cõpulit, tribũ Ro. milib⁹ circa mœnia interfectis, & in his L. Manlio uiro senatorio: oppresſę & in Chalcidico portu cuius catenam hostis ui refregit, sexaginta Ro. naues & combustæ. Plutarchus significare uidetur Cottã, audito Luculli in Asiam accessu, belli fortunã experiri uoluisse, terraq; & mari uictum, quatuor milia hominum cum numero nauiũ, quas Chalcidi interceptas diximus, amisisse. Nec Mithridates est diutius in Chalcide cõmoratus, sed sub Luculli aduentũ qui cum triginta milibus peditum & duobus equitũ ac quingentis in Bœotiã uenerat, ad Cyzicum obsidẽdam retrò abijt. Amiserat Cyziceni in Chalcidica pugna tria milia hominum, & x. rostratas naues quæ Ro. classem sequebãtur. Est Cyzicus in Propontide ea parte qua mare inter Hellespontum & Thraciũ Bosphorũ procacius sese Asiæ infinuat. Milesij id oppidũ condidere, ut Plinius scribit. Alij in quibus est Naso, Thessalos cõditores assignant. Alexãder Philippi filius peninsulam militari opere propemodũ reddidit. Arconesus & Didymis olim nuncupata à Didymo mõte qui illi propemodum incubat, ibi uetus Troadis confiniũ, ut Homeri carmen testatur. Huc Lucullus hostem secutus in uico, cui Thraciæ erat nomen, consedit, nullam bene gerẽdę rei occasionem prætermissurus, eo præcipuè intentus, ut frumẽtationem hostibus q̃ maximè infestam redderet. Mithridates terra mariq; urbẽ adortus, multo conatu connixus est ad hostem irrumpere, duabus quinqueremibus à portu cũ turre illis impoſita muro admotis, unde ingens est terror Cyzicenis iniectus, quum pene prius murorũ fastigiũ ab hostib⁹ teneri sit animaduersum, q̃ inopinato periculo occurri potuerit. Deturbati tamen loco sunt subito ui oppidanorũ regij milites, & ſi naues ignis ſuperne deiectus, metum & trepidationẽ hostibus attulit, ut retro pro uictis abierint in castra. Dederat rex ab initio ad tria milia Cyzicenorum, qui circa Chalcidem capti fuerant, in suorum ciuium conspectum, uti illorum misericordia frangeretur ciuitas. His Pyſistrati Cyzicenorum ducis iussu publicè responsum est, ut forti animo ferrent uincula & catenas, aliaq; præsentis fortunæ incommoda, paterenturq; ita euenire, ut publica fides, quæ præstãda erat Po. Ro. priuato commodo præferretur. Et ut maritimus conatus ita terrestris parum prospere succeſſit regi, deiectis machinis alijsq; operib⁹ bellicis, ualide est oppidum defensum. Hærebat nihilo secius Cyzicenis Mithridates, ac multæ interim uariæque dæmonum præstigię sunt oppidanorũ oculis oblatæ aut obuersatæ animis. Celebraturi Cyziceni ueteri instituto Proserpinalia, nec nigra bos de more adesset, sed ultra stagnũ quæ huic sacro fuerat destinata in cætero armento pascereturq; essentq; paniceã uaccam pro uera immolaturi, ferunt sua sponte pullã boue quæ procul aberat urbẽ annatasse. Id Plutarc. & Appianus scribũt. Cæterũ in eo discrepant, q̃ hic Palladis id sacrum fuisse memorat, cui Cyzicus dotalis olim à Ioue tributa esset, ille Proserpinæ id solenne prodidit. Sed Appianus qui hæc de Pallade fabulatur, uiderit quæ dos huic dari potuerit, quæ nulli unquam nupſit. Plutarchus qui Proserpinalium autor est, Mineruam scribit Ilienſium quibusdam per quietem uisam lacerum peplum ostentare, testatam ſe ex Cyzico uenire, unde hostem labo-

Mithridatis successus.

Hostes à Cyzicenis repellũtur.

Quæ de Cyzico Græci scribãt.

rioſe repuliſſet, quæ res uſqueadeo ſit credita, ut literarum monumentis fuerit publicè ab Ilienſibus commendata. Lucullus etſi Cyzicus terra mariq; tam arcta obſidione premebatur, ut anguſtiſsimus etiam pelagi meatus, qui oppidum à continenti dirimebat, regijs nauibus teneretur, paruo tamen nauigio ex Daſcyliride ſtagno in mare translato noctu Cyzicenis miſit auxilia. Florus autor eſt ipſum ducem utri incubantem per medias hoſtium ſtationes ad Cyzicum nando penetraſſe, atq; obſidio per hæc in hyemem diſtracta eſt. Verum tanta interim rerũ omnium inopia Mithridatis exercitum inuaſit, ut ne ab humanis quidem carnibus Barbarorum quidam abſtinerent, tum demum fracta regis ferocia, debilior peditum pars cum impedimentis & toro ferè equitatu in Bithyniam præmiſſa eſt. Hos Lucullus cum x. cohortibus niuali die apud Rhyndacum amnem aſſecutus, adeò atrociter afflixit, ut mulieres ex Apollonia conuolarint ad hoſtium ſpolia temerè iacentium legenda, capta ſupra ingentem ceſorum numerum quinq; milia equorum, uirorum quindecim, numerus adhæc ingens ueterinorum. Sed tanta uis frigoris Romanos adorta eſt, ut prænimio rigore quidam militum defeciſſe dicantur, feceritq; ea cœli intemperies, ut lætitia tam nobilis uictoriæ minus ſentiretur. Tenebat adhuc Cyzicena obſidio, quũ Eumachus Mithridatis præfectus Phrygiam cum ualido exercitu ingreſſus, multa Romanorũ milia promiſcue uiros ac fœminas cum liberis peremit. In Piſidas inde tranſgreſſus Iſauriam & Ciliciam peruagatus in Galatiam tranſcendit, ubi à Deiotaro graui prælio exceptus, maiore copiarum parte amiſſa, ita animo cõcidit, ut nihil ultra memorabile ſit ab eo geſtum. Ad Cyzicum interea, quum ſupra famem peſtilentia quoq; regis exercitum conficeret. Mithridates ſoluta obſidione ex Dydimo unde uenit ex arce Cyzicenos oppugnarat, fugientis ſimilis noctu in Parum tranſmiſit, præmiſſo exercitu qui Lampſacum procederet. Nec tacitus hoſtis digreſſus latuit Lucullum, qui abeuntem hoſtem circa Granicum amnem adeptus tam fœda ſtrage affixit, ut xx. milia hoſtium cæſa ſint. x. milia fermè capta. Secundum eam uictoriã Ro. dux Cyzicum ingreſſus, laudata ſociorũ fide in Troadem profectus quũ in templo Veneris diuerſaretur, in ſomnis cœleſti uoce ſibi uiſus eſt moneri his uerbis. O Leo quid dormis? catulos ſectare propinquos. Somno excitus cum repente allatum eſſet. xiij. quinqueremes regias Lemnum petere, ac circa Chium nuper cõſpectas, in altum ſubito ſe euectus Iſidorum claſsis præfectum primo congreſſu obtruncauit, captaq; prætoria naui alias non ſine graui certamine, ad Achæorum portum quo ſe trepide receperant, expugnauit. Captus in his eſt Martius, qui à Sertorio miſſus fuerat ad regem, ut ſuprà eſt ſignificatũ. Mithridates multiplici clade afflictus decẽ milibus lectorum hominum cum l. nauibus circa Lampſacum relictis, cum Varo qui & ipſe à Sertorio uenerat, Alexãdro Paphlagone, & Dionyſio Eunucho ducibus in pontum nauigauit, ueritus ne à Lucullo interciperetur: eum abeũtem tam fœda tempeſtas adorta eſt, ut xl. nauibus obruris, & cũ his multis milibus hominum, ipſe penè naufragus ſit coactus ex regia naui ſæuitia maris uicta in Myoparonem piraticum transcendere, quo in Heracleam præter ſpem omnium eſt delatus. Appianus ad Synopẽ ueniſſe ait, & inde ad Amiſum, unde rex ad Tygranem ſocerum, ut idem autor ſcribit, alij eum generum fuiſſe aiunt, legatos miſit qui ab eo auxilia implorarẽt. Miſit & ad Macharem filium Boſphoranorum regem. Diocles cum donis & obſidibus ad Scythas miſſus ad Lucullum ſe contulit. Qui præſentis uictoriæ curſum ſecutus, per Bithyniam & Galatiam ad hoſtẽ uenerat, tantaq; commeatuum rerumq; omnium opulentia, ut mancipium quatuor drachmis uendere tur, tinguli boues ſingulis, pari utilitate capræ, oues, ueſtes, & cætera ad uitam neceſſaria. Amiſum inde Romanus exercitus obſedit. Id oppidum Enetiam olim nuncupatam quidam arbitrati ſunt. Oppugnata eſt & Eupatoria quam Mithridates à ſuo nomine appellauerat. Eſt & Themiſcyra ab Amazonũ una, ut Appianus credidit, nominata, ad Thermodoontem fuit id oppidum. Omnia hęc Cappadocum fuere, in quorũ ora fuit & Ceraſus, unde Lucullus Romam ceraſia tuliſſe proditur, præcox pomi genus in terra Italia. Cuniculis Ro. Themiſcyrã oppugnarunt, quibus multifariam itum eſt obuiam ab hoſte apum examinibus, urſis, alijsq; ferarum generibus in operarios ex aduerſo immiſſis, & ad Amiſum nõ mediocriter eſt laboratum, propugnatorũ ferocia. Creditur Lucullus tempus de induſtria his urbibus aſſidendo conſumpſiſſe, ne ſi fugienti hoſti ferocius inſtitiſſet, Tygranis & aliorum in ſe regum arma cõciaret, quin ſpatium regi dare uoluit reparandarũ copiarũ, ut cũ eo acie decertaret. Formidabat haud mediocriter Lucullus Tygranis opes, qui præter Armeniam & Mediam Syriæ quoque imperabat. Nec Mithridates interim in ocio fuit, quin Cabyres ubi hyemauit, ex immenſo illo exercitu quem nuper ad Cyzicum habuerat, ubi illi. ccc. circiter hominũ milia fuere, fragmenta colligens, ad xl. peditum milia & quatuor equitum in unum contraxit, quibus copijs fretus, ad Lycum amnem cum Romanis equeſtri prælio congreſſus egregie uicit. Captus eſt ea pugna Pomponius uir impiger, qui pluribus uulneribus confoſſus, & ad regis conſpectũ perductus, ab eo rogatus eſt, an ſi diligẽter ſuo iuſſu curatus eſſet, ſibi uelle amicus fieri, cui Pomponius: ero, inquit, ſi tu rex fueris Romanis amicus, alioqui hoſtis ut antea. Cuius uocem inuictumq; animum miratus Mithridates, omnem ab eo iniuriã abſtinuit. Nec multo pòſt Lucullus per montes ad Cabyra profectus eſt, iam enim regium equitatũ declinabat, cui haud dubie impar erat, hicq́ue tumultuario prælio commiſſo, pauci militum qui hoſtem ab initio fugerãt, ignominia à Lucullo notati ſunt, ac diſcincti interiores ueſtes iuſsi in conſpectu exercitus foueam cauare. Nec multum abfuit, quin dum in propinquo caſtra eſſent, Lucullus ſit Octalci cuiuſdam Barbari in ſidijs oppreſſus. Erat Octalcus Dandarius genere, ex his qui circa Meotim incolũt, qui in Romana caſtra pro tranſfuga uenerat, nec Mithridate inſcio, eratq; Barbari nomen apud Romanos iã antea haud obſcurum, eaque res fecit, ut à Lucullo in amicitiam receptus, cum ipſo duce ſæpius ſecretos haberet ſermones amicorumq́ue conuiuio intereſſet. Vbi igitur is deſtinatæ cædis tempus adeſſe uidit, ſtrato equo extra uallum miſſo, ipſe ad prætorium proficiſcitur, ducis ſecretum petens. Dormiebat tum forte Lucullus, quo contigit, ut Barbarus à Menedemo cubiculi cuſtode excluſus, quia pene ui irrũpere fuit auſus, ne paulopoſt deſtinati facinoris conuinceretur, caſtris trepide egreſſus, pernicitate equi in regia caſtra ablatus eſt, ſic Lucullus ſeruatus eſt ſomno, qui multis alioqui exitialis fuit. Sarnacus inde cum x. cohortibus à Lucullo frumentatum miſſus, Menandrum unum ex Mithridatis ducibus quem de induſtria cũ ualida manu rex miſerat, ut Romanos frumentatores opprimeret, ſibi obuium cum multa cæde non ſolum repulit, ſed effecit etiam, ut maior deinceps hoſtium clades paucis diebus ſit ſecuta. Nam ad eam ignominiam delendam, duo regij duces Menachus & Miron ad Adrianũ ex Cappadocia frumentantem opprimendum profecti, adeò una pugna male habiti ſunt, ut ex omni numero uix duo in regia caſtra reuerſi ſint. Appianus regio equitatu cæſo perpaucos peditum nocturna fuga ſeruatos autor eſt, Mithridates quod ſatis conſtat,

Ingens Mithridatis clades.

Mithridatis naufragium.

Amiſus olim Enetia.

Ceraſus. Ceraſia.

Octalcus.

Luculli diſcimen.

Duplex Mithridatis clades.

ſtat, magnopere conatus eſt fœdam ſuorum cladem occultare, ſed ubi omnia mer⁹, & trepidationis plena uidit, neque tam trepidus nuntius celari potuit, quum iam milites relictis ſignis fugam occuparẽt, præſentibus rebus diffiſus, ignoto penè habitu tabernaculo egreſſus fugam capeſſit. Ingens in portis colluctatio orta eſt, & res principum à Barbaris direptæ, Dorylausq́ue unus ex Mithridatis ducibus ob purpurã quam geſtabat interfectus. Sedebat uili equo Mithridates haud dubie paulo pòſt caſurus, niſi à Prolemæo Eunucho alter recentior peropportune fuiſſet oblatus, quæ res in primis fugienti regi adiumento fuit. Iam equites à Lucullo miſsi ueſtigio hærebant, nec procul à regio equo cædes & fremitus aduentantium aberat, ueniſſetq́ue rex ipſe in hoſtium poteſtatem niſi mulus auro onuſtus, incertum caſu an conſilio, utrumq; enim traditur, ſequẽtibus obiectus eſſet. Id certe ſaluti fuit: nam dũ equites aurum diripiunt, datum eſt fugienti ſpatiũ ad curſum præoccupandum. Caſtra regia Lucullus diripienda militibus dedit: Cabyraq́ue ſecundum eam uictoriã, & loca Cabyris propinqua confeſtim deditionem fecere, ibi & regij theſauri inuenti, & ex Mithridatis neceſſarijs quidam, qui ibi regis iuſſu cuſtodiebantur, omnes Lucullo iubente ſoluti ſunt, captaq́ue & Mithridatis ſoror ſua meliore fortuna: nam Roxana & Statyra quæ illi reliquæ erant, quęque in uirginitate permanſerant, quum iam quadragenariæ eſſent, & uxores Veronica & Nonima: Mileſia hæc, illa ex Chio, deſperatione rerum regis iuſſu, poſt clademad Cabyra acceptam, per Bocchidẽ Eunuchum Pharnaciæ, ubi forte erant, necatę ſunt. Nonima ſe diademate ſuſpendiſſe fertur. Veronica cum matre id precante ueneni poculum partita eſt. Roxana & ipſa iuſſa uenenum ſumere, diris eſt imprecationibus fratrem inſectata. Cõtrà Statyra multis laudibus, quod in extremis ſuis rebus dignitatis ſuorum non fuiſſet immemor. Mithridates qui Comana uerſus fugam intenderat ad Tygranem cum tribus milibus equitum ſe contulit. Ioſephus ſignificare uidetur: Tygranem per id tempus in Syria fuiſſe, trepidisq; nuntijs inde cum exercitu reuocatũ, quod Mithridates fugiens ſecum Romanum hoſtẽ in alienum regnum traxiſſet. Poſt regis fugam Lucullus Amaſtrim & Heracleam recepit. Synopẽſes haud tam cito deditionem fecere. Horum urbẽ Athenienſes quum late mari rerum potirentur condidiſſe dicuntur: ſed ciuilis inſtituti uerius autores fuerunt quàm conditores, ſi uera eſt fama, quæ ad poſteros manauit, urbem ipſam Antiochus, qui cum Hercule Amazonico bello militauit, occupatã mœnibus communiuit, cuius ſtatua per id quoque tempus quo hæc in Mithridatem geſta ſunt, apud Synopenſes uiſeretur. Poſt Synopẽ receptam Lucullus, cum Macharo Boſphoranorum rege Mithridatis filio fœdus percuſsit, quo in amicitiam recepto, Amaſum urbem nobiliſsimam ut Synopẽ ad mare ſitam expugnauit, quam ſub primam militum irruptionem, hoſtium conſilio incenſam, ſeruare Lucullus nõ potuit. Dedit proinde illius excidio lachrymas, queſtus quod non ut Syllæ Athenas, ita ſibi Amaſum ſeruare licuiſſet. Amaſenos ad ſe uocatos conſolatus eſt, pecuniaq́ue & ueſte ſingulos ciuium iuuit, hortatusq́ue eſt ad urbem reſtituendam, adiecitq́ue priſtinæ magnitudini cxx. ſtadia. Fuit Amaſus Athenienſium colonia multumq́ue morum in ea adhuc erat Atticę ciuitatis. Secundum hæc Lucullus ad Aſiæ ſtatum componendum conuertitur, in quo recognoſcendo quum omnia à fœneratoribus conſumpta inueniſſet, pueriq́ue & puellæ ingenuæ, tabulæ publicæ & priuatæ, omnia ſacra & prophana crudeliſsime eorum auaritiæ addicerentur, ita impudentiſsimum illorum queſtum circũcidit, ut homines eius ordinis pleriq; deſperatione adacti pro uincia exceſſerint. Hi Romam profecti, principes ciuitatis pecunia corrumpunt, atque in Lucullum cõciant. Hinc Ciceronis illa magis eloquens quàm probabilis actio pro Pompeio, qua ſimul & Luculli fama perſtringitur, & afflictę publicanorum fortunæ multa querela explicãtur: nulli enim ordini eloquentia illa libentius ſuum præſtitit patrocinium. Hinc ut arbitror res Luculli alioqui magnificæ & amplæ, in ſuſpicionem ſunt ad populum adductæ. Sed clades illa Aſiana à xx. milium talentorum tributo, quod uictor Sylla ipſi genti imperauit, originem habuit, & incrementum, quam prouincię calamitatem Lucullus magis ad tempus leuauit quàm tollere potuerit. Sed dum ille hæc gerit in Aſia, P. Clodius qui ab eo fuerat ad Tygranem miſſus, ut Mithridatem ab eo repoſceret, Euphrate ſuperato ad Daphnẽ peruenit, ubi regem expectare eſt iuſſus. Erat tum ille cum exercitu in Phœnice. Cæterũ reuerſus nõ ſolum ſe non daturum Mithridatem, ſed fortiter etiam illius iniuriam & cladem in Romanos ulturum reſpondit, qui ſibi bellum niſi ſocer dederetur indicerent, & quia Luculli epiſtola rex tantum non rex regum ſalutaretur, ſic enim appellari uoluit quod plures accolas gentes, & finitimos reges armis ſubegiſſet, ad eum reſcribens ne imperatorem quidem appellauit. Complexus inde Mithridatem Tygranes, quum eum ſolaretur, doceretq́ue cauſam auxilij non antea præſtiti, omnem culpam negatæ prius ſocietatis uertit in Metrodorum Scepſium uirum in dicendo non iniucundum, eo Mithridates in magnis rebus utebatur, colebatq́ue ut patrem: Cæterum ab rege olim ad Tygranem miſſus ut eum in ſocietatem belli traheret, rogatus Metrodorus à Tygrane an in partes belli oporteret ſe deſcendere, reſpondiſſe fertur (incertum Mithridatis odio, an ut ex ſententia conſuleret) Ego rex, inquit, ut legatus tibi, ut opem feras, ſuadeo, ut conſiliarius petitam ut neges moneo, id reſponſum quũ non tacitum tuliſſet Tygranes cauſa fuit ut Metrodorus confeſtim ſit à Mithridate interfectus. Doluit Tygranes ſuo indicio tantum uirum exitio deditum, ſed quem uiuum prodidit extinctum magnificè funerauit. Nec ita multo pòſt Lucullus in Tygranem mouit, duas duntaxat ſecum legiones habens mille & ſexcentos equites. Cum his copijs ſuperato Euphrate, pacato ſimilis, per hoſticum ductabat, nec interim repertus eſt qui ipſius acceſſum regi nuntiaret, adeò omnes regem ob ingenitam ſuperbiam infenſe oderant, qui primus nuntium attulit, extremo ſupplicio eſt ab eo affectus. Lucullus per Sophonem ad Tygrim progreſſus: hoc quoque ſuperato in Armeniam tranſijt. Primus igitur Metrobarzanes cum tribus milibus equitũ, magnoq; peditatu à rege miſſus, Romanis occurrit: qui cum eximprouiſo ſeſe obtuliſſet, timuit nonnihil Lucullus, ne prius manũ cum hoſte conſerere cogeretur, quàm uniuerſus exercitus adeſſet. Præmittit itaque Sextilium legatum cum toto equitatu, pariq́ue numero peditum, mandat præterea, ut tantiſper hoſtẽ diſtineat iniecto prælio, quoad ipſe cum cætero exercitu adeſſet. Sed res multo proſperius geſta eſt, quàm Lucullus animo conceperat. Metrobarzane cadente hoſtes cum multa cæde confeſtim fuſi fugatiq́ue ſunt. Qua clade Tygranes perculſus, ad Tauri montem ducturus credebatur, ut locorum opportunitate fretus, exercitum quàm opulentiſsimũ per ocium contraheret: Miſit itaque Lucullus Murenam qui hoſtem ſi fieri poſſet, deſtinato itinere auerteret, miſit & Sextilium in Arabum manũ, quæ regi auxilio eodem tempore appropinquare diceba tur, uterque ſuum ſtrenue obiuit munus: & Arabes Sextilij acceſſu uicti diſiectique ſunt: & Murena Tygranem anguſta ualle copias tranſmittentẽ tumultuoſe adortus, non ſolum impedimentis exuit, ſed

Synopes conditio.

Amaſi excidiũ

Mithridates ſorores & uxores occidi iuſſit.

Decretum Luculli aduerſus fœneratores.

Superbum Tygranis reſponſum.

Metrodori cõſilium.

Cædes.

Lucullus in Tygranem mouit.

Funditur regius equitatus

fudit etiam fugauitque. Multi Armeniorum eo die cæsi, plures omnino capti: quibus successibus elatus Lucullus ad Tygranocertam urbem opulentissimam regni caput obsidendam ire contendit. Eam urbem Tygranes, ut suprà est memoratum, condidit muro quinquaginta cubitorum altitudine in orbem circumducto. Nec multis inde diebus quàm hic Lucullus consederat, quum multa undique auxilia regi affuissent, tantus circa illum est numerus hominum collectus, ut multitudine fretus diceret sibi dolendum, ac pudendum etiam quod cum solo Lucullo, & nõ omnibus Romanis ducibus de summa rei esset confligendum, nec omnino uana erat regis fiducia, quippe cui, ut Lucullus postea ad senatum scripsit uiginti milia sagittariorum, uno tempore affuissent, equitum quinquaginta milia, centum quadraginta & amplius peditum in cohortes distributorum. Cum his copijs ille transcenso Tauro, ad Tygranocertam obsidione eximendam proficiscitur: qui ubi procul à suis conspectus est, confestim clamor ex urbe oritur. Ostentabant Barbari è mœnibus appropinquantes copias Romano absidenti, extremumque supplicium minitari. Lucullus Murena cum sex milibus peditum in castris relicto ipse numero penè duplo, & uniuerso equitatu regi processit obuiam. Tygranes Romanorum paucitate animaduersa cauillans dixisse fertur: Tygranis quidem multi hi sunt, si ad nos legati ueniunt: si hostes nimis quidem pauci. Nec Lucullus multum deinceps moratus, ubi hostem in conspectu habuit, confestim fluuium qui utraque castra dirimebat, uado superat. Fuit lux illa pridie nonarum Octobris, quo die Cœpio olim à Cimbris circa Rhodanum uictus ingentem amisit exercitum. Eratque proinde Romanis talis dies ater & ominosus, cuius rei admonitus Lucullus à suis respondisse dicitur. Ego ex atro felicissimum Romanis faciam. Atq; ita propinquior hostibus factus: Tygranem in se conciuit. Erat uicinus hosti tumulus quidam facilis ascensu, quem cataphracti regis equites insederant, in hos Lucullus Thraces à fronte immisit, equitibus præire iussis, qui hostem prælio lacesserent, ipse cum duabus cohortibus occulte à tergo circũuectus tumuli uerticem repente occupat, locoque potitus alta exclamat uoce, uicimus milites. Regius equitatus ubi se circunuentum sensit, metu perculsus sine ullo maiore certamine, præceps inde datus ad imà ruit. Secuta mox uictoria, peditum ordinibus equestri impetu ruinaque confusis: tantus pauor hostem inuasit ut undique simul fuga orta sit. Romanus uictor dispalatum hostem late insequitur, ac passim obtruncat, quod ubi rex fieri uidit, paucis comitatus continuo acie excesit, filioque lachrymans diadema sibi ademptum imposuit, hortatus ut diuersum iter ingressus salutem sibi quæreret. Cæterum adolescens uiuo patre id insigne non recepit, nec receptum multum profuisset: nam haud multo pòst in hostem delapsus, ad Lucullum perductus est. Centum milia hostium & amplius eo die cæsa Plutarchus tradidit. Ex tam numeroso nuper equitatu, præter paucos omnes desiderati. Nullo unquã prælio, ut Liuius scribit: Romani pauciores numero aduersus tot milia hostium confixerunt: ut uictorum numerus uix æquauerit uigesimam eorum partem qui uicti sunt. Estque per hæc Lucullus ingentem gloriam adeptus, quod duos potentissimos reges diuersis artibus uicisset, cũctatione unum, alterum celeritate. Tygranocertam à Græcis quos Tygranes eò inuitos traxerat post prælium deditam, Lucullus militi diripiendam dedit: Græcosque uiatico prosecutus incolumes dimisit. Mithridates qui prelio abfuerat, cũ Tygrane cõgressus, ubi cõmune cladem cum eo familiariter fleuit, reparãdi belli autor illi fuit. Multi interim reges ac populi Luculli fe

Tygranocerta urbs.

Tygranis uerba.

Luculli strategema.

Cæsorum numerus.

Tygranocerta diripitur.

Luculli successus.

A licitatem secuti: partim in amicitiã Po. Ro. sua sponte uenerunt: partim belli metu imperata facere non recusarunt: fuereq; in his Arabum reges, qui petita pace sese & fortunas regni Romano duci permiserunt. Sophenorum adhæc Gordianorumq; gentes, cum liberis & uxoribus in Luculli gratiam, Romana signa si permissum eis foret secutæ essent. Nec temerè Gordiani præcipuum hunc præ se tulerunt affectum: occiderat Tygranes Zarbienum eorum regem cum uxore & filijs: quia indicio comperisset, eum cum Romanis societatem initurum. Eius funus postea Lucullus regali celebrauit apparatu, ornauitq; & tumulũ spolijs ex Tygrane captis. Zarbieni thesauri non mediocriter ditarũt Romnaos. Reperta sunt in eius horreis tricies centum milia modiorum tritici. Cum Parthis quoq; fœdus est penè renouatum, id Barbaris per legatos petentibus, sed cognita eorum perfidia, quod à Tygrane Mesopotamiam sibi dari postulabant, ut cum eo arma in Romanos iungerent, transtulisset Lucullus confestim bellum in Parthiam, nisi milites ex Ponto accersiti, nimia imperatoris indulgentia corrupti militiam contumacius detrectassent. Bello itaq; Parthico omisso in Tygranem sese iterum conuertit, quem ut ad conserenda manum cogeret (iam enim ingentẽ reparauerat exercitũ), Artaxata petere constituit, ubi erat Tygranis regia, ubi & thesauri. Eã urbẽ Barchinus Hãnibal condidit qui post fractas Antiochi opes, ad Artaxã Armeniæ regẽ profectus, animaduersa loci opportunitate, autor fuit regi nouæ illic urbis construendæ, operisq; præfectura hospitis iussu in se recepta, eam opulentissime cõstructã à regis nomine Artaxata appellauit. Hic diuersi abeunt scriptores, quos sequimur. Plutarchus autor est tris reges uno tẽpore ad Arsamanũ amnẽ cum Lucullo acie dimicasse, ibiq; uno prælio debellatũ, uictos hostes, copijsq; & castris exutos, interfuisseq; huic pugnę Mithridatẽ, qui omnium turpissime fugerit. Appianus bipertito ait ab hoste in aciẽ descẽsum, quũ lxx. milia peditũ illi adessent, equitũ dimidium. Sed Mithridatẽ à fronte fossa circunsessum, ac fame aliquãdiu oppugnatũ, in Põtum cum octo milibus armatorũ fugiẽti similẽ abijsse, ac secundũ eius digressum Tygranẽ in interiora Armeniæ loca cum exercitu concessisse. Perrexisset Lucullus Artaxata ire, nisi uertẽte anno, post Librę æquinoctiũ, frigora continuo celerius sentire cœpissent. Militibus adhęc longiorem militiã detrectantibus, Lucullus in Mygdoniã copias reduxit. Hic Antiochia capta, Barbari Nisibin nominabant, Gutas Tygranis frater qui regioni præerat in deditionem uenit. Et Lucullus tam prospera ad id tempus fortuna est usus, secuta inde infamia ex inuidia & æmulatione orta: nã præterquã quod ipsius indulgentia disciplina militaris mox paulopòst in exercitu soluta esset, eũ superbiæ incusabãt quod suorũ æqualiũ qui cum magistratu in castris essent dignaretur neminẽ. Criminari in eo & auaritiã, cuius impulsu post Ciliciam captam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniã, Galatiã, Põtum & Armeniam, ad diripiendam Tygranis regiam per æqua & iniqua ductasset exercitum, uelut ad spoliandos reges, non debellãdos esset à Populo Ro. missus. Hæ uoces ex prouincia ad urbem delatæ causa extiterunt, ut non multo pòst sit imperium illi abrogatũ. Auxit hãc infamiam quod postq; Mithridates in Pontum reuersus est, Fabium primo uicit, unum ex Luculli ducibus, eoque fusos quingentos Romanos milites interfecit. Fuisseq; altero prælio Fabius maiore fortasis clade uictus, ni Mithridates duobus uulneribus acceptis, peropportunè acie excessisset. Successit huic Triarius, qui uelut in manibus uictoria esset, bis paucis diebus acie dimicauit. Priore prælio adeò atrox orta est tempestas, ut utrorumq; tabernacula subita procella sustulerit, magna omniũ promiscue

Zarbieni thesauri.

Artaxata Hannibal cõdidit.

Lucullo abrogatur imperiũ

promiscuè rerum strage edita, ut & milites nõnulli, A cum totis armis cõtorti sint, & in aëre ui uentorum librati. Sequenti pugna, etsi Mithridates graue uulnus accepit, fœda tamen est Romanorum cædes secuta. Septem milia peditũ cæsa, & in his centũ quinquaginta Centuriones, tribuni militum quatuor & uiginti, perijt et Attilius uir senatorius. Lucullus his Mithridatis successibus statiuis excitus, ex aduerso castra fecit, ubi cum tubicẽ quidã ab Asiæ præfecto missus, alta uoce proclamasset Ro. Lucullũ incusare quod ultra præscriptum sibi tempus exercitum reti neret, publicanda esse militũ bona, qui priuato dein ceps partuissent, ad eam uocẽ mutata sunt omnia in castris, maioreq; militũ parte dilapsa, ipse cum paucissimis relictus est, coactusq; omnem conficiundi belli spem abijcere. Cæterum dum hæc Lucullus in Ponto & Armenia gessit, Romæ interea Gn. Lentulo, & L. Gellio consulibus, quatuor & sexaginta senatores, quot nunquam aliàs, uno tempore sunt curia summoti. Censaq; proximo lustro quod ijdẽ conditerunt ciuium capita quadringẽta quinquaginta milia. Templum Iouis in Capitolio, quod medio ciuilis belli ardore conflagrarat, magnificè instauratũ, Q. Catulus dedicauit. L. Roscius Otho Trib. pleb. quũ ad id tempus equites cum plebe indiscretis ordinibus spectassent, legẽ tulit, ut quatuordecim gradus in theatro ijs assignarentur, qui quadraginta possiderent sestertia. Est & in Creta eadem tempestate bellatũ. Belli causa magis à Romanis est quæsita subigendæ insulæ cupiditate, quàm ab insulanis oblata. Crimini datum est Cretensibus quod studio si essent Mithridatis regis, cũ quo Po. Ro. plures annos uario euentu bellauerat, eius q; rebus occultè fauissent. Primꝰ itaq; M. Antoniꝰ illius, credo, pater q postea Triũuir fuit, Antoniusq; oratoris filius, magna spe uictoriæ & fiducia insulam inuasit. Sed is parum rem prosperè gessit, plerisque nauibus ab hoste interceptis. Addita est uictis ignominia, captiuos antennis religatos, triumphali uelificatione, præ se uictores egerunt. Q. Metellus proconsul, qui bellum per manus ab Antonio accepit, insulam igni & ferro uastauit. Gnosum, Lyctum, Erithream, & ipsam urbium matrem, ut Græci aiunt, Cydonem ui cepit, insulaque triennio pacata, Cretici cognomen ex ea retulit: quo tempore Cyrenaicum regnum Apionis morte Romanis testamento cessit, ut quidam scribunt. Sed quod ad Cretensis belli exitum attinet, Insulani ad Pompeium tum in Asia bellantem misere, qui illi deditionem facerent, missusque ab eo est Antonius in insulam, legati nomine. Plutarchus L. Octauium missum scribit. Eam Metellus injuriã haud ferendam ratus, Pompeij legato ad irritum redacto, ipse multo infestius Cretenses infectatus, acerbissimè uictoriam exercuit. Nec Romæ id factum probauit quisquam. Pompeium æmuli criminantes, quod uelut Achilles ille Homericus, qui Hectorem à nullo præterquam à se uiolari passus est, in Cretam ad Metellum misisset, ut hostibus abstineret. Cæterum cõfecit ille bellum, nihilque ex eo maius quàm Cretici cognomẽ reportauit. Assueuerat bellicis cognominibus Metellorum familia: quo contigit, ut quum sub id tempus, ut Florus prodidit, alius Metellus huius Cretici frater, Baleares nauali prælio uicisset, qui & ipsi cum Cilicibus maria infestabãt, Balearici cognomen assumpserit. Nam dum in Creta ita bellatũ est, Cilices toto mari sublati sunt, qui cũ omnia latè infestarent, ut nihil uspiam toto mari ab illorum latrocinio Romanis turum esset amplius, Aulus Gabinus rogationẽ tulit ad populum, ut maris imperium Pompeio demandaretur, quàm longè lateque patet à Gaditano freto ad Syriam & Pamphiliam, & rursus ab Ægypto Libyaque ad Hellespontum, ipseque ad piraticum bellum conficiendũ, quindecim sibi ex senatorio ordine uiros legeret, B quibus suo arbitrio legatorum nomine uteretur, sumeretq; sibi tantum pecunię ex ærario quantum ad alendam classem satis uideretur, ut par eidem potestas esset habendi delectus, & cõmeatus ad bellum expediendi. Eam rogationem cupidè plebs complexa est, offendit tamen optimũ quemq; tam insolens imperium, potestasq; nulli ad id tempus cõcessa, ut ne à Pisone quidem consule Pompeium tacitum tulisse ferant, per Romuli gradus eundem exitum habiturum. Quæ uox effecit, ut parum abfuerit, quin consul sit pro concione multitudinis incursu discerptus. Catulus mitiore uia ingressus, parcendũ Pompeio censebat, nec unum tot periculis onerandum, dandum itaq; illi collegam, cum quo bellum partiretur, quæ Catuli uox tanto fremitu & indignatione est à populo excepta, ut coruus supernè uolans, clamore perculsus, in mediam concionem delapsus dicatur. Pompeius interim incredibili celeritate usus, classem & commeatum, omnium spe celerius comparat. Populi, Dinastæ, reges, Ro. nominis socij, auxilia, pecunias, commeatum ad id bellum misere. Instructæ itaque naues cclxx. numero peditum, equitumq;, & nequa hostibus pateret effugiũ, Pompeius ita legatis partitus est prouinciam, Iberiæ oram, usque ad Herculis columnas, Tyberio Neroni Manlio Torquato tuendam tribuit. Gallicum mare & Liguticum M. Pompeio. Libycum Sardoum & Corsicũ, cum interiectis insulis, Lentulus Marcellinus & P. Attilius obtinerent. Italiæ oram L. Gellius & Gn. Lentulus. Siculum & Ionium in Acarnaniã usq; Plocius & Terentius Varro. Peloponnesi, Atticæ, Eubœæ, Thessaliæ, Macedoniæ L. Cinna. Ægeum cum insulis & Hellesponto L. Cullio cessit. Bithyniam, Thraciam, & Propontidem cum Bosphoro P. Pisotueri est iussus. Lyciam, Pamphiliam, Cyprum, Phœnicem, Metellus Nepos. Singulis certus est nauiũ numerus attributus. Et maritimum bellum ita est datum per partes administrandũ. Pompeius cum sexaginta lectis nauib. Tyrrheno mari, Libyco, Sardoo, Siculoq; prius lustratis, quod quadraginta dierũ spatio effecit, in Ciliciam piratarũ arcem iturus, Romã ex Brundusio diuertit, q. Piso consul inuidia nauale soluerat apparatum, militesq; stipendio exautorauerat, quapropter tribunitia rogatiõe fuisset magistratu abdicatus, nisi Pompeius officiosè intercessisset, quo minus ea ignominia afficeretur. Repetita inde nauigatione, Ionium emensus, Athenas classem appulit, ubi inter cętera urbis blandimenta, pro portis memorabile fuit carmen affixum. Quantũ supra uiros certas, tantum deus ipse es. Athenis digressus in Ciliciam cursum tetendit, multis obiter piratarum suppliciter deditis, Corocesium inde recepit, & alia Tauri munitiora loca, quæ cum uxoribus & liberis, omniq; bellico apparatu, piratæ insederãt. Hi uno nauali prælio fracti, quod sub Pompeij accessum fuerat commissum, se & suos sine alio maiore certamine dediderunt. Appianus ne pugnatum quidem scribit, sed Pompeij fama territis hostibus, continuò deditionem fieri contigisse, dedita sunt ad uiginti milia hominum, piraticæ naues captæ tercentum sex, ut idem autor prodidit. Plinius multo maiorem numerum posuit. Pompeius prædonum turbam procul mari ablegatã, partim Solis urbe per id tempus propemodũ à Tygrane in solitudinem redacta, partim Dymis Achæorũ oppido collocauit. Solensium urbs à noua huiusmodi colonia Põpeiopolis est appellata. Trium igitur aut quatuor, ut quidã tradunt, mensium spatio, difficillimũ alioqui bellũ, dubium maiore ducis uirtute, an felicitate est confectum. Eratq; adhuc Põpeius in Cilicia, cùm rogatione Manlia, quam M. Cicero qui tum prætor urbanus erat elegãti ad populũ suasit oratione, Mithridatici belli, puinciã sibi plebiscito datã cognouit, adiecto omniũ copiarũ imperio, quæ in Asia essent. Additæ

Fœda Ro. cædes.

Ro. à Cretensibus uicti.

Metellorũ cognomina.

Pompeius maris imperator.

Copiæ Põpeij.

Põpeij humanitas in Pisonẽ

inde prouinciæ sunt noua rogatiõe, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, & Armenia, quo tanti imperij nuntio accepto, Pompeius, ne lut à principatu & imperio abhorreret, femur manu percussisse dicitur, mox & illud cũ gemitu pronunciasse. Heu infinita certamina, quanto satius fuisset ignobilem nasci, si à militari cura nunquam discedendum sit: conducibilius erat, ut tanta exutus inuidia, cum uxore & liberis in agro uiuerem. Inde in Galatiam profectus, cum Lucullo in colloquiũ uenit, hic quum ambo laureatos fasces haberent, Lucullani lictores uiridiorem laurum sortiti, quod per amœna & opaca loca iter fecissent, sponte sua Pompeianos uiridi fronde ornauere, quod factum portendere creditũ est omnem præsentis belli laudem, etsi propemodũ profligatum acciperet, penes Pompeium futuram. Cęterum duces contentione prius, mox iurgio sese incessentes, ægrè à legatis & tribunis qui aderant, in officio retenti sunt. Necita multo pòst Lucullus, omni penè exercitu exutus, quum nihil amplius in prouincia quàm ignominiam indipisceretur, Romam ad triumphum decesit, qui ægrè

Põpeius in Mithridatem.

Luculli triumphus.

est illi à populo concessus, patribus summa ope anni tentibus ut triumpharet. Prælati in pompa decẽ falcati currus, sexaginta captiui nobiles regum pernecessarij. Rostratarũ nauiũ simulachra centũ & decẽ, aureum Mithridatis simulachrũ sex pedum longitudine. Clypeus preciosis lapidib. præditus. Argentea prærerea & aurea uasa plurima. Octo muli aureis leticis, sex & quinquaginta argẽteis onusti, centũ & septẽ argenteã pecuniam portabãt. Ipse post triumphum conuiuiũ populo dedit, Clodiaq; repudiata, quæ super alia probra cum P. Clodio fratre incestũ cõmisisse ferebatur, Seruiliã Caronis sororẽ sibi matrimonio iunxit. Cum hac quoq; diuortiũ fecit, ob ipsius intemperiẽ: inde Reipub. cura prẽter spem omnium abiecta, ad ociũ se contulit, dubiũ quia illam iam pronã in lapsum cerneret, an cautius facturus, q̃ C. Marius fecisset, q clarissimas res prius gestas turpissimis certaminib. extremo uitæ tempore fœdauit. Multi uoluptatis causa omnem publicã ab eo curam neglectã arbitrati sunt. Satis constat togatorũ nullum sumptuosius uixisse. Quo contigit ut quidã adolescẽte in senatu obiurgaturus, q, quum intemperans esset longã & intempestiuã de parsimonia & modestia traheret orationẽ, Tacebis ne, inqt, hodie, dies, ut Crassus, uiuens ut Lucullus, loquens ut Cato? Lucullanos hortos, quod satis constat, inter sumptuosissima urbis opera mirata est posteritas. Et in Tusculano agro, & circa Neapolim totaq; ora Cãpaniæ adeò superbè & sumptuosè ædificauit, ut à Tuberone, qui Stoicæ assectator fuit disciplinę, Xerxes togatus sit haud infacetè appellatus. Ex lautissimo epularũ apparatu, conuiuãdiq; ratione famã quæritabat, ut singulis triclinijs certus esset cõuiuij sumptus ascriptus, ita ut in Apolline (sic enim cœnatio illa dicta est) decem milib. discumberet, inde ei materia quæsita est famosæ illius cœnæ Põpeio Crasso & Cic. in eodem cõclaui datę, cùm ab his secũ cœnaturis ægrè impetrasset, ut famulũ ire domũ iuberet ac nuntiaret, ut in Apolline pararet. Et Lucullus talis fuit. Pompeius Mithridatem adortus Galatia expulit, quã post Luculli discessum occupauerat, fossa deinde & uallo centũ quinquaginta stadiorũ clausit, unde occultiore fuga dilapsum, & ad Euphratem tendentẽ Ro. imperator cursu assecutus, ad cõserendam manum cõpulit. Erant Mithridati ad triginta milia lectissimorũ peditum, duo equitũ. Pompeius noctu regẽ adortus, modico certamine castris & impedimẽtis exuit, cæsaq; in pugna & fuga circiter decem milia, Mithridates uictus per deuia & confragosa loca, cum tribus duntaxat fugam expediuit. Fuit in his Hipsicratia pellex, quã ob uirilem audaciã rex ita ficto nomine appellabat. Appianus cũ scutiferorum globo, ad Sinoregã oppidum, siue Inorã, ut alij habent, peruenisse ait, ubi ex thesauris, qui in ea urbe asseruabantẽ, sex milia talentorũ deprompsit, largęq; pecuniã distribuit ijs, qui tum circa se erãt, nam multi nocturna clade dilapsi, regis uestigia aut famã secuti ad illum, paucis diebus, cõfluxerant. Hinc Mithridates profectus, cùm in Armeniã iter intendisset, ubi comperit Tigranẽ iuniorem à patre ad Ro. descisuisse, propositaq; esse præmia suis percussoribus per Colchidem & Dioscoros iter fecit, ad Bosphorũ per Eniochos penetraturus. Erant hi à Græcis oriundi, nam ut Dioscori oppidum ita Eniochi arguũt Castoris & Pollucis ad ea loca aduentum. Rex ad Meotim peruenit. Achæis in itinere uictis, hi quoque à Troia profecti, tempestate in Pontũ delati, cum Barbaris eam terram tenuisse dicuntur. Multi Dynastæ pristinam Mithridatis gloriam secuti, ultrè eius partibus accessere, quo successu fretus cogitasse dicitur, per Thraciam & Macedoniam Pæonas petere, inde per alpes Italiã bello inuadere. Macharus eius filius qui per Lucullum in Romanum fœdus uenerat, ubi patrem regni finibus arcere nõ potuit, eumq; sibi parum placabilem sensit, in Tauricam Cherronesum se proripuit, ubi postquam comperit missos esse, qui se ad patrem retraherent, mortem sua sponte occubuit, atque ita ex Machari morte Bosphorani cum Cherroneso, & tota Meotidis ora Mithridati cessere. Sed dum hæc in Bosphoro fiunt, Pompeius, qui in Colchidem usq; fuerat hostem secutus, postquã ab eo ulterius insectando destitit, pro non paruo habuit negocio omnia de Iasonis in eam terram accessu argumẽta recognoscere. Plures auriferi fontes ex Caucaso scatent, locorum accolæ pelles in ima uada demittunt, aurumq; uelleribus implicitum legunt, ita ut in emerso aurea sit pellis facies, unde poẽtis materia orta uideri potest tam multa de aureo uellere fabulandi. Quum his esset locis Pompeius, trepidè afferẽ Orazam & Tocum reges, hunc Iberum, illum Albanorum, cum septuaginta milib. hominũ, ad Cirtum fluuium sedere. Plutarchus Cydnum uocat. Labitur is ex Caucaso, ut pleraq; alia, Araxem q; ex Armenia lapsum cõplexus, nomẽ illi aufert, duodecim ostijs in mare Caspiũ euoluit. Põpeius ad hostes profectus, superato flumine, eos in profundissimas syluas præcipites egit, mox igni circumiecto, quum ad perniciem insectaretur, flama & ferro deleuisset, nisi obsidibus datis suppliciter pacem uicti reges imploràssent. Appian⁹ autor est, haud paruam mulierum copiam inter captiuos & obsides repertam, quæ nõ minora quàm uiri ferrent uulnera, acriterque dimicarent. Multi ex Pompeij comitatu crediderunt eas Amazones esse, aut certè fœminarum genus locorũ uicinitate Amazonicæ uirtutis æmulum. Plutarchus ait Albanos, qui circa Caucasum habitant, ad Cirtum amnem acie uictos pacem petijsse, ac secundum eam uictoriam in Iberes Tauri incolas mota à Romanis esse castra. Genus hominum multo Albanis bellicosius, quippe qui ne Macedonum quidem armis Alexandri temporibus cessissent. Cæsa ex his nouem milia prælio, decem milia capta, ac tum demum Iberes deditos, quibus nuper pacatis, recens fama Pompeio nunciat Albanos defecisse. In quos ira conuersus circa Abaurem amnem iterum prælio uicit, Cosi regis fratre Pompeij manu interfecto, atque in ea demum acie Plutarchus credidit Amazonas ex regione, quæ supra Thermodoontem iacet, accersitas cum Albanis militasse. Sed de Amazonibus longior est à nobis in diuersa Rapsodiæ parte sermo habitus. Ex Iberia Pompeius ad Caspium mare flexit iter. Cæterum regione serpentibus infesta præsenti conatu excussus, in Tigranẽ omnem belli impetũ uertit. Tulerat Tigranes ex Mithridatis filia cõpluris liberos, occideratq; ex his duos, unũ secum armis disceptantẽ, in uena-

Cœnatio celebris.

Mithridates fugatus.

Dioscori & Eniochi.

Macharimon

Aureum uellus

Cirtus amn.

Amazonum fama.

tione alterum, quum patri ex equo humi effuso nihil opitulatus esset, sed eo adhuc iacente diadema sibi imposuisset, tertius patris sæuitia constat natus ad Phraatem Parthorũ regem confugit, eoq; autore sub primũ Pompeij in Armeniam accessum, ad Ro. sese cõtulit. Erat iam Põpeio inter Barbaros conciliata incredibilis clementiæ fama, quæ res effecit, ut Senior quoq; Tygranes non publica aut priuata fide prius interposita, ad ipsius conspectum uenerit, à quo clemẽter acceptus, magna est in Ro. munificentia usus, sex milibus talentorum Pompeio, quinquagenis drachmis unicuiq; militum datis. Legatis & ducibus turmarũ denis milibus. Huiusmodi largitione amicior illi factus Pompeius, cõtinuo filium patri recõciliauit, cui Sophenes Gordienesq; regnum per legatos deditum habere dedit. Ea postmodum terra minor est Armenia nuncupata. Patri maiorem Armeniam restituit. Adiecit iuueni Syriæ partem, quæ iacet ad Euphratẽ, unde Tygranes Antiochum expulerat, sed breui ille regno excidit, qui quum adhuc in Ro. castris esset, quia de cæde patris consilium iniuisse compertus est, eum Pompeius in uincula conijectum ad triumphum referuauit. Plutarchus autor est Parthos, quoniam in Gordianam erupissent à Ro. Affranij ductu prælio fusos, arq; Arbelitica usque deiectos. Declarauit Pompeius & Ariobarzanem Cappadociæ regem cui Sophenem & Gordienẽ Tygrani iuniori ademptas attribuit. Taurum inde montem transgressus, Antiochum Comagenum bello petijt, quo breui ad se recepto Darius Medorum rex, quia cum Tygrane aduersus Ro. socia arma iunxerat, factus est hostis ac prælio uictus. Ipsum quoq; Antiochum regno spoliauit, indignũ ratus Syriam, quæ Tygrani plures annos paruisset, Ro. armis non parere. Quicquid ergo Antiochus tenebat, quod sub id tempus recuperauerat, quo Lucullus ingenti prælio Tygranẽ uicit, Pompeius Romano populo addixit, redegitque in prouinciæ formã. Translatum inde est bellum in Iudæam aduersus Aristobulum, de quo priusquam dicam, Iudaicarum rerũ explanatio paulo altius est repetenda. Fuerant, ut suprà significaui, Alexandræ matri superstites Aristobulus & Hircanus, iam inde à seditiosa administratione inter se animo dissidentes: quo contigit, ut matre defuncta, uelut irrequieti eius manes ambobus bellicum cecinissent, sumptis armis apud Hierichuntem, hostiliter conflixerint. Ibi Hircanus magna militum parte destitutus, fugam præoccupauit. Paucis inde diebus interiectis, ita rem cum fratre decidit, ut regno ei relicto ipse, etsi maior natu, priuatus uiueret. Atque in hoc fœdus ambo iurati, regiam domũ Aristobolus inuasit, Hircanus in priuatas ædes trãsijt. Nec diu postea quieuit, quin à fratre uiro facinoroso uim metuens, Antipatri uiri Idumæi consilium secutus (fuit is Herodis regis pater, & apud Alexandram in magna, dum illa in humanis egit, celebritate) ad Aretam Nabathæorum regem profugit. Sunt Nabathæi supra Syriam in parte felicis Arabiæ, eorum Metropolis Petra, trium dierum spatio ab Hiericunte, loco plano sita est, rupib. alioqui eminentib. cincta, intus peropportunè irrigua. Quidã Nabathæã à rubro mari ad Persicũ protendi arbitrati sunt, nomẽq; terræ inditũ à Nabaoth Hismaëlis filio. Aretas Hircani precib. suasuq; Antipatri quo familiariter utebatur, bellum Aristobolo intulit. Cæterũ neq; huius amicitia, neq; illius preces, plus apud regem ualuere, q̃ spes recipiendarũ urbium, quas Alexander Hircani pater ex Arabis ceperat. Has se illi redditurũ pollicitus erat Hircanus, si per eum in paternũ fuisset regnum restitutus. Cum quinquaginta igitur milib. armatorũ Iudæã ingressus, Aristobolũ magno prælio fusum, Hierosolymis clausit. Secuta inde recentior clades. Milites qui ad id tempus in officio manserãt, cum magna parte populi ad Hircanũ defecere. Aretas, admotis ad urbem copijs, Aristobolũ obsidione fatigat. Interea Iudæorum multitudo quæ in castris erat, Hircani partes secuta, Oniam uirum insigni pietate in sacerdotũ inuidiam, qui Aristobolo enixè fauebant, obtruncãt. Ne fariæ huius cædis prætextus percussorib. fuit, q, sacerdotes deuouere iussus, id facere noluisset. Additum inde aliud piaculũ, cùm paschales dies in eam obsidionẽ incidissent, deessentq; solẽnes hostiæ, acceptam pro his ab Aristobolo pecuniã, hostis dolo malo interuertit, inde accidisse creditũ, quod totus ager unde Iudæi & Nabathæi q in castris erant, commodè frumentabantẽ, subita cœli tempestate sit fœdissimè decussus. Tenuit tamẽ obsidio quoad Scaurus cum parte copiarũ à Pompeio præmissus, Damascum uenit. Is pactus cum Aristobolo, centũ talenta Hierosolymitanã obsidionẽ soluit. Nam Aretas ad primam Ro. denunciationẽ ab oppugnatione desistit. Nec Aristobolus diu ultionẽ distulit, quippe qui nouo exercitu summa ope reparato, ad Capiton (id loco nomẽ fuit, in quo dimicatũ est) Aretam & Hircanum ingenti prẽlio uicit. Multa Arabũ promiscuè & Iudæorũ milia, qui ab Hircano steterãt, ea acie cæsa traduntẽ, & in his Cephalon Antipatri Damasceni frater. Nec multo pòst cùm Pompeius in inferiorem Syriã descensurus diceret, præclara illi munera sunt ex Ægypto, Iudæa, & Arabia congesta, sed omnium maximè memorabile fuit Terpnon illud, quod Aristobolus dono misit. Fuit ea uitis aurea, quæ in Capitolio postea dedicata est, cum titulo Aristoboli Alexandri filij regis Iudæorũ. Pompeius sub uernũ tempus ex Apamea Damascũ descendit, cui Iudæorũ legati, Antipatri suasu, qui Aristobolũ infensè oderat, prẽstò affuerunt, ipsius ducis fidem aduersus regem implorantes, q, illius iniuria adacti, regum libidinibus parere cogerentur, cùm Iudæos patrio ritu sacerdotibus obtẽperare oporteret. Aderat Hircanus, qui & ipse fratris inuidiam uehementer auxit, multa de eo apud Romanos questus. Finitimi quoq; accolæ eundẽ criminari, quod assiduo latrocinio suos fines infestaret. Aristobolus etsi ad omnia constanter respondit, turbato tamen animo à Pompeio discessit, quippe qui in Iudæam se processurũ dixerat, ut præsens omnia certius cognosceret. Postquã igitur Hierosolymam uenit, bellumq; haud dubiè pararet, Pompeius è uestigio subsecutus, in Hiericho castra fecit. Hic Opobalsamũ nascitur. Balsami arbor tum primum ibi à Romanis uisa est, & in triumpho, quem postea Pompeius egit, spectaculo prælata. Ex Hiericunte Pompeius Hierosolymã castra transtulit, ad cuius accessum Aristobolus, metu perculsus, deditionem fecit. Supplex ad imperatoris conspectum constitutus, urbem, templum, regiam, omnia diuina & humana sese illi tradere testatus est, ipse suo arbitrio omnia disponeret. Misit Pompeius Gabinum in urbem, ut regiam pecuniam acciperet. Cæterum eo à militibus excluso, qui eam deditionem irritam fecere, ira percitus Romanus imperator urbem & templum obsidione circundedit. Seditione inde inter ciues & milites orta, urbs dedita est, templumque aliquandiu oppugnatum, ac bellicis operibus penè æquatum solo. Pleriq; Iudæorum sibi manum intulerunt, iniecerunt sese alij flammis, duo & uiginti milia hominũ cæsa. Faustus Sylla, Syllæ dictatoris filius, primus omniũ templũ irrupit. Sabbatorũ die id captum, qua luce, ueteri instituto, Iudæi omni humano opere feriati agebant. Multi medio sacrorũ ministerio perierunt, fatius rati ita cadere, quam rem diuinam metu intermittere. Incidit hæc clades Hierosolymitani templi omniũ, quę in terris erant augustissimi, in annum tertiũ nonę ac septuagesimę Olympiadis, ut Eusebius scribit. Iosephus aliter colligit. Satis constat eum annũ, quo hæc gesta sunt Hierosolymis, Romæ cõsules fuisse, C. Anto-

Tygranis largitio.

Pompeij successus.

Hircani & Aristoboli dissidia.

Nabathæi.

Aristoboli clades.

Aristobolus soluitur obsidione.

Terpnon.

Querelæ de Aristobolo.

Hiericus.

Balsamus.

Aristoboli deditio.

Prophanatio templi.

C. Antonium & M. Tullium Ciceronem, qui Catilinæ coniurationem, de qua in fronte alterius libri dicam, sua prudentia oppressit. Reperta in sacris thesauris mensa aurea, & cum ea candelabra & uasa libatoria, ex eadem materia. Aromatum uis ingens, & superhæc duo milia talentorum, quibus Pompeius religione cõmotus, pertinacissimè abstinuit. Templum purgari iussit, sacraq; ueteri ritu instaurari. Hircano sacerdotiũ restituit, inde belli autoribus securi percussis, urbem tributariã fecit, sublataq; regia administratione, popularem induxit. Per Scaurum inde Aretę bellum illatum, estq; Nabatheorum Metropolis aliquandiu obsessa, sed bellum Aretas paucis diebus certo auri pondere redemit. Sub id tempus, quo hæc circa Syriam geri cœpta sunt, Pompeiusq; in Aristobolum iam mouerat exercitum, aut certè iamiam moturus erat, nuncijs & literis de Mithridatis interitu certior factus est. Ille ad ultima regionis propulsus, filium Xiphacem (Alij Atriaritem scribunt) occidit in Stratonices matris inuidiam quæ cum Pompeio prius pacta filij salutem, arcem Romanis tradiderat munitissimam, ubi præter regios thesauros, Mithridatis cõmentarij reperti sunt, quibus uenenorum multiplex medicamentorũq; continebatur ratio. Erat interim Pompeius in Syria, à quo Mithridates per legatos pacem petijt, tantũ petens, ut ex omnibus gentibus, quibus imperauerat, quæ duæ & uiginti numero fuisse traduntur, paternum sibi regnum relinqueretur, atq; id ipsum tributarium. Responsum est pacem impetrari posse, si Tigranis exemplo ipse pro se deprecaturus, ad Pompeium ueniſſet. Id superbissimus rex nõ solum non fecit, sed bellũ summa ope reparare est conatus. Sed quum multæ interim in habendo delectu bellicisq; rebus conquirendis fierent populis iniuriæ, Phanagorij Castoris cuiusdam ductu à rege defecerũt, expugnata arce, in qua erant quatuor Mithridatis filij, Artaphernes, Darius, Xerxes & Oxatres, & cum his Eupatora regis filia adhuc uirgo, quam Mithridates præcipuè diligebat. Secuta inde & Cherronesi defectio, Theodosię, Nymphei & aliorum circa Pontum illustrium locorũ, quibus Mithridates territus, cùm & exercitum suspectum haberet, ob longam & infelicem militiam iam munus detrectantẽ, ad Scytharum reges misit, qui illis filias in matrimonium offerrent, auxiliaq; post iunctam affinitatem ab eis impetrarent, quingenti equites sequebantẽ Eunuchos, qui ad id mittebantur. Hi fide obiter mutata, legatos subitò obtruncant, regiasq; ad Pompeium perducunt filias. Nec Mithridates ad præsentẽ cladem animum remisit, quin cæterarum gentium auxilijs destitutus, ad Gallos penetrare constituit, ut iuncta cum his societate, Italiam inuaderet, Hannibalis exemplum secutus. Hæc illum animo agitantẽ Pharnacis filij inopinata defectio oppressit. Erat is ex Mithridatis filijs longè clarissimus, & ad regni successionem à patre instructus. Cæterum ratus fore ut à patre alienatus, facilius ueniã impetraret. Sunt qui scribunt regni cupiditate id ab eo factum, alij ut ab Italica expeditione remoraretur, quæ difficilis nimis & periculosa uideretur. Sed quæcunque illi causa fuit, Romanis, quod satis constat, transfugis qui in castris erãt, prius corruptis, inde & militibus, scripo, ut in re subita, pro diademate capiti circumducto, magno militum fauore rex cõsalutatur. Habuit in animo Mithridates, accepto nũcio, ad exercitum exire, ut pro concione filium sceleris argueret, sed quia nemo eorum qui mittebantur, ad se redibat, ue nenum miscere cœpit, quod ad similes casus in capulo ensis gestabat inclusum. Aderant illi duæ filiæ, quæ reliquæ ex omnibus apud illum educabantur, Mithridatia & Nysa, Ægypti & Cypri regibus connubio destinatę. Hę cum lachrymis ad pedes patris prouolutæ, suppliciter precabantur, ut si uitæ exitum quæreret, sui fati comites amantissimas traheret filias, priusque utranq; tolleret, quàm de se aliud statueret. Pater lachrymis uictus exitiale uirus ambabus impertiuit, quæ ubi exanimes ante illum iacuerunt, rex contra domesticas fraudes antidotis et medicaminibus ab ineunte ætate assuetus, adeò corpus aduersus eam uim longa consuetudine muniuerat, ut ueneno sepius hausto extingui nequiuerit. Bittito itaque uno ex Celtarum ducibus ad se ferro conficiendum precibus adhibito, ne uiuus in hostium potestatem ueniret, fortiter occubuit. Et Mithridates rex cognomento Eupator, sic perijt, qui se xtusdecimus fuit à Dario ultimo Persarum rege, à primo Mithridate qui à Macedonibus defecit, Pontumque occupauit, octauus. Vixit annos duodeseptuaginta, septem & quinquaginta rex fuit, circiter quadraginta cum Romanis bellauit. Paternum regnum longè lateque auxit, in Græciam usque arma protulit, obtinuitque mare à Cilicia ad Ionium. Fimbriam uicit, Murenam, Cottam uirum consularem, Fabium & Triarium. Eius opes Sylla cohibuit. Affixit Lucullus. Pompeius euertit. Crudele homini ingenium ac sæuum, uxorem, tres filios & filias totidem interfecit, occidit & fratrem & sorores duas. Fuit alioqui inuicto animo, statura ingẽti, ut ex eius armis quæ postea Delphis dedicata sunt, potuit intelligi: adeò laboris patiens, ut equis per interualla dispositis, mille uno die stadia conficeret. Sexiuges equos nonnunquam etiam decemiuges agitasse fertur, uino & ueneri supra modum deditus, adeò natura interdum in uno uitia uirtutibus miscet. Appianus innuere uidetur, Pompeium circa Scipionem fuisse, quum ex Pharnacis nuncio Mithridatis cognouit interitũ. Plutarchus in Arabia fuisse ait. Iosephus in Iudæa, quum in Aristobolum, ut diximus, duceret. Pompeius promotis ad Euphratem & Ægyptum usque Romani imperij finibus, earum gentium quas uicerat, alias liberas ob fidam in bello societatem esse dedit, alias redegit in prouinciæ formam, quasdã etiam in regna distribuit. Armeniam Tigrani concessit, Pharnaci Bosphorum, Ariobarzani Cappadociam, Antiocho Comageno Seleuciam, cum parte Mesopotamiæ, quam ipse percurrerat. Constituit & Gallograeciæ Tetrarcham Deiotarum, Paphlagoniæ Attalum; Colchidis Aristarchum Dynastam declarauit. Condidit ad hæc alias alibi urbes. In minori Armenia Nicopolim, ubi Mithridatem prælio uicerat. In Ponto, ubi Eupatoria fuerat à Romanis diruta, Magnopolim. In Cappadocia aliam ubi Mazaca fuit & in Cilicia, ubi Pasoli, Pompeiopolim. His que ingenti gloria militiæ gestis, singulis militibus mille & quingentas drachmas Atticas, prædæ nomine diuisit, inde cæteris ducibus sua cuique præmia, tam larga pecuniarum profusione, ut ad sexdecim milia talentorum ea largitio absumpserit. Postremò in Italiam ad triumphum discessurus, Mitylenem petijt, Mitylenęosque libertate donauit. Hic quum fortè Scenicos poëtas spectaret, Theatri formam contemplatus, quia ualde placuisset, typum ex stilo expressit, persimile alterum Romæ, cæterum multo capacius, maioreque apparatu ædificaturus. Rhodum inde profectus, omnes liberalium artium professores audire pro non paruo habuit negocio, singulisque talentum unum dono obtulit. Posidonium Stoicæ disciplinę uirum, qui tum fortè ægrotus iacebat, domi uisere dignatus est, cuius ædes subitur⁹, uetuit lictores ostium ut moris fuit pulsare, summisitq; inuictus imperator priuatæ domui fasces quibus penè totus se oriens submiserat, adeò tum uita & mirari uirtutem nouit & uenerari. Ex Rhodo Põpeius in Italiam delatus, ad tertiũ Calend. Octobris, Messala & Pisone cõsulibus, triumphans urbem ingressus est. Prælata sunt currui aurea & argentea uasa, aliaq;

Pompeius abstinet sacris.

Mithridatis exitus.

Mithridatis natura.

Prouinciarum & regnorũ constitutio.

Pharnax à patre defecit.

Mithridatis filiæ.

Theatrũ Pompeianum.

Põpeij studiũ in liberaliũ artiũ præceptores.

Triumphus.

aliaq; non pauca preciosiore materia, & in his duo milia ex onyche lapide mirificè fabrefacta, in Mithridatis supellectile reperta: Sunt & argenti auriq; signati uiginti talentorum milia. Ducti ante currum Tigranes, senioris Tigranis filius, septem ex Mithridate geniti, quinq; uirilis stirpis, duæ uirgines Orsibaris & Eupatora. Atalces Colchorũ sceptriger, Iudæorum rex Aristobolus, Cilicum tyranni, tres Iberum duces, Albanorum duo, Menander Laodiceus Mithridatis præfectus. Qui omnes à Pompeio, pro cuiusq; dignitate donati, domum dimissi sunt, præter Tigranem & Aristobolum, quorum unus postalterum, ut quidam scribunt, sunt Romæ interfecti. Multæ adhæc uariæq; rerum gestarum imagines, & quod omnium maximè fuit memorabile, triumpha uit ille uno tempore, quod decreti triumphi præfatio, & Mineruæ templi quod postea de manubijs dedicauit, inscriptio declarauit. De prędonib. toto mari eiectis, & quod Ro. Po. maris imperium restituisset. Quod Asiam, Pontũ, Armeniam, Paphlagoniã, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Scythiã, Iudæam, Albaniam, Iberiam, Cretam insulã, Basternas armis subegisset. Natibus interim hostium aut captis, aut depressis, octingentis numero & quadraginta sex: Castellis adhæc oppidisq; in fidem receptis, mille et quingentis triginta octo hominũ fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis, centies uicies semel & octoginta tribus milibus. Terris omnibus à Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis, ut meritò gloriatus sit in concione, quam ad populum habuit de rebus à se gestis, quòd Asiam quam ultimam Romani imperij prouinciam acceperat, finibus longè propagatis, mediam reddidisset.

ENNEADIS VI. LIBER V.

RAnt Romæ consules M. T. Cicero, & C. Antonius eo anno quo Pompeius Hierosolymã cum Aristobolo cepit, sublataq; regia administratione, popularem induxit. Fuit annus ille Romanæ urbis sexcentesimus atque undenonagesimus, quo tempore Catilina, Lentulus, Cethegus, & alij plerique patritij genere uiri, patriæ per uim occupandæ nefarium inuere consilium. Erat Catilina (is enim caput fuit coniurationis) nobili Sergiorum familia, ualido corpore, malo prauoq; ingenio, cui ab ineunte ætate cædes, rapinæ, stupra, & alia fœda dictu, pro bonis artibus fuerunt cordi. Animus audax, alieni appetens, sui profusus, & in quo multum loquentiæ fuit, sapientiæ parum. Item Syllanæ proscriptionis nefarijq; dominatus mirator, pessimo exemplo captus, animum adiecit ad Rempub. per fraudem & scelus occupandam, ad quod flagitium satis quidem corrupti mores ciuitatis, sed plus omnino rei familiaris inopia, quã ipse fecerat, impellebat. Stimulabant adhæc pudor & ignominia furiosum animũ, quòd bis in consulatus petitione repulsam tulerat. His ille actus stimulis, & quia satis sciebat in Romana iuuentute multos esse, qui apud se & facere & pati turpia consueti, quoniam uitã omnibus probris contaminassent, tum demũ partim egestate compulsi, partim scelerum consuetudine, omnia mallent, quàm ocium ciuitatis, essentq; sua sponte talibus consilijs accessuri. Debebatur adhæc ubiq; æs alienum, quæ res persæpe, quum in alijs urbib. tum Romę magnorum motuum causa extitit. Multi præterea Syllanæ uictoriæ memores, ciuile bellũ exoptabãt, nec ullus erat per id tempus in Italia exercitus, qui in subita re posset Reip. præsidio adesse. Hanc ille temporũ opportunitatem nactus, primo L. Cæsare, & C. Figulo consulib. quosdã præcipua familiaritate deuinctos, sui consilij participes fecit, & in his P. Lentulum Suram senatorij ordinis, P. Antroniũ, L. Cassiũ, C. Cethegum, & alios quosdã, qui magis spe potentiæ, q̃ inopia ferebãtur, & cùm magnificè & molliter uiuere potuissent, incerta pro certis, bellũ pro pace malebant. Fuerũt ea tempestate qui crederent M. Liciniũ Crassum eius consilij fuisse non ignarũ: quoniam ex residua cum Põpeio æmulatione cuiusuis potentiã aduersus illũ qui tum publicos in Asia ductabat exercitus, crescere uoluisset. Coniuratuerat nõ multo antea Catilina cum P. Antronio & Gn. Pisone facinoroso adolescente, ut Cottam & Torquatũ consules Calen. Ianuarijs in Capitolio obtruncarẽt, ipsiq; correptis fascib. Pisonem cum exercitu ad utrãq; Hispaniam obtinendã mitterent. Cæterũ suspecta coniuratione, in Calen. Febr. destinatę cædis consiliũ distulerunt, fuissentq; eo die nõ solum consules cæsi, sed ex optimatib. etiam pleriq;, si Catilina maturius signum extulisset. Res igitur bis infeliciter mota distulit nonnihil cogitatum scelus, quoad L. Catilina cum ijs quorum suprà mentionẽ feci, ex præsenti occasione cõiurauit. Fama est ipsum sceleris autorem, postea q̃ uehementi oratione sociorũ animos hortatus est, humanũ cruorem uino mixtum circumtulisse, uelut graui execratione interposita, si quis rẽ tantam nõ fido silentio texisset. Fuerunt qui crederent totum hoc postea fictũ ab ijs qui ingentẽ inuidiã M. Tullio ex illorum supplicio ortam, sceleris atrocitate leniri cupiebant, sed quoquo modo res acta est, id flagitiũ non diu in occulto fuit. Erat in cõiuratis Q. Curius, cui uetus erat stupri consuetudo cum Fuluia fœmina illustri, sed profligatæ pudicitiæ, cui quum ob inopiam minus gratus esset, ut eam obsequentiorem haberet, cœpit homo uanus ex improuiso multa insolenter iactare, nunc maria & montes pollicendo, nunc ferocius minitando, nisi deinceps esset ut si quando alias sibi obsequentissima. Nec Fuluia id patriæ periculũ in occulto habuit, sed utcunq; de con iurationis ex illo audiuerat, compluribus patefecit, quę res uehementer accendit optimatium studia ad consulatum M. Tullio demandandũ, cui candidato, ob familiæ nouitatem, nõ pauci antea aduersati fuerant. Cum C. Antonio igitur est consul creatus, turbauitque illius nomen nõ mediocriter cæteros coniurationis socios. Sed de Catilinæ ferocia nihil propterea remittebatur, quin domi ac foris omnia moliri, quę ad exequendum facinus uidebantur necessaria, & ad Mallium cõiurationis socium Fesulas pecuniam misit, ut bellum occultè pararet, & ipse in urbe plures in horam sui consilij participes faciebat, quin & mulieres aliquot, ut per eas seruitia sollicitaret, coniurationi asciuit, & in his Sempronium nobili familia ortam, formaque eleganti, sed multis probris coopertã: polliceri interea nouas tabulas, proscriptiones locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, aliaque alijs despondere. Cicero postquã magistratum inijt, partitus cum Antonio prouinciam, ut ille foris esset, ipse domi Rempub. curaret, ad crudelissimum Catilinæ consilium opprimendũ conuersus, à quo sciebat sibi capitales insidias parari, primum omnium dat operam, ut per Fuluiam Curius omnia Catilinę consilia aperiat, qui tametsi omnib. erat suspectus, ob ea quæ parabantur, certo tamen opus erat indicio. Catilina interea ubi neq; insidias procedere uidit, neq; ut in sequentẽ annũ cõsul designareẽ, obtinere potuit, multo enixius incautiusq; q̃ antea, præceps in destinatũ scelus abijt, in Hetruriam, in Picenũ, & Apuliam misit, qui res nouas pro cul domo molirentẽ. Ipse rursus intempesta nocte, cum socijs cõiurationis locut⁹, Ciceronẽ qui suis omnibus maximè obstabat cõsilijs, domi interficere cõstituit, datq; negociũ perpetrandæ cædis C. Cornelio equiti Romano, & L. Vargunteio, qui senator erat, ut hi sub noctem consulis domum officij gratia ingressi, incautum

Anni urbis Romanæ.

Catilina.

Primi motus coniurationis.

Cõiuratio sanguine sancita.

Fuluia.

Consules.

Tendũtur insidiæ Ciceroni.

incautum confoderent. Curius id consilium Cicero A ni consuli per Fuluiam aperuit, quo contigit, ut percussores ianua exclusi, retrò infecta re abierint. Cicero huiusmodi malis circumuentus, de coniuratione uulgi rumoribus uariè agitata, ad senatũ retulit. Patres magnitudine rei permoti decernunt, ut consules Rempub. tuendam suscipiãt: dentq; operam, ne quid incõmodi ex huiusmodi motu ciuitas adiret. Vetus quidem & proprium Romanorũ fuit, ut quoties subitum aliquod periculum instaret, in quo non facile totus ordo certum expediret consiliũ, uti summa rerum omniũ magistratibus permitteretur, quibus belli pacisq; potestas esset, alioqui iniussu populi nulli earum rerum consuli ius erat: & iam ex Hetruria literis significabatur, per C. Malliũ Fesulis multitudinem armari, Capuæ seruile bellũ moueri, quæ fama effecit ut Q. Martius rex Fesulas sit missus, & in Apuliam Q. Metellus Creticus. Erãt hi ambo circa urbem cum exercitu inuidorum calumnia impediti, quo minus ob res foris gestas, triumphali curru in urbem inueherentur. Prætores adhæc duo Q. Pompeius Ruffus Capuam cum exercitu, quem ipse sibi cõparare, ire iussus est. Metell⁹ Celer in agrum Picenum. Sunt & præmia indicibus coniurationis decreta. Seruo libertas cum centum sestertijs. Libero impunitas & sestertia ducenta. Constitutæq; per opportuna loca urbis uigiliæ, ut crebris stationibus præsidijsq; ab omni incendio & cæde ciuitas custodiretur. Erat per hæc mutata urbis facies, pro lasciuia & ocio tristitia & metus omnes inuaserat. Ardebat nihilo secius crudelis Catilinæ animus, moliriq; cædes & incendia, qui posteaquã omnia uidit insidijs obsepta, dissimulandi gratia, aut rumoris de se purgandi, in senatum uenit: cuius præsentia M. Tullius consul cõmotus, orationem in illum habuit luculentam. Cæterum ubi consul dicendi finem fecit, Catilina demisso uultu, uoceq; penè supplici à patri B bus petijt, nequid de se temerè crederent. Ea se familia ortum ita ab adolescẽtia institutum, ut omnia in bona spe haberet reposita, nec ea Repub. perdita sibi opus esse, in quam multa sua maiorumq; suorum extarent merita, si M. Tullius inquilinus ciuis eam seruaret. Inde in consulem conuicia exorsus, quum ei dicere uolenti optimi quique obstrepere occœpissent, hostemq; & parricidam uocarent, ira accensus, Quãdo, inquit, ego ab inimicis circũuentus præceps agor, meum uestra ruina incendium extinguã. Cum his ille curia egressus domum se proripuit, ubi multa æstuanti animo reputans, posteaquã neq; insidiæ ad consulem opprimendum procedebant, neque consilium ad urbem incendendam, quia attentè custodiretur, in Malliana castra proficiscitur, socijs coniurationis prius confirmatis, iussisq; ut consuli maturarent insidias, urbemq; quoquo modo in cenderent, affuturum se haud multo pòst cum exercitu. Sed dum hæ Romæ fiunt, legati à C. Mallio ad Q. Martium missi, miserorum ciuium inopiam & calamitatem questum, per quos motus ille esset foris ortus, multis precibus conati sunt ab eo impetrare, uti eorũ qui in armis essent, uellet causam tuendam susciperẽ. Credo eo consilio id postulatum, ut si fieri posset, Martius sceleratorum causam complexus, à Repub. alienaretur, quod eo facilius euenturum opinio erat, quia per id tempus offensus esset ille senatui, ob triumphum sibi ab eo ordine denegatũ. Responsum est ut Romam ad senatum irent, haud dubium esse, quin si positis armis ad illius ordinis clementiam confugerent, omnia æqua ab eo essent impetraturi. Catilina ex itinere ad cõsulares quosdam literas dedit, quibus significauit se inimicorum insidijs circũuentum Massiliam in exilium proficisci, ueniseq; officium suum in suspitionem, quasi res nouas moliretur, q, miserorum ciuium causam pro sua consuetudine tuendã susciepisset. Hæc & alia in can-

Motus externi

Legati ex Mallianis castris ad Martiũ.

Catilina insenatũ.

dem sentẽtiam, quum alijs pleriſq;, ut dixi, tum Q. Catulo scripsit, qui Catilinæ literas in senatu recitauit. Ille interea ex Reatino agro profectus, cum fasci bus & alijs imperij insignibus abijt in Malliana ca- *Catil. in Malliana castrasi confert.*
stra, quæ ubi primùm Romæ audita sunt, confestim cum Mallio hostis iudicatus est, cæteris certum fuit tempus constitutum, quo fine fraude liceret ab armis discedere. Decernitur adhęc ut habito militum delectu Antonius Catilinam bello persequeretur: Cicero urbi præsidio esset. Interea neq; spe quisquã adductus, neq; metu coniurationem patefecit: neq; in Mallianis castris ulla secuta est defectio, tantus furor uecordiaq; Reipub. labefactandæ plurimorũ animos inuaserat, sed nihil æquè ciuitatis ocio officiebat, ac immoderata habẽdi cupiditas, cuius explendæ causa multi per æqua & iniqua præcipites agebantur, uel in primis qui Syllanorum temporũ memores, ex alieno malebant diuites & potentes fieri, quã in libera ciuitate officiosè uiuere. Reperti sunt etiam, qui ne coniurationi quidem adhibiti, nouandarum tamen rerum cupidi, se ad Catilinam per eos dies contulerint, & in his Fuluius senatoris filius, quem ex itinere retractum pater interfici iusit. Nec Lentulus qui post Catilinã primas sibi partes peragendæ rei assumpserat, interea quiescebat, quin ut coniurationis opes quoquomodo augeret, Allobro *Allobrogũ legati à coniuratis appellati.*
gum legatos, & per eos totam gentem in destinati belli societatem trahere est conatus, ipse quum prætor esset, P. Vmbreno legatorum appellandi dat negocium. Erat per id tempus Allobrogum ciuitas publicè & priuatim obærata, gliscebatq; indies magis ea calamitas, nec spes interim erat ulla melioris in posterũ fortunæ, quæ res eos facile perpulit, ut Vmbreno meliora pollicenti acceſſerint. Perducti sunt inde legati in D. Bruti domum, qui ob Sempronia il lius fuit coniurationis particeps, adhibitusq; est sermoni, ut maior ineſſet autoritas, Gabinius totius rei conscius, ibi coniuratio Barbaris est ex ordine patefacta, nominati pleriq; illustres, ut audacius periculum adirent. Postremò multis pollicitationibus *dimissi*, ut suis autores essent, uti cum Catilina sentirent. Diu illi in incerto habuere, quid consilij caperent. Hinc æs alienum, belli cupiditas ad id facinus hortari. Contrà Reipub. maiestas, & pro incerta spe præmium certissimum, si suo indicio ciuitas imminenti periculo seruaretur, præsentis officij admonebat. Hæc illis agitantibus, uicit fortuna Pop. Ro. ac Fabio Sangæ, cuius patrocinio plurimum utebatur Allobrogum ciuitas, rem omnem deferunt. Fabius *Proũnt coniuratorũ consilium Allobroges.*
nihil in publico periculo cunctatus, Ciceroni Allobrogum indicium affert. Iubentur legati studiũ coniurationis aſsimulare, cęteros q; adire, atq; industriè omnia coniuratorũ consilia cognoscere. Interea foris in Gallia citeriore, & in Piceno agro Brutioq; maiores in dies motus oriebãtur, in quibus opprimendis perutilis fuit Metelli & Murenæ opera. Lentulus & cæteri qui domi erant, omnibus comparatis noctem constituunt inuadendæ urbis, totum inter se negociũ in hũc modum partiri, ut Gabinius cum magna manu duodecim diuersis locis urbem incenderet. Cethegus consulis ianuã obsideret, eumq; nocturno tumultu excitum ui adoriretur, alijq; alios optimatium obtruncarent, & in his pleriq; nobiliũ filij fuere, quibus datum est negociũ, ut parentes domi interficerent, urbeq; incendio & cæde perculsa, unà coniurati ad Catilinam erumperent. Legati & ipsi à Lentulo, Cethego, & Statilio uelut in patriam abituri, iusiurandum postulant, quod signatum ad suos perferant, quo impetrato datur illis à Lentulo T. Volturcius comes, ut legati per eum cum Catilina uenirent in colloquium, fœdusq; firmarent, adijcitque hæc Statilius ad eum scribens. Qui sim ex eo *Statilij literæ ad Catilinam.*
quẽ ad te misi, cognoscẽs, fac cogites in quanta calamitate sis, & memineris te uirũ esse. Considera quid tuæ ra-

tiones postulent, auxilium petas ab omnibus A etiam ab infimis. Hæc breui epistola complexus, mãdata hæc adijcit, quoniam à senatu hostis iudicatus esset, parum considerate facere, quod seruitia repudiaret, in urbe parata esse omnia, quæ ipse fieri præcepisset, nec diutius cunctandum quin propius accederet. Constituitur inde nox qua legati cum Volturcio urbe profecturi essent, quod quum Cicero ipsorum indicio resciuisset, pontem Miluiũ à L. Valerio Flacco, & à C. Pontino prætoribus iubet occultè occupari, ut Allobrogũ legatos cum suo comitatu trãseuntes opprimerent, darentq; diligẽter operam ne literæ quas haberent interciderent: Rebusq; in hũc modum disposĩtis, legati noctu egressi ubi ad locũ uenerunt, ad primum clamorẽ totius rei non ignari *Intercipiuntur legatorum literæ.*
prętoribus se dedũt. Volturcius uim à se pellere conatus, posteaquam legatos deditos uidit & ipse Põtini fidem implorat, traditq́ue seſe illi. Cicero lætus quod ex sententia res tota processisset, paululũ addubitauit, qua arte sine motu ciuitatis tantos uiros in potestatem redigeret. Lentulum ad se primo, inde Cethegum, Statiliũ, aliosq; alio prætextu accersit, qui posteaquam in unum conuenere, Lentulũ quia tum prætor erat manu tenens in templũ Concordiæ perduxit, in quem locum eo die senatũ uocari iusserat. Cæteri eodem tacita custodia perducti. Huc legati cum Volturcio introducti sunt, scriniũq; cum literis à Flacco prætore in medium prolatum. Volturcius ab initio de itinere appellatus, alia atq; alia aſsimulare conatus, posteaquam rem uidit in aperto esse, publica fide accepta, ut nequid eorũ quæ aduersus rẽp. facta essent sibi fraudi foret, quicquid *Coniuncuntur in senatu coniurati.*
de coniuratione compertum habuit ordine patefecit, factiq́ue sunt Volturcij indicio rei Gabinius Cęparius Teracinẽsis, P. Antronius, L. Vargunteius, ac pleriq; alij, P. Lentulum præter chirographũ sermo, quem iactare erat solitus, nihil obscurè destinati sceB leris arguebat, Fatalibus libris contineri Romanæ urbis imperiũ tribus Cornelijs deberi, seq; post Cinnam & Syllam tertium in Cornelia gente futurum, qui rerũ esset in urbe potiturus. Perlectis literis primum omnium senatus decreuit, ut Lentulo magistratus abrogaretur, omnesq; coniurati in libera custodia tantisper essent quoad de fontibus aliud publicè statueretur. Erat Ciceronis nomen in ore omnium. Illum uulgo ciues admirabantur, nunc patrẽ urbis, nunc seruatorem appellantes. Deuocati sunt interim alij pleriq; in suspitionem criminis, nomina *M. Crassius & Cæsar nominati.*
tusq; in curia est à Lucio Tarquinio M. Crassus, nec C. Cæsar suspitione caruit. Cæterum implorato cõsulis testimonio, quod ad eum quædam ultro de cõiuratione detulisset, facile obtinuit, ut nec Curio à quo fuerat nominatus sint data prẽmia, & Vectium qui eius chirographum pollicebatur Catilinæ datũ, penè discerptũ à concione, captis pignoribus in carcerem coniecerit. Crassus quia diues & potens erat facile crimen discussit. Fuerunt qui crederent Tarquinium à P. Antronio subornatũ, ut Crasso appellato periculi societate eius uiri autoritas cęteros tãgeret. Alij Ciceronis opera Tarquinium à quo Crassus est nominatus, immissum arbitrati sunt, ut graui calumnia perculsus, ne malorũ ciuiũ, ut erat solitus, causam susciperet. Crispus Saluſtius scribit, audiuiſse se postea Crassum prędicantẽ, calumniã illam sibi à Cicerone impositã, quo tempore idem cõsul neq; precibus, neq; gratia prætioue impelli potuerit à C Pisone & Q. Catulo, ut per Allobroges aliumúe indicem patereturCæsarem inter socios coniurationis nominari. Exercebãt ambo illi cum Caio Cęsare graues inimicitias. Hic quod in petitione pontificatus ab eo superatus esset: ille, quia in iudicio repetũdarum fuisset oppugnatus. Idem autor est, tantum inuidiæ ex ea calumnia esse Cæsari conflatum (nam æmuli nihilo secius, acsi res comperta esset, eum in

curia infamabant) ut ex senatu exeunti equites, qui circa templum præsidij gratia cum gladijs stabant, ferrum intentarint. Tranquillus quia nimis pertinaciter coniuratorum causam tueretur, præsidiarios in se equites Cęsarem cõciuisse scribit, quũ adhuc consultatio teneret, ubi rogatus dicere sententiã, etsi omnes ex superiore loco ita dixissent, ut atrociter de fontibus statuerent, ipse in hũc modum sit locutus. Omnes qui de re dubia in medium consultant, P. *Oratio Cæsaris.*
conscripti, odio uacare debent, gratia, ira, misericordia, atq; cæteris animi affectibus, qui plurimum in causa sunt, ut quid uerũ sit non ita facilè animus perspiciat. Libidini simul & utili nemo unquam paruit, ubi ingenium intenderis ualet, aut mens, aut libido dominetur necesse est. Possemq; ego P. C. claros reges & populos nominare, qui huiusmodi affectus secuti, in extremas calamitates inciderũt, sed malo dicere quę maiores nostri omni libidine exclusa ritè rectęq; decreta tulerũt. Rhodiorum ciuitas quę Po. Ro. opibus creuerat, eo bello quod cum Perse rege est in Macedonia gestum, infida & aduersa huic urbi fuit. Cæterum finito bello ne diuitiarum potius quàm iniuriæ causa petiti bello Rhodij uiderentur impunitos dimisere. Punicis bellis quum multa & nefaria Carthaginienses per inducias contra fœdera fecissent, nunquam illi adeò iustæ iræ indulserunt, ut non quid dignũ se foret potius quærerent, quam quid illos pati oporteret: in quo & nos P. C. uelim maiores nostros imitari, ne plus P. Lentuli & cæterorũ temeritas apud uos ualeat, quàm uestra dignitas, nec uestræ irę magis consulatis quàm famę. Adde quod ne pœna quidem ulla digna tali scelere excogitari possit. Quod quum ita sit, ijs utamini æquũ est, quæ legibus comparata sunt. Nec quæ ad atrocitatem rei augendam ij qui ante me dixerunt composĩtè & accurate de coniurationis euentu memorarunt, multum, ut arbitror, ad præsentem consultationem attinent. Nulli hominum fuæ iniuriæ paruæ uidentur, multi etiam grauius ferunt quàm par sit, sed alijs alia licentia est. Multo insignius peccãt, qui alto & excelſo loco constituti sunt, quàm qui humili & obscuro. Quæ in priuatis iracundia dicitur, in summo imperio superbia & crudelitas. Vt quo amplior sit fortuna, minor sit peccandi licentia. Nam q, Decius Syllanus consul designatus tam acerbe de pœna disseruit, ut nouum supplicium excogitandũ diceret, ego & si certo scio eum reipub. causa dixisse quæ dixerit, aliena tamen sententia à præsenti consultatione mihi uidetur. Etenim in luctu & miseria *Mors ærumnarũ requies.*
mors ærumnarũ requies est non cruciatus. Sed tantum abest ut maiores nostri per exquisitos cruciatus uoluerint Romanum ciuem necatum iri, ut lege etiam sit cautum, ne uerberari quidem possit. Sed uos Patres conscripti, quid statuatis, identidem cõsiderate, omnia mala exempla ex bonis rebus orta sunt. Sic olim apud Athenienses triginta uirorum cædes à paucis orta, per nobilium & ignobilium capita indifferẽter euagata est. Sic Sylla quum paucos iure occidisset, hanc demum urbem cædibus repleuit, & nunc pauci dabunt pœnas, at si M. Tullio consule id accidere non poterit, erit aliquando fortasse in republica Consul (etenim multa sunt & uaria in ciuitate ingenia) qui ubi senatus decreto in ciues gladium strinxerit, non ita facile finem statuat. Postremo maiores nostri Patres conscripti qui ab initio morem Græciæ imitati de condemnatis summum supplicium sumebant, posteaquam respublica adoleuit, & ciuium multitudine factiones ualuere, ne quis aliena fraude circumuentus miserabiliter periret, lege Portia, alijsque legibus sanxerunt, ut exilium damnatis permitteretur. Nec credendum est illis prudentiam defuisse, qui ex tam paruis opibus tantum imperium fecere, quin multo maiorem illis affuisse, quàm nobis qui hæc bene parta uix re-

tuemus. Ergo dimittemus eos, dixerit aliquis, Catilinæq; exercitum augebimus? minime. Sed ita censeo. Publicandas eorum pecunias, ipsos in uinculis per municipia habẽdos, neu quis posthea de his ad se

Peroratio Cæsaris.

natum referat, aut cum populo agat. Qui aliter fecerit contra remp. omniumq; salutem fecisse credatur. His ille aut certe non multo pluribus effatus, totum pene ordinẽ mutauit, ita ut Syllanus qui cum P. Murena consul erat in sequentẽ annum designatus, cõtra dignitatem suam conatus sit sententiã quam dixerat, molliori interpretatione mutare, cœperatq; iam aperte labare ille patrum consensus, qui de puniendis sontibus dudum fuerat, quum Cato Porcius & ipse sententiam rogatus, ita est fari exorsus. Alia mihi P. C. multũq; diuersa est ab ijs sententia qui ad hunc locum dixere. Ibi de pœna & supplicio eorum qui patriæ, parentibus, aris, focis, bellum parauere tantum disputant, quum præsentis periculi admoniti, magis quid cauere debeamus, prospicere oporteat, quam quippiam in reos statuere. Cætera enim flagitia ubi facta sunt recte persequaris, hic nisi prouideris ne accidat, ubi euenerit, frustra iudicium implores. Capta urbe nihil reliqui fit uictis. Sed uos per deos appello, qui domos, uillas, signa, tabulas, penè pluris semper feciſtis quàm rempu. Si ista quæ cupide amplexamini retinere, si ocium uestris uoluptatibus præbere uultis, excitemini aliquando & rempub. capessite, non de uectigalibus nunc agitur, non de iniuria sociorum, libertas & uita uestra in discrimine est. Sæpe in hoc ordine sum luxuriam ciuium & auaritiam insectatus, nihil præter odium lucrifeci. Cæterum eo facilius tunc malefacta libidini condonabam, quo firma opulentia negligentiam tolerabat. Nunc uero haud quidem id agitur, bonis ne an malis moribus uiuatur, sed hæc quæ nostro iudicio magnifica & ampla sunt, nostra an hostium futura sint. Hic mihi misericordiam & mansuetudinẽ B quisquam nominat, sint munifici qui uideri uolunt ex sociorum fortunis, sint liberales ex furtis ærarij, sint misericordes quando eò uentum est ut ueris rerum nominibus nemo citetur amplius, nostrũ sanguinem ne saltem largiantur, & dum paucis scelera tis parcunt, uideant ne bonos perditum eant. Bene & composite, C. Cæsar paulò ante in hoc ordine de uita & morte disseruit, falsa, credo, existimãs ea quę de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis, tetra loca inculta fœda habere. Censuit itaque pecunias publicandas, fontes in municipijs custodiendos, quasi uero non ubiq; improborum conspirationi uiripi possint. Quod si periculum uitare uoluit, uanum est id consilium, aut si in tanto omnium metu solus non timet, eò magis refert me mihi uobisque timere, P. C. Quare hoc ita habete, quicquid de Lentulo & eius socijs statueritis, id simul de exercitu Catilinæ & cæteris coniuratis esse constitutum. Quanto hæc fortius facta fuerint, tanto illis animus erit infirmior. Si quid remisse ac dissolutè decretum uiderint, multo ferociores aderunt. Nec maiores nostri armis solum hanc rempub. ex parua magnam fecere, sed domi industria foris iusto auxerũt imperio. Longe aliter nunc omnia uirtutis præmia ambitio possidet. Domi uoluptatibus seruitur, in curia pecuniæ & gratiæ, quo nemini mirum uideri debet, si in uacuam rempublicam impetus fiat. Sed hæc multum & sæpe iam antea questi sumus, nunc coniurauere nobilissimi ciues in patriam, Gallorũ gentem Rom. nomini infestam ad bellum concitauerunt. Dux hostium cum exercitu urbi imminet, & uos quid de hostibus intra mœnia deprehensis statuatur iamdudum consulitis: cum liberis, uxoribus ac tota patria, nisi imminenti periculo eatur obuiam, haud dubie perituri, ne dijs quidem ipsis opẽ ullam immeritæ ciuitati laturis, quorum auxilia nõ ignauia muliebribus q; auxilijs parantur, sed uigilando, agendo, bene consulendo, sunt illi ignauiæ socordiæq; infesti. Ergo stultus Manlius qui filium occidit quia contra suum imperium in hostem dimicauit. Nunc quid de crudelissimis parricidis statuatur, anceps tenet consultatio. Parcite Lentulo & eius dignitati, si ipse suæ pudicitiæ, suæ famæ, si patriæ, si ciuibus, si dijs ipsis, unquam pepercit. Parcite Cethegi adolescentiæ, nisi patriæ bellum intulit. Quid de Gabinio, Statilio, & Cæpario dicam? quibus si quid pensi fuisset unquam, si quid humanitatis, ne pietatis dicam, haud tam fœda consilia, de patria, de ciuibus mouissent. Quod quum ita sit ut in

Catonis peroratio.

apertum discrimen paucorum culpa publica salus uenerit, atq; undiq; circunstẽt pericula, sitq; iam scelus nõ indicio solum deprehensum, sed ipsius sceleris autores suo ipsorum conuicti sunt testimonio, censeo pro eo quod cædem, incendia, aliaq; fœda facinora in ciues parauerũt, ut more maiorum capitale de his sumatur supplicium. Et Cato in hunc modum peroranit, homo ad uirtutem natus. Fuit C. Cęsaris æqualis, nec tantum par ætas, sed eloquẽtia in utroq;, magnitudo animi, gloria non dispar. Cæsar munificentia clarus. Cato uitæ integritate. Illi mansuetudo & misericordia famam cõciliauit. Huic seueritas & uitæ sanctimonia. Cæsar dando, subleuando, ignoscendo est gloriam adeptus. Cato largitionem uituperando, nihil indulgendo. In hoc pernicies malis. In illo profugium. Huius constantia laudatur. Illius facilitas. Postremo laborauit Cæsar, amicorum res tutatus est, nihil cuiquam denegauit, semper bellum aliquod ingens & imperium optauit, in quo uirtus splendesceret. Cato contrà modestiæ & seueritati studuit, cũ strenuo de uirtute, cum modesto de pudore certauit, esse q; uideri bonus maluit. Itaq; quo minus gloriam petijt, eò maior secuta est, magnaq; proinde quum semper alijs eius auctoritas in senatu, tum eo die quo in eius sententiam factum est senatusconsultũ, ut de sontibus supplicũ sumereẽ. Consul itaq; optimũ factu ratus nõ expectare noctem quæ instabat, nequid noui *motus in* urbe fieret, Triumuiros expedire iubet, quæ ad supplicium erant necessaria, dispositis q; præsidijs Lentulum ex palatio, ubi ad eam horam apud Spinterẽ iussu consulis custoditus fuerat, in carcerem deducit, mox alij per prętores eodem deducti. Fuit locus in parte carceris ad lævum circiter xij. pedes humi depressus: Id Tullianum dixere, ab eo, credo quod

Tullianum.

locum Seruius Tullus primus in parte fori carcerẽ constituit, camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta tenebris & odore fœda: ibi prius Lentulum la

Necatur Lentulus & socij.

queo uindices rerum capitalium necauere, uirũ nobili familia, & qui Romæ consulare imperium gesserat. Inde Cethegus, Statilius, Cæparius, cæteriq; coniurati, pari sunt supplicio affecti. Nec Cicero id occultum habuit, sed ad frangendum eorum animos qui per noctem reorum causa aliquid moturi credebantur, ad multitudinem conuersus, uixerunt inquit. Ex ea audaci animaduersione tantus honos Ciceroni apud bonos accesit, ut idem Cato uir grauis, omniq; assentatione liber, eum patrem patriæ appellandum censuerit, atque ut censuit ita sit decretum, qui honor nulli ad id tempus Romæ cõtigerat. Cæterum dum ea Romæ geruntur, Catilina cum duabus legionibus, quas ex suis & Manlij copijs tumultuose instruxerat, Antonium consulem, qui cum exercitu in prouinciam uenerat, aliquandiu est ludificatus, per ardua ducens, nunc Galliam uersus, nunc ad urbem iter intendens, prælio tamen abstinebat, ratus breui fore, ut Gallicis auxilijs aucto exercitu acie confligeret. Interim seruitia repudiabat, quorum uis ingens ad eum confluxerat, seu quia coniurationis opibus se uicturum speraret, uel quia ingenuorum causam cum sordidorũ hominũ genere coniunctam uideri noluit. Verũ ubi de ijs

de ijs quæ Romæ acciderãt, nũtius in castra est perlatus, sumptumq; iam de coniuratis supplicium auditum est, multis in horã dilabentibus, Catilina cũ ijs qui in officio adhuc erant, in Pistoriẽsem agrum eualit, ut inde per cõfragosa & implicita loca in Galliam se proriperet. Nec eum consul dimisit, sed per apertiora ducens euntẽ sequebatur. Interim Q. Metellus cum tribus legionibus ex Piceno agro occurrerat, ut Alpibus digressum confestim prælio exciperet, quod ubi Catilina compertũ habuit, ancipiti periculo commotus, fortunam bello tentare consti tuit, atq; cum Antonio prælium conserere. Prius igitur quàm in acie desenderetur, ita est milites pro

Oratio Catilinæ ad suos.

concione affatus. Scio ego uiri fortissimi, neq; uerba uirtutem fortibus addere, neq; ex ignauo strenuum, aut fortẽ ex timido exercitum ducis oratione fieri: sed quanta cuiq; natura, aut moribus audacia est, tantum solere in bello patere. Etenim qui neq; gloria neq; periculo excitatur, horteris hunc, certo scio, incassum. Siquidẽ timor animi auribus officit. Verum ego aliud secutus uos in cõcionem uocaui, ut perpauca monerem, quibus omnem consilij mei rationẽ intelligeretis. Etenim quantam sibi nobisq; cladẽ Lentuli socordia attulerit, omnes, ut arbitror, audiuistis, & nunc quo loco res nostræ sitæ sint uidetis: duo hostium exercitus premunt, hic à fronte, ille à tergo, nec in ijs locis quibus deprehensi sumus diutius ob soli sterilitatem esse possumus. Quocũq; ire placet ferro iter aperiendum est, quapropter uos hortor moneo q; ut forti parato q; animo sitis, initoq; prælio memineritis diuitias, gloriam, decus, patriam, uitam ipsam in uestris manibus esse. Si uincimus omnia nobis tuta erunt, patebunt municipia, coloniæ. Victis omnia aduersa fient. Neq; locus, neque amicus usquam teget, quos arma non texerint. Accedit huc necessitas, quę uel timidos fortes facit, B hęc sola cogit omnia audere, pro patria, pro libertate, pro uita dimicamus. Fuga salutem sperare quum arma teneas, eaq; ab hoste auerteris, aperta dementia est. Semper in prælio ijs maximum est periculum qui maxime timẽt. Audacia pro muro habetur. Accedit uigor, ætas, uirtus uestra milites, quæ me magnopere hortaẽ, beneq; sperare iubet, nec uerendũ est ne hostiũ multitudo pauciores circũueniat, mõtium angustię id timeri uetant. Quod si etiam id accidat, ut fortuna parum sit nobis secunda, cauete uiri fortissimi, ne inulti moriamini, sed totis uiribus enitamini ut cruentã funestamq; hostibus relinquatis uictoriam. His Catilina usus uerbis suos in aciẽ eduxit. C. Manlius dextrum cornu tenuit, lævũ Fesulanus quidam: Ipse cum libertis & colonis prope aquilam constitit. Quę ea esse dicebatur, qua C. Marius fuerat in bello usus. Cõtrà C. Antonius iam pro consul quum pedum dolore laboraret, M. Petreium hostibus obiecit. Ille quoq; perpaucis suos hortatus ferociter manum conseruit. Ferentarij pugnam inchoarũt, mox pilis in hostem missis, res gladijs geri cœpta est. Veteranorum fuit nobilis pugna, resistere

Nobilis pugna.

summa ope magnaq; obstinatione hostis. Fuitq; aliquandiu anceps certamen. Cæterum superante Antonianorum multitudine, Petreius cohortem prætoriam in aduersam hostiũ aciem immisit. Tum uero insignis cædes edita, medijs q; ordinibus solutis tota uis in cornua uersa est. Ibi Málio & Fesulano cadentibus, quum iam aperte fortuna inclinaret, Catilina memor generis pristinæq; dignitatis in aduersum hostium cuneum inuectus, media iacentiũ strage confossus concidit. Inde reliqua multitudo cęsa,

Catilinæ casus

haud quidem loco uno, cęterũ omnes aduersis corporibus iacuere. Catilina procul à suis inter hostiũ cadauera est repertus, paululum adhuc spirans, ferocia quam uiuus habuerat in uultu prominente. Nec uictoria Po. Ro. incruenta fuit: fortissimus quisq; aut in prælio occubuit, aut grauiter uulneratus acie discessit. Et atrocissima illa Catilinę coniuratio ad patriæ & bonorum exitum mota, hũc habuit exitum. Sub id tempus quo Catilina est ita foris oppressus, sic enim Liuius res digerit, aut certo non multo pri

Clodij adulterium.

us, P. Clodius pulcher, Bonæ deæ sacrarium muliebri habitu ingressus, cum Metelli Pontificis uxore, ut idem autor scribit, adulterium commisit. Appianus Calphurniam C. Cęsaris coniugẽ, qui tum pontifex erat, ab eo adulteratã prodidit. Cæterum Trãquillus & Plutarchus Pompeiam Q. Pompeij filiã, quam Cæsar ob id crimen repudiauit, fuisse aiũt ad quam Clodius media cęrimonia penetrauit: quibus eo libentius accedo, quia nec tum Metellus pontifex maximus erat, in cuius domo talia sacra fieri cõ fuerũt, sed Cæsar: neq; Calphurnia, cuius Appianus probrum fuisse scribit, adhuc Cęsari nupserat: quippe quã uertente anno sui primi consulatus, aliquan to postquam hæc ita acciderant ille uxorem duxit, coniunctissime cum ea uixit usque ad exitum uitæ. Quam græci Bonam deam uocant, Phryges Midæ

Bona dea.

regis matrem arbitrati sunt, Romani Dryadem puellam Fauni uxorem. Græcorum quidam ex Liberi nutricibus unam fuisse aiunt, quam ne fari quidem liceret. Hoc argumẽto adducti, quod mulieres eius sacra peragentes, uirgineis tabernacula ramis intexebant: dum huic genio sacra fierent, nefas fuit uiris interesse, mulierum duntaxat erat id sacrum. Latuit primo Clodius operantium cœtu. Mox Aureliæ ancilla (fuit Aurelia Cæsaris mater) illum ædibus errabundum intuita, quid rei quæreret scisciatur, quũ Auram respondisset Pompeię pedissequam, perculit uirilis uox mulierculã, suspicataq; quod erat, clamorem repente extulit. Clauditur cõtinuo domus,

Clodius deprehẽditur in domo Cæsaris.

matronæq; attente omnia perscrutantes Clodium ex tenebroso eruunt cubiculo, turbatisq; sacris dimittũt. Appellatus inde quod in operto Bonæ deæ fuisset, allegabatur rei absentia quod per id tempus quo in opertum uenisse diceretur procul ab Roma fuisset. Cicero testis citatus testimonium dixit, Clodium eo die secum Romę fuisse, testati idem sunt alij quidam illustres. Cęsar post Aureliæ matris testimonium, ab accusatore appellatus, ut diceret, si quid de pollutis cærimonijs compertum haberet, nihil omnino sibi compertum respondit, quod de ea re affirmare posset. Nolebat Clodium genere & eloquentia clarum, & quem multitudini gratum sciebat, à se alienare. Ab eodem interpellatus, quid ergo Pompeiam ab se ablegasset: quoniam, inquit, domũ me-

Verba Cæsaris de uxore.

am non solum crimine carere oportet, sed etiam suspitione criminis. Clodius corrupto iudicio absolutus est, Ciceroniq; adeò inimicus ex ea re factus, ut à patribus ad plebem postea transierit, eo cõsilio ut Tribunus plebis factus hominem ulciscereturcu ius testimonio fuerat in discrimẽ adductus. Sed hęc aliquãto postea secuta. Erant & alij interim plerique, qui seruatæ patriæ illi gloriam inuidebant, & in his C. Cæsar, qui prætor Cæcilio Metello trib. ple. se ad iutorem obtulit, legem aduersus optimatium factionem ferre conãti, qua Pompeius cum exercitu reuocabatur ex Asia ut Ciceronis potentiã euerteret. Sed nec Pompeius tum rediit, neq; enim lex fieri potuit, Catone summa ope resistente: nec posteaquam ille ex Mithridatica uictoria est reuersus, fuit aliquo modo Ciceroni infestus, cuius actionibus absens, & ad populum pro concione, & in senatu sępius ornatus est. Cæsar prętura anno circunacto, qui in Ciceronis consulatum incidit, Hispaniam prouinciã sortitus, quum à creditoribus forte retineretur M. Crassi opera, qui octingentorum triginta talentorum sesponsorem obtulit eos à se remouit. Erat haud dubie Crassus Romanorum ditissimus, Pompeioque iam inde à consulatu quẽ cum eo gesserat inimicus, ad cuius potentiam in refringendam C. Cęsarẽ, ac promptissimum quemq; omni officio assectaba-

Cæsar in Hispaniam proficiscitur.

tur. Cęsar in Hiſpaniam profectus in tranſcurſu Alpium exiguo & humili quodā oppido diuerſatus, quod pauci admodum mœſtiq; tenebant accolę, ex comitibus quidam per iocum rogaſſe dicitur: crederet ne ibi quoq; certamina de principatu oriri, ambitionemue ſolicitare oppidanorum animos. Mallem, dixiſſe fertur, hic princeps eſſe, quàm Romę ſecundus haberi. Tanta ingeniū illud dominandi cupiditate exarſit. Tranquillus autor eſt puerū adhuc, ſemper Euripidis carmen quod eſt in Phœniſsis in ore habuiſſe. Si ius humanum uiolandum eſt, regnādi cauſa uiolari oportet, in cæteris rebus pietatem colas. Ex eodē affectu animi gemitus ille, ac lachrymæ extiterunt, ut quidam dicunt, quod magni Alexādri ſtatua Gadibus animaduerſa, profeſſus eſt merito ſibi dolendum quod ea ætate qua ille orbē ſubegiſſet, nullum eſſet à ſe præclarum facinus geſtum. His ergo ſtimulis incitatus, paucis diebus quibus in Hiſpaniam uenit, x. cohortes, xx, prioribus adiūxit. Hiſq; copijs fretus Callecos & Luſitanos uſque ad Oceanū domuit, ſubiecitq; tum primum nouas aliquot gentes Romano imperio. Rebus in prouincia optime conſtituris, ipſe ingēti gloria bello quæſita, ac ditior factus Romam ad triumphum ſimul & cōſulatum deceſsit. Cæterū edictis iam conſularibus comitijs, quia ratio ipſius abſentis lege haberi non poterat, niſi priuatus urbē introiſſet, ambire cœpit, ut legibus ſolueretur. Sed Catone & alijs diuerſę factionis id negantibus, triumphum dimiſit ne conſulatu excluderetur. Duo cūm eo petierunt, M. Bubulus & L. Luceius, quorum Luceium complexus Cęſar, cum eo pacisſcitur, ut quādo ille minus gratia ualeret, de ſuo communi nomine in centurias nūmos pronunciaret, futurum pollicitus, ut ſuo fauore quē bene conciliatum apud multitudinem haberet, Bibulo excluſo ipſe ſecum cōſul crearetur: quod ne eueniret optimatium factio autor Bibulo fuit, tantūdem ſuo nomine pollicēdi, multiq; ad id pecuniam contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem è rep. fieri, quo contigit, ut hic quoq; ut Ariſtides ille Atheniēſis reip. cauſa aliquando à recto deflexerit. Cum Bibulo igitur conſul creatus Cęſar, ubi prouinciam minimi momenti ſibi à patribus decretam uidit, pro magno habuit negocio Gn. Pompeium omni officio ſibi conciliare. Erat tum is longe princeps ciuitatis, patribusq; magnopere offenſus quod ſenatus ea quę ipſe poſt Mithridatem bello uictū in Aſia egiſſet cunctantius cōfirmaret. Itaq; Marco Craſſo ei recōciliato, cum utroq; ſocietatem iniit, ut nequid in republica agi paterentur, quod nō ipſis tribus placuiſſet. Primus igitur omnium inſtituit, ut ſenatus & populi acta die uno conficerētur, confectaq; publicarētur, antiquum ad id morem retulit, ut eo menſe quo conſul faſces non haberet, accenſus ante illūm iret, lictores ponè ſequerētur. Legem agrariam tulit inuito collega, quē de more obnuntiantem, ut religionem illi incuteret, foro armis expulit. Ea lege campum Stellatem agrumq; Campanum ad ſubſidia reipublicæ relictum. xx. milibus ciuium, quibus terni plurēſue liberi eſſent extra ſortem diuiſit, & publicanos tertia mercedum parte leuauit. Plutarchus tertiam tributorum portionem equeſtri ordini ab eo remiſſam autor eſt. Cætera pari poteſtate largiri, ut cuiq; libitum eſſet. Bibulo ita abſterrito, ut poſtquam foro ſemel pulſus eſt nunquā amplius in publicum uenire ſit auſus, quoad poteſtate abijt. Cato quia agentem interpellabat per lictorem è curia extractus, in carcerem eius iuſſu ductus eſſet, niſi ſenatus autoritas Cæſarem mouiſſet: nam ſimul ac abſtrahi cœptus eſt, optimi quiq; eum mœſto ſilentio in carcerem ſequebantur, ut totus ordo non ſenatorum unus iniuria affici uideretur, quę res in cauſa fuit, ut Cæſare conniuente tribunorum iuſſu ſit dimiſſus. Traduxit Cæſar & Publium Clo-

Cæſaris dicta.

Gemitus Cęſaris ad Alexandri ſtatuam.

Cato in carcerem ducitur.

A dium à patribus ad plebem in Ciceronis inuidiam, quod is in quodam iudicio temporum ſtatum deploraſſet, deditque ſe Clodius plebeio homini optandum, homo clariſsima familia ortus, poſtque eam adoptionem breui eſt Tribunus plebis factus. Cæſar ut ſuas opes priuſquam conſulatu abiret, nouis affinitatibus firmaret, Calphurniam L. Piſonis filiam ſibi in cōſulatu ſucceſſuri uxorē duxit: Iuliam ſuam Gnæo Pompeio collocauit, Catone identidē clamitante, rempublicam prodi nuptiarum lenocinio, quippe qui non multo prius Pompeij affinitatem reculaſſet, teſtatus ſe obſides contra rempublicam, neque Pompeio, neque cuiquam daturū, pollicitus homini ſi recta faceret, amicitiam ſuam, quæ eſſet omni propinquitate firmior. Socero igitur & genero ſuffragantibus ex omni prouinciarum copia Galliam cum Illyrico ſibi potiſsimum delegit, unde idonea triumphorum prætendebatur materia, mox & Comata illi Gallia per ſenatum adiecta, ueritis patribus ne ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret, quo gaudio Cæſar elatus, non temperauit quin frequenti curia diceret ſe inuitis & gementibus aduerſarijs quæ concupiſſet adeptum, futurum proinde ut illorum capitibus quum uellet inſultaret. Verum quodam per contumeliam negante poſſe id fieri, ut ulla tanti eſſet fœmina. Enimuero Cæſar parum pudicitiam ſuam ab ineunte ætate cuſtodiuiſſe ferebatur, & in Aſſyria, Semiramidem regnaſſe reſpondit, & magnam Aſiæ partem Amazones aliquando tenuiſſe. Ipſe poſteaquam conſulatu abijt, aliquandiu Romæ commoratus, demum in prouinciam profectus eſt, abſensque de actis ſuperioris anni à L. Antiſtio Tribuno plebis poſtulatus, appellato tribunorum collegio obtinuit, ut quādo reipublicæ cauſa abeſſet ne reus fieret. Sed quum Romæ adhuc Cæſar eſſet, C. Antonius proconſul in Thracia parum proſpere bellum adminiſtrauit. Et P. Clodius Tribunus plebis factus Ciceroni diē dicturus, ut eum aliquanto magis obnoxium haberet, priuſquam reūm faceret, autor populo extitit ut M. Cato in Cyprum mitteretur aduerſus Ptolemæum, cuius regnum omnesque fortunæ ipſius Clodij rogatione fuerant publicatę, & ut exules Byzantium reduceret, in quam prouinciam Cato profecturus, adeò indigne eſt à Clodio habitus, ut urbe diſcedenti, non naues ſint illi de more inſtructæ, non milites, non miniſtri. Sed duo ſcribæ, atq; eorum fur hic notiſsimus, Clodij clientulus ille, tantum in ſtulta ciuitate ac cito peritura furioſi hominis ualebat autoritas. Iam ne à Ptolemæo quidem ulla, quod ſciam, publica in Romanos profecta fuerat iniuria, cur in eum id decretū fieret. Verum quia Clodius à piratis captus, ab rege non fuiſſet redemptus, Tribunus ſua rogatione effecit ut ille hoſtis ſit iudicatus. Et Cato hoc prætextu, urbe ablegabatur. Senſit homo prudēs iudicium Ciceroni parari, quare priuſquam Roma proficiſceretur, eum hortatus dicitur, ne in nefarium aliquod certamen ciuitatem conijceret, ſed tempori potius cederet, iterumque patriæ ſalutem præſtaret. Ipſe Canidio in Cyprum præmiſſo Ptolemæum hortatus eſt, ut ſine pugna & contentione publico decreto cederet, fore pollicitus, ut neque honoris expers, neque pecuniarum poſtremo fieret, autorem ſe futurum Po. Ro. ut ei Veneris Paphiæ ſacerdotium concederet. Hæc per Canidium ad Ptolemęum mandata dedit, ipſe Rhodum nauigauit, ut quæ ad prouinciam obeundam opus eſſent, maturē compararet. Forte accidit ut per id tempus Ptolemæus cognomento Auletes ab Alexandrinis ob ignauiam ſordidosque mores eiectus Romam nauigaret, ea ſpe ut Pompeij & Cæſaris auxilio in regnum reſtitueretur. Is audito Catonis ad inſulam appulſu, Rhodum diuertit, ratus fore ut ſuo aduentu audito „Cato officij cauſa ad ſe uenire.

Cæſar Galliæ prouincias adipiſcitur.

Cæſar in Galliam proficiſcitur.

Cato urbe abſegatur.

niret. Verum longe aliter accidit ac rex fuerat opinatus. Curabat tum forte Cato corpus, quum nunciatum eſt Ptolemæum adeſſe, qui cuperet cum eo loqui. Reſpondit Cato ut Ptolemæus ad ſe ueniret ſi quid ſe conuento opus eſſet, nec uenienti magis proceſsit obuiam, aſſurrexit ue quàm ſi ad ſe ueniret priuatus aliquis, quæ res primo congreſſu regē haud mediocriter turbauit, conuertitque in admirationem quod in priuato homine lateret tanta animi elatio. Mox uero ubi eum loquentem audiuit, ac libere prædicentem quantum diſpendij aditurus eſſet, ſi cupiditati & auaritiæ principum Romanæ ciuitatis ſe ſubijceret, ut cœleſtem & diuinum hominem admirari cœpit: ipſiusque conſilium haud dubie ſecutus, & feciſſet retrō uela in Ægyptum quoquo modo cum ſuis in gratiam rediturus, niſi amicorum ſuaſu, mutato repente conſilio, Romam ire perſeueraſſet. Nec multo poſt Auletis digreſſum, nuntijs & literis cognouit Cyprium Ptolemæum audito Romanæ ciuitatis in ſe decreto uenenum hauſiſſe, quo nuncio permotus Cato confeſtim Brutum Seruiliæ ſororis filium in Cyprū miſit, nam haud multam Canidio fidem habens, in regia pecunia quæ immenſa dicebatur tractanda, ipſe reductis Byſantium exulibus, compoſitoque ciuitatis ſtatu, in Cyprum nauigauit, ubi ſumma attentione nequid reip. incuria deperiret, ad ſeptem milia talentorum argenti coēgit, ueritusque longiſsimam nauigationem, ingentem uaſorum numerum ſtudio conquiſiuit, duorum & amplius talentorum capacium, quibus longiores funes erant innexi, cum ſubere ad caput alligato, ut ſi naufragium fieri contigiſſet, ubi demerſum eſſet argentum indicio proderetur. Nauibus igitur aduerſo Tyberi ſubuectus, frequentem ciuitatem plenis utrinque ripis obuiam habuit, ut celebritas illa & magiſtratuum frequentia omnium ordinum officia, non multum à legitimo triumpho diſtarent. Et Catonis reditus ad urbem tam clarus fuit. Sed dum is procul urbe abfuit, Clodius diem M. Tullio dixit, quod nobiliſsimos ciues necaſſet indicta cauſa. Erant tum Romæ conſules L. Piſo C. Cæſaris ſocer, & P. Gabinius, qui prouinciarum ſpe Clodij conatibus conniuebant. Conſulum itaque fauore deſtitutus Cicero ueſtem mutauit, & cum eo uniuerſus ordo equeſter, ut uiginti milia hominum mutato habitu eum ſequerentur, potuiſſetque reus aduerſus Tribunum media urbe armis diſceptare, niſi Catonis conſilium ſecutus, urbem à cæde & diſcordia ſeruare maluiſſet. Supererat ſpes una ut Pōpeius qui primum in ciuitate locum obtinebat, auxilio adeſſet. Cæterum is ſiue Clodij inſolentiam ueritus, ſiue per C. Cæſarem à Cicerone alienatus, qui ob id erat illi inuiſus, quia cum eo legatus in Galliam ire recuſaſſet, ſiue reſiduum fuit illud odium ab inſolenti adminiſtratione, quam Cicero uiolenter in coniuratos exercuit, ubi Ciceroni euidens periculum inſtare uidit, in Albanum ſuum Pompeius conceſsit. Circuire interim reus atque obuium quenque in angiportis prehenſare, ſupplicitérque & cum lachrymis ſuam ſalutem omnibus commendare, magnusque erat animorum motus. Senatus frequens in curiam coiuerat decreturus, ut tota ciuitas cum M. Tullio ueſtem mutaret, ſed curia Clodianis armis obſepta, conſulibusque rem impedientibus nihil decerni potuit. Cicero eiuſmodi difficultatibus circunuentus ad Pompeium in Albanum proficiſcitur, cuius congreſſum ille declinans, per ædium poſticum ſeſe proripuit. Tum Cicero omni ſpe retinendæ urbis abiecta, Demoſthenis exemplum imitatus, qui ne pro ſe dicere cogeretur, ſolum uertit, media nocte urbe egreſſus, in Lucaniam primo conceſsit, mox in Siciliam transfretaturus. Clodius audita eius abſentia

Cato Ptolemæo non aſſurrexit.

Cyprij Ptolemæi interitus.

Ciceroni dies dicitur.

Ciceronis exilium.

A ad populum tulit, ut Cicero exul eſſet, eiusque bona publicarentur. Et ut quadringentis milibus paſſuum ab Italia igni & aqua illi interdiceretur, qui eum hoſpitio accepiſſet, is exul eſſet, omniaque eius bona in publicum redigerentur. Additum rogationi eſt ne quis de eo reducendo ad ſenatum referret, diſputaretue, aut pedibus in ſententiam iret, quæ omnia populus ſciuit. Clodius exulis uillas in Arpinati, Tuſculano, Pompeiano, & Formiano diripuit, direptasque incendit, domum in palatio demolitus eſt à fundamentis, atque in ea area templum Libertatis conſtituit. Bona omnia haſtę ſubiecit. Nec in tota illa auctione ſector repertus eſt. Cicero prohibitus per literas à C. Virgilio prætore in Siciliam traijcere, Brunduſium flexit iter, inde Dyrrachium tranſgreſſus, quum hic parum ſibi tutus uideretur, in Macedoniā tranſit, ubi à Plancio eſt benigne acceptus. Tulit ille exilium, quod eius epiſtolæ ad Terentiam, & cæteros neceſſarios declarant, parum forti animo, ac multum infra eius perſonæ quam gerebat dignitatem, maluiſſetq; ferro extingui, ſi cadendum fuit quàm extorrem fieri. Sed dum Cicero ex urbe & Italia pellitur, interea Cæſar iam antea urbe digreſſus, cum Heluetijs Narbonenſi Galliæ imminentibus bellare cœperat. Tenebant hi Comatæ Galliæ partem quæ Rheno à Germania excluditur, Iura monte à Sequanis, Rhodano & Lemano lacu à Narbonenſi Gallia diſcreta, longitudine ducentorum quadraginta milium paſſuum, octoginta ſupra centum latitudine. Gens bellandi cupida ægre ferens, quod pro multitudine hominum modicis terræ finibus circunſcriberetur, M. Meſſala, & L. Piſone Conſulibus, Orgentorigis nobilitate & diuitijs totius gētis longe principis ſuaſu, alienos fines inuadere decreuerant, belloque gloriam ſimul & nouam terram ſibi quærere. Eam expeditionem in tertium annum conſulto diſtulerunt, ut maturius omnia pararentur. Interea Orgentorige affectati regni crimine interfecto, quidam eum ſalutis ſpe abiecta ſibi manum intuliſſe prodiderunt: Heluetij tertio anno quemadmodum fuerat ab initio decretum in Narbonenſem Galliā tranſitum moliuntur, quà Geneua extremum Allobrogum oppidum ſedet, hic pons Rhodano impoſitus in Heluetios tranſmittebat. Aſciuerant interea ſibi belli ſocios Rauracos, hodie Baſilieſes ſunt, ut ſcribunt, Gallicarum rerum non imperiti, & cum his Tulingos & Latobricos, quos perpulerunt, ut oppida, uicosque exurerent, quod & ipſi fecerant, ne redeundi ſpes ulla ſuperesſet. Adiunxerant ſibi & Boios, nunc Bauari dicuntur. Hi quum ſedes trās Rhenum haberent, Noricum hoſtiliter irruperant, his ad ſe receptis, Rhodanum ad Genuam ſuperare aggrediuntur, dubia ſpe Allobrogum gentis in ſocietatem traducendæ, qui iam antea ancipiti in Romanos animo haberentur. Horum qui citra Rhodanum hodie habitant in Sabaudiæ parte collocantur. Vi igitur, ſi bona uenia non liceret, hac iter Heluetij in prouinciam facturi, uniuerſæ genti & ſocijs edicunt, ut ad quintum Calendas Aprilis omnes ad ripam Rhodani cum cibarijs trium menſium conuenirent. Is Heluetiorum motus Cæſarem tumultuoſe in prouinciam exciuit: qui tanta celeritate eſt longum iter emenſus, ut octo dierum ſpatio ex urbe ad Rhodanum peruenerit: eratque in Gallia legio una, qua recepta Cæſar quàm maximum potuit militum numerum uniuerſæ prouinciæ imperat, pontemque unà reſcindi iubet, quo Rhodanus erat ab hoſte ſuperandus. Heluetij de Cæſaris aduentu certiores facti, per nobiliſsimos totius gētis ad id miſſos, petierunt ut per prouinciam pacate tranſire liceret. Ille quia ad Barbaros ui arcendos nō dum paratus erat, certum dierum numerū ſibi depoſcit ad id deliberandum. Interim à Lemano la

Heluetij & eorum terra.

Heluetiorum opes augentur

Boij.

Cæſaris celeritas.

Lemanus lacus

cu,nunc Lauxanę eſt,uſque ad Iuram montem, qua Heluetijs arctior patebat aditus, inde uiginti milia paſſuum murum & foſſam irrequieto duxit opere, caſtella muro impoſita præſidio firmat, quibus qui iam ſatis fideret Cæſar poſſe Barbaros arceri,legatis qui ad diem reuerſi ſunt ita reſpondit, ut diceret ſe nullo ſuorum exemplo poſſe cuiquam iter per prouinciam dare:quod ſi uim pararent, iturum ſe oſtendit contra omnem eorum iniuriam. Tentarunt Heluetij ratibus flumen traijcere. Cæterum repulſi ab ijs qui aduerſam ripam præſidio obtinebãt, per Dũnorigem Heduum, qui gratia & largitione apud Sequanos ualebat, impetrant, ut datis & acceptis ab ea gente obſidibus, per eorum fines tranſire liceret, nam per Sequanos reſtabat iter unum, quo intercluſo,nullum erat illis reliquum. Obſides ad id utrinq; dati & accepti, ut his ſine maleficio per Sequanorum fines agmen agerẽt:illi ne iter facientibus iniurij eſſent. Cæſar cognito Heluetiorum conſilio reputans animo quantum periculi ſuæ immineret prouinciæ ab ea gente, ſi per Sequanos & Heduos in Santonũ fines dilapſi in apertos & feraces Toloſatium campos tumultuoſe irrumperẽt,T.Labieno cum ijs copijs qui aderant,ad munitionis præſidium relicto,ipſe magnis itineribus in Italiam reuerſus,duas celeriter legiones conſcribit, quibus ad tres alias quæ circa Aquileiam hyemabant adiectis, qua proximũ illi fuit per Alpes cum quinque legionibus in ulteriorem Galliã tranſijt, Centronibus Garocelis,& Caturigibus,Alpinis gentibus,quia iter inhibere conati ſunt, haud uno prælio uictis. Poſtremo ab Ocelo in Vocontiorũ fines ſeptimo die peruenit: inde per Allobrogas in Sebuſianos duxit, qui primi ſunt extra prouinciam trans Rhodanum. Heluetij interea per Sequanos in Heduorũ terram dilapſi,omnia late populantur. Retinent Hedui hodie inter Burgundiæ populos uetus nomen. Vnà igitur & ab Heduis legati ad Cęſarem uenerunt, & ab Ambarris Heduorum conſanguineis opem implorantes, ſecuti & Allobroges qui trans Rhodanũ incolebant.Hi Heluetiorum metu, relictis uicis ad Cæſarem confugerant, nuntiantes præter agrorum fundum nihil ſibi reliquum feciſſe eius gentis iniuriam. His commotus Cæſar, haud ultra cunctandum ratus, in Santonum fines cum exercitu tranſijt.Seruãt hi uetus nomen inter Aquitanos, traijciebatur tum forte Arar fluuius, qui nunc Sagona eſt, ab Heluetijs. Labitur is per Heduorum fines, & Sequanorum qui Biſontinam hodie ciuitatem accolunt ampliſsimam,Rhodanoq; infunditur, ſedate leniterq; fluens, ut in utram partem tendat uix poſsit ſenſu deprehendi. Cęſar ubi exploratum habuit tris Heluetiorum partes flumen traieciſſe, reliquum illud copiarũ quod in citeriore ripa ſubſederat,noctu cum tribus legionibus adortus magna ex parte ferro cõfecit, plerisq; eorum noctis beneficio ſeruati in proximas refugerunt ſyluas. Erat omne Helueticum nomen in quatuor gentes diuiſum.Cęſar totam gentem in Pagos diſtribuit. Pagus qui tum cæſus eſt Turinus nominabatur, nunc Turegus eſt ut quidam arbitrantur. Is olim domo profectus L. Caſsio interfecto, eius exercitum ſub iugum miſerat. Cæſar ſecundũ eam uictoriam ponte Ararim ſuperat, ut cæteros hoſtes aſſequeretur, illi uero quum nocturna ſuorũ clade, tum ſubito fluminis traiectu commoti,ad Cęſarem mittunt, eratq; eius legationis princeps Diuico, qui Caſsiano bello Heluetiorũ dux fuit.Is pacem à Romano petijt,pollicitus ſi ea daretur futurum, ut Heluetij eò irent pacateq; manerent,ubi Cæſar eos eſſe uoluiſſet, ſin amicitiæ bellum præferret, priſtinã Romanorum cladem meminiſſet, Heluetiorumq; facinus,quam gentem ſtultũ eſſet credere tam paucis annis à priſtina uirtute degeneraſſe. Nec magnæ laudis loco poneret,quod Pagum unum noctu improuiſo adortus, opportunũ iniurię habuiſſet,preſertim quod ne auxilium quidem ullum flumine diręptis exhiberi potuiſſet. Heluetios adhæc eſſe qui ueteri gentis inſtituto uirtute non dolo, armis non uanis terroribus contenderẽt. Quare uideret, ne ſi in apertum certamen deſcenderet,locum aliqua recenti clade Po.Ro. inſignem ſua temeritate faceret. Ad ea Cæſar ferociter reſpondit,& ob uetere miniuriam qua olim Romanos affeciſſent,& eam qua nuperrime ſocios, fore ut Heluetij debitas daturi eſſent pœnas, eamq; ultionem eò grauiorem expectarent,quo tardius ſecuta eſſet.Sed ne non aliquid à ſe impetratũ crederent, ſi Heluetij obſides darent, in id quod per legatos pollicerẽtur,etſi de Allobrogibus & Heduis ſatisfacerent, pacem ſe his redditurum. Ad ea Diuidico,conſueſſe Heluetios ait,accipere,non dare obſides,eſſeq; eius rei Po. Ro.teſtem. Atque cum his legati infecta re caſtris exceſſerunt. Poſtridie Heluetij motis caſtris procul ire pergunt itinere ab Arare auerſo. Cæſar præmiſſo equitatu, qui hoſtium ueſtigijs ſine prælio inſiſteret,ipſe cum robore legionum in omnem occaſionem intentus, procul ſequebatur: committitur interim equeſtre prælium,ductorum temeritate quingentiq; Heluetiorum equites omnem Cæſaris equitatum propemodum auerterunt. Extulit id certamen Gallos, ut non ſolum iam inde ferociter Romano qui ueſtigio inſiſtebat reſiſterent,ſed ultro etiam ad pugnam prouocarent.Et iam xij. dies ſine prælio proceſſerat utrumq; agmẽ,ac tam breui inter ſe ſpatio,ut quinis ſenisue milibus utrũque ab altero metaretur caſtra: interea Cæſar indicio comperit Dumnorigem Heduorum longe principem ſuis popularibus autorem eſſe, quo minus Hedui,uti polliciti erãt,frumentum in Ro. caſtra ſubueherent, culpamq; equeſtris prælij nuper male commiſsi penes eundem eſſe, à quo uelut ex compoſito orta eſſet fuga. Præerat Dũnorix Heduorum equitatui, affecifletq; Cæſar eum capitali ſupplicio, aut certe proditionis conuictum Heduorum ciuitati occidendum dediſſet, niſi Diuitiacus eius frater Ro. nominis ſtudioſiſsimus multis precibus pro fratre interceſsiſſet.Quibus Cęſar commotus,omni publica iniuria Dumnorigi remiſſa, ſatis habuit eum ſecreto increpitum admonere,ne pergeret ea uelle, quæ in ſuum exitium uerterent, quin fratrem potius imitaretur in Romana amicitia ſtudio & fide colenda,quę utrique decori futura eſſet,& emolumento:ac cum his dimiſſo cuſtodes appoſuit, qui eius dicta factaq; atrente explorarent, ipſe quum hoſtes ſub monte quodam conſedisſent procul octo milia paſſuum ab eorum caſtris caſtra fecit. Mox uero cognita montis natura quæ peropportuna ad inſidias eſſe diceretur, T.Labienũ legatum cum duabus legionibus tertia noctis uigilia iuber montis iugum inſidere.Ipſe ſuprema uigilia cum reliquo exercitu ad hoſtes contendit, equitesq; primi ire iuſsi. Et iam nõ procul erat Cæſar ab Helueticis caſtris, quũ Coſsidius homo alioqui rei militaris pitiſsimus à Cęſare pmiſſus,ex pximo exploraret an mõtis faſtigiũ eſſet à Labieno inſeſſum, citato equo nuntiat iugum q̃ à Rom.occupari oportuit, Gallico præſidio teneri.Id ſe ex armis & inſignibus gentis obſeruaſſe. Hic error effecit ut Cæſar non auſus ſit concurrere, ſed eo nuntio territus, in proximum collem ſubduxerit copias. Labienus qui ſtrenue munus obiuerat, uti diſcedens fuerat iuſſus ſignum ad altum diem expectans immotus conſtitit. Heluetij ſui periculi ignari ubi illuxit caſtra mouent, Cæſarq; bene gerendæ rei occaſione fruſtratus hoſtem de more ſequitur.Nec multo pòſt quum iam rei frumentariæ inopia ſentiretur,ad Bibracte oppidum Heduorum opulentiſsimum Romanus dux iter auertit, quod ubi hoſtibus eſt nuntiatum, metu id accidere rati, aut certe frumentationis

Cæſar in Italiã reuertitur.

Hedui.

Arar flu.

Heluetiorũ cædes.

Heluetiorũ legati.

Cæſaris reſpõ. ſum.

Vincuntur Romani.

Dumnorigis fides anceps.

Cæſaris ſtratagema.

onis impediendæ cupidi,continuo & ipſi retrò conuerſi,extremum Romanorum agmen adorti remorantur.Cæſar exercitu in proximum collem ſubducto,trifariam aciem inſtruit, edicitq; ijs qui ſummũ collem tenebant, ut locum caſtris muniant, ipſe remotis equitibus qui ab hoſtium phalange pulſi fuerant, in Gallos temerè ſubeuntes, ex ſuperiore loco decurrit.Fit acre prelium,legionarijq; milites cõnixi continuo hoſtium ſcuta pilis reſcindunt, mox ſtrictis gladijs cum multa cæde Gallum ſubmouẽt. Recipiunt ſeſe Heluetij in proximum collem conſternati animo, paululumq; quieuere: uerum ubi hoſtem ferociter ſubeuntem uiderunt, prælium inſtaurant. Attulit non parum negocium Romanis, quod à Tulingis & Boijs,qui quindecim milia numero in ſubſidijs locati erant,eos in aduerſum collem tendentes à tergo propemodum circunuenerunt, ſed ſignis utroque uerſum illatis, hoſtis iterũ loco cum ingenti ſuorum ſtrage ſubmouetur. Cæſar à tertia diei hora ad ueſperam dimicatum ſcribit,& ad poſtremum circa hoſtium caſtra ubi ex ſuis multi mazaris & tragulis transfixi perierunt,potiti ſunt tamen illis Romani. Hinc magna uis hoſtium per noctem effuſa fugam occupat, ac cum his qui ex acie fugerant citato agmine in Lingonum fines abierunt, quos biduo pòſt Cæſar conſecutus ad deditionem compulit. Fuerunt qui dediti ſunt ad centum triginta milia, quos Romanus imperator acceptis obſidibus,in eam terram unde profecti fuerant remiſit,iuſsis Allobrogibus frumenti copiam his tandiu adminiſtrare, donec ex agris fruges perciperentur,ne fame interim laborarent.Id Cæſar ea maxime ratione fecit, ne ſi terra unde Heluetij egreſsi fuerant, cultoribus deſerta iacuiſſet, Germani qui trans Rhenum incolunt, ſoli ubertate allecti eam occuparent.Repertæ ſunt tabulæ in ijs caſtris quibus Romani potiti ſunt, Græcis literis conſcriptæ, quibus notatus erat numerus omnium eorũ qui domo profecti fuerant.Heluetiorum capita fuille ſignificabatur ducenta ſexaginta duo milia.Tulingorum qui poſtea Lotoringi nominati ſunt, ut ſcribunt quidam,Latobricorum,Rauracorũ,& Boiorum (tot enim gentes cum illis ſocia arma iunxerant) centũ & octo milia ut omnis promiſcue bellatorũ imbellisq; multitudinis ſumma fuerit, ccclxx. milium. Eorum uero qui domum remiſsi ſunt, ſuprà eſt numerus relatus,quo datur intelligi quanta hominum multitudo duobus fuerit prælijs abſumpta. Colitur hodie frequens Helueticũ ſolum,ſuntq; ue noſtra tempeſtate ipſius urbes ut quidam Gallicarũ rerũ periti literis tradiderũt,Berna totius gentis caput,Suricia,Lucerna, aliæq; urbes non ignobiles.Heluetico bello per hunc modum confecto, ex tota Gallia legati ad Cæſarẽ ex compoſito uno tempore uenerunt,fuitq; eius legationis caput Diuitiacus Heduus, hic cum lachrymis totius Galliæ nomine,à Cæſare ſuppliciter petijt,ut uniuerſam gentem ab Arioui ſti dominatu,ſuperbaq; tyrannide liberaret. Fuerat Arioui ſtus ab Aruernis & Sequanis ex Germania mercede accerſitus quodam bello quod cum Heduis illi habuere:Is quum facilem unam pugnam ad Magetrobiam in Gallos pugnaſſet, ſuperbe crudeliterq; uictoria uſus,obſides omnibus Galliæ populis imperauit: ac iam inde uelut regno fretus,non tantum accolis formidini eſſe, ſed remotioribus etiam populis, qui filiorum charitate nihil in eũ moliri auderent. Addere his Diuitiacus, niſi Germanis opibus in aliena terra aſsiduè inualeſcentibꝰ iretur obuiam,breui fore ut tota Gallia illorum armis ſubigeretur,quod non magis ipſis indigenis calamitoſum eſſet,quàm Rom.Pop.indecorum ac periculoſum.Quum omnes qui aderant,ad eius pedes prouoluti,idem cum lachrymis precarentur,motus cum cæterorũ clade,tum Heduorum Cæſar,qui fæ-

Prælium.

Heluetiorum deditio.

Heluetiorũ ac ſociorum numerus.

Heluetiorum urbes.

Arioui ſtus.

penumero fratres & conſanguinei à ſenatu appellati eſſent:credere etiam Cimbrici Theutoniciq; belli recordatione id parum tutum Italiæ Romanoq;,imperio fore,quod Germanorum res nimium in ea terra augerentur,iubet eos bono animo eſſe, daturũ ſe operam,ut non multo pòſt uniuerſa gens eo metu liberaretur,dimiſsiq; à ſe Gallis,qui identidem precibus contenderant,ut ſua poſtulata in occulto haberet,Arioui ſtum per legatos ad colloquium inuitat:quibus ille reſpondit,ſi Cæſare conuento ſibi opus foret, ultro ad eum iturum fuiſſe, at ſiquid eſſet quod à ſe petere uellet, uenire eum oportere nõ accerſere.Nam quod ad colloquiũ attineret,ſine exercitu teſtari nequò ſe iturum, qui hominũ numerus, haud queat tam facile cõquiri,quanquam non poſſet non mirari quid rei eſſet Cæſari ſecum, aut cur Pop.Rom.ſe Gallicis rebus immiſceret.Cæſar iterũ per legatos nunciari iuſsit,quoniam ſe conſule ipſe & rex & amicus à ſenatu appellatus eſſet, ut eam ſibi demum gratiam Populoq; Rom.referret, uti de ſummis utriuſq; rebus medio aliquo ambobus loco ſecum congrederetur, qui ſi id omnino præſtare nollet,iuſsi ſunt legati dicere, quæ coràm erat Cæſar cum eo acturus, ut ne quam hominum multitudinem trans Rhenum in Galliam traduceret,ut obſides Heduis reſtitueret, ut Sequanos liberos dimitteret,ne Heduos tributis uexaret amplius:quæ ſi faceret perpetuam amicitiam ei cum Pop.Ro.futurã. Cæterum niſi ea iniuria tolleretur,ob recens decretum,quod Romæ M.Meſſala & L.Piſone conſulibꝰ fuerat latum,ut quicunq; Galliæ cum exercitu præeſſet,is Heduos cæteroſq; ſocios Pop.Ro.ab omni tueretur iniuria, fore ut pro uiribus amicorum clades armis ulciſceretur.Ad ea Arioui ſtus ferociter reſpondit,& quod bello à ſe uictis iure imperaret,tributumq; exigeret ab ijs quos armis uectigales feciſſet,quando ne Ro. quidem ipſi aliter in eos quos uiciſſent,imperiũ exercerent,idcirco nec tributũ ſe Heduis remiſſurũ teſtatus eſt, nec reſtituturũ cuiq; obſides, nã quod ad certaminis euentũ pertineret, credere ſe ita futurũ ut Cęſar demum intelligeret,aliud eſſe cum ijs bellare qui xiiij. annos tectum non ſubijiſſent,q̃ cum Heluetijs incompta hominũ multitudine,quæ nuper domo egreſſa,ne arma quidem adhuc tractare didiciſſet. Hæc legatis renuntiantibus,ab Heduis eodẽ ferè tẽpore affertur ſuos fines hoſtiliter uaſtari ab Harudibus Targalis, qui nuper ex Germania in Galliam translati eſſent: Treuirorũ quoque legati gentis olim in Belgicæ finibus, nunc Germanica ferè lingua utiẽ, trepide nuntiabat centum Suetiorũ Germanorumq; pagos ad Rheni fluuium conſediſſe,qui in Galliam traijcere molirentur, quibꝰ copijs Cimbreus & Nauſa fratres præeſſent. His cõmotus nuntijs Cæſar, priuſquam tanta uis hoſtium cum Arioui ſto iungeret, dimicare conſtituit. Magnis itaq; itineribus ad hoſtem proficiſcit. Et iam tridui uiam confecerat,quũ nuntiatum eſt illi Arioui ſtum cum omnibus copijs ad Veſontionẽ occupandum properare.Erat id oppidũ Sequanorũ maximũ loco ad bellum opportuniſsimo ſitũ: Alduaſio amne ferè circumquaq; cinctũ (nunc Dubis eſt illi nomẽ) una duntaxat parte qua mons arduus ſurgit,cum munitiſsima arce,pedibus urbs adeunda,radices montis fluuio penè contiguæ. Cæſar audita loci opportunitate diurnis nocturnisq; itineribus tantũ uiæ confecit, ut ante Arioui ſti acceſſum oppidũ occuparit,urbeq; præſidio firmata,quũ commeatus cauſa ibi adhuc eſſet,ſubitus metus uniuerſum exercitũ inuaſit, Gallorum uocibus & Romanorũ,qui ibi negocia & multa & magna habebant, milites didicere ingẽti ſtatura Germanos eſſe, incredibiliq; uirtute,ſæpe cũ his cõgreſſos ne uultũ quidẽ trucem q̃ oculorũ aciẽ ferre potuiſſe. Plerisq; igiẽ qui amicitiæ cauſa ex urbe comitati fuerant, alia atque

Treuiri.

Arioui ſti ſuæ perbum reſponſum.

Cæſaris poſtulata.

Arioui ſti fæcinora.

alia cauſati petebãt ut bona uenia liceret inde procul abire. Alij pudore affecti in occulto flentes ſuam fortunã incuſare, paſsimq; in caſtris teſtamenta obſignabantur. Obrepſit is metus tacite ad eos qui magnum in caſtris uſum habebant, minusq; timidi uideri uolebant, qui nunc ſyluarum denſitatem, nunc locorum anguſtias quibus hoſtis adeũdus erat queſti, nihil obſcure præ ſe ferebant preſentẽ animi fluctuationẽ. Erant qui Cæſari nunciarent fore, ut quũ ſigna tolli iuberentur, milites nõ eſſent qui dicto parerent. Ob hęc ille uocato concilio adhibitis omniũ ordinum centurionibus, cunctos uehementer incuſauit, & q, in quem locũ, aut quo conſilio ducerẽtur, quærendum ſibi cogitandúmue putarent. Ariouiſtũ ſe cõſule amicitiam Po. Ro. ultro petijſſe, cupidiſſimeq; cõplexum. Cur igitur quiſquã eum tã temere ab officio deſciturum iudicaret? ſibi perſuaſum eſſe, futurum, ut Ariouiſtus cognita ſuorum poſtulatorũ æquitate, neq; ſuam, neq; Po. Ro. amicitiã repudiaret: q, ſi furore & amentia impulſus amicitię bellum prętuliſſet, quid ita ipſi de ſua uirtute, aut de imperatoris diligentia deſperarent? ſatis ſuperq; patrũ memoria periculũ fieri contigiſſe, quid Romani uirtute bellica Germanis præſtarent. Cimbri & Theutoni, à C. Mario cęſi, haud dubie, inquit, declararũt, quàm uana ſint hæc quæ timidi & ſtulti in huiuſmodi gente reformidant. Quid quòd ſæpiſsime ij, qui tantopere timentur, ab Heluetijs ſunt prælio uicti, quam gẽtem uos nuper nullo negocio ſuperaſtis. Nec qui Ariouiſtum ſequuntur ſuis popularibus fortiores ſunt credendi, quia Gallos uicerint, quum conſilio magis & dolo quàm uiribus, quod ſatis cõſtat, eam ſit ille victoriam adeptus. Omittire proinde, quando pudor eſt, itinerum rationem perſcrutari, quando imperatoris id munus ſit, nec de re frumentaria multum ſolliciti ſitis, quæ præterquã quòd Sequani, Leuci, & Lingones abunde miniſtrabunt, iam ſeges in agris matureſcit. Etenim quod ad preſentem expeditionem attinet, haud multo pòſt experiar, mi lésne ſequi debeat imperatorem, an imperator militẽ. Ego proxima nocte quarta uigilia mouebo caſtra, ut primo quoq; tempore ſciam pudórne, & officiũ plus apud meos milites poſsit, an met⁹ & ignauia: quòd ſi cæteri imperium detrectabunt, cum decima legione quam ſatis ſcio in officio manſurã, inchoatam expeditionem obibo. Incredibilis animorum mutatio ad eam Cæſaris orationem ſecuta eſt, ſummaq; alacritas ac bellandi cupiditas omnium animos inuaſit. Egit & decima legio illi gratias, quòd optimum de ſe iudicium feciſſet. Cæterę uero æmulatione accęſæ, per primores centurionũ imperatori ſatisfaciendum curarunt, ea ſatisfactione accepta, quum iam Cæſar in hoſtem moturus eſſet, legati ab Ariouiſto uenerant, de ducũ colloquio acturi, quod Cæſar antè petijſſet. Eratiã Ariouiſtus propinquus ad quatuor & uiginti milia paſſuum, nec Rom. detrectauit hominis congreſſum. Petere tamen Ariouiſtus ut remotis peditibus Cæſar cum ſolo equitatu ueniret, alioqui ſe diem non obſeruaturum, ueritum ne à Romano peditatu circunueniretur. Cæſar ne occaſionem componendę per colloquium rei omitteret, id conſilij cepit, quia Gallicis equitibus nõ multum fideret, illorum equis decumanos milites, eorumq́ue fortiſsimum quenque impoſuit, ut ſi militari opera opus eſſet, eos ad omne diſcrimen multo fideliores haberet. Cum denis equitibus in medium utrinq; ad tumulum quendam progreſi, qui in patenti planitie in utraque caſtra modice attollebatur, decima legio inde ad ducentos paſſus aberat, pari ſpatio ex aduerſa parte Barbarus equitatus. Hic quum non pauca citro ultroq; dicta & reſponſa eſſent, adijcereturq; ab Arioviſto, fore, ut ſi Cæſar interficeretur, magnam eſſet gratiam apud principes Romanæ ciuitatis initurus: proceſſeratq́ue longius

Peroratio.

Cæſaris conſilium.

Cæſaris & Ariouiſti congreſſus.

A fermo, quum Rom. duci nunciatur Ariouiſti equites propius tumulum accedere, & tela in noſtros iacere cœpiſſe. Tum ille facto dicẽdi fine, receptaq; ad ſuos legione, inhibuit prælium fieri, ne pulſus hoſtis potius quàm cæſus uideretur. Poſtridie eius diei iterũ Barbarus ad Cęſarem miſit, uelle ſe cum eo adhuc in colloquium uenire, aut ſi id non daretur, rogare ut ad ſe aliquem mitteret, cũ quo quicquid in animo haberet, commode agi poſſet. Miſit Cæſar M. Valerium Procillum, & Marium Metium, quos hoſtium caſtra ingreſſos pro ſpeculatoribus Ariouiſtus capi iuſsit, captos in uincula coniecit, inde motis caſtris, ſex milibus paſſuum à Rom. loco edito conſedit.

Poſtridie præter hoſtium caſtra cum exercitu progreſſus, ad duo milia paſſuum poſt Cæſarem metatus eſt, ut commeatum qui ab Heduis & Sequanis importabatur intercluderet. Tenuit inde Rom. imperator quinq; dies exercitum inſtructũ, in hoſtium conſpectu, fecitq; illi dimicandi copiam. Abſtinuit Ariouiſtus pedeſtri certamine, equeſtria tamen aliquot prælia fuerunt, eaq; parum memoratu digna. Ariouiſto ſex equitum milia ex omni numero lecta, ac totidem peditum, quorum alius alium legerat. Hi lõga exercitatione inter equites aſſueti, cum illis prælium obibant, ſi quo longius prodeundum fuiſſet, aut celerius recurrendum, equorum iubis ſubleuati pari cũ illis celeritate agebantur. Cæſar ubi hoſtem pugnam detrectare uidit, triplici acie ipſius caſtra prętergreſſus, ſexcentos paſſus ulterius cõſedit. Eo Ariouiſtus ſexdecim milia hominum miſit cum omni equitatu, qui Romanos à munitione prohibe rent. Cæterum his repulſis, obtinuit locum Cæſar, quo impigrè munito, duas ibi legiones conſtituit, quatuor reliquas in maiora caſtra reduxit. Poſtridieq; copias in procinctu habuit acie dimicaturus, nec hoſtis quicquam mouit, priuſquã ſe Romanus in caſtra recepiſſet. Tũ ſubito procurſu Germani hoſtem in prælium exciuere, pugnatumq; eſt uſque ad ueſperã, ibiq; ſunt utrinq; uulnera illata & accepta. Cognouit interim Cęſar ex captiuis Ariouiſtũ à *fortilegis* mulieribus monitũ, ne ante nouam Lunam dimicaret, religioneq; iniecta conſtituiſſe prelio abſtinere, cuius obeundi utilli neceſsitatem imponeret, poſtridie ſtructa acie ad hoſtium caſtra proceſſit. Tum demum uicta Germanorum patientia, deſcenſum in prælium. Conſtituit Ariouiſtus acię generatim paribus interuallis. Hi fuere. Harudes, Marcomani, Tribores, Vangiones, Nemetes, Seduſij & Sueſij. Totam aciem Ariouiſtus carris à tergo circũſepſit, ne qua ſpes in fuga relinqueretur. His mulieres paſsis crinibus impoſitæ uiros in prelium proficiſcentes flebiliter precabãtur, ne ſe Romanis in ſeruitutẽ traderent. Cęſar ſingulis legionibus ſingulos legatos præfecit, ut quiſq; teſtem uirtutis haberet. Iple dextro cornu rem geſsit. Concurſum tanto hoſtium ardore, ut nullus Cęſarianis uſus in pilis fuerit. Strictis igitur enſibus cõtinuo res geſta eſt. Obiecerunt Germani Romanis mucronibus phalangẽ, qua ſubito refracta, pellitur ſiniſtra hoſtiũ acies. Reperti ſunt ex Romanis militibus, qui in mediã phalangem inuecti, manibus ſcuta reuellerent, hoſtemque uulnerarent. In ſiniſtro cornu Romanorũ, nonnihil eſt laboratum. Sed hac quoque parte, P. Craſsi ſtrenui adoleſcentis opera, qui equitatui præerat hoſtium fuga facta eſt. Ita palam fuſi cæſiq; hoſtes, per aliquot milia paſſuum præcipiti curſu ad Rhenum contenderunt. Ibi alij nando fluuium traiecere. Alij & in his Arioviſtus, lintribus circa ripam repertis, ſibi ſalutem quæſiuerunt: cæteram multitudinẽ Romanus equitatus paſsim ferro confecit. Duæ erant Ariouiſti cõiuges, ambæ in ea fuga periere. Perijt & filiarum una. Altera in Romanorum poteſtatem uenit. Receptus eſt Valerius Procillus, qui triplici catenarum ſerie ab hoſte trahebatur, Is ter inter hoſtes de ſe

Varij Cæſaris et Ariouiſti natus.

Populi ſub Ariouiſto.

Procilli caſus.

de ſe ſortibus conſultum affirmauit, igni ne uiuus A cremaretur, an in aliud tempus eius differretur ſupplicium, ſortiumq; beneficio ſe ſeruatum. Sueui qui ad Rheni ripam ut ſupra eſt ſignificatũ proceſſerant, audita ſuorum clade, perculſi animo retrò abierunt. Cæterum cognita illorum fuga, non pauci ab locorum accolis intercepti perierunt. Cæſa ſunt eo prælio octoginta Germanorũ milia. Cæſar duobus maximis bellis una æſtate defunctus, paulo maturius quàm tempus poſtulabat in hyberna conceſsit. Labienoq; exercitui prępoſito, ipſe in citeriorem Galliam ad conuentus agendos proficiſcitur. Sed dum hæc à Cæſare gerũtur, incredibile erat Romæ ac tota Italia. M. Tullij deſiderium, nemoq; magis quàm Pompeius abſentem deſiderabat, pœnitebatq́; hominem Clodij iniuriæ nõ iuiſſe obuiam: quippe qui Cicerone in exilium acto, pari ferocia Pompeiũ uexare adortus, nõ ſolum eum ad populum criminari, ſed ut mollem & parum pudicũ probris inſectatus eſt, circũfuſa hominum ſuæ factionis multitudine, ex alto ſublimiq́ue loco quærebat: Quis uno digito caput ſcalperet? totaq; concio ex compoſito reſpondebat Pompeius. Quis imperator impudicitia laboraret? Pompeius. Quis uir uirum quæreret? Pompeius. Qua contumelia ille adactus, fretus q; Lentuli autoritate qui tum cõſul erat, Ciceronisque amiciſsimus, autor fuit T. Annio Trib. pleb. ut rogationem ad populum ferret, de Cicerone ab exilio reuocando, quæ res ingentes in urbe & tota Italia conciuit motus. Clodius cum ſua factione Tribunitiæ rogationi obſtabat, eoq; adnitente aliquandiu nihil agi potuit. Certatumq; eſt interim in publico armis, Tribunitiaq; poteſtas uiolata, multi quoque interfecti, adeò ut Quintus Ciceronis frater inter cadauera latitans ſit ſeruatus. Poſtremo Pompeius ingenti bonorum manu, multitudineq́ue ad hoc ipſum ex tota Italia collecta, Clodium foro expulit: auxilioq; B fuit, ut populus ſine aliquo maiore motu rogaretur. Nũquam maior de aliquare conſenſus Po. Ro. fuiſſe dicitur, neq; tãtum totius Italiæ ſtudium, quę ob hoc ipſum Romam undique confluxerat, ut nõ magis eleganter quàm uere poſtea Cicero ſit gloriatus, Italiq; humeris ſe ab exilio reportatum. Senatus charitate & beneuolentia cum populo certauit, decreuitq; ut publicè laudarentur ciuitates quæ Ciceronem accepiſſent, ut domus eius & uillæ publico inſtaurarentur ſumptu. Redijt ſextodecimo menſe poſtquàm urbe eiectus eſt, tanta omnium ordinum gratulatione, ut officiorum frequentia diem totum in urbis ingreſſu conſumpſerit, dum obuiam prodeuntes complexu & oſculis excipit. Nec Clodius propterea quieuit, nam & Ciceronem interficere primo conatus eſt, impetuq; in eius domum facto redemptores operis fugauit, lapides & columnas diſiecit: qua Cicero iniuria impulſus, cum magna cliętum & amicorum manu, æneas tabulas quas ille de rebus à ſe in tribunatu geſtis in Capitolio fixerat, loco ſuo diuulſas fregit: de quo quum in ſenatu accuſaretur, quòd publica monumẽta priuata autoritate ſuſtuliſſet, negauit Clodium tribunum fuiſſe, quando patritio homini per leges plebeium magiſtratum capere nõ liceret: ea ſententia M. Catoni non placuit, qui etſi perniciоſus in ea poteſtate Clodius fuiſſet, nihilominus tribunum fuiſſe intelligi uolebat, alioqui illa quæ à ſe in Cypro geſta eſſent, tenere nõ poſſe uidebantur, ſi Clodianæ rogationes nõ tenerent. Hinc orta creditur tacita quędam inter Catonem & M. Tullium animorum offenſa, ſed quæ in apertam ſimultatem non euaſerit: & Cicero in hunc modum in patriam reſtitutus fuit. Cæſar quum adhuc in citeriore Gallia eſſet, rumoribus & Labieni literis certior fit, Belgas qui tertiam Comatæ Galliæ partem incolerent, aduerſus Rom. Pop. coniuraſſe. Clariſsimæ urbes hodie in ea gente, Colonia, Maguntia, &

Cæſar in hyberna cõcedit.

Clodius Pompeium inſectatur.

Celeber Ciceronis reditus.

Certamen Clodij & Ciceronis.

Catonis & Ciceronis offenſa.

Cauſæ Belgici belli.

A aliæ pleræq; admodũ illuſtres ciuitates, obſides adhæc inuicem dati & accepti dicebantur, ut in obeundo bello ſocialis fides conſtaret. Nouãdarum rerum prætextus fuit, ne Belgæ pacati Romanis opprimerentur armis, ſuaq; libertas in diſcrimẽ adduceretur. Prætereа ægre ferre dicebãtur, quòd Germanis bello eiectis, Ro. exercitus Gallicanis hybernis inſuеſceret: ſed nihil æque eorum animos exagitabat, ac inſitum genti nouandarum rerum ſtudiũ, & in primis eorum qui inter ſuos populares opibus poſſebant: qui ueriti ne ſi Romano eſſet imperio parẽdum, ipſi principatu deijcerẽtur, omnia malebant quàm Ro. opes intra Galliæ fines inualeſcere. His Cæſar nuntijs excitus duas in citeriore Gallia legiones cõſcribit, præmittitque cum his Q. Pedium legatum. Ipſe quũ primũ pabuli copia fuit in agris, ad exercitum uenit. Huc Senones Galli qui Belgis finitimi ſunt, & quibus id negociũ Cæſar dederat, ut quæ eius gẽtis conſilia eſſent, attente explorarent, nunciant omne Belgicum nomen in parando bello uehementer eſſe occupatũ. Cæſar nihil cunctãdum ratus, magnis itineribus in Belgarum fines exercitum ducit. Perculit Gallos Oceani accolas, inopinatus illius aduentus, Rhemiq; Belgarum affines, per legatos deditionem faciunt. Ex his cognitum eſt à Germanis Belgas ortos, qui ſoli feracitate allecti, alij alio tempore Rhenum tranſgreſi, eam terram quæ Belgica diceretur occupaſſent, diuidiq; totã gentẽ in multa nomina, eſſeq; omnium opuletiſsimos Bellouacos, qui ſexaginta milia armatorum ad id bellum inſtruxiſſent, quinquaginta milia Sueſsiones, totidem Neruij qui feritate inſigni præſtare dicerẽtur, nunc Tornacẽſes dicti: Atrebates quindecim milia, tempeſtate noſtra Picardię partẽ incolunt. Eorum ciuitas Atrebas aulæorũ opificio celebris. Ambiani decem milia. Ambianis hodie eorum ciuitas, & ipſa Picardiæ finibus contenta. Morini xv. milia. Galli nunc horũ Metropolim Terramuanam uocãt. Menapij & Bellocaſſes utriq; ſeptem milia, Caſtletenſes nunc ſunt qui Bellocaſſes fuere. Caleti & Catuaci, qui nimirũ Siduaci hodie ſunt, undeuiginti milia. Codruſi & Eburones, qui nunc Leodienſes xl. milia ad bellũ dedere. Cæſar ne cum tam numeroſo exercitu confligere cogeretur, cũ Heduis egit, ut cũ quàm maximo poſſent exercitu Bellouacorũ fines inuaderent, ut eius gẽtis opes ſociali bello auerterent. Ipſe Axonam fluuium in extremis Rhemorũ finibus tranſgreſſus, in ulteriore ripa metatus eſt. Aberat inde Rhemorũ oppidum Librax ad octo milia paſſuũ. Id Belgæ ſumma ope erãt oppugnare adorti, nec uis hoſtium diutius ſuſtineri potuiſſet, niſi Cæſar Baleares funditores, Numidasq;, & Cretas ſagittarios, nocu oppidanis miſiſſet. Belgę omni ſpe potiundi oppidi abiecta, agrum & uicos populati, in Cæſarẽ impetũ auertunt, caſtraq; ad duo milia paſſuum caſtris cõferunt. Tantaq; erat uis hoſtium, ut ipſorum munitiones, quod ignibus & fumo ſignificabatur, ad octo milia paſſuũ & amplius late paterẽt. Cæſar Belgarum numerum & bellandi promptitudinem ueritus, haud quidem auſus eſt ab initio acie dimicare. Fiebant interim equeſtria prælia, quæ quũ ſecunda fere Ro. eſſent, capto prius caſtris loco ad explicãdam aciem idoneo, in aperto totis uiribus decernere cõſtituit. Erat media planitie locus paululum editus, tantum in latitudinem extenſus, quantum loci acies inſtructa occupare poterat, in frõte leniter caſtigatus, paulatim ad planitiem redibat. Ab utroque latere Cæſar foſſam paſſuũ circiter quadringentorũ obduxit, & ad extremas foſſas caſtella conſtituit, ibiq́ue tormenta collocat, ne multitudine fretus hoſtis à lateribus ſuos circunueniret: duabus inde legionibus quæ nouiſsime fuerant conſcriptæ, ad caſtrorum præſidium relictis, cum cętero exercitu locũ occupat acie dimicaturus. Erat palus quędam inter utraq; caſtra, quam

Belgarum cõpię.

Cæſaris ſtratęgema.

quam ut Ro. superare aggrederẽtur hostes expectabant, contrà Romani uelut Galli id ausuri essent intenti stabant. Neutri itaq; alteros lacessere ausi in castra sine prælio rediere. Inter equites nõihil est certatum, fuitq; congressus ille Romanis multo, quàm hostibus prosperior. Belgæ motis castris ad Axonã *Axona flu.* fluuium cõtenderunt eo consilio, ut parte exercitus in Rhemorum fines transgressa, eos late popularentur, pontemq; à tergo Ro. resciderent. Ad præsidiũ pontis cum sex cohortibus Q. Titurius Sabinus fuerat relictus. Is ex improuiso hostium accessu ad Cæsarem misit. Numidæ itaq; & Cretenses sagittarij ad eum missi, qui Belgas præda impeditos, medio flumine adorti, magnum prædatorum numerũ interfecere. Cęteri per suorum cadauera transire conati, telorum multitudine pene obruti sunt. Postremo Belgæ suis conatibus frustrati, consiliũ cœpere sine prælio domũ abeundi. Trepide adhęc nunciabatur Heduos Bellouacorum fines populari. Res tanta trepidatione acta est, ut fugæ speciem præbuerit. Media *Soluitur Belgarum exercitus* nocte sine imperio, sine duce, turbato agmine abierunt. Cæsar insidias ueritus, causam tam subitę profectionis haud animo cõijcere potuit, usq; ad lucem suos tenuit. Vbi uero omnia exploratiora habuit, equitatum in hostes misit, qui extremum remorarentur agmen. Q. Pedius, & L. Arrunculeius legati, celeri cursu hostem cũ equitibus assecuti, subito metu & trepidatione Gallos fundunt, tãtamq; hominum multitudinẽ interfecere, quanta ad noctem usq; cędendo cõfici potuit. Postridie Cęsar Suessionũ fines ingressus Noujodunum oppidum obsidione cinxit. Id sine aliquo maiore certamine est deditũ. Transijt inde in Bellouacos, quos in Bratuspantium oppidũ compulsos, suppliciterq; ueniam implorantes in fidẽ recepit, & quia urbs erat in Belgis multitudine lõge prestans, sexcentos poposcit obsides. Ambiani inde *Gallorum deditio.* uolũtaria deditione recepti. Postremo Cæsar in Neruios mouit. Nullus olim mercatoribus ad eam gentẽ aditus, nulla cõmercia, neq; uina, neq; alia ad luxuriam pertinentia patiebantur sibi importari, rati eiusmodi rebus hominũ mores corrũpi, omnemq; uim animi his corporis illecebris labefactari. Incusabant Belgas qui tam se molliter Ro. dedidissent, ipsi cum Atrebatibus. & Veromãduis ad Sabim fluuiũ (nunc Sãbra dicitur) ingenti numero confederunt. Cæsar præmisis, qui locum circa flumen castris caperent, ad hostẽ ducit. Neruijs interim perfugæ nunciant magnam occasionẽ primæ Ro. legionis inuadendæ, diripiendorumq; impedimẽtorũ dari, quãdo magno spatio secundam legionem præcederet, & alias deinceps ordine sequẽtes. Hoc ipso, & quia uiæ satis sua natura erant impeditæ, hostes in spem bene ge.ndæ rei adducti locum insidijs occupant. Cæterum ubi Cæsar ad flumen propinquare cœpit, mutatis de more ordinibus, sex expeditas legiones secundum equites præmittit, post impedimẽta duę legiones nuper conscriptæ extremum cogebant agmen: fluuio itaq; superato, primo equestre prælium fuit, mox impedimenta hostes ex insidijs adorti anceps certamẽ injiciũt, & ex aduerso colle in eos qui castra muniebãt, Galli impetum fecere. Cęsar in omnes partes intentus mittit, qui milites in opere continerent, ipse nunc decimam legionem, nũc ad alias recurrens, præsentia & hortatione suos ad pugnam erigit. Res uario euentu acta est, nona & decima legio à sinistra parte Atrebates uulneribus confectos, *Atrox prælium ad Sabim flu.* & in fluuium præcipites actos, medio tranandi studio, ad unum propemodũ confecerũt. Contrà octauæ & undecimæ legioni, cum Viromanduis maius circa fluuium fuit negocium, ubi quum atrox esset certamen contractum, nã septima & duodecima legio subsidio à dextro cornu aderant, omnis Neruiorum conatus hucincubuit, ac multitudine freti, partim Romanam aciem circũuenĩũt, partim castra inuadunt. Ibi turbatio ingens orta, quũ hostes eo quo inuecti fuerant impetu, munitiones irrũperent, cõtinuo fuga fieri cœpta est, & à calonibus, & leuis armaturæ militibus. Qua turbatione perculsi Treuiri equites, quorũ uirtutis opinio erat inter Gallos singularis, rem Romanam perditam rati, citatis equis domum abierunt, suis popularibus quæ facta essent præpropere nunciantes. Interim Cæsar ab ea parte qua res bene gesta erat, ad læuũ cornu reuersus, ubi aciem penè circũuentam uidit, ac rem propemodũ afflictã, signo uno amisso, centurionibus quartę cohortis ad unum interfectis, cęteris grauiter uulneratis, arrepto gregarij militis scuto, appellatisq; centurionibus qui in proximo steterãt, in mediam hostiũ aciem prorumpit. Redintegrata pugna paululũ hostium impetus resedit. Duæ deinceps legiones quæ non paruo inter se spatio diuisæ, prælium iniuerãt, & ob eam rem penè circunuentæ ab hoste fuerant, iussu Cęsaris signa conferũt, ferocioresq; mutuo auxilio factæ, non solum hostem sustinent, sed ualide etiam fatigant. Occurrunt eò legiones, quæ impedimenta sequebãtur, hę audito suorum periculo, maturè affuerunt, ex propinquo itaq; colle conspectæ, omnem belli terrorem in Gallos uertũt. Tum uero quantum illis metus est subito iniectum, tantũ Romanis audaciæ accessit. Qui uulnerati innixiq; scuto stabant, confestim in pugnam redeunt, calones quoque turbatis hostibus occursant. Hic tanta fuit *Neruiorum cædes.* Neruiorum uirtus, ut prius passim cæsi sint, q̃ pro uictis Romano cesserint, ex cęsorum cadaueribus dimicantes non uis ulla hominum, non locorum iniquitas frangere potuit, donec cęteris tetra occidione occisis pauci prælio effugerint. Ita Neruiorũ gens extincta, senes qui cum pueris & mulieribus fuerant in æstuarijs relicti, ad Cæsarem mittunt, ueniã orantes, qui in defienda gentis calamitate confessi sunt, fortunã totius gẽtis adeò uno prælio accisam, ut ex sexcentis senatoribus tres duntaxat superessent, & ex sexaginta milibus bellatorum quingenti qui arma ferre posset. Cęsar misericordia motus, nõ solum uictis dedit ueniã, sed finibus & oppidis, quę ad id tempus habuerant, uti permisit. *Aduatici* Aduatici inde bello petiti, qui Neruijs sub ipsum tẽpus pugnę auxilio profecti, audita sociorum strage, cursum retro auerterant. Erant Aduatici à Cimbris & Theutonis prognati, qui quum illi bellum Italiæ intulerunt, cũ impedimentis quę gestatu grauiora essent, in his locis relicti fuerant. Hi audito hostium accessu locum occupant & natura & humano opere præmunitũ. Cæsar, bellicis machinis oppido admotis hostẽ ad deditionẽ compulit, iusq; arma tradere, haud quidem ex fide, imperata faciunt. Sic quoq; tanta uis armorum circa oppidũ expositа est, ut repletis fossis munitiones oppidi congeries æquarent. Cæsar ne- *Aduaticorum fraus.* minem passus est oppidũ ingredi: nequa deditis & inermibus iniuria fieret, qua illi occasione usi, secunda noctis uigilia, cum ijs armis quæ occulto retenta erant, & quæ tumultuario opere paucis horis parari potuerunt, Romanas stationes cũ clamore inuadũt. Cæsar signo ex castellis edito confestim suis auxilio affuit: cæląq; sunt nocturno prælio iiij. milia hostiũ. Cæteri in oppidũ compulsi postridie, refractis portis in Romanorũ potestatẽ uenere. Sectio eius oppidi uendita est, captiuorũ numerus ad ducẽ delatus triũ fuit & I. miliũ. Sed dũ hęc in Aduaticis gerũtur, P. Crassus à Cæsare cũ legione una missus, Vnellos, Osisinos, Curiosolitas, Aulercos, Rhedones omnes *Oceani accolæ deduntur.* Oceani accolas in deditionẽ accepit: atq; uniuersa Gallia per hęc pacata. Legati ab ijs gẽtibus, quę trãs Rhenũ incolebant, ad illum uenerunt, amicitiã petẽtes, ultroq; obsides daturi. Cæsar iussis his ad se sequenti æstate redire, habebat enim in animo in Germaniam bellum transferre, quod & fecit: legionib⁹ in Hyberna dimissis, in citeriorẽ est Galliã reuersus.

ENNEA-

ENNEADIS VI. LIBER VI.

POSTQVAM Romę hęc quæ Cęsar gesserat, & literis & nuncijs audita sunt, supplicatio eiꝰ nomine, in quindecim dies decreta est, quod ad id tempus datum erat nulli. Ipse Lucam urbem suæ prouinciæ terminũ progressus, Põpeium & M. Crassum officij prętextu ex urbe extraxit. Cæterũ multi Cæsaris munificentiam secuti, sua sponte ad eum ex Roma & prouincijs confluxere, in his q; Appius Sardiniæ prætor, & Nepos proconsul Hispaniæ, atq; alij aliunde, ita ut uno tempore centum & uiginti lictores cum fascibus in Cęsaris uestibulo obseruati sint. Venerunt eò *Fascium numerus circa Cæsarem.* senatorij ordinis circiter ducenti, quos ille incredibili munificẽtia est prosecutus, cum Crasso & Pompeio egit, ut sequenti anno consulatum peteret, extruderentq; L. Domitium consularem candidatum (minari is aperte futurum ut cõsul perficeret, quod præter nequiuisset, ut exercitum & imperium Cæsari adimeret) & ut ambo consules creati autores eẽ sent Galliarum imperij sibi in alterum quinquenniũ prorogãdi: obtinuit utrunque Cæsar, sed aliquanto postea. Pompeius & Crassus cõsules designati sunt, multo tamen certamine. Nã Domitius, Catonis impulsu in campum descẽdere ausus, post grauissimas contentiones, quum sub noctem se domum reciperet, Melito, qui lampadẽ præferebat, à Pompeianis interfecto, Catoneq; dextrum cubitum saucio, ipse cum cætero comitatu porro fugatus, se cum multa trepidatione domum recepit. Illi consulatũ adepti, *Cæsari imperium in quinquennium prorogatur.* C. Trebonij tribuni plebis rogatione autores fuerunt, ut C. Cæsari imperium in quinq; annos prorogaretur. M. Crasso Syria prouincia decreta est. Pompeio Aphrica, cum utraque Hispania, & quatuor legionibus, quarum unam rogãti socero concessit. Cæsar his successibus auctus, uteriꝰ legionibus unam ex transalpinis Gallis conscriptam addidit, quam cultu disciplinaq; Romana instructam Gallico uocabulo Alaudam appellauit. Plutarchus cãpestris huius certaminis & tumultuosæ rogationis est autor, licet in Pompeio & in Cæsare lõge aliter scripserit: Catonẽ ait, quũ hæc Romæ facta sunt, in Cypro fuisse, quod eo me magis mouet, quia & Liuius in id tempus Cypriam illam Catonis prouinciã reijcit, quo Veneti accolæ Oceani sunt à Cæsare superati, qui quũ ille in citeriore Gallia adhuc esset rebellarunt. Idem autor est Catonem quia Trebonij rogationẽ de imperio Cæsaris, & consularibus prouincijs impediret, tribuni iussu in uincula adductũ. Sub idẽ tẽpus, aut certe nõ multo prius, Ptolemæũ Auletem ab Alexandrinis extorrem eiectum Gabinius qui Syriæ præerat, Põpeij autoritate, contra re- *Carmen Sibyllinum.* ligionem in regnum reduxit. Ex Sibyllinis libris celebre carmen erat, ne Ro. exercitus in Ægyptum deportaretur. Alexandrini pulso Aulete filiã eius maximã natu reginam constituerunt, nupsitq; primo illa Cybiosatti cuidã Syro, regia stirpe, ut ipse credi uolebat procreato, quẽ regina paucis diebus ob sordidum ingenium regno expulit. Iuncta inde Archelao est eius Archelai filio, qui cõtra Syllã pro Mithridate pugnauit, moxq; à Romanis in summo fuit honore habitus. Cęterũ dum filia nouis studet nuptijs, Pto- *Ptolemæus Romam proficiscitur.* lemæus Romã profectus Pompeio est ab initio conciliatus, per eumq; patribus cõmẽdatus. De eius reductione actum simul & de legatorum cæde, qui supra centũ ex Alexandria aduersus Ptolemæum Romam uenerant, & cum his Dion Academicus. Erat tum cõsul Lentulus Spinter, qui quũ Ptolemæũ ambire sensisset, ut à Pompeio reduceretur, autor patribus fuit, præfecturæ maritimæ & terrestris annonę Põpeio decernẽdæ, ut maiorẽ ille dignitatẽ secutus, de reducẽdo rege omnẽ curã abijceret. Ipse & præsens, & mox procõsui absens, per Ciceronẽ adnixus est, ut reducẽdi regis sibi, quinquennia decerneretur. Sed quũ rex per Pompeiũ reduci mallet, nec id cõcederetur, desperato reditu Ephesum cõcessit, tutus Dianæ numine uicturus. Nec lõgo inde interiecto tempore, Põpeij, ut dixi, impulsu Aulus Gabinius iniussu populi regẽ restituit, qui recepto regno filiã & Archelaũ cui puella nupserat occidit, nec ipse diu postea filiæ & genero superfuit, perijrque fatali morte quatuor filijs superstitibus, duobus uirilis stirpis, ac totidẽ alterius sexus. Ex his maiores natu testamẽto patris regnare iussi sunt. Dionysius Ptolemæus qui Pompeiũ puer adhuc interfecit, & Cleopatra, post cuiꝰ interitũ Ægyptus in quinquennia formã est redacta: sed hæc multo postea acciderũt. Erat Cęsar in citeriore Gallia, cũ Sergius Galba, q cũ legione una & parte equitũ in Antuates erat missus, post aliquot secũda prælia, gentẽ ipsam cum Sedunis & Veragis Ro. imperio subegit. Erãt hi Allobrogum affines, & ad summas Alpes mercatoribus uehementer infesti quæ causa Cæsarẽ in primis mouit, ut eas gentes armis subigeret. Galba in ea terra qua fuerat armis potitus hybernare constituit. Hic medio hybernorum *Veragorum perfidia.* tempore in Octodoro Veragorum uico, subita Gallorũ defectione, cũ semiplena legione (undiq; enim locus erat mõtibus circũseptus, quorum fauces Galli insederãt) pene oppressus est, fuitq; metus eo maior quo res minus prouisa. Enimuero simulac retur hostibus obuiam, ecce Galli uelut procella quędam montibus deiecta, ad ima decurrẽtes undiq; tela in hostes iaciunt, sex & amplius horis circa uicũ est dimicatum, & quũ iam Romanos tela & uires deficerent, parumq; abesset, quin Galli munitionibus potirentur, quæ unica fuit erat salutis spes, paululum ab hoste certamẽ remittitur. Recipiunt interim Ro. animũ, colliguntq; uires ad aliud facinus, & portis subito patefactis, cum clamore pluribus locis erumpunt: hostis ui submotus, atque in fugam actus passim cæditur. Ita Galba duobus milibus Gallorũ cæ- *Galbæ pulchrũ facinus.* sis, ne sæpius idem adiret periculum: postridie uico & munitionibus incensis, cum tota legione incolumi, in Antuates se ad exercitum in hyberna recepit. Veneti interea in ora Oceani bellum in Romanos meditati, ut obsides quos dare fuerãt coacti, reciperent, T. Silium & Q. Velanium trib. militum à P. Crasso qui cum una legione propius Oceanũ hybernabat frumentatum missos intercipiunt. Curiosolitæ & Eusubij Venetorum exemplum secuti, & ipsi qui ad se eadem de causa uenerãt, uelut ex composito in uincula conijciunt, misisq; inuicem legatis coniurãt, nihil se nisi communi consilio acturos, eundemq; laturos fortunæ exitum, solicitãt & alias ciuitates, ut libertatem à maioribus acceptam secum tueri uellent. Mittũt inde ad Crassum, ut si suos uelit recipere sibi obsides restituat. Cæsar interim factus certior de ijs quæ in Gallia acciderant, mandat in Ligeri fluuio longas naues ædificari. Oritur *Ligeris flu.* is in Heduorum finibus: eos à Biturigibus dirimit, in Carnutes inde prolapsus, multis & uarijs anfractibus euagatus, Aquitaniæ contiguus, Oceano infunditur. Ipse uero quum primum per anni tempus potuit ad exercitum uenit. Veneti & socij locorum opportunitate freti, quo maritimis opibus magis pollebant, eo bellum ferocius comparant. Naues ad Venetos ubi Cæsar bellaturus putabatur studio conferunt. Populi qui cum Veneris socia arma iunxere, fuerunt Osisini, Lexobij, Nannetes, *Qui cum Venetis coniurarint.* Ambiliates, Morini, Diablitres, & Menapij. Omnes hodie citeriorem Britanniam habitãt, tum uero Celticæ Galliæ fuerunt, contra Britaniam insulam siti. Vnde auxilia sunt ad id bellum accersita. Cæsar, quia rumor erat, præter hos populos qui ex confesso erant hostes facti, omnem ferè

Galliam

Galliam uno tempore nouis rebus ſtudere. Nã præ-
terquam quòd libertas omnibus natura grata eſt: ut
ſeruitus inuiſa, Gallorum ingenia ſubita ſunt, & in
conſilijs repentina. Prius itaq; quàm ciuitates con-
ſpirare in unum poſſent, T. Labienum legatũ in Tre-
uiros cum equitibus miſit. Erant hi Rheno finitimi.
P. Craſſum cum duodecim cohortibus, & magno
equitum numero in Aquitaniã. Q. Titurium in Cu-
rioſolitas Lexobios q; eas gentes armis laceſſe-
ret. Decium Brutum adoleſcentem, claſsi, Gallicis-
que nauibus præfecit, quas Pictones & Santoni, ac
reliquæ gentes quę in fide erant, auxiliares miſerãt.
Huic Cæſar imperauit, ut quum primum poſſet, in
Venetos moueret, ipſe ad hoſtem pedeſtrib⁹ copijs
Situs & urbes Venetorum. proficiſcitur. Erant Venetorum oppida uelut in pe-
ninſulis quibuſdam, ac promontorijs ſita, quę duo-
decima quaq; hora, Oceani æſtu omnia reſtagnan-
te, in inſularum ſpeciem, medijs extabant fluctibus,
atq; ob eam rem, neq; pedibus quod aquæ prohibe
rent, neq; nauibus, ob uadoſum ſtagnum, aditu fa-
cilia. Cæterum ſic quoq; uicta locorum difficultate
ubi ad hoſtem aggeribus peruentum eſt, paratis ad
id nauibus, cum omnibus fortunis, liberis q; & co-
iugibus, in aliud Galli oppidũ migrarunt, mox hinc
eiecti, in aliud tranſiuerunt, aut unde primo profe-
cti fuerant, populariter remigrarunt. Nec Romana
claſsis in ora importuoſa Oceani uim libenter expe
riri. Venetorum naues carina paulo planiore fabre-
Venetarum na uium robur. factæ ex robore, ad omnem ſæuientis pelagi iniuriã
perferendam ſatis erant ualidæ, clauis pollicari craſ
ſitudine cõfixæ, ferreis q; catenis innexę pro ancho-
rarijs funibus. Vela ſcortea, & non ex lino, aut cana-
bi facta, ut quantũuis ſæuam uẽtorum uim fortiter
ſuſtinerent. Cæſar aliquot locis laborioſe captis, ubi
parum ea uia ſe proficere animaduertit, claſſem ex-
pectandam cenſuit, quæ poſtquam in conſpectum
uenit, ccxx. Venetorum naues ad prælium inſtructę B
illi obuiã procedunt. Parum ab initio conſtitit Bru-
to, qua potiſsimũ ratione in hoſtes dimicaret, quũ
omnia apud illos eſſent accuratius prouiſa. Sola mi-
litum uirtus ducem ferociorem reddidit ad confli-
gendum, & quòd ſperabat ita futurũ, ut primo con-
curſu reciſis hoſtium funibus, uelis armamentisq;
eorum naues ſpoliaret. Augebat ſuper omnia ani-
mum Bruti & aliorum, Cæſaris ac totius exercitus
præſentia, qui tumulos unde deſpectus in ſubiectũ
patebat mare, longo agmine inſederãt. Diſiectis igi
tur falcium occurſu Venetarum nauium antennis,
quum binę ternæq; Romanorum ſingulas hoſtium
Naualis pugna Ko. proſpera. circũſtetiſſent, militesq; multa ui in aduerſas naues
tanſcenderent, Galli fortuna & numero impares, a-
liquot nauibus amiſsis fugam capeſſunt, & quum
iam in eam partem curſum intenderent, qua uento
ferebantur, tanta ſubito tranquillitas ſecuta eſt, ut
moliri curſum nequirent, quæ res ad maiorem uic-
toriam conſequendã Romano peropportuna fuit,
qui ſingulas conſecutus, præter paucas, quæ noctis
interuentu in terram abiere, cæteras ad unam, aut ca
ptæ ſunt, aut in alto depreſſæ. Quo uno prælio Ve-
netis rebus uehementer afflictis, quum ipſi, tum ſo-
ciorum pleriq; per legatos deditionem fecere. Sed
dum hæc in Venetis geruntur, Titurius Sabinus ab
Vnellis Aulercis & Lexobijs bello excepto aliquot
dies, quum caſtra hoſtium in proximo eſſent, laceſ-
ſitus intra munitiones ſeſe tenuit. Præbuit ea cun-
ctatio nõ ſolum hoſtibus, ſed & Romanis militibus
formidinis ſuſpitionem. Verum ubi id Gallis per-
Titurij conſi lium. ſuaſum ſenſit, perfugam Gallum Titurius ſubornat
qui ad Viridonocem penes quem erat hoſtilium co
piarum imperium, iret, doceretq; Romanum proxi
ma nocte fugam moliturum, ut Cęſari auxilium fer
ret, qui à Venetis in magnum belli diſcrimen addu-
ctus diceretur. Res temere credita eſt, ſimulq; Galli
arreptis armis, ad Romana caſtra oppugnanda de-
currunt. Locus erat caſtrorum editus, & paulatim
ab imo accliuis circiter mille paſſus. Huc Galli per-
petuo occurſu deferuntur, ne quod Romanis ſpatiũ
daretur ad arma prælio expedienda, ſarmentis & a-
lia materia ad replendas foſſas impediti, temere mu
nitiones ſubeunt. Sabinus duabus portis ſuos in ho
ſtem emittit, ibi Galli ſubita ui hoſtium corporum-
que defatigatione perculſi, ne clamorem quidem e-
rumpẽtium ferentes, fuſi, ac per decliuia in præceps
Vnellorum cla des. acti. Multi quidem perierunt, ſed multo plures ab e-
quitibus, qui ad eos perſequendos ſunt miſsi, tota
planitie obtruncati. Atq; ita, uno fere tempore, Cæ-
ſar duplicem per legatos eſt uictoriã adeptus. Vnel-
li & ſocij, poſt unam aduerſam pugnam fracti in de-
Craſsi acceſſus in Aquitaniã. ditionem uenerunt. Per id quoq; tempus P. Craſſus
in Aquitania, ubi paucis antè annis L. Valerius Pre-
conius legatus pulſo exercitu fuerat interfectus, &
L. Manlius proconſul impedimentis exutus. Son-
tiates, gentem eius terræ ferociſsimam, prælio uicit,
cæſoq; magno Gallorum numero, oppidum caput
gẽtis eſt oppugnare adortus. Adiatonoq;, cum ſex-
centis deuotis, quos illi Suldorios uocant, ex erup-
tione in oppidũ incluſo breui confecutus eſt, ut op
pidani ultro deditionem fecerint. In Vocuntios in-
de & Taruſates bellum translatum. Hi cum citerio-
ris Hiſpaniæ populis Aquitaniæ finitimis coniurãt,
indeq; auxilia & duces accerſunt, qui cum Sertorio
diu in Iberia militarant. Galli etſi multo plures nu-
mero erant, quàm Romani, quia commeatibus in-
terclusis ſedendo ſe uincere poſſe arbitrabãtur, con-
ſulto pugna abſtinebant. Contrà Craſſus ubi hoſtes
ad pugnam elici non poſſe uidit, eorũ caſtra repente
adortus, milite Decumana porta immiſſo, præcipi-
tem ex ſuis hoſtem munitionibus dedit, quem to-
tis campis Romanus eques perſecutus tam fœda af
Craſsi uictoria flixit cædę, ut ex quinquaginta milib⁹ numero, quę
ex Aquitania Cantabris q; ueniſſe ſatis cõſtabat, uix
quarta pars ſuperfuerit. Fractis ea pugna Aquitanis
quàmplurimæ ex ea gente ciuitates, obſidibus da-
tis, pacem petiuere. Fuerunt qui ocium bello præ-
tulerunt. Bigeriones, Preciani, Vocates, Tarſates,
Garittes, Auſti, Gerunni, Siburzates, & Cocoſates.
Cæteri, atq; ijdem pauci, locorũ opportunitate freti,
& quia iam hyems apparebat, in armis eſſe perſe-
uerarunt. Sed dum hæc Craſſus in Aquitania, Cęſar
Morinos & Menapios Oceani accolas, ſubito bello
inuaſit, ſed eos de bellare non potuit. Refugerãt Gal
li in paluſtria loca, profundas q; ſyluas, quas cõcide-
re Cæſar adortus præſenti incepto fruſtratus deſti-
tit. Denſus imber plures dies ad terrã deiectus, Ro-
manum ſub pellibus tenuit, quòd quum miles am-
plius paluſtri loco haberi non poſſet, uaſtato utriuſ-
que gentis agro, Cæſar in Aulercos & Lexobios hy-
bernatum cõceſsit. Sub id tempus Vſipites Germa-
ni & Tenchateri diutino bello à Sueuis populo Ger
manorum omnium bellicoſiſsimo uexati, præſentẽ
q; rerum fortunam perteſi, Rhenum non longe
à mari magna hominũ multitudine, in Galliã tranſi-
Sueuorũ ritus. iuerũt. Habebant Sueui centum pagos quorum ſin-
guli mille ad bellum uiros ſingulis mittebãt annis,
alterniſq; inter ſe militabant, bellatores ab ijs uictũ
accipiebant, qui militiæ erant immunes, atq; ita du-
plex genti rei militaris & agrorum fuit cultus. Indi-
ſcretus apud illos uictus, ex lacte & pecore plurim⁹,
& ex uenatu quoq; non modicus. Vulgo uenantur,
quum exercitatione corporis, tum libertate uitæ, à
pueris nullo officio, nulla imbuti diſciplina, ut nihil
omnino inuiti facerent, alerentq; uires corporis, in
frigidiſsimo terrarum tractu, nullo præterquam ex
peſſibus tegumento amicti, & mercatoribus idcir-
co ad eos patebat acceſſus, ut eſſent quibus uende-
rẽt, quæ bello quæſiuiſſent: equi parui, & informes,
qui à feſſoribus relicti, quum pedeſtre fieret præ-
liũ, ſuo permanebãt ueſtigio, donec ab equite repe-
terentur.

terentur. Nihil præterea apud illos turpius quàm e-
phippijs uti, unum ad ſe deferre uetant, quoniam
perſuaſum habebant eius uſu hominum corpora e-
molleſcere atq; effœminari. Pulcherrimum credere
quàm lõgiſsime à ſuis finibus agrum uacare, quam
ipſi ſolitudinẽ bellica uirtute feciſſent. Sed de Ger-
manorum moribus in uniuerſum plura alibi. A Sue
uis igitur Vſipites & Tenchatetri natali ſolo pulſi,
aliquandiu per Germaniã euagati poſtremo ad Rhe
num deuenere. Colebant Menapij utrãq; ripam flu-
minis, cæterum Germanorum multitudine territi,
ædificijs Germanicæ ripæ relictis, Gallicanam ali-
quandiu tutati ſunt. Nec Germani defectu nauium
traijcere Rhenum poterant, nec ſi affuiſſent, Mena-
pijs arcentibus, ulteriorem ripam ui ulla tenere po-
tuiſſent. Simulãt igitur ſe inde procul abſcedere, ue-
lut deſperato tranſitu retro abituri, triduoq; tãtum
itineris conficiunt, ut nocte una totum id ſpatiũ pe-
dibus euaderent, atq; inde ad fluuium nocturno cur
ſu reuerſi, ſine certamine ad ulteriorem ripam, quæ
nullis ſtationibus tenebatur, ſilentio pertendunt.
Germani Gal liã irrumpũt. Gallos flu. accolas opprimunt incautos. Eorum ter
ra & uicis potiũtur. De his Cæſar certior factus, nec
ignarus quàm propenſa ad res nouas eſſent Gallo-
rum ingenia, ut publice uiatores in oppidis rogarẽ-
tur, quid ubiq; gentium fieret, atq; ex ijs quæ pere-
gre nuntiata eſſent bellorum captarent conſilia, ne
ea res alicuius rei motus pręberet materiam, ad Ger
manos ex Gallia depellendos exercitũ accerſit, om-
niaq; eo maturius curauit, quod in dicio compertũ
erat, legatos ex nonnullis Gallię ciuitatibus, ad Ger
manos miſſos, qui eos ſolicitarẽt, ut ab Rheno pro-
fecti in intima penetrarent Galliæ, commeatum &
arma pollicentes. Cæſar diſſimulatis, quæ de Gal-
lorum motu ad ſe deferebantur, in Germanos pro-
Germanorũ le gatio. ficiſcitur, aberatq; iam biduo ab hoſte, quum inde le B
gati ad eum uenerunt, ſignificantes ſe Romano Po-
pulo haud bellũ intuliſſe, nec ſi iniuria laceſſantur,
recuſare quin armis contendant. Eam eſſe Germa-
norum conſuetudinem, ut ijs qui bellum inferant,
fortiter reſiſtant, potiuſquam iniuriam deprecẽtur.
Fateri tamẽ ſe à Sueuis, cuius gentis opibus nulli ho
minum pares ſint, patrijs finibus eiectos alienã ter-
ram inuitos inuaſiſſe, quã ſi per Romanos retinere
bona uenia poſsint, futurũ ne inutiles & pace & bel
lo forent illis amici. Summa eorum quæ his Cæſar
reſpondit fuit, ut nullam diceret eis amicitiam cum
Po. Ro. eſſe poſſe, niſi Gallia decederent, nec recte fi-
eri ab ijs, qui ſuos fines tueri nequeant, alienos frau-
de occupare, nec in Gallia ullos uacare agros, qui tã
tæ multitudini ſine indigenarum iniuria, aſsignari
poſsint. Petierunt legati, ut Cęſar nihil triduũ mo-
ueret, quoad ipſi cum nouis mandatis ad eum reuer
ſi eſſent. Sed id ab eo impetrari non potuit. Sciebat
enim maximam Germanici equitatus partem abeſ-
ſe, quæ ultra Moſam fluuium prædatum procul à ca
ſtris iuerat, atq; ob id triduum illud petitũ, dum ſpar
Moſa fluuius. ſi equites in caſtra reuocarentur. Oritur Moſa, Moſe
lam alij dicunt, in finibus Lingonũ ex Vogeſo mon
te, ac parte quadam ex Rheno recepta Batauorum
inſulam efficit, ipſe Rheno infunditur, lxxx. milibus
paſſuũ ab Oceano. Rhenus ex Lepontijs oritur, qui
alpes incolunt, longoq; ſpatio præter Nãtuates, Elu
etios, Sequanos lapſus, mox & Mediomatrices, pa-
ri celeritate perſtringit Tribucos & Treuiros: ubi
uero Oceano propinquat in plures diffunditur par-
tes, multas q; & ingentes efficit inſulas, quarum præ
cipua pars à feris olim colebatur gẽtibus, in quibus
alię piſcibus, aliæ uolucrum ouis tantum uictitaret.
Atq; ita ille pluribus oſtijs in Oceanum euoluitur.
Cæſar ubi hoſtes propinquiores habuit, eorumq; le
gati inſtarent, rogantes, ut ſuos à prælio inhiberet,
fore ut poſtridie ad eum reuerſi, nullam eſſent aliã
cõditionem habituri niſi quam Romanus deciſſet.
Præceſſerant agmẽ octingenti Romani equites. Ad
hos Cæſar celeriter miſit, ut niſi ab hoſte laceſsiti pu
gna omnino abſtinerent, ſed tantum abeſſet: ut Ger
mani quieuerint, quod Romanum equitatum ſubi
ta pugna exceptũ, cum multa cæde pulſum, uſq; ad
grauis armaturę agmen infeſto curſu ſint perſecuti.
Periit eo certamine Piſo Aquitanus, uir acerrimus,
cum fratre, uterq; ob mutuã pietatem perpetua me
moria dignus. Piſo fratrem ab hoſtibus circunuen- *Duorũ fratrũ pium facinus.*
tum intuitus, impetu in Germanos facto eum peri-
culo exemit, uertit interim in ſe ille totum certamẽ,
multis q; uulneribus confoſſus concidit. Senſit eius
frater, qui iam pugna exceſſerat, Piſonem cadentẽ,
conuerſoq; in hoſtes equo moriendi conſilio, in cõ-
fertum ſeſe agmen immiſit, atq; ita contigit, ut mu-
tua charitate eodem loco, duo fortiſsimi fratres, u-
nus poſt alterum, dum ſtudent mutuo ſibi auxilio
eſſe, pulchre occubuerint. Cæſar hoſtiũ perfidia irri-
tatus, poſtridie quũ ex ipſorũ caſtris tertio ad ſe le-
gati ueniſſent, & cum his ſeniorum pleriq;, ſuorum
facinus purgaturi, his retentis ipſe in hoſtem triper
tito mouet, priusq; ſe in Germanorum conſpectum
dedit, quàm ex caſtris profectus crederetur. Illi ue-
ro re ſubita perculſi, arma capiunt, ac quà cuiq; pro-
ximum fuit circa munitiones Cæſarianis occurrũt.
Fit prælium, ſed Germanis multo iniquius, quippe
qui primo pene impetu caſtris deiecti ſunt: reſtite-
runt tamen nonnihil. Interim mulierum & puerorũ
multitudo, quã ultra flumẽ miſerant, ſubito tumul-
tu conſternata, ubi caſtra oppugnari ſenſerunt, fugã
capeſſunt, ad quam imbellem manum trucidãdam
Cęſar cõtinuo equites immiſit. Qui igitur in caſtris *Barbarorum cædes.*
erãt, ſuorum cædem intuiti ſubito abiectis armis &
ipſi in fugam uertuntur. Ingens cædes in caſtris ab
irato milite hęſternæq; iniuriæ ulciſcendæ cupido
editur, ſed multo maior in fuga. Tota planities ca-
daueribus repleta eſt. Ingẽtem hoſtium manum ad
Moſæ & Rheni confluentem fuga delatã, temereq;
fluuiũ ingreſſam, corporibus feſsis, uiribusq; curſu
exhauſtis aquarũ uis uno tẽpore abſumpſit. Atq; ita
ccccxxx. Germanorum milia (tot enim bellatorum
imbelliq; multitudinis capita fuiſſe dicũtur) penè
ad internicionẽ ſunt uno die dedita. Qui capti fue-
rant facta illis abeundi poteſtate, ueriti Gallorũ ſup
plicia, apud Ro. eſſe maluerũt, quos Cęſar omnes li-
bertate donauit. Ipſe ut Germanis ſuorũ finiũ tuen-
dorum curã inijceret, qui tã licẽtioſe aliena inuade-
re cõſueuerãt, Rhenũ copias traijcere cõſtituit. Nec
una hæc cauſa illi fuit fluminis ſuperandi, ſed quia *Cauſæ belli in Sueuos.*
Germanorũ quos uicerat, equitatus audita ſuorum
clade, in Sycambrorum fines, qui Ghelrenſes hodie
ſunt, ſe receperat, ac per legatos repetitus, nõ fuerat
his deditus. Præterea Vbij qui trãs Rhenũ incolebãt
auxiliũ aduerſus Sueuos, à quibus iniuſto bello in-
ceſſebãtur, ad Ro. imploratũ uenerãt. His cauſis Cę-
ſar impulſus fluuio copias admouit, & ut eas potius
trãſmitteret, pontẽ Rheno impoſuit, cuius iungẽdi *Pons Rheni.*
hęc fuit ratio. Bina ligna ſeſquipedalis craſsitudinis
(pedis dico uni⁹ & dimidij) ab imo paululũ acumi-
nata, hęc ad fluminis altitudinẽ dimenſa, ac duũ pe-
dum ſpatio inter ſe diſtantia, imo fluminis uado, ma
china ad id quęſita, defigũt, iunguntq; ſiſtucis, nec in
morẽ ſublicarũ, quæ recte ligneis potibus ſubijciũ-
tur, ſed ſecundo fluuio prona, quo minus aquarũ im
petus ſentiretur: bina deinceps alia eodem nexu, ab
inferiore parte priorib⁹ illis ex aduerſo defixa, bipe-
dales inde trabes à ſuperioribus ad inferiores inter-
iectæ, quas ab utraq; frõte fixorũ lignorũ faſtigia, bi
nos inter ſe pedes diſtãtia, fibulis diſtinebãt mira in-
ter ſe ratione cõmiſsis, ut quo maior eſſet fluminis
impetus, eo arctior tenaciorq; fieret nexus, ſuperio-
ribus tignis capita quæ trabe diſtinebãt ui fluminis
in inferiora acclinantibus. Cõtra inferiorũ faſtigia,
quia imæ partes aquarũ impetũ exciperẽt, in aduer-

sum pondus, & cõtra superiores sublicas summa ui consurgebãt. Distabãt inter se trabes tignis impositæ quadragenũ pedum spatio, quibus longuriæ, crates q; sunt superne iniectę. Sunt & ab inferiore flumi nis parte sublicæ tignis admotæ, ut aduersus flumi nis impetũ firmiora redderentur. Sunt & à superiore parte applicitæ, quæ suo occursu, arborũ truncos, & nauigia, ad soluẽdum pontẽ ab hostibus immissa distineret. Decimo die, quo materia parari cœpta est absoluto opere, exercitus est in hosticũ transmissus. *Cæsar Rhenũ superat.* Cæsar, præsidio ad utranq; partẽ pontis relicto, Sycãbros primum inuasit, qui interim dũ pons fluuio imponebatur, cũ liberis, & cõiugibus, in syluarũ solitudines abierãt. Horum uicos Ro. imperator incẽdio cõsumpsit, agros q; ferro & igni populatus, in Vbiorum fines qui socij erãt, se recepit. Nec ita multis interiectis, quia Sueui omnem imbellẽ multitudinẽ in syluas ablegauerant, ipsiq; uno loco cõstiterant, certo resistendi cõsilio, si Cæsar ad se cũ exercitu uenisset, quia & Sycãbros ultus erat, & Vbios præsenti bello leuauerat, satis ratus ad Ro. nominis gloriam pertinere, quòd Rheno superato, Germanos partim sæua clade ultus esset, partim belli fama procul auertisset, duodeuiginti diebus trans Rhenũ cõsumptis, copias in Galliam recepit, ponte post se rescisso, ne Germanis Galliam inuadere uolentibus, aliquando usui esset. Supererat adhuc aliquid æstatis. Cæsar quãquam in regione septentrioni propinqua, ac pene subiecta, maturius quàm alibi sentiuntur frigora, & hybernę tẽpestates, statuit tamen priusquam copias in hyberna dimitteret, in Britãniam cum exercitu traijcere, unde satis cõpertũ habebat, auxilia ijs *Britãnici belli causa.* Gallis missa, qui Oceani oram accolunt, quiq; bello à se domiti fuerant: etsi insula ipsa parũ alios qui Gallis ad id tempus erat nota. Negociatores igitur diligẽter scisciatus, quãta esset insulę magnitudo, q̃ frequenter culta, qui hominum mores, quę belli ratio, quę nauiũ copia, qui portus, nihil proinde quod ad destinati belli usum pertineret, ex his potuit cognoscere. Ne tamen rem tantam temere aggrederetur, C. Voluſenum cũ naui una longa, in insulã misit qui rebus diligenter exploratis, confestim ad se rediret, ipse interim in Morinos copias abduxit, nequid in mora esset. Inde breuissimus in Britãniam traiectus. Huc naues undique accersitæ. Noui belli fama ad Britãnos delata, multas eius insulæ ciuitates adeò perculit, ut legatos ad Cæsarem miserint, qui Rom. Po. amicitiam peterent, obsides q; pollicerentur. Hi benigne auditi, monitiq; ut fidem præstarent, domũ *Comius rex Atrebatum.* dimissi sunt, & cum his Comius, quem Cæsar Atrebatibus à se bello uictis regem imposuerat, cui mandat, ut quàmplurimas potest ciuitates adeat, easque ad Romanorum amicitiam & societatem trahat. Interea Morini, qui ad id tempus indomiti fuerant, ultrò obsidibus datis in Ro. fidem uenerunt. Et Volusenus quinto die quàm à Cęsare discesserat in Galliã *Britanniæ exploratio.* reuersus, ordine exponit, quę fuissent à se loca explorata. Tum uero Cęsar nil amplius moratus ex octingentis octoginta nauibus, quæ studio in unũ ex socijs conuenerãt, delectis, quę ad duas legiones trãsuehendas satis essent, Q. Titurium Sabinũ & L. Aurunculeium legatos, cum parte copiarum in Menapios & Morinorum pagos misit, quia ad se legatos hi duo populi non miserant. P. Sulpitium Ruffum cum præsidio, portum unde soluturus erat, obtinere imperat: mox secunda noctis uigilia, idoneã ad traijciendum tempestatẽ nactus, quarta circiter sequẽ- *Cæsar in Britãniam transmittit.* tis diei hora, Britanniam attigit. Insederant insulani colles ad iactum teli pelago prominentes, denso armatorum agmine: quod Cæsar conspicatus, tandiu in anchoris stetit, quoad equites, qui onerarijs uehebantur, affuissent. Mutato inde consilio, ne in primo egressu tam opportunus hostibus esset miles, insulã circunuectus, ad centum milia passuum plano litA tore naues cõstituit. Nec hostes interim ſocio fuere, sed equitibus & essedarijs ad occurrẽdũ pmissis, cætera multitudo non multo pòst subsidio affuit. Est itaq; diu in littore certatũ, Romanis egredi annitẽtibus, contrà prohibẽtibus insulanis, atq; ad naues usq; occursantibus. Aquilæ tamen in littus à signifero exposita, pars militũ pudore, magis quàm quòd tuto id fieret, nauibus egressa, hostem paululũ submouit. Tenuit aliquandiu dubium certamen, quoad alijs super alios in littus euadẽtibus, facto agmine, hostes pulsi sunt, qui ubi sese ex fuga in tutũ recepe runt, continuo ad Cæsarem legatos mittunt, pacem orantes. Venit cum his & Comius Atrebas, quẽ Cæsar in insulam præmiserat, Britanniq́ue ad eum diem in uinculis habuerant: mox uicti prælio solutum, ad deprecandam uiolatę fidei culpam cum suis popularibus ad Ro. imperatorem miserant. Cæsar, ut facili *in uictos* & supplices erat ingenio, ueniam petentibus dedit, cæterum quia amicitiam, quam secum in Gallia sanxerant, temere uiolassent, obsides imperauit, quorum pars continuo data est, reliqui longius accersiti, haud tam prẽsto adesse potuerunt. Naues quę equites uehebant, duodeuiginti nu mero, in insulæ conspectu tempestate correptæ, *Ro. naues tempestate affligũtur.* post longam in alto iactationem, egre Gallicum littus tenuerunt. Maior inde uis Oceani, plena Luna sentiri cœpta est, quæ Gallicas naues, quibus exercitus fuerat trãsmissus, cum onerarijs adorta, in maximum discrimen adduxit. Decumanus æstus longas naues, quæ subductæ fuerant, fluctibus compleuit. Onerariæ in anchoris stantes, in conspectu exercitus, quum nemo interim posset illis opitulari, ualide afflictæ sunt. Complures igitur inuicem collisę, aliæ armamentis nudatæ, nullum sui usum ampliuspræstare potuerunt. Ea clades magnam Cæsarianis attulit perturbationem, nam neq; materia reficiendorum aderat, neq; commeatus ad hyemandũ antea prouisus. Insulanorũ principes, qui pacẽ à Cęsare suppliciter petierãt, ea difficultate animaduersa rati facile euenturum, ut Romanus imperator, *cum* ea hominum paucitate, commeatuum inopia in dis- *Defectio insulanorum.* crimen adduceretur, occultè iterum inter se coniurant. Cæsar ex nauiũ clade, & quia obsides dare Barbari destiterant, futuram defectionem coniectans, omnia mature prouidebat. Frumentũ ex agris summo studio ferri in castra iubet, atq; summa ope nititur, ut naues reficiãtur, & ut ex Gallia secundis tẽpestatibus commeatus conuectarentur. Nec Britãni multum quieuere, quin legionem septimam, quę frumentatum fuerat egressa, subito inuadentes insigni clade affecissent, nisi Cæsar puluere ex castris cõspecto, cum stationarijs cohortibus mature affuisset. Tota legio ab insulanis circunuenta, turbatis q; ab essedariorum incursu ordinibus, quum undique hostili ui premeretur, ducis interuentu seruata est. Vtuntur Britãni essedis in prælio, qui equorum rotarumq; strepitu ad primum congressum, hostium aciem percellunt. Inde, curribus relictis, pedestrem cient pugnam. Rursus si qua uis urgeat, cogatq; retrò abire, currus celeri cursu repetunt: quod ut aliquanto, quum opus est, commodius faciant, longa meditatione condiscunt. Secutæ inde fœdę tempestates, quæ plures dies Romanos à prælio abstinuerunt. Interea hostes auctis copijs (nam ex tota ferè insula, haud dubia spe Ro. exercitus delendi, unum in locum auxilia contraxerant) recenti prælio Rom. repetunt. Iterum itaq; dimicatum, fusi fugatiq́; Britanni, magna suorum cæde, agrorumq; uastatione afflicti, de pace ad Cæsarem mittunt. Duplo maior obsidum numerus est uictis imperatus, quibus acceptis & in continentem missis, pacem Britannis *Britanni dant obsides.* reddidit. In Galliam inde reuersus, à Morinis, quos pacatos reliquerat, bello excipitur. Hi uno prælio, atque eo tumultuario fusi, ac cæsi in paludes & lutosa

tosa loca se trepide immerserunt. Sed hæc quoq; in- A fluminis, quam insederant, in syluam compellun-
signi eius anni siccitate peruia Romanis fuerunt, fac- tur, quam circuncisis arboribus sepserant. Hic quo-
tumq́ue est, ut à T. Labieno, quẽ Cæsar ad eos per- que hæsit nonnihil certamen, mox inde cum cæde
sequendos cum parte copiarum miserat, non mul- depulsos, Cæsar locorũ ignoratione, & quia magna
to pòst in deditionẽ recepti sint. Titurius quoque & diei pars exierat, suos ulterius sequi uetuit. Postri-
collega, dum Cæsar in Britannia fuit, Menapiorum die uix equites ad persequẽdos hostes miserat, quũ
regionem, quia hostes in profundas syluas se cum ei à Q. Atrio literæ reddũtur, quibus significabatur,
liberis & coniugibus illatebrarent, ferro & igni po- proxima nocte, subita maris tempestate, totam clas-
pulati, ad imperatorem iam ex insula reuersum re- sem fœde circa littus dissectam, quapropter iussis le
ceperũt se cum legionibus: illerebus in Belgica cõ- gionibus cõsistere, equitibus ad signa reuocatis, ad
stitutis, in Italiam decesse. Romę ob ea, quæ in Ger naues reuersus, multo maiorẽ cladẽ offendit, quàm
manos & Britannos feliciter gesta erãt, uiginti die- Atrius literis significauerat. Sexaginta nauib⁹ amis-
rum supplicatio decreta est. Cæsar conuentibus, ut sis, cæteris in castra subductis, ingentẽ opificũ manũ
solitus erat, de more peractis, & obsidibus à Peru- adhibuit, ut q̃ celerrime reficerẽtur. Scripsit & ad La
scis Illyrica gente acceptis, qui ad defectionem spe- bienũ, ut quamplurimas posset naues undiq; coge-
ctabãt (alij quòd Romanæ prouinciæ fines infesta- ret nouas q; institueret. Maiore inde præsidio castris
rent ab his obsides acceptos tradiderunt) in Coma- & nauibus impositio, ad hostes bello persequendos
tam Galliam ad exercitum transit, ubi ad sexcentas reuertitur. Conuenerant interim maiores hostium
onerarias naues, quas hyberno tempore fieri mãda- copię quàm antea in unum: summa imperij erat pe-
uerat, duoq; detriginta longas, partim refectas, par- nes Cassiuellaunum, cuius regnum à maritimis ci-
tim recẽti materia fabrefactas, inuenit. Laudata suo uitatib⁹ Thamesis dirimebat fluuius. Fuerat hic diu
rum industria totam classem ad Icium portum con- hostis cæterorum insulanorum, qui mare accolunt,
uenire iubet: unde triginta circiter milium passuum tum uero ut communem libertatem tuerẽtur, socia
ex Gallia in Britanniam patet transmissus. Ipse in- ter se arma copulauerant. Habebantur qui medi-
terim cum quatuor legionibus, & octingentis equiti- terranea incolunt indigenæ, qui maritimas tenebãt
bus, in Treuiros proficiscitur, qui neq; ut cæteri Gal urbes, ex Gallia in ea loca profecti. Pecorum genti
li parebant imperio, & Germanos ad bellum acces- multitudo ingens, ædificia ferè Gallicis similia, ære
sere dicebantur. Certabant tamen inter se de prin- per id tempus, ut nummo aureo utebantur, annulis
cipatu gentis Induciomarus & Cingentorix. Hic au ferreis, ad certũ pondus examinatis nummis. Plum
dito Romani exercitus aduentu, cũ hominibus suæ bum album in recessu fodit ur, in maritimis ferrum, *Britanniæ ritus.*
factionis ad Cæsarem se contulit. Ille cum toto ære utebantur importato. Nefas ibi leporem, galli-
equitatu gentis, quo militiæ genere plurimum pol- nam, aut anserem gustare. Alebant tamen uoluptatis
lebant Treuiri, & peditum numero haud mediocri, gratia. Insulæ forma Triquetra, latere quo Gallia
Arduennæ syluæ. Arduennam syluam insidet. Extenditur id nemus à spectat, ab Rheni ostijs ad Pirenæi arctica ex aduer-
Rheno fluuio, per mediam Treuirorum regionem sum prætento. Ab Icio, unde Cæsar soluerat. cccxx.
usq; ad Rhemorum fines. Cæterum Induciomarus stadia, ut quidam tradũt, alij minus. Plinius à Gesso-
perculsus Cæsaris aduentu, ad eum misit qui dice- B riaco Morinorum gentis littore, proximum traiectũ *Britanniæ sti-*
rent, partem Treuirorum, per speciẽ militiæ, se à cę- prodidit quinquagenũm milium passuum. Longi- *tus.*
tera ciuitate abduxisse, ut in officio contineret, ne se tudinem Germaniæ, Galliæ, & Hispaniæ aduersam
rox sua multitudine populus aliquid per imprudentiam peccaret, paratum se esse ad eum uenire si iusse
rit, eiusq; imperata libenter facturum. Verit⁹ Cæsar
ne Treuirico bello impeditus Britannicũ omittere
Cæsar pacem Treuiris reddit. cogeretur, ad quod exequẽdum omnia in promptu
erant, acceptis Treuirorum obsidibus, & in his Indu
ciomari filio, bello abstinuit. Cingentorigem in ciui
tatem restitutum publicè cõmendauit, ut eius salus
suis popularibus esset charior: quæ res non medio-
criter Induciomarum offendit, qui iniquo animo fe
rebat, Romanorum fauore æmulum, plusquam sibi
tutum foret, in Treuiris crescere: dissimulauit tamẽ
præsentem dolorem. Cæsar iusso totius Galliæ equi
Icium. tatu cum ciuitatum primoribus ad Iciũ uenire, ipse
ut primo quoq; tempore in Britanniam transmitte-
ret ad naues redijt, ubi plures dies commoratus est,
Coro uento cursum impediente. Interim Gallorum
principes, Dũnorigis Hedui persuasu, uelut à Ro-
manis, per speciem militiæ, in Britanniam deporta-
rentur, ut in insulam delatos tutius ibi procul à suo-
rum conspectu interficerent, meru consternati à Cæ
sare alienãtur. Et iam ex Icio erat ille soluturus, quũ
cęteris ambigẽtibus, unus Dumnorix cum Heduo-
rum equitatu fugam occupat. Misit Cæsar qui eũ ex
itinere retraherent, hi utì iussi fuerãt, quoniam uim
Dumnorix parabat, appellataq́; suorũ fide depellere
à se Romanos conatus est, multis uulneribus cõfos-
sum examinẽ reliquere, eius equitibus ad portum
reductis. Labieno igitur cum tribus legionibus ad
Icij custodiam relicto, ipse sub occasum Solis in altũ
Cæsar Britanniam repetit. secunda tempestate euectus, postridie insulam te-
nuit, sub cuius accessum Britanni qui littus occupa-
rant, nauium multitudine retrò territi abierunt. Ille
præsidio cum Q. Atrio circa classem relicto, tertia ui
gilia ad hostes contendit: hi modico negocio à ripa

Britanniæ nõctes.

Hybernia.

Britannorũ mores.

Hybernorum mores.

Diuus Hieronymus autor est, uidisse se, quum adhuc adolescens esset, quosdam huius gẽtis (ipse Scotos uocat) muliebrem mammam & natem esitantes, astipulaturq́ue Stro' oni & alijs in ijs, quæ de infando eius gentis concubitu traduntur. Mos humanæ carnis uescendæ[illegible]harum quoque quibusdam tribuitur, & in arctis [illegible]sidionibus idem Gallos & Hispanos factitasse memoriæ proditum est. Vltima omnium insularum quæ secundum Britanniam memoratur, est Thule, in qua nullas esse noctes tradunt quidam, Cancri signum Sole transeunte nullosq́; contrà per brumam dies. Alij senis mensibus id accidere arbitrati sunt, atq; inde unius diei nauigationem mare concretum esse, quod Crionium uocetur. Est & Mitteris insula, sex dierũ nauigatione à Britãnia albo plũbo nobilis. Cęsar igitur ad hostes reuersus, equestri prælio uictos, in arcta syluarum loca deiecit. Illi agmine occultè circumacto in castra impetum faciunt. Pugnatum est pro uallo acriter, fuitq́ue id certamen anceps, & Romanis laboriosum, castra tamen defensa. Postridie pauci hostium in tumulis, qui in castrorum conspectu erant, taciti consedere, mox Romanos pabulatum egressos intuiti, militem in agris dispalatum cum clamore adoriuntur. Hi à legionarijs & equitatu, qui subsidio affuit, subito fugati, ac totis campis cum multa cæde acti. Tum uero secundum eam cladem solutæ insulanorum copiæ domum concessere. Cęsar ad Thamesim fluuium progressus, ex aduersa ripa hostium agmen, primo accessu deiecit. Erat acutis subdibus ripa præfixa, præfixum & uadũ fluminis, quæ rerum ludibria Romanus miles aspernatus, amnem ferociter ingreditur, ut uix capite aquis extaret, hostiumq́ue fugam sola audacia fecit. Multi deinceps populi ultro in fidem uenere. Cassiuellaunique opidum opulentissimum expugnatum. Erat hęc sylua fossa & uallo munita. Nouissimus Cassiuellauni conatus fuit, ut negocio quatuor regibus, qui sub eius imperio erant, iniuncto, totis uiribus Cæsaris castra ex improuiso inuaserit, quę pugna fuit illis nihilo alijs felicior: fusi ac cæsi sunt Britanni, & ex ducibus unus Cingentorix captus. Cassiuelaunus tot cladibus alijs super alias affectus, datis obsidibus pactus est ut Britannia Pop. Rom. uectigalis esset. Cęsar magno captiuorum numero in naues imposito, secunda noctis uigilia, circa equinoctium autumni, ex insula profectus, postridie prima luce Galliæ littus tenuit. Fuerunt qui scriberẽt spe margaritarum Britãniam à Cæsare bello petitam, quia fama esset eam insulã eiusmodi diuitijs abundare. Sed Britannici uniones parui sunt, & decolores, ut Plinius scribit. Idem Cæsar thoracem quẽ Veneri genitrici dedicauit, ex Britannicis margaritis factum intelligi uoluit, sed quum ex Britannia soluturus esset, literæ de obitu Iuliæ, quæ Pompeio nupserat, sunt illi redditæ. Perijt illa subita animi consternatione: ijs Comitijs, quibus Pompeius & Crassus magna ciuium contentione consulatum obtinuere, cõiugis uestem intuita humano cruore respersam, atq; ex campo domum temere delatã, grauius aliquid uiro accidisse rata, subito metu & dolore perculsa, haud multo pòst, quum uterum ferret, abortum fecit, atque mors continuo secuta est. Eam populus, inuitis tribunis, in campo Martio tumulauit. Cæsar ex Britannia reuersus, quia frumentum eo anno ob siccitatem parcius prouenerat, ne legiones rei frumentariæ inopiam paterentur, si uno in loco, ut superioribus annis, hyemarent, copias multifariam partitus, alios suorum aliò in hyberna dimisit. Cęterũ, Q. Titurius Sabin⁹, & L. Aurũculeius Cotta in Eburones cum quinque cohortibus hyemare iussi sunt. Habebant hi sedes inter Rhenum & Mosam flumina, qui quum militum hybernacula nondum ualide communita essent, ad frumenta ex proximo conquirenda studio conuerturntur. Interim Galli subita defectione, lignatores adorti opprimunt, mox castra tumultuosè inuadunt. Capita defectionis erant: Ambiorix, & Catolucus, qui Induciomarum Treuirum sibi adiunxere: Romani improuisa re perculsi arma capiunt, scanduntq́; munitiones, hostem cum magna cæde à castris repellunt. Hic Ambiorix, posteaquàm aperta uis parũ procedere uisa est, fraude Romanos aggreditur, ab ipsis ducibus per internuntiũ petijt, ut aliquem ad se mitterent, cum quo de rebus ad eorum salutem pertinentibus secreto loqui liceret. Missi sunt Carpineius eques Ro. & Q. Iunius Hispanus. Ambiorix cõmemorata Cęsaris in se & suos beneficentia, uenisse tempus ait, quo illi cumulatam referre posset gratiam. Coniuratum esse ab uniuersa Gallia ut Cæsaris legiones hybernatim uno die Galli per partes inuaderet, ut subita ui oppressi, sibi inuicem auxilio esse nequeant. Credere se passim tota Gallia Ro. legiones, eodem tẽpore, medio discrimine teneri, superuenturam nec multo pòst uim Germanorum ingẽtem, quæ ad hoc ipsum suis sedibus excita, paulo pòst affutura esset: qđ quũ ita sit, ut satis gratus in Cæsarem cognosceretur, dimissurum se duces ipsos, cum suis cohortibus incolumes, si ad Ciceronem, aut ad Labienum se conferre uellet, qui in Essuis & Treuirorum finibus castra haberent, maturarent consilium: ne si diutius morarentur, neq; sibi mittendi, neq; illis abeundi facultas esset amplius. Ea res eo facilius credita, quo min⁹ apparebat Eburones sine multarum gẽtium consensu fuisse aliquid moturos. Sabinus autor erat continuo decedendi, quia si nihil durius esset, tuto ad suos peruenirent, si Gallia omnis cũ Germanis conspirasset, una foret in celeritate salus. Aurũculeius, quàdo castra satis munita essent, nec cõmeatus inopia premerentur, præsidium obtinendũ censebat, permanendumq́; in uestigio, donec sibi alicunde subsidium adesset. Tenuit aliquàdiu ea altercatio, postremo Sabini potior uisa est sententia. Postridie itaq; longo agmine & incõposito uelut Ambiorigis præsidio incolumes abituri, castris proficiscuntur. Id agmen Galli profunda ualle syluosa ex improuiso à fronte, à tergo, à lateribus inuadunt. Nec Ro. in subito periculo sibi defuerũt, qui dejectis sarcinis in orbem coëunt. Ibi duces dispari animo. Trepidare ad omnia Titurius, ut temerarij consilij autor. Cõtrà Aurunculeius, sua præsentia honestaq́; hortatione, suorũ animos erigere. A prima diei hora ad octauam protractum est certamen. Postremo Cotta grauiter uulnerato, centurionibusq́; circa illum plerisq́; cadentibus, Sabinus, accepta ab Ambiorige fide, positis armis cum aliquot tribunis & centurionibus deditionem fecit. Sed cũ dux ipse tum cæteri, qui cũ eo erant, in Ambiorigis conspectu trucidati sunt, plerique Romanorum ex media acie in castra refugerunt, qui per diem circũsessi, atq; ad noctem usq; oppugnati, quũ nulla spes salutis superesset, sibi mortem consciuerunt. Pauci syluis dispalati ad T. Labienum tantæ cladis nuntij peruenerunt. Ambiorix cum equitatu in Aduaticos & Neruios profectus, eas gentes hortatur, ut liberandæ Galliæ causa secum arma capiant, simulq́; legionem, quæ ibi cum Cicerone esset, duobus populis auxiliaribus inuadit. Hic res aliquãto magis proùisa fuit, quòd calones hostilem equitatum procul conspicari, in castra refugerant: qui trepidus recursus ipsi duci tempus dedit maturius comparandi ea quæ ad propugnationem attinebant. Galli à castris repulsi, noctu ad centum uiginti turres in obsessos mira celeritate erigunt. Sequenti die cæterisq́; diebus hostes conati castra irrumpere, quũ omnia frustra molirentur, Ciceronem capere adoriuntur ea arte, qua Sabinum & Aurunculeium. Ille magno animo testatus est, haud Romanorum esse accipere ab armata hoste cõditionem: irent, & si ab armis discederent,

Britannia uecti galis.

Vniones Britannici.

Iuliæ interitus Iuliæ tumulus.

Eburonum defectio.

Ambiorix.

Romanorum cædes.

Celeberrimum Gallorũ opus

derent, futurum ut inde exercitum abduceret. Galli spe capiundi hostis abiecta, castra fossa & uallo circundant, mirum ductu, sed quia Cæsar autor est, nõ indignum relatu, trium horarum spatio, quindecim milium passuum uallum & fossam castris circunduxere, tantam uim hominum ad legionem unam extinguendam uir unus conciuerat, ubi quia instrumenta non ita uulgo aderant, gladijs recisas glebas Galli sagulis gestasse dicuntur. Turres inde passim erectæ sunt, & testudines munitionibus adactæ. Tum demum multo atrocior oppugnatio, quàm antea, Romanum adorta est: ortoque sub id tempus pugnæ uehementiore uento, ignis in castra ab hoste coniectus, illico fæuum excitauit incendium: tabernacula simul incensa sunt, & uallum terribili clamore oppugnatum, fuitque tanta Romanorum cõstantia, ut quanquã à tergo castra deflagrarent, subnixi tamen starent, hostemque à uallo distinerent. Fuit ille dies Romanis omnium, quibus oppugnati sunt, grauissimus. Cæterum euentus ualde lętus. Nam & hostes cum clade maxima tantoque cõtemptu sunt à uallo repulsi, ut porta repente patefacta, inuitatique ut in castra irrumperent, congredi non sint ausi. Simul igitur hostis propulsatus est, & flamma, quæ late grassari cœperat, celeri studio restincta. Erant in his castris Q. Pullo, & L. Vorenus centuriones, qui pluribus annis inter se de uirtute certarant, exieratque æmulatio illa in apertas inimicitias. Hic Pullo Voreno appellato: Hic (inquit) dies Vorene est, qui de nostris controuersijs plane decernet, atque cum his ex castrorum munitionibus, ubi acrior pugna erat, in hostes desiluit. Nec Vorenus, ut pari uirtute uideretur, quicquam cunctatus loco defedit, quin eum secutus hostem secundum Pullonem ferro hausit, atque ira ambo, in hostium globo aliquandiu prœliati, ad suos sese incolumes receperunt. Sed dum castra per hunc modum oppugnantur, interea crebri nuntij, literæque ad Cæsarem in horam à Cicerone mittebantur, ut suis laborantibus properaret auxilio adesse. Nuntij quicunque ab hoste capti sunt, in conspectu Romanorum exquisitissimis cruciatibus necabãtur. Postremo Neruius quidam literis iaculo alligatis per medias hostium stationes ut Gallorum unus prætergressus, ad Cæsarem nuntium & literas detulit. Ille suorum periculo percitus, Crassum quæstorem, cum legione una, ad se celeriter uocat, & ad G. Fabium, & ad Labienum scribit, ut sibi ad hostem properanti, certis occurrerent locis. Fabius præsto affuit. Labienus, audita Sabini & Aurunculeij cæde, ueritúsne si castris copias educeret, à Gallis circunueniretur, hybernis egredi non est ausus. Cum duabus igitur legionibus Cæsar ad hostes ire pergit. Celta equite præmisso, cum literis Græcè scriptis, quibus Ciceroni significabat, se paulo pòst subsidio affuturum. Quod Græcè Cæsar scripserit, arguit apud Gallos nullum tum fuisse Græcarum literarum usum, aut certe rarum. Haud dubie id secutus est Cæsar, ut si literæ in hostium manus incidissent, suum consilium non tam cito deprehenderetur. Gallus eques tragulam cum literis, ut iussus erat, in castra contorsit. Hostes fumo & incendio procul inspecto Cæsaris aduentum præsentiunt, continuoque relicta obsidione ad eum ire contendunt. Erant ad sexaginta milia armatorum. Q. Cicero obsidione liberatus, suspicatus quod erat, Gallos castris abscesisse, ut uenientem Cæsarem interciperent, pro magno habuit negocio hostium digressum illi celerrimo nũtio significare, monereque ut Gallorum insidias caueret. Cæsar. Ciceronis literas noctu acceptas, pro concione militum recitauit. Inde ubi illuxit, motis castris uix quatuor milia passuum confecerat quum hostes à fronte cõspicatur. Confederant Galli supra riuum ante fauces conuallis. Romani etsi pauci numero erant, Cęsaris tamen iussu, castra quàm angustissime de industria metantur, ut hostes paucitate contempta (erãt enim cum Cęsare ad septem milia hominum, ob semiplenas legiones) temere prælium capesserent. Fuitque interim circa aquas equestre certamen, sed quale ex procursu & occasione alterius partis fieri solet. Postridie Gallorum equites riuum transgressi manum cum Romanis equitibus conserunt. Hi uti erant ab imperatore iussi, prælio uix bene conserto, cursu castra repetunt, quo hostes prosecuti, ubi portas obstrui uident, & uallum altius produci, quæ omnia Cæsaris iussu de industria fiebant, cõfestim totum agmen citra riuum, ad castrorum oppugnationem cient. Circundant Galli uallum, id continuo rescissuri, nisi deditio fieret, quum equites repẽte, omnibus portis immissi, turbant primo hostem, turbatum pedites fundunt fugantq́;, stragęq́; multa dissiciunt, paludes Gallos fugientes texerunt, Cæsar eodem die, cum incolumi exercitu, in Ciceronis castra peruenit, ubi duce & militibus pro concione laudatis, Fabioq́; cum sua legione remisso, ipse circa Samarobrinam ternis castris hyemauit. Erat interim tota Gallia in motu, occultaque inter se ciuitates inibant consilia, spectabantque omnia ad defectionem. Cęsar, nunc minis, nunc hortatione cæteros in officio continebat, quũ Senones, gens multæ in Gallia autoritatis, Moritasgo expulso, quem Cęsar in ea ciuitate regem constituerat, consternati arma capiunt. Vnius gentis motus adeò prouinciæ statum turbauit, ut præter Heduos & Rhemos, nulla gens fuerit non Romanis suspecta, nec hyems adhuc exierat. Interim Induciomarus, qui incredibili studio, quia Germanos non potuit, Gallos ad arma concitabat. Labieni munitiones propius adequitans, subita Romanorum eruptione, cũ suis equitibus fugatur, indeceleri cursu ad flumen delatus, medio tranandi studio, à Romanis, qui eius caput infestius perebãt, interficitur. Ferocissimi uiri interitus reddidit Galliæ statum aliquanto Romanis pacatiorem: atque Comatæ res Galliæ sic habebãt. Romę interea M. Crassus, qui ex consulatu Syriam fuerat sortitus prouinciam, quum multo maiora animo cõcepisset, quàm eius ætas pateretur, (erat enim penè sexagenarius) multaque insolenter de futuri belli euentu iactaret, suspectior eius discessus uulgo esse cœpit, animique hominum male ominabantur. Ad Bactros & Indos se Romana arma promoturum, post Parthos uictos minitari. Multi itaq; illum ad bellum profecturum, sed omnium maxime Atteius trib. plebis remorari conatus est, clamitans indignum fieri, & à Rom. Po. dignitate alienum, bello petere eas gentes, quæ fœdere Romanis iunctę essent & amicitia: Sed Põpeio & alijs contrà annitentibus, ubi Crassus teneri non potuit, Atteius certo loco constitit, quo quũ Crassus ad bellum profecturus uenisset, diras illi horrendasq́; obnuntiat execrationes, sæua quędã, parumq́; nota deorum nomina iuuocãs. Scio persuasum fuisse Ro. ciuitati huiusmodi diras eius esse potestatis, ut qui deuotus esset omnino calamitatẽ adire oporteret aliquam. His ille ominibus ex urbe profectus Brundusium cõtendit: unde soluturus oblatum est illi recens omen. Audita uox est Cauneas ficos uendentis: qua moneri uisus est, ne ab bellum iret quasi caue ne eas: ipse Ionium nauigare adortus, quum ab hybernis tempestatibus adhuc sæuiret pelagus, plerasq; in traiectu naues amisit. In Galatiam inde terrestri itinere peruenit: ubi à Deiotaro amice appellatus: intuitus regiam domum, quam ille iam grandis natu multo apparatu ædificabat: Domum (inquit) ædificas Deiotare, duodecim horarum: ad breuissimam senis uitam alludes. Tũ Deiotarus subridens: Nec tu (inquit) Crasse multum tẽpestiue in Parthos mouisti. Erat enim & ipse, ut diximus, propemodũ sexagenarius. Cæterũ aspectu multo senior q̃ ætate.

Gallorum studium in obsidendo hoste.

Cæsaris studiũ

Rarus aut nullus apud Gallos Græcarum literarum usus

Castra fortiter defenduntur.

Cæsaris strategema.

Gallorum defectio.

Induciomari cædes.

Atteij diræ.

Omen Crassi.

Postremo ad Euphratem progressus flumen ponte superauit, exercituq; in Mesopotamiam transmisso, aliquot eius terræ urbes ultro deditas recepit. Zendochiam ui captam hostiliter diripuit: ob idque se imperatoré appellari est passus, unde illi magna inter suos conflata est inuidia: & quia iam hyems instabat: præsidio captis urbibus impositio, ipse cum P. Crasso filio, quem Cęsar ex Gallia cum mille lectis equitibus, ad eum miserat, in Syriam concessit. Hic magis exigendæ pecuniæ, quàm exercitui ornando intentus, in manifesta quædam futuræ cladis signa incidit. Filius Cras. ex Iunonis templo, siue Veneris, ut alij scribunt, egressurus, offenso liminein faciem procubuit: paterq; unà cum eo est ad terrá deuolutus. Venerant & legati ab Arsace rege querentes, q, contra fœdus sibi nefarium bellum inferretur: cęterum si inuite patria arma Cras. inferret Parthis, propriam utilitatem secutus, misereri regem senectutis eius: idem hortari magnopere ac mouere, ut uiuos inde milites abduceret, qui magis in custodia essent quàm custodirent. Crassus ad ea quæ ex hoste afferebantur, indignabundus se respósum regi in Seleucia daturum dixit: quod ipsum omine nõ caruit, etsi Vigises qui legatus à rege uenerat, resupinata manu uolam ostendens dixisset: ó Crasse, prius pubescere hęc pars corporis incipiet quàm tu Seleuciam videas. Crassus etsi aruspices parum læta nuntiabant, sex milibus equitum ab Artabaze Armeniorũ rege acceptis: monitus etiam, ut per Armeniã duceret regionem ad copiarum ductum multo habiliorẽ, quàm cætera loca essent quæ in Parthiam ducerent, per Mesopotamiam ductare maluit, magna enim pars exercitus in ea terra hyemauerat. Hic igitur, quum ponte Euphratem transmitteret copias, fœdissima oritur tempestas: bisq; locus ad metandum captus, tactus est è cœlo. Prætorius auriga, ui equi ad fluuium raptus in profluẽtemque deuolutus uorticibus absorptus haud extitit amplius. Crassus præterea quum põtem à tergo iuberet rescindi, rationem sui consilij redditurus, hoc uolo, inquit, fieri, ne quispiam retrò abire possit: quod omen uehemẽter turbauit circunfusæ multitudinis animum. Exta deinceps ab aruspice ei tradita, quum manibus excidissent: ubi à suis animaduersum sensit: atque in malum omen uerti: subridens, Senecta est ait. Sed arma manibus non excident. Erant cum eo septem legiones, equitum fere quatuor milia: totidemque leuis armaturæ. Cum his Crassus ab Euphrate profectus, quia præmissi equites nihil hostium apparere uspiam nuntiabant: cæterum obseruasse se densa equorum uestigia, eaq; admodum recentia: quæ Barbarorum fugam indicarent: lætari equidé Crassus: sed Cassius legatorum unus, & qui cum eo erãt, hostium insidias ueriti: suadere tantisper in aliqua urbe commorandum, donec Parthorum consilia satis explorata haberentur, aut secus amnem Seleuciam petendam: ne ab hostium equitatu circũuenirentur. Nec enim ad id tempus omnino ignota erant Parthorũ ingenia. Fuerunt, ut pauca de eius gẽtis uetustate & moribus dicam, Parthi Scytharum exules: qui seditione domo pulsi, quãdo id fieri contigerit alio est loco demõstratum, modicam terram inter Hyrcaniam, Dahas, Areos, & Parthenos, furto occupatam, ab initio tenuere. Terra ipsa nemorosa mõtana & inops frugum: quippe quæ regium alere non posset exercitum: atq; ob eam rem cursu regio nem Arsacidæ præteribant. Pars eius circa Rhagas siue Rhageam terræmotibus infesta: quibus locis multas urbes & duo milia uicorum, crebris motibus terræ interijsse Posidonius prodidit. Mediæ pars illi ad occasum finitima. A septentrione Hyrcania. Ad ortum Aria prætenditur. Qua ad meridiem uergit Caramania deserta. Gens ipsa Assyrijs Medicisque temporibus obscurissima: regnoq; à Medis

Ro. successus.

Auguria futuræ cladis.

Alia omina futuræ cladis.

Crassi copiæ.

Parthorũ origo & mores.

A ad Persas translato, uelut uulgus sine nomine, uictoribus prædæ fuit. Postremo Macedonibus seruierunt. Procedente deinde tempore ea fuit ipsius gentis uirtus, hi rerum successus, ut non tantum finitimis imperarent: sed à Romanis omnium gentiũ uictoribus bello petiti, eos magnis cladibus uictos affecerint. Post magni Alexandri tempora Seleucus primi Seleuci pronepos bellum cũ Antiocho fratre de regno diu consertum habuit: quã temporum occasionem nactus Theodotus Bactrorum præfectus seu Euthydamus, ut quidam scribunt, à Seleuco defecit. Fuit tum Bactrianum regnum mille urbibus præditum, ut Trogus meminit. Secuta inde Parthorum defectio: Arsaces homo Scytha, latrocinio uiuere suetus, cum Danorum manu, qui & Parini nuncupati sunt, Mandragora præfecto Seleuci ui oppresso, Parthiam inuadit. Trogus incertam Arsacis originem prodidit: multæ alioqui uirtutis uirum fuisse ait, inciditque origo hæc Arsacidarum in primi belli Punici tempora: atque in eum annum, quo consules fuere, L. Manlius, & Atilius Regulus. Nec longo deinde tempore Arsaces Hyrcaniam occupauit, belloque petitus à Seleuco hostem prælio superauit. Atque secundum eam uictoriam Parthorum opes multo sunt firmiores factæ, fuitque Arsaces Parthis, quod & Cyrus Persis, Alexander Macedonibus, quo contigit, ut eo extincto omnes deinceps reges eius gentis sint Arsaces cognominati, huius filius cum centum milibus peditum, & uiginti equitum aduersus Antiochum Seleuci filium bel lauit. Cui Pampacus successit & ipse Arsaces cognominatus, ex quo Mithridates & Pharnaces nati.

Arsacidarum progenies.

Hic maior natu, ac proinde hæres, Mardos ualidam gentem domuit, qui etsi plures tulit liberos, Mithridati tamen fratri regnum per manus tradidit. Huius ductu Bactriani indicis bellis fatigati, Parthorum armis cessere. Regnauerat non multo prius in Bactris Eucratides, qui multa & magna bella singulari uirtute gesit, atque huius est facinus illud memorabile, quòd à Demetrio Indorum rege obsessus, trecentis equitibus fretus crebris eruptionibus hostilem uicit exercitum, in quo sexaginta fuerunt armatorum milia: quo successu elatus, magnã Indiæ partem subegit. Cæterum domum reuersus, à filio, quem regni consortem fecerat, interficitur. Necipsius filius uno scelere contentus, per cruorem patris currum egit, corpusque insepultum abiecit. Is igitur à Mithridate Parthorum rege, cuius suprà mentio facta est, bello superatus regno exutus est. Adiecit suis opibus post Bactros bello uictos & Elymeos Mithridates, imperiumque à Caucaso monte, ad Euphratem fluuium propagauit, fuitq; is primi Arsacis pronepos: ex Mithridate Phraates est natus, qui Scythico bello à suis media pugna destitutus perijt. Post eum Artabanus patruus rerũ in Parthia potitus est: qui bellum Colchararijs sibi funestũ intulit. Huic Mithridates filius successit, cui res postea præclare gestæ Magni cognomen addidere. Huius auspicijs plures gentes sunt Parthico regno adiectæ: & Scythæ aliquoties prælio superati, gessit & Armeniacum bellum, quo defunctus à Parthis pulsus est, ob insignem ipsius crudelitatẽ. Regni sedem uacuam Herodes eius frater (Plutarchus Hyrodem uocat) occupauit: Mithridatemque ad Babylonem obsidione fatigatum, & in potestatem redactum, interfici iussit. Atque is tum demũ rex erat, quũ Crassus bellũ Parthis intulit. Erantq; opes eius gẽtis tã ualidæ, ut Plinius quatuordecim numeret Parthorum regna. Trogus his oriẽtis imperium attribuit, uelut orbis diuisione cum Romanis facta. Sermo Parthis ex Scythico & Medico mixtus, proximus regum maiestati popularis ordo, unde & in bello duces, & in ocio rerum moderatores legũtur. Medicus uestit⁹, fluida & pellucida ueste. Armorum

Eucratidis cinus.

Parthorum opes.

Parthorum uendi ritus.

Scythicus

Scythicus mos, exercitus maiore ex parte seruilis, rarus ibi manumittẽdi usus. Iuxtà uernas liberosq; & sagittare docent & eqtare, ut quisq; ualde locuples, ita magnum instruit ad bellum equitatum, conserẽdæ cominus pugnæ omnino ignari, expugnandarumq; urbium imperiti. Procurrentibus equis dimicant, aut refugientibus. Signũ in pugna, non ære sed tympano accipiunt. Intolerabiles in prælijs, nisi eorum impetus breui remitteretur. Medio pugnæ ardore certamen ex improuiso deserunt, mox ex fuga redeunt in pugnam, ut quum maxime te uicisse putes, tum præcipuum instet discrimen. Munimentũ equitibus loricæ plumatę, idem equis quibus bello utuntur. Auri & argenti nullus olim, nisi in armis usus. Vxores singuli plures ducunt, nec ullũ grauius flagitium quàm adulterium uindicant, ob id fœminis uirorum conspectũ interdicunt. Quidam aiunt, & in his Strabo coniuges amicis in matrimoniũ tradere, ex quibus liberos sustulerunt. Carne non alia uescuntur quàm uenatibus quęsita. Equis omni tẽpore uehuntur, his petunt bella, his conuiuia adeũt, mercantur, collo quiuntur, omniaq; publica & priuata obeunt munia equo sedẽtes. Atq; singulare illud inter ordines discrimen, quod seruilis fortunæ uiri pedibus commeant, ingenui equis uehũtur. Defunctorum sepulchra canum aut uolucrum laniatus, nuda demum ossa humi condunt. Deorum cura uenera-
…chorũ inge…
tioq;, præcipua. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia, uiolentiam uiris, mulieribus mansuetudinem assignãt. Natura taciti, multo pródpriores actu quàm uerbis: proinde secũda iuxtà atque diuersa silentio contegunt. Principibus metu non pudore obediunt. In libidinem proiecti, in cibum parci. Fides dictis promissisque nulla: nisi qua tenus expedit, quod quum sæpe alias experientia est cognitũ, tum in primis hoc bello quod M. Crassus gessit, qui ubi omnia ab initio suspecta sensit, etsi ferox animo, belliq́ue conficiundi cupidus, acquieuisset tamen Cassij & aliorum consilijs, quibus omnia tutiora placebant, nisi Abari cuiusdam siue Arimanis, ut alij scribunt, perfidia, diuersus à flumine & montibus, in uastissima camporum spatia processisset. Erat is Abarus ex eorum genere, qui in Mesopotamiæ parte habitant, ab hostibus ad hoc ipsum subornatus, ut simulata cum Romanorum duce amicitia, & ducem & exercitum in discrimen adduceret. Properandum Abarus censebat, ne fugacissimus hostis è manibus elaberetur, qui ad Scythas & Hyrcanos, cum liberis & omnibus fortunis fugam moliri diceretur. Hyrodes interea Armeniam adortus, incertum Romanorum metu, an contemptu, bellum aduersus Crassum dat Surenæ administrandum, Parthorum secundum regem nobilissimo, magnitudine corporis & robore omnium longè principi. Crassus per uasta loca & siticulosa deductus, in quibus non arbores, uon flumina, non riui oculis occurrebant, cœlum duntaxat & campo-
Decipitur Crassus.
Hyrodes.
Surenas.
rum uastitas in conspectu erat. Tum demum fraus sentiri cœpta est, Crassus & qui cum Crasso erãt Abarum maledictis infectantur, perfidiæque coràm arguunt. Ille uelut fiduciam ex conscientia & officio aleret, nunc ipsum ducem intrepide affari, nunc hilari uultu hortari milites, bono ut essent animo, durarent adhuc paululum, uictoriam in manibus esse si compendio uiarum ad hostem ire pergant. Accidit eo die quod & Crassus pulla ueste, non purpurea, in militum conspectum uenerit, eam rem ad unum omnes qui adhuc aderant in omen uerterunt, ipseq; errore animaduerso confestim paludamentum mutauit. Aliqua etiam signa uix humo reuelli potuerũt. Ibatur tamen procul uia, quum trepide speculatorij equites nuntiant hostes adesse: atq; ex suis quosdã à Barbaris interceptos. Turbauit improuisæ rei nuntius quum alios, tum Crassum ducem. Cæterũ satis,

A cõstanter suos in aciem educit. Latus unum Crasso filio, alterum Cassio assignat. Equites peditum ordines utrinq; tegebãt, atq; ita quadrato agmine ad Balissum riuum potius q̃ amnem peruenit, modicis flu
Balissus amnis
entem aquis, fuit tamen pergratus aquarum cõspectus militibus in tanta locorũ ariditate, censebantq; pleriq; ibi munienda esse castra, ac tantisper cõmorandum, donec exploratum haberent q̃ magnus esset hostium numerus, & quid consilij illi caperẽt. Id multis tutius uideri, quum iuniori Crasso edicitur, ut cum suo equitatu in hostem ire pergat, prælióq; ad primum congressum ineat: facesit patris imperi um ferox iuuenis, ac uix passus suos cibũ capere, in Barbaros euehitur, sed haud multum inde proceſſe
Parthorũ fire pitus.
rat, quũ Parthicum agmen ex aduerso apparuit. Dato itaq; signo, confestim Parthi, graui & horrendo strepitu, omnem planitiem complẽt. Neq; hi tubis lituisue aut cornibus utuntur, sed corio cocauis lan cibus extẽso, quod crebris ictibus diuerberatũ horrẽdum quiddam ac ferinum sonat, & uelut tonitru mixtũ: haud ignari ex omnibus sensibus auditũ maxime animum turbare, grauesq; circa illum excitari affectus. Turbatis inusto sonu Romanis, adiectus est de industria nouus terror. Parthorum primi qui in conspectum uenerãt, uelut inermes apparuere, ubi uero pugna fuit ineunda, stragulis uestibus quibus arma texerant, uno tempore deiectis, armorum fulgor mẽtem & oculos Romanorum perstrinxit ex aduerso spectantium. Parthi prævalidam Ro. acie primo conatu experti, patefacto agmine, in duas uelut alas diuersi abeunt: inde dextra lævaq; immẽsa sagittarum multitudine equitatum incessunt. Affuit interim Crassus pater cum robore copiarum, immissiq; sunt milites, qui hostem propulsarent. Hi
Prælium.
telorum nube pene obruti, confestim ad suos redire. Stabat tamen immota acies, etsi multis uulneribus confecta. Tum Crassus iunior patris iussu, in aduersum hostium agmen, cum mille lectis equitibus quos ex Gallia duxerat, & octo scutigerorũ turmis impetum facit. Cesserũt Barbari de industria, ut lõgius extractum a cætera multitudine excluderent. Crassus & qui cum eo erãt, se uicisse rati, fugientem hostẽ urgent, nec prius ab ea infectatione absistunt, q̃ se undiq; Barbarorum multitudine circunuentos
Excluditur Crassius iunior à suis.
sensere: ibi immensa ui sagittarũ, uelut grãdine qua dam cœlo deiecta, cooperti, cum in orbem coirent, tetra miserabilisq; colluctatio orta est. Arena unguiarum pulsu in nubis speciem sublata omnium rerũ conspectum ademit. Galli equites calore & siti confecti, post strenuam operam in hostes nauatam, alij alio casu periere. Crassus & qui cum eo erant, in proximũ tumulum conati euadere, ubi omnia obsepta armis uiderunt, tetraq; interim cædes passim ederetur, monitus ut eruptione facta Ichnas confugeret urbẽ R.P. non inimicam: Nulla, inquit, tam acerba mors est quæ me deterrere possit, ut prodidisse uidear eos, qui meo ductu hic perierunt, dimissisq; à se qui acie excedere uoluerunt (fuerunt hi Græci duo, Hieronymus & Nicomachus, qui Carris habitabant) ipse pluribus uulneribus confectus suorũ uni latus hauriendũ obtulit. Censorinus & Megabachus uiri fortissimi, qui circa illum ad ultimum dimicarant, ne uiui in hostium potestatem uenirẽt, sibi manũ intulerunt: quingenti duntaxat capti sunt.
Crassi caput patri offertur.
Hostes Publij caput ad Crassum detulerũt, quo inspecto mœror ingens quum patrem, tum cæteros inuasit. Sed quia recens cum hoste certamen instabat, nihil Crassus deiectus animo, ob priuatũm uulnus, quin seipso maior factus, milites ad pugnam hortabatur, identidem prædicans oportere eos magna pati qui eos adoriantur. Nec Tygrané à Lucullo uictum sine Romanorum cæde, nec Antiochum à Scipione, mille naues maiores sius circa Siciliam amisisse, ut Pœnos uincerent. Irent fortes, eamque

lætitiam hostibus adimerent. Barbari eminus sagit A liqua multitudine plerique capti sunt, sed multo
tis usi, multos in Romana acie consauciabant, ita ut plures Mesopotamiæ campis dispalati periere à Par
duo interdum uno ictu configerentur. Demũ, quũ this & Arabibus oppressi, uiginti milia hominum *Cæsorum nu-*
iam nox instaret Parthi prælium remittunt, fassi se interfecta traduntur, decem milia capta. Surenas *merus.*
noctem unam Crasso elargiri, qua filij interitum lu- caput dexteramque Crassi in Armeniam ad Hyro-
Rom. metus. geret. Fuit nox illa Romanis terrorum & mœroris dem misit, ipse Seleuciam triumphanti similis Ca-
plena, singuli fatum suum & ineuitabilem sortem ium quendam Crassi familiarem, pro ipso duce, re-
lamentari, nec spes ulla abeundi aderat, sauciorum giæ mulieris habitu uestitum, triumphali pompa
turba iter impediente, qui maximo oneri futuri e- præ se egit, lictoribus, cum multa Romani nominis
rant, si tollerentur, relicti uoce sua & flebili clamo- suggillatione præmissis, quorum fasces secures que
re cæterorum fugam prodituri. Crassus in tenebris Romanorum capita suspensa habuere. Pellices in-
latebat fortunæ exemplum omnibus gentibus fu- de scurræq; sequebantur, obscœna carmina in Cras-
turus, qui quum inter tot milia ciuium maximus es si Romanorumq; mollitiem decantantes. Interim
se potuisset, ne rerum foris gestarum gloria duobus Hyrodes soluto cum Artabaze bello, cuius sororem
inferior haberetur: se, filium, florentissimas que le- Pacoro filio in matrimonium iunxit, frequens con-
Rom. fuga. giones ad exitium perduxit. Crassus & cæteri pri- uiuium habebat, quum Crassi caput est ei allatum.
mores consilium capiunt, ut uniuersus exercitus si- Ibi Iason Trallianus Agauen, & quæ de Pentheo
lentio noctis abscederet, sed res sub primum mo- prodita sunt in tragœdijs, multa cum uoluptate spe
tum prodita est, turbantibus omnia clamore & fle- ctantium egit, Crassi caput gestans. Cæterum Su- *Surenæ &*
bili eiulatu, qui affecto corpore relinquebãtur, per- renas periurij pœnas haud multo pòst dedit, ab Hy- *Hyrodis exitus.*
rexit tamen agmen procul ire, Parthis noctu nihil rode, eius gloriæ æmulo interfectus. Nec ipsi regi
molientibus. Equites cum Gnatio aliquanto antea sua crudelitas impune cessit, quem ueneno petitu,
Carras præcesserant. Ab his Coponius, qui urbi præ- quia lentius esset id genus mortis, Phraates filius su
erat, edoctus in quo statu res essent, cum ea militum bita ui sustulit: & Crassus in hunc modum perijt ma *Crassi diuitiæ.*
manu, quę in urbe fuit, Crasso prodijt obuiam, eum iore diuitiarum quàm rei militaris gloria. Nemo to
cum exercitu intra urbem accepit. Orta luce Parthi gatorum plura unquam possedit. Proditum memo
quatuor milia sauciorum, qui partim eo ipso loco, riæ est, solitum eum dicere, neminem sibi diuitè ui-
ubi nox dimicantes oppresserat, partim in itinere deri, qui priuatis non posset opibus alere exercitũ.
relicti fuerant, ad unum obtruncant. Quatuor præ- Cinnanis temporibus, patre hostium iniuria amis-
terea cohortes, quę à Barguntio in castra ueniebant so, qui cum filio fuerat iussu Marij interfectus, in Hi *Crassi latebra*
eorum quę acciderant ignaræ, atque ob eam rem in spaniam profectus est, locoq; maritimo in profun- *in Hispania.*
hostes prolapsæ, nonnihil se aduersus omnem Par- da latuit spelunca: seruus quidam menses circiter
thorum multitudinem tutatæ fuerant, ad postre- octo Iulij Paciachi hospitis fide alimoniam illi mi-
mum confixæ telis perierunt. Carras inde Surenas nistrauit, ignarus homini an genio, cibaria quotidie
Crassus in no- copias admouit, petijtque primo Crassi, aut alteri- super saxum statueret noctu accipienda. Sed dum
uas incidit in- us colloquium, uelut iam de pace agitaturus. Clam in Syria tam infeliciter bellatum est, in Gallia Cæ-
sidias. uero Carrensibus qui Arabes erant minatur, ni Cras B sar nouis cohortibus conscriptis eorum loco quæ
sum & Cassium sibi dedant. Illi ne fidem uiolasse in Eburonibus cum Aurunculeio & Sabino cæsæ
uiderentur, Crasso autores fuerunt, ut cum quibus fuerant cum quatuor legionibus Neruios ex impro
potest tempestiua ex urbe fuga sibi salutem quæ- uiso inuasit. Moliebantur hi, quod satis constabat,
reret. Suadebat id in primis Andronicus, qui om- bellum in Romanos, quos Cæsar subito terrore ita
nium habebatur fidelissimus, seque itineris ducem perculit, ut obsidibus ultro datis, deditionem conti
profiteri: nec de ijs quæ parabantur quippiam ho- nuo fecerint. Inde uerno anni tempore Senones &
stes latere, Andronico omnia ad eos deferente. Cras- Carnutes ad imperium retraxit, mox & Menapios,
sus noctu ex urbe profectus in syluam incidit fossis eorum uicis prius uastatis, quibus diebus Labienus
undique impeditam. Tum uero ne in Andronico auctus duabus legionibus Treuiros, qui ad se debel
quidem plus fidei esse, quàm in Abaro fuerat, haud landum uenerant, simulata fuga, circa flumen extra
dubie apparuit. Multi itaque ex ijs qui Crassum se- ctos, cum multa cæde profligauit, in profundas que
quebantur, Carras reuertendum censebant. Cassius egit syluas. Cæsar quia Germani contra se auxilia
rogatus à ducibus itineris, ut tandiu permaneret, Treuiris miserant, & ne Ambiorix quem hostem
quoad Luna Scorpionem transiret, se sagittarium ti ex confesso factum, bello petere destinarat, ad eos *Cæsar iterum*
mere dixit, non Scorpionẽ. Mox ubi omnia ad per- confugeret, Rhenum copias ponte, ut antea, traie- *superat Rhe-*
niciem spectare uidit, cum quingentis lectis equiti- cit. Hic ex Vbijs factus certior Sueuos gentem opu *num.*
bus, fido duce ad id usus, per montana loca in Syri- lentissimam, cum omni bellico apparatu, imbelliq;
am iter auertit. Necdum luce orta, cum quinque mi multitudine, Bacenium syluam profundissimam
libus militum, qui ipsius uestigia fuerant secuti, in petijsse, qua se tenerent. Erat syluа Sueuis & Cheru
pacatum abijt. Crassus cum quatuor cohortibus & scis media, satis celebris fama, sed Hercinia multò
equitibus paucissimis Andronici ambages secutus, celebrior, eam Eratosthenes, & alij Græcorum qui
matutina luce oppressus, quia iam hostes aderant, eius rei mentionem fecere, Orciniam dixerunt, iti-
in proximum se collem recepit: ibi quum se ualidi- nere nouem dierum in Germania oritur, alioqui ex
us tutaretur, Surenas spe pacis ad colloquium uo- Heluetiorum finibus & Rauracorum, rectaq; Danu
Extremũ Cras- cauit. Crassus nullam Barbaro habebat fidem, au- bij regione, ad Dacos usque extenditur. Inde fini-
si consilium. torque erat suis, ut per diem se tumulis tutarentur: strorsus porrigens se diuersis à Rheno regionibus,
noctu, quia per id tempus Parthi bello abstinerent, multarum gentium fines sua magnitudine attin-
futurum ut facilè in tutum abirent. Cæterum fre- git, nec quum Cæsar hæc in Germania gesset, quis-
mentibus singulis, quod fide accepta non auderet quam fuerat adhuc repertus, qui ad eius syluæ ini-
cum hoste in colloquium uenire questus præsen- tium se uenisse diceret, nec quum xl. dierum iter
tem fortunam, testatusque alta uoce, se non ma- per eam fecisset. Nutrit Hercinia syluа bouem cer- *Boues syluef-*
gis Parthorum perfidia, quàm suorum militum ui figura, cuius à media fronte inter aures unicum *tres.*
pertinacia proditum iri, ad imum descendit, ubi existit cornu, alit & Alces, animal cornibus mutilũ, *Alces.*
cum ijs qui fuerant eum secuti, est ab hostibus in- figura capreæ perq; simili pellium insigni uarietate,
terfectus. Pomaxarthes Parthus Crassum percus- enodia & sine articulis crura: quo fit, ut casu aliquo
sit. Caput dextraque iacenti abscissa est, ij qui in tu- afflicte, nequeãt se ampliꝰ statuere in pedes, ob idq;
mulis erant, accepta fide, seipsos dediderunt, ex re- arborũ truncis innixæ quietem capiunt. Venatores
obser-

obseruato earũ uestigio, succisis arboribus, aut sub- A re ut Milone consule nunquam dignitatem obtine-
rutis, nocturno nisu cum illis collapsæ, humi iacen- ret. Ea res ambobus materiã præbuit, sæpe inter se,
tes capiuntur. Alit & Vros eadem syluа, magnitu- totis factionum opibus, in urbe dimicandi. Postre-
dine paulùm infra elephantem, colore & figura tau- mo quia facta erat in senatu mentio unius in repub.
ri, mira uelocitas, nec feritas minor, neque homini, consulis creandi, qui dictatoria potestate ambitum
neq; feris parcunt: foueis capiuntur, hos uenando & cętera uitia ciuitatis coërceret, deferreturq; inte-
iuuenes plurimũ exercentur, magnaq; in laude po- rim is honos multorũ consensu, Gn. Pompeio, quia
nitur, perq; multos horum occidisse. Cæsar audito ob id ipsum minus ille suo candidato cœperat faue-
Sueuorum consilio, quia longum erat hostes in sylu re, offensus Milo subita Pompeij mutatione, homi-
is assectari, nec rei frumętariæ copia aderat, ea par- nis inconstantiam incusare. Accidit inde paucis die
te pontis quæ ad Germaniã spectabat rescissa, præ- bus, ut quum Lauinium municipiũ suum, cuius dic-
sidioq; in citeriore ripa constituto, per Arduennam tator erat, cũ Fausta, quæ illi erat nupta frequẽtiq;
Arduennæ syl- syluam quæ Galliæ longè maxima est, quingentis comitatu peteret, P. Clodius paululum ultra Bouil-
ua. & amplius milibus passuum ab Rheno, finibusque las factus sit illi obuius. Redibat is ex Aricia trigin-
Treuirorum ad Neruios extensa, L. Minutium cum ta fere seruis & tribus amicis comitatus. Vehebatur
equitatu in Ambiorigẽ mittit, ipse cum legionibus equo Clodius, Milo in curru cum uxore erat. Seque *Milonis & Clo-*
& graui armatura, euestigiò sequitur. Ambiorix im batur seruorum agmen: & cum his gladiatores qui *dij occursus.*
prouiso Minutij accessu penè interceptus est. Fuga dam. Ambobus paululũ præteruectis (nam etsi in-
& trepidatio ingens ex agris facta, in syluarum soli- ter se inimici erant, inuicè tamen sibi cesserant) rixa
tudinem & paludes inuias extorris multitudo con inter seruos orta, quum Clodius eum tumultum mi
cessit. Cæsar Eburones persecuturus ad Vatucã ca- nitabundus respexisset, Birrhia gladiatorũ unus hu-
stellum impedimenta contulit. Hic superiore anno merum rõphea traiecit. Appianus ceruicem percus-
Sabinus & Aurũculeius ștatiua habuerant, relictaq; sam scribit: crescẽte deinde pugna, Clodiꝰ uulnera-
ibi ad præsidium legione una, cum Q. Tullio Cice- tus in tabernã Bouillano proximã est delatus, unde
rone, ipse tripertito in hostes mouit. Labienum Oce Milonis iussu uioléter extractus, multis uulneribus
anum uersus cum tribus legionibus misit, C. Trebo- cõfossus perijt: eius corpus in uia relictũ, Sextus Te- *Clodij cædes.*
nium cum pari numero in eam regionem quæ Ad- dius senator, qui peractæ cædi superuenit, sua Ro-
uaticis adiacet. Tris reliquas ad Aſcaltem fluuium mam extulit lectica. Appianus Milonem scribit ad
Aſcaltes & egit qui Mosam influit, & ut dispersi syluis hostes diuersorium contẽdisse, multisq; conatum à se eius
Mosa flu. minus laboriosè opprimerentur, plures Gallorũ ci- iniuriæ culpam remouere, compellatũq; ab eo Clo-
uitates ad Eburonum prædam genremq; bello per- dium familiariter, cęterum ubi morientem uidisset,
sequendam accersiuit: cuius rei fama Sycãbri quoq; infecto opere inde digressum. Clodij corpus postri-
ex Germania ad duo milia numero, in Eburonũ fi- die illius diei quo interfectus est, in Milonis inuidi-
nes prædabundi irrupere. Hi aliquandiu in ea terra am, L. Plautius orator & Q. Pedius Rufus Trib. ple
euagari ex captiuo quodam cognoscunt, multo ma bis in rostra deferri iusserunt. Mox curiæ illatũ, ubi
iorem sibi ipsem prædæ propositam, si in Romano- subsellijs, tribunalibus, mensis, in unũ congestis est
rum castra, quę modico tenerentur præsidio, impe- B concrematũ, eoq; igni curia deflagrauit. Milonis do *Curia crema-*
tum facerent. Aderuari in his negligẽter multarum mus à Clodianæ factionis omnibus oppugnata est, *tur.*
legionum impedimenta. Cæsare cum exercitu pro- egregiq; defensa. Ciuitate his motibus coculla, Põpei *Pompeius uni-*
cul abesse, unum in locum congesta omnia quæ tot us unicus fit cõsul, quod nulli ad id tẽpus fuerat da- *cus consul.*
annos Romanus hostis ex Gallia, Britannia & Ger- tum, ut cõsulari potestate solus remp. administra
mania prædatus esset. Sycambri prædæ cupidi huc ret. Appianus quod miror, tũ demũ Catonẽ in Cy-
cursum deflectunt. Accidit ut quinque cohortes eo prũ fuisse missum autor est, Ptolemęũq; cum sua pe-
die, in agris frumentarẽtur, quo factum est ut inopi- cunia ultro in mare præcipitatũ. Sed nos Liuium &
nato Germanorum accessu castra prius propemodũ Plutarchum secuti loco non multum diuerso aliter
sint capta, quàm subueniri potuerit. Repulsi ægrè tradidimus. De cæde Clodij quæstio decreta est, &
sunt prędones a portis & castrorum munitionibus, iudiciũ Miloni constitutum, quẽ Cicero totis inge-
mox militibus ad hæc tuenda recurrentibus, quum nij uiribus defendit. Extat hodie oratio quã ille un-
ex omni parte pellerentur, Germanicus equitatus, diq; armis ad terrorẽ septus egit, sed plus in eo iudi
infecta re, cum ea prędа, quam ad eam diem sibi ali- cio ualuit facti inuidia, q̃ summa eloquentia. Dam-
Tencambrorum unde quæsierat, Romanorum metu, trans Rhenũ natus Milo in exilium abijt. Inde Gabinius est in iu- *Milo & Gabi-*
p. 34. abijt. Cæsar sequenti nocte in castra reuersus est, cu- dicium arreptus, quod in Ægyptũ contra Sibyllini *nius damnatur*
ius aduentus trepidum recenti periculo confirma- carminis religionẽ Ro. duxisset exercitum. Damna-
uit præsidium. Vicis inde totaq; Eburonum regio- tus & ipse absens, eiusq; bona publicata. Inde ple-
ne igni & ferro excisa, Ambiorix aliquoties penè ca riq; illustres uiri ambitus appellati: solus Scipio, cu-
ptus, quatuor duntaxat equitibus, comitatus, in de- ius filiam Corneliã Pompeius duxerat uxorem, iu-
uios saltus ferarum more sese illatebrauit. Cætera dicium euasit, Pompeij affinitate adiutus. Quippe
multitudo profundissimis paludibus immersa, di- qui publicę personę quam gerebat, oblitus cum so-
sperſaq; syluis, omnem Romanorum indaginẽ fru- cero uestem mutauit. Hæc Romę. Cæsar quem trib.
strata est. Destitit postremo Cęsar ab irrita illa infe- pleb. post mortem Clodij Pompeio collegam desti-
statione, legionibusq; in hyberna dimissis, in citeri nabãt, ab his absens petijt, uti cũ populo potius age
orem Galliam proficiscitur. Erat per id tempus Ro- rẽt, ut quando imperij tempus expleri cœpisset, tũc
manę ciuitatis status, P. Clodij cæde non mediocri- secundi consulatus sibi absenti petitio concederе-
ter turbatus. Petebant consulatum T. Annius Milo, tur, ne si tum factus esset consul, bello nõdum pro-
P. Plautus Hipseus, & Q. Metellus, magna quidem fligato, prouincia decederet: quod priuilegium ade
animorum contentione, sed largitione multo pro- ptus, spei plenus, nullum officiorum genus in quẽ-
fusiore. Appianus autor est octoginta sestertia can- quam omisit. Forũ Romæ de manubijs inchoauit.
didatorũ nomine, ex sequestro fuisse Romæ depre- Munus gladiatorium, & epulũ populo in filiæ me-
hensa, & iam neque leges neque pudor præsentem moriam pronũtiauit, quod ante eum nemo fecerat.
Ambitus. ambitum cohibebat, ruereque per hęc patrius mos, Legionibus stipendiũ duplicauit, deduxitque No- *Nouocomẽses*
uetusque disciplina. Petebat in eundem annum P. nocomum ad Lariũ lacum quinq; milia colonorũ *coloni.*
Clodius pręturam, qui ob Ciceronis restitutionem, in quibus quingenti Græci fuere, donauitque eos
ualde erat Miloni infestus, fauebatq; enixe Merello Ro ciuitate, qui eorum annum ibi fuissent. Comum
& Hipseo. Videbat ille pręter uulgatum odium, fo- ueteres dixerunt eam urbem, Rheti Alpina gens à
Tuscis

Tuſcis oriunda uaſtauerant. Sed Pompeius Strabo, Magni Pompeij pater, colonos in eã reſtituit. Mox C. Scipio tria colonorum milia ſuperadiecit. Tertio Cæſar recentem coloniam fecit, nouiſſimoq; incolatu. Nouocomum appellari contigit. Eratq; Cæſar dum hæc fierent in Ciſalpina Gallia, quum Comata ac pene quicquid trans alpes Galliarum erat, à Romanis ſubita defectione eſt alienatũ: à Carnutibus orta ea coniuratio, quorum regulum Acconem Cęſar ſuperiore anno occiderat, quum cõperiſſet eum nouis rebus ſtudere, Romanos negociatores, & qui rei frumentariæ cauſa eò forte uenerant, ad unum obtruncant, publiceq; res eorum diripiũt. Ea fama, quod incredibile alioqui ſit dictu, clx. milia paſſuũ, uno die, ut Cæſar ſcripſit, longius euagata, multos populos ad defectionem excĩuit. Præter Aruernos qui à principio Carnutibus acceſſerãt, Senones, Pariſij, Pictones, Cadurci, Turones, Aulerci, Lemouices, Andi & omnes Oceani accolę uno tempore rebellarunt, acerrimoq; delectu inter ſe habito, conſtituunt Cęſarem à legionibus excludere, quem ne reuerſurum quidẽ prędicabant, Ro. ciuitatis diſcordia implicitum: quæ fama præcipuã, ut credo Gallis materiam præbuit rebelládi, etſi Craſſi interitus, totq; legionum cum eo in Parthis nuper amiſſarum clades, eorum ſtudia ad defectionem non mediocriter erexiſſe uideri poſſunt, ut Parthos imitati uirtute armorum, Romanos ſuis finibus propulſarent. Acceſſerunt interim ijs, qui ex conſeſſo hoſtes facti erant, Rutheni, & Nitiobriges, & Gabales, uiribusq; in unum contractis, Lucterij Cadurci ductu, in Narbonenſem Galliam irrumpunt. Cæſar trepidis ex Gallia nũtijs reuocatus, quum magnis itineribus ad exercitum rediret, audita hoſtium in prouinciam eruptione, Narbonem diuertit, urbemq; hoſtium iniurię obnoxiam præſidio firmat, hoſtibusq; prouincia depulſis cum ijs copijs quas Italia deduxerat, Gebẽna monte ſuperato (eſt is inter Aruernos & Heluios medius) niue militari opere diſcuſſa, ex improuiſo in Heluios irrupit, nihil minus ueritos, quàm hyeme adhuc tenente, Gebennam hoſtibus patere, quã do ad id tempus nulli indigenarum hybernis menſibus patuiſſet. Quo minus igitur ea uis præuiſa eſt, eo maior eſt hoſtibus terror iniectus. Brutus itaq; adoleſcens cum his copijs quæ aderant, late per hoſtium agrum euagari iuſſus eſt, prædæq; & populationis omnia complere, ipſe Cæſar Viennam maximis itineribus profectus, cum eo equitatu quẽ paucis antè diebus præmiſerat, per Heduorum fines in Lingonas uenit, ubi duę hybernabant legiones, huc prius cæteras conciuit legiones ex hybernis, quàm de ipſius aduentu quicquam Aruernis nuntiari potuerit. Vercingentorix interea Aruernorum dux in Bituriges exercitum ducit, Gergobinam Boiorum oppidum quod Heluetico bello Cæſar conſtituit, Heduis q; attribuerat oppugnaturus. Huc Cęſar paucis diebus profectus, Ligeri ſuperato in Biturigum finibus conſedit. Vercingentorix relicta Gergobinę oppugnatione dimicãdi ſtudio Cæſari occurrit. Cõcurſum ab equitibus utrinq; eſt, pugnatumq; à Romanis in hoſtem proſpere. Hinc mutata belli ratione, Vercingẽtorix Biturigibus ſuadet, ut oppida natura & opere minus munita relinquerentur, eaq; cũ uicis incenderent, ut locorum ſolitudine fatigaretur hoſtis conficereturq; rei frumentarię inopia. xx. urbes uno die incenſæ ſunt, communi omnium cõſenſu, migrauitq; in munitiora loca imbellis multitudo: peruenit eius rei ſenſus ad Romanos, multiq; longius caſtris frumentandi cauſa diſpalati, ab hoſtibus intercipiebãtur. Obſidebatq; interea Cæſar Auaricum urbem Biturigũ nobiliſſimam, ſummaq; omniũ rerum egeſtate exercitus tenebatur. Sed nulla annonæ difficultas fuit tanti, ut ab obſidione ſit ceſſatum: & iam aggerem Romani ſtruxerãt latum ccc. pedes lxxx. à terra eductum, eratq; opus propemodum muris admotum, quum noctu eruptione ex urbe facta uix ab hoſtili incendio ſeruari potuit: dimicatum eſt à ſecunda uigilia noctis, uſque fere ad lucem, tentaruntq; interim oppidani in Vercingentorigis caſtra confugere, cæterum proditi clamore & lamentatione muliebri, oppidum tueri cõpelluntur. Ad poſtremũ aggere muris admoto, urbs ui capta eſt. Sæuit Romanus uictor in oppidanos, adeoq; iræ indultum fuit, ut ex xl. milibus & amplius numero qui in urbe erant, uix octingenti qui primo clamore ex oppido ſeſe eiecerant mortem euaſerint. Cætera multitudo ferro confecta eſt. Cæſar plures dies in Auarico copias refecit, & iam uer appetebat, quum Heduorum legati ad illum uenerunt, nuntiantes ſenatum & populum Heduorum in duas uelut factiones duorum fratrum diſcordia abijſſe, fore ut cladem inexpiabilem ea ciuitas breui aditura eſſet, niſi ipſe ſua autoritate inteſtinam diſcordiam tolleret. Cæſar etſi in tanta hoſtium propinquitate parum ſuis rebus conducere arbitrabatur in Heduos proficiſci, ne tamen ciuitatem quam ab initio præ cæteris fouerat in tali diſcrimine prodere uideretur, eò magnis itinerib⁹ profectus, rem ex ſententia compoſuit, mox in caſtra reuerſus, quatuor legiones Labieno dedit in Pariſios hoſtes deducendas, ſex ipſe in Aruernos ad oppidum Gergoniam duxit. Gallicarum rerum periti Claromonte hodie id oppidũ uocari arbitrantur. Conſederat hic aliquanto antea Vercingentorix, caſtraq; circa oppidum pluribus tumulis fecerat. Cæſar terræ ſitum diligenter intuitus, conſtituit locum caſtris capere, unde erat infeſtam frumentationem Gallis facturus, eoq; potitus foſſam & uallum à caſtris ad collem duxit, in quo firmum præſidium collocauit: ſederatq; per hæc bellum ad Gergoniam, quũ Cæſari nuntiatur decem milia Heduorum qui in caſtra mittebantur, Litauici ducis & quorundam nobilium adoleſcentulorum fraude ad hoſtes ex itinere tranſituros. Quo nuntio perculſus, cum quatuor legionibus obuiam progreſſus, immiſſo in Heduorum agmen equitatu partim metu, partim quia equites Heduĩ qui ab autoribus defectionis dicebantur à Cæſare interfecti in Romano equitatu apparuere, continuo ad officium reuerſi ſunt, atque in caſtra totum eſt agmen traductum. Interim hoſtis cognita imperatoris abſentia, ipſius caſtra ferociter erat oppugnare adortus, adduxiſſetq; Romanorũ præſidium in diſcrimen, niſi maturus ducis reditus ſuis periculum exemiſſet. Nec multis inde interiectis diebus, quum Cæſar in hoſtium caſtris inſignem paucitatem notaſſet, cognouit omnem ferè militarem multitudinem à Vercingentorige ad locum quendam muniendum ex caſtris abductam. Vna itaque legio ex improuiſo ſubmiſſa ſine certamine terna hoſtium occupauit caſtra, iuſſiq; erant milites ſignum obſeruare, ut cum receptui caneretur, in caſtra ſeſe reciperẽt, nam iniquo erat loco res gerenda. Cæterum Romani ternis caſtris potiti, ad oppidum uſq; ſpe prædæ inſinuati, tantam in re ſubita trepidationem oppidanis iniecere, ut multi uellut hoſtis intra mœnia irrupiſſet, auerſa urbis parte ſeſe è muris præcipites dederint, mulieresq; aliquot metu perculſæ, per manus demiſſæ ad Romanos tranſierint, pleręque ueſtes & aurum iactantes, paſsis crinibus hoſtes mœnibus ſubeuntes obteſtari, ut à cæde abſtinerent. Quidam etiam militum murum aſcenderant. Sed Cæſar animaduerſo ſuorum periculo, legiones collibus ſubiecerat, ut tutior eis eſſet ex tam iniquo loco receptus. Mox ubi hoſtes remiſſo opere in ſuos ruere animaduertit, cani iuſsit receptui. Id ſignum ſiue non fuerit auditum, ſiue milites ſpe potiundi oppidi audire noluerint, oppidanos nihilo ſecius urgent. Adſunt interim Gallo-

Gallorum deffectio.

Cæſar in Comatam reuocatur

Gebenna mõs à Cæſare ſuperatur.

Gallorum facinus.

Agger.

Oppidanorũ cædes.

Parisij.

Gergonia.

Vis Rom. legionis.

Gallorum equites clamore reuocati. Ab his primo Romani oppugnatione auerſi, prælio excipiuntur, affuit inde cætera multitudo. Tum uiribus & loco impares per decliuia & abrupta loca cum cæde & ſtrage deijciuntur, fugaq; diſpalati ægre ab eis ſeruati ſunt, qui ſeſe hoſtibus ad radices colliũ obiecere. Sic quoque ſeptingenti circitèr deſiderati. Poſtridie Cæſar illorum temeritatem pro concione reprehendit, qui prædę cupiditate, ſigno quod ſatis tempeſtiue datum eſſet non paruiſſent. Laudare ſe mili tum fortitudinem dictitans, ſed non minus prudentiam in eis quàm promptitudinem optare. Nec diutius ibi moratus, ſoluta obſidione in Heduos abijt, quæ ciuitas ob ea quæ acciderant, ad defectionem ſpectare dicebatur. Qui à Cæſare ad ſuorum populariũ animos conciliandos præmiſi ſunt, Ligeri amne ſuperato Nouiodonum oppidum occupant, quo Cæſar frumentum & pecuniam ad uſum belli contulerat, quibus direptis, Hedui Ligeris fluminis pontibus poſt ſe reſciſsis, ut Cæſarem facilius tranſitu arcerẽt, aperte deficiunt: Qui audita illorum defectione, magnis itineribus ad Ligerim progreſſus, uado copias traduxit, frumentumq; in agris, copiamq; pecorum nactus, repleto omnifariam rerum exercitu, in Senones iter auertit. Labienus interim aliquot oppida hoſtibus ademerat. Bellouacos qui nouiſſime à Ro. defecerant, circa Sequanam prælio egregie uicerat, deletiſq; hoſtium copijs cum ipſo duce à ſe capto ad Cęſarem uenit, & iam in Heduos omnis uis belli inclinabat. Quum Vercingentorix Romanorum conatibus occurſurus, ex uniuerſa ferè Gallia (nam prẽter Remos Treuiros & Lingones cæteri populi in unum conſpirauerant) xx. milia equitum ſibi adeſſe imperat, pedeſtribus copijs quibus ad id tempus uſus erat contentus, ſolicitat interim territatq; minis Allobroges. Eos hoſtium motus Cæſar ut infringeret, in Narbonenſem Galliam ſtatuit ducere: ſed dum per Lingonum fines iter facit, Vercingentorix cum totius Gallię uiribus ſit illi obuius, caſtraq; x. milia paſſuum ab eo fecit: inde ſuos ad pugnam hortatus, eo oratione perpulit, ut ſacramento ſint equites adacti, neminem in caſtra rediturum, qui non bis totum Romanorum agmen perequitaſſet. Magno itaque animo Galli poſtridie triplici agmine ſe Cæſari obijciunt, ille ut præſenti erat conſilio totidem modis acie inſtructa, non ſolũ hoſtium impetũ ſuſtinuit, ſed dextro latere qua Germani (quibus auxiliarijs utebatur) impetum fecerant, Gallicum equitatum cum multa cæde profligauit. Vercingentorix ſecundum eam pugnam Alexiam Mandubiorum oppidum petijt, quo Cæſar eum aſſecutus, naturam loci conſpicatus, hoſtem foſſa & uallo cingit. Erat id oppidum in colle ſitũ, nunc uicus eſt in ea Galliæ parte quam recentiores Burgundiam dixere, obtinetq; uetus nomen. Radices collis duo flumina rigabant, patebatq; planities ad tria milia paſſuum. In ea equeſtre prælium fuit, Germaniq; Gallos intra caſtrorum munitiones cõpulerũt. Vercingentorix ſe & ſuos foſſa & uallo cingi intuitus, priuſquam opus continuaretur, equites paſsim ad ſuos populares dimiſit, qui ex omnibus ſociis auxilia accerſerent, rogarentq; ne ſe, qui tot & tanta pro publica libertate tuenda feciſſet, infeſtiſsimo hoſti ad cruciatum relinquerẽt, omnes qui per ętatem arma ferre poſſent, ſubſidio uenirent, ſecum ſupra octoginta ſectiſsimorum hominum milia hoſtium munitionibus teneri, premiq; non uiribus, ſed locorum iniquitate, frumentum paucorũ dierum adeſſe, obſidionem niſi mature ſubueniatur, diutius trahi non poſſe. Cæſar hoſtium metu ex perfugis cognito, quatuordecim miliũ paſſuum foſſa & uallo circuitum complexus, uarijs exquiſitiſq; operibus ab interno incurſu, omniq; extraria ui cõmunit caſtra. Ex uniuerſa interim Gallia per partes auxilia in unũ coiuere, Hedui, Seguſiani, Amblareti, Aulerci, Brãnonices, & Brannonij lectorum hominum dedere quinque & xxx. milia: Aruerni, Elenteti, Cadurci, Caballi, Vellani, Senones, Sequani, Biturriges, Xantones, & Rutheni totidem. Carnutes xij. milia. Bellouaci decem. Lemonoces parem numerũ. Octo milia Pictones. Turonici, Pariſij, & Heluetij biſſena milia. Ambiani, Mediomatrici, Petrocorij, Neruij, Morini, Nitiobroges quina milia. Cenomani totidem. Atrebates quatuor milia. Bellocaſſes xiiij. milia. Alerci & Eburones tria milia. Rauraci & Boij triginta milia. Curioſolites, Rhedones, Ambibari, Cadetes, Oſiſimi, Lemouices, Vnelli, ſena milia: Bellouaci duo & xxx. milia, & is tum Gallorum conſenſus fuit in communi libertate aſſerenda. Septem milia igitur equitum, & ccxl. milia pedi tum in unum coiuere, nam quicunque arma ferre poſſet, ad id bellum mittere non placuit, ne geredæ rei turba ingens, quod ſępe accidit officeret. Sed dũ copiæ in unum coëunt, & quæ ad uſum belli ſunt neceſſaria expediunt, tanta interim inopia obſeſsi laborare cœperunt, ut à Critognato quodam ſentẽtia dicta, humanis carnibus exercitum ali oportere, priuſquam deditio fieret, quod Cimbrico & Theutonico bello in extremis rebus maiores ſui pro libertate tuenda feciſſent. His conſilijs auxiliares copiæ ſuperuenerunt. Qui cum Vercingentorige obſidebantur, ſuorum agmen conſpicati (nam editiore loco conſederant) alacres ſe ad prelium expediũt. Poſtero die totam planitiẽ Galli intra extraq; ſua multitudine complent. Equites peditesq; ad expugnãda caſtra, ſeſe mutuo hortantur. Cæſar diſpoſitis abutraque parte copijs, intentos ſignum expectare iubet, quo dato, ab utroque uallo copiæ in ancipitem pugnam prorumpunt. Galli ſuo more cum ululatu prælium capeſſunt, dimicatumq; eſt à meridie ad ueſperam dubia uictoria. Poſtremo Germanorum impreſsione Galli in exteriora caſtra cũ multa ſtrage compulſi ſunt, qui ab Alexia proceſſerant, quiq; multo pertinacius Iulianis caſtris inhæſerant, ſuorũ fugam intuiti, mœſto ſilentio in oppidum conceſſere. Die deinceps uno intermiſſo, intempeſta nocte Romani caſtra exteriore parte inuadunt. Qui in urbe erant audito clamore, in nocturnum prelium runt, utrinque harpagonibus ſcalis cratibusque foſſas tranſcendere conantur. Sed poſt longum certamen is quoque conatus fuit illis irritus. Multis igitur hinc inde uulneratis prelium ſub lucem remiſit. Poſtremum certamen intra extraq; uallum multo fuit prioribus acrius, quum cæteris locis tum à colle quem Cæſar ob longiſsimum circuitũ operibus complecti non potuit, & ob id eius iuſſu duæ legiones aſsiduè excubabant. Sexaginta milia Gallorum iugum mõtis noctu circumacta, ſub meridiem ſeſe Romanis infeſto decurſu obtulerunt. Cæſar idoneum locum nactus, ex edito ſpeculari quid quaq; uer ſum gereretur, auxiliaq; laborantibus maturè ſubmittebat. Summa ui utrinque dimicabatur. Romani iuxtà Galliq; de ſumma rei certamẽ adeſſe ſentiunt. Hi de ſalute actum putant niſi in apertum euadant, illi laborum omnium finem affuturum, ſi euadere prohibeant. Cęterum premebantur Romani plus nimio ea parte qua decliuis patebat hoſtibus deſcenſus. Eo Cæſar Labienũ miſit cum quinq; cohortibus, ut ſuis laborantibus ſuppetias ferret. Huc tota uis certaminis incubuit. Ad poſtremum ipſe eò ſe contulit, cuius preſentia & uocibus Romani arctius connixi hoſtem loco ſubmouent: ſubmotum parumq; ad fugam expeditum paſsim trucidant. Tam fœda hoc loco cædes edita eſt, ut ex lx. milibus hoſtium, qui, ut ſuprà eſt memoratum, eò irruperant, quàm pauciſsimi incolumes ad ſuos reuerſi ſint. Ea clade Galli perculſi, exteriora caſtra celeri fuga relinquunt, fuiſſetq; eo die omne nomen Gallicum

Cæſarianorũ cædes.

Gallorũ equitum ſacramentum.

Alexia.

Galli in Alexia obſidẽtur.

Galliæ populi coeunt.

Sententia huiusmanæ carnis edendæ.

Pugna grauis.

Acre prælium.

Gallorum cædes.

Gallicum ad internitionem datum, nisi Romani lõgo prælio fesi fugientes persequi destitissent. Equitatus de media nocte ad insequendum missus, extremum agmen adeptus, tetram cædem edidit. Postridie Vercingentorix concione aduocata, communis libertatis, non priuatæ necessitatis causa, id bellum à se susceptum præfatus est. Cæterum quando fortunæ cedendum esset, quæ multum in cęteris rebus posset, sed in bellis plurimum, ad utrunq; se paratum obtulit, siue morte sua Romanis satisfacere uelint, siue uiuum eum tradere. Mittuntur de his rebus ad Cæsarem legati. Iubet ille arma tradi, princi-
Gallorum deditio. pes produci. Vercingentorix & alij duces dedũtur, abijciuntur arma. Cæsar uniuersam multitudinem toto exercitu prædæ nomine partitus est, legionesque sublato Gallorum metu, alias aliò in hyberna dimisit. Secundum eam uictoriam Hedui & Aruerni in fidem rediere. Quæ ubi Romæ literis & nuntijs cognita fuit, xx. dierum supplicationes Cæsaris
Restidui Gallorum motus. nomine sunt decretæ. Nec hyberna quę secuta sunt, fuerunt omnino quieta: nam & Bituriges rebellarunt, sed ijdem subita expeditione sunt à Romanis oppressi. Nec ita multis interiectis diebus & Carnutes rebellarunt, qui Biturigibus bellũ intulerant. Hos hyeme adhuc sæuiente, Cęsar subito accessu dispulit, proprijsq; sedibꝰ exutos alios aliò in propinquas urbes extorres fugauit: cum Bellouacis inde bellũ gessit, qui Ambianos, Caletos, Aulercos, Velliocassos & Atrebates sibi adiunxerant. Hi Corbei Bellouaci ductu in Suessionum finibus consederũt, quo Cæsar cũ tribus legionibꝰ accessit, castraq; etsi numero multo inferior, castris penè contulit. Fuerunt inde prælia aliquot equestria, eaq; plurimum Gallis prospera, quod eò equius Romanus ferebat: quo magis hostium ingenia, præsentium successu ad aliquid temere agẽdum irritari haud ignorabat. Etiam suorum paucitati diffisus ad Trebonium scri-
B pserat, ut cum tribus ad se legionibus ueniret. Sub cuius accessum Galli Alexianæ cladis memores, in collem consederunt, mox in pacatum abituri. Eò Cæsar cum copijs progressus, quum circa montis radices locum communisset, ne possent hostes tacita fuga dilabi, illi magna sarmentorum copia in eam partem delata, qua suæ erant munitiones in Romanos obuersa, eaq; materia sub lucem incensę, eorum conspectum subita ui flammarum hostium oculis ademere. Secutus inde fumus qui sensum postquã diluxit, non minus quàm flamma impediebat. Interim diuersa parte celeri cursu in pacatum ire cõtendunt. Nec Cęsarem fefellit Gallorum consiliũ, quos nihilo secius secutus, nisi insidias in tanta locorum iniquitate esset ueritus, tenuissetq; obid ipsum impetum, procul dubio fugientes adeptus satis opportunos habuisset. Illi nouem milibus passuum progressi, iterum castra faciunt. Cæsar haud multũ ab hostium uestigio abscedere. Eratq; interim Romanis frumentatio ualde infesta, multi ex occasione à Gallis intercepti uita periclitari, quoad suis artibus Corbeus caput cum sex milibus peditum, florentiq; equitatu à Rom. circunuentus ferro occubuit. Cætera multitudo partim cæsa, partim metu & fuga dispalata, in profundas syluas sese immersit. Bellouaci huiusmodi clade affecti, obsidibus datis in fi-
Gallia ferè ex omni parte pacatur. dem redeunt. Secutæ sunt hanc deditionem sociæ ciuitates, omnisq; Galliarum status per hęc ferè brẽui pacatus est. Cæsar T. Labienum cum duabus legionibus in Togatam Galliam misit, ad tuendas colonias quas superiore æstate finitimi accolæ infestarant. Eodem tempore C. Caninius & Fabius cum legionibus sibi attributis, ad Duracium Pictonum regulum obsidione leuandum profecti, Dumnacum à Lemone oppido quod obsidione cinxerat, repulsum, circaq; Ligerim affecuti, primo impedimento rum parte Fabius ala equitum immissa exuit, mox
A prælio repetitum, ingenti strage profligauit. Cæsa ad xij. milia Gallorum, cætera multitudo abiectis armis prædæ fuit. Nec multo pòst Carnutes à Fabio
Gallorum cædes. sunt in deditionem recepti, & cum his pleræq; urbes maritimæ, quæ Armoricæ dicebãtur. Caninius
Armoricæ. diuersa parte Drapetem & Luterium hostium duces insectatus, in Vxellodonum oppidum munitissimum primo coniecit, mox frumentatum egressos, quum in urbem se noctu reciperent, Luterius primo qui noctu frumẽtum urbi importabat, cum sua manu, totaq; iumentorum multitudine male habitus aufugit. Drapetem qui decem milia passuũ inde se cum exercitu tenebat, castris exutum in suam potestatem redegit, tenuitq; Vxellodoni oppugnatio plures dies, Cæsarq; eò profectus, incredibili oppidanorum pertinacia aliquandiu est à uictoria retardatus. Primo fluminis aquatio hostibus adempta, maiore deinde certamine uicini fontis usus, erat is mœnibus penè contiguus, eum cuniculo corriuatũ Romanus exiccauit. Tum uero aquarum inopia adacti oppidani dediderũt se. Cæsar ad cæteros Gal-
Gallorum supplicium. los deterrendos, omnibus qui arma ferre potuerũt, manus præcidit, ut testatior cunctis esset improborum pœna. Drapes qui in uinculis erat ultro inedia perijt, dubium carceris tædio an maioris supplicij metu. His rebus gestis ipse cum duabus legionibus in Aquitaniam concessit, à Publio Crasso qui in Parthis cum patre perijt, ab initio Gallici belli aditam. Eam autem prouinciam breui cõfecit, obsidibus ab uniuersa gente acceptis. Interim & Comius qui unus Gallorum ducũ adhuc in armis erat, uarijs belli casibus iactatus, datis Antonio obsidibus, cuius ductu res in ea parte Galliæ gerebantur, ueniam meruit. Cæsar uero Gallia in uniuersum pacata, medio
Gallia pacata. hybernorum tempore in Italiam transcendit.

ENNEADIS VI. LIBER VII.

Cæsaris reditus in citeriorem Galliam, non eam solam causam habuit, quam superioribus annis, ut eius prouinciæ conuentus de more haberentur, sed quòd Romæ ipsius dignitas in senatu à consulibus & alijs eius ordinis prin-
Ciuilis belli semina. cipibus aperte oppugnari cœperat. Marcellus consul ad senatum retulerat, ut ante tempus ei succederetur, quando cõfecta prouincia dimitti deberet uictor exercitus. Cæterum, quia à paucis est pedibus itum in eam sententiam, ad uires Cæsaris comminuendas autor fuit patribus senatusconsulti faciundi, ut duæ legiones ad bellum Parthicum mitterentur, quarum unam Pompeius ex suo exercitu daret, alteram Cæsar. Pompeio itaq; legionem suã repetente, quam iam antea Cæsari ad Gallicum bellũ concesserat, coactus est ille & hanc sibi cõcessam, & aliã suo nomine ex prouincia dimittere, eas partim ut Pompeio gratificaretur, partim ut milites sibi postremo munere deuinceret, ornatissimè instruxit, uiritimq; ccl. drachmas largitus est. Vbi uero Romæ retentas audiuit, nec ad bellum mitti, agnouit continuo inimicorum fraudem, iam antea suspectam. Auxit eam suspicionem quòd ex colonis quos Cæsar Comum deduxerat, ciuitateque donarat, unus à Marcello consule Romæ uirgis cæsus fuerat, præfatione adhibita, qua declarabat id fieri, ut sciret ille se ciuem Romanum non esse, haud enim ciues tali supplicio temere adhibeantur. Iussus ad id est tergũ uerberibus fœdum Cęsari enudare, ut appareret totam illam ignominiam in eius inuidiam colono illatam. Plutarchus Decurionem eum fuisse ait, qui tum uirgis est Romæ cæsus. Erat Decurio in municipijs & colonijs, penè idem qui & Romę senator. Appianus existi-

A existimare uidetur eos tantum à Cæsare ciuitate donatos, qui Comi per annum prætores fuissent, prætoremq; illũ fuisse, qui futuario sit adhibitus, suisq; fascibus mulctatum. Cæsar reputans secum animo quorsum ea iniuria tenderet, dijudicans præterea quod sæpe ab eo auditum ferunt, difficilius principem ciuitatis à primo loco ad secũdũ detrudi, quàm à secundo ad ultimum, per Paulum Æmylium Marcelli collegam, cui mille & quingenta sestertia dono obtulit, ex quibus ille postea nobilissimam in foro Basilicam extruxit, & C. Curionem uiolentissimum Tribunorum à se alieno ære leuatum, summa ope resistit. Verum ubi omnia obstinatius fieri sensit, designatosq; cõsules ex aduersa parte Claudium
Cæsaris defensores. Marcellum, & P. Lentulum, atq; ex ijs quæ decerne bantur, cogeretur exercitum dimittere, priuatusq; prouincia excedere, senatũ per literas precatus est, ne sibi Po. beneficium adimeretur, ut absenti consulatum petere liceret, uel ut omnes imperatores unà dimitterent exercitũ, futurum ratus ut facilius ipse (quum libuisset) suos ueteranos ad arma reuocaret, quàm nouos milites Pompeius, qui meritò ei suspectus erat, quum propter alia quædam mutati animi
Pompeij iniuria in Cæsarẽ. argumenta, tum quod in legibus sanxerat, quũ unicus fuit cõsul, quasi obliuione captus, omnibus absentibus petendi facultatem ademit, ne Cæsare qui dem excluso cui sciebat id à populo datum. Nec Cæsar iam inde à Iuliæ interitu destitit de Pompeij mutatione dubitare, ad cuius necessitudinem retinendam Octauiam sororis suæ neptem C. Marcello desponsam, ei conditione detulit, ut ipse ipsius Pompeij filiam duceret uxorem, Fausto Syllæ destinatã. Sed neutrum fieri contigit. Multum itaq; ab Æmylio est Cæsaris causa defensa, sed multo acrius à Curione, qui magna contentione egit, ne exercitu spoliaretur, nisi Pompeius & alij Ro. Po. imperatores pa-
B ri conditione sine exercitu essent. Verum quum nihil æqui obtineretur, cum aduersarijs nouissimè egit, ut cæteris legionibus dimissis, duas cum citerio re Gallia obtineret, aut unã cum Illyrico quoad consul fieret. Negantibus illis ullam se de Repub. pactionem facturos, ad uim conuersus, cum quinq; milib. militum, & trecentis equitibus, Rauennam processit, bello uindicaturus, si quid in tribunos qui suam causam tuebantur, grauius à senatu constitueretur. Huc Curio ad Cæsarem uenit, à quo benignè acceptus, cum eius literis ad senatum reuersus, iter à Rauenna Romam triduo confecit, literas nouis consu-
Cæsaris literæ ad consules. libus Claudio & Lentulo legendas obtulit, in quibus erat scriptum, se æquis conditionibus ad eam diem cum senatu egisse, ut cum Põpeio potestatem deponeret. Sed neq; id, neque alia quę iustè peterentur, per prætores urbis & consules impetrari: futurum itaque ut non multo pòst ad ultionem patriæ quam superbè occupatã tenerent, suæq; dignitatis cum exercitu uenturus esset. Ad huiusmodi denunciationem ex uniuersa curia est reclamatum, tumultuoseq; fit senatusconsultum. Lucius q; Domitius ei successor datur, Antonius & Cassius Tribuni curia excedere iubentur, nisi quid acerbius pati uellent. Tum Antonius alta uoce de consulibus questus, q, poestatem sacrosanctam uiolarent, multaq; ijs dirè imprecatus qui futuræ discordiæ autores essent, cũ Cassio & Curione urbe excesit. Id ubi Cæsar compertum habuit, nihil amplius cunctandum ratus, a-
Causæ ciuilis belli. pertè, ut mox paulò dicetur, arma induit. Pompeius inde prædicare solitus est, quia opera quæ Cæsar in stituerat, inopia exequi non posset, neque expectationem quam de aduentu suo fecerat, priuatis opibus explere, turbare omnia armis uoluisse. Alij eum ueritum crediderunt, ne eorum quæ primo consulatu suo cõtra auspicia, leges, & intercessiones gesserat, rationem reddere cogeretur, quod futurum M. Cato iureiurando denuntiasset. Ipse eam quam dixi
A causam, suscepto bello prætexuit, quod Tribuni plebis à consulibus essent curia eiecti. Cæterum quæcunque illi fuit causa, etsi plures esse potuerunt, ne belli deinceps gesti series à nobis interpoletur, pauca quę post Aristoboli regnum à Pompeio euersum, sunt circa Iudæam gesta, breuiter explicabuntur. Alexander Aristoboli filius, quum paternum regnum recuperaturus Iudæam inuasisset, Hircanus huiusmodi motibus occursurus (Erat is ob summum sa-
Noui Iudææ motus. cerdotium in suis popularibus autoritate princeps) urbis muros quos Pompeius diruerat, restituere est conatus. Verum prohibitus à Romanis qui Hierosolymis erant, destitit incœpto. Interim Alexander cum decem milibus peditum, mille & quingentis equitibus Macherunta in finibus Arabiæ occupat. Nec ita multis interiectis diebus, cum Gabinio qui in Syriam cum exercitu uenerat, haud procul Hierosolymis acie congressus, tribus milibus hominum in prælio amissis, actotidem captis, in Alexãdrium oppidum profugit. Huc Gabinius copias adduxit, relictoque M. Antonio cum parte copiarum ad hostem obsidione premendum, ipse Iudæam cum cætero exercitu perlustrauit. Suntque ea expeditione plures ab eo urbes receptæ, quas ui bellica semirutas iussit instaurari. Nec multo pòst Alexander deditionem fecit, Alexandrio & Macherunte Gabinię traditis, quæ duo ille loca magna ex parte diruit, di-
Quinq; Iudæorum curiæ. uisitque omnem Iudæorum gentem in quinque curias, Hierosolymitanam, Gadaritem, Amathũtiam, Sefforiam, & Hiericuntiam. Atque ita Iudæi regijs terroribus liberati, sub optimatium administratione quiescebant, quum Aristoboli fuga ex urbe in Syriam delati, omnia nouo bello turbauit. Hic à Pompeio Romam perductus, quum leui custodia teneretur, spe regni per homines suæ factionis recuperandi, cum Antigono filio in Iudæam perfugit. Appianus, quod alio est à me loco memoratum, Aristobolum paulo post Pompeij reditũ interijsse scribit. Iosephus cui in his libentius accedo, illum postliminio ait reuersum, breuique ad octo milia hominum collegisse, quibus fretus, cum Sisinnio & Antonio acie congressus, nihilo meliore euentu quàm filius dimicauerit, uictus peneque copijs exutus, in Macheruntem semirutum oppidum confugit, ubi biduo pòst captus, cum filio ad Gabinium perducitur: Romam iterum missus, arctius custoditus est, filijs in matris gratiam quæ à Romanis semper steterat, permissum, ut in Iudæã redirent. Nec diu illi quieuere. Alexander Iudæis ad defectionem compulsis, per id tempus quo Gabinius in Ptolemæo restituendo fuit occupatus, de qua expeditione proximo est libro memoratum, cum triginta milibus hominum Gazirim montem insedit. Romanus imperator ex Ægypto reuersus, cum eo ad Itabrium montem cõfixit, ibique decem milibus Iudæorum uno prælio cæsis, Alexandrum in deuia loca compulit, cum Nabathæis inde nonnihil est à Romanis bellatum, unaque pugna superati cesserunt. Sed uictoria ignobilis. M. Crassus pro Gabinio successit, auream trabem quæ sub lignea latebat, septingenta quinquaginta pondo, ut Iosephus prodidit, cũ octo milibus talentorũ Hierosolymitano tẽplo ademit, cuius sacrilegij haud multo pòst cum filio luit pœnas. C. Cæsius (Appianus Cassium scribit) M. Crassi quęstor, Parthos Crassiana clade ferociores factos, Syriæque imminentes prælio cecidit. Inde Arachenam urbem diripuit, in qua triginta milia hominum cepit, & in his Pytholaum Aristobolanæ defectionis successorem, in quo negocio Cassius usus est fida opera Antipatri uiri clarissimi, Romanique nominis studiosi. Is ex Idumæa coniuge, Herodem qui postea rex fuit, filium sustulit, & his casibus Iudæa iactata est, ex eo tempore quo Aristobolus à Pompeio Romam est deductus, usq; ad ea tempora qui-

bus uictus ille à Cæsare in Pharsalia Ægyptum petijt, ubi est Ptolemæi iussu interfectus. Circa Ciliciá ea tempestate nonnihil M.Cicero proconsul bellauit.Is Amani montis accolas perpetuos,ut ipse scribit,Romani Pop.hostes subito bello aggressus, duo eorum oppida improuisa ui cepit, plerique mortales intus extraque oppressi, capta inde sex Amanorum castella,multo plura incensa. Postremò Pidnelisum oppidū captum,septem & quinquaginta dies multis operibus oppugnatum. Quæ dum fierent in Cilicia,M.Cato Romæ in petitione consulatus passus est repulsam, quam adeò constanti animo tulit, ut sequenti die unctus in campum descenderit, & post cibum rursus de more sine calceis & tunica in forum ueniens,unà cum familiaribus deambularit. Quod Catonis factum Cicero reprehendit, quando Reipublicæ statu postulante, non summa ope connixus esset ut consul fieret, remiseritque ex ipsa seuere animi aliquid ad studia hominum sibi concilianda. Talisque fuit M. Cato,cum quo multi uiri illustres ea tempestate uixerunt, & in his Cicero Latinæ specimen eloquentiæ quem ad id natum quidam tradiderūt, ut in eo omnes uires suas eloquentia experiretur.In foro regnare dictus est. Cæsar tanto eum omnium triumphorum maiorem gloriam adeptum scripsit, quanto plus fuit Romani eloquij fines, quàm imperij propagasse.Scripsit trecenta circiter & uiginti uolumina librorum, tractauitque fere omnes philosophiæ partes. C. Cæsar qui tantum ei tribuit, adeò illi proximus fuit eloquentia, ut Fabij testimonio unus omnium tanto uiro opponi potuerit,si foro demum operam dedisset. Creditur eo ardore dixisse quo bellauit, tantus in eo uigor animi,& uelut ignea quædam celeritas, ut simul legere,audire, & dictare sit solitus, quaternas interdum epistolas librarijs dictaret, interdum & septenas, si nihil aliud ageret. Idem quinquagies collatis signis dimicasse dicitur. Fuit Ciceronis æmulus Hortensius, uixeruntq; cum his & alij eloquentia insignes, cæterū minores natu.M.Brutus, in quo dicente grauitatem sua ætas probauit, ut in Cælio indolem, in Calidio subtilitatem,promptitudinem in Curione, in Crispo breuitatem. Sed is in historia clarior, nisi fortè de altero cui Vibio fuit nomen Fabius scribit. Catullus Veronensis Lyricus autor carminis etsi admodum iuuenis hac tempestate perijt, cum his omnino uixit, æqualis illi Bibaculus. Fuit & Orbilij grammatici celebre per id tempus nomen.Is Beneuenti natus,acerbo ingenio,& in primis in suos asse ctatores,ob eamque rem à Flacco plagosus haud infacetè appellatus. Clarus & Ateius cognomẽto Philologus, Athenis natus, qui Clodium Pulchrum & fratres instituit, Crispum dilexit,cui breuiarium rerum Romanarum inscripsit, ut inde ad usum historiæ legeret quæ utilia uiderentur : tradidit & Asinio Pollioni historiam scribere uolenti, præcepta quædam,quorum illud maximè celebre, ut noto ciuilique & proprio sermone uteretur,ut Sallustij obscuritatem & in translationibus audaciam uitaret. Fuit his æqualis Aurelius Cato,inter Grammatistas eius ætatis celeberrimus,si Bibaculus uera de eo scripsit, cuius illa sunt. Summum grammaticum optimum poëtam. Omnes soluere posse quæstiones. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis. Nec Cornelij Epicadi obscurum nomen, qui Brutum & Cassium docuit : nec Curtij Niceæ qui familiaris fuit Ciceronis. Fuerūt & Rhetores per id tempus celebres L. Plotius Gallus, qui etsi Ciceronem docuit, uixit tamen ad hæc usque tempora: L.Octacilius Pilutus Pompeij magni præceptor, qui primus libertinorum scripsit historiam, quum ingenua tantum conditione uiri antea consuessent, ut Nepos Cornelius tradidit : M. Epidius qui Antonium triumuirum & Augustum instituit : Sextus Clodius Antonij familiaris & præceptor, ut Ciceronis testantur monumenta : C. Albutius Nouariensis, is exiguo fauore causas & dixit & docuit. In Græcis uero Apollonius Molonis, qui aliquanto grandior natu fuit ijs qui sequuntur. Apollodorus Pergamenus Calidij & Augusti præceptor. Theodorus Gadareus,qui & Rhodius dici maluit : Ab his Theodorei & Apollodorei,uelut duæ in eloquentia fluxerunt familiæ. Fuit & Diodorus Siculus, qui historiam scripsit, his temporibus interiectus. Et Eualgius quem Fabius diligentissimum in tradendo fuisse testatur, cuius ars Macio inscripta ad posteros extitit. Sapientiæ nomine clari. Apollonides Stoicus. Demetrius Peripateticus Catonis Vticensis comites. Athenodorus Cordilio & ipse Stoicæ disciplinæ, quem ex Pergamo idem Cato secum Romam abduxit, sed is aliquanto maior natu. Illustris Cratippus Peripateticus,cum quo Pompeius post Pharsalicam aciem in Lesbo congressus est. Sed iam locus hic interpolatæ historiæ admonet,unde repetitis ciuilis belli causis fuimus egressi. Tribunis itaq; urbe iectis,quum haud dubiè appareret, Cæsarem confestim ad arma iturum,fit senatusconsultum, prouinciæque aliæ alijs decernuntur, L. Scipioni Pompeij socero Syria. Domitio,ut diximus,Gallia data est.Tota Italia delectus habetur. Cæsar certior factus de ijs quæ Romæ acciderant, milites pro concione allocutus,que ostus de inimicorū iniuria, quod res præclarè in Gallia gestas sibi inuidentes, primum à se Pompeium alienassent,inde sua facta in peius uertendo, eò rem reduxissent, ut nisi dignitatem suam tueretur armis,se ad inimicorum libitum cadere oporteret: omnia æqua tentasse, ut illorum inuidiam leniret, quæ quia non nisi suo posset capite expiari, tribunique plebis illorum iniurię obuiam ire conati, non solum è curia,sed ex urbe quoque extorres iecti essent, unum in quo spem repositam haberet, tantum superesse, ut ad uitam suam tuendam suorum militum auxilium imploraret: orare igitur, obtestarique simul omnes,ut si suarum uictoriarum testes esset, suumque in eos studium abundè exploratum haberent, suam dignitatem ab inimicorum iniuria armis uindicarent. Hæc Cæsar. Cui tota concio assensa est, magnoque clamore iussus ut suo iure militum opera uteretur, quæ suo imperatori deuota nusquam esset illi defutura. Cæsar suorum consensu fretus, ex Rauenna cohortibus aliquot præmissis, sub noctem rheda profectus, Ariminum uersus iter tendit. Erat tum Rubicon flumen Italiæ terminus, ut olim Esis in Piceno, ut postea Phormio Iapidiæ amnis, ut nouissimè Arsia. Labitur Rubicon inter Rauennam & Ariminum,Riconem hodie accolæ uocãt, ac priusquam ad mare deueniat, cum amniculo quodam congressus, obscuro nomine in Adriam uadoso euoluitur ostio. Huc Cæsar milites assecutus, pro concione eos est affatus, ut quidam scribunt, mox ad ripam progressus, paululum substitisse fertur, secum reputãs quantam cladem eius fluminis transitus humano generi importaret, ferunt que cunctanti tale ostentum illi oblatum. Quidam eximia magnitudine in proximo sedens apparuit,fistula ex calamis compacta canens, ad quem audiendum , quum præter pastores ex militibus quoque plurimi occurrissent,atque inter eos æneatores quidam, rapta ab uno tuba in fluuium prosiluit, ingentique spiritu classicum exorsus, ad ulteriorem pertendit ripam. Tum Cæsar, eatur, inquit, quo deorum uocant ostenta,& inimicorum iniquitas.Iacta est alea. Phasmatis huius autor est Tranquillus. Plutarchus nocte quæ Rubiconis transitum proximè præcesit, Cæsarem per quietem sibi uisum scribit matri stuprum inferre, quod insomnium alij in Hispania, quum quæstor esset, obtigisse memorant, eumque à coniectoribus admonitum, futurum ut terra quæ omnium parens esset, aliquando ipsius potestati subijceretur, sed quodcunque illi ostentum est oblatum minus tum insigne fuit, quàm ea quæ circa urbem aut facta aut nuntiata sunt. Nam & sanguinem pluisse proditum est. Sudasse deorum simulachra. Plura loca è cœlo tacta. Mulam peperisse. Et Rubicone Cæsar Ariminum digressus, ante lucem oppidum occupauit,eoque Tribuni plebis ex urbe pulsi, ad eum uenerunt, qui in concione conspecti, uehementer militum animos ad ultionem inflammarunt. Inde Cæsar Aretium occupat, Pisaurum, Fanum fortunæ, & Anconem, ex Tignio Thermum prætorem eijcit. Auximo est deinceps potitus, Actio Varo bona inde uenia ab oppidanis dimisso,quem & milites sub Cæsarianorum aduentum destituere . Horum nuntij Romam delati, tãtum terroris ciuitati incusserunt, ut consules cum magna parte patrum continuo excesserint,Capuamq; ad Pompeium profecti,ei summam imperij deferunt. Cæsar interim cum duabus legionibus Corphinium petit, cæteris enim ex Gallia reuocatis, una duntaxat ad eam diem superuenerat. Fuit Corphinium (nam hodie non extat) septem milibus passuum à Sulmone, præfluebatque illi amnis, cuius pontem rescindere præsidiarij milites adorti , interuentu Cæsaris in urbem compelluntur. Tenebat oppidum præsidio Gnæus Domitius, qui datus erat Cæsaris successor. Is desperata uenia,à medico uenenum petijt,præcipiti admodum moriendi consilio . Cæterum notum erat medico hominis ingenium inconstans, & uarium, miscuitque pro ueneno soporiferum illi poculum, nec multo pòst Domitius ratus sibi exitium instare, muliebri afflictatione occœpit fortunã lamentari suam. Sed edoctus quid actum esset, metu liberatus, ad deditionem animum adiecit, cui dedito Cæsar pecuniam restituit,facta illi potestate quocunque uellet abeundi,ut integrum ei esset ab armis discedere si uellet, & ad quietem se conferre : aut si in partibus manere in animo haberet, utra magis cordi esset, eam sequeretur. Pompeius interea urbe profecturus,edicto pronuntiauit, habiturum se pro hoste Reipublicæ, quicunque sua secutus non esset castra. Contrà , Cæsar amicorum numero habiturum se professus est, quicunque neutri partium fauisset. Domitio itaque dimisso, ipse septem dies circa Corphinium commoratus,cum tribus legionibus, nam hic sedenti tertia superuenit legio ex Gallia, per Marucinorum fines Ferentanorum & Larinatium in Apuliã descendit,quibus dieb.Põpeius auditis quę ad Corphinium gesta erant, ex Luceria quo Capua profectus, aliquanto antea uenerat, cum sex legionibus, quatuor ueteranis, & duabus nouo delectu conscriptis,Brundusium profectus est. Huc hostem Cæsar consecutus,obiectis circa fauces portus molibus, intercludere conatus est. Ante cuius aduentum consules Dyrrachium transmiserant, cum magna parte copiarum, qui etsi obsidendo hosti erat maximè intentus, per Magium tamen præfectum fabrũm, erat is Pompeianus, de pace cum Pompeio egit, quod statim post Ariminum captum tentauerat per L. Cæsarem . Cæterum semel atque iterum incassum res mota est . Pompeius non multo pòst militib⁹ in naues impositis, noctu refracta hostium catena per medias Cæsarianorum stationes in altum abijt . Cæsar satius ratus , Italiam confirmare præsidijs, & quicquid à tergo relinqueretur, quàm hostem è uestigio insectari, in Hispaniam proficisci cõstituit, quę à Pompeianis ducibus tenebatur, profestus ire se ad exercitum sine duce, mox ad ducem sine exercitu rediturum . Recepto itaque Brundusio, iussisque nauibus eò undique contrahi, mittit Cæsar in Sardiniam Valerium legatum cum legione una, Curionem cum tribus in Siciliam,ut ea recepta illicò in Aphricam transmitteret. Sardiniam M. Cotta obtinebat.Siciliam M.Cato.Sed Cotta ex insula deiecto, Sardi ultro Cæsaris imperio cesserunt. Cato audito Curionis aduentu, multa de Pompeio questus, qui imparatissimus graue bellum suscepisset, sine ullo maiore certamine insulam reliquit. Cæsar Romam reuersus, patres de Republica in curiam appellatos, benignè & perhumanè est affatus. Summa eius orationis fuit, qua declarabatur se non contra patriam bellum suscepisse, sed ut dignitatem tueretur suam aduersus paucorū iniuriam, qui suæ laudi inuidentes, se in discrimen maximum adduxissent , nisi eorum conatibus itum esset obuiam. Hortatus est inde totum ordinem, ut secum Rempublicam administrandam susciperent, & ut legati ad Pompeium de pace mitterentur.Cæterum triduo per irritas actiones consumpto , nemineque eam legationem Pompeij metu recipiente, Cæsar longioris moræ impatiens, ærarium reclusit. Id ne fieret L. Metellus Tribunus plebis nonnihil obstitit, quoád iratus Cæsar, An ignoras, inquit, adolescens, difficilius esse mihi dicere quàm facere? Appianus autor est, sanctiores thesauros, & qui execratione interposita, ad tumultus & bella Gallica propulsanda intacti manserant, diripiendos militi datos à Cæsare, identidem prædicante, uictis à se Gallis illam maiorum execrationem non timere amplius.Auro potitus Cæsar, Æmylium Lepidum urbi præfecit,M.Antonium qui Tribunus erat plebis, uniuersæ Italiæ. Aristobolum regem soluit, qui cum duabus, ut Iosephus scribit, legionibus in Syriam est missus,ut Iudæa recepta Cæsaris partes aduersus Pompeium tueretur, sed Aristobolus priusquam in Iudæam reuersus sit, ueneno sublatus est, Pompeianorum fraude ut creditur. Cæsar cum exercitu profectus in Hispaniam,magnis itineribus ductabat, cui eunti Massilienses foli omnium portas clausere. Vetustas urbis quam illi habuerunt, & origo,suo est loco prodita. Humanè ab initio Cæsar egit cum Massiliensibus, ne à totius Italiæ consensu diuersi, sese in bellum parum utile minimeque necessarium conijcerent. Responsum est compertum habere Massilienses Populum Romanũ in duas partes esse diuisum, unius, quarũ Pompeius esset princeps, alterius Cæsar, nec scire se utrius causa sit iustior.Illud non ignorare amborũ beneficia in se amplissima extare. Constituisse proinde neutri contra alterum fauere, ac quandiu liceat æquis studijs utrumque colere. Hæc illi. Cæterum ubi Cæsar in urbem acceptos audiuit Iulium Ruffum, & Gn. Domitium à Pompeio missos, Massilienses obsidione cinxit,qui ut terra & aquis premerentur,duodecim longas naues celeri opere confecit, quibus D. Brutum præfecit. A terra dat C.Trebonio negocium expugnandæ urbis , tribusque legionibus ad Massiliam relictis,ipse cum pari numero in Hispaniam ire pergit, iussis legionibus quæ non longo sequebantur interuallo suis instare uestigijs. In Hispania M. Affranius, & L. Petreius cum quinque legionibus ad Ilerdam castra fecerant, erantque præter Romanas legiones in his castris auxiliariorum cohortes octoginta, equitum quinque milia. Labitur Sicoris fluuius præter Ilerdam, qui sub Cæsaris accessum iunctus est haud uno loco pontibus, fiuntque interim equestria prælia, eaque omnino lætia, mox castra prope Ilerdam promota, fossaque & uallum hostibus obiectum. Cæsar occupandi tumuli cuiusdam cupidus, quo potitus omnia erat Pompeianis iniquiora facturus , ad locum legionem unam subitò immisit, contractoque ibi prælio, copias omnes in aciem educit, estque uariè eo die intra tumulum & Ilerdam dimicatum , ceciderunt que ex utraque

Quæ Cicero in Cilicia.
Græci thet.
Grammatici.
Cic.opera. C.Iulius.
Orat.illustres.
Ro. rhetores.
Sapietia clari.
Verba Cæsaris ad milites.
Digressus Cæsaris ex Rauenna.
Rubicon.
Ostentum
Somnium Cæsaris.
Prodigia.
Cæsar plures urbes occupat.
Domitij pusillanimitas.
Perhumana Cæsaris denuntiatio.
Pompeij fuga.
Partitio prouinciarum.
Direptio ærarij.
Aristoboli mors.
Massilienses.
Massilia terra & mari obsidetur.
Sicoris. Ilerda

parte aliquot peditum, sed multo plures uulnerati, A foeda inde per biduum tempestas, iugis que pluuia
Sicoris restagnatio. è cœlo lapsa, omnem regionem inter Sicorim & Cingam inundauit, quæ res effecit ut fluminibus late restagnantibus, Cæsar sit in subitum rerum discrimen adductus, omni euagandi facultate pabulatoribus adempta, itineribus aquarum diluuio insessis abruptis que pontibus fluminis impetu. Tenuit ea difficultas plures dies, qua occasione usus Affranius, ex Cæsarianis non paucos oppressit, subita inundatione à suis exclusos. Ea fama rerum Romam perlata, & ex urbe ad Pompeium, rebus in maius auctis, nuntiabãt debellatum esse in Hispania, Cæsaris copias fame & ferro propemodum deletas, ipsum aquis & ui hostium obsessum ad ultimam egestatem redactum. Multæ itaque gratulationes partium, inanis que lætitia fuit. Verum Cæsar uimineis nauibus contextis, curribus que ad fluuium delatis (nam uis illa aquarum iam ex parte remiserat) partem militum occultè traiecit in aduersam fluminis ripam, qui pabulatorum numerum ingentem incautum oppressere, pontibus que studio reparatis, continuò rerum omnium copia secuta est. Sed dum hæc in Hispania geruntur: Mas-
Naualе prælium ad Massiliam. silienses Domitij hortatu naualem pugnam cum Bruto depugnant. Erat Cæsariana classis numero nauium inferior, sed longè uirorum robore præstabat. Massilienses celeritate nauium & maris peritia, aliquandiu prælium procursu celeri ac recursu sunt ludificati. Postremò Romani harpagonibus & manicis ferreis usi, ad statariam pugnam conserendam hostem compellunt, quæ Massiliensibus cruenta & calamitosa fuit, nouem nauibus amissis, cum magna suorum cæde oppidani pro uictis in urbem concessere. Et ad Massiliam sic pugnatum est. In Hispania interea nonnullæ ciuitates ad Cæsarem defecere, à quibus ille peropportunè com- B meatu adiutus est, cæteraque ita mutata, ut hostes, quia interdiu non possent, non nisi noctu frumentarentur, quibus difficultatibus Pompeiani duces adacti, aliò copias transferre constituunt, relictis duabus cohortibus ad Ilerdæ præsidium, copias Sicorim traijciunt, iterque ad Iberum flumen intendunt. Cæsar qui in omnes erat occasiones intentus, equitibus primò in hostem missis, extremum remoratur agmen. Securæ inde legiones, quæ Sicorim nando traiecere. Affranius & Petreius ab hoste retardati, in edito castra faciunt. Cæsar quinque milia passuum inde consedit, exploratáque locorum natura, saltum, qua ducturi erant hostes, præsidio occupat, quo Pompeiani progressi, aliquot cohortibus subito prælio amissis, retrò abire coacti sunt. Nec ita multo pòst, Cæsar eos in arido siticulosóque
De pace agitur. loco adeptus, à fluminis aquatione arcet. Tum ibi re in apertum discrimen adducta, mutua utrinque colloquia fieri cœpta, estque de militum transitione ad Cæsarem agitatum: facileque omnia conuentura uidebantur, si Cæsar ipsos duces incolumes uellet, quod ipsum benignè pollicitus, confestim mixta lætitia, uelut pax confecta esset: citro ultroque ab utrisque in altera castra frequenter est itum. Multi qui ordines ducebant, & Hispaniæ reguli, cum his qui in Pompeianis castris militabant, ad Cæsarem iuere, eius gratiam occupaturi. Cæsarianorum centuriones & tribuni ab Affranianis comiter inuitati, in altera castra conuenerant. Quæ posteaquam sunt ducibus nuntiata, Affranius equiore animo eius rei expectabat euentum: Contrà Pe-
Petreius turbat pacem. treius furens, cum prætoria cohorte, & densa cetratorum manu, ex improuiso ad castrorum munitiones deuolat, militum colloquia dirimit: Cæsarianos à uallo repulsos ferro agit, intra castra deprehensos obtrũcat. Plurimi sago circa læuum brachiũ obuoluto, dextra ferrum uibrantes, sese tuentes globo facto, ægrè in castra refugerunt. Multi quoque la tuere apud hospites per diem, noctuq; ex uallo sunt dimissi. Petreius Affranium & cæteros milites nouo sacramento adegit, ut in fide perstarent. Multo mitius Cæsar qui omnes in suis castris deprehensos incolumes dimisit, nihil hostium perfidiam imitatus. Hæserat itaque his locis bellum, sed Affrania ni multis difficultatibus circunuenti, & in primis laboriosa frumentatione fessi, plures in diem in Iuliana castra transibant. Pompeiani duces ea re permoti castra mouent, quibus abeuntibus Cæsar adeò ferociter institit, ut iniquo loco procul ab aquis, coacti sint metari castra. Tum occasionem diu quæsitam complexus Cæsar, fossa & uallo hostem à Sicoris aquatione excludit, ad quam munitionem impediendam tertio die Pompeiani castris egressi, in conspectu hostium aciem dirigunt. Cæsar in apertum egressus, suos ex aduerso instruit, pugna tamen abstinuit, satius ratus sine cruore uincere. Postridie itaque hostes omnibus malis circunuenti, pacem
Pompeianorũ ducũ deditio supplicitèr poscunt, Affraniusque cum Cæsare congressus, tantum impetrauit, ut ipsi duces ab exercitu discederent, liberique abirent: milites Hispani continuò exautorati domum remitterentur. Romani & Itali quum uentũ esset ad Varum fluuium, qui Narbonensem Galliam ab Italia dirimit, sacramento soluerentur. Atque per hunc modum duo Pompeiani duces cum suis exercitibus sunt à Cæsare subacti. Quæ dum circa Sicorim geruntur, Trebonius qui ad Massiliæ obsidionem fuerat relictus, ea parte qua urbs ad continentem spectat, octogenũm pedum aggerem erexit, huncq; testudo sexaginta pedum præcedebat. Contra hos apparatus urbs ualidè est defensa, dimicatumque est iterum in mari, aucta Massiliensium classe, L. Nasidio cum sedecim nauibus à Pompeio Massiliam misso, & Brutus priori classi aliquot adiecerat. Spectabatur naualis pugna ex urbe & Trebonianis castris. Massiliẽsium matronæ uirgines que è muris, manibus ad cœlum sublatis, uictoriã suis precari. Multæ ante aras & simulachra deorum cum lachrymis proiectæ itidem orabant. Cæterũ Massilienses multo ferocius quàm Nasidiani prælium ingressi, atrox certamen intulerunt. Contrà, Nasidius ubi duas Massilienses fortuitò inter se concursu circa Bruti nauem afflictas uidit, confestim pugna excessit. Nec Massilienses à
Massiliensium clades. suis destituti, diu Romanos tulerunt. Quinque eorum naues sunt depressæ, quatuor captæ, cæteræ disiectæ, aliæ aliò fuga deferuntur. Tenuit nihilominus obsidio, urbsque à terra ualidè à Trebonio oppugnata, ad postremum capta esset, nisi oppidanorum fraude Romanus iam uictor pugnam remisisset. Aggere laborioso extructo, mulculoque mœnibus admoto, diruta turris magna ex parte procciderat, & iam pulsis propugnatoribus, miles in urbem irrumpebat, quum Massilienses fanatico cursu cum filijs ex urbe egressi, inermes que ad legatorum pedes procumbunt, ibique multis lachrymis prouoluti, flebiliter orant, ut dent ueniam miseræ ciuitati, iam nihil esse quod uictoriam remorari possit. Con
Preces Massiliensium. donarent uictis paruam moram, abstinerentque ab iniuria usque in aduentum Cæsaris, in illius potestate futurum, delere ne uelit Massiliensium nomen, an urbem suæ uictoriæ ad posteros monumentum incolumem manere. Cessere legati oppidanorum precibus, miles que ægrè à muris reuocatus, fuerunt que inde aliquot dies uelut bellorum feriæ, habebaturque iam negociũ pro confecto, quum Massilienses obseruata tempestate circa meridiem, quo sanè tempore nullus hostium motus etiam medio ardore belli timeri debuisset, subita ex urbe eruptione, aggerem & turres incendunt, flammaque operibus rece-

bus recepta, priusquã succurri potuisset, omnia con A
Massiliensium perfidia. sumpsit. Legati milites que Massiliensibus irati, machinas & bellica opera mira celeritate reparãt, atrocior que quàm antea oppugnatio hostem deinceps adorta est. Cæsar Affranio & Petreio debellatis, ad Varronem, qui cum duabus legionibus ulteriorem Hispaniam obtinebat, opprimendũ cõtendit, fuitq; prouincia illa minus laboriosa, sine cæde, sine prælio res confecta fuit ciuibus Romanis rem ad illum trahentibus, alteraque legionũ in partes ultrò transeunte. Tum Varro omnibus ciuitatibus exclusus, Gadis iter intendit, quam belli sedem destinauerat, sed Gaditanorum defectione nuntiata, omnium fauore destitutus, eam que supererat, ultrò hosti legio-
Varronis deditio. nem tradidit. Processit Cæsar Gadis usq;. Omnem Hispaniam Cassio cum quatuor legionibus obtinendam attribuit. Ex Gadibus Taraconem naui delatus, terrestri itinere Massiliam petijt, ubi cognouit se dictatorem Romæ à M. Lepido prætore creatum. Massilienses omnibus malis fessi (iam enim hordeo duntaxat alebantur) sub eius aduentum deditionem fecere. Dedit his ueniam Cæsar, magis propter urbis uetustatem, q̃ quod ullum in se Massiliẽsium extaret meritum. Duabus itaque legionibus ad urbis præsidium relictis, ipse cum cæteris copijs in Italiam proficiscitur. Subid tempus Curio cum duabus legionibus in Aphricam delatus, pari copiarum numero in Siciliam relicto, primo appulsu locum circa Vticam occupat. P. Varus qui Aphricæ præerat, & ipse circa urbem castra fecit. Hic Curio paucis diebus auxiliares equitum alas à Iuba missas, semel atque iterum fudit, quo successu imperator est à suis appellatus, quum alioqui is de more imperator diceretur, cuius ductu decem milia hostium cæsa essent. Priuatæ intercedebant Curioni cum Iuba inimicitiæ, quod Tribunus plebis legem promulga- B uerat, de eius regno in publicum redigendo, sub ini- tiumque ciuilis belli Pompeij opera Iuba rex & socius fuerat à senatu appellatus. Dum Curio igitur hic sedet, indicio comperit exercitum per Quintilium Varum à se alienatũ ad defectionem spectare.
Oratio Curionis ad milites. Vltione itaque in aliud tempus dilata, pro concione ita est milites affatus. Nulli dubium est, uiri fortissimi, quod Cæsar grata prædicatione fatetur uestra opera magnam Italiæ partem eius uiribus accessisse. Nam postquam uos qui Corphinij cum Gn. Domitio eratis, in illius fidem ultrò concessistis, cæteri uestrum studium secuti, sine contentione maioréue ulla dimicatione, certatim cum ipsis urbibus in quibus erant, ad eum trasiuere. Nunc quanti uos faciat Cæsar, aut quanti Põpeius fecerit, ex hoc quod dicam, intelligi potest. Hic priusquam uires uestras in re aliqua fuerit expertus, ignauiæ præiudicio fugiens, uelut prædæ hostibus reliquit. Cæsar me, ut scitis, sibi charissimum, duasque nobilissimas prouincias, uestræ fideĩ credidit, & quum tali sit in uos animo, non desunt, ut audio, à quibus ad defectionem solicitemini, uelut parum nota sit omnibus nostri imperatoris felicitas, diuersarum partium fuga, & ignominia. An uero quæ ille in Hispania nuper gessit, parum explorata habetis? quadraginta dierum spatio postquam in prouinciam uenit, tres clarissimos Pompeij duces cum florentissimis exercitibus, totaque Hispania usque ad Oceanum subegit. Massilienses terra & mari domitos ad deditionem compulit. Italia & Galliæ cum eo sunt. Qualis huius sit belli euentus futurus, quilibet potest facile iudicare, nisi qui incolumes resistere non potuerunt, nunc demum perditi resistant, & uos qui dubio adhuc bello Cæsarem secuti estis, nunc demum decreta rei causa uictorem deseratis, ut nullas partes sequamini, præmiaque uestri officij percepturi, periculum & uitæ discrimina adeatis. Se proditos à uobis queruntur, prioris sacramenti mentionem fa-
ciunt, uos L. Domitium an ille uos deseruit? nónne ille militem extrema pati uolentem proiecit? Ille sibi saluté occulta ex Corphinio fuga, nõ uobis quæsiuit. Ab eo proditi Cæsaris beneficio seruati estis. An eius ducis sacramento tenemini, qui abiectis fascibus, depósito imperio priuatus, & captus, in alienam uenit potestatem? Relinquitur noua religio, ut neglecto nouo sacramento cui adacti estis, illud respiciatis, quod ducis deditione, & diminutione capitis est sublatum. At credo quia Cæsarem probatis, Curionem negligitis, neglectumq; deserere paratis. Etenim ut de meis in uos meritis nihil dicam, quæ sunt adhuc & mea uoluntate & uestra expectatione leuiora, qualis sim futurus ne ipsi quidem dubitatis, nec mea in administrando bello felicitas, uobis credo suspecta est: Catonem Sicilia eieci, incolumem exercitũ in Aphricam deportaui. Hostem bis fugatum cecidi; ducétas onerarias naues uno edicto ex Vtica huc extraxi. Eò rem perduxi, utneq; nauibus, neque pedestri itinere, amplius hostis commeatu leuari possit. Et uos hac fortuna, his ducibus repudiatis, Corphinienses ignominiam respicitis, uelut parum adhuc constet, utrius partis melior sit fortuna, uictoriæq; propinquior. Quod autem ad me attinet, quum Cæsaris miles dici uellem, uos me impera- *Peroratio.*
torẽ appellare maluistis, cuius nominis si uos pœnitet, beneficiũ uobis remitto: mihi meum nomen restituite, ne si quid peius statueritis, ad ignominiã id datum uideatur. His Curio ad milites usus, ut uehemens erat in dicendo (tres enim in familia Curionum clarissimi oratores cõtinua serie fuisse traduntur, quorum hic unus fuit) adeò sunt militum animi cõmoti, ut infidelitatis suspicionem auersati, sæpius dicentem interpellare conati sint, finguliq; discedentem è concione, certatim hortati ut bono esset animo, duceret se in prælium, ac ipsorum fidem experiretur. Postridie itaq; est in aciem descensum, paruaq; dimicatione Vari acies fusa, multiq; ante castrorum munitiones interfecti, qua clade territus Pompeianus dux noctu cum toto exercitu Vticam ingreditur, uelut urbis munitionib. tutior futurus. Iam & Vticenses aduersis partium rebus territi, de deditione facienda cum Varo agere cœperãt: quum *Iubæ aduentus fama.*
literæ à Iuba allatæ significarunt se breui cum ingenti exercitu affuturum. Curio qui urbem obsidere cœperat, audito regis aduentu (haud amplius quinque & uiginti milibus passuum aberat ab Vtica) sese in Cornelia castra recepit. Id loco nomen erat, quem à Curione sub primum in Aphricam appulsum, captum ostendimus. Misit & in Siciliam, ut confestim duæ legiones, quæ à se ibi relictæ fuerãt, prima tempestate adessent: ipse, quod tutissimum erat, bellum in suorum aduentum trahere constituit. Interim ex quibusdã Vticensibus perfugis cognoscit Saburam *Saburæ Iubæ præfectum.*
regis præfectum, cum mediocribus copijs uenire, regem Leptitanorum cõtrouersijs in regno restituisse. Tum ille iuuenta & rerũ successu ferox mutato consilio, cum hostibus acie dimicare constituit, equites que noctu mittit in Saburam, qui castra ad Bragadam fluuiũ fecisse dicebatur. Illi ex improuiso Barbaros adorti, incõditos & sparsos, intra extraq; munitiones iacentes quamplurimos interficiunt, reliquos fuga dilapsos in castra compellunt, req; sic bene gesta, haud procul inde digressi ut retrò in castra abirent, in Curionem qui quadrato agmine aderat, incidunt. Ille lætus suorum successu, quum ex captiuis quæsiuisset, quis præesset castris, respósumq; esset Saburã: haud ultra de rege scisciatus, quia cum transfugarum indicio ea conueniebant, ad hostem ire pergit. Sed rex quinq; milia passuum post Saburam consederat, qui factus certior de his quæ noctu acciderãt, confestim ad duo milia Hispanorũ Gallorumq; equitũ peditumq; lectissimorũ partem suis subsidio mittit, ipse sedato gradu cum quadraginta

elephantis instructo agmine sequebatur, suspicatus quod erat præmisso equitatu Curionem haud multo pòst affuturũ. Sabura suis edicit, ut simulato metu quàm longius possint hostem cursu fatigent. Cursu ueram fugã arbitratus, Barbaros per aliquot milia passuũ sequitur repentè, in quem longo cursu defessum, Sabura agmen conuertit. Romani etsi multa
Romanorum lassitudo. infectatione fatigati, hortatu tamen Curionis prælium ferociter ineunt, sed crescente pugna Barbarorum acies continuò aucta est, alijs super alios à rege aduenientibus, degrauabaturq; iam undique Romanum agmen, quum insigni paucitate, tum quia uirib. exhausta corpora ad terram sua sponte defluebant. Pauor itaque & luctus tum demum animos occupat. Curio ubi rem perditam uidit, proximos colles ut sui capiant edicit, eoque iubet inferri signa. Sed hostis Romanos præuenit, tumultuoseq; celeri cursu occupat, ne eò pateret Curioni receptus. Tum uero passim sit fuga, multiq; aut ferro, aut equorum attritu, medio conatu opprimũtur. Dux ipse à suis monitus, ut cum ijs equitibus qui adhuc circunstabant, sibi salutem quæreret, negauit se amisso exercitu quem suæ fidei Cæsar credidisset, amplius uicturũ,
Cædes Curionis & militũ. atque ita ad extremum dimicans concidit. Milites ad unum ferè interfecti sunt. Ex equitibus qui in castra refugerant, cum ijs qui ad præsidium castrorum remanserãt, alij in naues trepidè ingressi, in Siciliam abierunt. Alij Varo dediti eo inuito, ac querẽte non licere sibi fidem deditis præstare, subæ regis iussu, in Vticæ mœnibus constituti telorũ multitudine sunt confixi. Sub id tempus aut certè non multo prius,
C. Antonius à Põpeianis uincitur. C. Antonius Cæsaris legatus, circa Illyricum ab Octauio Dolabella nauali prælio superatus, in hostiũ potestatem uenit. Opiterginorũ cohors amisso duce, locorumque iniquitate atque hostium arte circunuenta, quia concurrendi facultas non daretur, uinculisq; impliciti ratem qua uehebãtur, expedire B non poterant, mutuis se uulneribus confecerunt, ne uiui in hostium potestatem uenirent. Cæsar ex Hispania reuersus, tãdiu circa Placentiam substitit, donec legionem seditione exagitatam, ad officium retraxit, autoribus nouis motus capitali supplicio affectis. Romã inde reuersus, proximis comitijs se con-
Consules. sulem cum P. Seruilio creauit. Prima cõsularis actio fuit, quia creditæ pecuniæ non dissoluerentur, ut æstimationes possessionũ fierent, quanti earum quæque ante ciuile bellum æstimari potuissent, atque ita secundum eam æstimationem creditoribus assignarentur. Mox autor fuit ut tribunitia rogatione in urbem restituerentur omnes qui lege Pompeia ambitus, aut maiestatis, alteriúsue noxæ damnati essent. Cuncti præter Milonem restituti sunt: cur illi reditus non sit confectus, haud planè uideo, popularis credo Clodij memoria obstitit: aut certè qa ut nonnulli prodiderunt, Massilia fuit illi exilij sedes, quæ ciuitas Pompeianas est opes secuta. Cæsar paucis diebus deposita dictatura, Brundusium proficiscitur, eò duodecim legiones & omnem equitatũ conuenire iusserat. Hinc profectus cum quindecim milibus legionariorum & quingentis equitibus, plures enim nauium inopia traijci non potuere, per medias hostiũ stationes circa nonas Ianuarias in oram Macedoniæ transmisit, locus quo primum ille appli
cuit, Palæste est dictus, Orico uicinus. Quidam Palæstinam scripsere, alij Pharsaliam. Plutarchus Apolloniam tenuisse ait. Pompeius interim annuum spatium ad firmandas partes nactus, ex Asia, Cycladibus insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Sy-
Põpeij copiæ. ria, Cilicia, Phœnice, & Ægypto: classem sexcentarũ nauium, ut Appianus scribit, conflauerat. Legiones undecim ciuium Romanorum delectorũ, equitum septem milia. Auxilia præterea undique aderant, ex Gallogræcia Deiotarus. Ariobarzanes ex Cappadocia. Cotis filius ex Thracia, & Rascipolis ex Macedo

A nia, alijque ex alijs locis cum auxiliaribus copijs ad Pompeium uenerant. Insederat ad hæc ille maritima oppida naualibus præsidijs, & pelagus quod Italiam & Macedoniam interiacet, classibus compleuerat, ut Cæsarem à Macedoniæ traiectu arceret, præfeceratque Asiaticis nauibus D. Lælium, C. Triarium Syriacis, C. Cassium Rhodijs, C. Marcellum & Gn. Pompeium Lyburnicis, Trebonium & Octauium Libonem Achaicis. Cæsar post suum in Macedoniam appulsum, sequẽti nocte naues Brundusium remisit, quarum triginta Bibulus qui cum classe erat Corcyre, subito incursu cepit, captas cum ipsis nautis, flamma concremauit, tanto maiore ira Pompeiani eo tempore bellabant, quàm Cæsariani. Interim Octauius, qui erat in Delmatiæ ora, Issa à Cæsare alienata, Salonas tumultuose adortus, *Salonæ uelut defenduntur.* quinis castris oppidanos fatigabat, quorum tanta fuit constantia, ut seruos manumiserint, ademerintque mulieribus capillos, quibus arcus & bellica tormenta intenderent. Postrèmò subita eruptione facta, Octauij castra primò oppidani expugnant, inde reliqua ordine occupant. Pompeiani cum ignominia & tetra cæde, ad mare compelluntur, atque infecta re Dyrrachium pro uictis abierunt. Cæsar haud multo postquam in Macedoniam uenit, per L. Bibulum Ruffum de pace cum Pompeio egit, *De pace per tremo agitur.* sæpe aliàs per amicos tentata, ut ambo ab armis discederent, quod ab initio fuerat petitum, ne maior aliqua clades ex ea discordia oriretur Reipublicæ, quantum enim in bello fortuna posset, uterque sibi suis incommodis satis esset documẽto. Id unum esse tempus componendæ rei, dum sibi uterque confideret, & pares ambo uiderentur, si præsens occasio prætermissa fit, haud dubiè ita euenturum, ut fortuna alterutrò inclinante, is qui postremò sibi superior uideretur, minimè sit pacé probaturus, haud B æqua parte contentus, si se omnia habere posse confidat. Hæc Cæsar: Sed Bibulus siue noluerit, siue in tanta rerum trepidatione non potuerit, mandata non statim pertulit, sed quum aliquãto postea Pompeium de ea re appellasset, ab eo interpellatus, iussus est nihil ulterius loqui, quando ne uita quidem sibi opus esset, si beneficio Cæsaris in urbem restitueretur. Cæsar eo die quo Pharsaliam applicuit, Oricum progressus, oppidanorum studio urbem ex L. Torquato recepit, pari celeritate & Apolloniam occupat, Apolloniatis ultro accipientibus. Id deditionis studium secuti Bulidenses, & Amantij, alijque plerique populi portas patefaciunt. Erat tum Pompeius in Candauia, acceptoque de ijs quæ circa Oricum & Apolloniam fiebant nuntio, Dyrrachium magnis itineribus petijt, ne ciuitas ad bellum opportunissima hostis interuentu alienaretur. Fuit Pompeij & exercitus qui eum fequebatur, iter fugæ simillimum, uerum ubi in urbis conspectu constitit, eodem loco castra muniri iussit. Ibi T. Labienus, qui Cæsaris partibus relictis, iam Pompeianus erat factus, autor fuit, ut omnes legiones in Pompeij uerba iurarent se non signa deserturos. Cæsar & ipse præpropere Dyrrachium ducit. Sed hostibus præuentus, in finibus Apolloniatum, ad Abantem fluuium castra fecit, reliquas ex *Cæsaris castra* Italia copias, eodem loco sub pellibus expectaturus. Pompeius quanquam pars hyemis adhuc supereret, castra tamen & ipse trans Tapsum amnẽ metatus est. Calenus interim Cæsaris literis factus certior, oram Macedoniæ totam hostium classibus teneri, quod credo significabatur, ut cautius appelleret, quum iam Brundusinũ esset portum egressus, ut cũ cæteris copijs ad eum transmitteret, periculo territus, retrò cum tota classe uela fecit. Per eos dies Romæ Cælius Ruffus prætor debitorũ causa susceptа, cum patrib. & Seruilio consule inuitis, ius aduersus creditores diceret, magistratu priuat⁹, Milonem qui unus

quinus omnium à Pompeio damnatorũ non fue- A rat restitutus, in Italiam ad res nouas moliendas exciuit. Is gladiatorijs familijs sibi adiũctis Cosam oppugnatione adortus in Turino agro ictus saxo
Milonis interitus. perijt, nec multo pòst Ruffus ab equitibus Gallis qui in ea Italiæ parte tum forte erant, interficitur. Sic intra paucos dies nouus ille Italiæ motus, post autorum interitum resedit. In ora Macedoniæ circa Oricum Pompeianæ naues tanto studio mare asseruabant, ut aquatione uetiti Cæsariani ab hostibus qui littus tenebant, nocturnum rorem lamberẽt ex pellibus quibus naues tegebãtur. Vrgebat interim Cæsar Antonium & Calenum literis, ut primis ad se tempestatibus transmitterent. Id uero quum segnius fieret, sub noctem pauciſsimis comitatus, ad mare descẽdit in Italiam traiecturus. Lembum itaque ingressus atque in altum euectus, magnitudine tempestatis est pene obrutus. Quidam piscatoriã cymbam eam fuisse scribunt, sed ueriora mihi uidentur, quæ Plutarchus prodidit (nam Cæsar nihil de ea re scripturum reliquit) is autor est nauim duodecim remorum per Annium Flauium ad mare demissam. Cęterum quia nocte illa uehementius uenti è Ponto spirassent, magni ad ostium fluminis propellebantur fluctus, cum quibus nauigij rector aliquandiu colluctatus, quum uis maris insuperabilis uideretur, cœpisset que ille metu circumagere nauim, ut retro abiret, eum Cæsar seruili habitu latens manu apprehendit, quin, inquit, procul tendis? Cæsarem uehis, & eius fortunam. Superato itaque fluminis ostio in maiorem pelagi sæuitiam incidunt, quàm animo conceperãt. Tum uero Cęsar feminaufragus gubernatori permisit ut retro flecteret cursum, in castra se recipientem pluribus querelis milites accipiunt, quod absentium gratia apertum uitę discri-
men adijsset, uelut præsentibus copijs parum con-
Antonius cum copijs in Macedoniã transijt. fideret. Nec multo pòst Antonius cum reliquo exercitu, ex Brundusio Nympheum tenuit incolumi B classe, duæ naues destitutæ in anchoris ante Lissum steterunt, unius earum tyrones Octacilius, qui cum classe eam oram insederat, sibi deditos contra iusiurandum crudeliter necauit. Altera quæ ueteranos uehebat, die in conditionibus tractandis de industria consumpto, sequenti nocte in proximum littus decurrit, milites que in terram egressi, per medias hostium stationes ad suos peruenere. Cæsar Antonio cum copijs recepto, quia rei frumentariæ inopia premebatur, Gn. Domitium cum duabus legionibus & quingẽtis equitibus, in Macedoniam misit. Caluisium Sabinum cum cohortibus quinque in Ætoliam. L. Cassium longinum cum legione tyronum in Thessaliam. Ex his terris plurimæ ciuitates ad eum miserant legatos, qui deditionem pacti præsidium peterent. Veniebat L. Scipio per id tempus ad Pompeium cum auxiliariorum exercitu, qui in Asia & Syria, quam ei prouinciam ab initio ciuilis motus datam ostendimus, fœdam auaritiæ notam contraxerat, ob acerbam tributorum exactionem. Is ad Domitium, qui in Macedoniam fuerat missus, flexit iter, à quo insidijs exceptus duabus est equitum turmis exutus, quibus diebus Gnęus Pompeij filius qui Ægyptiæ præerat classi, longas naues Cęsaris quæ ad Oricum stabant, refracta portus munitione incendit, inde Lissum expugnare adortus, nau-
alib⁹ socijs aliquot circa muros amissis, infecta re inde abduxit classem. Cæsar interea ad Asparagum Dyrrachinorum (sic erat loco nomen in quo Pompeius castra fecerat) cum omnibus copijs progressus est, postridieque structa acie in conspectum ho-
Cæsaris strategema. stium uenit, prælio dimicaturus. Mox ubi ab hoste nihil moueri uidit, aliam ingressus uiam ad Pompeium eliciendum circũacto exercitu, uelut procul inde abiturus, Dyrrachium ire pergit, quo Pompeius

omnem belli apparatũ contulerat. Sensit non multo pòst id Pompeius, uerum priusquam occurri potuerit, Cæsar inter ipsum hostium agmen & urbem castra fecit. Pompeius Dyrrachio exclusus, in edito metatur castra, Petræ erat loco nomen: ibi Cęsar ne bellum longius traheretur, Pompeij castra munitionibus circunuallat, in tumulis qui plurimi circunstabãt, castella militari opere erigit, circuitum quindecim milium passuum complexus, continuata munitione per tumulorum interualla, nequa hostis eruptionem faceret. Siquidem Cęsar non solum id belli compendium arbitrari, sed ad famã etiam utriusque ducis pertinere, si totus oriens, ubi celebre erat Pompeij nomẽ, audiret ducem ipsum ab hoste munitionibus inclusum, nec à principio ausum cum Cæsare congredi, nec posse iam si uelit amplius. Est itaque opus ipsum haud modico certamine ad exitum perductum, eratque nouum obsidionis genus, ut multo plures à paucioribus obsiderentur. Obsessi commeatu abundarent, quando quolibet uento- *Pompeius obsessus.* rum flatu, multitudine nauium, quæ dextra læuaq; aderant, in ea castra importarent. Qui obsidebant omnium rerum inopia premerentur, uel in primis rei frumentarię. Repertum est à Cæsarianis quoddam radicis genus (Chara id dicebatur) ex ea ad leuandam inopiam panem factitabant, affirmantes hostibus sibi famem exprobrãtibus, prius futurum ut corticibus arborum uescerẽtur quàm Pompeianos inclusos emitterent è manibus. Ferũt pane uno ex ea materia ad Pompeium delato, cęteris gestientibus, uelut per ea debellatum esset cum hoste quẽ fames conficeret, prudentissimum imperatorem in gemuisse, dixisseque cum feris sibi rem esse: & neho stium patientia suorum animi frangerentur, uetuit *Panis herbaceus.* panem militibus commonstrari. Cæsar omni genere commeatus præterquam frumenti suos eo tempore abundasse prodidit. Facta sunt interim aliquot B nocturna prælia ex alterutrius partis occasione. Postremo Pompeiani à L. Sylla qui per noctem suis legionibus auxilium tulerat fugati, uictoriæ fortasis uiam dedissent, si Cæsarianis instare uoluissent. Inhibuit ille suorum cursum functus officio ab imperatore sibi iniuncto, ut tantum propulsaret hostes, pulsis nullo modo instaret, ne in insidias præcipitaretur. Dimicatum est uno tempore pluribus locis circũ castella tumulis imposita, quæ quatuor & xx. numero fuere, cæsaque sunt ex Pompeianis ad duo milia euocatorum, sex signa militaria adempta. Scæ- *Scæuæ uirtus.* uæ centurionis scutum est ad Cæsarem relatum decẽtis & xx. ictibus perforatum. Nec ipse imperator id facinus est ingrate prosecutus, Scæua uiro fortissimo ducentis milibus æris donato, traductoque ab octauo ordine ad primipilum. Hæc Cæsar: nisi sit forte in nomen erratum, nam Plutarchus centum triginta ictibus Scæuæ clypeum confossum scribit. Tranquillus adhuc decem minus, humeroque & femore transfixis. Pari exemplo fortitudinis usus & Acilius, atque idem Cæsarianus, qui nauali prælio ad Massiliam iniecta in hostium puppem *Acilij fortitudo.* dextra, eaque abscissa, memorabile illud Cynigeri exemplum apud Græcos imitatus, hostilem nauim irrupit, obuios umbone propulsans. Nec multo pòst Rosillus & Egus fratres Allobrogici equitatus duces increpiti à Cæsare, quòd stipendium à se acceptum malignè equitibus redderent, ad Pompeium, cum aliquot ex suis popularibus transfugerunt. Ab his ille non pauca eorum doctus, quæ apud hostem fierent, ui erumpere constituit. Sexaginta igitur lectas centurias noctu eduxit ad eam munitionis partem, quæ longissime à prætorijs castris aberat: eam partem Lentulus Marcellinus præsidio obtinebat, cui ob aduersam ualetudinem, Cæsar Fuluium Posthu-

mium ſubmiſerat. Erat eo loco foſſa quindecim pedum, & uallum hoſti oppoſitum. Patebat agger ab interno uallo ad externum latitudine centenũm pedum, foſſa ab utraque parte proiecta, ut ſi dimicandum eſſet, utrinque reſiſti poſſet. Cæterum operis magnitudo nõ paſſa erat opus circa mare ad exitum perduci, quod per Allobroges trãsfugas Pompeius cognouit. Militibus itaque terra & mari huc perductis, uno tempore intra extraque hoſtem Pompeiani fatigant. Obruebãtur Cæſariani multitudine telorum, ancipitique prælio degrauati fugam capeſſunt, tantaque fuit conſternatio, ut cohortes quæ ex proximo accitæ ſubſidio aderant, ſecum fugientes auerterint, mox alias atque alias. Poſtremo Antonij interuentu, qui cum duodecim cohortibus occurrerat, circa Marcellini præſidium ſuppreſſus eſt hoſtium impetus. Comittitur hic atrox prælium. Superuenit Cæſar cum aliquot cohortibus, ibi hoſtem citra munitionem omnia tenere intuitus, ſuos illis uallum obijcere præcipit, ut foſſa poſt eos qui in fronte dimicabant celeriter educta, præſenti conatu hoſtis auerteretur. Ipſe diuerſa parte cum tribus & triginta cohortibus Pompeij caſtra ex improuiſo adortus, confeſtim munitiones irrupit. Affuit Pompeius cum legione una ſuis auxilio: ibi Cæſariani qui in caſtris erant, munitionum perplexitate impliciti, ſua ſponte turbari incipiunt primaque trepidatio ab equitibus orta, mox ubi non uno loco premi ab hoſte cœperunt, creſcente metu tota multitudo è caſtris præceps agitur. Tetra ibi & fœda colluctatio orta in apertum euadere feſtinantium, cęci in foſſas ruunt, per abrupta præcipites eunt. Alij alio caſu pereunt. Cæſar ſuorum fugam ſiſtere conatus, hunc prehenſare, illum hortari, alium reuocare, ſigniferis obiecto ferro obſiſtit, ſed neque precibus neque minis reſiſti potuit, fœda fuga, cædes fœdior paſſim edita: ipſe quum medio conatu quendam procera ſtatura militem dextera apprehendiſſet, ut loco ſiſteret, ab eo haud dubie transfixus eſſet, niſi uibrati in Cęſarem gladij ſcutigerorum unus oppor tune excepiſſet ictum. Vna res ſaluti fuit, ne uniuerſus deleretur exercitus, quòd Pompeius ueritus, ut creditur, inſidias, ſuorum curſum inhibuit, præſenti ſucceſſu contentus. Cæſar in caſtra reuerſus, dixiſſe fertur Põpeium neſciuiſſe eo die uictoria quæ parta eſſet uti. Perierunt Cæſarianorum militum noningenti, equitum duo & ſexaginta, & triginta centuriones, decem tribuni militum. Signa militaria triginta duo amiſſa. Pompeius ex prælio imperator eſt appellatus. Labienus qui ante Allobroges transfuga, ut dixi, erat factus, captiuos omnes à Pompeio impetrauit, quos per contemptum interrogatos, an ueterani fugere conſueſſent, ad unum omnes interfecit. Extulit is ſucceſſus Pompeianos ſupra modũ, ut per totum orbem terrarum literas darent, Cæſarem uictum, ac profligatum, fugam & latebram meditari. Ille mutandam belli rationem ratus, milites ex omnibus præſidijs uno tempore euocatos, pro concione hortatus eſt, ne ea quæ acciderant grauiter ferrẽt, nec ad unam aduerſam pugnam animum remitterent, ſed prælium illud aduerſum proſpere geſtis opponerent, habendam fortunæ gratiã quòd Italiam ſine prælio occupaſſent, quòd duas Hiſpanias cũ tribus exercitibus deditas obtinerent, quòd Sicilia & Sardinia frugiferæ inſulæ ſuis tenerentur præſidijs, oportuiſſe fortunæ inuidiam aliquo detrimento leuari. Eam cladem exercitui potiuſquam ſibi imputandam, quantum in ſe fuit expugnata fuerant hoſtium caſtra. Cæterum ſiue militum metus, ſiue error, ſiue uis fortunæ, uictoria haud dubie parta è manibus fluxerat, dãdam itaque omnibus operam, ut acceptum incommodum uirtute reſarciretur. Hacque concione habita, ex ſigniferis quoſdam ignominia notauit, locoque mouit. Cætero exercitui tantus inceſſit mœror ex præſenti clade, tantus pudor ex fuga, ut pœnam in ſe ultro milites depoſcerent, magisque conſolandi fuerint, quàm puniẽdi, efflagitabantq; una uoce ut in prælium iterũ ducerentur, futurum, ut aut fortiter caderent, aut ignominiam illam uno prælio emendarent. Haud uiſum eſt Cæſari militem recenti prælio pulſum hoſtibus obijciendum, ſed tantiſper dum animi reficerentur, inde copias abducere ſtatuit. Impedimentis itaque prima uigilia præmiſſis, & cum his legione una quę illis præſidio eſſet, quarta inde uigilia totis portis cæteras ordine legiones dimiſit, quæ quum aliquãtulum proceſſiſſent, iuſſi militari more uaſa conclamare, ſecundumque id ſignum ipſe quum duabus legionibus quas ſecum tenuerat, ſubito egreſſus, pleno gradu ducens progreſſum agmen aſſequitur. Pompeius Cæſarem ſecutus ad Alparagum conſedit. Cæſar trans Genuſum amnem in ſuis ueteribus caſtris tandiu conſtitit, quoad Pompeianos alios alijs rebus occupatos ſenſit, tum repetita uia ad octo milia paſſuum ulterius proceſſit. Inde Apollonia, Orico & cæteris urbibus præſidio firmatis, per Epirum & Acarnaniam in Macedoniam flexit iter. Põpeius & ipſe per Candauiam eodem ire pergit: uterque, hic Scipioni, ille Domitio latum auxilium uolebat: nam duces ipſi ex aduerſo caſtra in Macedonia iam antea contulerant. Domitius audito Põpeij aduentu ad Ægynium Cęſarem expectauit, quo Cæſar paulo pòſt uenit, Domitioque cum legionibus recepto, Gomphos proceſſit, quod eſt primum Theſſaliæ oppidum. Erat tum Gomphis Androſthenes Theſſaliæ prætor, cum magna euocatorum manu, is ſtudio cum fortuna mutato, poſt aduerſam ad Dyrrhachium pugnam ad Pompeium rem trahere adortus, uenienti Cæſari portas clauſit. Cæſar munitis caſtris ſcalas & muſculos ad oppugnationem expediri iubet, propoſitaque militibus præda, oppidum nona diei hora oppugnari cœptum, priuſquam Sol occideret, etſi altiſſimis mœnibus præditum, ui captum diripuit. Gomphenſium clades in cauſa fuit, ut omnes Theſſaliæ urbes præter Lariſſam, quæ magno Scipionis præſidio tenebatur ad Cæſarem ſtudia inclinauerint. Paucis inde diebus interiectis Pompeius in Theſſaliam uenit, iunctisque cum Scipione caſtris, ita eſt cum eo honores partitus, ut apud illum claſsicum caneretur, eidemque alterum tenderetur prætorium. Auxerant Scipionis copię mirum in modum Pompeij exercitum, adeoque ſpes uictoriæ omnium animos occuparat, ut quicquid temporis ad pugnã intercederet, id morari reditum in Italiam crederent: & quia Pompeius nil temere facturus uidebatur, eam conditionem in peius accipientes, captum illum imperij conſuetudine de induſtria bellũ trahere inſimulabant. Magna adhæc inter Pompeianorum principes orta erat de præmijs altercatio. Alij conſulatum, alij ſacerdotium, alij Cæſarianorum ſibi bona depoſcebant. Domitius Lentulus & Scipio de Cæſaris pontificatu, ad conuicium uſque publicè diſceptabant. Hæc illi. Cæſar ſuæ uirtutis & felicitatis haud immemor, plures dies inſtructa acie, in æquum deſcendit, nullam pugnæ moram facturus, ſi pugnandi copia ab hoſte facta eſſet, eſtque equeſtre prælium ſemel commiſſum Iulianis non pœnitendum. Verum quia Pompeius ad certamen elici non poterat, in animo habebat Cæſar aliò copias abducere, ut hoſtem è ueſtigio ſequentem in aliquam dimicandi neceſsitatem adduceret: & iam moueri cœperant ſigna, quum Pompeij acies pluſculum ſolito à caſtris proceſſiſſe uiſa eſt. Ea res effecit, ut Cæſar ſpe futuræ pugnæ in ueſtigio permanſerit, tunicamque rubram ante tabernaculum ſuſpenderit. Id erat pugnæ ſignum quod militibus proponebatur. Hic uarie traditur,

Pompeius Cæſaris munitionem adoritur.

Cæſar Põpeij caſtra irrumpit.

Cæſarianorũ fuga.

Cæſorum numerus.

Verba Cæſaris ad milites.

Cæſar caſtra mouet.

Gomphi à Cæſare diripiuntur.

Stulta Pompeianorum ſententia.

Tunica rubra belli ſignum.

ditur, intuitus ne Pompeius ad pugnam proceſſerit, an prælij & hortator & dux fuerit. Cæſar magno animo illum ſuis uictoriam pollicitum ſcribit. Plutarchus & Appianus diu multumque reluctatum, ne de ſumma rei decerneretur, quando haud dubie Cæſar cunctando facilius uinci poſſet, cui unus Cato ſit aſſenſus, quia ciuibus parcendum exiſtimabat. Nam Dyrrachina pugna Cæſarianorum ſtragem intuitus, obuoluto capite lachrymans ſeceſſit. Plutarchus quum ad Pharſalum pugnatum eſt, Catonem abfuiſſe dicit. Cæteri nunc Agamemnonem, nunc regum regem appellando, atque ex breuiſſima cunctatione illi inuidiam facientes, ut ſignum proponeret, perpulerunt. Nec quibus copijs conflixerint omnino inter autores conſtat. Plutarchus & Appianus mille equites, militum duo & uiginti milia Cæſari affuiſſe ſcribunt, quibus ipſe Cæſar aſtipulatur, Pompeio quinque & quadraginta milia peditum, ſeptem equitum in aciem deducta. Alij ſexaginta milia Italorum, quidam ſeptuaginta eo prælio concurriſſe prodiderunt. Qui rem in maius auxere trecenta milia. Alij quatercentum utrinque in pugnam producta meminerunt, quorum tertia pars fuerit Cæſaris, ſed quibuſcunque eſt copijs concurſum, Cæſar ubi pugnam inſtare uidit, ſuos in aciem ductурus, dirui iuſsit & æquari caſtrorum uallum, ne cui ſuorum ſpes eſſet receptui, quod Pompeianorum quidam intuiti hoſtem fugam meditari interpretabantur. At Pompeius aliter, qui multis audientibus teſtatus eſt uidere ſe eo conſilio Cæſarem in prælium ire, ut aut cum ſuis caderet, aut hoſtium caſtris potiretur. Acies ita utrinque ſunt inſtructæ. Dextrum cornu tenuit Cęſar. Læuum Marcus Antonius. Media acies Domitio Caluino data. Ipſe Cæſar ſcripſit, dextrum cornu P. Syllæ à ſe datum, ſe contra Pompeium ſtare uoluiſſe, qui in aduerſa acie dextrum cornu rexit. Læuum Gn. Domitius, Scipio in medio procurabant. Poſtquam igitur ſigna cecinerunt, Craſtinus euocatorum unus in hoſtem procurſurus Cæſarem reſpexit, atque alta uoce, faciam, inquit, hodie ô imperator, ut aut uiuũ me aut mortuum laudes. Hunc eunrem centum uiginti milites ſecuti ſunt, inde reliqua acies procurrit. Pompeiani immoti, ut iuſsi fuerant, quod Cæſar reprehendit, uenientes & concitatos curſu hoſtes excipiunt. Inde equites ex aduerſo confligunt, ſagittariorumq; multitudine Cæſaris equitatus paululum ceſsit. Tum Pompeiani equites ſiniſtro cornu cõſpicati patefactam ſibi uiam ad dextrum Cæſaris circũueniendum, alas pandere incipiunt, equosque circumagere. Quem hoſtium conatum Cæſar diſcuſſurus, dat ſignum quartæ aciei, quam in hunc uſum præter conſuetudinem eo die poſt omnes ordines locauerat, mandatque ſimul hoſtium equites inuadi. Subſidiariæ cohortes accepto ſigno, tanto impetu ſunt in hoſtem inuectę, ut momento temporis totum equitatum ea parte auerterint. Ibi ſagittarij ab equitibus deſtituti ad unum fere cæduntur. Ferociter inde cohortes illæ præteruectę ſiniſtrum Pompeianorum cornu à tergo inuadunt. Reſiſtebant tamen Pompeiani, uerum tertia acie eodem Cæſaris iuſſu immiſſa, confeſtim ea quoque parte in fugam uertuntur. Pompeius ubi fatigatos equos uidit, cæſosque ſagittarios, magnamque aciei partem profligatam, acie egreſſus in caſtra ſeſe recepit, ſummæ rerum diffidens, expectaturus tum præſentis certaminis euentum. Cæſar Pompeianos ad caſtra confecutus, ſuos hortatur ut uallum irrumpant, nec patiantur hoſtem reſpirare: quod tanta animorum alacritate eſt factum, ut confixis telorum iactu propugnatoribus, cæteris in fugam actis confeſtim caſtra fint capta. Pompeius hoſtem intra munitiones intuitus, proiectis inſignibus, equo ſedens decumana porta quatuor duntaxat comitatibus egreſſus citato curſu Lariſſam contendit. Neque hic multum commoratus, eadem celeritate paucos ex fuga nactus, ad mare deſcendit, ibi frumentariam nauim adeptus, quã Petitius quidam agebat, homo ſibi non ignotus, cum triginta circiter comitibus eam aſcendit, Lesbum profectus, ubi Cornelia uxor ſepoſita erat. In caſtris poſt Pompeij diſceſſum fuga palam facta eſt, eaque magna ex parte ad montes inclinauit, ſed multo maior numerus Lariſſam petijt. Cæſar parte copiarum in illis relicta, ipſe cum quatuor legionibus hoſtem è ueſtigio ſequitur, magnumque eorum numerum aſſecutus, atque in tumulo quem ex fuga occuparant circũſeſſum & aquatione excluſum, poſtridie ad deditionem compulit. Aſinius Pollio qui ſub Cæſare militauit, ſex milia Pompeianorum eo die cęſa prodidit. Alij quinque & uiginti milia tradiderunt. Cæſar ad quindecim milia perijſſe autor eſt. Ceciderũt in acie ſenatores decem, & cum his L. Domitius quę Cæſar ad Corphinium obſedit. Signa militaria relata centum lxxx. Aquilæ undeſexaginta. Capta eodem prælio ex Pompeianis quatuor & uiginti milia, & in his M. Cicero, ut quidam ſcribunt, homo magis ad eloquentiam quàm ad rem bellicam natus. Plutarchus eum ob aduerſam ualetudinem Pharſalicæ pugnæ negat interfuiſſe, ſed cum M. Catone qui claſsi circa Dyrrachiũ præerat, per id tempus uerſatum. Geſſerat Cicero pene ſe medium ab initio ciuilis belli, & ob id utrique partium parum gratus. Congreſſus eſt cum Cæſare ſemel poſt Pompeium ex Italia eiectum, quaſi de pace acturus, mox ille in Hiſpaniam profectus, quum rumor increbuiſſet M. Tullium ex Italia ad Pompeium nauigaturum ut eſſet in partibus, ex itinere ad eum literas in hanc ſententiam dedit. Cæſar imperator S. dicit Ciceroni imperatori. Etſi te nihil temerè, nihil imprudenter facturum iudicarem, tamen permotus hominum fama ſcribẽdum ad te exiſtimaui, &'pro noſtra beneuolentia petendum, ne eò progredereris, inclinata iam re, què integra hoſtium fortuna progrediendum tibi non exiſtimaſſes: nam & amicitiæ grauiorem iniuriam feceris, & tibi minus commode conſulueris, ſi non fortunæ obſecutus uideberis (omnia adhuc uidentur ſecundiſsima nobis, aduerſiſsima illis acciditſſe) nec cauſam ſecutus (eadem enim tum fuit quum ab eorum conſilijs abeſſe iudicaſti) ſed meum aliquod factum condemnaſſe, hoc mihi grauius abs te nihil accidere poteſt, quod ne facias pro iure noſtræ amicitiæ à te peto. Poſtremo quid uiro bono & quieto, bonoque ciui magis conuenit quàm abeſſe à ciuilibus controuerſijs? quod nonnulli quum probarent, periculi cauſa ſequi non potuerunt: tu explorato & in te meo teſtimonio & amicitię iudicio, neq; tutius neq; honeſtius reperies quicquam, quàm ab omni cõtentione abeſſe. Vale. Fuiſſet ille ut apparet Cæſari gratiſsimus, ſi cũ neutro eſſe uoluiſſet, uerum, quum ad Pompeium poſtea nauigaſſet, illum à ſe alienauit, Pompeioque fuit parum gratus: nam Dyrrachium profectus, contemptim rogatus eſt à Pompeianis, cur tam ſerus ad ſe ueniſſet: quibus ille renidens, quid ſero me huc, inquit, ueniſſe dicitis, quum nihil paratum inueniam? oblique Pompeij & aliorum ignauiam taxans. Cæſar ad illum ſcribens imperatorem appellauit, quòd in prouincia quam nuper geſſerat, eam fuerat appellationem adeptus: unde in Italiam ſub ciuilis belli initium reuerſus, à ſenatu impetrauit ut faſces haberet. Cato poſt pugnam Pharſalicam, ut uir prætorius ei qui conſul fuerat, ceſsiſſe uideretur, imperium claſsis circa Dyrrachium illi tradere conatus eſt. Id Cicero non recepit faſſus ſe finem belli feciſſe, in ocium & quietem conceſſurum. Ea uox

Pompeij

Ducum copiæ

Cæſaris facinus.

Acierum conflictus.

Pompeianorũ fuga.

Pompeius Leſbum nauigat.

Literæ Cæſaris ad Ciceronem.

Cauillum Ciceronis in Pompeium.

Pompeij iuuenis & aliorum animum adeò offendit, ut in ueſtigio fuerit Cicero multis uulneribus caſurus, niſi Cato uim ab eo arciuiſſet. Funeſta hęc pugna quę ad Pharſalum pugnata eſt, magnis quidem & multis fuit ſignis antea præmonſtrata. In Elide ſimulachrum uictoriæ quod in templo Mineruę fuit à ianua auerſum, eo die quo ſic dimicatum eſt, ſua ſponte ad ualuas ſe cõuertit. Antiochiæ in Syria bis eodem die tãtus eſt clamor circa urbem auditus, ut cum armis ſit populariter in muros diſcurſum. Ptolemaide in templo tympana exaudita ſunt. Patauij C. Cornelius augur quum capturus auguria reſediſſet, primo cõſpectu ad ſuos repente conuerſus, iam res ipſa cõficitur, inquit, iã uiri opus ineũt: mox repetito auſpicio lymphatica uoce exilijt clamitans. Vincis Cęſar. Ea res quum ſtuporem aſtantibus inculſiſſet, detractam ille capiti coronam non prius repoſiturum iuratus eſt, quàm res arti fidem aſtipulata eſſet. Liuius ſic accidiſſe autor eſt. Plinius peruenisſe ſtrepitum ait duarum acierũ ex aduerſo confligentium ad auguris ſenſum in Patauinis montibus ſedentis, auſiſque ob id affirmare, aut mũdanam machinam breui ſolutum iri, aut Cæſarem cũ Pompeio conflixiſſe. Sub id tempus quo eſt in Pharſalia dimicatum Caſsius ſubito acceſſu concremauit quinque & triginta Cæſaris naues, quibus M. Pomponius Meſſanę pręerat, uenisſetque Meſſana in hoſtium poteſtatem, niſi Pharſalicæ pugnæ nuntius peropportune fuiſſet in inſulam allatus. Inde alteram claſſem adortus, quam P. Sulpitius agebat, aliquot naues priuſquam ſuccurri poſſet incendio confecit, reliquis continuo in mare deductis. Sulpitiani in hoſtes inuecti, prælio uicerunt, duabus Caſſianis nauibus captis. Dux ipſe prætoria naui amiſſa, in ſcapham tranſgreſſus fuga ad cæteras ſe naues recepit. Pompeius poſtquam Mitylenem uenit Cor neliam ad portum acceſſitam ſub primum congreſſum ob miſerabilem cultum quo dux ipſe erat amictus tanto dolore affecit, ut animo repente collapſa, ad eius pedes ſemianimis aliquandiu iacuerit: mox ad ſe reuerſa, Agnoſco, inquit, coniunx chariſsime, non tuæ, ſed meæ fortunæ opus, una te naui uectũ, qui opulentiſsima olim claſſe hoc pelagus nauigaſti, quid me huc uiſere profectus es? cur non inuiſæ me fortunæ reliquiſti? quæ te indignum tanta clade impleui. Heu non ſatis fuit, quod P. Craſſo infeliciter nupſi. En iterum matrimonio ceſſi, ut feliciſſimum alioqui uirum, infauſto connubio infeliciſſimum redderem. Pompeius paucis uerbis Corneliam conſolatus mandat omnia quæ illius eſſent ad portum continuo deferri, Mitylenæis officioſe inuitantibus ut urbem ingreſſus publico hoſpitio uteretur. Ite, inquit, & hoc Cæſari præſtate, qui uictor eſt. Sunt qui ſcribant hoc ab eo Lariſſeis reſpõſum, qui acie nuper egreſſo obuiam prodiuiſſent. Corneliа in nauim recepta in Ciliciam nauigauit. Hic ancipiti ſententia diſtractus, ad Parthos ne tenderet, an in Ægyptũ potius, quæ Aphricæ contigua eſſet, & ubi is regnaret, cuius pater ſua potiſsimum opera in regnum reſtitutus fuiſſet, cõiugis amor à priore conſilio auertit, parum illi tutum uideri puellam eleganti forma Parthicæ libidini credere, eam præſertim, quæ Craſſo iuueni tum locata eſſet, quum fuit ille à Parthis interfectus. Tenebat adhuc ea deliberatio, quum Pompeius factus eſt certior Catonem cum ſexaginta ferè ſenatoribus, magnaque militum manu, in Aphricam traijcere. Ea re confirmatus, confeſtim ex Cypro, quo tranſmiſerat, in Ægyptum fecit uela. Habebat per id tempus Ptolemæus puer circa Caſsium montem caſtra, cui bellum erat cum Cleopatra ſorore iam antea conflatũ. Pompeius uento in hanc oram delatus, ad regem miſit, qui eum pro paterno hoſpitio, & amicitia rogaret, ut ſe in regnum acciperet, acceptum ſuis opibus iuuaret, præſentique calamitate tegeret. Erat Ptolemæus admodum puer, ut per ætatem beneficium adhuc perpendere non poſſet: acquieſcebat igitur paucorum conſilijs, & in primis Photini. Is ſiue ueritus fuerit ne Pompeius acceptus ſua autoritate regnum occuparet, ſiue fidem cum fortuna mutandam cenſuerit, autor regi fuit, ut Pompeium ad ſe accerſitum, in Cæſaris gratiam obtruncaret. Miſsi itaque ſunt Achillas regius præfectus, & Lucius Septimius trib. militum, qui Pompeium ex naui in ſcapham acceptum interficerent. Duxerat Septimius ordinem olim ſub Pompeio piratico bello, eaque res effecit, ut uir longe prudentiſſimus liberius ſeſe Barbaris crediderit. Fuit alioqui Corneliæ, & omnibus ferè, qui in naui erant, ſuſpectus regis animus, poſtquam eum tam ignobiliter accerſitum uiderunt, ſuadebantque multi non eſſe eundum, maluit tamen Pompeius ad regem ire, protulitque Sophocleum illud. Qui ad tyrannum ſe confert, etſi liber eſt, fit illius ſeruus. Parua inde nauicula exceptum Cornelia, anxia animo euentum rei expectans oculis proſequitur, nec procul inde à naui aberant, quum Septimius eum gladio traiecit: inde Achilla & alijs ferrum ſtringentibus, Pompeius utraque manu ad frontem obducta, multis uno tempore ictibus confoſſus, nullam emiſit uocem tanta uiri maieſtate indignam, ſed ſuſpirio duntaxat edito, obtulit corpus feriendum percuſſoribus. Illi confecta cæde adimunt iacenti caput, truncum in mare deuoluunt, quem pelagi æſtu ad littus depulſum, Philippus eius libertus, modica ex fragmentis nauium materia conquiſita, ut potuit, cremauit eodemque tumulauit loco. Vbi poſtea id carmen fuit.

Templi pondus erat, modica qui clauditur urna.

Poſtridie Lucius Lentulus, ex Cypro appulſus, quum forte circa littus iter faceret, recens buſtum conſpicatus, quis utique, inquit, fatis hic quieſcit, mox uelut amens factus, fortaſſe tu hic es, ait, *Magne*, paululum inde progreſſus iuſſu regis captus eſt atque in carcere necatus. Cornelia uiri cædem intuita cum fletu, & lamentatione, in altum abit, Cyprũque unde uenerat repetit. Et Pompeij uiri ſua ætate ſummi *hic finis* fuit. Perijt poſtridie natalis ſui, quũ natus eſſet annos undeſexaginta. Cæſar poſt Pharſalicam uictoriam, Pompeij fugã ſecutus in Aſiam ad Helleſpõtum tranſmittens, C. Caſsium cum decem Rhodijs nauibus obuium habuit. Is à Scipione & Catone, qui Libyam uerſus uela fecerãt, ad Pharnacem mittebatur, ut ad reparãdum bellum regem hortaretur. Cæſar præmiſsis copijs pene ſolus erat, hoſtem tamen multo ualidiorem non ſolũ non refugit, ſed cominus tendens ad deditionẽ hortatus eſt, deditumq; ac ſupplicem ad ſe recepit. Nec ipſe multum in Aſia fuit. Vbi enim compertum habuit Pompeiũ in Cypro uiſum, ſuſpicatus quod erat, in Ægyptum nauigaſſe, cum octingentis equitibus & duabus ſemiplenis legionibus, ut uix in illis propter uaria bella tria milia & ducenti milites eſſent, Ægyptum petijt, Rhodijs nauibus quas à Caſsio acceperat, & paucis Aſiaticis uſus. Perſequendi hoſtis cauſa illi fuit non tam odium, quàm metus ne per ocium alicubi bellum repararet, poſtea uero quàm in Ægyptum uenit, Pompeij caput ſibi oblatum non ſolum non cupide uidit, ſed ne lachrymis quidem temperauit, templumque indignationis ſtatuit eodem loco quo ita affici contigerat, ut actæ rei monumentum inde eſſet. Mox conuerſus ad regum diſcordiam componendam, placere ſibi pronuntiauit, ut Ptolemæus & Cleopatra, dimiſsis exercitibus, penes ſe non armis, ſed iure diſceptarẽt. Teſtamẽtum regis erat ut ex quatuor liberis, quorũ duo pueri

Prodigia.

Pompeius interficitur.

Pompeij ſepulchrum.

Pompeius in Aegyptum applicuit.

Caſſius deditur

Cæſar in Aegyptum uenit.

Ptolemæi teſtamentum.

pueri eſſent, ac totidem puellæ, ex utroq; ſexu maiores natu regnarent, eratque ea diſceptatio cognitu facilis. Cæterum ſiue equitas parum cordi fuit regijs conſiliarijs, ſiue iudicis perſona ſuſpecta, quia Cleopatra occulte ad Cęſarem ingreſſa, continuo & forma & ætate illum ſibi deuinxerat: Photinus regię cauſę metuens, ad Achillam miſit qui eum in urbem cum exercitu occulte acceſſeret. M. Cato interea cum decem milibus circiter, qui in Libyam delati fuerant, audita Pompeij morte, ducatu in ſe recepto Aphricã petiturus, primo Cyrenas uenit. Hic quum audiuiſſet Scipionem à Iuba rege honorifice acceptum, affinis quàm plurimis in unum collectis, quibus aqua per deſerta arenarum utribus ueheretur, ſeptem continuos dies per loca ſerpentibus infeſta agmen in Aphricam traduxit. Dicitur Pſillos ſecum habuiſſe, qui ſerpentum ictibus mederentur, ipſum in primo agmine ſemper fuiſſe, aperto capite, pedibusque iter facientem. Cæſar qui Alexandriæ erat, audito Achillę ad urbem acceſſu, cum Ptolemęo egit, quem penes ſe ab initio habuit, ut ad ex ercitum mitteret, qui Achillæ imperarent, ne ad urbem ueniret. Ille oppreſsis qui à rege uenerant, uiginti milibus peditum, & duobus equitum fretus, urbem irrumpit, pariterque in regiam domum facit impetum. Cæſar obiectis Barbaro cohortibus ſubitam uim repulit, fuitque duplex pugna circa Cæſarem una, altera in portu, in eos commiſſa, qui ad occupandam ex improuiſo claſſem ab Achilla accerſebantur. Sed cum pugna circa regiam contracta in longum procederet, iuſsit Cæſar tecta proxima incendi, eoque igni hoſtis procul reiectus eſt, tum bibliotheca illa nobiliſsima quã Philadelphus Ptolemæus conſtituit, ſubito incendio deflagrauit, in qua ſeptingenta milia uolumina librorum conſumpta eſſe proditum eſt memoriæ. Nec multo pòſt Cæſar incenſis hoſtium nauibus Pharum occupat. Inſula fuit hæc Alexandriæ obiecta, ponteque continenti annexa, erantque nihilo ſecius aſsidue prælia in urbe. Cęſar difficili loco deprehenſus, & quia multo potentior erat hoſtis, ex Cypro, Rhodo, Cilicia, & Creta auxilia accerſit. Interim partem urbis, quã retinere in animo habebat, aduerſus hoſtium impetum militari opere muniuit. Photinum obtruncat, cuius literæ ad Achillam deprehenſæ ſunt quibus illum hortabatur, ne ab incœpto deſiſteret. Nec multo pòſt Arſinoe Ptolemæi ſoror, quæ regni cupiditate ad exercitum, ſub primum in urbem acceſſum, transfugerat, orta ſimultate inter eam & Achillam militiæ præfectum, per Ganymedem, à quo regia puella nutriebatur, ipſum belli autorẽ ſuſtulit. Manſit nihilominus integrum bellum Cæſari, imperio copiarum in Ganymedem translato: cui Alexandrini, qui ad bellum conſpirauerant, incredibili ſtudio fauebant. Pars urbis quæ à ciuibus tenebatur propinquior erat fluuio, eſtque Alexandria tota cuniculis ſuffoſſa, ſpecubusque ad fluuium pertinentibus. Ganymedes ut Cæſarem & qui cum eo erant, in diſcrimen aliquod adduceret, ruptis cuniculis, ſuperinijectaque materia, aquam aliò auertit. Terruit ea res Cæſarianos, uerum imperator ipſe, nihil cladeilla motus, monſtrabat dulcem aquam littoribus locis uulgo inueniri, terra paulo altius ſuffoſſa: quod ſi hoc ipſum in Pharo littore non daretur, patere ſibi aiebat apertum mare, futurum ut naues, quæ in portu eſſent, dextra leuaque ex oſtijs fluminis abunde ſibi & ſuis aquam deportarent. Suffoſſum littus dulcis aquæ affatim dedit. Erantque in hoc ſtatu res in Ægypto, quum legio una, quæ Cæſari ſubſidio ueniebat, Euri flatu portum tenere nõ potuit, ſed ad littora Aphricæ paulo ſupra Alexandriam propulſa, in ſicca & arida regione conſedit. Hic quum aduerſa tempeſtate teneretur, factus de ea re certior Cæſar, ſtatuit cum ijs nauibus, quæ in portu ſtabant, aquam illis importare. Occulte itaque naues ingreſſus Cherroneſum annauigauit, ut inde naues aquarentur. Illius nauigatione ex captiuis cognita Alexandrini in ſpem bene gerendæ rei adducti, quia Romanus in nauibus milites non haberet, ſuas celeriter conſcendunt, cum his Cæſar etſi inuitus in pugnã deſcendit, uicitq; egregie præſentia & hortatione ſua magis q̃ uiribus, hoſtium nauibus partim captis, partim metu & inſectatiõe diſſectis. Ea clade Alexandrini non modo non fracti ſunt, ſed paucis diebus ueteres naues quæ in publicis naualibus aſſeruabantur, incredibili celeritate reficiunt, claſſem inſtruunt duũm & uiginti quadriremium, quinqueremium etiam nonnullarum, adijciunt & minora nauigia, fuitque horum multo maior numerus. Cæſari erant naues quatuor & triginta, qui audito hoſtium apparatu, continuo & ipſe claſſem ad prælium expedit. Concurritur utrinque ferociter, ſed tanta fuit Cæſarianorum uirtus, & in primis Rhodiorum, ut neque fiducia, neque nauium numerus profuerit Alexandrinis, fuſi fugatique decem quadriremibus amiſsis trepidi in urbem ſeſe recipere coacti ſunt. Expugnatus dein eſt Phari uicus, multaque contentione ſexcenti Pharitarum capti, præda militibus data. Nec multo pòſt acre prælium circa inſulam committitur, cui pugnæ tres iunt cohortes adhibitæ, & iam Romani ex ponte in littus multa ui irruperant, quũ oppidani ex tranſuerſo inuecti hoſte ex mole ponti oppoſita, quam Cæſariani inuaſerant, ſubita ui deturbant, alij ad pontem confugiunt, alij ad naues, quicunque in littore excluſi ſunt, ab Alexandrinis obtruncantur. Cæſar quandiu potuit ex ponte ſuos hortatus eſt, ubi fugam ſiſti non poſſe uidit, proximam nauim repetit, uerum ea impedita, urgenteque ui hoſtium, in mare deſiluit, ducentiſque paſsibus ad proximam nauim annatauit, læua manu elata, qua compreſſos habuit libellos, paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Deſiderati ſunt eo die legionariorum quadringenti, & ex claſsiarijs aliquanto maior numerus. Nec Romani ad eam cladem animum remiſere, ſed aliquanto ferocius nunc in urbem irrumpere, nunc hoſtem cominus prouocare. Tum demum Alexandrini, dubium ſua ſponte, an occulto regis internuntio id mouere iuſsi, cum Cæſare agunt, ut ſibi Ptolemæum relaxet. Ganymedis & Arſinoës ſuperbum imperium pertæſam ciuitatem, uero legitimoque regi parere conſtituiſſe, ſeque calamitoſo bello liberare. Cæſar etſi ſatis exploratam habebat Alexandrinorum perfidiam, uerum quia fore uidebat, ut ſi fraude agerent, honeſtius contra regem, quàm contra imbellem multitudinem bellaret, autor Ptolemæo fuit, ut ad ſuos Alexandrinos tranſiret, nobiliſsimaque urbi parceret, quæ ſatis ſuperque eſſet incendio & ruinis deformata, ciues ad ſanitatem retraheret, ipſeque & ſibi & Populo Romano fidem præſtaret. Hæc Cæſar illius dextram tenens, perhumanè locutus eſt. Ptolemæus patria arte inſtructus, lachrymis illum rogare occœpit ne ſe dimitteret, quando non ciuium præſentia, non regium nomen, non regnum ipſum, ſibi optatius eo uno eſſet. Cæſar compoſita, inquit, pace unà erimus. Atque cum his dimiſſus continuo acerbiſsimi hoſtis perſonam induit, planeque oſtendit occulti gaudij lachrymas fuiſſe illas, non futuri deſiderij. Gaudebant facto Tribuni militum, & centuriones, meritoque accidiſſe prædicabant, ut nimia Cæſaris ſimplicitas puerili aſtu fuiſſet eluſa. Nec multi deinceps dies interceſſerunt, quum Mithridates Pergamenus, à principio eius belli à Cæſare ad accerſenda auxilia miſſus ingentem ſecum ex Lycia trahens exercitum, ex improuiſo Peluſium occupat, in cuius expugnatione

Achillæ cædes.

Naualis pugna.

Recens pugna naualis.

Cæſar enatat.

Ptolemæus fit hoſtis.

Mithridates Peluſium occupat.

tione Antipatri Iudæorum ducis maxime opera eni A
tuit. Hunc Hircanus, ſacerdotum maximus, cum tri
bus milibus armatorum, ad Cæſaris partes iuuãdas
illi addiderat. Ægyptus, ut maritimo acceſſu Pha
ro tantum peruia eſt: ita terreſtri Peluſio. Mithrida
tes ex Peluſio Alexãdriam uerſus mouit, ad Deltam
inde progreſſus (locus ita appellatur à Græcæ lite
ræ figura, quam Nili in mare abeuntis diuortia deli
niant) Alexandrinorum manum à rege miſſam ha
buit obuiam, commiſſoq; prælio egregie Mithrida
tes uicit, fuiſſentq; ad unum cæſi Alexãdrini, niſi fu
gientes locorum peritia texiſſet. Ioſephus autor eſt,
Mithridatem haud quidẽ in Deltam peruenire po
tuiſſe, niſi Antipater Iudæos Ægyptios, qui circa ea
loca incolebant, oſtẽſis Hircani literis in partes Cæ
ſaris traxiſſet, & in eo prælio, quod ad Deltam eſt cõ
miſſum, Mithridatis cornu ab hoſtibus fugato, An
tipatri opera, qui in læuo procurabat, prælium reſti
tutum, Alexandrinos q́ue occidione occiſos. Ptole
mæus, ſuorum clade audita, infeſto agmine Mithri
dati occurrit, ne cũ Cęſare iungeret copias. Sed Ro
manus imperator de Mithridatis aduentu certior fa
ctus illi ſubſidium ire properat. Præceſſerat nonni
hil Ptolemæus, locumq́; inſederat medium inter Mi
thridatem & Cæſarem. Fluebat modicus amnis in
ter Romana & regia caſtra, ſed altioribus utrinq; ri
pis præditus, huc Alexandrini proceſſerant, tranſitũ
inhibituri. Romani uero iniquo animo ferentes im
bellem ciuitatem iamdudum ſibi prælio parem ui
deri, multa ui locum obtinuerunt, hoſtes q́; præ ſe a
gentes paſsim trucidãt, pauci ad regem in caſtra re
fugiunt, quem poſtridie adorti, haud multo maiore
negocio eius caſtra quàm pridie ripam expugnant.
Cędes ingens intra munitiones edita, rex ad nauim
fuga delatus, q́ue in prędlta fluminis foſſa parata e-
Ptolemæi inte ritus. rat, multis ſeſe metu eodem ingerentibus, nauigio
depreſſo Ptolemæus, ut dicitur, perijt. Romanus, re B
bene geſta, Mithridate cum copijs accepto, Alexan
driã terreſtri itinere repetit: ciues morte regis ſuaq;
clade afflicti, ſupplices ueniam petunt, qua conceſ
ſa urbem uenientibus patefaciunt. Cæſar Alexan
drino bello defunctus cum Cleopatra Æthiopia te
nus, Nilum in eadem naui eodemq́; thalamo navi
gauit: mox Alexandriam reuerſus, ſublato ex Cleo
patra filio, quem Alexandrini Cæſarionem dixere,
regiam puellam in patrio regno conſtituit, cum qua
etſi intempeſtiua conuiuia aſsidue celebrabat, uaca
uit tamen per id tempus aſtrorum cognitioni, bre
uiq́; ita profecit, ut Romam poſtea reuerſus, ponti
ficum correxerit faſtos, annumq́; ad eam intercala
tionis formam conſtituit, qua hodie utimur. In Aſiã
inde tranſijt urgentibus de Pharnace nũtijs, qui mi
norem Armeniam & Cappadociam ingreſſus late
omnia occuparat. Ariobarzanis igitur & Deiotari
ad quos ea iniuria pertinebat, precibus fatigatus,
Gn. Domitius, qui cum tribus legionibus in Syriã
miſſus aduerſus Phraatem Parthorũ regem proſpe
re bellarat, ad Pharnacem miſit, ut à finibus ſociorũ
Po. Ro. abſtineret. Ceſsit ille Cappadocia: minorẽ
Armeniam retinuit, tanquam paterni regni partem.
Domitius cum legione una (nam cæteras ad Cæſa
rem in Ægyptum miſerat) auxilijs q́; Deiotari & A
riobarzanis in Armeniam profectus, apud Nicopo
lim cum Pharnace conflixit, uictus q́; ingenti prælio
ſeſe in Aſiam receperat. Eo ſucceſſu Barbarus fero
cior factus, Pontum occupauit. Multum itaq; Ale
xandrini belli tempore, quũ hic Cęſariana arma ua
rios ſunt caſus experta, tum in Illyrico, ubi Cornifi
cius & Sabinus ex Corcyra à Cornificio accerſitus,
circa Salonas ambo uno prælio ſunt uicti à M. Oc
tauio Pompeianarum partium duce, qua pugna duo
milia militum periere, octoq́; & triginta cẽturiones:
Gabinioq́; paulo poſt ui morbi abſumpto Octauius
ad Tauridem inſulam nauali prælio uincitur à Vati-

nio, qui & ipſe ex Corcyra cum nauibus ſuis auxilio
uenerat à Cornificio uocatus. Hoſtium claſsis ita eſt
uno prælio afflicta, ut Octauius nõ multo pòſt, ſuis
uiribus diffiſus in Aphricam ad Scipionem, cum ijs
nauibus, quæ reliquæ erant, trãſmiſerit: cuius diſce
ſu prouincia pacata eſt. In Hiſpania quoq; rerũ mo- *Perturbatur Hiſpaniæ ſta tus.*
tus per id tẽpus non mediocres extiterunt. Caſsius
Longinus, qui in ea prouincia à Cæſare fuerat cum
præſidio relictus, quum acerbius cupidiusq́; pecu
niam à ſtipendiarijs ciuitatibus exigeret, in caſtris
uulneratus eſt, parumq́; abfuit, quin & prouincia ſit
à Cęſare alienata, tanta ex ea re turbatio orta fuit, ut
Cæſariani exercitus inter ſe acie propemodũ dimi
carint, Bogudq́; ex Mauritania accerſitus à Caſsio,
diſcordiæ interfuit. Lepidus ex citerione Hiſpania
cum exercitu ſuperuenit. Marcellus qui contra Caſ
ſium exercitum ductabat, ſe & exercitũ concordiæ
cauſa Lepido tradidit. Caſsius nil tale egit, ſed naui
bus in hyberna itur⁹ ad oſtiũ Iberi fluminis cũ tota
naui eſt abſorptus. Hic itaq; erat rerũ ſtatus in pun
cijs, quũ Cæſar ex Ægypto in Pharnacẽ regem mo- *Cæſar in Phar nacem mouet.*
uit, in Syriamq́; tranſgreſſus Hircano, qui Ægyptia
co bello interfuit, ut quidam tradiderunt, ſacerdo
tium ſtabiliuit, & ut Hieroſolymarum muros, quos
Põpeius diruerat, reſtitueret, permiſit. Venit ad Cę
ſarem Antigonus Ariſtoboli filius, petens ut quan
do pater pro ipſius dignitate bellum ſuſcepiſſet, in
quo adeũdo inimicorum fraude perijſſet, in pater
num regnum ſe reſtitueret: ſed Hircano & Antipa
tro aduerſantib⁹ nihil Antigonus tenuit. Cæſar An
tipatrum ciuitate Romana & immunitate donatũ
uniuerſæ Iudææ præfecit, qui poſt Cæſaris diſceſ
ſum muros cum Hircano reſtituere adortus, cerne
retq́; eum in tali negocio ſegnem, filium ſuum maio
rem natu præfecit, alterum Herodem nomine quin
decim annorum Galilææ præſidere iuſsit. Is ſupra
ætatem ad res gerendas prouidus, Ezechiæ latroci
nium cui magna pars Iudææ erat obnoxia breui ſu
ſtulit. Quo contigit ut Sexto Cæſari qui Syriæ præ-
erat, gratiſsimus ſit factus. Tendebat Cæſar *ad ho-* *Tumultuoſi ex urbe nuntij.*
ſtem, magnis itineribus, quum literis ex urbe acce
ptis ſit certior, multum aduerſa fama Romam cum
reliqua Italia à ſuis adminiſtrari, eſſeq́; in ore omniũ
furorem Dolabellæ, Amantij expilationes, Antonij
ebrietates. Hi nuntij in cauſa fuerunt, ut aliquanto
etiam celerius ad hoſtem feſtinauerit. Eunti Deio
tarus Gallogræciæ tetrarcha, ſine regijs inſignibus
reorum more, multis q́; ſupplicijs occurrit, ueniam
petens quòd auxilia in Pompeij caſtra miſiſſet, cau
ſatus ſe non arbitrũ fuiſſe ciuilis diſcordiæ, ſed pre
ſenti imperio parere oportuiſſe, quale nuper Pom
peij fuerat, qui eo in Hiſpania bellante, totam ad ſe
Aſiam partim metu, partim ueteri auctoritate traxe
rat. Cæſar commemorato ſuo in Deiotarum bene
ficio, quod ſe conſule rex & ſocius Pop. Rom. appel
latus eſſet, ſcire eum debuiſſe reſpondit, apud illum
pro quo ſtaret Po. Rom. & corpus ciuitatis fuiſſe &
ſummam imperij. Verum condonare ſe eam offen- *Cæſar regia inſignia Dei taro reſtituit.*
ſam ueteribus ipſius meritis, regiumq́; habitum illi
reſtituit. In Põtum progreſſus ad Zalam hoſtem in
uenit, quibus in locis olim Mithridates Pharnacis
pater Triarium debellauit. Venerunt regis legati ad
Cęſarem orantes, ut quemadmodum Deiotaro, qui
in partibus fuerat, ignouiſſet, ignoſceret & Pharna
ci, qui nullis Pompeium auxilijs iuuiſſet. Ille ſi Pon
to excederet, aut ad ſe ueniret, futurum reſpondit,
ut clementem potius quàm publicę iniurię memo
rem Romanum experiretur. Pharnaces quia explo
ratum habebat Cæſarem ad urbem magnis de cau
ſis reuocari, omnia ſe facturum pollicetur: uerum a
lia atq; alia cauſando, de induſtria tempus terere, ut
negocio alijs ablegato ipſe Romam proficiſceretur.
Nec Barbari conſilium latuit Cęſarem, ad hoſtemq́;
ex improuiſo profectus ad pugnã exciuit, factumq́;
eſt uehe-

eſt uehemens prælium, ſed non magis uehemens quã A
breue. Fuſæ fugatæq́; regis copiæ, & cum multa cę
de profligatæ, ipſe uero captus eſſet niſi oppugna
tio caſtrorum Ro. ab hoſtis infeſtatione retardaſſet:
potitus tamen Cæſar eſt caſtris, in qua uictoria nihil
illi iucundius fuit quã celeritas: quo contigit ut ho
ſtibus primo congreſſu fugatis exclamarit, hi ſunt
qui te magnum fecere Pompeij, & ad ſenatum ſcri-
Veni, Vidi, Vici. bens his uerbis uictoriæ celeritatẽ ſignificauit. Ve
ni, Vidi, Vici. Mithridatem Pergamenum, cuius dili
genti opera Alexandrino bello fuerat uſus Boſpho
ri regem cõſtituit. Sexta deinde legione comitatus,
Cæſar Rom. reuertitur. in Italiam omniũ opinione celerius reuertitur. Ro
mæ, quanquam ciuitatis ſtatus eius preſentia indi
gebat, quia hoſtes inuictum pene exercitũ in Aphri
ca habere dicebantur, tam diu commoratus eſt, quo
ad Decumanos, miſsionem & præmia tumultuoſe
flagitantes, ad officium retraxit, deterrentibus ami
cis ne ad conſpectum iratorum militum accederet.
Cæterum non ſolum intrepide acceſsit, ſed una etiã
uoce, qua eos Quirites apellauit, tam facile circu
megit, ut milites ſe eſſe reſponderint, recuſantẽq́;
Cæſar in Aphricam trai icit. in Aphricam ſecuti ſunt. Ipſe circa ſolſtitium hyber
num in Libyã traiecit, ubi naui egreſſus, quũ primo
littore concidiſſet, omine in melius uerſo, teneo te,
inquit, Aphrica. Et quia percrebuerat opinio inuiſtã
eſſe Corneliorum gẽtem in terra Aphrica, eſſetq́; im
perij ſumma apud Scipionẽ, qui fuerat Pompeij ſo
cer, deſpectiſsimum quendam ex Corneliorum fa
milia ſecum aduexit, cui Salutioni erat cognomen.
Tempeſtate autem parum proſpera uſus, quum alij
aliò applicuiſſent, ipſe ad Adrumetũ cum tribus mi
libus peditum & ala una equitũ conſedit, lociq́; pre
ſidio fruſtra tentato, quia in tanta militum paucita
te tuto ibi eſſe non poterat, ſuos ad naues cœperat
reuocare, quũ ex oppido eruptio facta eſt. Conferta
Gallorũ equi tum facinus. pugnare res mira accidiſſe dicitur, ut xxx. Galli equi- B
tes qui cum Cæſare erant, duo milia Maurorũ equi
tum ſuo impetu auerterint. Ille ab Adrumeto digreſ
ſus Lepti uoluſtaria deditione potitur. Ex Sicilia &
Sardinia auxilia & cõmeatus accerſit. Criſpum Sal
luſtium prætorem ad Carcinam inſulam ire iubet,
quo uis ingens tritici ab hoſtibus conuecta dicebа-
tur. Naues interim cum copijs ad eum cõplures ue
nerunt, quibus circa Ruſpinam, ubi caſtra fecerat, re
ceptis, cum xxx. cohortibus frumentatum profici
ſcitur: nec multum à caſtris aberat, quum in hoſtiũ
exercitum incidit, cui Labienus præerat. Nulla pu
gnæ mora facta eſt, militibusq́; in aciẽ deductis u
trinq; ferociter concurritur, nec multo pòſtquã pu
gna conſerta eſt, Cæſariani, quia hoſtis multitudine
abundabat, undiq; circũuenti in orbem pugnare co
Duplici præ lio Cæſar uicit acti ſunt: eratq́; acris ubiq; dimicatio, quum Decu
manorum unus Feroculus tyro à Labieno appella
tus, nudato capite, decimę ſum, inquit, legionis mi
les non tyro Labiene, atq; uno ictu fidem uerbo fa
ciam, cum hiſq́; pilo in hoſtem contorto Labieni e
quum tranſuerberauit. Turbauitq́; uulnus illud ho
ſtes uehementer, Cęſarq́; acie quàm longiſsime por
recta, conuerſisq́; cohortibus, ut una poſt alteram
ante ſigna tenderet, hoſtium coronam in duas diui
ſit partes, equitesq́; à cætera acie ſecluſos, modico
negocio fudit, itidem diuerſa parte hoſtis eodẽtem
pore eſt fuſus, & iam uictor Cæſar ſuis ſignum rece
ptui dabat, quum L. Petreij & Gn. Piſonis interuen
tu, qui cum una Numidarum ala, frequentiq́; eius ge
neris peditatu, ſuis præſidio affuerunt, inſtauratur
prælium, ſed quia parum diei ſupererat, Cæſariani
uno impetu ſubmoto hoſte uictores ſe ad ſigna re
cipiunt. Erat M. Cato Vticæ, is Gn. Pompeium Ma
gni filium concitare adortus die noctuq́; aſsidenti
Cato Pompeiũ iuuenẽ ad uirtutẽ hortatur. illi conuicium facere, quod Pompeius pater admo
dum adoleſcens, patriam ciuilibus diſcordijs op-
preſſam, ſua uirtute ſubleuaſſet, peſsimos ciues om-

nibus terris infectatus: quod Siciliam, Aphricã, Hi
ſpaniam pene puer Po. Ro. recuperaſſet, prius q́; tri
umphaſſet, bis imperator fuiſſet, q̃ ſenator. Ipſe tan
ta nominis celebritate rempub. ingreſſus, nihil ad
id tempus geſsiſſet, cur Pompeij filius merito crede
retur. His uocibus iuuenis gloriæ cupidus adeò eſt
inflammatus, ut confeſtim inſtructis nauibus, cum
tribus milibus hominum, quos ſummo ornauit ſtu
dio, ex Vtica in Mauritaniam curſum intenderit, i-
biq́; Bogudis regnum adortus ad Aſturum Mauri
taniæ oppidum expoſuit copias, unde cum multa
ſuorum clade ad naues compulſus, Baleares inſulas
petijt. Per eos dies Scipio, cui octo peditum legio
nes erant, & iiij. milia equitum, ex Vtica profectus,
circa Adrumetum, cum Petreio & Labieno caſtra
contulit, tantoq́; copiarum apparatu freti, tria milia
paſſuum à Cæſare confidunt. Nec Iuba multo pòſt
cum immenſo exercitu ſecutus, qui mox paulò in
regnum abijt, trepidis nuntijs reuocatus quòd Cir
tha capta totum regnum à Bogude rege & P. Sittio
uaſtaretur. Is olim Sittius Romæ accuſatus iudicij
metu ſolum uerterat, manumq́; militum in Iberia
comparatam in Libyam tranſmiſit, regibus q́; inter
ſe bello diſceptãtibus, adeò feliciter bellauit, ut ſem
per uictoria eorum partes ſit ſecuta, à quibus Sittius
ſtetit, eratq́; proinde eius nomen tum inter Barba
ros admodum celebre, quum Cæſar in Libyam tra
iecit, cuius partes ille ſecutus, cum Bogude Iubæ re
gis opes ualide affligebat: Cæſar interim tanta rerũ
omnium inopia laborabat, ut alga dulci aqua lota
eius equi alerentur, multi tamen principes ciuitatũ
occulte ad illum in caſtra ueniebant, crudelitatem
& auaritiam Pompeianorum incuſantes, ſupplici-
terq́; orabant, ut quàm maxima niti poſſet ope A-
phricam liberaret. Prouocabat interim Scipio Cæ
ſarem, identidemq́; inſtructa acie in eius conſpectũ
uentitare, qui ſuos intra uallum continebat, citra cæ
dem uictoriam quæſiturus. Acilla adhæc per lega
tos deditionem fecit, & Criſpus Saluſtius, Celerina
potitus, magnam uim tritici ad Cæſarem miſit. Ve
nerunt præterea ex Sicilia duæ legiones, & octin
genti equites. Nec multis inde interiectis diebus
ueterani, qui naui ex eadem inſula in Aphricam ue- *Veterani inci dunt in hoſtiũ manus.*
hebantur, in hoſtium poteſtatem uenere. His Scipio
ſalutem & pecuniam eſt pollicitus, ſi in partibus eſ
ſe uellent. Tum Centurio unus quartædecimæ le
gionis: Ego, inquit, nunquam beneficio ullo adduci
queam, ut contra Cæſarem imperatorem militem,
quin hortor te potius, ut ab iſtis armis diſcedas, quę
nihil tandem ſint aduerſus illũ ualitura: nam quan
ti eſſe poſsint, facile ex hoc poterit cognoſci, delige
ſi placet ex omnibus cohortibus, quæ tecum mili
tant, uel tuo iudicio fortiſsimam, eamq́; mihi & de- *Veteranorum ferocia.*
cem alijs ueteranis commilitonibus meis obijcito,
ex euentuq́; eius certaminis conijcies, quis belli hu
ius ſit futurus exitus. Scipio ira ardẽs ueteranos ex
tra uallum eductos iuſsit ad unum interfici. Hirci
us, ſiue Oppius fuit qui hæc ſcripſit, autor eſt per
hos dies exercitum Cæſaris, lapidea ſaxorum gran
dine, quod ſit incredibile dictu, quanquã cõſter ſæ
pe in Albano è cœlo lapidatum, nocte una penè ob- *Imber lapi deus.*
rutum, pilorumq́; cuſpides ſua ſponte exarſiſſe. Nec
multo poſtquam hęc facta ſunt Iuba cum tribus le
gionibus, Dccc. equitibus frenatis & xxx. elephãtis
numeroq́; leuis armaturæ ingenti, ad Scipionem &
Labienum reuerſus, haud procul ab eorũ caſtris cõ
ſedit. Interim Cæſar oppugnaturus Vzetam oppi
dum inter ſua & hoſtium caſtra ſitum, munitionem
late utrinq; ab oppido ducebat, ne ab hoſtium equi
tatu circunueniri poſſet, reducebatq́; ſub noctem le
giones in caſtra ab inſtituto opere, quum Iuba, Sci
pio & Labienus immiſsis equitibus in abeũtes, pau
lulum fudere Cęſaris equitatum, mox legionarijs in *Cæſar hoſtes fugat.*
prælium uerſis hoſtes late fuſi cæſiq́; ſunt, & in caſtra

usque præcipites acti, ac nisi puluis prospectu absti-
lisset, Iuba & Labienus in fuga capti essent. Promo-
tis inde ad Vzetam castris mille Numidę equites ca
lonibus mixti ad Cæsarem trás fugere: facta sunt in
de circa oppidum aliquot prælia, sed parum memo-
rabilia. Varus q Adrumẽti erat, celeri cursu Leptim
Naues Cæsaris ad Leptim cõ-cremantur. delatus, ex Cælaris nauibus, quę ante Cothonem in
salo stabant, quasdá subita ui cepit, alias flamma in-
iecta, priusquam succurri potuerit, ignis absumpsit.
Aberant castra Cęsaris quinque milia passuum à Le
pti quo contigit, ut audito hostium accessu, eo con-
festim occurrerit, ac nauibus, quæ in Cothone erãt,
Cæsaris uictoria aduersus Varum. arreptis cum Epibatarum manu abeuntem hostem
insequeretur. Cõuertit Varus classem, ferociterque
in pugnã redijt, sed mox paulò ui pulsus celeri cur-
su sese Adrumẽtum recepit. Cęsar incensis nauibus,
quæ in conspectu Adrumentani portus in salo sta-
bãt, suisque receptis, triremique una ex hoste capta,
Leptim uictor reuertitur. Afranium, quem ex His-
pania dimiserat, hostili naui captum, periurij crimi
ne necari iussit. Vzeta deinde potitus est, qua præsi
dio firmata, quũ in castra se reciperet, à Labieno im-
prouiso prælio excipitur, quem modico negocio re-
pulsum ad montes usque persecutus est. Accersiue-
rant illum & Vaccenses, quo cum iter intendisset, Iu
ba cognito oppidanorum consilio eum cursu præ-
Vaccensiũ cla-des. uertit, ibique oppidanis ad unum interfectis locum
militibus diripiendum dedit. Cęsar Vaccẽsium cla-
de ex itinere audita conuerso ad Sarsuram cursu, cę-
so hostium præsidio, oppidũ occupat. Cepit & The-
banam urbem in Iubæ finibus, legatis ad hoc ipsum
in castra missis. Ad Tapsum postremo castra promo
ta sunt, obtinebatque id oppidũ Vergilius cum præ
sidio haud contemptibili. Scipio Cętarem consecu-
tus octo milia passuum à Tapso bina castra fecit. Cę-
sar lunata ualli forma Tapsum operibus circundat,
& hostes postridie huc copias admouẽt, ac circa sta- B
gnum locum munire adorti, in se Cæsarem conciue
re. Astabat erecta acies militibus castra munienti-
bus, hic commisso prælio quum turbari ab initio ui-
sus esset hostis, nec ordines illi constarent, inuito e-
tiam duce facta est à Cæsarianis in aduersam aciem
impressio, auersique primo à funditoribus elephan
ti, qui retrò consternato agmine abeũtes, magnam
suorum ediderũt stragem. Memorabile facinus hic
accidisse dicitur, quod ueteranus quidam in elephã
tem, lixarum unum genibus proterẽtem, impetum
facere ausus, à belua proboscide, cum toris armis ar
reptus, quum sublimis rotaretur, proprij periculi ad
monitus eius manicam, quantum in ea trepidatio-
ne potuit, grauiter ferro consauciauit, quo uulnere
elephas territus relicto milite in aciem refugit. Mau
ri qui post beluas stabant, partim obtriti sunt, par-
tim à Cæsarianis cæsi. Palàm inde fuga facta est; to-
taque planitie hostes cæsi, captaque non tantum
Scipionis & Labieni castra, sed eodem impetu &
regia. Multi qui in tumulum castris proximum se
ex fuga receperant, salutatione militari more facta,
quum abiectis armis ueniam peterent, à ueteranis
in commilitonum ultionem qui à Scipione interfe-
cti fuerant, occidione occisi sunt. Appianus autor
est octoginta milia militum, & uiginti equitum eo
die profligata. Scipionis equites, qui acie excesse-
rant, Paradam fuga delati, quum portis excluderen
tur (iam enim aduersæ pugnæ fama eò usq; perue-
nerat) oppido ui capto Paradenses omnes cum li-
beris & uxoribus pyra medio foro accensa, uiuos
concremarunt. Inde plebeiorum Vticensium castra
quæ extra Vticæ muros erant, adoriuntur, ut ad u-
num omnes in Cæsaris inuidiam trucidarent (ha-
bebantur hi diuersarum partium, propterea à Cato-
ne mœnibus excluſi, circa urbem sibi tabernacula
fecerant) hinc igitur equites fustibus & saxis repul-
si, in urbem irrumpunt, eam diripere incipiunt, mul
tosque passim obtruncant. Attulisset omnino ille A
dies cladem aliquam ingentem Vticensibus, nisi il-
li Catonis precibus & autoritate moti iniuria absti-
nuissent. Hortatus est Cato ut secum oppidum tue-
ri uellent, quod quum impetrari non potuisset, cer-
tam singulis pecuniam dedit, tantundem & P. Sylla
eisdem annumerauit, qui unà cum eo equitatu, Vc-
tica est profectus. Cato omni præsidio destitutus,
Vticenses hortatur, ut seruitijs manumissis oppidũ
tuerentur: uerum ubi non unum sensit esse in urbe
consilium, hortatione destitit, præbuitque naues
abire uolentibus, cæteris rebus quantum in ea re-
rum trepidatione potuit constitutis, quum conui-
uio interfuisset, sine ulla uultus mutatione, aut tur-
bataę mentis suspicione, cubiculum ad altam noctẽ *Catonis constantia.*
ingressus, desperata reipublicæ salute, sibi manum
intulit. Irrumpunt statim in cubiculum ad cadentis
strepitum filius & cæteri domestici, iacentem tol-
lunt, accersitur medicus, curatur uulnus, filius mul-
tis lachrymis patrem obtestatur, ne patriam, ne libe
ros, ne amicos, in tanto discrimine destitueret. Pa-
titur ille sibi uulnus obligari, simulata inde quiete
posteaquam neminem sensit circa se esse, uulnere
atrociter dilacerato, expirauit. Liuius media cura- *Catonis inuic-tus animus.*
tione ait rescidisse, rescissoque confestim defecisse.
Cæsar Vticæ potiundæ cupidus ut Catonem in fu-
am potestatem redigeret, Messalam continuo eò cũ
equitibus ex acie misit, Vticenses illi obuiam facti
urbem supplices dedunt. Interim Cæsar Adrumẽ-
tum recepit, multisque uiris illustribus captis ue-
niam dedit, & in his M. Aquinio Catonis filio, audi-
toque patris eius interitu uehementer indoluit, al-
taque exclamauit uoce: Ego Cato tibi mortem in- *Verba Cęsaris ad Catonẽ extinctum.*
uideo, tu mihi propriam salutem inuidisti. In his li-
bris quos ipse postea in Catonem scripsit, uictoriã
sibi illum inuidisse prodidit, ob eamq; rem sibi mor
tem consciuisse. Iuba & Petreius, postquam ex acie
excesserunt, nocturnis itineribus (interdiu enim la-
titabant) ad Zamam peruenerunt, ubi erant uxores
regis, & liberi: huc fama aduersæ pugnæ regis ad-
uentum præcesserat, quo contigit ut ab oppidanis
sit rex portis exclusus. Qui ab initio eius belli ingen
tem pyram construxerat, in quam Zamenses, libe- *Pyra Iubæ regis.*
ros, uxores, omnem regiam supellectilem postre-
mo se ipsum præcipiaturum, si uictus prælio fuis-
set, publicè prædixerat. Multis igitur precibus con-
tendit, ut sibi liberos & uxores restitueret, sed quũ
nihil impetraretur, in uillam suam cum Petreio,
& paucis comitibus concessit. Nec multo pòst Cæ-
sar à Zamensibus accersitus, cum expedito equita-
tu eò occurrit. Iuba & Petreius ut ambo unà peri-
rent, mutuis uulneribus concurrerunt. Petreius ta- *Iuba & Petreius se interfe-ciunt.*
men prius concidit ualidiore regis ictu, ipse quum
sibi manum inferre non posset, à seruo petijt ut se
ferro traijceret. Liuius Iubam à Petreio confectum
scribit, ipsumq; sibi manum intulisse. Faustus Sylla,
qui aliquantò ante Catonis interitum, cum una e-
quitum ala, in Hispaniam iter intenderat, insidijs à
Bogude & Siccio exceptus, cum liberis & uxore
uenit in hostium potestatem: nec multo pòst orta
inter exercitus dissensione interfectus est. Scipio *Syllæ & Scipionis interitus.*
qui cum paucis nauibus Hispaniam petebat, ipse
quoque à Siccio ad Hipponem circumuentus, post
nauale prælium, ubi omnia perdita uidit, seipsum
ferro traiecit, abiensque in uulnus in altos est flu-
ctus præcipitatus. Cæsar, regia gaza uendita, Numi
diaque in prouinciæ formam redacta, rebus postre-
mo in Aphrica suo arbitrio constitutis, ex Vtica Idi-
bus Iunijs nauem conscendit, in Italiamque uicto-
re exercitu reducto, quater uno mense triumpha- *Cæsar quater triumphat.*
uit. Primum triumphum atque omnium clarissi-
mum Gallicum egit. Sequentem Alexandrinum.
Ponticum tertium. Nouissimum Aphricanum, o-
mnesque diuerso apparatu, & instrumento. Galli-
ci trium-

ci triumphi die ascendit Capitolium ad lumina qua A
draginta elephantis dextra lęuaque lychnos gestan
tibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula tri-
um uerborum prætulit titulum: Veni, Vidi, Vici:
belli celeriter confecti notam. In Libyco ductus est
Iubæ filius, qui ex Barbaro & Numida, adeò literа-
rum studijs profecit, ut inter clarissimos sit postea
scriptores numeratus. Populo Romano epulũ de-
Cæsaris munificentia. dit, in quo duobus & uiginti milibus triclinio rum
est accubitum, ciuibus uiritim denos frumenti mo-
dios, totidemq; olei libras, trecentos que nummos,
diuisit. Ludos regionatim in urbe dedit per omniũ
linguarum histriones. Munus gladiatorium, Circen
ses ludos. Naumachiam, in qua Tyriæ Ægyptiæque
classes conflixerunt. Quatuor milia remigũ egerũt
naues. Mille utrinque pugnatores manum conse-
uere. Desultorij equi in circo agitati, bigæ quadri-
gæque. Troia ludus à duabus nobilium puerorum
turmis decursus. Athletæ triduo decertarunt. His
ille spectaculis ciuitatem, ciuilibus bellis afflictam,
haud mediocriter recreauit, uelut fomentis quibus-
dam præsenti tristitiæ & mœrori adhibitis. Quan-
tam ciuilibus bellis Romanus Po. iacturam fecerit
ex censu, qui per id tempus est habitus, recte potuit
intelligi, multitudine ciuium dimidio minore quã
Cleopatræ ad urbẽ accessus. antea reperta. Cleopatram ex Ægypto accersitam
Cæsar honorificentissime excepit, remisitque eam
in regnum honoribus & præmijs auctam: ipse qua-
driennio per hæc circumacto, ad Hispaniense bellũ
est profectus. Duo Pompeij filij opibus suarum par
tium in Aphrica profligatis, in Hispaniam profecti,
quorum Gn. medio Aphricani belli ardore ex Vtica
discesserat, partim precibus, partim fauore paterni
nominis, non paruam Iberiæ partem sibi adiunxe-
rant, pecuniaq; & armis adiuti, exercitum pene in-
uictum, ad bellum instruxerant. Et iam eò usque cre
uerant illorum opes, ut si quę urbes ultro non acce- B
derent, eas ui & armis sibi uendicarẽt. Hic hostium
Cæsar in Hispaniam proficiscitur. succesſus, posteaquam maior esse cœpit quàm Cęsa-
ris partibus tutum crederetur, illum in Iberiam tra-
xit. Quarto itaque consul designatus, cum grauissi-
mo exercitu, septem & uiginti dierum spatio in pro
uinciam uenit. Oppugnabat tum Gn. Vlam urbem.
Vla. Corduba. Sextus minor natu Cordubam præsidio obtinebat.
Cæsar Vlensibus ualidum præsidium noctu immi-
sit. Cordubam inde profectus magnam uim hostiũ
peremit, quę temere ad pugnam egressa ueniẽtem
prælio exceperat. Gn. factus de suorum clade certi-
or, Vlensi obsidione soluta Cordubam repetit cum
omnibus copijs, estque sub eius accessum aliquoti-
es circa Bethim dimicatum, sed prælia illa ex occa-
sione commissa, & ob id parum memoratu digna.
Ateguam inde Cæsar est oppugnare adortus, quo
Pompeius per alta loca ducens processit, suis subsi-
dio futurus. Hic quia Cęsaris opes in horas augebã-
tur, ueritus ne aliqua maiore clade afficeretur, Cor-
dubam cum exercitu redijt. Eius digressu perculsi,
qui Ateguæ præsidio erant, deditionem facturi in
castra mittunt, qui sibi salutem postularent, sed quũ
oppidanis tãtum ignosci diceretur, Pompeiani de-
Pompeianorũ fœuitia in Ategueses. speratione adacti, Ateguenses hospites suos iugu-
lant, iugulatos è muris deijciunt. Multi oppidanorũ
per hunc modum periere: illi, credo, qui rem ad Cę-
sarẽ trahere nisi sunt. Multa interim prælia circa op
pidum gesta, sed qualia per occasionem tumultuose
obsidionali tempore committuntur. Postremo de-
ditum est oppidum, occulto oppidanorum cõsilio,
quo recepto ad Vcubim Cæsar promouit signa, ubi
Pompeius erat, castraque castris cõtulit, estque hoc
quoque loco ferocius dimicatum ut cccc. & amplius ex Pompeianis sint uno prælio cæsi, & si parum
æquo sit loco à Cæsarianis dimicatum. Secundum
eam pugnam Pompeius in Mundensem agrum trã-
stulit castra, quo Cæsar consecutus, quinq; milia pas- B

suum ab hoste metatus est. Hic demum utrinq; in-
structæ acies in pugnam processerunt. Aderant Cę-
sari octoginta centuriæ peditum, octoque equitum
milia, quo magis miror à quibusdam traditum Cæ-
sarianos eo die cunctatiores ad prælium factos: ut
neque precibus, neque minis prius pugnam iniue-
rint, quàm Cæsar primus omnium in aduersam aci- *Cæsaris dis-crimen.*
em, moriendi consilio, irruerit. Hic clamitãs milites
mihi uitæ finis, uobis militiæ terminus, tum uero
mota sit, ut illi aiunt, tota acies, metuque aut pudo-
re, Imperatoris impetum secuta, in aduersos hostes
cum clamore itum. Ferunt solius Cæsaris impresi-
one decem pedes Pompeianam aciem loco submo
tam, paruoque temporis momento, cc. in eum tela
concidisse, quorum maior numerus sit parma excep-
ptus, auditumque ex eo postea, die quo ad Mundã
pugnatum est, se de morte sibi consciscenda cogitas-
se, quum neque minis neque precibus possent mili
tes ad pugnã compelli, seque de gloria & laude sem
per aliàs, ad Mundam de uita tãtum dimicasse. Qui
hæc scribunt militaris illius metus causam suppri-
munt. Ego quando Cæsar multitudine uirtute ho-
minum & felicitate præstabat, non tam hostem suis
terrificum fuisse quàm locum crediderim, qui peri-
niquus illis erat, ut Hircius scribit, siue sit ille Oppi-
us. Per noraginosum flumen, atque riparum anfra-
ctus hostis petendus erat, sed sic quoque anceps ille
autor, negat cunctationem dimicandi ullam in mi-
litibus fuisse, quin utrinque ait ferociter cõcursum,
quando præter felicitatem penè paria omnia essent,
uictoriam tamen à ueteranis ortam, qui in dextro
Pompeianorum cornu teterrimam cædem edide-
runt, lęuum quoque hostium latus, equitum incur-
su eodem tempore degrauatum, atque ita media a-
cies utrinque nudata, cum cęde, & strage multa, pul
sa sit, superfuissetque nemo ex tanto nuper exercitu,
nisi Munda, in cuius cõspectu est dimicatum, uictis
perfugio fuisset. Cęsa sunt sic quoque triginta milia
& amplius, & in his Actius Varus, & alter Labie-
nus, ex Cæsarianis circiter mille. Septendecim du-
ces capti. Sextus Pompeius minor fratrum accepto
aduersæ pugnæ nuntio, Cordubam reliquit, quam
præsidio obtinebat, cum paucis silentio noctis inde
profectus, ueritus ne hosti traderetur. Gnęus maior
natu saucius, cum L. equitibus excesit acie Carthe-
iam primo profugit. Hic quum parum sibi tutus ui-
deretur ad naues descendens, quas in hunc casum
paratas habuit, quum anchorarium funem celerius
amputaret, sibi pedem cõsauciauit: Didius, qui Ga-
dibus erat, abeuntem secutus, quarto die quum for
te aquatum in littus & dux & nautæ exiuissent, im-
prouiso accessu, naues, quæ in statione stabant, occu
pauit. Ea clade nouissime affectus, loborioſe fugam
meditatus est. Postremo luxato, ut Oppius ait, non *Pompeij maioris fuga & cædes.*
saucio pede duobus que uulneribus grauantibus in
spelũca quadam, in quam sese iniecerat, interficitur.
Eius caput est Cęsari delatum quum iam Gadis pro *Cæsar Impe.*
cessisset. Qui tota prouincia recepta, Romam reuer
sus, de Hispania nouissime triumphauit. Exquisitis- *Cæsaris hono-res.*
simi inde honores sunt illi à senatu decreti, ut sacro-
sanctus, ut perpetuus dictator esset, ut Cęsor, ut prę-
nomen imperatoris ferret, ut cognomen patris pa-
triæ, ut statuam inter reges haberet, suggestum in
orchestra, sedem auream in curia, pro tribunali then
sam. Ferculum in Circensi pompa. Templa, aras, si-
mulachra, inter deos puluinar. Flaminẽ, Lupercos,
ut Quintilis mensis ab ipsius nomine Iulius diceretur. Hi quidẽ honores ut insolentes, & in libero nu-
per populo inuidiosi, eius exitio uiam pepererunt. *Inuidia Cæsari orta.*
Accesit iustæ inuidiæ immoderata arrogantia, im-
modicus que dominatus, regięque appellationis li-
bido: excepta est palàm uox eius, non esse amplius
rempublicam sed appellationem sine corpore, nesci
uisse literas Syllam qui dictaturam deposuisset. De-

bere homines secum consideratius loqui, ac pro legibus habere quę diceret. Pręcipua tamen & inexpiabilis inuidia inde illi mota, quod senatui ad se uenienti, cum honorificentiss. decretis, pro templo Veneris genetricis sedens non assurrexit. Quidā à Cornelio Balbo retentum arbitrantur, quum conaretur assurgere. Alij ne conatum quidem prodierūt, sed quod Trebatium officij admonentem minus familiari uultu respexerit. Atque id factum tanto intolerabilius est uisum, quod ei triumphāti, subsellia q́ tribunitia prætereunti, quia unus è collegio tribunorum Pontius Aquila non assurrexisset, indignatus proclamarit, repete ergo à me Aquila remp. tribunus, nec destitit plures deinceps dies omnia sub conditione polliceri, si per Pontium Aquilam liceret. Secutum est recés factum non minoris inuidię, ex Latinarum sacrificio, quod ueteri instituto in Albano celebrari cōsueuit, Romam reuersus inter immodicas & nouas populi acclamationes, ut rex etiam aperte appellaretur, quod in eo ciuiliter egit q́, se Cęlarem esse respondit, non Regem, tam superbe & imperiosè quod Epidium Marullum, & Cæsetiū Flaccum, Tribunos plebis, potestate priuauit, quia fasciam, quod insigne fuit regium, iussissent ipsius statuæ detrahi, & eum, qui obligauerat, in uincula coniecissent. Fuerunt qui crederent Cæsarem doluisse eius animaduersionis laudem sibi ademptā. Percrebuit inde fama constituisse illum Alexandriā aut Ilium omnes imperij opes transferre, exhaurireq́ue Italiam delectibus, urbis procuratione amicis credita. Ferebatur adhæc, L. Cotta decemuir primo senatu sententiam dicturus, ut quando Sibyllinis libris contineretur, Parthos, nisi à rege, bello uinci nō posse, ut Cæsar rex appellaretur. Ob hęc igitur, & quod M. Antonius consul cum Lupercis currens, Po. Ro. spectante, atque ingemiscente, diadema sedenti illi inducere est ausus, quod insigne sępius capiti admotum, licet constanter reiecerit, tamen Po. Ro. patientiam tentari plures interpretati fuerant. Alienati ab eo populi multa secuta sunt argumēta, quibus haud dubie demonstrabatur pigere ciuitatem præsentis status. A paucis itaque orta coniuratio, paulatim in plures serpsit, ut sexaginta & amplius senatores in eius mortē conspirarint. M. Brutus ex Seruilia, M. Catonis sorore ortus, & ipso Cæsare, ut multi persuasum habuerunt, C. Cassius & D. Brutus fuerunt coniurationis capita. Multis interim signis mors illi prænonstrata est. Ænea tabula paucis diebus, quibus interfectus est, circa Capuam, in quodam ueteri monumēto reperta est, Gręcis literis notata, quādo Capys ossa detegerētur, fore ut ab Iulo prognatus, consanguineorum manu interfectus, magnis Italiæ cladibus uindicaretur. Tranquillus est huius rei autor, Cornelium Balbum qui hoc memorię prodidit secutus. Equi quos Marti in transitu Rubiconis cōsecrarat Cæsar, uagi & sine custode, ut emeriti sacriq́ue, errantes comperti sunt per eos dies ubertim flere, pertinaciterq́ue abstinere pabulo. In Pompeiana curia, ubi postea occisus est, regaliolus auis à multitudine uolucrum est discerptus. Nocte cui dies cædis illuxit, Calphurnia eius uxor, per quietem imaginata est fastigium domus collabi, maritumq́; suo gremio cōfossū teneri, foresq́; cubiculi sua sponte patuerunt. Liuius sacellum fuisse ait ante Cæsaris domum, cuius collapsum fastigium Calphurnia per quietem uiderit. His ille prodigijs cōmotus, ob infirmam etiam ualetudinem cunctatus est, an eo die in senatum iret, qui ad idus Martias fuerat in Pompeij curiam uocatus. Cæterum D. Bruto hortātene frequentem ordinem, aciam dudum opperientem destitueret, quinta demum hora diei egresso, libellū ei ignotus quidā reddidit, insidiarum indicem, quē alijs quos læua continebat quasi mox lecturus inseruit. Plutarchus Artemidorum Gnidium dicendi magistrum scribit, ex Bruti familiaribus, quæ parārētur, didicisse, ac tum cuncti libellum obtulisse, hortatumq́; ut confestim cognosceret, quid in eo esset, quando ad ipsius salutem pertineret id facere, conatumq́ue sæpe Cæsarem eum legere, semperq́ue à circumstantibus interpellatum. Fuerat & à Spurina aruspice monitus, ut periculum quod ei immineret intra idus Martias caueret. Hunc itaq; intuitus, priusquam curiam ingrederetur, ut falsum coarguit, quod idus Martiæ sine ulla sua noxa uenissent: cui ille, uenere inquit, Cæsar, sed nondum prætererunt. Ingressus nihilo secius est ille curiam, cui iam sedēti Cimber Tullius, qui primas sibi conficiendæ rei partes desumpserat, uelut de fratris restitutione rogaturus primus astitit, eoq́ue id negocium in aliud tēpus differente, ipsius togam ab utroque humero apprehendit, clamantemq́ue, hęc uis est, Cassius ex aduerso paululum infra iugulum uulnerat. Cęsar arrepto graphio Cassij brachium traijcit, conatusq́; prosilire altero uulnere retardatur. Appianus autor est eius guttur à Casca percussum, à Cassio uultum, femur à Bruto, interscapiliū à Buccolicano, inde ubi ferrum in se stringi à pluribus uidit, toga caput obuoluit, sinu læua manu ad ima crura deducto ut honestius caderet. Tribus itaque & uiginti plagis est confossus, uno duntaxat gemitu ad primum ictum emisso: M. enim Brutum in se grassantem intuitus, Græcis uerbis dixisse ferē, & tu fili, & ille ita multis uulneribus confossus concidit, quorum unum duntaxat, quod secundo loco acceperat, ut Antistius medicus postea iudicauit, lætale fuit. Erat Cęsar statura excelsa, colore candido, teretibus mēbris, ore pauło pleniore, nigris uegetisq́; oculis, ualetudine prospera, nisi quod extremo uitæ tēpore linqui animo solebat, atque per quietem exterreri, comitiali quoque morbo bis inter res gerēdas correptus est. Fuit & in curando corpore supra quàm credi possit morosus, ut non tonderetur solum diligenter ac raderetur, sed uelleretur etiam, ut ei quidam exprobrārūt. Caluitij deformitate offensus, ex omnibus honoribus sibi à senatu decretis, nullum libentius recepit, quàm ius laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Corpus eius cōiurati in Tyberim proijcere in animo habuerunt, M. Antonium consulem, & Lepidum magistrum equitum ueriti consilium destituerunt.

Coniurationis capita.

Cædis signa.

Equorum fletus.

Cæsaris cæd.

Figura.

ENNEADIS VI. LIBER VIII.

Erijt Cæsar annos natus sex & quinquaginta multiq́; persuasum habuerunt talem ei mortē penè ex sententia obtigisse, quippe qui apud Xenophontem lentū genus mortis in Cyro fuerit aspernatus, ac quàm celerimā sibi optauerit, & apud M. Lepidū pridie quàm in curia occisus sit, orto super cœnam sermone quis esset commodissimus uitæ finis, subitum & inopinatum prætulit. Sunt qui scribant eum libellis quibusdam signandis occupatum, quæstione proposita, quod esset optimum genus mortis, ultrò occurrisse, subitumq́; dixisse & improuisum. Sed ne mors quidem ab eo formidata est. Auditum ferunt ex eo sæpius iam non magis sua quàm reipublicę interesse ut uiueret. Satis honorum se in uita consecutum, futurum ut ciuitas morte sua in magnas rursus discordiarum procellas dilaberetur. Contentus itaq; fuit coniurationes ad se indicio delatas, edicto tenus uindicare, quo significabat compertum se habere quid ab improbis quibusdam pararetur. Nec iam multum aberat quin aperte notaret qui illi essent, qui sibi insidias struere dicerentur, calumnia de Antonio

tonio & Dolabella ad se delata, uelut res nouas molientibus, haud inquit crinitos & pingues pertimesco, sed pallidos & macilentos, Brutum haud dubie & Cassium designans. Sed siue talem exitum effugere noluerit, siue non potuerit, ut necesse esset euenire quicquid euenturum erat, quod in ipsius ore frequens fuit, obtigit ei certe genus mortis, si non optabile, minime tamen pudendum, quod clarissimorum ciuium manu, in conspectu amplissimi senatus, honeste & fortiter occubuerit. Eo itaque perempto fuga & turbatio ingens secuta est, qui in curia erant alij aliò metu dilapsi, coniuratos conatos ordinem oratione retinere, fuga destituunt, ipsi ubi omnia circa se consternationis plena uiderunt, multitudinis impetum ueriti læua manu uestę obuoluta, dextera pugionem habentes, in apertum prorumpunt, altaq́ue uoce clamitantes tyrannum à se & regem sublatum, conglobati Capitolium occupant. Antonius consul, quem dum cædes perpetrata est, D. Brutus per speciem colloquij extra curiam tenuit, siue quia Cæsari fidum nouerant, & ut ualidum corpore timuerunt: siue quod Brutus, ut quidam scribunt, iniquum censuisset obtruncare eum cum tyranno, qui publica insignia haberet, subito tumultu perculsus, abiectis insignibus domum sese fuga proripuit. Lepidus & ipse consternatus animo in transtyberinam insulam trepide concesserit, ubi erat legio una, cum qua forum irrupit, ut consuli auxilio adesset. Fit interim ex proximo Theatro ad curiam concursus. Gladiatores qui eo die producendi erant, in multitudinem grassati maiorem adhuc consternationem fecerunt, multi etiam cum percussorum cœtu adiuncti, ut illis præsidio essent, in Capitolium conscenderunt. Cæsar ex curia à tribus seruis domum est lectica delatus, altero brachio depēdente, Antonius audito cōiuratorū decessu & quod cæde abstineretur, resumptis magistratus insignibus, pro magno habuit negocio, Brutum & Cassium ad se uocare, qui acceptis ab eo obsidibus in forum eodem die ambo descenderunt. Antonij & Lepidi filij obsides dati, Brutusq́ue apud Antoniū frequēti senatu retulit de discordiarum obliuione, cui mirifice assensus est uniuersus ordo, factumq́ue senatusconsultum super ea re. Cicero autor eius decreti uult uideri, Trasibuli exemplum secutus, qui apud Athenienses offensarum omnium obliuionem suasisset, quam illi Amnistiam dixere. Secuta eodem contextu & alia decreta, ut Cæsaris acta rata haberentur, quibus sublatis apparebat concordiam coalescere non posse. Prēterea ut prouinciæ diuiderentur, ut dictaturæ nomen in perpetuum aboleretur. Fuitq́ue proinde lux illa Antonio celeberrima, apparebatq́ue per eum intestinum bellum, quod ciuibus instabat, esse sublatum. Sed principatus cupido mox paulo hominem sententia deiecit, cuius assequendi quum spes haud dubia ostenderetur, si Brutus è medio sublatus esset, multitudinis uoluntate explorata, Cæsarem pro rostris de more laudauit, adiectis de industria affectibus, Cęsaris imagine tribus & uiginti uulneribus confossa inter agendum sæpius prolata. Est adhæc illi aurata ædes, ad effigiem templi Veneris genetricis, ad tempus constituta, intraq́ue lectus eburneus auro ac purpura stratus, & ad caput trophæum cum uestę, in qua fuerat interfectus, omnibus ciuitatis ordinibus eò odoramenta, aliaq; munera promiscue cōgerentibus, cantata etiā quædā in inuidiā cędis, ex Pacuuij iudicio, Men' seruasse, ut essent qui me perderēt? Et ex Accij Electra ad similem sententiā quædam. Recitauit adhæc publice senatusconsultum Antonius præconis uoce, quo omnes diuini & humani honores à senatu & populo decreti continebantur, & cum his iusiurandum, quo populus pro illius salute se astrinxerat, quibus stimulis multitudo exagitata uix abstinuit dum in rostris Cæsar funeraretur, mox inde digressa ad Bruti, & Cassij ædes cum facibus tetendit, Heluio Cinna obiter interfecto Cornelium Cinnam se interficere rata, qui pridie illius diei contra Cęsarem extinctum concionatus dicebatur. Cinna, qui interfectus est, nocte quę suprema uitæ illi fuit, per quietem dicitur sibi uisus à Cæsare ad cœnam in uitari, atque ob eam rem in publicum uenerat, ut eius funeri interesset. Is multitudinis motus adeò perculit coniuratos, ut iterum in Capitolium compulsi, nequid grauius paterentur, urbe excesserint. Statuit populus Cęsari columnam propè uiginti pedum Numidici lapidis in foro, in qua erat scriptum, Parenti patriæ. Ipsum inter deos relatum ob id uulgo creditum, quod septem continuos dies crinita stella fulsit, haud multo pòst quam interfectus est, quum uotiui ludi ab Octauio ipsius filio ederentur, eius simulachro cometes supra uerticem adijciebatur, quo argumento Plinius affirmare uidetur Romæ, nec terrarum alibi, cometen in templo coli contigisse. Percussores alij aliò digressi, qui prouincias à Cæsare decretas habuerūt, D. Brutus Cisalpinam Galliam petijt. Trebonius Asiam circa Ioniam. Tullius Cimber Bithyniam. Cassij Syria erat, & M. Bruti Macedonia. Verum quia tunc ambo prætores erant, aliorum præsidio prouinciæ tenebantur. Non multis inde diebus interiectis, Antonius consul Amantium interfecit, quem militibus stipatum sibi insidias struere indicio compererat, eius assectatores armis foro expulit. Aram quam ille Cæsari in publico posuerat, ignobilisq́ue multitudo frequentabat, cum toto sacrorum apparatu disturbari iussit. Sacrificulos alios ferro interfecit quosdam in crucem sustulit. Fuit præterea autor patribus, senatusconsulti faciundi, ut Sextus Magni Pompeij filius ex Hispania reuocaretur, ut quinquagies decies mille sestertia ei pro bonis paternis ex publico darentur, ut totius maris imperium eidem decerneretur, ut olim patri, per quæ iterum patribus conciliatus, quia populo inuisus habebatur, obtinuit ut suum corpus præsidio muniret, quam facultatem adeptus ad sex milia lectissimorum hominum instruxit, qui bus septus iterum præceps abijt in omne nefas. Immunitates ciuitatib. & prouincijs uendere. Tributa remittere. Libertatem donare. Regna tradere, quū nulli interim ea libertas esset gratuita, sed uenalis: quę ut magis rata haberentur, ex Cęsaris commentarijs quos penes se habuit cuncta fieri prædicabat, quasi ita ille constituisset, retulissetq́ue in actis suis, uelut non multo pòst per se, aut per alios exequenda. Erantq́ue res ciuitatis in hoc statu, quum C. Octauius, quem Cæsar ex testamento hæredem constituerat, & in familiæ nomen adoptauerat, ex Macedonia Romam reuersus est. Hunc cæteri scriptores Cęsarem pro Octauio appellāt eo nomine quod fuerat testamento adeptus. Ego Octauium libentius usurpo, donec Augusti sit cognomē adeptus, nequa oriatur nominis ambiguitas, quum & Cæsaris dictatoris sit & ipsius mētio faciēda. Erat is ex Accia & Octauio genitus. Accia ex M. Accio Balo & Iulia, C. Cæsaris dictatoris sorore. A maiore igitur auunculo, qui eum adoptauit, in Macedonia præmissus, ut legiones, quæ ad Dacium & Parthicum bellum ex Italia transmittebant, expectaret, ubi C. Cęsarem interfectum cognouit, & se ab eo hæredem constitutum, confestim ex Macedonia Romam uenit, incredibili spe fultus eorum, quæ postea secuta sunt. Ad quæ haud temere speranda multa prodigia, quę in eius ortu euenere, Mathematicorumq́ue responsa, hortabantur. Tranquillus autor est, in Asclepiadis Mendetis libris legisse se, Acciam eius matrem ad solenne Apollinis sacrum media nocte ingressam, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ quiescerent, eam quoque obdormiuisse. Interim

Senatus fuga.

Columna Cæsari statuitur.

Cometes Romæ colebatur.

Lepidus in forum irrupit.

Amantij cædes

Antonius munit se stipatoribus.

Octauij redit tus ad urbem.

Cæsar pro rostris laudatur.

Octauij ortus.

Funus Cæsaris

draconem lecticæ leuiter allapſum, ac mox paulo in de egreſſum, eamque expergefactam ſe uelut à concubitu mariti purificaſſe, ac iam inde in eius corpore uelut draconis maculam extitiſſe, quæ haud amplius eximi potuerit, adeò ut iam inde publica balnea frequentare non ſit auſa, Auguſtumque decimo

Apollinis filius Octauius.

pòſt menſe natum, ob eamque rem Apollinis filium exiſtimatum. Ipſa Accia, haud multo prius quàm pareret, per quietem imaginata eſt ſua uiſcera ad cœlũ deferri, moxque per omnem terrarum & cœli ambitum explicari. Somniauit & pater Octauius Solis iubar ex Acciæ utero exortum. Incidit eius ortus in eum diem, quo de coniuratione Catilinæ in curia agebatur, quò quum tardiuſcule Octauius pater ueniſſet, excuſaretque uxoris puerperiũ, P. Nigidius, natali hora inſpecta, affirmaſſe dicitur, Dominũ terrarum orbi natum. Ipſe quum Apolloniæ eſſet The

Theogenis uaticinium.

ogenis Mathematici pergulam cum Agrippa aſcendit, ſed quum multa & magna Agrippæ prius conſulenti Theogenes prædixiſſet, metu ac pudore ne minor in illo inueniretur, uix compelli potuit, ut ſuam uulgaret geneſim, qua edita Theogenes continuo exiluiſſe fertur, atque eum adoraſſe, quæ res tãtum illi fiducię attulit, ut ſuũ poſtea uulgauerit thema, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo erat natus percuſſerit. Ex Macedonia igitur reuerſus, quo primũ die eſt urbem Romã ingreſſus, alioqui puto ſerenoq;, circulꝰ ad ſpeciẽ cœleſtis

Octauius hæreditatem adit.

arcus orbem Solis eſt circũplexus. Poſt reditũ continuo hæreditatem adijt, quanquam matre Accia & Martio Philippo uitrico diſſuadẽtibus. Ludos prę terea quos Cæſar pro uictoria uouerat, quum eorũ nemo quibus id munus obtigerat ſuſcepiſſet, ipſe edidit, locumque tribuni plebis tum forte demortui petiturus in candida toga proceſsit, quanquam patritius, non tamẽ adhuc ſenator. Antonio eius co natibus aduerſante, quem uel præcipuum adiutorẽ B ſperauerat, nihil obtinuit. Cœpit ille ſuſpectus Antonio eſſe, iam inde à ſuo ex Apollonia reditu in urbem, qui primum omnium reuerſus, ad Antonium, ut ad paternum amicum diuertit, apud quem pecunię mentione iniecta, quam Calphurnia uxor Cęſaris apud illum cum teſtamento depoſuerat (erant ad quatuor milia talẽtorum) adeò Antonius ira exarſit, ut iuuenem contumelioſè dimiſſum, non paſſus ſit amplius à ſe quicquam impetrare ſine pactione grauiſsimę mercedis, qua ille iniuria inſtructus

Octauius ad optimates ſe confert.

ad optimates ſe contulit, quibus erat Antonius præcipue inuiſus, ob inſolentem ipſius calamitoſamq; reipublicæ adminiſtrationem. Erat tum M. Cicero eius ordinis longe princeps, qui Octauium in Antonij inuidiam complexus, breui reddidit ſenatui acceptiſsimum. Ipſe ut magno erat animo, ac ſupra ætatem ad res magnas audẽdum elato, fauorem per ſe aucupari, breuiq; adeò ſeſe multitudini inſinuauit, ut merito eſſet Antonio formidabilis. Rediere tamẽ in gratiam non multo pòſt in Capitolio, ad id congreſsi. Nocte uero quæ reconciliationis diem ſecuta fuit, Antonius per quietem imaginatus eſt ſuam dexteram fulmine percuti, attuleratq; uiſus ille nocturnus nõ mediocrem animo ſolicitudinem, quũ

Diſſidia Antonij & Octauij.

indicio cõperit ſibi ab Octauio inſidias parari: qua ſuſpicione adoleſcens conatus ſe purgare, quum nihil Antonio perſuaderet, in apertas iras & contumelias ambo prorupere. Tum uero Octauius animo cõſternatus, ad ueteranos milites circa Colonias miſit. Hi erant qui cum C. Cæſare diu militauerant, poſtque partam uictoriam, ipſius beneficio, fuerant in agris collocati. Hos per internuntios docet, quid ab Antonio pararetur, ob paternam memoriam oratut ſibi ſubſidio ſint, mouitque ea querela nonnihil ueteranorum animos. Antonius iam antea à ſenatu obtinuerat, ut ad Getharum & Dacorum excurſus comprimendos, ſibi Macedonia prouincia, A cum exercitu, qui ibi florentiſsimus erat, decerneretur, ad quam obtinendam, C. Antonium fratrem ſuum præmiſerat, Bruto Creta inſula eſt data Macedoniæ loco. Enimuero ſenatus in multis Antonio conniuebat concordiæ cauſa, quæ incolumi republica denegata alioqui uoluiſſet. Dolabella qui cũ Antonio conſul erat, Syriam prouinciam in Parthos ſibi aſſumpſerat. Hæc duo bella, C. Cęſar animo moliebatur, quum domeſtica coniuratione oppreſſus fuit. Sed Dolabella aliquanto celerius quàm deſtinauerat in prouinciam eſt profectus, quod Trebonius Brutus & Caſsius ſuas opes tota Aſia augere dicebantur. Antonius ubi non ſolum ueteranos ſed totam Italiam in partes ſolicitari uidit, ut is exercitus, qui in Macedonia erat, aliquo prętextu in Italiam deportaretur, petijt à ſenatu, ut ſibi Gallicam prouinciam cum Macedonia commutarent. Haud latuit patres quid Antonius animo moliretur. Continuo itaque ad D. Brutum ſcribunt, qui in ea prouincia erat, ut exercitum comparet, tueaturque Gallia aduerſus omnes Antonij conatus. Nec is in aperto diſcrimine deſedit expectaturus quid ſenatus decerneret, ſed ad C. Antonium fratrem occultè mittit, ut cõfeſtim ex Macedonia in Italiam cum exercitu ueniret, quem ubi Brunduſij eſſe ſenſit, agitarique exercitum ſeditione, ut uix legiones in officio continerentur, eò ex urbe aduolat, autoribuſq; ſeditionis interfectis quatuor legiones, quæ eò fuerant deportatæ, ut ſecus mare Ariminium irent imperauit, ea parte Galliam inuaſurus. Ipſe quia tumultuoſe multa ex urbe nũntiabantur, & quod ueterani ad res nouas concitarentur, magnis itineribus cum cohorte una Romam reuertitur. Interea Octauius, eo abſente, ueritus ne ſi conſul Antonius cum exercitu ad urbem ueniſſet, in aliquod uitæ diſcrimen adduceretur, profuſa largitione ueteranos ad arma conciuerat, quod Ciceronis conſilio factum multi perſuaſum habuere. Antonius urbem ingreſſus ſenatum in curiam uocauit, Octauium maieſtatis accuſatur', q, priuatus & iniuſſu populi, abſq; etiã ſenatus autoritate, exercitũ comparare eſſet auſus. Eratq; iã conſul de ea re relaturus, quũ repẽte affertur ex quatuor legionibus quas Ariminũ præmiſerat, eã quæ Martia diceretur, ex itinere ad Cæſarẽ *Duæ legiones ab Antonio deficiunt.* diuertiſſe. Perturbatus eo nuntio Antonius, erat nihilo ſecius uerba facturus quũ recentiore nuntio fit certior, iã & quartã legionẽ defeciſſe. Tum uero dimiſſo ſenatu ex urbe Albã proficiſcitur, quo Martia legio diuerterat, atq; inde excluſus Tybur cõceſſit, ubi aliquot dies delectũ habuit. Hinc Ariminũ cum legione una progreſſus, tres ibi alias offendit, nam una quę reliqua erat ex Macedonia duabus prioribus ſuperuenerat. His igitur fretus, primo multis hortationibus cũ Bruto egit, ut ſibi prouincia cederet, quã populus decreuiſſet, ipſeq; in Macedoniam tranſiret. Verũ ubi plane ſenſit nihil ſe ea uia proficere, Galliã ingreſſus Brutũ Mutinã compulſum foſſa & uallo cingit, fuiſſetq; Antonius cõtinuo hoſtis iudicatus, M. Tullio id facinus uehementiſsimis actionibus criminãte, niſi L. Piſo in curia, in foro Saluius Tribunus Ciceronis conatibus obſtitiſſent. Factũ eſt tamen ſenatuſconſultũ ut Hircius & Panſa, noui conſules, arma in Antonium compararent, ut Octauius (aderant enim illi duæ legiones, quæ ab Antonio defecerant, tyronum una, & duę ueterano rum ſemiplenæ) proprætoris nomine, in Antonium copias ſub conſulibus duceret. D. Brutus laudatus quod Antonium Galliæ finibus excludere conatus eſſet. Videbaturque per hæc ille hoſtis iudicatus, aut certe non multo pòſt iudicandus, niſi ęius mater Iulia & Fuluia uxor, eiusque filius, noctu nobilium domos circumeuntes, mœrore & lachrymis, multorũ animos flexiſſent. Sẽſit id Cicero, poſtridieq; in curia ita locutus dicitur. Quæ de hoſtili con-tu

Antonius Brutum obſidet.

Octauij copiæ

Oratio Ciceronis in Antonium

conatu Antonij uos cognoſcere oportuit Patres cõſcripti heſterno die effeci, ut omnia illa eſſent uobis abunde nota: quo contigit, ut ueſtro decreto, quo eius hoſtes magnis honoribus ornaſtis, eodem illo Antonium ipſum hoſtem iudicaſſe uideamini. Vnus Saluius tribunus plebis præſenti decreto obſtitit, quem aut omnium prudentiſsimum, iudicare oportet, aut ſi non amicitia commotus id faciat, eorum quæ fiant longe ignorãtiſsimum, ſed nobis turpiſsimum eſt Patres conſcripti, ſi uno homine, atque hoc ipſo Saluio, imperitiores habeamur, ſitque idem reipublicę beneuolẽtia & ſtudio propinquior, qui præſentium rerum ignorantia maxime laboret. Mihi quidem cõſulibus potius fides adhibenda uidebatur, prætoribus, uniuerſo ſenatui, qui ætate, iudicio, experiẽtia, multo melius quid Antonius mereatur, quàm ille, intelligũt. Eſt enim in publicis iudicijs id plurimum quod æquum ſit & iuſtũ. Quod ſi iterum nobis dicenda ſunt, quæ in Antonium longo ſermone diximus, rerum capita ſubijciam. C. Cęſare extincto, Antonius publicas pecunias interuertit. Idem Macedonia prouincia, quam à nobis acceperat, iniuſſu ueſtro relicta, exercitum qui aduerſus Gethas ducendus fuit in Italiam deportauit, alienam prouinciam ingreſſus, fidelisſimam Populi Romani coloniam hoſtiliter circumſedet. Brutum conſulem deſignatum oppugnat, & ueſtras legiones obſidione premit, eo exercitu fretus, quem in noſtram perniciem erat huc ex Brunduſio adducturus, niſi Octauij adoleſcentis uirtute & præſidio, ea peſtis fuiſſet à patriæ mœnibus, & bonorum cæde repulſa, cuius metu procul hinc coactus fuit furioſum impetum auertere. Galliam igitur occupare eſt conatus, ut inde, quemadmodum C. Cæſar fecerat, uelut ex arce quadam ciuili bello ſignum daret, atque in patriam impetum faceret. Age uero qua ille

B

ſæuitia, qua crudelitate uſus fortiſsimos ueſtrarum legionum uiros Brunduſij occidit, ex uniuerſo exercitu lectiſsimum quẽq;, quum non ſeditionem ullã excitaſſent, non præſidio deceſsiſſent, non ordinem in pugna reliquiſſent: unus omnium imperatorũ ad hũc diem repertus, qui per riſum & contemptũ fortiſsimos milites ſupplicio traderet, capitalibus afficeret pœnis. Hoc crudelitatis exemplo conſternatæ duæ ab illo legiones defecerunt, quas heri, ut benemeritas, honorificentiſsimo decreto ornauimus. Quæ autem metu diſcedere non ſunt auſæ, cum illo nunc in Gallia latrocinantur, prouinciamq; Po. Ro. hoſtiliter uexant, ueſtram coloniam, ueſtros exercitus, cum ipſo duce, oppugnant & quem uos Galliã obtinere noluiſtis, is Antonij armis, quia illiꝰ latro-

Peroratio.

cinio prouinciam relinquere noluit, fatigatur. Quæ quum ita ſint, utrum quæſo nos Antonium hoſtem iudicauimus, an ille priuſquam iudicaretur hoſte ſe reip. per hęc quę facit profeſſus eſt? Saluius trib. ple. optimus hæc nõdum nouit, an nouit potius, ſed tãdiu diſſimulãda cenſet quoad D. Bruto uicto, prouincia opportuniſsima, urbiq; propinqua, cum toto exercitu Antonij opibus acceſſerit, ac tum ſolers tribunus hęc cognoſcere incipiet, quum acerbiſsimus hoſtis noſtris capitibus crudeliter inſultabit, qui tũ iudicatus fuerit hoſtis, an non, parum noſtra reique publicę intererit. Et Cicero hoc in Antonium argumento eo die diſſeruit, cui uniuerſus ferè ſenatus aſſenſus pedibus erat in eius ſententiam iturus, quum L. Piſo homo multa autoritate aſſurgẽs, ita pro Antonio uerba fecit. Leges, Patres conſcripti, reum audiri iubent. Audite itaq; pro reo reſpondẽtem ac tũ demum boni conſulite, cupioque in primis Ciceronem adeſſe, qui quum ad dicendum ſit potentiſsimus, Antonium tamen præſentem nunquam accuſare eſt auſus, abſentem multis criminibus magnaque inuidia obruit. Quod autem ea, quæ in eum cõgerit, calumnia non careant, efficiam Patres conſcri-

Oratio L. Piſonis pro Antonio.

pti, ut ad unum omnes iudicaturi ſitis. Pecunias ait publicas Antonium interuertiſſe poſt Cæſaris interitum, id ſi fic eſt, cur non hoſtis lege iudicatur? ſed uos per Deum uidete quo pacto hoc ſe habeat. Antonius, quod omnes ſcitis, poſt Cæſaris cędem, publicam pecuniam inquirendam cenſuit, & ut præmia indicantibus publicè decernerentur autor fuit. Nunc ſiquis Antonium peculatus accuſet, parati ſumus duplum diſſoluere. Quod autem ad Galliã prouinciam attinet, non nos Antonio eam prouinciam decreuimus, ſed populus cuius libera ſunt ſuffragia. An igitur contra leges is facit, qui populi beneficium armis, ſi bona uenia non liceat, tutatur? bellumque id adimere uolenti, ijs legionibus inferat, quæ etſi ad Gethicum bellum ſcriptæ fuerant, quia tamen adhuc non ſit illatum, ſine reipublicę detrimẽto inde abduci potuerunt? Et quum ita ſit, Cicero Antonium hoſtem putat qui legem tuetur. Brutum non putat, qui publico decreto repugnat: Cæterum ſi lex contemnitur, autor quoq; legis contemnatur neceſſe eſt. Nec Cicero cẽſere debuit prouinciã Bruto committendam, quem ob parricidium commiſſum populus extorrem eiecit, nec eum nũc eijciendum, qui eam prouinciam à populo obtinuit, quod tam ſtultum quàm improbum eſt, hac nouitate temporũ non multitudinis ſtudio & uoluntati obtemperare, præſertim quum ueteri inſtituto Po. Ro. belli pacisq; ſit arbiter. Sed milites Antoniꝰ occidit, quaſi uero nũquam fando auditum ſit, imperatorum aliquem huiuſmodi animaduerſione uſum in ſuo exercitu, quum nullus unquam penè fuerit, qui non in ſuos milites, alia atq; alia de cauſa animaduertere ſit coactus. Quod ſi ullus unquam iure id fecit, merito Antonius feciſſe & uideri, & dici poteſt, qui inſidias ſibi à militibus parari indicio cõperit. Sed ille multo deterior, qui autor fuit, ut legionibus præmia decernerentur, quæ à ſuo imperatore ad priuatum hominem transfugerint, in quam inſaniam, nõ patriæ amor, non quia ſalutare ſit exemplum, ſed priuatæ impulerunt inimicitiæ. Inſectatur præterea Antonium, ut tyrannum, quia Cæſare dictatore ſublato dominatum in ſe transferre conatus ſit. Sed ut hoc quale ſit, melius ſciri poſſit, liceat mihi pauca ex Cicerone quærere, ac primum omnium illud mihi demonſtres uelim M. Tulli, ecquem hominum inauditum occidit Antonius, qui nunc inauditus in periculo conſtitutus eſt? quem ciuitate expulit? quem huius ordinis cõdemnauit? cui noſtrum ſtruxit inſidias? quando hæc Antonius? an quum iniuriarum obliuionem confirmauit? aut quum de publicis pecunijs inquiſitionem habendam cenſuit? aut quum Pompeium ab exilio reuocãdum decreuit? aut quũ Chamacem oppreſsit, qui C. Marij ſe filium mentitus, res nouas in urbe moliebatur? aut quum dictatoris nomen abolendum cenſuit? Hęc ſunt tyrãnica illius acta, quibus ille duobus menſibus, Cæſare extincto, ſolus reipu. præfuit. Quid quòd ne percuſſorum quidem Cæſaris, quos inuiſos populo ſciebat, occidit quẽquam, aut urbe expulit, quum pro poteſtate, quam gerebat, haud dubiè potuiſſet. At nõ modo non illis iniurius fuit, ſed quantum ſalua dignitate potuit indulſit etiam, prouincias q; illis datas, nulla motus inuidia, conceſsit: & hæc in Antonium collata crimina, quæ qualia ſint, Patres conſcripti, abũde, ut arbitror, intelligitis. Adiecit accuſator acerrimus huic calumniæ diuinationem, teſtatus fuiſſe Antonium urbem hãc cum exercitu inuaſurum, niſi Octauij metu nefario cõſilio deiectus eſſet. Quoniã ſi dijs placet, homo impiger, & in armis diutiſsime uerſatus, triginta milia armatorum ſecum ducens, puerum tribus milibus hominum tumultuoſe euocatorum ſeptum extimuit, uel ſi cum triginta milibus uenire non eſt auſus, quo pacto cum mille duntaxat inſtructus ex itinere huc diuertit? Quid q, illi

reuerſo Tyburique delectum habenti ſe ſummo ſtu dio ciuitas obtulit, multique hominis autoritatem ſecuti, ultrò ſe ſacramento aſtringi petierũt? Sed cer te ſic habet, nullus unquam in hac urbe conſulatus præter eum, quem M. Cicero geſſit, fortiter aut pul chre eſt geſtus, in quem ſermone ornandum omnes eloquentiæ neruos defatigauit. Nunc, Patres con ſcripti, Antonij animum ſatis ex ijs, quę dixi, perſpe ctum habetis: quòd ſi cętera uobis parum nota ſint, ſatis illum ab omni ſuſpicione uindicãt chariſsima uitæ pignora, quæ hinc profecturus patriæ reliquit, matrem, coniugem, liberos, quæ mœrore & triſtitia conflictantur, non Antonij facta, quæ nulla niſi ſibi, & patrię ſalubria ſunt, ſed ne inimicorum odiũ plus æquo apud uos ualeat metuentes, moneo & hortor, ut non priuatas unius inimicitias publicæ concordiæ anteponatis. Patiamini Antonium Po. beneficium obtinere. Brutum cum ſuis legionibus ex aliena prouincia reuocate, quibus huc reductis reis alias quæ ſunt apud Octauium adijcietis, quæ hac nouite temporum ſint huic ordini, ſint uniuerſæ ciuitati præſidio. Hoc multo conducibilius futuræ concordiæ ſit, quàm ob priuatas contentiones, hominẽ armis & ætate floretem, à rep. alienare: in quo nequid temere fiat Martij Coriolani uetus exemplũ, & recens C. Cęſaris uos, Patres cõſcripti, admonere poteſt, & debet. Hæc ſunt, quæ pro mea in remp. fide, dicenda exiſtimaui. Vos quicquid ſuper eare ſtatue ritis ſecundare deos uolo. Piſonis uehemens oratio adeò uniuerſum mouit ordinem, ut Antonius nõ ſit hoſtis iudicatus nõ tamen, ut Galliæ præeſſet tenere potuit. Oratores ad Antonium cõfeſtim ſunt miſsi, præſcriptaq; illi dies, qua Galliæ finibus excederet. Affertur interea C. Trebonium, qui Aſiam circa mare obtinebat, à Dolabella conſule, quẽ in Syriã profectũ diximus, Epheſi noctu oppreſsũ, ac crudeliter necatũ, quod facinus in curia luculenta oratione Cicero inſectatus, autor extitit, ut Dolabella hoſtis fit iudicatus. Antoniũ quoq;, quia dicto non paruiſſet, multo pòſt ſenatus pari iudicio condẽnauit. Ad Brutum & Caſsium miſit, ut exercitus cõpararent. Caſsius Syriæ M. Brutus Macedoniæ & Illyrico præeſſent: D. Brutus interea lõgã obſidione preſſus, rerũ omnium inopia laborare cœperat, ad quẽ obſidione eximendum Hircius conſul eſt Mutinam miſſus, & cum eo Octauius cũ ueteranis, & ijs legionibus, quę ab Antonio transfugerãt, tertiam, quam ipſe coẽgerat, decreto patrum conſuli tradidit. Panſa alter conſul & ipſe tota Italia habebat delectum, eò cõfeſtim occurſurus. Cicero Romę abſentibus cõſulibus impotenter omnia adminiſtrabat, multiq; interim ex Antonij amicis ab eo indigne uexabantur, calumnia & operibus preſsi. Eam contumeliam haud ferendam ratus P. Ventidius (militauerat is ſub Cæſare dictatore eratque Antonij amiciſsimus) ex Cęſaris colonijs duas ex improuiſo uoluntariorum legiones, utpote omnibus notus, in unum contraxit, quas quum Romam ducere cœpiſſet, tantus in ciuitate motus ortus dicitur, ut multi liberos & uxores metu ex urbe ſubtraxerint. Cicero quoq; ſibi timẽs è medio exceſsit. Ventidius, audita Ciceronis fuga, ad Antonium diuertit, à cuius congreſſu Hircij & Octauij copijs excluſus, in Picenũ agrum flexit, ibi euẽtum expectaturus. Panſa interea cum nouo exercitu Mutinæ appropinquabat, cui per arcta loca uenienti Carſuleius, cum prętoria Octauij cohorte, & Martia legione miſſus eſt obuiã, ut ſiquid ab hoſte moueretur conſuli auxilio eſſet. Antonius locorum natura fretus, cum duabus lectiſsimis legionibus, totoque equitatu, ac prætoria cohorte, paluſtri arctoque loco Carſuleium primo uelut ex inſidijs aggreditur, in graue prælium incidit. Locorum perplexitas effecit, ut paludibus interiectis in duas uelut acies duoque diuerſa prælia certamen abierit. Hic Carſuleius, ibi Panſa ſuos hortabantur, utrobiq; atrox erat pugna, ſed inter Martias legiones multo atrocior quàm alibi. Nam Antonius poſt Martiæ legionis defectionem alterã eodem nomine inſignierat. Magna itaque cõtentio utrinque animos accenderat. Hi ne immerito id nomen adepti uiderẽtur: illi ne alijs cõmunicatum eſſe paterentur. Non clamore res gerebatur, ſed ferro, non excurſus, non aditus erat ullus ad impreſsionem faciendam. Stabant eundem locum obtinentes quem fuerant ab initio adepti, cuneatim dimicantes, umboni umbo hærebat, nulli ictus irriti, uulnera, gemitus, & ſuſpiria pro uocibus reſonabant. Sed quum in numerum caderent, neutra tamen acies alteri cedere. Stabant ſtupore preſsi, qui cum Panſa nuper fuerãt ad id bellum uocati, quum in cõſpectu tam atrocia facta cernerent. Poſtremo cohors prætoria Octauij uniuerſa cęſa eſt, Martialesq; qui ſub Carſuleio erant, hoſtem loco ſub mouere cœperant, nõ tamen ut uerteret terga, ſed ut ſenſim pugna decederet, cæteri Martiales quos Panſa ad pugnam hortabatur (nam tota legio ſub duobus ducibus dimicabat) ſtrenue prælio ciebant, quum conſul ſagitta per ilia confoſſus acie exceſsit. Tum uero ea parte conſulis deceſſu fuga fieri cœpta eſt. Euocati, qui Panſam ſequebãtur, quique ſpectatores potiuſquam pugnatores aderant, inſpecta ſuorum fuga, continuo & ipſi terga uertunt, uallumq; nuper à tergo communitum, præcipiti curſu repetũt, ab utraq; parte pulſi. Antonius Martialibus omiſsis, qui iam perculſi, & magna ex parte cæſi utrinq; ceſſerant, euocatorum agmen perſecutus, magna cum ſtrage diſiecit, tendebatq; iam Sol ad occaſum, & Antonianorum agmẽ incompoſitum ſeſe cũ cantu & lętitia in caſtra recipiebat, quum in nouum & inopinatum prælium incidit. Hircius, cum altera legione, quæ ab Antonio defecerat, audito prælio, quo Antonius collegam uenientẽ exceperat (octo enim milia fermè paſſuum à Mutina fuerat dimicatum) ut ſuis ſubſidio eſſet, pleno curſu in hoſtem ferebatur. Subito itaq; occurſu manum conſerũt, magnaq; quum hi tum illi militaria edũt facinora: ſed Antoniani labore diurnoq; prælio fatigati, à recentibus & integris facile ſternuntur, qui non in ueſtigio ſtantes perierũt, nox paludibus diſiectos texit. Sic Hircius Antonio uictoriam é manibus expreſsit. Perijt ex utraq; parte dimidium ferè militũ, habuitq; Antonius in animo poſt cladẽ illam acceptã prælio abſtinere, in id intentus, ut Brutum fame domitum ad deditionem compelleret. Cæterum Hircius & Octauius, continuis inde diebus ſtructa acie in hoſtium cõſpectum prodire, nullam pugnæ moram facturi, qui quum Antonium ad certamen elici non poſſe cernerent, diuerſa parte in urbem conantur irrũpere. Tum Antonius ueritus ne ſi illi ad Brutum peruenirent, uictoria è manibus laberetur, totum equitatum, mox duas hoſtibus legiones obiecit, fuitque hæc pugna Antonio nihilo nocturna illa proſperior, cum multa cæde in caſtra compulſus eſt. Hircius dum circa hoſtium uallum fortiter obequitat, letali uulnere confoſſus occidit. Octauius conſulis corpus hoſtibus ſubtraxit. Fuerunt qui crederent Hircium Octauij opera interfectum, atque ab eo confoſſum dum incautus medio prælio uerſaretur. Panſa quoq; Hircij collega, qui paucis diebus interiectis, uita deceſsit, eius fraude creditur necatus ueneno uulneri indito. Auxerunt hanc ſuſpicionem ea, quæ poſtea ſecuta ſunt, quòd duobus conſularibus exercitibus ad ſe receptis, haud multo pòſt ab optimatibus ad hoſtes trãſijt. Antonius duplici clade pculſus, aliquãdiu anceps fuit, deberétne in obſidione perſeuerare, inde ſubita mentis perturbatione cõcitus, relictis caſtris, ad Alpes cũ omnibus copijs ſeſe proripuit. Octauius Brutum obſidione liberatum ſecum cõgredi non eſt paſſus, teſtatus ſe uenisſe Mutinam, non ut percuſſorem patris ſui ſeruaret, ſed ut oppugnaret Antonium: inde Bononiam progreſſus cũ Panſa qui adhuc uiuebat de ſumma belli locutus, ſenatui ſignificauit, quæ circa Mutinam acta eſſent. Literas Cicero in ſenatu recitauit, cenſuitque ut quinquaginta dierum ſupplicatio decerneretur, quot dierum nullo unquam tempore fuerat decreta, & ut ſaga deponerentur, quorum ſumẽdorum idem patribus fuerat autor. Cõſularium copiarum imperium Bruto decernitur, ut Antonium bello perſequeretur, eſt & per literas Lepido & Plãco mandatum, qui cum exercitibus proximi erant, ut cum Antonio hoſtiliter conſligerent, ne paterentur illum à præſenti clade reſpirare. Octauij nulla in literis mentio erat, quo apparuit parta uictoria cœpiſſe illam patribus ludibrio eſſe. Nec multo pòſt Panſa moritur, qui prius quàm uita excederet, hortatus dicitur Octauium, ut cum Antonio iam uicto rediret in gratiam, quæ uia ſola illi pateret ad felicitatem, ad quam natus uideretur. Octauius receptis legionibus, quas conſulibus tradiderat, conſulum corpora Romam dimiſit funeranda. Cęterum dum hęc in Italia geruntur, in Syria Cæcilius Baſſus, cum duabus legionibus, à Sexto Mulco & Minutio Criſpo Cæſarianarum partium ducibus obſidebatur. Fuerat Baſſus à Cęſare adhuc uiuo alienatus, ob Sexti Iulij cædem, quem ab illo in Syria, cum legione una, relictum ſeditione in caſtris mota occiderat, occupatæque poſt Iulij mortem legioni alteram adiecerat. Premebatur itaque obſidione Baſſus, ad quẽ periculo eximendum C. Caſsius profectus, primo duas illius legiones ſibi aſciuit, mox ſex alias quas Minutius & Mulcus ducebant paucorum impulſu à ſuis ducibus alienatas intercepit. Adortus inde Caſsius ex improuiſo Albinum in Palæſtina, qui ex Ægypto quatuor ducebat ad Dolabellam legiones, quas à Cleopatra acceperat, fine aliquo maiore certamine exercitu exuit: ita Caſsius duodecim legionum imperator factus, Dolabellam Laodiceæ obſedit, tenuitque oppugnatio illa plures dies. In Macedonia M. Brutus C. Antonium exercitu ſpoliatum, & deditũ, penes ſe aliquandiu benigne habuit: mox uero, quum rebus nouis ſtuderet, nec familiariter monitus ab incœpto deſiſteret, in cuſtodia habitus eſt, donec in M. Tullij ab Antonio triumuiro interfecti ultionem, ſit ad ſupplicium Ciceronis filio datus. Sed id aliquanto poſtea fieri contigit. Contraxit inde Brutus haud minori ſucceſſu quàm Caſsius decẽ legiones, quibus copijs poſtremo in Philippis ambo cõtra Octauium & Antonium ſteterę. Sed dum hæc in Syria & Macedonia geruntur, Octauius, ob Mutinenſem uictoriam, petijt ut ſibi triumphus decerneretur, cui multa quidem repugnabãt, & quod de ciue nemo unquã ad id tẽpus triumpharat. Adde quod, nec ætas, nec mos id dari permittebat, præſertim quod non ipſius ſed conſulũ auſpicijs ad Mutinam bellatum eſſet. Negato itaq; quod iure negari debuit, tanquã meritus ſibi honor non redderetur, continuo ad Antonium deflexit animum, ac primũ omniũ paſſus eſt Vẽtidium cum tribus legionibus ad eum ire, cum euntem facile opprimere potuiſſet. Huius igitur opera uſus Octauius necnon aliorum quorundã, quos Antonio non iniucundos ſciebat, occulte cum eo de reconciliatione egit. Romę interim decemuiri, ad id creati, omnia ferè acta Antonij reſcindebant. Octauius ad Ciceronẽ ſcripſit, ut cum ſenatu ageret uti legibus ſolutus conſul crearetur. Quæ relatio, quum ab uniuerſo ſenatu reiecta eſſet, legionarij milites ſuo nomine id poſtulatum miſerunt. His quoq; res negata eſt, patribus ætatem excuſantibus. Octauius eam repulſam iniquo ferè animo ferẽs, cũ octo legionibus, magnis itineribus, ad urbem contendit. Eius aduentu Romam nuntiato, cõſternatio ingens inuaſit ciuitatem. Diſpoſitæ circa portas cuſtodię, & tres legiones quę tum forte aderant, opportunis ſenatus locis præſidio intra muros collocauit. Omnis militaris ætas, publico decreto, arma induit. Mittunt patres & ad D. Brutũ, mittunt & ad Plancum, ut legiones ad urbẽ admoueant. Cicero aliquandiu interim latuit, quæ res magnopere auxit ciuitatis metum. Satis conſtabat neminẽ eſſe cuius ille conſilijs libẽtius acquieſceret. Mater quoque Octauij & ſoror cum multa trepidatione requirętę nuſquam interim extiterunt. Augebaturq; ciuitatis dolor quod tantis eſſet obſidibus priuata. Pauor itaq; & trepidatio omnia occuparat, quũ ab equitibus, ad hoc ipſum præmiſsis, publice nũtiatur, neq; ab duce ipſo, neq; ab exercitu, quicquam incõmodi expectari oportere, pacata omnia ciuitati futura in Octauij aduentu. His nuntijs continuo omnia mutata. Ciuitas omni metu & mœrore abiecto ſeſe ad officium comparat. Multi uiri illuſtres Octauio obuiam prodiuere. Ipſe in Quirinali colle conſedit. Poſtridie ualida armatorum manu ſeptus urbẽ ingreditur. Mater & ſoror Octauia cum Veſtalibus gratulabundæ illi occurrũt. Tres legiones, quę Romæ erãt, ſub eius ingreſſum, relictis ducibus, quorũ Cornutus unus ſibi prę nimio dolore manũ intulit, ad Octauium trãſiuere. Traducto inde in Martium campum exercitu, conſul cum Quinto Pedio cohęrede ſuo creatur, cum duodeuiginti natus eſſet annos, mox magiſtratum ineunti, quum rem diuinam faceret, duodecim Vultures, ut olim Romulo, auſpiciũ fecere. Lege curiata ſeſe iterum defuncto Cęſari in adoptionem dedit. Dolabellam qui, ob Trebonij mortem, fuerat à ſenatu hoſtis iudicatus, numero hoſtium exemit. Cæſaris percuſſores rogatione Pedia parricidij damnauit. Interea factus cerior Brutũ & Caſsiũ, collatis caſtris, ad. xx. legiones ſub ſignis habere, animũ ad Antoniũ ſibi reconciliã dum maiore ſtudio q̃ antea adiecit. Is Mutina profectus in magnas primo difficultates incidit, quũ per alpes ductaret exercitũ, tanta cõmeatus inopia, ut corticibus arborũ imperator ueſceretur, corruptãq; potaret aquam, homo alioqui ad uoluptatẽ natus. Nemo in aduerſis fuit frugi uiro ſimilior. Nemo in proſperis corruptior. Laborioſi huius itineris illi cauſa fuit ut cũ Lepido, qui florentiſsimũ ductabat exercitũ, ſuas copias iungeret. Fuerat Lepidus Cęſaris amicus, atq; per ipſum Antoniũ in eius familiaritatẽ receptus. Vbi igitur haud procul ab eo caſtra fecit, præſtolari primo an ab homine ſibi amico auxiliũ ultrò deferretur: quod ubi fruſtra id ſe expectare ſenſit, ſqualore coopertus (nã poſt aduerſam pugnã neq; capillũ, neq; barbã curauerat amplius) cultuq; ſordido ac miſerabili q̃ proxime potuit Lepidi caſtra adequitauit, ibiq; extra uallũ cõcionari exorſus uehementer uel ipſo aſpectu mouit militũ animos. Qua re animaduerſa continuo Lepidus tubas iuſsit canere, ne concionantis uoxillarũ clangore poſſet à militibus audiri. Accẽdit ea cõtumelia animos militũ ac partim ira, partim miſericordia in Antoniũ cõuerſi, Læliũ quendã & Clodiũ meretricio habitu ad illũ occultè mittũt, hortanturq;, ut Lepidi caſtra oppugnet, fore ut cõfeſtim milites à Lepido ad eũ deſiceret. Nec Antonius in tali occaſione deſedit. Poſtridie ſuperato fluuio, qui utraq; caſtra interfluebat, ad Lepidũ ire pergit, quẽ uenientẽ milites, refracto uallo, in caſtra ſummo cũ fauore & lętitia accipiũt. Sed tantũ abfuit, ut Antonius Lepido aliquo modo inirius fuerit, ut eũ benigne cõplexus patrẽ ſalutauerit, & quũ iã ſumma imperij foret penes ſe unũ, imperatoris nomẽ illi ſeruauit, quę duorũ cõcordia effecit, ut & Plãcus Numatius, q exercitũ ductabat haud cõtemptibilẽ ſe ambobus iunxerit, ac tũ demũ Antonius, & qui cũ eo erãt, hoſtes, ut Liuius ſcribit, ſunt iudicati. Ille uero præſenti ſucceſſu elatus, v. legionibus ad Galliæ præſidiũ relictis in Italiã cũ x. milibus equitum

Dolabella & Antonius hoſtes iudicãtur.

Antonij motus

Peroratio.

Acris pugna inter Martias.

Panſa uulnerãtur.

Vincitur Antonius ab Hircio.

Hircius interficitur.

Octauius à patribus alienatur.

Cæſius & Brutus comparant exercitũ.

Quinquaginta dierum ſupplicatio.

Ciceronis fuga.

Octauius urbẽ ingreditur.

Dãnantur Cæſaris percuſſores.

Excluditur Antonius à Lẽpido.

Antonius in Italiã reuerſus.

equitum & sexdecim legionibus transcendit. Octauius Asinio Pollione ad Antoniũ misso sese illi adiutorem obtulit ad Brutum persequendũ, ac ubi de pace ambobus cõuenit: Octauius secus Ioniũ, cum suo exercitu, in Cisalpinam Galliam mouet. Brutus rãtis hostium uiribus territus, etsi decé illi sub signis legiones erant, prinsquã undiq; intercluderetur, ad Cassium & alterum Brutum per Rauennã & Aquileiam molitur fugam. Cæterum audito Octauij accessu, eius occursum declinans, ad Alpes iter flexit, ut Rheno superato per Germaniam in Macedoniam penetraret. Quatuor legiones ab initio ad Antonium defecere, mox euntẽ cætera multitudo deseruit, ita ut cum ccc. duntaxat equitibus ad Rhenũ peruenerit. Hic quoq; trãsitu deterritus, atq; ab omnibus ferè destitutus, cum paucis Gallico habitu Aquileiam uersus iterum flexit iter. Incidit interea in latrones, à quibus captus, & ad Camillum Gallorũ

Bruti cædes. quendam regulum perductus interficitur. Liuius in Antonij potestatẽ uiuum ueniisse significat, atq; eius iussu à Capeno quodam Sequanę gentis interfectũ. Caput eius, quod satis constat, Antonius uidere noluit, atq; ita D. Brutus ex Cæsaris percussoribus secũdus à Trebonio perijt. Bruto extincto Antonius, Lepidus, & Octauius circa Labinium flu. Mutinẽsis agri, castra conferunt, triduoq; in fluminis insula de summa rei locuti, societatem & fœdus iniuere, ut ad arbitrium suũ remp. administrarent, ita inter se prouincias partiti, ut Antonius Gallias teneret, usq; ad Pyrenæos mõtes. Lepidus Iberiam & Libyã. Octauius Italiã cum Sardinia & Sicilia. Vt Cassio & Bruto, Antonius & Octauius inferrent bellũ: Lepidus interim consul cum tribus legionibus urbi præsideret. Destinant adhæc duasdecim Italię urbes militibus distribuẽdas, in quibus agri & domicilia singulis assignarẽtur. Fuereq; in his Capua, Rhegium,

Vrbes militibus decretæ. Venusia, Beneuentũ, Nuceria, & Ariminũ. Proscripti deinceps sunt ccc. circiter senatores, equestris ordinis duo milia. Primus ex proscriptorib. fuit Lepidus, & ex proscriptis primus Paulus Lepidi frater. Secũdus proscribentiũ Antonius, & Lucius eius frater sẽcũdo loco ascriptꝰ est. Sed magis placet, ut L. Cæsar intelligatur ipsius Antonij auunculus, qui à Iulia sorore sua Antonij matre est seruatꝰ. L. Antonius triũuiri frater frequens fuit circa Mutinam, ut Cicero significare uidetur, nec ab Antonio uspiam abscessit. Antonius ea cõditione auunculum proscribi passus est ab Octauio, ut Cicero sibi proscribẽdus ab eo traderetur. Mota sunt inde castra, legiones q; ad urbem admotæ, quæ tres & quadraginta numero fuisse traduntur. Metus primo, mox & stupor ingens ciuitatem inuasit, augebantq; formidinem terrifica signa,

Prodigia. quæ sub id tempus apparuerunt. Lupi per mediũ forum discurrerãt, animal urbi minime assuetũ. Bos in suburbano loco est agricolam allocutus, se frustra urgeri, non frumentum, sed homines defuturos, & infans recẽs natus locutus dicitur. Simulachra deorũ quædam sudore, alia sanguine manarunt, inanes uoces auditæ, armorum strepitus, equorũ cursus, quũ equos cerneret nemo. Lapidibus pluit, & circa Solẽ prodigia quædam facta dicuntur. Tres Soles simul orti, in unũ coiuere. Accersitis ex Hetruria uatibus, unus remp. in regnũ relabi cecinit, omnesq; ut olim subiectum iri, præter se unũ, atq; ita cõpresso spiritu extinctus est. Triumuiri singulatim urbẽ triduo ingressi, omnia terrore & armis cõplent. Ibi primum omnium P. Titius trib. pleb. pro cõcione attonitam

Antonius Lepidus Octauius triumuiratum ineunt. multitudinem affatus, pronuntiauit Antonium, Lepidum & Octauium triumuiros, sibi quinquẽnium deposcere ad remp. reformãdam, qua recepta stultũ fuisset negare, qđ ui extorqueri potuit. Proscriptionis tabulas in apertũ referunt, præmiaq; proponunt ijs qui damnatorũ capita retulissent. Tũ uero miserabilis fuga orta, multorũq; irriti conatus fuere, turA marum ductoribus, exitus urbis, portas, signa, lacunas, pontes & cætera ad fugã idonea, præsidio obtinẽtibus. Plurimi uiri & boni & illustres periere, alij alio casu, cęterũ omnes miserabili euentu. Cicero cũ tota domo proscriptꝰ cũ lachrymis à fratre diuulsus Asturã primò naui delatus est, mox Circeios usq; na uigauit, ibi siue nauigationis tædio, siue q, nondum spem de Octauio abiecisset, in terrã descendit. Asturãq; pedibus redijt, incertus an & Romã reuerteret. Hinc liberorũ monitu, repetita naui Formias processit. Appianus Capuã progressum scribit. Eũ circa Formias appellentẽ corui infesto uolatu, ab infausto appulsu arcere uoluisse uisi sunt, ex littore ad uillã suã quæ in proximo fuit lectica est delatus, ubi diutius cõmorari non est ausus, ijsdem alitibus garritu importuno q; uolatu omnia infestãtibus. Referebatur igitur eadẽ lectica ad nauẽ, quũ Popilius Lenas quẽ ipse capitali iudicio olim defenderat, cũ globo militum obuiã occurrit. Sensit Cicero eos ad cædẽ mis- *Ciceronis uirtus & ultio.*
sos, cõtinuoq; lecticam deponi iussit, hicq; sine gemitu, aut querela ulla tacitus, barbam q; sibi lęua manu, ut mos illi fuisse dicitur, demulcens ueniẽtes excepit. Interficitur igiẽ annos natus quatuor & sexaginta. Caput eius cũ dextera ad se delatũ Antonius in rostris suspẽdit, quum prius inter epulas ad satietatem spectasset, eius frater Quintus & Quinti filius haud multo post quã ipse Roma egressus est, fuerant interfecti. Brutus, Ciceronis morte nuntiata C. Antonium triumuiri fratrem ad id tempus incolumẽ seruatum, Ciceronis filio occidendũ tradidit. Sic Antonius prius fraternò sanguine, mox suo, quũ ab Octauio uictus, sibi mortẽ consciuit, Ciceronis manibus, imò Ro. potius eloquentiæ, quam læserat, meritas exoluit pœnas. Fugerat L. Cæsar ad Iuliã sororem suã posteaquam se proscriptum cõperit, irrupB runtq; percussores in Iuliæ ædes, proscriptũ hominem interfecturi: quibus obijciẽs se illa clamitabat *Iulij Antonij mater fortiter tuetur.*
nunquam fieri posse, ut eum uiolarẽt, nisi triumuiri matre prius interfecta. Cesserunt illi Antonij nomẽ ueriti. Produxit inde Iulia fratrẽ ad triumuirorũ tribunal, ubi multa & acerbè in filium locuta, à triumuiris collegis suppliciter uitã precata est. Fertur Antonius laudasse matrem, ut sororem optimam: uitu peraslse, ut matrẽ parũ filij amantẽ, q, eum tueretur, à quo ipse hostis iudicatus esset. Paulus quoq; Lepidi frater seruatus est, quẽ nemo ob Lepidum insectari fuit ausus. Marcus Varro uir eruditissimus inter *Varro.*
proscriptos relatus, aliquãdiu occultè fuit in Caleni uilla, quã uoluptatis causa Antonius frequentabat, indicioq; ad triumuirũ delato, dixisse Antonius fertur, uiuat Varro uir doctissimus. Scripsit hic supra quingẽtos libros, quorũ pars maxima ea tẽporum nouitate intercidit, ipsius bibliotheca, cũ cæteris bonis direpta. Sed quum neq; proscriptorũ bona, neq; ingẽtes alioqui rapinę possent Antonij luxuriã explere, uirorum proscriptione cõfecta, mille & quadrin- *Mulierũ proscriptio.*
gentas locupletes triũuiri proscripserunt fœminas, quę à Fuluia Antonij & Lepidi uxore domo repulsæ, in forũ ad triumuiros magno cœtu cõuenere. Tũ Hortensia Q. filia ante alias proscripta, ita ad Antonium & collegas publice uerba fecit. Quum uestra moderatione indigeremus, tot talesq; mulieres, ad uestras uxores Antoni & Lepide cõfugimꝰ, sed nullam ab his gratiã cõsecutæ, & à Fuluia etiã reiectę, in forũ uenire coactę sumus. Vos nobis patres, uos uiros & fratres, triumuiri ademistis, his adẽptis in nos miseras quæ melius cum illis perijssemus sęuire decretum est, nec sexus reuerentia, nec innocẽtia uitæ nobis auxilio sunt. Deuocamur in apertũ uitę discrimen, nõ quia male meritæ de uobis simus, sed quoniam iniuriam pati possimus: nam siqua uis à nobis potuit in uos proficisci, tanquã profecta sit, nullum suppliciũ recusamus. Proscribite, eijcite, ferro persequimini. Si uero neque hostem ex uobis quẽquam

quam iudicauimus, non domum diripuimus, non A exercitum ademimus, non prouincia, non honoribus priuare conatæ fumus, cur ut fontes supplicio destinamur? cur in hostium numero habemur? quid quòd ne in publicum quidem aliquid conferre debet hic sexus, non imperij, non honorum, non exercituum, non ullius magistratus particeps? Sed bellum instat, dixerit aliquis, pecunia opus est, at non nostra, sed uestra uirorum discordia ciuile est hoc bellum conflatum, natura enim his curis liberæ sumus. Matres nostræ olim aurum in publicum contulerunt, sed tum certe quum Carthaginienses tota Italia occupata, excidio huius urbis imminebant, quanquam illæ ultrò id fecere, non coactæ. Pro patria retinenda aurum dedere, non pro discordia arlenda. Illæ solo ornatu exutæ sunt, non domibus, non præsidijs, non omnibus fortunis. Si Parthicum bellum, si Gallicum instet, nihilo illis in patriam deteriores simus, nunc quid ista bella alere cogimur, quæ neque nos intulimus, neque aliunde sunt urbi allata? Talis olim discordia, patrum memoria, Syllam, Cinnam, & Marium armauit. Talis nuper C. Cæsarem & Pompeium. Vicerunt quos fortuna uincere uoluit, haud propterea eorum quisquam tam impudenter usus est uictoria, ut in hunc humilem & imbellem sexum sit hostiliter grassatus, aut ad tributum compulerit, non Cinna, non Marius, nõ Sylla, qui tyrannidem primus in hac ciuitate exercuit.

Peroratio. Quod si ille qui ex professo tyrannus fuit, non fecit, multo minus uos facere debetis, qui populares magistratus nomine, hanc rempublicam non perdere uultis, sed constituere. Et Hortensia ad triumuiros in hunc modum locuta est: quibus excandescentibus, quòd uiris silentibus mulieres in publico loqui auderent, lictores missi eas loco submouere cœperant, quum ad eam iniuriam planctus & mulieBbris comploratio orta flexit triumuirorum animos, ac cæteris tabulæ exemptis quadringentæ duntaxat sunt proscriptæ, quæ omnium bonorum rationem in publicum detulerunt, inde ad centum milia ciuium qui Romæ forisque ditiores haberi, pari ratione proscripta, ut bellorum onera à triumuiris sustineri possent: sed hi fortunis non capite periclitati sunt. Multi per id tempus ad Brutum & Cassiũ tanquam ad futuros uindices libertatis perfugerunt. Alij ad Cornificium in Libyam, sed multo plures in Siciliam ad Sextum Pompeium, qui insulam cum classe obtinebat. Verum dum hęc in Italia geruntur, P. Sextius ab Octauio missus in Libyam, quam prouinciarum diuisione fuerat adeptus, cum Cornificio qui eam prouinciam à senatu acceperat, noluit enim imperio cedere, aliquandiu armis disceptauit. Venditioq; eius prætore superato à Cirtha ad Vticam, ubi erat Cornificius, mouit castra. Processit illi eunti obuiam Lælius cum toto equitatu, Cornificij iussu, ipse cum robore copiarum sequebatur, cõpulsi primo equites in tumulum quendam, inde pedestri prælio commisso, uictus Cornificius interficitur, estque Appianus horum autor. Liuius, quod miror, Sextium ait à Cornificio uictum, atq; hũc ipsum Cassianarum partium non Cornificium fuisse. Lælius ex tumulo res suorũ perditas intuitus, sibi mortem consciuit. Deleto itaque hostium exercitu, Sextius totam Libyam obtinuit. Arabionem regem & Sittianos quibus erat in bello auxiliaribus usus præmijs ornauit. Fuerat Arabio olim Iubæ socius ciuili bello secundo aduersus Cęsarem, qui debellatis in Aphrica Pompeianis in Hispaniam ad Pompeij filios profugit. Cæsar eius regnum Bogudi & Sittio dedit. Sittius militibus suis partem regni quã fuerat fortitus ex æquo diuisit. Cæsare demum extincto Sittium Arabio fraude interfecit, dimidia regni parte Bogudi armis adempta, atque ita in partẽ regni restitutus pro Pompeianis ab initio stetit, mox.

Proscriptorũ centum milia.

Cornificij & Sextij bellum.

Lælij mors.

ubi res Octauij prosperas in Italia esse sensit, complexus Sittij filium, cum eo societatem init. Sextioque per illum conciliatus, in partibus mansit, & Libya in hunc modum pacata est. Cassius interea Dolabellam, ut supra est memoratum, Laodiceæ inclusum, obsidione fatigabat, miseratque in Rhodum, Lyciam, Phœnicẽ, & Ægyptum ad Cleopatram, qui auxiliares ab his naues acciperent, auxilia ab omnibus præterquam à Sydonijs sunt negata, Cleopatra auxilij loco famem Cassio & pestẽ obtulit, quibus tum malis tota Ægyptus laborabat. Oderat regina *Quid Cleopatra Cassio optet.*
Cassiũ & omnes C. Cæsaris percussores, uoluissetque potius Dolabellæ quàm illi latum auxiliũ: quo animi affectu quatuor legiões quas à Cassio interceptas diximus, ab initio instruxerat. Misit tamen Serapion, Cleopatra inscia, aliquot ex Ægypto naues Cassio ad bellum ornatas, quæ res illam apud triũuiros, uelut diuersarum partium fuisset in suspicionem adduxit. Est itaq; circa Laodiceam & mari nõnunquam uario euentu dimicatum: postremo Laodicensium urbs muris aggere disiectis Cassio prodita est, quã ubi Dolabella ab hoste teneri sensit: Marso cuidam iugulum aperiendum obtulit, ne in Cassij potestatem ueniret. Dolabella interfectꝰ, Marsius *Dolabellæ & Marsi interitus.*
& ipse sibi manum intulit. Cassius Laodicensium primoribus interfectis, omnia publica, sacra & prophana diripuit. Laodicea potitus Cleopatrę bellum inferre statuit, quum Bruti literis accersitus est in Macedoniam, quoniã Antonius & Octauius in Ionium copias traijcere dicerentur. Cassius ad Brutum iturus, equitibus in Cappadociam missis, Ariobarzanem qui insidias sibi parasse credebatur, ex improuiso oppressum, pecunia, omniq; regio apparatu spoliauit. Tarsensibus adeò graue tributum *Cassij sęuitia in Tarsenses.*
imposuit, acerbeq; exegit, quòd Dolabellam aurea corona donassent, ut omnia publica & priuata uendere sint coacti, suntque cum cæteris bonis uirgines pueriq; à parentibus pretio alienati, parẽtes quoque à filijs uenditi, à fratribus sorores: & Tarsenses ita tum male habiti sunt. Brutus & Cassius inter se circa Smyrnam congressi, de summa belli consultantes. Brutus accelerandum censebat, & ut quãdo supra quadraginta legiones hostium esse diceretur, illas per partes adorti, priusquam uniuersæ copiæ trans Ionium deportarentur inuaderent, unde facilior uictoria futura esset. Contrà Cassius ita euenire cupiebat, ut hostes tantam uim hominum secum in alienam prouinciam traherent, futurũ ratus, ut paucis diebus fame cõficerentur. Brutum itaque in sententiam traxit, ut ante hostium aduẽtum Rhodios & Lycios qui ex cõfesso diuersarum essent partium subito bello inuaderent. Cassius sibi Rhodios pro- *Cassius Rhodios bello petijt.*
uinciam delegit, Lycios Brutus adortus est. Erant Rhodijs tres & triginta naues optime instructæ, à Cassio per legatos petunt, ne se iniuria lacessat, quãdo certi sint Rhodij omnem iniuriam fortiter propulsare, præsertim si bona uenia nõ liceat in ciuili Romanorũ discordia à partibus abstinere, & æque Ro. omnes colere: uel differret saltem tantisper bellum, dum ipsi Romam mitterent ad senatum, ut pro fœdere quod cum Ro. Pop. ictum haberent, ex senatus autoritate si in ocio esse non liceret arma caperent. Cassius etsi Græce fuerat Rhodi institutus, ductaueratque secundo ciuili bello eorũ classem, infense tamen Rhodios oderat. Respondit itaque armis esse non uerbis decertandum. Missus est inde ad illũ Archelaus, quo Rhodi usus fuerat præceptore, acceptꝰ est ab eo senex magna ueneratione, cæterum multis lachrymis bellum deprecatus infecta re domum abijt, adeò obstinato implacabilique in Rhodios animo fuit Cassius. Pugnatum est igitur non multo *Bis Rhodij à Cassio uincuntur.*
pòst ad Gnidum, ibique Rhodij quinque nauibus amissis pluribus corruptis, sese domum pro uictis receperunt, quo successu Cassius elatus Rhodum, cum

cum octoginta nauium classe petijt. Hic quoq; sub primum eius appulsum, iterum à Rhodijs infeliciter dimicatur, duabusq; nauibus amissis, in urbem conijciũtur, oppugnati inde terra mariq; sunt à Cassio, qui non multo pòst, paucorum consilio urbẽ tenuit. Tum uero tanquam ui capti essent Rhodij, posita in publico hasta quinquaginta ex primoribꝰ ad se accitos morte mulctauit. Sacra & prophana quæ publica haberentur, primo diripuit. Priuatorum bona publicauit, capitis supplicio irrogato, si quis ex priuatis quicquam occultasset. Indici si seruus esset, libertas proposita, si ingenuus decima pars eorum quæ intercepta essent. Cassiꝰ Rhodiaca præda haud quidem expletus, uniuersæ Asiæ decem annorũ tributum imperauit, uno tẽpore à miseris ciuitatibus exigendum. Affertur interim Cleopatram, cum ingẽti nauium apparatu, ex Ægypto ad Antonium & Octauium, quibus ob Cæsaris memoriam fauebat, aut dudum traiecisse, aut non multo pòst traiecturam: ad cuius cursum intercipiendum Cassius cum legione una & sexaginta cataphractis nauibus in Peloponesum misit, ut ex Tænaro Laconiæ in præteruehentem impetũ faceret. Brutus interea Xanthios in ora Lyciæ bello adortus, aliquandiu circa munitiones quas illi extra urbem suis obiecerant, assidua oppugnatione fatigatos mœnibus postremo includit. Oppugnati sunt inde Xanthij bellicis operibus, certatumq; bis est circa urbem, fuitq; illis prior pugna admodum funesta, multiq; uicti prælio ac mœnibus excluſi, in suorum conspectu sunt à Romanis interfecti. Altera eruptione, incensa sunt Brutiana opera, sed tam uiolenta fuit obsidentium impressio in hostem abeũtem, ut oppidanorum agmen secum intra mœnia Romanos traxerit. Ad duo milia quorum in urbem recepta, ubi portis rẽpente clausis se à suis excluſos animaduertere, ex angiportis in forũ decurrunt, mox ex foro in Sarpedoniũ. Instare Brutus suorum periculo commotus, militesq; ad oppidi oppugnationẽ hortatur, quacunq; uia, aut ui muros scandant, edicit, portas refringant: tantusq; fuit militum ardor, ut pluribus locis uno tẽpore sit murus trãscẽsus, portisq; ui refractis totus exercitus in urbem irrupit. Tum Xanthij ubi captam urbem uiderunt, domum cursu repetunt. Ibi uxoribus & liberis & alijs super alios interfectis, atq; pyrę impositis quam in hunc usum iam antea parauerant, se uiuos præcipitauere. Tanta tum fuit in Xanthijs generositas. Visa est Xanthia mulier quæ seipsam suspẽdit, una manu filium quem prius enecauerat, habens, altera incensam facem qua domum moriens incẽderet. Dedit signum Brutus statim capta urbe, ut à cæde abstineretur, sed Xãthij nihilo secius destinatum facinus peregerũt. Erat Brutus multo placabilior uictis quàm Cassius. Epicureus hic atq; omnium quę de inferis & immortalitate animorũ traduntur contemptor, contrà Stoicus ille Catonisq; auunculi imitator. Sacra itaq; Xãthijs reliquit intacta, nec ex priuatis quicquã præter seruos ademit. Bis antea Xanthij libertatis causa à seipsis consumpti dicuntur: semel quum ab Harpalo Medo Cypri prẽfecto oppugnati sunt, mox uero cum Magni Alexandri armis premerentur, tantũ regem, & cui se postea totus oriens submisit, aspernati. Xanthijs bello uictis Patarei petiti sunt, quibus metu deditis publicum aurũ abstulit, priuatam quoq; pecuniam sibi edicto repręsentari iussit, capitali pœna irrogata ijs qui imperio non paruissent. Delatus est iuuenis serui indicio, qui ad Bruti tribunal destitutus, quum nihil pro se loqueretur, appareretq; criminis conuictum interfectum iri, occurrit eò mater, motaq; filij periculo, se illo ignaro pecuniam occultasse ait, se supplicij meritam non filium. Instabat index, atq; multo impudentius herum crimine urgebat, cuius petulantia offensus Brutus, flexus præterea mulieris pietate quę

Cassij acerbitas in Rhodios

Xanthiorũ oppugnatio.

Xanthiorum excidium.

Cassius Epicureus.

Brutus Stoicus

Exemplũ maternæ pietatis.

A sese morti pro filij salute constanter obiecerat, seruo in crucem sublato, ut documentum esset alijs ne temere dominis in aduersa fortuna insultarent, filium haud dubie illati criminis reum, cum toto auro maternæ pietati condonauit. Smyrnæi & ipsi quoque à Lentulo quem Brutus cum classe eò miserat, portu ex improuiso occupato in deditionẽ recepti, pecunijsq; mulctati sunt: & Lycij in societatem assumpti, à quibus accepta classe Brutus Abydum concessit, ibi Cassium expectaturus, ut unà copias Hellespoto in Europam traijceret. Murcus qui à Cassio fuerat in Peloponnesum missus, ut Cleopatram interciperet, ubi comperit reginam in Libyam tempestate deiectam, atq; amissa classe animo & corpore ægram sese in regnũ recepisse, ex Tænaro profectus, insulam quæ Brũdusio præiacet, subito incursu occupat, hostilium copiarum ex Italia in Macedoniam cursum impediturus. Erat tum Antonius Brunduſij, qui turritis ratibus Murco aliquandiu oppugnato, quum parum proficeret, Octauium ex Sicilia accersit, ut cum classe Brũdusium ueniret. Gerebat ille per id tempus bellum terra mariq; cum Sexto Pompeio, is post fratris interitum in Iberia à Cæsare neglectus (erat enim admodum adolescens quum est ad Mundam dimicatum) primo ignotus circa Oceani littora cum paucis piraticã exercuit, mox agnitus breui non paruam hominum manum contraxit classeq; maiorem in modũ aucta terribilis erat Iberiæ. Misit proinde Cæsar quum adhuc uiueret Carinam, qui audaces illius conatus frangeret, eumque debellaret. Cęterum in primo congressu est à Pompeio superatus, quo ille successu ferocior factus, pleraſq; Hispaniæ urbes suæ ditionis fecit. Asinius Pollio secundo loco missus, qui multo prosperius Carina id bellum administrabat, quum C. Cæsar est Romæ interfectus. Ille haud multo pòst, ut suprà memoratum, ab exilio reuocatus, Massiliam concesſit, exitum ciuilis motus expectans, qui post C. Cæsaris cędem inter Antonium & Brutum fuerat ortus. Verum quia maris imperium sibi decretũ *non* ignorabat, in ualescẽte in dies discordia, nauibus quas in Hispania reliquerat repetitis, alijsq; undiq; comparatis, cum classe haud contemptibili in Siciliam nauigauit. Fit interea magna in repub. mutatio, triumuiraliq; dominatu Romæ exorto, Bithynicum non nihil obsedit, sibi insulam dare recusantem. Qua postremo recepta & classem & exercitum opulentum magno studio, maioreq; successu instruxit, quum ex urbe & tota Italia triumuirorum metu & iniuria, ad eum ingens concursus fieret. Hunc itaq; Octauius terra mariq; oppugnaturus, Saluideno classem tribuit, ipse pedestri itinere cum exercitu Rhegiũ processit. Primo nauali pugna certatum est circa fretũ, fuitq; dimicatio illa utriſq; per diem laboriosa, sed Saluideni nauibus ad uim pelagi perferendam minus aptis, maris æstus terribilior fuit quàm pugna, quæ sub noctem direpta est. Vtriq; in suam stationem decessere, eratq; Saluidenus occupatus in reparanda classe, & Octauius circa Rhegiũ omnia ad bellum necessaria comparabat, quum ab Antonio est Brunduſium accersitus. Murcus audito Octauij accessu Brunduſio longiuscule abscesſit, hostilium nauium cursum obseruaturus. Sed Antonius & Octauius secundas tempestates nacti, copias in Macedoniã traiecere. Additus est interea Murco Domitius Ænobarbus pari nauium numero, atq; legione una (erat is quoq; Cassianarum partium) conflataq; cętum triginta nauium classe, duo præfecti totum mare quod Italiã interiacet & Macedoniam, multo infestius quàm antea reddiderũt: Norbanus qui cum octo legionibus fuerat ab Antonio & Octauio prẽmissus, per intima Macedoniæ ad Thraciæ montes celeri ductu tendens, post Philippos Torpidorũ angustias occupat, prẽstat is locus ex Asia in Europam tenden-

Antonius. Murcus. Octauius.

Sexti Pompeij opes.

Antonius Octauius in Macedoniam transmittunt.

tendentibus iter unicum, atq; id ipsum perdifficile. Iam Brutus & Cassius collatis castris in Europã ex Abydo transmittere parabant, quum Bruto terribile ostentum est noctis silentio oblatum. Sedebat solus in tabernaculo de euentu belli uehementer solicitus, & iam forte animum in aliquam eiusmodi rei meditationem intenderat, quum sibijpsi intentus præsensit ad se unum quendam ingredi. Tum uero ad strepitum conuersus (nam non multum luminis aderat) uidere se arbitratus est feri corporis imaginem astare. Commotus est Brutus horrendo dæmonis aspectu, interrogare tamẽ ausus quis hominum deorumue esset? Quid præterea sibi uellet? Sum ille (inquit sub murmurans) tuus malus genius Brute: in Philippis me uidebis. Tum Brutus interritus: Videbo ait, ac simul imago illa è conspectu abijt. A pueris inde qui in tabernaculis erant scisitatus Brutus, an aliquem ad se uenientem uidissent? aut foras exeuntem? quũ illi utrũq; negassent, admirationis plenus dedit se quieti. Postridie quum primum illuxit Cassio eam phantasmatis speciem enarrauit, ille Epicuri rationibus innixus, ut inanẽ & nullius momẽti aspernatus est. Nec diutius commorati in Europam circa Nigritem Ænum, ut Appianus scribit, biduo copias traiecere, inde ab Æno ad Serrium montem omnia quæ interiacent perpetuo uictoriæ cursu armis subigunt. Norbanus ab hostibus propemodum circũuentus præsidio decesſit, fuisset q; omnino clades aliqua insignis accepta, nisi Antonius subsidio affuisset. Castra castris inde collata. Octauius & Brutus ex aduerso metati sunt. Cassius contra Antoniũ consedit, quanquam is aliquanto prius affuit, quàm Octauius. Philippi urbs in utrorũq; conspectu erat olim Datos dicta. Sed Crenida prius, quòd fontes plurimi circa collem uberrimis scarent aquis, unde uetus fuit loco nomẽ. Philippus id oppidum aduersus Thraces emuniuit, Philippoſq; à suo nomine uocauit. Cõdita urbs est in prærupto colle, à septẽtrione nemoribus clausa, ad meridiem uastam habet planitiem ad mare usq; extensam. Hanc Antonius insederat. Brutus & Cassius qui aliquanto prius affuere, binos tumulos octonis inter se stadijs distantes castris occupauerant, duxerantq; fossam & uallum ab uno ad alterum castellis per interualla dispositis. Commode ad hæc milites à tergo lignabantur, & crebri fontes uberrimam aquationẽ præbebant, cętera ad usum castrensem ex Thaso nauibus abunde subuehi poterant. Contrà Antonij milites ex foueis aquas in media planitie fecerant, aquabantur, petebantq; sibi commeatum ex Amphipoli cccl. stadiorum spatio. Sed tãta erat Antonij alacritas, adeò intrepide omnia moliebatur, ut territis hostibus, non parum ad uictoriam unius uiri ferocia priusquã sit in aciẽ desceſsum cõtulisse uideatur. Facta sunt itaq; paucis diebus aliquot pręlia. Interea Octauius in castra ægrotus uenit, nec ad pręlium satis firmus, processere tamen ex eius castris milites ad pugnã. Contrà Brutus suos in aciem eduxit superiore tamen loco consistens, quippe qui cum Cassio ab initio consilium trahendi belli ceperat, ut sedendo hostem fame conficeret. Erant utriſq; supra uiginti legiones, equitum Antonio & Octauio tredecim milia. Cassio & Bruto tertia parte maior numerus. Antonius rerum omnium inopia adactus, ut pugnandi necessitatem imponeret, uiam in paludibꝰ occulte strauit uti à tergo munitionibus excitatis, cõmeatum Cassianis intercluderet. Qua re animaduersa, Cassiꝰ murum circa paludem ad mare educere cõstituit, eratq; uehemẽter in eo opere occupatus, quum Antonius ira percitus, quòd cerneret irritum fluere sibi id consilium, struĉtam aciem ad hostium castra oppugnan da corripit, adeoq; celer fuit, ꝓcursus, ut pene prius sese munitionibus insinuauerit, quàm Cassiani obuiam processerint. Explicatur ex altera parte Bruti acies in Octauij legiones, quæ in procinctu stabant, tantusq; fuit illorum impetus, ut primo pene congressu solutis ordinibꝰ acie dissecta, Brutus in Octauij castra uictor irruperit. Qui ob aduersam ualetudinem neq; prælium ingressus, nec ob insomnium quoddam in castris esse uoluit. Ferũt eius medicum Artorium noctu per quietẽ sibi uisum Palladis uoce moneri, ne Octauius sequenti die in castris esset. Sunt qui dicant illum dum pugnatum est in paludibus latuisse. Satis cõstat ipsius acie profligata, hostes qui in castra impetum fecerant, cædem teterrimam intra uallum edidisse. Octauijq; lecticam quæ forte illic fuit, multis ictibus confossam, fœdeq; dilaceratam: quòd si Brutus ea parte uictor confestim Cassio subsidium tulisset, haud dubie parta erat uictoria. Antonius eo ardore in hostem mouerat, Cassianos prelio auertit, munitionesq; inter bina castra adortus, haud uno loco rescidit: estq; interim intra extraq; uallum cædes edita. Cassius haud semel conatus suorum fugam sistere, ubi frustra se laborare sensit, nec castra amplius retineri posse animaduertit, in editum Philipporem collem sese proripuit, inde speculaturus quæ suorum esset fortuna, puluis uero in nubis speciem elatus, prospectum rerum omnium ademerat, erat & Cassius, ut dicitur, hebeti uisu. Desperatis itaq; rebus, Pindaro scutigero suo mandat ut ferrum stringat, acceleretq; mortem, eoque cunctante affertur nuntius, Brutũ ex altera parte cæsis hostibus illorum castra occupasse. Tum Cassius, ibis, inquit, & illi dicito nos uictoriã uicisse omnem. Cõuersus inde ad Pindarum quid stas, inquit, cur me non statim hac turpitudine liberas? obuolutoq; capite iugulum illi aperiendum præbuit. Plutarchus ait equitibus ad eum accedẽtibus ut uictoriam nuntiarent, uix procul inspectis Titinium obuiam missse, ut cognosceret an hostes essent, qui ad cædem properarẽt, illosq; Titinium lætitia circumplexos hostium speciem præbuisse homini in potestatem redacto uincula injiciẽtium, ac tum demum Cassium sese Pindaro iugulandũ obtulisse, nec perpetrata cæde Pindarum amplius usquã uisum, quæ res effecit ut pleriq; persuasum habuerint Cassiũ inuitũ perijsse. Brutus Cassij morte percepta, multis lachrymis, ut Romanorum optimum lamẽtatus est, eum beatum dictitãs, qui se omnibus curis & cogitationibus soluisset, occulte autẽ funerari iussit, ne perempti ducis aspectu, militũ frangerentur animi. Perierunt ex Cassianis ad octo milia, in quibus & lixæ & calones quàmplurimi fuere: ex Octauij exercitu, duplo maior numerus. Postridie ubi primum illuxit, Antonius ut uicisse uideretur copias in aciẽ eduxit. Sensit Brutus Antonij astum. Age, inquit, & nos arma induamus: legionibusq; in æquum deductis, Antonius retrò sine prælio concesſit. Erat enim totus fere exercitus uulneribus confectus. Tũ Brutus, ecce qui nos modo ut defessos, ꝓuocabant haud experiri audent quid possimus. Eodem die quo in Philippis ita triũuiri inimicarunt, ingens in mari clades est ab eisdem accepta: duæ Martiæ legiones & cohors una prętoria (etenim aliquãto prius pugnari contigit quàm omnes copiæ essent ex Italia in Macedoniam deportatę) paucarum nauium præsidio è Brunduſio transmittentes, à Murci & Domitij classe circũuentę iniectaq́e in naues ab hostibus flamma prędiarijs nauibus in alto dissectis: ex Martialibus alij sibi mortem consciuere, alij in hostium naues desilientes, non inulti perierunt, multi in flammas, quia pugnæ copia non fieret, nec euadendi spes ulla prætenderetur, sponte pręcipitati, pauci naufragiorũ tabulis temere arreptis, ad littora semineces delati sunt. Caluinius classis præfectus cum una naui Brunduſiũ perfugit. In Philippis postridie quàm ita dimicatum est: Brutus milites pro concione allocutus eos uehementi oratione confirmauit, milleq́e

II drachmas

Philippi.

Antonij alacritas.

Octauij acies profligatur à Bruto.

Antonius Cassianos fundit.

Cassij mors.

Cæsorum numerus.

Martialiũ militũ iactura.

drachmas singulis pro re bene gesta numerari iussit hortatus ut sedendo hostes uulneribus cõfectos fame conficeret. Antonius & ipse copijs unũ in locum contractis suorũ animos qui recenti clade concide-
rant, alacri oratione erexit. Sæpius inde acié in Brutum erexit, fecitq; pugnæ copiã. Brutus de industria prælio abstinebat. Ferre eam moram milites iniquo animo, uictoriamq; sibi è manibus extorqueri timida ducis cunctatione arbitrabantur. Per ductores igitur turmarũ & Centuriones prælium efflagitant, quorũ consensu uictus Brutus pugnæ signum proposuit, testatus accidere sibi quod olim Pompeio, qui magis militum imperio quàm suo ductu cũ Cæsare in Pharsalia dimicasset. Vbi duplex acies ante uallũ stetit, Brutus equo præteruehens suos iuxtà Cassianosq; ad operam impigre nauandam hortatur, iubetq; utrosq; meminisse magis suo quàm ducis con filio in certamen descendere. Antoniusq; & Octauius suos uehementer hortati obrestatiq; sunt, ut uno prælio ducibus uictoriam, sibi diuitias & ocium perpetuum quærerent. Irent & hostẽ sua sponte uictum uincerent. Stabant itaq; duæ acies in procinctu signum expectantes, quum duæ aquilæ magno alarum clangore ex aduerso conflixerũt, rostris sese infesto que uolatu incessentes. Suspendit id ostentum utrũq; agmen in præsentis pugnæ euentum. Postremo quę ex Antonij plaga stetit ualide aduersam uolucrem fugauit. Quo omine Antoniani in spem certam uictoriæ erecti sublato clamore in hostẽ decurrunt. Nec aduersa parte minus ferociter confligitur. Fit primo congressu cruentum prælium. Complexi se inuicem milites consertisq; manibus, non minori odio quàm ui, utriq; dimicãt, circũsonareq; gemitus & suspiria cadẽtium: & iam plurimus erat cruor fusus tetra illa & cruenta cæde, quũ prima Bruti acies loco submota est, ordinibusq; ui solutis, ad secundũ tertiumq; ordinem penetrauit metus. Is rem ad fugã inclinauit, qua animaduersa Octauij milites hostilium castrorum portas multa ui occupãt, ne cedẽtibus à tergo pateret effugium. Tum uero maior exclusorum cædes oritur, à tergo & à fronte Brutiani pressi, fœda colluctatione, cæcoq; occursu in se ruentes cædũtur. Plurium itaq; fuga ad mare inclinauit, & circa Zigacum amnem ad montes. Antonius fugientes cruenta cæde insectatur, in castra refugientes Octauius incautos excipit, ita rebus haud dubie perditis Brutus in proximos se mõtes propipuit, magna armatorum manu stipatus, per noctem quæ instabat milites coacturus. Sed ubi omnia hostiũ præsidijs teneri sensit, loco cõcauo, & magnam petram habente resedit, cœlumq; & stellas intuens, carmen illud protulit.

Prælium.

Aquilarũ conflictus.

Acierum conflictus.

Cæditur Bruti acies.

Carmen.

Ista Iouẽ haud lateãt, quiq; horũ est causa malorũ. Ad Antonium, ut multis persuasum est, alludẽs, qui quum libertatem tueri potuisset cum bonis, Octauio indulgere maluit. Satis constat idem carmen ab Antonio posteaquàm ab Octauio est uictus, & in discrimẽ uitæ adductus, cum gemitu repetitum. Mox sitienti Bruto aquam ex proximo flumine miles galea detulit, sed ex ijs qui aquatum iuerant Volumnius & Dardanus audito strepitu aliquanto ulterius processere explorabundi ne subito hostium aduentu opprimerentur. Ad Brutum inde reuersi, quum aquam requirerent, tum Brutus paululũ subridens, à Volumnio dixit consumpta est, sed uobis alia, inquit, afferetur. Vnam spem Brutus alebat, quòd non multos ex suis ea pugna cęsos arbitrabatur, ad quod explorãdum in castra hostium Statilium misit. Is ab hostib⁹ interceptus perijt. Appianus quatuor legiones Bruto superfuisse ait, quas quũ ad aliquid præclare agendum per noctem impelli non posse uidit, quin apertè prædicarent, non esse ulterius periclitãdum, haud, inquit, patriæ amplius utilis sum, resediq; nõnihil tacitus, inde ex familiaribus quodam admonente esse iam de fuga cogitandum, quum tuto ibi diutius commorari non possent, certe, ut ais, fugiendum est, inquit Brutus, sed manibus, non pedibus, mox se attollẽs, dextramq; singulis superimponens, magnum solamẽ, ait, attulit mihi in his malis amicorum fides, patriæ fortunam accuso. Ego cõ sciẽtia meorum operum me beatiorem existimo ijs qui uicerunt, quòd patriam in libertatẽ asserere sum conatus. Opus certe fuit perpetua gloria dignum, quæ illis ne uictoribus quidem poterit contingere. Etenim mali iustos uincunt, & optimos ciues pessimi perdunt, cõtra fas & leges dominãtur. Inde eos hortatus ut salutem sibi quęrerent, paululum ab his secessit, gladioq; ambabus manibus perstricto fortiter incubuit. Appianus autor est Stratonem rhetoricæ magistrum quo Brutus comite utebatur, ei latus aperuisse, ne à seruo occideretur, quem in hunc usum ab illo admotum uiderat, quum ipse aliquandiu tam triste ministerium amico denegasset. Perijt Brutus iam quadragenarius nisi in numero est apud Liuium librariorum incuria erratũ. Antonius eius corpus repertum in preciosissima suarum uestiũ oblouit, eam quum furto sublatam à quodam cõperisset, furem occidi iussit, reliquias ad Seruiliam matrem Bruti & Porciam coniugẽ misit. Valerius scribit Porciam finiendæ uitæ cupidam, ferro, omniq; inueniendæ mortis facultate à necessarijs adempta, ardẽtis prunę hausto extinctam. Manauit tamen ad posteros Bruti epistola, ut Plutarchus scribit, fi uere Bruti fuit, qua ille de necessarijs queritur, quòd Porciam ita neglexissent, ut ex morbo uitam finire elegisset, quod si accidit, Valerius & multi cum eo parum compertum habuere, quo tempore, quóue genere mortis Porcia fuerit extincta. Satis cõstat Bruti fuisse amantissimam, cui ad bellum profecturo, quum precibus instaret, ut secum abduceret, idque impensius efflagitaret, Brutus eo sit carmine uxorẽ affatus quo Hector ille Homericus Andromachen.

Brutus globo incumbit.

Porciæ interitus.

Te tua pensa decent, lanas calathumq; reposce.

Fuitq; suprem huius digressus autor Bibulus qui historiam scripsit. Hunc Porcia ex priore marito enixa fuerat, cui Cato Vticensis pater admodum puellam matrimonio locauit. Fertur Brutus eodẽ anno quo perijt, quum natalẽ suum Sami celebraret, illud potissimum in conuiuio cecinisse.

Sed me fors misera & Latonæ perdidit infans.

Omen interimne Bruti.

Et dæmon ille qui per id tempus quo in Europam erat cum exercitu uenturus, lucubrãti sese ostendit, quum nouissimum prælium instaret, interim ei oblatus creditur. Æthiops nulli agnitus, quum copias castris educeret ante uallũ occurrit, quod omen milites auersati multis uulneribus confodere. Sed qui tum cæsus est, dæmon esse non potuit. Sublatis ducibus hostes quicunq; in unum coiuerant, legatis ad Antonium & Octauium missis deditionem fecere, qui ad tredecim milia numero fuerũt. Primores uiri quidã sese ultro tradiderunt. Alij ad interitũ usq; pugnauere, & in his L. Cassi⁹ ex Cassij ducis fratre ort⁹ M. Catonis filius. Labeo eius Labeonis pater, qui in ris scientiæ nomen celebre est adeptus. Fuerunt in partibus duo reguli fratres ex Thracia, qui cum intestina discordia laborarẽt, alter cui Rasto fuit nomen, cum tribus milibus peditum ad Octauium & Antonium se contulit, huius frater Rastupolis pari equitum numero, Cassio & Bruto enixe fauit, cui Rastus posteaquàm in Philippis est debellatum ueniam ab Antonio & Octauio impetrauit. Crediderunt multi simulatam fuisse eorum discordiam, atq; ex cõposito in utrisq; castris militasse, ut alterius crimini uictoris meritum obstaret. Thaso cũ omni bellico apparatu Antoni⁹ & Octaui⁹ breui potiti sunt. Atq; Philippẽse bellum hunc exitum habuit, fuitq; ob hoc unum maxime celebre, quòd tot Romanæ legiones nullo unquam prælio antea conflixerant, nec

Cæsaris interfectores cædũtur.

Philippensis belli finis.

nec quod proditum sit memoriæ posteа conflixerunt. Antonius ea oratione quam postea Ephesi ad omnes Asiæ populos habuit, significare uidetur affuisse sibi & Octauio, eo bello octo & uiginti legiones, quæ numerum centum octoginta milium militum expleuerint, quo intelligi potest haud omnes legiones affuisse, quæ à principio fuerant ad id bellũ comparatæ. Fuit hic annus quo ita est in Philippis dimicatum, urbis Romę decimus supra septingentesimum, quo anno Cicero proscriptus perijt, ut suprà est memoratum. Perijt sed fato Laberius mimorum scriptor Puteolis. Cornificius poëta in Libya, cuius supra mentionem fecimus. Fuit illi soror Cornificia, cuius epigrammata mirata est posteritas. Perijt eo biennio & Nigidius, quum exul esset, homo inter Romanos præcipuæ eruditionis, & P. Sulpitius iuris scientia nobilis, cuius funus est publico sumptu elatum. Florebat in Scena Publius mimographus. Maro iã adultus Roma adhuc aberat. Flaccus Horatius Philippensi acie pulsus, damnatis armis ad Poëticen se contulit. Nascitur quoq; in Pelignis Ouidius Naso. Triumuiri Philippẽsi bello defuncti gerendarum rerum inter se munera partiti, Antonius ad oriẽtis res cõstituendas, in Asiam cum decem milibus equitum, & sex legionibus transijt. Octauius cum cæteris legionibus, & quatuor milibus equitum in Italiam est reuersus, ad agros militibus assignandos. Interim Cassius Parmensis, qui à Bruto & Cassio circa Asiam fuerat relictus, post funestam in Philippis pugnam cum triginta Rhodiorum nauibus optime instructis, ad Murcum & Domitium nauigauit. Adiunxerunt se illi Clodius, & ipse Cassianarum partium, cum decem nauibus, & Cicero, M. Tullij filius, & alij qui ex Thaso fugerant. Sed priusquam hi ad Domitium uenerint, Marcus suorum clade audita, cum parte nauium ad Sextum Pompeium se contulit. Cassius & qui cum eo erant maluerunt cum Domitio esse, quo contigit ut uelut duę ex una factiones sint factæ. Antonius quum Ephesi esset, omnibus Græciæ populis nouem annorum tributa ut in biennium exoluerẽt cõcesit proposita necessitate, aut tributi tot annorum exigẽdi, aut agrorum militibus assignandorũ, quum octo & uiginti legionum desideria expleda essent. Dedit & L. Cassio ueniam C. Cassij fratri. Dedit & plerisque alijs diuersarum partium suppliciter ad se uenientibus. In Cęsaris percussores nihilo fuit Octauio placabilior. Perierũt proinde illi eo triẽnio quo ille interfectus est, alij alio casu, cæterum multo plures ferro, quàm alia ui, & ex his haud pauci eodem pugione quo Cęsarem uiolauerant. Lycios tributorũ immunes fecit. Xãthiorũ urbẽ restituit Rhodijs quos Cassius multis cladibus affecerat, Andrum, Tenum, Naxum & Gnidum tradidit. Laodicenses libertate donauit, & tributorũ fecit immunes. Tarsenses pretio uenundatos edicto liberos esse iussit. Ægina Athenienſibus contulit, Ceum quoq; Sciatum Peparetum & alia quædam loca non ignobilia, per quæ illi est humanitatis & clementiæ fama cõciliata, sed multo maior luxuriæ. Ephesum adeuntem mulieres in Bacchas, uiri, puerique in Satyros, & Panes trãsfigurati exceperunt, thyrsis & hedera instructi, Dionysium, Charidolem, Milichium salutantes. Ipse Asiaticis captus illecebris, adeò omnibus se uoluptatibus immersit, ut anni unius spacio ducenta talentorum milia Asiæ tributis exacta, ab eo profligata dicantur, cui haud multo pòst pecuniæ inopiam querenti fertur Hybreas quidam dixisse: Si tui ad te Antoni exactam pecuniam non deferunt, eorum iniuriam merito accuses. Cæterum si delata est, nec tanta uis auri te explere potuit, nulla nobis spes reliqua eorum quæ supersunt. Flexit uox illa nonnihil Antonium, ut exactionis acerbitate remissa, suorũ accusaret fidẽ. Debacchari tamẽ nihilominus per omnia uoluptatum genera, tempestiuis conuiuijs, nocturnisq; potationibus deditus. Satis constat, coquum quia lautissime cœnam instruxisset, ab eo amplissimis ædibus donatũ. Postremo in Cleopatræ amorem incidit, ac tum demum quicquid in eo uirilis fuit, aut ingenui uigoris, mulicbres illecebræ extinxerunt. Accersiuit eam Antonius, quum forte in Licia esset, ut ad se ueniret causam dictura, cur C. Cassium regni opibus iuuisset. Missus est in Ægyptum Delius quidam ad eam accersendam, qui reginę forma & elegantia inspecta, ita futurum ratus, ut nihil mali ab Antonio eiusmodi mulieri immineret, sed gratiam potius esset apud ipsum ducem potẽtiamque ex eo iudicio adeptura, illi autor extitit, ut q̃ exquisitissimo posset cultu ad Antoniũ nauigaret, nec humanissimum ducem formidaret, in mulierum amorem propensissimum. Illa Delio assensa, confisaque Antonium eisdẽ artibus capi posse, quibus primo Pompeij filius, & C. Cæsar capti essent, hi Cleopatram adolescentulam & adhuc rudem cognouerant, quum ad Antonium profecta est, erat iam adulta atque ea ætate prædita, qua mulieres & forma & consilio præcipue uigent. Parat igitur pecuniam & munera preciosissima, qualia ex felicissimo regno ad amplissimum ducem, atq; eundem uictorẽ erant deferenda, sed plus in se spei ac fidei repositum erat. Pelagus primo emensa est, quod inter Ciliciam & Ægyptum late patet. Cydnum inde amnem ingressa, hoc rerũ apparatu aduerso flumine est subuecta. Erat regiæ nauis aurea puppis, uela purpurea, argentei remi, ad fistulæ tibiæq; modulos agebantur, ipsa sub tẽtorio aurato sedebat cultu Veneris, duo utrinque pueri in Cupidinum speciem figurati, puellę insignes Nereidum & Gratiarum habitu nauis gubernaculo & rudentibus incumbebant. Ancillæ ignoto habitu suauissimos odores circa ripas adolebãt. Concursum est undiq; ad id spectaculum, adeò ut Antonius pene solus in tribunali sit relictus. Cauillari interim urbanorum cœtus Venerem adesse, quę ad Asiæ salutem Bacchum deliniret. Appianus huiusmodi apparatum non scribit, adijcitque Cleopatram ab Antonio accusatam, quòd nullius laboris partem attigisset, eo bello quod ipse & Octauius in Cæsaris percussores gessissent, ad quæ Cleopatra cõstanter respondent, & ab initio à se legiones Dolabellæ missas, quas Cassius ducum negligẽtia intercepisset, inde cum ingenti classe domo profectam, ut ipsis ad Philippense bellum exeuntibus obuiam procederet, fœda tempestate in quã incidisset naues & exercitũ amisisse, mox per aduersam ualetudinẽ gerẽdis reb⁹ interesse nequisse, atq; ita ab Antonio ob id quòd se constanter admodum purgasset, suauiter accepta, eoq; amabilius, quòd adolescens adhuc quum sub Gabinio in Ægypto militaret, eã admodum puellam ardenter cõcupiuerat. Plutarchus qui splendidi huius apparatus est autor, ait Antonium sub primum appulsum reginam ad cœnam inuitasse, sed facile eam obtinuisse, ut apud se eo die cœnaretur, ubi multo sumptuosiore est luxu discubitum, quàm Antonius animo concepisset. Captus itaq; illico fuit, nõ magis reginę forma, quàm suauissimis eius moribꝰ. Erat Cleopatra facie satis elegan-
ti, sed quę non nimium esset efficax ad gratiam promerendam, nec qua solo aspectu homines caperentur, uerum tam suaue fuit illi ingenium, tanta in loquendo facundia, tam iucunda conuersatio, ut his dotibus adiuta forma, incredibiles in animis hominum excitaret affectus. Pronuntiasse dicitur dulcissimo oris sono, uolubili lingua, & quasi instrumẽto quodam plurium chordarũ. Paucis nationibus per interprete loquebatur, plurimis per seipsam respondebat, Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabib⁹, Syris, Medis, Parthis. His artibus uelut uenecijs quibusdã usqueadeo est Antonius raptus, ut Fuluia

Annũ urbis.

Laberij & Cornificij interitus.

Horatius.

Naso.

Cassianorum diuisio.

Quantum auri Antonius profuderit.

Cleopatra ab Antonio accersitur.

Egregius Cleopatræ apparatus.

Cleopatræ dotes.

Antonius Cleopatræ deditus.

coniuge cum Octauio Romæ disceptante, & Parthis Labieni ductu Syriæ imminentibus, uelut sui oblitus, reginam sitin Ægyptum prosecutus, ubi in maiores adhuc est uoluptates prolapsus. Incredibilia sunt quæ de illius & Cleopatræ luxu à pluribus memoriæ prodita sunt. Plutarchus auum suum sibi narrare solitũ scribit, audiuisse se ex Philota quodam Amphisæo qui ob medicinę cultum per id tempus Alexandriæ fuit, inductum se à coquo Antonij in regiam culinam, offendisseq; ibi ingentem epularum apparatum, & octo in his apros, quũ duodecim essent eo die apud Antoniũ & Cleopatrã cœnaturi, donatumq; se super cœna à filio Antonij Fuluia genito magno argenti pondere, quantum tum in mensa erat, quòd leuissimum quoddã adolescentis probare uisus esset sophisma. Sed quum tantam uim argenti cunctantius acciperet, ueritus Antonij uoluntatem, grauiter fuit ab adolescente increpitus, uelut parum perspiceret eius muneris autorem esse Antonij filium. Erat Antonius iam quadragenarius, cęterum adeò in omnem lasciuiam & petulãtiam abijt, ut noctu seruili habitu per urbem uagaretur priuatis domibus illudens: unde non tantũ conuicia, sed & uerbera nõnunquã in regiam repertauit, ob quæ dictus est ab Aleaxdrinis in Romanos Tragica persona uti, in Alexandrinos Comica. Memorię proditum Cleopatra spectãte Antonium piscari solitum, qui ad peritiam artis ostentandã urinatores occulte submitteret, qui pisces prius captos sub aquis hamo affigerent, sensit callidissima regina ducis uanitatem, mirari tamẽ tanquam nescia eorum quæ fierent, prædicareq; Antonij in piscatu felicitatem, horaturque primores ut uoluptuosæ piscationi sibi & Antonio adsint. Ipsa interea unum quendam subornat, ut Romano urinatore pręuento, quod dabatur, hamo applicaret. Sensit Antonius calamum prædadegrauari, eoq; sublato fumosum piscem pro uiuo extulit. Tum uero cæteris ridentibus Cleopatra & ipsa suauiter ridens: Relinque, ait, imperator clarissime Alexandrinis calamum & retia, tuum est exercitus ductare, hostes prosternere, urbes expugnare. Fuit & cœna illa satis famosa, in quam ut Cleopatra centum sestertia ex sponsione insumeret, unionem unum immensi pretij quem auribus gestabat aceto liquefactũ hausit. Eratq; Antonius his ineptijs ímersus, quum ex Italia affertur Fuluiam eius uxorem & L. fratrem primum in urbe cum Octauio dissidentes, mox foris uictos armis, Italia decessisse, diuersaque terrarum plaga Labienum Parthorum ducem, omnem Syriam ab Euphrate ad Ioniam occupasse. Quo nuntio commotus uelut longa experrectus ebrietate, in Phœnicem trãsijt. Octauij & L. Antonij discordia initium habuit agrorũ assignatione, nam posteaquam Octauius in Italiam uenit, milites per colonias à triumuiris destinatas distribuere adortus, ueteres urbium habitatores Romam conciuit, omnis ætatis & sexus agmina cum lachrymis & mirabili comploratione ciuitatem circuibant, flebiliterq; lamentari sortem suam, quòd Itali sanguinis & Romanis consanguinitate mixti, ut hostes bello capti, domibus & agris pellerentur. Milites cõtrà minaciter efflagitabant, ut sibi promissa exoluerentur. Expediuisset Octauius nihilominus negocij difficultatem sine aliquo maiore tumultu, nisi L. Antonius qui tum consul erat, & Fuluia petiuissent Antonij legiones sibi assignari, quas ipsi in agris & domibus constituerent, quod ille ad tollendum discordiã concessit. Erat Antonij nomen multo celebrius popularius q; apud milites quàm Octauij ob Philippẽse bellum totum ferè illius opera & felicitate confectum, eratq; proinde militum studia in ipsum absentem, & eius necessarios multo propẽsiora quàm in Octauium, quippe qui parum abfuit, quin per id tempus spectaculorũ die militũ incursu sit in theatro interfectus, quòd gregarium militem ex equestribus ubi temere locũ occupasset iusserat excitari, & mox paulo Nouium turmarum ductorẽ ex campo Martio, quo se ad distributionem agrorum Octauius conuenturũ promiserat, eiecerunt milites, eiectũq; nec procul inde contrucidatum uenienti obiecerũt, quam ille iniuriam ad ruborem usq; militum ciuiliter tulit. Inualuerat per id tempus fames, Sexto Põpeio maria circa Italiam infestante, latrociniaq; noctu plurima fieri in urbe. Accesit his incommodis, quòd posteaquam Fuluia comperit Antoniũ Cleopatrę consuetudine teneri, L. Antonium impulit, ut ocium urbis & Italiæ abrumperet, futurum rata, ut eius belli causa uir à se alienatus in Italiã reuocaretur. Erat L. Antonius satis sua sponte triũuirali potestati infestus, ut popularis haberetur. Cæterũ nactus Fuluię stimulos multo propensior est factus ad turbandum Italiæ statũ. Vrbe itaq; digressus Antonij & Fuluiæ liberos ad milites qui in colonijs collocati erant secum eduxit, ibi questus quòd ab Octauio equites ad puerorum cædem immissi essent, illorum salutem militibus cõmendauit. Diluit Octauius eam calumniam per Lucilium, ostenditq; equites ex urbe egredi iussos, ut in Brutios celeri cursu contenderent, quorum ager à Sexto Põpeio uastari diceretur. Nec multo post Lucium consulem Fuluia urbe profecta est, tanquam se præsente melius filijs caueretur, magnę ob hęc suspiciones sunt inter triũuiros ortæ: nam Antonius Romam exploratum misit, an uera essent quę se à suo collega pati, L. frater & Fuluia per literas quererenr. Contrà Octauius apud optimates est de his questus quæ ab Antonij necessarijs in se fierent. Emergentibus inde alijs atq; alijs iniuriarum suspicionibus, postremo ad arma deuenere. Erant Lucio Antonio legiones septendecim, sex quas ipse parauerat, & undecim Antonij triumuiri, quibus Calenus præsidebat. Octauius legiones decem ad bellum instruit, apud patres sæpius questus, quòd Lucij Antonij & Fuluię in temperie urbis & Italiæ quies turbaretur, sibi gratiã & benuolentiam cum Antonio collega suo integrã manere, mãsuram semper, quoad ipse uoluisset, precatus que est patres, ut de reconciliatione cum Lucio sua autoritate agerent. Missi sunt ex primoribus Prænestead Lucium, quo alia atq; alia in Octauium crimina conferente, detrectanteq; eius rei cognitionẽ, re infecta Romam reuersi sunt. Tum Octauius omni spe concordiæ abiecta, ad bellum profectus Lepidum cum duabus legionibus in urbe ad prędidũ reliquit. Extiterunt ab initio tumultuosi utrinq; conatus, sed quum Antonius non omnes adhuc secũ copias haberet, Perusiam se contulit. Ibi Ventidium opperiẽs haud multo pòst cum legionibus affuturum, fecitq; extra muros urbis castra. Eum Octauius Agrippa & Saluidenus cedentem persecuti, ternis castris circũdant. Antonius quia in aciem descẽdere cum tyrone exercitu non audebat, ad Ventidium & Manium mittit ut cum suis legionibus sibi auxilio adsint. Interea Octauius fossa & uallo Perusiam circũdat, relictoq; in castris præsidio, ipse cum parte copiarum Ventidio & Asinio occurrit, atq; inopinato accessu perculsos in fugam uertit. Rauennã unus celeri cursu, alter Ariminum petijt. Pulsis hostibus Octauius reuersus in castra, mille & quingentas ligneas turres in Antonium urbe exclusum erexit. Fames inde illũ inuasit, quod malum quum in dies augeretur, multis & laboriosis prælijs conati sunt, qui obsidione tenebantur ui erumpere. Interea uis ingens seruitorum inedia conficitur. Nouissimus Lucij conatus fuit, quo circa Octauij munitiones multa est cędedimicatũ, uallumque non uno loco conuulsum, & ex Lucianis plerig; subito impetu hostium murũ conscendere, eratq; res in apertum discrimen adducta, quum ex Octauij exercitu lectissimi quique eò decurrunt,

Munificẽtia in filio Antonij.

Piscatus Antonij.

Discordiæ ciuilis causa.

Antonij nomẽ popularepud milites.

L. Antonius uiæ dignus ex urbe.

L. Anto. deditio.

Perusiæ incendium.

Octauius L. Antoniũ Perusiæ obsidet.

currunt, in hostemq; iam fessum inuecti, cum strage, & ruina muro deturbant, Antoniani magis obstinatione quàm uiribus resistunt, interea ab Lucio receptui canitur, ad quod signum milites mœsti in urbẽ concessere. Lucius ubi omnia à se tẽtari frustra animaduerrit, ut nec fames amplius tolerari posset, ne exercitum secum perditum iret, tres ex primoribus militum ad Octauium mittit, qui exercitui ueniam impetrarent, se qui autor belli fuisset ad supplicium dederent. Responsum est ueniam dari militibus: de ijs uero qui in eo motu temere ad arma concurrissent, aliud futurum. Scio fuisse quibusdam persuasum ultro Octauium ad id bellum accessisse, ut quæ ciuium essent in se studia, & quæ populorum uoluntates cognosceret, estq; Trãquillus autor ccc. ex deditijs hostiarum more, ad aras diui Cæsaris Martijs idibus mactatos. Post legatorum reditum ipsi duces circa uallũ in colloquium uenere, ubi Antonius tantum precatus dicitur, ut exercitum incolumem præstaret. Facta inde deditio, Luciusq; benigne, atq; honorifice ab Octauio acceptus est Antonij collegę gratia, quod ille ita euẽturum à principio uiderat, atq; ob eam rem se hosti dedendum intrepide à militibꝰ, ut dixi, petierat. Habuit Octauius in animo urbem militibus diripiendã dare, sed quidam Cæsius sua domo incensa, causa fuit ut flamma ui uentorum proximis ædificijs insinuata tota fit urbis incendio cõsumpta, atq; huiusmodi cladem Perusia per id tempus perpessa est. Vrbs olim uetustatis laude & nominis celebritate, in Hetruria ut hodie ualde insignis. Eam Tyrrheni condidisse dicuntur, si uerum est ut ex Lydia coloni uenerint, eamq; Italiæ partem aliquando tenuerint, à Lydis oriundi sunt Perusini, si à Tyrrhis ea gens dicta, indigenæ potius habendi. Fuluia filijs comitantibus primo Dicæarchiam fugit, inde tribus milibus militum septa quos ad puerorum præsidium Asinius, Plancus & B alij Antonianarũ legionũ ductores dederant, Brundusium proficiscitur, ex Brundusio quinq; nauibus longis Ionium emensa in Græciam delata est. Interim Octauius undecim ex Antonij legionibus, quæ sub ducibus in Italia uagabantur sibi adiunxit: Galliamq; & Iberiam obtinuit, quæ sub illius prætoribus fuerant. Qui ex Alexandia, ut dixi, profectus in Tyrum primo uenit, ex Tyro in Cyprum, ex Cypro Rhodum petijt, inde quum Ioniæ oram legeret, ex literis & nuntijs suorum cognouit quæ circa Perusiam gesta essent. Athenas inde progressus Iuliã matrem ibi recepit, à Sexto Pompeio, ad quem illa ex Italia confugerat, cum aliquot triremibus missam. Obtulit adhæc Pompeius societatem suam si bellũ esset Octauio illaturus. Egit illi gratias Antonius, seq; eo, si contra illum armis dimicãdum esset, ut socio usurum respõdit. Si Octauius in fide & societate perstaret, daturum se operam ut Pompeium illi conciliaret. Moturus inde Italiam uersus Fuluiã morbo implicitam Sicione reliquit, ubi illa non multo pòst uita defuncta est. Octauius etsi terrestribus polleret armis aderant iam illi ad quadraginta legiones sub signis, ueritus tamen ne si Antonius cum Pompeio conspiraret, multitudine nauium Italiam fame conficerent (erant ambobus quingentę circiter naues) audito Antonij accessu dedit operã, ut per Mecœnatem iungeretur sibi matrimonio Scribonia Libonis filia, cuius soror Sexto Pompeio erat connubio locata, ut per socerum & uxorem ille sibi pacaretur. Lepidum cum sex legionibus sibi suspectioribus in Libyam misit, quæ prouincia fuerat illi iam antea destinata. Dimisit & Lucium Antonium, quẽ ad benuolentiam fratris sibi conciliandam hortatus est. Antonius quum Ionium nauigaret Domitium Ænobarbum obuium habuit cum numerosa classe, qui ratus ad Octauij potentiam euertendam illum accedere, classem ei & exercitũ tradidit. Quo successu Antonius elatus, ubi primum Italiam attigit, Brundusinos, quòd sibi portas clausserant, fossa & uallo cingit, & ad Pompeium mittit, qui eum ad Italiam classe inuadendam inuitarent, isse Antonio gratificaturus, confestim cum quatuor legionibus affuit: Thuriosq;, & Consentiam, uno tempore obsedit. Octauius nouo bello territus, omnibus locis trepide occurrit. Ipse in Antonium mouit. Agrippa diuersus ab eo ducens Pompeianos à Thurijs primo repulit accessu. Hæserat interim bellum circa Brundusium, racitæque erant utrinque induciæ, milites inter se de reconciliatione ducum primo uerba fecere, & iam animi inclinabant ad concordiam, quum de Fuluiæ obitu est nuntius allatus, qui Antonio ne grauis quidem fuit, peropportunus quidem uidebatur eius interitus ad amicitiam cum collega resarciendam. Lucius Cocceius communis amborum amicus, citro ultroq; cursitans, primus ipsorum ducum ad pacem flexit animos. Accessere inde utriusque exercitus preces, quibus ambo imperatores permoti nouum inter se fœdus iniuere, ut Antonius in Fuluiæ defunctæ locum Octauij sororem ex patre, quæ à Marcello nuper defuncto uidua relicta erat, duceret uxorem, iunctaque continuo illi est, quum ante decimum mensem à mariti interitu nubere patrio more non liceret, partitique sunt iterum inter se res humanas, ut Clodropolis finis esset utriusque imperij. Antonius quicquid terrarum esset ab eo loco ad Euphratem imperio obtineret. Octauius Italiam cum cæteris terris quæ ad meridiem & occasum uergerent. Concessum tamen Lepido ut Libyam cum legionibus teneret, Antonius bellum Parthis inferret. Octauius Sexto Pompeio, si inter eos de pace non conueniret. Additum fœderi, ut uterque ex Italia delectum habere posset, & hæc secunda fuisse dicuntur Antonij & Octauij fœdera, quibus magna exercituum lætitia confectis, duces ipsi seinuicem complexi, Romam unà profecti sunt, ubi in grauissimos populi motus inciderunt, nam & fames urbanam multitudinem premebat, & rumor exierat in uulgus conuenisse inter duces, ut plures adhuc coloni pellerentur, ut militum desideria explerent. Itaque Octauius per id tempus, mox & Antonius multitudinis impetum militari præsidio repellere coacti sunt, editaq; in urbe tetra cędes, cadaueraq; plurima in Tyberim proiecta. Is motus necessitatem ducibus imposuit pacis cum Pompeio faciundæ, quæ postquam secuta est, Antonius & Octauius cum Pompeio in colloquium uenere, ictumq; fœdus, ut ille Siciliam Sardiniam & Corsicam præsidio obtineret, ac mare tutum à prædonibus redderet, mitteretque Romam ex insulis certum tritici numerum, fœdereq; rite firmato cœnatum est apud Pompeium. Is ab Antonio rogatus ubi cœnam sibi & Octauio paraturus esset, nauim ostendisse fertur. Illa (inquit) est mihi paterna domus, in Antonium haud dubie cauillatus, qui Pompeianarum rerum sector fuit. Ponte igitur in nauem transgressus lautissima illis cœna apposita est. Ibi quum multus de Antonio & Cleopatra sermo haberetur, Menodorus ad Pompeij aurem accedens, quasi aliud dicturus: Vis, inquit, Sexte, ut succisis anchoris hinc subito nauim auferam, teque sine alia belli molestia statuam rei Romanæ principem? Oportuit, inquit Pompeius, te id facere, non à me scisciti an opus esset facto, qui nũquam sim fidem meam & iusiurandum uiolaturus:

Antonius & Octauius à Pompeio digressi Romam repetunt, de Parthico bello & ijs quæ ad reliquam imperij curam attinebant, consulturi-

Concordiæ ciuium.

Octauia Antonio iungitur.

Secunda fœdera Octauij & Antonij.

Pax cum Pompeio.

Antonij reditus in Italiam.

ENNEADIS VI. LIBER XI.

NEC Antonius multum inde in Italia cõmoratus est. Erat apud illum quidam ex Ægypto Magus qui dubium uereid sentiret,an in Cleopatræ gratiam fingeret, sæpius Antonium hortatus fuerat, ut procul ab Octauio faceſſeret. Fortuna, inquit, tua Antoni per se splendida & ampla est,uerum quum Octauio adhæret,continuo hebetatur. Tuus, ait,dæmon illius genium reformidat, & quum celsus per se sit atque alacer, huius tamẽ appropinquatione humilis fit & pauidus. Fecit is facilius ſidem, quod siue sortibus, siue gallinaceorum aut coturnicum paria commiteret, Antonius erat semper Octauio inferior. His igitur commotus, cum Octauia ex qua iam filiolam sustulerat, Italia profectus Athenas nauigauit, ibi tributis ex ordine descriptis, plerosq; reges constituit. Ponticæ oræ Darij Pharnacis filium.Idumęorum & Samaritanarum Herodem, Pisidarũ Amyntham, Ciliciæ Polemonem. Ventidius interea qui iam antea cum parte copiarum ad Parthicũ bellum fuerat ab Antonio missus, iterum cum hoste feliciter pugnat. Enimuero Parthi natura præferoces, sed multo ferociores adhuc facti, post Crassorũ cædes, Romanasq; legiones in Mesopotamia cæsas, quum Romani imperij fines iam inde incesserenon destitisſent, postremo ciuilis discordiæ occasionẽ nacti, Phraatis Pacori & Labieni ductu (fuerat is à Bruto & Cassio sub Philippẽsis belli tempus in Parthiam missus,ut eam gentem ad arma in Antonij & Octauium solicitaret) Syriam irrumpentes, Didio Saxa Antonij legato armis superato,omnem prouinciam ab Euphrate ad Lydiã fœda populatione uastarant. Hos Ventidius ferociter adortus,Labieno & Phraate cadentibus,magno prælio superauit,cuius uictoriæ nuntius Athenas delatus Antonium in tantam lætitiam extulit,ut Græcis epulum dederit,ludosq; tota urbe celebrari iusserit, ipse positis magistratus insignibus,cum adolescentibus saltauerit. Nec multum postea cunctatus ad Parthicum bellũ conficiẽdum proficiscitur.Sed Ventidius dũ Antonius Athenis adhuc esset,Pacorum Hyrodis filium cũ amplissimo exercitu in Syriam uenientem,ad Cyristum opprimit. Multo maior hic quàm priore prælio edita est Parthorum strages. Cæsi Barbari toto terræ spatio quantum inter Euphratem & Orontem late patet, sicq; unius Ventidij ductu repẽsa est genti duabus cladibus Crassana clades. Nec Vẽtidius Barbaros in Mediæ & Mesopotamiæ angustias cõiectos, sequi uoluit, Antonij ueritus inuidiam quẽ sciebat ad id bellũ uenire. Ipse interim Antiochum Comagenum in Samosatis urbe obsidione fatigat, cuius legatos apud se de deditione agentes ad Antonium misit,qui propediẽ affuturus dicebatur, & ille haud multo post superuenit. Cæterum obsidione in longum procedẽte,Barbarisq; ualidius sese in dies tuẽtib⁹ pudore & pœnitẽtia adductus Antonius, quòd non statim regem in deditionem accepisset,ccc.dũtaxat talentis ab illo acceptis (alij quingenta ab eo data scribunt) Athenas redijt: Ventidiumq; grandi pecunia donatum, Romam ad triumphum dimisit. Atq; ita contigit, ut is qui puer eo triumpho quem Pompeius Strabo magni Pompeij pater de Asculanis sociali bello uictis egit, ante currum fuerat ductus, primus Romanorum de Parthis triumpharit. Sed dum ab eo Parthi semel atq; iterum uincuntur, Octauius & Põpeius rupto inter se fœdere, iterum ad arma recurrunt, causa recentis discordiæ non una ab Octauio prætensa est, quòd Antonius Pompeio

De genijs.

Ventidij uictoria.

Antonius ad Parthicum bellum.

Ventidij triumphus.

Causæ belli inter Octauium & Põpeium.

A Peloponesum attribuisset,qui postulãti Octauio ut sibi persolueret quę Peloponnesij deberẽt, Pompeius reddere noluisset,& quòd Menodorus ex Pompeianis præfectis unus identidẽ iactaret,nõ fœdus illud fuisse quod ictum diceretur,sed belli inducias,ornaretque interim studio classem Pompeius, ut bellum esset paulo pòst reparaturus, mariaq; occulto latrocinio infestarentur, atq; ob eam rem fames iterũ sentiretur, nauibus adhæc piratarum interceptis prædones qui in illis erant, seà Pompeio missos prædicarent. Quibus causis Octauius commotus bellũ in Pompeium cõparat,longas naues ex Rauenna,exercitum ex Gallia accersit:Antoniũ ut ex Græcia Brũdusium ueniret hortatur,secum de summa belli consulturus. Venit Antonius cum paucis nauibus, non reperto ibi Octauio, dubium metu,an quòd rumpi cum Põpeio fœdus non placeret, confestim remenſo Ionio in Græciam reuersus est, literis ad Octauiũ datis,quibus eum monebat, ne fœdus cum Põpeio ictum temere uiolaret.Ille Italiæ littoribus præsidio firmatis,in Sardiniam & Corsicã misit, qui à Menodoro legiones & naues quib⁹ præerat proditiõe acciperent.Is à Pompeio leui quadam de causa alienatus,ad Octauium transiturus,tres illi legiones & naues quibus præerat tradidit. Atq; ob id meritum ex libertino est ab eo ingenuus declaratus, iussuq; ijs nauibus præesse, quas secũ in partes adduxerat. Interea classis cum qua Cornificius ex Rauenna Octauij iussu Tarentũ petebat,subita tempestate disiecta est, prætoria nauis quæ Octauio destinata erat,maris fæuitia perijt, quibus diebus Menecrates quem Sextus classi præfecerat,& Menodorus qui ad Octauium trãsfugerat:ex Hetruria Rhegium ducere iussus,inter Cumas,& Enariam insulã prælio cõgressi, ingens inter se certamen ediderunt. Intercedebant illis ueteres inimicitiæ ex æmulatione ortę.Prætorijs itaq; nauibus ex aduerso inuectis,confertaq; inuicem harpagonibus & ferreis manicis pugna, Menecrates post uarios conatus grauiter uulneratus,& ob id prælio inutilis, ubi nauim ab hoste semicaptã uidit, in mari peritur⁹ desiluit, atq; in sinistro cornu ita est à Põpeianis dimicatũ. Dextro latere ab altera parte Caluisius & ipse Octauij præfectus,nonnullas hostiũ naues fregit,fugientesq; Peloponnesum uersus est insecutus.Democharen Menecratis collibertus Caluisiũ intuitus in altũ abeuntẽ,suorumq; fugã infesto prementẽ cursu,cæteras eius naues eximpto uiso adortus subita ui disiecit,plerąq; in scopulos & saxa metu temere obtrudũtur, uirisq; in littus euadẽtibus,iniecta subito flamma incendit.Pellitur inde Democharen Caluisij reditu.Secundum eam pugnam Octauius cum alia classe & magna ui militũ, ex Tarento Rhegium petijt, ut in Pompeium qui Messanæ erat impetum faceret, sed Democharen ad Pompeium reuersso,quia duplicata erat classis,constituit Octauius Menodorum & Caluisium expectare, quibus ut obuiam prodiret ex Rhegio fretum cœpit annauigare, nec longius processerat quũ Pompeianæ naues extremum agmen adortæ, terrorem iniecerunt. Ibi quum pleræque circunueniri cœpissent, cætera classis metu ad petras delata, in fœdam incidit colluctationem. Sustinuerunt tamen Octauij milites in magna locorũ iniquitate,aliquãdiu imminentem hostem, nocte deinceps oppressi, nauibus metu relictis sese ad montes receperũt, illo frustra reclamante ne naues ad littus desererẽt. Multitudo in fugam præceps ducẽ ipsum in deuia montium traxerunt,ubi nox una laborioſe acta est. Postea uero quàm dies illuxit Caluisius dictus est appropinquare. Octauius ad littus despiciens naues fere omnes incẽdio cõsumptas uidet:mare nauticis erat instrumẽtis & naufragijs refertum. Caluisij & Menodori accessus hostis impetũ inhibuit, q ubi affuerunt

Antonius bri dusium uenit.

Menodorus classem Octauio tradit.

Menecratis interitus.

Octauij dã concremati.

runt nec ipsi temere sunt prælium inire ausi. Stabat A itaque in procinctu utraque classis quum circa meridiem Notus uẽtus paulatim consurgens infestum stantibus reddidit mare.Pompeij classis Messanam continuo se recepit. Menodorus rei maritimæ assuetus maris sæuitiam ueritus cum parte nauium ad interiora pelagi sese proripuit,ibiąue locum nactus aquarum profunditate minus infestum in anchoris constitit. Naues quæ cum Caluisio erant,tempestate sub noctem inualescẽte in fœdam miserabilemq; iactationem inciderunt.Fretum sua natura uorticosum,& ad sæuitiam pronum austri impetu abruptũ adeò atrocem induit faciem,ut neque standi,neque procul abeundi præberet nautis facultatem. Rotabanturin abruptum, cæcoque inter se concursu naues obscura nocte affligebantur,maris angustiæ, uelis, remis, uiris, cadaueribus inundabant, exaudiri gemitus miserabilesque uoces eorum qui naufragium faciebant. Alij rursus circa littora edebãtur ploratus. Milites qui circa littus erãt se affligentes,quia suis ferre opem non possent,omnia planctu & lamẽtatione compleuerant. Si qui ad littora naufragi depellebantur, prominentibus scopulis impacti, tanquam tormento quodam excussi allisoque corpore expirabant. Auditum ferunt ab ipsis locorum accolis nunquam memoria hominum tam horrende pelagus moueri cõtigisse. Denique illucescente die paulatim cum uento fœda illa tempestas remisit. Octauius ne tantam suorum cladem aspiceret,Hipponiũ per montes abijt, classeque maiore ex parte amissa, Romam turbatus reuertitur. Ibi multis difficultatibus circunuentus,siquidem renouati belli culpã penes unũ esse uulgo clamitabãt,ciuitas quoq; siquando aliãs maxime fame laborabat, nec stipendium quod militibus redderetur, aderat, neque in Antonio multum spei erat repositum, quem à se alienatũ arbitrari quia eo inuito esset id bellum motum, soli B citudine & mœrore conficiebatur. Verum ubi præter spem Antonium sibi auxilio uenturum accepit, summo studio est bellum reparare adortus. Sub id tempus Aquitani in Gallia Agrippę ductu bello uicti sunt.Id bellum seu quia sit citra prælium gestum, aut quod celerrime profligatum, ne relatum quidẽ à multis reperio. Antonius uerno anni tẽpore cum trecentis nauibus ex Arbenis Tarentum profectus est.Ibi noue inter eum & Octauium suspiciones ortæ, ut iam neuter alteri fideret. Criminari Octauius Antonium quod in Galliam ad Lepidũ misisset, qui eum in se concitaret. Octauia quæ ab Antonio pręmissa erat, ut cum fratre de reconciliatione ageret, quum id crimẽ diluisset,Octauium perpulit,ut cum Antonio in colloquium ueniret. Tarenti ambo unà locuti sunt, biduumque ibi egere tanta inter se fide, ut uterq; in domo alterius sine prẽsidio uersati sint, estque inter eos de futuri belli ratione cõsultatum. Cæterum Octauio in uernum sequentis anni tempus maritimum bellum differente, nec Parthicum quod Antonio instabat ullam pateretur dilationẽ, ita inter eos conuenit,ut Antonius.cxx.naues Octauio ad bellum daret. Octauius duo milia Italorum illi in Parthos ituro, quos Antonius ex eo bello reuersus confestim restitueret. Miror eam conditionẽ militum adiectã, quum in ultimo fœdere, quod imperatores ipsi inter se percusserant diserte positum esset, ut Antonius in Italia delectum habere posset. Triumuiratu itaq; sibi in quinquẽnium prorogato, Antonius Octauia cum filia apud fratrem relicta in Græciam reuersus est,continuo inde in Syriam moturus,erãtq; res alibi gentium,uel in primis Romanorum in hoc statu. In Iudæa iam inde ab Herodis prefectura,intra extraq; Hierosolymam res eius gẽtis uelut ciuili quadam discordia agitatæ,in magno bellorum motu fuere. Malchus & alij plerij; Iudæorum principes Antipatro Herodis patri inuidẽtes, quod quum ipse præcipua polleret autoritate, duo eius filij suprà quàm tutũ esset publicæ libertati creuissent,ut Herodes Galileam obtineret,Phaselus eius frater reficiendorũ Hierosolymitanæ urbis murorũ magna nominis celebritate munus obiret.Primo parricidij iudicium est Herodi intentatum, ad quod quum præsidio septus in urbem uenisset,à iudicibus metu perculsis indẽnatus dimittitur, haud tamen absolutus. Nec multo pòst quum C. Cassius in Syriam uenisset acerbissimeque tributum exigeret ab Iudæis,ut urbes etiam quædam cum habitatoribus uenderentur, egregiamq; operam in tributo exigendo Herodes Cassio impẽdisset,ab eodem toti Syriæ inferiori præfidere est iussus.Exagitabat Malchi animũ multo acerbius quàm antea tacitus liuor.Antipatrumque per Hircani ministrum, apud quem forte unà cœnabat, ueneno sustulit. Herodes patris necem ulturus,cum exercitu urbem ingreditur,Malchumque ut nouarum rerum autorem interfecit. Hircano cædis causam requirenti Cassij iussu id factum ostendit.Mox Cassio ad Philippense bellum profecto, magna perturbatio Iudæam inuasit. Malchi frater plura Iudęæ oppida ab initio occupauit, quæ haud multo pòst sunt ab Herode recepta. Antigonus Aristoboli filius, qui nihil à Cæsare, ut suprà est memoratum,impetrare potuit, Mario quẽ Cassius Tyrijs præfidere iusserat, bellum infert. Tũ uero Herodes qui Cassianis partibus fauebat,aduersus Antigonũ egressus in Galilææ finibus eum prælio uicit, uictumque in montana Iudææ compulit. Cassio interea & Bruto uictis postquam Antonius in Asiam uenit, nobilissimi Iudęorum ad eum confluxerant, Herodem & fratrem accusaturi. Sed Antonius post multa crimina quæ Iudæorum principes Herodi & fratri intenderant: quia singula constanter reus diluisset, Herodem honorifice laudatũ in pristina dignitate retinuit. Mãdauit adhęc, quod supra significauimus, ut quicunq; Iudæorum in tota Asia Cassij iniuria uenditi essent, in libertatem restituerentur. Extant de ea re Antonij literæ ad Hircanum daræ,quarum exemplum Iosephus in Iudaica retulit historia. Venit nec multo pòst frequens ex Iudæa ad Antonium legatio sub id tempus quo Cleopatra ad illum in Ciliciam nauigauit,estq; hic quoque Herodes ab inimicis accusatus,sed tantum abfuit ut illi ea criminatio aliquo modo obfuerit, quod ob paternam necessitudinem Antonius (fuerat enim Antipater Gabinij hospes, cum quo iuuenis Antonius militauerat) Herodem & fratrẽ Iudęę Tetrarchas constituerit.Legatos reluctari ausos(erant enim centum numero) pertinaciterque resistẽtes,quo minus ea declaratio fieret, Antonius magna ex parte interfecit.Addixitq; se dux ipse haud multo pòst uoluptatibus, Cleopatræ illecebris captus, qui dum reginæ epulis saginatur, Parthi in Syriam, quod suprà significauim⁹,irrupere,Labieni & Phraatis,siue Barzapharnis ut Iosephus scribit ductu. Hi mediterranea populati sunt,Pacorus Hyrodis filius cũ altero exercitu ad maritima loca descẽdit,& cum eo Antigonus Aristoboli filius.Is cũ ala Parthici equitatus per homines suæ factionis Hierosolymam ingressus, cum Herode & Phaselo medio foro armis dimicauit, uictusque prælio in templum concluditur. Fanebant interim non pauci Antigono, utpote paternum sibi regnum uindicanti,multaque utrinque prælia quotidie in urbe fiebant.Superuenit Pacorus accersitus,ut creditur,ab Antigono, ciuilis discordiæ arbiter futurus. Is paucis diebus quibus est urbem ingressus, Phaselum & Hircanum ex urbe ad Barzapharnem ablegauit,à quo Pacori iussu in uincula coniecti sunt,cuius rei nuntio ad Herodem delato,ueritus Pacori insidias,cum matre sorore & cõ

Herodes. Phaselus.

Antipatri interitus.

Antigonus Hierosolymam occupat.

Octauius amisſa classe Romã reuertitur.

Nouum Antonij & Octauij fœdus.

Herodis fuga.

iuge magna adhæc clientum mercenariorumque militum manu silentio noctis urbe egressus, Idumæam uersus fugam intendit. Matre interea casu quodam humi afflicta, quum Herodem & alios remoraretur, ratus fore ut cunctatio illa se & suos hostibus euestigiò sequentibus ad cædem dederet, exerto ferro sibi manum inferre conatus est, prohibitus tamen à suis matreque à languore paululum recreata fugam repetit. Carpebat iam hostis extremum agmen, in quem ille fortiter conuersus primo sustinet. Mox conserto prælio fundit, fugatque, fusumq; ad satietatem cecidit. Condidit inde Herodes eo loco quo hostem nocturno prælio fuderat, urbem de suo nomine, ut in posterum rei gestæ esset monumentum. Idumæam postremo ingressus Iosippum fratrem obuium habuit, cum quo de summa rei locutus, omni multitudine dimissa, erant ad undecim milia numero, dato singulis uiatico, ut diuersi abeuntes sese ad meliora tempora reseruarét, ipse cum fratre & necessarijs, delectaque amicorum manu in Masada oppidum diuertit, locum natura & opere munitissimum. Hic imbelli multitudine cum præsidio relicta, ad Petram Arabię concesit. Parthi qui Hierosolymis erant, Herodis regiam cum parte urbis diripiunt. Cæterum urbica præda parua illis uisa est: studio itaque prædandi Hierosolymis egressi suburbanam regionem uarijs cladibus affligunt. Interea Antigonus aures Hircano ademit, ne sacerdotium illi restitui posset, nam lege cautum erat, ne qui ea dignitate frueretur, mutilus aut mancus esset. Phaselus qui & ipse custodiebatur, ubi se periturum cognouit, quia catenæ essent manibus iniectæ, crebra arietatione caput parieti impingens, seipsum peremit. Sunt qui dicant Antigoni iussu uenено plagæ illito absumptum, ac priusquam uita excederet, audita fratris sui incolumitate, nihil sibi acerbum in morte euenire testatus est, quando certo sciret non defuturum suæ necis ultorem. Herodes morte fratris audita, Romam ad Antonium nauigauit, qui à Fuluia & Lucio fratre in Italiam reuocatus, uti alio est loco dictum, cum Octauio in gratiam redierat. Is Herodis calamitate commotus, senatui autor fuit, ut regnum & potestas quæ in sacerdotio erat, Herodi tribueretur, estque senatusconsi. in eius sententiam factum, ipseque rex Iudęorum salutatus, medius inter Antoniū & Octauiū in Capitoliū ascędit. Atq; ita Herodes Antipatro Ascalonita patre ortus, matre Cypride Arabica, Iudęę regno potitus est, régiaque potestas à Iudæis ad alienigenas translata, appropinquante iam Messiæ aduentu, quod Israël ut Moses tradidit, multis antè ætatibus diuino afflatus spiritu futurum prædixerat. Ex eius oraculo hæc sunt. Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Cui diuinationi respondit propheticum Danielis carmen, quo ille futurum prædixit, ut à templi instauratione quæ in Darij regnum incidit, usque ad Christi principatum hebdomades undeseptuaginta intercurrerent, qui anni fuere quadringenti octoginta tres, quibus sacerdotes qui ijdē sunt & Christi, principatum in Iudæa obtinuerunt. Obsidebat interea Antigonus Iosippum Herodis fratrem Masadę, tenueratque plures dies ea oppugnatio, quum Ventidius ab Antonio in Syriam missus, ab Antigono pecunia corruptus Hierosolymis abstinuit, superuenitque paulo pòst Herodes, Iudæosque aduersæ factionis secum acie congressos egregie uicit. Ioppem expugnat, inde uictor ad Masadam cucurrit suos obsidione leuaturus, quibus demum solutis Hierosolymam Silonis exercitum ducit. Erat is cum copijs ab Antonio missus ad asserendam Herodis dignitatem. Circumsessa urbs est, ac in re-

Parthi Hierosolymam diripiunt.

A liquum æstatis obsidione fatigata, mox uertente anno milites in hyberna concesserūt. Herodes cum paucis cohortibus Hiericunta occupat, Galilæam inde ingressus Antigoni fugauit præsidium. Ad Sephorum mox circa Arbilon uillam latronum manum adortus, iusta pugna superauit, fugientes ad Iordanem usque est persecutus. Silone deinceps à Ventidio in Parthos accersito, Herodes cum sua auxiliariorum manu, ad latrones iterum expugnandos proficiscitur. Tenebant hi speluncas in præruпto montis anfractu, erantque illarum ora inaccessa abruptis undique cautibus. Post itaque uarios conatus milites ex summo iugo ligneis machinis per catenas demissi latronum receptacula irruperunt. Immissus est & ignis, quæ res plurimum hostes perculit. Fertur hic eorum unus ubi rem in apertum discrimen adductā uidit, ex spelunca ore nondum ab hoste insesso, septem filios unum post alium propria manu cum uxore interfecisse, corporibusq; in præceps deuolutis, ne uiuus in hostium potestatem ueniret, postremo semetipsum præcipitasse. Latrocinio per hæc sublato in Iudæam Herodes reuersus, Iosippum fratrem cum Machera à Ventidio in auxilium misso, Antigono opposuit, ipse ad Antonium ire pergit, qui ad Samosata Antiochum Comagenum obsidebat. Tenebantur augustiæ locorum ab hostibus latrocinantium more in eos grassantibus, qui in Antonij castra citro ultroque commeabant, reddebatque hic hostium excursus omnia Antonio infesta. In hos Herodes mediocri euocatorū manu inuectus primo accessu fudit, multaq; cędę dissipauit, apertisq; itineribus peruenit ad Antonium, factus illi adhuc multo charior, ob nauatam nuper operam in hostibus opprimendis. Iosippus interea ad Hiericuntem profectus, ut frumentum iam in agris matuescens ex hostium agris demeteret, in insidias præcipitatus ac undique circumuētus, ui hostium oppressus perijt. Eius mortis nuntio in Antonij castra delato, Herodes exercitum haud contemptibilem ab eo accepit, continuoque in Iudæam reuersus, hostes in Galilæa nocturno prælio uictos intra mœnia coniecit. Affuit interim altera ab Antonio legio, qua inspecta hostes metu perculsi Galilææ finibus excedunt. Ad Hericuntem inde profectus est, ubi post cœnam dimisso conuiuio repente triclinium corruit, magna regis & amicorum felicitate, qui nuper periculo impendente multa hilaritate accubuerant. Vno deinceps prelio circa Hiericuntem cum Iudæis commisso, saucius acie excesit. Quinque deinceps urbes ui cepit Herodes, captasque diripuit, ibique ad duo milia hominum in potestatem redacta, in fratris ultionem occidit. Paucisque inde diebus Antigoni copias in Samaria prælio fugauit, multiq; in fuga cæsi, & cum his Pampus homo impiger, qui exercitui præerat. Inde appetente uere Hierosolymam obsidere adortus, triplici aggere in hostes erecto, minaciter instabat, duxitque sub id tempus uxorem Herodes ad conciliandos Iudæorum animos, qui ipsius regnū ut impium, qui alienigena esset, ad unum fere auersabantur, Mariamnem Alexandri, qui Aristoboli fuit, filiam. Venerunt interea recentes ab Antonio copiæ, quibus ille fretus multo arctius urbē premebat obsidione, erant in castris ad. xxx. milia armatorum, & in his undecim Ro. cohortes, & sex milia equitum. Operibus igitur & cuniculis est urbs plures dies oppugnata, captusq; iam erat exterior murus: Iudęi tamē in arctū coēuntes, tanta obstinatione resistebāt, ut neq; fame, neq; periculo ullo ad deditionem flecterentur animi. Septimo deinceps anno ineunte q gētili instituto Iudęis religiosus erat, capta urbs est, cædesque ingens edita. A nullo aut sexu, aut ætate ferrū ira abstinuit. Publica & priuata præda Roma-

Herodis successus.

Desperationis exemplum.

Herodis successus.

Tēpestiua triclinij ruina.

Hierosolymorū obsidio.

Falsus de Herode rumor.

nis fuissent, nisi illi Herodis gratiam Sosius & Silo A Antonij duces iniuria abstinuissent, quos magna pecunia cum toto exercitu donatos, ille ad eorum imperatorem remisit. Fuit hic annus quo ita grauiter sunt Hierosolymæ concussæ, tertius regni Herodis, uigesimusseptimus, ab eo quo Pompeij ductu fuerat urbs ipsa propemodum excisa. Sosius Antigonum captum ad Antonium perduxit. Herodes ueritus ne si Romam perduceretur, Romanorum animi illius præsentia aut precibus flecterentur, resti tuerentque in paternum regnum magnam pecuniam pollicitus, facile obtinuit, ut Antiochiæ Antonij sit iussu interfectus. Atque ita Asamoneorum principatus in Antigono defecit, centesimo ac uigesimo anno ab eo quo ea familia principatu & sacerdotio florere cœperat. Herodes non nobilis, sed plebeia familia fuit, regibusque subiecta. Sic Iosephus, quem plurimum in Iudaica sequimur historia. Eusebius, ut suprà ostendimus, Ascalonitam Herodis patrem fuisse ait. Herodes Hierosolymis receptis, quinquaginta ex principibus urbis, qui Antigono enixe fauerant, interfecit. Consilium inde cepit Hircani interficiendi, qui adhuc in Parthorum potestate erat. Eum ut in Iudæam remitterent, grandem Parthis persoluit pecuniam, quem postliminio receptum, ne populum offenderet, ut patrem publice obseruabat, multaque ueneratione prosequebatur. Cæterum quia sacerdotium illi ademptis auribus restitui non potuit, Ananelum quendam in eius locum substituit. Alexandra Aristoboli filia Herodis socrus, iniquo animo ferens, Ananelum Alexandro filio quem adolescentem habebat in dignitate prælatum, per Gellium quendam Antonio qui Alexandriæ tunc erat, Mariamnem filiam eleganti forma præditam, quæ Herodi locata erat, & Alexandrum sexdecim annos natum ad stuprum defert, ut quando aliter non posset, pudicitiæ iactura filio ea dignitas pararetur, missitq; utriusque effigiem illi occulte spectandam, ut in alterutrius amorem traheret imperatorem omniū intemperatissimum, res sibi ex sententia conficeretur. Antonius Cleopatræ præsentiam ueritus, puella posthabita, Alexandrum per literas accersit. Herodes haud ignarus ad quid uxoris frater accerseretur, ad Antonium misit, qui ab eo precaretur, ne Alexādrum uelle domo ablegatum, quod sine populi motu fieri non posset. Ipse interea Ananelum sacerdotio priuat dignitate in puerum translata, qui uno uix anno interiecto, Herodis opera ut creditur, ad Hiericuntem quum meridianis horis lauaretur, fontibus uelut per lusum ab ijs qui unà lauabantur, sæpius immersus perijt, eoque extincto in pristinam Ananelus est dignitatem restitutus. Alexandra morte filij exacerbata, confestim intulisset sibi uim doloris impatiens, nisi se ad ultionem reseruasset. Ad Cleopatram igitur mittit, cui ob ueterem consuetudinē erat non ingrata, suam q; orbitatem per literas questa, eò precibus perpulit reginam ut ab Antonio contenderet, uti regnum Herodi abrogaret: quo contigit, ut non multo pòst sit ille Seleuciam ab Antonio accersitus, causam dictus de Alexandri interitu, qui ipsius fraude necatus diceretur. Herodes ad iudicium profecturus, Iosippo patruo suo defert regni procurationē secretoque illi præcipit, ut si ab Antonio ipse quippiam passus esset, confestim Mariamnem uxorem suam interimeret, ne Antonius qui eius forma captus crederetur, se extincto illius pudicitiæ insultaret. Manauit inde rumor Herodem ab Antonio occisum, quo nūtio consternata regia, populoque tumultuante, consilium capit Alexandra, ne in subito motu ciuitatis aliquid acerbe pateretur, cum Mariamne & Iosippo Romana castra quæ non procul Hierosolymis ad præsidium regni aberant, occulte adijt, futurum rata, ut per filiam Antonio charior facta regno potiretur. Et hoc tum Alexandræ fuit consilium, quum ab Herode literæ superuenerunt, acceptū se ab Antonio humanissime, abunde que illi à se satisfactum de parricidij calumnia, ac propediem se domū uenturum, honoribus etiam ab ipso imperatore auctū. Regis epistola publice recitata, omnis ciuitatis motus resedit, & Alexandra in regia se tenuit. Nec multis inde interiectis diebus rex affuit, qui quum de Alexandræ consilio resciuisset, nonnihil suspicatus est de Iosippi fide erga se, mox Mariamne medijs complexibus muliebriter questa quod Iosippo discedens mandasset, ut se interficeret si quid acerbius in se Antonius statuisset, ratus ille puellam à patruo adulteratam, qui id arcanum ei aperuisset, parū abfuit quin eam interfecerit, nec Iosippum ad conspectum suum uenire est amplius passus. Puellæ matrem custodiri iussit, uelut eius flagitij non ignaram. Atque his casibus Herodes uarie iactatus aliquantulum inde ab armis quieuit. Antonius interea in Parthos mouit, centum circiter & uiginti milia armatorum sub signis habens, in quibus erant ad triginta milia exterarum nationum. Apud Plutarchum pro triginta milibus (quod librariorum incuria haud dubie accidit) tercentum milia scripta reperio, deditque Artauades Armenius ad id bellū sexdecim milia equitum, & septem peditum. Cleopatra illum ad Euphratem usque persecuta, quum in Ægyptum reuerteretur, Hierosolymā flexit iter, fuitque ibi aliquandiu cum Herode, quem ad concubitum prouocasse creditur, dubium quia mulier libidinibus addicta esset, an ut Herodem in aliquod discrimen apud Antonium traheret. Constans opinio erat eam sæpius ab Antonio Iudęam & alias terras Ægypto finitimas petijsse, etsi ad id tempus non impetrasset. Habuit in animo Herodes eam interficere, ut monstrum Antonio & Asiæ regibus perniciosum, sed suorum monitu deterritus reginam multis muneribus donatam, ut pacatiorem in futurum haberet, in Ægyptum usque officij causa est comitatus. Antonij aduentum totus oriens expauit, ob inuicti exercitus famam, fuit tamen terrificus ille belli apparatus Antonio inutilis, qui amato rijs (ut fertur) medicaminibus Cleopatræ uictus, ut quàm primum ad reginæ oscula & complexus reuerteretur, bellum neque loco neque tempore satis idoneo inchoauit, quippe quem in Armenia hyemare, ut aiunt, oportuisset, ut miles octo milium ita diorum itinere fessus reficeretur, mox ineunte uere Mediam occupare, quorū neutrū est ab eo factum, sed præcipiti penè cursu Mediam ingressus Phraarta urbē subita est oppugnatione adortus, machinis bellicis quę trecentis curribus uehebantur, & in his aries octoginta pedum, post se relictis. Phraates audito Antonij accessu, & quod haud multo pòst bellica opera sequerentur, partem equitum mittit ad ea intercipienda, qui decem milia armatorum ad machinarum præsidium relicta, subito trucidarunt accessu, perpauci uiui uenerunt in hostium potestatem, & in his rex Polemo. Bellica opera uictor Barbarus igne corrupit. Turbauit ea clades haud mediocriter Antonium, secutaque mox altera recentior. Artauades Armenius qui capessendi belli autor fuerat, post mediocrem unam cladem acceptam, cuius mentio facta est, Antonium destituit. His successibus Phraates elatus in Romanorum conspectum uenit, quem ut ad iustam pugnam Antonius eliceret, cum tribus legionibus, & uniuerso equitatu frumentatum unius dieiitinere à castris processit. Affuit illi statim Barbarus, stetitque Medicus equitatus falcata specie instructus, mirarique interim defixo obtutu Romanos ordines, quum repente Antonianus eques accepto signo in hostes fecit impetum. Restitit Parthus nonnihil, cæterum ubi pedestris acies affuit, confestim in fugam auertitur,

Hierosolymæ Herodi cedunt

Asamoneorū finis.

Herodis fucus spicio.

Herodis & Cleopatræ congressus.

Alexandri interitus.

Parthicum bellum.

Parthorum uictoria.

Antonij uictoria.

titur. Sequitur fugientem uictor eques, distracta- A
que est fuga stadia circiter cētum & quinquaginta,
nec pro tāta trepidatione adeò multi cæsi sunt. Per-
suasum habuit Antonius eo die à se cum hoste de-
bellatum: uerum ubi octoginta nec amplius ex ho-
stibus interfectos accepit, multo difficilius genus
belli sensit sibi instare quàm animo concepisset. Po-
stridie in castra redeunti hostis denso agmine occur
rit, ad pugnamque prouocat. Antonius Barbaro æ-
gre à se repulso, sine aliquo maiore certamine redijt
ad suos, accideratque ut eo die subita hostium eru-
ptione ex oppido facta, stationarij milites fusi es-
sent, horum decimum quenque sorte eductum, An-
tonius capitali supplicio affecit, cæteros hordeo pa-
uit. Nec multi inde dies interceſſerunt, quum ob si-
dio adhuc teneret, fames sentiri cœpta est. Frigus
quoque non solum alijs, sed à Medis & Parthis ap-
petente hyeme timebatur. De pace itaq; agi cœptū,
repetitaque sunt ab Antonio Romana signa, sed nō
recepta. Cum Phraate fœdus est in hoc percussum,
ut Antonius inde tutus cū exercitu abiret. Mardus
quidā Parthus genere, sed explorate fidei apud An-
tonium, sese ducem obtulit, autorque fuit ne per pla
na & aperta duceretur exercitus, sed per mōtana po
tius loca, & ob id Parthico equitatui minus utilia, si
Phraates non retiſſet fœderibus. Et iam duorū die-
rum iter confecerant, quum circa flumen quoddam
Mardus abruptas recenti opere ripas intuitus, suspi
catus quod erat haud procul hostem abesse, Antoni
um monet, ut composito agmine incedat, imminere
ab hoste insidias, uixq; miles in ordines redierat,
cum Barbari à fronte & lateribus sese Romanis osse
rūt. Antonius funditores & leuis armaturæ milites
in hostes mittit, qui glande plumbea multitudineq;
telorum pene obruti terga uertunt. Nec ipsi interim
paucas inferunt plagas refugo sagittarum iactu, cō-
uersi deinceps retro, quum irrumpere in Romanū B
agmen conarentur, à Celtibero equite disiecti sunt.
Quatuor deinceps dies Antonius quadrato agmi-
ne incessit leui armatura dextra læuaque exercitum
claudente, & iam Barbari qui uestigio herebāt, om-
nem spem bene gerendæ rei propemodum abiece-
rant, quum Fuluius Gallus leui armatura, atque ali-
quot alis equitum ab Antonio impetratis, in hostē
ferocius inuectus, dum longius fugientē prosequi-
tur, à Barbaris circunuentus, totum exercitum in di
scrimē adduxit, dum alij atque alij turmatim, & nō
uno impetu suis laborantibus opem ferunt, per par
tes à uictoribus excepti in numerum trucidabātur.
Fuisset q; eo die exercitus deletus, nisi Antonius cū
tertia legione, facto in Barbaros impetu, uictoriam
ex illorum manibus extorsisset, sic quoq; cesa eo die
dicuntur ex Antonij exercitu ad tria milia hominū,
quinq; milia uulnerata. Circuire Antonius saucios
incredibili charitate, eorum dexteram prehensare,
hortarique ut bono animo essent, nulli se defuturū
polliceri. Illi contrà orare ut pergeret inde celeriter
abire, propriæque saluti consuleret, satis se feliciter
eo incolumi perituros. Nullus unquam imperator
tanta in aduersis rebus fiducia usus dicitur, tanta in
labore patientia, quantam Antonius in eo bello pre
se tulit. Parthi ea uictoria elati Romanis imminebant, uelut nocte illa fugituris. Et Phraates, qui prę
lio abfuerat, tanquam uictoria in manibus esset, eò
ferociter occurrit. Erāt illi. xl. milia equitum & non
quadringenta, ut apud Plutarchum legere est, libra-
riorum ut sæpe testatus sum, incuria. Antonius suos
pro concione hortatus, postridie quadrato agmine
mouet castra. Ibi hostes uarie agmen adorti, quum
undique ui multa pellerentur, uiderentque suos co
natus in cassum euadere, iterum spem omnem ui-
ctoriæ deponunt. Ventum inde est ad decliuia quæ
dam locorum, ubi ne legionarij in descensu hostium
telis fierent obnoxij, altero poplite inflexo, scuta in

Milites hordeo pascuntur

Repelluntur Parthi ab Antonio.

Rom. cædes.

Antonij constantia in aduersis.

aduersos Barbaros obijciunt inuicemque se tegen-
tes primi secundos, secundi tertios scutorum obie-
ctu protegunt, imitabaturque ordo ille clypeorum
immensi cuiusdam tecti speciem, qua Romanorum
arte animaduersa Parthi ira perciti, posito arcu ha-
stas corripiunt, impetuque in aduersam aciem fe-
runtur. Tum Romanus in pedem sublatus, uelut ex
insidijs coortus, tela in hostem conijcit, ferrumque
cominus uibrat, ad quem subitarium congressum
Parthi cum insigni cæde retrò fusi fugatique sunt, *Funduntur Parthi.*
tenuitque plures dies is pugnandi tenor, & iam ob
tardum incessum fames ingens exercitus inuaserat.
Miles frumenti omnisq; commeatus inopia ad her-
barum radices effodiendas conuersus, inde sibi ui-
ctum quæritabat, sed notioribus herbis consum-
ptis, ad ignotas & suspectas necessitas illum ade-
git. Repertum est genus herbæ, quæ per insaniam *Genus herbæ mirandum.*
ad mortem adducebat: quicunque eam cibo atti-
gerat, subita rerum omnium obliuione captus, ne-
minem agnoscebat, uni tantum operi intentus e-
rat, ut lapides effoderet, effossos uelut magnū quod-
dam instaret negocium, studio uersaret. Erant igi-
tur plena omnia effodientium lapides, effossos mo-
lientium, qui quum paulopòst bilem euomuissent,
mors improuisa sequebatur. Instabant nihilo secius
Parthi. Cæterum uiliores indies fiebant, cædeban-
turque sæpius à Romanis. Audita est uox Anto-
nij in tam laborioso recessu, clamantis: ô decem mi-
lia illa quæ cum Xenophonte Crassana clade Ba-
bylonem peruenerūt, mirantis quonam modo per
tam longa terræ spatia euadere potuissent. Et quia
aperta uis parum Barbaris procedebat, nouas ma-
chinantur insidias retentis arcubus, pacis studium
assimulant, multique fidem illis habere, quod plu-
res dies innoxij castra secuti essent, & ipse imper-
tor de exercitu in planitiem deducendo cogitabat,
ne per ardua amplius duceret, quum Parthorum
unus (fuit huic Mithridati nomen) Monesis cuius-
dam nepos, cui Antonius aliquot urbes dono de-
derat, occulte ad Romana castra uenit. Is scisci-
tus ab eo quem Antonius miserat, an cerneret mon
tem procul apparentem, quum cernere se ille dixis-
set, ibi (inquit) omnis Parthorum sedet equitatus, *Tempestiuum indicium.*
ut uos planitiem egressos prælio excipiat, proinde
cauēat imperator ne montium ardua deserat, nisi
hæc loca, ut Crassius nuper, Romana uelit clade in-
signire. Antonius repetito itinere, quia per arida u-
nius diei ductandus erat exercitus, milites monet,
ut aquas galeis & utribus secum deferant. Parthi
ubi montanum iter à Romanis repetitum sensere,
relicta insidiarum latebra noctu præter morem gen
tis cursu ad hostem deferuntur, primaque luce ex-
tremum agmen assecuti, Romanos qui & ipsi tota
nocte iter fecerant, ut procul ab hoste discede-
rent, peruigilio & labore confectos, magno impetu
adoriuntur, pugnaque tumultuose iniecta, abeun-
tes remorari conantur, illi iniuriam contenti à se
propulsare, iter nihilominus faciunt. Et iam uen-
tum erat ad flumen falsæ & pestilentis aquæ, geli- *Instat Parthus Rom. agmini.*
dæ tamen & perspicuæ. Admonet Mardus, qui dux
erat itineris, ut circa ripam disponerentur, qui mi-
litem à potu arcerent, nisi continuo extingui uel-
lent, tolerarentque adhuc paululum sitim, dum ad
propinquum flumen ueniretur, quod haud procul
inde flueret, cuius aqua dulcis erat & salubris. Mul-
ti urgente siti in haustum procubuere, acuix aqua
in stomachum recepta, intestinorum doloribus cor
repti, mox paulò extincti sunt, quieuit tamen hic
paululum exercitus. Interim Mithridates ille Par-
thus iterum castris dissimulanter insinuatus, per in-
terpretē monet Antoniū ut pergat proculire, ac flu-
uiū qui iā ꝓpinquus esset superare, illuc usq; suos
populares progredi cōstituisse, nec ultra ꝓcesuros.
Obtulit Romanus indici magnum auri pondus, sed
ille

ille tantum sibi desumpsit, quantum sub ueste oc- A
cultari potuit. Sub noctem inde mota sunt castra,
tumultuq; obiter exorto, militum culpa, qui noctis
Trepidatio nocturna. umbra freti in suos prædę cupiditate grassari cœpe-
rant, tantūm in toto agmine est trepidatum, quantū
per eos dies nūquam aliàs. Credere Antonius suos
ab hoste circunuentos eaq; nocte sibi cum toto exer
citu cadendum. Desperatis itaq; rebus libertum iu-
reiurādo adegit, ut quādocunq; iussus esset, sibi pe-
ctus hauriret ferro, iacentiq; caput adimeret ne ho-
stibus ut Crassus ludibrio esset. Conabatur nihilo-
minus cōfusum militem in ordines redigere, quum
ei nuntiatur, paucorum temeritate turbari agmen,
qui auri cupiditate in impedimenta quędam impe-
tū fecissent. Sub lucē hostis tumultuose affuit, cui le
ui armatura & equitibus obiectis nō solum restitit
Antonius, sed egregie etiam à se repulit. Tum demū
illi retentis arcubus, tutos abire iubent, laudantq; si
mul Romanorum robur & constantiā, fuitq; id no-
uissimū Antonio certamen cum Parthis, quos duo
Sæpe Antonius Parthos superauit. deuiginti prælijs uicerat. Senis deinceps castris ab
hoc flumine ad Araxem uentum est, quo superato
Romanus in Armeniā transiuit. Ibi uero omnia pa-
catiora fuere, clementius cœlum, aura lenior, terræ
feracitas, quo successu lætati milites se inuicem præ
nimio gaudio cōplecti, mutuoq; osculari, uelut fœ-
da tempestate in alto iactati incolumes portum te-
nuissent. Multi tamen morbo inedia contracto ab-
sumpti sunt. Sensit Antonius in recēsendo exercitu
xx. milia peditum eo bello amissa & quatuor equi-
tum, quorum præcipuam partem morbus & fames
cōsumpsisset. A Phraartis igitur urbe in Armeniam
septem & uiginti dierum spatio traductus est exer-
Antonius Armeniæ regem capit. citus, Antonius Artauadem Armeniæ regem à quo
fuerat ab initio belli destitutus, multis pollicitatio-
nibus allectum in suam potestatem redegit, redactū
in triumphum duxit. Cæterum dum per niuosa lo- B
ca, mediaq; hyeme, cum exercitu ad Cleopatram ire
contendit, super Parthica clades ad octo milia mi-
litum amisit. Interim uero dum sic in Media est cū
Parthis bellatum, Octauius Siculum bellum ad e-
xitum perduxit. Primum omni classi, quam in Se-
xtum summa ope instruxerat, M. Agrippam Calui-
sij loco præfecit: naues inde & exercitum in procin
ctu stantem patrio more lustrauit, ut aræ circa littus
starent, quæ undis alluebantur. Multitudo omnis
Nauium lustratio. circumfusa silentio affuit, sacerdotes inde naui con
sidentes sacra peragunt, terque exercitum circum-
uecti sunt purgamina deferentes, ducibus unà ad-
natigantibus, postremo his diuisis partem unam in
fluctus porriciūt, alteram altaribus imposiram ado-
lent. Estque id purificationis genus adhibitum, ut
arbitror, ob sæua maris naufragia, quæ unum post
alterum fuerat Octauius eodē bello expertus, quas
clades adeò iniquo animo tulit, ut Neptuni ferculum Circensi pompæ detraxerit. Ex Puteolis classis
profecta in Siciliam cursum tenuit. Pompeius circa
Lilybæum Lepido, qui ex Aphrica accersebatur,
Plinium oppositum, reliquam insulæ oram præsidijs
uarie firmauit, ualidissimus nauium apparatus ad
Auxiliaris classis. Messanam constitit. Lepidus sub id tempus cum
mille onerarijs nauibus, octoginta longis comita-
tus ex Libya ad id bellum profectus est, ut collegæ
auxilio esset. Erant illi duodecim legiones, & cum
his rerum omniū apparatus ingens affuit, nec mul-
to pòst & Taurus cum duabus & triginta supra cen
tum nauibus, quas Antonius ex fœdere ad bellum
Octauio dabat. Is Tarento digressus, ut cum Octa-
uio se iungeret, aduersa tempestate est eodem reue-
ctus, & Lepidus uehementissimo austri flatu, ali-
quot nauibus amissis, Lilybæum tenuit. Eadem ui
Octauij naufragium. uentorum Octauius duas & triginta grandiores na
ues, & cum his liburnicas quasdam circa Siciliam
amisit, distulissetque recenti clade perculsus bellum

in sequentem annum, nisi populus fame adactus,
eum compulisset ad classem continuo reparandam.
His Octauij cladibus elatus hostis, pro purpureo
cæruleum Neptuni more, paludamentum induit,
qui postquam omnium opinione celerius classem
sensit ab Octauio reparatam, collapsus animo cum
inuicto hoste sibi rem esse fassus est. Misit itaq; Me-
nodorum cum septem nauibus ad explorandum,
cum quanto nauium numero, & quando in se esset
ille moturus. Transfugerat Menodorus ab Octa-
uio ad Pompeium, posteaquam uidit sibi Caluisium
in præfectura classis prælatum, ac tum quoque à
Pompeio missus ad præsentiendos hostiū motus,
iterum ab hoc ad Octauium se contulit, quem sup-
plicem ad se receptum pro uili transfuga iussit ille
custodiri, simulque Messalam cum duabus legioni-
bus in Siciliam misit, qui ad Tauromynium castra fa
ceret: ipse ex Hipponio cum reliqua classe ad Stron
gilem uenit. Totum Siciliæ littus inter Tyndaridē
& Mylas Pompeianis tenebatur armis. Octauius ra
tus ibi Pompeium esse, dat Agrippæ negocium eò
cum parte copiarum transfretandi, & ut hostē prę-
lio lacessat edicit, ipse ex Strongile Hipponium re-
uersus, cum tribus legionibus ad Tauri classem pro
ficiscitur, eratque cum eo Messala, qui nondum in Si
ciliam transmiserat. Agrippa interim ex Strongile
Hieram intercipit, Pompeij præsidio inde iecto.
Breuissimus hinc ad Mylas procursus, ad quas oc-
cupandas erat Agrippa prima occasione occursu-
rus, quum Apollophanes huc uenit à Pompeio mis
sus cum haud paruo nauium numero, nec ipse mul-
to pòst cum octoginta nauibus est priorem classem
secutus. Erat & Demochares in his locis cum qua- *Pompeianorū nauium numerus.*
draginta nauium classe, adeò ut quinq; & sexaginta
supra centum naues acie dimicaturæ essent. Nec A-
grippa hostium congressum detrectauit. Erat utrin-
que splendidissimus nauium apparatus, turribus à
prora & puppi prominentibus, concursumque est
ab utraque parte intrepide. Erant Pompeio agilio-
res naues, & tiri rei maritimæ longa consuetudine
assueti. Contrà grauiores Agrippæ, & ob id confer- *Agrippa nauali pugna Pompeium superat*
ta pugna multò firmiores: quo contigit, ut ex ad-
uerso concurrentium impulsu Pompeianarum cō-
plures corruptæ sint. Eratque Agrippa haud dubie
superior, quum Pompeius suis signum dedit rece-
ptui. Persecutus est Agrippa abeuntes, egissetque
naues in breuia & scopulos, sequendi studio, nisi à
suis fuisset admonitus, ne temerario procursu fœ-
daret uictoriam. Inhibuit itaque dux impetum,
retroque ad Strongilem abijt, triginta nauibus ex
hostium classe aut captis, aut mari depressis. Sub
id tempus Octauius cum parte exercitus ex Leu-
copetra (est id extremum Italiæ promontorium)
in insulam transmisit, Tauromynioque excluſus ul-
tra Oenobolam fluuium classem appulit, metaba-
turque in his locis castra, quum Pompeius ex im-
prouiso affuit, affecissetque hostem subita re percul
sum clade aliqua insigni, nisi Pompeius, terrestri-
um bellorum ignarus, pugna abstinuisset, ueritus
ne in noctem dimicare cogeretur. Concesit itaque
in Phœnicem urbem. Erant cum Octauio tres le-
giones, & quingenti equites, læuis armaturæ cir-
citer mille, ex auxiliaribus bis totidem numero.
His Cornificio datis, ut bellum cum hoste gereret,
ipse priusquam illucesceret, naues reperit, in alto si
copia fieret dimicaturus. Trāquillus autor est, eum
non pugnandi consilio naues repetisse, sed ut ex cō-
tinenti alias copias repereret. Appianus bis uno die
concursum scribit, prælium q; in noctem distractū,
postremo incensis captisq; Octauij nauibus, totam
classem ab hoste profligatam, ipse Octauius, uno *Octauij discrimen.*
duntaxat armigero comitatus, occulte ad Messa-
lam penetrauit. Tranquillus rursus à Democha-
are & Apollophane superatum, atque nauigio uno

ægerri-

ægerrime ſeruatum, qui quum pręter Locros pedibus peteret Rhegium, à Pompeianis circa littus pene exceptus ſit, & mox cum in deuios tramites refugiſſet, ab Æmylij Pauli ſeruo, qui unicus illi herebat comes, in heri ſui à triumuiris proſcripti ultionem eſt propemodum interfectus: ubi igitur in caſtra uenit, ad Agrippam & alios prætores ſcribit, ut Cornificio opem ferrent, qui in inſula cum tribus eſſet legionibus intercluſus: mouit aduerſæ pugnæ nuntius ſtatum ciuitatis, ut quidam etiã ad res nouas conſurgere auſi ſint, quorũ pleriq; extremo ſunt ſupplicio à Mecœnate affecti, qui ad hoc ipſum fuerat ab Octauio ad urbem miſſus, ut eum motum cõprimeret. Cornificius cõmeatus inopia compulſus, quia aſsidentem hoſtem ad pugnam elicere non potuit, motis ſignis quartis caſtris in eam terrã uenit, *Riuus ignis.* quam riuum ignis uocant Siculi. Percurrunt eam oram locorum accolæ noctu, ob ſuffocationis exhalationem, cineremq; pulueri permixtum. Exercitus his locis ægerrime traductus in tris legiones ab Agrippa Latonij ductu miſſas incidit. Iunguntutrinque copiæ, ubi pleriq; militum ex proximis fontibus temere aquati, aquis in ſtomachum receptis, cõfeſtim extincti ſunt. Inde ad Agrippã exercitus peruenit, qui iam Tyndaridem occupauerat. Octauius iterum in Siciliã trãsgreſſus cum Lepido circa Meſſanam caſtra contulit, Tauroq; Antonianarum nauium præfecto mandat, ut Pompeio circunquaque maritimos commeatus intercludat, quod negociũ ille nauiter executus hoſtem breui ad tãtam rerum omnium inopiam redegit, ut de ſumma rei certare, haud multo pòſt ſit coactus. Miſit itaque Pompeius *Pompeij poſtulatum.* qui Octauio diceret paratum eſſe ſe in unius pugnę euẽtum totius belli fortunam conijcere, ſi ſecũ pari nauium numero dimicare conſtituat. Octauius, etſi à maritimo prælio abhorrebat, ad declinandam tamen infamiam accepit conditionẽ. Comparãt itaq; inter ſe, ut trecentis utrinq; nauibus in pugnam prodirent. Tum uero multa ad uſum pugnæ hincinde excogitata, turres, propugnacula, & quæ harpagæ appellantur, ſunt ab Agrippa inuentæ. Erant hę naues falcibus inſtructæ. Vbi itaque pugnę dies affuit, claſſes ex diuerſo progreſſæ, inter ſe magno cũ ſtrepitu & clamore concurrũt, quo tempore Octauius, arctiſsimo preſſus ſomno, uix ut ſignum daret à ſuis excitari potuit, quod eſt poſtea illi ab Antonio exprobratum, uelut inſtructam hoſtiũ aciem rectis ſpectare oculis nequiuiſſet, ſed ſupremũ cœlum intuitus iterum decubuiſſet. Strepitus itaq; & clamor ab *Naualis pugna* initio omnia confuderunt, utriſq; eadem uox erat, eadem ferè nauium forma, idem apparatus, redundabat mare telis, naufragijs, cadaueribus, uarij hinc inde aſſultus, uarij certaminis conatus. Stabãt in lit tore terreſtres copiæ de euentu pugnæ ſolicitæ nutu & clamoribus ſuis fauentes, & iam in longũ proceſſerat id certamen, quum Agrippa pleraſq; Pompeianarum nauium defeciſſe intuitus, ſuos ad uictoriam hortatus, ſummaq́ue ui connixus hoſtem in fugam uertit, ſeptendecim quę fugam præoccuparãt in pelagus celeri curſu deferuntur. Cæterę ad unam ab Agrippa intercluſę, aut captę, aut incenſę, aut depreſſæ ſunt. Põpeius preſenti clade perculſus Meſſanam trepide confugit, terreſtris exercitus oblitus, qui ſecundum eam pugnam in Octauij fidem conceſsit. Tres Octauij naues ſuppreſſæ perierunt, hoſtium octo &. xx. cæteræ aut captæ ſunt, aut incenſę. Pompeius audita terreſtrium deditione, non expectato Plinio, qui cum octo legionibus in horã ex Lilybæo expectabatur, cum decem & ſeptem nauibus, quæ prælio exceſſerant, atq; ijs rebus quas ſecũ *Pompeius Siciliam deſerit.* aſportare potuit, ex Sicilia profectus in Aſiam direxit curſum, pacatiorem ſibi Antonium ratus ob Iuliam matrem à ſe olim ſeruatam. Plinius cum legionibus Meſſanam ingreſſus, copias, quas ſecum adduxerat, Lepido tradidit, qui cum Agrippa eò exercitũ admouerat, diripuitq; ille per noctem urbem prędaopulentam. Factus per hæc duarum &. xx. legionũ imperator ad totam Siciliam occupãdam animum adiecit. Miſit & præſidia circa urbes, quas ipſe receperat, quibus imperauit, ut ſi qui ab Octauio ad ſe uenirent mœnibus excluderent. Queſtus eſt primo per amicos Octauius Lepidi iniuriã, mox in colloquium cum eo uenit, ibi palã eum criminari, quod ſocius ad bellum accerſitus ſibi Siciliam uindicaret. Ille Antonium & Octauiũ accuſare, quod inſidi ſocij ſe recenti fœdere excluſiſſent, tanquã omnia habituri. Minacibus inde uerbis ſeſe inceſſentes diuerſi abierunt. Senſit inde Octauius ſtudia eorum, qui cum Lepido erant, multo in ſe eſſe quàm in illũ propenſiora, paucorumq; animos occulte periclitatus, ad illius caſtra cum toto exercitu acceſsit, quo extra uallum relicto, ipſe quum primum munitiones eſt ingreſſus, & in conſpectum militum uenit, imperator ſalutatur, tranſieruntq; primi omnium ad eum, qui ſub Pompeio militauerant, ſpem ueniæ ſecuti, & quod ab exilio in Italiam ſibi reditus cõficeretur. Alijs inde atq; alijs aperte deficientibus, iã nihil obſcure Lepidi fortuna inclinabat, quũ de ea re factus certior tumultuoſe arma induit, magnaq; ſuorũ manu in Octauium impetum fecit, iniectoq; certamine equitatus qui ſtabat extra uallũ continuo affuit, Lepidusq; cum ſuis fugatus paululum receſsit, nec multo pòſt ab omnibus fere deſtitutus, mutato habitu, ad Octauiũ ſupplex uenit, cui ille uenięti aſſurrexit, uolentemq; ad gentia procumbere prohibuit, *Octauius Lepidum in ordinẽ redigit.* miſit tamẽ eum ita ut erat priuato habitu Romam, tantum pontificia dignitate illi conceſſa, quam poſt Cæſarem dictatorem obtinuerat, nec quum poſtea populus eam à Lepido in eum transferret, uiuo adimere ſuſtinuit, prętititq; illum perpetuo incolumẽ, B etſi multi ad illius cædem hortarentur. Et Octauius per hęc ciuiles diſcordias ſiniuiſſe uideri potuit, quũ duodetriginta eſſet natus annos: eius ſucceſſum & felicitatem multæ urbes ſecutæ in ſuorum deorum numero habere cœperunt: ipſe Romã reuerſus, omnes epiſtolas quæ ſuſpicionis aliquid continerẽt, ad obliterandam omnium offenſarum memoriam publicè concremauit, prefatus rempub. reſtituere conſtituiſſe, quum primum Antonius ex Parthico eſſet bello reuerſus, confidere ſe futurum, ut ille ſecum libẽs eſſet principatũ depoſiturus, poſtquam ciuiles diſcordiæ ſopitæ eſſent. Miſit & ad Antonium eadẽ de cauſa nuntium, ut maiorẽ faceret fidem. Ob hæc illi populus tribunatum detulit in perpetuũ. Pompeius fuga dilapſus ad Lacinium promontoriũ applicuit, ibiq; Iunonis templo donarijs expilato, in Aſiam flexit curſum, Mitylenasq; delatus ibi aliquã diu deſedit, Antonium ex Parthico bello eo cõſilio opperiens, ut ſeſe uenienti illi dederet. Interim uani rumores diſsipantur, Antoniũ cum ſuo exercitu perijſſe, qua fama ille ad ſpem Aſiæ occupandę animũ adiecit, miſsis in Thraciam nũtijs, & in Armeniam, *Pompeij in Aſia conatus.* qui ad res nouas reges concitarent. Miſit poſtremo & ad Parthos operam ſuam eis pollicitus, ſi ab Antonio qui iam redire dicebatur, in amicitiam nõ reciperetur. Et Antonius ſub id tempus Alexandriam reuerſus eſt, ad quem ille cõfeſtim legatos miſit, qui uerbis ſe amicum uenisse dicerent: re autem ut circa Antonium omnia explorarent, apud quem legatorum unus ita uerba fecit. Sextus Magni Pompeij filius nos ad te mittit Antoni imperator clariſsime, *Oratio legatorum Pompeij ad Antonium.* qui ſi bellum tuæ amicitiæ prætuliſſet, prouinciam paratiſsimam habuit Hiſpaniam, quam breui curſu ex Sicilia tenuiſſet, ubi quũ propter paternam memoriam, tum quia admodum adoleſcens eam terrã cum fratre defendiſſet, magnus illi eſt quæſitus fauor, magna ciuitatum & populorum gratia, adeò ut non ſolum per literas & nuntios, ſed per legatos in eam pro-

eam prouinciam accerſeretur. Nunc quia pacem opA tat, tecũ in ocio quàm cum alio mauult uiuere, ſub tua unius umbra & præſidio quieturus, uel ſi adhuc bellandum ſit, tuo ductu & auſpicijs militabit: fuitq́ue id conſilium illi quum Siciliam adhuc teneret, floreretq; eius res terra ac mari, quod quum ex multis alijs ſignis potuit intelligi, tum quòd de ſalute matris tuæ tam ſolicitus fuiſſet. Quum igitur iam antea in te hoc eſſet animo: nos ad te ex Parthico bello reuerſum ſubito uenire uoluit, primo ut tibi congratulemur, quòd Barbaris paucorum dierum ſpacio toties fuſis, incolumis Alexandriam ueneris, indeut abs te ſuppliciter peteremus, uti eum in tua reciperes amicitiam, in quã receptus ne Sicilia quidem pulſus ſibi uidebitur, nec quòd aduerſus ſe naues Octauio ad bellum miſeris, tam ſibi nocendi ſtudio miſſas arbitrabitur, quàm ut ille permitteret te delectum in Italia habere, ſine quo uictoriam conſequi nequiuiſſes. Nunc unum eſt quod pro ſuo in te ſtudio & obſeruantia te per nos monitum uoluit, ut quando florentiſsimis copijs præditus Italiam tibi uendicare neglexeris, nunc diligentius conſideres, ne Octauij inſidijs circunuetus, ut affinitatis neceſsitudine irretitus ab illo capiaris, fortunam ſuam omnibus documento eſſe, quantum ſit illius ingenio credẽdum: quippe qui præter fœdera nulla iniuria laceſsitus, ſibi arctiſsima affinitate coniuncto bellum ex improuiſo intulerit, expulerit́que ex ea prouincia, quam ſibi olim ſenatus decreuiſſet, ipſíque poſtea iure fœderis aſcripſiſſet: pari perfidia Lepidum imperatorem clariſsimum, in bello ſocium, in triumuiratu collegam, copijs ab eo ſpoliatum, ac dignitate deiectum, & ne plura dicantur te unum ſu pereſſe ait, qui illi obſtes, quo minus monarchia diu concupita potiatur, quod quum ità ſit haud cuiquã dubium quin Pompeio è medio ſublato continuo ſit tecum armis diſceptaturus, quod profecto multo antea te proſpicere oporteat, ne quando ille te aperto petierit bello (nam cauſam quum libitum fuerit facile reperiet) ad id imparatũ habearis, ad quod inſtruendum atque ex parte adminiſtrandum offert ſe tibi Pompeius, quem ob egregium in te ſtudium, exploratamq́ue fidem Octauio præferre poſsis, cui neque fœderã, neque ulla humana iura obſtant, quo minus fraude & dolo malo ſibi orbis imperiũ quæreret. Exercitũ præterea naues quas habet Põpeius, etſi ad hunc diem non tibi tradidit, ut in tua tamen poteſtate eſſent ab initio decreuit, aderitq́ue ſtatim ipſe accerſitus, ſeipſum, omniaq; ſua tuæ fidei commiſſurus. Quod ſi pacem mediteris, haud in poſtre- *Peroratio.* ma laude tibi ponas, te magni Pompeij filium ſeruaſſe: ſi bellum, nihil indigne facturus ſis, ſi in omnem contentionis euentum, tibi ſocium eum & cõſortem aſcieueris. Quum hæc illi dixiſſent, Antonius ſe Titio mandaſſe reſpondit, ut ad Pompeium cum exercitu iret, eumq́ue bello perſequeretur, ſi nouarum rerum cupidum cognoſceret: ſi ſuæ fidei ſe credidiſſet honorifice ad ſe duceret, haud dubium quin ſi ea ſentiret, quæ ipſius nomine legati nuntiarent, ultrò ad ſe ueniret. Erantq́ue adhuc legati apud Antonium, quum qui à Pompeio ad Parthos mittebãtur, ab illius ducibus intercepti, ad imperatoris conſpectum perducuntur, ex quibus cum ea quæ parabãtur Antonius cognouiſſet, eos legatis obtulit, qui animo turbati, nunc Pompeij ætatem quan quam iã robuſtã excuſantes, nunc quòd tot cladibus circunuento parum ſua conſtarent conſilia, ſed breui futurum, ut Antonius experiretur Pompeium eum eſſe quem ipſi prædicarent, facile obtinuerunt, ut ille homo ſimplici ingenio ſit eis aſſenſus. Põpeius inter- *Pompeij ſucceſſus.* ea ad Furnium Aſiæ præfectum, cum exercitu ſe cõtulit, cui quum inſidias paraſſet, ubi id conſilium nõ proceſsit, ab eo digreſſus Lãpſacũ occupat: & iã illi cc. equites, aderãt & tres peditum legiones, cum his Cyzicum oppugnare adortus Furnium ſubſidio Cyzicenis uenientem prælio ſuperat, quo ſucceſſu magnus undiq; factus eſt ad illum concurſus: mox Nicea & Nicomedia captis, quum exercitu & pecunijs auctus non immerito formidabilis eſſet, Titius qui cum ualida claſſe ab Antonio uenit, audaciſsimos illius conatus primus fregit: cuius acceſſu territ⁹ ſuas Pompeius uaues incendit. Tũ uero omnes illuſtres uiri qui cum eo erant, Caſsius Parmenſis, Thermus, Antiſtius, Fannius, & Libo Pompeij ſocer Titij hortatu ad Antonium tranſiuere, quorum defectione *Extremi Pompeij conatus.* perculſus ille in Bithyniæ mediterranea cõceſsit, in Armeniam penetraturus. Eum Titius & Amyntas Antonij duces ternis caſtris aſſecuti, quum in tumulo quodam obſediſſent, tribus ſcutatorum milibus noctu in hoſtem immiſsis, ea parte qua irruptio facta eſt Antonianos fuſos cum multa cæde repulit, fuiſſetque fortaſsis uictoriam adeptus, ſi nocturna clade perculſis inſtitiſſet. Retrò inde conuerſus, quũ equitatus inopia frumentatione prohiberetur, collapſus animo Furnio ſeſe tradere uoluit, eóque non recipiente uoluit & Amyntæ, à quo item reiectus, noctu cũ paucis iter ad mare contendit, ut Titij claſſem incẽderet, ſed à Scauro proditus, qui maturè id conſilium ad hoſtes detulit, ab Amyntæ equitatu oppreſſus eſt. Titius Pompeij exercitu in fidem recepto ducem ipſum, qui uiuus uenerat in manus hoſtium, Mileti interfecit, quum iam quadraginta na- *Pompeij cædes* tus eſſet annos. Dubium Antonio id iubente, an ira & odio ille adactus: quòd Furnio & Amyntæ potius quàm ſibi ſe credere maluiſſet. Fuerunt qui Antonio inſcio id Plancum Syriæ præfectum mãdaſſe exiſtiment. Sed cuiuſcunq; iuſſu ille interfectus eſt, ita demum accidit, ut tres Pompeij pater & duo fi- *Trium Pompeiorum ſepulchra.* lij, diuerſis mundi regionibus ſepulti ſint. Pater in Ægypto quæ ad Libyam attinet, ubi Ptolemæi iuſſu perijt. Natorum maior in Hiſpania quæ Europæ extrema terra eſt: Sextus in Aſia, in quorum buſtis terrarum diuerſitate diſtinguendis, non magis uarie fortuna operata eſt, quàm breuiter & lepide urbaniſsimus poëta carminibus expreſsit. Et hæc in Aſia per id tempus geſta referuntur. Octauius Siculo bello defunctus, ad Antonij fortunam quæ adhuc integra erat oculos deflexit. Octauiǽque ſorori autor fuit, ut ad illum nauigaret: haud ignarus fore, ut ea ob Cleopatræ amorem, à uiro repulſa, ſatis iuſta ſibi cauſa eſſet ad arma in Antonium induenda. Id conſilium, & quæ in Lepidum & Sextum Pompeium contra fœdera perpetrauit, manifeſte ar- *Octauius fœderum uiolator.* guunt parum ſancte neceſsitudines & fœdera Octauium coluiſſe. Octauia fraterni conſilij ignara Athenas cum magno apparatu nauigauit, ueſtem multam & grandem pecuniam in Antonij gratiam militibus datura, & cum his duo milia militum, quos illi ad uſum belli daret. Antonius ad eam ſcripſit, ut ſe Athenis expectaret, dum ex Medico bello reuerteretur: etenim non multo poſt priorem illam in Parthos & Medos expeditionem, orta inter Barbaros diſcordia, Medorum rex à Pacoro alienatus, ad Antonium legatos miſerat, qui eum ſuo nomine hortarentur, ad Parthos bello repetendos, pollicerenturq́ue ad hoc ipſum omnes Medici regni fines, quæ res ſola Antonio ad uictoriam priore bello defuiſſet. Conuerterat ob hæc iterum Antonius animum ad bellum Parthicum, & iam ſtudio copias ornare cœperat: ſed Cleopatræ lachrymæ eum propo- *Cleopatræ ſiſtus amor.* ſito auerterunt, quæ illius deſiderium negabat ſe iterum laturam. Hæc Reginæ ſtudioſi prædicabant, Antoniumq; inhumanum dicere, quòd reginarum nobiliſsimam ipſius amore flagrantem ſua duritia & obſtinatione perditum iret, quibus amicorum aſſentationibus perniciоſiſq́ue Cleopatræ illecebris captus, bellum in aliud tẽpus diſtulit. Sed illa Cleopatræ ſolicitudo non amoris, ſed metus erat, ne à ſe

Antonius ad Octauiam fratris potentia florentem animum conuerteret, quo nihil minus sibi suoque regno tutum arbitrabatur. Tanquã igitur non multo pòst ad id bellum exiturus Antonius cum Medo amicitiam firmauit, desponsa illius filia puero ex se & Cleopatra genito. Octauius interea Delmatis bellum intulit, cuius inferendi causa fuit illi propemodum hæreditaria. Enimuero ciuili bello, quod Caius Cæsar qui postea dictator fuit, cum Pompeio gesit, quum Gabinius per eorũ terram cum xv. cohortibus, & mille equitibus ad Cæsarem qui in Macedonia erat, penetraret, Delmatæ ueriti ne sibi uis illa armorũ intenderetur, quod Gallici belli tempore exercitum, quem Liburnis Cæsar auxilio miserat, fœde trucidassent: Gabinium ex improuiso adorti, præter ipsum ducem, qui cum paucis est fuga dilapsus, cæteros ad unum peremere. Distulit hanc ultionem Cæsar maioribus occupatus, uerum sub id tempus quo domestica est coniuratione oppressus, quum in Parthos & Dacas bellũ instrueret, nouus Delmatas metus cepit, ne ipsi in transcursu opprimerentur, legatosque Romam miserũt ab eo ueniam precaturi, quique omne Delmaticum nomen dederent. Cæsar etsi legatis parum pacate respõdit, conditione tamen eorum deditionẽ recepit, ut præsidio accepto certum sibi tributum penderent, estq; in eam prouinciam missus Anitius cum tribus legionibus, ualidoque equitatu, cui Delmatæ posteaquam de Cæsaris interitu sunt certiores facti, primo parere recusarunt, mox illum Po. Ro. maiestatem armis uindicare adortum, bello uictum Delmatiæ finibus eijciunt. Anitius prouincia eiectus Epidamni tãdiu cum exercitu fuit, quoad ea prouincia M. Bruto senatus autoritate cesserit, quam is quoque Philippensi bello extinctus obire non potuit. Ne igitur huiusmodi offensas gens una à Po. Ro. inultas ferret, Delmatę sunt à Ro. principe bello petiti. Multi quidẽ Illyrici nominis populi metu adacti sub ipsum Octauij accessum in Romanorum fidem concessere, in quibus fuere Artoxyei, Perthenetæ, Taulantij, Cãbei, Canambri, Metromeni, atque Pyrrheij: nam Docleatæ, Carni, Narisij, & Taurisci aliquanto laboriosius sunt subacti, quibus uictis Hippasini & Besi ultro in deditionem uenere. Melitini & Corcyrei, qui insulas tenebant, ingenti sunt bello superati, pueres ad unum cæsi, cætera multitudo sub corona uenijt: Liburnis inde naues ademptę, quib⁹ maria infestabant. Mentini & Edeatæ Iapidum populi ultro in fidem concesserunt. Auropini qui & ipsi Iapides sunt, relicta urbe in syluas cum imbelli multitudine abierunt. Nec Octauius eorum urbem incendi passus est, futurum ratus ut illi postea in fidem uenirẽt, & cum his haud quidem multum negotij fuit: laboriosius inde cum Salassis & Iapidibus qui ultra alpes incolunt bellari contigit, cum Segestanis, Delmatis, Darisijs, Pæonibus que, qui Salassis se belli socios obtulerũt. Fuerunt Pęones à Gręcis dicti, quos postea Ro. Pannonas dixere, estque eorum terra duplex, una Iapidię propinqua, altera ad Istrum exposita, quæ inferior Pannonia nominatur. Pæones & ipsi inter Illyrios censebantur, gens quum ab initio ferox, tum hodie maxime bellicosa. Tenebãt Salassi alpium uertices, montesq; propemodum inaccessos, arcta & difficilis ad eos semita ducebat, fuerãtq; toto biennio aliquanto antea Romanis armis obsessi, atque salis inopia ad deditionem compulsi. Cęterum præsidio eiecto, quum aperte defecissent, Octauij legatos ad se missos insolẽter irrisere. Nec Octauius est eos ui ad imperiũ retrahere conatus, qui iam maius bellum cum Antonio instaret. Permisit igitur ut suis legibus uiuerent. Cæterum illi dilationem eam belli non iniurię obliuionem rati, in bello perseuerarunt, quoad Messala Coruinus eos armis domitos imperio subegit. Strabo eam gentem funditus deletam ab Octauio prodidit. Iapides natio ferocissima uiginti annorum spatio semel atque iterum Romanis armorum ui depulsis, Aquileiam usque prædabundi processerant, Torgio Romanorum colonia direpta. Hos Octauius per aspera loca ingressus, in syluam compulit, quam illi præcisam ualli loco Romanis obijcere, hacque ui inita in aliam diffugiunt, ut sequentem hostem insidijs exciperent. Sensit Octauius illorum fraudem, quã ut ipse noua arte eluderet, occulte suis mandat montium uertices occupent, qui hostibus imminebant, atque ubi primum contractum cum hoste prælium ex clamore cognouissent, in eum subito decurrerẽt. Romanis itaque nemus subeuntibus à lateribus & à fronte Iapides subita ui circunfiunt, attulissentque his omnino cladem aliquam, nisi qui iuga montium insederant, in hostes clamore delati, subitam fugam fecissent. Octauius Terpono eorum urbe potitus mœnibus pepercit, haud ignarus fore, ut Barbari in eam reuersi, in fidem demum concederent, quod sanè illi haud multo pòst fecere. Inde Metulium est oppugnari cœptum, ipsius gentis metropolis. Erat illa duobus tumulis sita, quos breuis interfecabat uallis, ad tria milia armatorum oppidum obtinebant. Hic bellum aliquot dies hæsit, Metulijs Romanos è muris propulsantibus, illis contrà bellica opera ex aduerso in oppidanos erigentibus. Postremo bini aggeres sunt mœnibus admoti, & ex his pontes ad muros extensi, tum Octauij iussu urbs ab omni parte oppugnari cœpta est, ut oppidanorum uires pluribus locis fatigaret. Aderat imperator ac circa pontes milites hortabatur, ut in urbem euaderent. Cæterum quia segnior erat pugna, neque miles ducis præsentia & hortatione ad irrumpendum multò incitatior uideretur, arrepto clypeo per pontem Octauius cursu ferebatur: sequũ tur eum Agryppa & alij primores, tum milites pudore ducti, certatim eò aduolant, quorum pondere pons depressus, cum fragore & strage hominum, ab imo corruit. Multi ruina pontis elisi periere. Octauius crus dextrum & utrunque brachium consauciatus, in pedes sublatus, ex eminentiore loco sese militibus ostendit, ne eius morte temere credita, prælium remitteretur. Ponte itaque statim refecto, oppugnatio multo atrocior Metulijs imminebat, quo metu perculsi per legatos deditionem pacisc̃untur, quingentis obsidibus datis. Inde Romani in partem unam urbis recepti, quum ijs qui superiora oppidi loca obtinebant, sibi arma tradere iussissent, consternati animo oppidani, mulieres & pueros in senatu sub custodia clauserunt, ut continuo ubi se in discrimen adductos uidissent, locum incenderent. Vbi primum igitur uis est à Romanis admota, continuo subiecta à custodibus flamma omnis imbellis multitudo igni consumpta est, uiri & ipsi occidione occisi sunt. Ita Metulium prius direptum fuit, mox igni consumptum ac dirutum, ut ne uestigia quidem ulla tam claræ nuper urbis extarent. Cæteri Iapides Metulina clade exterriti, certatim deditionem fecerunt, ac tum primum Iapides transalpini Romanæ sunt ditionis facti. Posseni ex his non multo pòst defecere, quos Marcus Elbius uictos, & in potestatem redactos autoribus defectionis prius interfectis, sub corona uendidit. Bellum inde in Pæones translatum, horum memorosa regio ab Iapidibus ad Dardanos extensa, non urbes, non oppida tum illis erant, sed tota gens uillicabatur, neque iudicia ulla aderant, neq; principes, centum milia uirorum ætate integra ad bellum armabant, qui sine duce, sine imperio dispalati, sub Octauij accessum in syluas refugerunt, quicunque Romanorum longius à suis aberrantes, in eorum potestatem uenere, interfecti sunt, octo continuos dies horum agros & uillas Romanus miles popu-

Delmatici belli causæ.

Octauij successus.

Pæones qui & Pannones.

Iapides.

Torgium Romana colon.

Metulium.

Metulij excidium.

Pannonum ritus.

Stremua Octauij opera.

populatus est, omni Pęonum Segestanorumque regione uastata, ad Sauum usque fluuium Rom. signa processere, in huius ripa urbs munitissima tum erat, fluuio & ingenti fossa circũdata, quam Octauius ob id expugnare adortus est, ut horreum esset belli in Dacos & Basternas. Idem fluuius his in locis Danubius uocatur, nec multo inde inferius lapsus uberioribus aquis: pro Danubio Istri nomen assumit, Sauus Istrum influit, urbs Sauo imposita Segestæ nomen habuit. Segestani quia imperata facere recusarunt, continuo sunt oppugnari cœpti, aggeresque contra mœnia erecti, & pons fluuio impositus. Pæones qui illis subsidio ueniebant, insidijs excepti, partim cæsi sunt, partim fuga dissecti. Segestani trigesimo die quàm obsideri cœperant difficili prælio uicti pacem petiere. Octauius eorum uirtute & precibus motus, pace Barbaris reddita, partẽ unam urbis dedi tis assignauit, quod reliquum fuit quinque & uiginti cohortibus præsidio obtinendum reliquit, quæ non multo post imperatoris digressum oppidanis, quia in se impetum fecissent, partim cæsis, partim fugatis tota urbe potitæ sunt. Octauius bellum in Delmatas Taulantijs finitimos transtulit, qui ad duodecim milia numero Pronomam Liburnorum urbem occupatam, ualideque munitam sedem belli fecerant, tumulis circa urbem prius insessis, nequa Romanis ad se pateret accessus. Ipse ab initio uisus est uelle omnes muro concludere, eumque terrorem hostibus obiecit, occulte tamẽ mittit qui silentio noctis ad mõtes tacito accessu obreperent, ij quibus id negocium est datum, strenue per noctem ad hostes peruenere. Delmatas in iugis sedentes, ac semisomnes improuiso accessu opprimunt, extollunt inde signum, ut qui in castris erant, scirẽt montem à se teneri, qui alios uertices insederãt, ubi Romanos suis præsidio depulsis, ardua tenere senserunt, ueriti ne à mœnibus excluderenẽ celeri fuga ad urbem deferuntur. Duo adhuc tumuli præsidio tenebantur, quos dum Octauius muro & fossa cingit, indicio comperit Teutinum cum altero Delmatarum exercitu adesse, qui modico prælio fusus ad montes cõcesit. Facta est & ex urbe sub id tempus eruptio, hostemque hac quoque parte superatũ Romanus uictor persecutus, mixto agmine in urbem irrupit, cæsaque est tertia pars ciuium, reliqua multitudo in arcem confugit, militesque ad portarum custodiam sub noctem relicti, hostiũ metu loco decesserunt. Sed qui in arce erant, quum postridie signa inferri uidissent deditionem fecerunt, ex militibus qui præsidio decesserant, Octauius decimum quenque forte ductum morte mulctauit. Cæteros tota æstate hordeo pauit. Teutinus qui in cõspectu urbis eminentiore loco sedebat, euentum rei expectans, ubi deditionem ab ijs fieri sensit, qui in arce erant, cum ea manu quam circa se habuit ex fuga collectam in deuia loca proficiscitur. Octauius ex Pronoma digressus, quia per conuallem erat iter facturus, in qua Delmatæ Gabinij exercitum oppressisse dicebantur, nequa hostibus occasio relinqueretur ad insidias iussit succisa nemora incẽdi: inde dextra lęuaq; p iuga montiũ leuis armaturæ militib⁹ æquo cum legionarijs gradu procedere iussis, per ima ad arcta loca incolumem traduxit exercitum. Setoniã inde urbem oppugnatione inuasit: unde quum auxiliarem hostium manum ui conatur excludere, genu lapide saucius plures dies æger iacuit: sed ubi primum ab eo uulnere conualuit, Romam ad consulatum capessendum reuersus est, exercitu cum Statilio Tauro ad obsidionem relicto, initoq; magistratu continuo in Delmatiam redijt: ad cuius regressum hostes fame domiti, obsidibus datis iugum accepere: signa quæ Gabinio ademerant cum tributo plurium annorum reddere coacti. Derbani & ipsi obsidibus datis in fidem uenerunt, atque ita omne Illyricum nomen Octauij ductu & auspicijs Rom. accessit imperio: aut certe quia nondum ea gens imperio assuesset, tum primum ferre didicit. Senatus ob eam rem imperatori triumphum decreuit, quem ille nisi post deuictum Antonium gerere noluit: nã altero cõmunis imperij quinquẽnio circũacto, continuo inter utrosque euidentes extiterunt inimicitiæ. Octauius sorori ex Athenis reuersæ, quoniam ab Antonio sperneretur, autor erat ut mariti domo relicta, seorsum habitaret, quod negauit illa se facturam, ne materia nouæ discordiæ ciuiliumq; bellorum extitisse uideretur: quin in Antonij domo esse perseuerauit, fouebatq; interim non tantum communes liberos, sed eos etiam quos ex Fuluia extulerat, incredibili charitate, Antonij amicos apud fratrem omni officio tuebatur, & in petendis magistratibus omnem operam & diligentiam adhibebat, ut dignitatem obtinerent, quæ mulieris in uirum obseruantia & modestia: quo maior erat, eo atrocior inuidia est Antonio conflata ab uniuersa ciuitate, quòd Cleopatram barbaram & impudicam tali fœminæ in amore prętulisset. Accesit huc aliud recens facinus, multoque detestabilius, quòd duobus aureis thronis Alexandrię fabricatis quibus argentei erant gradus, uno ipse residens, altero Cleopatra, omni multitudine ad id spectaculum circunfusa, Cleopatram Ægypti, Cypri, Libyæ, Syriæ, Celes reginam appellauit, unà cum ea Cæsarionem regnare iussit, quem Cleopatra ex dictatore Cæsare conceperat. Plutarchus hunc Posthumum fuisse significare uidetur: sed Oppius siue Hircius in commentarijs autor est, quum Cæsar adhuc in Alexandria esset puerum ex eo & Cleopatra natum quem à suo nomine ille fit passus Cæsarionem uocari. Mox Antonius secundo loco suos & Cleopatræ filios, reges regũ nominauit, assignauitq; Alexandro Armeniam, Mediam, & Parthiam, si quando regna ipsa bello subigi contigisset. Ptolemęo natorum alteri Phœniciam, Syriam, & Ciliciam, atque horum utrunque uario cultu circuntulit. Alexandrum Medica ueste & tiara præditum & tectum cidari, qui Medorum erat regum habitus. Ptolemæus in crepidis processit cum chlamyde & diademate, quo cultu usi fuerant omnes ab Alexandro reges. Angebat hanc inuidiam Cleopatræ insolentia, quæ in Iside Isidis se plurimum offerebat. Hæc Octauius crebro & in senatu, & in concionibus ad populum criminatus ingentem apud omnes ordines fecit Antonio inuidiam. Contrà ille Octauij facta insectari, & quòd Siciliæ se parte fraudasset, quòd Lepidum collegam exercitu & dignitate spoliasset, & quòd prouincias, quæ illi ademptę essent, ipse solus teneret, diuisissetque Italiam suis duntaxat militibus, cæteri suo fraudarentur præmio. Ad ea Octauius Lepidi insolẽtiam causatus, iure eum exercitu spoliatum testari, & quòd haud militibus diuidenda esset Italia, qui Mediam & Parthiam haberẽt, quas cum imperatore suo præclarissime pugnantes Ro. imperio adiũxissent. Erat tum Antonius in Armenia, quum postremo hoc Octauij cauillo irritatus, Canidium cõfestim ad mare cum sexdecim legionibus misit, ipse cum Cleopatra Ephesum processit, quò ut omnes maritimæ copiæ conuenirent edixit. Fuere omnes naues cum onerarijs octingentæ, quarũ Cleopatra ducentas numero instruxit, talẽtorum adhæc uiginti milia dedit, & quantum commeatũ uniuerso exercitui sat esset. A suis proinde monitus, & in primis à Domitio, ne Cleopatram secum duceret, in Ægyptum remittere constituit, ut suo in regno euentum belli expectaret. Corruptis tamen auro, qui frequentes circa illum erant, per Canidium & alios obtinuit, ut ad bellum duceretur. Post igitur quàm Athenas uentum est, misit Antonius Romã, qui Octauiam domo expellerent. Illa omnibus Antonij

Danubius primus mox Ister.

Capitur Pronoma.

Illyria omnis fit Ro.

Octauiæ prudentia.

Octauius Antonium crimi-natur.

Antonij belli apparatus.

Octauia ab Antonio expulsa.

Cidaris.

tonij liberis comitata, præter unum qui cum patre erat, in priuatā domū transijt, mœsta & lamētabunda, quod ciuilis discordiæ causa haberetur, cuius tollendæ semper autor fuisset. Ea res indigna admodū uisa est ciuibus, sed ijs multo indignior, qui Cleopatram uiderant, quæ neque ætate, neq; forma esset Octauiæ præferenda. Sub id tempus Titius & Plancus contumelijs à Cleopatra affecti, quod Antonio autores fuissent ne ad bellum duceretur, ad Octauium transierunt. Ab his edoctus ille Antonij testamentum apud Vestales esse, sublatum inde per se prius legit, mox senatui cognoscendum dedit, in quo illud præcipue uniuersum ordinem offendit, quod testamento mandarat, ut si Romæ mori contigisset, eius funus per forū exquisitissima exequiarum pompa efferretur, corpus inde funeris curatores Alexandriam ad Cleopatram mitterent. Auxit Caluisius hanc inuidiam sua sponte motam, qui uarie Antonium & Cleopatram est ad senatum criminatus: & quod ille ducenta milia uolumina librorum pergamenæ bibliothecæ Cleopatræ dono dedisset, eamq; ab Ephesijs dominam uocari pateretur: & quod quum publice ius diceret, ex crystallo, aut unguibus tabellas amatorie conscriptas, quæ à Cleopatra missæ essent lectitasset, quod Cleopatra lectica medio foro præteruehentem conspicatus, relicto concilio, quanquam Furio uiro amplissimo dicente, fuisset secutus. Obstiterunt tamen eius amici, ne quid in senatu de eo grauius statueretur. Missus est qui eum amicorum nomine hortaretur, ne per contemptum audiret, quod parum abesset quin à Populo Romano hostis iudicaretur. Geminius qui ad id fuerat missus, ignominiose à Cleopatra acceptus, Athēnis occulte aufugit, Delius historicus & ipse Cleopatræ metu ab Antonio discesit. Reginæ odium in Delium ex eo ortum ferūt, quod super cœna dixisset, Antonij amicis acidum uinū infundi, Sarmentum Octauij scurram Romæ phalernum potare: quibus ille uerbis uidebatur Antoniū inuitare ad urbem ex Alexandria repetendam. Ex multis eius erratis illud apertæ est dementiæ datū, quod non statim ubi Athenas uenit bellum intulisset, quum omnia circa Octauium imparata essent, arderentq; in illum urbis ac totius Italiæ odia ob tributum acerbissimè exactum: uerū bello in sequentem annum dilato, data est Octauio facultas omnia per ocium ad bellum comparandi. Odiaq; interim publica & priuata cum tempore (ut fit) magna ex parte remisere. Vbi igitur omnia parata sunt, bellū aduersus Cleopatram decernitur: Antoniusq; iubetur imperium deponere: in quo iam antea mulieri concessisset. Adijciebat Octauius Antonium amatorijs poculis infectum ne se quidem regere aut gubernare posse amplius: pugnaturos igitur aduersus se Photinum & Mardionem eunuchos, & Itadem Cleopatræ tonstricem, per quos Antonij exercitus gubernaretur. Fœda aliquot prodigia futuram Antonij cladem præmonstrauere. Pisaurum non longe ab Adria quo ille colonos deduxerat, subito terræ hiatu absorptum perijt, estque Appianus autor. Acciderit ne eodem loco ubi hodie ea urbs est hiatum illum fieri, an alibi, haud facile dixerim. Et Albæ eius lapidea statua plures dies sudore perfundi uisa est. Dum circa Peloponnesum Patriana urbe esset: Heraclium fulmine ictum deflagrauit, & Athenis Bacchus gigantea pugna ui uentorum excussus concidit: nam Antonius & ab Hercule oriundus credi uoluit: quia Antoniorum familia ab Antone Herculis filio fluxisse diceretur, & Bacchus illi dux uitæ erat. In regia Cleopatræ naui, quæ Antonias nominata est, hirundines nidum sub puppe astruxerunt, quem peregrinæ uolucres nidificantibus fugatis euertere. Erant Antonio quingentæ naues ad pugnā instructæ, centum milia peditum, equitum duo, & uiginti milia, reges qui eius signa sequebantur, aliquot numero, Bacchus Lybiæ, Tarchodemus superioris Ciliciæ, Archelaus Cappadociæ, Philadelphus Paphlagoniæ, Mithridates Comagenus, & Adollas Thraciæ. Auxilia miserunt Polemon ex Ponto, Malchus ex Arabia, Herodes ex Iudæa, Amyntas ex Lycaonia & Galatia. Erant & à Medorū rege missa auxilia. Octauio cc. &l, naues erant ad pugnam quæsitę, peditum lxxx milia, equitum par fere numerus qui & Antonio. Imperabat hic ab Euphrate ad Ionium mare, ab Illyrico ille ad Ibericum Oceanum cum tota Libya, quæ à Cirenis ad Atlanticum mare protensa est: & rursus à Britannico Oceano in Siciliam & Sardiniā. Cęterum cū terrestribus copijs poleret Antonius, Cleopatræ consilium secutus nauale prælium commisit. Et iam circa Actium Ambraciæ promontorium utrinque processerant, quum Domitius Ænobarbus paruam nauiculam ingressus ad Octauium transfugit, ad quē Antonius, Cleopatra etiam inuita, impedimenta, seruos, & omnes necessitudines, & desideria remisit. Defecerunt & Amyntas & Deiotarus absentes: Canidius & Antonij amicissimi quique autores erant terrestris pugnæ nō naualis. Vicit ut in cæteris Cleopatra: suntque duo & uiginti milia peditum ex uniuerso exercitu ad id certamen delecta, & præter hos duo milia sagittariorum. Ferunt militem quendam præferocem multisque cicatricibus insignem, Antonio prætereunti dixisse, quid tu imperator in fragilibus lignis militem statuis, qui collocato pede sit certare solitus, atque sic aut uincere aut mortem fortiter opetere? Hunc ille uultu & manu hortatus, nihil tamen uoce respondit, uelut eo nutu fateretur recte illum sentire, sed aliter facto opus esse. Mare eo die quo dimicandum erat, & mox toto biduo fluctibus agitatum prælium inhibuit: Quarta demum luce in pugnam est descensum. Antonius cum Publicola dextrum cornu tenuit. Cęlius sinistrum. Mediam classem Marcus Octauius, & M. Nasęius. Ex aduerso Octauius imperator dextrum regebat latus, M. Agrippa læuum. Terrestribus copijs Canidius ab Antonio præerat, ab Octauio Statilius Taurus, qui structa utrinque acie in littore quiescebant, naualis pugnę euentum opperientes. Ferunt eo die quo pugnatum est, Octauio ex castris ad littus uenienti ignotum hominem occurrisse asinum præ se agentem, cui Nicon nomen erat, domino Eutychus, quo omine supra modum lætatus dicitur, quum illud uictoriam, hoc felicitatem portenderet. Ad sextam diei horam utrinque immota stetit acies: demum ex læuo Antonij cornu procursum est. Fit itaque prælium non impetu, non multa & uaria irruptione: nam & Antonianis tardiores erant ad procursum naues, & ex Octauij parte concursu abstinebāt, ne infirmiores carinæ ualidiorum ictu corrumperentur. Erat igitur certamen terrestri perquam simile, iam contis & tragulis iaculatione res gerebatur, quum Agrippa ęquum cornu circumagente coactus est Publicola longius se extendere: quo illico contigit, ut Antonij classe abrupta, secuta sit & ordinum turbatio. Erat adhuc tamen commune certamen, & pugna utrinque ferox, quum sexaginta Cleopatræ naues quæ post primum ordinem stabant, sublatis repente uelis, fugam sua sponte occupant, subitaque defectione suorum animos perturbant. Fuit ea res primo hostibus admirationi, quid subitus ille sibi uellet recessus, nec causam satis intelligebant. Ibi Antonius, non modo non strenui ducis, sed ne uiri quidem consilio fretus, ut is qui totus ex Cleopatræ pendebat aspectu, pugna egreditur, egressus abeuntem sequitur, suis in aperto discrimine relictis. Illa sequentem imperatorem intuita, signum è puppi sustulit, ad quod ille delatus, postquam in eadē naui receptus est, neque eam aspicere

Criminatur Antonius ad senatum.

Sarmentus scurra.

Bellū aduersus Cleopatrā decernitur.

Portenta.

Antoniorum familia.

Octauij copię.

Naualis pugnæ apparatus.

Omen.

Concurrunt classes.

Cleopatræ fuga.

Herodes Arabes prælio superat.

Antonij pię & ira in Cleopatram.

cere uoluit, neq; ab ea cōspici, sed solus & tacitus in prora cōsedit, manibus ad caput conuolutis. Affuerunt interim & Octauij naues quædam Liburnicæ, in quas Antonius uerti iussit proram: estq; nonnihil in iustinēdo Liburnicarum impetu laboratum, nec priꝰ remisit pugna, q̄ ex Ægyptijs nauis una preciosissimis rebus onusta sit ab hostibus intercepta. Triduo Antonius est seorsum à Cleopatra in prora cōmoratus, incertum ira an pudore, ubi uero ad Tęnarum Laconię promontorium uentum est, ibi & cœnare unà & cubare simul perseuerauerunt, per quos factus est certior uniuersam classem prędio amissam terrestres copias adhuc in officio esse, subito igitur literas ad Canidiū dari iubet ut per Macedoniā celeriter cum exercitu in Asiam reuertatur, ipse à Tænaro Alexandriam traiecturus nauem unam, auro & argento preciosissimis q̄; rebus onustam, amicis qui eō conuenerant, inter se diuidendam tradidit, hortatusq; est ut sibi saluté quærerent, commendauitq; eos Theophilo Corinthi præfecto per literas, ut tādiu eos occuleret donec ab Octauio ueniam impetrassent. Ad Actium, posteaquàm Antonius acie excessit, eiꝰ classis fortiter Octauio restitit, donec aduerso fluctu impedita decima diei hora ęgre superata est. Cęsa quinq; milia hominum, ccc. naues captę. Nemo fuit ab initio qui credere potuerit Antoniū procul abscessisse, exercitu præsertim incolumi & q̄ ipse ad id tempus inuicto animo fuisset. Verum eius fuga patefacta septem dies exercitus in fide permāsit, futurum ratus ut imperator alicunde ex improuiso sibi adesset. Ad postremum Canidio noctu ad Octauiū transeunte, reliquus exercitus imperatore primo, mox duce destitutus, deditionem fecit, quo recepto Octauius terra & mari uictor Athenas processit. Antonius posteaquàm Libyam tenuit, Cleopatra Alexādriam remissa, ipse Parætonij cum duobus amicis subsedit, Aristocrate rhetore, & Lucilio *Latino*. Nec multo pòst copiæ quæ in Libya erāt ab eo defecerūt, qua recenti clade cōsternatus sibi manum intulisset, nisi ab amicis qui illi aderant prohibitus esset. Ex Paretonio Alexandriā delatus, Cleopatram offendit magnū opus molientem, ut per Arabicum dorsum (est id Asiæ & Libyes, ut quidā existimant, confinium, ubi terra ccc. stadiorum intercapedine, Ægyptiacū pelagus ab Erithreo diuidit sinu) classe machinis traducta, cū magno auri pōdere, delectaq; suorū manu, ad ignotas terras penetraret, seruitute fugitura, sed una atq; altera naui ab Arabibus, qui circa Petram incolunt, latrocinio corrupta, proposito destitit: præsertim quū Antonius adhuc spem in terrestribus haberet copijs. Habitauit iā inde ille circa Pharum, ut procul esset ab hominū consuetudine, Athenięnsem illum Timonem imitatus: de quo alio abunde loco diximus. Hic demū fit certior terrestrē exercitum, nō multos post dies, quàm erat ad Actium in mari dimicatū, in Octauij fidem concessisse, & quum alios reges plerosq;, tum Herodem ex Iudæa ad eundem defecisse. Is sub Actiaci belli tempus, quum tam uehementi motu terræ tota esset Iudæa concussa, ut quinque milia hominū ædificiorum ruinis perijssent, in Arabiā legatos misit, ut eam gentem quæ in armis esse ferebatur, in amicitia & fœdere retineret. Illi uero Iudæorum clade elati, legatis contra ius gentium interfectis, bellum Herodi intulerunt. Pugnatum proinde est trās Iordanem atq; una acie cæsa sunt ad quinque milia Arabum, qui pugnæ superfuerunt ab Herode circūsessi, cum aquatione arcerentur, paucis diebus deditionem fecere. Sed Antonio ad Actium uicto, times Herodes ne sua cū illo amicitia sibi apud Octauium obesset, Hircanum iam octogenarium, tanquam res nouas molientem occidit, ueritúsne ab Octauio in paternum regnum restitueretur, regnoque fratri commendato ad illum nauigauit, à quo in regnum confirmatus continuo in Iudæam reuersus est, paraturus quæ Octauio per oram Syriæ in Cleopatram & Antonium ducturo exercitui foret necessaria. Antonius interim ex Pharo in urbem reuersus cum Cleopatra uelut nihil mali impederet pristinis se uoluptatibus reddidit, nouo conuiuij luxu instituto, quem cōmorientes dixere, alludentes fortasse ad ipsum uitæ exitum quòd commori unà statuissent. Nam quod ad moriendi cōsilium attinet, satis constat Cleopatram omnifariam uenena per id tempus sedulo expertam, ut quàm præsentissimum (si quando opus esset) haberet paratum. Compertum illi aiunt aspidis morsu, sine ullo graſſantis ueneni sensu hominem extingui, ac uelut grauato ex somno capite, leui sudore per faciem diffuso, paulatim sensum alienari, non aliter excitationem grauiter ferentibus ijs qui ita affecti sint, quàm si altus & placidus somnus ab aliquo interpolaretur. Miserunt Antonius & Cleopatra ad Octauium. Hic ut sibi priuatam uitam Athenis agere liceret. Illa ut sibi & filijs regnum concederetur. Ille Antonij legatione in totum reiecta Cleopatræ regnum pollicitus est, si Antonium interficeret, aut regno expelleret. Sed tantum, abfuit ut Cleopatra illum eiecerit aut aliquo affecerit incommodo, quòd in eius natali celebrando omnem magnificentiæ modum excesserit, ac multo arctiꝰ quàm antea coluerit. Venit Octauius aliquāto tardius in Ægyptum, quàm fuerat omnium opinio, reuocatus in Italiā ab Agrippa qui Romæ erat, ciuitatis statu eius præsentiam desiderante. Tranquillus significare uidetur ob militum seditionem, qui Brundusium remissi fuerant, quum missionem & præmia peterent, eum ex Samo reuocatum, quo ex Actio concesserat, ut in ea insula hybernaret, bisque ea nauigatione pene fluctibus absorptum, nec amplius quàm septem & uiginti dies in Italia commoratum, donec militum desideria ordinarentur. Sub hyemis exitum, copijs præmissis ipse per oram Syriæ, cum non parua manu Ægyptum petijt, cui Herodes omnia ad exercitum alendum abunde sup peditauit, iudicatusq; proinde est Octauij studiosissimus. Cleopatra hostium aduentu appropinquante ad Isidis templū, ut sepulchra erant regia prędicare ædificata, omne aurum, argentum, smaragdum, margaritam, hebenum, cinamomum, ebur, & quicquid ualde preciosum in regia fuit, studio congesit, hisque magna tędarum uis adiecta, ut nemini dubium esset, quid illa animo agitaret. Hunc Octauius appa ratum quum merito suspectum haberet, ueritúsne Cleopatra, rerum desperatione, tantas secum opes concremaret, per literas & nuntios hortatur eam, ut bono sit animo, ipseq; in Hippodromo circa Alexandriam castra posuit. Antonius urbe egressus Octauij equitatum in fugam uertit, hostemque usque in castra est persecutus, atque Alexandriam reuersus, armatus ut erat Cleopatram inuisit, eamque gratulabundam complexus est, atque osculatus. Miles qui eo die præter cæteros egregie dimicauerat, ab Antonio cœnæ est adhibitus, & à Cleopatra aureo thorace, & galea donatus, nocte quæ secuta est ad Octauium transfugit. Prouocauit inde Antonius Octauium ad singulare certamen. Responsum est satis multas patere Antonio ad interitum uias. Ille uero nullam mortem honestiorem ratus, quàm pugnando oppetere, terra marique pugnare constituit. Fertur in cœna suos hortatus, ut cibum large sumerent, incertum an postridie id facturi essent. Proxima nocte exauditi sunt organorum & tibiarum cantus, & quasi saltantium chorus uisus urbe egredi, & ut stulta fuit tum hominum persuasio, Bacchus Antonium reliquisse creditus est, in cuius tutela ille ad id tempus fuisset. Postridie Antonius tumulum extra urbem cum suis occupat, unde late prospectus patebat in pelagus, euentum naualis certaminis inde

Audax Cleopatræ consilium.

Aspidis morsus

Antonij & Cleopatræ postulata.

Quid Cleopatra paret in extremis.

Antonius Octauium prouocat.

Bacchus abit.

Deſtituitur Antonius.

expectaturus, iam enim claſſes ex aduerſo mouerant. Verum ubi ſine certamine in unum coiuiſſe uidit, & ex duabus claſsibus unam factam ad urbem uenire, collapſus animo pene amens aliquandiu immotus ſtetit. Interim & à militibus deſeritur. Tum uero ab omnibus deſtitutus urbem curſu repetit: Cleopatræ perfidiam alta uoce inculsans, per quam ijs proderetur, quibus ipſius cauſa factus eſſet hoſtis. Cleopatra uerita Antonij furorem in regia monumenta ſeſe recepit, cataractaque demiſſa clauſtrũ obfirmauit, ſimulque ad Antonium mittit, qui illi nuntiaret reginam ſibi mortem conſciuiſſe, quo nũtio ille ad ſe rediens: Quid iam, inquit, expectas Antoni? quæ ſola uiuendi cauſa ſupererat, eam tibi fortuna ademit. Atque his dictis cubiculum ingreſſus: O Cleopatra, inquit, non doleo equidẽ quod te careram (nam confeſtim unà adero) ſed quod ille tantus imperator fortitudine ſim à muliere ſuperatus, actum eia, inquit, Eros (ſeruus hic erat ad hũc uſum paratus) hauri hoc pectus fortiter. Ille conuerſo in ſe ferro ſeipſum tranſegit, confeſtimque moribundus ad pedes domini cõcidit. Tum Antonius, ecce, inquit, Eros quoque nos quid agendum ſit præcipere monuit, ac ſimul intra uiſcera ferrum adegit, iacuitque cruore reſperſus morieti ſimilis, & iam propinquus erat morti, quum Cleopatræ iuſſu ad regia ſepulchra eſt delatus, reſtibusque feneſtra demiſsis regina, duabus adiuta ancillis, ad ſe miſerabili conatu attraxit: cui recepto atq; in lectum reclinato incumbens illa, peplo ſuper eum ſciſſo, capillos ſibi & ora laniabat, nunc uirum, nunc dominum & imperatorem ſuum, miſerabili lamentatione inuocans. Qui paululum ad ſe reuerſus reginam admonuit, ut ſibi & rebus cõſuleret, ſeque omnium maxime qui cum Octauio eſſent Proculeio crederet, nec ſe lugeret ob preſentes calamitates, ſed beatum potius exiſtimaret, quod diu ſumma felicitate eſſet uſus, poſtremo Romanus à Romano imperatore uictus fortiter moreretur, ac cum his paululum uini hauſit, ut celerior mors ſequeretur, ſicque mox paulo efflauit animã. Vix eo defuncto ſuperuenit Proculeius ab Octauio miſſus ad Cleopatram: Nam ille cognita Antonij morte ex Diceteo eius miniſtro, qui gladium quo ſe Antonius percuſſerat in caſtra detulit, in intimam tabernaculi partem conceſsit, ibique uebertim fleuit mortem collegæ & affinis ſui multarum rerum bellorumque ſocij: inde confeſtim Proculeium in urbẽ ire iuſſerat, qui daret operã ne Cleopatra de ſe aliquid grauius ſtatueret. Cupiebat Octauius eam in triumpho ducere. Solicitus præterea erat de pecunijs, quas ſciebat apud eam congeſtas. Proculeius à regina excluſus, loci naturam contemplatus, Gallo negocium dedit, ut eam circa oſtium ualide occluſum per ſpeciem colloquij detineret. Ipſe per feneſtram, qua fuerat Antonius paulo ante inductus, ſcalis occulte admotis, ac illa nihil tale ſuſpicante, obrepſit. Quem ex improuiſo intuita ferrum ſtrinxit: quod in hunc uſum parauerat, ut ſe tranſfigeret, peregiſſetque cædem, niſi Proculeius ambabus manibus eam complexus hortatus eſſet, ne pergeret ſibi ipſi & Octauio iniuriam facere, cui clementię facultatem admiſeret, ne mitiſsimũ principem, ut impium & inhumanum auerſaretur. Hæc tum Proculeius, ac ſimul illi ferrũ abſtulit ueſte inſuper excuſſa, ne quid ſub ea lateret ueneni. Nec multo pòſt Octauius affuit, urbem cum Arrio philoſopho ingreſſus pro concione in Gymnaſio pronuntiauit, ſe uniuerſum populum crimine abſoluere, atque id facere, quum propter Alexandriæ conditorem, tum ob Arrium philoſophum, urbisq; pulchritudinem. Impetrauit Arrius & Soſtrato ueniam uiro eloquentiſsimo, à quo ſæpe ita appellatus dicit. Docti doctos Arri ſeruabunt, ſi docti erunt. Ex Antonij liberis Atyllum maximum natu ex Fuluia Octauius interfici iuſsit. Theodorus pædagogus, quũ illi ceruix abſcinderetur, preciоſiſsimum lapidem ademit, cuius poſtea furti conuictus ab Octauio eſt in crucem ſublatus. Occidit & Cæſarionem ex Cæſare & Cleopatra genitum, à cõplexu paternę ſtatuę ui abſtractum. Hunc credo, ne Cæſaris nomen ſibi aliquando obſtaret, ex quo adoleſcens erat genitus. Illum quoniã Fuluiam inſenſe oderat. Cæteros Antonij & Cleopatræ filios mira fouit pietate. Cleopatra Octauij permiſſu Antonium ſuis manibus funerauit, in qua conflictatione febrem contraxit unde occaſionẽ nacta, quando aliter nequibat, conſtituit inedia perire. Senſit id Octauius, minatusq; illi eſt ſi liorum necem, niſi daret operam ut uiueret, quibus illa uelut machinis quibuſdam expugnata, ſe curari paſſa eſt. Paucis pòſt diebus Octauius ad eam uenit, ad cuius pedes ut erat animo & corpore ægra, ſupplex ſe proiecit, uoce tremulã & lacero pectore, ſed ut priſtinum illud formæ decus in tanto luctu & ſqualore adhuc interluceret. Verba quibus uſa eſt ad Octauiũ, fecere illi fidem fore ut in uita perſeueraret, quum aliud certum conſtitutum haberet, petijtq; ut Antonio parentare liceret, quo impetrato, paucis familiarium comitata ad ſepulchrum conceſsit. Ibi in terram procumbens: O amice, inquit, Antoni, complexa ſum te nuper morientem, quũ libera adhuc eſſem, nunc captiua & ſub cuſtodia tuis manibus parento, ne planctu & lamentatione conficiam hoc ſeruum corpus, quod ad triumphũ, ut uideo, ſeruaſ. Nulla præter hæc expectes à me libamina aut honores: nã hi tibi à Cleopatra ultimi ſunt: nos autẽ uiuentes nulla uis ſeparauit unq̃: nunc uero periculum eſt, ne mortui permutemus loca, ut tu Romanus in Ægypto iaceas, ego Ægyptia in Italia tellure. Verum ſi qua illic deorum uirtus aut potentia eſt, quando nos hicà noſtris proditi ſumus, ne patiare me uiuã duci, néue teipſum in meo corpore triumphari, ſed recipe me hic unà tecũ in hoc tumulo, nam ex infinitis malis, quib⁹ miſera premor, nullum ita magnũ aut graue mihi eſt, quàm hoc breue tempus ſine te uixiſſe. Hæc quum illa miſerabiliter queſta eſſet, tumulum corona præcinctum diu amplexata, iuſsit ſibi balneum parari. Poſt uero q̃ lota eſt, magnifico epularum apparatu accubuit. Interim quidam ex agro ueniẽs ciſtam recentibus attulit ficis refertam, eam cuſtodes retexere, uerum ubi tantum fructus ineſſe uiſi ſunt, reginę allata eſt. Ipſa ſtatim poſt cibum ad Octauium tabellas miſit, omnibusq; præter duas ancillis à ſe dimiſsis, fores occludit, ijs literis quas ad Octauium dedit, precata eſt, ut id ſibi extremum daret munus, quod ſuũ cum Antonio corpus tumularet. Ille ad primum literarum conſpectũ ſuſpicatus quod erat, cõfeſtim iubet ſuos illuc aduolare, atq; eam ſi fieri poſsit præuenire, ne ſibi mortem conſciſceret, qui ad hoc miſsi fuerãt in eius cubiculum ex improuiſo irrumpunt, cuſtodibꝰ nihil tale ſuſpicantibus: Cleopatram mortuam, aureo iacentem lecto inueniunt, ad cuius pedes ancillarum una extincta procubuerat. Altera Charimonium nomine iam moribunda, regium diadema iacentis aptabat capiti. Ibi eorũ unus qui primus affuit: Sũnt ne hæc, inquit, pulchra Charimoniũ? pulcherrima, ait illa, & quæ tot regum progeniem maxime deceant, nec quicquam ulterius effata cõcidit. Perſuaſum pleriq; ea tẽpeſtate habuerunt aſpidem cum ficis illi allatã, dataq; opera ſit à regina, ut inſcia ab ea morderetur. Verũ ea cõſpicata dixerit: An hic erat iſtud? ac tum brachium illi nudatũ porrexerit. Alij aſſeruatam in uaſe crediderunt, ac per ſiſtulam irritatam brachium momordiſſe. Multi uenenũ ab ea hauſtum prodidere ex laminula quadã, quæ ſubcrinibus latebat. Sed quoquo modo extincta eſt, nulla manifeſta ueneni ſigna extiterunt, tantum eius brachium duas notas habuiſſe fertur, leuiter impreſ-

Quos Octauius occiderit.

Cleopatræ ũ ſilium.

Cleopatræq; relæ.

Cleopatræ ſui teritus.

Antonius infert ſibi manũ.

Cleopatræ lamentatio.

Fleuit Octauius Antonij interitum.

Cleopatra ſibi manum inferre conatur.

Soſtratus.

impreſſas atq; humidas. Serpens uero à nullo conſpecta eſt, ſed tractus quidam in littore, qua domus ad mare ſpectabat, extitit, quibus ſignis uidetur Octauius credidiſſe, qui in triumpho Cleopatræ imaginem tulit, cum aſpide mordicus affixa. Ipſe etſi illius morte mediocriter erat affectus, motus tũm mulieris generoſitate, magnificè ac regiè eam cum Antonio ſepeliri iuſsit. Et Cleopatra in hunc modũ perijt, ſuæ ætatis anno undequadrageſimo, quũ duos et uiginti regnaſſet annos, cum Antonio quatuordecim & amplius uixit. Antonium annos ſex & quinquaginta natũ perijſſe aiunt. Alij tres ex hoc numero adimunt. Eius ſtatuæ paſsim ſunt diſiectæ. Cleopatræ ſuo ueſtigio retentæ, ab Archinio quodam reginæ amico, mille talentis redemptæ, ne loco mouerentur, ac tum demũ Ægyptus in prouinciæ eſt formam redacta, quũ in ea à primo Ptolemæo, qui fuit Lagi filius, ad Cleopatram regnatum eſſet annos duocentos octoginta ſex. Prouinciæ Octauius Cornelium Gallum præfecit. Herodi Gadaram attribuit, Ioppem, Samariam, quam à fundamẽtis excitatam, Sebaſten, id eſt, auguſtam appellauit. Floruerunt q̃; iam inde aliquandiu res Herodis, mox orta inter regem & filios quos ex Mariãne tulerat ſuſpicione, uariè per domeſticas eſt diſcordias iactatus. Ad poſtremum filios deſtinati parricidij conuictos interfecit. Sed hæc aliquanto poſtea acciderunt. Octauius ut monumentũ naualis uictorię extaret, iuxta Actium Nicopolim urbem condidit, & quinquennale inibi certamen inter cętera Græciæ ſpectacula haud ignobile. Strabo hunc agonem multo antea ibi celebratum arbitratus eſt, ſed ab Auguſto honorificentius auctum. Romam inde reuerſus, Alexandrinũ triumphum egit, duxitq; Cleopatrę filios ante currum, Auguſti cognomen à ſenatu delatum libens recepit. Et Sextilis menſis Auguſtus eſt ab eo appellatus. Luſtrum Romæ conditũ. Cenſa ſunt ſemel & quadragies centum ſexaginta quatuor milia ciuium, ut Euſebius ſcribit. Sed tantum ciuium numerũ ex cæteris ſcriptoribus, quod ſciam, retulit nemo. Lunaris curſus ratio Romanis hoc triennio, ut idẽ autor prodidit, cõſtare cœpit, fueruntq; ea tempeſtate uiri ingenio clari, Vergilius Maro in Ande ortus, Mantuani agri uico. Flaccus Horatiꝰ Venuſiæ ex Libertino patre. Cornelius Gallus Foroiuliẽſis, qui primus in Ægypto præfuit. Tibullus & Propertius uterq; elegiarum ſcriptor. Quintilius Cremonenſis Flacco & Maroni familiaris. Ouidius Naſo quẽ Auguſtus relegauit, & Liuius Patauinus, uterq; in ſuo genere clarus, his aliquãto iuniores fuere. Tucca & Varus prioribus illis æquales, qui Maronis carmen ab Auguſto cognoſcendũ ea lege acceperunt, ut adimerent quæ uellent, nihil adijcerent. Vixit ad hæc uſque tempora M. Terentius Varro, qui ferè nonagenarius perijt. Clari eloquẽtia fuerunt, Meſſala Coruinus, cuius in dicendo dignitatem aurea eſt illa ætas mirata, ut in Pollione, qui illi æqualis fuit, diligentiam: claruit & Numatius Plancus, Cœlius, & Atratinus, qui ſeptẽdecim annos natus, Cœliũ accuſauit, Calſius Seuerus. Illuſtres dicendi magiſtri, Criſpus Paſsienus, M. Porcius Latro, qui quartanæ tædio ſibi manum intulit, Albutius Sylo Nouariẽſis. C. Iulius Iginius cognomento Polyhiſtor. Grãmaticæ artis ſcriptores. Meliſſus Spoletinus, Q. Cœlius Epirota, Sati equitis Romani libertus: Verrius Flaccus qui Auguſti principis nepotes docuit. Lucius Craſsitius Antonij triũuiri natorum præceptor. Scribonius Aphrodiſius à Scribonia emptus, quę prior Octauij uxor fuit. C. Iulius Phryginus Auguſti libertus, M. Pomponius Latini ſermonis exactor moleſtiſsimus, q̃ iudicio quodam (nam & cauſas dixit) tandiu inſolenter aduerſarij ſolœciſmũ carpſit, quoad Calſius Seuerus à iudicibus petijt, ut eius rei cognitionem differrent, donec litigator ſuus ab grãmaticorum aliquo patrocinium imploraret. Clari in Græcia per id tempus fuere in philoſophiæ ſtudijs Arrius, in cuius gratiã Auguſtus Alexãdrinis ueniam dedit. Anaxilaus Lariſſeus Pythagoricus urbe & Italia ab eodem principe expulſus. Rhetores in eadẽ gente, Nicetas, Hybreas & Pluſio, Ariſtocrates, qui Antonij triumuiri poſt Actiacam pugnam fuit comes, Cæſtius Smyrnæus. Thebæ in Ægypto funditus per id tempus interiere, & Trallis horrendo motu terræ ſubſederunt. Indi Auguſti felicitate commoti, nominisq; magnitudine, ultrò per legatos ab eo amicitiam petiere. Poſt Actiacum bellum haud uno eſt loco aduerſus exteras gentes bellatum. Myſi, qui & Mœſi à quibuſdam dicuntur, & Baſternæ dubium ferocia maiore an feritate (ſunt hi Iſtri accolæ) quum Romana in ſe arma conciuiſſent, uno prælio, quod ne inire quidem ſunt auſi, M. Craſſus pacauit. Deſciuerantq; aliquanto antea Thraces, quos Piſo prælio uicit. Liuius à Craſſo Thracium bellum confectũ autor eſt, ſed qui cunq; eos uicit, captiui & in uincula conieci, ferreas catenas dentibus infringere conati ſunt, adeò indomita erat tum gens ipſa. Daci & ipſi truces, habuerunt hi ſedes inter Iſtri fluenta, quo frigoribus concreto, ſociorum populi Romani aut uectigalium fines hoſtiliter infeſtabant. Auguſtus operæprecium ſe facturum ratus, ſi ſuo alienoue ductu moleſtã accolis gentem ui et armis coërceret, per L. Lentulum in ulteriorẽ fluminis ripam compulit, ut magis Dacia ſubmota uideri potuerit quàm uicta. Sunt eiuſdem ductu & Sarmatarum excurſiones cohibitæ, & ab Iſtro procul reiectæ. Tanta tum erat gentis feritas, ut ne pacem quidẽ intelligerent, erantq; iam humanæ gentes per omnes terras pacatæ, præter pauciſsimas, quæ adhuc in armis erant, magis ſuam pertinaciam q̃ ſpem uictoriæ ſecutæ, & in his Cantabri & Aſtures Iberorũ uiolentiſsimi, qui ſoli omniũ Romani imperij immunes, crebris excurſionibus Vacceos & alias finitimas fatigabant gentes, ſed Cantabri multo ad iniuriã ferociores. Hos Auguſtus bello adortus, primò ad Segiſamã caſtra fecit, inde partitus copias, totam per partes amplexus eſt Cantabriam, ualida adhæc claſsis per Gaditanũ fretum & oram Oceani circũuecta, à tergo hoſtes urgebat. Primùm ſub Belgicæ mœnib. dimicatũ, uictiq; prælio Cãtabri, in Vinnium montem eminentiſsimũ conceſſere, citius eò maria aſcenſura rati q̃ Romana arma. Arracillũ inde ex ea gente oppidum ſumma ope expugnatũ, atq; ipſi hoſtes in Medullo monte multo conatu obſeſsi, perpetua quindecim milium paſſuũ foſſa, qui ubi ſe in apertũ diſcrimen adductos ſenſere, igni, ferro, & inter epulas ueneno, ne uiui in hoſtium poteſtate uenirent, ultrò mortem oppetiuere. Et hæc Antiſtij Furnij ductu, quum Auguſtus circa Taraconem hybernaret. Ipſe dein Cantabros montibus deduxit, deductos obſides ut darent coëgit, quoſdã etiam ſub corona uendidit. Aſtures cum quibus adhuc bellum erat integrũ, è montibus ſubitò digreſſi, citato agmine, ad Scuram fluuiũ ire contendunt. Erant hic terna Ro. caſtra pariter inuaſuri, fuiſſetq; ſubito hoſtium acceſſu clades omnino ingens accepta, niſi Drigecinorum indicio res prouiſa eſſet. Caluiſius uenientib. inſidiatus, magna incautũ hoſtem ſtrage affecit, nec pugna fuit illa Ro. incruenta. Aſtures qui cædi ſuperfuere, Laceãm occuparunt urbem, hic adeò laboriosè eſt in hoſtes certatũ, ut in captum oppidũ faces poſcerent ab irato milite. Ægrè imperatoris edicto ab incendio temperatũ, idq; factum, ut incolume oppidũ Ro. eſſet uictoriæ monumentum, ac tum poſtremò Hiſpania pacata eſt prima omnium externarum prouinciarum à Ro. inita, & omnium ferè ultima imperio ſubacta. Sub id tempus Tyberius Nero Auguſti priuignus, Rhetos & Noricos bello domuit. Fuit Tyberius Tyberij Neronis filius, & Liuiæ Druſillæ, quam Auguſtus facto

Qua ætate perierint Antonius & Cleopatra.

Aegyptus facta prouincia.

Herodes.

Aug. 11. Imp.

Viri illuſtres.

Latini oratores et rhetores illuſtres.

Indi Auguſti amicitiam petunt.

Dacorum feritas non nouit pacem.

Cantabricum bellum.

Aſturenſe bellum.

Hiſpania pacatur.

Tyber. Nero.

cum Scribonia diuortio, prioris mariti matrimonio abductam, ac prægnantem uxorem duxit. Sunt qui Rheticum bellum Cantabrico præferãt, sed utcunque res habet, niuosa alpium iuga, & loca penè inaccessa, dabant Rhetis, Noricis, & alijs alpinis gentib. cum quibus bellatum est, fiduciam ad rebeliãdum, estq; res gesta penè maiore feritatis argumento quã armorum conatu. Mulieres deficientibus telis, filios humi afflictos, tormenti loco in hostium ora contorsisse dicuntur. Tenebant Rheti ab ea parte alpium, quæ in Italiam supra Veronam resupinantur usque ad Rheni decursionem, erantq; in Rhetorum appellatione Lepuntij, Camuli, Vindelici, Norici, Brenni, & Tennani, qui montana tenebant exteriora. Prætextus belli Romanis fuit, quod Rheticę gẽtes eam Italiæ oram quæ alpibus subiacet, assiduis infestarent excursionibus. Bellum una est æstate confectũ, nec Tyberij tantum, sed & Drusi eius fratris ductu. Plinius omnes alpinas gentes, quæ partim Augusti ductu, partim auspicijs Romano sunt imperio subactæ, octo fuisse ait & quadraginta, ut trophei in alpibus eius uictorię constituti habuit inscriptio. Gratius inde bellum cum Germanis gessit Drusus, ab Augusto cum ualido exercitu ad id missus, ut eam terram quam C. Cæsar Romanorum primus armis inuasisset, in prouinciæ formã redigeret, si bello uinci contigisset. Domuit itaq; Drusus Germanorum primos Vsipetes, mox & Cattos, omnem Marcomanorum gentem prælio fudit, deq; eius spolijs tropheum erexit. Validissimas inde nationes, & in his quasdam ad id tempus penè ignotas, bello petijt, multaq; præda ex Cheruscis Sueuis & Sicãbris abducta est, eaq; militibus data. Germani tãta spe illatum bellum exceperant, ut omnes Romani exercitus prædã prius inter se partiti sint, quàm quo cum hoste sibi res futura esset, satis scirẽt. Cheruci sibi equos uendicabant, Sueui aurum & argẽtum, captiuos Siçambri. Verum longè aliter accidit, ipsis q; prælio fusis, eorum equi, pecora, aurumq;, & quicquid fortunarum fuit illis, cum multitudine captiuorum ingenti, sub corona uenierunt. Drusus ut prouincia firmior esset, secus Rhenũ præsidia disposuit quamplurima, castellis ad id passim excitatis, classeq; utramque ripam & præsidio firmauit. Hircinium inde saltum Romanis armis patefecit, eratq; per hæc omne Germanicum nomen Romano imperio penè subactum, quum Drusus uiolento equi casu affli ctus paucis diebus uita decesserit, cui ob prouinciam pręclarè administratam, senatus Germanici nomen decreuit. Sed multo felicius Germania prouincia facta est quàm postea retẽta: nam Germani, post Drusi interitum, Quintilij Vari, qui cum legionibus ad prouinciæ præsidium remanserat, libidinem & auaritiam pertæsi, Arminio duce arma capiunt, tantaq; tum Quintilio pacis fiducia fuisse dicitur, ut quum de Germanorũ motu & defectione aliquanto prius resciuisset, nihil sit tamen commotus, fuitq; ea negligentia ipsi duci & legionibus exitio. Enimuero cùm incautus fortè ius in castris Quintilius diceret, subito hostium accessu, ne certamine quidem ullo iniecto, cũ tribus eũ legionibus cæsus, cuius cladis nũtius Romam perlatus, adeò ciuitatẽ perculit, ut excubiæ sint in urbe indictæ, nequis in summa trepidatione existeret tumultus, et Augustus præsidibus

Alpinarũ mulierum feritas.

Druſi mors.

Quintilij Vari & legionũ cædes.

Vana Germanorum ſpes.

A prouinciarum imperium prorogauit, ut à rerum peritis socij in fide cõtinerentur. Vouit & magnos ludos Ioui, si Respublica in meliorem statum restitueretur, adeoq; ea legionum iactura affectus dicitur, ut per cõtinuos menses barba capilloq; submisso, non nunq; caput foribus impingeret, uociferans, Quintili Vare redde legiones, diemq; quo clades illa accepta est, quotannis mœstum & lugubrem habuit. Tyberius tribunitia potestate in quinquẽnium assumpta, iam ad pacandum Germaniæ statum erat profecturus, quum Illyrici est defectio nũtiata, ad quam noui belli curam conuersus, omnes Romani imperij uires omissa Germania auertit, confecitq; id bellum triennio, sed quàm laboriose sit per id tempus ea in prouincia bellatum, argumento est copiarum apparatus. Quindecim legionibus pariq; auxiliarium numero res gesta est. Satis constat ob rerum omnium difficultatem, Tyberium sæpius ab Augusto reuocatum: sed ille, siue infamiam uitare uoluerit, quod prouincia nondum pacata decederet, siue ut ipse uideri uoluit, hostem sit ueritus à tergo immi nentem, non prius bello destitit quàm totum Illyricum, quod intra Italiam regnumq; Noricum Thraciam & Macedoniam panditur, rursus inter Danubium & Adriã excurrit, Ro. Po. subegisset. Sed tam longam belli seriem deperditis scriptorum monumentis, ut in arctum conijceremus necesse fuit. Tyberius Illyricum triumphum in aliud tempus distulit, ciuitate adhuc Variana clade mœsta, intrauit tamen urbem prætextatus lauream gestans, mox in Germaniam profectus, nihil non ex suorum consilio & sententia egit, quum præsertim constans fama esset Varianam cladem, non tam hostium uirtute, q̃ ducis temeritate acceptam. Rhenũ transgressus, nudo cespite cibũ capere semper uisus est, sæpe etiam sine tabernaculo pernoctabat, prælia cõstantius ini B bat quàm audacius: sed quatenus res ibi gestæ sint, parum & hoc traditur ab ijs quos sequimur. Imperator, quod satis cõstat, in exercitu est appellatus, qui honor nisi ijs qui rem insigniter in hostẽ gessissent, haud temerè dabatur. Ex Germania biennio reuersus, Illyricum egit triumphũ. Est in Armenia quoque recipienda, quam Parthi sibi uendicabant, nonnihil hoc tempore publicè laboratum, qua expeditione fato perijt Caius Agrippæ & Iuliæ filius, quẽ cum L. fratre Augustus sibi per assem & libram adoptauerat, sed Parthi Augusti felicitatem ueriti, Armenia ultrò relicta, signa quę Crasso et Antonio ademerant, restituerunt. Ea Tyberius recepit à uictrico post Caium missus, ut Tygranẽ in regnum restitueret. Scythæ adhæc & Indi quod suprà est significatum, Augusti populiq; Romani amicitiam per legatos petiere: sed hæc aliquanto prius quàm fuerit in Germania bellatũ. Eratq; iam totus orbis terrarum pacatissimus, eamq; inter se humanę gentes pacem agebant, qualis nunquam omnium ætatum memoria fuerat, quum Augustus Ianum Geminum tertiò clausit. Plutarchus autor est, Antonio ad Accium uicto, statim id fieri contigisse. Est & Christus Dei filius ex uirgine in Iudæa natus, à cuius salutari ortu ad nostra usque tempora ob ea quæ in rerum natura euenerunt, alterum uelut nouum opus inchoabitur.

Augusti luctus.

Belli Illyrici.

Belli Germanici.

Parthi Ro. ſigna reſtituũt.

Pax.

Iani templi clauſum.

MARCI

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI RAPSODIAE HISTORIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS SEPTIMAE PROOEMIVM.

MIRABITVR (scio) aliquis, casuq; an consilio sit factum sciscitabitur, quod proximus nostræ Rapsodiæ labor, quo nuper defuncti sumus, sex numero sit Enneades sortitus. Sed desinet is mirari, ac longè aliter opinari incipiet, si meminerit & fando sæpius auditum, & in sacra historia disertè traditum, mundum, & quæ in eo sunt, sex diebus à Deo optimo cõstitutum. Simul & illud reputabit animo, omne mundanum tempus à primordio rerum, ad humanæ salutis annos, in sex diuisum esse ætates ab ijs qui sacram scribunt historiam, quo intelligi potest, quid in senario simus numero secuti. Nunc, quod ad futurã relationem attinet, longior (quod præfari liceat) uia & uelut alterum nobis scribentibus restat opus, cuius magnitudo uarietasq; tanta est, ut uel residui laboris admonitu animus longa rerum fatigatus serie, suo excuti potuerit cursu: nisi spem quam sibi ducem ab initio constituit, nunc quoq; æquis sequeretur passibus. Hortatur hæc sequentem, efficitq; trahendo, ut quum uix ille possit amplius, multum tamen posse uideatur. Sed in nulla re blandior occurrit, aut præsentior instat, quàm quòd nobis uetustatis tenebras egressis, in pura claraq; luce reliquus est labor hauriendus, sitq; ob hoc ipsum multo mollior uia ad exitum perductura, minus q; molestiæ recens hoc negocium allaturum. Enimuero quum ipse mecum reputo, quibus uelaminibus lateant, quæ ad hunc locum literarum monumentis sunt à nobis tradita, atq; ea præsertim, quæ ad sacram attinent historiã, uideor mihi, uelut per ignota loca, noctis silentio, euagatus, cui tametsi multæ rerum facies occurrerent, quales tamen essent, tam magnis circumfusæ tenebris, parum perspicuè apparebat. Nunc orta luce, omnia faciliora cognitu & aspectu iucundiora. Lux hæc Christus est, à cuius salutari ortu ad meorum temporũ memoriam, superet modo uita, reliqua texetur historia, in quo negocio obeundo omnia, ut spero, erunt meliora. Veritas, cuius ductu nemo nisi uolens errauit unquam, noui seculi, nouaq; religionis exordium, per quæ uita multo melior, & uia ad cœlum expeditior facta est, excussæ malorum dæmonum tenebræ, & homo, qui suo lapsu corruerat, alieno est auxilio restitutus. Sequẽtur rerum miracula, quibus totum hoc pietatis opus est præcipuè illustratum. Multæ adhæc uariaq; piorum sectæ, ex uno uelut fonte, corriuatæ, quæ etsi uictu, cultu, nomine, sunt inter se discretæ, unã tamen fidem, unumq; Christi dogma, tam piè quàm tenaciter sequuntur. Sed qualis inde uirorũ fruges, quanta uitæ et morum sanctitas, quanta eruditio, miraculorum coruscatio? quorum explicatio, nescias utrum utilior sit legentibus an uoluptuosior futura. Accedent res humanarum gentium, in quibus non minor interim mutatio facta, multa regna & imperia, aut excidio dedita, aut mirabili casu exorta. Italia olim rerum domina, externis armis sæpius petita, & quod pudeat dicere, turpi etiam seruitio nõnunquam adacta, etsi nunc suis, nunc alienis armis, semper, quod satis constat, ab iniuria uindicata. Erit itaq; pars hæc historiæ, quum rerum pondere, ad lectorem instruendum, priore illa utilior, tum nouitate ipsa ad delectandum aptior. Sed nullum tam pulchræ rei exordiendæ auspicatius potuit principium contingere, quàm ut ab humanæ salutis anno, pars altera Rapsodiæ huius sortiretur initium. Nam tum uera lux affulsit gentibus, quæ antea in tenebris fuerant, nouumq; seculum conditũ, & quod ad prosperos operis successus attinet, Christus Dei filius tum uirginali est utero ortus, qui et uia tuta est scribentibus & ueritas.

ENNEADIS

ENNEADIS VII. LIBER PRIMVS.

PAX ERAT igit& ocium humanis gẽtibus, quum alma uirgo (Mariæ fuit illi nomen) Annæ & Ioachim filia, in Bethleem Christum enixa est Saluatorem. Incidit sacratissimus ille partus in eum annum, qui alter à quadragesimo fuit Augusti principis, qui à Cæsare dictatore in familiã testamento ascitus, non tantum in successionẽ uenit nominis, sed & monarchiæ ab eo, qui adoptauerat, antea cõstitutæ. Fuit idem annus septingentesimus ac quinquagesimus secundus ab urbe cõdita. Mundanæ originis nonagesimus nonus supra centesimum ac quinquies millesimum. Superuacuum sit, credo, quærere, cur ea demum tempestate Christus nasci uoluerit, cur non prius posteriúsue sit missus, qui è cœlo mittendus fuit, tanquam non facile occurri possit, sic ei placuisse, in cuius potestate sunt & rerũ omnium, & temporum momenta. Etsi horum quoque ratio habita uideri potest, ut tum unigenitus Dei filius terram inuiserit, quum pacem in ea tantam esse uoluit, quanta nulla fuit unquam hominum memoria. Iam & natalis terra multo aptior fuit ad id mysterium in omnes gentes propagandum, quàm si remotiore aliqua mundi plaga lux illa esset orta. Est Iudæa terrarum ferè media. In cæteris manifestior prouidentia, nam & in matre quæsita est uirginitas: ut sanctus ex sancta nasceretur. Est & in gente clarum stemma, in quo longa sit regum series, & in his Salomon mortalium sapientissimus, Dauidque Salomonis pater, prophetico cantu nobilis, quę omnia in Christo euentura iam multo antè prædixerant ueteres prophetæ. Notum est Esaię carmen. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. Et rursus: Exiet uirga de radice Iesse. Fuit Iesses Dauidis regis pater. Et alius. Tu Bethleem, inquit, nequaquam minima es in principibus Iudæ, ex te exiet dux, qui meum regat populum Israël. Conceperat uirgo diuini spiritus haustu, quod non unus prophetarum dixerat futurum. Et iam uterum gestare cœperat, cæterum ne Iosippus, cui desponsa erat uirgo, rem uitio uerteret, tanti mysterij ignarus, (erat is iam grandis natu, & à Dauide prophetarum maximo prognatus) cœlesti oraculo est monitus, di uinitus factum quod Maria, quam desponsam habe ret uirginem, grauida facta esset, manere eam intactam, pariturámq; filium citra omnem uirginitatis noxam. His pientissimus senex instructus, in connubio sanctè perseuerauit, tuebaturque puellam insigni pietate. Et iam exacti erát materni menses, cùm ab Augusto est Cæsare edictum, ut quicquid gentiũ Romano pareret imperio, id passim terris omnibus censeretur, iuberenturque Iudæi à Cyrino, qui Syriæ præsidebat, tributim dare nomina: quo contigit, ut Iosippus ex Galilæa Bethleẽ sit profectus cum coniuge, ut in Dauidica tribu cum suis censeretur. Hic illa intempesta nocte partu leuata est, natusque puer inoffenso matris urero. Sanctum enim esse oportuit omni tempore altissimi tabernaculum: ut prophetica uox multo prius testata est. Puerum pannis obuolutum, quia in diuersorio, ob affluentẽ multitudinem, nõ erat locus, in præsepio mater reclinauit. Occurrunt eò cõfestim pastores ex proximo, supernè iussi ad diuersoriũ pertẽdere, ubi puerũ inuenirẽt ad humani generis salutem nuper editum. Steterũt hi posteaquã ad locum uentum est, stupore defixi, nec interim cœleste oraculum in occulto habere. Subijt astantium animos continuò tacita religio, uenerabundique puerum intueri, Extiterunt & alibi argumenta quædã mysterij huius. Romæ regione transtyberina oleum, ut Eusebius scribit, sub idem tempus terra erupit, perque integrum diem perpetuo manauit fluuio. Orosius autor est, eodem die, quo Christus est in Iudæa natus, Octauium Augustum edicto uetuisse se dominum appellari, manifesto, ut reor, præsagio maioris dominatus, qui tum in terris oriretur. Nec minori fuit admirationi quod paucis diebus quibus Christus circuncisioni admotus est, Iesus que uocatus, quod futurum priusquam nasceretur, prædixerat è cœlo nuntius, tres ab oriente Magi, uiri opibus & sapientia clari, cum preciosis muneribus, regalique comitatu, Hierosolymam uenere. Magos Babylonij & aliæ quædam gentes, quæ ad orientem Solem uergunt, reges & sapientes uocant. Hi urbem ingressi, continuò scisciatari incipiunt, ubi Iudæorum rex esset, quem nuper natum stella à se in cœlo obseruata demonstrasset, uenisse se id astrum secutos, ut puerum adorarent. Ciuitas, cui Magorum nomina per se satis honorifica erant, audita tam longi itineris causa, subirò in admirationem uersa est. Nemo erat qui non persuasum haberet, nihil à uiris tali sapientia temerè credi potuisse, nec fuisse eos tam procul in aliena patria, alienoque regno quæsituros, quod non sua & multorum interesset. Hic itaque animorum motus ad Herodem perlatus, simul quia tantorum hospitum accessus diu latere nõ potuit, uehementer illius animum perculit. Nihil enim regi est regio nomine suspectius. Scisciatur itaque à sacerdotibus & scribis, quibus curæ erant prophetarum scripta, ubi esset Christus nasciturus. In Bethleem responsum est, quod prophetæ prædictio planè demonstraret, estque carmen recitatum: Et tu Bethleem nequaquam minima es in principibus Iudæ: ex te exiet rex qui regat populum meum Israël. Tum Herodes appellatis Magis, quum ex his tempus stellæ didicisset, Ite, inquit, & puerum inuestigate, eoque reperto locum, & quæ à uobis circa illum fuerint obseruata, huc renuntiate, nam & ipse regem istum, quem nuper natum cœleste fidus uobis demonstrat, cupio ui sere & adorare. Magi Hierosolymis digressi, posteaquam stellæ ductu ad locum peruenere, uenerabundique ante puerum iacuerunt, myrrham, thus, & aurum illi obtulere, monitiq; per quietem ne redirent ad Herodem, diuersis unde profecti fuerant itineribus abierunt. Secuta haud multo pòst uirginis purificatio, non quia purificatione opus esset aliqua, unde omnis labes abfuit, sed ut lege patrioque instituto cuncta fierent. Hic quoque res memorabilis accidit. Simeon homo magno natu, perspectaque pietate, puerum templo illatum cupidissimè complexus, regem, & saluatorem suum, prophetico uocat spiritu, atque ex ea uoce, ut quidam scribunt, Iesus inde fuit nomen puero, quod idem Hebraicè ualeret, quod & saluator. Christi appellationem ex mystico tulit chrismate, quo in argumẽtum regiæ potestatis perfusus est. Sic Dauid rex. Sic quicunque post Dauidem in Palæstina rerum potiti sunt, unguento delibuti, ad regium fastigium perue nere. Fuit inunctio Palæstinis regibus, quod & purpura nostris imperatoribus. Christum Hebræi Messiam uocant. Anna quoque prophetica mulier puerum uidit, & agnouit. Post lustricum diem uirginis qui à puerperio quadragesimus fuit, Iosippus cum Maria & puero in Galilæam reuersus est. Hic senex per quietem uisus sibi supernè moneri, ut cum puero & matre confestim Ægyptum peteret, futurum ut nisi in solitudinem abiret, puer interceptus Herodis sæuitia extingueretur. Decretum erat regi, recepta prophetici carminis opinione, & quod à Magis fuisset deceptus, omnes pueros nuperrimè ortos perdere. Cæterum Aristobolo & Alexandro filijs eum sæuitiæ apud Augustũ accusantibus, tandiu

Saluatoris nostri natalis.

Annimundi.

Vbi Iudæa.

Prophetica oracula.

Augu. Cæsaris edictum.

Miracula in saluatoris ortu.

Iesus.

Magorum munera.

Christus.

Iosippus in Ægyptũ cũ puero effugit.

Iudæorum motus.

tandiu destinatũ scelus distulit, quoad sit Roma reuersus. Tum primũ omnium à quibus fuerat oppugnatus, & cum quibus in gratiã parum syncera fide redierat, in Cæsarea laqueo necauit, inde ad puerorũ cædem conuersus, qui eo fuerant biennio nati (tantum ferè temporis ab Christi ortu interfuerat) ex compositio trucidat, homo ad fæuitiam natus, qui dum nulli parcendũ putat, in infantis filij cędem impudẽs incidit, quæ res materiam præbuit Augusto principi in uetus gentis institutũ cauillandi, ut dixerit satius fuisse Herodis esse porcũ quàm filium. Iudæi sui lla carne ueteri lege abstinent, abhorrentque usqueadeò, ut ne alát quidem id animal. Incidit inde Herodes in luctuosissimas calamitates. Duxit ille plures uxores: licebat enim propagandæ sobolis causa pluribus uacare connubijs. Extulit itaq; non ex una coniuge liberos: quo accidit, ut immoderata regnãdi cupiditate æmulationeq; iuuenes accẽsi, nõ modò ipsi non amico inter se animo essent, sed patri quoq; capitales molirentẽ insidias, quo senex crimine Alexandrum occidit & Aristobolum, ut suprà est memoratum. Occidit & Antipatrum, cuius illi indicio pericrãt. Erat Antipater cum Archelao & Olympiade, ex Samarea ortus matre, Philippus & Herodes ex Cleopatra Hierosolymis nata, atque alij plerique ex alijs. Venit igitur Antipater apud patrem in suspicionem tanquam illius regno & uitæ insidiaretur, cuius consilij mater & necessariorum pleriq; haud ignari essent. Fauere eiusdem inceptis & Pharisæorum factio, cuius sectæ haud pauci sunt eo crimine Herodis iussu interfecti. Erant Pharisęi portio quædam Iudæorum, patriæ legis scrupulosi, & ingenioſi, ut uideri uolebant, interpretes, fictiq; diuinorum cultores, ad sex milia numero. Hi quũ olim iusiurandum detrectassent, cui pro Cæsare adhibebantur, grandi pecunia fuerant ab Herode mulctati. Ab resíduo igitur eius animaduersionis odio Pharisæi rebus nouis studebant, ut regis senectam inquietarent. Antipater ad declinandam facti inuidiam cum amicis qui Romę erant, nam quum ipse, tum alij Herodis filij educati in urbe fuerant, ac regiè culti (obsidũ nomine, an rex ita euenire uoluerit, ut fides sua esset Cæsari probatior, Iosephus & alij quos sequimur, non tradunt) occultè egit ut Romam ab Augusto accerseretur, quod cũ facile per eos tenuisset, missus à patre est cum muneribus, quem absentẽ multis ille apud Augustũ est criminibus insectatus. Nec præsenti scelere cõtentus, aliud multo atrocius adortus, uenenũ ad matrem ex urbe misit, qđ illa suo misceret patri. Tam dira regnãdi cupiditas iuuenis animum incesserat. Id deprehensum Herodes occultum habuit, quoad sit filius ex Roma reuersus. Tum iuuenis corã amicis in quibus fuit Varus Syriæ præfectus, iussus cogitati parricidij causam dicere, cùm parum liquidò se purgaret, custodiæ traditus est, arctiſsimeq; uinctus, nec rex postea multũ superfuit. Exedebat lentus ignis membra, multoq; perniciosius intus quàm foris grassabat morbus, quem alebat inexplebilis quædam cibi auiditas. Sæua inguinum nutriebat intestinũ malum. Humor luridus circa pedes & inguina oberrabat, uiriliaque putredine corrupta scatebant uermibus. Ex ore crebra spiritus attractio anhelitusq; diri fœtoris, ac tum demũ malorum tædio, quũ fortè pomum cultro purgaret, subitus quidam impetus cepit uitæ finiendæ, transegisseteq; se ferro, nisi præstò affuissent qui uim inhibe rent. Iosephus sub id tempus ait multos insontes senis imperio interfectos, eamq; cædem domesticatim euagatã. Sed ille causam cædis aut nesciuit, aut certè dissimulauit. Est & quũ iam proximus morti esset, nouis Iudæorum motibus agitatus, qui Mathiæ pontificis suasu auream aquilam subuertere adorti sunt, quam eximij ponderis affabreque ornatam rex ante templum dedicauerat. Erat Mosaicæ legis præscripto cautum, nequa animalium effigies in templo coleretur. Mathias sacerdotio submotus est. Principes seditionis in custodiam coniecti. Ipse Antipatro interfecto, regnum per manus Archelao tradidit, nec ita multo post fato perijt, quũ annos septem & triginta regnum tenuisset. Fuit Iosippus cum Maria uirgine & puero annos septem in Ægypto, quo temporis spatio deorum simulachra quos tum gens stulta & omnium errorum mater coluit, sua sponte concidisse dicuntur, obmutueruntq; ma lorum dæmonum oracula, morsq; secuta est, quod futurũ multo antea prædixerat propheta. Ecce, inquit leuem nubẽ conscendet, & Ægypti simulachra mouebuntur in conspectu eius, tabescetq; cor Ægypti in medio ipsius. Iosippus post Herodis interitũ Hierosolymam reuersus, ubi Archelaum defuncti regis filium regnum tenere sensit, paternam in nouo rege sæuitiam ueritus, Nazaretum concessit cum puero, unde & Nazareni cognomen postea illi fuit. Procedente deinde tempore, quum iam puer duodecim esset annos natus, parẽtes ad solenne sacrum est Hierosolymam secutus, peractisq; sacrorum diebus, suis retrò abeuntibus Hierosolymis subsedit. Iosippus & mater rati eum in comitum & cognatorum cœtu esse, etsi cura & solicitudine anxij, pergere tamen cum alijs procul ire, quoad unius diei itinere confecto, puer inter propinquos requisitus defuit. Reuersi itaque in urbem, triduo quàm desiderari cœperat, in templo inueniunt, medio sapientum consessũ sedentem. Mirari circũfusa multitudo pueri prudentiam, qui & percunctando & respondendo multum supra ætatem saperet. Hic à parentibus receptus, rogatusq; à matre quid ita sibi & patri tam tam solicitudinem iniecisset cœtu aberrans? En ambo, inquit, dolentes tertium iam diem te fili tota urbe quærimus. Tum ille: Quid me quæritis, inquit, mater? an ignari estis me in ijs esse oportere quæ patris mei sunt? Et hæc tum in Christo adhuc puero euenerunt, qui cum parentibus in Galilæam reuersus, sapientia, ut euangelica tradit historia, & gratia proficiebat, erat enim cum eo Dei uirtus. Quid uero iam inde à pueris ad trigesimum uitæ annum egerit, quo tempore à Ioanne Zachariæ filio ad Iordanem fluuiũ sacro fuit baptismo insignitus, in occulto est. Sed cuncta pia & sancta sunt animo proponenda. Erat interea pax tanta terris omnibus, quanta, ut antea diximus, fuit nunquam, florebantq; res Romani imperij ubique fama & felicitate, sed Italia in primis tum omnium gentium domina, humanarumq; rerum princeps, de cuius situ, & hominum moribus de industria distuli in hũc locum dicere, ut tum terrę nobilissimę mentio fieret, quum maximè legibus, cultu, moribus, omniũq; rerum quas miratur uita, affluerit copia. Est itaq; Italia ab alpib. quæ à septentrione terram ipsam ualidè muniunt, inter superum inferumq; mare ad fretum usque Siculum extensa, Tyrrhenum ab occasu, & Ligusticum allatrant, inde ex aduerso Ionium & Adriaticũ, ad meridiem Ausoniũ pelagus cum Europo Siciliam ab Italia dirimente. Adeò multa terram nobilissimá perfundunt maria. Excurrit Ligusticũ pelagus à Varo flu. Italiæ Galliæq; confinio, ad Lunam Hetruriæ. A Luna Tyrrhenum cum ipsa Italia ad fretum usque protenditur. Ab ortu Ionium inter Calabriã & Corcyram, ab Hydrunte fumit initium. Adriaticum à Corcyra ad intimum tendit sinum, in quo inclytæ sunt Venetiæ, ab Hydrunte ad Lacinium & Pelorum Ausonium mare inde illæ insanientis freti angustiæ, quæ ueteribus poëtis grandem fabulandi materiam præbuere. Abit extrema tellus uelut in duo cornua, Lacinium & Leucopetram. Dextrum hoc promontoriũ. Illud lęuum. Quo fit ut quidã cruci similem Italiã dixerint, proceritate multo amplio rem quàm latitudine. Alij querno folio assimilem.

Patet in

Augusti additum.

Herodes filios interficit.

Antipater patri insidiatur.

Fœdissimum morbi genus

Iosippi reditus ex Aegypto.

Christus duodecim annorũ.

Pax ingens.

Italiæ descriptio.

Longitudo. Pater in longum ab alpibus Rhegium, quod oppidum in eius humero est situm: nam ibi incipit tellus flecti in ceruicē decies centena & uiginti milia passuum, multo longiore ad Licinium mensura, ni obliquitas in latus egredi uideretur. Præcipua latitudo

Latitudo. à Varo flumine ad Arsiam Italiæ & Delmatiæ terminum quadringentorū decem miliū passuū. Ab Aterni fluminis ostio ad ostia Tyberina qua Italia præceps cōtrahitur, centum triginta sex milia. A castro nouo ad Tuscū mare adhuc minus. Ambitus ab Arsia ad Varum tricies centum quinquaginta octo milia passuum. Distat Italia à Liburnia quibusdam locis, centum milia passuū. Ab Epiro & Illyrico quinquaginta. Ab Aphrica minus ducētis. A Sardinia centum uiginti. A Sicilia mille & quingentos passus. A

Littoralia loca. Cyrno siue Corsica minus septuaginta milia. Littorales regiones. A Varo flumine ad Macram Liguria terminatur, ubi Genua illustris. Inde ad Tyberinum amnem Hetruria, ubi Pisæ. A Tyberi ad Lirim, Latium, ubi Roma intus, Antium in ora. A Liri ad Sarnum Cāpania, ubi Neapolis. Inde ad Sylarim Picentinorum regio, ubi Surrentum & Salernum. A Silari ad Laium Lucania, ubi Pestum, & Buxentū. A Laio ad Leucopetrā Brutij in quibus Rhegium Iulium. A Leucopetra ad Iapigium promontoriū, quod & Salentinum, magnæ Græciæ ora, ubi Croton et Tarentū. Ab Iapigio ad Brundusiū Calabria, ubi Hydruntum. A Brūdusio ad Garganum Apulia, ubi Barium & Salapia. A Gargano ad Sari flu. ostia Frentanorū regio, ubi Istonium. A Saro ad Aternum amnem Marucinorum ora, ubi Orton. Ab Aterno ad Æsium fluuium antiquissimum Italiæ terminum, Piceni, quorum Ancon, ab Æsio siue Asio, ut quidam scribunt, ad Rubiconem recentius Italiæ cōfinium, Senones, quorum Phanum fortunę, Pisaurum & Ariminum. A Rubicone ad Padi ostia Boij, quorum Rauenna. A Pado ad Tiliauentum Veneti, ubi nunc Venetiæ. A Tiliauento ad Natisonem Carni, ubi Aquileia. A Natisone ad Arsiam Iapides & Istri, quorū Tergestum

Mediterraneæ gentes. & Formio amnis, & ipse aliquando Italiæ finis. Mediterranei sub alpibus Euganei, quorum Verona & Vicetia. Cenomani, quorū Brixia. Leponti, quorum Bergomum. Insubres quorum Mediolanum. Salassi, quorum Prætoria Augusta. Taurini, quorum Dertona. Libyci, quorum Vercellæ. Introrsum circa Padum togata Gallia, ubi Placētia, Mutina, Parma, Vmbria, ubi Æsium Spoletū, Tuder, Sabinia, ubi Nursia, & Reate. Æquiculi, quorum Cliternum. Peligni, quorum Sulmo. Vestini quorum Amiternū. Samnites, quorum Beneuentum. Et hi populi regionesq; Italiæ notissimæ. Ligures, ut uetustas cēseatur, à Ligysto sunt Phaëtontis filio, ut Pictor Fabius prodidit, si horum gens Siculi fuere, ut Thucydides arbitratur, magna pars Italiæ est ab his olim possessa. Siculi ab Oenotris Italia electi, Siciliam tenuerunt. Ligurum regio plurimum nemorosa, materia ad naualem fabricam his locis præcipua, arbores tanta crassitudine ut diametro octonos pateant pedes. Gens ferox, & ad rebellandum nata, & quæ diu Romana exercuit arma, plurimum pecore uictitant, lacte hordeaceaq; potione. Tusci his finitimi gens olim Italię opulentissima, à Græcis Tyrrheni dicti, dubiū à Tyrrheno Atys, an Herculis & Omphales, an, ut alij scribunt, Telephi filio, qui in eam terram duxerit colonos. Dionysius à Tyrsibus ædificiorum genere quibus Tusci uterentur, id nomen factum suspicat, Xanthium Lydum haud dubiè secutus, qui neq; Tyrrhenum in Lydorum gente ducem, neque eius gentis in Italiam profectione nouit ullam: Romani nunc Tuscos uocāt, nunc Hetruscos, Graiam fortassis uocem imitati, qui diuinorum cultores Thyoscos dixere. Veterem Hetruscorum opulentiam, quum pelagi nomen demonstrat, magna ex parte Italiæ prætenti, tum fines terrę ab infero ad superū mare, & ad

Circuitus. *Distātia à circūiectis terris.* *Ligures.* *Siculi.* *Tusci. Tyrrheni.* *Hetruscorum opes.*

A alpes propemodum promoti. Satis cōstat quicquid terræ intra alpes iacet, & Apenninum Vmbrorum olim fuisse, qui inde à Tyrrhenis sint eiecti: Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis, qui postremo nomen ipsi terræ indiderunt. Et quod ad celebritatem nominis attinet, Latini, Vmbri, & Ausones, à Grēcis Tyrrheni sunt olim uno nomine appellati: quidam etiam Romam ipsam Tyrrhenam urbem opinati sunt. Adeò unius gentis nomen præ cæteris Italiæ cultoribus fuit Græcis scriptoribus celebre. Curulis sella, Prætexta uestis, Lictores, Fasces, Sceptrum eburneū, & alia regum insignia ab Hetruscis ad Romanos fluxere. Gens in uniuersum magis superstitiosa quàm pugnax. Mirū olim in his augurandi studium, præcipuaq; eius artis eruditio. Hinc ludibrium illud malorum dæmonum ad Romanos defluxit. Hinc Bacchanalia, quæ ut fœda & perniciosa magno bonorū consensu sunt autorum supplicio uindicata, ex totaq; Italia sublata. Regio magis nitida quàm ferax, & quæ non tam natura quàm colentium ingenio placet. Lydi, si uera est fama, colonos in eam terrā miserunt, mox Pelasgi, postremò & Romani, qui Latio primùm, inde cæteris gentibus imperitarūt. Latium Apennini iugis, mari, duobusq; fluminibus Tyberi & Liri clauditur. Dubium quia inter montes lateat: an quia in ea terra latuerit Saturnus, sit nomen fortitum. Latini à Latio sunt, non à Latino Aboriginum rege, qui post Ilij excidium Troianos & Æneam ducem excepit hospitio: ut Græci Latiniq; scriptores ad unum fermè tradunt. Orpheus qui fuit ex Argonautis unus (horum enim filij ad Troiam militarunt) Latinorum finibus nauim ait Argo appulsam, quam uates uetustissimus uocem usurpare non potuisset, si non aliunde facta esset, quàm ab Aboriginum rege, qui post Troiæ excidium Æneæ filiam matrimonio locauit. Habuerunt à principio Latium Siculi ipsius terræ indigenæ, si Dionysius homo in Ionio natus, Latij uetustatem præ cęteris habuit exploratā. Thucydides Ligurū gentem Siculos arbitratus est. Oenotri ex Arcadia oriundi, Siculos Latio cæteraq; Italia eiecerunt. Tenuerunt & Sicani ex Iberia, ut quidam existimāt, profecti. Hi ab Aboriginibus, qui ex Oenotris uoto uerè sacro orti dicūtur, Italia finibus pulsi, Siciliā post Siculos tenuere: unde Siciliæ sunt & Sicaniæ nomina. Pelasgi inde cum Aboriginibus circa Latiū sedes habuerunt, qui Pelasgi ductu (fuit is Iouis & Niobes filius) in Thessaliam primùm ex Arcadia profecti sunt: mox hinc pulsi, in Dodonen deuenere. Postremò in Italiam delati, in partem terræ iam antea bello quæsitæ, sunt ab Aboriginib. recepti. Secuta alia Arcadum manus cum Euandro. Mox Epij qui ex Herculis comitatu fuere. Nouissimi externorum Troiani Æneæ ductu in Latium uenerunt, qui Aboriginibus mixti, duplex gens, ut plures scribunt, in Latinorum appellationem abijt. Tenuerunt Italici generis terram ipsam Aurunci & Rutili citra Circeios antiquissimum Latij terminum, ultra Volsci, Osci, & Ausones ad Lirim usq; fluuium, ut ad centum milia passuum recentis Latij haberit lōgitudo. Ferax terra, omniūq; frugum præstantia nobilis. Acre genus hominum, & ante Romam conditam penè incultum. Romanis inde exerciti armis prisci Latini, mox prævalidi populi commilitio assueti, urbanisque disciplinis instructi, pace belloq; multo cultiores sunt facti. Sed nihil habuit Latium Roma præstantius, de cuius uera origine & incrementis, abundè suo loco diximus. Et Campania, quæ est Latio affinis, Tusci Oscos eiecere. Osci, Ausones, & Opici ab initio tenuerūt. Tusci à Samnitibus inde pulsi sunt, Sānites à Romanis, etsi Chalcidenses & Cumæi multo prius Cumas & Neapolim in ea terra posuere. Hic temulentia illa nobilis succusq; per omnes terras inclytus, &, ut ueteres dixere, sum-

Longobardi. *Insignia Ro.* *Augurādi ars.* *Latium.* *Latini.* *Veteres Latij incolæ.* *Latij fines.* *Campania.*

A re, summum Liberi patris & Cereris certamen. Quę hic de Cimmerijs qui iuxta Auernum subterranea tenuerunt loca, quæq; de Gigantibus in Phlegræo agro uictis sunt memoriæ prodita, tam propinqua uidentur poëtarum fabulis: ut historiæ fide incolumi neutrò uersum affirmari possint. Regio ferax & delitiosa, ac præter uini olei & tritici præstantiam, odoratissimis arboribus tam frequēs, ut Citrei Medicię; mali nemoribus uestiantur omnia aprica regionis loca. Laureta adhæc Myrretaq; his passim interiecta, hæc littoribus, illa collibus agnata, genus hominum dicax, magisq; delitiosum quā ferox. Picentes Strabo eam gentem existimat, qui circa Adriam sedes adhuc habent. Picētia metropolis. Eadem terræ felicitas, quæ & Campaniæ, idem tractus, alienis etiam mensibus uernans. Mira his Silari fluminis natura, uirgulta aquis immersa lapidescunt, colore & forma in materia seruatis. Et Picentibus Lucanis & Brutijs Romani sunt uiatoribus & tabellarijs usi, remisso illis ob eam operam, omni alioqui militiæ munere. Lucani à Samnitibus orti, duce Lucio seu Lucillio, ut alij scribunt: unde Lucaniæ nomen. Sunt qui id nomen factum ab eo arbitrentur, quod ea regio sita sit ad Luciferū stellam: alij quod loca ætherea sint, & ob id multæ lucis, siue quod ij qui in eam terram uenere primum in luco consederint. Cæterum quæcunq; fuit nominis ratio, Siculis ab initio inde eiectis, Oenotri terrā tenuerunt, mox & Pelasgi. Mira locorum apricitas, ac perpetuo uernans littus, nisi frustra Maro bifera his locis cecinit Pęsti rosaria. Lucanorum opes ad fretum usq; Siculum processere: inde Brutij oram ipsam tenuerunt: fuerūtq; hi Lucanorum serui: ut alij dicunt, filij, qui patrio instituto quum pastores essent, latrocinio cō stituto magnas sibi opes post secessionem à suis factam quęsuere. Brutij rebelles & fugitiui dicuntur Lucanorū lingua. Vetus studium gentis arguit res B ipsa in qua nata est. Lucanorum fuit quicquid illi in extremo Italię recessu postea tenuerunt. Brutiorūq; ora dicta. Hic extremi Hannibalis in terra Italia conatus. Hic Spartaci & fugitiuorum obsidio illa memorabilis. A Græcorum ora quæ & magna Græcia dicta est, Ausonium mare hanc Italiæ alluit partem, ac tam crebro lācinat, ut in tris breuis ora curuetur sinus, adeò interdum sese extenuans, ut nullibi sit Italia angustior. Fama est Dionysium maiorem in animo habuisse, Isthmo circa portū qui postea est Hannibalis dictus, rescisso, extremam Italiæ partem Siciliæ adiungere. Hic Græcorum plerique nouas sibi sedes posuerunt, Locri, Zephyrij, Thessali Philoctetæ ductu, Cretenses, Corinthij, Spartaniq; Tarentum auxere. Adiacet magnæ Græciæ Calypsus, insula quam Homerus appellauit Ogygiam. In eodē Italiæ recessu celebris ille Pythagoreorum cœtus. Italicæq; philosophiæ ortus, pugilumq; & Athletarum uetus studium, gens alioqui rei bellicę inutilis. Tenuerunt Græci proximam huic oræ terram Chersoneso similem. Eam Mesapiam dixere quidam, alij Salentinam, plures Calabriam, ab rerum credo optimarum prouentu, in Ionium procul excurrit: unde in Macedoniæ oram traiectus, l. milium passuum, quem ponte Pyrrhus rex, mox M. Varro quū Pompeij auspicijs piratas infectaretur, iungere cogitauit. Mel & uellera his locis, sed circa Tarentum laudatissima. Id, ut dixi, Lacones Phalāti ductu instaurarunt. Cretenses prius tenuere, qui cum Theseo ex Creta profecti dicuntur. Nullo Italia loco feracior nobiliorque prouentu. Hic triticum, saccarum, alica, uinum, oleum, uellera, equi bellacissimi statura & habitu uisendo. Hydrus ibi, siue Hydruntum, Ionij maris & Ausonij confinium. Peucetij inde Apuli, ex Arcadia: unde Oenotrij olim profecti. Pherecides Oenotrij & Peucetij fratrum ex ea terra profectionis meminit. Sunt & Daunij Apuli eodem

Campani soli delitiæ. *Picentes.* *Silari natura.* *Lucani.* *Lucaniæ nomen.* *Brutiorum origo.* *Dionysij tyranni conatus.* *Calabria.* *Hydruntum.* *Apuli.* *Peucetij.*

tractu, à Dauno Diomedis socero, habitu & lingua à Peucetijs indiscreti. Arguunt ueterem Græcorum in eam terram accessum uetustarum urbium nomina quædam, quas Ætoli, qui cum Diomede in Italiam uenerunt, & alij Græcorum condidere. Campestris & calida tota Apulia, & ob id alendo pecori hybernis mensibus maxime utilis. Feracissima adhæc hordei, tritici, uini, & olei, quatenus colitur. Frentani his propinqui inter fortissimos Italiæ populos censeri soliti, ut Peligni, ut Marsi qui Plinio autore à Circe sunt oriundi. Samnites qui à Græcis Sabelli dicuntur, hominum genus ferox & rebelle. Horum terram Vmbros ab initio tenuisse crediderim. Piceni, quod satis constat, à Sabinis sunt uoto uere sacro. Sabini Vmbrorum coloni. Picus auis quem eius gentis signa habuerunt, Picentibus nomen dedit, ccclx. milia ex his uenere olim in fidem Populi Romani, tam frequens fuit tum Piceni nominis incolatus. Condiderunt in eadem terra Liburni, gens Illyrica Truentum. Condiderunt & Siculi Numanam & Anconem. Quicquid inde soli est ad Padum & ultrà Vmbri gens Italiæ uetustissima habuerunt, quasi Ombrij à Græcis dicti, quia inundatione terrarum imbribus superfuissent. ccc. Vmbrorum oppida Tusci debellasse dicūtur. Quicquid igitur terrarū eius fuit gentis, circa Padum & Adriaticum mare, Tusci inde tenuerunt, Senones, Boij, & Insubres Galli inde Tuscos eiecerunt, Gallos Ro/ Post Padi fluenta ad Alpes Euganei Rhetique habuere. Hi à Tuscis duce Rheto, illi à Græcis oriundi: fuerunt enim comites Herculis. Cato in originibus septem & xxx. numerauit Euganeorū oppida. Hos Heneti, qui postea Veneti dicti sunt, & Troiani Antenoris comites, antiquis sedibus expulerūt. Veneti ex Paphlagonia profecti ad Troiam cum Pylemene militarunt, quo amisso, seditione agitati, Antenoris ductu in Italiam uenere. Polybius rei maritimæ studium & corporum cultum secutus in dubium propemodum trahit, sint ne Veneti qui ad Adriam habitāt, Paphlagonum gens, an potius à Gallis Venetis Oceani accolis oriundi. Carnorum regio Venetæ proxima, hodie Foroiulienses non Carni dicuntur, qui inter alpes & mare habent sedes, Carnorum appellatione in ijs qui alpes incolunt, adhuc resfidua. Tentauit his locis Gallorum manus sibi urbē ædificare, sed parum feliciter. Romani plurifariam in hæc loca colonos misere. Barbari quoq; terram ipsam ut ex proximo sępius inuaserunt, & ad breue tempus oppressam tenuerunt: unde sermo ille conflatus uideri potest, quo hodie Foroiulienses utuntur, haud unam sonans linguam. Regio fertilis & amœna, & quia Alpes illi aquilonem defendunt, sua uiter aprica, ferox genus hominum, nec tamen inhospitale. Iapides ab Ætolis mihi esse uidentur. Cęterum an ab ijs, qui cum Diomede in Italiam uenere, an alijs parum compertum habeo. Satis constat Ætolum fuisse, qui id nomen dedit genti, sed hi magna ex parte alpini, & ob id multo ferociores de quibus longior fuit sermo in alpinarum rerum relatione. Postremo & Istri qui essent abunde diximus, quum de Argonautis incidit relatio. Et hæc in transcursū de ijs, qui Italiam ab initio habuerunt. Apenninus mons totam terram uelut in duas diuidit plagas, hanc ad occasum & meridiem, illam ad septentrionem & ortum obuersam, ab alpibus, primo in Liguriam excurrēs: mox inde Cisalpinam Galliam & Picenū ab Hetruria & Sabina dirimit, Anconēq; progreditur: unde auersus in Apuliam & Garganū montem extenditur. Marrucinorum, Pelignorum & Frentanorum terram à Latio & Campania separans, ultimus eius conatus ex Gargano est ad Leucopetram: hinc Apuliam habens, Calabriam, & magnæ Græciæ oram. Picentes inde Lucanos & Brutios. Flumina Italię nobilissima. Padus, Truentum,

Frentani. *Peligni.* *Marsi.* *Samnites.* *Piceni.* *Sabini.* *Vmbri.* *Tusci.* *Senones.* *Euganei.* *Rheti.* *Veneti.* *Troiani.* *Carni.* *Iapides.* *Apennini tractus.* *Flu.*

Lacus. Arnus, Tybris, Liris, & Vulturnus. Celebres lacus. Verbanus unde Ticinus fluit. Larius unde Abdua. Eupolis unde Lambrus. Sebinus unde Oglius. Benacus unde Mincius. Et hi in Cisalpina Gallia. In Hetruria Trasimenus, In Sabinis Velinus. In Marsis Fucinus. Color Italis & statura pene diuersa, In Cisalpina Gallia Venetoque recessu color uulgo candidus, cultus & sermo accuratior. Contrà in Hetrurię tractu Latio, Campania, Lucania & Brutijs aquilus, capillus niger, breuior statura, & macilenta, sermo cultus & simplex. Omnia similia in Piceno & his q superi maris oram accolunt, usque in magnam Greciam, nisi quod in Apulis, Calabris & ijs qui extremam tenent Italiam, uictus & sermo cum Græcis promiscuus durat. Tota Italia, ut omnis fere Europa, uno semper fuit matrimonio contenta. Repudiū in Italis ex urbe Roma translatitiū. Hic Spurius Carbilius, sterilitatem coniugis causatus, primus uxorē repudiauit. Triplex tunc in ciuitatibus conditio, seruilis, libertina, & ingenua. Ingenuorum triplex ordo, plebeius, equester, & patritius. Sacrorum ratio penes pontifices & flamines & alia quædam collegia esse. Alia alijs dæmonibus sacra facere. Summus honos & potestas in dictatore, à quo nulla fuit prouocatio. Ea dignitas semestris. Huc per dignitatis gradus fiebat à quæstura accessus, per ædilitatem, prœturam, consulatum & censuram, non quod semper per hos gradus iretur, explendus que esset numerus, sed in dignitate potestateq; hic ordo erat, ut in re bellica certi militię gradus. Miles Centurioni parebat. Centurio tribuno. Tribunus legato. Legatus consuli, seu alteri cuius essent auspicia, magister equitum dictatori. Legitima militia decēnium habuit, si non prius debellari cum hoste contigisset, aut missio aliqua intercidisset, quę nomine & re non una fuit. Præter legitimam illam cuius nunc mentio facta est, fuit & causaria. Hæc ut priore illa minus pulchra, ita reliqua honestior, quæ abre ignominiosa dicta est. Militaris ætas, ex Seruij Tullij præscripto, à septendecim annis in octauum & quadragesimum decurrebat. Pacati in Toga agebant, bellantes in Sago & Paludamento. Bella feciali iure inferebantur, illataque soluebantur non nisi legitime. Ciuitates aut sociæ, aut coloniæ, aut municipia. Municipibus alijs ciuitas cum suffragio data, alijs sine. Coloni, ut membrum ciuitatis, Romanis uiuebant legibꝰ, municipes suis. In his decuriones erāt quod Romæ senatores. Purpura patritium distinguebat ordinem ab equestri. Aurum equestrem à plebeio. Iudicia maiestatis totius erant populi. Rerum capitalium, iudicum, qui ad id sorte lecti essent ex eadecuria quę eo anno iudicaret. Ciuilium rerum prętoris centumuiralis hastæ, aliaque aliorum. Est Italia ut pauca de tota terra in uniuersum dicam, metallis grauida, ubique uitalis & perēnis salubritas, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij fluctus, opaca nemora, munifica syluarum genera, mira frugum, uitium & olearum fertilitas: nobilia pecori uellera, opima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina fontesque saluberrimi, portus plurimi, ipsa aduide ad mortales iuuandos in maria procurrens, & uelut gremium omnium gentium commercio pandens, ut uere dicta sit à quibusdam terra rum omnium alumna, atque eadem parens cœlestium prouidentia electa, quæ sparsa congregaret imperia, molliretq; efferatarum gentium ritus, discordes ad colloquia linguas, munere literarū, Latinoq; sermone congregaret. Cæterum ut gentes fileam (nam longum esset numerare) quas Romani lingua, & armis uicere, tantum una Quiritium ciuitas uirtutum omnium ualuit exemplis, quantum omnis Græcorum eloquentia præceptis, qui quasi ita futurum diuinassent, ut hæc una terra omnibus esset gentibus imperatura, quotam ipsius partem ma-

Color & habitus Italorum.

Sacrorū ratio.

Magistratuum & militiæ gradus.

Ciuitatum genera.

Iudiciorū norma.

Italiæ laudes.

A

B

gnam Græciam dixere, &, ut breuiter dicam, non sine prouidentia accidit, ut quum Deus optimus terras inuisit, tum ibi cunctarum gentium arx esset & imperium, ubi mox Christiani nominis futurum erat caput. Et Italia in hūc se modum habuit, quum Christus Dei filius, triginta iam annos natus, suam cœpit gloriam gentibus prædicatione & miraculis pandere. Tum toto triennio quo per hæc ille in terris uersatus est, excussæ sunt malorum dæmonum insidiæ, patefactaque est hominum ad suum creatorem uia, quicquid pie uereque de deo, de trinitate, de tota cœli gloria sentimus, nostri regis doctrina est. Conciderunt tum demum uetustatis tenebræ, & quæ figuris tegebantur diuina retexit sapientia. Parabola plurimum, aut similitudine usus est doctor ille summus. Docere pietatem & iustitiam, sed omnium maxime mutuam charitatem. Nec præcipere tantum, sed exemplo quæ præciperentur præstare. Longum fit, operisque haud dubie inexhausti immensam miraculorum seriem quę ille in aperto propria est uirtute operatus, ordine explicare. In Cananęa terra, quod satis constat, sacraque testatur historia, frequenti conuiuio aquam quod absolutum est diuinitatis opus, in uinum uertit: pari uirtute quina hominum milia, simul discumbentium, quinque hordeaceis panibus, duobus q; exaturauit piscibus. Cęcis lux reddita est. Muti uocales facti. Surdi, Claudi, Elephantici, Paralytici, nunc tactu, nunc uerbo ab eo curati: & quod omnium maximum fuit, maximeque diuinum, adolescentem uita defunctum, cœptumque efferri, matri incolumē restituit, & Lazarum quatriduo antè defunctum à morte suscitauit. Conuerterant hæc diuinitatis opera, saluberrimaque saluatoris prædicatio multos mortalium ad ueræ pietatis studiū, & iam multitudo ingens Christo hærebat. Hunc unum audire, uerum prophetam, & eū qui desuper mittendus erat uulgo prædicare. Totam Syriam aliasque circumiectas terras *impleuerat prædicationis huius ac miraculorum fama. rit.* Qua Abagarus Edissenorum Toparcha (erat ea gēs ultra Euphratem posita) impulsus, literas dedit ad Iesum, in hanc sententiam. Abagarus Vehanæ filius Toparcha Iesu saluatori bono, qui in Hierosolymorum locis apparuit, salutem. Auditum mihi est, & de te, & de sanitatibus quas facis, quod sine medicamētis, aut herbis fiant ista perte, & quod uerbo tātum cęcos facis uidere, claudos ambulare, & leprosos mundas, & immundos spiritus & dæmonia eijcis, & eos qui longis ægritudinibus afflictantur curas & sanas, mortuos quoque suscitas. Quibus omnibus auditis, id statui in animo meo, unum esse de duobus, aut quia tu sis deus & descenderis de cœlo, ut hæc facias: aut quod filius dei sis, qui hæc facis. Propterea ego scribens rogauerim, ut digneris usque ad me fatigari, & ægritudinem meam qua iamdiu laboro curare. Nam & illud comperi, quod Iudæi murmurant aduersum te, & uolunt tibi insidiari. Est autem ciuitas mihi, parua quidem sed honesta, quæ sufficiat utrisque. Et hæc ille. Cui Iesus per Ananiam cursorē qui literas attulerat, in hunc modum respōdit. Beatus es qui credidisti in me, quum me nō uideris. Scriptum est enim de me, quia ij qui me uident, nō credent in me, & qui non uident me, ipsi credent & uident. De eo autem quod scripsisti mihi, ut ueniam ad te, oportet me omnia propter quæ missus sum hic explere, & posteaquam impleuero recipi me ab eo à quo missus sum, qui ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquē ex discipulis meis, ut curet ægritudinem tuam, & uitam tibi & ijs qui sunt tecum præstet. Hæc nequis commentitia arbitretur, in publicis se archiuis inuenisse ait Eusebius Edissenæ, ubi Abagarus ea regnauit tempestate, his chartis notata, quæ ipsius regis gesta continerent, factaque ad uerbum ex Syris Græca, his commenta-

Christi prædicatio.

Christianorum strages.

Celebris prædicatio saluatoris.

Epistola Abagari.

Saluatoris epistola ad Abagarum.

rijs sunt ab eo inserta, quos de euangelica præparatione inscripsit, in quibus nihil sum ipse mutare ausus, ut integer in utraque epistola maneret sensus, & uerborum ordo. Tatheus ex. lxxij. discipulis unus ad Abagarum postea missus est, cuius prædicatione & miraculis, rex & multi cum eo sunt uerę fidei cultum complexi. Inde à rege discessurus, quum aurum sibi daretur, repudiasse fertur, hæcque subiecisse, si nostra relinquimus, quomodo accipimus aliena? Sed hæc aliquanto postquam Christus passus est, sunt apud Edissenos facta, quorum ciuitas Christiani nominis studiosissima gloriari sit solita, quod, ut idem autor scribit, saluatoris humani generis ad se missam haberet epistolam. Eratque per hæc Christi nomen, ut dixi, in Iudęa & finitimis gentibus ualde celebre. Cæterum quo maior ad illum fiebat concursus, maiorque de ipsius uirtute erat opinio, eò acriores inuidiæ stimuli exagitare Iudæorum pontifices, & alios quorum erat omnis rerum sacrarum cura. Hi quum per luxum & libidinem omnia perderent, eoque processissent hominum nequitia, ut neque sua uitia ferre possent amplius, neque ulla pati remedia, infense oderunt frugiferam Christi prædicationem. Sed auaritia multo acrius torquebat illorum animos, quum cernerent omnia pietatis & beneficentię studia in Christum conuersa. O dissę proinde simul eum, simulque criminibus insectari, quædam falso objicere, alia percontari, mox Christi sapientiæ impares ad uim cæci & amentes consurgere: eoque iræ surę indulgendo processit hominum uecordia, ut quem per se perdere non poterant, multitudini, cuius proprium est nihil sapere, perdēdum obiecerint, iuuitque multum nefarium consilium Pharisæorum opera. Erant tum, ut alio est loco memoratum, tres apud Iudæos uelut sapientum sectæ, sed Pharisæorum gratissima omnium multitudini, ac præ cæteris popularis. Iesus igitur qui omnia quæ uentura erant ab æterno uiderat, posteaquam appropinquare tempus cœpit quo pati oportebat, xij. illos affatur discipulos quos non ex Sophistarum scholis (haud enim talium indiga est ueritas) sed ex probissimorum hominum grege, optimum quenque in totius mysterij sibi testes delegit, & qui mox omnia quæ facta essent in omnes gentes pia prædicatione uulgarent. Pascha, inquit, dilectissimi post biduum, ut scitis, fiet, iam & illud simul futurum est, ut Iudæis traditus patiar. Cęterum cupio, priusquam hęc fiant, id solenne uobiscum celebrare: hæc ait ac simul duos ex discipulis Hierosolymam mittit, qui locum parēt, nec multo pòst ipse cum alijs in urbem secutus uenit. Hic ubi cœptum discumbi, sub panis & uini specie corpus suum & sanguinem uerbo consecrauit, singulisque assumendum obtulit. Lauit & inde omnium pedes ut ea res documento esset suis ad mutuam charitatem colendam: mox ordine retexit quæ in sua erant morte euentura, & quod discumbentium unus esset se Iudæis traditurus, traditum cæteri destituerent. Inde à cœna cum suis in Olueti montem transijt. Erat is locus urbi proximus trans torrentem Cedron. Ibi Iesus orandi causa hortum frequentare erat solitus. Iudas (erat is ex duodecim discipulis unus) occulte cum principibus sacerdotum in colloquium uenerat, pactusque cum his erat triginta argenteos nummos, ut illis Iesum traderet. Locus est & tempus ad id constitutum, quæ omnia quum fierent, etsi nihil diuinam mentē, quæ in Christo erat, latere poterat, cœnę tamē sacratissimę proditorem adhibuit, & ad extremum tempus amicū appellauit. Tam nefariæ proditionis causam impio homini fuisse ferunt quod unguentum quo Christus eo triduo, apud Simonem leprosum recumbēs, pie fuerat à Magdalena perfusus, non uenijsset. Erat mulier diues, & ad pœnitentiam Christi prædi-

Tatheus.

Iudæorum inuidia.

De apostolorum delectu.

Panis & uini consecratio.

A

B

catione nuper cōuersa. Ægre ferebat impius Iudas, quod eius pecunię expilandæ adempta esset sibi facultas. Argento itaque à Iudæis accepto, cum prætoria cohorte quā Pilatus obtulit, ad Iesum (notus enim erat ei locus) uenit. Ille ab oratione, cui ad altā noctem erat intentus, uenienti processit obuiam, Iudamq; amice percontans ad quid uenisset, nihil est proditoris oscului auersatus. Iam & qui cum Iuda erant, potuissent diuinitatis quæ in Christo erat admoneri, subito ad terram casu affligi, nisi ita euenire oportuisset, ut unus pro cunctis pateretur. Discipulis itaq; subita consternatione dilapsis, ipse arctissimis uinctus nodis, tumultuose in urbem trahitur. Estque primo ad Annam perductus, mox ab eo ad Caipham, qui pontifex maximus fuit eo anno. Petrus unus omnem trahentium turbam procul secutus. Caiphæ atrium ingressus, quia Galilæus erat, & frequens circa Christum obseruatus, factum est ut discipulatus nomine appellatus, Iudæos metuens, iterum ac tertio iureiurādo Christum abnegauerit. Id Iesus in Petro euenturum super cœnam dixerat, adieceratq; defectionē illam ante primum gallinacei cātum futuram: quo contigit ut simul ac nox alitis audita est, Iesus ad Caiphæ conspectum destitutus, oculos in discipulum flexerit, & ille suæ prœuaricationis admonitus foras egressus ubertim fleuit, flendoq; egit sui lapsus penitētiam. Interea duo falsi testes in Iesum coorti sunt qui eum calumnia obruere conati, quia parum quadrabant quę pro testimonio afferebantur nullaq; uideri animaduersione digna, pro uanis repudiantur. Ad postremum accusationis capita hęc illi intendebantur. Quod sabbatorum die curaret infirmos, quum nil ex lege luce illa liceret operari, & quod circumcisioni baptismum prætulisset. His freta calumnijs Iudæorum temeritas, Christum ueritatis assertorem, immo ueritatem ipsam, Pilato qui tum Iudæam procurabat, capitali supplicio afficiendum tradunt. Is quia celebre erat Christi nomen, ob signa quæ multa & magna in eo extiterant, apparebatq; non suo crimine sed Iudęorum inuidia premi, certus erat nolle eum perdere. Incredibilis itaq; cupiditas animum incesserat signi alicuius in eo uidendi, multumq; proinde & monēdo & hortando instirit, ut obiecta crimina dilueret. Haud dubium erat quin Pilatus, uel minima miraculi specie motus, omni iniuria abstinuisset. Cæterū ne humanæ redēptionis opus interpellaretur nihil impetrauit. Misit itaq; eum ad Herodem tetrarchā qui tum Hierosolymis erat. Fuit is magni Herodis filius, qui toto suo regno pueros ob Christum uno die sustulit. Enimuero Archelao fratre Cæsaris iussu sublato, iuuenis in paternum regnū succesit. Erat & Herodes uehementer cupidus miraculi alicuius uidendi, sed pertinaci silentio in eo offensus Christū pro despicato ad Pilatum retrahi iussit, purpurea illi ueste quod regium fuit insigne, ad ludibrium inducta, ac tum demū Herodes, cui haud obscuræ cum Pilato inimicitiæ intercesserant, in gratiam cum eo redijt. Pilatus Iesum flagro adhibitum, uarijsq; per noctem supplicijs crudeliter affectum, in conspectū dedit populi, futurum ratus, ut supplicij atrocitate commotus, præsenti esset animaduersione contentus. At non modo non id accidit, sed stulta multitudo sacerdotum impulsu multo insolentius sæuire, atq; una uoce efflagitare, ut Christum in crucem tolleret. Ille ut Iesum periculo eximeret (nulli dubium erat quin innocens pateretur) à populo scisciatur, utrum sibi dimitti uellet Christum, an Barrabam hominem flagitiosum & qui ob ſeditionem fuerat in uincula cōiectus. Nam consuetudo tenuit, ut per solennes Paschę dies, ex capitalis noxæ reis unus populo donaretur. Apparebat itaq; fore, ut Iesum qui procul esset ab omni crimine, manifestaq; premeretur inuidia, sibi populus deposceret. Cæterum tanta

Christus uinctus.

Petri prœuaricatio.

Pilati affectus & Herodis.

Pilati & Herodis reconciliatio.

Pilati consilium in Christo seruando.

fuit multitudinis uecordia, adeò plus odio indulsit quàm æquitati, ut Barrabam sibi condonari maluerint. Tum Pilatus, ubi præter opinionem suam scelus innocentiæ prælatum iri uidit, flagitium pietati, ite, inquit, & uos ex uestro legis præscripto in hunc hominem animaduertite: ego quod ad supplicium attinet, nihil in eo reperio, quapropter ullum meritus sit supplicii. Iudæi ad hæc magis sæuientes multo tumultuosius inclamãt. Non is foret tibi à nobis traditus Pilate, nisi reus esset mortis, iam ut cætera dissimulentur, ausus est se regem nominare, nisi id flagitium pro potestate uindices, non es Cæsaris amicus. Commotus his Pilatus ueritus q; Tiberij sæuitiã manus pro concione sibi lauit, ut tam diræ culpæ intelligeretur expers, inde in Golgotha loco extra urbem paulo editiore Iesum crucis patibulo extulit, in qua Græce, Latine, & Hebraice scripsit. Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Nec Iudæi quum id quererentur, à Pilato impetrare potuerũt, ut ea scriptio tolleretur. Iesus ut erat cruci affixus, Mariam matrẽ suam quæ ex Bethania eò occurrerat, Ioannĩ Zebedæi filio sibi charissimo, arctaq; consanguinitate cõiuncto, in matrem obtulit, ipsumq; adolescentẽ uirgini dedit in filium. Nec ita multo pòst quũ omnia quæ Sibyllæ & prophetæ de eo scripserant, nihil obscuro euẽtu iam peracta essent, capite paululum demisso, circa nonam diei horam efflauit spiritum. Cædis huius nefariæ continuo cœli manifesta dederũt signa, nam & Solis tãta defectio facta est, quãta nũquam aliàs hominum memoria. Dionysius cognomento Ariopagita, astrorum, quod ex hoc ipsõ potest intelligi, scientissimus, tam insolens Solis deliquium intuitus, quia in alienum tempus incidisset, dixisse fertur, aut eo die deum naturæ pati, aut mundanam solutum iri machinam. Et Bithynia eadem hora horrendo est motu terræ concussa, & uelum templi inter duo tabernacula cõscissum à summo ad imum, uox quoq; ex adyto audita, Migremus ciues ex his sedibus. Ex sacratissimo Christi latere posteaquam militum unus id ferro hausit, sanguis fluxit & aqua, quibus signis permotus Centurio, qui rei gerendę præfuit, Christũ credidit & confessus est Dei filium. Iudas qui eum tradidit, magnitudinem sceleris secum reputans, ueniæ desperatione præsumpta, uitã laqueo finiuit. Nec Pilatus tam impię cædis autor, multo meliorem est exitum sortitus, qui magnis inde calamitatibus afflictus, sibi manum intulit. Sunt tamen qui tradant eum pœnitentiam egisse, meruisseq; è cœlo ueniam. Hęc igitur & alia quę in Christo euenerũt iam inde ex quo uirgineo fuit utero conceptus, ad sacratissimæ passionis diem, adeò propheticis Sibyllarũq; respondent dictis, ut si totum incarnationis mysterium, si ortũ, si uitam, si omnia quæ in morte & resurrectione euenerũt, nõ spiritu sed corporeis illis oculis uidissent, significantius dici nequiuerint. Nec grauaremur illorum uaticinia colligere, nisi lex historiæ obstaret, qua prohibeor ea testimonijs cõfirmare, quibus hodie humanum genus, aut certe maxima pars hominum suo astipuletur cõsensu. Sepultus est Christus à Iosippo Arimathieo, Maria uirgine eius matre pauciq; mulieribus, quæ dominicæ passionis die, cum illa circa crucẽ pientissime uersatæ sunt. Visitur hodie id conditoriũ Hierosolymis, suntq; ibi Christiani nominis uiri, qui sacris operantur. Huc tanta uis mortaliũ promiscue mares fœminæq; pietatis studio ex tota Europa confluunt, ut uectorum nomine triremis una, nonnunquam etiam duæ uerno anni tempore Venetijs instruantur. Christo per hunc modum sepulto, placuit locum militari statione custodiri, quod ut fieret Iudæi à Pilato petierunt, ne si discipuli corpus inde occulte exemissent, resurrexisse Christus diceretur, quod futurum affirmare erat solitus. Sed frustra opponuntur diuinę uolũtati humana consilia. Christus tertio quàm passus fuerat die, sua ui à mortuis resurrexit, obtulitq; glorificatũ corpus suis conspiciendum tractandumq; etiam uni, qui cunctantius id credidit, & ut uerum corpus non umbram uanámue imaginem uidisse se arbitrarentur, panem & assum piscem comedit, in discipulorum conspectu. Quibus per hæc confirmatis, iussisq; spiritum sanctum expectare qui ad eorum mẽtes diuinitus instruendas è cœlo esset mox paulo uẽturus, quadragesimo quàm resurrexerat die ipsis uidentibus ad patrem ascendit. Et Christus dei filius per hęc tribus & xxx, annis ad humani generis reparationem, salubriter est in terris uersatus, quo temporis spatio Ioannes Zacharię filius, quo maior surrexit nemo, ut ueritas testata est, paulo priusquam Christus passus sit, Herodis iussu in Macheruntia arce fuit interfectus, non quod rex sibi & regno ab eo quippiam timeret, ut Iosephus prodidit, sed quod Herodis flagitium detestaretur. Is Herodiadem Agrippæ sororem Philippoq; fratri suo matrimonio locatam, incestis sibi iũxerat nuptijs. Sed ueritas ne in medijs quidem tenebris in occulto esse potuit. Idem autor Io. Baptistam uerum fuisse ait prophetã, nec multum diuerso loco. Fuit, inquit, his temporibus Iesus uir sapiens, si uirum eum nominare fas est, mira operabatur, docebatq;, maxime ueritatis studiosos ex Iudæis & ex alijs quidem gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat, hunc quum Pilatus à principibus nostræ gentis instigatus, in crucem agendũ censuisset, ij qui eum ab initio dilexerant, in studio permansere, quibus tertio pòst die quàm mortuus est, uiuus apparuit. Hęc & alia de eo miracula futura prophetæ diuinitus afflati prędixerant: Perseuerat in hunc diem celebre Christianorum nomen, genus q; ab eo institutũ. Et Iosephus Hebraici uir sanguinis hæc de Christo literarum monumentis prodidit, cuius testimonio (ne cui hęc non Iosephi uidentur) Egisippus & Eusebius utũtur. Pilatus ex Hierosolymis ad Tiberium scripsit, de his quæ in Christo euenerant, deq; eius dogmate ille super his senatum consuluit, censuitq; Christum inter deos referendum colendumq; templo. Senatus, quia prius ad Tiberium de ea re quàm ad se Pilatus dedisset, eiusmodi relatione reiecta, Christianos ex urbe reijciendos decreuit, proposito delatoribus præmio, sed Tiberius capitali supplicio irrogato, id scelus inhibuit, ut Tertullianus scripsit. Augustus ut Romanarũ rerũ historia aliquanto altius repetatur, ultimum uitę diem Nolæ obijt, quum à primo consulatu annos septem & quinquaginta rempublicam tenuisset. Eusebius quod miror, eum Atellæ defunctum scribit. Perijt rebus Romani Populi ocio & opibus apprime florentibus, urbe adeò ædificijs exculta, ut gloriari sit solitus se eam lateritiam inuenisse, marmoreã relicturum. Publica opera suo nomine extruxit, forum cum æde Martis ultoris, quam Philippensi bello uouerat. Templum Apollinis in ea parte Palatinę domus, quam ictam fulmine à deo desiderari pronuntiarũt aruspices. Condidit & tonantis Iouis ædem in Capitolio Cantabrico bello uotam, quum nocturno itinere fulgur ipsius lecticam perstrinxisset. Fecit & porticum Basilicam q; Lucij & Caij nomine, quos per assem & libra ab Agrippa patre emptos sibi, Marcello sororis filio extincto, cuius nomine theatrũ extruxerat, adoptauit. Est & altera porticus Liuiæ coniugis & sororis Octauię nomine ab eo extructa. Iam & principes uiri, Augusti hortatu, publica quædam statuerunt opera. Martius Philippus Octauij uitricus ædem Herculis & Musarum. L. Cornificius Dianę. Asinius Pollio atriũ libertatis. Numatius Plancus ædem Saturni. Theatrum Cornelius Balbus. Statilius Taurus Amphitheatrũ. M. Agrippa tot opera & tã egregia, quàm nemo alius, & in his plures aquarum ductus. Nora uox est Augusti princi-

Pilatus lauit sibi manus.

Centurio.

Iudas suspẽsus.

Pilati exitus.

Christi sepulchrum.

Custodia sepulchri.

Resurrectio Christi.

Christi ascensus.

Augusti exitus.

Ioan. Baptistę cædes.

Iosephus Christo.

Aedes sacrae

sti principis ad populum uini copiam impudẽtius efflagitantem, satis ab Agrippa genero suo prouisum, ne ciuitas siti laboraret. Leges sanxit aduersus immoderatos sumptus, de adulterijs, de pudicitia, de ambitu, & ordinibus maritãdis. Prefecturam urbis primus instituit. Triumuiratum legẽdi senatus, & alterum equitum turmas recognoscendi. Senatorum ordinem, quum supra mille & amplius essent, ad pristinum numerum & splendorẽ redegit. Estq; ob hæc & alia quæ feliciter illi in longa reipublicæ administratione, longoq; imperio euenere tam felix Augustus existimatus, ut in nouorum principũ gratulatione sit longo deinceps tempore acclamatum, Augusto felicior. Traiano melior. Sed haud quidem pauca in eo fuere, quæ si recte fuerint æstimata, parũ solida reperietur tam celebrata felicitas. Neq; enim hunc quisquam uere felicem dixerit, qui ciues aliquando proscripsit suos, qui in perniciem libertatis triumuiratum exercuit, tot ciuilia obijt bella, qui acie uictus, triduum egit in paludibus latitans: quid fœda naufragia, quibus & exercitus & naues amisit? quid salutis desperatio urgente hostium manu, morsq; à comitibus implorata? Quid clades alterius cruris ruina pontis ad Delminium accepta? Filię & neptis adulteria? Ipseque tories capitalibus in fidijs petitus, filiorum acerba funera, urbis pestilentia, fames Italiæ, & legiones in Germania cæsæ? ut quęlibet una tantarum cladium fœdarumq; suggillationum, ad omnem felicitatis opinionem tollendam satis esse potuerit: sed utcunque res censendæ sunt, perijt ille anno uitæ sexto & septuagesimo, quum Iesus rex omnium quindecim esset annos natus. Augusti interitus uarijs est signis præmonstratus, sed omnium illud maxime memorabile, ipsius statua fulmine icta prima nominis littera abolita est, consultiq; talium ostentorum periti, futurum dixere Augustum centum deinceps dies uicturum, qui numerus C. litera cõtineretur. Fore prętera ut post obitum consecraretur, quia æsar Hetrusca deus lingua diceretur. Forma fuit eximia, & per omnes ętatis gradus admodum uenusta, uultu adeò sereno trã quilloque, ut ex principibus Gallorum quidam fassus sit inter suos, hoc uno se inhibitum ac reuolutũ, quo minus ut destinauerat in transitu alpiũ per colloquij speciem ab eo admissus, ex eminenti scopulo præcipitauerit. Clari & nitidi oculi, & quibus credi uolebat aliquid diuini uigoris inesse. Gaudebatque siquis sibi acrius intuenti quasi ad fulgorẽ Solis uultũ demisisset. Plinius, quod pene diuersum est, glaucos fuisse ait, iracundeq; ferre solitum, si quis eos intentius spectasset. Color inter aquilum & cãdidum medius, capillus subflauus, & leuiter inflexus, statura breuis, quinũm uidelicet pedum & dodrantis, ut Maratus eius libertus prodidit, omnis elegantioris cultus tam negligens, ut uno tempore pluribus tõsoribus daret operã, nec uestę temere alia quàm domestica uteretur, ab uxore, filia, aut sorore confecta. Liberalium studiorum adeò cupidus, ut medio Mutinẽsis belli ardore legeret, aut scriberet, quotidieq; declamaret. Græce sciuit, & Latine, sed non nisi Romane scripsit, nec adeò multa, & in his carmẽ quod Siciliam inscripsit. Exorsus est & tragœdiam Aiacẽ, multo maiore impetu quàm succesſu: quo accidit, ut deleto carmine, rogatus ab amicis quid Aiax ageret, respondisse dicatur Aiacem suum spongiæ incubuisse. Ad eius uiri exitum alludens, qui ad Troiam ferro incubuit. Augustus uita defunctus in campo Martio sepultus est, ubi sexto suo cõsulatu sibi Mausoleum extruxit, inter Tyberinum amnem & uiam Flaminiam. Claruerunt Augusti principatu post salutarem Christi ortum, Strabo qui de situ terræ accuratissime scripsit. Philistion Magnesius mimorũ autor. Athenodorus Tarsensis Stoicæ assectator disciplinæ. M. Verrius Flaccus grãmaticæ artis scriptor. Messala Coruinus orator, qui biennio antequã moreretur nouo pene exemplo periclitatus est memoria, ut ne nomẽ quidem suum teneret amplius. Ad postremum ulcere circa sacram spinam illi orto inedia se confecit. Cœpit & Syciõ Alexandrinus haberi illustris, cui Anneus Seneca dedit operam. Archelaus magni Herodis filius quem Augustus Galilææ tetrarcham constituit, quia moliri res nouas diceretur, ut quidam scribũt, Iosephus, à Iudæis ait accusatum, quod auare nimis & superbe regnaret, nono sui principatus anno Viennam Gallię urbem est ab eo relegatus, iussusque Herodes ipsius frater regnũ obtinere, quo postea tetrarcha Christus, ut suprà fuit significatum Hierosolymis est passus. Sed Iudæorum res mox paulò sunt à nobis altius repetendæ. Successit Augusto Tiberius Tiberij Neronis & Liuiæ filius per matrẽ, quæ quũ prior maritus adhuc uiueret Octauio nupsit, ipsi principi insinuatus, ut primo adoptatus mox relictus sit hæres. Iussus ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. Creditur Augustus magis Liuiæ impulsu, quàm quod ita crederet reipublicæ consultum, eum hęredem constituisse, quippe cuius neque mores, neq; ingenium probauit unquam, pertinaciam pertęsus & ingenitam animo sæuitiam, quę uitia, multa arte quandiu priuatus uixit Tiberius dissimulauit. Satis constat Augustum sub extremum uitæ tempus, illo ex colloquio dimisso, exclamasse miserum Populum Ro. qui sub tã lentis futurus esset maxillis. Tiberius etsi continuo pòst uitrici obitum nihil obscure principem egit, inuitus tamen uoluit rempublicam adire, hortantibus amicis ut publicam administrationem capesseret, negauit eos scire, quàm magna belua esset imperiũ. Interdum etiam deliberanti similis testari, se lupum auribus tenere. Postremo quum senatum id supplicirer petentem ambiguis responsis suspenderet, haud tacitum quidam tulerunt, cæteros homines tarde præstare quę pollicentur, Tiberium quod præstat tarde polliceri, sed aut ageret, aut agere defineret: Imperioq; per hæc recepto se medium ille gesit aliquandiu, in multis etiam populare. Nullum honorem qui humanitatis transcenderet fastigium sibi decerni passus est. Ciuicam coronam in uestibulo domus recusauit. Fuit id insigne olim eorũ qui ciuem prælio seruassent, at Cęsaribus datũ, quia ciuem non perderent, quãdo in eorum potestate esset occidere quem uellent. Quum quidam eum dominum appellasset, uetuit se amplius contumeliæ causa nominari. Pari ciuilitate tulit, quod suum nomen famosis carminibus proscinderetur, fassus in libera ciuitate linguam & mẽtem omnibus liberam esse oportere. Iam & in eo admodum popularis apparuit, si ille, inquit, aliter fuerit locutus, dabo operam, ut omnium quæ aut dixi, aut feci, reddam rationem, at si perseuerauerit inuicem odero. Diogenẽ grammaticum, quem quum Rhodi esset, adierat, extra ordinem auditurus, quia ab eo excluſus esset domo, iussusq; post septimum diem redire, quo ille di sputare erat solitus, ex Rhodo Romã ad se iam principem officij causa profectum, misit qui pro foribus stantem iuberet eum discedere, moneretq; ut post septimum ad se annum reuerteretur, ciuili perhumanaq; admonitione contentus. Præsides prouinciarũ ne subditæ ciuitates plus æquo tributis onerarẽtur, sæpius scripto monuit, boni pastoris esse dictitans tondere pecus, non deglubere. Principatũ adeptus nullam prouinciarum adijt amplius, etsi omnibus propemodum annis omnia ad profectionem pararet, patereturq; pro itu suo & reditu publice uota suscipi. Cæterum in oram Latij, aut in Campaniã usq;, quum lõgissime progressus est, ut iam uulgo Gallipes diceretur, qui ales curſitat, nec cubiti mensuram perficit. Nec foris per legatos est eo principe gestũ aliquid memoria dignum. Tãtum reges sibi Popu-

Augusti filicitas.

Augusti aduersa.

Augusti crudelitio.

Augusti sepulchrum.

Viri illustres.

Ostentum sulmnis.

Augusti forma.

Memoriæ amissio.

TIBERIVS III. IMPE.

Iudicium Augusti de Tiberio.

Ciuica corona

Tiberij patientia.

Diogenes grãmaticus.

Gallipes.

Tiberij ars in euendo imperio.

Iudæorũ fraus punitur.

lo; Ro. ſuſpectos, aut minis repreſsit, aut pollicitationibus multis Romam extractos, nunquã à ſe dimiſit, ut Marabodum Germanum, Raſcipolim Thracem, & Archelaum Cappadocem, cuius regnum redegit in prouincię formam. Iudęos ad quatuor milia numero in Sardiniam militiæ prætextu relegauit, qui militare noluerunt, uarijs cruciatibus affectos interfici iuſsit. Hęc animaduerſio ex eo orta eſt, quod ex ea gente quidam Fuluiam matronam nobilem multis perſuaſionibus induxerant, ut grande pondus auri & argẽti Hieroſolymã dono mitteret ad uaſa & ueſtes in uſum ſacrorũ quæ munera fraude intercepta in prophanum illi uſum uerterant. Pari pene fraude Iſiacus eſt cultus ex urbe ab eodẽ principe ſublatus. Amabat iuuenis quidam Paulinã fœminam nobilitate generis & forma præſtantẽ, hanc quum Mundus (nam id illi nomen fuit) neq; auro,

Flagitium Iſiacorum.

neq; precibus corrumpere potuiſſet, Iſiacorum uſus opera muliere potitus eſt, commenti illi nouam artem tanq; ab Anubis oraculo iuſsi ad Paulinam ueniunt, nunciantq; uelle deum cum ea noctu congredi, detulit rem credula mulier uiro, qui & ipſe religione imbutus cenſuit cedendum eſſe, numiniq; obtemperandũ. Clauſa itaq; mulier in Iſidis ędem, à mortali qui iamdudum erat in eam occaſionem erectus, & tum extinctis luminibus ex quadam latebra obrepſerat, compreſſa eſt. Id facinus iuuenis quum parum occultum habuiſſet, ſibi exilij cauſa fuit, quo à Tiberio mulctatus eſt. Sacerdotes in crucem ſublati ſunt. Templum Iſidis dirutũ. Imago in Tyberim deiecta, eſtq; flagitij huius & ultionis autor Ioſephus. Tiberius poſt Germanici & Druſi interitum, quorũ hic naturalis erat filius, ille adoptiuus, abiecta reip. cura Capreenſem ſeceſſum petijt, ubi reliquum uitę

Capreæ inſula

egit. Eſt Caprearum inſula in ora Campaniæ contra Neapolim rupibus immenſæ altitudinis, ac profundo mari ſepta, uno eoq; perangusto adeunda tramite. Hanc ille ſecreti adeptus licentiam & à ciuitatis oculis procul remotus, uitia diu diſſimulata, cũ imperij ſuggillatiõe, & hominũ pernicie uno uelut impetu profudit, portentoſis libidinibus & ob id relatu pudẽdis, intempeſtiuisq; potationibus deditus, ut biduum interdum & noctem unam potando ueſcendoq; cum paucis abſumeret. Erat ille uini natura appetentiſsimus, ita ut primo ſuo tyrocinio in caſtris pro Tiberio Biberius & pro Nerone Mero ſit dictus. Parauaritia ac luxuria. Crudelitas multo adhuc inſignior, quam in eo adoleſcente Theodorus Gadareus, quo ille uſus eſt dicendi magiſtro, ſagaciter deprehendiſſe dicitur, lutum identidẽ appellãs ſanguine maceratũ. Druſum fratrem apud Auguſtũ in apertum uitæ diſcrimen adduxit prodita eius epiſtola, qua ille de Octauio & ambobus ad libertatem reſtituendam cogendo ſecũ agebat. Agrippam iuuenem cohæredẽ ſuũ priuſquam Auguſti obitus uulgaretur interficiendũ curauit, etſi nõ defuerunt qui Liuiæ non Tiberij iuſſu eum interfectũ arbitrarentẽ. Filium Druſum fato extinctũ non modo nõ luxit, ſed Ilienſium legatis paulò ſerius ad conſolandum miſsis, reſpondit ſe quoq; Ilienſium uicẽ dolere, qui Hectorẽ egregium ciuem amiſiſſent. Germanicus Druſi filius, quem Auguſti iuſſu adoptauerat, ipſius opera creditur uenenо interceptus. Agrippinam eius coniugẽ, Neronemq; & Druſum filium iam adultos, uarijs calumnijs coopertos ſenatui damnandos

Druſi & Neronis mors.

obiecit, hic in palatio necatus, ita ut ſubductis alimentis tomentum è culcitra mandere conatus ſit, ille in Pontia inſula quò fuerat relegatus, uiſo unco & catenis in carnificis manibus, ratus patrum decreto ad ſupplicium uenire, ſibi uim intulit. Nec in Iuliam olim ſibi nuptam mitior extitit, quam adulterij à patre damnatam, ac poſtremo relegatam, omnibus poſt Auguſti interitũ priuauit alimentis. Matrẽ

Tiberij crudelitas in matrẽ.

Liuiam poſteaq; Capreas ſeceſsit, ſemel adijt, mox ne mortuam quidem uidere uoluit. Conſtituit Capreis uelut carnificinam quandam, ubi miſeros ciues per exquiſitiſsimos necabat cruciatus. Ex eminentiſsima rupe præcipitabat in ſubiectum mare capitis deſtinatos, ut ſemineces excepti remis cõtisq; fœde à claſsiarijs laniarentur. Helium Seianum, quę ad faſtigium dignitatis euexerat, ſubita ui oppreſſum abſens interfecit. Ex omnibus amicis uix duos tandem incolumes præſtitit, quo magis miror fuiſſe, qui hunc ipſum inter medios imperatores reponant, quum meo ſit iudicio inter peſsimos habendus. Multi grammaticæ artis aliarumq; diſciplinarũ periti, aut fama ſub eo, aut capite periclitati ſunt, quorundam etiam ſcripta abolita, & iam eò proceſſerat ſæuitia, ut omne crimen pro capitali ab eo reciperetẽ, multiq; interim uiri nobiles leuiſsima ſunt de cauſa afflicti, oditq; per hæc ille humanũ genus, odioq; fuit omnibus, quod uerſiculi de eo ſine autore editi, nihil obſcure demonſtrant. Aſper & immitis breuiter uis omnia dicam. Diſpeream ſi te mater amare poteſt. Et mox paulò. Et dic Roma perit regnabit ſanguine multo, Ad regnum quiſquis uenit ab exilio. Nam Auguſto principe Rhodi plures fuit annos, etſi legati nomine, inuitus tamẽ. Nec domeſticis tantum flagrauit odijs, ſed multæ quidem & præferoces gentes quæ Auguſti maieſtatem ueritæ, diu quieuerant, fœdiſsimum uitæ inſtitutum in Tiberio aſpernatæ, ad res nouas conſurrexere, atque ita accidit, ut Armenia ſit à Parthis occupata. Sarmatæq; & Daci Meſiam Pop. Rom. prouinciam impune ſint populati. Germani Gallias. Sed circa Hieroſolymas multo in maiore motu res fuere. Iudæi genus hominum magis ſeditioſum, quàm forte, Herode extincto Auguſto adhuc in humanis agente, Mathiæ pontificis mortem inſolentius queſti, eam publice uindicandam clamitare. Tentauit

Primus Iudæorum motus.

primo Archelaus ſæuientem multitudinem lenire uerbis, qui ubi parum ſenſit ſe proficere. Tribunum cum parte militum miſit ad eum tumultum cõprimendum. Is cum magna ſuorũ cæde pulſus eſt. Coniurat enim per dies Azimorum uis agreſtiũ ingens, creueratq; ob id Iudæis animus. Archelaus equite in eum globum immiſſo facile diſiecit, quo tumultu ad tria Iudæorũ milia cæſa dicuntur. Et primus Iudæorum motus hunc exitum habuit. Nec ita multo pòſt Archelaus Romã nauigauit ab Auguſto impetraturus, ut paternum regnum autor ille ſibi ratũ faceret. Octauius poſt multas Archelai & neceſſario rum inter ſe altercationes dimidium Iudææ Archelao attribuit, qui tetrarchæ nomen non regis gereret. Alterũ dimidium ex æquo Philippo partitus eſt

Auguſtus Iudææ tetrarchas conſtituit.

& Antipatro, ipſis quoq; Herode genitis, fuitq; hic Antipater diuerſus ab eo quẽ pater aliquandiu cuſtoditum necari iuſsit. Cæterum dum hæc Romæ agunẽ, tota Iudæa uelut rabie quadam contacta, per partes ad arma conſurgit, primaq; defectionis cauſa à Sabini iniuria orta eſt. Erat is Cæſaris procurator, qui quum rapinis & cæde omnia fœdaret, materiam Iudæis præbuit rebellandi. Galilæi, Hiericuntij, & qui trans Iordanẽ accolunt, tumultuoſe ad arma coorti, in templum cum multa cæde à Romanis compellũtur, mox igni iniecto porticus templi deflagrauit, fœdatumq; eſt templum Iudæorum ſanguine, theſaurijq; direpti. Iudæi multitudine abundantes, Sabinũ haud multo pòſt obſidione cingũt.

Sabinus.

Interea pluribus locis noui motus exiſtunt. Iudas Ezechiæ filius collecta hominũ manu circa Sephorim, Galilææ regiã diripuit gazã, atq; late omnia eſt latrocinio fœdare adortus. Et Simõ cũ altera manu Hiericuntis regiã cremauit. Sed is haud multo pòſt oppreſſus perijt. Athonges homo diuitijs magis q̃ genere nobilis, & ipſe collecto exercitu regis appellationẽ excepit. Varus Sabini literis certior factꝰ de ijs q̃ Hieroſolymis acciderant, & q̃ ipſe ſuiq; aperto pericu-

periculo tenerentur, etſi Sabini factũ parum probabat, timens tamen legioni quæ cum eo erat cũ iuſto exercitu Hieroſolymã occurrit. Sub Vari acceſſum ſoluta eſt obſidio. Sabinus ſuæ ſibi temeritatis conſcius Vari congreſſum euitans ad mare fugienti ſimi

Sabini fuga.

lis deſcẽdit. Varus ex Iudęis ad duo milia in crucem ſuſtulit. Sephorimque in Iudæorum inuidiam cremauit. Nec ita multo pòſt Archelaus in Iudæam eſt reuerſus. Is poſt aliquot annos accuſatus quòd auarenimis & crudeliter imperaret, ab Auguſto, ut dixi, eſt in Galliam relegatus. Sub id tempus aut non multo pòſt Cirinum (alij Quirinum ſcribunt) ab Auguſto in Iudæam miſſum prodidit Ioſephus. Euſebius & alij aliquanto prius in Syriam ueniſſe tradunt. Philippus tetrarcha in Iudæa ad Paniadã fontem Iordanis urbem conſtituit, Cæſareamq; uocauit: cuius rei exemplo Herodes æmulatione accenſus, in Tiberij gratiam qui Auguſto humanis defunctorerum potitus eſt, Tiberiadem condidit. Cæterum Herodes, cuius nunc mẽtio facta eſt, ſecundus

Herodes.

ab eo fuit qui ut Chriſtum nuper natum perderet, infra bimatum puerorum uim ingentem necari iuſsit. Is cum Herodiade uxore quã Philippo fratri ademit, relegatus procul regno periit, tertiusq; Herodes ſecutus, qui Iacobo Ioannis fratre interfecto, Petrum cuſtodiri fecit, ut eum ad populum produceret, ſic Euſebius res digerit, ut ſub primo ſit Herode Chriſtus natus, ſub altero paſſus, qui tertius à primo regnauit, impie ſit Chriſti diſcipulos perſecutꝰ, etſi Ioſephus eundem exiſtimare uidetur & qui dominicæ interfuit paſſioni, à quo Ioan. Zacharię fuerat aliquanto antea interfectus, & eum qui Iacobum gladio peremit, Petrumq; Barionam uinxit. Copinus qui cum Cirino in Iudæam uenit, plures deinceps annos prouinciam præſidio obtinuit, ſucceſsit moxillis gratus. Sed horum memoria nihil in Iu-

Iudæa.

dæa dignum fieri contigit. Secuta dein Pontij Pilati procuratio, quæ ab initio grauis fuit & permoleſta Iudæis, qui Cæſaris ſtatuam templo inferre co-

Iudæorũ

natus, grauem cõcuit Hieroſolymis motum. Iudæi etſi impares erant ad reſiſtendum, (aderat enim Pilato exercitus) obſtinatis tamen animis templi fores obſident obiectantes ferro capita, teſtati multo libentius ſe perituros, quàm per ea quæ pararentur paſſuri eſſent legem uiolari. Pilatus gentis conſtantiam miratus, præſenti conatu deſtitit. Philo autor eſt ubiq; terrarum Cęſaris ſtatuas ea tempeſtate dedicari contigiſſe, præterquam in Synagoga Iudæorum. Euſebius cui libentius accedo, Caligulæ principatu id factum arbitratur, is enim non Tiberius, ut Tranquillus ſcribit, deus haberi & adorari uoluit. Inchoauit adhæc Pilatus aquæductum ex ſacra pecunia, ut fontem in urbem induceret, ſumptuoſum opus atque propemodum inexhauſtum, ſi uera ſunt quæ ſcribit Ioſephus, duũ miliũ ſtadiorũ ſpatio corriuabantur aquæ. Et iam operariorum manus ingẽs erat loco admota, quum Iudæi circũſtrepẽtes opus impedire conati ſunt, impendium credo auerſati. Pilatus hominum intemperiem perteſus in tumultuantem turbam centum milites immiſit, qui licẽtioſius ferro uſi quàm imperatum eſſet, cũ cæde & ſtrage multa tumultuoſum illum globum diſcuſſerunt. Nec multo pòſt Pilatus in nouum Iudæorum motũ recidit. Caphedon homo facinoroſus populo perſuaſit, ut Gazarim montem conſenderent, fore ut

Moſis uaſa.

ibi uniuerſa uaſa quę Moſes humi condidiſſet ipſorum oculis ſubijcerentur. Et iam manus hominum ingens ad Tirathnã uicum proceſſerat, montem cõſcenſura. Pilatus cui res ipſa ſua erat ſpõte ſuſpecta, ne aliqua ſeceſsio fieret à Iudæis, primũ edicto obſtitit. Cæterum ubi omnia obſtinatius fieri uidit, equitibus cum leui armatura in agmen illud immiſſis, circa uicum pugna edita eſt, ac Iudæorum plurimi partim cæſi, partim capti ſunt, multi quoq; fuga dilapſi. Erat tum in Syria Vitellius, ad hunc Iudæi queſtum miſere Pilati iniurias. Ille Macellino quodam Hieroſolymam miſſo, Pilatum Romam ad dicendum cauſam ire iuſsit. Inde Vitellius Hieroſolymam uenit Antiochiam ducturus, ut Artabani motibus occurreret. Is ex Media ubi late imperabat, à Parthis in regnum uocatus, in Armeniam Po. Rom. prouinciam hoſtiliter irruperat. Fuerant res Partho

Parthorum motus.

rum aliquot antè annis in motu, nam poſt Phraatis interitũ, Phraates eius filius ex Thermuſa Italica fœmina caſu quodam natus, quia tres legitimi regis filij Romæ obſides eſſent, regnũ nefario matris occupauit conſilio, patre occulte interfecto. Hunc Parthi quia inceſto matris ſe polluerat cõcubitu, regno exegerunt. Sed Phraates breui poſtquam ita puſſus eſt fato perijt. Irodes qui illi ſucceſsit, quum ſuperbe nimis crudeliterq; imperaret, dum forte ſacris operatur, alij medio uenatu ſcribunt, Parthorũ incurſu trucidatus eſt. Miſerunt inde Parthi Romã ad Tiberium, ut regiæ ſtirpis unũ Parthis reſtitueret, quẽ ſibi regem crearent. Miſſus eſt illis ex urbe Bonones quem Barbari ꝓ deſpicato uelut obſes ſeruitutem ſeruiuiſſet, breui regno deturbant. Tum uero ex Media Artabanus accerſitus, uario euẽtu cum Bonone iterũ acie conflixit. Is poſtea in Armenia captus Syllano Syriæ prætori traditur, quem ille antea ſibi Romæ notum penes ſe honorifice habuit. Artabanus cum filio ſuo Irodi Armeniam attribuit, perijtq; per id tẽpus Antiochus Comagenus, quo defuncto, cõtinuo duæ factiones in regno extiterunt. Nobilium una, hi Comagenẽ in prouincię formã redigi cupiebant. Plebeiorum altera qui regẽ malebant. Vtriq; igitur legatos Romam miſerunt, ad Tiberium & ſenatum, & ob eam rem Germanicus ad ordinandum oriẽtis ſtatum cum exercitu eſt miſſus, de cuius interitu loco haud multũ diuerſo mentio facta eſt. Ar-

Parthi Armeniam occupãt.

tabanus qui Armeniam ſibi uẽdicabat, adeò factus erat Tiberio formidabilis, ut Vitellius qui poſt Germanici obitum in Syria cum exercitu fuit, iuſſus ſit quibuſcunq; poſſet conditionibus cum Barbaro pacem componere, aut ſi de pace non cõueniret, illius conatus quoquo modo euerteret. Vitellius Antiochiam progreſſus magnis pollicitationibus Albanorum & Iberum ſolicitauit reges, ut bellum Artabano inferrent. Illi bellũ auerſati, Caſpias portas, quod æque ualuit, Scythis reſerãt qui in Armeniam effuſi, totam regionẽ ferro & igni populati ſunt. Artabani filio cum numeroſo exercitu cæſo, afflictiſq; per hęc Parthorum opibus in Armenia, Vitellij conſilio domeſticæ Artabano parantur inſidiæ, quibus Barbarus malis circunuentus ad pacem inclinauit. Datq; obſidem Darium filium magnaque cum eo munera Romam mittit, & in his hominem ſeptem cubitorum, cui Lazaro fuit nomẽ, eum Hebraici fuiſſe ſanguinis Ioſephus ſcribit, ex ijs credo qui olim in Mediam ex Samaria translati ſunt. In Iudæa quoq; ſub id tempus Herodes tetrarcha, cum Areta eorum Arabum rege, qui circa Petram incolunt, perdifficile geſsit bellum, ob illius filiæ repudium. Fuerat hæc diu in Herodis matrimonio, mox ab eo excluſa eſt ob recentes Herodiadis nuptias, quam ille ſibi inceſto iunxit cõnubio, Philippo fratri ſuo ex altera matre nato abductam. Exercitu igitur utrinque compa-

Homo ſeptem cubitorum.

rato, Herodis & Aretæ duces in Gamillica regione, infeſtis animis confligunt, fuitq; ea pugna Herodianis funeſta. Herodes ad Tiberium principem ſcribit de Aretæ in ſe iniuria, fæuire illum, quia coniugem filiæ ſuperduxiſſet tanquã ſibi non liceret plures ſi ita libitũ eſſet ducere uxores, præſertim quum mos patrius id non prohiberet. Tiberius Vitellio præcepit, ut Herodis opes tueretur: proceſſerat itaque ille ex Antiochia cum exercitu in Iudæam uſq;, quum literis & nuntijs factus eſt certior de Tiberij obitu. Hic milite in noui principis uerba coacto,

Aretæ & Herodis prælium

incertus quo futurus esset in Aretâ animo Caligula A nouus princeps, præsenti bello abstinuit, auxiliaribusq; à se copijs dimissis cũ cætero exercitu Antiochiã est reuersus. Iosephus autor est fuisse tũ multos qui ita persuasum habuerint in eam cladẽ Herodem incidisse, ob Ioannis Zachariæ filij cædẽ, quem uirũ bonum, ut Iosephi utar uerbis, Macherũti interfecerat, quia Iudæos ad uirtutẽ hortaretur, præciperetq; ut iustitiã colerent, in deum pietatẽ seruarẽt, per baptismũ in unum coirẽt, ad quẽ quum magnus fieret cõcursus, ueritus Herodes ne ex eo cœtu aliquis nouus motus existeret, prophetã interfecit. Hæc Iosephus. Alij q, incestas Herodiadis execrarẽ nuptias ab eo interfectum prodidere, præcessisseq; nõnihil aiunt cædem illã nefariam aliud atrocius Iudæorum facinus, per quod Christus rex noster patibulo fuit crucis affixus. Tiberius etsi fœdo seuoq; ingenio, honesta tamen & decora fuit facie, statura quæ iustam excederet, sinistra manu agilior, articulisq; adeò robustis, ut recens malũ digito terebraret, conslauciaretq; adolescẽtis caput talitro. Color candidus, prægrandes oculi, & qui noctu in tenebris cernerẽt, sed ad breue tempus, & quum à somno patuissent, religionis negligens, ut qui totus pẽderet ex Mathematicorum persuasione fato omnia fieri, expauescebat tamẽ supra modũ tonitrua, in cuius rei remediũ turbatiore cœlo nunquã nõ lauream gestauit. Negatur id genus frõdis afflari flumine. Fuit liberaliũ disciplinarũ Græce & Latine doctus, Messalã Coruinum ex nostris secutus, sed affectatiõe nimia obscurabat stilũ, maior extẽporalis uideri, ac gratior q̃ præmeditatus. Græce Euphorionẽ & Partheniũ secutus. Scripsit poẽmata, & in his Lyricũ carmẽ, quod inquisitionẽ appellauit. Perijt in Cãpaniæ ora, in uilla Lucullana, anno uitæ viij. & lxx. quum tres & xx. imperasset. Obijt anno quinto ab eo quo Christus passus est. Causa mortis incerta. Fuerũt qui crederent eũ ta B bifico lentoq; ueneno à Caio qui fuit Germanici filius, fublatũ. Alij cibũ à febre desideranti negatũ dixere: quidã puluinũ illi iã propemodũ cõfecto aiũt iniectũ, atq; ita intercluso spiritu necatũ. Fuerunt Tiberij principatu uiri doctrina insignes, C. Asinius Gallus orator Pollionis filius, quẽ Eusebius scribit à Tiberio crudeliter necatũ. Liuius Patauinus Ro. historiæ cõditor, & Ouidius Naso quorũ suprà meminimus, uno anno, si Eusebius recte colligit, suũ diẽ obiuerũt. Hic Tomis quo fuerat ab Augusto relegatus. Ille Patauij. Vixit cũ his L. Fenestella historiarum & carminis scriptor. Cumis sit⁹ est. Obijt & Q. Aterius orator iam grãdis natu, & Votienus Mõtanus Narbonẽsis uir dicẽdi facultate clarissimus, & à Tiberio in Baleariũ unam relegatus. Cassius Seuerus orator & ipse illustris, adeò pauper defũctus est uita, ut uix eius ueréda pãno tegerenẽ. Claruit & Diodorus orator Asianus Sardib⁹ ortus. Valeri⁹ Maximus & ipse per hæc fuit tẽpora, qui carptim & magis ad usum q̃ ad eloquẽtiæ ostentationem scripsit historiã. Trasillus mathematicus eadem fuit tẽpestate insignis, quo familiarissime est Tiberi⁹ usus. Incidit in annũ quintũ Tiberiani imperij terræmotus ingens, quo tredecim haud obscuri nominis urbes uno tẽpore corruerunt, & in his Ephesus, Magnesia, & Sardis, & in Italia xx. hominũ milia. Fidenis subita amphitheatri ruina periere. Post Christi Saluatoris ad patrẽ ascensum, qui quinquennio pcesit Tiberij obitũ, ut proxime est significatũ, eius apostoli diuino spiritu paucis pòst die⁹ superne accepto, uarijs cœpere linguis illius acta prædicare, uideri ea res eò mirabilior cũctis, q, eorum quidã omnis fuere eruditionis expertes, in cõmune igitur uiuebãt, nil erat ꝓprij cuiquã, si quid illis pie offerebaẽ id supra naturæ usum pauperibus erogare. Cæterum ut propheticũ carmẽ euẽtu probaretur, in omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ sunt eorum uerba propagata,

Ioan. Baptista interfectus.

Tiberij natura.

Terræmotus.

Spiritus sancti missio.

partiti sunt inter se prouincias. Thomas Parthos sortitus est. Matthæus Æthiopiã. Citeriorẽ Indiam Bartholomæus. Andreas Scythiã. Ioan. Asiã, Põtus Galatia Bithynia & Cappadocia Petro obtigerũt. Erat PETRVS I
Petrus Galilæus ex Bethsaide urbe, & Andreę apostoli frater, cuius modo mentio facta est. Et quia in PONTIF
dies augebatur piorũ numerus, erantq; plurimi discipuli, ne ministerij causa multorũ interpolaretur oratio, septẽ creari placuit, quibus ea decerneret cura, estq; in his apostolorum cõsensu Stephanus creatus, qui eo fere biennio, quo passus fuerat Christus, cũ his de synagoga in certamen descẽdit, qui uarijs appellationibus Alexãdrini sunt nominati, Cyrenaici, Cilices, ubi quum plures & docti ut ipsi uideri uolebant, uni non resisterent, sed cœlesti sapientia qua superne erat instructus iuuenis, obruerentur, cum fremitu & indignatione circũstabant Stephanum, uixq; manibus præ nimia ira temperabant. Interim uero restatus ille se cœlestem gloriam intueri, maius adhuc in se odium cõcitauit, eam uocem ut impiam litigatores auersati aures obtegunt, factoq; in illum impetu urbe eijciunt, eiectum lapidibus obruunt, sicq; primus omnium Stephanus Christi nomen pu- *Stephanus tyrium.*
blice cõfessus mortem occubuit, estq; ob id proto- *Iacobi interfectus.*
martyris appellationem adeptus. Interfecit & Herodes Iacobum Ioan. fratrem gladio quarto nondũ anno à Christi ascensu exacto, quæ nefaria cædes, quia Iudæis placuisse uisa est, his gratificaturus concecit & Petrum & cæteros Galilæos in custodiam, ut homines suæ ditionis & ad omnem iniuriam opportunos. Cœperat Petri nomen post Christi ad patrem ascẽsum, continuo miraculis illustrari. Hiero- *Petri miracula.*
solymis in aditu templi ad speciosam portam, claudum ab utero matris iam quadragenarium in Iesu Nazareni nomine in pedes statuit, libereq; ambulare dedit. Lyddæ pari uirtute ægrotum iam decẽnio cubantem restituit. In Ioppe Phœnicum urbe uetu- *Ioppes uetustas.*
stissima Tabitam uita defunctam discipulorum rogatu, quibus illa pie uicta ministrabat, à mortuis suscitauit. Mira sunt quæ Plinius de ea urbe prodidit nam præterquam quòd terrarum inundatione antiquiorem ueteri opinione credidit, urbi saxũ præiacere ait, in quo uinculorum Andromedæ uestigia ostenderentur, & quòd olim fabulosa illic coleretur Ceto. Vinctum itaq; Herodes tradidit Barionã custodiendum quatuor militum quaternionibus, qui numer⁹ ad quatuor noctis uigilias (in tot enim partes diuisa erat nox militari instituto) est ut arbitror referendus, ut quaterni milites inuicem Petrum custodirent. Erat is præcipue apud Iudæos inuidiæ ut diximus, in Christi nomine nihil obscure miracula operari. Habebat Herodes in animo Petrum ad populum producere, quum is noctu, cœlesti uoce iussus est surgere, & angelum qui è cœlo aderat, sequi: catenis igitur sua sponte cadentibus, solutusq; uinculis, per medias militum stationes ad ferream perductus est portam, quæ ultro illi patuit, & iã in tutũ euaserat, quum genius quem ducẽ habuerat, repente ex oculis euanuit, ita ut quum omnia uere fierẽt, uiderẽtur tamen Petro per quietẽ illa animo obuersari. Et ille per hæc nascẽti ecclesiæ seruatus est. Fuit inde Petrus Antiochiæ annos septem, nouæque ibi ecclesiæ iecit fundamenta. Hierosolymis interim Iacobus iunior piorum cœtui prẽsidere. Est hic Christi frater dictus, non ex altera Iosippi ortus coniuge, ut quidam falso arbitrati sunt, sed ex sorore uirginis. *Iacobi minor sanctitas.*
sanctus, quod satis constat, à pueris, & ut Egesippus prodidit, nullũ nouit aut uini, aut carnis usum, intonsus, unguenti & balnei expers, & cui ob assiduũ orandi usum, genua in Camelorũ speciem occalluissent, & hæc fere in nascenti ecclesia & in prophana rerum serie, toto Tiberij principatu, digna quæ literarum monumentis traderentur, domi forisque gesta sunt.

ENNEA-

Viri illustres.

ENNEADIS VII. LIBER II.

CALIGVLA IIII. IMPERA.

SEQVITVR, C. Cæsaris imperiũ, cui Caligulæ fuit cognomen, à militari caliga, in qua puer in paternis castris est plurimum cõspect⁹. Fuit illi pater Germanici Drusi filius, nõ Drusus, ut quidam falso prodiderunt, mater Agrippina ex Iulia Augusti filia & M. Agrippa genita. Cõciliauit nouo principi præcipuum fauorẽ Germanici patris memoria, quo nullus unquam Romano fuit Populo charior. Natus est Germanicus ex Druso Tiberij fratre & minore Antonia triumphauitq; de Germanis quos sub Augusti exitum prælio uicit, perijtq; secundo suo consulatu Antiochię à Tiberio, cui uiri indoles & gratia apud multitudinem suspecta fuit, eò ad componendum orientis statum expulsus. Ingeniũ in utroq; doctrinæ genere præcellens, conciliandæq; hominum gratiæ, amoris q; promerendi efficax studium. Sæpe hostem cominus percussit, triumphales causas orauit, reliquitq; inter cætera sui studij monumenta Græcas comœdias, domi forisq; ciuilis & frugi. Illustriũ uirorum umbris libens dabat inferias. Militũ qui Variana clade perierũt, ut uni ossa inferrẽtur sepulchro sua manu primus omnium est legere adortus, tulitque suarum uirtutum fructum. Enimuero adeò fuit omnibus gratus, ut sæpius præ nimia officiorũ turba quum Romam reuerteretur, uitæ periculũ adierit, multitudine ciuium omnis sexus & ætatis ad uigesimum usq; lapidem obuiam prodeunte. Audita eius morte tẽplo sunt Ro. lapidata, subuersæ deũm aræ, lares domestici à quibusdam in publicum abiecti. Barbarorum regũ quidã, qui Ro. nomen alioqui infense oderant, barbã deposuisse dicuntur, & uxorum capita rasitasse, in argumentum maximi luctus. Parthorum rex conuictu & uenatu abstinuit, quod in ea gẽte sit iustitij instar. Fuit q; Germanicus talis, qui quantum omnes, ex Cæsarum familia qui ad id tempus fuere, uirtute præstitit & gratia, tantum Caligula quem ille genuit sæuitia & sceleribus, ut merito quum ipse, tum Domitius Nero, qui uno Claudio interfecto, post Caium imperauit, duæ humani sint generis faces dicti, duabus Agrippinis geniti. Hic ex Caligulæ sorore, ille, ut dixi, ex Agrippæ & Iuliæ filia, quæ Germanico nupsit. Hoc itaq; principe ut diuinarum rerum prior sit relatio, dum Petrus Antiochenæ prẽsidet ecclesiæ, Matthæus apostolorum unus, primus omnium est Euangelium scribere exorsus, quæ meditatio sacratissima incidit in tertium Caligulani imperij annũ. Fuit Caligula ab initio clemens, & popularis, omni in matrem & sues iniuriarum memoria abolita, satis constabat alieno impulsu uariaque delatione, eos à Tiberio afflictos. Matris Agrippinæ cineres & Neronis fratris, ex Pãdataria & Pontia insulis aureo uase relatos, Augusti Mausoleo intulit. Inchoauit & aquæductum Tiburti regione quem Claudius postea perduxit ad exitũ. Polycratis regiã in Samo restituit, habuit in animo Corinthiacum Isthmũ effodere. Puteolos Baijs perpetuo ponte commisit, trium milium & quingẽtorum passuum interuallo, super quem spectante populo aurigat⁹ est. Varia ad id spectacula edidit, quũ Romæ, tum alibi, & in his Latinæ Græcæq; facundiæ unum Lugduni in Gallia, ubi qui succubuissent uictorum laudes cogebantur scriptis celebrare, quę non placuissent spongia linguáue detergere, nisi ferulis obiurgari mallent, mergiq; proximo flumine, mox uelut facto agmine, omnia in uno uitia repente extiterunt, sæuities tanta uel potius feritas, ut ex custodia notaret, quorum carnibus bestię ad munus alerentur: multos etiam his in arena laniãdos objiceret, moneretq; carnificem in reorum quempiam ani-

Germanici Cæsaris laudes.

Luctus ex Germanici interitu.

Certamen eloquentiæ.

ne faces humani generis.

maduersurũ, ut minutis cruciatum traheret ictibus, identidem repetens, fac ut sentiat se mori. In huius carnificinã Pilatus incidit, ut Eusebius & Iosephus scribũt, qui multis calamitatibus implicitus, sibi manum intulit. Non defuerunt qui traderent eum suæ impietatis pœnitentiam egisse, meruisseq; à deo ueniam. Per hæc Caius sæuitię exempla eò uenit, ut aperte quereretur de suorum temporũ conditione, quę nulla publica insignirẽtur clade, optareretq; identidem Ro. exercituum cędem, famẽ, pestilẽtiam, incendia, hiatum aliquem terræ. Doluit aliquando q, Ro. Po. non unã ceruicẽ haberet, uno ictu, si licuisset tam numerosam ciuitatem perditurus. Pari odio superbiaq; illustrium uirorum ingenia cõtempsit, Homeri carmẽ abolere cogitauit, lepius dictitans licere sibi quod & Platoni, qui poẽtã ipsum ex sua ciuitate sustulit, parũq; abfuit quin omnia Liuij Maronisq; monumẽta aboleuerit. Hũc nulli⁹ fuisse ingenij testat⁹, illũ negligẽtẽ & uerbosum. Ademit & Quiritiũ quibusdam gentilia ornamẽta. Torquato aurei torquis usum. Crines Cincinnato. Pompeiorum stirpi cognomẽ Magni. Sed quo pestis illa hominum esset processura, duorum libellorũ nomina qui post eius cædem in apertũ prolati sunt, palã fecere, hic pugio, ille gladius erat inscriptus. Repertũ est scriniũ uenenis refertum, quibus Claudij iussu in altũ mare deiectis, adeò sunt aquę infectę ut mox paulò pisces per littora exanimes iacuerint. Fuit in oẽs fœdas libidinis tã ꝓnus, ut cũ tribus sororib⁹ Drusilla, Liuia, & Agrippina stupri consuetudinẽ fecerit, quarũ Drusillam adhuc prętextatus uitiasse creditur, per huius nomen iam princeps ad populũ & milites pro concione deierauit. Liuiam Orestillã puellã nobili loco ortam nuptiarum die, C. Pisoni, cui matrimonio iũgebatur, ademit. C. Memio Iuliã Paulinã: ad postremum Cæsoniam duxit uxorem, quam ob lasciuiam perditam q; libidinem constantius adamauit, ostendit q; sæpe eam militib⁹ chlamyde & pelta & galea instructam. Huius amatorijs potionib⁹ alienatus, minus iam inde sibi constitisse creditur. Tantũ prętera rapuit, ut super aureos nummorũ aceruos nudis ambularet pedibus, interdum toto corpore uolutaretur. Rem bellicam semel attigit. In Galliam profectus primo accessu, Bellini Britanię regis filiũ à patre pulsum in deditionem recepit, mox deficiente bellorum materia Rheno tumultuose superato, Germanorum quosdam quos occulte uelut in insidijs fecerat, tanquam bello capros retraxit in castra, suspẽsis eorum spolijs in trophæorum specie in sylua quam ad hoc ipsum adornauit, uelut ibi loci res gesta esset. Copijs inde ad Oceanũ productis machinas & balistas in extremo littore disposuit, ignara multitudi- *Stulta ridiculaq; Caij expectatio.*
ne qd rei inchoaret. Inde uelut Oceano uicto repẽte edicit ut miles conchas legeret, ea esse uera Oceani spolia prædicans, his sinus & galeas compleret, eas Capitolio palatioq; deberi exuuias. Nouissime cõsilium cepit Romani exercitus qui in Germania erat trucidandi. Sed re animaduersa, quum iam ad uim omnia spectarent, nefario incœpto abstinuit, urbem inde Romam ex Gallia ouans ingressus est. Cæterum quum talis esset inter Castorem & Pollucẽ sedens se adeuntibus adorandum præbuit, sibiq; sacerdotes templumq; constitui passus est. Scripsit & *Caligula se orandum præbuit.*
Petronio Syriæ prefecto ut statuam suam Hierosolymitano templo inferret sub Iouis optimi maximi titulo. In Capitolio solus sedebat susurrans: tanquã esset sibi cum Ioue colloquium: interdum etiam altercando comminari conspectus stultitia est: quandoq; in deorũ habitu auream habẽs barbam tenẽsq; fulmẽ dextera, interdum fusciná, aut Mercurij caduceũ. Per hæc ille flagitia scelerumq; atrocitatẽ quatuor propemodũ annos rerũ potitus est. Ad postremum quũ inuisus esset omnibus, domestica coniuratione ludorũ die oppressus perijt, multis cõfossus uulneribus *Caligulæ interitus.*

Pilati mors

Caligulæ inuisa in summos uiros.

Nefaria libelli inscriptio.

Veneni uis.

Libido.

uulneribus. Ferũt in ea domo qua cędes peracta eſt, nullam iam inde noctẽ ſine terrore tranſactã: quoad incendio conſumpta ſit. Fuit in dicendo uehemens, ita ut præ nimio ardore uix uno loco cõſiſteret. Anneum Senecam arenã aiebat eſſe ſine calce. Ad eius ſcripta haud dubie alludens, quibus nulla coaleſceret oratio. Nec ſaltandi ſtudium aurigandiúe contempſit. Statura fuit eminenti,, pallido colore, cerui cis cruru mq; enormi gracilitate, oculis & temporibus cõcauis, torua fronte, capillo raro, & circa uer
Capra. ticem nullo, hirſutus cætera, ut capram nominare capitale fuerit illo imperante. Vultus teter ac horridus, ſed quem ipſe de induſtria efferaret, ut ſpectantibus formidoloſior eſſet. Exterrebatur per quietẽ miris rerum imaginibus, ut qui pelagi ſpeciẽ ſecũ loqui fuerit aliquando imaginatus. Et Caius qui
CLAVDIVS quartus à Cęſare dictatore imperauit talis fuit. Clau
V. IMPER. dius Nero eius patruus magis caſu quàm hominũ cõſilio, poſt eius cædem imperium eſt adeptus. Fuit is Druſi & minoris Antoniæ filius. Cæterum à quo fuerit in Cęſarum familiam adoptatus non reperio, quo magis miror Tranquillum autorem eſſe Cæſarum progeniem in Nerone defeciſſe, ſed utcunq; ille in gentem receptus eſt, Caligulę cædẽ conſternatus in Dieta, cui Hermeo fuit nomẽ, nonnihil latuit, unde à paucis extractus, atque in caſtra tumultuoſe delatus, prærogatiua militari imperator eſt appellatus. Senatusconſultum quia parum tutum uideretur ire obuiam armatæ multitudini, fecit illi ratũ imperij nomen. Et Claudius tam præcipiti fortunę impetu ad faſtigium eſt dignitatis euectus. Altero
Petrus Romã proficiſcitur. cuius regiminis anno Petrus Bariona Chriſti Apoſtolus ex Antiochia Italiam petijt, pluribus in Aſia eccleſijs conſtitutis, & in his Antiochena, cui non tã tum naſcenti, ſed iam propemodum adultæ ſeptem pręcedit annos. Ad maiora inde rerum initia profectus, prædicans euangelium primordia nouæ fundat eccleſię, cuius plures deinceps annos cuſtos fuit & rector. Vulgat ille ſedulo docetq; Chriſti dogma, ingerit ueritatem uolentibus frugiferamq; ſaluatoris doctrinam. Multi per hæc ad ueram pietatem tra ducti, ſalutiferaq; fruge imbuti, baptiſmi ſunt lauacro admoti, & in his Ioannes cui cognomẽ fuit Marco, Iſraëliticus, ut Hieronymus ſcribit, Leuita. Is ad
Marcus euangelium ſcribit. Chriſtum cõuerſus, ſacręq; hiſtoriæ peritior factus, euangelium ſcripſit, quam ei Petrus prouinciã Chriſtianorum hominum iniunxit rogatu. Legitq; pius doctor diſcipuli ſcripta & probauit. Mox Aquileiã profectus eſt, ſub initia conditæ ibi condẽdæúe eccleſię. Hic quoq; aliqua ſcripſiſſe creditur. Inde Alexandriam delatus, tantum ſcripto & prædicatione profecit, ut breui frequens celebriſq; ſit orta eccleſia, quæ Alexandrina ab ipſius urbis nomine eſt poſtea cognominata. Et iam omnibus terris iacta erãt ueræ fidei fundamenta, gliſcebantq; paſsim pietatis cultu, quum Maria uirgo Chriſti Nazareni mater in
Mariæ uirginis obitus. clyta, in cœlum aſſumpta eſt. Incidit illius diſceſſus in quintum Claudij principis annum, qui ſeptimus fuit & quadrageſimus humanæ ſalutis. Claudius principatum adeptus domeſticis externiſq; inſidijs petitus, uita propemodum & imperio periclitatus eſt: quidam plebeius homo cum ferro nocte prope media ante eius fuit cubiculum deprehẽſus, & duo equeſtris ordinis deſtinati ſceleris cõuicti ſunt, quorum hic theatrum egreſſum obtruncare animo deſtinarat, ille ad ędem Martis diuinis operantem. Cõiurarunt adhæc in urbe uiri illuſtres. Gallus Aſinius & Statilius Coruini⁹, Pollionis & Coruini nepotes, ex libertis ipſius & ſeruis quibuſdam in ſocietatem cędis aſſumptis. Procul domo Furius Camillus Delmatiæ legatus, ſed motus ille intra quintũ diem reſedit, legionibus quę fidẽ mutauerãt religione iniecta ad pœnitentiã cõuerſis, itinere enim ad Camillum nouũ imperatorẽ propoſito, ſigna neq; ornari neq; loco moueri potuerũt. Et ille per hęc diſcrimina iã princeps exercitus eſt, ut difficile ſit dictu, proſperiorem ne ſit fortunam in quærendo principatu expertus, an uariam magis & mutabilẽ in retinẽdo. Cæterum ſtabilito imperio, unam omnino ſuſcepit *Britãnica Claudij expeditio* in Britannos expeditionem, hodie Anglos uocant. Erãt iã plures annos Britanni Ro. armis intacti, tumultuabanturq; tũ forte inſulani, quia obſides non ſibi reſtituerẽtur. Hãc nactus belli anſam Claudius triumphi cupidus, in Narbonẽſem Galliam tranſijt, quo quum ex Hoſtia naui ueheretur, uehemẽti Circio primo in ora Liguriæ mox apud Stœchades inſulas quę ſunt ante Rhodani oſtium, propemodum eſt fluctibus obrutus. Eſt Circius Narbonẽſi Galliæ peculiaris, nulli uentorum uiolentia inferior, ut ex aduerſo nitentem ne reſpirare quidem ſinat, aut ueſtigio conſiſtere, ſed aut ui ſua impellit, aut humi affligit. Cato in originibus armatum hominẽ ſcripſit & currus onuſtos Circij impetu percelli, & quũ tam uehemens ſit, non modo nõ alias attingit terras, ſed ne Viennam quidem eiuſdem prouinciæ urbẽ, quo manifeſta ſit lex naturæ, uentis quoq; eſſe nõ ſolum tempora quibus ſpirẽt, ſed fines etiam præſcriptos. Talis & in Apulia Iapix, & in Põto Cęcias, cuius flatũ trahere ad ſe nubes Ariſtoteles credidit, non propulſare. Claudius ex Maſſilia terreſtri itinere Geſſoriacum profectus (eſt id oppidum in ora Galliæ ad Oceanum) in Britanniã tranſmiſit, prouinciaq; citra
Iapix. *Cæcias.* prælium paucis diebus pacata, ſexto quàm ex urbe *Claudij reditus ad urbem.* profectus fuerat mẽſe in Italiam redijt. Hic ex Pado per Varrenum, inſigni domo uerius q̃ naui, in Adriã ingreſſus, ſuperi maris ora enauigata, urbẽ triũphãs intrauit. Eſt & in Germania eodẽ principe tumultuatum. Cheruſci, ut Tacitus Corne. ſcribit, Italũ regem quem Romæ natum Germanis petẽtibus Auguſtus princeps dederat, ſubita defectione ut uniuerſæ genti ſuſpectum pellere adorti ſunt. Cęterum *Germanicus.* prælio ab eo uicti ad tẽpus quieuere, inde hominis ſuperbiam pertęſi, ad quam ille rerum ſucceſſu ut ſit deſciuerat, regno deturbant. Italus Lõgobardorum opib⁹ adiutus, res Cheruſcas per læta & aduerſa infeſtabat. Chauci quoq; inferiorem Germaniam incurſare, ſed hi Corbulonis interuentu breui pacati ſunt. Gãnaſto oppreſſo, eius motus autore. Circa Babylonem duo Iudaici ſanguinis fratres, quorũ uni *Iudaicorũ furtum facinus.* Aſineo fuit nomen, alteri Anuleo, à naualis fabricæ magiſtro, apud quẽ operabãtur, increpiti, qa ſegnius ad opus redijſſent, in montes irati cõceſſerunt, ubi collecta æqualiũ manu, in uicinos accolas primo latrociniũ exercuerunt, locis inde ſibi ad receptũ communitis, multitudineq; ſpe quæſtus affluẽte, primo finitimos ſubigũt, inde Mithridatem Artabani regis Parthorũ legatum, cũ exercitu aduerſus ſe miſſum, copijs nocturno incurſu exutum, in poteſtatẽ redigunt, redactum ne de uita dimicare crederentur, intactum dimittunt. Mithridates, uxoris ſtimulis adactus, erat is regis gener, reparato exercitu, ut accepræ ignominiæ notam ſibi & ſuis demeret, iterum in Iudæos profectus in Meſopotamiæ campis eos prælio uicit. Anuleus (nam minor fratrum aliquãto antea fuerat ueneno interceptus) Iudæos quos ex pugna egreſſos ſyluæ texerant, in unum contrahit, Neerdamq; occupat, ubi loco à Babylonijs occulte inito, ipſe cum præcipua ſuorũ parte interfectus eſt, qui cædi ſuperfuerunt (erat adhuc manus non contemptibilis) Seleuciam conceſſere. Hic à Græcis & Aſſyrijs, qui eam urbẽ tenebãt, nefaria cõſpiratione ad quinquaginta milia Iudæorum occidione occiſa *Multiplex dæorum cædes.* ſunt, pauci qui media cędę dilapſi ſunt, primo Teſiphontẽ petunt, inde conſternato agmine, ut tutiore eſſent loco, Neerdam iterum occupãt, tutius inde ſe aduerſus tot infeſtas gẽtes defẽſuri. Et Iudęi in Meſopotamia hãc per id tẽpus cladem, duorũ temeraria defectione, adiere. Nec in Iudæa multo meliore ſtatu

ſtatu res eiuſdẽ gẽtis ea tẽpeſtate fuere. Enimuero Azimorũ diebus Cumanus, qui prouinciæ præerat, ueritúsne in tam numeroſo Iudæorũ conuentu aliquis nouus motus in urbe oriretur, milites circa tẽplum diſpoſuit, qui uelut præſidio eſſent pontificibus. Tum ex gregarijs militibus unus, populo ſacris occupato, uerenda corporis aperto monſtrauit ſinu. Iudęi eiuſmodi flagitio commoti, nam res in contumeliam uerſa eſt, ut certe acta erat, queſti non ſe ſolum, ſed religionem etiam contemni, tumultu repẽte orto, militẽ ut impium execrari. Occurrit eò Cumanus fœuientem multitudinem placaturus. Cęterũ ubi uis & impetus ſiſti non potuit, milites in Antoniam recepit. Erat is locus munitiſsimus templo imminens. Iudæi rati præſidiarios ad id ſubductos, *Iudæorum motus.* ut mox paulò ad cædem immitterentur, conſternati animo capeſſunt fugam, tantaq; perturbatio circa portas ſecuta eſt, ut ad xx. milia hominũ momẽto tẽporis perierint. Sunt autores cladis huius Ioſephus & Euſebius. Ea res, & quòd Samaritarum & Iudęorum diſcordias alere Cumanus diceretur Samareorum muneribus corruptus, tantum illi conflauit inuidiæ, ut Romam ad dicẽdam cauſam ſit accerſitus, atq; in exilium actus. Et hæc in prouincijs. Publica
Publica Claudij opera. Claudij opera fuere. Fucini lacus emiſsi monte per tria milia paſſuũ aut effoſſo, aut exciſo. Abſoluit id opus undecim annorum ſpatio triginta milibus hominũ aſsidue operãtibus. Extruxit & Oſtiẽſem portum, mole oſtio fluminis obiecta, q̃ ut ſtabilior eſſet, nauim qua Obeliſcus ingens fuerat ex Ægypto aduectus, plenam puteolano puluere alto mari depreſſit. Pilis inde congeſtis turrim in Alexandriæ Phari ſpeciẽ impoſuit, ut ad nocturnum lumen eò nautæ ex alto curſum intenderent. Tentauerat id opus aliquãdo Cæſar dictator, ſed difficultate rei deterritus abſtinuit. Perfecit Claudius aqueductũ quẽ C. Cæſar qui ante illũ imperauit inchoauerat. Sed quàm B *in publicis operibus* fuit fortuna illi proſpera, tam *in domeſticis* ſæua & aduerſa, præcipueque in Meſſ*alinæ* connubio. Fuit hæc Barbati Meſſalæ filia, mulier portentoſæ libidinis, & quæ uiuo Claudio, atq; omnium gentium principe C. Silij non ſolũ ſit concubitum ſecuta, ſed & cõnubium etiã affectauerit: quam occaſionẽ nacti liberti & amici principis, illi
Meſſalinæ cædes. autores fuerunt, ut Meſſalinam capitali ſupplicio afficeret. Interfecta eſt in Lucillianis hortis, feſtinataque eſt cædes Narciſsi opera, ueriti ne Claudius mulieb ribus lachrymis flecteretur, nam ut natura fuit ſtolida, nulli dubium erat quin facile coniugi ceſſiſſet, ſi ad illius conſpectum uenire potuiſſet. Peracta quod ſatis conſtat cæde, poſtquam in triclinio paululum decubuit, cur domina non ueniret requiſiuit. Superduxit Claudius Meſſalinę per hũc modũ ſubblatæ Agrippinam Germanici fratris ſui filiam. Hanc Caligula à ſe inceſtatã, ſuis ad ſtuprum exoletis ſubieciſſe fertur, mox uero ut inſidiarũ aduerſus ſe cõſciam relegauit. Nupſerat Agrippina primo Domi-
Neronis ortus. tio Neroni, ex quo Neronem qui poſt Claudium imperauit enixa eſt. Auditam ferunt eius uiri uocẽ, qui nuntiato uxoris puerperio, nihil ex ſe & Agrippina niſi infelix & pernicioſum gigni potuiſſe teſtat⁹ eſt. Sed in Claudio tanta fuit uecordia, ut quum contra
Stultitiæ argumenta in Claudio. patrium morem fratris ſui filiã matrimonio ſibi iungeret, deq; ea re pro concione ageret, illã identidem filiam appellauerit ſuo gremio natã prædicans, atq; à ſe educatã. Agrippinæ igitur illecebris captus Neronem priuignum adoptauit, quum Britannicũ haberet ex Meſſalina genitum, & iam adoleſcere incipientem, cui deteſtabili facto adiecit & ſtolidum dictum. Neminem unquam per adoptionem Claudię fuiſſe genti infertum, ſed ab ineũte ætate parum illi mens conſtitit. Quod uum Auguſti ad Liuiam epiſtolæ teſtatæ ſunt, tum Antoniæ matris uox ſæpius audita, quæ quum inſignem in aliquo notaret ſtultitiam, eſſe eum diceret ſuo Claudio ſtultiorem, poſtentumq; hominis appellaret, nec abſolutum: quũ diceretur aliquãdo imperaturus, tam diram Po. Ro. ſorte clare deteſtata eſt ſoror Liuilla. Auia Auguſta tam deſpicatũ habuit, ut nunquã alloquio dignaretur, ſed breui & acerbo corripuit, quũ opus fuit, chirographo. Extiterũt uecordiæ huius multo maiora in publica adminiſtratione ſigna, nã ingenia & mores hominum multo facilius deprehendũtur, quum uita in illuſtri eſt loco ſita. Sed nullis hominũ prin-
ceps ille magis indulſit, quàm libertis ſuis, quorum *Claudij libertꝰ* Felicem trium regnarum maritũ Iudææ prouinciæ præfecit. Polybius à ſtudijs ſæpe inter duos cõſules medius ambulauit. Narciſſo ab epiſtolis & Pallanti à rationibus queſtoria prętoriaq; tribuit ornamẽta, tantumq; diuitiarum ingeſsit, ut inter mortaliũ diti-
ſsimos, C. Plinij teſtimonio cenſeantur. Fuit uini cibiq; incontinentiſsimus. Captus aliquãdo nidore prandij, quod Salijs parabat, tribunali relicto, protinus ad ſacerdotes aſcẽdit, unaq; accubuit. Ingeniũ
Claudij ſeuitia. fœdum & ſanguinariũ, extantq; non pauca eius ſæuitiæ documenta, quæ ſuperuacuum ſit referre. Cęterum quum talis eſſet, nemo unquam fuit in principatu illo uno timidior, nullũ unquam ægrũ temere adijt, niſi eius cubiculo à militibus prius explorato, culcitraq; & ſtragulis excuſsis, neq; ad ſe ſalutandũ admiſit quenquam, cuius ſinus & ueſtes nõ fuerint prærentatæ. Coluit inſigniter Græca & Latina ſtudia, ſcripſitq; utroq; ſtilo hiſtoriam bellorum ciuiliũ *Quæ Claudius ſcripſerit.* unũ & quadraginta uolumina, à Cæſaris dictatoris cæde ad ciuilem pacẽ ſerie deducta. Scripſit & octo de uita ſua magis inepte quàm inelegãter. Cyrenaicorum libros xx. Græce, & Carthaginenſium octo, qui ſtatis diebus Alexandriæ quotannis legi cõſueuerunt. Veteri literarũ numero tria addidit elemẽta ſed quæ eo principe tãtum in promiſcuo uſu fuere.
Viri ingenio clari. Vixerunt eo imperãte uiri ingenio illuſtres, Domitius Afer Nemauſenſis Fabij Quintiliani pręceptor, qui Neronis principatu, cibi redundãtia in cœna perit. Euſebius autor eſt, qui ſi uera ſcribit, ipſe uiderit quonam modo accidere potuerit, ut quemadmodũ perſuaſum habuit, Fabius Galbam, qui poſt Neronẽ imperauit, ex Hiſpania ſit Romã ſecutus. Fuit & Pa-
Palæmon. læmon Vincẽtinus grammaticæ artis ſua tẽpeſtate princeps. Ferunt eum prædicare ſolitum ſecum Latinas literas natas, ſecũ perituras. Videtur Maro, manifeſto quodã futuri profectus præſagio adductus, de eo adhuc puero illud ſcripſiſſe. Audiat hęc tantũ, uel qui uenit, ecce Palæmõ, & mox paulo eũ uicinũ appellat. Potuit Palæmonẽ Maro uidiſſe, uerũ puerum, aut certe admodũ iuuenẽ. Dionyſius Ariopagita in hæc tẽpora deſcẽdit. Claruit & Anneus Seneca Stoicæ aſſectator diſciplinæ, de quo plura poſtea in Nerone. Viri ac fœminæ ſanctitate clari. Petronilla
Petronillꝰ. Petri Barionæ filia, quam uirginem, quum Flaccus comes inuitam ſibi matrimonio iungeret, triduo ad deliberãdum impetrato, perpetuæ iciunio, orationeque id tempus tranſegit, ex humanis q; ad Chriſtum emigrauit. Conflata eſt Nicomedi presbytero ex tam matura Petronillæ morte apud Flaccum inuidia. Eſt & Feliculæ eius puellæ comiti. Huic quia omnium Petronillæ conſiliorum eſſet particeps. Illi quòd è uita migraturæ Euchariſtiæ ſacramẽtum obtuliſſet. Vtrunque Flaccus fœuiens per uarios cruciatus occidit. Eſt per id tempus Lazarus Marthæ & Magdalenæ frater iterum fato abſumptus quem *Lazari interitus.* Chriſtus rex omniũ quatriduo quàm uita deceſſerat ad uitam reuocauit. Fuitq;, ut tradunt quidam, Maſſilienſis eccleſiæ antiſtes. Philippus apoſtolorum unus, quum annos circiter uiginti euãgelium in Scythia prædicaſſet, omnem ferè gentem ad ueræ pie-
Philippi prædicatio. tatis cultũ pertraxit. Mirũ eſt quod illi media prædicatione contigit, id diuina prouidentia factum, ut pium eſt, ita ęquum iudicare, & ob id quidẽ memorabile,

rabile, quòd cum tractus ille esset ab ijs, qui ueræ pietatis lucem auersabantur, ad Martis statuam, ut inuitus sacrificaret, Draco inde repente extitit, qui pontificis filium certo impetu adortus, letaliter percussit. Mox & duo tribuni icti sunt, qui Philippum eò uinctum traxerant. Multi adhæc ab eo afflati cõfestim in pestiferum languorem inciderunt. Philippus perculsam multitudinem affatus, si quæ uobis mõstrata fuerint, inquit, sedulo curabitis, polliceor futurum ut qui mortui sunt, diuina uirtute ad uitã retrahantur, pestiferq; hic statim abigatur serpens. Rogãt illi quid opus sit facto. Ite, inquit, & dæmonis huius, quem colitis simulachrũ deijcite, locũq; unde illud demoliti fueritis, crucis signo insignite, idq; in Christi Nazareni memoriam mecum supplices adorate. Facessunt Scythæ pium opus quo rite procurato, & qui defuncti fuerant reuixere, & pernicioſa peſtis illa procul discussa est. Hæc Philippus, quẽ multa utiliter operatum, quum Hierapolim uenisset, Hebionitæ, qui Christum phantasticam non ueram induisse carnem impie arbitrati sunt, ui oppressum, patibulo crucis affixere. Et ille hoc martyrij genere coronatus est, annos iã octo & septuaginta natus. Fames, quam omnibus terris futuram Agabus prophetico prædixerat spiritu, Claudij principatu late euagata est: qua temporum iniquitate, Helena Adiabenorum regina, quæ Iudaicum primo cultum cõplexa, mox apostolorum prædicatione Christi regis est fidem secuta, magnam uim tritici Hierosolymã misit, ne piorum cœtus, qui tũc eam urbem incolebat, fame conficeretur. Meminit cladis huius Tranquillus, qui autor est Claudium arctiore annona, quę ob assiduas sterilitates inciderat, in foro à multitudine cõuicijs exceptum, acita panis fragminibus instratum, ut ægre per posticum in palatium euaserit. In Ægæo per id tempus inter Therã & Therasiam, insula repente extitit tricenũm stadiorum ambitu. Hę quoq; uno emersu, nec eo admodum uetusto, factæ dicuntur. Sunt & tres Soles simul uisi, ut Eusebius prodidit. Pudet referre numerum Ro. ciuium, quem idem autor ex censu Claudij principis ponere est ausus. Cæterum quia ab eo est literis traditus, sine rubore referam, sexagies nouies centũ & quadraginta quatuor ciuium milia Romæ censa fuisse ait, quantum hominum numerum ne totam quidẽ Italiam ex omni collatione gẽtium efficere potuisse credere par est. Sed fides sit apud eos qui hęc prodere sunt ausi. Perijt Claudius annorum quatuor & sexaginta, quum annos quatuordecim esset rerum potitus, Asinio Marcello, & Acilio Auiola consulibus. Fuerit ne hic Auiola ille, qui rogo illatus reuixit, ut Plinius scribit, an alius pro certo nõ ausim ponere. Satis cõstat inualescente flamma, laboranti succurri non potuisse. Fuit Claudius prolixo nec exili corpore, aderatq; formę dignitas uel stantis uel sedentis, canitie pulchra, opimaq; ceruice, gradientem poplites desti tuebant, risus indecens, ira turpior, spumante rictu, linguaq; titubante, capite, quum semper aliàs, tum quantulocunq; actu uehementer tremulo. Perijt Agrippinæ opera, ut creditur, quæ illi boletum, cuius erat cibi appetẽtissimus, ueneno illitum obtulisset. Ea fama, etsi anceps, eo tamen celebrior facta est, q, non multo prius quàm ita affectus perijt, signa quędam nec obscura pœnitentis dederat de Agrippinæ matrimonio, & Neronis adoptiõe, & q, illa immoderata ferebatur cupiditate filij ad imperium promouendi, adeò ut aliquando à futurorum peritis scisciterata, an filius esset imperio potiturus, foreq; respõsum esset *ut ille* imperaret, sed ita ut matrem interficeret: Interficiat dixerit, modo regnet. Fuit annus ille quo Nero imperium adeptus est, humanę salutis sextus & quinquagesimus. Vrbis Romæ octingentesimus octauus. Mundanæ originis quinquagesimus supra ducentesimum ac quinquies millesimum. Præsidebatq; Petrus Bariona Christi apostolus Romanæ ecclesiæ nuper ab eo cõditæ. Erat tum Romę Simon quidam Magus Samareus genere, cui præstigiosis operibus diuinitatis erat opinio apud multitudinem conciliata. Iam inter duos pontes Latinis erat literis scriptum: Simoni deo sancto. Fuerat is à Philippo, qui ex septem diaconis ab initio constitutis fuit unus baptismo insignitus. Sed malũ ingenium uirtutem alere non potuit. Omnia itaq; in peius uertens haud unius hæreseos origo fuit & caput: postremo hominis temeritas eò ꝓgressa est, ut Barionam sit in miraculorũ certamen prouocare ausus. Cadauer defuncti pueri, & ut Egisippus ait, Neronis propinqui magicis conatus artibus suscitare, mouit omnino aliquid sed mox illud ut antea eximie iacuit. Tum Petrus in Christi Nazareni nomine, ut ui sua surgeret effecit, quo miraculi euẽtu Magus irritatus professus est se Rom. spectante populo ex Capitolio in Auentinum prępete uolatu euasurum, si Petrus sequeretur. Id factum facile declaratu rum uter deo esset charior, & iam Magus sublimis à terra uehebatur, quũ Bariona supplex est à deo precatus ne populum in peius omnia uertẽtem magicis capi præstigijs sineret, nec preces in cassum missæ, medio Simon conatu ad terram ruẽs, fracto crure solo affligitur, ac breui pòst ex eo casu est Ariciæ extinctus, quo post acceptam ignominiam fuerat à suis delatus. Ab eo Simoniaci dicti, qui spiritus sancti dona uenalia habuerunt, nam posteaquàm in Samaria à Philippo baptismum accepit, uenissentq; eò Petrus & Ioannes, ut manus impositione qui nuper in fidem uenerant insignirent spiritu sancto, Simon, ut Lucas prodidit pecunia id donum à Petro impetrare conatus est, quum fide & pietate debuisset. Cę terum repulsus, iam inde, ut credere par est, fuit Barionæ infestus. Romam ex Samaria profectus, cœpit sub Claudio magicis operibus illustrari, mox Neronẽ imperãte, multo celebrior factꝰ, stultissimo principi stultis artibus est insinuatus. Polliceri *ille*, ut Egisippus ait, perpetuum uictorię cursum *longioraq;* uitæ spatia, per quæ Neroni tam charus fuit, ut pręcipua odij causa in Petrum inde orta uideri possit. Nemo unquam ulli artium, ut Plinius scribit, ualidius fauit quàm Nero magicæ, ut non minori umbrarum feralium q; uocum libidine teneretur, quàm citharæ & tragici cãtus, etsi demum omnia uana ille falsaq; expertus est. Post Simonis interitum Petrus rogatu populi, ut quidam tradunt, dedit Marco euangelium scribendũ. Quo functus munere Alexandriam, ut suprà est significatũ, profectus octauo anno quàm eò uenerat uita decessit, uir sanctitate & doctrina insignis, & quod ad pietatis profectum attinet, ecclesia Alexandrinæ ciuitati optime constituta, eius scripta quanti futura essent ad posteros primus omniũ uidit Io. Zebedæi filius, qui leonis speciem alis insignem ad diuinum tribunal uidit stantem. In demortui locum Annianus Alexãdrinæ ecclesiæ antistes surrogatus. Visitur Alexandriæ Marci conditorium, unde sacratissimum corpus, post aliquot ætates est Venetias translatum. Incidit eius obitus in octauum annũ Neroniani imperij. Sequẽti anno, qui fuit eiusdem principis nonus, Iacobus Christi frater, qui primus Hierosolymitanus fuit antistes cõstitutus, à Iudæis impie necatus est, sanctus ab utero matris, ut suprà fuit memoratum. Eum Ananus Iudæorum pontifex, quia cogi non potuit ut Christi nomen abnegaret, lapidibus pene obrutum, ex superiore parte templi præcipitauit, eundem humi afflictum pro percussoribus orantem, fustuario necauit. Tam spectata fuit in eo sanctitas, ut Iudæorum multi persuasum habuerint, ob impiã illius cędem breui posteà euenisse, ut urbs ipsa cum templo & sacerdotibus sit excidio dedita. Hic, ut fertur, fuit discipulus ille cui primum Christus à resurrectione apparuit,

Philippi martyrium.

Fames.

Insula emersit.

Numerus Ro. ciuium.

Claudij statura.

Vaticinium.

NERO VI. IMPE.

Petri apostoli & Simonis Magi certamen

Vnde Simoniaci.

Marci euangelistæ exitus.

Iacobi martyrium.

apparuit, nec prius est ab eo agnitus, q̃ oblato pane, comede dixit frater panem tuum, filius hominis resurrexit. Barnabas cui Iosepho cognomẽ fuit, per id quoq; tẽpus in Cypro insula, ob Christi nomen, martyrij coronã tulit, cum Paulo ad apostolatũ diu antea assumptus, unam omnino scripsit epistolam, nec eam in usum sacrorũ receptã. Paulus qui antea fuit Saulus Giscalis oppido in Iudæa ortus, Beniamina tribu, patria à Ro. bello capta, cum parentibus Tarsum, quæ Cilicię est, migrauit, mox Hierosolymis operam dedit Gamalieli, Mosaicæ legis peritissimo. Stephani martyrio interfuit, acceptisq; à Iudęorum põtifice literis, ut eos uelut impios insectaretur, qui Christum Nazarenũ Dei filium affererent, cùm Damascum pergeret, subita lux obiter in speciẽ fulguris occupauit, ad terramq; pauore deiectus uocẽ audiuit, uelut increpantis, Saule, Saule, quid me persequeris? Ille torpore & metu pressus, quis, inquit, es? Cæterũ ubi Iesum esse Nazarenũ audiuit, cuius ipse nomen insectaretur, subita religione tactus, uenerabundus petijt, quid iuberet se facere. Pergeret porrò ire resonsum est, fore, ut quum Damascũ uenisset, ibi audiret quid facto opus esset. Strabant eius comites miraculo rei attoniti. Cæterũ Saulum se ęgrè attollentem, per manus in urbem deducunt. Fuit ille triduum Damasci nihil uidens. Occurrit inde illuc Ananias cœlesti oraculo iussus ad eum ire. Erat is unus ex Christi discipulis, ad cuius accessũ confestim lux Saulo restituta est, doctusq; ab illo q, à Deo optimo maximo lectus esset ad Christianũ dogma propagãdum, paucis diebus, quibus Damasci fuit, cum discipulis humiliter uersatus, Christumq; Nazarenũ Dei filium asserere exorsus, confestim in se omnium oculos uertit. Mirari subitá in homine mutationem Iudæi, mirari uim dicendi, extemporalemq; facultatem, nec erat in synagoga qui disputanti illi resisteret, acceperat enim spiritũ sanctum. Mox Damasco profectus, Christi nomen longè lateq; prędicatione propagat. Assumpsit q; interim Pauli nomen à Sergio Paulo Cypri insulæ proconsule, quem post certamen, quod Paphi cum Barieso mago habuit, magnaq; hominis clade trãsegit, ad ueri Dei cultũ conuertit. Ex Cypro digressus Antiochię primo, mox Iconij multos mortales sua prędicatione, Christiano adiunxit cultui. Lystris inde in Lycaonia, quũ claudum ab infantia curasset, fecissent illi & Barnabæ q aliquandiu eius comes fuit, Lystrenses, ut tum passim malorum dæmonum uigebat cultus, tanq̃ duobus dijs rem diuinam, nam Iouem hunc, illum Mercurium ob eloquentiam arbitrari, nisi sui erroris admoniti incœpto destitissent: scindentib. illis sibi uestem in argumentũ doloris, & cum clamore testantibus se mortales esse, non deos, negantibusq; diuinos honores hominũ cuiquam cõuenire. Erant itaque ambo apud Lystrenses in summa ueneratione, quum Iudæorũ interuentu, qui ex Antiochia eò occurrerant, mutato multitudinis studio Paulus penè ad necem lapidatus est. Secundũ hæc Pisidia & Pamphilia utiliter peragratis, Antiochiam reuersi sunt, et mox paulo orta ibi quæstione, an post baptismũ circunciſione opus esset, cum Barnaba Hierosolymas est ad apostolos, qui ibi erant, et presbyteros missus, rem tum ambiguam discussurus, ac per id tempus à Petro, Ioan. & Iacobo qui adhuc ibi erãt, collega est assumptus, ac Christi apostolus creatus. Nec diu inde Hierosolymis fuit, sed cum Sila, quem sibi comitem asciuit, per Syriam & Ciliciam Derben & in Lystram uenit, Timotheoq; sibi adiuncto, Phrygia, Galatia, & Mysia peragratis, ex Troade in Samothraciam pertendit, hinc q; in Macedoniam trãsgressus, nonnihil in Philippis fuit: ubi dæmonem ex fatidica puella excussit in Christi Nazareni nomine, ob id in crimen deuocatus ab ijs qui uaticiniũ illud quæstuarium sibi fecerant, Paulus & *socij* fustuario admoti, in uincula cõijciunt: ultrò hinc q; dimissi Thessalonicem Paulus uenit, ex Thessalonice Bercęam, utrobique in synagogis disserens, plurimos ad Christum cõuertit. Athenis inde fuit, ubi in Ariopagum adductus, quum multa de eo grauiter disseruisset, deq; pœnitentia & resurrectione, parumque probaretur ipsius sermo ab ijs, qui Ethnicis erant erroribus imbuti, è medio discessit. Apostolorum acta Dionysium Ariopagitam cum non paucis demonstrant dissertatione illa ad fidem conuersum. Ex Attica contulit se Paulus Corinthum, ubi apud Ponticum Aquilam & Priscillam eius coniugem fuit in hospitio. Erãt hi Iudaici sanguinis, & ex urbe à Claudio ejecti, disputabatque Paulus omnibus sabbatis in synagoga, arreptusque à Iudæis ad Gallionis Achaiæ proconsulis tribunal, nihil ab eo incommodi tulit, quod in lege à Iudæis dissentiret. Nec paruæ interim fiebant eius prædicatione in fide accessiones: in Ioniam inde transgressus cum Aquila & Priscilla, qui Cenchreis (fuit id Corinthiorum nauale) sibi caput totondere, eos Ephesi reliquit, ubi cum Iudæis Paulus in certamen descendit, mox in Cæsaream profectus ecclesiam, quæ ibi in horas gliscebat, inuisit. Estque secundum hæc Pauli prædicatio longè lateque per Galatiam iterum & Phrygiam euagata. Versatus est deinceps Ephesi aliquandiu, ubi mirificè operatus, in Macedoniam reuertitur, ex Macedonia in Græciam, unde in Asiam relatus, circa Troadem puerum præcipiti lapsu extinctum uitæ restituit. Hinc Mitylenem naui adijt, Ioniæque oram circunuectus, Ephesinæ ecclesiæ maiores natu appellauit, quibus testatus est diuino se spiritu moneri, ut Hierosolymam peteret, ubi pro Christo magnum esset certamen aditurus, hortatusq; suos ad ueræ pietatis cultum, diuinitus prædixit fore, ut ab Hæresiarchis non multo pòst conuelleretur ecclesia. Cum multis inde lachrymis à piorum complexibus solutus, Coum, Rhodum, & Pataram strin gens Cyprumque præteruectus, Tyrum in Syria tenuit. Hinc Ptolemaidem, & mox Cæsaream adijt, fuitque apud Philipum in hospitio ex septem diaconis unum. Erantque huic filiæ quatuor prophetico spiritu insignes. Hic Agabus propheta Paulo præ dixit fore ut Hierosolymis uincirẽ, perrexit ille nihilo secius urbem petere, ubi in templo agnitus, ob ea quæ foris aduersus Iudæos egerat, continuò correptus est ad supplicium, catenæque iniectæ. Dein in publico constitutus, Lysiæ tribuni permissu, cui tradidus erat, ad Iudæorum multitudinem quæ in concionis modum circunstabat, constanter & accuratè de se egit, & qd Iudæus esset Tharsi natus, sub Gamaliele institutus, inde quum Christi nomẽ insectaretur, ut miraculosè afflictus, ad lumen ueritatis manifesto numine peruenisset, cuius uoluntatẽ executus, rem Christianam latè omnibus terris prædicatione propagasset, ad quam ut ueram & salutarem præsentem multitudinem hortari. Iudæi adhuc magis irritati, uestimenta sibi scindere, fuissetque pro concione discerptus, ni tribunus eum Centurioni tradidisset in castra abducendum, mandassetque ut uirgis cæderetur torquereturque. Sed temperatum est iniuriæ, ubi se ille Romanũ esse ciuem testari cœpit. Productus iterum in concionem, Pharisæorum Sadducæorumq; dissidio seruatus est. Fuerat Paulus Pharisæus ab initio: fateri id dogma resurrectionem, & spiritum sanctum, à qua Saducæi opinione abhorrebant. Coniurauerant interim quadraginta & amplius in illum, diris q; execrationibus se deuouerant, si prius aut cibum aut potũ sumerent, quàm Paulum interfecissent, erantq; postridie illũ productum subita ui oppessuri, quod nefarium consilium cùm Lysias indicio cõperisset, eum in Cæsaream ad Felicem, Claudij libertũ, Syriæ præsidem misit, apud quem semel dixit causam, custoditusq; est usque ad

Barnabæ martyrium.

Pauli progenies.

Dionysius Ariopagita.

Pauli prædicatio conuertit.

Pauli peregrinatio.

Pauli prædicatio.

Agabus.

Paulus Hierosolymis uincitur.

Pharisæorum dogma.

Festi in prouinciam accessum, qui Felici succesit, ab eo, quia Cæsare appellauerat (petebatur enim à Iudæis ad supplicium) Romam sub custodia missus est, ubi biennio in custodia fuit, sed ea tam libera, ut assiduè cum Iudæis, qui Romæ erant, in disceptationis certamen descenderet. Dimissus inde à Nerone, & docuit & scripsit multa. Extant eius epistolæ ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, aliosq; populos & gentes. Extant & ad Anneum Senecá nonnullæ, rursus Senecæ ad illum, quarum una hoc habuit. Confiteor, inquit, Augustũ (quum interim de Nerone loqueretur) sensibus tuis permotum, cui leto uirtutis in te exordio, ista uox fuit, mirari se posse, ut qui non legitimè sit imbutus, taliter sentiat, cui ego respondi, solere deos ore innocentium effari, & hæc tum uir ille malorum alioqui dæmonum seruitio addictus ad Paulum, & apud Neronem de Paulo. Petrus quoque duas scripsit epistolas, quæ canonicæ dicuntur, etsi quæ secundo est loco edita, aliquando in dubiũ uenit, an illius esset, uelut multum à priore sit diuersa. Ipse quum sedulo prædicationi uacaret, essetque frequẽs in oratione, quia pluribus intentus esse non poterat, Linum & Cletum episcopos ordinauit, qui sacrorum munia obirent, omniaque pij cœtus desideria explerent. Eratque per hæc iã pientissim⁹ senex in tanta apud omnes ueneratione, ut parum abesset, quin pro Deo coleretur. Nero cui iuxtà aliena uirtus in cunctis, & omnis laus, quę ex uirtute aliqua nasceretur, semper suspecta & inuisa fuit permoleste ferre hunc Christiani hominis successum, innocentiæque & pietati imminere cœpit, deque Barionę cæde cogitare: cuius rei senex admonitus, ad sæuissimi principis iram declinandã, amicorum consilio constituit urbe excedere. Et iam ad primum lapidem processerat, quum Christus rex factus est illi obuiam. Tum Petrus procidẽs in genua, quo pergis, inquit, domine? Romã (ait ille) iterum crucifigi. Est miraculosi huius occursus autor Egesippus. Et nunc uia Appia extra urbem sacellũ uisitur, monumẽtum rei ibi actæ. Petrus ratus id oraculum ad suum exitum pertinere, Romam continuò reuersus, Clementem episcopũ consecrauit, tradiditq; illi sacram sedem obtinendam, ecclesiam cõmendauit piè & sanctè institutã. Ego, inquit, eam Clemens & ligandi & absoluendi tibi trado potestatem, quam mihi Christus reliquit, tu rebus omnibus uitæ fortunæque cõtemptis, doctrina & oratione pium gregem, ut bonum decet pastorem, tueberis. Ecclesiaq; in hunc modum constituta, haud multo pòst, cum Paulo, qui tum Romę erat, Neronis iussu interfectus est, nec eodem supplicio. Petrus pedibus in sublime elatis, cruci affigit, quod supplicij genus sibi optasse ferunt. Est & Paulus, eodẽ die, securi subiectus. Hic Hostiensi uia est sepultus, ubi postea magnificentissimum fuit illi templum erectum. Petrus in Vaticano, uia Aurelia, secus hortos Neronis, quibus locis nobilissima est eius nomine procedẽte tempore Basilica constituta, loco põtificia domus accubat. Prefuit Petrus Romanæ ecclesiæ annos quinque & uiginti. Fuitque hic annus, quo duo apostolorum principes sunt martyrij coronam adepti, Neroniani imperij ultimus, qui humanæ salutis erat septuagesimus, ab Christi ascensu ad patrem septimus ac tricesimus, Romanæ urbis nonus & octogesimus ac sepringentesimus. Sunt & alij ueræ pietatis cultores, per id tempus, ob Christum necati, Nereus & Archileus fratres, Romani sanguinis, Processus & Martianus milites, quos in carcere Petrus Bariona sacri baptismi remerit fonte. Sunt & Torpet⁹, Torquatus, Cecilius, Æstiuus & Euphrasius martyrio coronati. Est & Nazarius patritij sanguinis. Marcellus & Apuleius qui Simonis fuerant Magi assectatores, inde Barionæ discipuli, Frontonius Petragoricus antistes, & Paulus Narbonensis, uterque sacerdotio &

Paulus Romã mittitur.

Neronis opinio de Paulo.

Petri celebritas.

Sanctorũ martyria.

A sanctitate insignis. Maria Magdalene fato defuncta est, triginta hæc post Christi ascensum fuit annos in eremo: quantum antea mulier mundo indulsit, tantum à pœnitentia castimoniæ & religioni, à Magdalo oppido, ubi matrimonio locata fuit, illi cognomen inditum. Cæterum quando historiæ seriem secuti, eò uenimus, ut non multo superius Neroniano rum sit mentio hortorum facta, satis constat in his plurium sanctorum corpora per id tempus sepeliri contigisse, nam quum pestis illa humani generis per cuncta esset scelera euagata, ne quid demum intentatum relinqueret, quod ad furoré & sæuitiam pertineret, patriam incendit, absumpsitque magnam illius partem nefarius ignis, sex continuos dies ac totidem noctes per urbis ædificia sacra & prophana euagatus. Ad leuandam igitur sceleris atrocitatem omnem cladis illius inuidiam in uerę pietatis cultores uiros innocentissimos reiecit, subornatis qui Christianos eius incendij autores falsò criminarentur, eamque sæuiendi materiam adeptus, plurimos pientissimi illius ordinis arreptos affecit supplicio. Cæterum quàm procul ab omni maleficio Christiani essent, Taciti Cornelij declarant uerba, qui Christiano fuit nomini alioqui inimicus. Ii haud proinde tam crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt, & mox illã subijcit, addita pereuntibus ludibria, ut ferarum tergoribus contecti, canum laniatu interirent, aut crucibus affixi, aut ubi dies defecisset, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos Nero ad id spectaculũ obtulit, dignus ipse, qui per eos cruciatus omnem uitam egisset, etsi nullum tam atrox supplicium potuit inueniri, quod non multo adhuc atrocius meritus esset. Homo ad dedecus & sæuitiam natus, qui in tota uita nil laudabile egit, præterquam quod meritum supplicium reformidãs, sibi manum intulit, etsi ne illud quidem satis fortiter. Sed quàm impius Nero, de quo mox paulo dicam, tam Tacitus Cornelius delirus, qui flagitiosum genus hominũ Christianos uocat, sed cur non uocet, qui suorum popularium dijs infesti essent, mallentq; Deo optimo maximo seruire quàm Claudio sacrificare, cui defuncto aram & Claudianum flaminem stulta ciuitas consecrarit? Sed partes agere hoc est, non historiam scribere. Nunc ad Neronem redeo, qui qualis futurus esset, Domitius eius pater ab eius ortu certum, ut non multum diuerso loco ostendi, fecit omen. Eius genitura multis formidolosa coniectantibus, præsagio fuit eorum quæ in eo postea euenerunt. Regimen itaque adeptus (erat enim maior natu Britannico, ob idque principem ab initio egit) aliquandiu se uarium gessit, sæua fœdaque natura ad tempus dissimulata, musicæ artis studio plurimum deditus, in quo genere tantum profecit, ut nõ sine maiestatis suggillatione in scenam prodiuerit, ac primũ Neapoli, procul ab urbis conspectu, ubi cum eo cantante terram moueri contigisset, non prius destitit, quàm inchoatum absoluerit nomon, & mox omni pudore abiecto, Romæ cantu in theatro certauit, ubi insanum Herculem acturus, quum de more uinculis ornaretur, tyrunculus, qui præsidij causa in proximo stetit, catenas intuitus, ratusque uim illi intendi, consternatus animo, eò occurrit opem principi laturus. Nec satis fuit per hæc indelebilem Romano populo notam ab eo inustam, in Græciam cantandi studio nauigauit, omnibusque eius gẽtis spectaculis, cantu, aurigatione, præconio certauit, decemiuges agere conatus. Inde reuersus, curru quo olim Augustus triumphans urbem ingressus est, præmiorum pompa titulisque singulorum certaminũ, longo ordine præmissis. Et Achaica expeditio talis fuit quam Nero suo ductu & auspicijs obijt. Omnia in illo probri & ignominiæ plena, præterquam quod Isthmum effodere est adortus, primusque corbem extulit humeris. Sed

Magdalene.

Neroniani horti.

Christianorũ innocentia.

Cor. Tacitus error.

Achaica expeditio.

ris. Sed tam infeliciter res ab eo mota, quàm olim à Demetrio Antigoni destinata, mox à Cæsare dictatore, nouissimè à Caio principe tentata fuerat. Cætera per legatos sunt foris gesta, eaq; honestiora relatu. Parthi Armeniam ingressi, Radamisto pulso, qui sæpe rerum in ea terra fuerat potitus, regioque fasti gio exciderat, prouinciam sibi uendicabant. Occurrit primis Parthorum motibus Domitius Corbulo, quem Nero ad eam prouinciam armis retinendam cum exercitu miserat. Territus Vologeses Corbulonis fama, qui & uiribus corporis, & rei militaris peritia pollebat, obsidibus datis Armeniæ finibus cessit. Idem uero non multo pòst iniquo ferens animo, Tiridatem fratrem suum quem Armeniæ regem nominarat, regni expertem agere, bellum reparat. Corbulo contrà & ipse bello accingitur, certus aut mori, aut armis eam terrã retinere quæ Luculli & Pompeij ductu olim Romano populo cessisset: sed res ab initio parũ prosperè gesta est, Pactij Orphiti primipili temeritate. Miserat hunc Corbulo cum præsidiarijs cohortibus ad opportuna loca obtinẽda, sed ut ab omni certamine abstineret. Cæterum Pactius, neglecto imperio, temerè cum hoste cõflixit, fuitq; ea pugna Romano parum prospera, fusus fugatusq; est, nec sine cæde suorum in castra cõpulsus, ac tum demum crediderim magnam Armeniæ partem ad Parthos defeciſſe, quanquã sub primum eorum reditum multas urbes ab his receptas credere par sit, nisi fortè pòst obsides datos prius est à Parthis rebel latum, quàm prouincia decessissent. Trahebat inde bellum Tiridates, à prælio tamen pertinaciter abstinebat, quem ubi Corbulo in discrimen trahere non potuit, ut uel una dimicatione de summa rei decerneretur, ad locorum expugnationem animum adiecit. Volandũ primò ui captum diripuit, puberibus ad unum interfectis, castellis inde aliquot expugnatis, Artaxata urbem ad Araxem fluuium sitam legiones admouit. Occurſare hic Romanis Tiridates cũ leui equitatu, sed omni congressu abstinere. Accingebant se nihilo secius illi ad urbem oppugnãdam, quum sponte facta est deditio, qua recepta ciuibus Corbulo dedit ueniam, urbem incendio deleuit. Vrbis delendę causa Corbuloni fuit, quod sine magno præsidio teneri nõ poterat. Adijcitur & miraculum facto, quod puto serenoque extra urbis pomœrium cœlo id terræ spatium, quod muri circuibãt, atra fuerit nube coopertum, ut superis insensantib. urbs exitio dederetur. In Germania per id tempus Frisij, & aliæ quædam gentes parum notæ, Romana in se irritarunt arma, sed horum motus facile compressi. Corbulo interea Mardorum regione populata, ad Tigranocertam copias admouit. Hæc quoque sponte dedita est, priusquam uim ullam experiretur. Et Corbulo per hæc Armeniam Romano populo uendicabat, quum Tigranes in eam terram uenit. Fuit is Archelai regis nepos, ex Cappadocum nobilitate, ut Tacitus Cornelius scribit, ad id regnũ à Nerone delectus, fueratque Romæ diu obses, usque ad seruilem patientiam demissus. Data sunt ipsi regi præsidia, ut ualidius regnum tueretur. Et per id tempus fœda est clades à Romanis in Britannia accepta, sed multo fœdior paulo pòst hostibus repensa. Obtinebat tum Britannos præsidio Paulinus Suetonius gestorum Corbulonis æmulus. Is Monam insulam expugnare adortus (erat hæc incolis ualida, & transfugarum receptaculũ) in nouum pugnæ incidit discrimen. Stabant mulieres in aduerso littore furiali habitu ac flammis instructæ, stabant & Druidæ sacerdotes, diraque in Romanos fundebant preces, manibus ad cœlum sublatis. Cætera multitudo pugnæ fuit instructa, quæ nõ tã terrori erat Romanis, quàm muliebre illud oculorum ludibrium. Sed miles ducis hortatione in littus egressus, confestim insulanos dispulit, fusi fugatique Barbari ad deditionem compelluntur. Præsidium deditis imponitur. Luci euersi, in quibus Druidæ diro ritu humanas mactabant hostias. Britanni interea Paulini absentiam nacti à Romanis deficiunt, Prasuracum Tigænorum regem ducem secuti. Hic ob uxorem à ueteranis militibus pulsatam, duasque filias polìutas fupro, uerius ne adhuc peiora pateretur, insulanis autor fuit, ut confestim in Romanos arma sumerent. Multa sub ipsum defectionis tempus sunt prodigia Britannorũ oculis obseruata, & Oceanus cruento aspectu fluxit, & humanorũ corporum effigies sunt littoribus destituræ, alit enim talia monstra Oceanus; ut clarissimi autores tradunt, & mulieres in furorem uersæ futurum exitium cecinere. Primo itaque insulanorum motu ueterani metu perculsi, temere plum quoddam occupant, ubi omnes ad unum interfecti sunt: inde legio una, quæ Petilij Cerealis ductu his auxilio mox paulò affuit, fusa cæsaque est. Petilius cum solo equitatu esse in castra recepit. Catus Britanniæ procurator media trepidatione dilapsus, in Galliam transijt. Peruagata inde est insulanorum ira per Romanorum ciuium & sociorum capita, cæsaque dicuntur ex imbelli multitudine ad septuaginta hominum milia. Nec Paulinus multo pòst affuit, erant cum eo decem milia armatorum. His copijs fretus cum multitudine hostium immensa conflixit. Britanni, bellatorum numero freti, tam certa spe uictoriæ pugnam iniuere, ut mulieres curribus stantes sint spectaculo admotæ. Certatum est loco angusto, & ob id Romanorum paucirati ad uictoriam perutili, fuitque pugna ab initio atrox, postremo hostes fusi fugatiq; sunt, ac cum multa cæde passim disiecti, octuaginta ferè milia Britannorum sunt eo prælio cæsa. Fuit iam inde insulæ status pacatior. In Armenia interim Vologeses & fratres bellum reparant. Permoleste ferebant id regnum Mithridati cessisse. Corbulo ad nouj belli famam duas in Armeniam legiones misit Seueri Verulani & Vetij Bolani legatorum ductu, quæ Mithridati auxilio essent, quem Tiridates à fratre præmissus (habebat enim Vologeses bellum cum Hyrcanis conflatum) sub primũ accessum regno exturbauerat, Tigranocertáq; receperat. Affuit interim Cęseni⁹ Petus à Nerone ad hoc ipsum missus, ut Armeniã tueręt, nã Corbulo Syriã obtinebat. Petus cũ tribus legionib. Taurum trãsgressus, cum Vologese castra cõtulit, hic cũ omnia temerè fierent, alijs cladib. sup alias acceptis, eò Roman⁹ dux uenit, ut à Parthis obsidione fatigatus, priusquã à Corbulone subueniri potuerit, cum hoste pactus sit, ut Romani Armeniæ finibus excederent, munitionibus castellisque cum commeatu Vologesi relictis. Manauit rumor Romanas legiones super aliam ignominiam sub iugum missas. Sed utcunque res acta est, Petus fugienti similis, quum ignominiosum traheret agmen, circa Euphratem in Corbulonem incidit. Nec ita multo pòst is & Vologeses ita inter se pacti sunt, ut Parthus præsidia ex tota Armenia abduceret, Romani munitiones diruerent quas ultra Euphratem in Parthos extruxerant. Actum inde inter Corbulonem & Tiridatem de pace, adorataque principis imagine, quæ erat in castris, pollicitus est Tiridates se Romam ad Neronem iturum, precibusque petiturum, quod bello quæsitum teneret, fore se & regnum suum in ipsius principis & populi Romani potestate. Visa est pax illa Corbuloni & alijs Romani populi maiestate non indigna, ut non aduersis Parthorum rebus Arsacides supplex à Romano imperatore regnum peteret. Profectusque est non multo pòst Tiridates Romam, Tranquillus & Plinius Mithridatem uocant, ingentique rerum apparatu à Nerone acceptus, in conspectu populi Romani diademate insignitus est. Fuitque iam inde Armeniæ status quietior: & quod Parthi sua sponte ad pacem inclina-

Armeniaci belli explicatio.

Miraculum.

Frisij.

Tigranocerta.

Britãni cædũtur.

Furialis habitus in mulieribus.

Britannorum strages.

Ro. à Parthis obsidentur.

Tiridates Romam profici/scitur.

rint, id credo fuit in causa, quod Vologeses uehementer horrebat munitiones, quas Romani ultra Euphratem præsidio tenebant, unde uelut ex arce quadam uidebantur Mesopotamiam, & alia Parthorum regna, quoties libitum esset inquietaturi. Videbatur adhæc Corbulo totis uiribus annixurus, ut ignominia à Pero accepta, aliqua recèti Parthorum clade deleretur. Est & in Iudæa à Nerone principe bellatum, sed extremis eius temporibus. Causa illati belli, & per quos res gesta sit, suo loco memorabitur, nunc qualis Nero domi fuerit, quod reliquum erat, dicam. Post Claudij exitum, recepto imperij gubernaculo Britannicum ex Claudio & Messalina genitum frequenti conuiuio sustulit, ueneno eius poculis infuso, ut ad primum hastum confestim puer conciderit. Cæterum ad leniendam rei atrocitatem, quæ sua sponte fuit omnibus suspecta, Comitialem causatus est in puero morbum, tanquam eo sæpius infestaretur. Sed satis constat Locustam flagitiosam fœminam, uenenorum indicem à Nerone flagro admotam, quod uenenum prius Britannico infusum, parum efficax fuisset, citatsetque duntaxat aluum, mox quum alterum coxisset, atque in hœdo expertum, quia uitam in paucas horas traheret, toties recoctum quoad porcello datum continuò animal extinxerit. Agebat interim Nero principē haud quidem pœnitendum, eratque in decernendo & iudicando, quum mitis, tum etiam prudens, matrem, ut multi credunt, ueritus, cuius impotentiam ab initio sui principatus habuit inuisam. Inde uero uterque alteri suspectior factus, nihil obscurè in Reipublicæ administratione dissentiebāt, Agrippina multum sua autoritate prægrauante. Tentauit mulier flagitiosissima filium nefario cōcubitu, sibi obsequentiorem reddere, multisque illecebris facta esset uoti compos, nisi domestici & ij, quibus suspectum erat ferox Agrippinæ ingenium, Neronem ab eo sceB lere deterruissent, affirmantes ita fore, ut si cum matre incestuosè misceretur, tanquā impius omnium fauore destitueretur. His ille territus declinare primò matris congressum, inde adempta illi militum statione palatio expulit. Nouissimè eius minis & uiolentia territus, eam ueneno est aggressus: quumque antidotis præmunitam sensisset, ficta reconciliatione, cum ea in gratiam redijt, Baiasque ex Baulis ad se uocauit, ut secum festos Mineruæ celebraret dies, hic eius naui, uelut fortuitò liburnicæ incursu, corrupta, quū omnia ex composito fierent, aliam Baulos repetenti solutilem subiecit nauim ut naufragio periret. Cæterum ubi aliter euenisse comperit, Lagerinum matris libertū, cum gaudio ad eum reuersum, ac nuntiantem Agrippinam matrem facto naufragio nando ad littus peruenisse, humero tantum remorum impulsu media trepidatione leui ter sauciato, cætera incolumem terram tenuisse, tanquam non nuntius sibi à matre, sed percussor adesset, iussit interfici: misit & qui eam utcunque affectam occiderent. Agrippina, ubi percussores adesse sensit, pectore & iugulo porrecto eos ad cædem inuitauit, adeò in ampla fortuna nati norunt, uel in extremis rebus seruare decorum. Occurrit ad locum cædis Nero, perpetrata cæde, ut mortuam uideret, & quod uix crediderim, nudum corpus ut erat in lecto iacens, confossum spectasse dicitur, tractasseque etiam singula membra, ac laudasse quædam, alia uituperasse. Et ille talis fuit in matrem, cuius specie nocTu se exagitari postea confessus est: terrerique uerberibus furiarum facibusque ardentibus, quæ sibi intendi uiderentur. Tentauit ob id magicis sacris maternos manes euocare, propitiareque sibi utcunque precibus. Iunxit matris parricidio & amitæ necem, quam ægrā medici eius iussu necauerunt. Cum Octauia uxore, ex Claudio & Messalina nata, primò diuortium fecit, mox abdicatam relegauit, sepositamque postremò interfecit, falsò adulterij crimine. Occidit & Poppæam quam Octauiæ superduxit, hanc grauidam ictu calcis solo afflictam peremit, quod ex nocturna aurigatione tardius domū quum ueniisset, ab ea iurgio acceptus. Antoniam & ipsam Claudij filiam, sed ex Petina, nō Messalina genitam, ipsius nuptias pertinaciter recusantem, tāquam res nouas moliretur, interfecit. Sunt adhæc ex amicis plerique afflicti, & in his Anneus Seneca, quo fuerat præceptore usus, hunc etsi persanctè iurauerat, nunquam se illi nociturum, quia prædiues erat, ad mortem compulit: nullus inde modus aut delectus cædium fuit, ex omnibus ciuitatis ordinibus plurimi, alij alio prætextu, cæterum crudeliter omnes interfecti. At nescias maior ne sæuitia in eo fuerit an libido, et auaritia an luxuria. Pudet referre, sed quia Cornelius & Tráquillus sunt huius flagitij autores, memorandum est, Sporum concubinum suum in muliebrem speciem trāsfigurare conatus, pro legitima uxore habuit, ipseq; Doriphoro liberto suo nupsit, suntq; & aruspices & signatores nuptijs de more adhibiti, ut non insulsæ urbanorum quidam dixerint, bene potuisse cum humano genere agi, si talem Domitius pater uxorem habuisset. Pecuniarū fructum nullum alium arbitrari, quàm profusionē & immoderatum sumptum, sordidos credere quibus impensarum ratio cōstaret. Nullam uestem bis induit, quadringentis milibus in punctum sestertijs aleam lusit. Piscabatur aureis retibus, funib. purpura & cocco intortis, mularum soleæ argenteæ, carrucis mille nec pauciorib. semper iter facere. Extruxit domum tantæ magnitudinis, ut ex palatio in exquilias excurreret, ab eaq; euagatione trāsitoriam appellauit. Manarunt incerto autore uersiculi duo, immensi illius operis indices.

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites.
Si non & Veios occupatis ta domus.

Vestibulū tam sublime ut centenūm & uicenūm pedum in eo staret Colossus, tres intus miliariæ porticus, & stagnum maris instar, rura, uineta, syluæ, cum omni genere ferarum, cætera auro illita, gemmis & stincta, & conchis unionum. Cœnationes eburneis tabulis laqueatæ, & in his una quæ diebus noctibusque, uice mundi, circumageretur, & quum palatina domus talis & tāta esset, hactenus probasse fertur, ut diceret, iam se cœpisse habitare ut hominem. Iam quidem multa maioris dispendij opera animo destinabat, fossam duarum quinqueremium capacem, ab Auerno lacu Hostiam usque, spatio centum et decem milium passuū, piscinam à Miseno ad Auernum porticibus contectā, Corinthiaci Isthmi effossionem, quę insana opera quum multum auri posceret, multum necesse fuit ut raperet. Epulas à meridie ad mediam noctem protrahebat, sæpius calidis piscinis fotus, æstate niuatis, uagari solus noctu ludibundus, nec sine pernicie eorum qui soli occurrerent, uerberabat sine causa, inferebat & plagas: siquis uim arcere conatus esset, aut cloacis mergere, adijtq; nonnunquam nocturna illa petulantia periculum uitæ, penè ad necem cæsus ab uno senatorij ordinis, cuius uxorē ignotus attrectauerat, quo periculo instructus, nunquā iam inde, nisi tribunis procul & occultè sequentib. illud horæ se publico committere est ausus. Fuitq; in tanto scelerum comitatu ingenium à literarum studijs minimè abhorrens. Liberales disciplinas omnes ferè puer attigit, à philosophiæ studijs mater eum auertit, identidem admonens, inutilē esse eam scientiā imperaturo, cùm Plato uir summus, nil magis putet necessariū huic, qui sit Reipub. præfuturus. Sed illa non principē, sed tyrannum agitabat animo, & tam sibi & alijs pernicio sum. q̄ postea Nero fuit. Estq; ita in primis poëticem complexus, edebatq; carmen, tam facile q̄ libenter, par stu diū pingendi fingendiq;, omniū æmulus quę quoquo

Nero Britānicum ueneno sustulit.

Neronis ars in perdenda matre.

Atrox Neronis facinus.

Domestica parricidia.

Portentosæ libidines.

Palatina domus appellatus.

Neronis ambitio in memoria propaganda.

Neronis conflernatio.

Sumptuosa uita.

Neronis tædia.

Neronis fuga.

quoquo modo uulgi studium & fauorem conciliarent. Luctabatur assiduè, quo contigit ut nonnulli persuasum habuerint statuisse eū in Athleticū certamen descēdere. Postremò se eum destinarat, qui Apollinem cantu, Solem aurigatione, equiparare putaretur, imitariq; Herculis facta, in idq; leo paratus fuisse dicitur, quem nudus in Amphitheatro, clava aut brachiorū nexib⁹ elideret. Nouissimis suis temA poribus uouisse eum scribunt quidam, si incolume sibi imperium māsisset, fore ut ludis, quos pro uicto ria uouisset, Hydraulā proderet, et Coraulam & Vtricularium, saltaturumq; Vergilij Turnum, in quo artium conatu studioq; popularitatis eò pertinacius hęsit, quo maiore immortalitatis cupiditate teneba tur, qui ut fama sui nominis longius extenderetur, Aprilem mensem, ex suo nomine Neroneum appellauit, ac, ut fertur, destinatum habuit, ut Roma Neropolis diceretur. Omnis propemodū religionis negligens, contemptorq;, prēterquā deæ Syriæ, quam postremò adeò aspernatus est, ut urina etiam fœdarit, & hæc de eo in utranq; partem Romani scriptores prodiderunt, quæ Iosephus parum uerè tradita existimat, quum alij odio euecti, alij spe gratiæ commoti, multa finxisse uideātur, quæ in eo minimè fuerunt. Ego uero non uideo cur in his potius quàm in cæteris nostrorū eleuanda sit fides, quod si ij qui domestica scribūt, merito suspecti habendi sunt, uideat Iosephus quid ipse mereatur, qui prætereā quod Egisippo populari suo suspectus est, tanquā parum syncera fide historiam scripserit, in Hebraicis sit tantum rebus uersatus, easq; postremò omnibus ingenij uiribus illustrare conatus sit, quibus ipse non interfuit solum, sed præfuit. Seio adhæc fuisse ex nostris etiam, qui parū syncera fide hæc tam multa de Nerone tradita existimarent, sed nos præter externos Tacitum & Tranquillū in his secuti sumus, quorum fides potuit fortasse in quibusdā solicitior esse, B à uero autem ut reor, flecti no potuit, quibus eò maior autoritas inest, quod hæc uidere quodam modo potuere. Nero quum quatuordecim ferè annos per hæc imperium administrasset, militum fauore destitutus perijt. Habuit defectio initium à Iulio Vindice, qui Comatam Galliam cum exercitu obtinebat, nuntiusq; alienatæ prouinciæ eo die, quo matrem occiderat, est ad Neronem delatus: mox & Hispanarum exercitus fidem mutauit Galbę ductu, ad quem nuntium adeò defecit, ut collapsus animo aliquandiu sine uoce iacuerit, mox respiscens, discissa ueste, diuerberauit caput, actum de se uociferans, questus quod alij in morte, ipse uiuus amitteret imperium. Medio inde belli apparatu literæ ei deferuntur, quibus cæterorum exercituū & ducum defectio significabatur, quas prandenti sibi redditas ira & dolore percitus concerpsit, subuertitq; mensam, duosq; gratissimi usus scyphos, quos à cælatura carminis Homericos appellabat, solo afflixit. Plini⁹ crystallinos eos fuisse significat, sumpsitq; à Locusta præsentissimum uenenū, quod in auream condidit pyxidem. Mox sub noctem à statione militum destitutus, exclususq; amicorum domibus, quas cum paucis prima uigilia noctis circuiuit, ut de summa rei cum his consultaret, in cubiculū redijt, ubi omnia direpta inuenit, et ueneni pyxidem amotam, tum percussore requisito, nec reperto: ergo, inquit, Nero neq; amicū habet, neq; inimicū, procurritq; simul uelut se, in Tyberim præcipitaturus. Cæterum resumpto animo, quatuor duntaxat comitantib. Phaontis liberti sui, umbra noctis usus, suburbanū petit ad quartum lapidem, subito motu terræ sub ipsum digressum, aduersoque fulgure pauefactus, exaudiri adhæc uoces ex proximo, Neroni aduersa, Galbæ prospera ominantium, ubi ad diuerticulum uentum est, relictis in publico equis, per loca uepribus & spinis obsita, in aduersam uillā nudis pedibus euasit. Hic certior factus se à senatu hostem iudicatū, ac quæri ad supplicium, ut more maiorum puniretur, quo fontes nudi ceruice furcis inserta ad necem cædebantur, supplicio territus, confestim strinxit ferrum, prætentans aciem, condiditq; rursus, nondū adesse fatalem horam testatus. Nec multo pòst, audito aduentantium strepitu, illud iugulo adegit. Affuit statim centurio, uestęq; iugulo oppositā, auxilio se uenisse ait, tum il le serò inquit, atq; in ea uoce defecit. Iacuit rigentibus oculis usque ad uisentiū terrorem, conditi sunt eius cineres uetusto Domitiorū monumento, quod è campo Martio uisebatur, quæ circa eius sepulchrū procedente tempore euenerint, suo postea loco explicabitur. Fuit Nero statura penè iusta, corpore maculoso & fœtido, suffluuio capillo, uultu pulchro magis quàm uenusto, oculis cæsijs & hebetioribus, ceruice obesa, uentre proiecto, cruribus gracillimis, ualetudine propemodum inoffensa, perijt altero à trigesimo uitæ anno, die quo Octauiam interemerat. Vixerunt cū eo uiri illustres, Probus Berytius grammaticorum eruditissimus. Statius Surculus Tolosanus rhetor, qui multa nominis celebritate in Gallia rhetoricen docuit. Persius Volateranus satyrarū scriptor, qui undetriginta annos natus perijt. Anneus Lucanus poëta ex Corduba Hispaniæ Bethycæ urbe Romam puer delatus. Is Pisoniana coniuratione deprehensus, ad mortem compulsus, medico uenas secandas præbuit. Anneus Gallio declamator insignis, fuit is Senecæ frater Lucani pater an patruus nō facile dixerim, is quoq; Neronis sæuitia sibi uim intulit. Nec multo pòst & Seneca pari iniuria sibi uenas secuit. Fuit & alter Seneca, ut Martialis carmen testatur, ille, credo, cuius hodie aliquot extāt tragœdiæ, eleganti stilo editæ, nam quod ad Stoicum attinet, dicendi rationem in eo perquā pauci probant. Arenā sine calce dixit Caius princeps. Fabius Quintilianus ut corruptū in eo dicendi carpit genus, nec in philosophia omnino probat, magnum alioqui in eo ingeniū, & quod meliora uelle debuisset, quicqd enim uoluit effecit. Claruerunt cum his Musonius philosophus, & Plutarch. Cheroneus, sed is usq; ad Adriani tempora peruenit. Euax Arabū rex, & philosophus insignis, hac quoque tempestate claruit, qui de medicina opus ad Neronem scripsit, quo non uires solum herbarū, sed lapidum etiam nomina & colores speciatim prodidit. Vectius Valens Græcus genere, Messalinæ adulterio nobilitatus. Is quoque ad Neronē de medicina scripsit. Critias Massiliēsis medicæ disciplinæ & ipse sua tempestate insignis, qui autore Plinio, mathematica ephimeride ęgrotis prębuit cibos, horas obseruās, ut tutius morbi curarentur. In Asia Laodicea Hierapolis & Colapæ, per id tempus, grauiore motu terræ sunt concussæ, ac propemodum funditus euersæ. Pontus Polemoniacus & ex Cotij regis interitu Cotianæ alpes in prouinciæ sunt formam redactæ, ut scribit Eusseb. Neronis interitum ingens rerum secuta est perturbatio, grauiusq; Respub. domi est foriscq; ciuilib. discordijs iactata. Tres principes continua serie tam breue q̄ infelix imperiū sortiti ferro perierunt. Tria bella ciuilia, uno ferè anno gesta, plura externa, res prosperæ in Iudæa, ad occidentē Solem aduersæ, tumultuatū in Illyrico, nec Galliarū omnino quietus fuit status, Sarmatæ Ro. armis uicti, Parthi propemodū hostes facti sunt, Pseudi Neronis ludibrio, omnia tamē suo loco referenda. Cæterum ut dicendarū rerum ordo facilior sit cognitu legētibus, Sergius Galba, qui Nerone extincto confestim est imperio potitus, proximę relationi dabit initium. Fuit Galba, si uerum ipse de se iam princeps protulit stemma, paterno genere à Ioue oriūdus, materno à Pasiphaë, quæ Minoi Cretensium regi nupsit. Vnde Galbarū cognomē sit ortum parum liquidò traditur: sunt qui inde factū arbitrentur, quod qui primus in Sergiorum gente id

More maiorū plecti.

Nero se interficit.

Neronis species.

Viri illustres.

Seneca.

Dicendi genus in Seneca.

Terræmotus.

Historiæ præparatio.

GALBA VII. IMPERAT.

tulit, Hiſpaniæ oppidum facibus Galbano illitis incenderit: alij quod in longa ualetudine Galbeo aſsiduè ſit uſus remedio lanis inuoluto, aut qa hebetioris fuerit uiſus, quem Galli Galbâ uocent, uel ab exilitate potiꝰ qua ſic ſunt animalia quæ in Eſculis Galbæ appellatione gignuntur. Sed quæcunq; fuit cognominis cauſa, iple claris ortus natalibus, auito omine, tum augurum reſponſo oraculoq; certam futuri imperij ſpem tulit ſecum, & perpetuò aluit. Auuus eius fulgur procurans, quum aquila ex eius manibus extra rapuiſſet, ſublimisq; elata in frugiferam extuliſſet quercũ, augurq; ſummum, ſed ſerum genti imperiũ portẽdi dixiſſet: Sanè inquit ille irridens, quum mula pariet, quo prodigio in primis Galba confirmatus dicitur, nam ſub id tempus, quo in Hiſpania res nouas moliri eſt adortus, in ea terra mula enixa eſt, iam & iuuenis quidem per quietem ſibi uiſus eſt audire fortunam dicentem, ſe ſtare ante fores defeſſam, ac niſi ocyus raperetur, cuicunque obuio prædæ futurã. Ille ſomno experrectus, aperto atrio æneum deæ ſimulachrũ ante oſtium inuenit, quod inde ſublatum multa deinceps ueneratione coluit. Et mox Hiſpaniam ingreſſus, quum forte rei diuinæ daret operam acerram tenenti capillus toto capite incanuit. Nec defuerunt qui coniecẽtarent eo prodigio rerum mutationem ſignificari, & ille per hęc malorum dæmonum ludibria ſibi crudeliſsimum imperij affectatione aſtruxit exitum. Octauo iam anno obtinebat Hiſpaniã, quum Gallias comperit tumultuari, mox Iulij Vindicis qui autor fuerat Gallici tumultus, rogatus literis, ut humanis ſe rebus aſſertorem ducemq́ accommodaret, haud diu cunctatus conditionem accepit, partim metu ſubactus, nam & Neronis mandatum ad procuratores de nece ſua cõpererat, partim auſpicijs quæ diximus, uaticinioq; confirmatus. Extabat fatidicæ puellæ carmen in Hiſpania ducenteſimo antè anno editũ, quo ſignificabatur fore ut ex Hiſpania princeps & dominus rerum oriretur, & iam magno omnium conſenſu & fauore apertè ad res nouas conſurrexerat, cùm audita Vindicis morte collapſus animo, parum abfuit, quin & uitæ renuntiaret. Verginius Ruffus qui Germanicum ductabat exercitum, ad primos Vindicis motus in Galliã trãſijt, aut certè caſu aliquo contigit, ut per id tempus in ea prouincia eſſet, conueniebatq́ue ambobus ducibus in noua defectione. Cæterũ Verginius, quanquam à ſuis imperator appellaretur, neq; ſe accepturum imperium teſtari, neque paſſurum quenquã dici, niſi quem ſenatus iuſſiſſet, quum Vindex interea ad Galbam animũ adiecisſet, eumq́ue imperatorem uellet ſalutari. Interea ita accidit, ut inuitis ducibus duo ferociſsimi exercitus Vindicis & Verginij hoſtiliter cõſlixerint, quo prælio ad uiginti milia ex Gallicano ſunt exercitu deſiderata. Huius calamitoſæ cladis impatiens Vindex, media cadentium ſtrage ſibi manum intulit. Et iam rumor erat Ruffum conditione à ſuis imperatorem appellari, ut aut imperij appellationem reciperet, aut exercitus iterum ad Neronis fauorem conuerteretur. His nuntijs Galba perculſus, ad Verginium ſcripſerat, ut communi nomine uellet ſecum libertatem tueri. Eratq́ue his ille curis anxius, quum ei Icelus libertus, qui ſeptimo die, ut Plutarchus ſcribit, ex urbe in Hiſpaniam nauigauit, ex improuiſo affuit. Is & Neronem occiſum nuntiauit, quem ipſe mortuum uidiſſet, & Galbam Romæ imperatorem appellatum, quibus ille lætus nuntijs Icelum aureis annulis donatum, equeſtri nomine Martianum uocauit, depoſitoq́ue legati nomine Cæſaris appellationem recepit. Et ille per hæc maiore eſt fauore imperium adeptus, quàm proſpero adminiſtrarit euentu. Enimuero auaritia cõtinuò cœpit in eo infamis eſſe, inde & ſæuitia odio fuit. Sub primum enim ad urbẽ acceſſum, claſsiarios, quos Nero tumultu Gallico legitimæ militiæ aſcripſerat, ut eorũ opera præſenti bello uteretur, iuſſos ad naues redire, quia aquilam & ſigna pertinacius flagitarent, equitaru repente immiſſo, tetra cæde, & ſtrage multa diſiecit. Nec præſenti iniuria contentus, legionem ipſam decimauit, Germanorum cohortem, ad Cæſarum cuſtodiam inſtitutam, ſine præmio dimiſit, augebatq́ue hęc hominis uitia amicorum intemperies, qui adeò ſibi ſenem uendicabant, ut parum ſibimet conſtare crederetur. Sed omnium ut potentiſsimi apud illum, ita peſsimi Cornelius Laco prætorij præfectus, & T. Iunius eius legatus in Hiſpania. Miræ hic cupiditatis, ille ſocordiæ & arrogantiæ intolerabilis. Nec minora in Martiano uitia qui nuper aureis fuerat donatus annulis. His igitur diuerſo uitiorum genere ſenem diſtrahentibus, magna illi & iudicanti & decernenti indies inuidia oriebatur ab uniuerſa ciuitate, ſed multo maior à militibus: quo contigit ut ſuperioris Germaniæ exercitus, ineunte anno addici ſacramento recuſarit, niſi in uerba ſenatus iuraretur: miſeruntq́ue Romam ad prætorianos qui illis nuntiaret, diſplicere ſibi imperatorem factum in Hiſpania, legerẽt ipſi unum aliquem, quem cæteri probarent exercitus. Hęc Tranquillus, quem ſequimur. Plutarchus Vitellium ſcribit eo motu imperatorem appellatum. Galba tumultuoſo hoc perculſus nuntio, ratus ætatem ſuam contemni à militibus, (erat iam treis & ſeptuaginta annos natus) Piſonem Licinium iuuenem nobilem atque egregia indole è medio ſalutantium cœtu ad ſe uocatum, apprehenſaq́ue eius manu ita affatus eſt. Si privatus ego hodie te Piſo, curiata lege, ut moris eſt, in filium adoptarem, & mihi honorificum foret, & te qui à C. Pompeio & M. Craſſo uiris illuſtribus trahis originem, meæ familiæ inſererem, & tibi quoque non mediocre eſſet ornamentum in Sulpitiorum, Luctatiorumq́ue familiam aſcitum iri. Nunc me deorum hominumq́ue conſenſu ad huius imperij faſtigium uocatum, tua indoles & amor patriæ impulit, ut principatum, de quo maiores noſtri toties armis diſceptarunt, bello adeptus, tibi uel quieſcenti deferam, Octauij Auguſti exemplum ſecutus, qui Marcellum primo ſororis filium, mox C. & L. nepotes, poſtremò Tiberium priuignum proximo ſibi faſtigio collocauit. Sed ille ſucceſſorem ſibi domi quæſiuit, ego in Republica. Etenim neque imperium hoc ambitioſe accepi, neque ſum cuiquam traditurus. Eſt huius meæ uoluntatis documentum, quod neceſſarios & amicos, qui abundè mihi ſunt, poſthabui omnes, non tam fortunã tuam ſecutus, quæ adhuc parum tibi fuit proſpera, quàm fidem & liberalitatem, præcipua humani animi bona, quas uirtutes ſi conſtanter tueberis, nec patieris adulationibus, quæ ſunt peſsimum ueritatis uenenum, corrumpi, loquemur nos inter nos ſimpliciſsimè, cæteri libentius cum fortuna noſtra quàm nobiſcum. Suadere enim principi quod oporteat perdifficile eſt, aſſentari facile. Si immenſa hæc imperij moles ſine rectore ſtare poſſet, dignus eram à quo il la in antiquum ſtatum reſtitueretur: nunc quia fieri non poteſt, nihil erat quod ſenectus mea plus populo Romano conferre poſſet, quàm bonum imperij ſucceſſorẽ, nec tua plus indoles, q̃ bonum principem. Sub Auguſto enim Tiberio, Caligula, Claudio uelut hæreditarium fuit hoc imperium, iam libertatis loco ſit quod legi cœperimus, ex principibus tam boni quàm mali procreantur, traditurq́ue his per manus imperium ſine diſcrimine: at ſi quem eligas, conſenſu probetur neceſſe eſt. Poteſt nobis documento eſſe Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumentem non ego cum una legione, non Vindex, non alij, ſed ſua immanitas & luxuria perdidit, nec adhuc exemplum damnati principis extabat ullum, & tamen eſt à ſenatu hoſtis iudicatus. Nos ciuium no-

Oſtenta futuri principatus.

Temerarius cõflictus inter amicos exercitus.

Reditus Galbæ ad urbem.

Galbæ ecloga ad Piſonem.

uium noſtrorum & exercituum æſtimatione aſciti, & ſi cum inuidia, tamen egregij erimus: nec te deterreat, quod duæ in Germania legiones parum adhuc quietæ ſint, ne ipſe quidem adhuc ſecurus ſum, uerum audira tui adoptione deſinã illis uideri ſenex, quod unum mihi obijcitur. Nero à peſsimo exemplo ſemper deſiderabitur, mihi & tibi danda opera eſt ne à bonis deſidereꝰ, ſed re pluribus monere non eſt huius temporis, tantum habeto imperaturum te hominibus, qui nec totam ſeruitutem pati poſſunt, nec totam libertatem: prudentia & temperamento opus eſt, quæ omnia conficiunt. Et Galba in hunc modum locutus Piſonem filium appellauit. Ad quę ille nullum dicitur dediſſe ſignum turbati aut exultantis animi, quaſi imperare poſſet magis quàm cuperet. In caſtra inde itum, ac pro militum concione eſt Piſo adoptatus. Erat Romæ M. Saluius Otho, qui pueritiam parum pudice cuſtodiuerat, adoleſcentiã petulantius rexerat; Neroni cõciliatus luxus æmulatione, apud hunc ille Põpeiã Sabinã, quã perdite amabat, poſteaq́; in uxorem duxit, tantiſper olim depoſuit, dum Octauiam uxorem amoliretur, mox in eadem fœmina ſuſpectum in Luſitaniã relegauit legationis prætextu. Teſtati ſunt id facinus duo uerſiculi ſub incerto autore temere in Neronẽ uulgati, Cur Otho mentito ſit quæritis exul honore? Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ. Conſtabat enim non ſolum à Nerone miſſos ad Pompeiam ex Othone recipiendam non admiſſos, ſed ipſum etiã principem foribus excluſum ante Othonis ianuam noctu ſtetiſſe, fruſtra minas precibus miſcentẽ. Ea igiť ignominia adactus Otho in partes tranſgreſſus adiutorẽ ſe ſub primos rerũ motus Galbæ præbuit, habuitq́; ab initio perſuaſum fore, ut gratia cum eo inita, non multo pòſt in filium ab illo adoptaretur, qua demum ſpe fruſtratus confeſtim ad res nouas animum adiecit, prætentato paucorum militum animo, apud quos erat illi liberalitatis nomine non mediocris fauor conciliatus. Augebat hoc prætoria *norum ſtudium* Neronis memoria, cui fuerat olim Otho gratiſsimus. Re igitur feliciter tentata, paranꝰ tur Galbæ & Piſoni inſidiæ. Conſtituitur ad rẽ trãſigendam tempus, & locus: clades quæ adeunda fuit uariis eſt Galbæ prodigijs demonſtrata, uel omniũ maxime terribili motu terræ, qui cum ſonitu mugitui ſimili eum excepit, quum primum urbem Imperator ingreſſus eſt. Eo die quo interfectus eſt, quum mane ſacrificaret, ab Aruſpice monitus dicitur, ut caueret periculum, non procul abeſſe percuſſores. Nec multo pòſt nuntiatum eſt prætoria caſtra ab Othone teneri. Enimuero is ubi Galbam mane ſalutauit, à quo oſculo exceptus eſt, ſacrificãti principi aſtitit, inde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum conuenerat, quaſi uenalem domũ inſpecturus abſceſsit, deſcenditq́; ad columnam aureã, quæ fuit in foro, ubi à militibus expectabatur. Alij febrẽ ſimulaſſe dicunt, atq; eã excuſare iuſſi ſunt qui proxime ſteterant, ſi ipſius preſentia à principe requireretur. Ipſe à tribus & xx. milibus in caſtra muliebri ſella prærrepide defertur, deficientibus q̃; lecticarijs ſuccolatꝰ, interq́; fauſtas acclamationes à prętorianis exceptꝰ, imperator ſalutatur, ibi miſsis qui Galbam & Piſonem interficerent, ad conciliandos militum animos, breui oratione teſtatus eſt, id demum habiturũ quod ipſi reliquiſſent. Perculit Galbam trepidus de Othone & prætorianorum defectione nuntius. Subito itaque linteam loricam induit, etſi teſtatus eam aduerſus innumeros mucrones parum ualituram, diſsipatis deinceps rumoribus de induſtria à coniuratis, ut eum in publicum elicerẽt, oppreſſum eſſe militarem illum tumultum, eiusq́ue motus autores interfectos, uſque adeò credidit, ut glorianti militi ſe Othonem occidiſſe, quo autore Galba dixerit. Ex palatio itaque in forum deſcendit, ubi circa lacum Curtium, quo equites in ſe graſſantes procul intuitus declinarat, multis eſt uulneribus confoſſus. Eſt & Piſo eo motu interfectus. Caput iacenti Galbę deſectum circumlatumq́ue eſt Othonis iuſſu à calonibus & lixis ad ludibrium totis caſtris. Fuerunt caſtra prætoria extra urbem, ad quartum lapidem, uia Appia, ad locum quem hodie caput Bubulum uocant, haud procul à Sebaſtiani ędę. Primus imperatorum Tiberius Cæſar, cohortibus quæ Romæ erant, uagæque ad id tempus, in unum contractis, prætoriana conſtituit caſtra. Periit Galba, quum imperator eſſet, pontifex maximus, & conſul, tris & lxx. annos natus, menſe ſeptimo ex quo imperare cœperat. Fuit ſtatura iuſta, capite caluo, oculis cæruleis, adunco naſo, manibus & pedibus articulari morbo ita affectis, ut ne libellum quidem ſatis commode euolueret, aut calceum pateretur, tam grandis gibbus dextro eius latere excreuerat, ut ægre faſcia ſubſtringeretur.

Galbæ interitus.

Galbæ ſtatura

Peroratio.

M. Saluius Otho.

Prodigia quæ Galbæ mortẽ præceſſerũt.

OTHO VIII. IMPER.

ENNEADIS VII. LIBER III.

Sergius Galba qui ſeptimus à Cæſare dictatore imperauit, hunc exitũ habuit, fuitq́ue eius principatus, ut breuis, ita parũ felix. Sed nec Otho qui eo adhuc uiuo fuerat imperator ſalutatus, multo meliore ſortitus eſt exitum à ſupplicijs & terroribus imperium auſpicatus. Enimuero nox, quæ primũ imperij diẽ ſecuta eſt, adeò turbida, & infeſta illi contigit, ut per quietem ſubito pauefactus gemitus ediderit ingentes, repertusq́; ſit ab ijs, qui eò occurrerãt, humi ante lectum iacens, ob idq́; Galbę manes à quo deturbari ſeſe expelliq́; uiderat, propitiare conatus eſt. Sed grauior inde cura inceſsit. Tumultuoſe ex Germania afferebatur Aulum Vitellium ab legionibus, quæ ibi erant, aliquanto antea q̃ Galba cæſus eſſet, imperatorem appellatum. Quod ut ita eſſe comperit, ſenatui autor fuit, legationis in Germaniã mittẽdæ, quæ exercitũ doceret creatũ eſſe Romæ principem, pacem & concordiam ſuaderet, quæ ut commodius ſequeretur, obtulit ſe Vitelliõ imperij conſortem & generum. Cornelius autor eſt Vitelliũ ad Othonem ſcripſiſſe, & Othonem ad Vitellium, multaq́; probra & flagitia utrunq; alteri obieciſſe, ſubornaſſe adhæc ſibi inuicem percuſſores. Cæterũ omni ſpe pacis è medio ſublata, & iam Vitellianis ducibus Italiæ appropinquantibus, Otho prætorianorum fiducia, neglectis etiam anciliorum diebus, quibus mouere arma fuit apud maiores religioſum, hoſtibus ire obuiam feſtinauit. Sed nihil æque obfuit Othonis opibus, ut poſtea dicetur, ac nimia conſligendi celeritas, quum ſatis inter omnes conſtaret, ſi bellum Otho paululum traxiſſet, fame, & locorum iniquitate, facile omnes hoſtium conatus infringi potuiſſe. Præmiſi erant à Vitellio duo duces, cum duobus ualidiſsimis exercitibus, Fabius Valens & Cecinna, huic xxx. milia armatorum data, qui per Apœnini iuga Italiam inuaderet: Fabius cum xl. milibus per Cortianas tranſcenſum moliri iuſſus. Conſtabat uterq; exercitus magna ex parte Germanorũ auxilijs, ſæuitũ obiter in gentes & ciuitates uel ad obſequiũ paratas, magis militũ feritate & uecordia q̃ ducum conſilio. Vna in Matricis ciuitas à Cecinnanis excidio ꝓpemodũ dedita eſt, erſi perbenignè milites in urbẽ accepti eſſent. Qui cum Fabio erant, quia cum Batauis unum felix pręliũ depugnaſſent, ab Heduis & Lugdunenſibus pecuniã cõmeatuſq; metu expreſſerunt. Viennenſes ægre ab eorum iniuria ſeruati ſunt, & Vocontiorum oppido faces admotæ oppidanos ad pecuniam Fabio dandã metu

Vitellianorum ducum geſta.

Nocturna cõſternatio in Othone.

subegerunt. Sed maius omnino fuit Cecinnę negocium cum Eluetijs,qui modica gentis iniuria irritatus, Eluericam terram passim est populari adortus, Mediouagos gentē unam tumultuose traxit in prę-
lium. Fusi hi primo, palsimq; in syluas dispalati, cū multa suorum cæde,in tutum concessere, multi etiam capti sunt, & sub corona uenditi. Cæteræ genti ægre uenia data est, & Vitellianæ copiæ per hæc in Italiam transcendere.Romæ interea ex re parua orta est seditio, quæ omnibus bonis propemodum excidio fuit, cum decimaseptima cohors coloniæ Hostiensis instruenda esset armis, nam adhuc Otho Romę erat in omnia ad bellum festinanda pene pręceps, datumq; esset negociū Vario Crispo Tribuno depromēdi ex armamentario tela, quum sub nocte id fieret, prætoriani milites suspicati senatorum familias armari ad Othonis perniciem, primo fremere incipiunt, inde sumptis armis, tribunoq; & centurionibus cæsis, qui sæuienti multitudini obsistere conati sunt, ex castris tumultuose urbem petunt. Habebat tum Otho celebre conuiuium cum primoribus fœminis uirisq; in palatio accubantibus, quū repente tumultus illatus est, & milites scire uolentes an Otho saluus esset,strictis gladijs tricliniū minaciter irruperūt. Tum turbato conuiuio, alijs aliò metu dilabentibus,uix Otho temulentam militum fæuitiam precibus & lachrymis flexit. Tantus terror ex nocturno illo tumultu ciuitatem inuasit,tanquam ad bonorum cædem seditio illa orta esset, ut postridie pauci in publico uiserentur, clausis domibus maxima pars ciuitatis se in priuato teneret. Otho, quanquam turbidis rebus incertisq; militum animis bonorum periculo commotus, ita est milites pro concione affatus. Non eo consilio huc ueni commilitones,ut uestrum in me animū, qui est mihi exploratissimus, deuotiorem redderé, neq; ut uos ad uirtutem hortarer, utrūq; enim egregiè supereſt, sed fortitudinis temperamentum postulaturus,uestręq; erga me pietatis modum. Enimuero proximum tumultum,nō cupiditas aut odium, quæ duo mala multos & magnos exercitus in calamitosam discordiā sæpe egere,sed nimia uestra excitauit pietas, quæ ulterius omnino quàm oportuit prouecta est: nam quod ad huius motus originem attinet, Imus ad bellum, nū omnes nuntij qui in horam afferuntur,nū nascentia ex illis consilia à militibus & audiri & cognosci debebunt? tam nescire quædam milites quàm scire oportet,sic ducum autoritas habet, sic militaris disciplinæ rigor ut tribuni tantum & centuriones sciant,quæ occulte aut celeriter sunt agēda, & nunc per deum quid minus decuit q̄ quū proxima nocte tale aliquid sine meo iussu fieret, ut unus altérue ex gregarijs temerarius & temulētus, tam fœdam procellam excierit,ut suas milites manus tribunitio sangnine fœdarint? Quid Vitellius & eius exercitus magis optare debebant, quàm ut miles noster neq; centurioni pareat, neq; centurio Tribuno,sed pedites equitesq; in mutuum exitium ruamus? Parendo potius milites quàm ducum decreta scisciscitando militaris disciplina continetur, & is plurimum in pugna fortissimus est, qui ante pugnam quietissimus,uobis arma & ferox animus sit, mihi consilium & regimen relinquite,paucorū culpa fuit, duorum pœna erit. Cæteri abolete memoriam fœdissimæ noctis,nec senatoribus ullę amplius intendātur minæ,in quibus caput & summa imperij sita est milites. Romæ & in terra Italia geniti Romanum senatum ad supplicium & cędem depoſcent? quem si Vitellius quod deus nolit uictoriam obtineat,si Germani,qui eum sequuntur, hanc urbē irrumpent haud uiolare audeant. Nec est, ut uideo, in quo Vitellianarū partium sordes magis perstringamus, quàm quod à nobis stet senatus, quo fit, ut hinc resp.inde reip.hostes stare uideantur. Ciuitatis huius æternitas,pax gentiū,mea & uestra salus senatus incolumitate continet. Danda itaq; nobis opera est,ut hic ordo à Romulo urbis conditore auſpicato institutus,per tot ætates à maioribꝰ cultus,nec ab ullo principum adhuc lęsus, quantū in nobis erit incolumis posteritati tradatur,nam ut ex nobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.Flexit huiusmodi oratio totum exercitū, ut mox duobus supplicio affectis cætera multitudo quieuerit. Eratq; Otho ad bellū profecturus quū Tiberis prodigioso auctu urbē & circūiecta loca inūdauit,subliciō ponte in præceps acto. Statua Cęsaris dictatoris in Tiberina insula claro tranquilloq; die ab occasu ad ortū se uertit,quod ad futurū Vespasiani imperium pertinuit, & in Hetruria bos locutus dicebatur. Otho lustrato exercitu nihil in urbe cūctatus,ad bellum proficiscitur, habuitq; in animo à principio si in Cotianarum alpium angustijs hostem accessu inhibere non posset,in Narbonensem Galliam transire. Cæterum Padum progressus,ubi hostes in Italia esse dicti sunt,continuo ad prælium animum adiecit, incertum spe uictoriæ,si ante Vitellij aduentum dimicaretur,an quia prætoriani ferocius prælio efflagitarent,ipse quod satis constat Brixelli subsedit Tiano fratre rei gerēdæ præfecto.Ter paucis diebus dimicatum est,primo sub alpibus,mox circa Placētiam,fueratq; duobus prælijs Othonis res superior, & iam Fabio aduentāte Cecinna,ut duplicem ignominiam sibi & suis adimeret, ante collegæ aduentū tertio ad Castarū conflixit.Hic quoq; aliquanto maiore clade quàm antea fusi fugatiq; sunt Vitelliani. sub Fabij inde accessum adorti sunt hostes Padum superare, sed ponte ab Othonianis soluto qui exnauibus erat fluuio impositus præsenti conatu auersi, in castra abiere. Otho suos per literas hortatur,ut de summa rei in ultimum certamen descenderent, omnis moræ impatiens, tanquam ex alta rupe uelatis oculis rem totā fortunæ permitteret.Milites ut imperator pugnæ adesset,postulabāt,uerum eo adhuc absente, ad Bebriacum in pugnam est utrinq; descēsum.Fuit id oppidū Cremonēsis agri,ut Plutarchus scribit,ac Bebraicū uocat.Corneliꝰ Bedriacū. Fuitq; nouissima illa pugna Othonianis funesta,prętorianis maiore ex parte cæsis,ac siqui ex acie in castra refugerant illi quoq; hostibus dediti sunt. Erat Otho Brixelli,qui accepto aduersæ pugnę nuntio, etsi satis ualidæ copię atq; eædem intactæ adhuc illi in Italia erant,& ex Mœsiaco exercitu auxilia appropinquare dicebantur,ut cohortes etiam quædam Aquileiam usq; processissent,de uita tamen finienda continuo cogitare cœpit. Ad quod facinus peragēdum manipularis exemplo militis est nō mediocriter impulsus, qui quum Bebriacensi pugna reuulsus, reiq; male gestæ nuntius primus omnium ad Othonē uenisset, nec faceret fidem sed immaturæ fugæ ut imbellis argueretur, ignominiæ impatiens, sibi manū intulit, ut q̄ sibi uilis esset uita omnes intelligerent. Tū Otho,non est,inquit, cur tales uiri amplius mea causa periclitentur.Fratrē igitur Tirianū & Saluium Occeiū fratris filium atq; amicos plures,qui eò ex acie refugerant,confestim abire iussit,ne hostiū interuentu opprimerentur,ipse singulatim omnes cōplexus, consolari, castigareq; ipsorum lachrymas,addidit & munera,ut quisq; erat dignus, fororem per literas consolatus est. Fecit inde per diem omnibus sui adeundi potestatem, ubi adueſperauit frigidam hausit aquam,ut sitim restingueret. Inde duorū pugionū acie explorata alterū puluino subdidit,quo sepaulo ante lucem infra læuam papillam transfixit. Perijt septem & xxx. annos natus, non viij. & xl. ut mendose apud quosdā legere est.Fuit Otho modica statura,ac male pedatus,munditiarū penè muliebrium, ut uulso corpore capillorum raritarem galericulo celaret,rasitaretq; quotidie faciem,madidoq; liniret

Militaris motus.

Othonis oratio ad uetera/nos.

Othonis iudicium de Ro. senatu.

Gregarij militis facinus.

Otho sibi manum intu/lit.

liniret pane, quæ omnia in causa fuerunt ut eius sit mors eo nobilior uisa,quo magis à talibus mūditijs abhorruit.Tenuit Otho imperium tris fermè menses,quo temporis spatio Rhosolani gens Sarmatica ad Mœsiam Po.Ro.prouinciam tumultuose irruperunt. Trucidarant hi superiore anno duas Romanorum cohortes,eoq; successu elati,magis prædæ q̄ pugnæ intenti prouinciam peruagari. M. Oponius cū tertia legione, eos iam præda graues ex improuiso adortus, haud magno negocio occidioni dedit. Ad nouem milia equitū fuere,omnesq; cæsi sunt, præter paucos,qui in proximas paludes refugerunt. Cęterum hi quoq;,desperata salute, se mutuis uulneribus confecere. Nihil tam profuit ad uictoriā, quàm humidus dies,solutaq; passim niues,quibus equorum cursum impedientibus,facti sunt Sarmatæ pedestrium præliorum ignari ad cædem opportuniores.Erat Vitellius adhuc in Germania,quū est ad Bebriacum dimicatum,dabatq; operam firmandis partibus quum nuntijs & literis de suorum ducū successu,& Othonis interitu factus est certior: nec multum inde in prouincia cōmoratus, in Italiā transijt, ac quadragesimo pòst die q̄ dimicatū fuerat, locum cædis & cæsorum stragem lustrans oculis,quū multi cadauerum fœtorem horrerēt horum imbelliam & mollitiem increpans, optime olere dixit cæsum hostem,sed multo suauius ciuem,uox dira, & minime eo homine digna,qui natus esset in eaurbe, qua & maior Africanus,qui solitus esset dicere, malle se ciuem unum seruare,q̄ mille hostes perdere. Parum insolentia saxum intuitus memoriæ Othonis inscriptum.Tali,inquit,Otho Mausolo fuit dignus. Ferrum quo se ille interfecerat, in Coloniam Agrippinensem misit Marti dedicandum. Vrbem inde paludatus petijt,ferroq; succinctus eam ingressus est,terribilis & truculentus aspectu.Multi eius sæuitia afflicti sunt,sed nullis hominum magis fuit infestus q̄ Mathematicis,eius professionis uiros adeptus, uel inauditos capite puniuit. Irritatum eum credidere, quod quum edicto iussisset,ut Mathematici omnes intra Calen. Octob. Roma & Italia excederent, repertus fuerit libellus hoc habens:Mathematicos dicere bonum fatum, ut Vitellius Germanicus intra eundem Calen. diem nusquam futurus esset. Matrē sustulisse creditur,quia ita comperisset fore, ut tum demū imperaret si matri supereſſet. Alij eam à filio uenenū impetrasse ferunt imminentium malorum metu, iam enim à primo eius ortu Mathematicorū prædictione ita illius genituram exhorruit, ut pro afflicto sit filium lamentata,ubi primum cōperit imperatorem eum salutatū ab exercitu,nec minor fuit illi luxuria,quotidie ientabat, prandebat, cœnabat, atq; à cœna comessabat,tot epularum uicibus sufficiens frequenti uomitu. Proditum memoriæ est unam illi cœnam à fratre datam,qua duo milia lectorum piscium & septem auium fuerint apposita. Sed ipsius patina magis infamis, quam à magnitudine Mineruæ clypeum appellauit. Eam scarorū iocinoribus,pauonumq; ac phasianorū cerebellis,murenarum lactibus à Carpathio mari & Gaditano quæsitarum refertam pontificali, ut arbitror, cœna apposuit,nam & pontificatū postquam Romā uenit, Alienſi inuasit die. Sed dum Vitellius palatinis saginatur epulis, Vespasianus qui à Nerone fuerat cum exercitu in Iudæam missus,imperator in Syria salutatur. Cæterum,priusquam de ea re dicam, referenda est nobis memorabilis belli origo, quod per id tempus in Palæstina ipsius ductu gerebatur, quam relationē ne omnia in arctū conijceremus, de industria in hunc locū distuli.Impium Iudæorum scelus cui obstrinxit se tota gēs,quum Christus rex passus est,in causa fuit,credo,quod nunquā eius terræ status quieuit amplius,sed animi ad discordiā accensi, furialibus stimulis agitati, nūc in se, nūc in alios, nō prius sæuire desierunt, quā uniuersa gens sit cū ipsa urbe excidio dedita:mitto pontificū in minores sacerdotes iniuriā mutuaq; ipsorū ordinū inter se odia, ciuiū factiones & tyrannos ex factionibus ortos,cædes & latrocinia Hierosolymis & foris constituta,quibus omnia sacra prophanaq; fœdari contigit. Nec enim talia sunt, ut longā alioqui historiæ remorari debeant serię. Accessit his malis externa iniuria.Cestius Florus (Cornelius Gesium pro Cestio scribit) in Iudæam à Nerone missus, quum superbe nimis & auarè imperium in eam gentē exerceret,factum est, ut qui seipsos iampridē ferre nō potuerant,nec Ro. tulerūt imperiū amplius, sed uelut rabie quadā & furore acti, sumptis armis, uniuersa gens uno tempore rebellauit. Ille quum ad primos motus Hierosolymā occurriſſet, conatus est urbem irrūpere,cæterū inde exclusum,atq; in hyberna abeuntē (instabat enim iam hyes) Iudæi ferocius coorti,plures sunt dies hostiliter insectati,nūc carpendo à tergo agmen, nunc à lateribus lacessendo, postremo ad ultimos Galilæę fines cōpulsum impedimentis exuunt, ex Romanis auxiliaribus quinque milibus & amplius cæsis. Tranquillus signū unum ait Romanis fuisse ademptū, quod miror Iosephum in suorū laudem pronū non posuisse. Nero subita Iudæorum defectione cōmotus,Flauium Vespasianū, uirum impigrū, & iam inde à Britānica Claudij principis expeditione bellica laude clarū, quippe qui tricies cum hostibus dimicarat, in Syriā misit,duabus priori exercitui legionibus additis,Tito filio inter legatos illi dato.Iudæi interea quia toto oriente (ut Tranquillus scribit) constans opinio erat esse in fatis,ut eo tēpore ex Iudæa proficiscerentur, qui inter mortales rerū potituri essent. Id oraculum,ad duos Vespasianos haud dubie pertinēs, Iudæi ad se trahentes, req; ab initio feliciter gesta, supra modū elati, maiora adhuc animo præcipientes, tris sibi duces constituūt.Nigrū Peratā,Sylam Babyloniū,& Io.Mysęum:horū ductu Ascalonē urbē sibi inuisam expugnare conati sunt.Distat ab Hierosolymis locus nonāginta milia passuū. Hic duobus prælijs à Rom. præsidio superati duodeuiginti milia hominū cū ipsis ducib.Iudæi amisere. Nec multo pòst Vespasianus filio in Alexandriam præmisso,ut duas inde legiones in Iudæam traduceret, ipse ex Achaia profectus,ubi tum forte Nero,ut suprà est significatū,sacris erat certaminibus intentus, in Syriā transmisit,eratq; quod ad fortunæ mutationem attinet, perid tēpus,quo ei Iudęa prouincia delata est, adeò Neroni inuisus, ut à principis salutatione prohibitus propemodum lateret,erat illi grauis ignominia cum periculo inde orta, quòd Nerone canente, aut discedere esset solitus,aut obdormiscere. Cæterum prouinciam ingressus decreto Galilæam petijt. Est terra hæc duplex, superior una, altera inferior, utraque ferax, ac passim culta irriguaq; fontibus, pugnax genus hominum, atque in Iudæis ferocissimum. Vrbes plurimæ uicique tam frequentes olim & populosi, ut in singulis minimum censerentur quindecim incolarum milia.Fecerant Iudæi castra ad Sephorim urbem eius terræ nobilissimam, eratque totius rei summa penes Iosippum, uirum multa eruditione & prudentia præditum, ducem ad hoc ipsum hortatum,ut Galilæam aduersus Romanos tueretur. Cæterum Vespasiano prouinciam ingresso, Iudæi qui ad Sephorim stabant, metu dilapsi, alij aliò in tutum abierunt. Iosippus cum ea hominum manu, quæ in officio adhuc erat, Tiberiada urbem concessit. Vespasianus interea Gaddara urbem occupat ad Hiericuntem fluuium sitā, olim Hippodion nominatam: quam Iudæorum odio, Romanus dux consumpsit incendio,ferroq; & igni circumiectos uicos populatus, Ioppata, uel,ut Egesippus scribit, Iotapata oppugnare adoritur.

Huc

Vitellij dirum dictum.

Mathemati/ci exercita.

Vitellij luxuria & uoracitas.

Iudaici belli origo.

Cestius.

Vespasianus tricies cum hostibus dimicauit.

Ascalon.

Neronis odium in Vespasianū.

Galilæa.

Vespasianus Galilæam populatur.

Huc quia urbs natura & opere esset ualide munita, A uis Iudęorum ingens profugerat. Venerat eò & Iosippus ex Tiberiade ubi hostem Ioppatensibus imminere sensit, ut suis auxilio esset. Fuit oppugnatio illa Romanis & longa & laboriosa, multiq; & uarij utrinq; conatus extitere, certaminaq́ue circa muros neutris incruenta. Postremo urbe potius prodita, q̄ capta, fœuitum est in omnem sexum & ætatem, ex quadraginta milibus, qui in urbe fuerant, quum primum urbs oppugnari cœpta est, uix mille & cc. uiui uenerunt in hostium potestatem. Cęteri ad unũ occidione occisi. Ioppatis ferro & igni excisis, Iosippus dux, q̄ media trepidatione se cũ paucis in altiore deiecerat specũ, indicio proditus, ad Vespasianũ perducitur. Hic affirmare ausus fore breui, ut ille Ro. potiretur imperio, quia euẽtus haud multo pòst rei fecit fidem, nõ solum uaniã meruit, sed benigne etiam & clementer est ab eo habitus. Hunc plures Iosephũ malunt dicere. Scripsit is Græce libros xx. Hebraicę uetustatis, scripsit & Iudaicum bellum, quo Hierosolyma à Ro. excisa est, in qua rerũ relatione unũ præcipue sequimur, ut in Iudaica uetustate fecim⁹. Fuit, ut ipse testatur, Hierosolymis sacerdos, ac Matathię filius. Ioppatis excisis Tiberiadem ultro deditá Ro. uictor recepit, hinc multi mortales Taricheas perfugerant urbem multo munitissimam. Sunt Tarichęę & Tiberias ad Genesaram lacum, eius aqua dulcis ac potabilis patet latitudine quadraginta stadiorũ, centum longitudine. Hic, quia terra & aquis res gerenda erat, Iudæi scaphis aduersus hostem usi nauale prælium ciebant. Vtebantur Ro. ratibus in hũc usum structis, stabantq́; militũ robore & armis. Aderant terrestres copiæ circa lacum uelut in procinctu stantes, quo contigit ut Iudæi uelut in medio telorũ multitudine afflicti insignem cladem adierint. Pleraq; nauigia cum suis pugnatoribus medio lacu depressa. Alij metu & trepidatiõe scopulis impulsi nau B fragio peribant, multi ad terrestrem aciem proiecti, ferro excepti fœde trucidabãtur. Repletus est lacus cadaueribus ac cruore fœdatus. Sex milia ea pugna & sexcenti perijsse dicuntur. Mox Taricheis deditis omnem imbellem multitudinẽ Vespasianus interfici iussit. Sex milia iuuenum ad Isthmum in Achaia fodiendum misit, quod opus Nero, dum in ea terra fuit, ut suprà ostendimus, inchoarat. Cætera multitudo, quæ auxiliariorum triginta milia habuisse dicitur, sub corona uenijt, Gamala inde plures dies oppugnata est, in aduersa lacus ora contra Tarichęas. Hæc loci asperitate & propugnatorũ desperatione nõ sine Romanorum clade pertinacius defensa diu uictoriæ cursum remorata esset, nisi Titus Vespasiani filius cum lecta hominum manu ex improuiso irrupisset urbem, hostemq́; subita cæde perculsum in arcem compulisset, compulsum Romanus quia minacius instaret ad eam desperationem redegit, ut liberos, uxores, seipsos per abruptas crepidines in ꝓfundam uallem deiecerint, fuerunt qui ita præcipitati sunt, ad quinq; milia numero, quatuor milia cęsa, eratq́; per hæc omnis Galilæa domita, prẽter Giscalam, huc Titus à patre cum mille equitibus missus, quia spes deditionis facta esset sub primum accessum omnẽ uim abstinuit, ubi uero nox affuit, multitudo ingẽs Io. cuiusdam ductu, qui cum latronum manu locum insederat, tacito agmine Hierosolymã profugit. Postridie semiplenum oppidum deditũ. Romanus uictor, quia iam sanguinis satietas ceperat, ab omni cæde abstinuit, urbem ne iterum ab hoste occuparetur, ualido firmauit præsidio. Cæteras copias in Cæsaream reduxit, quo Vespasianus pater in hyberna concesserat, proxima æstate Hierosolymam inuasurus, quo per id tempus, quo hæc in Galilæa gerebantur, latronum ingens numerus confluxerat. Hi primo occulta moliri latrocinia adorti, inde in cædes & rapinas uersi, miseram ciuitatem mul-

Quis Iosephus fuerit.

Genesara lacus.

Tarichęæ capiuntur.

tis cladibus immiserunt, Io. perfugarum ab Giscala ducis impulsu. Anhelabat is ad tyrannidẽ occupandam. Primo sęuitum est in omnem nobilitatem, qui uelut rem ad Ro. traherẽt, alij alia ui sunt crudeliter interfecti. Sæuitum in põtifices, templumq́; sacra & prophana cędę pollutum, xij. milia nobiliũ cæsa Iosephus scribit, quorũ bona latronibus, stultęq́; multitudini in prædam cõcessere. Affligebatur itaq; triplici malo ciuitas, Ro. bello, domestica seditione, & tyrannide in urbe cõstituta, quũ Vespasianus Gaddarẽsium motum ex hybernis excitus, Gaddara copias admouit. Ad eius accessum multi qui bellum suadebant, perculsi fugam occupant. Cæteri qui pacis & ocij erant autores, Romano duci portas patefaciunt, demoliti prius muros, ut maior sibi fides haberetur. Vespasianus, Gaddaris receptis, præsidioque impositio, Placidum cum tribus milibus peditũ, & iusto equitatu ad perfugas persequendos mittit, quos ille ad Becanabrim uicum assecutus, ad Iordanem flu. compulit, amnis pluuio auctu uadari nõ potuit. Gaddarẽses desperatione adacti in pugnam uertuntur, sed parum ualuit inermis audacia, tredecim milia cęsa sunt, cętera multitudo, perditis reb⁹, præceps in Iordanem desiluit, capta duo milia & amplius cum ingenti præda, multa hominum cadauera uorticoso flumine in Asphaltitem lacum delata sunt. Placidus præsenti successu fretus aliquot circa lacum loca occupauit, & in his Dilam Iuliadem, & Besemothum subegit, & perfugarum uim ingentem, qui ex proximo ad lacum perfugerãt, ut in tutiora traijcerent loca. Trans Iordanem ad Macherõtem usq; omnes Iudæorum gentes Romanis armis cessere. Erantq́; res Romanę in hoc statu circa Syriã, quũ nuntijs & literis Vespasianus factus est certior, Gallias à Nerone defecisse, nec multo pòst & de eius morte fama plata est. Ipse, q̄ uidebat ita fore ut in tanto motu rerũ status reip. esset nullo modo quieturus, pro magno habuit negocio, quod reliquum fuit belli ad exitũ perducere, ut si ad res nouas consurgendum esset, totum post se oriẽtem haberet pacatum. Ex Cæsarea itaq; ad prima ueris signa Antipatridem uenit, hic biduo in componenda ciuitate cõsumpto, Tamnã processit, qua ultro dedita Iamnam & Liddam recepit. Ad Amathunté inde uentũ, circaq́; Idumæam hostilis ager ferro est & igni uastatus, Begrabiq́; & Caphartopharne uicis media Idumæa ui captis, supra x. milia hostium peremit, circiter mille cepit. Ex Idumæa p Iamnam Toparchiam & Samaritidẽ, sub principium Iunij mẽsis ad Hiericuntẽ fecit castra, quo Traian⁹ qui sub eo militabat uenit cum parte copiarum, omnibus qui ad ima Iordanis loca habitabant, nuper subactis. Hiericũtem Romani cultoribus destitutum inuenerunt, qui ad primam appropinquantium hostiũ famã in asperos se montes proripuerunt, si qui in urbe reperti sunt in eorum inuidiam qui temere fugã præceperãt occidioni dedũtur. Sedet Hiericus in planitie cui nudus mons ac sterilis longo prætenditur tractu. Obtẽditur & alius illi mons circa Iordanem. His media interiacet planities. Campum accolæ magnũ dixere, ad lacum usq; Asphaltitem excurrens ccxxx. stadiorum longitudine, latitudo penè dimidio minor. Duo his locis celebres lacus Asphaltites quem Egesippus Asphaltium uocat, & Tyberiensis, contraria inter se natura. Dulcis hic & piscium abundans, salsus ille & sterilis. Sed de Asphaltite longior suo loco fuit sermo. Ad Hiericuntem fons olim non solum frugibus perniciosus, sed mulierum etiam partubus, omnia pestilenti morbo corrumpens, mox Helisæi prophetæ precibus (ut dicitur) saluber factus ab Hiericuntijs hospitio accepti. Irrigatio tã felix, ut ex calicibus palmarũ mel eliciatur. Fert alioqui regio mel & Balsamum arborem, qualiquor exprimitur nobilissimus. Tanta loci temperies, ut

Quot milia Hierosolyma infesta fuit.

Vespasiani successus

Hiericus.

Iudæorum dies.

Fons Hiericuntius.

es, ut quum reliqua Iudæa niue obtegitur, ibi loco A rum accolæ lino uestiantur. Distat ab Hierosolymitanis stad. C. L. ab Iordane sexaginta. Iordanẽ non in Panio monte aut ex Paneade, ut Plinius scribit, ortum habere Egesippus tradidit, sed in Traconitide, cxx. stadijs à Cæsarea, in Panio refusionem esse fluminis non ortum, quod paleę deiectu deprehenderetur. His locis Vespasianus præsidia aliquot cõstituit, ut Hierosolymas commodius oppugnaret. Occupauit & Gephasium, locum ad id quod parabatur peropportunum. L. Annio huc misso, oppidum direptũ, & in censum, milleq́; Gephasianorum cæsi. Eratq́; per hęc Hierosolyma Romanis undiq; circũdata præsidijs, ut iam nihil obscura teneretur obsidione, quum ex Italia affertur Othonem, qui Galba cę so imperium occuparat, à Vitellianis prẽlio uictum, sibi manum intulisse, nam Vitellium in Germania imperatorem appellatum fama aliquanto antè nuntiarat. Sed quo tumultuosiores ex Italia nuntij afferebantur, eo maior spes altioris fortunę surgebat animo, uerum nihil temere mouendum ratus in omnem erat Vespasianus occasionem intentus, quę mater est rerum omnium gerendarum. Festinare interea bello defungi, Cæsareamq́; ex Hiericunte reuersus Acrabaticam Toparchiam subegit & Gofniticã in montibus. Postremo Vitregam & Vfren oppida, unde facilis Hierosolymam erat excursus. Cerealis cum parte copiarum circa Idumęam, Capheram, Caphasim & Crebron Hierosolymis propinquum cepit: & iam omnibus circa urbem subactis, præter castella quædam, quæ adhuc latronum præsidijs tenebantur, Hierosolyma dũtaxat erat expugnãda, quũ Vespasianus à suis est imperator salutatus. Primus VESPAS. X. IMPE. fauor illi est ex Mœsia ortus, etenim quum forte ex Mœsiacis legionibus ut suprà est significatum, aliquot cohortes, quæ Othoni auxilium ferebant, Aquileiam processissent, hicq́; Othonis cæde audita B *aliquandiu subsedissent, temporum licentiam milites nacti multa fœdaq́;* in ciues flagitia perpetrarũt. Veriti itaq; ne pacatiore reip. statu eorum quę fecissent reddenda esset sibi ratio, in prouinciam reuersi autores fuerunt suis noui sibi imperatoris deligẽdi, quod Hispanienſis primo, inde prætorianus, postremo Germanicus fecisset exercitus. Miro itaq; omnium consensu Vespasiani nomẽ est signis ascriptũ, suppressa tamen res est quoad compertum habuere Tyberium Alexandrum qui cum duabus legionibus Ægyptum obtinebat, adegisse suos in Vespasiani uerba iurare. Is prærogatiuæ Iudaici exercitus externorum primus accessit. Additus est & Licinius Mutianus, qui Syrię prẽsidebat. Missi sunt in Parthiam & Armeniam legati, qui Barbaros reges traherent in partes: prętoriani quoq; sunt ad res nouas solicitati, qui à Vitellio exautorati spe dignitatis recuperandæ omnia citius laturi quàm præsentem rerum statum credebantur. Nec multo pòst Mœsiaci exercitus Delmaticum & Pannonicum traxere in sua studia. Sunt adhæc in Hispaniam & Britanniam frequentes literæ ad legionarios datæ ut in Vespasiani partibus esse mallent. Ipse haud cunctandum *Titus Iudaico bello præficitur.* ratus, Titum Iudaico bello præficit, ipse in Ægyptũ transgressus est, ut prouinciam ad omnes belli casus opportunam prẽsidijs firmaret, inde primis tempestatibus Italiam periturus. Mutianus aliquanto prius superato Hellesponto, terrestri itinere cum ualido exercitu Romam petebat, & ex alia parte Pannonicus & Delmaticus exercitus Mœsiacis legionib⁹ iuncti Italiæ imminebant. His Vitellius terroribus circumuẽtus duplicem hostibus classem oppositi. Rauennæ unam, alteram Miseni. Inde diligenti delectu habito Bebriacenses duces & copias obiecit Flauianis à terra. Sed utrobiq; res Vitellio infeliciter cessit, partim ducum perfidia, partim militum imbellia. Nam Cecinna qui cum exercitu præcesse-

Vitellianorum perfidia.

rat (Fabius enim ob aduersam ualetudinem haud tam cito ad bellum exire potuit) Pado superato inter Hostiliam Veronẽsium uicum & Tartari flu. paludes loco satis tuto consedit. Cæterum ubi eius fides suspecta esse cœpit militibus: nam haud multo pòst quàm in Veronensi agro castra fecit, occulte cœperat Flauianorum rebus studere, incertum leuitate animi, an Fabij Valentis apud Vitellium æmulatione. Vbi igitur eius fides nutare uisa est, continuo iectæ sunt illi catenę. Flauiani interim per Aquileiam, Altinum, Patauium, & Atestę occupant, his primo locis nonnihil est certatum. Sedes inde belli in Cremonensem agrum translata, uelut fato fieret ut in eadem terra sæpius ciuilia decernerentur bella. Hic magno prælio Vitelliani uicti castris quoque non fine cruento certamine exuuntur. Proditum memoriæ est quia noctu sit acie dimicatum multos cognatorum manu perijsse, & in his Iulium Mansuetum, qui letali uulnere à filio prostratus in- *Atrox facinus.* ter spoliandum ab eo quum adhuc spiraret est agnitus. Cremona cum Vitellianis qui eò confugerant metu deditur, continuoq́ue direpta est & incensa, *Cremona diripitur.* inuidiamq́ue totius facti in Antonium uertit. Is omnium Flauianorum ducum maxime est eo bello illustratus, quippe qui præter Mutiani & aliorum sententiam bellum maturauerat. Adijt Cremona cladem illam insignem anno quàm condita fuit ducentesimo octogesimo sexto, deditaq́; excidio est urbs clarissima errore potius quàm consilio: siquidem Cremona recepta, quum Antonius in balneum consedisset cruorem abstersurus, excepta uox eius est quum forte balnearum tepor excusaretur, futurum ut statim incalescerent, actum demum quasi signũ dedisset ad urbem incendendam, quadraginta milibus armatorum uno agmine irrumpentibus, non una clades urbem inuasit. Ciues indifferenter cæsi. Res direptæ, tecta & parietes quatriduo ignis absumpsit. Obtruserat interea Fabiũ Vitellius ad bellum, qui audita Lucilij Basi ad hostes defectione (præerat is circa Rauennam in ora superi maris Vitellianę classi) in Hetruriam flexit. Hic Cremonensis pugnę nuntio perculsus, ad inferum mare descẽdit: ex Pisis inde in Narbonensem Galliam delatus, ut in ea terra totaque Gallia ac Germania bellũ repararet, circa Stœchades insulas quę Rhodano pręiacẽt, Valerij Paulini liburnicis est Valés oppressus. Fuerat Paulinus in priuata etiam fortuna Vespasiani amicus, & tum illius rebus præcipue studebat, eratque eo consilio in Gallia, ut ciuitates eius prouinciæ & milites qui fuerant à Vitellio exautorati traheret in partes. Vitellius his excitus nuntijs Menauiam usque processit, ut Tacitus scribit, id exercitu qui Apennini fauces obtinebat flagitante. Huc progressus audita alterius classis quæ Miseni stabat de- *Narnia.* fectione, trepidus Romam repetit, & iam Narniam peruenerat, quum tumultuose affertur Teracinam quæ ad inferum mare sedet, à Flauianis teneri. Hic *Teracina.* nonnihil deliberabundus hæsit, quæ quibus consilia anteponeret, demum copiarum parte Narniæ ad præsidium relicta, L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus & equitibus quingẽtis ingruenti ex Campania bello opposuit, ipse Romã omniũ rerum anxius reuertitur, mox fractus animo, quum iam terra mariq́; hostes urgerent, pro gradibus palatij circũfusa militũ ciuiũq́; multitudine, se imperio cedere professus est, quod inuitus accepisset, idq́; se pacis & cõcordię causa facere. Cõmẽdare omnibus sui memoriam, fratrem, coniugem, & innoxiã liberorũ ætatẽ. Inde fletu præpediente, exolutum à latere pugionẽ consuli assistenti (erat is Cæcilius Simplex) uelut ius necis uitæque ciuium tradere conatus est. Cæterũ consule & alijs magistratibus nõ recipiẽtibus, tanquam ferrum & cætera imperij insignia in concordiæ æde posituris abscesit. Tranquillus, pòst

Flauianos

Flauianos in Capitolium compulsos, id ab eo tentatum autor est: nam Vitellius militum uocibus cõfirmatus, haud multo pòst armatos misit in Flauiũ Sabinum Vespasiani fratrẽ, ad quem ab hominibus patritij ordinis promiscuè & equestris & ex militibus magnus in horam fiebat concursus. Horũ hortatione impulsus, ut ipse quoq; fratris imperium in urbe iuuaret, obtruderetq; Vitellium iam sua spõte cedentem, armatorum globo septus domo exierat, quum in Vitellianos incidit. Hic pugna confestim inita Sabinus ab omnibus propemodũ destitutus, cum suis in Capitolium compulsus est, quo noctu Domitianum fratris filium accersiuit, ne in eum adhuc impuberem hostes sæuirent. Egisippus Domitianum non Vespasiani filium sed fratris manifesto errore credidit. Postridie nonnihil est de pace actum, quam cupide Vitellius amplexabatur. Cæterum milites furore perciti Capitolium subito inuadunt. Flauiani desuper lapidibus alijs q; multifariã telis subitum hostem obruunt: laborabatur nihilo secius ab his Vitellianorum pertinacia, quum iniecta (incertum cuius manu) in Capitolium flãma, subito omnia conflagrarunt. Flauiani ancipiti periculo perculsi, pugnam remittunt, animoq; consternati, alij aliò diffugiunt. Irrumpunt Vitelliani, templumq; multa cæde polluũt. Flauium Sabinum iniectis catenis ad Vitellium perducunt. Domitianus media trepidatione dilapsus, apud ædituũ latuit, liberti inde solertia, Isiaco habitu, sacrificolarum turbę immixtus, in Cornelij materni clientis domo apud Velabrum seruatus est. Sabinus fæuiente multitudine (nã fordidum uulgus pro Vitellio stabat) occisus est, & ad Gemonias scalas proiectus. Sub id tempus L. Vitellius Vitellij principis frater Teracina proditione recepta, ex classiarijs qui ad Flauianos defecerant, quã plurimos occidioni dedit, nauibus præter paucas quæ primo tumultu euaserant, aut captis, aut põdere sese ingerentium in portu depressis. Apollinaris defectionis autor, qui uiuus in hostium potestatem uenit, uerberibus cæsus, in Lucij conspectu interfici tur. Sed dum hęc circa urbem in Vitellij partibus geruntur, copiæ quæ ad Vmbriæ angustias obtinendas circa Narniam relictæ fuerant, ad hostes defecere. Processeratq; Anto. Triculum usq;, ubi plures dies subsedit, fuitq; mora illa multis suspecta, ná & Capitolium dum omnia segnius agũtur, interea captum est, ut dixi, & incensum, & Sabinus cum multis bonis interfectus. Nec Petilius Cerealis qui cum mille equitibus per Sabiniam Salaria erat urbem inuasurus, latis properauit. Cęterum, audita Capitolij obsidione utrinq; est Romam festinatum, sed parũ mature Flauianorũ periculo occursum. Petilius ante portas urbis prælio exceptus à Vitellianis funditur, ac Fidenas usq; retrò est compulsus. Antonius qui Flaminia uia processerat, audita Sabini cæde, & Capitolij conflagratione ad Saxa rubra consedit. Iã satis constabat totam plebem sentire cum Vitellio. Huc legati ab urbe ad Antonium uenere. Missi sunt & ad Petilium de pace acturi. Nam Vitellium urgẽtibus undiq; Flauianis, confestim Capitolij incensũ Sabiniq; interfecti pœnituit, pro cõcioneq; testatus est ea quæ facta essent, non sua, sed aliorum culpa accidisse, iurauitque se nihil ab initio magis optasse quàm pacem, ac tum demum pugionem consuli obtulisse scribit Tranquillus, fuitq; simul autor, ut legati ad hostes mitterentur: missę sunt cum legatis uirgines Vestales, quę Vitellij literas Antonio reddiderunt orantis ut diem certaminis eximeret. Vestales cum honore acceptæ ac dimissę. Vitellio respõsum, Capitolij incendio, & indigna Sabini morte sublata esse omnia belli cõmercia, q ad Petiliũ iuere propemodũ uiolati sunt. Concursum itaq; est & circa Salariã portã, & in Flaminia uia, estq; plebs Flauianorũ equitũ inuectu cõtinuo discussa. Maius cũ Vitellianis militibus negocium fuit, dimicatũ est circa Sallustianos hortos, prorractaq; in noctem pugna. Interim Flauiano equite per Collinam portam irrumpente, Vitelliani qui circa Flaminiã dimicabant uiã, à tergo circunuenti in campum Martiũ compelluntur, ibi prælium instauratũ. Stabat pro Flauianis fortuna partium, & spes uictorię. Desperatio & ira pro Vitellianis. Aderat spectator populus uelut in ludicro certamine, & nunc hos, nunc illos plausu & fauore fouebant. Ad postremum Vitelliani in castra ui acti sunt. Refractis inde portis adeò obstinatis animis ad extremum dimicarunt, ut aduersis uulneribus omnes ad unum occubuisse dicantur. Vitellius Flauianis in urbem irrumpentibus tentauit primo Teracinam ad fratrem profugere, processitque in Auentinum usq; ad domum uxoris, mox damnato consilio in palatium, ut Cornelius scribit, est reuersus. Tranquillus incertis, ait, rumoribus impetratæ pacis eum retardatum, quod si sic accidit, ali quanto priusquam hostes urbem inuaserint fugam eum molitum intelligamus necesse est. Sed quæcũque fuit illi causa remanendi, in palatium reuersus, ubi omnia circa se uidit solitudinis plena, seruitiorũ etiam infimis suum occursum declinantibus, metu & stupore pressus sese in ianitoris cellam iniecit, reli gato pro foribus cane, lectoque & culcitra obiectis. Hinc à Iulio Placido Flauianarum partium tribuno reuulsus religatis post terga manibus, & laqueo cer uicibus iniecto, diuisa ueste, comaque à capite reducta, ceu noxijs solet, per magna rerum & uerborum ludibria toto uiæ sacræ spatio in forum trahitur, nonnullis etiam stercore & cœno incessentibus, quibusdam incendiarium patinariumq; uociferantibus, uitiaq; corporis cauillo exprobrantibus. Erat in eo enormis proceritas, rubicunda facies, plerũq; ex uinolentia uenter obesus, alterumq; crus subdebile, atq; in tot malis una uox non degeneris animi illi excidit tribuno insolentius procacius q; insultanti. Et quum sim talis, inquit, quando q; tuus imperator fui. Perductum ad Gemonias scalas minutis ibi ictibus milites excarnificati sunt septẽ & quinquãgita annos natum, mense ex quo imperare cœperat octauo. Sic uagum & incertum imperium trium rebellione principũ, gens Flauia stabiliuit, Reate municipio oriunda: nam Vespasianus qui post Vitelliũ imperauit, principatum uelut hæreditarium per manus filio tradidit. Cęterum eo adhuc absente, Flauiani urbem ingressi, crudeliter in Vitellianos uictoriam exercuerunt, in sacro & prophano cæsi qui diuersarum partium fuere, euagataq; est cędes per nobilium capita, fuitq; ciuitatis status parum quietus ante Vespasiani reditum, qui per aduersas hyemis tempestates haud tam celeriter quàm animo proposuerat in Italiam ex Ægypto nauigauit. Nec in Gallia Germaniaq; res interim multo quietiores fuere, alijs aliò studia trahẽtibus. Bataui primo tumultuati sunt. Accolunt hi Sitan insulam, quam Oceanus à frõte alluit, à tergo & lateribus Rhenus. Claudius Ciuilis uir regia stirpe insulanorumque longe princeps, ficto Flauianarum partium studio, ut si res minus processisset, Vespasiano gratificatus uideretur, Cannefates ferocissimam insulę gentem ad defectionem impulit, hi duabus Frisiorum trans Rhenatæ gẽtis cohortibus ad se accitis, Brinonis ductu, Romana castra quæ à Vitellianis tenebantur, ex improuiso adorti, cum multa cæde occupãt. Erãt Germanicæ legiones & Gallicę in Vitellij partibus, nec ille adhuc perierat, quum hæc ita acta sunt. Erat & classis in Rheno quatuor & uiginti nauium, quam haud multo pòst Cannefates nautarum perfidia cum classiarijs oppressere, atque per hæc illi Romanum præsidium tota insula expulerunt. Fuerunt inde uarij utrinque conatus, atque prælia quędam per occasioné alterius partis edita. Enimuero Vitelliani

Flauiani in Capitolium compelluntur.

Capitoliũ incenditur.

Flauij interitus.

Vitelliani in urbẽ compelluntur.

Vitellij labra.

Vitellius fœdissime trucidatur.

Flauianorum fuga.

Bataurum motus.

Vitellius pacis studium celebrat.

Vitelliani insula ejecti, & qui suis auxilio occurrerant, Batauos infense oderant, hostiliterq; incessebant. Sed quæ interim sunt utrinq; gesta ut parum memoratu digna haud operæpretium fore credidi literis commendare. Flauianis inde rebus in Italia prœualẽtibus, Flaccus Hordeonius qui Germaniam pro Vitellio obtinebat, à militibus interficitur, huius cæde haud mediocriter remisit Vitellianorum studium, mox Vitellio interfecto, quum res Romana intestinis discordijs grauius cõuulsa crederetur, nouus in Gallia motus oritur. Classicus præfectus alæ Treuirorum & Claudius Ciuilis Batauus, qui prioris fuerat defectionis autor, Gallos ad eximendum sibi seruitutis iugum hortati, Germanicas legiones Vitellianarum partium tuendarũ prætextu sibi adiunxerunt, Vocula prius interfecto qui præsenti obstare uidebatur consilio. Siqui fidem prodere nolunt, Gallorum ducum fraude interfecti sunt. Multi interim Gallię populi ad res nouas cõsurrexere, gliscebatq; indies defectionis studium, quum Petilius Cerealis in Galliam uenit, ad hũc motum opprimẽdum ex Italia missus. Is primum omnium Treuiros ad Rigodolum prælio uicit, coloniamque Treuirorum progressus, legiones quæ Gallorũ fraude à Romano imperio defecerant, ad obsequium retraxit. Necita multo pòst Gallorum duces ad Mosellã fluuium, laborioso à Romanis prælio uincuntur, uictique castris exuũtur: secuta inde uaria certamina, uarioq; euentu depugnata, ac circa Rhenum multo atrocius dimicatum, ad ultimum pulsi Bataui suis urbibus direptis & incensis, ne hostibus prædæ relinquerẽtur in insulam abierunt. Hæc Tacitus, quibus datur intelligi Batauos extra insulã habuisse urbes & oppida, nisi aliquis eas quas illi tueri non potuerunt socias fuisse urbes interpretetur. Tutor & Classicus hostium duces, cum trecentis Treuirorum senatoribus Rhenum transiuere, qui partim precibus & commiseratione (nam Batauis insula se tenentibus omnis belli uis eos inuasura uidebatur) partim auro grandia ad bellum auxilia traxerunt. Obstitit primo his uenientibus Romana classis, distinuitq; à transitu fluuij hostem. Ducis inde & classiariorum socordia, hostes noctu stationibus insinuati, aliquot Romanis naues ademere. Qui deinceps fuerint bellorum processus in Gallia, perditis ueterum scriptorum monumentis haud quidem reperio, sed Gallia quod satis cõstat, haud multo pòst pacata est: nam ad famam Flauij Domitiani aduentantis, Galli Germaniq; arma posuere, is etsi admodum adolescens, patreq; adhuc absente, ferociter tamen id bellum obeundum suscepit, sed paterni amici proposito auerterunt. Vespasianus interea ex Alexandria Romam decessurus magnam copiarum partẽ quibus fuerat Iudaico bello usus, Tito filio reliquit, ut cum ea gente aliquando debellaretur. Mirum quãtum præstigiorum ipsius principis & aliorum oculis offuderint mali dæmones per id tempus quo ille Alexandriæ fuit. Nã & Basilides libertus, qui aberat, uisus est illi sacrificãti ministrare, ut regium nomen futuro imperio omen fecerit, & mox paulo illum pro tribunali sedentem duo è plebe uiri adierunt, opem sibi orantes à Serapide demonstratam. Hic oculis captus, ille debili crure, per quietẽ se monitos dicere, fore, ut cæco dies illucesceret, si ipsius oculos sputo Vespasianus inunxisset: alterque fremior fieret, si calce contingeretur, quum uix fides rei esset, nec res ullo modo successura crederetur, ne experiri quidem à principio Vespasianus ausus est. Cæterum amicis hortantibus utrunq; pro concione tentauit, nec defuit euentus. Verebatur scilicet dæmon ille, quem sub Serapidis nomine colebat Ægyptus errorum mater, ne piorum ecclesia recens ibi constituta ex uetusto illo se exturbaret domicilio, præuiditq; futurum ut duo ægri uterque sua defunctus esset clade, impulitque proinde ambos ut à Vespasiano opem implorarent, ut quum euentus secutus esset, eius fauore qui erat rerum potiturus oraculi maiestas augeretur, nec ex ipso imperij fastigio ad ueræ lucis fulgorem animum intenderet, nisi forte aliquis interpreteretur, partam fuisse Vespasiano diuinitatem, quia quum superioribus bellis, tum Iudaico, quod gerebatur, multum humani sanguinis hausisset. Sed alijs omnino gradib⁹ cœlum scanditur. Titus, quum pater adhuc Alexãdriæ esset, ad bellum conficiendum in Iudæam est reuersus. Fuerũt illi ab initio quatuor legiones, tres quibus pater id bellum administrarat, & una quæ sub Cæstio Gallo fuit. Præfuit is Syriæ ut Cornelius scribit, per id tempus quo Gessius cognomento Florus procuratorio nomine Iudæam administrauit. Affuerũt & auxiliares copiæ ex Ægypto & ab Euphrate usque, amicis q; regibus. Copias igitur Hierosolymam admoturus ut urbis situm exploratiorem haberet, castris ad Gabesaul uicum factis (distat locus minus quatuor milibus passuum ab Hierosolymis, interpretaturq; Saulina uallis) cum sexcentis ad urbem equitibus processit. Hic cum mœnibus contemplabundus obequitaret paululum à suis discretus subita eruptione est ab hostibus circunuentus, atq; ita à suorum equitum ala excluſus per confertissimum Iudæorum agmen, telis undiq; in unum con iectis, ad suos incolumis euasit. Inde ad Scopos castra fecit, septẽ ab urbe stadia, partitusq; copias urbem haud uno loco circumsedit. Iudæi etsi intestina discordia tenebantur, lacerabantq; corpus ciuitatis tres inter se inimicę factiones, quarum una templum obtinebat, cuius Eleazarus Simonis filius erat princeps, Zelotæq; cum eo erant Iatronum manus ciuibus infestissima. Inferiorem partem urbis, altera Ioannis Giscalis Galilææ oppido perfugæ autoris & capitis omnium malorũ. Simon superiora insederat loca cum uiginti Idumæorum milibus, qui ad urbem Zelotarum latrocinio liberandam accersiti, quia ultrò non acciperentur, ui urbẽ irruperunt. Miretur hic aliquis quomodo acciderit, ut eo potissimum tempore quo euidens urbi ab Romanis imminebat excidium, tot simul discordiæ exarserint, aut cur si prius ortæ, non per id tempus remiserint. Potuerunt scio alijs aliæ causæ uideri, ego omnium quæ esse potuerunt, ut primam ita ueri simam semper duxi quod Egesippus existimasse uidetur, publici sceleris ultionem, ut furiarum stimulis agitata ciuitas, iam inde à nefaria Christi Saluatoris cæde nũquã à discordia & seditiõe amplius quieuerit, quoad ultimum sit excidium passa. Altera illi causa ex proximo bello orta est. Iudæi Vespasiani armis tota Galilęa pulsi, iuxtà boni malíq; permixta hominum colluuione Hierosolymã petiere. Tum uero multi, aut egestate adacti, aut temporum licentia freti, occulte prius ijs qui minus poterant cœperũt uim inferre, mox impulsores scelerum & duces adepti, in omne fœdum facinus abierunt. Constitutumq; est palàm latrociniũ in urbe, omnisq; nobilitas ab initio absumpta, inde prædæ cupiditate in cæterã multitudinem sæuitum. Eratq; ciuitas huiusmodi cladibus afflicta, & uelut in medio latronum destituta, quum Titus eò copias admouit. Cęterum quanquã diuersæ factiones inuicem sæuirent, sæpius q; in urbe & circa templum inter se tyrãni dimicassent, sub Romanorũ tamen accessum sumptis armis per partes urbem tueri adorti sunt. Factus itaq; impetus est in eos qui ad Elæonem castra muniebãt. Est is mõs contra urbem ad oriẽtem Solem Cedrone ualle interiecta, ut ait Iosephus. Iudæi adeò ferociter se inuexerant, ut Romani intermisso opere iam fugã circũspectarent, quum Titus affuit, tum ducis præsentia redintegrata pugna compulsi sunt hostes, ac præcipites acti in profundam uallem, Romanis temere

Claudius Ciuilis.

Dæmonum præstigiæ.

Ægyptus errorum mater.

Titus Hierosolymã inuadit.

Causæ Hierosolymitani excidij.

Elæon mons.

Atrox pugna.

perſequentibus: hic in ima ualle, diuerſa certaminis forma incidit, Iudęis per decliuia aduerſi mōtis omnifariam tela in ſubeuntes ingerentibus, ui tamen multa, præcipuaque Titi ferocia, in urbem acti ſunt. Incidit prima obſidio in azimorum dies celebrari id ſacrum quartodecimo Aprilis, quo contigit ut ſuper eam multitudinem quæ priore anno ex Galilæa & omni ferè Iudæa, partim belli metu, partim iniuria ſuis ſedibus in urbē confluxerat, innumeri mortales ſub id tempus quo obſideri cœpta eſt, ſacrorū cauſa Hieroſolymam uenerint, quā Titus occaſionem adeptus uidetur mihi ab initio feſtinaſſe urbē uallo cingere, ut fames citius ſentiretē. Fuerunt itaq; multi hincinde conatus, præliaq; ferè aſsidua priuſquam ſit hoſtis undiq; uallo ſeptus. Ioſephus autor eſt quatuor prętoria circa urbem erecta, uallumq; in orbem deductum quadraginta ſtadiorum ambitu, quum urbis circuitus triū & triginta eſſet, quo apparet opus profundarum uallio interiectu continuari nō potuiſſe, quod idē autor ſignificat. Mirum dictu ac tale ut uix fidē inueniat relatio, q; Iudæi in aperto uitæ periculo conſtituti, & quum foris ab hoſte ſibi & urbi exitium imminēret, domi fames omnia uaſtaret, nam id malum continuo affuit, tāta tamen libidine tenerentur, per ſcelus & flagitiū omnia perdendi, ut inter ſe hoſtiliter tyrāni dimicarēt, editaq; ſit cædes circa templum teterrima. Cingebatur Hieroſolyma triplici muro ea parte qua adiri poterat.

Hieroſolymæ munitio.

Huc omnis Ro. incubuit conat⁹: Huc agger & aries admotus, poſtq; longa & dura certamina duplex eſt murus expugnatus, quo temporis interuallo uis hominum incredibilis fame & rerū inopia eſt (ut Ioſephus ſcribit) extincta, certaſſe inter ſe armis domeſtici dicuntur, ſiquid eſculenti temere ad manus uenisſet. Filij ex ore parentū cibū rapere, nec frater fratrem miſerari, nec ſororē ſoror, quiſquis in ea deſperatione rerum malle ſibi q̄ alij conſultū. Talento ue nijt modius tritici, multi bubulū ſimū mandere conati ſunt. Alij cloacas rimari cibosq; inde obſcœnos ſibi quærere, coria ſcutis detracta, & calceorū aluta fuit multis cibus, fœniq; laceramenta quibuſdā uictui fuere. Perijt interim inedia tanta uis mortalium, ut Aninus Eleazari filius, qui medio tempore obſidionis ad Titum transfugit centum & quindecim milia cadauerum in urbe elata dixerit. Egeſippus una duntaxat porta tot funerum milia elata autor eſt, defunctaque alioqui tali aut ſimili clade ad ſexcēta hominum milia Romanis Hieroſolymæ aſſidentibus. Tenebant adhuc Iudæi extra muros Antoniam locum in ſpeciem arcis munitiſsimum. Fuit olim loco nomen Maſtro, atque aliquanto prius Baris fuit, ut ſignificare uidetur Egeſippus. Arcem ad Aquilonem obuerſam Herodes qui primus peregrini ſanguinis in Iudæa regnauit, multa ope muniuit, atque in Antonij triumuiri gratiam appellauit Antoniam. Tenebant Iudæi & templum quod ponte iungebatur urbi, in quibus expugnādis multo plus eſt laborum quām alibi exhauſtum. Antonia prius oppugnata eſt, multique & uarij extiterunt utrinque conatus. Romanorum plerique qui temere muros ſubiere, telorum multitudine, plurimumque grandioribus ſaxis ſunt atrociter affligi, & bellica opera quæ muris admouebantur, eodem tempore corrupta. Titus quanquam fames breui erat hoſtem domitura, longioris tamen moræ impatiens ſuos adhortandos ratus, ut totis ſemel uiribus locum inuaderent, ita pro concione eſt milites affatus. Omnis in gerendis rebus adhortatio commilitones proculdubio ſuperuacua ſit, niſi quum pericula adeunda ſunt, tum uero illud primum poſtremumq; cenſeo militibus monſtrandum, nihil tam fortem uirum decere, quām pro gloria dimicare, quæ eò plenior uenit, quo maius certantibus proponitur periculum, nunc quia nō niſi per ſummum

Titi oratio ad milites.

A certamē hoc latronum receptaculo potituri ſumus, qui uos ſitis conſiderate potius, quàm quibuſcum res gerenda eſt, quanquam hæc Iudæorum patientia & in duris rebus conſtantia, non ex uirtute oritur ſed deſperatione, certaq; moriēdi cupiditate, furor animū omnes q; uires corporis perturbat, ut nec quid agi oporteat uidere poſsit, qui ita affectus ſit, nec quum res eſt gerenda multū ſecū fiduciæ affert in pugnam, quippe qui uel paruis mōtis fractus ruat. Vos contrà & bella tractare, & uincere ſueti, & poteſtis & debetis imbelle hominū genus contemnere, in pace ſeditioſum, in bello ignauum. Nec quia muro ſe tueantur uobis formidandi ſunt, quum fame, uigilijs, uulneribus confecti umbræ ſint uerius quàm homines, quanquam ſi ualido eſſent corpore turpiſsimum ſit uobis Iudæos ignauū genus hominum toties uictos à Romanis, nunc demum non poſſe uinci. Ite & quando iam uictoria in manibus eſt (uno enim hoc loco nil dubium eſt quin & urbe ſimus confeſtim potituri.) Ite rurſus & iam captos capite, tantum audacia opus eſt, cætera uirtus peraget. Nemo fortis omnia pericula metitur, quāquā ſi quod nolim cadendum ſit, an quiſquam ueſtrum eſt tam uitæ cupidus, ut non malit pro patria, pro imperatore ſuo mortem occūbere, quàm pro ignominia uiuere? An ignoratis uirorum fortiū animas, eorum dico qui fortiter dimicando mortem occuburunt, puro æthere poſt mortē collocari, ubi Heroum beatorumque ſedes eſſe dicuntur: quæ uero per ignauiam & deſidiam corporibus ſoluūtur, ſub terras ire, eundemque memoriæ eſſe terminum qui ſit & uitæ? Erit itaque non paruum præmium fortibus ſi ceciderint, cœlum & æternitas nominis, me autem pudeat ſemper meæ ingratitudinis, niſi ſedulo dabo operam, ut qui primi hoſtium muros conſcenderint, ita dignitate & opibus floreant, ut omniū iudicio ſint quàm beatiſsimi. Et Titus per hæc ſuos eſt ad Antoniæ expugnationem hortatus. Cæterum præſens periculum quod à difficili oppugnatione intendebatur, in cauſa fuit, ut pauci omnino reperti fuerint, qui facinus ſe tentaturos profeſsi ſint. Sed in perquàm paucis Sabinus quidam intrepide periculum adijt, qui quum in ſummum murum euaſiſſet, deiectus ad ima hoſtium telis obrutus prius perijt quàm periculo eximi potuerit. Cæterum biduo poſt, pauci qui in ſtatione erant, quarta noctis uigilia, per ruinas quas bellicæ machinæ fecerant, ſilentio inſinuati priuſquam ſentirentur, in ſummum euaſere: ibi cuſtodibus cæſis, inde alijs atque alijs ſeſe ingerentibus, arcem Romani tenuerunt. Iudæos ad tubæ ſignum repente excitatos ſemiſomnes uictor miles obtruncat. Plerique è muris præcipitati, partim ſuo pondere afflicti ſunt, partim beneficio noctis in urbem abiere. Secutum inde alterum certamen cum ijs qui templum obtinebant. De loci apparatu ſatis ſit uno adhuc loco dixiſſe, eoq; in hunc multum diuerſo. Habuit in animo Titus illud ab omni iniuria tueri, religione credo, ſed multo aliter euenit, nam poſt aliquot certamina cum hoſtes neque hortationibus, neque minis ad deditionem compelli potuiſſent, quia locorū munitionibus freti, nulla ui niſi fame quod longum erat, aut flamma expugnari poſſe putabantur, igni à gregario milite temere in ſacrū coniecto, confeſtim eſt incendium conflatum, quo templum omnium quæ ad id tempus fuere auguſtiſsimum miſerabiliter deflagrauit. Qui ſuperiora obtinebant, pars una in urbem refugerūt, ſed multo plures ferro aut flamma extincti ſunt. Extiterunt in quibuſdam præclara fortitudinis exępla, ſuprema illa tępli expugnatione. Pedanius Romanus eques hoſtem circa templum uiolenter arreptum, ad imperatoris conſpectum ſublimē detulit. Miles cui Longo fuit nomen, à ſuis loci iniquitate excluſus, Iudæis incolumitatē pollicen-

Antoniæ datur.

Templi crematio.

Iudæorum ſupplicia.

Obſeſſorū numerus.

pollicentibus ſibi manum intulit, maluitque fortiter mori quàm hoſtis beneficio uiuere, alius qui deditionem ſimili caſu fecerat, quum uelatis oculis ſtaret ab hoſte feriendus ad ſuoſque propiuiſſet, dum percuſſor ferrum expediret, diſcinctus armis à Tito cū ignominia dimiſſus eſt. Acorius ex eminenti parte templi ſe præcipitaturus (urgebat enim uis hoſtium) Luci, inquit, hæres meus eſto, ſi me cadētem exceperis, ruens ſuo lapſu hæredem peremit oneri ſubeuntem, ipſeque ſeruatus eſt. Sacerdotes uitam ſibi petierunt nec impetrarunt. Negauit templo & ſacris extinctis operæpretium eſſe ſacerdotes uiuere, eſtque adagij huius autor Egiſippus. Incidit templi excidium in decimū Auguſti menſis diem, quo olim à Babylonio rege fuerat concrematum, uelut fatalis fuerit lux illa, loco alioqui ęternitate dignisſimo, intercurrerātq; anni à prima ipſius cōſtructione, cuius Salomon rex autor fuit, uſq; ad ſecundum Veſpaſiani principis annū quo eſt penitus exciſum, mille cētum triginta & menſes ſeptem. Ab eius inſtauratione, quę in ſecundum primi Cyri annum incidit ſexcenti triginta nouem. Iudæi in arctum compulſi, etſi nulla ſpes reliqua erat præſentibus malis defungēdi, niſi cum morte, durare tamen. Cæterum nihil erat quod magis animum infringeret quàm fames. Ioſephus autor eſt per eos dies quibus templū deflagrauit, Tragicum facinus & quod uix apud poſteros inueniat fidē à muliere genere & diuitijs nobili perpetratum. Erat hæc ex Veteza trans Iordanē uico, Pereæ regionis ut Egiſippus uidetur ſignificare, quæ ingruentium periculorum metu Hieroſolymam cum ſuis popularibus perfugerat. Intolerabili igitur fame adacta infantem filium occidit, ac dimidio conſumpto, quod reliquum fuit tyrannorum ſatellitib⁹, qui omnia procacius ſcrutari, ut obſonia domeſticatim raperēt, ſponte obtulit, illi atrocitate parumper defixi, primo facinus deteſtari, inde mulieris fortunam miſerati, rem omnem tyrannis deferūt. Fregit res tam atrox illorum animos, ut qui nunquam ad id tempus de deditione cogitarāt, tum demum cum Tito de ea re in colloquium uenerint. Sed quum ſera nimis pax tentaretur ac propemodum capti pro liberis dimitti uellent, re infecta, paucos adhuc dies urbs defenſa eſt. Interea innumeri mortales fame ſtimulante in caſtra ex urbe tranſiuerunt, horū numerus ingens nullo ferè pretio uenditus, ſed quum hęc fierent transfugarum unus obſeruatus eſt aurum legens ex corporis excrementis. Peruaſit rumor caſtra, Iudæos plenis auro uiſceribus transfugere ad Romanos, nam priuſquam urbe egrederentur nudi à ſatellitibus ſtatuebantur, ne quid auri alteriūſue rei ſecum aſportarent, quę ipſis aut hoſtibus uſui eſſe poſſet. Ea fama temere uulgata in cauſa fuit, ut auri cupiditate ad duo milia Iudęorum una nocte exenterati ſint, multo plures adhuc eo modo perituri niſi Titi interceſsiſſet edictū, ne quis uinctos interficeret. Vrbs poſtremo ui capta eſt. Fuiſſetque cædes per omnem ſexum & ætatem euagata, niſi edictum fuiſſet ut inermibus parceretur. Direpta primo urbs, mox incenſa eſt, ac magna ex parte diruta, tantum ædificiorum relictum, ut ſatis eſſet ad præſidium tuēdum, & cum his Hippicus Phaſelus & Mariannes turres materia & proceritate uiſenda, ut monumētum eſſent in multam ætatem urbici apparatus. Exciſa eſt Hieroſolyma octauo die Septembris, quinto fermè menſe, quàm obſideri cœperat. Ex captiua multitudine Titus decem & ſeptem milia robuſtiore ætate Alexandriam miſit, omnes operibus deſtinatos, minores natu ſub corona uendidit, duo milia per urbes & prouincias diſtribuit, ut beſtijs ſpectaculorum diebus obijcerentur. Fuit omnis captiuorum numerus ſeptem & nonaginta milium, quum ab initio decies centum milia obſidione fatigari cœpta ſint, quorū pars multo maxima fuerit peregrinorum nō ciuium, omnes tamen Hebraici ſanguinis. Pudet à Ioſepho diſſentire, qui hunc numerum in hiſtoria poſuit, & quòd Hebræus ſit, quod que ijs quę tū in Iudæa geſta ſunt interfuerit, ſed miretur iure aliquis quonam modo urbs alioqui exigua, quæ ſuo eſſet circuitu tria duntaxat & uiginti ſtadia complexa, tātum mortalium numerum capere potuerit. Verum multo magis miretur quod idem autor prodidit, Ceſtio Iudæā procurante paſchalibus feſtis cæſa fuiſſe cc. hoſtiarum milia, quū tot nec pauciora eſſent tabernacula, quorum ſingula decem haberēt uiros, qui uictimalibus ueſcerentur carnibus, atque ita initum à pōtificibus numerum uicies ſepties centum milia hominū à nona diei hora ad undecimam (nam id erat legitimum agendi tempus) uno die ſacrificaſſe præter lepra infectos, & qui genitalis ſeminis fluuium paterentur, menſtruasque mulieres, quę gentili lege ſacro arcebantur. Sed fides ſit apud eum qui hæc tradidit. Incidit Hieroſolymæ excidium in alterum annum Veſpaſiani principis, qui milleſimus fuit, ſi integer eſt apud Ioſephum numerus, centeſimusque & ſeptuageſimuſquartus, ab eo quo urbs ipſa fuit condita.

Miſerabilis Iudęorum cædes

Anni mundi.

Eius conditionis autor non Moſes ut Strabo exiſtimat, ſed Cananæorum rex potentiſsimus, cui patria lingua Iuſto nomen. Is erecto ibi templo locum Hieroſolymam uocauit, quum prius Solyma uocaretur. Cananæis inde eiectis Leobius Iudæorum rex ſuis habitandum dedit, cccc. deinceps anno quarto que & ſexageſimo à Babylonijs euerſa eſt. A Leobio qui prius in ea regnauit ad Titianum excidium, anni mille, centum & ſeptuagintaquatuor interfuere, ſuntque horum autores Ioſephus & Egiſippus. Eſt & alius adhuc ſermo de Hieroſolymorum conditione, ut Luza fuerit ab initio locus dictus ab amygdali arbore, quæ frequens his locis naſceretur, mox Bethel, quæ uox id ualeat quod domus dei, Melchiſedechus qui iuſtus rex dici poteſt, primus muniuit, ut aiunt quidam, dixitque locum in urbis ſpeciem conſtructum Salem. Cæterum cum Hiebuzei id oppidū poſtea tenuiſſent, ita accidiſſe ut Hiebus ſit nuncupatum, atque inde factum ut unius alteriuſue literæ mutatione duæ uoces in unam coaluerint, ſitq; urbs Hieruſalem nuncupata. Celebrant & aliam Hebræi opinionem, ut Salem Melchiſedechus dixerit, inde quum ibi filium obtuliſſet, Hiere locum appellaſſe, fierique contigiſſe ex duabus uocibus nomen unum. Hieronymus Salem urbem iuxta Scythopolim, cui inde abfuiſſe arbitratur, nec uideri ſibi ex Græca & barbara uoce id nomen conflatum. Sunt qui Solymam quaſi Salomoniam interpretentur, à Dauidis filio, qui eam ampliauit. Iam ſatis conſtat multas poſt ætates Heliam eſſe dictam ab Helio Hadriano qui eam inſtauraurit. Sed quæcunque fuit nominis ratio & origo loci: utrunque enim parum liquido traditur, fuit Hieroſolymitani excidij annus mūdanę originis ſecundus & ſeptuageſimus ſupra ducenteſimum ac quinquies milleſimum, ab Roma uero condita octingenteſimus uigeſimus quintus. Ab eo quo Chriſtus paſſus eſt quadrageſimus. Et Hieroſolyma orientalium urbs nobiliſsima hunc exitum habuit. Cecidit Hieroſolyma eò minus miſerabilis, quo ob ſuam impietatem magis merita eſt id excidium. Nulla unquam terra propheratum partu fœcundior, nulla tamē prophetis ipſis magis infeſta, nec gens ulla ſanctioribus creuit initijs, nulla maioribus polluta ſceleribus iuſtius corruit. Eſtque id exitium quod ipſi urbi & uniuerſæ genti inſtabat, manifeſtis antea ſignis demōſtratum, nec ſignis tātum ſed prophetica etiam uoce, ut pœnitentia agi potuerit, & dira ſcelerum ultio declinari, propitiato numine, niſi obſtinatio amentiā peperiſſet, amētia rerum omnium obliuionem, ut pietatis & iuſtitiæ immemores cæci in ſuum exitum

Vnde Hieroſolyma nūcupata.

Prodigia. rueret. Sydus gladij figura in cœlo apparuit urbi im minens Azimorum die, qui octauus erat mẽsis Aprilis. Nona noctis hora circa maximã arã templi tantum lumen effulsit, ut dies putaretur illuxisse. Eodẽ die quum bos ad aram traheretur, medio templi peperit. Ænea porta interioris templi cuius ostia uiginti simul uiri remoliebantur, ferreis seris æneoq; occlusa pessulo, sexta hora noctis sua sponte patuit, & ad undecimũ Calẽd. Iunij uisi sunt per aërẽ curr⁹ diuersis cœli regionibus uagari, & armatę acies tranare nubila, nocte quæ diem Pentecostes præcessit, sacerdotes intimum templum subeuntes sacrorũ causa strepitum primo quendam senserũt, inde & uox est ex proximo reddita dicẽtis. Migremus hinc. Etsi non desunt qui sub id rẽpus hoc accidisse tradant, quo Christus passus est. Iesus quidam Anani plebeij rusticique hominis filius, quum ad solenne sacrũ uenisset, quo in templo statuebantur Attegiæ, phanatico spiritu repente impulsus exclamare cœpit, uox ab oriente, uox ab occidente, uox à quatuor uentis, uox in Hierosolymam & templum, uox in sponsos & nouas nuptas, uox in omnem populum. Hæc interdiu noctuque uociferãs urbem circuibat, sæpiusque correptus uerberibus, ab ijs qui uocem ut ciuitati ominosam auersari, nihilo secius id facere. Perductus inde ad Romanum præsidem, & ad ossa usq; flagello laceratus, nec supplex quicquã locutus est, neque lachrymam supplicio dedit, sed tantum illud in ore esse, ue, ue Hierosolymis. Albino autem qui

Prophetica uox.

tum iudex erat, quærente ex eo quid sibi uellet, aut cur ita insaniret, nihil respondit. Per quæ stultus ab Albino iudicatus dimissus est. Ipse septem cõtinuos annos haud adijt quenquam, sed uelut orationem meditatus assidue illud dicere, ue ue Hierosolymis nec in assidua querela est unquã raucus factus. Postremo urbe à Romanis circunsessa, quum muros circuiret ue ciuitati clamitans, ue templo, ue uniuer so populo, factum est ut & illud insolens adiecerit, ue mihi etiam, atq; in ea uoce hostili tormento ictus concidit. Titus Hierosolymis captis, incensisque, ac maiore ex parte euersis, præsidio ad circunjectam regionem relicto ab Euphratem usque processit, erat tum is Romani imperij finis. Ad Zeugma itaque progresso, præsto illi Parthorum legati affuerũt, insignem de Iudæis uictoriam gratulaturi. Obtulerũtque ijdem regis nomine aureã coronam. Ferunt in Syria lustranda peruenisse eum ad Sabbaticum amnem, cui inde sit nomẽ impositum, quia septimo quoque die quiescat, satis constat à pleno fluuio sex dies perpetuo aquarum detrimento affici, ita ut septimo quoque die penitus aresçat alueus, mox denuo perpetuis incrementis totidem dierum spatio ad summum augeri. Fluit is medius inter Arcas & Raphaneas Herodiani regni urbes. Inde Titus Romam reuersus cum patre de Iudæis clarissimum egit triumphum. Ducti sunt ante currum Simon & Ioannes, qui dum Hierosolyma obsideretur, tyrãnidem in ciues exercuerunt. Ducti cum his uiri Iudaici sanguinis circiter septingenti, corporis & formæ præstantia insignes. Lucilius Bassus in Iudæam cũ exercitu missus est, qui Macheruntijs bellum intulit. Sedet Macherus loco natura munitissimo, cuius olim opportunitatem Alexander Macedo contemplatus, castellum ibi communiuit. Id Gabinius diruit eo bello quod aduersus Aristobolum gesserat. Herodes loci situm ut Macedo secutus, est enim Arabiæ uicinus atque eius gentis excursionibus oppositus, urbeculam subiectam monti constituit, arcemq; ualidius instaurauit. Cingitur Macherus profunda ad septentrionem ualle, ubi Debras locus est in quo radix nascitur flammæ similis uesperi refulgens ac uelut radians, tandiu refugit legentis manum, quoad muliebris urina, aut menstruus sanguis fuerit superinfusus, quin tunc etiam

Titi ad Euphratem processus.

Sabaticus amnis.

Macherus.

Debras.

Radix mirãda.

A legentibus letalis, si manum attigerit, ob idque semireuulsę canis alligatur, qui abeuntem dominum secutus, eam radicitus auulsam funiculo trahat, contactusque moritur, quo extincto impune tangitur. Et hac in mundi spiritus uiuentium corporibus immersi fugari creduntur. Nec procul hinc spelũca, ubi duo tumentes scopuli paululum inter se distantes, mammarum specie prominent, ex hoc calida aqua funditur, gelida ex illo. Belli Macheruntijs illati causa fuit, quòd Eleazarus cum non parua Iudæorũ manu eum locum occupauerat. Est itaq; locus nonnihil oppugnatus. Cæterum oppidani deditionem pacti, ubi Iudæos fugientes uidere ad Bassum præpropere mittunt, qui Eleazari & eorum qui cum eo erant fugã significaret. Miles agmen assecutus, mille & quingentos interemit, imbellis multitudo in seruitutem abducta, pauci ex omni numero celeri fuga in tutum euaserunt. His gestis Bassus ad tria Iudæorũ milia in saltu qui Iarde dicitur, circũsedit, atque undique armis septos ad unum propemodum occidioni dedit. Per idem tempus Cesennius Petus qui Syriæ præerat, Antiochum Comagenum qui cũ Bologeso Parthorum rege cõspirasse dicebatur, Vespasiani iussu subito accessu exturbauit, pacatus ille uelut omnis noxæ expers Romanum excepit, cessitque facillime regno. Epiphanes & Callinicus filij cum ijs qui sese regijs iuuenibus agglomerauerant acrem cum Cesennio pugnam cõmisere. Cæterum prælio uicti ad Parthum perfugerunt. Pater quo inuito armis dimicari contigerat, Lacedæmonem primo concesit. Inde est Romam accersitus, huc & regij iuuenes uenere Parthorum commendatione uenia adepti, ubi Vespasiani clemẽtia regie culti sunt. Eadem tẽpestate Halani qui inter Tanaim & Mæotidem sedes habẽt, per Caspias portas quas illis rex Hircanorum patefecit, Mediam hostiliter incursarunt, omnemque regionem populati sunt, Pacori regis uxore & concubinis captis, quas centum rex redemit talẽtis. Halanos Armenia inde ingressos Tyridates prælio excepit, fusoq; Armeniorum exercitu fuisset captus Tyridates, nisi laqueum quem hostis intenderat, gladio discussisset. Halani opulẽtam ex utroque regno prædam adepti impunè retrò abierunt. Quam Halani causam habuerint aliena regna inuadendi, autores quos sequimur non ponũt. Basso interea in Iudęa defuncto, Flauius Siluius eius loco in prouinciam uenit: is Mesadã castellum munitissimum oppugnauit, nam hic reliquus erat ex omnibus locis, quæ à Hierosolymis perfugæ occupauerant. Difficilis loci natura atque undique ferè inaccessa plures dies reddidit omnis Romanorum conatus irritos. Cæterum bellicis operibus miles muros subijt, nec procul aberat quin oppido potiretur, eratque iam uictoria in manibus, præsidijsque oppidum cinxerat Flauius nequis Iudæorum effugeret noctu, tum Eleazarus perfugarũ princeps media suorum consternatione quum iam nullam in fuga spem repositam haberet, ut suos ad mortem occupandam hortaretur, ita est pro concione affatus. In quo res nostræ statu sitæ sint nemo est uestrum uiri Israëlitæ, qui non planè intelligat, iam non tam uirtute quàm multitudine uincimur, nec spes ulla ueniæ est, ac si uita concedatur, quia multo calamitosior futura sit omni morte, fortiter contemnenda est: nemo uestrum, ut reor, ignorat per quas ignominias & cruciatus reliquum uitæ egerint, qui patriæ excidio superfuerint: uenditi sunt aut terræ uisceribus immersi ut lapides & metalla in tenebris effodiant, aut bestijs ad laniatum obiecti, multi etiam inter se dimicare ferro coacti sunt, ut multo optabilius fuerit illis cum patria extingui quàm ad dolorem & erumnam seruari, est enim non mors misera, sed uia quæ ducit ad mortem, mors libertatem animis affert, ad beatiora traducit loca ubi liberi omnis

Diuersæ aquarum scaturigines.

Antiochus Comageno ę regijs regnum dimittur.

Oratio Eleazari uiri fortissimi.

Ægyptiacum Iudæorum templũ clauditur.

Halanorum in Armeniam irruptio.

metus & doloris expertes, tum enim mortuæ sunt A quum cõporeo hoc carcere tenentur, cuius põdere ad terram depressæ hebetiores fiunt. Contrà his uinculis solutæ cœlestes repetunt sedes, ac tũ demũ beatæ sunt, tũ uerissime uiuũt, ubi mortalitatẽ exutæ, æternitatem suam cognoscere incipiunt. Admonemur animorum immortalitatis uel modica quiete, qua paululum liberius euagati sæpius futura uidemus: stultum est, mihi credite, id timere, per quod uiuere incipiamus. Quod si nulla circa hæc à maioribus tradita nobis esset disciplina, per quam nostrã immortalitatem agnosceremus, iam Iudæorum sapientes quidam satis hortari possent ad uitam contemnendam, qui ultrò mortem oppetunt, futuræ uitæ cupiditate. Cæterum tantum abest, ut quisquam miseros putet ita extinctos, ut beatissimos etiam iudicet, illisque meliorem uitã inuideat. Quod quum sapientis sit tum mori quum uita grauis esse cœperit, multique reperti sint qui eam etiam florentẽ cõtempserint, ut meliorem adipiscerentur, non uideo quæ mihi aut uobis uiri fortissimi causa ulterius uiuendi esse debeat, patria incensa, augustissimo templo diruto, amicis, propinquis, necessarijs omnibus cũ patria extinctis, quid miseris supereſt præter fugam, exilium, famẽ, pericula, odium omnium gentium? quanquam hæc quoque, ut uideo, nobis adẽpta sunt. Iamiã lux aderit quæ nos hostili ferro trucidandos obijciet, quanto pulchrius ac memorabilius fuerit si ut fortes uiros decet, hostem præuenerimus, mortem non inuiti adijsse uidebimur sed ultrò appetiuisse, ut quemadmodum primi illi nostrę gentis conditores omnium mortalium sanctissimi fuere, ita nos ultima eorum progenies fortissimi.

Perioratio.

Memorabilis Iudæorum cædes.

His & alijs in hanc sententiam dictis ita omnium animi accensi sunt ad mortem obeundam, ut priusq; dies illuxerit liberos cõiugesq; in unũ deductas iugularint, inde se bellatores ipsi mutuis uulneribꝰ cõ B fecere. Ro. posteaquam dies illuxit, quum ex aggere põrem muris applicuissent, mirari primo nullum sibi ex hostibus occurrere, mox silentium suspectum esse cœpit, sed ubi ex duarum superstitum fœminarum una, quæ in ea consternatione sese in profundam cloacam dejecerat Iudæorũ facinus cognitum est, mirati hominum constantiam ad locum cædis insidiarum dubij, suspenso gradu peruenere, ubi conspecto cæsorum aceruo fides rei habita. Flauius Mesadam receptã præsidio firmauit, & quia nullus erat amplius in tota prouincia locus qui à Iudęis teneretur, Cæsaream cum exercitu redijt. In Ægypto quoque plurimi Iudęorum per id tempus excruciati sunt, quòd ut Cæsarem dominum aut quenquam alium prẽter deum profiterentur, neque hortationibus ullis, neque minis compelli potuerunt. Nullius igitur aut sexus, aut ætatis respectus fuit. Pueri & adulti per uarios sunt cruciatus necati, mirum uideri id Lupo Alexandriæ præsidi, & mirum alijs qui huiusmodi spectaculis aderant, quòd tanta esset Iudæis in supplicijs & cruciatu constantia. Scripsit Vespasianus Lupo à quo fuerat factus certior de nouo Iudæorum motu, ut templum quod Iudæi habebãt in Ægypto apud Thannas, funditus dirueret. Id Onias qui Hierosolymis fuerat põtifex ab Antiocho Syriæ rege fugatus condidit, sed de ea re alibi longior fuit sermo. Lupus templũ clausit, prius donarijs spoliatum. Paulinus qui Lupo successit omni postea cultu desertum reddidit: fuitque annus ille quo in eo sacrificari desitum est, trecentesimus eius ædificationis ac trigesimus. Circa Cirenem & Pẽtapolim alia Iudæorum manus Ionathæ ductu quum ad res nouas per idẽ tẽpus surrexisset, à Catulo breui discussa est: & hæc in Iudæos in postremis gesta. Vespasianus Achaiæ, Lycię, Rhodo, Byzãtio, Samo,

libertatẽ ademit, causam nõ reperio. Ciliciã & Comagenẽ Antiocho & filijs Romã traductis in puinciæ formam redegit, Cappadociæ ob assiduos Barbarorum incursus legiones addidit. Et hęc foris. Romæ Capitolium quod Vitelliano bello deflagrauit ruderibus purgare adortus, primus omnium operi manus admouit, ac quædam extulit: ænearum tabularum cum Capitolio restituendarum curam suscepit, ad tria milia fuisse dicuntur, quæ ignis corruperat, instrumentum Ro. imperij pulchrum & uetustum, quo senatusconsulta ab ipso penè urbis exordio & omnia plebiscita continebantur. Templum Pacis cuius hodie uestigia extant foro primum multa mole cõstituit. Erexit & Amphitheatrum media ferè urbe. Extat nostra tempestate id opus, sed magna ex parte corruptum. Autor senatui fuit sanciendæ legis, ut mulier quæ se alieno seruo iunxisset, an cilla haberetur. Nec fœneratoribus ius esset exigendi filiorum familias creditis, post mortem quidem patrum, scilicet, cautum uoluit ætati, ne quia sua sponte sit prodiga ab eiusmodi hominum genere circũscriberetur. Fuit Vespasianus animo minime elato, clementia singulari. Ælium Prisçum à quo iam imperator priuato fuerat nomine salutatus, non prius relegauit, quam altercationibus insolentissimis ab eo penè in ordinem redactus est. Relegatum seruare conatus post percussores ad eum missos, seruasseque haud dubie, nisi falso nuntiatum esset Prisçi perijsse: immoderata cupiditas eius famæ obstitit, nam præter uectigalia & tributa quę prouincijs duplicauit, pudendas exercuit negociationes, plerosq; publicis administrationibus ditabat ut diuites factos cõdemnaret, quibus ut spongijs uti dicebatur, quod siccos madefaceret, exprimeret madentes. Fuit liberalissime ingenia. Latinis & Græcis rhetoribus annua centena constituit. Fuit statura corporis quadrata, membris firmioribus, beneq; compactis, uultu nitenti similis, in quem non infacete est quidam ex dicacibus cauillatus; qui Vespasiano hortante ut in se aliquid diceret, Dicam, inquit, quum uentrem exonerare desieris: nec ipse parum dicax præsertim in lucrorum sordibus. Quum ex dispensatoribus unus occulte pecuniam pactus esset cum candidato quodam, principique ut fratrem commendasset, re indicio comperta Vespasianus clàm illi pecuniam expressit, quantam, uidelicet, cum dispensatore pepigerat, nec multo pòst ab eodem ministro interpellatus tanquam de fratris dignitate solicito, Alium, inquit, fratrem quære, nam hic quẽ tuum putas meus est. Tito filio ægre ferente quòd super alia sordida lucra urinæ uectigal excogitasset, coactam ex ea re pecuniam eius naribus admouit, rogauitq; an illius odore offenderetur, negante ille offensam inde ullam sentiri: Atqui, inquit, è lotio hæc tibi est. Nuntiantibus legatis decretam ei statuã haud mediocris summę, continuo cauam manum ostendit, atq; ut statim eam põnerent hortatus est, eã fore statuæ basim dicẽs. Sed ne in uitæ quidẽ discrimine ioco abstinuit, nam paulo priusquam ægrotare cœpisset quum crinita apparuisset stella, ad Parthorum regẽ qui crinitus esset, id ostentum pertinere dixit, & ad primam morbi accessionem iam deus fio, inquit, ut arbitror, ad illud alludẽs q. Cęsarũ quidã inter deos post mortem relati essent: perijt in Reatino agro, ubi uillã habuit annos natus undeseptuaginta, quum nouem imperasset, efflauitque animam inter manus subleuantium consurgere conatus, imperatorem stantem mori oportere non iacentem dicitans.

Aelij Prisci cædes.

Vespasianus dicax.

Vespasiani interitus.

ENNEADIS VII. LIBER IIII.

LARVERVNT post Neronis interitum, ad hæc tẽpora, quibus tres Flauię gentis principes unus post alium sunt rerum potiti: nã Titus qui & ipse Vespasiani tulit nomen, patri successit, Domitianus Tito: uiri fama insignes, Fabius Quintilianus, qui de oratoria institutiõe libros duodecim erudite & elegãter scripsit: extant eiusdem declamationes pari laude conscriptæ: de huius patria quæ nobis esset sententia in proxima uirorum illustrium relatione satis significaui, quum negarem fieri potuisse ut à Galba, quod Eusebius scripsit, fuerit ex Hispania adductus. Accedit huc quòd Martialis qui illi æqualis fuit, & cuius ad ipsum Fabium extat carmen, nunquam Hispaniã tali partu fraudasset, quũ non magis breui quàm lepido carmine celebrat uiros sui temporis literarum studijs insignes, quin diuerso illũ loco Ro. togæ uocat decus, ipse quoq; ut togatorum unus non Hispanus semper mihi loqui uidetur, quibus adducor ut ut Ro. potius credam quàm externi generis. Fuerũt illi æquales Asconius Pedianus, qui extrema est ætate oculis captus, uixit inde annos duodecim, nec præterea inter suos minus uenerabilis lxxxv. annorũ obijt. Gabinius rhetor per idem tẽpus in Gallia docuit. Serapio philosophus & orator cum his agnoscitur. Philo Iudæus Alexãdriæ ortus, qui Serapionis ab Alexandrinis contra Iudæos missi temeritatem compressit, multa scripsit, eaq; adeò copiosè & eleganter, ut merito sit illud usurpatum, aut Platonem Philonem effingit, aut Platonem Philo. Est idẽ Romæ Claudij principatu nõnihil cum Petro apostolo uersat[9], cui à Nerone interfecto Linus successit. Præfuit is ecclesię ab ultimo Neronis anno ad Vespasiani tẽpora. Fuit Linus genere Tuscus, Herculaneus illi pater. Sunt qui Clementẽ cõfestim Petro subijciãt Lino & Cleto silentio pressis, sed hi Hieronymi autoritate refelluntur, qui Clementi quartũ à Petro locum reddidit. Instituit Linus quod fieri Petrus mandasse dicitur, ut nequa mulier nisi uelato capite templum ingrederet. Scripsit Barionæ acta, & in his certamẽ quod ille cũ Simone Mago habuit. Linus multa sanctitate clarus, immũdos enim ab humanis corporibus fugabat spiritus & iã defunctos, uita suscitabat, à Saturnino consule interfectus, situs est in Vaticano. Sedit annos xj. Cletus Romę ortus Lino successit, homo ob singularẽ doctrinam, uitæq; integritatem inter suos nõ ignobilis. Cleto ecclesiam tenẽte, Lucas medicus Antiochẽsis Pauli imitator, & in peregrinationib[9] assiduus comes, Græce scripsit euangelium. Perijt quatuor & octoginta annos natus. In cœlibatu uixit, etsi quidam falsò tradunt eũ uxorem in Bithynia habuisse. Byzantij est sepultus quò eius ossa cũ Andreę apostoli reliquijs ex Achaia xx. Constantij anno sunt celebriter translata. Bartholomæus è duodecim unus in Lycaonia, & ut Theodorus abbas de eo scripsit, in superiore India euãgeliũ prædicauit, mox in Armeniã profectus Palemoniũ Albanes urbis regem cum cõiuge & xij. ciuitatibus traxit ad Christi cultum. Hic multa operatus miracula ad postremũ à Palemonij fratre põtificum qui dæmonibus seruiebant, suasu interficitur pelle prius illi detracta, ut atrocius expenderet supplicium. Est & Andreas Petri frater martyrium passus in Scythia diu propagandæ fidei studio uersatus, demũ Patris Achaiæ urbe ab Egea, ut quidam scribunt, procõsule in crucem sublatus uita migrauit. Eius corpus xx. Constãtij anno Byzantium, ut suprà est memoratũ, transferri cõtigit, nostra memoria eius caput est Romam delatum. Id Pius Romanus Pontifex ad Mil-

Viri illustres.

LINVS. II. PONTIF.

CLETVS III. PONT.

uium pontem uenerabũdus excepit, augustissimæque Petri Basilicæ quæ in Vaticano est, multa cæremonia intulit, Sacello ad id ex cãdido marmore constituto. Thomas cognõmẽto Didym[9], multũ & ipse de pietate meritus, quam in Medos, Persas, Hircanos & Brachmanas Indorum gentem longe lateq; propagauit, in Magorum qui Christum puerũ adorauere, terrã prædicatione delatus, ab ijs qui lucem infense oderant, primo est candẽtibus laminis adustus, inde in fornacẽ deiectus uiuens lanceis est confossus. Est & in Iudæa per id tẽpus crucis patibulo necat[9] Mathias Bethlehemites, q post Christi ad patrem ascensum, Iudæ qui sibi uim intulit, loco, sorte uenit in apostolatum. In Æthiopia quoq; quam ad fidem conuerterat Matthæus apostolus regis est iussu truncatus, Iphigenia nobili puella cum cc. uirginibus nuper baptismo insignita. Scripsit Matthæus euangelium Hebraice. Id Barnabas eius discipulus sua illustrauit prędicatione: scripsit Iudas qui & Thadeus perbreuem epistolam inter septem canonicas postremo receptam: diu in Mesopotamia fuit propagãdæ fidei deditus, ad postremum Persidem cum Simone Cananæo ingressus, qui & ipse in Ægypto late ampliauerat Christianæ pietatis cultum, ambo in ea gente sunt martyrio consumpti, immensa mortalium multitudine prius ad lucem ueritatis traducta. Sumpsit Cleti pontificatus initiũ à septimo Vespasiani consulatu, processitq; in Domitiani principatum, quo tempore Titus qui Vespasiani tulit nomen ut pater, biennio imperauit. Tantum illi ad omnium gratiam promerendam uel ingenij superfuit, uel artis, ut delitiæ & amor sit hominum dictus. Iudaicum bellum confecit, euertitq; Hierosolymã urbem clarissimam, alioqui uictoria clementer usus, ut conquisiri sint etiam eius iussu Dauidicæ stirpis uiri, qui perpauci adhuc supereſſe dicebãtur, repertiq; apud illum & patrem in magno postea honore fuerunt. Triumphauit cum patre de Iudæis. Visitur totum ferè triumphi illius schema lapideo in arcu quem Vespasianis Pop. Ro. in summa uia noua statuit, & in his quę currui plata sunt Hierosolymitanũ templi candelabra in fuscinæ speciem, ut scribit Iosephus, furgentia. Visuntur & tabulæ Mosaicæ legis. Ex Iudæa reuersus, quod eò celerius fecit, quia quum Alexandriæ in Apiboue consecrando ex ueteri instituto diadema gestasset, uenerat apud patrẽ in affectati regni suspicionem, ad quam diluendam omnium opinione celerius ex Ægypto uenit in Italiam: gessit inde cum patre septem consulatus, censuram unam, in qua illud memorabile accidit quòd in eo Italiæ tractu qui medius est inter Apenninum & Padum, tres Parmæ reperti sunt cxx. annos nati, duo cxxx. Placentiæ unus cxxxj. Fauentiæ mulier uno adhuc anno maior. Arimini tres cxxxvij. Velleiatij (est id oppidum citra Placentiam) unus centum & quinquaginta Galerius Felix. Accepit inde per manum à patre imperiũ Titus quo recepto multiplici est ab initio infamia respersus, nunc luxuriæ immodicę habitus, quasi ad mediam noctem extenderet conuiuia cum profusissimo quoque familiarium, & quòd eius in Beronicẽ reginam amor nihil esset obscurus, cui etiam nuptias promisisse credebatur. Fuit & sęuitia in eo suspecta, fuit & rapacitas, sed mox omnis calumnia in laudem uersa est, nullo in eo uitio reperto, uirtutibus contrà multis & magnis amphitheatrum dedicauit, thermasque celeriter extruxit, spectaculum edidit exquisitissimum, quinque milibus ferarum uno die in arenam productis, nunquam aliquis ab eo petijt quicquam quem sine spe dimiserit. Domesticis eam facilitatẽ ægre ferentibus, admonentibusque identidem, quòd multo plura polliceretur q̃ præstari possent, non oportere affirmabat quenquã ex principis sermone tristẽ discedere. Recordat[9] aliquãdo super cœnam

TITVS I IMPER.

Titi principis memorabilis uox.

nam quod nullum in quenquã eo die officiũ contulisset, memorabilem uocem illam emisit. Amici diẽ perdidi. Pontificatum maximum idcirco accepisse se testatus est ut puras seruaret manus. Delatores fustuario admotos in asperrimas insularum relegauit, quidã etiam ex his eius iussu uenditi sunt, duos affectati imperij conuictos nihil amplius quàm ut desisterent monuit, affirmans principatum fato dari. Domitianum fratrem sibi insidiantem, sæpius lachrymis orauit, ut mutuo erga se esse uellet animo: sed quo principatus ille minor fuit cunctis; salubrior eò breuior. Perijt biẽnio post quam rerum potitus est in Sabinis ubi & Vespasianus pater, duos & quadraginta annos natus. Fuit forma egregia, & cui non minor autoritas inesset q̃ gratia, statura haud multum procera, uẽtre paulo proiectiore, docilitas in eo singularis, armorum & equitãdi peritissimus, Latine Græceq; impẽse doctus, nec musicę omnino rudis, iambi stilo cuiuscũq; chirographum ioco inter suos testatus, potuisse se fallarium fieri oprimũ. Vesuvius mons Campanię, eo principe deflagrauit, & Romę totum triduum incendium tenuit, ciuitateq; ob id attonita professus dicitur nihil cuiquam præterquam sibi deperisse. Sed quantum Titi principatus amabilis fuit, tantum Domitiani qui post illum imperauit inuisus & detestabilis. Fuit is ingenio & moribus multum à suis diuersus, etsi à prima administratione utrunq; æmulatus est. Catis Germanicæ genti magis sponte quàm necessario bellum intulit, deq; uictis triũphauit. Sunt & Sarmatę bello petiti ob legionem unam cum legato ab his subita defectione cæsam, de his Capitolino Ioui laurea relata est. Sunt & Daci ab eodem triumphati, gens rebellis improuisa defectione Oppium Sabinum uirum consularem oppressérat, mox & Cornelium Fuscum prætorianarum cohortium præfectũ, cui summam belli permiserat Domitianus. Ciuile bellum quod L. Antonius superioris Germaniæ præfectus mouerat, alterius ductu confecit, miraq; felicitate pons Rheni dimicationis hora repente dissolutus, Gallorum copias, quę ad Antonium erant transituræ proposito auertit, uictoria eodem die quo pugnatum est Romæ præsagio cognita. Domestica eius opera Capitolium restitutum, forumq; quod postea est Neruæ appellatum, templum Flauię gentis & alia quędam, sed uix memoratu digna. Clemens à prima administratione, ut dixi, ac frugi, ut qui mares castrari uetuerit, & in summa uini ubertate arctissimaq; frumenti annona edixerit, ne quis in Italia nouellaret, ut in prouincijs uineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, eorum dimidia parte, ratus agrorum cultum uinearum studio negligi, etsi in re exequenda non perseuerauit, probrosis mulieribus lecticæ usum ademit. Vestalium incesta seuere uindicauit, Cornelia uirginũ maxima ueteri instituto defossa, stupratoribus ad necem in comitio cæsis. Monumentum quod filio quidam construxerat ex lapidibus Capitolini Iouis templo destinatis, dirui imperauit, ossaq; in eo condita pelagi fluctibus immergi, & hæc ille frugaliter & iuste, inde in tantam euasit sæuitiam, ut ne à propinquorum quidem cæde abstinuerit. Superbia & inanis gloria multo maior. Omnium imperatorũ primus & deus & dominus appellari uoluit, eratq; in procuratorũ epistolis dominus & deus noster ita iubet fieri. Estq; insolentissimę huius appellationis non tantum Tranquillus autor, sed & Eusebius, duoq; poëtæ illustres Valerius Martialis, & Papinius in syluis, qui ea tempestate fuerunt. Nullas sibi statuas decerni est passus, præterquam aureas & argenteas. Germanici cognomẽ adeptus Septembrẽ mensem & Octobrẽ de se Germanicum dixit & Domitianũ. Libidinis fuit adeò immodicę ut Iuliam fratre suo genitam, patreq; adhuc uiuo uitiauerit, mox eo defuncto amarit ardentissime, fueritq; eius mortis causa abortiuorum frequentia. Quotidie secretum petebat, quo tempore tantum muscas solitus dicitur aucupari, quas stilo defigebat, ut non infacete Vibius Crispus quærenti cuidam an aliquis esset cum Cęsare, ne musca quidẽ responderit. Poëticæ studia simulauit magis quàm coluit. Sagittandi scientissimus, ut qui cętenas uno die sterneret feras, quarũ capita ita de industria pręfigeret, ut sagittæ utrinq; affixæ cornuum speciem pręberent procul spectãtibus, simul & innocuas sagittas ad artis ostentationem, per omnia digitorum expansæ manus transmitteret interualla. Perijt domestica cõiuratione pluribus confossus uulneribus, qui tristis exitus multis est modis illi præmonstratus: nam super alia prodigia, quæ aut facta sunt, aut nuntiata, octo fermè menses tot è cœlo fulmina cecidere, ut aliquando exclamauerit. Feriatiam quem uolet. Chaldæi admodum adolescenti prædixerãt & tempus & mortis genus, sed quod in Ascletationem mathematico euenit, omnium maxime memorabile. Is ad principem delatus, quod de eius exitu quædã prædicere esset ausus, quùm ne inficiaretur quidem iactasse se, quæ ex arte præuisa sibi essent, ira accensus Domitianus, Dicas, inquit, mihi oportet, quis te tandem maneat exitus? affirmantem illũ fore ut breui lacerаretur à canibus, ad eleuandã scientiæ fidem confestim interfici iussit corpusq; accuratissime cremari, sepeliriq; cineres. Hæc ille. Sed fatum mutari nõ potuit. Densus imber cœlo deiectus medio rogum ministerio restinxit, cadauerq; semiustum à bustuarijs relictum, qui in opertum refugerant, canũ superuentu cœptum est lacerari. Id ei cœnanti quũ Latinus mimus inter cęteras illius diei fabulas enarraret, ita commotus est, ut iam inde uiræ diffisus omnibus uiueret casibus obnoxius. Pater Mathematicorum responso instructus, quum adolescens adhuc Domitianus fungis super cœnam abstineret, risisse dicitur, quod ille quasi mortis suæ ignarus non magis ferrum quàm fungos formidaret. Et pridie quàm interfectus est, quum tuberes sibi oblatos in crastinum iussisset asseruari illud adiecit, si illis, inquam, uti licebit. Conuersus inde ad eos qui proximè steterãt, futurum est, inquit, ut cras Luna in aquario cruentet, existetq; facinus aliquod de quo homines omnibus terris loquantur. Cæterũ quia monitus fuerat ut quintam illius diei horam caueret solicitus, perseuerat auspicis causam audire, qui de casu fulminis consultus mutationem rerũ portendi dixerat: quum igitur inter agendum uerrucam in fronte scalpendo fregisset, fluxisset q; ex eo attritu paululum sanguinis, Vtinam, inquit, hactenus. Tum horas requirenti, pro quinta quam metuebat, sexta ex composito nũtiata est, ad eam uocem lętus tanquam instans periculum euasisset, surgens ad curam corporis festinabat, quum Parthenius cubiculi præfectus reuocauit, nuntians qui magnum nescio quid afferret, neq; id differendum. Summotis itaq; omnibus in cubiculum se recepit, ubi septẽ uulneribus à Parthenio & coniuratis cõtrucidatus mortem occubuit, anno ætatis quinto & quadragesimo, ex quo imperare cœperat quintodecimo. Statura fuit procera, modesto uultu, ruboreq; suffuso, grandibus oculis, sed hebetioribus. Caluitio dehonestabatur, & uentris obscœnitate, remacruerant illi crura ad deformitatem, longa corporis ualetudine. Fuit etsi disciplinarum omnium negligẽs sermonis tamen haud inelegantis, quod apophthegma illud planè demonstrat, uellem ego tam formosus esse quàm sibi Metius uidetur. Caput prętereа subrutilum canitieq; respersum, niuem dixit mulso perfusam. Fertur somniasse aliquando auream sibi gibbã post ceruicem natam, ex eoque persuasum habuisse beatiorem post se lætioremq; portendi statum reip. qui eo sublato sequentium est principum moderatione

Sagittandi peritia.

Creber fulminum casus.

Mathematici casus.

Domitiani diffidentia.

Domitiani cædes.

tione secutus. Sed nihil illius principatus crudelius habuit, q̃ quod Christiani nominis uiros atrociter
Christianorũ martyrium. est insectatus. Cletum pontificem interfecit uirum insigni pietate. Est & Domicilla uirgo Flauij Clemẽ
tis filia cum Euphrosina & Theodora, & alijs uirginibus Christianæ pietati deditis, in Pontia insula,
quò fuerat relegata, martyrio coronata. Per idẽ tẽpꝰ Nicomedes presbyter Romani sanguinis & Herma
goras Aquileiensis Antistes, qui Marci fuit euangelistæ discipulus, cum Fortunato Archidiacono sunt
martyrio dediti, etsi non desunt qui Nerone principe Hermagoram supplicio affectum existiment. Se-
CLEMENS dit Cletus annos xij. in cuius locum Clemẽs Romę
IIII. PONT. in Cœlio ortus, suffectus est. Fuerat is à Petro, quum
in humanis adhuc esset, successor destinatus. Cæte
rum Linũ primo, mox & Cletũ, ut singulari fuit mo
destia, sibi in honore prætulit. In huius pontificatũ
exijt Io. Zebedæi filij uiuacissima senectus, quem
Christus rex præcipue dilexit. Omniũ nouissimus
euangelium scripsit, probauitq; aliorũ scripta. Cre-
diderẽ eo cõsilio iam grandis natu ad euangelicã histo-
riã animũ adiecisse, ut Hebionitarũ hæresim infrin-
geret, Christũ asserentiũ ante matrẽ nõ fuisse. Diui-
nã itaq; Christi naturã asserturus, tã sublimis est ille
spiritu euectus, quantũ uiuẽs nemo alius, altiloquũ
illud exorsus. In principio erat uerbũ. Nota sunt cę-
tera. Scripsit & cœlestiũ arcanorũ opus, quod Apo-
calypsim inscripsit. Post Domitiani cędẽ cuius iussu
in feruentis olei lacũ fuerat deiectus, ut sacræ testan
tur literæ, atq; inde incolumis receptus in insulam
deportatus, Ephesum reuersus Drusianã inuenit nu
per defunctã. Addixerat se hæc ueræ pietati Io. prę-
dicatione, suisq; opibus iuuerat Christiani nominis
uiros. Eam Io. frequẽti populo in Christi Nazareni
nomine ad uitã reuocauit. Id diuinitatis opus mul-
tos mortales ad ueram fidem conuertit. Cæterũ Do-
mitianus adeò ubiq; odit pietatem, ut siquis Iudæo-
rum adhuc supererant Dauidicæ stirpis, rapuerit ad
supplicium, exegeritq; à cæteris acerbissime tribu-
tũ. Egesippus agnouisse scribit Domitianum quos-
dam à Dauide oriundos, sed nulla ab eo iniuria affe
ctos. Fuit annui tributi ratio binæ in singula capita
Viri sanctitate drachmæ, ut Iosephus prodidit. Viri sanctitate illu-
...ri. stres per id tẽpus fuere, Timotheus Ephesinus an-
tistes, Titus, & Crescentius Pauli apostoli discipuli.
Fuit & Iulianus Cenomanensis episcopus, & alius
eodem nomine qui parentes errore deceptus pere-
...ri ingenio mit, egitq; deinceps pœnitentiã. Viri ingenio clari,
clari. C. Plinius Secundus, Veronæ an alibi natus haud fa
cile dixerim. Extant septem & xxx. eius libri, qui-
bus est naturalem historiã cõplexus, magno quidẽ
uerborũ pondere, sed uarietate tanta, ut cum naturæ
certare uideaẽ. Alia studiorũ eius monumẽta perie-
rũt, quæ multa alioqui uariaq; fuisse traduntꝰ. Perijt
Tito principe, dum Vesuuij montis incendiũ parũ
caute ex proximo contẽplatur. Asconius Pedianus,
qui Tito principi fuit nõ ingratꝰ. Fabius Quintilia-
nus, sed horũ uterq; in proximã uirorũ illustriũ rela
tionem incidit. Cornelius Tacitus historiarum scri-
ptor, Plinius iunior, Suetonius Tranquillus, quem
plures secuti sunt in Cæsarũ historia. Poëtæ præter-
ea multi cum his uixere. Papinius Neapoli ortus, sed
ex Sellis Chaoniæ oriundus. Silius Italicus qui secũ
dum bellum Punicum carmine complexus est. Va-
lerius Flaccus Patauinus Silio non ingenio sed ma-
teria inferior. Argonautica scripsit, rẽ in plures uul-
gatam, in qua Græcorum plerq; antea uersati fue-
rant, & in his Orpheus & Apollonius. Nec Iuuena-
lis Aquini ortus parum per id tempus meruit in Sa-
tyra, nec Valerius Martialis minus epigrammate.
Nullus poëtarum fuit urbanior, uterq; alteri Romæ
notus. In Hispania hic ubi Bilbilim habuit patriam,
ille in Ægypto perijt. Fuit his æqualis Stella Pata-
uij ortus. Fuerunt alij, quorum monumentis uetu-

A state abolitis, magis alieno q̃ suo iuuũt ingenio. Do
mitiano Cocceius Nerua succesit, claris ut Dion ait
ortus natalibus. Fuit is annus quo ille est imperiũ NERVA
adeptus, humanæ salutis octauus & nonagesimus, XIII. Mo
ab urbe condita octingentesimus ac quinquagesi- PER.
mus. Mundanę originis nonagesimus supra ducen- *Anni mundi.*
tesimum ac quinquies millesimum. Nullus unquã
principatus fuit mitior maioriq; beneficentiæ expo
situs. Ferẽ Nerua iureiurãdo affirmasse, fore ut nun-
quã se principe senatorũ quisquã interficereẽ, & qđ
ab initio pollicitus est præstitit, quę Domitianus fis-
co intulerat, dominis restituenda curauit. Ex pro-
prijs fortunis tantum sibi reliquum fecit, quod latis
futurum putauit ad ciuilem uitam agendam, cæte-
ra largitus est. Secari mares uetuit, prohibuitq; lege
fratris sororisue filiam uxorẽ haberi. Nullas sibi sta-
tuas ex auro argentóue poni passus est, quæ Domi-
tiano ex utraq; materia fuerant constitutæ, quo mi-
nus patrum decreto deijcerentur, deiectæq; confla-
rentur, nihil intercesit. Et quum per hæc popularis
esset, insidiatoribus tamen non caruit. Cęterum cõ-
iuratione indicio comperta, sumptum est eo inuito
de sontibus suppliciũ. Ipse M. Vlpium Traianũ ge- *Nerua Tra-*
nere Hispanũ, qui tum Germaniæ præerat, absentẽ *num adop.*
adoptauit, eamq; adoptionẽ mors senis haud mul-
to pòst secuta est, quũ paulo plus anno uno præfuis-
set imperio. Obijt annos viij. & lx. natus, uir quum
tota uita principatuq; suo laudabilis, tum in adoptã
do principe supra q̃ dici possit laudem meritus, qui
quũ multi essent, quos iure propinquitatis sine am-
bitionis suspicione potuit adoptare Traianũ maluit,
in quo omnẽ gentis & familię gratiã post publicam
habuit salutem. Traianus posteaquã de Neruę inte- TRAIAN
ritu factus est certior, præter cætera quæ ad senatũ XIIII. Im
scripsit, se bonorum nulli nociturum pollicitus est,
promissaq; iuraméto sanxit. Sed Christianę pietatis
B cultores qui omniũ optimi fuere, non passus est esse
incolumes, Clemente Ro. Pon. qui quartus post Pe
trum præfuit eccleſiæ, in insulã deportato. Erãt hic
ad duo Christianorum milia secandis marmoribus
adhibita, perincõmodeq; aquabaẽ manus illa pieta-
tis cultrix ex remotiore loco. Clemẽs agnũ in proxi
mo cõspicatus modico tumulo stãtẽ, tacita religio-
ne tactus ad locũ ꝓcesit, ubi fontẽ offendit sub alte
ro agni pede ubertim scatentẽ, insperata aquatiõe re-
creata est illa piorũ manus, q̃ siti premebaẽ. Hoc mi
raculo pleriq; moti q Ro. deos colebãt, cõfestim sunt
ueræ fidei cultũ cõplexi. His Traianus adhuc iratior
factꝰ Clemẽtẽ iussit in mare deijci, anchora in collũ
suspensa, ut ad ima deprimereẽ, sed haud multo pòst
sacratissimũ corpus est ad littꝰ delatũ, sepultũq; fec-
fontẽ ab eo repertũ. Incidit Clemẽtis martyrium in
tertiũ Traiani annũ, quũ ipse nouẽ sedisset & ampli-
us. Anacletꝰ Athenien. Antiocho patre ortus, in Cle ANACLE
mentis locũ successit. Is primus instituit ne sacrorũ TVS. V. PON.
Antistes, néue initiatorũ quisquã capillũ aleret aut
barbã, ne à paucioribus tribus, ordinareẽ episcopus.
Vt omnes Christiani nominis cõsecratione peracta
quotidie Eucharistiã sumerẽt. Augebaẽ assidue pio-
rũ numerus, ut iã multitudo multo esset Traiano su
spectior q̃ religio. Est iraq; tertia Christianorũ perse
cutio instituta. Simon Cleophę filius. c. & xx. annos
natus (fuerat is Hierosolymis episcopus post Iaco-
bũ ordinatus) cruci est cõfixus. Admotus est marty
rio & Ignatius Antiochenæ eccleſiæ antistes, Io. Ze *Ignatij epi-*
bedæi filij discipulus, ut ipse in epistola ad uirginem *stola.*
Christi matrem testatur. Placuit exemplum ponere
ea figura qua ad posteros manauit, ut rei plus fidei
esset. Christiferę Mariæ suus Ignatius. Me neophy-
tum Ioannisque tui discipulum confortare & con-
solari debueras. De Iesu enim tuo percepi mi-
ra dictu, & stupefactus sum ex auditu, à te autem
quę semper fuisti ei familiariter coniuncta, & secre-
torum eius conscia, desidero ex animo fieri certior

tior ex auditis. Valeas, & neophyti qui mecũ sunt, A
à te, per te, & in te confortentur. Et hæc Ignatius.
Mariæ epistola. Cui ita. Ignatio dilecto discipulo humilis ancilla
Christi. Quæ de Iesu audisti à Ioanne & didicisti ue-
ra sunt, ita credas, illis inhæreas, & Christianitatis
uotum firmiter teneas, mores & uitam uoto confor
mes. Sta & uiriliter age in fide, nec te moueat perse-
cutionis austeritas, sed ualeat & exultet spiritus in
Deo salutari. Sed hæc multo prius & quum de para
uirgo adhuc in humanis esset, quæ Claudij principa
tu ut alio est loco significatum, in cœlum assumpta
est. Hortari adhæc Ignatium ad Iudęorum perse-
cutionem ferendam, ab imperatoribus enim nulla ad-
huc orta erat in Christianum nomẽ iniuria. Extitit,
ut ad Ignatij tempora redeam, C. Plinij epistola qui
tum forte prouinciam administrabat, ad Traianum
data, qua significauit multa hominum milia quoti-
die obtruncari, in quibus nihil omnino sceleris inue
niretur, aut quod Romanas offenderet leges, niſi q̃
antelucanos hymnos Christo cuidam deo canerẽt,
Traiani rescri- quibus permotus Traianus rescripsit Christianos
ptum. Eustachij mar- non esse requirendos, oblatos tamen puniri opor-
tyrium. tere. Eustachius cognomento Placidus, militum ma
gisterio functus, eiusdem principis iniuria ob Chri-
sti nomen cum uxore & liberis est martyrio admo-
tus, & Anacleto sedẽte ea Christiana res Traiani im
perio est percussa. Eusebius sub Cleto hæc facta ar-
bitratur. Anacletus quum annis nouẽ sedisset. Tra-
iano adhuc imperante obijt: Euaristus illi subiectus
EVARISTVS est, uir in Græcia Iudæo patre ortus. Is ultimo Tra-
VI. PONT. iani anno est martyrio coronatus ut quidã tradunt,
plures sentiunt in Adriani principatum eius admi-
nistrationem exijsse. Euaristi huius pontificatu, ut
Ioan. euang. quidam scribunt, Io. Christi apostolus Traiano ad-
huc imperante quum iam undecentesimum ageret
annum, structum sibi in Ephesina æde sepulchrum
uiuens subijt, tum splendor tumulo circumfusus lo B
ci hominisque circumstantibus ademit aspectum,
quo postmodum remittente inane apparuit condi-
torium, nec ipse post id tẽpus est in terris uisus. Fuit
Traianus ut ad prophanos redeam, etsi Christiano
nomini infestus, utilis alioqui Ro. imperio, qui ex
Gallia Romam reuersus, haud multum ibi commo-
ratus in Dacos mouit: Inferendi belli prætextus illi
fuit, quod præter uarias clades, quas gens ipsa Ro-
mano intulerat imperio, iam & pecunia Dacis pen-
debatur tributi nomine. Cum Decebalo igitur Da-
Dacorũ clades corum rege in Tapis prælio cõgressus Barbaros in-
genti clade afflixit. Nec incruenta Romanis obtigit
uictoria, sed quum multi uulnerati essent, fascięque
ad obligandas plagas desiderarẽtur, pro sauciorum
copia uestem sibi Traianus conscidit in eum usum,
eamque militibus benigne partitus est, ijs qui in a-
cie occubuerant aram constituit, & annuas inferias.
Hostes inde per iuga montium insectatus, nullum
prius insequendi finem fecit, quàm circa Dacorum
regiam consedit. Decebalus fractus animo supplici-
ter pacem petijt, quę his est conditionibus illi red
dita, ut castella munitioribus locis constituta diſi-
ceret, transfugas fabros, arma & tormenta traderet,
locis quę ui occupasset, decederet. Traianus Daci co
gnomen ex ea uictoria adeptus in Italiam uictor re-
diit. Sed nec Decebalus diutius quieuit, quin Iazy-
gas finitimos accolas qui in fide erant Ro. Po. infe-
stare adortus, iterum in se Romana conciuit arma.
Decebali rebel- Gerere interim omnia Barbarus dolo magis quàm
lio. ui aperta: quo contigit ut Traianus insidijs petitus
propemodum periclitatus sit. Enimuero in Mysiam
usque missi sunt à Decebalo qui ut tranfugę recepti
Traianum per occasionem trucidarent. Et mox tan
quam damnato bello paci & ocio studeret, Longi-
num Traiani legatum per colloquij speciem, negle-
cto iure gentium, in suam potestatem redegit, reda-
ctum uarijs cruciatibus torsit, ut ex eo Traiani co-

gnosceret consilia, nec ea perfidia contentus homi-
nem ita affectum ueneno sustulit. Traianus Deceba
li insidijs instructus iam inde cautè magis quàm cu
pide bellig erare: Danubioque pontem imposuit o- *Traianus Istro*
pus inter cætera, quę sumptuose magnificeque sunt *pontem impo-*
ab eo edita, in primis memorabile. Pilas uiginti nu- *suit.*
mero ex quadrato lapide, centenis septuagenisque
pedibus inter se distantes, alto uiolentoque fluuio
ab imis uadis ad fastigium centesũm quinquage-
nũm pedum primo ităuit. Crassitudo in singulis
sexagenũm fuit pedum. Arcus inde fornicatim in-
teriecti pontem statuere, qui à citeriore ripa ad ul-
teriorem stadia habuit septem, pedes ducentos tri-
ginta, quod spatium, si ad notiorem mẽsuram re-
digas, habebit passus noningentos & unum. Sed
nihil fuit tam mirum in difficili opere, quàm quæ
fundandi ratio aduersus uim fluminis inire potue-
rit, ut quæ primo alteró ue loco statuerentur, soli-
da manerent, præsertim cœnoso uado, fluuioq; mi-
nimè corriuabili, atque ibi loci maximè profundo.
Nam quum alibi duplo triplóue latius fluat Ister,
hic ubi opere iunctus est, quo arctius cogitur, eò tu-
midior, ac uelut riparum angustias indignatus, con
citatior in apertum euadere festinat. Nec nomen
tantum ea re quæsitum, sed Romanarum etiam le-
gionum securitas, quæ præsidio trans Istrum mit-
tebantur, ut si aliquando hybernis tẽporibus, am-
nis minus solido gelu concreuisset, esseteq; propter-
ea inuperabilis, prius auxilio iretur, subueniretur q;
laborantibus, quàm subita hostium rebellione op-
primerentur. Cæterum Adrianus princeps magnã *Adrianus pon-*
eius operis partem diruit, ueritus ne li transistrani *tem diruit.*
ali quando pontis præsidium expugnassent, nullo
in Mysiam negocio irrumperent. Traianus perfe-
cto opere exercitum in Daciam duxit, fuitque bel-
lum cum ipsa gente longum & difficile, sed tanto
militum studio erga principem & ardore gestum,
ut unus acie egressus, quia graue uulnus accepisset,
ubi id letale esse audiuit & incurabile, relumptis ar-
mis confestim in prælium redierit, magnamq; circa
se ediderit stragẽ. Postremo idem fuit illi pugnę qui
& uitæ finis. Decebalus pluribus prælijs uictus, re-
gnoq; & regia exutus, ne uiuus ueniret in hostium
potestatẽ, sibi manũ intulit. Traianus regijs thesau- *Decebali inuẽ-*
ris potitus est, quos ille in imo Sargeriæ fluu. alueo *tum in occul-*
barbarico astu defoderat. Corriuato enim fluuio q *tando thesau-*
regiã urbẽ perstringebat, terraq; altius defossa, the- *ro.*
sauros in imam scrobẽ coniecit, saxaq; superimpo-
suit, ita cõpacta, ut ne humectari quidem posset quic
quid infra conderet, mox amnẽ in pristinũ alueũ re-
duxit, captiuos quorũ opera in ea re usus fuerat, ad
unum interfecit. Bicilis igitur æqualis amicus regis,
& cui uni omnia sua consilia Decebalus credere erat
solitus, post illius interitum Traiano aurum patefe-
cit. Sub id tempus quo hæc in Dacia gerebantur, Ara-
bes qui circa Petram incolunt, pugna parũ memora
bili uicti sunt à Syriæ præfecto, & legati ab Indis ad
Traianum uenere, qui Romæ auditi sunt. Edidit in-
de Traianus tria & xx. diuersi generis spectacula tã
sumptuose & magnificè instructa, ut in quibusdam
dena milia ferarum sint confecta, quina gladiato-
rum paria commissa, ut plures uno tempore dimica
rent. Pontinas paludes uijs saxo communitis, in- *Columna Tra-*
terfectisq; pontibus permeabiles reddidit. Colum- *iani.*
nam in foro ingentem statuit, miro quidem opere,
ut Dion scribit. Fuit montosa ibi pars urbis. Eam
quaq; uersum ex columnæ præscripto excidi iussit,
donec pro crassitudine ad iustam longitudinẽ exta-
ret. Id ille sibi destinauit sepulchrum. Fori complã-
natio testata est postea operis rationem. Secundum
urbana hæc bellũ Traianus Armenijs intulit & Par-
this, illato bello causa prætensa est, quod Parthama-
sites Armeniæ rex diadema à Parthorum accepisset
rege, quum à Romano principe debuisset. Multi

per-

Traiani successus.

persuasum habuere eam Traianum prouinciam sucepisse, non tam necessitate ductum quàm laudis cupiditate: miro itaque successu utranque Armeniã peruagatus, ad Scitila oppidum fecit castra, ubi Parthamasiris causam audiuit, & pro Ro. Po. maiestate uindicauit. Contrà Eniochorũ regem in honore habuit, quia officiose sibi assuisset, cæteros reges & Dynastas partim sua sponte deditos, partim metu subactos, in amicitiam & societatem recepit. Parthiam postremo ingressus, solerti ductu ad Nisibim & Batauam peruenit, subegitq;: quibus præclare gestis senatus illi optimi cognomẽ detulit, inde & Parthici. Ipse appetente hyeme Antiochiã concessit, ubi medio hybernorum tempore adeò horrende terra mota est, ut montes conuulsi subsederint, alibi flumina repente fluxerint, defecerint alibi, multæ præterea urbes penè ad excidium cõcussæ sunt, sed omnium maxime Antiochia, ubi uis ingens mortalium ædificiorum ruinis perijt, & in his Pedo consul. Traianus à quodam Genio monitus qui sese illi forma augustiore humana obtulit, ab initio in apertum euasit, ac plures dies quibus terror ille tenuit, in Hippodromo permansit, inde sub initium ueris Parthi bello reperiti sunt. Traianus solutiles naues quas antea ad Nisibim compararat, per Cardinum montem in Euphratem pertraxit, non sine ingenti Barbarorum certamine classeq; ad Diabenẽ peruenit. Estq; hęc Assyrię regio, ubi Arbela & Gaugamela, quibus locis Magnus Alexander Darium ingenti prælio uicit. Cornelius Tacitus uidetur Diabenem Armenię nõ Assyrię adiungere. Cæterum hostis nusquã fuit Romano obuius. Erant ea tempestate Parthorum opes penè ad interitum perductæ domestica discordia. Traianus Babylonem deinceps uenit, urbẽque per ocium inspecta, in animo habuit Euphratẽ fossa in Tigrim corriuare, cæterum ubi compertũ habuit altiorem esse Euphratis alueũ q̃ Tigridis, incœpto absti-

Terræmotus.

Traiani expeditio.

Confluens Tigridis & Euphratis.

B

Nisibis.

Antiochia.

Seleucia igni consumitur.

nibus suis conatibus offensare. Fuit itaq; omnium opinione longior obsidio, nec magis longa q̃ irrita. Re itaq; infecta Traianus inde discesit, qui quum iam graui morbo languere cœpisset, Romam redire constituit, mox ubi à morbo conualuisset Mesopotamiam repetiturus. Itaq; P. Ælio Adriano cum exercitu in Syria relicto, Selinuntem usque quæ postea Traianopolis dicta est, delatus uita decessit. Alij Seleuciæ eum extinctum prodiderunt. Defunctus est uita annos natus tris & lxx. quum duodeuiginti & à Cæsare dictatore quartusdecimus imperasset. Perijt ut multi, & ipse quoq; persuasum habuit ueneno. Alij quia sanguinis fluuius sua sponte stetisset, qui quotannis illi ab imis partibus fluere cõsuesset. Parthi audito Traiani interitu Parthamaspathe qui recentis beneficij memor Romanæ amicitiæ tuędæ erat autor, neglecto, continuo rebellarunt, pristina regiminis forma denuo inducta. Ita inclytam Ro. uictoriam, qua Parthia, Armenia, Mesoporamia, maiore ex parte Ro. armis cesserant, festinus principis interitus fecit irritam. Sub id tempus quo Traianus uita decessit, Iudæi subita defectione, Græcos Romanosq;, qui Cyrenis totaq; Cyrenaica regione agebant, ex improuiso adorti, ad ccxx. milia hominũ trucidauere. Eusebius circa Cyrenas & in Ægypto dimicatum scribit à Iudęis aduersus locorum incolas. Verum quoquo modo res gesta est nulli mortalium atrocius in peremptos sæuire, si uera sunt quę Dion de ea re tradidit. Cæsorum intestinis prælijs cxisse se dicuntur, cruore inunxisse, cute uelasse capita, humanas carnes esitasse, multos à uertice serris dissectos, alios bestijs obiectos, aut inter se ferro dimicare coactos. Hac rabie contacti qui Iudæorum Alexandriæ & in Cypro per id tempus fuere. Artemione quodam duce arreptis repẽte armis tam fœdam utrobiq; stragem ediderẽ, ut his quoque locis ccxl. milia hominum uno sint tempore occidione occisa. Nec hi tam atrox facinus impune tulerũt. Lusius à Traiano adhuc in humanis agente ad ultionẽ missus, rebellem gẽtem teterrimis affecit cladibus. Eusebius Iudæos qui in Mesopotamia erant, rebellasse autor est, in eos q; missum Lusium Quietũ, alij Lysiam scribunt, aiuntq; acie cum Iudæis dimicatũ, cæsaq; eo prælio esse multa Iudęorum milia. Necita multo pòst Iudæos in Cypro rebellasse, postq; fœdissimam insulanorum stragem Salaminem etiam ab his excidio deditam, ob idq; diu capitale fuisse in eam insulam siue casu, siue consilio, appellere. Fuit in Traiano mira animi comitas, & cum ciuibus mutua officiorum cura. Ferunt dicere solitum, talem principem in priuatos esse oportere, quales ut priuati in se sint ipse cupiat & optet: nihil fertur egisse unquam, aut cogitasse quod non ad communem usum pertineret, immunitates multas tribuit, alijs tributa remisit. Anconitanorum portum lato prœalto q; muro munitiorem reddidit ad coërcendũ maris impetum. Et ille talem egit principem, quo postea institutum est, ut in nouorum principum creatione, ad Iustiniani usq; tempora acclamari sit solitum. Felicior Augusto, Traiano melior. Eius cineres Romam delati, aurea urna in foro quod ipse struxerat sunt sepulti, sub columna cochlide, de qua suprà memoratum est. Visitur hodie quoq; Romæ centenũm quadragenũm pedum altitudine. Ælius Adrianus post Traiani interitum imperio potitus est. Ælio Adriano patre natus, cognomento Aphro Traiani consobrino. Ipsius maiores Adria oriundi, urbe Picenis proxima, etsi ex Hispania recens illi genus, idq; secutus, credo, Eusebius Adrianum tradidit Italicæ in Hispania ortum. Spartianus eum Romæ natum autor est, sed ubicũque ille ortus est, à Traiano adoptatus, eo fatali morte sublato imperium assecutus est, quum Euaristus pontifex adhuc sederet, siue ut Eusebio placet, Alexãder, qui illi proxime successit.

Traiani interitus.

Traiani comitas.

Iudæorum bellio cirenaico.

ADRIANUS XV. IMP.

Euaristi pontificis martyriũ

Quadrati liber.

ALEXANDER VII. PONT.

Azimi usus.

Castrensis cibus qualis.

cessit. Cæterum Euaristus, siue hoc siue illo imperãte, ipse quod satis constat martyrij est palmam mortę adeptus. Idem primus omnium titulos Romę diuisit presbyteris, septemq; diaconos instituit, qui uetustas gratia prædicantem obseruarent. Fuit Euaristo adhuc sedente, Papias Hierapolitanus antistes, qui de re Christiana eleganter scripsit historiã, hunc Hereneus est postea secutus, Apollinaris, Tertullianus, Victorinus Pictauiensis, & Lactantius Firmianus. Quadratus (fuit is apostolorum discipulus) periclitantem sub Adriano ecclesiam, sua fide & industria seruauit. Erat Adrianus Athenis, hicq; eorũ impulsu qui domicilium illud dæmonum apud Eleusim colebant, in ueræ pietatis cultores sæuire adortus, afflixisset haud dubie Christianum nomẽ clade atrocissima, nisi de Christiano dogmate tempestiue illi librũ Quadratus exhibuisset, quod & Aristides Athenien. fecisse fertur, homo philosophiæ studijs iam antea illustris, tum uero Christiani dogmatis assectator pientissimus. Horũ Apologeticis libris promotus imperator, Minutio Fundano Asiæ proconsuli scripsit, ut Christianorum nemini noceretur, nisi criminis conuicto, quum antea indicta causa passim ad supplicium reparentur. Sunt qui Euaristum hoc demum tumultu dicant martyrio adactum. Fama ut dixi, de eius exitu non una est. In Vaticano, quod satis constat, est sepultus. Alexander illi surrogatus est, septimus pontifex à Petro, uir Romæ natus, uiridi adhuc ætate, prudentia & morum sanctitate senex, autor fuit ut lustralis aqua ad malos dæmones fugandos, in templo, domiq; haberetur. Cõsecraturus primus aquam uino miscuit, instituitq; ut oblatio ex azimo non fermentato, ut antea, fieret pane, hoc ut purior materia esset, uel potius qa Christus azimo consecrasset, illud ut Christus ecclesię cõiunctus significaretur. Per id tempus Sabina Romani sanguinis, & Saphyra Antiochena pro Christo martyrium tulere. Adrianus tumultuosum ab initio fortitus est imperiũ. Enimuero post Traiani decessum & prouinciæ Po. Ro. plereq; & reges tumultuati sunt. Sed motus illi citra bellũ fuere, alij aliter, plures tamen autoritate compressi. Ille igitur ex Syria Romam reuersus triumphum Traiano debitum, sibiq; à senatu oblatum, recusauit, quin dedit operã, ut triumphi pompa traduceretur, Traianiq; imago triumphali curru sit ante oculos ciuitatis præterueca. Inde Sarmatico motu urbe excitus, iá & Halani ob imminuta stipendia nihilo quietius agebant, in Mœsiam processit, & cum Halanorum rege facile negocium composuit, eoq; pacato Martiũ Tuberonem Pannonię Dacięq; ad id tempus præfecit. Romam inde reuersus omni munificentię genere in cũctos usus est ad demerẽdum ciuitatis studium. Nec multo pòst in Galliã profectus est, ex Gallia in Germaniam trãsijt, non tam belli quàm pacis cupidus. Exigebat interim à militibus omnia militię munera, haud aliter quàm si bellum instaret, quos ut non imperio tantum, sed exemplo quoq; confirmaret, tãquam manipularium unus in aperto uescebatur, castrensibus cibis contentus, larido, caseo & posca. Pedibus nonnunquam inter milites iter facere, militesq; per hæc ad laborem instruere, ac præter cætera admonere, ne quid ociosum emeret aut pasceret. Ex Germania in Britanniam transmisit, ubi Romanos ab insulanis diuisit, muro octoginta miliũ passuum longitudine interiecto. Britanniæ rebus compositis in Galliam reuersus est. Nemausiq; Basilicam eximij operis extruxit. Petijt inde Hispaniam, Taraconeque hyemauit, ubi Augusti templum est ab eo instauratum. Parum abfuit, quin hic furiosi hominis incursu fuerit interfectus, quem, dum seorsum à suis inambularet, in se stricto ferro irruentem uix à cæde continuit, quoad ministri trepide affuerunt: tum uero comperta hominis ualetudine, non modo non supplicio affecit ullo, sed medicis quoque curandum tradidit. Maurorum motum sui nominis autoritate compressit. Bellum inde à Parthis ortum, & ob id ad orientem Solem profectus uerbis duntaxat composuit, tanta de ipsius principis uirtute erat etiam apud Barbaros opinio. Inde Asia peragrata in Atticam renauigauit, ubi Eleusinis sacris initiatus, Athenienses leges petentibus, ex Draconis & Solonis prescripto dedit. Cereris initia in causa fuere, ut in Christianos sęuiturus fuerit, nisi Quadrati & Aristidis Apologetici libri illum proposito auertissent, ut suprà est memoratum. Ex Attica Siciliam petijt, Ætnæ miracula contemplaturus, quod ut commodius faceret, montem ascendit, inuisitq; craterem ex proximo. Ex insula Romã reuersus est, unde continuo in Aphricam transmisit. Haud enim quisquam principum tam breui tempore tãtum terrarum peragrauit unquam. Dicitur sub eius in Aphricam appulsum affatim pluisse, quum toto antea quinquennio cecidisset nunquam è cœlo imber. Fuit proinde eius accessus Aphris gratissimus. Carthaginem aliqua ex parte instauratam Hadrianopolim nominari iussit, ficq; omnibus propemodum terris impressa sunt peregrinationis illius uestigia. Ex Aphrica reuersus Asiam iterum petijt, Athenisq; tantũ subsedit, quoad illic Iouis Olympij templum, iam antea à se inchoatum, dedicauit, ac tũdemum, ut quidam scribunt, Athenienses scripsit leges. Asiam inde adijt, in qua peragranda plura suo nomine consecrauit templa. Erat enim pontifex maximus. Syriam postremo ingressus, reges multos & terrarchas, ut ad se uenirent, inuitauit, ut cum his coràm fœdus & amicitiã sanctius iungeret, & in his Cosdrohẽ Parthum, cui filiam à Traiano captã restituit. Venerunt quidem pauci ipsius fidem secuti, omnesq; tã comiter & benigne accepit, muneribusq; ornauit, ut pœnitentiam postea egerint, qui uenire recusarunt. Iudæi interea in Syria nõnihil tumultuati sunt, quod gentili more præcidi uetarentur, diuisitq; in Antiochensium inuidiam Adrianus Syriam à Phœnice, ne illa plurium diceretur urbium metropolis, causa eius odij in Antiochenos non proditur quod sciam. Hierosolymam ædificijs instauratam Æliam à suo nomine appellauit. Iudæos quicunq; aderant, uarijs cladibus affectos expulit, urbe Christianis permissa. Permensus inde Arabiam ad Casiũ montem peruenit, ut ex eius uertice, tertia noctis uigilia, orientem Solem intueretur. Casij celsitudo alio est historiarum loco declarata. Pompeij tumulũ magnificè instruxit, mox in Ægyptum transgressus Nilum nauigauit, quo tempore Antinoũ amisit, fleuitq; muliebriter. Græci Alexãdriæ agentes in principis gratiam Antinoum consecrauere: sed quæ fuerit apud maiores mortuorũ ratio consecrandorum loco haud multũ diuerso declarabit. Tam longa igitur uariaq; peregrinatione bella quędã temere mota silentio transegit, cum Parthis certior fuit illi amicitia, quod regem ipsi gẽti detraxit, quem Traianus inuitis dederat. In Armenia permisit, quiiam antea ipsius prouinciæ fuerat legatus. Assyrijs tributũ remisit à Traiano imperatum. Albanorũ & Hiberum reges multis largitionibus sibi perpetua beneuolentia deuinxit. Bactriani quoq; reges ipsius amicitiã per legatos petiere & hæc foris. Domi suprà quàm dici possit ciuilium morum studiosus, ut se propemodum in ordinem redigeret nimia comitate. Neminem uidit pauperẽ, modo innocentem, quem nõ ditauerit. Odit contrà fraude & dolo malo diuites. Quos priuat? habuit inimicos, princeps incolumes pstitit, atq; in his unũ in quẽ infestiore fuit animo. Hunciã princeps factus quũ sibi timentẽ esset intuitus, Sis, inquit, bono animo, iam periculũ euasisti, pque uidetur mihi significare uoluisse, fore, ut se principe incolumis esset, quẽ priuatus pditurus fuerat.

Adrianus omnes Rom. prouincias inuisit.

Adriani gesta circa Syriam.

Mira comitas in Adriano.

Laua-

Lauabatur publice, ubi ueteranum quendam conspicatus dorsum marmoribus destringentē, ubi seruii inopia audiuit id fieri, eum seruis & pecunia donauit: postridie quum ad principis liberalitatē prouocandam senes pleriq; de industria id facerent, eos ad se accersitos iussit sese inuicem defricare. Quum à Pharasmane rege dona quædā accepissēt, & in his aureas chlamydes ccc. noxios in arenā auratis chlamydibus in regij muneris contemptum produxit. Ludos & uenationes magnificentissimo dedit apparatu, ut interdum die uno centum leones in arena interficerentur, crocum & balsamum per scenę gradus fluxerit, tanto uenandi studio tenebatur, ut & canibus strueret sepulchra, & hic ubi ursam ferro peremisset oppidum constituerit. Seruum conspicatus suum inter duos consules ambulantē, misit qui illi colaphum infligeret, admoneretq; suæ stultitiæ quod inter eos ambularet, quorū adhuc esse posset seruus. Fuit & uideri uoluit omnium artium peritissimus, in rhetoribus & grammaticis carpendis frequens, omnium fere artium professores prę se contempsit, arguebatq; eos palàm ut indoctos. Nota est uox Fauorini philosophi qui ea tempestate fuit, cuius uerbum quum Adrianus reprehendisset, nec Fauorinus cōtrà niteretur quibus poterat rationibus, castigatus ab amicis quod parum suæ consuluisset dignitati, qui tam facile Cæsari cessisset. Cui, inquit ille, non cedam huic qui triginta habet legiones? Amauit uetustum dicendi genus, ob eamque rem Catonem Ciceroni prętulit. Virgilio Ennium. Salustio Cæcilium. Extant eius uersiculi quos propinquus morti dictasse dicitur. Animula uagula blandula hospes comesq; corporis. Quæ nunc abibis in loca pallidula rigida nudula. Nec ut soles dabis iocos. Romę Pantheon instaurauit. Id opus M. Agrippam qui fuit Augusti Cęsaris gener, statuisse uetustissimę testantur literæ, quę hodie in fronte supra epistylia columnarum manifesto uetustatis argumento uisuntur. Bonifacius quartus, Phocæ principis permissu, diuæ uirgini cunctisq; martyribus dedicauit, quum gētilibus fuisset dijs antea sacrum. Instaurauit Adrianus in campo Martio, septa, Basilicam, Neptuni ædem, forū Augusti, & Thermas Agrippæ. Imposuit Tyberi pontem sui nominis, & sepulchrū cuius moles Ponti incubat in extrema Vaticani ualle, hodie pontificia arx est, & ab Alexādro pontifice maximo multa ope instaurata, ualidiusq; circunducto Tyberi munita. Villam in Tyburti tam luxuriosę instruxit ut singulis etiam partibus, urbium celebriumq; locorum indiderit nomina, ut Lycium, Academia, Prytaneum, Canopum, Tempe, & ne non nomina adessent inferos etiam finxit. Et ille per hæc annos duos & xx. rerum potitus est. Alij unum & xx. tradidērūt. Habuit in animo relinquere sibi successorem Ceionium Commodum quem in adoptione Ælij Verum dixit, Cæsaremq; appellauit. Sed quum cōmodus nimis ualetudinarius esset, ası́ duoq; confligeraretur morbo, in caducum, inquit, parietem inclinauimus, huius Ceionij fuit commentum illud eduli, quo Adrianus fere usus dicitur, ut sumen, phasianum, pauonem, & aprunam, & crustula confunderet. Id Tetrapharmacum dixere. Idem lectos sibi fecit ex reticulis, quæ rosarum folijs referst, Stragula ex liliorum folijs. Martialem Maronem suum appellauit, cursoribusq; innexuit suis alas in speciem Cupidinis, nominaq; uentorum à sua cuiq; celeritate indidit, hunc Circium uocās, illum Notum, alium Boream, iubebatq; eosdem indefesse cursitare. Vxori querenti quod extraneis sese uoluptatibus addixisset, Patiare, inquit, me in alijs exercere uoluptates, nam uxor dignitatis nomen est, non uoluptatis. Et Ceionius quidem talis fuit, quo extincto Arriū Antonium, qui postea est pius cognominatus, ea lege Adrianus in adoptionem recepit, ut ipse Anniū Verum, & M. Antoniū adoptaret, qui postea primi omnium pariter rempub. administrarunt. Perijt Adrianus Baijs annos duos & lxx. natus. Statura fuit procera, capillo inflexo, promissa barba, ut cicatrices quibus os dehonestabatur tegerētur. Multi persuasum habuerunt illum non natura, sed arte mitiorem se in publica administratione præbuisse, ueritum ne sibi quod & Domitiano accideret, nā & Seruianum socerum suum iam nonagenarium sub id tempus, quo perijt, leui suspicione ad mortem compulit. Et pleriq; uiri illustres illo principe, aut exilio, aut morte afflicti sunt. Ipse diu morbo conflictatus sæpius conatus est sibi manum inferre. Puteolis sepultus est in uilla Ciceroniana, ubi templum prosepulchro Antoninus imperator illi posuit, unde Pij est cognomen adeptus. Vixerunt cum eo uiri clari. Ptolemæus Mathematicus sua tempestate insignis, Ægyptius genere, sed non regia stirpe ortus, ut uulgus existimat, quum ętate una, & amplius in ea terra regnare desitum esset. Cœpit sub Troiano florere & in Adriani tempora descendit, Fauorinus philosophus, Palęmon, Herodes Athen. M. Byzātius, rhetores insignes, Apuleius Apher, Aulus Gellius, Plutarchus Cheronæus, Appianus Alexandrinus historiarum scriptor, & Suetonius Tranquil. cui epistolarum magistro successorem Adrianus dedit, quod liberius cum Sabina coniuge sua uersari diceretur, q̄ aulicæ domus reuerentia postularet. Reponūt quidam in hęc tempora Plinium iuniorem Nouocomēsem. Dionē Prusiensem qui de regno multa scripsit. Terentium Scaurum grammaticæ artis professorē, & Egisippum qui Hebræorum rebus altius repetitis ad Hierosolymitanum usq; excidium pertraxit historię filum. Alexander pontifex multa pie operatus, postremo martyrium adijt Adriano adhuc principe, quum annos x. & amplius sedisset. Nometana uia sepultus est. Sixtus qui octauo post Petrum loco præfuit ecclesiæ, Romanus fuit patria, & Alexandri successor, hunc Alexandrum & Euaristum sub Troiano martyrium passos scribunt quidam, alij sub Adriano malunt. Cæterum quocunque Sixtus principe tenuit ecclesiam, ipsius hęc feruntur decreta, ne sacra uasa prophanę attingerent manus, ne episcopi ad pontificem uocati à suis reciperentur, nisi pontificias haberent literas, instituit & carmen quod consecrationem præcedit, quo ter sanctus canitur. Nuda fuit ab initio omnis cæremoniarum ratio, plus pietatis habens quàm apparatus. Satis constat Petrum post consecrationem cōtinuo inferre solitum dominicam orationem, auxit inde hęc mysteria Hierosolymitanus antistes, auxit Basilius, alijque alia instituere. Cælestinus missæ introitum. Gregorius, ut nouies Kyrie diceretur. Hymnum glorię Telesphorus. Collationes Gelasius. Epistolam & Euangeliū Hieronymus. Alleluia ex Hierosolymitana ecclesia translatitium est. Symboli decantatio in Niceno cōuentu instituta. Defunctorum commemoratio Pelagij est. Leonis tertij osculum pacis. Agnus dei Innocentij. Misit Sixtus Peregrinum Romani sanguinis in Galliam ad cōfirmandos Christiani nominis uiros, qui in ea tum prouincia erant. Inde autem reuersus Appia uia, ubi discedenti Petro Christus fuit obuius, supremo est affectus supplicio. Seraphia Antiochena uirgo, & Symphoriosa Getuli uxor cum septem liberis eodem tempore sunt martyrio affectę, ut quidam tradunt, alij in aliud tempus reijciunt, ut suprà est memoratū. Symphoriosa prius est palmis cæsa, mox crinibus suspensa, molari inde saxo ex ceruice alligato in Anienem præcipitata est. Sabina Romani sanguinis ferro icta in Auentino concidit. Eleutherius Messanensis antistes, Euenus, Theodorus presbyter, Quadratus Athen. episcopus, Quirinus Romæ cum x. milibus & ducentis tribus eodē tumultu perierūt. Postremo Sixtus quoq; martyriū est

Adriani scōma

Serui castigatio.

Adriani arrogantia in omnibus studijs.

Adagium.

Adriani ingenium & forma

Viri ingenio clari.

SIXTVS VIII. PONTIFEX.

Rei diuinæ constitutio.

Christianorum martyria.

est passus, iam anno decimo sui pontificatus exacto, in Vaticano est eius corpus situ. Telesphorus Graij generis post Sixtum ecclesię prę ficitur. Incidit Telesphori creatio in xij. Adriani principis annum, quadragenarium ieiuniū ante Paschales dies huius fuit institutum, & quod dominico natali ter facerdos celebraret, quum Christus nascitur, quum natum inuisunt pastores, postremo ubi prima lux humano generi affulsit, quum prius nulli ante tertiam diei horā celebrare fas esset. Adijcit & alius mysticus sensus, ut triplici actu nō unus gentium status significetur, primus qui sine lege fuit, quum omnia fuerunt tenebris circūfusa: lucis alter & tenebrarum particeps, quū post legem latam fuit omnino aliqua dei optimi agnitio, sed nōdum plena: postremus gratię est, cui Sol, id est, ueritatis lux affulsit. Idem pontifex autor fuit, ut sub ipsum sacrificij exordiū hymnus gloriæ diceretur. Telesphoro pontifice Iustinus philosophus ex Neapoli Palæstinæ regionis librum Christiani dogmatis aduersus gentes Antonino principi obtulit. Scripsit & dialogum contra Triphonem Iudæorum principem. Fregit & Crescētem Cynicum qui Christi nomen impugnabat, cuius ipse postea in fidijs circunuentus pro Christo fudit sanguinē. Eusebius hunc philosophum appellat arrogantiæ amatorem. Valentiniana hæresis per id tempus orta est, fuit eius pestis autor Valentinus Platonicæ assectator disciplinæ. Persuasum is habuit Christum nihil ex diua uirgine assumpsisse, per eā pure transfusum. Excurrit Telesphori pontificatus in alterum Antonini principis annum. Is cur Pij cognomen tulerit, non una potuit esse causa, multæ quidem afferūtur, sed quę omnium sit ueerisima haud diserte traditur. Sunt qui inde illi cognomen datū existiment, quod à principio sui principatus seruauerit quos Adrianus morti destinauerat: alij quod Adrianum defunctū pietissima sit memoria prosecutus, templumq; illi, ut proximo est loco significatum, construxerit, contraq; omnium studia immēsos decreuerit honores. Iam & illud pietati datum quod Adrianum se interficere conantem prohibuerit. Cæterum quia natura prius & clemens fuit, ut nihil triste aut asperum ab eo expectaretur, fieri potuit, ut inter primas fauentis populi acclamationes, sit Pius cognominatus. Paternum illi genus ex Nemauso Galliæ oppido. Vxorem duxit Anniam Faustinā, eam tertio sui imperij anno defunctā consecrari passus est. Ex ea Faustinam habuit, quam M. Antonino successori suo matrimonio locauit. Fuit annus ille quo Pius princeps imperare cœpit, humanę salutis centesimus ac quadragesimus. Romanæ urbis octingentesimus nonagesimussecundus. A mundi exordio, quinquies millesimus trecentesimus trigesimus nonus, imperauitq; sextusdecimus à Cęsare dictatore. Telesphorus qui nonus à Petro tenuisset ecclesiam, altero Antoniniani imperij anno, pro fide mortem occubuit, quum annos sedisset undecim. Sufficitur illi Iginus Athenienſis, qui autor fuit, ut templa solenni cæremonia dedicarentur, ne augeri possent, aut minui, nisi prius factus esset autor Metropolitanꝰ antistes, ut nefas esset ex sacro trabes, tegulas, aliámue materiam in prophanum usum transferre, ut infans non nisi per uirum unum aut fœminam extrariá baptismo admoueretur, ne Metropolitanus præsul reum quēquam faceret aut factum damnaret, nisi prouinciæ Antistitibus prius iudicio admotis. Venit Igini temporibus Romam Polycarpus, ut Platina in pontificia tradit hystoria. Hieronymus Aniceto non Igino sedente eum uenisse ait. Fuit is Smyrnęus Antistes & Io. Zebedęi discipulus, uir multa eruditione, plerosq; Martionis & Valentiniani detestabili persuasione à fide alienatos ad pristinum pietatis cultū retraxit. Martioni ex occursu roganti an se agnosceret? Agnosco, inquit, primogenitū diaboli, ad illud alludens quod Hæresiarcha esset, negabatq; deum esse Christi patrem, qui per filiū creasset omnia. Sed Polycarpus Smyrnę postea igni crematus est, M. Antonino & L. Vero imperantibus. Hi quarto post Neronem loco Christianā infectati sunt pietatem. Melito Sardianus Antistes librum de Christiana doctrina Pio Antonino dedit. Tertullianus autor est ex piorum cœtu fuisse quosdam, qui propheticum in Melitone spiritum fuisse arbitrati sunt. Scripsit & Theophilus Antiochenæ præsul ecclesię librum aduersus Martionem: scripsit & in Hermogenis hæresim, qui materiam ex qua constat mundus deum esse arbitrabatur. Iginus decimus pontifex fato moritur, quū quatuor sedisset annos. In demortui locū Pius Aquileiensis est surrogatus, Ruffino genitus. Perunit Pius pontifex ad M. Antonini tempora, qui cum L. Vero imperauit. Pius Antoninus, ex Adriani decessu imperiū adeptus miram in omnibus præbuit æquitatem, nullus unquam principum per omnem imperij tempus ita omnibus fuit gratus, nemo eius iussu interfectus est. Dicię maioris Aphricani illud semper in ore habuisse, malle se ciue unum seruare quàm mille hostes perdere. Alterius itaq; ductu cōfecit bella siqua sunt aliunde orta. Britannos per Lolium Vrbicum legatum bello uicit, alterumq; rebellibus insulanis obiecit murum cespitibus & gleba extructum. Mauros & ipsos bello domitos ad pacē suppliciter petendā compulit. Victi sunt alieno ductu Germani, Daci, & Iudęi crebris rebellionibꝰ infesti. In Achaia quoq; & Ægypto nōnihil bellatum est. Sunt & Halani eruptionibus imminentes compressi, ob quę magna illi deinceps fuit apud Barbaros & populos autoritas. Pharasmanes rex ad eum Romam uenit, quum id Adriano petenti recusasset, huius quoq; principis epistola Rex Parthorum Armeniaco abstinuit bello. Idem Abagarum regem autoritate nominis ab oriente exciuit. Rimethalcem audita ipsius & curatoris causa in Bosphoranum regnum remisit, & Olbiopolitas contra Tauroscytharum gentem auxilijs iuuit, quoad Scythę uicti obsides illis dare coacti sunt. Fœdarūt pulcherrimū alioqui principatum multæ & uarię clades, partim cœli, partim hominum iniuria ortæ. Fames dira & terræmotus ingens, quo Rhodus & alia illustria loca horrende concussa sunt, incendium urbis cccxl. urbanis insulis perpetua flamma consumptis. Narbo in Gallia, Antiochia, & forum Carthaginis peridem tempus deflagrarunt. Tyberis insoleti auctu omnia loca inundauit. Natus & biceps infans, in Arabia iuxta serpens uisus, qui sui dimidium à cauda deuorauit. Quatuor feri leones se ultrò in Arabia capiendos prębuerunt. Ex operibus incendio consumptis Adriani templum restituit, & Grecostasim. Amphitheatrum instaurauit. Adriani sepulchrum. Templū Agrippę. Pontem sublicium, Pharum Caietani portus. Lauacrum Hostiense, & Antiatiū aquæductus, & Lauinij templa quædam. Columnam nobilissimi operis, à qua hodie pars una urbis Romæ, nuncupatur, Antonini opus, multi arbitrantur. Cum amicis imperator non aliter uersatus quàm priuatus fecerat. Intra urbes mortuos sepeliri uetuit. Spectacula edidit magnificentissima, ut missione una cētum sint leones producti. Exhibuit & elephātos, & crocatos, trigides, rhinocerotes, crocodilos, & hippopotamos. Decessit uita in suburbano suo ad duodecimum lapidem ab urbe, annos lxxvij. natus, anno quàm imperare cœperat, tertio ac trigesimo. Imperium & Faustinam filiam quam illi matrimonio locarat M. Antonino moriens commendauit, ultimum tribuno signum dedit æquanimitatem. Fuit statura eminenti, sed quum iam senex curuaretur, tenuibus ex tilia tabulis, fascia adpectus obligatis, pro remedio usus est, uideturq; materia ad id petita, quæ frigido esset corpori perutilis. Est enim Tilia calidioris

TELESPHORVS IX. PONT.

Anni mundi.

IGINVS X. PONT.

Valentiniana hæresis.

Vnde Pij cognomen.

Polycarpus.

PIVS XI. PONT.

ANTONINVS PIVS XVI. IMP.

Antonini Pij populare ingenium.

Ostenta per id tempus facta.

Tiliæ natura.

M. ANTONINVS, L. VERVS, XVII. IMPERAT.

naturæ arbor, idq; ex eo deprehenditur, quod suo tactu retundit asciam. Vnus ferè principum uixit sine ulla ciuium aut hostium strage, quantum ab homine prouideri potuit, & ob eam rem à plerisq; dignus iudicatus, qui Numæ conferretur. Et Pius imperator, qui sextusdecimus Romæ post Cæsarem dictatorem est rerum potitus, talem se principem gessit, cui defuncto flaminem, Circenses & Antonianos sodales decreuit senatus. Secutus est Marcus, qui cũ L. Vero à Pio adoptatus Antonini cognomẽ ex adoptione tulit. Iussus à senatu gubernaculum reip. suscepit, assumpsitque Lucium fratrem sibi collegam imperij. Cæterum tam hic est quàm ille Antoninus dictus, nomẽ ab eo qui utrunq; adoptauit sumptũ. Hi duo ex Cæsaribus primi Romæ æquo iure imperarunt, quum ad id tempus singuli consuessent. Consors ambobus imperium mansit, paribusq; auspicijs omnia domi foris; gesta. Remissior in Lucio animus, ac parum uirilis, multaq; in fratrem obseruantia. Defunctus uita est in Venetis undecimo anno, quàm cum Marco imperare cœperat, quũ ex Concordia ambo eodem curru Altinum peterent, subito sanguinis ictu extinctus est. Græci apoplexiam uocant. Hunc Marcus, ut Pium, à quo fuerat adoptati, consecrandum curauit: quæ igitur cum eo primũ & mox ab illius interitu solus gessit ordine explicabuntur, si prius ad diuina paululum deflexerit stilus. Pius pontifex (sic enim accidit, ut is & imperator Antoninus nuper defunctus Pij tulerint cognomen, quum eodem tempore, hic imperium, ille sacram apostoli obtineret sedem) ab Hermete quo familiariter est usus librum accepit, in quo angelus sub pastoris persona mandat Pascha dominico die celebrari, quod ut fieret Pius constituit, & ne ex Iudaica hæresi quisquam baptismo adhiberetur. Thermas in uico patricio in templi usum conuertit, quas Praxedis eximiæ sanctitatis fœmina diuæ Potentianæ sororis suę nomine extruxerat, atq; inibi baptismi fontem constituit. Sacerdotibus pœnam irrogauit, qui Christi corpus & sanguinem negligẽtius cõtrectarent. Si, inquit, ex his aliquid in terram decidit, xl. dierum pœnitentiam agito. Si super altare trium dierum. Si super linteũ quatuor. Si in aliud linteum nouem, ubicunque uero fuerit effusum lamptu recipito, si recipi potest: si minus, lauetur linteũ, aut radatur, lotum & rasum concremetur, aut inferatur sacrario. Vixere per id tempus uiri sanctitate & eruditione clari, Apollinaris Hierapolitanus antistes, qui de Christiana pietate scripsit ad Antoninũ principem: Vixit Iustinus philosophiæ assectator, qui librum simili argumento eidem cognoscendũ tradidit, sed is Crescentis Cynici infectatione perijt martyrio celebrior factus. Tatianus, quem Iustinus instituit, piorum numero potuit ascribi, si quæ à preceptore didicit tenuisset. Cæterum uia aberrans nouam condidit hæresim, quã dein Seuerus auxit, unde Seueriani. Hi uino & carnibus abstinent, nec uetus probant testamẽtum, nec Christi resurrectionẽ. Scripsit & Philippus Gortynæ urbis quæ Cretę insulæ est, Antistes, in Martionem, à quo Martionistę, qui Cerdonis dogma sunt secuti. Est & Musanus in Encratianam hæresim inuectus. Horum error à Seueriano non multum diuersus, omnifariã cibos auersari, quos deus humanæ uitę proposuisset. Vixit cum his Galenus Pergami ortus, medica arte sua tẽpestate clarus, sed ad posteros multo clarior. Scripsit Græce libros. cl. extantq; hodie ex his quàm plurimi, totus Hippocratis est. Taurus Berytius Platonicæ assectator disciplinæ, Arrhianus Bithynius Nico medię ort⁹. Apollonius Chalcedonius Stoicus, quo M. Antoninus usus est præceptore. Pius pontifex fato decesit, sedit; que annos xl. & amplius, Anicetus Syrus ei continuo succesit, põtificum ordine duodecimus. Sunt qui Anicetum Pio præferant, sed ut-

Pij pontificis decreta.

Viri sancti.

Galenus medicus.

ANICETVS XII. PON.

A cunq; res habet in M. Antonini incidit tempora, recentibusq; decretis auxit ecclesiam, ne clerus nutriret comã: ne antistes ullus à paucioribus quàm tribus sui ordinis sacraretur, ut Metropolitano consecrando ex tota prouincia episcopi adessent. Egesippus Anicetо adhuc sedẽte Romam uenit, scripsitq; præter ea quæ dixi, historiam, ab eo tempore quo Christus est passus ad Eleutherium, qui fuit Aniceti discipulus & mox pontifex. Inclaruit martyrio Aniceti pontificatu Felicitas Romani sanguinis mulier pietate insigni, perieruntq; cum ea filij septem, Ianuarius, Felix, Philippus, Cyllanus, Alexander, Vitalis & Martialis. Alij alio cruciatu cœlum adepti. Cæterum mater gladio perempta est. Sequuntur Marci principis gesta. Is Romæ in Cœlio ortus, ut Capitolinus scribit, ex Annio Vero, qui prætor obijt, & Domitia Caluina. Vtrunq; gentis stẽma uetustum & illustre. Hoc à Numa Pompilio, ut Marius Maximus scripsit, illud à Salentino Mallennio Dasummi filio qui Lopias condidit, longa serie ductum. Vxorẽ habuit Anniam Cornificiam, inde Faustinam iuniorẽ amitinam suam, nam si Capitolinus uerus est autor, Annius Verus & maior Faustina Rupiliam Faustinam matrem habuere. Mira in Marco iam inde à pueris grauitas, nec minor studiorũ cura. Græce & Latinè ab initio institutus, pluribus utriusque linguæ grãmaticis & rhetoribus usus, sed nulli plus tribuit quàm Cornelio Frontoni. Dedit & Gemino Comœdo operam, & Androni musico, eidemq; & Geometræ, in Philosophia Apollonium Chalcedoniũ Stoicæ disciplinę uirum in primis coluit, cuius domum post Cæsaris appellationem receptam, dicendi cupiditate frequentauit. Dedit & Sexto Cheroneo operam qui Plutarchi fuit nepos, Claudio Maximo, & Rustico Cinnæ eiusdẽ disciplinæ assectoribus. Peripateticos audiuit Claudium Seuerum & Iuniũ Rusticum, cum quo postea princeps omnia publica B & priuata communicauit consilia, consule designauit, defuncto statuas in senatu posuit, tantum omnibus præceptoribus tribuit, ut quorundam aureas in larario haberet imagines, aliorum sepulchra hostijs & floribus uenerari sit solitus. Didicit & ius ciuile, in quo genere studiorum Volusio Metiano est præceptore usus. Frequentauit & scholas declamatorias, tam frequẽs & circa multa assiduus, ut supra modum afficeret corpus, eoq; nomine sępe, quum puer adhuc esset, à suis corriperetur. Vsus est & Diogneti opera in pictura, pugiles & eorum certamina discendi cupidus attendit. Aucupari uenarię; non inepte. Pila ludere frequenter & scite. Postremo philosophia totum sibi hominem uendicauit, nec ita tamẽ ut ex ingenita humanitate aliquid remitteretur. Frugi quidem ac minime contumax, uerecũdus sine ignauia, sine tristitia grauis. Et talis quidẽ adhuc priuatus, dein imperium adeptus, iam quadragenarius eum ab initio principẽ egit, ut Pij lenitatem nemo desideraret. Turbarũt ciuile & philosophicum Marci ocium uarij bellorum motus, qui uno ferè tempore exiterunt. Vologesus Parthorum rex Cornelianum Syriæ præfectum prælio fuderat, imminebat & Britannicum bellum, Catti in Germaniã & Rhetiam tumultuosę irruperant. Calphurnius Agricola est aduersus Britannos missus. Cattorum prouincia Aufidio Victorino data. Ad Parthicum bellum Verus Antoninus Marci frater profect⁹ est. Ipse Romę esse uoluit, tandiu ibi futurus quoad urbis desideria postularent. Verus in Syriam Antiochia & Daphne tenus progressus, uenatibus gladiatorijsq; certaminibus deditus, omne belli tẽpus ocio transegit. Est; interim in Armenia prosperè bellatum, Artaxatis urbe nobilissima à Statio Prisco legato captis, qua uictoria uterque Cæsar Armeniaci recepit cognomẽ, inde & Parthici, posteaquam cum Vologeso debellatum est, cum quo priusquam solutum sit bellum,

Varia bella no tempore exorta.

Marcomanni.

A bellum, Marcomanni facti sunt hostes, gens Germanica Quadis uicina, ac uelut in fronte sita, qua terra ipsa Danubio peragratur. Hi reges indigenas ad Domitiani usque tempora habere soliti postremo & exteros passi sunt. L. Verus Parthico bello quod quinque habuit annos reuersus, cum Marco fratre senatus decreto ad Germanicum exijt bellũ. Iam & Quadi Marcomannorum affines tumultuari dicebãtur. Parthi quoq; temere ad arma recurrerant. Cęterum terribilis duorum imperatorum fama ad bellũ proficiscentium plerasq; gentes, quæ aut defecerant ab imperio, aut non multo pòst erant defecturæ, ita in fide tenuit, aut alienatas ad imperiũ retraxit, ut Quadi rege amisso, ea lege nouum crearint, si duo Cæsares probassent, processerant illi in Pannoniam usq; rebusq; prouinciæ in præsens compositis, Italiam repetũt, ubi mox paulo Verus subita est morte subla-

Veri principis subitaria mors

tus, sed de eius exitu alia erit relatio. Marcus Lucio defuncto Marcomannos repetijt bello. Coniurauerant post ipsius in Italiã reditum uno tempore in Romanum nomen Marcomanni, Varistę, Hermũduri, Quadi, Sueui, Sarmatæ, Lacringes, Burei, Sisibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Halani, Costoboci: aliæq; ad septentrionem gentes, ab Illyrico limite usq; in Galliam. Marcomanis itaq; in Danubij transitu uictis, alijsq; per partes, aut bello pressis, aut metu ad imperiũ retractis, Pannonias omni infestarum nuper gentium metu liberauit, in conficiundo bello quum ærario exhausto à pecunijs laboraretur, omnia aurea uasa, argentea, crystallina, & myrrhina, cũ omni principali supellectile, ornatuq; coniugis, publice uendidit, ne tributa imperando, ciuitatibus aut prouincijs esset grauis. Contra tantum bellorum motum seruitia armauit, maiorum exemplum secutus, qui secundo bello Punico id fecerant, seruos militiæ ascitos, ut illi, Volones nominauit. Sunt & gladiatores instructi, quos latrones B dixit. In Illyrico & alijs gẽtibus, miles ad id bellum est quæsitus. Peperit, credo, eam militum inopiam terra pestilentia, quæ in urbe & agris ingentem ea tempestate fecerat uastitatẽ, sed quæcunq; fuit insolẽtis illius delectus causa, tam graui periculoso; bello prospere defunctus, clarissimum Marcus principeps cum Commodo filio, quem Cæsarem appellarat, triumphum egit. Rem bellicam ex amicorũ sententia administrauit, illud identidem testatus, multo ęquius esse se talium amicorum consilium sequi, quàm tales amicos suam unius uoluntatem. Mauros qui Hispaniã uastabant, per legatos uicit. In Ægypto quoq; res parũ quietæ per id tẽpus fuere, militibus multa grauiaq; prouinciæ inferẽtibus, quos per Auidium Cassium retudit, qui postea tyrannidẽ arripuit. Et ne non ubiq; gentium per id tempus laboraretur, Sequanos, & Lusitanos autoritate compressit, qui sponte sua ad res nouas spectare dicebãtur. Auidius Cassius se se in Ægypto imperatorẽ appellauit, ob idq; hostis damnatus eusq; bona Romæ publicata, eratq; adhuc Marcus imperator Marcomannico bello occupatus, quod decreto erat ipsi genti iterũ illatum. Certus erat Ro. imperator Marcomanniam & Sarmatiam in prouinciarum formã redigere quum Cassiano motu excussus est ab ipso gerendarum rerum cursu. Et iam in Cassium mouerat, quum ille medio est suorum motuum conatu interfectus, eiusq; caput ad Marcum delatum, id Stoicus homo nullo lætitiæ signo inspexit, atq; humari iussit, doluitq; uicem suam, quod se principe ille unus ex omni senatorum numero interfectus esset, quum uniuersum ordinem ab initio incolumẽ prestare statuisset. Antiochenis, qui cum Cassio conspirarãt, ueniam dedit. Dedit & Cypriis unde Cassius fuit sed tamen Cyprum uidere noluit. Ea expeditione perijt Faustina eius uxor ad radices tauri mon-

Faustinæ interitus.

Quo conceptus natus sit Commodus.

tis, in uico Alale, quam defunctã Marcus princeps laudauit, quum mulier alioqui fuisset parũ integræ pudicitiæ, dubium nescioerit maritus illius probra an dissimulauerit. Satis constat aliquando Caietæ, nauticas & gladiatorias sibi conditiones quæsiuisse. Multi etiam persuasum habuerũt Commodum, qui post Marcum imperauit, adulterio conceptum. Quidam fabulam adijciunt, quod Faustina gladiatores quosdam conspicata ut prona erat in libidinẽ, confestim in unius amorem exarserit, inde egritudine affecta, quum eo grauius langueret quo impensius occultabat tam sordidum amorem, languorq; morbum peperisset, ad postremo uiro causam diligentius scisciranti de suo amore confessa est, consulentos ferunt ab Antonino super ea Chaldæos, quibus autoribus, ad eiusmodi affectum abolendum, iussa sit Faustina sublauare se interfecti gladiatoris sanguine, in quo maxime laborabat, ac continuo cum marito congredi, quo coitu nefarius ille illicitæ ueneris stimulus sit extinctus, simulq; partus in utero cõceptus, atq; ita acciderit, ut Faustina post maternos menses gladiatorem sit potiusquam principem enixa. Enimuero Cõmodus qui eo partu natus est, quiq; post M. Anton. patrẽ imperauit, gladiatorias obijt pugnas, ut Capitolinus tradidit. Fertur Marcus imperator quandoque ab amicis monitus, ut cũ Faustina multis probris cooperta diuortiũ faceret, si occidere nollet, quibus ita occurrerit, si uxorẽ dimittimus & dotem reddamus necesse est, ad imperium alludens, quod à Pio Antonino principe Faustinæ patre per manus acceperat, dubium hoc an aliud secutus: ipse, quod satis constat, adeò patienter tulit Faustinæ flagitia, ut eius mœchos etiam ad dignitates promouerit, & in his Tertullũ, quem cum ea prandentem aliquando deprehenderit. Pacato orientis statu Marcus in Italiam reuersus est, quam ubi primum attigit togam induit, togatiq; milites per Italiam sunt principẽ secuti, nec multo pòst Marcomanni, Hermunduri, & Sarmatę sunt bello repetiti. Id bellum Marco fuit omnium humanorum operum extremum. Enimuero triennio quã ad id bellum exierat, uita decesit. Cęterum priusquam animam efflaret, quũ graui morbo premeretur effetq; non procul à morte, filio metuens ne post suum obitum bonas artes & studia aspernatus, fœdis se uoluptatibus immergeret, quod multis antiquorũ principum accidisse non ignorabat, qui iuuenes admodum & immatura adhuc ætate ad imperium euecti per luxum & licẽtiam, ex honesto & recto turpissimum uitæ genus secuti essent, omniumq; maxime terreret recens Neronis memoria fœdissimusq; uitę exitus, primores militum ad se in cubiculum accersitos alleuans sese paululum, ita est pro cõcione affatus. Haud dubium est uiri fortissimi, quin graui dolore afficiamini quum me ita affectum intueamini: nihil est. n. tam proprium hominis quàm humanis casibus moueri: quanquam nescio quonam modo multo plus illa afficiunt, quæ oculis cernimus quàm quæ aurium sensu precipimus. Cæterũ quod uehementer affecti sitis in hoc meo casu, quũ ratio, quam dixi, suadet, tũ meus in uos perpetuus amor, ac pietas, ut sic dicam, omnibus perspecta, pro quibus tam æquum est me nunc gratiam expectare, q̃ uestrum referre, si grato in me animo, eorumq; memores esse uultis, quę publice & priuatim in uos cõtuli. En ego nunc uita migraturus sum, relinquo uobis filium uix primas adolescẽtiæ metas ingressum, & ob id gubernatoris & magistri indigum. Vereor ne in his rerum humanarum fluctibus destitutus, rudis ad omnia & ignarus rectiore cursu sua inscitia alienaq; assentatione excussus, in malarũ artium scopulos impingatur. Este itaq; omnes rogo illi patres pro uno adempto, atq; in eo excolendo assidui, nec

Marci uerba in morte.

patiamini eum funeſtis aſſentationibus auferri, qui bus nulla eſt capitalior peſtis principibus data, non prauis uoluptatibus contingi, quæ inimicæ ſunt continentiæ & moderationi. Monſtrate cupidæ & præferoci adoleſcentiæ nulla ui auri luxuriam expleri. Monſtrate ciuium beneuolentia, non armis, principum latus muniri oportere. Sciat demum eos tuto diuque imperare, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex beneficentia ſuorum ciuium animis infundunt: omnis ſeruitus inuida niſi uoluntaria: ſi qui ultro obtemperant, nulla que coacti neceſsitate ſub alieno imperio degunt, hi certe & beneuoli ſunt, & ab omni aſſentatione uacui. Contrà infidi & pernicioſi uiolenter & contumelioſe habiti. Nullum eſt animal contumacius homine, nullum maiore arte tractandum. Quod uero ad filium attinet, haud ignoro quàm difficile ſit in magna licentia, ſummaque rerum affluentia, frenare uoluptates, ſibi ipſi imperare: quod ſi illi recte uiuendi autores eritis, & quæ nunc coram audit ne animo excidant ſæpius monebitis, amiceque & fideliter hortabimini, & uos, ut ſpero, optimum principem habebitis, & noſtram defuncti memoriam demerebimini. Hæc ille, qui quum adhuc loqueretur, repente animo collapſus, defuncto ſimilis, ſine uoce iacuit. Ad quem caſum tanta orta eſt circumfuſi cœtus commiſeratio, ut plerique parum animi compotes clamorem extollerent, ipſe uix unum ſuperuixit diem. Defunctus fato magnum omnibus eius ætatis hominibus reliquit deſiderium, poſteris memoriam uirtutis ſempiternâ. Eius morte uulgata incredibilis luctus exercitum occupat. Nulla adhæc fuit gens aut populus Romanæ ditionis, qui in eius morte non lachrymas dederit, alij parentem, alij principem omnium, qui unquam fuerant, aut eſſe poterant optimum prædicantes. Iulius Capitolinus nonnihil diuerſus abit ab Herodiano, qui eſt ſermonis huius autor. Ille plures ait dies eum cibo abſtinuiſſe moriendi cupidum, ac iam ſexta luce, uocatis ad ſe amicis, quum eos flentes intueretur, Quid, inquit, me fletis uiri optimi? Cur non magis de communi morte cogitatis? Tum rogatus cui filium commendaret? Vobis, ait, ſi dignus fuerit, & dijs immortalibus. Imperauit Marcus duodeuiginti annos, uixit unum & ſexaginta uir moderamine & clemẽtia ſingulari, philoſophiæ præter cætera cupidus. Semper Platonicum illud in ore habuit, beatiſsimam eſſe ciuitatem, in qua aut philoſophi imperent, aut imperatores philoſophentur. In tetra peſtilentia, quæ ciuitati uaſtitatem attulit inſignem, primoribus ciuitatis, & qui ſunt clade illa extincti ſtatuas erexit. Ignotam multitudinem publico ſumptu extulit. Fuit adhæc, eo principe, præſtigiator qui per id tempus quo peſtilentia atrocius læuijt, ignem dixit è cœlo caſurum, mundumq; finem habiturum. Fidem rei fore, quod ipſe ex Caprifico cadens in Ciconiam uertertur; multi mortales in campum Martium confluxere, ut incredibilis alioqui rei euentum cognoſcerent. Stabat multitudo miraculo intenta, quum ille ſubito ex arbore demiſſus eſt, ac ſimul auis quam ad id paratam habuit inde dilapſa. Conſpirauerat is cum pleriſque in hoc ipſum ut ſolitudinem urbis & infrequentiam nacti in ciuitatem graſſarentur: hominem deſtinati ſceleris conuictum Marcus nullo affecit ſupplicio, adeò miti fuit ingenio, & ad ignoſcendum facili, fuitque per hæc tam charus uniuerſæ ciuitati, ut maiores natu filium appellarent, fratrem æquales, iuniores patrem. Mortuo diuini honores ab omni ſexu ordine & ætate habiti. Populus ſenatuſque propitium deum dixit, eoque proceſsit uana perſuaſio, ut pro ſacrilego haberetur qui defuncti imaginem non domi coleret. Templum publice conſtitutum. Flamines ſodales que dati. Potuiſſetque Marcus tali exitu felix dici, ſi princeps omnium optimus, filium omnium peſsimum non reliquiſſet.

M. principis interitus.

M. principis mox memorabilis.

Grata Marci principis memoria.

ENNEADIS VII. LIBER V.

AELIVS VERVS XI. IMPER.

ELius Verus princeps, qui undecim annos cum Marco imperauit, quanquam prior uita deceſsit, quia tamẽ poſt illum eſt imperator declaratus, merito ſecundam ſortitur relationẽ. Fuit is L. Ælij Veri filius, qui primus eſt Cæſaris appellationem ex adoptione adeptus, Homo ad uoluptatem potius quàm ad imperium natus. Hic ille eſt, quem quum ſibi Adrianus princeps adoptaſſet, uideretq; breui periturum corpore aduerſa ualitudine profligato, in caducum dixit ſe parietem incubuiſſe. Nec Verus, qui ex eo ortus eſt, multũ à patris ingenio degeneravit. Nota eſt infamis eius cœna, quam Romæ princeps duodecim conuiuis dedit, ſexagies centenis milibus ſeſtertijs inſtructam. Singuli conuiuę ſingulis ſunt pincernis donati, elegãti forma ſtructoribus ſingulis, quorum miniſterio in cœna uſi ſunt. Congeſtaq; ſunt uaſa argentea, aurea, cryſtallina, myrrhina, nam potantibus nũquam idem eſt calix appoſitus ſed alius recens, diuerſæ præcioſęq; materiæ, quot ciborum genera, tot uina, animalia ex omni genere omnibus data, coronæ cum aureis lemniſcis, & floribus alieni tẽporis: Poſtremo abeuntibus triclinio mulæ quibus ſedentes domum abirent & muliones dati. Pari luxurię infamia aſperſus in Praſina aurigarum factione fouenda. Praſino equo quem uolucrem à celeritate nũcupauit, aureum conflauit ſimulachrũ, quod equi deſiderio ſecum abſens habuit. Eidem ad præſepe ſtãti paſſas uuas propria manu fudit, & hordeum enucleatum. Nunquam niſi purpura inſtratum, ad ſe perduci iuſsit, extincto ſepulchrum in Vaticano fecit. Auri modium ſepe Praſiani ab eo petierũt. Ad Parthicum bellum profectus Antiochiæ ſubſedit, dum per legatos in Parthia, Media, Armenia bellatum eſt, & quia ubiq; res proſpere fluxerunt, Parthici, Medici, & Armeniaci cognomen recepit. Triũphauitq; Romam reuerſus, quum nihil minus eſſet quàm triumphum meritus, nec multo pòſt ad Marcomannicum bellum cum fratre exijt, alpibusq; ſuperatis, uix tandiu urbis deſiderium tulit quoad res in Pannonia componerentur. Voluptatibus inde urbanis in Italiam reuocantibus, retrò Aquileiam conceſsit, traxitq; ſecum Marcum fratrẽ, & imperij collegam, qui ob fœdiſsimos uitæ mores, iniquo animo ferebat, ſe abſente eum Romæ eſſe. Dum igitur ex Aquileia Concordiam, mox inde Altinum uehiculo petit, ſubita ui morbi oppreſſus, pro defuncto Altinum delatus, poſt biduum expirauit. Fuit eius mors ſuſpecta, quaſi ueneno à Fauſtina oſtreis indito perierit, quod ille parum occultum habuiſſet inceſtũ, quod cum ea feciſſet, ſed Lucillæ coniugi ſuę, quæ Marci & Fauſtinæ erat filia, retexiſſet, quæ fama non multum à Fauſtinæ uita abhorret. Eſt & Marcus ea infamia aſperſus, ut ipſe non alius in ſuilla uulua uenenum dederit, collegæ uitam fœdiſſimosque mores pertæſus. Capitolinus Marcum crimine abſoluit ſanctioris uitæ argumento additus. Ego ut dicam quod ſentio, nihil ab eorum opinione abhorreo, qui eius cædis Marcum haud ignarum exiſtimant, qui quum Germanicum bellum inſtaret, idque Verus detrectaret, ſiue quod nollet fratrem uſſa belli laude inſignitum iri, ſiue com-

Aelij Veri tentoſa luxuria.

Praſinus equus.

Fauſtinæ ra Verus vijt.

commune imperium pati non poſſet, aut quod plures tradunt, domeſticarum uoluptatum cupiditate captus, impedimento eſſet quo minus bellum conficeretur, nam Romæ illum eſſe ſe abſente ob fœdam & probroſam uitam uidebat Marcus ſibi & principali maieſtati non conducere, ob idque ſatius duxerit hominem quoquo modo tollere, quàm per eum imperij curam abijcere. Sed cuiuſcunque ille conſilio perijt, nam quis pro certo rem iam uetuſtam affirmaret, præſertim quæ tunc quoque parum conſtitit, quum fieri contigit? Obijt Verus anno undecimo, quàm imperare cœperat, iam duos & quadraginta annos natus, decorus corpore, barba prolixiore, capillorum adeò curioſus, ut eos ramento auri illiniret. Coluit prima ætate ſtudia literarum, uſuſque eſt ab initio Scauro grammatico eius Scauri filio, qui Adrianum principem docuit. Græcos præceptores habuit, Telephũ, & Harpocrationem. Rhetoribus uſus eſt Apollonio Celere, & Herode Attico, & ex Romanis Cornelio Frontone. Attigit & Philoſophiæ ſtudia, fuitque orator minus malus quàm poëta, retulitque quum alijs uitijs Neronem, tum nocturna euagatione in ciues graſſabundus, quo contigit, ut ſæpe, quemadmodum Nero, à ualidioribus afflictus, contuſa facie ſit domum reuerſus. Et Verus de quo hæc ſcribimus, talis fuit, Marci Antonini eius collegæ qualis fuerit uita abunde eſt, ut arbitror, ſuprà demonſtratum. Habuit huius principatus annos duodeuiginti, quo temporis interuallo fuerunt uiri eruditione clari, Fronto rhetor inſignis, qui Verum principem docuit, & Peregrinus philoſophus, qui Piſis ſe uiuum ardenti rogo iniecit. Anicetus pontifex martyrij eſt coronam adeptus, quum undecim Romanæ eccleſiæ præfuiſſet annos, uia Appia ſepultus in Calliſti cœmiterio. Soter Fundis ortus poſt Anicetum pontifex creatus eſt, anno qui Veri principis obitum præceſsit, qui decimus fuit imperij Marci Antonini, peruenitque ad Commodi, ut Platina ſcribit, principatum, qui Marco patri ſucceſsit. Euſebius triennio prius quàm Commodus imperare cœpiſſet, eum uita defunctum colligit. Inſtituit Soter ne Sanctimoniales palàm contrectarent, ne miniſterij cantus acerræ imponerent, dum res diuina fieret, ut inceſtuũ haberetur connubium, cui ſacerdos non rite adeſſet, benediceretque illi, ac niſi puella à parẽtibus ſolenni more uiro deſponderetur. Sunt qui ad Euariſtum id decretum referant. Auxit per id tempus rem Chriſtiani nominis Dionyſius Corinthius Antiſtes, efficaciſsimo epiſtolarum genere, quo uſus dicitur. Scripſit & Theodotion Aſianus non pauca in uſum ueræ fidei, carpſitque haud inepte Apellis hæretici dementiam, qui deum, quẽ coleret, ignorare ſe fateretur, Chriſtumque non uere deum diceret, ſed phantaſticum hominem apparuiſſe. Clemens Alexandrinæ eccleſiæ presbyter, Stromatum libros ſcripſit. Prometus Cretenſis uir eloquentiſsimus, & Herodianus. Fuit & Oppianus Cilix poëta, qui Halieutica ſcripſit. Iulius Pollux grámaticus & rhetor, qui de uerborum interpretatione ad Commodum principem dedit librum. Cataphrygarum hæreſis per id tempus Montano autore orta eſt, ut quibuſdam placuiſſe uideo, ſunt qui in aliud tempus reijciant. Obijt diem Soter anno ſui pontificatus nono. In Appia ſitus eſt, ad Calliſti cœmiterium. Tenuit ſedem tertiuſdecimus à Petro. Eleutherius illi Græcia oriundus, ſed Neapoli in Italia ortus continuo ſucceſsit. Cum hoc nupercredit ſe & ſuos uellet Chriſtianorum numero addicere. Miſsi ſunt eò Fugatius & Damianus uiri pietate inſigni, hi regem cum tota domo populoque uniuerſo baptiſmi ſacramento inſigniuerũt, ſublatoque malorum dæmonum cultu, uera in gen te pietas conſtituta eſt. Sic Britannia omnium prouinciarum prima publicitus Chriſti nomen recepit, anno poſt eius aduentum centeſimo circiter & octogeſimo. Fuit Eleutherius autor, ut piorum nemo ſuperſtitionis nomine repudiaret cibum, quo humana conſuetudo ueſceretur. Ne quis priuaretur ſacerdotio, niſi accuſatus, criminisque conuictus. Ne reo abſente ſecundum accuſatorem ullum fieret decretum. Cæterum Eleutheriano pontificatu pax & quies ubique pijs fuit, eſtque res Chriſtiana per omnes interim terras inſigniter aucta, multique ex Romana nobilitate, cum tota domo, ſunt ad fidem conuerſi. Apollonius orator inſignis unus omnium ea tempeſtate martyrium paſſus eſt, quia de Chriſtianæ fidei laudibus, quod tum capitale fuit orationem habuiſſet, poſt cuius interitum multa inualuit hæreſis. Primum Martionis dogma uarie diuiſum. Alij principium unum falſi. Alij duo, quidam etiam plura, tris perſonas totidemque naturas afferentes. Florinus Blaſco, & Quolitianus impie multa contra ueritatem machinati. Quidam Frontonem rhetorem & Galenum in hæc tempora reponunt, de quibus, etſi ſuprà memoratum eſt, fieri tamen potuit, ut ad Commodi tempora peruenerint, de quo pòſt iam hinc dicendum. Is à paterno funere milites affatus, multa de ſe eſt locutus, quod imperatore natus eſſet patre, non aliunde aſciſtus, repſiſſeque ſe infantem in palatina purpura, puerum in militum complexibus creuiſſe, ſæpius à patre ſingulis commendatum, ſæpius exercitui, nõ incertum eſſe principem & imperatorem, ſed natũ. His ille magiſquam quod ſpem faceret futuræ uirtutis ullam, militibus commendatus, donatiuum de more propoſuit, grandemque eo nomine largitus eſt pecuniam exercitui, acquieuitque nonnihil prudentiorum conſilijs. Inde naturæ uitio, aulicaq; aſſentatione, præſentiſsimo principum ueneno ad peiora delapſus, urbanarum uoluptatum deſiderio, bellum magna ex parte confectum intermiſit. Præſidio itaque ad ripam Iſtri flu. relicto ipſe cum cætero exercitu Romam reuerſus eſt. Redijt ille omnibus æque charus. Nemo erat cui non perſuaſum eſſet nouum principẽ nullius potiuſquam patris ſui imperatoris optimi ueſtigia imitaturum. Complexa eſt uniuerſa ciuitas adoleſcentem incredibili lætitia, ueriſsimoque animi affectu. Conciliabat illi ætas fauorem incredibilem, conciliabat recens patris memoria, domeſtica nobilitas, triplici gradu imperatorium ſtemma, Romanamque nobilitatem attingens. Paternum genus amplum multisque prætorijs & conſularibus uiris inſigne. Mater Fauſtina, uxor principis principe genita, quæ Adrianum auum per matrem habuit. Traianum proauum. Augebat domeſticum ſtudium pulchra facies, & uiriles, tranquillæque faces oculis micantes, & criſpa cęſaries, quę cum ad Solem uelut igni rutilaret, multi credere eam aurea ſcobe ſuffuſam. Demum nihil uni defuit ad promerendam omnium gratiam, prẽter meliorem mentem, quę quum in occulto adhuc eſſet, tanquam omnia afforent, per fauſta omnia, lætasque populi acclamationes urbem ingreſſus, poſteaquam deorũ templa inuiſit, ſenatui primo, mox prætorianis egit gratias, quod eorum in ſe fide & ſtudio paternum ſibi imperium manſiſſet incolume. Egit inde aliquandiu medium, ut Herodianus ſcribit, principẽ paternis amicis uſus. Capitolinus confeſtim præcipitem in uitia abijſſe autor eſt, Perennio prætorij præfecto uiro inexhauſtæ auaritiæ cura rerum omnium permiſſa. Nec ita multo pòſt Lucillam ſororem occidit. Hæc puella Vero principi prius nupſit, qui fuerat cum patre imperator. Poſt illius obitum Pompeiani connubio ceſsit, iratáque erat fratri, quod ille imperatoria inſignia, quę fuerant ſibi poſt prioris mariti interitum ſeruata, in

Veri ſtatura & forma.

Viri docti.

SOTER XIII PONT.

Lucius Britannorum rex.

Dionyſius.

Theodotion. Viri illuſtres.

Martionis hæreſis diuiditur

COMMODVS XVIII IMPER.

Commodus Lucillam ſororẽ occidit.

Crispinam coniugem suam transtulisset. Quadratũ igitur adolescentem nobilem, cuius stupri consuetudine tenebatur, ut fama erat, multis illecebris eò perpulit, ut cum plerisq; senatorij ordinis in Commodum coniurarit. Datum inde negocium Quintiano, qui in Amphitheatri aditu Commodum obtrũcaret, ille, siue metu, siue amentia, ex latebra repente egressus nudum Commodo pugionem obtulit exclamans. Hunc tibi mittit senatus. Quintianus quæstioni adhibitus totum coniuratorum consilium & ipsam rationẽ cædis patefecit. Sic Lucilla destinatæ cædis conuicta interficitur. Est & Quadratus, & qui cum eo coniurarant, capitali supplicio affectus, atq; hinc Cõmodi principis maxima odij causa in senatum extitit. Est nec multo pòst & Perennius interfectus, qui & uitæ principis & imperio insidiabatur, suffectusque est huius loco Cleander homo Phrygij sanguinis, qui sub corona olim uenijt. Is quoq; prioris fortunę oblitus, post grandem pecuniã congestam, animum ad imperium adiecit: cæterum ad captandum multitudinis fauorem, Gymnasium in urbe ædificauit & balneas, inde ut ciuitatem fame adactam militemq; obsequentiorẽ haberet, immensam uim tritici occultauit confestim matura proditione laxiorem redditurus annonam. Populus inediæ impatiẽs tumultuose in Commodi suburbanũ fecit impetum, Cleandrum ad supplicium poscens. Cleãder prætorianum equitem in plebem immisit, factaq; confestim fuga est, multiq; obtriti sunt, aut ferro trucidati. Cædes ad urbẽ usq; distracta. Equites mixto agmine portas irrũpunt, tectisq; insinuati telorũ multitudine confestim obruuntur. Iuuerunt & milites qui Romæ stationem habebãt, urbanam multitudinẽ. Prætoriani equites undiq; degruati ægre in apertũ euasere. Eratq; per hęc Cleandri culpa ciuile bellum conflatum, Commodo uoluptatibus immerso, & ob id eorum omnium quæ fiebant ignaro. Erat Cleãder ita omnibus formidolosus, ut ne ex ijs quidem, qui circa Commodum per id tempus fuere, ausus sit aliquis hiscere. Fadilla principis soror, cum multis lachrymis ad eius pedes aduoluta, scissa ueste, & crinibus passis, uelut in summo fratris periculo, quantum mali instaret, Commodo detulit. Ille periculo commotus, Cleandrũ ad se accersitum coràm interfici iussit, caputq; contra affixum mandat per urbem circunferri, atq; ita supplicio unius seditio pressa est. Sunt & cum Cleandro duo filij interfecti, & ex amicis pleriq;. Cadauera unco distracta & in cloacas aut in Tyberim proiecta. Et fortuna tali in uno homine usa est ludibrio, ut repente ex infima fortuna ad culmen diuitiarũ dignitatisq; extulerit, sublatum insperato casu afflixerit. Atq; hi motus in urbe Commodo principe fuerunt. Foris Maternus homo facinorosus, signorum desertor, modica primo latronum manu, inde alijs super alios sese illi spe prædæ agglomerantibus, refractisq; passim carceribus, tantam uim hominum in unum contraxit, ut Galliam & Hispaniam aliquandiu hostiliter uexarit. Ad postremũ ubi undiq; in se à prouinciarum legatis auxilia contrahi uidit, ignotus Italiam repetere est ausus, Romamq; occultè ingressus consilium cepit, Commodi, media sacrorũ pompa, obtruncãdi, peregissetq; fortasis id facinus, nisi re ad principem per eos delata, quos sui consilij participes Maternus fecerat, ante destinatæ cędis diem oppressus perijsset. Sunt inter hos motus procul domo uicti per legatos Mauri & Daci. Pannonia, Britannia, & Germania, quæ imperium detrectabant, in officio retentæ. Commodus interea, toties insidijs petitus, nulli iam inde multum credere, eoq; processit metus, ut ne raderetur quidẽ amplius, aut tonderetur, sed capillum & barbam, ut Capitolinus scribit, adureret, erupitq; in apertam sæuitiem, multiq; patritij ordinis, & in his senatores oppidò mul

Quadrati & coniuratorum cædes.

Attende atrocem seditionẽ.

Materni conceptũ facinus.

A

B

ti eius sæuitia interfecti sunt. Est & urbs fœdo incẽdio deformata. Ortus ignis in tẽplo Pacis quod in uia noua fuit, nobilissimumq; urbis ædificium primo deflagrauit, & cum eo multorum pecunię, quas eò ciuitas, uelut in sanctissimum repoluerat sacrarium. Arsit & Vestalis ędes, unde depromtum est Palladium in apertũ, nulli antea, nisi Vestalibus, & pontifici uisum. Plures inde dies ea est clades per urbem grassata, plurimaq; interim ædificia publica & priuata consumpta sunt. Crediderunt multi nocturni casu fulminis id incendium conflatum, sed res eo prodigiosior uisa, quod sereno, ut Herodianus scribit, cœlo fuerit ignis ortus. Eusebius Capitolium aliquanto prius, cum bibliotheca & circumiectis ædificijs, simili casu arsisse autor est. Incenso deletoque pacis templo multi tristia augurari, bellaque portendi interpretabãtur. Accidit & aliud prodigium, quod stellæ per diem perpetuo apparuerunt, quædam etiam ex his in longum productæ medio quasi aëre pependere. Commodus interea nihilo secius sæuiebat, media sæuitia adeò uoluptatibus immersus, ut. ccc. si Capitolinus uerus est autor, cõcubinis uteretur, ex omni matronarum & meretricum numero exquisitissimè delectis. Par exoletorum numerus ex omni flore iuuentutis ascitus, ut omnium perpetrãdarum libidinum uberior adesset materia. His deditus omnia per luxum & libidinem fœdare, cum his intempestiua cõuiuia trahere, balneas subire, facere interim ac pati turpia. Cum sororibus præterquam cum Lucilla, quam occiderat, stuprum fecisse dicitur. Vxorem Crispinam in adulterio repertam exegit primo, mox relegatam occidit, fuitque Commodus ea dementia, ut concubinarum quasdam Faustinæ matris & sororum nomina ferre dederit. Et quum talis esset, sæuire tamen in dies multo atrocius in patres & cæteram nobilitatem. Feras Romæ & in Lauinij Amphitheatro confecit, eaque iaculandi peritia, ut interdum cẽtum leones totidẽ ictibus in arena prostrauerit. Nec minus in eo fagitãdi studium minór ue profectus, qui ut plenior sequeretur, semper penes se, ut Herodianus scribit, Mauros iaculatores habuit, & Scythas sagittarios. Fuitq; tam ualido corpore, ut elephantum hasta, & origis cornu transfigeret, uno ictu plurimum feras conficiebat. Adeò certa fuit illi manus, ut quicquid oculo destinasset sagitta cõtingeret. Gladiatores retiariosq; circiter mille, aut uicit aut occidit, treẽties sexagies quinquies, uinoque adhuc patre in id certamen descendit, mox imperator magnum palmarum numerum expleuit, ob hæcq; uanæ persuasionis plenus, Pescennio interfecto felix dici uoluit, ut Sylla. In de Hercules cognomen recepit, uoluitq; Iouis nõ Marci filius dici. Repudiato Romanorum principum habitu, leonis pelle instratus, clauamq; gestans, in mediũ prodibat. Interdum non sine contemptu & derisu in muliebri ueste ut ille cuius ęmulus uideri uoluit, sese spectandum obtulit. Romam post incendium instauratam Commodianã coloniã appellari iussit, & senatũ Commodianũ, uoluit & mẽses Commodũ pro Augusto dici, pro Septembri Herculẽ, Octobrẽ inuictũ, Nouembrem superatorium, Amazoniũ Decembrẽ, nam totidem usurpabat cognomina. Et ut terribilior omnibus uideretur statuam sibi poni iussit pro curia, quæ arcũ intenderet. Cęterũ eo extincto statua sublata est patrũ decreto, libertatis signo eadẽ base impositio. Ademit & Colosso Solis caput, suũq; iussit imponi. Fuit adhæc ea feritate, ut qui Bellonã ex sacrorũ instituto, suo placare debuerat sanguine, uerè iusserit sibi brachia secare, quũ Anubim portaret, media sacrorũ põpa Isiacorum capita simulachri ore consauciabat, atq; eosdã pineis nucibus usq; ad pernicię cogebat sibi pectus contũdere. Debiles & claudos in gigãtum modo formatos sagittis conficiebat. Si quis mori destinasse

Palladiũ ipertũ dest.

Prædæ Cõdi uoluptu.

Mira iaculãdi peritia in Cõmodo.

Cognomina uanissimè aptata.

Commodi uitia.

passe diceretur, cum inuitum iubebat præcipitari. Fecit adhæc dixitque plura relatu indigna. Postremo quum destinasset Calend. Ianuarijs gladiatorũ manu stipatus ex ludo non ex palatio prodire in publicum, subnotasset que multorum nomina, quos lucilla erat interfecturus, & in his Martiam quam ex omni concubinarum numero præcipue adamauit, habuitq; propemodum iustæ coniugis loco, Q. Ælium Lætum, prætorij præfectum, & Electum cubiculi custodem: libellumq; dum in balneum properat oblitus, pusio quem in delicijs habuit, ac Philocommodum appellauit, pugillarem nactus pueriliter ad Martiam detulit, quæ agnito principis chirographo, cognoscendi cupida quid esset in eo notatum, ne per incuriam liber si alicuius esset ponderis, intercideret, ubi se cum multis morti destinatam animaduertit, periculi magnitudine exterrita, Electo cuius consuetudine tenebatur, & fortasis, ob eã noxam utriq; mors parabatur, sine arbitris libellũ tradidit. Mox & cum Læto res communicata est, placuitq; confestim illum ueneno præuenire. Martia ex balneo redeũti in stratissimo uino obtulit, quo hausto confestim decubuit. Narcissus inde audax adolescens immissus, qui iacẽtem & iam grauiter affectũ, strangulauit, quo nomine ipse postea est à Seuero interfectus, & Commodi exitus talis fuit, qui decimo octauus imperauit à Cæsare dictatore, extincto anno quàm imperare cœperat decimo. Heluio Pertinace iam septuagenarius cæterum domi militiæq; clarus, & tum præfectus urbis, magno omniũ consensu est imperator salutatus, qui nisi recenti gratia obtinuisset, Commodi corpus fuisset in Tyberim proiectum. Ita in illum iam extinctum exarsit senatus ira. Clamatũ ab omnibus exaudi Cæsar, Carnifex unco trahatur, sæuior Domitiano, impurior Nerone, unco trahatur. Qui omnes occidit unco trahatur. Qui templa spoliauit unco trahatur. Et hęc quidem aliaq; non minus atrocia ad inuidiã sunt in illũ ab uniuerso ordine iactata. Passus est Pertinax omnes eius statuas senatꝰ decreto aboleri, nomenq; ex omnibus publicis priuatisq; locis tolli permisit. Heluius Pertinax qui undeuigesimus imperauit, Commodo successit, libertina illi conditio, Pertinacisq; cognomẽ inditũ à lignaria negotiatione, quã pertinaciter exercuit. Ipse in Apẽnino ortus, in uilla, quæ Martis dicta est, operã dedit Sulpitio Apollinari, inde grãmaticẽ docuit. Cæterũ tenuẽ quæstũ pertæsus, multo auspicatius militiã inchoauit, duxitq; ab initio ordinẽ, procedente deinde tẽpore, magnis actus successibus, unus paternorũ amicorũ à Cõmodo est relictus. Adeò tamen illius sæuitię obnoxius ut quum principis cædes adhuc in occulto esset, Lętusque prætorij præfectus, eo cõsilio, ut imperij successionem illi astrueret, ipsius domum ex improuiso irrupisset, crediderit q; ad se ingulandum missum, ultroq; Lætum hortatus sit ad cædem subito peragendam. Edoctus inde quæ facta esset, ac persuasus ut rempublicam capesseret, per Lętum in castra ductus imperator salutatus est. Postridie in senatu patribus ratum illi facientibus imperium, magno totius ordinis assensu, in hunc modum ex imperatoria sella, in quã resederat, uerba fecit. Potuit fateor Patres conscripti uere hic cõsensus, & singulare studium, quo in me hodie ornando utimini, cuius suis animum timidum licet & iacentem in spem maximã erigere, ut nõ solũ ea, quæ à uobis tanto fauore deferũtur libens & audacter susciperet, sed suscepta etiam facili gubernatione teneri posse confideret. Ego uero longe aliter affectus, quum animo considero, quàm magnum sit hoc onus, quod à uobis mihi hodie imponitur, & quàm multi in hoc ordine sint, quibus, quum nobilitate generis, tum ętate integriore honestius, turius que res tanta credi potuisset, non possum non solicitus esse, atque diffidere etiam, posse fieri ut omni tempore sitis hoc de me iudicium probaturi. Cerno equidem magnum in omni reliqua uita propositum esse mihi certamen, ne aliquando indignus uidear, in quo fastigium hoc dignitatis statueritis. Neque illud ignoro dignitatem imperij, non aurea sella in qua me nuper collocastis, esse sitam, sed in uirtutibus animi, & operibus quæ maiestatem tueantur, & hominum fauorem concilient & benenolentiam. Sed quàm sit hoc difficile, ex eo quod dicam potest facile intelligi. Sic natura comparatum est Patres conscripti, ut non tam acceptum beneficium delectet, quàm iniuria offendat. Illius memoria breuis est, huius uero tenacior atque indelebilis, nec sua cuiquam liberras tam pulchra uidetur, quàm seruitus odiosa, & detestabilis. Imo ne putat quidem huic habendam esse gratiam, per quem suis rebus suo arbitrio utatur. Contrà si quis in tanta rerum mole incommodo afficiatur, nunquam iniuriam obliuiscitur. Obstat & illud non mediocriter ad fauorem conciliandum, quòd quæ publice prosunt parum cuique curæ sunt. Si qua clades acciderit, quæ priuatos attingat, tum nemo satis secum benigne agi existimat. Nec illud parum solicitudinis habet, quòd populus immoderatis principum largitionibus assuetus, si frugalius continentiusque cum eo agas ex inopia pecuniarum, eam moderationem continuo in auaritiæ crimen uerrit, neque cogitat oportere eum, qui multa largiatur, multa ex alieno rapere. Contrà si quis recte & pro cuiusque dignitate quæ danda sunt partiatur, hunc ipsum nihil cuiquam adimere, sed salubri exemplo frugalitatem docere & parsimoniam. Quod quum ita sit, non possum non esse solicitus Patres conscripti de futuri reginimis euentu, an ea administrandi ratio mihi constare possit, quæ futura sit omnibus probabilis. Quod ipsum propemodum desperassem, nisi sapientia & moderatio ordinis huius amplissimi omnia meliora polliceretur, iuberetque me sperare ita fore, ut cuncta sint feliciter processura, quum uestro consilio, opera, exemplo, fuero usus, quod ipsum ut nobis & patriæ contingat capessite mecum rempublicam Patres, Rom. imperium uestro consilio & autoritate tuemini. Sit communis hic labor, sit communis cura. Sentiant omnes rem Romanam nõ magis mihi quàm uobis creditam. Estis, mihi credite, quandiu uixero nõ tyrannidem sed optimatum rempublicam habituri. Atque hoc & uos sperare debetis, nec non & alijs polliceri. Posteaquàm Pertinax est in hunc modum locutus, maior illi fauor ab uniuerso ordine exortus est, faustisque acclamationibus curia eductus Iouis templum inuisit. Inde primum omnium uetuit edicto, ne ciuium quenquam milites iniuria afficerent, neu pulsarent militari uia transeuntes. Ipse multa comitate ius dicere, recti & honesti fautor, ac per omnia Marci principis æmulus. Multæ gentes iamdudum rebelles, aut non multo pòst rebellaturæ nouj principis fama impulsæ aliæ in fide permanserunt, quæ in armis esse cœperant per legatos pacem precatæ sunt. Fuit præterea tam ciuili animo, ut neque uxorem passus sit Augustam appellari, neque filium in palatium accersiuerit, sed in priuatis ædibus esse uoluit. Ludumq; literarium cum æqualibus ut antea frequentare. Delatores expulit, ijs quæ cæteri imperatores sibi usu uendicarant, uetuit suum nomen ascribi, negans illa esse principum sed Po. Ro. fassus in curia sanctius sibi uideri se pauperem remp. obtinere, quàm per scelera & flagitia ditescere. Scurras & infamia nomina Commodianæ luxuriæ proscripsit ac uendidit, & Commodi supellectilem, & in his arma gladiatoria gemmis & au[illegible]cula. Cæterum quum talis esset non caruit au[illegible]tiæ crimine, ob idque militibus ingratus subito uiorum incursu interfectus est. Dicitur eos

PERTINAX XIX IMP.

Pertinacis conſternatio.

Oratio.

Pertinacis ſuperbia.

tumultuose irrumpẽtes intrepide affatus, ac parum abfuisse quin à cæde reuocauerit. Cæsus est annos natus sexaginta, tertio mense ab eo quo imperare cœperat. Fuit aspectu uenerabilis, prolixa barba, capillo inflexo, habitu corporis pinguiore, imperatoria statura, eloquẽtia mediocri, magis blãdus quàm benignus, nec unquam creditus simplex, cæterum sermone affabilis, ingenio illiberali, ac propemodũ sordido. Capitolinus autor est, studio priuatæ uitæ fuisse eum imperium depositurum, si longior uita contigisset. Eo triduo, quo interfectus est, imaginatus fuit cernere se hominem in piscina cum ferro imminentem, & hostiæ cor defuit, die quo occisus est, & pridie quàm interfectus sit, stellæ interdiu iuxta Solem emicuerũt. Fecit & ipse sibi omen qui Didiũ Iulianum, quum priuatus adhuc esset, collegã & successorem appellauit suum, alludens animo ad illud quòd olim procõsul ei decesserat. Eusebius septuaginta & amplius annos natum perijsse eum scribit, sed aut in Eusebij numero est librariorum incuria error, aut in eo, quem priore loco posui ex Capitolini sententia. Incidit Eleutherij Ro. põtificis exitus in breuissimum Pertinacis principatum, si temporum ratio cõstat Eusebio. Fato obijt, anno quàm sedere cœperat quinto decimo. Victor genere Apher xv. pontifex ecclesiæ præficitur. Sanxit Victor, ex Eleutherij sententia, ut pascha dominico celebraretur die, à quarta decima Luna primi mẽsis ad xxij. ne cũ Iudæis Christianorum ratio cõpararet, quibus moris fuit id solenne aliquanto prius celebrare. Id decretum externorum antistitum quidã ab initio repudiarunt, rati se haud inepte facere, qui nihil aberrarẽt ab Ioannis instituto, qui charissimus fuit Christo, satis constabat, quandiu ille in humanis fuit, Iudæorum more paschale tempus obseruasse. Polycrates Ephesius antistes de ea re scribens, Nos, inquit, inuiolabilem celebramus diem, neque adijcientes quicquam, neque minuentes. Philippus qui Hierapoli est mortuus, hanc secutus est opinionem, hanc & Ioãnes qui supra pectus domini recubuit, & pontifex eius fuit in fronte auream portans laminam. Decreuit adhæc Victor ut omnibus indifferenter, quũ urgeret necessitas, baptisma adhiberetur. Fuerunt tum Antistites eruditione clari Appion qui Hexameron scripsit, Paulus Samosatenus qui cũ Theodoro Coriario saluatorem credidit purum fuisse hominem. Fuit & Sextus qui de resurrectione scripsit. Arabianus & Iudas, qui ab anno salutis ad Commodi principis tempora deduxit historiæ filum, uel uno insigni errore infamis, quòd sua tempestate Antichristum uenturum prodidit, idque eum credidisse arbitrati sunt quidam, quòd suprà quàm dici possit hominum uitia per id tempus inualuissent. Scripsit & Victor põtifex de Christiana religione aliqua qui quum per hæc decem annos Ro. administrasset ecclesiam extremum uitæ diem fato obijt, quo sanè tempore magnis rerum motibus res Romana concussa est nam milites post Pertinacis cædem, urbanam multitudinẽ ueriti, se prætorijs castris aliquãdiu tenuerunt. Patribus inde in suburbana loca dilapsis: quisq; enim procul ab eo motu esse cupiebat, ciuitatẽq; præsenti malo attonita, ubi nihil in urbe moueri milites animaduertunt, nec mentionem ullam fieri noui imperatoris creandi, ex castrorum munitionibus clamore denuntiãt se uenale imperium habere, habiturũ illud qui plura militibus donaret. Occurrit eò Didius Iulianus, homo magis diues q̃ probus (Eusebius illi iurisscientiã assignat.) Is multa pollicitus in castra acceptus est, atque imperator salutatus. Ex castris urbem ingreditur, septus armis, mœsto populi silentio, multi etiam prætereuntem taciti execrari. Hic Didius primus fuit qui Rom. imperium ausus est licitari, ac tum demum disciplina militaris per luxum & licentiam penitus soluta est.

Pertinacis cædes.

Eleuthe.

VICTOR XV. PON.

IVLIANVS CAESAR.

Viri eruditione clari.

A Nec multo inde charior fuit militibus, qui præmijs fraudati (nam tanta uis pecuniarum quantam se Iulianus daturũ promiserat persolui non potuit) haud minus nouum principem odisse, quàm Pertinacem oderant. Destitutus itaq; ille inter populi & militũ odia, cœpit & contemptui esse, iactari uoces in circo solenni spectaculo, Pescennio Nigro bene ominantes. Præerat tum ille Syriacis legionibus, qui literis & nuntijs factus de ijs certior, quæ in urbe fierẽt, explorata prius militũ uoluntate, nam Syri, ut natura est gentis inconstans rerumq; nouarum cupida, parati erant ad defectionem, frequẽti militum prouincialiumq; cõuentu, imperatoris appellationem recepit, fuisseq; secundum nomen haud dubie euẽtus secutus, nisi Antiochenis captus illecebris, ludos & spectacula bello prætulisset. Fama Syriaci motus per Pannonicos & Illyricos exercitus in Germaniam & Galliam delata, ubi circa Rhenum & Danubium præsidiariæ erant legiones, spem Septimio Seuero attulit imperij intercipiendi. Pannonici exercitus utraque prouincia unius regebantur imperio. Erat Seuerus Apher genere, Leptitanus patria, uehemens ac ferox, uitæq; insuetus duræ & asperæ, in rebus excogitandis promptus, acer in exequendis. Is de Iuliani contemptu & Nigri defidia certior factus, confestim animum ad imperium, quum plerisque alijs augurijs, tum memorabili quodam somnio fretus adiecit. Sub id tempus quo Pertinax imperator creatus est, posteaquam milites in eius uerba sacramento adegit, domum reuersus, in subitum soporem incidit. Ibi per quietem sibi uisus est cernere se Pertinacem phalerato equo sedentem uehi per sacram uiam in forum, subq; ipsum ingressum equo excussum, humiq; grauiter afflictum. Inde quadrupes uideri ascendendum se subijcere Seuero, receptusq; tergo uisus sibi est per urbem sublimis ferri, atq; in forum delatum, à uenerabunda multitudine excipi. Extitit inde Romæ, ut Herodianus scribit, tota insomnij huius figuratio ex ære conflata. Herodiani hæc sunt. Spartianus significare uidetur, prius Seuerum in Germania, non in Pannonia, quàm Pescẽnium in Syria imperatorem appellatum. Erat Seuerus omnium mortalium ad amorem simulandum efficacissimus, ita ut sanctissimum quoq; iusiurandum sæpe falleret, ut Punicum in homine ingenium agnoscas, aliud loqui, aliud sentire. Quibus ille artibus prius Pannonias, ut Herodianus scribit, cum exercitibus, inde & Illyricum sibi adiunxit. Imperator itaque pro concione appellatus Pertinacis cognomen accepit, cuius etiam se cædem ulturum pollicitus est. Sciebat illius memoriam quum toto Illyrico ubi summa cum laude diu ductauit exercitum, tum Romæ ut popularem uigere. Ex Pannonia cõfestim Italiam petijt, nullis interquiescens locis, uix militibus in summa celeritate satocij dari ad curanda corpora, ipseque imperator in primo agmine esse, militari cibo, modico q̃ue tabernaculo contentus. Summa eius celeritas effecit, ut penè prius Romam aduentare sit dictus quàm ex Pannonia mouisse crederetur. In Italiæ transcursu, quum ubique magno plausu & fauoribus acciperetur, tantisper singulis subsedit urbibus, dum sacrificaret, aut populos alloqueretur. Seri & tumultuosi fuerunt Didij conatus, quibus ad irritum cadentibus, fauore etiam militari destitutus, senatus decreto interficitur. Seuero priusquam Romam uenisset, patres ad occupandam gratiam imperium & Augusti nomen decernunt. Ille ubi Romam ingressus est, eius iussu milites ex improuiso circũsistunt prætorianas cohortes, quæ inermes laureatæque officij causa, uenientem Seuerum exceperant. Prætorianis per hæc in potestatem redactis, ita est Seuerus pro concione locutus. Ecquid sentitis adhuc perfidi milites ubi teneamini, & in quo sitis discrimine constituti?

PESCEN. NIVS NIGER CAESAR.

Seueri fom.

SEVERVS XX. IMP.

Seueri ora.

constituti? uita & mors uestra si nescitis, in mea manu est. Statis iamdudum hic uictimæ paratæ, ac ferro quod in manibus habemus obnoxiæ, si uestro scelere debitum quæratur supplicium. Pertinacem imperatorem uestrũ uirum omnium optimum ac sanctissimum, quem uos ab omni ui tutum præstare oportuit, uestra manu occidistis: Romanũ imperiũ perpetua gloria inclytũ, & quod maiores nostri, aut uirtutis, aut nobilitatis nomine suscipiebant, uenale propositis: Quid quòd ipsum imperij sectorem tueri ausi estis milites ignauissimi, & ad militiæ dedecus nati? Nemo certe est qui non apertè intelligat quàm atroci supplicio digni sitis, ut documento res esset omni posteritati, nequis domi militiæque auderet talia perpetrare. Sed ego neque uestrum imitabor exemplum, neque me ciuium sanguine fœdabo, si ciues habendi sunt, qui non suam tantum, sed publicam etiam libertatem uenalem habent. Condonabitur itaque uobis uita, ignominia tamen non remittitur. Ite, inquit, milites, discingite hos omnes discinctis uestimenta detrahite, inde quum nudos statueritis illis edico ut confestim urbe discedant, ac centum milia passuum procul inde reliquum uitæ agant, ea lege ut siquis intra præscriptos fines fuerit deprehensus, capite mulctetur. Ac ille tantum effatus, dum milites exuuntur mittit qui celeriter Prætoria castra occupent, ne ita affectis ad induenda arma pateret illuc recursus. Et Seuerus huiusmodi ignominia Prætorianos affecit, ipse, per faustas uoces & acclamationes urbem ingressus, dato ciuibus cõgiario, præsidio q; ex omni flore militię ad urbis custodiam relicto, ad Nigrum opprimendum proficiscitur, adiunxitq; sibi ipse successionis & appellatione Augusti, priusquam ad destinatum bellum exiret, Albinũ uirum clari generis, qui Britannico præerat exercitui, ne quid in se maioribus curis implicitum moliretur. Niger imminentis belli fama perculsus, uelut longa ebrietate experrectus, maritima Syriæ loca præsidijs occupat, obstruit & Tauri montis angustias circa Ciliciam. A Parthis, Armenijs & alijs Barbaris gentibus auxilia ad bellum postulat, Armenij nihil dederunt, mercenario ea gens milite nõ utebatur. Artabanus se suis imperaturum Satrapis ut exercitum cogerent pollicitus est. Venerũt & ab Atremis sagittariorum auxilia, quæ Parsenius rex misit. Occupat Niger & Byzantium in Europa. De situ urbis huius & apparatu in parte Rapsodiæ huius maior fuit sermo. Nũc illud adijciam, fuisse uetereseius urbis muros, ut Herodianus scribit, quadrato lapide tam artificiosè cõstructos, ut nullis saxorum coagmentis extãtibus, tota murorum facies ex uno conitare uideretur lapide. Seuerus ubi teneri ab hoste Byzantium audiuit, ad Cyzicum occupandum quæ in Propontidis ora est, consilium adiecit. Occurrit eò Æmylianus, cui omnem Syriaci curam beli demandauerat Niger. Hic aliquot prælijs hostiliter commissis, ad ultimũ uictoria Seuero parta est. Fuerunt qui crederent Æmylianum parum syncera fide prouinciam sibi traditã administrasse. Vel quia Nigro inuideret imperium, aut quòd ipsius liberi in Seueri potestate essent. Enimuero ille recepto imperio, ubi primũ Romam ingressus est, pro magno habuit negocio omnium qui exercitibus præessent liberos in suam potestatem redigere, redactos custodire, ut illorum causa animos haberet parentum ad obsequium magis obnoxios. Contrà ipse imperator salutatus primum omnium dedit operam ut filij occultè ex urbe subtraherẽtur, ne in eos Iulianus sæuiret. Nullum Commodus princeps dimisit cum imperio in prouinciã, cuius liberos obsidũ loco non Romæ penes se habuerit. M. Tullius parentum delicta idcirco more maiorum expiata filiorum suppliciocredidit, ut illorum charitate ciues ab omni sce-

Attende ignominiosam animaduersionẽ.

Byzan. ti.

Cyzicena pugna.

Seueri astutum consilium.

A lere arcerentur. Post prosperam ad Cyzicum pugnam Seuerus Nicomediam in Bithynia ultrò deditam recepit. Nicenses, qui adhuc in partibus erãt, & eos qui ex Cyzicena acie eò perfugerãt, uno prælio uicit. Pescenniani iterũ prælio uicti, Tauri montis angustias occupant, hic plures dies conflictati sunt Seueriani. Niger interea ex Tauro Antiochiam recurrerat, ut pecuniam & copias contraheret. Cæterum dum studio omnia fiunt, Laodicenses Antiochenorum odio, & Tyrij Berytiorum, ad Seuerum defecerunt, utranque ciuitatem Mauris iaculatoribus immissis Pescennius haud una clade affecit. Laodicenses sine discrimine trucidati sunt. Tyrus ciuibus crudeliter interfectis, direpta & incensa est. Sed dum hæc in Syria geruntur, Seueriani præsidio ab hostibus relicto Tauri angustias occupant, quas Niger Pescennius ab uno iugo ad alterum continua munitione iunxerat, eam molem torrens, qui profunda ualle defluit, subito imbrium auctu dum ui facit sibi uiam, ualide circa imum concussit, Seuerianisque ad euadendum fecit aditum, quo casu Pescenniani perculsi fuga dilabuntur, ueriti ne à tergo circunuenirentur, Seuerus Taurum transgressus in Ciliciam erupit. Affuit nec multo pòst Niger, cum ingenti exercitu. Circa Issicum sinum utrinque est in discrimen pugnę descensum. Darius rex olim his locis fuit ab Alexandro ingenti prælio uictus, non tamen captus, ut Herodianus falsò prodidit, neque ultimum fuit illud Dario cum Macedonibus certamen, ut idem autor scribit, sed ad Arbelam in Assyria, ubi prorsus Persarum opes accisæ sunt. Curuatur ibi littus in recessum, planitiesque mari præiacet, undique montibus in theatri speciem circumscripta. His itaque locis Niger Seuerusq; suos in aciem dimisere, pugnarunt que Syri eo die supra gentis naturam ferocissimè, sed plus omnino ualuit robur & scientia militaris quàm audacia. Distractum est prælium in plures horas, tantaq; uis hominum cæsa est, ut flumina quæ per eam planitiem decurrunt, multo cruore infecta, plus propemodũ sanguinis quàm aquarum eo die secum in mare detulerint. Vicit tamen Seuerus egregiè. Niger cum paucis acie egressus, Antiochiam perfugit, nec multi deinceps dies interfuerunt, quibus Seuerianorum superuentu Niger in suburbano latitans interfectus est. Spartianus & Eutropius Cyzicena pugna Nigrum perijsse autores sunt, sed nos Herodianum sequimur. Cæterum ubicunque mortem occubuit, si Seuero hosti qui de eo hęc scripsit credere æquum est, fuit Niger gloriæ cupidus, uita fictus, moribus turpis, & iam exactæ ætatis quum imperium inuasit, statura prolixa, decorus facie, capillo in uerticẽ ad gratiam inflexo, adeò uocalis, ut quum in aperto loqueretur, ad mille passus uox eius audiretur. Militibus nunquam indulsit, quum olim in Ægypto ab eo uinum petijssent, Nilum, inquit, habetis & uinum petitis? & rursus milites à Sarracenis uicti, quum causarentur, idcirco se uinci quia uinum non potarent, erubescite, ait, si quis pudor est, nam qui uos uicerunt uinum non bibunt. Idem Palęstinis petentibus ut censu leuarentur, Vellem, respõdit, ut nostrũ quoq; cœlum censeri posset. Scitissima est quidam Pythiam Delphis, quia tres uno tempore essent imperatores, quem ex his imperare reip. expediret, id illa carmẽ protulit, Optimus est fuscus, bonus Apher pessimus albus. Ex Pescennianis multi meru hostium, Tygrim transgressi ad Barbaros trãsfugerũt, quorum consuetudine orientis opes multo sunt ad bellum instructiores factę, ac minus Romanis tolerabiles, nam & armorum non unum illis usum ostẽdere, quæ ipsi suis manibus fabricati sunt. Docuerunt & statariam obire pugnam, commonstrata disponendorum ordinũ ratione. Seuerus primoribus hostium

Atrocissimum prælium in Ciliciâ.

Pescennius Niger uocalissimus fuit.

Carmẽ Pythiæ

hostium supplicio affectis, militibus qui in Assyriã transfugerant impunitatem proposuit, recepitq; ex ijs qui in fidẽ redire uoluerunt, sed non pauci cũ Barbaris, ut suprà est memoratum, libentius mansere. Fuissent confestim à Seuero Parthi & Atreni bello periti, ob auxilia Pescennio missa, nisi urgentibus de Albino nuntijs quòd liberius Augusti nomen usurparet, essetq; multo gratior senatui & uniuersæ nobilitati, quàm aut sibi tutum esset, aut ipse æquo animo pati posset, ut sibi filijsq; principatũ firmaret, ad Albinum è medio tollendum adiecit animũ, subornauitque illi percussores, sed qui ad id missi fuerant destinatæ cædis conuicti supplicio affecti sunt. Seueri fraude patefacta cõfestim nouum bellum extitit. Is in Albinum moturus misit qui Byzantium oppugnarent, adhuc enim Nigrianorum præsidio tenebatur. Vrbs fame capta, atq; propemodum excisa, in uici formam redacta est, Perinthijsq; adiudicata. Sic & Antiochia Laodicenis. Seuerus nõ hyberno anni tempore, non Alpium squitia territus, haud ignarus quàm magna bellorum momenta essent in celeritate, irrequieto ductu Galliam petijt. Nec Albinus in ocio fuerat, sed ad primam hostilium motuũ famã ex Britannia in continentem transmittens, extremo Galliæ littore fecit castra, coactisq; undiq; auxilijs, Seuerianis iam Alpes trãsgressis prodijt obuiã. Hic leuia aliquot prælia sunt primum cõmissa, postremo circa Lugdunum de summa rei dimicatum, fuitque Albinus primo congressu superior Britãnorum uirtute. Seuerus fugiens equo q; præcipitatus, paludamẽto abiecto, ignobiliter latuit. Lætus qui aciẽ immotam ad id tẽpus tenuerat, erat is unus ex Seueri ducibus, ubi rem uidit in apertum discrimen adductam, ac iam perditã, nisi extrema uis tentaretur, uelut procella quædam in uictorem hostem, & iam uictoria exultãtem, subito effertur. Instauratur pugna, Seuerus recenti equo *impositus* suis auxilio occurrit, obstinatione magis quàm uiribus. Britanni sunt postremo fusi, ac cum magna cæde disiecti. Captum est Lugdunum, direptũ & excisum. Albini caput ad Seuerum delatum. Spartianus illum ex palude quadam seminecem extractũ autor est. Fuerunt qui crederent Lætum de industria cunctantius in pugnam descendisse, ut Seuerũ in uitæ discrimen adduceret, eoq; maior rei fides fuit, quòd ille nõ prius certamẽ inierit, quàm imperatorem extinctũ rumor ferret, tãquam sibi non illi eo die Lætus uincere statuisset. Sed quocunq; ille consilio tam serum certamẽ inijt, tanquam manifestæ proditionis cõuictus, à Seuero non multo pòst interfectus est. Fuit Albinus parum militibus facilis, ueteris q; disciplinæ militaris exactor acerrimus, ipse sub dio cibum capere, onera ut gregarius miles ferre. Militibus in expeditione uini usum ademit, ut obsequentiorem haberet militẽ ad labores. Marium & Hannibalem ex omnibus imperatoribus præcipue mirari. Quum quidam ipsius gesta uellet scribere, quin ea potius scribas, inquit, quę Marius gesserit, aut Hannibal, ut illa imitemur: nã res gestas illius scribere à quo prẽmiũ expectes aut pœnã, lusus est. Rogatus de Scipionibus quid sentiret, eos felices magis quàm fortes fuisse respondit. Fuit ut quidam prodiderũt, Albinus prodigiosæ propemodum edacitatis, Capitolino autore centum Persica, decẽ Pepones Hostienses, quingẽtas ficos passarias, & cccc. ostrea una uorauit cœna. Seuerus tribꝰ imperatoribus breui tempore sublatis, Iuliano Romæ, Pescennio in Syria, in Gallia Albino, ingẽti gloria, Galliæ & Britannię rebus ordinatis, Romam reuersus est. Laureatus populus uenientem excepit: ipse peractis de more sacris congiarium populo dedit, uictoriæ nomine, & militibus pecuniã largitus est. Frumenti mẽsuram adauxit, & domi mulierem habere permisit, rem neq; prius usitatam neq; in futurum militiæ conducibilem. Hic omnium primus duritiem asperitatemq; militaris uictus laborũ tolerantiã, uetereq; disciplinam sustulit. Tum milites, neglecta ducum reuerẽtia, & opibus supra modum inhiare & munditias colere occœperant. Ipse sua natura sæuus, multoq; ob auaritiam adhuc sæuior factus, qua omnes omnium temporũ principes superauit, multos in urbe uiros diuitijs & nobilitate claros occidit, plures in puincijs, uno in omnibus prætextu usus, quòd Albini partibus fauissent. Cæterũ quum talis esset, popularis uideri uoluit, & quidem multa fecit ut crederetur. Ludos omnifariã præbuit & in his seculares, quos tribus antè ætatibus, quod miror, celebratos ait Herodianus. Sed Domitianus qui annos circiter centũ ante Seuerum imperauit, si Trãquillus uerꝰ est autor, seculares eiusmodi edidit ludos. Potuit uero Herodianus ad minora secula allusisse, quæ ad Saturni cursum, qui xxx. est annorũ, accõmodarunt ueteres. Potuit & librariorũ incuria id mendũ libris inoleuisse. Sed ut hoc in medio libẽter relinquimus, ita illud à uitio uindicari nõ potest quòd Dariũ ab Alexandro ait in Cilicia captũ, quod falsum esse suprà ostendimus, nec q, Pompeij filios scripsit ab Augusto uictos, quũ satis constet ex duobus Pompeij filijs maiorẽ natu Mundensi acie egressum in fuga aliquot ante annos perijsse q̃ Augustus imperio sit potitus. Nec multũ inde Seuerus Romæ fuit: Barseníj enim ulciscendi prætextu, qui Piscennium Nigrum iuuerat auxilijs, iterum ad ortum duxit exercitum. Sed Parthis & Armenijs non minus quàm Atrenis, quibus Barsenius imperabat, bellum inferebatur. Armenius rex legatos illi obuiam misit, qui muneribus & obsidibus datis pacẽ impetrarunt. Interim & Augarus Osrhenorum rex obsides dedit. Seuerus per Arabenos in felicẽ Arabiã trãsijt, multisq; Arabum locis obiter captis, in Atrenorum fines uenit. Atras eus gentis caput aliquandiu Ro. imperator oppugnauit. Cæterum quũ infecta reinde abijsset Ctesiphontem urbem, qua se tenebat Artabanus, subita ui adortus, capit diripitq;. Rex cum paucis equitibꝰ medio tumultu dilapsus est, matres pueriq; in captiuitatem abducti. Venerunt & regij thesauri cum pretiosa supellectile in Romanorum potestatem. Atq; ita Seuerus Parthicam ex insperato est uictoriam adeptus, datisq; ad senatum literis de ijs quæ aduersus Barbaros egisset, præter cæteros honores à senatu decretos, Parthici cognomen Arabici & Arabenici recepit. Fuit inde Romæ aliquot annos, quo tempore Plautianus prætorij præfectus affectati imperij conuictus ab eo occisus est. Erat is Apher genere, illiq; consanguinitate, ut multi putant, propinquus. Alij eum iuuentutis flore Seuero conciliatũ credidere. Cæterũ imperatoris indulgentia ad id diuitiarum uenerat, ut tantũ posset quãtum ad id tempus priuatus nemo. Erat Plautiani filia Antonino, Seueri filio matrimonio locata, quam ille non solum oderat, sed Plautianum etiam puellæ causa, nec linguæ interim tẽperare ferox iuuenis, identidem q; prædicare, futurum ut simulac imperium adeptus esset, utrunq; seruiliter interficeret, abstinebatq; à puellæ congressu: quibus per filiam Plautiano delatis periculi metu adactus, prioris adhæc fortunæ oblitus, animum ad occupandum imperium adiecit. Centurionem sibi fidissimum subornat, qui Seuerum & duos filios uno tẽpore obtruncaret. Ille non solum quod receperat non peregit, sed Plautiani etiam consilium Seuero detulit. Vix à principio credita res est, mox ipse uelut à Centurione in palatium accersitus, quasi cædes peracta esset, quũ thorace indutus uenisset, in cõspectu Seueri, à Centurione & militibus qui aderãt, Antonini generi sui iussu, in uestigio interfectus est. Eius filiã, ne ab Antonino occideretur, in Siciliã relegauit Seuerus.

Byzãtiũ propemodum excidio deditur.

Fortunæ uarietas in prælio.

Lugdunũ excidio deditur.

Albini seueritas in milites.

Albini iudiciũ de Scipionibus Voracitas.

Seculares lud.

Seueri fuga fus.

Seuerus Ctesiphontẽ capit.

Plautiani præfecti cædes.

uerus. Erant principis filij duo, Bassianus & Getha à patruo uel auo paterno sic dictus. Cæterum Bassiano maiori natu pater, quia per quietẽ monitus esset fore ut Antonio successore morereꝰ, M. Aurelij Antonini cognomen ferre dedit. Tali oraculo impulsa Iulia Gethæ mater, cũ Seuero egit ut & minorem etiã filium Antoninum cognominaret, ne fatali appellatione uelut præiudicio omni successiõis spe priuaretur, atq; ita factũ, ut & Getha quoq; tulerit Antonini nomẽ. Perseuerauitq; iam inde Seuerus Antoninos & successores suos ambos appellare. Hi quũ eodem essent patre geniti, adeò inter se discordes fuere, ut nihil esset in quo illis demum cõueniret. Nihil erat uni gratũ quod non alteri displiceret. Quæ fœda altercatio & magnis domibus periculosa, ingentem Seuero, iam ætate confecto, solicitudinem attulit, multum diuq; elaborauit, ut utrunq; alteri reconciliaret, traheretq; ad mutuum amorem, affectiq; interim ex illorum ministris pleroq; supplicio, illiorum ratus assentationibus id dissidium ortũ. Eratq; senex domestica discordia nõ mediocriter solicitus, quũm subito allatum est Britanniam tumultuare. Quod ille libens accepit, ut filios per occasionẽ belli, ab urbanis illecebris uindicaret. Simul itaq; Britannica expeditio susceptа est, atq; magnis itineribus in prouinciam itum, potuisseq; status insulę citra cruorem pacari, Britãnis sub Seueri accessum pacem petentibus. Ille uero Britannici quoq; cognominis cupidus bellum maluit. Multa itaq; prælia cũ insulanis gerebantur, eaq; Romanis multo quàm illis difficiliora. Britanni palustribus assueti locis, facile, quum opus foret, pugnam eludebant. Est Britannia magna ex parte palustris Oceani alluuione, & ob id fortasse ipsi indigenę nudi dimicant, angusto scuto lancea & gladio contenti, uentrem & ceruicem ferro incingunt, id sibi ornamentum esse ac diuitiarum argumentum rati, ut alijs aurum gentibus: quin & ipsa corpora omnifariam animaliũ picturis uariãt, creduntur q; uestium usu abstinere ne figurationem illam adoperiant. Trahebatur Britannicum bellum, locorum difficultate, quum Seuerus morbo & ætate confectus uita decesserit tuge simus à Cæsare dictatore, nam Didius Iulianus, Albinus, & Pescennius Niger in numerum imperatorũ non ueniunt, si Eusebium sequimur. Sed idem Galbam Othonem & Vitellium exemit. Cõtrà Tranquillus & Eutropius posuerũt. Posuit & Iulianum Eutropius inter eos qui Romæ sunt rerũ potiti. Cui si quis accedat, fateatur necesse est Seuerum primum & uigesimum à dictatore nõ uigesimũ fuisse. Fuit ille quẽcunq; sibi locũ uendicat, sub dolo ingenio, perfidiaq; & crudelitate Punica, etsi Romæ diutissime uersatus, barbarum tamen sonans, nullus propemodum imperatorum plures in pace occidit, ut Punicas clades in toga Romano Populo rependerit. Nec in populares suos multo mitior, quippe qui legatus proconsularis in Aphrica municipem suum Leptitanũ fustuario admouit, quòd se quem diu non uiderat, ueteri consuetudine fretus, ex occursu complecti & osculari ausus esset, adhibito eulogio: legatũ Po. Roplebeiꝰ homo ne temere amplexaberis. Fuit ipse uir fortis nec Ro. imperio inutilis, unde illud senatꝰ iudicium extitit. Oportuisse Seuerum aut nunquã nasci, aut nunquam mori. Eius opera Septizonium & Thermæ Seuerianæ. Statura fuit ingenti, promissa barba, cano capite, uultu uerecũdo, canora uoce, patrij leguminis appetẽs, carnis plurimum ignarus, in expeditionibus Hãnibalis æmulus, celeritate & patiẽtia incredibili. Duos reliquit filios Antoninos nomine, maiorem natu ex Leptitana coniuge ortũ, ex Iulia quam illi superduxit, alterum. Iuliæ probra & adulteria ciuilius tulit, q̃ aut imperij maiestas ferret, aut hominis natura. Nullus ex omnibus qui ad id tẽpus imperarant ditiores reliquit filios, nullus turpiores: ut ferè obseruatum sit summos uiros aut sine liberis mori, aut tales relinquere, ut satius fuerit filios non habere. Perijt Seuerus octogenarius, quum annos duodeuiginti imperasset. Vltima eius uerba fuisse dicuntur. Turbatam rempublicam ubique accepi, pacatam ubiq; Britannis exceptis liqui. Fuerunt tempestate illa uiri illustres, Papinianus iurisscientię peritissimus quem Antoninus Seueri filius interfecit, quòd suum parricidium tueri noluisset. Pantenus Stoicus & Clemens Alexandrinæ ecclesię Antistes, in Christiani dogmatis disputatione disertissimus. In hæc quoque tempora reijcit Eusebius disquisitionem illam inter Christianæ fidei antistites de paschali die celebrãdo ortam, Mosis nę uetus institutum an recens temporis obseruatio sequẽda esset. Fuerunt eadem tempestate Polycarpus & Bacchilus Asiani antistites, & Cãdidus Christiani dogmatis defensor acerrimus. Incidit in octauum Seueri annum Zepherini pontificatus, qui Romæ Romanisq; ortus parentibus, sextusdecimus fuit à primo pontifice. Is primus instituit ut initiatis prophanisq; astantibus, leuita & sacerdos ordinaretur. Vt consecratio diuini sanguinis, in uitreo uase, non in ligneo, ut antea fieret. Antiquatum est id decretum procedente tempore, cautumq; ne in ligneo uase sacerdos sacris operaretur, materiæ raritate qua sacramẽtum imbibitur, neq; uitreo, quia fragile, neque ex metallo ob tetrum saporem quo imbuitur, sed in auro aut argento, aut si utrunq; desit, in stanno. Vt qui pubertatis annos attigisset minimum semel quotannis communicarent paschali die, cui decreto Innocentius tertius confessionẽ adiecit. Claruit Zepherino pontifice Heraclitus, qui in Paulum apostolum commẽtarios scripsit: & Maximus, qui famosam illam quæstionem, Vnde malum, & quòd facta esset à deo materia insigni uolumine discussit. Candidus qui Hexameron copposuit. Origenes decimo Seueri anno infectatione in Christianos uiros mota patrem amisit, quẽ ipse adolescens est ad martyrium hortatus. Domestica inopia grãmaticen docuit, ut matri uidnæ & fratribus uictum quæreret. Mirum est quod de huius ingenio traditur, nullam fuisse linguam, nullum literarum genus quod Origenes nõ calluerit, potus & cibi parcissimus. Christi paupertatem imitatus, plures annos nudis ambulauit pedibus. Multi huius ductu Christum confessi martyrium adepti sunt, & in his Potamiena mulier feruenti pice eius capiti infusa. Passæ sunt Perpetua & Felicitas mulieres pientissimæ, cum Saturnino & Secundulo bestijs proiectæ. Obijt Zepherinus Seuero adhuc imperante, ut Platina scribit, quo autore sedit annos octo. Eusebius septendecim dixit, profertq̃ue eius pontificatum in Heliogabali imperium, qui Caracalla & Macrino interiectis, post Seuerum imperauit. Zepherino quandocunque diem obijt, Calistus & ipse Rom. patria successit, cuius acta loco magis idoneo sunt referenda. Antoninus post patris interitum, pacem Britannis reddidit obsidibus ab ea gente acceptis. Imperium inde à paternorum amicorum cæde est auspicatus, nam & medicos occidit qui parum sibi obtemperassent in nece patris maturanda. Pari lætitia suos & fratris nutritios afflixit, quòd se inuito de amborum reconciliatione quandoque egissent. Cæterum quum periculosum sibi duceret contra omnium studia tendere, nouerca, & cæteris maiore autoritate uiris, de sua & fratris reconciliatione agentibus, inuitus cesserit. Romam reuersi laureato populo excepti sunt. Singuli Cæsares primum omnium salutare. Inde alabastri urnã, in qua Seueri erant cineres, supplices uenerari, quando ad id dedecoris populus omnium gẽtium olim uictor uenerat, ut carnificis sui Leptitaniq̃ue municipis cineres adoraret. Noua cõfestim discordia inter fratres erupit, ut uterq; alteri suspectus

Seueri filij discordi inter se animo fuere.

Britanni palustribus se locis tuebantur.

Seuerus xxi. à Cæsare dictatore imperauit

Iudicium de Seuero.

Seueri interitus.

Viri illustres.

Origenis ingenium.

ZEPHERINVS. XVI. PONTI.

CALISTVS. XVII. PONTIF.

Maximus.

Consecrandorum mortuorum ratio.

Diuersa fratrũ studia.

Diuisio imperij.

Matris miserabilis querela.

Caracallæ patientia.

Caracalla Alexandrum imitatur.

Achillis personam simulat Caracalla.

Quos duces miraretur Caracalla.

Caracallæ sæuitia.

Alexandrinorum dicacitas.

suspectus seorsum habitarét, nec nisi in publico con A
gredi. Primum omnium patrem consecrarunt, consecrationis quum in illo, tum in cæteris Cæsaribus seruatæ, hæc, ut Herodianus scribit, fuit ratio. Locabant in regiæ uestibulo supra eburneum lectum auro stratum imaginem defuncto principi perquàm similem, recumbebatq; pallida effigies in modum ægrotantis: circa lectum magnam diei partem assidebat senatus omnis ad læuam pullis uestibus amictus, ad dexteram lectæ ex omni nobilitate matronæ in albis uestibus: is enim color lugubris fuit in muliere olim, omni alioqui ornatu detracto. Id septem diebus defuncto dabatur, medicis uelut adhuc spirantem interuisentibus, denũtiantibusq; in dies morbum ingraescere. Ad postremũ quasi tum demum uita defunctum equestris senatorijq; ordinis iuuenes per uiam sacram in forum deferunt, lecto in rostris deposito, pueri puellæq; patritij generis, composito ab utraq; patre cœtu hymnos in defunctum canũt flebili carmine emodulatos. Dein eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium translato, ingens ibi suggestus quadrata forma, lignea tantum materia contexitur, multis gradibus in phari speciem fastigio assurgentibus. Singuli auro & purpura instrati, signis ex ebore factis, uarijsq; picturis insigniter excoluntur, ac quo altiores illi minusq; patentes, eò minores his imagines prominebant, interius erat moles aridis referta fomitibus, effigie secundo gradu collocata, omnibusque odoramentorum generibus omnifariam admotis, quæ certatim à tota ciuitate eò congerebantur. Nobilissimi iuuenes equestris ordinis trabeati tabernaculo obequitabant, motu quodam pyrrichio, solenniq; decursu. Circumagebantur & currus quibus insidebant rectores personas illustrium principum gerentes, ac tum demum ab imperij successore face admota circũfusa multitudo ab imis partibus molem incendit, ac simul ignis cœpit inualescere, ex ædificij fastigio aquila emittitur, quæ principis animam in cœlum ferre putabatur, qui per hæc consecratus esset, inter deos colebatur. Sed hãc consecrandi rationem posteritas sumpsisse mihi uidetur ex Cæsaris dictatoris funere, cuius forma non multum ab ea, cuius nunc mentio facta est, fuit diuersa. Glisebat interim tacita inter fratres discordia, suumq; utriq; studium. Militaris res Antonino cordi esse. Gethæ, qui & ipse Antonini cognomen tulit, literarum cognitio, multiplexq; disciplina, luctabatur cum æqualibus, aliasq; campestres exercitationes proba re. Asper & sæuus ille. Hic quietus lenis & popularis. Postremo eò processit discordia, ut de imperio inter se diuidendo coram Iulia matre & paternis amicis agitatum sit. Herodianus Iuliam utriusq; matrem arbitratus est. Capitolinus ex Leptitana Antoninum priore Seueri coniuge, non Iulia genitũ scripsit. Imperij diuisio ea fuit, ut Europa Bassiano cederet, Gethæ Asia, ut apud Chalcedonem Bithyniæ urbem hic haberet castra, ille apud Byzantium, loca modico inter se freto discreta. Vt Italici generis milites Bassianum sequerentur, cæterarum gentiũ Getham. Numidas & Mauros haberet ille. Hic reliquũ Aphricæ sibi uendicaret orientẽ Solem uersus. Hæc illis agitantibus, quum cæteri mœstum tenerent silentium, Iulia dolore interfata. Terrã, inquit, & mare filij inuenistis, quo pacto orbẽ inter uos diuidere tis. Mater infelicissima quonã modo diuidenda uobis est? Ite & quãdo ita placet, hoc miserum corpus in æquas partes diuidite, diuisum ac dimidiatum di uersis mundi partibus humi cõdite, ut ego quoque eisdem terræ maris q; discriminibus, ut uterque uestrum ab altero, à me ipsa diuidar: hæcq; cum lachrymis & flebili lamentatione locuta, conata est ambos reconciliare. Illi maternis lachrymis perturbati, infecta re diuersi abierũt. Multiplices inde insidias si- B
bi inuicem tendere. Quæ quum parum procederẽt, longioris moræ impatiẽs Bassianus, qui præter Antonini tulit & Caracallæ cognomen, ratus oportere se magnum aliquid aut facere, aut pati, ingressus repente fratris cubiculum, eum nihil tale expectãtem in matris gremio obtrũcat, inde ad militum stationem egressus, illorum fidem implorat, oratq; ut capitalibus domesticorum insidijs ægre seruatum, in castra deducant. Ibi pro concione multa obliquans magis intelligi uoluit q̃ declarari quid domi actum esset, propositoq; duũm milium & quingenũ drachmarum donatiuo, ac maiore quàm antea annona, facile obtinuit ut Getham hostem, atq; ob id iure cæsum conclamarent. Ipse miro omnium consensu im CARACA
perator est appellatus, ac tum uno die ad explẽdam LA XX
militum auaritiam profusum est quicquid auri Se IMPER.
uerus uiginti ferme annos in omnibus terris & gentibus compilarat. Postridie septus armis uenit in senatum, ubi in hunc modũ uerba fecit. Scio ego nullum esse cædis genus detestabilius, magisq; patres conscripti autori inuidiosum quàm illud quod domesticis inferatur, ut simulac fama rei hominum auribus inciderit, non tam causa quàm facinus perpendatur, totiusq; facti inuidia uertatur in autorem: infelices enim cõmiseratio, potentes inuidia, uictorq; semper iniuriam intulisse creditur. Cæterum si quis rectius causam expendat, nec tam quid factũ sit spectet, sed cur sit factum, facile inueniet æquum esse & necessarium uindicare magis quàm accipere iniuriam. Accedit huc quòd qui iniuriam accipit timidus etiam habetur, qui eam uindicat, præterquam quòd incolumis est, famam quoq; uiri fortis indipiscitur. Quoties ego à fratre petitus sim insidijs, quàm multi & uarij fuerint illius conatus in me perdendo, ex ijs quos ille aut subornauit mihi percussores, aut ueneno solicitauit, quæstione cognoscere potestis. Cę terum quia haud aliter illi nefarium consilium procedere poterat, cũ paucis cõcepti sceleris socijs erat in me impetum facturus, quod ubi indicio comperi, ultus sum fateor hostem, hostem inquã, nam neq; fratris in eo mens erat, neq; fraterna moliebatur: ulcisci eum qui prius insidietur ut æquum est, ita ubique gentium usu receptũ. Romulus huius urbis cõditor, ne illudẽtem quidem sibi fratrem pertulit, & ut Neronis præteream & Domitiani factum, imperator Marcus philosophiæ assectator insignis, Lucij Veri collegæ, fratris, & generi sui cõtumeliam ferre non potuit, ego quum uenenum & ferrũ in me comparatũ toties deprehenderim ulcisci non debui hostem? uerum me non modo nõ pœniteret facti, sed ad deorum prouidentiam quicquid actum est referendum puto, qui me à capitalibus fratris insidijs incolumẽ præstiterũt, eamq; postremo mentẽ dedere, ut pestẽ illã ad suorũ exitiũ natã extinxerim. Qd̃ quũ ita sit, ite & dijs gratias agite, q, alterum uobis principem seruarint, nec posthac mentes in diuersa studia partiti, unum intuemini, unũ obseruate. Siquidẽ Iupiter, ut ipse inter deos unus imperiũ obtinet, ita uni mortalium adiudicat. His ille minarum plenus, truculentoq; ore usus, perculsis pallẽtibusq; Gethæ amicis, è curia in palatium rediit. Et ex Herodiano hæc. Spartianus autor est uiuo adhuc Getha cõquestum esse Caracallam de illius perfidia apud exercitum, nec multo pòst missos esse qui fratrem in palatio obtrũcarent, actasq; ab eo gratias percussoribus. Sed quoquo modo interfectus est Getha, in eius amicos quod satis constat sequitum est, nec in amicos solum, sed in amicorũ liberos & uxores. Multi itaq; hoc nomine afflicti sunt, & in his Sammonicus Serenus qui libros erudite scriptos ipsius Antonini nomine ediderat: occisus est & Papinianus iurisconsultus peritissimus. Sunt & senatorij ordinis plurimi. Cadauera curribus extra urbem exportata, totas ille noctes cædibus impendebat. Occidit & Marci Antonij

Antonij filiam iam anum quòd Gethæ cædem apud Iuliam matrem familiariter lamentata esset. Pari fœuitia interemit & Plautiani filiam olim sibi matrimonio locatam, relegatamq; à patre in Siciliam. Postremo Circensibus armatum exercitum, quod nemo unquam fecit, in populum immisit, quod pau cinescio quid temere cauillati essent in aurigam, cui ipse impensius fauebat. Cædes teterrima edita est, dum iuxtà fontes insontesq; sine discrimine cædũtur. Sunt & prouinciarum duces procuratoresq; ut Gethæ amici ad unum interfecti. Inde Roma egressus Istri flu. ripas petijt, ibi Germanos sibi omnes adiunxit, ex quo genere hominũ lectissimum quẽque ad custodiã sui corporis asciuit. Est & ipse quãdoque Germanico habitu conspectus flauam gestãs cæsariem, quam capiti multa arte coaptabat, ut Germanicum cultum plenius effingeret. Aurigabatur libenter aut uenabatur. Militaria munera primus omnium obire, siue quid fodiendum esset, siue põs flumini imponendus. In aperto prandere simplici cibo contentus, poculis uasisque esculentarijs ex lignea nec alia materia factis, ipse sibi tantum tritici trusatili mola terebat, quantum uni satis esset, indeque farina subacta, panem carbonibus incoctũ stans edebat, per omnia gregario militi similis, plurimum pedibus iter facere, curru rarissime uti. Commilitonem se uocari malebat quàm imperatorem. Gestare & ipse interdiu signa publica, uel robustissimis militibus grauia, eratque ob hæc ille suis exercitibus gratissimus, mirariq; simul omnes, quod uir tantulæ staturæ tot par esset laboribus. Rebus circa Istrum compositis Thraciã petijt Macedonibus cõterminam. Hic repente adeò studiosus Alexandri factus est, ut omnes urbes & urbium templa illius imaginibus breui repleuerit, renouata passim ducis memoria, quin bicipitia quædam simulachra figurauit sua, scilicet, & Alexandri facie. Ipse Macedonico more causiam gestabat & crepidas. Lectissimam iuuenum manum Macedonicam phalangem appellauit. Romanarum legionum ductores iussi sunt ferre nomina, quæ olim Alexandri duces tulissent. Ex Thracia in Asiam trãsmisit, quo traiectu sæuitia maris est pene naufragus factus. Pergamum primo petijt, mox Ilium progressus, Achillis tumulum inuisit, ornauitq; corona & floribus, quem ut imitaretur Festum libertorum charissimum Patroclum appellauit. Hũc paucis diebus quibus Ilij fuit extinctum, ipsius opera, ut quidam putant, ut Achillis ritu amicum funeraret, alij fato defunctum credidere: cæterum quoquo modo Festus perijt, eum extinctum honorificentissime sepeliuit. Achillem in omnibus imitatus, in quo ministerio quũ crinem quẽreret quem rogo inijceret, esset q; Caracallę perrarus capillus, omnibus ridiculo fuisse dicitur, totondit tamẽ quos habuit. Post Achillem & Hannibalem Pœnum mirari & ex Romanis ducibus unũ Cornelium Syllam. Asia & Bithynia peragrata Antiochiam petijt, ex Antiochia Alexandriam. Excepe rant Antiocheni ueniẽte exquisitissimis honoribus, sed multo maioribus Alexãdrini, musicis omnifariã instrumẽtis ad concentũ dispositis, passim aromata & omne genus suffimenta dextra, læuaq; adolebãt. Ipse quacunq; iret floribus spargebatur. Inde Alexandri conditoriũ ingressus, paludamentũ purpureum, gemmatos annulos, baltheũ, & omnem precio sum corporis ornatũ tumulo impo fuit. Gaudere his Alexandrini, ac totos dies noctesq; eximia lætitia celebrare, ignari quantũ sibi mali immineret ab eo quem studiosissime colebant. Enimuero Caracalla decreto Alexandriam petierat ut totam ciuitatẽ exercitui trucidandam obijceret. Causa eius odij in Alexandrinos inde orta dicitur, quod hi ut sunt natura dicaces, multa in Seuerum patrem, mox in se principem dicteria iacere dicerentur, ipsis, ut ui de- B
batur, leuia & festiuia, ijs in quos dicebantur molesta & inuisa. Cæterum quũ eiusmodi multa in eum etiam præsentem iacerent, ne fratris quidem cædẽ dissimulata, matremq; Iocastã appellarent, & quod tam paruæ staturę homo Achillem & Alexandrum, æmularetur, dum se uocari putãt, sibi exitiale odiũ conflarunt. Miror Herodianum persuasum habuisse Iuliam ex qua Getha natus est, fuisse Antonini huius matrem, quum Antoninus ex altera, ut supra ostendi, ortus esset Seueri coniuge, quæ Leptitana fuit. Quod quum ex alijs potest intelligi, tum ex eo quòd Iulia cum Getha habitabat. Præterea Alexandrini eam Iocastam uocabant, quod ut Spartianus scribit, Iulia etsi nouerca, Antonino tamẽ postea nupsit, ut Iocasta filio. Talibus itaque offensus Antoninus, ut natura erat iracundus, maximeq; sanguinarius, per speciem delectus habendi omnem Alexandrinorum iuuentutem iussit in apertum egredi, ut delecto omnium flore alteram phalangẽ in Alexandri memoriam legeret. Tum lęta ciuitas in apertum egressa, dum intenta negocio esset, quod de industria assimulabatur, ab armato exercitu circunuenta est. Datoq; repente signò, ad unum iuuenes cum parentibus & necessarijs qui ad id spectaculum exierant trucidati sunt, tanta uis hominum cęsa dicitur, ut sanguinis riui media planitie in Nilũ defluxerint. Et Alexandrini suæ dicacitatis in hunc modum penas luere. Antoninus ex Ægypto profectus, nã post cædem confestim inde abijt, ad Parthorum opes affligendas animum adiecit. Arte itaq; minime Romana Artabanum Parthorum regem frequentibus literis & muneribus pellexit, ut sibi filiam matrimonio locaret, ex ea affinitate futurum prædicans, ut duobus mundi imperijs Parthico & Romano fœdere & necessitudine coniunctis, omnes gentes in terris quietem agerent, ac si quæ minus pacatæ essent, fore ut non multo pòst imperio subigerentur. Abnuit primo Artabanus causatus non licere Romano homini externarum gentium sectari connubium, uerum studium & charitatem rei uxoriæ iureiurãdo Rom. imperator pollicitus, eò regem perpulit, ut filiam se locaturum promiserit: hanc ansam ille nactus Artabanum socerum, seq; generũ uocat. Barbari eo connubio lęti tanquã sempiternam cum Ro. Po. pacem habituri, quàm maximo poterãt rerum apparatu Romanum uenientem expectabant. Vbi igitur appropinquare dictus est, rex cũ magno procerum comitatu extra regiam urbẽ genero prodit obuiam. Parthiq; cum eo indigenis floribus coronati, auroq; & purpura uestiti, ad tibiarũ tympanorumq; cantum choreas agẽtes, quibus gens ipsa supra modum delectatur, ac tum maxime quum se largius uino inuitarunt, Romani armis instructi, inermes Parthos ex composito inuadunt. Fœda ibi cædes edita, uix Artabanus à suis in equum sublatus celeri fuga seruatus est. Ingens hominum multitudo in uestigio cæsa, sed multo maior in fuga, sunt inde Romana arma longe lateq; per Parthicos fines cum uicorum & uillarum incẽdio, multaq; hominum cæde ad libitum euagata, multiplexq; præda parta. Nulla unquam expeditio maiorem mea iudicio suggillationem Romano nomini attulit, ut multo satius fuerit uinci quàm perfidia plusquam Punica Romanã indolẽ fœdare. Sed erat Caracalla Barbaris ortus parẽtibus, atq; ambobus Punica terra natis. Scripsit post id probrosum facinus Romã ille, totum oriẽtem à se armis subactũ. Patres etsi iam satis compertũ habebant maiorem fuisse Ro. nomini notam ex ea re inustam, quàm laudem ullã quæsitam, ueriti tamen principis fœuitiam, ingentes absenti honores decernũt, & in primis Parthici cognomen, nam Germanici patre adhuc uiuo acceperat. Nec multum inde tẽporis intercesit, quũ Caracalla Carras urbẽ profectus à Martiale centurione inter-

Misserabilis Alexandrinorum clades.

Fœdum Caracallæ facinus.

fectus est, cuius fratrem ipse paucis antè diebus occiderat. Fuit tam audacis facinoris autor Macrinus unus ex copiarum prefectis. Is quum fascem literarum quæ ab urbe principi perferebantur, ipsius iussu perlegisset, nam sub tabellarij accessum imperator aurigatum properabat, incidisset; in Macriniani procuratoris literas, quibus ille significabat Mathematicorum respōso comperisse se Macrinū principis uitæ & imperio insidiari, hortarig; proinde ut primo tempore hominem è medio tolleret: rei perículo territus Macrinus, suppresit literas, quæ sibi exitiū afferebant, perpulitq; multis suasionibus Martialem ad id facinus peragendum, quod ille recenti iniuria adactus facile recepit. Inuiserat forte Caracalla Lunæ templum, quod inter Carras & Edessam multa indigenarum religione colebatur. Spartianus id Luni templum dictum non Lunæ prodidit, persuasumq; Carrensibus fuisse ait, ut quicunq; Lunā fœminam esse arbitraretur, aut muliebri uoce nuncupasset, is mulieribus addictus molliter uitam ageret: contrà qui marem deum esse Lunam ratus esset, ille & uxori dominaretur, & à mulieribus nullas pateretur insidias, quo fieret, ut Ægyptij mystice non deam Lunā sed deum uocitarent. Hinc paucis comitatus urbem reperebat Caracalla, quum leuandę uicæ causa paululum uia deflexit, cæteris subsistere iussis, auersum ac subligacula subducentem Martialis paruo pugione trāsfixit. Spartianus quum equū ascenderet confossum prodidit. Nec Martialis id impune tulit quem fugam molientem Germani equites multis uulneribus confecerūt. Eo extincto, quia fraternæ cædis ultio quæsita uidebatur, nulla tum primū Macrinus respersus est suspicione, ipse cum alijs principis necem lamentatus, cineres ad Iuliam coniugis loco receptam Antiochiam misit, quę atroci casu perculsa, dubium iussa, an sponte sua cōtinuo sibi mortem consciuit. Spartianus haud Macrinum tantum, sed plures etiam ait fuisse eius consilij conscios, Nemesianum Apollinarem & Martium Agrippā. Fuit exercitus biduo sine imperatore. Mox quia Artabanus ad ultionem cladis sibi nuper illatæ aduentare dicebatur, milites Audentium primo alterum copiarum præfectum, cæterum quia ille senectutem excusans, delatum non recepit imperiū Macrinum imperatorem creauere. Interfectus est Antoninus annos natus tris & quadraginta, quū sex tantum imperasset. Tulit & Caracallæ cognomē ex genere uestis ad pedes demissæ, quam populo dedit, fueruntq; eiusmodi uestes inde in frequenti usu, suntq; Antoninæ dictæ. Publica opera reliquit thermas Romæ sui nominis in quibus solearis cellæ artificium negabant recentiores architecti posse quenquam ulla ratione imitari. Ex ęre uel cupro cancelli superpositi fuere, quibus tota concameratio credita esset, quod in magno, ut erat, spatio contendebant peritissimi opifices nunquam euenire debuisse. Porticus quam à patris nomine appellauit Seuerianā, eiusdem Antonini fuit opus, habuit illa omnia Seueri bella & triumphos insigniter figuratos. Iuliam nouercam suam cuius filium occiderat, incestis nuptijs sibi iunxit uxorē, quæ quum pulcherrima esset, atq; incuria uel potius arte, coram priuigno corporis partem quandā enudasset, Antoninus dixisse fertur. Vellē si liceret, ac tū illa. Si libet, inqt, licet, an nescis te esse imperatorē, imperātiumq; esse non accipere sed dare legem? qua ille uoce confirmatus, confestim illicitas sibi nuptias cōcinnauit. Cognomina tulit Germanici, Parthici, Arabici, & Alamanici. Vicit & Alamanorum gentē, ut Spartianus scribit, quibus uerbis intelliguntur Alamani in Germanis non esse ut uulgus existimat. Grauissimi scriptores duplicem Germaniam fecere, minorem unam, quæ diuiditur in superiorem & inferiorē. Fuit itaq; Antoninus incestus, fuit parricida, perfidus, atq; humani sanguinis appetētissimus. Macrinus legionum metu subactus quibus fuerat ille charissimus, Antoninum inter deos retulit, templumq; & Salios decreuit, sed hæc postea. Ipse recepto imperio confestim milites ad periculum quod à Parthis instabat, discutiēdum hortatus est. Aderat Artabanus cum omnibus oriētis uiribus Antonini perfidiam ulturus. Triduo itaque æquo est marte dimicatum, etsi multo plures ex hostibus caderēt, multitudo in causa fuit cur minus damna sentirentur. Post tertiam pugnam Macrinus, siue metu, siue rei studio citra periculum trāsigendę, Artabano significat Antoninum eius iniurię, quam ipse ultum ueniisset, autorem, à suis interfectum, dedisseq; illum suę perfidię pœnas, se cum Romano exercitu paratum esse bello paciq;, quod si & ipse quietem præferat, autorem se futurū militibus, ut captiui & omnis præda ex Parthis contra fœdus capta restitueretur. Gauisus est rex tali nuntio, continuo & ipse pacis cupidus, recepta præda fœdus cū Romano duce percusit. Pacataq; Parthorum prouincia, Macrinus cum exercitu Antiochiam concessit, unde literas ad senatum & Populum Romanum dedit, quibus ordine significabatur quicquid in Caracallæ cæde euenisset, & ut suo ductu & auspicijs cum Parthis ita esset bellū compositum, ut per eos totus esset oriens Romano Populo pacatus. Pollicitus adhæc fore, ut sub se aristocratiam essent potius quàm principatum habituri. Hortari plurimū ne fortunam & nobilitatē generis semper in nouo principe intuerentur, quam sæpius uniuersę ciuitati pernicioſam experti essent. Siquidem fortunæ munera etiam parum dignos sæpius exornare, uirtutē animi propriam cuiq; gloriam conciliare. Hæc ille & alia in hanc sententiam scripsit, quibus nihil insolētius perniciosiusq; in principe esse significabatur, quàm domesticæ nobilitatis stulta persuasio, quę in causa sępe fuit, præsertimq; proximo principatu, ut qui colendi sint pro uilibus mancipijs habeantur, & quorum dignitas tuenda sit, ad pessimi cuiusq; libitum miserabiliter affligātur. Summa eorū quę tum Macrinus scripsit fuit hæc, ut diceret imperium sibi à militibus delatum, nullo se modo accepturum, niſi senatus Populusq; Romanus suo id assensu ratū facerent. Senatus multum gauisus est Macrini successione, sed multo plus Antonini interitu. Confestim itaq; seruitia, quorum delatione domini pericli tati fuerant, & omnes quorum delatione plurimi nobiles perierant, publico decreto sunt in urbe & tota Italia patibulo affixi. Multi igit aut hoc sunt supplicio affecti, aut exilio dānati. Macrino absenti patrum & populi consensu, stabilitum est imperiū, quia & magnis ciuium acclamationibus poscebatur, per seuerauit tamen Antiochiæ esse, Syriacis uoluptatibus urbis q; amœnitate captus.

MACRINVS XXIII. IMP.

Parantur insidiæ Caracallæ.

Iuliæ ars.

Macrinus perio pot.

Pax redditur Parthis.

Macrini res ad fe.

ENNEADIS VII. LIBER VI.

BFuerunt Macrino Antiochinę illecebrę non minus quàm Pescennio, ac nescio an plus multo quàm illi. Remotiorem Nigro, longior ille secessus cōcinnauit hostem, Macrino finitimū. Ille aperta ui petitus. Hic occulta & penè improuisa oppressus est. Erat Antiochiæ mulier quędam Phœnissa, ex urbe Emesa, Iulię illius soror, quę prius Seuero principi mox & Caracallæ priuigno nupsit, huic duæ erant filiæ, Soæmis & Māmea. Alexianus huic erat filius, illi Bassianus, ambo Solis sacerdotes quem Phœnices Heleogabalum dicunt. Erat lapis maximus teretior ab imo sensimque fastigiatus propemodum in coni figuram, niger illi color quem indigenę iactabant cœlo delapsum,

Heleogabali figura.

psum, uisebatur in lapide forma quædam quam Solis uulgo esse arbitrari, haud humano artificio fabrefacta. Huius igitur sacerdos erat Bassianus, iam annos quatuordecim natus, forma adeò eleganti, ut Baccho simillimum multi puerum prædicarent. Erat is quotidie in oculis Romanorum militum, qui in Phœniciæ finibus habebant castra, magnusque fiebat ad templum concursus pueri uisendi studio, conciliabatque illi militarem fauorem forma, sed multo maiorem Mesæ maternæ auię testimonium, quæ dubium mentita, an quod ita esse existimarit, Bassianum ex Caracalla genitum inter milites prędicabat, qui, eo tempore quo ipsa Seuero principe, apud Iuliam sororem suam Romæ fuisset, Sœnim filiam adhuc uirginem uitiasset, uitiatamque prægnantem reddidisset. Eusebius non Sœnim sed Sœniam uocat. Res temerè credita, militum animos incendit ad imperium puero demandandum. Augebat id studium Caracallæ memoria militibus gratissima, necnon spes auri quod Mesam diutissimè in principis aula uersatam possidere rumor erat. Id aurum anus & quascunque congestas haberet opes profutura putabatur, ut nepoti imperium adstrueret. Hæc milites secuti, illum in castra perductum, imperatorem constituunt. Neglexit ab initio Macrinus hunc nouum rerum motum, misitque eò Iulianum copiarum præfectum cum parte exercitus, hunc milites qui cum eo missi sunt, inspecto puero propositaque mercede, confestim interficiunt adiunguntque se Bassianis. Interfecti caput ad Macrinum mittunt, quibus ille permotus, cum toto exercitu eò occurrit, fit itaque prælium, quod multo acrius Antonini milites (sic enim puerum ad conciliandum ei fauorem appellabāt) supplicij metu ciebant quàm qui à Macrino stabant. Inde multi populare pueri nomen secuti, ad hostes transeunt. Macrinus ubi fortunam proditione militum inclinare uidit, ignoto habitu fugam molitus est. Stetit inde exercitus qui in fide adhuc erat fortiter in acie sine duce dimicans, uerum ubi eius fuga cognita est, impunitate ab Antonino promissa cum pristina dignitate cessit. Missi qui Macrinum fugientem sequerentur, hūc qui missi sunt circa Chalcedonem in Bithynia assecuti, cū Diadumeno filio in suburbano quodam latitante obtruncant, atque Opilius Macrinus quū annū unū & duos imperasset menses, interficitur. Erat Macrinus sordido loco natus, fœdo carnificique ingenio. Alij alia, cæterum omnes de eo turpia & sæua prodiderunt. Gladiatoriam pugnam exhibuisse quidam scribunt, mox accepta rude uenatorem factum. Tabellionatum inde exercuisse, fuisse & fisci aduocatum, unde mox per uarios successus ad prefecturam prouectus, Caracalla perempto, imperiū sibi astruxit, ex uarijs honoribus à senatu decretis, Pij cognomen repsuit, homo natura sæuus, uix fidem sit res habitura, si sæuitiæ memorentur exempla, quæ tam breui imperio edidit, milites in crucem sustulit, semperque seruilibus affecit supplicijs. Duos milites ancillaris stupri compertos duobus exectis bobus inseruit extantibus duntaxat capitibus. Tribunum qui excubias deseri passus fuerat, currui alligatum, uiuum primo mox exanimem per longum traxit spatium. Adulterij conuictos uiuos cōcremabat, parietibus includebat. Diadumenus qui cum patre perijt, etsi omnium qui ea ætate fuerunt longe pulcherrimus, fuit enim procera statura, crine flauo, nigris oculis, elegantique deliniatione, paternam tamen in tenera adhuc ætate retulit sæuitiam. Eius epistolæ ad patrem una, altera ad matrem data, abunde id demonstrant, quę deinceps in medium prolatæ in causa fuerunt, ut cum patre sit ferro deditus, quum à militibus esset alioqui seruandus. Bassianus hoc ludibrio fortunæ ad rerum fastigium euectus, Mesæ auię impulsu quæ diu Romanæ aulæ insueuerat, confestim Romam iter proposuit. Syriaque digressus Nicomediæ ob anni intemperiem, luxui & ocio deditus hyemauit. Incidit in primos Heliogabali annos Calisti pōtificis creatio, qui quintus decimus fuit pontifex. Alij quibus libenrius accedo, decimum septimum illi assignant locū in ordine, quæ uariatio inde est quòd quidam Linum & Cletum, ut suprà est significatum supprimunt, Clementis pontificatum Petro cōfestim subijcientes. Miror Platinam scripsisse Calistum ad Seueri tēpora peruenisse, quum Eusebius ita colligat, ut Heliogabalo imperāte creatus intelligatur. Hæc quoque uariatio ex eo est, quòd quādiu Sepherinus sederit parū, ut uideo, constat inter scriptores ipsos. Cæterum quocunque Calistus tempore sedere cœpit, primus, quod satis constat, instituit ut frumenti uini & olei gratia ter in anno ieiunaretur. Inde mutato consilio, in quatuor partitus tempora id ieiunium, in uer, æstatem, autumnum & hyemē. Idem hęreticos iudicauit, qui negarent sacerdotibus post crimen admissum (si etiam pœnitentiam egissent) patere ad dignitatem reditū. Basilicā uirginis in transtyberina regione ædificauit, nec tamen illam, ut credere par est, quę hodie magnificētissimo uisitur apparatu. Erant tum imperatorum metu adhuc omnia in occulto, ut facella modica eaque ferè subterranea fierent. Condidit uia Appia cœmiterium suo nomine, ubi multorum martyrum repositi erant cineres, uisuntur hodie his locis & facella quędā, quibus occulto rem diuinam prisci illi pietatis cultores fecisse creduntur, quando publicè non liceret. Fuit Calisti temporibus Tertullianus Apher uir acri ingenio, cuius scripta tanti fecit Cyprianus, ut ne unū quidem diem egisse dicatur sine Tertulliani lectione. Is quum ad mediam ætatem sacerdos fuisset, Romani cleri insectatione impiū Montani dogma complexus est, aduersus ecclesiam scripsit, de pudicitia, de monogamia, de ieiunijs. Scripsit & in Apolloniū sex libros. Origenes cuius suprà mētio facta est, ipse quoque per id tempus multa scripsit, impugnauitq; Hebionianam hæresim quæ Christum ex Ioseppo & Maria genitum asseruit, purumque fuisse hominem. Hieronymus autor est Origenē ad sex milia librorum scripsisse. Calistus anno ferè septimo sui pontificatus martyrio consumptus est. Vrbanus illi succesit uir & Quiritij sanguinis ac Romæ natus. Fuit annus ille quo Vrbanus sedere cœpit ducentesimus ac uigesimus septimus ab eo q fuit humanæ salutis primus. Vrbis Romæ septuagesimus ac nongētesimus. Mūdanæ originis quintus & uigesimus supra quadringentesimū ac quinquies millesimū, quū Romæ interim Heliogabalus imperaret, ut alij scribūt, ut Eusebius, Alexander q Heliogabalo succesit. Cę terum siue hic, siue ille imperauit, quū Vrbanus sedere cœpit, de Heliogabalo proxima omnino est relatio, qui multo melius inter tetra naturæ monstra, si uera sunt quæ de eo in literas miserunt quidam, reponi potuisset quàm inter principes. Subsederat Nicomediæ nouus imperator ob hyemis magnitudinem, quemadmodum suprà memoratum est, eratque ibi uoluptatibus addictus, quum Romam ad senatum tabulam misit, in qua ipse molli erat, ac propè muliebri ornatu figuratus, cum eo numine cuius ipse erat sacerdos, iusitq; tabulam statui supra Victoriæ caput in curia, ut cum senatus haberetur, ibi singuli thura adolerent. Herodianus periclitari eum uoluisse ait patientiam eius ordinis, quàm æquo animo peregrinum esset cultum susceпturus. Ego insanum adolescentem & ad flagitium natum, uix crediderim tam religione motum, quàm suæ fortunæ uana ostentatione, quam unam satis sibi fore ad imperium tuendum arbitrabatur, quasi scortum non imperator illius ordinis totiusque populi futurum, quod fœdissimus uitæ exitus facile

CALISTVS XVII. PON.

VRBANVS XVIII. PON.

Bassiani forma.

BASSIANVS XXIII. IMPER.

Macrini & filij cædes.

Calisti pontificis decretū.

Tertullianus.

Anni mundi.

Heliogabalus imperator.

demonstrauit. Sed quocunq; id consilio est factum, potuit senatus populusque ex eo administrationis rudimento nihil obscure percipere quale essent imperatorem habituri, sed occalluerat animi turpi seruitio, excideratq; uetus illa Quiritum uirtus, Martiaq; alioqui ciuitas ocio & luxuriæ dedita, tam erat omnis noui dominatus cupida, quàm antea fuerat inimica. Omnium tamen malorum culpa fuit in milite, qui posteaquam uenale habere cœpit imperium, nunquam modum amplius fecit auaritiæ suę, eoq; melius locatum iri in aliquo imperium arbitrari, quo plus auri uidebatur largiturus. Quum duo igitur pessima uitia atq; inter se contraria Romanā ciuitatem premerent, luxuria domi, belli auaritia, ita accidit, ut quàm pulchre antea imperauerat, tam demum turpiter seruiret. Senatus etsi ab initio permoleste tulit eam creationem, oderat enim Caracallæ memoriam, cuius hic erat filius, quia tamen parum se profuturum credebat, si quid statuisset contra militum prærogatiuam, probauit factum. Nec multo pòst Heliogabalus uenit Romam, qui dato ciuibus congiario, spectaculisq; omnifariam editis, templum suo deo maximum pulcherrimumque in palatio erexit, ubi quotidie Hecatomben & ouium mactabat ingentem, odoribus in aram congestis, multas optimi uini amphoras infundebat, ut passim uini cruorisq; riui fluerent, agitabatq; choros circa arā, unaq; Phœnissę mulieres saltātes cymbala quatiebant, senatu & equestri ordine in concionis modū circūfuso. Adortus inde est Heliogabalus Vestalē ignem, Cybeles Typum & omnia deorum simulachra, & sacrorum ritus, & cum his Christianam etiam deuotionem, ut Lampridij utar uerbo, qui hæc prodidit, in id templum transferre, ut solus in urbe Heliogabalus coleretur. Inde eò processum est, ut uxorem suo quæreret deo stultus adolescens, primoq; illi nomine coniugis Palladem admouit, mox negans belligeram deo coniugem cordi esse, alteram quæritare. Lunaeq; simulachrum est eius iussu templo illatū, quod Dido quæ & ipsa fuit Phœnissa, quum Carthaginem conderet, sacrasse dicebatur. Aphri Vraniam uocabant, Phœnices Astroarchem, ac tum demum id connubium cōuenire testatus est. Nam Heliogabalū plures Solem interpretati sunt. Inde quum bonus imperator muliebriter uiros pateretur, cœpisseq; eo nomine ab omnibus initio suspectus esse, rumor erat Draucos sibi conditione quærere ad fœdam libidinem explendam, oculos adhęc & genas expingere, eoq; statu quo Venus ad Paridis iudicium stetisse dicitur, nudum corpus ijs spectādum offerebat, quibus ad tam fœdum ministerium utebatur, manu una mammæ applicita, altera uerendis partibus appositā, præcipuum uitæ fructum ratus, si dignus aptusq; plurium libidini bus uideretur. Cæterum ne mulier omnino crederetur, uxorem duxit Romanam fœminam, nobili loco ortam, quam Augustam appellauit. Sed cum ea paulo pòst diuortium fecit, ademptisq; honoribus in ordinem redegit. Captus inde Vestalis amore, cuius uirginitas erat Romano ritu inuiolabilis, uiolenter templo abductam pro uxore habuit, senatumq; tali flagitio mœstum libello consolatus est, testatus id humanum esse, captum se illius amore eam in cō nubium adduxisse, æquum esse sacerdotem sacerdoti nubere. Alterum inde suæ stultitię condidit templum in suburbano suo, quo Heliogabalum aureo curru auexit, preciosissimis lapidibus exornato, sex equi niuali candore trahebant currum, toto uię spatio ab urbe ad suburbanum, quo uehebatur, aurosa arena instrato. Vix fidem habitura sunt quę de prodigiosa principis luxuria sunt memoriæ prodita, nū quam uestem ullam uel preciosissimam bis induit, nec cum fœmina ulla præter uxorem congressus est iterum. In lucernis Balsamum exhibuit. Rosacea aqua piscinas impleuit. Calceamentis applicuit gemmas nobilissimorum artificum manu sculptas, semper aurea, aut quod minimum fuit, ferica est tunica usus, nunquam minus centum cœnauit sestertijs, interdum tribus milibus. Phœnicem se conuiuis appositurum est pollicitus, nunquam non floribus suffultus, odoribusq; exquisitissimis cōuiuatus est, appellabatq; preciola obsonia, q etiā plurimi empta sibi dici uolebat, ut suauiora essent, conuiuij orexim. Sexcenta struthionum capita una cœna apposuit, ut ex his cerebella duntaxat assumerētur. Circensibus ludis nauale certamē dedit in euripo uini pleno. In maritimis locis nunquam piscibus conuiuatus est, quum uero procul mari abesset omnia marina exhibuit. Murenarum & Luporum lactibus rusticos in mediterraneis pauit. Totum triclinīū instrauit croco, quum primores ciuitatis ad cœnam uocasset, eiusmodi fœno dicens dignos, qui conuiuio adhibiti essent, porticum scobe auri, doles quod nequiret & electri. Ventris excrementa auro excipiebat, myrrhino urinam. Testatus est fore ut si filius sibi nasceretur, tutorem illi daret, qui cogeret eum id facere. Do mestice aliquando rogatus an timeret pauper fieri. Cui, inquit, melius hæres fuero quàm mihi, & uxori meæ? Negauitq; ob id se filios optare, ne quis sibi frugi nasceretur, uectatus est nunc à canibus in quadrigarum speciem iunctis, nunc à ceruis, nunc leonibus tigribusue, & quod proximum prodigio fuit, nudis mulieribus interdū uti, quæ ut quadrupedes, currum traherent. Cæterum nescias utrum maiore luxuria an stultitia laborarit, ad decem milia pondo aranearum collegit, ex his se intelligere testatus q magna esset Roma. Exhibuit & decem milia muriū, mille mustelas, parasitos rotis alligatos, atq; in orbem circunactos aquis interna parte mergebat, Ixionios appellans. Ridebat tam incomposite, ut theatrō pleno unus omnium ridens dignosceretur. Vim serpentum maximam per Marsicæ gentis sacerdotes quæsitam, antelucanis horis in multitudinē misit, quæ spectaculorum die loca in theatro, ut moris fuit, occupare solebat, quo terrore multi afflictū sunt, multi illarum morsu exanimati. Omnes urbis meretrices & lenones pro concione affatus est, eque omnibus libidinum & uoluptatum generibus longum habuit sermonem, eas cōmilitones appellans, singulisq; donatiui nomine ternos numerauit aureos: atq; per hæc debacchatus, quia ex Syrijs sacerdotibus cognouerat fore, ut uiolenta periret morte, ex ferico & cocco habuit intortos funes, quibus si necessitas coëgisset sese suspēderet. Habuit & aureos cultros, turrimq; eminentissimam, auro & gemmis excultā, unde se præcipitaret, ut quoquo modo mori coactus esset, preciosa, ut dicere solebat, mors esset sua. Supprimuntur à me consulto quædam, quæ saluā aurium reuerētia in apertum proferri non possent. Tulit Ro. Po. hęc monstra rerum in fœdissimo principe quatuor ferme annos, alij paulo plus duobus eum imperasse scribunt, sed nihil æque ac fœda maiestatis suggillatio animos stringebat hominū. Senatum togata mancipia appellabat, saltatorē quē dam scenicum præfecit exercitibus. Alium ex scena iuuentuti, alium senatui, alium equestri præposuit ordini, aurigis & histrionibus prouincias demanduit. Contrà Sabinus uir clarissimus & Vlpianus iurisconsultus atque uniuersus senatus urbe iussus est facessere, nequid suis obstaret consilijs. Alexādrum consobrinum suum, quem adoptauerat, appellauerat; Augustum, quia sanctę instituerētur, esset; diuerso à se ingenio (erat is duodecim annos natus, egregia indole, ob idq; militibus gratissimus) perdere conatus est, quæ res ipsius multo magis accelerauit mortem. Heliogabali cædem uarie referunt autores quos sequimur. Lampridius bis tumultuatū scribit in prętorianis castris, petitumq; priore motu à militibus,

Stulta Heliogabali opera.

Heliogabali stultum.

Apparatus nostrarum

Heliogabalus Alexandrum adoptat.

à militibus, ut omnes à se remoueret Draucos, quibus suum aburendum dedisset corpus: iterum senatu urbe eiecto, quum fraternæ cædi nihil obscurè immineret, milites id monstrum haud ultra ferēdum rati, in hortis quum aurigationi esset intentus, ex improuiso in eum impetum fecere. Primo itaq; irrumpentium clamore territus, in proximam latrinam se coniecit, quū nulla opportunior in ea trepidatione occurreret latebra. Hic ille cum matre pluribus est uulneribus confossus: Herodianus Heliogabalum cum matre in castra uenisse ait, extulisseque secum Alexādrum eodem uehiculo, quem prohibitum in publicum exire, milites tumultuose requirebant. Postea uero quàm in castra sunt recepti, quia multo maiore militū fauore Alexander quàm Heliogabalus acciperetur, iratus ijs imperator, qui præter cæteros puero fauerent, per noctem illorum nomina subnotauit. Hos inde ut seditionis autores quum ad supplicium arripi imperasset, tumultu orto, cum Sœnide matre quam Lampridius Symiamiram uocat, & exoletis qui cum illo erant, trucidatus est. Heliogabali & matris cadauera plebi milites tradiderunt, quæ tota urbe raptata sunt atque in cloacas proiecta, ut per eas in Tyberim deflueret. Lampridius Heliogabali corpus ex Æmylio ponte, ingenti pondere degrauatum, ne fluitare posset, in Tyberim deiectum prodidit: id publicum Romanorum odium in Sœnidem inde conflatum crediderim, quòd ad eam temeritatem fuerit euecta, ut quoties senatus haberetur, uellet interesse, se tanquam decretorum omniū moderatrix subscribens, quod ne Augustarum quidem ulla ad id tempus fecisset. Hisque per hunc modum oppressis, secutum est senatusconsultum, ut Heliogabali cognomen ex omnibus publicis deleretur operibus, ne princeps ullus iam Antonini ferret cognomē. Inoleuerat usqueadeò id nomen lōga imperatorum serie, ut iam propemodum populārius opinione hominū, quàm Augustorum, aut Cęsarum haberetur. Sed unius uita adeò coinquinatum omnes credere, ut pro diro & detestabili sit repudiatum. Nicopolis per id tempus quo Roma Heliogabalū tulit, in Palæstina condita est. Olim Emaus fuit. Iulius Aphricanus temporum scriptor eadem tempestate claruit. Prętoriani pòst Heliogabali cędem, Alexandrum duodecim annos natum, imperatorem salutāt. Erat is quoque ex Caracalla genitus, ut Mœsa auia prędicabat. Fuit hęc cum sorore Iulia, ut suprà est significatum Romę Seueri & Caracallæ principatu. Testari itaque anus duas diuerso tempore filias quas secum habuit, cū in aula Seueri principatu uersata est, à Caracalla iuuene compressas, quarum Sœnis Bassianum qui Antoninus Heliogabalus est dictus, inde quadriennio pòst Mammea Alexianum est enixa, qui & Alexandri tulit nomen. Cæterum si altero anno sui imperij perijt Heliogabalus, satis quadrat ratio temporum, ut duodecim esset Alexander annos natus, quum imperator creatus est, si quadriennium habuit principatus ille, quatuordecim annorum fuisse intelligi necesse est, quum imperare cœpit, qua ætate Heliogabalus fuit, qui quadriēnio maior natu erat quum in Phœnicia est imperator salutatus. Fuit Alexander Mœsæ auiæ impulsu ab Heliogabalo adoptatus. Vidēbat prudēs anus fœdissimum nepotis imperium diuturnum esse nō posse. Ne igitur eo sublato in pristinum uitæ statū relaberetur, cum eo egit, ut quando sacris & prophanis curis impar unus esset, consobrinum fratrem adoptaret, qui per ætatem alterutri esset curæ iam propemodum idoneus, aut certè non multo pòst futurus. Eam prudens anus præteruexit causam, quum de imperio esset in primis solicita, ne in alios transferretur. Cæsar itaque appellatus cōtinuo omnium fauorem & studium in se uertit, ut suprà est memoratū: quo contigit ut pòst Heliogabali cædem confestim sit in castris imperator salutatus. Alexander imperium adeptus, matre & auia autoribus, primum omnium à senatu petijt, ut sexdecim ex eo ordine legerentur, qui autoritate & innocentia cæteros anteirent, quibus in cognoscendo & decernendo uteretur consiliarijs. Fuit inde autor patribus decernendi ut omnia deorum simulachra ex Heliogabali templo suis restituerentur sedibus. Quoscunq; Heliogabalus ex sordido loco publicæ administrationi admouerat, dignitate illis adempta in ordinem redegit, forensibus negocijs peritissimo cuiq; legum permissis, exercituū cura militię assuetis ac bellica laude claris. Et quum per hęc aliquādiu imperium administrasset, Mœsa iam ætate confecta, suū obijt diem. Mammea materno spoliata consilio, multo impensius incubuit in filij institutionem, nec pati eum adiri à quoquam malarum artium artifice. Sed autor erat adolescēti, ut in ijs se artibus exerceret, q̄ imperatori necessarjæ essent, adeoq; natura sua sponte mitis maternis profecit cōsilijs, ut quatuordecim annos incruentum egerit imperium, ne uno quidem interfecto. Irascebaturque Mammeæ matri quòd extruendarum opum paulò cupidior esset. Etiam annum tertiūdecimum tranquille pacateq; imperitabat, quū ex Syria & Mesopotamia literis simul & nūtijs affertur Artaxerxem Persarum regem, uicto & interfecto Artabano qui in Parthis latè imperauerat, eius regnum occupasse, imminereq; Ro. imperij finibus, ac insolenter iactare totam Aliam usq; ad Hellespontum Persarum olim fuisse, repetiturum se armis si Romani non spōte illius possessione cederēt: & iam res ad uim apertam spectabat, imminebatq; Artaxerxes Romanis exercitibus, qui ueteri instituto obtinebant fluuiorum ripas. His Alexander nūtijs turbatus, ex suorū cōsilio Artaxerxi scripsit, ut temerario absisteret incœpto. Cæterum tantum abfuit, ut iam inde Barbarus ex sua quicquam ferocia remiserit, quod Mesopotamia incursata Rom. sit castra oppugnare adortus, quibus tumultuose nuntiatis, confestim Alexander præcipit tota Italia delectum haberi, ipse prętorianis ad contionē uocatis, Cuperem, inquit, milites, ut ea apud uos hodie uti oratione liceret, quę & mihi ornamento, & uobis lætitiæ esset, etenim animi longæ paci & ocio assueti, non poterunt non mo ueri subita belli denuntiatione, sed decet uiros fortes, & moderatos semper optima optare, si qua uęro dura & præter spem accidant, eadem illa fortiter ferre: ut enim suauis est & dulcis uoluptas, ita uirtus gloriosa & æterna, maiorq; omnino uirtus est propulsare quàm inferre iniuria. Hoc temerarij est, illud strenui & prudentis. Enimuero qui prior lacessit ipse sibi iniurius uidetur. Contrà lacessitus melius sperat, fiduciamq; ex iustitia mutuatur. Artaxerxes uir Persa, Artabanum regem suum nuper prędicitum interfecit, interfecti regnum occupauit, nec præsenti scelere contentus, res Populi Romani bello lacessere adortus est, monitusq; à me per literas, ut incœpto absisteret, non solū non paruit, sed multo infestior factus, Mesopotamiam prouinciam Romani imperij incursatione fœdauit, nostraque circa fluuios præsidia oppugnare ausus est. Quare excite mini strenui milites, mecumque alacri animo arma induit, ui opus est ut iniuria hæc propulsetur, imo per uirtutem uindicanda est, adimēda hęc nota Ro. nominis, ut Barbari qui toties nostris armis cesserint, ac recentissimis temporibus Seuero auo meo, mox & Antonino patri nūc ultro nobis bellum inferāt. Ite & uos ueterani trophęorū memores quos illorum ductu in ea terra erexistis, recentem ex inuisa gente quærite uobis gloriam, cæteri quibus integra est ętas uestro exemplo discant fortiter dimicare procul domo patriam tueri. Nam quod ad uictoriam attinet, ut ferocius instant Barbari cedētibus,

Heliogabali cædes.

Emaus.

ALEXANDER XXIIII IMPER.

Pulchra administrationis forma.

Bellum Persicum.

Oratio Alexādri ad milites

ita in acie ſtãtibus minime reſiſtunt. Tantum ille locutus edicit militibus, ut ſe ad expeditionem prepa-
Peroratio. rent. Magnus omniũ fauor & conſenſus ſecutus eſt, rebuſq; ad bellum mature comparatis, Alexander Roma proficiſcitur, ſenatui & populo deſiderabilis, per Illyricum ubi copias auxit in Syriam contẽdit. Subſedit nonnihil Antiochię, dum bellum diligentius ornat, periclitaturq; iterum per legatos Artaxexis animum, an ad pacem inclinaret, uerum ubi nihil inde pacati renuntiarunt qui ad regem miſsi fuerant, quin & ab Artaxerxe mox paulò legati affuerunt petentes, ut Romani tota Aſia decederent, ſuperbis & arrogantibus Barbarorum uerbis commotus Alexander, eos comprehẽdi imperat, equisq; & armis ademptis in Phrygiam contra ius gẽtium relegat, uſq; adeò priſca illa Ro. indoles ad id tempus exciderat. Sic olim Antoninus pater Parthorum regem poſt fœdus & affinitatem prodidit. Iam moliebatur Alexander fluuiorum tranſitum, quum milites perpauci ex Ægypto accerſiti à Romanis deſicerunt & in Syria alij nonnihil tumultuati ſunt. Sed hi motus illico compreſsi, animaduerſumq; eſt in ſedi-
Tripertito Alexander bellũ infert. tionis autores. Mouit inde Alexander ex amicorum ſententia in hoſtem tripertito, partem unam copiarum per Armeniam quæ tum Romanis amica erat, Medorum iuber fines irrumpere. Alteram per inferiora loca, qua Tigris & Euphrates confluũt immittit, ipſe media ducit regione, futurũ ratus, ut hoſtes plurifariam petiti confeſtim metu dilaberentur, aut certe diuiſis copijs infirmiores fierent. Fuit id Alexãdri conſilium ſatis tutum ſpecie, ſed euentu infelix, nam & qui in Mediã irruperãt locorũ magis quàm hoſtium iniuria cœliq; inclementia, magna ſunt ex parte conſumpti. Fatigarunt hi tamen nonnihil Artaxerxem locorum aſperitate freti, quę pedeſtribus erant prælijs magis quàm equeſtribus idonea. Alter exercitus qui Parthorum fines irrupit, fretus regis abſentia (ille enim primis Romanorũ motibus occurſurus Mediam petierat cum robore copiarũ) incautius hoſtilem terram peruagari, Alexandri acceſſum præſtolaturus. Cæterum Alexander ſiue metu, ſiue matris ſuaſu, in ueſtigio tenuit exercitum, quo accidit ut improuiſo Artaxerxis in Parthiam recurſu, Romani hoſtili equitatu circũuenti aliquãdiu in orbem dimicare coacti ſcutorũ obiectu ſeſe defenderint, poſtremo Barbarorum multitudine & ui telorum obruti, ad unum fœda occidione occiſi ſint.
Rom. cædes. Tanta uis hominum ibi deleta eſt, ut inter inſignes clades, quas Romani toto oriente aliquando adiere fuerit hęc, ut Herodianus ſcribit, aut omnium fœdiſſima, aut certe inter paucas memorabilis. Fama cladis huius ad Alexãdrum delata, quum aëris intẽperie ſua ſponte languere cœpiſſet, eum ſupra modum affecit dolore ſimulac pudere ſuo metu & deſidia florentiſsimas legiones hoſtibus proditas, & quod ſępe fit ut cladem unam altera ſequatur, ecce & qui in Mediam proceſſere, ipſi quoq; cũ cœlo & hoſtibus colluctati perpauci incolumes retrò abire dicti ſunt.
Duplex Rom. clades. Duplici itaque clade perculſus Alexander, qui in æſtuoſis Meſopotamiæ campis ſedendo, nihil præter militum inuidiam lucrifaceret, corpore & animo ęger, exercitum morbo affectum reduxit in Syriã omnibus propemodũ intuiſus. Sunt multi inde uita defuncti, ipſeq; non prius à morbo cõualuit, quàm Antiochiam uenit. Hic effuſa pecunię largitione primũ omnium ſibi militum animos reconciliauit, & iã de nouo in hoſtes exercitu comparando conſilia agitabat, quum certior factus eſt Artaxerxem exercitum dimiſiſſe, & quod æque fuit illi gratum, indicio cõperit ex hoſtib⁹ nihilo pauciores Romanis cecidiſſe ijs prælijs, quæ in Media Parthiaq; infeliciter alioqui fuerant à ſuis depugnata, uiciſſe Perſas nõ uiribus ſed numero. Cæterum quàm grauiter Perſicæ opes fuerint afflictæ, tempus quod omnia retegit facile demonſtrauit, quadriennio poſtquam hęc geſta ſunt, Perſę omni bellico conatu abſtinuerũt. Remiſerat Alexander his nuntijs omnem rei bellicæ curã Antiochenis captus delitijs, quum trepide nũtiatur Germanos limites tranſgreſſos Romani imperij ꝓuincias uaſtare, oppugnariq; ab eadem gẽte Romana præſidia circa duo flumina, Rhenum & Iſtrum. Tumultuoſis Alexander nuntijs excitus, parte copiarum ad Euphratis cuſtodiã relicta, ne Perſæ nudam Po. Rom. prouinciam inuaderent, cum cætero exercitu ad Rhenum cõtendit, quo ponte ſuperato cum Germanis aliquoties feliciter pugnauit. Erat Alexander ſubtimido ingenio, & ob id ocij magis q̃ belli ſtudioſus. Medio igitur rerum actu, etſi omnia proſpere fluerent, conſilia tamen agitabat de pace à Germanis redimenda. Ferre id ægre milites, ducisq; metum incuſare, qui inter belli pacisq; moram ociũ tereret, quũ Germani bello potius ulciſcendi eſſent, quàm auro ditandi. Premebat recẽs inuidia Alexãdrum, erantq; uulgo milites & matri, cuius ille prẽceptis obtemperabat, haud mediocriter infenſi, quã occaſionem adepti tyrones, rerum nouarum cupidi, Maximinum uirum fortẽ, ſub quo haud procul à caſtris Alexandri exercebantur, militari inſtituto tumultuoſe imperatorem ſalutant, dubiũ eius motus & defectionis ignarum, totiusq; conſilij expertem, an homo callido barbaroq; ingenio imperandi cupidus totũ id negocium ſibi arte cõcinnarit. Purpuram, quod ſatis cõſtat, non prius accepit, q̃ ſtringi in ſe ferrum uidit. Repẽte igitur correptis ſignis, tyrones ad Alexandrum opprimendum contendunt, ut feſtinato curſu nuntium præuenirent. Præuertit tamen fama Maximini acceſſum, qua perculſus Alexander cõfeſtim tabernaculo egreſſus militũ fidem cum lachrymis implorauit. Mouit miſerabilis aſpectus exercitum, plurimiq; operam ſuã polliceri. Cęterũ ubi Maximinus adeſſe dictus, cõſpectusq; procul puluis, aperta defectio ſecuta eſt. Alexander ab omnibus deſtitutus, in tabernaculũ refugit, ubi cũ matre & amicis Maximini iuſſu interficit. Et hęc Herodianus: cui ne temerè accedam, Lãpridij facit autoritas, fuit is aliquanto recentior, nec eorum ignarus quæ ille in ſua ſcripſerat hiſtoria, igitur annales, autoresq; haud ignobiles ſecutus, quędam omnino ab Herodiano diuerſa haud imprudens ſcribit, multa præterea memoratu digna ab eo traduntur, quæ non tam pro falſis repudiata uideri poſſunt ab Herodiano, quàm parum perquiſita. Natus itaque eſt, ut ille ait, Alexander in Arcena urbe Syriæ, die quo olim magnus Alexander perijt, atque in tẽplo quod in ea terra fuit illi ſacrum, quũ feſto die illuc Mammea mater ueniſſet, ſacris operatura. Caſus itaque puerperij fecit ut puero ſit Alexandri nomen inditum, pater Varius illi fuit, ſed Mœſæ auiæ mendacio Antoninus Caracalla creditus. Serapione dicendi magiſtro uſus eſt foris. Romæ Iulio Frontino, Bebio Macrino & Iuliano Granio, cuius declamationes diu poſtea extiterunt. Signa quibus præmõſtratum eſt illi imperium. Olympia nutrix, quo nomine fuit magni Alexandri mater, & Philippus nutritius. Antonini & Magni cognomina imperator creatus repudiauit. Sed quam in hoc ciuilis, tam in natale ſolum inſolens, qui gentis ſuæ ſtemma ad Metellum referens, Syrus neque dici neque credi uoluit. Innocentiæ fautor. Furibus infenſus, cuius criminis conuictos non ſolum mulctauit, ſed leui etiam ſuſpicione reſperſos nũquam ad ſalutationis officium admiſit, ad omnem talium ſordiũ mentionem digitum intendẽs, tanquam oculum ſontibus effoſſurus, Verconium Turinum fumo necari iuſsit quod uanam ſpem rerum à principe impetrãdarum ciuibus uenderet, præcone clamãte. Fumo plectitur qui

Nuntius Germanici belli.

Alexãder cum matre interficitur.

Pulchrum plicij genus.

qui fumum uendidit. In expeditionibus ſi qui in alienum fundum graſſabundi aberraſſent, graui ſupplicio aut ignominia affecit, atq; in crimine uindicã do præconem admonebat, qui identidem illud, ut Lampridius ait, à Chriſtianis acceptum inclamaret. Quod tibi non uis, alteri ne feceris. Id præceptum ſemper in ore habuit, & in Palatina domo pluribus iuſsit locis inſcribi. Fuit, ut mihi uidetur, Alexander poſt Adrianum omniñõ imperatorũ primus, qui ex ijs tenebris quibus pars mortaliũ adhuc multo maxima erat immerſa, ueræ pietatis cœpit lumen intueri. Optarant ſibi ad pium uſum Chriſtiani homines publicum quendam locum, de quo quum popinarij illis litem intenderent, conſultus Alexander reſcripſit. Satius ſibi uideri ut deus eo loco coleretur, quàm ut popinarij tenerent. Teſtari etiam à ſuis indigne fieri, quod quum Chriſtiani nõ prius ſacerdotem legerẽt quàm uitam & mores eius exploratos haberent, ab ipſis quibus hominum fortunæ & uita crederẽtur tam boni quàm mali ſine diſcrimine prouinciarũ rectores fierent. Scribit adhæc ſtatuiſſe Alexandrum in Lario inter domeſticos deos Chriſti ſimulachrũ, habuiſſeq; in animo illi templum erigere, atq; inter deos recipere, quod facere multo prius Adrianus cogitaſſet, qui urbibus pleriſq; templa ſine ſimulachro ullo, aut dei cuiuſquã titulo excitari iuſsit, quæ poſt illius obitum, quia nulli eſſent deo ſacra, Adriani cœperunt nuncupari, ſed prohibitum eſſe Adrianum à deſtinata dedicatione aruſpicũ reſponſis, qui ab eo cõſulti dixiſſent futurum, ut omnes Chriſtiani fierent, cæteraq; templa cultu deſtituerentur. Et Alexander gentili alioqui uanitate à pueris imbutus ita Chriſtianæ fuit pietati affectus. Militarem diſciplinam tam ſeuere rexit, ut ad Perſicum bellum profecturus, totam legionẽ ademptis armis exautorarit, quia apud Daphnẽ in Syria milites ſcortari, intempeſtiuæq; potationi indulgere dicerẽtur. Nec prius reſtituit, quàm in tribunos qui omnium fuerant malorum cauſa, ſit publicè animaduerſum. De bello in Artaxerxẽ geſto, omnia diuerſa ſunt quę Lampridius ſcribit, ab ijs quę ex Herodiano autore ſunt ſuperius memorata. Is ubiq; rem bene & feliciter geſtam prodidit. Alexandrumq; non ſolum non ſuis defuiſſe, ut ille memorat, ſed prælio etiam interfuiſſe, ſuaq; præſentia monẽdo, & obequitando plurimum ſuorum uictoriam iuuiſſe. Conflixit Alexander illa acie, ut ipſe poſtea in curia teſtatus eſt, cũ cẽtum, xx. milibus equitum leuis armaturæ, elephantis dcc. mille & octingentis falcatis curribus, quorũ mille ſint in acie capti. Elephãti quingenti aut in caſtra adducti, aut interfecti. x. milia caraphractorum equitum cæſa, quos Perſæ clibanarios dicerent, qui bus prẽclare geſtis triumphum imperator egerit clariſsimum, poſtquam Romam uictor reuerſus eſt, cuius currum quatuor uexerint elephãtes, quæ omnia tam diuerſa ſunt ab ijs quæ Herodianus ſcripſit, ut neque pro ueris affirmare audeam, neque pro falſis repudiare, etſi ob ea quę diximus magis ad Lampridium inclinat animus, tum quia ipſe quoq; nõ ignorauit fuiſſe qui Alexandrum non modo non uiciſſe criminarentur, ſed ne uinci poſſet, hoſtem refugiſſe, quam calumniã uidetur Herodianus ſecutus, quũ pluriũ ſcripta uictoriæ aſtipulentur, quæ multiplex & uaria uno tempore illi legatorum ductu contigerit, ut in Mauritania, quam prouinciam Furius Celſus feliciter adminiſtrauit. Varius Macrinus in Illyrico, in Armenia Iunius Palmatus, ſintq; ab omnibus laureatæ literæ ad imperatorem miſsę. Habuit in exercitu ad Magni Alexandri imitationem Argyraſpidas. Magna in militari diſciplina ſeueritas, præſertim in cohibenda militum licentia, domi multo ſeuerior. Nullam legem ſanxit ſine uiginti uiris iuriſcientię peritis quos in conſilio habuit, & in his Fabium Sabinum Sabini uiri inſignis filium. Domitiũ Vlpianum, Iulium Frontinum, Pomponium, Alphenum, Aphricanum, Martianum, Caliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Triphonium, Metianũ, Proculum, Modeſtinum, omnes Romani iuriſcientia inſignes, & qui operam Papiniano dederant. Affuit illi & Venatus orator ea tẽpeſtate nobilis. Illud uero in principe mirũ in primisq; memorabile, quod Quinium Camillum familię uetuſtate clarum, affectati imperij conuictum, non ſolum non occidit, ſed gratiam etiam illi egit, quod reipublicæ curam quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſua ſponte reciperet: perductumq; ad ſenatum, ac ſibi timentem imperij cõſortem appellauit in curia, inde in palatium reuerſus cõuiuio adhibuit, imperatorijs inſignibus ornauit. Inde Perſica expeditione quum Alexander pedibus iter faceret, illũ equo uehi paſſus eſt. Poſtremo quum militiã detrectaret, remitteretq; ſua ſponte omnem dignitatis appellationẽ, cum inſignibus libere dimiſſus eſt, uixitq; inde aliquandiu in agro, ubi Alexandri iuſſu eſt demum interfectus, quia uir militaris eſſet, militibusq; dilectus ſupra quàm ipſi principi tutum putaretur. Id clementiæ exemplum in Traianum uulgus reijcit. Cęterum Septimius Acilius, Encolpius, & Lampridius hos ſecutus ad Alexandrum referre maluerunt. Annua ſalaria Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruſpicibus, Machematicis, & Architectis inſtituit. Et in prouincijs annonam oratoribus, qui comperti eſſent in foro graris agere. Nihil auri unquam in templis repoſuit, illud idẽtidem ſuſurrãs. In ſancto quid facit aurum? Obtulit dono ipſius permiſſu legatorum unus Memiæ uxori ſuæ uniones duos immenſi pretij, quos confeſtim uenundari iuſsit. Cæterum quum nemo eos licitaretur, dubium ob immenſum pretium, an ut in uidia declinaretur, negauit uxorem ſuam uti oportere quod emi non poſſet, eosq; Veneris inauribus dedicauit. Gẽmas in uniuerſum aſpernatus eſt, multo meliores dictitans in Marone eſſe, quem poẽtarũ Platonem appellabat. Romę quędam uetera inſtauarauit opera, nonnulla ab imo extruxit. Thermas ſui nominis hic ubi Neronis fuere, earum ueſtigia ſunt, ut quidam arbitrantur, quę hodie Romę inter circũ Flaminiũ (nunc agonẽ dicunt) uiſuntur & Euſtachij ædem. Aquæductũ quæ Alexandrina eſt deinceps dicta. Ex duob⁹ marmoribus omniũ primus diſtinxit opus Porphyritico & Lacedæmonio. Id Alexandrinũ nuncupatũ. Inchoauit & Baſilicã inter ſepta, & campũ Martiũ, ſed morte prævertus non perfecit. Id in Baiano ꝓtoriũ extruxit & ſtagnũ ingẽs admiſſo mari. Habuit in animo omnibus artibus ordinibusq; ciuitatis ſuum ueſtimenti genus aſsignare, ut ueſtitu dignoſcerentur. Cęterũ Vlpiano & Paulo iuriſciętiæ peritis diſſuadentibus, mõſtrantibusq; id parũ cõducere cõcordiæ ciuiũ, ob iniurias quę inde in minus potẽtes poterãt exiſtere, incœpto deſtitit. Prouinciarum præſides more maiorum inſtruebat. His in prouinciã profecturis uicena argenti pondo dabat, phialas ſenas, mulos binos, & totidẽ equos, ueſtes foréſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos cẽtenos, coquos ſingulos, & ſi uxorem non haberẽt ſingulas concubinas, qui per ętatẽ ſine illa eſſe nõ poſſent. Et hęc illi accipiebãt, equos, mulos, coquos, & muliones reddituri, poſtquam prouincia deceſsiſſent. Non ſcenicis uoluptatibus ſuper cœna capiebatur, ſed coturnicum certaminibus, & gallinaceorum, aut catuli & porcelli. Oblectabatur & palumborum frequẽtia, ut uiginti milia uno tẽpore habuiſſe dicatur. Fuitq; ille domi & militiæ talis. Cæterũ ad Germanicũ bellum profectus ſeditioſas legiones ignominia notauit, quæ res in ipſius exitium uertit, ut quidã ſcribũt, in Britanniaq; ſubita militum cõſpiratione cum matre oppreſſus eſt: alij Maguntiæ dixerunt, nonnulli in Sicilia Gallię uico. Herodianus, quod memoratum eſt, tyronũ

Alexandri reſcriptum.

Attende inelytum triumphũ

Quibus conſtitutis ſit Alexander uſus.

Alexandri ſtudium in profeſſores artium.

Quid Alexander habuerit in animo.

Varia opinio de Alexandri cæde.

defectionem Alexandro & Mammeæ matri exitio fuisse ait, à cuius opinione Lampridius nõ omnino abhorret. Cæterum, quacunque ui oppressus est, & undecunque illi defectio orta, perijt Alexander anno ex quo imperare cœperat tertiodecimo, alij unũ adijciũt, undetriginta annos natus, sic autores quos sequimur: quod si sic est, aut maior natu ad imperiũ accesisse credatur necesse est, aut biennio amplius imperasse, inter iustos & moderatos imperatores iure reponendus, & qui nisi auaritiæ suspicione laborasset, quæ nulli certe nocuit, ac quæcunque fuit in matrem potius reijcitur, cuius obseruantissimus fuit, moderatione alioqui, omnium ciuilium uirtutum indole cuilibet optimorum principum merito conferri possit. Præfuit ecclesiæ Alexandro imperãte Vrbanus pontifex qui Calisto successit. Sic Eusebius digerit tempora. Platina Vrbani pontificatum in Caracallæ imperium reijcit, sed potuit utriusque principatus esse particeps. Fuit Vrbanus sanctitate uitæ & doctrina singulari, multos is mortales traxit ad ueræ fidei cultum, & in his Valerianum uirũ nobilem cui Cæcilia uirgo erat desponsa, & Tyburtium Valeriani fratrem, qui constanter inde martyrium tulere. Est & Cæcilia eundem exitum sortita, paterna domo prius deo per Vrbanum dicata. Is primus autor fuit fundos & prædia recipiendi à cultoribus fidei oblata, uectigaliaque inde exacta in sacrorum ministros diuidendi. Vrbani esse aiunt quidam, quatuor anni temporum ieiunia. Claruit sub Vrbano Triphõ, quem Origenes docuit. Minutius Felix actor causarum insignis, cuius Lactantius meminit. Dialogũ scripsit de Christiana & Ethnica religione. Scripsit & contra Mathematicos. Fuit his q̃ualis Alex. Hierosolymorum antistes, constituit is celebrem in ea urbe bibliothecam. Reponit Eusebius & Origenem in hæc tempora, qui præter ea quæ de ipsius ingenio adhuc prodidimus Alexandrinæ sacerdos fuit ecclesiæ, unde à Mammea, ut nonnulli scribunt, fuit Antiochiam accersitus, ut alij ex Antiochia Romam, ut de Christiana religione differentẽ audiret. Nam & Mãmea fidẽ Christi amplexata est, ut opinati sunt quidam, quod non abhorret ab ijs quæ de Alexandri in Christianũ nomen studio memorię prodidit. Porphyrius omnia Platonis secreta Origenem tenuisse arbitratus est. Scripsit tamen aliqua à Theologica opinione diuersa, in quibus illud est insigniter erratum, quod futurum scripsit, ut Christus sua pietate, non tantum hominem, sed angelos qui cœlo ruerant redimeret, propheticum carmen secutus. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Fuit & Plotinus Origenis condiscipulus, quem Marsilius Ficinus Florentiæ natus, fecit Latinũ, fecit & Platonẽ magno nostratium literarum incremento. Sed his aliquanto iunior Porphyrius, quem Plotinus docuit. Fuit is Tyrius patria, conscisset que sibi mortem aliquando atra bile percitus, nisi præceptoris autoritate qui sagaciter id prospexerat, à proposito esset reuocatus. Fuit Christianę pietatis oppugnator acerrimus. Vrbanus martyrio cõsumptus est anno quinto sui põtificatus nondum acto. Tyburtina uia humatus est in Prætextani cœmiterio. Pontianus Quiritij sanguinis Calpurnio patre genitus Vrbano subijcitur, undeuigesimus ecclesiæ præfuturus. Incidit huius pontificatus in Alexandri imperium, ut scribit Platina, cui, ut uideo, nihil cum Eusebio conuenit: quo fit ut sæpe anceps animus trahatur utrouersum inclinet. Cæterum Platinam libentius sequor, nam in Eusebio librariorũ incuria merito suspecta est, quan quam Platina, quod miror, sæpe ea dicit quæ nihil obscure sibi repugnãt. Enimuero quid magis absurdum dici potest q̃ tradere Alexandrum tam Christiani cultus studiosum fuisse, ut Saluatoris effigiẽ in in Larario habuerit, habuisseq; in animo illi templũ erigere, mox loco non multum diuerso tradere Pontianum pontificẽ cum Philippo presbytero in Sardiniam illius iussu deportatum, præsertim quũ in cunctis fuerit Alexander constantissimus? Multo igitur uero similius est quod Eusebius scribit, altero Pontiani anno Alexandrũ perijsse, cui Maximinus successit Christiani nominis inimicissimus, ut equidẽ sit credere, huius non Alexandri iussu, Pontianũ ob Christi nomen, cuius uicariam gerebat personam, uexari contigisse: quid quod ne tempora quidem satis quadrant? Platina Pontiani creationem in eum annum reponit, qui humanæ salutis ducentesimus fuit ac quintus & xl. cui numero Eusebius nouem adimit annos. Hoc igitur autore præterierant anni, quum Pontianus sedere cœpit, ab eo qui primus fuit humanæ salutis, ducẽti triginta sex, ab urbe cõdita noningenti lxv. à primordio mundi quinq; milia quadringẽti quadraginta. Pontiani pontificatu Origenes Germanum Antiochenæ presbyterum, & Berillum Arabum antistitẽ à nefaria hæreseos oblucinatione ad lumen ueręfidei retraxit. Negabat Berillus fuisse Christum antequã incarnaretur. Fuit in Origene tam uelox ingenium, fœcundaq; eruditio, ut uix septem actuarij sibi adinuicem succedẽtes uni satis essent dictanti. Pontianus in Sardiniá delatus, multa & grauia pro fide & ecclesia passus, quinto pòst anno q̃ sedere cœperat interijt. Corpus eius Fabianꝰ põtifex qui uno Anthero interiecto illi successit, ex Insula Romã deportauit. Maximinus, ut ad res imperij reuertatur historia, à Germanicis exercitibus receptus, militari prærogatiua contentus, omnẽ senatus, quod nemo ad id tempus fecerat, neglexit autoritatẽ, & quod gratia & beneuolentia non dabatur, fœuitia terroreq; imperiũ sibi stabilire est adortus, terribilisq; uideri maluit q̃ iucundus haberi ijs quibus ob fortunæ sordes neq; gratus, neq; uenerabilis esse potuit. Homo truci ingenio & quẽ media Barbaria genitũ agnoscas. Ignobilis Thraciæ uicus fuit illi patria, tam humili loco natus, ut omnes domesticarũ sordiũ cõscios princeps occiderit, ne obscuritas gñis parẽtúmue humilitas illorũ indicio ꝓderẽt, fuitq; ab initio pastor, mox prima stipẽdia sub Seuero fecit Alexandri auo. Forma staturaq; fuit uirili, decorus facie, ingenio ferus, atq; omniũ contemptor. Interdũ etiá æquitatis fautor. Seuero ab initio est conciliatus campestri certamine, quo lixas septẽ unũ post aliũ prostrauit, cum his ob ignobilitatẽ est primo luctari iussus, mox altero fudore totidẽ milites, quare aureo est torque ab imperatore donatus, ascitusq; inter laterũ stipatores, ac tũ demũ illustrari cœptus est, corporis uastitate & cãdore insigni, oculisq; uegetib⁹ sua sponte cõspicuus. Mirũ est qđ Capitolinus de eo scribit, sæpe uno die bibisse uini amphoram. Comedit & libras carnis quadraginta, Cord⁹ Capitolino autore sexaginta scripsit. Sudore sui corporis ubertim fluentẽ calice excipiebat, ut interdũ ex eo tris impleuerit sextarios. Tyronũ legionẽ quã sub Germanici belli tẽpus accepit instruẽdã, quotidie exercuit, unaq; ipse exercebaꝫ, quinos senósue milites quotidie sternebat, tũ tribunorũ unꝰ uir spectatę uirtutis cauillabũd⁹, Quid mirũ, inquit, si Tribunus milites uincit? Hũc ex prouocatione cõgressum primo impulsu ad terrã deiecit, exclamãs, Date alium, sed Tribunũ. Fuit, ut Cordus scribit, octonis pedibus, atq; uno digito maior, pollice iraq; pinguí, ut uxoris dextrocherio pro annulo uteretur, ui tãta, ut equũ pugno percussum nudaret dẽtibus, crura calce perfringeret, tophaceos lapides fricaret digitis, maiusculasq; arbores dimidiaret, quæ uirũ multiplex experiẽtia effecit, ut Anteum quidá eum uocarẽt, alij Herculẽ, aut Milonẽ Crotoniatẽ, & Maximinus tam ualido fuit corpore. Sæuitia in eo plus quàm barbara, sed sæuior factus post imperiũ receptũ, partim sua sponte, ut exercitus & populos metu in

Origenes à Mammea accersitur.

Vrbanus pontifex.

Vrbani pontificis decretum.

PONTIANVS XIX. PONT.

Anni mundi.

Seua Maximini natura.

Maximini bibacitas.

Corpulẽtia Robur.

tu in fide contineret, partim uarijs suorum in se conA iurationibus exacerbatus. Coniurauit in eum Magnus uir patritius & consularis cum multis, qui id consilij in eo perdendo cepisse dicuntur, ut Istrum ponte transgressum, eo rescisso ponte, illum hostibus trucidandum relinquerent, quando Ister magnitudine & uiolentia aquarum transnari non posset. Scribunt quidam Magnum cum suorum manu abrupto ponte, illumque à cætero exercitu exclusum obtruncare statuisse. Cæterum coniuratione prodita, princeps coniurationis & socij indicta causa interfecti sunt. Multi persuasum habuere eos falso crimine perijsse, eamque calumniam à Maximino compositam, ut honesta sibi occasio daretur in Magnum & alios sæuiendi. Est & alia defectio Osrhoænorum secuta. Quartinum quendam uirum fortem à Maximino dimissum subitò corripiunt, correpto & retrectanti purpuram tumultuose induunt, dantque imperatoris nomen, sed Quartinus haud multo pòst dormiens occisus est à Macedonio (id fuit interfectoris nomen) qui quum Osrhoænis præfuisset, iniquoque animo ferret in alium imperium translatum, ut ultor eius defectionis cuius ipse âutor fuerat, crederetur, hunc quem nuper cum suis inuitum compulerat ad imperium recipiendum, perfide obtruncat. Caput ad Maximinum defert. Fuit ea res pergrata principi, sed proditor inuisus, quem breui pòst extremo affecit supplicio. His ferum illud ingenium insidijs exagitatum in tantam euasit sæuitiem, ut Cyclops à quibusdam ob animi immanitatem diceretur. Ab alijs Busiris, Phalaris, Typhon appellaretur. Multi Romæ circa templa tacitis se uotis obligarunt, si prius perijsset Maximinus quàm ad urbem ueniret. Adeò eius sæuities fuit omnibus formidolosa. Ipse in Germaniam transgressus, quadringentis ferè passuum milibus hostilem terram uicatim populatus est, nullo ei obuiam prodeunte. Vbi uero ad paludes uentum est, quibus se tuebatur omnis Germanorum multitudo; primus omnium non sine aperto uitæ discrimine, in hostes equum per altas immisit uoragines, aquisque supra quadrupedis latera immersus, pugnam conseruit. Traxit audax imperatoris facinus uniuersum exercitum in difficile & anceps certamen, dimicatumque est atrociter cum Germanis medijs aquis, tanta hostium strage, ut mutata sit aquarum facies, stagnumque cadaueribus oppletum. Parta igitur ingenti uictoria, Romam scripsit. Non possumus patres cõscripti tantum loqui quantum fecimus, quadringentis milibus passuum hostilem terram afflximus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus, processissem ad fyluas nisi stagni altitudo inhibuisset. Iussit & tabulas cum omni rerum gestarum serie figurari, quæ in uestibulo sunt curiæ affixæ, ut gesti belli magnitudo nõ tantum auribus sed oculis perciperetur. Multa inde in Germanos gessit, gentemque præferocem uarijs affecit cladibus, quibus gestis ita ad senatum scripsit. Breui tempore P. C. tot bella gessi, quot nemo ueterum. Tantum prædæ in Romanum solum auerti, quantum sperari non potuit. Captiuorum numerum adeò ingentem, ut uix Romani imperij fines capiant. Et Germanicum bellum Maximinus tam magno administrauit successu. Germania pacata Syrmium petijt, Sarmatis bellum illaturus, eo consilio, ut ad Oceanum usque Sarmaticum Romanum propagaret imperium, omni Arctoa plaga latè longeque domita, eratque in ornando bello occupatus, quum ab Aphrica prouincia destituitur. Erat in Maximino præter sæuitiem omnibus suspectam, auaritia urbi & prouincijs exitialis, ubique ad delatorum arbitrium iuxtà nobiles prædiuites que indicta causa rapiebantur ad supplicium, expilabantur sacra

Quartini motus.

Cyclops dictus Maximinus.

Maximini ferocia in Germanos.

Literarum forma.

Auarus & sæuus Maximinus.

prophanaque loca à Maximini procuratoribus, quaB iniuria inexpiabile illi odium erat ubique contractum. Cæteris uero quiescentibus, Carthagini perpauci nobiles adolescentes paternis bonis leui calumnia periclitaturi simul coniurant, occulteque agrestium manu in urbem accita, Maximini procuratorem adorti, facta ministrorum fuga, obtruncant, inde uno agmine Tisdrum contendunt, ubi erat Gordianus proconsul, homo iam octogenarius, clara familia ortus, paternum genus illi ex Græcia, patre Metio Marullo, Olbia matre, liberalium disciplinarum cultor fuit uehemens, scripsit poëmata uarij generis, ac seorsum Antoniniadem, quo carmine est Pij & Marci Antonini gesta triginta uoluminibus complexus. Nemo priuatus plura in prouincijs possedit. Ædilis singulis anni mẽsib⁹ singula dedit populo spectacula, eáq; adeò sumptuosa ut ad quingena gladiatorum paria interdum exhibuerit, nunquam minus centenis quinquagenis, mille ursos uno die, feras Lybicas centum. Habuit syluam in qua fuerunt cerui palmati, equi syluestres triginta, alces decem, tauri Cypriaci centum, struthiones trecenti, onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducenti, ac totidem damæ, quæ omnia populo diripienda dedit, eo die quo sextum edidit munus. Idem Romanorum primus, palmatam togam & tunicam pictam suam habuit, quum ex Capitolio peti consueisset. Fuit decora facie, ruber magis quàm candidus, oculis, ore, & fronte uerenda. Quum frequens igitur iuuenum globus ex improuiso senem circunsteti isset, stupentem ac sibi timentem, tumultuoso clamore imperatorem salutant. Accesit continuo militum consensus, adeò cunctis Maximini nomen oderant. Sunt qui tradant cædem Carthagini editam militum impulsu, nec Gordianum multum tum salutantium consensui repugnasse. Sed utcunque tunc ille affectus fuit, recepta Augusti appellatione, cum omnibus imperij insignibus Carthaginem uenit. Multæ continuo ciuitates ad eum defecere, præsentem rerum statum pertæsæ. Gordianus ad senatum & populum scripsit, quid in Aphrica actum esset. Sumpsisse se arma pro omnium gentium liberatione aduersus immanissimam beluam, optare tamen ad id curiæ & populi consensum. Hæc ille simul scripsit, simulque Romam quæstorem cum fidissimis centurionibus misit, qui Vitalianum Maximini procuratorem ex improuiso obtruncarent. Patres & uniuersus populus ratum fecere Gordiano imperium. Maximinus hostis iudicatus est, eius nomen abolitum, statuæque subuersæ. Senatus reputans animo quid sibi & uniuersæ ciuitati patiendum esset ab armato hoste & natura immanissimo, si ille Romam cum legionibus uenisset, ad omnes eius conatus infringendos de nouo imperatore, deque patrum & uniuersæ ciuitatis consensu, ad exercitum & prouinciarum præfectos dant celeriter literas, ut pro Republica aduersus hostem iudicatum arma comparent, urbes & totam Italiam per partes muniunt, ut ex agris in munitiora loca deferantur, decreto edicunt, sed hæc alii quanto tumultuosius, nam quod ad primum senatusconsultũ attinet, quo Gordiano seni, & eius filio Augustorũ appellatio cũ imperio est decreta, adeò occultè sunt omnia in senatu acta, ut nõ scribæ, non serui publici, non alij publicorum consiliorum ministri sint tum in curiá admissi, sed senatores omnibus amotis arbitris, illorũ munera obirent, nequid eorũ quæ fierẽt prodereẽ. De hoc secretiore decreto Maximinus ad urbis præfectũ scribens, his uerbis ilIius carpsit ignauiã. Senatusconsultũ illorum principũ legi, qđ tu præfectus urbis factũ esse fortasse nõ nosti, quod duo Gordiani per hæc Augustorũ sunt nomẽ adepti. Fuit iunior Gordianus, ut de hoc quoque breuiter dicã, literis & moribus insignis, forma conspicuus,

Gordiani opes

GORDIANVS. XXV. IMPER.

Maximinus hostis iudicatur.

Occultum senatusconsultũ.

Iuuentus Gordiani ingeniũ.

conſpicuus, memoria admodum tenaci, tantæ probitatis, ut quum æqualiũ aliquis apud præceptorem flagro adhiberetur, daret in id ſuppliciũ lachrymas. Sammonicus Serenus præceptor adeò eius ingeniũ probauit, ut bibliothecã illi ſuam dudũ & ſexaginta milium uoluminum teſtamento legauerit, libido in fœminas ut nimia & immoderata accuſatur, quippe qui uno tempore duabus & uiginti uteretur concubinis, ex quarũ ſingulis ternos quaternósue tulerit filios. Illud in duobus Gordianis memorabile, q̃ ſenior Auguſto fuit principi tam ſimilis, ut non ore tantum illum referret, ſed uoce, moribus, & ſtatura. Filius de quo hæc, proximè prodita ſunt, Magno Pompeio ſimillimus. Tertius Gordianus quem hic procreauit, Aſiatico Scipioni qui maioris fuit Aphricani frater. Prodito ſenatuſconſulto et Maximino iam hoſte iudicato, Sabinus præfectus urbis interfectus eſt, qui ad tumultum opprimẽdum occurrerat, quo
Vrbana cædes. inſignis eſt cædes in urbe edita, per eos qui in ſuorum creditorũ domos impetum fecere, uelut in Maximini amicos graſſaturi. Cęterum eſſet ne Sabinus à Gordianis urbi præfectus, an is eſſet ad quem Maximinus ſcripſerat, haud facile dixerim. Et hæ Romę & in Aphrica paucis ſunt dieb. geſta, q̃ę poſteaquam Maximinus ita facta eſſe comperit, homo ſuo ingenio ferus, ſic ira exarſit, ut nũc caput parieti impingeret, affligererq́; ſeſe humi acueſtem ſcinderet, nunc gladium temerè arreptum in uniuerſum ſenatum ubraret, uerberaretq́; ſi qui illi conſolandi gratia apparerent. Eruiſſet & filio oculos, niſi ille ex ſæuientis conſpectu ſe maturè proripuiſſet, requirebat iuuenem ad ſuppliciũ Maximinus, quod confeſtim Auguſtus appellatus, non Romam profectus eſſet, ut ſui fuerat conſilij. Hæc Iulius Capitolinus. Contrà ne ſignum quidem ullum doloris ab eo editum ſcribit Herodianus, ſed totum biduum ſilentio exactum, inde ad milites egreſſum, ſic pro concione locutum. Rem uobis nouam milites, & propemodũ
Oratio Maximini ad milites. incredibilem affero, & quæ non minus admirationis habeat quàm riſus. Inferunt nobis bellum non Germani genus hominum ferox, hos enim non ſolum uiciſtis, ſed eorum opes ita ſunt uirtute ueſtra affectæ, ut ne ſuſpirare quidem audeant, nec Perſæ quicquam hodie in uos moliuntur, qui iampridem ſuis finibus contenti boni conſulunt, Germanorum cladibus edocti, libenter ocium armis præferunt, ueſtram in re militari gloriam pertimeſcentes, iam pridem haud ignari, quãtus ſit in re bellica is, cuius ductu militatis, quum Euphratis ripam præſidio obtinuit. Sed nunc Carthaginienſes cum Gordiano ſene & ob ætatem deliro, ad res nouas conſurgunt. Dubium perſuaſus ille an coactus nomen ludit imperij, & qd̃ plus omnino mirari poſitis, nulli ſunt in Aphrica exercitus, quibus ille fretus rem tantã mouiſſe uideri poſſit, nec auxilia ulla in ea terra expectãda, quæ ſit ſua natura infreqũs, & iam diu bellis deſueta, non arma, non equi, non deniq; res ulla quę ad id facinus hominem ſanę mentis poſſit impellere. Nec uos illa moueant quæ ex urbe nuntiãtur. Vitalianus fraude, quod ſatis conſtat, interfectus eſt: q̃ inſtabilis ſit præterea urbanæ multitudinis natura, iam antea intelligitis. Leui momento huc atq; illuc fertur, clamoribus multo aptior q̃ certaminibus, parata ſemper fauorem inclinare unde paululum fortũna arriſerit, magis proprij quã publici periculi memor, & nunc ſi pauci milites arma habentes, eximpromiſo conſpecti ſint, confeſtim ſoluãt trepida multitudo turpisq́; fiat fuga. Nec multo magis miranda ſunt quæ in curia facta dicuntur. Durior uideatur ne ceſſe eſt ijs qui in ocio & luxuria agunt militaris hęc continentia, morumq́; ſimilitudine adductus, non erubuit ordo ille ignauam hominis uitam bellicæ uirtuti anteferre, iam illi fortiſſima quæque ac grauiſſima pro aſperrimis, diſſoluta & mollia pro mitibus & uoluptuarijs habent, atque hinc eſt, ut noſtrũ imperium, quia induſtrium ſit & moderatum reformident, Gordiani nomen ament, cuius infamia nemo eſt ueſtrum, ut arbitror, cui iam antea non ſit nota. Cum huiuſmodi igitur hominum imbellia uobis milites bellum futurum eſt, ſi bellum appellari poteſt, ubi nemo ex aduerſo ſtaturus ſit. Enimuero ſic mihi perſuaſum eſt fore, ut quum Italiam attigerimus, ex urbe multi occurſuri ſint, atque ad pedes cum lachrymis obuoluti ſuppliciter ſint ueniã precaturi, aut certè fugam præoccupabunt, ut mihi magis liberum ſit illorum bona uobis attribuere, quibus in perpetuum fruamini. Hæc ille: ſimulq́ue ira *Peroratio.*
rum plenus, profectionem in Italiam edicit. In Aphrica interea magna rerum perturbatio ſecuta eſt. Erat in Mauritania Capelianus cum exercitu. Huic Gordianus confeſtim ubi imperator ſublatus eſt, ſucceſſorem miſit, ob reſiduum ueteris cum eo ſimultatis odium. Sed is non modo non ceſſit, ſed ut ſuam Maximino fidem probaret, exturbaretq́ue uterem inimicum faſtigio dignitatis, cum numeroſiſſimo exercitu Carthaginem petijt. Proceſſit huic obuiam Gordianus iunior cum incondita Carthaginienſium multitudine, qui leui prælio uictus con- *Iunior Gordianus interficitur.*
cidit. Sunt Pœni inde prædicare ſoliti, non minus fœda cœli tempeſtate quàm hoſtili ferro ſuorum aciem diſiectam, uarieq́ue afflictam, quod eò prodigioſius fuit quo in ea terra rarius pluit. Carthaginienſes fuga diſſipati, paſſim cæſi ſunt, nec alibi maior cędes edita quàm in portis urbis, ubi dum quiſque pro ſe feſtinat urbem ingredi, Maurus iaculator turbatum agmen ac pugnæ immemor telorum multitudine confixit. Gordianus ſenex ubi hoſtem *Seniorſuſpenditur.*
adeſſe ſenſit, ſuſpicatus quod uere acciderat, filium perijſſe, cubiculum ingreſſus, propria ſe zona ſuſpendit, quum annum unum & dimidium imperaſſet. Sunt qui ante filij interitum eum ſibi uim intuliſſe credant, diffiſum ſuis uiribus, ſed eius mortem in occulto habitam, ductuq́ue Gordiani iuuenis hoſtibus itum obuiam, acuictis Aphris una acie debellatum. Carthago capta hoſtiliter uexata eſt, omnia ſacra prophanaq́ue direpta. Principes eius ciuitatis tanquam autores eius motus Capeliani iuſſu extremo ſunt ſupplicio affecti. Ager urbi circumiectus militibus in prædam datus, multaq́ue indulgentia Capelianus paſſus eſt exercitum urbana agreſtiq́ue præda ditari, ut ea temporum nouitate haberet militem ad omnia deuotiorem, iam enim de imperio occupando agitabat animo, ſiquid Maximino & filio accidiſſet. Romæ audito Gordianorum caſu ingens terror curiam & uniuerſum exercitum inuaſit. Verum metus qui ab hoſte imminebat, haud paſſus eſt ſenatum iacere, quin in Capitolium uocatus, duos creauit imperatores, qui pari poteſtate Rempublicam domi foriſq́ue adminiſtrarent. Maximum Pupienum uirum conſilio & PVPIENVS
prudentia ſingulari, & ad præfecturam uſque urbis BALBINVS
prouectum, & Balbinum qui bis conſul fuerat, re- XXVII.
ferebatq́ue ſuum genus ad Cornelium Balbum, pro IMPER.
quo inſignis extat Ciceronis oratio, ſed huius natura ſimplicior. Capitolinus autor eſt, uiginti ex conſularibus uiris prætorijs, quæſtorijs & tribunitijs creatos, qui per partes Italiam tuerentur, atque ex eo numero duos illos fuiſſe, quibus tradita eſt imperij ſumma. Cæterum tumultuante populo, ne ganteq́; ſe paſſurum quenquam Romæ imperare, Gordiani progenie ſuperſtite, ad tollendã tali tempore diſcordia, puerum ex Gordiani filia ortũ, ut Herodianus ſcribit, Dexippus & ipſe Græcus autor, ex *Tertius Gordianus, ſenior Cæſar creatur.*
Gordiano iuniore, ut ſuprà eſt demonſtratũ, tertium Gordianum procreatum prodidit. Sed quocunq; natus eſt patre, hũc ſenatus Cęſaris appellatione digna tus eſt, ita tres uno tempore imperatores creati. Inci dit inde terror alius, cladesq́; non expectata, cũ duo prætoriani

prætoriani milites ſeſe curiæ dum ſenatus haberetur, inſinuaſſent, explorandi ſtudio quæ ibi fierent, à Gallicano conſulari uiro & Mœcenate prætorio interfecti ſunt. Senatus ea cędę conſternatus, militum & populi ſæuitiam ueritus, fuga dilapſus eſt. Gallicanus manu cruore reſperſa curia repentè egreſſus, populum clamoribus concitat in milites prætorianos tanquam Reipub. hoſtes qui pro Maximino ſtarent. Stulta multitudo ſtultum ducem ſecuta prætorianos qui in urbe erant, cum cæde, ſed non admodum inſigni, in caſtra compulit, plures dies urbana multitudo caſtra circumſedit, ſępiusq́ue ſubita militum eruptione cum ſtrage in fugam uerſa eſt. Poſtremò aqua quæ caſtris influebat, aliò auerſa eſt, qua clade fracti milites in gratiã cũ ciuibus rediere. Caſtris itaque profecti ut pacato agmine Romam ingrederentur, de pace acturi, urbana multitudo eius conſilij ignara, tegulis alijsq́ue id genus uenientes excepit, ad quam ſubitam iniuriã tumultu exorto, latronibusq́ue ſeſe militi agglomerantibus, ignis non uno loco eſt priuatis domibus iniectus, eoq́ue inua-
Vrbs incendio deformatur. leſcente urbs fœdiſſimo eſt incendio deformata, & cædes paſsim edita. Eratq́; his cladibus ciuitas obnoxia quum Maximinus Italiæ appropinquans, de Gordianorum exitu & urbana diſcordia, uno ferè tempore fit certior. Spei itaque plenus per Hemonam urbem, iam tum quoque in imis alpium iugis deſtitutam, in Italiam tranſcendit. Iam & Pupienus aliquanto prius quàm urbicus ille motus incidiſſet, munere gladiatorio edito, uotisq́ue pro uictoria in
Gladiatorij muneris ratio. Capitolio nuncupatis, ad bellum exierat. Quod gladiatorium munus ab ijs exhiberi cõſueuerit, qui ad bellum proficiſcerentur, non una potuit eſſe cauſa. Sunt qui eam uelut deuotionem quandam hoſtilis ſanguinis fuiſſe exiſtiment, ut ſi cruore dimicãdum eſſet, Nemeſis, id eſt quædam uis fortunæ urbano cruore placaretur. Alij perſuaſum habuerũt id à maioribus inſtitutum, ut tyronum oculi ad bellum pro-
B ficiſcentium cruori & uulneribus aſſuęſcerent. Sed de Pupieni diſceſſu parum, ut uideo, conuenit, Herodianus mota iam Romæ diſcordia, turbato q̃ ciuitatis ſtatu, quia extremum bellum nullam pateretur dilationem, urbe Balbino relicta, Pupienum habito per Italiam delectu, aliquanto ante Rauennam proceſsiſſe autor eſt, ut ſeſe Maximino obijceret. Nec ille multo pòſt Aquileiam eſt oppugnare adortus. Reſtiterunt Aquileienſes ſumma ope infeſtiſsimo hoſti, ac tanta indole urbs defenſa eſt, ut mulie-
Cõſtantiæ muliebris exemplum. res quum ad cæteros belli uſus, tum ad intendendos arcus capillos ſibi ademerint. Carthagini ſub initium tertij belli Punici idem accidiſſe prodiderunt quidam. Sunt & qui Romæ id aliquando factum memorent, monumentumq́ue rei ad poſteros manſiſſe Caluæ Veneris templum, quod in eius ſexus honorem publicè fuerit conſtitutum. Præerant Aquileienſibus Criſpinus & Menephilus uiri conſulares, qui aliquãto prius ad hoc ipſum fuerant Aquileiam miſsi, horum opera undique triticum & alia ad obſidionem tolerandam neceſsaria fuerant ex agris in urbem ſtudio comparata, & agreſtis multitudo, quæ eò uenerat, adiumento fuit, ad tutandam urbem, mœnia uetuſtate collapſa, quantum in eo tumultu feſtinari potuit, magna ſunt ex parte inſtaurata. Præmiſit Maximinus ab initio legatos, quum iam Aquileiæ appropinquaret, qui ciues ad uoluntariam deditionem hortarentur, promiſſa eorum omnium, quę feciſſent, impunitate. Erat in his tribunus quidam militum patria Aquileienſis, qui uariè ſuorum municipũ animos flectere conatus eſt, ſed ubi omnia incaſſum moueri uidit, nihil ulterius tẽdens, infecta re ad Maximinum retrò abijt, ille legatis ad ſe reuerſis, ira accenſus, Aquileiam uerſus ferebatur, quum ad duodecim milia paſſuũ ab urbe in amnem incidit, uberius ſolito fluentem alpinis niuibus uer
A no tempore liqueſcentibus. Natiſonem fuiſſe crediderim lapideũ pontem qui fluuio erat impoſitus, Aquileienſes ad primos hoſtium conatus infringendos de induſtria diruerant. Eſt itaq; circa amnem tridũ conſumptum. Interim ſiqui in alueum temerè ingreſi ſunt, uorticoſo uiolentoq́; aquarũ tractu, cum equis periere. Cuppis igitur quibus locorũ incolæ ad exportanda utebãtur uina, ex proximo conquiſitis, atq; inter ſe contextis, quando nulla alia lignorum aderat materia, exercitus ad ulteriorem eſt ripam deportatus, atq; ad urbem admotus. Grauis oppugnatio Aquileienſes adorta eſt, machinamentis omnifariam admotis militumq́; alacritate. Perſuaſum habuit Maximinus fore ut primo impetu urbem caperet, quam captã certus erat excidio dedere. Decorum ſibi & ad famam gerendarũ rerum conducibile arbitrabatur urbem opulentiſsimã, & quæ omnium prima ſibi Italiam ingreſſo obſtitiſſet, funditus euertere. Erant Aquileienſes, quum ſua ſponte in fide manſuri, tum multo firmiores reddebãtur Criſpini preſentia & hortatione, qui Aruſpicum reſpõſo affirmabat fore ut Maximinus circa Aquileiã ſterneretur. Perſuaſum fuit multis ut tum uana erat ſuperſtitio Beleni oraculo, ſic ipſi accolæ uocabant *Oraculum.*
Genium quendam, quem alij Apollinem interpretabantur, promiſſam ab initio Aquileienſibus uictoriã. Maximini milites, dubium ad eleuandam ignominiam, quod tum ualidus exercitus à paucis uinceretur, an quod ita ipſi arbitrati ſint, affirmaſſe dicũtur, uiſam à ſe ipſius numinis ſpeciem pro urbe dimicantem. Sed hæc poſtea ſecuta. Fuit itaq; terribilis prima hoſtium oppugnatio. Contrà Aquileienſes pro *Aquileienſium uirtus.*
patria, pro liberis, pro uita dimicãtes, non ſolũ uim omnem ſuſtinent, ſed cum multa etiã cæde ſubeuntem hoſtẽ à mœnibus reijciunt. Tenuit plures dies certamẽ, multiq́; interea circa muros omnifariã telis obtriti ſunt, aut ſubitario igni periclitati, qui ſulphure, pice, bitumine dolijs incluſo repentè conflatus, improuiſam et ineuitabilem afferebat militibus cladem, flamma per denſos cuneos graſſante, cogebantur milites arma abijcere, quo ſucceſſu adeò creuerant Aquileienſibus animi, ut in Maximinũ ipſum & filium muris obequitantes fœdiſſima probra iacerent. His ille irritatus, quia in hoſtẽ ſæuiendi nulla aderat facultas, in ſuos duces omnem profudit iram, multosq́; ex his unum poſt alium breui tempore interfecit, criminatus illorum ignauia fieri, quod urbs una tandiu ſibi reſiſteret. Reddidit atrox illa animaduerſio Maximinũ omnibus militib. inuiſum, augebatq́ue militarem iram omnium cõmeatuum inopia, quæ in horas grauior ſentiri, inſeſsis omnibus Italiæ itineribus, ita ut ne ea quidem quæ Romæ fierent, nuntiari poſſent Maximino. Hac milites deſpe- *Maximinorũ cædes.*
ratione adacti, ſimul ut patriæ ocium quererent, Maximum cum filio meridianté, facto in tabernaculum impetu obtruncãr. Alij quum ad milites egrederentur, interfectos prodiderunt. Amborum capita Romam miſſa, corpora ferarũ uolucrumq́; laniatui relicta. Exercitus cõfeſtim ab Aquileienſibus cõmeatu & ueſtibus adiutus eſt. Equites qui capita portabãt, Rauẽnam ad Pupienũ Maximum uenere, nam hucuſque eum progreſſum eradunt quidã. Vbi ingenti omniũ gaudio accepti ſunt, ac gratiæ dijs actæ q̃, citra puleris iactũ, ut dicitur, uictoria parta eſſet. Romæ multo maior lætitia fuit. Ad tam inſperatũ nuntium omnis ętas ſexusq́; cõtinuò tẽpla inuiſunt dijs gratulaturi. Balbinus Hecatõbẽ fecit. Id ſacrificij ge- *Hecatõbe qualis fuerit.*
nus tale fuit, ut centũ aræ ceſpititiæ uno loco extruerẽt, ad quas aut centũ oues, aut centũ ſues mactabãtur, interdũ & centũ boues, ut maior Aphricanus fecit ex Hiſpania reuerſus, pari ratione cẽtũ leones, aut centũ aquilę cõſueuere nõnunq̃ ab imperatorib. mactari. Maximinorũ capita per urbẽ Balbinus circunferri iuſsit, uariè animos ciuiũ id ſpectaculũ affecit.

Alterius

Alterius caput, ut inuisum, omnibus uoluptati fuit spe ſtantibus. Maximini adoleſcentis effigiem non fine commiſeratione intuita eſt ciuitas. Cuius ætate ſimul & formam uulgo miſerati, tanta in eo pulchritudo fuit quanta in nullo illius ætatis alio. Epiſtola quam Maximinus pater ad ſenatũ de eo dedit, hoc habuit. Ego quum propter affectum quem pater filio debet, Maximinum meum imperatorem appellari permiſi, tum etiam ut Po. Ro. & ſenatus ille antiquior, iurare poſſit, ſe imperatorem nunquam pulchriorem habuiſſe. Et quod ad iuuenis formam attinet, quum paſsim caput illud iactaretur ſordibus & tabo obductum, interluxiſſe tamen in eo dicitur priſtinæ pulchritudinis ſpecies quædã. Fuit Græcis & Latinis literis legitimè inſtitutus. Ex noſtris Philemone grãmatico uſus eſt, Tatiano rhetore, & Modeſtino iuriſcõſulto. Retulit multũ paternæ ſuperbiæ, uitæ lætioris, uini parciſsimꝰ, cultu corporis ad muliebres propemodũ munditias acceſsit, argentea & aurea eſt lorica uſus, inaurato clypeo, aurata haſta, habuit gladium argenteum, habuit & aureum, galeam gemmis præditam, cæteraq; magis ad luxum quàm ad uſum bellicũ comparata. Eſt horũ Capito autor, Cordum ſecutus. Maximinorum nullum poſtea ſepulchrum extitit. Capita ad inimicorum ſatietatem iactata in campo Martio, ut quidam ſcribunt, cremata ſunt, ut alij, in Tyberim proiecta. Habuit Maximini imperium tris annos & ſupra triennium dies aliquot. Miror Euſebiũ & alios quoſdam illum ſecutos, ſcriptum reliquiſſe Maximinum à Pupieno interfectum, quum ille Rauennæ adhuc eſſet, quando duo Maximini circa Aquileiam interfecti ſunt, ut Herodianus & Iulius Capitolinus ſcribunt, niſi fortè Euſebius, & qui Euſebio accedunt, ad Pupienum id decus referant, ut ad eum cuius auſpicijs omnia tum foris tum in terra Italia gerebantur. Incidit in Maximini imperiũ Antheri Pontificatus. Alij in primum Gordiani annum reijciunt. Fuit Antherus autor ut martyrum res conquiſitæ literarũ monumentis mandarentur. Notarij ad id, credo, conſtituti, qui eas memoriæ proderent, proditas eccleſiæ ſacrario inferrent. Huius quoq; eſt illud, ut niſi epiſcopus fuiſſet priùs, ſummus pontifex fieri non poſſet, ut ex priore eccleſia fas eſſet ſibi alteram optare, quod non optantis, ſed animarũ cauſa fieret. In hæc tempora reponunt quidam Iulium Aphricanum. Is plura ingenioſe ſcripſit, conatusq; eſt longa epiſtola Origeni pſuadere ea quæ de Suſanna in eccleſia uulgata eſſent, in ſacra hiſtoria apud Hebræos non haberi, ſed Origenes multo longiore eccleſiã ab ea uindicat calumnia. Affectus eſt martyrio Antherus anno ſui pontificatus duodecimo ineunte, ut quidam ſcribunt, ut alij anno tertio. Euſebius, niſi in eo mendum eſt, unum habuiſſe menſem Antheri pontificatum autor eſt. Sed ſcriptores quos ſequimur, ita in colligendis temporibus diuerſi abeunt, ut multo tutius ſit talia in medium relinquere, quàm in re tam uetuſta temerè aliquid affirmare. Ad Caliſti cœmiterium uia Appiana ſepultus eſt Antherus, in cuius loco Fabianus Romani ſanguinis eſt ſuffectus. Fuit humanæ ſalutis annus ille quo Maximini interfecti ſunt, quadrageſimꝰ ſupra ducẽteſimũ, urbis Romæ, nongenteſimus nonageſimus ſecũdus, etſi non deſunt qui huic numero quinque adimant annos. Ab orbe condito trigeſimus octauus ſupra quadringenteſimum ac quinquies milleſimum. Imperauit Maximinus quinto & uigeſimo loco poſt Monarchiæ formam à Cæſare dictatore Romæ cõſtitutam, quo ſublato Maximus Pupienus ex Rauẽna Aquileiam ad exercitum progreſſus, milites pro concione laudauit, quod ſuo in Rempub. ſtudio & obſeruantia ocium bello prætuliſſent, legitimum imperium tyrannico, Romanum imperatorem Barbaro, promiſſaque impunitate & obliuione omnium quæ facta eſſent, largoque ſtipendio militibus numerato Barbaros, qui Maximinum ſecuti fuerant, pacatos domum dimiſit. Legionarij in ꝓpria caſtra redire iuſſi ſunt. Ipſe Romam reuerſus, cum ingenti lætitia exceptus eſt. Eratque iam res Romana in meliorem ſtatum reſtituta, domi militiæque pax erat & ocium miti moderatoque duorum ſenum imperio. Gordianus adhuc puer tantùm Cæſaris nomen ferebat. Cæterum prætoriani flagitio aſſueti, tam lætum Reipublicæ ſtatum inuidẽtes, ludorum die repentè in palatium impetum faciunt, Maximumque & Balbinum correptos in medium abſtrahunt, in caſtra ad ſupplicium perducturi, interim huc repentè affertur Germanos milites, quos Pupienus ad ſuum & collegæ præſidium in urbe conſtituerat, auxilio adeſſe. Ea res effecit ut prætoriani duobus ſenibus in publico interfectis Gordianum puerum imperatorem ſalutarint, ſalutatum in prætoria caſtra ſeptum armis perduxerint. Sic duo optimi principes, reique publicæ ſalutares, militum iniuria oppreſsi ſunt, quibus nihil magis obfuit, quàm quod diſcordi animo cœperant Rempub. adminiſtrare, quo contigit ut audito prætorianorum motu, quum Pupienus Germanos accerſi imperaſſet, ut primis militum conatibus illos obijceret, id Balbinus in ſuam pernicié ratus, non ad præſidium uocari, accitos uenire prohibuerit. Sic illi indignum, ut dixi, exitum habuere, quum biennio imperaſſent. Ego quod ad prætorianorum motum attinet, duo uideo potuiſſe eos ad nefariam principum cædem impellere, metum futuri ſupplicij, ne aliquando rationem reddere cogerentur, quæ in ciues perpetraſſent, ſub trãſcenſum Maximini in Italiam, ut fraudi ac noxæ ſibi uerteret urbanum incendium, & cædes intra muros urbis extraque per idem tempus editas, & quod Germanos milites in urbe, uelut ſibi nulla fides haberetur, ad principum cuſtodiam conſtitutos uiderent. Gordianus Pupieno & Balbino peremptis, militari fauore ſeruatus, atque in palatio conſtitutus, ſolus inde imperium tenuit, & qui ad id rẽpus fuerat Cæſar appellatus, Auguſti eſt cognomen adeptus, imperatorque declaratus, magno populi aſſenſu. Duxit inde Miſithei filiã uxorẽ uiri eloquentia clari, quo nomine dignũ ſua affinitate iudicauit. Hunc Gordianus Prætorio præfecit, eiusque ſalubri conſilio uſus eſt uſque ad bellum Perſicum, qua expeditione Miſitheus fato perijt. Vixit adeò omnibus gratus, ut quadrigis publico ſit decreto honeſtatus. Fuitque eius ſtatuæ ita aſcriptum. Miſitheo parenti principum. P. R. tutori Reipublicæ S. P. Q. R. Extiterunt diu pòſt Gordianæ literæ ad ſocerum ſcriptæ, quibus ſeſe illi purgabat. Miſer, inquit, eſt imperator apud quem uera reticentur, qui quum ipſe publicè ambulare nõ poſſit neceſſe eſt ut audiat & quæ plurimi dixerint, confirmet. Nec diu in ocio fuit, hinc Thracibus & Sarmatis, inde Perſis rem Romanam infeſtantibus. Aperto itaque Iano cum ualido exercitu Mœſiam petijt, mox eſt & Thraciam ingreſſus, quibus terris ingentem uim hoſtium prælio uicit, porroque fugauit. Inde in Aſiam tranſgreſſus, per Syriam uenit Antiochiam, quæ iam à Perſis tenebatur. Hic pluribus prælijs victor Saporem Perſarum regem Syria ſubmouit, receptaque Antiochia Carras & Niſibim in Meſopotamia de Perſis cepit. Et iam Cteſiphonti imminebat, quum Miſitheus, cuius conſilio omnia gerebantur, uita deceſsit. Perſuaſum multi habuerunt, Philippi fraude eum ſublatum, qui quum ægrotaret, paratàque eſſet potio à medicis ad premendam aluum, ſummoto poculo alterum ſubiecit, quæ multo infeſtius ſoluit, quo fluuio ſenex breui extinctus eſt, in cuius locum præfectus eſt Philippus exercitui. Cæterum homo Barbarus, humilique loco natus, adoleſcentis ætatem nactus inſidijs obnoxiam, non contentus malis artibus ad præfecturam feciſſe ſibi

Forma Maximini iunioris.

ANTHERVS XIX. PONT.

Iulius Aphricanus.

FABIANVS XX. PON.

Anni mundi.

GORDIANVS XXII. IMPERAT.

Gordianus ius imperat.

Miſitheus ritus.

ſe ſibi gradum, cœpit & imperio inſidiari, remotis q; frumentarijs nauibus, caſtriſq; in aſpera & dura loca trãslatis, uelut Gordiani iuſſu ea fierẽt, milites ab eo alienauit, inde calumnijs adoleſcentem adortus, quòd nimium adhuc iuuenis eſſet, & ob eã rem gerendo bello parum idoneus, nõ prius ab ea infectatione deſtitit, quàm militum fauore ſit ambobus ęquatum imperium, quo ſucceſſu Philippus ferocior factus, quum iam repente omnia ad ſe traheret, irritatus ea Gordianus iniuria, amicorũ conſilio in concionem deſcẽdit, ut Philippo imperium abrogaret. Sed longe aliter euenit quàm ſperauerat, ſiquidem ille prẽparato ad hoc ipſum militari fauore, cõtinuo ſuperior fuit, qua animorum inclinatione animaduerſa, collapſus animo Gordianus petijt, ut æquum eſſet ambobus imperium, quod ipſum quũ non impetraret, eò decurrit ut Cæſaris ſaltem nomen obtineret. Inde, quia id quoq; nõ dabatur, petijt ut præfectus eo eſſet, nec illud cõceſſum. Vltimæ preces fuerant, ut ordinem ſaltem duceret in caſtris, tiarą; ſibi condonaretur. Anceps aliquandiu Philippus cõſtitit an hoc illi daret. Cæterum reputans [illegible] quàm populare eſſet Gordiani nomen, mollitie, quàm adoleſcẽs iucundus eſſet Romæ, ſenatui uniuerſoq; populo, quàm in Aphrica, Syria celeber, ueritus ne mutato militũ ſtudio aliquando multo maiore conſenſu imperium illi reſtitueretur, quàm tũ periram eſſet ademptum, militum fidem implorãtem in medium protrahi iuſsit, inſignibusq; imperij ſpoliatũ militi interficiẽdum dedit. Et Gordianus tertius ita indignè perijt, anno uitæ uigeſimo ſecundo, ut Cordus prodidit, qui ſexdecim annos natũ imperio potitum ſcripſit. Quidam undecim annorum fuiſſe tradiderunt. Alij tredecim quum Cæſar eſt appellatus. Ipſe quod ſatis conſtat, ſex annos imperauit, adeò ante Philippi calumniam omnibus gratus, ut militares filium, ſenatus & populus publicas delicias uocaret. Satis conſtat Romæ ſeditione ſub id tempus orta, quo puer ipſe Cęſar appellatus eſt, quũ ad perniciem ciues ſæuirent inter ſe, nec certamen ſemel accenſum dirimi à Balbino poſſet, ſed media colluuione hominũ uiolatus ceſsiſſet, non prius tumultũ illum reſediſſe quàm puer Gordianus proceri cuiuſdam hominis humero inſidẽs, fuerit in mediũ prolatus. Defecit Sol Gordiano principe ita inſigniter ut tenebris terræ inductis nihil omnino poſſet agi niſi luminibus accenſis. Eſt & terra ſub eo adeò horrende cõcuſſa ut urbes quædam ſubito hiatu ſint cũ populis abſorptæ. Capitol. autor eſt, quod miror ab Euſeb. prætermiſſum, qui naturæ hæc portenta dili gẽter eſt executus. Senatus nũtio de Gordiani morte accepto, Marcum uirum grauitate & ſapiẽtia ſingulari imperatorẽ cõſtituit, qui paucis diebꝰ quibꝰ fuerat imperiũ adeptꝰ uita deceſsit. Subſtitutus illi eſt Seuerus Hoſtilianus, is quoq; mox paulò quum languere cœpiſſet, medicis temerè uenam ſoluentibus, interijt. Philip. pacato ad tempus orientis ſtatu ex Meſopotamia quã hoſtibꝰ ex fœdere reliquit, Romam cũ exercitu uenit, cui abſenti ſenatus quũ parum nota eſſet adhuc Gordiani cædes, militum prærogatiuam ſecutus, ratum fecerat imperium.

Gordiani cædes.

Populare Gordiani nomen.

Eclipſis.

Philippus imperator baptiſmo cum filio inſignitus.

Fabiani pontificis decretum.

DECIVS XXXI. IMPERAT.

CORNELIVS XXI. PONT.

ENNEADIS VII. LIBER VII.

PHILIPPVS XXIX. IMPER.

TERTIO Philippi imperatoris anno, alij ſecũdo aiunt, qui milleſimus fuit ab urbe condita, Seculares ludi ſunt in cãpo Martio triduo celebrati. Fuit idem annus humanæ ſalutis ducenteſimus atq; undequinquagesimus. Spectacula multa & uaria, Venatioq; inſigni ferarum uarietate, Alces, tygres, elephanti, leones, pardi, hienę, hippothamus, rinoceros, camelopardi, onagri, equi feri, gladiatorum paria mille edita, quæ omnia Gordianus in eum uſum ſtudio comparauerat, Philippus edidit. Fuit is Arabs genere Voſtrius ignobiliter natus, Voſtrarum Marcellinus meminit. Idem Auguſtorum primus, Fabiani pontificis opera qui undeuigeſimus poſt Petrum eccleſiæ præfuit, cum Philippo filio & Seuera coniuge, baptiſmo inſignitus, Chriſti eſt nomen profeſſus. Tam ſeuero Philippus iunior fuit ingenio, ut nunquam riſiſſe dicatur, auerſatusq; ſit nonnunquam patrem in publico ſolutius ridentem: Ambo Decij opera, qui ſecundum illorum cædem occupauit imperium, interfecti, Veronæ à militibus ſenior Philippus, Romæ filius à prætorianis, anno quàm imperare cœperant quarto, ut tradunt quidam, ut alij quinto, ut alij ſeptimo. Ambo (quo ſatis conſtat) inter diuos relati. Horum principatu Pompeij theatrum Romæ deflagrauit ſecularium ludorum diebus, incẽdio nocturnis luminibus, quibus peruigil populus urebatur, conflato. Pari clade eſt & in campo Martio Hecatoſtylon conſumptum, centum columnarũ opus, propereaq; centenaria porticus dicta. Fueruntq; diuinarum literarũ ſcientia uiri illuſtres Dionyſius Alexandrinus Antiſtes Origenis auditor, qui piè & utiliter multa ſcripſit. Claruit & Hammonius philoſophus dicendi peritiſsimus, quem Euſebius in euangelico canone ſecutus eſt. Fabianus põtifex per idẽ tempus inſtituit, ut ſacrum chriſma quotãnis renouaretur in cœna domini, uetus combureretur, ut ſacerdos cuiuſcũq; criminis reus cauſam diceret, mulctaretur q; in ſacro non prophano foro, ne quis uxorem duceret intra quintum conſanguinitatis gradũ ut ter quotannis omnes Chriſtiani nominis qui ad pubertatis annos perueniſſent, Euchariſtię ſumerẽt ſacramentum. Idem ſexaginta epiſcoporũ conuẽtu Nouatianum hæreticũ pronuntiauit. Is Nouato adnitẽte, qui primi ſchiſmatis fuit autor, extra corpus eccleſię pontifex factus, omnes ſui dogmatis aſſectatores mundos appellauit. Negabant hi apoſtatas, ſi pœnitentiam quidem egiſſent, eſſe recipiendos, uelut parum liquido documento demonſtraſſet Chriſtus eccleſię caput à pœnitentia nulli negandam eſſe ueniam. Petrum, à quo ter fuerat abnegatus, in integrum reſtituit. Preſsit & Origenes, qui uixit in hæc tempora, eorum hæreſim, qui animos cum corpore extingui perſuaſum habuerunt. Et Helcheſatarum alteram Paulum apoſtolum non probantium, quiq; crimini dandum negabant, medio ſiquis cruciatu Chriſtũ uerbo abnegaſſet, perſtaret modo animus in priſtina pietate. Dedit ad Philippum imperatorẽ Origenes literas, quibus illum & Seueram quæ illi nupſit, ad Chriſtianæ eſt pietatis cultum hortatus. Scripſit de fidei ordine non pauca ad Fabianum põtificem, quem quum iam annos quatuordecim ſediſſet, Decius ex Philipporum cæde imperium conſecutus martyrio affecit. Ferunt poſt Antheri pontificis obitum, quum ſucceſſor quæreretur, cádoris columbam eximij Fabiano ſupra caput alluſiſſe, haud obſcuro ſanctitatis, q̃ in eo fuit argumẽto, in Caliſti cœmiterio funeratus eſt, relatusq; in numero ſanctorum. Decij odium in Fabianũ inde habuit principium, ut tradunt quidã quòd Philippus, quũ Deciũ haberet infenſum, ſuos Fabiano obtulit theſauros. Alij Philipporũ cauſa, quos ille mortuos etiã infenſe odit, Decium Chriſtianũ nomen inuiſum habuiſſe arbitrati ſunt. Sed quæcunq; Decianę fuit impietatis origo, ipſe, quod inter omnes cõuenit, imperiũ adeptus Fabianum interemit, edictum propoſuit, ut Chriſti cultores ubiq; interficerent. Poſt Fabiani cædem Cornelius fit pontifex. Hic quoq; Romę ortus, uir ut Hieronymus prodidit, diſertus, multa ad multos ſcripſit de Nouatiana hæreſi. Extant & Cypriani ad hunc Cornelium epiſtolæ de fide & religione. Cornelianum decretum eſt, ne quis à ſacerdote niſi

pro fide exigeret iusiurãdum. Pauli apostoli corpus Lucinæ fœminæ pientissimæ rogatu, extra portam Capenam, Hostiensi uia, in illius prædio sepelijt, ubi capitali fuerat supplicio affectus, Perrum in Vaticano, ubi pia posteritas, utrique suum, grandia struxit templa, etiamnum uetustate uisenda, sed materię apparatu multo augustiora. Centum cellas inde Decij iussu Cornelius relegatur (est id oppidum in Hetrusco littore) unde ad Cyprianũ Carthaginiẽsem antistitẽ dedit literas & accepit: quod scribendi cõmerciũ ubi primũ Decius compertũ habuit, Corneliũ ex Centum cellis ad se perduci iussum ita est in Telluris æde allocutus: Sic, inquit, Corneli obstinate agẽdũ putas, ut neq; deos cures, neq; principũ minas pertimescas? Contra rempublicam des ad alios literas & accipias? Ad quem Cornelius, de Christi laudibus, & salute ait animarũ, non de republica dedi aut accepi literas. Tum iratus Decius, Cornelium plumbatis (fuit, ut quidam scribunt, id flagelli genus) atrociter cõtusum in templum Martis perduci imperauit, ut statuam illius adoraret, aut si ad cultum cõpelli non posset, supremo supplicio afficeretur. Cæterum dum ille ad indubitatũ martyrium trahitur, certus enim erat malle mori quàm præuaricari, Stephanum archidiaconum intuitus, omnem illi rẽ ecclesiæ commendauit, ipse ad tertium nonas Maias, Appia uia haud procul à Calisti cœmiterio, martyrij est palmam adeptus. Lucina mulier singulari pietate, in sui prædij arenario sepelijt. Fuerunt qui crederent, & quia sic illis persuasum est idcirco literarum monumentis tradiderunt, Cornelium sub Gallo & Volusiano passum. Damasus à Decio interfectum arbitratus est, quo plures ex ijs quos sequimur inclinant. Habuit Cornelij Pontificatus annos duos ut autumant quidam, alij tres putauere. Redditur illi in pontificum ordine locus alter à uigesimo.

Cornelij uexatio.

LVCIVS XXII. PON.

Lucius Porphirij filius, Romanus patria, in eius locum successit, Decio adhuc principe. Is quum duos ferme annos imperasset cum filio quem Cęsarem appellauit (triennium alij ab eo imperatũ memorant) dignum ea qua fuit impietate fortitus est exitum, dum in Mœsia prælium in Barbaros ciet palustri uoragine obrutus perijt, ita ut ne corpus quidem extiterit uspiam. Eusebius cum filio perijsse autor est. Pomponius Lætus eos sponte præcipitatos existimat, ut ueterum Deciorum exemplũ imitati se pro futura uictoria deuouerent. Cæterum siue casu illi siue consilio periere, pergratus fuit senatui Decius pater manifesto thermarum argumento, quas eius nomine ordo ille in Auentino ædificauit. Eutropius Laurentium scribit à Decio necatum sed plures in Valerianum dirum illud supplicium reijciunt, qui cum Galeno filio haud multo pòst tenuit imperium. Antonius monachus, Decio adhuc imperante, in Ægypto natus est, & Romæ amphitheatrum deflagrauit. Vibius Gallus Decio sublato imperium adeptus est. Is Volusianum filium consortem fecit imperij, quibus imperantibus dira pestilentia in urbe & reliqua Italia orta est, fecitque lues illa in prouincijs Populi Romani præcipueque in Ægypto uastitatem ingentem. Meminerunt cladis huius Dionysius & Cyprianus, sic Christiani nominis cruor sub Decio fusus expiatus est, primoq; autoris exitu, quo nullus potuisset esse acerbior, mox omnium gentiũ strage teterrima, sed multo terrior fuit omni clade Populi Romani ignominia, qui Scytharum factus est tributarius ex eo fœdere quod Gallus cũ ea gente percusit. Sed quum per hæc nondum biennium ille imperasset, Æmyliano res nouas in Mœsia moliente, ad bellum cum filio profectus est, uerũ eam prouinciam non obijt, ambo subita militum defectione destituti ad forum Flaminium, seu, ut alij scribunt, Interamnæ interfecti sunt. Eusebius, & qui cum sequuntur, ab Æmyliano ciuile bellum in Mœsia motum scripsere, Treuellius Pollio in Ægypto Æmylianum imperatorem appellatum autor est, atq; in ea terra à Theodoto Galeni, qui post Gallum imperauit, duce oppressum. Gallo & Volusiano extinctis haud multum fuit Æmylianus superstes, qui Valeriano in Rhetia & Norico ab exercitibus imperatore salutato militum defectione perijt. Lucius pontifex secundum Galli principis cædem ab exilio Romam reuertitur, autorque fuit ut duo presbyteri & diaconi tres suum ubique comitarentur antistitem omnium illius operum testes. Sedẽte Lucio Cyprianus est martyriũ passus. Eusebius Sixto non Lucio põtifice Cyprianum interfectum arbitratur. Docuit is ab initio rhetoricen, mox Cæcilij presbyteri suasu & hortatione ad Christum conuersus omnia sua pauperibus partitus est, sacerdos primo inde Carthaginiẽsis episcopus factus, Gallo & Volusiano filio imperantibus martyrio afficitur. [redacted] Lucius pontifex Valeriani iussu interficitur, quum uigesimus secundus à primo põtifice quartum iam annum sederet. Appia uia sepultus est. Stephanus archidiaconus uir Rom. generis cui Lucius omnem ecclesiæ potestatẽ permiserat, pontificiam inde sedẽ tenuit. Incidit huius pontificatus in magnam rerum humanarum pertur bationem, quę quum atrocissimo Valeriani casu, tũ Galeni ignauia, orta est & coaluit. Fuit Valerianus ingenio adeò populari, uitaque ad senium usq; incorrupta, ut nullus unquam principum maiore militum studio omniumq; ordinum consensu, ad imperium peruenerit. Enimuero quum iam grandis esset natu patrum consensu absenti illi censura decreta est. Erat tum apud Decium imperatorem Valerianus, qui censoris creandi fecerat illi ordini potestatem, acceptoq; senatusconsulto ita Decius est illum pro cõcione affatus: Felix, inquit, Valeriane uniuersi senatus sententia, imo omnium gẽtium iudicio, accipe dignitatem, quam tibi Ro. respublica detulit, iudicaturus de moribus nostris, qui sit curia dignus æstimaturus, tu equestrem ordinem in antiquum restitues statum, tu omnium fortunas censebis, uectigalia formabis, publica recognosces, tibi scribendarum legum autoritas data, de singulis ordinibus tibi iudicandum, tu arma inspicies, tu Palatinos homines, tu iudices, tu prouinciarum præfectos, si ita uisum fuerit, ignominia notabis, tuum erit de omnibus sententiam ferre præterquam de præfecto urbis, de consulibus, de rege sacrorum, & Vestaliũ maxima, si tamen hæc ipsa incorrupta manserit. Quibus Decij uerbis datur intelligi quãta apud Romanos, etiam sub Cæsaribus, fuerit censoria potestas. Cæterum tantus pro Valeriano fauor steterit, sub id tẽpus quo imperator est creatus, ut si omnibus gentibus liberum de nouo principe creando fuisset suffragium datum, totus orbis fuerit suum studium & fauorem in unum inclinaturus, & Valerianus omnium consensu est imperium adeptus. Sed quo minus diuturnum fueri tilli id decus, ipsius, credo, impia in Christianos animaduersio effecit, nam haud multo postquam Christianum nomen insectari est adortus, ad Persicum bellum profectus, siue aliena fraude id acciderit, siue sua ipsius temeritate, nam utrũq; traditur, in hostium potestatem uiuus uenit. Ferunt Saporem Persarum regem, à quo captus est adeò insolenter & barbare captiuo seni (erat iã Valerianus septuagenarius) illusisse, ut pedibus scabello eius tergo uteretur equum ascensurus. Multi amicorum regum Saporẽ per literas monuisse dicũtur, ut moderatius

Æmylianus Cæsar.

Decij interitus

VIBIVS GALLVS XXXI. IMPERA.

VALERIANVS XXXII. IMPER.

Censorium nus quale rit.

Valerianus Persis ca

STEPHANVS XXXIII. PONTIF.

deratius uteretur uictoria, & in his Belsolus rex regum, Balerus rex Caduſiorum, & Armeniæ rex Artabasdes, qui proposita Romanorum felicitate opibusq; inuicti populi hortabantur amicum regem ut beneficium occuparet, restitueretque ultro suis Valerianum, nec expectaret ut septentrio, meridies, occidens, & orientis pars non parua, in Romanorum gratiam, ad eam ignominiam abolendam, in Persarum excidium coniurarent. Iam Iberes, Albani, & Tauroscithæ Saporis literas aspernati, quas ad se de ea uictoria dederat, ad Romanos duces miserant auxilia pollicẽtes, si Persas bello petituri essent. Sed neq; Sapor captiuum restituit, nec ille filij ignauia armis uindicatus est. Odenatus Palmyrenus Decurio, collecta agrestium manu, eam propemodum Romani nominis aboleuit ignominiam, qui ad Ctesiphontem usque tumultuose progressus, regios thesauros occupauit, & cum thesauris Saporis concubinas Barbaris regibus omni pecunia chariores. Quo subito terrore perculsus Sapor, nam & Romanas copias formidabat, quæ ex ea clade euaserant, se se intra Persicos recepit fines. Nec Odenati motus aut Romanorum multo longius processere, Galeno ocio & luxurię dedito. Nulla deinceps pars fuit reipublicæ, nulla prouincia, una duntaxat Italia excepta, in qua non sit tumultuatum, totq; eo principe rebelliones extiterunt, tot tyranni, qui imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæsare dictatore ad id tempus, in tam longa imperatorum serie, fuere nunquam. Triginta numero à Treuellio ponuntur, qui uno tempore, alius alijs terris, exercuere imperium, in quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illusere, adeò uel Galeni inertia ludibrio fuit omnibus uel fato quodam id fieri contigit, ut quando omnia orta intereunt, imperium tanta uirorum indole quæsitum, tanto labore auctũ, cruore propagatum, quia mox paulò fuerit inclinaturum, huiusmodi fortunæ ludibrijs, præsagio quodam futuri excidij, labefactari cœperit. Eusebius autor est Ciliciam, Syriam, & Cappadociam à Persis, Saporis ductu, fœda populatione uastatas. Alemanos, Gallis hostiliter uexatis, in Italiam trãsgressos, Gothos, Pontum, Asiam, Macedoniam & Græciam populatos. Quados & Sarmatas Pannonias occupasse. Taraconem in Hispania à Germanis oppugnatam.

Odenati Palmyreni uirtus.

GALENVS XXXIII. IMPER.

Treuellius rem latius explicat, in multisque diuersus ab Eusebio abit. Primum omnium oriẽtalis exercitus, qui Persico bello superfuit, Galeno Romanis illecebris immerso Macrianũ, ut Pollio scribit, sibi imperatorem conciuit, uirum fortem & prædiuitem, & cui duo filij erant, florenti ętate, manuque promptissimi. Macrianus recepto imperio, ut Græcia sibi pateret, si quãdo esset Romam petiturus, Pisonem in Achaiam misit, qui Valentem fraude opprimeret, obtinebat is Græciam proconsulari potestate, sed ut sunt mala consilia difficilia tractu, euentu pessima, Valens explorato Pisonis consilio illum in Thessalia interfecit, quo Piso trepidè secesserat, ubi se suspectum Valenti, & iam pro hoste non hospite haberi animaduertit, atque secundum Pisonis cædem Valens imperator est appellatus, cognomẽto Thessalicus. Macrianus audita Pisonis cæde, oriẽtis rebus ad id tempus constitutis, cum ualido exercitu & altero filiorum, cui & ipsi Macriano fuit nomen, ad Valentem opprimẽdum ex Syria profectus per Asiam ducens in Europam transijt. Eum uenientem Aurelius, qui in Illyrico imperium contra Galenum sumpserat, prælio excepit. Fuit ea pugna Macrianis infelix, omnis que eorum exercitus Aurelio deditus est. Odenatus Palmyrenus factus certior de ijs quæ in Illyrico gesta erant, orientis imperium occupauit, altero Macriani filio per Balistam copiarum præfectum prius interfecto. Cæterum ut pro Galeno stare uideretur, quum re sibi astrueret imperium, bellum Persicum diligẽti studio executus est, in Valeriani ultionem. Ademit Persis Odenatus Nisibim, Carras, unde captiui nobiles pleriq; sunt Romam missi. Ctesiphontem inde circumsedit, regionemque illi circunie ctã ferro & igni populatus, uim hostium occidit ingentem. Galenus uelut suo ductu parta esset uictoria, ut uano fuit ingenio, Persicum triumphum egit, quum pater adhuc in hostiũ potestate esset. Sed hæc aliquanto pòst gesta. Sub id tempus quo Odenatus est imperatoris nomen adeptus, Æmylianus in Ægypto imperium occupauit, hunc Theodotus Galleni dux prælio uictum, atque in potestatem redactum uiuum Romam ad supplicium misit. Galli & ipsi rerum nouarum cupidi, Posthumum sibi imperatorem constituunt. Misit Galenus Theodotum ad Posthumum opprimendũ qui cum hostem obsidione premeret, ac muris hostium explorabundus obequitaret, sagitta saucius perijt, ac tum uoti compos factus Posthumus plures annos Galliam obtinuit. Erantque res imperij per hæc uehementer accisæ, quum Galenus, uelut longa experrectus ebrietate, pacem cum Aurelio fecit, ut Posthumum Galliarum imperio exturbaret, exturbato Gallias ad obsequium retraheret. Cæterum ne non ubique res Romana sub id tempus esset ignominiæ obnoxia, Scythæ Bithyniam adorti, multas eius terræ urbes, & in his Nicomediam excidio dederunt. In Sicilia quoque est bellum seruile ortũ, qui rerum motus, quũ indies inualescerent, uix credibile est quàm supinè ac stolidè sit Galenus in sua mala cauillatus. Ægypti defectione nuntiata dixisse fertur. Quid? sine lino Ægyptiaco esse non possumus? & quum Asia à Scythis uastari diceretur: Et absque Aphronitro, inquit, Romæ uiui poteſt. Gallia alienata, & sine sagis & trabeis tuta respublica stare poterit. Iam & Gothi gens Scythica, Thracia occupata, Macedoniam populati fuerant, Thessalonica nonnihil oppugnata, & alia quidem Scytharum manus per Asiam euagata, Dianę Ephesię templum diripuit, & incendit. Byzantium à præsidiarijs Galeni militibus adeò rapinis & latrocinio afflictum, ut urbs nobilissima, opportunoque loco sita, uteteribus colonis destituta, interitura fuerit, nisi perpauci peregrinorum in ea esse perseuerassent. Galenus interea etsi luxuriæ & ocio addictus, fœda tamẽ imperij suggillatione cõmotus, in Galliam cum ualido exercitu profectus est, Posthumum debellaturus, duobus clarissimis fretus ducibus, Aurelio, & Claudio qui postea imperator fuit, fecitque cum hoste plura prælia, qui communicata cum Victorino appellatione imperij summa ope restitit, etsi sæpius acie uictus. Perijt tamen interiecto tempore Maguntiæ, seditione militari, cui Victorinus successit. Is cum aliena matrimonia corrumperet, Agrippinæ trucidatus est. Sed hæc aliquanto postea. Galenus Gallico bello adhuc integro, Thraciam cum exercitu petijt, Byzantiumque ingressus ad unum præsidiarios milites occidit, qui urbem, ut suprà est memoratum, suo latrocinio uereribus incolis desolatã propemodũ reddiderant. Romã inde reuersus, triumphum multo maiore apparatu q̃ merito egit. Gallis, Sarmatis, Persis, Gothis: nam ea gens non multo prius ab Galeni ducibus fuerat ex minori Asia armis pulsa ante currum actis. Attulit illi intempestiuus immeritusque triumphus plus infamiæ, quàm fauoris, quum tam stolidè captiui patris fortunæ illuderet. Fuerũt ex urbanis scurris, qui Persico cœtu mixti (nam discreti Barbari currum antecibant) solicite singulorum ora intuẽtes, quasi unum aliquem in eo cœtu uellent agnoscere, rogati quem requirerent, Valerianum dixere. Cęterum non modo nõ ulla paternæ pietatis subijt recordatio, sed ira percitus Galenus raptos ad supplicium scurras uiuos combusit. Dum hæc Romæ gerũtur, aut certe non

Posthumus Cæsar.

Victorinus Cæsar.

Scythæ Ephesinæ Dianæ templum diripiunt.

Macrianus Cæsar.

Valens Cæsar.

Odenatus Cæsar.

non multo prius posteriúsue, Odenatus circa Ctesiphontem cum Persis aliquot prospera fecit prælia. Scythæ diuersa terrarum parte Cappadociam ingressi, pluribusque eius terræ urbibus captis, Bithyniam inuadunt, quam recentem iniuriam uindicaturus Galenus in Græciam usque est cum exercitu progressus, inde Athenis aliquandiu fuit, ubi Archon esse uoluit, ciuium numero ascribi, Cereris sacris initiari. Interea literis & nũtijs de ijs factus certior, quæ in Mesopotamia ab Odenato gesta essent, eum Augustum appellauit, consortemque fecit imperij nummo eius nomine percusso. Eratque his Galenus ineptijs deditus, quum Scythæ nauibus ad id fabricatis, grandem ex Heraclienſi agro prædam auerterunt, nauali inde prælio superati non sine ingenti nauium hominumque clade retrò abierunt. Odenatus haud multo postquam ita fuerat à Galeno ornatus, medio Persici belli ardore, domestica fraude, cum Herode filio interfectus, duobus paruis filijs & Zenobia coniuge superstitibus. Hæc ut uirili fuit animo intrepide imperium recepit, receptum multa indole administrauit. Galenus post Odenati cædem exercitum in Persas comparauit, quem Heracliano ducendum dedit. Is à Palmyrenis uictus, qui imperare consueti suspecta, credo, habebant Romana arma, omnibus est copijs exutus. Scythæ interea Euxino occulte enauigato, per Istri ostia ingressi Mysos & alios Istri accolas inopinato accessu perculsos, magnis cladibus affecere, late inde Scythicus terror euagatus est, donec Atheneus & Cleodamus, quos Byzantio instaurãdo Galenus præfecerat, Barbaros prælio uictos, à tã insolenti euagandi licentia compescuerunt. Victi sunt & nauali prælio à Veneriano Romanæ classis præfecto, sed ut sunt bellorum uices & uarij prælioru euentus, Venerianus haud multo pòst à Scythis prælio uictus, mortem occubuit. Qua elati uictoria multo ferocius Barbari inuecti Cyzicenã oram & Asiam populati in Græciam traiecere, ubi à Dexippo, qui suorum temporum scripsit historiam, prælio uicti, auerso procul impetu omnem Epirum Hæmoniam & Bœotiam peruagati sunt. His excitus terroribus Galenus Scythis in Illyrico occurrit, tumultuariaq; pugna hostem adortus insigni cæde discit. Scythæ præsenti clade perculsi per Gessacem montem fugã fecere. Vario inde euentu Martianus cũ ea gente sæpius cõflixit, irritauitq; potius q̃ cõpresit, ita ut omne Gothicũ nomen uno tempore ad bellum conspirauerit. Sed is motus aliquanto postea est secutus. Interea Galenus quum contemptui esset suis, cœpisseq; ab Aurelio dissentire, eò principum simultas processit ut res iam ad uim & arma spectaret. Tum Martianus cum Heracliano consilium capiunt, Galeni fraude opprimendi, ut eorum alter imperium occuparet. Erat tum Claudius, qui postea imperauit, apud milites in magna celebritate. Fuerit is eiusmodi cõsilij particeps haud facile dixerim, nec Trebellio omnino accedo qui Claudium eius fuisse ait consilij ignarum. Ad Constantinum principem scribit ille hæc cuius familiæ Claudius autor fuit. Martianus & socius coniurationis Heraclianus ut Galenum aliquo modo ex urbe extraherent, falso nuntiari iubent Aurelium eum exercitu aduentare, cui ille obuiam iturus confestim exercitum educit, atque ita iniuriæ opportunior factus, cum Valeriano fratre circa Mediolanum interficitur. Visebatur Valeriani huius iunioris sepulchrum his locis quibus interfectus est, similitudoque nominis effecit ut plerique uoce decepti, mendacium cõfinxerint, Valerianum patrem postliminio reuersum in Italia perijsse. Cæterum semel ille diminutus capite in mancipio uixit ad extremum. Imperauit Galenus annos quindecim homo ad luxuriam magis quàm ad imperium natus. Fecit sibi ex uernis rosis cubiculum, & autumno castella ex omnifariam pomis, uirentes uuas triennio seruauit, exhibuitq; anni Bruma Melopepones. Monstrauit adhæc rationem qua mustum toto anno biberetur, ficos uirides & cæteras fruges ex arboribus alienis semper mensibus prębuit, mensas mantilibus strauit aureis. Aurea uasa ad perpetuum usum gemmis communiuit. Aurea scobe capillos asperſit. Est & gemmato baltheo usus gemmatisq; caligis, ad tibiarum cantum processit in apertum, ad organorum concentum sese domum recepit. Lauari æstiuis diebus septies. Hyeme iterum ac tertio. Semper ex auro bibit, uitrum ut rem uilem omnibusq; communem aspernatus est, nunquam in conuiuio bis idem uinum potauit. Scurrę & mimi semper secunda mensa in triclinio accubuerũt, admotæ eius conuiuio concubinæ, & cum illis sæpius lauit. Nec minor in eo fœuitia quã mollities, adeò duo diuersa uitia uno quandoque habitant loco, tria milia militum ac quaterna uno die occidit. Nũtiata patris captiuitate: Sciebam, inquit, patrem meũ mortalem esse. Statuam sibi duplo maiorem Neronis Colosso fieri imperauit, cuius summa hasta esset infantis capax. Destinauit porticum Flaminiam ad pontem miluium producere, sed hoc opus non inchoauit, illud imperfectũ reliquit. Fuitq; Galenus talis, si Palfurius Sura, & Pollio Treuellius, Palfurium secutus ad fidem hæc de eo memorię prodiderunt, tristis & terrorum plenus huius principatus, non solum frequenti prouinciarum rębellione, sed quod res Romana ludibrio fuit Barbaris, fœdeque uexata est, & quod dira naturę portenta illo imperante sunt omnibus terris facta: plures dies uelut tenebris iacuit terra obuoluta, auditumq; tonitruum terra mugiẽte non cœlo tonante, secutusq; ut solet motus terræ ingens, quo plura ædificia cum habitatoribus subito terrę hiatu absorpta sunt, multiq; mortales nimio terrore exanimati, sed id malum Asiam præcipue habuit obnoxiam, mota est Roma, mota & Lybia, terræq; hiatus uastissimi pluribus extiterunt locis. Maritimas urbes subitum mare obruit. Pestis inde orta, sed Romæ & in Achaia præcipue laboratũ. Quina milia funerum uno die sunt elata. Tenebatq; adhuc Valeriana persecutio, quũ Sixtus patria Athen. ex philosophiæ affectatore piº Christi cultor factus, pontifex post Stephani martyrium creatur. Stephanus qui uigesimus tertius à Petro præfuit ecclesiæ Galeni iussu, ut alij tradunt, à reſidua Decij persecutione, cum pluribus fidei cultoribus interfectus est, & ad Calisti cœmiterium uia Appia funeratus, annos septem & quinque amplius sedit menses: huius decretum, ne sacerdos aut leuita præterquam in sacrorum ministerio sacra uteretur uestę. Eadem huic sententia quæ & Cornelio pontifici de ijs qui ad fidem reuerterentur iterum baptismo admouendis. Accesserunt huic sententiæ sacerdotes & antistites, nõ Asiæ solum, sed Aphricanæ etiam ecclesiæ, quod literis Dionysius Stephano significauit. Iuuit per id tempus ecclesiam Malchion presbyter Antiochenus, scripsitq; in Samosatenum eiusdem urbis antistitem, quòd Artemonis dogma tueri conaretur, affirmantis Christum communis naturæ tantummodo hominem fuisse, nec semper cum fuisse, sed à matre sumpsisse principium, quam postmodũ sententiam Antiochenum consilium ut impiam reprobauit. Sixtus igitur qui Stephano successit magnum & ipse pro fide subijt certamen. Sunt qui credant hoc pontifice Cyprianum martyrio coronatũ. Hieronymus sub Galeno & Valeriano eum passum arbitratus est. Apud Barcen, Ptolemais hæc recentiore fuit nomine appellata, Pentapoleosque fuit ciuitas, impia & execrabilis est orta hæresis, à Sabellio Pentapolitano, ut quidam scribunt, tam diræ blasphemiæ autore Sabellianum dogma nuncupatum. Christum dei filium esse Sabelliani negabãt, tollebant

Zenobia.

Scytharũ arma late euagantur.

Alij passim Aurelio scribũt.

Galenus cum Valeriano fratre interficitur.

Stultum Galeni ingenium.

Portenta.

SIXTVS XXIIII. PONTIF.

Sabellianorum.

tollebant & spiritussancti intellectum. Cherinthus quoque à uera pietate aberrãs, post mille annos defunctorum pesuit anastasim, & Christi regnum in terris, homo omnis fœdæ uoluptatis amicus, ciborum & mulierum copiam affuturam prædicare, atque ob id delirium Græci Chiliaston dixere. Sed iã mille & amplius anni præteriere, nec ipse resurrexit ad eas quas sibi effinxit uoluptates. Idem in Ægypto credidit Nepos à quo Nepotiani sunt, opinatus est homo ad saginam non ad rem diuinam natus, Christum in delicijs & omnibus corporeis uoluptatibus in terris regnaturum, & cum eo numerosum sanctorum cœtum, quas sęuas animorum pestes me ditabatur Sixtus extinguere, quum tertio sui pontificatus anno nondum acto Galeni siue Decij, ut alij aiunt, iussu, quia Christum prædicaret, ad supplicium rapitur. Euntem illum Laurentius Archidiaconus sic dicitur affatus. Quo, inquit, pater graderis sine filio? Quo sacerdos sine ministro? Cui Sixtus. Ego haud te desero, inquit, fili, sed maiora tibi superſunt pro fide certamina, triduo post me sequeris, interim siquid in thesauris habes id pauperibus distribue. Interfectus est Sixtus quarto idus Augusti, & cum eo sex diaconi extremo sunt supplicio affecti, Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Innocentius, & Stephanus. Laurentius ex Sixti prædicatione triduo pòst cum Claudio, Seuero, Crescentio, & Romano ostiario, pro fide est passus, alij alio cruciatu. Laurẽtius igni exustus subiecta ferrea crate. Pauci inde diebus quibº hæc acta sunt Hyppolitus qui Decij procurator Romę fuit, quia Laurentium Tyburtina uia funerasset, confitereturque nihil obscure Christi nomen, martyrio consumptus est, familia in eius conspectu prius crudeliter truncata, ipse bigis est distractus per loca uepribus & dumis horrida. Valerianus Decij iussu Hippolytum necauit. Secutus credo Hippolyti nomẽ eo genere mortis insontem affecit, quoniam in fabulis esset, Hippolytũ Thesei filium ab equis distractum perijsse, sed multo optabilior hic Romani hominis quàm Attici illius exitus, hic cœlum est adeptus ex morte, ille tartara. Romanus ut quidam scribunt cum Laurentio necatus est, ut alij, medio Laurentij cruciatu ad Christum conuersus, iuxtaque baptismo est admotus simulque fustibus cæsus, ac securi percussus. Et Galenus, per hæc piorum supplicia est suo imperio debacchatus. Dionysius haud obscuro loco natus post Sixtũ pontificiam est dignitatem adeptus, cuius administratio in alterum exijt annum Claudij principis qui Galeno successit. Iacobº Eremitanus in chronicis in Galeni imperium reijcit totum Dionysij põtificatum, Felicis qui Dionysio successit administrationem in Claudium extẽdens: sed Eusebius & Platina longe aliter. Fuit utcunq; habet, annus ille, quo Claudius cœpit imperare, ducentesimus septuagesimus primus humanæ salutis. Ab urbe condita uigesimustertius supra millesimum. Mundani exordij quinquies millesimus quadringentesimus ac septuagesimus. Detulit Flauio Claudio imperiũ post Galeni cædem militaris fauor, idque senatus & populi consensus fecit illi ratum. Magnum domi sed militiæ multo maius erat Claudio ciuium militũq; studium comparatum. Hoc illi peperit imperium non domestica nobilitas, quippe qui ne Romani quidem fuit sanguinis, sed Delmata, siue, ut alij tradunt, Dardanus, nam & Dardani in Illyrijs sunt ijs cognomines, qui Phrygiam tenuerunt, quæ res, ut arbitror, effecit, ut Claudij maiores ab Ilo & Dardano, qui fuit Troiani generis autor, ex assentatoribus quidam oriundos scribere sint ausi. Cæterum quacunque gẽte maioribus que Claudius ortus est, iam inde à Decij principatu in magna esse cœpit celebritate, quum tribunus militum missus est ab eo imperante ad obtinendas Thermopylarũ angustias. Sed multo clarior sub Valeriano factus, clarissimus sub Galeno, quod ipsorum trium principũ epistolæ demonstrant. Galenus suis extremis temporibus eum sibi iratum, magnis muneribus donatum, retinuit in officio. Imperium itaque adeptus primum omnium Aureolum opibus & armis florentem, & quem participem imperij fecerat Galenus, ut senatus & Po. tyrannum iudicarent autor extitit, eundem fractum & feras conditiones quęrentem circa Mediolanum suis trucidandum obiecit, ab Aureliano, qui post Claudium imperauit, interfectus est. Sunt qui tradant ne iubente quidem Claudio eum occisum, alij non Claudio sed Aureliano imperãte id factum prodiderũt. Suscepit inde Claudius Gothicum bellum. Enimuero Gothi in Illyrico nuper male habiti, irritati potius clade illa quã fracti multas simul gẽtes in Romanum nomen uno tempore concitarũt. cccxx. milia Barbarorum fuisse traduntur, quæ tum arma in Romanos induerunt. Fuerunt que his duo milia nauium, nam terra & aquis bellum intulerũt. Literæ quas post uictoriam Claudius ad senatũ dedit, & ad Iunium Broceum, qui Illyrico præsidebat, nihil obscure significarunt, quantus mortalium numerus sit eo bello consumptus. Deleuimus, inquit, cccxx. Gothorum milia, duo milia nauium alto mari depressimus. Prius igitur quàm uicti sint, longe illi lateque uagati uelut procella quædam quacunq; irent Ro. Po. prouincias afflixere. Enimuero diffusi inde in partes multa prius Romanis damna intulerunt, quàm aduersus tãtam uim hostium Claudius comparare potuerit exercitum. Primo itaq; in Mysia est dimicatum circa Martinopolim, terraque & aquis res gesta, si in superiore Mysia dimicari contigit (nam Martinopolim in Mysia non reperio) nauali pugna fluuialis fuit, si in inferiore, quæ in Pontũ extenditur, & mari res geri potuit & Danubio. Sed siue his est aquis siue illis cõflictum, utraque pugna sunt Gothorum opes supra modum afflictæ, innumeri mortales aut cæsi aut capti sunt, multi etiam naufragio periere, cætera multitudo dissecta: haud uno dein loco pari euentu pugnatum, & circa Bizãtium, quo prælio præcipue enituit Bizantiorum opera. Pugnatum & ad Thessalonicem in ora Macedonię, diuersisque terris, nec semper Claudij ductu, nullaque hostibus pugna nõ interim funesta & exitialis fuit, ut omnes Populi Romani prouinciæ seruitiorum multitudine spolijsque eius gentis repletę sint. Tentatę sunt bello à Gothis Creta & Cyprus insulæ, sed utrobique morbo & ferro res eorũ sunt atrociter accisæ. Vna duntaxat clades hostium contemptu est à Romanis accepta, nam milites secundis rebus, quæ sapientium etiam animos fatigant, elati, dum cõptim & minus caute agunt, ad duo milia & amplius subita ui hostium occidione occisa sunt. Treuellius Pollio autor est, insignem eo bello operam à Delmaticis militibus nauatam, & quia sit forte genus hominum, & quod pro principe sui generis dimicabant. Claudio, ob insignem uictoriam, clypeum in curia aureum decreuit senatus, & statuam in Capitolio ante templum Iouis. Est & altera illi statua argentea iudicio omnium gẽtium in rostris decreta, palmatęque columnę imposita. Eutropius, quod aliorum nemo tradidit, cc. Germanorum milia scribit per id tempus à Claudio deleta, dimicatumque haud procul Benaco lacu in Lugana sylua. Gothi, quod ad Eutropij uocẽ attinet, Scythæ sunt: Scytharum nomen ut Plinius scribit usque quaque transit in Sarmatas & Germanos, nec in alijs prisca illa duravit appellatio, quam qui harum gẽtium extremi sunt ignotique prope cęteris mortalibus degunt, ut nulli mirum uideri possit, si Germani commilitium cum Gothis fecisse dicantur. Sed de Gothis mox paulò maior erit relatio. Dum hæc in Gothos gesta sunt, Palmyreni Sabæ & Timogenis du-

Cherinthi Anastasis.

Nepos.

Laurentius.

Sixti pontificis martyrium

Hippolytus.

Anni mundi. FLAVIVS XXXIII. IMPER.

DIONYSIVS XXV. PON.

Claudius imperio potitur.

Terribilis Scytharum motus

Clypeus aureus Claudij.

Gothi qui sint

Gothorum clades.

QVINTIL/ LVS. XXXV IMPER.

AVRELIA- NVS XXXVI. IMPER.

Qui Palmyreni sunt.

Aureliani prōptitudo in pugnā.

Sæuissima animaduersio Aureliani.

Dona victoriarum.

Quanti Circensium ludorum staret apparatus.

Qui principes propagarint urbis mœnium.

Zenobiæ regis ornamenta.

Dentes elephantini.

Zenobiæ forma & mores.

Zenobiæ regis feroxresponsum.

Zenobia triūphatur.

Vbi Zenobia consenuerit.

Cerui trahunt Aureliani currum.

Paniceæ coronæ.

Attende mirificum purpuræ apparatum

Aurelianus interficitur.

ctu Ægyptijs bellum intulerunt, tenuitque aliquandiu id armorum certamen quoad sit Probatus, quo Ægyptij duce utebantur, Timogenis insidijs interfectus. Eusebius Bruchum scribit non Probatum Alexādriæ oppressum. Cæterū siue hic siue ille fuit, Ægyptij metu perculsi in fidem & obsequium rediere, iuraruntque in uerba Claudij absentis. Teruellius qui hæc tam confuse scribit, significare uidetur Palmyrenos non sibi, sed Romanis in ea expeditione militasse. Fuerunt Palmyreni (quando eò uenimus ut sæpius eius gentis fieret mentio) inter duo summa imperia Romanum & Parthicum medij, Palmyra horum Metropolis, unde & genti nomen, uasto ambitu undique arenis includitur, uelut cæteris terris exempta, media inter Damascum & Seleuciam Parthorū quæ ad Tigrim nominatur. Condidit Palmyram urbem Salomon rex, si Iosephus uerus est autor, eamque Thadamurum appellauit. Restituisset his successibus Claudius rempublicam breui in pristinum statum, si longior illi uita contigisset. Sed tam breue fuit id imperium quàm utile. Haud enim biennium impleuit. Syrmij fato decessit. Quintillus Claudij frater Augustus est à senatu appellatus. Cæterum paucis diebus quibus ad id decus euectus est, Aquileiæ interficitur, quum uir esset egregius, nulloque uirtutis genere inferior fratre. Vopiscus autor est Quintillum sibi uenas secuisse, quū audiuisset Aurelianum imperatorem ab exercitu salutatū. Aurelianus Syrmij obscura familia ortus, ut alij scribunt, in Mysia, ut alij, in Dacia, imperium Quintillo sublato est militum fauore adeptus. Callicrates Tyrius, Græcorum sua tempestate doctissimus, Solis sacerdotem fuisse prodidit Aureliani matrem, qui in eo uico, ubi ille natus est, religiosè coleretur. Adijcit & diuinationis aliquid in ea fuisse, quippe quę marito olim inertiam & sordem, ut fit, exprobratura, en dixerit imperatoris patrem. Ipse ab ineunte ætate nullo die non se pilo & sagittis exercuit, etiam festis diebus, omnis ocij & inertiæ impatiens. Fuit adulta ætate, procerus statura, neruis ualidissimus, uini cibique paulo cupidior, raræ libidinis, gladij agitandi studiosus, ita manu promptus, ut Sarmatico bello, quem admodum Theoclius prodidit, qui gesta Cæsarum scripsit, octo & quadraginta hostes uno die propria manu occiderit. Pluribus uero bellis supra nongentos quinquaginta. Militari saltatione, quam bellorum ferijs inter se milites de more celebrabant, illud fuit carmen de Aureliano insertum. Mille uiuat annos qui mille occidit. Tantum uini bibit quantum fudit sanguinis. Et aliud in eandem sententiam de eo à militibus ioculariter iactatum. Mille Sarmatas & mille Gallos sæpius occidimus, mille Persas quærimus. Tanta in eo fuit seueritas, ita militibus formidolosus, ut post unam castrensem animaduersionē nemo sub eo deliquerit amplius. Militem qui hospitis uxorē adulterauerat, duabus diuersis arboribus ui inflexis alligatum, subitoque remissis atrociter laniauit. Operæpretium credidi, in hac militari licentia qua hodie omnia diuina & humana turbantur, perbreuem Aureliani epistolam cognoscere, quam ille ad tribunum quendam militum dedit, quem præsidio præfecerat. Si uis, inquit, tribunus esse, imo si uis uiuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat. Quem nemo attingat, uuam nullus auferat, fegerem nemo deterat, oleum, salem, ligna nemo exigat, sua quilibet sit annona contentus. Hostili præda non prouincialium lachrymis diteſcant, arma detersa sint, calceamenta fortia, noua uestis ueterem excludat, stipendium in baltheo habeat non in pompa. Torquem armillas, & annulum deponat eques, saginarium equum defricet, captum animal non uendat, alius alij ut famulus obsequatur, à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitijs caste se habeant, qui litem fecerit uapulet. Et Aurelianus huiusmodi disciplina militiam correxit. Extat & Valeriani epistola ad Antonium Gallum consulem scripta, qua aperte testatus est se filium Aureliano instituendum id circo credere noluisse, quia nimiæ esset seueritatis, timuisse se, ne si quid ille pueriliter deliquisset, acerbius ab eo plecteretur. Extāt adhæc multa & uaria eiusdem de Aureliano testimonia, sed illud maxime memorabile, quod Gothis ab Aureliano ad Nicopolim uictis, ita eum post uictoriam reuersum sit Valerianus allocutus. Gratias, inquit, Aureliane tibi agit respublica, quod se à Gothorum potestate liberasti, abundamus per te præda, abundamus gloria, & omnibus quibus Romana augetur feliciras. Accipe igitur pro rebus à te gestis coronas murales quatuor, uallares quinque, nauales duas. Ciuicas duas, puras hastas decem, uexilla quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, seliam eburneā, te enim consulem designo, senatus de more scipionem dabit & fasces. Hæc ille coràm. Inde Romam ad præfectum ærarij scripsit, ut Aureliano consuli designato Circenses ludos edituro, in eorum apparatum ille ex fisco daret aureos Antonianos trecentos. Philippeorum argenteorum tria millia, minutorum quinquagies sestertiūm æris. Tunicas multicias uiriles decem, lineas Ægyptiacas uiginti, mantilia Cypria paria duo, tapetes Aphros decem, stragula Maura decem. Centum sues, atque oues totidem, maiores hostias duas, minores quatuor. Quibus Valeriani uerbis potest intelligi quanti Circensium ludorum staret apparatus. Nec in Gothos tantum prospere bellauit Aurelianus ante receptum imperium, sed aduersus etiam Sarmatas, & Suenos, ut Vopiscus scribit. Marcomāni (sunt hi Germani non Galli, ut Eutropius interpretatur) dum Aurelianus iam princeps à tergo instat, Italiam tumultuose ingressi, Mediolanēsem agrum subita populatione fœdarunt, eos triplici prælio Aurelianus afflixit, circa Placentiam uno, altero in Ticinensi, ad Metaurum tertio, non procul à Phano fortunæ. Quidam ad Placentiam postremo dimicatū ferunt. Alij ad Ticinum, quæ nūc Papia est. Cæterùm ubicunq; debellari contigit, secundum eam uictoriam Aurelianus irarum plenus, ob leues seditiones, quę interim in urbe à monetarijs extiterāt, Romam reuertitur, ac supra modum fœuiens parua uindicauit delicta, ut supra quina milia hominum sint ferro dedita, & in his pleriq; insontes, quæ res illum continuo ex populari inuisum reddidit multitudini, multiq; fodiendum talem principem non optandum censerent. Alij eum bonum medicum prædicarent, sed acerbius curantem. Muros urbis ampliauit, pomerio tamen nihil moto, nam id proferre nulli principum licuit, nisi qui barbarici agri parte aliqua rem Romanam locupletasset, quod Augusto contigit, Traiano & Neroni, quo principe pontus Polemiacus, & alpes Cottiæ Romano accesserunt imperio. His in Italia & mox Romæ gestis Zenobiæ Palmyrenorū reginæ bellū intulit, ac medio ductu circa Illyriū & Thraciā Barbaros uicit, Canabāq; siue Canabādem ducē cum quinq; millibus Gothorū uno prælio peremit. In Asiam dein transgressus Bithyniam recepit. Syriam postremo inuasit. Zenobiāq; apud Emessam urbem, alij apud Thymam scribunt, ingēti prælio uicit, uictus cum ea Zaba belli socius, inde Palmyra petita est, fuitque expeditio illa Aureliano perdifficilis, Syris locorum iniquitate fretis passim infensantibus. Postremo fessus Aurelianus ac fugatus per literas Zenobiā ad deditionem hortatus est, uitam illi pollicitus, cui Zenobia ita scripsit, Zenobia oriētis regina Aureliano Augusto. Nemo mo præter te, quod poscis literis petijt. Virtute non uerbis in bello opus est. Petis ut me tibi dedam, quasi nescias Cleopatram reginam mori maluisse, quàm dediram in qualibet uiuere dignitate. Nobis Persarum non desunt auxilia. Stabunt pro nobis & Sarraceni. Stabunt Armenij, & Latrones Syri, qui tuum fuderunt exercitum. Si nobis hæc auxilia adeunt, quæ in diem expectamus, eritque acie confligendum, pones ut spero supercilium quo nunc quasi uictor mihi deditionem imperas. Superbissimæ reginę literas Longinus Philosophus quo magistro in Græcis literis usa est Zenobia, dictasse creditus est, & ob eam rem ab Aureliano post uictoriam interfectus, & si literas Syriaco sermone notatas Roma. imperator accepit, quas Nicanor in Græcū uertit. Aurelianus Zenobiæ responso irritatus Palmyram iterum inuadit, arctaque obsidione cingit. Persę auxiliares cū Palmyrenis obsidione fatigati sunt. Armenios & Sarracenos Aurelianus partim pollicitationibus, partim minis à regina alienauit. Est Palmyra aliquandiu inde defensa, postremo regina armis uicta, quum in Persas fugam intendisset, equitibus euestigiò sequentibus capta est, & ad Aurelianum perducta. Sub id tempus quo hęc in Palmyrenos Romanus gessit, Firmus in Ægypto rebellauit, conatus Zenobię partes iam semiractas medio bello ardore restituere. Fuit Firmus Seleuci? patria. Hic Zenobiæ rebus accisis, ac regina capta, uictus prælio, uitam ut quidam tradunt laqueo finiuit. Fuerūt illi duo elephantini dentes tam enormi magnitudine, ut Aurelianus pro miraculo Romam deportandos curauerit, eo consilio, ut dicunt quidā, ut si totidem ea magnitudine reperti essent ex his Ioui sellā cōstitueret, horum longitudo traditur denūm fuisse pedum. Iucunda sunt relatu & si non usqueadeò utilia scitu, quæ de Firmo Aurelius Festus scripsit. Eum Crocodilino adipe unctum impune inter Crocodilos annatasse, Hippopotamos esitasse, iunctisq; struthionibus uectū, ut quasi uolitare sit uisus. Fuit *cibi* appetentissimus ut struthionem uno die comederit, bibit etsi alioqui uini parcissimus, ex prouocatione duas uini situlas, increpitusque à compotore quod non fecem bibisset, Terra, inquit, stulte non bibitur. Aurelianus, pacato orientis statu, Romam reuersus est. Scribit Vopiscus inter cętera spolia quę & multa & pretiosa sunt ab Aureliano templis defixa, fuisse purpureum pallium in templo Capitolini Iouis suspensum, diuini, ut eius uerbo utar, coloris, qualem neque prius, neque postea Roma uiderit. Imperatoris purpura nobilissimarumque matronarū illi admota cinericij uidebatur coloris. Id munus Aurelianus à Persarum rege post Palmyrenam uictoriam dono accepisse ferebatur, ab interioribus Indis in Persidem missum. Fuit inde curæ ipsi principi, mox Probo & Diocletiano per nobilissimos infectoriæ artis opifices id genus purpuræ conficere. Sed neque ratio, neque materia iniri potuit. Sandyx Indica quum rite curata esset, credita est eum colorem conficere. Reuersus Romam Aurelianus Zenobiam in triumpho duxit: Ea subaquilo fuisse colore traditur, oculis nigris, supra modum uigentibus, uenustate eximia, dentibus adeò candidis, ut margaritas plerique dentium loco eam sibi concinnasse crederent, uox clara & uirilis, clemens ubi opus esset, & quod rarum in fœmina est, miræ castitatis, ut neuirum quidem suum sciret nisi mensium circuitu tētatis conceptionibus. Vixit regali pompa, Persarum regum more passa est adorari. Galeata ad concionē processit, gemmis purpureo limbo depēdentibus. Raro usa est pilento, equo sæpius. Ambulauit sępissime ad quatuor milia passuum cum peditibus. Bibit sæpe cum ducibus, quum sobria alioqui esset. Eunuchos non nisi grandes natu habuit, raras puellas. Filios adeò Latino exercuit sermone, ut Græce uel difficile, uel rarò loquerentur. Nec ipsa Romanæ ignara linguæ, sed rarius ficlocuta, pudore cohibita. Ægyptiacè plurimum loquebatur. Fuitque Alexandrinæ historiæ totiusque orientis peritissima, quam in formam Epitomes redegisse traditur. Et Zenobia quum talis esset Aureliani currum captiua præcelsit, adeò gemmis onusta, ut sæpe processu pompæ restiterit, fassa se nimium gemmarum pondere degrauari, uincti erant pedes & manus aureis cathenis, atque per hunc modum triumphata in Tyburti uixit cum filijs, ubi prædia sunt ei publicè data. Mansit loco nomen in posterum, ut Zenobia diceretur, haud procul ab Adriani uilla, & loco cui nomen conchæ est. Eutropius Romæ consenuisse autor est, & ab ea Zenoniam familiā in urbe propagatam. Fuit Aureliani triumphus uario apparatu insignis. Tres regij currus prælati sunt, argento auro & gemmis insignes. Odenati unus cuius Zenobia fuit uxor. Perticus alter ab eius gentis rege dono missus. Tertius Zenobiæ, quo infelix regina se Romam uictrix inituram dixerat. Sed id omen in malum uertit, uincta enim eodem curru inuecta est priusquam de ea sit triumphatum. Cerui quadrijuges quartum currum traxere. Fuerunt qui traderent eum Getharum regis fuisse, hisque Aurelianum triumphantem Capitolium ascendisse, ceruosque ab eo Ioui ex uoto immolatos. Præcesserunt elephanti uiginti, feræ Libycæ Palæstinæque cicuratæ ducentę, tigres quatuor: camelopardalos, alces. Cladiatorum paria octingenta. Ex Barbaris gentibus captiui, Blemiæ, Arabes, Indi, Bactriani, Hiberes, Persæ, Sarraceni. Hi enim & Blemiæ pro Firmo in Ægypto, ut socij, bellarunt. Sunt & alia gentium nomina minus nota triumpho adhibita, & alia mundi plaga, Gethæ, Halani, Roxolani, Sarmaræ, Galli, Sueui, Vandali & Germani. Fuerunt & Palmyrenorum principes & Ægyptiorum qui ex rebellione ut hostes triumphati sunt, & quod omnium maxime conspicuum fuit, mulieres quædam uirili habitu dimicantes, quæ cum Gethis captæ fuerant, quū pleræque aliæ in pugna perijssent. Eas Amazonum progeniem esse titulus indicabat. Ductus est & Tetricus, qui aliquandiu in Gallia tyrannum egerat, tunica galbina & Gallicis brachijs ornatus. Prælatæ aureæ coronæ cum titulis ciuitatum, quæ eas principi dono dedere. Collegiorum omnium uexilla, & alia huiusmodi ornamenta, quæ celebriorem triumphi pompam reddere potuerunt. Post triumphum Aurelianus paniceas populo coronas uiritim dedit, quas in Zenobiam moturus promiserat, sed aureas sibi promissas populus interpretabatur. Diuisit & domesticatim suillam carnem, edidique omnifariam spectacula, templum Solis ędificauit, quibus in urbe gestis, in Galliam profectus est, Vindelicosque Barbarorum obsidione exemit. Sunt qui Gebennas in Allobrogibus ab eo conditas expeditione illa Gallica dicant. Illyricum deinde petijt, ubi bello iam Persis indicto, quod Zenobiæ auxilia tulissent, quum ad Bosphorum tenderet, in Asiam transmissurus, inter Heracleam & Byzantium paucorum conspiratione interfectus est, quorum nomina Mnesteus à manu, quū scriret sibi principem iratum, cum sontibus quibusdam, tanquam hi quoque occidendi essent, subnotauit, eisdemque legenda occulte præbuit, quo illi metu adacti facile sunt ad eam cędem perpetrandam impulsi. Mnesteus postea fraude cognita palo est affixus, bestijsque laniandus & uolucribus relictus. Interfectus est Aurelianus anno quàm imperare cœperat sexto, sed nondum acto. Fuit, quod nemo negat, plus nimio seuerus. Extant tamen & clementiæ exempla memoratu digna. Quum in Zenobiam duceret, Tyana una omnium urbium in Bythinia eum mœnibus excluſit, qua ille iniuria accensus, iurauit fo-

ré,ut eius urbis canes ad unũ obtruncaret,eaq; proditione recepta,proditorem capitali supplicio affecit,ciues,canibus ad unum interfectis,ut sacramento liberaretur, præter omnium opinionem incolumes præstitit. Quidam autores sunt,& in his Vopiscus, nocturno Aurelianum oraculo prohibitum in Tyaneos sæuire. Per quietem uisa est illi astare effigies Apollonij Tyanei, uiri studio sapiétiæ celebris, atque ita affari. Aureliane clemẽter agas, & uiceris. Vrbem Romam ita ampliauit ut quinquaginta pro pemodum milia passuum ambitu complecteretur. Dacos, quia ultra Danubium in fide contineri non poterant, in Mysiam traduxit, Daciamq; appellauit. Quindecim milia pondo auri Capitolino templo intulit. Thermas in trástyberina regione de suo nomine inchoauit, Forum in Hostiensi, qua morum uarietate neq; inter bonos principes relatus est, neque inrer malos. Diocletianus, qui non multo pòst potitus est rerum, dixisse fertur oportuisse Aurelianum ducem esse, non imperatorem. Ferunt eũdem dicere solitum nihil esse difficilius quàm bene imperare. Cæterum quàm Diocletianus ipse bene imperarit alij uiderint, magis autem impiè, quod uere dicitur, imperauit nemo. Holoserica ueste Aurelianus nunquam usus est, nec alium uti permisit se principe. Eutropius, quod miror, eũ diademate regio more usum tradidit, & aurata ueste ac gemmata, quod Romanorum nullus ad id tempus fecisset. Quum uxor ab eo precibus contenderet ut filiæ unicæ adhuc uirgini id daretur, Absit, inquit, ut filia auro pensetur. Enimuero sericum ea tempestate auro rependebatur. Addidit & unciam ponderibus, ut uilior esset annona, sua testatus epistola, nihil Romano Populo saturo esse lætius. Vinum quoque gratuitum populo dare cogitauerat, ut oleum, triticum, & suillã carnẽ, quod ut aliquando fieret, à Valeria uia per Hetruriam ad Alpes usq;, omnia aprica Apennini iuga uitibus serere in animo habuit, captiuorum multitudine inducta, si locorum domini nouellare nolu issent. Rem iamdudum inchoatam autoris prẽmaturus exitus discussit. Fuerunt qui crederent amicorum monitu incœpto destitisse, qui dicerent futurũ, ut si gratuitum populo uinum daretur, gallinacei & anseres dandi essent. Ægrotus nunquam medicum uocauit, sed inedia curabat se. Mimis nonnihil delectatus est. Sed multo plus Phagone portentosæ uoracitatis, qui in conuiuio totum comedit aprum, ueruecem unum, & porcellum unum, & cum his panes cẽtum, bibitque per infundibulum uini orcam. Hæc Flauius Vopiscus, quę nunquam referre essem ausus, nisi naturæ potentiam æstimare uolentibus hinc reputatio illa oriretur, quonam modo humanum corpus quale ętate illa esse debuit, tantum alimoniæ uno tẽpore capere potuerit, aut quomodo receptum coquere, sed horũ fides erit apud eos qui talia memoriæ prodiderunt. Dionysius pontifex, à Galeni principatu, per Claudij, Aureliani, & Taciti imperia, ad Probum usque principem, sedere perseuerauit, si Eusebius recte colligit: quod si annos sex præfuit ecclesiæ, quod plures scribunt, fieri non potest, ut tam longe processerit. Cæterum quibuscunque Cæsaribus sedit, nam de Galeno & Claudio in dubium uenire non potest, eo, quod satis constat, se dente Paulus Samosatenus Antiochiæ antistes, relicto orthodoxæ fidei cultu, Artemonis est hæresim complexus, homo insolenti ingenio, & qui Christianorum antistitum primus, ob immodicum comitatum, cœpit odio esse multis. Negabat Artemon Christum dei filium è cœlo descendisse, sed à matre habuisse principium, atque ob hoc ipsum Antiochenο concilio, frequenti antistitum conuentu, hæreseos damnatus est. Fuit in synodo illa Gregorius Cęsariensis antistes, qui est postea pro fide passus. Sed nemo reum ferocius presit quàm Malchio Antiochenæ ecclesiæ presbyter, uir disertus. Dionysius pontifex iam senio confectus haud multo postquã hæc Antiochiæ acta sunt uita decesit. Sedit annos sex. Eusebius duodecim scripsit. Felix in demortui locum præficitur ecclesiæ, uir Romanus patria. Eius administrationem Platina in Aureliani reponit tempora. Philippus Eremitanus in Claudij principatum. Eusebius Probo imperante federi ab eo cœptum arbitratur. Cæterum quocunq; principe summus illi honor delatus est, primus omnium instituit annua sacra in martyrum memoriam. Vt nemo rem diuinam nisi sacris initiatus faceret, nec alibi quàm in sacro. Si templi cuiusquam dedicatio ueniret in dubium, abolita ob uetustatem memoria, ut iterum dedicaretur. Haud bis fieri ratus quod ne semel quidem factum satis sciri posset. Per id tempus Mannes uir Persici generis, uita & moribus Barbarus, Christum se profiteri ausus duodecim sibi legit discipulos Christi saluatoris nostri non uerum sed imaginarium corpus fuisse prædicans. Sed quãtum is odio dignus & detestatione, tam Anatolius Laodicenus pręsul sanctitate & eruditione memorabilis. Felix qui sextus post Petrum ac uigesimus sedit, martyrio Aureliani iussu consumptus est. Alij quibus nihil grauatè accedo ad Claudium Felicis cædem referunt, Aurelia uia funeratus est. Tenuit ecclesiam annos quatuor. Sunt & alij per id tempus martyrio illustrati. Eusebius monachus Teracinæ Claudij iussu interfectus est. Is Cæsarium Diaconum & Iulianum presbyterum martyres sepelijt. Horum Cęsarius sacco obuolutus Calendis Nouembribus fuerat in mare deiectus. Sunt & in Gallia dira illa tempestate uario cruciatu necati Adiochus, Tyrasius, & Felix, cum Polycarpo, qui illos instituerat, ad octauum Calendas Octobris, quum uerberibus cæsi inuersisque manibus per diem pependissent, uectibus demum confossi martyrio defuncti sunt. Nec Claudij impietas per hæc tantum supplicia debacchata est, sed Quirinum etiam, uirum Romani sanguinis, & qui militum fuerat tribunus, tertio Calẽ. April. quia Christũ confiteret, mẽbratim concidi iussit. Valentinum presbyterum simili causa, prius cæsum, securi subiecit. Maurum, qui peregre cum Martha uxore & liberis, pietatis studio, per eos dies Romam uenerat, pari sęuitia interfecit. Vinxit & Theodoram Hermetis sororem Aurelianus consul, Claudio adhuc in humanis agente, quam postea imperator factus extremo affecit supplicio. Salaria uia sita est. Reponunt quidam & Cyrillę martyrium in hæc tempora. Fuit Cyrilla Decij principis filia, cui octauum & uigesimũ diem Octobris pia sacrauit posteritas, & sanctorum sanguis Claudiano imperio tam large fusus est. Successit Felici Eutichianus Tuscus genere, cuius administratio incidit in extrema Aureliani tempora, quàm uero longa fuerit in summa autorum discrepantia affirmare non ausim. Eusebius octonos illi tribuit menses: Platina annum, mensem, & diem unum. Philippus Eremitanus annos octo & amplius. Sed quàm uita incerta tam illustris ad posteros uiri sanctitas & eruditio, ut suo deinceps loco declarabitur. Nunc Taciti principatus referendus, in cuius tẽpora incidit sacra Eutichiani administratio. Fuit hic Aureliani successor, cæterum sexto mense ab illius cæde imperator salutatus, adeò sera fuit noui principis creatio. Peperit eam moram honestissimum senatus & patrum certamen, nam Aureliano interfecto exercitus qui cum eo erat ad senatũ scripsit, ut ipsi suo arbitrio legerent imperatorẽ, obseruaturos se quemcunque honoratissimus ille ordo dedisset. Patres quia uidebant fieri non posse, ut exercitus in summa animorum inconstantia tandem probaturus esset, quem ipsi creassent, eam declarationem ad milites reiecerunt tenuitq;, quod nunquã antea acciderat,

Diocletiani iudicium de Aureliano.

Attende Aureliani continentiam.

Phagonis cuiusdam portentosa uoracitas

Paulus Samosatenus.

FELIX XXVI PONT.

Felicis precis decreta.

Manes.

EVTICHIANVS XX PONT.

Cyrilla.

TACITVS XXVI IMPER.

Christianis supplicia.

Quirinus.

acciderat, mutua illa denegatio plures menses, quo temporis interuallo tanta fuit quum patrum modestia, tum militum uerecundia, inter ordines concordia, tanta domi forisque tranquillitas, quãta ab urbe condita ad id tempus nunquam antea. Nec senatus dissimulauit suum gaudium, quum iam in antiquum statum rempublicam restitutam arbitraretur, quin de ea ordinum concordia, deque autoritate creandi principis sibi à militibus restituta publicè literas ad Aquileienses dedit, ad Mediolanenses, Treuiros, Carthaginienses, Corinthios, Achæos, aliasque illustres ciuitates, populosque Ro. imperio subiectos. Patres uicti militari consensu, Tacitum uirum grauem singulariq; eruditione imperatorem creant, concordi uoce testati neminem aut iustius quàm grauem uirum, aut prudẽtius quàm doctum imperare. Cæterum Tacitus multum diuque reluctatus, nũc ætatem iam propemodum decrepitam, nunc corporis infirmitatem excusare. Cui reclamatum est. Traianus iam senior imperium cepit, Adrianus cepit, Antoninus cepit, imperatorem se creasse non militem, imperatoris esse præcipere, milites pugnare. Nec à Seuero principe frustra prędicari solitum, caput imperare non pedes, quo ille consensu uictus prẽsenti patrum studio cesit. Scribit Flauius Vopiscus legisse se in Elephantinis libris Vlpiæ Bibliothecæ, Tacitum ubi primũ in curia moueri sensit de imperio sibi decernẽdo in Baianum suum secessisse, ubi duos menses procul ab urbe fuerit, eam dignitatem ut sibi exitialem auersatus. Sed ubicunque fuit, quum honor est illi decretus, consensu ordinis uictus in senatu uerba fecisse dicitur, atque ita exorsus. Sic mihi contingat patres conscripti iustè & uiriliter imperium regere, quemadmodum ego omnia ex uestra sententia me agere oportere dixi. Vestrum est igitur patres decernere ac iubere, quæ uestro ordini quæ exercitibus, quæ Po. Ro. commo dauideantur: meum uestra decreta cum dignitate exequi, inde cętera executus autor fuit senatusconsulti faciundi, ut capitale esset siquis publicè priuatimue æs argento miscuisset, siquis argentum auro, aut æri plumbum. Ne serui in dominorum capita rogarentur, ut omnes Aurelianum pictum haberent. Petiuit eadem oratione fratri suo Floriano consulatum, quem quum non impetrasset, gauisus est, testatusque scire Ro. senatum quem imperatorem legisset. Omne patrimonium suum publicauit. Pecuniam quam habuit militibus stipendij nomine numerauit. Nõ alijs uestibus imperator usus est quàm priuatus, Cornelium Tacitum Historiarum scriptorem, quem patrem appellare consueuerat, Bibliothecis omnibus iussit inferri, instituitque ut decies in anno publicè scriberetur, ne ipsius monumenta deperirent: paternam domum demolitus in Thermarum usum uertit, quæ populo paterent, centum Numidicas columnas ex domestico apparatu Hostiensibus dono obtulit. Cibi & potus parcissimus. Lactucas plurimum esitare, identidem prædicans se somnum lactucarum usu mercari. Vxorem ne imperator quidem passus est gemmis uti, quin Aureliano adhuc priuatus autor fuisse creditur, ut auri usum ex uestibus & cubiculis submoueret. Fuitque tam popularis Tacitus, sed neque modestia principis neque sanctitas coërcuit militarem stultitiam, sexto ille mense quàm imperare cœperat in Ponto, ut quidam tradũt, militari tumultu interfectus est. Non desunt qui morbo eum perisse memorent. Extincto Florianus qui frater illi fuit, iniussu patrum imperium ut hæreditarium arripuit. Sed ut sunt temeraria consilia ab initio læta, tractu difficilia, euentu plurimum funesta, duos post menses ad primos rumores Probi orientalium exercituum fauore ad imperium asciti Tarsi in Cilicia à militibus obtruncatur. Sic duorum fratrum imperia annum implere non potuerunt. Fuit eorum principatus, ut dixi, breuis. Sed Eutichiani pontificatus haud multo longior, qui uix annum expleuit, ut plures prodiderunt, qua temporum angustia trecenti martyres suis manibus sepelijt, instituitque ne quis sine Dalmatica collobióue martyrem sepeliret. Claruit eo sedente Dorotheus Eunuchus uir Græca & Latina facũdia insignis, Christianiq; nominis affectator pijssimus. Aurelianus aliquandiu est eo uiro delectatus, fuit enim ab initio sui principatus Christianæ pietati haud inimicus, mox impiorum calumnia pios infectatus, fœda morte debitas luit pœnas. Eusebius Dorotheo operam dedisse creditur, quum diuinam enarraret historiam. Scripsit & Anatolius Laodicenus antistes in mathematicis quædam, scripsit & in Manichæos, quorum uenenum plus nimio cœperat inualescere. Hi duas substantias posuere bonam & malam, animas ex deo quasi ex aliquo fonte manare, uetus testamentum repudiabant, recentis etiam præter pauca omnia reijcere. Et hi quidem tum uiri illustres fuere. In Eutichiani locum Caius Delmata pontifex surrogatus est, qui Probo principe pontificiam tenuit sedem. Probus, quando sua sponte in hunc deflexit stilus, Syrmij ortus est (fuit is locus in Pannoniæ & Illyrij confinio) natalibus & si non adeò illustribus, nihil tamen sordidis, pater honestissimum ordinem duxit, perijtque in Ægypto Tribunus militum. Non defuerũt qui Probum per matrem Claudio principi propinquum scriberent, adducti forte eo, quod ut à quibusdam proditum est, posteaquã Probus à militibus occisus est, à Claudia sit sorore funeratus. Ipse priusquã pubescere cœpisset, quod nulli tam tenera ætate contigit, Tribunus militũ à Valeriano ordinatus est. Huius ille indolem adeò miratus dicitur, ut Galenũ sit filium per literas hortatus ut in eius adolescẽtis mores sese formaret, laudes deinceps hominis executus illud adiecit, Si nomen, inquit, Probi non haberet, potuit habere cognomen. Fecit & sub Galeno præclara stipẽdia iam adulta ætate, cui æquè fuit charus ac patri. Aureliano mox imperante decimæ prefuit legioni. Tacitus secum consulem destinauit, ediditq; interim priuatus præclara militiæ facinora. In Aphrica Marmaridas uicit, afflixit & Gallos in paludes compulsos, Germanos & Halanos à Romani imperij limitibus submouit, quo tempore Valerium Flaccũ nobilem adolescentem, & Valeriani principis propinquum, ex hostium manibus eripuit. Gesit inde præclare multa in Sarmatas, & Parthos, atque in Pontico tractu insignem reipublicæ nauauit operam. Ducem hostium in Aphrica ex prouocatione prostrauit. Palmyrenos & Persas retudit, multaque in Ægypto utiliter extruxit militari opere, pontes, templa, porticus, Basilicas, ne non semper militibus negocium aliquod esset, ob quæ priuatus adhuc insignia tulit præmia. Donatus haud uno tempore quatuor puris hastis, coronis uallaribus duabus, una ciuica, uexillis puris quatuor, binis aureis armillis, torque uno aureo, patera ad sacrorum usum una. Halanico bello quum equus ex hoste captus esset miræ pernicitatis, qui captiuorum indicio ferebatur centum milia passuum singulis diebus perpetuo cursu conficere, in eaque celeritate octonos dies perseuerare, omnibus illum extra sortem Probo destinantibus recusasse fertur, testatus perniciosissimum equum fugacissimum decere militem. Sortiri itaque eum milites iussi, quum Probi nomen ex urna primum fuisset eductum, idque plures milites nomen ferrent, ad tollendam discordiam magno omnium fauore est id præmium uni illi addictum. Fuitque Probus talis, priusquam imperator fit factus, mox uero ubi senatus ex ipsius literis cognouit de militum electione, autor fuit, ut quem milites principem creassent, huic ratum

Concordia ordinum.

Qui imperatoram senes imperare cœperint.

Oratio Taciti.

Taciti mores.

Mira in equo pernicitas.

CAIVS XXVIII. PONT.

FLORIANVS CAESAR XXXVII. IMPER.

tum esset imperium. Manliusque Statianus in curia sententiam dixit, ut non solum Cæsaris Augusti ferret cognomina, sed & pater patriæ diceretur, esset & pontifex Maximus, Tribunus plebis proconsulare gereret imperium, & ius tertię relationis. Probus accepto de his senatusconsulto, primum omnium eos supplicio affecit, qui Aurelianum interfecerant, dubium patribus gratificaturus, an ut documẽtum posteris daret, ne cędę principis se temerè polluerent. Gallias inde cũ ingenti exercitu petijt. Germani eam terram post Aureliani cædem, hostiliter occupauerant. Posthumus (quod supra est memoratum) aliquanto prius fuerat interfectus. Plura igitur & uaria cum hoste fecit prælia, sexaginta & amplius nobilissimas Galliæ urbes à Germanis recepit, quadringenta milia trucidauit, immensa præda & spolijs ex hoste captis, afflictisque Germanorum opibus in hostico castra fecit, instituitq; trans Rhenum prędidia, ad inhibendos Germanorum motus, promoto limine, Germanis obsides imperauit, ac xvj. milia Tyronum qui inde dati sunt, suis Probus prędidijs inseruit, ut eiusmodi tacitis auxilijs res Romana ualidior fieret, iuuaretur q; magis quàm iuuari sentiretur. Rebus q; per hęc in Gallia Germaniaq; compositis, Probus in hanc sententiam scripsit Romam ad senatum. Ago dijs immortalibus gratias P. C. quod uestra de me iudicia comprobaui. Subacta est omnis qua latè tenditur Germania, nouem reges diuersarum gentium ad meos pedes, immo uestros suppliciter strati iacuerunt, omnes iam Barbari uobis arant, uobis seruiunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur uestro more decernite, nam quadringenta milia hostiũ cęsa sunt, sexdecim milia armatorum nobis obsidum loco oblata, septuaginta nobilissimæ urbes captiuitate hostiũ uindicatæ, uniuersa Gallia pacata. Hæc Probus & alia non pauca, sed relatu non ita necessaria, de rebus à se gestis senatui per literas significauit. Inde Germania profectus Rhetiam pacauit, unde bellorum terrore discusso in Illyrico Sarmatas uicit, omniaque circuniecta loca recepit. Per Thraciam deinceps ducens tantum terroris cunctis gentibus quibus Ro. nomen propemodum ludibrio fuerat, incusit, præsertim fama rerum in Germania & Gallia gestarum, ut fine aliquo maiore belli conatu omne Scythicum nomẽ, partim in deditionem, partim in Po. Ro. amicitiam sua sponte cesserit. His q; gẽtibus usq; subactis, aut in societatem ascitis in Asiam transijt, Palfurioq; latrone illustri circa Isauriam oppresso, omnem Pamphiliam Ciliciamq; latrocinijs purgauit, sempiternaq; latronum receptacula, aditu difficilia, ueteranis dedit militibus habenda, ea lege ut liberos à decimo octauo anno in Romana castra mitterent, ne prius latrocinio assuescerent quàm militię. Inde ad orientem Solem progressus, Blemias uicit, captiuis ex ea gente Romam missis. Blemiarum effigiem obstupuit Ro. Po. ut Vopiscus scribit, nec posuit quid fuerit in illis, quod cernentibus stuporem induxerit. Plinius autor est Blemias capitibus carere, esseq; oculos illis & ora pectoribus affixa, neque in Syria eam ait esse gẽtem, per quam ille in Persas ductabat exercitum, neq; in Mesopotamia, aut Arabia, sed in Æthiopia, quo magis miror Vopiscũ tradidisse Coptem & Ptolemaidẽ urbes à Blemijs receptas, nisi Coptũ putet aliquis esse potius legendum quæ Ægypti mediterranea est, non procul à Thebis, ut proximi Æthiopes eum locum insederint. At neque ille, neque alius meminit in Ægypto expeditione illa esse aliquid gestum. Etsi idem autor loco haud multum diuerso Firmum Seleucium qui in Ægypto latrocinium uerius quàm tyrannidẽ exercuit, cum Blemijs & Sarracenis fidam iunxisse societatem scripsit, quod cum ita sit, uidetur mihi Flauius parum exploratum habuisse qui hominum

Probi in Gallia gesta.

Laureatæ Probi literæ ad patres.

Quando Blemiæ Romæ uisi.

A essent Blemiæ. Probus orientis rebus ad tempus cõpositis in Thraciam reuersus centum milia Basternarum in Romani imperij limite collocauit, adiecti sunt & ex alijs barbaris gentibus plurimi, quorum Gauthumni & Bláduli subita rebellione plerasque Romani nominis prouincias hostiliter fœdarunt, Probo interim maioribus bellis occupato, nam multi eo principe diuersis terrarum locis temerè tyrannidem inuaserant, ut Saturninus in oriente, Proculus & Bonosus in Gallia. Saturninum Aurelianus orientalis limitis exercitui prefecerat, simul q; præceperat, ne Alexandriam adiret, uelut ita futurum præsensisset, ut Alexandrinorum inconstantia ille ad res nouas aliquando consurgeret. Potuit tum Saturninus inhiberi, sed fatum tolli non potuit. Inuisit ille Alexandriam etsi Aureliano extincto, inuisit tamen, ac simul urbem ingressum Alexandrini tumultuose Augustum salutarunt, multum diuq; reluctatus dicitur, Augustique appellationem ut rem sibi funestam auersari. Nescitis, inquit, amici quid mali sit imperare. Habetis Probum merito amabilem, cui me æmulum meo uestroque exitio obijcitis. Cæterum ubi parum abesse sensit ut iam pro hoste haberetur, ueritus ne accensæ multitudini resistendo uim patereretur, in apertum uitæ discrimen me trahitis, inquit, uerum hoc mihi erit solatium, malorumque omnium leuamen, quod non solus cadam. Ac quasi diuinasset haud multo pòst à Probi principis militibus obsessus ac captus est, absenteque & inuito iugulatus. Fuit Saturninus Gallus genere, ac diuersus ab eo qui Galeni temporibus rebellauit, ut credidit Vopiscus. Proculus Ligustici fuit sanguinis, Albingaui natus, diu latrocinium exercuit, edidit & militaria facinora multa & insignia is per lusum prius in conuiuio, mox Lugdunẽsibus ad id facinus hortantibus, aperte rebellauit. B Idem post Probi accessum Gallorum fauore destitutus tristem & ipse sortitus est exitum. Nihil in eo fuit dignum memoria, præter unum atque id fœdũ relatu, sed operæprecium est non ignorare, quàm diuersa sint hominum ingenia, ut sint qui laudis etiam loco ducant, quæ turpiter fecerint, in apertum referre, quod tum Proculus fecit. Extat eius epistola ad Metianum scripta in hanc sententiam. Proculus Metiano affini salutem. Cepi centum Sarmaticas uirgines, ex his nocte una decem iniui, omnes intra dies quindecim mulieres reddidi. Sed potuit Proculus si non externum in Alexandro Macedone exemplum, qui uxorem Darij regis, filiasque uirgines in potestatem suam redactas, uix uidere uoluit, at saltem domesticum in maiore Africano sequi, simulque continentiam discere, qui Carthagine in Hispania capta, pulcherrimam uirginem parentibus & uiro incorruptam & sine pretio restituit. Nouissime Bonosus oppressus est circa Rhenum, homo intempestiuæ luxuriæ, supplicium ueritus rebellis esse maluit, quàm reus, tantum is bibit quantum mortalium nemo, unde Aureliani dictum extitit non infacetum, qui Bonosum dixit natum non ut uiueret, sed ut biberet. Ingurgitabat se ille perpetuo uini haustu, ueratroq; exonerabat, uictus collum laqueo implicuit, dictusq; est haud infacete non homo, sed amphora pendere. In Britannia ortus est Gallicana matre, & si eius maiores Hispani fuisse tradantur. Quia igitur Galli, Hispani & Britanni ea temporum nouitate auxilio fuerant, fecit his Probus potestatem serendæ uitis: & uini conficiendi. Ipse ad usum urbanæ multitudinis circa Syrmium Almam montem militari opere fossum uite conseuit. Romam postremo reuersus multa & uaria edidit spectacula, syluam in Circo maximo ad tempus fecit ex arboribus radicitus conuulsis, ac militari manu translatis, altiusque defossis. Habuit id nemus plures aditus, in cunctis diuersa

Basternæ ibi collocati.

Saturninus Cæsar.

Proculus.

Facinus inignum relatu.

Spectaculi genus.

Adagiũ in nosum bibihominem.

uersa animalium genera, ut singula milia suum obtinerent aditum. Sunt & centum iubati leones uno missu in Amphitheatrum producti, atq; à iaculatoribus cõfecti. Producta postremo ccc. gladiatorum paria, & in his Blemiarum nonnulli. His Romę peractis, quum Probus iterum Persas bello peteret, ductaretq; per Illyricos exercitum, militari est defectione oppressus. Offendit ille suorum iram, quod plurimum in seruili opere habuit exercitum occupatũ, ut ne hybernis quidem medijs ulla daretur militib⁹ requies. Audita est sępius uox eius non oportere militem gratuitam consumere annonam. Addidit & aliud grauius dictum, quapropter cædes est adhuc magis festinata, breuiq; fore testatus, ut respub. militibus non egeret, significás Barbaras gentes, suo ductu & auspicijs subactas, sub Romano imperio tandem quieturas. Et iam aggressus erat in Syrmiensi paludem exiccare, quum milites præsentem operá grauati, impetum in eum fecere, quem in proximá turrim perfugere conantem assecuti fœde trucidarũt. Imperauit Probus annos quinq; ut Flauius Vopiscus scribit. Eusebius annum unum adijcit & amplius. Fecit idem autor Felicis pontificatum Probiano imperio de quo plurimus adhuc sermo, equalẽ. Sed plures ita digerũt, ut Eutychianus qui Felici succesit, Taciti & Floriani principatu federit. Mox Carius quia plures annos uixit, non tantum Probi, atq; deinceps Cari, qui probo succesit, sit imperia transgressus, sed ad dira usq; Diocletiani tempora perue nerit. Carus autem Romę ortus est, sed Illyrico oriundus, ut Onesimus scripsit. Fabius Celerianus eũ in Illyrico ortum prodidit non Romæ, ac ne Illyrijs quidem, sed Pæonijs parentibus. Vopiscus se in Ephemeride quadam legisse autor est, Carum Aquilensi suo Mediolani natum, ipse se Romanum professus est, ad Aurelium Ciliciæ consulem scribẽs, & B ad senatum imperator appellatus in hanc sententiã scripsit. Gaudendum uobis est, inquit, patres cõscripti quod unus ex uestro ordine uestriq; generis imperator sit factus. Sed ubicũq; loci ille ortus est, per honestissimos militiæ gradus ad prætorij præfecturam euectus, dextrè munia obeundo breui cõsecutus est, ut si Probo principi fuit gratus, sub quo prefectura functus est, multo gratior fuerit militibus, nec illi suum studium & beneuolentiam quũ opus fuit dissimularũt, quin Probo interfecto, confestim Caro imperium detulerunt.

Probi principis nox memorabilis.

CARVS XXXIX. IMPER.

ENNEADIS VII. LIBER VIII.

Visset omnibus merito suspecta tã festina principis declaratio, tanquã Carus cædis nuper perpetratæ autor extitisset, nisi mortui beneficiũ in Carum, ipsiusq; superstitis mite in omnes ingenium futuræ calumniæ obstitiisset. Cęterum ille imperiũ adeptus confestim animum adiecit ad Persicum bellum exequẽdũ, quod Probus summa ope instruxerat, duobusq; filijs Carino & Numeriano Cæsaribus appellatis, ne nouus aliquis interim motus à tergo existeret, qui se postmodum ab incœpto bello auerteret, Carinũ cum ualido præsidio iussit Gallias obtinere. Numerianũ secum esse uoluit, ut illius opera in Persas uteretur. Bello itaq; Sarmatico, quod tum in manibus fuit, maiore ex parte profligato, in Syriã profectus est. Ex Syria Mesopotamiam ingressus, nullo hostiũ occursu tardatus, breui quicquid terrarum inter Tigrim iacet & Euphratẽ occupat, & iam ad Tigrim fluuium processerat, habebatq; circa Ctesiphontem castra, ulteriusq; proferre Romana meditabatur arma, quum subita ui morbi, uel, ut alij aiunt, ictu ful-

Carinus, Numerianus Cæsares.

minis perijt. Satis constat sub eius exitium horrendo tonuisse, terribiliq; fragore edito quosdam circa defunctum exanimatos. Consumptum ne sit incendio tabernaculum cœlesti flamma an humana fraude parum liquido traditur. Manauit rumor nefas esse Romanis ducibus ultra Ctesiphontem signa promouere, Carumq; ob id extinctũ, quia aduersus fatalem necessitatem id facere conaretur. Tenuit ille imperium annos duos. Numerianus & ipse paternæ mortis mœrore & fletu assiduo, in dolorem incidit oculorum, gestabaturq; lectica, quum Arrij Apri soceri sui opera, adiecerat is animum ad imperium occupandum, interfectus est. Latuit nonnihil nefaria cædes, quum diceretur iuuenis non prodire in apertum, ne aëris intemperie morbus inualesceret. Cæterum cadaueris fœtore scelere patefacto, Aper confestim in mediam concionem est adductus. Ibi C. Aurelianus Diocletianus imperator salutat⁹, primum omnium in Aprum conuersus, indicta adhuc causa, ut manifestæ cædis reum gladio transegit, tãtum fatus. Gloriare Aper, magni Æneæ dextera cadis. Possit iure aliquis mirari quid sit quod Diocletianus à tam atroci ministerio sit imperium auspicatus. Vopiscus autor est, fuisse eum in Gallia fatidicæ mulieris uoce monitum, fore, ut tum demum imperio potiretur, qui Aprum interemisset: ratus itaq; Diocletianus eum esse fatalem Aprum, quem Gallicana mulier dixisset à se interimendum, cædem festinauit. Ipse iacentem intuitus adiecisse fertur. Fatalem Aprum confeci. Tanta fuit in Numeriano elocutia, ut Senatus statuá quam illi uiuo posuit, ita inscripserit. Numeriano Cæsari oratorum fui temporis potentissimo. Sed quàm Carus pater Numeriano usq; populari ingenio fuere, tam Carinus qui ambobus superfuit flagitioso & tyrannico. Enimuero Gallias cum Italia & Hispania à patre creditas, insolenti uoluptuosaq; administratione fœdauit, usque adeo libidinibus addictus, ut ne Genio quidem sui sexus parceret. Luxuries adhæc tam perdita, ut nihil pręter unum meditaretur, quibus modis omnia per luxum perderet, omnibus insensus bonis, flagitiosissimi cuiusq; fautor, tã immoderatæ libidinis, ut breui tempore cum nouem uxoribus diuortium fecerit, & in his quædam domo exactæ ex eo prægnãtes. Probrosam Carini uitam pertæsus pater in animo habuit abrogatum illi imperium Diocletiano permittere, eratq; ille his curis anxius quum subita est morte oppressus. Carinus audito patris interitu, nec multo pòst & fratris, tanquam omnibus solutus uinculis protinus in omne scelus & flagitium præceps abijsset, nisi noui imperatoris declaratio eum in noui belli discrimen totum rapuisset, nam ut sunt plerique hominum qui multo pulchrius ferũt aduersa quàm secunda, ubi magnum sibi cum Diocletiano certamen instare uidit, non sibi, nõ suis defuit, sed cum instructissimo exercitu se Diocletiano uenienti opposuit, pluribusq; prælijs ad Margum in Delmatia commissis, ad extremum ictus occubuit. Nihil secundum bellum quod prospere administrauit, fuit in toto imperio Carini tam populare quàm ludi quos sumptuosissime edidit ab initio principatus. Ærobates exhibitus est, qui cothurnatus uentis ferri uidebat, & Tichobates per aduersam supinãque murorum faciem ursos ludificans, cętum psalpistæ uno crepitu concinentes, multaq; adhęc oculorum & aurium oblectamenta adhibita, quibus populorum stultęq; multitudinis emitur fauor. Imperauit Carinus duos duntaxat annos, qua tempestate fuerunt uiri eruditione clari, Iulius Capitolinus, Vopiscus Syracusanus, & his antiquiores Treuellius Pollio, Helius Lãpridius, Volcatius Gallicanus, Helius Spartianus, & Herodianus, quos plurimum secuti sumus in historia, & si ex his quibusdam non tam fides defuit quã eloquẽtia, nam sic sanè accidit, ut paria

DIOCLETIANVS XL. IMPE.

Aper fatalis.

Numeriani eloquentia.

Carini luxuria.

Carini interitus.

Ærobates & alij ludicri.

Viri illustres.

Anni mundi.

MAXIMIANVS HERCVLEVS IMPER.

Cæsarum declaratio.

ut paria pene intertrimenta Ro. fuerint linguæ quæ & imperij, atq; utraq; clades eò processit, ut tam huius rei, quàm illius non corpus sed umbra corporis sit posteris relicta. Cœpit Diocletianus imperare anno septimo supra octogesimum ac ducentesimum humanæ salutis, qui conditæ urbis millesimus fuit atq; undequadragesimus. Ab ipso mundi exordio nonagesimus supra quadringentesimũ ac quinquies millesimũ. Multi iam inde ex quo Diocletianus imperator est factus, omnibus ferè terris nouarum rerum motus extiterunt, Galliaq; primum turbata est agrestium tumultu, qui factionum studio nominibusq; diuersis inter se sæuientes prouincię statum ualde solicitum per id tempus habuere. Misit Diocletianus ad hunc motum componendum Maximianum, cui Herculeo fuit cognomen, qui presso agrestium motu pristinum reddidit Galliæ ocium. Cæterum strepentibus alibi atq; in horam inualescentibus bellis, Diocletianus uisus sibi impar tot rerũ negocijs, Maximianum imperij consortem ascíuit, Augustumq; appellauit, & ut plures omnino essent maiestatis assertores, Constantium Claudij principis ex filia nepotem, & Galerium Maximinum Cæsares declarauit. Erat Cæsarum declaratio non imperij dignitas, sed quæ gradum ad imperium faceret, ut uelut per manus ab eo qui Augustus & imperator fuisset, Cęsares imperij regimen acciperent. Plures igitur uno tempore rebellarũt alius alibi. Crausius Britannias occupat. Achilleus Ægyptum. Narseus bellum in Mesopotamia mouit. Crausij defectio supplicij metu orta est. Iussus erat is oram Oceani circa Belgicam tueri præsidio aduersus Saxonas qui maria infestabant. Putabaturq; de industria nõ prius hostibus occurrere, quàm illos prędabundos sensisset, ut ea Saxonibus adempta potiretur, necenim res ita receptæ restituebantur prouincialibus: sibi itaq; flagitij cõscius, quum comperisset indicio Maximianum qui tum in Gallia erat, quædam de nece sua cuidam mandasse, subita rebellione Britannias occupauit. Cum eo uarie est inde bellatum, sed quum subigi nõ potuisset, facile pacem impetrauit, septemq; deinceps annos tenuit Britanniam. Eum Alectus amicorum unus interfecit, seq; tyrannum constituit. Idem triennio pòst Asclepidoti ductu, erat is prætorij præfectus, non tantum præsenti dominatu, sed uita quoq; spoliatus est, atq; sic accidit ut decimo pòst anno, quàm à tyrannis teneri cœperant, sint Britanniæ à Ro. receptę, quo tempore Cõstantius Cæsar apud Lingones in Gallia uno die utrãq; est belli fortunam expertus. Subito enim Germanorum incursu ad urbem compulsus imminentium hostium periculo per muros in urbem acceptus est. Subito inde copiarũm accessu in aciem reuersus sexaginta ferè Alemanorum milia cecidit. Videtur mihi Alemani esse qui circa Lemanum lacum accolunt, Narbonensi Galliæ inserti, ut à lacu nobilissimo sit genti nomen inditum. Sed hæc coniectura est. Ptolemæus Tricastinos, & Vocontios, & qui circa Massiliam incolunt, paruæ ascribit Germanię. Maximianus in Aphrica ipse rẽ quoq; prospere gessit, Gentianis qui per idem tempus tumultuati sunt breui tempore pacatis. Fuerunt hi quinquagenarij milites qui Aphricam hostiliter infestabant, eius terræ imperium occupare conati. Cæterum per id tempus ut per partes bella tollerentur, Achilleus in Alexandriã à Diocletiano compulsus, obsidioneq; subactus temerariæ rebellionis meritum expendit supplicium. Exercuit eam uictoriam crudeliter Diocletianus, afflixitq; totam Ægyptum uarijs cladibus. Galerius Maximinus cum Narseo semel atq; iterũ inter Carras, & Galietium cõflixit, fueruntq; ea prę lia Romanis parum prospera, hostium multitudine superante, pulsusq; Galerius ad Diocletianum perfugit, à quo tam indigne acceptus est ob rẽ male ge-

Duplicem belli fortunã Constantius uno die experitur.

Alemani.

Attende ignominiosam eius maduersionem.

Diocletian Christianum nomen insectatur.

Martyres signes.

stam, ut aliquot milia passuum, ut erat purpura amictus, ante illius currum coactus sit pedibus iter facere. Mox reperato in Mysia & Illyrico exercitu, in Armenia prospere cum Narseo conflixit, uictumq; ingẽti prælio castris exuit, uxorem & liberos cum regia gaza cepit, & cum his multos Persarũ nobiles, ipsumq; in ultimas regni solitudines egit. Fuit Narseus (sunt qui Narsem scribant) Vararanis secundi filius, Vararanes Vararacis. Is Vararanẽ primũ patrem habuit, Vararanes Hormisdã, Hormisdas Saporẽ, Sapores Artaxerxem qui militari fauore per seditionẽ Persarum fuit regnum adeptus. Galerius uictor ad Diocletianum in Mesopotamiam reuersus, ingenti est ab eo honore acceptus, ut uix tam iratus fuerit illi uicto, quàm postea uictori blandus: inde communi ductu plura obiuere bella Basternis & Sarmatis uictis, unde captiuorum multitudo ingens abducta in Romanis finib⁹ locata est. Hęc Diocletiano principe sunt militiæ gesta, quapropter Romam reuersus insigniter triumphauit. Fuit ipse sagaci ingenio, solertia & seueritate in signi, primus Ro. principum regio more adorari uoluit, quum ad id tempus salutari consuessent. Sed quàm insolenter id sibi conscisuit, tam impie Christi regis est nomẽ insectatus, nullius principis sæuitia atrocius Christianos afflixit. Enimuero Caium pontificem qui in dira illa tempora incidit, ex subterraneis locis quo sese teterrimæ pestis illius metu illatebrarat, abstractum cum Gabinio fratre & Susanna fratris filia martyrio affecit. Instituit Caius dum sedit, ut uelut gradibus quibusdã ad fastigium dignitatis ueniretur, ut sacris destinatus primum ostiarius fieret, inde lector, mox exorcista, Acolythus deinceps, subdiacon⁹, diaconus, presbyter, nouissimeque episcopus. Decreuit adhæc ne prophanus sacris initiatum in iudicium uocaret, ne hæretico aut qui baptismo insignitus non esset, sacerdotis initiatiue cuiusquã accusandi ius esset. Funeratus est Caius uia Appia, sedit q; annis xj. & amplius. Marcellinus inde pontifex fuit. Caij itaque & Marcellini pontificatu latè ferrum & omnia supplicia sunt per Christiana capita crudelissimo Diocletiani edicto, Romæ foris q; euagata, trũcati sunt ueræ pietatis cultores, præcipitati, lapidibus obruti, feris & bestijs laniati, in flammas deiecti. Nũquam plura fuere nomina sanctorum Catalogo ascripta. Sacrarum rerum monumẽta, ut Christi nomen aboleretur, igni consumpta sunt. Magistratus & honores adempti Christani nominis hominibus. Seruis qui in fide perstarent in perpetuum negata libertas, militibus cõditio proposita, ut aut dijs immolarẽt, aut exautorati securi subijcerentur. Piorũ unus quia impium principis edictum laceraſſet, nudatus pelle, sale & aceto perfusus, atrocissimo cruciatu necatus est. Cæterum quum per id tempus regia domus deflagrare cœpisset, perinde ac Christiani homines eam cladẽ intẽdissent, quum procul alioqui ab omni culpa essent, confestim seuo principis iussu Christiani qui aderant correpti, partim cæsi sunt, partim in ignem cõiecti, mox rabies illa latè per omnes est terras euagata, estq; ue Christiana pietas in Lesbo, Asia, Syria, Ægypto, Aphrica, alijsq; terris immaniter afflicta, eoq; processit tortorum sæuitia, ut luminibus effossis uacuas sedes cauterio inurerent. Passi itaq; sunt uiri insignes, nam omniũ nomina exequi, nec omnino necessarium arbitror, nec propositę breuitati conducibile, Anthimus Nicomedię antistes, Lucianus Antiochenus uir doctissimus, Pamphilus Cęsariensis, Hileas Ægyptius, qui & Thymis est dictus. Damasus autor est septendecim piorũ milia, promiscue uirorum & fœminarum xxx. dierum spatio martyrium adepta, ac præter hos alium numerũ ingentem, metallorum effossionibus, lapidibusque excidendis, pari sæuitia damnatũ. Marcellinus pòtifex ad simulachra dæmonũ ductus, supplicij metu, thura

Marcellinus pœnitentiam agit.

MARCELLVS, XXX. PONTIF.

Martyrum nomina.

Quintinus.

Sebastianus.

Vitus.

Vincentius.

Diocletianus se in ordinem redegit.

thura illorum focis imposuit, nec ita multo pòst Sinuessam, quo antistites complures coiuerant de pietate acturi, squalidus & cilicium habẽs occurrit, statuq; & ore miserabilis, suppliciter petijt ut de suo arbitrio statuerent, qui ut uitæ parceret, gentilium deos adorasset. Mouit illum piorum confessum afflicta hominis fortuna, nec in tanto antistitum numero (ad c. & octoginta fuisse dicũtur) repertus est qui Marcellinum sit ausus condemnare, cunctis affirmãtibus Petrum simili affectu flẽdo ueniam meruisse. Redijt Romam Marcellinus, ultroq; Diocletianum adijt, ac coram ut impiũ arguit quod se ad deos gentium adorandos, qui ijdem essent qui & mali dęmones, metu perpulisset, quibus ille uerbis irritatus cõfestim Marcellinum ad optatum arripuit supplicium, qui quum ad mortem traheretur Marcellum presbyterum monuit, ne in ijs Diocletiano obtempe ret, quæ ad fidem pertinerent, néue suum sepeliret corpus, inhumatum abijci oportere illud, cuius causa Christum abnegasset, atq; ita dies sex & xxx. insepultus iacuit, cum Claudio, Syrino, & Antonio qui cum eo perempti sunt. Postremo Marcellus per quietem monitus, quaterna sanctorum funera, uia Salaria in Prisćillæ cœmiterium extulit. Præfuit Marcellinus ecclesiæ annos ix. in cuius locũ Marcellus surrogatus est, is quoq; ea temporum iniquitate, quæ in plures annos exijt, martyrij tulit palmã. Sed plures adhuc censendi, qui sub Diocletiano passi sunt. Maximus & Claudius ex Hostia deportati igni cremati sunt. Mauricius cum integra legione ob Christi nomen in Gallia obtruncatus. Petrus Alexandrinus antistes securi percussus. ac ccc. & amplius cum eo. Nicomediæ Pantaleõ medicę artis peritissimus, Romę Primus & Felicianus Romani sanguinis martyrio affecti. Petrus exorcista & Marcellinus presbyter truncati. Pamphilus Cæsariensis in Cæsarea Palæstinæ, qui plurima ex Origene excripsit uolumina. Petrus Diocletiani cubicularius Nicomediæ ferreę crati impositus. Quintinus uir Gallici sanguinis Maximiani iussu excrutiatus martyris nomen tulit. Ruffus Romę à Diocletiano cum tota domo interfectus. Sabinus Spoletinus antistes, cum Exuperantio, Marcello & Venusiano in Vmbria patitur. Saturninus presbyter & Sisinius diaconus Romæ truncantur. Sebastianus Narbonẽsis primę cohortis ductor, primo sagittis cõfixus, inde fustibus ad necem cõtusus. Sergium & Bacchum in Narbonẽsi Gallia Maximianus Diocletiani collega interficit. Hũc securi percussit. Illũ crudis execuit neruis. Tyberius, Modestus, & Florẽtia in Agathensi cæsi. Theodorus miles in Marmaride apud Amasiam. Theodosia uirgo Cæsareę in Cappadocia à bestiarum laniatu & aquis seruata, securi percussa est. Bononiæ Vitalis & Agricola. Hic crucis patibulo consumptus, ille atrociter excarnificatus. Vitus puer in Sicilia cum Modesto nutritio & Crescentia Modesti coniuge in picis & feruentis olei ahenum deiecti, mox ad ossa uerberibus dissecti. Victor Mediolanensis liquato plumbo perfusus inde securi percussus. Vincentius leuita Valentiæ à Tatiano exquisitissimis cruciatibus, & in his ferreis pectinibus dilaniatus. Et Diocletiani sæuitia per hæc sanctorum supplicia circiter. xx. annos quibus imperauit, impie debacchata est. Cæterum ut uiuens suę impietatis expenderet supplicia, primum ut inglorius uiueret sponte imperium deposuit cum Maximiano Herculeo, qui pari sæuitia fuerat Christi nomẽ insectatus. Hic Mediolani sese in ordinem redegit: Diocletianus Nicomedię, quod diuina ultione factum æquum sit iudicare, ut qui tã superbe iustis insultasset, alienæ iniuriæ uiuerent obnoxij. Diocletianus multis uarijsque uexatus morbis, demum mente alienatus, furijsque exagitatus scelerũ, sibi uim intulit, ut qui insontibus non pepercit, nec sibimetipsi parceret. Eutropius Salonis extremo uitæ tempore uixisse ait. Inde per literas accersitus ad rempublicam iterum capessendã, ut quidam scribunt, ut alij ad Constantiæ nuptias quæ Licinio nupsit, imperium non aliter quàm tetram pestem auersatus, ocium & loci amœnitatem ita excusauit ut scripserit. Vellem Salonis uideretis olera nostris manibus insitura, nunquam ad isthæc resumenda uocaretis. Ad ultimum minacibus ex urbe literis acceptis quib⁹ arguebatur quod Maxentio & Maximo faueret, asperioris supplicij metu uenenum hausit. Inter diuos priuatorum omnium unus relatus est, ut Eutropius ait, sed templum illi inter impios sub terra est. Perijt annos duodeoctoginta natus. Superfuit in ordinem redacta annos decem, quum uiginti imperasset. Herculeus in Lucania priuatus uixit. Eusebius percussum tempestate illa Christianum gregem opinatus est diuino iudicio, quia plus nimio inolescere uitia in ecclesia cœpissent, uiderenturque sacerdotes iam tyrannidẽ sapere, non humilitatem, fueritque emendatio illa pij gregis non dissipatio, nec ulla iam inde adeò insignis persecutio est Christianos adorta, fuitque insectatio illa decima ab ea quam Nero crudelissimus omnium primus constituit & exercuit. Diocletiani principis opus unum Romæ extitit, Thermæ ab eo nuncupatæ, ut Carthagini Maximianę. Ingens motus terræ circa Sydonem & Tyrum per id tempus est factus. Multa ædificia subuersa, cum magna mortalium pernicie. Incidit ea clades in decimumnonũ imperantis Diocletiani annum, cuius Martio mense paschalibus ferijs sacræ piorum ædes, impio principis edicto sunt dirutæ. Fuit idem annus humanæ salutis sextus & trecentesimus. Diocletiano & Herculeo in ordinem redactis, Constantius & Galerius imperium tenuere. Hic Diocletiani filiam, ille Helenam ex qua Cõstantinum tulerat, repudiare iussus, Theodoram Herculei priuignam duxit uxorem, ex qua mox sex uirilis stirpis procreauit liberos. Hi molem imperij inter se partiti, Galerius orientem sortitus est. Italiam Constantius cum tota Aphrica, Hispania, & Gallia. Cęterum homo frugi minimeq; ambitiosus, Galliæ duntaxat Hispanięque imperio contentus uixit, uerum ne Italia sine præsidio esset, Galerius duos Cęsares instituit, Maximinum & Seuerum. Huic Italiam obtinendam, illi orientem attribuit. Ipse Illyricum tenere uoluit, uelut utriusque regiminis arbiter, & qua Barbari qui Italiæ immine bant, iter facturi putabantur. Fuit Constantius ciuilitate insigni, eratque eius comitas eò Gallis gratior quo suspectius fuerat ipsi genti austerum in Diocletiano ingeniũ, in Maximiano inuisa crudelitas. Florebant Galliæ & Hispaniæ ocio Constantij clementia & popularitate, quum Romæ Prætoriani subito tumultu Maxentium Herculei filium Augustum cõ salutant. Herculeus uelut classico ex Lucania excitus, Romam aduolat imperiũ recepturus, inuitatq; Diocletianũ adhuc in humanis agentem, ad pristinam dignitatem recipiendam, quam ut rem hominipestiferam & exitialem ille, ut dixi, auersatus est. Galerius ex Illyrico Romam Seuerum Cęsarem mittit cum exercitu, urbem obsidet. Cęterum defectione militum destitutus fugam occupat, fugiens Rauennæ interficitur. Disceptatum inde pro concione inter Maxentium & patrem. Ambire Herculeus milites ut filio deturbato sibi regnum restituerent. Sed ille non solum non id tenuit, sed conuitium etiam tulit. Omni itaque recuperandi imperij spe destitutus, Galliam decreto petijt, ut quando id consilium parum feliciter cesſisset, alia ad recuperãdam dignitatẽ uia grassaretur. Imperabat Constantinus in Gallia, qui imperium per manus à patre acceperat. Constantius in Britannia Eboraci anno sui principatus xiij. diem obiuerat, quo defuncto filius magno militum fauore fuerat imperator salutatus. Erat Con-

Infelix Diocletiani exitus.

Decima persecutio.

CONSTANTIVS, GALERIVS XLI. IMPERAT.

MAXENTIVS. XLII. IMPERAT.

Constantius interitus.

stantinus ex Constantio & Helena genitus, cum quo is ille diuortium fecerat. Theodoram Herculei priuignam ducere iussus, ut suprà est declaratum, & mox Constantino Fausta eiusdem Herculei filia matrimonio locata est: tanquam igitur extorris ad hospitem, socer ad generum, Herculeus ad Constantinum se contulit, eo tamé consilio ut eo iuuene per fraudem oppresso simul Galliarum imperium & exercitum inuaderet. Quòd si scriptoribus in re obscura coniectare licet, uidentur mihi Herculeus & Maxentius ex composito in eam disceptationem uenisse, ut rem minus suspectam facerent. Cæterum conspirasse in illud ambo, ut Constantino quoquo modo sublato, Gallias & Hispaniam suo adiungerent imperio, inde per eos successus cæteras gentes subigerent, sed quocunque illi animo dissidere cœperunt, fraus, quod satis cõstat, est Constantino intentata ab Herculeo, qui comiter à iuuene acceptus est, ac benigne & clementer ab initio cultus: uerum ubi Faustæ coniugis indicio comperit Herculeum suo imperio & uitæ insidiari (nam senex ratus plus filiæ pietatem apud se ualituram quàm iugalem fidem, quid animo moliretur occulte cum Fausta communicauit) confestim ad ultionem consurgit. Herculeus fugam molitus Massiliæ unde ad filium in Italiã transmittere parabat, Constantini iussu interfectus est. Sic Maximianus Herculeus homo ad sæuitiam natus, dignum suo ingenio sortitus est exitum. Sed dum hæc alibi fiunt, Marcellus pontifex diuinis intentus Priscillam pio hortatu impulit, ut cœmiterium Salaria uia construeret, quod ab initio sui pontificatus tenuit. Titulos quinque & uiginti in urbe constituit, ut piorum desiderijs commodius consuleretur. Comperit interim indicio Maxentius Lucinam Romanam nobilem omnes domesticas fortunas ecclesiæ testamento consciuisse, quo indicio iratus mulierem ad tempus relegauit. Marcellum captum compellere conatus est ad pontificatum ultro deponendum, fidemque abnegandam, quę ubi frustra moueri sensit illum in cacabulum coniecit ad publicas bestias custodiendas, ubi Marcellus neque orationem neque ieiunium intermisit, hortariquę suos per literas ad pietatis cultum, & religionem tuendam. Nono deinceps mense quàm eò coiectus est, paucorum initiatorum opera tetris illis sordibus eximitur. Maxentius nihilo mitior factus, sed maiore adhuc ira accensus, pium & uenerabilem senem cum fremitu repetitum in easdem sordes obtrudit, ubi multo pedore & situ coopertus uitam cum morte commutauit, anno quàm sedere cœperat nondum exacto. Eius corpus Lucina & Priscilla cœmiterio funerauit, uiuarij locum in sacræ ædis usum uertit pia posteritas. Phanum Marcelli nomine constitutum hodie in celeberrima parte urbis uisitur, atque ita euenit, ut ubi ille per ludibrium & cõtemptum consumptus est, illic hodie celebri templo uneneretur. Sunt & alia martyrum supplicia secuta. Enimuero Maxentius animo fuit nihilominus pijs cultoribus infesto quàm Diocletianus fuerat. Interfecti itaque sunt crudelissimo eius imperio Damianus, Cosmus, & Sergius. Luciæ, Agnetis, & Agathæ martyrium, quidam in hęc tempora reponunt, alij in Diocletiani principatum reijciunt. Agnes uirgo à Semproniano urbis præfecto ad lupanar distracta, cœlesti lumine circunfusa, ab omni labe defensa est. Semproniani filius, qui omniũ unus ad eam ingredi est temere ausus, confestim exanimis iacuit, sed uirginis precibus ad uitam restitutus, mox in ignẽm coniecta, quum nihil flamma officeret, gladio transfixa animam cœlo reddidit, eius parẽtibus sepulchro cum fletu & lamentatione assidentibus, frequenti uirginum cœtu circũsepta candida & refulgens apparuit, hortataque est illos ut pijs lachrymis modum imponerent, quando in cœlum subla-

Fausta Constãtini uxor.

Barbara.

Catherina uirginis supplic.

Georgius.

Licinius Cæsar.

Qui sub Maxentio martyrium passi sunt.

A ta, uberrimum ferret sui martyrij præmium. Est & Anastasia Romana mulier martyrio admota, cum mulieribus dcc. & ducentis uiris Christiani nominis primo in Palmariam insulam deportata, inde tot us ille piorum cœtus uno die per uaria est supplicia consumptus. Anastasia in ignem coniecta est. Durarunt in posterum Anastasiæ epistolæ ad Chrysogonum martyrem elegantes & eruditæ. Barbaræ uirgini in Hetruria nerui concisi sunt, ardẽtes faces corpori admotæ, mammæ uulsæ, ad ultimum trãsfixa gladio occubuit. In Cilicia Bonifacius Tarsi cruciatu consumptus est. Carpophorus presbyter, & Abũdius Spoleri, Claudius, Nicostratus, Symphorianus & Simplicius in Lucania. Crispinus Suessę. Christophorus Sammonæ in Lycia. Mira sunt quę de huius uiri statura enormique magnitudine dicuntur, uirgis ferreis primo cæsus est, dein flammis exustus, postremo sagittis confossus. In Ægypto Catherina uirgo Costi, ut quidam tradunt, regis filia diuinarum rerum adeò perita, incerto tamen autore ut allegorice, methonomice & mystice percontaretur & responderet. Accidit ut quum Maxentius Alexandrię esset, unusque Christiani nominis (ut illius fuit sæuitia) ad supplicium eius iussu traheretur, pietatis studio temperare non potuerit, quin Maxentium ut sæuum & dementem increparet, ob idque puella custodiri iussa est. In medium inde producta, cœlesti mente afflata, ita de uera pietate disseruit, ut quadrãginta sapientiæ professores ad Christum conuersi sint, & cum his Porphyrius Maxentij necessarius, uxorque principis, qui ad unum omnes sunt supplicio affecti, ipsa flagris cæsa, gladijsque rotarum dilaniata, capite mulctatur. Eius corpus in Syna (est is Arabię mons nobilis) angelorum ministerio est collocatum. Secutũ Cyriaci martyrium, Largi & Smaragdi, & cum his uiginti pietatis assertorum. Cyriacus liquata feruentique pice perfusus, ac neruis cæsus, securi subiectus est. Dominus gladio traiectus est uia Claudia. Dorothea & Theophilus in Cæsarea Cappadociæ. Eulalia & Euphemia uirgines, hęc in Chalcedone, illa in Emerita Hispaniæ, Eleutherius Nicomediæ, Eupolus Cataniæ, Felix & Adauctus, Ianuarius, Fortunatus, & Septimius in Apulia, uel, ut alij scribunt, in Aphrica. Passus est eadem tempestate Georgius martyr in Perside apud Diospolim. Gorgonius Nicomediæ. Geruasius & eius frater Prothasius Mediolani. Genesius Romæ. Adrianus cum tribus & uiginti Nicomediæ. Erasmus & Ianuarius, Beneuentanus hic, ille Campanus antistes. Hic securi percussus. Ille pice, plumbo, resina ferue factis perfusus. Hilaria Aphræ uirginis mater in Augusta cum tribus uirginibus cõbusta. Iulianus Antiochenus Romæ cum plerisque alijs. Lucia uirgo Syracusis ubi orta est. Iuliana & Leucadia, & ipsę uirgines, Toleti hæc, illa Comi, utraque natali solo. Methodius Tyri olim antistes, mox Chalcidensis, in Eubœa. Marcus & Marcellinus Romæ ad stipitem ligati, contisque confossi. Et resídua illa Diocletiani infectatio, in Maxentij imperium propagata, per hæc piorum supplicia, Romæ foris que in Christianum nomen grassata est. Cæterum dum Maxentius sic imperat, Galerius qui Illyricum obtinebat, Licinium Dacia oriundum, uirum manu promptum, & iam inde à Narseanico bello præclaris facinoribus illustrem, Cæsarem appellauit, nec ipse in humanis diu postea fuit. Ita quatuor uno tempore diuisum inter se imperium tenebant. Constantinus & Maxẽtius Augustorum filij, Licinius & Maximianus noui homines, quorum hunc Galerius orienti præfecerat, illum Illyrico. Constantini Gallia erat, & omnis occidua ora. Maxentij Italia cum Aphrica & Ægypto. Constantinus itaque primus Maxentio bellum intulit. Nulla enim regni societas diu fuit patiens consortis. Etsi Constantinus ultionem secutus uideri

uideri potest, quod per Maximianum patrem Maxentius suæ uitę & imperio insidiatus esset. Sed quę cunque illi fuit inferẽdi belli causa, nam ab ijs quos sequimur, nulla quidem traditur, quinto sui imperij anno Constãtinus ciuile bellum inijt, pugnauitque aliquoties in Italiam transgressus prospero marte, fugauitque Maxentij copias, postremo ultra Miluium pontem hostem prælio uicit. Maxentius acie egressus pontem celeri cursu repetit, quem ad fallendum hostem multis instruxerat decipulis. Suarum itaque artium oblitus, illum magna animi consternatione occupat, quo contigit, ut in subiectum Tyberim cum multis qui proxime adequitabãt, sit præcipitatus ac uorticibus absorptus, homo impius impio patre natus, dignus qui adhuc infelicius perire debuisset. Sed historia rerum narratio est non infectatio. Excidit imperio & uita Maxẽtius anno sexto quàm Augustus fuerat appellatus. Superfuit Maximiano patri qui Massilię perijt, annos quatuor, Galerio qui in Illyrico duos. Sedit Maxentio principe

EVSEBIVS XXXI. PONTIF.

post Marcellum Eusebius trigesimus primus in ordine. Fuit Eusebius natione Græcus, medico patre natus. Non desunt qui hoc pontifice sacratissimum crucis lignum dicant in Iudæa repertum. Eusebius cui plures astipulantur, Siluestri pontificatu id contigisse autor est. Floruerunt tempestate illa uiri ingenio clari. Lucianus Nicomediæ presbyter, uir multa eloquentia, & qui plura ad usum ueræ fidei scripsit. Martyr obijt, ut est suprà memoratum. Lactantius Firmianus Arnobij Aphri discipulus. Is quum Nicomediæ rhetoricen doceret, discipulorum infrequentia motus, ad scribendum se contulit. Extãt eius libri elegantissimè aduersus gentes pro Christiana fide scripti, in alienis refutandis maior habitus quàm in nostris confirmandis. Mirus in eo candor, ut qui proximum à Ciceronem nominent, haud inepte facere uideantur. Manarunt ad posteros, præter diuinarum institutionum libros. De ira dei liber unus. De hominis opificio unus. De Phœnice & resurrectione Christi elegans carmen. Epistolarum libri ad Demetrium, & ad Probum de persecutione liber unus. Symposium quod adolescẽs scripsit. Docuitque iam grandis natu in Gallia Crispum Constantini filium. Fuit his æqualis Iacobus cognomento Sapiens Nisibinensis antistes, hic quoq; uariè & utiliter multa elaborauit. Sex & uiginti eius uolumina singula singulis argumentis edita, cæterum omnia ad religionis usum pertinẽtia. Vixit cum his Eusebius Cæsarienſis antistes. Eius monumenta, Libri de euangelicæ lectionis apparatu. Ecclesiastica historia, Apologiæ quibus Origenis scripta defenduntur à Porphyrij calumnia. Pamphili martyris uita. Res gentium & tempora à primordio mundi ad uigesimum Constantini principis annum, perpetua Chronicon serie digesta. Insunt anni quinque milia quingẽti uiginti, quam temporum ob seruationem nos plurimum sumus in historia secuti, haud ignari fuisse qui minorem omnino numerum sequeretur. Scripsit idem sanctorum acta uiginti libris complexa, & alia quædam minus celebria. Perijt fato Eusebius Ro. pontifex, anno sue creationis sexto, ad Calisti cryptã humatus est. Melciades Apher illi succes sit, qui Maximiani iussu, ut quidam scribunt, necatus est. Sed non uideo quonam modo quadrare possit illis temporum ratio, iam enim Maximianus cognomento Herculeus, Maxentij pater perierat. Iunior Maximianus quem Galerius Cæsarem appellauit, procul ab urbe imperauit, quum Maxentius est rerum in Italia & Aphrica potitus. Quod sub Maxẽtio sederit Eusebius, ex eo potest intelligi quòd Siluestri qui illi successit pontificatus in Constantini imperium incidit, qui Maxentium uicit, imperioq; & uita spoliauit. Imperauit Maxentius annos septẽ, quũ sacra Melciadis administratio ne quinque qui-

Viri illustres.

Eusebij monumenta.

MELCIADES XXXII PONT.

A dem annos impleuerit, nisi forte primis Maxentiani imperij annis eum perijsse dicat aliquis, quo bienio Maximianus Herculeus cum filio Maxẽtio Romæ fuit, aut Maxentium ipsum uelint, Maximiani tulisse cognomen, quod eorum quos sequimur scribit nemo. Perijt Melciades anno quàm sedere cœperat quarto, mense septimo. Sũt huius decreta ne do minico die & qui Iouis dicitur ieiunium celebraretur, quia uterque gentilibus esset sacer. Sunt & aliqua in oblationibus constituta, in Calisti crypta sepultus est. Perijt eo sedente Sophronia, quæ à Maxentio stupri appellata, quum suum corpus ab ea labe tueri non posset, sibi manum intulit Lucretiæ exemplum imitata. Sed magis piè Dorothea, quæ in idem discrimẽ adducta, maluit suum corpus alieno ferro, quàm suo uiolari, ne tyranni stuprum pateretur. Constantinus Italia potitus ad orientis imperium occupandum animum adiecit, quod ut maturius fieret peropportune accidit, ut non multo pòst quam ille Italiam tenuit Maximinus bellũ Licinio intulerit. Erat huic Constantia Constantini soror cõnubio locata, ob eamq; affinitatem Licinius, ut credere par est, cœpit Maximino suspectus esse, sed quãcunque ille nouo bello prætexuit causam, nam quę alia fuerit non reperio, comparato exercitu iam in Licinium mouerat Maximinus, quum inflatis subito uisceribus Tarsi diem obijt. Ferunt ita corpus contabuisse, ut nihil à cadaueris specie clades illa sęuientis morbi distaret, uermibus fœdo aspectu toto corpore scatentibus, ac tum medio cruciatu, eorum impulsu qui dæmonibus seruiebant, homo impius quasi ad remedium est nomen Christianum insectatus. Postremo pœnitentiam egit, uiolariq; Christianos uetuit, & ut suis uterentur legibus permisit: obijt nihilo secius homo sæuus & uarius, quo è medio sublato Constantinus Licinio bellum intulit,

Maximini interitus.

B nec affinitas obstitit animo imperandi cupido, aut redigendi potius in unum dissipatum Romani imperij corpus. Sunt qui scribant Christiani nominis causa, quod Licinius Constantino inuito crudeliter insectabatur, bellum inter eos ortum. Primo itaque prælio in Pannonia uincitur, uaria inde prælia inter eos fuere, interdum etiam pax facta, sed animis ad iniuriam accensis continuò est ad arma recursum, ad ultimũ Licinius rebus suis terra & mari afflictis, in Nicomediam compulsus, salutem cum hoste pactus, deditionem fecit. Sed ille haud multo pòst cõtra iusiurandum quo priuata illi uita promittebatur, Thessalonicæ interficitur, ut Eutropius scribit. Imperauit Licinius Cæsaris nomine annos propemodum quindecim, auaritiæ cupiditate omnium pessimus, & in uenerem pronus, disciplinarum omnium expers, & ob eam rem literarum studijs infestus, uirus & pestem publicam uocans omnem literariam disciplinam, præcipueque forensem industriam, rusticantibus facilis, utpote ruri educatus, utilis militiæ custos, in spadones & aulicos seuerus, palatinos mures & tineas appellabat id hominum genus. Constãtinus Licinio uicto & in deditionem recepto iam longe lateq; imperio potitus, filios Cæsares creauit, mox ut sunt quorundam hominum ingenia, quæ multo difficilius secundam ferunt fortunã quàm aduersam ex optimo & mitissimo principe uiolẽtum & immitem aliquandiu egit, nam & sororis filium interfecit, mox Faustam coniugem, inde amicos, nec quidem paucos, quo contigit, ut ab initio imperij sit inter optimos principes habitus, inde inter medios. Fuerunt alioqui in eo uirtutes & multę & eximię, militaris gloriæ studium ingens, fortuna in bellicis rebus prospera, nec minor industria. Gothos ciuilibus defunctus bellis uarie afflixit, pacemque his reddidit, atque his uirtutibus immortale nomen adeptus, liberaliũ artium haud mediocri studio trahebatur, quũ ocium à re bellica

CONSTANTINVS XLIII. IMPER.

esset,liberalitate & munificentia omnium gratiam promereri.Leges ex bono & æquo sanxit,quasdam superuacuas antiquauit,aut correxit,si quę nimium rigoris habuere. Vrbem in Byzantiacis ruinis citra Bosphorum egregiè constituit,magnitudine & ædificiorum apparatu Romæ æmulam, unde & ipsa à principio Roma appellata. Quod equestris statua principis suo testata est titulo. Pomponius Lætus præceptor noster, in Augustalibus libris, Constantinum scribit in Sardiano agro primum urbem ponere uoluisse, inde ad Sigæum Troadis iacta ab eo fundamenta, mox Chalcedonem translatum opus, postremo quum hic urbem metantibus aquilæ regulares funiculos ademissent,trans fretumque prępere uolatu detulissent, id ille secutus augurium in ora Thraciæ,ubi Byzantium fuit,nouam statuerit urbem.Restituit & Drepanam in Bithynia, quâ à nomine matris Helenopolim dixit.Sed hæc aliquanto postea.Quinto autem anno quo in Gallia cœpit Cõstantinus imperare. Siluester uir Romanus patria, multa sanctitate insignis,in Melciadis locum surrogatus est.Fuit annus ille Romanæ urbis millesimus quinquagesimus sextus.Humanæ salutis trecentesimus ac quartusdecimus, quo biennio Constantinus Maxentio uicto, Roma potitus est. Cæterum priusquam pestis illa bello sublata, quia nihil uspiã Romæ erat tutum Christianæ pietatis hominibus, Siluester Soractis latebram adeptus adhuc latebat, quum Constantinus Romam uenit. Sunt qui tradant fuisse illum non seccssum,sed relegationę. Sed quacunque ui adactus illic fuit,Constantino Romã ingresso, Siluester haud multo pòst ex Soracte in urbem uenit. Hic primum omnium principem adijt, quem sua sponte bene cogitantem facili ductu pertraxit ad Christianam pietatem demerẽdam.Enimuero ille priusquam Romam uenerit, ita fuerat instructus,ut ad bellum iturus nullo alio quàm crucis signo uteretur. Sunt qui scribant eo die quo cum Maxentino prospere cõflixit,sereno puroque cœlo crucem ab eo uisam,quam suspexerit & adoraucrit,auditamque superne uocẽ. Constantine uinces in hoc signo. Nec defuit oraculo euentus: nam quum pugnailla quæ instabat prospere pugnata est, tum cæteris quæ deinceps bella gessit, par felicitas affuit. Siluester igitur sanctitate motus, pijsque eius hortationibus in Equitij hortis sacrá ædem statuit, haud procul à Diocletianis Thermis. Tenuit aliquandiu id nomen locus. Eamque donarijs amplissimis instruxit.Patera argentea uiginti pondo, scyphis duobus ex eadem materia, aureo calice, & alia pretiosa suppellectile ad sacrorum usum quæsita.Obtulit & aureum diadema gemmis distinctum,quo Siluester & omnis pontificum posteritas uteretur, sed ille id insigne nõ recepit, uelut parum religioni idoneum, Phrygia mitra candida contentus. Dedit & fundũ in Sabino agro, domum & hortum Romæ, eratque fauore principis iam Christiana pietas in spe maxima dignitatis in posterum augendæ, quum Arrius Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, uir specie & forma magis quàm uirtute insignis, gloriæ & laudis non ueri studiosus, impio commento orthodoxam fidem in dubium trahere est impie adortus, filiũ ab æterna patris substantia seperare conatus. Erat, inquit, aliquando quando non erat,non intelligens filium esse patri coëternum,eandemque in trinitate substantiam,uelut non satis perspicue dictum esset: Ego & pater unum sumus. Obstitit diu multumque hominis uecordiæ Alexandrinæ ecclesiæ antistes Alexander,enixeque elaborauit ut hominem ab errore retraheret, ueritus ne id uenenum in plures serperet,iam enim non deerant qui illi temere accederent.Ea res in causa fuit ut Constãtino autore sit cõcilium in Nicæa indictum,quò trecenti & amplius uenere antistites, estq; Arrius eò accersitus, tenuitq;

SILVESTER XXXIII. PONT.

Pia Constantini opera & dona.

Arrianæ hæreseos origo.

A nonnihil disceptatio illa. Postremo ueritate comperta ita est decretum,ut filius homousios patri scriberetur. Probauit id decretum Constantinus, indixitque exilium ijs qui non essent decreto acquieturi. Arrio quia ab insana opinione non destitit, cum sex alijs indictum est exilium, adeo nunquam defuere qui sua stultitia periclitari maluerint, quàm aliena sapientia seruari. Eodem conuentu Photiniani Ebionitanæ hęresis sunt damnati.Photinus Gallogræciæ antistes dedit his nomen.Affirmabant Ebionitę Christum à matre pio coitu conceptũ.Damnati & Sabelliani qui unam duntaxat personam in trinitate statuerunt.Fuerunt & alia eius concilij decreta,ut qui libidinis impatientia seipsum castrasset non amplius in clerum reciperetur.Ne quisquam sacris initiaretur, nisi eius explorata esset uita & eruditio. Nec sacris admissus cum extraneis mulieribus habitaret. Cum matre,sorore & amita tantummodo liceret.Ne quem suus expulerit antistes, siue prophanum,siue initiatũ alius susciperet,& ne cuiquam iniuria fieret.Constitutum adhæc ut quotannis concilium in prouincia haberetur. Hũc morem annui conuentus habendi,ut antistitum & cæterorum uita exploraretur,aboleuit posteritas. Ne præterea qui persecutionum tempore sine cruciatu pietate excidissent ante quinquennium restituerentur, sed inter Cathecumenos essent.Postremo decernũt ne quis à minore ecclesia ad maiorem ambitione & auaritia,sed piorum causa faceret sibi gradũ. Et hæc tunc Niceensi sunt conuẽtu decreta. Siluester quod ad pontificium attinet munus, primus instituit ut sanctum chrisma ab episcopo cõsecraretur, ut idem baptismi fonte remersos signaret, quod & in mortis articulo faceret. Neu qui initiatus non esset clericum in ius uocaret. Ne presbyter in curia ageret causas,aut ad prophanum tribunal.Iam & aliqua in
B stituit circa cultum sacris operantium.Vt uno quisque esset ordine contentus,& unius uir uxoris. Cõstantinus augendæ religionis studio in Cœlio Basilicam ædificauit magnifico apparatu. Constantiniana olim,nunc Lateranensis dicitur,præclara huc dono naria intulit.Fastigium templi argenteum, & ex eadem materia Saluatoris statua in maiestate sedens, dextra lęuaque duodecim apostoli quinũm pedum singuli,librarum nonaginta,& rursus Saluator in apsidem respiciens pondo cẽtum quadraginta, circa thronum alati genij ex eadem materia centenũm quinũm pondo aureas in manibus coronas habentes. Delphini quatuor argentei. Altaria septẽ expurissimo auro. Adiecit his prædia urbana & externa. Instituit & sacrum baptismi fontem ex porphyritico lapide Basilicæ proximum,argenteus fundus, in medio columna porphyritica, & in ea aurea phiala quinquaginta pondo balsamo plena,ut paschali die usum nocturni exhiberet luminis. In supercilio fontis agnus purissimi auri, unde sacræ manabat aquæ fluuius.Nec procul ab agno Saluatoris signum ex argento,& ex aduerso alterum Io. Zachariæ filij, cum prophetico uersu.Ecce agnus:cætera nota sunt.Septem cerui in orbem dispositi latè aquã fundebant, & ipsi argentei octogenũm pondo singuli.Prouentus sacri fontis ex urbanis & Italicis prædijs constituti,quibusdam etiam in Aphrica & Græcia sitis. Statuit & Petro apostolorum maximo in Vaticano templum eiusdem põtificis hortatu. Huc & corpus transtulit, translatum cupro & ære clausit. Supra id sepulchrum crux aurea constituta, centenũm quinquagenũm pondo: dextra læuaque quatuor argentea candelabra, & in his apostolorum actus affabre insigniti,tres aurei calices uiginti argentei denũm pondo singuli. Patina aurea trecenũm pondo gemmis iacynthinis & margaritis prædita, altare argento & auro clausum, pluribusque gemmis distinctũ: huic quoque templo in urbe forisque sua prædia decreta.

Ebionitæ. Sabelliani resti.

Siluestri pontificis decreta.

Constantini donaria.

Templa Constantino dicata.

A creta. Extruxit & diuo Paulo suum Hostiensi uia tẽplum, nihilo minore apparatu, idemq; muneribus ornauit amplissimis. Crux aurea centum pondo diui conditorio imposita. Prouentus ex Cilicia & Syria constituti, unde balsamum, crocum, undę casiæ aromata, oleum, & alia ad sacrorũ usum necessaria. Phanum crucis eiusdem est principis opus in theatro Sessariano, huc partem dominicæ crucis intulit ex Hierosolymis deportatæ, crucem Helena Constãtini mater secum detulit,mulier religione & pietate insigni. Hæc diuinarum rerum studio nocturnoq; uisu impulsa Hierosolymã eo nomine petijt, ut dominicam quærereт crucem, unde humana salus pependisset. Ita forte accidit ut Veneris simulacrum eodem esset loco constitutum ab impijs fidei persecutoribus, ut omne dominicæ passionis monumentum aboleretur, Christianique metu subacti pro Christo cogebantur Venerem adorare. Cæterũ loco ruderibus purgato crux reperta est, & cum ea quæ Saluatoris fuit duæ aliæ subrutæ,unde duo pe penderant latrones. Triplex titulus uetustate propemodum abolitus rei indicio fuit, sed maius continuo signum secutum, admota mulieri defunctæ uitam restituit. His Constantinus princeps motus, uetuit quenquam eo supplicio necari,sic res quę antea mortalibus probro fuerat uenerationi esse cœpit:uno adhęc clauorum,nam tres cum cruce refossi sunt, Constantinus pro amuleto in cono galeæ usus est, altero bellatorem equum communisse dicitur,reliquum in mare ab eo deiectum ad fœdam tẽpestatem compescendam. Partem crucis quam secum Helena ex Hierosolymis attulit in Sessorianã ædem reposuit,quę crucis nuncupata est.Hũc quoque locum Constantini pietas muneribus ditauit amplissimis, dedit & ecclesiæ agros intra extraque urbem in Phalisco & Nerisino fundum. Statuit &
B Agnetis templum cum baptismi fonte, ubi filia sororque Constãtini sacris sunt lymphis admotę, huic quoque ædi sua sunt dona data, assignati & foris agri.Laurentio dein Tyburtina uia,& Marcellino Lauicana optimus princeps extruxit templum, ubi loci in honorem matris Mausoleum erexit, quam Porphyritico clausit sepulchro, his locis multa uariaq; congessit,& prædia ad sacrorum usum. Extra urbe duobus apostolis magnificum in Hostiensi erexit templum Ioanni Zachariæ filio in Albano. Capuæ communi apostolorum nomine. Neapoli quoque scribunt quidam sacram ab eo ædem erectam. Cæterum cuius nomine parum cõstat. Nullus usquam sacer est ab ipso principe locus constitutus cui non sua dona,non suum uectigal attribuerit. Constantinopoli Basilicæ duæ erectæ.Irenes una. Altera apostolorum. Omnia gentilium templa cum Delphicis tripodibus pientissimo principis edicto sunt euersa. Quidam & in his Hieronymus non Siluestri sed Marci qui illi successit, id pontificatu factum prodidere. Et Constantinus Christianę fidei cultum priorum principum sæuitia uarie afflictum per hæc in posterum stabiliuit. Legem præterea sanxit,ut uirginibus & qui in cœlibatu uiuerent religionis causa, testari liceret. Quorum legatis uideri potest ecclesiæ patrimonium uehemẽter auctum.Scio ex recentioribus fuisse qui scriberent, nam fama quoq; rei huius manauit ad posteros,etsi apud scriptores quos sequimur non reperio,Romã cum multis Italiæ urbibus prouincijsque à Constantino Ro.ecclesię attributam.Quod factum ab eius uiri in Christianum nomen pietate non abhorreret. Siluester tertius & trigesimus pontifex quum annos tres & uiginti ecclesiæ præfuisset, ut scribit Platina, ut Hieronymus,unum & uiginti fato perijt, ad Prisc illæ cœmiterium sepultus est. Vixerunt cum eo uiri religione clari. Iuuencus presbyter genere Hispanus, qui euangelicam heroico carmine scripsit historiã. Porphyrius qui quum librum de re Christiana ad principem dedisset ab exilio est reuocatus. Athanasius Alexandrinæ ecclesiæ antistes,is ab Arriana factione pulsus ad Constantinum se contulit: huius Symbolum illud est cœlesti mente conceptum aduersus impium Arianorũ dogma. Est & Metrodorus philosophus per id tempus agnitus.Rheticius Heduorum antistes,uir sanctitate diuinarumque literarum eruditione insignis.Eustathius Berytanus, is quoq; in Arrianos multa scripsit.Nazarius rhetor clar⁹ suo nomine sed Eumonia filia clarior. Virgo hæc & quę eloquenter multa scripsit. Hieronymus usque adhæc tempora duraſſe uideri uult Arnobium rherorem qui Lactantium docuit,& qui à Christianorum cœtu non est prius receptus, ob id quod diu fidem impugnauerat, quàm libros contra gentilium religionem scripserit & ediderit.Donatus per id quoq; tempus est in Aphrica illustratus, à quo Donatiani. Eadem tempestate Iuliani Frumentij & Edesij illustri prædicatione pleræque gentes populique sunt ad fidem conuersi. Iberorum gens ad Ponticum & Caspium mare ex captiua muliercula, cęterum Christianæ pietatis nõ ignara Christi nomen percipiũt. Mox Bacchurij hortatu & cultum recipiunt. Valuit ea tempestate ad mouendos homines Antonij sanctitas qui in solitudine uixit, huic Helena Constantini mater se & filium per literas commendauit. Panis illi esc æ fuit & aqua potui:semel in die & sub occasum Solis tenui cibo reficiebaẽ, uir Ægyptiaci generis porroque orationi deditus. Hieronymus autor est eum aliquot epistolas Ægyptiacè scripsisse, quas ob sententiarum pondus Greci in suum usum uerterint. Perijt in Thebaica regione Ægypti annos centum & amplius natus. Corpus Iustiniano principe repertum, Alexandriam est primo, mox in Galliam translatum. Hinc uidetur mihi monasticæ
B uitæ quæ hodie latè patet principium ortum, ut secundum clerum sit ipsum religionis dogma omniũ uetustissimũ. Marcus Siluestro successit,Roma fuit illi patria,pater Priscus. Hoc pontifice Gethę Gothi sunt in Sarmatia à Romanis superati, & Sarmatæ reges suos dissidentes(hos Arcatagẽtes dixere) facto in eos impetu suis exturbarunt finibus. Collocetus res nouas in Cypro molitur & opprimitur.Constãtinus iam senio confectus nec multo priusquam uita decesset baptismi lauacro admotus est. Eusebius Nicomediæ antistes illum sacro fonti admouit, in Arrianum dogma prius ut quidam scribunt prœuaricatum.Erat Eusebius Arrianæ sectæ fautor. Cęterum baptisterium quod Romæ tam insigni struxit apparatu,efficit,ut non temere ijs accedam qui hæc tradiderunt. Nec credere æquum est fuisse eum tot templa posituram aucturumque tanta pietate rem Christianam nisi baptismi fuisset fonte prius sublatus. Alij Constantiæ sororis impulsu tradunt Arriũ ab eo restitutum,uelut per inuidiam fuisset in exiliũ actus. Cæterum quantum Constantię persona effecit, ut huic opinioni nõ omnino repugnem, nam & Licinio nupsit qui Christiani fuit nominis inimic⁹, & Licinius ex ea genitus Christianos palatio expulit,ut Eusebius scribit: Tantum Constantini pietas ab simili infamia abhorret.Sed qui hęc tradiderunt decreto aiunt Constantinum baptismum in id tempus distulisse, ut Christi Saluatoris exemplum imitatus in Iordane fluuio baptizaretur. Hæc quando tam uarie traduntur, neque pro certis affirmare ausim,neq; pro falsis refellere. Sunt quod ad eius exitum attinet, qui tradant illum Byzantio ad calidas aquas ualetudinis causa egressum uita demigrasse, unde uideri potest rumor ille ortus de eius lepra, & lauacro sanguinis:Plures sunt tamen & in his Hieronymus autores eum bellũ Persis illaturum(sunt qui Parthis dicant) quod Mesopotamiam incursassent, apud Nicomediã,quæ Bithyniæ est,in Acirone uilla

Templum Agnetis.

Templa gentium euertuntur.

Viri clari.

Athanasius ab Arrianis petitur.

Eumonia.

Antonij abbatis sanctitas.

MARCVS XXXIIII. PONT.

Constantini exitus.

publica fato perijſſe. Deceſsit uita, quinque, uel, ut alij ſcribunt, ſex annos & ſexaginta natus. Imperauit annos unum & triginta. Apparuit ſub id tẽpus quo tãtus princeps eſt uita defunctus Cometes inuſitatæ magnitudinis. Marcus pontifex qui illi ſuperſtes fuit Conſtantino adhuc in humanis agente duo conſtituit templa, Ardeatina uia unum ubi eſt ipſe poſtea ſepultus, Romæ alterum, quod pientiſſimus princeps magnis muneribus excoluit. Fuerũt eius decreta, ut Hoſtienſis antiſtes à quo Romanus conſecraretur, pallio uteretur, ut feſtis diebus poſt euangelium clerus ſymbolum enuntiaret, ut idem faceret & piorum cœtus qui ſacrorũ cauſa adeſſet, fuerat tamen id iam antea Niceno conuentu decretum. Hybernia inſula quæ nunc Scotia eſt, per id tempus Chriſti cultum recepit, res à modico principio orta miraculo coaluit: Muliercula Chriſtianę pietatis cultrix, reginæ inſinuata, Chriſti nomen & illi mirifice inculcauit. Regina regem docuit, rex uniuerſum populum. Armenij quoq;, Hiberes, & Colchi eadem tempeſtate ueræ pietatis cultum ſunt cõplexi, quæ fidei incrementa, Iulio ſedente Philippus Eremita nus fieri contigiſſe arbitratur, Conſtãtino adhuc imperante. Incidit Iulij pontificatus in extremos eius imperij annos, ut Hieronymus demõſtrat. Platina, Marco adhuc ſedente, ut ſuprà ſignificauimus, Conſtantinum in humanis eſſe deſijſſe arbitratur, adeò omnibus temporum articulis uariant autores, quos ſequimur. Habuit Marci pontificatus, quocunque obijt principe, annos duos & amplius. Iulius eſt inde pontifex creatus, quintus & trigeſimus ab eo qui primus ſedit, idem Romæ natus. Magnum illi negocium ab Arrianis ortum, quorum hæreſis Conſtãtij principis fauore ſupra modum breui aucta eſt. Accepit Conſtantius imperium per manus à Conſtantino patre, imperauitq́ue annos quatuor & uiginti cum Conſtantino & Conſtante fratribus. Erat & Dalmatius Cęſar cum his relictus in ſucceſsionẽ imperij, ex Conſtantini fratre ortus, adoleſcẽs egregia indole, ſed is breui pòſt à militibus eſt occiſus, magis non probante Conſtantio quã repugnãte, ob eamq́ue rem reſperſus eſt cędis infamia, multiq́ue perſuaſum habuere fuiſſe Conſtantium eius facinoris autorem. Interfectus eſt Dalmatius Cęſar anno tertio poſt Conſtatini maioris obitum. Nec ita multo pòſt imperij ambitio cęteros fratres traxit in nefarium armorum certamẽ. Conſtantinus qui Gallias cum Hiſpanijs & alpibus, Britãnia, Orchadibus & Thule fuerat ſortitus, bellum Conſtantio intulit, qui Italiã cum Aphrica & Illyrico obtinebat: poſtq́; uarios bellorum conatus ad Aſiam (eſt is Venetiæ fluuius) haud procul Aquileia inconſultius dimicãs occubuit, atq; ita reſpublica ad duos Auguſtos Conſtantium & Conſtantem recidit. Fuit inde Conſtantij imperium aliquandiu, iuſtum & populare, ualetudine inde aduerſa, prauisq́ue amicorum conſilijs grauis eſt omnibus factus, ſed nullis grauior quàm hominibus Chriſtiani nominis. Arrianæ hæreſi addictus primum omnium Arrium reſtituit. Quod ſi ſic eſt, manifeſti mendacij arguuntur illi qui dicunt Conſtantiæ perſuaſu illum à Conſtantino patre reſtitutum. Inde Conſtantius, pietatem pietatis q́; cultores infectatus, autor fuit, ut Laodicęã Syrię Chriſtianorum antiſtitum conuẽtus indiceretur. Tenuit diſceptatio inter Arrianos & orthodoxæ fidei propugnatores plures dies, ſed quum Arrius reſiſtere non poſſet Athanaſio Alexandriæ antiſtiti, qui nalidis nixus demonſtrationibus quibus Chriſtũ aſſerebat cum patre Homouſion, ubi ea quæ diceret parũ ſibi quadrare ſenſit Arrius, ſuamq́ue plane cauſam inclinare, calumniam commẽtus Athanaſio falſum intendit crimen tanquam magicas exerceret artes. Damnatur itaque Athanaſius Conſtantij iuſſu, ac porro inde fugatus in uetuſtiſsimę ciſternę lacu ſex circiter annos ſine Solis aſpectu latuit, demum è cœ

Marci pontificis decreta.

Hybernia Chriſti cultum recipit.

IVLIVS XXXV. PONT. CONSTANS ET CONSTANTIVS FILII. IMPER.

Conſtãtius Arrianorum fautor.

Damnatur Athanaſius.

lo monitus ad Conſtantis ſeſe partes contulit, quo adnitente à Conſtantio eſt in gratiam receptus. Arrius interea aſſectatorum ſtudio, multarumq́ue gentium fauore, quum in multa eſſet celebritate, iam enim clariſſimi cum eo antiſtites ſentiebant, quum forte uentrem exoneraret, ruptis ſubito uiſceribus, magnaq́ue inteſtinorum parte in latrinam demiſſa fœdam mortem obijt. Iulius pontifex (nam multis & ipſe iactatus caſibus Arrianorum inſectatione) decimo ſui exilij menſe Romam reuerſus eſt, ſub id tempus quo Conſtantius eſt ad Aſſam interfectus, quæ cædes anno poſt Laodicenam ſynodum ſecuta eſt. Nec deſtitit inde Iulius aſsiduis literis orientales antiſtites inſectari quod nõ ſe autore prius facto Laodiceam coiuiſſent de ſumma re acturi, quũ Romanæ eccleſiæ antiſtes cæteros dignitate anteiret. Cauillabantur illi dictitãtes Chriſtianę fidei principes à ſe ad occidentem Solem migraſſe, oportere ſuam eccleſiam, unde id bonum ad alias fluxiſſet gẽtes, principem haberi. Iulius tempori non cauſæ ceſſurus, rem ſilentio antiquauit, atque ita accidit, ut principum indulgentia, maieſtas omnis & pondus religionis penes orientalem fuerit clerum, quoad Phocas imperator, decus per ambitionem ademptũ Rom. reſtituit eccleſiæ. Condidit inde ampliandæ religionis ſtudio duo in urbe templa, tria cœmiteria. Flaminia uia unum, Alterum Aurelia, Portuenſi reliquũ. Decretum inde tulit, ne ſacerdos, aut quoquo modo initiatus cauſam apud alium quàm eccleſiaſticum ageret iudicem, ut omnia ad rem ſacrã pertinentia notarij literarum monumentis traderent, uel horum Primicerius. Hi ab initio fuiſſe uideri poſſunt quos hodie Protonotarios uocant. Vixit Iulij temporibus Marcellus Ancyranus præſul, qui multa in Arrianos ſcripſit. Arguitur præterea ab Aſterio & Apollinari, ut Sabellianorum unus. Arguit & Hilarius. Quam Marcellus calumniam accuratiſſima defenſione diluit, tantum faſſus ſibi cum Iulio & Athanaſio non cõuenire. Habuit & Baſilium Ancyranum infeſtum. Is librum de uirginitate ſcripſit. Claruit & Theodorus Heracliæ Ponticæ antiſtes, uir facundus, & qui tam piè quàm utiliter ſcripſit. Iulius pontifex fato conſumptus eſt anno ſuæ adminiſtrationis quintodecimo. Sedit Conſtante & Conſtantio imperantibus, quo tempore Meſopotamia Perſicis eſt armis uaſtata, & Niſibis duos ferè menſes ab eadem gente Saporis ductu oppugnata, nullo Niſibis maiore, ut creditur, defenſa eſt præſidio quàm Iacobi antiſtitis uiri inſigni pietate, & q ipſius urbis præſidebat eccleſiæ. Dimicauit & Conſtans Auguſtus aliquoties per id tempus in Gallos, uario tamen euentu. Poſtremo Galli ſuis rebus fractis, pacem petiere. Sed maius fuit Conſtãtio fratri cum Perſis negocium, quibuſcum nouies laborioſe conflixit. Vltimum uero prælium, quod eſt ad Singaram noctu cõmiſſum, non ſolum laborioſum fuit Romanis, ſed ualde etiam calamitoſum. Nam quũ uictoria iam in manibus eſſet, militũ ſtultitia uictus eſt Conſtantius. Niſibis alięq́ue illuſtriores in Meſopotamia urbes, poſt rem à Romanis male geſtam, captæ ſunt à Perſis. Conſtans interea Magnentij, qui duorum fuerat ordinum comes, fraude in Helena (eſt id oppidũ haud procul Hiſpania) anno ſui imperij decimoſeptimo interficitur. Platina Conſtantẽ Perſicũ bellum geſsiſſe ſignificare uidetur. Hieronymus & Eutropius Conſtantiũ ſcribunt. Iidẽ autores ſunt Magnentium, cuius fraude Conſtans perijt, cõfeſtim eo oppreſſo imperium occupaſſe, ceſsiſſe illi breui tempore Gallias cum Italia & Aphrica, quod Conſtantio Perſicis rebus occupato facilè contigit. Sed dũ Magnentius alibi ſuas propagat opes, in Illyrico Vetranio uir probus ac ueterũ morũ, ſed omnium liberalium artium expers, militari tumultu imperator appellatur. Is Conſtantio ad fraternæ cędis ultionẽ redeunte, nouo exemplo ac ſine ulla maio-

Arrij interitus.

Iulij præclara opera.

Protonotarij.

Baſilius Ancyranus.

Quoties Conſtantius cum Perſis congreſſus ſit.

Magnentius.

LIBERIVS XXXVI. PONT.

Vetranio.

re noxa imperium depoſuit. Fertur Vetranio tã expers omniũ diſciplinarũ fuiſſe, ut ne elementa quidem literarũ, niſi iam grandis natu didicerit, ut multo melius in hunc dici potuerit, quod Cæſar dictator in Syllam dixiſſe fertur. Eum depoſuiſſe imperium quia neſciret literas. Sed Sylla Græcè & Latinè abunde fuit eruditus. Cæterũ Vetranio licet indoctus, nõ tã ignoratione rerũ ſe ultrò priuauit imperio, q̃ ocij & quietis ſtudio. Sed ne non ubiq; noui motus exiſterent, Nepotianus ex Conſtantij ſoro regenitus, gladiatorum manu fretus, quum adhuc Conſtantius abeſſet temere imperiũ Romæ occupat, at rem male partam breui cum uita amiſit, uigeſimo octauo ſui imperij die: hic ubi nomen & inſignia principis temere arripuit, à Magnentij ducibus eſt oppreſſus. Secuta cędes nobilium, & proſcriptio multorũ qui Nepotiano fauiſſe crediti ſunt. Magnẽtius breui pòſt ad Murſam prælio à Conſtantianis uincitur, ubi magnam Romanarum uirium partem cruentiſsimũ prælium abſumpſit, ad liiij. milia bellatorum ea acie cæſa dicuntur. Varijs inde fatigatus prælijs Magnentius, & ad poſtremum res perditas intuitus, Lugduni ſibi manum intulit. Per idem tẽpus Gallus Conſtantij patruelis Cæſar factus à Conſtantio (credo) ut plures unius familiæ imperio inſueſcerent, quum ob acrem indolem principi ſuſpectus eſſe cœpiſſet (erat enim feroci & sæuo ingenio, & ad tyrannidem prono) in Iſtria interficitur, huius geſta nulla, quod ſciam, traduntur, præterquã quod Iudæis in Syria rebellantibus, qui præſidio tumultuoſe cęſo arma temere induerant, multa milia eius gentis interfecit uſq; ad innoxiam ætatem. Eorũ urbes Cæſaream, Tiberiadem, Dioſpolim & alia cum his ignobilia loca hoſtiliter direpta ac cõbuſta excidio dedit. Siluanus, qui Gallias tuendas acceperat, ipſe quoq; ad imperium occupandum animum adiecit, ſed nihilo meliore euentu res ab eo tentata eſt, quàm ab alijs antè fuerat, quippe qui medio conatu rerum eſt atrociter oppreſſus. Sic Conſtantius fratribus & tyrãnis alijs alio caſu extinctis, ſolus potitus eſt rerũ, quod uigeſimo pòſt anno accidit ab eo quo cœperat cum fratribus imperare. Tenuit inde imperium annos quatuor, ſed is toto ſuo principatu fuit Arrianorum fautor, eiusq́; impotentia pientiſsimi orthodoxæ fidei antiſtites exilio ſolum uertere coacti ſunt, & in his Athanaſius Alexandrinus, qui in Galliam aufugit Conſtantij metu. Fuit is in hoſpitio apud Maximinium Treuirum, inde celebri conuentu qui poſtea eſt Mediolani habitus, omnes, qui Athanaſio fauebant, ſunt in exilium acti. Secuta recens ſynodus Ariminenſis, ubi quum orientalis eccleſiæ uiri ingenij acumine & facundia præualerẽt, placuit Romanæ eccleſiæ & omnium ad occidentem Solem uergentium antiſtitibus altercationem diu agitatam deponere, atq; in aliud tempus orthodoxæ fidei commodius differre. Nam pręter alia incommoda Conſtantius Arrianos complexus, ex cõfeſſo oderat, & ad pernicię inſectabatur omnes qui illorum opinioni non accederent. Deceſſerat interim ex humanis Iulius pontifex, anno xv. ſuæ adminiſtrationis, fueratq́; in eius locum ſuffectus Liberius uir Romanus, is à Conſtantio iuſſus Athanaſiũ condemnare, quia id facere recuſaſſet, in exiliũ exactus eſt, trienniumq́; ab urbe abfuit, quo tempore ſolicitatus dicitur à Fortunatiano Aquileienſi, ut ad Arrianos tranſiret. In Liberij exulis locum Felix eſt pontifex creatus, qui tantũ abfuit ut Arrianis acceſſerit, ut octo & xl. antiſtitum cõuentu Vrſatium & Valentem presbyteros ab eccleſia ſeparauerit, quia in Conſtantij gratiam cum Arrianis in fide ſentirẽt. Hi precibus ſuis apud Conſtantium in Felicis inuidiam Liberio reditum ad urbem confecere: quo ille beneficio cõmotus ex confeſſo Arrianus, ut quidã ſcribunt, eſt factus. Fuit nõnihil Liberius apud Con

Nepotianus.

Attende cruentum prælium.

Gallus.

Conſtantius ſolus Romanam potitur.

Athanaſij exilium.

Impia perſecutio orthodoxæ fidei.

Viri illuſtres.

Donatiana hæreſis.

FELIX XXXVII. PONT.

Viri ingenio & eruditione clari.

IVLIANVS XLV. IMP.

officij causa illi obuiam prodierant, ueriſimum fuiſſe dixit Cineæ teſtimonium, qui apud Pyrrhum affirmauit Romæ non ciues ſe uidiſſe, ſed reges. Et quũ talis eſſet, deriſus eſt aliquando à populo, quod quum puſilla eſſet ſtatura portas urbis & triumphales arcus ſubituras in morem anſeris ceruicem acclinaret, ne caput fornicibus impingeret. Mox apparatum urbis contemplatus, nam plurimum Byzantij fuerat, obſtupuit faſſus naturã omnes uires ſuas in unius urbis apparatum contuliſſe. Stabat Traiani equus in atrio mirificum opus, ad cuius inſtar quũ ſibi alterum Conſtantinopoli fabrefieri mãdaret, Ormiſdas, qui cum eo erat, fuit is Perſarum regis filius, qui domeſtica iniuria ad Romanos tranſierat, ultimis magni Conſtantini temporibus magnificentiſsimum atrij apparatum intuitus, Neceſſe eſt, inquit, Imperator ut ſtabulum huic perquàm ſimile paretur futuro equo ſi tibi uis opus procedere. Idẽ à Conſtantio rogatus quid de urbe Roma ſentiret. Tantum reſpondit placere ſibi unum quod didiciſſet in ea quoque homines mori. Felix qui Liberio ſucceſsit primum omnium Conſtantinum Conſtãtini filium à Nicomedẽſi antiſtite iterum baptiſmo admotum promulgauit, hæc Platina. Hieronymus ita colligit ut Conſtantius qui maioris fuit Conſtantini filius prius in bello occubuerit, quàm Liberius nedum Felix ſit pontifex factus. Cæterum quocunque pontifice Conſtantinus ſecundo baptiſmi fonte ſublatus eſt, hunc potius quàm patrem crediderim in Arrianam hæreſim præuaricatum, uocisque ſimilitudine factum ut filij delirium temerè quidã patri aſcripſerint. Ex huiuſmodi uariatione fit ut nõ grauate illis accedam, qui Conſtantium legendum exiſtimant, non Conſtantinum. Per hæc tẽpora exe crabilis ille error ab Arrio ortus in duas uelut ſectas abijt. Nam Eunomius, unde Eunomiani poſtea fuerũt, uir leproſo corpore, ſed anima leproſiore, auſus eſt affirmare filium in omnibus patri diſsimilẽ nec ſpiritum ſanctũ cum patre & filio cõmune aliquid habere. Felix octo &. xl. antiſtitum conuentum habuit, eoque concilio eſt decretum, ut qui urbium ecclеſijs præſiderent, quoties conuentus aliquò indiceretur, omnes eò occurrerent, aut libellis ſignificarent, cur non eſſent affuturi. Poſtremo quum pietatem fortiter tueretur, ab hominibus Arrianæ factionis cum pleriſque piè ſentientibus captus interficitur. Sepultus eſt uia Aurelia in Baſilica, quam ipſe fecerat. Sedit annũ unum & menſes quatuor. Subijcitur in defuncti locum Damaſus patria Hiſpanus, cuius pia adminiſtratio incidit in Iuliani imperiũ, cui Conſtantio extincto omnia facilè ceſſere. Vſus eſt Iulianus Eubolo ſophiſta & Libanio rhetore præceptoribus, quorum opera adeò profecit ut cuilibet optimorum principum iure potuerit comparari, ſi uera ab illis fuiſſet pietate imbutus. Fuerunt alioqui in eo uirtutes multæ & eximiæ, quas impio & crudeli in Chriſtianos odio ad extremum euertit. Callidus pietatis inſectator grandibus præmijs atq; illecebris uelut occultis quibuſdam machinis præcipuam populi partem religione auertit. Publicè uetuit Chriſtianos uti gentilium præceptorum opera, néue literarij ludi paterent ijs, qui non deos deasq; colerẽt. Vix Proheresio uiro doctiſsimo cõceſſum, ut Chriſtianorum unus publicè doceret. Sed priuilegium illud Proheresius aſpernatus eſt. Militare cingulum uetuit principes Chriſtiani nominis hominibus dare, neque his prouinciarum procurationes actionémue ullam dicundi iuris credendam cenſuit, quia horum primaria lex eſſet quæ gladio uti uetaret. Athanaſium magorum & augurum rogatu iterum in exilium egit, qui Conſtantij literis ut Hieronymus ſcribit, fuerat ab exilio reſtitutus, Fateri nihil obſcurè eiuſmodi homines Athanaſium unum obſtare, quo minus ſuæ artes ualerent. Satis conſtat Daphnium quendam in Antiochiæ ſuburbano Apollinem litare conantem, quum uox nulla redderetur, cauſamq; ſilentij à ſacerdotibus ſciſcitaretur, reſponſum eſſe aiunt dæmones uicinũ Babyllę martyris ſepulchrum formidare. Chriſtiani iuſſi tumulum aliò transferre quum læti illi id facerent, canerentque propheticum carmen, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis, in tantam Iulianus iram exarſit, ut præter ſuum inſtitutum multos Chriſtiani nominis interfecerit. Idem magum quendam in profundiorem ſpecum ſecutus, audita dæmonum uoce, muniuit ſe ſigno crucis. Quo dæmonibus porrò fugatis Iulianus admirationis plenus credere ſe teſtatus eſt aliquid occultæ potẽtię ipſi ſigno ineſſe. Cui ita magus occurrit, ut homines ita dæmones horrere id genus ſupplicij, atque ita ille principis animum impio cultui ſua ſponte deditum, impio mendacio in artis admiratione retinuit. Factus itaq; per hęc Chriſtianis infeſtior in horũ inuidiã Hieroſolymis templum Iudęis reſtituit, quum dicerent non licere ſibi alibi ſacrificare, ſed templum haud multo pòſt ſubito motu terræ corruit, multique Iudæorum ſunt ea ruina oppreſsi. Poſtridie ſemirutum templum cœleſti flamma deflagrauit, adeoque omnia ultor ignis conſumpſit, ut ferrameta ſint etiam corrupta, ac penitus adeſa, quo miraculo Iudæorum plerique ſunt Chriſti fidem complexi. Inde Iulianus in Perſas mouit, dijsq; Chriſtianum uouit ſanguinem pro uictoria. Sed ſuo non alieno litauit, enimuero perfuga duce in deſerta loca cũ exercitu ductus, copijs magna ex parte ſiti ac fame abſumptis, quum forte à cętero agmine aberraſſet, hoſtili occurſu perijt. Sunt qui eum acie dimicantem haſta traiectum ſcribant. Alij ſagitta ex incerto miſſa confixum exclamaſſe, uicisti Galilæe, uicisti. Sic enim impius ille Chriſtum appellat. Nota uox eſt adoleſcentis ad Libanium ſophiſtã rogantem quid Galilæus ageret. Iuliano, inquit, locellum aptat: nec uoci euentus defuit, ſiquidem Iuliani cadauer paulo pòſt paruo eſt loculo auectum. Quidam memoriæ prodiderunt, fuiſſe Iulianum à pueris orthodoxice initiatũ, inde à uera fide ad malorum dæmonum cultum deſciuiſſe, ob eamq; rem Apoſtatæ illi cognomen inditum, annum unum imperio potitus eſt & mẽſes octo. Eutropius qui cum eo militauit anno ſeptimo quàm imperare cœperat ſcribit extinctum, percuſſumq; hoſtili manu dum ferocius ſe prælio infert occubuiſſe, nec, quod miror, de exercitu inedia confecto ſcribit aliquid. Perijt annos natus duos & triginta, in ſuburbana Tarſenſis agri uilla ſepultus eſt. Illuſtriſsimi omnium qui ſub eo martyrium paſſi ſunt Ioannes & Paulus. Hic Cõſtantiæ uirginis magni Conſtantini filiæ primicerius, ille præfectus urbis, ambo Romę interfecti, Gordianus Epimachus Latina uia, Donatus Aretij antiſtes, Theodoritus Antiochenus presbyter, Demetria uirgo, & Iuliana. Hęc plumbo cæſa, illa ad interitũ uerberata. Pigmenius Iuliani olim præceptor. Quiriacus, qui & Iudas, Hieroſolymitanus antiſtes, cum Anna matre. Hic ille Iudas, cuius indicio ſacratiſsimum crucis lignum eſt ab Helena repertũ, mox Quiriacus ex baptiſmo appellatus. Hæc alij. Eutropius infeſto ait fuiſſe animo Iulianum in Chriſtianos omnes, ſed citra cruorem odiſſe. Fuit annus ille quo impius apoſtata in Perſis occubuit, ſeptimus humanę ſalutis ſupra ſexageſimum ac trecenteſimum, Romanæ urbis undecies centeſimus atque undeuiceſimus.

ENNEA-

Eunomiana hæreſis.

DAMASVS XXXVIII. PONT.

Iulianus imperator Chriſtianos inſectatur

Babyllæ martyris ſepulchrum.

Cruce hoc

Martyres.

Hieroſolymum templum miraculo graue.

Iudas.

Anni ſalu. Ro. urbis.

ENNEADIS VII. LIBER IX.

IOVINIANVS XLVI. IMPER.

Nec diu poſt Iuliani interitum ſine duce exercitus fuit. Nam imperatore carere non potuit medio belli diſcrimine, aut certe noluit. Iouiniano, quẽ ſatis conſtat, confeſtim imperiũ detulit. Pannonio is non Romano aut Italo fuit patre ortus, uir inſigni corpore, nec à literarum ſtudijs abhorrens. Imperator itaque ſalutatus, quum receptum exercitum rerum omnium inopia confectum cerneret, duobusq; aduerſis prælijs fractum, & ob id parũ idoneum, ut hoſti amplius obijceretur, pacem ſanxit cum Perſarum rege magis neceſſariam quàm honeſtam, magna Meſopotamiæ parte hoſtibus relicta, quæ diu ſub Romano fuerat imperio. Quidam autores ſunt exercitum ab eo ſeruatum, decretoq; ceſsiſſe, ne Romanę legiones multifariam afflictæ hoſtibus prædæ eſſent. Sunt qui memorent tacita æmulatione accenſum, ne quis alius Romæ, aut alibi imperator crearetur, feſtinaſſe prouincia decedere. Cæterum ex Syria profectus, in Galatiæ finibus ſeptimo ſui imperij menſe, ſiue ut alij ſcribunt, octauo perijt: fama tenet eum nimia ciborum crapula extinctum. Fuit & alius ſermo de eius interitu, quod offenſus graui odore cubiculi nuper tectorio obliti feſtinatam obiuerit mortem. At quidam prunarum odore credidерunt, quas graui frigore adoleri iuſſerat. Obijt tertio uitæ anno ac trigeſimo, uir magno ingenio & doctrina non uulgari. Tanta adhæc pietate, ut ſe non prius paſſus ſit imperatorem ſalutari, quàm exploratum habuerit Chriſtianum eſſe exercitum, à quo ſibi imperiũ deferretur. Et Iouinianus tam breuem cum uita ſortitus eſt principatum. Damaſus qui per id tempus ſedit, magna ſuffragiorum diſceptatione pontificatũ obtinuit: iam enim ambitio honorum paulatim cœperat ſubire iuxtà pontificum animos, & eorum qui ad id decus anhelabant. Non igitur ſuffragijs tantũ eſt in Sicinini Baſilica certatum, ſed ui quoq; & armis. Cæterum Vrſicino competitore ſuperato, magno cleri & populi fauore Damaſus põtifex eſt creatus. Incidit nec multo pòſt in aliud diſcrimẽ ac multo fœdius. Adulterij accuſatus, multa cum indignitate, & perſonæ quam ſuſtinebat ſuggillatione coactus eſt in publico antiſtitum conuentu adulterij cauſam dicere. Sed criminis incompertus abſoluitur. Concordius & Caliſtus qui eam calumniam intenderant, damnati ſunt, & ab eccleſia reiecti. Damaſus hiſtoriarum cupidus, omnium qui ante ſe fuerant pontificum uitas monumentis tradidit literarũ, deditq; id opus Hieronymo cognoſcendum. Templa & diuinum auxit cultũ. Duas Baſilicas ſtruxit, propinquam theatro unam, alteram Ardeatina uia. Dedicauit & Platoniam uetus principis apoſtolorum conditorium. Primus omnium inſtituit ut chorus alternis pſalmos caneret, carmenq; illud in fine adijceretur, quod hodie tribus diuinis perſonis redditur. Is primus Hieronymi ſcripta recepit, receptaq; illuſtrauit, & autoritatẽ non paruam tribuit ut pſalmi & bibliaci libri, quos in Latinũ uertit, omnibus eccleſijs legerẽtur inſtituit. Illud quoq; Damaſi eſt, ut ſacerdos ſacris operaturus priuſquam altare conſcendat, faciat confeſsionem. Et quum per hæc annos undeuiginti Rom. præfuiſſet eccleſię, alij unum huic numero adimunt, uita deceſsit. In Ardeatina Baſilica quam ipſe extruxit ſitus eſt. Quidam in Damaſi tempora reponunt Euſebium Vercellarũ antiſtitem, qui pro fide primo exilium, mox & martyrium eſt paſſus, Apollinarem Laodicenũ, Didymũ Alexandrinum, quorum uterque non pauca ſcripſit ad Chriſtianæ fidei uſum. Adijciunt Baſilium Cæſarienſem, qui non ſolum docte & pie multa in eundẽ uſum ſcripto tradidit, ſed inſtituit etiã monachorũ dogma. Id in Græcia, ubi uiuens claruit, iã propemodũ exciſa adhuc durat. Hieronymus nõ in Iuliani tẽpora aut Iouiniani, ut Platina, Damaſi reponit pontificatũ, ſed altero Valẽtiniani anno, qui Iouinianum ſucceſsit, pontificẽ creatũ prodidit. Exijt ut Proſper colligit in ſextũ Gratiani annũ, qui poſt Valentinianũ rerũ potitus eſt. Cæterũ quibuſcũq; imperantibus ſedit Damaſus, fuerunt eo pontifice uiri clari, præter eos qui proximo ſunt loco relati, Ambroſius Mediolanenſis antiſtes, uir ſanctitate multa doctrinaq; ſingulari. Octo circiter & ſexaginta ſcripſit uolumina. Is Aurelium Auguſtinum, qui poſtea Hipponenſis fuit eccleſiæ antiſtes, baptiſmo admouit. Sed de Aurelio mox paulo lõgior inſtituetur ſermo. Fuit & Cyrillus Hieroſolymitanus antiſtes, qui in Arrianorũ gratiã ſæpe pulſus, poſtremo Theodoſij principis beneficio reſtitutus eſt. Epiphanius Salaminię, Gregorius Naziãzenus, uterq; impiorũ dogmatũ oppugnator accerrimę. Photinus Smyrnęus quondã antiſtes. Is Hebionis hæreſim inſtaurare conatus, à Valentiniano pulſus, mutato cõſilio, multa aduerſus gentium deos ſcripſit. Aſſerebat Hebionis delirium Chriſtũ purum fuiſſe hominẽ. Iouinianus Hæreſiarchus hac quoq; tẽpeſtate inclaruit, ex Monacho clerum ſecutus. Affirmabat neminẽ poſt baptiſmũ peccare amplius. Errorẽ hunc diuus Hieronymus adeo infregit, ut Iouinianus quod neſcio an alij Hæreticorum cuiquã acciderit, ſectatorẽ ſui dogmatis habuerit neminem. Scripſit Hieronymus & aduerſus Vigilãtium presbyterũ Gallici ſanguinis, qui & ipſe quædã ambitioſe & dirę hęreſeos plena, elucubrauit. Mellania Romana mulier filio prætore in urbe relicto, Hieroſolymã nauigauit pietatis cultum ſecuta. Fuit & Hieronymi obſeruantiſsima infigni ſanctitate mulier, Teclæ nomẽ accepit. Moſes monachus & mox Sarracenis antiſtes datus multos ad fidem cõuertit. Duo Macarij, Antonij abbatis diſcipuli, ambo Eremo clari. Pambo idem monachus & ut illi Ægyptius. Hilarion apud Salaminẽ Cypriã inclyta ſanctitate clarus. Arſenius ſenator ex urbe in Scythiã proficiſcitur in ſolitudine uicturus. Paphnutius nec ipſe in Thebaidis deſerto obſcurus, Onophrij Anachoritæ ſcripſit uitã. Agathon qui ſilentij cauſa trienniũ habuit lapidẽ faucibus incluſum. Euphraſia inſigni uirginitate monaſticaq; abſtinentia ac miraculis illuſtrata eſt Alexandriæ, ſed hæc Theodoſij claruit principatu. Maria cognomento Ægyptia ſeptẽ & quadraginta egit annos in ſolitudine. Fuerũt his æquales Euagrius & Didymꝰ, monaſtica hic ſanctitate inſignis, literario ille ſtudio ſanctorũ uitas in deſerto agentiũ ſcripſit. Et hi per hęc tẽpora fuerunt uiri ingenio & ſanctitate clari. Valentinianus interim ex ſcutatorum præfecto, poſt Iouiniani obitum, apud Nicæam imperator eſt appellatus. Habuit is Gratianum patrem ex Pannonia Cibalienſi uirum fortẽ, & qui ex ſordido loco ad prætorij præfecturam fuit euectus, cuius memoria multũ apud milites ualuit ad imperium filio deferendũ, ſed plus omnino diuina uoluntas, nam quũ Chriſtianæ eſſet pietatis cultor, claraq; in Romanis caſtris faceret ſtipendia, à Iuliano iuſſus gentium dijs ſacrificare, aut caſtris abſcedere, maluit ignominiã ferre, quàm pietatem uiolare: quo cõtigit ut Apoſtata perepto conſeſtim ſit in ordine reſtitutus, & mox paulò imperator ex Iouiniani deceſſu ſalutatus, ſicque pro paruo honore ad tẽpus neglecto ampliſsimũ eſt illi decus repenſum. Rerũ potitus Valentinianus primũ omnium cum Valente fratre cõmunicauit imperiũ, quibus Byzantij Procopius tyrannidem inuadere conatus eſt. Cæterum homo audax primo rerum motu in Phrygia oppreſſus perijt, nec multo pòſt Valentinianus coniugis ſuaſu Gratianum filium nondum

Iouiniani picta.

Damaſus pontifex adulterij accuſatur.

Hieronymi ſcripta legi incipiunt.

Vir ingenio & eruditione clari.

Ambroſius.

Cyrillus.

Photinus.

Iouiniani hæreſis aboletur.

Vigilantius.

Valentinianus

Valentiniani pietas.

Gratianus Cæſar.

dum puberem Cæsarem appellauit. Valens quia ab Euzodio, Arrianæ impietatis antistite, fuerat ex baptismi fonte sublatus, orthodoxæ fidei cultores illius impulsu atrociter est insectari adortus. Sed Valentiniani auctoritas & Themistij philosophi literæ proposito auerterunt. Et res piorum in hunc se modum habebant, quum interim procul domo gentes & populi Romani imperij haud uno erant loco Barbarorum iniuriæ obnoxij. Mamia Sarracenorũ regina (gens fuit hæc Arabica) quum rem Romanam frequentibus attriuisset prælijs, Arabico Palæstinoq; limiti infesta, ea demum conditione arma exuit, ut Moses cuius nuper mentio facta est (erat is Arabs præcipuaque sanctitate insignis) fuę antistes gentis crearetur. Saxones Germanorum gẽs ad Oceanum, & Burgundiones ad Rhenum positi, Romanis erãt rebus infesti. Cæterum utrorumq; motus sunt Valentiniani armis oppressi. Paulus Diacon⁹ octoginta Burgundionum milia fuisse ait, qui circa Rhenũ cõfederant, quiq; haud multo pòst sint ad fidem conuersi. Vltima Valentiniani expeditio fuit Sarmatica, ea gens ruptis Pannoniæ finibus ipsam hostiliter terram uexare. Hanc Valentinianus iniuriam uindicaturus, quum ad id bellum proficisceretur, ad Brigionem oppidum subito sanguinis profluuio interijt, anno sui imperij undecimo. Vir solerti ingenio, uultu & corpore decenti, beneq; compacto, grauitate animi & moribus Aureliano perquàm similis, sermone cultissimus, etsi uerborũ parcus, uitijs omnibus infestus, auaritiæ tamen supra quàm dici possit inimicus, defunctus est fato quinq; annos & quinquaginta natus. Valens inde imperator fuit, superfuitq; fratri annos quatuor, obtinuit interim orientis imperium, Gratiano Valentiniani filio Romæ & in occidua ora remp. procurante. Is Valentinianum [illegible] fratrem natum, sibi [illegible] collorem asciuit. Fertur Valẽtinianus pater B [illegible] ab uxore impensius à forma laudatam, illi uxore superduxisse, lata prius lege ut procreationis causa liceret duas habere uxores: ex recentiore connubio ortus Valentinianus iunior, qui à pueris est à [illegible] admotus. Valens interea ne non semper occasionẽ haberet orthodoxæ fidei cultoribus illudendi, monachos ad bellũ profecturus exegit, siqui militare noluerunt, eius iussu sunt fustuario necati. Orsus est per id tempus in Libya ingens rerum motus. Thirmus (siue an alieno consilio non habeo dicere) Maurorũ, quod satis constat, rex creatus Aphricam hostiliter Mauritaniamq; uastauit. Theodosius eo missus est. Fuit is eius Theodosij pater qui non multo pòst imperauit. Huius ductu Thirmus pluribus prælijs fractus ad mortem cõpulsus est. Secundum Thirmi cædem utraq; prouincia breui pacata est, qui rerũ successus inuidiæ Theodosio uertit, inuidia exitium illi peperit. Falsi criminis apud Valentem insimulatus eius iussu interficitur. Erat tum ille Carthagini, ubi per extremum uitæ tempus baptismum requisiuit, sed à nullo oblatus est, ipse suo pietatis uoto frustratus, percussori qui à Valente uenerat, ultrò iugulum obtulit hauriẽdum. Et iam rebus imperij fato inclinantibus teterrima clades Italię & urbi à septentrione orta est. Hunnorũ Scythica gens inaccessis inclusa montibus subita ui Gothos adortа suis expulit sedibus. Gothi uidentur mihi ij esse quos ueteres nunc Gethas, nunc Dacos dixere. Scythicum genus hominum ac post Istrum in Scythiæ ora situm ad Euxinum mare. Priscus qui ad Gothorum regem se publicè missum testatus est, in historia existimare uidet Gothos Scythas esse, sed diuersam omnino à Gethis gẽtẽ, mediterraneaq; loca ligneis urbib⁹ incolere. Strabo autor est opinatos esse quosdam ex ueteribus Gethas discretis sedibus diuersos à Dacis habitasse. Cæterũ eandem esse gentẽ ut Daci mediterranea tenerent Germaniã uersus, & Istri fontibus uiciniores, qui olim Daui uocati sunt: Gethæ qui in Pontum uersi magis oriẽtales essent, qua ueterum partitione fieri potuit, ut quos uetustissimi rerum scriptores Dacos dixere, Priscus Gothos dixerit, crediderit idcirco à Gethis diuersos, quia mediterranei essent, quum Gethæ ad mare habitẽt. Cæterũ si Strabo uerus est autor, Gethæ & Daci gẽs una est atq; eadem Scythica ac tantũ sedibus discreta, uerum siue Gothi sint qui ijdẽ & Daci qui & Gethæ siue diuersi: nam in re tam uetusta nihil habeo quod in alterutrã partem affirmẽ, libentius Gothos scribam quàm Gethas, quando ita uox inualuit recẽtium scriptorũ usurpatione, ut siquis Gethas pro Gothis dicat diuersum dicere uideatur. Quicunque igitur Gothi fuerunt, quinq; antè ætatibus rem Romanam solicitare ausi, à Lucullo ex Mysia pulsi sunt, ut Priscus & alij Priscum secuti scribunt, quorũ uerba planè arguunt Dacos qui & Gethæ sunt, fuisse olim quos recentes Gothos appellãt, nam à Lucullo Dacos ex Mysia eiectos, nec aliã gentẽ interpretrãtur ueteres scriptores. Procedente dein tẽpore eiusdẽ gẽtis legati in Hispaniam ad Augustũ principem pacem petitum uenere, data est pax illis, uetitique sunt Danubij limitem transcendere. Violatis inde finibus duo Romani duces primo Oppius Sabinus, mox Domitiano principe Cornelius Fuscus ad eam iniuriam ulciscendam missi, unus post alium cũ suis sunt copijs cæsi, quæ clades quòd à Dacis sint non ab alia gente Romano populo illatę, Tranquillus & Cornelius haud dubiè demonstrant. Expulit mox Traianus princeps eam gẽtem Rom. finibus, atq; in suas sedes cõpulsos, maioribus affecit cladibus. Nonagesimo deinceps anno Antoninus, qui Caracallæ tulit cognomen, aliud certè negocium secutus (ductabat enim ad Parthos exercitum) Dacos quia parum quieturi uiderentur, ex improuiso adortus, tumultuarijs aliquot uicit prælijs, & uigesimo mox anno Gordianus iunior Romanis rebus imminẽtes leui prælio auertit. Maiores dein inquietissimæ gentis secuti sunt motus. Enimuero Philippo imperãte is enim primus, ut alio est loco demonstratum, eorũ qui Romæ sunt rerum potiti, Christianum tulit nomen. Hoc itaq; principe pleriq; ferocissimarũ gentiũ populi Gothorũ ductu octauo pòst anno quàm à Caracalla uicti fuerãt Romani imperij finibus tumultuose transcensis, Thraciam Mysiamq; uarijs cladibus afflixere, trecẽta armatorum milia fuisse traduntur. Obiectus est illis Decius cum exercitu, qui aliquot prælijs uictus, re infecta prouincia decessit. Inde haud multo pòst Philippo fraude extincto imperator factus eam gentem dimisit intactã, renouatũq; est cũ his fœdus Gallo & Volusiano remp. tenentibus. Cessatum inde usq; ad Valerianum, quo à Persis capto, quũ Galeni ignauia reip. corpus in plures scindi cœpisset partes, multisq; ad tyrãnidẽ consurgentibus Gothi Asiam inuaserunt classe ad id parata, Bithyniaq; primũ uastata est. Nicomedia eius terrę urbs nobilissima propemodum excidio dedita. Pari interim iniuria Thracia ab eadem gente affligitur, & Macedoniæ pars non parua, Thessalonicæque in ora obsidione tentata. In Achaiam inde progressos, Macrinus prælio uicit, uictos ferocissimo conatu auertit. Interea qui Asiam inuaserant pulcherrima prouincia multiplici clade afflicta Dianæ templum diripiunt, direptum incendunt. Eratque ea uis adhuc latius euagatura, nisi Claudius princeps eam gentem in Mysia propemodum ad internecionem cecidisset, trecentis milibus hostium, ut suprà est memoratum, aut cæsis aut captis, & cum his duobus milibus nauium, partim depressis partim in potestatem redactis. Quieuerunt aliquot inde annos Gothi afflictarum rerum conscientia. Cęterũ gens ferox, & rebellandi cupida ab Aureliano principe, quum iam arma induisset, ultra Danubiũ uno prælio

prælio uicta est quinq; milibus bellatorum cum Canabo rege amissis, qua pugna bellicosæ quædã, qd⁹ suo loco est significatum, captæ sunt fœminæ, quas in triumpho ductas ex Amazonum gẽte uulgus temere credidit. Trigesimo post hanc cladẽ anno multo maiorem Gothi adiuere, ac penè parẽ illi qua sub Claudio fuerant affecti à Flauio Constantino uicti: actum demum tot cladibus alijs super alias afflicti renouato cum Romanis fœdere annos circiter septuaginta nihil mouere sunt ausi, donec Valente orientis imperium obtinente, (nam Romam cum occidua plaga habebat Gratian⁹) Gothi magno Romani imperij malo ab Hunnis uicti pulsiq; suis sedibus Istrum tumultuose transiuere. Hos Valẽs, qui ad eum motum occurrerat, sine ullo fœdere citra Istrum in Romanæ prouinciæ solo constituit. Fuerũt Hunni & ipsi Scythæ, eoq; Gothis efferaciores, quo Riphæis montibus & Boreę propinquiores habuere sedes, rigidioreque sub cœlo agitabantur. Visigothi ab his primo uicti, nam omnis Gothorum gens, ut recentes aiunt, in duo fuit nomina diuisa, Ostrogothos & Visigothos, ut hi magis occidui, illi ad orientem Solem uersi Euxino propinquiores essent. Eam, ut mihi uidentur, partitionem secuti, qua Strabo in Getharũ relatione usus est. De his igitur quãdo iam hinc sæpius habendus est sermo, nihil ab ea re sum mihi uisus facere, si ab initio qui fuerint eius gentis motus, & quàm uariè ac quoties Romana arma solicitarint ordine exponerem⁹, ut quæ per partes fuissent à me ad hunc locum relata, in arctũ compressa, multo essent faciliora cognitu. Nec de Hunnis unus est sermo, nam præter ea quæ de his nuper sunt in transcursu memorata, fuerunt qui traderent eam gentem inaccessis antea inclusam montibus, ac repente uelut rabie quadam percitam, ad finitimorum iniuriam surrexisse. Diuus Hieronymus inter Tanaim & Massagetas, sunt enim hi quoque B Scythæ, Hunnorum terram fuisse existimat, asperis inclusam rupibus, atque iam inde ab Alexandri temporibus feram gentem, claustris coërcitam, in nulla celebritate fuisse. Cæterum fatis Romani nominis gloriam ad exitum trahentibus, Hunni quicunque hominum fuere, subita ui Gothos suis sedibus eijciunt, eiectos Valẽs sine ullo fœdere, ut nuper est significatum, circa Istrum accepit, ne armis quidem ademptis, ut commodius in officio continerentur. Hi non multo pòst fame adacti, quod Maximi ducis iniuria accidisse quidam memorant, consternati ad arma consurgunt. Valentisque exercitu pugna superato Thraciam incendio & rapinis hostiliter fœdant. Hæc Orosius, cuius fidem eleuat nihil obscurum ipsius in Valentem odium, cui eam temeritatis notam, ut homini orthodoxæ fidei infesto inustam uoluisse uideri potest. Ablauius qui procul ab omni odio fuit Ostrogothis ait ab Hunno uictis qui magis orientales erant. Visigothos meru perculsos ad Valentem legatos misisse, qui cum eo agerent, ut Mysiam citra Danubium sibi inhabitandam daret, futurum polliciti, ut Christiani fierent, nam Arriani, quibus Valens indulgebat, Christiani, ut dixi, erant nominis, etsi impium tuerentur Arrij dogma: futurum præterea, ut suis uiribus tutam præstarẽt Romano imperio Danubij ripam ab Hunnis & omniũ aliarum gentium incursu. Hæcq; gentis promissa in causa fuisse, ut Valẽs nihil grauate pmiserit Visigothos cũ liberis & uxorib⁹ Istrũ superare, qb⁹ í parte Mysiæ collocatis Arrianæ hæreseos detulit antistites, quorum impia persuasione tota ab initio gẽs imbuta est. Dati præterea Lupicinus & Maximus duces, qui Gothorum desiderijs mature consulerent. Hi quum auarè nimis agerent, malignęque uictum ipsi genti ministrarent, sibi & multis exitium quęsiuere. Tulerunt aliquandiu Visigothi calamitatẽ suã Romanorumque ducum auaritiam, postremo fame adacti, Alatheoque & Frigiterno regulis suorum patientiam increpantibus Romanum præsidiũ repẽte adorti, cum ipsis ducibus, fœde trucidarunt, omniq; per hæc metu discusso Mysiam Thraciamque armis subigũt, subactis tributum imperant. Tum uero Gothorũ opes his auctæ successibus formidolosæ cœperunt Romanis esse. Valens tuæ per hæc impietatis admonitus omnis orthodoxæ fidei antistites ab exilio reuocauit, urgentibusque de Gothico motu nuntijs cũ numeroso exercitu ex Antiochia in Thraciam pertendit, nec Gothi uenientis occursum detrectant, quin prælio ferociter congressi, primo Romanum equitatum fundunt, mox legiones circũsistunt equitum præsidijs nudatas, has quoque haud magno negocio sagittis penè obrutas soluunt, solutas in fugam uertunt. Tetra fœdaq; cędes fugientiũ edita. Valens sagitta saucius uiuus in hostium potestatem uenit, igniq; consumptus est, anno quàm imperare cœperat quartodecimo. Visigothi præsenti successu elati Byzantium obsidione cingũt. Erat ibi Valentis uxor. Dominicæ fuit illi nomen. Hæc grandem ciuibus pecuniam largita est, ut imperio obsequentiores haberet, redderetq; eos pertinaciores ad suas opes tuendas. Salubri itaq; consilio urbs defensa est. Incidit clades illa Romanorum, qua Valẽs perijt, in alterum & octogesimum supra trecentesimũ salutis annum, qui millesimus fuit Romanæ urbis centesimus tertius q; ac trigesimus. Ab orbe cõdito octogesimus supra quingentesimum ac quinquies millesimum, in quẽ usq; annum diuus Hieronymus traxit suam de temporibus historiam, quã continuò Eusebianę subiecit. In hæc tempora Platina reponit illam illustrium uirorum frugem, de quibus proxima fuit relatio. Cæterum Siricio non Damaso sedẽte prodidit hæc gesta, quæ sub Valentis interitũ Gothi in Thracia & Mysia gessere, tantum ab Hieronymo & alijs diuersus ille abijt. Sedit Damasus (nam hunc aut illos referre necuolo nec possum, quum his autorib⁹ nitamur, quibus illi usi sunt) annos undeuiginti. Siricius qui post illum pontifex fuit Romano est patre natus, atque idem Romę ortus. Cœpit is sedere Valẽtiniani maioris principatu, ut quidam memorant. Prosper qui post Hieronymum Chronichõn seriem ab Eusebio institutam secutus est, in extrema iunioris Valentiniani tẽpora, Siricium pontificatum confert. Atq; per id tempus Platina fieri contigisse scribit, quę loco non multum diuerso de Mammia fœmina Arabica sunt à nobis memorata. Idem autor est fuisse tempestate illa Themistium Peripateticę disciplinę assectatorem, cuius literis Valens mitior sit factus in orthodoxæ fidei cultores. Fuerunt Siricij, quocunque sedit principe, decreta, ut Monachus si uita probaretur sacris initiari posset, & ab infimo ordine ad summum prouehi: ut sacri ordines non uno tempore, sed per interualla darentur. Manichæi assectatores, qui tum Romæ agebant, uetuit ueræ pietatis cultoribus misceri, siqui pœnitentiam agerent recipiendos cẽsuit, attamẽ ut monasterium ingressi ieiunijs & orationibus reliquum uitę agerent: ut qui uiduam aut bis uxorem duxisset omni ecclesiastica administratione priuaretur. Hæreticos per manus impositionem recipiendos. Claruerunt his temporibus uiri sanctitate & eruditione insignes quum pleriq; alij quorũ nomina in Damaso sunt à nobis relata, tũ Didymus Alexandrinus, qui ab incunabulis captus oculis & ob id primarum literarum ignarus, iam grandis natu ita Geometriam & Dialecticam cum primis literis didicit, ut in Mathematicis etiam præclara quædam scripserit. Edidit in Arrianos non pauca. Fuerunt uiri sanctitate illustres Ioannes Eremita Ægyptius genere, & Germanus Altisiodorensis antistes qui Rauennæ decessit. Sedit Siricius annos circiter sexdecim. Hoc defuncto Anastasius Romani generis

Sarraceni. *Saxones. Burgũdiones.* *Daci.* *Gethæ.* *Daui.* *Primus Dẽ rum motus.* *Recens Gotho rum cædes.* *Ostrogothi & Visigothi.* *Duplex clades à* *Gothis ac cella nitis* *Hunnorum sedes.* *Atroces Go thorũ mot* *Asia quæ à Gothis* *Dianæ ter plum à Gothis pitur.* *Visigothi Istrũ superant.* *Gothorum rebellio.* *Anni mundi.* *Themistius.* *Siricij decreta* *Viri clari.* SIRICIVS XXXIX. PONTIF.

ANASTASIVS, XL. PONTIF.

generis uigesimo pòst die fit pontifex. Difficile dictu est quàm parum interdum constent sibi autores quos sequimur. Platina Anastasium Gratiani principatu fuisse ait. Prosper qui post Hieronymum digerit tempora, in ultimum Gratiani annum Siricij, qui Anastasium præcesserit, creationẽ incidisse significat. Sed utcũq; res habet, Gratianus imperator, Valẽte à Gothis interfecto, imperium cum Valentiniano fratre tutatus est, ortumq; est illi, super Gothicũ tumultum, graue aliud in Gallia bellum quod iuuenis insigni pietate & prudentia feliciter confecit triginta Germanorum milibus, qui Romanorum fines hostiliter inuaserãt, ad Argentariam uno prælio cæsis. In Italiã inde uictor reuersus, quia undiq; res imperij grauarentur, Neruæ principis exemplum secutus, qui in magno reip. discrimine Traianũ adoptauit, Theodosium eius Theodosij filiũ, qui in Aphrica post remp. strenue administratam Valentis iussu

Theodosius cõsors imperij.

interfectus est, ex Hispania accersitum consortẽ imperij fecit, Syrmiijque purpureo amictu insigniuit. Theodosius imperij insignibus receptis cõfestim in Visigothos profectus, multis uarijsq; prælijs eã gẽtem afflixit, accisisq; per hæc hostium opibus Constantinopolim concesit. Orientis enim imperium à Gratiano tuendũ acceperat. Huc Athalaricus Gothorum rex, alij Gruitungorum dicunt, uenit ictoprius cum Theodosio fœdere, quod non tam optatum quàm necessarium fuit Romanis, ob graue mor bum in quem Theodosius medio uictoriæ cursu inciderat. Acceptus benignè est Athalaricus. Cęterum magnificentissimum urbis apparatum intuitus, augustam domum obsequiaq; circa principem & officia, haud dubiè, inquit, deus terrenus est imperator, cui si quis uim intenderit confestim sui sceleris luat pœnas necesse sit. Incidit inde in morbum Barbarus

Athalarici interitus.

quo tertio mẽse quàm lãguere cœperat, uita est defunctus, eum honorificentissimo exequiarum appa B ratu Theodosius extulit, cuius Gothi uirtutes mirati, priuatiq́ue, ut tunc erant, rege in Romani imperij fidem cesserunt, cœperuntq́; Theodosio iam inde & reip. stipendia facere. Parthi quoq; & alię pleræque gentes, quæ ad id tempus fuerant Romano nomini infestæ, Theodosij successibus commotæ Constantinopolim legatos miserũt, qui cum eo aut nouum fœdus sancirent, aut uetus renouarent. Interea Maximus uir fortis in Hispania imperator militari fauore creatus in Galliam transijt. Ad hunc motũ opprimendum Gratianus ex urbe occursurus, quum exercitum in Galliam ductaret, preferretq́; Halanorum manum, quam ad se auro pellexerat, ueterano militi, tam acerbã ex ea re contraxit offensam, ut nõ multo pòst sit ab exercitu destitutus. Romanus miles ad Maximum defecit. Gratianus, subita militum defectione consternatus, quũ in Italiam transire conaretur, dolis circũuẽtus, Lugduni interficitur quũ iam triginta esset annorum. Valentinianus Gratiani frater hostili metu profugus Byzãtium ad Theodosium se cõtulit, à quo paterna est pietate cultus. Fuit Gratianus liberalium disciplinarum studiosissimus poëta & orator haud uulgaris, spiculo se frequens exercere, diuinæ cuiusdam artis esse ratus destinata ferire, somni & libidinis uictor, sed quum talis esset, reip. tamen administrandę scientia illi defuit, quam etiam aspernatus est omni tempore. Imperauit cum fratre sex annos, quo tempore Lõgobardi quorum origo suo postea loco referẽda est, Vãdalos primum uicere. Iam & qui hominum fuerint Vandali quum opus fuerit demõstrabiẽ. Fuerũt qui memoriæ proderent Gratianum & fratrem in tam tetram cladem incidisse, ob impium Iustinæ matris in Arrianos studium, quos indulgentissime fouit aduersus orthodoxæ pietatis cultores. Erat q́; omniũ maxime Ambrosio infesta Mediolanensium antistiti, hunc proconsulari imperio prouinciam administrãtem, Mediolanenses incredibili studio in Auxentij defuncti locum hominis Arrianæ factionis sibi antistitẽ creauere. Catechumenus baptismo est admotus, continuoq́; initiatus uir moribus & doctrina memorabili. Quantum in re Christiana augenda scribendo elaborarit in Damaso est dictum, in cuius pontificatũ sacratissima illius studia reponunt quidam. Anastasij decreta fuerunt, ne quum euangelium caneretur legeretúrue, federent qui sacris interessent, sed curui & uenerabundi starent, ne peregre uenientes, præsertim trans mare, in clerum reciperentur, nisi quinque antistitum haberent chirographa, sicq; Manichæorum fraudi itum est obuiam, quorum hæresis latè ad meridiem inoleueret. Ad orthodoxã igitur fidem corrumpendam quoquouersum ex Aphrica mittebãtur, qui religionis prætextu occulte sue impietatis uenenum piorum animis infunderent. Nemanci debilésue sacerdotio insignirẽtur. Basilicam quæ Cresc̃etina uocata est, Anastasius dedicauit uia Mamertina. Vixerunt cum eo uiri sanctitate & doctrina clari Basilius Cæsarienſis antistes, qui in Cappadocia, olim Mazaca dicta est, scripsit de monastico instituto, de spiritu sancto, & in Eunomiũ libros quosdam. Gregorius huius frater cognomento Nazianzenus, qui Hieronymum instituit, sed de his in proxima illustrium uirorum relatione quod sæpe fecimus, ut semel atq; iterum ijdem memorẽtur, quibus longior contigit uita, & ob eam rem cum pluribus uixerint. Scripsit Naziãzenus & piè & scitè multa. Constantinopolitanos ab internecina hæresi uindicauit. Epiphanius Salaminius antistes eleganti & copioso dicẽdi genere omnes hæreses ualide impugnauit. Scripsit & Ephrem non pauca, Diaconus is fuit Edessenus, Syriaco usus sermone, adeoq́; piè & accuratè ut eius scripta in quibusdam legerẽtur ecclesijs. Fuit & Hieronymus, cuius mentio nuper incidit, Eusebij filius. Stridoni ortus in Pannoniæ & Delmatiæ confinio, id oppidum Gothi direptum euerterunt. Romæ puer Donato grammatico primũ est præceptore usus, mox & Victorino rhetore, postremo Græcè Latineq́; liberalibus disciplinis egregiè institutus, unde triginta annos natus à Liberio põtifice Romanę eccleſię presbyter ordinatur, dein Roma profectus Gregorium Nazianzenum Byzantij audiuit, incredibiliq́; discendi ardore alios alibi uiros attendit, Alexandriæ Didymum, Antiochiæ Apollinarem, & circa Bethlehem & Hierosolymam Baraniam, cui Iudæorum metu dabat noctu operã. Affectatus adhæc uiros doctos omnis generis & pfessionis, Latinos, Græcos, Hebræos, Syros, Chaldæos, tantaq́; discendi cupiditate flagrauit, ut iam grandis natu discipulus dici quàm præceptor mallet, uarie itaq; triplici lingua uersatus omnẽ studiorum rationem ad orthodoxę fidei usum accommodauit: uertit ex Græco quædam, sed ex Hebraico multo plura, uetus testamẽtum Romanum fecit ex Hebræo, recens Latinum ex Greco. Origenis homelias ex Græcis Latinas. Legũtur eius epistolæ multæ & elegantes. Scripsit de illustribus uiris Trãquillum imitatus, historiæ filo ab Apostolis ad sua tẽpora perducto, &, ut breuiter dicã, nulla ferme pars est nouæ ueteris q́; legis, nihil propheticum, historicũ, euãgelicum, nihil aut mysticum, aut arcanum, quod non ille tam scitè quàm eloquenter tractarit, siquis talium nomenclatura gaudet, quæ res est breuitati maxime contraria, perlegat quæ ipse de se ad Desiderium scripsit. Eremitas & monachos sanctioris uitæ libẽter inuisit, ut solitudini assuesceret. Postremo ab Cyrillo Hierosolymorũ antistite solitudinis circa Bethlehem impetrauit locum, construxitque, ubi reliquum uitæ apostolico egit ritu. Vixit cũ eo Eusebius Cremonensis, & alij pleriq; uiri præcipuæ sanctitatis. His ille canonicas horas instituit, quibus diuinę in tẽplis laudes canerẽtur. Inclyta uixi sanctitas multos

Viri clari.

Ephrem.

Hieronym.

Hieronymi interitus.

Hieronymi Eremus.

Valentiniani interitus.

Arbogastis.

Eugenius.

Hieronymitarum ueſtitus.

Carolus Grandellus.

Diui Hieronymi opera.

Maximi cædes

multos mortales ad religionem & cultus æmulationem traxit, ortaq́; est per hæc piè operãtium uelut noua quædam familia, qui ab autoris nomine Hieronymitæ appellati, nãtiuo amiciuntur colore, pallioq́; super tunicã rugato, atq; anteriore parte à fumo ad imum scisso scapularis amictus, scortea zona tunicam cingunt, soleis pedes ligneis muniũt. Fuit in eo commentario scriptũ quod Hieronymus Mutonæus Cremonẽsis Hieronymitanę obseruationis mihi de diui huius ꝓfectu, totaq́; uita tradidit, multa procul Italia & in Hispania præcipuè initiatorum esse loca, qui ritu & habitu sint Hieronymitæ crediti, tamen uulgo ab ijs diuersi, qui hodie sunt in terra Italia, quòd pectore & humeris sit illis demissior lacinia. Enimuero patrũ memoria Eugenij quarti põtificatu, Carolus cognomento Granellus, homo claro loco Fluentiæ natus, Eremiticũ sua sponte induit habitum, qualé ferunt ab initio institutum, sedemq́; sibi optauit in Fesulanis montibus, quò pleriq; mortaliũ, religionis studio breui confluxere, accidit́q; ut sanctioris uitæ exemplo plures unum æmulati rem modicis, ut fit, principijs ortã haud mediocriter auxerint: quod eo facilius cõtigit, quo plura uelut sanctitatis lumina iam inde à primordio rei in noua fulserunt familia. Sunt post Carolũ noui cultus autoré in beatorum numerũ relati Gualterius huius discipulus. Philippus Coronẽsis. Antonius Romani sanguinis. Eusebius Masseus Veronensis. Hieronymitarum conuentus in Italia, quatuordecim numero, & in his Venetijs ad Gratiarum ędẽ unus post Gregorij phanum, qua stagnũ ab urbe ad fossam eremigatur, locus frequenti initiatorũ cœtu multaq́; religione insignis. Nunc ad diuum reuertor, qui pręter alia exquisitæ eruditionis & ingenij argumenta, ut patrium sermonem illustraret, noua literarum elemẽta commentus est, quibus in sacris prophanisq́; rebus regionis accolæ nostra tempestate utuntur. Et Hieronymus Christianæ pietatis assertor eximius talis B fuit. Decessit uita cẽtum circiter annos natus. Anastasius anno tertio quàm sedere cœperat fato defunctus est. Platina in Gratiani tempora eius sedem reponit. Alij in Arcadij & Honorij qui à Theodosio patre regnũ per manus accepere. Theodosius à Gratiano orientis fuit imperio prælatus. Frequens hæc in autoribus uariatio efficit, ut parum nobis interdum constent tempora. Sed hęc ipsi uiderint, quorũ ea in ordinẽ redigere præcipua fuit cura, nos historiam scribimus, etsi quoad fieri potest in manifesto scribentium dissidio non fidem solũ nobis constare uolumus, sed & rerũ ordinem, qui in obscura & ambigua temporum ratione uix inoffensus contingere posse uideatur. Theodosius Gratiani cędem ulturus & ut Valentinianum illi superstitẽ & extorrẽ in imperij fastigium restitueret, bellum Maximo intulit. Cæterũ tam celeriter res gesta est, ut penè priusquã Byzãtio mouisse crederetur, sese Alpibus insinuarit. Erat tum Aquileiæ Maximus, ubi obsessus captusq́; capite mulctatus est. Sunt qui scribãt ad tertiũ inde lapidem à Theodosio & Valẽtiniano superatũ uiuũ ueniſſe in hostium potestatẽ, ibiq́; à uictore hoste ultimo supplicio affectum, anno post Gratiani cædem uix dum circũacto. Martinus Turonẽsis antistes uir pietatis eximię Maximo prædixisse fertur, quum in Britannia adhuc esset, infelicissimum eius uitæ exitum. Andragatius qui summam belli administrabat Maximo interfecto, mortem opperijt, è naui præcipitatus. Valentinianus, Roma & Italia receptis in Gallia transijt. Hic quum satis pacate ageret, Arbogastis Halanorũ præfecti fraude, Viennæ strangulatus est. Cæterũ ut uoluntariam sibi mortem conſciuisse crederetur laqueo cadauer suspendit. Arbogastis Valẽtiniano per hunc modum sublato imperij dat nomẽ Eugenio cuidam, rem ad se trahit, suoq́; arbitrio disponit omnia uir Barbar⁹ manuq́; & audacia prõptus. Nec consilium in rebus gerendis deerat, nec felicitas, breuiq́; adeò creuit, ut non solũ Galliæ huius opibus cessissent, sed tributum etiã penderent Germani, & auxilia ad bellũ mitterent, & iam Eugenius Italiæ imminebat, Alpesq́; transcendere occœperat, quũ Theodosius factus est illi obuius, Erat is uehementer solicitus de futuri prælij euentu, hostiũ uires animo reputans. Cæterum uictoriã à deo esse ratus, cibi expers, noctẽ peruigilio & oratione insomnem egit, in prælium inde ferociter ruens. Ioannes enim Anachorita ab eo cõsultus uictoriã polliceri. Cęterũ hostiũ insidijs exceptus haud dubiè perierat, nisi arbitrio hostilium dux partiũ, quod credas deo cordi fuisse, subita trãsitione Theodosiũ seruasset. His illeuiribus fretus multo ferocius prælium inijt, secutus cœlestis fauor, nam simul acres geri cœpta est uẽtorum turbo à Theodosij parte repentè exortus aduersa hostium ora tã ualidè uerberabat, ut uix reciprocandi spiritus daretur militibus facultas. Nec tãtum in hoc ualuit uis illa, sed tela hinc missa uiolẽtius in hostem uehebãtur. Contrà hostilia aduersis flatibus diuerberata ictum nullũ perferebãt. Extat Claudiani carmen huius rei testis, qui ad Theodosium scribẽs. O niminiũ, in q́t, dilecte deo, tibi militat æther. Et cõiurati ueniũt ad classica uenti. Nec diu anceps pugna fuit, tãtum primo conflictu decem Gothorũ milia, qui Theodosij sequebãtur signa, hostibus obiecta perierunt, quod lucro fuit potius quàm detrimento. Secuta inde hostium cædes, quibus passim cum strage & ruina dissectis, Eugenius captus interficitur. Arbogastis desperatis rebus sibi manũ intulit. Secundum Alpinam hanc uictoriam Theodosius utroq; est imperio potitus, quum ab initio Constantinopolitanũ tenuisset, octauo quàm ibi cœpũ erat imperari loco. Fuit Theodosius Traiano principi, ut quidã in literas misere, oris liniamento perq́ similis, multa in suos pietate, sed in patruum pręcipua, munificus, sagax, nec à literarum studijs abhorrens, religionis tam diligens obseruator, ut ciuiliter tulerit, quòd Mediolani ab Ambrosio antistite templũ adire sit prohibitus nisi prius pœnitẽtiam egisset, quòd quinq; hominũ milia ipsius iussu Thessalonicæ fuissent interfecta, ob iudicis unius, siue ut Eusebius ait, militis cædem in theatro commissam, nec ille, ut dixi, huiusmodi impietatis nota excanduit, quãquam natura iracundior. Põtificis dicto paruit, dedit́q; sedulo operã, ut pòst paulo pie pureq́; sacris interesset. Vxorem habuit Flaccillam, ex qua Arcadium & Honorium tulit. Flaccillę defunctæ Gallã Valentiniani maioris & Iustinæ filiã superduxit, ex qua mox illi Placida nata est. Mediolani fato perijt quũ iã quinquagenarius esset, & quia iã plures annos utrobiq; erat imperatũ, ut iam ex uno duo facta essent imperia, occiduũ per manus Honorio tradidit imperiũ. Arcadio Constantinopolitanũ. Imperauit Theodosius cum Gratiano & Valentiniano annos xj. mox triennio solus. Corpus eius ex Mediolano Constantinopolim Arcadius detulit. Incidit illius obitus in annum septimum & nonagesimum supra trecentesimum humanæ salutis, qui Romanæ urbis millesimus fuit cẽtesimus ac quinquagesimus. Ab orbe cõdito sexcentesimus circiter annus ac quinquies mil lesimus, quo tẽporis spatio fuerũt uiri ingenio clari. Claudian⁹ poëta Ægyptius genere, cui⁹ hodie poëmata extãt multa & uaria, nitidus & ferox in sententijs, maiorq́; inuentione q̃ figura carminis, sic quoq; talis ut si in recentiorum numero ponas fit haud dubie primus, ut ueterũ ultimus. Fuit & Prudẽtius qui multa piè scripsit, ut Christianum uirum facile agnoscas, Heraclides monachus pietatis præcipuæ sanctorum uitas literarum monumentis tradidit. Apollinaris Laodicensis qui in Porphyrium triginta scripsit libros. Tatianus Barchiononius Nouatianorum oppugnator. Eficius Naziãzeni discipulus, qui Origenis

Cœlestis fauor

Eugenij & Arbogastis interitus.

Theodosij mores.

Honorius & Arcadius imperãt. L.

Anni mundi.

Viri clari.

genis & Pamphili bibliothecas uetuſtate corruptas ſedulo inſtauranit. Britius Merulenſis qui pro fide grauiter uexatus eſt. Heluidius quem Auxentius Arrianus inſtituit, dignus qui in oblatratorũ numero non literatorũ cenſeatur, ob ea quæ de uirgine Chriſti ſaluatoris matre impiè ſcripſit. Sed omnium maximi inſignię; ſanctitate & eruditiõe clariſſimi Ambroſius Mediolanẽſis antiſtes, & Aurelius Auguſtinus, Ambroſij filius fide & baptiſmo. Fuit Aurelius Apher Tagaſtenſis patria, ut Poſsidonius ſiue Poſsidius eius municeps ſcripſit, uir acri ingenio diuinarumq; rerũ humanarumq; capaci, à pueris legitime inſtitutus adeò profecit, ut nondum uiginti annos natus Carthagini rhetoricen docuerit. Mathematicas artes & cæteras philoſophię partes, per ſe multa legens eſt adeptus. Italiam inde petijt ac primo Romæ, Mediolani dein docuit. Ambroſij prædicatione & hortatu Manichęorum impietatem execratus cui fuerat ſectæ ab initio addictus, annos duodetriginta natus, alij quadriennium adijciunt, ad fidẽ cõuerſus eſt, eum Ambroſius baptiſmi lauacro extulit, ubi medio actu pius ille antiſtes canticũ exorſus. Te deum, inquit, laudamus, cui ſtatim illud ſubiecit Aurelius. Te dominum confitemur: mox diuino afflati ſpiritu alternis ambo uerſibus carmẽ peregere. Fuit Aurelius inde annum & amplius apud Simplicianũ uirũ haud obſcuræ ſanctitatis: pòſt Romã reuerſus Hoſtiam deſcẽdit primis in Aphricam tempeſtatibus abiturus. Hic quum forte eſſet, eius mater (fuit illi Monichæ nomẽ) Chriſtianæ pietatis mulier obſeruãtiſsima, fato defuncta eſt. Aurelius in Aphricã delatus patrimonium omne ſuum uendidit, pecuniamq; inde coactã in pios uſus uertit. Duplex hic opinio ad poſteros manauit, fuerint ne ab eo inſtituti ij quos hodie Canonicos uulgus regulares uocat, & quibus tunica candida cum linea toga ſub nigro pallio eſt, tegumen à ſcapulis impoſitum ceruicẽ totumq; contegit caput, præterquã à fronte, eſt & nomen hodie & familia non incelebris, in qua ut eorũ cõmentarij demõſtrant, præter claros antiſtites qui plurimi numero cẽſentur triginta, quot in nulla alia Romani fuere pontifices, ſed uiri ſanctitate clari adhuc plures. Quæ intra extraq; Italiam ſortiti ſint loca eius profeſsionis uiri, aut quãtus ſit hodie initiatorum numerus neq; ipſi ſcribunt, nec ipſe alioqui ſcriptum reperio. Cæterum hi ne tum primum fuerint ab Aurelio inſtituti, an qui ab Eremo nomen ferunt, quando utriq; eam ad ſe laudem trahunt, resq; in dubio adhuc eſt, ad fidẽ hiſtoriæ pertinere exiſtimaui locum in medio relinquere: cęterum Eremitica, quod ſatis conſtat, familia multo eſt hodie celebrior, atq; adeò nobilis, ut inter Chriſtianæ pietatis ordines & celebritate & uirorũ fruge credatur nulla inferior, ſed de his non multo pòſt dicã. Fuit Aurelius tandiu in Eremo, ut quidam ſcribunt, nam id quoq;, ut uideo, in dubium uenit, quoad Manichęis in terra Aphrica prægrauantibus Hipponẽſis ſit antiſtes factus. Tenuit inde annos xl. eam ſedem, ſcripſitq; interea tam multa, ut mentitus credatur qui omnia eius opera ſe legiſſe dicere auſus eſt. Baptiſta Alouiſianus Rauennas Eremitani ordinis, diuinarũ profeſſor literarum, qui de Aurelij Auguſtini rebus mihi commentarios tradidit accuratiſsime conſcriptos, ſupra centum hæreticorum ſectas ab eo oppugnatas, Poſsidonij teſtimonio, tradidit, quarum nonaginta numero ſint uno nomine extinctæ, ſuumq; unicuiq; nomẽ reddidit. Perijt Aurelius fato annos ſex & ſeptuaginta natus. Sed de eius exitu ſuo poſtea loco erit ſermo. Multi mortales Auguſtino adhuc in humanis agente ſanctitatẽ uiri ſingularemq; doctrinam ſecuti, omnibus quæ in terris miramur contemptis, in Eremũ conceſſere, unde Eremitarum eſt nomen, ut arbitror, deductum: nam hoc quoq; parũ liquido traditur. Cęterũ ſiue ab eo quod eſt ſuprà ſignificatũ, ut qui in deſertis eſſent ſint in unũ aggregati & inſtituti, ſiue ipſius uitã & dogma ſecuti paſſim deſerta coluerint, rem auſpicatiſsime inchoatã, ac ſupra fidem auctam impia Vãdalorum arma, quæ totam inde Aphricam ſunt peruagata, atroci inſectatione propemodũ extinxere. Adijt inde nec unã eadem Eremitanũm nomẽ. Cæterũ ſæpius uarieq; inſtauratũ in plures abijt familias. Nunc præcipua nominis celebritas eſt penes eos, qui ab Eremo nomẽ ſortiti ſunt, hi nigra tunica amiciuntur, cõcolor tegmẽ à ſcapulis ad caput inducunt, ſubter cãdida tunicula cum candida liſta, ſcortea cinguntur zona, bubulo cornu fibulata, calceatus nihil à cõmuni diuerſus, tõdẽtur nouacula à uertice, infra dimidiũ caluę, capillo inferne reciſus in parui circuli ſpeciẽ circa aures & tẽpora totũ ambit caput. Vetus, ut mihi uidetur, res eſt nudatio capitis in ijs qui ſacris initiãtur, ac poſtq; Chriſtiana ſit pietas condita in quibuſdam ſacerdotijs à ueteribus uſurpata. Cæterum ſiue à noſtris inter ipſa religionis primordia nouiter inſtituta eſt, ſiue ueteri ritu ſumpta, ita ſeſe omnibus initiatorum ordinibus inſeruit, ut nullũ ſit hodie maius inter mortales ſacri prophanię; capitis diſcrimen, etſi clerus omniũ parciſsime tondetur. Mirũ eſt quantũ Eremitanorũ res toties afflicta ad poſtremũ creuit. Sunt noſtra tempeſtate ut Alouiſiani cõmẽtarij demõſtrant, Eremitani ordinis cõuentus, quorũ ratio iniri poteſt, circiter duo milia, initiatorũ ad xxx. milia numero. Virginũ loca tercẽtũ numero, uiri theologica eruditione clari & qui pie multa & accurate ad orthodoxæ fidei munimentũ ſcripſere, cẽtum & amplius numero, & in his Nepotianus, Poſsidonius Tagaſtẽſis, Oroſius, Alphraganus, Egidius, quo poſt Aureliũ neq; plura quiſquã in diuinis ſcripſit, neque accuratius. Thomas Argẽtinus, Georgius Arimineſis, Paulus Venetus, & alij pari celebritate inſignes. Sanctorum catalogo aſcribũtur, diuus Auguſtinus, Nicolaus Tolẽtinas, Simplicianus, & Gulielmus Britãnicus. Beatorum numero octo & quadraginta. *In* ſanctarum & beatarũ tredecim referuntur. Et in *his* Aurelij mater, Perpetua uirgo, & Clara quæ in Vmbria religioſe colitur. Et hæc Eremitani nominis lumina, non terris unis, nec uno tẽpore ad noſtrã uſq; memoriã claruere. His paucis annis quibus hęc cõmẽtabamur, peregre in Italiam delati ſunt Eremitanæ obſeruationis quidã ex ea Æthiopia quæ eſt ſupra Ægyptum, hi Romanũ longo cõmercio ſermonem adepti magnum dicere initiatorum numerum nominis huius eſſe in terra, unde profecti eſſent, cõuentuſq; plurimos quorũ certus iniri non poſſet numerus in tanta terrarũ uaſtitate, quæ eo mihi ueriora uidẽtur, quo ex Libya, ubi is pietatis cultus ortus eſt, facilius potuit in eam terram, quę locorũ propinquitate agnata illi eſt, q̃ in remotiores oras penetrare, quum Vãdalorum iniuriam ab initio declinauit. Et hęc longiore fortaſſe ſermone q̃ inſtitutus patiatur ſtilus. Illud teſtatũ relinquo, hæc quę de Aurelio Auguſtino unum in locum cõtulimus, pluriũ annorũ ſpatio fieri contigiſſe, ſeptuagenarius enim perijt anno xl. quàm Hipponẽſis fuit antiſtes declaratus. Sub Theodoſio itaq; maiore ſacerdotium adeptus, per Honorij tempora deſcendit in ſeptimũ iunioris Theodoſij annum, qui Arcadij fuit filius. Enimuero Honorius principatũ à Theodoſio patre per manus acceptum, ita cum Arcadio fratre partitus eſt, ut ex defuncti ſentẽtia ipſe occiduum teneret imperium, cuius caput Roma eſſet, ille apud Byzantium oriẽtale. Fuit Honorius ſeptimus & quadrageſimus eorum qui Romæ ſunt rerũ potiti, etſi non deſunt qui Galbam Othonẽ & Vitelliũ huic numero eximant, ut Euſebius & qui Euſebiũ ſecuti ſunt. Sed nos Trãquillum ſequimur, qui tres illos in ordinẽ redegit. Paulus diaconus, quod miror, altero à quadrageſimo eũ loco imperitaſſe autor eſt. Arcadius nonus à Conſtanti-

Ambroſius & Aurelius Auguſtinus.

Auguſtini baptiſmus.

Canonicorum inſtitutio.

Eremitani.

Aurelij ſcripta.

Eremitarum uaſtitas.

Eremitarum numerus.

Viri Eremitarum nomine ſignes.

Quãdiu uixit Aug.

Scriptorum uarietas.

Conſtantino, qui Auguſtorum primus Cõſtantinopolim inſtauratã alterum imperij caput cœpit illuſtrare. *In* hos annos quib⁹ duo illi Theodoſio geniti imperitarũt, Proſper & Philippus Eremitanus Anaſtaſij pontificarum & Innocentij reponunt. Platina cui cur minus grauate accedã, paulo pòſt dicã, Anaſtaſium Gratiano iungit, qui Theodoſium maiorem ad imperium traduxit. Innocentiũ Theodoſio, tantum autores ipſi inter ſe uariant. Mihi, ut libere dicã quod ſentio, perſuaderi nõ poteſt, Platinam uirum impenſe doctũ, & qui in ſumma librorum copia ſcripſit hiſtoriam, fuit enim Sixti põtificis bibliothecarius, temere à Proſpero & alijs quos uidiſſe credibile eſt, diuerſum abijſſe, quin dignus eſt qui ob ea quę dixi diligẽtiores ſecutus autores exiſtimari debeat, & ex multis quod ueriſsimũ putauerit ſcripſiſſe. Is igitur, cui & tutius, niſi opinione fallor, ita libentius accedo, Innocentium Ro. pontificẽ, fuit is Albanus, & in Anaſtaſij locum defuncti ſurrogatus, maioris Theodoſij imperio ęquat. Quocũq; igitur imperãte Ro. præfuit eccleſiæ Innocentius ſabbatorũ ieiunium inſtituit, quòd eo die Chriſtus dei filius in ſepulchro fuerit, eiusq; diſcipuli id tẽpus ieiunio trãſegere. Cataphrygas hæreticos, cuius delirij autores fuere Montanus, Priſca, & Maximilla ex urbe expulit. Pelagium monachum, & Cæleſtinum hæreſeos damnauit, q, liberum arbitriũ pluris q̃ diuinam gratiam ducerent, uoluntatẽq; ſatis eſſe crederẽt ad diuina iuſſa exequẽda. In hunc multa ſcripſit Auguſtinus. Dedicauit Innocẽtius cõmunem Geruaſij ædẽ & Prothaſij, Veſtinæ teſtamento conſtructã, excultamq; donarijs eiuſdẽ legato. Fuit per id tempus Apollinaris Laodicen⁹ antiſtes diſputator acerrimus, hinc Apollinariſtæ qui corpus aſſerebãt nõ animam à Chriſto ſuſceptã. Inde erroris huius autor cõuictus de anima quoq; cõfeſſus eſt, nec ea parte qua eſt illa rationalis, ſed qua uiuit corpus ſuppleret uerbũ. Cyrillus Hieroſolymitanus & ipſe multa Theodoſio ſcripſit. Paula Ro. ſanguinis mulier pietate inſigni, ad quam extant Hieronymi presbyteri epiſtolæ, in hos annos reponitur à quibuſdã. Ex urbe Hieroſolymam petijt pietatis ſtudio, fuitq; Bethlehẽ aliquandiu, ubi eadẽ tẽpeſtate Alexius & Donatus Epiręſis antiſtes multa uterq; ſanctitate claruere. Sedit Innocentius annos xv. Zoſimus eius loco eſt ſuffectus, præfuit ſacris Honorio & Arcadio imperantibus, quo ſane tempore nõ principum culpa, ſed perfidia ducũ, res Ro. apertius inclinauit. Præfecerat Theodoſius pater tribus imperij partibus, quũ filij adhuc pueri eſſent, tris ſummos duces. Ruffinum orientali imperio. Stiliconẽ occiduo, uniuerſę Gildonẽ Aphricæ. Is Theodoſij morte audita confeſtim animũ adiecit ad prouinciam ſuo imperio ſubigendã, puerorũ ætatẽ aſpernatus, nec audaci conſilio defuit euentus. Cæterum res male parta, cito dilapſa eſt. Maſtezel eius frater animo in Gildonẽ, ob filios ab eo crudeliter necatos, pluſquam inimico, illum imperio & uita priuauit. Enimuero Maſtezel, ubi Gildonẽ, poſt Theodoſij interitum, imperij occupandi cõſilia agitare ſenſit, fratris ſcelus, ut impium deteſtatus, ex Aphrica in Italiã trãſijt, duobus filijs in prouincia relictis, quos Gildo in fratris inuidiam extremo affecit ſupplicio. Maſtezel igitur in Aphricam aduerſus Gildonem miſſus, ex Capreis inſula uiros præcipua ſanctitate in prouinciam deportauit. Horũ fretus præſentia cum legiũcula una ad lxxx. milia hoſtiũ profligauit. Gildo fugã molitus nauim conſcendit. Cęterum mariſ ſæuitia in terram relatus, ut hoſtis, Maſtezelis iuſſu interficitur. Is tanquam ſibi non Honorio uiciſſet, Aphricam armis receptam, ad ſe trahere conatus eſt, maluitq; fraternum ſcelus quàm optimi ducis officium imitari, adeò ſemper tranſuerſos egit hominum animos cæca dominandi libido, ſed res nihilo meliore eſt euẽtu ab eo mota quàm antea fuerat à Gildone. Milites eius imperiũ prius pertæſi quàm experti primo conatu Maſtezelẽ obtruncant, ſicq; duo rebelles fratres Aphricæ imperium nõ magis temere quàm infeliciter tentare auſi, cõtinuatis penè cædibus periere. Nec Ruffinus & Stilico, quorum hic occiduæ aulæ erat præfectus, ille orientalis in fide & officio manſerunt. Ruffinus (fuit is Gallici ſanguinis, niſi Claudianus decreto ubiq; fabulatur) Hunnis & qui his finitima accolunt in nefarium fœdus aſcitis, Arcadiũ imperio priuare eſt adortus. Audacis ne hominis impij dicam motus in eius caput uertere. Proditionis cõpertus, in medio conatu ab Arcadio interfectus eſt. Stilico pari dominandi affectu & ipſe Honorio inſidiaẽ, ſed quo maior fuit hominis autoritas, maioresq; uni opes quæſitę ob duplicem cum principe affinitatem (Enimuero duæ Stiliconis filiæ Maria & Thermantia una poſt alteram Honorio nupſere, etſi prior intacta deceſsit) eo capitalior fuit hoſtis, & ad res imperij infringendas efficacior. Acceſsit ad impiũ ſcelus callidũ hominis ingeniũ qui non prius quid pararetur oſtendit, q̃ res utriuſq; imperij in apertum adduxit diſcrimen. Erat Stilico Vandalus genere, hancq; occaſionem nactus populares ſuos ad Gallias hoſtiliter inuadendas occulte excitat, & cum his Sueuorum gentem Burgũdios & Halanos, inde ut Ro. imperij opes tũo tẽpore ubiq; fatigaret, nam ad Eucherium filium rem trahehat, dat operam ut Viſigothi, qui iãpridẽ Conſtantinopolitani imperij merebant ſtipendiũ, exautorati, cõtumeliæ cauſa, aut ſtipẽdij inopia ad res nouas cõſurgerent. Claudianus omnem Gothorum motũ in Ruffinum confert, haud dubie ignarus eorũ quæ fierent, aut certe diſſimulator. Sed Stilico omnium fuit malorũ cauſa, qui ratus fore ut Viſigothi, ſtipendio adempto, ira & egeſtate adacti Italiã inuaderẽt, eius gentis exautorandæ fuit, ut dixi, autor Vandalis diuerſa parte Halanis & Burgundijs Galliam uaſtantibus futurum credere, ut ſiue hos ſiue illos Honorius petijſſet, ipſe cum uellet alterutris auxiliaribus uteretur, atq; ita fore, ut Honorius preſenti bello ſuccumberet. Iam & illud nefario cõſilio aſtruxerat, ut ſimulac Gothi Italiam inuaſiſſent, ſibi id bellum conficiendum depoſceret, præcipua copiarum parte ſecum abducta. Honorium in Gallia Vandalis & ijs qui cum ea gente commilitiũ faciebant opprimendũ relinqueret. Ipſe Gothis, quod futurũ ſperabat, prælio uictis, Romã cum tota Italia occuparet, atq; per hæc imperio potiretur. Anno itaq; Arcadij & Honorij octauo, qui ab Chriſti incarnatione quadringẽteſimuſſeptimus fuit, Stilicone & Aureliano conſulibus, Viſigothi ſtipendio & cõmeatu priuati, ex Thracia tumultuoſe in Pannoniã trãſeunt, hicq; regem ſibi creant, quum poſt Athalarici interitũ annos quinque & uiginti ſine rege fuiſſent. Theodoſij enim & Gratiani ſex annos ſtipendiũ meruere, inde unius Theodoſij, qui Gratiano ſuperfuit annos undecim. Poſtremo Arcadij & Honorij annos octo, quo temporis ſpatio nullos Gothi duces habuerũt, pręter eos qui ab imperatoribus dati eſſent. Pannoniam igitur ingreſſi Halaricum regem conſtituũt, uirum fortem ex Balthorum familia ortum, in Gothis longe celeberrima. Nec multo pòſt Radagaſus cum cc. milibus Gothorum ſeſe Halarico adiunxit. Is unde uenerit, aut ubi terrarũ eam uim hominum contraxerit Oroſius & Ablauius non tradunt. Sed nihil ſit abſurdũ credere Gothos ex ſedibus ſibi circa Danubium aſſignatis bipertito profectos, mox in Pãnonia in unũ coiuiſſe, aut certe manus illa quæ Halaricũ in Pãnonia creauit regem, aliquanto prius ab Iſtro profecta eſt, moxq; Radagaſi ductu ſit altera ſubſecuta: Sed utcunq; tãta uis hominum in unũ tam breui cõfluxit, his Halaricus copijs fretus, cum Radagaſo Thraciã, Pannoniã, Illyricum, Noricum, & eam Italiæ oram quæ adiacet, ferro & igni populatur.

Platinæ accedit.

INNOCENTIVS. XLI. PONT.

Cataphrygæ.

Apollinaris hæretici dogma.

ZOSIMVS XLII. PONT.

Vide primi rerũ motus orti.

Maſtezelis cædes.

Ruffinus ab Arcadio interficitur.

Stilico.

Claudiani error.

Gothi Pannoniam occupãt.

Halaricus Gothorum rex.

latur. Vastati sunt agri, oppida direpta, cædes omnis sexus & ætatis passim edita. Zozimus pontifex Graij sanguinis per id tempus sacrâ tenuit sedem, qui Innocentio successit. Hoc pontifice Roma à Gothis est capta, nec destitit interea uir pierati dedit⁹, uel media rerum perturbatione ecclesiam institutis augere. Huius est illud, ut Linostimis læuas diaconi integerent, dum res diuina fieret. Vt dominicæ resurrectionis sabbato cereus parochiatim sacraretur. Ne clerici in publico potarent. Ne mancipium initiaretur. Misit Zosimus Faustinum episcopũ & duos cũ eo presbyteros qui Carthaginiensi Synodo interessent, ut omnibus appareret nihil uspiam rite decretum iri quod ad rem diuinam pertineret, nisi Rom. pontificis autoritate id fieret. Carthaginiẽsi conuentu Pelagiana est hæresis damnata. Habuit Pelagius persuasum hominem per se salutem indipisci priuo merito, priuaq; uirtute dirigi ad iustitiam, quũ neutrũ, nisi deus annuat, præsensq; adsit, cõtingere possit cuiquam, nasci præterea hominem sine originali labe, & ob eam rem haud operæpretium esse baptismo admoueri. Fuerunt eadem tempestate, aut certe non multo prius, uiri sanctitate insignes, Martinus monachus Turonẽsis. Dies illi festus ad tertiũ idus Nouembris: huius est memorabilis illa pallij partitio, quo militem texit & regem, ut Ambrosius scribit. Christum, uidelicet, qui rex est in paupere, & se qui Christo militabat. Ioan. cognomẽto Chrysostomus Byzantij antistes uir & ipse apprimè doctus, & qui multa tam pie quàm utiliter scripsit. Cassianus monachus Chrysostomi diacon⁹. Symphonius quẽ Hieronymus instituit. Iulianus Campanus episcopus. Rufinus Aquileiensis ecclesię presbyter. Atticus qui post Chrysostomum Constantinopolitanæ præfuit ecclesiæ. Et hi quidẽ omnes eruditione clari, quorum monumenta nouit posteritas. Interijcit Platina his temporibus Diodorum Tarsensem, Eusebij non eloquentiam secutum sed sententias. Euagrium qui Latinam Antonij monachi fecit uitã, quã Græcè Athanasius scripsit. Tyberianum & Ambrosium, qui Didymum audiuit, hic in Apollinarẽ scripsit, ille se & Priscillianum Apologetico est libro tutatus. Scripsit & Lucius Arrianæ sectæ antistes Hypotheseon librum. Petronius Bononiensis & Possidonius Tagastensis cum his uixisse creduntur. Scripsit Primatius multa ad Fortunatum, texuit & Proba Adulphi proconsulis uxor carmen (Centonem uocant) opus pium Maronianisq; hemistichijs consertum. Eudochię quæ Theodosij fuit iunioris coniunx, eam multi industriam ascribũt. Et hi quidem hominum tum maxime in terris ingenio & sanctitate claruere, quũ Gothi Halarici regis & Radagasi ductu Italiam inuaserunt. Cæterũ multitudo ingens fecit, ut cõmeatuum inopia bipertito duces ipsi ductare coacti sint. Radagasus Apenninum trãsgressus Fesulis consedit, cui Hetruriæ imminenti, Vldinus & Sarus cum exercitu obuiam facti sunt. Erãt cum his præter alias copias, Hunnorum Gothorumq; uis ingens. Quando uero hi hominũ ad Romanos transierint, aut qua de causa, Orosius qui est horum autor non expedit, suspicari tamen libet, quod ad Gothos attinet, fuisse eam manum ex ijs residuam, qui cum Theodosio in Gallia militarunt, etsi magna ex parte una acie perijsse dicantur. Cæterum quicunq; Barbarorum illi fuere, qui cum Vldino & Saro Fesulas processerũt, breui eorum occursu accidit, ut Gothorum multitudo ingens atq; alio qui inuida in loco rum angustias deiecta, commeatibus undiq; interclusis inedia cõfecta sit. Radagasus post res perditas fugam cum paucis molitus interficitur. Sunt qui tradant, Stiliconis ductu hęc in Gothos gesta. Orosius & Paulus diaconus autores sunt rei per eum modũ, quem dixi, in Apennino gestæ. Adijciunt tantã uim hominum captam, ut seruitiorum greges uno aureo sectores licitarentur nummo. Nec Halaricus multo pòst quam hæc Gothis est clades illata, cum altera manu afsuit, ac multo tumultuosius quàm Radagasus, haud procul Rauenna, loco cui Candiano est nomen, castra fecit. Quibus excitus nũtijs Stilico, erat tum ille Byzantij, præmisis qui hostes, extremũ agmen carpẽdo, ab instituto itinere remorarẽtur, ipse cum robore copiarum per Aquileiam & Patauium, perq; loca quibus nunc Ferraria est, Rauennam descendit. Halaricus Stiliconis accessu commotus, ad Polentiam uicum castra trãstulit, duo & uiginti milia passuum à Rauenna, ut loca Apennino proxima obtineret. Abest Polentia duo milia passuum à uetusto Triennorum foro, Bertonorium nunc uocant. Stilico, ut erat rei militaris scientissimus, cõsilio magis quàm uiribus (erat enim hominũ numero multo inferior) Visigothos fudit, fusosq; in arctum cõpulit, ut ferro & fame delere potuerit, si debellatum in Italia uoluisset. Cæterum fatigare hostem de industria, simulq; bellum trahere, occasionem inuadendi imperij expectans, sub Vãdalorum aliarumq; ferocissimarum gentium in Galliam irruptionem. Sensit Stiliconis perfidiã Halaricus & per legatos triennio postquam fuerat Italiam ingressus, rem Honorio detulit, petijtq; sibi & suis eam Gallię partẽ assignari, cui Sueui, Halani, Burgundijq; iamdudum imminerent. Honorius Stiliconis perfidia permotus, neq; enim uno indicio compererat hominẽ suo imperio insidiari, ad eum scribit ut Halaricũ & Gothos in Galliã pacatos dimittat. Paruit ille imperio, ictoque cum Halarico, ut iussus erat fœdere, in eũ abeũtem Saulum Hebræi sanguinis ducem, cum ualida Iudæorum manu ex foro Popilij immittit. Suscepe rant Visigothi iam antea Christianę fidei cultũ, erãtque pietatis huius obseruantissimi, quo contigit ut festo die feriati, quum nihil minus quàm ab eo insidias expectarent, à quo nuper pacati adiutiq; commeatu discesserant, subita sint & improuisa ui petiti & ob id ad iniuriam accipiendam opportuniores facti. Hic res mira traditur. Gothi religiõis metu, quia nefas ducerent festo die in pugnam descendere, dum immoti hostilię; ferro expositi stetere, quam Saulus opportunitatem adeptus, primo accessu fœdissimã edidit stragem, inde clamore & tumultu ad regem perlato, Gothi iussu regis arma capiunt, factoque in Hebræos impetu primo sistunt, inde paululum connixi, modico negotio fundunt, fusos dissipant passimq; cum multa cæde sternunt. Id flagitium postremo palàm fecit quæ occultè Stilico coqueret consilia, ut Gothorum gente penitus extincta Vandalis popularibus suis, primo Gallia, dein Italia panderetur. Gothi ad eam iniuriam infestius coorti, Stilicone metu subigunt, ut ad cladem resarciendam ab Honorio supplementũ peteret. Dedit ille quod petebatur, si mulq; copiarum quæ in supplementũ mittebantur ducibus imperat, ut occasionem nacti Siliconem cum Eucherio filio interficiant. Peragũt illi impigrè mãdata, ambosq; ex composito adorti merita cæde obtruncãt. Sunt qui post Romam captam in foro pacis, eum cum filio interfectum scribãt. Sed quoquo modo perijt Stilico, quod satis constat, uir fortis, cæterum Barbarica perfidia, nefarij cõsilij luit pœnas, qut filio purpurã indueret res humanas in apertum traxit discrimen. Sed uix tam prudẽter Honorius in unius cæde maturanda fecisse creditur, q̃ mox inconsiderate, ne stulte dicam, quòd duce fortissimo sublato, in eius locum exercitui præfecit neminẽ: quo contigit ut exercitus sine duce sæpius fusus sit à Gothis, ac cæsis ac miles qui uincere fuerat turpiter uincitur. Quibus hostis successibus ferocior factus, Italiam per partes populatur. Romam obsidet, obsessam armis & inedia fatigat. Pertulere aliquandiu Ro. obsidionem, estq; interim tanta rerũ omniũ inopia laboratũ, ut ne ab humanis quidem carnibus,

Zozimi instituta.

Pelagiana hæresis dãnatur.

Viri eruditione clari.

Proba.

Vldinus & Sarus duces.

Gothorum clades insignis.

Hebræorum cædes.

Stiliconis filij cæs.

Stilicon fecerus.

Miseria Ro. urbis.

carnibus, nẽdum à cętera ciborum obscœnitate abstinuerit miserabilis ciuitas. Hæret uox, inquit Hieronym⁹, & uerba singultus intercipit. Capitur urbs quæ totum cepit orbẽ, imo prius fame perijt, q̃ gladio, & uix pauci qui caperẽtur reperti sunt, ad infandos cibos erupit esurientiũ rabies, & sua inuicẽ mẽbra laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit utero quẽ nuper effuderat. Astipulatur Hieronymo Aurelius Augustinus, cuius scripta temporis illius atrocitatem haud uno demonstrant loco. Postremo siue armorũ ui, siue ciuitate omnibus malis fatigata, nam hoc quoq; parũ perspicuè traditur, siue armis potius & inedia subacta, ut ciues fame affecti arma sustinere amplius nõ possent, nedũ hostẽ à mœnib⁹ arcere, à Gothis Roma capta est. Primo die Aprilis urbe sunt hostes potiti, fuitq́ue annus ille ab eo quo Romulus eã cõdidit millesimus ac centesimus quartus q́; & sexagesimus. Alij duos ex numero adimunt annos. Humanæ salutis duodecimus ac quadringẽtesimus. Vrbe capta edictũ proposuit Halaricus, ut capitale esset si quis apostolorum principũ uiolaret tẽpla, & ut in uniuersum cæde abstineretur sibi placere ostẽdit. Multi mortales promiscue nostratis alienæq; religionis sunt templorum maiestate seruati. Tantum sacra uasa magni pretij ex Vaticano tẽplo direpta, regisq; iussu cõfestim restituta. Vrbs cædibus, stupris, & incendijs nõnihil fœdata. Placidia Honorij principis soror (ipse procul aberat) in hostium potestatem uenit. Roma olim gentiũ domina triduo direpta est, exhaustaq; spolijs ex omni terra quæsitis. Gothi triduo postquã urbe potiti sunt, inde digressi, Campaniã primo, mox Lucaniã, & Brutios populantur, in Siciliam per aduersas tẽpestates transfretare non potuerũt, aliquot in freto nauibus medio conatu amissis. Nec ita multo pòst Halaricus rex Consentiæ moritur. In eius locũ Gothi Athaulphum defuncti regis propinquum substituerũt. Halarico ne locorum accolę refossum cadauer laniarẽt, Bussento amne ad tempus corriuato, in fluminis alueo sepulchrum cõdidere, opificibus interfectis, ne ubi loculus cũ ossibus multis q́; diuitijs defossus esset, sciri posset. Fuit credo, peculiare ipsi gẽti cadauera & thesauros per eum modum condere, quod alio est loco demonstratum. Athaulphũ Placidia, quam Romæ captã Barbarus sibi matrimonio iunxit, multo Romanis mitiorem reddidit, nam urbe repetita, quæ post Gothorum digressum ita paucis mẽsibus, quibus illi abfuere, in pristinũ ab ea clade qua fuerat affecta, se statum uindicarat, ut præter pauca incẽdij uestigia, quæ adhuc extabant, nihil hostile passa uideretur, habuit in animo Athaulphus urbẽ ab omni recenti iniuria seruare, Placidiæ cõiugi gratificatus, sed Barbarorum feritas plus potuit quàm imperiũ. Roma iterum tanquam ui capta à Gothis hostiliter diripitur, à cæde tamen & incendio temperatũ. Nec ita multo pòst hostes inde profecti, eã sine præsidio relinquunt, iã enim Placidię precibus cœperat Barbarus ad pacem inclinare. Sunt qui scribãt cupiuisse Athaulphum Romam funditus euertere, alteramq; diuerso loco urbẽ statuere, abolitaq; antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nominare, ipseq; nouæ urbis conditor in Augustorum locũ surrogatus pro Augusto Athaulphi nomen ad posteros trãsmitteret. Cæterum Placidia affirmante rẽ Ro. adeò creuisse, ut eius nominis memoria aboleri non posset. Fuisse initia eius ciuitatis per se grandia ac læta, sed rerum incrementa multò maxima, ac supra humanitatis fastigiũ excelsa, quæ nõ magis ui & armis quàm legibus à quibus Gothi abhorrerent, optimisq; institutis creuissent. Tempestiua mulieris prædicatio adeò animum proposito auertit, ut pro urbis euersore instaurator dici maluerit. Cœpit & de sancienda pace, amicitiaq; iungenda agere cum Honorio. Cęterum dum Visigothi Roma capta ac direpta Italiam peruagantur, Vãdali, Sueui, & Halani Galliam primo, mox Hispanias rapinis & incendio fœdant. Sunt Vandali Germaniæ populi à fluuio quem accolunt nominati. Horum pars sunt Burgundiones, ut Plinij uerbo utar, & Sueui & Germani, qui cum Vãdalis Gallias inuasere. Halani qui cum his cõmilitium fecere Scythæ sunt origine, sed cum Vandalis per id tẽpus habitasse creduntur. Tacitus Cornelius inde Burgundiorum nomẽ factum existimat quòd Vandali à Druso & Tyberio Neronib⁹ Augusti auspicijs uicti uicatim habitare coacti, id nomẽ à simili incolatu sortiti essent, quoniam uicos illi Burgos uocent. Vandali igitur Burgundij & Halani una ccc. milia bellatorum fuisse traduntur. Sunt qui cccc. dicant, natorum coniugumq; parinumero. Erat per id tempus præter Sueuos altera Germanorum gens in Gallia. Francos se à Frãconia dixerunt, Germaniæ parte unde aliquot ante annos fuerant profecti. Hi septimo Arcadij & Honorij anno, mutandæ sedis studio Rhenũ trãsgressi, in Treueris & Leucis, alijsq; finitimis populis cõsedere. Hos Burgũdij, Halani & Vandali in Sueuorum gratiam, qui cũ ea gente ueteres exercuerant simultates, Galliæ finibus pulsos, in eã Germaniæ partẽ unde profecti fuerant remigrare coẽgerunt, ipsi Galliam latè populati sunt. Cæterũ Burgundij figendæ sedis cupidi eam sibi terram, quę fuit Heduorum, Lingonũ, Vesuntiorum, & Cabilonensium uendicarunt, quæ ab nouo gentis cultu Burgundia iã inde nuncupata est. Olim Belgica fuit Gallia. Alij prædabundi in Aquitaniam trans fluere à Ligeri ad Pyrenęum protẽsam, fuitq; Barbaris animus Pyrenęo saltu superato Hispanias inuadere, sed præsenti conatu prohibiti in mediterranea Galliæ cõcesserunt. Sub id tempus Gratianus in Britannia homo eius insulæ indigena tyrannidem occupauit. Hoc breui sublato Romani milites, qui præsidij causa in insula adhuc erãt, Constantinum subijciunt, uirum non genere, nõ militia clarum, & in quo nihil præter nomen secuti uideri possunt. Transmisit is ex insula in Galliam cũ exercitu, tenuitq; sese in Venetis & Cenomanis alijsque Oceani accolis, conatusq; est Galliã pacare, inducias si pacem nõ posset cum Vandalis, Sueuis, & Halanis pacis cendi cupidus, sed neutrum tenuit. Insederant interim Dindymus & Seuerianus Palentini fratres suo præsidio Pyrenæi claustra, nec Vandalos tantũ & qui cum his commilitium faciebãt ab Hispaniarum ingressu arcere, sed à Cõstantini etiam tyrannide prouinciã uindicare, Honorio gratificati: tenuitq́ue aliquãdiu id præsidium quoad Palentini duces à Constante interfecti sunt, Constãtini tyranni filio, quem pater ex monacho Cæsarem dixerat. Palentinorum præsidio ex saltu deturbato, cõtinuo Hispanię ad iniuriam patuere, tum uero multiplex clades est omne Hispanum nomẽ adorta, fœdaq; hominũ & rerũ strages secuta, quicquid à Pyrenæo ad Oceanum patet soli in prædam & populationẽ abijt. Palentini primi omniũ hostiliter capti & afflicti. Asturaga dein ad Asturagam fluuium sita oppugnata est, Toletoq; frustra tentato ad Atlanticum Oceanũ descendit uictor Barbarus. Olisiponẽses Oceani accolæ sibi auro pacem redemerunt, ne urbs ab ea gente circũsessa maiorem aliquam adiret cladem. Et hæc ferè sunt eo anno gesta quo Roma à Visigothis capta est, per quæ Romani imperij maiestas aperte inclinauit Arcadius aliquanto priusquam urbs eam cladem adierit Constantinopoli uita defunctus Theodosio filio imperium per manus tradidit.

Qui hominũ Vandali sint.

Burgundij.

Franci qui hominũ fuerint.

Constantini tyranni motus.

Hispaniæ clades.

Arcadij interitus.

Enneadis septimæ, Libri noni & ultimi finis.

Athaulphus Gothorum rex.

Athaulphi cõsilium.

Tẽpestiua Placidiæ parænesis.

M. ANTONIVS SABELLICVS LEONARDO LAVRETANO SERENISSIMO VENETIARVM PRINCIPI SALVTEM.

PLATO, uir ille summus, humanæq; sapientiæ antistes, sereniſsime princeps, nihil in terris esse credidit, nihil in gentibus quæ ipsas colunt terras, quod Deo optimo maximo magis curæ esset, propiusq; respiceret, quàm eā rem publicam quæ moribus esset & legibus optime instituta. Id ueriſsimum esse, quum alijs suorum temporū nouitatibus uarijsq; casibus experta est Veneta ciuitas, tum hac demum tempestate nihil obscura prædicatione testari & potuit & debuit. Nam ut omnis retro memoria repetatur, uel ab ipso urbis primordio, nullum, quod sciam, tempus fuit unquam, quo res Veneta maiorem in principe sapientiam requireret, maiorem fidem, cōstantiam, integritatem, quàm hoc ipsum in quod tuus felix incidit principatus. Erant in mari res Venetæ parum lętæ. Italia prioribus bellis concussa recentibus affligebatur, impendentibus erat obnoxia, ut nihil magis difficile uideretur, quàm rē sisti posse, quæ plus nimio prona esset in lapsum. Sed affuit cœli prouidētia, teq; magno optimatium cōsensu, omnium ordinum studio, totius ciuitatis uoto reip. gubernaculo admouit, ut esset per quem Venetum nomen non solum suo consisteret uestigio, sed insigniter etiā augeretur. Audi Lauretane princeps mitisſime, ac patiēter queſo audi, quis de tua pulcherrima administratione sit hominum sermo, quæ hodie existimatio. Tu uero per te tuūq; geniū rogatus noli hæc quæ ex officio scribuntur opinari in gratiam à me ad tuam sublimiatē scribi, nā adulari nescio, nec si sciam uelim, ac si utrūq; adsit, nullus, ut arbitror, apud te ista sapientia principē relinquitur eiusmodi uitiolocus: nemo fuit tertio abhinc anno quū de nouo principe creando ageretur, qui nō dignitatē istam tibi uotis astrueret, qui adepto non felicem & diuturnam optaret. Fuitq; illud non hominum studium, sed augurium præsagiumq; optimæ administrationis quæ postea secuta est, qua nulla equidē sanctior institui possit, nulla Venetę ciuitati, uniuersæq; reip. salubrior. Ius omnibus æquatum, templorū sanctitas defensa. Ceremonia uindicata. Sicariorū uis, siqua fuit, cohibita est, iudicia instaurata, omnis forensis licentia cōpressa, cætera domi sanctius instituta, foris tua felicitate defensa & aucta, socijs regibus suus honor habitus, subiectis ciuitatibus clementer ut semper imperatū, nullorum preces non benigne & māsuete auditæ, per quæ facile cōsecutus es, sapiētiſsime princeps, ut non homo aliquis, hominū mue suffragio crederis in isto dignitatis fastigio cōstitutus, sed felix quidā Deus è cœlo missus qui pace rē Venetam æquitate & innocentia tuereris, bello, prudētia & felicitate augeres, qui patriæ esses saluti, tuis laudi, omnibus documento, q̄ bene recens hoc decus in Lauretana sit domo collocatum. Enimuero quū ex una patritia gente penè plures classiū prefecti fuissent, q̄ ex ulla alia triērarchi, esset q; nullus fermè locus totis Italiæ littoribus, aut qua internum mare ad meridiē & ortū excurrit, ubi non tui maiores suarum uirtutū uestigia impresserint, nescio quo casu accidit, quū tāta uirorū indoles omni tēpore in una domo effulserit, in tā longa ducū serie, quæ urbis huius originibus propemodum agnata est, nulli tamen tuorū istud decus cōtigit. Dixi ego istud casu accidisse, sed uerius prouidentia dixissem, ut tu Leonarde princeps inclyte primus in tua gente nouum hoc fortireris decus, qui quod nullus fortasse tuorū maiorū potuisset, præclarū tuæ ciuitati spectaculum exhiberes, ut quantum illi foris uirtute, fide, felicitate Veneto nomini profuerunt, tantum tu illorum æmulus domi, pietate, consilio, & innocētia prodesses, qui in omni laudum genere eo maior uideris quàm auorum quisquā, quanto excelsiore loco tua est laus, quàm illorum sita. Sed ista præclara administratio laudesq; tuæ iucundiſsime princeps, aliud tempus requirunt, alium locum, ut commodius dicantur. Nunc siquid ab intentiſsima reip. cura quæ te sibi penè totū uendicat, datur ocij, ne graueris precor has tres nouiſsimas nostræ Rapsodiæ Enneades cognoscere, quas septem illis, quarto ab anno editis, adijcere fuit curę, ut omnes omniū gentium res à prima mundi origine adhæc tempora uelut una spectentur tabula. Continet supremus hic operis labor mille circiter & octoginta annorum historiam, à Venetæ urbis origine ad sacrum annum, quem Alexander sextus celebri piorum conuentu nuper solennem Christiano nomini fecit. Eramq; hic ego demum ab longiſsimæ historiæ cursu, iucundiſsime princeps quieturus, ceu longiſsima aliqua nauigatione fessus portum tenuissem diu antea optatū, ni tuus feliciſsimus principatus qui in eum annum incidit, qui celebrē illum ab Alexādro conditum est proxime secutus, & ea quæ deinceps hoc biennio sunt in Italia insigniter gesta me ad stilum reuocasset, quæ quum huiusmodi sint, ut nō solum honeste in ampliſsimo hoc historiarum theatro sedere possint, sed præsidere etiā, nihil ab re sum mihi usus facere, quod ex his uelut appendicem quandā his nostris Enneadibus astruxi. Erit spero hæc lectio in uniuersum tuæ serenitati non iniucunda, uel quod res Venetæ sæpius intercurrunt, sunt enim extrarijs insertæ, & in his tuorum decora, ac quædam etiam ad tuam solius laudem pertinentia, uel quia hoc quicquid est tibi princeps feliciſsime inscribitur, ut si aliquando publicum dabitur sortiri, tuo non alterius nomine sortiatur, Vale.

MARCI

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI RAPSODIAE HISTORIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS OCTAVAE PROOEMIVM.

VANTA sit humanarum rerum inconstantia, & quàm obnoxiæ sortis hæc, in quibus bonorum omnium summa sita est uulgi opinione, quum reliqua uita suæ sibi fragilitatis conscia demonstrat, tum multo planius id faciūt tristes regnorum exitus, excisaq; funditus imperia. Quippe quæ magnis auspicijs orta, perpetuis aucta successibus, ad rerum fastigium summa ope euecta, armis, legibus, consilio stabilita, consenuerunt tamen, & interiere: adeò iuxtà homines, & quæ hominum sunt, fatali necessitati debentur. Peruetus est Assyrij regni memoria, fuitq; idem magnum & diuturnum, occidit propterea nihilominus, & quo magis nostræ infirmitatis admoneamur, uix tanta quæsitum fuit indole, quāta est postremo desidia euersum. Pari necessitate excidit & Medorum imperium. Hi enim post Assyrios in Asia sunt rerū potiti. Sic Persæ, Macedones, sic in terra Græcia, Athenienses, Lacedæmonij, Thebani imperare desierunt, quorum opes eadem uis nō sustulit solū, sed urbiū etiā, quas illi habuerūt, aboleuit cadauera. Excidit & Carthago Romani imperij æmula triplici bello uicta. Nec Roma, quæ Carthaginem uicit, extra humanitatis fuit aleam, sed quæ cæterarum uictrix fuit gentium, à Gothis demum uicta est, direptaq; & incensa, suam sensit fortunam inclinare, sensit & imperium: urbe cœli prouidentia suo in uestigia retēta: ut humanæ demum pietatis esset caput, quando gentium ut antea esse non potuit, & hæc quāuis magna, conciderunt tamen, alia alio casu. Cæterum necessitas una cadēdi fuit omnibus, quia hominum essent, quorum nihil est in terris perpetuum, nihil quod non interitum sentiat. Licet id quum ex alijs multis existimare, tum ex his quæ Romano acciderunt imperio. Id quia externis non potuit, suis labefactari cœpit uiribus, libertateq; in discrimē adducta, imperij summa ad unum deuoluta est. Tum uarijs casibus res Romana sub Cæsaribus agitata, sensim in peius delapsa est, ac quantum nonnunquam unius alteriu'sue principis uirtute, ut senile aliquod corpus, morbo & ægritudine uisa est leuari, tantū sequentiū stultitia est grauiter afflicta, donec urgente fato, uni gēti, quam sæpe uicerat, uictam suis sedibus expulerat, de qua pleriq; Ro. duces triumpharunt, clara tulerunt cognomina, fuit prædæ: in quo siquid culpari debet, non tam Stiliconis accusanda est perfidia, quàm humanarum rerum conditio, quæ ea est, ut neq; sciat, neq; si sciat possit fatali necessitati obsistere. Sed in eo uis hæc mitior, minusq; homini infesta, quod quantum mortalibus hoc loco, uel illo adimit, tantum his alibi ac nonnunquam amplius rependit, pariaq; fouendo leuat inuidiam. Ex Phœnicum terra eiectus Cadmus Thebas in Bœotia condidit. Dido Carthaginem ex Tyro profuga, Phocēses Maſsiliam, Phryges excisо Ilio Patauium & Albā condidere. Ex Alba Roma est. Hanc domestica uis libertate priuauit, externa imperio. Cæterum ne libertatis & imperij nomina Italia expungerentur, non sine prouidentia contigit, ut post Romā à Gothis captam continuo diuersa Italiæ parte, tanquam alter Troianæ stirpis recentior partus, Venetiæ conderentur, ubi utrūq; nomen diutius quiesceret. Nunc quoniam Venetiarum mētio sua sponte incidit, qui hominum fuerint prisci Veneti, & quæ illis causa urbis medijs fluctibus condendæ omni aliarum gentium relatione paululum posthabita, de his potiſsimum dicam, ut ab re longe memorabili auspicatius futura hæc relatio sortiatur exordium. Cæterum quia ex Hunnico tumultu condendæ urbis causa orta est, qui Hunni fuerint, & unde profecti, & qui eius gentis bellorum processus, prius referendi sunt, quàm urbis primordia aperiantur.

Assyriorū imperium.
Medi.
Persæ.
Athenienses.
Lacedæmonij.
Thebani.
Ro. imperiū.
Carthaginienses.

ENNEADIS VIII. LIBER I.

Hunni qui hominũ fuerint.

HVNNI Scythicum genus hominum ſedes ab initio habuere Rypheis montibus propinquas. Gẽs dira, humanię; cruoris ſitiens, in prælio aut uincere ſueta, aut in ueſtigio mori. Horum pars una anno humanę ſalutis circiter ccc. ultra Meotidem per orientẽ & Aſiam latè euagata eſt. Alij Mandulco, & Subtaro regibus, Gothorum gentem bello adorti, qui circa Iſtrum agitabant, multis fatigatos prælijs ſibi uectigales fecere. Cæterum Mandulco defuncto, Subtarus Burgundijs bellum intulit. Qui hominum hi fuerint, abundè eſt alibi demonſtratũ. Fuit id bellum Hunnis ab initio felix. Verũ Burgundij ſuis opibus diffiſi, ad diuina confugiunt remedia

Burgũdij Chriſti fidem reciꝑiunt.

humanis potiora Chriſti fidem populariter cõplexi, Hunnis audacius conſligunt. Fuit res Burgundica, multò ſuperior eo prælio, uicerũtq; egregiè qui uinci cõſueuerant. Hunni Subtaro cadente cum multa ſtrage diſiecti ſunt. Qui prælio ſuperfuere, terrã, unde profecti fuerant, affictæ ſibi fortunæ conſcij repetunt. Circũtulit mox Attyla Manduci filius Hunnica arma longe lateq; ſub arcto & aquilone, eratq; per hæc nomen uiri non ſolum ingens, ſed formido ſolum etiam omnibus gentibus toto ferè ſeptẽtrione ſubacto. Ad hũc uictoria exultantẽ Priſcus Theodoſij iunioris epiſtolarũ magiſter eſt miſſus, ut ipſe de ſe ſcriptum reliquit, ſeq; uenille ait in eum locum ubi Indigoia Gothorũ fortiſsimus Sarmatarũ fraude aliquanto antea occubuiſſet. Nec procul inde uicum, ubi Attylæ fuit regia, à forma & magnitudine urbis nihil diuerſum, mœnia huic ex lignea materia,

Forma Attylæ

ædificiaq; tabulis mira arte compactis. Fuit Attyla breui ſtatura, patenti pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, ſimo naſo, tetroq; colore, inceſſu ſuperbus, oculorum aciẽ huc illuc torue circunferens, extabatq; ue in ipſo motu corporis animi elatio. Bellicæ rei cupidus, ſed manu tẽperans, conſilio utilis, inexorabilis ſupplicibus. Et Attyla quidẽ talis fuit. Huius iraq;, & Bledæ fratris ductu Hunni Thraciã, Myſiam, Illyricumq; fœde populantes Byzantio imminebant, quum prælio uno ab Theodoſij ducibus uicti aliquandiu quieuere. Cęterũ Attyla (neq; enim minus unquam quieſcebat, quàm quũ uictus eſſet) exercitũ ſumma ope reparat, ualidisq; auctus copijs Valẽtiniani opes decreto inuadit. Fuit motus hic priore illo multo terribilior, ſed Ro. reb⁹ minus calamitoſus. Nam Barbarus bellũ fratris nece, quem Budæ incautum peremit, auſpicatus (diſſuadebat ille Romanum bellum) quatuor ferociſsimarum gentium regibus, Herulorum, Gepidarum, Halanorum, & Turcilingorum in commilitium aſſumptis, in Galliam ſubitò belli impetũ auertit. Sed hæc aliquanto poſtea. Primo autem Hunnorũ motu, q eò terribilior Italię incidit, quò propius id malum proceſſerat. Iam enim omne Illyricum ſtrinxerat, & in ipſo propemodum Italiæ conſpectu fuerat

Venetiarum exordium.

barbaricus ignis. Multi ex priſcis Venetis, qui Italiæ receſſum circa Adriam incolebãt, erant hi propiores periculo, in inſulas, & littora ſtagno mariq; circũfluametu tranſiuere. Siquidem mare crebris fluuiorum oſtijs intra littora latè diffunditur, aliamq; pelagi faciem prębet ſpectantibus. Erant in hoc receſſu tunc inſulæ pleræq; numero modicis inter ſe diſcretę ſpatijs, omniq; cultu deſertæ, ut credere par eſt, aut certe perquàm pauci tempeſtate illa in his agebant, ut una atq; altera omnium maxime fuit idonea ad peregrinas merces excipiendas ex alto per fluuiorum oſtia inuectas. Igitur quà cuiq; proximũ fuit ex continentis ora eſt per id tempus in hęc loca migratum Hunnorum metu, quorũ nomen, ut in immenſa Barbarorum colluuione præcipue eminebat, ita ipſius gentis feritas multo fuit inſignior, uulgoq; ad expectationem terribilior. De priſcis Venetis non unus eſt ſermo. Sunt qui eorum originem ad Venetos Oceani accolas referant, ut trãslatitium perinde ſit ex Gallia nomen, ac Cenomanorum, Inſubrum, Senonum, aliarumq; gẽtium. Quorum opes citra, ultraq; Padum intra Apenninum & Alpes late patuerunt. Nec leue interim argumentum ſecuti, quòd hi circa Adriam habuerunt ſedes, rei maritimæ ut illi ſtudiũ colerẽt, uariarẽturq; inſulę, quas hi poſtea tenuerũt ut eorum qui in Gallia ſunt, alterno maris æſtu. Polybius cultu corporis, qui utriſq; idem fuerit, aut certe non multũ diuerſus, pro argumento uſus eſt. Sed multo plures, ut in Venetis rebus eſt prius demonſtratum, Henetos Paphlagonum gẽtem ad Troiam militaſſe aiunt, regeq; circa Ilium amiſſo cum Antenore in Italiã ueniſſe, pulſosq; Euganeis ex ea terra quæ inter Medoacum iacet & Atheſim his primo locis rerum potitos. Latius inde eorum fines ſunt cũ ipſo nomine euagati, etſi nõ deſunt, qui Liuium ſecuti eos arctius contrahant, faſsi ſe non intelligere quonam modo accidere potuerit ut Venetum nomen tot Gallorum nomina extinxerit, in eo terrarũ tractu, quod ab Euganeis longe inter Alpes & Padũ ad Abduam excurrit: ſed his parum cõſtare uidetur temporum ratio: nam Venetorum in Italiam acceſſus aliquot ætatibus pręceſſit omnem Gallorum in hanc ipſam terram deſcenſum. Superuacuum ſit, credo, hoc ipſum demonſtrare: enimuero ſatis conſtat, Antenoris & Æneę in Italiam appulſum tercentum & amplius annos præceſsiſſe Romuli & Remi ortũ, qui Romam condiderunt, ut Romanarum rerũ ſcriptoribus uulgo uideo perſuaſum. Ab urbe condita ad Priſci Tarquinij tempora interfuerunt anni circiter ducenti, quo Romæ regnum obtinente, uetuſtiſsimus Gallorum Bellouęſi ductu in Italiam memoratur deſcenſus. Hæc haud dubie demonſtrant non Gallicum nomen à Venetis, ſed Venetum à Gallis ex ea terra ſublatum, quæ Venetorum fuiſſe dicitur. Cæterum quando in re tam uetuſta coniectura magis, quàm ſcriptorum teſtimonio utimur, euenire potuit, ut Veneti Euganeis uictis, ad Abduam ſuos demum fines promouerint, eiectis ex ea terra Tuſcis, quorum infrequens fuerit per id tempus in his locis incolatus. Gallorum inde interuentu priſcorum fines Venetorum Atheſi fluuio tenus ſint reiecti, quatenus ſcilicet, Euganeorum olim patuit terra. Quod Liuius ſignificaſſe mihi uidetur, qui Italiæ angulum dixit à Venetis teneri. Sed quibuſcunque finibus olim uſi, poſt Longobardorum in Italiam acceſſum, Veneti ad mare compulſi, multò anguſtiores quàm antea habuerunt. Nec mirum uideri debet toties unius gentis fines mutari contigiſſe, quando ne Italia quidem ipſa eiſdem ſemper ſit uſa finibus. Humanarum rerum uarietas facit, ut terrarum nomina, fineſq́ue, cum ipſa ſæpe fortuna mutentur. Et de Venetiæ finibus ab occidua terræ parte tam anceps ſermo eſt, ab ortu Aquileiam illi confinium aſſignant, qui de ea re diligentius ſcripſere: nam qui in Pannoniam uſque extendunt, haud planè intelligo quid ſibi uelint, niſi Herodotum audiendum putent, qui Venetos in Illyrijs poſuit. Illyrium Pannoniam attingit, eſtq́ue per hęc lõgitudo terræ utrinque anceps. Amplitudo ab Alpibus ad mare ex confeſſo traditur. Sed quàm Venetorum origo, Venetiæque fines incerti, tam, me Hercule, nec minus urbis conditio. Verum ne ſtili oblitus uidear conſultò prætereo quæ in primo rerum Venetarum ſunt à nobis de ea re longiore ſermone prodita. Id ſequar quod in dubium non uenit, in inſula, cui tunc fuit, & nunc eſt Riuoalto nomen,

Variusbyſcis Venetimo.

Fines Venerũ uetuſti.

Cõditio urbis Venetiarum.

nomen, iacta eſſe prima urbis fundamenta, eſtq; hodie is locus in celeberrima parte urbis, dubiũ à profundiore fluminis Vado fuerit id nomen illi inditũ, an quòd inter alias altius extaret inſulas. Patauini Hunnorum metu ad mare compulſi cõditionis huius autores traduntur. Verum cuiuſmodi fuerit prima illa ædificandi ratio, parum liquidò expediunt ij, quos in Veneta hiſtoria ſecuti ſumus. Bernardus Iuſtinianus qui recentiſsime de ea re tam diligenter quàm copioſe ſcripſit: Ædem ait Iacobo ſacrã, quæ in Riuoaltina nunc uiſitur area, ad numularias mensas, ab his primo conditam, quod pium faſq; ſit credere, ut urbs quæ poſtea in immenſum creuit, tale ſortita ſit exordium: quando nulla, ut ait Plato, poſſit ciuitas ſine fauore numinis proſperè cõſtitui, nec conſtituta feliciter adminiſtrari. Incidit, utcunque cœptum eſt ædificari, primordium illud urbis in octauum Calendas Aprilis eius anni, qui quadringentesimus fuit humanæ ſalutis, ac prim⁹ & uigeſimus. Scio fuiſſe quibuſdam curæ & hoc tradere, mũdum eodem die à Deo conſtitutũ. Verum quia circa meridiem iacta ſint prima illa urbis fundamenta ſatis apparet ea hora Arietem, qui Solem geſtabat, medium cœlum, quaſi mũdi uerticem tenuiſſe, fuiſſetq́ue tunc & Veneris ſidus in eodem ſigno, Recto Ioue undecimam Piſcium partem tenente, Recto & Mercurio octauam, ut in tot felicium planetarũ cõmercio, proximoq; reſpectu, ſiqua uis eſt ſideribus, ut uideo omnibus perſuaſum, circa hæc quæ in terra fiunt, non ſit abſurdum dicere, nihil ea luce, & hora inchoari potuiſſe, quod nõ felix eſſet, & ad rerum faſtigium peruenturum. Iam & illud ad felicitatem multum attinet, quòd Chriſtus Dei filius eadem ſit luce uirginis utero conceptus, ut iuxtà cœli, diuinaque natura, nouę urbis primordio affuiſſe uideri poſſint, hæc quia iterum ſit ipſo die nobiliter operata, illi felicisſimorum ſiderum affluſu, mutuoq́ue aſpectu. Verum enimuero fuerit publicum illud Patauinorum decretum, an Hũnorum metu Patauio profugi, qui eo loco federant, ſua ſponte mouerint, rem tum ſpecie paruam, ſed quæ luxurioſa ad poſteros habitura erat incrementa, quando in utranque partem extant autores, pro certo ponere non auſim: nõ ambigam tamen, quod in Veneta hiſtoria feci fuiſſe qui tum fugam occuparunt uiros non ex humili plebe, neq; eius urbis regem, quod quidam falſo tradidere (nullus enim eſſe potuit cum omnia Romano parerent imperio) ſed uiros opibus & autoritate inter ſuos longe principes. Enimuero ut quiſque maxime diues fuit, ita periculo longiſsime uoluit abeſſe, ne cum omnibus fortunis crudeliſsimo hoſti eſſet prædæ. Hoc multo fidei propius, quàm credere ab obſcura & ignobili multitudine, tum primum in inſulas conceſſum, quæ quo minus habet, eò ſem per nouarum fuit rerum magis cupida. Et cauſa cõdẽdæ urbis hęc fuit, hic ortus & origo, in quo reputatio illa ſubit animum, uelut diuina prouidẽtia ita eueniſſe, ut conuulſo Romano imperio, & iam in caſum prono, noua ſit urbs in Italia orta quæ tuendæ libertatis ſtudio, ditionisq; terra & mari propagandæ, Romã ſibi ab Ilio cognatã æmularetur. Ex Alba quidem Roma eſt, Alba Troianorũ colonia, ſunt & Venetię ex Patauio, Patauium Antenor cõdidit, idẽ ut Æneas ab Ilio profugus, habitarunt adhæc circa Adriam non unam urbem ab Roma miſsi, Patauiũ, Opitergium, Cõcordiam, Altinum, Aquileiam, quibus ab Hunno excisis, pmiſcuè eſt in inſulas migratũ, abiitq; in unũ corpus ciuitas permixta multitudo. Sed hæc aliquanto poſtea. Incidit prior ille Hunnorum in Illyricum excurſus feſtinatusq; Patauinorũ in Riuumaltum deceſſus, in Zoſimi pontificatum, cuius ſuprà mentio facta eſt, tenebatq; Honorius occiduum imperium multiplici clade conuulſum. Arcadius circa Byzãtium imperitabat. Sunt qui, ut alia pleraq;, ipſam quoque Riuoãltinæ adminiſtrationis formam in dubium trahunt. Cæterum omnes ferè, qui de origine urbis aliquid ſcriptum reliquere, conſularem poteſtatem aiunt illic ab initio uſurpatam, quod uſqueadeò fuit illis perſuaſum ut conſulũ etiã nomina diſertè ponant, tenuitq; prima illa adminiſtrationis forma in aduentum uſq; Attylę, tum quia paſsim inſulæ cœptæ ſunt frequentari, tribuni creati ſunt, qui ius inſulanis quiſq; ſuis dicerent, qui de ſumma rei in medium conſulerent. Et hęc de priſcis Venetis, deq; Venetę urbis origine pluribus fortaſſe, quàm inſtituta hiſtoriæ breuitas patiatur. Ipſius incrementa urbis, & cætera memoratu digna, quæ ad Venetum nomen pertinebant, ut in Romanis ſecimus promiſcuè cum his quæ ſunt cęterarum gentium referre erit curæ. Nunc aliquanto altius eſt hiſtoria repetẽda. Cõuulſa erat ac grauiter affecta Romani imperij maieſtas, multis uarijsq; cladibus alijs ſuper alias paucorum annorũ ſpatio acceptis. Nam præter Romam, in qua totius rei ſumma fuit ſemper, rapinis & incendio nuper deformatam, Gothi, qui eius fuerant autores iniuriæ, etſi non ut antea erant Italiæ infeſti, imminebant tamen nihilominus ipſius ceruicibus, iterum eam perituri, niſi de pace conueniſſet. Vandali Hiſpanias uaſtabant. Britannia tyrannide premebatur. Erat & Gallia Germanicis terroribus obnoxia, nec Aphrica aſsiduis motibus concuſſa tutiore loco eſſe. Adeò re ſemel inclinata omnia in peius tendere, ac uelut in præceps abire. His Honorius difficultatibus diſtrictus, ubi primum Gothico eſt terrore leuatus (placauerat eam gentem Ro. nomini prius Placidia, ut alio eſt loco ſignificatum, inde Conſtantius uir patritij ſanguinis militiæ magiſter) maieſtatem imperij uindicare adortus, primum omnium Gothis in certã ſpem Romanæ pacis & ſocietatis ineũdę adductis, Conſtantinum Britanniæ tyrãnum, circa Arelatum obſidione fatigatum, & in poteſtatem redactum occidit.

Prima adminiſtratio Venetæ urbis.

Cõſtãtij geſta.

Occupauerat eũ locũ tyrãnus, ut ſeſe Honorij, & Vigothorum conatibus obijceret. Nam Gothi, ut diximus, non abnuebant Romanorum commilitium in Hiſpania à Vandalis uindicanda, futurum rati, ut in ea terra Romanis uolẽtibus ſedes ſtabilirent. Cõſtantini interitũ cõtinuo filij cædes ſecuta eſt (Viẽnæ domeſtica fraude oppreſſus perijt) Milites Gerontio interfecto, qui fuerat eius cædis autor, Maximum ſibi ducem legunt, nec ita multo pòſt ſubita ducti pœnitentia hunc purpura exutum in ulteriorem Hiſpaniam relegant, ſimulq; imperium recipiunt, impetrata prius uenia eorum quæ feciſſent. Honorius Britannico exercitu recepto confeſtim & inſulam ad imperium retraxit. Exceſſerant interea Gothi Italiæ finibus, tanquam pacem quam ipſi uellent cũ Romanis habituri: eſtq; res de induſtria aliquandiu citro ultroq; iactata. Cæterum ob iniquas cõditiones, quæ à Barbaris ferebantur pax nulla ſecuta eſt. Nec Honorius eiuſmodi occaſionem neglexit, ſed dum quibus potiſsimum legibus pax ſancienda eſſet, diſceptatur, Italiæ ualidis præſidijs obſtruxit clauſtra cuius bello repetendæ ubi ſpem omnem ſibi ademptam ſenſerũt Gothi, ac ſimul ſpe pacis deſtituti, citeriorem Hiſpaniam ſtatuunt inuadere, ex Hiſpania in Aphricam trãſmittere, cæterum ne barbarum nomen præſenti obſtaret conſilio, Athalum Romani ſanguinis uirum Athaulphus Gothorũ rex imperatorem deſignat, ut Honorij opes infringeret. Athalus in Bethicam progreſſus ex ſuis quoſdam in Aphricã ire iubet, qui in ea prouincia ius dicerẽt. His Honorius moribus occurſurus Heraclianum miſit in eam prouinciam cum ualida claſſe, ſub cuius appulſum eiecti ſunt tota Aphrica Athali iudices. Ipſe nauali pugna uictus in mediterranea Bethicæ ſe trepidus recepit. Hiſpani qui per id tempus Romano impenſius fauebãt imperio, Athalum in poteſta-

Honorij ſucceſſus.

Athalus.

Quihominum fuerint Venetæ urbis cõditores.

in poteſtatem redactũ, ſub cuſtodia ad Honorium mittunt, quem imperator Romam reuerſus captiuũ ante currũ duxit, atq; ita triumphatũ Liparâ deportari iubet, amputata illi prius dextera. Nec Heraclianus diu in fide manſit, ſed cum Sabino uiro impigro quem ſibi generum cõſtituit in Aphrica tyrânidem occupat. Quam ut ualidius tuerẽtur ingentem uim nauium cõtrahunt, tã numeroſa claſſis ab his cõflata eſt, q̃ nũquam aliàs omni hominũ memoria, quaterna milia nauium in altum deducta Oroſius prodidit, quibus Heraclianus fretus rectà Italiam petit, Romã occupaturus, omni ſpe uictoriæ in celeritate & fama nauiũ repoſita. Sed, ut ſunt ſubita & temeraria homium cõſilia, difficilia tractu, fœda ac triſtia exitu, tyránus in terram egreſſus, præter ſpem, totã Romam acie dimicaturam obuiã habuit, qua ſpecie perculſus ne cõſerto q̃dẽ prælio turpi fuga littus repetit, paruoq; nauigio exceptus Carthaginẽ abijt, ubi breui pòſt militari eſt tumultu interfectus. Sabinus poſt ſoceri cædẽ Conſtantinopolim nauigauit, ut ſe periculo eximeret, unde nõ multo pòſt ad ſupplicium eſt Romam miſſus. Honorius traditũ exilio mulctauit, & hæc triennio illo, quo Roma à Gothis capta eſt, intra extraq; Italiã geſta. Honorius Italia, Gallia, & Aphrica pacatis in ſpem certam uenit Ro. imperij ab omni barbarie uindicandi, ac primũ omnium Gothos, qui nuper citeriore Hiſpania fuerant potiti, bello ſtatuit inuadere, quibus uictis nulli dubium erat, quin Vandali, & omnis Barbarorum colluuio, quæ ſine regibus, ſine imperio, remotioribus terris uagabatur, facile deleretur. Conſtãtius, cui totius belli ſumma permiſſa eſt, exercitu in Narbonẽſi Gallia conſcripto, cõmeatibus terra & mari interclu ſis breui Athaulphum ad eam rerũ omniũ inopiam redegit, ut cum omni Gothorum gẽte coactus ſit in ulteriorem Hiſpaniam concedere, hic regi atrox inuidia à ſuis orta eſt, palàm eum criminari, q̃ Placidię illecebris addictus, primo urbe Ro. aliena uirtute capta, mox Italia ceſſerit, poſtremo ſuorum ludibrium uerius q̃ pacem ſecutus, nobiliſsimã uictoriam è manibus amiſerit. His Barbari criminibus regem onerãt, ſimulq; imperium detrectãt, nec multi inde dies interceſſerunt, quum Athaulphus domeſtica fraude perijt, tertio anno q̃ regnare cœperat. Genſericũ Gothi in eius locum regem creant. Cæterum hũc quoque, quia præter ſpem omnium Romanæ paci ſtuderet, ſimili iniuria interficiunt. Vallia qui Gẽſerico ſucceſsit: tametſi à Ro. amicitia non abhorrebat, timens à ſuis popularibus inuidiam, claſſem ad Aphricam occupandam ſumma ope cõparat. Sed quãtuſcunq; fuit ille nauium apparatus in Gaditano freto perijt, atrociſsima tẽpeſtate claſſe diſiecta, cũ ingenti mortalium pernicie. Renouauit hęc Gothorũ clades Siculi naufragij memoriam, quod circa Pachinũ duo Ro. conſules primo bello Punico fecere. Vallia precipua exercitus parte cũ nauibus amiſſa, mutato cõſilio nõ ſolum Aphrica abſtinuit, ſed pacẽ cũ Honorio iunxit, obſidibus ad id datis, Placidiãq; ſororem, quam poſt Athaulphi cẽdẽ penes ſe honorifice & honeſte habuerat, ultrò reſtituit, offert adhęc ſe ſocium belli ad Vandalos ex Hiſpania deijciẽdos. Honorius Placidiam receptam Cõſtantio, qui exercitũ ductabat, matrimonio locat. Cui illa Valẽtinianum enixa eſt, qui poſt auunculum imperauit. Cõſtãtius Gothorum auxilijs fretus Halanos primũ bello petijt. Tenebant hi Emeritam Luſitanię metropolim. Enimuero Vãdali, & qui cum his Hiſpaniam inuaſerant, Pyrenęũ tranſgreſsi ita ſunt inter ſe terrã ipſam partiti, ut Vãdali Bethicam haberẽt, Halani & Sueui Luſitaniam, nam ulteriore tantum Hiſpania fuerãt potiti. Luſitaniam duæ illæ gentes inter ſe ex æquo diuiſere, ut Sueui Oliſiponem haberent, Emeritã Halani cum omni Galatia. Soli Cantabri & Aſtures Hiberię populi per id tẽpus in fide Ro. imperij mãſere.

Claſſis maxima.

Attẽde fortunæ ludibrium.

Honorij conſilium.

Athaulphi cædes.

Genſericus.

Naufragium memorabile.

Placidia reſtituitur.

Ro. ſucceſſus in Hiſpania.

A Halani magno prelio ad Emeritã uicti Achacem regẽm in pugna amiſerũt. Fama pugnæ huius magnũ incuſsit metum Barbaris Hiſpaniam tenẽtibus. Veriti itaq; ne per partes Ro. armis obruerentur ab Honorio & Conſtantio pacem petierunt fore dictitantes ut Vãdalicum & Sueuicum nomẽ, ſi in fœdus & amicitiam reciperentur, nõ minorem q̃ Gothicum ſecum acceſsionem afferret Ro. imperij rebus: facta ſpes eſt Barbaris futuræ pacis, quod magis neceſsitas Conſtantio quàm uoluntas expreſsit, urgẽtibus exurbe nuntijs. Erat tum Honorius Cõſtantinopoli quum hæc in Hiſpania gerebantur, quam nactus occaſionem Tertullus uir patritius, tyránidem uerius, quàm imperium inuaſit, quo per homines aduerſæ factionis interfecto cõfeſtim Athalus qui fuerat Liparæ relegatus, imperatoris nomen inuaſit. Et iam Honorius in Italiam uenerat, trepidis ex Byzantio nuntijs excitus, eratq; Rauennam progreſſus, cũ Cõſtantius illi affuit, cum Placidia cõiuge. Ad Cõſtantij acceſſum, ob res præclarè in Gothos prius, mox & in Halanos geſtas, tanta in urbe mutatio facta eſt, ut ciuitas maiorem cladem uerita Athalum, quẽ magno hominũ fauore ad imperij faſtigium extulerat, catenis uinctum Conſtantio & Placidiæ, Rauẽnam ad ſupplicium miſerit. Hic læua manus quę reliqua illi fuit, Cõſtãtij iuſſu eſt illi diſſecta, atq; per hæc inutilis factus Cõſtantinopolim mittitur, ad ludibriũ uerius & ſupplicium, quàm ad uitæ ſolatium ſeruatus. Laudauit Honorius Conſtantium pro cõcione, & quòd tyrannos tanta indole ſuſtuliſſet, & quòd Barbarorum uim ingentem, partim fame, partim armis domuiſſet, pacaſſetq; Britanniam, Galliã & Hiſpaniã Romano imperio. Laudatur & Placidia, quę Barbarum regem, cui nupſerat, tempeſtiue, molliterq; tractando, calamitoſo Italiam bello liberaſſet. Conſtantium itaque purpura ornatũ occidui conſortem fecit imperij. Inde multa cum eo de ſumma B rerum locutus, Romam Honorius petijt. Conſtantius Rauennæ ſubſedit ad Hiſpaniẽſe bellum quod exequi in animo habebat, neceſſaria paraturus. Cæterũ aduerſa, credo, ſors imperij fecit, ut medio belli apparatu immatura Conſtantius ſit morte extinctus, ſeptimo menſe quàm Cæſar fuerat appellatus. Honorius Cõſtantij loco Etium patritij generis uirum, ex Doraſtana Mœſiæ oriundum copiarum imperio præfecit. Is Burgundios bello adortus, iam enim aperte res nouas moliri dicebãtur, metu compeſcuit. Idem Francos Germanorum gentem, qui Rheni ripam inſederant, imminebantq́ue Galliæ armis diſiectos in ſuos fines coẽgit retrò abire. Halanos inde bello perſecutus, egerant hi aliquandiu pacate ſuarum rerum afflictarum conſcientia, quieuerantq́ue ſub Sueuorum umbra, poſt calamitoſam illam pugnam à ſe aduerſus Conſtantium infeliciter pugnatam. Cæterum Conſtantij interitu elati Galatiam, unde electi fuerant, ſibi armis uendicare. Affuerunt his auxilio Vandali & Sueui, qui pacis nomen, quam penè ſupplices à Conſtantio impetrarãt, aſpernati iunctis exercitibus ad Emeritam conſedere. Etius tantis Barbarorum uiribus impar, in citeriorem Hiſpaniam hoſtium metu recepit copias. Tulit eam rem iniquiore animo Honorius, ratus nõ tam uires Etio deeſſe, quàm animum ad exequendum bellum. Detulitq; copiarum imperiũ Caſtino, Scithici generis uiro, ſimulq; conſulem deſignatum Etio ſucceſſorem dedit. Nec Caſtinus ex citeriore Hiſpania prius mouere aliquid eſt auſus, Barbaras opes ueritus, quàm Bonifacius comes (inoleuerat iam uox comitis apud principem, eratq; dignationis non paruæ) cum auxiliaribus ex Aphrica affuit copijs. Erat Bonifacius Thrax genere, ſed Romana ingenuitate. Adminiſtrarũt hi aliquãdiu rempub. cõcordi animo, quoad Bonifacij uirtus Caſtini perſtrinxit animũ acribus inuidiæ ſtimulis, quibus

Athali ruina.

Conſtantius conſors imperij.

Etij ſucceſſus.

Noui Hiſpaniæ motus.

illa

ille adactus Thracem uirum fortem, & Ro. imperio utilem, cum ſuo exercitu in ulteriorẽ ablegauit Hiſpaniã, eo ut ipſe interpretabat conſilio, uti hoſtibus prædæ eſſet, quibus ne duo quidem exercitus pares alio qui eſſe crederẽtur. Bonifacius eiuſmodi iniuria inſtructus, relicta prouincia, cum ſuis in Aphricam tranſmiſit. Eratq; interim cum Barbaris nihil ſecius bellũ in Hiſpania, cũ Honorius imperator uita deceſsit, anno q̃ cum Arcadio fratre imperare cœperat, undetrigeſimo, cũ Theodoſio Arcadij filio ſextodecimo. Sedit Zoſimus pontifex Honorio principe anno uno, & amplius, cui defuncto Bonifacius huius appellationis primus ſucceſsit, uir Romani ſanguinis, quartus à Petro & quadrageſimus põtifex. Præfuit is Honorio imperãte eccleſiæ, quo tẽpore Conſtantius Hiſpanienſe bellum geſsit. Bonifacij decreta hęc ferũtur, nequa mulier ne ſanctimonialis quidem, ſacram attrectaret pallam thuráue cõtingeret: ne ſeruus, nexus, oberatúsue, in clerum reciperetur. Oratorium condidit ad Felicitatis q̃dẽ, ubi ſitus eſt. Conijciuntur in hæc tempora uiri ſanctitate & eruditione clari, Gelaſius Palæſtinæ Cæſareæ antiſtes, amœno uir ingenio: Dexter Patiani filius, qui hiſtoriam ſcripſit, tradiditq; Hieronymo legẽdam. Laudauit Amphilocius ſpiritum ſanctum ſtilo haud uulgari. Sophronius librum de Serapidis euerſione edidit, Hieronymus & legit id opus & probauit. Proto martyris oſſa per id tempus ſunt à Luciano presbytero inuenta. Sunt & Gamalielis, qui Pauli fuit apoſtoli præceptor. Scripſitq; de ea re Græce ad omnes piorum eccleſias. Habundius ea in Latinũ uertit ad Oroſiũ ſcribens. Interijciuntur his Caſsianus, & Maximinus, ambo impẽſe docti. Eutropius Aurelij Auguſtini diſcipulus, eadẽ fuit tẽpeſtate, ut quidã ſcribunt, ſcripſitq; rerum Ro. Epitomẽ ſatis ingenioſe. Fuit his equalis, Iuuenalis Cõſtantinopolitanus antiſtes, uir ſanctitate illuſtri. Et hi quidẽ uiri Bonifacij pontificatu claruere, quo defuncto Eulalius Romã publicè reuocatus eſt. Fuerat hic ab hominibus ſuæ factionis cum Bonifacio pontifex creatus, ac ui urbe pulſus. Dubiũ acceptæ ignominiæ memor, an quòd res humanas dignitatesq́; aſpernaret, magno, quod ſatis conſtat, ciuium conſenſu accerſitus redire noluit. Cæleſtinus Bonifacio, qui treis annos & menſes octo ſederat ſurrogatur, dubium Romæ ortus, an Capuę, hoc demum ſedente Honorius moritur. Quam nactus occaſionem Ioannes quidam Ro. generis patriæ inſidiatur, principis præſidio orbatę, ſubitoq; tyrannidem inuadit, Caſtino ad id facinus hortante, apud quoſdam Craſtinum pro Caſtino legere eſt. Caſtinus ex reſiduo ſimultatis odio Bonifacio duci qui Aphricam obtinebat infeſtus, primũ tyranno autor fuit, ut Bonifacius Romę hoſtis iudicaretur. Pari deinceps ſtudio eum opprimẽdi, cũ exercitu in Aphricam traiecit, hic hominem fraude adortus literis illi ſignificat ſe Vandalorum potentiã ueritum, quia impar eſſet tantis opibus, decreto Aphricam petijſſe ex Hiſpania, ut tutus cum Romano exercitu in Romana prouincia eſſet. Extuliſſe animos i ea terra ſupra modũ Barbaros ex Honorij deceſſu, cum quibus niſi feſtinata mors principis interueniſſet, breui debellari potuiſſet. Erat Bonifacius Aurelio Auguſtino adhuc in humanis agẽti, ob cõmune pietatis ſtudium, mutua beneuolẽtia iunctus, cuius literis monitus dicitur ut ſuæ ſaluti, & prouinciæ ocio conſuleret. Inde utrunq; ad pacem hortatus eſt. Cæterum deprehẽſa Caſtini fraude duces ipſi, omni ſpe pacis è medio ſublata, hoſtiliter cõfligunt. Fuit ab initio cruentũ prelium, uerũ Caſtinus acie uictus exercitum male affectum in Hiſpaniam reportauit. Fama aduerſæ pugnæ Romam perlata. Ioannes ueteranorum delectu habito Aphricam bello repetit, nec Bonifacius interea in ocio eſſe, quin & ipſe ſtudio arma cõparat. Horrari hũc Aurelius Auguſtinus

Honorij interitus.

BONIFACIVS, XLIIII. PONTIF.

Viri clari.

Eulalius reuocatur.

Cæleſtinus põtifex.

Ioan. tyrãnus uerius quàm imperator.

Caſtinus.

Conſligunt inter ſe Ro. duces.

A idẽtidẽq; p literas obteſtarine bellũ ocio præferret, quin pacem potius, ſi nõ quibus uellet, ſaltem quibus poſſet legibus amplecteret, ne reſp. tot cladibus ad id tempus afflicta, domeſtica & inteſtina diſcordia conficeretur. Audire hæc ille, cæterum deſperata pace, nulla enim à tyrãno, quæ æqua fuit, ſperari potuit, bellum ſumma ope comparat, aderatq; per hæc certamẽ ingens de Aphricæ poſſeſsione, cum Theodoſius Arcadij filius, qui ad orientem imperabat, ex Honorij deceſſu Valentinianum, quem cum Placidia matre auunculus Italia deiecerat (cauſam Honorij à Placidia alienati, qui autores ſunt ignominię huius non tradunt) Cęſarem declarauit, ſolicitus q̃; de his quæ Romę fiebant, magnis inſtructum auxilijs in Italiam miſit. Hic Rauẽnam obſidere adortus quæ ueniẽti clauſit portas breuiq; ſubegit, exercuitq; crudeliter in ciues uictoriam, matris, ut creditur, impulſu: eratq́ue adhuc Rauennæ Valentinianus, cum Caſtinus, cui Ioannes ad Aphricũ bellum profectus Italiam cum Roma tuenda reliquerat, apud Vercellas ſubita militum defectione eſt à Burgundio Valentiniani duce captus, ac Rauennam miſſus. Eſt & Etius ex urbe adductus, utpote qui tyráni rebus impenſius fauiſſet. Caſtinus exilio damnatus eſt, Etio Valentinianus, ſuaſu matris, dedit ueniam, atq; in amicitiam recepto Galliam tuendam conceſsit. Polliceri Etius fore ut Hunnis perſuaderet, ut in Panno nia ſeſe tenerẽt. Fuerat Etius uarijs caſibus iactatus iam inde ex quo illi Honorius copiarum ademerat imperium. Enimuero quum Romã reuerſus priuatam uitam inſtituiſſet, plurimumq; ruri ageret, inimicorum criminationibus, aut quia certe ſua ſponte ad res nouas occulte animũ adieciſſet in ſuſpicionem adductus, breui interficiendus erat, cum occulta fuga ſubtractus in Pannoniam abijt, fuitq; apud Hunnos quandiu Honorius ſuperſtes fuit, nec Barbaris ingratus, ob excellẽtes animi uirtutes, per quẽ de rerum Italicarum ſtatu edocti, & ad eam inuadẽdam eius hortatione ſuaſuq;, tanquam ad certã prędam inuitati, Italicum bellum meditari credebãtur. Cæterum Etius his fortunæ uoluminibus in ueterẽ dignitatem reſtitutus, rem Ro. nonnihil ſua uirtute reſtituit. Sed de his, quæ ab eo geſta ſunt, haud multum diuerſo loco dicendũ: Valentinianus poſtq̃ Ra B uennã recepit, Romę imperator appellatus eſt, mox & Theodoſij decreto Auguſti appellationẽ recepit. Britannia interea nonnihil bello uexata eſt. Pictaui & Scoti primo inſulanorũ res latrocinio fœdare adorti, fœderis prætextu conati ſunt ſibi inſulã uendicare. Gliſcere in dies id malũ, ac ultrà q̃ tutũ eſſet im perij rebus, augebatur duarũ gentiũ audacia, appare batq; breui totã inſulã alienatũ iri, niſi eiuſmodi conatibus mature iretur obuiã. Erat tũ Britannia ſine præſidio. Id ueritus Etius, fatigatusq; eorũ precibus qui adhuc in fide erãt, legionem unã miſit ex Gallia in inſulã. Sũt Pictaui & Scoti uarijs inde cladibus ab Etianis affecti, eſtq; inſulæ ſtatus multò pacatior factus, quã diu antea fuiſſet. Quieſcebat per hæc Britãnia unius legionis præſidio, cæterum Burgundijs Galliam infeſtantibus, Etius ſuos ex inſula reuocare coactus eſt, ac legione una Pariſijs, & Aurelienſibus ad præſidiũ relicta, & Taraconenſibus in Hiberis altera, cum cætero robore copiarũ in Burgũdios mouit. Scoti poſt legionariorum deceſſum, cum Albieſibus cõfeſtim ad res nouas ſurgũt, nauibusq; circũuecti maritima Britanniæ oppida ferro & igni populantur, exarſiſſetq; per hęc nouũ bellum in inſula, niſi Valentiniani iuſſu legio, quæ Pariſijs præſidio erat ab Etio relicta, Gallionis Rauennatis ductu inſulanis præſto affuiſſet, ſub cuius appulſum uileſcere cœperunt Scotorum & Albienſium latrocinia. In Aphrica interea Ioannes pluribus eſt prælijs à Bonifacio uictus, & ut Guido Rauennas prodidit, interfectus. Eratq; Bonifacij celebre in Libya nomen,

Valentiniani acceſſus in Italiam.

Caſtinus exilio damnatur.

Etij uaria ſortuna.

Valentinianus imperator dictus.

Noui Britãniæ motus.

nomen, creuerantq; in ea terra eius opes pluſquam tutum eſſet Valentiniani imperio, quæ res fecit, ut expertus ſit Valentinianus illi prouinciam & exercitum adimere, ſed quum imperiũ cui aſſuetus erat inhiberi nequiuiſſet, Mahertium, & Gallionem, ſiue Mauortium, ut alij ſcribunt, & Galbionem in Aphri cam mittit cum ualidis exercitibus aduerſus Bonifacium iam ex confeſſo hoſtem. Verum tantum abfuit, ut homo fortis, & bellis aſſuet⁹ ceſſerit, ut duos duces, cũ omnibus copijs, in ipſo littore graui prælio exceptos uicerit, uictoſq; peremerit. Franci ad eã famam uelut claſsico quodam excíti: nam conſtans fama erat Aphricam à Valentiniano alienatam duceſq; & exercitus in ea prouincia cæſos, Claudionis & Merouei ductu in Galliam multo ferocius quàm unquam antea inuadunt, Etioq; Burgundico bello iampridem occupato Rhenũ tranſgreſsi, Aurelienſium & Pariſiorum terram occupant, figuntq; ibi ſedes. Auctum eſt inde Francorũ nomẽ proceſſu temporis tota Gallia, factumq; eſt ut quicquid terrarum inter Rhenum, & Pyreneos iacet montes inter Iurã & Gebennam Oceanumq; in Fráciæ propemodum nomen abierit. Etius qui Burgũdicum bellũ magna ex parte profligatũ habebat, eius gentis opibus multifariam acciſis, nouo hoc terrore perculſus, Burgundijs pacem gemens frendensq; reddere coactus eſt. Et res Galliæ ſic habebant. Nec Valentinianus clade una, etſi atrociſsima affectus, Aphricanum intermiſit bellum, ſed Siſulphium uirum impigrum, cũ nouo miſit exercitu ad Bonifaciũ debellandum, is meliore euentu, quàm priores duces bellum geſsit, paucis diebus, quibus in Aphricã uenit, Carthagine, & locis Carthagini circũiectis perpetuo ſucceſſu potitus, hoſtem ſuis uiribus diffidẽtem in Mauritaniam compulit. Sed aduerſo Romani imperij fato ingens tunc à Viſigothis metus impendebat Vandalis, qui in Hiſpania erãt, quo accidit, ut à Bonifacio in Mauritaniam ea conditione acciti, ut ſedes in eã terra caperent, popularenturq; opulentiſsimã Romani imperij prouinciam. Genſerici regis ductu populariter in Mauritaniam trãſfretarint, Bethica quam annos circiter uiginti tenuerant, Gothis relicta. Aſsignauit his Bonifacius, ſub primum appulſum, aliquot maritima oppida, & alia à mari non multum diuerſa, in ea Mauritania, quæ eſt Ceſariẽſis cognominata, fueruntq; in his Boualica, Sala, Tamanuſida, Banaſa, & Tingenda, in quibus Vandali omni Hiſpaniẽſi præda cum uxoribus & liberis collocata, confeſtim ad latrocinium uerius quàm ad bellum uertũtur, iuxtà quæ Romanorum adhucerant, quæq; Bonifacio parebant, hoſtiliter adorti, paſsim ferro & igni omnia populantur, diripiunt, incendunt. Carthago & loca illa proxima ægrè Siſulphij præſidio ſunt defenſa. Miſit Theodoſius auxiliares copias ex Byzantio cũ Ariouindo & Auſila ducibus, qui Valentiniano aduerſos Vandalos ſuppetias ferrent. Proceſſerant hi Siciliã uſq;, ac breui tempore, quo hic ſtatiua habuerunt, rapinis & omni iniuriarum genere nobiliſsimam inſulam afflixere. Nec in Aphricam Theodoſij duces tranſmiſere, ab eo ob Hunnicum tumultũ reuocati. Nam Attyla terrifico armorũ ſtrepitu, ut ſuprà eſt demonſtratum, Theodoſij prouincias ferociter adortus, Myſiam, Macedoniã & Illyricum fœde populari. Et iam Byzantio imminebat, quũ Theodoſius medio belli apparatu moritur anno ſui imperij trigeſimo. Martianus Theodoſio ſucceſsit, qui Hunnicis armis circumſtrepentibus, cum Perſis qui tum male pacati erant, in certum tempus inducias paciſcitur, ut in Hunnos omnes imperij uires commodius uertereat. Arneſtis primo eſt hoſtibus obiectus, cum exercitu minime contemptibili, uicitq́ue iuſto prælio Hunnum ad Martianopolim. Ex re bene geſta negligẽtia, ut fit, orta eſt, quæ res duci & exercitui exitio uertit, uictus Arneſtis ab Attyla magis arte quàm uiribus mortem occubuit: hic parum liquidè traditur, ſi ab Arneſte uictus Attyla paululum interquieuit, ut ſuprà eſt memoratum, an poſt illum interfectum dum Gallicã meditatur expeditionem in Pannonia nonnihil arma & commeatum comparando deſedit. In Italia & Aphrica, quod ſatis cõſtat Valentinianus imperator ratus fortunã imperij neque conſilio, neq; uiribus ſiſti poſſe amplius, Barbaris undiq; incumbentibus, eorum exemplum imitatus, qui uentorum & maris ſæuitia uicti uel ingentẽ iacturam pro nihilo habent, ne nauim & omnia perdant, cum Vandalis bellum in Aphrica compoſuit, ſedibus Genſerico in Tingitania conceſsis, pacataq; per hæc prouincia, Siſulphium inde reuocat. Nã de Gallia retinenda noua inceſſerat cura, quam Attyla inuaſurus uulgo ferebatur. Nec Genſericus diu in fide manſit, ſed nouam complexus opportunitatem, prouinciam omni præſidio ſpoliatã ferociter inuadit, modicoq; negotio ſubigit. Inter initia huius belli Aurelius Auguſtinus ſeptẽ & ſeptuaginta annos natus diem obijt. Carthago quoq; capta eſt à Vandalis ac direpta, eſtq; per hæc nobiliſsima prouincia ab imperio alienata. Sunt qui Valentiniani conſiliũ accuſent, & quòd Vandalis prouinciæ partem aſsignaſſet, ignominioſam pacem temere ſecutus, & q, Barbaris obnoxiam ſtulta largitione factã ſine præſidio reliquiſſet. Cæterum ſi ea, quæ fiunt, magis à conſilio eſtimari debent, quàm ab euentu, nulli dubium eſt, quin Valentiniani factum omni careat reprehenſione. Primo pacem illi nõ tam uoluntas expreſsit, quàm neceſsitas, quando maius omnino periculum inſtabat ab Hunnis, ad quod ſuſtinendum totis imperij uiribus opus erat. Præterea ſi Attyla Galliam ſubegiſſet, confeſtim uidebatur in Italiam tranſcenſurus: nulla enim prouincia fuit unde fœdiores bellorum tempeſtates ſeſe in Italiam effuderint. Contrà Aphrica parum Italiæ noxia, bellaq́ue inde profecta ſemper in autorũ perniciem uerterũt. Fato itaq; non Valentiniano aſcribitur, quicquid malorum prouinciæ alienatio urbi ceteræq; Italiæ importauit. Nec Vãdali ſeſe intra Aphricæ fines tenuerunt, ſed in Siciliam tranſgreſsi prædabundi totam ſunt inſulã peruagati, & ut ſunt res humanæ in lapſum & excidiũ pronæ, nec tã facile creſcunt, quàm retrò dilabuntur, ubi fortuna ſæuire cœpit, Britannia & ipſa per id tẽpus amiſſa eſt, quum, Pictauis & Scotis eam ſibi uindicantibus, nulla Etius miſit inſulanis auxilia Romani imperij fidem implorantibus. Dubium noluerit quia parum amico eſſet in Valentinianum animo, cum iam de tyrannide occupanda cogitare cœpiſſet, an maioribus belli curis diſtrictus non potuerit. Ipſe quod inter omnes conuenit, Frãcos per id tempus atroci bello inſectatus eſt. Britãni ab Etio Anglos in auxilium accerſunt. Hi ſibi nõ inſulanis bellantes uictorię compotes facti inſulam ſuæ ditionis faciunt, factamq; Angliam uocant. Sic Britanni patriam & nomen ſimul amiſere. Sed id aliquanto poſtea accidit, ut quidam ſcribũt, ut quum Aurelij cuiuſdam ductu inſulani ab Anglis defeciſſent, bello uicti coacti ſunt populariter ex inſula diſcedere. Sedes profuga multitudo adepta eſt in Turonum, Cenomanorum, & Venetorum terra, ſecus Oceanum, Britanniamq; hodie uulgo uocant, à ueteri incolatu. Sed hanc migrandi neceſsitatẽ in Auguſtuli tempora quidam reijciunt, qui Heruli Odoacris ductu Italiã lacerãtibus imperio excidit, fuitq; ultimus eorum qui Auguſti appellationem tulerũt. Cælestinus pontifex per id tempus quo Angli Britãniam à Scotis & Pictauis recepere diem obijt, anno quàm ſedere cœperat octauo, uel, ut alij ſcribũt, nono, menſe decimo. Cælestini eſt illud, quòd pſalmi prius quàm ſacra fiant, antiphoniatim dicũtur in templis. Idem primus inſtituit, ut rem diuinam facturus, prius quàm arã aſcendat, Dauidicum carmẽ enuntiet.

Valentiniani duces uincuntur.

Francorum in Galliã acceſſus

Vãdali ex Hiſpania in Aphricã migrãt

Vandalorũ latrocinium.

Martianus Theodoſio ſucceſsit.

Vãdali Aphricam ſibi uindicant.

Britannia à Scotis & Pictis occupatur.

Alij Picti & Scoti.

Attyla Galliã inuadit.

Britannici gli occupant.

Cælestinus pontifex.

Attylæ copiæ.

enuntiet. Iudica me, Cætera nota ſunt. Graduale ad hunc referunt quidam. Baſilicam Iuliam dedicauit, intulitq; donaria ampliſsima. Neſtorius Hæreſiarchus, qui Chriſtum purum hominẽ non deum fuiſſe aiebat, cæterum diuinitatem illi ex merito collatam, eodem pontifice, Cyrilloq; Alexandrino adnitentibus, Epheſino conuentu cum ſuis aſſectatoribus impius iudicatus eſt. Sunt & Pelagianę hæreſeos uiri ſimul damnati, qui Neſtorij conatum iuuabant. Miſit Cæleſtinus ſecundum hæc quæ Epheſi facta ſunt, Germanum antiſtitem Altiſiodorenſem in Britanniam, ad pelagianam hæreſim, quæ paſsim tota inſula inoleuerat, prædicatione tollendam, Palladium ad Scotos fidei indipiſcendæ cupidos: erat Palladius à Cæleſtino ad epiſcopatum promotus. Horum tam pia, quàm utili opera Chriſtianę pietatis cultus longe lateq; eſt ad occidẽtem Solem propagatus. Mirum eſt & ad exemplum uanæ ſuperſtitionis uitandę conducibile quod ſcribunt quidam, Cæleſtini pontificatu in Creta inſula cacodæmonis Moſis prophetarum uetuſtiſsimi perſonam induiſſe, obſeruatumq; ante oculos Iudæorum, quiin ea inſula habitabant, pollicitumq; ſe ſicco pede eos in terram promiſsionis reducturum, ſtantibus utrinq; aquis, ut in rubro olim, cum populus ex Ægypto eductus eſt, in murorum ſpeciem ſtetiſſent. Multi his temere præſtigijs aſſenſi, ac pelagus ingreſsi marinis fluctibus ſunt obruti præter paucos, qui tum demũ ſuæ uanitatis admoniti ſunt Chriſtum confeſsi. Situs eſt Cæleſtinus extra urbem uia Salaria, ad Priſcillæ cœmiterium. Xixtus Romani generis poſt illum pontifex fuit, huius nominis tertius, incidit eius põtificatus in Valentiniani tempora, eoq; ſedente Vandali ut Platina ſcribit, Aphricam Romanis ademerunt, inſectatiq; ſunt atrociter barbari, Arrianorum impulſu, orthodoxæ fidei uiros illuſtres, qui quũ ad Arianam impietatẽ neq; Genſerici autoritate, neq; minis traduci potuiſſent, uiri ex his pientiſsimi atq; Hiſpani generis, Arcadius, Probus, Paſchaſius & Eutius, etſi barbaro regi antea familiares, uarijs cruciatibus affecti martyrium tulere. Pari conſtantia reſtitit Paullillus puer formæ elegantia & ingenio antea regi conciliatus, cæterum fuſtuario admotus, quia mutari non potuit, infami eſt ſeruitio addictus. Alie nata eſt Aphrica à Romano imperio, anno ab excidio Carthaginis, quo tempore facta fuerat prouincia, quingenteſimo, quarto; & octogeſimo. Et res alibi in hunc modum habebant, cum Hunni Attylæ ductu Galliam irrupere. Etius qui eam prouinciam præſidio obtinebat terribili hoſtium apparatu commotus, pro non paruo habuit negotio Gothorum opes ſuis adiungere, cum Theodorico eius gentis rege, quocum iampridem graue bellum conflatum habebat, erantq; clades multæ hinc inde illatę & acceptæ, his conditionibus fœdus percuſsit, ut communi impenſa, & paribus copijs bellum aduerſus Hunnos gererent. Affuerunt his præter Romanos & Gothos Halanorum auxilia, affuerunt & Burgundij, Franci, Saxones, Riparioli, Lãbriones, & Sarmatæ, Luteriani, magis Attylæ odio, quàm Romanorũ ſtudio adducti. Erat Hunni ſuperbia feraq; crudelitas omnibus terris nota, quę res fecit, ut neq; Theodoricus rex magnis pollicitationibus ad ſocietatẽ belli inuitatus flecti ab eo potuerit, nec Etius promiſſa quæ ab Hunno repetebãtur, preſtiterit. Rumor enim erat Etij impulſu res Ro. imperij Hunnum inuadere ſtatuiſſe, ut non ſit abſurdum credere Attylã Etij odio ut hominis perfidiam ulciſceretur, decreto Galliam petiiſſe, quum multo breuius, quod poſtea fecit, per Illyricum iter ad Italiam inuadendam patuiſſet. Habuit Attyla ſecum Gepidarũ & Oſtrogothorum reges, fuerũt Oſtrogothi etſi cognatum genus à Viſigothis tamen diuerſi, aderant Hunno præter iam dictos Marcomanni, Quadi, Heruli, Turingi, ut ad quingenta milia armatorũ ſub ſignis eſſent. Germaniam itaq; cum ſtrage & ruina peruagatus, in Galliam Hunnus irrupit, Remenſeq; primo adortus miſerabili clade affecit: perijt ea clade Nicaſius urbis antiſtes, uir ſanctitate illuſtris, caput cruice defecta diuinum carmen protuliſſe dicitur. In Cataſaunicis eſt inde campis conflictum, haud procul à Toloſa. Nulla hominum memoria maiores in Europa exercitus, infeſtioribuſq; animis acie dimicarunt, fuit itaq; prælium ab initio cruentum, tantaq; uis hominum confecta, ut humani ſanguinis riui fluxiſſe dicantur, quæ fama eò facilius fidem inuenit, quod tanta ſit utring; eo die cædes edita, quanta nullo alio, quod proditũ ſit, prælio, eratq; adhuc mars anceps, cum nox incerto autore emiſſa, diremit certamen: qualis illa fuerit autores quos ſequimur non ponunt. Ad clxxx. milia hominum ea acie occubuiſſe dicuntur, & in his Theodoricus rex Trasimundi pater, fuitq; ea pugna multo Hunnis funeſtior, adeò ut Attyla de morte ſibi conciſcenda poſt pugnam cogitarit, cui famæ ne grauatè accedã ſubitus Hunni digreſſus facit, qui afflictarum uirium ſibi conſcius, traiecto confeſtim Rheno, exercitũ male affectum in Pannoniam reduxit, magis ob eã cladem irritatus, quàm à re bellica deterritus. Erat iam Pannonia Hunnorum ſedes facta, unde recens nomen ſortita uideri poteſt, ut ab Hunnis & Garis qui cum ea gente militaſſe dicuntur, Hungaria ſit ad poſteros dicta. Cęlius Hunnos fuiſſe ait, qui & Auares, unde id nomen factum uideri poteſt, ut duplex uox in unam coaluerit. Eratq; Attyla in reparando bello uehementer occupatus, atq; id unum præter cætera meditari, qua ui, quáue arte Toloſanæ pugnæ ignominiam aboleret, rependeretq; Romano nomini cumulatã cladem. Vnus Etius cuius uirtus in eo prælio præcipue clara fuit, Attylam anxium habebat, unus in mora eſſe quo minus barbarus cõtinuo bellum inferret Italiæ. Cæterum fortuna Romani imperij quæ in perniciem omnia trahebat, eam unã impendentium malorum breui ſuſtulit moram. Etius in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem adductus, Valentiniani iuſſu Romæ interficitur. Suſpicari libet Toloſanam pugnam fuiſſe illi fraudi, quod quũ Attylam delere potuiſſet, noluerit, ſocijs gentibus ad id eum hortantibus, ut hoſtem afflictũ, & ob acceptam cladem ſibi diffidentem, omnibus copijs in uaderet. Cæterum Etius magno in ea re uſus conſilio dicitur, cui quum nõ minus ſociorum quàm hoſtium ſuſpecta eſſet fides, maluit eſſe quem tãta barbarorum colluuio formidaret quàm ut eo ſublato Romanum imperium hoſtem deſtinaret. Sunt qui ſcribant Etium Romæ à Bonifacio ſuperatum, qui ex Aphrica reuerſus magiſteriũ militum inuaſerat, uerum hoſtis ille an Valentiniano reconciliatus parum liquido traditur, Bonifacius paucis diebus quibus proſpere in Etium dimicauit, Romæ fatali eſt morte cõſumptus, ſi Proſper uerus eſt autor. Xixtꝰ pontifex qui inter initia ſui pontificatus à Baſſo in iudicium fuit adductus, quis autem fuerit Baſſus, & quam illi calumniam intenderit, non tradunt autores quos ſequimur, ſeptem & quinquaginta antiſtitum conuentu omnibus eſt abſolutus ſuffragijs, indicto accuſatori exilio, quem poſtea extinctum Xixtus piè ſuis funerauit manibus, adeò tũ magis fuit pietatis ſtudium, quàm ultionis. Ædes uirginis ad Macellum Liuiæ prius, mox ad præſepium, Maioris poſtremo cognomen adepta, Xixti fuiſſe opus traditur. Idem donarijs inſtruxit ampliſsimis, ditauitq; prędijs. Excoluit & ambonem templi porphyriticis lapidibus. Ornauit Valẽtianus Xixti rogatu, quædam Romæ templa, & argenteũ faſtigiũ Conſtantianæ Baſilicæ à Barbaris ſublatum reſtituit. Sabinæ templum in Auentino per idem tempus Petrus quidam antiſtes Illyrici generis ſtatuit: alij Cę-

Neſtorij deliriũm.

Attende dæmonis ludibrium.

Xixtus pontifex.

Piorum martyrũ in Aphrica

Nicaſius.

Attylæ & Etij conflictus.

Cæſorum numerus.

Vnde Hungaria.

Etij interitus.

Bonifacij interitus.

Xixti opera.

Viri illustres.

lestino sedente id factum non Xixto arbitrantur, ue
tustum carmen secuti, quod in parte templi ad hunc
diem durat. Viri eruditione insignes cum Xixto ui-
xere, Eusebius Cremonensis, & Philippus, Hierony
mi assectatores, Eucherius Lugdunēsis antistes. Hic
dicendi copia & doctrina celebris, illi sermonis ele
gantia & dignitate, ut Hieronymi discipulos agno-
scas. Vixit & Hilarius Arelatēsis, quū pari doctrina,
tum sanctitate nobilis. Objt Xixtus anno quàm se
dere cœperat octauo, estque Tyburtina uia sepultus
in Laurentiano conditorio. Leo huius nominis pri
mus Tuscus genere, in demortui locum pōtifex est
factus. Attyla accepto de Etij morte nuntio, Italicā
expeditionem maturauit, ratus nihil superesse am-
plius, quod suis conatibus obstaret, Etio sublato cu
ius ductu res Romana uictrix fuit Tolosana acie,
Burgundij & Franci Romanis cesserant armis, Visi
gothi adiuncti. Lætus tanto nuntio, ac uelut uincu-
lis solutus, reges & primores gentium qui ad id tē-
pus cum Hunnis commilitium fecerant ad se uoca-

Attylæ oratio.

tos, in hunc est modum allocutus. Occasio rerū om
nium gerendarum mater, negat nobis quiescēdum
esse amplius uiri fortissimi, offert illa se se nobis ul-
trò, hortaturq; simul ne oblatam repudiemus, utsi
per ignauiam prætermissa sit, frustra à nobis postea
requiratur. Hæc illa succlamans animo facile perpu
lit, ut uos de communi laude appellarem, nō ut uos
ad bellū hortarer, supuacu⁹ est enim omnis apud ui
ros fortes de huiusmodi re sermo, præsertim cū uir-
tus uestra sit tam mihi explorata, ut nihil explorati-
us esse possit. Vos mecū Sarmatas uicistis, uos Thra
ciam, Mysiam, Macedoniam & Illyricum populati
estis. Germaniam affixistis, postremo Galliā uicto-
res peruagati, acie cum toto occidente conflixistis.
Fuit (fateor) pugna illa nobis parū prospera, at fuit
& hostibus non incruenta. Essem ego uerè ingratus
nisi tantæ uirtutis essem omni tempore memor, nō B
igitur adhortatione opus est hic, ubi non desunt ani
mi, sed supersunt. Nec quid uobis agendum sit me
dicere oportet, sed quid ex pulcherrimo facinore,
quod animo molior, sit sperādum. Nemo est uestrū
uiri fortissimi qui non abunde intelligat quantum
paucis annis retrò abierint opes Ro. imperij, quan-
tis res Romana intra extraq; Italiam sit cladibus af-
fecta, ut non solum Romani Populi prouinciæ prę-
dæ fuerint hostibus, sed ipsa etiam Romani imperij
caput bis à Gothis capta sit, bis direpta & incensa,
potuisset Romanū nomen cum ipsa urbe funditus
deleri, nisi muliebres illecebræ plus apud Athaul-
phum quàm suum suæq; gentis decus ualuissent. Iā
res eò uenit, ut nihil præter Italiam ex tanto nuper
imperio, sit Romanis reliquum. Vandali Aphricam
possident, Visigothi Iberiam, Angli Britanniā, Ger-
mani per partes sibi Galliam uēdicant. Pannonia no
stra est. Mysia, Thracia, Macedonia, Illyricum prædę
nobis cesserunt, sola Italia supereſt, quæ quo opulē-
tior est, eo maiore studio nobis adnitēdum ut captā
diripiamus, sed quid adnitendum dixi? quasi uero
maiore aliquo conatu opus sit in ea terra subigēda,
quæ nullis sit fulta præsidijs, nō duces illi præsidio
adsunt, non exercitus ulli, non noui delectus, Etius
uir acer unicum ueteris disciplinæ exemplū, & qui
unus omnium nostris obstabat consilijs, Valentini
ani est iussu interfectus. Ipse neq; paci, neq; bello bo
nus, parum, ut mihi dicitur, sibi constat: sedet Italia
omni præsidio spoliata, afflictarum rerum sibi con-
scia, & ob eam rem suis diffisa uiribus, magis prædę
quàm obstaculo inuadentibus futura. Ne igitur per
ignauiam & inertiam tantam prætermisisse occasi-
onem uideamur, inuadere, quod mihi & uobis be-
ne uertat, constitui eam terram, qua capta totus or-
bis à nobis captus uideri poterit, atq; ita rem matu-
rari uolo, ut prius Italiæ finibus si fieri poterit, insi-
nuemur, quàm nos hinc mouisse sciri possit. Pate-

A bunt nobis omnia, non urbes, non arces, non flumi
na obstabunt. Nec uerendum est ne non & Romam
petituri simus, nisi Visigothi urbem opibus florēn
tem & ueterem fortunam adhuc spirantem, bis ca-
pere potuerunt. Hunni qui gentem ipsam & eorum
cognatos toties uicere, non posse putandi sunt, ne-
scierunt Gothi uti uictoria, at Hunni sciēt. Dabo uo
bis urbem captam diripiendam, direptam excidio
dedam, eritq; tantæ urbis præda ingens, longeque
opulentior quàm quisquam possit animo concipe-
re, ut quæ sit ex omnium gentium spolijs congesta.
Sed inclytæ uictoriæ fama ad posteros multo clari-
or, quàm ulla possit ætas abolere. Omnis posteritas
mirabitur Hunnicam uirtutem, mirabitur felicita-
tem, nec tantum superbissimæ urbis euersores præ-
dicabimur, sed terrarum omnium humaniq; gene
ris ultores. Addo illud quod ad uictoriæ magnitu-
dinem attinet, Roma capta & excisa, Italia direpta,
nullæ amplius gentes nostris obstabunt armis, uel
quia non poterunt, aut quia post Romam captam

Peroratio

resistere non audebunt. Accingimini uiri fortes fe-
licissimæ expeditioni, equos, arma, uiros, cæteraq;
ad bellum necessaria maturate, nequid in mora sit,
celeritate opus est, cætera fortuna & uirtus confici-
ent. Hæc quia non magis speciosa dictu quàm facili
a facta, omnibus qui aderant uisa sunt, ob accisas
Romani imperij opes, cuncti ingenti alacritate sunt
Attylæ orationi assensi. Iussi itaque in certum diem
adesse concilio dimittuntur, nec longior inde mora
fuit, pleręque ferocissimæ gentes cum suis regibus
affuere, Ostrogothi, Heruli, Turcilingi, Quadi, Rugi,
quibus Hunnus auxilijs fretus Illyricum tumultu-
ose inuadit, cum strage rerum omnium quacunque
iret, ad mare fœdissima illa armorum tempestas in-

Delmatiæ Hunnis restatur.

clinauit. Littorales Delmatiæ urbes, nullo Martia-
ni qui Byzantij imperabat præsidio munitæ, breui
in prędam concessere. Tragurium, Sibinicum, Iade-
ra, Signia, Pola, Tergestum, direptæ & incensæ. Sūt
qui ex Pannonia sine deflexu Italiā petisse scribāt,
ut per campestria Hunnus duxerit & plana prope-
modum loca, qualis uia à Buda regia Pannoniæ ur
be, in qua munienda ferunt Bledam Attylæ opera
interfectum, ad Aquileiæ cōfinium ducit, siquidem
in magno Alpium circunactu nullibi earum juga ca
stigatius assurgunt, quàm inter Zagabriam & Lubi
anam, quæ Liburniæ est, ac patēs saltus uel onustis
peruius curribus in Italiā transmittit per colles mol
liter accliuos. Lubiana hinc fluuius labitur, olim, cre
do, Corcoras dictus, Corcoras quod satis constat, Sa

Corcoræ.

bo insunditur, Sabus Drabo, Drabus Noaro, Noar⁹
in Scordiscis Danubio infusus nomen amittit. Vlpa
uus diuerso Alpini saltus latere ortus, præter Gori-
ciam humili ualle decurrens Sontio miscetur, mi-

Sontius.

xtusque sine nomine in Adriam defertur. Sontius
cuius nomen ueterum scriptorum nullus quod sci-
am, misit in literas, uno apud Verucam oppidum à
Gothis conditum (hodie Monsfalco est) in mare e-
uoluitur ostio. Hæc est pars illa Alpium inuidia na-
turæ ad Italiæ pernicié peruia barbaris gentib⁹ reli
cta. Transcensæ sunt, fateor, nō uno loco Alpes, alio
loco ab alijs gentibus, Graijq; primi omnium Her-

Quæ partes Italiæ ternis armis

culis ductu eas superasse dicuntur, inde sæpius Gal
li, mox Pœni, Theutones deinceps, Cimbri, & Am-
brones, fueruntque conatus illi laborioſi, & perdiffi
ciles in emollienda naturæ asperitate, quæ tanta ali
bi est, ut non temerè gens una sit uestigia alterius se
cuta. Hunc uero natura locum gentibus parare uo-
luit ad Italiam infestandam, qua uelut patenti por-
ta admissæ terram ad imperandum alioqui natam
semper solicitam haberent: hac Gothi insinuati in I-
taliæ uiscera penetrarunt: hac Hunni, Heruli, Aua-
res, Langobardi, Hungari, aliæque infestæ gentes:
hac Turci omnium immanissimi, nostra tempestate
crebro transmissi, Carnorum oram ferro & igni po-
pulati

pulati sunt. Obstruxit loca hæc olim Maximus ty-
rannus ut Theodosium Italia excluderet, sed hostiū
consilio deceptus irritum fluxit illi opus: obstruxe-
runt Othomanico bello & Veneti, circa Sontiū am-
nem, aliquot milibus passuum fluuialibus ripis mu
nitione imposita. Est & Attylæ nonnihil copiarum
circa Phamaticum sinum & Arsiam Italiæ confiniū
ueniēti obiectum, quo apparet aut per Delmatiam
Hunnum Istriæ insinuatum aut copiarum partem
ad eius terræ populationem à rege missam. Sed qui
à Valentiniano sunt barbaris obiecti, priusquam ho
stis affuisset, metu dilapsi retrò fuga abierunt. Atty-

Attyla Italiam inuadit.

la tumultuose Italiam ingressus, Aquileię proximus

Aquileia.

consedit. Est urbs hæc sita in maritima Carnorum
ora, Latina colonia barbaris Italiæ incumbentibus
opposita. Fuit hic annus quo Attyla est Italiam in-
gressus, quinquagesimus humanæ salutis, ac qua-
dringentesimus, undetrigesimus ab eo quo priore
tumultu Hunnico, quum Mandulci siue ut plures
scribunt, iuuenis admodum Attylæ ductu Hunno-
rum arma in Illyricum usque processerunt, quo tem
pore ab his qui ex Patauio in insulas migrarunt, cir-
ca Riuumaltum iacta fuerant prima urbis fundamē
ta. Cæterum multo frequentius tum demum ex to
ta continētis ora est ad littora & insulas decursum,
ubi immanissimus hostis in conspectu fuit. Aquile-
iensium imbellis multitudo Gradum occupat, Con
cordienses Caprulas, Altinates & Opitergini Mau-

Migratio Venetorū ad insulas.

rianum, Maiorbium & alias circuniectas insulas, Pa
tauinorum maior numerus quàm antea Riuumal-
tum, tanquam coloniam iam antea constitutam, &
& alias quæ illi adiacent, tenuerunt insulas, Ateſten
ses, Silicini & alij finitimi pari trepidatione, qua cui-
que proximum fuit, circa fossam Clodiam, Philesti-
nam, & Metamaucum, consedere. Hoc multo ueri-
us traditur quàm quod quidam scribunt, esse tum
demum fugam à priscis Venetis factam, posteaquā B
Aquileia capta & excisa est, cœptæque sunt cæteræ
urbes expugnari, tunc quum ne integrum quidem
fuisset, per ferrum & hostes imbellem multitudinē
& fortunas traducere. Quòd si non omnis multitu-
do sub primam Aquileiæ oppugnationem sit in tu-
tum dilapsa, at certè imbellem ætatem & sexum prę
missum fateri oportet. Attyla continuo Italiam in-
gressus, finitimas urbes ad defectionem impellere
conatus est, fassus se Romam decreto petere, huic u-
ni se non Italiæ bellum inferre. Conducere itaque
omnibus se pacatum accipere quàm hostem experi-
iri. Hunnorum feritas fecit ut ex nullo ferè loco pa
catum Hunnis tulerint respōsum. Cælius Tauriſi-
um & Veronam deditas autor est. Tum Attyla A-
quileiam summa ui adortus, copiarum partem iu-
bet porrò ire, omnemque regionem populari, capta
oppida diripere & incendere, estque fœda illa armo
rum procella totā Venetiæ oram calamitose peruā-
gata. Fuit Hunno Aquileiensis obsidio multo labo-
riosior quàm animo conceperat, quo contigit ut cō
sumptis omnibus quæ in agris erant, cœptum sit in
castris frugum inopia laborari. Parte itaque exerci-
tus ad obsidionem relicta, Attyla cum cætero copi-
arum robore Concordiam adortus, multa ui capit,
nec gratuita cōtigit uictoria, septendecim milibus
hominum circa urbem amissis, dubium prælio an

Aquileiæ obsidio.

urbis oppugnatione. Concordia direpta est, atque
incendio consumpta, extant hodie uestigia, & ædi-
ficia adhuc pleraque, incubantque in uici cuiusdam
speciem Limeni fluuio unde & Portus oppidum
nunc celebre, paululum supra eum locum, ubi fuit
Concordia. Limen enim Graia uoce portus est. Con
cordia excisa, Opiterginos, & Altinates sæua illa tē-
pestas adorta est, utraq; ciuitas amissis urbibus ad
mare compulsa est. Sex insulæ suburbanæ quas Al-
tinates tenuerunt, à senis partibus amissæ urbis no-
men sortitæ sunt, plures portarum illa aiunt fuisse

Concordiæ excidio deditur.

A nomina, Torcellum, sunt qui Turicellum malint ap
pellare, Amorianum, Maiorbium, Boreanum, Con-
stātiacum & Amianum, ex his duæ nouissimæ ob-
rutæ iacent stagno, modicis adhuc extantibus uesti
gijs, quæ magis hominum cura est ab aquis tutata,
quàm locorum natura. Patauium inde & Vicetia, ut

Patauium & Vicetia capiuntur.

Cælio placuit, excidio deditæ, quo successu Attyla
ferocior factus, totus in Aquileienses uertitur, fre-
mere, uehementerque indignari unam urbem no-
bilissimæ uictoriæ cursum remorari, & iam omni-
bus tota regione consumptis, sentiri cœpta est in ca
stris pœnuria rerum omnium, nec iam ambiguę uo-
ces exaudiebantur tam inertem detrectantium mi-
litiam, poscentiumque ut aut Romam uersus mo-
uerentur castra, aut in Pannoniam ad liberos & u-
xores dimitterentur: obsidebatur enim iam in ter-
tium annum Aquileia, ut plures scribunt, & si mi-
rum uideri possit quomodo sit factum, ut regio ma
gis amœna quà ferax, tandiu immensum alere po-
tuerit exercitū. Cæterū siue obsidio tā longa fuit, si
ue, quod credere par est, multo breuior, Attyla cura
rum plenus, cum forte urbem obequitaret, Cico-
niæ, ut fertur, augurio confirmatus, quæ implumes
pullos rostro ad mare deferret, alij coniectura non
augurio ductum uolunt: q, conspicatus ille auē sta-
tionarij militis simulachro insidentem, ratus quod
erat urbem à ciuibus & præsidio metu desertam,
iusserit signa inferri. Qui augurio confirmatum a-
iunt, urbem ui captam uolunt. Quibus Cælius haud

Aquileiensium cædes.

dubie astipulatur, is septem & triginta milia homi-
num sub hostium irruptionem cæsa autor est, huic
opinioni siquis accedat, fateatur necesse est urbem
summa ope expugnatam. Cæterum, quoquo modo
capta est, urbs ab irato hoste direpta & incensa est,

Aquileiæ excidium.

ac funditus euersa, ita ut ne uestigia quidem ulla ex
tent hodie ueteris Aquileiæ aut certe perrara. Adji-
ciunt urbis ui captæ autores exemplum muliebris
pudicitiæ ad posteros memorabile, quū uictor Hū-
nus non cruente solum, sed libidinose etiam exer-
ceret uictoriam, passimque uirgines matronæque
ad stuprum traherentur, una reperta est digna cuius

Aquileiensium pudicitia.

nomen omni æuo uiueret, nisi nomen ipsum inter-
cidisset, hæc imminentem sibi hostem in altiores
ædium partes uitabunda quum forte euasisset, in-
staretque intemperans Hunnus blandienti potius
quàm minanti similis, tum illa in lachrymas & pre-
ces uersa, uim deprecari est adorta. Cæterum quum
nihil proficeret, age, inquit, & me quando ita libet
sequere, ut optato potiaris, ac cum his ne hoste qui-
dem tale facinus expectante, in subiectum sese flu-
men præcipitem dedit. Dicuntur & aliæ pleræque
ne uim paterentur, sibi pectus & ora fœtidæ carnis
contactu coinquinasse, ut ad primum congressum
pro fastiditis intactæ dimitterentur, sed hæc mul-
tum à fide abhorrere uidentur, ut in tam atroci ex-
cidio uacauerit mulieribus hæc ludibria comminis-
ci, præsertim quum per omnem sexum & ætatem
sit cædes euagata, ut quibusdam placere uideo, nec
illud satis probo quod quidam negant potuisse ho
stem falli ab urbana multitudine, ut urbs silētio de-
seri potuerit, ijs qui assidebant nihil sentientibus,
tanquam fando nunquam auditum sit, aut à nullo
proditum, qui obsidione tenerentur, silentio noctis
deceptis hostibus in pacatum abijsse. Quod Aqui-
leiēsibus multo facilibus fuit ob proximum mare,
tesquosaque ea parte loca quę ab hoste insideri non
potuerunt. Sed hæc in medio relinquenda, non ali-
ter quàm ea quæ de Vtini origine non uno sunt mo
do memoriæ prodita. Nam non desunt qui arcem
urbe media extantem Hunnorum fuisse opus arbi-
trarentur, cui opinioni profundissimi putei tumulo
ad aquandi usum circuniecti, satis quidem astipu-
lantur. Sed multo magis ipsius loci nomen, etenim
nihil inepte uideor mihi ab initio feciſſe, quum in

libris quos de uetustate Aquileiæ primo studiorum tyrocinio scripsimus, Hunnũ pro Vtino scripsi, hoc magis placet quàm quod Forliuiensis Blondus existimat, Austranorum id fuisse opus, Hunnicisque temporibus recentius. Nec quia autores rerum à Gothis & Longobardis in Italia gestarum nihil eius rei meminerunt, non idcirco ad Hunnos tanta res referenda est, quum ne admirationi quidem fuerit locus cuiquam aut esse potuerit, nisi postea quam excoli cœptus, ingensque illa ædificij moles tumulo imposita. At non scripserunt alij. Certe qui de rebus circa Aquileiam gestis commentarios scriptos reliquerunt non prætermittunt, quibus eò libentius accedo, quod eorum quidam indigenæ fuerũt. Sed iam uideri possum propositi stili propemodum oblitus. Quare breuiter sunt cætera Hunnorum referenda. Attyla Aquileia excisa, cæteris urbibus partim direptis & incensis, partim metu deditis, late in ter Abduam & Athesim peruagatus, præter urbes iam dictas, Mantuam, Brixiam, Cremonam, Bergomum, pari clade affecit. Rauennam quoque ab eo captam memorant quidam. Cæterum quia dedita esset, minus in Rauennates sæuitum. Peropportunus urbis situs haud dubie fecit, ut ad omnes externos motus, siue ab ortu, siue ab aquilone impenderent Italię, Roma olim libera, & mox Romani principes huc obuiam processerint. Quod quum alij antea plerique numero, tum Attylano bello Valentinianus fecit. Qui quandiu Aquileia obsessa est ab Hunnis & oppugnata, sese Rauennæ tenuit, suggerens ijs qui in obsidione erant subsidia. Contulit & Aquileiæ quandiu stetit ad celebritatem sua loci opportunitas, quod uelut Italię claustra obtineret. Quibus sane contigit, ut secundum Romam ubi sita erat totius imperij summa, inter cæteras Italię urbes Aquileia, & Rauenna diu in præcipua celebritate fuerint. Attyla Rauenna peritus, omnem Italiæ tractum inter Apenninum & Alpes miserabili clade afflixit, Ticino, Placentia, Parma, Mutina direptis. Apenninum inde transgressus, in Hetruriam sæuientis procellæ modo sese barbarus effudit. Actum erat de Romano imperio. Actum de salute urbis. Erat hostis iam propemodum in conspectu, quum Valentiniani hortatu Leo pontifex iam grandis natu cum altero consulum, & parte non parua Romani senatus, ad Attylam uenit multa canitie, & augustiore habitu uenerabilis. Erat tunc Attyla, ut quidam prodiderunt, circa Mincium amnem, alij Apenninum ab eo superatum meminerunt. Cæterum fieri potuit, ut parte exercitus Apenninum transgressa, ipse adhuc circa Mincium sederet. Sed ubicunque ille repertus est, supplex Leo ita regem affatus dicitur. Senatus Populusque Romanus quondam urbis uictor, nunc uero uictus suppliciter abs te ueniam & salutem precatur rex regum Attyla, nihil tibi in tanta gestarum rerum gloria contingere potuit, aut ad præsens decus pulchrius, aut ad posteros memorabilius, quàm ut is populus supplex ad tuos pedes iaceret, ante quem olim omnes gentes & reges supplices iacuerunt. Subegisti quidem Attyla omnem orbem terrarum cui Romanos omnium gentium uictores subigere est datum. Nunc tantum precamur, ut teipsum uincas, qui uincis cætera, nec est quando iam omne humanitatis fastigium transcendisti, in quo deo immortali similior esse possis, q̃ quo plures uiceris, plures per te saluos esse uelis, sentiant mali flagellum tuum, sentiant nunc supplices clementiam, uel quia se uictos fateãtur, aut quia sunt ultrò imperata facturi. Hæc Leo in cuius habitu uenerabilique aspectu contemplando quum tacitus staret Attyla deliberabũdo similis, utrum precanti daret ueniam, consul & senatus ad eius pedes cum lachrymis prouolutus iacuit, tum ille etsi Barbarus atrociq́ue ingenio, humanæ tamen sortis admonitus, reputans simul animo terrenarum rerum inconstantiam, quod senatus ille à quo omnes gentes quandoque iura petijssent, nunc uictus supplex, prostratus, ante suos pedes iaceret, surgere ac stare iussis, Bono sitis, inquit, animo. Datur uobis uenia. Cælius autor est tributum Romanis ab Attyla imperatum, quod illi polliciti sint Hunno quotannis pendere. Mirari reges & primores ducum subitam in Attyla mutationem, rogatusque ab his qui proximè steterant, quid esset quod tam facile pulcherrimam lachrymis hostium uictoriam condonasset, respondisse fertur oportuisse sic fieri, quando medio affatu duo sibi uisi essent dextra, læuaque uiri augustiore habitu pro pontifice astare, qui strictum sibi ferrum intenderent, nisi illius dicto obtemperaret. Sed nostra, inquit, Roma est, & quicquid Romanorum paret imperio, quando Hunnorum sunt uectigales facti, satis abunde uictoria parta est, si populum Italiæ & imperij caput subegimus, ut non modo se uictum fateatur, sed ad nostros prostratus pedes iacuerit, supplex ueniam & pacem implorans, imperata facere non recusarit, tributum quod imperauimus promiserit soluere. Ite læti, clarisimq́; uictoriæ compotes facti, opulenta onusti prędа, lares, liberos, uxores, & omnia quæ uobis charissima sunt reuisite. Iam satis gloriæ quæsitum est, nec fortuna ulterius fatiganda, ne quum omnia uelimus, subito aliquo casu omnia adimantur. Scio fuisse qui scriberent Attylam aruspicum monitis Roma abstinuisse, canentium non expedire ipsius saluti eam urbem adire, quam captam Alaricus fato absumptus retinere nequiuisset. Siue igitur humano consilio, siue diuino potius accidit, ut ex atrocissimo nuper hoste humanique cruoris appetentissimo sit ille tam mitis factus, pace Romanis reddita, Attyla in Pannoniam cum uictore exercitu reuersus, quum in Idilconis nuptijs quam sibi matrimonio iungebat largius se uino, & omnifariam crapula ingurgitasset, profluuio sanguinis dormiẽs extinctus est, anno sexto & quinquagesimo uitæ. Cælius eo die natum prodidit, quo & dictator Cæsar, atque idibus Martijs extinctum. Qua luce is in curia tribus & uiginti confossus est uulneribus. Ferunt ea nocte qua Attyla extinctus est, Martianum, qui tum orientale obtinebat imperium, per quietem imaginatum se cernere arcum Attylæ regis diffractum, adeò nonnunquam hominum animi suę originis admonitu fiunt futurorum participes. Fuitque hic annus, quo Attyla ex humanis decesit, quartus & quadragesimus ab eo quo fuerat Roma à Gothis capta, quo temporis spatio, Daciam, Sarmatiam, & quicquid terrarum est intra Rhenum, & Danubium Romanum amisit imperium. Est & Hispania ulterior per idem tempus alienata, Vasconia, Aquitania, & pars Galliæ longè opulentissima. Hunnorum opes cum Attyla propemodum exciderunt, Ostrogothorum Valamirus, & frater, & Ardericus Gepidarum reges, primi omnium sese in libertatem uendicant, horum defectionẽ studio sequuntur Marcomãni, Quadi, Heruli, & Turingi. Duricus & Hernacus Attylæ filij Hunnicis freti armis, Valamirum & Ardericum autores defectionis decreto inuadunt. Hunni duplici prælio uicti, Hernacoque in pugna amisso in Scythiam compelluntur, adeò rebus duplici pugna accisis, ut iam inde nihil memorabile gesserint. Et Hunnorum opes sic breui retrò abierunt. Valentinianus, qui puer adhuc Honorio auũculo successit, quod eo principe Roma esset Hunnorum uectigalis facta, etsi uulgo antea odio esse cœperat ob Etianam cædem, tum uero publica illa ignominia adhuc inuisior factus, anno postquam Attyla Italiam reliquit, Romæ in loco qui tunc ad Laurum dicebatur,

Quæ urbes ab Attyla captæ.

Attylæ progressus.

Oratio Leonis pontificis ad Attylam.

Attylæ mitsculum.

Attylæ interitus.

Attende somnij speciem.

Hunnorũ res dilabuntur.

batur, interfectus est, anno quàm imperare cœperat trigesimo. Tralila qui sub Etio stipendia fecerat, cæterum Maximo quiimperium occupauit impulsore interfecit, Etianæ cædis ultionem tam audaci flagitio astruens. Vixit plurimum Rauennæ Valentinianus, estque ab eo urbs ipsa quum murorum refectione, tum publicis exculta ædificijs, factaque urbium quatuordecim caput. Antistitem urbis laneo donauit pallio, quo tum solus utebatur imperator, unde altercatio illa insolens Rauennatium antistitum orta, Romano pontifici æquari poscentium. Maximus cuius opera olim Etius perijt, inde & Valentinianus, imperium inuasit, simulque Eudoxam Valentiniani, ut plures scribunt, uxorem, alij sororem fuisse aiunt, inuitam & resistentem sibi matrimonio iungit. Persuasum habuit tyrannus fore ut per eam exercitus & prouinciæ sibi obsequentiores essent. Sed ille multum sua deceptus est opinione: enimuero mulier uiolentis nuptijs adhuc magis irritata studium noui connubij palam assimulat, occulte uero per fidissimum nuntium Gensericum Vandalorum regem in Italiam ex Aphrica accersit. Nec barbarus tantam prætermisit occasionem, delectu ex Aphris Mauris, & Vandalis mature habito, ad trecenta armatorum milia contrahit, nec longior inde fuit mora, cum his Vandalus copijs in Italiam prius penè transgressus est, quàm quid pararet sciri potuerit. Im prouisa res, famaque tam numerosi exercitus tantum Romanæ ciuitati terrorem iniecit, ut innumeri mortales, & in his nobilissimus quisque relicta urbe, in montes, syluas, & loca deuia munitioraque oppida pertrepide abierint. Maximus tanti mali autor, dum & ipse fugam meditatur, ab Vrso Romani sanguinis uiro impigro interficitur. Prodijt Leo pontifex obuiam Gensérico uenienti, suppliciterque precatus est, ut ab ea urbe iniuriam abstineret, cui Attyla omnium hominum immanissimus, uictor pepercisset, aut si urbem suis diripiendam dare in animo haberet, parceret saltem templis, parceret ædificijs publicis, & priuatis, urbem nobilissimam, ciuibusque magna ex parte uacuam ab excidio seruaret. Erat Gensericus Arrianæ hæresis ueneno imbutus, & ob eam rem Orthodoxę fidei iam antea infestus. Quem quum talis esset, neque personæ dignitas flectere potuit, neque pietas religionis quin Romam ingressus, omnia sacra & prophana promiscuè fœdauit, quatuordecim dies consumpti in egerenda præda, abductaque est uis ingẽs hominum omnis sexus & ętatis, quam Eudoxa Romanis irata, cum filia ex Valentiniano genita, secum in Aphricam asportauit ut magis urbem deformaret: atque per hunc modum Vandalorum ductu, Aphrica Carthaginis excidium suasque clades ulta est. Gensericus ex urbe digressus, Latium populatur, Capuam ui captam diripuit, direptam solo adæquauit. Neapolis inde multa ope est à Vandalis oppugnata, sed maiore aliquanto defensa. Gensericus præsenti conatu frustratus, Neapolitana obsidione omissa, in Aphricam transmisit. Fuit hic annus quo Roma est à Vandalis direpta, octauus & quadragesimus ab eo quo eam Visigothi, Alarici ductu, ceperant. Humanæ uero salutis quadringentesimus, sextus ac quinqua gesimus, quũ Martianus iam sextum annum Byzantij imperaret.

Valentinianus interficitur.

Attende Eudoxæ necessarium consilium.

Roma deseritur. Maximi cædes.

Roma diripitur.

ENNEADIS VIII. LIBER II.

Rbs Roma Vandalico terrore defuncta, iterum frequẽtari cœpta est, creauitq́; senatus imperatorẽ ex suo ordine, Auitum quendam, cum quo Martianus fœdus & societatem iunxit, utin tantis Barbarorum motibus utrunq; imperium auxilio esset alteri, mutuoq́; fauore starent. Cæterum Gothi, qui Attylæ & Hũnorum metu aliquandiu quieuerant, ubi Attylam defunctum, eiusq́; gentis opes accisas audiuere, Romæq́; Valentinianum interfectum, ac postremò urbem à Vandalis direptam, Rómanum nomen asperi nati reliquum Hispaniæ, cum tota transalpina Gallia, præter eam terram, quam Burgundi & Francorũ gens habebat, armis sibi uindicãt: Narbonensis prouincia Geruandi præsidio defensa est. Quem Valentinianus ipsi terræ præsidere iusserat. Inter Gothici motus initia Martianus septimo sui imperij anno, uita decesit. Leo primus Graij sanguinis, cæterum sextus decimus à Constantino, post Martianum orientalis est imperio potitus. Fuerunt qui Basilicũ non Græcum fuisse traderent. Hoc principe in perpetuo motu res Italię fuerunt. Primo Leonis anno Auitus Romę fato defunctus est, post quem Maioranus imperauit, prærogatiua militari Rauennæ ab exercitu imperator appellatus, Leonis, ut creditur, impulsu. Is cum iam tertium annum imperaret, circa Derronam in Cisalpina Gallia, tumultu militari interficitur. Post Maiorani cædem Seuerianus Romę imperator appellatur. Primo huius imperij anno Biorgo, Hallanorum rex, sunt hi postea, ut quidam arbitrantur, Alemani appellati, cum ingenti Barbarorũ manu per Tridentinum saltum Italiam inuasit. Erãt Halani ex his, qui cum Burgundijs, Vandalis, & Sueuis octauo & quadragesimo antè anno in Galliam irruperãt, unde à Constantio pulsi, cum Vandalis in Bethicam concesserẽ, Vandalis inde in Aphricam abeuntibus, in Gothorum fide aliquandiu quieuerant. In Italiam igitur effusi omnem Cisalpinam Galliam Venetiæ recessu prędati, Istria tenus peruasere, inde impetu auersi Rechimerem à Seueriano missum, circa Benacum obuium habuere. Erat Rechimer Gothus genere, cęterum in patritiatum Romę alcitus. Primo igitur occursu acie est dimicatum, fuitq́; pugna illa Romanis prospera. Halani rege in pugna amisso cum multa cędе disiecti sunt. Nec Seuerianus diu postea superstes fuit, perijt eo triennio quo imperare cœperat. Anthemius qui fuit Martiani gener, Seueriano successit. Leo pontifex & ipse sub id tempus uita defunctus est. Fuit quum persona quã gerebat, quæ per se satis erat popularis, Valentiniano & uniuersæ ciuitati gratissimus, tum ob receptã uulgo de eius sanctitate opinionẽ, sed propter Hunum Italię ceruicibus excussum, longe uenerabilis. Nestorium Constantinopolitanum antistitem, & Eutychiũ abbatem Chalcidonensi conuentu sexcẽtorum triginta antistitum, nefariæ hæreseos damnauit. Dicere Eutychius diuinam naturam cum humana in idem compositum recidisse unumq́; factum, nec ullo modo debere distingui. Sed longè aliter Athanasius, aliter orthodoxæ fidei assensus, Athanasio astipulantis, Christum & deum & hominem. Cętерum ut castigatius nunc quàm olim in rebus Venetis (illud enim imprudenter excidit) perstringatur locus, fatetur humana pietas deum fuisse Christũ, fuisse & hominẽ, ipsum uero unũ non ex conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in deum, unum rursus non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam uelut rationalis

Auitus imperator.

Leo imperator primus Graij sanguinis.

Maioranus imperator.

Seuerianus imperator.

Anthemius imperator.

Nestorij & Eutychij hæreses

anima & caro eſt homo, ita deus & homo Chriſtus. Neſtorius deiparam uirginem non dei ſed hominis aiebat fuiſſe matrem, aliam carnis perſonam arbitratus, aliam diuinitatis. Eſt & Dioſcorus Alexandrinus à Leone pontifice conculcatus Eutychianę impietatis impius fautor. Fuit idem autor, ut Demetria mulier pientiſsima Protomartyri templum in ſuis ſtatueret prædijs, quod hodie uiſit Latina uia. Ipſe ad Vandalicam cladem reſarciendam in Appia Cornelio Baſilicam ædificauit. Sacra uaſa à Barbaris comminuta, aut expilata pientiſsima cura reſtituit. Apoſtolorum ſepulchris cuſtodes ex Romano addidit clero, cubiculares nuncupauit. Eiuſdem illud eſt, ut carmen intra miniſterij actionem dicatur. Hoc ſanctum ſacrificium, & cætera quæ ſequuntur, néue ſanctimonialium ulli fas eſſet ſacrum capitis uelamen ſumere, niſi quæ annos quadraginta caſtè integreq; uixiſſet. Erat tum ille his curis intentus,

Acephali. quum orta eſt Acephalorum hæreſis. Videntur Acephali nomen ab eo ſortiti, quod ſine hæreſiarcha eſſent. Negare impij homines Chalcidonenſem conuentum aſpernati ullam præter unam fuiſſe in Chriſto naturam, quam Leo calumniam pluribus epiſtolis, ad orthodoxæ fidei uiros eleganter & doctè ſcriptis, egregiè refutauit. Viri ſanctitate inſignes fuere

Paulinus Nolanus antiſtes. per id tempus, Paulinus Nolanus antiſtes, qui quũ Vandalico bello omnem in ſuis popularibus redimendis domeſticam pecuniam conſumpſiſſet, ſeipſum poſtremo barbaris captiuum obtulit, ut ſuus uiduę filius reſtitueretur, ſeruiuitq; in Aphrica apud Genſerici generum, ignoto habitu, eſtq; breui morũ dexteritate illi inſinuatus: enimuero quum hortum coleret, nunc flores, nunc olentes herbas herili menſæ inferens, tempeſtiuo alloquio facile conſecutus eſt, ut multo honeſtius coleretur quàm præſens fortuna poſceret: tum quod credas deo cordi fuiſſe, ne ſingularis uiri pietas diutius in occulto eſſet, herum hortatus dicitur, ut ſuis rebus maturè conſuleret, foret ut paucis diebus Genſericus ex humanis decederet. Perſuaſum erat iuueni, etſi Barbaro, magnum in eo uiro eſſe pietatis ſtudium, magnãq; innocẽtiam, quæ res fecit, ut non modo non ſit hominem aſpernatus, ſed oraculo ad Genſericum delato, illius iuſſu ſuum in regiam mancipiũ traxerit. Dicitur Genſericus hominem intuitus immotus aliquandiu ſtetiſſe ſtupenti ſimilis, inde ad generum conuerſus, Certe ſic habet, inquit, breui nobis eſt è uita migrandum. Proxima nocte uiſus ſum mihi ſiſti ad trium iudicum tribunal, eſtque in his obſeruata mihi ſpecies huic homini perquam ſimilis, tulerunt hi iudicium ut flagellum quod erat in manibus, deponerem, magna inde cura ſubijt animum ſciſcitari quis eſſet, uerum ubi perſona amplius celari non potuit, eſtque ſimul cognita ſeruitij cauſa, donatur confeſtim libertate, donantur municipes omnes Nolani, qui in Africa ſeruiebant, in eius gratiam, atque ita Paulinus ſuorum cœtu ſeptus, duabuſque nauibus frumento onuſtis, triumphanti ſimilis in Italiam tranſmiſit. Meminerunt uiri huius Hieronymus in epiſtolis & in Dialogis Gregorius. Fuit Paulino æ-

Viri illuſtres. qualis Proſper Aquitanus, homo impenſe doctus. Mamercus Viennenſis, qui in frequenti motu terrarum rogationes inſtituit, noſtri Graiam ſecuti uocem, Letanias uocant. Eſt & Vrſula Anglicæ gentis uirgo cum undecim milibus uirginũ Coloniæ martyrium paſſa, dum Hunnus Germaniam populatur. Sedit Leo annos unum & uiginti, ad Barionæ

Hilarius pontifex. in Vaticano ſepultus eſt. Hilarius Sardus genere fit inde pontifex octauus & quadrageſimus à primo, ut colligit Platina, eratque hic alibi rerum ſtatus. Cultus interea inſularum, quas priſci Veneti ex continentis ora Hunnico bello deiecti inſederant, inſigniter augeri, multarum cladium memoria, quas paucis annis res Venetæ adierant crebris efferatarum gentium alijs ſuper alios terroribus, deſperatioque melioris in poſterum fortunæ, ſi in ueteres remigratum eſſet ſedes, profugam multitudinem ſubegit, ut ſatius duceret in his eſſe locis quæ ſibi & poſteris incolumitatem pollicerẽtur, quàm terram tot bellicis cladibus damnatam repetere. Memorabant adhæc maiores natu quoties paucis annis Veneti Italorum primi prædæ fuiſſent, Barbaris in Italiam irrumpentibus, ſic Radagaſus, ſic Alaricus, ſic Attyla, nuper omnem Venetam terram ferro & igni populatus dicebatur. Nec uidere ſe aiebãt quid in futurum ſperari poſſet, Italia toties impune læſa, tot locis Barbaricæ feritati recluſa, Roma tertio capta, ac direpta, acciſis Romani imperij opibus, non duces eſſe, non exercitus, non denique præſidia ulla, quibus afflictus terræ ſtatus quietior inde, aut tutior futurus ſperari poſſet. Cæterum quando uetus patria retineri nequeat, ſitque loci natura omnibus bellorum diſcriminibus obuia, ac uelut prædæ irrumpentibus Barbaris expoſita, eſſe iuxtà ſibi poſterisque conſulendum, agendumque ibi potiſsimum ubi reliquum uitæ tutius ageretur, & illud ſæpius fando auditum, nunc cœli, nunc hominum iniuria, ex proprijs ſedibus ab alijs aliò migratum, idque multo auſpicatius factum, quàm præſens fortuna polliceretur. Sic Carthaginem in Libya conditam, ſic Saguntum in Hiſpania, in Gallia Maſſiliam, in Græcia Thebas, Tyrum in Phœnicia, eadem ſorte Romam, quæ omnibus nuper imperaſſet, in Latio ortam, ſic Patauiũ & ipſum clari nominis. Docere præterea locorum ſalubritatem, quam prægrandis ætas, inoffenſaq; eorum ualetudo argueret, qui perrari his locis agitabãt, monſtrare unà littoris & inſularũ naturam, ab omni terreſtri maritimaque iniuria tutam, monſtrare commercij facilitatem, ſiue finitima loca ſtagno petenda eſſent, ſiue mari remotiora: iam & illud memorare nulla ope res humanas citius quàm maritima, & coaleſcere & augeri: poſtremo ſi quæ eſſent, qui paluſtri materie contenti eſſe non poſſent, ruinas urbium, & agreſtium tectorum affatim materiã præbituras oſtendere, nec ædificiorum humilitatem faſtidiendam aiebant, aut meliora deſperanda, quando earum urbium quæ ad faſtigium rerum poſtea euectæ eſſent, nihilo maiora auguſtioráue fuiſſent initia. Hic uera pietas, quę illis affuit, hic maior ſpes quærendarum opum, ac quæſitarum maior tuendi facultas, & quæ (ſi deus optimus ſecundare uelit) poſſint ſuperquam audeat nunc aliquis ſperare in immenſum augeri. Hæc & alia non multum ab his diuerſa, nam in re tam uetuſta quis audeat certa uerba ponere? quum neq; unius ore, neq; loco uno ſecundis auribus audirentur, paulatim animi confirmãri cœpti ſunt, ut in inſulari incolatu perſeuerarent: accedebat his uſus, quo omnia molliora fiunt. Plurimi igitur mortales, quò ſuo quenque fors tulerat, inclinauerãt ue fuga, ſuum loco deſpondent animum. Habuit recens urbis forma non unius, *Prima ſpes naſcentis.* ſed plurium oppidorum ſpeciem, neque enim conſilium unum, neque una uoluntas. Sibi quiſque uiuere, ſuam ſpem, ſuaque uota alere. Fuerunt inſulæ, quæ tum primum ſunt à profuga multitudine *Inſularum nomina.* inſeſſæ, in ora, Gradus, Caprulæ, Equilium, Metamaucum, Albiola, Phileſtina, & Foſſa Clodia, in ſtagno, Turcellum, Maiorbium, Boreanum, Amianum, Conſtantiacum, Amorianum, Riuumaltum, aliquot antè annis Patauio profugi, ut ſuprà eſt ſignificatum, frequentare occœperunt. Nec procul hinc Oliuolus ab olea ut credere par eſt, uel Graia uoce, quota terræ portio dicta, Caſtellum hodie uocant, à ueteri fortaſsis ædificio, & uelut arce quadam piratarum latrocinijs obiecta. Fuit & Pharus ingens ad nocturnos nauigantium curſus dirigendos, ubi nunc & turris ingens ex candenti lapide

lapide uetuſto Barionæ templo incubans. Inſulæ minus nobiles, Caſtratia, Marcelliana, Caſtrupũtium, Centenaria, Muſſiones, Vigilia, Barbaria, Brentellæ, Belię, & Caput aggeris, haud infrequens cultu: ſiquis præſentem ciuitatis formam ſpectet, fateatur neceſſe eſt multo plures fuiſſe inſulas quàm ut breuiter cenſeri poſſint, ac penè totidem quot ſunt hodie plebanicæ ædes, ſexaginta & amplius numero, riuorum diuortijs diſcretæ. Tempeſtiuę igitur prudentiorum hortationes, ſpesque futurorũ ſucceſſuum, quam multitudo præceperat animis, ſi rei maritimę aſſueſcerent, facile tenuerunt ut numerus ingens mortalium inſulas frequentare maluerit, quàm in priſtinas ſedes remigrare, ſed nihil æque iuuat eam animorum inclinationẽ, ac reſiduus Barbarorum metus, alijs terroribus ſuper alios impendentibus, Romaque à Vandalis pene deſolata. Vicit in multis patriæ charitas, ſuntque plerique numero, cum liberis & fortunis in continentem reuerſi, & hæc recentior illa Venetæ urbis conditio, quæ Hunnicum eſt bellum ſecuta, in qua non tam ædificiorum ratio ſpectanda, quàm mortalium conſen-

Venetiarũ prima adminiſtratio. ſus inſulas incolere uolentium. Cæterum prima ciuitatis forma inde ſumpſit exordium, ut bini inſulatim ſint annui tribuni creati, alij ſingulos ſcribunt, qui ſuis popularibus ius dicerent, capitaliaque exercerent iudicia ac ſiqua de ſumma rei conſultatio incidiſſet, celebris conuentus indicẽretur omnibus in ſulanis. Bonintẽdius & alij, quos in Veneta hiſtoria ſecuti ſumus, non tribunitiæ modo ſed conſularis quoque ſunt adminiſtrationis autores, ſed illa aliquanto uetuſtior, ac circa Riuũaltum ubi orta, ad tribunorum uſque creationem ſeruata. Et Venetæ urbis origo, & quæ proxima ſunt originibus, ſe per

Raguſium cõditur. hunc modum habuere. Apud quoſdam ſcriptum re perio Raguſium, in Delmatię ora per id tempus cõditum liberi iuris, Epidauro, ut aiunt, à Gothis euerſo. Sed ab Hunnis potius credidẽrim, ex Epidauro profugi ad mare nouam urbem ſtatuerunt. Epidauri meminerunt ex ueteribus plerique, nec unius, ſed Peloponneſiacæ, cuius celebrior fuit fama ob Æſculapij templum, Cacodæmonemque inde petitum à Romanis ſerpentis ſpecie, notior. Altera unde Raguſium, quæ & Delmatica. Roma poſt Vandalicam iniuriam tyrãnidem uerius quàm imperium paſſa, in magnas incidit calamitates. Perditi homines, nec pauci numero, unus poſt alium, capta magis quàm recepta rep. cædibus, rapinis, proſcriptionibus, miſeram ciuitatem grauiter afflixere, tãta tunc ciuium animos libido cepit, id quod ex tanto imperio reliquum fecerat fortuna per flagitium & ſcelus perdẽdi. Hanc, credo, anſam urbis hoſtiliter repetendæ

Vandali Italiã repetunt. Genſericus nactus, aut ab Endoxa potius impulſus, quæ exiliũ uideri adepta ex terrimo facinore, non imperium, ſi Carthagini reliquum uitę ageretur, nihilo minore quàm antea apparatu bellum comparat, tenebat tum Romæ imperium Anthemius, is Italiæ fretus opibus, Leonisque Conſtantinopolitani imperatoris auxilijs, qui Baſilicũ cum ualida claſſe ad Vandalorum conatus infringendos miſit in Italiam magno animo Vandalicum bellum excepit, traditaque Baſilico Italica claſſe, ut mari rem gereret, ipſe urbem præſidio obtinere ſtatuit, ne prædæ, ut antea, eſſet hoſti, ſi in terram egredereturꝰ. Cæterũ

Genſericus ſuperatur. pugna una nauali debellatum eſt. Genſericus circa Populoniam à Baſilico exceptus prælio fuſus fugatusque eſt, claſſeque magna ex parte amiſſa ingloriꝰ Carthaginem abijt. Per hæc Hilarius põtifex qui

Hilarius. in Leonis locum ſucceſsit, cultu & inſtitutis rem ſacram inſtruxit, huius illud eſt, ne pontifices ſibi ſucceſſorem legerent, quo inſtituto uniuerſus tenetur Clerus. Pontificij iuris decreta in unum contulit, publicauitque omnibus terris, ſcripſit & epiſtolas multi ponderis, fuit idem autor ut triplici conuentu Epheſino, Chalcidonenſi, & Nicæno, Eutychiani & Neſtorij impietatis damnarentur. Tria conſtituit Oratoria in baptiſterio Conſtantinianę baſilicæ, diſtinxitque pretioſis lapidibus & auro ſacrauitque unum dominicæ cruci, intulitque crucis lignum, auro incluſum, & exculptum gemmis, ex duobus reliquis, hoc Ioanni Zachariæ datum, illud euangeliſtæ. In Baptiſtæ Oratorio aurea fuit lucerna denũm pondo. Cerui argentei tres, & columna aurea. In oratorio crucis Agnus aureus Onychiæ columnæ impoſitus, & aliæ circa locum columnæ proceritate & materia uiſenda. Hunc Hecaton uocant. Duplex adhæc bibliotheca accubans baptiſterio. Eſt & Lunenſe monaſterium ab eodem ędificatum, intulitque donaria multa, alia alijs templis. Germanus Antiſiodorenſis antiſtes, Lupus Trechareus, Hilarij pontificatu inſigniter claruerunt. Pelagianæ peſtis uterque oppugnator, celebratur & Gennadius Conſtantinopolitanus doctrina & moribus clarus. Victorinus Aquitanicus, qui Paſchalem diem ad Lunæ curſum accommodauit, in quo opere Euſebius & Theophilus ſunt ab eo ſuperati. Fuit per idem tempus & Merlini Anglici nomen apud uulgus celebre, ſed de eo plura fortaſſe ſunt memoriæ prodita quàm oportuit. Obijt Hilarius anno ſui põtificatus ſeptimo eſtque in Crypta Laurentiana conditus. Simplicius Tyburi ortus, poſt illum pontifex creatur. Inter initia huius pontificatus, aut certe non multo prius Genſericus obijt in Aphrica, inciditque in idem tempus illud Paulini oraculũ de Genſerici exitu, de quo ſuprà eſt memoratum. Hunericus poſt hũc regno potitus eſt multo quàm Gẽſericus orthodoxæ fidei uiris infeſtior, trecenti numero antiſtites ex tota Aphrica eiꝰ iuſſu ſunt in Sardiniam deportati. Sed dum Hunericus tam infenſe pios inſectatur, aut certe non multo prius, circa Byzantium Leo imperator domeſtica coniuratione pene oppreſſus, coactus eſt in urbe cum Aſpare patritio, qui Ardaburem filium fauore ciuium Cæſarem appellãuerat, de ſumma imperij dimicare, ad poſtremum uictor defectionis autores in poteſtatem redactos interfici iuſsit. Eam occaſionem Oſtrogothorum reges adepti Illyricum uaſtauere, nec prius ab ea iniuria ceſſatum, quàm Pannoniæ, unde Attylæ filios eiecerãt, & Mœſia, ſunt ipſi genti à Leone conceſſæ, percuſſumque eſt in id fœdus, datusque Theodoricus Theodemiris Gothorum regis filius obſes Leoni. Valamir Theodemiris frater quia nihil ex ea uerius præda, quàm Leonis munificentia eſſet adeptus, fratri & Leoni iratus in Scythiam mouit, omnia ſi rem ibi feliciter geſſiſſet, mox paulò citra fines imperij turbaturus. Cæterum conſerto cum ea gente prælio mortem occubuit. Theodemir fratre extincto Daciæ, Oſtrogothorum, Mœſię & utriuſque Pannoniæ regno potitur. Erat iam Theode- *Pannoniæ & Mœſia cedunt Gothis.*
miris potentia per hæc multo formidoloſior facta. Tantas itaque opes ueritus Leo, ut aliqua ſibi gratia regis animum conciliaret, Theodoricum filium ultro ei reſtituit. Theodemir haud ignarus quid ſibi uellet illa Graij principis beneficẽtia, ne gratia uinceretur, induciis, quas cum Leone pactus fuerat, uiuo adhuc fratre, in pacem commutauit. Theodoricus haud multo pòſt miſſus à patre aduerſus Sarmatas cum exercitu, adoleſcens adhuc, proſperęque in hoſtem dimicauit, Baccho eius gentis rege in pugna interempto. Et hæc procul Italia, ubi ne non ſemper laborareturꝰ, Rechimeris ab Anthemio, qui tum Romæ imperabat, defectio fecit, ut præ- *Noui Italiæ motus.*
ſens otium multo breuius fuerit urbi & Italiæ. Erat Rechimeris nomen, ob Halanos in Italia uictos, haud incelebre, ipſeque gener ab Anthemio aſcitus, prælatusque Ciſalpinæ Galliæ, ſed neque gratia, neque affinitas obſtitit, quo minus cæca dominandi libido ſeruum armauerit in dominum, ducẽ

in imperatorẽ,generũ in socerum,quæ sit belli causa prætensa non ponitur ab his quos sequimur. Rechimer,quod satis constat,terribili armorum apparatu ex Gallia reuersus Anthemium in urbem compulsum arcta obsidione fatigat. Affuit nec multo pòst Anthemio,& Romanis auxilio Bilmir, & ipse genere Gothus,ex Narbonensi Gallia,quam præsidio obtinebat, cui uia Cassia Rechimer obiectus, commisso in conspectu urbis prælio circa Adriani molem,Bilmir medio pugnæ ardore cecidit. Venerat & Olymbrius à Leone cum auxiliaribus copijs, qui Anthemium tueretur,procesferatq; Rauennam usq;, unde literas ad Anthemium dedit, atque his hortatus est,ut pergeret forti animo se & urbẽ tueri,futurum ut paucis diebus suo ad urbem accessu eximeretur obsidione,subsedisse se Rauennæ tantisper dum exercitus à maris iactatione reficeretur. Anthemius incertum desperatione melioris fortunæ,an quia urbs amplius defendi non posset, summa reipub.ciuibus permissa se in ordinem redegit.

Rechimer Roma potitur.

Necita multo pòst Rechimer in urbẽ admissus, Anthemium interfecit, sed gaudium ex re male parta, perbreue illi fuit. Tertio mense, quàm uoti compos

Olymbrius imperator.

factus fuit,uita decessit. Olymbrius, qui circa Rauennam adhuc erat eo consilio,ut urbem ipsam, & alia illi loca circumiecta,aduersus Rechimerem tueretur,Romam accersitus imperator appellatur. Adiecerat is animum ad occidentale imperium restituendum, idq; tum maxime agitabat animo quum

Glycerius imperator.

ipse quoq; immatura est morte præuentus. Glycerius post Olymbrium imperat, quem populus inuitus legit imperatorem,quum Gundibaris ab eo accersitus cum exercitu aduentare diceretur, ui populo est expressum, quod bona uenia non dabatur. Hunc Nepos uir patritius Leone imperatore, & ciuibus conniuentibus, imperio deiectum Salonis sacrorum antistitem creandum curauit. Fuisset Glyce

B

rij iniuria magno Italiæ motu uindicata,Gundibare & Rauennatibus,in quibus fuerat Glycerius senator,alijsq; pluribus tumultuantibus,nisi Epiphanius Ticinensis antistes,uir insigni pietate,gliscentem discordiam sua presSissset autoritate. Inter hos motus obijt Leo imperator administratione per manus tradita Leoni sororis suæ filio. Is quum paucis mensibus imperasset, Zenonem Isauricum patrem

Leo imperator & pium facinus.

Zeno imperator.

suum imperatorem constituit principalibus ornatum insignibus. Rarum pietatis exemplum in filio, quando multo plures omni tempore reperti sunt, qui dominandi cupiditate parentibus & eorum imperio sint insidiati,quàm qui his regno cesserint. Et si raro,ut reor,accidit quod filius uiuo patre sit alieno iudicio imperator creatus. Sunt qui scribant id ab eo factum,quod conflictatus morbo crederet se breui moriturum. Cæterum quoquo modo ille cessit patri,erat Zeno pòst imperium receptum plurimum Chalcedoni,quo absente Verrina eius socrus

Basilicus imperio potitur.

Basilicum fratrem Byzantij imperatorem salutandum curauit,paucorum ciuium consensu & fauore freta. Zeno tam tristi nuntio perculsus in Isauriam cum uxore concesSit,ubi priuatam institUit uitam, satius ratus id facere quàm rempub.domesticis certaminibus lacerare. Nec Basilicus imperium, quod furatus fuerat uerius quàm adeptus, diu tenuit, quẽ uitæ fœditas primo inuisum reddidit populo, sed multo inde inuisior factus, ubi Nestorianam impietatem est complexus. Reuocatur itaque Zeno magno ciuium studio. Basilicum cum filio, quem Cæsarem appellauerat, fibi traditum in Cappadociam relegauit. Eratq; is rerum status circa Byzantiũ. Ore

Augustulus imperio potitur.

stes interea, quem Nepos Ro. imperator miserat in Galliam cum exercitu, Augustulum filium Rauẽnæ imperatorem declarauit,Rauennatiũ studio, ut credere par est,militariq; fauore fretus. Tam subita defectiõe Nepos perculSus, quia nullus erat alius exer

A

citus,quo uindicare posset maiestatem,in Delmatiã nauigauit. Augustulus & Orestes cum Vandalis,qui Aphrica latè imperitabant,fœdus sanciunt, incolume sibi imperiũ mansurũ rati,si eam gentem pacatã haberent. Sed dum timent ab Austro, multo fœdior tempestas est illis ab Aquilone orta. Heruli & Tu-

Heruli Italiã inuadunt.

ringi Odoacris ductu Italiam,ut siquando barbarorum ulli, tumultuosissime inuadunt. Erant Heruli & Turingi Attylani exercitus reliquię, qui cum Attylæ filijs ab Ostrogothorum & Gepidarum regib⁹ uicti circa Danubij ostia, qua parte Scythiam attingunt, aliquandiu quieuerant. Prætextus his repetendæ Italiæ fuit,q; dicerent Attylam, qui hãc subegisset,essetq; breui Roma potiturus, capularis senis suasu,uelut pharmaco alienatum, pulcherrimã uictoriam abiecisse. In morem igitur turbinis præcipiti ductu Italiam inuadunt. Aquileiaq; ad læuã relicta,per Taruisinos & Vicetinos, in Brixianũ agrũ populabundi irrũpunt. Obiecit Augustulus Odoacri uenienti Orestem patrẽ suum cum exercitu,is cũ Romanis legionibus, & accuratissimo Italiæ delectu,circa Laudem Pompeij,in Barbarorũ consPectu fecit castra. Inde ad pugnã prouocatus, quũ aciẽ instrueret,subita Italorũ defectione prælio abstinuit. Præsentibus itaq; uiribus diffisus cum Rom.legionibus Ticinum contendit. Hic Barbarus abeuntem

Capitur Ticinum ab Heruli.

assecutus in urbem compellit,compulsum obsidione fatigat,inde Ticinum ui captum diripit & incendit. Cæduntur Romanę legiones, estq; tantum uno loco Romani cruoris fusum,quantum nõ alibi iam inde ex quo Romanum inclinare cœpit imperium. Odoacer Orestem Placentiam perductum spectante exercitu propria manu interfecit. Ticinensis clades,perpetuiq; hostium successus, adeò reliquã Italiam perculerunt,ut certatim urbes populiq; deditionem facerent. Augustulus audita cæde patris &

B

legionum,ex Rauenna Romã cõtendit, hinc quoq; deiectus in Luculsano oppido Campaniæ purpura & cæteris imperij insignibus abiectis, sese imperio abdicauit. Alij Romæ depOsita aiunt ab eo insignia

Augustulus imperio se abdicat.

quũ à senatu repudiaretur. Cæterũ ubicunq; id fieri contigit,inclytum Augusti nomẽ, omnibus olim gentibus uenerabile,hunc habuit exitũ,anno cccc. ac xvij.ab eo quo Octauius Cęsar id primus omniũ tulit. Sub idẽ tempus & Britannia nobilis insula nomen amisit,ut Forliuiensis Blondus colligit. Insula-

Angli Britanniam sibi vindicant.

ni Aurelij Ambrosij ductu Anglos quorũ ditionis fuerat nuper facti,subita rebellione adorti sunt insula deijcere. Erat Aurelius Romani generis,qui unus propemodum superfuerat cædi, qua Valentiniano principe fuerãt Romani à Saxonibus Anglicis in ea insula occidione occisi. Sumpta itaq; purpura,& imperatoris appellatione accepta, Aurelius aliquãdiu cum Saxonibus Anglicis bellauit,estq; interim sępe uario euentu dimicatũ ad postremũ insulani acie uicti,ducẽ in prælio amiserunt. Exercuerunt Saxones crudeliter uictoriam in rebelles,cœperatq; per omnem sexum & ætatẽ tota insula cædes euagari, quo metu Britanni adacti populariter in Galliam transiuere,lembulis,omniq; nauigiorum genere in tumultuaria fuga usi. Terra,quam illi in Turonibus & Venetis circa Oceanũ tenuere,Britannię nomẽ adepta

Britannię nomen immutat.

est,atq; ita accidit ut tertio & lx.anno, quàm Rom. imperiũ cœpũ erat labefactari, nõ solum possessio, sed nomẽ etiã sit insulę amissum, ut iam inde à Saxonibus Anglicis Anglia sit dicta, factumq; est, ut qui suũ nomen in patria retinere nõ potuerunt, alienæ terræ intulerint. Imperabat, quum hæc sunt circa Britanniam gesta,Zeno apud Byzantiũ. Romæ Augustulus,quem Odoacer sustulit,ut est nuper significatum. Herulus pOst Ticinensem uictoriã Italia magis dedita q̃ ui capta,Romam petijt. Frequens ciuitas procesSit illi obuiam,regemq; salutauit. Per fauStas inde acclamationes & honores exquisitissimos Capi-

Odoacer potitur Italia.

Capitolium ascendit. Tenuit inde Odoacer annos quatuordecim Italiam satis pacate, cesSitq; interim regi & Herulis, ex annuis prouentibus, pars tertia frugum omnium, adeoq; per hæc uetus illa Romanorum Italicię; nominis indoles concidit, ut Odoacer ab Herulis qui in patrio solo remanserant, accersitus,quod à Felteo Rugorum rege Danubij accola perpetuo incesSerentur bello, nihil de urbe Roma, aut Italia solicitus exercitum duxerit in Felteũ, hosteq; interfecto tam otiose sit in Italiã reuersus, quã olim Romani duces clarissimam aliquam uictoriã adepti consueuere. Ferebant hanc Herulorum felicitatem Ostrogothi,qui sub Theodorico erãt, iniquo animo,inuidebantq; ipsi genti quum famam nominis,tum opes, quas in Italia concesSerant. Incusare proinde regis desidiam,incusare seipsos qui tam lõgum otium sub otioso rege ferrent,agunt itaq; cum eo,ut siue in Italiam uelit,siue aliò ducat exercitum, extingui totius gentis bellicam uirtutem longa armorum desuetudine,extingui famam nominis inerti otio,florere opes Visigothorum gentis sibi cognatæ,totam Hispaniam sub illorum imperio esSe, peruagari ipsorum nomen omnibus terris. Aquitaniã, & Vasconiam ab Halanis teneri, ab Anglicis Saxonibus Britãniam,Galliam à Francis & Burgundijs, Aphricam à Vandalis, Italiam cum urbe Roma ab Herulis & Turingis otiose possideri, solos hominũ Ostrogothos otio & desidia marcescere, sine opibus,sine fama æuum agitare, nec ex tanti nuper imperij præda aliud præter stipendij nomen habere. Iret,& si non propria laude moueretur, suorum saltem popularium fortunam & dignitatem respiceret. Mouebat hæc Theodoricum, cæterum pudor

Theodorici pudor.

obstabat,diu enim Byzantij fuerat,atq; honorificentissime à Zenone habitus,& multo prius adolescẽs adhuc apud Leonem imperatorem obses à patre datus,benigne curatus, nunquam inde destitit impe-

B

rij nomen in eo,& qui pOst illum secuti sunt, omnibus officijs assectari. Cæterum uictus suorum querelis,rem ad Zenonem defert, testatus inuitum se de his fortasse acturum, quæ amicissimus princeps minus libenter audiret,quum nihil iam inde à Leonis memoria antiquius habuisset, quàm ut Constantinopolitanos principes coleret, at cogi se suorum insolentia bellum otio præuertere, qui longa belli uacatione sibi exprobrata nõ sine conuitio eflagitarent,ut in Italiam ducerentur, nec ferendum ducerent,ut Heruli,genus hominum ignobile, tam diu in ea terra & urbe dominarentur, quæ fuerit olim gentiũ caput. Scio,inquit, nec fallor, si tuo permissu Italiam petamus, ita futurum, ut aut Heruli, qui sunt ex confesSo Imperij hostes, deleantur, aut Ostrogothi uicti cæsiq; desinant mihi tuisq; rebus graues esSe,aut utriusq; gentis fractis uiribus Italia seruitio liberetur. Tantum abfuit ut Zeno Theodorici postulata sit aliquo modo auersatus, ut cum uniuerso senatu censuerit fuisse illi eam prouinciam ultro deferendam,si à nullo ea res mota esSet. Igitur illum sacro tegit uelamine, in argumentum rei ab imperio concessæ,simulq; in Italiam dimittit. Strapilia Gepidarum rex,qui Arderico successit, & Busaris Bulgarorum gentis Danubij accolæ, cum Attylani exercitus reliquijs, Theodoricum euntẽ subito adorti ab instituto itinere nonnihil auerterũt, adduxeruntq; in difficile certamen. Gratificati ne sint Odoacri & Herulis, ut ab Italia bellum auertere conarentur,an suo in Ostrogothos odio ita hostiliter in eos coorti sint,autores, quos sequimur, non tradunt,nec in re tam uetusta facilis coniectura est. Theodoricus,quod satis constat, hostibus non sine

Theodoricus Italiam invadit.

stragẽ à se repulsis, breui Italiam tenuit. Odoacer, qui de Gothorum accessu iam antea cognouerat, cum ualidissimo exercitu, circa Sontium amnem, Theodorico occurrit,nec multũ inde morę fuit,sed

A

cõtinuò est acie certatũ,absumpsitq; cruentũ pręliũ uim hominum ingentẽ, uictus tamen Odoacer ad Padum cõcesSit, cuius ostia classe & præsidijs muniuerat. Theodoricus Veronã progressus uolũtaria deditione potitus,& iam de Odoacre persequendo agitabat animo,quum ille ex improuiso, cum ualidiore adhuc exercitu affuit. Nec Ostrogoth⁹ pugnã detrectauit,dimicatũ est iterum circa Veronã,fuitq; ea pugna Herulis nihilo felicior Sontiaca, Odoacer sub primum congressum ab Italorum auxilijs relictus,parte sui exercitus multo maxima, quæ pertinacius in pugna perseuerauit,amissa, uictus acie excesSit,Romamq; decreto petijt: hinc uero excluSus suburbana tecta,& agrum urbi circumiectum,ferro & igni populatus est. Romani ob ea quæ Constantinopoli facta dicebantur, Theodorico ut legitimo principi fauebant,is omni Transpadana Gallia in fidem recepta,tantisper est Mediolani commoratus, dum exercitum duobus prælijs attritum reparat. Odoacer pluribus diebus fruStra circa urbem consumptis, Rauennam petijt cum ijs copijs quas habebat: cœperat enim exercitus laborare cõmeatũ inopia. Stabat adhuc magna pars Italiæ ab Herulis, & quod plus omnino solicitudinis intulit Ostrogotho,pleriq; ex ijs, qui Odoacrem in acie deseruerũt, magnis pollicitationibus allecti,in fidem redijsse dicebantur. Interrupto itaq; uictoriæ cursu Theodoricus Ticinum sibi sedem belli delegit. Cæterum ne Italia non omnibus esSet gentibus ludibrio,sub idẽ tẽpus,quo duæ barbaræ gentes de illius possessione inter se armis certabant,Burgundij, Rheni accolæ,Gundobaldi regis ductu,per Domussulę saltum alpes in Italiam transgressi, omnem Nouocomensem agrum,cum Turinorum terra hostiliter prędantur,innumeri mortales capti,capta est & pecorũ rerumq; agrestium præda ingens, atq; impune transalpes abducta. Interfecerat Gundobaldus Chilperici cum fratrem,ut regnorum natura est plurium impatiens,eratq; Crotohildis Chilperici filia iam matura uiro atq; eleganti forma insignis, cuius fama impulsus Clodoueus rex Francorũ,eam sibi uxorem occultè depOscit:nec puella respuit tãti regis nuptias, accepitq; inscio patruo conditionem,tantum pro connubio pacta,ut Clodoueus Christianum nomen reciperet: iungitur itaq; Crotohildis fortissimo regi, Gundobaldo nõ probãte,nec tamẽ Clodouei metu renuente,erant enim Francorum opes quum cæteris accolis,tum Burgundijs per se formidolosę. Nec Clodoueus Christi fidem ab initio recepit,passus est tamen filios eo connubio ortos baptismo admoueri. Tenebat se dum hæc in Gallia agerentur, Odoacer Rauennæ,cæterum quum præter opinionẽ nihil inde moueretur,ea re Ostrogothus audacior factus,impedimẽtis cum imbelli multitudine ad Ticinum relictis, cõmuniuerat enim arcem Theodoricus & urbem ipsam quũ mœnibus,tum ualido præsidio,cum robore copiarum Rauennam profectus, Odoacrem triennio obsedit, estq; bis interim iusta acie certatum,atq; utroque prælio Odoacer uictus, redactusq; ad extremam rerũ inopiam se & urbem Theodorico tradidit, in columitatẽ pactus cum portione aliqua Italiæ sibi suisque popularibus assignanda,estq; fœdus inter reges ictum, quod Theodoricus irritum habuit:nam haud multo postq̃ Rauenna potitus est, Odoacer cum filio & primoribus gentis, per speciem rixæ cum Ostrogothis motæ, Theodorici iussu interfect⁹ est. Vereri,credo, Ostrogothus nequid Odoacris nomen futuræ quieti offi ceret. Herulorum gentem circa Augustam prætoriam sub alpibus, dato illis regulo, collocauit. Omnis Italia pOst Odoacris cædem Theodorici imperio cesSit. Nullus Barbarorum regum libentius est Romæ uisus, maioréue studio & fauore ciuium in urbem acceptus, nullum rursus in se mitiorẽ est aut

Vincitur Odoacer magno prælio.

Odoacer deditionem facit.

Odoacer interficitur.

Roma

Roma aut Italia experta. Enimuero pacato Italiæ A
ſtatu pro magno negotio habuit in Galliam mitte-
re, qui Italos à Burgundijs in prædam abductos re-
dimerent, miſſusque eſt Epiphanius Ticinenſis an-
tiſtes, cum magno auri pondere, quod ex fiſco eſt il-
li datum: multi mortales publicè redẽpti ſunt, ſunt
cum his quinque milia gratis recepta, quæ Gundo-
baldus, uir Chriſtiani nominis, Epiphanio uiro Chri
ſtianiſsimo ſine pretio reſtituit. Theodoricus, ſiue
quod ſuſpecta habuerit Romanorum fidem, ſiue lo
ci opportunitatem ſecutus, cura urbis ſenatui per-
Simplicij pon tif. decreta. miſſa Rauennam conceſsit. Simplicij pontificis, qui
his ſedit temporibus, hæc feruntur decreta. Vrbem
Romam in quinque regiones eſt presbyteris partitus, Petreiam, Paulinam, Laurentianam, Lateranen-
ſem, & quam Mariæ maioris non pigeat nominare.
Ne prophanis beneficium poſceret clerus. Id decre-
tum poſtea Gregorius pontifex, & alij Gregorium
ſecuti ritè ſanxerunt. Eſt præterea Romana eccleſia,
omnium præſtantiſsima etiam à Græcis iudicata.
Petierunt per literas à Simplicio pontifice Acacius
Conſtantinopolitanus antiſtes, & Timotheus uir
doctiſsimus, ut Petrum Alexandrinum Eutyche-
tis ſectatorẽ impiæ hæreſeos damnaret (ſunt, quod
miror, qui Timotheũ inter Hereſiarchas reponant)
præſtitit id Simplicius, ſed conditione, certumque
reo tempus aſcripſit, quo integrũ eſſet homini pœ-
nitentiam agere. Fuerunt ea tempeſtate uiri doctri-
Viri fama illuſtres. na & ſanctitate clari. Remigius Remenſis antiſtes,
qui Clodoueum Francorum regem baptiſmo ad-
mouit, Theodoricus Cyrius, qui multa in Euty-
chetem ſcripſit, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros decem
reliquit, Cæſarienſem Euſebium imitatus. Fuit &
Ioannes Antiochenus ex Grammatico presbyter fa
ctus, is quoque in eos ſcripſit, qui unam in Chriſto
ſubſtantiam eſſe aiebant. Gennadius Conſtantino-
politanus uir & ipſe non uulgari eruditione plu- B
Arthurus. res Homelias ſcripſit, & Danielem eſt ad literam
interpretatus. Reponitur in hæc tempora Arthurus
rex, qui in Britannis regnauit, uir bellica gloria in-
ſignis, ſed circularibus fabulis magis quàm eruditi
orum teſtimonio decantatus, dignus tamen cuius
memoria clara ſit ad poſteros, quod uehemens fuiſ-
ſe fertur cultor pietatis. Peridem tempus omnis fe
rè Ægyptus in Dioſcori errorem abijt, & Huneri-
cus Vandalorum rex Arrianæ ſectæ plus nimio ad-
dictus inſenſe orthodoxam fidem inſectatus, quæ
Eudoxæ pium conſilium. res peperit illi connubij diſsidium, Eudoxa ueræ
pietatis cultrix, uiri impietatem pertæſa, uotum ſi-
mulãs Hieroſolymam petijt, ubi poſtea uitam cum
morte commutauit. Sunt & Eliſæi oſſa Alexandri-
am per idẽ tempus delata: repertum eſt & Barnabæ
corpus & cum eo Euangelium ipſius chirographo
notatum, hæcque Simplicio pontifice, qui anno
quintodecimo quàm ſedere cœperat, uita deceſſit,
Felix pontif. in Vaticano ad Barionæ ſepultus eſt. Felix eius no-
minis tertius, Romanus patria, fit inde pontifex
quinquageſimus in ordine. Sumpſit huius admini-
ſtratio initium ab Odoacris regno, deſcenditque
in Theodorici tempora, qui Odoacrem Rauennæ
deditum interfecit. Felici autore Petrus Alexandri-
nus Eutychianæ hæreſis fautor, cum Acacio, per
quem fuerat in exilium illud compulſus, ac per e-
undem fraude reſtitutus, frequenti antiſtitum con-
uentu hæreſeos damnatur. Idem pontifex tem-
plum Agapeto poſuit Laurentianæ ædi propin-
quum. Huius illud eſt, ut diuorum ædes ab epiſco-
Theodorus. pis dedicarentur. Theodorus presbyter, ut qui-
dam tradunt, per id tempus Græce ſcripſit, uete-
ris nouiſque Teſtamenti ſcripta conferens, ad hære-
ticorum impietatem infringendã. Quidam & Ioan
Ioannes Da maſcenus. nem Damaſcenum in hæc reponunt tempora, qui
ſententiarum ſcripſit librum, Gregorium Nazian-
zenum, Didymum Alexandrinum, & Gregorium
Nicenum imitatus, ſcripſit de morborum cauſis &
remedijs. Sedit Felix annos nouem. Humatus eſt
Hoſtienſi uia, ad Pauli Baſilicam. Gelaſius Apher
primus huius nominis in defuncti locum ſurroga-
tus eſt. Dum Gelaſius ſedet, agereturque tota Ita- *Gelaſius pon.*
lia ſatis pacate, Clodoueus rex Francorum Burgun
dijs bellum intulit, repetebatur pars regni, quæ
Chilperici fuerat, à Gundobaldo, qui eum inter-
fecerat, fuerat enim Crotochildis Chilperici filia,
quod alio eſt loco ſignificatum, hæc Clodoueo nu-
pſit, illati belli ut cauſa hæc prætenſa eſt, ſed parri-
cidij ultio quæſita uideri poteſt: cæterum ſiue hæc
ſiue alia fuit, acciſis Burgundiorum rebus autorem
ſe præbuit Crotochildis componendæ pacis inter
uirum & patruum, uelut is iam multum pœnarum
per ea quæ eo bello euenerant fraternis manibus
expendiſſet, ſed immodica regni cupido, quæ o-
mni æuo diuina & humana miſcuit, in cauſa eſſe
potuit, cur bello ſint Burgundij petiti. Verum e-
nimuero undecunque illi orta eſt bellandi materia,
quicquid terræ eſt inter Ligerim & Sequanam Clo
doueus Burgundio ademit, ſecuta dein pax eſt Cro
tochildis opera, poſt id bellum Clodoueus Alema-
nicum inchoauit, ſunt qui id bellum Burgundio
præferant: huius quoque nulla, quod ſciam, tra-
ditur cauſa, fuit id bellum Clodoueo multo labo-
rioſius, quàm ipſe animo præceperat, prælio cum
Alemanis conſerto ubi ſuorum fugam inclinare ui-
dit, nec humana ope fortunam amplius ſiſti poſſe
arbitratus eſt, ad diuinam confugit. Supreme deus,
inquit, qui cœlum & omnia gubernas, quem Cro-
tochildis uxor piè caſteque colit, ſiſte precor meo-
rum fugam, uerteque illorum metum in hoſtes, ti-
bique baptiſmi lauacrum uoueo, quod cõtra fidem
coniugi datam ad hunc diem non cepi. Dixit, ac ſi-
mul ſenſit omnia mutari. Reſtitit primo Franco-
rum acies, quæ nuper cæde & ſtrage multa paſsim
effuſa fuga ageretur, inde inſtaurato prælio hoſtem
è ueſtigio fundit ac fugat. Alemani una aduerſa pu-
gna fracti Francorum uectigales fiunt. Clodoueus *Clodoueus baptiſmus.*
damnatus uoti ubi primum cum uictore exercitu
domum uenit, baptiſmo inſignitus eſt. Remigius
Remenſis uir ſanctitate clarus ſacro ex fonte ſuſtu-
lit. Res Francorum per hos ſucceſſus adeò iam inde
auctæ ſunt, ut Theodoricus rex, cuius opes in Italia
& Narbonenſi Gallia tum maxime florebant, ut ex-
ternas uires domeſticis adiungeret, Andefledam
Clodoueo genitam duxerit uxorem, ſuam Almari-
co, Alarici Viſigothorum regis filio, deſpõderit, qui
utranq; obtinebat Hiſpaniam. Ipſe interea tam de-
xterè, manſueteq; regnum adminiſtrare, ciuitates & *Populariter odorici ad miratio.*
populos tractare, ut cum Auguſto principe, Traia-
nóue, aut alio ex ijs, qui optimi principum iudicati
ſunt, merito conferri potuerit, adeò interdum uel in
media Barbaria præclara proueniunt ingenia, ut in
mitiſsimis etiam gentibus nonnunquam peſsima.
Enimuero tametſi Rauennæ ageret, quod non tan-
tum eſt ab eo factum, quia Romanorũ ferociam hor
reret, ut tradunt quidam, deſperaretq; poſſe fieri, ut
Roma diu & regẽ & Barbarũ ferret, quàm quòd ui-
debat nunquam fore ut Gothis Romanisq; conue-
niret, quorum diuerſi mores, diuerſaq; ſacra eſſent,
erant enim Gothi Arriani, Romæ orthodoxæ fidei
tunc, ut hodie, uigebat cultus: ad tollẽdam omnem
diſcordiæ materiam, uel quod alij ſcribunt, loci op-
portunitatem ſecutus, Rauennę, quod ſatis conſtat,
annos fuit circiter quadraginta, urbis adminiſtra-
tione ſenatui permiſſa, nec abſens unquam deſtitit
ipſum ordinem per literas hortari, ne paterentur ur-
bem multis cladibus alijs ſuper alias deformatã, ſe-
nioq; confectam, ſitu & ſqualore coopertam iacere, *Vrbis inſa ratio.*
ſed publica urbis ædificia inſtaurarent, ijdemq; au-
tores eſſent, ut priuata inſtaurarentur, multaq; per
hæc ſacra & prophana loca ueterem formam & ni-
torem

torem recepere. Capitolium, palatium, thermæ, por A
ticus, cloacæ, aquarum ductus refecti: aderant non
ſolum operum præfecti, ſed qui urbem etiam atten
te cuſtodirent, ne ſtatuæ, aliaq; urbis ornamẽta ſuo
dimouerentur loco. Inſtauratum eſt à Theodorico
Auguſti Mauſoleum. Leges & inſtituta urbis non
modo non mutata, ſed mores ſiquid à priſco uiuen
di ritu degeneratum eſſet, nouis ſanctionibus caſti-
gati, eſtq; per omnia (militari duntaxat diſciplina
excepta) uetus ciuitatis forma, quæ libera olim fue-
rat, in integrum reſtituta. Omniſariam ſpectacula,
ut olim ſub Cæſaribus, ipſius ſunt regis impenſa e-
dita: uetuit adhæc, quod non minus populare fuit,
ex auro argentóue monetam feriri alia forma quàm
ueteri. Et quàm in moribus & urbe excolenda fuit
Attende Theo doricieditũ. ille utilis: tam profecto Romæ & cæteræ Italiæ in
eo, quod dicam calamitoſus. Edicto imperauit, ne
Romanus quiſquam, nec paterno genere Italus mi-
litaret, aut arma cuiuſquam generis domi haberet,
qua lege uideretur mihi Theodoricus uoluiſſe eueni-
re, quod certe euenit, ut quicquid Romanę indolis,
ueteriſq; diſciplinæ militaris adhuc reliquum erat,
idipſum longo ocio, deſuetudineq; armorum extin
gueretur, Cyri, credo, maioris exemplum imitatus,
qui Lydorum regno euerſo ipſam gentem interdi-
cto armorum uſu inſtitorijs ſedẽtarijsq; artibus ex
ferociſsima molliſsimam reddidit. Cæterum quia
nouitates temporum crebriq; terrores, multos Ita-
lici nominis ex urbibus in agros compulerant, ut
ignobiliter uillicari mallent, quàm in luce hominũ
cum periculo uerſari, ut urbes frequentius coleren-
tur, recentiore edicto uetuit, ne quis ingenuus in a-
gris commoraretur, præterquam meſsium & uinde
miarum cauſa: quo contigit ut tota ſit Italia in anti-
quum uelut ſtatum reſtituta. Sunt urbes quædam
ab eodem rege ædificijs excultæ, Ticinum, Mutina,
regia domo utrobiq; cõſtituta. Poſuit & Protomar B
Attende popu lare Barbari regnum. tyri phanum Arimini, Rauennę Martino Baſilicam,
Spoletum ſumptuoſiſsimo ædificiorum apparatu
excoluit. Sipontinis tributum remiſit, ut urbem ſe-
mirutam reſtituerent, Aponi balnea in Patauino a-
gro muro clauſit, ædibus balneo impoſitis, ut com-
modius frequentarentur. Sed Rauenna Theodorici
indulgentia omnium Italiæ urbium maxime aucta
eſt, excultaque ædificijs, ex urbe Roma & Byzantio
marmoribus quæſitis. Eratq; Theodoricus talis in
ornanda Italia, quam ut ab omni externa iniuria cõ
modius tueretur, uarijs affinitatibus ſuas opes, uel-
ut præſidijs, firmauit. Clodouei filiam, quod ſuprà
eſt memoratum, duxit uxorem. Amalefredam ſoro
rem Hunerico Vandalorum regi matrimonio loca-
uit, Almarico Viſigothorũ regi filiarum unam, Gun-
dibaro Burgũdio regi alteram, Hamalabergam nep-
tem Hermifredo, qui in Turingijs latè regnabat,
Amalaſiuntham filiam ultimã Eutherio adoleſcen-
ti nobiliſsimo, ex Balthorum gente, quo ſupremo
uitæ tempore eſt, ut filio uſus: hiſq; neceſsitudini-
bus fultus non minus ſe uenerabilem reddidit ex-
ternis gentibus, quàm quiuis alius Rom. principũ,
Theodorici au toritas. qui longe potentiſsimus fuiſſet, tutatusque eſt re-
gnum non magis gratia & opibus, quàm autorita-
te, quæ tanta in uno fuit apud Barbaros reges, ut nõ
modo Italia abſtinerent, ſed ipſi etiam inter ſe ali-
quandiu pacate egerint. Obtinuitque interim Theo
doricus non ſolum Italiam, Romamque Italiæ ca-
put, ſed & inſulas prouincias que quæ ipſi terræ ad-
iacent, & cum his Delmatiam, Lyburniam, eamque
Illyrici partem quæ ad Adriam ſpectat: tenuit &
Narbonenſem Galliam, in Comata Gallia circa Rhe
num, gentes quaſdam ſuo regno adiecit. Pars ad-
hæc Pannoniæ quæ ad Syrmium ſpectat, eius præ-
ſidio defenſa eſt aduerſus Bulgaros, qui relictis ſe-
dibus, quas circa Iſtrum ſecundum Pannoniam &
Noricum habuerunt, Thraciam populati ſunt, quã
Zeno iniuriam nunquam inhibere potuit, quum ob
attritas imperij opes, tum quia Byzantium per id tẽ
pus incendio magna eſt ex parte conſumptum, ho-
ſtili an fortuito, autores, quos ſequimur, non tra-
dunt. Ad poſtremum ut tutior eſſet & Italia ab om-
ni externarum gentium incurſu, omnia alpium clau
ſtra, à mari ad Tridentinum ſaltum, Gothorũ princi
pibus attribuit, Tridẽtumq; muro cinxit. Verucam *Theodorici opera.*
in Aquileienſi, nunc Monſalco eſt, à fundamentis
ſtatuit. Atq; his Theodoricus artibus eſt cõſecutus,
ut diu Italia, cum magna Europæ parte, nullis bello
rum terroribus fuerit obnoxia. Prima rerum muta-
tio à Clodoueo eſt orta, qui Alarico Viſigothorum
regi bellum intulit, illati prætextus fuit quòd Viſi-
gothi Arriani eſſent. Ex Burdegala Vaſconiæ Alari-
cus cum exercitu profectus, hoſtem ad ſe uenientẽ
in Pictauis excepit, fuitq; id prælium atrox, & ali- *Prima Chriſti- anorum aduer ſus impios pu- gna.*
quandiu anceps, ad poſtremum Alarico cadente,
Viſigothi fuſi cæſique ſunt: & prima quidem pugna
poſt Chriſtianam fidem conditã, feliciter depugna-
ta eſt. Exercuit Clodoueus crudeliter uictoriam in
Arrianos, diripuitque Burdegalam, & Arrianarum
urbium præcipuas. Almaricus Diocleti gener
tam atroci clade perculſus, cum ijs qui pugnæ ſu-
perfuerant, Pyrenęum ſaltum inſedit, ut Hiſpaniam
tueretur. Tulit iniquo animo Alarici caſum Theo-
doricus, non magis affinitate motus quàm Arriano
nomine, cuius erat ipſe ſtudioſiſsimus, & iam ſua
ſponte meditari, quomodo Almarico genero opi-
tularetur, quum alius ſtimulus additus ad omnia
turbanda. Anaſtaſius, qui orientis imperium à Ze-
none patre per manus acceperat, auditis quæ à Clo
doueo in Gallia fortiter geſta eſſent, & quantũ Fran
corum opes armorum gloria floreret, miſit qui Clo
doueo ſuo nomine de præſenti rerum ſucceſſu gra-
tularentur, attulerunt qui ad id miſsi ſunt, illi tuni-
cam blactearn dono, qua ſoli utebantur imperato-
res, & alia quædam inſignia, Patritium conſulem &
Auguſtum Anaſtaſij nomine appellarunt. Clodo- *Clodoueus Au guſtus appel latur.*
ueus præſenti uictoria lætus, auctusque inſuper A-
naſtaſij muneribus, Auguſti appellatione ornatus,
ſedensq; equo inſigni nummum in publico ſparſit
in argumentũ lætitiæ, inde per fauſtas acclamatio-
nes Pariſios reuerſus, ibi regiam fixit ſedem, ædifica
uitq; magnificentiſsimo apparatu templum, quod
principi apoſtolorum pro uictoria nouerat. Hęc ubi
ſunt, uti geſta erant, ad Theodoricũ delata, ratus om
nia in ſuam & Oſtrogothorũ contumeliam fieri, ad
Clodouei conatus infringendos, qui copiarũ parte
ad bellum relicta abſens Almaricum urgebat, xl. mi
lia Gepidarum, quos apud ſe habebat, Ilbæ comitis
ductu ad generũ miſit. Obtinebat Clodouei exerci-
tus Vaſconiam Viſigothis ademptã, erãt hi ad xxx. *Francorum cædes.*
milia numero, qui cũ Ilba acie cõgreſi poſt anceps
& cruentũ prælium editũ uicti ſunt, magnaq; ex par
te cæſi. Manſit iam inde Almarico regnũ incolume
Theodorici præſidio, qui quãdiu deinceps in huma
nis fuit, præſtitit Viſigothorũ res tutas in Hiſpania
ab omni Francorũ iniuria. Sed dum Theodoricus tã
feliciter regnat, Gelaſius pontifex Manichæos Ro-
mæ deprehenſos exilio damnat, libris, qui eorũ erro
res cõtinebant, publicè combuſtis: miſit & in Græ-
ciam, qui Petrũ Alexandrinũ & Acacium, quorũ ſe-
ditionibus cędes & tetra flagitia fieri dicebantur in
Græcanicis tẽplis, cohiberent monerentq;, ut pœni
tentiã agerent, fore, ut niſi dicto audientes eſſent, ut
pontificio anathemate perpetuo damnarentur: te-
nuit mos diu inter initia eccleſiæ, primaque eius
incrementa, ut qui præuaricati eſſent, aliquandiu
expectarentur an ſua ſponte ad ſanitatem redirent,
quod ipſum quum in alijs eſt factitatum, tum uero
in duobus his, qui per hæc Graiorum eccleſiam poſ
luebant. Dedicauit Gelaſius Tyburi Euphemiæ æ-
dem, Romæ Nicandri, & Eleutherij uia Labicana.

Dei-

Deiparæ uirginis Laurentina uia. Clerum mirificè dilexit,eſtq; ab eo inſigniter dilectus, inopes ab inedia & in omni egeſtate texit, hymnos ſcripſit, Ambroſium imitatus. Scripſit in Eutychē & Neſtorium libros quinq;,duos in Arriū. Orauit grauiter,& eleganter,extiteruntq; ad poſteros eius orationes &epiſtolæ multi ponderis,& elegantiæ non uulgaris. Eſt & Anaſtaſius imperator ab eodem ex pioru cœtu delectus,ut tradunt quidam,quod Acacio fauere diceret,quo apparet uetus eſſe,ut imperatores pontificiæ eſſent cenſuræ obnoxij. Pari telo Gelaſius petijt Vandalorum regem,qui fidem orthodoxam in Africa cædibus & exilijs affligebat in Arrianorum gratiam. Vixerunt cum Gelaſio Germanus antiſtes Campanus,Epiphanius Ticinenſis,uterque pietate clarus. Iannociatus abbas Carnotenſis, Mezentius Pictauenſis, & ipſi pietate inſigni, doctrinaq; haud mediocri. Habuit Gelaſij pontificatus annos quatuor,& octonos menſes,ipſe in Vaticano ad Barionæ ſitus eſt. Anaſtaſius ſecundus inde pontifex fuit ex Quiritia gente, quo ſedente Traſimundus Vandalus templa Chriſtiani nominis tota clauſit Africa,centum uiginti antiſtites exipſa terra in Sardiniā relegauit. Potuiſſet Barbarus ſuæ impietatis admoneri per ea ſigna, quæ ſub id tempus Carthaginī facta dicuntur. Olympius Arrianus antiſtes ſanctam trinitatem in publico deteſtatus,tribus ictus fulminibus,ita perijt,ut conſumptum ſit cadauer cœleſti flamma: & alius pari titulo & amentia, quum cathecumenum baptiſmo admouiſſet,hęcq; effari cœpiſſet uerba, baptizat te Barbas (id enim illi fuit nomen) in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto, ferunt aquam nuſquam extitiſſe, quo miraculo motus,qui characterem expectabat, confeſtim ad orthodoxos tranſijt. Quidam pontificium illud anathema aduerſus Anaſtaſium, de quo eſt ſuprà memoratum,ad hunc pontificem referunt. Contraxit inde pontifex offenſam indelebilem ab Acacio ſeductus,quem reſtituere adortus uniuerſum à ſe clerum, qui hominem infenſe oderat,alienauit:ipſe ſubito morbo correptus in latrina, quum uentrem curaret,inteſtinis repente effuſis extinctus eſt, altero ſui pontificatus anno nondum circumacto, is quoque eſt in Vaticano humatus. Fuit per id tēpus Fulgētius genere Apher, Rupenſis antiſtes, qui & ipſe in Sardiniam eſt Traſimundi iuſſu deportatus, is ne non ſemper piè aliquid ageret, exilij otium tuendæ augendæq; fidei ſtudio in negotium uertit, docere piorum cœtum,fideiq; ſacramentum prædicatione augere,hæc agere,ſimulq; non pauca tam piè quàm doctè commentari. Edidit de Trinitate libros,de libero arbitrio,ſcripſit & in Pelagiū,habuit & ad populum orationes multi ponderis. Iuuit Egiſippus uir impenſe doctus piorum eccleſiam, is de monaſtica inſtitutione ſcripſit. Et Seuerini uitam eleganti edidit ſtilo. Extiterunt ad poſteros & Fauſti monumenta haud quidem pauca in re literaria,ſed omniū efficaciſsimum ac maxime celebre habitum, quod in Arrianos edidit. Impugnat & alio opere eos qui aliquid eſſe aiunt, quod in creatis ſit incorporeum, diuinarumq; literarum teſtimonio, nec aliud quicquam præter deum incorporeum dici oportere demonſtrat,ne & creata incorporea dicerentur. Symmachus genere Sardus Anaſtaſio ſucceſsit. Fuit Symmachi creatio tumultuoſa,ordinumq; diſcordia infamis, nam quum in Conſtantiniana eſſet Baſilica creatus,quem pars una Romani cleri ſuffragio legerat, reliquus ordo Laurentium pontificem eodem tempore ad Deiparæ Phanū, quod eſt in uia noua, aduerſa inuidia declarauit. Traxit hæc initiatorum diſcordia continuò ciuitatem in diuerſa ſtudia,eſtq; non inter ciues ſolum, ſed inter ordines etiam opibus & autoritate certatum, quum ſenatus in hunc propenſior eſſet,ignobilis multitudo in illum: indi

Gelaſij pontificis ſcripta.

Viri illuſtres.

Olympij exitus.

Viri illuſtres.

Symmachus pontifex.

Seditio ciuilis.

A ctuſq; eſt Rauennæ conuentus, ut coram Theodorico ex æquo & bono diſceptaretur. Tenuit Symmachus dignitatem,qui tantum abfuit, ut Laurentium,quem tam infeſtum habuit, aliquo incommodo affecerit, ut Nucerinorum antiſtitem creauerit: cæterum eadem factio,cuius ſuffragium Laurētius tulerat,quarto pòſt anno eum ex Numeria Romam accerſunt. Feſto & Probino ſenatorij ordinis adnitentibus,inſtabatq; iam nouum certamen. Theodoricus hanc cleri intemperiem pertæſus, ut diſcordia adhæc è medio tolleretur, Petrum Altinatem miſit Romam,qui Symmacho & Laurentio pulſis ſedem pontifex teneret. Verum Symmachus centum uiginti antiſtitum conuentu Romæ habito, cauſam tam conſtanter & accuratè dixit,ut omnibus ſuffragijs ſint Laurentius & Petrus Altinas relegati, eſtq; per hæc multo maior quàm antea in urbe ſeditio orta,paſſimq; facer prophanusq; cruor fuſus, ut neà ſacris quidē uirginibus ferrū abſtineretur, fuiſſetq; nefaria illa cædes per plurium capita adhuc euagata,niſi Fauſtus conſul miſeratus, Probinum tantorū ſcelerum autorem armis exterruiſſet: reſpirauitque aliquātulum eiuſmodi præſidio res Chriſtiana, ſed nihil perinde ualuit ad fauorem orthodoxæ fidei uiris conciliandum,ac Clodouei regis præclarum faci nus,qui ferro inſectabatur Arrianum nomen. Symmachus,ſtabilita dignitate,Manichæos urbe expulit,eorumq; libros pro foribus Conſtantinianæ Baſilicæ cremauit. Idem templa quædam à fundamentis extruxit,alia ſumptu ornatuque exquiſitiſsimo reparauit. Poſuit Andreæ Phanum in Vaticano ad Barionæ, redditq; auguſtiorem Petreiæ Baſilicæ porticum marmoribus,opere uermiculato. Amplia uit & gradus templi à fronte & à lateribus, nouos adiecit, condidit & Agathæ templum uia Aurelia, necnon & Pancratij cum arcu argenteo quindecim pondo. Balneum ad Pauli Baſilicam à fundamentis cum aquarum ductu,Coſmę & Damiano ædem Tyburtina uia,in Paciano fundo Oratoria, cœmiteriū Iordanorum aut conſtituit,aut in meliorem redegit formam. Fundauit ad uſum pauperum habitacula, ad apoſtolorum ædes in Vaticano & Hoſtienſi uia, adiecitq; & uictum. Africanis antiſtitibus in Sardiniam à Traſimundo relegatis, pecuniam & ueſtes ſubminiſtrauit. Captiuos ,pcul Italia redemit. Symmachi illud eſt,ut dominica luce,& martyrum natalibus hymnus gloriæ caneretur: ne quis præterea uiuo pontifice de alterius electione conſilia moueret,anathematis pœna delinquentibus irrogata: ne ſacerdos niſi eiuſdem ſanguinis & familiæ in mulierum contubernio eſſet. Viri per id tempus illuſtres fuere, Gennadius Maſſilienſis antiſtes, qui de dogmatibus ſcripſit,multa interim complexus ad ſalutem pertinentia,ſcripſit adhæc de claris uiris Hieronymum imitatus. Floruit & Symmachus uir Quiritij ſanguinis multa eruditione, multum ſuo ingenio clarus,ſed Boëtio genero adhuc clarior. Symmachi huius eſt ſententia illa. Natura æqualibus gaudet,atq; id demum familiare,quod & ſimile. Reliquit Symmachus epiſtolas & graues & elegantes, ſed Boëtij ſcripta longius durant, uarieq; uerſatum eſt illud ingenium per omnes philoſophiæ partes, tam copioſe & eleganter, ut neſcias utrum ultimus fuit eorum, qui Romanè locuti ſint, an primus, qui inclinatam eloquentiam in integrum reſtituere ſit adortus. Scripſit in diuinis quædam, ſed in mathematicis multo plura,extant in dialecticen commentarij, extat & carmen,cæterum quum utrunq; ſit ab altero diuerſum,iure dubitari poſsit,utrum fuerit illi natura magis proprium, in cunctis tam caſtus & elegans,ut cum quolibet maiorū certet. Sedit Symmachus pontifex annos quindecim & dimidium, in Vaticano eſt ſepultus. Huic Hormiſda Fruſinonius patria ſucceſsit,quartus à Bariona & quinquageſimus.

Clodouei præclarum.

Symmachi opera.

Boëtius.

Hormiſdas pontifex.

A geſimus. Incidit Hormiſdę pontificatus in Theodorici & Anaſtaſij tempora, hic Conſtantinopoli imperitabat, ille latè regnum intra extraq; Italiam obtinebat. Damnauit Hormiſda Eutychianos celebri conuentu quem Romæ habuit. Ioannem Conſtantinopolitanum literis & nuntijs hortatus eſt ad duas in Chriſto naturas credendas,ſed homo Graius, ſuaq; natura contumax, Anaſtaſij q̃ue fauore adhuc cōtumacior factus, Romani pontificis literas & monitus non ſolum aſpernari, ſed legatos etiam ad id miſſos contra ius gētium graui contumelia affecit: fuerunt legati, qui ab Hormiſda miſsi ſunt, Euodius Ticinenſis antiſtes, Fortunatus Catinēſis, Venantius presbyter,& Vitalis diaconus: hi in rimoſam nauem,ac penè ſolutilem impoſiti recta in Italiam nauigare iuſsi ſunt,uetitiq; Græcię littus ullum attingere. Sed quàm per hæc ignominioſe legatos dimiſit,tam ſuperbè & inſolenter reſpōdit,ut diceret ſcire ſe Auguſtorum eſſe non pontificis imperare, aut ſiquid foret,in quo hunc,cui diuina curæ ſunt, iubere oporteat, ſe eum eſſe, à quo alij multo melius ſua iuſſa expectent, quàm ſua proponant exequēda. Et Conſtantinopolitanus antiſtes per hunc modū deſecit à Romano pontifice,ſed neq; autori diu id ſcelus fuit inultum, quippe qui haud multo pòſt de cœlo ictus luit ſuæ impietatis pœnas. Incidit hæc diuina ultio in eum annum, quo Symmachus & Boëtius, quorum proxime meminimus conſules fuerūt, qui uigeſimus circiter fuit ab anno ſalutis & quingeteſimus. Nec Anaſtaſius princeps, qui flagitio cōniuebat, fuit multum illi ſuperſtes: perijt anno ſeptimo & uigeſimo ſui imperij. Iuſtinus ſenior ſucceſſit,ſextus decimus ab eo qui primus Bizantij imperauit. Iuſtinus recepto imperio Romam ad Hormiſdam pontificem miſit (erat enim orthodoxæ fidei cultor obſeruantiſsimus) qui apoſtolicæ ſedi debitam uenerationem fidei exhiberent, pacemq; omnibus eccleſijs exquirerēt. Ea re permotus Hormiſda, Theodorico autore,ad Iuſtinum legatos miſit. Sunt ij, qui Bizantium iuere, multa uenerationè à principe & uniuerſa ciuitate accepti: enimuero qualis eſt princeps,tales plurimum ſunt mores ciuitatis. Acatiani ex Conſtantinopoli eiecti ſunt. Et Hormiſda eodem tempore Manichęos, ſiqui adhuc erant, urbe eiecit. Iuuit hunc Ro. eccleſiæ ſucceſſum Ildericus Vandalorum rex, qui Traſimundo patre defuncto, erat enim materna pietate à teneris imbutus, continuò regnum adeptus, omnes orthodoxę fidei antiſtites, ex Sardinia reuocatos, in priſtinam dignitatē reſtituit, permiſitq; ut ſuo uiuerēt inſtituto. Sunt & diuorum templa per id tempus donarijs aucta Clodouei & Iuſtini principis munificentia, qui certatim uaſa, gemmas, libros ad templorum ornatum Romam miſere. Excoluit & Theodoricus rex templū Barionæ in Vaticano argētea trabe, mille pondo & amplius in eo dicata,& ceroſtratis duobus argēteis eximij ponderis. Intulit & Hormiſda ſuo nomine Conſtantinianæ baſilicæ donaria quędam inſignia: intulit & Paulinæ Hoſtienſi uia. Ipſe cum per hæc pietatis opera nouem ſediſſet annos, fatali lege conſumptus in Petreia baſilica tumulatur, quę eſt Barionæ. Ioannes inde Tuſcus genere ſit pontifex, quintus & quinquageſimus pontificum. Hoc demum ſedente Iuſtinus omnem Arrianæ peſtis labem ſuſtulit, omnibus eius ſectę antiſtitibus toto oriētali imperio electis. Tulit id factum permoleſtè Theodoricus, utpote Oſtrogothus, quę gens cēteſimo & amplius antè anno ſub Valente principe, atq; eius opera uenenū hauſit Arriani furoris, antiſtitibus ad hoc datis, ut error in plures propagaretur, cæterum non tam inſectatio hæc grauis fuit Theodorico, ut credi tur, quàm optima populariſq; Iuſtini adminiſtratio ſuſpecta, ob eamq; rem Symmachus & Boëtius in ſuſpicionem uenere, quaſi Iuſtini partibus ſtuderēt,

Ioan. Conſtantinopolitani contumacia.

Iuſtinus imperator.

Ildrici pietas.

Ioannes pontifex.

A ſunt ob id primo relegati, inde interfecti, quod ſuo poſtea ſit loco dicendum. Theodatus nepos ex Narbonenſi Gallia reuocatus, cui prouinciæ præſidebat, Hetruriam eſt obtinere iuſſus, quibuſdam urbibus attributis, quas ſuo nō publico poſsideret nomine. Cæterum ne de ea, quam ad id tempus præſe tulerat, clemētia quicquam mutatum uideretur, permiſit ſenatui, ut unum aliquem patritij ſanguinis quē uellēt mitterent, qui prouinciæ præeſſet. Sed irritatus regis animus his ſuſpicionibus, aut potius ſua ſponte concitus, fæuire non deſtitit, quin legationis prætextu Ioannem pontificem, & ex ſenatorio ordine quoſdam longè principes, adiuncto his Rauennate antiſtite, ut res minus ſuſpecta eſſet, procul Italia ablegauit. Hi ad Iuſtinum ire iuſsi, ac cum eo agere, ut Arrianos reſtitueret, addidrq̃ue imperio minas, fore dictitans, ut niſi rite mandata faceſſerent, breui audirent Romam cum omni Italia cædibus & incendio teneri, omnemq; Arrianorum iniuriam niſi reſtituerentur, hominibus orthodoxæ fidei in Italia à ſe repræſentatam. Excepit Iuſtinus pontificē uenientem multa uenerationе, demiſſuſq; ad eius pedes adorauit: incidit inde difficilis conſultatio utrum Arriani reſtituendi eſſent, eſtq; pontificis & legatorum lachrymis, qui conſtanter affirmabant fore, ut ſi ea res Theodorico negata eſſet breui Roma & omnis Italia excidio dederetur, eò decurſum, ut de Arrianis diuinæ prouidentiæ permitteretur, uti per ſe aliquando ueritatem reſpicerent, aut opportuniore tempore omnibus terris ea peſtis expungeretur. Ne Roma igitur, & omne Italum nomen, ex ea re maiorem cladem adiret, datum eſt pontifici & legatis, ut Arriani reſtituerentur, ſuoq; inſtituto uiuerent. Dimiſſurus inde pontificem, uoluit ab eo Iuſtinus coronari, tanquam res ipſa magis ratum factura eſſet imperium, aut certe auguſtius. Impenſiſſimi honores in Ioannem pontificem & Romanos à Iuſtino congeſti, adeò Barbaro regi iam antea male cogitanti ſuſpecti fuerunt, ut eos ex Graia illa legatione reuerſos Rauennæ pedore, ſitu, & inedia necauerit: ac tum demum Symmachum, & Boëtium, iam antea Ticini cuſtoditos interfecit. Sunt qui aliquāto antea necatos memorēt. Sic & Theodoricus qui ad id tempus adeò clementer rexerat, ut cum optimo quoq; antiquorum principum merito conferri potuerit, omnem antè actæ uitæ laudem ad extremum perdidit, eſtq; ex populari & iuſto ſęuus & uiolentus, ſibiq; ſimilior quàm bonorum cuiquam factus. Sedit Ioannes annos duos & menſes octo. Defuncti corpus ex Rauenna eſt Romam delatum, & in Vaticano ad Barionæ ſepultum. Nec Theodoricus diu poſtea ſuperfuit, ſed nonageſimo die cędis illius nefariæ, apoplexia moritur, alij profluuio uentris aiunt extinctum. Procopius autor eſt paucis diebus quibus ille uita deceſsit, cum forte caput eſſet piſcis ei in cœna oblatum, imaginatum eſſe regem Symmachi ſe facię cernere, quę inferiore labro mordicus apprehenſo toruis ſibi oculis minaretur, territumq; eo oſtento in languorem incidiſſe, quo ſit poſtea breui conſumptus. Gregorius pontifex quodā Dialogo prodidit uirum quendam anachoritam, in Liparia inſula agētem, eſt hæc una ex Æolijs, eo die, quo Theodoricus interijt, Gothorum uiro ſanè nobili affirmare auſum, uiſam à ſe Theodorici animā, quæ ad ſupplicium in Vulcani ollam deiecta eſſet. Perijt Theodoricus anno trigeſimo octauo ab eo, quo Italiæ eſt regno potitus. Amalaſiuntha, quę Eutherico in Oſtrogothis uiro ſecundum regem longe principi nupſerat, regnum à patre per manus accepit, erat hæc prius quàm pater ex humanis deceſſiſſet, uidua relicta cum Athalarico filio, quem in eo matrimonio fuerat enixa. Mira ſunt, quæ Caſſiodorꝰ de huiuſmodi fœmina memoriæ prodidit, in qua tanta ait fuiſſe indolem, ut ſine uenerationе eam ui-

Theodoricē conſilium.

Attende pontificis preces.

Theodorici ſæuitia.

Boetij & Symmachi interitus.

Theodorici interitus.

Amalaſiuntha uirtutes.

derit nemo, pro miraculo fuerit audire loquentem, quum Græcè Latinèq; sciret egregiè, illud, credo, Sophoclis secuta, silentium mulieris ornamentum. Ni si forte Cassiodorus eloquentiam & uim dicendi in ea miraculo fuisse audientibus significare potius uoluerit, nam & linguas omnium gentium tenuit quibus adhuc aliquid cõmercij erat cum Romano imperio, quod & uni Cleopatræ, quam Octauius Augustus uicit, & Mithridati Pontico in regibus quod sciam, contigit. Tanta in decernendo grauitas, ut criminis conuicti dum plecterẽtur nihil sibi acerbum pati uiderẽtur. Erat Athalaricus octo annos natus, tradideratq́ue eum prudentissima mulier Romanis moribus liberalibusq́; disciplinis instituendum, ut qui in spem successionis tanti regni aleretur, reclamabant Ostrogothi, militaribusq́; puerum artibus potius imbuendum censebant, sed nulla res æque obstitit matris consilio, ac trium ex his qui puerum regebant, auaritia, qui nihil minus ad suas cupiditates explendas expedire arbitrabantur, quàm frugi & moderatum habere regem. Ipsa ad clementiæ famam sibi conciliandam Symmachi & Boëtij liberis paterna bona restituit, enixeq́; dabat operam ut Ostrogothi ab omni iniuria abstinerent, ut nouum illud regimen nihil esset diuersum ab ea administratione, quam pater ab initio instituerat, sed in clementia & moderatione adhuc optabilius. Obijt & Iustinus imperator, per id tempus, imperij administratione relicta Iustiniano sororis filio. Est & Clodoueus fato defunctus quatuor in regno filijs relictis. In claruit his temporibus Benedicti sanctitas. Is in solitudine perdiu uersatus, ad postremum in Cassinati sibi sedem statuit, sparsosq́; & soliuagos ad id tẽpus monachos in unum contraxit cœnobium, mores & uitam instituit parum uulgatę obseruationis, & ut credere æquum est fuisse eum cœtum deo optimo maximo gratum: creuit res procedente tempore in immẽsum, abijtq́; in plures familias & nomina porrò illustria, Cistercienses, in quibus fuit Bernardus clarissimus, Camaldulenses, Cluniacenses, Cælestinos, Sylueſtros, qui & humiliatorum cognomẽ ferunt, & hi quidem nec non alij, quorum suo cuiusque loco sit postea origo referẽda, ex uno uelut fonte manasse dicuntur, cæterum qui tum primum instituti sunt, hi fuisse traduntur, qui pullo hodie amiciuntur colore, laxiore tunica ac discincta, & ad pedes demissa, amictu capitis in humeros & scapulas breuius reiecto quàm cæteris, subter candida tunicula cum cilicio. Carnibus perpetuo abstinent, nisi quum ægrotare cœperint, plurimum seruant silentium. Ex nullo piorum cœtu plures uiri summo sacerdotio sanctitatéue claruerunt, ut à quibusdã proditum uideo. Romani pontifices in his quatuor & uiginti numero. Antistites punicei pilei centeni octogeni & tres amplius: Nigri aut uiridis mille quadringẽti sexaginta quatuor. In sanctorum numero relati quinq; milia quingenti & amplius. Fuit & Brigida æqualis illi in Scotis nata, cæterum sanctitate insignis. Ioannes presbyter Antiochenus, qui & gratiuter & accuratè multa scripsit. Isidorus Cyprianus, Hispani generis, Apocalypseos haud uulgaris interpres. Felix inde põtifex est Ioanni surrogatus. Incidit huius creatio in extrema tempora aut certe non multo prius quàm Theodoricus interijt. Sclaui gens Scythica, ut tradunt quidã, Histriam primasq́; Veneti anguli fauces inuasere. Hi patrijs sedibus Mauritij principis temporibus egressi circa Cimmerium Bosphorum primò consederunt, mox hinc bipertito digressi, pars una ad dextram deflexit septẽtrionem uersus, scissaq́ue est in duos populos, quorum hi Bohemi dicti sunt, cæteri Poloni, gens hodie & Christiana pietate, & armorum uirtute clara. Pars altera, transmisso Istro, secundum Sauum amnẽ Dei matiã usq; sedes tenuere, nihil mutato nomine. Cæterum tres huiusmodi gẽtes una propemodum hodie utuntur lingua, indubitato suæ originis argumento. Procedente tempore qui in Delmatiam uenere, alia atq; alia appetendo, in Adriam descendere, Narenta oppido in ora condito, à nomine propinqui fluminis. Exercuerunt inde Narentani diu piraticam, ad quam iniuriã tollendam longum postea cum his bellum Veneti gesserunt, multæq́; sunt clades citro ultroq́; illatæ & acceptæ, quoad Narentani bello domiti, cum tota ora Delmatiæ, Venetę ditioni cesserẽ, sed hæc aliquãto recentiora. Histri Venetiæ accolæ Sclauonico tumultu territi, Venetorũ credo exemplum secuti ex continenti in Insulam transuere, cui Capratiæ tum fuit nomen, oppidum sibi condunt, quod in Iustini principis gratiam, qui orientis tenebat imperium, Iustinopolim dixere, durat uetus incolarum appellatio, finitimi adhuc Capretianos uocant. Sed ad res Gothorum reuertor, Amalasiunthamq́; reginam, cui filij, ut dixi, institutio parum ex sententia processit paucorum culpa, puerum de industria corumpentium, ut ex sua sententia puero abuterentur, eaq; res effecit, ut Athalaricus ubi primum adolescere cœpit, prauis domestiorum persuasionibus minus matrem audiret, sæuitiamq́; pro clementia, pro pietate superbiam complexus, ne colloquio quidem dignaretur illam amplius, sępe dictitans desijsse in humanis esse Iustinũ, quem ut Romæ & Italię optabilem, formidolosum mater sibi puero affinxisset. Obstare sapiens regina, & tãquam auriga equorum uiolentia abreptus, nũc cedere sæuienti, nunc habenas inhibere, ne paterni regiminis ratio aboleretur, sustulit; interim è medio tris illas faces domestici incendij, estq́; his artibus octo circiter annos cum filio rerum potita. Sed de Athalarico multũ diuersa tradidit Cassiodorus à Procopio, qui horum quæ diximus est autor: ait ille nihil à materni aui popularitate degeneratum, sed ad unius exemplar sapienter omnia multaq́; comitate adolescentem regnum administrasse, dedisseq́; enixè operam, ut Bonifacius & Ioannes pontifices, in quorũ tempora administratio incidit (de his non hic tantum dicam) ut in summa esset apud Romanos uenerationi, extiterunt; in posterum huius decreta, ut idem autor scribit, ne episcopi ab ullo præterquam à Romano pontifice ordinarẽtur, neu quis res occuparet sacras: ut ecclesiæ libertas incolumis inoffensaq́; maneret ubiq;: est & edicto Romanos & uniuersam Italiam ad cultum bonarum artiũ hortatus, fuit autor ut liberalium disciplinarum præceptoribus annua constitueretur salaria, quod fieri desierat, publica opera ab Theodorico inchoata, ad exitum perduxit. Sed hæc Amalasiunthæ decreta nõ filij crediderim, quæ ad fauorem puero conciliandũ præsertim apud Clodoueum & Iustinum, qui Theodorico superstites apprime orthodoxę fidei consultum uolebant. Cassiodorus ut familiariũ unus Theodorici regis, cuius fuit studiosissimus, stirpi tribuit se mihi uidetur. Cæterum utcunq; accipienda sunt, Narbonensis Gallia, quod satis constat, in fœdere, quod Amalasiuntha & filius cum Theodeberto Clodouei propinquo percusserunt, ab Ostrogothis alienata est, etsi aliquanto prius id accidisse quidam meminerunt. Obijt Athalaricus octauo anno quàm regnare cœperat. Amalasiuntha filij collegio priuata, Theodatum quem Theodoricus Hetruriæ præfecit, in regni societatẽ asciuit, oblita scilicet iniuriæ, qua pernecessarium hominem affecerat, sed in humanis ita comparatum est, illatam iniuriam facile obliuiscimur, recordamur acceptam, quanquam ignominiæ illius potuit id esse hostimentum. Cæterum siue necessitate adacta, siue consanguineo uiro gratificata, Amalasiuntha nihilo felicior fuit in noua regni societate, quàm fuerat in filij institutione. Fuit Theodatus Græcè & Latinè impense doctus, scripsitq́ue suorum

Athalarici institutio.

Benedicti dogma.

Brigida.

Felix pont.

Sclaui.

Bohemi, Poloni, Sclaui, una utũtur lingua

Iustinopolis virgo.

Narbonen. Gallia ciuitas Ro. esse.

Theodati ditio.

suorum temporum historiam, Platonicæ assectator disciplinæ, sed ad res gerendas parum solers, gessit tamen feliciter bellum cum Burgundijs & Alemanis, Amalasiunthæ, non suo ingenio, sunt; interim aliqua omnino utiliter gesta de amborum sententia: ad postremum Theodatus, siue dissidij causam quę fierit, siue acceptæ à regina iniuriæ memor (nam Athalarico uiuo, tanquam nouis rebus studeret, maiestatis reus factus grandi fuerat ab ea multatus pecunia) siue suo potius, quàm Amalasiunthę ingenio indulgens, palam expilare cœpit subiectas ciuitates, congerendæq́; pecunię supra modum studere, inter suos identidem fassus parare se priuatæ uitæ uiaticum, si casu aliquo regno excidisset. Ferre id moleste Amalasiuntha, suiq́; sexus oblita ferociter ire obuiam eiusmodi sordibus, sed nullum uitium pertinacius est auaritia, minusq́; curabile. Relegata à Theodato in Volsiniensis lacus insulam, eius iussu interfecta est. Et Amalasiuntha, rari mulier exempli, hũc exitum habuit, sed hęc, ut alio est loco significatum, sunt aliquanto postea secuta. Felix pontifex, qui Ioanni successit, Cosmæ & Damiani templum Romę uia sacra ædificauit, testatur id carmen, quod in uetusta tẽpli facie, uermiculato opere, adhuc legitur, Saturnini phanum uia salaria incendio cõsumptum restituit. Vixeruntq́; cum eo uiri illustres, Cassiodorus Rauennas cuius est mẽtio sæpius facta. Scripsit non pauca de republica senator. Interpretatus est & Dauidis psalmos, Monasticã uitam secutus. Fuit & Priscianus Cæsariensis eadẽ tempestate clarus, qui in grammatica arte tam multa scripsit, quàm nemo alius. Arator carminum conditor, quibus euangelicam est historiam complexus. Est & Iustinianus Valentianæ ecclesiæ antistes non obscurum nomẽ adeptus prędicatione rerumq́; diuinarum studio. Sedit Felix annis quatuor, in Vaticana Basilica humatus est. Bonifacius secundus Romani nominis post Felicem sacram tenuit sedem, inter pontifices septimũ & quinquagesimum locum sortitus. Incidit huius administratio in Iustiniani principatũ, qui Belisarij uiri fortissimi ductu Persas uicit & Vandalos: estq́; de utraq; gente triumphatum, sed maior ingenij felicitas. Romanarum legum immensam congeriem ad studiorum usum in breuiorem redegit formam, superuacua & inutilia resecans, quum incondita & sparsa ciuilis illa iuris corpulentia obrueret magis studia quàm ad commune usum instrueret, retulit ex ea re Iustinianus maiorem laudem, quàm si imperij fines longius propagasset, estq́; in eo immortalitatis opere, Ioannis patritij, Tribuniani, & Theophili Dorothei usus opera, ad duo ferè milia librorum uolumina, ab urbe condita ad id tempus multorum iudicijs elaborata, in quinquaginta numero libros digessit, horum complexum Digesta appellant, sunt qui & Pandectas uocent, quòd iuris scientiæ omni modam doctrinam contineat id opus, edidit & Epitomen legum partitus materiam alioqui uberrimã in quatuor uolumina, uulgo instituta appellant, sed institutiones uerius diceretur. Ferunt eiusdem esse codicem, & uolumen. Inciderunt huius primordia principatus in annum, qui quintus fuit & uigesimus supra quingentesimum humanæ salutis, quum ab orbe condito anni intercurrissent quinque milia septingenti uigintiquinque, scripsit & de Christi incarnatione tam pie quàm eleganter. Memoratissimum illud Sophiæ templum deo optimo maximo (est enim Christus patris sapientia) Constantinopoli conditum incomparabili magnitudine, Iustiniani esse opus quidam mihi uidentur existimare. Bonifacius qui inter initia sui pontificatus nonnihil cleri seditione iactatus est, Dioscoro paucis diebus mortę consumpto, is enim per clerum aduersę factionis eodem tempore creatus fuerat pontifex, omni molestia liberatus, ad Romanam ecclesiam decretis instruendam conuertitur. Sanxit primum omniũ, ne episcopus sibi sacerdotij successorem legeret, quod decretum cæteri pontifices ratum habuere, ut trina luce ab unius interitu nouus crearetur pontifex, ne mora seditionem pareret, adeò omni tempore fuerunt, qui malis artibus rem bonam affectare sint ausi. Discreuit idem pontifex prophanam multitudinem à clero, quum fieret res diuina. Per idem tempus Maurus & Placidius, patritij uterq; generis, Benedicti institutum secuti, Cassinum montem religionis causa petiere, amborum sanctitas inde nobilitata est. Dionysius abbas paschalis diei calculũ multo accuratius edidit, quàm cęteri fecissent, qui de ea re aliquid commenti essent. Probantur & Facundi scripta in Eutychianos. Sedit Bonifacius duobus annis, estq́; & ipse in Vaticano sepultus. Ioannes Romæ Quiritio sanguine ortus, qui secundus id nomẽ tulit, Bonifacio defuncto pontificiam dignitatẽ adeptus, Anthemium Constantinopolitanum antistitẽ Arrianæ impietatis damnauit. Misit ad hunc Iustini anus legatos, qui à pientissimo principe grandia tulerunt dona, aureum scyphum gemmatum & alia multi pretij munera, quę Vaticano templo intulere, pontifici nouam dignitatem, sui principis nomine, gratulati sunt, testatiq́; prępicuam uenerationem in terris deberi huic, qui Romæ Apostolicam sedẽ teneret, utpote qui unus omnium Christi regis gereret in terris uicem. Fuit huius põtificatus breuis admodũ, nec præter ea quæ diximus alioqui insignis. Perijt altero sui pontificatus anno circumacto. Agapetus secutus, & ipse Romani generis, misit hunc Theodatus ad Iustinianum imperatorem, qui Amalasiunthæ ultioni imminebat, accepit Romanũ pontificem imperator exquisitissimo apparatu, ac uenerationem multa, passusq́; est se ab eo exorari, nefariæ cædis iniuria, ad quam deprecandam Agapetus uenerat, Theodato remissa. Egit inde Iustinianus cum eo, ut Eutychianam opinionem probaret, à qua pientissimus pontifex labe quum maiorem in modum abhorreret, instaretq́; Graius imperator minas precibus miscens, putabam, inquit Agapetus, uenisse me ad Christianissimum principem, sed ad Diocletianum ueni ut uideo, tam libera uoce delectatus Iustinianus, uel quia id adeo fuit cordi, tantũ abfuit ut ob eam rem iam inde aliquo modo illi infestus fuerit, ut Anthemium Constantinopolitanum antistitem, quia Eutychianus esset, urbe eiecerit, Mena orthodoxæ fidei uiro in Anthemij locum suffecto. Nec ita multo pòst Agapetus defunctus est, quum adhuc Bizãtij esset. Corpus loculo plumbeo est Romam delatum, sepultumq́; in Barionę templo. Tam breuis fuit Agapeti pontificatus, ut ne annum quidem impleuerit. Sylueriꝰ fit inde pontifex, Theodato adnitente, uel imperante potius, quum ad id tempus non regum, sed imperatorum interuenire consuesset autoritas, atq; ea demum iniuria Iustinianum accendit ad bellum Theodato inferendum. Erat Iustiniani nomẽ Barbaro ob res feliciter gestas, ualde formidolosum. Nã inter initia sui imperij, qd̃ à Iustino auunculo acceperat, Parthorum gentem, qui fines imperij hostiliter inuaserat, multa cum strage repressit. Deformauit insignem alioqui uictoriã, pugna una ad Euphratem infeliciter commissa, qua Græcorum exercitus fusus est à Barbaris. Sed dum uario marte cum Parthis res gerebatur, Gepidæ diuersa parte & Bulgari Illyricum populantes sæpius sunt à Iustiniani ducibus cæsi. Et cum Parthis Belisarius, qui ad id bellum extremis temporibus fuerat missus, fœdus percusserit, pacatoq́; orientis statu cõtinuo in Aphricam mittitur cum exercitu, ut eam prouinciam Vandalorum seruitio eximeret. Confecit id bellum dux fortissimus feliciter, afflictisq́; eius gentis rebus omnem Aphricam ad imperium retraxit, duxitq́ue Gilimerem Vandalorum regem capti-

Theodati administratio.

Bonifacius secundus pont.

Iustinianus princeps. Iustiniani industria in legibus.

Bonifacij decreta.

Ioan. secundus pontifex.

Agapetus pontifex.

Sylueriꝰ pontifex.

Belisarij gesta.

captiuum,cum hostium exuuijs,ad Iustinianum imperatorem,à quo consul designatus de Vandalis triumphum egit. Hos potius à Belisario triumphatos crediderim,quã Persas,quod quidam etiam scribũt. His Iustiniani successibus perculsus Theodatus,per legatos conatus est bellum,quod inde imminebat, deprecari: quod non modo non impetrauit,sed contrà ab ijs postulatum qui ad hoc ipsum sunt à Iustiniano missi, ut Italia & insulis Italiæ adiacentibus Ostrogothus facesseret, Constantinopolimq; se cõferret, magnas ibi diuitias habiturus, uicturusque in literario ocio, quod ab ineunte ætate fecerat. Nec Theodatus Iustiniani postulata fecit, neque ut tardo hebetique erat ingenio & ad maiora negotia capessenda timido, arma, aut præsidia parauit quibus Italiam tueretur. Fuisset itaque continuo bellum Italiæ illatum, ubi satis constitit cum quàm imbelli hoste res futura esset, sed ut sine maiore Italiq motu ea res conficeretur, legati in Galliam missi sunt à Iustiniano ad Clodomirem Frãcorum regem, qui magnis muneribus datis facile tenuerunt, ut Theodebertus eius necessarius ex Narbonensi Gallia, quam armis obtinebat, nihil moueret, dum in Italia bellaretur. Hac itaque cura leuatus Iustinianus Delmatiam inuasit, quæ ab Ostrogothis tenebatur. Mundus uir impiger, cum exercitu in eam prouinciã missus, primo impetu Salonas cepit, magnoque Delmatas tumultu implicuit. Mittitur inde Belisarius ad Italiam seruitio liberandam. Cæterum quàm uarie sit cum Gothis in ipsa terra bellatum, & quem demũ exitum sit multorum annorum bellum sortitũ, ex historiæ huius instituto per partes explicabitur.

Iustiniani postulata.

Belisarij accessus in Italiam.

ENNEADIS VIII. LIBER III.

Vit bellum, quod pro Italiæ libertate cum Gothis est in ipsa Italia gestum, fortunæ uarietate, urbium & populorum cladibus, tam insigne & memorabile, quàm memoratissimum aliud à condito quo in ipsa terra gestũ, & ob eam rem fortasse plures reperti sunt, qui de eo accuratius scripserunt. Procopius Cæsariensis, qui in Belisarij castris (is enim multo maximã eius belli partẽ gessit) medicinã exercuit. Guido Rauennas, Leonardus Aretinus, Blondus Forliuiensis, & si is, ut Platina & Bernardus Iustinianus, historiarum serie ductus uideri potest, quorũ maiorẽ quisque de ea re sermonem instituit, quàm propositi stili materiæque susceptæ postularet ratio, magisq; rei celebrandæ studio, quàm necessitate uideri possint Gothicis rebus immorati: à nobis multo breuius, etsi per partes, ut cætera, quæ adhuc scripsimus, est id bellum referendum, eritque relatio hęc, ut spero, eò legentibus iucundior, uel potius minus grauis, quo maior cæterarum erit rerum uarietas Gothicis inserta. Nulla demum lectio non grauis, quæ nihil præter unum docet, sed alij alia sequuntur atque ex suo quisque ingenio quæ legit, aut probat, aut uituperat. Historia quoquo modo scripta delectat. Primordia igitur illati belli sunt breuiter referẽda. Causæ quibus initia cohærent ex ijs quę in proximo uolumine scripsimus facile intelligũtur: hæ etsi plures fuisse uideri possunt, occasio tamen omnium rerum gerendarum mater præcipua, ut arbitror, fuit Iustiniano principi tantæ rei mouendæ, ut Italiam bello repetere sit ausus, quia ab timido & inerti rege teneretur, qui iuxtà suis Italisque esset ob auaritiæ sordes & imbelliam inuisus. Præcepta itaque futuræ spe uictoriæ Belisarius cum classe ex Græcia profectus, decreto Siciliam perijt, nec ibi quicquam hostile ab initio ostendit, sed alia atque alia assimulans tanquam inde exercitum in Aphricam deportaturus, tempus terere, inde subitaria ui Catinam adortus repente occupat, Syracusis dein potitus est, actum demum alienam desijt personam gerere, fassus se Siciliam Italiamque seruitio eximere. Causa igitur cognita expeditionis illius, continuo urbes & oppida multa à Gothis defecerunt, ueteris imperij desiderio. Gothi qui tunc in Sicilia erant, subita Insulanorum defectione perculsi, Panormum se confe- *Panormus.*
runt, locum situ & opere munitissimum, sedem belli sibi legunt. Sed urbs à terra ualide oppugnata & à portu inssessa, ubi non procul aberat ut ui caperetur, Panormitani deditionem fecere. Territus his Theodatus ad Iustinianum misit qui dicerent se pacis stu- *Theodati postulata.*
dio ultro Siciliæ possessione cessurum, fore ut si Italia abstineret, quoties opus esset tria milia militum ex Romana iuuentute ei ad bellum daret, enixusque curaret, ut breui Roma cum tota Italia in antiquum libertatis statum sibi restituta uideretur: futurum præterea, ut Italici regis statua non nisi post imperatoriam poneretur, atque id statim fecisse creditur. Blondus autor est spectari Rauennæ, in cœlo aureo Museo opere Iustinianum cum Theodora coniuge figuratum, Theodatumque inferiore loco stantem. Hæc Theodatus polliceri, ad quem legati nihilo pacatiora ex Byzantio retulerunt quàm post primam legationem fuerat Iustiniani nomine postulata. Sed dum legati eunt redeuntque, Belisarius interim tota Sicilia recepta, Syracusis ultimo die sui consulatus ludos edidit magnificentissimos, nummumque multitudini sparsit in argumentum lætitiæ. Inde in Aphricam traiecit, ad sedandum prouin- *Aphricanus.*
ciæ statum. Enimuero Storsia uir obscuri nominis, quippe qui neque ordinem duxerat adhuc, neque clara ulla fecerat stipendia, concitata in Iustiniani iudices multitudine, eò amẽtiæ processerat, ut iam apertam exerceret tyrannidem, atque is fuit, credo, ab initio petendæ Aphricæ illi prætextus, quod miror ab alijs prætermissum. Cæterum pacatis prouinciæ rebus, confestim in Siciliam redijt, Italiam petiturus. Sed dum hæc alibi geruntur, in Delmatia interim Gothi subito armorum conatu Salonas petunt: Mauritius Mundi filius, audito hostium aduẽ- *Mauritius.*
tu cum modico equitatu ferox iuuenis urbe egreditur, ut & hostium numerum, & quę eorum essent cõsilia ex proximo cognosceret. Nec procul Salonis aberat quum in exploratoriam Gothorum equitũ alam incidit, tumultuarioque cum his prælio commisso, dum iuuenis fortiter dimicat, ictus concidit. Eodem ferè tempore prospera filij pugna, interitusque Mundo nuntiatus. Qui amenti similis in hostẽ inuectus, cruentam edidit pugnam, affuerunt interim cæteræ Gothorum copiæ, tanquam ex compo- *Pugnæ in Delm.*
sito, estque toris uiribus utrinque dubio euentu dimicatum, postremo milites fortissimi ducis exemplo accensi, multaque ui connixi, barbarũ fundunt, fœdaque strage dissipant. Instat dux ferox fugientibus, multumque hostilis sanguinis haurit persequendo: sed dum neque modum ultionis inuenit neque mensuram, ac plus nimio irę & dolori indulget, longius à suis euectus per occasionem ab hoste interficitur. Fœdauit ducis interitus nobilissimam uictoriam, fuitque pugna illa non solum luctuosa, sed calamitosa etiam Iustiniani rebus. Milites ducis interitu perculsi Salonas deserunt, quam Gripa dux Gothorum reparato exercitu breui recepit. Theodatus factus certior de suorum in Delmatia successu, & quod Belisarius in Aphricam nauigasset, Iustiniani iussa aspernatus, contra ius gentium legatos custodiri iubet, ad conciliandam que beneficentiæ famam, sacra ex argento & auro uasa, quæ Agapetus pontifex pecuniarum inopia oppignerauerat, ex fisci pecunia redẽpta, Vaticanæ restituit basilicæ.

Belli Gothici scriptores.

Belli causa.

Regiones

Regiones quasdam Italiæ annona donauit. Nemo erat qui nouum in rege ingeniũ non necessitati potius quàm naturæ ascriberet, manebant proinde occulta odia in eum ut antea. Belisarius compositis in Aphrica rebus, in Siciliam, ut dixi, reuersus, insulam præsidijs firmat, Italiam ex proximo inuadit. Rhegyni eum freto transgressum in urbem accipiunt. Hãc Rhegynorum defectionem finitimi magno studio secuti tantum Embrino Theodati genero, qui Brutijs præsidebat, terrorem iniecere, ut ultrò se cum his qui adhuc in fide erãt Belisario commiserit. Misit Belisarius Gothum in fidem receptum ad Iustinianũ, à quo magnis donatus muneribus, in patritiatum est allect⁹. Post Brutios Lucania à Belisario recepta est, omnisq; Picentinorum ora. Neapolis quia magno Gothorum præsidio tenebatur nõnihil uictoriæ est cursum remorata, estq; interim terra & aquis obsidione fatigata. Nam Græca classis proximum littus legẽs terrestrium copiarum processum observabat. A terra itaq; & à mari, eodem tempore, urbs circumsessa, tentataq; est an ultro factura esset deditionem. Ciues contra Belisarium rogãt, ut quando liberi & uxores Neapolitanorum Rauennæ custodirentur, Theodati iussu, ipsiq; prędalido tenerentur præsidio ut soluta obsidione inchoatam uictoriam exequeretur, pergeretq; Romam ire, qua recepta futurum ut breui cætera Italia potiretur. Negare id se facturum Belisarius, minitariq; cædem & incendium ciuibus si pergeret suæ uictoriæ cursum interpolare. Tenuit inde obsidio plures dies, quib⁹ interrupto aquæductu, quum iam materies studio conueheretur ad bellica opera in aduersos muros erigenda, Isauricus qui dam miles per aquæductum mœnibus insinuatus, iam enim aquarum deriuio exaruerat, natiuum esse saxum animaduertit idq; fistulatũ, quo intra extraq; aquæ committeretur ductus, eoq; murorum aciem interrumpi, posse fieri ut ore latius excauato peruiũ fieret expedito militi, eam rem, ut cõperta erat, ad Belisarium defert Isauricus, dataq; est opera, ut attritu, ne sensus ad hostem perueniret, occultè sit saxũ patefactum, & iam uictoria haud dubiè in manibus erat, misertus tamen Belisarius urbis clarissimę, momento horæ ferro & igni interituræ, experiri constituit an ciues sponte essent imperium facturi, uerum ubi se cõtemptim audiri uidit, obstinatiusq; urbem defendi, quadringentos ex omni exercitu delegit qui per saxeum aquæductum in urbem noctu euaderent. Scalæ huc silentio deferuntur. Dux cum cętero exercitu diuersa parte hostem territat, alia atq; alia affingens, quæ ad oppugnationis usum uideri poterant necessaria. Pars multo maxima propugnatorum eò confestim deuolat, unde uanum urbi periculum ostendebatur. Interea lectissima illa cohors in urbem euasit, estque nonnihil ab ijs qui missi fuerant, certatum cum ipsa loci natura: tenuerunt tamẽ locum in urbe arduũ, unde signo repente edito confestim pluribus locis sunt scalæ mœnibus admotæ Belisarij iussu, tertiaque noctis uigilia refracta portarum una, exercitus ea parte, qua minime putabatur in urbẽ irrupit. Ciues ancipiti malo territi, relictis mœnibus, alij aliò diffugiunt, edita est cędes ingens ab irato hoste, matronę uirgines que ad stuprum raptæ. Belisarius ubi primum illuxit militem pro concione ita affatus est, Cepimus, inquit, urbem clarissimam milites, magis consilio quàm uiribus: Cæterũ quo uictoria minus cruenta nobis obtigit, eo magis clementer & moderatè ferenda est, ne non ad Italiã seruitio liberãdam à Iustiniano missi uideamur, sed ferro & igni conficiendam. Deliquerunt Neapolita ni grauiter, nostræ uictoriæ cursum & commodum Italiæ impedire conati: sed culpa eo dignior uenia est, quo maior est hominum in coniuges & liberos charitas, ex utroque autem genere plures Theodato obsides Neapolitani dedisse dicuntur, qui nunc Rauennæ barbari iussu custodiuntur, pœnas haud dubie daturi si temere mutassent fidẽ. Accessit huc fiducia ciuium, qui regis præsidio freti, certam ab initio spem percepere urbis ualidius tuendæ: sed utcunq; illorum pertinacia æstimanda est, & ad Iustiniani clementiam pertinere arbitror, & ad uictoriã facilius consequendam, ut ciuitates & populi Italici nominis, quoquo modo recepti, ab omni clade & iniuria à nobis incolumes præstentur: nihil certe tã populare est apud omnes gentes, quàm clementia, nihil tam odiosum, tam inuisum, quàm crudelitas. Conciliabit nobis Neapolis seruata multum ubiq; fauoris, nos ut assertores libertatis suæ accipient reliquæ ciuitates, non ut hostes formidabunt, nos accersent, Gothos eijcient, exterminatumq; uolent nomen eius gentis, totis Italiæ finibus, ut pestilens & exitiale, præda uestra est, ferrum & uim omnem à ciuib⁹ abstinete, sit muliebris pudicitia procul ab omni labe, filiæ & uxores ut ciuibus restituantur edico, pecuniam miles, & si quid est translatu facile, habeto: talis modestia laudabilior erit, & ad gerendarum rerum cursum multo conducibilior. Paruit imperio miles, restitutisq; captiuorum corporibus, omni deinceps iniuria temperauit, Gothi qui præsidio erant, non modo nõ uiolati sunt, sed in magno etiam honore à Belisario habiti. Et Neapolis hoc euẽtu, ut Procopius scripsit, est à Belisario capta. Iordanus & cæteri qui de ea re scripserunt, Neapolitanos aiunt cum præsidio ab irato hoste occidione occisos, urbemq; crudeliter direptam. Erat quum hęc Neapoli gesta sunt Theodatus Romæ, nec quũ iam proximus esset hostis, est propterea quicquã ab eo ex pristina desidia remissum, torpere nihilo secius, quum omnia ante oculos flagrarent bello, segnis animus, nec arma, nec præsidia expedire. Gothi tam pudendam in rege imbelliam pertæsi, alij alios hortati, castra ad Regetam oppidum muniunt, quinto & trigesimo ab urbe miliario (sunt qui Ruglare uocent) Vitigitemq; humili loco ortum, cęterum Gothorum fortissimum sibi regem creant. Theodatus audita noui regis creatione, perculsus animo, occulte Ranennam iter intendit, eum Optaris à Vitigite missus, cum expeditissimo equitatu festinãrem esse cutus interfecit. Perijt Theodatus tertio anno q̃ regnare cœperat, meritasq; luit pœnas Amalasiunthæ manibus, ut qui nobilissimam fœminam cõsortem pati nequiuerit, non regni cõsortem, sed percussorẽ breui inuenerit. Vitigis Romã ingressus, Syluerijq; põtificem, senatumq; & populum, multis est uerbis hortatus, ut in fide perstarent, testatus rãtas esse Gothorum opes in Italia, ut res nouas nemo moliri posset, nisi in suam & suorum perniciem: commemorata ad hæc sunt Theodorici regis in Romanum nomen multa & ampla beneficia, quorum si memor esset ciuitas, si grato in defunctũ regem animo, si grata memoria, omnia Gothorum causa uelle deberet. Secundum hanc hortationem Vitigis Roma profectus est, ut quicquid Gothorum tota esset Italia in unum contraheret, quatuor milibus Gothici nominis ad urbis præsidium relictis. Iunxit sibi Vitigis ubi primum Rauennam uenit, Mathasiuntham Amalasiunthæ filiam matrimonio, inuitam & restitantẽ. Aspernari regia puella Vitigitis ignobilitatem. Celebrat ille ut affectum uirginis animũ præsenti mœrore leuaret, quàm maximo potest rerum apparatu nuptias, nec minus erat interea intentus bello comparando, undiq; copias studio, arma, equos contrahere, commeatus expedire, nec quicquã minus curæ esse quàm quod geri uidebatur. Et Vitigis tam negotiosus erat in otio, quũ Belisarius Syluerij impulsu ex Neapoli Romam progressus, magno popularis studio, est in urbem acceptus. Gothi subita ciuiũ defectione territi, publicam fidem implorant, eaq; accepta ultrò cesserunt, incolumesque dimissi ad re-

Belisarij successus in Italia.

Neapolis obsidetur.

Capitur Neapolis.

Neapolitanorum cædes.

Belisarij oratio.

Theodati desidia.

Gothi nouum regem creant.

Theodati interitus.

Vitigitis adhortatio ad Rom. populum.

Vitigis Mathasiuntham ducit uxorem.

Roma Belisario deditur.

gem agmine abierunt. Baderis præsidij præfectus, Vitigitis sæuitiam ueritus, Romæ esse maluit. Eodē die Belisarius Asinaria porta sub signis urbē ingressus est, & Gothi per Flaminiā emissi. Belisarius Roma per hunc modum recepta, Bessę & Constātiano partitus copias, ad opportuna Vmbriæ, & Hetrurię loca recipienda confestim exire iubet. Bessa primo accessu Narnia uoluntaria deditione potitus est, Cō stantianus Spoleto & Perusia, quanquam hæc nonnihil obsidionem tulit, ad cuius oppugnationis famam, quum Nilla & Pisia Gothorū duces, cum ualidis copijs occurrissent, à Vitigite missi, ut Perusinos obsidione eximerent, priusquam ad hostem uē tum sit, urbem deditam audiuere. Nec Constantianus intra muros se tenuit, audita Gothorum appro prinquatione, quin pugnæ cupidus eductis copijs, cum hoste congligit. Fit atrox prælium, diuque anceps mars fuit, demum Gothi fusi sunt porro que fu gati. Captos in prælio duces Constātianus Romam ad Belisarium misit. Ipse interea ualide urbem mœnibus & fossa, omnifariamq; propugnaculis munit, suarum uirium conscius. Nam fama erat Vitigitem centum quinquaginta milia armatorum habere sub signis: tam numerosi exercitus autor est Procopius, alij centum milia scripsere. Vitigis audita suorū ducum clade, Vmbria ad dextram relicta, in Sabinos flexit, à Tyburtibus inde oppido exclusus Anienē uado traijcere nō potuit. Erat uernum tempus, quū liquatis niuibus flumina uberius fluunt, etsi sua natura Anio sit infra Tybur, pene nusquam uadabilis. Romam igitur per aperta ducens, in Fidenate a-
Vitigis urbem petit.
gro consedit, qua Anio longo anfractu Latio præfluens, haud multo pōst Tyberi infunditur, eratq; pons fluuio impositus, qui à Belisarij præsidio tene batur. Cæterū siue hostium metu inde milites deiecti sint, siue pecunia corrupti, Vitigis, quod satis cōstat, ponte proxima nocte potitus est. Improuisa res pene exitio fuit Belisario, nam quū ex urbe cum mille equitibus pontem adequitaret, ut locum metandis castris caperet, simul ut quid ab hoste pararetur ex proximo exploraret, præter omnem expectationem in primos Gothorum equites improuidus incidit. Perculit inopina res haud aliter Belisarij equitatum, quàm si in insidias incidisset: cœpit itaque equos continuò circumagere, ac fugam spectare, sed Belisarius ut presenti erat animo, & in subitis rebus intrepido, suos alta uoce hortatur, Gothosque ait eos esse, quos ipsi toties uicissent, nouissimeque occidione teterrima apud Perusiam occidissent (Iam duces & exercitus Belisarius Romam reuocauerat ad Vitigitis aduentantis famam) adijcere & illud, fore, ut se conspecto suspicaturi essent hostes, non tam paruum equitatum, sed Romanum Populum cum suo duce ad pugnam progressum, atque ita euenturum, ut pauci innumeros uincerent, aut si multitudo sustineri non posset urbis uicinitate incolumes in tutum abirent. Fit itaque prælium pro certā tium paucitate atrocissimum, estque sæpe Belisari-
Atrox pugna.
us agnitus hostium cuneo petitus, multique interim Gothici nominis eius manu interfecti. Cæteri cum strage multa ad pontem pene præcipites acti: postremo hostes castris effusi Belisarium in urbem compulerunt. Procopius autor est mille hostium ea pugna cecidisse, ex Belisarianis octoginta desideratos. Secundum hanc pugnam Græcus dux circa portas præsidia disponit, propugnatores murorum fastigijs locat, ipse uicatim obequitando attonitam ciuitatem (undique enim impendebāt hostium minæ) tempestiua hortatione erigit: Gothi à Flaminia uia ad Prænestinam, castris per interualla dispositis, urbem obsidione cingunt, simulque aquæductus interrumpunt: nec ea res solum obfuit ciuitati,
Roma obsidione cingitur.
quia solita aquatione priuaretur, sed quod molarum quibus deseruiebant, omnis adimebatur usus.

A Belisarius aduersus hæc incommoda Tyberino alueo geminos statuit lembos modice inter se distantes, utrunque ab uicina ripa funibus aut catenis religat, circa pontem, qui primus ex urbe in transtyberim mittit, qua ædificiorum lateribus fluuius impactus aliquantulum concitatur, inde alios longo ordine disposuit, molas interijcit, quibus ne ignis aliáue materia ab hoste superne iniecta officeret, superiore parte catenas intendit, quæ secundo fluuio deuecta exciperent, excepta parati erant qui uncis & harpagonibus inde eximerent. Hæc ratio quando aquæductus esse desierunt, adhuc Romæ durat. Tota ciuitas ex Tyberi aquabatur. Hostes interim arietes & cætera opera bellica statuunt ad mœnia disturbanda. Sunt & turres ligneę in aduersos muros erectæ. Scalæ adhæc omnifariam ad oppugnationem quæsitæ. Incubuit primus hostium conatus circa Pincianam & Salariam portam. Sed multitudine telorum ex aggere in subeuntes coniecta irritum reddidit omnem Barbarorum conatum. Oppugnabatur interim urbs tribus locis, adeò hostes multitudine abundabant. Enimuero Vitigis, parte una copiarum, eaque multo maxima ad Belisarium fatigandum relicta, ipse circa portam Prænestinam, cum altero suorum globo, ex improuiso impetum dedit. Et ad Fontinalem portam diuersa hostium manus urbem summa ope oppugnabat. Erat & aliud certamen ad Aureliam, & summum Ianiculum. Sed dum non uno loco per hunc modum laboraretur, Gothi Cassia uia occultè insinuati, latuerant enim secūdum proximam porticum, inferiorem partem Hadrianæ molis repente occupant, applicitis exteriore parte scalis. Dederat eum locum Belisarius Constantio uiro impigro tuendum, qui ex ipsa mole intuitus, dum alibi certamen teneret, Gothos Tyberim ratibus traijcere, ut è regione Martij cam-
B pi, qua muri erant humillimi, ac pene neglecti, obiectu fluminis urbem inuaderent, rei periculo commotus, eò cum parte militum deuolauit. Cæterum Barbaris presenti conatu auersis, clamor à tergo indicauit molis partem unam ab hostibus teneri, *qui* à Constantio relicti fuerant superiora tenentes, sub iectum hostem atque ictibus obnoxium telorum multitudine obruunt, quibus deficientibus ueteres statuas, quadrigasque nobilissimi operis, quæ in fastigio eminentioris areæ stabant, in subeuntem hostem, cum ruina & fragore deuoluunt. Affuit interim Constātius cuius cursu hostis ancipiti metu per culsus loco deturbatus est. Pari periculo est ad Prænestinam portam laboratum, erantque propemodū capta mœnia, quum Belisarij interuentu inde Gothi cum strage repulsi sunt, atque Roma per hunc modum luce illa defensa est. Tenebat nihilo secius obsidio, exaudiebanturque hominum querelæ Belisarij temeritatem accusantium, qui cum tam modicis copijs, àc multo inferioribus, quàm Gothicæ essent, Italiam Romamque ipsam funesto bello implicuisset. His Belisarius querelis commotus, enimuero omnibus nota erat suorum paucitas, ad Iustinianū scripsit se Romæ à Gothis obsidione teneri, esseq; penes se legionem unam, eamq; semiplenam, reliquum copiarū reliquisse se in Sicilia ad insulæ præsidium, teneri adhæc suo præsidio Neapolim, & alias opportunas Italiæ urbes, per quæ ad eam paucitatē militum uentum esset, ut nisi confestim maiores copiæ ad bellum mitterētur, uereri se ne Romani paulo pōst deditionem facerent. Misit confestim Iustinianus quicquid copiarum aderat, qui missi sunt, in Ætolia, & Acarnania, hyemis magnitudine hybernare coacti sunt. Interea in Delmatia, Asinarius & Vsigilaus Gothorū duces, quos cum exercitu, haud cōtemptibili, ac multarum nauium classe Vitigis in eam prouinciā miserat, Salonas obsidebāt. Constantianus Iustiniani dux multo uiribus inferior, urbe præsi-

Multis fatigatus urbs fatigat à Gothis.

Attende pericula pene ptæ urbis.

Accusatur Belisarij temeritas.

Childebertus.

præsidio firmata, mari terraque res Gothicas uarijs A cladibus uexare. Sed hæc in Italia & Delmatia geruntur, in Gallia Childebertus Francorū rex & fratres, bellum Burgūdijs inferunt, ut maternum auū ulciscerentur: iam enim eorum opes eò processerāt, ut non tantum paterni regni facultas tuendi adesset, sed finitimos etiam bello lacessendi. Studio itaque ulciscendi auitam cædem arma induunt. Fuit is, ut suprà est à nobis demonstratum, Crotochildis pater à fratre crudelissime interfectus, qui Sigismūdum & Gothomarum genuit: est itaq; in Aquanensibus atrociter dimicatum, fusis cæsisq; Burgundijs
Burgundij à Francis uincuntur.
Sigismundus eorum rex cum liberis & uxore captus, in ultionem q; paternæ cædis ad uicum Columnæ cum suis in puteum præcipitatus est. Clodomiris inde, Childeberti frater, bellū executus, quū Burgundios iterum acie uictos ferocius insectaret, procul à suis euectus interficitur. Tum uero Franco rum duces regis morte multo acrius accensi, uictos ad internecionem persequuntur. Gothomaro interfecto, copijsq; occidione occisis, in imbellem multitudinem, quæ domi manserat, immaniter est sæuitum. Gesit inde bellum Childebertus cum Almarico Visigothorum rege, fororis contumeliam ultu
Hispaniense bellum.
rus, quæ Almarico locata querebatur quod ab eo indigna pateretur. Almaricus suis opibus diffisus fugā molitus est, intenderatq; iter ad mare, sed cursu ab hoste præuentus interficitur. Latè inde Hispaniam Childebertus populatus est, Tolosamque urbem opulentissimam, ui captam, diripuit. Et ille
Tolosa diripitur à Francis.
per hæc suorum iniuriam ultus, cum fororem iam uidua, in Galliam reuertitur. Visigothi tum multuario bello leuari, in Almarici locum sibi Theutam regē creant. Agitatæ inde sunt res Francorum domestica discordia, ob duos Clodomiris, qui Burgundico bello perijt, filios superstites, hi quum adhuc infantes à Crotochilde auia, artētisima cura, uelut in suc B
Domestica discidia Francorum.
cessionem regni alerentur: Clotarius & Childebertus patrui terræ allisos necarunt. Conspiratum inde à Childeberto in Clotarium fratrem, ascito sibi tanti facinoris socio Theodeberto, qui Narbonensem Galliam obtinebat: erat is Childeberti & Clotarij ex fratre nepos, & iam fraterne acies in procinctu stabant inter se hostiliter confligturæ, quū Crotochildis mater in medium progressa, nunc hunc, nunc illum leniter castigando, miscendoq; preces
Pulchrum pietatis exemplū in matrem.
lachrymis, natorum pietate tenuit, ut abiectis armis uterque cum altero in gratiam redierit. Cæterum quum satis appareret bellicosum genus hominum, nihil minus quàm otium laturum, autor fuit mater illis, ut Clotarius & Childebertus Hispaniam inuaderent, Visigothosq; aut ad orthodoxæ fidei cultū traducerent, aut regno pellerent. Theodebertus diuersa parte Italiam magnis bellorum motibus agitatam armis subigeret. Fuit Hispanienſis illa expedi tio Francorum regibus felix, nec magis felix quàm breuis. Nam Vitigothi ad Augustam perpetua oppu gnatione fatigati, quum plus non possent, ad diuinam opem conuersi rectiorem fide cultum accepere, quem seruaturos se iureiurando polliciti sunt. Pa
Gothi ad orthodoxam fidē uertuntur.
cata prouincia Francorum reges, cum uictore exercitu, in Galliam reuersi, Crotochildem matrem iam grandem natu amiserunt, posueruntq; Parisijs diuo Vincētio ædem magnifico apparatu, ut monumentum esset Gothicæ uictoriæ. Nam huius diui Palliū Augustenses è muris prętenderant in argumentum receptæ fidei. Sed dum res per hunc modum in Hispania gesta est, Theodebertus, miro uictoriæ cursu, Rhetiam & Alpes Coccias, omni Gothorum præ fidio nudatas, subegit, dein Italiam ingressus Liguriam occupat: sunt qui & Hetruriam ab Theodeberto captam bello memorent. Sed hi sunt, quibus curę fuit Francorum gesta scribere. Gothi, quod inter plures conuenit, regionem, quæ media est inter

A Padum & Apenninum, ualide tutati, omnem transpadanam terram, cum Alpibus & Gallia Narbonensi, Francorum armis passi sunt occupari: alij Narbonensem Galliam aliquanto prius Francis cessisse arbitrati sunt, ex fœdere à Theodeberto cum Gothis icto, ut suprà est significatum. Incidit Theodebertus in grauem morbum, profligataque bona ualetudine coactus est retrò abire, reliquit sub tribus ducibus exercitum florentissimum, per quem omnia quæ de Gothis fuerant bello capta sunt postea defensa. Nec Theodebertus multum inde superstes *Theodeberti mors.*
fuit, defunctus uita est eodem tempore, uel ut quidam tradunt, non multo prius, quàm Crotochildis mater. Theodebaldus à Theodeberto patre regnum accepit. Roma interea arcta obsidione tenebatur, habebatq; atrox hostis solicitam ciuitatem, sed super id extremum malum laborabat res Roma na intestina Cleri discordia. Syluerius pontifex, inter hos bellorū motus, est à Theodora Augusta iussus (erat hæc Iustiniani principis coniunx) ut Mena *Theodora.*
Constantinopolitano antistite pulso, Anthemium ab exilio reuocet, qui ob Eutichianā sectam fuerat in illam cladē cōpulsus. Negat Syluerius id se factu rum, quod pontificia pietate incolumi præstari non posset. Excanduit fœmina insolēs, quæ nihil sibi nō licere arbitrabat, scripsitq; ad Belisariū, ut Syluerio pulso, Vigiliū diaconū, cuius impulsu petitū erat à Theodora ut Anthemius restitueret, in eius locum substituat. Belisarius rei bellicæ intentus, Antoninę cōiugi dat id negotiū, quæ subornatis à Vigilio testibus, qui Syluerium dicerent cōsilia agitasse de urbe hostibus prodēda, hominē coēgit sese dignitate ab- *Syluerius se dignitate abdicat.*
dicare, pallioq; depositio monasticā sibi cucullā inducere, sicq; in Pōtias relegatus breui moritur. Per idem tēpus Galli literis & nuntijs cum Benedicto, cuius sanctitas ubiq; clara esse cœperat, egisse dicunē ut unum aliquē ex suis discipulis ad se mitteret, qui Gallos monasticū ritū edoceret. Maurus est in eam *Maurus.*
terram missus qui rem docuit. Et Vigilius Antonina adnitēte pontifex creat, Syluerio pulso, qui annum unū & dimidium nō impleuit. Tenebantur adhuc obsidione Romani, fremereq; Vitigis longioris mo ræ impatiens, omniaq; circumspicere, ut aut in urbem irrūpere, aut Romanos necessitate aliqua adactos ad deditionē compelleret. Cęterū quum omnes circa muros conatus ad id tēpus irriti fuissent, portum urbis, qui dexter fuit Tiberino fluuio cum *Portus urbis capitur.*
urbe illi imposita, copijs repente immissis occupat, ut hostē fame subigeret: præcepit adhęc Vitigis Romanos ex omni nobilitate lectos, qui obsidum nomine Rauennæ in libera custodia erant, ad unū in- *Belisarij consilium.*
terfici. Belisarius intercluſis cōmeatibus, qui Tyberi subuehebant, ueritus ne fames confestim sequeretur, autor Romanis fuit, ut omnem imbellem multitudinem procul urbe ablegarent. Coniuges liberiq; cum seruitijs Hostienſi, & Appia uia, quæ maxime erat ab hostiū castris auersa dimissi, partim Neapolim, partim in alias Campaniæ urbes, ut cuique fuit commodum, abierunt, quidam etiam in Siciliā nec multo pōst mille & quingenti equites à Iustiniano, Valeriani ductu, Romā uenere, qui in Ætolia, ut suprà est demonstratum, fœuiente mari coacti fuerant hyemare. His fretus uiribus Belisarius mutata belli ratione primo leuibus prælijs, & per occasio- *Duplex prælium & utrūq; uarium.*
nem commissis, hostem solicitare, inde quū aliquot prælia feliciter cessissent, uidereturq; miles suo successu audacior factus, acie decertare ausus tam feliciter ab initio dimicauit, ut sub Gothorum castris sit aliquandiu certatum, ad postremū superante hostiū multitudine, Romani præsidiarij; in urbem compellūtur, multi portis & muro excluſi, ac maiore ex parte inermes mœnibus hærētes ægre seruati sunt, estq; uno tēpore non solum circa castra regia dimicatū, sed uia etiā Cassia: hic quoq; adeò à principio

felix fuit pugna Beliſarianis, ut pulſis ad montes barbaris, capta direptaq; ſint eorum caſtra. Sed dum ciues nimis ſunt prædæ intenti, datum eſt ſpatium hoſtibus recipiendi animum à pauore, pugnaq; inſtaurata, qui nuper uicerant, facile uicti ſunt, iuxtaq; præda & caſtris exuti. Perierunt eo die ex Beliſarij militibus permulti, eſſetq; multo maior clades acce pta, ubi aperte fuga inclinauit à regijs caſtris ad urbem, niſi duo uiri fortes, qui ambo ordinem ducebant, ſua irruenti hoſti corpora obieciſſent: Principio & Taruūti fuere illis nomina, uterq; in ueſtigio, ille multis uulneribus confectus corruit, Taruuntes ad Pincianam portā multo reſperſus cruore concidit. Abſtinuit inde plures dies Beliſarius ab hoſtiū congreſſu. Laborabatur interim Romæ frugū inopia, nec tantum qui obſidione tenebantur, id malū attigit, ſed & regia caſtra uniuerſamq; Italiam extre ma fames inuaſerat. Dacius Mediolanenſis antiſtes, tam arcta charitate annonæ in ſua ſcripſit diœceſi laboratum, ut præterquā quod fœda & obſcœna multa eſui eſſent, reperta ſit mulier, quæ fame adacta, à filij carnibus nō abſtinuerit, laborabatq; per hæc duplici malo Italia, urbis obſidione, & fama teterrima, quum alia multo calamitoſior peſtis ab Aquilone orta eſt. Lōgobardi genus hominū atrox (qui mor tales hi fuerint, loco non multum diuerſo demonſtrabitur) conſederant hi iam inde ab Odoacris He rulorum regis, quem Theodericus occidit, temporibus, Andoini ductu, qui nonus in ea gēte rex fuit, in ulteriore Danubij ripa, mox uicto Turiſmundo Gepidarum rege, fuit is pronepos Ardarici, qui cū Attyla commilitium fecit, inferiorem Pannoniam tenuerūt. Iuuerūt inde Andoini arma Auares, Hunni, Attylani exercitus reliquiæ, qui poſt Attylę mortem à Gepidarum ſunt regibus prælio ſuperati. Durich Attylę filius, cū quibus illi militabant, uictus in Scythiā conceſſit, ubi non multo pòſt eſt à ſuo exercitu interfectus. Durichi Zeliches ſucceſſit, qui cū uiginti Hunnorum milibus, cum Coſdra Parthorū rege militauit aduerſus Iuſtinianum principem, cæterū uenit Hunnus in ſuſpicionem quod cū Iuſtinia no aduerſus Coſdrā conſpiraſſe diceret. Satis cōſtabat ab eo magnis muneribus donatū. Parthus Hunnos incautos adortus ad internecionē propemodū nominis cecidit. Zeliche interfecto, Hunni qui ex ea clade ſuperfuere, Hunnorū nomen olim inclytū, tum uero ut infauſtum peroſi, ab Auario, quē in Zelichis locum regē creauerant, ſe Auares pro Hunnis dixerunt, relictaq; Pannonia in Noricū cōceſſere, ab eoq; incolatu factum, ut quidam. in literas miſere, ut unius elementi adiectione Bauaria ſit regio nuncupata. Norici pars quæ eſt nomē ſortita, Pannoniā habebat ad orientem Solē, ad occaſum Sueuiā, Danubius illi Borealis, Auſtralis Italia. Cæterum Bauariæ partē, quæ Auſtro iacet obuerſa, una prius ætate, & amplius Auſtraſij occuparunt, nunc Auſtriam dicunt. Auares igitur, quum ſuo ueteri in Gepidas odio, tum Clotſiundæ ſuaſu, quæ Andoino erat matrimonio locata, erat hæc ex regia Francorum gente orta, iam uſq; in Auarū fines regnū Franci propagauerant, aduerſus Gepidas bellum geſſerunt, prælio cōmiſſo, Comundus Gepidarum rex Andoini dextrā percuſsit, ille contrà Comundi interfecti caput aliquot dies caſtris circumtulit, paterāq; ex eius cal ua fecit, auroq; inſigniuit, ex qua iam inde ſolennibus epulis cōuiuijsq; libare perſeueraūit. Iunxit inde ſibi Andoinus Roſmundā Comundi filiā matrimonio, ut per eam Gepidarum gentē obſequentiorē haberet. Satis conſtat poſt eam pugnā Gepidas, neq; regē habuiſſe amplius, neq; ducem, ſed partim Longobardis mixtos in eius gentis nomen abiiſſe, partim ſub Auarum umbra nulla magis fide q̄ paupertate tutos, ſuperioris Pannoniæ partē tenuiſſe. Hæc procul Italia, Romæ Beliſarius recreatis ab ea

Principij & Taruuntis fa/ cinus.

Longobardo/ rum ſucceſſus.

Auares unde dicti.

Bauaria unde dicta.

Auſtria unde.

Comundus rex Gepidarū in/ terficitur.

Gepidæ.

A aduerſa pugna animis, quā ſub regijs caſtris infelici euentu cōmiſſam ſuprà eſt demonſtratum, aſſiduis prælijs hoſtē ſolicitare, nec tamē de ſumma rei una acie decernere, ſuorū paucitati diffiſus. Interim Tyberina nauigatione intercluſa data eſt opera, ut naues Tarracinā uſq; cōmeatum cōueherent, inde Appia uia aut Hoſtienſi Romā deferret. Vitigis ut hāc quoq; Rom. ſpem adimeret, noua caſtra ad quintū lapidē inter Appiam & Latinā cōmuniuit, qua duo diuerſi aquæductus coibant. Inſeſsis igitur itineribus fames multo maior q̄ antea obſeſſam ciuitatē inuaſit, nec diu tolerari potuiſſet, niſi milites noctu iam maturis ſegetibus furto aliquid frumenti ex agris corripuiſſent. Sed quū annona arctior erat, tum grauis peſtilentia ciuitatem affligebat, querebantur Ro. apud Beliſariū, quod ipſius fidē ſecuti in eas calamitates incidiſſent. Ciues ſuos Rauēnę à Barbaris interfectos, urbem ignominioſe obſideri, ſe liberis, uxoribus, & omnibus quæ mortalibus chariſsima ſunt, priuatos, arctiſsima obſidione teneri, bello, fame, peſtilentia, miſera ciuiū corpora conſumptū iri. Rogare ducem, ut ſe in hoſtem ducat, inermesq;, ſi ita libeat, armatis hoſtibus obijciat. Satius fore ibi honeſtam mortem occumbere, pro patria dimicāti bus, q̄ ad tā ſæuos cruciatus ſeruari. Caſtigauit dux prudentiſsimus Rom. deſperationem, iuſsitq; bono animo eſſe, fore ut breui à Iuſtiniano cōmeatus adeſſent, atq; ita ciuibus expectare iuſsis, ad impediēdos hoſtium cōmeatus, ex ſuis ducibus aliquot Tybur, Tarracinā, Albam cum ſuis equitibus dimiſit, ut omnia hoſtibus itinera redderent infeſta, & ad Paulinam ædem Hoſtienſi uia, præſidium conſtituit, ut ſuburbana tecta ab omni hoſtium incurſu tutiora eſſent. Procopius nullā ſacrarum ædium à Gothis uiolatam autor eſt. Hoſtiarius in Syluerio omnia ſacra & prophana ab his igni & ferro petita prodidit, exterminataq; diuorū corpora, adeò in re una diuerſi interdum abeunt autores. Eratq; circa urbē hic rerum ſtatus, quum nouæ ab Iuſtiniano copiæ, terra mariq; ad Beliſarium uenere, equites Thraces octingenti, alterius generis mille & trecenti, quos ductabant Alexander, Maxentius, Zeno, pedites nabus aduecti tria milia & trecenti, præter hos quin genti alij, quos Procopius Cæſarienſis, qui hoc bellum ſcripſit, Neapoli inſtruxerat. Ferebant hi ſecum tritici & omniſariam commeatuum uim ingētem, quæ ueritus Beliſarius, ne ſi illorum ad urbem acceſſum hoſtis præſenſiſſet, priuſquam Romam ueniretur, ſubita ui interciperet, ſub id tempus quo hi erant urbem intraturi, hoſtium caſtra adortus eſt, factaq; eſt eruptio per Flaminiam portam, quam à prima obſidione Beliſarius obſtruxerat. Eſt & ars alia huic conſilio addita: equites leuis armaturæ iuſſi ſunt Gothorum caſtris adequitare, tumultuoſeque hoſtem ad pugnam elicere, mox cōſerta pugna paulatim cedere, hoſtemq; procul à caſtris diſtrahere. Quod quum illi nauiter feciſſent, eſſetq; iam prope ad urbem uentum, tum ſimul ab his qui per Flaminiam emiſſi fuerant portam, à tergo oritur clamor, & equites qui fugā ſimulauerant, ſubito equorū cursu actu ferociter in pugnā redeunt. Sic Barbari ancipiti meru perculſi in medio cædunt, ſimulq; auxiliares copiæ & cōmeatus in urbē tuto recepti ſunt. Vitigis unum aduerſum prælium expertus, & quia hoſtem auxilijs & cōmeatu auctum ſenſit, laborare turq; præterea in caſtris fame & peſtilentia, cum Beliſario egit, ut in tris menſes induciæ fierent, quoad legati irent ad Iuſtinianum principē, & redirent, totum cōponendi bellum negotium ſe illi permiſſurum pollicitus. Nec Beliſarius reſpuit Vitigitis poſtulata, pactæq; ſunt utrinq; in id tempus induciæ, quibus tenētibus auxilia & cōmeatus tutò ſunt Romam comportati. Sūt qui per id tempus quo eiuſmodi belli feriæ tenuerunt, ea fieri contigiſſe exiſtiment,

Fames Rom. inualeſcit.

Rom. quin/ quies monia.

Beliſarij ſ tegema.

Nouæ copiæ.

Inducie ſe Beliſarius Vitigites

ment, quę de Syluerio non multū diuerſo loco ſunt memorata. Adijciunt Syluerium ab æmulis accuſatum, quod per literas & nuntios Vitigiti pollicitus eſſet, Aſinariam ſe Gothis portam noctu patefacturum, Lateranenſi domui proximam, quā tum pontifex incolebat, ob eamq; rem à Beliſario appellatū, ibiq; accidiſſe, ut quum Syluerius ad duēm ueniret, aſsideret ille Antoninæ coniugis lecto, quæ ex Neapoli accerſita languebat adhuc è uia, & ut eſt mulierum in poteſtatibus intemperies, inſolensq; & intempeſtiua loquacitas, ubi hæc Syluerium ad ſe uenientem uidit, procul ſtolida uoce correptum exclamat: Quo meo bone uir, quóue Beliſarij mei merito, tua Gothis prodimur opera? Sic illa, ac ne poteſtate quidem Syluerio diluendi criminis facta pontificium cultum ei detraxit, monaſticam cucullam inducit, ſeponi iubet. Ortæ ſunt inde offenſæ quædam, & iniuriaram querelæ, quod Beliſarij milites Portuenſem urbem, & Centumcellas à Gothis per induciarum tempus relictas, occupaſſent, ſuntq; res à Vitigite per legatos repetitæ, quæ niſi redderentur, teſtari qui ad id miſsi ſunt, uiolatū intelligi fœdus, quod nuper eſſet inter duces ſolenniter ictum. Reſponſum eſt in fœdere diſerte poſitum, ut neutris liceret, quæ ab alteris tenerentur, uiolare, nō ut in uacua non liceret uenire, uideri ſibi ſi ex æquo diſceptetur, loca omni cultu & præſidio deſerta, à quibuſuis hominum ſine iniuria occupari potuiſſe, ſed multo iuſtius ab his quorum antea fuiſſent. Hæc Beliſarius aduerſus legatorum poſtulata. Cæterū quia hybernorū tempus appetebat, & Beliſarius copijs abundabat, duo milia equitum in Picenum agrum miſit, quæ illic hyemarent, præcepitq; occulte Ioannī Vitaliano, qué equitibus præfecit, ut ſi quid Gothi hoſtiliter mouerent ob res non redditas, continuo eorum liberos & uxores (nam ipſi populariter exierant ad bellum) urbes & loca quæ in ipſius gentis poteſtate eſſent, tumultuoſe inuaderet. Sunt & alij aliò miſsi, ne futura hyberna eſſent Romanis ciuibus grauia. Sub id tempus Mediolanenſes ad Beliſarium legatos miſere, & in his Darium ſuæ urbis antiſtitem, qui ubi Romam uenere publico nomine defectionem polliceri, ſi modicum ad ſe præſidium mitteretur: fateri adhæc fore, ut breui omnē Ciſalpinam Galliam ſecum ad imperium retraherent, modo inter prima initia aliquid uirium oſtenderetur. Mediolanenſes qui ad id uenerāt, benigne auditi ſunt, iuſsiq; rem occultam habere quoad prę fidium mitteretur, id ut mature fieret Beliſarius recepit. Incidit inde dux ipſe in apertum diſcrimen uitæ, nam quum acrius inſtaret, ut gladius pretioſe ornatus, uiq̄ue Romano ciui ablatus, domino reſtitueretur, idq; Conſtantinus iniuriæ autor ſe facturū negaret, orto ſuper ea re iurgio, accerſitisq; à Beliſario apparitoribus, ratus ille fore ut ad ſuppliciū accerſerentur, ſtricto ferro Beliſarium paululū infra ſtomachum conſauciauit, fuiſſetq; tantus uir ad exitium repetitus, niſi circumſtantium occurſu inhibitus eſſet. Nec Conſtantinus impune tulit id facinus, qui paucis diebus quibus maieſtatem leſerat, Beliſarij juſſu interfectus eſt. Tentarūt & Gothi Romam furto occupare, primo per aquæductum inſinuati, occulto inde Tyberis traiectu circa regionem Martij campi, ſed utrunq; conſilium fuit illis irritū. Beliſarius, quod ad fluminis traiectionem attinet, quia duo pecunia corrupti ſoporiferum pharmacū à Vitigite acceperant, ut nocturnos uigiles commodius fallerent, re unius indicio patefacta, proditionis autori aures & naſum præcidit, aſinoq; impoſitum in caſtra ad regem miſit, ut ex eo appareret detectam eſſe fraudem. Cæterum ratus ob ea, quæ acciderant, non eſſe amplius ſtandum inducijs, quando utrinq; uiolatæ, neq; ſancti quicq̄ haberent amplius, neq; fidei, ad Vitalianū ſcribit, ut res Gothorū ſubita ui adoriat. Peragit ille impigre mandatū, atq; ex improuiſo hoſtium terrā ferro & igni populatur, puerorū mulierumq; numerū ingentē in prædā abducit, Vglitheum Vitigitis patruū, qui ad uim inhibendam cum exercitu occurrerat, prælio uictū interſicit, exercitum maiore ex parte cæſum diſsipat. Victor inde Vitalianus plura ex hoſtibus loca recepit, & in his Phanum fortunæ, & Piſaurum. Auximo, & Vrbino, quia multo tutiore loco eſſent, quàm ut tam facile capi poſſent, conſulto abſtinuit. Arimi num quoq; deiecto inde Gothorū præſidio ad imperiū retraxit. Perſuaſum habuit ab initio Vitalian⁹ ut Arimino capto, quia Rauennæ ea urbs propinqua eſſet, fore, ut Gothi urbē obſidione ſoluerent, nec ille ſua eſt opinione deceptus. Enimuero Vitigis, audita Arimini alienatione, Rauennę timēs, ubi ſumma rei Gothicæ erat, incenſis caſtris Romā obſidione ſoluit. Beliſarius Vitigitem abeūtem ſecutus ubi dimidium copiarū ponte trāſmiſſum uidit, extremum agmen à tergo inuaſit. Plurimi itaq; Barbarorū ſunt circa fluminis ripā interfecti, multi etiam in ſubiectū amnē præcipitati. Habuitq; obſidio illa Romanæ urbis hunc exitū, quæ in eum annū incidit, qui humanæ fuit ſalutis quingēteſimus atq; undequadrageſimus, mundanæ originis trigeſimuſoctauus, ſupra ſeptingenteſimū ac quinquies milleſimū, ex quo Romę imperari deſitū erat ſexageſimus octauus. Vitigis Rauennā petiturus urbes, quæ adhuc in officio erant, præſidio firmauit mille equitibus Cluſij collocatis, pari numero urbē ueterem firmat: Tuder quingētis, Vrbinū duobus milibus, Auximū plus duplo, Cæſenā ala una equitū, Montem Feretrū una. Inde Ariminū obſidere adortus eſt, quò Beliſarius aliquanto prius ualidū præſidiū miſerat. Statuit turrē ligneā ante muros Vitigis, unde propugnatores inceſſeret: & iam futuræ erat oppugnationi intentus, quū nocte ager & foſſa ingens eſt Gothis ea parte obiecta: irruptione dein in præſidiarios facta, atrox prælij eſt editū circa hoſtilem machinā, ceciderūtq; ex Barbaris q̄plurimi. Sed dum Vitigis Arimino aſsidet, Mediolanenſes acceptis à Beliſario copijs, à Gothis deficiunt. Secutæ ſunt eam defectionē illuſtres urbes, Comum, Bergomū, Nouaria, & aliæ quædā, ſed minus clari nominis. Permotus Vitigis Mediolanenſiū defectione, Vraiam nepotē ſuum ex fratre cum ualido exercitu in Ciſalpinam Galliā mittit, ut loca quæ adhuc in fide erant, in officio cōtineret, quæ ad hoſtē defeciſſent, ſumma ope niteretur ut ad obſequiū retraheret. Procopius & à Theodeberto, ait, Francorū rege, cum quo ictum haberet fœdus, Vitigitem auxilia petiſſe. Forliuienſis Blondus ex Liguria mauult petita, q̄ ex Gallia, ſed neutrū uero diſcrepat, iā enim ſatis cōſtat Theodebertum ex Francorū gente ortū, atq; Alpes Coccias cum Liguribus, ut ſuprà eſt demonſtratū, illius armis ſubactas, eius q; præſidio retētas. Quin illud merito in dubiū uenit, à Theodeberto petita ſint auxilia, an à Theodebaldo eius filio, q̄ haud multo poſt Ciſalpinā illam expeditionē ſuprà memoratā extincto ſucceſsit. Beliſarius ubi primū ſegetes flaueſcere uiſæ ſunt in agris, ex urbe cum exercitu profectus, Gothos ex Cluſio & Tuderto deiecit, ad Anconem per id tēpus Conon Beliſarij dux cū mille, nec amplius quos ad præſidiū urbis acceperat, temerè cum iiij. milibus Gothorū conflixit, qui ex Attximo Noui ductu tentatū magis q̄ oppugnatū Anconē uenerant. Victus itaq; eſt prælio Conon, præſidiarijsq; cum ſtrage & cæde multa in urbē compulſis, ægrè hoſtis eſt à mœnibus reiectus: Conon per funem ſuperne demiſſum intra muros eſt receptus. Nec multo pòſt Beliſarius in Picenum agrum uenit, aſſueruntque ſub id tempus illi Iuſtinus Illyrici dux limitis & Narſes, ille penes quem finiti belli huius decus fuit, an alius, parum compertū habeo. Venerunt

Vitaliani ſuc/ ceſſus.

Ariminum op/ pugnatur.

Mediolanum deſcit à Go/ this.

Beliſarius pe/ ne interficitur.

Violantur in/ ducie.

runt & duo Herulorum milia Sandro & Phanatheo ducibus, qui circa Firmium cum Belisario iunxerũt copias. Hic de summa belli consultatio inter duces anceps incidit, essétne Ariminensibus, & ijs qui in præsidio erant, succurrendum, an Auximum oppugnandum, sed Ariminum obsidione leuandum primum omnium uisum est, quoniam satis constabat, qui obsidione tenebantur rerum omnium inopia subactos breui in hostium potestatem uenturos nisi maturè subueniretur. Belisarius posteaquã eam sententiam fedre uidit, ut Ariminum iretur, quia multo inferior erat quàm ut aperto marte cũm hoste cõfligere posset, arte agẽdum ratus ubi uires deessent, tripertito in hostium conspectũ uenit, iuxtà classis ex alto apparuit, & circa littora conspectus est terre stris exercitus, qui sub noctem multo plures quàm pro numero, uti iussus erat, accendit ignes, ipse per montana loca ducens tãtum hostibus terrorem incussit, ut Gothi ancipiti metu perculsi, tanquam insidijs circumuenti soluta obsidione Rauennam fugientibus similes abierint. Ariminensibus periculo liberatis, Vrbinum Belisarius & cæteri duces obsidione cingunt, & iam bellica opera urbi admouebãtur, quum repente fons unde ciuitas aquabatur sua spõte exaruit, quo uelut prodigio territi Vrbinates continuo deditionẽ fecere. Cæsena inde oppugnata capi non potuit, multi qui audacius muros subiere runt, telis molibusq; saxorum superne deiectis sunt atrociter afflicti. Forum Cornelij uoluntaria deditione imperium recepit. Mediolanenses interea ab Vraia bello premebantur, qui Theodobaldi regis auctus auxilijs, Mediolanum castra admouerat. Labo rabat populosa ciuitas magis annonæ quàm propugnatorum inopia: sunt qui scribãt legatos ob id missos ad Iustinianum: & in his Datium antistitẽ, qui cum Corinthum uenisset, ut Gregorius in dialogis scribit, domum omni humano cultu destitutam, malorum dæmonum incursu liberauit. Mediolanenses & qui in præsidio erant ad postremum fame confecti dedere urbem coacti sunt, suam prius cum hoste salutẽ pacti, ut incolumes ex urbe abire liceret. Procopius autor est Mediolanum à Gothis receptum, atque excidio deditum: alij nihil excidij huius meminerũt, & in his Datius antistes, de quo supra memoratum est, illius epistolæ abundè demonstrant, quæ mala sint Mediolanẽses ea obsidione passi, nec direptionis ullius aut excidij sit ab eo mentio, nec Paulus Longobardicæ historiæ scriptor, qui ab Albino eam captam & possessam scribit. Quod si tale excidium sub Gothis esset passa, quale Procopius scribit, haud tam breui tẽpore instaurari potuisset. Sed quocunque euentu urbs nobilissima est à Gothis recepta, Belisarius sub id tempus, quo hæc alibi gesta sunt, cum parte una copiarum Auximum aggreditur, altera Cypriano & Iustino data, qui iussi sunt Fesulas inuadere: Vitalianus interea & Martianus duces cum cætero exercitu, circa Padum castra haberent ad Vraiam destinendum. Hi Dertonam Pado proximam ex improuiso adorti occupant, sedem belli faciunt, ut inde Vraiæ conatus infringerent. Auximum interea & Fesulæ obsideri cœptæ: fuitque tam hæc quàm illa obsidio Græcis laboriosa, utraque urbs in arduo sita, ac tam ualido Gothorum præsidio defensa est, ut circa Auximum sit nõnunquam iusta acie dimicatum, erat proinde expectandum, ut fames hostes subigeret, quando ui alia non poterant. Circa Padum interea magnus est rerum motus secutus. Franci & Burgundij cum Ligurum appendicibus à Theodobaldo per Apẽninum emissi, ex improuiso in Placentino agro consederunt. Habebat tum Vraias Gothorum dux, castra circa Padum, septem milibus passuum Belisarij ducibus propinqua, habuitque Vraias ab initio persuasum auxiliares esse copias, quæ à Theodobaldo adB uentare dicebantur: nam superiore anno fuerat talibus auxilijs usus in Mediolano recipiendo. Sed illi non magis Græcis hostes quàm Gothis, ad utrorũque perniciem festinabant, ut prouinciam de qua armis disceptabatur, Theodobaldo uindicarent. Iniquo is animo ferebat ullius gentis opes, in ea terra quæ Ligurię & Alpibus contigua esset, plus crescere quàm sibi & suis tutum putaretur. Erat ijs qui tũ missi sunt galea & scutum ad tegenda corpora, gladius præterea ad feriendum, & bipennis, qua ad stuporem usque hostium, galea & scuto refractis, profunda infligebãt uulnera. Primo itaque accessu (ex composito an casu parum compertum habeo) cum Gothis manum conserunt, qui uicti fusiq;, ac Græcorum castra fuga præteruecti, primo hostibus miraculo fuere: nam de earum copiarum transcensu nihil adhuc erat his exploratum: inde Belisarium rati ex improuiso ad hostem insinuatum eos occidioni dedisse, armis temere arreptis, quum nonnihil à castris processissent, in Francos & Burgundios incidunt. Perculit res subita Græcorum animos, coactiq; manum cum nouo hoste cõserere, multo minore negotio quàm nuper Gothi, funduntur: fic eodẽ die duobus exercitibus, binisq; castris, Franci & Burgundij potiti sunt. Vraias cũ his copijs, quæ ex ea fuga colligi potuerunt, Rauennam abijt. Græci per Placentinorũ & Parmensium fines Apennini iugo superato, in Hetruriam cõcesserunt. Procopius qui horum autor est, triginta milia armatorũ fuisse prodidit, qui duos exercitus improuiso accessu uno die deleuerunt. Sed uix temere aliquis accedat huic fidei, ut tãtus mortalium numerus fallere potuerit duos hostiles exercitus sibi infestos, & ob id in omnem bellorum occasionẽ erectos: hoc multo difficilius fuit quàm quod idem autor Francis & Burgundijs accidisse ait, ut nimia bubulę carnis crapula, Padoq; aui de epoto, adeò illorũ corpora contabuissent, ut tãta uis hominũ, quanta in illis fuit castris, paucis fit diebus propemodum deleta. Propiora uero sunt quæ Guido Rauennas de ea re prodidit, iuuisse Frãcos & Burgundios Gothorũ opes Mediolanensi obsidione, sed mercede conductos, inde quũ Belisarij uires plus nimio in Italia inualescere dicerẽtur, ut iã Vitigitẽ Rauẽnæ obsideret, quia id parũ tutũ suis rebus arbitrarentur, iterũ utrãq; gentẽ in Italiã reuersam, leuiterq; & tumultuose se Belisarij castris ostẽdisse, facileq; à uallo repulsos. Fesulæ post longã obsidionẽ Græcis deditæ sunt. In Auximũ omnes belli conatꝰ incubuerũt, estq; atrociter dimicatũ circa fontẽ, qui unicus erat ciuitati sub mœnibꝰ. Conatus eũ diuertere Belisarius, quia ob ueteris structuræ duritiẽ nõ potuit, aquã noxijs infecit herbis, fœtidorũq; cadauerũ iactu inutilẽ reddidit potãtibus. Perierũt ex Belisarij militibus pleriq; his certaminibꝰ, postremo uicta Gothorũ pertinacia (ná prẽter cætera incõmoda unde aquari possent nõ erat amplius) cũ Belisario ita pacti sunt, ut oppidũ dederẽt, dimidiũq; rerum suarum cederent militibus prædæ nomine: ipsi sub Belisario pari iure cum alijs militarent. Auximo recepto Rauennam Belisarius petijt, Gothorum regiam, ac belli sedem. Hic primum omnium utranq; Padi ripam insedit, qua Rauennæ proximus Adriæ interfluit, ne cõmeatus secundo fluuio ex Gallia deueherentur. Spineticũ dicitur id Padi ostium, à Spina urbe uetustissima, quam Diomedes condidit. Ferunt prodigij loco acceptum quod Padus adeò sub id tempus exaruit, ut frumentariæ naues quæ secundo Pado uehebãtur, in sicco uado relictæ prædę fuerint Græcis militibus. Nec à mari interea spes ulla Gothis prætendebatur: Belisario hinc Ariminum & Anconem tenente, inde Venetis à Pado ad Istros totam maris oram accolentibus, qui in fide erant imperij. Omne robur copiarum Rauennæ mœnibus assidebat. Et Rauenna per hunc modum erat circumsessa

Belisarij consilium.

Soluitur Ariminum obsidione.

Mediolanum Gothis deditur

Noua Francorum eruptio in Italiam.

Francorum arma.

Duplex eorũ ictus.

Auximum deditur.

Rauenna sidetur.

circumsessa, quum legati ex Gallia uenerunt ad Vitigitem, pollicentes illi Gallorum transitum in Italiam, si in societatem regni à Gothis reciperentur, fore affirmãtes, ut quinquaginta milia armatorum alpes transcenderent, quibus tantum abesset, ut Belisarius repugnaturus crederetur, ut non solum Rauennati solo ad eam famam, sed tota Italia confestim excederet. Hęc ut erant magnifice exposita, insolentiq; Gallicarum uirium ostentatione, plus metus & terroris quàm spei Vitigiti & Gothis iniecere. Cupere hi auxilia, sed Francorum opes formidare, haud ignari regnorum iura in armis fore, neque hic ex æquo uiui posse, ubi non æquæ uires essent. Horrere itaq; Francos Vitigis, & quod horrebat, cogebat necessitas probare, nisi superuenissent à Belisario legati, qui Vitigitẽ hortati sunt ad pacem, docentes & regi & Gothis expedire totam rem cognoscendam Iustiniano principi mitissimo permittere, idq; multo tutius quàm Francorum gentem in Italiam accersere: sub qua ipse cum suis popularibus, turpiter esset non multo pòst seruiturus. Hæc eo ueriora sunt Vitigiti uisa, quo Francorũ opes sua sponte erant illi suspectiores. Facile itaq; Vitigis matura Belisarij hortatione est adductus, ut repudiatis ex Gallia auxilijs, belli quibus uellet conditionibus soluendi arbitrium Iustiniano deferret, sumtq;ue de ea re oratores Constantinopolim missi, pactæq; in certum tempus inducię, quibus tenentibus, regia horrea, cum immensa ui tritici Rauennæ deflagrarunt, quæ clades Gothos in summam difficultatem adduxit, multi casu fulminis id accidisse arbitrati sunt, alij Belisarij opera id factum suspicari, ut Gothos ad æquiores pacis conditiones in summa egestate constitutos, uel inuitos subigeret. Fuerunt qui crederent Mathasiuntham quæ inuita Vitigiti nupsit, fuisse eius facinoris non ignaram. Turbauit ea clades, quod satis constat, uehementer regẽ, ac propemodum in desperationem adduxit: nulli non plane apparebat futurum ut breui extrema fame laboraretur, eaq; necessitas in discrimen maximum seruitutis adduceret omne Gothicum nomẽ. Sed dum legati eunt redeuntq;, ex Alpinis Gothis quidã sua sponte ad Belisarium defecere ad præoccupandam credo gratiam, ubi fortuna gentis aperte inclinare cœpit. Erat tunc Vraias in Cisalpina Gallia, ab initio eò missus, ut exercitum cõpararet, ferretque suis qui Rauennæ obsidebantur, suppetias. Ille audita suorum defectione, ad eum motum opprimendum, subito sese alpibus insinuauit, ut ui & armis, si hortatione nequiret, Gothos ad officiũ retraheret. Eum Belisarij duces, qui & ipsi copias his locis ductabãt, uestigiò secuti, aliquot ex improuiso oppida ex Gothis cepere, captique sunt in his liberi & uxores illorum, qui cum Vraia militabant, ea res in causa fuit, ut Vraiani milites, suorum charitate adducti, alij aliò in sua oppida dilapsi sint. Vraias per hæc militibus exutus in Galliam reuersus, spem omnem abiecit reparandi exercitus. Eratque hic rerum status in Italia, quum legati ab Iustiniano uenerunt, qui his conditionibus pacem redderent Vitigiti & Gothis, ut rex ipse cum tota gente omnia ultra Padum teneret, citrà nihil iuris his esset, ac quicunq; Gothorum alibi habitarent, imperio subessent, ut dimidiũ regiæ pecuniæ Vitigis Iustiniano daret. Legati qui cum his mandatis uenerant, cum Belisario prius locuti Rauennam ingrediuntur, pacis cõditiones exponunt, quas Vitigis & primores gentis cupide cõplexi sunt. Cæterum Belisarius ut ingenti erat spiritu ac gloriæ cupidus, iniquo ferebat animo quæsitæ uictoriæ decus per hæc sibi ademptum iri, quo minus igitur inchoata pax teneret, utili quidem, sed parum ad exemplum probabili effecit cauillo. Enimuero legatis in castra redeuntibus, perentibus à Belisario ut suum nomen fœderi ascriberet, pertinaciter recusauit, ea res uehementer Vitigitem & Gothos turbauit, fremere itaque palamq; prædicare se eam pacem irritam habituros, cum Belisarius non astipularetur, hanc calumniæ ansam nactus Procopius scripsit Gothos Belisario suasisse, ut Italiæ regnum occuparet: uerum quia ab eo non reciperetur, Transpadanos Gothos sibi Idouadum regem constituisse, qui confestim purpuram depositurus sit inter suos professus, si Belisarius quod de occupando regno pollicitus esset, demum præstaret. Sed consilij huius Procopius unus omnium est autor. Instaurato itaque bello Belisarius breui Rauenna potitus, Vitigitem cum omni regia pecunia, & Gothorum primoribus, secum ad Iustinianũ deportauit, quinto anno quàm in Italia cœptum erat aduersus Gothos bellari. Vicit Belisarius magis arte quadam, ne fraude dicam, quàm uiribus: nam & prioribus inducijs, quum Romæ obsideretur, & mox circa Rauennam parum sancte uidetur mihi custodiuisse fœdus bis ictum cum hoste, illic Portuẽsi urbe & Centumcellis medio induciarum tempore interceptis, & in Piceno, cum induciæ adhuc tenerẽt, bello renouato, hic Gothorum defectione recepta, uexatisq; circa Alpes hostium rebus, quum de soluendo bello per legatos apud principem ageretur, turbassetque pacem, quæ ab eo Gothis reddebatur. Fuit alioqui Belisarius militaris disciplinæ peritissimus: tanta adhæc comitate, quanta dux illius ætatis, quod sciam, nullus, ut iuxtà diuiti inopique comis facilisque semper occurreret, exegitque à militibus seuere abstinentiam, ut ne ex humili quidem plebe pateretur uiolari quenquam, nec militaribus uijs ex proximis arboribus fruges pomáue temere decerpi: & quum bello talis esset, religio, pietasque præcipuę illi curæ fuit. Intulit ex Maurorum manubijs, quos Aphricam uastantes mira celeritate domuit, crucem auream centũ pondo gemmis distinctam Barionæ templo, quod in Vaticano est. Cerostrata duo magni pretij. Ædificauit Romæ ex ære suo xenodochia duo, in uia Lata unum, alterum uia Flaminia. Ortæ circa Tyberim Iuuenalis phanum condidit, præsidijsq; ditauit. Et in Belisario hæ quidem uirtutes fuere. Cæteri Iustiniani duces qui post illum exercitus in Italia habuere, multo inferiores habendi consilio, comitate, abstinentia, quo cõtigit ut breui cum ipso duce mutata sit fortuna belli. Creuere, ut fit, Gothis animi ex hostiũ imperitia & negligentia: ac ne sine rege essent, primo regium nomen in Vraiam deferunt, eoq; nõ recipiente, excusanteq; necessitudinem, quæ sibi cum Vitigite intercedebat, inhumane impieq; se facturum affirmante, si patruo adhuc uiuo, regiam appellationem in se transferri pateretur, pergrata fuit omnibus Vraiæ modestia, laudatusq; est à tota concione, ut minime ambitiosus, & pietate egregia in suos, conuersisq; in aliũ suffragijs, in Ildouadũ, qui Veronæ longe princeps erat Gothi nominis, regnum totius gentis studia cõferunt. Blondus Forliuiensis eius ditionis Veronam fuisse significare uidetur. Hunc iraq; Ticinum accersunt, accersitum magno consensu & fauore regem creant. Nec Ildouadus ubi summam totius gentis uidit sibi creditam, in ocio fuit, sed confestim ex hominibus suæ gentis, atque Italici nominis, qui infensè oderant superbiam & auaritiam eorum, quos Iustinianus post Belisarium Italiæ rebus præfecerat, prævalidum coẽgit exercitum. Iuuit audax Ildouadi facinus, quod Iustiniani milites, qui ad præsidium Italiæ fuerant relicti, quia stipendium sibi non redderetur, occultè fauebant Gothorum conatibus, omniq; prius malebant quàm præsentem statum rerum. Breui itaque Ildouadus omnem terram quæ intra Padum iacet & alpes, armis recepit, congressusque acie in Taurisino agro cum Vitale, qui unus erat ex Iustiniani ducibus, non solum fudit,

Gallorum pollicita.

Vitigis Byzantium ducitur.

Quot annos habuit Gothicum bellum.

Belisarij dona

Gothi nouum regem creant.

Inclinant aperte res Gothorum.

Conditiones pacis.

Belisarij ea uictoria.

fudit, sed milites propemodum ad unum cecidit, ægre dux fuga seruatus, & cum eo pauci numero. Incredibile est quantum una uictoria creuerint Gothorum uires, nam non tantum continens Venetię, sed quicquid citra ultraq; Padum ab alpibus ad Apenninum terrarum patet, certatim seruitij iugum recepit. Interrupit hunc uictoriæ cursum Vraiæ cædes: qui cum in suspicionem uenisset apud Ildouadum, quod quasi cum hostibus sentiret, seu quia, ut alij existimant, Vraiæ uirtus & potentia sua sponte erat Ildouado suspecta, regis iussu uir fortissimus interfectus est. Ex ea cæde tanta est Ildouado inuidia orta, ut non multis inde diebus interiectis, in conuiuio ab spiculatorum uno sit confossus. Rex inde creatus est Ardaricus, is quoq; quinto quàm regnare cœperat mense suorum fraude perijt, sicq; duo reges uix biennium impleuere. Mago inde omnium consensu sed maiore Italiæ malo, Totilas qui & Baduila, Rex est à Gothis salutatus. Tenebat is se Taurisij, quam urbem hereditario iure obtinebat, adeoque indigne ferebat Ildouadi propinqui sui cædem ut iam de transitione ad hostē consilia agitaret, quæ res ubi indicio comperta est, accelerata est Ardarici cædes, regnumq; illi delatum, ne tantus uir à Gothi co nomine alienaretur. Erant in Italia undecim Iustiniani duces, sed omnium clarissimi Constantianus & Alexander. Hi posteaquam inertiæ & desidiæ accusari se à Iustiniano audiuere, quod in aperta Barbarorum discordia rei occasionem neglexissent, ad eam infamiam abolendam ad bellum subito consurgunt: Veronamq; copias admouent, cuius recipiendæ spes illis occulte fiebat. Martianus quidam regulus, qui castellum supra Veronam possidebat, partium studiosus noctu Graijs ducibus portā urbis patefecit: & iam Artauades Armenius ab Alexandro & Constantiano missus, cum lectissima manu militum, portam & muros tenebat, Gothi qui Veronæ erant, nocturno clamore exciti, ubi hostem in urbe esse significatum est, nocturna fuga arcem capiunt, quæ urbi imminet: duces, qui cum robore copiarum sequebantur, ubi Veronam à suis teneri exploratum habuere, inter se discrepare cœperunt de partitione prædæ, quum quinq; milia passuum adhuc loco abessent, tenuitq; sordida illa altercatio usq; ad lucem. Gothi interim hostium paucitate animaduersa, arreptis armis ex arce in urbem desuolant, eos ferociter inuadunt. Superueniunt duces, qui ubi suos prælio occupatos uidere, etsi ab his strenue resistebatur, non minus stulte quàm nuper aua re rem semiperditam, ut magis adhuc perderent: cōtinuò auersi retrò abierunt. Sic milites subsidio destituti, partim in ipsis muris telorum multitudine confixi sunt, partim præcipitati, præter paucos ad unum aut cæsi sunt, aut capti. Sic nobilissimæ urbis recipiendæ occasio turpiter est è manibus emissa. Ex Verona digressi Alexander & Constantianus Pado copias traijciunt. Erat tum Totilas Ticini, qui nuntiato hostium aduentu tumultuarium contrahit exercitum, pariq; celeritate urbe egressus hostiles copias circa Padi ripam offendit metādis castris intentas. Totilas etsi multo erat uiribus inferior, descendit tamen in discrimē pugnæ, sed ut uires consilio aliquo iuuaret, unam sui equitatus partē noctu præter Græcorum castra, ad uiginti ferè stadia iussit equitare, Trebiaq; superato in insidijs sederēt, quoad prælium confertum audirent, tum uero effuso cursu tumultuose à tergo sese hostibus ostenderēt. Vbi igitur illuxit, utrinque est in aciem descensum, stabant aduersæ acies mox paulò concursuræ, interea Valaris quidam Gothus uir fortis, & insigni equo sedens, armis instructus fulgentibus, feroxanimo, gentiliumq; ostentator uirium ante acié stans alta clamabat uoce, ut unus aliquis ex hostibus secū singulare prælium decerneret, cæteris quiescentibus, Artauades Armenius ex aduerso progressus, certamen obijt: infestis itaq; hastis in se equos concitant, ac primo concursu Artauades Gothum lancea transfixum ad terram moribundum explicuit, ipse bellatoris equi impetu in aduersam cuspidem euectus, letale uulnus accepit, quo triduo pòst extinctus est. Cæterum singulari illa pugna decreta con festim acies conflixere, fuitq; diu prælium & cruentum & anceps, multi uarijq; hinc inde conatus: nec tamen adhuc alterutrò fortuna inclinabat, quū repente Gothicus equitatus à tergo cum fremitu & clamore appropinquare uisus est. Turbauit res inopina Graios duces, turbauit & militem, qui in acie stabat, ancipitiq; metu capti in fugam uertuntur: tum uero solutis ordinibus, dispalatim milites cæduntur: multi quidem in fuga cæsi, sed plures omni no capti, & quod uictoriam multo insigniorem reddidit, Iustiniani signa quę in acie steterat, capta sunt, & ad Totilam relata: fuit hoc quoque celebrior uictoria, quod cum duplo maiore hostium numero Totilas confixerat, ipse uictoriam perhumane exercuit, multis sine pretio dimissis, quod ad clementię famam conciliandam multum contulit. Nec Iustiniani duces ad unam aduersam pugnam, etsi ualde calamitosam, collapsi sunt animo, sed copias pro se quisque reparare. Totilas & ipse post uictoriam ne quid laxamenti daretur hostibus, alieno ductu prędualidum exercitum misit in Hetruriam, ubi Iustinianus erat unus ex Græcis ducibus. Hunc Gothi improuiso accessu Florentiam compulsum obsidione cingunt. Cæteri duces suorum periculo commoti ex Rauenna continuò in Hetruriam aduolant, quorum aduētu soluta est obsidio. Secuti dein sunt Græci abeuntem hostem, ductabatq; Vitalianus primū agmen. Is ferociter Gothos adortus, ut ex edito loco deturbaret, in aduersum montem per iniqua loca egit militem: hic quum medio conatu miles, qui circa ducem intrepide pugnam obibat, transfixus hasta concidisset, falsus rumor peruasit aciem, ducē primo loco dimicantem, non militem, ictum occubuisse, temere creditus tantum militibus iniecit terrorem ut continuò cœpta sit fuga circumspectari, estque adeò fœda trepidatio orta, ut fugiens miles copias, quæ à tergo sequebantur cum ipsis ducibus retrò auerterit, ficque nullo urgēte numerosus exercitus turpi fuga dilsipatur. Gothi siue terrorē hunc ignorauerint, siue copiarum sint magnitudinem ueriti, Florentiam, quod satis constat, non sunt repetere ausi, atque per hęc septimus Gothici belli annus, quem Belisarius inchoauit, est circumactus. Principio igitur eius anni, qui proximè secutus est, ubi primum miles est hybernis eductus: Totilas cum florentissimo exercitu in Flaminiam uenit, hic demū Iordanus, & Agnellus Rauennas, qui de his rebus scripsere, pugnam illam ad Placentiam superiore anno à Iustiniani ducibus male pugnatam crediderūt. Totilas Cæsena alijsque Flaminiæ locis partim ui, partim metu subactis in Hetruriam transmisit: inde Tiberim transgressus, per Vmbros, Sabinos, & Marsos, in Campaniam descendit, nec multo pòst Beneuētum ui captam mœnibus nudauit, ne locus alioqui natura munitus, sedes belli fieret hostibus. Neapolim inde est oppugnare adortus, quam præsidio obtinebat Conon Iustiniani dux, erantque cum eo mille militum. Sed dum urbs una obsidione tenetur, Cumæ, & alia quędam oppida Neapoli circumiecta, aut ui capta sunt, aut ultrò dedita, uenerunt; matronæ pleræque ex Romana nobilitate, in Gothorum potestatem, quas perhoneste Totilas penes se habuit, atque honestissimo comitatu gratis Romam ad suos dimisit, adeò uel media Barbaria optima interdum proueniunt ingenia, enimuero ortus erat Totilas in Italia, Gothico tamē sanguine oriundus. Et quia procul aberant Iustiniani duces, paucis diebus

Vraiæ interficiuntur.

Totilas rex creatur.

Totilæ strategema.

Singulare certamen.

Secundū Græcorum ducum.

Græcorum cædes.

Totilæ fuga.

Totilæ hostes in Italia multant.

diebus, uniuersa Apulia, Lucania, & Calabria, Totilanis cessere armis. His hostium successibus perculsi Græcorum duces, cæterum quia pecuniarum defectu stipendium militi non dabatur, & ob id militiam detrectabat, quando castra in aperto fieri non poterant, partiti sunt inter se prouincias, ut alij alia loca præsidio obtinerent, Romam Vitalianus, Belsas Spoletum, Cyprianus Perusiam, Iustinus Fesulas, Constantianus Rauennam sortitus est. Obsidebatur intera Neapolis à Totila, terra mariq; apparebatq; breui fore, ut urbs ipsa, cum suo præsidio, in hostium potestatem ueniret, nisi mature subueniretur. Excandescere Iustinianus, factus de ijs quę in Italia fiebant certior, pudereq; ignauiæ suorum ducum, quorum imbellia tam breui omnia in Italia mutata essent, bellumq; tam integrum cum Gothis esset, quàm ab initio fuerat. Mittit itaque Maximum prætorij præfectum in Italiam, qui aliorum errata corrigeret, repararetq; simul bellum, data est illi classis opulēta, cum ualido exercitu, ut & terra & mari rem gereret. Sed homo timido ingenio magisq; ad otium quàm ad negotium natus, in Epirum usque progressus, dum ibi nunc hęc nunc illa cautius prouidendo sedet, Italiæ incendium supra modum inualuit: quum igitur minor in dies spes in Maximo esset, Iustinianus omnis morę impatiēs, Demetrium quendam, qui sub Belisario militauerat, iubet cum classe in Siciliam nauigare, ac siqua occasio daretur, ex propinquo iuuaret res Italiæ. Is ubi insulam attigit, comperit Neapolim cum suo præsidio breui subactum iri, nisi laborantibus subueniret, iam enim ad extremam inopiam uentum erat, opitulandum illis ratus, confestim ex tota insula naues accersit, conflatq; classem ingentem, sed eam ipsam inanem. Persuasum habuit Demetrius posse fieri, ut ubi primum ingens ille numerus nauium in hostium conspectum ueniſſet, territus Totilas à mari saltem solueret obsidionem, nec tale ludibrium caruisset effectu, si Demetrius ex alto cursum ad urbem intendisset, uerum præteruehens se tantum ostendit, ac uelut aliud negotium secutus Tyberina petijt ostia, cursu nihil intermisso, ut ex urbe supplemētum classis acciperet. Milites qui Romæ erant, bis prælio uicti, naues ascendere recusarunt. Tum uero Demetrius præsenti spe destitutus, cum his nauibus, quas ab initio habuit, etsi longe impar hosti, fortunam experiri statuit. Totilas factus certior de Demetrij reditu cum nauibus ad pugnam instructis, in eum iam appropinquantem ex improuiso facit impetum. Subitus hostium accessus adeò Demetrianos terruit, ut ne tentare quidem pugnam sint ausi, sed passim fuga disiectos Gothi celeritate nauium assecuti uelut inertia pecora trucidant. Pauci admodum, & in his Demetrius, scaphis usi, in proximum littus euasere. Cæteri ad unum, aut ferro cæsi sunt, aut cum frumentarijs nauibus capti. Sub id tempus Maximinus cum maiore classe Siciliam tenuit, sed quum omnia ab eo cunctantius fierent, nec proximo Italiæ periculo oculisque propemodum admoto moueretur, absens Iustinianus, absentem conuitio carpebat, instabatque nunc imperio, nunc minis, ut in Italiam transiret, ille siue ignauia quadam animi torpēs, siue quia plus uideret quàm cæteri, nulla ui subigi potuit, ut Italiam peteret, quin classe tribus ducibus data, Demetrio, Herodiano, & Phasiæ in insula desedit. Erat iam brumale anni tempus, & ob cœli intemperiem mare parum tractabile, quo accidit ut tota classis, sæuiente pelago sit ad ea littora deiecta, quibus Gothi prouxima habebāt castra. Nec hostes tantam occasionē neglexerunt, qui facto in naufragos impetu, sine ullo maiore certamine & uiros & naues in suam potestatem redigunt, paucis admodum numero interfectis, qui primo occursu prælium tentare ausi sunt. Cæteri capti sunt, & in his Demetrius dux classis. Cæteri duces, casu potius quàm consilio interfecti, atque ita modica temporis intercapedine duæ Iustiniani classes sunt circa Neapolim deletæ. Totilas Demetrium uinctum Neapolitanis & militibus spectandum præbuit, qui regis permissu ad suos uerba fecit, hortatusque est ad deditionē quando duabus classibus una post aliam amissis, non esset amplius unde auxilia expectarent. Ingens metus luctusque ciuitatem inuasit: ubi satis apparuit nullam spem superesse amplius tolerandæ obsidionis: nemo erat cui non persuasum esset diem, qua Totilas Neapoli potiretur, eandem supremam fore urbi ciuibusque quos Barbarus plus quàm hostiliter odisset. Eratq; ciuitas in hoc mœrore, quum præter spem omnium Totilas è muris ciues benignè affatus, in spem erexit melioris fortunæ, testatus gratiam non supplicium à se Neapolitanos expectare oportere. Quando unus omnium populus in Italia nō ultro sed ui, Belisariana oppugnatione, Graij imperij iugum subijsset, factaque per hæc ciuibus spe ueniæ, promissaque militibus incolumitate, quum triginta induciarum dies petijssent, ne deditio temere facta uideretur, respondisse fertur Totilas non tricenos tantum dies libenter concessurum se, sed ter tricenos, si ita ipsi uellent. Cæterum ciues, & qui in præsidio erant, tantam in hoste comitatem complexi, paucis diebus illi portas patefecerunt: præstitit fidem deditis Totilas, nemo uiolatus est, nihil cuiquam ademptum, dataq; est opera à rege, ne longam inediam passis immoderata cibi affluentia officeret, dato suis negotio ut ad certum pondus daretur singulis cibus, quotidieque aliquid adijceretur. Cononi præsidij præfecto, & qui cum eo erant commilitium ea conditione obtulit, ut æquo iure cum Gothis suo ductu bellarent, cæterum abire uolentibus naues præbuit, inde quia per aduersas tempestates mare tractari non potuit, terrestri itinere dimisit, equisque abeuntes iumentis & uiatico iuuit. Sed quum tam facilis esset in alios Totilas, à suis disciplinam militarem seueriſsime exigebat, ut nihil impune delinqueretur, rapere aliena, aut uim inferre capitale erat, sequebaturq; supplicium bonorum publicatio. Hæc Gothorum modestia, contrà dissoluta hostium licentia & intemperies, adeò studia hominum immutarunt, ut iam multo popularius esset Gothicum nomen in Italia, quàm Iustiniani principis & Græcorum. Et fors bellica per hunc modum uariabat, quū Belisarius ex Persico bello, quod nondum profligatum habebat cum Cosdrone eius gentis rege, Iustiniani iussu, est in Italiam reuocatus. Iordanus qui res huius temporis scripsit, Cosdronem Parthorum regem prodidit non Persarum, sed Persæ sub Parthorum rege tum fortasse erat, ut diu antea fuerant. Traxit secum Belisarius ad quatuor milia uoluntariorum Thracum (erat enim opus nouo milite) ueteranis ad Persicum bellum relictis, cum his ille in Delmatiam uenit, soluitque obiter Idruntum obsidione, est id oppidum in confinio Calabrię, qua parte insigniter mare angitur, inter Italiam & Ceraunia promontoria. Has rex Pyrrhus angustias olim, inde M. Varro piratico bello pontibus iunxisset, nisi diuersæ utrunque curæ à tam memorabili opere auertissent. Græci obsidione fatigati, pacti fuerant cum Gothis in paucos dies deditionem, nisi auxilia adessent. Cæterum maturo Belisarij occursu, qui Valerianum cum commeatu, & nouo præsidio eò celerare iussit, Idruntini obsidione soluti sunt. Ipse Salonas primo, inde Polam progressus ibi tyronē exercitū aliquandiu exercuit, postremo Rauēnam transmisit. Hic omnia sua opinione deteriora inuenit. Gothorum opes plus nimio inualuerant, fracti erant ciuitatum & populorum animi hostium successu. Quidam etiam præsidiorum iniuria, & du-

Græci duces partiuntur inter se prouincias.

Neapolitanorum metus.

Neapolis deditur Gothis.

Profligatur Iustiniani classis

Totilæ fuga.

Periclitatur Græca classis.

Totilæ seueritas in suos.

Belisarius itterum in Italiā mittitur.

Belisarij in Italiam reditus.

Omnia mutata inuenit Belisarius.

cum auaritia, superbiaque intolerabili, ab imperio alienati, in Gothos studia & fauorem inclinauerant. Milites laborem militarem horrere, ignauiæ & inertiæ dediti. Sociorũ spolia magis cordi esse, quàm hostium, pro fortibus inertia, licentia pro modestia placere. Hæc mala in causa fuerunt, ut Belisarij ducis omnium ea tempestate clarissimi haud perinde gratus fuerit accessus, nec multum eius præsentia erecti sunt suorum animi in spem aliquam felicioris militiæ, quando ne pecuniam quidem secum attulisse diceretur, ut meritum militibus redderet stipendium, exercitus quem in Italiam deportasset, ex tyrone milite constaret. Nemo igitur concionem habenti, differentique de summa belli est uoce aut uultu assensus, sed desperatio in ore omnium eminere. Sensit rem perditam callidissimus dux, simulque pœnituit Italiæ à se repetitæ. Totilas interim per oppidanorum discordiam Tybur occupat, unde Gothi Romam & uniuersum Latium uelut ex arce quadam sunt incursare adorti, mox audito Belisarij accessu in Picenos aduolat rex, Auximumque obsidione adoritur. Misit eò Belisarius mille equites, sub tribus ducibus, horum Racilas postridie quàm uenerat ad pugnam egressus mortem in prælio occubuit. Profectus est & Vitalis in Æmyliam, cum Illyriorum manu, qui Bononiam à se receptã, subita militum defectione, haud multo pòst coactus est relinquere. Illyrij domum abiere, coactique eius defectionis reddere rationem, causati sunt iniuriam eorum, qui tum tributa crudeliter exigebant, quorum sæuitia liberi & uxores, cæteris bonis ademptis, pelli dicerentur proprijs laribus. Testari igitur non se ad hostes transiuisse, sed domesticæ calamitati subuenire uoluisse. Græci equites qui Auximum præsidio obtinebant, paucis diebus, quibus eò missi fuerant, quum obsidio nihil secius teneret, ne cum equis commeatu deficiente inedia absumerentur, priusquam undique circumsederetur oppidum, silentio noctis urbe digressi, ut in pacatum abirent, in insidias prolapsi, cæteris metu discessis, ducenti in hostium potestatem uenere. Qui noctis beneficio seruati sunt, transuersis itineribus Ariminum peruenere. Tenebatur Ariminum ualido equitum præsidio, qui paucis diebus, quibus hæc circa Auximum gesta sunt, Belisarij iussu Pisaurum iniuere, uideri locus ille ad res gerendas peropportunus. Eam urbẽ Vitigis mœnibus nudarat, quare irrequieto opere à Belisarianis est fossa & uallo munita. Iam & muri aliqua erant ex parte restituti, quum Totilas ex Auximo eò improuisus occurrit. Locus strenue defensus est, & munitionibus, quæ hosti obiectæ sunt, & equitum uirtute. Totilas ubi omnem belli rationem cum ipso duce mutatam uidit, nec fieri ab hoste sibi copiam dimicandi, ne tam numerosus exercitus unis mœnibus parum industriè assideret, parte una copiarum ad Auximum relicta, Firmum & Asculum oppugnare adoritur, quibus haud multo pòst deditis in Vmbros transijt, ubi præter spem Spoleto, cum arce munitissima, quæ urbi incubat, potitus est, Herodianus præsidij præfectus, qui eam deditionem fecit, cum suis ad Gothos transijt. Asisium aliquandiu est à Sisifredo defensum, uerum eo cadente Asisiates se & urbem hostium fidei crediderunt. Est & Perusia suo præsidio seruata. Totilas omnis longioris moræ impatiens, Perusina obsidione omissa, Romam perijt, qua armis circumsessa omnem ab agresti turba abstinuit iniuriam, quod ab initio sui regni in cæteram Italia fecit, ut latius agri colerentur.

Gothorum successus.

Recens obsidio urbis.

ENNEADIS VIII. LIBER IIII.

GRANT Romę Conõ & Bessas Iustiniani duces, & à Belisario cognito hostium consilio, Artasitas Persa, & Barbation Thrax, cum ualida militum manu, iussi fuerant eò occurrere, qui eruptione ex urbe facta, Gothos primo impetu fuderunt, inde lõgius persequendi studio euecti, circũuentique ab hostibus, in medio cæsi sunt, perquàm pauci media cæde dilapsi in urbem refugerunt. Perculit ea clades ciuitatem, omnisq; propemodum spes retinendæ urbis est abiecta. Incidit ad hæc suspicio ingens, ne urbs priuato consilio hostibus proderetur, qua Getheus infamia respersus, etsi princeps senatus, ac proinde magna uir autoritate, urbe pellitur. Iam & fames ciuitatem inuaserat, intercluſis terra & mari commeatibus. Neq; enim Totilas tantum urbem premebat mœnibus assidendo, sed reparata classe, qua in Neapolitana fuerat obsidione usus, oră inferi maris grauiter infestabat. Et circa urbem res in hoc statu erat, quum Placentia, in Cisalpina Gallia, quæ omnium eius regionis urbium, in Iustiniani partibus adhuc erat, ab altero Gothorum exercitu obsidebatur. Belisarius qui suarum uirium conscientia, non sine dolore, magnaq; animi indignatione sese mœnibus tenuerat, eratq; militum numero longe inferior, ubi cætera Italia propemodum alienata, urbẽ Italiæ caput oppugnari uidit, ratus, quod futurũ erat, ut nisi mature subueniretur, fore ut ipsa quoq; Roma breui in hostium potestatem ueniret, relicto Rauennæ præsidio, in Delmatiam transijt, nam per Vmbriam & Hetruriam, ob Gothorũ arma, nullus patebat ad urbem accessus. Diuersis igitur itineribus constituit suis laborantibus subuenire, commeatus & auxilia urbi importare. Sed dum ille copias à Iustiniano expectat, interea Phocas & Valẽtinus, ab eo missi, Portuensem urbem tenebant, omnia circũiecta loca reddentes hostibus infesta crebris excursionibus, quo successu audaciores facti, dum incautius euagarentur, in insidias præcipitati, cum ea manu militũ, quã habebant, occidione occisi sunt, fuitq́ue clades illa quàm pro cæsorum numero calamitosior, magna uiri frumenti amissa, quæ ex Sicilia uehebatur. Sunt qui à Vigilio pontifice ex insula in Romam missum existimẽt. Operæpretium est hoc loco memorare quibus casibus fuerit Vigilius iactatus, nam quis fuerit eius exitus suo postea loco curæ erit referre. Successit Vigilius in Syluerij locũ Theodora Augusta admitente, hæc quũ aliquandiu passa esset Anthemij causam obliterari, quapropter Syluerius in perduellionis crimen calumnia deuocatus, in miserabile illud exilium fuerat cõpulsus, ne non semper fœmina insolens ineptiret, cum Vigilio agere cœpit, ut de Anthemio qui priuatus adhuc fuerat sibi pollicitus, tũdemum pontifex præstaret. Respondit Vigilius impudenter se fecisse, qui cum Apocrisarius esset, homini hęreseos damnati restitutionem promisisset, sed multo impudentius facturum, si apostolica locatus sede, id præstaret. Credere se non ea promissa seruanda, quæ indigna essent & nefaria. Excanduit Theodora, & ut sunt mulierum ingenia in prauis tenacia, Vigilio irata, Romam misit Anthemium Scribonem qui pontificem ipsum inuitum, si spõte ire nollet, ad se Constantinopolim deportaret, deditq́; super eare literas Romano Populo, ut si Vigilius sua iussa detrectaret, uincula illi inijcerent, & Anthemio uinctum traderent. Platina Vigilium tradit Romæ in iudicio arreptum, Theodoræ iussu, Romanis quibusdã adiuuantibus, capitaq; accusationis fuisse, quòd ipsius fraude Syluerius circumuentus, dignitate spoliatus esset,

Belisarius filium.

Theodoræ postulata.

Attende inconstantiam Græcorum.

Attẽde Vigilij patientiam.

Cædes Gothorum ducum.

Theodoræ auctoritas ob uiri amentiam.

Vigilij interitus.

Vigilius pontifex est.

esset, & mox in exilium actus, & quod eiusdẽ Vigilij pontificis iussu, adolescens quidam à Vigilio Alterij consulis filio, ad necem cæsus esset. Cæterum ne pontifex iudiciũ subterfugeret, ab Anthemio quem Theodora miserat ad Ceciliæ ædem captus, Cõstantinopolim perductus est. Ferunt naui secũdo Tyberi deuectum lapidibus à populo petitum, additas etiam diras execrationes. Omnium malorum nobis causa fuisti, omnia tecũ mala deferas. Quod si uera sunt hæc, quæ Platina scribit, à fide haud dubie abhorret, quod de eadẽ re in literas misit Blondus, illũ in Siciliam delatum magnã inde uim tritici misisse ad eius ciuitatis quam nuper discedens tam infestã habuisset, inediam leuandam: cęterum quoquo modo hæc accipiẽda sunt, frumẽtariæ naues circa Portuensem urbem, cæso, ut diximus, præsidio intercepte sunt ab hoste. Scribunt quidam Vigilium eorũ permissu, à quibus deportabatur in Siciliã, Ampliatum presbyterum ordinasse, & Valentinum antistitem ab eodẽ ad dignitatem promotũ iniunctumq; illi à Vigilio negotium, ut se absente Romanã ecclesiam & clerũ tueretur. Sicilia dein auectus, post longam nauigationem, quum iam Byzantio appropinquaret, Iustinianum cum magno comitatu habuit obuium, à quo summa ueneratione acceptus, perductusq; est clero præcedente ad augustissimum Sophiæ templũ. Inde de Anthemij restitutione à Theodora appellatus, quum omnia prius se subiturũ supplicia diceret, quàm ut impium hominẽ in eã ecclesiam restitueret, in qua celeberrimo cõuentu se pontifice fuisset decretum, ut Christi mater Theotocos, id est, Deipara diceretur, instare minaciter insolens fœmina, ac uim intẽdere nisi postulata faceret. Tum pontifex, ad Iustinianum, inquit, putabã me uenisse non ad Diocletianũ, quæ uox adeò iniquis auribus est à circumstantibus excepta, ut Theodorę iussu ad necem sit propemodum cæsus. Cæterum in Euphemiæ templum dilapsus, inde à tortoribus uiolenter extractus, per totã urbem, laqueo ad collum suspenso, ignominiose est distractus, in carcerem inde obtruditur, ubi aliquandiu panis duntaxat fuit illi cibus & aqua potus. Fertur tam patienter hæc tulisse, ut identidem diceret se multo atrociora adhuc laturũ, si pro meritis digna sibi pœna irrogaretur. Qui Vigilium officij causa secuti fuerãt, partim in exiliũ acti, partim ad metalla excidẽda deportati. Miretur aliquis quo modo accidere potuerit, ut is quem Iustinianus nuper tam honorifice acceperit, mox paulò tam fœdam tuleritignominiam, atq; ex principali domo, non aliunde illatam, præsertim quum nihil occulte fieret, sed Iustiniano ipso, ut credere par est, non solum audiente, sed uidẽte etiam. At ferunt extremis temporibus Iustinianũ parum fuisse mentis compotem, quam nacta occasionem Theodora, multo maximam administrationis partem ad se trahere. Aut certe Diocletiani exprobratio fuit Vigilio noxæ apud principem alioqui mitissimũ. Fuit inde plures annos in carcere Vigilius, alij cum suo comitatu relegatum scribunt, nec prius solutus est quàm Narses, qui extremam manum imposuit huic bello, populo Romano adnitente, cuius animum tam longi supplicij misericordia sua sponte subire cœperat, autor fuit, ut solutus sit uinculis, seu ab exilio reuocatus, utrunque enim traditur. Sed quem tot mala perdere non potuerunt, Italiã repetens, calculi morbo Syracusis extinctus est. Corpus ex Sicilia delatũ ad Marcelli Phanum salaria est uia sepultũ. Sed hæc quæ ad Vigilij mortem attinent, aliquot interiectis annis secuta sunt. Cęterum quandiu Vigilius uixit, Pelagius propontifex ecclesiam Romæ administrauit. Fuerat Pelagij nomen apud Romanos satis illustre, sed quũ uir optimus, & multa possidẽs in summa annonæ caritate innumeros ciues pecunia iuuisset, leuasset́q; pro uiribus ciuium desideria, quũ rerum omniũ angustia laboraretur, multo ex eo clarior est factus. Missus itaq; est legatus ad Totilam, qui cũ eo ageret ut inducijs datis bello abstineret, fore, ut nisi ubi auxilia per eos dies mitterentur, urbem illi traderent. Accepit Totilas Pelagium ad se uenientem satis amico uultu, priusquam ille postulata effari cœpisset: inde ubi ad quid uenisset Barbarus audiuit, tum rex acerbe insolẽteq́; in Romanos inuectus Theodorici & Gothorũ beneficia in eam ciuitatem exprobrans, perfidam ciuitatem & ingratam appellare, inde quũ plura magis barbare quàm hostiliter in hanc sententiam dixisset, eò detorsit orationem, ut diceret nulla opus esse legatione, nullam salutis uiam reliquam fore populo Romano, præter unam, si muros demoliantur, sed & Gothorum exercitum in urbem inducant, eam fortunam habituri quam uictor esset hostis daturus. Tum Pelagius, quando inquit, Totila, præter ius gentium legatos aspernaris, ut ne preces quidem uelis audire, nos diuinam opem implorabimus, inuocatum cœli numen ut spero, aderit humanamq́; franget superbiam, atq; pauca hæc effatus retrò abijt. Post Pelagij reditum ciuitas Totilæ superbiam auersata, omnia extrema prius ferenda censuit, quàm iratum hostem ciuium exitio imminentem, in urbem accipere. Obstinatis itaq; animis ad resistendum, famem alioqui intolerabilem, maiorum metu, cõstanter ferunt. Venit nec ita multo pòst à Iustiniano nouus in Delmatiam exercitus ad Belisarium. Incidit hic anceps cõsultatio terrestri ne itinere per Apuliam cum cõmeatu Romã tenderet, an pars una mari cum cõmeatu iret, altera terrestri itinere. Cęterum, quia res nullam patiebatur dilationem, placuit ut terra mariq́; iretur, fore aiebant si secundæ adessent tempestates, ut quinto die classis subiret Tyberina ostia. Belisarius itaque cum classe in Italiam transgressus Hydruntum obsidione leuat, inde instituta nauigatione celeriter repetita Romam irrequieto cursu pertebat. De huius aduẽtu factus certior Totilas, quia satis apparebat ad quid ueniret, Tyberim ab una ripa ad alterã trabibus ferreaq́; catena iunxit, duodecim milia passuum ab urbe, qua amnis arctissime fluit pontem fluuio imposuit, statuitq́; utrinq; castella cum suo præsidio, ut omnis importandi commeatus facultas adimeretur. Nec ita multo pòst Belisarius Tyberinum ostium subijt, subseditq́ue circa portum, suorum aduẽtum expectaturus, qui post Belisarij discessum in Italiam transmiserunt. Erat Ioannes cognomento Vitalianus horum dux, is Gothos subita pugna adortus ad facietatẽ cecidit: Brũdusium primo impetu capit, ubi paululum commoratus est quoad Apuliæ & Calabriæ ciuitates in fidem reciperentur, Canusio inde potitus est, uenitq́; circa Cannas uicum ueteri Romanorũ clade ad posteros insignem, cum Tulliano in colloquiũ, erat is Venantij filius, qui tum in Lucanis erat longe princeps. Per hũc igitur est spes Græcis facta, fore ut Lucani & Brutij, qui Græcorum militũ iniurijs ad Gothos defecissent, sua sponte in fidem redirent si spes ueniæ fieret. Laudatus est Tullianus, iussusq; rẽ exequi. Miserat interea Totilas Capuam præcipuam partem sui equitatus, estq́; equitum ducibus mãdatum ut Vitalianum prætergressum euestigiò sequerentur, cætera fore sibi curæ. Nec Græcum ducẽ latuit regis consilium, qui ubi indicio comperit quid esset præfectis equitum negotij iniunctũ insistuto itinere auersus in Brutios abijt, ubi circa fretum Rhegium dum Totilæ ducem, qui præsidio eam prouinciam obtinebat, tumultuario prælio adortus, facile superauit. Magna pars copiarũ cęsa est, ipse dux perditis rebus, cum ijs qui cædi superfuerant, deditionem fecit. Brutij & Lucani, tam opportunã occasionem complexi, secundum eam pugnam à Gothis defecerunt. Fremere interea Belisarius, Vitalianiq;

Totilas in Romanos inuehitur.

Duræ cõditiones quæ à Totila proponebantur.

Tyberis obstruitur à Totila.

Vitaliani prudens cõsilium.

Brutij & Lucani à Gothis deficiunt.

ignauiam palam carpere, quod cum lectissimum equitatum haberet, nam Heruli & Hunni cum eo erat,unam Gothorum equitum alam formidaret,futurum ut ea mora supra quàm dici posset, Iustiniani rebus officeret,si Roma iam inedia cõfecta hostibus quia plus non posset,post lõgam subsidij frustrationem dederetur. Hæc ille in absentem iactare. Vitalianus dubium metu, an quia id facere cõducibilius duxerit, non modo non Romam uenit,sed retrò in
Belisarij consilium. Apuleiam reuersus,ibi castra fecit.Belisarius desperans suorum accessum, haud amplius expectandum ratus,experiri constituit,an cum his copijs,quas habebat, posset commeatum & auxilia urbi importare: & quia multo erat hostibus inferior, quàm ut apertè acie dimicare posset, fluuium sibi peruium facere audaci conatu adortus, ducentas naues, quas Græci Dromones uocant,nostri credo Celoces,frumento onustas,lectissimisq; militibus in eas impositis,aduerso egit flumine.Præcedebat lignea turris duabus ratibus imposita maiore celsitudine, quàm essent Gothorum castella,quę ab utraq; fronte pontem obtinebãt. Habuit & turris suos propugnatores omnifariamq;tela ad hostes ex aduerso cõficiendos. Reliquæ copiæ, composito agmine, ripam tenebant,ac cum nauibus,quæ ab Helciarijs trahebantur ex æquo procedere. Primo itaque accessu hostis citeriori præsidio deiectus,lęua enim ripa Belisarius ductabat agmen, quæ Totilanis erat castris auersa,
Belisarij stratagema. miserat adhæc Græcus dux Romã qui suos monefaceret,ut sub id tempus, quo ipse erat Romam uenturus,illi eruptione ex urbe facta, Barbarum pugna distinerent,sed Belsus neq; id fecit neq; quandiu tenuit obsidio,egit quicquam memoratu dignum.Belisariani prælio ex una parte defuncti pontem cum reliquo præsidio nituntur occupare, fuitq; interim atrox utrinq; pugna, uarijque hinc inde conatus, ad postremum reliquum hostium præsidiũ est igni expugnatum:quo certamine ducenti circiter Gothorum periere, & iam resciso ponte erat inclyta uicto-
Attende fortunæ mutationẽ. ria in manibus, quum iniquum urbis fatum uel uanius potius stultitia, omnia peruertit. Reliquerat Isaacẽ Belisarius ad Portuensis urbis præsidium,cum uxore & omnibus impedimentis, præceperatq; illi, ut ad nullos de se nuntios, aut de ijs qui in discrimẽ ibant,aliquid moueret, tantum pergeret cum militibus,qui ad id dabantur,locum tueri, quod ille nõ modo non fecit,sed audito suorum successu , qui ex altero fluminis præsidio hostem deiecissent, partam ex eo uictoriam ratus , tanquam id facere esset iussus,confestim arreptis armis,traiectoq; cum suis flumine, impetum in Gothorum stationem fecit , qui ex aduerso Hostiam tenebant. Fudit Isaaces primo
Isaacis temeritas. impetu hostem,qui mox paulo in pugnam reuersus Græcos milites modico negotio auertit, auersos ac metu dispalatos passim trucidauit:Isaaces uiuo uenit in hostium potestatẽ. Hæc clades Belisario nuntiata adeò ducem perturbauit,ut nec ubi,nec quo casu Isaaces captus esset scisitatus sit, sed tantum ratus oppidum cum uxore, & rebus omnibus à Gothis teneri, consternatus animo cum nauibus & copijs,retrò prœceps abijt, certo moriendi consilio aut locum nuper amissum recipiendi,præter spem circa portum omnia pacatiora offendit,sensitq; nullam adeò maiorem cladem à suis receptam. Cæterũ animus ira & languore affectus,quòd unius temeritate
Belisarius incidit in febrem. tanta è manibus occasio fluxisset, in febrem incidit, qua diu postea conflictatus est. Isaaces Totilæ iussu in uinculis occiditur ob Roderici Gothorum fortissimi mortem, qui circa pontem fortiter dimicãs occubuisset : iam enim clementia illa quam Totilas ab initio ostenderat in sæuitiam paulatim abierat, siue quòd assiduis successibus ferocior in dies animus
Fames urbana fieret,minusq; iniuriæ patiẽs, seu quia ficta ab initio uirtus diu simulari non potuit.Satis constat famem

A Romæ pertinacius toleraram , quia eius immanitas uulgo esset formidolosa,equinæ carnes,murinæ, & alia fœda dictu miseris ciuibus militibusq; cibatui fuere,& cum his omnifariam herbæ,atq; ex ijs quędam,quæ ne muta quidem animalia attingunt. Verum desperato auxilio,tum demum in lachrymas & mœrorem uersi, alij sua sponte uitam finiebant , alij deceptis stationibus noctu fugam moliri. Sed multo plures in priuato fame contabuerunt. Eratq; hic rerum status Romæ,quum quatuor Isaurici milites urbem Totilæ prodiderunt. Hostis per Asinariã por *Vrbs Tot. prodit.* tam noctu occulte inductus est. Cęterũ Totilas,siue urbis magnitudinem ueritus , siue fraudem aliquã, intra mœnia compositum agmẽ circa Lateranũ usq; ad lucem immotũ tenuit. Peruasit interim rumor ciuitatem,hostem in urbe esse,cõclamatumq; est noctu ad arma, quæ pauci admodum induerũt:cætera multitudo metu cõsternata, alij aliò amentes discurrere , ac multi mortales per eas portas quæ maxime erant hostibus auersę,certatim effusi in agros & deuia loca abierũt,imbelli turbæ,quæ multo maxima fuit,diuorum templa ad effugiũ patẽtes. Postea uero quàm abundè illuxit,Gothi per urbem discurrentes omnis sexꝰ & ætatis obuios sine discrimine obtruncant. Inde Totilas, denso agmine stipatus, uoti nomine ad Vaticanam Barionæ ædem media urbe adequitauit. Hic Pelagius tum propontifex (ut arbitror) solenni habitu amictus , habensq; in manibus euangelia,suppliciter uenienti Barbaro sese obtulit. Hũc Totilas intuitus,quid hoc est,inquit,Pelagi?ad me supplicaturus uenis? Venio,inquit, quãdo deus te mihi dominum constituit, sed tu miserere quæso tuorum seruorum,miserere captæ urbis. His lenitus *Totilæ in exercitũ iram.* Totilas ueniam dedit ciuibus , uetuitq; ferrum amplius euagari, edixitq; ut præda Gothorũ esset, corpora ciuium libera sinerentur, præcepitq; simul nequis muliebri pudicitię illuderet,adhibuitq; diligẽtiam ut sexus ille omnis esset iniuriæ expers. Ipse,ut *Attende ut Totilæ dis.* suorum ferociam leniret, concionabundus militem circuire,admonereq; humanæ fragilitatis præsultãtem exercitum. Fuisse olim Rom.Po.uirtute bellica omnium prestantissimum,longe lateq; imperitasse, iam uero præclaro humanarum rerum documento uictricem orbis terrarum urbem uictam , seruitioq; pressam iacere,magnoq; fortunæ ludibrio factũ, ut paucis annis eadẽ sit ciuitas sæpius capta,sæpius direpta,& ad hostium libidinẽ uexata. Iam & in eo nõ paruum bellicæ fortis exemplũ extitisse,quod octo circiter Græcorum milia,Belisarij ductu,ducenta ferè milia Gothorum,ex Italiæ possessione propemodum deiecissent, rursus quatuor Gothorũ milia,uiginti & amplius Graij nominis , suo ductu & auspicijs uicissent,unaq; uictoria factũ ut Italia,quæ præter Veronã Ticinum & Taurisium , tota Græcorum præsidijs tenebaẽ, multo maxima esset ex parte suis armis recepta,quibus fortunę, inquit,uoluminibus admonemur,nõ superbe & crudeliter oportere nos præsentem uictoriam exercere, sed perhumane potius & clementer. Adde quòd res secundas ut aduersas immoderate ferre non fortium uirorum est, sed hoc diffidentis est, illud humanas uices obliuiscentis. Et Totilas his uerbis uim inhibuit, inde Romanos pro concione affatus,uehemẽter eos increpuit, quod nõ minus stultè quàm ingratè res Græcorum, gentis omnium leuissimæ,Gothis prætulissent,per quos primo ob Odoacris tyrãnide , grauiq; seruitio liberati essent : inde Theodorici clementia multos annos & feliciter & otiosè egissent. Contrà à Græcorum dominatu, qui nihil secum in Italiam ab initio belli attulissent præter uerba quorum abundantissimi essent,superbiamq; & auaritiam, in apertum rerum omnium & uitæ discrimẽ adducti semel atq; iterum obsidionem passi,nihil præter famem,cędes, ac nouissime bonorum amissionem lucrifecissent.

Italiam

Italiam assiduis tributis exhaustam,quę sub Theodorico multo frequentius populis remissa essent, q̃ (nõ crudeliter & superbe ut à Græcis sed perhumane) à ciuitatibus exacta . Nulli igitur mirum uideri debere si Romanus Populus suæ inconstantiæ luat pœnas,quando nil tam acerbum pati possit,quin acerbiora adhuc sit meritus . Atque his dictis sine spe ulla melioris status cõcionem dimisit, estq; per hęc Rusticana mulier nobilis arrepta in iudiciũ, quę *Rusticana Symmachi filia.* Theodorici regis statuas frangi delerique fecisset,in patris sui Symmachi & Boëtij coniugis ultionem, qui Theodorici iussu fuerant interfecti.De facto nihil ambigebatur, cæterum mulieris pietas & amor *Totilæ clemẽtia.* in defunctos plus ualuit apud Totilam quàm regia maiestas,absoluta à rege est,ac nequa uis illi fieret diligẽter cauit. Misit inde Totilas ad Iustinianum,qui *Attende Totilæ postulata.* dicerent illi Romam esse in Gothorum potestate,fore ut si cum Gothis pacem quàm bellum mallet, ut Roma à se incolumis præstaretur, polliceri adhæc magna Gothorum auxilia,quibus ille omnibus bellis uteretur. Contrà si pergeret Italiam infestare, ne urbis cura se à gerẽdis rebus auerteret, æquaturum se eam solo,potius quàm hostibus relinqueret occupandam. Legati ad eum missi Pelagius cuius suprà haud uno loco facta est mentio , & Theodorus orator ea tempestate haud ignobilis.Ambo iuramento adacti ut mandata ex fide exequerentur, Romamq; rediret defuncti legationis munere. Sed dum legati eunt redeuntque, Belisarius quanquam morbo implicitus adhuc, in omnem tamen recipiendæ urbis erat occasionem erectus.Id hostium consilium,quũ non lateret Totilam, maluit ipse Romæ esse, quàm in Lucaniam & Brutios ire,ubi plus nimio Iustiniani arma inualescebant. Misit itaq; Gothus rex partem copiarum ad id bellum, ut Græcorum conatibus mature iretur obuiam. Legati qui Constantino polim iuerant , comiter & perhumanè sunt à Iusti- B niano accepti,inde iussi dicere ad quid uenissent,cũ multis lachrymis exponunt Totilæ postulata , docẽt quid uictor Barbarus in animo haberet , nisi pax sibi & suis redderetur , instare supremum excidium urbi nobilissimæ , in cineremque abitura augustissima Diuorum templa,fora, porticus, theatra , omniaque sacra & prophana , nisi bello abstineretur.
Miserabilis legatorũ oratio Vbertim igitur flentes,& ad pedes principis prouoluti , etiam atque etiam orare ut infelicissimæ urbis misereretur,patereturque eam potius seruire,quàm extremo excidio dedi,posse fieri ut præsenti periculo seruata in libertatem quandoque restitueretur,at si flammis & ferro dedita urbs esset, fore ut breui bustum & fabula Roma fieret. Hæc illi. Iustinianus uero ea socordia qua fuisse traditur, Belisarium responditin Italia esse, illi totum belli negotium à se iniunctum,nec ultra uerbum addidit: apparebat ex his fatum urbis ex unius satellitis sententia pendere, quo periculo adacti Pelagius & collega non desiterunt plures dies ambire, ac cum lachrymis prehensare,qui charissimi erant Iustiniano , hos illi rogare,multisque supplicijs obsecrare, ut principis animum flecterent , ne bellandi studio eam urbem perderet,qua excisa imperij dignitas nulla in posterum futura esset amplius.Hæc legati. Cæterum Iustinianus Vigilij causæ erat potius, quàm publicæ *Vigilius pont. distrahitur.* intentus , iam enim alterum ille annum penè exactum in uinculis erat. Tentauit itaq; imperator per Pelagiũ flectere Vigilij animũ, ut Anthemiũ restitueret,ad postremũ quia sententiá mutare noluit,tũ demũ ut quidam scribunt, flagro adhibitus est,permissu principis,ac per urbem laqueo distractus, estque Pelagius infamia respersus , quasi in Anthemij causa , Iustiniano & Theodoræ gratificari uoluisset, sed is haud aliter quàm Vigilius id facinus , ut impium,auersari. Legati retro reinfecta sunt Romam reuersi. Hic Totilas ubi quæ à Iustiniano responsa

A haberent audiuit , pacemque sibi negari , paululum addubitauit quid à se fieri oporteret. Inde furenti similis urbem excindere adortus , primo eam mu- *Totilas nudat urbem mœnibus.* nitionibus nudat,mœnibus plus tertia parte solo æquatis,Capitolium inde incendit, mox passim ædificia publica & priuata subiecto igni deflagrarunt. *Capitoliũ incenditur.* Ardere una hæc,fimulq; Auentinus,Quirinalis,Cęlius , cæterique colles eodem tempore incendio teneri. Exaudiri fragor ruentium tectorum multarũque ætatum opus,clarissimaque uirorũ monumenta,miserabiliter extingui. Incensa excisaque urbe omnis ciuium multitudo,ne quis extremis patriæ cineribus dare posset lachrymas, per Latij & Campanię oppida dispersa est à Totila. Senatum & primores ciuitatis penes se solum ioco habuit, inde Roma egressus,ne unum quidem uiuentium , marem, fœminámue,in ea remanere passus est,ut omni humano cultu deserta urbs quondam rerum domina ia- *Roma sola deseritur.* ceret,magnum omni æuo documentum, quàm parum sit humanæ felicitati credendum,quę quo maior est eo grauius ruit, multoq; magis affligitur quũ *Miserabilis sors urbis.* cadendum sit:quanquam quę tanta esse potuit felicitas,ut calamitas & ignominia , urbis toties captæ, non sit multo maior æstimanda? Etenim ut omittã quòd in ipsa adolescentia capta à Gallis, direpta , & incensa est,anno quàm condita fuerat circiter tricẽtesimo ac sexagesimo, iam uero omnium gentiũ uictrix,diuq; rerum potita,à Gothis Alarici ductu iterũ capta est ac direpta,atq; ex parte incensa,nec multo pòst ab Athaulpho,qui Alarico successit,ad prædam repetita,pariq; clade deformata funditus excisa interijsset, nisi unius mulierculæ precibus in suo esset uestigio retenta. Secuti inde Vandali, qui Gensarici ductu eam diripuerunt : mox Odoacer & ipse Barbarus eã tyrãnice occupauit,quo sublato Theodoricus Ostrogothorum rex plures annos eandem cũ tota Italia tenuit.Recepta inde à Belisario est,bisque obsidione fatigata , inedia & fame propemodũ enecta.Demum sub Totila miserabile passa est excidium,de quo nũc sermo est. Interfuerunt à Senonico bello,quo præter Capitolium,omnia sunt à Barbaris fœdata, ad Visigothorum tempora qui Alarici ductu iterum Romã cepere , anni circiter octingẽti, *Temporũ supputatio.* haud enim ad uiuum reseco tempora,quod chronica scribentium est,non historicorum,à Visigothis ad Vandalicam direptionem quadraginta quatuor . A Vandalis ad Odoacrem & Herulorum regnũ, duodeuiginti, ab his ad Ostrogothos & Theodoricum quatuordecim,ab Ostrogothis ad Belisariũ qui Romam ab ea recepit gẽte,circiter quinquaginta.Hinc ad excidium,quod sub Totila passa est,anni duodecim:ac toties tam breui annorũ spatio domitrix illa humani generis,arxq; omnium gẽtium Roma ludibrio fuit Barbaris.Totilas parte una copiarum Belisario obiecta,ipse cum cętero exercitu aduersus Vitalianum,alterum Iustiniani ducem ire contendit,nec ille ferocissimum hostem,recentiq; uictoria exultãtem,est ausus expectare, sed cũ suis copijs Hydruntum concessit,unde breuissimus est in Epirũ & Greciam traiectus.Est id oppidum in ora Italiæ unde Ionium mare sumit initium. Ea confessio concessę hostibus uictoriæ,fecit ut continuò Lucani, Brutij, & *Lucani,Brutij & Calabri ad Gothos desciunt.* Calabri iterum ad Gothos desciuerint. Et res alibi sic habebant, quum Spoletum in faucibus Vmbriæ à Gothis ad Græcos defecit. Custo diebatur arx quę facta est ex amphitheatro quod peruetustũ ibi fuit Gothorũ præsidio urbẽ Totilas mœnibus nudauerat, eratque Martianus quidam Constantinopolitanus inter præsidiarios milites,is cum duodeuigin- ti alijs præfecto arcis interfecto eam Belisario tradidit. Sub id tempus Calabri his finitimi , domo profugi,Tarentum,quod aliquandiu omni cultu deser- *Tarentum instauratur.* tum desolatumque iacuerat, instaurarunt , non ueterem urbis aream, sed partem cõplexi, portui pro-

pinquam, quam in Cherroneſi ſpeciem mari utrinq; alluit. Totilas Brutijs cũ Calabria & Lucania, præter Hydruntum, receptis, Rauennã petere in animo habebat, quum ſubito affertur Romam à Beliſario occupatam irrequieto opere muniri, ille enim ré auſus, quę uix ſit ad poſteros fidem habitura, urbẽ magna ex parte mœnibus nudatam, cũ ijs copijs, quas circa portum habuit, ingreſſus, incredibili militum ardore, ſeptem & uiginti dierum ſpatio foſſa, uallo propugnaculis, omnifariam q; munitionibus, aduerſus omnem uim extrariam hoſtilem q; impetum inſtruxit. Multi mortales patriæ deſiderio, Beliſarijq; uirtute freti ex finitimis locis in urbem rediere, pleriſq; etiam laxitate annonę eſt illuc recurſum: ſiquidem Beliſarius, urbe à ſe inita, confeſtim ſibi adeſſe imperauit naues quæ tritico onuſtę in portu ſtabãt, quo contigit, ut Totilas, qui magnis itineribus Romã recurrerat, haud dubia ſpe urbis primo acceſſu recipiendę, aliquoties conatus uallum tranſcendere ſemper ſit cum ſuorum cæde à munitionibus reiectus. His Beliſariani ſucceſsib⁹ audaciores facti, extra urbem ad pugnam egreſsi, Gothos prælio fatigant, interfectoq; ſignifero parum abfuit quin hoſtium ſint ſignis potiti. Totilas ubi omnia uidit ſibi obſepta ad urbem inuadendam, frendens gemensq; Tybur conceſsit, ut inde, uelut ex arce quadam, urbem infeſtaret. Fluit Anio infra Tybur altioribus ripis, & ob id niſuſquam fere uadatu facilis. Salaria uia, Nomentana, & Tyburtina pontibus ſuperatur, qui ſunt ad unũ interrupti Beliſarij iuſſu, ut ea parte tutior eſſet urbs, & loca urbi ſubiecta ab omni hoſtiũ incurſu. Beliſarius poſt Totilę digreſſum muros urbis ualidius reſtituit, portas repoſuit, claues Cõſtantinopolim ad Iuſtinianum miſit, ut ſciret urbem iterum à ſe in libertatem aſſertam, & cum his circumactus eſt duodecimus Gothici belli annus. Nec Totilas diu eſt Tyburi commoratus, ſed cum robore copiarum in Vmbriam profectus, Peruſiã decreto petijt, fuerat ea urbs multa ope à Gothis oppugnata, ſed maiore aliquanto defenſa, grauior itaque oppugnatio ſub regis acceſſum eſt Peruſinos adorta, ferre tamen illi tortiter cum præſidio præferocem hoſtem, intrepideq; ire obuiam illius conatibus. Sed dum Gothi Peruſiam aſsidendo grauius urgent, Vitalianus hoſtis abſentiam nactus ex Hydrunto cum ſuo equitatu tumultuoſe Cãpanię fines irrupit. Cuſtodiebantur municipatim Totilę iuſſu Romani ſenatores, cum præcipua nobilitate, habuitq; ab initio perſuaſum Græcus dux fore ut hi perculſis ſuo hoſtibus acceſſu cuſtodia liberarentur. Erant urbes & omnia fere oppida eius terræ à Gothis nudata mœnibus. Leui itaque prælio, fuſis hoſtium equitibus, qui ex improuiſo ſeſe illi obtulerant, rem ex ſententia conficit, omnes Romani nominis inde abducti Romam remigrarunt, fuitq; multo maior matronarum quàm uirorum numerus: nam plurimi nobilium nocte, qua urbs Roma tradita eſt Gothis noctur na trepidatione dilapſi, per auerſa ab hoſtibus loca ad Beliſarium perfugere. Tulit permoleſte id factũ Totilas nec ultionem diſtulit, ſed expeditiſsima exercitus parte ſibi aſſumpta, citato agmine per Picenum & Marucinos, incredibili celeritate, in Apuliam irrupit, hinc tranſuerſis itineribus ad hoſtẽ properans, priuſquam ex Vmbria nuntijs ſciri potuerit ex Peruſia eum profectum, noctu Vitaliani caſtra adortus, his primo impetu potitur, nox effecit ut minor ſit cædes edita: milites ſubita trepidatiõe diſiecti, in proximos montes effugere. Vitalianus & Arnulphus Herulorum dux, qui cum Græcis militabat, Hydruntum fuga delati ſunt, quò milites nocturno metu diſiecti paucis diebus tanquam ad ſigna frequentes coiuere. Reddidit ea uictoria Totilæ nomen ualde inclytum, præclarum uideri omnibus regem cum exercitu magnam Italiæ partem

Attẽde Beliſarij audax facinus.

Vrbs à Beliſario inſtauratur.

Ro. ſenatores liberantur.

Totilas capit Vitaliani caſtra.

A emenſum tanta celeritate, quãta ne expeditiſsimus quidem curſor potuiſſe crederetur. Erantq; tum Italiæ in hoc ſtatu, quum nouæ à Iuſtiniano copiæ Hydruntum appliciuere. Has Beliſarius recepturus, Conone cum præſidio ad cuſtodiam urbis relicto, ipſe cum octingentis equitibus & peditibus trecentis, ex omni numero lectis, oram Campaniæ Lucaniæq; claſſe præteruectus Crotonem tenuit, ulterius ire per aduerſas tempeſtates non potuit. Propoſito itaque curſu excuſſus, totum equitatum in Thurios miſit, ubi Ruſcia locus ad res gerendas opportunus Græcorum præſidio tenebatur. Beſſas Hiberius & Barbatio Thrax, præfecti equitum, circa Ruſianum, loco ſatis munito conſederunt, ubi ſub primum acceſſum, cum hoſtium equitibus tumultuaria pugna congreſsi, ducentos circiter interemere. Peperit res bene geſta Græcis negligentiam, qua nihil eſt in bello pernicioſius, contemptim & negligenter agere, non ſaltum explorare, non ſtationes, non ſpeculas diſponere, uelut omnia circa ſe pacata eſſent procul à ſignis euagari. Id ubi Totilas compertum habuit, pari qua nuper celeritate ſaltum occupat, Græciſq; ex improuiſo terrorem inijcit. Beſſas cum parte una equitum hoſtem nonnihil ſuſtinuit ediditq́ue interea præclara belli facinora. Cæterum eo cadente fuſi fugatiq́ue ſunt alij, ac paſsim teterrima cæde profligati. Barbatio cum paucis ad Beliſarium tantæ cladis nuntius uenit. Nulla æque res aduerſa inuictum alioqui ducis animum, eo bello affecit, ac inopina illa florentiſsimi equitatus iactura. Cõſternatus animo quia uictor hoſtis haud multo pòſt affuturus credebatur, naui cum uxore, quam ſuarum expeditionum plurimum habuit comitem, trepidè conſcenſa, temerè ſe uentis permittens Meſſanam caſu delatus eſt. Nec Romæ res interea meliore ſtatu eſſe, Conone, qui ad urbis præſidium fuerat relictus, militari ſeditione interfecto. Cædes ab ducis auaritia orta eſt, qui quum in re frumentaria negotiaretur, arctiorem reddidit annonã. Miſerunt milites ad imperatorem, qui ab eo peterent, ut eiuſmodi motus nemini fraudi eſſet, quæ res niſi impetraretur futurum dicerent, ut breui Roma à militibus Totilæ traderetur. Minaciſsima hæclegatio fecit, ut uenia ſit militibus data. Premebatur interim ad Ruſianum Græcorum præſidium, arctiſsimaq́ue tenebatur obſidione, & ad eam uentum erat inopiam, ut ui ſubacti milites in certum diem pacti eſſent deditionem, niſi alicunde auxilia ſibi interim mitterẽtur. Nec Beliſarius in aperto ſuorum diſcrimine deſedit, ſed ex Meſſana Hydruntum annauigauit, ubi exercitu à Valeriano accepto, cum numeroſa claſſe, & omni copiarum robore, ex alto ſeſe ijs qui obſidione tenebantur oſtendit, hic priuſquam littoribus appelleretur naues ſubita ſunt tempeſtate diſiectæ, fecit tamen conſpecta claſsis, ut deditio nulla ſecuta ſit, ſpe enim elati præſidiarij milites in retinendo loco perſeuerarunt. Affuit nec multo pòſt Beliſarius nauibus ex tumultuoſa illa iactatione receptis, ſed in terram deſcendere non eſt auſus, Gothis inſtructa acie littus obtinentibus. Ad auertendum igitur hoſtem præſenti conatu Vitalianum in Picenum agrum, cum Valeriano & parte copiarum ire iubet, ibiq́ue res Gothorum ſubita ui bellica infeſtare, ipſe cum reliquo exercitu Romam, ad militarem ſeditionem comprimendam, retrò abijt. Totilas etſi bellum ex Piceno nũtiabatur, perrexit tamen Ruſianum oppugnare, duobus milibus equitum miſsis, qui Picentes à Græcorum armis tuerẽtur. Nec qui Ruſiani erant diutius hoſtem tulerunt, quin omni ſpe ſubſidij abiecta, cum Totila incolumitatem pacifcuntur, quam non ſolum impetrarunt, ſed ut omnia ſua haberent permiſſum eſt, ſi cum Gothis militare uellent: ſi minus ut cũ ſingulis ueſtimentis præſidio decederent. Magna pars militum

Beliſarius contemp.

Attentata uitatem tile.

Conuitit ueh

Beliſarij cõ ſilium.

Totilæ ſtrate/ gema.

Ruſianum deditur.

tum ne ſua amitterent, apud hoſtẽ remanſerũt. Alij equis & armis traditis Crotonẽ incolumes ſunt dimiſſi. Vnus Colegerius præſidij præfectus, qui autor fuerat oppidi poſt primum fœdus contra fidem retinẽdi, Totilę iuſſu uerberatus eſt, atq; interfectus. Oppidanorum bona militi prædæ fuerũt. Virorum & fœminarum corpora libera rex eſſe iuſsit. Et res Italiæ per hunc modum habebant, quum Beliſarius eſt in Græciam reuocatus, impetrato illi per Antoninam coniugẽ reditu, quę ad hoc ipſum ex Italia Cõſtantinopolim ad Iuſtinianum & Theodoram, aliquanto antea nauigauerat, uiri permiſſu. Cæterum non tam muliebres preces Iuſtinianum flexere ad Beliſarium reuocãdum, quàm Parthici belli terror, qui tum maxime impendebat. Beliſarius tribus milibus peditum Romæ ad præſidium cum Diogene uiro impigro relictis, in Græciam nauigauit, quinquennio poſtquam in Italia bellũ inſtaurauit, fuitq; hic deceſſus illi haud tam ſpecioſus & celeber quàm prior ille, quũ Vitigitem, & Gothorũ primores, Byzantium captiuos duxit. Potuit ſcio non una cauſa aſtrui immaturo huic Beliſarij deceſſui, ſed certe uel una quam dicam fuit, aut certe præcipua, quòd res Gothorum adeò ualidę erant, ut de Italia & urbe retinẽda dux bellorum peritiſsimus deſperaſſet. Sub Beliſarij profectionem Peruſia diu oppugnata, Gothi ui & armis potiti ſunt. Et Totilas audito Beliſarij diſceſſu Romam iterum oppugnare eſt adortus, ſed urbs quum Diogenis & militum uirtute, tum ciuium conſenſu, qui infenſe Gothum oderant, multo fortius eſt defenſa, quàm ab initio fuit hominũ opinio. Hoſtis à mœnibus repulſus unam ſpem alebat, ut diutius aſsidendo ciuitatem fame adactam ad deditionem compelleret. Erát multi Romani generis apud Iuſtinianum domo & Italia profugi, eſflagitare hi die noctuq́ue ut Beliſarius in Italiam remitteretur. Idem Godingus ad id ex urbe miſſus publico nomine poſtulare. Polliceri multa Iuſtinianus armaq; & alia ad eam expeditionem neceſſaria ſtudio comparare, Libero quodam ex Romana nobilitate duce ad Italicum bellum exequendum declarato. Cæterum alijs ſuperuenientibus curis Gothicum bellum omiſit. Totilas interea, Portuenſi urbe capta, omnem ſpem commeatus Tyberino fluuio ſubuehendi hoſtibus ademit. Cætera oppida urbi finitima in Gothorum poteſtate erant. Habuit, ut dixi, ab initio perſuaſum Totilas, ut breui ciuitas fame domita ſibi dederetur, nec ſua deceptus eſſet opinione, niſi Diogenis & eorum qui obſidione premebantur, induſtria, tempeſtiuumq́ue conſilium, futuræ inopiæ præcauiſſet, quicquid enim ſoli intra muros fuit uacuum ædificijs, inararunt ſparſeruntq́ue tritico, quo contigit ut priuſquam commeatus deficeret, matura ſit leges urbe deſecta, errantq́ue per hæc Romani diu laturi obſidionem, ſeruaſſentq́ue poſtremo urbem, ni Iſauricorum militum fraude fuiſſet Gothis tradita. Habebant hi ſtationem ad Capenam portam, cæterum queſti inter ſe quòd ſtipendium ſibi non daretur, de urbe hoſtibus prodenda conſilium ineunt, miſsiq́ue ſunt ad Totilam qui cum eo de proditione agerent: & iam de tempore & loco conuenerant, ueritus tamen Totilas ne qua uis interueniret, quo minus ſibi porta aperiretur, tale commentus eſt ludibrium, ut duo tubicines, fluuiali ſcapha ſedentes, nocturno tempore, aduerſo Tyberi ſubuecti, urbi ſeſe occultè inſinuarent, inde repente terribile claſsicum ederent, ipſe cum robore copiarum tã propinquus urbi conſtitit, ut ſtrepitus armorum ab ijs qui in muris eſſent, exaudiri non poſſet. Ad ſubitum igitur tubarum clãgorem incredibilis terror inuaſit ciuitatem: nullus enim ſenſus eſt terribilior auditu. Cõclamatum eſt itaque ad arma, concurſumq́ue eò unde maius oſtendebatur periculum. Interea aduerſa parte

Beliſarius in Græciam reuocatur.

Romam Totilas recepit.

Roma. ſolũ intra muros ſeritur.

A Totilam proditores in urbem accipiunt, tum uero à tergo uerus terror ortus, cædesq; ſimul edita. Ciues militesq; ancipiti malo perculſi, alij aliò diffugiunt ac parte urbis maxime hoſtibus auerſa fugam moliũtur. Diogenes cum globo militum urbe egreſſus Centũcellas iter intenderat, erat id oppidum adhuc in Græcorum poteſtate, ſed inſeſsis ab hoſte itineribus in inſidias præcipitatur, ægreq; ex ſuorũ reuulſus ſtrage, aliquot etiam uulneribus acceptis ſeruatus eſt. In urbe aliquot locis eſt atrociter dimicatũ, ſed uir unus Cilix genere, Paulo fuit illi nomẽ, equitum alæ præfectus, prælio pluribus locis inſtaurato uſque ad lucem memorabilem pugnam edidit circa Adriani molem, quò omnis Barbarorũ impetus incubuerat, alibi aut tantum fuga fuerat, aut breui certamen remiſerat. Inſederat ille pontem, moleſq; ter go erat nonnihil adiumento. Inſigniter hic certatũ, Gothis indignãtibus, quòd tam pauci uictoriã iam partam interpolarent, illis ut in extremis rebus ſolet accidere, pertinaciter reſiſtentibus, adnitẽtibusque ne inulti caderent. Multi igitur Gothorum circa pontem occubuerant, erantq́ue adhuc multo plures occubituri, quum Totilas cani iuſsit receptui, teſtatus ſtulti & dementis ducis eſſe à uicto, quæ gratis poſsit, uelle ſuorum ſanguine redimere, teneant, inquit, locũ dum fames illos nobis tradat hic aſsidentibus intra biduum aut triduum ad ſummum, nam ne in craſtinum quidem paratum habẽt unde uiuãt: quibus uerbis apparet ad id tempus Adriani molẽ ſine commeatu & præſidio fuiſſe. Erant cum Paulo Cilice quadringenti equites, uiri fortiſsimi, qui remiſſa pugna quærere cœperunt inter ſe, qua uia qua ui incolumes inde abirent. Erát qui deditionem faciendam cẽſerent, alij durandum eſſe arbitrati, atq; equinis ueſcendum carnibus, non deerant qui celeri fuga inde abeundum dicerent: uerum neq; deditio placebat, horrebant ad unum omnes irati hoſtis ſæuitiam, horrebant inconſtantię & perfidiæ nomẽ, nec tam fœda & inſueta aliméta probabat quiſquã, quæ ſi etiam perſuaderi potuiſſent, nulla tamen auxilia quæ expectari poſſent, & iam omnia erant hoſtibus infeſſa, ut ne ſpes ulla in fuga eſſet amplius. Quum nulla itaque ratio iniri poſſet, quæ ſalutem polliceretur, nec tam difficilis conſultatio dilationẽ ullam pateretur, tum Cilix ita ad ſuos uerba feciſſe dicitur. Quàm manifeſto teneamur periculo uidetis, uiri fortiſsimi, quocũq; mẽté & oculos uertim⁹ minaciter fortuna ſeſe nobis offert, non conſiſtendi hic, nõ abeũdi facultas ulla nobis relinquit, omnis prẽterea deditio miſera, ſed quę ne ſalutem quidem pollicetur longe miſerrima, ac præ cęteris ęrumnoſa. Circumſedemur undique infeſtis Barbarorum armis, ſine commeatu, ſine ſpe auxilij, nec ſpes ulla in uictoris clementia repoſita eſt, qui præterquam quòd natura eſt ſæuus & immitis, multo nũc infenſius nobis imminet ob ſuorum cædem nuper editã: & quia urbe capta uictoriam illi interpolare auſi ſimus, non tam uincendi ſpe, quàm reſiſtẽdi pertinacia quadam. Dandus eſt ſanguis immaniſsimo hoſti, ſed cauendũ eſt ne impune detur, ne turpiter dediti, ut inertia pecora iugulemur, quanquã ea eſt gẽtis immanitas, ut ſimplici genere mortis cõtẽta eſſe non poſsit, inſultabunt illi nobis in poteſtatem redactis, per uaria ſupplicia diſtrahent uitæ cruciatum. Quod quũ deditio nulla eſſe poſsit, aut tuta aut honeſta, ſitq; omnis ſpes abeundi haud dubiè adempta, nec ſit prẽterea cur hic inedia macerari uelimus, pueros imitati, qui in aduerſa ualetudine dolore cõfici malunt, quàm ferro ſecari. Sed hos timidi & inertes imitari debẽt, & qui neque cor habent, neque ſanguinem, nobis fortis & honeſta mors eſt omnibus anteponenda, facere fortia aut pati uirorum fortium eſt, quos nihil formidare oportet, niſi quod turpe eſt & ignominioſum. Quod quum ita ſit una

Roma capitur

Pertinax Græcorum certamen.

Difficilis intercluſorum conditio.

Oratio Cilicis.

nobis uia relinquitur, quâ ingressi fortes omni ævo iudicabimur, ut subita irruptione in hostem inuecti stragem quàm maximam edamus, ac pro numero inauditam, non ludibrio sit illis noster interitus sed funestus & exitialis. Fleant illi nobis cadentibus non rideant. Quid quòd si uenia etiam impetranda sit? nolim tamen hostium beneficio uiuere. An paucorum annorum accessio cuiquam tanti esse debet, ut non malit honeste cadere, quàm cuiquam obnoxius uiuere? Quod si libere etiam & honeste liceat, humanæ uitæ exitus in uniuersum de homine iudicat: qui quo pulchrior est, eo longius extendit defuncti memoriam, commẽdationemq; transmittit ad posteros: talis mors uita est, & non ea quæ ex fato pendet, quũ omnia obliuione inuoluit. Ire igitur uiri fortes mortẽq; per uirtutẽ oppetite, quam iuxtà ciues hostesque mirabuntur, inuidebuntque si uiri sunt. Necessitas & uirtus ad id facinus hortantur, hęc uult ut perpetuo uiuamus, illa ne moriamur inulti. His dictis accensi equites animum indubitatæ morti despõdẽt. Complexi itaq; se atq; inuicem osculantes ultimo se certamini comparant. Consilium erat in proximam Gothorum stationem impetum facere, ac quum totum exercitum in se uertissent, fortiter dimicando mortem occumbere. Sensit id Totilas, ac simul uidit hostem ad extremum se casum parare, ueritus, ne desperatio & uirtus pauco rum maiorem quàm pro numero Gothis cladẽ afferret, Caduceatorem ad eos misit, qui cõditionem ferret, uellẽntne equis & armis relictis incolumes abire, an omnia habentes secum militare. Lætati eo nuntio equites præter ipsum ducem, qui cum Mundo Isaurico ad Iustinianum redire maluit: cæteri cõditionẽ accepere. Totilas Romanos qui in templa refugerant incolumes præstitit, nec urbẽ aliquo modo uiolauit, quin ut frequentius coleretur, ex tota Campania Latioq; ac reliqua Italia, ciues ut Romã remigrarent, edixit, ediditq; equestres ludos, & alia quædam spectacula, ut ciuium animi tam longa malorum serie affecti in spem aliquam erigerentur melioris fortunæ. Adortus est & publica quædam opera restituere, ut non tantum odij priore uictoria præ se tulisset in diruenda urbe, quantum iterum capta studij & clementiæ in ea restituenda, quod quidam uoto accidisse arbitrati sunt, alij credere permoleste eum tulisse, quòd se Francorũ regis filiæ nuptias petente, esset uulgo à Gallis iactatum, nõ esse Totilam Italiæ regem, Roma ab eo excisa. Quidam alij, & in his diuus Gregorius, qui haud multo pòst fuit pontifex, aiunt, Totilam post Romam primo captam, cum Benedicto abbate congressum in Bauro, ubi ille uetustum Apollinis tẽplum, in monasterij usum uerterat, obtulisseque se illi ignoto habitu, ut sanctitatem hominis quæ in ore multorum erat, experiretur, estq; nihilo secius agnitus, quum alius in frequenti comitatu regis insignia gestaret, tũ ab eo monitus dicitur, ne uictoria crudeliter uteretur, temperaretq; ab excidio urbis & Italię, fore ut Romam iterum caperet, & Siciliam intraret, ac demũ nono sui regni anno uictus prælio mortem occũberet. Tum uero quia ijs quæ de urbe Roma prædixerat, manifestus responderat euentus, ratum cætera ordine euentura, ne maiorem numinis iram incurreret, ab omni deinceps iniuria consulto abstinuisse. Obsedit inde Centũcellas in ora Hetrurię Totilas, quò Diogenes ex nocturna captæ urbis fuga se contulerat, eratq; circa illum militum globus haud contemptibilis. Misit ad hũc Gothus Caduceatorem qui eum hortaretur, ut aut acie cũ Gothis dimicaret, aut præsidio decederet: utrunq; est illi negatũ, quũ diceret Diogenes se ex sua non hostium sententia dimicaturum, nec se prius præsidio decessurum quàm omnis spes externi adempta esset auxilij. Est itaque eò decursum, ut induciæ fierent in certum tempus, quo exacto si nulla à Iustiniano missa essent auxilia, tum deditio fieret. Et rebus per hunc modum in Hetruria compositis, Gothus præualida classe Siciliam petijt, tentauitq; obiter Rhegium expugnare, est id oppidum Siculo freto proximũ. Thermundus qui præsidio urbem obtinebat, Gothum à mœnibus cũ multa strage repulit, inde repulsus Totilas Tarẽtum inuasit, estque urbe ipsa breui potitus, in Siciliam dein transgressus post aliquot ignobilia loca partim ui capta, partim dedita, Syracusas terra marique obsedit. Sub id tempus Gothorum duces, quos ante secundam urbis obsidionem Totilas in Picenũ aduersus Græcos miserat, militum supplemento aucti Ariminum cepere. Est inde in Rauennatium confinio dimicatũ, fuitq; pugna illa Gothis prospera, cæsus est Verus Herulorum dux cũ omnibus copijs quæ descenderant in discrimen martis. Et qui Rhegij erant deficiente cõmeatu urbẽ Gothis tradiderunt. Erant apud Iustinianum plerig; uiri nobiles Roma profugi. Horum assiduis precibus Iustinianus, aliorumq; Italiæ populorum, qui idem occultè flagitabant, fatigatus, ad Italicum bellum reparandum, Germanũ uirum perneccssarium, ducem creat. Erat Germanus Iustiniani patruelis frater, uir impiger, militariq; disciplina clarus, accedebãt his dotibus liberalitas, & innocentia singularis, quibus ille uirtutibus erat iuxtà militibus populisq; optatissimus. Hæc ducis fama tam popularis terruit haud mediocriter Gothos erexitque ciuitates quæ adhuc in fide erant in spem maximam tuendæ libertatis. Obtinebantur adhuc Græcorum præsidio, Hydruntum, Ancon, Rauenna & Centumcellę, & Germanus in Illyricum uenerat, haud multo pòst in Italiam transmissurus, quũ Sclaui gens fera, & ad id tempus parum nota, transmisso Danubio Macedoniam & Thraciam inuasere, tã hæc quàm illa terra fœde populata est, gliscebatque indies ille terror ex Barbarorum successu, quo Iustinianus tumultu territus, & iã de summa imperij solicitus Germanũ ab Italica expeditione remoratus est. Quæ res magnam præbuit Gothis facultatẽ Siciliæ per otium uexandę. Et Germanus quum in Illyrico adhuc esset, fato defunctus est, quũ incredibilis quædam expectatio de eo esset in Italia. Erant cum Germano duo ex Mathasiuntha filij, ex ea crederem quæ fuit Theodorici neptis, inuitaq; Vitigiti nupsit, si tempora paterentur. Enimuero Germano defuncto Italicum bellum filij exequendũ, Iustiniani iussu uelut hæreditarium accepere, quod uix per ætatem contingere potuisset, si ex illius Mathasiunthæ matrimonio orti essent, quæ cum Vitigite & primoribus Gothorum, à Belisario prima Italica expeditione abducta est Byzantium: quos si eam matrem habuere impuberes adhuc ac penè pueros esse oportuit, quod tacitè uidetur significari ex eo quòd cum Vitaliano bellũ administrare iussi sunt. Erat is Germani gener, lõgaq; Italici belli administratione Gothis armis assuetus. Tres igitur duces ad exercitum missi, circa Salonas (erat enim brumale anni tẽpus) subsedere, ad prima ueris signa in Italiam traiecturi. Erant adhuc illi in hybernis, quum Iustinianus, mutato consilio, Italici belli curam Narseti detulit, scripsitq; suis ducibus, ne in Italiam exercitum deportarent, priusquam Narses in Illyricum uenisset, penes quẽ totius belli summa futura erat. Valebat Narses plurimum gratia apud principem, administrabatq; Iustiniani aulam suo arbitrio, uir ad omnia uirtutis opera natus, magnus quidem consilio, sed religione & pietate maior, qui multo plura sit uotis consecutus, quàm ui & armis. Erat pterea natura munificus, quę uirtus in primis apta est ad fauorẽ conciliandũ. Iuuerunt proinde ducem, in cõparando bello, conciliata hominũ studia, atq; omnium maxime regum quorundam amicitiæ, populorumq; clientelę, quos ille perpetuo apud principem patrocinio texerat.

Exercitu

Peroratio.

Honesta dedi/tio.

Cõgressus Totilæ & Benedicti abbatis.

Totilas Siciliã petijt.

Hunnicus tumultus.

Gesta Totilæ in Sicilia.

Gothorum successus.

Gothica classis Græcorũ orã populatur.

Germani Iustiniani uirtutes.

Sclauorum motus.

Mathasiuntæ filij.

Narsetius bellum dẽtur.

Narses.

Exercitu itaq; opulentissime instructo, ex Byzantio in Thraciam transijt, fuitque nonnihil Philippopoli de Hunnico tumultu solicitus: enimuero sub id tẽpus gens ipsa Macedoniam & Thraciam, cædę, incendio, rapinis affligebat. Fortuna ducis, quę ad res maiores eum trahebat, effecit, ut diuiso Hunnorum exercitu terror ille breui sit discussus. Bipertito Barbari bellum gerere adorti, pars una Byzantium petijt, Thessalonicen altera, ficq; Barbarorum successibus sua sponte remittentibus, Narses in Italiam ducere perseuerauit. Nec Totilas terribilem hostium apparatum contempsit, quin copiarũ parte sub ducibus ad Siculum bellum exequendum relicta: ipse de minacissimi belli euentu solicitus, in Italiã transfretauit. Hic omnia circumspiciens primum omnium opulẽtam misit classem ad uexandam Græciæ oram, & ad ostentandas Gothorum opes id pertinere ratus, & ad hostium cõsilia euertenda, si priusquam Italiam inuaderent, audirẽt sua domi ferro & igni deflagrare. Diripuit Totilana classis Corcyrã, insulasque Corcyrę circumiectas, inde in continentem transgressa, Epirum, Acarnaniam, & Ætoliam incendio & rapinis fœdauit. Obseruare adhæc Gothi maris angustias, pluribusque Græcorum nauibus interceptis, omnia reddere illis infesta. Cæterum dum hæc alibi geruntur, Ancon interim in Italia à Gothis multa ope opugnabatur. Valerianus, qui Rauennæ præsidebat, ueritus ne si parum maturè laborantibus subueniretur, ui subigerentur aliqua ad deditionem faciundam, ad Vitalianum scripsit, qui adhuc in Illyrico erat, ut sociæ urbi suppetias ferret, necille in aperto suorum periculo desedit etsi iussus erat Narsetem expectare, cum duodeuiginti nauibus ad pugnam instructis ex Illyrico Rauennam decreto petebat, ut cum Valeriano de summa rei loqueretur, quem quum altũ adhuc teneret, forte obuium habuit, duodecim naues secum habẽtem. Magna itaq; gratulatione congressi unam classem ex duabus faciunt, atque cõcordi animo Anconem uersus cursum intendunt: nec Gothi qui à mari etiam hostem premebant, quum in hunc usum & ipsi classem in procinctu haberẽt, pugnam detrectarunt, quippe qui nauium numero aliquantulũ præstabãt. Erant Græcorum naues triginta, alij quadraginta fuisse aiunt, & in his Venetas quasdam auxiliares, quæ præclarum in ea pugna specimen dederũt naualis studij. Gothorum naues septem & quadraginta fuere, hinc Graij duces, inde Alidas & Gothildus (Scipuar enim tertius dux, ad castrorũ præsidium remanserat) suos ad pugnam hortati, aduersas in se classes committunt. Fit cruentum prælium fuitque pugna magis pedestri quàm nauali similis, contis gladijsque cominus dimicabatur, nec erat in tanto negotio quisquam segnis, fuitque per hæc aliquãdiu fortuna anceps, quoad Gothorum deterior esse cœpit, non bellatorum uirtute, sed rei maritimæ inscitia: naues plures in arctum coëuntes sibi impedimento esse ad rem gerendam, & non adiumento, secutaque est tetra colluctatio quũ sese multo conatu ad certamen nequicquam expediunt, ex ea trepidatione oritur metus, is Gothos in fugam auertit. Decem celeri circumactu proras ad littus deflexere, cæteræ aut captæ sunt, aut in alto depressæ, quæ ad littora refugerunt à Gothis iniecta flamma confestim corruptæ sunt ne uictor hostis illis potiretur, ipsi castra repetunt trepidationis pleni, ubi nõ minus erat formidinis quàm secum tulerant, hinc quo que metu depulit pauitãtem hostem ac sibi diffidentẽ, soluta repente obsidione consternato agmine, Gothi Auximum abierũt. Græca classis portum ingressa, ingenti Anconitanorum lætitia mutuaque gratulatione excepta est, hostium castra direpta, ac quicquid in his commeatuum fuit in urbem est delatũ, ipsi duces Ancone digressi, Valerianus Rauennam cum sua classe, Salonas Vitalianus diuersi petiere: Vna aduersa pugna nanalis adeò fregit Gothorum animos, ut iam inde res eius gentis minus ac minus sibi constare uisæ sint, semperque retrò lapsæ in peius abierit, ut origo malorum, quibus fortuna eius gentis postea obruta est, hinc credatur initium habuisse. Totilas præsenti clade perculsus, omne ferè robur copiarum ex Sicilia reuocauit, quõ cõtigit ut Artuades Iustiniani dux qui cum classe post Liberium in Siciliam missus est, (Liberius enim tantum Syracusarum portum inuitis hostibus ingressus, ne classiariorum multitudo grauis esset ciuitati cõtinuo abijt, nec aliud memoria dignum in ea expeditione gesserit) ubi uires hostium uidit debiliores factas, non Syracusas modo liberauit obsidione, sed Gothos etiam per partes adortus, qui oppidatim præsidij causa tota erant insula dispersi, facile uicit. Sunt & Crotoniatæ, qui & ipsi obsidione tenebantur, sub Græcæ classis accessum periculo subtracti. Gothi qui assidebant cum multa cæde dificili pars una ad montes refugit, cæteri effusa fuga Tarentum petiere. Perturbauit recens hæc clades maiorem in modum Gothorum animos, ac eò magis quòd fama constans erat Narsetem propediem Italiam intraturũ cum inuicto exercitu, & quod omnium maxime regis animum fregit, duo Gothorum duces, haud obscuri nominis, Reginaris & Moras, qui erant circa Tarentum & Acheruſiam, cum suis militibus ad hostes transfiuere: iam ex Sardinia quæ à Gothis tenebatur, noui motus nuntiabantur, aderant & Iustiniani ducibus abundè auxiliares copiæ, nam & Alboinus Longobardorum rex qui Pannoniam sub armis regebat, duodecim milia lectorum hominum ad id bellum, in Narsetis gratiam, miserat. Procopius quinque milia nec amplius prodidit. Paulus Singibertus & Guido Rauẽnas maiorem numerum posuere. Affuerunt Narseti cum his Herulorum auxilia, numero tria milia, & Hunnici generis adhuc maior numerus, non tam Iustiniano gratificaturi, quàm quod Ostrogothorum gentẽ infense oderant. Guniades præterea uir Persa, Romanæq; militiæ assuetus, cũ manu suæ gentis hominũ haud contemnenda sese ad bellum obtulit, adeò regũ animos, Barbararumq; gentium studia, Iustiniani beneficentia immensaq; pecuniarum largitio, sibi ad obsequium deuinxerat. Gepidæ & ipsi quingentos bellatores dedere Assuadis pugnacissimi adolescentis ductu, Phagas Græcorum & Thracum exercitum agebat: erant & in Illyrico cum Vitaliano ingentes copiæ: uno itaq; exercitu ex duobus facto, sub uernum tempus, Narses ex Delmatia per Lyburniam, Histriam, & Iapidiã Italiæ fines ingressus, circa Aquileiam consedit, utra sibi uia tenẽda esset deliberaturus, duæ enim uiæ erãt: secus mare una, altera per Tarusium, Vicetiam & Veronam, tam hæc quàm illa difficilis, crebro fluuiorum occursu, multi quidem Alpini amnes ab Aquileia ad Padũ passim sibi terram uendicãt, præcipitia primo ut ruere quædã non fluere credãtur, præsertim circa Alpes, inde paulatim mitescẽtia, mariq; appropinquantia, paludes alunt uetustissimas. In fronte igitur Italiæ ab Aquileia, Varanus, Tiliauentum, Lemen, Liquentia, in Taurisino Anaxus, & Silis, in Vicetino Togison & Bacchilio: in Veronensi Athesis & Tartarus, sequuntur inde Mincius, Ollius Abdua omnesq; Padi accolæ. Padus ex Apennino magnis auctus amnibus, & in his Ticino omniũ uberrimo septem ostijs mari infunditur. Hanc remorandi hostis facultatẽ haud aspernatus Totilas Tarusium hæreditariam urbem, Veronam, & alia fluminibus loca interiecta præsidio & opere muniuit: misitque Teiam secundum regem Gothorum ea ætate præstantissimum, cum parte copiarum, qui ab Athesis transitu omnem hostium conatum arceret,

fatiga-

Græcorũ classis.

Gothi castris exuuntur.

Græcorum successus in Sicilia.

Res Gothorũ aperte inclinant.

Auxilia Græcorum.

Venetiæ ora difficilis transitu.

Ciſalpinæ Galliæ flumina.

fatigaret que prohibendo, quòd si uis inhiberi non posset, transgressum euestigiò sequeretur, ipse Ticini subsedit, cætera ad bellum prouisurus. Habuit ferocissimus rex ab initio persuasum fore ut si Teias ea parte, qua uenienti hosti obiectus erat, strenue operam nauasset, facile cætera Italia Narses sua opera excluderetur. Ille uero ubi quæ ab hostibus pararentur factus est certior, Longobardorum auxilia per mediteranea ire iussit: qui ubi ad Padum peruenissent Brixelli consisterent. Erant tum Brixellani Rauennatium studia secuti adhuc in fide. Hinc Lõgobardi iussi sunt Totilam bello implicare distinereq; procul, dum Narses in intima Italiæ penetraret. Florentissimum Longobardorum equitatum nulla uis tenere potuit, sed præceps per æqua & iniqua, quà uoluit sibi fecit iter, parte itaq; multo difficillimam Italiæ emensus circa Padum cõsedit. Teias suis diffisus uiribus decreto pugna abstinuit, nam neq; Gothorum adeò multi ex hybernis adhuc exierant inopia stipendij. Et urbes quæ in fide erãt audito Narsetis aduẽtu, negligentius imperata facere. Nec Narses Lõgobardis à se dimissis in ocio fuit, sed per Venetos læuo mari Rauennam duxit exercitum. Contigit Graio duci facilior ductus Venetorum opera, qui nauibus strauerunt fluuiorum ostia, sic Philistina superata est, sic Clodia fossa, Brundulum, & Carbonaria (fornaces hodie dicũtur) sic alia fluuiorum uada, sic demum Capresia quę nũc Magna uacca est. Et Veneti tam perplexum iter Narsẽti, rei maritimę locorum peritia, per hunc modũ expediuere, ut sine tumultuoso traiectu in intima Italiæ sit exercitus transmissus: Dux ipse locorũ naturam contemplaturus per æstuaria naui præteruehens in Riuumaltum descendit, uehementer miratus dicitur nouum mortalium incolatum, quòd insulatim stagna colerentur, multæq; oppidorum species, uelut uno complexu breuibus inter se spatijs media stagni facie cõ surgerent. Venere ad Narsetem ex continentis oræ urbibus frequens legatio, & in his Patauini, qui cætera ad studium suum & fidem declarandam executi, multa de Venetorũ iniuria questi dicũtur, quum dicerẽt se ostijs fluuiorum, quibus ea ciuitas usa esset, totoq; stagnorũ excursu ab insulanis arceri, estq; apud ducem ipsum longa oratione disceptatum, ut Iustinianus scribit: cæterum siue tam magno uerborũ complexu quàm ille ait, siue paucioribus sit uerbis res utrinq; acta, Narses, quod satis constat, nihil in alterutram partem decreuit, præfatus maiorem eam cognitionem esse quàm in tanto bellorum strepitu à se per ocium cognosci posset: hortatus itaq; utrosq; est ad pacem inter se agendam, atq; Iustiniani partes terra & aquis iuuandas, laudataq; est simul ab eo Venetorũ fides ac uirtus, quod nauali pugna nuper aduersus Gothos prospere pugnata strenue iuuissent opes imperij, & quòd tum demum nõ minus utiliter iuuaret in traducẽdo exercitu. Nec multum Narses est in insula cõmoratus, sed stagno placidè eremigato exercitum subsecutus est. Fertur tamẽ priusquã ex Riuoalto solueret, duobus Cœlitibus suum utriq; templum uouisse, si id bellum ex sentẽtia administrari cõtigisset, fieretq; uictoriæ compos. Templa hodie Venetijs uisuntur, cum uestigio uetustatis, quorum Narses autor traditur, unũ Theodoro sacrum, aurea nunc dea comprehensum, in fronte Marcianæ areæ Geminiano. Prima præterea Aquileiæ restitutio, nam ab Attylano excidio iacuit inculta, Narsetis opus fuit, ut Blondus & quidã tradunt. Venetorum itaq; oram per hæc Narses emensus, Rauennam decreto petijt, ubi Valerianus & Iustinus duces, confestim cum eo copias iunxerunt. Erant uereranorum multi in Italia, sine signis, sine imperio uagi. Qui ob stipendium nõ sibi redditum infensè oderãt duces, nec pati à se exigi munus aliquod militare. Hos Narses edicto ad signa reuocauit nouo q; inautorauit stipendio, emeritum persoluit. Quibus copijs Narses Italiam intraurit eorum quos sequimur, scribit, quod sciam, nemo. Procopius Blondo autore quinq; milia armatorum eum habuisse prodidit quod multum diuersum est ab eo quod de belli huius apparatu est suprà memoratũ. Sed quantuscũq; fuit illi exercitus, fuit enim, ut credere æquũ est, multo firmior & in se structior, quàm ullus antea ex Byzãtio missus, quum Narsetis apud principem fauore, tum etiam regum populorumq; studio, qui certatim illi in bello reparando gratificati sunt. Accedit eò necessitas, nunquam enim à principio eius belli maiores fuere Gothorũ opes in Italia, nec cum acriore hoste erat bellatum, aut solertiore. Verùm quibuscũq; est ille copijs usus, ex Rauenna profectus, cum omni robore copiarum, Romam petijt. Euntẽ Vsdriala Gothus uir impiger conatus est impedire, obtinebat is Ariminum præsidio. Dimicatum est ante urbem, hic uerò quum Vsdriala ferocius in hostem eueheretur, telo transfixus concidit. Amisso duce continuò Gothi perculsi animo in urbem compelluntur: fuisseq; Narses breui Arimino potitus, nisi Romam petere perseuerasset, Italiæ caput & arcem. Ferebat is secum spem maximam futuræ uictoriæ, quem ex euẽtu Ariminensis illius pugnæ præceperat, quòd non solum hostis fusus esset, sed hostium dux in prælio peremptus. Sed dũ Narses ita festinat, diuersa Italiæ parte Longobardi, qui ex Brixellanis statiuis sæpius Parmensem agrũ incursarant, ferroq; & igni uastarãt, Gothum ultionis cupidum ad prælium traxere. Enimuero Totilas eius iniuriæ impatiens, ex circumpadanis & tota Cisalpina Gallia milite euocato, præceps in hostẽ fertur, ne Teia quidem expectato, quem ex Verona accersiuerat. Longobardi quia equitum numero præstabant, etsi magnus erat hosti peditatus, pugnã ferociter capessunt, iussis Brixellanis in aciem descendere, pedestremq; pugnã iuuare. Totilas, quod plerisq; summorum ducum accidit, nullũ eo die, ut qui sibi esset ultimus omnium humanorum operum, optimi ducis prætermisit officium, aut in disponẽda acie, aut subsidijs locandis prælioq; reparando, idq; pro comperto traditur, cætera parum liquidò prodita sunt memoriæ. Nam ad Brixellum an Tannetũ potius sit dimicatũ, autores qui de ea re aliquid scripserunt, parum liquidò explicant, nec quandiu pugnatum sit aut quibus fortunæ casibus ponitur, tantum Totilam interfectum meminerunt, deletasque Gothorum copias: tanta fuit scriptorum eius seculi aut inscitia aut negligentia. Ex recentioribus quidã anceps ait fuisse prælium ab initio, neutroq; adhuc fortuna inclinãte ex Brixello oppidanorum cohortem subitò erupisse, eoque terrore Gothum acie auersum, & cum ipso rege fœde cæsum. Et Totilas Gothorum regum fortissimus, hũc exitum habuit. Perijt nono anno quàm regnare cœperat, quod in Bauro illi multo antea fuerat prædictum. Gothi qui funestæ superfuerunt pugnæ Ticinum concessere, ubi Teiam sibi regem creauerunt, erat is rei bellicæ assuetus, præsentique in dubijs consilio: bellum igitur studio reparat, Amingum & Lotharium duces, in Ligustinis Alpibus & Narbonensi Gallia à Theobaldo relictos, ex fœdere, quod cum ipsa gente ictũ habebat, in Italiam accersit, per quæ breui consecutus est, ut merito factus sit hostibus formidabilis. Obsidebat Narses Loceolim oppidum in Flaminia, haud procul Cantiano: est is locus inter Vrbium & Egubium, quum de prospera suorum pugna, & Totilæ interitu, est ad eum nuntius perlatus. Peroppportune ad cætera exequenda res tanta nuntiata est, nam oppido mox dedito per Vmbriam progressus, Narneam quæ Gothorum tenebatur præsidio breui recepit. Spoletinis militem ad præsidium præbuit, dum muros reficerent. Est & Perusia dedita, postremo

Attende Longobardorũ ferociam.

Padi ostia.

Situs Venetæ urbis.

Narsetis uotũ.

Dubium quibus in pugnis uenerit Totilas.

Totilæ interitus.

Teias rex Gothicus.

postremo Roma obsideri cœpta est. Interim afferetur Gallorum & Burgundiorum ingentem numerũ Gothis auxilio uenisse, consedisseq; apud Clastidium in Ticinensi, qui nuntius uehementer turbauit Narsetis animum, iam enim Longobardos post Brixellanam pugnam magnis donatos muneribus domum remiserat, traxeratq; ipse secum omne ferè robur copiarum, ut iam omnia prę terquam circa Rauennam ubi Valerianꝰ erat, nuda præsidijs à tergo essent. Cæterum fortuna quæ in omni re multũ potest, ut uulgus existimat, sed re bellica plurimum, iacentẽ Narsetis animum in spem pristinam erexit, oblata illi ex insperato Sisualdi Herulorum regis societate, ea cõditione, ut si Gothi Italia eijcerentur, ipse partẽ eius terræ unde illi eiecti essent, circa Alpes sortireẽ. Erat Sisualdus ab eo procreatus, quẽ Theodoricus post Odoacrem interfectum cum Herulorum manu circa Augustam prætoriam collocauit, in Taurinis & Eporedijs. Narses nouo subnixus fœdere, Valerianoq; ex Rauenna Brixellum & Tannetum cum suis copijs occurrere iusso, ut hostem procul distineret, omni mẽtu liberatus, qui à tergo impendebat, Romam aliquanto etiã arctius quàm antea urgebat, & ut res hostiũ pluribus locis bello fatigarẽtur, Ioãnẽ cognomẽto Phagam, cum parte copiarũ retrò abire iubet, Ariminumq; oppugnare, Guniadẽ Persam, & ipsum cum altera militum manu in Vmbriã mittit, qui Spoletinorum ductu & auxilijs, in Picenum penetrarent, ibiq; si per hostium pauciratem in aperto metari posset, ad singula oppida circũferens signa ciuitates & populos ad imperium retraheret: sin minus, ex Ancone uelut arce quadã alsiduis excursionibus omnia redderet Gothis infesta. Nec ita multo pòst Narses Romam ingressus est, magna ex parte ciuibus desertam: quippe qui ueriti, ut credere par est, ne toties famem & alia obsidionis mala cogerentur adire priusquam urbs à Narsete obsideri cœpta sit, multi in uicina oppida dilapsi, urbem admodum infrequentem reddidere: etsi iam inde à Totilana clade, neq; frequentiã, neq; ædificiorum faciem Roma uisa fuerat recepisse. Ingens igitur solitudo Gothos adegit partem unam urbis cõmunire circa Traiani pontẽ, quã uelut arcẽ quãdã obtinerent, custodire tamen mœnia, sed modica quidem spe tanti ambitus tuendi, si se maior aliqua oppugnatio adorta esset: nec illi decepti sunt opinione, nã simul ac Narses urbem pluribus est locis oppugnare adortus, breui recepta est, eaq; potissimum parte, qua muri uirorum defectu propugnatores non habuere. Gothi amissa urbe, pars una portum petunt, alij Adriani molẽ occupant, sed hi haud multo postquam oppugnari cœpti sunt incolumitatem pacti, deditionem fecere. Et fortuna hũc nouum lusit ludũ, ut paucis annis urbs omnium clarissima sæpius sit capta, quàm obsessa. Erant nonnulli patritij generis, principesq; eius ordinis, in Latij & Campaniæ urbibus, quibus Totilas reditum ad urbẽ negauerat, ne nouarum rerũ quandoq; causa essent, iam & alij plerique, quorum fides suspecta erat Gothis, sub Narsetis aduentũ procul fuerant ab urbe ablegati cum coniugibus & liberis qui ob iram amissæ urbis ad unũ ferè sunt ab hostibus interfecti. Pari sæuitia sunt Teię iussu interfecti trecenti numero adolescentes Quiritij generis, qui uerius obsides quàm milites ultra Padũ cũ Gothis militabant. Nec recepta urbe Narses multũ quieuit, sed solerti hostium insectatione, primo Portuẽsem urbem illis ademit, inde Centumcellas, & alia loca urbi finitima. Et circa Tarẽtum Machurius dux, qui Hidruntum præsidio obtinebat, etsi leui prælio, fudit tamen Tagnarium Gothũ. Defecerat is ad Græcos audito Totilæ interitu, dederatq; in id obsides aliquot. Verũ ubi cõperit Teiã regẽ creatũ, pœnitẽtia adductus, ut suos obsides reciperet, ad Machuriũ misit ut mitteret ad se ex lectissimis militibus aliquot, indicio se comperisse Gothos Tarentum uenturos, ut improuiso accessu oppidum occuparent. Misit Machurius nihil fraudis suspicãs quinquaginta milites, seu illi quingẽti potius fuere, nisi ad præsidium arcis non urbis missi sunt. Hos Tagnaris in potestatem redactos custodiri iussit, misitq; ad Machurium, ut sibi suos obsides restitueret, si milites, quos Tarentũ miserat, cuperet esse incolumes. Sensit Barbari perfidiam ille: ac simul ira accensus Tarentum omnibus copijs occurrit, Tagnarimque aussum in pugnam descendere modico negotio fudit, occiderat crudelissimus hostis milites, qui custodię traditi fuerant, priusquam in prælium descenderet. Cæterum uictus prælio, quum præclusis ab hoste ianeribus, Tarento urbe exclusus esset, Acheruſiam ad suos fuga delatus est. Ex Alpibꝰ & Sisualdus sub id tempus in Gothorum loca nullo præsidio munita, fecit impetum, qua rũ nulla uis externa à Gothis timebatur, erantq; omnia in agris prędę exposita, ac tam pacata, ut iuxtà die noctuque, urbes, oppida, castellaque paterent. Asportatum est itaque ex Gothorum finibus, quãtum Alpina illa Sisualdi manus aut uoluit, aut potuit. Faciebant hos Sisualdo animos, non tam domesticæ opes, quàm locorum, quibus imperabat situs, passim enim angulus ille Alpium riuis torrentibus que interciditur, prætendebaturque Tenarus amnis, quà regio adiri poterat. Tenarum triginta circiter torrentes onerant. Erat Sisualdus, & qui illi parebant, Herulorum progenies. Sed pro Herulis mutato nomine se Brentos dixere. Flexisset Teias in Sisualdum omnem belli impetum nisi sub id tempus & circa Ariminum suos teneri obsidione, & in Piceno bellum instauratum uno tempore accepisset. Quibus ille difficultatibus anceps, ita ad sociorum duces, & Gothorum primores, pro concione uerba fecit. Sæpe quidem fando auditum est, uiri fortissimi, & experientia, quæ rerum est omnium magistra, demonstrat, nihil in re bellica æquè ac consilium ualere, arma pecuniæ classes, uires corporis, animorum promptitudo, fortuna demum ipsa, quæ quum in cæteris rebus, tum in re militari potentissima existimatur, nisi consilio regantur, ad postremum fluxa sunt, & in perniciem eorũ uertuntur, qui uti nescierunt. Et ne de fortuna dicam quæ omnibus horis, ac una omnium uoce, frustrè inuocatur, tanquam non omnia sint ad prouidentiã referenda, nihil est tam necessarium in bellis, nihil tam salubre, quàm prouidentia consiliorum mater. Quod quum ita sit uidendũ est quum uiribus abundemus, simusq; multo superiores hostibus copia & uirtute armorum, ne temere bellando inferiores uideamur. Nam quod ad uires attinet quid in Græcis est quod possit nobiscum comparari? auxilia illis permodica sunt, eaq; nõ minus illis animo quàm nobis infesta. Enimuero Longobardi, post Brixellanã pugnã, nõ nisi quia suspecta erat illorum fides, tanquam sibi potius uellent uincere quàm Græcis, continuò ex Italia dimissi sunt. Pars multo maxima copiarum ex Græco milite cõstat, est id genus hominũ loquax, ac plus uerborum secum ferens in bellum quàm ferociæ. Quoties enim hoc bello sunt à nobis fusi? fugati? cæsi? aut quando tot annorum spatio cum Gothis manũ conseruere, uel multo plures numero, quòd nõ semper uicti sint, & uelut uilissima pecora à nostris ad facietatem cæsi? Vna naualis pugna illis prosperè cesserit, eaq; sociarum nauium potiusquã Græcarũ uirtute. Quid quòd præter paucos ueteranos, qui inopia stipẽdij inuiti nuper ad signa reuocati sunt, cætera multitudo tyronum est, ut uix intelligi possit utrũ dux illis, an illi duci minus noti sint. Quod quũ ita sit, quis nisi stultus Græcorũ imbelliam, cum Gothorũ uirtute cõparet? quis tyronem exercitum cũ ueterano? modica & inuida auxilia cũ ijs, quę nobis adsunt, fide, uirtute, armis, multo potiora?

Narsetis successus.

Narsetis consilium in bello administrãdo.

Omen pugnæ.

Narses Romã ingreditur.

Infrequens cultus urbis.

Sæpius Roma capta quàm obsessa.

Sæuitia Gothorum in Romanos.

Teias oratio ad suos.

Antè de Gothicam calliditatem.

potiora? At uerendum est ne quũ cætera nobis meliora sint, dux illis aut fortior, aut prudentior contigerit. Sed dum cum eo duce nobis est res, uiri fortissimi, qui ne uir quidem iure dici possit, mollissimus eunuch⁹, & in tota uita muliebria passus, ac posteaquã usuarius esse desijt, aulicæ libidinis minister factus, cui speculum pro parma fuit, pro ferro calamistrum, pluma pro lorica, pro sudore unguentum, ut merito timeri possit, ne cum mollissima muliercula & non cum uiro bellum gessisse uideamur, sicq; minor laus sequatur si optata, ut spero, uictoria cõtigerit. Sed cum Narses sit talis, quis illũ cum uestro duce comparet, quem in armis natum, uersatumque in bellis à pueritia non ignoratis? aut quis non potius ex nostris tyronibus si qui sunt, quẽlibet tali duci præferat, cui non ars, nõ uires, non experientia adesse ulla, qui præter mollitiem nihil ad bellũ tulit? Quod si militũ uirtute, copijs, auxilijs, duce, & cæteris quę uictoriam parere solent, haud dubie præstamus, dan da est nobis opera, ut quum cætera abundè adsint, non desit cõsilium. Cognoscite igitur quid sit illud, de quo ad uos referẽdum duxi. Iam hostes per partes aggressi sunt res nostras infestare. Hinc ab Heruloru gente non expectatum latrociniũ nobis nuper ortum, & à fronte circa Brixellum pars una Grę corum ad nostros motus impediendos castra fecit. Ariminũ diuersa parte obsidione premitur. Picenus ager infestatur. Romã Narses eunuchus tenet. Decernite nunc, uiri fortissimi, utrum unam in partem omnis uis belli inclinanda sit: petẽdum belli caput, ut de summa rei uno prælio decernatur, an diuerso exercitu omnibus locis occurrendũ, lateq; tota Italia bellãdum, hoc, ut libere dicam quod sentio, multo tutius mihi uidetur, ut pulchrius illud, fortes decet. Sed uos in medium consulite, & quod mihi & uobis bene uertat, quod magis expedire uidebitur sententijs declarate. Hæc Teias. Cæterum una omnium fuit sententia, ut per partes laborantibus subueniretur, atque ita Franci & Burgundij duces, cum suis copijs, Sisualdo & Herulis obiecti sunt. Teias cæteram Italiam tuendam sibi assumpsit, ac primũ omnium statuit Ariminũ obsidione leuare, ueritus tamẽn ne Valerianus, qui inter Tannetum & Brixellum castra fecerat, consilium impediret, repente in Hetruriam iter pronuntiat, quasi Lucam petiturus, quæ in Gothorum fide adhuc erat. Ductabant tunc exercitũ in Hetruria duo Narsetis duces, Philimuntes & Vitalianus, & ob id risisse dicitur ad primos rumores Hetruscæ expeditionis hostis imperitiam Valerianus, quòd uelut in hostiũ retia se imprudenter conijceret. Teias ubi in summum Apennini iugũ euasit, & ad locũ quem Bardonis Alpem Paulus & alij recentes dixere uentum est, subito inde dux sagacissimus iter auertit, retroque Apennini decliuia remensus ad Rhenum, in Bononiensi agro, tumultuose consedit. Occurrit eò Valerianus ameti similis, ubi hostem à tergo sedere sensit, ut quantum ui aliqua aut arte posset, illũ à cursu remoraretur. Sed Teias multum interea itineris emensus, Ariminum uersus abierat. Nec latuit Phagam, qui Arimino assidebat, hostis accessus. Suis itaq; uiribus diffisus in tutum cum suo exercitu cõcessit. Teias ubi solutam obsidionem accepit, ad Pusam fecit castra. Est is torrens à Cæsena & Arimino æquis spatijs distans, ipse cum paucis Ariminum adequitauit, laudataq; ciuiũ fide ad exercitum reuersus, Cæsenam subita ui adoritur. Appetebat iam Bruma, uerum potiundę urbis cupidus Teias Cæsenam oppugnare perseuerauit, quo accidit ut quantum Alpina illa expeditio felix fuit Gothis, tãtum hyberna hæc oppugnatio tristis & calamitosa, nã & niualis annus fuit, iacuerunt plurimum altiores à terra niues. Quare quũ pabuli inopia, tum frigoribus magna equorum uis hyeme illa consumpta est, & Græcorum arma liberius per Picenum euagata, multo maximam eius terræ partem ad imperiũ traxere. Teias ad prima ueris signa, soluta obsidione, Ariminũ petijt, ut equos hyemis iniuria inediaq; strigosos & inutiles factos, aprico ioribus reficeret locis, fluxitq; illi p hæc præcipua pars ueris. Inde in Picenum transgressus Cingulanos ad deditionem compulit. Obsedit & Septẽpedates, sed dispari euentu, nam hi subigi non potuerunt. Recinates inde sunt bello petiti, sunt hi in centro ferè Piceni agri. Laboratum hic quoq; est aliquandiu, ad postremum metu subacti Recinates deditionem fecere. Nec Narses tantum ab hoste quietem adeptus in ocio fuit, sed omnes Campaniæ urbes, dum hęc alibi fiunt, præter Cumas, alieno ductu recepit, & in Lucanis aliquot urbes in Iustiniani fidem rediere, & ex Brutijs quædam Lucanorum studium secutę à Gothis ad Græcos defecere. Interea Narses erat Romæ uni præcipuę curæ intentus, ut urbem cultu & ædificijs repararet. Comperit interea captiuę cuiusdam indicio, erat hęc Gothici sanguinis, tenebaturq; Totilas dum uixit eius cõsuetudine, omne ipsius regis aurum Cumis & Ticini collocatum, fecitq; res ipsa fidem, quòd duo hæc loca, multo attentius, maioribusq; præsidijs, quàm cæteræ urbes tenebãtur. Cõtinuò itaque Narsetis iussu sunt Cumæ summa ope obsideri cœpræ. Circa Alpes interea Sisualdus Eporediam ex hostibus cepit. Fuit id oppidum Sibyllinorum librorum responso à Romanis conditum. Taurinum aliquandiu oppugnatum, hyemis interuentu capi non potuit. Erat præterea situs urbis munitissimus, & ciues multo maiore Herulorum odio, quàm Gothorum gratia, mœnia multa ope tuebantur. Sociorum duces qui eam belli partem sibi tuendam susceperant, non solum res Gothorum non texerunt à finitimorum iniuria, sed maiore quadã clade, quàm hostes ipsi miserabiliter affecerunt. Enimuero post Teiæ discessum Cisalpinam Galliam peruagati, omnia fœdo latrocinio magis quàm ui bellica in prędam uertere. Nec ita multo pòst occultum cum Sisualdo fœdus percussere, ut prioribus fœderibus relictis Iustiniani & Gothorũ res uno tempore hostiliter adorirentur. Francorum & Burgundiorum pręda esset, urbes & oppida Sisualdo cederent. Bucelinus externorum ducum unus per Patauium & Tauriſium, in Aquileiensem agrum & Histros excurrit, fuitq; illius excursus eò populis calamitosior, quòd pacati & socij ducis personam præ se ferebat, quum re & animo hostis esset. In Capraria igitur insulam delatus in qua Iustinus senior, qui Iustinianum adoptauit Histrorum primores collocauit, quum Barbarorum iniuriam declinarent, nunc Iustinopolis est manifesto rei gestæ argumẽto. Et hoc quidam ex autoribus quos sequimur, nã haud mihi excidit quid ex aliorum sentẽtia diuerso sit à nobis loco de Iustinopoli proditum. Bucelinus in urbẽ receptus eam hostiliter diripuit, direptã incendio consumpsit, pertęsus, credo, Iustini nomen. Amingus Vicetiam, Veronam, Mantuam, Brixiam & Bergomũ, præsidij nomine obtinebat, quas non minus crudeliter afflixit, quàm si bello captæ essent. Lotharius qui reliquus erat ex ducibus, reliquum Galliæ circa Ticinum ac Padum nefaria polluit rapina. Sed dum pulcherrima pars Italię triplici latrocinio affligitur, Teias interea, audita Cumarum obsidione, non tam loci quàm auri metu ne eo hostis cum arce potiretur, per Marsos, Pelignos, & Samnites, in Apuliã descendit, Casinatem & Venaphranum saltũ, quà breuior uia ad Cumas obsidione leuandas, hostes præsidijs insederant. Narses ad primos rumores de Teię aduentu ex urbe excitus parte una copiarum ex Hetruria reuocata, in hostem celeriter mouit, à quo sit licet properatum, prius tamen Teias Nucerinos ad deditionem compulit quàm Narses appropinquare diceretur. Erat tum Nuceria neutrarũ partium, sed inter utrosq; media agebat. Narses reputans animo quantum in utranq; partem momenti habeãt eiusmodi defectiones, præsertim eo bello, quo duces & uirtute & uiribus sint inter se pares, ex Cãpania ad hostẽ ire pergit, ut cum eo acie cõfligeret. Nec Teias à prælio abhorrebat, qui Nuceria potitus in animo habebat in Campaniam ad hostem ire, si ab eo non fuisset præuentus. Circa Nuceriam collata sunt castra, sed omnino aliquot dies interfuere priusquã fit in aciem descensum, suntq; interim quædam leuiora prælia ex alterutrius partis occasione commissa, eaq; Gothis plurimũ prospera. Interea Gothorũ classis, qua commeatus in castra uehebantur, à Brũdusinis intercipitur, qui quum & ipsi ad id tempus neutrò sua studia inclinassent, ubi Narsetis & Græcorum res prospere fluere cœperũt, ut gratiam cum Iustiniano inirent, onerarias Gothorum aduersis tẽ pestatibus in portum delatas contra publicam fidẽ oppresserunt, estq; ob eam rem nonnihil in Teianis castris rei frumentariæ inopia laboratum. Sed maior omnino secuta esset fames nisi segetes in agris iam flauescere cœpissent, quas miles ea ui subactus, priusquam matures cerent desecuit. Cęterum Teias ueritus, ne his deficientibus ad extremam inopiam redigeretur præterquam quod sua sponte erat pugnæ cupidus, necessitate coactus signũ pugnę proposuit. Dirimebat paruus amnis utraq; castra, eratq; pons fluuio impositus, quem Gothi obtinebãt. Hac quum sæpius Gothus exercitum emittere cœpisset, ferociterq; ex aduerso hostis, priusquam iusta acies explicaretur, Barbaros ad flumen reiecisset, quia to ties res infeliciter mota esset, perculsus animo Teias in altiora loca transtulit castra. Narses ut hostem in arduo sedentem fame conficeret, omnia Gothorũ frumentatoribus reddidit circa montem infesta, equirum turmis passim dimissis, qui uagum in agris hostem interciperent, breui eò inopiæ est uentum, ut aut fame conficiendus esset exercitus, aut in pugnam descendendum, nam fugæ spes omnis adimebatur, omnia Græcis circa montem obtinentibus. Gothi necessitate adacti in rabiem uertũtur, ac moriendi cupidi, si uincere non detur, acie ex improuiso instructa, in subiectum hostem, nec in id quidem satis paratum in morem fœdissimæ procellæ, cum strepitu & fragore deijciũtur. Turbauit inopinatus Narsetanos, sed mox paulo in ordinem redeũtibus, duceq; alacri nultu ut pugnam capesserent hortante, initum est cruentum certamẽ, idq; pedestre, nam hostes per decliuia montis deiecti impetum in Græcos dederant, quibus in locis nullus esse poterat equorum usus. Dimicatum est à prima luce ad noctẽ, tanta hominum strage, quanta ullo unquam memorabili prælio maxima, in quo neque miles duci nec dux militi defuit, nam Narses huc & illuc conuolãs suos ad pugnam hortari, matureq; omnia prouidere. Teias non solum optimi ducis, sed militis etiam operam longe memorabilem edidit, strauisse etiam ex hostibus non unum propria manu dicitur, quà maxime cruentum erat prælium sese ingerens: ad postremum, quum scutum telorum multitudine cõfixum, & ob id parum tractabile mutaret in conferta acie, nudum regis latus telum ex aduerso missum hausit, letiferoq; uulnere confossus concidit, uir dignus qui fortissimę gẽtis regno potiretur. Nec Gothi amisso rege pugnam remiserunt, sed distracto in noctem prælio in montem concessere. Postero die paribus animis pugna instaurata est, Gothis de uita dimicantibus, Narsetanis ut Gothicum nomen delerent supra uires adnitentibus. Fuitq; recentior pugna nihilo hesterna mitior. Sed quũ Gothi, quibus fortuna belli pepercerat, pacem poscerent, quia multum cruoris erat utrinq; hausti, nec deleri poterant, quum animum morti despondissent, sine insigni cę de eorum qui uincerent: Narses ex suorum sententia hostem deditum ea conditione recepit, ut qui citra ultraq; Padum domus haberent, non prius ad suos redirent quàm urbes & oppida in Iustiniani potestatem uenissent, atq; ita demum Ostrogothi regnum & nomen amiserunt, anno altero & septuagesimo q̃ Theodorici ductu fuerant Italiæ imperio potiti.

Attende Teiæ strategema.

Græcorũ successus.

Vbi cõdit thesaurũ Totilæ.

Gothorum discrimen.

Vnde Iustinopolis.

Attenditur Ariminũ obsidione.

Gothorum desperatio.

Teiæ interitus

Cæsena à Teia oppugnatur.

Hyems Gothis calamitosa.

Gothorum deditio.

Gothici regni finis.

ENNEADIS VIII. LIBER V.

Viri illustres.

Præsidebat iam sextum decimũ annũ Pelagius Romanæ ecclesiæ, quũ hoc quo diximus euẽtu est in Ostrogothos ad Nuceriam dimicatum. Erant tunc uiri sanctitate & ingenio clari intra extraq; Italiam, Cassiodorus Monachus, Arator Romanæ ecclesiæ subdiaconus, qui Apostolorum acta heroico est carmine cõplexus. Benedictus Abbas uir sanctitate insigni. Victor Cãpanus antistes, qui in paschali calculo Dionysium reprehendit, libro de ea re accuratissime edito. Sabinus Canusinus. Gregorius Lingonensis. Vedastus Remigij discipulus. Sunt qui Priscianum Cę sariensem his temporibus intericiant, quo nemo Grammaticorum plura scripsit. Celebrata est per idem tempus Herculani Perusini antistitis sanctitas, quem Totilas interfecit. Fuit annus ille qui Nucerina pugna insignitus est, quartus & quinquagesimꝰ supra quingentesimum humanæ salutis. Ab orbe condito quinquies millesimus septingẽtesimus tertius & quinquagesimus: A prima imperij inclinatione cẽtesimus quadragesimus secundus. Sunt qui Vigilio pontifice dicant cum Gothis in terra Italia debellatum: quibus facile accedo. Nam satis constat Vigilium Gothico bello superfuisse, sed procul ab urbe eum fuisse, atq; in perpetua ærumna constitutum: alij Pelagium sedisse aiunt, quum propontifex per id tempus ille non pontifex fuisset. Cęterum Vigilio defuncto quod non multo pòst accidit, pontificatus Pelagio cessit, ut mox paulo declarabitur. Nec quantum hominum Nucerina pugna consumpserit, satis, ut uideo, constat. Guido Rauennas centum milia Gothorum cæsa prodidit indubitato, ut Forliuiensis Blondus existimat, mendacio. Sed cur ita existimet, nec ipse aliquo modo docet, neq; ipse satis intelligo. Narses post Nucerinam pugnam, relictis qui Cumanam arcem oppugnarent, attentaq; assidentes cura prospicerent, ne terra marue quicquam commeatuum importaretur, uictore exercitu Latina uia præmisso, ipse per Appiam secutus quędam obiter in Campaniæ urbibus ordinaturus, Romam magna cum ciuium lætitia & congratulatione, ouanti similis ingressus est. Nec multum inde in urbe fuit, sed reputans animo quãta adhuc belli moles profliganda esset, ut Italia pacaretur, etenim Gothi audita suorum clade, in Hetruria Lucam & Forum Cornelij in Æmylia multa ope cõmuniuerant: consspirauerant adhæc cum Francorum duce & Burgundio, ut aduersus Narsetem Cisalpinam Galliam armis tuerentur, futurum rati, ut quemadmodũ res Gothicæ, quæ pro deprolatis habebantur pòst Vitigitem captum, in pristinum fuissent statum restitutæ, pari successu fortuna gentis, quę una aduersa pugna concidisset, si quid Deus iuuaret, facile ab ea clade respiraret. Et Gothi huiusmodi spe freti bellum reparabant. Narses qui nihil horum quæ fiebant apud hostes ignorabat, haud ignarus quàm magna sint bellorum momenta in celeritate, omnium opinione celerius uenit in Hetruriam, fecitq; castra ad Auserim amnem. Luca multo ualidius defensa est quàm Narses ab initio conceperat. Assedit itaq; urbi aliquot menses, estq; interim & Forũ Cornelij à Valeriano, & duobus alijs Græcorum ducibus, quibus

Reditus Narsetis ad urbem.

Conspirãt Gothi cum Francis & Burgundijs.

Græci Lucã et Forum Cornelij obsident.

fuerat id negotium à Narsete iniunctum, obsidione fatigatum. Sed quum utrobiq; Narsetani impune se derent, interea Francorum duces, quibus post Teiæ interitum multo suspectiores esse cœperant Græcorum successus, siquidem uereri ne Cisalpina Gallia recepta exteras prouincias bello adortus Narses ad imperium retraheret, non ut Gothis solum gratificarentur, sed metu etiam subacti, uiribus undiq; collatis, in Cisalpina Gallia tuenda conspirât. Cæterum ne in tanta opportunitate cessarent, dum Narsetanę copiæ, duabus urbibus assidendo, aliquid dabant laxamenti à prouincia tuenda, ut ipsi quoq; partem belli obirent aliquam, ex Placentia profecti Tanne tum obsidione cingunt, eo consilio, ut Tannetanis ui aut metu subactis, confestim Bononiam inuaderent. Narses de his Francorũ motibus certior factus, mâdat ut Dagisteus unus ex ducibus, qui ad Forum Cornelij sedebant, cum parte copiarum Bononiam eat, ostenteręq; ex propinquo spem subsidij Tannetanis, si suorum paucitati diffisus, acie nõ audeat decertare, atq; tãtisper hostem solicitũ haberet, quoad Luca expugnaretur, qua recepta continuò ipse cum robore copiarum subsidio affuturus esset. Paruit imperio Dagisteus, & Luca paucis pòst diebus dedita est, septimo mense ab eo quo obsideri cœperat. Sub id tempus est & Forum Cornelij ui captum, atq; ab irato hoste solo æquatum, hodie Imola est. Sed dum hæc alibi fiunt, Burgundij & Ostrogothi, qui Tannetum obsidebant, ut Dagisteum, qui circa Bononiam statiua habebat, ex improuiso opprimerẽt, celeri ductu illuc conuolât, relicta obsidione. Nec Dagisteus pugnam detrectauit, ipseq; omnium primus prælium inijt, ut ducis exemplo milites alacrius pugnarent. Effuderunt omnes simul uires hostium duces, ac conati sunt uelut undanti agmine, aduersam aciẽ obruere, adeò ut à fronte, à lateribus, & in subsidijs sit uno tempore laboratum. Turbauit nonnihil Dagisteum primus Francorum impetus, constitit tamen illi integra acies. Inde ubi hostis circunfusus, non arte, non consilio dimicare uisus est, hortati se inuicem Dagistini non solum resistunt, sed audaci etiam conatu hostem summouẽt, inde Dagistei hortatu acrius connixi, latè fundunt, fusumq; & dispalatum passim trucidant. Fuisset maior adhuc cædes edita, ni Dagisteus insidias, credo, ueritus, aut fortunę mutationem, edixisset ne quis longius hostem insectaretur, quàm tubę signum exaudiri posset. Bucelinus unus ex tribus alpinis ducibus in prælio occubuit. Lotharius & Amingus, perpetua fuga Placentiam delati sunt. Quantus hostium numerus sit ea pugna cæsus diserte nõ ponitur ab ijs quos sequimur. Gui do Rauennas tam ingentem posuit, ut merito illi fides abrogetur. Cæterum quantacunq; fuit cędes illa, fuit enim omnino nõ uulgaris, Dagisteus Brixellum progressus exercitum recenti pugna affectum reparat, continuò Padum traiecturus. Gothi interea ex suo corpore ducem sibi creant qui confestim bellum instauraret, Vuidini fuit illi nomen. Is cum socijs ducibus Veronam profectus est, ut loco esset peropportuno ad finitimas urbes in fide continendas: aut si Dagisteo resisti non posset, in Galliam abiret, socios secutus. Erat tum Veronæ Etheus, uir clarus in Ostrogothis, is quia neque nouo duci fuerat suffragatus, neq; accersitus eius declarationi interesse uoluit, autor fuit Veronensibus, ut Vuidinem cum externis ducibus, mœnibus excluderent, ne in se omnem uim belli uerterent, quod eò est facilius ciuitati persuasum, quia Amingi nomen haud aliter quàm crudelissimi hostis erat uulgò inuisum. Exclusus Verona Vuidis, anceps consilij aliquádiu addubitauit quò potissimum flecteret: postremo Ticinum repetere constituit. Hic dissidium est inter duces ortum. Lotharius trans alpes abiturus ad Benacum flexit. Vuidis & Amingus, quum retrò abirent, ac circa Mincium de Dagistei appropinquatione nũtium accepissent, priusquam castra fieri potuerint, subito prælio occupati, ac modico negotio uicti sunt, Vuidinem captum Dagisteus ad Narsetem mittit, Narses Constantinopolim ad Iustinianum. Amingus Dagistei permissu interfectus est. Lotharij quũ ex Benaco in Tridentinos flexisset in febrem incidit, ac morbi magnitudine, paucis diebus quàm ægrotare cœperat, interijt. Sicq; non minori felicitate quàm uirtute uictoria ingens parta est. Gothorũ Reguli, qui tota Cisalpina Gallia sparsim adhuc urbes & oppida obtinebant, eisdem conditionibus, quibus ad Nuceriam uicti, pacem à Narsete impetrauere. Supererat adhuc unus Sisualdus, qui suæ sibi perfidiæ conscius, audito sociorum casu, in montes & loca penè inaccessa refugit. Sunt aliquot turmarum præfecti in Sisualdum missi, qui breui omnia illi ademerũt, quæ per occasionem, latrocinio potius quàm iusto bello, in Alpibus occupauerat. Et Italia per hæc potissimum pacata est, anno quàm cum Ostrogothis bellari cœptum erat decimo octauo. Narses egregiam adeptus uictoriam, ad urbem Romã non solum instaurãdam, sed antiquam etiam dignitatem restituendam, animum adiecit: quod ut commodius sequeretur, Amatum uirum patritij sanguinis Narbonensi Galliæ præfecit, tum demũ, credo, receptæ. Francilioni Quiritij generis Cisalpinã Galliam dedit administrandã. Et iam tota Italia, unius ductu & auspicijs, Romano nomini parebat. Cæterum non tantum prophanæ res illi curæ esse, sed & sacrorũ dignitas: nam clero gratificaturus, qui multis id precibus flagitabat, ad Iustinianum literas dedit, de Vigilio Romam remittendo, est id Narseti datum. Vigilius ex Proconneso, quò cum suis relegatus fuerat, Constãtinopolim deportatus est: ibi Clerus à principe appellatus, rogatusq; Vigilium uellet, an Pelagium mallet Romæ pontificem esse, ubi Vigilium præferri uidit, potestatem illi fecit Romã abeundi. Sed quem neq; carcer neq; cruciatus ullus cum lõgo exilio extinguere potuit, dolore laterum, quo Syracusis correptus est paucis diebus priusquã insula abiret, interijt: ac tum demum Pelagius, qui propontifex ad id tempus fuerat, est dignitatẽ adeptus. Sic rem digerit Blondus. Sed si septendecim annos habuit Vigilij pontificatus, ut omnes affirmant, estq; inter initia Gothici belli Constantinopolim missus, nec cum Gothis prius debellari contigerit, quàm decimus octauus sit annus eius belli circumactus, non uideo qua ratione fieri potuerit, ut post pacatam Italiam Narses cum Iustiniano per literas egerit de Vigilij restitutione. Aut igitur dicendum est prius de Vigilio impetratum quàm profligatum fuerit bellum in Italia, aut Vigilij pontificatum plures habuisse annos, quàm Platina & alij scribunt. Sed utcunq; in eo uariatum est, Pelagij qui ei successit, hæc, quod satis constat, decreta feruntur: ut schismatici & hæretici secularium manu coërcerentur, si ad sanitatem aliter retrahi non possent: ut septem canonicæ horæ quotidie à clero celebrarẽtur: nemo abbas promoueri posset nisi canonice assumptus: ne accusatorius libellus in sacro foro admitteretur, nisi reo præsente. Narsete dein autore, pro cuius uictoria populo supplicationem indixit, traduxitq; pompam à Pancratij æde ad Basilicã Petri, quæ in Vaticano est, ne quis ambitu ad sacros ordines admoueretur. Nec Pelagius in ea administratione caruit calumnia, uenit in suspicionem tanquã autor fuisset malorum omnium quæ Vigilio acciderant. Sed omnem inuidiam ex ea re cõflatam, sanctissimo ad populum iureiurando discussit. Erat igitur iam Pelagius põtifex, quum Iustinianus haud multo postquam Italia à Gothis uindicata est, quadragesimo sui imperij anno, uita decessit. Sunt eius auspicijs multa & magna bella interim feliciter gesta, ut

Franci & Burgundij ad Tanetum faciunt castra.

Burgundij & Gothi fundũtur acie.

Vuidis dux à Gothis creatur.

Dißidium Gothorũ & Burgundiorum.

Pelagij pontificis decreta.

Iustiniani interitus.

sta, ut merito Gothici, Vandalici, Persici, Aphricani, Alemanici cognomina ferre potuerint. Iustinus illi successit. Valuit apud hunc, sub initia principatus, plus liuor hominum & inuidia magnarum domuũ alumna, quàm Narsetis merita, cui gloriã apud omnes gentes meritò quæsitam, pessimi quidam hominum inuidentes, leuissimum hominem subornant, qui Iustino affirmaret futurum, ut si Narses, cuius petulantia iam intolerabilis esset, diutius præesset Italiæ, Romani ultrò barbaros accerserent, ne mollissimo homini seruirent. Nec contentus ille hæc Iustini auribus infudisse, ingerit eadem crimina & Sophiæ, quæ malo Italiæ fato, defuncto uiro superfuerat. Illa ut impotens est muliebris natura, ac quo maioris fortunæ eò minus compos rationis, tanquam omnia de Narsete sibi comperta essent, cum Iustino agit, ut confestim illi successorem mitteret. Addidit insolens fœmina huic facto contumeliam, ut literis minata sit fore, ut Narses Constantinopolim reuersus, ne priuatus ageret, pensa distribueret ancillis, quod eunuchorum magis proprium sit quàm prouinciæ & exercitibus præesse. Narses qui sine contumelia facile, ut credere par est, passus esset sibi successorem dari, ea uerborum petulantia commotus rescripsisse dicitur, quando pro magnitudine rerum à se gestarum, ad contumeliam, non ad triumphum reuocaretur, futurum ut breui talem ordiretur telã, qui & Sophiæ fœminæ insolentissimæ, & eius imperio esset inextricabilis: atq; ubi Longinũ sibi successorem datum audiuit, factus de eius in Italiã aduentu certior, Neapolim concesit. Hinc ad Alboinum misit Lõgobardorum regem sibi amicissimũ, qui eum hortaretur, ut Pannonia relicta, quæ semper primos incumbentium Barbarorum motus excipere solita esset, omnem Longobardorum gẽtem in Italiam traduceret, terram omnium, quæ in toto orbe essent, salubritate cœli, frugum uirorumq; præstantia, longe principem: qua potitus facile in multas gẽtes suum propagaret imperium. Hæc Narses: quibus Alboinus assensus, se ad profectionem sedulo comparat. Sed dum tanta belli moles agitatur, Pelagius uita decessit. In demortui locum Ioannes eius nominis tertius est suffectus, Romæ honestissimo loco ortus. Fuit Pelagius annos undecim pontifex, qui à Vigilij interitu numerantur, quo potest intelligi quot annos Narses res Italię administrarit. Abijt interim omnis Gothorum gens, quæ bello superfuit, in Italicum nomen, ut Longobardici belli initio Itali, nec aliud hominum genus, abacti armis dicantur. Ioannes pontifex sacram adeptus sedem, reputans animo quàm parum Romanæ ciuitati, & uniuersæ Italiæ conduceret tanti uiri alienatio, ad Narsetem Neapolim accessit, facileque ab eo impetrauit, erat enim natura facillimus, ut Romam secũ reuerteretur, ubi pro magno habuit negotio, ut cũ Basilio uiro patritio fieret consul. Ea res effecit ut Narses & literis, & nuntijs conatus sit Alboĩno suadere, ut Italia abstineret, teneretque se, ut antea intra Pannoniæ fines, id credo fuit in causa, quod expeditio illa non sit admodum festinata, enimuero uixit Narses aliquot inde annos, consumptusque est fato, eo anno, quo & Ioannes pontifex, cuius pontificatus habuit annos dũodecim. Alboinus post Narsetis interitum, aut certe sub id tempus, quo ille uita est defunctus, Italiam inuasit. Sed dum pestis illa, quæ urbi & Italiæ imminebat, procul alitur, cæteræ gentes satis inter se pacatè agebant. Franci & Burgundij Comatæ Galliæ partem multo maximam tenebant. Britanni ex insula profugi portionem eius terrę tenebãt Oceano proximã, quę ab recẽti incolatu nunc Britannia est. Insula cui id olim fuit nomen, Anglia terra hodie est: Saxones, qui eam occuparunt, Angli dici maluerunt. Vtranque Hispaniam Visigothi habebant, sed Citeriorem promiscue cum Halanis, quo factum est, ut duarum gentium nomina in unum coaluerint, sintque uno nomine Gotho lani dicti, & mox litera una inuersa Cathelani, Francorum rex erat Chilpericus, qui fuit Clotarij filius, quum Ostrogothi sunt in Italia deleti: in Visigothis rex Athanagildus, qui Agilanti successit, Agilantes Gialo, Gialus Theudæ, Theuda Almarico, is Thurismundi fuit filius, ac Theodorici nepos, qui memorabili aduersus Attylam & Hunnos prælio in Gallia gesto, fortiter dimicans perijt. Byzantij Iustinus imperitabat. Igneæ acies per id tempus in cœlo uisæ sanguine manantes. Sunt fœdissimæ imbrium tempestates secutæ, quibus in Gallia pars Aruernię optima q̃ Alemania est, in stagnum abijt. Rhodanus adeò inundauit, ut Arari suas aquas infuderit. Inundauit & Tyberis, quum semper aliàs, tum maxime ipsi urbi & Italiæ fatidicus: nam sub id tempus Alboinus ex Pannonia cum omni Longobardorum gente, per Noricum, quæ Bauaria prius, mox Austria dicta est, & Lyburniam, Italiam ingressus est. (Fuit annus ille tertiusdecimus Iustini). Non deerit, credo, pretium operæ si hic priusquam Longobardorum in Italiam accessus referatur, paululum in uetustate gentis explicãda immorabimur, ut qui hominum fuerint sciri possit, qui tunc Alboini ductu terram omnium nobilissimam occuparunt, occupatam ducentos & amplius annos tenuerũt. Fuit gens ipsa ex Scandinauia oriunda, est insula hęc Germanici Oceani, in Codano sinu, quem Seuo mons nihilo Rypheis iugis minor uasto efficit circumacto ad Cymbrorum usque promontorium extensum, multæ in eo insulæ, Scandinauia omnium maxima, ac tantę magnitudinis, ut Hilleuionum gens quotã insulæ portionem quingentis colat pagis, cætera magnitudo incomperta, quæ quanta sit, uel ex eo potest intelligi, quod accolæ alterum orbem terrarum uocant: hinc siue alio casu aliquo siue consilio potius, parum enim perspicuè id traditur, nã quod scribunt quidam, quia insula multitudinem non caperet, idcirco inde indigenarum partem sortito emissam, ratione caret, modo uera sint quæ à Plinio de eius uastitate traduntur. Sed quecunque migrandi fuit illis causa, Lõgobardi olim hinc egressi Thatonis & Aionis ductu aliquandiu euagati, à crebra sedium mutatione Vinuli sunt dicti. Longobardi, ut plures affirmant, à barbę prolixitate nomen sunt adepti, quia soli propé Germanorum barbam alerent. Post Aionis interitum & Thatonis Agelmundum sibi regem creauere, eoque à Bulgaris interfecto (sunt hi Istri fluminis accolæ) Lamissio Rex fecutus est, à Lamissione Hildocus filius regnum per manus accepit. Post hunc Godoocus regnauit, is Longobardica arma ad Danubium usque promouit sub id tempus quo Odoacer Italia potitus est. Godooco successit Claftero, qui Thatoni filio regnum reliquit. Nec Thato diu regno potitus est, sed profligata Herulorum gente mortem in prælio occubuit. Vuacho octauo loco rex fuit, Vuachoni Valtarith filius successit, huic Andoinus, cuius ductu Longobardi Pannoniam adepti sunt, sub quo primo & mox sub Alboino eius filio, qui undecimus rex fuit, ea gens annis duobus & quadraginta Pannoniam tenuit. Eam terram Alboinus in Italiã moturus, ut tutus omni tempore sibi in prouinciam ipsam pateret reditus, si Italica expeditio minus ex sententia successisset, conditione Hunnis tradidit habitandam, ut sibi eam repoſcenti, quando necessitas cogeret, bona fide restituerent. Erant hi Hunnorum progenies, qui cum Attyla in Italia militarunt, multisque iactati casibus in Auarũ nomẽ propemodum abiuerant, ac iam inde præter nobilissimam prouinciam adepti, multo felicius quàm antea agere cœperunt, sunt res eorum procedente tempore adeò auctæ, ut finitimorum nulli aut opibus,

Laus Italicæ soli.

Omnis Gothorum gens abijt in Italicũ nomen.

Narsetis interitus.

Britannorum migratio.

Gotholani & mox Cathelani.

Qui status gentium tunc fuerint.

Prodigia.

Qua parte Lõgobardi Italiã intrauerint.

Scandinauiæ magnitudo.

Longobardi unde.

Longobardorum reges.

Attende quæ conditione sit Pannonia Hunnis relicta.

Hungarorum opes.

aut celebritate cederent. Acceſsit felicitatis cumulo quod tota regio ab ipſo demum incolatu eſt Hungaria appellata, nam ipſi quia Hunni & Auares eſſent, Hungari, confuſa uoce, nominati ſunt. Scio ex recentioribus ſcriptoribus eſſe qui Hungaros recés genus hominum exiſtimarint, eamq́ gentem ex Scythia egreſſam, anno humanæ ſalutis octingentesimo circiter & octogeſimo, qui Auariæ ex Pannonia pulſis eam terra ſuam iure belli fecerint. Et Alboinus per hæc, omnia poſt ſe tuta relinquens, uiginti Saxonum milibus in commilitium aſſumptis,

Temporum ſupputatio.

Carni.

per Lyburniã & Lapidiam qua parte Italia Barbaris fuit ſemper armis obnoxia, in Carnorũ ora, quę nũc eſt Forliuienſium, tumultuoſe conſedit. Fuit hic annus, quo Alboinus eſt Italiam bello adortus, ab Romani imperij inclinatione centeſimus ac ſextus & quinquageſim⁹ ab eo qui fuit humanæ ſalutis duodeſeptuageſimus, ac quingenteſimus, eratq́ nunc

Benedictus primus pontifex.

Benedictus põtifex Quiritij generis, & qui primus in ea dignitate id nomen tulit. Sed multo plures aiunt. Ioanne adhuc ſedente, Italiam ab Alboino initam. Cæterum ſiue res ſic habet, ſiue quod Blondus ſcribit, qui paulo tardioris eſt acceſſus autor, ſedit Ioannes, qui alter à ſexageſimo pontifex fuit, annos circiter tredecim, ſi recte colligit Platina. Vixerunt eo ſedente Paulus Aquileienſis antiſtes, & Felix Ra uennas, qui Tauriſinæ præfuit eccleſiæ, quique ob creditam uitæ ſanctitatem Alboinum Tauriſinis, quod ſuo ſit loco poſtea dicendum, infeſto animo imminentem precibus flexit. Vixit cum his Fortunatus, uir eruditione non uulgari, multaq́e eloquẽtia, qui optima literarum fruge & uitę ſanctimonia, Gallos mitiore inſtruxit cultu. Dedit ad Sigibertũ eius gentis Regem, librum de regni adminiſtratio-

Germanus.

ne. Reponunt quidam Germanum Pariſienſem in hæc tempora, qui Francos reges incredibili ęmulatione accendit ad pietatis cultum: tantum ad profectum uitæ prodeſſe queunt optimi antiſtitis exẽpla. Armenij per hęc tempora ſunt Chriſti fidem cõplexi. Ioannes in Vaticano ſitus eſt. Narſes per id tẽ

Narſes moritur.

pus obijt, eſtq́ue loculo Byzantium relatus. Alboinus primum Italiæ limen ingreſſus fertur circa Vipagum amnem altiore loco conſtitiſſe, unde in planitiem latè iacẽtem ingens erat proſpectus. Hic ille ad ſuos conuerſus. Hæc eſt, inquit, uiri fortes pulchra illa Italia, quam ſequimur, iam eam capillis tenemus. Forum Iulium, & omnia illi circuniecta loca continuo deditionem fecere. Paulus Aquileienſis antiſtes, recenti murorũ ſtructuræ diffiſus, nam per id tempus Aquileia fuerat inſtaurata, ut ſuprà eſt ſignificatum, cum omni clero, & diuorum reliquijs ſacrorũ cæremonia, Gradum qui locus ad mare eſt,

Gradenſis ecclęſiæ origo.

migrauit. Hinc Gradenſis origo eccleſiæ, quæ adeò creuit, ut cum Aquileienſi diu poſtea de principatu certarit. Multi mortales, Barbarorum metu, ad inſulanos Venetos per id tempus conceſſere. Tum & Riuumaltum aiunt frequentiorem factum profuga

Lupia.

multitudine, & unam inſulam, cui Lupiæ fuit nomen, priorum numero adiectã. Duo in ea hodie tẽpla inſigni uetuſtate, dominicæ crucis unum, Hermagoræ alterum & Fortunati, una tum fuit inſula, nunc canalis maximus utranque ędem ab altera diſ ſecat. Alboinus ad Plauem fluuium uictor progreſſus, ut omnia poſt ſe pacata relinqueret, Siſulphum adoleſcentem multa indole, ſibiq́ue perneceſſarium

Plauis.

Foroiuliẽſium ducem creauit. Labitur Plauis ex Alpibus, inter Feltrinos & Belunenſes, perſtringitq́ue Tauriſinum agrum præceps adhuc & uiolentus, miſor ex ueteribus neminem fluminis huius meminiſſe, niſi is ſit fortaſſe, quem Plinius Anaxum uocat. Potuit & illud accidere, quod Ariſtoteles ait, ut ali-

Flu. mutationes.

bi flumina oriantur, deſinant alibi fluere, nam neque Nilus ſemper fluit, ut ille ait. Hic paululum Alboinus addubitauit, eſſet ne ſibi exercitus ad ſingulas urbes circunagendus, nam plæraq́ue loca perop portuna Græcorum præſidijs tenebantur, an ultrò ſequenda uictoria. Enimuero Longinus, qui Narſeti ſucceſſor datus, poſt ſuum in Italiã acceſſum ſemper ſe tenuit Rauennæ, Romam ne uidere quidem dignatus eſt, aut certe ob Narſetem in humanis agentem non eſt auſus. Attulit is ſecum in Italiam no

Nomen Exarchi quando Italiam allatum.

uum regiminis nomen Graiæ ſuperbiæ plenum ut Exarchus diceretur. Idem primus ueterem adminiſtrationis formã tota Italia ſuſtulit, ut non cuiq; pro uincię regionisue ſuus eſſet magiſtratus, ſed ſingulis urbib⁹ ſinguli, qui poteſtate præirẽt, & ius ciuib⁹ ſimul dicerent, duces q́; appellarentẽ. Magiſtratum tñ, quem unum Romæ conſtituit, Præſidem appellauit. Sed qui poſtea ſecuti ſunt duces dici maluerunt, quo contigit, ut multis inde annis Romanus Ducatus ſit dictus. Forſaſis & aureus nummus, qui Romę cudebatur, inde nomen adeptus. Sicque tum de

Mutatio adminiſtrationis Italię.

mum Romæ & reliqua Italia uetus adminiſtrationis forma cum magiſtratuum nominibus interijt, quæ contumeliæ ratio nomen Romani Populi apud exteras gentes, maieſtatemq́ue ad nihilum redegit, quum per tot alioqui clades quot aliæ ſuper alias centum ſexaginta annorum ſpatio à prima imperij inclinatione rem Romanam afflixerãt, neſcio quonam modo decus illud uetus, & maieſtas nominis, magis hominum opinione quàm re adhuc uigerat, ueteris imperij umbra potius quàm quod aliquid ſupereſſet adminiſtratione dignum. Igitur Lõginus audito Alboini acceſſu, quia cum modicis erat copijs in Italia (quæ ſub Narſete militauerant cõfeſtim ab eo exautoratæ domum dimiſſæ fuerant, ne credo ſucceſſori eſſe poſſent uſui) præſentibus diffiſus uiribus ab alpibus ad mare, ut quiſque locus maxime opportunus uiſus eſt, ad infringendos

Vnde aureus nummus denominatus dictus.

Longini cautium in remorando hoſte.

hoſtium conatus, ualidiſſimo munijt præſidio, Vulturinam in Alpibus, quod nomen ualli dedit, Patauium, Montemſilicem, Cremonam, Mantuam, & Cæſaream, inter Rauennam & oppidum Claſſenſe. Alboinus locorum oppugnatione in aliud tempus dilata, ne præſens uictoriæ curſus mora aliqua interpolaretur, poſt Tauriſium metu deditum, Vicetiam petijt. Vicetini Veronenſesq́ue, ne maiorẽ aliquam cladem adirent, & ipſi deditionem fecere. Inde late eſt uictoria euagata, Brixia, Mediolanum, & alia multa citra ultraq́ue Padum loca breui Longobardicis ceſſere armis. Alboinus parte copiarum una ſecum ad Ticini oppugnationem retenta, multo maximam exercitus partem miſit in Hetruriã. Af-

Hetruria à Longobardis affligitur.

flixit tempeſtas illa armorum amœniſsimam Italię regionem, direptaq́ue ſunt paſsim & incenſa omnia ſacra & prophana, hinc Barbari Apennini iuga iterum tranſgreſsi Arimino potiuntur. Nec Iuſtinus ubi literis & nuntijs factus eſt certior, in quo res Italiæ ſtatu eſſent, Romæ & aliarum urbium, quæ adhuc in fide erant, neglexit periculum, quin ab eo diligens cura adhibita eſt, ut ex Aphrica, miſsis ad id

Loca Italiæ quæ in fide ſeruant.

nauibus, confeſtim immenſa uis tritici Romam ueheretur, quo ipſum Italiæ caput, & urbes illi circunie ctæ, auxilio deinceps ſteterunt. Vrbes quæ eam Italiæ inclinationem ſequi noluerũt, ſed in fide pertinacius manſere, Tybur cum toto Latio, Sutrium, Nepete, Ameria, Polimartium, Blera, Horta, Vrbs uetus, Narnia & in ora Romanus portus, Oſtia, & Centumcellæ ad ſuperum mare expoſitæ, Rauenna, & in mediterraneo Brixellum, Fauentia, Tyberiacum nunc Bagnacabalium Saldubium nunc Caſtrum carum, Forum Liuij, Forum Popilij, Forum Brentanorum nunc Brentonorium, ut Blondus ſcribis, Cæſena, Cremona, Mantua, Vulturina, Monſilex, & Patauium, reliquum Italiæ ab Hetruria & Flaminia ad alpes, Alboini duces triennio Longobardicis opibus adiunxerunt, quo temporis ſpatio Ticinum, aſsidente rege, ualide eſt defenſum. Quam

moram

Attende miraculi in Alboini caſu.

moram pertæſus Alboinus, iureiurando affirmauit fore, ut eam urbem captam ciuibus cum præſidio cæſis, ſolo æquaret. Cæterum portis irrupturus cũ toto equo ad terram prouolutus, quum neque bellator equus ſurgeret, neque ipſe equo implicitus eximi poſſet periculo, ab uno quodam qui auxilio occurrerat monitus, ut ultionem Ticinenſibus remitteret, promiſſa uenia confeſtim equus rege incolumi ſeſe in pedes ſtatuit. Atque per hunc modum Ticinum eſt imminenti excidio ſeruatum, manifeſta numinis prouidentia. Exierat iam tertius Longobardici belli annus, eratq́ue dimidium quarti circũactus, quum Alboinus Ticino potitus, Veronã conceſsit, ubi Roſimundã coniugem, cum imbelli multitudine, & regia gaza reliquerat: agitabatq́ue animo eam urbem regni caput conſtituere, feciſſetq́ue uictoria potitus, niſi domeſtica fraude fuiſſet oppreſſus. Edebat rex ludos Veronæ, magnifico apparatu, ut tum lætiſsimæ Longobardorum res erant, indulgebatq́ue conuiuijs & temulentiæ, media ſpectaculorum lætitia, potaueratq́ue ex patera, quam

Attende qua patera uterentur Alboinus.

ex Comundi Gepidarum regis calua à ſe in Pannonia interfecti, ad conuiuiorum uſum ſibi ex auro cælauerat. Fuit quorundam Barbarorum mos eiuſmodi poculorum genere uti, in argumentum credo hoſtis à ſe in pugna occiſi, eratq́ue iam Alboinus in multum uini prouectus, cum ſui, quod proprium temulentiæ eſt, oblitus officij, pincernam ad uxorem mittit contrà accubantem, cum patera illa nefaria, mandatq́ue alta uoce, ut cum patre bibat, ſic futurũ ut ſuauius potaret. Perſtrinxit reginæ animum intempeſtiua illa paternæ cædis exprobratio, ſecumq́ue iam inde quærere cœpit locum inſidijs, ut uirum perderet. Erat adoleſcens in ea gente nobili loco ortus, ac manu promptus, & forma & ętate amabilis, Amelchidi fuit illi nomen. Hunc Roſimunda

Attende Roſimundæ artem.

multis artibus conata in regis caput armare, quum nullis pollicitationibus precibuſue flectere potuiſſet, pro ancilla, cuius conſuetudine adoleſcens tenebatur, ſeſe occulte illi ſubiecit, mox ubi perſona quã mentiebatur depoſita quę eſſet mulier palam feciſſet, territum adoleſcentem, atque perculſum animo nunc hortationibus inſtando, regnum q́ue & ſuum connubium pollicendo, eò perpulit, ut regem ſomno deditum interfecerit. Et Alboinus ſic perijt, qui

Alboinus interficitur.

ſua ſtultitia ſibi exitium peperit. Verum quia libera eſt in dubijs coniectura, ego Roſimundam, non tam ſuæ pietati in patrem, quàm immoderatæ libidini indulſiſſe crediderim, quæ ſi paternam cædem ultam uoluiſſet, non defuiſſet illi occaſio uiri occultius perdendi, ac multo prius quàm in Italiam ſit uentum. Sed illa amore, qui, ut fertur, cæcus eſt, ad id ſcelus impulſa, ultionem parricidio prętexuit, tãquàm tum primum ſubire debuerit interfecti patris memoria, poculi aſpectu, quo in ſolennibus conuiuijs, tot annis fuerat Alboinus uſus. Sed potiri illa uoluit & regno & adoleſcente, quod ut commodius aſſequeretur, pro concione conata eſt efficere, ut Amechildis rex à multitudine ſalutaretur. Sed quum pro eo quod petebatur regiæ cædis ultio intenderetur, ſibi & adoleſcenti timens Roſimunda, cum Amechilde & Alſiunda, quam ex Alboino fuerat enixa, magnoq́ue auri pondere ſecundo Atheſi occulte Rauẽnam petijt, fide publica prius ab Exarcho accepta. Excepit Longinus eam uenientem amplisimis honoribus, inde ſiue illius forma captus, ſiue potiundi auri cupidus, quod ſecum mulier extulerat, ad eius nuptias animum adiecit. Poteſt etiam maiorem adhuc ſpem ſecutus uideri, ut per eam crediderit Longinus poſſe ſibi omnem Longobardorum gentem conciliari, qua ſibi adiuncta, facile potiturus eſſet Italiæ imperio. Nam & Iuſtinus defunctus erat per id tempus, & Tiberius qui ſucceſſerat, ad Parthicum bellũ profecturus dicebatur. Si-

Roſimundæ fuga.

ue igitur hæc illi, ſiue alia fuit cauſa, Roſimundam quotidie cum Exarcho agentem, ac paulo etiam liberius, quàm aut mulierem aut hoſpitem deceret, ut Longobardos Italia eijceret, aut ui ſubigeret ad regnum ſibi & Amechildi reſtituendũ, multis ador tus pollicitationibus (ut inconſtans eſt & mutabilis fœmina) facile in ſententiam traxit ut nouo ſponſo è medio ſublato, ipſa ſibi nuberet, futurũ affirmans, ut tum demum & Longobardorũ & Italiæ regina, uno tempore appellaretur. Obtulit igitur Roſimunda Amechildi balneis egreſſo letiferum poculum, ſenſitq́ue ille continuò uim ueneni interius recepti, quum nondum totum hauſiſſet poculum, diſsimulatq́ue iuuenis dolorem, porrectoq́ue illi calice, age, inquit, & tu quoque balneo languidula bibe hoc reliquum. Negat Roſimunda ſibi potu opus eſſe, inde alia aliquando atq; alia quo obſtinatius detrectare, eo ſe ſuſpectiorem facere, iuuenisq́; acrius inſtare, ut uel inuitam cogeret ſi ſponte nollet id facere. Poſtremo ubi ſtringi ferrũ in ſe intuita eſt, metu ſubacta intrepide poculum hauſit. Atque ita ambo uno tempore, eodemq́ue genere mortis cõſumpti ſunt. Longinus pecuniam regiam cum Alſiunda Roſimundæ & Alboini filia Conſtantinopolim ad Tiberium imperatorem miſit. Longobardi interea ſibi Clephin regem creauere, apud quoſdã pro Clephi, Claphonem ſcriptum reperio, ſed diligentiores priorẽ uocem ſequuntur. Fuit is homo ſæuitia pluſquam barbarica, iuxtà ſponte deditos ac ui captos immaniter trucidare: horrere Italia eam peſtẽ, multiq́ue mortales relicta patria fugam occupauere. Fecit recens hic metus, ut frequenter ſit per id tempus in Venetas inſulas migratum. Clephis Tannetum ſolo æquauit. Forum Cornelij ab Antiochio Narſetis duce euerſum reſtituit, fuit hæc poſtea Imola ab arce, quam Forum Cornelij habuit edito loco ſitam. Reſtitutionis illius cauſa credita eſt, ut Longobardi haberent unde Rauennates, Fauentinos, & Forliuienſes propius infeſtarent. Claſſenſe dein Clephis oppidum occupauit, locum haud procul Rauenna. Hinc uelut ex arce quadam Barbari diu Rauennatium res crebris incurſionibus infeſtare perſeuerarũt. Miſit Clephis ſuos duces cum parte copiarum ad cętera Italiæ loca oppugnanda, quæ ſub Alboino capi non potuere, ac tum demum præter Romam & Ty

Exarchi conſilium.

Clephis ſæuitia.

Magna pars Italiæ Clephi ceſſit.

bur Romæ propinquum cæteræ urbes, oppida, arces, & quicquid hominum ad id tempus in fide imperij fuerat, magis metu quàm ui Longobardorum armis ceſſere. Nulli dubium erat, quin ſi Clephis diu tius uixiſſet, Romam quoque captam aut funditus diruiſſet, aut omni Quiritium ſtirpe crudeliter extincta, eam hominibus ſuæ gentis habitandam tradidiſſet: ſed ille, quod non ſine prouidentia euenisse æquum eſt credere, altero ſui regni anno nondum peracto, domeſtica fraude perijt. Lõgobardi interfecti regis odio, nam Clephis nihilo mitior fuit in

Clephis cædes

ſuos quàm in cęteros fuiſſet, triginta ſibi duces creauere, qui ſummæ rei præeſſent: fuit gens ipſa toto mox decennio ſine rege. Incidit crudeliſsimum Clephis regnum in extrema tempora Benedicti pontificis, qui multo mœrore confectus, ſub id tempus quo Clephis Italiam affligere adortus eſt, fatalem diem obijt, quũ iam omnia circa urbem & reliquã Italiam, ferro & flamma ruerent. Succeſsit illi Pela

Pelagius ſecundus pontifex.

gius ſecundus, pontificum quintus & ſexageſimus. Tenebat orientis imperium Tiberius quẽ Iuſtinus adoptauit. Mira ſunt quę de iuſtitia & pietate huius principis memoriæ prodita ſunt, eſtq́ue operæpretium audire quàm manifeſta prouidentia auro abũ

Tiberij imperatoriæ pietas.

dauerit, intuitus forte crucem in pauimento figuratam, religione contactus, cõfeſtim tolli iuſsit, ne imprudenter pedibus conculcaretur: hac ſublata, altera inferius apparuit, poſt hanc rurſus alia atque alia, quoad pauimentum altius remoliendo in uim auri

Quomodo Tibe. sit dies factus.

ingentem incidit, est ex ea re adhuc multo beneficē- A tior factus: imm̃esumq́ue auri pondus pauperibus partitus est. Thesauros adhæc Narsetis primo, mox Rosimundæ ad se missos ad munificentiam & liberalitatem accommodauit. Misit ad Sigibertum Frācorum regem quū alia præclara munera, tum quinquaginta aureos nummos librales. Miror Sigibertū regem appellari ab ijs qui hæc tradiderunt. Fuit Sigibertus Chilperici frater, qui Clotario patri successit, etsi sæpe Sigibertus insidijs, apertaq́ue ui à Chilperico hostiliter petitus, regias fratris opes ita infregit, ut nisi fraude è medio sublatus esset fuerit haud dubie omnia quæ Chilperici erant sibi armis uindicaturus. Quare ad Chilpericum qui diutius regnauit legatos à Tiberio in Galliam missos libētius crediderim. Cęterum siue ad hunc regem siue ad illum regno imminentem legati ex Byzantio uenerunt:

Attende genus nummi aurei.

fuit in his nummis quos ei dono attulerunt imago principis inscripta. Tiberij Constantini perpetuo Augusti. Frons diuersa quadrigam habuit cum ascē sore, & his uerbis. Romanorū gloria. Accessit huc felicitati quod exercitus quem miserat in Persas, ui ctor reuersus, tam opulentam inde prædam auexit, quantam ad id tempus nullus alius. Iuuit Tiberius in publica illa Italiæ calamitate Romanum Pōpulū armis, iuuit & commeatu. Certauit religione & pie

Qui uiri illustres.

tate cum ipso principe Ioannes Constantinopolitanus antistes, qui per idem tempus quo Italiæ status perpetuis quatiebatur terroribus, oriētalem ecclesiam tenuit in officio, disputando, scribendo, docendo, sustinuitq́ue fortiter aduersariorum intemperiem. Pari studio Leander Toletanus siue Hispalensis, ut alij habent, in quo maiór ne fuerit eruditio an eloquentia difficile sit iudicare. Scripsit quidem multa ad orthodoxæ fidei usum. Arrianum dogma impugnauit, quam pestem Vandali ex Aphrica à Belisario pulsi secum tulerant in Hispaniam, etsi ab initio Visigothi Arriano fuerant ueneno imbuti. Lō gobardici duces qui in Clephis fuerant locum sub- B

Affligitur Italia à Longobardis.

stituti, præter Ariminum & Vrbinum in Vmbros delati, regionem omnem armis subigunt, urbes indifferenter, siue ui captas, siue sponte deditas, hostiliter diripiunt, direptas ruinis & incendio uastant. Pari clade Picentes afficiunt, Pelignos, Marsos Samnites. Nulla unquam maiore clade Italia concussa est. In omnem sexum & ætatem licentiose est ferrū euagatum. Vrbes nobilissimæ atque urbium theatra, porticus, templa, omnia publica & priuata ornamēta disiecta, eratq́ue interim eo maior terror quo & pro imperio sæuientium numerus maior. Barbari præsenti successu elati duos constituunt suę gentis duces, Spoleti unum, alterū Beneuenti. Cesserit ne ab initio Neapolis Longobardorum armis parū liquido traditur, nam quod aliquando sint Barbari ea urbe potiti nemo dubitat. A Neapoli ad fretum Siculum & rursus à Siponto in Salentinos, & à Beneuento in Calabros, omnia in ueteris imperij partibus mansere. Et Lōgobardi duces anni unius spatio tantum Italiæ terrę sibi quæsiuere, quantum uix expeditus eques commode circuire potuisset, ab urbis expugnatione consulto, ut creditur, abstinuere, aut quia maior spes prædæ alibi ostenderetur, aut quod cætera Italia subacta, apparebat fore, ut fame & alijs uitæ incommodis Roma subigeretur. Nec Barbaros sua fefellit opinio, pertæsa ciuitas longā malorum seriem, quia nec ex Græcia spes ulla auxilij ostendebatur, nam Tiberius, in quo omnis spes sita erat, post Persicum bellum, quum in grauē morbum incidisset, Mauritium, cui ipsius filia erat matrimonio locata, successorem sibi declarauerat, admoueratq́ue hominem publico regimini, neque uirtute sibi, neque consilio felicitatēue similem. Romani omni spe destituti, ad hostium duces mittūt, qui his conditionibus pacem impetrarunt, ut Longobardi

Quantum terræ Italiæ subegerunt Longobardi.

haberent quicquid in Italia sibi armis quæsiuissent, sinerent Romam esse sui iuris, sancirenturq́ue inducię in certum tempus, quibus tenentibus neutri alteros infestarent. Descenderunt Barbari in tam æquas conditiones, non ut Romanis gratificarentur, sed quod bellum ex bello serere in animo habebāt, ac Gallos ulcisci, quos à primo suo in Italiam ingressu semper habuerant infestos. Enimuero Frācorum reges, quum iniquo animo ferrent Italiam Longobardorum fieri, ueriti credo ne ea subacta propinquum incendium Galliam corriperet, auxilia miserant Romano & Francilioni, qui circa Alpes & Nicæam prouincijs Po. Ro. præsidebant. Erant tunc Francorum opes quadrifariam diuisæ. Clotarij filij regnum à patre relictum inter se ita partiti fuerant, ut in Parisijs Arithpertus maximus natu regnaret, in Aurelienſibus Guntrannus, Chilpericus in Suessionibus, in Metensibus Sigibertus, ad quem amplissima munera miserat Tiberius, ut proximo est loco proditum. Hi uero non cōtenti Romanos præsides auxilijs iuuisse, Saxonibus, qui in Italiam cum Alboino uenerant, autores fuerunt, ut relicto Longobardorum commilitio, per Alpes in Galliam transierint, domum pacato agmine abituri. Recentiore iniuria Lōgobardi adhuc magis irritati, pactis cum Romano Populo inducijs, haud ultra bellum distulerunt. In Gallos igitur profecturi, Taurinum & Epirediam primo impetu capiunt, Francilionem in Comacinam insulam Larij lacus compellunt. Alterius præsidis tristior fortuna fuit, quippe qui Gallorum auxilijs fretus, ausus est cum Longobardis acie decertare. Burgundij & alię Gallicæ gentes, quę auxilio uenerant, fœde cæsæ sunt, & dux in fuga interfectus. Longobardi uictoriam adepti, non solum hostium spolijs potiti sunt, sed præda etiam immēsa ditati. Cæterum quum parum suis rebus expedire arbitrarentur diutius domo abesse, prouincia egressi, Italiam repetunt. Reddidit prospera hęc Lōgobardorum expeditio gentem ipsam adhuc susp ctiorem Sigiberto & Guntranno Francorum regibus, qui ueriti ne, successu blandiente, Longobardi Gallicis insuescerent excursionibus, Ennium Mumulum, Quiritij sanguinis, hortantur, Ro. Po. prouinciam fortiter tueatur, tribuuntq́ue simul illi uales das copias. Id ubi Longobardorum duces rescisse re, diuersis itineribus insinuati, iterum Galliam inuadunt, atque in Ebredunensem agrum egressi, cædibus & incendio fœdāt passim omnia. Ennius trās uersis tramitibus hostē assecutus, ex improuiso adoritur, fretusq́ue locorum opportunitate tantam edidit stragem, ut par nuper acceptæ sit clades propemodum Longobardis repensa. Cæsorum numerus non ponitur ab ijs quos sequimur. Quod uero cædes fuerit ingens illud indicio est, quia Italia sine alio memorabili facinore ab ijs repetita est. Saxones qui Francorum regum suasu Italia excesserant, multis perid tempus sunt casibus iactati. Enimuero alpes transgressi perpetuo itinere in Remenses perue nere. Hic sibi apud Strablonem castra muniūt, præstolantes, credo, ut regum auxilio patriam sortirentur, nec erant interim cuiquam iniurij, finitimis abū dè commeatum exhibentibus, mox uero ubi Burgū dios cum Romano duce cęsos audiuere, mutato cō filio, repente omnia rapinis & latrocinio fœdant. Occurrit huc Ennius regum hortatu, eosq́; ex improuiso adortus, maiore tumultu, quàm cęde dissipat. Inde Saxones ex ea trepidatione in unum colle cti cum Ennio acie decertare statuunt, ut sese ab ea ignominia uindicarent, fuissetq́ue non sine magna cæde dimicatum, nisi Francorum regum autoritas intercessisset, qui nuntijs citro ultroq́ue missis, tenuerunt ut pax fieret inter duos exercitus, & quod Saxones pro damnis quæ Remensibus intulissent, certam penderent pecuniam, ipsiq́ue in Italiā reuerterentur.

Inducię inter Ro. & Longobardos.

Francorum opes.

Longobardorum Gallis bellum infertum.

Longobardorum victoria.

Longobardorum strages.

Saxones ictu cæsibus iactantur.

terentur. Nec illi postea multum in Italia fuere, Lon- A gobardorū superbia & fastu prægrauante, cum quibus oportebat ex equo uiuere, ut belli socios. Cum uxoribus igitur & liberis Galliā repetunt, icto cum regibus fœdere, ut in patriam restituerentur. Tenebant Sueui terram, quā illi anno xiiij. antè reliquerant, Longobardorum societatem secuti. Cæterum quia dimidium redderet, ipsiq́; in integrum restitui uellent, res armis drcreta est, fuitq́; ea pugna Saxonibus funesta, cæsi sunt eo prælio ad internecionē, estq́; terra ipsa iam inde Sueuia dicta. Sed dum hæc alibi geruntur, in Venetis Gradus caput propinquarū urbium facta est, nouaq́; Aquileia dicta. Crebræ Barbarorum in Italiam irruptiones aliæ super alias fuere, ut ex Aquileia fæpe sit, non solum à prophana multitudine, sed ab antistite & uniuerso clero huc concessum. Sic Attylanis temporibus Nicetas, sic Marcellianus Odoacre Italiam quatiēte (erat id oppidum contra Aquileiam in littore constitutum.) Mox Paulus & ipse Aquileiæ antistes, Longobardo rum ferocitatem ueritus cum toto clero omniq́; cæremonia sacrorum, Gradum profugit, ubi quoad uixit esse perseuerauerit. Secutus est Probinus, is quoq; temporum iniquitate illic esse maluit, quàm Aquileiam reuerti. Helias qui post Probinum eam adeptus est dignitatem, quum res Italiæ nō modo non meliore statu essent, sed aliquanto etiam infestiore, polluerentq́; omnia sacra & prophana impiæ Longobardorū manus, cū uniuerso clero egit ut dignitatem ecclesiæ eò transferrent, ubi tutior uita futura esset, Pelagium pont. max. autorem fieri placuit, cuius impetrato assensu, Gradensi synodo, quā plerię; ex circumiecta regione celebrarunt antistites, Pelagij diplomate recitato, expositaq́; trāslationis causa magno omnium assensu Gradensis ecclesia finitimarum mater & caput declarata est. Incidit ea declaratio in eum fermè annū qui octogesimus fuit B supra quingentesimum humanæ salutis. Helias ex Aquileiensi nuper antistite Gradensis renuntiatus est. Domum, ut tum res erant, satis amplam uertit in Euphemiæ templū, intulitq́; Hermagoræ & Fortunati corpora, quæ ex Aquileia fuerant delata. Et hæc quidem in Venetis. Gregorius interea Romanæ ecclesiæ leuita, quiq́; postea fuit pontifex maximus, nonnihil est Constantinopoli apud Mauritiū principē uersatus. Fuit Gregorius Quiritij sanguinis, Gordiano uiro senatorio ortus. Sed ipse, quum pontificia dignitate, quā postea adeptus est, tum doctrina & sanctitate multo maioré attulit splendoré patri q̄ ab eo accepisset. Miserat hunc Pelagius Byzantium, ut se apud principē purgaret, ne sibi noxæ daretur, quod sine illius assensu passus esset se pontificē renuntiari. Enimuero irrita erat tunc pontificis declaratio, nisi eam imperator suo probasset assensu. Iam erat Pelagio & multis persuasum futurū, ut mox paulò noui ex Grecia exercitus mitterent, ad Italiā seruitio liberandā. Cæterū suspicari libet ueritum fuisse Pelagium imperatoris irā, nō tam quia Mauritius non ab initio factus esset suæ creationis autor, potuit enim locorū distātia & temporū difficultas excusari, q̄ quod ipse & primores ciuitatis autores fuissent soluendi belli cum Longobardorum gente. Sed quęcunq; fuit causa illius mittendi, dum Gregorius adhuc Byzantij esset, Pelagius ad eum literas dedit, quibus significauit Longobardos contra fœdus & iusurandū esse, ut si quando aliàs, Romanæ ciuitati & alijs quæ in officio essent infestos, futurū ut nisi nouus dux cum nouo exercitu mitteretur, qui Italiā à Longobardorū iniuria uindicaret, res Romana pro deplorata haberet. Nec in Exarchospem esse ullā auxilij, quippe qui Rauennā, & circūiecta loca ægre tueret: ageret itaq; cū Mauritio principe, eumq́; precibus fatigaret, ut Rom. urbem reliquamq́; Italiā miseraret, nec pateretur terrā omniū

Saxones ad internecionem cæduntur.

Gradensis ecclesiæ caput regionis declaratur.

Gregorii pontificis indoles.

nobilissimā seruitute pressam iacere. Et Pelagius in hanc sententiam ad Gregorium scripsit, cuius exemplum epistolæ Blondus suis inserit historijs, in quo illud mirari possis, iam inde à primis Longobardorum tēporibus desitum Romæ esse Romane loqui: nam & Donus inibi fuit, & tribulationes, aliæq; uoces inolescentis Barbariæ testes. Gregorius & qui post eum sunt à Pelagio missi, eò Mauritium perpulerunt, ut Smaragdum, uirum impigrum miserit cū exercitu Rauennam, qui Italiam seruitio liberaret. Eum uenientē Gregorio comitatus est. Nec ita multo pòstquam nouus uenit Exarchus, Claussense oppidum est ex Barbaris receptū. Feroaldo duci, & quicunq; eius gentis in Grecorum potestatem uenere, Lōgobardica crudelitas repræsentata est, ad unum ferro dediti Longobardici nominis uiri ibi loci deprehensi. Fecit ea victoria multo celebriorem Smaragdi in Italiam aduentum, erectiq́; sunt ad res nouas populorum animi, secutaq́; esset defectio ingēs, nisi Barbarorum duces id ueriti regem sibi cōtinuo creassent, Antharis fuit Clephis filius, cuius sæuitiā auersati decem annos sine rege fuerant Longobardi. Platina nisi error est in numero, uiginti annos ait eam gentē regem non habuisse, nec multo post Alboini interitum regem ab his creatum, & ut non in re una sit ab eo uariatum, Eutharium uocat quē Blō dus Antharim. Adijcit Flauium cognominatū esse Eutharim, quod postea cognomen tulerint cæteri Longobardorum reges, qui longa deinserie secuti sunt. Alta adolescentis indoles magis illi profuit ad dignitatē, quàm umbra paterni nominis. Hunc certatim duces pro sese quisq; pecunia amplisq́; munęribus iuuarūt, ut & exercitū alerer, & regiū tueretur decus. Ipse secū reputās quanti sit momenti in bellicis rebus celeritas, pene priusquā de eius creatione auditū sit, Brixellum ferociter inuadit. Diu multūq́; utrinq; laboratū est, Longobardis infestius muros subeuntibus, contrà Dotrula, cuius opera Smaragdus in Feroaldo oppriméd̄o fuerat in primis usus pertinaciter tuente. Vicit ad postremū hostium pertinacia, quū nihil laxamēti daret præsidio & oppidanis, sed à terra & à flumine, irrequieta oppugnatiōe urgerenē, defessi tādē incolumitatē pacisceunē, oppidū Longobardis relinquūt. Eutharis Brixellanos muros diruit. Persuasum habuit Smaragdus, et qui cū eo Rauennæ erat, Eutharim, Brixello excisō, in Francilionē moturū, qui insulā in Lario lacu, iam annos xvij. aduersus Barbaros tuebat. Sed rex præter omniū opinionē, haud multo pòst cū nouo Exarcho pactus est inducias in certū tempus, stabiliendi regni cupidus. Et Smaragdus eas belli ferias libens cōplexus est, quippe qui haud satis fidebat posse se præferoci regi, ac potentissimo diutius resistere. Et urbes quæ in fide erant, uix defendi posse uidebantur, si bellū esset, quū citra ultraq́; Padū sparsę multam inter se distarēt, essentq́; hostiū rebus quodammodo insertæ. Loca quæ in fide adhuc erant, fuere Comum, Vulturnia, Cremona, Mantua, Patauium, Monsilex, Rauenna, Parma, Bononia, Fauentia, Regium Lepidi, Forū Liuij, Forū Popilij, Brentonoriū, & Cæsena. Postulat locus hic, ut de Cisalpina Gallia, eiusq́; ueteri incolatu, & urbiū origine, quædam adhuc dicanē, non quia non ueriśima putem, quæ alio loco Rapsodiæ huius de ea terra sunt memoriæ prodita, sed ut illa potius quæ ab alijs traduntē, qualia sint possint intelligi. Circūferūtur hodie fragmenta quædā Porcij Catonis & C. Sempronij nomine de Italiæ uetustate, in quibus est Veronā esse à Vera Colonia Tusca, argumēto rei esse, q, Volaturnia sit uallis circa lacū nomē ab initio sortita. Mediolanū à Medo, Insubriū duce, antea Licinophorū dictum. Bononiam olim Felsinam à Tusco rege, mox à Bono, qui illi successit, Bononiam. Padum quondam Heridanum à duce Coloniarum. Nouariam

Quo tempore desitum Rom. loqui.

Antharis Clephis filius fit rex.

Brixellum à Longobardis diruitur.

Vrbes quæ in fide adhuc erāt imperij.

Vnde Verona. Mediolanum. Bononia. Padus. Nouaria.

Ariminum. Ancon. Picenum dicta secundū quosdam.

Lybiam uocatam cognomine Ariam, Ægyptio uocabulo Leoninam, mox à Liguribus instauratá Nouariam dici contigisse. Ariminum ab ijs qui Herculem comitati sunt conditū, Anconem & Picenū Hetruſco uocabulo. Hęc & alia ab his non multum diuersa, quum legerem in eiusmodi cōmentarijs, non potui non moueri tam impudenti mendacio, quoniá, si Deo placet, eò uenimus, ut nemo sit amplius qui uelut per transennam uideat, si aliter nequeat, qua forma sit Porcius Cato, qua cæteri ueteres locuti: extant hodie, si cętera desint, uera Catonis monumenta liber unus de re ruſtica, cum quo si quis hos conferat libellos, qui unius & aliorū ueterum nomine inscribuntur, tantū ueteres illos ab hac sorde uerborū distare sentiet, quantū Glauci arma ab ijs quæ Diomedis fuere: nec illa exequor, quæ in referenda Italicarū urbium origine quidam ex recentioribus secutus est, quæ multo honestius potuissent præteriri, quàm ad ludibriū scribi ex ignobilium scriptorū sententia. Ego quando libera est coniectura, si nulla extarent bonorū monumenta, quibus innixus uix credam posse fieri ut decipiar, quia Mediolanū, Verona, Brixia, & alia huiusmodi nomina in transalpina Gallia reperiuntur, nunquá ijs qui ad Gallos harum urbium originē, & aliarum plurū citra ultraq; padam referunt, nō libens astipulabor. Nunc quod ad historiæ institutum attinet, meritò aliquis miretur quid sit, quod neq; in Gothicis rebus neq; Longobardicis Mutinæ unquam fiat mentio. Blondus, cui libens accedo, existimat per id tempus ueterem illam ciuilibus Romanorū bellis eximiè illustratam

Vetus Mutina nunc extat.

Mutinā, sine cultu iacuisse, cuius nunc quoq; extent uestigia quædam aliquot milia passuū distantia ab ea Mutina, quæ nunc est. Inducijs cum Barbaro rege initis, Smaragdus Germanum uirum patritij generis, Romam misit Prǫfecti nomine. Hunc ex Rauenna Gregorius comitatus est, fuitq; eius uiri reditus æquè omnibus gratus, cuius prǫsentia, ob creditam hominis sanctitatem, diuinæ opis præsidium sponsabat affectæ ciuitati. Sunt itaque quum illius reditu, tum Smaragdi successu, Romanorum animi non nihil recreati, multiq; spē prǫcipere melioris rerū status, futurumque arbitrari, ut Smaragdi uirtute & felicitate Longobardi Italia eijcerentur. Glisceb atque indies spes hæc, quum noua & inexpectata clades ciuitatem affecit. Dira aquarum alluuio totam penè Italiam obruit, fluminibus passim arua inundantibus. Tyberis omnium maximè, & quantus nunquá aliàs, hominum memoria, portentoso auctu fluxit, ut murorum urbis altitudinem quibusdam locis æquarit. Prǫcesserit cataclysmus ille paucis diebus Calendas Nouembris, quo accidit ut sata cœno obruta, germinare nequiuerint, nec arua ampliùs tractari potuerint, aquis & limo omnia obtinentibus. Attulit intemperies illa ingentē Italiæ famem, iam & pestilentia est simul orta, quæ multo maximam mortalium partem absumpsit. Pelagius pontifex ea lue consumptus est. Platina sub id tempus, quo inundatio illa incidit, Pelagium pontificem creatum uidetur significare, idque fuisse in causa quòd sine principis assensu pontificatum iniuisset. Et is tam diuersus abijt à Blondo, quem nos secuti, multo prius Pelagium sedere cœpisse scripsimus, quàm sit illa inundatio facta. Habuit Pelagij pōtificatus annos undecim, estque ipse pestilentia extinctus, ex cataclysmo orta. Pelagij interitus fecit ut omnis cura auertendæ cœli iræ, pacisque exposcendæ in Gregorium incubuerit. Nec ipse in tanta ciuium desolatione detrectauit id munus, sed mira charitate ciuium ad pestem auerruncandam nunc pias fundebat preces, nunc hortando suadendoque tolerantiam languentibus afflictam ciuitatem erigebat in spem pestilentia defungendi. Postremo quia, ut ubique est-

Tyberis cataclysmus.

A set fieri non poterat, populo ad concionem uocato, multitudinem ad rem diuinam hortatus est, constituitque ut ab uniuersa ciuitate supplicaretur, sed discretis ordinibus. Vt clerus uniuersus à Ioannis Baptistæ templo: Prophana uirorum multitudo à diuo Marcello: monachi à Ioanne & Paulo, sanctimoniales à Cosma & Damiano, matronæ quæ in matrimonio erāt, à Protomartyre: uiduæ à Vitale: puerorum & puellarum chori à Cęcilia, suppliciter procederent, atque ubi omnibus esset templis supplicatum, ad ædem uirginis, cui nouæ cognomentum est, omnes reuerterentur. Ferunt quum hæc pararē tur adeò pestilentiam atrociter incubuisse, ut populo in concione stante, octoginta exanimati sint. Nec Gregorij & populi supplicantis sunt preces incassum missæ. Pestilentia sensim remittens breui extincta est. Neque huic malo Pelagi pontificatus, bellóque & portētosis tempestatibus fuit obnoxius, sed schismati, & Italorum antistitum disidio, quum Smaragdus Exarchus Rauennatem ecclesiam protegeret, tanquam ambitiose coleret, ut Romanę auderet prǫferre, & ut maior autoritas Ioanni eius ecclesiæ antistiti quęreretur, erat is schismaticus, Seuerum Aquileiensem cum tribus alijs antistitibus, ex Gradatis aquis Rauennam abstractum, in Rauennatis ecclesiæ partes traxit inuitos. Cæterū illi post annum, quia inuiti à Romano pontifice desciuissent decem Venetæ prouinciæ antistitum cōuentu, qui ad hoc ipsum Maranum coiuere, fuit id olim Varanum, in pristinam sunt sedē restituti. Et hi per hunc modum dignitatē recepere. Romæ pace è cœlo imperrata, omnium prima illa fuit cura, ut nouus crearetur pōtifex iri Pelagij defuncti locū, fuit ille quintus & sexagesimus pontifex, cœpitque sedere Tiberio principe, quem Iustinus adoptauit, obijtq; Mauritij principatu, anno decimo sui pontificatus, in Vaticano sepultus est. Fuerunt Pelagij opera Hermetis cœmiterium, & Laurentij basilica à fundamentis instaurata. Vniuersus clerus populusque Gregoriū pontificem creabant, ipse contrà omnia malebat ꝺ pontifex creari. Cæterum moris fuit, quod alio est loco demōstratum, ut pontificiam dignitatem Imperatores ijs, qui crearentur, suo ratam facerent assensu. Gregorius ubi maiora erga se uidit hominum studia quàm ut reluctando par illis esse posset, occulte ad Mauritium dedit literas, quibus impēsius ab eo precib⁹ petebat, nequid Populo Romano & clero de se gratificaretur, adeò ille ex cœlestibus pendens terrena parui facere, repudiareque id decus, cuius causa tam ambitiose cæteri contenderent. Gregorij literas & nuntium Germanus qui ab Exarcho prǫfecti nomine fuerat Romam missus, intercepit, ipseq; cum Mauritio egit ut uiro omnium optimo, quem Clerus & tota ciuitas suffragio pōtificem designarat, ratam faceret dignitatem. Sicque omnium ordinum consensu & fauore uictus Gregorius pontificatum adijt. Eratque per id tempus, Romæ ciuitatis status domi forisque parum lætus, nam & Lōgobardi, inducijs adhuc tenentibus ab iniuria non abstinebant, & in urbe Graij milites, qui præsidio aderant, inter se grauiter dissidebāt. Recepto igitur humanæ pietatis gubernaculo, eam in primis curá suscepit nouus pontifex ut præsentibus mederetur incommodis. Interim, inducijs exeuntibus, Eutharis partem copiarum non paruā misit in Istros, qui omnifariā cladibus affecti, magno auri pondere coacti sunt pacē sibi redimere. Francilio, qui Comacinā in Lario insulā tenebat, obsidione fatigatus, pactus sibi & suis ueniā, cum coniuge & liberis, pretiosaq; supellectile, secundis fluminibus Rauennā descendit, insula Euthari relicta, & cum insula magno auri pondere, quantum scilicet uiginti annorum spario, nobilissimis urbibus & uectigaliū & tributorū nomine

Attende supplicandum.

Laborijs Pelagij sanctificatum.

Gregorij.

Gregorius pontifex.

Comacina insula capta.

mine expressērat. His successibus auctus Eutharis Childeberti Francorum regis sibi filiam uxorem perijt. Nec Gallus florentissimi regis affinitatem aspernatus est, quin facta nuptiarū ipe præclara quędam munera misit Euthari, conueniebatq; inter reges de connubio, quum Ricaredus Visigothorum rex ex Hispania ad Childebertum misit, qui filię nuptias ab eo peteret. Tum Gallus reputans animo, quod certe erat, nunquam posse fieri ut filiæ, quæ Christiana pietate imbuta esset, recte cum Euthare conueniret, qui in malorum dęmonum seruitio esset, coleretq; eos cum tota gente, ad Visigothi affinitatem inclinauit, idq; eò libentius fecit, quod Visigothi populariter receperant orthodoxæ fidei cultum. Fuit Ricaredus Lemugildi filius. Lemugildo duo fuerant uirilis stirpis liberi, Ricaredus & Helmengildus, is à patre interfectus est, quod Leandri Hispalensis antistitis prædicatione suasuq;, Arrianam hæresim repudiasset, orthodoxæq; fidei cultū gentili prætulisset. Est & Leandrum Lemugildus eo nomine grauiter infectatus. Sed quum in morbum incidisset, profligata ualetudine, pœnitentiam egit, Leandrumq; ad se accersitum obtestatus est, ut Ricaredum, qui unicus superarat filius, talem sibi redderet, qualis Helmengildus fuit. Leander libens se id facturum recepit, & quod receperat præstitit. Cæterum Lemugildo uita defuncto. Ricaredus nouus rex, Toletano conuentu duorum & sexaginta antistitum, Arriana hæresi abdicata, orthodoxam fidem cum tota gente cōplexus est. Hoc Childebertus in noua affinitate secutus, Visigothum Euthari in filiæ connubio prætulit. Eutharis Theodelindam, Garibaldi Bauarorum regis filiam duxit uxorem, qua affinitate commotus Childebertus, iniuriam, quod fieri solet, iniuriæ addidit, ut iustæ ultionis occasionem, huic quem abdicauerat, adimeret, bellum Euthari indixit, eo consilio, ut prius eius opes affligeret, quàm nouus rex sibi regnum stabiliret, quem ut pluribus locis bello implicaret, Garibaldum eius socerum eodem tempore adortus, bello breui ad desperationē redegit, ut suis rebus diffidens Bauarus liberos in Italiam miserit. Theodelindæ cum Gondobaldo fratre aduentanti Eutharis, qui Veronæ erat, obuiam prodijt, in Gradensi campo quò diuersi conuenere, connubium est solenni stipulatione peractum. Nec multo pòst Childebertus rex Garibaldo pulso Bauarū est regno potitus, quo rerum successu multo ferocior factus, cōtinuò omnes belli minas in Eutharim uertit, Tridētinosq; hostiliter inuadit, eorum agrum cæde & incendio fœdat. Augebat Childeberti ferociā Mauritij principis fauor. Polliceri is grandem in stipendium pecuniam, si Francus in Italiam transcenderet, Cisalpinam Galliam Longobardorum dominatu uindicaret, bello receptam imperio restitueret. Hæc secutus pollicita Childebertus ut facilior uictoria sequeretur, cum Longobardorum ducibus egit, ut quando iam totam gentem regis tæderet, darent ipsi operā ut Eutharim è medio tollerent, fore ut eo sublato Italiam relinqueret ducibus ipsis, ut antea, administrandam. Francorum metu subacti Longobardorum primores quidam à rege defecerunt, eratq; iam in spe uictoriæ non dubia Childebertus, quum secum reputare cœpit, quàm ualidæ futuræ essent Cisalpinæ Galliæ accessione Mauritij opes, ratus nihil id sibi & cæteris Italię accolis expedire, inchoatam relinquens uictoriam, retrò in Galliam abijt. Nec Eutharis multum inde superstes fuit, sed anno uix dum exacto à Theodelindæ connubio, fato perijt. Euthari defuncto Longobardi pacem à Childeberto suppliciter petunt, legatione ad id in Galliam missa, estq; simul cœptum agitari de nouo rege creando. Cæterum quia parum inter primores conueniebat, quis omnium potissimum crearetur, eò

Recta fides ab Hispanis accipitur.

A decursum est, ut quem Theodelinda ex omni ducū numero sibi uirum legisset, is totius gentis rex esset, tanta tum indoles in una fuit fœmina, ut genus hominum ferox & immane non dubitauerit amplissimi regni summam eius arbitrio subijcere. Quanta in Theodelinda uirtus fuerit, diui Gregorij demonstrant epistolæ. Legit hæc sibi uirum Agilulphum, Taurinorum ducem, uirum fortem, formaque & ętate florentem, qui ex coniugis prerogatiua rex declaratus, primum omnium captiuos, quos Childebertus ex Tridentino agro hostiliter abduxerat, redemit, pacemq; ab ipso rege impetrauit. Misi sunt in Galliam Agnellus & Ennius, hic dux, ille Tridentinus antistes, hic ut paci operam daret, ille ut captiuos redimeret. Res ab antistite breui peracta est, quippe quì à Brunechilde Francorum regina fœmina pientissima, captiuos quotquot inueniri potuerunt propria pecunia redēptos, dono recepit. Est & pax à Childeberto honestis conditionibus impetrata, quam peropportune Agilulphus adeptus par inde fuit ad domesticos motus compescendos. Pleriq; eius gentis, alij alijs motibus super alios diu nouum regem solicitum habuere. Intestina discordia ex eo orta est, quod Agilulphus illorum perfidiam ulcisci adortus erat, qui ab Euthare defecerant, tumpsitque inde ultio exordium, unde & defectio, Minulpho duce occulte interfecto, quæ res ubi palam facta est Gandulphus Bergomatium dux ad defectionem spectare cœpit, cæterum ad officium reuocatus motæ nuper defectionis conscientia rebellauit. Comacinæ insulæ oppidum furto occupat, potiturq; cum ea magno auri pondere, quod à Francilione diximus congestum. Occurrit eò Agilulphus cum tumultuario exercitu, Gandulphumque aliquandiu obsidione fatigatum, sub conditione incolumem dimisit. Rex Comacina arce recepta, aurum, quod ibi ad id tempus fuerat custoditum, in Ticinensem arcem transtulit. Est & Vlfaris dux Tauri sinus bello petitus, quod & ipse res nouas moliri diceretur, captus uinctusque ad regem perductus est. Sed dum Agilulphus intestinis agitatur motibus, Romanus nouus Italiæ Exarchus, is enim Smaragdo erat à Mauritio successor datus, Patauium & cætera loca, quę inter Padum & Alpes in officio manebant, ualidis muniuit præsidijs, nec ut tantum urbes tutæ essent sed ut præsidiariæ cohortes Longobardorum opes infestarēt, ipse ex Rauenna cum exercitu Romam proficiscitur, eas urbes armis recepturus, quas Longobardi inducirum tempore interceperant: nec euentus defuit consilio, aliquot locis æstate una receptis, & in Sutrio, Polimartio, Horta, Tuderto, Ameria, ac Perusia: respirauitque per hęc nonnihil res Romana, quo successu Gregorius pontifex animum ad rem diuinam domi foriſque augendam per ocium adiecit, scripsitque de sacramentis uolumen unum Antiphonarium diurnum nocturnumque, commentarios in Ezechielem, in quatuor euangelia, in Iob quo que nō pauca, quæ ad mores & historiam retulit, scripsit & dialogos & ad Ioannem Rauēnatem antistitem de ratione administrandæ ecclesiæ librum, quem pastoralem inscripsit ut ornatus & concentus sacris adhiberet, ut Antiphona, alij introitū dicere malūt. Eiusdē est illud ut nouies caneret Kyrie in sacris, & Alleluia, interiectis tantū Septuagesimę diebus. Est & illud eiusdē, Diesq; nostros in tua pace disponas. Rogationes quas Græci Litanias uocāt, primus instituit. Stationes ad sacras diuorū ędes. Sustulit celebri antistitum conuentu, quem ad Barionæ indixit, quædam orthodoxæ fidei obfutura, nonnulla etiā constituit, in quibus est illud ne Bigamus qui bis uxorē duxerit presbyter ordinaretur: ne sacerdotis in cōcubinatu agenti quisquam daret operā. Vetuit in eadē quincia duos esse Metropolitanos antistites, fauitq;

Theodelindæ indoles.

Attende exemplum pietatis.

Romanus Exarchus.

Gregorij scripta.

Gregorij decreta.

fauitq; ob eam rem Candiano Gradensi, aduersus Ioannem Aquileiensis ecclesiæ antistitem, quem Foroiulianis Agilulphus præfecerat. Dedit & sacerdotibus publicè causam dicturis, ut uitæ innocentiam iureiurando probarent. Vetuit mulieres monachorum cœnobium subire, ne id genus hominum quę quã baptismo admoueret. Missi sunt ab eo uiri quidam optimi, & in his Augustinus & Melitus, quorũ prædicatione & hortatu Angli orthodoxę fidei dogma susceperũt. Visigothi etiam, ut quidã tradunt, huius opera Arrianam pestem auersati, in ueræ fidei unionem uenere. Eutharis quoque fertur, Theodelindæ coniugis opera, ad quam Gregorius Dialogũ de moribus dedit, multo mitior factus, & ad ueram pietatem amplexandam pronior. Fuit Theodelinda Christiani cultus studiosissima, Ioannis Zachariæ templum quod Modœtiæ uisitur (distat locus à Mediolano decem milia passuum) huius opus est. Agathæ ædem in suburra Gregorius dedicauit, paternam domũ in cliuo Scauri, non longè à circo maximo, in monasterium redegit. Vbi loci hospites benignè accipere erat solitus, cibo & potu inopes reficere. Sex in Sicilia monasteria proprio cõdidit sumptu, & quum totus ex pietate penderet, non caruit tamen calumnia, tanquam autor fuisset passim diruendi uetera urbis ornamẽta, ne qui Romam pere gre uenirent, recognoscendę uetustatis studio sacra aspernarentur, sed iniuria fuit illa temporis non hominis, nihil enim est opere & manu factũ quod uetustas non conficiat, ut Cicero præclare scribit, ac si quid in eo humanæ fuit iniuriæ, priuatæ dandũ est luxuriæ, quod multi ædificandi cupidi uetera alij alio tempore demoliti sunt. Potest & priuata habendi cupiditas in crimen deuocari: enimuero foramina illa fornicibus, quadratorumq́ue lapidũ iuncturis impacta, quæ passim hodie in antiquis operibus uisuntur, auellendi æris causa, quo grandiora coagmentabãtur saxa, à Barbaris potius quàm à nostratibus uiris uideri possunt impressa. Vindicanda est sanctissimi uiri pietas ab huius impietatis labe, ut patriam ea iniuria affecerit quam nemo hoc uno castius amauit, sanctius fouit, impensius ab omni labe tutatus est, pro qua Mauritij pertulit inimicitias, & annuam Longobardorum obsidionem: noui enim belli causa inde orta est, quod Ioannes Constantino politanus antistes, frequenti Synodo se Oecomenicum, id est, cæterorum antistitum patriarcham renũtiauit, cuius stultitiam stultus princeps secutus, ad Grego. scripsit ut Ioanni obtemperaret. Ad ea cõstanter Romanus pontifex rescripsit, ligandi soluendiq́ue potestatem Petro & qui illi succesissent, non Constantinopolitano antistiti traditam: desineret proinde iustam iram numinis in se concitare, dum tam ociose eius ecclesiam dissidio quærit labefactare. Mauritius militibus ex tota Italia reuocatis, Agilulphum hortatur, ut fœdere posthabito, quod ictum cum Romanis haberet, urbem armis inuaderet. Hæc ille, quanquam iam antea Italiæ Exarchus uir Graij sanguinis, receptis bello urbibus, de quibus est suprà memoratũ, rapinis & occulta cum Barbaris conspiratione, ualde rem Romanam afflixerat. Manarunt ad posteros Gregorij pontificis literę ad Ioannem Rauennatem antistitem datæ, quæ significabant neque Exarchum cum hostibus bellare, neque pati Romanos cum his inducias pacisci. Accesit huic iniuriæ alia recẽs. Proposuit impius princeps impium edictum, ut quicunque Romanæ militię esset ascriptus, nisi finita militia aut ui aliqua debilitato, deo militare non liceret. Erátq́ue res Italiæ in hoc statu, quum Romanus Italiæ Exarchus, omnium malorum autor interijt. Callinicus defuncto successit, fuit is quartus in Italia Exarchus, abstinere idem à sociorum rebus, ab omniq́ue flagitio abhorrere, odisse infense Longobardicum nomen, in-

Angli orthodoxam fidem accipiunt.

Theodelindæ pium opus. Gregorij pontificis pietas.

Exarchi iniuria in Italas urbes.

Callinicus.

Gregorij laus.

A stauraſſetq́ue continuo bellum cum ea gente, nisi uirium conscientia deterritus ocium bello prætulisset, inducias pactus in certum tempus cum Agilulpho, qui & ipse ex innata ferocia, gentiliq́ue immanitate aliquid ad id tempus remiserat, Theodelindæ coniugis pia suasione: hæc sanctioribus Gregorij præceptis imbuta, præferocem alioqui uirum, dextere monendo ueritatisq́ue lucem oculis admouendo eò traxit, ut omnibus suæ gentis autor fuerit, à malorum dæmonum cultu, detestandaq́ue hęresi, sese uindicandi. Restituit inde omnia, quæ Longobardi Diuorum templis ademissent, auxitq́ue donaria, superadiecit & prædia. Pari in orthodoxam fidem studio Childebertus rex Francorum, Brunechildis coniugis impulsu Tasillonem Bauariæ regem ea lege constituit, ut à Sclauorum gente (habebant ij sedem circa Istrum) bello infectanda non prius desisteret quàm ad Christi fidem amplectendam subegisset. Gessit ab initio rem prospere Tasillo, ingressusq́ue hostiliter Sclauorum fines grandẽ inde prædam abducit. Peperit successus hic, ut fit, hostium contemptum, duoq́ue Bauarorum milia temere eandem terrã ingressa sunt prædandi studio. Bauari à Cacano eius gentis rege insidijs excepti, ad internecionem cæsi sunt. Obijt sub id tempus Childebertus, & mox paulò Gontranus eius frater, qui in Aurelienſibus regnabat. Vtrunque regnum Brunechildis ad puberem usque ætatem Theodeberto & Theoderico ex Childeberti fratre procreatis, tutata est. Cacanum Hunnorum regem (fuit is diuersus ab eo, cuius nuper mẽtio habita est, duorumq́ue post regum interitum ex Pannonia hostiliter Turingos inuaserat) pluribus prælijs ita fatigauit, ut Hunnus modica pecunia accepta Galliæ finibus excesserit, tanta fuit in Brunechildę indoles. Cæterum Cacanus, qui ex occasione alienum nuper regnũ ferociter inuaserat, haud multo pòst (ut est omnis rerum humanarum felicitas breuis) de suo retinendo in discrimen uenit. Mauritius imperator Hũnos Pannoniæ finibus eijcere adortus, Theodosij filij & Germani eius soceri ductu, Cacano bellum intulit. Barbarus pluribus prælijs uictus cum tota gente ad Sclauos profugit, Pannonia hostibus relicta, Sclaui Mauritij opes ueriti cum finitimis societatem iungunt. Tres gentes continuo in fœdus uenere, Franci, Bauari, & Longobardi, erant, credo, suspecti his omnibus Mauritij successus, ne si plus nimio eius opes inualuissent, cæteras prouincias ad imperium retrahere conaretur. Sclaui noua societate aucti, cum Hunnorum appendicibus Agilulphi (ut fertur) impulsu Istriæ oram tumultuosè ingressi: nam in Pannoniã, Mauritianis copijs ad Danubij ripam sedentibus, non patebat accessus, Polę, Segniæ, Iaderæ agros, cum toto regionis tractu fœde populantur. Nec Longobardi in Italia quieuere, ob id, credo, quia ægre ferret gens ipsa Hunnos ex Pannonia deiectos, quam à se usuriam accepissent. Zoto dux Beneuentanus, primus omnium induit arma, Casinensęque diripuit cœnobium, direptum incendit, incensum solo æquat. Nec is diu superstes fuit sacrilegio, sed breui pòst morte cõsumptus est, cui Arrigem Agilulphus surrogauit, ad quem Gregorij pontificis extant epistolæ, quibus nouum ducem ad monasterij instaurationem hortatur. Arnulphus dux Hetrurię Romanum agrum ad urbem usque populatus est, fuitq́ue ea uis eò terribilior quo minus expectata. Hos Longobardorum motus uindicaturus Italiæ Exarchus Parmam, ex ea gente, subita ui occupat, ubi Agilulphi filia ex priore coniuge Taurinensi procreata, cum uiro capta est. Ex Theodelinda Adoaldum habuit, cuius puerperij compos pientissima mulier facta, Ioanni Zacharię templum uoto erexit. Id hodie Modœtiæ uisitur, ut alio est loco significatum. Permouit ea clades Agilulphum,

Attendelindatem.

Childeb. Tasillo.

Cacanus nobilitatur.

Pataui instauratio.

Rectus Patauij excidium.

Venetorũ incrementa.

Turbantur res Italiæ denuo.

phum, doloreq́; amissæ urbis filiæq́; in captiuitatẽ abductę, quia multo maiores erant Exarcho copię, quàm ut tutò à se in aciem descendi posset, belli impetu procul auerso, Patauium inuadit, uallo duntaxat & plancis munitum. Iacuerat urbs nobilissima, ab Attylano excidio, annos fermè sexaginta sine mœnibus, fossa, uallo, omniq́ue humano cultu propemodum deserta, à Theoderico Gothorum rege fossa & uallo primum muniri cœpta est, interceſſere iam inde anni circiter centum & uiginti à prima instauratione, ad Agilulphi oppugnationem: quo temporis interuallo & publica & priuata ædificia ex asseribus, quibus abundat regio, nec ulla ferè alia constiterunt materia: hanc ædificiorum formam contemplatus hostis, ualidiore uentorum flatu incensas in aduersa tecta immisit faces, sagittariorum opera ad id usus. Conflatum est illico incendium, ac pars multo maxima tectorum flammis consumpta, eaq́; clade perterriti deditionem Patauini fecere. Barbari dedita urbe ciuibus cum præsidio dimissis, quod reliquum fuit flammis dedunt, atq; sic accidit ut Patauium, anno ferè centesimo pòst atque octogesimo quàm ab Attyla fuerat excidio deditũ, sit tunc iterum à Longobardis excisum. Affertur in terea Exarchum armorum uim ingentem contraxisse, ut suarum partium urbibus subito opem ferret. Agilulphus suis rebus timens Ticinum reuertitur, sub uernum tempus Mantuam & Cremonam aliaq́; loca, quæ in fide imperij erant, maiore armorum apparatu inuasurus: id uero ut commodius fieret, à Sclauis cum quibus ictum habebat fœdus, petijt auxilia, edixitq́; omnibus Longobardicæ gentis ducibus, ut cum quàm maximis possent copijs, ad prima ueris signa, sibi Mediolani adesſent. Nec interim ea gens quieuit, sed Silicenses per hyemem subacti sunt, quibus, quò minus maturè subueniretur Callinici Exarchi interitus fecit. Obijt is fato inter initia Silicinæ oppugnationis. Fit igitur Smaragdus iterum Exarchus. Gregorius, cui omnium maxime res Romana per id tempus fuit curæ, ueritus ingentes Longobardorum opes, quum ipse Romæ perpaucos haberet milites, eosdemq́; perquàm segnes, contumaces q́; ad militaria munera obeunda, quum diu stipendium nõ accepissent, autor fuit ciuibus pacis cum Arnulpho Hetruriæ, & cæteris eius gentis ducibus componendæ, quod & nouus Exarchus, qui Rauennæ tunc erat, haud multo pòst fecit, suis uiribꝰ diffisus. Restituta est eo fœdere Parma cum Agilulphi filia & genero, tum ab Exarcho capti. Sed regia puella, cum honeste habita esset apud hostes, honestioreq́; comitatu domum remitteretur, itineris iactatione (gestabat enim uterum) ex abortu perijt. Creuit interea res Veneta insigniter, Patauino excidio multi mortales omnis sexus & ætatis in insulas migrauere. Cęterum quum Riuus altus non esset profugæ multitudinis capax, insula cui Geminę fuit nomẽ, nouiter coli cœpta est, suntq́; ab initio duo ibi templa constituta, quæ hodie cum uestigio uetustatis uisuntur, unum Ioannis Zachariæ, Martini Turonensis alterum, est & Acelum eodem anno quo & Patauium excidio deditum: sic enim nonnulli Montem filicem appellant, quod oppidum ui captum suprà demonstratũ est. Hinc quoque frequenter est in Venetas insulas itum. Et res Italiæ erant in hoc statu. Mauritius, qui sua sponte erat Gregorio infensus, posteaquam de pace audiuit, quia ad se res non prius delata esset quàm bellũ componeretur, ut id fœdus irritum redderet, ex urbe Roma præsidium abduxit, urbibus q́; circũiectis milite firmatis, præcepit suis ut Arnulphi res hostiliter infestent. Hanc Agilulphus occasionem complexus, ubi primum de Mauritij & Romanorum discordia resciuit, spem præcepit Romæ cum cætera

Pacatur Italia

A Italia potiundæ. Multum diuq́; Theodelinda conata est pacem tueri: nam & Arnulphus quanquam à Mauritianis Hetruria infestaretur, quia Mauritium infesto esse in Romanos animo satis compertum habebat, omnem uim bellicam ab urbe abstinuit. Malebat Arnulphus pontificem & Romanos obnoxios habere, quàm Agilulphum totius Italiæ imperio potiri. Cęterum ab Agilulpho minaciter iussus bellum instaurare, ut hostem magis incautum opprimeret, nihil ab initio bellum ostendit, prius iniuria illata est quàm intendi crederetur, duabus urbibus in fœdere ascriptis, Balneo regis, & Vrbe uetere ex improuiso captis. Et Agilulphus Padum cum exercitu Apenninum q́; transgressus, se terribilem ex Hetruria ostentat hostibus: enimuero ad primam eius aduentus famam incredibilis metus urbem inuasit. Nec Gregorij pietas in publico pauore desedit, sed prætore in urbe relicto, ad eas ciuitates, quæ adhuc in fide erant, in officio continendas cum magistro militum aduolat, estq́; ab hoste adeò celeratum, ut parum abfuerit, quin ab eo sit põtifex interceptus. Agilulphus, quia Romã decreto petebat, nulla obiter locorum oppugnatione tentata, irrequieto ductu ad urbem uenit, quam integrum annum perpetua fatigauit obsidione, estq́; interea & Romę & circa urbem, omnibus malorum generibus laboratũ. Testãtur atrocitatem illius temporis Gregorij pontificis epistolæ, testantur & homiliæ. Defensa est tamen urbs, non tam humana quàm diuina ope, nam assiduis imbribus, perpetuaq́ue cœli intemperie hostis territus, quum nihil assidendo præter iacturã temporis & ignominiam lucrifaceret, soluta obsidione, in Hetruriam primo concesſit, ex Hetruria in Cisalpinam Galliam transijt. Mauritius qui in aperto rerum discrimine nihil Romanis auxilij tulerat, sed uerborum contumelijs calumniaq́ue medio bel
B li ardore, Gregorij patiẽtiam uarie exercuerat, oraculo deterritus ab impia insectatione destitit. Constans fama est ignotum quendam, monastico habitu, clara luce, in forum ueniſſe, ibiq́ue ad gladiatoris statuam nudum ensem circumtulisse, exclamasseq́; alta uoce Mauritium ferro periturũ. Hoc ille ostento territus pœnitentiam agere cœperat, quum recẽs est illi terror per quietem oblatus. Dormiens imaginatus est, se cum Constantia coniuge & liberis iugulandũ dari Phocæ militis gladio, nec multo pòst Byzantium affertur Phocam ab exercitu imperatorem creatum. Conatus est Mauritius assiduis concionibus populum in officio continere. Cæterum ubi tumultuantem multitudinem sisti non posse uidit, labareq́ue iam apertè hominum studia, ignoto habitu cum uxore & filijs fugam molitus est, sed Chalcedone captus quò paruo fuerat nauigio delatus (est id oppidum cõtra Byzantium) anno quàm imperare cœperat uigesimo, secuti percussus est. Fuit Mauritius decimus septimus ab eo, qui primus Byzantij rerum potitus est. Erat hic annus, quo ille perijt, humanæ salutis sexcentesimus tertius, sedebatq́; adhuc Gregorius pontifex. Agilulphus in Italia rex erat, in Gallia Theodebertus, Lotharius, & Theodericus, Cacanus in Hunnis, Cosdra in Persis regnum obtinebat, Byzantij Ioannes, qui primus Patriarchæ nomen in ea urbe tulit, clero præsidebat. Est & Mahometes per id temporis ortus, dira pestis humani generis. Sed unde terrarum illud incendium primo emerserit, ac quantam in pernicię omnium hominũ sit actum, proximus liber demonstrabit.

Obsidetur Roma.

Ostentum.

Mauritij cædes.

ENNEA-

ENNEADIS VIII. LIBER VI.

POst Mauritij cædem, Constantinopolitanus populus militum prærogatiuam secutus, magno omnium ordinum consensu, ratum fecit Phocæ imperium. Est & Romę ei feliciter acclamatum, nam & ad Gregorium pontificem, & ad Romanos dedit ille de suo principatu literas. Est & pontifex eidem absenti gratulatus, hortatusq; ut primum omnium eò animum intenderet, ut libertas maneret omnibus inoffensa, reges gentium testatus seruis imperare, imperatores liberis ciuitatibus. Et hæc literis. Misit præterea qui apud illum afflictum Italiæ statum deplorarent. Enimuero Agilulphus eam temporum nouitatem, qua Mauritius cum suis perijt, pro occasione cõplexus, Cremonam adortus, post trigesimum diem uicaptam diripuit, ac solo æquauit. Mantua inde obsideri cœpta, defensaq; est plures dies, postremo muris haud uno loco dissectis, deditio facta est. Agilulphus deditam magna ex parte mœnibus nudauit. Exarchani, qui Brixellum tenebant (fuerat id oppidum ab Euthari rege dirutum, dein tumultuario opere munitum à militibus ex Rauẽna ad id missis, erat is locus ad res gerendas peropportunus) duarum uicinarũ urbium clade territi, munitiones ferro & igni demoliti, Rauennam secundo Pado refugiunt. Et hæc inter initia principatus Phocæ in Italia. Cæterum tanta fuit in nouo principe indoles, talem se omnibus gentibus ostendit, ut Agilulphus illius fama perculsus pacem cum Exarcho & Romanis in annum tempus sanxerit. Et cum Theodeberto Francorum rege pacem & affinitatem iunxit. Eratq; per hæc Italiæ status aliquanto pacatior solito, quum Gregorius ex humanis decesserit, anno sui pontificatus quartodecimo nondum acto. Ciuitas mœrore affecta, ad Barionæ templum quod in Vaticano est, multo extulit fletu. Eius uiri sanctitas, pietasque omnibus perspecta, fecit ut multo maius sit defuncti secutum desiderium. Ipse per hæc cœlũ adeptus, inter primores orthodoxæ ecclesiæ est doctores relatus. Fuit primus annus optimi illius pontificatus sexcentesimus humanæ salutis, atque undecimus, si recte colligit Platina. Sequitur Sabinianus pontifex, à Bariona qui primus fedit, sexagesimus septimus. Fuit is Gregorij memoriæ adeò infestus, ut paruo minus abfuerit quin eius scripta aboleuerit. In summa annonæ charitate monitus, ut in subleuanda inopia Gregorij pietatem imitaretẽ, Gregorius (respondit) homo nequã & ambitiosus, popularem auram captans, ecclesiæ patrimonium consumpsit. Fuerunt qui crederent Sabinianum, Romanorum quorundam impulsu habuisse Gregoriũ inuisum, quod pontifex statuas & reliqua urbana ornamenta sustulisset. Sed tam atroci calumnia uindicat se præcipua uiri pietas, quod abunde est suprà demonstratum. Vt canonicæ horæ distinguerentur diuinorum causa Sabiniani est, & quod lampades perpetuò in templis arderent, atque in Vaticana Basilica præcipue. Cum Longobardis toto huius pontificatu pax fuit. Sedit Sabinianus annum unum ac ferè dimidium, quo tempore ut quidam memorãt, puer quadrupes natus est. Crinita stella terribili aspectu plures est dies in cœlo obseruata. Monstra pelagi humana effigie circa Delum à prima luce ad meridiem, hominum sese oculis tuenda præbuerunt. Viri doctrina & pietate insignes, eadem tempestate fuerũt, Ioannes Alexandrinus antistes, Latinianus Carthaginiensis, uterque suam præclare auxit ecclesiam. Scripsit & Seuerus, Latiniani familiaris, scite multa in Vincentium Cæsaraugustanum, quod in

Cremona solo æquatur.

Gregorius põtifex moritur.

Sabinianus põtifex.

Infamatur Gregorij pontificatus.

Prodigiatemporis huius.

A Arrianum dogma declinasset: edidit & de Virginitate librum ad sororem, quem Aureolum inscripsit. Sepultus est Sabinianus in Vaticano. Bonifacius eius nominis tertius, in demortui locum sit inde põtifex. Egit is ab initio suę administrationis cũ Phoca, ut Romana ecclesia esset omniũ aliarum caput. estq; id ægre, nec sine multa contentione, apostolicæ sedi datum. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianę pietatis arcem esse oportere aiebant, ubi & imperij. Romanus pontifex contrà Constantino polim Romanam esse coloniam prędicare, Romam uelut matrem & dominá adhuc esse, quod ipsi Græci perbelle faterentur, qui suum principem Romanorum imperatorem suis diplomatibus & libellis inscriberent, ipsique Constantinopolitani Romæi Græca uoce dicerentur. Iam & illud adijcere. Apostolicam sedem Petrum Barionam qui fuit apostolorum princeps, & cui animarum potestas primum est à deo attributa, Romæ non Byzantij fixisse, fixã & stabilitam posteris per manus tradidisse. Et Romanus pontifex, per hæc tenuit ut Romana sit ecclesia omnium princeps declarata. Idem autor fuit, ut celebri antistitum conuentu, quem Romæ habuit, sit decretum, ne à pontificis interitu prius triduo quisquam in demortui locum crearetur, iniunxitque anathematis pœnam si quis decretum abolesset, ut eodem crimine teneretur, qui ad pontificatum aliámue ecclesiasticam dignitatem, sibi gratia aut largitione aditũ fecisset: ut urbiũ antistites à populo & clero legerentur, ac tum demum id ratum haberetur, si quem illi legissent, princeps ciuitatis probasset, pontifex maximus suam autoritatem adiecisset, tantum effatus uolumus & iubemus: sed utrunque decretum est abolitum. Sedit Bonifacius menses nouem, estque in Vaticano situs. Successit huic eiusdem nominis Bonifacius quartus, ex Marsorum gente, Valeriæ ortus, quæ & nobilissimę dedit uiæ nomen. Ducit hæc ex urbe in Marsos per Tyburtem, & uicum Valerium, qui Anieni incubat. Pantheon uetustum, M. Agrippæ opus, Deiparæ uirgini atque diuis omnibus, Phocæ permissu, dedicauit, exclusoque malorum dæmonum cultu, quorũ simulachra plura hic numero fuere, locũ expiauit, ad martyres uulgo nuncupata est. Hanc ipsam ædẽ, ab ædificij forma, rotundam nunc uocant. Quieuit inde Italia ab intestinis bellis aliquot annos, estque bellicus furor ad alias translatus gentes. Prasini, Veneticique, Erithrei sinus accolæ, mutuis sese cladibus per id tempus afflixere. Vetus utriusque gentis odium, iam inde ab Antonini Veri principatu non ignotum Romanis legionibus, quibus ad duorum populorum bellum inhibendum missis, Prasini obsequenter imperata fecere, contrà Venetici fauore Rom. principis propensiorem in hostes quàm in se esse arbitrati, eum prouincia abeuntem ex improuiso adorti, multis affecere incommodis. Qui hominum fuerint Venetici, quíue Prasini, ex ijs quę superius sunt à nobis prodita, potest facile intelligi. Ipsa nomina in dubium ueniunt, fuerint ne in Arabiam translatitia ex urbe Roma, ubi Venetici Prasiníque in aurigarum factionibus percelebres fuere, an hi ab illis potius fuerint nomen adepti, nec quo casu id acciderit quisquam facile dixerit. Concinnauerant igitur duæ gentes graue inter se bellum, quum Cosdras rex Persarum prouincias Romani imperij inuasit, estque prius id bellum illatum quàm ostensum. Improuisa res, & uis armorum ingens fecit, ut nullæ sint urbes prouinciæque bello tentatæ, quibus non sit Barbarus facile potitus. Nec Phocas ire potuit obuiam iniuriæ, in pacanda Africa occupatus, quę tum prouincia ęquis quatiebatur motibus. Heraclianus Africæ prætor Prisci generi sui impulsu, qui in magna erat apud principem autoritate, à Phoca defecit, ut Heraclio filio suo imperium astrue-

Bonifacius primus.

Hierosolyma capitur à Persis.

Locus dominicæ crucis.

Ro. eccl. omnium princeps dec.

Attendi cretum.

Bonifacius quartus pontifex.

Prasini. Venetici.

A ret. Rebus imperij per hæc turbatis, Cosdras totam Mesopotamiam armis subegit, profligatoq; Græcorum exercitu Hierosolymam usq; Persarum arma processere. Omnia sacra & prophana dirupit uictor exercitus. Lignum dominicę crucis auferũt, magnum mortalium numerum capiunt, multo maiorem ferro conficiunt, ad nonaginta milia hominũ cæsa prodiderunt quidam. In eo temperasse, imò piè uideri potest Cosdras egisse, quod lignum dominicæ crucis, ex Caluariæ loco ubi ab Helena Constantini matre fuerat constitutum, in Persidem translatum, in throno statuit auro & gemmis fabrefacto, cuius extrema superficies in similitudinem cœli circumageretur. Est & Zacharias Hierosolymæ antistes à Persis captus, uir sanctitate insigni. Incidit hęc clades in extrema tempora Phocæ principis, estque illi ex hac clade ingens inuidia conflata, materiaque uberior oblata Prisco & Heracliano illius è medio tollendi: nam Priscus tanquam principi gratificaturus pacis studium assimulat, cum socero fingit se agere, ut impetrata à principe uenia, quod turbandi Africæ status autor fuisset, in officio iam inde esset, imperata faceret, filium obsidem daret, ipse cum q̃ maximo posset exercitu in Cosdram ad bellum exiret. Mittitur ex Africa Heraclius ad Phocam in fidẽ eorum quę promittebantur. Nec Heraclianus multo pòst cum ualidissimo exercitu in Thraciam nauigauit, Persici belli prętextu. Sub illius appulsum Priscus qui in eam occasionem erat intentus, Phocam obtruncat, soceri exercitũ accersit, quo propius admoto occupat Heraclius imperium omnibus metu quiescentibus. Nec Heraclianus stabilito filij principatu multum in Thracia fuit, sed ad obtinendam prouinciam confestim exercitum in Africam reportauit. Nec Italia, dũ hæc alibi fiunt, ab externis quieuit. Auarum rex, quem ipsi Cacanum uocant, Longobardorũ res hostiliter adortus (causam illati belli non reperio) in Foroiulienses campos tumultuose effunditur. Gisulphus eius dux prouincię, cum exercitu haud contemptibili fit Bauaro obuius, committitur atrox prælium, pugnaturq; utrinq; maioribus animis quàm uiribus. Fuit demum ea pugna Longobardis funesta, qui duce in acie amisso ad internecionem cæsi sunt. Et Gisulphus suæ impietatis eo prælio pœnas luit, qui supra barbaricam immanitatem orthodoxæ fuit fidei infestus. In Gradensis ecclesiæ inuidiam, priua potestate, Ioannem abbatẽ Aquileiæ antistitem creauit. Pari iniuria circũiectos antistites insectatus, Ioannem Concordiẽsem ad eã desperationem compulit, ut relicta Concordia sedẽ Caprulas transtulerit. Bauarus tamẽsi cruẽtam fuerat pugnam adeptus, quia prælio uicerat ferocior factus, latè uictoriam exercet, alijs aliò dimissis, ad urbes & loca hostium subigenda regionemq; uastandam. Ipse cum multo maxima parte copiarum Forumiulium obsidet, maiore conatu quàm spe munitissimæ urbis potiundæ. Cœperat urbs hæc iam inde ab Aquileię excidio, totius regionis tãquã arx & caput haberi. Sũt qui id olim fuisse arbitrẽtur, quod nunc in Foroiulienſibus, Natisone interfluente, Ciuitatum uocant, circa Alpium radices, etsi in primis earum iugis, quod in uetustate Aquileiæ scio à me proditũ, uetustissimi oppidi uestigia uisuntur, quæ Iulij fuisse proximi accolæ autumant, & ipsi Iulium uocant. Cęterum celebritate loci, & quod uetustissimum sit oppidum, quod ad Natisonem sedet, facile adducor, ut illorum sim opinionis, qui ad Ciuitatenses id decus referunt, sed quæcunq; tunc eius gentis arx fuit, Romilda Gisulphi uxor tenebat urbem mœnibus & præsidio munitam, eratq; cum ea, Rhodoaldus & Grimoaldus filij, cum liberis & gaza omnium primorum Longobardici sanguinis, defendebaturq; oppidum ualidè aduersus omnes Bauarũm conatus. Sed quod uis nulla potuit, muliebris intẽperies urbem alioqui munitissimam hostibus patefecit. Romilda regem forte intuita mœnibus obequitantem, forma & ætate florentem, crispo adhæc rutilantiq; capillo, eius amore capta, misit qui cum eo urbis proditionem pacisceretur, si se in matrimonium reciperet. Accepit Barbarus conditionem, uictoriæ cupidus, fideq; in id, quod promittebatur, data & accepta, Romildæ opera in urbem admittitur. Hic rex, ne fidem falleret, nocte una Romildam prõ cõiuge habuit, inde effrenatam mulieris libidinem duodecim robustissimis militib. subiecit, qui per ludibrium & dedecus eam assiduis compressibus experlerent, postremo mulierem miserabiliter uexatam palo affixit, ut omnibus sui sexus documento esset, ne libidinem rationi anteponerent, uoluptatem utili & honesto, simul ut omnes scirẽt perfidiam, ne apud eum quidem, cui gratificari se puret, tutam esse oportere. Oppidum inde direptum est, haustumq;, quicquid opum Heruli, Gothi, nouissimeq; Longobardi, ex tota Cisalpina Gallia, annos centum quinquaginta & amplius unum in locum congesserant. Multitudine inde extra urbem educta, in Longobardorum inuidiam incendio consumptum est ac solo æquatum. Fuit annus, quo Forumiulium est ita excisum, ducentesimus ferè ab eo quo Aquileia ab Hunnis Attylæ ductu diruta est. Forliuiensis Blondus ignorare se scribit, ubi Forumiulium fuerit, quando nulla illius tota regione extent uestigia. Manserunt plura eius regionis loca intacta quę capi non potuerunt, & in his Coniglona, Memalum, Osopium, Attenia, Reumar, Glemona, quę sub primum hostium accessum fuerant ab agresti multitudine insessa. Nec Bauari sunt multum inde in Italia cõmorati ueriti credo, Longobardicas opes, quæ tum in Italia ualidissimę erant, & iam Ticini, nunc Papia est, à primis Bauarorum motibus, frequenti conuentu, bellum erat decretum, in quo apparãdo sit licet festinatum, non prius tamẽ arma expediri potuerunt, quàm de Iuliensium excidio sit auditum, Gisulpho, qui in prælio occubuit, Grasulphus frater, & regis & omnium primorum cõsensu dux creatus successit. Bauari in patriam reuersi ex omni captiuorum multitudine, uirilis sexus pubertatem supergressos ad unum interfecere. Pueri uenditi sunt. Mulieres quoque aut uenui datæ, aut ad pellicatum retentæ. Gisulphi liberi fuga, ut Paulus scribit, dilapsi postliminio ad suos rediere. Nec res imperij per id tẽpus, uno sunt loco accisæ, nam præter cladem in Syria acceptam, Sclaui, qui in Istriæ tractu, & littorali tantum Delmatiæ ora diu se tenuerãt, inter Africæ & Syriæ motus, ad res nouas coorti, omnem Delmatiam & Illyricum suæ ditionis fecere. Et Rauẽnates pertæsi Ioannis Lemigij superbiam, quem Smaragdo Exarcho Phocas dederat successorem, hominem tumultuose interficiunt, grassataq; est ciuitas per libidinẽ in eius coniugem & pellices nec tantum Exarchi domum attigit uis illa, sed Exarchanorũ etiam iudicum qui cum Ioanne uenerant. His cum Exarcho interfectis, res eorum pari sunt iniuria affectæ. Et hæc intra extraq; Italiam sunt gesta. Bonifacio sedente, quo tempore uiri sanctitate & eruditione claruerunt, Ioannes Alexandrinus antistes cognomento eleemosynarius. Ioannes Gerũdensis, qui scite & utiliter multa scripsit, ad Christianum dogma & pietatem pertinentia. Eutropius Valentianus, & Columbanus, uir Gothus genere, in utroq; spectata sanctitas, & in Eutropio eruditio etiam non uulgaris. Lixonense monasterium & in Apennino Bobiense, Columbani opera esse dicuntur. Nec Bonifacius externæ pietati cessit, sed propriam domum uertit in monasterij usum, ascripsitque loco prædia paterna, in monachorum alimoniam. Sedit optimus põtifex sex annos, & octo menses. In Vaticano sepultus est. Theodatus Romani generis Bonifacio est surrogatus, se-

Longobardorum cædes.

Proditur Bauaris Forumiulium.

Attende Romildæ supplicium.

Nouus Iulienſium dux.

Sclaui Delmatiam & Illyricum occupant

Theodatus pontifex.

ptuagesimus à Petro. Nullus in eo dignitatis fastigio magis clerum dilexit, tanta in uiro sanctitas, ut elephantico morbo laborantem osculo sanauerit. Huius est illud, nequis eam puellam duceret uxorē, quam ex baptismi fonte leuasset pater. Eratque Italiæ status satis pacatus, quum inter initia Theodatini pontificatus, Eleutherius Italiæ Exarchus, Heraclij principis ignauia fretus, tyrannidem Rauennæ inuasit, estque rex Italiæ salutatus. Sed ut dura sunt tractu, ac fœda exitu temeraria cōsilia, Eleutherius breui pòst ab exercitu interficitur. Caput ex Rauenna ad Heraclium est missum. Sic prēter omnium opinionem, paucis diebus compressus est Eleutherianus ille motus, unde fœdum timebatur incendium. Secutus est inde Isacius Exarchus sub cuius in Italiā aduentum, Agilulphus rex uita decessit, à quo Adoaldus filius puer adhuc cum Theodelinda matre, magno totius gentis studio & fauore regnū per manus accepit, mansitque regnum puero incolume pacatumque toto decennio, quo uixit muliebri tutela, tāta fuit in Theodelinda uirtus. Per id tempus Francorum reges, domestica discordia agitati, eò regnādi cupiditate multisque odijs procellere, ut tragicis sceleribus polluta sit regia domus. Theodebertus à Clotario & Theoderico fratribus cruento prælio superatus, captusq;, cum ingenti suorum numero interfectus est: mox Theoderico uita defuncto, Clotarius eius filios, ut solus regno potiretur, crudeliter interficit. Et in oriēte res imperij nihilo interea lætiores esse. Nam Persæ Heraclij ignauia, tota Asiæ ora, quæ ad meridiem uergit, armis subacta Ægyptum ingressi, Alexandria potiti sunt. Substitit hic nonnihil Persicæ uictoriæ cursus, afferebatur enim Heraclianum, Heraclij patrem, ex Africa cum ingenti exercitu Ægyptum & Asiam petere. Cæterum eo medio conatu rerum extincto (fata credo ruentis imperij obstabant quo minus resisti posset) Persæ B presenti metu liberati ex Ægypto Africā inuadunt. Facilis inde uictoria fuit: Carthago & omnis Africa, ducis præsidio spoliata, Persicis cessit armis. Cosdroas prouincia præsidijs firmata per Alexandriam retrò abijt. Petijt Heraclius pacem à Barbaro hoste tantis affectus cladibus, quamuis ignominiosam accepturus: cæterū quum nullam impetraret, tum ui magis quàm uirtute adactus exercitum comparat, supplicijsque propitiato numine in hostem proficiscitur. Erat tum Cosdroas Azoti, fuit Azotum Syrię urbs ea tempestate insigniter opulenta. Eam decreto Heraclius petijt, ut de summa rei cum hoste decerneret. Sed ille prius quàm Heraclius adesset fugienti similis in Mesopotamiā se recepit, passim adultas fruges, & iam flauescentes populatus, ut omnis persequendi facultas holti adimeretur. Secutus est nihilo secius abeuntem hostem Heraclius, assequi tamē non potuit. Omisso itaque cursu ad regionem ferro & igni uastandam conuertit omnem belli impetum. Comperit interea duos fortissimos duces, cum duobus exercitibus à rege relictos, qui locorū opportunitate freti suum iter remorarentur. Heraclius parte una copiarum relicta ad subigendas urbes & loca, quę post se intacta relinquebantur, ipse cum robore copiarum magnis itineribus Taurū petijt, quo celeriter superato, Salbarum omnium Cosdroæ ducum fortissimum ad Saronem fluuiū adeptus, ad prælium compulit, estque hic laborioſe certatum, postremò Salbarus amisso præsidio, quod erat amni impositum, in Persidem cōcessit cum exercitu, cui Cosdroas Saym successorem dedit. Posteaquam Heraclius appropinquare dictus est, Says auctō nouis copijs exercitu, quem à Salbaro accepit, intrepide Heraclianos excepit. Nec ita multo pòst, ex compositō est in aciem descēsum, ac pugna à prima luce inita, in serū diei protracta est, magna hinc inde cædē edita, eratque tandem superior Persa nisi

Eleutherius tyrannidem inuadit.

Eleutherij cædes.

Francorum regum discordia

Carthago & omnis Africa Persis cessit.

Azotum.

Salbarus fugit.

Says Cosdroæ regis dux.

A densus imber mixta grandine cum fragore & strepitu horrendo, cœlo effusus aduersam Persarum aciem perculisset, procella Barbarorum ora oculosque uentro & fulguribus præstringente. Capti Persæ oculis & auribus, ac penè attoniti, passim cædūtur, pauci ex tam opulento exercitu seruati, cæteri aut capti, aut cæsi sunt. Cosdroas insigni clade accepta, bellum totis imperij uiribus reparat, Razatenemque nouum ducem copijs præficit, qui maiore nisu quàm cæteri duces cum Heraclio conflixit sed nihilo meliore euentu. Fuit postrema illa pugna atrox, ægreque per integrum diem depugnata, & ob eam rem nobilis, sed Razatenis ducis fortissimi casu multo nobilior facta. Capta sunt ex hoste septē & uiginti signa militaria. His fractus eladibus Cosdroas, ultra Tygrim abiturus, Medarsem filium regni consortem declarauit altero filio adolescente, præclaræ indolis & maiore natu, posthabito, quia ille adactus contumelia occultè cum Heraclio pacisci tur, ut patre & eo quem pater sibi prætulisset, cū omni regia gaza proditis, deductisque præsidijs ex omnibus Ro. imperij prouincijs, ipse Persarum regnum obtineret, paxque inter utrunque imperium esset. Percusso in hocipsum fœdere, Cosdroas cum Medarse & uxoribus ex fuga retractis in uincula cō ijciuntur, nec multo pòst Syrochij iussu ambo interfecti sunt. Crux dominica recepta est, quæ ut restitueretur diserte erat in fœdere positum, anno quartodecimo ab eo quo in Barbarorum potestatem uenerat. Fuit annº ille quo hęc uictoria parta est, quartus & uigesimus supra sexcentesimum humanæ salutis, Heracliani imperij duodecimus, Persicæ expeditionis sextus. Recepta Africa est, Ægyptus, & quicquid terrarum fuerat, ex Romano imperio à Persis occupatum, à Mesopotamia ad oram Syriæ, & Erithreum mare, Arabia duntaxat excepta, cuius B defectio magnum peperit humano generi incendium: inde seminarium illud malorum terris ortum, errore inextricabili, qui mortalium partem multo maximam in ueri obliuionem abduxit. Mahometus tanti mali autor, uir dubium Arabs an Persa, utrunque enim traditur, patre malorum dæmonum cultore, matre Ismaëlita, & ob id Hebraicæ legis nō ignara. Distrahere puerum illi, ambiguumque effingere, dum hic, dum illa, suam uterque legem ingerit. Igitur utroque puer imbutus cultu, neutrum adultus recepit, quin homo callidus atque uafer ingenio, inter Christianæ pietatis uiros diutissime uersatus, rem pernicioſam humano generi ex duabus legibus commentus, primo inter Arabes concionabundus Cosdroæ factum detestari, qui ut deus quidam edicto adorari uoluisset, nulli mirū debere uideri, si post opes regni afflictas, cum tota ferè domo infeliciter cōsumptus esset. Medius inde inter duas leges, Hebræos iebat impiè facere, qui Christū natum ex uirgine inficiarentur, quando id prophetæ uiri præcipua sanctitate, diuinoque afflati spiritu, futurum ceciniſſent, expectandumque multo antea prædixissent. Contrà Christianos stultè credere Iesum dei amicissimum, natumque ex uirgine, opprobria & cruciatum à Iudæis perpeti uoluisse. Martinus Segonius Nouomontanus suo hæc de Christi regis nostri sepulchro memoriæ prodidit, Saracenos & Turcas, ex antiqua Mahometi prædicatione ridere Christianæ gentis homines qui id conditorium uenerabundi obseruēt. Christum prophetam summum affirmantes, ex dei spiritu, omnis terrenę labis expertem, uenturum iudicem gentium, inficiari tamen uerum ipsius sepulchrum adiri, quoniam gloriosum corpus, diuino conceptum flatu, prorsus fuerit impassibile. Hęc Segonius, & alia in hanc sententiam, quæ à Mahometiæ gentis hominibus, non magis impiè quàm stulte in nostros iactari soleant. His Pseudoprophera quum suam gētem magis imbuisset,

Prodigiosa pestis.

Heraclius pius Persas uicit.

Attendite Heraclij Cosdroæ Crucis cæsi

Arabiæ defectio.

Mahometi ortus.

Quid Mahometus sanxerit

Saracenos Christo.

buisset, legem tulit, cui ne ab hominibus sanæ mentis quandoque iretur obuiam, abrogaretur que, ut sordidæ & pestilenti, capitalem inscripsit pœnam sanxitque in suo Alcorano, si quis de ea ausus esset disputare: qua sanctione palàm fecit nihil synceri in ea lege esse, quam uelut mysterium quoddam texerit, uetueritque tractari, ut quale esset id quod ferebatur, populus haud scire posset. Et hæc de Mahometo. Quidam sunt qui eum Ismaëlitam memorēt, sordidoq; loco natum: puerilibus annis furaci quæstu uictum illi quæsitum, locandis conducendisque camelis ad deportandas merces, inde adultum latrocinium exercuisse, comparataque latronum manu, uno atque altero facinore illustratum, uiduę mulieris nuptias sibi conciliasse, per quam grādem pecuniam & castella quædam cōsecutus animum ad maiora extulerit, fueritq; iam inde Persicis rebus infestus, ut qui in Heraclij partibus esset, estque eo prælio, quo res Cosdroæ conciderunt, ut quidam Græcorum scribūt, uulneratus à gregario milite, cui Turco nomen esset. Fracta inde Persarum potentia, nactus Heraclij desidiam, cui ille post Persicam uictoriam deditus est, multo maior factus, nec iam contemptibilis, per uarios successus eò euasit, ut iura & leges suæ genti dederit, in quibus ferendis, à Sergio quodam Nestorianæ impietatis uiro, est præcipuè adiutus. Egerat is monasticam, cęterum quum nullius esset inter suos dignationis, præsentem uitę statum pertæsus, Byzātio profectus, ad Mahometum, cuius nomen iam celebre erat, homo trāsfuga se cōtulit. Huius igitur consilio usus legē proposuit, quæ ut popularior esset, ex omnium gentium sectis aliquid assumpsit. Christum ut in suo testatus est Alcorano, in primis laudādum censuit, uirum fuisse affirmans sanctum, & omni uirtute præstātem, eundēq; supra humanitatis fastigiū ponere, nunc uerbū, nūc spiritū & dei animā prædicans uirginis utero uatū, B quidam scribūt, alij Honorio qui post Bonifacium fuit pontifex, sedente, uirus illud exitiale aiunt propinari cœptum mortalibus atque initio eius pontificatus. Heraclius Arabum defectionem ex eo motu ortam primo compescuit, ut supra est proditum, militari ætate partim pollicitatione ad officium reuocata, ablegataque procul domo militiæ prætextu, quod fieri contigit sub exitum Persici belli quo tempore Bonifacius Romæ rerum diuinarum cultum nouis auxit institutis reddiditque rem sacram aliquāto augustiorem. Huius illud est, Ne qui in sacras ædes profugerent ui inde abstraherentur. Ne Acolyti martyrum reliquias attrectarent. Vt sacrilegi ubique telo anathematis peterentur. Cœmiterium Nicomedis fecit & dedicauit. Ex omni clero eos maxime dilexit & fouit, qui optime uitam instituissent. Et Bonifacius talis fuit. Obijt anno sui pontificatus quinto, uel ut alij colligunt sexto. Gallus Columbani discipulus, per id tēpus sanctitate claruit. Fuerunt illi æquales Eustathius abbas & Aurea mulier, sanctitate uterque insigni. Honorius Petronio uiro consulari natus post Bonifacium pontifex creatur. Inter initia pontificatus huius Theodelinda Lōgobardorū regina ex humanis decessit, post cuius obitum Adoaldus filius regno deturbatur. Eius loco Longobardi Ariobaldum regem creāt. Is pacem cum Romanis & cætera Italia à Theodelinda stabilitam sanctè custodiuit, quam temporum quietem Honorius adeptus aliquot diuorum templa iam uetustare collapsa, Romę instaurauit. Vaticanam Apostoli basilicam æneis tegulis texit, quas ex Romuli templo Heraclij permissu sustulit, Agnetis ędem Nomentana uia à fundamentis statuit. Apollinaris martyris & Cyriaci, quatuor coronatorum, & Seuerini, in Tyburti uigesimo ab urbe miliario Petri & Marcellini, uia Labicana Pancratij, uia Aurelia Adriani, in tribus foris & in aquis saluijs, ad Pauli decollationem Anastasij martyris, cuius corpus ex Persidе

Attende miraculum in circunferenda cruce.

Bonifacij decreta.

Honorius pontifex.

Adoaldus.

Bonifacius V. pontifex.

Honorij opera

Attende summam plurium sectarum.

Arabia malorum omnium mater.

delatum Romam misit Heraclius, misit & Monachi corpus, multis miraculis illustratum. Ipse quantum ad id tempus piè & feliciter egerat, tantum inde reliqua uita infelix fuit, atque omnibus odio.

Heraclij erratá.

Aruspicinæ ac malorum dæmonum præstigijs addictus, Christiana pietate neglecta, Monothelitarũ est errorem complexus. Contraxit præter impietatis notam, alteram offensam non minus infamẽ, & ad uulgus magis inuidiosam, fororis suæ filia in matrimonium recepta, quidam priuignam fuisse aiunt uxoris iam defunctę, ex priore matrimonio ortam. Sed hæc extremis uitæ temporibus. Mathematici igitur & Arioli prædixerant Heraclio magnum illi & eius imperio imminere periculum à circunciso populo, qui Iudæorum gentem denotari interpretatus, quicunque Iudæorum toto suo imperio fuere, inuitos Christiano nomini adiunxit. Egit inde

Attende Heraclij postulata.

impensis precibus cum Dagoberto Francorum rege qui per id tempus regnum per manus à Clotario patre acceperat, & cum Sisebulo Visigothorum rege, qui Hispanias tenebat, magno Christianæ fidei affectu, ut ambo idem facerent, ac tum, credo, Hispaniæ urbes, quæ pro Romanis stabant, Heraclij permissu, à Sisebudo receptas, ut supra est demostratũ. Fecere illi Heraclij postulata, sed non tam illi id crediderim quàm pietati datum, cuius ille studium prę se ferebat. Cæterum Heraclius sua sponte per hæc insaniens, haud multo pòst alieno impulsu Monothelitarum est hæresim complexus. Prædicabant

Monothelitæ.

Monothelitæ unam in Christo uoluntatem fuisse. Inculcarunt hunc errorem Pyrrhus Constantinopolitanus antistes, & Cyrus Alexandrinus, cuius scelęris Heraclius ab Honorio pontifice per literas admonitus, passus est Pyrrhum sua sede deiectum in Aphricam relegari. Sed hęc extremis Heracliani imperij annis. Cæterũ Heraclio adhuc imperante, Honorius in humanis esse desijt. Habuit eius pontifica B tus annos ferè tredecim. Successit huic Seuerinus, cuius creatio ut rata esset principis aut Exarchi opus fuit assensu. Isacius, qui tum in Italia eiusmodi fungebatur honore, Romam eo nomine petijt, ut

Attende Isacij sacrilegium.

ipse præ se ferebat, sed uerius ut sacrilegium patraret. Potuit ille ratam nouo pontifici facere dignitatem suo assensu, sed mercenariam maluit operá præstare homo sacrilegus. Pecunia quæ Lateranensi sacrario obsignata sub præsidio ad pios usus custodiebatur, ab eo direpta est, partem unam militibus dedit, ad Heraclium alteram misit, ut Guilielmus Lateranẽsis bibliothecarius prodidit, quod reliquum fuit sceleris autori cessit. Nec id impune tulit Heraclius, enimuero cum militibus stipendium daretur, quererenturque Saraceni qui militiæ ut suprà est significatum, fuerant ab Heraclio ascripti, fraudari se merito stipendio, tum is cui negotium fuerat forte iniunctum, uix inquit, est quod Græco & Romano militi detur, & hæc canum turba tam impudenter efflagitat stipendium. Ad eam uocem Saraceni

Attende Saracenorum defectionem.

ira accensi, primo in Syriam secessere, ibique aucta multitudine Damascum occupant, inde ex ijs qui domi remanserant, aucto exercitu Ægyptum ingressi, facile sunt ea terra potiti, uicinorum Arabum cõmeatu & auxilijs adiuti. Exarsit inde latius id incendium: Arabes Mahometi impulsu subacta Ægypto Persas bello petierunt, quia nullis hortationibus minisue flecti potuere, ut legem reciperent, quam tum summus (ut ipsi aiebant) Propheta ferret. Habuerant Persæ Syrochim regem post Cosdroam, cuius regnum ne annum quidem impleuit. Syrochis Adhiseri filio regnum per manus tradidit, quo breui extincto Persæ Hormisdam sibi regem creauere. Hoc in pugna amisso, Persæ acie uicti facile subacti

Persæ Saraceni facti.

sunt, ac tum demum Mahometi lege accepta, non solum imperium, sed nomen etiam amisere. Saraceni iã inde pro Persis appellati, anno salutis sexcentesimo trigesimo secundo, ex quo gens ipsa regnare cœperat, rerumque potita est in Asia trecentesimo atque undetrigesimo. Saraceni qui tum Persas uicere, partem ab initio habuerunt eius Arabię quæ Petrea dicta est, qua parte ipsa terra inserta est Ægypto & Iudææ, à Sara quæ fuit Abrahæ, sese ortos arbitrati, quam Mahometus ansam amplexus, facile uanissimæ genti persuasit, solos eos omnium mortalium legitimos esse diuinæ professionis successores. His Mahometi & eius gentis successibus consternatus Heraclius, tum demum à uera fide ad Monothelitas deflexit, Pyrrhi & Cyri suasu. Cæterum quia nulli dubium erat Saracenos, Perside subacta, breui Iudæam inuasuros, Hierosolymam misit qui dominicam inde crucem Byzantium asportarent, ne in Agarenorum manus ueniret. Sic tum Græci Saracenos, opprobrij causa, appellabant, tanquam ab Agare Abrahæ ancilla oriundos. Nec Heraclius sua eit opinione deceptus. Barbari post Persas bello uictos Antiochiam adorti, breui urbem nobilissimam capiunt, nec multo pòst sunt & Hierosolymis potiti, cui uictoriæ Mahometus non multum superstes fuit. Obijt annos natus quatuor & triginta, sex uero facem illam humani generis circuntulit. Fuit annus, quo pestis illa teterrima est in terris extincta, humanæ salutis sexcentesimus trigesimus secũdus. Est in Perside urbs Mœcca nomine, hic uisitur ferrea illius arca, quam totus Oriens colit. Mahometo Caliphas successit, cui ob nimiam superstitionem imperium est abrogatum, atque eius loco alter eodem dux nomine creatus. Quo tempore Seuerinus pontifex maximus uita decessit, quum paulo plus anno sedisset. Ioannes Delmatici generis, uir multa pietate dein sedẽ cepit. Fuit is huius nominis quartus pontifex, eratque tum in Longobardis rex Rotharis, qui Arioaldo successit: uir acri ingenio ac iustissimo, etsi in Arrianam hęresim pronior. Est ex eo errore alter adhuc calamitosior ortus, singulis urbibus Longobardici nominis nefario regis edicto, Arrianæ impietatis est antistes datus, atque ita factum ut duo ubique essent antistites: Orthodoxæ fidei unus, alter Arrianus. Eadem temporum iniquitas fecit, credo, quod Longobardi non multo prius quam id malum sit Rothari rege uulgatum in Foro iulienſi, quia peruincere non poterant, ut Gradenses antistites Aquileiam remigrarent, Fortunatum, Arrianæ impietatis hominem, Aquileiensi præfecerint ecclesiæ. Nec homo improbus diu quieuit, sed Longobardicis fretus armis, Gradum ex impro uiso occupat, templum diripit, si qui uim arcere uoluerunt, partim interfecti sunt, partim uulnerati, & ut res erat latrocinio proxima trãslata in naues prẽda, Aquileiam confestim abijt. Honorius qui uno Seuerino interiecto, ante Ioannem quartum Romanus pontifex fuit, id scelus detestatus, Fortunatum Arrianæ hæreseos damnatum dignitate priuauit. Suffecto illi Primogenio, Romanę ecclesiæ subdiacono, cui nihil quietior administratio contigit, Longobardis omnia Gradensium sacra & prophana latrocinio fœdantibus. Petijt Gradensis ecclesiæ antistes ab Heraclio auxilium, aduersus unius gentis iniurias, nec impetrauit, rebus imperij tum toto Oriente maxime periclitantibus: misit tamen Heraclius uasa quædam aurea argentea que, ad ecclesiæ damna resarcienda, misit & diui Marci cathedram quam uicto Cosdroa ex Alexandria sublatam triumpho prætulit. Et Heraclius in Venetorum gratiam, qui semper in partibus imperij fuerant, Gradensis ecclesiæ cladem per hũc modum resarsit. Rotharis, ut eò redeat historia unde egressa est tam acri fuit ingenio, ut leges, quæ sola memoria & usu tenebantur, in certum ordinem redegerit. Codicemque ad Iustiniani ęmulationẽ uocari edixerit. Quod uero Arrianos fouerit, non tam fidei quàm partium studio,

Vnde Saracenidicti.

Quoi anno natus Mahometus obijt.

Ioannes quartus pont.

Attende Gradium eccles.

Fortunatus Aquileiensis.

Diui Marci cathedra.

studio, ab eo factum credi potest, nam quia Romano pontifici orthodoxęque fidei uiris perbelle cum Exarchis conueniebat, eum consensum ratus ad suę gẽtis opes euertendas pertinere, Arrianos per eum modum, quem diximus, assectatus est. Rege itaque adnitente, eò Arrianorum autoritas creuit, ut omni bus ferè Italiæ urbibus duæ essent ecclesiæ, duo diuersi antistites. Traxit hæc pestis alias ad sę hęreses, ut totus inde orbis sit eiusmodi lue infectus, adeò ut orientalis ausa sit ecclesia cum Romana de dignitate certare. Rotharis, homo non minus bellicæ rei quàm paci & otio natus, Hetruriam omnem ad regem retraxit, omnem Liguriæ oram sue fecit ditionis, quo successu elatus bellum in Venetos uertit. Opitergium iam magna ex parte instauratum, subita ui adortus capit, captum immaniter diripit, direptum solo æquat. Sic oppidum clari olim nominis in Venetis, à prima Attylæ demolitione, tertio est à Barbaris excisum. Incidit clades hæc Opitergina in annum circiter sexcentesimum humanæ salutis ac quinquagesimum, qui Venetæ urbis ducentesimus ac uigesimus octauus. Erat tunc eius urbis antistes Magnus Altinas uir sanctitate illustri. Is Opitergino rum sortem miseratus, Longobardorumque impietatem fugiens, qui nihil obscure fauebant Arrianis, in stagnis locum cœpit condẽdæ urbi, quam in principis gratiam Heracleam dixit, nondum enim Heraclius ad Monothelitas deflexerat, alijs ue scelęribus se contaminarat, sed uirtutum opinione omnibus erat gentibus uenerabilis. Fama tenet nouem templa oraculo quodam circa Riuumaltum ab eo condita. Dandulus qui de origine Venetę urbis scripsit, uulgatæ opinioni non astipulatur. Et Heraclea, cuius hodie uestigia nulla ferè extant, sub nouæ urbis nomine per hunc modum condita est. Eadem temporum intemperies eiecit ex Altino Paulum eius urbis antistitem, qui & ipse per idem tẽpus quo B est Opitergium excisum, cum magna piorum manu, in Torcellum insulam, cum reliquijs diuorum, multaq; cæremonia migrauit. Seuerinus Romanus pontifex ratam fecit insulanis suo assensu trãslatam sedem. Maurus Torcellanus antistes, qui Paulo defuncto surrogatus est, id à Seuerino impetrauit. Horum exemplum secutus Paulus Patauinus, cum orthodoxæ fidei cultoribus, Arrianis Longobardorũ fauore ubique prægrauantibus Metamaucum perfugit, est hic perseueratum quoad urbs ipsa sit fluctibus absorpta, ac tum ex eo loco sedes Clodiá translata est, sic breui tempore quinque antistitum sedes sunt insulanis quæsitæ, Gradensis, Caprulana, Heradiana, Torcellana, & Metamaucensis. Perijt Rotharis anno sexto quàm regnare cœperat, traditque regnum per manus Rhodoaldo filio. Mirum uideri possit, quod Platina scribit circa regem sepultum accidisse, Sacerdos quidam, ut ille ait, eius tumulum noctu aperuit, ut inde furaretur quicquid pretiosum cum rege illatum fuerat sepulchro, cui medio actu Ioannes Zachariæ, quem diuorum unum Rhotaris præcipua ueneratione coluit, effigie augustiore humana astitit minaciter præcipiens, ut illico inde faceſſeret, nunquam id templum amplius subiturus. Miretur, inquam, iure aliquis, quod homo Arrianæ impietatis fautor tam charus fuerit superis, nisi sacrilegij ratio potius quàm hominis habita intelligatur. Rhodoaldus Gundibergam Theodelindæ filiam duxit uxorem, quæ matris pietatem imitata, ut illa Modetiæ, ita hæc Taracinæ Ioannis Zachariæ templum opulentissimum statuit. Rhodoaldus in adulterio deprehensus uitam cum regno amisit, post quem Arithpertus inde regnum est adeptus ex Gundualdo ortus, qui fuit Theodelindę frater. Condidit nouus rex apud Ticinum Phanum saluatoris, donarijsque instruxit non uulgaribus, attribuitque loco agrorum uestigalia. Et hæc in cætera

Ioannes III. pont.

Viri illustres.

Iodocus.

Theodorus pont.

Mauritius securi subijcitur

Heraclij interitus.

Attende ultionem.

Theodori pontificis opera.

Duę ubique ecclesiæ, & duo antistites.

Rerum Venetarum incrementa.

Attẽde miraculum circa Rhotaris sepulchrum.

Heraclea conditio.

Laterano. Hostiensi uia alterum Eupolo martyri sa A
crũ. Desijt Theodorus in humanis esse anno sexto
quàm fedére cœperat. Vaticana Barionæ ædes eum
Martinus pontifex max. sepelit, Martinus in demortui locum pontifex de-
claratur. Tudertum illi patria. Primum omnium à
noua declaratione Paulum Cõstantinopolitanum,
conuentu centum & quinque antistitum Romæ ha
bito, ut impium damnauit, quod orthodoxæ fidei
formam non recepisset. Blondus Forliuiensis in hu
ius pontificis tempora reponit, quæ nos Platinã se-
cuti, in Ioannis quarti pontificatum reiecimus. Adij
cit præterea Paulum diaconum & Sigisbertum se-
cutus inter Theodorum Exarchum & Rotharim a-
cie dimicatum ad Scultennam fluuium, in Mutinen
si agro, desideratáque Exarchanorum septem milia.
Sed hæc quocunque sunt pontifice gesta, Constan-
Constantij impia mandata. tius, quod satis constat, Theodoro Exarcho Olym-
pium successorem dedit, cui primum omnium im-
perauit, ut enixe daret operam uti Romanus ponti-
fex & omnes orthodoxæ fidei antistites, ad Mono-
thelitarum hæresim amplexãdam pro potestate co-
gerentur: si bona uenia nollent, obstinatius q́ue resi-
sterentur, daret operam ut pontificem in potestatem
redactum, sub custodia ad se mitteret, uel si capi non
posset interficeret. Olympius Italiam ingressus cum
Rauennate exercitu Romam uenit, ubi quum nihil
hortatione aut minis proficeret, quia manum in põ
tificem injicere parum sibi tutum arbitrabatur, quẽ
Attende mirã culũ circa Martinum pont. utique Romano Populo sciebat gratissimum, con-
silium cepit illius interficiendi. Mirum hic accidisse
aiunt, percussor in Deiparæ ędem irrumpere iussus,
ut parricidium patraret, repente captus est luminibus, ut pontificem quem decreto petebat, obortis
tenebris internoscere nequiuerit, atque ea re territus Olympio destitit incœpto. Erat hic annus quin-
quagesimus ab eo quo cœperat orientis imperium
inclinare, quæ clades extremo Phocæ principis or-
ta est anno, quo temporis spatio adeò Saracenorũ
opes creuere, ut Asia adempta ipsam sint Europam
inuadere ausi. Sed Rhodos prius petita est, Mahuiæ
ductu, quæ tametsi ad Asiam spectat, erat tamẽ ad-
Saraceni demoliuntur Colossum Rhodium huc sub imperio. Barbari insula potiti Colossum ce-
leberrimum demoliti sunt. Conflatæ materiam sta-
tuæ noningenti extulerunt Cameli, fuitque statua
ænea, ut Blondus interpretari uidetur. Cæterũ mi-
ror eum adiecisse à quo ciuitas insulæ primaria no-
men habuit, nam de Solis Colosso haud quidem in-
telligi potest, ut arbitror, quem Chares Lyndius fe-
cit, duodecim annorum spatio, trecentis talentis ex
apparatu Demetrij regis, qui mora tædio q́ue Rho-
dum obsidione fatigare destitit. Fuit opus illud se-
ptuaginta cubitorum per quod Rhodos clarum est
nomen adepta. Concidit id terræmotu anno sexto
& quinquagesimo quàm fuerit constitutum, iace-
batque Plinij temporibus iacens q́ue esse uisentibus
Colossi Rhodij magnitudo miraculo, paucis eius pollicem amplectẽtibus, ma-
iores digiti quàm pleræque statuę, uasti specus hia-
re defractis membris, spectarique intus magnæ mo
lis saxa, quorum põdere ingeniosus opifex id libra
uerat opus. Colossum hunc Saraceni nisi iacentem
depopulari non potuerunt, quum plures antea æta
tes corruisset. Mutianus, qui fuit ter consul, septua-
ginta tria milia signorum Rhodi fuisse prodidit, &
Plinius centum Colossos ab eo qui fuit Solis, eandẽ
urbem habuisse autor est. Et hæc præsentem in lo-
eum coniecisse non ab re fuit, quando Blondus au-
tor alioqui grauissimus, quædam obliquans, incer-
tum reliquit, quem tum Colossum demoliti essent
Saraceni. Platina, qui Solis Colossum interpretatur,
uideat quomodo id accipi possit, quum tanto prius
ille prostratus iacuisset, nisi ex disiecta materia tum
Barbaris præda quęsita est, quod non inepte aliquis
suspicetur, si tot ærates postrata humi moles incolu
mis iacere potuit. Saraceni, quod liquido traditur,

Rhodo supra modum afflicta, per Ægæũ delati, pari *Saracenorum initia latius euagantur. Saracenis. liam inuadit.*
clade Cycladas affligunt, proiecti inde in Sicilia pri
mo littoralem oram populantur, peruagati inde me
diterranea ferro & igni insulam nobilissimã multi-
plici clade affligunt. Occurrit eò Olympius, Italiæ
Exarchus, nauali q́; prelio cum Barbaris congressus,
adeò cruentam est uictoriã adeptus, ut propior ui-
cto quàm uictori sit insulam ingressus, cesserunt ta-
men hostes tota insula. Olympius laboriosa pugna
defatigatus in morbum incidit, quo paucis diebus
quàm ægrotare cœperat, obijt. Cõstantius nihilo per
hæc melior factus, Theodorum Caliopam iterũ I-
taliæ fecit Exarchum, præcepitq́; omnium primum
ut Romanum pontificem, quem Monothelitarũ no
mine infense oderat, ad se uinctũ mitteret. Exarchũ
uenientem Romana ciuitas benigne accepit, prioris
Exarchatus memoria, quem illi clementer & huma
ne administrauerat. Posthabuit omnia hospitalita-
tis & pristinę amicitię iura Theodorus principis im
perium secutus, ad pontificem q́; officij prętextu in-
gressus, catenas illi iniecit, uinctũq́; ad Cõstantium
misit. Eum impius princeps in Thraciam Chersone *Martinus pont. in Chersonesso obit. Eugenius pontif.*
sum relegauit, ubi inopia & egestate pressus, sexto
sui põtificatus anno uita defunctus est. Eugenius hu
ius nominis primus in defuncti locum sit pontifex,
uir Quiritij sanguinis quo tempore & Byzãtij Pau-
lus Monothelitanæ hæreseos assectator, uita decesi-
sit. Petrus qui post eum Constantinopolitanam te-
nuit sedem, tametsi meliuscule sensit, à Romanæ ta-
men ecclesiæ forma abhorruit, quapropter eius li-
teras ad Eugenium datas adeò est clerus detestatus,
ut non prius sit eum passus sacris operari, quàm im-
pij hominis literas recitasset. Agebant interea Lon-
gobardi, Arithperto rege, cum Romanis & cætera
Italia satis pacatè. Fuit Arithpertus Romanæ eccle- *Arithpertus gis munere getur eccl.*
siæ obseruantissimus, nam & Coccias Alpes illi at-
tribuit, & omnem Ligusticæ oræ tractum: mirorui- B
rum quendam nostra tempestate literarum studijs
haud ignobilẽ scripsisse Alpes Coccias esse ubi nunc
Genua sit, quum Genua ne ad Alpes quidẽ spectet.
Cæterũ quæ Coccianæ urbes fuerint, Plinius, Stra-
bo, & alij demonstrant. Fuit Arithpertus & iustitiæ
tuędæ cupidus, ut ignoto habitu interdũ per urbes *Attende Arithpertii iust.*
sui imperij, & oppida uagaretur scisciabũdus quid
de se & suis iudicibus populi loquerẽtur. Et Arith-
pertus tã tenax fuit iustitiæ, tametsi regnũ per scel-
sibi quęsuerat, Gõperti regis filio interfecto. Eo ita-
que extincto, nã in Ticinũ amnẽ cum equo coniur-
torũ motu precipitatus perijt, Pertherites & Gũi-
bertus filij pacẽ per manus acceptã haud sanctè cu-
stodiebãt, quũ uis est illis illata ab hominib⁹ sue gẽ- *Attenderat plum dem cæ discess.*
tis. Grimoaldus dux Beneuentanus, cognita duorũ
fratrũ discordia, nullũ unquam regnũ satis patiens
duorũ fuit, eã occasionẽ cõplexus, cum ingenti exer
citu Cisalpinã Galliã ingressus, Pertheritẽ Ticino ex
pulit, Gundibertũ ex Mediolano ubi ille seorsum à
fratre agebat. Fama belli huius in Galliã delata, Clo
doueus Francorũ rex ratus intestina discordia facile
solui posse Longobardorũ opes, exercitũ in Italiam
misit. Fuit Clodoueus Dagoberti filius, qui fuit Clo
tarij secundi, Clotarius hic Chelperici, Chelpericus
Clotarij primi, Clotari⁹ Clodouei qui fuit princeps
gẽtis. Sunt qui scribãt copias ad id missas, ut Gundi
pertũ & fratrẽ in regnũ restitueret. Francorũ exerci
tum post acre prœliũ, Grimoaldus dux Italiæ finib⁹
expulit. Aiũt quidã arte Gallos nõ uiribus uictos, ut
Lõgobardi simulato metu castra omnis opulẽtię &
uini in primis referta hostibus reliquerint, fugaque
temere credita, Galli sub noctẽ castra ingressi in om
nem uoluptatem, atq; in multam uini crapulam ef-
fusi, ab hoste occulte reuerso tã fœda occidione oc-
cisi sint, ut ne unus quidem sit repertus, qui eam cla-
dem suis nũtiaret. Sed quoquo modo sunt Galli ui-
cti, Grimoaldus secundum eam pugnam omnem
Cisãlpinã

Cisalpinam Galliam subegit. Hæc alibi. Romæ Eu- A
genius pontifex, per id tempus uita defunctus est,
magnum pietatis nomen adeptus, magnum comi-
tatis & magnificentiæ. Obijt tertio sui pontificatus
anno, mense nono, ad Barionæ sepultus est, fuitque
septimus in ordine pontificum ac septuagesimus.
Vitalianus põtifex max. Fit inde pontifex Vitalianus, Signiæ ortus, quo se-
dente Cæsarea Persarum regina, ueræ pietatis stu-
dio occulte cũ paucis Christiani nominis Constan-
tinopolim uenit. Fuit hic annus quo mulier digna
quæ omni æuo celebretur, tam pulchrum ausa est
facinus, sexcentesimus ab eo qui fuit primus huma
næ salutis tertius q́; & octogesimus, nisi in numero
Cęsarea reginæ accessus in Græciam. est error. Excepit uenientem reginam Constantius
exquisitissimo apparatu, estque haud multo pòst ba
ptismi lauacro admota, cuius causa fuerat tam lon-
gum iter emensa. Misit Persarũ rex legatos Byzan-
tium, qui uxorem à principe reposcerent. Respon-
sum his est reginam à nullo teneri in illius potestate
esse abire ne uellet an manere, ab ea sciscitarentur
quid in animo haberet: appellata itaque de reditu
à legatis, negauit se ad uirum redituram, nisi ille suũ
exemplum secutus, prius Christi fidem recepisset.
Persarum rex Byzantiũ uenit. Rex pientissimæ coniugis postulatis assensus, cum
quadraginta milibus hominum, pacato agmine By
zantium uenit, is quoq; honorifice acceptus est, ibi
Persa cum uniuerso comitatu est baptismo admo-
tus, actum demum recepta coniuge in regnum re-
uersus est. Hæc Platina, cui ne facile accedam, ipsius
gẽtis fortuna, Persicarumq́; rerum status facit. Nec
enim uideo quem tum regem Persæ habere potue-
rint, qui bello à Saracenis uicti, iuxtà regnum q́ue &
nomen amiserant, quanquam si rex etiam ullus in
ea tum gente fuisset, Saracenorum metu, uix credo,
esset ausus tam procul peregrinæ religionis ritum
quærere. Suspicari libet Parthorum potius regem,
quę gens non tam obnoxia tunc erat Saracenorum B
armis, quibus nominibus uideo sæpe à recentiori-
Persæ & Parthi non idem sunt. bus uariatum, ut qui Parthus esset, Persa diceretur,
& contrà Parthum dixere nonnulli, quem Persam
dicere debuerunt, quæ oblucinatio ex ipso regno-
rum nexu orta uideri potest. Et in Cæsarea fœmina
memorabili hoc fuit pietatis studium. Constantius
haud multo postquam hæc facta sunt, Italiam peti-
turus, Constantinum filium imperij consortem sibi
ascisuit, belli studium inde affingit, exercitum com
parat, quo Italiam à Barbarorum seruitute uindi-
cet. Hic illi fuit eius belli, quod parabatur, prætex-
tus. Cæterum sordidissimus princeps nefarium la
trocinium meditari, ut postea euentus declarauit.
Præmissa itaque classe, Athenas pedestri itinere pro
fectus est, hinc secundis tempestatibus in Italiam
classe delatus, Tarentum primo tenuit: inde exerci-
Constantij in Italiam accessus. tu in terram expositio, Luceriam Constantius cepit,
oppidanis facile cedentibus, ut qui in clementia
principis multum spei repositum haberent, sed Lu-
cerinis ea res exitio fuit: enimuero Constãtius prę-
dæ cupidus, urbem, ut tum res erant, prædiuitem
nullo maiore negotio receptam diripuit hostiliter,
direptam ferro & igni excidit ac diruit, uelut bar-
barico solo, & non in gremio Italiæ captam. Pari sæ
uitia pleraq; Apuliæ loca afflixit, Acheruntij Luce-
rinorum excidium sibi præponentes, fretique loci
natura, ualide suam urbem tutati sunt. Hic ille suo
frustratus proposito Beneuentum promouit castra,
maior hic rerũ apparatus, multoq́; acrius hosti incu
buit Græcus imperator, tueri se & suos Romoaldus
adolescens, patre absente, ferociterq́; hostium cona
tibus occurrere, obireq́; non solum ducis, sed & mi
litis munera, disponere in muris præsidia, crebras ir
ruptiones facere, non laboribus, non periculis par-
cere. Nec Grimoaldus cessauit in manifesto suorũ
discrimine, sed ex rota Cisalpina Gallia militem se-
cum trahẽs, circa Forum Popilij, improuiso Rauen-
natis exercitus incursu, penè fusus est. Cęterum nul
la maiore clade affectus, per Picentes in Samnium
transijt, Beneuentanis ex proximo opitulaturus.
Soluit obsidionem Constantius ad famam appro-
pinquantis hostis, quæ multo terribilior incidit in-
tercepti nuntij fraude, qui ad terrorem, & numerũ
& uires hostium supra modum auxit. Petebat de-
creto Neapolim Constantius, & iam aliquid uiæ
confecerat exercitus, quum apud Calorem amnem
Longobardi extremum agmen adorti, conserendi
manum Constantianis necessitatem imponunt. Fit
igitur prælium multo Græcis difficillimum, erat
pars copiarum non parua fluuium transgressa cum
principe, quando subsidiarij qui agmen cogebant,
coacti sunt pugnam capessere. Igitur his qui in ulte
riorem ripam euaserant, ducis uestigia seruantibus,
nec ut suis auxilio essent uadũ repetentibus, quot-
cunque ferox hostis est citra flumen adeptus, fue-
Græcorum cædes. runt quidem haud pauci numero, ad unum cecidit.
Ex Neapoli Constantius Romam petijt, uiginti mi
lia lectissimorum equitum secũm trahens, quibus
Suburrum Neapolitanum præfecit. Eunti uia Ap-
pia ad sextum lapidem Vitalianus pontifex cum cle
ro & magna parte populi prodijt obuiam. Ipse ur-
Constantius expilationem templorum meditatur. bem ingressus augustissima urbis templa accuratis-
sime inuisit, omnem templorum apparatum tacitis
lustrans oculis. Fecerat Suburrus castra in Formia-
no, ut quaq; uersum hostes uim intendissent, prestò
subsidio suis foret, siue Romam occurrendum esset,
siue Neapolim recurrendum. Romoaldus exercitu
à patre accepto, ad hostem ire pergit, dimicandi cu-
pidus. Nec Suburrus derrectauit pugnam quæ an-
Græcorum recens cædes. ceps & cruenta fuisset, nisi Græci Italum ducẽ per-
tæsi, confestim fugam fecissent. Instat fugientibus
ferox iuuenis, passimq́; dispalatos obtruncat: mul-
ti itaq; mortales desiderati sunt, & in his Suburrus,
Constantij sacrilegium. Constantij auaritia. qui omnium extremus remisit pugnam. Constan-
tius quinq; diebus in perlustranda urbe cõsumptis,
ad eam spoliandam conuertitur, ubi quicquid anti-
qui operis ex ęre & marmore fuit, quicquid oculos
potuit delectare, sublatum, aut ui reuulsum, ad na-
ues deferri iussit, ut plus ornamentorum unus se-
ptem dierum spatio urbi detraxerit, quàm Barbari
ducentorum quinquaginta octo annorum interual
lo: tot sane anni intercurrerãt à prima imperij incli-
natione, ad luctuosam illam cladem quã Romano-
rum cõpilator uerius quàm imperator, miseræ ciui
tati intulit. Et urbe per hæc deformata, duodecimo
quàm uenerat die Roma digressus, Neapolim pri-
mo, inde in Siciliã transijt, substitit q́; Syracusis tan-
diu ibi commoraturus, quoad tributum ad libitum
non ex ueteri forma imperatum, ex Italiæ urbibus,
insulis prouincijs q́; exigeretur, estq́; tanta acerbita-
te id exactum, adeò auare & superbe, ut multi non
solum fortunis spoliati sint, sed liberis etiam & uxo
ribus. Et Constantius talis quidem fuit, inuenit ta-
men breui suorum scelerum ultionem. Dum Syra-
cusis molliter & libidinosè uersatur, à suis interfici-
tur. In eius locum exercitus Mezentium imperato-
rem salutauit. Vitalianus interea diuinis intẽtus ec
clesiasticum canonem instituit, adhibuit & ad can-
tum organa, ut quidam scribunt. Misit idem Theo-
dorum antistitem, & Hadrianum abbatem, uiros et
eruditione & sanctitate illustri, in Britanniam quæ
& Anglia dicta est, qui eam gentem prædicatione
& exemplo in fide continerent. Fuit Vitalianus se-
ptuagesimus octauus in ordine pontificum, sedit q́;
annos quatuordecim & sex menses. Eum Vatica-
nus sepelit. Theodatus mox pontifex secutus est. *Theodatus põtifex max.*
Fuisset res Romana haud dubie Longobardicis ar-
mis infestata post Constantij discessum, ob ea quæ
uanus Imperator in eam gentem temere mouerat,
nisi inter initia Theodatini põtificatus intestinum
bellum esset inter duces eius gentis ortum. Cõmen

Longobardorum discordia

Quatridui pugna.

Lu. Foroiulienſis interficitur

Attende Grimoaldi celeritatem.

Popilienſium cædes.

Foropopilij excidium.

dauerat Grimoaldus in Conſtantium moturus, Ticinum cum Æmylię & Herruiæ urbibus, & Transpadano tractu Lupo Foroiulienſium duci. Is Grimoaldum ratus breui periturum (ferebantur enim Conſtantij opes multo maiores eſſe, quàm ut Grimoaldus parillis futurus crederetur) confeſtim eo ad bellum profecto regnum cœpit affectare, quod ubi Grimoaldus comperit, Bauaros, cum quibus ictum fœdus habebant Longobardi, aduerſus Lupum in Italiam accerſiuit. Polliciti ſunt eam expeditionem Bauari Grimoaldo, nihil grauate, ſimulque ad bellum neceſſaria comparant. Nec Grimoaldus Conſtantio Italia digreſſo, receptis que locis, quę circa Beneuentum hoſtis occuparat, in Lupum profectionem diſtulit. Et iam per Hetruriam citatum agmen in Galliam agebat, quum Lupus de eius reditu factus certior (de Bauario bello, quod ſibi impendebat, iam antea cognouerat) ancipiti metu territus, in Foroiulienſes conceſſit, ubi apertè oſtendit defectionem, omnia in Tranſpadanis tumultu & rebellionibus inuoluere conatus. Hęc mihi multo ueriora uidentur, quàm quod ſcribunt quidam, Lupũ idcirco habuiſſe Grimoaldum infeſtum, quia cum eo militare noluiſſet aduerſus Conſtantium, nam quid attinuiſſet Bauaros concitare, ſi maturius per ſe Grimoaldus Lupi contumaciam ulciſci potuiſſet? ſed periculum quod ab eo inſtabat, Grimoaldũ ſubegit Bauaros illius motibus opponere. Cæterum ſiue hæc ſiue alia fuit cauſa, Bauari Italiam ingreſſi, circa Fluuium (eſt id Hiſpaniæ oppidum) ubi primum hoſtem obuium habuerũt, intrepidi pugnam conſeruerunt: par ferocia & Lupianis, adeò utrique genti ad omne facinus ſupererant animi. Quatriduo collatis ſignis eſt dimicatum, cruento marte. Primum prælium proſperum fuit Lupianis, poſtero die æquo marte pugnatum, tertia luce maiore utrinque ui concurſum, Bauaris que ad montes compulſis, eorum caſtris & impedimentis ſunt hoſtes potiti. Poſtremo Bauari nouarum copiarum accęſſu aucti, acie uicerunt, fuitque pugna illa eò funeſtior Longobardis, quod eorum dux in confertiſſima ſuorum ſtrage mortem occubuit. Bauarus Foroiulienſium fines ingreſſus, cædę, incendio, rapina omnia fœdat. Fuiſſerque ea clades latius euagata, niſi Grimoaldus actis Cacano gratijs, quod ut bonum & fortem ſocium decuit ſuis rebus mature ſubueniſſet: ab eo ut confeſtim Italia excederet, obtinuiſſet. His ſucceſsib⁹ Grimoaldus elatus ulciſci ſtatuit Popilienſiũ iniuriã, à quibus fuerat ſuperiore anno non parua clade affectus, dum Beneuentanis à Conſtantio obſeſsis auxilio properaret. Simulata in Vmbros expeditione Apenninum ſuperat, ut res minus eſſet Popilienſibus ſuſpecta, occultis inde tramitibus eundem remenſus in Flaminiam ex improuiſo deſcendit, tantaque celeritate res acta eſt, ut priuſquam hoſtis adeſſe audiri potuerit, Longobardi in urbem irruperint. Erat Sabbatorum die dominicæ reſurrectionis uniuerſa ciuitas in tẽplis cæremoniarum cauſa: quo accidit ut multitudo ſacris intenta prius trucidari cœperit, quàm à quo cæderetur ſatis ſcire potuerit. Cædes teterrima eſt in ſacro & in prophano edita: ſæuitum eſt ſine diſcrimine in omnem ſexum & ætatem, infantes ſacerdotesq; unà ad fontem baptiſmi alij ſuper alios cæſi. Sic miſera ciuitate ferro cõſumpta, urbem Grimoaldus diripuit, atque ab imo euertit. Et Popilienſes per hunc modum periere. Sed dum hæc alibi geruntur, in Foroiulienſibus res nihilo quietiores fuere. Anefrites Lupi filius paternum principatum recuperaturus, Sclauos qui Delmatiæ partem tenebãt, ſpe prædæ ſecum in Italiam traxit. Cum his Foroiulianos fines ingreſſus, apud Nemaſum oppidum in inſidias præcipitatus, auxiliarium manu temere diſiecta ipſe in fuga occidit. Irritauit ea clades cæteras

A Sclauorum gentes, quæ circa Hiſtriam & Delmatiã habebant ſedes, armisque maiore ſtomacho quàm conſilio ſumptis ad Natiſonis pontem proceſſerũt. Vectaris Vicetiæ comes, quem Grimoaldus Foroiulienſium ducem creauerat, huc ferociter occurrit. Sclaui magnis ab hoſte incommodis affecti, fugientibus ſimiles retrò abire coacti ſunt. Grimoaldus à Popiliano excidio reuerſus, Opitergiũ diruit, quia compertum habuiſſet Opiterginos Anefretis conatibus fauiſſe, à cæde temperatum. Opitergio profugi Heracleam nuper conditam conceſſere. Cæterum quia locus non erat multitudinis capax, contra Heracleam littus occupant, ubi Equilum oppidum poſtea fuit. Multi etiam ex primoribus eius ciuitatis Torcellum petiere, uicum in Conſtantij gratiam Conſtantiacum dixere. Non deſunt qui id nomen inter prima initia urbis referant. Et Opitergiũ toties eſt à Barbaris exciſum. Poſuiſſem ego cunctantius extremam hanc euerſionẽ, ueritus, ne quia uarie eſſet ab autoribus relata, duo excidia eſſe crederentur, quod unum reuera fuiſſet, niſi recens hoc ſcriptores ad Grimoaldum referrent, alterum ad Rhotarim, qui aliquot regibus interiectis prius regnum tenuit in Longobardis. His Grimoaldus ſuceeſsibus elatus, iam multo maiora agitabat animo, eratque merito Romanis & Rauennatibus formidoloſus. Adduxiſſet haud dubie utranque ciuitatem in aliquod diſcrimen, niſi peropportuna mors Barbarum regem è medio ſuſtuliſſet. Sed mortis cauſa ſuo poſtea loco referenda eſt. Per idem tempus Conſtantium in Sicilia perijſſe ſcribit Blondus, nominatque Armenium quendam cædis autorem Miſſeſſum, alij Magnetium ſcribunt, quidam uero Mezentium, qui Perſico bello honeſtiſsimum duxerat ordinem. Conatus eſt homo audax imperium inuadere, militum (ut credere par eſt) fauore fretus. Sed res audacter magis quàm feliciter mota, nam ad primam Conſtantij interfecti famam adeò Italia cæteraque prouinciæ extulerunt animos lætitia, ut Italiæ Exarchus, & copiarum duces, nullũ in publico gaudio auſi ſint triſtitiæ aut mœroris ſignum oſtendere. Percrebuit inde rumor orientalis exercitus, qui in Sicilia erat, ægre noui hominis imperium ferre, ad quam famam tanta eſt animorum mutatio ſecuta, ut Rauennates milites primo Theodori Exarchi ductu, inde & Romani ſumptis armis in Siciliam traiecerint, Conſtantij cædem ulturi, ſimul ut Conſtantino eius filio imperium uindicarent: affuerunt uelut ex compoſito ex Sardinia & Aphrica auxiliares cohortes. Arcuiſſet modico negotio Miſſeſſus hinc Italos, inde Aphros milites, ſi orientalis exercitus in officio manſiſſet. Cæterum eo tumultuante (nihil enim inconſtantius eſt militari turba imperio ſoluta) patefacta eſt externis militibus inſula, nouusq; imperator facile oppreſſus. Qui audacis ſocios facinoris ſeſe illi adiunxerant in uincula cõiecti, Byzantium deportati ſunt. Scripſerunt quidam Conſtantinum in Siciliam claſſe delatum paternæ cædis fuiſſe ultorem, ſuiq; uindicẽ imperij. Sed interfuit ne Conſtantinus rebus geredis, an potius domi manſerit, dubie traditur. Tantus (quod ſatis conſtat) metus illũ inuaſit, paterna cæde nuntiata, ut facile imperio deturbari potuerit, ſi uis fuiſſet illi ab aliquo intentata. Fratres minores natu ueritus, ne quandoq; ſibi imperanti officerent, crudeliter interfecit. Quam in nouo principe imbelliam nacti Saracenorum duces, claſſem occulte comparant, Thraciã & Græciam inuaſuri, ſi quid Byzantij tumultuatũ eſſet, uerũ quia pacata inde omnia afferebant: conſulto Siciliã petũt. nouis motibus agitatã, refertãq; Rom. ſpolijs. Delati huc perpetuo curſu Syracuſas ſubita ui capiunt, nullo enim tenebantur præſidio. Cæterũ, quia tuto hic eſſe nõ poterãt Italiæ & Aphricæ propinquitate, cædẽ q̃ maximam potue-

Miſſeſſus primitur.

Conſtantis crudelitas fratres.

Conſtantius omnibus ingrata.

Saraceni Ro. urbis ornamẽta potiuntur.

Prodigia.

Donus pont.

Attende oraculum.

Pogoberti anima.

Dani decreta.

Proiectus.

Agatho pont. max.

potuerunt primum edidere, ornamenta Romanæ urbis illuc à Conſtantio congeſta, omnemq; Syracuſanam gazam in naues imponunt, opimaq; præda onuſti Ægyptum repetunt. Sunt qui ſcribant à Conſtantino Conſtantij filio omnia, quæ patèr Romanis ademerat, Byzantium delata, qui paterna cæde audita, continuo in Siciliam nauigarit, ac Miſſeſſo ſe liciter oppreſſo quicquid ſpoliorum ibi fuerit, naui ſecum extulerit, quod multo propius uero mihi uiderur, quàm quod aliqui dicunt Barbaris prædæ cõceſsiſſe, qui poſt uindicatam Conſtantij cædem inſulam inuaſere. Accedit huc non leuis coniectura, quod Byzantium huiuſmodi ornamentorum fuit iam inde abundans, ut tradunt quidam. Et hæc intra extraq; Italiam Theodato pontifice geſta, quæ mala euidentibus præmõſtrata ſunt prodigijs, quę per id tempus apparuere. Cœlum maximo ſpectantium terrore dece dies eſt uiſum ardere, & mox eo triennio crinita ſtella tribus menſibus apparuit, ceciderunt q; cœlo imbres perpetui, & tonitrua horrenda, qualia nunquam hominum memoria fuerãt audita, creberq; caſus fulminum, quibus expiandis ſæpe Theodatus ſupplicationem indixit populo, & ipſe ſolenni more pompam ſecutus eſt. Obijt diem Theodatus magno dolore ciuitatis anno pontificatus ſui quarto, in Vaticano ſitus eſt. Donus eſt inde ſedem adeptus. Hoc pontifice Grimoaldus, de quo ſuprà non uno loco incidit mentio, uita deceſsit, ut ſcribunt quidam, adijciuntq; quum nono à phlebotomia die acrius arcum intendiſſet, nimia uenarum intentione cicatrice abrupta, ſubito ſanguinem exiluiſſe, nec amplius ſiſti potuiſſe, atq; ita regem conſumptum. Fuit Grimoaldus non tantum rei bellicę peritus, ſed ciuili etiam otio utilis, quippe qui aliquot capita addiderit Rhotaris edicto, quæ ad poſteros formam & uim legum habuere. Ædificauit & Ticini Ambroſij Phanum, in quo ſepultus eſt. Erat Arithpertus, quem ille paterno regno ſpoliauit, per id tempus in Gallia, iamiam in Britanniam traiecturus, quum incerta uoce moneri ſibi uiſus eſt, ut Grimoaldo extincto, paternum regnum repeteret. Id oraculum ille ſecutus, tertio menſe à Crimoaldi interitu regnum unde exciderat, ſine certamine recuperauit. Perijt ſub id tempus Dagobertus Francorum rex, cuius anima à dæmonibus Lipara tenus delata eſt, ut quidam ſcribunt, ac demũ ſeruata, Martini, Dionyſij, & Mauritij auxilio, quos ille ex omni cœlitũ numero præcipua coluit religione. Donus pontifex ueſtibulum Vaticanæ Baſilicæ marmoribus ſtrauit. Clerũ diuerſis ordinibus diſtinxit, honoribusq; auxit uarijs. Monachos Syriacæ gentis, cum Neſtorianis ſentientes, ex Boëtiano monaſterio deiectos, in pauca quædam orthodoxæ fidei loca diſtribuit, Boëtianũ Romanis colendũ attribuit. Rauennatem eccleſiam à Romana diſsidentẽ apoſtolicæ ſedi reddidit obſequentioré, tantũ ualuit & ingenio & doctrina. Per idẽ tẽpus Proiectus antiſtes in Cameracenſi agro martyriũ adijt ob Chriſti fidẽ. Mezelindis ab Ardenio amatore petita, multisque cruciatibus affecta, in tuenda pudicitia lucis reſtitutionem impetrauit è cœlo ſupplicij ſui & cruciatus autori, qui medio conatu captus fuit luminib⁹. Sedit Donus annos quinq; & aliquid amplius. Vaticana fuit illi ſepulchro. Succeſsit Agatho Siculus octogeſimus primus à Bariona. Fuit annus hic, quo Agatho pontifex eſt factus, ſi Platina rectè colligit, ſeptingenteſimus ſecundus humanæ ſalutis. Agathone ſedente Rauennas eccleſia eſt ad officiũ reuocata, ut ſcribit Blondus. Platina ad Donũ, qui præceſsit, id decus refert. Cæterũ quocũq; pontifice res acta eſt, Theodorus Rauennas à Clero cõtumelioſe deſtitutus in illius inuidiam Rauennatẽ eccleſiam priuo aſtipulatu Romanæ ſubiecit. Conſtantinus decimo imperij anno aduerſus Saracenos proſperè

A dimicauit. Locum in quo ſit pugnatũ, neq; ponunt autores, quos ſequimur, neq; militum numerũ, non deſunt tamen qui triginta Saracenorũ milia uno dicant prælio deleta, cui fidei ne accedunt quidẽ alij. Ego uel ex eo inclytam fuiſſe uictoriam autumo, q̃ Saraceni eo bello ſunt imperij uectigales facti. Sunt qui immenſam Saracenorũ claſſem deletam dicant, non ui aliqua, ſed à Galeno quodam ab Heleopoli Syriæ transfuga, qui rationem oſtenderit ignis ſub aqua ardentis. Fuit pax hæc, quæ cũ Saracenis ſancita eſt, imperij rebus peropportuna: nam Bulgari diuerſi ab ijs, qui iam antea Danubium accolebant, de quibus aliquoties ad hunc locũ fuit ſermo, ſed tum primũ Scythiæ finibus egreſi, Thraciã tumultuoſius adorti, omnia terroris compleuerant. Conflixit cum his Conſtantinus in Pannoniæ & ſuperioris Myſiæ confinio, fuitq; pugna illa Græcis infelix, eratq; ob cladem uno prælio acceptam de uictoria hoſtibus conceſſum, abibatq; Conſtantinus retrò, fugienti ſimilis, quum pax præter ſpem eſt illi à Barbaris oblata, cupide eam imperator complexus, fœdusque in ea quæ pomitterentur, eſt inter principem & Bulgaros ictum, quo utraque Myſia illis conceſſa eſt, quam terram Danubio proximam hodie quoq; obtinet gens ferox & bellicoſa, ac ſecundum Pannones, ex omnibus gẽtibus, qui ad ſeptentrionem uergunt, ad Turcarum conatus aut remorandos, aut infringendos, Chriſtiano nomini utiliſſima. Quieuere inde Bulgari nõnihil, uerũ ea nulla pax ſatis firma eſſe poteſt inter ferocis ingenij populos, ſæpe pace belloque eſt cum his alternatum, quoad Cyrillus prædicatione & miraculis eam gentem traxit ad Chriſtianæ fidei cultum. Fama eſt primum regem in Bulgaris Trebellium uocatum, is monaſticam ſecutus uitam, ex duobus filijs regnũ maiori natu reliquit. Rediit nouus rex non multo B pòſt ad malorum dæmonum cultum, pietatem patris & inſtitutum aſpernatus. Nec id filij ſcelus tulit Trebellius, ſed perſona quam gerebat ad tempus depoſita, regiam induit, receptoq; regni gubernaculo, filium impietatis increpitum luminibus priuat, regnum dat minori natu habendum, quod piè ex ſuoq; inſtituto adminiſtraret, ipſeq; id documentũ dediſſe contentus, continuò ſe in ordinem redegit. Conſtantius Byzantium reuerſus, ex Agathonis ſententia, conuentum habuit ducentorum & amplius antiſtitum, ut Monothelitarum cauſa quandoq; cognoſceretur. Occurrerunt eò Romani pontificis legati. Aſſerebãt Monothelitæ unam in Chriſto fuiſſe uoluntatem, eſtq; eorum cauſa per Gregorium Conſtantinopolitanum antiſtitem, & Macarium Antiochenum acta. Sed is multo pertinacius errorem tutatus eſt. Gregorius auditis quæ ab orthodoxæ fidei uiris afferebantur, facile ceſsit. Antiochenus impietatis damnatus, priuatusq; dignitate, Romã relegatur. Damnati cum eo Sergius & Pyrrhus, aliaque Monothelitanæ peſtis capita. Operatus eſt inde ſacris in Sophiæ templo auguſtiſsimo Ioannes Portuenſis antiſtes, pontificis legatus, peregitq; ſacrum Romano ritu, Conſtantino & Gregorio antiſtite, aliisq; claris Graiæ eccleſiæ nominibus cum uniuerſo populo aſtantibus, eſtq; ea diuinorum ratio frugi & ſalutaris uiſa, omnibus una uoce teſtantibus ſanctum uideri piumq; ſacrificãdi ritum, quẽ Romana ſanxiſſet eccleſia, diſcedere à recto & honeſto, quicunq; eum non probaret. Fuit hic antiſtitum cõuentus, cuius nunc mentio facta eſt, ex celebratiſsimis, quos terra uidit Græcia, ſextus in ordine. Primus quidem Niceæ habitus Conſtantini Magni tempo ribus, Iulio ſedẽte, qui ſextus & trigeſimus fuit pontifex, eſtq; tunc Arrius damnatus, qui diuerſas in trinitate ſubſtantias aſſeruit. Conſtantinopolitanus alter ab eo quem diximus, memoratur, Gratiano principe, & Damaſco pontifice, qui undequadrageſi-

Attende commentum homi-nis.

Qui hominum Bulgari.

Pulchrum Trebellij facinus.

Monotheli-tarum dogma re probatur.

Ro. ſacrorum ritus probatur à Græcis.

Nobiliſſimæ Græciæ ſynodi.

gesimus fuit à Bariona, res acta in Macedonium & Eudoxum, negantes deum esse spiritum sanctum. Tertius Ephesinus, Theodosio imperante, & q quintus & quadragesimus pontifex fuit, Apostolicam Cœlestino sedem tenente, in eo Nestorius Constantinopolitanus antistes impugnatus, qui Mariā deiparam, hominis non dei matrem fuisse aiebat, quiq; aliam personā carnis dicere, aliam diuinitatis. Chalcedonius quarto loco celebratur, Leone pontifice, Martiano imperante. Eutychianus error in eo discussus. Fuit Eutyches Constantinopolitanus abbas. Asserebat Christum, post humanam assumptionem non ex duabus naturis consistere, sed sola diuina fuisse contentum. Cœlestino Leo successit, cuius pximè mentio facta est, uno Sixto interiecto. Theodorus quinto est conuentu oppugnatus, qui Byzantij est habitus. Aiebat impius Theodorus, diuam uirginem solum hominem peperisse, non deū & hominem, estq; in ea synodo decretum ut Christi mater Theotocos, id est, Deipara diceret. Nouissimus hic, ubi Macarius Antiochenus damnatur, est hic quoq; Byzantij celebratus. Arbitrari Antiochenus ille, & qui cum eo sentiebant, unam in Christo fuisse uoluntatē, atq; ob eam rem Monothelitæ dicti. Astipulantur priorum opinioni Damiani Ticinensis literæ, siue quia ambigitur Mansuerti potius Mediolanensis illæ fuerint. Erat in his. Vera est dei hominis fides, ut duæ credantur in Christo uolūtates. Ego, inquit, & pater unum sumus, si diuinitatē spectes, si humanitatem, quia pater maior me est. Sequuntur inde. Christum in naui dormiētem cernis ut hominem, ut deum mari & uentis imperantem. Agatho, quo pontifice Lunæ & Solis deliquio, atro cic̄; pestilētia est laboratum, altero sui pontificatus anno, uita defungitur. Leo huius nominis secūdus post illum est pontifex creatus, Græcè & Latinè doctus, Psalmodiam scripsit, hymnos redegit ad concentū multo suauiorem. Huius illud est, ut in sacrorū cæremonia, pax astanti circūferatur populo. Instituit adhæc ne Rauennatis cleri lectio teneret, nisi eā Romanus probasset pontifex. Prius Exarchorū potestas sacra & prophana promiscue sanciebat. Sanxit idem pontifex ne ad archiepiscopatum quisquā assumptus pro pallij usu aliorúmue officiorum aliquid penderet ecclesiæ. Hæc Leo. Rhomoaldus interea dux Beneuentanus, cum ualido exercitu Tarentum & Brundusium cum tota Apulia, suis adijcit opibus, ex cuius uictoriæ manubijs, Theodata Rhomoaldi circa Tarentum Petro Barionæ statuit templum, augustiusq; fecit frequenti uirginum cœtu. Obijt inde Rhomoaldus, cui Grimoaldus, auito nomine successit sine uirili stirpe, traditit̄q; ob eam rem Sisulpho fratri principatū habendum. Sed hæc pòst. Leo qui alter ab octogesimo fuit pontifex, decimo q̄ sedere cœpit mense, uita decessit. Raro alius ex ea humanę pietatis arce maiorem tulit laudē. Benedictus Romæ genitus post Leonē est pontificatū adeptus. Multa in homine eruditio, nec minor sanctitas, quæ bona animi Constantinus in Rom. pontifice cōplexus statuit, ut quem iam inde clerus Populusq; Ro. cum exercitu pontificē creassent, is uere uicem Christi in terris gerere crederetur, quū ad id tempus Constantinopolitani principis Exarchíue autoritas eam ratam pontifici faceret dignitatē. Pertharis, qui à Grimoaldi maioris interitu paternum recuperauerat regnum, ut uir erat pietate insigni, Agathæ Phanum Ticini per id tempus statuit, cui uirginalem cœtum attribuit sacrorū causa. Rhodelinda uxor domesticæ pietatis æmula, Deiparæ uirgini extra urbem alterum erexit templum, quod ad Perticas est nuncupatum. Et, ut latè patebant tū eius gentis opes, dum Grimoaldus & uxor hęc piè operātur, Alachis Tridentinus dux in Bauaros accolas feliciter dimicat, Grauione eius gētis rege interfecto. Extulit una felix pugna Alachis animū, & ut res læræ sunt ad superbiam pronæ, ex contēptu belIum Perthari & Cuniperto regibus intulit. Quæ sit huic bello causa prætensa, quæue Bauarico, scriptores quos sequimur, non tradūt. Est itaq; aliquoties inter reges & Alachim dimicatum, semperq; cruēto marte, inclinauit tandē uictoria ad reges, Alachisq; Tridentū compellitur. Vrbē Tridentini haud multo pòst regib⁹ dedidere. Est & Alachi qui media obsidione fugam occupauit, data uenia, quē Cunipertus etsi patre non probante Brixiæ ducē præfecit. Benedictus pontifex per id tempus Barionæ templum in Vaticano, Laurentij martyris in Lucina, Valentiniani uia Flaminia, Deiparæ uirginis ad martyres magno sumptu restituit, Ophitico atq; Porphyritico lapide & parietū incrustatione, operec̄; uermiculato. Cōtulit ex auro & argēto uasa, uestem holosericam, & auro intextam ad sacrorum usum. Prodiderunt quidam cœlestium rerū ignari, eodem pontifice, sub dominici natalis diem Vergiliarū ortu stellam apparuisse, quæ totis diebus & noctibus luxerit ad Epiphaniā usq;, quo nihil potest uideri minus scitè positum, tanq̄ non satis constet Vergilias, circa uernum æquinoctiū, ad ix. Kaleñ. Aprilis oriri, nisi aliquis interpretetur iuxta sidus Vergiliarū cometen obseruatū, ut in mundi circūactu Vergilias comitaretur, cui interpretationi repugnat eruditorū opinio. Enimuero tametsi falso quida cometas perpetua esse sidera arbitrati sint, ac cum mundo agi plurimū: tamen in arctico circulo huiusmodi phasmata existūt, & ut uerius dicitur, ex fortuito humore & ui ignea concrescunt, ac multum infra stellas, ut cum mundo agi non possint. Per idem tempus Vesuuius mons tantam uim ignium repente euomuit, ut circumiecta loca sint passim incendio consumpta, quod aliquod antè ętatibus acciderat, Tito qui fuit Vespasiani filius imperante, si Tranquillus uerus est autor: quo magis miror Platinam persuasum habuisse, Eusebij credo autoritate adductum, Traiano principe Vesuuiū deflagrasse. Benedictus qui quandiu pontifex uixit, in multa fuit ueneratione, decimo quàm sedere cœperat mense moritur. Ioannes, qui nominis huius fuit quintus, sedem inde tenuit patria Antiochenus. Inter huius pōtificatus initia Cōstantinus imperator obijt, quum septendecim imperatum esset ab eo annos. Iustinianus iunior à patre accepit imperium. Saraceni sub id tempus rati, ut credere par est, fore ut nouū aliquod certamen oriretur de imperij possessione, quod sæpe acciderat, Aphricam bello inuadūt. Hic incredibili successu omnia ad mare expolita armis subigunt. Contrahit ad hos motus Iustinianus exercitū, prouinciam armis uindicaturus. Abimelechus qui Armiratus erat (id enim eius gentis duci tum nomen fuit) noui exercitus fama territus, pacem per legatos petijt, quam libens Iustinianus cōplexus est, sanxitq; fœdere, quo Aphricā recepit. Fuerunt qui traderent fuisse in fœdere ascriptū, ut Saraceni in decē proximos annos singulis diebus penderēt mille aureos Ro. imperatori, equum unum, & mancipium unum suæ gentis. Eratq; hic rerum status alibi. In Gallia per id tempus Theodoricus Francorū rex, à Pipino Austrasiorum rege bis prælio uictus, regni administrationem uictori permisit. Hinc Carolus il le cognomento Magnus, Italiæ assertor fuit: hinc longa regum series, in qua tot Christiani nominis lumina emicuerūt. Ioannes pontifex à tribus antistibus in Lateranensi æde, ut Leo, consecratus est, qui mos ad posteros transijt. Viri ea tempestate clari. Felix Flauiani patruus, cui eruditionis causa Condipertus, Arithperti filius, Longobardorum rex baculum dono dedit, auro & argento munitum. Ioannes Bergomi antistes, cui idem ille Condipertus & alij eius gentis, qui præcesserant, sanctitatis & doctrinæ opinione assurgere consueuerant. Ioannes pontifex maximus fatalem diem obijt, quum ne integrum quidem annum sedisset. Librum scripsit de pallij dignitate. Vaticano tegit. Conō Thrax genere, in Sicilia educatus, uacuam est sedem adeptus, uir siue animi dotes, siue bona corporis spectes, eo dignitatis fastigio non indignus, præter pietatem & eruditionem cæterasq; uirtutes, quæ illi superfuerunt, ueneranda canities, & dignitas formę tanta in eo fuit, ut plerique angelicum uocarent. In nullo unquam pontifice creando maior extitit ordinum consensus. Præstitit & Theodorus Exarchus suum assensum, cui non multo pòst defuncto Ioannes cognomine Platina, alij Platym habuit, successit: hunc Platina, quem sequimur in historia, autore loci fuisse arbitratur, quem in Cremonēsi agro ipse splendore sui nominis magis quàm conditor illustrauit, si Exarchus ille Platinæ uere conditor fuit, nec Cononis pontificatus annum impleuit. Ambiuit uacaturam sedem Paschalis, pontificij thesauri custos, sacra pecunia in id largius effusa, multo iustius pauperibus distribuenda, profusa Exarchum largitione affectatus, ut pontificatum sibi astrueret. Accepit Exarchus, sed pollicita ad extremum non præstitit. Fuerūt ea tempestate uiri sanctitate & doctrina clari. Gubertus Britannus antistes, Leodegarius Augustodunensis, quem Theodoricus Gallorum rex interfecit, quum tyrannicæ administrationis ab eo argueretur, & Audocus Rotomagensis. Fuit Conon quintus & octogesimus pontificum, cui Sergius successit patria Antiochenus. Nec sine motu res transacta, Paschalis & Theodorus, qui eā dignitatem ambibāt, uniuersum populum in duas traxerant factiones, nec procul aberat quin armis in media urbe decertaretur, quum Sergius repente est à paucis salutatus. Secutus inde est ad tollendā discordiam utrarumq; partium assensus, quum pars tium neutra alteri cessura esset, utraq; est nouū hominem libentius complexa, quàm quem nuper impugnasset, & Sergius per hæc ad humanæ pietatis fastigium est productus, ad quod ille sanctitate uitæ multaq; innocentia haud dubiè fecerat sibi gradum. Cœmiteria urbis priuatus unus omnium pio affectu frequentare, sacrisq; in his plurimum operari. Nec Paschalis destitit Exarchum solicitare, ut urbem peteret, qui profusa largitione iam antea captus, & tunc nouis oneratus pollicitationibus Romam uenit, cæterum uictus ciuitatis consensu maiore conatu abstinuit. Instare nihilominus improbus ille, poscereque impudentius ut sibi promissa exoluerentur. Sed Sergio eam largitionem nō probante, quum nihil Exarchus ex pontificia pecunia speraret amplius, donaria quædam ex Vaticano templo sustulit, adeò omni tēpore reperti sunt qui malis artibus, si bonis nequeant, sibi gradum ad dignitatem facerent, quiq; sacrilegio se polluere mallent, quàm frugaliter & innocenter uitam agere. Nec Paschalis scelus diu mansit inultum. Enimuero sortilegij accusatus, flagitijq; cōuictus, in monasterium pœnitentiæ causa obtruditur, ubi quinquenio pòst nihilo melior factus (animorum enim morbo sola mors medetur) uitam cum morte commutauit. Obijt per id tempus Cunipertus rex, filiumq; Liuthpertum reliquit sub Asprandi ducis strenui tutela. Fuit tum pax tanta ubiq; gentium, quanta raro aliàs hominum memoria. Sed quo breuior esset, Iustiniani principis fecit inconstantia, qui uiolato fœdere quod cum Saracenis habebat, in Mesopotamia & Perside multis eam gētem affecit incommodis. Sed breui Mesopotamia eiectus, præter ignominiā multo maiora accepit damna quàm intulerit. Composuit tamen bellum utcunque potuit, fœdere iterum cum Saracenis icto. Cæterum præsenti labore defunctus, pari stultitia in aliud discrimen incidit. Enimuero pacem aspernatus cum Bulgaris à patre constitutam, ipsi genti bellum eximprouiso intulit. Perculit res subita hostem, nec in magna animorum consternatione potuit ab initio iniuriæ ire obuiam, sunt proinde Iustiniani signa aliquandiu per hosticum euagata, fœdataque est interim utraque Mysia, quæ Bulgaris fœderē cesserant, omnia cædibus & incendio repleta. Animaduersa interea Iustiniani temeritate, & imperitia bellandi, dissolutaq; Græcorum militia, Bulgari, qui in superioris Mysiæ ardua concesserant, nihil grauatè ferre quòd hostis licentiæ assuescaret, ac spe prædæ longius à signis aberraret. Ipsi interim obstruunt saltus, & locorum angustias, per quas hostis erat retrò abiturus. Quod Barbarorum consilium ubi satis exploratum habuit Iustinianus, cum Bulgaris ita bellum decidit, ut captiuis cum omni præda restituris, pacem sibi precario redditam, suo suorumque ducum sacramento sanxerit. Et Bulgaricum bellum hunc exitum habuit. Eodem anno & in Gallia bellatum: fuitque id bellum eò ad posteros magis memorabile, quod maius inde Christiano nomini quàm ex ullo antea bello lumen affulsit, tum enim Caroli nomen omnibus terris celebre futurum cœpit illustrari. Sed tam pulchræ familiæ exordia, proximo sunt uolumine referenda.

Theotocos.

Leo secundus pont. max. Leonis secundi decreta.

Benedictus pōtifex maximus

Quæ fuerit imperatorum autoritas.

Benedictus pontifex maximus.

Attende ignominiosam pacem.

Vesuuius flagrauit.

Ioannes pontifex maximus.

Iustinianus iunior imperator.

Attende cum Saracenis.

Attende pacatissimum rerū statum.

Doctrinæ opinione assurgere consueuerant.

Conon pontifex angelicus.

Ioannes pontifex maximus.

Viri illustres.

Sergius pont.

Bulgaricum bellum.

Attende ignominiosam pacem.

Noua Longobardorum discordia.

ENNEADIS VIII. LIBER VII.

RAnt in Austrasiorū gente duo reguli fratres. Martino fuit uni nomē, alteri Pipino, cui postea breui est cognomen inditum. Platina Austriæ ducem Pipinum fuisse ait, non regem. Cæterum quacunq; sunt fratres illi tunc dignitate functi, his Theodoricus Francorum rex, apud quosdam Hillericum pro Theodorico scriptum reperio, alij Chilpericum scribunt, adeò obscurè multa à nostris de Francorum uetustate produntur. Is quocunque fuit nomine, Ebroini cuiusdam, cuius consilijs libens acquiescebat, impulsu bellum intulit. Occurrunt Austrasij fratres Theodorico ad uicum Lucofodum, ac statim commisso prælio uicti acie, cum multa cęde funduntur. Martinus hostium fidem secutus, illorum fraude perijt. Nec multo pòst Ebroinus ab Hermenfrido interficitur. Pipinus pace cum Theodorico (quidam Hillericum scribunt) instaurata, facile tenuit ut Hermenfridus in Ebroini locum, ad rerum administrationem admitteretur. Et Pipinus à quo tam pulchrum regum stemma est, his se auspicijs Francorū rebus immiscuit. In Italia interim Longobardorum res in magno motu esse, Raginbertus Taurinensiū dux iniquè & permolestè ferre Asprandū sibi prælatum in regij pueri tutela. Induit ad eam rem in nouum regem arma, conflixitque circa Nouariam cum Asprando & alijs ducibus, qui in fide & officio erant. Vicit ea pugna Raginbertus egregiè, estq; ex huiusmodi uictoria Ticino potitus, regiam urbem adeptus, occupat statim & regium nomen. Nec ita multo pòst Raginbertus moriens regnum Aricherto filio reliquit. Is paternis fretus opibus, fretus & exercitu qui florentissimus aderat, aduersus Liuthpertum, & omnes Longobardorum duces, qui totis uiribus connixi bellum reparauerant, ut regium puerum restituerent, ad Ticinum amnem in aciem descendit. Certatum est ibi loci totis Cisalpinæ Galliæ uiribus, fuit atrox pugna, ac diu anceps. Postremo regij duces uicti fugam capessunt. Liuthpertus puer in hostium potestatem uenit, alij partium duces aliò fuga dilapsi. Rhotaris dux, Laude Pom-

Pompeij præsidio & opere firmata, Bergomum cō-
cessit. Hic à Zatone, Pharone, & alijs ducibus fu-
gæ comitibus in Arichperti inuidiam rex consaluta
tur. Persuasum credo habuere, qui acie excesserant,
regium puerum illico ab hoste interfectum. His cō-
motus Arichpertus cōfestim in Rhotarim est profe
ctus, captaque Pompeij Laude, Bergomum aliquā-
Tonderi in Lō gobardis probrosum. diu obsedit, postremo urbem deditam recepit, Rho
tarim captum totondit, quod maximum erat in ea
gente opprobrium, paucisq; dein diebus cū Liuth-
perto iugulari iussit: quibus interfectis, Arichper-
tus Comacinæ oppidū inuasit. Huc ex acie Aspran-
dus perfugerat, cæterum audito hostis aduentu fu-
gā occupat, Italiaque porrò relicta ad Bauaros profi
ciscitur. Comacinæ insulæ oppidum ui captum A-
richpertus diruit. Quieuisset alibi Italia inter hos
motus, atque omnium maxime Romana ciuitas, ni
si Iustiniani inquietus animus concordiam à Con-
stantino patre cum Romanis pontificibus inchoa-
tam nouis turbasset motibus. Siquidem magno an
tistitum cōuentu Byzantium indicto passus est, aut
certè autor fuit, nam hæc parum liquido traduntur,
aliqua decerni ab orthodoxæ fidei ritu abhorrētia.
His tametsi oratores à Romano pontifice missi im-
prudenter fuerant chirographo assensi, censuit ta-
men Sergius indigna esse quæ reciperentur. Quid
in eo conuentu sit decretum, ab ijs quos sequimur,
haud diserte ponitur, cæterum quicquid celeberri-
ma illa synodo est decretum, quia Sergius irritū ha-
buisset, excanduit Iustinianus uehementer, & ut e-
rat in omne facinus præceps, Zachariam Protospa-
tharium quem Romani militiæ principem recte di
xerint, in Italiam misit, qui Sergium ad se uinctum
Byzantium deportaret. Inhorruit Romana ciuitas,
ac cætera Italia, ubi de impio Principis mandato est
auditum, mœror ingens occupat animos, fuissetque
id scelus haud dubiè perpetratum, nisi milites Ra- B
uennatis exercitus, quum pietatis officio, tum odio
principis ducti, citato agmine Romam petijssent,
pontificiam dignitatē ab ea iniuria uindicaturi. His
Zacharias motibus perculsus, & quia ad famam Ra
uennatis exercitus aduentantis Romani animū ex-
tulisse uidebātur, sibi metuens Sergij fidem implo-
rat, fuisset proculdubio populi & exercitus incursu
descerptus in Iustiniani inuidiam, nisi pontificis au-
toritas intercessisset, quē periculo seruatum honori-
ficè Sergius à se dimisit. Sed dum ille Byzātium re
petit, Iustinianus suæ impietatis interim dedit pœ-
nas. Cōtraxerat is ad id tempus grandem offensam
apud populum atque optimum quenque, esseque
omnibus odio, quòd pateretur matrem suam Ana-
stasiam, à Stephano quodam Persa, sacellario suo, ui
ro flagitioſissimo, cui Byzantij administrationem
permiserat, ad bellū exiturus, per contemptū uerbe
rari. Expedit igit maternæ cōtumeliæ pœnas. Leon
tius patritij sanguinis, Callinico antistite, populum
ad arma conciuit, carceres refregit, inhibitoque im-
perio, Iustinianum in suam potestatem redegit, de-
fectisque illi naso & auribus in Chersonesum rele
gat. Fuerunt quum alia quædam atrocia facta Iusti-
niano inuidiæ tum Rauennæ urbis Græcis charissi
mæ excidium. Enimuero à Gothis recepta semper
una hæc manserat in fide imperij, fueratque Exar-
chorum sedes facta. Rauennates, & si iniquo animo
ferebant suam ecclesiam Agathonis pontificatu Ro
manæ subiectam, cum qua de dignitate nonnun-
quam fuerat certatum (id quonam modo accidisset
loco non multo hinc diuerso est abunde demonstra
tum) Constantini tamen imperatoris autoritatem
ueriti cui optime cum Agathone conueniebat, ueri
ti & Olympium Exarchum, quem Theodorus Ra-
uennas antistes autorem eius rei & comitē habuit,
quum Romam profectus est ad ecclesiam suam apo
stolicæ sedi subigendam, ad tempus quieuere. Feli-
cis inde antistitis impulsu perciti, qui longa oratio-
ne questus pro concione, quod indignè uetustum
decus, unius Theodori siue stultitia siue desperatio-
ne, esset Rauennati ecclesiæ ademptum, facile ci- *Rauennatum motus.*
ues perpulit, ut animos extulerint ad libertatē suæ
ecclesiæ uindicandam. Cæterum quum omnia te-
mere fierent, defectionis speciem habuit ille motus
uerius quàm assertionis. Imperauit itaque Iustinia-
nus Theodoro, qui cum classe erat in Sicilia, ut octo
nauium numero Italiam peteret, cum Felice ageret
ut Romano pontifici satisfaceret, ac siquid temere
ipsius culpa offensum esset, corrigeret: si imperata
non fecisset, eum uinctum cum primoribus ciuita-
tis ad se Byzantiū mitteret. Id ubi palàm est Rauen
nę factū, maior continuò motus oritur, accersuntq;
Rauennates ex finitimis urbibus auxilia, Cæsena,
Ceruia, Comacho, Forocornelio, quæ ubi Theodo-
ro nuntiata sunt, ratus nō uerbis rem agendam, sed
ui & armis, cum classe quam aduexerat, & appendi
cibus Venetorum Rauennam admigrauit. Conati
sunt Rauennates Græci ducis appulsum inhibere
populariter ad mare progressi, uerum intuiti milite
haud uno loco in littus irrumpentem, quia sine du-
ce & imperio incompta multitudo pugnam iniuis-
set, facile in fugam uertuntur. Theodorani hostem
consectati, dispalatos difectosq; passim trucidant, *Attendat uenustas dem.*
inhærentesque pertinacius uestigio urbem irrum-
punt. Theodorus Rauenna potitus ex autoribus de
fectionis quosdam occidit, alios Romam relegauit,
multo plures eorum bonis diuenditis cum Felice
antistite uinctos Constantinopolim duxit. Felici
candentis æris obiectu lucem Iustinianus ademit,
cæteri fontes per Bithyniæ & Ponticæ oræ oppida
diuisi sunt. Et Rauennates Iustiniani imperio hanc
cladem adiere, quæ res auxit, ut credere æquū est,
illius inuidiam. Sunt qui non negent hæc quæ ad
Rauennatium excidium attinent Iustiniani impe-
rio facta, sed Iustiniani ab exilio reuersi, nec prius
circa Rauennam tale aliquid fieri contigisse, quàm
ille imperio exciderit. Ipse uero, quacunq; fit de cau
sa multitudinis fauore destitutus, per eum modum
quem dixi, imperium amisit, ad quem rerum motū
Saraceni confestim animos extulerunt, Abimele-
chiq; Armirathi ductu Aphricam inuadunt. Ad eam
uim inhibendam Ioannes patritius est à Leontio cū
exercitu in eam prouinciam missus. Is Barbaros a-
cie uictos breui tota Aphrica expulit. Erant Sarace- *Saracenorum opes.*
norum opes in Syria totoq; oriente tam ualidæ, ut
iam merito omnibus essent gentibus formidolo-
sæ. Id Ioannes secum reputans, ratusq; prouinciam,
quam tenebat, cum ijs copijs, quæ aderant, diutius
defendi non posse, relicto in Aphrica exercitu, By-
zantium nauigauit, ut à Leontio nouas in supple-
mentum accipiat copias. Nemo erat qui non persua
sum haberet fore, ut barbari non multo pòst maio-
re aliquanto quàm antea apparatu, Aphricā ex Ægy
pto quam tenebant, inuaderent. Cæterum dum By
zantij omnia segnius fiunt, Aphricanus exercitus
Absimarum, cui Tiberio cognomē fuit, tumultuo- *Tiberius im perator fin gitur.*
se sibi creat imperatorem. Tiberius, recepto impe-
rio cum præcipua parte copiarum, Constantinopo-
lim ire pergit, ut prius Leontium quàm parare pos-
set arma, opprimeret. Subitus accessus fecit, ut sine
ullo maiore negotio nouus sit imperator Byzantio
potitus. Leontium in potestatem redactum, truncis
naribus in uincula conijcit. Et res in hoc statu erant
alibi terrarum. In Gallia per id tempus Pipinus ob-
tinebat (Sunt qui Pepinum pro Pipino scribant) re
giæ Francorum domus magisterium, qui Austriam
recepit. Vrebatur Theodoricus eius gentis rex, Ber
tarij cuiusdam operam, in regni administratione. Is
quum non minus auarè quàm superbè omnia labe-
factaret, esseтq; ob id populis & ciuitatibus inuisus,
Pipinus quem Francorum odia in Bertarium non

Attende Pipini facinus.
latebant (apud quosdam Ebroinum pro Bertario A
legere est) uniuersę gratificaturus genti, ex tota Au-
stria uires comparat, se communis iniuriæ ultorem
profiteturus. Nec Theodoricus & Bertarius in eo mo-
tu quicuere, sed structo exercitu prodeunt Pipino
obuiam. Bis ad Bicophalum dimicatum est uario e-
uentu, ad postremum egregie uicit Pipinus, pulsoq;
Bertario Theodoricum restituit, se regię domus, regni-
que moderatorem pronuntiat. Apud quosdam
scriptum reperio bis ad Bicophalum Pipinum præ-
lio superatum, uictumq; in Austriam abijsse. Tertio
que ad Textricium cum Theodorico acie congres-
sum, fuisseque eam pugnam illi non solum prospe-
ram, sed regię aulę magisterium comparasse. Verum
enimuero Pipinus compos uoti factus nō multum
inde in aulicis delicijs desedit, sed Mundiberto uno
ex suis ducibus uicariæ administrationi admoto, in
Austriam reuertitur. Obijtq; breui pòst Theodori-
cus, à quo regnum Clodoueus filius per manus acce
pit. Is biennio quo regnare cœperat, fato consump-
tus est. Adeptus est inde regnum Childebertus,
Theodorici frater, quo regnum tenente, Pipinus
Pipini gesta. Grimoaldum filium regiæ domui præfecit. Estque
per hæc Pipini nomen maiorem in modum nobili-
tatū, multa & grauia bella deinde gessit cum Sueuis
alijsque Germanici nominis gentibus. Romæ in-
terea Sergius pontifex maximus partem dominicæ
crucis inuenit, in Vaticano ad Barionæ æneа capsa
Sergij pontif. opera. inclusam. Excoluit partem templi anteriorem uer-
miculato opere. Leonis pontificis corpus ex humi-
li sepulchro sublatum, nobiliori intulit, Apostō-
lorum simulachra uetustate oblita renouauit, sacro-
rum locorum opera aut collapsa restituit, aut ex in-
tegro fundauit. Sergij huius est illud, in Eucharistiæ
fractione, ut Agnus Dei (notum est carmen) dicat
sacerdos. Aquileiensem ecclesiam quintam Syno-
dum non probantem, eruditione & autoritate ad of B
ficium retraxit. Fuit illius Constantinopolitani con-
uentus decretum, ut Christi mater Deipara dicere-
tur. Agebat adhuc in humanis Sergius, quum duce-
Attende Saracenorū cædem ta Saracenorum milia in Syria cæsa sunt. Romani
qui in ea terra adhuc agebant, quum multis ab ea
gente incōmodis afficerentur, arreptis subita con-
spiratione armis insignem Barbaris cladem intule-
runt. Blondus Tiberij eos fuisse milites mauult cre-
dere. Fuit hic annus, quo Saraceni tam fœdè cæsi
sunt septingentesimus humanæ salutis, quo trien-
nio primus est in Venetis dux creatus. Magistratus
huius creandi fuit causa tribunorum insularium di-
scordia, qua indies gliscente extulerunt animos fi-
nitimi ad rem Venetam soluendam, ac primi omni-
um Longobardi, qui ab initio Venetum nomen in-
fense oderant, quū libertatis odio, quæ illis in pro-
ximo alebatur, tum quia ad id tempus semper fuis-
set in Romanorum pontificum orientalisque impe
rij partibus. Sunt qui tradant anceps latrocinium,
quo res Veneta infestabatur, materiam præbuisse
insulanis creandi ducis, nam ab alto mari prædo-
nes inuecti, totius gentis otia impunè inquietabant
& à continenti fluuiorum ostijs inuecti, sæpius sta-
gna hostili incursu fœdabāt proximi accolæ. Enim-
uero consumpto Romano imperio, libertate alibi
aut extincta, aut modica spe retenta, permolestè fe-
re alij, sed Barbari, qui tum Italię partem multo ma-
ximam tenebant, omnium molestissime, in Ve-
netis Adriam accolentibus, inoffensam libertatem ad-
huc manere, ac suprà quàm tutum esset futuris acco
lis res liberę ciuitatis medijs fluctibus augeri. Odio
itaque & inuidia Barbari duces hinc bellum inten-
tare, solicitare inde rem Venetam extremum latro-
cinium, nec interim spes ulla melioris status ades-
se, nullus ulciscendæ iniuriæ ultor, tribunis insu-
laribus magis domesticam alentibus discordiam,
quàm aut publica aut priuata damna foris uindican
Venetus dux primus.
Libertas inuidiæ causa erat Venetis.

tibus. Heraclienſi itaque conuentu res multis om-
nium ordinum querelis iactata est, deploratus que
cum multa tribunorum inuidia ciuitatis status, nisi
præsentibus malis iretur obuiam. Aderat publico
concilio Christophorus Gradēsis antistes, uir in Ve-
netis, & grauitate morum, & uitę sanctitate uenera-
bilis. Is quum nihil obscurè appareret nouum regi-
men ab insulanis desiderari, in hūc modum dicitur
pro concione effatus, diuina prouidentia factum ar- *Oratio Christophori Gradēsis antistitis*
bitror, uiri Veneti, ut quum duplex sit patria omni-
bus tributa, temporaria hæc quā in terris habemus
perennis altera, ac semper duratura, in hac quæren-
da sim uobis pastor & dux datus, in illa retinēda cō-
siliarius. Quod quum duplicem personam gerā, enī-
tendum mihi est, ut non solum exemplo & prædica
tione sim meis ciuibus utilis, sed fide & consilio. Id
ego quū semper libens feci, ut in nulla re patriæ aut
ciuibus deessem meis, & nunc multo libētius facio,
quia de summa re perdifficilis consultatio incidit.
Enimuero liquido apparet præsentem ciuitatis sta-
tum non placere, nouaq; regiminis forma opus esse
ut incolumis maneat nobis libertas, quam maiores
nostri ne amitterent, relicta patria patrijsq; penati-
bus, in hęc stagna nauigauere, quibus nihil ab initio
fuit, quod ad sui cultum inuitare posset quenquam,
tantum spem tuendę libertatis secuti, nam hos suc-
cessus, & hæc rerum incrementa, quæ postea secuta
sunt, ne sperare quidem illi ausi essent. Nūc quia dei
optimi benignitate res Veneta multo luxuriosiꝰ cre
uit quàm locorū fortuna ab initio pollicebatur, dan
da nobis opera est uiri optimi, ne quod tanta indole
est ab initio inchoatum, uirtute & felicitate auctum
nostra lassescat ignauia, discordia dilabatur. Dicam
itaq; libere, quod sentio, cæterū quæ dixero uos uiri
Veneti in bonam quæso partem accipite. Optimi
consiliarij est in omni dubia cōsultatione iuxtà quæ
dicuntur patienter audire, quæque in rem dici pos- B
sunt non reticere: quod quum ita sit, adhibenda est
manus uulneri, insulani uiri, ac quicquid hoc mali
est, ut commodius curetur, patefacere. Dolor & me-
tus duo grauissimi affectus & unde maximę animo
rum perturbationes existūt, sunt, ut arbitror, in cau-
sa quòd præsens rerū status nulli placeat, dolor acce
ptam uult iniuriam ulcisci, metus inferendā uult ui-
tare. Cæterū quòd alienæ sitis iniuriæ obnoxij, non
tam locorum accidit quàm hominū uitio. Satis tutę
essent res uestræ, quas hinc stagnū claudit, inde im-
portuosum littus, si ijs qui reipublicæ præsunt curæ
essent. Enimuero ea est locorum quæ tenemus natu
ra, ut siquis uestrarum rerum curā gereret, aut nulla
accipienda sit iniuria, aut si qua alicunde illata esset,
confestim uindicanda, siquidem finitimorū latroci-
nio semel his stagnis oppresso, quo nihil sit facilius
si maturè illis eatur obuiam, abstinebūt, quis nescit?
iam inde simili iniuria. At quia impune toties lęsi su
mus, ferociores fiunt, & ad iniuriā propensiores ter-
restres & maritimi latrones. Sic Gradensis ecclesia
olim à Fortunato Aquileiensi direpta est, sic Gradus
à Lupo Foroiuliensi, sic Heraclia cum Equilo à Lupi
filio armis petita, sic his paucis dieb⁹ ex insulis, quæ
stagno circūfluæ sunt, impune præda asportata est.
Dum tribuni consilium indicūt, dum de summa rei
disceptatur, res uestræ impune affliguntur, sumusq;
per hæc ludibrio, quibus terrori merito essemus, si
locorum opportunitate, si uiribus uteremur. Cæte-
rum quia nulli curæ sumus, aut si sumus, quia malūt
in quorum manibus rei summa est, inter se de rebus
minimis disceptare, quàm totum corpus reipublicę
tueri, non mirum cui quam uideri debet, si ludibrio
sumus finitimis, nisi forte speret aliquis futurum ut
prius Barbari & cæteri accolę qui semper Venetum
nomen oderunt, suspectamque habuerunt hanc ur-
bem uicino sibi loco crescentem, sua sponte iniuria
abstineant, quàm ui aliqua cohibeantur quo minus

iniurij esse posśint, quod hac regiminis forma manente fiet nũquã. Multitudo enim sine duce corpus sine capite est, nec multiplex principatus salutaris, unus debet esse princeps, unus dux, ad quem omnium desideria referantur, qui si opus sit de tota re deliberet, & qui prius quæ utilia putarit exequatur, si res postulet, quàm de his cõsilium cepisse credatur, atque is demum sit, qui omnes curas & cogitationes suas ad reipublicæ usum referat, putetque se ad patriæ & totius ciuitatis usum non sibi soli natum. Tali moderatore uobis opus est, uiri Veneti, ut præsentibus malis quæ non sunt uobis amplius ferenda, aliquando defungi possitis. Ite igitur & quod uobis, Venetoq; nomini bene uertat, unum aliquẽ legite (multi quidem adsunt, tali honore digni) qui totum corpus reipublicę suscipiat tuendum, qui nõ regis, nulla enim uox magis inuisa est libero populo nulla magis infesta, sed ducis nomen ferat, cuius potestas sit uniuersæ gentis concilium quum opus fuerit cogendi, tribuni insulatim ius dicant, ab his sit prouocatio ad eum quem creabitis. Sacerdotia, quibus à clero populoque decreta fuerint, idem per manus tradat habenda. Sit demum is qui ducis nomen feret, non dux solum, sed quod in familia bene instituta paterfamilias, quod gubernator in naui, qui patriam tueri & sciat & uelit, ut quicquid egerit ad illius utilitatem referat suorũ commodorũ oblitus, uniuersum corpus ciuitatis pari charitate foues, ne quod pernicioſi quidam faciũt, parte tmam reip. tueatur, cæteras deferat: sitq; demum tutela illa ciuitatis, non administratio, ut non sua, non amicorum causa, sed eorũ qui suæ fidei crediti sunt, sit omnia facturus. Quòd si is quẽ legeritis erit talis (Sed cur non talis sit futurus?) erit ciuitas hæc multo tutior, ac multo quàm ullo antea tẽpore felicior. Hæc sunt quæ à me ad communem utilitatem dici potuerũt. Vos quicquid super ea re statueritis, id uobis patriæ Venetoq; nomini feliciter euenire & cupio & opto. Hæc ut uerè grauiterque dicta fuerant magno omnium, qui aderant, excepta sunt fauore, continuoq; est dux creatus Paulus Heraclienſis, uir tunc in Venetis inclyta iustitia. Annales quos in Veneta historia secuti fuimus, nihil orationis huius meminerũt, nec de tempore, ut uideo, multum conuenit, plures tamen autores primi ducis creationem in annum ur bis referunt nonagesimum septimum ac ducentesimum. Nec tum primum Venetos eam suffragiorum formam secutos arbitror, qua hodie in nouo duce creando ciuitas utitur, sed multo simpliciorem fuiſſe crediderim, quũ nullus in tam proba ciuitate adhuc emineret ambitus, nulla honorum affectatio. Tradita sunt nouo duci insignia quædam, quibus amplissima dignitas instrueretur, multoque uenerabilior fieret, nec omnia quæ nunc circa illum uisuntur ornamenta sunt ab initio data, quum plura sint ex his recentiora & aliunde quæsita, quod suo sit postea loco dicendum. Iam ne insigne quidem capitis id hodie est quod ab initio fuit: tunc enim in Phrygiæ mytræ specié in conum ibat ut uetustissimæ principum testantur imagines, hodie à fronte depressa est insula, retrò attollitur in refracti formã cornu, ut appareat fastigium dignitatis in eo ordine esse, qui principem comitatur. Recepta igitur reipublicę cura, nihil nouus dux putauit antiquius, quàm ut domi foris q; discordiam tolleret. Cum Liutprando pacem sanxit, fluuiorum ostia firmauit munitionibus & præsidijs. Edicto præcepit ut insulani certum haberent nauium numerum, ut cuiusq; erãt insulæ, oppidorum q; facultates, est q; simul imperatũ ut eas in procinctu haberent quoties signum à principe daretur. Naualia construerent, munirentq; uallidissime aduersus piratarum incursus. Extãt adhuc talium operum uestigia quædam. Coluit & Arichperti regis amicitiam nouus dux, per quæ res Venetia iam inde tutiore loco fuit. Sũt & Veneti fines circa Plauim amnem longius promoti. Veteres id amnis nomen, quod sciam, non ponunt, suspicari libet Anaxum esse, quẽ Plinius ait eo Venetorum tractu fluere. Est & res domi, post nouum ducem creatum melior facta, maiorq; æquitatis & innocẽtię cultus, ficelsim comparatum est, ut tales sint ciuitatis mores qũales sunt qui eas administrant. Non tam igitur ex legum præscripto iudicia constituta, quàm ex bono & æquo, quod uel ex eo libet suspicari, quia Veneti omni tempore paucis fuere legibus contenti. Abstinuerunt pertinaciter à Cęsareis, ne præiudicium credo res ipsa faceret libertati in qua urbs nata esset. His operibus editis Paulus dux uita decessit quum annos uiginti & dimidium reipublicæ præfuisset. Inde mortui locum Marcellus Heraclianus dux omnibus suffragijs declaratur, is Longobardorum amicitiam à Paulo inchoatam diligentius fortasse coluit, quàm patrię expediret. Enimuero, eo silente, Liutprandus, quod nemo antea impetrare potuit, à Gregorio eius nominis tertio tenuit, ut cum Aquileiensi ecclesia rediret in gratiam, restitueretq; illi pallij usum, quod principis inter finitimas fuit ecclesię insigne, qua dignitate annos circiter & centum & quinquaginta caruerant Aquileienses antistites. Ac tum demum per hęc duarum est ecclesiarum secutum dissidium, atq; ita comparatum, ut mediterranei antistites ad Mincium usq; Aquileiensis essent ecclesiæ suffraganei, Gradensis Venetiarum & Histriæ. Et hæ duæ principes ecclesiæ, tam propinquo inter se loco, nunquam iam inde sine motibus fuere, quum neutra alteram ferret. Orta itaq; ut sæpe aliàs, ab Aquileiensibus iniuria, Seuerus eius urbis antistes, Liutprandi armis fretus, Gradum eximprouiso occupat, Candianum loci antistitem in potestatem redactum, multis afficit cõtumelijs. Fuitq; iam inde Aquileiẽsis ecclesia rebus Venetis semper infesta, nec unquã ab iniuria quieuit, donec omnis Carnorum ora quod patrum memoria accidit, Venetę ditionis facta est, sed Venetarum rerum relatio paulo longius progressa est. Ad Sergium pontificem redeo, quo sedente Saxones ad Christi fidẽ conuersi sunt. Et Lambertus uir insigni pietate martyrio defunctus est, quia Pipinum increpuisset, quòd Alpiadem pellicem uxori superduxisset. Alpiadis frater Lambertum peremit, nec impune, incidit nefariæ cedis autor in atrocissimum genus morbi erodente se ipsum corpore suppliciaque sibi gignente, Græci phthiriasim uocant, Pedicularis Romana uoce dicitur. Obijt Sergius anno tertio decimo quàm sedere cœperat. Ioannes nominis huius sextus Sergio successit. Inter initia eius pontificatus Tiberius imperator Theophylactum misit in Italiam Exarchũ: cœperat Græcorũ imperium uulgo Italis odio esse, quę res fecit ut noui Exarchi aduentus haud perinde gratus ciuitatibus esset. Cęterum ipse odium auxit nouo profectionis genere, nam cæteri Exarchi, quum Rauennam petere consuessent, Theophylactus in Siciliam primo transijt, inde Romam petiturus, fecit insuetum iter, rem Rom. Popu. & militibus suspectam. Horrere itaq; cuncti illius aduẽtum uelut urbi & Italiæ exitialem. Consternati milites animo circa urbem coëunt, superueniunt his ex Rauennate exercitu alij simul metu compulsi. Tum uero utrique alteros ad ultionem hortati, si uis aliqua intenderetur, uenientem Exarchum sine tumultu, cæterum hostili affectu expectant, fuissetq; uenienti illi haud dubie uis illata, nisi Romanus pontifex sua interceſsisset autoritate, obtulisseque sese inter Exarchum & milites pacis arbitrum. Petierat Romam, ut postea compertum est, Exarchus decreto, ut quamplurimos ciuium proscriberet, peregissetq; id facinus nisi pontificis monitu, ppposito abstinuisset. Cæterum nequa sibi uis intenderetur, Rauennam illico profectus est. Post Exarchi digressum Gisulphus dux Beneuentanus, dubium quia cerneret Romanis cum Theophylacto non conuenire, an nouũ Exarchi impulsu, qui occulte hostilia in pontificem & Romanos moliri, oppida, si qua adhuc in fide erãt Romani Pop. hostiliter inuadit, populatione & incẽdio omnia complet, Soram, Arpinum, arcem occupat. Misi sunt à Romano põtifice, qui Gisulphum impensis precibus orarent, ut iniuria abstineret. Nec incassum sunt preces missæ, motus pontificis autoritate hostis modica pecunia manubiarum nomine accepta, captiuos & prædam restituit. Beneuentum inde reuersus destitit ab omni Romanarum rerum infectatione. Positis itaque à Gisulpho armis pacatum erat ubique Longobardicũ nomen, præterquam in extremo Italię angulo, ubi qui in Foroiulienſibus erant, graue cum Histris & calamitosum gessere bellum: multæ uariæq; clades utrinq; illatæ & acceptæ, multi hostiles incursus populationesq;, ac sæpius prædæ abactę. Sed quũ una Italiæ parte ita laboratur, Iustinianus quem imperio deiectũ Leontius Chersonã relegauit, alij Chersonesum legunt, quia res nouas moliri compertus est, coniectus foret à Chersonenſibus in uincula, & ad Tiberium, qui Leontium imperio deturbauit, ad supplicium missus, nisi fuga solum uertisset. Ad Bauaros itaq; delatus, à Cacano est eius gentis rege honeste habitus & in generũ ascitus. Fuit inde per annum in Bauaris Iustinianus regio hospitio & affinitate fretus. Cæterum plus ualuit apud Barbarũ regem uis auri, quã hospitij aut affinitatis iura. Corruptus Cacanus pecunia à Tiberio, hospitem & generum per scelus illi tradidisset, nisi pari felicitate Iustinianus fugam præoccupasset, exemisseręque se imminenti periculo. Trebellius Bulgarorum rex (qui hominum Bulgari essent alio est loco significatum) profugum accepit, nec solum texit, sed armis etiam in patriam reduxit. Miror fuisse qui scriberẽt à Persarum rege Iustinianum restitutum, sororem cuius profugus duxerit uxorem. Blondus cui libẽtius accedo ad Trebellium id refert, magnoque, ut ait, est armorum certamine disceptatum priusquam uicto ria de hoste contigerit, perq; hos imperij motus Saraceni, qui Leõtij principatu fuerant ex Aphrica deiecti, iterum terrã cum tota Lybia occuparunt, multo maiore armorum apparatu quàm antea ex Ægypto profecti. Promotis itaque ad Oceanum armis, in Hispaniam transgressi, quicquid terrarum à mari ad Pyrenæum longe lateq; patet, Cantabris duntaxat & Asturibus exceptis suæ ditionis fecere. Subit hic reputatio duarum fortissimarum gentium Cantabrorum & Asturum, qui ultimi omnium Hispanię populorum Romani imperij iugum accepere, ijdẽ Gothicis temporibus nouissimi omniũ ab eo alienati sunt. Pari ferocia, Saracenis eam bello terram subigentibus, soli omnium inuicti mansere, nulla Saracenorum labe contacti. Cętera Hispania non tantum eius gentis imperio cessit, sed in fide etiam fecit iacturam. Fuit iam inde nobilissima pars Hispaniæ in Saracenorum potestate ad nostram usque ætatem. His paucis annis ductu & auspicijs Fardinãdi citerioris Hispaniæ regis, Bethica, quę nunc Granata est ex impia gente est recepta. Incidit calamitosa hæc duarum nobilium prouinciarum alienatio in Ioannis huius nominis sexti pontificatum. Cœpit fedĕre anno humanæ salutis septingentesimo primo, alij sex adimunt annos ex eo numero, adeò in temporum serie digerenda scriptorum inconstantia laboratur. Cæterum quocunque anno tantum terrarum Christiano est nomini ademptum, Aphrica, quod satis cõstat Saracenis cessit septuagesimo primo cẽtesimoque pòst anno quàm à Vandalis fuerat recepta. Et Ioannes põtifex inter hæc mala obijt anno sui pontificatus tertio. Sunt qui martyrio consumptum scribant, sed autorem martyrij non produt ij, quos sequimur. Fuit his temporibus Bedas sacerdos sanctitate uitę & doctrina uenerabilis. Is diuino afflatus spiritu prædixisse fertur, testatusq; est suis literis, quas ad amicos principes dedit, futurum ut breui res Christiana incredibili detrimento afficeret, nisi incẽdio iam proxima carpẽti iretur obuiam. Scripsit Bedas in Actus Apostolorũ, & in Lucæ euangelium. Reliquit & de temporibus librum, & Homilias, quarum frequens est usus in Gallia. Vixerunt cum eo Strabo & Haimo eius fratres: hic Homilias scripsit, ille Genesim interpretatus est. Sequitur Ioannes ab eo qui primus tulit id nomen, septimus, à primo pontifice duodenonagesimus. Hoc demum sedẽte Iustinianus imperium recepit. Tiberium & Leontium è uinculis eductos, spectante populo, iussit interfici. Callinicum antistitem, qui in Leontij partibus fuerat, luminibus priuatum Rõmam relegauit. Indulsit inde Iustinianus nimium dolori suo, quippe qui Leontij odio, quoties truncas emungebat nares, unus aliquis, qui in eius fuisset partibus, ex composito ad suppliciũ rapiebatur. Cyrum cuius liberalitate exul fuerat in Thracia adiutus, Callinici loco Constãtinopolitanum fecit antistitem. Reuersus inde ad insaniam, qua Sergium Romanum pontificem, prinsquam imperio excidisset, fuerat uexare adortus, Romam misit, qui cum Ioanne qui tum apostolicam tenebat sedem ageret, ut quod de Homousio oriẽtalis persuasum haberet ecclesia, idem & occidua fateretur. Legati qui ad id missi fuerant, infecta re sunt Roma dimissi. Nec pontifex, ob rem impiè motam, Iustinianum Anathemate, aliáue notauit censura. Per id tempus Cocię Alpes in Liguriæ tractu sunt Romanæ ecclesiæ ab Arithperto datæ, ut scribunt quidã. Miror Blondum credidisse Genuã in Coccijs esse Alpibus quũ ne ad Alpes quidem, sed Apenninum, pertineat Genua. Sed ubi ueræ sint Coccianæ Alpes, Plinius & Strabo demonstrant. Scribunt quidam Arithpertum rata hæc feciſſe Romano pontifici suo assensu, quum iam antea fuissent attributa Constantini munere. Sed de his quid compertum haberemus alio est loco significatum. Oratorium Deiparæ, ad Barionæ in Vaticano, uermiculato emblemate Ioannis opus est pontificis, restitutio Eugenianæ ædis, Marcellini adhæc, Damasi & Marci cœmiteria excoluit. Breuis pontificatus, quippe qui ne biennium quidem impleuerit. Sed multo breuior qui secutus est. Sisinius inde, siue Sosimus (nam utrunque scriptum reperio) pontifex creatus est. Is uigesimo à sua creatione die est morte consumptus. Insigniuit tam breuem pontificatum Benedicti abbatis corpus, ex Casino in Galliam furto translatum. Adiecerat Sosimus animum confestim sedem adeptus, ad urbis mœnia instauranda, templorumque restitutionem, ac quantum ea dierum paucitate accelerari potuit, ingens materia parata est, ad opus inchoandum. Sed subita mors consilium interrupit. Constantinus nonagesimus inde pontifex fuit, à cuius creatione triennio est fame in urbe laboratum. Iuuit pientissimus pontifex uulgi inopiam incredibili liberalitate, fuitque ea temporum iniquitate tam gratum ciuitati pontificis munus, ut è cœlo missus uulgo crederetur. Sed quàm Constantinus Romæ clemens & popularis, tam Byzantij atrox & immitis Iustinianus, qui ne non semper fæuiendi materiam haberet, Mauricium patritij generis, & Heliam Spatarium, suæ crudelitatis ministros cum opulenta classe Chersonam misit, quò nouitate suorum temporum fuerat à Leontio relegatus, à Chersonesum scribunt. Hi loco poriti crudeliter abusi sunt uictoria, principis imperium secuti. Primores ciuitatis interfecti sunt, alij puberes ad unũ ferro deditos aiunt. Estque Iustinianus Chersonen-

Paulus Heraclięsis primus Venetorũ dux

Pauli ducis opera.

Dissidia Aquileiensis & Gradensis ecclesiæ.

Saxones Christi fidem suscipiunt.

Lambertus.

Ioannes VI. pontifex.

Suspectus Exarchi aduentus.

Gisulphi Beneuentani dux eius motus.

Quibus Iustinianus casibus iactetur.

Aphrica à Saracenis occupatur.

Saraceni Hispaniam occupant.

Bedas.

Viri illustres.

Ioã. VII. põt. maximus.

Restituitur Iustinianus imperator.

Attende exemplum ultionis.

Sisinius siue Sosimus põtifex.

Benedicti corpus in Gallią transfertur.

Constãti. põt. Constãtini põtificis beneficentia.

Iustiniani imperatoris ultio.

sium offensam sic ultus, qui per id tempus, quo res nouas apud illos moliri creditus est, nisi fuga sese præripuisset, cæteris publicè iniectis, fuisset Constantinopolim ad supplicium missus. Sunt qui scribant autores duntaxat eius consilij ad supplicium requisitos, quorum pars igne assi sint ac crudeliter laniati, alij sub custodia Byzantium missi, atque ex hoc genere hominum, quoties Iustinianus emungebatur, unus aliquis protrahebatur ad suppliciū. Sed quàm in alios trux & ferus fuit, tam in Trebellium, per quem imperium receperat, ingratus: orta enim, ut assoleт, inter finitimos Thraces & Bulgaros de finibus cōtentione, bellum ipsi genti intulit, ingressusque Bulgariam affecisset haud dubiè eam gentem magnis cladibus, nisi Trebellius progressus illi obuiam uictum prælio ac male affectum, suis eiecisset finibus. Nec iam inde mitior est Iustinianus factus, nec ulli placabilior, ignominiosi exilij memor. Verum enimuero unum in eo factum omnes, ut uideo probant: quod Ro. fauit pōtifici in Rauēnatis ecclesiæ contumacia uindicāda, nam hoc demum répore Rauēnates penè ad excidium, ut suprà est memoratum, sunt Theodoro uindice afflicti. Blondus & Platina eū secutus ita res digerūt. Per idē tēpus Aisprandus, Bauarūm fretus opibus, auitum regnum recuperauit. Cum Arithperto rege acie congressus egregiè uicit. Arithpertus uictus prælio, cū uita regnum amisit, fugiens, Ticini fluminis impetu arreptus perijt. Nec suæ uictoriæ diu superfuit Aisprandus, sed fato consumptus regnum Liutprando filio reliquit. Fuit Liutprandus duodeuigesimus Longobardorū rex, corpore ualido & animi dotib⁹ multaq; præditæ insignis. Is ille Liutprandus qui Coccias Rom. pontifici attribuit Alpes, ut est suprà declaratum, cum Ligustica ora. Constantinus pontifex, per hęc tempora, ad Iustinianum nauigauit, multis ab eo precibus accersitus. Habuit Romanus pōtifex, quum Byzantium nauigaret, Tizocopum patritium circa Neapolim obuium. Mittebatur is ab Iustiniano in Italiam ad Exarchatum gerendum. Contulit ille se ad pontificem multa ueneratione, à quo digressus, posteaquam Romam uenit, confestim adortus est sacram pecuniam compilare. Hic quatuor presbyteri, quibus rerum omnium administratio fuerat à Constantino pontifice permissa, conati rem ecclesiæ tueri, ab eo interfecti sunt. Inde sacrilegio & infanda cæde pollutus Rauennam Tizocopus profectus est, ubi debitas suorum scelerum luit pœnas. Rauēnates ira & dolore acceptę nuper cladis, à Iustiniano alienati, inter initia uiolentę administrationis Exarchum interfecere, & ille suo merito sic perijt. Constantinus Byzātij exquisitissimis honoribus est à Tiberio Iustiniani filio accept⁹, & mox Nicomediæ, quò ex Byzantio est à principe accersitus, ibi enim tunc erat Iustinianus, qui uenerabūdus sese ad Cōstantini pontificis pedes demisit. Blondus existimare uidetur Iustinianum in pontifice accersendo tantum pietatem secutū, ut sanctissimi uiri præsentia & alloquio frueretur, per eumq́ue numen propitiaret. Æstuabat alioqui animo Iustinianus, nouumq; bellum meditabatur in Cherſonenſes. Siquidem Cherſonam multo plures legunt oppidum in Ponto, ut quidā aiunt, non ignobile, sed ego id nomen in ea terra non repério: quicunq; hominum fuere, quum haud ignari essent magnum sibi bellum à principe imminere, aut certe cæsorum nuper ciuium dolore adacti Philippicum quendam complexi ad defectionem spectare. Huius opera Tiberius, qui alio est nomine Absimatus dictus, in Leontio opprimendo usus, in eam urbem postea relegauit, quia adolescens, nobili loco natus, per quietem uisus fuerat circa caput superiectu aquilę inumbrari, eò itaq; ut procul ab omni spe esset potiūdi imperij, Tyberij iussu deportatus lōga cōsuetudine factus erat Cherſonenſibus charus, sed

Iustiniani ingratitudo.

Tizocopi sacrilegium.

Mitte de Tiberij Absimatum.

A ea temporū nouitate multo charior est factus, posteaquam ad res nouas consurgere est ausus. Enimuero iuuenis Cherſonēsium odio in Iustinianum, necnon Ponticarum gentium, quæ cum Cherſonēsibus sentiebant, fauore fretus, nihil obscure bellum comparabat. Dicitur Constantinus pontifex, suo digressu, Iustinianū monuisse ut paci & otio studeret, desisteretq́ue à Cherſonenſium infectatione, nec Philippicum bello persequeretur sed impunitate promissa ad officium retraheret. Verum Iustinianus magis dolori indulsit, quàm saluberrimo pontificis cōsilio: uno eodemq́ue tempore Constantinus ex Nicomedia profectus est, & classis in Philippicum & Cherſonenſes missa, expertus est tum demum Iustinianus quàm pernicioſa res sit pertinacia, quæ meliora non audiuit cōsilia. Duces qui ad bellum missi erant, ubi primum ad hostem uenere, diuersarū partium facti sunt, Philippici opes cum classe & copijs uniuersis secuti. Quibus ille fretus auxilijs, adiūcto exercitu quem ipse in Ponto comparauerat, Byzantium caput & arcem imperij petijt, prodijt huic obuiam Iustinianus cū ijs copijs, quas in subita rerum mutatione comparare potuit. Fit prælium atrox ad duodecimum lapidem ab urbe, fuitq; pugna illa admodū cruenta & dubia à principio, uerum Iustiniano & Tiberio filio cadentibus, Philippicus imperio potitus est. Is dubium hæreticorum suasu an Constantini odio, quem sciebat tam familiariter cum Iustiniano nuper congressum, uix dum recepto imperio Romam ad pontificem & clerum scripsit, ut Constantinopolitanæ ecclesię de Homousio astipularétur. Edixit præterea ut sanctorum statuæ & imagines ex omnibus templis raderentur. Impium principis postulatum tanta animorum indignatione est Romæ auditum, ut non modo pontifex non imperata fecerit, sed populo id magnis clamoribus peréte Philippicum schismaticum iudicauerit, iusseritq́; ut in nulla re diuina, publicóue aut priuato actu, ei⁹ nominis aut imperij mentio fieret. Nec diu pestis illa est imperio potita, sed haud multo postquam hęc tam impiè mouerat, exitū quem debuit sortitus est. Sexto mēse quàm imperare cœperat imperio & luminibus priuatus, dedit suæ impietatis pœnas. Arthemius qui eum oppressit, imperium occupat, simulq́ue ad Constantinum pontificem scribit, estq́ue Platina autor, cæterum Blondus prius Constantinū ex humanis decessisse ait, quàm Philippicus exciderit imperio. Sed ad quemcunq; nouus imperator literas dedit, pollicitus est, quod satis constat, se acerrimum orthodoxę fidei propugnatorem. Sed is quoque triennio post à militibus destitutus in ordinem redigitur. Theodosius quē milites imperatorem salutauerāt, ne Arthemio, qui Anastasij tulit nomen, amplius ad imperium pateret reditus, initiari iussit. Idem orthodoxæ fidei obseruantissimus Diuorum imagines à Philippico sublatas, templis restituit. Constantinus per hæc, aut aliquanto prius, ut alij significant, septimo, quod inter omnes conuenit, pontificatus sui anno perijt. Constantino Gregorius secundus, ut plures scribunt, successit. Blondus pro Gregorio Stephanum illi subijcit, Guilielmi Lateranenſis bibliothecarij, aut quod propius uero est librariorum qui eius scripta uitiarunt, errorem insectatus, uetustissimi codicis fidem celebrat, qui Stephanum eius nominis secundū, duobus Gregorijs & Zachariæ in ordine prætulit. Platina post tres illos Stephano locum assignat, cui eo libentius accedo quod ille Blondum uidit, & tamen haud dignum putauit, cui præsenti loco deberet astipulari. Sed dum hæc Romani imperij complexu geruntur, magni rerum motus in Gallia extiterunt. Theodebaldus, qui post Grimoaldi patris cædem, Rathagalij Laudicenſis fraude perempti, Pipino auo adnitente tenuerat ut magister regiæ esset domus, totiusq́ue

Philippici imperium.

Mitte de impietate.

Arthemij imperium.

Theodosij.

Gregorius pontifex.

Variatio historia.

A tiusq́ue Francorum regni moderator, nobili magisterio, quanquam iam senio confectus auus, fungebatur. Cæterum sene humanis rebus exempto, continuò ad tam celebris uiri interitum graues sunt in Francorum gente motus exorti, Rangafredo regiæ domus magisterium ambiente, Theodebaldo, ut loco honestissimum tueretur, summa ope adnitente. Traxit id certamen Francorum gentem in duas uelut factiones, estq́ue graue bellum inter eos ortum, pugnatumq́; ad Cosam syluam totis partium uiribus. Theodebaldus ꝑlio uictus fuga seruat⁹ est. Dagobertus potiorem partem complexus in Theodebaldi locum uictorem substituit. Erat ex Pipini liberis, Grimoaldo perempto, Carolus superstes, cui Martello cognomen fuit, robusta & ferrea natura, sunt qui duos Carolos Pipino patri superfuisse scribant, hunc cuius nunc facta est mentio, & alterum Carolomanum appellatum, Blondus unicum celebrat, cui Martelli cognomen reddidit, Sigibertus duorum est autor, adijcit Vincentius in ueteribus Francorum monumentis traditum esse Carolum Pipini filium, qui patri succesit, quique Magni est nomen adeptus, ex Berta Heraclij principis filia, genitum. Forliuiensis Blondus duas Pipino ait uxores fuisse, Calpiadē ex qua Carolus, qui Martelli cognomen tulit, sit genitus, secundo loco Plectriudem. Sunt qui Calpiadem Plectriudi superductam tradant: non desunt qui Martellum ex concubina non legitimo thoro natum scribant, tanta ubique scriptorum laboratur incōstantia. Cæterum Martellus, quacunque matre natus, Plectriudis nouercæ impulsu à Dagoberto Francorum rege bello est petitus, ipseq́ue improuisa nouercæ fraude interceptus, uitam cum principatu amisisset, nisi prius sese custodię exemisset, quàm hosti traderetur. Dagobertus omnia circa Mosam fluuium latè populatus res Caroli pluſquam hostiliter afflixit. Nec multum inde rex in humanis fuit: post quem Daniel, homo obscuri generis, ut quidam tradunt, est regnum adeptus, alij regia stirpe ortum memorant, hunc Dagobertum Franci, uel ut alij scribunt, Chilpericum tertium dixere. Cæterum quodcunque post regnum tulit nomen, Raginfredi & Plectriudis, ut creditur, impulsu confestim Carolum sibi hostem destinat, nec suis contentus uiribus Rathodum Frisonum ducem sibi belli socium adiungit. Qui homi num Frisones essent, & ubi habuerint sedes, haud multo pòst dicam. Carolus, etsi satis persuasum habebat recentem illam belli tempestatem nouercæ in se odio concitari, ea tamen fuit modestia, ut tanquam nullo ab ea incommodo esset affectus, haud aliter quàm matrem coleret, ferretq́ue patienter, ut initio fecerat, nouercales insidias muliebremq́; intemperiem, in principatus administratione. Franci & Frisonum appendices, hostium fines ingressi, omnia fœdant cæde & incendio. Carolus ad arcendam populationem egressus, decreto offert sese hostibus dimicandi studio, estq́ue primo occursu prælium initum. Fuit hęc quoque dimicatio Carolo infelix, magnaq́ue clade affectus munitiora petijt loca. Hostis præsenti successu ferocior factus omnem Caroli regionem ad Rhenum usque populatur, Coloniam Agrippinā caput eius gentis obsidione cingit, fuissetq́ue ea demum potitus, nisi Plectriudis pacem sibi & suis grandi pecunia redemisset. Et in Gallia per id tempus hæc gesta sunt, quo Anastasius qui & Arthemius est dictus, orientis imperio potiebatur. In Italia Cassinense monasterium quod centum & duodecim iacuerat annos dirutum, Patronax Brixianus structura & monachorum cœtu instaurauit, Gregorij pontificis suasu. Ipse muros urbis magna quidem ex parte restituit, & cum his diuorum templa quædam restituta sunt, excultaque donarijs. Gregorij huius opera Germani Chri-

Francorum discordia.

Caroli Magni ortus.

Colonia Agrippina.

Germani fidē acceperunt.

B

A stianæ fidei cultum accepere, Bonifacio ad id misso, qui excussis malorum dæmonum tenebris adeò indomitam alioqui gentem ad ueræ pietatis cultum accendit, ut multi Germanici sanguinis ueræ pietatis studio, & ut baptismi lauacro admouerentur, Romam uenerint. Hos Gregorius pontifex, ex catecumenatu, sacro admouit fonti. Idem Liutprandum sua autoritate flexit, ut ratum fecerit Romanæ ecclesiæ Arithperti donum suo assensu. Creuit Gregorij huius pontificatu adeò insigniter Tybris, ut per Flaminiam portam sit urbi infusus, auctáque uia lata restagnantes aquæ iusta hominis statura, enauigataq́ue tota intercapedo, quæ à Miluio ponte ad Vaticanam ędem Barionæ. Septenos dies intra extraq́ue urbem iacuerunt omnia diluuio obruta, cum fœda domorum & animalium strage. Luna quoque per eos dies obtenebrata est, à prima ad tertiam uigiliam noctis, sanguineo colore suffusa. Apparuit & crinita stella terrifico aspectu, cauda ad arctum obuersa, quibus terroribus sæpius est Romæ supplicatum pontificis edicto, ad iram numinis auerruncandam. Cæterum ciuitate sacris occupata, ex improuiso nuntiatur Cumanā arcem à Longobardis Beneuētani ducis ductu, furto occupatā, repetitæ sunt res, ut assolet, nec redditæ. Verum ubi satis apparuit omnia diuina & humana iura contemptui esse Barbaris, tum pontifex cum Neapolitanis occulte egit, ut sibi & Romano Populo diligentem operam nauarent in recuperanda arce, quæ si aperta ui non posset, eadem arte, qua fuerat amissa, à Barbaris reciperetur. Arx ab ijs, qui eò missi sunt, strenuè recepta est, cæsique sunt ex Longobardis præsidiarijs circiter trecenti numero, quingenti capti, ac sic iniuria illa non minus piè uindicata est quàm strenue. Pace foris parta, Gregorius super ea quæ alio sunt loco memorata, sanctissimæ crucis Basilicam restituit, Osannæ oratorium extruxit in Cœlio. Vertit paternam domum in monasterij usum, Agathæque dedicauit. Et Gregorius tam piè Romæ agebat. Anastasius interea Romanæ ecclesiæ sanctiones synodorumque decreta complexus, Saracenos Christiani nominis hostes statuit bello persequi. Opulenta itaque classe instructa, dat hanc duobus ducibus agendam ac simul imperat ut Alexandriam in Ægypto, si qua daretur occasio, occupent. Cæterum ij quibus credita est classis iniunctaque belli cura, non modo non imperata fecerunt, sed nouo sibi imperatore creato, omnem uim belli retrò in Anastasium uertunt. Theodosius qui ab ijs Cæsar appellatus est, obscuris ortus natalibus, apud publicanos ob inopiam scriptum fecerat, (mira alioqui in homine comitas, & ad promerendam gratiam ingenium natura comparatum) quibus animi dotibus, facile est consecutus, ut esset omnibus æque charus. Anastasius hominis obscuritatem aspernatus, cum nouo exercitu proficiscitur illi obuiam, imperium armis inhibiturus. Ad Niceā duæ aduersæ acies conflixerunt, uictorq́ue Theodosius nulla maiore Anastasium affecit iniuria, quàm quod in ordinem redactum sacris initiauit, ne de imperio cogitare posset amplius. Et Anastasius per hunc modum imperio excidit. In Italia, ne non semper Barbari essent alienis rebus infesti, Feroaldus Spoletanorū dux simulato ad regem suum itinere, ex Cæsena ad mare ex improuiso deflectens, Classense Rauennatium occupat oppidum. Sunt qui & Rauennam dicant ab eo captam, uerum quia nullę tunc erant Longobardorum cum Romanis & Rauennatibus inimicitię, Liutprandi iussu res redditæ sunt, estq́ue ab omni alia iniuria temperatum. In Foroiulienſibus dux eius terræ Sclauos accolas, qui Italos erant fines infestare adorti, prælio disiectos tetra est clade infectatus. Eratq́ue hic rerum status in Italia, quum in Gallia Carolus ad delendam ignominiam priore prælio ac-

Portētosus Tybridis auctus.

Prodigia cœlestia.

Theodosij victoria.

B

ceptam, bellum ex improuiſo reparat in Chilpericum Francorum regem, & Raginfredum regiæ domus moderatorem. Exceperũt illi, nã in hoc ipſum paratum habebant exercitũ, uenientem hoſtem intrepide, ad Viuaciacum conflictũ eſt, uicitq; Carolus egregiè, ingenti hoſtiũ ſtrage edita. Inde late per hoſticum euagatus immenſam retrò prædam Francorum finibus abduxit: rebusq; ſuis ea uictoria confirmatis, Coloniam Agrippinam, ubi Plectriudis erat nouerca cum theſauro, qui Pipini patris fuerat, ui cepit. Nec fœminam ſibi animo infeſtam maiore ullo affecit incommodo, adminiſtrationem duntaxat illi ademit, cuius ignominię impatiens mulier imperio aſſueta, exilio ſolum uertit, longumq; emẽſa iter ad Danubiũ defertur, fluuioq; ſuperato Bulgaros adijt exẽplũ, credo, ſecuta Iuſtiniani principis, q nõ multo prius, per Trebellium eius gẽtis regem, amiſſum imperium receperat. Chilpericus interea & Raginfredus bellum reparant, Eudonem Viſigothum cuius ditionis erant Aquitania & Vaſconia in ſocietatem belli mercede aſciſcũt. Hos de ſumma belli cõſultantes Carolus ex improuiſo adortus, tãtum incuſsit terrorem, ut Eudone pugnã detrectante Franci confeſtim metu diſiecti ſint. Chilpericus cum Eudone, Sequana tranſmiſſo, in Vaſconiam uſq; eſt fuga delatus, regiæ gazæ trahens impedimenta. Carolus in Pariſios progreſſus hoſte non reperto, ueritúsne Eudo Chilperici opibus inhians parum ſanctam haberet belli ſocietatem, pluſq; auri cupido apud Barbarum ualeret quàm iura hoſpitalia, iniecta pacis mẽtione facta ſpe concordiæ, Chilpericum ea conditione reſtituit, ut Raginfredum dignitate priuaret. Nec Chilpericus multũ inde ſuperfuit, quippe qui domum poſtliminio reuerſus breui fato conſumptus eſt. Theodoricus qui fuit illi ex fratre nepos, Carolo adnitente regno potitur. Perſecutus eſt inde Carolus Raginfredum, quem Andegaui mœnibus incluſum, atq; in poteſtatem redactum, iuſsit interfici. Magiſterio dein regię domus recepto, longe lateq; bellãdo gentis gloriam auxit. Saxones primo uicit infeſtiſsimos accolas & rebelles. Inde Alemanos bello adortus ſubegit. Subacti ſunt & Sueui, pluribus antè cladibus affecti, ad poſtremum Carolus trãſgreſſus Iſtrum Plectriudem nouercam ex Bulgaria receptam in Galliam deportauit. Sed dum procul domo hæc à Carolo geruntur, Eudo inuidẽs, credo, illi perpetuum uictoriæ curſum, aut certè ueritúsne illius potentia maior fieret quàm tutum eſſet ſibi & finitimis, pace quam cum eo fœdere ſanxerat uiolata, regni fines hoſtiliter infeſtat. Miſit Carolus legatos cum exercitu, qui eam iniuriam ulciſcerentur. Hi Ligeri tranſmiſſo Vaſconum fines fœde populantur, ad quam uim arcendam Eudo progreſſus cruentum prælium cum legatis depugnauit, uictusq; Eudo acie fugiens in pacatum abijt. Et Carolus per id tempus tam feliciter intra extraq; Galliam bellauit. Eratq; tum Romæ Gregorius pontifex eius nominis ſecũdus, ut omnibus præterquàm uni Blondo placere uideo. Et Byzantij per id tẽpus Theodoſius à Leone eſt imperio deiectus, quũ nondum integrum annum imperaſſet. Nec ille maiore ulla affectus ignominia, è medio ceſsit, monaſticam ſecutus uitam. Leo itaque tertius & trigeſimus eorum qui Byzantij ſunt rerum potiti, imperium obtinebat, quum Eudo à Caroli ducibus nuper uictus, ſuis opibus diffiſus, Saracenos, qui iam decimũ annum Hiſpanias tenebant, in Caroli inuidiam auxilio accerſit. Abidiramus rex eius gentis potentiſsimus Garumnam amnem tranſgreſſus, Burdegalam ui captam crudeliter diripuit. Cædes ſine diſcrimine in omnem ſexum & ætatem, Chriſtiani nominis odio, eſt euagata, templa ſolo æquata. Inde in Pictauos impia gens impetu delata, omnia cæde, rapinis, & incendio complet. Inceſsit libido regis animum Turonium inuadere, ut Martini Turonenſis tẽplum multa religione præditum, ac donarijs opulentum diriperet, direptum funditus euerteret. Nec Carolus in tanto Chriſtianæ rei diſcrimine deſedit, ſed totis quidem regni uiribus comparat bellũ, cum Eudone occultè agit, ut omni iniuriarũ obliterata memoria ſecum conſpiret ad impiam Saracenorũ gentem opprimendam. Nec grauatè Viſigothus id pręſtitit, qui præterquam quòd uehementer cupiebat cum Carolo redire in gratiam, malebat Chriſtiano nomini conſultum quàm immaniſsimo generi hominum totius Europæ imperium affectanti. Iunctis itaque copijs ad Turonium ire contendunt, ne ſi ſegnius ſubſidio itum eſſet, urbe & templo nobiliſsimo hoſtis potiretur, qui eò ex Pictauis mouiſſe credebatur, aut certè non multo pòſt moturus. Prius itaque Carolus & Eudo caſtra in illorum conſpectu metati ſunt, quàm Saraceni Pictauorum finibus egreſsi eſſent. Nec longior inde mora fuit, paribus odijs animisque eſt utrinque concurſum, fuitq; pugna illa utrisque difficilis, ſed Saracenis ad extremũ funeſtiſsima. Gens fera & prona in cædem multitudine freta, impetu & uelut ruina quadam, aduerſam aciem ſueta erat obruere, aut ſtolidè inuecta paſſim dabatur hoſti trucidanda. Lateranenſis Bibliothecarius qui ea tempeſtate fuit, quia cum uxoribus & liberis Aquitaniam ingreſsi eſſent, promiſcuè omnis ſexus & ætatis tercenta ſeptuaginta Saracenorum milia deleta prodidit, ad Burdegalam tam inſigniter dimicatum ſcribunt quidam. Ex Gallis mille & quingentos deſideratos. Hunc cęſorum numerum habuiſſe dicitur epiſtola quam de rebus à ſe in Saracenos geſtis, ad Stephanum pontificem dedit Carolus, ſic enim Blondus ſcribit Bibliothecarium ſecutus. Nec Carolus poſt tam inclytam uictoriã quieuit, quin ferocior factus, quum iam maiores aleret ſpiritus, quã ut priſtina eſſe poſſet fortuna contentus, animũ adiecit ad finitimas gentes armis ſubigendas, Burgundij primo uicti ſunt, eſtq; Carolus modeſtè ea uictoria uſus, quę ut minus inuidioſa eſſet, quos bello uicerat fœderatos appellauit. Obijt interim Eudo Aquitanus, de cuius morte factus certior Carolus Ligerim Garumnamque cum exercitu tranſgreſſus, magnam Aquitaniæ partem ſuis opibus adiecit. Conuertit inde animũ ad Friſones bello perſequendos, qui adhuc erant in malorum dæmonum mancipio. Nondum enim Chriſti fidem receperant. Tenebant tunc Friſones ex continẽti Gallia bellorum iniuria pulſi, Amniam, Strachiam, & Aſtracham inſulas circa Rheni oſtia, in quibus uxores liberosque, qui per ętatem militare non poterãt, tanquam in tuto collocarant. Huc Carolus per Aquitanicum ſinum claſſe deuectus, inſulas diripuit, cædem edidit inſignem, non ſexus, non ætatis ratio habita. Deorum ſtatuæ & luci ſubuerſi, templaque barbaræ impietatis ferro & igni dedita. Reuerſus ex ea uictoria ne materia augẽdæ gloriæ nõ ſem per aliqua præſto eſſet, in nouos Galliæ incidit motus, Burgundij, Viſigothorum impulſu, iam apertè ad rebellionem ſpectabant. Permoleſtè ferebant Viſigothi quòd urbes, quæ Eudonis fuiſſent, Carolus ſuis rebus adiunxiſſet. Ademit itaque is Burgundijs quicquid terrarum iuxta proprios fines tenebant, redegitque in poteſtatem ſuam Lugdunum, Arelatem, Maſſiliam. Cæterum dum hæc fierent, ex improuiſo ac præter omnem Caroli expectationẽ multo difficilius bellum quàm unquam antea ex Hiſpania oritur. Athinus Saracenorum rex, Viſigothis in ſocietatem belli aſciris, cum ingenti claſſe in Narbonenſem Galliam uenit. Oſtium inde Rhodani ingreſſus aduerſo flumine nonnihil ſubuectus, Auinionem ſubita ui capit. De ortu & oſtijs Rhodani deq; eius per Lemanum lacum memorabili fluuio, in parte Rapſodiæ huius eſt abundè dictum. Facta eſt

Carolus Coloniam Agrippinam ui capit.

Caroli ſucceſſus.

Mos dies in Saracenis.

Saracenorum cædes.

Eudo bellũ Carolo infert.

Friſones fuerunt.

Abidiramus.

Athinus.

Eudonius.

eſt igitur ſedes belli Auinio, ac uelut arx imperij, quod in ea terra bellando ſibi quęrere in animo habebant Saraceni. Carolus uicinitate urbium fretus, quas non multo prius ſuæ ditionis fecerat (ex quibus hoſtibus captæ fuerint, autores quos ſequimur non dicũt) unũ ex ſuis ducibus Auinionem pręmittit cum parte copiarum, ipſe è ueſtigio cum robore exercitus ſequitur, urbemque natura munitiſsimam obſidione cingit. Erat in urbe ingens Saracenorum numerus ex citeriore Hiſpania accerſitus. Sed tanta Gallorum ardore res geſta eſt, ut neque mœnia, neque hoſtium uis ulla uictoriam remorari potuerit. Innumeri mortales cæſi ſunt, multi inter metum & trepidationem captæ urbis dilapſi, in naues que refugientes ſeruati, & in his Athinus qui Narbonem fuga delatus eſt. Carolus hoſtem ſecutus, urbem corona cingit, eratque intentus unius ur bis expugnationi, quum ex Hiſpania Amorteus rex cum uniuerſo exercitu ſuperuenit, ſuis ſuppetias laturus. Carolus relicta obſidione, omnem uim belli uertit in nouum hoſtem. In ualle concurſum eſt Birræ fluuio adiecta, Corbane loco nomen. Cupidè magis q̃ caute Saraceni præliũ iniuere, primusque omnium Amorteus, quo contigit, ut rex inter paucos pugnãs mortem occubuerit. Eius caſu perculſa impiorum acies fugam capeſsit, quum adhuc plures in procinctu ſtarent, immenſa uis hominum cæſa eſt, eaque parte potiſsimum qua fuga ad naues inclinauerat. Multi mortales præcipiti curſu ad ſtagna & flumen delati, facilè perierunt. Siqui ultra telorum iactum uadatim ſeſe ſtagno inſinuarant, ut mortem effugerent, hos Galli è ueſtigio ſecuti, multis ictibus repetitos conficiunt, aut ui aliqua afflictos aquarum uoraginibus mergunt. Plurimi tamen, Gallis moratorum cæde occupatis ad naues peruaſere, qui ſecundo fluuio ad mare digreſsi inſulas, quæ Tyrrheniæ & Liguriæ obiacent, improuiſo appulſu diripuerunt, direptas incendio & cæde uaſtarunt. Inter hos motus Liutprandus rex ueritus, credo, ne Sardinia quoq; impiæ genti eſſet prædæ, Aurelij Auguſtini corpus ex ipſa deuehendum inſula curauit nauibus ad id miſsis, deuectum Ticini multa ueneratione ſacrauit. Fuerat diui corpus in ea inſula annos ducentos quinquaginta aſſeruatum, iam inde à Vandalicis terroribus ex Hippone piorum opera ſublatum, quum eius gentis iniuria Arriana peſtis plus nimio inualuit tota Africa, orthodoxęq; eſt fidei cultus ex ipſa terra expulſus. Viſigothi, & qui cum his circa Pyrenæum, Sueui & Halani, qui citeriorem tenebant Hiſpaniam, Caroli & Francorum armis breui poſt Saracenorum opes in Narbonenſi Gallia acciſas prædæ fuerunt: exercuitque eam uictoriam Carolus eo crudelius in Viſigothos, quo maius illi periculum intenderant Chriſtiano nomini Saracenorum accitu. Quòd niſi Caroli uirtus & felicitas tempeſtatem illam armorum diſcuſsiſſet, quod reliquum erat Europæ, Viſigothorum ductu, breui impiorum iugum ſubijſſet. Affectæ ſunt igitur res Viſigothorum tam atrociter, ut tum demum funditus interijſſe credantur, in quo nõ unius laudis fama Carolo quæſita eſt, ſed quòd ducenteſimo pòſt anno quàm gens ipſa à Merouęo qui primus rex Francorum Chriſtianum nomen tulit, bello petita eſt, Caroli ductu & auſpicijs eſt afflicta ac propemodum extincta, idemque orthodoxæ fidei diu ab his oppugnatæ, ſimul & Romani imperij, quod hi omnium mortalium primi labefactare cœperunt, uererem ultus eſt iniuriam. Narbo, Nemaeſum & aliæ inſignes urbes, quæ Viſigothorum fuere, excidio deditæ ſunt, ut Viſigothorum nomen cum re interire potuerit niſi pauci numero ſuperfuiſſent, qui in Barchinonenſium fidem conceſſere. Sed quàm res Chriſtiani nominis lætæ erant in Gallia, tam triſtes & calamitoſæ per idem tempus fuere circa Byzãtium & cęteram Europam, quæ in fide adhuc erat imperij. Siquidẽ Leo Theodoſium expunxit magna parte ſui principatus, qui neſcio quo malo imperij fato multo fuit diutior, quàm rebus humanis expediret (imperauit enim annos quatuor & uiginti,) orthodoxæ fidei & Romanis pontificibus, rectioris dogmatis odio fuit plus quàm hoſtis. Multis itaque cladibus, Italia & cętera imperij loca ſunt eo principe grauiter affecta. Primo quidem huius imperij anno, qui ſeptingenteſimus fuit humanæ ſalutis ac duodecimus, Athinus & Amorreus Saracenorum duces citeriore Hiſpaniam inuaſerunt, ut ſuprà eſt memoratum. Altera eiuſdem gentis manus in Thraciã ex Aſia tranſijt Zulemonis ductu, eſtque numeroſa claſsis Byzantio admota. Tria milia nauium habuiſſe quidã prodiderunt, trecentarum ſunt alij autores, quibus libentius accedo. His uiribus Barbari ſunt terra & aqua Byzantium adorti, adduxiſſentq; breui urbem clariſsimam in apertum diſcrimen, niſi prædę cupiditas ab intentiore oppugnatione auertiſſet, manus ingens ex caſtris profecta prædãdi ſtudio per Thraciam ad libitum euagata, in Bulgariæ fines irrupit. Bulgari genus hominum acre, Chriſtianæ fidei & patrię charitate ad ultionem accenſi, ſumptis armis in populabundum hoſtem ferociter inuehuntur, eſtq; cædes adeò latè euagata, ut ad duo & triginta prædatorum milia in Bulgaris interfecta ſcribant nonnulli. Iactata eſt inde impia gẽs graui ſeditione circa Byzantium in nouo ſibi duce creãdo, nam Zulemo ſub idem tempus quo clades illa eſt in Bulgaris accepta, fato deceſsit, eſtque ob ſeditioſam ducis creationem aliquandiu oppugnatio intermiſſa. Aminthas demum in defuncti locum creatur, qui nõ tam oppugnandæ urbis quàm ducatus ſibi confirmandi curam ab initio ſuſcepit. Interea nihil æque auxilio fuit feſſæ ciuitati, ac piorum preces, aſsiduæq; circa tẽpla ſupplicationes. Maior inde clades eſt Saracenos adorta q̃ Leo & alij optare eſſent auſi, in quo manifeſta apparuit numinis prouidentia: enimuero toto biẽnio, quo urbs in obſidione fuit, fame, frigore, morbo multo maxima pars hominũ cõſumpta eſt. Stationariæ naues, partim fœdis tẽpeſtibus, partim cœleſti igni, ut creditur, periclitatæ ſunt: nã eius incendij neq; autor ullus neq; cauſa aliqua euidẽs extitit: illud ſatis conſtat, ex tanta nuper claſſe, quantã nulla hominũ uidit ętas, ſi ueri ſunt, qui immenſum nauiũ numerũ poſuerunt, perpaucæ numero naues ſuperfuere. Byzantiũ etſi pulchrè eſt defenſum, grauis tamen ſub id tẽpus uaſtauit peſtilẽtia, ad trecẽta hominũ milia cõſumpta autores ſunt quidam. Leo tam atroci clade, magnoq; terrore belli ſeruatus, tantum abfuit ut in melius uitã mutauerit ut cõfeſtim periculo leuatus animum ad ſacrilegiũ adiecerit, ut auguſtiſsima Romanæ urbis tẽpla donarijs pretioſiſsimoq; ſacrorum apparatu ſpoliaret. Datumq; eſt id negotiũ Marino Spatario, ac ſimul imperatũ ut pontificem caperet, ſi iniuriæ conaretur ire obuiam, uel ſi minus capi poſſet, ferro aut ueneno tolleretur. Aſſumpſit is ſibi deſtinati parricidij ſocios Iordanẽ Chartularium, & Ioãnem Lurionem ſubdiaconum. Cæterum Marinus, ſubita ui morbi preſſus, negotiũ exequi non potuit. Secutus Paulus patritij ordinis Exarchus, cui à Leone eſt idem ſcelus iniunctum. Is Marini conſilio coniuratos deſtinati facinoris appellat. Sed dum hi minus caute exitiũ pontifici properant, in ſuũ uerterunt, coniuratione deprehenſa populus atrocitate rei cõmotus, Iordanẽ & Lurionem ferro cõficiunt. Baſilium (nã is quoq; erat eiuſmodi conſilij conſcius) uita donatũ in monaſteriũ obtrudunt. Exarchus tanquam ea res nihil ad ſe attineret, eã populi ultionẽ ciuiliter tulit. Nec ita multo poſtquam impium parricidij cõſilium eſt paucorũ morte uindicatum, Rauennam profectus eſt. Gregorius

Corpus Aurelij Auguſtini ex Sardinia uehitur.

Merouæus.

Leo impẽ. Rõ. eccleſiæ hoſtis.

Attende numẽroſam claſſem.

Saracenorum clades.

Grauis peſtilentia.

Attende piam ultionem Rõ. pontif.

Longobardi res imperij solicitant.

pontifex inexpugnabili principis in se odio nõ tantum erat solicitus, sed quod per id tempus Spoletanus dux Longobardicæ uir gentis, Narniam in faucibus Vmbriæ ceperat, & Liutprandus Rauennam iam plures dies obsidione fatigabat, per id tempus quo Paulus Exarchus Romam uenit. Liutprandus frustra assidendo, quum nulla potiundæ urbis spes ostenderetur, soluta obsidione, omnem belli impetum in Hetruriam uertit, hic Clusium ui captum crudeliter diripit, quæ recens Longobardorum iniuria multis ad Leonem querimonijs delata nullis opib⁹ uindicata est, nescias maiore principis impietate, an imperij suggillatiõe. Aspernari Leo mala hęc Italię, nec minus interea põtifici imminere, cuius mors ut maturaretur, Exarchus instructus armis Romam proficiscit. Perijsset haud dubie Gregorius, alij Stephanũ scribunt, nisi Lõgobardorũ auxilia illi maturè affuissent: Lõgobardi cupidi Romã & cęteras Italię urbes à Græcis alienare, ut cõciliatis Italorũ studijs res suæ tutiore loco essent, nihil grauate ex Spoleto & Vmbria auxilia Gregorio Romã misere, quibus Rom. pontifex fretus, Exarchũ uenientẽ à Miluio ponto repulit. Fremere Leo interea, atq; excandescere, quod pontifex toties à se dolo & ui petitus nullo affici potuisset incommodo, quem ut in discrimen aliquod adduceret, remisso omni infectationis studio, amice postulat, ut suum exemplum imitatus ex omnibus templis sanctorum deleat imagines, in quo non solum ille non est principi gratificatus, sed per omnes scripsit ecclesias, ut in antiquissimo instituto perstarent. Peperit ea res Leoni inuidiã ingentem, quum apud alias gentes, tum in primis apud Italos, & iam apud Romanos consilia mouebantur de nouo imperatore in Italia creando, accedebant studia totius Italiæ, erupisset q́ue consensus ille in apertam defectionem nisi pontificis autoritas intercessisset, tenuisset q́ue leniendo castigando q́ue suorum ferociam, ut in ueteri perstaretur officio, quum cõspiratio illa eò interea processisset ut Marino Spatario, urbis duce, & filio qui Cãpaniæ urbibus præsidebat, interfectis, cæso q́ue à Rauennatibus Exarcho, iam urbes & populi nouos sibi magistratus legerent. Sed hæc aliquanto postea secuta sunt: nam Exarchus prius quàm interfectus sit à Longobardis est Rauenna iectus, Venetorumq; auxilijs restitutus, ut Paulus Diaconus & Bonitendius scriba prodiderunt. Cæterum quonam modo ea res gesta sit, haud multo pòst in Venetis rebus explicabitur. Lõgobardi hunc Italiæ motum in occasionem uertentes, ubi ministros imperij passim iectos uidere, neque in urbibus magistratus ullos esse, aut si qui forent, nouos quidẽ, & tumultuarios, sumptis repente armis Bononiam in Æmylia occupant, in Flaminia Forum Liuij, Forum Popilij, & Cæsenam, in Piceno agro Auximum. Venit interim nouus à Leone Exarchus Eutychius nomine, ac tum demum palam est factum quo Leo princeps esset animo in põtificem & Romanos, enimuero Eutychius non modo non ultus est quæ Lõgobardi suis damna intulerant, sed duces etiam eius gentis magnis donatos muneribus ad fœdus & amicitiam inuitauit, est q́ue per literas Romanorum quosdam hortatus ut in pontificis caput coniurarent, quibus publicè recitatis immensus multitudinis clamor põtificem perpulit, ut continuò Eutychium absentem anathematis spiculo defixerit, est q́ue graui illa censura Exarchus omni spe priuatus dignitatis in posterum retinendæ, quãdo omnibus odio esset, atque ut impium publicè & priuatim omnes auersarentur. Gregorius & Romani his circũuenti difficultatibus, rati quod erat multo conducibilius fore faciliusq́ue impetratu, ut dissimulata iniuria à Longobardis accepta, quę meliori tempore uindicari posset, Liutprandi amicitiam & fœdus quærerent, quàm frustra expectare ut Leo quod nunquam facturus uidebatur, de pontifice & Romanis inciperet bene cogitare. Ad euitandũ igitur exitium, quod inde imminebat, cum Liutprando pacem sanciunt, nulla locorum mentione facta quæ Longobardi nuper occuparant, est q́ue pax breui uiolata, Sutrio ab Spoletano duce intercepto, foretq́; ob eam rem continuo ad arma recursum, nisi Liutprandus interc̃sisset, qui intra quartũ mensem iussit oppidum restitui. Sed quum id contumaciter fieret, erant enim Spoletanus & Beneuentanus duces soliti regis imperiũ aspernari, suis opibus freti, Liutprandus regiam maiestatem ab ea contumelia uindicandam ratus cum ingenti armorum apparatu transijt in Vmbriam, uerum prius quàm uis ulla intenderetur, pax secuta est, cuius Romanus pontifex fuit arbiter. Hic regem cupido subijt Vaticani Apostoli limina uisendi, processitq́; cum toto exercitu Romam. Romani, qui semper ambiguam habuere Longobardorum fidem, citra Tyberim se tenuerunt. Rex cum pontifice in Vaticano congressus est, uenerabundus q́ue se ad Gregorij pedes demisit, multa dein religione Petri Basilicã ingressus, armillas baltheum & ensem, ad aram maximam dedicauit, ac secundum hæc pacatus retrò abijt. Exarchus per idem tempus, aut certe non multo post, à pontifice est in piorum cœtũ restitutus, ac rogatus ut Rauennam reuerteretur, tenuerat enim se Neapoli iam inde quo fuerat à pontifice ignominia notatus. Leo interea, ut quidam scribunt, omnes Diuorum imagines & simulachra ex sacro & ꝓphano iussit tolli. Alij prius id ab eo factum memorant, sublataq́ue *in* Romanæ eccleſiæ inuidiam, quæ longè aliter sentiebat, flammis tradidit, iussitq́ue palam interfici quicunq́ue edicto minus audiẽtes fuissent, Germanum antistitem dignitate priuauit, qui insanientis principis factum fuerat uerbis castigare adortus, est q́ue deiecti loco Anastasius Constantinopolitanę ecclesiæ admotus, qui quàm impudenter alienam sedem inuaserat, tam impiè, nec minus stultè est per literas à Romano pontifice petere ausus, ut cum uniuerso clero suæ astipularetur hæresi. Gregorius eum anathemate percussum sacerdotio & dignitate priuatum pronocauit: admonuit & Leonem ut à sua impietate resipisceret. Nec ita multo pòst siue Stephanus tum pontifex fuit, siue Gregorius, ut plures scribunt, eius nominis secundus in humanis, quod satis constat, esse desijt. Qui Gregorij pontificatum celebrant, Bonifacium aiunt, eo adhuc in humanis agente, Romam uenisse, qui ob sanctitatis opinionẽ uulgo de eo receptam ex monacho ad episcopatum sit promotus, inde in Germaniam missus, ut exemplo & prædicatione eam gentem instrueret, Maguntinus est antistes creatus, ex Germania mox reuersus in Africam transijt, augendæ pietatis studio, ubi medio prædicationis cursu ab orthodoxæ fidei hostibus interfectus est. Fuit huic æqualis Egidius uir Graij sanguinis, uitæ sanctitate & mox miraculis clarus. Sunt qui scribant Casinense monasterium à Petronio Romani generis, per id tẽpus, instauratum, & alij quod suprà est significatum, Brixianum fuisse memorant, est q́; Patronax ab his dictus non Petronius. Duo per idem tempus cometæ apparuisse dicuntur, atq; ob id præcipuè memorabiles, quòd orientem Solem unus præcedebat, alter occidentem sequebat. Obijt Gregorius anno, ab ipsius creatione, sexto decimo, fuitq́; nonagesimus primus in ordine pontificum. Sequitur Gregorius tertius Syrus genere, fuit hic annus, quo ille est põtifex factus, septingẽtesimus humanę salutis atque undesexagesimus. Egregia hominis eruditio, diuinarumq́; literarum interpres, magnus ipse pietatis assertor, sed cultor adhuc maior, quippe qui & rectè ꝑcipere, & præcepta seruare, ut sensisse credi possit quæcunq; prædicauerit, Relabitur hic stilus in eãdem scriptorum inconstan-

Leonis postulatum.

Nouus Italiæ motus.

Longobardorum successus.

Attẽde Gregorij pontif. consilium.

Liutprandi rex Ro.

Impium Leonis edictum.

Viri illustres.

Cometæ.

Gregorij III.

inconstantiam, nam hũc quem Gregorium tertium Platina & alij faciunt, Forliuiensis Blondus secundum pro tertio scribit. Sed nos, ut sæpe testati sumus, recentiores libentius sequimur, qui Blondum haud dubiè uiderunt, & tamen ab eo diuersi abeũt. Nunc quando aliarum gentium relatio paulo longius excurrit, ad res Venetas redeo, quæ, ut in Romanis fecimus, primo erant loco à nobis referendę.

Res Venetæ.

Præfuit Marcellus, qui secũdus in Venetis dux fuit, annos nouem Veneto nomini. Secutus Orleus Hypatus cui Vrso fuit cognomen. Obsedit per id tempus Liutprandus Rauennam, Classensi oppido prius occupato, imminebat q́ue ferociter Barbarus Rauennatibus. Carolus interea, de quo multa ad hunc locum diximus, graue & periculosum cum Saracenis bellum gesturus, ad Liutprandum regem misit, qui ab eo amicè peterent auxilia. Id ille non solum præstitit, sed Rauenna obsidione fatiganda suis relicta, cum robore copiarum ad Carolum proficiscitur, dubium priore bello, quod in Aquitania est in Saracenos gestum, an altero recentiore, quod magis credo, ob locorum uicinitatem, nam circa Rhodanum in Narbonensi Gallia res gesta est. Cæterum ubicunque tum bellatum est, Liutprando in Galliam profecto, Idelprãdus & Prædeus Vicetinus duces, quibus trahendæ obsidionis erat negotium injunctum, per nobilium factionem Rauenna potiti sunt. Erat tum Paulus Italiæ Exarchus, qui postea, ut suprà est demonstratum, Rauennatium incursu perijt, amissa urbe ad Vrsum ducem & Venetos fuga dilapsus est, complexus est eum uenientẽ perbenignè Venetus, est q́ue uerbis hortatus, ut præsentẽ casum forti animo ferret, ac simul ostẽderet eiusmodi ludos ludere fortunam solere cui sola uirtus resistat, id unum tutum & incolume mortalibus esse ab omni illius iniuria, quoniam quæ non det fortuna auferre non possit. Secutæ continuo Gregorij pontificis literæ, quibus ille Exarchi causam Veneto duci amicè commẽdabat. Exemplum literarum quas ad Vrsum pontifex dedit, Bonitendius scriba suis commẽtarijs inseruit. Placuit hic earum exemplũ ponere, ut plani⁹ intelligi posset ex externis scriptoribus quosdam, qui rem silentio presserunt, Veneto nomini laudem inuidisse, nam præterijsse eos hunc locum parum credibile est, qui scrupulosè etiã multa secuti sunt. Gregorius episcopus seruus seruorum dei dilecto filio Vrso duci Venetorum. Quia Pacato fauente Rauennatium ciuitas, quæ multarũ caput extat ecclesiarum, à nefanda gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius dominus Exarchus, apud Venetias, ut cognouimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra uice pariter decertare, ut ad pristinum statum sanctæ reipublicæ imperiali seruitio dominorum filiorum q́ue nostrorum Leonis & Constantini magnorum imperatorum ipsa reuocetur Rauennatium ciuitas zelo & amore sanctæ fidei nostræ. Deus te incolumem custodiat dilectissime fili. Et Gregorij literæ utcunque in illa studiorum calamitate scriptę, hoc habuerunt, quibus publicè recitatis, Exarchus in publico insulanorum conuentu ita locutus dicitur. Quid possit fortuna in humanis rebus meum ad uos perfugium declarat Vrse dux clarissime, & uos uiri Veneti, enimuero quando unquam illa tam uarium lusit ludum? aut quando tam uaria & uolubilis in re aliqua extitit? qui nunc secundus eram ab imperatore summo, summum q́ue magistratum gerebam, copias ductabam, cui populi, ciuitates, & insulæ nobilissimæ parebant, à quo auxilia cuncti implorabant barbari & externi reges, en exul, extorris, sine exercitu, sine dignitate, supplex alienum cogor auxilium implorare. Sed uos uiri Veneti non tam fortunam oportet quàm Longobardorum perfidiam uereri, per quos fortuna mihi infidiata est, per quos insidiabitur & uobis nisi præsenti incendio eatur obuiam, hi enim non contenti partem multo maximam Italiæ occupasse, tot nobilissimis urbibus libertatem ademisse, iam siquid reliquum erat quod nondum seruitio pressum iaceret, ui & armis suis adiungunt opibus, nec prius quietura est sæua Barbaries quàm ipsum libertatis nomen tota Italia extinxerit, quod quum alijs molestum uideri debet, tum uobis acerbissimum dux & uiri Veneti, quorum maiores non tam mortis quàm seruitutis metu in hæc loca olim deuenere, qui hoc domicilium libertatis, medijs fluctibus constitutum, uobis per manus tradidere, cui tanto sunt hodie Barbari infestiores, quanto stabilior est hic omni tempore libertas quàm alibi futura, si sint dico qui eam tueri uelint, sed cur uos illorum progenies non omni tempore tueri uelitis, quod prisci Veneti ne amitterẽt amœnissima Italiæ ora relicta in hæc loca decreto migrarunt? in quibus nihil erat quod posset quenquam ad sui cultum inuitare, præter locorum fiduciam, quibus illi freti per tot bellorum motus, tot strepitus, tot rerum nouitates, libertatem tutari, iam adultam & stabilem uobis reliquere, quod commune bonum quo maiore est ab illis indole quæsitum, eo uobis est magis adnitendum ne per ignauiam & inertiam amittatis, atque eo enixius quo res propior periculo est quàm ullo unquã fuit tempore. Iam quo tendant Longobardorum conatus uidere facile est, tota Italia potiri uolũt qui nunquam fuerant eius parte contenti. Rauennam subiectam habent, alterum libertatis perfugiũ, Romæ & cæteræ Italiæ imminent, sed uobis omnium maxime: nam præterquam quòd ab initio fuerunt Veneti nominis hostes, iam quanto tutiore loco est uobis quàm alijs libertas, atque ob id minus expugnabilis, eo illi infensius odere. Quare quo maius imminet à uicino hoste periculum, eo magis uos niti decet ut hoc incendiũ, quod in uestris oculis nunc ardet, priusquã uos attingat restinguatur, nec quia pacate uobiscum agunt ob id minus infesto in uos animo esse arbitremini, non stomacho id datur sed tempori, non uoluntati sed necessitati, nunc pacem agunt ut quum occasio aderit commodius rem gerant, quanquam ne hoc quidem otium uobis fortasse ab ea gente contigisset, nisi Rom. pontificibus, & nostris Cæsaribus, uestra salus semper curæ fuisset. Nunc nisi Rauenna recipiatur, qualis sit futurus uestrarũ rerũ status intelligitis, credo, quod quum ita sit decernere uos oportet, uelitisne Rauennam uestra opera & uirtute restitui, an proditione captam Liutprando seruire, utrum sit uestræ libertati cõducibilius, uestroq́ue & maiorum uestrorum studio dignius qui in imperij & Romanæ ecclesiæ partibus semper esse uoluistis, nulli, credo, dubium est. Adde quod nulla occasio demerendi imperij maior offerri potuit hac una, quæ uobis oblata est: enimuero quàm id facinus sit Leoni & cæteris imperatoribus gratum futurum, tum urbis præstantia, tum pontificis literæ de hac re ad uestrum ducẽ datæ, facile demonstrant. Et nunc illud uobis persuadete, uiri Veneti, non Italię Exarchum sed Ro. pontificẽ, & Leonem imperatorem, in cõspectu uestro stare, uestrum auxiliũ, uestram fidem implorare, multis precibus contẽdere, ut urbem clarissimam uelitis uestra opera ad imperium retrahi. In uestra igitur potestate est uelitis apud summos Christiani nominis principes summum beneficium collocare, de cuius hostimento dubitet quidem nemo, nisi qui imperatoriam maiestatem, dignitatem q́; pontificiã, ita profligatã existimet, ut nulla possit inde gratia in futurũ expectari quod tam impium sit quàm stultum credere. Quod aũt ad negotiũ attinet, haud dubia spes adest dux & uiri Veneti bene gerendæ rei, Liutprandus rex procul abest cum robore copiarũ, urbem duo iuuenes obtinent

Gregorij literæ.

Oratio Exarchi.

obtinent præsidio, qui procul à prudentia & consilio absunt, quorum etiam permissu Longobardi terrima facinora per libidinem & auaritiam quotidie in Rauennates edere dicuntur, qua illi iniuria adacti nihil magis optare creduntur, quàm ut alicunde sibi nouandarum rerum detur occasio. Est præterea urbs à mari neque mœnibus, neque præsidio munita, unde ob insolentiam rei maritimæ nullus à Longobardis ostendebatur metus. Hac uos noctu urbem eximprouiso adorti, prius illi insinuabimini, quàm uos adesse quisquá suspicari possit, quod ut commodius fiat ego à continenti, sub uestrum appulsum, urbem acriter oppugnabo, ne uerus terror inter agendum ad sensum peruenire possit. Sic receptæ urbis omne decus cedet, eritque laus uestra, qui omnium primi urbem occupabitis. Nunc etiam atque etiam uos admoneo & hortor, uiri Veneti ne talem promerẽdorum principum opportunitatem elabi patiamini, quin maturato opus est, nec Barbari regis reditus est expectandus, qui sit omnia facturus difficiliora. Occasio arripienda, quæ quum in cęteris rebus, tum in bellis omnium gerendarum rerum & mater & opifex optima. Posteaquam dicendi finem fecit Exarchus, concilio submotus, iussus est responsum expectare. Variatum est inde sententijs, eratque in ore plurium Arithperti & Liutprandi regum amicitia fœdere sancita, quam publicè uiolare, non magis periculosum credere quàm turpe Veneto nomini. Inciderat proinde anceps consultatio, quum Vrsus dux in hanc sententiam ad populum uerba fecit. Si consultatio hæc ea esset uiri optimi, quæ discrimen famæ publicæ esset fideique allatura, tanto nunc mihi enixius prouidendum foret, ne qua infamia adiretur, quanto in ijs quæ publicè peccantur, maior ciuitatis principes quàm cæteros ciues attingit infamia, nam ita demũ persuasum est, qualis sit is qui reipublicæ præsit, tales esse ciuitatis mores. Quod quum magis mea, quàm cuiusquam uestrum intersit uidere, ne quid in republica peccetur, uel quia optimi sit principis id cauere, t el quod maior in me quàm in alios inde redundaret inuidia nunquam paterer, uiri Veneti, publicã fidem eo fœdere labefactari, quod cum Liutprando ictum habemus, nam id uideo in dubium uenire, uerum fide publica incolumi possint Veneti, laborantibus imperij rebus opitulari. Sed meminisse uos oportet in eo fœdere, quod cum Longobardorum regibus est publicè ictum, disertè positum, ut imperij & Romanorum pontificum rebus caueretur, atque ita fœdus tenere diceretur, si Longobardi ab utrisque iniuriam abstinerent. Quod quum Rauenna de rebus imperij sit capta à Longobardis, sit & Italiæ Exarchus hostiliter pulsus, quis non uidet iam Venetos nullo fœdere teneri? Cæterum, quantum illorum iniuria liberat publicam fidem ab omni perfidiæ crimine, tãtum necessitas, cui nemo repugnat, subigit nos etiã inuitos imperij rebus maturè subuenire, quibus in Italia cadentibus cadere Venetos necesse est, nam quantacunque est hæc rerum Venetarum fortuna, est enim Dei optimi benignitate minime pœnitenda, quibus alijs artibus, aut quibus uiribus creuit, quàm perpetuo cultu & amicitia imperij? an putandum est Longobardos, maiore Italię parte subacta, sua modestia à nostris rebus abstinuisse, aut has à se insulas capi posse desperasse, quum tot clarissimas urbes atque munitissimas, antea cœpissent? Fallitur siquis existimat illis uires aut uoluntatem defuisse, affuerunt duo illa semper Barbaris, sed occasio defuit, haud ignaris rem Venetam, Graijs imperatoribus, Romanisque pontificibus, perpetuo curæ esse, quia motum iri cernebant utrinq; in se arma ob Venetos. Hinc certè non aliunde fuit quòd omni bellica ui semper abstinuerunt, occultè alio qui latrocinio nostris rebus semper infesti. Si igitur propria salus nobis curæ est, si beneficiorum & memores & grati esse uolumus, induenda sunt arma, tuendæ res imperij, gratificandum Exarcho, imo Leoni principi, Romanoque pontifici, qui nos ad id facinus per literas hortat, adijcit & preces efficacissimas, quas aspernari non minus impium sit quàm ab officio alienum. Nunquam uiri optimi, tanta Veneto nomini oblata est occasio publicæ salutis stabiliendę, demerendique studij & amoris duorum Christiani nominis principum. Hanc si amiseritis negligẽdo, uereórne aliquando frustra requiratis. Ite igitur, & quod meritis dandum fuit, date precibus, date necessitati, cui non minus stultũ est quàm irritum repugnare. Magna Vrsus attentione hæc disseruit, sed maiore adhuc consensu, quæcunque ille in hanc sententiam dixerat, uniuersa concio probauit. Reuocatur in concilium Exarchus, recitatur publicum decretum. Cæterum ut commodius res transigeretur, placuit ad id tempus bellum dissimulari, agitur cum eo, ut tanquã à Venetis nihil impetrasset, confestim inde abiret, ac circa forum Cornelij militem & auxilia comparet, tanquam imperij uiribus non alienis Rauennam oppugnaturus, futurum ut Veneti opportunè cum classe adessent. His in hunc modũ constitutis, Exarchus ex composito bellum parat, Rauennam quàm maximo potest armorum apparatu adoritur. Nec Veneti in mora fuere, classem instruunt, dissipantque rumores, naues in Saracenos parari. Cæterum dextro littore Adriatici oram emensi Rauennam improuiso adoriuntur. Exarchus accepto à socijs signo, priusquam uis ulla à mari intenderetur, urbem à continenti, quam tumultuosissime potuit, noctu aggreditur. Visa est pugna illa Lõgobardis eo atrocior quo magis improuisa & insolens. Concurritur in muros ea parte, qua nocturnus terror ingruerat. Veneti interea cum nauibus muros subeunt, pontes & scalas mœnibus applicant, & iam aliqui tenebãt murorum fastigia quum ea quoque parte tumultus repente ortus magnam hostium partem in Venetos traxit. Fuit inde atrox pugna, sed Veneti porta, quæ ad mare ducit, à principio diffracta, urbem irrumpunt. Resistebant nihilo secius hostes, dimicaturque intra muros obstinatis utrinque animis: affuit interea Exarchus per patefactam à Venetis portam immissus, ac tum demũ fusis cęsisque passim hostibus Rauenna recepta est. Sed hæc pluribus fortasse quàm Rapsodiæ stilus postulet. Rauenna ex Longobardis recepta, res Veneta aliquandiu discordia iactata est. Equilienses qui Iesulani postea fuere, & Heraclienses funestum inter se bellum gessere. Discordiæ causa, à finibus orta seu, ut alij scribunt, à principis insolentia. Satis constat, post mutuas clades citro ultroque illatas & acceptas, Vrsum ab Heraclianis popularibus suis interfectum, quòd eius intemperiem ferre nõ possent amplius. Sed nihil æque ad inuidiã obfuit, ac opinio de eo recepta, q, fax domesticę illi⁹ discordię fuisset, autorq; malorũ omnium. Perijt Vrsus anno undecimo sui principatus circũacto. Nec foris interea multo quietior fuit rerum Venetarum status, Calisto Aquileiensi antistite, duas Gradensis ecclesiæ insulas Centinariam & Mussonium sibi uendicante, rebusque à Calisto publicè repetitis, nec redditis, arma parabantur. Cęterum Calistus Gregorij pontificis minis exterritus nisi à serenda discordia desisteret, utranque insulam restituit. Centenaria prorsus interijt. Mussonia turris cum uestigio uetustatis in paludibus adhuc uisitur.

Attende difficilem consultationem. Vrsi ducis oratio ad pop. Venetum.

Peroratio.

Attende eorum cautelam in mandatis.

Rauennæ recuperatio.

Venetorum mestitia ob discordia.

ENNEA-

ENNEADIS VIII. LIBER VIII.

ÆDEM Vrsi principis noua reipublicæ excepit administratio, insolẽs regiminis forma, quæ præcessit, tristisq; ob infelicem exitum recordatio fecit ut Heracliano cõuentu, qui proxime secutus est, non dux ut antea, sit creatus, sed nouus sit magistratus inductus, dixerunt hunc, quem creari placuit, Magistrum militum, nomẽ uetus & militaris imperij plenum, sed tunc non magis ad bellorum usum quęsitum quàm ad totius ciuitatis regimen. Estq; primus omnium creatus Dominicus Leo. Sunt qui Metamauci non Heracleæ creatum malint, quia iniquum putaretur unum duntaxat locum totius gentis conuentu celebrari, quum plura alioqui in proximo forent, quę & ueteri incolatu, & hominum frequẽtia, Heracleę essent iure præferenda. Cæterum ubicunq; est id magisterium tum primum creatum, ciuitas, quod satis constat, nouam sortita est regiminis formam, anno circiter quadragesimo à primi principis creatione. Habuit hic annus, qui militaris magisterij primus fuit, nihil memoria dignum. Sequens uero qui Felicem Corniculam habuit, insignis fuit Sclauorum in Foroiulienses eruptione. Rachis eius dux gentis, cũ multa strage, suis hostem finibus eiecit, quod proximo est uolumine demõstratum. Successit Corniculæ Theodatus, Vrsi ducis filius, quẽ in exilium actũ, mox uero restitutum, ciuitas paterni odij oblita, ut leuiter multitudo & amat & odit, ad fastigiũ dignitatis extulit, tanto omnium fauore, ut in sequẽtem annum sit illi imperium prorogatũ. Cęterum priusquam magistratu abiret ultimum diem obijt. Iulianus Ceparius in demortui locum subrogatur. Quidam Iubianum pro Iuliano scribunt, Hypatum, pro Cepario. Hoc anno aiunt nonnulli Rauennã à Lõgobardis Venetorum opera receptam, eoq; fortasis merito Ceparius consulari est dignitate ab imperatore donatus. Post Cepariũ Ioannes Fabriciacus secutus est. Is nondum annuo munere exacto, populi fœuitia luminib⁹ & dignitate priuatur. Authores habeo quosdam, hoc demum anno ad internecionem bellatum inter Equilinos & Heraclianos, monimẽtum rei gestæ ad posteros fuit canalis, qui à pugna illa duobus populis funesta ab arcu cognomẽ traxit. Ferunt tum demum uelut damnatis sedibus, aliò utrinq; migratum. Sed quæ fuerit abeũdi causa suus postea locus demonstrabit. Eratq; per hæc militaris magisterij annus quintus nondum actus, quum tædium (quæ est uulgi incõstantia) subijt receptæ administrationis, uidebaturq; multitudo haud diutius latura præsentem regiminis formam, quum Metamauci, potest id nomen factum uideri à Græca uoce & domestica ut sit Metamaucum, quasi transmedoacum dictum, huc enim concilium totius est gentis indictũ: dux creatus est Theodatus Vrsi filius. Scriptum reperio apud quosdã hunc altero anno, in quẽ fuerat illi militaris magisterij dignitas propagata, uita defunctum, sed plures ad ducatum peruenisse aiunt. Sed dũ Theodatus in Venetis dux est, aut certe sub eius exitum, Gregorius tertius est põtifex factus, Blondus secundum eius nominis non tertium autumat, in Stephano, ut reor, oblucinat⁹, quẽ duobus Gregorijs prætulit. Eratq; Liutprandus Lõgobardorum rex, Leo orientis imperator, ad cuius hęresim infringẽdam Gregorius Italorum antistitum conuẽtu decernẽdi autor fuit, ut sanctorũ imagines maiore quàm ulla unquam ueneratione in tẽplis colerentur, ipsum magno cleri populiq; cõsensu piorũ communione priuat, non solum quòd sanctorũ imagines omnibus templis sustulisset, sed quòd de Homousio quoq; impie sentiret. Tueriq; per hæc ortho doxam fidem Gregorius, simulq; urbana templa, & urbis mœnia sedulo instaurare, quum nouum est illi cum Liutprando rege & Lõgobardis bellum magis casu quàm consilio ortum. Rebellauerat Trasemundus Spoleti & Vmbrię dux regi, cum quo nõ multo prius in gratiam redierat. Liutprandus noua ducis iniuria prouocatus, irarum plenus, fit enim furor patientia sæpius læsa, ingenti ui armorum Vmbriã inuadit, Spoletum ui capit, & quicquid urbium Trasemundo fuit. Ipse fuga dilapsus, publica fide accepta, Romam se contulit. Petijt Liutprandus à pontifice & Romanis ut perfugam sibi redderẽt, aut ipsi necarent, neutrum est regi datum, quo etsi irato, periculum tamen quod inde imminebat, publicæ fidei posthabendum putarunt. Nec Barbarus distulit ultionem, Romam aliquandiu obsedit, cęterũ ubi mœnibus assidendo uidit se nihil proficere, in urbes & municipia, quæ in pontificis & Romanorum fide erant, omnem belli impetum auertit, cepitque ex his celeri uictoria Ameriã, Ortam, Bleram, & Polimarcium. Reuersus indè in Vmbriam Hildericum creat Spoleti ducem. Ex Vmbria Beneuentũ petijt, Sisulphumq; Grimoaldi filium paterno principatu deturbat, habuerat Liutprãdus pueri patrem semper infestum, Beneuentum Gregorio nepoti suo attribuit ducemq; declarat. Postremo Ticinũ redijt, ubi graui conflictatus morbo Hildebrandum reliquum ex nepotibus consortem sibi regni cõscisuit. Cessatum est inde ab iniuria aliquot annos, fuitq; inter pacem & bellum quies cum Longobardis, quoad Romani iniquè ferẽtes tot urbes & oppida, haud obscuri nominis, sibi à Liutprando uno tempore adempta, ingentibus copijs ex tota Romani nominis ditione contractis, Trasemundum in Vmbriã restituere uelle se rumores dissipant, bellumq; simul ostendunt, simulque Stephanus patritij generis qui tum Romę dux erat, & Trasemundus bipertito in hostem proficiscuntur. Affuerunt & à Godescalco Beneuentano duce auxiliares copiæ: occupauerat is Gregorio extincto eius principatum, magis arte quàm armis. Trasemundus per Sabinos Vmbriæ fines ingressus, breui Spoletum, & loca Spoleto circumiecta, recepit. Stephanus cum Romano exercitu, & Beneuentanorũ appendicibus, Marsos, Furconios, qui Aquilani sunt hodie Blondo autore, & alios minus nobiles populos ad Trasemundum retraxit, tam lõgè lateque, media Italia, unius principatus sunt fines euagati. Quo in integrum restituto, Romanus dux in animo habebat Ameriam, & cæteras urbes, quas Liutprandus occupauerat, Longobardorũ ex his præsidio ui & armis eiecto, ad imperium retrahere, repetebaturque à Trasemundo hostimentum operæ à Romanis in eo restituendo nuper nauatæ. Ille pudore impeditus, neq; auxilia negare, neque tamen se ad id bellum expedire, trahere itaq; tem parum syncera fide, quum repente nuntiatur Liutprandũ cum magno armorum apparatu domo profectum Vmbriam decreto petere. Metus itaq; Trasemundo expressit, ut confestim cum Romano iunxerit copias. Primum itaque omnium itum est hosti obuiam, quem soluto agmine uenientem, inter Phanum Fortunæ, & forum Sempronij, Romani Vmbrique, loco syluis impedito adorti, magna Liutprandum clade affecerunt. Inclaruit tumultuaria illa pugna Rachisij Foroiuliani uirtus, cogebat is forte regium agmen, & iam tumultus & trepidatio ad subsidiarios euenerat, multi etiam fauci, præcipiti fuga in extremum agmen inciderant. Vnius itaque uoce & conuitio sistitur fuga, mox eiusdem hortatu ex his qui antea fugiebant, quiq; subsidio aderant, fit globus, instauratur prælium, eratque iam propemodum æquata pugna, quũ Spoletinus eques Rachisium primo loco dimicãtem nominatim compellat, prouocatq;

Magister militum.

Attende nouæ belli causam cum Longobardis.

Liutprandi gesta.

Magna rerum mutatio.

Liutprandus rex magna clade afficitur.

Attende nouũ decretũ de imaginibus sanctorum.

Pugna ex prouocatione.

catq; ad singulare certamen, nec homo ferox detrectauit pugnã. Concurrunt ex aduerso infestis hastis, eratq; pòs precipiti loco impositus, in quo forte cõgressi sunt. Cæterum Rachisius uioléto lanceæ ictu Vmbrum præcipitem ex ponte egit, non sine hostiũ risu, infelici, credo, eius dimicationis euentu Romani Vmbriq; perculsi, remissa pugna retrò abierunt, estq; interim ita festinatũ, ut uerius fuga illa quàm receptus fuerit, nec enim prius agmẽ cõstitit quàm in pacatum uenit. Romanus dux à pontifice & populo domum accersitus, cõfestim à Trasemũdo cum exercitu discessit. Affuit nec multo pòst Liutprandus, Spoletum obsidione cingit. Multum inde laboratum est in subigendis Trasemundi uiribus, ad postremum Liutprãdus, uictoriæ compos, iam de bello in Romanos transferendo consiliũ agitabat, quũ Gregorius pontifex diẽ obijt. Platina autor est, Gregorio adhuc in humanis agente Romam à Liutprãdo obsidione fatigari cœptam, qua iniuria pontifex adactus, quia in Leone imperatore nulla spes esset, ad Carolum, ut ille ait, in Galliã misit, qui sibi & Romanis laborantibus à rege auxilium imploraret, ac tum primum Romanæ urbis apostolicæq; sedis tutela, quæ ad Cõstantinopolitanos principes, si quid grauius accidisset, omnia sua desideria deferre consueuerat, Gallorum est regũ facta. Suscepit nihil grauate pientissimum patrocinium Carolus pontificis rogatu, egitq; cum Liutprando ut pro mutua benuolentia abstineret ab ecclesię & Romanorũ rebus, qui in sua tutela essent. Erat Liutprandus Caroli amicissimus, quippe qui Pipino Caroli filio, ad id ex Gallia à parentibus misso, capillum sacro ritu succiderat, donatumq; magnis muneribus domum dimiserat. Ne igitur non omnia Caroli causa uelle crederetur, confestim Romam soluit obsidione. Hæc Platina. Blõdus longè aliter rem digerit, adeoq; diuersi abeunt, ut ob eam quæ *fit in põtificum ordinatione* uariatio, neq; tempora legentibus, neq; ordo rerum constare liquido possit. Gregorius, quod inter omnes conuenit, aram maximam in Vaticana apostoli æde, senis ex Onyche lapide columnis multo augustiore reddidit quàm antea fuisset. Superstabãt trabes argento delibutæ, & in his Christi regis & Apostolorũ statuæ, æquis inter se dispositę spatijs. Struxit eodem templo oratoriũ, intulitq; reliquias sanctorum ferè omniũ, adiecit & pauca uerba sacris secreto enuntianda. Quorum solennitas in conspectu tuæ maiestatis celebratur domine deus noster toto in orbe terrarum, & alia quæ uno carmine continentur, quæ usus non recepit. Aureum Deiparę uirginis simulachrum cum filio, eiusdem aiunt esse põtificis opus. Visiturq; hodie in æde uirginis quę prę sepe nuncupatur, sed plures maiorem malunt appellare. Instituit & monasticam uitam, qua rectius sanctiusq; uiuerent monachi. Muros urbis instauravit. Sedit Gregorius annos decem, & aliquid amplius.

Zacharias põtifex maximus

Zacharias tertius & nonagesimus à Petro pontifex inde creatus est. Græcum illi genº. Vir mitis, & ingenio ad promerendam gratiam comparato. In huius pontificatũ Blondus reijcit hostiles Liutprandi minas aduersus põtificem, & Romanos, quod bellum Zacharias omnium primũ discusserit, missis ad regem legatis qui illi satisfaceret, mox & auxilijs aduersus Trasemundum promissis, quo cũ Liutprandus bellum nondum profligatum habebat, secutaq; est pax & fœdus inter pontificem ictum & regẽ, petitumq; ut Ameria cum ceteris urbibus à Lõgobardo interceptis restitueretur. Trasemũdus, qui ad id tempus bellum pertulerat, ubi pontificis & Romanorum auxilijs regis potentiam auctam uidit, deditionem fecit: deditum Liutprãdus initiari iussit, ut omnis spes principatus in posterum recuperandi ei adimeretur. Agiprãdum nepotem suum Spoleto & Vmbriæ præfecit. Godescalus Trasemũdi casu per-

Quando Francorũ reges ecclesiæ fauere cœperunt.

Trasemundus principatu excidit.

A culsus, liberis & uxore in nauem impositis fugã molietur, cæterum Beneuentanorum incursu, priusquam nauim conscenderit interficitur. Qui in nauierant audito tumultu, discusso ponte oras abrumpunt, trepideq; in altũ euecti opprimi nequiuerunt. Per hos rerum successus petijt à rege Romanus põtifex, ut Ameriam, & loca ex fœdere promissa, restitueret: id quia cunctãtius præstabatur Zacharias ad Liutprandũ profectus est, qui tum Narnię erat. Prò-

Zacharias & Liutprandi congressus.

dijt illi rex obuiam ad octo milia passuum, magnaq; honorificentissime ad Valentini ędem. Profuit regi & uniuersæ genti frequens põtificis congressus, monitusq; est Liutprãdus ut ab humana abstineret cæde, parceretq; muliebri pudori, parceret uictis, nullas supplicũ preces aspernaretur. Hæc dexterè monendo assidendoq; adeò regis animum perfidum alioqui & truculentum mutauit, ut nõ tantum urbes quæ ex fœdere postulabantur, restituerit, sed in Sabinis multã, quę annos quatuor & triginta possederant Longobardi, dono dederit Romanæ ecclesiæ, dedit & Narniam in faucibus Vmbriæ, in Picẽtibus Anconem, & uallem Sutrini agri cognomento Magnam. Fœdus in decem annos cum Rom. pontifice sanxit, captiuos Romanis & Rauẽnatibus restituit, & in his Agnellum & Sergium Victorem Rauennatium consules. Et Liutprandus talis fuit in pontificem. Sed quàm hic pius & mitis, tã immanis & impius Leo imperator in eorum pietate infectãda, qui sanctorum imagines quoquo modo colerent. Duxitq; per id tẽpus uxorẽ Cõstãtinus Leonis filius Hirenẽ Cacani Bauarorum ducis filiam, cum qua semper discordi animo uixit, *orthodoxę* pietatis cultrix illa, hic fœuus, paternæq; impietatis multũ referens, cuius rei manifestum in puero præsagiũ extitisse ferũt, quòd infans baptismi lauacro admotus, media cæremonia aquam polluit alimoniæ excremento. Obijt eodem tempore Theodoricus rex Frãcorum, cui Carolo adnitente Childericus eius frater successit. Nec ita multo pòst & Carolus, iam grauis annis, fatali concessit necessitati: duobus uirilis stirpis liberis Pipino & Carolo superstitibus. Adijciũt quidam tertium Gryphonem nomine, uiolento & rapaci ingenio, quæ res illi cognomen inuenerit. Horum Carolomanus maximus natu ex patris diuisione Austriam & Sueuiam est adeptus. Pipinus Burgundiam & Frãcorum partem. Grypho post patris interitum, Saxonum auxilijs fretus, fratribus bellũ intulit, sed bellũ Pipinus & frater ex sententia confecere, Theodorico Saxonum principe in fidem & amicitiam recepto. Nec interea Liutprãdus pacem quam cum Zacharia pontifice sanxerat, ratã habuit, Rauennam prętер omnium expectationem hostiliter adortus. Misit ad regem põtifex, qui eum fœderis & amicitię admonerent, rogarentq; ut ab iniuria abstineret. Legati, qui ad regem missi sunt, fuerunt Benedictus Tusculanus antistes, & Ambrosius Primicerius, nec ad illorũ accessum remisit aliquo modo obsidio. Tuebatur urbẽ forti animo Eutychius Exarchus, nihil ueritus prętер longam obsidionem. Pontifex ubi regẽ in proposito perstare uidit, ex urbe ad Liutprandum profectus est, pacem à rege coràm impetraturus, ut Narniæ fecerat. Liutprandus dubium quia parum proficeret Rauennatibus assidendo, an quia de accessu pontificis resciuisset, Classenſi oppido capto, ac direpto, Rauennam obsidione soluit, cuius abeuntis uestigia pontifex secutus ad Padum processit, ubi naues offendit regis iussu paratas. Et hic quoque pontifex à Liutprando beni gne & comiter habitus, iuntq; tum res redditæ, & pax instaurata ex pontificis sententia: nec multi pòst dies interceſſere, quibus pontifex est Romam reuersus, tenebantque adhuc in urbe supplicationes ob felicem eius reditum, quum nũtijs & literis est allatum

Zacharias & Liutprandi congressus.

Diuisio inter fil.

Rex Francorũ fit Pipinus.

Attende in puero.

Caroli filii interitus.

Quiobreligionẽ spreti regna aspernati.

Liutprandi interitus.

Cuculi augurium.

A tum Liutprandum fato decessisse, Hilprandumque fratris filium, quem ille sibi hæredem & consortem regni asciuerat, regno deiectum. Ferunt die quo ille consors fuerat regni à patruo declaratus, quum ex ueteri eius gentis instituto in apertum egressus hastam gestaret, in eius summo auem cuculum sedisse, occinuisseq; querulum carmen, eoq; permotos augurio Longobardos, etsi uiuo rege nihil mouerant, mox eo defuncto noui regis imbelliã pertæsos, quã eo ostento significari arbitrabantur, Rachisium Foroiulienſem, Hilprando deiecto regem sibi creasse, Platina ex Hilprandi interitu regnũ ad Rachisium deuolutum significat. Hic ille est Rachisius, qui ad Forum Sempronij rem suæ gentis perditã restituit, hostemq; ex prouocatione uicit. Constituit nouus rex pacem cum Romano põtifice & Rauennatibus, in uiginti annos. Sub idem tempus quo hæc in Italia geruntur, Constãtinus Imperator, nam Leo uita decesserat, classem in Saracenos mouit, Alexandriã inuasurus, quo absente Arthaustus homo alioqui obscuri nominis, Byzantij tyrannidem inuasit, corrupta largitionibus multitudine, & iam imperij nomen assumpserat Arthaustus, quum Constantinus factus certior de ijs quæ domi acciderant, classe Byzantium reducta urbem obsidet, ac ui capit, Arthaustum in potestatem redactum luminibus priuat, dãnatque libero exilio, cum paucis eorum qui fuerant eius motus non solum conscij sed autores. Byzantio accepto, rebusq; paucorum supplicio pacatis audijt Constantinus Zacharię pontificis legatos, qui ad hoc missi fuerant, ut eum hortarentur uti orthodoxæ formam fidei probaret, piumq; Romanæ ecclesiæ institutum. Et hæc pontificis fuerunt postulata, quibus assensus est Constantinus, ut Platina signi ficare uidetur. In Gallia eadẽ tempestate Caroli progenies magnum est in uitæ instituto passa disidiũ. Carolomanus sponte religionem secutus Romam ad Zachariam pontificem uenit, à quo sacris initiatus, monasticaq; indutus cuculla Casinense petijt monasterium, ubi reliquum uitæ ageret, quod ab initio ex religionis instituto est professus. Contrà Pipinus, Caroli patris, & Pipini aui gestarum rerum gloria accensus, amborum uirtutem æmulatur. Nec consilio defuit euẽtus, Burgundios bello uicit, Germanos, Aquitanos, & Alemanorum gentem. Moderatus est & Francorum rebus, ut pater, Childerico regnum tenente, nihil in ea administratione æque illi fuit molestum ac regis dementia, cuius deliria ineptiasq; dissimulanter ferre. Cæterum primores regni & populi amplexi Pipini uirtutem, pertæsiq; regis amentiam, Zacharia Romano pontifice prius cõsulto, regis appellatione Childerico adẽpta, ut spes etiam regni adimeretur, in clerum detondent, Pipinum regem creant. Egit is cum pontifice, ut Francorum sibi regnum ratum suo faceret assensu. Hoc potius crediderim quàm quod Platina scribit, paternum principatum Pipino à pontifice stabilitum. Et Francorum regnum per hunc maxime modum, Austrasiorum cessit genti, anno humanæ salutis septingentesimo quinquagesimotertio. Rachisius interea turbat Italiæ otia, paceq; ex improuiso uiolata quã in uiginti annos cum Ro. põtifice pactus fuerat, Rauẽnatem agrum hostiliter populatur. Perusiam obsidione fatigat. Ocurrit eò Zacharias, ferocissimũq; regis animum dextere tempestiueq; uersando, adeò mutauit, ut non solum ex hoste amicum fecerit, sed ad religionis etiam cultum traxerit, siquidem, soluta obsidione, ut animum quoque humanis liberaret curis, impensius q; pietatem coleret, regnum Aistulphe fratri attribuit, ipse Romam cum uxore & liberis profectus, à Zacharia pontifice sacris initiatur, monasticamque profitetur uitam. Sic duo illustrissimi uiri, rex hic, ille regis frater uno tempore, pietatis studio, amplissima sunt regna aspernati: tãto res

Arthausti fastus.

Arthausti supplicium.

Pipini gesta.

diuinæ maiori tum curæ fuerunt mortalibus quàm terrenæ, nisi illud forte reputet aliquis, atque in utroq; dãnet, quod tam hic quàm ille sit postea præuaricatus. Nec Zacharias multum inde superfuit, quo adhuc sedente corpus Benedicti abbatis, Pipini permissu, ex Floriacensi Galliæ monasterio est Italiæ restitutum, Casinensiq; monasterio, unde fuerat sublatum, estque id Carolomano & Casinensibus monachis datũ, qui à pontifice id impensis precibus impetrarunt, pontifex à Pipino. Etiam pace ubiq; parta, Zacharias Lateranensis ecclesiæ turrim à fundamentis erexit, æneas portas & cancellos extruxit ad Barionę ædem, bibliothecam restituit, cũctis suum uectigal templis attribuit, Georgij ædem in Velabro condidit, Oratorium Ceciliæ Tiburtina uia, & alterum Cyri abbatis. Instituit adhæc ut à Buccellarijs quotidie eleemosinæ in Lateranẽsi domo exhiberentur pauperibus: & hæc Zachariæ opera fuere, ipse decimo anno sui pontificatus fato decessit. Stephanus huius nominis secundus fit inde pontifex, Romæ ortus, Romanis parentibus. Blondus pro Stephano Gregoriũ tertium Zacharię subijcit, sed nos Platinam quod sępe testati sumus, in põtificia historia libentius sequimur. Fuit Stephanus sapientia & pietate nulli pontificum secundus. Cęterum quo eius uirtus humanæ uitæ fluctibus exercita clarior esset, incidit eius pontificatus in Aistulphi regnum, qui Longobardorum fuit regum superbissimus, æqui & boni contemptor maximus. Hũc itaque inter initia sui pontificatus rem Romanam solicitantem Stephanus donis placare adortus, responsum tulit nullam iam inde se pacem cum pontifice & Romanis habiturum, nisi tributum sibi penderetur. Nec ita multo pòst Barbarus Rauennam occupat, quam seruitute pressam quum per legatos põtifex repeteret, non solum non reddidit, sed minaciter etiam nuntiari iussit pontifici & Ro. Po. fore ut nisi Romam & quicquid in Romanorũ fide adhuc esset, sibi ultro subijcerent, non multo pòst captos bello ad unum trucidaret. Stephanus his belli terroribus perculsus autor fuit, ut Byzantium ad Constantinum mitteretur, unde ij qui missi sunt, literis significarunt nullam spem esse auxilij in Constantino, aut quia nolit, aut quia non possit, aliunde imploranda subsidia. His pontifex literis adhuc magis commotus, cum populo egit ut in Galliam ad Pipinum regem mitteretur, qui Romanis & laboranti ecclesiæ aduersus Aistulphi iniuriam opitularetur. Petijt Pipinus ut Stephanus põtifex in Galliam ad se iret, pollicitus fore ut omnia quæ uellet coràm à se impetraret. Accingit se confestim pontifex ad eã profectionem, & quod sua erat sponte facturus, accitus multo libentius facit, parari iubet omnia occultè, ne si Aistulpus de suo in Galliam itu resciuisset, subito urbem inuaderet priusq; res Romana affligeretur quàm Pipini autoritas aut arma intercederent. Cæterum nondum profectus erat pontifex, quum legati ex Byzantio Constantini nomine nuntiant ut Stephanus ad Aistulphum se conferat pacẽ cum eo instauraturus. Nec is in mora fuit, ut erat pacis cupidus, & iam Roma digressus ad Aistulphum iter intenderat, quum à Pipino legati affuerunt orantes ut in Galliam iret. Fuerunt qui ex Gallia uenerant, Rothingrandus antistes & Antharius dux. Stetit nonnihil anceps consilij Stephanus pontifex inter duorum regum officia destitutus, perrexit tamen procul ad Aistulphum ire, cum quo quia nihil confici potuit, petitum est à Pipini legatis ut pontifici tutum iter pateret in Galliã per Aistulphi loca. Nihil molestius ille audire potuit, quàm quod Romanus pontifex in Galliam iret. Cæterum Pipinum ueritus, cui nihil negatum uoluisset, etsi inuitus, fecit tamen eundi potestatem. Eunti Carolus Pipini filius qui à magnitudine rerum gestarum Magni

Zachariæ opera.

Stephanus II. pont. max.

Aistulphi superbia.

Attende Francorum regum pietatem.

Pipinus Austrasius.

Pipini pietas.

Pipinus bellū comparat.

Carolomani relegatio.

Pipini in Italiam accessus.

Pax Lōgobardis redditur.

postea tulit cognomen, adolescens adhuc, patris iussu ad centum milia passuum officij causa obuiā processit. Sed ne Caroli & Pipinorum nomina toties reperita perplexitatem afferant lectori, Pipinus qui Austrasiorum primus inseruit se Francorum rebus, Carolum filium habuit cognomento Martellum. Is Pipinum & Carolomanum filios reliquit. Sunt qui tertium adijciant, Gryphonem nomine. Carolomanus religioni se ultro addixit. Pipinus qui Stephanum pontificem in Galliam accersuit filium habuit Carolum, qui pontificem uenientem comiter excepit. Tulit is postea, ut dixi, cognomen Magni. Longobardorumque regnum euertit. Nec Pipinus honori cessit, ubi pontifex aduētare dictus est, sed ad tertium lapidem obuiam progressus, ad eius pedes se uenerabundum demisit, inde equi frenum regēs, pedibus equo sedentem in regium perduxit hospitium, tanto tunc regibus quàm nūc priuatis maius fuit pietatis & religionis studium. Aistulphus pontifice in Galliam demisso, reputans animo quàm fœdam tempestatem illius ad Pipinū regem accessus parere posset sibi & suis, confestim ex primoribus gentis misit, qui eum ex Italia nondum digressum assecuti, omnium rerum restitutionē polliciti ad se retraherent. Sed quanquam sit ab ijs properatum, Stephanum assequi non potuerunt, qui hoc ipsum fortasse ueritus, iter ad Alpes accelerauerat, ne ad superbissimum regem ui, si aliter ire nollet, retraheretur. Rex ubi infecta re qui missi fuerant Ticinū redire, fremere, palamque uociferari aduolaturum se Rauennam, ac Rauennatibus alijs super alios interfectis, urbem direpturum, direptā ferro & igni exci surum, petiturumque se inde Romam quæ pari à se clade prius afficeretur quàm Pipinus auxiliū ferre posset. Pipinus interea pōtifici gratificaturus bellum celeriter comparat, ad prima ueris signa in Italiam moturus. Superuenit illi Longobardicum bellum molienti, Carolomanus quem religioni deditū Aistulphus, ut ex Cassinensi in Galliam iret perpulit, fratremq; proposito auerteret. Cæterum tantum abfuit ut suo Carolomanus accessu aliquid regi gratificari potuerit, quod siue suspectus fuerit illius reditus, siue alienum ab homine eius professionis duxerit Pipinus aliquid aduersus pōtificem & Romanam ecclesiam moliri, in Viennense monasterium obtruserit, ubi ille mœrore confectus diē obijt. Profuit tamen Carolomani in Galliam accessus, quod Aistulphus præcepta spe belli per eum auertendi, à Rauennę excidio & urbis oppugnatione abstinuit. Pipinus priusquam aperte bellum ostenderet, in Italiam misit qui ab Aistulpho scifcitarentur an rebus pontifici & Romano Populo restituturis pacem bello præferret. Cęterum quum nihil pacati inde responderetur, rex præmissis aliquot equitū turmis, quæ Italiæ claustra occuparent, ipse cum robore copiarū ueſtigiò sequitur. Ii qui præmissi sunt, multo pauciores numero cum Aistulpho tumultuario prælio congressi, magno Longobardum incommodo afferunt. Pipinus suorum uestigia secutus nullo maiore negotio Italiam ingreditur, Ticinum obsidione cingit, Ticinensem agrum ferro & igni populatur. Hic Pipinus pontificis precibus fatigatus, spem facit hostibus redimendæ pacis, si res imperio & Rō. ecclesiæ restituantur. Tum demum Aistulphi pertinacia periculo uicta se postulata facturū pollicetur, pontificis pietatem & sapientiam celebrat, qui publicum bonum proprio commodo præferret, Rauēnam imperio, & omnia, quæ Romanorum pontificis ue fuissent, bona se fide redditurum pollicetur: paceq; per hæc parta, Pipinus cum exercitu continuò Italia excesit, post cuius digressum non solum ille non præstitit promissa, sed subita rebellione exercitum contrahit, Romam minaciter inuadit, pontificem & Romanos obsidione fatigat, suburbana loca ferro & igni uastat. Stephanus pontifex & Romani subita iniuria adacti, in Galliam ad Pipinum mittunt, qui auxilium extremis ecclesiæ rebus implorent. Qui ad Pipinum missi sunt secundo Tyberi ad mare descendūt, prosperis inde tempestatibus usi Massiliam primo deferuntur, ex Massilia ad regē in ulteriorem Galliam profecti, pontificis & Romanorum mandata exponunt, in quo res sint periculo docent, opem implorant. Resciuerat aliquanto prius Pipinus bellum in Italia à Longobardis renatū, detestatusque Aistulphi perfidiam studio armabat cōparabat, ut rebus partiū periclitātibus maturè subueniret. Sed dum Romę & cætera Italia in hūc modum laboratur, Constantinus imperator, tanquam nihil ad se iniuria pertineret Italicarum rerum secūrus agere, dubiū quia nollet à Pipino opem imploratam, an quod Asia per id tempus magnis quatere tur motibus. Enimuero Turcę gēs ad eam diem obscuri nominis, atque ex Scythia, ut quidam scribūt, profecta, Halanos primo armis adorti, inde Colchos & Armenios, late arma circunferendo, breui assecuti sunt ut cæteris gentibus iure formidandi essent. Sensit inde maior Asia eius gētis arma, mox & Saracenī qui uarijs cladibus alijs super alias affecti, ea demum conditione sibi pacem impetrauere, ut Persis uetus nomen restitueretur, quod iam inde ab Heraclij temporibus ipsi genti bello uictæ ademerant, abierantque iam Persæ in Saracenorum nomē, ueterem credo Persici nominis celebritatem ueriti. Sub Persis esse maluere Turcę (nam cum his aliquādiu postea habitarunt) quàm Saracenorum ferre *in* aliena terra dominatum. Sed de Turcarum origine, & eius gentis incrementis, suo postea loco longior instituetur sermo. Est præterea per id tempus, Byzantij pestilentia laboratum, uastitatemq; fecit ingentem lues illa teterrima, quæ res curæ Italicarū rerum à Constantino abiectę potuit esse causa. Vgo Floriacensis autor est pestem illam in Calabria ortā Siciliā corripuisse, ex Sicilia Byzātium progressam. Siue igitur hæc in causa fuerunt cur Constantinus Italiæ rebus minus opitulari potuerit, siue pontifici & Romanis iratus ob auxilia ex Gallia petita, noluerit, ubi satis compertum habuit Romam ab Aistulpho obsideri, missosque à pontifice ad Pipinum, qui eum in Italiam reuocarēt, ut sunt mortalium animi ad æmulationem propensi, ex Byzantio Constantinus Romam misit Ioannem Silentiarium, & Gregorium à secretis, qui cum pontifice agerent, ut Pipino & Gallis auxilia remitteret. Sed tantum abfuit ut in sententiam trahere potuerint, ut ab eo persuasi, ipsi quoque in Galliam ad Pipinum profecti sint, & ne regem proposito auerterent, duos ex Quiritium numero in Galliam Stephanus misit, qui regem adhortarentur, ut in suscepto patrocinio perstaret properetq; sibi & Romanis opem ferre. Vix Constantini oratores, & qui à pontifice mittebantur, Massiliā appulerant, quum auditum est Pipinum cum exercitu Alpes superasse. Hic Gregorius à secretis & collega, in suas artes uersi, Romanis oratoribus conati sunt persuadere, ut retrò abirent, uerum quia id non dabatur, occulte noctu ad Pipinum proficiscūtur, quē in Ticinensi repertum, multis magnisque muneribus sunt præuertere adorti, illud omnium primum postulare, ut Rauennam & cætera Exarchatus loca Constantino restituenda, quia imperij essent nō pōtificis, curaret. Negare Pipinus se Constantino aut cuiquam hominum, præterquam Romanæ ecclesię militare, eoque consilio se arma induisse, ut apostolicam sedem ab omni mortaliū iniuria uindicaret, id dari à se Christianæ pietati non mortalium studijs superatas esse à se bis Alpes ad hoc ipsum ut Rauennam, & quicquid Longobardi sibi ui & armis subegissent, Romanæ subijceret ecclesiæ. Græci oratores, quia satis perspicuè apparebat quid in animo haberet

Pipini fi. in Ro.

Attende phani pon. consilium.

Attende chrum i respicia

Pontitio Exarchatum.

Quæ loca ec. desse attributa.

Aistulphi interitus.

Brondulū mu mant Venęti.

Galla dux.

Dominicus Monegarius dux.

Mauricius dux

haberet Pipinus, nihil ultra tendere ausi, Byzantiū re infecta reuersi sunt. Nec Aistulphus diu tulit obsidionem, sed eadem conditione qua prius deditus, nequid in posterum fraudis timeretur, præsente adhuc Pipino postulata fecit. Restituta est primo Pentapolis: sic Blondo autore, Exarchatum partitus est Lateranensis bibliothecarius, ut partem unam Pentapolim appellaret, alteram Æmyliam. Fuere in Pētapoli quinque urbes, quod ipsa uox demōstrat, Rauenna, Cęsena, Clasis, Forum Liuij, Forum Popilij: in Æmylia Bononia, Rhegium, Parma, Placentia. Breui quicquid terræ patet à Placētinorum finibus Ticinensiumque ad Adriam usque, rursus à Venetis Ariminum, id totum ad Exarchatum pertinuisse uetus iurisdicundi forma demōstrat. Sunt præter hæc alia Pipini iussu pontifici attributa. Ariminū ad mare & Concha, quæ procedente tempore fluctibus obruta est, Pisaurum, Phanum fortunæ, Vrbinum, Egubium, & alia quædā loca in Flaminia & Piceno agro, & in his Esis & Serra, desijtque per hæc Græcorum Exarchatus esse in Italia, anno quàm fuerat institutus supra centesimum quinto & septuagesimo. Sunt qui non dono ea loca à Pipino pontifici attributa, sed tantum eius fidei permissa, mox à Carolo eius filio, qui Longobardorum regnum euertit, Romanæ ecclesiæ dono concessa uelint. Cæterum dum hæc ex fœdere redduntur, quia Pipinus ad Alpes decesserat, cōfestim in Galliam abiturus, Aistulphus suis usus artibus, Fauentiam & Ferrariam, alia atque alia causando non reddidit, Pipini decessum expectans, quo Alpes transgresso, certus erat urbes ipsas ui intercipere. Sed dum dolum meditatur, apoplexi medio uenatu extinctus est. Sunt qui ictu fulminis absumptum scribant. Fuit Aistulphus Longobardorum regum trigesimus primus. Post eius mortem, Desiderius dux Hetruriæ, regiæq; militię prefectus, ui regnum inuasit. Fuit Aistulphus Imperij rebus, Romanoque pontifici non magis infestus, q̄ Venetis suspectus & formidolosus. Enimuero Rauenna ab eo capta, quod suprà est memoratum, ingens metus Theodatum principem & omne Venetum nomen inuasit, ne per eam gradus fieret Barbaris ad res Venetas inuadendas. Ne igitur uim intentare uolentibus nudum littus pateret, ad Athesis ostium Brondulum ualide muniunt, turri ibi erecta quæ adhuc uisitur uetustatis uestigio insignis. Huc Theodatus profectus opus cōsideraturus, & ut res suo hortatu maturaretur, à Galla Metamaucensi & cōiuratorum manu insidijs exceptus, luminibus & dignitate priuatur anno quàm dux creatus fuerat tertiodecimo. Inuasit inde Galla principatum, quo male parto, quum peius aliquanto uteretur, publicè excæcatus in ordinem redigitur, altero suæ administrationis ineūte anno. Surrogatur in eius locum Dominicus Monegarius, apud quosdam Menegatū pro Monegario legere est, uir Metamauci ortus, cæterum barbara feritate, ingenioq; ad omne facinus præcipiti: decretum proinde ut duo annui tribuni illi asiderent, qui consultando decernendoque uim inhiberent. Nec id ille tulit tacitum, quin cauillabūdus duas, inquit, uestro principi compedes iniecistis. Quum uero quasi pro frēno calcaria accepisset, patrij moris & legum immemor contemptim insolenterq; dicere ac facere omnia, quam hominis intemperiem ciuitas detestata, anno quinto eius principatus, siue ut alij scribunt, octauo, dignitate & oculis priuauit. Monegario Mauricius Heraclianus successit, uir siue ingeniū siue mores spectes, magni exēpli. Fuit Mauricij administratio tam longa quàm felix, præfuit enim reipub. annos tris & uiginti. Cœpit rempub. Mauricius administrare non multo prius posteriusq; quàm Aistulphus uita decessit, cuius interitu magnus est belli motus repente in Italia ortus, sed qui pontificis autoritate breui resedit. Occupauerat Desiderius, ut dixi, Longobardorum regnū Aistulpho subitaria morte extincto. Id Rachisius Aistulphi frater iniquo animo ferens, regnum armis uindicaturus, monasticam exuit personam, quā ad id tempus tulerat, conspirat cum eo omnis Longobardorum gens. Desiderius in magnam rerum difficultatem adductus, Stephanum pontificem & Romanos complexus multis pollicitationibus, dira execratione interposita, si fidem falleret, traxit in belli partes. Misit pontifex qui suo & Romani Populi nomine Rachisium, & belli socios moneret, ut ab armis abstinerēt, Desiderioque obtemperarent, alioqui fore ut breui intelligerent non cum Desiderio tantum, sed cum Pipino & Romanis esse sibi armis decertandum. Qua minaci denūciatione territi qui in armis erant Rachisij causam cōmuni otio postha bēdam censuere, actum demum Desiderij permissu Fauentia pontifici cesit. Nec multo pòst Stephanus pontifex uita defunctus est. Eius opera templorum instauratio, quę Aistulphus suburbanis locis in obsidione urbis uastauerat: potuerunt quidem tempia instaurari, Diuorū reliquiæ quas impi⁹ rex inde sustulerat, recipi non potuerūt. Paulus primus eius nominis creatus est inde pontifex, quintus & nonagesimus in ordine. Fuit is Stephani secūdi frater, ut alij aiunt, ex fratre nepos. Platina autor est incidisse Pauli pontificatum in Constantini & Leonis imperium. Mira fuit in uiro sanctitas, mirum pietatis studium, nulli unquam malum pro malo reddidit, sed Christi regis summi exemplum imitatus, cuius uicē in terris gesit, ijs etiā bene precatus est qui ex confesso fuissent sibi iniurij. Duobus adhæc tribus ue famulis comitatus noctu pauperum ægrotantium cubilia circuire, morbo affectos uerbis & eleemosynis leuare, nexos soluere, aut custodia liberare, alieno ære creditoribus soluto, pupillos uiduasque circunscriptorum fraude pressos ab iniuria tueri alereque suo ære. Petronillæ corpus Appia uia marmoreo sepulchro repertum, multa ueneratione ac cęremonia Apollinaris templo ad caput Vaticanæ basilicæ intulit, sepulchrum habuit carmen, Petronillæ filię dilectissimæ. Magnum fuit Paulo negotium cum Cōstātino de imaginum restitutione, anathematis spiculum per literas interminatus. Sed tantum abfuit ut eo metu in melius mutari potuerit, ut cum Abdala Saracenorum duce fœdus & amicitiam sanxerit, Sabinumque Bulgarorum regem, cui semper alioqui fuerat infestus, in amicitiā receperit, quia in abolędis imaginibus suam sequeretur hæresim. Sed Sabino res haud impune cesit. Bulgari hominis impietatem auersati peremissent regem subito incursu, nisi fugam præoccupasset, Constantinopolis fuit illi exilij sędes. Bulgari nouū sibi regem creauerunt. Paganum nomine. Sæuire Cōstantinus in homines orthodoxæ fidei, summum Byzantij antistitem sui nominis, quia in eius impietatem reclamare ausus, fustuario cæsum interfecit, spoliauitque ędes sacras donarijs, & pretiosa ueste tota Thracia, pecuniamq; inde coactam ad se deferri iussit homo sacrilegus, addiditq; sceleri cauillum identidem testatus, Eunuchum, cuius ministerio ea fiebant, sibi unum amicorum à deo ex sententia datum. Et Constantinus per hæc omnibus inuisus imperitabat. Contrà Pipinus omnia dicta factaq; ad pietatē & nominis immortalitatem referre, Taxillonem Bauarum ducē, & Saxones ea conditione in amicitiam recepit, ut quoties opus esset trecētos sibi equites ad bellum darent. Maius tamen fuit illi cum Aquitanis negotium, cum quibus octauo demum anno est debellatum. Prima expeditio breuis fuit, ac principio lęta, sed hostium perfidia exitu tristis. Ad Theloatum oppidum primo castra fecit Pipinus, cęterum Nauferius Aquitaniæ dux, pacis studium alsimulans, datis obsidibus pacem à Pipino impetrauit, inde uero

Rom. pont. Desiderio fauet.

Paulus primus pont.

Attende uera pictatis opera.

Constantini impietas.

Nauferij Aquitani fraus.

ubi Francum in inferiora regni sese recepisse cōper-
tum habuit, exercitumq; dimisisse, Pipini regnum
subita ui adortus, late longeq; fœda populatione e-
uagatus est priusquam subitę iniurię obuiam iri po
tuerit. Pipinus exercitum tumultuose reparat, hosti
lisq; perfidiæ ulciscēdæ prouinciam Carolo filio in-
iungit. Erat enim iam Pipinus grandis natu. Ingres-
Caroli Magni tyrocinium. sus Aquitaniam Carolus, Burbonium, Claromontē,
& alia quædam illustria ex Auernis cepit loca, hisq;
lætis initijs ille militare imperium auspicatus, nunc
suo nunc patris ductu, Aquitanicum bellum execu-
tus ex sententia confecit. Vniuersa Aquitania Fran-
corum imperio subacta est. Nec Pipinus multū inde
superfuit. Incidit tanti regis interitus in decimū an-
num Pauli Romani pontificis, qui eiusdem pontifi-
catus nouissimus fuit. Cæterū Pipini autoritas tan
tum apud omnes gentes ualuit, ut Longobardi to-
to Pauli pontificatu nihil sint in Italia mouere ausi.
Paulo autem uita defuncto, Toto dux Nepesinus,
Desiderij regis impulsu, Constantinum fratrem ui
Apostolicæ sedi obtrudit, magis non reclamante ali
quo, quàm clero aut ciuibus id probantibus. Enim-
uero armatorum manus ingens sub id tempus in ur
bem à Totone inducta, terrori erat ciuibus, proces-
sitq; adeò metus, ut Philippic⁹, qui & ipse erat à pau
cis pontifex creatus, cōfestim sit dignitate priuatus.
Egit iam inde pro pontifice nonnulla Cōstantinus,
quoad Stephanus Siculus, ad Hadriani ædem quæ
est in tribus foris, sit à clero & populo magno pon-
tifex consensu creatus. Nec Constātinus propterea
inhibuit pontificatum. Mittit itaq; Stephanus ad Pi
pinum regem, nam de eius interitu nondum nuntij
aut literæ Romam uenerant. Sergius Nomēculator
est in Galliam ab eo missus Pipini fidem imploratu
rus aduersus ea quæ uiolenter tyranniceq; in eccle-
sia fierent. Erat iussus Sergius petere ut in Italiā mit
teretur qui cleri errata corrigeret. Carolus paternæ
pietatis æmulus, nihil grauate dedit quod petebā-
Duodecim antistites Romā mittuntur. tur, duodecim ex Gallia antistites ab eo Romā mis-
si, quibus uolentibus ex tota Italia primores cleri
sunt iussi ad urbem uenire, Lateranensiq; conuentu
Constantinus Pseudopōtifex damnatus est, & eius
acta rescisa. Cæterum dum hæc fierent, occultè fauit
Desiderius Constantini partibus palàm nihil moue
re est ausus, Gallorum opes ueritus. Incidit reforma
tio hæc in eum annum, qui septingentesimus atque
undeseptuagesimus humanæ fuit salutis: alij huic
numero unum adimunt annum. Cōstantinus in or-
dinem pontificum non uenit, ut pluribus placuisse
uideo. Fuerunt qui inter Paulum & Stephanum ter
tium interijciant, quos siquis audiat nonagesimum
sextum à primo pontifice reddet illi locum, sed Pla-
tina & diligētissimi quique locum hunc Stephano
tribuunt, qui Lateranensi conuentu est pōtifex pro
batus. Idem autor significare uidetur post Constan-
tinum pontificatu deiectum, Lateranensem synodū
celebratam, accersitosq; ex Gallia qui decernendis
rebus interessent, ut rite omnia fierent, literasque à
Stephano nō ad Pipinum, sed ad Carolum, de ea re
datas, tam diuersi uterq; ab altero, in re tam celebri,
abeunt Blondus & Platina. Adijcit Platina Latera-
nensi conuentu Constātinum accusatum, quod nul
lis sacris initiatus Apostolicam occupasset sedē, qui
etsi non nouo à se exemplo id factū demonstrabat,
quando Sergius Rauennas, & Stephanus Neapoli-
tanus, nullis imbuti sacris, episcopi creati essent, de-
cretum tamen ita sit, ut nihil eorum quæ Constanti
nus pro pontifice gessisset, ratum haberetur præter
baptismum & sacrum chrisma. Est eodem decreto
latum ne quis sub anathematis pœna pontificatum
inuaderet, nisi per ecclesiasticos gradus. Abrogatū
est & Constantiniana synodo, qua sancitum erat ut
Vnctæ editum sanctorum simulachra è sacro tollerentur, estque e-
dictum, nisi impij declarari uellent, sanctorum sta-

A tuas templis restituerent. Receptum est, inquit, om-
nibus ciuitatibus bene institutis, ut ijs qui de suis ci
uibus meriti sint publicè decernantur statuæ, ut gra
ta in tales uiros sit ciuitas, simul ut ad illorum facta
imitanda cæteri inuitarentur, Dei optimi maximi
& sanctorum imagines ponere non licebit? qui sem
per ante oculos habendus sit, si eius merita erga hu
manum genus, si naturæ diuinæ dignitatem inspici
mus. Sed cum de diuinis disceptatur, Desiderius rex
humana est turbare adortus, quippe qui ambitiose
Stephano insinuatus Romam uenit, Apostolicæ se-
dis uisendę prætextu, uenitque in colloquium cum
pontifice in Vaticano, adeòq; humiliter est de se lo-
cutus, egregium in Apostolicam sedem studium as-
simulans, ut spem fecerit pontifici, perpetuæ pacis
cum ea gente duraturæ. Hæc coràm Desiderius, oc
culte uero Paulum cognomento Affiartam, uirum
Graij sanguinis qui Romæ erat, perpulit ad Roma-
nam ciuitatem uexandam. Erat is Constantini cubi
cularius, qui etsi non, ut antea, Romæ ducis obibat
munus, subnixus tamen fauore paucorum ciuiū res
nouas affectantium, aliquid adhuc poterat. Is igitur
Christophorum Primicerium, qui omniū maxime
Constantinum pontificem oppugnarat, studebatq;
præcipue Francorū partibus, falsis criminibus ador
tus priuauit luminibus: & hæc Desiderio adhuc pre
sente, post cuius digressum plerosq; alios, haud ob-
scuri nominis, custodię tradidit, quosdam etiam re-
legauit, nec contētus per hęc turbasse ciuitatis otia,
Michaëli se adiutorem præbuit, qui nullis initiatus
sacris, Rauennatium occuparat ecclesiam. Misit Ra-
uennam Romanus pontifex, qui Michaëlem à teme
rario incœpto reuocarent. Cæterum quia usurpatā
semel dignitatem deponere noluisset, appareretque
ex compositio omnia fieri ut pontificia dignitas in-
fringeretur, ad Carolum misit, qui cum eo agerent,
B ut Desiderium admoneret, ne Romanæ ecclesię re-
bus se immisceret, abstineretque ab iniuria. Præstitit
id Carolus libēter, rem armis uindicare non potuit,
Aquitanico implicitus bello: nam quum duos om-
nino filios Pipinus reliquisset, hunc de quo nūc ser-
mo est, qui omnes Galliarum reges rerum gestarum
gloria antecessit, & Carolomanum, quo defuncto
superstes omnem Aquitanici belli molem solus sus-
tinebat. Sed Carolus, ea indole & fortuna, qua fuit,
Carolus Aquitaniam egit. non solum id bellum ex sententia confecit, sed Aqui-
tania subacta Vascones domuit, superatisque Pyre
næis montibus, Saracenos quod suo postea sit loco
dicendum, ex cætera Hispania pulsos in Bethicæan
gulum compulit. Et res Italiæ cæterarumque gen-
tium sic habebant, quum Stephanus anno sui pon-
Hadrianus pontifex max. tificatus quarto nondum acto, diem obijt. Hadria-
nus defuncto successit, primus nominis huius, uir
Romani sanguinis, clarisque ortus natalibus. Cęte-
rum pontificatum adeptus, neque patriæ, neque do
mesticæ nobilitati defuit, sed confestim à sua crea-
tione ciues suos custodiæ & uinculis exemit, quos
Affiarta uinxerat, exules restituit. Quæ quum non
minori animo quàm affectu fierent, ueritus Deside-
Desiderium poenitet. rius Romanam in pontifice indolem per legatos ab
eo petijt, ut pacem & fœdus in omne tempus dura-
turum secum renouaret. Ad ea Hadrianus, cupere
se dixit ac multum optare ut perpetua pax pontifi-
cibus, & Ro. Po. esset cum omni Longobardorū gē
te. Cæterum diffidere se fieri id posse, quum in ea pa
ce, quam rex cum Stephano pontifice sanxisset, nihil
sancti fideiue fuisset, quæsitam à Desiderio omnem
serendæ discordiæ rationem, Romæ foris que ab eo
laboratum, ut pōtificis autoritas quoquo modo in-
fringeretur, simulque ut omnis è medio concordia
tolleretur. Neque pax igitur neq; bellum erat cum
Desiderio ob ferox pontificis responsum, quum ma
gna spes illi oblata est omnis metus, qui à Gallis im
mineret, excutiendi: quæ res quum ipsi regi, tum u-
niuersæ

niuersæ Longobardorum genti, exitio fuit: ex ma-
A rāq; suo nomine monerēt, ut pontifici satisfaceret.
gno enim gaudio magna oritur tristitia. Berta quæ
fuit Carolomani uxor, eius dico, qui fuit Caroli fra-
ter, uidua nuper relicta, præsentem gloriam Ildegar-
Inuidiæ exemplum. dæ Caroli superstitis inuidens, ut impatiens est om
nium affectuum muliebris natura, & ob iram in om
Bertæ transfugium. ne tetrū facinus prona, ex Gallia cum liberis ad De
siderium perfugit, futurum rata ut Carolomani me
moria & studia filijs ob paternum nomen concilia-
ta, aliquem essent motum Caroli rebus allatura. Ac
cepit eam cupide Desiderius, quippe qui ab initio
persuasum habuit posse fieri, ut si pueri matrem se-
cuti à Ro. pontifice Galliæ reges inungerentur, om-
nis Francorum potentia uelut in duas factiones abi
ret, essentque Caroli opes ob eam rem multo infir-
miores futuræ minusque sibi formidabiles, quibus
quoquo modo comminutis, aut domestica discor-
dia implicitis, certa sibi facultas pararetur Italię om
ni externo auxilio destitutæ, per otium subigendæ.
Cæterum quia nihil se bona uenia impetraturum à
pontifice sciebat quum ob alia pleraque constantis
& inuicti animi argumenta, tum quia de pace tam
ferociter respōdisset: ut igitur ui illi exprimeret quod
sponte negaturus uidebatur, ad cōminuendos pon
tificis spiritus, confestim est Italiæ otia labefactare
adortus. Rauennatium res primo hostiliter petitæ.
Administrabatur tunc Rauenna tribunitia potesta-
te. Tribuni à pontifice auxilium implorant. Mittit
pontifex Rauennatium legatos cum Stephano Sa-
Attende Desiderij regis responsum. cellario & Paulo Quiritij sanguinis ad Desiderium,
à quo res solenni more repeterentur. Auditis lega-
torum postulatis, quanto, inquit rex, æquius fuisset
pontificem ad me uenire, ut de his coràm ageretur.
Occupant interea Longobardi præter loca quæ-
dam ueteris Exarchatus ab initio capta, Vrbinum,
Senogalliam, Eugubium, iam & Hetrusca Longo-
bardorum manus Bleram ceperat, & ex Vmbria al-
B tera Otriculum circa Tyberim. Sunt inde citro ul-
troque missæ & auditæ sæpius legationes. Ponti-
fex tantum postulare ut rebus redditis Desiderius
ab iniuria abstineret, ille ut pontifex ad se iret, quod
rebus redditis se facturum ille polliceri, ad postre-
mum tantum abfuit ut Hadrianus quicquam æqui
Hadriani legatio ad Carolū per legatos impetraret, ut rex aperte comminatus
sit se Romam oppugnaturum. Tum pontifex eius-
modi nuntio perculsus, studio parare cœpit quęcū-
que ad perferendam obsidionem uideri poterant
necessaria, misitque in Galliam ad Carolum, qui re-
gem orarent, ut ecclesiæ rebus, quibus euidens im-
mineret excidium, maturè subueniret. Desiderius
ubi de legatione ad Carolum missa factus est certi-
or, cum Berta & eius filijs, regioque comitatu, ex Ti
cino profectus, Spoletum processit, mittit hinc qui
pontifici nuntient Desiderium cum uxore & liberis
Carolomani, pacatè Romam uenire. Sensit Hadria-
nus regis uaframentum, ut regijs à se pueris inūctis,
Caroli fauor à se & Romanis alienaretur, simulque
Attende sagacitatem Hadriani. Francorum res ex ea disidium paterentur: sic Italia
omni Gallorum fauore spoliata, Longobardicis cō-
culcaretur armis. Velut igitur hostis non hospes ad-
esse diceretur, Romam pontifex firmat præsidijs,
duo augustissima urbis templa, hoc in Vaticano, il-
lud Ostiensi uia, sublatis in urbem thesauris, & omi
ni sacrorum apparatu, claudi iussit. Et iam Interam-
nem usque Desiderius uenerat, quum tres illi anti-
stites, ab Hadriano pontifice facti sunt obuiam, Al-
Attende pontificis denunciationem. bensis, Tiburtinus, & Prænestinus, pontificis nomi
ne Desiderium, & omnem regium comitatum mo-
nefaciunt, ut sub anathematis pœna, Romani duca-
tus finibus abstineant. Tam atrox nuntius religio-
nem incussit regi, confestimque retrò abijt. Reuer-
si sunt nec multo pòst à Carolo legati, qui in manda
tis habebant, ut si quum in Italia uenissent, res à De-
siderio redditæ non essent, ipsi ad regem irent, co-

Attende meā morabile uanū fragium.

Accessus Caroli in Italiam.

Vicus Saxonū & Longobardorum.

Vxor & filij Caroli.

Verona Caroli cessit.

Italiæ motus.

rem profugit. Veronenſium deditionem omnes urbes & populi qui inter Padum iacent & Alpes, ſtudio ſecuti ſunt. Carolus ea potitus victoria, Romam pacato agmine proficiſcitur, eratq; hic ſextus menſis ab eo quo in Italiam uenerat. Appropinquabant Dominicæ reſurrectionis dies, quibus Romæ eſſe cupiebat religionis cauſa. Miſit illi obuiam pontifex uniuerſam ciuitatem cum clero, & in his triginta milia iudicum, ut Lateranenſis Bibliothecarius ſcripſit, quod uix accidere potuiſſe crediderim, niſi quod Blondus ſe legiſſe ait, omnes qui magiſtratu funguntur, defunctiue eſſent, aut forenſia obirent munera, uulgo iudices appellarentur. Accepit Hadrianus regem uenientem, in veſtibulo Vaticanæ ædis, qui multa ueneratione eſt pontificis pedes exoſculatus, inde ad aram maximam perductus, ubi Galli Romaniq; perpetuam inter ſe amicitiam ſacramẽto ſanxerunt, eſtque id fœdus tanta religione ictum, ut nõ pontifex arbiter, ſed diuus ipſe in cuius templo ea fiebant, præſens uolens q; adeſſe uideretur. Conſumptum eſt inde quatriduũ in templis & urbe per otium uiſenda. Egit poſtremo pontifex cum Carolo, ut quæ Pipinus pater dono dediſſet eccleſiæ, quę ipſe & frater aliquãdo tribuiſſent, tum demum ibi & omni pontificum poſteritati rata faceret aſſenſu. Præſtitit id libens pientiſsimus rex, complexaq; eſt approbatio illa maximam Italiæ partem, ut Bibliothecarius ſcripſit, & Foroliuienſis Blondus Bibliothecarium ſecutus. Carolus octauo quàm Romam uenerat die à põtifice digreſſus, Ticinum redijt. Nec longior fuit inde obſidio, enimuero Carolus uiginti Venetorum nauibus uſus quas per ſuos & Hadriani põtificis legatos, ut Iuſtinianus ſcribit, à principe & Veneto nomine impetrauit, hoſte terra & aquis clauſum, breui ad deditionem compulit, quem in poteſtatem redactum Carolus, Lugdunum relegauit. Gallorum duces qui à Carolo victæ genti præſidere iuſſi ſunt, tam clementer manſueteq; victoria uſi ſunt, ut ne ſuæ quidem gentis regimen deſiderarent amplius. Longobardis, qui Beneuentanis & Foroiulienſibus inferti erant, mitiſsimus rex permiſit, ut ex ſuo corpore duces haberent. Carolomani fratris cõiugem & liberos perhumane receptos, ſecum in Galliam reduxit. Sunt qui ſcribant Carolũ Longobardorum opibus euerſis, in Saracenos bellum tranſtuliſſe, proſpereq; aduerſus eam gentem trans mare graue bellum geſſiſſe. Alij quibus ob ea quæ afferunt, nihil grauate accedo, eam famam prouana reijciunt. Celeberrimo conuentu, qui poſt Caroli digreſſum, centenũm & quinquagenũm antiſtitum frequentia fuit, Hadriano autore decretum eſt ut Carolus rex, qui optime eſſet de Romana eccleſia & Italia meritus, pontificẽ legeret, in pontificiaq; ſede collocaret. Sed hoc quoque uarie traditur, parilli poteſtas de patritiatu dando, de epiſcopis prouinciatim eligendis, ut omnia demum irrita haberẽtur, niſi quæ Carolus probaſſet. Et Carolus qui Longobardorum regnum euertit, non paruo gratitudinis argumento his eſt decretis à pontifice & uniuerſo clero ornatus. Deſierunt Longobardi in Italia regnare anno ducenteſimo quarto ab eo quo Alboinus eſt rerum in Italia potitus. Sunt qui huic numero quatuor annos adijciant. Fuit hic annus quo eius gentis regnũ concidit, humanæ ſalutis, ut alij aiunt, ſextus ſupra ſeptuageſimum ac ſeptingenteſimum, ſi autores quos ſequimur recte colligunt tempora. Regnauit Deſiderius in ea gẽte ab Alboino, qui primus rex fuit, trigeſimus ſecundus. Et res humanæ per hunc modum fluunt, ut nihil ſit in his tam certũ quã certa inconſtantia. Carolus in Galliam reuerſus Saxones bello domuit, qui per illius abſentiam rebellauerant. Erat cum ea gente bellatum annos circiter triginta, adhuc enim erant in malorum demonum mancipio. Victi igitur Chriſti fidem populari-

Attende Iudicum numerum

Romani & Galli perpetuam amicitiã ſanciunt.

Venetæ naues Carolo affuerunt.

Carolus Ticino potitur.

Deſiderij relegatio.

Attende quid Carolo pro uictoria datum.

Quandiu Longobardi in Italia fuerint. Temporũ ſupputatio.

Saxones Chriſti fidem accipiunt.

A ter ſuſcepere. Saxonibus victis Carolus bellũ in Hiſpaniam tranſtulit, affueruntq; Gallis ad id bellum auxilia ex Burgundia, Bauaria, Auſtria, ex Romanis & Longobardorum gente nuper victa. Erant in Hiſpania plurimi mortales à uero fidei cultu abhorrẽtes, ceſſeruntq; pleræq; harum gentium urbes Gallicis armis, & in his opibus & celebritate nominis florentiſsimę Auguſta & Pampilonia ui captæ atq; hoſtiliter direptæ. Tenebant tum latè Hiſpaniã Ibnalachus & Denizes, qui ſuis uiribus diffiſi, pacem his ſibi conditionibus redemerũt, ut Carolus ſuper magnũ auri pondus, quod tributi nomine dabatur, citeriorem haberet Hiſpaniam. Sunt qui ſcribãt tres fuiſſe reges, qui in hæc fœdera uenerunt. Cæterum Carolus victor, quum in Galliam reduceret exercitum, circa Pirenęum in Vaſconum inſidias incidit, per diem iniquo eſt loco dimicatum, multiq; Gallici nominis eo prælio periere, & in his Anſelmus, Egibardus, & omnium Gallorum fortiſsimus Rolandus Caroli ex ſorore nepos, cuius fama pluſquã heroica manauit ad poſteros: ſed non tam hiſtorica fide quàm circulatorijs uulgata præconijs. Perijt uir fortiſsimus poſt ingentem ſuorum ſtragem, nec ferro, ut aiunt, ſed ſiti. Vaſcones ægre à Gallis repulſi, onuſti præda, in tutum conceſſere. Cęterum ſiquam ex cruenta illa uictoria lætitiam ſenſere, perbreuem fecit illis Carolus, qui gentem ipſam eſt confeſtim atroci bello inſectatus. Etenim ſæpe cæſi, bellicis q; cladibus uariè afflicti, meritas ſuæ perfidiæ luerunt pœnas. Et hæc quidem aut certe non multum diuerſa, recentiores rerum ſcriptores de memorabili illa à Gallis circa Pyrenęum clade accepta, in literas miſere. Ego inſtitutæ breuitatis haud oblitus, nec quia ignorem quid hiſtoria diſtet à fabula, ſed quod impiè uiderer mihi facere, ſi eos qui Chriſtiani nominis tam ſtudioſi fuerunt, & pro eo uel tuẽdo, uel augendo mortem occumbere non dubitarunt, ſciens paterer ſua fraudari laude, locum hunc plenius tractandum cenſui, præſertim quia perſuaſum habeo Turpinum Remenſem antiſtitem qui fuit Caroli comes, eius q; ſcripſit geſta, non eo conſilio ad ſcribendum ueniſſe, ut fabulator dici uellet, quum nihil ſit mẽdacio turpius: hic ubi res ſeria agitatur, nihilq; à bono uiro magis alienum. Et ne de rebus à Carolo in Hiſpania geſtis longior inſtituatur ſermo, cęteris eius gentis in ea terra expeditionibus breuiter relatis: nam nõ ſemel Hiſpania eſt bello à Gallis petita, ut Turpinus ſignificat, tãtum ea latius ſcribam, quæ ad cladem eam pertinebunt, cuius nuper mentio facta eſt, & quæ multis, ut idem autor prodidit, præmonſtrata eſt prodigijs, nam per id tempus, quo tãtriſti euentu eſt in Hiſpania bellatum, pridie Calendas Februarij, decimaſeptima Luna, Sol circa meridiem defecit, quum triduo antè Luna idem paſſa eſſet: Acies eadem nocte apparuere: uiſa eſt & Mercurij ſtella decimo ſexto Calendas April. in medio Sole uelut macula quædam nigra. Subegerat Carolus oraculo, ut ille ait, monitus, multo maximam Hiſpaniæ partem, quo bello Pampilonia eſt capta, Oſca, Lucerna, & aliæ urbes opibus inſignes, magis diuina quàm humana ope, ut Turpinus ſignificare uidetur, mox Saracenis ex Aphrica Aigolandi ductu eam ſibi terram uendicãtibus, iterum à Carolo prouincia repetita eſt, ad Baionamq; Vaſconię urbem aliquoties eſt ex prouocatione, ac per partes, dimicatum, uarioq; euentu: poſtremo totis utrinq; uiribus in aciem deſcenſum, cæſaq; prælio quadraginta hominum milia Chriſtiani nominis, & in his Milonem Angleriũ Roládi patrem, uirum fortiſsimũ, qui uniuerſum ductabat exercitũ, reſtituta tamẽ res eſt Caroli uirtute peropportuno q; auxiliariũ copiarũ aduẽtu, quę tũ ex Italia ſub id tẽpus Gallis affuere. Aigolãdus qui ferociter Carolo imminebat, ubi Gallorum opes ſenſit nouis auxilijs auctas, occulte fugam

Hiſpaniæ ſitus.

Attende Caroli delectum.

Qui uiri illuſtres cum Caroło fuerint.

Attende Gradi & Gaedem.

Attende prægid.

Gallorum des.

Francorum uictoria.

fugam præoccupauit: Carolus & ipſe acciſarum ſibi uirium conſcius, in Galliam ſeſe recepit. Nec Aigolandus diu quieuit, ſed reparato exercitu, Carolum in Vaſconiam exciuit, eſtque Gẽnium urbs ſeptem menſibus obſidione fatigata, ex Gennio Aigolandus ciectus in Sanctonas tranſijt, ubi ingenti prælio uictus, in Hiſpaniam refugit, bellũ reparaturus. Carolus in Galliam reuerſus, ut aliquando Hiſpanienſe bellum ad exitum perduceret, opulẽtiorem quàm unquam aliàs contraxit exercitum, in quo cogendo ſoluta ſunt ergaſtula, ut Turpinus prodidit, & quicquid ſeruitiorũ ubiq; fuit donatũ eſt libertate. Sic præter legitimę militię aſcriptos, inſtructa ſunt armis centũ triginta quatuor milia. Principum nomina, qui ſunt Carolũ in Hiſpaniã ſecuti, fuere, Turpinus Remenſis antiſtes, quem nunc ſequimur. Rolandus Blauij comes Angleuis natus, Caroli ex Berta ſorore nepos, Oliuerius comes Gebennenſis, Aſtulus Pingonenſis comes Odonis filius, Araſtagnus Britãniæ rex, Engelerius Aquitaniæ dux, Gayferus Burdegalenſis, Gundeboldus rex Friſiorum, Oellus comes Nannetenſis, Arnaldus Bellannicus qui poſtea Aigolandum in prælio interfecit. Alius Turpini codex Rainaldum habet pro Arnaldo, & & pro Bellannico Albenſem. Naamã Bauariæ dux. Ogerius rex Daciæ. Lampertus Bituricenſium princeps. Sanſon dux Burgundiæ. Conſtantinus urbis Romæ præfectus. Garinus Lotaringiæ dux. Tanta adhæc uis mortalium Caroli ſigna ſecuta eſt, ut ad duodecim milia paſſuum, ſi Turpinus uerus eſt autor, exaudiretur caſtrorum fremitus. Venit cum Carolo Hiſpaniam ingreſſo, Aigolandus in colloquium, qui etſi Cordubæ & Sibiliæ reges atque inuictum penè exercitum traheret, ueritus tamen Caroli opes, non auſus acie dimicare, cum Carolo egit, ut ad declinandam tantam humani generis iacturam, quanta haud dubie ſecutura uidebatur, ſi totis utrinque uiribus in aciem deſcenderetur: ut Saraceni Galliq; que per partes uelut ex prouocatione dimicarent, eorum certaminum euentum declaraturum utra fides deo eſſet gratior. Aſſenſus eſt Carolus fuitq; res Chriſtiana omnibus ferè prę lijs ſuperior. Et iam Barbarus eò uenerat ut poſtridie dixerit ſe uelle baptiſmi lauacro admoueri. Fide itaque accepta ad hoſtem profectus eſt, de pace & noua fide acturus, atque ita accidit ut Carolus tum forte pranderet quũ ille ad ipſius tabernaculum uenit. Admouerat Gallus rex de more pleroſque ex primoribus ducũ prãdio, miratus q; eſt Aigolandus, quum principum uirorum indolem, tum regij conuiuij apparatum. Cõſpicatus inde ſeminudos quoſdam, humilius accubantes, ac terra penè nuda prandẽtes, rem ille nouam miratus, qui hominum hi eſſent ſciſcitatus eſt, qui tam humiliter, & pro deſpicatiſsimis diſcumberẽt. Cui Carolus (callebat enim hoſtilem linguã) ſunt, inquit, hi Aigolande cœleſtis dei nuntij, qui ad me uenerunt. Ego ne, inquit ille, tuum iſtum ſequar deum, cuius nũtios tu ita aſpernaris, ut quum cæteri lautiſsime epulentur, ipſi omnium egentiſsimi, contemptui & ludibrio tibi ſint? Valebis cum tuo fidei inſtituto, & cum his in caſtra reuerſus, futuro ſe prę lio accingit. Perſtrinxit libera hoſtis exprobratio Caroli animum, deditq; iam inde operam ut biſſeni pauperes, qui penes ſe ex ueteri inſtituto paſcerentur, lautius accumberent, honeſtiusq; uelarentur. Commiſſum eſt nec multo pòſt acre prælij, quo Aigolandus in multa ſuorum ſtrage concidit, Arnaldi dextra ictus. Pampilonia inde capta eſt, ſequitumq; eſt in omnem ſexum & ætatem. Nec Gallis ea victoria incruenta obtigit: multi ſpoliorum & cædis cupidi, tardius ad ſigna redeuntes, à Sibilię & Cordubæ regibus excepti inſidijs, prę ter paucos numero, cæteri ad unum cæſi ſunt. Eſt & cum Surria Nauarræ rege proſperè dimicatum, inde ad Nage-

Attende Caroli conuiuium

Attende Aigolandi cauillũ.

ram mota ſunt caſtra. Eratq; hic uir quidam fortiſsimus, ingenti ſtatura, quem Goliathus Babyloniæ Admurathus cum uiginti milibus Turcorum miſerat in Hiſpaniam ut Saracenis auxilio eſſet. Feracuto erat illi nomen. Laborant haud dubiè à fide quæ Turpinus de hominis magnitudine & inuiolabili corpore prodidit, etſi quidam clari ſapientia uiri, de recentioribus loquor, uidentur huic opinioni aſtipulari, ad uim ſiderum omnia referentes. Sed ego in his fidẽ meam non aſtringo, etſi, quod ad corporis uaſtitatem attinet, Plinius Puſionem & Secũdillam, qui fuerunt Auguſti principatu, & Gabbaram Claudij temporibus, enormi fuiſſe ſtatura ſit auctor: miraq; adhæc ſunt quę Herodotus de Oreſtis oſsibus tradidit Tegeæ repertis, quæ idem Plinius de Orionis corpore, ſi Orionis fuit, in Creta inſula inuento. Cæterum quatenus hæc credenda ſint alij uiderint. Multi, quod ſatis conſtat, ex Gallorum fortiſsimis ab eo ex prouocatione uicti in urbem abducti ſunt. Poſtremo Rolandus biduo anceps cum eo traxit certamẽ: primo ex equo dimicatum, mox pedeſtris fuit pugna. Magis igitur arte quàm ui, ſub ſtomacho à Roládo ictus quum in urbem à ſuis feminecis deferretur, facto à Gallis impetu, Feracutꝰ interficitur, ſimulq; hoſtium tergo hærentes Galli mixto agmine urbem irrumpũt. Ad Cordubam inde promota ſunt caſtra, ubi ludibrio uerius quàm prælio Galli ſunt ab hoſte excepti, quibus lymphata acies cum tintinabulis obtulit ſeſe ex improuiſo obuiam. Inſueta & ob id terrifica hominum ſpecies, atque ingens ſonitus, primo procurſu auertit Caroli equitatum: poſtridie uano metu diſcuſſo, Saraceni ad hoſtium ſatietatem cæſi ſunt, & Corduba mox dedita. Interquieuit nonnihil bellum, dum Carolus Galecianam Iacobi ædem inuiſit, ditatq; prædijs ampliſsimis, inſtruit donarijs. Turpinus, & nouem cum eo antiſtites ut ipſe ſcribit, Caroli iuſſu tẽplum dedicarunt. Erant adhuc Marſurius & Belingandus in Hiſpania debellãdi, quos Babylonię Admurathus ad Hiſpanias obtinendas miſerat. Vt igitur bellum quod iam magna ex parte profligatũ habebat, ad exitum perduceret, Gaualonum (ego hũc fuiſſe arbitror, quem Ganum circulatores uocat) ad hos miſit Carolus, ut has illis conditiones ferret, uti Chriſti fidẽ & pacem acciperent, aut certum auri & argenti ſibi pondus tributi nomine penderẽt. Peregit Gaualonus Caroli mandata, cæterũ hoſtili auro captus, ex caduceatore factus eſt proditor, cũ Marſurio & fratre cõſiliũ capit, qua ui, qua arte, omne Gallici exercitus robur his præbeat trucidãdũ. Magno itaq; auri pondere ab hoſtibus accepto, autor fuit regi, ut Ciſſareos portus cum cætero exercitu trãſgreſſus, Rolandum cum uiginti milibus lectorum militum relinqueret, qui tributum ab hoſte acciperent, eſſentq; ſubſidio ſuis ſi gens alioqui inconſtãs, in Pyrenæo ſuperando noui aliquid moliretur. Rolandus ac lectiſsimi ducum qui cum eo relicti ſunt, in Runcialle, (id eſt loco nomẽ) in Vaſconibus caſtra metati ſunt. Hos Marſurius & frater, qui in eam ſtabant occaſionem erecti, ex improuiſo adoriuntur. Aderant his quinquaginta bellatorum milia, quos in duas acies diuiſere. Prima phalanx, quæ uiginti milia bellatorũ habuit, ex inſidijs coorta, haud mediocrem Gallis attulit perturbationem, Rolandi tamen & aliorum uirtute cæſa eſt. Aſt ubi recentior altera ac multo numeroſior Gallos iam feſſos inuaſit, tum paſsim nobiles ignobiles q; ſe in ueſtigio cæſi ſunt, & in his Oliuerius, & alij uiri fortiſsimi. Rolandus media cęde reuulſus, qui inter præclara eius diei facinora Marſurium interfecit, quum labore & ſiti intolerabili preſſus iam ſibi defecturus uideretur, Durẽdam gladium mira arte fabrefactum, quo in prælio utebatur, frangere conatus eſt, ne eo hoſtis potiretur, defectus tamẽ uiribus nõ potuit, aut

Feracutus.

Statura enormi homines.

Saracenorum commentum.

Galeciani templi dedicatio.

Gaualonus proditor.

Francorum cædes.

Durenda enſis.

certe ea fuit ferri durities,ut quanquam multa ui in aduersam cautem deiectus comminui nequiuerit. Durenda, quod satis constat, durus interpretatur ictus. Superuenit Baldoinus intuitusque Rolandũ iam humi afflictum,ac morti proximum,eius equo usus,Carolum cursu consecutus fortissimorum ducum & exercitus cædem nuntiat. Perijt Rolandus annos duos & quadraginta natus,ut Turpinus scribit,testaturque id breue carmen, quod semper Carolus in ore habuisse dicitur:

Rolandi interitus.

Tu patriam repetis,tristi nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens,nos lachrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo binos super annos,
Ereptus terris iustus ad astra redis.

Sepulchra Patriarchorũ ducũ

Est Rolandus sepultus Blauij,cum gladio ad caput, cornu ad pedes suspenso. Oliuerius cũ Ogerio Daciæ & alijs plerisque Belini. Burdegalæ Gaipherus Burdegalensis rex,Englerius Aquitanię,Rainaldus Spinensis,cui post Rolandum præcipuum famę decus est eo bello quæsitum, Arelate Astulphus, Sanson,Salomon,& Arnaldus Belandicus. Scribit idem autor:nam is cum Carolo erat eo die,quo clades illa insignis est à Gallis accepta, se sacris apud regem operantem,media cæremonia,sibi uisum cernere audireque cœtum animarum ad cœlum cum cantu ascendentium. Carolus tám atroci nuntio perculsus retrò in hostes conuersus, abeuntes per magna spatia insectatus,ad satietatem cecidit,Gaualonum inde proditionis cõuictum ferocissimis quadrigis distractum,fœde laniauit. Et Turpinus in hunc maxime modum memoratissimam illam Caroli expeditionem digerit, cui præterquam in paucis, quibus quia immodicus mihi uidet, studio,credo, suæ gentis nobilitandæ,aut certe augendæ rei causa, nemo sanus temere accesserit, in cæteris non uideo quid sit,cur fides tanto uiro posit abrogari, aut quia sacerdos fuit, aut quod ea scripsit, quibus interfuit. Incidit Gallorum clades hæc sub Pyrenæo accepta, ut quidam colligunt, in sextum & nonagesimũ humanę salutis annum,quare non grauatè his accedo, qui Leone pontifice hæc accidisse aiunt. Habuit Hispaniense bellum, ut Turpinus scribit, annos quatuordecim. Cæterum qui Hispanorũ præconia scripsere,in uniuersum negant,quæ à Carolo in Hispanos gesta uulgo prodita sunt: contrà Turpini fides, si Turpini est opus illud quod eius nomine circũfertur,receptæ de ea re opinioni uehementer astipulatur. Nunc ad ea redeo, quæ in Italia & Græcia gesta sunt,post Desiderij regnum à Carolo euersum, nec enim in Longobardorũ iniuria ulciscenda Hadriani pontificis tantum uirtus enituit, sed in templorũ & publicorum operũ instauratione. Constituit adhæc,ut in Lateranensis domus atrio centum quotidie pauperes cibo potuq; reficerentur. Aquæductus uetustate collapsos,inter cætera publica opera restituit. Alphentinum ductum,quam aquam uia Claudia Augustus princeps,ex Alphentino lacu,duobus & uiginti milibus passuum,in Transtyberinam traxit regionem ad hortorum,thermarum, & Naumachiæ usum,aquam alioqui parum salubrẽ, restituit, & Sabatinam aquam,ex Sabatino lacu, est is & angularis dictus,à tribus angulis, Aurelia uia in Vaticanum defluens,ut sacerdotes à Barionæ rem diuinam facturi inde aquarentur,lauarenturq; inibi pauperes,Paschali tempore eleemosynam ex pontificis manu accepturi,deseruiebat aquæ fluuius per decli uia cadẽs triticeis molis. Restituta est & Iulia aqua, duodecimo lapide, uia Latina, ex Tusculano agro, Claudia ex Sublacensi duodequadraginta milia passuum ab urbe. Huius riuus Baptisterio Saluatoris excipitur in Laterano. Reparauit & Virginem aquã quæ ab octauo lapide Latina uia hodie quoque urbi infunditur, Lutregium dicunt. Incidit in uigesimum Hadriani annum Tyberis inundatio insolẽs, fluuialis aqua in torrentis speciem, per Flaminiam portam,nunc populi dicitur,cum magna hominum & rerum strage,late longeque expatiata est, magna pars urbis enauigata cymbis fluuialibꝰ,quibus pontificis iussu cibaria subministrata sunt pauperibus nequeuntibus in apertum exire, omniq; alioqui ministerio carentibus. Tecta urbis,& armenta,in præceps acta. Obfuit cataclysmus ille non tantũ in præsens,sed causa etiam fuit,ut sequenti anno sit Romę frumenti inopia laboratum, consolatus est ciuitatẽ eiusmodi clade affectam Hadrianus pontifex, multa multis dedit, ut calamitas illa minus sentiretur, muros & turres urbis aquarum ui dirutas refecit. Et Hadrianus per hæc rerum uolumina pontificatum exegit,uel ob id etiam memoratisimũ,quod tãdiu pene fedit q̃ Petrus Bariona,quatuor enim & uiginti impleuit annos,minus mẽsibus duobus, quo adhuc sedente Constantinus imperator, elephantico morbo perijt, unde fama illa de Constantini magni lepra quæ uulgo ut uideo,recepta est, orta uideri potest, ut nominis similitudine oblucinata sit ignara posteritas. Cæterum Constantinus maximis consumptus cruciatibus, moriens dixisse fertur, addictus sum inextinguibili flammæ. Theodora, siue Hirene illa fuit potius,eius nurus, mulier pientissima, Theodori antistitis hortatu cadauer refossum publicè cremari iussit, cineremq; iactauit in mare. Leo qui huius fuit filius paternę impietati, cuius non minus quàm imperij hæres fuit, sacrilegium adiecit, nam quum insano flagraret gemmarũ amore,nec ex prophano conquisitis expleri posset, ex Sophiæ sacrario abstulit cauillo usus,Christum cuius templum illud esset,pauperiẽ non gemmas probasse. Deprompta igitur coronam ex sacro auro & gemmis contextam sacrilego capiti imposuit, sic se augustioré fieri ratus. Sed pœna breui secuta est, caput sacrilegio pollutum carbũculi apostemate intumuit, quo nomine fuerat gemma contactum, paucisq; diebus ui morbi consumptus,iustas sui sceleris luit pœnas. Hirene Athenienses quæ huic nupserat, aliquandiu imperium pro Constantino filio adhuc puero administrauit,mulier quum uiro nuper defuncto,tum Constantino socero in rebus imperij administrandis multo prudentior, forma adhæc insignis, sed morum sanctitate insignior. Huius iussu conuentus trecentorum quinquaginta antistitum est Nicææ celebratus, ut semel decerneretur,essẽnt ne sanctorum imagines templis restituendæ, an res in omne tempus abolenda. Magno omniũ consensu est decretum, ut Romanæ ecclesiæ ritu in templis haberentur,additaque est colendi forma, duobus carminibus complexa, ut res ab omni idololatriæ suspicione abesset. Visuntur hodie uersus hi Venetijs aurea æde figurati,uetusta literarum forma, ut ex Græco fuerant in latinum uersi:

Hadriani pontif. institutũ.

Hadriani opera.

Longus Hadriani pontificatus.

Decretum imaginibus

Nam deus est quod imago docet, sed nõ deus ipsa:
Hanc uideas,sed mente colas quod cernis in ipsa.

Leo pont.

Sed dum hæc alibi fiunt, Romæ Leo tertius,iã pontifex erat,qui quũ uitæ integritate,tũ cæteris animi dotibus Hadriano perq̃ similis. Hoc demũ sedente, Carolus interim Saxonico bello defunctus, in Italiam reuersus est. Causa renati cum Saxonibus belli inde orta,quod medio Hispanensis belli tẽpore, ea gens temere rebellasset. Nacti Caroli absentiam Saxones omnia ad Rhenũ usq; populatione & incendijs fœdarunt,demũ prælio uicti,arma quæ temere induerant, exuere sunt coacti. Fuit bellum Carolo tam laboriosum, ut decẽ annos nullum aliud inde præter unũ quod in Britannia gessit,tentauerit. Accolit gens ipsa Galliæ oram circa Oceanũ. Hos Carolus magis lacessentes, q̃ quod ab ullo lacesserentur, prælio fusos in fœdere ascripsit. His q; feliciter gestis,uigesimo ferè anno q̃ Desiderium uicerat,redijt Carolus in Italiã. Causa nouę expeditionis quę ab

Bellum Saxonicum.

Britones.

Reditus Caroli in Italiã

ab initio illi fuit,patrocinium scilicet Rom. ecclesiæ tam piè quàm constáter receptum. Alcuinus autor est Aregilium Beneuentanum ducem,Campanię urbes pontifici subiectas tentare ausum, quia haud aliter quieturus uidebatur,Leoni necessitatem imposuisse,Caroli in Italiá reuocandi,etsi non desunt qui tradant Aregisium à pontifice monitum uim inhibuisse,missosq; ab eo Romam filios, per quos Caroli interuentu,pax fuit cum Leone instaurata. Eratq; hic rerum status in Italia,quũ Constantinus sextus, fuitis Leonis & Hirenes filius, atrociter imperium administrabat. Verum enimuero quandiu ille matris consilio obtemperauit,rite omnia domi foris q; habuere,nullæ populorum querelę, nulli bellorum motus,pace & otio omnia florere. Continebat sapientissima mulier filium in officio, identidem q; mõstrare bonis artibus imperia augeri, superbia & auaritia labefactari. Dictare hæc mater, simulq; filij uitá à flagitio tueri,& populis prodesse. Sed plurima ingenia bonos nõ nutriunt mores. Constantinus primos pubertatis annos ingressus,matrem haud ulterius passus,administratione deijcit, deiectam in ordinem redigit,in subiectos immaniter sæuit, multi mortales alij alio supplicij genere periclitari. Hanc in principe sæuitiam Constantinopolitana ciuitas auersata cõsilia occulte agitabat, de imperio illi abrogando,eratq; Nicephorus Constantini quinti filius,in quem multi tacite suffragia inclinabant. Hũc Constantinus patefacta coniuratione lingua & oculis priuatum in uincula conijcit. Nec his sceleribus contentus,uxorem fœminam optimam, ac bene alioqui conuenientẽ,in monasteriũ obtrudit, Theodoramq; eius ancillam sibi matrimonio iungit,quũ nihil in illa amabile esset,præter formam,sic,nescio quo aduerso imperij fato, accidit, ut tres principes omnium qui unquam hominum memoria fuerunt pessimi,unus post alium,sint Byzantij rerum potiti. Sed dum Constantinus tam crudeliter & libidinose imperat,Carolus diuersa terrarũ parte bellando sibi immortale nomẽ quęrere. Saxonibus bello uictis cum Thassillone Bauarũ duce pacẽ sanxit. Cęterum quũ neq; promissos obsides Thassillo ex fœdere dedisset,neq; ad Carolum uenisset, ab eo accersitus,bellũ Bauaro rex intulit, tripertitoq; hostium fines ingressus,ipse ad Lotofredũ consedit, Austrasij, Turingi & Saxones ad Saringa,qui locus Danubio adiacet, metati sunt, Pipinus filius cum Italico exercitu iussus est Tridentum obtinere,quibus belli terroribus perculsus Thassillo deditionẽ fecit,xij. obsidibus datis, quos priore fœdere daturũ se promiserat. Misit Thassillo & Theudonẽ filiũ. Cæterũ quia ipsa deditio spreta est ac ludibrio habita, ut parũ tempestiua,præsentẽ uitæ statũ pertæsus, Thassillo cum Theudone monasticæ se uitę addixit. Sed dum Carolus Bauarico esset bello implicitus, Constãtinus fortissimi regis occupationes in usum uertens,per magnæ Græciæ populos,qui adhuc in fide erant imperij,Italiæ statũ solicitat. Hi Beneuentani Spoletanię; ducatus fines ingressi, omnia ab Aterno flumine,nunc Piscaria est, Beneuentũ usq; hosti liter populanẽ. Occurrũt subitæ Græcorũ iniurię Ildeprandus Spoletanus dux, & Grimoaldus Beneuentanus. Fit atrox pręliũ,ac nõnihil anceps,postremò fuit pugna illa Græcis adeò funesta,ut nihil inde diu mouere sint ausi. Carolus Bauaris in deditionẽ receptis bellũ in Sclauos, Istri accolas transtulit. Gens æstate una perdomita est, mox Hunnos maiore conatu adortus est. Tenebant hi utráq; Pannoniam,& cũ his Danubij insulas. Bipertito itaq; Hũni,qui iam & Hungari dici cœperant,petiti sunt, nauibus quas Carolus in Austrafijs instruxerat,secundo fluuio missis,nec nõ terrestri exercitu. Cæterũ ingressus Carolus hostium fines,ne illati belli causa ignoraretur toto triduo supplicari,ac Christiano ritu sacra fieri iussit aperto campo: nam ea gens multum à Christiano cultu abhorrebat. Hunni ancipiti terrore perculsi,urbes Danubio propinquas populariter relinquunt, nauibusq; ad inferiora fluminis delati insulam occupant ad Rabæ ostium munitissimam. Gallus hostẽ persecutus, factaq; pugnádi copia cõgredi ausos insigni cæde affecit,ac mox deditos perhumane & clementer accepit. Hisq; inclyta fama gestis,ac tot ferocissimarũ gentium uictor Carolus Franconiam inuisit. Est hæc Germaniæ regio, unde Francorũ reges & regni nobilissimi origo prima est. Fuit rex in ea terra totum ferè biennium, quo temporis spatio,celebri antistitũ conuentu, qui ad Caroli edictũ ex tota Gallia Germaniaq; eò conuenerant,damnata est Feliciana hæresis de abolendis sanctorũ imaginibus. Interea Saxones,quia à Christianæ fidei cultu defecerant Caroli in se arma retorta hunt. Certatum est cum ea gente maioribus propè odijs quàm uiribus,inclinauit tamen uictoria in meliorem causam,triginta milia Saxonum cæsa, ac super eam cladem hostile solum uastatũ, abductiq; ex ea gente obsides ne toties rebellaret. Incidere hęc, ut scribunt quidam, in extrema tempora Hadriani pontificis,ut alij, inter initia proximi pontificatus, qui Leonis tertij eius nominis fuit. Sed ne inter initia quidem accidere potuerũt,si Leone sedente Italia à Carolo repetita est,ut suprà est memoratũ. Verum quocunq; pontifice hæc alibi gesta sunt, per id tempus in Græcia Hirene Constantinũ filium cuius impietatem oderat, Constantinopolitanis conniuẽtibus quin impellentibus eriam in potestatem redactum,luminibus priuat,priuatum in uincula conijcit. Sic memorabili exemplo,mulier omnium, quæ ea tempestate fuerũt,optima,publicum bonum priuatæ charitati prætulit. Constantinus maternæ cõtumeliæ impatiens nullo maiore cruciatu affectus, paucis diebus luctu & mœrore expirauit. Et hæc tũ Byzantij,quum alibi terrarum nouiin horam extitere bellorum motus, uno enim tempore uelut ex composito Saxones & Hunni à Carolo defecerunt, & Bauari Foroiulienſibus & Longobardis, qui adhuc in ea terra agebant,bellum indicunt. In Hispania Saraceni ex Olisipone & Barchinone proximos accolas Christiani nominis hostiliter infestare, ut ne ab urbium quidem oppugnatione abstinerent. His Carolus motibus occursurus, Saxones decreto adoritur. Pipino filio Hunnicum decernit, ac simul præcipit, ut Henricum quem ipse Foroiulienſibus ducem dederat, ab omni Bauarum iniuria tueatur. Mittit & Adelphonſo Asturiæ & Galatiæ regi Christiani nominis studiosissimo auxilia,hortaturq; per literas, ut Saracenorum motus comprimat uindicetq; bello res Christianę fidei. Affuit statim hac parte fortunæ fauor:nam Zatus Barchinonis præfectus, cum ipsa urbe in Caroli partes trãsijt. Pipinus in Pannonia prospere dimicãs,hostes pluribus prælijs uictos ad deditionem cõpulit. Nec Bauaris motum bellũ prospere cessit, qui à Nouiomiro legato Henrici Foroiulienſiũ ducis sæpius uicti, Ringũ primo ducẽ fortissimũ amisere,inde Cagoron & sugurrã cum omnibꝰ copijs:quo cõtigit,ut eorũ urbes ad hostiũ satietatẽ sint direptæ, atq; omnifariá cladibꝰ afflictę. Et ne nõ ubiq; res ꝓsperè fluerẽt. Adelphonſus peridẽ tẽpus ingẽti prælio Saracenos in Lusitania superauit, Olisiponẽq; gẽtis caput,ui captã, militi diripiendã dedit,ex qua præda quędá misit ad Carolum regẽ spolia, & cum his multa captiuorũ corpora. Erat interea, Caroli beneficio, Italiæ status pacatissimus, quũ Roma tetro est flagitio fœdata. Pascalis Primicerius & Campulus presbyter, Leonem pontificẽ media supplicationũ pompa,ad ædẽ Syluestri,cum hominibus suæ factionis adorti pontificio amictu exuunt,inde senẽ (erat enim iam grauis annis) omni auxilio destitutũ, nam ad primum clamorem

Franconia.

Ingens Saxonũ cædes.

Pulchrum Hirenes facinus.

Varij bellorũ motus.

Constantini imperatoris sæuitia.

Constantini scelera.

Bauaricum bellum.

Sclaui bello domiti à Carolo.

Hunnicum bellum.

Leonis pontificis casus.

morem ingens circa illum fuga facta est, solo affligunt, instant percussores, iacentiq; linguam & oculos conantur adimere, postremò laucium multoq; cruore respersum in uincula conijciunt ad Erasmi Phanum. Hinc Leo Albini cubicularij opera, qui custodes fefellit, in Vaticanum occulte se proripuit, latuitq; tandiu, quoad Vinigisij Spoletani ducis præsidio comitatus, urbe egressus, Spoletum cõtendit. Paschalis & Campulus, ubi Leonem elapsum sensere, pontificis & Albini domos à fundamentis diruunt. Coniuratorum odium in pontificem inde ortũ

Causa odij in pontificem.

ferunt, quod illi liberius uiuere assueti, ferre nequiuissent grauem pontificis censuram. Leo ex Vmbria

Leo ad Carolũ regem contendit.

ad Carolum abijt, qui tum Saxonicum gerebat bellũ. Occurrerunt eò legati ab iniuriæ autoribus missi, qui ad leuandam atrocis facti inuidiam pontificẽ palàm criminari. Carolus ea cognitione in aliud tẽpus reiecta, Leonem cum magno antistitum comitatu Romam remisit, pollicitus fore, ut non multo pòst ipse Italiam repeteret, eoq; consilio Romã uenturum, ut urbis & Italiæ statum in meliorem formã redigeret. Leoni Romã remeanti tota ciuitas effusa est obuiam ad Miluium pontẽ: nam præter Caroli fauorẽ qui haud dubie pro pontificia dignitate stabat, incredibilis quædam de eius sanctitate percrebuerat opinio illa temporũ nouitate, uulgo ferebaẽ

Miraculum in Leone.

linguam illi & uisum miraculo restitutum. Carolus Saxonico defunctus bello nõnihil Aquisgranij fuit,

Aquisgraniũ.

quam urbem alteram Frãcorum regiam edicto declarauit. Diuersarum ibi gentium legationes auditæ, Oscensium ex Hispania, qui urbem dediderunt, nuntiantes Saracenos, qui secum eam urbem habebant, Christianæ fidei cultum sponte susceptisse. Et ab Hirene uenerant legati, qui amicitiam pollicerẽtur, ex Balearibus qui regi gratias agerẽt, quod eius auxilijs usi Saracenos prælio uictos suis finibus eiecissent. Sed nõ tantum gratiæ ab his actæ, sed Insulani etiam publicè dediti. Affuit & Guido Britannię comes insulæ à se nuper pacatæ nũtius. Nec ita multo pòst Carolus Aquisgranio profectus per Magun tiam, Miennam, & Noricos in Foroiulienses transijt.

Alij Tarnisinos dicunt.

Hic quum Henricum eius prouincię ducem Taurisinorum fraude interfectum offendisset, autoribus cædis capitali supplicio affectis nouum restituit ducem, inde per Rauennam Carolus Romam proficiscitur. Taurisinorum supplicium locorum propinquitate stilum admonet, ut ad res Venetas fiat reditus. Enimuero Mauricio principe, Ioãnes Aquileiensis antistes discordia illa fretus inter Aistulphũ regẽ & Stephanum, Ro. pontificem orta, de qua alio est loco dictum, animũ sustulit ad omnia circa se quoquo modo turbanda, nam ne Rom. quidem pontificem multũ uereri, Aistulphi opibus innixus. Gradensem itaq; ecclesiam opprimere adortus, omnes Istricæ oræ antistites multa suadendo eò perpulit, ut à Gradensi ecclesia alienati, Aquileiensis essent suffraganei, erant illi iam nihil obscure diuersarum partium, faterique; aperte nihil sibi rei esse cum Gradensi ecclesia. Tam insignem contumeliam Mauricius princeps cũ omni Veneto nomine auersatus, per literas eam iniuriam queruntur apud Stephanũ Ro. pontificem, Apostolicæ sedis fidem & autoritatem implorant. Horum querelis cõmotus pontifex

Stepha. pontificis literæ.

ad Ioannẽ Aquileiensem dedit literas ultionis indices, nisi incœpto abstineret. Moniti sunt & Istriæ antistites, ne nouarũ rerum studio pergerent pessimo exemplo Romanorum pontificũ decreta antiquare. Scripsit plura in hanc sententiam Stephanus, sed nihil profecit. Cæterũ Veneti indignatione rei accensi tantum ui abstinendum censent, donec legati ob eandem causam irent Romam & redirent. Missus est Gradensis antistes, ad quem **ea** iniuria maxime pertinebat, cum Magno presbytero & Constantino Tribuno. Accidit ut priusquam ad pontificis A conspectum fuerint admissi, Stephanus uita decesserit. Successit illi Hadrianus, ad quem non multo pòst ingressi, primum gratulati sunt illi de dignitate nuper adepta, inde legatorum unus ita ad eũ uerba fecit, ut diceret, neq; uires neq; consilium deesse Venetis, ad quamcunq; finitimorum iniuriam propulsandam, cæterum quærere se ex ueteri instituto ciuitatis mitiora remedia, quæ si nulla sint non defuturum Venetis quonam modo rem suam armis uindicent. Aquileienses, inquit, antistitis temeritas eò processit pater beatissime, in nostris rebus inquietandis, ut cumulata iniuria ferri non possit amplius, furor sit patientia sæpius læsa. Iam uero quoties Gradensis ecclesia direpta prophanataq; est huiusmodi latrocinio? quoties clerus uiolatus? Nullæ hominum querelæ Apostolicæ sunt sedi notiores. Nunc non modo augustissimæ nomen ecclesię abolendum putat bonus antistes, sed Apostolica autoritate etiam neglecta pro irritis habet pontificũ decreta, quibus utriq; ecclesiæ cauetur, suumq; ius tribuitur, sua in suffraganeos antistites potestas. Fraude adhæc & dolo malo plerosq; Istricæ oræ antistites à Gradensi ecclesia abalienauit, quam ut dignitate spoliaret, funditusq; euerteret, iuxtà omnia diuina & humana confundit, & dum plus nimio stomacho indulget, dũ suo fertur odio, ea uiolat per quæ ipse uult inuiolabilis haberi. Sed Veneti, si tua pater beatissime apud illum autoritas minus ualitura est, posthac uiderint quatenus sit sibi hæc iniuria ferenda. Verum tuũ est Hadriane pontifex maxime, tuũ sanè Apostolicæq; sedis prospicere, quo audacissimus hominis conatus euadat. Nemo malus fuit uno flagitio contentus. Sæpius ex eo auditum est, ni hil sibi rei esse cum Ro. pontifice, habere se socios antistites, quorum autoritate nixus, nullius sit sibi uis timenda. Conspirauit, ut credere par est, cum Medio B lanensi & Rauennati antistite in istam humanæ pietatis arcem, in istud pontificium decus, ut nulla in re Rom. pontifice inferiores habeantur. Nunc quæ sint his malis remedia adhibenda, qui te melius uidere possit, est, ut arbitramur, nemo: nulli dubium quin istud pontificiũ decus, Apostolicæq; sedis maiestatem, ab omni perditissimorũ hominũ conatu, tam prudenter sis q̃ fortiter uindicaturus. Nobis Venetis, qui nostrorum maiorum exempla secuti, tantũ omni tẽpore & in omni causa nobis licere uoluimus, quantum Apostolicæ sedi placuit, decretũ est tuo solius arbitrio pater beatissime rẽ exequi, siue bello siue pace uelis: nã & res tueri armis possimus, & per silentiũ pati eas proditũ iri finitimis, si sanctitas tua ita uelit euenire, sed cur uelit, aut cur nõ potius iubeat tam fœdũ facinus uindicari? Improbior sit qui impunè peccat, nemo malus statuit sibi peccandi modum, quare ultione opus est, aut certe ultionis metus incutiendus, ut aliquando hac iniuria careamus. Permotus his legatorũ uerbis põtifex ad Ioannẽ Aquileiensem minacissimè scripsit, nisi incœpto abstineret, breui futurũ ut facti pœniteret, & in Istriã ad eius terræ antistites misit, ut in ueteri officio perstarẽt, nec se alienæ miscerent ecclesiæ cõtra Ro. pont. decreta. Obtẽperatũ est Hadriani literis, nõ tam uolũtate q̃ metu: nam Longobardici regni euersio in id tempus incidit, ex cuius fauore pendebat Aquileiensis ecclesia. Sed q̃ hac parte res Veneta quietior inde fuit, tã circa Riuumaltũ augustior facta. Riuoaltinis ægre ferentibus, nobilissimã nouæ urbis partẽ, & quæ omnium circunjectarum insularũ prima incoli cœpisset, sine antistite esse, quũ pleraq; suburbana loca minori alioqui celebritate, eiusmodi dignitate niterẽt, eò querela processit ut Mauricius, celebri cõuentu de antistite Riuoaltinis impetrando, ad tribunos & omne nomen Venetũ retulerit, magnoq; insularnorũ cõsensu, cum Hadriano pontifice de ea re literis & nuntijs egit, facileq; impe-

Primus Oliuolensis antistes.

impetrauit. Est itaq; Obeliatus Euagrij Tribuni Me A tamaucensis filius primus antistes creatus, sedes illi in Oliuolo data, Oliuolensisq; ab initio dicta ecclesia, mox & Castellana nũcupata. Vrsus Particiacius, qui tertio loco eam sedem tenuit, ædem ibi apposto lorum principi sacram erexit. Mansit loco dignitas, usq; ad Nicolai quinti pontificatum, qui incidit in nostrorum patrum tempora. Is locum dignitate au

Quando Gradensis titulus in Oliuolum translatus.

xit Gradensis ecclesiæ titulo in eam urbis partem translato, uetereq; locorũ appellatione abolita, Venetus est patriarcha nuncupatus. Primus hoc decus tulit Laurentius Iustinianus, qui ob creditam sanctitatem, in beatorum est numerũ relatus. Fuit annus ille, quo Gradensis sedes est Venetias translata, qua dringentesimus ac quinquagesimus supra millesimum humanæ salutis. Est Mauricius dux consulatu ab imperatore donatus. Erat is æque omnibus charus, ob ea quæ eius auspicijs feliciter euenerant, sed plurimus illi fauor ex uirtute cõciliatus, per quem populo impetrauit ut Ioannem filium sibi collegã

Ius adoptandi collegæ duci datum.

in publica administratione adoptaret, rem tum parũ animaduersam, sed libertati periculosam, & quæ magnorum deinceps motuum fuit causa. Sunt qui dam autores, Mauricio adhuc uiuo, quod in Venetis rebus est à me proditum, inter Equilienses & Heraclianos renouatam discordiam, & Fortunatũ Gradensem antistitem magnis motibus ciuitatis in exilium eiectũ. Alij in Ioannis huius filij & Mauricij iunioris principatum, id referunt. Fuit iunior Mauricius auito exẽplo à patre collega ascitus. Sed quàm turbulenta fuerit illorũ administratio, proximo uolumine explicabitur. Mauricius anno tertio & uigesimo sui principatus uita decessit. Præfuit annis septem reipublicæ cum filio, uir magni exempli, & qui ob principatum optime administratũ, magnũ reliquit sui desiderium. Sed dum Ioannes Mauricij filius rem Venetam administrat, Carolus per Noricos, ut suprà est significatum, in Italiam transcendit. Sunt qui Forumiulium ab eo captum scribant, nec causam explicant. Sed Henrici cædes potuit Foroiulienses in discrimen adducere apud Carolum. Is Pipino filio per oram superi maris aduersus Grimoaldum Beneuentanum ducem misso, qui res nouas Græcorũ accolarum impulsũ, moliri dicebatur, per Rauennam ut suprà est memoratum, se Romam cõtulit. Regem uenientem Leo honorificentissime ad Barionæ ædem excepit. Is octauo die quàm uenerat, uniuersum clerum & populum in Vaticanum

Carolus Leonis causam cognoscit.

uocari iussit, Leonis causam pro concione cognitus. Primo audita sunt quæ à Paschale & Campulo crimini dabantur põtifici. Tum iussi qui aderant dicere sententiam, à toto consessu & concione est reclamatum, non esse priuati cuiusquam de eo, qui in Apostolico sit solio locatus, temere iudicare, moréque seruatum ut Romani pontifices à nullo præterquàm à se ipsis iudicarẽtur. Tam graui responso Carolus commotus quæstionem omisit. Leo qui id iu

Attende de põtificis autoritate.

diciũ uehementer expetebat, suggestum ascendẽs, petijt ut liceret sibi postero die, obiectis criminibus respondere. Postridie eius diei clero & populo pro concione stantibus, ex eodem loco uenerabundus sacra tangens Euangelia, iureiurando, quod sanctissimum esse potuit, affirmauit omnia, quæ aduersus se inimici attulissent, falsa esse, & ab ipsis conficta ad leuandam sui sceleris atrocitatem, nulla sua culpa accidisse, ut tam impiè à scelestissimis uiris uiolaretur. Habuit id pontificis de se testimonium non minus ponderis quàm si fuisset ab alio prolatum: tantum interdũ tempestiua de se ualet prædicatio. Cæterum dum hæc Romæ fiunt, Pipinus Grimoaldũ

Beneuentanũ bellum.

Beneuentanum bello adortus, quia finitimis esset accolis infestus multis cladibus alijs super alias affectum, Beneuentum compulit, cui bello ad exitum perducendo Vinigisium ducem Spoletanum præ-

fecit, ipse Romam ad patrem uehit, quẽ haud multo pòst Pipini accessum, Leo pontifex, inter sacrorũ solennia, scito rogatuq; Romani populi, qui officij causa circunstabat, in Vaticano templo Barionæ Romanorum imperatorem consecrauit & inunxit. Consecratio illa facta est ad altare basilicæ, ubi loci accepit Carolus imperij insignia, mox illis instructus ad aram maximam templi est inunctus anno q̃ Carolus in Gallijs regnare cœperat tertio & trigesimo, quum Italia iam annos tercentum & triginta sine imperij nomine fuisset. Mansit mos idem in cęteris, ut qui Augusti nomen legitime reciperent à Rom. pontifice inungerentur. Acclamatum ter est ab uniuersa multitudine: Carolo Augusto Magno & pacifico uita & uictoria. Est & Pipinus Caroli filius unà inunctus, quem pontifex Italiæ regem solenni decreto declarauit, ac tum demum magna rerum mutatio facta est. Creditum iam inde imperij arbitrium Apostolicę sedis esse, quum antea è cœlo dari crederetur.

Inunctio Caroli imperatoris.

ENNEADIS VIII. LIBER IX.

Campuli & Paschalis damnatio.

IMperatoria appellatione recepta, Carolus pontificiæ dignitatis uindex primum omnium Campulum & Paschalem impietatis reos, capite damnauit. Cęterum Leonis precibus fatigatus, extrema pœna illis remissa, ambos in Galliam relegauit. Fuerũt qui Carolo suaderent ut omne Longobardicum nomẽ ex Italia tolleret, feciſſetque fortasis ultro, ad tollendam omnem nouorum motuum materiam, ni si Italorum inuidiã ueritus esset. Erant Longobardi longa consuetudine Italicæ genti adeò inserti, ut indiscretè propemodum uiuerent, præsertim in his urbibus, quæ sub ipsius gentis annos ducentos & amplius fuerant imperio: ne igitur quum unam tolleret, utráque offenderet, nihil acerbius aduersus eos statuit, omni administrandarũ rerum facultate adẽpta, ut scirent ex ęquo esse sibi cum Italis uiuẽdum. Et hęc Carolus non minus utiliter quàm clemẽter. Mira sunt quæ de eius uiri indole & ingenio prodita sunt memoriæ, iuxtà pacis belliq́ue artibus eminens, insignis in eo pietas, beneficentia & humanitas, quanta in superiorum principum nullo. Difficile dictu est bellica uirtus maior an felicitas in eo fuerit: nullus unquam Europa plures subegit gentes, nemo bonarum artium studia indulgentius fouit, impensius adamauit. Albinum cui Alchuini cognomẽ redditur, ex Britannia à regibus missum, ut pacem à se impetraret, ob eximiam eruditionem cõplexus, ex legato hospitem fecit suum, ex hospite præceptorem, uetus Athenienſium exemplum imitatus, qui Gorgiã à Leontinis publicè ad se missum, legationis munere defunctum, Athenis remorati sunt eius capti eloquentia. Parisijs diuinę humanęque sapientiæ gymnasium instituit, & in Italia Ticini alterum, ut quibusdam placere uideo. Adijciunt casum memorabilem. Viri duo monasticæ professionis, cum Britannicis mercatoribus ex Hybernia in Galliam delati, quum alij alias merces proponerent, se sapientiam uenalem habere alta uoce testari, si emptorẽ inueniãt. Crediti sunt primo delirare, mox quotidiana prędicatione cœpta est à paucis, ut fit, illorũ assueratio animaduerti. Interim rumore in regiã perlato, ad Caroli conspectũ accersiti, appellãtiq; coram rege de uenali merce, quum idem testarẽtur, rogati ecquanti statura esset emere uoléti, uictu, inquiunt, docentis & uestitu. Cęterum Carolus bellicis impeditus curis, nam hæc aliquanto antea acciderunt, q̃ imperij nomẽ fuit adeptus, horũ unũ Parisijs

Exemplum in Carolo memorabile.

Attende doctorum hominum professionem.

Origo nobilitãt gymnasiorum

Origo Parisiensis gymnasij

Anni mundi.

Attende oraculum.

Paulus Aquileiensis.

Alchuinus.

Ifnardus.

Martyrologiũ

Legatio Hirenes ad Carolũ

Parisijs collocauit, Clementis aiunt illi nomen fuisse, cui ex omni ordine ciuitatis dati sunt iuuenes instituendi. Alter in Italiam transire iussus, ac Ticini, nunc Papia, sapiẽtiam docere. Est & alius sermo de Parisino gymnasio, ut à quatuor sit uiris monasticę professionis institutum, Rabano, Alchuino, Claudio, & Ioanne Scoto. Consultò missa facio, quę Turpinus antistes de Caroli statura & uiribus scripsit: multo enim fabulis propiora sunt, quàm ut historica fide incolumi in literas mitti possint, adeò à fide abhorrent. Quæ ueriora mihi uisa sunt, ea breuiter secuti sumus, ut quàm bene imperij nomen fuerit in eo collocatum, quanta indole in posteros transmissum, cognoscere uolentibus non deesset facultas. Fuit annus ille quo Carolus est id decus adeptus, octingentesimus primus humanæ salutis, alij annum unum adjiciunt, mundanę originis quintus & sexagesimus supra septingentesimum ac quinquies millesimum. Scio esse quod alio sum loco testatus, qui ex hoc numero Hebræam secuti supputationem, mille subtrahant annos, sed nos Eusebium & Hieronymum sequimur. Fuit idem annus quadringentesimus sexagesimus octauus ab eo quo Byzantium ex urbe Roma est imperij sedes à Constantino translata. Imperabat hic per id tempus Hirene, quæ etsi omnium prudentissima, quia tamen fœmina, Leoni pontifici materiã præbuit imperij nomen aliò transferendi, quum Byzantij tantum diu esset imperitatum. Deturbauit Hirene filium, ut suprà est demonstratum, ex imperij fastigio cum quo decem annos rei summam administrarat, quo tempore Byzantij inuenta est lamina aurea, & sub ea cadauer in qua fuit Græcè scriptum: Christus nascetur de uirgine, credo in eum, ô Sol, sub Constantino & Hirene me iterum uidebis. Iisdem imperantibus sanguis è cœlo pluit. Viri ingenio clari ea tempestate fuerunt. Paulus Aquileiensis ecclesiæ diaconus, qui Longobardorum scripsit historiam. Hunc Carolus euerso Desiderij regno in Galliã duxit, fuitq; regi ab initio charus, donatusq; est ab eo libertate, compertus inde nouarum rerum, & quod de Desiderij regis fuga consilia agitaret, in Diomedis insulam relegatus, post aliquot annos ad Arachim se cõtulit, ubi Adelpergæ eius coniugis rogatu (fuerat hæc Desiderij filia) Eutropij historiæ duos adiecit libros, historiæ filo à Iuliano principe ad primi Iustiniani tempora extenso. Cæterum Arachi defuncto in Casinensi cœnobio reliquum uitæ egit, unde sæpe ad Carolum dedit literas & accepit. Huius illud est in diuinis, Vt queant laxis resonare fibris: traduntur & in alia simul figura ab eo edita. Fuit eadẽ tempestate & Alchuinus, Caroli præceptor, cuius multa ad posteros manarunt sapienter, & pie magis q̃ eloquenter elucubrata. Est & Isnardi nomen celebre, qui fuit his æqualis, Gallicę uir gentis, & monasticæ professionis, ad Eusebij imitationem diuorũ acta breui stilo complexus, id opus Martyrologium inscripsit. Tenebat orientis imperium Hirene, ut alio est loco significatum, quum Carolus Romæ est imperator salutatus, quę literis & nuntijs certior facta de ijs, quæ Romæ acta erant, ne non in tanta rerum mutatione aliquid suis rebus cauisse uideret, ad Carolum misit, qui illius amicitiam & fœdus peterent. Sunt qui tradant Leonem Spartarium ad id missum, qui de fœdere & finibus imperij cum eo ageret, deferretq; illi suum connubium. Alij id à Carolo petitum malunt, rato per eas nuptias posse iterum imperium uniri, ac restitui in antiquum rerum statum, missosq; ob eam rem legatos ex Gallia Byzantium usque Ambianensem antistitem, & Eligandum comitem, quibus facta sit ab Hirene spes conficiundi negotij, petitum est ab ea tempus ad deliberandum, quæ res Nicephoro materiam præbuit, Hirenes primo apud milites, mox ad populum crirum legatis insulanorum nomen aspernantibus, fœdus in hæc ferè uerba est ictum, ut orientalium rerũ unus curam gereret, occidentalium alter, circa Italiam Venetiæ stagna & Beneuentum in Samnio in medio essent, ac neutri partium dicerentur ascripti, etsi Græco imperio, ut Blondi utar uerbis, magis Veneti consentiebant quàm Romano. Carolus sequẽti anno quàm Italia decesserat, Saxones bello adortus, nam tantisper dum rex in Italia fuit, ad arma gens rebellis recurrerat, multos ex his captos cum liberis & uxoribus in Galliam transtulit. Fama, credo, belli huius impulsus Gothifredus rex Dauorũ (Daui ijdem sunt & Daci, Germanici nunc Oceani accolæ, trans Istrum olim sedes habuere. Danos apud quosdam pro Dauis scriptũ reperio, sed unius elementi inuersione inoleuit id mendum, ut credere æquum est. Qui autem hominum sint Daui, suo loco explicabitur) ingenti classe Saxonię littoribus appulit, pacemq́ue cum Carolo & amicitiam iunxit, reddiditq́ue Germanos transfugas, qui superiore anno Caroli absentiam nacti, res nouas moliri dicebantur. Carolus pacato Germaniæ statu in Galliam reuertitur, quo tempore Leo pontifex Roma profectus est ad declinandam quorundam è clero inuidiam, qui nouarum rerum cupidi uehementer erant illi infesti. Traditur & alia profectionis huius causa, haud sane leuis, ut Carolo gratificaturus Leo Mantuam petierit, præsens cogniturus miracula, quæ per id tempus ibi facta dicebantur circa Christi sanguinem, id quale esset, ut diligenter exploraretur, Carolus per literas cũ pontifice egerat. Enimuero Hirene & filio imperantibus, ferunt Hebraici sanguinis uirum quendam in Syria, in Christianorũ contemptum Christi imaginem lancea suffodisse, unde ubertim sanguis effluxerit. Is studio asseruatus ne tantum scelus deprehenderetur, multis dein ceps mortalibus in grauissimo morbo saluti fuit, ex Syria diuino magis quàm humano cõsilio Mantuã translatus,

Hirene imperium rediget.

Attende seditiones inter imperatores.

Pipini filius in Italia.

Venetorum consilia.

Saxonicum bellum.

Daci.

Miraculum Christi imagine.

Leo in Galliã proficiscitur.

Nicephorus sit Saracenorum tributarius.

Leo pont. pallia mittit Græcensi antistiti.

Attende tyrannicam administrationem.

Ioannes Gradensis antistes præcipitatur.

Equilinorum & Heraclienſium discordia

trãslatus, in multa est hodie ueneratione. Re igitur inspecta, riteq; probata, in Galliã Leo profectus est, ut regẽ pleniore demereretur obsequio, doceretq; coràm quod in re seria compertum haberet. Quod autem Leo tam longum iter susceperit, non tã Mantuanum negotium, ut arbitrór, secutus est, quàm domesticam discordiam auersatus, ut procul periculo abesset, commodiusq; cum Carolo de statu ciuitatis loqueretur. Eodem anno qui primus fuit Nicephori imperantis, Aron Saracenorum Admirathus, cum trecẽtis milibus hominum Asię prouincias quę adhuc Constantinopolitano parebant imperio, tumultuose adortus, Nicephorum compulit ad pacem fibi turpiter redimendam, certo auri pondere, quod tributi nomine ipsi genti annuum penderet. Per id tempus Leo pontifex ex Gallia reuersus per Taurisium & Rauennam, multa officiorum frequẽtia, Romam petijt, ubi omnia opinione pacatiora inuenit quiescentibus urbanæ seditionis autoribus. Nemo erat cui non persuasum esset eum Caroli fauore fretum, sine ullo maiore præsidio ad urbem uenisse. Cę terum quia perhumanè Leo à Fortunato Gradensi antistite fuerat Taurisij acceptus, haud multo postquam Romam uenit pallium illi misit, ex Apostoli corpore sumptum. Erat tum Fortunatus Ioanni & Mauricio Venetis ducibus infensus, quibus aduersatus fuerat in ciuili defensione. Sed Fortunati odiũ in duces, non tam ex publica causa ortum uideri potest, quàm ex priuata iniuria: nam quũ Ioannes multum diuersus abijsset à Mauricio patre, essetq; uulgo inuisa hominis superbia, persuasum habuit ciuitas posse id uitium temperari, si collega illi contigisset mitiori ingenio, passaq; est ob id illum sibi Mauricium filium collegam cooptare, propemodum adolescentem, quippe qui priuatus adhuc bonam de se spem dederat, ut aui multo similior futurus esset q̃ patris, sed principatus facile hominem demonstrat. Confestim à prima administratione in patrem conuersus, tanquam fax pristino incendio adhibita multo insolentiorem reddidit. Nescias maior libido in his esset, an superbia, muliebri pudicitiæ insidiari, uiriare uirgines, rapere adhæc bona ciuium, fœuire in priuatos, ea dicere facereq; quæ immanissimi solẽt tyranni. Spectare hæc attonita ciuitas, nec erat qui suo auderet periculo uim inhibere. Vnus omnium Ioannes Gradensis antistes, quem ad Hadrianũ põtificem publice missum, suprà est demõstratum, sua fretus innocẽtia, fretus & autoritate: erat enim præter opinionem de eius sanctitate uulgo receptã iam grandis natu. Castigare is ducum flagitia, admonereq; ne pergerent diuina omnia & humana confundere, quin meminisse eos oportere idcirco ad eam dignitatem ascitos, ut non tam suis præessent ciuibus quàm ut prodessent. Male uertit bonum consilium seni: apud malos principes est pro officio exitium illi repensum. Mauricius Ioannis filius, cũ apparitorum & cliẽtum manu Gradum profectus, acceptus q̃ue hospitaliter, homo impius pium antistitem hominem perneccssarium hospitemq́ue suum, ex alta turri præcipitat. Fertur miraculo factũ, ut non imbres, non intemperies cœli ulla diluere potuerit cruorem, qui subiectis est marmoribus infusus. Tãtæ fuit inuidiæ nefaria illa cædes Mauricio & eius patri, ut nisi amicorum suasu suppliciter sese ad populum purgassent, discerptura fuerit utrũque irata multitudo. Lenijt sæuientes adhuc animos tempestiua Fortunati declaratio, qui in Ioannis patrui sui locum Gradensis est antistes surrogatus. Et hæc priuata odij causa in principes Fortunato fuit, unde publica illa postea orta est. Erat igitur, quum ob hæc, quæ diximus uulgo inuisa præsentium ducum administratio, tum quia discordia inter Equilinos & Heraclienses per id tẽpus tentata est, quam sua spõte glisscntem non solum potestate illi non cohibere, sed occultis stimulis alere credebantur. Et ut calamitosior adhuc esset eorum principatus, insolens inundatio facta est per id tempus toto Venetiarum tractu, hinc marinis fluctibus uehementiore austro irrumpentibus, inde fluminibus ex aduerso suas aquas ingerentibus, adeò stagna creuere, ut duobus pedibus passim aquæ omnium insularum facié obruerint, subijtq́ue metus ingens, ne quod semel mare sibi uendicasset perpetuo retineret, Venetiq́ue popullariter suis sedibus pellerẽtur. Sed nihil ducibus æque obfuit ad inuidiã quàm ciuilis discordia, quæ horũ, quę diximus, aut nutrix fuit, aut alumna. Nam Fortunatus Ioannis patrui sui cæde impulsus, cum Obelerio Tribuno Metamaucensi (dubium fuit ne tum Tribunus an Tribunatu functus, ut tribunitios uiros Tribunos appellarent) in Mauricium & patrẽ coniurauit. Cæterum res maiori odio quàm consilio mota, præmaturè patefacta est. Coniurati, ueriti ne ad supplicium raperentur, solum exilio uertunt. Fortunatus in Galliam ad Carolum abijt, Obelerius cum socijs coniurationis Taurisium cõcesit, dissimulata suę profectionis causa. Fortunatus magnũ erga Carolum affectum simulat studiũ, ad quem admissus Venetos duces insimulat, quod Constantinopolitanæ rei studiosi, quum eque utrunque ex fœdere imperium colere debuissent, enixe ab his opera dedita esset, ut Carolo in Nicephori fœdere maritimis fraudaretur Delmatiæ urbibus, in quibus incredibilis quædam amissa esset gerẽdarum rerum occasio. Audire hęc Carolus, cęterum maioribus belli curis implicitus eam Pipino curam remisit, qui identidem similia audiebat ex Venetorum accolis, qui iniquo animo ferebant rem Venetam indies augeri, libertatemq́ue uni omnium Italiæ ciuitatum tot ætatibus & per tot bellorum motus inoffensam mãsisse. Dissimulare itaque Pipinus quod in animo haberet, simulq́ue occasionem expectare. Veneti haud ignari quantum inuidiæ aliena criminatione sustinerent, ad Nicephorum mittunt, docentq́ue simul in quanto discrimine res Veneta sita sit, nisi ipse auxilio adsit, cernere se fœdam belli tempestatem in se cieri, fore ut si in medio destituti nullius auxilijs iuuarẽtur, breui fortunarum libertatisq́ue periculum adirent: adijciunt præterea uagari famam Gallos animum adiecisse ad superi maris imperium occupãdum. Quibus stimulis, & quia ex Delmatiæ ora legati idem nuntiabant, commotus Nicephorus, auxilia Venetis pollicetur, si quando infestari cœpissent Gallorum armis, missurum præterea se haud multo pòst classem in oram Adriatici maris, quæ fines imperij & socios tueretur. Et hæc belli expectatio tũc erat, quum Obelerius ab his qui tunc cum eo erant & alijs Veneti nominis exulibus ad hoc ipsum accersitis dux Taurisij acclamatur. Veneti duces rati quod erat, nunquam Obelerium fuisse ducis nomẽ inuasurum, nisi consensum ciuitatis compertum habuisset, suis rebus diffisi Mantuam profugiunt cum Christophoro antistite, quem Græci generis adolescentem in Oliuolensi sede suo beneficio locarant. Obelerius factione partium stipatus Venetias repetit, ducatũ inuadit. Et Fortunatus factus certior de ijs quę Venetijs acciderant, haud multo pòst ex Gallia affuit. Obelerius permissu populi Beatum (id enim illi nomen fuit) fratrem sibi collegam asciuit. Sunt qui scribant & Valentinianum adhuc minorẽ natu ab eo cooptatum, ut tres uno tempore rempublicã fratres administrarint. Nec ciuitatis statu quietior inde fuit: nam quum Heraclienses agitare consilia dicerentur de Ioanne & Mauricio restituendis, erant enim Heracliani, Obelerius homo præferoci ingenio ad eorũ opes infringẽdas animos Equilinis occulte submini strare, instigareq; ad Heraclianorũ res infestãdas. Nec opus fuit multa hortatione, odiũ ex ueteribus inimicitijs adhuc resiuum remere ad

Inundatio in gens.

Coniuratio in Venetos principes.

Fortunati criminatio.

Nicephori pollicita.

Obelerius dux tumultuose fit

Attende ciuilẽ discordiam.

discordiam recurrit. Pugna atrox de finibus pugnata est, certatumque est maiori odio quàm uiribus, fuitque Equilianis multo calamitosius id prælium quàm Heraclianis. Occurrit eò Obelerius ex Metamauco, affuerunt & ex insidijs Tribuni, res uarie iactata est, nec sine tumultu, ad postremum insulanorum cõsensu ne insanabilis illa discordia reliquum corpus Veneti nominis caperet, placuit utrunq; locum excisum iri, atque ita ex Equilio & Heraclea est populariter migratum, desitumq; utrobique habitari. Et ex Venetis scriptoribus quidam per hũc maxime modum duo illustria Venetorum oppida delecta affirmant. Me non pœnitet illorum opinionis esse qui Heracleam & Equilium à Pipino euersas memorant, & nos in Venetis rebus scripsimus: nec uideo quid prohibeat nos credere eas urbes à Pipino excisas, qui graui bello Venetos persecut⁹ est, aut quod minus attinet dicere, eam Pipini humanitatem fuisse, ut eas urbes nũquam euersurus fuerit, qui Riuoalto exclusus, quæcunque loca circa littus occupauerat, excidio dederit. Nec eo inficias fuisse Venetos de Caroli rebus bene meritos, qui Longobardicam illius uictoriam circa Ticinum classe iuuerunt, uel si Pipinus id credidit, cur postea Veneto nomini fuit terra & aquis tam infestus, ut de summa re Venetos in conspectu urbis dimicare coëgerit? Liberum est unicuique in his quæ ambigue traduntur credere quæ uelit, at mihi propius uero uidetur duas urbes bello captas ab hostibus excisas, quàm quia ueteri discordia laborarent tanquam duo nobilissima membra à reliquo corpore abscissa. Cæterum quod ad originem belli attinet cum Pipino gesti, adeò uarie res traditur à Venetarum rerum scriptoribus, ut quid potissimum sequar difficile sit discernere. Primum omnium satis cõstat bellum non à Carolo sed à Pipino gestum, conflati belli causam alij in Fortunati antistitis criminationẽ conferunt: alij quia Veneti quum neutrius essent imperij, ut in fœdere inter Carolum & Nicephorum icto erat expressum, cõperti essent Nicephori partibus multo impensius q̃ Caroli studere, idcirco bello petiti sunt. Blondus Gothifredũ secutus innuere uidetur Venetos Beati & Obelerij deditionem Pipini potestatem uenisse, eaque conditione libertatem illis restitutam, ut nihil rei esset illis amplius cum Constantinopolitano imperio. Sed Veneti scriptores nihil huius rei meminerunt. Sunt qui Pipinum dicant animum adiecisse ad Delmatiæ oram suis opibus adiungendã. Cæterum ut facilior fieret ad eam inuadendam aditus, per Fortunatum Gradensem paternum amicum tẽtasse, ut Veneti recẽtiori aliquo fœderis uinculo peculiare studium ciuitatis erga se & Carolum patrem in ea re declararẽt. Detulit rem Fortunatus ad Obelerium, traxitque facile hominem in sentẽtiam. Tribuni etsi iam antea senserant eam rem Pipino cordi esse, taciti tamen expectabant, ut aliquid eius nomine moueretur. Verum ubi de illius postulatis auditum est, cõsilium indici placuit insulanis, hic anceps incidit consultatio, & ut res magis perplexa erat, ita maiorũ animorũ uarietate, lõgioreq; disceptatione agitata est. Honori⁹ uir in Venetis magna autoritate, nec uulgari dicẽdi facultate autor erat noui fœderis, Angelus Particiacius, siue Particiacus, ut alij scribũt, q̃ postea dux fuit nihil temere mutandũ cẽsuit, uterque longiore usus est oratione, & super ea re accuratissima. Vicit tamen Particiaci sententia quæ honestatem periculo anteponebat, perseueratumq; in ueteri fœdere. Missi tamen & ad Pipinum legati qui agerent illi gratias quod ad nouum fœdus Venetos inuitasset, satis facerentque regi quod nihil ex ueteri fœdere mutare placuisset. Missi & ad Carolũ in Galliam qui apud illum diluerẽt accolarum quorundam Venetorum exulum aduersus se calumnia, insimulare hi nihil esse Venetis Gallorum nomine

Heracleæ & Equilij excidium.

Causæ belli cũ Pipino gesti.

Difficilis consultatio.

inuisius, nihil uenerabilius in terris Nicephoro, ex cuius umbra & autoritate penderent. Legati qui ad id missi sunt, quia accuratissime regi satisfecissent, iussi sunt bono animo esse, & ut ueteri instituto uiuerent permissum. Nec multum inde tẽporis intercessit, quo Nicephori classis in Delmatiæ oram uenit, eratq; huius præfectus Niceta. Is Venetias adnauigauit, ubi Delmatarũ causa qui inquietari quererentur, iactata est, ac de pace actum, sed pax nulla secuta est, induciæ duntaxat initæ in aliquot mẽses. Autores quos sequimur, quid iniuriarum intercessisset quapropter inducijs opus fuerit non dicunt. Cæterum quia ex ora Histrię Delmatarum res solicitarentur regis iussu, & ob id fortasse res nõ procul aberat à iusto bello, idcirco pactæ uideri possunt inter se partes, paucorum mensium belli ferias. Id ut suspicer non solum terrarum propinquitas facit, sed quia Nicephorana classis, priusquam Veneti aperto tenerentur bello, nunquam illorum rogatu uenisset in orã Adriatici maris, ut temere Pipini res, qui multo erat Nicephoro potentior, auderent infestare, nisi à rege prius orta esset iniuria. Sub Nicetę aduentum Fortunatus antistes iterum in Galliã profectus est, sui in Carolum studij sibi cõscius, Niceta paucis diebus quibus Venetijs fuit, Obelerium principis Spatharium declarauit, multisque ornauit muneribus Nicephori iussu, estque Beatus Obelerij frater Nicetam abeuntem Byzantiũ secutus, gratias Nicephoro acturus Veneti ducis nomine, & ut publicũ Venetorum studium in ipsum imperium coràm probaret. Christophorus Oliuolensis antistes, qui cũ Mauricijs solum uerterat, fueratq; in patriam restitutus, quia pro Gallis stare putaretur officij prętextu, cum Beato ad Nicephorum est missus. Est & felix Oliuolensis Tribunus eò secutus, qui & ipse tanquã Gallorum rebus occulte studeret in suspicionem uenerat. Ambo procul domo relegati, ne ea temporum nouitate aliquid Pipino gratificari possent. Interea rex quum ætate ferox, tum patris potentia multo ferocior quàm ut quenquam pateretur secum ex æquo uiuere, classem studio comparat in ora superi maris. Veneti ubi rem ad bellum spectare arbritati sunt, Nicephorum certioré faciunt de ijs, quæ à Pipino pararentur, ac simul hortantur ut ad retinendũ maris imperium classem continuo reparet. Necipsi in otio sunt, suas naues ad bellum instruunt, quę negotiorum causa procul aberant accersunt, castellum circa Brundusium præsidio firmant, cætera comparant quæ ad diuturnum bellum sustinendum necessaria uideri. Nicephorus haud diutius commoratus, Paulum quendam patritium cum classe minime cõtemptibili mittit in oram inferi maris, mandatq; ut Pipino bellum inferat. Is præter Siciliam in Tyrrhenum mare delatus, Populoniam in ora Hetrurię partim ui, partim fraude captam diripit, littorales urbes ferro & igni uexat. Altera Nicephori classis, Nicetæ ductu à supero mari irrumpens, Comaclũ adoritur. Est id oppidum peruetustum haud procul Rauenna in stagno situm. Hinc siue hominum ui, siue refluo aquarum æstu, nam utrunque traditur, Niceta cum cæde repulsus suo frustratus consilio retrò tenuit cursum. Sed dum Venetum littus legit, apud Obelerium & Beatum, qui iam à Nicephoro redierat consulari honore auctus, in hospitio fuit. Fuerat occulta ad id tempus inter fratres simulatio, quam non tam odium alebat quàm ingeniorũ diuersitas, mitis alter & ad gloriam promerendã habilis, Obelerius ferox & ad omnẽ iniuriam præceps. In tanta morum dissimilitudine, & quia Obelerius Gallici sanguinis duxerat uxorẽ, sunt qui Caroli filiã fuisse dicat, multo popularius erat Beati nomẽ apud multitudinem quàm Obelerij. Et iam in suspicionẽ uenerat tanquam à Gallis occulte staret, eaq; opinione semel animis recepta, quũ indies despicatior fieret, ac ma-

Nicephoris uenit in matiam.

Obelerius & Nicephori Spatharius.

Nicephoris classis Comaclum.

Diuersa ingenia tribus.

Pipinus classem compara.

Pipini successus.

Pipini postulata.

ac magis inuisus multitudini, ad Carolum in Galliã transfugit. Hic multa de fratris in se ingratitudine perfidiaq; mentitus, quem ultro diceret à se collegã cooptatum, communicatáq; principatus dignitate, pro eo tantum beneficio sibi exilium repensum, in quam calamitatem compulsus esset, ut capitales illius uitaret insidias. Inde Carolo demõstrat fieri posse ut Veneti, modico negotio, uel inuiti, in partes trahẽtur. Astipulari illius dictis Fortunatus antistes, quem aliquãto prius diximus in Galliam profectũ. Redijt nec multo pòst in gratiã Obelerius cum fratre, ut scribunt quidam, à qua opinione nõ omnino abhorreo, quia non desunt qui scribant haud multo pòst desperatis rebus, ambos ad Pipinum trãsiuisse. Cęterum priusquam Veneti bello petiti sint, iterum Delmatarũ causa iactata est Venetijs, nihilo meliore quàm antea euẽtu. Tum uero Pipinus, quasi per Venetos stetisset, quo minus res ad exitum perduceretur, uersa à Delmatis in Venetos ira, bellum aperte meditari. Hæc ille bello prætexere: sed maior odij causa inde orta uideri potest quod Nicephori classis pecunijs & suppleméto à Venetis adiuta diceretur. Igitur primum omnium Pipinus ualidam circa Rauennam cõstituit classem, quæ omnem maris oram Venetis redderet infestam, atq; ita cõmeatibus exclusi breui ad deditionẽ compellerẽtur. Veneti ubi bellum maturari uidẽt, omnium opinione celerius, uelocissimis nũtijs alijs super alios missis, Nicephori classem auxilio accersunt, præsidia opportunis locis disponunt, ut hostem procul distineant in amicę classis aduentum, portus maioribus nauigijs occupant à continẽti fluuiorũ ostijs minores naues obijciũt. Forliuiensis Blõdus Gothifredum secutus bis ait Venetos à Pipino bello petitos, ac priore bello Heracleam excisam. Alij semel cum Pipino bellatũ scribũt, atq; ita res digerũt, ut Pipinus Venetos fines hostiliter ingressus, Brũdulum ui ceperit. Turris ualide defensa est, inde Clodia dedita, mox Palæstina ad Bacchilionis ostium, nũc Pelestrina corrupta uoce est. Cesit & Albiola Gallorum armis à Medoaco patenti prælatoq; canali discreta. Medoaci est nonnihil dubitatum, esset ne deditio faciunda, cæterum Particiaco autore, cuius suprà facta est mentio, in Riuumaltum concessum est. Monstrabat ille potuisse littus terrestribus copijs peruium facile occupari, at insulas quæ undique essent stagno circunfluæ, non posse, fore ut Galli breui experirentur aliud esse medijs fluctibus quàm terris bellare. Aucturam præterea Venetas opes Nicephori classem quæ appropinquare diceretur, omnia meliora Venetis futura circa insulas, hostibus deteriora. Imbellis multitudo primum transmissa est, cum omnibus fortunis, Clerus inde cum tota sacrorũ cæremonia, mox cętera multitudo præter paucos, qui in patrijs laribus incertæ rei euentum expectare maluerunt, in Riuumaltum transmisit. Fuerũt qui scriberent Valẽtinianum per id tempus ducem fuisse Beati & Obelerij fratrẽ, cuius ductu sit ex Medoaco migratum. Alij suppresso omni de Valentiniano sermone, cõfestim à Gallico tumultu Particiacum principem aiunt in Riuoalto creatum. Pipinus ubi mutatam uidit belli rationẽ, aliquandiu anceps deliberabũdus stetit, bellum ne exequeretur an retrò integro adhuc bello abiret: nã omnium opinione longior oppugnatio ostendebatur, quum insulanis à mari inhiberi non posset commeatus ob multa & uaria fluuiorum ostia, quæ nisi soluta classe insideri non poterant, & à terris per flumina quæ stagno infunduntur, liber erat omnium rerum inuectus. Cæterum primoribus Gallorũ ad persequendum hostem hortantibus iubet naues eodem accersi. Verum priusquam extrema uis intenderetur, caduceatorem in Riuumaltum misit qui ab insulanis quæreret, uellẽt ne deditionem facere dũ ueniæ adhuc supereſſet locus, an ui capti omnia ex-

trema experiri. Missi sunt retrò legati qui de pace agerent si equis daretur conditionibus, etsi nulli dubium erat de pace non conuenturum, malebant tamen per hæc rem trahi in amicæ classis aduentum. Legati ad regis conspectum cõstituti suppliciter ueniam simul & pacem orant. Tum Pipinus superbo truciq; uultu eos intuitus. Ad pacẽne, inquit, an ad deditionem uenistis? quum ad pacem illi respondissent, & quæ omnino æqua uideretur, Deditionem facturi huc ait Pipinus accersiti estis, non de pace acturi. Ite & hæc domum renũtiate, fore ut breui omne Venetum nomen meritissimas det suæ superbię pœnas, à quo toties nostra læsa est clemẽtia. Et cum his ille legatos dimittit, ac nauale prælium quàm maxima ui potest, parari iubet. Legationis huius pauci admodum Venetarum rerum scriptores meminerunt. Sed dum Pipinus se nouo prelio comparat, insulani quibus ab initio decretũ erat non nisi per stragem & iacentia corpora aditum Gallo relinquere, ubi planè constitit consilium cepisse hostem de bello in insulas transferendo, Tribunorum edicto, omnes qui per ætatem nauale prelium obire poterant, ex proximis insulis in Riuumaltum coiuere. Defertur summa belli Victori Heracliano, uiro in Venetis ferocia animi, maritimarumq; rerum sciẽtia, ut tum res erant, longe principi. Is ubi classis in procinctu stetit, ultimumq; instabat certamen, parabantur enim omnia in crastinum, ita suos pro concione hortatus est. Si quis unquam populus de summa rei dimicaturus, potuit aut debuit felicem sibi pugnę exitum proponere, nisi me publicę causę amor decipit, nos uiri Veneti iure & possumus & debemus, quippe qui non minus piam quàm iustam fouemus causam, ne fœdus sanctissime ictũ uioletur pugnamus: ne publica libertas in qua patria hæc nata est, & coaluit, nobis eripiatur, ferrum tenemus, non lacessentes, iniurij sumus cuiquã, sed iniuriã propulsamus lacessiti, quod si fides, si pietas cœlo grata est, nulli dubium esse debet quin præsens uolensq; sit nobis deus in pugna affuturus, cuius præsidio & fauore fretus, non modo nõ Pipinum timebo, non Gallos, qui Pipino militant, sed cum toto orbe terrarum cõfligere nõ recusem. Amat dicet aliquis, iustos deus, sed fortes mauult uincere. Ego uiri fortes non quia melior nostra sit causa quàm hostium, ob id solum uictoriam mihi propono, sed quia optima causa optime sit à nobis defendenda, nam ut illud omittã, quod si terrestris etiam dimicatio nobis subeunda esset, quia pro patria dimicamus, pro templis, pro liberis, pro libertate ipsa qua nihil est mortalibus charius, eo consilio standũ esset in acie, ut uinceremus, aut uictoriã q̃ maximè cruentam relinqueremus hostibus, sed multo optatissimũ dimicationis genus nobis proponitur, & quo nullum potuerit aut gratius aut tutius contingere. Nauibus pugnã quæ instat decreturi sum⁹ uiri fortissimi, ubi omnia nobis aderunt multo quàm hostibus meliora, rei naualis scientia, nauium agilitas, locorum peritia, angusto uado soq; est loco confligendum. Contrà Gallis omnia aduersa, naualis pugnæ insolentia, nauium tarditas, & ad circumactum minime habilium, uadorũ insciti a, ut nulli dubium sit quin ad primum nauiũ concursum hostes titũbare incipiant, ac sua sponte turbari. Etenim quid futurũ putatis ubi Gallis terre stribus prælijs assuetis, non qua uelint, sed qua uehẽtur, conferenda erit manus? quid quũ uiolenter impulsa fuerit nauis, aut in arcto circumagenda, aut si qua uis alia transuersam in hanc aut illam egerit partem, quanta tum corporum inconstantia, quanta titubatio illis oriatur necesse est: quàm noua omnia, quàm terribilia insuetis hominibus uidebũtur? quũ hæc animo considero in tam certam spem uictoriæ adducor, ut nihil magis uerear quàm ne hostis suæ temeritatis admonitus, mutato consilio hoc genere

Atrox Pipini responsum.

Venetorum apparatus.

Oratio Victoris.

pugnæ abſtineat. Sed cur ne faciat, uereor quod haud dubie facturi ſunt? Superbia & cæca prędandi libido Gallos per æqua & iniqua agit, qui non contenti dimidium imperij occupaſſe, iam ut quoquo modo totum occupent, meditantur, & nunc Caroli & Pipini nominibus inflati, expectabant, credo, ut à nobis hoſpitaliter inuitati, nõ ut hoſpites, ſed ut bello captos immaniter uexarent, aurum & argentum adimerent, mulierum pudicitiæ ad libitum inſultarent, in noſtra corpora uelut in uiliſsima mancipia fæuirent. Sed ſi fortes eſtis, & qui in tanto libertatis & fortunarum diſcrimine eſſe debetis, breui, ut ſpero, intelligent, in uirtute animorum & uiribus corporum non in uanis regum nominibus victoriã cõſiſtere. Quid quod piſcatores nos uocant & nautas, obliti, ſcilicet, ubi locorum res gerenda ſit. Sed uocent, dum hoc quod inſtat certamine experiantur quantum nos rudibus & inexpertis nautica uirtute præſtemus. Et quia nobis piſcatum cauillabũdi exprobrant, ite uiri fortiſsimi & Gallos toto ſtagno diſiectos capite, captos medijs fluctibus mergite, idẽtidem percontantes Adriaci ne maris aquę ſalſiores ſint an Oceani Británici. Sed quid? non pudet uiros leuiſsimos cũ piſcatoribus bellare? aut ſi non pudet, non turpe & inhumanum ducũt contra eos induere arma quorum auxilijs niſi aliquando freti eſſent nunquam Longobardico bello ex ſententia defungerentur? At uiolare fœdera uoluimus, nec per nouum fœdus libertatem noſtram proditum iri. Hæc ſunt ob quæ Pipinus nobis bellum intulit, hęc quæ ſe Veneti nominis excidio ulturũ pollicetur, quæ ſi alius non feciſſet bello uindicanda eſſent. Sed uos uiri fortes ſpernite uanas hoſtium minas, ac quãdo cauſa, arte, loco, nauibus hoſtem præſtatis, conſtantia animi & uirtute præſtate. Dimicabimus de patria, de libertate, imò de uita omnium. Spectabunt parentes, liberi, coniuges cum lachrymis: intuebuntur ueſtras dextras, laudabunt ſtrenua facta, uotis, nutu, & fauore hortabuntur. Aut igitur in ea pugna uincendum eſt, aut fortiter cadendũ, utraq; ſors ingens, hæc optabilis, illa non recuſanda, ſi neceſsitas cogat. Ite, inquam, atq; una pugna eaq;, ut ſpero, felicisſima, date inſigne documẽtũ poſteris, ut aut in libera ciuitate liberi uiuere uelint, aut ſi caſura ſit patria, caſura libertas, cũ patria & libertate malint cadere, q̃ ſeruituté ſeruire, uel qa nihil ſit illa homini ingenuo turpius, uel quia nihil intolerabilius. Et Victor dux claſsis huiuſmodi eſt oratione uſus, aut certe nõ multũ diſsimili, nã in tãta uetuſtate quis ſingula queat ponere uerba, quum ne uetеribus quidem Venetarum rerum ſcriptoribus talia conſectari fuerit curæ. Accenſa, quod ſatis conſtat, eſt per hęc multitudo, alacriq; uoce teſtata non defuturã ſe ſuo duci, iret, ac ſimul experiretur, quantum plus animorũ ſupereſſet Venetis, in ſua libertate tuenda quàm in re aliena ſolicitanda. Edicitur omnibus ut ſe in craſtinum parẽt. Pipinus poſtridie cum claſſe in pugnã proceſsit. Veneti ex aduerſo ipſi quoq; dimicaturi prodeũt, leuioraq; nauigia in prima acie locant, quibus imperatum erat, ut laceſſendo hoſtem locorum ignarum traherent in breuia. Pipinus intuitus denſisimum cymbarum agmen nonnihil inhibuit remos, inde contempta illarum paruitate, ſublato clamore Galli pugnã capeſſunt. Cymbarij uti iuſsi fuerant ſequentem hoſtem in arctum trahunt, hic ubi nadis Gallicæ naues implicari cœptæ ſunt, tum Veneti leuioribus nauigijs uſi, gnariq; locorum hoſtẽ circũſiſtunt, funda, arcu, ſcorpionibus inceſſunt, telorumq; multitudine operiunt. Inferuntur nihilo ſecius maiores Gallorum naues, magis obeũdi prælij cupidæ, quàm loci, in quo res gerebant, memores. Cæterum procedente pugna ſenſim aquæ ſubtrahũtur æſtu, inde uadatim carinæ nauium hæſitantes timeri deſierũt, nam nihil iam obſcure in circumactu laborabãt. Tum Venetæ claſsis præfectus, ecce, inquit, uiri fortes uictoriam quam pollicitus eram, in manibus habetis ſi paululum adnitamini. Ite & Gallum ſua ſponte turbatum, locorum & nauium opportunitate freti, eminus cominuſq; laceſsite, habetis hoſtẽ harum artium ignarũ & uix in ueſtigio cõſiſtentem. Tum redintegrato clamore omnifariam nauibus uſi, qua cuiq; proximum fuit hoſtem inuadunt, nec telis ſolum res geritur, ſed harpagonibus iniectis ollas picis & calcis Venetus in hoſtium tabulata effundit, ad quem iactum tanta eſt lubricitas ſecuta, ut præterquam quod Gallus aquarum inſolentia & nauium iactatione titubare cœperat, ueſtigio conſiſtere non poſſet. Tum uero nauium alię cæſis aut afflictis propugnatoribus in uada obtrudun tur, aliæ altioribus merguntur fluctibus. Ingens uis hominum partim ferro, partim aquis abſumpta eſt. Claſsis fœdè diſiecta. Veneti annales, & ex ijs multi qui de urbis origine ſcripſerunt, Gallum aiunt, rate dolijs ſuperſtructa, in pugnam delatum, quibus nihil grauatè accedo, ut Gallus qui robore militum præſtabat, eratq; terreſtri pugnæ nõ nauali aſſuetus, ex rate præſertim in ſtagno, ubi uis uentorum non ut in mari erat maiorem in modum timenda, dimicare maluerit, unde ſtatariam cieret pugnam, nam quod imperitia locorum factum uideri uolunt quidam, ut tam iniquo loco grandioribus Galli uſi ſint nauibus, à fide abhorret, quaſi uero fieri potuerit ut ex captiuis, aut dedititijs, non facile hoſtes diſcere potuerint, ubi loci & cum quibus res gerenda eſſet. Qui auté ſtabilioris ſunt pugnę autores, partim humana ui, partim uentis qui ſub id tempus uehemẽtius flauerint ſoluta multifariam rate, cum Gallis actum debellatum. Sed ut libenter huiuſmodi pugnæ autoribus aſtipulor, ita ab illorum opinione abhorreo, qui põtem ad tria milia paſſuum aquis ſtratum memorant, ut equites dimicarent, quod credere deliri ſit & dementis animi, etſi in Riuoaltina porticu uetuſti operis fuit tabula, in qua equites fuiſſe dicũtur ex ponte dimicantes. Verum quoquo modo res geſta eſt, memorabilis eo die uictoria de Gallis, qđ inter omnes conuenit, eſt quæſita. Pipinus pugna una nauali male habitus, quum conſilij anceps adhuc ex ſua ſtatione Venetis immineret, ecce repẽte nuntiatur Paulus Ceſpheranus cum Nicephori claſſe, Delmatię oram legere. Blondus Ceſſerani cognomen Paulo reddidit, à quo Ciuranorum ſit familia. Veneti recenti ſucceſſu ferociores facti, aliquot naues mittunt illi obuiã. Tum uero Pipini claſsis, quæ circa Hiſtriã idcirco in ſtatione erat, ut Ceſpherano occurreret, audito Venetorum acceſſu, uerita ne in medio opprimeretur, ſublatis armamentis in altum ſeſe proripuit, trepideq; ſe Rauennam recepit. Turbatus rex recenti ſuorum ignominia retrò abijt bello adhuc integro: Venetoq; nomini iratus Albiolã, Peleſtrinam, & Foſſam Clodiam excidit, iuxtà ſacra loca prophanaq; direpta & incenſa, & cum his auguſtiſsimum Brundulani Michaëlis phanum donarijs ſpoliatum, iratus hoſtis ſolo æquauit. Et bellũ quod Pipinus tam minaciter Venetis intulit hunc exitũ habuit. Sunt qui ſcribant ſub Pipini diſceſſum reno uatum eſſe fœdus inter utranq; claſſem, & Pipinum cum Venetis in gratiam redijſſe, tamẽ in eo fœdere poſitum ut Veneti pace belloq; in Conſtantinopolitani imperij partibus eſſe cenſerentur. Fuit ille annus conditæ urbis trecenteſimus ac ferè quinquageſimus, eſtq; eodem anno atq; ob eundem caſum ducaria ſedes ex Meſamauco in Riuumaltum trãſlata. Blondus, quod alio loco teſtatus ſum, Heracleam & Equilium oppida credidit à Pipino euerſa, un de multo maxima pars Venetæ nobilitatis in Riuumaltum defluxerit. Fuerũt & ex Venetis ſcriptoribus, qui idem traderent, ut in eius gentis rebus teſtatus ſum, quæ ſi uera ſunt, bis Venetos bello petitos

Peroratio.

Attẽde pugnæ genus.

Vincuntur Galli.

Gallorum cædes.

Historia decepti.

tos fateamur neceſſe eſt, id uſq; adeo eſt Blõdo perſuaſum, ut inter priorem Pipini expeditionẽ & hãc Riuumaltinam, proſpere in Boëmos bellatum dicat à Carolo, qui & ipſe fuit Magni Caroli filius, ſed ex cõcubina natus. Interfecit eo bello Carolus Leonem Boëmorum ducem, omnemq; eorum terram quatenus colitur fœde populatus eſt. Illatum inde Sclauis bellum, qui ad Albiam flumen incolunt, repetitiq; ſunt armis Boëmi nihilo quàm antea pacatiores. Vtrunq; bellum Carolus iuuenis ex ſententia confecit, quo tempore Pipinus Mauros ex Corſica depulit, qui eam inſulam atrociter affligebant. Ademarus Genuæ Comes claſſe ad id bellum miſſus, is magis ferociter in Mauros q̃ caute dimicans mortẽ occubuit. Tenuerunt nihilominus Galli propoſitũ, Mauris cum multa cæde tota inſula deiectis. Et Carolus ſenior per idem tempus Nauarros & Pampilonenſes Hiſpanos, qui à Chriſti fide defecerant, per legatos ad ueræ pietatis cultum retraxit. Nec Mauri qui in Hiſpania erant multum quieuere, ſed opulẽta claſſe Sardiniam & Corſicam adorti, utranq; ſibi inſulam conantur adiungere. Inſtruxit Carolus in Mauros claſſem, Buccharediq; comitis ductu circa Sardiniam hoſtes prælio uicti, ad quinq; milia homiñ amiſere, mox ex Cyrno fugati parte claſsis exuntẽ. Sed dum hæc alibi gerebantur, tum noua orta eſt diſcordia inter duo imperia, ex qua ortũ eſt bellum Venetis, de quo prolixius fortaſſe nuper diximus quàm inſtituta operis breuitas pateretur. Sed ita facto opus fuit, ut locus in tota Venetarum rerũ ſerie maxime perplexus, foret cognoſcere uolentibus facilior. Sed dum in Venetis eo modo quo dixi mus bellatũ eſt, Saraceni qui in Hiſpania erant, Chriſtianorum diſsidium in ſuum commodum uertentes, Sardiniam unde non multo prius fuerant repulſi cum inſigni cæde ſuorum ex improuiſo inuadũt, indeq; ſubito auerſi Corſicam petunt, Aleriaq; urbe direpta, præter illius antiſtitem & ſenes admodum paucos, cęteram multitudinem captiuam inde auehunt. Et in Gallia haud multo pòſt magna eſt belli moles orta, ſed breui terror ille diſcuſſus. Gothifredus Dauorum rex Friſones qui Caroli imperio parebant, ſubito bello aggreſſus, prælio ſuperat, uictos armis ad annuum tributum ſibi pendendum compellit. Nec Carolus eam tulit iniuriam, Rhenũ traijcit, ut copiæ ſibi ad Viſare & Allare confluẽtem adſint edicit. Cæterum dum Gallus hic habet caſtra, expectatq; hoſtem minarum plenum, recentiq; uictoria exultantem, nuntius ex inſperato affertur Gothifredum domeſtica fraude interfectum, fuitq; lętitia illa ſublati hoſtis Carolo & alijs breuis, Pipini filij interitu ſub idem tempus nuntiato. Obijt ille diem Mediolani eodem anno quo cum Venetis parũ feliciter bellauit. Carolus Dacico tumultu extincto, Aquiſgranum reuertitur, quo haud multo pòſt à Nicephoro imperatore affuerunt legati, & ab Ambulacho Saracenorũ rege in Hiſpania, & Emingo Dacorũ, qui & Daui dicti ſunt rege. Succeſſerat in Gothifredi patrui ſui locum Emingus: omnibus data pax eſt, cuius impetrandæ cauſa ad Carolũ miſſi fuerant, quæ ut ſanctior cum Nicephoro eſſet, miſit Carolus quatuor ad eum oratores, in quibus fuiſſe traditur Obelerius, olim Venetorũ dux, tũc exul patria. Struxit inde Carolus claſſẽ in Oceano aduerſus Britannos, proceſsitq; Bononiam uſq; urbẽ maritimam, ubi claſſem ad bellum paratam inſpexit & probauit. Reuerſo dein Aquiſgranum Sclauorum Polonum & Boëmorũ legati, cum ampliſsimis muneribus præſtò affuerunt. Horum poſtulata fuere ut pax ſibi cum Gallis incolumis maneret. Id quũ perhumanè Carolus dediſſet, ne non ſemper eſſet aliquid quapropter res lætæ triſtibus miſcerentur, ecce nõ minus triſti nuntio affertur Carolum alterum filium præſtanti indole iuuenem qui cum exercitu Germaniæ limen obtinebat, immatura morte conſumptum. Et in Gallia per hunc modum res alternabant, quum diuerſa terrarum parte Nicephorus aliquoties proſpere in Bulgaros dimicauit, cũ qua gente graue bellum contraxerat, de Thraciæ credo finibus de quibus ſæpe fuerat cum ea gente armis diſceptatum. Pugnatũ erat cum his ſæpius ſecundo marte à Nicephoro, ad poſtremum congreſſus acie cum Chremo Bulgarorũ rege in ſuperiore Myſia uictus prælio occubuit. Incidit illa pugna in id tẽpus quo legati à Carolo, ut ſupra eſt demonſtratum, Conſtãtinopolim uenere. Stauratius Nicephori filius qui ex acie ſaucius exceſsit, Byzantium reuerſus, imperio potitus eſt. Fuitq; ad breue uoti cõpos. Michaël eius ſororius tertio menſe quàm iuuenis imperare cœperat, faſtigio deturbat, principatum inuadit, cũ legatis qui ex Gallia uenerant fœdus renouat, conditiones fœderis fuiſſe dicunt, ut Michaël oriẽtem cum Byzantio obtineret. Carolus occidentem cum Ro. Paulus diaconus abijcit Hiſpaniarum partem Conſtantinopolitano imperio redditam, & ut Veneti in orientalis imperij partibus eſſent, uteréturq; tota Itialia immunitatibus à Carolo conceſsis. Teſtatur id præter Venetos annales, Gothifredus Vetulonenſis. Inuaſit ſub id tempus duplex Saracenorum claſsis inſulas inferi maris, quarum altera circa Sardiniam deleta eſt, reliqua fugienti ſimilis domũ eſt reuerſa. Ea res fecit ut Ambulachus cum Carolo pacem inſtauraverit. Carolus breui tẽpore duobus orbatus filijs ut Lodouico qui unicus uirilis ſtirpis ſupererat, gradum faceret ad imperium, celebri totius Galliæ conuentu cõfortem declarauit imperij, Bernardum Pipini filium Italiæ regem. Sub id tempus Saraceni ex Aphrica Ambulachi pacem aſperna ti, Corſicam inuaſere, hos præda onuſtos alto mari adeptus Ermengarius qui pro Italiæ rege maiorem ex Balearibus præſidio obtinebat primo cõgreſſu fudit, atq; aliquot nauibꝰ ex ea claſſe interceptis quingenti Chriſtianæ nominis uiri ſeruati ſunt, qui ex inſula captiui aduehebantur. Nec ob eam cladem Saraceni quieuere, quin claſſe circumacti Italiam decreto petunt. Centumcellas in Hetruriæ ora ex improuiſo occupant, captam urbem diripiunt, ferroq; & igni uaſtant. Narbonenſem inde oram populati Sardiniam inuadunt, prædęq; & populationis omnia complent. In hos licentioſius palantes Ermẽgarius cum inſulanorum manu repente fecit impetũ, fuſosq; cum multa cæde ad mare agit. Hic dum naues tumultuoſe aſcendunt, ad hoſtium ſatietatẽ cædunt, atq; ita grauiter affecti, magnaq; claſsis parte amiſſa, in Aphricam traiecere. Quieuerũt inde ali quandiu res occidui imperij, Saracenis nihil mouẽtibus. Interea Michaël imperator Bulgarico bello inſtaurato, quum ipſe quoq; ut Nicephorus aliquãdiu proſpere bellaſſet, ab ſucceſſu, ut fit, ferocior factus, ac minus cautus ad Hadrianopolim uictus, fugatusq; exercitum amiſit. Cæterum adeò martius il le animus ad unam aduerſam pugnam concidit, ut Byzantium reuerſus confeſtim ſe imperio abdicauerit, dubium quia uereretur ne ob rem male geſtã populus in ſe impetum faceret, an quod præſenti fortunæ iratus priuatã maluerit uitam agere, quàm cum dedecore imperare. Erat Pardi uiri patritij Leo filius uir impiger, is magno militum omniumq; ordinum conſenſu Michaëlis loco imperator creatur. Chremus Bulgariæ rex præſenti uictoria fortiter uſus, Conſtantinopolim duxit uictorem exercitum, caſtra in conſpectu urbis locat. Leo facta in hoſtem eruptione, audaces Bulgarorum fregit conatus, regem ſibi congreſſum interficit. Parta eſt una proſpera pugna Leoni, & eius imperio quies, quaſem nuper occiduo quæſitam diximus, Saracenorum opibus in Sardinia acciſis. Sed id otium breuius fecere fata Ro. imperio infeſta, Carolo in quo pacis & otij

Petricium bellum.

Bellum cum Danis.

Pipini interitus.

Gallica defiſtigia.

Daci qui & Dani.

Noui Caroli conatus.

Nicephori interitus.

Attende fœderis formulam.

Lodouicus cõſors à Carolo declaratur.

Saracenorum cædes.

Michael imperio ſe abdicat.

Carolus rex moritur.

Saracenorum diſsidium.

Amirrhantes.

Dacicum bellum.

Bernardi regis reditus in Italiam.

Sardorum que relæ.

Stephanus IIII. pont.

Paſcalis pont.

Attendendum ratorium teſtatem.

Lotharius ſors ſit imperij.

ſumma, omnisq; tutela gentium ſita erat, fatali mor te cõſumpto. Perijt anno uitæ lxxj. quidam annum unum huic numero adijciunt. Aquiſgrani ſitus eſt, ubi hæc ſunt. Caroli Magni Chriſtianiſsimi Romanorum imperatoris corpus hoc conditum eſt ſepulchro. Ipſe ut cœlitum unus ab indigenis locorum religioſe colitur. Fuit idé annus humanę ſalutis quintuſdecimus ſupra octingenteſimum. Sed Caroli interitus eo calamitoſior fuit quo Saracenorum gens ſub id tempus multo maius quàm ullo unquàm tẽpore paſſa eſt diſsidium, quapropter facilius deleri potuiſſet, ſi longior illi uita contigiſſet. Enimuero Mabar magus Amirrhas cum Haldale fratre hoſtiliter congreſſus, ubi ſuarum partium fortuna aperte cœpit inclinari, in id fœdus cõceſsit, ut ambo æquo iure pariq; titulo imperitarent, ſicq; factũ ut pro uno qui ad id tempus fuerat, duo cœperint Amirrhãtes eſſe in Saracenorum gente. Ea res adeò inſolens uiſa eſt primoribus gentis, ut quatuor ſibi tyrannos uno tempore crearint, quorum unus Aphricam & Ægyptum eſt fortitus, duo inter ſe Hiſpanias diuiſere, qui reliquus fuit Palæſtinam cepit cum Syriæ finibus. Lodouicus Caroli filius imperij & rerum tantarũ ſucceſſor, ex Aquitania, ubi tum forte erat quũ Carolus uita deceſsit, Aquiſgranum reuerſus, primum omnium audiuit diuerſarum gẽtium legatos, cum his nouam pacem ſanxit, cum alijs ueterem inſtauravit. Erant Lodouico filij duo adoleſcentes Lotharius & Pipinus, quorum hunc Aquitanis moderatorem dedit, illum Bauaris, & cum Grimoaldo duce Beneuentano pacem renouauit. Fuerit ne hic Grimoaldus ille quem Pipinus principatu deturbauit, & in deditionem recepit, an alius non auſim affirmare: certũ qui ab eo uictus eſt, paucis diebus quibus per deditionem uenerat in Gallorum poteſtatem uita deceſsit, ut quidam ſcribunt, & nos loco non multum diuerſo ſignificauimus. Inde Dacis bellum intulit, ad quod gerẽdum Bernardum Italiæ regẽ ſibi ſocium aſciuit. Suſcepti belli cauſa fuit, quod Eroldus & Ranfredus eius gentis reges, qui Ro. parebãt imperio, à Gothifredi filijs regno pulſi, cum Lodouico multis precibus egerant, ut ſe in paternum reſtitueret regnum, obſtitit gerendę rei hyemis interuentus, nam Gothifredi filij cum ducentis onerarijs nauibus maritimum gerebant bellum, eratq; id mare bruma concretum: ſubſedit ob eam rem Lodouicus medio fere itinere ad Parbrumũ Saxonię, ubi cum exercitu hyemare cõſtituit. Huc medijs hybernis ex Italia affertur primores Romanorum in Leonis exitium coniuraſſe, datamq; ab eo operá ut ſceleris comperti extremo ſupplicio afficerentur. Cõmotus eo nuntio Lodouicus cõfeſtim Bernardum Pipini fratris ſui filium à ſe dimiſit, ne eius abſentia Italię ſtatus in nouum aliquod belli diſcrimen relaberetur. Reuerſus ille Romam in grauẽ incidit morbum, compoſuit tamen ſtatum ciuitatis per Gerardum comitem. Affuerunt illi confeſtim in Italiã reuerſo Calaritanorum legati ex Sardinia, querentes pacem tertio antè anno cum Ambulacho Saraceno rum rege conſtitutam eſſe ſibi & uniuerſæ inſulę calamitoſam: præſertim Ambulacho defuncto, quo in humanis agente pax ſatis fida fuiſſet. Cæterum eo ſublato omnia mutata, nullum ſuis rebus laxamentum dari à Saracenorum latrocinio, nec illos unquã ab iniuria ceſſaturos, niſi armis ut ſæpe antea arceretur. Rex Sardorum querelis permotus, iuſsit bellũ Saracenis indici, etſi res Italiæ adhuc fluctuabãt. Enimuero Romani qui Leonem pontificem infenſe oderant, quia Bleræ hic ægrotare cœperat, eius abſentiam nacti omnia eius opera quæ aut ab imo inſtruxerat, aut inſigniter inſtaurarat, tá Romæ quàm foris in eius inuidiam demoliti ſunt. Platina Paulinæ baſilicæ tectum Hoſtienſi uia quod graui motu terrę corruerat, à Leone ait reſtitutum, & Xenodochiũ ad Barionę ædẽ in Vaticano ab imo extructũ. Cætera eius opera aut ignorauit aut conſulto ſuppreſsit, ut parũ inſignia. Nec Leo multũ inde ſuperſtes fuit, uí morbi conſumptus humanis deceſsit, anno ſui põtificatus xxj. Stephanus eius nominis quartus illi ſurrogatus eſt, uir Romanꝰ, qui à ſua creatione breui pòſt in Galliã ad Lodouicũ imperatorẽ eſt profectus. Sunt qui negẽt ſe ſcire cauſam profectionis huius, at mihi non parua illi fuiſſe uidetur, ſi uera ſunt quę Blondus prodidit, quod Lodouicum in Aurelianis repertũ põtifex diademate cinxerit. Sed Lodouicus non uno per id tẽpus eſt motu agitatus: nam & Vaſcones ab eo defecere, genus hominũ ferox, & Salanius Abderitarũ regulus gentis Germanici Oceani accolæ, ab imperio ad Gothifredi filios defecit. Vaſconicus tumultus breui compreſſus eſt, ac gẽs uniuerſa ad imperium retracta, finitimorum Gallorum opera. Maius fuit negotiũ Lodouico in tuendis Dacorũ regibus. Reſtitutus eſt & Eroldus in paternum Daciæ regnũ, ſed utrunq; bellũ alieno eſt ductu confectũ. Britones qui & ipſi per id tẽpus res nouas moliti ſunt, nouũ ſibi regẽ creare auſi. Lodouicus ſuo ductu uicit, uictos ad obſequium retraxit. Murmanius qui regis nomẽ inuaſerat, in prælio captus, ultimo eſt ſupplicio affectus. Fuit inter hos motus Stephanus põtifex apud Lodouicũ adeò iucunde, ut neuter ſine altero niſi raro conuiuatus ſit: & mox Romam abiturus precario tenuit, ut ſceleris in Leonem conuicti, qui fuerát à Carolo in Galliam relegati, ſecum Romã dimitteretur. Donatus eſt & aurea cruce magni ponderis, quæ in Barionæ templo dedicaretur. Nec ita multo pòſt Stephanus Romá reuerſus uita deceſsit, nõdum anno ab eius creatione circumacto. Paſcalis põtifex ſecutus eſt, cenſimus in ordine, hic quoq; Quiritij ſanguinis. Cæterũ quia Lodouicus non fuerat adeptæ dignitatis ab initio autor factus, miſit Paſcalis in Galliã qui illi ſatisfacerent, reijcerentq; eam culpam in cleri & Populi Ro. ſtudia, qui ſe inuitum capeſſere dignitatem coẽgiſſent, priuſquam imperator eſſet autor factus. Accepit ſatisfactionẽ Lodouicus, uerũ monuit clerum & populũ conducere Romanorũ rebus, ut priſtino inſtituto ſtaretur, darentq; publicè operam ne amplius ſimili exemplo imperatoria læderetur maieſtas. Frequentiſsimo inde Galliarũ conuẽtu Aquiſgrani Lotharium maximũ natu filiorum, imperij conſortem declarauit. Pipinum & Lodouicum miñimũ natu reges appellauit: hunc Bauarię, Aquitanię illũ. Sed paulo longius Gallicarũ rerũ ſtudio excurrit hiſtoria. Res Venetæ ad ſe ſtilũ reuocãt. Enimuero Veneti Gallico bello defuncti, ubi quũ ſæpe aliàs, tum proximo periculo perſpicue apparuiſſent, ex his locis quę circa mare priſci Veneti tuendæ libertatis cauſa ab initio occupaſſent, multo tutiora eſſe quę medio ſtagno ſederent, quàm quæ littoribus aut quæ continenti terra proiecta eſſent. Gradus ſæpe capta direptaq;, Heraclea exciſa, nuper quum alia ad mare expoſita, tum Metamaucũ hoſtibus eſſe prædę relictum. Fremere itaq; pro ſe quiſq;, conducere publicę dignitati, conducere omnium ſaluti, ut ibi ducaria ſedes eſſet, ubi minus externis terroribus foret obnoxia, ubi ab omni iniuria tutior, & ob id magis ſtabilis diutiusq́ manſura, cenſere proinde Riuumaltum, ubi extremis rebus tuta fuiſſet publica maieſtas inſigniri debere, in quo futuris ducibus ſedes ſtabiliretur, conſentire in hoc multitudo, & iam tribuni relaturi erant de nouo principe creando: nam Obelerius & frater, tanquã maieſtatis rei pro dánatis haberi, qui ſua ſponte ad Gallũ profugiſſent. Fuerũt (quod miror à quibuſdá prętermiſſum) qui prorogarẽt Valẽtiniũ Obelerij & Beati fratrẽ reipub. prę-
fateri

Angelus Particiacus dux.

Particiaci opera.

Iuſtinianus dux Venetus.

Diui Marci corpus Venetias deſertur.

Vetus diui Marci conditorium.

Attende publicum exemplũ.

fateri oportet, ſed ducis uice functum, aut per id tẽpus extinctum, quo cum Gallis eſt dimicatum. Sed utcunq; res haberi, Obelerij, quod ſatis conſtat, propinqui: nam multæ alioqui erant illi & fratri neceſsitudines, diu multumq; conati ſunt per populũ imperrare, ut ille & frater in priſtinam dignitatẽ reſtituerentur. Cæterum quum Obelerij nomen ob inſolens regimen, & quia Gallici ſanguinis duxiſſet uxorem, maiore flagraret inuidia, q̃ ut reditus imperrari poſſet, eò decurſum eſt, ut Beatus reſtitueret, cuius fama multo erat popularior. Verum quia ſatis apparebat fore, ut ſi is reſtitutus eſſet, breui reditum conficeret & fratri, id quoq; teneri non potuit. Tentauit Obelerius abſens Caroli commendatione per Nicephorum reſtitui, cui ob recens meritum (nam Veneti eius claſſe fuerát Gallico bello adiuti) nihil ciuitas uidebatur negatura, eſtq; legati nomine, ut ſuprà fuit memoratum, ex Gallia Byzantium miſſus. Sed ne quid apud Nicephorũ gratificari poſſet Caroli commendatione, tenuerũt homines aduerſæ factionis, ut publicè Byzantium mitteretur, qui omnibus Obelerij conatibus iret obuiam. Inſtabant interim qui nouum principẽm uolebant, ut tribuni de noua ducis electione ad multitudinem referrent, eſtq; populus his uerbis rogatus, quia Obelerius & Beatus ſuperbè & iniuſtè ducatum adminiſtrarunt, & cum hoſtibus ſenſerunt, placét ne uobis uiri Veneti nouum ducem creari? Eſt inde certatum inter tribunos, Antonio Metamaucenſi Obelerij & fratris cauſam tuente, contrà oppugnante Timotheo Riualtino, cuius ſententia quia tutior uiſa eſt, publicæq; libertati conducibilior, decretum eſt ut nouus dux crearetur. Nec ita multi deinde dies interceſſere, quibus recenti decreto Obelerius Byzantium relegatus eſt, Iaderam Beatus eius frater qui minus erat inuidiæ proximus. Dux creatus est Angelus Particiacus: actum demum ducalis ſedes quæ ad id tempus fuerat uagata, multo auſpicatius quàm ab initio Heracleæ, aut deinceps Metamauci, in Riuoalto conſtituta eſt, anno humanæ ſalutis octingẽteſimonono. Dati ſunt nouo duci duo annui tribuni, qui cũ eo cauſas iudicarẽt. Fuit Particiacus homo ſolerti ingenio, & ad rempublicam adminiſtrandam in primis idoneo, nam præterquam quod Heracleam, unde originé trahebat, inſtauratit: quo contigit ut à nouo opere ciuitas ſit noua nuncupata, Popilia quoq; eo duce coli cœpta eſt, ut quidam tradunt. Et hæc foris, ut in urbe ducariam domum extruxit cum foro, ubi nunc uiſitur aureo templo accubans auguſtiore facie quàm fuit uetus illa, nec enim is fuit ab initio, ut credere par eſt, qui & hodie fori ducariæq́ue domus apparatus. Quid quod ipſa ducum ſedes quæ quintodecimo abhinc anno fortuito igni deflagrauit, multo ſumptuoſius inſtaurata eſt quàm antea uiſeretur. Cæterum quæ ſit tantę molis forma, & ex qua materia nõ grauaremur hoc loco explicare, niſi in rebꝰ Venetis, & mox in libris quos de Venetæ urbis ſitu ſcripſimus, abunde à nobis pertractata res eſſet. Fuere Particiaco filij duo, Ioannes & Iuſtinianus. Is ad Leonem imperatorem miſſus à patre, quam ob cauſam autores quos ſequimur, non tradunt, perhumanè, quod ſatis conſtat, acceptus eſt, ac uariè ornatus. Cæterum dum Iuſtinianus procul abeſt, Particiacus interim alterum ſibi filium collegam inſtituit. Iuſtinianus domum reuerſus, adeò iniquo tulit animo id factum, ut neq; officio neq; precibus hortatú ue amicorum ullo, ad conſpectum patris uenerit. Nec ſenex diu tulit optatiſsimi filij deſiderium, Ioannem abdicat, qui quum paternæ maieſtati haud ceſſurus uideretur in adminiſtratione inhibenda, populus parere coẽgit. Iuſtinianus itaq; & Angelus Iuſtiniani filius, à Particiaco duce collegæ aſciſcuntur. Ioannem qui contumelię impatiens parũ quieturus putabatur, populus Constantinopolim relegauit cum coniuge & liberis. Actus eſt Particiaco duce Riuuſaltus non tantum dũ carię ſedis maieſtate, foriq; ædificatione, ſed Leonis Conſtantinopolitani imperatoris munere, ſacrorũ etiam cæremonia. Miſit Leo publicè Venetias Zachariæ corpus cum parte ſacratiſsimæ crucis, ac dominicæ ueſtis, & alterius quæ Deiparę fuit uirginis quæ Particiacus princeps nouo intulit tẽplo, quod Zachariæ nomine ſtatuendũ curauit. Seueri & Laurentij ædes in geminis inſulis ad eundem Particiacum referunt. Eſt & Oliuolenſe phanum per idem tempus extructũ & dedicatũ, ut annales quidá habent, nec per hos ſucceſſus omnia Particiaco ſecunda fuere, nam & à primoribus ciuitatis in eum cõiuratũ eſt, ſed capitibꝰ cõiurationis ſupplicio affectis, ciuilis ille motus breui reſedit. Sub idem tẽpus, ut quidam tradunt, Vlricus Aquileienſis antiſtes circa Gradũ cum parte ſui cleri & regulis quibuſdá Carnicæ oræ captus eſt à Venetis. His Vlricus audacis cõſilij ſocijs uſus, Gradũ hoſtiliter inuaſerat. Eſt Carnorum littoralis ora ab irato Veneto populatione fœdata, & aliquot in his locis oppidula expugnata. Dimiſſus eſt Vlricus incolumis cum ſuis, ſed certa lege, ut taurũ, ſues, & triticeos panes tributi nomine mitteret quotannis Venetias, totũ id ſchema annuis ludis hodie repræſentat in Marciana area, ſub dies Carniſpriuij. Princeps cum bona parte patrum ſpectaculo præſidet. Et hęc domi foriſq; Particiaco principe, cuius adminiſtratio annos habuit duodeuiginti. Fuit inde à patris interitu dux ſolus Iuſtinianus intercepto credo immatura morte filio. Is Michaëli imperatori, cuius ſuprà mentio habita eſt, gratificaturus autor fuit Venetis, ut claſſem in Saracenos ſtruerent, qui Conſtantinopolitani res imperij, quum alibi tum circa Siciliam grauiter infeſtabant. Cæterũ ſiue hoſtis nõ fuerit repertus, ſiue inhiberi non potuerit, utrũq; enim traditur, claſsis redijt, & Sicilia multis eſt cladibus affecta: ſed in eo felicior Iuſtinianus, qui dũ rempub. teneret, diui Marci corpus ex Alexandria eſt Venetias delatũ. Bonus Metamaucenſis & Ruſticus Torcellanus Alexandrinę nauigationi aſſueti, à Stauratio ædituo, & Theodoro ſacrorũ miniſtro, ex ueteri ſacrario occulè acceptũ, & in naues translatum, Venetias detulerunt. Excepit uenerabunde ciuitas euangeliſtæ corpus, templumq; illi ſtatuit, inter uetus ducariũ, & Theodori ædẽ, quã Narſes. de Gothorũ manubijs ſtatuit. Locũ Iuſtinianus cepit, ſed Ioãnes eius frater, qui poſt illũ dux fuit, templũ erexit. Fuit uetus illud phanũ neq; amplitudine, neq; facie perſpicuũ, datus tamẽ eſt illi ab initio Primicerius & qui cũ eo ſacris operarentur. Sacratiſsimũ corpus ęnea capſa incluſum, colũna recondũt marmoreis lapidibus cõpacta. Id cõditoriũ duci dũtaxat & Primicerio eſt ab initio creditũ, tanta à principio fuit cura ciuitatis eius rei tuę dæ certiſsimo præſagio eorũ, quæ ſecuta ſunt, ut rei Venetæ ſumma in perpetua diui huius foret tutela. Habuit Iuſtiniani principatus annos circiter duos. Ioannes eius frater illi ſucceſsit, eratis Iuſtiniani rogatu ex Conſtantinopoli quò fuerat publicè relegatus, à populo reuocatus, atq; à fratre collega aſcitus. Sunt qui ſcribant eo biẽnio quo Iuſtinianus reipu. præfuit, Venetos in Michaëlis imperatoris gratiã, claſſem ualidè inſtructã, aduerſus Saracenos qui Siciliam inuaſerant, miſiſſe, adijciuntq; ſub Venetorũ acceſſum Saracenos inſula exceſsiſſe, dubium quia iam prędа expleti eſſent, an q, non ſolũ Venetã claſſem, ſed ex tota Italia auxilia adeſſe ueriti ſint. Alij Ioanne non Iuſtiniano principe eam claſſem inſtructã ferunt. Cæterũ ſiue hoc ſiue illo duce Veneti ad bellum profecti ſunt, infectare claſsis reuerſa eſt, ut paulò eſt ſuperius demonſtratum. Miror Blondum ſcribere hoſtes ad famam Venetæ claſsis confeſtim inſula exceſsiſſe, mox paulò uelut oblitus eorum

quę dixerat,non multum diuerſo loco prægrau antibus (inquit) Saracenorum opibus in Sicilia, Veneta claſsis non eſt auſa cum hoſte congredi, proinde infecta reſe domum recepit, quod niſi confeſtim ex Aphrica hoſtem reuerſum intelligat aliquis, prius dico quàm Veneti inde uela feciſſent, nouoq; apparatu eos territos, fides Blondo conſtare nullo modo poteſt: aut certe ita accipiendum,ut bis miſſa ſit claſsis, à Iuſtiniano primum, quæ Barbaros ſola fama inſula eiecerit: inde Ioanne eius fratre rempu. tenente, quæ prævalentibus Saracenorum opibus ſine prelio inde abducta ſit. Erat per id tempus quo hæc Venetijs fiebant, Paſchalis pontifex maximus, quo ſedente Bernardus Italię rex, qui ut ſuprà eſt ſignificatum, Pipini Carolo Magno geniti fuit filius, paucorum antiſtium ciuiumq; ſeditioſorum impulſu, à Lodouico cuius erat imperium, defecit. Ciuitas & populos quoſdam in ſua coëgit uerba iurare. Lodouicus ira accenſus, illico ſub ducibus mittit in Italiam exercitum ad nouos Bernardi motus oppri mendos. Sub alpibus dimicatum eſt, ſuperatusque Bernardus ac captus ad Lodouicum perducitur, au tores defectionis ſtatim à pugna necati ſunt. Rex Aquiſgrani Lodouici iuſſu capitali eſt ſupplicio affectus. Quicunq; è clero cum eo ſenſerant, frequenti antiſtitum conuentu damnati in reliquum uitæ relegantur, compreſſoq; per hæc Italiæ tumultu, uerius quàm bello, Lodouicus Saxonibus, qui ut ſæpe aliàs ab imperio defecerát, bellum intulit. Viromachum eius gentis tyrannum, Saxoniæ is regnũ affectabat, in prælium deſcendere auſum interfecit. Poſt Saxonicum bellum quod breui à tyranni interitu reſedit, miſit Lodouicus Lotharium filium, qué Bernardo ſublato Italiæ regem declaraverat, ad Paſchalem pontificem, à quo de more inunctus eſt, atque Auguſtus appellatus. Nec poſt Lotharij in Italiam acceſſum multo quietior fuit ipſius terræ ſtatus, ſed aſſiduis motibus aliis ſuper alios res eò procesſit, ut iam Roma & cæteræ urbes non paucæ numero ad defectionem ſpectarent, quibus malis ut tutius Lotharius occurreret, in Galliam conceſsit, protinus Italiã repeturus. Interea Theodorus Primicerius & Leo Nomenclator Iuminibus per ſeditionem orbati Romæ interficiuntur, eſtq; Paſchalis pontifex infamia reſperſus, tãquam noui illius motus cædisq; autor fuiſſet: quam pontifex calumniã coniectura, rationibus, ſolennię iuramento, celebri antiſtitum conſenſu diluit. Accepit Lodouicus ſatisfactionem, reſcripſit tamen pontifici, uideret ne deinceps ſeditio ex re incerta oriretur. Vrbes adhęc Hetruriæ declarauit imperij eſſe, Aretium, Volaterras, Cluſium, Fluentiam, quam Carolus pater inſtauraſſet, Piſtorium, Lucam, Piſas, cætera Hetruriæ Romanæ addixit eccleſiæ, adiecitq; nominatim, quod mirari poſsis, Perugiam, & urbem ueterem, quaſi nihil ad Hetruriam pertinerent, & Tudertum in Vmbria, totam Flaminiam citra Apenninum, cum Rauennæ Exarchatu, & ut inſigni fuit pietate, tum demum Paſchali pontifici conceſsit, & omni pontificum poſteritati, ut quem uellent epiſcopum legerent, quum ad id tempus imperator de ea re conſuleretur. Bibliothecarius prodidit id ius ab Hadriano attributum Carolo, ut à Lodouico reſtitutum id potius quàm datum pontificibus uideri poſsit. Paſchalis multa ſanctorum corpora temere ſepulta honeſtius tumulauit, nexos alieno ære ſua pecunia ſoluit. Templum Praxedis funditus euerſum ab imo reſtituit ac dedicauit. Statuit & Cæciliæ ſuum multo auguſtius, intulitq; diuæ ipſius Valeriani cui nupſit, corpora, Tyburtij & Maximi martyrum, Vrbani & Lucij pontificum. Reſtituit & Deiparæ phanũ ad præſepe, uetuſtate conſumptum. Fueruntq; hæc Paſchalis opera, per quæ cœlum meritus, anno q̃ ſedere cœperat ſeptimo, uix dum acto deſijt in humanis eſſe. Eugenius II. qui in ordine centeſimus primus fuit, in demortui locum ſurrogatur. Lodouici certior factus de Eugenij creatione, Lotharium filium miſit in Italiam, ut ſtatum eius terræ ex pontificis ſententia componeret, tolleretq; omnem nouarum rerum materiam. Peregit rite id negotiũ Lotharius, omniaq; in melius mutata. Interea Lodouicus Britannos, ſunt qui Britones malint dicere, tripertito adortus, ferebant hi præ ſe nihil obſcure hoſtilem animum, quadraginta circiter dies eorũ terram ferro & igni populatus eſt, poſtremo obſidibus ab ea gente acceptis, Rotomagum copias reduxit, ubi legati à Michaële imperatore miſsi eum opperiebantur. Is ut alio eſt loco memoratum, per id tẽpus rèrũ potiebatur Byzantij unde quadrageſimus à Conſtantino: ſumma eius legationis fuit ut Galli imperatoris uoluntas exploraretur de imaginũ uenera ratione. Iuſsit Lodouicus legatos Romanũ pontificem adire, eam cognitionem di ctitans pontificis & cleri eſſe, non imperatoris, cuius proprium ſit ducere exercitum. Lotharius per id tempus compoſitis Italiæ rębus, Romęq; magiſtratibus conſtitutis, ſic enim apud quoſdam ſcriptum reperio, in Galliã reuertitur. Miror proditum eſſe magiſtratus à Lothario Romæ conſtitutos: quæ res ſi uera eſt, apparet ſub Lodouico imperatore parũ integre Romanos ſua uſos libertate. Cæterum quoquo modo res Romana ſe tunc habuit, quietior erat ſolito Italia, quũ Lodouicus imperator etſi Bulgari qui per Danubium ad infeſtandas imperij prouincias cũ claſſe Drauum ſubijſſe dicebantur, maiori tamen negotio occupatus, aliò bellum uertit, ſiquidem Haido quem Aquitaniæ præfecerat, Auſonia urbe dolo capta & direpta, caſtellisq; aliquot ualide communitis, Abdecamani Saracenorum regis auxilia acceperat: tentauit Gallus hominem citra bellum ad obſequium retrahere, nec potuit. Miſsi proinde ſunt in Aquitaniam cum exercitu Ardebrandus & Donatus comites, receptaq; ſunt ab his pauca ex Auſone agro loca, ſed multo interim cruore. Verum inualeſcentibus Saracenorum opibus in Aquitania, pleræq; urbes citerioris Hiſpaniæ ad eos defecere. Et Abdecamanus ualidam claſſem, Abumanis conſanguinei ſui ductu, ex Auguſta Haidoni auxilio miſit, quibus copijs Haido uſus Barchinonenſem Gerundenſemq; agrum, inſigni clade affecit, priuſquã Pipini copiæ quem Lodouicus ad id bellum præmiſerat, ſubſidio adeſſe potuerint. Et hæc tum alibi. Romæ Eugenius quũ cætera piè ſanctęq; procuraret, tum pupillorum uiduarumq; rem & uitam tueri, ut iam uulgo pauperum pater uocaretur: eius rogatu captiui exules q; ex Gallia Romam reſtituti ſunt, ut ſcribunt quidam, aduerſis caſibus afflictos, ac fortunis exutos ſua pecunia iuuit. Multũ præterea diuq; conatus eſt Siconem Beneuentanum ducem à Neapolitanorum, quibus imminebat, ceruicibus auertere, ſæpius obteſtatus ut in Saracenos arma uerteret, qui Panormum in Sicilia cepiſſe dicerentur. Et ille per hęc pontifex quatuor annis fuit: Valentinus Romani generis illi ſucceſsit, alter à centeſimo pontifex, nulli priorum ſecundus prudentia & religione. Sed uerius uero eſt omnia in humanis, quo meliora, eò minus diuturna: nam ut optimus erat eius pontificatus futurus, ita breuiſsime effluxit, quadrageſimo die à ſua creatione uita deceſsit. Cæterum dum ſedes uacat, Sicardus Beneuentanus dux Siconis filius, nam & Sico nõ multo prius obierat, Theodatum montis Caſsini abbatem ſpe grandioris pecuniæ illi exprimendæ, in uincula coniecit, in quibus uir inſigni pietate, non ſine ſanctitatis opinione conſumptus eſt. Gregorius eius nominis quartus, poſt Valentinum factus eſt pontifex. Sed dum hæc alibi geruntur, Veneti cum Narentanis fœdus percuſſere, qui hominum Narentani eſſent, alio eſt loco

Bernardus rex à Lodouico defecit.

Bernardus capitali ſupplicio afficitur.

Lotharius rex Italiæ.

Cæcati.

Fluentiam Carolus inſtauravit.

Poteſtas creandi epiſcopi quando pont. data.

Eugenius pontifex ſecundus.

Aquitanitus.

Abdecamanus.

Eugenij opera.

Valentinus pont.

Gregorius IIII. pont.

loco ſignificatum. Cæterum gens iniuriæ aſſueta, eã pacem parum ratam habuit, Venetis negotiatoribus medio mari uiolatis. Sub idem tempus Particiacus dux Obelerium, qui nouandarum rerum ſtudio Curictam inſulam, nunc Veglia eſt, occupauerat, obſidione fatigat. Metamaucenſes plerique ſtudio partium, ex Veneta claſſe ad Obelerium tranſeunt, ut populari ſuo reditum aſtruerent. Particiacus ſubita Metamaucenſium defectione cõmotus, omiſſa obſidione domum repetit, Metamaucum in transfugarum inuidiam expugnat, captum diripit, incendio q; abſumit, inde claſſe aucta hoſtis repetitus eſt, quem non multo pòſt in poteſtatem redactum capitali affecit ſupplicio. Nec longo interiecto tempore pòſt Ioannes dux ſubita perditorum ciuiũ conſpiratione pulſus in Galliã abijt. Caroſsius princeps coniurationis iniuſſu populi ducatum occupat. Nec peſsimum exemplum diu fuit illi inultũ, optimatium factio hominem ex improuiſo adorta, tyrannum uerius quàm ducem captum priuat lumi nibus, exilioq; damnat. Reipub. adminiſtratio tantiſper Vrſo Oliuolenſi antiſtiti permiſſa eſt, quoad Ioãnes ex Gallia ſit reuocatus, qui haud multo pòſt reuerſus, reſtitutusq; in priſtinam dignitatem, in nouum recidit diſcrimen à Maſtalicæ familiæ uiris, erat tum in Venetis apprime nobilis Maſtalica domus, ob grauiſsimas in repub. ſimultates, ad Oliuo Ienſem ędem quò ſacrorum hora acceſſerat, captus, ducarijs inſignibus exuitur, inde barba & capillo deronſus, octauo ſui principatus anno, Gradũ relegatur, ubi mœrore confectus, uitam cum morte cõmutauit. Petrus Tradonicus Ioanni Particiaco ſurrogatus, Pola oriundus. Cæterum Gallico tumultu Equilio electus Riuumaltum tenuit. Is Ioannis filium ſibi collegam aſciuit, cum Narentanis aliquoties infeliciter dimicat. Sunt & Veronenſes per id tempus publicè adiuti ad debellãdos Benaci lacus accolas, qui ſine nauali opera ſubijci non potuerũt, ſuntq; non tantum gratiæ Venetis actæ, ſed ampla etiam munera miſſa à Veronenſibus: erantq; res Venetæ magis domi & circa continentis oram, quàm à mari lætæ, propter aſsidua Narentanorum latrocinia & Saracenorum opes, quæ ad infeſtanda maria plus nimio inualeſcebant. Hi enim quum cæteras inſulas Italiæ proximas, tum Siciliam infeſtius adorti, inſigniter nobiliſsimam uaſtabant inſulam. Satagere ubiq; gentium Michaël imperator, nec tamen præſenti iniuriæ ibat obuiam. Nec Lodouicus imperator à Paſchale pontifice per oratores ad id miſſos rogatus, ut Chriſtianæ rei opem ferret, mouueri potuit, ad Michaëlem dictitans eam iniuriam pertinere, cuius Sicilia eſſet. Vnus ea tempeſtate repertus eſt, qui audaciſsimos Barbarorũ conatus maiore felicitate quàm conſilio fregit. Bonifacius Cyrni comes cum Berario fratre, & paucis Hetruriæ comitibus modica claſſe in Aphricã delatus, inter Vticam & Carthaginem in terrã egreſſus, quatuor præliis tantam uim hoſtiũ cecidit, ut ui coacti ſint Mauri ut olim Pœni Hannibalem ab Italia, ſuos ex Sicilia reuocare. Atq; per eum maxime modum Sicilia peſtifero bello leuata eſt. Et Bonifacius ex Aphrica uictricem reduxit claſſem, multa præda onuſtã. Sed Mauri non diu quieuerunt, quin maiore ui quàm ullo unquam tempore Chriſtianorum res adorti, Italiam inuadũt, Centũcellas capiunt in ora Hetruriæ, oppidum ui captum diripiunt, inde citato agmine Romam petunt, nec urbe potiti ſunt, ut quidam falſo tradiderunt, ſed Vaticanum nullis adhuc munitionibus ſeptum facile adepti, Barionæ templi omnium quę in toto orbe ſunt auguſtiſsimum ferro & igni prophanant, proxima tecta diruunt. Habebant in animo Barbari urbem oppugnare, commoratiq; ſunt plures dies in Vaticano: cæterum audito Guidonis aduẽtu, qui ex Gallia Ciſalpina à pontifice accerſitus, cum ualidiſsimo exercitu appropinquare dicebatur, ſoluta obſidione inter Appiam & Latinam, omnia ſuburbana loca rapina & incendio fœdãt, Pauli baſilicam Hoſtienſi uia ſpoliant, atq; igni iniecto magna ex parte abſumunt, in Latinam poſtremo flectentes populabundi in Caſsinenſem uſque ſaltum excurrunt: Caſsinenſe monaſterium opulentiſsimum ſacra ueſte & donarijs ſpoliant, ferro q; magna ex parte excidunt. Hinc profecti dextera Liris ripa ad mare in morem rapidę procellæ ſeſe effundunt, ibi claſsis qua in Italiam fuerant delati, præſtò illis fuit, prædaq; in naues impoſita, in altum abiere. Incidit recens hæc Italiæ clades in eum annum, qui ſupra octingenteſimum tertius fuit & trigeſimus humanæ ſalutis, quæ mala multa & magna prodigia, quę per id tempus facta dicuntur, aliquanto antea portenderunt. In Turingis Galliæ arbor pedum quadragenũm altitudine, craſsitudine bis ſeptenũm, ſua ſponte in diuerſum locũ tranſijt: in Saxonia aliquot milibus paſſuum terra in ſpecie aggeris intumuit, terra horrende mota eſt, quo tremore uillæ & agreſtia ædificia cœleſti igne deflagrarunt. Lapides grandine mixti è cœlo lapſi creduntur. Ad poſtremum anno, qui hanc Italicam cladẽ præceſsit, in Gallia ante ſolſtitium æſtiuum, portentoſa grando repente è cœlo deiecta eſt, in qua fruſtũ glacie concretum, duodenũm longitudine pedum eſt repertum, latitudine ſenũm, binũm altitudine. Sed hæc rerum portenta non tam Mauranam cladẽ portendiſſe arbitrati ſunt quidam, quàm impium Lotharij facinus, qui Lodouicum patrem fraude captũ hoſtiliter uinxit, nec aliã ſceleri prætexuit cauſam, quàm quod Carolus, cui poſtea Caluo fuit cognomẽ, ſibi ab eo in amore prę ferretur. Redijt tamen breui Lotharius cum patre in gratiam, Lodouicusque ſolutus imperium recepit. Cęterum ad hanc domeſticæ diſcordię famam Saraceni animũ extuliſſe creduntur, ut Italiam, quod ad id tempus non fuerãt auſi, ferociſsimè inuaſerint, uarijsque cladibus afflixerint.

Attende Particiaci ducis Veneti factum.

Bonifacius Cyrni comes.

Attende Bonifacij uirtutem

Saraceni Italiam inuadũt.

Prodigia.

Lotharij facinus.

Saracenorum cursus.

ENNEADIS OCTAVAE FINIS.

MARCI

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI RAPSODIAE HISTORIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS NONAE, PRAEFATIO.

NVLLA à primordio orbis fuerunt tempora Romanæ ciuitati magis infesta, quàm hæc quæ superiore continentur Enneade: quantum mille & amplius annis Romani imperij creuit gloria, tantum calamitosa hæc tempora intercapedo grauiter afflixit: nullum tam uarium in humanis rebus ludum fortuna lusit unquam, nullum magis memorabilem. Enimuero populus ille qui bellando innumeras uicit gentes, ab innumeris est demum gentibus uictus, nec de ulla mundi parte uictor triumphauit, cui non triumphandi materiam rependerit, ut difficile sit iudicare, fuerit'ne illi in prosperis indulgentior mater fortuna, an crudelior nouerca in aduersis. Enimuero ubi impune uiolari cœpta est Italia ab Hunnis Attylæ ductu, Visigothi bis Romam diripuerunt, Heruli occuparunt, Ostrogothi possederunt, Vandali deformarunt, Longobardi uexauere, Græci spoliarunt, Galli correxere, Germani oppugnarunt. Nouissime ne ex omnibus terris non ultor tantæ inuidiæ existeret, Saraceni in mollissima mundi plaga geniti, nunc reliqua Aphrica, nunc ex Mauritania, cum Mauris mixti Italiam adorti, augustissima urbis templa ante oculos ciuitatis diripuere, direpta igni & ferro prophanarunt, urbem ipsam plures dies circumsedere, & Roma quatuor ætatum spatio tot malis defuncta est. Sequuntur hinc molliora tempora, non quia non sit sæpe quum Romæ, tum in cætera Italia grauiter laboratum, sed quod omnia minus calamitosa, siquidem cum ipso Christianæ fidei auctu creuit paulatim Romanorum pontificum maiestas, creuit & Apostolicæ sedis ueneratio, quibus effectum est, ut & iratis principibus & gentibus alioqui infestis, nonnunquam religioni fuerit Romam uiolare, ac ne urbs ipsa uiolaretur tota Italia abstinuerunt. Sed pontificum quorundam moderatio ac morum sanctitas in eo multum ualuit, ac quales illi fuerunt, talis fuit Romanæ urbis & Italiæ fortuna. Cæterum quo molliora secuta sunt tempora, eo in melius omnia mutata. Roma pontificum cura, templis, pontibus, areis, uijs, alijsq; publicis operibus exculta, magna & multa primorum antistitum ædificia, & in his quædam arte & apparatu antiquorum operum æmula. Nec minor foris mutatio, aliæ urbium dominatu & opulentia auctæ, aliæ tyrannos sortitæ, multæ illustres familiæ ortæ, multæ quæ illustres fuerunt extinctæ. Sed hæc suo loco memoranda, nunc quod testari liceat, eò alacrius est reliquus Rapsodiæ huius labor hauriendus, quod hæc quæ sequuntur, ad lætiorem rerum exitum spectant, accedit huc rerum nouitas uarietasq; exemplorum, quæ duo tantum delectare poterunt & prodesse, quantum, quæuis alia Rapsodiæ pars huius à principio potuit. Nunc eo unde deflexerat, reuertitur stilus.

Romanorum calamitas.

ENNEA.

ENNEADIS IX. LIBER I.

Liris fluuius.

AVexerant opulentam Mauri prædam ex Liris ostio profecti. Fuit is olim fluuius recentis Latij confinium. Cæruleus quondam dictus, mox Liris, postremò Garilianus. Cæterum duplex est fama de Barbarorũ discessu. Sunt qui Mauritaniam ab his repetitam scribant, in qua opinione plures uideo esse, ac confestim inde Italiam repetitam, alij reliqua parte inferi maris enauigata, Siciliam aiunt eos, Tarentumque uno tempore inuasisse, eoque tumultu Platina credidit Bartholomęi Apostoli corpus ex Lipara Beneuentum translatum à Sicardo Beneuentano principe. Misit confestim Michaël qui Byzantij imperabat, Theodosium uirũ patritium cum classe, qui res imperij circa Siciliam & in extrema Italiæ ora tueretur. Is Mauranæ classis magnitudine territus, cum Venetis egit, ut classem in Michaëlis gratiam ad id bellum struerent. Fecerunt postulata Veneti nihil grauate amicissimo principi gratificati, opulentamq; ut tum res erant, classem ornant, sed dum ad bellũ cætera expediuntur, Michaël imperator mortem obijt. Secutus inde Romæ Gregorij pontificis obitus, & Lodouici imperatoris in Gallia, ut uno ferè mense tres summi uiri continuatis funeribus fato defuncti sint. Sanxit Lodouicus paternæ pietatis æmulus, ut qui sacris initiati essent, nulli hominum seruitio subijcerentur, ut sacræ ædes suum haberent uectigal, unde uictus pararetur ijs qui diuinis operarentur, ne sacrorum cultus defereretur uictus inopia. Ne sacerdos quæstui sese ulli dederet, quippe qui nullus ipsi ordini non turpis esset. Idem autor fuit celebri antistitum conuentu, qui in annum incidit octingentesimũ trigesimum humanæ salutis, ut ita de clero in uniuersum statueretur, ne antistes sacerdós ue ullus serico, purpura, cocco, aut gemmato annulo uteretur, præterquam in sacrorum ministerio, ne in cingulis, calceis, crepidis aurum haberent, aut argentum: huic tam pio decreto abrogauit posteritas, sed quo iure hoc illi uiderint quorũ interest, & Lodouicus rex tam diligens pietatis custos fuit. Nec in Gregorio minor religionis cura, sacris initiatos exemplo & doctrina iuuit, urbana templa largo sumptu restituit. Diui Gregorij corpus ex ueteri conditorio eò transtulit, ubi nunc Romæ uisitur. Sebastiani & Tyburtij corpora ex suo utrunq; cœmiterio in Vaticanum detulit ad Barionę ædem: fecit & Nouembriũ Calendarum diem omnibus diuis solennem, Lodouici regis, ut quidam aiunt, rogatu, sed utrunq; ambigue traditur. Laudauit Rabanus monachus carmine id sacrum, qui & in Paralipomenon, & in Machabæorum libros piè & accurate multa scripsit. Sedit Gregorius annos quindecim. Sergius huius nominis secundus, in demortui locum successit, huic quia os suillum diceretur, ad obscœnam appellationis uocem tollendam datum est ut aliud sibi nomẽ optaret, mansit dein mos ad posteros, ut qui pontifices crearentur, omisso priore nomine, optarent sibi unum aliquod ex pontificum qui antea fuissent, nominibus. Lotharius ad imperij consortium à patre ascitus, non tamen ab illius funere, in Italiã aduersus Mauros mouit cum Guidone Longobardo, ut Eginardus falsò scribit, cæterum is oblucinatus mox astipulatur ijs, quibus curæ fuit ueriora consectari, ut inter Lodouici filios post patris obitum intestina sit laboratum discordia, atq; armis discepta-

Veneta classis in Saracenos.

Triumphi principum Christiani nominis obitus.

Decreta Lodouici.

Gregorij decreta.

Rabanus.

Sergius secundus pont.

Nominis mutatio.

Attende atrocem pugnam.

tum, tantaque Gallorum strage esse inter fratres dimicatum, ut nullo unquam prælio post illud in Tolosanis campis cum Attyla depugnatum, sit maior hominum uis consumpta. Ad Fontanicũ apud Antisiodorenses est primo pugnatum, qua acie uictus Lotharius pugna excesit, ex Aquisgrano inde cum uxore & liberis eiectus, circa Lugdunum & Viennam bellum reparauit, actum est interim nonnihil de pace, ad quam componendam, quum alij plerique ab alijs Christiani nominis principibus in Galliam missi sunt, tum à Sergio pontifice Georgius Rauennas antistes, cum magno auri pondere, & multa uestis serica ad flectendos regum animos. Cæterum priusquam pax ulla secuta sit, iterum aduersi inter se fratres confligunt, fuitque posterior hæc pugna Lothario nihilo Fontanica illa felicior, ac non multo postquam hoc fuerat euentu dimicatũ, pax confecta est. Ex cuius formula Lotharius cum imperij titulo Italiam sortitus est, & ex Gallijs Romanã provinciam, quæ nunc corrupta uoce Prouenzia est, olim Narbonensis fuit. Cesit eidem & alia Galliarũ portio, quæ Scaldim inter & Rhenum iacet flumina, quæ nunc Lothoringiæ est. Lodouicus & Carolus qui de regno cum Lothario dimicarunt: Hic cui & Caluo cognomen fuit, à Britannico Oceano ad Mosam fluuium, quibus finibus Francorum regni pars multo maxima continetur, ex ea diuisione adeptus est, Lodouico Germania cesit, & res Gallorũ regum ab intestino bello per hunc modum quieuere. Lotharius Lodouicum filium quem regni socium sibi asciuit, confestim pacata Gallia cum ingenti exercitu misit in Italiam: fuit huius aduentus ab initio formidolosus, quod iuuenis ferox quacunq; exercitum ductabat, omnia cæde & incendio flagrabãt, mox præter omnium opinionem, urbem ingressus magna ciuium & cleri frequentia in Vaticanũ concessit, uenientem Sergius paterno affectu, multaq; comitate excepit: inde ad argenteas fores templi perductus, clausas inuenit, tum pontifex, si amicus, inquit, Lodouice rex uenisti, patebunt ulcro tibi fores, si hostis & raptor, caue illas attingas, nisi experiri mauis quantũ plus possit cœlestis gladius quàm is quem homo in hominem stringit. Hic quũ Gallus rex cultorẽ se pietatis uenisse, non sacrarum rerum prophanatorem respondisset, confestim fores patuere, fuitq; Lodouicus paucis diebus Romę, quibus rex Italiæ est à Sergio inunctus, sed quũ multa licentiose fierẽt à militibus qui in suburbanis erant locis, nam & pecora distrahebanẽ, succidebanẽq; segetes pabula equorũ, & magno habuit negotio Sergius omnia Lodouici desideria explere, ut cũ exercitu procul inde abiret, idq; breui consecutus magnã ex ea re laudẽ cum gratia reportauit. Eius opera tum dunẽ, templorũ restitutio, Hospitalis domus quam principib⁹ apostolorũ sacrauit. Defijt Sergius in humanis esse, anno tertio sui põtificatus, Leo quartus hoc nomine fit inde pontifex, in Leonis tempora Platina memorabilẽ illam Theodosij & Venetorũ in Saracenos trahit expeditionem, plures tamen in Sergij pontificatũ reijciunt. Cęterũ quocũq; pontifice res gesta est, Veneti, quod satis constat, sexaginta nauium classem ad id bellum struxere, quapropter Tradonicus princeps Protospatharius imperatoris nomine est à Theodosio declaratus. Datus est is honos & Ioanni Tradonici filio, quem sibi collegam pater cooptauerat, ut Blondus scribit. Veneta auctus classe Theodosius, perpetuo cursu ex Veneto littore est in Calabriã delatus. Obsidebat tũ forte Sabas Maurorũ rex Tarentũ, qui audito hostiũ accessu, siue quia tam ualidæ classis famam timuerit, siue timere uideri uoluerit, ut hostem ad certamen traheret, soluta obsidione uitabundo similis concesit in Crotoniatem sinũ. Nec multo pòst eodẽ loco dimicatum, fuso fugatoque Græcorum cornu omnis Maurorum uis in Venetos, qui constãtius pugnam iniuere, uersa est. Hic pauci à tam ualida classe circumuenti

Lotharij portio.

Lothoringia.

Lodouicus imperator.

Lodouici ad urbẽ accessus.

Fores subito patent.

Leo quartus pontifex.

Tradonicus Protospatharius.

Venetorũ clades.

cumuenti partim cæſi, partim fluctibus merſi, ad unum Veneti eo prælio periere, ex tã numeroſa claſſe, ne una quidem nauis ſuperfuit. Eſt pugnæ huius autor, præter Veneros annales, & Bonitẽdium ſcribam, externorum Forliuienſis Blondus, quo magis miror Platinam omni Venetorum mentione ſuppreſſe, Theodoſij tantum meminiſſe, qui medio prælio egreſſus fugam occupauit. Bonitẽdius autor eſt, prius circa Crotonem cum Mauris dimicatũ quàm illi Romam petierint. Sed quæ fuerit aliorum opinio ſuprà eſt abunde dictum. Saraceni ea victoria elati, Ionij ora celeriter enauigata, Delmatiam decreto petunt, huius terræ oram quum populabundi legerent, ad Venetarum nauium famam, quæ Syriaca erant merce onuſtæ, in Tergeſtinum ſinũ celeri curſu deferuntur. Naues adepti diripiunt, negotiatores

Recens clades.

& ſocios nauales remigesq; odio Veneti nominis ad unum trucidant. Hinc digreſſi Italiam repetunt,

Ancon à Mauris diripitur.

Anconem ui capiunt, captam diripiunt, & incendio abſumunt, pauci oppidanorum capti, cętera multitudo media trepidatione dilapſa, in mediterranea refugit. Lotharij & fratrum diſcordia in hęc mala Italiam incidiſſe creditum eſt, ut Galliæ regibus inteſtino bello occupatis, auſi ſint Mauri liberius euagari. Nec id bellũ magis Italię calamitoſum fuit quàm Galliæ. Nam præter ingentem uim hominum, quæ duobus prælijs conſumpta eſt: Normani & ipſi Gallorum regum diſſidio freti Romani regis ſui ductu

Normani Aquitaniam populantur.

per Ligeris fluminis oſtia Aquitaniã ingreſſi, eam terram fœde populantur. Cæterũ, quum nemo præſenti iniuriæ iret obuiam, licentioſius euagati, Hieram inſulã, & cum Hiera ſacra aliquot loca diripiũt & incendunt. Ingreſſi dein interiora Galliæ Burdegalam, Sanctona, Pariſios, Turonium, Nouiomagũ, Aurelianos, Pictauos, & cum his alias pleraſque urbes, nihil obſcuri nominis populosque alioqui feroces inſigniter affligũt. De bellabat per id tempus B Britãnos Carolus cognomẽto Caluus de quo haud uno loco diximus, diſcuſſiſſetq; is haud dubie Normanicum bellũ, ſubito occurſu, niſi ueritus eſſet ne Britanni abeunti ſibi à tergo inſtarent, atque ita duplici bello impar in medio opprimeretur. Nec Normani diu ſunt in urbibus, quas ceperant, commoranti, quin Aquitania repetita eam terram conſtituunt

Carolus Caluus Britannicos uincit bello.

ſui regni ſedem. Caluus interea Britãnicum bellum conficit: Homeuoio eius gentis rege, cum filio, duplici prælio victo atque interfecto, potitusque per hæc victoria Lemouicæ rex urbis inungi uoluit, domumque victorem reduxit exercitum, loca Galliæ ab Normano hoſte recepturus. Sed cum hæc in Gallia geruntur, Leo erat Romæ pontifex, Romani uir generis, in quo fuit illud euangelicæ hiſtoriæ, ut ſerpentis aſtum, quum opus eſſet, & columbæ ſimplicitatem imitaretur. Huius opera ſunt marmorea ſedilia in ueſtibulo Lateranenſis atrij, ſolarium à Leone tertio inchoatum. Idem inſtituit ne prophanus presbyterium ingrederetur, ſacrorum hora, eſtque Leone pontifice terra ſæpius mota, paucorum dierum ſpatio, & ob eam rem ad auertendam iram numinis frequenter eſt in urbe ſupplicatum. Baſiliſcus

Baſiliſcus Romæ extinctus.

qui ad ædem Luciæ fornice quodam ſtabulabatur, huius precibus ad Orphea pulſus eſt. Tanta fuit in uiro ſanctitas, extinxerat peſtis illa plurimos mortales afflatu, & ſigno crucis, quo nihil eſt potentius, id malum ferunt extinctum. Sed quod Baſiliſcus ſit Romæ natus, miror equidem, quum ſola Cyrenaica Aphricæ id malum gignat, ſi Plinius uerus eſt autor, duodenũm digitorum longitudine, capite candida macula inſigni unde nomen illi forte datum,

Baſiliſci forma

eius ſibilo fugantur ſerpentes, celſus & erectus medio incedens, necat frutices duntaxat afflatu, exurit herbas, rumpit ſaxa, tanta uis illi eſt, ut equo interfectus ui ueneni per haſtam infuſi equum & qui in equo ſedebat, peremiſſe proditur. Muſtelarũ uirus huic peſti exitiale eſt, ſolaque tabe ab his conficitur in cauernis, adeò nihil natura eſſe uoluit ſine pari, necatur interim & Muſtela illius odore, moriũturque ſimul, ſicque naturæ pugna conficitur, ſed quoquo modo peſtis illa in urbe extitit, circa octauum Calendas Septembris ſublata eſt, qui dies manſit in poſterum ſolẽnis ciuitati, celebratusque multis annis ad ædem uirginis extra urbem, quæ non procul fuit à Laurẽtij phano. Sunt & alia diuorum templa ab Leone exculta quum marmorum incruſtatione, tum muſeaco opere, portas urbis & muros uetuſtate collapſos reſtituit. Turres & propugnacula à fundamentis extruxit, & in his duas circa Tyberim læua dextraque, intra Ianiculum & Auentinum, ne fluuio ſubuehi naues poſſent ad urbis direptionẽ, perueſtigauit quatuor Coronatorum conditoriũ, quorum templum ſumptuoſius inſtaurauit, ipſorũ corpora Sẽproniani, Claudij, Nicoſtrati, & Caſtorij ſub ara maxima condidit, intulit huic ſacrario Seueri oſſa, Carpophori, Victorini, Seueriani, Marij, Feliciſſimi, Agapeti, Hippolyti, Aquilæ, Priſci, Aquini, Narciſſi, Marcellini, Felicis, Apollinis, Benedicti, Venantij, Diogenis, Liberalis, Feſti, & Marcelli. Adiecit & Proti caput, Cæciliæ ruſus, Alexandri, Xiſti, Sebaſtiani, & Praxedis, & Leo tot diuorũm corpora, unũ in locum repoſuit. Cæterum dum ſedulo hæc curat induſtrius pontifex, ecce trepide nuntiatur Mauro-

Leonis põtifera.

Coronatiorũ tuor.

Mauroꝝ terror.

rum claſſem aduentare, conſilio oppugnãdæ urbis. Fuerit ne hæc claſſis illa, quæ poſt Crotoniatem pugnam circa Delmatiã & oram ſuperi maris, eſt nonnihil euagata, moxque ad inferum deſcenderit, an alia recens ex Aphrica profecta, non facile dixerim. Leo pontifex, quod liquido traditur, cum armata urbanorum manu Oſtiam deſcendit, hic hoſtem in littus egrediẽtem prælio excepturus, omnes in pugnam ituros cõfeſſione facta, capere Euchariſtiam iuſſit, ipſeque his uerbis eſt numen affatus. Deus cui ius dextra Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, & alterum apoſtolum, tertio naufragantem de profundo mari ſeruauit: Exaudi nos propitius ac concede, ut horum meritis hęc piorum manus aduerſus tuę fidei hoſtes dimicatura, tuę maieſtatis dextera roboretur, ac ualidior fiat, ut parto de his triumpho, nomen tuum cunctis gẽtibus ſanctum ſit & glorioſum. Taliq; aut certe ſimili precatione uſus, in ſigno crucis iuſsit ſuos manum conſerere, nam hoſtis in conſpectu erat. Nullo unquàm tempore urbana multitudo alacrius pugnam iniit, ut non ad dubium pugnæ euentum, ſed ad certam victoriam mitti uideretur, pugnatum eſt nonnihil æquo marte: fuitque interim cruentum prælium. Poſtremo fuſi fugatique Mauri, & ad naues cum multa cẽde compulſi. Ingens hoſtium numerus, alij alio caſu periere, multi quidem capti, quorum plerique ſunt circa portum, ad aliorum terrorem, laqueo ſuſpenſi, ſed inuito pontifice, qui ut miti erat ingenio à captiuorum nece abſtinendum cenſebat. Pars itaque multo maxima eſt Romã perdũcta, publicisq; operibus attributa. Enimuero his operantibus Leo multa reſtituit templa, quę ipſi ſuis incurſibus Mauri diruerant, cinxitque mœnibus Vaticanum, ut tutum Barionæ eſſet templum ab omni hoſtium iniuria, appellauitque à ſuo nomine Leoninam urbem, idque teſtata eſt marmorea tabula quam ſupra portam affixit, fuit id opus ſex fermè annorum, dataq; eſt noua urbs Corſis habitanda. Hos Saraceni Mauri ex Cyrno inſula deiecerant, aſſignatusq; uiritim ager, quem colerent. Templum Deiparæ uirginis in uia noua, Leonis opus arbitrati ſunt quidam. Ferunt & turrim in Vaticano ab eo conditam quæ põtificiæ domui, temploque imminet Barionę. Argenteas templi fores, quas Saraceni ſuſtulerãt, reſtituit, Anaſtaſium ſupremi ordinis antiſtitem damnauit, reiecitq; ab eccleſia quod contra canonicum inſtitutũ quinque

Leonis ornatus.

Mauri à Leone ma. uincuntur.

Leonina urbs in Vatic.

tũ quinque annos parrochiam nõ adijſſet ſuam. Ex Cyrno & Sardinia, quę iam reſpirare cœperant à Saracenorum incurſibus, colonos Oſtiam tranſcripſit, ob aëris intemperiem, frequentesq; hoſtium direptiones, omni propemodum humano cultu defertam. Sed quàm magno animo urbem tutatus eſt, publicisq; auxit operibus, tanto quidem ac neſcio an maiori etiam ſatis Lothario fecit Auguſto in humanis adhuc agenti, qui Romam eo conſilio uenit, ut Leonem uiolaret, qui conſilia agitare dicebatur de imperio ad Conſtantinopolitanos transferẽdo: diſcuſſa itaq; calumnia autores tã nefarij criminis merito ſunt ſupplicio affecti, amicitiaq; redintegrata eſt inter Leonem & Lotharium. Incidit in hæc tempora Scotus uir diuinarum literarum ſcientiſsimus, is præter alia ſtudiorum monumenta, Lodouici regis iuſſu Hierarchiam Dionyſij fecit Latinam: ſuorum aſſectatorum fraude perijt, ſtilo confoſſus, nec cauſa tam impiæ cædis traditur. Per idem tẽpus Alidulphus rex Angliæ ut inſigni erat pietate uniuerſam inſulam uoto, ut quidam ſcribũt, Romanæ fecit eccleſiæ ueſtigalem, argenteo nummo quotannis domeſticatim collato. Obijt Leo ſui pontificatus anno octauo. [redacted]

Scoti uiri doctiſsimi cædes.

Leo. VII. põt.

Leonis.

Leonis

Benedictus põtifex.

Benedicti põt. Fuere.

Terpis Io. põtificis exitus.

Verus pontificiæ ſedis uſus.

Nicolaus primus pont.

Tradonicus princeps interficitur.

Saraceni Gradu deijciuntur

alere egeſtate preſſos, pupillos & uiduas ab omni iniuria tegere, atq; per hæc cœlum promeritus fato deceſſit, quum annos ſediſſet duos & dimidium. Nicolaus primus inde pontifex fuit, centeſimus octauus à Barbona, tam ab omni ambitione alienus ut ex Vaticana latebra abſtractus, inuitus reſtitansque in Lateranenſe ſit atrium perductus, ſedeq; pontificia locatus. Sed dum hæc Romæ fiũt, Leone primum, mox Ioanne, & Benedicto pontificibus, Veneti duplici clade à Mauris affecti, ne domi quidẽ ſatis tuti ab externa iniuria fuere. Narentani aduerſis illorum rebus ferociores facti Caprulas uſque prædabundi proceſſere. Sedet id oppidum ad Limenis fluminis oſtium, à proximis locorum accolis conditum, Hunnico tumultu Concordia eiectis. Per id tempus aut certè non multo pòſt, Benedictus põtifex Venetias appulit, ut Bonitẽdius ſcribit. Cauſam profectionis huius nec ille poſuit, neq; apud alium relatam inueni, quum nè Roma quidem pontifex egreſſus dicatur. Adijcit Bonitendius inuiſiſſe eum ædem Zacharię, quò poſtea ex urbe miſerit Pancratij & Sabinæ corpora, Agnetis Morocœnæ rogatu, uirginum eius loci maximæ. Fuitq; res Veneta per id tempus nihilo domi quietior quàm foris, ciuili diſcordia iactata. Tradonicus princeps qui plures annos rempu blicam adminiſtrauit, quum ſacrorum hora Zachariæ phanum inuiſeret, ſubita ciuium conſpiratione interfectus eſt, defenſa eſt principis uita nõnihil ab apparitorum manu, qui à coniuratis in ducariũ cõpulſi, triginta dies locum aduerſus ciuium uolũtatem tutati ſunt. Demum publica fide accepta in æquum deſcẽdere, triumuiri creati ſunt, qui de parricidis quæſtionem haberent, ac de ſontibus iudicarent, deq; his cognoſcerent qui in ducariũ receſsionem feciſſent. Parricidæ alij in Galliam, nonnulli in Græciam relegati, quidam indemnati adhuc multitudinis incurſu cæſi ſunt. Vrſus Grugnarius coniuratorum unus à dæmonibus uexatus, mirabili cruciatu perijt. Principis miniſtri, qui receſsionem fecerant, quia non ſine ciuitatis motu id fieri contigiſſet, partim extra Venetos fines eiecti ſunt, partim in Popiliam relegati. Diſtat is locus à Riuoalto quinque milia paſſuum. Hi omnium primi inhabitare cœperunt, mox procedente tẽpore res aucta eſt. Genuenſi bello intercidit. Scio ab alijs in aliud tempus reijci primam loci originem. Vrſus Particiacus dux inde creatus eſt, quintus decimus à Paulo Heraclienſi, qui in Venetis primus eam fuit dignitatem adeptus. Vrſo autore cum Narentanis & alijs qui piraticã exercebant Veneti pacem ſanxere. Idem princeps Saracenos uicit, qui uigeſimo pòſt anno quàm cum Saba Mauro circa Crotonem parum feliciter fuerat dimicatum, ex Alexandria profecti Cretam inſulã occuparunt, inde in Delmatiam & Hiſtriam claſſe delati Gradum circũſedere. Hinc ſubito Veneti ducis acceſſu hoſtes depulſi, nauibusq; repente eductis, in altum abiere. Fuit annus ille quo Saraceni in intima Adriæ loca penetrarunt octingenteſimus humanæ ſalutis quintus & ſexageſimus, ſi recte colligunt ij quibus curę fuit tempora in ordinem redigere: non deſunt qui ſcribant cum Barbaris circa Gradum dimicatum, quo prælio Ioan. Vrſi filius ſtrenuam præter cæteros nauauerit operam, quo uirtutis rudimẽto collega ſit patri datus magno populi cõſenſu. Eſt & cum Narentanis eiuſdem ductu triginta nauium claſſe dimicatum, uaſtauerant hi aliquot Hiſtriæ loca, fœda populatione, ſed cur pro Hiſtris Veneti arma induerint, quum eorum ditionis nondum facti eſſent, Bonitendius, qui eſt illius pugnæ autor, non ſcribit. Suſpicari libet ſecundum Hiſtriæ fines procaci prædonum excurſu res Venetas uiolari contigiſſe. Fuit quod ad Saracenos attinet Veneto principi Gradenſis illa pugna magno honori apud Baſilium imperatorem, cuius eſt poſtea Protoſpatarius

factus. Cæterum Venetus gratitudine animi & officio cum Basilio certans, duodenas magni pōderis, artificijque non uulgaris, dono ei misit campanas. Suntque Venetorum munere tum primum Græci campano ære usi, & Vrsus per hæc annos septēdecim rempublicam domi feliciter administrauit. Inciderunt initia principatus huius in extrema tēpora Nicolai pontificis, quo sedēte triduo in Brixiēsi sanguine pluisse fertur, & in Gallia uis ingens locustarum orta senos pedes habētium. Quacunq; impetu ferebantur fœde omnia populari, donec uentorum impulsu in Britannicum Oceanum propulsæ fluctibus obrutæ perierunt. Iecit enectas Oceani æstus in littora, fœtor ingēs aērem infecit, corruptoq; terrarum tractu tetra pestilētia secuta est. Tyberis quoq; prodigiose urbem inundauit: tota ferè Roma est lintribus enauigata, suntq; aliquot loca illustria aquarum impetu disiecta. Bulgariæ rex per id tempus cū toto regno, Nicolai pōtif. hortatu Christi fidem cōplexus est, Photino hæretico suis finibus excluso. In hunc regem insigne illud pietatis exemplum contulerunt quidā, quod religionis studio adductus, regnū filio reliquit, ea lege ut in suscepta pietate perstaret. Cæterum iuuenis paterni immemor præcepti, breui in pristinum errorem præceps abijt: pertæsus ille filij impietatem, tātisper dum flagitium uindicat, regnum inuadit, filium in potestatem redigit, redactū luminibus priuat, arctiusq; uincit, mox Albertū minorem natu regem creat, identidem admonēs ut fratris calamitate disceret pietatem colere, paternū institutū tueri. Et Barbarus rex tā memorabili exēplo est usus in ueræ pietatis cultu in gente una stabiliendo, sed Græcorum improbitas fecit ut Bulgari, haud longo interiecto tempore, à recto deflexerint. Erat tum Nicolaus pontifex primus huius nominis quū in Bulgaris regia pietas domestico est illustrata exemplo, fortitus fuit is inter initia sui pontificatus plures dies Lodouici imperatoris secretum, qui tū forte Romam uenerat, lōgiusq; inter eos de summa Christianæ rei, deque Italię statu est sermo habitus. Venerunt ad eundem pontificem legati à Michaële Augusto ex Græcia, tuleruntq; secum calicē aureum gemmis prēditum, quem in Vaticana Barionæ æde iussu principis ritè dedicarūt. Sed Michaël haud multo pòst, Basilij fraude, quem cōfortem habuit imperij, oppressus perijt. Romanus pontifex, ut ad eū reuertar, apostolicæ sedis uindex Ioannē Rauennatis ecclesię antistitem dignitate priuauit, is Romam accersitus ad diluenda crimina, quæ absenti obijcerentur, parere recusauit. Intercessit inde apud Nicolaum Lodouicus Cęsar, ut ei Romam ire liceret, ubi celebri antistitum cōuentu iussus est causam dicere, hic fassus se maiestatis reum suppliciterq; uenię precatus, ea conditione restitutus est, ut quotannis Romam adiret, quoad fieri posset, ne Flaminiæ antistitem ullum consecraret, nisi prius Romanus pōtifex autor fieret, nec in rebus ecclēsiæ quicquā mutaret, instituerétue aliquid sine apostolicæ sedis permissu, ne prophana reciperet, ne morē consuetudinémue ullā induceret, nisi quā Romanus probasset pontifex, & Ioānes his legibus restitutus est, quas adeò concilium probauit, ut ter sit ab omnibus acclamatum, rectum iudicium summi præsulis, iusta diffinitio pastoris, salubris institutio, placet id Christi discipulis, eadem dicimus, scimus, approbamus. Rauennas antistes iuramento adactus promisit se decreto staturum. Pōtifex præsenti molestia liberatus, pacis autor fuit inter Lodouicum imperatorem & Andalisium Beneuentanum ducē iungendæ. Inde Lodouico probāte instituit ne princeps ullus, ne imperator quidem, cleri cōcilio interesset, nisi quū de summa fidei ageretur. Cyrillus ut quidā scribūt, Nicolai huius pontificatu Clemētis ossa ex Ponto Romam detulit. Moritur Nicolaus anno quàm sedere cœpe-

Græci Veneto rū munere cāpanis utūtur.

Attende exemplū pietatis in Bulgarorum rege.

Attende decretum pro clero.

rat septimo, mēse Nouembris, cui defuncto Hadrianus secundus surrogat, uir Quiritij generis, hoc demum pontifice Constantinopolitano cōuentu Bulgari Romanæ sunt ecclesię adiudicati, quū aliquandiu eiusmodi disceptatio tenuisset utrius essent ecclesiæ, Romanæ, an eius quam Græci haberent, missíq; sunt à pontifice ad Bulgaros uiri doctrina & sanctitate insigni, qui eius gēris ecclesias Romanorum cęremonia imbuerēt, continerentq; in fide neophytas assidua prædicatione: & uiri quibus res tāta credita est, fuerunt Syluester subdiaconus, Leopardus Anconitanus, & Dominicus Taurisinus, peregerūt illi mandata ex omnium sententia. Cæterū Barbari Constantinopolitanorum illecebris corrupti, non multo interiecto tēpore, ab apostolico ritu desciuere. Alij in Nicolai pontificatum, ut suprà proditū est, id factum reijciunt. Bulgarorū inconstantia multorum postea malorum fuit causa, magnumq; inde dissidium ortum inter Græcos & Latinos. Tenuit sedē Hadrianus annos quinq; & amplius aliquid, sub eius exitum pluisse triduo sanguine, & Gallias à locustis infestatas scribunt quidā: sunt qui hæc quoq; ostenta in Nicolai tempora conferant. Sequitur pōtificis Ioānis octaui; inter cuius [illegible]us autor est, Saracenos qui Tarentini finibus olim populabantur, prælio fusos ab Vrso Venetorum duce, hoc quidē à Platina cōsulto est prætermissum, adeò infesto fuit in Venetos animo ob Paulum, credo, pontifice quē odit insigniter. Est & Carolus cognōmēto Calvus à nouo pōtifice inunctus. Is Lodouico fratre qui pro Lotharium aliquandiu imperauit, defuncto, contēstim imperij nomen arripuit, transgressusq; in Italiā facile tenuit, ut de more imperatorum solenni cęremonia sacraretur, inde in Galliam reuersus; rebus eius regni ex sententia compositis, breui Italiā repetit. Ferebant iniquo animo Lodouici filij paternum imperium à Carolo interceptum: cōparant proinde ex tota Germania ingentem exercitum armisque decus uindicaturi, & iā Italia decreto petebatur, ut in ea de summa rei dimicaretur. Carolus subito terrore belli perculsus, Mantuam progreditur, ut cum Italico exercitu in Tridentino saltu hostibus occurreret, arcereтq; ab eius terræ ingressu Germanū. Cęterum quum adhuc Mantuæ esset, in languore incidit, cogitatione & curis grauatus: tum ab uxore Caluus Sedechia uiro Hebraici sanguinis medico, cui [illegible] ra paucis diebus quàm ęgrotare cœperat, morte cōsumptus est, ueneno potioni infuso. Conatus est Ioannes pontifex imperium astruere Lodouico Calui filio, cui Balbo cognomē fuit, qui tum in Gallia erat, primores urbis qui ad Carolos fratres trahebant, ubi quid pararetur compertum habuere, quia aliter inhibere non poterant, pōtificem in potestatē redactum custodiri iubēt, ille uero custodibus deceptis, in Galliam ab Balbū profugit, Romanumq; regē inungit, fuitq; Ioannes pontifex apud illum per annū. Postremò in Italiam reuocatus à Carolo tertio Lodouici filio, qui post Calui interitū fuerat Roma cū cætera Italia potitus, imperij nomē quod uictor receperat, ratum illi pontifex fecit solēni cæremonia. Ioānis acta in Gallia, præter Lodouici inunctionem, diui Petri monasteriū in Flauiano cognita prius causa, multiplici partiū assueratiōe Leoni adiudicauit, qui tametsi abbas esset, à Gilberto Nemausensi antistite possessione pellebatur. Habuit & ad Trecas urbem alterum celebrēm cōuentum, ubi quędam ad communem fidei usum sanciēdi autor fuit & dedit Flādris antistitem, qui nuper ex nemoribus egressi Christi fidem complexi fuerant. Nec multū inde Carolus in Italia fuit, sed Germania repetita in Normanos mouit, Lothoringiā incendio & rapinis uastantes, hos Carolus uictos, atq; in arctum cōpulsos eò redegit, ut Gothifredus eorum rex Christianum se fieri sit passus, eū Carolo baptismi lauacro admouit.

Inciderunt

Hadrianus secundus pontifex.

Bulgari Romanæ fiunt eccl.

Caroli Calui uus uenen absumitur.

Acta Ioan. tif. in Gal.

Flandri.

Inciderunt hæc quæ de Caluo & hoc qui tertius est Carolus dictus, quiq; imperio post illius mortē potitus est, in octingentesimū annū salutis atq; octogesimum, aut certe non multo prius posteriūsue: nam tempora ut sæpius testatus sum, nō reseco ad uiuū. Per id tempus, ut uideo quibusdam placere, Scotus floruit: claruit quod satis cōstat eodē tempore Anastasius Ro. ecclesiæ Bibliothecarius, Græcè & Latinè impēse doctus. Mico diui Amādi monachus scite quædam in diuinis scripsit. Ioannes pōtifex, quū priuatus adhuc esset, quatuor libris Gregorij uitam est complexus. Pontifex inde fuit annis decem, centesimus decimus à Bariona, quo defuncto Martinus sedere cœpit huius nominis secundus, Gallus genere, breuis & ob id obscurus pōtificatus, annū unum tenuit sedem & quinos menses, quo tēpore Byzantij Leo & Alexander, Basilio orti, communi nomine imperitabant, in Gallia Carolus tertius. Secutus est Hadrianus centesimus ac duodecimus in pōtificum ordine, eius nominis tertius, uir Ro. sanguinis, & ut magno fuit animo, cōtinuo à sua creatione ad senatum & populū retulit, sacrataq; lege, ut res sanciretur, autor fuit, ne in pontifice creādo intercederet ullus imperatoris assensus, sed ut liberum in ea re cleri esset & populi suffragiū, & Hadrianus rem tātam est mouere ausus, quia Carolus, ut credere par est, cum exercitu aberat, Normanicoq; erat bello implicitus etsi Blondus significare uidetur, ante Hadriani creationem, cum ea gente debellatū. Habuit Carolus in animo Normanicū nomē delere: cæterum quia fine magna suorum clade fieri nō potuit, Galliæ partem ultra Sequanam fluuium ipsi genti attribuit, quæ ab ipso gēris incolatu Normaniæ est postea nomē adepta. Fuerūt Normani natione Daci ex ijs qui ad Germanicum Oceanum sunt expositi, dicuntur & Dani à quibusdam, quum multo uerius Daui dici potuerint: hi per Oceani oram in Aquitaniam classe delati per Sequanæ ostium ipsi terræ insinuati, prouinciā fine militari præsidio adepti primo fœde populati sunt, mox sæpius latrocinio repetitā nunc Ligerim, nunc Sequanam subeūtes, etsi aliquando fœde cæsi non prius tamen infestare desierunt, quàm Carolus cognōmēto Simplex cuius suprà mentio sæpè incidit, quia plus nimio eius gentis opes inualuissent, ꝙ ut tutò his resisti posset, Rolloni eorū duci filiā conditione detulit uxorē, ut Christianā amplexaretur fidem, attribuitq; genero eam Aquitaniæ partē, quæ tum Neustria fuit, citeriori Britanniæ affinis, quam Rollo receptā à nomine suæ gentis Normaniā dicit. Normanus septentrionalis homo interpretat. North Danorū lingua sonat rio est. Mā homo. Rollo baptismi lauacro admotus Robert⁹ dici uoluit. Iussi sunt Normani annuum tributum pēdere. Francorum regibus, ne terra bello quæsita crederetur, sed alieno beneficio parta. Incidit Hadriani creatio in annū quintū & nonagesimum supra octingentesimum humanæ salutis, quo tempore Guillelmus dux Aquitaniæ, qui à singulari pietate Pij cognomen tulit, Cluniacēse monasterium inchoauit, magnificentissimo materię & operis apparatu. Bernone loco præfecit abbatis nomine, attribuitq; ꝙ eius sacra operatib⁹ exhiberetur. Elbo Pictauensis comes Guillelmi hęres testamēto relictus, op⁹ ad exitū perduxit. Obiit Hadrianus anno sui pontificatus primo. Stephanus quintus Quiritij generis ei succedit, adeptus. Elodus primum Stephani annū & 804 Hadriani, ut Platinæ placuisse uideo, quintum & nonagesimū fuisse ait supra octingentesimum à mundanæ salutis exordio. Sed quotuscūq; fuit hic annus, quo Stephanus sedere cœpit, in Gallia, qđ inter oēs cōuenit, Normani rupto fœdere, Danis qui & Daci sunt, sibi in societatem belli adiunctis, omnē ferè Galliam ui bellica fœdarūt: Galli rei indignitate moti, Caroli cui Grosso cognomen fuit, ignauiam perpessi abrogant ei imperium, regno deturbāt, Arnulphum obscuris ortū natalibus, ut Blōdus scribit, imperatorē salutāt. Platina Caroli nepotem hunc fuisse ait, Francorū regno Carolū cognomento Simplicē præficiunt, quo haud multo pòst repudiato, regnū Oddoni Saxoniæ ducis filio deferūt, & in Gallia per hunc modum desitum est à Francorū gente imperari, anno circiter centesimo ab eo, quo tanta indole à Carolo, qui Magni cognomen tulit fuerat quęsitū. Cæterū quantū Frācorū pietate & beneficentia, ętate una Roma & tota Italia, ab longa malorum serie respirauit, tātum inde intestinis discordijs, sexaginta ferè annis, qui continuò secuti sunt, in omne calamitatis genus recidit, qua temporū iniuria ita omnia concussa, & in peius mutata, ut literarum propemodū nomen uenerit in obliuionem. Sumpsit calamitas illa initium ab ultimo Hadriani pontificis, qui Stephanū præcesit anno, exijtq; in Ioānis duodecimi tempora, enimuero præter Normanos, qui Galliam uastārūt, ex qua iniuria uidetur mihi orta tanta rerum mutatio, quāta in humanis rebus facta est, Hunni gēs Scythica, Gallicarum rerum perturbatione freti, in Pānoniā inferiorem ad consanguineos Hungaros digressi, Gepidis & Auaribus ex ijs sedibus quas diu tenuerant, pulsis, utrorūq; terram occupāt: sunt qui Hungaros ex inferiore Pānonia eiectos existimēt, continuoq; nouos Hunnos in eiectorū appellationem transisse, ut Hūgari pro Hunnis uulgo dicti sint. Germaniam inde populati, in Belgicam usq; processere, ferro flāmaq; omnia conculcantes. Erat hic rerum status alibi, quum Stephanus Ro. pōtifex uita decesset anno pontificatus sexto. Formosus in demortui locū successit. Miror Blōdum hoc loco, quum Normanicos motus perstringeret, scriptum reliquisse, ab ea gente petitum esse hostiliter Byzantium trecentarū nauium classe, uastatisq; suburbanis locis in Britannicum mare reuersos, qua sanè expeditione oportuisset totam Europam tumultuari, si tam longo terrarum circūactu ut per Gallicum Oceanum, Hibericū, & Athlāticum euecta classis inde per interna maria per totam Europę oram & immensos anfractus littorum Cōstantinopolim peruenisset: suspicor itaq; deceptum uirum alioqui prudētissimum locorum ignoratione, ut ita rem digerat, quasi peruia sit nauigatio ex Britannico per Germanicum & Sarmaticū, in Mæotim & Bosphorum, & mox inde in Ponticū mare, quod quidam Græcorū persuasum habuere, & in his Orpheus, cui opinioni Geographię peritissimi quiq; non accedunt: nec q, per Histrum descendert potest intelligi, quando circa id flumen nihil Normani possideret, nec ad Britannicū mare Hister attinet, quo Normanicam, ait, classem reuersam: sed ut in eiusmodi expeditione ęgre illi accedo, sic libēs sequor in ijs quæ de Saracenis eodem loco prodidit omnem Italię oram per id tēpus ab Ancone ad Hydruntum secus Adriā & Ionium eius gentis iniuria, omni propemodum humano cultu desolatam: per idem tempus Sclauorum gēs, quæ à Boēmis profecta olim ad Adriā descenderat, à Suetropilo Delmatiæ rege victa Christianam est fidem complexa. Magna præterea facta est in his terris nominum uariatio, nam quicquid soli iacet à cāpestribus Delmatiæ locis in Histriam usq; Croaciæ Albæ nomen sortitū est, ab eisdem campis usq; Dyrrachiū rubra Croacia dicta, nunc pars illa quæ ad mare obuersa est Delmatiæ nomen obtinet. Nec absimilis facta est mutatio circa Byzantium, nam quæ Thracia fuit olim, nunc Romania est, quæ inferior Mysia hodie Zagoria, qui Hebrus nunc Mariza, quæ Prusia nunc Borsia, qui Triballi, nunc Bulgari, quæ olim Rhodope, nunc Valiza, quæ Dacia, nunc Vualachia, quæ superior Mysia nunc Seruia: hæc & alia multa numero in hunc modum se habent, quę suis complexus est commentarijs Martinus Segonius Nouomontanus uir Græ-

Mico.

Martinus II. pontifex.

Hadrianus III. pontifex.

Attēde Hadriani decretum.

Normania unde dicta.

Neustria.

Cluniacēse monasterium.

Stephanus V. pontifex.

Quādiu Galli imperium habuerint.

Hunnorum recens motus.

Formosus pōtifex.

Sclaui Christi fidē recipiunt.

Croacia.

Attende nominum mutationem.

cè & Latinè doctus, cui curæ fuit hæc diligenter indagare. In hæc tempora quibus Sclaui Adriaci maris accolæ ad ueræ pietatis cultum accessere, incidit Ioan. Particiaci principatus, fuit is Vrsi filius. Badouarius eius frater, quum forte ad Ioannem Roman. pontificem mitteretur ut Comaclum Veneto nomini attribueret, in Rauennatium finibus exceptus insidijs à Marino eius loci comite, grauiterq; uulneratus Comaclum perducitur. Cæterum Marinus, accepta ab eo fide de Comaclina actione deponenda, cuſtodia liberatum dimisit, Badouarius domum reuersus breui pòst ex uulnere moritur, nec id impune Comaclino cesſit. Particiacus amantissimi fratris mortem ulturus cum ualida classe Comaclum repètè inuadit, subitaq; ui capit, in iniuriæ autorem hostiliter sæuitum. Implicitus inde Particiacus graui morbo permissu populi, Petrum alterum ex duobus fratribus qui supererant, sibi succesſorem instituit, mox prèter spem omnium periculo seruatus, pro collega habuit, quo postea defuncto Vrsum sibi cooptauit, qui unus fratrum omnium reliquus erat, postremò ultro se principatu abdicauit. Dubium quia aduersa ualetudine impediretur, an quòd suâ administrationem maiori esse inuidiæ apud populum sciebat, quàm ut tutò in ea perseuerari posset amplius: abijt magistratu anno sexto quàm reip. præesse cœperat. Surrogatus illi est Petrus Candianus, quo tempore Narentani maria latrocinio fœdabant, reddebantq; in primis Adriacum sinum Venetis negotiatoribus infestum. Bis Candiani principatu, etsi breuissimus fuit, sunt Narentani bello petiti, priore expeditione Candiano absènte classis infecta re est domũ reducta, mox principis ductu; duodecim nauium classe sunt hostes repetiti, pugnatũq; est in Delmatiæ ora, ad Miculum promontorium, fuitq́ue res Veneta ab initio superior aliquot Narètanis nauibus primo cõgressu depressis, inde superante hostium multitudine circũuenta est Veneta classis, Candianus fortiter dimicans mortem occubuit: cecidit mense quinto quàm dux creat⁹ fuerat, eius cadauer ab Histris subtractum, Gradum est deportatum, atq; ibi sepulturę datum: ingès metus ciuitatem inuasit ad tam fœdæ cladis nuntium, sed maior omnino consternatio secuta esset, nisi Ioannes Particiacus, qui se principatu abdicauerat, populi precibus fatigatus reip. administrationem cum ducarijs insignibus recepisset, quibus receptis tantisper se pro duce gessit, quoad tumultu & pauore sedato, Petrus cognomento Tribunus sit dux creatus: hoc demum principe Hunni, quos ex Scythia nuper profectos diximus Gepidis & Auaribus ex inferiore Pannonia eiectis, eam terram occupasse, Germaniam primo, inde & Belgicã populatos, à Gallica illa expeditiõe cõtinuo, ut quidam arbitrantur, sunt Italiam ingressi: alij pòst Lodouicum Germanię regem, qui cum his acie conflixerat, prælio uictum, stipendiumq; pendere coactũ, domum redijsse aiunt, prædaq; hic depòsita, Italiæ imminere cœpisse. Cęterum in eo Galliæ motu, quo à Carolo in Arnulphum est imperium translatum, quia unà res Italiæ uelut nauis sine gubernaculo iactari cœperat, Longobardi qui resídui ex ea gẽte adhuc erant, eam temporum occasionem amplexi, spe credo regni in Italia Hunnorum auxilijs instaurandi, Berengarium Foroiulienſem legunt imperatorẽ, nec gẽs uniuersa in id consensit, multi aliò fauorem inclinantes, Guidonem Spoletanum Italiæ regem creant, erupitq; hæc fauorum uariatio in apertam discordiam, duoq; noui principes creati ante Barbarorum in Italiã accessum, sæpius inter se hostiliter conflixerunt, uariauitq; nõnihil fortuna, ad postremum Berengarius uir militaris rei sciẽtissimus adeò Guidonis opes afflixit, ut ille intra Vmbrię sese fines teneret, nil ultra moliturus, nec tantum bellica uirtute usus est Berengarius in imperio armis uendican-

Particiaci ducis abdicatio.

Candiani Veneti ducis interitus.

do, sed consilio etiam & prudentia in eo stabiliẽdo, fœdus cum Arnulpho icit, quo diserte illud est expressum, ut uterq; alteri auxilio esset aduersus quoscunq; hostes, tenuitq; id fœdus: nam Suentebaldus Arnulphi filius cum exercitu uenit in Italiam aduersus Guidonem, etsi parum ea auxilia Berengarij rebus profuerunt, dubium quia ij quorum consilio adolescẽs utebatur, corrupti essent pecunia ab hoste, an quòd Italos intestino bello defatigari malebant Galli duces, uiribusq; exinaniri, quàm de summa rei decerni ac debellari. Satis constat integro adhuc bello Suentebaldum cum exercitu in Galliam abijsse. Guilielmus qui historiam eorum temporũ scripsit, autor est pòst Galli discessum Arnulphum in Italiam uenisse, Bergomoq; ui capto, Ambrosium eius urbis comitem suspendio necasse, perculsáq; eo terrore Italia, ad Formosum pontificem, quo iter intenderat, nullo inhibente Romam peruenisse. Sed de Arnulphi in Italiam accessu incerta omnia tradũtur, ut Foroiuliẽsis Blondus significare uidetur. Platina quod ad eundem attinet, Normanos ait rebelles magnis ab eo cladibus affectos, inde nimio successu Gallum elatum, uana persuasione eò euectum, ut clerum palam contemneret, breuiq; phthiriasi consumptum, eoq; extincto reuolutum esse imperij nomen in Lodouicum Germanię regem, sed hunc nunquam imperij insignia adeptum. Idem rex ut unus omnium Martinus prodidit, Italiam ingressus, cum Berengario Foroiulienſi, à Longobardorũ regibus oriundo, auitumq; repetente regnum prælio congressus, primo superior fuit, mox instaurata pugna, pòst ingentem suorum cladem captus, luminibus ab hoste priuatus est, ac tum demum imperium quo Frãcorum reges annos circiter centum potiti fuerant, in Longobardos est trãslatum, hæc ille: cui ut uideo nemo astipulatur. Cæterum Arnulphus & Carolus, non tam cito, ut hi colligunt, regnare desierũt, sed in plures pontifices exijt utriusq; regimen. Formosus malis artibus pontificatum adeptus (profusa enim largitione fuerat in petitione usus) per hos rerum motus quinque annos & dimidium præfuit ecclesiæ. Leuarũt hanc temporum infelicitatem Remigij Altisiodorensis studia, qui scienter multa scripsit. Bonifacius Formoso succesſit: fuit hic sextus à Bonifacio primo, Tuscus genere, sunt qui duodecim annos sedisse scribant. Platina quem in pontificia historia libens sequor, sex & uiginti dies tribuit eius pontificatui. Sequitur Stephanus sextus Anagniæ natus, adeò Formosi põtificis mẽmoriæ infestus, ut statim à sua creatione, omnia illius decreta abrogauerit, õmnia rescinderit acta, [illegible] Stephano pontifice, Symbaticus, ut Platina scribit, Protospatharius, ex Byzãtio cum exercitu in Italiam missus, Beneuentum tribus mensibus oppugnauit, ac postremo deditũ Lõgobardis ademit, fuerant Beneuentani sub eius gentis imperio annos tercentum triginta. Cęterum Guido dux Longobardici generis triennio pòst Grẽcos inde eiecit. Obijt Stephanus põtifex, quum annum unũ sedisset ternosq; mẽses. Romanus sit inde pontifex,

Arnulphi cũ Berengarij fœdus.

Lodouicus Germaniæ rex.

Galli desinũt imperare.

Bonifacius.

Stephanus.

Romanus.

tifex, qui Stephani exemplum secutus omnia illius acta & decreta pro irritis habuit, [illegible]. Tenuit is sedem tres mẽses, ac tantum dignus, ut inter pontifices numeretur, quia sedem tenuerit Barionę. Sequitur Theodori pontificatus multo adhuc breuior priore, uigesimo die quàm in sacram fuerat sedem receptus, fato defunctus est, restituit tamẽ priorum æmulatione ea dierum paucitate Formosi pontificis acta, fauitq; eius factionis hominibus. Sunt qui per hęc tempora Arnulphum in Italia imperasse scribant, in Gallia Carolum cui Simplici fuit cognomẽ. Byzantij Constantinus Leonis filius. Blondus Formoso pontifice, Arnulphum Italiam petijsse ait. Platina eo iam defuncto uenisse significat, adeò perplexe & inconstãter res huius temporis memorię prodidit. Quid quòd ne certa quidem pontificum succesſio traditur, ut nec quid hoc uel illo sedẽte sit Romæ aut alibi gestum liquido scribi possit, sed præstat Platinã sequi, hunc in pontificia historia in qua est præcipuè uersatus multo plura, quàm aliorum quenquam uidisse credere est. Ioannes nonus Quiritij generis Theodoro, qui secundus fuit eius nomi nis, surrogatur: is sedem adeptus primum omnium Formosi pontificis causam in integrum restituit, magna populi parte aduersante, exijtq; disceptatio illa in apertam discordiam, ut à [illegible] certamine non procul esset, quod pontifex declinans Rauẽnam se contulit: hic sequenti antistitum conuentu autor fuit, ut Formosi acta rata haberentur, insolenter à Stephano factũ dictitans, qui in prophanis habendos censuisset, quos Formosus pontifex sacris ordinibus initiasset. Et Ioãnes per hæc Formosi acta tutatus est, quo sane tempore Hungari, ut Platina scribit, Arnulphi nomen qui uoluptatibus sese immerserat, & in Carolo Simplicis cognomen asperna ti, à quo non multum uita hominis distabat, Italiam primo, mox Germaniam Galliamq; populati sunt. Blondus Germanicam, ut suprà est memoratũ, Gallicamq; Hunnorum expeditionem Italicæ prætulit, de qua deinceps dicam. Saraceni adhæc ex Aphrica Italiam adorti, magnam Calabriæ partem cepere, & iam Consentiam oppugnabant, quum eorũ rex fulmine ictus concidit. Barbari eiusmodi casu perculsi, ad mare dilapsi, Italiam reliquere omni humanã ope destitutam, diuina uis presenti periculo seruauit. Moritur nec multo pòst Ioãnes põtifex, anno quàm creatus fuerat secundo: [illegible]. Huic defuncto Benedict⁹ huius nominis quartus succesſit, centesimo loco ac uigesimo pòst Barionam creatus. Mirum est quanta omnium bonarũ artium obliuio, per id tempus mortaliũ animis obrepserit, ut ne in pontificibus quidem, cęterisq; principibus, quicquam elucesceret, quod uitam iuuare posset, non salubria instituta, non templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberaliũ artium affectationes, sed stupor & amentia quædam, obliuioq; morum inuaserat hominum animos. Cæterum non tã uita tunc male culta est, quàm illa ipsa quę per id tẽpus gesta sunt, inculta, & perplexe monumentis literarum tradita, ut autoribus eius seculi nihil minus curæ fuisse appareat, quàm ut in ijs quę scriberẽtur, sibimetipsis constaret, in quo uitio sunt etiam ij, quos sequimur, præcipuè in his referendis, quę ab illis sunt tam inscitè, ut dixi, literarum monumentis prodita: sed quocunq; hæc animo æstimãda sunt, Platina quod satis constat, autor est, Benedicto põtifice, Lodouicum, in quem pòst Arnulphum trãslatum erat nomẽ imperij, in Italiam uenisse, & à Berengario circa Veronam prelio superatum atque interfectum, sed ut libentius in hoc Platinę accedo, quàm ijs qui in aliũ põtificem Lodouici casum re-

Theodorus pontifex.

Ioan. IX. pontifex.

Hungarorum motus.

Benedictus IIII. pont.

Variatio historic.

ijciunt, ita cunctantius ob ea quę Blondus scribit, in ijs quę sequuntur, eius fidem recipio, fuisse Lodouicum in quo defecit Francorum imperium, Arnulphi filium, ac Magni Caroli progeniem, quum Blondus Arnulphum obscuro tradat locum ortum. Sed hæc facilius notantur, quàm in tanta scriptorum inopia, req; admodum uetusta, queant corrigi. Desijt Benedictus in humanis esse anno sui pontificatus tertio circumacto, cesſit dein Leoni pontificia sedes: fuit is quintus ab eo qui primus pontificũ id nomen tulit. Cæterum paucis diebus, quibus sedere cœperat, à Christophoro, erat is pontifici familiarissimus & initiatus sacris, captus in uincula conijcitur, ubi mœrore cõfectus, quadragesimo initi honoris die morte consumptus est. Et dignitas alioqui sacrosancta atq; inter homines suprema, eò [illegible] uenerat, [illegible], quo apparet non ab re sæpius fando auditum, dignitatem ab hominibus augeri, non homines à dignitate. Christophorus igitur, cuius merito patria ignoratur, Leone extincto, pontificatum inuasit, sed rem male partam diu tenere non potuit, enimuero septimo mense quàm eam dignitatem occuparat, ui in ordinem redactus, in monasteriũ obtruditur: tenuit diu mos, ut de apostolica sede male meriti, modo initiati essent, ut olim maiestatis rei in insulas solebant, in monasticam solitudinem relegarẽtur: dubium ignominiosus Christophori exitus, in Ludouici tertij, an Berengarij tempora incideret: utrunq; enim traditur. Subit ad Berengarij mẽtionem & illa inconstantiæ reputatio. Platina Ambrosij Bergomatis cædẽ ad Berengariũ refert, quem Blõdus, Guilielmum secutus, ab Arnulpho laqueo necatũ prodidit, hic Arnulphum à Formoso ait Romam accersitum; ille Berẽgarium imperatorijs insignibus à Formoso donatum. Sed utcunq; hæc gesta sunt (nam quis in re tam uetusta tantaq; scriptorũ discrepantia, audeat alterum pro certo affirmare) Sergius pontifex, quod satis constat, Christophoro subiectus est uir Rom. generis. Prima huius actio iustæ fuit ultionis. Christophorum monasterio detractũ arctissime uinxit, ad pia dein opera conuersus Lateranensem basilicam restituit, quæ per id tempus cõciderat, mox in Galliam ad Lotharium regem profectus est, cuius amicitia fultus multo ad res agẽdas maiores alere cœpit spiritus: continuò itaq; Romam reuersus, Christophorũ in arctiorem custodiã obtrudit, Formosi acta pro irritis habenda pronuntiauit, eius cadauer iterum refossum, tanquam sic quoq; pati aliquid atrocius posset, securi subiecit, corpus in Tyberim pijci iusſit, ut sepultura & omni humano honore careret. Non possum non multum mirari, unde tragica hæc pontificum fluxerint exempla, quæ dira pietatis obliuio eorum mentes irrepserit, ut neque personæ quam sustinebant, ratio ab his ulla haberetur, neq; loci, quem tenerent, ut non immerito aliquis suspicaretur quicquid moderationis fuit & maiestatis in illis, qui à Caroli cognomento Magni temporibus ad Gallici imperij exitum (interfuit enim ætas una) sedem tenuerunt, non tam sua sponte quàm regum imperatorum & in quorum tutela essent, metu & reuerentia, in officio manserint, nullo unquam tempore in maiore fuit admiratione põtificum nomen, nunquam à regibus & cæteris mortalibus tãtum apostolicæ sedi tributũ, ut dicere æquũ sit, non magis Galliæ quàm Ro. ecclesiæ, & reliquæ Italiæ calamitosum fuisse, quòd in ea gente desitum esset imperari. Ferunt Formosi corpus à piscatoribus inuentum, & ad apostoli ædem in Vaticanum delatum, dum funus illi instauraretur, uisas diuorũ imagines id uenerari, ut appareret superis etiam diſplicuisse pontificium corpus pontificum iniuria tã immaniter iactatum. Dubium uere hæc acciderint, an ficta potius sint à piscatoribus, ut pacatior fieret Ser-

Christophorus pontifex.

Sergius pont.

Attende atrõcẽ antimadversionem.

Attende quæ euenerint in Formosi corpore.

gius in homines eius factionis, quos idcirco infense odit, quia in petitione pontificatus nullos habuerat Romæ magis infestos, tam dira libido, tum cleri animum eius honoris indipiscendi inuaserat quę ueteres pontifices, ne sibi astrueretur, fuga & latebris uitarunt. Sunt qui non ineptè suspicentur, Lotharij impulsu, tam atrociter à Sergio in Formosi memoriam fœuitum, quòd eo pontifice à Gallis in Berengarium, uirum Longobardicę gentis, translatum esset decus imperij, sed Berengarij nomen admonet esse hoc loco testandũ, fuisse qui scriberent, Sergio pontifice, Lodouicum Arnulphi filium, imperatorem in Germania appellatum, etsi insignia imperij nunquã fuerit adeptus, Ro. iniquo animo ferẽtibus imperij decus ex Gallia ad Germanos trãsferri, alij, qđ suprà est demõstratũ, hęc quę de Lodouico sunt memorię prodita, in superiorum pontificũ tempora reijciunt:

Hunni siue Hũgari. Blondus in Sergij pontificatum conijcit Italicã Hũnorum expeditionẽ: hi enim ex Germania, ut diximus, reuersi per hyemẽ quieuere, sub uernũ inde sequẽtis anni tẽpus, res Græcorũ hostiliter adorti, pleraſq; eius gẽtis urbes sibi uectigales fecere, mox Bulgariam ingressi, uno prælio Bulgaricũ nomen subegere, innumeris mortalibꝰ ea pugna interfectis (q Bulgari hodie sunt, olim Triballi fuere.) Hoc Hunni successu feruociores facti Italiam inuadunt. Oppo-

Berengarius prælio uincitur. suit se ijs Berengarius cum xv. milibus armatorum, dimicatumq; est in ipso limite Italiæ, uictusq; Berẽgarius acie excesit, uniuerso pene exercitu amisso, tum per Foroiulienses Hungari ingressi, nam sic illi potius quàm Hunni dici maluerũt, in morẽ torrentis omnia ui sua proculcant. Fuit illis in animo Me-

Hungari Venetos inuadunt. diolanum petere, cæterum Veneti auri fama allecti, iam enim ex eo tẽpore, ob maris cõmercium nõ incelebres erant Venetorum opes, impetũ ad mare flexerũt, nauigijs rudi materia cõtextis, inductoq; exteriore parte corio, usi sunt ad traijciendas copias: ci B uitatem nouam, quæ olim Heraclea fuit, primo Hũnus occupat, quam diripuit & incẽdit, mox Equilio pari clade afficit, in littus inde transmissum, quà hostes impetu progressi Clodiam & Caput aggeris excidio dedunt. Postremo ad Riuumaltũ inuadẽdum se comparant, spe prædæ multo opulẽtioris præcepta, si loco potirentur. Haud similis pauor tũ Venetos egit, qui & bello Gallico, cum Gallis de libertate pugnatum est, cum Hunnis de uita futura erat dimicatio: illi etsi feroces, erãt tamen pietatis minime experres: hi non pietatis solum, sed omnis etiam humani iuris contẽptores haberi, quippe qui ne ab esu

Hunni androphagi. quidẽ humanæ carnis abstinerent, ut fama erat. Hęc tam abhorrẽdi ritus opinio ita ab initio omnẽ sexũ & ætatem perculit, ut nõ libertas sed uita etiam pro deplorata haberetur. Cęterum desperatio in irã uersa est, ita ulciscendi cupiditatem peperit, ut si crudeliter pereundum esset non inulti perirẽt. Non defuit

Tempestiua oratio. qui tali periculo sit ciues pro cõcione hortatus, huiusmodiq; uerborum forma usus. Adest sanè tẽpus, quin instãt potius uiri fortes quo nos & facere & pati fortia necesse sit, si uerè fortes sumꝰ, imminet ecce extremum periculum non patriæ tantũ, laribus, tẽplis, sed & uitę omnium, res cum eo hominũ genere nobis futura est, qui non magis post mortem parcũt cæsorum cadaueribus, quàm in prælio uitæ pepercerint, humanis, ut fama est, uescũtur carnibꝰ, quod multo atrocius sit quàm hominẽ occidere. Sed sunt quãuis feri & sęui, non tamen ferrei sunt qui uiolari nõ possint, prisci Veneti Latinis colonis mixti olim circa Aquileię mœnia, parua bellatorũ manꝰ, trecẽta & amplius Hũnorum milia, & Attylam qui rex horum fuit, non dubitarunt prælio excipere, eũetus pugnæ illius facile declarauit plus uirtutem ualere in

* prælio quàm multitudinem: quanquam illi temerè feciſſe uideri possunt, q ea parte belli qua hostis plurimum poterat, manũ cõseruissent. Nos uero multo A cautius, quibus in his stagnis res cũ hoste futura est, ubi omnia sunt nobis quàm illis meliora, rei naualis & locorum peritia. Enimuero quid per deum optabilius nobis offerri potuit, quàm ut ab ineunte ætate rei maritimæ assuetis ea parte fieret aduersus immanissimum hostem dimicandi copia, qua plurimũ nostra ciuitas & ciuium studium polleret, quũ Barbaris neq; ars, neq; nauigia sint ad hoc ipsum accommodata? Maiores nostri Pipinum regem suis paternisq; imperij opibus tumẽtem, his eisdem locis quibus nunc res gerenda est, magno olim prælio uicerunt, ac tum de libertate dimicatum. Nobis uero periculum bene pugnandi necessitate imponit: enimuero si uicti simus, omnibus cadẽdum est, certo scio neminem uestrum esse tam timidum & imbellem, qui non malit quũ possit, honestè mori, quàm turpiter captum cum parentibus, uxore, liberis, & omnibus qui charissimi sint, ab immanissimo hoste ut mollissimam ouem iugulari. Sed ea est uestra uirtus ciues, ea in periculis constantia, ut si totis uiribus certare uelitis, nõ tantum Hunnicum ferrum è uestris, parentum, liberorum, ciuiumq; omnium ceruicibus propulsaturi sitis, sed ciuitatem etiam præsenti obsidione liberaturi. Tãtum memineritis, magna solere ab hominibus uolũtate fieri, sed multo maiora necessitate, quæ nos omnia experiri cogit ut aut cũ patria seruemur; aũt si pereundum sit nõ inulti perijsse uideamur. Huiusmodi hortatione erecti animi aut non multũ dissimili, uulgo pugnam cupiebant, quũ Hunnus dimicãdi studio dictus est appropinquare, tũ Veneti nauibus celeriter conscensis, quæ in hunc erant usum paratæ, hosti circa Albiolam occurrunt, conseritur cõfestim pugna, atq; eadem atrox, suntq; Hunni conati, haud uno loco in aduersam Venetorum aciem impressione facta perrumpere: abundabant enim multitudine: contrà Veneti ubiq; occurrantes, impigrè eorum impetum sustinent, pluribus diebus ancipiti marte pugnatũ, deniq; totis utrinq; uiribus in extremam dimicationis aleã est itũ, tum uero fusi fugatiq; Hũni, soluta obsidione retrò abie- *Hunni ſuſi fugantur.*
runt, atq; ita accidit ut ætate una bis Veneta ciuitas *lio.*
infirma adhuc: nondũ enim adoleuerat, contra duas ferocissimas gentes, & quibus multo maxima pars Europæ cesserat, nullis externis adiuta auxilijs, perstitit inuicta. Hunni in terram egressi præter omniũ opinionem breui Italiam deseruere, auro & obsidibus à Berengario acceptis, sic enim ille sibi & Italiæ pacem redemit, quando armis tueri non potuit. Fuerunt Hunni per annum in Italia, qui centesimus circiter fuit ab eo quo eodem fere loco fuerat cum Pipino à Venetis dimicatum. Alij aliquanto prius, ut suprà est demonstratum, Italiam ab Hunnis initam scribunt. Sed nos Blõdum hoc loco ut in multis secuti in Sergij tempora Hunnicum hunc coniecimus tumultum, possuntq; ob id hæc quæ de Hunnis diximus in eum uideri annum incidisse qui noningentesimus decimus fuit humanæ salutis, aut certè non multo prius posteriúsue res acta, nam tẽpora ad uiuum non reseco. Cæterum dum hæc in Italia gerebantur, Constantinus Leonis filius, qui Byzantij imperium per manus à patre acceperat, à Rom. quem *Conſtantinus imperio ſuccitur.*
Leo classi præfecerat, principatu deijcitur. Tradunt quidam Romanum Leoni insinuatũ, quoniam ferũ Leonem solus peremisset in uenatione, erat alioqui obscuro loco Romæ natus, quas sordes generis in eo auersati Calabri & Apuli qui sub Constantinopolitano ad id tempus imperio agebant à nouo & adulterino principe defecerunt. Tulit ille eam defectionem iniquo animo, occulteq; cum Saracenorũ *Saraceni in Italiam accitur.*
rege egit, qui Aphricam obtinebat, ut in Italiã transgressus Calabros & Apulos bello adoriretur, multisq; cladibus affligeret. Barbarus non tam Christiano principi gratificaturus, quàm ut suum in Christianum nomen expleret odium, classem & exercitum

tum studio comparat in Italiam transmissurus, sed A
res Italiæ aliquanto altius repetendæ sunt, priusquam calamitosa illa Saracenorum expeditio referatur. Obijt Sergius pontifex septimo anno quàm sedere cœperat, cuius extremis temporibus igneæ

Prodigia. faces insueto aspectu & ob id prodigioso toto cœlo uisæ sunt discurrere. Platina Hunnorum aduentum portendisse interpretatur, qui haud multo pòst Italiam ingressi mustas intulerint clades, & acceperint, rem alioqui silentio præterit, quod in Gallico fecit tumultu, ut nihil obscurè appareat infesto eum fuisse animo in Venetos ob Paulum, credo, pontificem,

Anaſtaſius III. pontifex. cuius memoriam acerbè insectatur, ut Satyram scribere uideatur non historiam. Post Sergium Anastasius tertius fuit pontifex, quo sedente Landulphus dux Beneuentanus cruẽtam pugnam in Apulia depugnauit cum Patricio Leonis Græcię imperatoris duce, qui tumultuose Italiã ingressus omnia se ferro & flamma fœdaturum minitari, nisi in Constantino politani imperij Calabri & Apuli redirẽt fidem. Sed Landulphus uanam hominis ferociam uno prælio ita fregit, ut priusquam Berengarius cum copijs adesset, sit cum Græcis debellatum. Anastasio pontifice monasticus Duniacensis ordo, ut quidam ex Be-

Duniacẽſis ordo, ſiue potius Cluniacen. Laudat pont. nedicti obseruatione in Masticensi Burgundię pago est constitutus. Fuit is annus noningẽtesimus ac tertius decimus humanæ salutis. Moritur inde Anastasius quum biennio sedisset, Landus uir Romanis sanguinis in defuncti locum suffectus est, tam obscura fama, ut à nonnullis pontificum numero eximatur. Potuisset eius memoria interire, nisi Gothifredꝰ autor esset, Landi pontificis interuẽtu posita esse arma quæ Berengarius secundus, & Rodulphus Guidonis filius accensis ad certamen animis uterq; aduersus alterum induerant, non desunt qui scribant Berengarium circa Veronam à Rodulpho acie superatum, eumque triennio potitum imperio. Ingens per B
id tempus cõtentio orta est inter Italos, Germanos, & Gallos, de imperij possessione, quæ res cruentissimis est postea prælijs decreta. Conari Italia imperium semel receptum acriter tueri, quæ res eo fuit ipsi terræ difficilior, quo irreparabilius interierat uetus illa maiorũ indoles. Et Landus per hæc fex mẽ-

Ioan. X pont. ses tenuit Barionæ sedem. Sequitur Ioannes huius nominis decimus, Romanus genere, Sergij pontificis filius, ut quidam prodidere. Blondus Taxignani in Flaminia ortũ, non Romę autor est, nec Sergij scribit fuisse filium, sed ubicunque ortus est, ac quocunque patre, initia eius pontificatus in noningentesimum circiter annum incidunt, ac duodeuigesimũ, sunt qui nouem ferè annos ex eo numero eximant, adeò in multis autores quos sequimur diuersi abeunt. Ioannis pontificatu Saraceni ex Aphrica Italiã

Saraceni Italiã inuadunt. inuasere: cæterum siue Romanus imperator ad Italiam inuadendam inuitauerit, ob Calabriæ & Apuliæ defectionem, ut suprà est memoratũ, siue ut Platina scribit, Græci iniquo animo ferẽtes, quòd à Landulpho prælio superati essent, ad eã expeditionem hortati sint, multo quòd latis cõstat, atrocius quàm fuerat expectatio Italiam adorti, Calabros, Apulos, Lucanos, & Salentinos bello captos, incẽdio, cædę, rapinis ad internecionem propemodum affligũt. Et iam de Roma & cętera Italia inter se diuidenda agitabant, quum Ioannes põtifex periculo publico motus, ab Alberico cuius opes late in Hetruria pollebant, auxilium implorat. Blõdus eorum opinionis est, qui Albericum põtificis fratrẽ fuisse aiunt, affuit ille cum ualidissimo exercitu, sed quẽ multo firmiorem fecerit delectus qui Romę habitus est. Bis cum ea est gente dimicatum, ac primo prælio non procul ab urbe uicti, iam enim Romanum agrũ inuaserant, inde ad Lirim flu. in Latij confinio circa Minturnas, & quod apud quosdam scriptũ reperio, adeò facile cæsi sunt, ut de Italia deserenda cœperint cogitare,

Saracenorum cædes.

omni itaq; maritima ora incensa in Apuliam cõcesserc, in Gargano arcem capiunt, ac sub iugo montis belli sede communita, multisq; postea annis Italiã iniuriæ obnoxiã habuere. Fuit Græcis ab initio persuasum, ut Saraceni Italica præda contenti, post uictoriam continuo abirẽt, atq; ita futurum, ut Apuliæ & Calabrię rebus afflictis, facile ad imperium retraherentur, eoq; consilio creduntur eam gentem ad Italiam inuadendam inuitasse, sed longe aliter euenit: nam Barbari ne bis quidem cæsi eijci potuerunt, & res Italiæ tam affectę erãt alibi. In Venetis Tribuno *Veneti duces.*
qui undeuiginti annis dux fuerat, mortuo, cuius auspicijs cũ Hunnis Veneti nauali prælio dimicarunt, Vrsus Badouarius qui defuncto suffectus est, quum aliquãdiu reip. præfuisset, religionis studio se dignitate abdicauit, monasticam uitam secutus. Sequitur Petri Cãdiani principatus, eius Cãdiani filij qui dux nauali pugna aduersus Narentanos perijt: hoc duce Histri suburbanis aquis tacite insinuati, ex Oliuolẽsi ędę aliquot puellas eius anni sponsas cum magno ornatu corporis inde rapuere. Moris fuit ſtato die, qui ritus adhuc durat, ut uirgines quæ nuper essent matrimonio locatæ, exquisitissimo cultu ornatuq; pretiosissimo apostoli ædem inuiserent, ut spectaculo essent uniuersæ ciuitati, nunc Deiparę uirginis quod Oliuensi ex aduerso respondet, templum celebrant. Consternata ciuitate tam atroci iniuria, dux cum tumultuaria manu Histros insecutus eos circa Caprulas assequitur, in diuidenda pręda occupatos. Iam enim uideri sibi omne periculũ euasisse. Incauti igitur facile opprimuntur. Alij atrociter dimicatum *Hiſtri raptos res cæduntur.*
scribunt, prædonibusq; ad unum cæsis, prædam incolumem receptam. Sunt ex ea uictoria ut res ad posteros extaret, annui ludi constituti, Marianiq; nuncupati, quòd sub diem purificationis Deiparę uirginis esset ea iniuria publicè uindicata. Est & cum Comaclinis bellatum, eodem duce, à quibus res ob uictos ciues fuerãt repetitæ nec redditæ. Comaclum expugnatũ, oppidani ne grauiora paterentur, pollicitisunt se imperata facturos. Iustinopolitani & ipsi sub id tempus in Venetorum potestatem uenisse dicuntur, sed deditio illa magis, ut arbitror, ui expressa quàm uoluntaria, quippe qui ob pollutas cæremonias uirgines que ex sacro raptas bello petiti, ne suo sanguine ea iniuria lueretur, coacti imperium acceperint, pactæ adhæc cẽtum uini amphoræ, quæ quotannis tributi nomine Venetias mitterentur. Petrus Badouarius Candiano succesit, fuit is Vrsi filius, qui religionem complexus, se magistratu abdicauit, huius ductu prodiderunt quidam puellas à prædonibus receptas, non à Candiano qui hunc præcesit. Quid alioqui toto triennio, quo Bodouarius dux fuit, sit gestum domi forisue non reperio. Succesit huic Candianus, Petri nuper principis filius, collega à patre ascitus, sed insolens iuuenis ingenium ac fœdi mores fecere, ut publico decreto sit collegio electus, mutata dein uita cum ętate, quia iri mores se faciliores composuisset, uno Badouarij principatu interiecto, eum ciuitas in integrum restituit. Infestabant per id tempus, ut siquando maxime, res Venetas Narentani, ut iam Veneti non procul abessent ab obsidionis specie: quã contumeliam quum ciuitas ferre non posset amplius, prævalidam ut tum res erant, instruunt classem. Vrsus Bodouarius & Petrus Rosulus educta classe iussi sunt Narẽtanos bello insectari. Hostes ad noui belli famam territi, pacem petiere, quæ conditione est his reddita, ut omnia damna quæcunque ad id tempus Ve- *Narẽtanis pax redditur.*
netis intulissent, æqua æstimatione persoluerent. Sunt qui tradant infecta re ut sæpe aliàs classem domum reductam. Sed quocunque euentu est cum Narentanis bellatum, Candianus dux ex tribus liberis uirilis stirpis iam adultis medium natu sibi collegam ascisuit, Petrum nomine, is, ut sunt quorundam

hominum ingenia quę in lętis rebus ſibi minus cō-
ſtant, iuniorum ſtudia complexus à patre & optima
tibus diſſidere cœpit, eoq́ue ſenſim proceſſit id ma-
lum, ut ciuitate in duas uelut factiones diuiſa, fœ-
dum certamen inſtaret. Candianus preſenti pericu-
lo motus, primum ſua omnium autoritate interpo-
ſita, gliſcentem diſcordiam, & iam propè adultam
ſuſtulit, autor inde fuit, ut magiſtratu filio iuſſu po-
puli abrogato exilium illi indiceretur. Sunt qui tra-
dant in uincula adductum capitaliq́ue ſupplicio di-
gnum iudicatum. Cæterum patre extremam illi pœ
nam deprecante in exilium actum uniuerſo clero ac
primoribus ciuitatibus iureiurando aſtrictis, nun-
quam paſſuros ſe Petrum Cădianum hominem ſe-
ditioſum in eam dignitatem reſtitui, unde eſſet me-
rito electus. Exul Rauennam ad Guidonem Beren-
garij filium ſe cōtulit, apud quoſdam Albertum pro
Guidone ſcriptum reperio, quo annitente à Beren-
gario Candianus exul tenuit, ut quando à ſuis ciui-
bus hoſtis iudicatus eſſet, hoſtiliter eos inſectari li-
ceret, ſex igitur naues ad hoc ipſum à Guidone in-
ſtructæ, ut arbitror, nam quæ extorris hominis for-
tuna, preſertim ut tum res erant ſex nauium claſſem
ad bellum ornare potuiſſet? His à quocunque in-
ſtructis ferox iuuenis fretus, res Venetas hoſtiliter
infeſtat, ſuntq́ue aliquot negotiatoriæ naues ab eo
interceptæ. Id filij latrocinium uerius quàm bellum
pater dereſtatus, dolere ſimul ac fremere, ultionem-
q́ue meditari, cæterū nimio mœrore confectus, pau-
cis diebus uita deceſſit. Sed ut leuia ſemper fuerunt
uulgi ſtudia, leuiter enim & amat & odit, Candiano
defuncto filius exul & hoſtis publico decreto reuo-
catus contra cleri optimatiumq́ue iuſiurādum dux
patri ſurrogatur. Luit ciuitas neglecti numinis pœ-
nas tyrannica ducis adminiſtratione, publicoq; in-
cendio, dux ipſe ſuæ in patrem & patriam impieta-
tis. Ferunt officij gratia trecentas illi naues obuiam
prodiuiſſe. Sed de huius tyrannico principatu, infe-
liciſimoq́ue exitu, ſua erit poſtea relatio, nunc quia
rerum Venetarum explicatio paulo longius excur-
rit, cætera Italiæ dicenda. Romæ poſt Saracenos ad
Lirim fluuium uictos, Albericus cum ouanti ſimilis
in urbem redijſſet, confeſtim in acerrimos inuidiæ
morſus incidit, quando quæſitæ uictorię decus to-
tum ad ſe traheret, conflata eſt illi inuidia confe-
ſtim & odium in ciuitate, apertamq́ue cum pontifi-
ce ſimultatem nōnihil exercuit, quæ res facit ut eo-
rum non ſim opinionis, qui Albericū pontificis fra-
trem fuiſſe arbitrati ſunt, ipſe quod inter omnes cō-
uenit, ex urbe pulſus, Ortam Hetruriæ urbem con-
ceſſit irarum plenus ingratæ ciuitati minitans, nec
deſtinatum facinus diſtulit, ſed ad Hungaros miſit
qui illos ſuo nomine in Italiam accerſerent, ſuá pol-
licitus operam ad urbis Romæ expugnationem. Illi
tantam occaſionem cupidè complexi, fœdus cū Be-
rengario nuper ictum aſpernati, Italiam repetunt,
Hetruriam, quæ ut ab omni hoſtili uexatione inco-
lumis eſſet Albericus pepigerat, rapinis, incendio,
cædibus, præ cæteris Italiæ terris affligunt, ut fœ-
diſſima illa clade, amœniſſima Italiæ prouincia, ſit
propemodum omni humano cultu deſerta, mari-
bus promiſcuè & fœminis qui cædi ſuperfuerant in
Pannoniam abductis: qui fuerint in nouo illo tu-
multu Berengarij conatus parum liquido traditur,
ſatis conſtat Hungaros Italię opulentia ſemel atque
iterum guſtata, ſæpius reuerſos, ut ſtatis expeditio-
nibus quotannis uelut ad uiuaria recurrerint, atque
ita accidiſſe, ut uno tēpore duæ externæ gentes im-
pune omnium terrarum nobiliſſimam diriperent.
Trans Aternum amnem & Tyberim, ſuperi inferiq́;
maris oram Saraceni ex Gargana arce popularētur,
citra uero Hungari, quū Berēgarius interim, ut qui-
dam innuere uidentur, ægre imperij nomen tuere-
tur, in ea Italiæ parte quæ Longobardia non multo
prius cœperat appellari, olim Ciſalpina fuit Gallia,
qui tantum abfuit ut aliquo modo conatus ſit eam
iniuriam armis ulciſci, ut accepta ab Hūgaris fide, ne
res ſuæ uiolarentur, per otium paſſus ſit cæterā Itā-
liam populari. Sed quod in Hunnis ferebat Berēga-
rius, in Lodouico Boſonis Burgundiæ regis filio nō
tulit, quem Ioanne adhuc ſedente, per Taurinos in
Italiam cum exercitu tranſgreſſum, prælioq́; ſuper-
atum, atq; in poteſtatem redactum ea conditione
dimiſit, ut ab Italia abſtineret. Blōdus autor eſt à Be
rengario ſecundo Lodouicum armis ſuperatū, quo
apparet hunc qui in Ciſalpina Gallia tā obnoxie ui-
xit, ægreq; tutarus eſt imperij nomen, nō eum fuiſſe
qui in ipſo limite Italiæ cū Hungaris prima eius gē-
tis expeditione parū feliciter dimicauit. Philippus
Eremitanus, neſcio quē ſecutus à primo Berengario
ſuperatum ſcribit, fuiſſeq; ab eo Lodouicum uictū,
priuſquam Hunni Hetruriam uaſtarint. Cęterū quia
ſatis cōſtat bis Lodouicum Italiam ingreſſum, biſq;
prælio ſuperatum, ſemel quū addictus eſt ſacramen
to ne Italiam infeſtaret, iterum, quod loco non mul
tum diuerſo ſit dicendum, contra iuſiurandū & fidē
datam, quo cōtigit ut bello captus luminibus ab ho
ſte ſit priuatus. Fieri potuit ut à primo Berēgario pri
mum ſit uictus, ac dimiſſus, nam ab eo qui ſucceſſit
haud dubie excæcatus eſt, ſed utcunque hęc tradita
ſunt, tres quod inter omnes conuenit Berēgarij im-
peratoris nomen in Italia ſunt ſortiti, quibus Guido
Lotharius & Albertus interfuerunt, ſiue regum no-
men, ſiue imperatorum tulerint, interfuerunt́que à
Berengario primo (is enim imperium ex Gallia pul
ſum in Italia recepit) ad Othonem qui ex Germanis
primus legitimum tenuit imperium, anni quinque
circiter & quinquaginta, etſi nonnihil interim Ro-
dulphus Burgundius, & Vgo Arelatēſis in Italia re-
gum appellationem tulerunt. Repetita eſt bello Ita-
lia à Lodouico, haud longo interiecto tempore, eſt-
que circa Veronam ille à Berengario ſecundo, quod
inter omnes conſtat, prælio ſuperatus, redactuśq; in
hoſtium poteſtatem luminibus priuatur. Sāxit inde
pacem cum Hunnis Berengarius, qui rapto & ui bel
lica uiuere aſſueti, Alemaniam inde & Saxoniā ſæpe
prędati ſunt. Nec Italia Hunnico metu leuata omni-
no quieuit. Romani Ioannis pontificis hortatu Al-
bertum ſecuti Vmbriæ ducem, Ortanā expugnant,
Albericū qui Hunnos in Italiam accerſiuit, fœde ob
truncāt. Saraceni interea diuerſa Italię parte ex Gar-
gano Apuliam & Calabriā crebris excurſionibus
uaſtant. Beneuentum poſtremum adorti ui capiūt,
captum diripiunt & incendunt, tum uero finitimæ
urbes Beneuentanorum clade perculſæ, eius gentis
præſidium accepere. Cæterum ſuperuenientibus à
pontifice ſubſidiarijs cohortibus, Barbari prędæ ma
gis quàm pugnæ intenti, ſine prelio Ro. finibus ceſ-
ſere. Guido qui cum pontificis & Romanis cohorti-
bus Barbaros porrò fugauerat, Romam reuerſus Io
annem pontificem oppreſit, oppreſſum atq; in uin-
cula coniectum, necandum curauit, anno initi pon-
tificatus tertiodecimo. Ioannes qui eo defuncto ſa-
cram inuaſit ſedem, quia cōfeſtim inde deturbatus
eſt, in pontificum ordinem non uenit. Leo deinde
ſui nominis ſextus, legitime creatur. Sub id tempus
Henricus primus, Othonis Saxonum regis filius, in
Germania imperij nomen ſuſcepit, inſignia ſortitus
eſt nunquam, quapropter imperatorū numero exi-
mitur. Quod mox in cæteris eſt ſeruatū, qui in Ger-
mania imperatoria tantū appellatiōe cōteti, neq; im
perij coronā accepere, neq; ſunt Italię imperio poti-
ti. Fuit Hēricus uir aliog bellica uirtute inſignis, mul
taq́; p̄ſpere geſit in Hūnos & Boëmos prelia, q Ger
maniā infeſtabāt, nec minor indoles in cōiuge Ma-
tildide, cuius uirtus illuſtriū etiā ſcriptorū teſtimonio
eſt poſteritati commendata. Imperauit imaginario
nomine Henricus annos duodeuiginti, qua tempe-
ſtate

Attēde fœdum facinus.

Hungari Italiā repetunt.

Albericus.

Leo ſextus.

Tres Henrici imp.

ſtate cœpit Berengarij potentia ſuſpecta eſſe Italiæ
tyrannis, poſt fœdus cum Hunnis ictum. Enimuero
ille barbarico terrore leuatus omne ſuū ſtudiū con-
tulit ad componendū Italiæ ſtatum. Italis igitur cō-
niuentibus, qui à Berengario metuebāt, Rodulphus
Burgundiæ dux (ſunt qui magnis pollicitationibus
eum accerſitum ſcribant) Italiam cum exercitu in-
greſſus, Berengariū regno deturbat, dignitate ille &
opibus ſpoliatus, in Pannoniam ad Hunnos abijt.
Potitus inde eſt regis & imperij nomine Rodulphꝰ
tres annos. Hunnis inde Italiam Salarpi ductu inua-
dentibus, breui mutata ſunt omnia, gēs ferox & Ita-
licæ prædæ aſſueta, quacunq; impetu ferebatur, mi-
ſerabiliter terram ipſam affligere, Ticinum ui captū
excidio dedere conata eſt. Itali per hæc docti q̄ parū
præſidij ſibi in Rodulphi armis foret, Vgonem Are-
latēſem comitem cum exercitu accerſunt, ſub cuius
aduentum Rodulphus ſine ullo, ut quidam tradūt,
certamine exceſſit Italia. Tenuit inde Vgo imperij
nomen annos decem, quo tēpore Arnauldus Bauā-
rus cum exercitu eandē terram ingreſſus, à Veronē-
ſibus exceptus eſt, rexq; tumultuoſe appellatus. Cæ
terum Arnoldo armis ab Vgone uicto, breui omnis
ille motus reſedit. Incidit in hęc tēpora Leonis pō-
tificatus, aut certe paululū prēceſſit. Intenderat ani-
mum Leo ſtatim à ſua creatione ad Italiam placan-
dam, fuiſſetq; uoti compos, tanta in eo fuit indoles,
niſi fata Italię rebus infeſta, mortem hominis nimiū
acceleraſſent. Obijt menſe ſeptimo quàm ſedere cœ
perat. Poſt Leonē Stephanus pontifex creatur, Vgo
interea qui rerum in Italia potiebatur, quoſdam ex
primoribus Italici nominis quorum ſuſpecta fuit fi-
des, afflixit, aut in exilium egit. Obijt interim Berē-
garius ſecundus in Pannonia, ſiue in Sueuis, ut pro-
dunt alij, ſecutus eſt Berēgarius tertius, primi Beren
garij ex filia nepos, qui cum exercitū in Italiā uenit,
aut ium paternumq; regnum repetiturus. Qui homi
num uenientem ſecuti ſint non traditur, nec cū quā-
to exercitu ſit ipſam terram ingreſſus. Fuit, quod in-
ter omnes conuenit, annus ille quo Berengarius eſt
in Italiā reuerſus noningēteſimus ac trigeſimus pri-
mus, alij quatuor annos huic numero adijciūt. Sedit
Stephanus duobꝰ annis, quo adhuc pōtifice Gemal-
tenſe cœnobium opus ſumptuoſiſsimum, ab Vgil-
berto Lothoringię principe eſt in Gallia extructum,
& Spitigneus Boëmiæ dux (nūc reges ſunt in ea gē-
te) Chriſti fidem recepit. Sequitur Ioannes ſui no-
minis undecimus. Platina loco non multū diuerſo,
Ioannem decimum ſcripſit Sergio pontifice natum,
nunc quod iure mirari poſsis, huic qui undecimus
eſt, eūdem Sergium reddidit patrē, manifeſto haud
dubie errore, niſi quis malit credere Sergiū duos ha-
buiſſe filios, qui diuerſo tēpore pontificia ſint digni-
tate functi. Blondus [illegible] tantū abeſt ut Ioan-
nem decimum Sergij filiū crediderit, ut in Flaminia
etiam procul ab urbe externis obſcurisq; ortū mata-
libus ſcripſerit, quod quum ita ſit, libet credere Ioā-
nem undecimum Romæ ex Sergio natum, qui uero
decimus fuit externi generis fuiſſe, ut Blōdo placuit
ſe uideo. Inter initia igit̄ noui huius pōtificatus fons
ſanguinis, ut Vincētius ſcribit, Genuæ ubertim flu-
xit. Portendit id prodigiū fœdā calamitatē, quæ bre
ui pōſt ſecuta eſt. Enimuero Saraceni ingēti claſſe ex
Aphrica profecti, Italiam ut ſiquando antea tumul-
tuoſiſsime inuadunt, Genuam graui obſidione preſ
ſam ui capiunt, propugnatores primo ingreſſu truci-
dant, multos mortales ex templis & latebris ex-
tractos, ſæuitia iugulant: puellas, matronas, & ma-
res impuberes nauibus impoſitos in Aphricam de-
portarūt. Sunt qui ſcribant omnes uirilis ſexus pōſt
in patriam reductos, ſed quō caſu non expediunt.
Hungari per idem tempus in Marſis, ut Platina ſcri-
bit, primo Italica præda exuti ſunt, inde ad unū oc-
cidione occiſi.

Rodulphus imperio potitur.

Vgo imperio potitur.

Stephanus Ro. pontif.

Gemaltēſe cœnobium.

Ioan. XI. Ro. pontifex.

Prodigium.

Genua à Saracenis capitur.

ENNEADIS IX. LIBER II.

DESIIT Ioannes pōtifex in humanis agere, anno quinto quàm ſedere cœperat. Fit inde pōtifex in demortui locū Leo ſeptimus, Vgone Italis imperante, nam Berēgarius tertius, qui cum exercitu nuper uenerat, ſiue ſuis opibus diffiſus, ſiue quia Italorū in ſe ſtudia multo frigidiora ſua opinione offenderat, ubi primum comperit ab Vgone parari in ſe arma, Italię finibus egreſſus, in Sueuiam conceſsit, & in Germania Henrico per id tempus defuncto Otho regni & imperij locum tenuit, omnibus gratus ob ingenij facilitatem. Saxones eadem tempeſtate, Hūnos ſuam hoſtiliter terram populantes, prælio adorti ad ſatietatem eciderunt. Vna clades uerum teterrima ab Hunnis accepta, in cauſa fuit, ut diu poſtea gens ipſa tenuerit ſe intra Pannoniæ fines. Quieuit Italia eo triennio, quo Leo pontifex fuit, ab omnium bellorum motu, eſt tamen fame uehementer laboratum, quum Vgo adhuc rerum potiretur. Inſigniuit hæc tempora Spitignei Boëmorum ducis, & Vinceslai eius filij pietas. Hunc frater regnandi cupidus interfecit. Romana eccleſia ob ſanctitatem inſignem in ſanctorum numerum retulit. Par ſanctitatis fama in Vgilberto Lothoringiæ principe, per idem tempus celebrata, qui & ipſe ſanctorum eſt catalogo aſcriptus. Fuit Leo centeſimus pontifex à primo ac trigeſimus. Stephanus eo nomine octauus proximè ab eo ſedit, Germani ſanguinis, eſtque is urbanis motibus uarie agitatus, ad poſtremum incidit in diſcrimen maximum, ciuili tumultu tam fœde mutilatus eſt, ut diu cicatricum deformitate publico abſtinuerit. Parauit Vgo arma ad eam iniuriam ulciſcendam, ſed rem exequi non potuit morte prœuentus. Nec Lotharius huius filius, qui poſt illum eſt Italiæ imperio potitus, fuit cuiquam eo nomine infeſtus, uel quia Romanorum amiciſsimus eſſet, aut quòd non diu poſtea ſuperfuit, biēnio tantum imperauit. Blondus ſignificare uidetur, Vgonem adhuc in humanis fuiſſe, quum Berengarius iterum in Italiam reuerſus, imperio potitus eſt, ſed ille Agapeto pontifice redijt, qui Martini tertij pontificatu interiecto, Stephanum ſecutus eſt. Otho interea ex Germania Boleslao Boëmiæ duci bellum intulit Vinceslai cædē ulturus, de qua ſuprà eſt memoratum. Varie aliquandiu eſt hinc inde bellatum, demum multis cladibus ultro citroq́ue illatis, & acceptis, ad poſtremum Boleslaus uictus in Othonis poteſtatem uenit. Vixit Stephanus per id tempus pontifex, tres annos. Sequitur Martini tertij pontificatus multo popularior priore, proniorq́ue in religionem quàm in bella, aut ſeditiones, nec tamen caruit motu, Othone Germanię rege Italiæ finibus imminente, Lothario aduerſa ui reſiſtente, eſtq́; id certamen magnis utrinq; cladibus decertatum, quum fame alioqui teterrima Italia premeretur, uillis bellatorum iniuria deſolatis, omni agreſtium multitudine pecoreq́ue in prædam abducta. Eſt & Conſtantinopoli eodem pontifice tumultuatum, ciues Conſtātinum imperatorem captum abraſo capite in inſulam relegant, imperabatis quadrageſimoſexto loco Byzantij. Vultus eſt eam iniuriam Conſtantinus Leonis filius eius ſucceſſor, iniuriæ autoribus pari ignominia affectis, eademq́; exilij ſede aſſignata. Sedit Martinus tres annos & dimidium, cui defuncto Agapetus ſucceſsit, eius nominis ſecūdus. Incidit Agapeti creatio in turbulentiſsimū Italiæ ſtatum. Platina autor eſt, per id tempus omnem terram Ciſpadanam ab Hungaris bello captā, atq; eiſdē locis bis eos prælio uictos ab Henrico Bauarię duce: Blōdus Aquileiam

Leo VII. pont. max.

Vincislaus.

Vgilbertus.

Stephanus VIII. pont.

Boleslaus Bōemus ab Othone capitur.

Martinus II. pontifex.

Agapetus II. pontifex.

Aquileiam à Bauaris ait captam, Italiam ab Hungaris tentatam, processumq; ab his Iustinopolim usq;, duobus inde prælijs fractos in Pánoniam reuersos, uerum quàm in hoc illis parum conuenit, tam in eo quod sequimur, ac nescio an minus etiam. Platina Stephani octaui pontificatu significat Vgoné, qui rerum in Italia potiebatur, extinctum, cum pōtificiam dignitatem nefarie uiolatam pararet ulcisci. Blōdus Agapeto sedente Berengarium ait, cum ualido exercitu in Italiam reuersum, in quem quum Italorū studia aperte inclinarent, tum Vgoné cum Berengario per legatos de pace egisse, fœdusq; in id percussum, ut Vgo Italia decederet, Berengarius & Lotharius Vgonis filius pari iure in ipsa terra regnarēt, atq; ita Vgonem non multo pòst quàm Arelatū redijt mortem obiuisse, adeò duo illi nonnunquam diuersi abeunt. Adijcit Blondus parū concordi animo à collegis regnum administratum, sed Berengario prægraUante Lotharium pro despicato Ticini cū uxore aliScriptorū uarietas. quādiu uitā egisse. Platina fœderis huius omni mentione supressa, Berengarium scribit in Italiam reuersum, cōfestim imperio potitum, Albertumq; filium Italiæ regem ab eo declaratū, in eo, ut uideo, ambobus conuenit, esse à Berengario superbissime imperatum, coniectamq; ab eo in uincula Aludam Lotharij fratris sui filiam manifesto errore scribit Platina, nam si cæteris qui de ea re aliquid prodiderūt, ueritas fuit curę, Lotharius nō Berengarij frater, sed regni fuit collega, nec Aluda Lotharij filia sed uxor, q̄ scriptorum inconstātia facit ut minus ausim horum alterutrum pro certo ponere. Henricus igitur Hunnis ab Italiæ ingressu repulsis, omnem circumpadanam oram ab Aquileia ad Ticinū populatus est, ut sibi non Italis, non Berēgario uicisse uideretur, nam is ante Hunnorum accessum Italiæ imperiū receperat, ut Blondus scribit. Henrici iniuriam ulturus Berēgarius, ex Italico delectu exercitum comparat ingētē. Bauarus suis opibus diffisus, Ticino digressus, secundo Pado cum exercitu delatus in Patauinum agrum egreditur, fugientiq; similis Italiam reliquit. Fluctuabat adhuc statᵃ ipsius terrę Bauarico tumultu, quum Taxis rex ægre ferens Hungaros Italiæ finibus ab Henrico depulsos ratus hostē adhuc in Italia esse, nam de eius fuga nihil adhuc auditum erat, cum ingenti exercitu Italiam irrupit. Raro aliàs ad ullum externarum gentium incursum, tantus Italorum animos terror inuasit. Credere omnes uulgoq; prædicare, uenisse tempus quo nō solum res Italiæ, sed ipsum quoq; nomen gentis memoriaq; funditus deleretur. Cæterum Berengarij siue consilio, siue fortuna, siue potius utrunque affuit, illius opera (quod satis constat) breui metus ille discussus est, Alberto filio cum magno argenti pondere in Panno*Quāti pax redempta Italiæ.* niam ad regem misso, decem modijs argenti pax ab Hunno redempta est, enimuero Taxis Berengarij precibus, siue potius pretio, ut credere æquum est, placatus, Italia abstinuit, eratque per hæc iam alter communis imperij annus circumactus, quum Lotharius rex tantum nomine, fato defunctus est, post cuius interitum Berengarius Aludam eius coniugem arctissimæ custodiæ tradidit, ne Ticinum (erat enim illi dotale) nouæ affinitatis prætextu alij traderetur, recensque aliquis in Italia existeret motus tam claræ urbis alienatione. Collega igitur sublato, rebusque regni ex sententia firmatis, se Berengarius Augustum appellat, Alberto filio Cisalpinam Galliam regendam permittit, Italię regem uocat. Sed dum hæc in Italia geruntur, Otho in Germania multa & grauia bella præclare gesśit, eratque eius nomen quum alibi terrarum, tum in Italia clarissimum, quam Agapetus pontifex securus famam cum eo per literas & nuntios egit, ut afflictis Italiæ rebus subueniret: oderat Agapetus Berengarij nomen, quippe qui non regem, non imperatorem, sed

A iam aperte tyrannum ageret: præstitit id Otho libenter, utpote qui sua sponte aliquando conatus esset in Italiam transcendere, cum quinquaginta armatorum milibus per Foroiulienses qua potissimum parte semper ipsa terra externis patuit gētibus Italiam ingreditur. Nec multum illi negotij cum hoste fuit, Berengario & filio regno deiectis, Ticinum proficiscitur, Aludam carcere eductam sibi matrimonio iungit, uictis hostibus dat ueniam, & Cisalpinam Galliam Verona duntaxat & Aquileia exceptis, permittit regendam. Tantum clementiæ in Othone fuit. In Germaniam inde reuersus filiū ex Aluda tulit, qui postea secundus est Otho dictus, necille post suum in Germaniam reditum multum à re bellica quieuit, sed Lodouico Francorum regi qui iampridem à Normanis arcta custodia macerabatur, opem ferre constituit. Hunc Vgo Parisiorum comes, cum primoribus Gallorum insidijs exceptum, in suam potestatem redegit, redactum Normanis tradidit, causam facti non reperio. Erat soror Otho-*Pulchrū nis facinus* nis Vgoni matrimonio locata: ualuit tamen apud fortissimum regem, magis regia maiestas, quàm priuata necessitudo: cum inuicto igitur exercitu, nam uiginti legiones & amplius sub signis habuisse proditum est, Galliam ingressus, facile tenuit, ut Lodouico soluto Normani omni ui bellica abstineret, ipse amico rege & consanguineo per hęc in regnum restituto, in Germaniam reuertitur. Et Otho talis in suos fuit. Hoc demum tempore Veneti Comaclum incendio cremarunt, fuit ultio illa nō iniuria, ut suo est loco demonstratum. Sedit Agapetus qui in hæc tempora incidit, annos nouem & dimidio amplius, obijtq; eo tempore quo & Oddo Cluniacensis abbas, cuius discipulus Domacelus magnæ uir sanctitatis, monasticam restituit disciplinam. Ioannes *Ioannes XI. pontifex.* duodecimus, [redacted], domestica potentia, nam Alberti Italię regis, ut quidam scribunt, fuit filius, omniumque sui similium studio & fauore fretus, pontificatum occupat. Eam rem auersari duo ex primoribus cleri, utrique fuit Ioanni nomen, ambo supremi ordinis antistites, per literas Othonem obtestātur, ut Barionæ sedem ab infanda Berengarij & Ioannis pontificis conspiratione uindicet, alioqui breui futurum ut Romana ecclesia unà cum imperio caderet, magnum erat tum Othonis nomen ob ea quæ præclare in bello gesserat Boleslao Boemiæ uicto, Hungaris qui Germaniam uastabant prælio superatis, tribusque eorum regulis captis, laqueoque necatis, etsi Othone ignaro, Berengario & filio imperio eiectis, & in regnum restitutis, Lodouico rege à Normanis recepto. Cæterum dum Otho expectatur, patefacto duorum antistitum consilio, qui ad illum literas dedere, [redacted]. Otho sęua pōtificis animaduersione adhuc magis irritatus, in Italiam transgressus, Berengarium & Albertum captos procul Italia relegat, atque ita accidit ut pater filiusque uterque diuersus ab altero, hic in Austria, ille Byzantij, quò fuerant deportati, in luctu & mœrore uitam finiuerint. Vrbem inde ingressus Otho, à Ioanne honorificentissime susćipitur, ornaturq; imperatorijs insignibus, ut quidā tradunt, Germaniæ Pannoniæq; titulo recepto, quem *Otho imperator primus Germaniæ Imperij translatio.* omnis deinceps imperatorum posteritas obseruauit, ac tum primum translatum est in Germaniam imperium. Alij ad Leonem octauum id referūt, qui uno Benedicti huius nominis quinti pontificatu interiecto, sedem tenuit. Bibliothecarius Ioanne pontifice Othonem Romam uenisse prodidit, omni alioqui imperatoriæ dignitatis adeptæ mentione omissa. Qui à Leone imperij insignia accepisse aiunt, sic colligunt, ut dicant fuisse annum illum, quo

quo imperium est in Germanos translatum, nonin-
gēresimum salutis humanæ ac sexagesimum secundum, ut à Lōgobardorum regno euersō centū circiter annos fuerit à Gallis imperatū in Italia, dein annos quinq; ferè & quinquaginta māserit. Imperium in Germaniam per hæc quę diximus translatū, in ea terra quinq; & amplius ætatibus adhuc durat. Sed à quocunq; pontificum imperator inunctus est, insignibusq; ornatus, Otho, quod satis cōstat, multum diuq; conatus est Ioannem pontificem ad honestiorem uitā reuocare, nam præter alia flagitia in manifesto perseuerabat cōcubinatu: assidendo itaq; blādeq; appellando hominem hortari ad ea, quę honestiora essent, ipsiusq; dignitati utiliora. Expedire pō*Germani imperium obtinent* tificiæ dignitati, & uniuersō clero, ut optabili uiueretur exemplo. Cęterum quū nihil Otho proficeret, nam praua fœdaq; ingenia obsurdescūt salubribus cōsilijs, tum Otho ne non omnia experiretur, minis pontificem est terrere adortus, cōciliumq; Italiæ antistitibus indicit, ut de pōtificis uita, ex illorum sententia statueretur. Ioannes suorum scelerū sibi con-
Io. pōti. latebra. scius, haud ignarus quale de se futurū esset iudiciū, in Hernicos fuga se proripuit, latuitq; in syluis aliquandiu omnem hominum occursum uitabundus.
Leo VIII. pō tifex. Otho interim magno cleri consensu Leonem Laterauensis ecclesię scriniarium creat pontificem: hunc Othone Roma digresso, Ioannis ponti. qui solū exilio uexerat propinqui clientesq; pontificia sede deturbant, Ioannem reuocant. Cęterum diuina prouidentia accidit, ut priusquam id monstrū in Christiani nominis dedecus restitueretur, priuata ui sublatū sit è medio: ferunt in adulterio deprehēsum turpiter perijsse, nec propterea desedit urbanᵘ ille motus, sed Benedictum in Ioan. demortui locum creant Rom. eam Otho lectionem non modo non probauit, erat ille adhuc in Vmbria, sed armis Ro. coēgit Benedicto dignitatem abrogare, Leonem restituere. Multa
Itinde prodigia. & terrifica in eo ecclesiæ motu prodigia facta dicuntur, & in his lapis ingens è cœlo cecidit sęuiente imbrium & uentorū procella, & signum crucis in multorū uestibus ex improuiso apparuit, quæ rerum ostēta insignem aliquam clero calamitatē portendere interpretabātur. Ioānes omnium pontificū qui ad id tempus fuerant flagitiosissimus, anno sui pōtificatus nono periit, alij quatuor annos & denos mensēs attribuunt. Benedictus qui in eius fuerat locū surrogatᵘs, breui apostolica est fede eiectus. Otho Ro. iratus, ne legatis quidē auditis, qui ex urbe missi fuerant ad ueniā implorādam, omnia circa urbem hostiliter est populari adortus, quo terrore subacta ciuitas Leonem restituit, estq; ab Othone iuramento adacta, ne quid postea mutaret eorum, quæ imperator in re pontificia constituisset. Benedictus sexto mēse quàm sedere cœperat est in ordinem redactus, quem Otho postea secum in Germaniā abduxit, ne Romæ relictus nouī alicuius esset motus causa. Leo sui nominis octauus, qui Othone autore fuerat pontifex creatus, & à Ioānis duodecimi factiōe eiectus, eiusdem Othonis imperio restitutus, obijt anno primo sui pōtificatus, in quo illud fuit insigne quòd in eo restituendo ius creandi pontificis à populo & cle-
Io tertiusdecimus pontifex. ro ad imperatorem trāsijt. Ioannes tertiusdecimus appellationis huius Leoni succesit, quo sedēte redijt Romanę ciuitati suum pellendorum pōtificum ingenium, factoq; in Lateranēsem domum impetu, Ioannem capiunt, captum in Adriani molem obtrudūt, mox custodiæ exemptum in Campaniam relegant. Incidit in hæc tempora uiolentus ille in Venetis, & ad recordationem tristis Petri Candiani principatus: fuerat is ab exilio in urbem restitutus, ut suprà est demōstratum, contraq; cleri & optimatium iusiurandum princeps creatus, inter initia cuius administrationis Veneti, ad Othonem imperatorē & Leonem pontificem misere, estq; ea legatione impe-

Gradensis ecclesia.

Petri Cādiani facinora.

Attende incendium.

Attende Catharinæ preces.

Cædes Candiani & filij.

Decarchones.

Quid terræ Ro. possiderēt

tratum, ut Gradensis ecclesia Venetiæ & Istrię princeps & mater esset, nec ita multo pòst Cādianᵘ dux cum uxore diuortium fecit, causatus grauem in illa ętatem, per quam amplius parere nou posset, filium quem ex ea susceperat, per speciē religionis abdicat, sed paterna iniuria adolescenti beneuertit, qui sacris initiatus Gradēsis postea antistes fuit, & ille per hæc domum futuris nuptijs fecit uacuam, necita multò pòst Vualdertam Guidonis filiam duxit uxorē, qua affinitate auctus legitimum principatum in tyrānidem uertit, minarum & superbiæ plenus, terribilis nō iucundus uideri cupiebat populo: inde Opiterginis bellum intulit, bello eam causam prætexuit quòd diceret ab Opiterginis prædia quædam possideri, quæ ad Vualdertam cōiugem dotali nomine pertinerent. Vastatis itaq; Opiterginorum finibus, oppidum ui captū diripuit. Sunt & Ferrarienses eodem nomine ab eo uexati, oppidumq; in eorū finibus expugnatum. His demum successibus multo q̄ antea insolentior factus, ducarium præsidio firmat, simulq; in apertam prorumpit tyrānidem: populus suæ libertatis memor, arreptis armis in eum impetum facit, tuebatur locum suoq; præsidio nixus, petitur itaq; tyrannus igniq; in propinquas ædes iniecto fœuum conflatur incendium, quo ducariū primo, inde Marcianum templum deflagrauit: Candia nus ancipiti malo perculsus, urgente flamma, filium quem ex recentiore coniuge tulerat, complexus in eam templi partem transijt, quam nondū ignis corripuerat, secretioremque uiam ingressus, cum nato quem sibi exilij comitem destinauerat, fugam molitus est, uerum ubi omnia obsepta armis uidit, tū in preces uersus orare cœpit, ne se tanquam immanissimam beluam, infestis armis circūsisterent, tansisper ferro temperarent, dum suam causam ad populum diceret, tum ciuibus integrum fore de se statuere quicquid libitum esset. Cæterum habere populum fortasis iustam in se iræ causam, filium insontem ab omni iniuria procul abesse debere, inhumanè facturos si patris odio in eum sęuiant, qui per ætatem peccare non potuerit. Incassum missæ omnes illius preces, atque ab infesto armatorum globo acclamatum, fas piumque esse tyrannum tollere, cuius causa nisi mala esse non posset. Ac cum his pluribus uno tempore uulneribus petitus, cum filio confossus concidit. Sunt qui scribant filium in nutricis gremio iugulatum, amborum corpora sunt ad macellum canibus proiecta. Cæterum Ioanne Gradonico petente, tam fœdum spectaculum subtractū est oculis iratæ multitudinis, corporaque è publico sublata, sepulturæ reddita sunt: incendium circa ducis sedem primo contractum, non solum Marcianam, sed Theodori etiam cum trecentis priuatis domibus, perpetua flamma consumpsit ædem. Et Veneti per id tempus, tam memorabili exemplo sunt tyrannidem ulti. Ioannes pontifex undecimo mense quàm fuerat ex urbe eiectus, Romā reuersus est, Lonfredo Campaniæ comite, cuius ductu fuerat à ciuibus oppressus, cum filio ab his quos facti pœnituerat, interfecto. Affuit nec multo pòst Otho, qui audita pontificis calamitate, cum Othone filio, ingentibusq; copijs omnium opinione celerius in Italiam transcendit, Romamque ingressus consules & præfectum urbis, cum Decarchonibus in uincula conijcit, creabantur adhuc Romę duo annui consules, erat & præfectus urbis qui ius populo dicebat, & hi patritij ordinis, ex plebe Decarchones duodecim numero qui senatus uicem gererent, ut quidam scribunt, ego tribunitiæ potestatis imaginem eam fuisse potius crediderim. Nec enim prorsus obsoleuerat ueteris regiminis forma, supererat species adhuc aliqua imperij, quicquid enim terræ patet intra urbem ueterem & Tudertum, & rursus à Neapoli Beneuentoque ad Marsos, & Reatinos, qui Sabinorum

rum sunt,id totum Romanæ erat ditionis,hoc certè fuit quod ex tanto olim imperio reliquũ fecerat fortuna Romano Populo. Habuit inde Otho quæstionem de iniuria pontificis, autoresq; eius motus alij sunt alio supplicio affecti,cõsules in Germaniam relegati: Decarchones laqueo necati sunt, Petrus urbis præfectus omnium malorum caput diu per urbem distractus,ac uirgis cæsus,& ipse trãs Alpes postremò ablegatur:sunt qui scribant præfectum urbis pontifici excarnificandum ab Othone datum barba & capillis detonsis,ad Constantiniani equi caput aliquandiu pependisse,ut cæteris documẽto esset, ne quis temerè sacrosanctam dignitatẽ uiolare aliquo modo auderet.Inde asino sedẽte, ore ad clunes obuerso,manibus ad caudam ligatis, per urbem circũuectum, postremo ad necem propemodum cæsum, ac tum demum in exilium actum. Pari seueritate,ac nescio an etiam maiore usus est in Lonfredum & filium nuper interfectos, amborũ cadaueribus ex sacro in prophanum deiectis. Per idem tempus Sclaui,qui Hadriano tertio pontifice Christianę fidei accesserant,ex Delmatia in Italiam classe transuecti,Saracenos ingenti cæde afflictos ex Gargani arce deijciunt. Horum Hungari exemplũ secuti,& ipsi quod reliquum adhuc erat eius gentis in Italia,multis cladibus attriuere,Consentia ab hostibus recepta,tum uero quia Othoni mõstrabatur, fore ut si partem sui exercitꝰ in Saracenos mitteret,accisis tot nuper cladibus eius gentis uiribus,facile Italia pelleretur,misit ille Othonem filium cum exercitu, minime contemptili, ad cuius noui belli famam territi Saraceni, non expectato hostium accessu, sed præda undique ad mare delata,naues trepidè conscendunt, Italiaq; relicta in Aphricá abiere: & autores quos sequimur sic rem digerunt. Ego (nam in rebus Italis sæpe infra gens ipsa memorãda est) uix crediderim Italiam tum prorsus ab his relictam, aut certè fateri oportet Græcorum commilitio in ipsam terram restitutos. Sed illis quoquo modo tunc eiectis,maius inde negotium Othoni attulissent Græci superi maris oram tenentes, si resistere uoluissent: hi quia conati dicebãtur Saracenis opem ferre aduersus Othonem, ob eam causam petiti bello facile cesserunt.Sed nõ una fama est, cur Otho fuerit Græcos bello insectatus, non desunt qui ob filiam à Nicephoro, qui quadragesimoseptimo loco tũ Byzantij imperabat, Othoni denegatam,quum semel desponsa esset, Græcos Italia à Germanis eiectos opinentur,& ob eam rem Cõstãtinopolitanos Nicephoro iratos, quòd ipsius causa Græci ueteri Italiæ possessione excidissent, in eum impetũ fecisse, quo populariter interfecto, imperium sit in Ioannem eius filium collocatũ. Verum siue hæc, siue illa prior belli prætensa sit causa, satis constat & Græcos Italia eiectos, & Theophaniam, Ioannis imperatoris sororem Othoni secundo matrimonio cessisse,quam Ioannes tertius decimus, cũ ipso Othone,Romæ diademate insigniuit. Enimuero Otho maior rebꝰ à filio prospere in Saracenos & Græcos homines gestis illum sibi consortem imperij asciuit. Scio fuisse qui scriberent Nicephorum per homines aduersæ factionis imperio eiectum, & ab Othone iuniore patris iussu restitutum, & ob eam rem sororem Theophaniam,prius à Cõstantino patre pactam,mox uero abnegatã, Othonis matrimonio restituisse. Fuerat Otho iunior usus utraq; expeditione consilio & strenua opera Pandulphi ferrei capitis cognomento,& ob eam rem Campana ecclesia metropolitana declarata est à Ioanne pontifice.

Erat Pãdulphus longè princeps Campani nominis. Atq; his gestis duo Othones in Galliã concesserunt, nec Otho pater multo pòst Viennæ in Austranis fato decessit, uir quũ uirtute bellica maxime memorabilis,tum quia imperij decus ad Germanos traxit, qui siue à Ioanne duodecimo, siue à Leone octauo, nam res dubiè traditur,imperij insignia accepit,primus,quod satis constat,Germanorum legitime imperator fuit. Incidit initium Germanici imperij,ut ijs placere uideo,qui à Leone eum inunctum prodiderunt, in alterum à sexagesimo supra noningentesimum humanæ salutis annum, qui mundanæ originis fuit primus & sexagesimus supra centesimum ac sexies millesimum. Imperauit Otho annis duodecim,à cuius interitu breui Ioannes pontifex desijt in humanis esse,sedit annos circiter septem. Benedictus sui nominis sextus in demortui locũ suffectus est,quem Cincius homo in urbe factiosus,in Adriani molem uinctum coniecit,impieque in noxiorum carcere necauit. Alij in edia extinctum arbitrantur. Mirum uideri possit quod tam atrox & impium facinus ultorem non inuenerit:uideo quosdam suspicari non iniuria in eum sæuitum, sed qua culpa non expediunt. Perijt Benedictus anno primo sui pontificatus, mense sexto. Donus huius nominis secundus fuit inde pontifex,quo sedente Baianus Bulgarus Magicæ artis gnarus,Basilium imperatorem, & Constantinum eius filium, sic enim scribunt quidã, alij quibus libentius accedo,fratrem fuisse aiunt,amborũ; ex Ioanne qui Nicephori fuit filius ortos, tam atroci uexauit bello,ut parum resiam ab arcta obsidione abesset,adeò iuxtà Græci Italiq; à uirtute militari, maiorumq; indole descierant. Cæterum id bellum fœdere inter principes icto, breui sopitum est. Basilio Cõstantinoq; in Græcia imperantibus, Othone secundo in Germania, Camaldulẽsium religio orta est, aut certe non multo prius posteriúsue esse cœpit, ut commẽtarij quos de ea re ad me dedit Bernardinus Cadolus Camaldulẽsis monachus, significant.Romoaldus Rauennas cõgregationis huius autor, qui Othone secundo imperante haud dubie in humanis egit, etsi centum & uiginti impleuit annos:fuit is suo religiõis tyrocinio in Classensi monasterio,est locus is haud procul Rauenna, ubi prima deposuit futuræ sanctitatis rudimenta. Inde Venetijs cum uiro multæ sanctitatis aliquandiu uersatus, cuius famam secutus ad eum peregre uenerat. Interim uero multos pio hortatu, & uitæ exemplo ad monasticæ solitudinis traxit cultum,& in his Petrum Vrseolum, qui sextus & uigesimus dux fuit in Venetis: fuerat Vrseolus Petro Candiano surrogatus,de cuius uiolento principatu loco non multum diuerso est suprà memoratum. Traxit Bonifacium Othonis perneccessarium & Tarianum, qui adeò familiariter cum Othone uixit,ut uterq; alterius uestem uteretur. Condidit Romoaldus monachorum cœnobia in Hetruria,in Piceno,Flaminia,Veneria, Histria,trahebat hominum mentes & studia, sermone & sanctitatis opinione,tam facili ductu ad diuinorũ cultum, ut totum orbem ad religionem perducere potuerit, ut Petrus Candianus de eo præclare scripsit, nisi modũ etiam in re optima sibi statuisset, incidit demum Romoaldus in Hetruria in Madulum Apennini incolam,qui de religione,ut equidẽ est credere,appellatus,restatus est habere se agellũ in summo Apennino, ubi per quietẽ uisus esset sibi cernere scalas in cœlum surrectas,in quibus innumeri mortales candido amictu cœlum scanderent: motus ea imagine non minus quàm diuino quodam oraculo Romoaldus, locum ab hospite & petijt & impetrauit,oratorium condidit, candidam dat cucullam ijs ferendam,qui loco initiandi essent,in argumentum nocturnæ illius imaginis, quum antea monachi indiscreto amicirentur colore, dedit & Camaldulensium nomen ferre,à Camaldulo campo ubi nouæ essent religionis iacta fundamẽta. Sunt hodie in eminentissimo iugo montis, uiginti milia passuum ab Aretio, duodeuiginti oratoriæ cellæ, in orbem dispositæ, quibꝰ singulis impositus est irriguus hortus fons,porticus,sacellum, uaporarium, nõ muro,non

fossa

fossa locus circumseptus,perpetuum hic silentium, nisi quum ij qui hic sunt, sacris operãtur, sunt ex his quidam,qui ne sacrorum quidem hora cum alijs cõgrediantur, sed sibi agunt,quarta & sexta feria pane & aqua transigunt ieiunia, nudis pedibus,humi accubantes, tertia & septima uinum fructusq; adijciuntur, prima secunda & quinta coctum pulmẽtum, per conualles huc & abrupta loca reptatur, procul inde ad quingentos passus occurrunt ligneę cruces, quas transgredi mulieribus pontificio anathemate est interdictum, est & uiris carnem ferentibus, inde ad duo milia passuum alter Camaldulẽsium locus, horum uita remissior,hinc oua montanis illis,& cætera edulia. Sunt plerique eorum qui superiore egerunt eremo, in beatorum numerum relati, & in his Petrus Germanus, qui ab oratione in porticũ egressus, testatus est uidisse se sacerdotem magnum triplici corona insignẽ cœlum ascendere, ac quatriduo pòst allatum, Pium huius nominis secundum pontificem maximum,Ancone uita defunctum.Sunt & in literis horum plerique clarum nomen adepti, atq; omnium clarissimum Gratianus Classensis monachus,decretorum uolumine utiliter edito,Bonauẽtura,qui constitutionum libros scripsit, Ambrosius Fluentinus Græca & Latina facundia clarus. Incidit in hæc tempora Albertus Boëmi sanguinis Pragensis antistes, qui in Pannoniam profectus eius gẽtis regẽ baptismi lauacro sustulit, antistites inde regni illius ad ueræ pietatis cultum prædicatione & exẽplo hortatus, in Prusiam transijt,propagandæ fidei studio,ubi martyrij est palmã adeptꝰ. Fuit & Eduardi Angliæ regis per id tempus nomen sanctitate clarum. Donus anno sui pontificatus primo moritur. Bonifacius septimus, ex Doni interitu sedem indipiscitur, Blondus hunc Benedicto sexto continuo subijcit,nulla interim Doni mentione facta. Bonifacius pontificatum [illegible] breui amisit, [illegible] & Italis tam funesta,ut facile fuerit Græcis imperatoribus, & Barbaris qui cum his militabant Roma cum tota Italia potiri,si uictoria uti sciuissent. Otho acie illa digressus,& ad mare fuga delatus,scapham trepide cõscendit, interceptusq; ab ignaris quis esset, in Siciliam defertur: hic agnitus grandi pecunia Siculis promissa seruatus est, piratis supplicio affectis.Mox Romam reuersus multam adhibuit solertiã in perquirendis amissi exercitus reliquijs, fuissentq; confestim ab eo ad supplicium requisiti Romani desertores,nisi spoliatus exercitu ueritus esset ne quis grauior ex ea animaduersione mortꝰ in urbe oriretur:in Beneuentanos igitur deflexit iram,horũ urbem ex improuiso adortus hostiliter diripuit, direptã incendio deformauit,tum uero Bartholomæi ossa inde Romam translata quidam arbitrantur,in Tyberina insula sita sunt quæ olim Iouis fuit.Et Otho Beneuentanos per hunc modum ultus est, quũ multo æquius fuisset in desertores animaduertere more maiorum,quàm insontem ciuitatem perdere, ipse Beneuẽto excisso Romam redijt,ubi paucis diebus fato uita decessit, in uestibulo Vaticanæ ædis, Paradisum uocant, Porphyretico, quod ad læuam subeũtibus occurrit, labro est sepultus.Blondus negat sibi compertum esse quo põtifice obierit Otho, quia tres continuo ordine Ioannis nomine fuerint per id tempus pontifices:inclinat tamen animus in Ioannem quartumdecimum. Platina in Benedicti septimi pontificatũ, qui Ioánis huius fuit præcessor, Othonis exitum conijcit, quo adhuc sedente de nouo sit imperatore agitatum, uariatumq; sententijs, quum alij Othonem tertium, huius defuncti filium poscerent,alij Henricum Bauariæ ducem,qui primi fuit Othonis ex fratre nepos.Erant Italici nominis, qui Crescentio Nomẽtano uiro clarissimo, summã imperij deferendam censerent:cæterum Othoniani exercitus duces qui Romæ erant, omni consultatione reiecta, Othonẽ tertium creauere.Probauit Ger-

manorum

Attende ultionem.

Duplex Saracenorũ clades.

Saraceni Italiã relinquunt.

Othonis primi interitus.

Germanici imperij origo.

Benedictus sextus pont.

Donus secundus pont.

Camaldulensium origo.

Camaldulensium monasterium.

Græci Italia pelluntur.

Camaldulensium ritus.

Gratianus.

Viri illustres.

Eduardus.

Bonifacius septimus pont.

Benedictus VII. pont.

Otho Francorum res bello insectatur.

Germanorum clades.

Basilij & Constantini fratrũ gesta.

Apulia & Calabria à Græcis capiuntur.

Vincitur Otho à Græcis.

Otho Beneuẽtum incendit.

Othonis secundi interitus.

Otho tertius imperator.

manorum prærogatiuam Benedictus pontifex, ne discordia aliqua ex ea re oriretur, nec ipse multum superstes fuit Othoni. Obijt anno sui pontificatus octauo, mense sexto. Sequitur Ioannes quartusdecimus, parum feliciter creatus, quippe qui tertio mense sedere cœperat, à ciuibus captus, coniectusque in Adriani molem, pedore & inedia cõsumptus est. Ferrucij opera captum crediderunt quidam, fuit is Bonifacij pater, uir factione potens, odij causa fuisse fertur simultas, quã Ioannes cum Bonifacio exercuerat. Fuerunt per id tempus uiri sanctitate & doctrina clari, Odilius Cluniacensis abbas, & Berengarius Turonensis. Tenuit inde sedem Ioannes huius nominis quintusdecimus, [illegible] Est huius pontificatu fame & peste laboratum, est terra quoque horrende mota circa Capuam & Beneuentum, fuitque per hæc partim læta Ioannis administratio, nec magis calamitosa quàm breuis. Moritur octauo mense ab eo, quo sedere cœperat. Ioannes sextusdecimus defuncto sufficitur, ita tres eodẽ nomine pontifices, quod in nullo alio, quod sciam, accidit, unus post alium, ordine nihil intermisso, sedem tenuerunt. Cæterum ultimo sedente, tertius Otho Romam uenit, ut scribit Platina. Profugerat Ioannes Crescentij metu (qui tum Romæ dominũ uerius quàm consulem agebat) in Hetruriam: cæterum ueritus Crescentius quod erat futurum, ut pontifex extorris Othonem in Italiam accerseret, pro non paruo habuit negotio cum eo in gratiã redire, Romamq; redeuntem multa ueneratione excepit. Blondus hæc omnia Ioanne quintodecimo pontifice accidisse autor est, adeò in multis Platina à Blondo dissentit, etsi uterque testato scribat tantam esse scriptorum perplexitatem, ut quæ quibus anteponenda sint, quibusdam in locis planè intelligi nequeat: Sed Platinam, ut rutius, ita libentius sequor in pontificia historia quod sum sæpe testatus. Fuit Ioannes hic quartus & quadragesimus pontifex supra centesimum. Fuerunt per hæc tempora, uiri diuinarum literarum studijs clari, Hericus abbas Lobiensis & Theobaldus Vltraiectẽsis antistes, qui uirginis Deiparæ & sacratissimæ crucis Encomiastica scripsit. Albo Floriacensis abbas in Vasconibus martyrio consumptus, fuit & Alpharabius Arabs, & Anedalis, uterque philosophiæ assectator sua tempestate clarus. Desijt Ioannes sextusdecimus in humanis esse anno sui pontificatus nono, mẽse sexto, quo pontifice, ut credere par est, Otho tertius Romam uenit, nam quod Blondus à Ioanne quintodecimo ait accersitum, pro mendacio refellitur, imple uit enim eius pontificatus uix menses octo, ut Platina scribit, qui, quod miror, neque hoc neque illo pontifice Othonem in Italiam uenisse ait, sed à Ioanne sexto decimo accersitum prodidit solum. Cæterum quocunq; pontifice imperator Italiam ingressus est, anno undecimo quàm imperare cœperat uenisse proditur. Iam uero & illud parũ perspicuè fertur quid in Italia potissimum egerit. Crescentius Beneuentanos Campanos ait ab eo pacatos, qui Romanis essent antea infesti. Post Ioannis obitum Otho, non expectata cleri aut populi prerogatiua, Gregorium Saxonem nominatim pontificem declarauit, per quem breui pòst ipse imperij insignia accepit. Profectus inde ex urbe, uoti causa, Michaëlis ædem inuisit, quæ in Gargano est, locum paucis antè annis miraculo illustratum, ad annum humanæ salutis octingentesimum nonagesimum tertiũ quartumue, Stephano eius nominis quinto sacram tenente sedem, solutus uoto ex Apulia per urbem in Germaniam reuertit. Et in cæteram Italia tunc is erat rerum status, quum Veneti publica libertate Candiani principis cæde asserta, Petrum Vrseolum sibi ducem crearunt, inuitum & restitãtem, exterritum, credo, atrocissimo exitu proximi principis, præsertim cum sciret à sapientissimis philosophis proditum, rarum & perdifficilem innocentiæ locum in omni publica administratione mortalibus relinqui. Incidit Vrseoli principatus, in Benedicti huius nominis septimi tempora. Primum igitur omnium pium & populare opus aggressus, ducariam domum cum templo restituit priuato sumptu, ac maiore q̃ antea apparatu. Euangelistæ corpus incendio seruatum nouo conditorio intulit. Auream tabulam Greganici operis ad aram maximam dedicauit. Bariẽses in Apulia à Saracenis obsessos, commeatu iuuit, & cum Barbaris Græcorum classe auctus, circa hæc loca, conflixit, magnaque strage fudit: sed hæc aliquanto postea gesta, conati sunt pauci, qui furioso illius Candiani regiminis ministri fuerãt, Vrseoli principatum optabilem q̃; reipublicæ statum, nouis motibus labefactare, Vitale Candiani filio impulso, ut ad Othonem secundum, qui tunc in Italia erat, se cõferret, apud quem ille indignissima patris sui cæde deplorata, ciuitati & nouo principi ex ea re inuidiã conflauit ingentem: mouerunt Vitalis lachrymę Othonem, mouit & Candiani renouata memoria, qui Othonis hospes paternus fuit, & ob Vualdertam, quam duxit uxorem, perneccssarius: iubet itaq; imperator Vitalem bono animo esse, simulque pollicetur se, & paternæ cædis, & ipsius exilij ultorem. Cæterum siue maiores curæ proposito auerterint, siue matris, ut alij scribunt, hortatu, nihil ultra minas euectus, cum Venetis in gratiam redijt. Vrseolus, religionis causa, sponte principatu abijt, cum paucis sui consilij cõscijs Venetijs occultè profectus in Aquitania reliquum uitæ egit, ad Michaëlis phanum, quod Muriano præiacet, monasticam professus uitam, ut alij scribunt, sanctitate profecit, quod accidere potuit, ut aliquandiu procul domo peregrinatus ibi demum quieuerit. Vitalis Cadianus sit inde princeps, quo annitente Vitalis Gradensis antistes, à patre olim abdicatus sacerdotij prætextu, quique ad Othonem se contulerat, ab exilio est in patriam restitutus. Is cum publicis legatis ad Othonẽ postea missus, ut siquid residui odij adhuc in illo esset aduersus Venetos, precibus discuteret, negotium susceptum est legatio, placatus Otho cum Venetorum nomine fœdus instaurauit. Vitalis graui morbo conflictatus, octauo anno ab eo quo cœperat rempublicã administrare, se in ordinem redegit, monasticam & ipse uitam secutus, ex publico ad Hilarij phanum se contulit, hicque paucis diebus fato defungitur. Cadiano tribunus Memus quinto & uigesimo duce eo surrogatur. Alij septimo aiunt & uigesimo. Incidit huius principatus in trium pontificum tempora, qui Ioannis nomen tulere. Hoc duce Stephanus Caloprinus ciuili seditione urbe eijcitur, eiectus ad Othonem secundum profugit, qui tum forte Veronæ erat: nam non semel Italia ab eo adita est. Pollicetur ei Caloprinus patriæ proditionem si bello Venetos persequeretur. Adiecit animum Otho ad Venetos subigendos, quando non leuis tantæ rei mouendæ adesset autor. Primo itaque Veneti fame petiti sunt, totius Italiæ commercio indicto, ut commeatibus interceptis ad ultimum omnium malorũ redacti, uel inuiti ad deditionem compellerentur. Dissimulare metum Veneti, bonamque spem præ se ferre, perinde ac ea nihil ad se iniuria attineret, & iam rerum inopia sentiri cœperat, quum Caput aggeris ad hostes defecit. Donati sunt Aggerini Laureta norum agro, ut inclinantibus ad defectionem animis, alij simili illecebra à Venetis alienarẽtur. Tum ciuitas Caloprinis irata, quibus mala omnia, quæ tũ ciuitati impendebant, referebat accepta, eorum ædes diruit, liberos & uxores custodiri iubet. Otho sua

Ioannes quartusdecimus pontifex.

Viri illustres.

Ioannes XV. pontifex.

Ioannes XVI. pontifex.

Viri illustres.

Gregorius põtifex.

sua pertinacia obnixus, ut neque aperto bello Venetos peteret, neque certam redderet his pacem, Romam proficiscitur, necita multo pòst à Græcis magno prælio uictus, ut suprà est memoratum uita decessit. Post Othonis interitum, Adheletæ eius matris rogatu, Caloprini sunt in urbem restituti, estque nihilo secius ciuitas nouis seditionibus agitata, in quibus sedandis quum parũ felix Tribunus fuisset, sponte sua, ut quidam tradunt, alij ut subactum credidere, principatu se abdicauit. Fuit inde Petrus Vrseolus dux, quo rem Venetam tenente, à Basilio & Alexio, qui tum Byzantij imperabant, tenuit ciuitas, ut Veneti negotiatores, toto oriente, omnium essent uectigalium immunes, fatisque uiam ad maiora rerum incrementa aperientibus, per idem tempus, Veneti à Delmatis, Liburnis, & Histris, ad mare uersis, per legatos rogati sunt, ut Narentanorum latrocinium omnibus accolis infestum tollerent, fore affirmantes ut si ad eam iniuriam uindicãdam cum classe in Delmatiam transmitterent, omni earum gẽtium maritima ora potirentur, cum insulis quæ terris ipsis adiacent. Amplectuntur Veneti libenter eam occasionem, studioque classem ornant. Erat tum uernum anni tempus, quum Vrseolus præter Carnorum & Iapidum oram, in Histriam classe delatus, Parentium in fidem recepit. Polani Parentinorum deditionem secuti, & ipsi Venetum intra mœnia accipiunt. Colchi ad Medeam quærendam missi eam urbem condidere. Duorum illustrium populorum exemplo motæ finitimæ ciuitates, certatim legatos ad Vrseolum mittunt, quum adhuc Polæ esset, processit inde classis Iadram, quæ ciuitas aliquanto prius fuerat Venetorum præsidio usa, affuerũt nec multo pòst ex Arba & Coricta duo antistites, publicè polliciti se Venetorum imperata facturos, adjiciũt illud fore ut quoties rem diuinam facerent, in imperatoribus laudes Veneto duci suas canerent. Sed dũ hæc fiunt, interea x. longæ naues ex Iadra ab Vrseolo ad hoc missę, xl. Narentanos negotiatores, qui ex Apulia soluerãt, intercipiunt circa Chamã insulam, Belgrado propinquã, secutus est inde Vrseolus cum cętera classe, sub cuius accessum legati, ex Belgrado, & Tragurio præsto affuerunt, & ipsi ad obsequium parati, hi quod & alij fecerant, in uerba principis iurant, se in fide quam suppliciter implorassent, perpetuo mansuros. Tragurium Issei condiderunt, continenti terræ penè contiguum. Erat tum Tragurij Suringa Croacius, à Murcimiro fratre regno pulsus, hunc in fidem recepit Vrseolus, Stephanoque eius filio quem pater sibi obsidem dederat, Hicelam despondit filiam, id, credo, Murcimirus ab initio ueritus, aliquanto priusquam Suringa sit in fidem receptus, festinauerat gratiam apud Venetos occupare, auxilia ad usum præsentis expeditionis pollicitus, accepit inde Spalatrum, ciuitas Delmatici nominis ea tempestate opulẽtissima, Venetum intra mœnia, Corcyra nigra imperium detrectans, ui capitur, nũc Cursula est. Pharos insula, quæ & ipsa, diuersa uoce, nunc Lesinia nuncupatur, rupibus undiq; abrupta, & ob id propemodum inaccessa, mox à Veneto petita est, hanc uelut arcem insederãt Narentani ad incursanda maria, circa hæc loca sæpius illi grassati in Venetos negotiatores, occupant repente Venetę triremes, quod facere iussæ fuerant, Trierarchi portũ: tentati inde sunt oppidanorum animi, uellent ne cę terarum Delmatiæ urbium secuti studium, in Venetorum fide præsidioque esse, an hostilia experiri. Ac cepissent Pharenses confestim præsidium, si eisdem conditionibus accipiendi fuissent, quibus & alię ciuitates. Cęterum ueriti quod erat, ne Veneti urbem dederam, in Narentanorum inuidiam funditus euerterent, patriæ charitate, qua nihil est mortalibus in uita amabilius, uim parant, Venetumque telis incessunt: dux contrà, ubi arma ab oppidanis expediri uidit, confestim suos hortatus dat signum pugnæ. Erat arx asperitate locorum difficilis, uerum tanta uis telorum in propugnatores ex inferiore cliuo est immissa, ut milsilium nube cooperti, qui arcem tenebant, præsidio decedere coacti sint, tum socij nauales, cum mercenario milite, per abrupta mõtium in summum iugum euasere, turbatis hostiũ animis, continuò muros inuadunt. Admoræ inde aliquot locis scalæ, tenuitque aliquandiu atrox certamen. Postremò Veneti partem murorum adepti, iam in possessione uictoriæ erant, quum Pharẽses abiectis armis supplices ueniam petunt, edicitur continuò ut inermibus parceretur, urbs tamen nihilo secius euersa est. Pharo insula per hunc modum capta Ragusci legati ad Vrseolum inde digressum uenere, eratque legationis caput urbis antistes, per quem illi omnia diuina & humana Venetę fidei tradiderunt. Postremò Narentani bello petiti sunt, eorum fines ferro & igni uastantur, ad quam cladem adeò hostium animi conciderunt, ut continuò per legatos pacem, his conditionibus redditam, complexi sint, ut quæcunque ad id tempus damna negotiatoribus Veneti nominis intulissent, ęqua existimatione persoluerent, tributum nullum post id tempus, à Venetis aut ab alio exigerent, ne reguli hominesue Narẽtani nominis, piratica exercerent. His Narentani cõditionibus pacem magis necessariam, quàm speciosam, à Venetis accepere, cum quibus annos circiter centum & septuaginta, uario euentu de maris possessione certarãt. Vrseolus his feliciter gestis, sinuq; latrocinijs longe lateque purgato, omni Delmatię, Liburniæ & Histriæ ora in Venetorum ditionẽ redacta, ouãti similis, domum uictricem reduxit classem. Tum uero publicè decretũ, ut quum ipse, tum posteri non Venetiarum modo, sed Delmatiæ quoque principes scriberentur, milsique sunt ex primoribus ciuitatis, qui his urbibus & insulis, quæ in Venetorum fidem uenissent, omni potestate dicũdi iuris præessent. Inciderunt hæc, quæ Veneti, Vrseoli ductu, in Delmatia gessere, quibus icta sunt, ut mihi uidetur, fundamenta futuræ potentiæ in Othonis tertij tempora, Basilio & Constantino Byzantij imperantibus. Cæterum, quia Vrseolus duodeuiginti annos rempublicam administrauit, quo põtifice ea gesta sint affirmare nequeo, quum Gregorius quintus, Ioannes decimusseptimus, Siluester secundus, Ioannes xviij. & xix. Sergius iiij. & Benedictus viij. Vrseolo principe põtifices fuerint. Ipse (qd satis cõstat) reipublicæ administrationem recepit, ad annũ salutis noningentesimum secundum, fuitque in Venetis ducibus uigesimus septimus. Instaurauit post Delmaticam expeditionem Vrseolus Gradum, ubi ædem sacram, uetustate collapsam proprio reparauit sumptu. Misit & filium, paruum adhuc, ad Othonem tertium per literas id perentem, qui tum Veronæ erat: is primæ unctionis sacramento ab imperatore admotus, Otho dici cœptus est, quum Petro antea illi nomen esset: multæ præterea immunitates mercati & portus celebrandi iura ab Othone per id tempus impetrata, qui ignoto etiam habitu Venetias uenisse dicitur, exoluẽdi uoti causa, & cum prin cipe ad quem de suo aduentu prius occultè scripserat, noctu diui Marci ædem subijt, fuitque plures apud Vrseolum dies in hospitio, cuius præsentia ut commodius celaretur, mane dux Venetus prandebat in aperto, noctu cum eo familiariter conuiuabatur, tum Otho aureum pannum, qui annuus Cæsaribus ex fœdere debebatur, in perpetuum Veneto nomini remisit, ipse contrà multis & amplis muneribus donatus, Rauennam, unde uenerat, reuertitur. Triduo pòst Vrseolus populum pro concione docuit de Othonis ad urbẽ appulsu, quod apud se plures dies in hospitio fuisset, & quæ essent ab eo, publico nomine, impetrata, fecit ea res ut Vrseolus, ex

Tragurium.

Othonis & netorũ fœd.

Stephanus Caloprinus.

Tentantur Venetorum animi.

Pharos à Veneto capitur.

Narentanis in ctis pax redditur.

Quo tempore Veneti Delmatiam adepti sint.

Otho tertius Venetorum hospes.

Ilhri, Liburni & Delmatæ, Venetæ ditionis fiunt.

grato, sit gratissimus factus uniuersæ ciuitati. Laudata est ab omnibus eius fides, laudata & industria in tanti hospitis præsentia occultanda: datum est igitur illi, ut filium sibi collegam cooptaret, quem in publicæ administrationis cõsortium ascitum, cum altero filio Byzantium misit ad Basilium & Constãtinum imperatores, unde magnis aucti honoribus domum incolumes ad patrem rediere. Sed maior omnino est rerum humanarum inconstantia quàm animo comprehendi possit, nulla fuit unquam tam solida felicitas quam non aliquis fortunæ morsus attigerit. Deformata est pulchra alioqui & felix Vrseoli ducis administratio, duabus sæuissimis cladibus, quibus uno tempore affecta est ciuitas, fame & pestilentia, filij suauissimi, ac nurus continuatis prope funeribus. Cũ Aggeranis & Saccensibus est nonnihil disceptatum, cum his de portorijs, de paludibus cum illis Laureto circumiectis, utrunque negotium ex reipublicæ dignitate transegit Vrseolus, postremo omne patrimonium suum tripertito diuisit, partem unam filijs distribuit, alteram in pauperum alimoniam, sacrarumque ædium restitutionem impendit, quod reliquum fuit in spectaculis publicoque congiario est ab eo adhuc in humanis agente consumptum. Moritur inde quum duodeuiginti annis rempublicã administrasset. Filius qui calu quodam, ut diximus, Othonis nomen tulit defuncto successit, adolescens alta indole patre auoque principibus uiris non indignus, nec sapiens administratio frustrata est hominum expectationem, qua fama Geica rex Pannoniæ impulsus, filiam illi uxorẽ despondit. Sed Venetarum rerum relatio quod sæpe accidit, longiuscule excurrit, nunc explicatio aliarum gẽtium paulo altius repetenda iam inde à Gregorij v. creatione, quem prius autoritate Otho tertium pontificem declarauit, quæ res effecit ut confestim post Othonis ex Italia digressum seditionibus agitatus in Hetruriam primo Gregorius concesserit, fuitque hic aliquandiu eo consilio, ut si à Romanis, ut nuper, Ioannes prædecessor suus in urbem reuocaretur, nullis Othonem inquietaret querelis, uerum ubi omnia obstinatius uidit fieri, in Germaniam ad Othonem se contulit: de cuius profectione posteaquam Romæ auditum est, ciuitas metu perculsa Cresc̃tium consulem creat, cui negotium datur, ut uideat, ne eo motu, qui ab Othone instabat, aliquid detrimenti caperet Romanum nomen. Ioannes Placentinus pontifex declaratur ex Crescentij autoritate, uir apprimè doctus & æque diues, hũc Platina & alij non reponũt in ordinem pontificum tanquam parum legitime creatum. Crescentius de Othonis in Italiam reditu factus certior, muros urbis & portas opere præsidijsque firmat. Adriani molem tam ualidè communit, ut ob eam rem sit postea aliquandiu Crescentiana arx dicta, nunc Michaëlis archangeli est. Affuit nec multo pòst Otho minas & ultionem spirans, militumque multitudine fretus urbem, qua parte potuit corona cingit. Romani tanta ui hostium exterriti ad preces & lachrymas uertuntur, panduntur portæ urbis Othoni Crescentij iussu: posteaquã populus labare uisus est, ipse cum Ioanne pontifice Adriani arcem occupat, totius rei euentum inde expectaturus, aliquandiu igitur arx oppugnata est, ac ualidè defensa. Cæterum quia ui non potuerunt, fraude ambo capti, facta illis spe ueniæ, in æquum descendere ad Othonis conspectum ituri, sed obiter intercepti, Crescentius multis confossus uulneribus concidit, Ioannes luminibus priuatus dignitate spoliatus est. Gregorius undecimo mense quàm inde exciderat, sacram recepit sedem. Cæterum iniuriæ acceptæ nihil immemor, ut Romanos & clerum uniuersum ulciscereturq; sanctione tulit de imperatore eligendo, ut solis Germanis liceret principem eligere, qui Cæsar & Romanorum

Vrseoli munificentia.

Geica rex.

Otho hostiliter Romam petit.

Attende ultionem.

A rex diceretur, tenuit mos iam annos propemodum quingentos, quum id decretum in eum salutis annum incidisset, qui millesimus secundus fuit à sacratissimo Christi ortu. Verum fuerint ne tum primũ creati, qui imperatorem legerent, an postea res inducta sit, parum compertum habeo. A Blondo diserte ponuntur tres numero antistites, Maguntinus, Treuerensis, & Agrippinẽsis: & cum his Brandiburgensis Marchio, comes Palatinus, dux Saxoniæ, & rex Boëmiæ, qui partiti inter se sint munia circa Cęsarẽ obeũda, tres primores illi scribarũ nomina sortiti, unus Germaniæ, alter Galliæ, tertius Italiæ, Brãdiburgensis quæstor, Palatinus comes scutiferi munus obiret, potiusquam dapiferi, ut quidam scribunt, Saxoniæ dux ferret ensem, & Boëmiæ rex pincerna esset. Otho post sanctionem illam à Gregorio latam in Germaniam concesit. Tulerunt eam rem Galli iniquo animo, uerum quia in Lodouico Lotharij filio Caroli Magni genus defecerat, regnumq; ad Vgonem uenerat cognomento Caputium (à regibus enim ad duces res aliquandiu translata est) nihil ulterius contendere conati sunt, & Gallis nouorum hominum conditionem aspernãtibus, & illis ipsis penes quos fuit regiminis summa præsenti fortunæ libenter acquiescentibus. Laudatur in his qui Magni Caroli genus attigerunt, Robertus Vgonis magni filius militari uirtute clarus, sed pietate adhuc clarior, cuius illud est. Sancti spiritus adsit nobis gratia. Hic primus bonis artibus Gallorum & cęterarum gẽtium studia à Caroli Magni stirpe ad nouitatem sui generis traxit, ut cœperint non tantum nouum in rege genus pati, sed nouorum etiam uirtutes mirari. Gregorius anno sui pontificatus secundo, mense septimo, desijt in humanis esse. Incidit in huius Gregorij tempora, qui quintus & quadragesimus supra centesimum pontifex fuit, aut certe in

B Ioannis sextidecimi, qui illum præcesit, Montferratensis principatus origo. Almarus primus in gente princeps, Saxonię fuit ducis filius qui parentibus ad Galecianam Apostoli ædem ex uoto proficiscentibus, Alexandriæ est natus, ibique infans à parentibus relictus, datique sunt illi nutritij, nutricesque, ut splendidè & ex splendore domesticæ fortunæ aleretur. Cæterum parentibus longa peregrinatione amissis, amisit & principatum, sed instituentium cura, ingenijque facilitate, tantum inde puer profecit, ut Otho secundus illi ignoto adhuc Alasiam filiam, uix infantia egressam literis dederit instituendam. Ego (ut aperte dicam quod sentio) uix crediderim accidere potuisse, ut puer tam claris ortus natalibus, pro ignobili & despicato fuerit apud Othonẽ, præsertim quum illis qui in crepundijs puero alimenta præbuissent, quibus posteà instituerunt, nulla fuit causa cur puerum tanta indole & iam adolescere incipiẽtem, paterentur in obscuro esse, quin propius uero est ut paterno principatu priuatus admodum puer fuerit Almarus in Othonis regiam delatus ab his qui illum nutriuerant, atque per eos imperatori commendatus agnitusque, sit cum Othonis filia cultus & institutus, nam primus Otho ex Saxonię regis filia ortus est, atque ita longa consuetudine, quia una institueretur, cœptus sit à regis filia amari prima ineunte adolescentia. Verum quoquo modo contigerit ut Almarus apud regem fuerit, illa (quod satis constat) ubi eò uenit ut per ætatem uirum cognoscere posset, adolescentis forma & ingenio capta, autor illi fuit, ut quando ob disparem fortunam eius connubio aliter potiri non posset, unà ignoto habitu, in alienas terras proficiscerentur. Pacti prius inter se matrimonium, fideque in id data & accepta, regia domo occulte digressi longis itineribus in Albingaunos uenere. Hic tandiu dissimulata utriusque persona ambo commorati, ut ter sit interim Alasia enixa, postremo agniti, per Albigensem antistitem

Imperatoris electio ex uoto lectores.

Robertus Vgonis filius.

Montferratis domus origo.

Attende Alasiæ casum.

antistitem in Othonis gratiam recepti, eam Italiæ A partem ab eo possidendam accepere, quam Montferratenses habẽt, cum ijs qui circa illos extremam Italiam incolunt, inter Vesulum montem, Apenninum, & Ligusticum mare. Ex Almaro septies Alasia peperit. Guilielmus maximus natu, patre defuncto, ab Othone auo materno adhuc in humanis agente, Marchio appellatus, in paterno locatur principatu, cæteri Almari liberi omnes uirilis stirpis, aui munere, suum singuli sunt principatum adepti, urbes cum titulo datę, Sauona, Ceua, Incisa, Ponsoniũ, Boschũ, & Salutiæ. Et familia uetusta, & illustris tam memorabili casu in Italia per id tempus orta est, quæ per uiros fortitudine & pietate insignes ad nostram usque memoriam propagata est. Hinc Christiani nominis assertores acerrimi, fundatores insignium tẽplorum, cœnobiorumque illustrium. Sed nos institutæ breuitatis admoniti, ad Gregorium põtificem reuertimur, quo uita defuncto incredibile est quàm diuersi abeant autores in põtificum successione referenda, sed Platina, quem in pontificia historia testato sequimur, Ioannem decimumseptimum eius nominis Gregorio subijcit, qui Crescentij fauore, Gregorio dignitate eiecto, sedem occupauit, largitione uerius quàm electione creatus. Cæterũ is pontificatum male partum decimo mense quàm sedere cœperat luminibus priuatus, per eum quẽ diximus modum, infeliciter amisit. Siluester qui Gregorio successit (nam is Ioanne è medio sublato dignitatẽ recepit) Gallici fuit generis, ab adolescentia Floriacensis monachus, mox religionis contemptu monasticam exuit personam, malum dæmonem secutus, Hispalensi dein gymnasio liberalium artium studijs insigniter profecit: fuit is rei literariæ cupidissimus. Otho imperator, & Robertus rex Galliæ, ab eo instituti dicuntur. Præstigijs itaque dæmonum quibus sese addixerat, per certos honorum gradus, põtifex demum factus est. Cæterum longioris uitæ cupidus suum dæmonem consulit, quandiu in humanis futurus esset, tum ille ambiguo scilicet, ut solet, responso, diu inquit, si Hierusalem non adieris, accidit igitur ut anno quàm pontificem agere cœperat quinto ineunte, quum in sacratissimæ crucis ædem uenisset, sacris operaturus, in eam templi partẽ descenderit rem diuinam facturus, quę Hierusalem dicta est, ac tum inter agendum, oraculi memor, sensit fatale tempus adesse, ibi uero pœnitentia adductus frequenti populo suum, sed quod semper antea occultum habuit, fassus est flagitium, inde multitudinem hortatus est ad cultum ueræ pietatis, ac precatus ut corpus suum dissectum & laniatum, quando ita sane esset meritus, bigis imponerent, ibique humarent, ubi equi sua sponte cõstituissent: mirũ hic accidisse aiunt, quo intelligi possit quandiu uita fuerit adesse adhuc locum pœnitẽtiæ. Bijuges equi nullo agente, Lateranensi basilicæ onus intulere, atque ibi loci sepultum. Martinus Pololmacensis autor est, ex collisione ossiũ & sepulchri sudore, quod postea sit obseruatum, portendi summorum pontificum mortem, idque carmen tumuli testatur. Secutus est Ioannes duodeuigesimus, qui quarto mense quàm creatus est, mortem obijt. Facta sunt breui illa temporis intercapedine aliquot prodigia futuro rum malorum nuntia, inaudita fames postea Italiã biennio confecit, cometes uisus in cœlo prodigiosa magnitudine & forma, terraque horrendè mota est, multæque urbes eo motu concussæ. Ioannes undeuigesimus sedem inde adeptus, is otio deditus, nihil egit dignum memoria. Regnauit eo sedente Robertus Vgonis filius in Gallia, pietate & eruditione insignis, diuinorum ita diligens cultor, ut quum à rebus bellicis otium esset, clero admixtus hymnos sacrorum hora caneret. Ferunt obsidione quadam, quum ille ne in tanto quidem negotio diuinorum

Silueſter pontifex.

Ioannes XVII. pont.

Ioannes XVIII. pont.

Ioannes XIX. pont.

Attende Roberti regis pietatem.

Malateſtarum origo.

Sergius pont.

Saraceni Siciliam eijciuntur.

Normani Apuliam occupãt.

Normanicæ gentis propagatio.

Benedictus octauus pont.

Henricus primus imper.

gna,in annum milleſimum octauum humanæ ſalutis,quo anno Turci Hieroſolymá cepere. Nũc quia res Turcorum adeò creuere, ut præter innumeras gentes in Aſia ſubiectas,Europæ limitibus tranſcen ſis, altero Chriſtiani nominis euerſo imperio, non paruam hodie eius terræ partem ſuæ ditionis fece-runt,non ab re ſit,credo,hic eius gentis originem re petere, de qua non uno ſit loco poſtea dicendum,ut qui hominum Turci fuerint ab initio,& quàm mo-dicis principijs res eorum, ut pleræque mortalium in immenſum penè creuerint. In quibus referendis præter noſtrorum hominum quoſdam haud quidẽ ignobiles, quippe qui in ueritate indaganda multũ operæ conſumpſerunt, obtigit mihi autor grauiſſi-mus Nicolaus Calchocondiles,qui res Turcorum à prima origine ad noſtra tempora decem cõplexus eſt uoluminibus. Cæterum tantum abeſt ut ueterũ ſcriptorum quiſquã demonſtret, qui olim hominũ fuerint Turci, aut ubi terrarum egerint, ut ne nomẽ quidem,quod ſciam, ſit ab ullo literarum monumẽ tis traditum, unus omnium Pomponius apud nos, Turcas inter Scythicas gẽtes retulit, qui profundas uaſtasque habitarent ſyluas, uenatu uiuentes. Cæ-terũ ſiue in uoce mutatio facta eſt, ſiue omnino gẽs diuerſa fuerit,omnium gentium conſenſu hi quorũ opes hodie tam late pollent, Turci nominantur nõ Turcę. De ijs igitur non unus eſt ſermo,ipſi de ſe ita *Turcorum origo.* prædicant, ut ſuæ genris autores ex Caſpijs monti-bus à finitimis pulſi in Perſidem & minorem Aſiam deſcenderent, nec prius cœpiſſe apud eos regiam fa miliam quàm ſint ex Scythia profecti, quum antea, ſine duce, ſine legibus uiuerent, uagi diſpalatique, tantum præda & rapto uiuentes: inde ut ſunt huma narum rerum uices,ex cuiuſdam Othomani ſucceſ- *Primi Turcorum reges.* ſu celebrari familiam unam contigiſſe,ex qua reges creari conſueuerint, idque ita accidiſſe memorant, ut tres numero fratres, in ampla & regia fortuna à B patre relicti, quum uiciſſim imperitare cœpiſſent,ſi ue pudore impediente, ſiue metu, quia parum tutũ eſſet non cedere ætati, duo minores natu, Aleus & Othomanus, regno maiori fratri relicto, ac domo uterque cum ſua manu profecti,hic Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam occuparit, ille Caramaniã, Lycaoniam,& eas terras quę Tauro monti adiacẽt, &hæc Turci de ſe memorant, quibus perbelle fa-tentur ſe Scythas eſſe. Otho, cæteriq́ue & Latini & Græci ſcriptores, Turcos aiunt ex Caucaſijs portis egreſſos, primum finitimas gentes, & in his Arme-nios inuaſiſſe, inde minorem Aſiam ab his armis oc cupatam, anno à mundi origine tertio ac ſexageſi-mo ſuper noningenteſimum ac quinquies milleſi-mum, humanæ uero ſalutis octingenteſimo quadra geſimo quarto, quum Byzantij imperaret Conſtan tinus quintus, Leonis tertij filius, Stephano tertio pontifice. Qui Othomani nomen primus tulit in ea gente, uir acer fuit, & à Galatiæ loco, in quo natus eſt, Othomanus dictus. Hæc Segonius Nouomon- *Variæ de Turcis opiniones.* tanus, ex Othonis & aliorum opinione. Calchocon diles, qui plura de Turcorum rebus ſcripſit, quàm Latinorum aut Grecorum quiſquam: Multi, inquit, Turcorum linguam & mores ſecuti Scythas eos au tumãt, qui ex Tanaide ſint profecti. Parthis latè im-perantibus, Perſarum terram, Medorum & Aſyrio rum inuaſere, pòſt uero quàm in Aſiam progreſsi ſunt, fuerunt, ait, qui Parthorum progeniem exiſti-marent. Parthi enim & ipſi à Scythis orti. Alij (no-men fortaſsis ſecuti) à Turce Perſarum urbe magna & opulenta, eam gentem ortam crediderunt, quo-rum opinioni aſtipulatus mihi uidetur Dandalus, qui res Venetas ſcripſit, homo ſacræ hiſtoriæ non i-gnarus. Belzethemum is quendam prodidit orien-tis regem potentiſsimum, cum Romano (id enim nomen illi fuit) Conſtantinopolitano imperatore acrem pugnam depugnaſſe, Romanumq́; poſt ma- A ximam ſuorum ſtragem, fuſum, porroq́; fugatum, Aſiam à uictore hoſte cum tota Syria ſubactam, qui bus prouincijs uictor Barbarus, quatuor uelut com pedes iniecerit, quippe qui Solymano nepoti ſuo Turciam obtinẽdam dederit, inter Perſidem & im-perij fines: & de Turcia, ſiue Turce,hæc ille. Cætera loca quę præfidijs ſunt ab eo firmata, Damaſcus, An tiochia,& Alapia, nunc Alepum dicũt, olim Epipha nia dicta. Non defuerunt preterea qui Turcos ex A-rabia, quiq́; ex Syria ortos arbitrarentur. Verũ quæ-cunq́; eſt illis origo, eſt enim ut pluribus placere ui-deo,& ipſi prędicant, ex Scythia, & ut quidam adji-ciunt, ex Europeis Scythis, qui præ cæteris ad orien tem uergunt, ſedeq́; circa Tanaim habent, cuius du ctu, aut qua cauſa adducti, profecti inde ſint, autо-res quos ſequimur, non ſcribunt, paruam fuiſſe ma-num ab initio ac paſtoralẽ plures, ut uideo, affirmãt, quæ alia atque alia appetendo in Perſas & Medos proceſſerit, adeò interim obſcura fama, ut eo bello, quod Heraclius princeps in Coſdroam Parthorum regem geſſit, uix ſit eorum nomen auditum, inde gentis opibus circa Perſidem auctis, Saracenos ad *Turcorum crementa.* eam deſperationem deduxere, ut Mahometi fide ab *Turci Mahometi fidem capiunt.* his recepta, paſsi ſint eos in Perſide regnare, ut ne-ſcias utra gens maiorem fecerit iacturam, qui tanto regno ceſſerint, an qui eam ſibi peſtẽ inculcari paſsi ſunt regnandi cupiditate, unius itaq; fidei uinculũ ita utranque gentem copulauit, ut Saraceni pro Tur cis,& contrà Turci pro Saracenis, indilcreta appella tione aliquandiu uocati ſint. Nunc, ut uideo, Turco rum nomen inualuit, altero abolito. Creuerunt inde plus nimio opes gẽtis innumeris populis alijs poſt alios ſubactis, uſq; ad Othomani tempora, cui à Ga latiæ oppido ubi ortus eſt, diximus nomẽ inditum: *Vnde Otho mani nom.* fuit is Orthogrulai filius, ut Calchocondiles ſcribit, uir impiger,& bellorum apperens, conflataq́ue per ſeditionem multitudine, cœpit ſeipſum & familiã geſtarum rerum gloria illuſtrare, omnibus æque in-feſtus. Præſtitit his conatibus proſperum euentum Chriſtianorum diſcordia, qua Othomanus occaſio-ne uſus, Bithyniam & omnes circa pontum prouin cias decem annorum ſpatio, tandiu enim rex fuit, ſuæ fecit ditionis. Filius huius paternæ uirtutis æ-mulus, bellum per manus acceptum ſtrenue eſt exe cutus, domuitq́ue mira felicitate Myſiam, Lycaoni-am, Phrygiam, Cariam, regnumq́ue in Helleſpon-tum uſque & Euxini littora. Amurates huius filius primus in Europam exercitum deportauit, ſed hæc multo poſtea acciderunt, quę cum cæteris eius gen tis rebus ſuo ſunt loco referenda: & hæc de Turco-rum origine & incrementis longiore fortaſsis ſer-mone quàm promiſſa breuitas patiatur, eorum ge-ſta per partes inde explicabuntur. Poſtremo de ritu *Scriptoris filium.* & moribus, deque militandi diſciplina dicetur, quę conſulto in ultimam Enneadem differo, ubi & quæ hodie cæterarum ſint gentium (de his loquor quæ nobis notiores ſunt) leges & inſtituta, & quæ in u-niuerſum ſit uitę ratio eſt nobis literis tradẽda. Fuit igitur annꝰ ille quo Turci Hieroſolyma cepere, mil- *Hieroſolyma à Turcis capiuntur.* leſimus humanæ ſalutis ac duodecimus, ut quidam colligunt, abſtinuitq́ue hoſtis à Chriſti regis ſepul-chro, & ſacris ædibus uiolandis, ut Blondus & Pla-tina ſcribunt. Philippus Eremitanus omnia ab his prophanata autor eſt, ac templa quæ in Sion & Be-thleem fuerunt Mahometo dedicata. Eo anno quo *Attende pro digia.* hæc in Syria eſt clades accepta Luna cruento aſpe-ctu apparuit, & terra prodigioſe mota eſt, fax ardẽs inſtar turris, cum magno fragore è cœlo uiſa eſt ca-dere: Mare latius ſolito euagatum, urbes aliquot cum multa hominum pernicie inundauit. In Lotho ringia Galliarum prouincia fons aquę alioqui ſalu-bris eſt in ſanguinẽ uerſus: fames & peſtilentia dein ſecutę, tantaq́; uis hominũ interiit, ut penè plures ui ta defuncti ſint q̃ ſeruati. Per idẽ tempus Stephanus rex

Stephanus Pannoniæ rex. Hadrienſes. rex Pannoniæ, Gillæ coniugis conſilio & hortatu A Chriſti fidem complectitur. Gilla adeò pietate pro-fecit, ut poſt uitæ exitum multis ſit illuſtrata mira-culis. Sed dum hæc alibi fiunt, Hadrienſes, qui dein Atriates fuere, colunt hi urbem Pado propinquam, à qua olim Atriaticum mare, & mox Adriaticũ nun cupatum, Venetos fines infeſtare adorti ad Laure-tum uicum inter Padum & Atheſim magno prælio ſunt ab Othone Vrſeoli filio, qui tum Venetijs dux erat, ſuperati, ac ſecundum eam pugnam fracti Ha-drienſes pacem his conditionibus accepere, ut res Lauretanis redderentur, & ipſi in poſterum iniuria abſtinerent: quàm uero Hadrianorum opes eo prę-lio acciſæ ſint, ex eo poteſt intelligi, quod iam inde retrò fluentes ad nihilum ſint hodie redactæ, quum ad id tempus minime contemptibiles fuiſſent. Vi-cit Otho dux nec multo pòſt, mari an terra non ha-beo dicere, Murcimirum Croacię qui contra fœdus cum patre ictum Hadrienſium fines hoſtiliter infeſta bat. Tum uero omne Delmaticum nomẽ eſt ab O-thone iuramento adactum, ut in Venetorum fide quam ipſi ultrò ac penè ſupplices imploraſſent, de-inceps perſeueraret. Otho ex ea trepidatione reuer-ſus ciuium coniuratione in ordinem redigitur, ac di *Otho dux à Venetis relegatur.* gnitate exutus in Græciam relegatur, anno quinto quàm ſolus reipublicæ præfuerat. Petrus Centrani cus ſiue Barbolanus princeps iade creatur: primum huic negotium fuit ciuitatem Othonis relegatione adhuc fluctuantem, ad priſtinam concordiam reuo care. Interim Pepo Aquileienſis antiſtes Gradum occupat: eſt Gradenſis eccleſiæ cauſa Romæ apud põtificem acta, Gradusq́; Venetiæ metropolis decla rata. Ferunt in Peponis gratiã Conradum imperato rem (nam is Henrico ſucceſsit) fuiſſe iam inde infe-ſto animo in Venetos, aduerſatumq́; etiam in qui-buſdam. Fuit is Conradus natione Sueuus, quinto in Germanis loco imperauit. Centranicus dux in B Venetis quarto anno ſui principatus, Vrſi Gradẽſis antiſtitis Othonis pernecceſſarij, alij fratrem fuiſſe aiunt, conſilio à populo capitur, tonſusq́ue ac mona ſtico habitu amictus, in exilium agitur. Vrio publi-ca adminiſtratio eſt permiſſa, donec Otho ex Grę-cia reuocaretur. Sed Otho priuſquam eò uenirent legati, qui illum publico nomine reuocaturi in Græ ciam nauigarant, uita deceſsit. Dominicus Vrſeolus magis familiæ ſplendore, quàm populi ſuffragio fre tus, temere ducatum inuaſit (Iam Vrſus ultro ſe ad-miniſtratione abdicarat) non expectata nouæ ducis creatione. Populus peſsimum in Vrſeolo exemplũ dereſtatus, quod ciuitatis conſenſum aſpernatus, ducatum ultrò inuaſiſſet, poſtridie quàm dignita-tem adijt, in eum impetum fecit, fuiſſetq́; haud du-biè ab irata multitudine diſcerptus, niſi fugam oc-cupaſſet. Rauennam itaque delatus, paucis diebus quibus eò uenerat, uitam cum morte commutauit. Et Vrſeolus qui trigeſimus primus dux fuit in Ve-netis, tam breuem ſortitus eſt principatum. Ciuitas Vrſeolo eiecto Dominicum Flabanicũ ducem ſibi creat. Fuerat is autor Othonis in ordinem redigen-di, ac procul ab urbe relegandi, & ob eam rem Vrſo antiſtite annitente exilio mulctatus eſt. Inde, ut ua-riabile eſt multitudinis ſtudium, in ciuitatem reſti-tutus, princeps creatur. Reſiduo igitur in Vrſeolam gentem odio, ignominiaq́ue exilij ſtimulantibus, confeſtim dignitatem adeptus ad populum tulit, ut omnis Vrſeolorum gens tanquam ciuitatis otio infeſta, ex urbe exularet, accepitq́ue eam relationẽ populus beneficiorum eius familiæ immemor, la-tumq́ue decretum, ut Vrſeoli omnes perpetuo exu larent: ſic familia ad id tempus Venetijs clariſsima, adeò præſenti ignominia concidit, ut ad priſtinam fortunam nunquam amplius emerſerit. Eodem Fla banico autore ſublatus eſt mos collegæ in princi-patu cooptandi. Et ille per hæc (nam quid foris e- *Vrſeoli exilio publicè nullatur.* gerit, non reperio) annos decem rempublicam ad-miniſtrauit. Erat Romæ adhuc pontifex Benedi-ctus octauus, quum Veneti Adrianos ad Lauretum uicere, ut ſuprà eſt demonſtratum. Quo ſedente Henricus, qui poſt Othonem tertium imperio po-titus eſt, in Italiam uenit, imperij inſignia acceptu-rus, quibus receptis Saracenos ex Capua deiecit, eſt & Bubaganum Græcorum ducẽ bello perſecutus, qui impiæ gentis rebus fauere dicebatur, eiecitq́ue Græcos ex Troia quæ in Apuliæ confinio eſt. Buba *Troiæ conditio in Apulia.* ganus locum in ſpeciem urbis muniuerat antea Ca ſtra Hannibalis dicta. Cauſa condendæ urbis fuiſ-ſe traditur, ut Græcorum colonia eò deducta, Apu-liæ & Calabriæ præſidio eſſet, Romanorumq́ue res inde infeſtaret. Enimuero pars Italiæ, ut diximus, non parua adhuc Romanæ erat ditionis. Henricus cognito Græcorum conſilio, eo infeſtius caſtra ad urbem admouit, ſunt qui tradant in ea expeditione Benedictum pontificem Henrico ſemper affuiſſe. Quatuor menſibus Troia obſidione fatigata eſt, ac poſtremum dedita. Secundum eam uictoriam Hen ricus Romam reuerſus in Germaniam tranſijt, Gui lielmus cum Roberto Francorum rege eum in Ita-liam reuerſum ſcribit, ſed reditus cauſam non expe dit, incertum quia noluit, aut quia non potuit. Fer-tur Henricus tam caſte ſancteq́ue cum Cunigunda *Henrici imperatoris & cõiugis caſtitas.* coniuge uixiſſe, ut fato defuncti ambo miraculis cla ruerint. Perijt Henricus octauo ſui imperij anno, qui humanæ fuit ſalutis ſupra milleſimum quartus & uigeſimus. Quo ſane tempore Michaël Catalai-cus Byzantij imperabat, Robertus Galliarum rex erat. Quo igitur iuſtius ſanctiusq́ue Henricus impe rauit, eò maius ſecutũ eſt defuncti deſiderium. Hũ-ius & Cunigundæ coniugis opus, uetuſtum tem-plum quod extra Fluentiam urbem edito colle fe-ſta fronde niſitur, per idem tempus Feſulæ à Fluen- *Feſulæ captæ.* tinis captæ, quarum excidio Fluentia ædificijs & ci uium frequentia infigniter creuit. Benedictus pon-tifex, Henrici præſidio ſpoliatus, ciuili ſeditione ex urbe pellitur, ſed non multo pòſt reſtituitus breui ui ta deceſsit, quum undecim ſediſſet annos. Apparuit Benedicti huius idolum antiſtiti cuidam in ſolitu- *Attẽde uiſum.* dine ſtanti nigro equo ſedens, eſtq́ue ille cauſam ſciſcitari auſus, cui tantum reſpondiſſe fertur, ut i-ret, & pecuniam, quam ipſe humi defodiſſet (mo-ſtrauit enim theſauri locum) continuò eruere t, di-ſtribueretq́; ex fide pauperibus, teſtatus quicquid eleemoſynarum antea erogaſſet, nihil ſibi profuiſ-ſe, quia ex male parta pecunia eſſet id datum. Pere-gir illius mandata pius antiſtes, cõfeſtimq́; ſe digni tate abdicauit, monaſticam uitam ſecutus. Fuerunt *Viri illuſtres.* hac tempeſtate uiri doctrina & pietate clari, Gerar-dus Canadienſis antiſtes, & Guther Pragenſis, qui orthodoxæ ſtudio fidei martyrio conſumptus eſt. Ioannes uigeſimus defuncti loco ſit inde pontifex, *Ioannes XX. pont.* nullis, ut quidam aiunt, ordinibus initiatus, pontifi cium eſt nomen adeptus, quo tempore Conradus Sueuus, cuius ſuprà mentio facta eſt, triennio poſt Henrici interitum imperator legitimo creatur ſuf-fragio. Ad quod interregnũ principes Italici nomi-nis animũ extulere, coniuratione inita ut ſuam li- *Coniuratæ Italia.* bertatem cõmunibus armis tuerentur, ac ſi quãdo no uus imperator in Italiã intraret, eum hoſtiliter inua derent, ingreſſuq́; prohiberẽt. Conſpiraruntin hoc ipſum populi pleriq; ciuitatesq́; haud obſcuri nomi nis. Conradus factus de his certior, quæ in ſe para-rent, cum ingenti exercitu Italiam inuadit, fuerat in ea ſanctione imperatoris creandi diſerte ſcriptũ, ut imperator in Germania creatus, quũ Romã ueni-ret, imperij inſignia aſſumpturus, Modeciæ cotonã acciperet ex palea cõtextã, alterã Mediolani ferreã; *De duplici cõrona imperatoris.* qui mos ad poſteros tranſijt, dubiũ Modeciæ fuerit Conradus, Mediolano, qđ ſatis cõſtat, armis exclu-ſus eſt. Frendens igitur fremẽsq́; Sueuus Inſubricũ

Conradus imperator Insubricum agrũ uastat.

agrũ populatur,suburbana ędificia incendio uastat, non prius inde abscessurus,quàm ut palàm dictitabat urbem tetra clade affectam solo æquaret. Verũ oraculo deterritus destitit incœpto.Fertur Coloniensis antistes quum sacris operaretur,uisus sibi moneri Ambrosij uoce,in cuius tutela sunt Mediolanenses,fore,ut breui magnũ exitium Conradũ & exercitum maneret,si pergeret Mediolanenses pernicia li bello insectari.Conradus Insubria egressus Romã petijt,estq; à Ioanne pontifice inunctus, & imperatoria corona insignitus.Blondus à Ioanne decimonono coronam accepisse ait. Platina uigesimum huius nominis fuisse scribit. Accersiuerunt Itali, audito Conradi accessu,Sclauorum & Pannonum auxilia.Sed dum sero illi arma expediunt, Conradus Italiam ingressus,sine maiore negotio propositum tenuit: inde ubi comperit externa in se arma comparari,pacatam post se prouinciam relinquens in Sclauos primò,mox in Pannones duxit exercitũ, pressoq; utrorumq; motu Alpes transgressus, in Treuiros & Metenses copias in hyberna dimisit. Sed dũ hæc quæ diximus in Italia geruntur,Michaël imperator Byzantij moritur,quo defuncto, alius eiusdẽ

Etheriacus impe.Const.

nominis cognomento Etheriacus, imperium adipiscitur, potiebaturq́ue Etheriacus rerum in Græcia quum in Apulia Normani circa Aufidum cum Græcis prælio congressi egregie uicerunt.Et Conradus hybernorum tempore Rodulphum Burgundiæ regem in fidem recepit,qui crebris suorum rebellionibus fatigatus,quum iam de retinendo regno uehementer esset solicitus,Conradi fidem implorans,seipsum cum toto regno illius præsidio tuendum tradidit. Præsit eius gentis motus Conradus autoritate magis quàm armis,restituitq; in integrum Rodulphum. Cæterum regnum in prouinciæ nomen uertit.Tulit inde imperator aliquot leges, & in his unam omnibus salutarem, ut capitale esset, si quis quietem & otium prouinciarum turbaret, quapropter Leopoldum Germaniæ comitem bello infectatus est,qui nouarum rerum cupidus, prouinciæ statum solicitare fuerat adortus : misit præterea ad Normanos & Græcos de Apulię possessione iãdudum armis inter se disceptantes,ut à bello discederent,Romanis exitium comminatur, nisi à pontificum insectatione desisterent. Et Conradus tuendæ

Emerici sanctitas.

pacis tam diligens custos fuit. Emericus Stephani Pannoniæ regis filius, multa per id tempus sanctitate claruit, sed post obitũ multo clarior factus ob miracula quæ circa defunctum extitere. Sedit Ioannes pontifex annos undecim.Sequitur Benedictus

Benedictus nonus pont.

nonus,inter huius pontificatus initia Canutus Angliæ rex uoti causa uenit Romã, reuersusq; ad suos, filiã matrimonio despondit Henrico,qui haud multo post,Conrado patre uita defuncto, imperium suscepit, comparatoq; aduersus Oldericum Boëmiæ regem exercitu,cum eo dubio marte conflixit. Repetitus est inde bello Oldericus, ac prælio uictus

Henrici gesta.

capitur.Henricus uictoria contentus, nihil in hostẽ grauius sæuijt,sed uectigalem factum dimisit incolumem, inde in Pannoniam cum exercitu proficiscitur,ubi de regno dissidebatur, hic citra omnem bellorum motum,Petrum ab Alboino deiectum in regnum restituit.Cæterum dum hæc in Pannonia geruntur,Romani Benedictum pontificem eius ignauiam pertæsi sede deturbant,Ioannem Sabinię antistitem creãt pontificem, Siluestrum tertium uocãt.

Attende Henrici clementiã

Siluester III. pont.

Pellitur is paulò post,tanta erat multitudinis inconstantia,Benedictus in urbem reuocatur,qui ne mutabilem ciuium fauorem sępius experiretur Ioanni archidiacono,qui pontifex est Gregorius dictus,huius nominis sextus, Apostolica sede ultrò cessit. Fuerunt ea tempestate, qui crederent, non cessisse eum pontificatu,sed grandi pecunia uẽdidisse : fuit, quòd satis constat,ea res illi tantæ inuidiæ,ut arre-

Gregorius VI. pont.

Nota.

A ptus sit in iudicium, atque eodem nomine damnatus.Ferunt post mortem,nam etsi multum inde superfuit,obijt tamẽ aliquando, terrifico aspectu obtulisse sese cuidam uidẽdum, ac rogatum quid tam tetro aspectu esset,quoniam,inquit,apostoli sedem morum fœditate coinquinaui, diuina ultione plector,ut ne effigies quidem nunc adsit hominis. Sedit Benedictus per interualla annos ferè decẽ, quibus Siluester interiectus,pontificatũ turpiter quæsitum, undequinquagesimo die ab eo, quo sedere cœperat,aliquãto turpius amisit.Gregorius qui per manus pontificium decus à Benedicto accepit,à primo Gregorio sextus fuit,à Bariona, qui primus sedit,quinto & quinquagesimo supra centesimũ centesimo loco.Ad hęc igitur rerum monstra è medio tollenda,Henricus cum exercitu transijt in Italiam,celebri inde antistitum conuentu quem Romæ habuit,Benedictum qui pontificatum uendidit, Gregorium qui emit, & Siluestrum qui largitione in paucos dies incestauit,tanquam tria monstra auersatus coëgit se dignitate abdicare,Syndegerũ Bambergensem antistitem pontificem creat, qui se Clementem secundum dixit. Gilbertus, qui eius temporis historiam scripsit,Gregorium ab infamia uindicat,ut qui pontificium decus priorum ignauia labefactatum,autoritate & animi magnitudine in pristinam dignitatem restituerit, latrocinia circa urbẽ sustulerit,atque ob eam rem factum, ut eiusmodi hominum obtrectationibus obnoxius, male audiuerit uiuens,astipulatur Gilberto uitæ exitus: moriturus familiariter castigasse fertur supremi ordinis antistites,qui de se male opinari dicerentur, præcepitq́ue ut suum defuncti corpus,clausis foribus ante templum sisterent,futurum ut si piè iusteq; pontificatum administrasset, diuina uoluntate sibi templum patefeceret. Si, inquit, iacuero exclusus, corpus insepultum abijcite. Mirum est quod accidisse aiunt, continuò ubi defunctum corpus pro templo est ab ijs qui ferebant,destitutum,uehemẽtiore flatu fores patuerunt, ac cum magna sanctitatis opinione corpus templo illatum. Potitus est Gregorius dignitate annis duobus & dimidio, à cuius abdicatione Clemens Henrici suffragio, nisi fuit illud imperium potius,est sedem adeptus. Cæterum ut dignitas maneret illi inoffensa,caueretuŕque in posterum pontificibus,adegit Henricus ciuitatem iuramento, ut summorum pontificum creationi nemo ciuium interesset,nisi imperatoris permissu. Capuam inde progressus,urbem ipsam nouo præsidio firmat aduersus Saracenorum motus, nec ita multo pòst Germania repetita est. Post Henrici digressum Romani, quia Clemens ui non suo esset suffragio creatus, nono mense ab eius creatione, occulta in eum uia grassari,ueneno,ut fertur,sustulere. Stephanus Bauarus illi uenenum miscuit,qui confestim ab Clementis interitu,sine cleri populi ue suffragio, sacram inuasit sedem,sęq́ue Damasum secundum uocat,adeo mos inoleuerat apostolicæ sedis peruim & dolum occupandæ, sed corripuit cœlestis ultio iniquitatis diem, tertio & uigesimo die quàm per hunc modum Damasus pontificem agere cœpit,uita decessit. Miserant interea Romani ad Henricum legatos, orantes ut optimum aliquem sibi pontificem daret, petitum est hoc ab imperatore anno salutis millesimo atque undequinquagesimo, obtulit his Henricus Baunonem, alij Brunonem scribunt, Tullensem antistitem,uirum magis bonum quàm doctum, cui Romam pontificio habitu petenti obiter facti sunt obuiam Cluniacensis abbas, & Ildeprandus monasticæ uitæ professionis, præsentem admonent ac suadent, ut quum Henricus nullam haberet à deo creandi pontificis potestatem,põtificijs insignibus depositis, priuatus Romã ingrederetur,clero id datum Romanæq; ciuitati, ut pontifi-

Attende ritum Clementis decreti.

Clementis Secundus pont.

Attende quid in Gregorio mortuo cuenerit.

Clementis pontifex uenenum necatur.

Damasus II. pont.

pontificem creent. His motus ille, atque eò magis quod Romam petens uisus fuerat sibi uocem è cœlo audire:cogito ego cogitationes pacis, non affictionis,priuatus urbem ingreditur, suum incusans factum,quod Henrico maluisset quàm deo obtemperare. Censuit inde Ildeprandus, ut Baunonẽ clerus & Romani pontificem crearent, quando præro gatiua creandi pontificis autoritas ab imperatore ad clerum reuerteretur: fit itaq; pontifex Baunon, mutatoq;,ut moris est,nomine,Leo dici uoluit, qui nonus fuit ab eo pontificum qui primus id nomen tulit.Sub ipsam Leonis creationem Drogo Normanorum dux moritur in Apulia, cui Hunfredus frater succesit,tenuitq; annos septem Apuliæ regnũ. Post cuius interitũ Gothifredus est in ea terra principatũ adeptus,& ipse Drogonis frater.Hæc Blondus.Platina Gisulphum ait fuisse fratrem,qui Guarimaro & ipso Normanicæ gentis à suis interfecto, ex illius morte sit Salerni principatum consecutus. Is,ut sunt hominum animi augendarum rerum ad insaniam usq; ac dementiam cupidi,Beneuentũ occupare constituit,quam urbem Leo nonus ab Henrico imperatore acceperat dono, remisso illi Bambergensis ecclesiæ tributo,quæ consecrationis causa certum argenti pondus annuum, equumq; albũ phaleratum debebat pontifici. Et iam Gisulphus aperto bello Beneuentum oppugnabat, cuius urbis ui & armis tuendæ Henricus autor fuit pontifici: nam & ipse aliquanto antea resciuerat quid à Normanò pararetur,fecitq; illi potestatem utendi ijs copijs,quas ad Italiæ præsidium reliquerat. Leo præter Germanos quos ad bellũ coëgit, delectu in Italia habito,in Gisulphum proficiscitur. Iam Normanus Beneuento potitus fuerat priusquam subueniri potuerit,estq́ue nihilo secius acie dimicatum, uictorq́; prælio Gisulphus pontificem captum honorifice apud se habuit,multoq́ue honoratius dimisit B Beneuentano clero illi dato, per quem Romam reduceretur.Fuit Leo tã insigni pietate, ut leprosum ante fores iacentem, in cubiculum adductum, suo reclinauerit lecto, is postridie requisitus, neque ibi neq; alibi apparuit,multi persuasum habuere Christum pauperis specie se Leoni obtulisse ad eius pietatem exercendam. Idem pontifex Vercellensi conuentu Berengarium archidiaconũ Andegauensem, in Eucharistiæ sacramento pertinacius oblucinantem,hæreseos damnauit. Sunt qui scribant eo conuẽtu hominem ab errore reuocatum.Est adhęc Leo Constantinopolitanum imperatorem pie hortatus ad Christi summi regis sepulchrum, quod Saraceni Turciq; Hierosolymis uiolauerant, restituendum. Sedit Leo annos quinq; & amplius.Per hęc tempora Constantino Byzantij defuncto, Theodora Zoæ Augustæ soror imperium duobus annis administrauit,eaq; defuncta,Michaël, cui Notitio cognomen fuit,imperator ab Isacho deiectus, monasticam secutus est uitam:Isachus quatuor inde annos imperauit, quo expulso Constantinus Diocliſis Byzan-

Viri illustres.

tij rerum potitus est. Fuerunt eadem tempestate uiri & sanctitate & doctrina clari,Theobaldus ex Frãcorum gente, cuius sanctitas apud Vicetinos post mortem claruit, Vincẽtius Leodiensis antistes,qui ad Hermannum præstantis ingenij uirum, de quadratura circuli doctè multa & accuratè scripsit. Fuit ijs æqualis Campanus, in mathematicis disciplinis ad posteros clarus, qui in eo doctrinarum genere quædam in Prolemæo obseruauit errata. Sunt qui hunc in Benedicti noni tempora reijciant.

Fuit Guido Aretinus,qui canendi ratione in sacris per flexuras & digitorũ notas reddidit accuratiorẽ.

ENNEADIS IX. LIBER III.

Victor II. pont.

OSt Leonem defunctũ, Victor pontifex fuit huius nominis secundus, Henrici potius priuilegio quàm libero suffragio dignitatem adeptus. Erat Henrici potentia clero & uniuersæ ciuitati formidolosa, præsertim post iuburandum quod sanctissimũ in eius uerba iurauerant:id si aliquo modo uiolassent, apparebat fore,ut uelut impij,exitiali bello ab eo plecterẽtur. Habuit Victor conuentum sacrorum antistitũ percelebrem,quo pleriq; magno sacerdotio prædi-

Attẽde statuæ inscriptionẽ.

ti,concubinatus & simoniacæ fraudis conuicti, dignitate mulctati sunt.Premebant per id tempus Saraceni Capuam obsidione, quos Robertus cognomento Guiscardus,uir impiger,ex improuiso adortus multa cædе edidit,Capuamq; obsidione leuauit.Fuit Guiscardus Hunfredi filius, cuius alio loco nec multum diuerso mentio facta est,uir acer,& Græcis accolis Saracenisq; formidatus. Incidit is in statuam memorabilem, cui æneum fuit caput circulo ita inscripto:Calendis Maij,oriente Sole,aureum erit mihi caput. Seruiebat apud Guiscardum seruitem Saraceni generis quidam magicę artis gnarus: is primo Maij mensis die, ad primum Solis ortum, notato umbræ termino,quam statua faciebat, circa eius caput terram altius aperuit, thesauroq; ibi inuento,suam à Guiscardo libertatem redemit. Moritur Victor pontifex anno quàm sedere cœperat secundo,mense tertio. Stephanus qui nonus fuit huius nominis,in demortui locum surrogatur: continuò itaq; sedem adeptus pro magno habuit negotio,Mediolanensem ecclesiam, cui ducentis ferè annis nihil rei fuerat cum Romana, ad obsequium retrahere, factusq́ue est uoti compos, quo tempore Henricus tertius defuncto patre, imperij nomen susscepit. Incidit declaratio illa, ut quidam colligunt, in eum annum qui supra millesimum septimus & quinquagesimus fuit humanæ salutis,mundanę originis sexies millesimus & amplius ducentesimus quinquagesimus sextus, quum Byzãtij Nicephorus imperaret,aut certe Alexius qui eius fuit filius.Gui scardus interea Græcos magno prælio superatos Calabriæ finibus deiecit, sacerdotibus dũtaxat gentis in ea terra retentis,qua Italiæ parte adhuc patriũ sermonem & Græcanicum ritum seruant. Constantinopolitani opes imperij iam multis uarijsq́ue cladibus affectæ adeò retrò abierant, ut ægrè Thraciã, Galatiam,Pontum,Thessaliam, Macedoniam, cum Achaia,ex tanto olim prouinciarum numero retinerent,etsi hoc quod reliquum erat iam Turcorum armis cœperat esse infestum,nam Saracenorum iniuriam multo prius id imperium senserat, Stephanus Fluentiæ diem obijt,mense septimo initæ dignitatis.Creatur in defuncti locum Benedictus huius appellationis decimus,paucorum nobilium factione, non imperatoris consensu. Incidit ea declaratio in id tempus,quo Agnes Henrici tertij mater Giberto Parmensi uiro nihil obscuri nominis, Italici regni procurationem attribuit, erant & Gothifredi opes in Italia multæ celebritatis, huic Mathildis nupsit fœmina opibus & pietate insignis,ex Beatrice orta, quæ fuit Henrici secundi soror, Bonifacij Lucensis uxor, uiri inter Italos fama & diuitijs affluentibus longe principis, quo extincto Beatrix potita est illius principatu,dein per Mathildem Beatricis filiã, ad Gothifredum res deuoluta est. Parebant itaque Gothifredo Luca,Parma,Regium,Lepidi,Mantua, & ea pars Hetruriæ,quæ ad posteros patrimonij est nomen adepta, & hi tum uiri opibus in Italia florebant,quum Benedictus parum legitimè creatus, sedem

Stephanus nonus pont.

Græci Calabria eijciũtur.

Gothifredi opes.

Benedictus X. pont.

sedem est sacram adeptus. Cęterum breuis illi digni A
tas contigit. Ildebrandus archidiaconus ut aduſte-
rinum pontificem, ac proinde deſpicatum habens,
ſede deturbat, Gerardus Fluentinus antiſtes in deie
Nicolaus II. pont. cti locum ſufficitur: Nicolaus huius nominis ſecun
dus nuncupatus eſt. Et hęc circa urbem, diuerſa Ita-
liæ parte Gothifredus, Normani generis, ex Drogo
nis fratris ſui morte Apuliæ principatum tenuit ſub
id tempus, ut quidam prodiderunt, quo Nicolaus
ſedere cœpit, moriēs (nec mihi excidit quid de Dro
gone & eius ſucceſsione ſit alio à me loco proditū)
Bagelardum filium ſucceſſorem reliquit Gothifre-
dus, quū fratres uiri clariſsimi ſuperelſent, & in his
Robertus cognomento Guiſcardus, qui ut magno
elatoq; fuit animo, ferre non potuit adoleſcentem
ſibi prælatum, Bagelardoq; ui pulſo, fraternum re-
gnum occupat. Sed hæc aliquanto poſtea accide-
runt: nam Sicula expeditione Gothifredus & Gui-
ſcardus paribus propemodum auſpicijs Panormū
ex Græcis in ea inſula oppugnauere. Cęterum cum
uxorem amiſiſſet Guiſcardus, ex qua Boëmundum
tulerat, Gilgardam defunctæ ſuperduxit, Giſulphi
Tarentini ducis fratre genitam. His auctus ſucceſ-
ſibus Robertus ut res ſuas ualidius ſtabiliret, egit
cum Nicolao pontifice, oratoribus ad id Romā miſ
ſis, ut ad res Apuliæ Calabriæq; componendas, ne
grauaretur uelut in rem præſentē uenire. Nicolaus,
qui omnia circa urbem habebat crebris rebellioni-
bus infeſta, cupiebatq; uehementer pontificiam di-
gnitatem, externis opibus, quando domeſticis non
poſſet, ab omni metu & iniuria uindicare, Guiſcar-
do gratificaturus in Apuliam proficiſcitur: hic pri-
mum omnium Guiſcardum anathematis telo iam
antea petitum in Chriſtiani cœtus communionem
reſtituit. Apuliæ & Calabriæ ducem declarat, condi
Calabria & Apulia pōtifici ſubijciūtur. tione tamen ut Beneuentum, Troiam in Apulia &
cætera quæ pontificiæ ditionis tenebat, reſtitueret, B
eſſetq; apoſtolicæ ſedis Ligius, qui ſubditus inter-
pretari queat. Mitteret adhæc quoties opus eſſet,
Romano pōtifici auxilia, aut ipſe cum omnibus co-
pijs ſuppetias ferret, ſiquando urgeret neceſsitas, &
illi his inter ſe legibus fœdus occulte percuſſerunt,
ne rebelles ad res nouas conſurgerent, eccleſiæ par-
tibus nondum firmatis. Romam inde reuerſus, ex
ijs qui rebus nouis ſtudebāt, quoſdam ad obſequiū
retraxit, Normanicis fretus armis. Sub idem tēpus
Attende Mediolanenſium legati Romam uenere, ueteris cō-
legatorum poſtulata. tumaciæ ueniam precaturi, petentes adhęc ut ad ſe
aliquis à pontifice mitteretur, qui perditos mores
cleri ſuo arbitrio in integrum reſtitueret: miſſus eſt
Petrus Damianus Hoſtienſis antiſtes, uir pontificij
Cęſarijq; iuris ſcientiſsimus, is Mediolanenſem an-
tiſtitem, Brixianum, Taurinenſem, Aſtenſem, Albē-
ſem, Vercellenſem, & cum his ignobilia cleri capita
oppidò multa ſimoniacæ fraudis & concubinatus
comperta, leni caſtigatione, qualem temporis con-
ditio poſtulabat, adhibita, ad ſanctioris uitæ inſtitu
tum retraxit. Sub Damiani reditum Nicolaus fato
deceſsit, quum tris annos & dimidium ſedem te-
nuiſſet: quo tempore Guiſcardus, auxiliaribus co-
pijs, quas Nicolao miſerat, peropportune receptis,
Tarentum & Materam urbes per oratores deditas
Attende monſtri fœditatem ſuis adiunxit opibus. Vincentius autor eſt, per hæc
tempora monſtrum hominis in Britannico pago or
tum, gemino capite, quaternis brachijs omnibus q;
geminatis, umbilico tenus, infra tantum muliebre
ſexum ac cætera ſingula, ridebat, loquebatūr, alter-
nis ueſcebatur gemino ore, ſed uno digerebat mea-
tu, peruenit id monſtrum ad pubertatem, demum
parte una extincta, ſuperuixit reliqua totum trien-
nium, quæ demum fœtoris tædio onereq; exanimę
partis fato ceſsit. Romæ Anſelmus Lucenſis antiſ-
Alexander ſe-cundus ponti. tes pontifex eſt creatus. Alexandrum ſecundum ſe
dixit. Fremere interea Ciſalpinæ Galliæ clerus, ne-

Paradiſus Italiæ. gareq; ſibi pontificē obſeruandum, niſi qui intra pa
radiſi præſcriptum crearetur, ſic illi appellabant Ci-
ſalpinæ Galliæ terram, quæ Longobardia nunc eſt,
miſerunt & ad Henrici tertij matrem, qui illi perſua
derent Nicolai pontificis nuper defuncti ſanctione
latū, ut non liceret cuiquam pontificem creare ſine
Italici regis permiſſu. Tenuerūt legati qui ad id miſ
ſi ſunt, ut qñ creari pontifex nō potuerit iniuſſu re-
gis, eſſetq; alius ritè declarandus, ut liceret Ciſalpi-
næ Galliæ clero pontificē creare. Scio fuiſſe qui cre-
derent Agnetem Henrici matrē, ut facili erat inge-
nio, temere his poſtulatis aſſenſam, alij Henricū ad-
huc adoleſcentē pręcipitisq; conſilij autorē præbui-
ſſe ſe illis noui pontificis creandi, atq; ex ea re ortā
eſſe inter Henricū & matrē inſanabile diſcordiam,
qua mox gliſcente Agnes à filio pulſa eſt domo, iuſ-
ſaq; publica adminiſtratione abſtinere. Crearunt Ci
Attendeq; nus Ciſ cleri. ſalpini antiſtites pontificē Cadolum Parmenſem,
cōuentu omnibus circumpadanis ad hoc ipſum in-
dicto, conſpirauit tota gens in id unum, ut Cadoli
dicto eſſet obediens, prēter Mathildem & Gothifre
dum cum quo Mathildis nupta erat. Hi Alexandrū
Romæ creatum colere ut uerum pontificem, Cado-
lum ut impium auerſari. Requireti mihi huius mon
ſtri cauſam ſuſpicari libet, circumpadanos antiſtites
non tam pontificis ſanctionem ullam obſeruare uo
luiſſe, q̄ Romanæ eccleſiæ maieſtatē infringere, cui
nuper Mediolanēſis eccleſia parere coacta eſſet, eſ-
ſentq; antiſtites ipſi recentiore Damiani Hoſtienſis
cenſura notati. Nec præceps Henrici ſtudiū ad tur-
bandum eccleſię ſtatum caruit ratione, etſi nulla ho
neſta eſſe potuit, credibile eſt eum reſciuiſſe de Gui
ſcardi & Romani pontificis fœdere, nec potuiſſe Hē
rico non ſuſpectum eſſe nouum morem pōtificum
aliunde implorandi auxilia, quàm à Cæſaribus. Cæ
terum quocunq; fonte hæc mala originem habue-
re, attigit, quod inter omnes conſtat, id ſchiſmatis Fœdatur eccl. ſta ſchiſmate. B
uenenum Romanam ciuitatem, nam ibi quoque re
perti ſunt, etſi pauci numero, qui Cadolo mallent
quàm Alexandro obtemperare, & hi ex eo ferè ge-
nere hominum, qui quoniam nouis rebus ſtuderēt,
pontificis ductu nuper fuerant Normanicis armis
circa urbem inſigniter afflicti: ſecuti ſunt hos ex ur-
bana multitudine quidam & ipſi nouarum rerū cu-
pidi, quorū conſpiratione fretus Cadolus, polliceri
enim hi aperte ſuum ſtudium & operā aduerſus Ro
Attende Cā manum pōtificem, cum numeroſo ſuæ gentis exer li conatum. citu urbem hoſtiliter petijt, magnum piorum agmē
acrem cum Cadolanis pugnam in Neronianis pra-
tis depugnauit, ſub radicibus Aurei mōtis, Gothi-
fredo iuuante, qui cum auxiliaribus copijs Romam
occurrerat. Cadolana prælio phalanx uicta, magna
tamen cæde utrinq; edita, retrò abijt. Nec Cadolus
una aduerſa pugna quieuit. Cæterum præfectis ur-
bium, locorumque urbi finitimorum & ex urbana
multitudine multo pluribus largitione corruptis,
anno nondum à priore conatu exacto, occultis iti-
neribus Romam repetit, coniuratorumque opera
Leoniam urbem occupat, ſic Vaticanum à Leone
pontifice munitum grata poſteritas aliquandiu ap-
pellauit, occurrit eò ciuitas ſubito tumultu conſter
nata, ruebatque in pugnam multitudo, hi qui Ca-
doli latera armis texerant, Romanorum impetum
ueriti, fugam capeſſunt, unus Cincius uir facinoro-
ſus, in tanta multitudine (erat is urbis præfecti fi-
lius) inuita ciuitate Cadolum traxit in Adriani mo-
lem, quam ille biennio pòſt tenuit, magis obſeſſo
quàm obſidenti ſimilis, eratque per hæc Alexander
magnis difficultatibus implicitus, interea nihil æ-
que pōtificiæ rei officiebat, ac Henrici principis im
pietas, qui non modo nō arcere iniuria, ſed Cadoli
flagitio ex cōfeſſo cōniuebat, nec Guiſcardo potuit
pontifici auxilio eſſe, qui in depellēdis ex Italia Gre
cis erat per id tēpus occupatus. Enimuero Cōſtātino
Dio-

Romanus Byzantij imperator. Dioclizo mortuo, qui Byzantij imperabat, Roma-
nus imperium adeptus (id enim illi nomen fuit, qui
poſtea eſt in Græcia rerum potitus) cognomento
Diogenes, imperio nondum ſtabilito, Græcorū re-
bus in Italia periclitantibus nihil auxilij ferre po-
tuit, quam Guiſcardus occaſionem complexus, pri
mo Cyriacum Veſtiæ oppreſsit, is enim prouinciæ
præſidebat, pari inde celeritate circumagēs copias,
ſubito acceſſu conatus eſt hoſtium loca irrumpere,
ſed ſōgè aliter euenit quàm ab initio perſuaſum ha-
buit: nā haud uno loco laborioſis obſidionibus fa-
tigauit hoſtem, & ipſe non minus fatigatus eſt, ſed
Bariana obſidio fuit illi omnium difficillima, ob ar-
cem quæ mari incubat. Græci maritimis auxilijs &
commeatibus iuuabantur, quam hoſtibus commo
ditatem Guiſcardus ut adimeret à promontorio in
Cęſta Guiſcar dii in Græcos. quo arx ſita eſt, ad cōtinentem in hemicycli formā,
ex nauibus quas arctiſsime uinxerat, duxit uallum,
ut mari & terra hoſtis fatigaretur: exijt tamen labor
ille in tertium annū, adeò obſtinatis animis eſt arx
iuxtà oppugnata & defenſa. Eſt & Brunduſium in-
terea terra mariq; obſidione fatigatum, ita pluribus
locis Græci Normanica uno tempore exercuerunt
arma, ſed tam ualidæ tunc erant Normanorum o-
pes, ut quanquam Brundubium & Barius uno tem-
pore circumſederentur, Guiſcardus claſſe in Siciliā
delatus, nam hæc quoq; Græcorum præſidio tene-
batur, Panormum terra mariq; ſit oppugnare ador-
tus, proceſſeratq; id bellum iam in quartum annū,
nec ullus interim extitit in Normanica ui inhiben-
da Graij imperatoris conatus, tanta fuit in eo ſocor
dia, aut à cæteris imperij rebus occupatio. Cæterū
quæ Diogenem cauſa tenuit, quo minus rebus ſuis
laborantibus fuerit auxilio, parum comperta mihi
Michael impe rator. eſt, quod ſatis conſtat, bello adhuc tenente diem o-
bijt. Michaēl deinceps imperat, qui Conſtātini Dio
clizi fuit filius, Romæ per id tempus Cadolus bien B
Cadoli fuga. nio Romanis armis fatigatus, fractus demum ani-
mo, trecentis argenti libris pro uita appenſis, ſtrigo
ſo equo ex Adriani mole Cincij opera aufugit, &
hæc in reliqua Italia. Veneti interea Contareni prin
cipis ductu (Flabanico is ſucceſsit) claſſem in Del-
matiam tranſmittunt. Iadrenſes qui ad Lyburniæ
regulum defecerant, uel, ut alij ſcribunt, ad Salomo
nem regem Pannoniæ, ad obſequium retrahūt obſi
dione & operibus fatigatos. Eſſent & in Peponem
Aquileienſem ſumpta per id tempus arma, qui Gra
denſem eccleſiam ex proximo laceſſebat, niſi Bene-
dicti pontificis interceſsiſſet autoritas, ad quē Vene
ti legatos miſerant queſtum de Peponis iniuria, te-
ſtati niſi uim inhiberet, breui futurum ut res Veneta
uindicaretur armis non querelis, ceſsit Pepo ponti-
ficis dicto. Scio proditum eſſe à quibuſdam Benedi
ctum pontificem per id tempus Venetias ueniſſe, ut
euangeliſtæ qui urbi præſidet, cōditorium uiſeret,
ego Leonem ueniſſe potius crediderim, quod mul-
tis placuiſſe uideo: nam Benedictus qui in hæc tem
pora incidit, nouem dūtaxat menſes pontifex fuit,
nec eum in ſua creatione peregrinatum tradidit Pla
tina, aut eorum quiſquam qui pontificiam hiſtoriā
ſcripſere. Eſt præterea aduerſus Guiſcardum in ora
Apuliæ per id tempus in Græcorum gratiam à Ve-
netis aliquoties dimicatum Contareni ductu, quo
demū defuncto Dominicus Syluius eſt dux factus,
is Nicephori imperatoris rogatu qui Michaēlē im-
perio deturbauit, claſſem aduerſus Normanos in-
ſtruxit, ad quos Michaēl imperio eiectus confuge-
rat, magnisq; Guiſcardum conditionibus traxerat
ad arma pro ſe ſuſcipienda, depugnataq; eſt nō mul
to pòſt naualis pugna ad Dyrrachium cum Norma
nis, uictorq; Syluius dux non ſolum hoſtilem affli-
xit claſſem, ſed Dyrrachinos etiam ea parte, qua cer
tatum erat, ſoluit obſidione. Sed hæc in ſerie aliarū
gentium loco non multum diuerſo explicabuntur.

De iure creandi pont. Erant igitur res Italiæ per hos motus uariè affectæ, A
quum Otho Colonienſis antiſtes Romam ab Hen-
rico tertio uenit res eccleſię compoſiturus: is primū
omnium Alexandrum grauiſsimè increpuit, quod
imperatoris iniuſſu pontificatum inuaſiſſet. Excę-
pit Ildebrandus archidiaconus Alexandri cauſam
tuendam, teſtatus Romani cleri, ſi ſtetur ueteri inſti
tuto, & non Cæſaris eſſe creare pontificem, hæc ille,
& alia multa in hanc ſententiā effatus, facile tenuit,
ut Otho ſibi aſſentiretur: & Henricus ſui flagitij ad-
monitus, Alexandrum rogat, ut concilium indicat
ad res eccleſię componendas, pollicitus ſe eò occur
ſurum, ut ſe præſente omnia fierēt. Mantua ad eam
rem idonea uiſa eſt, quò pontifex & Germanus im-
perator ingens q; antiſtitum confluxit numerus, hic
Mantuanus conuentus. rebus ex Alexandri ſententia compoſitis Henricus
cum pontifice in gratiam redijt, dataque eſt Cadolo
uenia. Gibertus omnium malorum autor, Rauenna
tis eſt eccleſiæ antiſtes creatus, ſed id datum Henri-
ci precibus non hominis merito. Conuentu dein ſo
luto Alexander per Herruriam iter faciens, Lucen-
ſem eccleſiam, cuius antiſtes fuerat, ſoléni more de-
dicauit, eſtq; tandiu Piſis commoratus, quoad Ilde-
brandus ex Apulia reuerſus ſit, quem eò cum copijs
miſerat ad Normanorum uim inhibendam, qui ali-
quot Romanæ eccleſiæ urbes ſuis opibus adiunxe-
rant, & in his Capuam & Beneuentū. Videtur Blon
dus ſignificare Ricardum Guiſcardi fratrem res pō-
tificis temere adortum, quum Guiſcardus in Sicilia
Panormum obſideret, obiuit gnauiter eam prouin-
ciam Ildebrandus, rebusq; cum Normano compoſi
tis, Alexāder Romam reuertitur, nec ita multo pòſt
uita deceſsit, quum annos undecim ſedem tenuiſ-
ſet & dimidium. Guilbertus uallis Vmbroſæ mona
chus per id tempus claruit, uir ſanctitate inſignis.
Poſt Alexandri obitum Ildebrandus archidiaconus
magno omnium bonorum conſenſu fit pontifex, id B
cleri ſtudium eius declarationis formula teſtata eſt
ad poſteros, ſiquidem digna uiſa eſt, quæ his com-
mentarijs ſimplici uerborum figura, qua tum demū
notata eſt, referretur. Nos, inquit, ſanctæ Romanæ
Attēde formā lam pōtificiæ electionis. eccleſię cardinales, cleri, acolyti, ſubdiaconi, presby
teri, pręſentibus epiſcopis, abbatibus, multisq; tum
eccleſiaſtici, tum laici ordinis, eligimus hodie deci-
mo Calendas Maij in Baſilica ſancti Petri ad uincu-
la, anno ſalutis M. LXXII. in uerum Chriſti uica-
rium, Ildebrandum archidiaconum, uirū multę do-
ctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtan
tiæ, religionis, modeſtum, ſobrium, continentē, do-
mum ſuam recte gubernantem, pauperibus hoſpi-
talem, in gremio ſanctæ matris eccleſiæ libere, à te-
neris annis, uſq; ad hanc ætatem educatum, quem
quidem ea poteſtate eccleſiæ dei præeſſe uolumus,
qua Petrus dei mandato quondam præfuit, & ille
per hæc pōtifex declaratus, ſe Gregorium dixit, qui
Gregorius ſeptimus ponti. ſeptimus à primo nuncuparetur, initaq; apoſtolica
dignitate Hēricum Cæſarem admonet, ne deinceps
largitione corruptus, eccleſias ſacerdotiá ue cuiquā
tribueret, quibus niſi abſtineat, futurum dicere ut
in eum pontificiæ cenſuræ telo uteretur. Erat tum
Saxonico bello Henricus implicitus, quum Grego-
rij edictum accepit, & Pannones Salomonem regē
in uincula coniecerant, quod Theutonicis armis ni
mis obnoxiè reſiſteret, bellumque populariter indi
xerant ipſi genti, quam nactus occaſionem rem tan
tā mouiſſe Gregorius uideri poteſt. Enimuero Hen
ricus maioribus curis occupatus, haud quidem au-
ſus eſſet in apertam diſceptationem deſcendere cū
Romano pontifice, prælertim quum ex ea re plus
inuidiæ quęreretur quàm emolumenti. Cæterum
tantum abfuit, ut Henricus Gregorio ceſſerit, ut ma
trem etiam meliora monentem domo exegerit, pri
uariq; publica adminiſtratione, etſi non deſunt qui
in ea ſimultate quā cum Alexandro pontifice exer-
cuit,

cuit,matrem ab eo excluſam ſcribãt, quod ſuprà eſt memoratum. Blondus ſignificare uidetur matrem, ad Henricum cũ cæteris legatis miſſam, qui ad hoc in Germaniam profecti ſunt, ut ſacrarum rerum diſtributione Cæſari interdicerent. Cęterum quoquo modo mater ab Henrico pulſa eſt, atq; ubicunq; loci, Romę, quod inter omnes cõuenit, fato obijt multo mœrore animi & dolore conſumpta, crebris inde legationibus citro ultroq; miſsis, redijt tandẽ Henricus cum Gregorio in gratiam, aut certe redijſſe ſimulauit, probauitq; eius creationem, hæc circa pontificem. In ora ſuperi maris circa Apuliam non multo prius poſteriũs ue Rogerius quẽ Guiſcardus frater in Siciliam traiecturus ad Brũduſij obſidionem reliquerat, ſpem urbis per proditionem occupandę temere ſecutus, quarta noctis uigilia in urbem receptus, ex primorib⁹ Normanici nominis quadraginta numero amiſit uiros, & cum his gregarios milites pari numero, interfectorum capita Brunduſini Byzantium ad imperatorem miſere. Guiſcardus altero fratre ad Panormi obſidionem relicto in Italiam reuerſus, Tranium oppugnat, ſequenti anno qui ſuper milleſimum tertius fuit & ſeptuageſimus humanæ ſalutis, Gothifredus Panormo potitus eſt & Guiſcardus Tranio, eſtq; adeò pertinaciter à Normanis ducibus in bello perſeueratum, ut quanquam per id tempus res ſaę gentis ſint ab Ildebrando qui mox pontifex fuit, grauiter uexatæ, ut loco nõ multum diuerſo proditum eſt: nullum tamen Guiſcardus Ricardo & Guilielmo fratribus à quibus res ecclesiæ repetebantur, tulerit auxilium. Nec, ut ad põtificem reuertar, diu Henricus in officio mãſit, quin ſacrilegi quæſtus ſordibus aſſuetus habere nihilo ſecius res eccleſiæ uenales, hanc pontifex contumaciam deteſtatus primo antiſtites quoſdam clari nominis qui ab Henrico ſacerdotia emerant, anathematis ſpiculo confixit, ac ne quid temere ſuper ea decreuiſſe uideretur conuentum Romæ habuit in Laterano, cui præter innumeros antiſtites Mathildis fœmina illuſtris & Siſulphus Salernitanus interfuere. Hic Gregorius reddita ſui anathematis ratione, quo nuper clariſimi fuerant à ſe antiſtites notati, teſtatus eſt ſe Henricum quoq; ſimili telo petiturum ſi nefario non abſiſteret incœpto. Eſt eodem conuentu Guiſcardus piorum cœtu excluſus pontificis decreto, quod nuperrime in Picenorum finibus loca quædam Romanæ eccleſiæ occupaſſet. Soluto dein conuentu Gibertus Parmenſis qui Cadoli ſchiſmatis olim autor, inde per Henricũ receptus ab Alexandro in gratiam, Rauennatem tenuit eccleſiam, uiam ad pontificatum affectans, dimiſſo cõcilio occulte cum Cincio agit Stephani prefecti filio homine facinoroſo, ut in pontificẽ manum injiciat, facturum eum affirmans rem gratiſsimam Henrico, cuius Gregorius ex confeſſo eſſet hoſtis, pollice turq; adhæc illi grãdem pecuniam ſi Gregorium in ordinem redigeret. Et Gibertus tam impium facinus machinatus eſt. Cincius priſtinæ impietatis furijs agitatus, nihil ſibi non licere ratus, quando impune Hadriani molem Cadolo tradidiſſet, ut inde pontificiam dignitatẽ & patriam oppugnaret: Gregorium media ſacrorum cęremonia adortus quum natalem Chriſti regis ad præſepe celebraret, in ſuã poteſtatem redactum munitiſsima turri collocat, in ea urbis regione quam hodie Parionem nuncupãt. Nec populus eam tulit contumeliam, quin arreptis armis pontificem inde abſtrahit, turrim & impias Cincij ædes à fundamentis diruit, familiam omnẽ fœde mutilat, atq; urbe deijcit: fuiſſet & autor iniurię eo motu diſcerptus à multitudine niſi fugã occupaſſet, medio enim tumultu dilapſus diuerſis itineribus ad Henricum in Germaniã profectus eſt. Gibertus altera malorum fax ſimulata beneuolentia à põtifice eſt incolumis dimiſſus, ſed homo ad flagitium natus, haud multo poſtquam Rauennam reuerſus eſt, cũ pleriſq; Ciſalpinæ Galliæ antiſtitibus in Gregorium coniurat, cuius conſilij Vgo Candidus, ſupremi ordinis antiſtes, factus eſt particeps: conatus Candidus Henricum & Normanos inter ſe de imperio diſsidentes, compoſita pace in pontificem armare. Hæc ubi ad Gregorium ſunt indicio delata, recentiore concilio ad Lateranum indicto, Vgonẽ & Gibertum Rauẽnatem duas Chriſtiani nominis peſtes dignitate priuatos anathematis fulmine defigit. Sed dum hæc Romæ aguntur Henricus Saxonico bello defunctus, adeò eſt receti victoria elatus, ut frequentiſsimo conuentu, quem ad Vormaciam habuit, Sigifredo Maguntino antiſtite negotiũ procurante, edixerit, ut nemo Romano põtifici obtemperaret, uenit inde Romam cum Henrici edicto Romandus clericus Parmenſis, quo publicè eſt Gregorio interdictum, nequid deinceps pro pontifice ageret, edictum eſt & primorum antiſtitum ordini, ut Gregorio relicto, in Germaniam proficiſcerentur alium habituri pontificem. Gregorius nihil ad eam iniuriam territus, Sigifredum Maguntinum, & omnes qui cum Henrico ſentiebant, dignitate & ſacerdotio priuat, Imperatorem anathemate notat, regia adminiſtratione priuat. Fuerunt qui in tali rerũ motu pacis mentionem intulerint, quibus Gregorius ita reſpondiſſe fertur. Ego cum Henrico nullas pacis cõditiones abnuo, modo ipſe cum deo prius pacem ſanciat. Et quum regem alij non tam ſubito anathemate petendũ cenſerent: Chriſtus, inquit, pontifex quum Petro dixit, Paſce oues meas, num excepit reges? poteſtaté, ut arbitror, illi dedit tam reges quàm alios & ligandi & ſoluendi. Dedit Henricus literas ad omnes gentes de pontificis aduerſus ſe iniuria, dedit & Gregorius, qui non modo non negare factum, ſed mõſtrare etiam cur ita facto opus eſſet. Oritur interea nouum in Germania bellum, Saxonibus Hęrico rebellãtibus, quo motu territi Germani nominis principes ac ueriti ne illud incendiũ plus nimio inualeſceret, conuentu ſuper ea re habito, decretum tulere, ut ſi Gregorius in Germaniam proficiſcatur, Henricus ſupplex eorum quæ contra illius dignitatem egiſſet, peteret ueniam, idq; præſtaturum ſe Hęricus iureiurando eſt pollicitus. His Gregorius pollicitationibus motus, iam & Treuerenſis antiſtes ad hoc ipſum Romam uenerat, pacis cupidus ex urbe proficiſcitur Auguſtam prætoriam petiturus, eratq; iam Italiæ partem multo maximã emenſus, quum Vercellis ex eius urbis antiſtite cognouit Henricum hoſtili, ut ſiquando aliàs, in ſe adhuc eſſe animo, & iam cum exercitu Italię appropinquare. Potuit merito Vercellenſis fides antiſtitis ſuſpecta haberi, qui turbandæ pacis cupidus, de reſiduo Henrici odio in pontificem id ſchema cõfinxerit. Nam quum Gregorius metu perculſus retrò Canoſſum fugienti ſimilis abijſſet, erat is Mathildis locus, & opere & natura munitus: Henricus qui non multo poſt Gregorij diſceſſum Vercellas uenit, exercitu ibi relicto põtificis ueſtigia ſecutus, Canoſſum iter intendit, hic imperatorijs inſignibus depoſitis, ac nudo pede, portæ appropinquans, ueniam precatur, obteſtaturq; oppidanos, ut ſe ad pontificis conſpectum admittant, mouit ea res ſpectantium animos, cæterum negato ingreſſu ferunt æquo animo id Henricum tuliſſe, ac quanquam omnia gelu rigeſcerent (erat enim iam brumæ tẽpus) triduo in ſuburbanis eſt tectis cõmoratus, poſtremo Mathildis & Adelai Allobrogum comitis hortatu põtifex ad ſe Germanum receptum eccleſię reſtituit. Pax iureiurando ſancita eſt, perpetuumq; obſequium pontifici promiſſum. Et res per hunc modũ Canoſsi peracta. Hinc Henricus digreſſus Ticinum decreto petebat, quum Cincius malorum omnium caput ſubita ui morbi preſſus obijt. Nec peſte illa conſumpta deſtitit

Normanorum geſta.

Attende Cincij ſcelus.

Pia Ro. ultio.

Attendite Henrici.

Gregorius tifex Henr. anathemat. git.

Gregorius tifex in Germaniam proſcitur.

Cincij interitus.

ſtitit Henricus rebus nouis ſtudere, inde ad uim cõ A surgens pacem uiolat. Incredibile dictu eſt quãtum ex ea re ſit illi inuidiæ conflatum. Alemani principes eius impietatem auerſati, Rhodulphum Saxoniæ ducem ſibi regem creant. Petijt Henricus à pontifice, ut Rodulphum execrationibus à regni occupatione deterreret, nec impetrauit, conflixit itaque cum Saxone hoſtiliter, eſtque dubio marte dimicatum. Venerunt inde ab utroque legati ad põtificem, poſtulatum ut in partibus uellet eſſe, quibus tãtum reſponſum eſt, ut ab armis diſcederent, ex bono & æquo, non armis de regno diſceptarent. Congreſsi ſunt inde iterum acie Rodulphus & Henricus, nec fortuna alterutrò inclinauit, tertio inde dimicatum, ac poſt teterrimam cædem utrinque editam, Henricus aliquanto ſuperior fuit, tum uero certa ſpe uictoriæ præcepta, Rodulphi legatos, qui ad ſe uenerant, de pace acturi, audire noluit, ſcripſit tamen ad pontificem, ut Saxonem regnum occupare conantẽ anathemate notaret. Id facere quia Gregorius recuſaſſet, non oportere dictitans, cauſa nondum cognita, quenquam damnatum iri, reflexit confeſtim Hẽricus ad iniuriã, ac ſecum agitare, qua ui quá ue fraude Gregorium pontificia ſede deijceret. Eratque hic rerum ſtatus alibi, quum Michaël Conſtãtini filius, Nicephori armis imperio ejectus, cum tribus filijs, Michaële, Andronico, & Conſtantino, ad Guiſcardi opes in Italiam confugit. Cæterum Normanus audito Michaëlis caſu, priuſquam ille ad ſe ueniſſet, ea temporum nouitate fretus, animum adiecerat ad Grẽcos ex Italia pellendos, domitoque Siſulpho Salernitano duce, quem ad deditionem compulſum principatu ſpoliauit, ea victoria ferocior factus, Grẽcos ex Hydrunto eiecit, iam & Tarentum arcta premebat obſidione, quum Michaël extorris ad eum in caſtra uenit, fuitque annus ille M.LXXX. humanę ſalutis, eratq; Romę pontifex Gregorius ſeptimus: B Rex in Germania & imperator Hericus tertius, Byzãtij Nicephor⁹ nuper imperitare cœperat. Michaël Guiſcardi hortatu ſe ad Gregorium pontificem contulit, uidebat Normanus futurum, ut pontifex, uel inuitus, cogeretur ſecum redire in gratiam ſi uellet Michaëli conſultum, nec fruſtratus eſt opinione, enimuero Gregorius, haud multo pòſt, cum Guiſcardo in colloquium uenit, quo congreſſu Normanus ſe & ſua Romanæ ſubiecit eccleſiæ, eſtque ob eam rem à põtifice uexillo donatus, & ut maior in Michaële reſtituendo eſſet in Roberto autoritas, anathemate Nicephorum notauit pontifex, quia alienum occupaſſet imperium. His ita peractis moturus in Nicephorum Guiſcardus Rogerio filio res Italiæ tradidit tuendas, Boëmundo minori natu dat claſſem in hoſtes agendam, ipſe cum Michaële regiã nauim ingreſſus, primus omnium ex Italia ſoluit, ſecũdisq; uſus tempeſtatibus cum claſſe & exercitu Auelone tenuit. Hinc Dyrrachium terra mariq; eſt oppugnari cœptum. Petijt Nicephorus à Venetis, ut iure ueteris amicitiæ, quæ Græciæ imperatoribus cum Veneto nomine intercederet, darent operam, ut Dirrachiũ obſidione ſoluerent. Tum uero Syluius dux, ut ſuprà Venetarum rerum longiore excurſu in hæc tempora progreſſus dixi, cum numeroſa claſſe Dirrachium profectus, proſpero euentu in Normanos dimicauit: mareque Dyrrachinis, quod erat illis antea occluſum, patefecit, obſidebantur nihilo ſecius à terra Dyrrachini Normanicis armis. Robertus terreſtri obſidione Boëmundo filio permiſſa, ipſe in Italiam cum Michaële reuerſus, mira celeritate claſſem reparauit. Nicephorus interea factus certior de ijs, quæ ad Dyrrachium geſta erãt, & quod à terra urbs arcta teneretur obſidione, ut ſuis mature ſubueniret, exercitum ſtudio comparat. Cæterum quia apparebat ex Græcia, Thracia, & alijs circumiectis gẽtibus, haud tantum uirium parari, ut tuto Norma-

Tertio Saxones & Germanicie confligunt.

Michael & ſi ij imperio eij eiuitur.

Supputatio tẽporum.

Normanus bellum inſert Nicephoro.

Soluunt Venetu Dyrrachiũ obſidione.

nicis poſſet opibus occurrere, Alexium cognomento Megam, militiæ magiſtrum, cum magno auri põdere Adrianopolim miſit, qui Turcos & Saracenos ſtipendio conduceret. Alexius, qui imperium affectabat, Barbaros ſtipendio conductos ſibi iuramento obſtringit, quos ut obſequentiores haberet, ſua uſus pecunia, largiore ſtipẽdio inautorauit, ueteranos & qui imperio militari conſueuerant, donatiuo ſtipendioque fraudat, imperatoris auaritiam infimulans. Mox uero ubi milites ſtipendij inopia fremere & aperte indignari ſenſit, & res haud dubie ad defectionem ſpectaret, ueſtibus equis argẽto cæteriſque rebus, quas ipſius non Nicephori eſſe omnes arbitrari, militum leuabat deſideria. Poſtremò tumultuante exercitu, Alexius Conſtantinopolim orator mittitur ad Nicephorum, ubi multa de ſumma belli cum imperatore locutus, ita ut quæ foris pararentur, mira arte diſsimularet, ſic à Nicephoro dimittitur, ut certam ſpem illi relinqueret futurę victoriæ, pollicitus breui pòſt cum inuicto exercitu affuturum. Cæterum Adrianopolim reuerſus turbato ſimilis uenit in militum conſpectum, aciuſſus dicere ſiquid noui acciditſſet, & quod ab imperatore reſponſum tuliſſet, nunc ſilentio, nunc ambiguis & interruptis uerbis ſignificare non reddi ab ingrato principe militibus ſtipendium, tum uero tumultu exorto accenſus ira exercitus fremitu & clamore tetatur, fore ut ſi dux ſibi aliquis detur hoſtiliter Byzãtium peteret. Hic qui ab Alexio ad hoc ipſum corrupti fuerant, quique eam occaſionem ex compoſito opperiebantur, ſublato clamore Alexium imperatorem ſalutant, conſequitur fauor & aſſenſus omnium, ac ſubito ſublatis ſignis Byzantium itur, quã ſe urbem diripiendam militibus daturum Alexius pollicetur. Nicephorus tam atroci nũtio perculſus, unum quod in extremis rebus potuit, urbem tueri parat, ſed hæc quoque noctu hoſtibus prodita eſt, receptusq; eſt in urbem exercitus per eam portam quæ Bulgarica dicitur, fuit dies qui huic noctí illuxit dominicæ cœnę: toto igitur die illo ac deinde biduo direpta eſt urbs nobiliſsima, arx olim totiuſq; orientis caput, præter cædes ſtupra & rapinas, omnia ſacra & prophana ſunt triduo illo uiolata. Nam loca, quæ religione Chriſtianos ab iniuria arcebant, ſacrilegas Turcorum manus inhibere non potuerunt. Nicephorus, qui ad Sophię aram primo tumultu confugerat, ab Alexio precibus tenuit, ut uita donatus in monachum initiaretur. Alexius imperium adeptus, Michaëlem iuniorem à Nicephoro cum patre & fratribus eiectum, ſibi cõſortem aſciuit, ac primum omnium in eo curam intendit, ut Delmatiam pacaret. Robertus relicto in Italia Michaële ſeniore, ipſe cum claſſe Dyrrachium reuerſus, iterum hoſtem à mari obſidet. Occurrunt huc Michaël & Alexius. Cęterum quonam modo acciderit, ut Michaël tam præſtò illi fuerit, ut ab Alexio poſt Byzantium captum ſit continuò in imperij ſortẽ receptus, haud quidem reperio, præſertim ſi paterni fuit exilij comes, ut quidam ſcribunt. Sed quocunque ille caſu Alexio oblatus eſt, ambo, ut Blondus ſcribit, circa Dyrrachium in acie aduerſus Normanos ſtetere, factaque eſt duplicis pugnæ copia à Græcis, ſiue mari uellet hoſtis, ſiue terra dimicare. Placuit Guiſcardo alterius martis fortunam experiri, & qua Normanica uirtus ſibi præſtantior uideri, fuit itaque terreſtre prelium ex Guiſcardi ſententia, eſtque cruento certamine aliquandiu dimicatum. Cæterum Michaële cadente, Alexius victus acie, cum exercitu male affecto in pacatum ſe recepit, ſeptuaginta milia armatorum fuiſſe dicuntur, qui eo die pro Alexio pugnã iniuere, quum Normani multo pauciores numero eſſent. Dyrrachini, quia Normanus uictor multo acrius quàm ante inſtabat, haud multo poſtquam eiuſmodi euentu fuerat à Græcis circa urbem dimi-

Attende Alexij artem.

Alexius impẽrator ſaluta tur.

Byzantiũ Alexio proditur.

Byzantium diripitur.

Vincitur Græci à Normanis.

Dyrrachium deditur Normano.

catum, deditionem fecere: dedita sunt & alia quædam Delmatiæ oppida, penè priusquam ab hoste tẽtarentur. Veneti ne non semper suum in Constantinopolitanos principes studium probarent, Alexio gratificaturi, classem Syluij principis ductu reparãt, ut Normanos Delmatiæ finibus arcerent. At sic forte accidit, ut eodem loco quo prius conflixerãt, aduersæ inter se classes concurrerint, fuit pugnæ illius euentus multo à priore diuersus. Enimuero quàm locus ille fuerat primo certamine Venetis felix, tam certe eodem genere pugnæ nec minus tristis fuit &

Veneti ad Dyrrachium uincuntur.

calamitosus, uicta dissectaque est Venèta classis, ac tam ualidè affecta, ut ex ingenti numero nauiũ paucæ fuga seruatæ sint, cæteræ partim captæ partim fluctibus immersæ, atque tum demum par clades, ac nefcio an maior etiam, est à Normano Venetis repensa. Peperit funesta illa pugna ingentem Syluio apud suos inuidiam, estque ob eam rem, haud multo post quam domum uenit, dignitate priuatus, anno suæ administrationis tertiodecimo. Sũt qui Græcos Venetosque uno prælio uictos tradant, ut duplex classis impar Normano fuerit, quem solus Venetus nuper uicerat. Adeò bellorum exitus incerti sunt, & ad libitum fortunę uariabiles. Iidem illi, qui sunt duplicis classis autores, negant Venetos tam memorabili clade affectos, sed cruentam aiunt utrinque pugnam fuisse, sed ubi res Normanica superior uisa est, Alexio ad læuam flectente, Syluium ad dexteram Venetum reperisse littus, nec Syluio abrogatam fuisse dignitatem, sed tris & uiginti annos in publica administratione impleſſe, feliciterque fato consumptum. Post Syluium Vitalis Phalerius dux

Vitalis Phalerius dux Venetus.

fuit, is primum omnium continuò à sua declaratione populo autor extitit, ut ad Alexium legati mitterentur, qui cum eo agerent, ut Delmatię Lyburnięq; urbes, quas Veneti ueteri Narentanorum latrocinio seruassent, seruatas suo præsidio defendisset, Venero nomini perpetuo habendas daret, apparebat ob recens ciuitatis meritum, nihil Alexium Venetis negaturum. Legati, qui Byzãtium ad hoc ipsum missi sunt, omnia ab Alexio benigne impetrarunt,

Delmatia Venetis concediˊtur.

ac tum demum Veneti Delmatiæ Croaciæque sunt uera possessione potiti, credo ego id eo libẽtius datum ab Alexio, quo opportunior erat illi per id tempus Venetorum opera ad Normanum hostem procul ab imperij finibus distinendum, aut ut minus libere Guiscardi naues Græciæ oram infestarent. Enimuero non desunt qui Phalerium ducem in Delmatiæ ora cum Normanis conflixisse uelint, etsi nihilo meliore euẽtu quàm Syluius posteriore ad Dyrrachium prælio. Per id tempus quo Græci terrestri pugna circa Dyrrachiũ à Guiscardo uicti sunt, Gregorius Romæ frequens concilium habuit, in quo Berengarius, de quo alio loco mentio incidit, suum errorem fassus ueniá impetrauit. Confessionis forma hęc fuit. Ego Berengarius corde & animo credo quod ore confiteor, &c. Est & Henricus recentiore anathematis censura notatus, quia ut siquãdo aliàs esset apostolicæ sedi infestus, probauitq; Romanus pontifex, suoque assensu ratum fecit Rodulpho regium nomen ab Alemanis delatum. Hæc ubi ad Hẽricum perlata sunt, ira accensus Gibertum Rauennatem celebri omnium Germaniæ antistitum conuentu pontificem creat, quem pontificia cęremonia ornatum in Italiá mittit, ipse in Rodulphum profectus quater cum eo conflixit: accepit ultimo prælio Rodulphus letale uulnus quum iam superior esset, inclinaretque iam aperte Germanorum fortunà, adeò ut Henricus rem iam perditam ratus ex acie fugiens septẽ postea latuisse dies dicatur. Rodulphus dolore uulneris haud multo pòst animam efflauit, & Henricus qui pro deplorato habebatur, ex occultissima demum latebra in apertum prodijt. Fuit Rodulphi casus Romanæ ecclesiæ admodum luctuosus, sed nihilo minorem luctum & tristitiam attulit, quod non multo pòst Mathildis (unicum Roma norum põtificum ob insignem pietatem profugiũ) graui prælio in Parmensi agro ab Henrico superata est, quam pater audita Rodulphi regis declaratione, cum exercitu miserat in Italiam, ut eam præfidio obtineret. Enimuero Mathildis, Gothifredo extincto cui admodum puella nupserat, Azoni Estẽsi cessit, uiro impigro, quem breui pòst Gregorij interdicto dimisit. Enimuero attingebat Azon tam arcto cõsanguinitatis uinculo priorem maritum, ut legitime mulierem sibi matrimonio iungere nequiuerit. Nec ita multo pòst Henricus duplici successu ferocior factus, in Italiam per Bauaros transcẽdit, ut Veneti scriptores habent, & nos illos in rebus Venetis secuti, scripsimus Henricum ex Taurisio Venetias transijsse, diui Marci, qui Venetæ urbi præsidet, sacrarium uisurus, cuius corpus nuper miraculo repertum insigni hominum sermone ferebatur. Fama est aliquandiu ignoratum ubi loci esset, creditumque uulgo aut in occultiorem sedem diuinitus trãsiuisse, aut inde furto sublatum, cæterum supplicatione & ieiunio publicè indicto, ciuitas clerum secuta, subijt diui templum: miraculo hic eueniſſe aiunt, ut brachio ex conditorij latere exerto, anxiæ solicitęq; obtulerit seſe multitudini: tum uero ingenti omniũ lætitia corpus inde sublatum ferunt, atque in angustiorem locum repositum, decretum adhæc ut soli Venetiarum principi, templique procuratoribus, id sacrarium fas esset scire. Miraculi huius fama Henricus, ut dicitur, impulsus, pro magno habuit negotio Venetias ex continẽtis ora transmittere, nisi forte maius est ille negotium secutus, quod autores quos sequimur minus compertum habuere. Romam inde profectus est Henricus Clementem secum ducens (sic enim se dixit pontifex in Germania creatus) atque urbi appropinquans, pontificio habitu illum ad Miluium pontem usque iussit præcedere, ex Miluio ponte structa acies per Neroniana prata ad Leoninam usq; urbem processit, hic Germanus telorum multitudine, quæ è muris in subeuntẽ conijecta est, territus uim inhibuit. Henricus Vaticano exclusus suburbana tecta incendit, iubetque Roma num agrum uastari. Nec ita multos moratus dies retrò cum Clemente Rauennam abijt. Per idem tempus Rogerius Guiscardi filius, nam pater in Delmatia cum Venetis & Græcis bellum conflatum habebat, Asculum in Apulia, quia indicio comperisset oppidanos ad defectionem spectare, incendio deleuit, quæ causa Henricum primo accessu à lõgiore urbis oppugnatione auerterit, autores quos sequimur, nõ tradunt: satis constat, anno uixdum circumacto, urbem ab eo repetitam, obsessamque per omne quadragenarij ieiunij tempus, uicit postremo Henrici pertinacia, estque Leonina urbe post paschales dies potitus, pollutaque Apostoli basilica Clementis cęremonia, polluit & Paulinam hostiẽsi uia. Autor est Pandulphus Lateranensis bibliothecarius, & Gregorius qui tum pontifex erat, in epistolis, duas ab Henrico porticus direptas, quarum hæc ab Adriani mole fuit ad Barionæ basilicam, altera à trigemina porta ad Paulinam ædẽ extensa, tam infesto fuit ille in Gregorium animo, ut urbem nihil meritam, in pontificis inuidiam, per hunc modum deformauerit. Cæterum dum hostiliter Henricus Romam circumsidet, committũturque circa muros assidua prælia, multũ est, ut fertur, Romani sanguinis haud uno loco hausturn. Soluta inde obsidio ob nimium æstum dimissusq; exercitus caloris impatiens in urbes & municipia urbi propinqua, omnia enim Henrici armis circa urbem cesserant, & Clemens antipontifex Tyburi interea suam habuit sedem. Henricus in Cisalpinam Galliam abiturus, copiarum imperium in suum pontificem contulit per totum

Mathildis obitus.

Henricus Romam liter Rom. petit.

Diui Marci corpus.

Vrbis Romæ nonnulla clades.

æstiuorum tempus, quo Clemens fretus oblitus eius personæ quam gerebat, omnia circa urbem hostiliter uastauit, multaque eius iussu edita sunt in Romanos crudelitatis exempla, quibus Henricus præsens temperasset. Ipse æstate exacta ad exercitũ reuersus, iterum Vaticanum occupat, nobiliora demolitur ædificia. Obsidebatur, ut, si quãdo aliàs Roma, à Germanis arctiſsimè, nec interea finitimorum aliquis Hẽrici metu urbem palàm aut occultè adibat, nec egredi quiſquam, sublato omni mortalium cõmercio, ad extremam rerum omnium inopiam ciuitas redacta est, adeoq; fames incubuit, ut multi mortales ui subacti ex urbe migrarent. Hæc quum Gregorius literis & nuntijs Guiscardo significasset, Del matiæ rebus Boëmundo relictis in Italiam transijt. Et iam animum ad exercitum maturè comparandũ intenderat, ut põtifici opitularetur, quum certis rumoribus comperit, redijsse Henricum cum Gregorio in gratiam, urbemque obsidione leuatam: quæ res effecit, ut omne Guiscardo studium remiserit, quod in comparandis erat armis positum. Enimuero Henricus, siue Normani opes ueritus, siue quia uereri illas uideri uoluit, ut fraus quæ intentabatur facilius procederet, per Cluniacensem abbatem, uirum sanctitatis fama & pietatis haud uulgari, cum Gregorio egit, ut si in Lateranensi basilica imperatoris se ornaret insignibus, fore ut imperator legitimè declaratus, confestim cum omnibus copijs Italia excederet: & illi pacem inter se his cõditionibus sanxere, estque fides publica omnibus data urbem adeundi egrediendique, ac libere in agris operandi. Fuit eò pax ea Romanis gratior, quo longior fuerat obsidio: iam enim tertium annum ciuitas obsidebatur. Gregorius etsi Henrici perfidiam horrebat, fatigatus ciuium precibus, qui circunfusi & ad eius pedes iacentes suppliciter precari, ut suorum misereretur, statuit eum in urbem admittere modo ille errata corrigeret, apostolicam sedem uenueraretur. Hẽricus interea per eam commercij occasionẽ ex proceribus ciuitatis quosdam, nec adeò multos pecunia corrupit, qui coràm iactare ausi sunt, pertinere ad imperatorium decus ut Henricus Cæsareis insignibus prius ornaretur quàm ille pontifici satisfaceret. Sensit Gregorius labantem ciuium fidem, alienatumque ciuitatis studium: desperans itaque pristinum consensum in Adriani molem cum domesticis profugit. Rusticus ex fratre nepos Septisolium occupat, locum natura & opere munitum. Vix Gregorius in arcem euaserat, quum auditum est Henricum à cõiuratis in urbem recipi, cuius iam compos factus suum pontificem ex Tybure accersitũ in Laterano pro pontifice collocat, paucis Germanorum antistitum circa illum obsequiũ obeuntibus, ex Romanæ ecclesię nemo ad eum accesſit: secuti sunt inde paschales dies, quibus non uerus pontifex imperatorem inunxit non uerum cinxitque diademate, populus in Henrici gratiam Adriani molem oppugnare est adortus, quæ quum capi non posset, murus ex aduerso extructus est quaqueuersum uijs omnibus obseptis, ne pontifex dilabi posset. Henricus sedem sibi & statiuis militum cepit in Capitolio adhuc magna ex parte integro, Corsorum ædes Capitolio accubantes (erat tum ea familia Romę nobilis & Gregorij studiosa) à fundamentis diruit: conatus est Henricus & Septisolij locum expugnare, fuit id Lucij Septimij opus in parte palatij, contra Gregorij phanum, tribus columnarum ordinibus in sublime eductum, columnæ solo innixæ nulla scalarum proceritate æquari potuerunt, nec præ nimia crassitudine, ferro aut flamma labefactari, extant hodie uestigia quibus facile cognosci potest qualis fuerit operis forma, Trãquillus Septizonium appellauit. Et hæc Henricus in Gregorij inuidiam, cuius literis Guiscardus certior factus de ijs quæ Romæ fiebãt,

Fames Romanorum.

Gregorij pontificis fuga.

Septisolium.

& in quàm aperto discrimine Romanus pontifex teneretur, coacto exercitu, Romam uersus intendit. Interim Septisolij parte machinis cõcussa, Rusticus deditionem fecit. Præmisit caduceatorem Romam Guiscardus qui Hẽrico bellum indiceret, nisi illico urbe excederet, quo nũtio territus imperator, summa rei ciuibus commendata, cum Clemente in Vaticanum transijt. Milites ducem secuti, dubium con filio an casu, Capitolium incensum relinquere, estq; adeò ab Henrico properatum, ut Cassia uia profectus, eodẽ die Senas Hetruscas peruenerit, quo Guiscardus Romam quamuis penè præceps egisset agmen. Conati sunt pontificis inimici ueniẽtem portis excludere, sed Flaminia porta per homines aduersę factionis receptus, urbem irrupit: fecit in eum ciuitas impetum, conataque est ui expellere, tum Normani regionem martio campo proximam subiecto igni incendunt, adeoque inualuit flamma ut quicquid uastitatis hodie uisitur, ab ea porta, quæ nunc populi est, Flaminia olim fuit, & mox Flumentana, ad Syluestri phanum & Laurentij, quod in Lucina est, rursus ad Augustini & Tryphonis templa, id uno sit incendio consumptum: per Exquilias inde Guiscardus in Lateranum transijt, fuitque hic ali quot dies opperiens ut pacis mentio fieret à pontificis rebellibus, qui in Capitolio se tenebant. Nam primum omnium in animo habebat Gregoriũ obsidione leuare. Sed longè aliter euenit, crebris ex Capitolio irruptionibus cogebantur Normani quotidie circa Amphitheatrum, nunc Colosseum dicitur, armis dimicare: tum Guiscardus ira accensus à Colosseo ad Petrum & Marcellinum martyres, inde ad Gemellorum ædem, per Cœlium montem ad Lateranum usque omnia incendio consumpsit: durat uastitas illa in pulcherrima parte urbis, ac præter sacras ædes, & cum his pauciſsima ædificia circa uiam iniecta, cætera in uinearum usum abiere, nulla post Romam conditam calamitosior clades est ipsi urbi illata, nec quæ maiorem induxerit uastitatem. Inciderunt hæc mala in annum humanæ salutis mil lesimum atque octogesimum secundum, quo anno omnia expleta sunt ex Solis & Lunæ cursu, ut in quintodecimo Tiberij principis anno. Capitolium inde ui captum, ita fregit ciuium ferociam, ut continuò abiectis armis pacem à Normano petierint. Ille instructo exercitu ad Adriani molem progressus, disiectis munitionibus, quas ciues moli obiecerãt, pontificem ex arce receptum in Laterano collocat. Cæterum reputans Guiscardus quàm parum tuta futura esset pontificis salus, in tanta populi inuidia destituta, discedens Gregorium secum abduxit, Salernique illi sedem attribuit, ubi non multo pòst uita decesſit, anno sui pontificatus duodecimo. Nullus Romanorum pontificum tam uastis fortunę flu ctibus est unquam iactatus, nullus tam constãs fuit in aduersis, quod prouidentia factum uideri possit, ut memorabili spectaculo fortuna & uirtus in uno componerentur. Victor tertius Casinensis abbas inde pontifex fuit, is quia Gregorij partes statim à sua creatione complexus est, Henricum tam infestum habuit, quàm Gregorius antea habuerat. Fraude itaque necatus est ueneno illi in calicem infuso, cuius consilij fuit, ut fertur, Henricus non ignarus. Vincentius dysenteria extinctum arbitratur. Vindicasset Guiscardus eam fortasse iniuriam nisi præmatura mors interceſsisset, in Casiopa insula diem obijt, Græcorum rebus non mediocriter afflictis: nam simulac ex Italia est reuersus, cum ea gente nauali prælio conflixit. Sunt qui scribant sub id tempus quo Gregorius uita decesſit eum circa Dyrrachium cum Venetis & Græcis, ut suprà est significatum, prospere dimicasse. Adiecerat Normanus animum ad Græciæ imperium armis occupandum, quare Italiæ rebus ex sententia compositis, confe-

Roma à Normanis incenditur.

Vastitas urbis.

Recens incẽdium.

Temporum supputatio.

Gregorij pontificis laus.

Victor tertius pont.

stim in Græcos transmisit, fuitque pugna illi Dyrrachina, de qua interim mētio habita est, ut Blondo placere uideo, etsi non aduersa, quia propositum tenuit, ut Dyrrachino portu consederit, non tamen admodum læta, quum eo prælio uehementer Normanica classis fuerit concussa. Qua irrequieto opere reparata ad Sasonem insulam, nunc corrupta uoce Sasinum uocant, iterum est mari dimicatum, fuitque pugna hæc Veneto & Græcis Dyrrachina multo infelicior, eaque Guiscardus victoria potitus in Casiopen progressus mortem obijt, quo tempore Ausul Hispaniæ rex, cui perpetua erant cum Saracenis bella, Toletum post longam obsidionem receptam, Christiani nominis hominibus restituit, & Henricus per idem tempus cum Saxonibus aliquoties infeliciter dimicauit. Estque eadem tempestate in Italia, atq; omnibus terris, fame laboratum, sunt que tetra fœdaque prodigia hominum oculis obuersata, gallinacei, columbi, pauones, & alię domesticę aues, sua sponte in montana loca abiere, atque syluestres factæ. Pisces fluuiales & marini exanimes per littora & ripas iacuere, sunt & urbes quædā motu terræ tam ualide concussę, ut Syracusis tēplum urbis maximum corruerit, qua ruina multi sint mortales obtriti. Nicolai Myræi antistitis corpus, ut fertur, eodem tempore Barium à negotiatoribus translatum. Obijt Victor pontifex quarto mē se quām fuerat sedem adeptus. Sequitur Vrbanus huius nominis secundus. Inter initia eius pontificatus Rogerius Guiscardi filius parum uehementem pontificem nactus à Capua ad Tyberim usque, quic quid Romanorum pontificiæ ue ditionis erat, suis opibus adiunxit, de paterno inde principatu cœptū est disceptari inter hunc & Boëmundum: erat Rogerius Boëmūdi frater, sed matre diuersa natus. Sed citra omnem armorum concursum, ita est inter eos comparatum, ut parte una Apuliæ Boëmundo attributa, cætera Rogerius haberet. Ferunt Vrbanum, quum parum tutus esset Romæ, horreretque ciuitatem recenti incendio adhuc cōsternatam, sedem circumspicere cœpisse, ubi sine metu esse posset, Melphimque profectum se Rogerio & fratri autorem præbuisse, ut positis armis pacate inter se agerent, atque ex æquo & bono domesticam litem sopirent, fuisseque iam inde pontificem aliquandiu Melphi cum magna parte cleri. Blondus significat Melphicum conuentum præcessisse Normanorum fratrum dimicationem, ut Boëmundus ex Delmatia reuersus, quia in paterni principatus partem non reciperetur à fratre, ex Hydrunte profectus ad Farnetum Beneuenti cum Rogerio signa contulerit, sed citra prælium paternis amicis priusquam pugna conferretur, cum Rogerio agentibus, ut Apulię parte Boëmundo permissa, armis temperarent, ac secundum eam pacem Rogerius Melphim ad Vrbanum pontificem uenerit. Hæc ille, quæ non magis à uero abhorrent, quàm quæ Platina scribit, inter Normanos fratres prius de principatus diuisione conuenisse, quàm pontifex sit Roma profectus, remque expontificis sententia compositam. Cæterum siue sic pax confecta est, siue ut Blondus scribit, miror utrunq; latuisse causam pontificiæ illius profectionis: tantum Platina scribit, quia Romani rebus nouis studerent, idcirco pontificem Romæ esse noluisse, ego aliam arbitror fuisse causam: enimuero satis constat Henricum per id tempus in Italiam reuersum, tuebaturque Vrbanus Gregorij acta, illius calamitate motus. Ne quid igitur ab Henrico pateretur, apud Normanos esse quàm Romæ maluisse, quæ causa, ut credere par est, fuit, ut Vrbano conniuente Rogerius tot loca circa urbem subegerit, ut suprà est demonstratum, nullo reclamante: etsi non desunt qui scribant uoluntariam fuisse deditionem illam, uel defectionem potius ut tot ciuitates & populi intui-

Guiscardus moritur.

Fames ingens. Prodigia.

Vrbanus secundus pon.max.

A ti rem Romanam perpetuis cladibus una super aliā ad exitum perductam, nec non Romanum Populū eò peruenisse, ut ne in seipso quidem tuendo haberet aliquid præsidij, in Normanorum fidem ultrò peruenerint: potuit & pontifex uideri in eo magna arte usus, ut passus sit ita euenire, quādo apparebat ex ea re insanabilem discordiam inter Henricum & Normanos motum iri, si Romanam rem imperator tueri uoluisset. Cæterum utcunque hæc acta sunt, non una est opinio de Henrici reditu in Italiam. Sūt qui scribāt illum eo consilio reuersum, ut eas urbes affligeret quæ Gregorio fauissent, ac post longam obsidionem Mantuam Ferrariamque, Mathildis ab eo captas: alij ita rem digerunt, Mantua Ferrariaque receptis tanta Mathildem indole fuisse, ut Romanorum pontificum partes complexa, Henrico ausa sit sese opponere, preliocq; cum eo congressam, acieque superatum Italia deiecisse, adijciuntque eam uictoriam idcirco Mathildi contigisse, quia Conradus Henrici filius sub ipsum pugnæ tempus à patre defecerit. Sed quacunque ui subactus Henricus Italia excesserit, Gibertus antipontifex occulte & ipse Italiæ finibus egressus, in Germaniam profugit. Scio ego fuisse qui traderent eum aliquandiu sustentatum à Ricardo duce Beneuentano. Rogerius cui Vrbanus Melphi sedens, ratum fecit paternum principatum suo assensu, in Siciliam cum exercitu trāsgressus, Syracusas cepit. Cæterum dum Normanus Saracenos, ut nonnulli aiunt, bello insectaretur, Vrbanus alterum à Melphico illo sacrorum antistitum habuit cōuentum, quem Troiæ in Apulia celebrauit, tertium inde Placentiæ, quibus obeundis sapiens pontifex est facile cōsecutus, ut quo longius abesset à ciuium Romanorum oculis, eo minus inuidiæ esset & seditionibus obnoxius, quod Gregorius presens, & alij optimi pontifices uitare non potuerunt. Cæterum discusso iam Henrici metu non pauca numero sunt conuentibus illis decreta ad Romanæ ecclesiæ decus. Cæterum maiora adhuc moliturus, ut in omni gente pro Christiana pietate laboraret, alpes transgressus conuentum ad Claromontem, Aruernorum urbē, Christianis ducibus edixit. Potuit uideo Normanorum fratrum discordia necessitatem illi imponere Italiæ relinquendæ, ut quum nullibi tuta sibi sedes in Italia promitteretur, Galliam decreto petierit, ut quo longius inde abesset, eò tutius ageret: sed propius uero est, ut publica Christianorum causa sit eiusmodi peregrinatio suscepta, quæ qualis fuerit suus deinceps locus demonstrabit. Recens Normanorum fratrum discordia inde orta est, Boëmūdus non contentus ijs quæ à Rogerio in Apulia acceperat, Melphim forte occupat, quam Rogerius iniuriā uindicaturus arma confestim contrahit, ipse quoque iniuriæ belli autor se ad uim comparat. Ad uiginti milia militum Rogerius stipendio conduxit, quorum pars multo maxima fuerunt Saraceni, qui Siciliæ portionem quandam adhuc tenebant. Boëmundo decem milia ueteranorum aderant, cum quibus sub patre magistro haud pœnitendo diu militauerat: his fretus Boëmundus Ricardoque Beneuentano, quem in fœdus & societatem belli traxerat (fuerat is Guiscardi hostis, atque ab eo principatu eiectus, perque Normanorum fratrum discordiam Beneuentum recuperauerat) non procul à Melphi fecit castra: & is tunc erat rerum status in Italia, quū Vrbanus in Galliā profectus est. Veneti per id tēpus domi foris que satis pacate agebant, Vitale Phalerio duce qui annos xij. rempublicā administrauit. Sunt qui annum unum huic numero adijciant. Fuit Phalerij principatus parum alioqui memorabilis, nulla re domi foris ue à Veneris insigniter gesta, Vitalis Michaël est inde princeps declaratus, quo rem Venetam tenente, Vrbanus pontifex in Gallia celebrē habuit conuentum, cuius cogēdi causa hæc Vrbano fuisse

Mathildis ricti fi.

Troia.

Vrbanus in Galliam

Normannorum fratrū discordia.

Boemundi & Rogerij pax.

fuisse traditur: Vir quidam Gallicæ gentis diu in eremo uersatus, fuit illi Petro, ut aiunt, nomē, quum Hierosolymam per id tempus nauigasset, Christi sepulchrum uisurus, ex Simeone Hierosolymitano antistite, & alijs Christiani nominis, qui pauci numero in his locis agebant, doctus quàm miserabili seruitio ea terra premeretur, ubi olim omnium esset gentium salus quæsita, nullum esse locum tam sanctum aut tanta religione præditum, quem gens impia non cæde, rapinis, stupris prophanasset, memorare illi uerbera, catenas, uariosque piorum cruciatus, ut aut iam inde migrandum esset, aut miserabili modo pereundum. Addere his querelis Gallus Anachorita cœleste oraculum, quo intempesta nocte uisus esset sibi Christi uoce moneri, ut Italiam repetens Romano pontifici principibusque Christianis nuntiaret, placere sibi iubereque eam terram piorū armis à Turcorum impietate uindicari, in qua pro publica salute & nasci uoluisset & pati, ubi susceptæ à se humanitatis tam multa quàm clara durarent uestigia, tugurium sui ortus cōscium, templum in quo infans uagijsset, puer disputasset, adultus docuisset. Tabor & Oliueti montes, orationis hic testis, ille transfigurationis, Cœnatio, & Pilati atrium, Caluariæ locus, ubi sanctę crucis basis, nec procul inde sepulchrum uiseretur. Hoc instructus oraculo Gallus, ubi primum Italiam attigit pro magno habuit negotio Vrbanum adire, ad quem sua functus legatione, transgressus alpes, ad omnes Galliæ principes cæterosque duces Christiani nominis detulit oraculū, nec quum totam lustrat Europam destitit passim ciuitates & populos ad eam expeditionem hortari. Siue igitur hæc siue alia fuit causa (mihi enim non una uidetur fuisse) quapropter Vrbanus in Galliam profectus est, Claromontem, quod satis constat, piorum antistitum & ducum conuentum indixit, ubi quum ad diem frequētes conuenissent, huiusmodi dicitur oratione usus. Etsi Romanæ ecclesiæ causa, quæ reformanda est, ut ueterem autoritatem recipiat, magnam mihi necessitatem imposuit huc ueniendi optimi antistites & duces clarissimi, uera Christiani nominis lumina, alia tamen multo maior necessitas coegit me ex Italia peregre proficisci, quæ quo maior est maioris que ponderis, eò minus fuit negligenda. Scio ego neminem hic esse, qui non aliquando audierit quæ non multis antè annis in Syria acciderint circa eam terram quæ sancta dicitur. Turci Saracenique, & alia infanda gentium nomina Christi regis nostri sepulchrum armis occuparunt, nullum Hierosolymis fuit templum, nulla ara, nullus pietatis locus, quem non sacrilegę manus aut euerterint, aut in prophanos usus murauerint. Cœtus ille piorum hominum qui cum urbe captus est, partim tormentorum metu fidem abnegare est coactus, partim quia id facere recusarint per supplicia & cruciatus martyrium tulere, sanctissimæ mulieres ex tota fere Europa illuc profectæ non tam ad insolentissimi hostis libidinem explendā, quàm ad nostrum dedecus monstrosis sunt concubitibus uexatæ. Quod si hæc uobis parum digna uidentur uiri pientissimi cur arma ad tam longinquum bellum induenda sint, illud succurrat animis, illa omnium mentem subeat reputatio, quàm longe lateque hodie Mahometi arma impune euagentur, quantum terrarum quæ Romani olim fuerunt imperij, sue ditionis fecerint. Sed utinam ea esset nostrarum rerū conditio ut alienas uacaret calamitates flere. Italia nostra memoria impijs Saracenorum armis direpta & uastata est, nec parua ex parte possessa, arces, urbes, templa & in his augustissimas apostolorum circa urbem basilicas sacrilegæ manus diripuere, direptas cremauerūt. Sed quid ego hæc refero, quę quoniam procul hinc gesta sunt, minus fortasse animos subeunt. Quoties Hispania & Aquitania, quę uestra

Petrus eremita.

Attende oraculi formam.

Vrbani pontificia oratio.

A est, eandem iniuriam sensere? ut hæc lachrymis uix bene absersis, damna illa reformidet, Hyberia magna ex parte lugeat, Gallia etsi id uulnus nō est eius uisceribus adactum, uicinitate tamen locorum hæc non solum audiuit, sed uidere etiam potuit. Germani & aliæ gentes ad septentrionē repostæ, quas hæc clades nondum attigit, identidem cogitare debebunt, quale incendium sibi ab ortu & aquilone oriatur, imò quàm sensim glisc endo iam in proximo luceat. Quod nisi Veneti superi maris oram præsidio tuerentur, quorum occursu sæpe dira gens ex Histriæ & Delmatiæ littoribus depulsa est, haud dubiè ad hunc diem tempestas illa Germaniæ & Pannoniæ limites transcendisset. Constantinopolitani imperij opes, quæ dum uigebant, ad ortum & boream Europam texerūt, ita ultra Thracium Bosphorum & Hellespontum hodie accisæ sunt, ut anxiæ solicitęque sint de Byzantio retinendo. Quid quòd urbs etiam ipsa his paucis annis, á Turcis & Saracenis, Alexij ductu, hostiliter direpta est, ac non aliter uexata quàm si iure belli capta esset: quo obice discusso malo uos considerare quàm fando ominari, qualis fortuna sit totius Europæ in posterum futura, horret animus admonitu eorū, quæ uentura sint, nisi huic incendio maturè ibitur obuiam, omnia mala quæ ij passi sunt, quorum fortuna tam miserabilis uidetur, nostris (utinā sim falsus uates) capitibus incidēt. Turpi seruitio adigentur uiri promiscue ac fœminæ, pueri puellæque ad stuprum rapientur, ac quum parum proderunt lachrymæ tum dolebitis, dum licuit non iuisse huic incendio obuiam: non creduntur hæc futura, necilli qui iam passi sunt olim credidere. Vtinam non sæpe inanem spem aleremus. Quod si non pietatis studium, non religio, nō humanitatis iura ad eam ultionem excitant, excitare saltem poterit & debebit necessitas, cui nemo nisi stultus & demens repugnat. Debet & cœleste oraculum, quod quale sit ex homine uestrę gētis uiro insigni pietate, discere potuistis. Hortari potest & illud, quod omnia abundè uolentibus aderunt, quæ uictoriam polliceri possunt, uires, consilium, auxilia, opes, pecuniæ: quę omnia quia adhuc integra sunt, oportet & fas est hanc ignominiam delere, periculum propulsare. Nec rem monemus quę sit hominum uiribus desperanda: Carolus ille rex uester, qui Magni cognomen tulit, Gallorum decus & splendor, ex Aquitania Hispaniaque Saracenos eiecit, Carolus Italia expulit, Carolus quod gloriari soletis Hierosolymam cum tota terra quā iure Sanctam appellatis, armis recepit. Cæterum quo maior illius gloria est, maius que nomen manauit ad posteros, eō uos illius progenies magis niti decet, Galli duces, ut recentibus factis uetustam uestræ gentis gloriam non solum tueamini, sed auctam etiam posteris relinquatis, quam non modo non augebitis, sed ne tuebimini quidem si in hac senescitis desidia, si natale Christi solum impiorum planta calcari, sepulchrum, templum, cæteraque sacraria cædibus, stupris, sacrilegio, non sine uestra Christianique nominis ignominia, prophanata iacere finitis. Quin potius dum licet arma capitis, idque commune dedecus tollitis, Galliæ & uniuersæ Europæ salutem & perpetuum inde otium quæritis? Etenim quanto maiores erunt uobis uires, si in unum conspiretis, quàm olim Carolo fuerunt, eo certior facilioríque sequetur uictoria, præmia adhæc & multa & ampla uictores manebunt ex tam opulenta gente, tam diuitibus regnis, sed illud cœlestium bonorum multo quidem maius, quod pro fide & pietate fortiter dimicaturis polliceor. Et Vrbanus huiusmodi usus est oratione ad Gallos & cæteros Christiani nominis duces, estque adeò pia res uisa, ut ex toto consessu sepius sit continuò acclamatum, Deus uult. Tum pontifex indicto silētio, ite ergo uiri fortes, & id uer

Peroratio.

bum, inquit, quod ex ore omniũ manauit, pro teſ-
sera uobis in bello ſumite, crucem ex rubenti pan-
no, qui tam piam profeſſuri ſunt militiã, dextro hu-
mero lagis aſſumant. Hic res mira fertur, & quæ niſi
cœleſte numen pijs intereſſe conſilijs credatur, uix
referenda, eodem die quo hæc apud Claromontem
acta ſunt, famam decreti belli uſq; ad extremas ter-
ras peruenisſe: multa ſunt celerioris famæ exempla
apud maiores euagatique rumoris, quæ Plinius &
alij quidem in literas miſere, quod ſi in prophanis
accidit, impium ſit dicere in re tam pia accidere non
potuiſſe. Tenuit inde aliquot dies conſulatio crean
di ducis, cui totius belli ſumma decerneretur, decre
taque eſt Gothifredo Bolioni. Interea ad trecenta
milia armatorum deuota bello affluxiſſe dicuntur.
Platina centum milia fuiſſe ait, Antoninus Floréti-
nus antiſtes ſexcenta milia peditum & centum e-
quitum circa Niceam ſub ſignis Chriſtianos duces
habuiſſe autor eſt. Sunt qui initium belli huius in
quartum & nonageſimum ſupra milleſimum ſalu-
tis annum conferant: quidam externi generis duo-
decim annos adijcit huic numero. Florentinus an-
tiſtes, niſi librariorum mendum in eo eſt, decem ex
priore numero eximit. Cæterum quantacunq; fuit
manus illa ſignatorum, ductores habuit Gothifre
dum, Euſtathium, Balduinum, Boliones ſiue Billo-
nios, nam utrunque ſcriptum reperio. Sunt præte-
rea qui Gaufridum pro Gothifredo ſcribant, ſub cu
ius imperio fuit pars multo maxima copiarum, Rai
mundum Ægidij & Rubertum Flandriæ comites,
Vgonem cognomẽto Magnum Philippi Gallorum
regis fratrem, Stephanum Valeſium Carnoti comi-
tem, Podienſem antiſtitem, & Petrum Eremitam e-
ius expeditionis autorem. Is primas belli partes oc
cupaturus per Germaniam, Pannoniam, & Thraciã
ingenti armatorum manu, Conſtãtinopolim uenit.
Podienſis, Raimundus, Toloſates, Vgo, & Stepha-
nus Carnoti maiorem trahentes exercitum in Ita-
liam tranſgreſſi, Romam ad pontificem uenere, nã
Vrbanus conſilio ſoluto ſtatim Italiam repetiuit, ut
compoſitis eius terræ rebus Italos ad id bellum hor
taretur. Hericus rex Rubertum Flandriæ comitem
bello ſub id tempus eſt laceſſere adortus, quo illum
à tam populari expeditione auerteret. Ex urbe Galli
duces tripertito profecti, ne graues forent urbibus
& populis, per quos iter facturi eſſent, pars una Brũ
duſium petijt, Barium altera, tertia Hydrũtum. Boë
mundus uir fortis, Tancredi nepos ex Ruberto, qui
ſeptimo loco illi natus eſt, ut quidam aiunt, alij ex
Hunfredo qui fuit Tancredi filius, Rubertũ cogno-
mento Guiſcardum genitum prodidere: Boëmun-
dus ſiue nepos fuit Tãcredi, ſine pronepos, magno
pietatis ſtudio fameque cupiditate accenſus, quan-
quam & Vrbani pontificis autoritas multum ad id,
ut reor, profuit, relicta Melphi, de qua cum fratre ali
quandiu armis diſceptauerat, cum duodecim mili-
bus lectorum hominum, ſe belli ſocium Chriſtianis
ducibus adiunxit. Sed dum res in Italia expediun-
tur, Petrus Anachorita, & qui cum eo Byzantium
præceſſerant, in Aſiam Boſphoro tranſgreſſi, maio-
re animo quàm conſilio in hoſtem ferebantur: nec
defuerunt qui ab initio præuiderint, ac palam teſta-
ti ſint, fore ut ſi Anachoritæ ductu, uiri magis boni
quàm prudentis res gereretur, breui omnes qui il-
lum ſecuti eſſent, aliquod diſcrimen adirent. Rai-
mundum itaque Germanici ſanguinis, uirum impi
grum, ſibi ducem creant, quę res manifeſte demon-
ſtrat Bolionios fratres non fuiſſe in Anachoritæ co
mitatu, ut quidam ſignificare uidentur, ſed par eſt
credere eos tandiu apud Alexium ſubſediſſe, quo-
ad reliquæ copiæ in Aſiam traijcerentur. Turci qui
ab initio compertum habuere quanta bellorũ tem-
peſtas ſibi ex Europa oriretur, eò cõfeſtim animum
adiecere, ut hos qui primum Aſiam inuaſiſſent ferro

Attende celerioris famæ exemplum.

Copiarum numerus.

Belli duces & eorum itinera

A trucidarent, priuſquam maiores copię adeſſent, de-
letaque priore illa hoſtium manu, cæteros Boſpho-
ro arcerent. Raimundum igitur Niceæ num agrum
inexplorato ingreſſum, inſidijs excipiunt, exceptũ
multa ſtrage fundunt, fuſum in Exorgum oppidum
compellunt, locum ad hoc ipſum omni cultu deſti-
tutum. Hic aliquandiu Raimundus obſidione fati-
gatus ex duce transfuga factus ad hoſtes cum pau-
cis tranſijt. Eſt nihilo ſecius oppidum plures dies
defenſum ab his qui in obſidione ferenda perſeue-
rarunt, ſed hos partim bellum partim fames abſum
pſit: qui uiui in hoſtium poteſtatem uenere ad unũ
cæſi ſunt. Anachorita Cinitum oppidum & ipſum
cultoribus uacuum ſe cum parte copiarum contu-
lerat, qui in ſociorum aduentum ſe & locum defen
dit, cæteri duces aliquanto tardius Byzantium ue-
nere, quibus hoſpitio exceptis, Alexius inſidiatus
dicitur, quippe qui ab initio expeditionem illã ha-
buit ſuſpectam. Cæterum omni ſuſpicione diſcuſſa,
copiæ in Aſiam tranſmittuntur. Solus Boëmundus
ob paternas cum Alexio inimicitias, Byzantium ire
noluit, in Peloponneſum itaque delatus, per ſuperiorem Myſiam & Thraciam, ut Alexij declinaret
inſidias, inſtructa acie, omnium opinione celerius,
ad Helleſpontum uenit. Sic quoque non paruũ fuit
illi negotium cum Alexianis circa Barbarum amnẽ,
quos ex improuiſo Normanicum agmen adortos
Boëmundus ſubito equitum occurſu facile repulit,
inde inſidias uitabundus per Alexij loca ductare ad
Boſphorum uſq; perſeuerauit. Habuit Alexius pro
magno negotio cum eo redire in gratiam reiecta e-
ius iniuriæ cauſa in latrones prædæ cupidos, nulli-
que Chriſtianorum ducum iam inde pluſquam Boë
mundo eſt deferre ſolitus, in quo ſtudio ut Græcus
imperator perſeueraret Boëmundi comitas effecit,
qua ita ſeſe illi inſinuauit, ut copias in ſupplementũ,
B ueſtem, arma, & omnia militibus neceſſaria, ſua ſpõ
te Alexius ſit pollicitus ſe daturum, ea tamen condi
tione polliceri, ſi Boëmundus & cæteri duces ſibi
iureiurando promitterent, neque ſeſe neque ſuorũ
aliquem quantum imperio milẽs cohiberi poſſet,
hoſtile quicquam in res ſuas molituros. Et ſi urbes
Aſiæ quæcunq; bello reciperentur, præter Hieroſo-
lymã Conſtantinopolitano reſtituerentur imperio,
atq; cum his copię ſunt in Aſiam traductæ. Nicome
dia primum armis petita eſt in de Nicæam Bithynię
translatum eſt bellum Antigoniam olim dictam ab
Antigono Philippi filio qui eam condidit, mox à Ly
ſimachi coniuge eſt Nicæa occupata, tripertito Chri
ſtiani duces ſunt urbem oppugnare adorti. Fuit ob-
ſidio illa omnium opinione lõgior ac difficilior. A-
ſcanius lacus qui quartam ferè partem urbis alluit,
auxilia & commeatum urbi importabat. Statuerũt
itaque Galli duces lacum occupare, quum ſexagin-
ta milia Turcorum eximproviſo in eam caſtrorum
partem impetum fecere, qua Podienſis tendebat an
tiſtes. Verum tantum abfuit ut cladem Gallis ul-
lam intulerint, ut eruptione ex caſtris facta, cum
multa cæde ſint hoſtes ad montes compulſi, affuit
nec multo pòſt Alexiana claſſis, quo contigit ut la-
cu nauibus inſeſſo, quum undique urbs premere-
tur, uicta ciuium pertinacia deditio facta ſit, urbs
Alexio ex fœdere reſtituta eſt. Nicæa bello recepta
Chriſtiani duces inde proficiſcuntur, quartisque de
inceps caſtris ad riuum herbida loca rigantem per-
uentum eſt, & iam Boëmundi edicto caſtra mu-
niri cœperant, quum trepide nuntiatur ingentem
uim hoſtium adeſſe. Præcipit Normanus ſuos à ca-
ſtrorum munitione auerſos ſeſe ad pugnam ex-
pedire, ad cæteros duces mittit qui nuntient ma-
gnum hoſtium numerum adeſſe, maturent ſibi ſub-
ſidium ferre: hęc iubet ſocijs nuntiari, ac ſimul qua-
drato agmine in hoſtem ire pergit, eſt itaque arroci
concurſu tanta Turcorum cæde dimicatum, ut pro
uallo

Christianorum cædes.

Boemundi conſilium.

Nicæa capta.

Cædes ingens Turcorum.

uallo eſſet hoſtibus ſuorum cadaverum coacerua-
tio. Sed dum Boëmundus hac parte egregie uincit,
mille Turcorum equites in Normanica impetũ ca-
ſtra fecerunt, fœda mulierum iumentorumque con
ſternatio ingentem Normano à tergo tumultũ intu
lit, occurrit eò Boëmundus, hoſtem cum multa ſtra
ge caſtris deiecit, reuerſuſque ſubito in pugnã adeò
omnia mutata reperit, ut parum res à fuga abeſſet,
ducis itaque præſentia pugna confeſtim reſtituta
eſt: erat tamen adhuc anceps prælium, quum iterũ
hoſtes Boëmundi caſtra adorti, fuiſſent illis facile
potiri (erant enim opere interrupto munita, ut ſu-
prà eſt demonſtratum) niſi maturus Vgonis acceſ-
ſus, qui triginta equitum milia cum fremitu age-
bat, præſidium & caſtra ſeruaſſet, inde rectà in acie
procurſum, tum qui ab initio circunfuſi, ſpectan-
tium more, extra aciem ſteterant, quorum conatus
nullus prope modum fuit, niſi quod ab initio ingen
tem uim telorum in Normanos conieceraut, quæ
poſt conſertam pugnam non minus Turcis quàm
Normanis noxia fuere, hi igit, erant enim innumeri
mortales, recentẽ Gallorũ equitatũ in pugnã ruen-
tem intuiti, continuò in aciem procurrunt, ut ſuis
auxilio ſint: redintegratur itaque pugna multo atro
cior priore, diſtrahiturque anceps certamen in no-
ſtem. Tum hoſtes feſſi, magnaque ex parte cæſi ſen
ſim pedem referunt, abeuntque in proximos mon-
tes: Normani & ſocij in Boëmundi caſtris pernoc-
tant. Vbi primum illuxit Vgo & Normanus ſuos in
aciem educunt, hoſteque nuſquam conſpecto, pro-
cul enim noctu abierant Turci, data opera eſt ut pio
rum cadauera diligenter conquiſita, unum contra-
herentur in locum, quæ crux in tanta ſtrage fecit
inſignia. Cecidit ea pugna magnus Chriſtianorum
numerus, ſed duplo maior hoſtium. Datus itaque
eſt dies unus corporibus ſepeliendis, curandisque
uulneribus. Solymanus qui cum Boëmundo confli
xerat, rex fuerit an dux, parum expediunt autores,
qui de huiuſmodi expeditione aliquid ſcripſerunt,
Agitonus duntaxat Armenius, hunc Alphaſalem
prodidit appellatum, fuiſſeque Alphaſilis regis Per
ſarum nepotem, miſſumque cum magno exercitu
ad Cappadociam occupandam, huiuſq; ductu Tur-
cos, quos ille Turquimanos uocat, multa ex Græco
rum imperio loca occupaſſe, quo ſucceſſu Alphaſa-
les Sultanus ſit poſtea factus, ipſeque pro Alphaſale
Salamanſa dici uoluit, noſtri Solymanum ſcribunt,
qui Gothifredo & cæteris Chriſtianis ducibus Hie
roſolymam petentibus, ſeſe oppoſuiſſe creditur, &
hæc Armenius ille. Cæterum quiſquis ille fuit, pu-
gna egreſſus, multum itineris emenſus quàm lon-
giſsime ab hoſte receſſerat. Verum quacunque ci-
tatum agmen agebat, adeò acceptam diſſimulare
cladem, ut ſe uicisſe etiam gloriaretur, urbes tamen
paſsim diripere, fruges corrumpere, qua hoſtis du-
ćturus credebatur. Boëmundus & cæteri duces, per
oca arida & ſiticuloſa ad Iconium peruenere, nunc
Cogni dicitur, adiacet ea urbs Tauro monti, eſtque
noſtra tempeſtate Caramanorum principum regia.
Peropportuna fuit loci huius deditio, datique ſunt
hic aliquot dies recreando exercitui, inde ad Hera-
cleam itum quadrato agmine, circumſpectantibus
attente omnia Chriſtianis ducibus, ne in inſidias
præcipitarentur, nam indicio compertum habebãt
ingentem hoſtium numerum eò confluxiſſe dimi-
candi conſilio. Sed quum futuræ pugnę intenti lon
gius procedunt, Heracleenſes omni præſidio deſti-
tuti, obuiam euntes deditionem fecere: hinc ubi cõ
ſtans fama fuit hoſtes nullibi conſiſtere, bipertitò
digreſsi, Balduinus in Ciliciam flexit, Tarſumque
ſub primum acceſſum deditam magno omniũ con-
ſenſu ſuæ ditionis fecit, nec ita multo pòſt Eduſſa
eſt Manuſſaque urbibus potitus. Maiorum copiarũ
numerus minorem Armeniam petijt. Scio non de-

Attende atrocem pugnam.

Vbi Iconium.

Cilicia ſubigitur.

A eſſe qui locorum ſitum & uetuſtatem à me hac par-
te deſiderent, ſed qui hoc requirũt: perbelle demon
ſtrant ſe priorem huius Raplodiæ partem non atti-
giſſe: nulla, ut arbitror, regio eſt in terris, cuius non
ſit nominis, locorum, finium, & morum ratio expli-
cata, ut in ultima operis Enneade iuuante deo, om-
nis rerum mutatio, quæ in terris facta eſt per partes
repræſentabitur. Tota igitur Armenia minor Galli
cis ceſsit armis, quam receptam Palmuro Armenio
habendam permiſere Chriſtiani duces, fuerat is ab
initio circa piorum ſigna frequẽs. Ex Armenia Cap
padociam ingreſsi Cæſaream capiunt, poſt Cęſareã
Socor, ubi aliquot dies habita ſunt ſtatiua. Sura in-
de recepta per anguſtias Tauri montis uelut in alte-
rum orbem tranſcendit uictor exercitus, cõfeſtimq;
Auraris Tauro propinqua ſponte dedita eſt. Obtu-
lit ſe hoſtis Gallis ducibus in planitiem egreſsis, e-
rant hi frumentatores ab Antiochiæ rege miſsi, qui
ad Tauri uſque accolas proceſſerant, nec erant ſine
præſidio. Cæterum quantacunque fuit hęc manus,
modico negotio diſiecta eſt, multique mortales in
fuga cæſi, iumentorum uis ingens cum commeatu
capta. Inde rectà eſt ad Antiochiam itum, poſitaque
ſunt caſtra in fluminis ripa. Farſarum locorum acco
læ appellant, ſed nos non ignari ſumus Oronte An
tiochiam alluere: nec tantum flumen uenit in du-
bium, ſed de qua recentes ſcriptores Antiochia hæc
ſcribant, parum perſpicuè demonſtrant, uerum ur-
bis celebritas ea eſt, quæ nos in tantis ſcriptorum
tenebris haud oblucinari patiatur, eſt alio qui altera
urbs hoc nomine in Pamphilia Seleuciæ uicina, ſed
nobilior quæ in Phœnicia eſt, de qua nunc hæc ſcri-
buntur, à Seleuco Nicanore Antiochi filio condita,
Epidaphneis olim cognominata, quã Orontes in-
terluit. Ex captiuis cognitum eſt in ea urbe Caſsia-
nũ regnare, qui Babylonij eſſet regis ſtipendiarius,
B auxiliaque ab eo miſſa, & in his genus hominum fe
rox, qui non ſolum è muris eſſent laceſſendi, ſed in
prælio quidem expectandi, ſi ultrò arma inferant:
tantum abfuit ut uana illa prædicatio Chriſtianos
duces propoſito auerterit, ut poſtridie Boëmundus
primo Solis ortu cum ſeptem legionibus ad urbem
progreſſus, hoſtiũ aciem ſub ipſis mœnibus in pro-
cinctu ſtantem ſit ferociſsime adortus: fuit pugna
tumultuaria hoſtibus per occaſionem ſeſe inferenti
bus, nunc in tutum murorum uicinitate refugienti
bus. Erat Antiochia duplici muro ſepta, exteriore
parte quadrato ſaxo, interius opere lateritio. Tur-
res murorum quadringentæ numero & ſexaginta,
ad orientem Solem arx urbi imminebat, natura &
opere uiſenda magis quàm tentanda, lacus propin-
quus urbi piſcium abundãs, agar fluminibus & fon
tibus irriguus, atque inſigniter ferax, recedit à mari
quod Cilicium uocant, ſiue Phœnicium xij. milia
paſſuum. Attulit ipſi urbi multum ſplendoris Ba-
rionæ apoſtoli ſedes. Enimuero Antiochena eccle-
ſia adeò creuit, ut centum quinquaginta ſub ſe ha-
buerit antiſtites. Vgo, Boëmundus, & cæteri duces
ad urbis oppugnationẽ conuerſi, primum omnium
pontem fluuio imponunt, inde urbẽ ita in obſidio-
ne cingunt, ut præterq; à montibus qui Antiochiæ
imminent, undiq; urbs, alioqui ampliſsima, hoſtili-
bus premeretur armis. Fuit inde longa obſidio, quo
tempore nõ minus eſt à Gallis quàm ab ijs qui ob-
ſidebantur fame laboratum. Iuuerunt haud medio-
criter Europeos ad Antiochiam ſedentes Armenij,
Chriſtianæ pietatis uiri, qui ſub initium huius belli
Hieroſolymis eiecti montes occupauerant Antio-
chiæ propinquos. Sed dum hæc in Aſia geruntur,
Veneti dubium ſua ſponte, quia uoluerint & ipſi rẽ
Chriſtianam eo bello iuuare, an Alexij & pontificis
rogatu, claſſem ualidiſsimam, & quantã ad id tem-
pus nunquam in Ioniæ oram miſere, ducentas om-
nis generis fuiſſe naues apud quoſdã reperio, quib-

Antiochia, Syriæ.

Palmurius.

Antiochiæ deſcriptio.

Petri ſedes.

Attende uali-dam Venetorũ claſſem.

Henricus Contarenus, Oliuolensis antistes, & Michaël, Vitalis ducis filius, cum imperio præfuerunt. Scio fuisse qui scriberent priusquam capta sit Hierosolyma nihil à Venetis motum, sed propius uero est ciuitatem rei maritimæ assuetam in tanto Asiæ & Europæ motu non quieuisse, præsertim quum aduersus Turcos & Saracenos res gereretur, quam gentem semper habuissent infestam: quanquam uidentur mihi Turci iam ab eo tempore quo hęc gerebantur, discretum habuisse regnum à Saracenis, ut hi à Syria in Mediam & Armeniam usque ad mare Ponticum & Hellespontum tenerent, illi ab Arabia in Ægyptum & Libyam, ad Athlanticum usque mare, & ultra Gaditanum fretum partem Iberię, etsi fides utrisque una, unumque sæpe commilitium. Est & alia potior ratio, cui animus inclinet ad id credendum, ut ab initio sit classis instructa, quia maritimæ urbes, ab Hellesponto ad Peluſiacum ostium, pleræque numero ab ea gente tenerentur, quæ hostibus terrestri bello occupatis, uelut ad prædam erant inuadentibus expositæ. Quum Rhodum igitur Venetus tenuisset, iurgio à Pisanis exceptus, qui & ipsi non inualidam eò classem appulerant, in fœdum incidit certamen, duę Christiani nominis classes in Rhodiorum conspectu hostiliter conflixerūt, uictorque Venetus duasdeuiginti triremes Pisanis ademit, in quibus quina milia hominū capta. Hos quia rubenti essent cruce signati triginta nobilioribus uiris obsidum loco retentis, restituta classe Venetus abire permisit. Ex Rhodo in Ioniam transgressi Veneti Smyrnam occupant, sed ab hoste destitutam: & hæc prima illa expeditione gesta quidam memorant. Alij Smyrnęis rebus confestim Syriacas subijciunt, ut dum classis domi ornatur, dum in Delmatia remigium expletur, dum Rhodum petit, dum in Ioniam transmittit, Smyrnam occupat, dum denique Lycij, Pamphilij, Cilicij, Phœnicijque maris oram legit, Galli recepta Antiochia ad Hierosolymam castra admouerint. Sed multo plures in sequentis anni expeditionem hæc reijciunt quæ in Syriæ ora facta dicuntur à Venetis. Tenuit Antiochena obsidio nouem menses, laboratumq; est interea tanta omnium rerum inopia, ut non solum obscuri nominis milites, sed illustres etiam uiri meditati sint fugam, & in his Petrus Anachorita, Guilielmus Carpentarius, regia stirpe ortus, & Tancredus Boëmundi ex fratre nepos, qui pro desertoribus ex fuga retracti sunt in castra, nouoque sacramento adacti, nec ita multo pòst dimicatum cum ingenti numero hostium circa urbem. Descenderant Turci in aciem eo consilio, ut aut Antiochenos obsidione leuarent, aut si id minus daretur, in illorum conspectu fortiter occumberent, estq; ob eam rem pluribus horis cruento marte pugnatum, uicit tamen Gallorum uirtus. Turci cæsi fusique dimidia copiarum parte amissa, inclytam Christianis ducibus uictoriam reliquere. Nec unum id prælium ad Antiochiam gestum, sed sæpius per subitas eruptiones, aut cùm his qui commeatum importarēt, est propè iusta acie certatum. Cæterum memorabilis illa pugna, quæ cum externis auxilijs pugnata est, adeò fregit Antiochenorum animos, ut Pyrrhus oppidanorum, ut arbitror, unus Boëmundi fama impulsus, ut ipse proditionis autor uideri uoluit, nocte urbem Christianis ducibus patefecerit, nono mense ab eo quo Antiochia ipsa obsideri cœperat. Cassianus nocturna trepidatione dilapsus, dum per deuia loca errabundus hostem refugit, ab Armenijs interficitur, qui Hierosolymis profugi proximos Antiochiæ montes, ut suprà est demonstratū, per-
opportunè insederant.

Veneti & Pisani inter se dimicant.

Desertores signorum.

Proditur Antiochia Christianis.

ENNEADIS IX. LIBER IIII.

ANtiochia per hūc modum recepta, memorabilis est pugna in Corbanem Persarum regis præfectum & Sensadolum Cassiani filium depugnata, ad centum milia hostium uno prælio cæsa, ac præter equos & iumenta multa numero, quindecim milia camelorum capta dicūtur. Inclyta hæc uictoria fecit, ut arx quæ ad diem nulla ui potuerat subigi, ultro dedita sit, ac nominatim Boëmundo tradita, qui circa illā acriter dimicans, paucis antè diebus graue uulnus acceperat. Vrbem Alexio per Vgonem ad id Byzantium missum ex fœdere restituta, nec receptam, Christiani duces Boëmundo habendam permisere: quod ut fieret Pyrrhus ante proditionis diem tradi tur cum hoste pactus. Scio fuisse qui crederent urbem ab Alexio non receptam, quia suæ parum intę græ fidei sibi conscius, ueritus sit ne quid doli horū liberalitati ineesset, quibus se merito ob fœdera non seruata inuisum sciebat, neq; enim cōmeatus in castra socijs petentibus miserat, quum ad Antiochiā federent, neq; eorum quisquam dedit quæ fœdere fuerat pollicitus. Et hęc in Asia usq; ad Antiochiam captam. Romæ sub extremū Antiochenæ obsidionis tempus, Vrbanus pontifex diem obijt, anno sui pontificatus duodecimo, mense quarto. Paschalis, eius nominis secundus, in demortui locum surrogatur, uir Italus natione in Flaminia ortus. Galli duces quarto mense post Antiochiam receptam in hostē profecti, Rugiam ui capiunt, Albariam inde oppugnant, nec prius capi potuit quàm muri sint ariete disturbati. Hic altercatione orta, Boëmūdum inter & Raimundū Ægidij comitem, quo inuito & reclamante fuerat Antiochia Boëmundo data, Normanus seceſsione facta, cum suis copijs, Antiochiā reuertitur. Cæteri duces, pars una Albariæ, altera Rugiæ hyemarunt. Tentata est inter duces reconciliatio, sed quum neuter alteri cederet, ne quid detrimenti ea de causa res Christiana adiret, cessit Boëmundus ac tum demum, ut quidam produnt, cum suis Antiochiam abijt, quem Gothifredus & Flandrensis comes secuti sunt. Leues inde per reliquū hybernorum tempus expeditiones sunt Raimundo, & ijs qui cum eo erant in hostes factæ. Mox ad prima ueris signa, ut in aprica regione, mota sunt castra, egeruntque Galli duces in ualle Camelæ urbi propinqua purificationis diem. Boëmundus & alij, qui cū eo remanserant, appetente uere ipsi quoque Antiochia profecti Tortosam oppugnant. Sed dum hi Tortosanis imminent, diuersa parte Raimundus & cæteri duces Tripolim circumsedebāt: hic cum Raimundus multo insolentior factus diceretur ob leues quasdam expeditiones, quibus fuerat hybernorum tempore usus, Boëmundus ueritus ne in nouum aliquod certamē incideret, quod medium uictoriæ cursum interpolaret, ut procul à Raimundi insolentia abesset, soluta obsidione, Antiochiam sese recepit. Gothifredus & Flandrensis comes post Normani discessum, bellum executi, Gibellum urbem aliquandiu obsessam capiunt, in Tortosam inde uertunt omnem impetum belli: occurrit eò Raimundus cum suis copijs, estq; Tortosa trinis castris circumsessa, ac præter spem omniū defensa. Galli infecta re post tertium mensem inde digressi, Tripolitanum regem in fidem recipiunt, abeoque ueste armis & stipendio adiuti, ex Tripoli ad Zebulum itum, inde Zabarim, & mox trinis castris ad flumen Brain, hinc digressi per suspecta & infidiosa loca iter habentes, quinis castris ad Berytum urbem maritimam admouerunt castra, ex Beryto Sagittam

Attende cęlestium numerum.

Antiochia recuperata.

Paschalis secundus pontifex.

Gallorum gesta in Syria.

Sagittam tenuere, inde decimo die ad Cęsareā uentum est, ex Cæsarea quadrato agmine Ramolas petunt. Hinc Galli profecti sub ortum Solis, qui in primo agmine erant, Hierosolymam procul conspicati clamorem præ nimia alacritate extollunt, reclamat uniuersus exercitus, pars Christi regis nomen uenerari manibus & oculis ad cœlum sublatis, pars in terram procumbere, mixtisq; cum lætitia lachrymis sanctam urbem salutare. Hierosolymæ situs, cum his quę de eius conditione prodita sunt ab Hebræis & Græcis, altera Rapsodiæ parte abunde est à nobis demonstratus. Galli ubi copias ad urbē admouerunt, situm & mœnia contemplati, tripertitò eam adoriuntur. Flandrensis comes ad septentrionem metatus est castra, ad occidentem Solem Gothifredus cum Tancredo, Raimundus Syon montem tenuit, qui ad meridiem urbi incubat. Tenuit obsidio illa plures dies, estq; nonnunquam circa urbem dimicatum, ad postremum Balduinus cum uirorum fortium manu per tabulata, quæ hostes ex murorum fastigio portenderant ad Gallorum opera occupanda, ui mœnibus admota, in urbem transcendit, estq; sic quoque aliquandiu laboratum Turcis obstinatius resistētibus, sed portarum una mox refracta, muroque ariete discusso, prægrauantibus haud uno loco Gallis cesit hostis, cædes ingens edita, cæsi passim puberes impuberesq;, non sexus, non ætas texit quenquam. Danidica turris confestim metu dedita est. Circa templum quò uis ingēs mortalium confugerat, atrox fuit pugna, desperatio coëgit uictos omnia audere, uictores indignatio excitat, quod urbe capta templum capi nō posset. Peruicit tamen Gallus, ac ui prorumpens adeò præceps in cædem abijt, ut qui primi fores irruperant, denso suorum cuneo à tergo impulsi aduersis hostium mucronibus uelut torméto aliquo excussi transfigerentur. Nec ab hoste interea cessatum, ut qui extremo periculo teneretur, cruentumque ob id certamen est ibi loci editum, nec pro foribus tantum, aut uestibulo, sed medio etiam templo, tantaq; promiscue uictorum uincentiumque fuit strages, ut cruor in pauimento fusus pedali altitudine concreuerit. Tenebat adhuc hostis fastigium templi, quum primis se tenebris intendentibus datum est signū receptui. Postridie quia edictū est, ut inermib⁹ parceret, qui ex superiore loco se tuebant in æquū descendere, & Hierosolyma in hunc maxime modum est à Gallis recepta, undecentesimo supra millesimum humanæ salutis anno, captiuitatis eius quadringentesimo nonagesimo. Gothifredus omnium consensu rex Hierosolymitanus declaratus est. Cæteris regum insignibus receptis, à coronæ usu pertinaciter abstinuit, nefas ratus Christianum hominem ibi auream coronam gestare, ubi Christus qui humanum genus redemit, spineam tulisset. Sed dum Hierosolymis hæc fiunt, immensa uis hostium dicta est appropinquare, Gothifredus relicto ad urbem præsidio, circa Asdonam uenientibus occurrit. Continuo est utrinque concursum dimicatumque plures horas dubio marte, uicerūt tandem Galli duces, magna suorum clade, sed hostium multo maiore, ad centum milia Turcorum simul & Saracenorum hoc prælio desiderata dicuntur, quū quingenta milia confluxissent, ut ex captiuis est postea cognitum: alij utrunque numerum extenuant, ut quinquaginta milia tantum conflixerint, quorum triginta sint in acie aut in fuga cæsa. Sed dum hæc in Syria geruntur, Veneti ex Smyrna, ut quidam aiunt, Lyciæ, Pamphiliæ, Ciliciæ & Syriæ oram præteruecti, Ioppensem portum tenuere aliquanto prius à Gallis ducibus receptum. Cæterum quia Christianæ copiæ ad Hierosolymam sedentes maritimis, quod satis constat, sunt commeatibus adiuti, nihil absurdū sit credere Hierosolymis non-

Hierosolyma.

Obsidio Hierosolymæ.

Capitur Hierosolyma.

Attende cædē memorabilem.

Recens Turcorum cædes.

Tempora supputatio. Gothifredus rex declaratur

A dum captis, Venetam classem in Syriam uenisse, ex Ioppe relicta ibi classe, sub firmo præsidio Veneti Hierosolymam petiere, ibi Gallis ducibus & Gothifredo regi obuictoriam gratulati ad mare reuersi, Ascalonem urbē maritimā expugnant, quam nuper Galli frustra oppugnatione tentauerant. Inde Caypham quæ & Porphiria dicitur, urbem Ptolemaidi propinquam obsident, fuitq; oppugnatio illa diuturna & laboriosa. Sed dum Ptolemaidi hæret classis pars nauium Tiberiadem ex improuiso adorta, ad deditionem compulit. Caypha dein recepta est. Sunt qui hæc Gothifredo non Venetis tribuāt. Ego quando Venetarum rerum scriptores hæc haud falso tradidisse existimandi sunt, communi auxilio arbitror gesta esse, ut Galli terrestribus copijs usi, maritimis Veneti, littorales Syriæ urbes per hunc modum subegerunt: fuitq; hic annus humanæ salutis centesimus supra millesimum. His gestis Veneti domum cum classe abierunt, post quorum discessum Gothifredus haud diu superstes fuit. Christiani nominis uiri qui in Syria erant (nam multi principum post Hierosolymam receptam, uoti compotes facti in Europam abierant) nequid incommodi per interregnum res Christiana adiret, Balduinum Gothifredi fratrem confestim regem creant. Infestabat per id tempus Rogerius Boëmundi frater Græciæ & Delmatiæ oram, quā Normanus causam habuit bellum Alexio & Venetis inferendi, etsi rerum Venetarum scriptores, quos sequimur, non scribūt, credere tamen æquū est Rogerium uoluisse id bellum ceu hæreditarium sibi relictum exequi, quod Guiscardus pater inchoasset, & Boëmundus in Italiam reuersus post patris interitum, imperfectum reliquisset: potuit & alia causa esse, ut Alexius idcirco bello incesseretur à Rogerio, ne Gallis maiore ex parte in Europam reuersis, Græcus imperator ad B Boëmundi res in Syria infestandas animum adijceret. Enimuero non desunt qui scribant, ob Laodicē Græcorum urbem à Tancredo occupatam, maritima Antiochiæ loca cœpisse ab Alexio infestari, ob idq; Delmatiæ oram à Normanis bello petitam, gestamque à Boëmundo rem non à Rogerio, quum forte tum Boëmundus in Europa esset. Illius reditus causa traditur noua affinitas, Constantia Philippi Gallorum regis filia in matrimonium ducta, qua auctus affinitate, non multo postquam ex Gallia reuersus est, Dyrrachium obsedit, ut Alexium ab infestatione Syriæ auerteret, quod non solum tenuit, sed in fœdere quod est postea ex ea re ictum diferte positum sit, ut Galli milites irent & redirēt tuti per omnia Constantinopolitani imperij loca. Sed pat est credere, hæc quæ sequuntur, à Venetis aliquanto prius gesta, quàm Boëmundus ex Gallia in Italiam redierit. Enimuero Veneti Normanicis armis Græciæ & Delmatiæ oram infestantibus, icto fœdere cum Colomano Pannoniæ rege, qui Geicæ fuit filius, cum quo non solum fœdus, sed socia etiam arma iunxerunt, in Apuliam classe delati Brundusium capiunt, relictoque hic præsidio, ad dextrā læuamque effusi, latè omnem oram maritimam terrore & populatione complent, nec motus ille longius processit, classis cum opulenta pręda domum redijt. Brundusium fuerit ne præsidio firmatum, an hostium metu relictum, autores quos sequimur non tradunt. Per idem tempus, aut certe non multò prius, Ferraria est à Mathilde Venetæ classis auxilio recepta. Quapropter immunitatem dedit Veneto nomini in ea urbe perpetuam. Erantque res Venetæ in hoc statu, quum Vitalis Phalerius mortem obijt anno quarto quàm reipublicæ præesse cœperat: Ordelaphus Phalerius in eius locum surrogatur, quo principe iterum Veneti classem in Syriā misere. Autores quos in Venetis rebus secuti sumus, centum naues eam classem habuisse memorię prodidę-

Gothifredi regis mors.

Balduinus rex creatur.

Veneti Brundusium capiunt.

Recens Venetorum classis.

prodiderunt. Blondus octoginta scripsit. Genuenses aliquanto prius in Syriam transmiserant. Oppugnabat Balduinus rex summa ope Ptolemaidem, nam priore oppugnatione capi non potuit, eratque *Balduini gesta* Balduini nomen parum hostibus formidolosum: siquidem post Gothifredi interitum regis; appellationem receptam, magno fuerat prælio in Syria uictus, quo Boëmundus uenit in hostium potestatē, adeo; fregerat una aduersa pugna illius animum, ut aliquandiu nihil sit in Turcos Saracenós ue mouere ausus. Mox uero audito Boëmundi in Antiochiam reditu, quem fama erat Tancredi fratris industria & liberalitate, magno auri pondere hostibus dato, postliminio reuersum, tanti uiri incolumitate confirmatus Ptolemaidem recenti oppugnatione inuasit. Sunt qui scribant Boëmundum ex Italia tūc reuersum, classem; ab eo in Syriam adductā, quam in Alexium & Græcos parauerat, sed quia cum his bellum soluisset, in Syriaci belli usum uerterit. Aiūt ex autoribus quos sequimur, quidam, Ptolemaidē à recentioribus Aconem primo uocatam, inde Accam. Duæ Balduino hic sedenti ualidissimæ ex Italia classes affuerunt magnis pollicitationibus accersitæ, Veneta & Genuensis, nam de Normanica parū certa fama est, quib⁹ Balduinus auxilijs fretus, adeò ferociter hostibus incubuit, ut uigesimo pòst die sit *Ptolemais capitur.* urbis compos factus. Ptolemaide capta intermissa est præsens expeditio, ut quidam scribunt, nec inde quicquam est in Syria motum, quoad Boëmundus, qui in Italiam nauigauerat, sit in Asiā reuersus, quo apparet plus uni Boëmundo Balduinum deferre solitum, quàm cæteris Christiani nominis ducibus. Veneti annales post Ptolemaidem receptam, Sidonem oppugnatam significant. Fuit Sidon inter Berytum & antiquam Tyrum omnium Phœniciæ urbium uetustate & opibus olim clarissima. Sidone *Sidon.* capta Berytus petita est, ubi duo sunt menses consumpti, urbsq; ingenti cæde capta, & ob id sequitum est in omnem sexum & ætatem, atq; Christiana colonia eò ob soli feracitatem deducta, & hæc Ordelapho principe in Syria gesta, quo Venetorum merito motus Balduinus rex sacram ædem, uicum, forū, aream Veneto nomini dedit in Ptolemaide habendam, quibus locis merum & mixtum cum Gallis haberet imperium. Ipse præsenti rerum successu elatus, finium promouendorum studio trans Iordanem fluuium Sobal castellum in edito fundauit loco, & hæc secunda illa expeditione sunt in Syria à Venetis gesta. Romæ interea Paschalis erat pontifex, qui statim à sua creatione equo albo uectus ad *Attende cæremoniam in Roma, pontificē.* Lateranensem ædem, in eius atrio baltheo succinctus est, unde septenę claues septenaq; dependebāt sigilla, per quę septē ecclesiæ figurant, quibus septifariam almi spiritus præesset gratia cum potestate claudendi, signandi, aperiendi, recludendi. Inuisit et loca solis pontificibus adiudicata, pontificium gerens sceptrū. Paucis inde diebus in Vaticana apostoli basilica chrismate inunctus est, unde reuersus coronā in urbe de more accepit: hæc ille, simulq; exercitum haud contemptibilem in Gibertum pseudopontificem comparat, qui Albæ erat circa Fucinum lacum, in quo oppugnando adiutus est armis à Rogerio Siciliæ comite aliquot equitum turmis à Normano ad id bellum missis, & cum his mille unciæ auri in stipendium datæ. Gibertus suis opibus diffisus, ex Alba in Furconensium montana sese propipuit, Aquilani sunt hodie, qui tum Furconenses fuere: his locis ille haud multo pòst subitaria morte cō sumptus est. Ricardus Campanus comes, qui Gibertum pecunia & præsidio enixè iuuerat, in Giberti locum Albertum substituit Attellanum, adeò semper reperti sunt qui tenebras maluerint, quàm lucem sequi. Sed Albertus breui pòst Auersæ (id nomen hodie urbi est inter Capuam & Neapolim sitę)

Balduini gratitudo in Venetos.

A à piorum cœtu coactus est imaginaria se dignitate abdicare. Cauenses Prænestini agri incolæ, impium Campani comitis exemplum secuti, Theodoricum quendam pontificem creant: hoc quoq; monstrum ipsi autores sceleris pœnitentia adducti sustulerūt, quarto fermè mense quàm fuerat creatus, dignitate exutum in ordinem redigunt, redacto anachoritæ inducunt pallijū. Est & Maginulphus pontificis nomen usurpare ausus, etsi Romanus procul tamē ab urbe Roma Rauennæ homo impius & demēs pontificatum inuasit. Vindicatum est id scelus à Romanis, Rauennatibus ex urbe Roma eiectis. Vsus est inde Paschalis pontifex Rogerij copijs in Beneuentō recipiendo. Cæterum ne non semper nouarum rerū materia adesset aliqua, Petrus Columna, à quo nunc familia Romæ insignis, Ricardi Campani comitis impulsu, Caueas oppidum pontificię ditionis occupat, occurrit eò confestim Paschalis ex urbe cū suis copijs, nec Caueas tantum recipit, sed Sagariolum & Columnam hæreditaria illius oppida ui capit. Corsi quoq; familia tum Romæ præpotēs, quorum ædes Henricus sub Capitolio diruit, quia septimi Gregorij partibus fauerent, ueteri familiæ studio in pontifices relicto: diui Pauli basilicā Ostiensi uia castellumq; ibi erectum Stephani ductu (erat is tum familiæ princeps) Paschale absente occupant, unde uelut ex arce quadam urbem sunt hostiliter infestare adorti. Recurrit huc pontifex, Stephanum ex arce & templo deijcit. Perierat haud dubiè impij facinoris autor, nisi irrumpentes hostes monastico habitu ludificatus esset. Prodigia per id tempus ali- *Prodigia.* quot apparuerunt, mare uicenis passibus, alij centenis scribunt, præter solitum littora inundauit, apparuit & cometes miræ magnitudinis. His fortasse prodigijs motus affirmare non dubitauit Fluentinus antistes, esse antichristum natum, qua prædica- *Antichristi uenisse.* B tione Paschalis motus in Hetruriam profectus, con uentuq; super ea re Florentiæ habito, quum appareret hominem nulla alia ratione subnixum, quàm ut alicuius magnæ rei autor uideretur, eiusmodi prædicatione usum, tantū admonuit, ut temerario incœpto desisteret. Recognouit inde Paschalis in Cisalpina & Comata Gallia ecclesiarū statū, ac quædam sustulit, alia in melius mutauit, ex Gallia demū reuersus in nouos Italiæ motus incidit. Stephanus Corsi cæ familiæ princeps Montē altū & Ponticlū occupauerat in Hetruria, omniaq; fœdabat nouo latrocinio. Cōpressit Stephani conatū pontifex, frangere tamē non potuit, quū loci difficultate, quo se tenebat, tū quia iam hyems appetebat: abijt itaq; in Apuliam, aliud non leue negotiū secutus: ecclesiam Labicano commēdat antistiti, res urbanas Petro Leoni cognomento, & Leoni Fregepani tum Romanæ ciuitatis longè principibus, Ptolemæo Sublacensi omnia pontificij iuris Romæ circumiecta: sed pessimi homines non solum sibi rem creditam non exsidetutati sunt, sed unà omnes à pontifice & apostoli sede defecerunt. Petrus Columna cum quo pontifex in gratiam redierat, Farfensis abbas cum Anagninis, Tyburtinis, Prænestinis, Tusculanis, Sabinis, Ptolemæus cum sua bellatorum manu, Albam in Latio adorti hostiliter oppugnant, sed locus oppidanorum opera est strenuè defensus, & pontifex non multo pòst affuit cum Caietani principis, & Ricardi Aquilani copijs, sub cuius reditum res ecclesiæ insidiatoribus disiectis, in urbe seruata est, in Tybure recipiendo est nonnihil laboratum, & Mons altus in Hetruria est receptus, unde priore anno Stephani latrocinium tolli nequiuerat. Sed dum hæc in Italia geruntur, aut certe non multo prius, maritimæ urbes Syriæ à Balduino, Genuensium & Venetorum auxilio, ut suprà est demonstratum, sunt bello receptæ, interuentu, ut quidam scribunt, Boëmundi, qui haud multo postquam hæc ita

Boemundi interitus. ita gesta sunt, uita decessit, qui moriens Boëmundum filium quem ex Constantia tulerat, cum Antiocheno principatu, Tancredo fratri commendauit. Veterarum rerum scriptores Baiamontis nomen non patris Boëmundi filio reddiderunt. Per id tempus Henricus quartus Italiam ingressus, Romā iter intenderat, quum indicio comperit suum accessum à Paschale pontifice non probari, quoniam eo bello quod in Germania aduersus Henricum patrem gesserat, quem postremo ad Leodium magno uicit prælio, plura sanctorum templa diripuisse diceretur, direpta funditus euertisse. Substitit itaque Sutrij Henricus, legatis; que citro ultro; que missis iureiurando pollicitus est, se pacate urbem aditurum, daturumq; operam, ut omnes Germani antistites, qui sacerdotium largitione adepti essent, sese abdicare cogerentur. Per hæc à pontifice accersitus, magna populi lætitia Romam ingressus, ad pontificis pedes in Vaticanæ basilicæ gradibus humiliter procubuit, templum inde subeūtes postquam ad aram maximam uenere, ibi Henricus contra iusiurandum à pontifice petit, ut antistites à se largitione constitutos, suo assensu probet: id quum se facturum negasset pon- *Attende Henrici imperatoris scelus.* tifex, signo ex composito militibus dato, Paschalē cum cardinalibus, & magna cleri parte captum spoliat, multaque indignitate uexatos custodiri imperat. Romana ciuitas eiusmodi iniuria consternata, arma corripit, subitaque ui Germanos adorta ex urbe eijcit, portis iectos excludit, custodias & præsidia per opportuna loca disponit. Concessit Henricus ad Soracte montem, ibique pontifice cum omnibus captiuis sub custodia constituto, ad urbis oppugnationem reuertitur, Mammeum pontem occupat, à Mammea Alexandri principis matre operis autore nuncupatum, nunc corrupta uoce Mammolum dicunt. Hinc Germani uillas incendere ac quicquid soli inter Anienem fluuium iacet & urbem la- B te populari. Pontifex ne ciuitas maiorem aliquam adiret cladem, Henrici postulatis etsi inuitus, assensus est, reconciliatique per hæc Romam reuertuntur, atque in apostoli basilica Germanus coronam à *Pius uis Henrici.* pontifice accepit, circa portas urbis stationibus dispositis, ne subito populi incursu opprimeretur. Nec multum inde in Vaticano fuit, sed compos uoti factus in Germaniā abijt, homo impius impioq; patre natus, quem uictum prælio cepit, captumque atq; arctissime uinctum mœrore & tristitia ad mortem compulit. Incidit uis illa Henrici in pontificem & clerum in annum salutis octauum supra centesimum ac millesimum. Pontifex pacata Italia autor Pisanis fuit, quibus clarum erat nomen quæsitum rei maritimæ studio, ut Saracenorum gentem bello infectarentur, reddebant hi Balearibus occupatis internum mare quaqueuersum Christiano nomini infestum. Pisani gloriæ cupidi classem comparant i- gentem, ac iuuentutis partem multo maximam in naues imponunt. Erantque adhuc in Volaterranis uadis uentum expectantes, quum Lucenses eorum urbem defensoribus uacuam ex occasione inuasere, Florentini Pisanorum precibus moti, Lucensium uim inhibent, egregieque eorum urbem tutantur. Obiuerunt Pisani eam prouinciam satis feliciter, cæterum ex eo bello reuersi operæ sibi absentibus nauatæ ab amica ciuitate haud immemores, duas porphyriticas columnas Florentinis publicè donarunt, quæ ad Io. Zachariæ hodie in ea urbe uisuntur. Et hæc tunc alibi. Romę Paschalis pontifex Lateranensi conuentu rescidit omnia quæ de sacerdotijs & ecclesijs largitione collatis, probare coactus fuisset Henrici iniuria. Obijt per id tēpus Ma- *Mathildis obitus & donatio* thildis iam grandis natu, cuius legato ditior facta est Romana ecclesia. Quicquid intra mare & Apenninum montem iacet à Quirico Senensis agri ad Ceperanum, apostolicæ sedi testamento legauit, & cū

his Ferrariam, quæ iam inde facta est Romanorum pontificum uectigalis. Vincentius Mathildem scripsit Vicentiæ perisse eo incendio, quo magna pars urbis deflagrauit, qua clade duo milia hominū consumpta sint, alij Mantuæ diem obiuisse aiunt. Cæterum ubicunq; & quocunque casu mortua est, in Mantuano est agro sita ad Benedicti cœnobiū, quod uiuens priua construxit impensa, rem Anselmo Lucensi antistite procurante, qui multis postea miraculis inclaruit. Fuit & alius Anselmus eadem tempestate in Anglia (olim hæc Britannia fuit) uir singula *Viri illustres.* ri doctrina, & qui multa in diuinis scripsit. Claruit per idem tempus Sigibertus monachus Gemblacensis, & ipse multa eruditione clarus. Bernardus Castilionensis Burgundius genere, nobili loco ortus, is duos & uiginti annos natus, Cisterciensi monasterio prius inchoato, cum triginta alijs insigni *Diui Bernardi professio.* pietate uiris monasticum induit habitum, tantum inde nomen eruditionis & sanctitatis est adeptus, ut Clarauallensis sit abbas factus, quem locum Robertus uir illustris non multo prius sumptuose instruxerat. Reliquit Bernardus moriens clarum sanctitatis nomē, nec minus studiorum eius manarunt monumenta ad posteros piè & utiliter edita. Et hi tales fuerunt. Paschalis pontifex celebri conuentu, quem ad Guardastallum indixit, decretum tulit, ne Æmylię, Placentia, Parma, Rhegium, Mutina, Bononia, Rauennat ecclesiæ subessent amplius, quum iura eius ecclesiæ tam latè paterent, ut Rauennates an *Rauennatium antistitum contumacia.* tistites sæpe in apostolicam sedē ad id tempus cornua extulissent. Nec ita multo postquā ita hæc acta sunt, Paschalis Romam reuersus in grauem seditionem incidit, orta inter principes ciuitatis discordia ex urbis præfectura, quem honorem alij aliò trahebant, quum nouus esset præfectus creandus. Pontifex quia indies ciuilis ille gliscebat motus, ueritus ne in tanta rerum perturbatione pontificia dignitas uiolaretur, Albam concesit, estque non multo pòst Petri Leonis domus ab hominibus aduersæ factionis oppugnata. Fauerat Leo impense pontificis partibus, estque ob eam rem illi gratia non uulgaris repensa: nam Ptolemæi Sublacensis interuentu, cui pontifex, ut cum magna manu illi suppetias ferret autor fuit, omnis inimicorum uis discussa est. Multi subitario accursu cæsi, alij in proxima municipia relegati. Erantque res Italiæ præsertim circa urbem parum pacatæ, quum Henricus repente in Italiam cum magno exercitu transcendit. Pontem tremulū in Apennino, quia ab oppidanis transitu arceretur, diripuit, direptum multo adhuc infestius euertit. Fuit ea res terrori uniuersæ Italiæ, uerum nihil ille cunctatus, Romam decreto petijt. Erat tum pontifex in Apulia, cæterum ratus Henricus se imperio priuatum, ob ea quæ Paschalis pòst suum discessum frequenti antistitum concilio decreuerat, à Bracarensi antistite iterum corona insigniri uoluit, ac secundum eam cæremoniam in Germaniam abijt. Hoc anno in Æmylia & Flaminia pluit sanguine, ut *Prodigia.* Vincentius scribit. Paschalis cum Normanorum copijs Romam rediens, pleraque oppida recepit, quæ hostes occuparant, audiuitque Prænestę legatos Caloianis imperatoris, qui Alexio successerat: quæ fuerint Græcorum postulata, parum compertum habeo. Paschalis, quod satis constat, per eosdem legatos nouum hortatus est imperatorem, ut arma in Turcos & Saracenos compararet, nec ita multo pòst pontifex Romam reuersus, fatalem obijt diem, anno quàm ecclesiæ præesse cœperat duodeuigesimo: fuit is septimus supra sexagesimum ac centesimum in ordine pontificum. Gelasius secun- *Gelasius II. pont.* dus est inde pontifex creatus. Incidit is statim à sua creatione in apertum uitæ discrimen. Cincius Fragepanis, homo factiosus, & tum Romanæ ciuitatis longe princeps, iniquo animo ferens

Gelasium

Attende Cincij flagitium.

Gelasium suo candidato prælatum, concla-
ue illud irrumpens ubi pontifex creabatur, obuium quenq; ue-
berans, Gelasium nouiter creatum uiolenter af-
fligit, pedibusq; iacenti insultans penè ad necé uer-
berat, mox male mulctatum conijcit in uincula. Su-
premi ordinis antistites subita ui perculsi (nam mul
ti Cincium secuti locum irruperant) quum fugam
molirentur, plerique è mulis & equis ui deturbati,
multa cum indignitate plectuntur, nullum contu-
meliæ genus est prætermissum, quo ordo alioqui ue
nerabilis sit eo die ab uno pessimo ciue, & impij fu-
roris illius ministris affectus. Nec id Cincio impune
cessit. Populus impietatem hominis detestatus, cõ
tinuò in Fragipanicas ædes fecit impetum, excidiũ
Cincio & uniuersæ domui intenditur, nisi pontificé
restituat ciuibus incolumem. Solutus Gelasius con
festim albo equo sedens in Lateranũ sacra uia per-
ducitur, ibiq; de more pontificijs insignibus & co-
rona recepta, primum omnium Balduinum Hiero-
solymæ regem per literas hortat, ut rem Christianã
in Syria fortiter tueat, fore ut breui noua ex Europa
auxilia, si auxilijs opus esset, in Syriam mitterentur.
Balduinus Sobal oppidum interea præsidio & ope-
re firmat, ad Tancredũ mittit, qui mortuo Boëmun
di filio Antiochię fuerat principatu potitus, ut cum
auxiliaribus copijs maturè sibi adesset. Habebat in
animo Balduinus cum Turcis & Saracenis qui in-
genti numero Hierosolymitanos erant fines ingres-
si, acie confligere. Affuit Tancredus cum suis copijs,
cæterum Normanus Christianorum paucitatẽ con
spicatus, à certamine abhorrebat, ueritus ne cũ nu-
meroso hoste ipsi multo pauciores temere cõgres-
si, rem Christianam in aliquod discrimen adduce-
rent. Maluit rex fortunam periclitari, uictusque in-
genti prælio cum paucis Hierosolymam reuertitur.
Tancredus cæde dilapsus auersis ab hoste tramiti-
bus Antiochiam refugit. Saraceni tam insignem ui-
ctoriam adepti Taborum montẽ occupant, cæsisq;
Christiani nominis cultoribus in eo agitantibus, e-
remum quæ peruetus ibi fuit diruunt. Nec Baldui-
nus inde multum superuixit. Qui post illũ rex crea-
tus est, eiusdem fuit nominis, sed Burgensis cogno-
minatus, arcto consanguinitatis uinculo priori pro-
pinquus, regnauitq; is tertio loco à Gothifredo cir-
ca Hierosolymam. Erantque per hæc res Christiani
nominis parum lætæ in Syria, quum Gelasius pon-
tifex urbem Romam metu reliquit. Henricus pa-
ternæ impietatis hęres Italiam ingressus, cum fœda
populatione Romam pertẽdit, quo appropinquan
te Gelasius duabus usus triremibus secundo Tybe-
ri inter hostium tela descendit ad mare, id quia per
aduersas tempestates erat intractabile, ex Ostia ter-
restri itinere Ardeam proficiscitur, Vgone illi hæren
te, erat is primarij antistitum ordinis unus: inde ubi
mare stratum iacuit, repetita Ostia per Tyberinum
ostium in mare egressus Taracinam primò, inde Ca
ietam adnauigauit, ubi à suis popularibus benignè
est acceptus (erat enim Gelasius Caietanus) Occur
runt eò Guilielmus dux Apuliæ, Robertus Capuæ
princeps, & Ricardus Amyluinus, pollicentur hi ul
trò operam suam ad pontificiam dignitatem uindi-
candã. Henricus factus certior de ijs, quæ circa pon
tificem fierent, & quod studio in se copiæ pararent,
Mauricium Bracarensem pontificem creat, Grego-
rium appellat, creatum Fregipanicæ commendat fa
miliæ. Vastauit inde Henricus hostiliter Anagninũ
agrum, & iam Turriculam locum munitissimũ op-
pugnabat, quum repente eò affertur Gelasium cum
auxiliaribus copijs aduentare, ad quem nuntium
Henricus motis castris populabundus in Germa-
niam abijt. Gelasius ducibus amicorum principum
cum exercitu dimissis, Romam sine præsidio reuer
titur, tanquã pacatiora omnia domi habiturus Hen
rico absente. Verum multo aliter euenit, siquidem
reuersus in tam fœdam rerum perturbationem inci
dit, ut ægre eius sit salus defensa ab inimicorũ in-
cursu. Cæterum quia Romæ tutus esse non potuit,
apostolicæ sedis cura amicis demandata, continuò
in Galliam nauigauit: hic Cluniacensi monasterio
haud multo postquam eò uenerat, pleuresi morĩ,
quum annum duntaxat unum pontifex fuisset. Ge-
lasio pontifice templarij milites, ut quidam scribũt, *Templarij milites.*
Hierosolymis esse cœperunt. Hi circa Christi sepul-
chrũ agitantes, Christiani nominis uiros illuc pere-
grè profectos, hospitio excipiebant, exceptos armis
accincti, per templa & sacra loca comitabantur, ut
omnem terram sanctam tuto inuiserent. Vt ebantur
hi candido pallio, cum rubenti cruce, propagataque
est religio in ducentos annos, certam his formam
obseruationis Bernardus abbas constituit, habuitq;
res leuis ab initio non parua incrementa, comperti
demum, ut quidam scribunt, impietatis, quod qui
Hierosolymis agebant, ad Saracenos defecissent, es-
sentq; in fœda uitia prolapsi, piorum opera interfe-
cti sunt. Philippique Francorum regis iussu ex tota
Gallia (nam hic quoque insigniter templariorũ res
creuerant) expuncti, Clemẽte quinto Romano pon
tifice factum probante, sed hæc longo pòst tempo-
re acciderunt. Crescentius templariorum institutũ
uita & fide commendauit. Eodem anno quo Gela-
sius fuit pontifex, prodigia quędam facta dicuntur. *Prodigia.*
Sus fœta in Gallia porcellum enixa est humana fa-
cie, gallinaceus quaternis pedib⁹ ortus. Hyems in-
tolerandi frigoris, & mox fames secuta, luesque ani
malium agrestium & domesticorum, innumeræ a-
ues, aperto cœlo dimicantes, exanimes ad terrã flu-
xerunt, xl. diebus in Italia tam horrendè mota est
terra, ut uilla quædam uehementiore motu in aliũ
sit locum translata. Per idem tempus Portus Vene-
ris, oppidum non procul à Luna Hetrurię urbe mar
more nobili, summa ope est à Genuensibus in Pisa-
nos conditum, factaq; Genuensium colonia, in eius
promontorio templum fuit uetustum Veneris un-
de loco nomẽ, hoc propius uero est, quàm quòd Ve
nerius uir sanctitate insigni, nam id quoque predi-
tum est, sit eo loco situs. Antistites primarij ordinis
qui Gelasium fuerant in Galliam secuti, post illius
interitum Guidonem Viennensem pontificẽ creãt.
Is Calistum se dixit secundum, nec prius pontificiũ *Calistus secundus pont.*
recepit cultum quàm cardinales qui Romæ erant,
sibi id decus fecerint ratum suo assensu: in Italiam
inde reuersus magna officiorum frequentia, urbem
ingreditur, nec multum inde Romæ fuit, quin Be-
neuentum profectus cum plerisque Italici nominis
ducibus uenit in colloquium, hi ad unum omnes
operam & studium suum polliciti sunt in pontificia
dignitate tuenda. Calistus solicitus de ijs quæ ex Sy
ria afferebantur, ubi impiorum opes multo ualidio
res esse dicebantur, quàm ut Christiani nominis ui-
ri, qui in ea terra agebant, diutius pares illis fore cre
derentur. Pro magno itaque habuit negotio, Henri *Henricus re-*
cum imperatorem Romanæ ecclesiæ reconciliare, *sticæ reconci-*
quod per legatos facile impetrauit, attulitq; pax il- *liatur.*
la Romano populo incredibilem lætitiam, quæ ut
breuior esset noua Rogerij Siciliæ ducis fecit iniu-
ria, qui Calabriam & Apuliam, Guilielmo absente,
sibi armis uindicare aggressus, magnum in Italia cõ
ciuit motum. Nauigauerat Guilielmus Byzantium,
ut imperatoris filiam uxorem duceret, nam de iun-
genda affinitate satis conueniebat, commendaue-
ratque Guilielmus utranque prouinciam pontifici.
Calistus Beneuentum profectus, ad Rogerium mi-
sit ut bello abstineret. Obsidebat tunc Normanus
Nicephorum in Calabria, neglectoque pontificis e-
dicto aliquanto ferocius quàm antea hostẽ fatigat,
studetque prius bello defungi quàm Guilielmus ex
Byzantio reuerteretur, non pontificis autoritatem
reueritus, non absentis arctam necessitudinẽ, erant
enim,

enim, ut quidam scribũt, ex duabus sororibus orti. A
Parabat iam pontifex arma in Rogerium, quum in
febrem incidit, grauiq; morbo implicitus, Romam
delatus est. Atq; ita nullo aduersante Normanus Ca
labria & Apulia potitur, quá Rogerius causam bel-
lo prætenderit non reperio, sed æquum sit credere
nouam cũ imperatore affinitatẽ fuisse illi suspectã,
cæterũ siue hoc siue aliud sit Rogerius secutus, ante
Guilielmi reditum sui, quod satis cõstat, est uoti cõ-
pos factus. Guilielmus affinitate frustratus, spolia-
tusq; principatu, Salernum se contulit, ubi priuatus
ac sine liberis mortem obijt: ab huius interitu Ro- *Rogerius regẽ*
gerius se Italiæ regem nuncupat. Calistus ubi pri- *Italiæ se nun-*
mum à febre conualuit, conuentum in Laterano *cupat.*
habuit nongentorum antistitum, fuitq; prima pon-
tificis relatio de supplemento in Syriam mittendo,
quando ab his, qui tũc in terra essent, prouincia am-
plius defendi non posset, res in concilio agitata, de-
cretumque ut matura auxilia à Christianis ducibus
implorarentur ad Hierosolyma & cætera Syrię loca
tuenda. Sed dũ hæc Romæ & in reliqua Italia fiunt,
Veneti cum Patauinis ad Bebias uicum de finibus
memorabilem pugnam decreuere, qua Rauennates
& Taurisini, qui socia iunxerãt cum Patauinis arma,
uno prælio fusi fugatiq; sunt, ac sexcenti circiter ca-
pti, ea discepratio Hérici quarti arbitrio sopita est po
tius quàm extincta. Duplex incendium unum post
alterum, duorum mensium spatio inter utranq; cla-
dem interiecto, Venetam urbem propemodum ab-
sumpsit. Sed posteri⁹ multo calamitosius, sexdecim
insulis continua clade consumptis & cum his parte
una ducariæ domus. Metamaucum eodẽ anno de-
flagrauit, estq; non multo pòst inundatione obrutũ,
erantq; Veneti domestica illa clade adhuc cõsterna-
ti, quum Iadrenses, Venetorum magistratu urbe eie
cto, ad Colomanum Pannoniæ regem defecerunt,
suntque ab eo contra fœdus, quod cum Venetis rex
iam antea ictum habebat, in fidem recepti, traxit ea
defectio regem in Delmatiam, quo contigit, ut ad
Pannonis aduentum cõfestim omne Delmaticum
nomen sit à Venetis alienatum, sitq; Colomanus si-
ne certamine uniuersa prouincia potitus, quam ut
perpetuò à Venetis alienaret libertate donauit. Nec
Colomanus in Pannoniam reuersus multum inde
superstes fuit. De cuius morte Veneti certiores facti
classem in Delmatiam mittunt, Ordelaphi principis *Recipitur à Ve-*
ductu, Iadera defectionis caput primo oppugnata *netis Delma-*
est, Pannonibusq; circa urbem prælio fusis Iadren- *tia.*
ses in fidem rediere, inde Sicum ui captum Ordela-
phus mœnibus nudauit, demũ duabus urbibus per
hũc modum receptis, omnis Delmatia ad officium
redijt. Venetus pśenti successu ferocior factus Croa- *Venetus Croa-*
ciam, quæ & Liburnia fuit olim, inuadit, breuiq; to- *ciam subigit.*
tam regionem subigit. Ordelaphus, Delmatia rece-
pta, finibusq; propagatis domum reuertitur, pleris-
que Delmatici nominis longe principibus secũ ab-
ductis. Nec prouinciæ status inde quietior fuit, post
Veneti discessum recens ex Pannonia exercitus af-
fuit, recurrit eò Ordelaphus, cum aliquanto maiore
classe, ne prouincia sine præsidio Pannonicis armis
cederet. Nec longior inde mora, post Venetę classis
appulsum, circa Iaderam continuò concursum est,
fuitq; aliquandiu anceps pugna, uerum cadente Or-
delapho Veneti cum cæde multa ad naues compul-
si sunt. Affecit aduersæ pugnę nuntius ingenti luctu
ciuitatem, missiq; continuò sunt qui pacem, aut si id
teneri non posset, saltem inducias ab hoste impetra
rent: qui sunt ad hæc missi pacem in quinq; proxi-
mos annos cum Pannone sanxerũt. Dominicus Mi
chaël Ordelapho succesit. Ad quem Balduinus se-
cundus, ex Syria misit, qui etsi aliquot secunda præ-
lia cum hostibus fecerat, nam & Gazin minoris Asię
ducem cum ingenti exercitu Hierosolymam peten
tem, subita ui adortus fudit, captumq; in uincula cõ
iecit, sequenti anno Damascenum regem haud pro-
cul Hierosolymis fugauit, reputans tamen animo
quanta moles belli à Turcis & Saracenis, totoq; o-
riente ac meridie sibi & suis immineret, suarum prę-
terea uirium cõscius, qui ne lacessitus quidem satis
tutus sibi uidebatur, inter tam infestas gentes desti-
tutus circũspicere cœpit; unde sibi terra mariq; au-
xilia parарetur: cum Michaële itaq; principe per le-
gatos egit, ut cum ualidissima classe in Syriam nauí-
garet, magna pollicitus prędmia. Parabat itaq; naues
commeatũ & arma ad bellum Venetus. Balduinus
interea audito Balachi Parthorum regis accessu, etsi
Romæ Lateranensi concilio agitatũ cognouerat de
auxilijs in Syriam mittendis, & ipse ad Venetos mi-
serat, urgente fato in hostem proficiscitur sine exter
nis auxilijs. Fuit pugna illa quæ cum Parthis pugna
ta est, ut temere inita, ita exitu calamitosa, post tertã
suorum cædem rex cum primoribus Christiani no- *Balduinus uti-*
minis, qui circa illum pugnã ciebãt ab hoste captus *tur eius capitur.*
Carras perducitur. Calistus ubi de Balduini casu, &
cæde exercitus factus est certior, periculi magnitu-
dine commotus cõfestim ad Venetos misit, qui du-
cẽ & populũ suo nomine precarentur, ut cum quàm
ualidissima possent classe in Syriã nauigarent, Chri-
stianæ rei illic periclitanti opem laturi. Tulerunt le-
gati, qui ad id uenerant, benignum responsum, fore
ut Veneti & pontificis & Christiani nominis causa,
totis uiribus adniterẽtur, ne aliqua maior clades in
Syria accideretur. Continuò itaq; populo ad cõcio-
nem uocato, Oliuolẽsis antistes ita pro cõcione uer-
ba fecit. Quæ in Asia pro Hierosolymę recuperatio- *Oratio ad Ve-*
ne superioribus annis sint, quum nostrorum homi- *netum populũ*
num, tum aliarum gentium ductu & auspicijs gesta,
quia recens adhuc est memoria, nemo, ut arbitor, est
uestrũ qui ignoret uiri Veneti: sextus & uigesimus
annus agitur quo ingẽs ille Gallorum exercitus ex
Europa in Asiam trãsmisit, ubi Dei benignitate, eo- B
rumq; uirtute quicquid terrarum est à Thracio Bos-
phoro in Syriam id totum incredibili rerum succes-
su est Mahometanę impietati ademptũ, nec interim
& in ora Ioniæ, & circa Syrię maritima, pauca nostri
homines gessere, per quæ non tantum ingens nomẽ
consecuti sumus, sed in partem etiam receptarũ ur-
bium uenimus, quòd si quis tam rem cõsideret, cèr-
ta quædam fundamenta iacta uideri possunt Vene-
tæ rei procul ampliandæ. Sed ut res humanæ facilè
mutabiles, Gothifredo, Balduino & Boëmũdo bre-
ui tẽpore defunctis omnia in Syria mutata sunt, ut
res nostræ non modo non sint in eo, in quo fuerant
statu, sed retrò & in peius lapsæ nullam propemo-
dum spem Christiano nomini reliquerint eius pro-
uinciæ in futurum retinendæ. Id metuens Baldui-
nus secundus ad nos nuper legatos misit, qui suppli
ces magnaq; prædmia regis nomine polliciti publicè
egerunt ut quàm celerrime in Asiam transmitteremus, & iam de ornanda classe agitabatur, eramusq;
de hac re ad uos relaturi, quum de Balduini casu est
auditum, qui à Balacho captus, Carras in seruitutẽ
perductus esset: huiusmodi piorum clade Calistus
põtifex permotus, solos Venetos dignos iudicauit,
quibus totius Christiani nominis salus commẽda-
retur, & ad ducem uestrum uiri Veneti & ad uos mi
sit, postulans ne Christianæ fidei causam in apertum
discrimen adductam ruere patiamini, de hac re Mi-
chaël princeps uester ad uos referendum censuit, ueli-
tis iubeatisq; hoc nomine classem ad id bellum pa-
rari, ad quod negotium suscipiendum, non solum
publica pietas hortatur, uetusq; ciuitatis in Roma-
nos põtifices omnes, omneq; Christianũ nomẽ stu-
dium, quod à maioribus uelut hæreditarium acce-
pimus, sed ipsa quoque nostrarum rerum ratio quæ
ad incrementum spectat. Erit, quis non uidet, ualdè
pium, necnon uehementer dignum ea fide qua cen-
semur, terram illam armis protegere, ab omniq; im-

piorum iniuria tueri, quam Chriſtus rex ſuo ortu in-
ſigniuit, ubi & docuit & pari uoluit, ubi aſſumptæ
humanitatis multa & magna impreſsit ueſtigia, ubi
ſicut diuinæ teſtatur literæ, omnium eſt hominũ qui
à prima origine fuerunt, cogniturus cauſam: quam
auream templi faciem, quod cœnobium, quas aras,
quę donaria deo optimo gratiora fore putamus, aut
fuiſſe unquam putandum eſt pia hac militia per quã
totum ſchema humanę reparationis ſit ab omni in-
iuria uindicandum? Verum quia res hominũ ſic ha-
bent, ut nulla ſit iam pietas tã ſolida, quę careat am-
bitione & uos quoq; fortaſsis, ex quo hæc fari cœ-
pimus, taciti animo expectatis, quæ uobis præmia
proponãtur ex tam lõginqua expeditione. Pulchrũ
eſt, uiri Veneti, eritq́ue ſemper, publicæq; laudi cõ-
ducibile, Venetum nomen ex tota Europa dignum
exiſtimari, cuius opes tuto uniuerſę opponi poſsint
Aſiæ. Extremus oriens Venetam ſentiet uirtutẽ, lo-
quetur Aphrica, mirabitur Europa. Erit in ore om-
nium Venetum nomen, ueſtra erit huius belli laus,
ueſtrum decus. Poſſunt ſcio, quæ in Syria iam antea
geſsimus, alienis geſta uideri auſpicijs, ſed quę poſt-
hac geſta fuerint non poterunt. Obſtitit non parum
nobis aliena gloria, qua ſuo fulgore noſtrorũ homi-
num rebus in ea terra geſtis, uelut tenebras induxe-
re, deinceps non obſtabit. Accedit huc quòd nemo
ueſtrum, ut arbitror, non uehemẽter optat res huius
ciuitatis in immẽſum creſcere, qua uia quáue ratio-
ne id uiri Veneti creditis futurum? Sededo hic ſub-
urbana q̃; hæc ſtagna lintribus frequentando? Fallí-
tur opinione ſi quis credit ueteres Romanos, quorũ
exempla ſunt ab ijs imitanda, qui ſuam cupiunt pa-
triam illuſtrare, deſidia & ocio, & non procul bellan
do tãtũ glorię & imperij ſibi quæſiuiſſe. Quid quod
cum eo hoſte uobis res futura eſt, quẽ fas piumq́; ſit
interficere? Tribuent pręterea ij, quit us auxilio eri-
mus, partem aliquam urbium ex hoſte receptarum.
Quòd ſi neq; laus, neq; gloria, neq; præmia ulla uos
ad id bellum mouere poſſunt, illud certè & poterit
& debebit, quòd ad tribunal illius immenſi iudicis
tanquam pretoriani milites conſtituti ſtabitis olim
ante alios inſignes piæ militiæ pia præmia acceptu-
ri. Ite igitur & quod uobis Venetoq; nomini bene
uertat claſſem decernite, remigium, arma, commea-
tum contrahite, maturato opus eſt, ne aliquis caſus,
quod ſæpe accidit facultatẽ eripiat, tam piæ operæ
ſuperis hominibusq; nauandæ. Clamor ad hęc uer-
ba cum fletu mixtus continuò ſecutus eſt, poſcentiũ
ut confeſtim claſsis expediretur, neminem eſſe qui
non ſit cupidè ſuum nomen daturus. Deductæ itaq;
naues magno ornantur ſtudio. Domeſtici & externi
ſcriptores ducentas numero naues eam claſſem ha-
buiſſe affirmant, cui opinioni, ut libentius accedam
Ioppenſis ſuadet pugna, qua Venetus cum ſeptingẽ
tis hoſtiũ nauibus conflixiſſe dicitur, quod nunquã,
ut arbitror, fuiſſet auſus, ſi, ut quidam aiũt, minor tũ
Veneto fuiſſet nauium numerus. Dux cum tã nume
roſa claſſe in Delmatiã delatus, acceptoq́; ibi ſupple
mento in Cyprum proſpero curſu defertur. Hic au-
ditum eſt de immenſo nauium numero, quibus ho-
ſtes Ioppen mari oppugnabant, quo rumore tãtum
abfuit, ut Michaël uir impiger perterritus ſit, aut cũ-
ctantior ad pręlium factus, ut cõtinuò Cypro relicta
in Ioppenſem portũ intenderit curſum. Hic res pro-
ſperrime geſta, non uno modo traditur: ſunt qui ſcri
bant ex improuiſo Venetum hoſtilem claſſem ador
tum, priuſquam ſe ad pugnã expedire potuerit, diſie
ctam eſſe, fœdeq́; profligatam, ut aliæ naues medijs
ſint fluctibus depreſſæ, quædã captæ, plures nume-
ro media trepidatione dilapſæ. Alij aperto mari cõ-
curſum memorãt, atq; utrinq; per aliquot horas du-
bio marte dimicatũ, poſtremo barbarica claſſe diſie-
cta, Venetum egregie uiciſſe, mareq́; Ioppẽſibus pa-
tefactũ. Secuta eſt paucis diebus recens uictoria de-
cem nauibus ex eodem hoſte captis, quæ pretioſiſ-
ſimis mercibus onuſtæ, nauales ſocios Venetæ claſ-
ſis & remiges ditarunt, qui hoſtium hi fuerint, qui-
buſcunq; ad Ioppen eſt per id tempus dimicatũ, au-
tores quos ſequimur, parum demonſtrant, cęterum
Saracenos ſuſpicari libet eos fuiſſe, qui circa Syriam
& Ægyptũ latè omnia tenebant. Nam cũ his poſtea
potius quàm cum Turcis bellatum eſt, quoad Chri-
ſtiani nominis uiri Hieroſolymã tenuere. Poſt Iop-
penſem pugnam Venetus dux Hieroſolymam con-
ceſsit, ut quidã ſcribunt, ubi à Varimundo urbis an-
tiſtite & primoribus ciuitatis benignè eſt acceptus.
(Balduinus in hoſtiũ poteſtate erat.) gratulatur Va-
rimũdus Michaëli principi quòd incolumi claſſe in
Syriam uenisſet, uicisſetq́; hoſtem penè priuſquam
uidere contigiſſet. Inde de ratione gerẽdi belli agi-
tatum, qui quum parum inter primores conueniret
unde potiſsimum res eſſet inchoanda, in ſortem cõ-
iecta ſunt nomina oppugnãdarum urbiũ, primumq́;
Tyri nomen excidit. De Tyro & de tota Phœnicum
uetuſtate in altera Rapſodię parte eſt abundè dictũ,
cæterum priuſquam urbs cœpta eſt oppugnari, Va-
rimundus & Venetus in has conditiones uenere, ut
quæcunq; fuiſſent à Balduino in Syria Venetis con-
ceſſa, illa eadem rata manerent. Forliuienſis Blõdus
uidiſſe ſeſe ait priuilegij illius formulam, in quo hęc
eſſent diſertè poſita, ut omnibus Hieroſolymitani
regni, Antiocheniq́; principatus urbibus priuã Ve-
neti areã, priuum uicum, forumq́; haberent, ut qui
Venetorũ circa Syriam negotiarentur, omniũ eſſent
uectigaliũ immunes. Si quis Venetus his locis nau-
fragium feciſſet, aut inteſtatus moreretur, omnia il-
lius bona Veneti magiſtratus eſſent, cui Hieroſoly-
mitanus quæſtor quotannis trecẽtos numeraret au
reos. Hæc partim Varimundus (quidam R. imun-
dum pro Varimundo ſcribunt) & qui tum Hieroſo-
lymis res adminiſtrabãt, rata ſuo aſſenſu Venetis fe-
cere. Quæ uero ab illis cõceſſa ſunt, Balduinus poſt-
liminio reuerſus regia autoritate probauit. In recen
tiore fœdere, quod eſt cum Varimundo ictum, eſt &
illud expreſſum, ut Tyri & Aſcalonis, ſi quando ur-
bes ipſæ caperentur, Veneti tertiam partẽ haberent.
Fuerat Tyrus quandoque à Balduino oppugnata fa
tigataq́ue plurium menſium obſidione, nec tamen
capi potuit. Tum quoque recentior obſidio omni-
no longior fuit, quàm Venetus animo præcepiſſet.
Fertur in ea obſidenda, quia Veneti à mari hoſtẽ fa-
tigabant, cæteræ copiæ à terra, ut periculum exæ-
quari uideretur. Dux Venetus omnia nauium gu-
bernacula ad Varimundi conſpectum deferri iuſsit,
ut ſiquis terror ex hoſtium acceſſu à terra ingruiſſet,
ſcirent omnes Venetum non ſolum in ſtatione man
ſurum, ſed in littus egreſſum, paratum eſſe pro ſua
& ſociorum ſalute dimicare. Laudata eſt ab omnĩ-
bus Venetorum fides eratq́ue in ore omnium illud
Veneti ducis in ſua fide ſuorumq́ue ciuium proban-
da inuentum. Tenebat adhuc obſidio quum ex ſpe-
culis datum eſt ſignum tabellariam columbam ad-
uentare, illi qui moris erant huius gnari, totis caſtris
iubent militem, ubi auis caſtrorũ ſpatia ſuperuolare
cœpiſſet, clamorem quàm maximum poſſent extol-
lere, quo factum eſt, ut columba uelut telo quodam
icta, ſubito ad terram deciderit, literæ quæ uolucri
erant lino alligatæ ſignabant ijs, qui obſidione tene
bantur, ut bono animo eſſent, fore ut intra paucos
dies Dachin rex cum ingentibus copijs auxilio adeſ
ſet, foreq́; ut ante ipſorum oculos hoſtes ad unũ cæ-
derentur, ipſi terra mariq́; leuarentur obſidione. Mo
uit ea res Chriſtianorum animos, apparebatq́ue eo
nuntio accepto, Tyrios ſpe auxilij confirmatos, mul
to obſtinatius obſidionem laturos, & quod magis
formidoloſum erat, metus inceſsit ne cum poten-
tiſsimo hoſte inuiti certare cogerentur, commenti
itaque dicuntur rem minime ineptam, ut ſub dititię
literæ,

Peroratio.

*Attende uali-
dam Venetorũ
claſſem in Iop-
pen.*

*Duplex Vene-
torũ ſucceſſus.*

*Attende ra-
tionem legium.*

*Attende tem-
plum filium
Venetis.*

*Columbatio-
larij officio
fungens cla-
more deijcitur.*

*Attende Chri-
ſtianorũ artẽ.*

literæ, pro Damaſcenis, cius alitis pedibus obliga-
rentur, quibus Tyrij docebantur non eſſe cur à Da-
chine auxilium uſſum expectarent, conſulerent ipſi
rebus ſuis, quando fortuna belli eò loci uenisſet, ut
aut ultro deditio facienda foret, aut ſi ui caperen-
tur, omnia extrema ferenda. His literis (quia ubi pri
mum columba dimiſſa eſt in urbem abijt) publice
recitatis, uicta Tyriorum pertinacia, quinto menſe
quàm obſideri cœperant deditionem fecere. Nunc
quia hæc quæ de tabellaria aue ſunt à nobis proditi,
non multũ à fabula diſtare uidentur, grauiſsimos
autores habeo, ex Romanis ducibus quoſdã huiuſ-
modi uolucribus eſſe uſos. Plinius Mutinenſi obſi-
dione columbam ait literas in caſtra attuliſſe. Fabi-
us Romanorum annalium ſcriptor, & Cecinna Vo-
laterranus hirundinibus ad hoc ipſum uſos dicunt.
Sed confeſſo uſu illud in dubium uenire poteſt, quæ
cauſa ſit ut ſuperuolantes aues, uelut ictæ uocibus
concidant, quod quum ſæpe aliàs, tum in Iſthmio-
rum conuentu accidiſſe proditũ eſt memorię, quum
Græciæ urbibus libertas reſtituta eſt. Plutarchus
Chæroneus cauſam depreſsionis in auibus arbitra-
tur colliſum uocibus aërem, qui quum uox perma-
gna editur, ui diſciſſus nullã uolucribus relinquat
uolandi facultatem, ſed quum lubricus ſit factus ſu-
peruolans auis, tanquam ad inane peruenerit, ad ter
ram defluat, aut certe uehementi clamore, tanquam
telo icta, concidit. Poteſt pręterea & aëris uelut a-
quarum eſſe uortex quidam, qui aues uiolento quo-
dam turbine ad ima deprimat. Tyro dedita pars ur-
bis ex fœdere Venetis ceſsit, tantundem & Aſcalo-
nis datum apud quoſdam reperio, quæ Balduinus
ſub id tempus reuerſus non ſolum probauit, ut ſu-
prà eſt memoratum, ſed ſic etiam pręfatus dicitur in
quodam ſtipulatu. Dominicus Michaël dux Vene-
torũ & Delmatiæ, Hieroſolymitani regni princeps,
qui numeroſa hoſtium claſſe ante importuoſam A-
ſcalonis oram profligata, multis Barbarorum mili-
bus partim captis, partim cæſis, Ioppenſibus graui
obſidione leuatis, uictor Hieroſolymam ingreſſus.
Adijciunt quidã datum eſſe Veneto nomini, ut quo-
ties eorum dux Hieroſolymis eſſet, communibus
cum rege fungeretur honoribus, quod ante Aſcalo-
nis oram ſit in Balduini præfatione poſitũ, ſcripto-
rum, credo, uariatio facit. Erantq́ue res Syriæ in hoc
ſtatu, quum Michaël domum reuocatus eſt. Cœpe-
rant per id tempus res Venetæ infeſtari Græcorum
armis Caloiane, qui tum Byzantij imperabat, ita iu-
bente, fuerat & is Alexij filius. Alij Michaëlem tum
imperaſſe autumant, qui Caloiani ſucceſsit. Cæterũ
ſiue hic, ſiue ille fuit Alexij ueſtigia imitatus, iam in-
de ex quo Galli in Aſiam tranſmiſere infeſto fuit in
eam gentem animo, oderatq́ue omnes eius ſucceſ-
ſus: ut Venetos igitur, qui cum illis ſocia arma iun-
xerant, à gerendarum rerum curſu auerteret res Ve-
netas hoſtiliter uexare. Alij (quod miror) Michaë-
lis iuſſu, aiunt Venetos ex Syria reuocatos. Si enim
Græcus imperator pro imperio cogere potuit, non
uideo quo iure Venetus dux iratus eius loca ſit au-
ſus hoſtiliter inuadere. In Michaëlis igitur inuidiam
Venetus ex Syria profectus Rhodum ui captam di-
ripuit, hoc potius crediderim quàm quod alij aiunt,
quia Rhodij commeatus Veneto denegaſſent, idcir-
co uim inſulanis illatam. Pari clade eſt inde Chius à
Veneto affecta, inde Theodori corpus ſublatum
Michaël dux Venetias deuexit: fuit hic aliquandiu
claſsis ob hyemis magnitudinem, inde cæteras Ve-
netus inſulas adortus, Samum, Lesbum, Andrum &
alia Graij imperij loca opprimit, quo apparet fuiſſe
id bellum gerere, non alieno imperio parere. Ægeũ
Michaël emenſus in Peloponenſi ora Metonem oc-
cupat, ac præſidio firmat, ad poſtremum oram Del-
matiæ legens Iadram quæ Venetum magiſtratum
ciecerat, ui capit, captam, quia iam tertio rebellaſſet,
magna ex parte diruit, ut documento eſſet finitimis
ciuitatibus, ne fidem, quam ultro imploraſſent, to-
ties proderent. Spalatrum inde armis ac Traguri-
um recepit. Sed Delmaticę huius uictoriæ nihil ex-
terni ſcriptores meminerunt. Et hæc foris Michaë-
lis ductu & auſpicijs. Fuit annus ille quo Veneti in
Syriam cum claſſe tranſmiſerunt, undecies centeſi-
mus ſalutis humanæ, atque alter à uigeſimo, ha-
buitq́ue maritima illa expeditio, duos annos & di-
midium, tulit ſecum Michaël lapidem ſuper quo
Chriſtus rex apud Tyrum ſedisſe fertur, ipſe quum
rempublicam undecim annis per hæc adminiſtraſ-
ſet, uita deceſsit, uir magno & ſolerti ingenio, quod
quum alia pleraque ab eo peropportunè excogita-
ta, tũ hoc quod dicam facile arguit, fama tenet, nam
autorem alioqui huius rei nullum idoneum habeo,
Aſiatica illa expeditione, quum claſsis procul do-
mo eſſet, pecuniæque defectu ſtipendium reddi ne-
quiret remigibus & ſocijs naualibus, ex loro pe-
cuniam publica nota ſignaſſe, quam pro aurea & ar-
gentea certis diſtinctã characteribus, in ſtipendium
naualib⁹ numerauit turmis, pollicitus fore, ut mox
domi pro alutinis aurei & argentei pari numero ha-
bentibus repræſentarentur nummi, atque ita poſt
reditum publica eſt omnibus fides perſoluta, quæ
res ut monumentum eſſet ad poſteros aurei num-
mi dicuntur gentilibus ſignis ab eo illati, quæ ſiue
hæc ſiue alia fuit cauſa, hodie, quod ſatis conſtat, in
eius familię inſignibus uiſuntur. Michaëli Petrus co
gnomento Polanus ſucceſsit. Romæ adhuc Cali-
ſtus erat pontifex, cui Gregorius antipontifex ob-
iectus eſt, antea Burdinus nominatus, is regulorum
quorundam fauore ſe Sutrij tenebat, unde res Ro-
manas infeſtabat hoſtiliter, ſpoliabatq́ue ſiqui Ro-
mam proficiſcerentur religionis cauſa. Caliſtus Su-
tium ex improuiſo adortus, ex Sutrinorum dedi-
tione Gregorium in ſuam poteſtatem redactum cã-
melo impoſuit in caudam facie conuerſum, atque
ita præpoſtere ſedentem, Romam perduxit, ut de
eo triumphatum uideretur: inde uita donatum Ca-
uenſi monaſterio incluſit: moritur Caliſtus anno
quinto ſui pontificatus. Fuerũt Caliſti æquales Pon
tius Cluniacenſis monachus, ſanctitate & doctrina
nõ uulgari, Petrus Compoſtellanus antiſtes, & Ber-
nardus Clarauallenſis, & ipſe monaſticæ uitæ, cu-
ius ſcripta quum multa tum uaria ad poſteros ma-
narunt. In Caliſti locum Honorius ſecundus ſit põ-
tifex. In Syria Balduinus Hieroſolymam reuerſus
Boëmundo primum, mox filio & Tancredo defun-
ctis, Antiochiam ſuo regno adiunxit. Cæterum quia
tantus principatus eſſe non poterat ſine moderato-
re, Raimundum Antiochenis præfecit, Guilielmi
ducis Auſtriæ filium, cui Boëmundi filia nupſerat:
uicit inde prælio Balduinus Aſcalonitarum regem
qui Ægyptiorum fretus copijs Hieroſolymitanum
populabatur agrum, fudit & Damaſcenum regem
maioribus copijs ſubnixum tribus grauiſsimis pręl-
ijs. Romæ interea quum Honorio pontifice cæte-
ra ritè haberent, fœdum eſt facinus à clero perpe-
tratum, id flagitium totũ ordinem infamia reſper-
ſit, culpa tamen paucorum: quum plerique ex ijs
turpiter uiuerent, eòq́ue licentiæ proceſsiſſent, ut
ne ſalubria quidé remedia pati poſſent, Arnulphum
quendam qui magna nominis celebritate, magno-
que mortalium concurſu diuinam prædicabat legẽ,
quia liberius eorum uitam increparet, impiè neca-
runt. Tulit id facinus Honorius iniquo animo, cæ-
terum quæſtione abſtinuit. Claruit per id tempus
Hugo Gallus genere, diui Victoris indigena, qui uo
lumina circiter ſexaginta ſcripſit in diuinis. Sede-
bat adhuc Honorius quũ Genuenſes inſtructa claſ-
ſe, Piſanos bello adorti ſunt, æmulatio rei mariti-
mæ duos inter ſe populos hoſtiliter commiſit, utriſ-
que maris imperium ſibi uendicãtibus. Sunt itaque

*Attende ratio-
nem pecuniæ.*

*Antipontifex
illuditur.*

Viri illuſtres.

*Honorius põ-
tifex.*

Balduini geſta

*Attende Rom.
cleri facinus.*

*Michaëlis du-
cis geſta.*

*Diui Theodo-
ri corpus.*

*Metonem Ve-
netus occupat.*

Attende ignominiosam Pisanorum pacem.

Pisæ à terra ab Arno aliquandiu oppugnatæ, fatigatiq; obsidione Pisani ea cõditione sibi pacẽ redemerunt, ut faltigia usq; ad primam cõtignationem demolirentur. Plumbinum Pisanæ ditionis captũ Genuenses euertere. Habuit Ligustica classis triremes octoginta numero, tres ceteas naues, quinque & triginta diuersi generis. Ac tam ualidæ tunc erant Genuensim opes. Haud indignum relatu est quod Iacobus Genuensis antistes scriptum reliquit, accidisse eo bello quod Genuenses cum Pisanis gessere, ut septem duntaxat Liguſticę triremes sexaginta Pisanorum uno cõflictu ceperint, & cum his duas & uiginti falcatas naues, sed fides huius rei ad autorẽ releganda est. Sedit Honorius annos quinque & aliquid amplius, fuitq́ue centesimus septuagesimus in pontificum numero. Innocentius, qui secundo loco id nomen tulit, est sedem Barionæ adeptus continuoq; à dignitate recepta in Rogerium mouit: fuit is Rogerij Siciliæ comitis filius, q à Guilielmo Apulię duce, in quo omnis Guiscardi defecit progenies, hæres nũcupatus, sibi Apuliam uendicabat. Fecerat Rogerius castra ad Germanum, quem pontifex primo accessu loco depulit, Romani exercitus usus robore, oppidum inde deditum, quo recepto ad Gallutitium aliquandiu Rogerium obsedit, occurrit eò Guilielmus Calabriæ dux patri auxilio futur⁹, unoque prospero prælio non solum patrem periculo exemit, sed Innocentium cepit, & cum eo aliquot antistites primi ordinis. Sed ille nihil ultra ausus, pontificem & qui cum eo capti fuerãt, honorifice dimisit, quo contigit (gratia enim gratiam parit) ut pontificem iam inde multo pacatiorem habuerit. Sed ne non semper militans ecclesia haberet, in quo exerceretur militia, Petrus antipõtifex creatur, Petri Leonis filius, uir Romæ natus clara illustriq; familia, Anacleti sibi nomen optat, templorum thesauros expilat, uasa sacra aliaq; conflat donaria, & in his aureũ Christi simulachrum ex cruce pendentis & coronas ex eadem materia quas ex apostolica basilica sustulit: sacrilega igitur largitione ciuium fauorẽ sibi cõparat, mutatoq; per hęc ciuitatis statu, quum omnia ad uim & arma spectarent, Innocentius nuper Romam reuersus (nam eo absente & in hostis potestatem redacto incẽdium est illud in urbe conflatum) furioso homini cedendum ratus, Pisas primo, inde Genuã, postremò in Galliam transijt. Anacletus fauori sibi conciliando intentus, ut super domesticas opes Rogerium quoq; in suas partes traheret, eum utriusque Siciliæ quod ab Innocentio fuerat denegatum, regem creat. Innocentius cõuentu apud Claromontem habito, quo Anacletum & eius factionis uiros damnauit, in Aurelianos abijt. Hic Philippum regẽ uidit, benigneq; ab eo susceptus, nonnihil apud illum in hospitio fuit, Carnotũ inde petijt, quò iter tendenti præsto illi fuit Henricus rex Angliæ, hunc magno affectu Innocentius hortatus est, ut in Saracenos bellum compararet, ex Carnoto in Lothoringiam flectens, Lotharium Leodij repertum, & à Germanis nuper regem creatum, deque se restituendo multa pollicentem iuramento adegit ut uiros & arma sedulò compararet, quibus tuto Romã reuerteretur. Post alteram itaq; synodum quam in Remorum regione habuit, in Italiam transcendit, fuitque nonnihil Placentiæ, hic enim tertium conuentum habuit, quo dimisso Pisas progreditur, quam urbem cum Genuensibus iamdudum dissidentem in gratiam retraxit, Genuensem ecclesiam quæ Mediolanensi suberat, plurium ecclesiarum principem creat, quatuor ei subijcit antistites, tres Corsicæ insulæ, & unum Bobiensem: pari dignitate instruit & Pisanam tribus ex eadem insula ecclesijs huic subiectis, ut Populonien. in ora Tyrrheniæ. Affuit inter ea Lotharius cum exercitu, partitus q́ue cum Innocentio copias rex occupato Ianiculo urbem inuadit. Pontifex per Mammeum pontem ingressus, in Laterano consedit. Anacleto interea latente composuit Lotharius fluctuantem ciuitatis statum, cauitq; quantum in se fuit ut iam inde tutus esset Innocentius. Regię huius in se pietatis põtifex haud immemor, Henrico postea defuncto, Lotharium imperij diademate insigniuit. Quo in Germaniam abeunte confestim Anacletus in apertum prorumpens improborum quorundam fauore nixus, denuo pontificem agit. Habebat interea Innocentius concilium Pisis, agebaturq; de republica Christiana nouis præsidijs tuenda. Lotharius audita Romanorum rebellione nihil cunctatus Alpes transcendit, Pisaniq́ue in pontificis gratiã pręualidam ornant classem, quibus Innocentius auxilijs breui restitutus, Rogerio bellum intulit, quo autore Anacletum rebellasse satis constabat, nec difficilis fuit uictoria. Rogerius tantorum hostium impar opibus, Apulia, Calabria, totaq́ue Italia eiectus in Siciliam compellitur, huius uictoriæ fama impulsus Ioannes Constantinopolitanus imperator, legatos ad Lotharium misit, qui illi de uictoria gratularentur: fuit Ioannes in festo animo in Rogerium. Erat in ea legatione Græcus quidam in philosophiæ studijs ea tempestate clarus, is ostentãdi ingenij potius quàm ueritatis studio, mõstrare conatus est Romanæ ecclesię uiros parum piè facere, qui quum semel Niceensi conuentu declaratum esset spiritum sanctum à patre duntaxat procedere, ipsi à patre & à filio dicerẽt. Erat ibi Petrus diaconus cardinalis, homo doctus & peracuto ingenio qui ita differenti occurrisse dicitur: si, inquit, Latini damnandi sunt qui addiderunt spiritum sanctum à filio procedere, multo iustius tui Græci damnabuntur, qui id fieri à solo patre dicunt, quum eodem cõuentu diserrè pronuntiatum esset à patre procedere, & non à solo patre, ut uos ineptè asseritis. Et ille tẽpestiuo diaconi occursu sic elusus, nihil est ultra tendere ausus. Pontifex ueritúsne Lothario abeunte Rogerius in Italiam reuerteretur, pristinum statum recuperaturus, Raimonem cum aliquot cohortibus à Lothario relictum, Apuliæ ducem creat. Moritur interim Anacletus, quo sublato quieturus uidebatur ciuitatis status, sed longe aliter euenit: nam populus rerum nouarum cupidus, duos creauit senatores, qui urbẽ & omnia quæ Romanæ ditionis adhuc essent, iure armisq; tuerentur, contrà Innocentius Lateranensi concilio nouum tulit decretum, ut ne cui liceret uim clero intendere, manúmue inijcere in eum qui sacris initiatus esset, fuitq; hoc ultimũ illi omnium humanorum operũ. Obijt diem Innocentius, quũ quatuordecim sedisset annos & septenos menses. Sequitur Cælestinus huius nominis secundus, anno salutis humanæ undecies centesimo quadragesimo tertio, quo tempore Balduino Hierosolymis defuncto, Fulco illius gener Andegauensium comes regis appellationem est adeptus. Fuerunt huic duo filij, clara indole, disciplinaq; militari præstantes, quorum opera in bello usus ita hostium ferociam coërcuit, ut nihil ea tẽpestate cæteræ gentes circa Syriam mouere ausæ sint. Turci tanũ Persici sinus accolæ Antiochenum agrum ingressi prælio abijs superati ad sex hominum milia amisere, quorum tria capta sunt, & Hierosolymã perducta. Miror additum esse abijs quos sequimur, Persici sinus accolas, quum multo propinquiora loca tenerent Turci, quàm ut tam remota terra, ad Antiochenorũ res infestãdas accersendi fuerint. Sed utcunq; hæc accipienda sunt, Alaphus ea clade irritatus magis quàm fractus, Babylonijs fretꝰ auxilijs, Ediſſam Mesopotamię urbem inuasit, quã Gothifredus Balduino dederat, urbs à Turcis ui capta est crudeliterque direpta, indigenæ & quicunq; Christum abnegare noluerunt, sunt ad unum cæsi: nec multo post Ediſſæ excidium, Fulco dum in uenatu leporem sectaretur,

Innocẽtius secundus pontif.

Innocẽtius Galliam peragrat

Duarum eccle siarum constitutio.

Rogerius Calabriæ pr.

Attẽde deprecessu spiritus sancti ingressum.

Duo senatores Romæ.

Decretum Innocentij pontificis pro clero.

Cælestinus secundus pontifex.

ctaretur, equo in caput ꝓuoluto, morte obijt. Balduinus eius filius tertius q; huius nominis, rex post patris interitum declaratur. Desijt eodem tempore Cælestinus in humanis esse, quinto suæ creationis mense. Lucius ei succesit, & ipse sui nominis secundus. Sed dum Romæ & reliqua Italia hæc Innocentio pontifice mox Cælestino gesta sunt, quæq́ue de Syriæ rebus proximo sunt loco memorata, in Venetis Polano duce, qui Michaëlis successor fuit, Phanenses bello aduersus finitimos adiuti, in Venetorum fidem uenere, pecuniam & mille olei libras poliiciti, annui tributi nomine, oleum Marcianæ ædi attributum, in perpetui luminis usum. Bonfilius Michaël, qui Saluatoris phano uicario præsidebat nomine, cum omnibus qui tum ibi loci religionis causa agebant, canonicum dogma & cultum suscepere, cuius rei Innocentius, qui pontifex tũc erat, cuius etiam proximè meminimus, factus est postea autor, Alexander quartus eorum ædem dedicauit. Est eodem principe cum Pisanis iustum propemodũ bellum gestum, ignominiam illis ueterem ulcisci uolentibus Rhodiano portu à Venetis acceptam, suntq́ue utrinque clades illatæ & acceptæ, peperisseq́ue maritima illa contentio maius incendium, nisi maturo Romani pontificis interuentu arma utrinque deposita essent. Delmatiæ ciuitates Veneto nomini gratificaturæ sponte sua pollicitę sunt perpetuum gentis obsequium, quoties publicè classis instruenda esset, ut singuli populi singulas ornarent triremes. Cum Patauinis per idem tempus est ad Tubam dimicatum, qui ad Hilarij phanum Medoacum amnem in Venetorum inuidiam resissum proprio cursu auerterant, trecenti ea pugna capti, ac Venetias perducti. Cæterum ubi satis constitit, paucorum temeritate, non publico consilio id factum, capriui sine pretio dimissi sunt. Hæc circa Hadriam. Romæ interinitia Luciani pontificatus, auditum est de Ediſſæ excidio, peruasitq́ue tristis ille nuntius omnem Europam, injectaq́ue est ex ea re ingens cura Christiani nominis principibus de Hierosolyma & cæteris urbibus retinendis. Quæ res materiam præbuit Bernardo Clarauallensi plurium ex his coràm & per literas hortandi, ut in Turcos induerent arma. Mouit quidem multos tanti uiri autoritas & in his Conradum Sueuum, qui Lothario successerat. Sed dum alibi arma in Turcos comparantur, Rogerius pontificum negligentiam nactus, Italiam ex Sicilia repetit, Apuliaq́ue & Calabria receptis, in Aphricam traiecit, ubi Tunetis regem longa obsidione fatigatum ad tributum sibi pendendum coëgit, quo successu elatus ensis capulo inscripsit, Appulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Apher. Sed dum Rogerius Aphricam uexat, Conradus cum ingenti bellatorum exercitu Byzantium processit, hinc cõmeatibus nondum paratis in Asiam transgressus, Iconium obsedit, urbem in ea Lycaoniæ parte sitam, qua Bithyniæ est contermina, nunc Cogni est, ut Cegonius scribit. Fuit obsidio illa non minus longa quàm laboriosa, obstabat Christianorum conatibus situs urbis natura & opere munitissimus. Conrado igitur & copijs hic sedentibus, Græco astu, Hemanuel, qui tum Byzantij imperabat, insidiatus est, nam quũ eius precibus & suasu Germanus ex Bosphoro ad hostes penè præcipetem traxisset exercitum, perfidus imperator facinus commentus est impium & detestabile, gypsum contusum & in speciem farinæ redactum triticeis commeatibus immiscuit, quos ex Byzantio mittebat in castra, quæ ad Iconium Conradus fecerat, eoq́ue cibatu tanta uis militum breui cõsumpta est, ut negotio infecto obsidioné soluere coactus sit rex alioqui inuictus, qui suorum clade consternatus, relicta Asia domum per Thraciam abijt. Profuit omnino aliquid Christianæ rei expeditio illa, etsi parum Felix, hostibus tanti belli expectatione perculsis, Ascalon à Balduino per otium oppugnata est, ac ui capta. Fuit hic annus quo Conradus tam infeliciter in Asia bellauit, undecies centesimus, ac quadragesimus primus, ab Hierosolyma recepta trigesimus nonus. Instauratuit Balduinus Gazam urbem, omni humano cultu destitutam, deditq́ue eam Templarijs militibus habendam. Qui hominum hi fuerint & unde id nomen sortiti haud multum diuerso est loco demonstratum. Repulit & Turcorum Satrapas ex Hierocõtiorum, quibus imminebant, ceruicibus, quinq; milibus hostium cæsis. Fudit & Noradinum Damasceni exercitus ducem, Hierosolymitanum agrum infestantem, fusumq́ue Damascum usque est pertinaciter persecutus, nec multum abfuit, quin sit & urbs ipsa subito occursu capta, quum Galli hostes q; mixto agmine portis incidissent. Et in Syria res Christiani nominis per hæc meliores factæ, lętius habebant. Lucius interea (is tunc erat Romæ pontifex) in tota Europa laborabat, ut bellum in Turcos pararetur, mireq́ue solicitus esse de Hierosolymæ statu, huius permissu conuentus est in Gallia habitus multorum antistitũ, in quo Baliardus Peripateticæ professor disciplinę in quibusdã dissidens à fide ualidis rationibus impugnatus correxit erratum: monasticam inde uitam secutus, cum nonnullis suorum assectatorum, in eremo sanctissime uixit. Lucij pontificatus annum explere non potuit. Eugenius inde tertius Vaticanam tenuit sedem, qui uix dignitate inita, quoniam Romana ciuitas ad res nouas spectabat, flagitans ut duo senatores, nouus in urbe magistratus, ab eo probarentur, noctu cũ antistitibus primi ordinis in Sabinã cõcelsit. Hic monasterio apud Farfarum de more dedicato, tantum abfuit, ut iam inde Romanorũ minas extimesceret, ut in causam multo acrior coortus, senatores q creati fuerãt petita uenia se magistratu abdicare coëgerit, atq; urbico motu per hęc breui compresso, in urbem reuertitur. Hic quum indicio comperisset ciuitatem parũ syncera fide redisse secum in gratiam, ut se imminenti periculo subtraheret, fugam occupat, Tybur petiturus nec ciuitas in id unum erecta falli potuit, quin arreptis armis abeuntem persequitur, ægreq; Eugenius per inimicorum tela elapsus Tybur tenuit, hinc Pisas profectus nauì in Galliam deuehitur, ubi Lodouicum regem iam cruce signatum, in Turcos & Saracenos cõcitat, nec rex inde fuit in mora, sed cum inuicto exercitu Byzãtium primo petijt, ubi haud aliter quàm Cõradus Hemanuelis fraude circũuentus in discrimen incidit maximum, persuasus ut per deserta Syriæ loca ducꝛet copias, inopia rerum omnium adeò exercitum alioqui florentẽ affecit longa inedia, ut copijs magna ex parte cõsumptis, infecta re coactus sit Antiochiam petere, odisse itaque Galli Hemanuelis nomen, ut pestiles & exitiale Christianis hominibus, odisse diuersa parte & Rogerius rex Sicilię, qui communem Christiani nominis ulturus iniuriam, uel hæreditario potius suorum maiorum in Græcos odio impulsus, ex Brundusio cum classe profectus Corcyram occupat. Inde Peloponnesum adortus totam peninsulam intus, & in ora hostiliter affligit. Flexit inde Rogerius peropportunè in Asiam quum Byzantium decreto peteret, cõsilio an casu non habeo dicere, eius, quod satis constat, in Syriam appulsus saluti fuit Lodouico regi, & uniuerso exercitui: quippe qui ex Symeonis portu Palæstinã petiturus, à Saracenorum classe circũuentus, captus haud dubiè fuisset, aut cum suis ad hostium satietatem cæsus, nisi Rogerius uelut è cœlo missus, maturè auxilio affuisset. Blondus & Platina Blondum secutus, Venetorum metu Rogeriũ in Asiam cursum flexisse tradunt, qui sexaginta triremium classe Græcorum rebus auxilio affuturi dicerentur, inde quia Veneti Corcyra relicta aliò abijssent, per Hellespon-

Lucius secundus pontifex.

Delmatarũ in Venetos studium.

Eugenius tertius pontifex.

Agitur uarijs casibus Eugenius.

Hemanuelis imperatoris scelus.

Seruãtur Galli Rogerij accessu.

tum & Propontidem insinuatum Byzantium proceſsiſſe, urbemq; ferociter adortũ, ſuburbana tecta concremaſſe oppugnatamq; urbem ipſam, poma ex Hemanuelis orto à Rogerio decerpta, immiſſumq; telum in imperatoriam domum, reuerſum inde quu Siciliam repeteret, in Venetam aiunt claſſem incidiſſe, ac tum demum prælio commiſſo uiginti triremibus amiſsis, cætera claſſe profligata Rogeriũ ipſum uix fuga ſeruatum. Hæcilli: Venetarum rerum ſcriptores rem longè aliter digerũt. Enimuero poſt Peloponneſum bello acciſam, purpuratorum unus cũ claſſe Byzantium eſt miſſus à Rogerio, ſuburbana q; ab eo loca direpta & incenſa, ac tum demum Hemanuel, tam atroci iniuria affectus, ad Venetos miſit, ut hi aiũt, qui iure uereris amicitiæ cum his ageret, ut affectis imperij rebus maturè ſubuenirent, datumq; id eſt amico principi, claſſe celeriter inſtructa, quam Polanus dux morbo implicitus Ioãni fratri ſuo dedit & Rainerio filio in hoſtem agendam. Nec in tanto ſuarum rerũ diſcrimine Hemanuel interea quieuit, ſed uim nauium parauit ingẽtem ad præſentem ignominiam inhibendam. Ipſe cum terreſtri exercitu in Epirum uenit, Butrotõq; caſtra admouit. Sed dum Græcus imperatõr per hæc bellum comparat,
Venetorum geſta in Rogeriũ
Veneti magna hoſtium cæde Corcyram recipiunt, receptam firmo præſidio muniunt: ſunt qui ſcribũt inſula à Venetis recepta breui pòſt nauali prælio dimicatum, captasq; ex Normanica claſſe naues quatuordecim. Ex Corcyra Venetus in Siciliã flexit curſum, ut hoſtem domeſticarum rerũ metu bello auerteret. Nullũ eſt cladis genus, quod Siculi per id tempus non ſint à Venetis perpeſsi. Maritima loca & à mari procul recedentia hoſtiliter uaſtata: eſtq; expeditione illa non ſolum oriẽtalis imperij nomen Venetis armis defenſum, ſed in priſtinam etiam dignitatem reſtitutum, clade circa Byzantium & alibi accepta, ad Corcyrã & in Sicilia hoſtibus cumulatiſſime repẽſa. Polani ducis interitus, qui nõ multũ preceſsit uictricis claſsis reditum, in cauſa fuit, ut ex re foris præclarè geſta nullum lætitiæ ſignum ciuitas oſtenderit. Habuit Polani principatus annos undeuiginti. Creatur inde in demortui locũ Dominicus Mauro cenus, decernũturq; ſimul ad præſidium maris naues longæ ſex numero, quæ in altum deducẽ, quinq;, Anconitanis maria infeſtãtibus, haud multo pòſt cepere, eſtq; cum his captus Guiſcardus uir maritimo curſu ea tempeſtate illuſtris, ac laqueo necatus. Marciana turris, opus, ob id quod poſtea dicam, memorabile, per id tempus fundata eſt, ut quidam ſcribunt, alij rem ipſam Guiſcardi ſupplicio aliquanto recentiorem exiſtimant. Cæterum quocunque tẽpore tanta moles conſtructa eſt, res mira fuit, qua ui quáue arte in ſolo uliginoſo, imo in ipſis aquis ſtatui potuerit. Ferunt adeò altis multifariam q; congeſtis molibus ſubnixam, ut penè plus operis lateat quàm emineat ſolo. Hiſtri qui maria ſuo curſu fœdabant, ſunt per idem tempus cohibiti à Venetis, Polaque oppugnata. Polanis ueniam petentibus, his eſt conditionibus pax reddita, ut à maris infeſtatione abſtinerent, bina milia pondo olei annua Marciano templo inferrent. Parentini & ipſi metu perculſi, ſiquando dux ad bellum exiret, auxilia pollicentur, Hemonenſes & auxilia & annuum olei tributũ. Et res Italiæ Græciæq; per hunc modum habebant, Lodouicus rex ubi in Syriam uenit, iunctis cum Balduino copijs Damaſcum obſedit. Sunt qui eam urbem ab Habraam ſeruis fundatam memorent campeſtri loco naturaq; ſiticuloſo, ſed qui hominum induſtria ſit feracior factus ſiſtulata & cuniculari irrigatione. Fuiſſent Lodouicus & Balduinus haud dubiè uictoria potiti, ſed Aſsini cuiuſdam conſilio caſtris aliò translatis, quum ab inirio eſſet his locus captus, prohibita aquatione irritus fuit omnis Gallorum conatus, coactiq; ſunt reges ſoluere obſidionẽ,

Guiſcardus archipirata.
Turris Marciana.
Hiſtri tributarij ſiunt.
Damaſcus à quibus cõdita.

A cum indies omnia ſuis inquiora fierent: abducto inde exercitu Balduinus Hieroſolymam cum ſuis copijs reuertitur, Lodouicus & Coradus qui in ea expeditione fuiſſe dicitur, ſuos uarijs caſibus affectos in Europam deportarunt, anno ſalutis poſt undecies centeſimũ altero à quinquageſimo, & hæc procul Italia. Eugenius pontifex ex Gallia, ubi aliquandiu fuit, ut ſuprà eſt memoratum, Romam reuerſus, magno ciuium fauore fretus, Taracinam, Norbanũ, *Eugenij geſta.*
& alia quædam non ignobilia recepit loca, quæ à tyrannis tenebantur. Inde Tybur conceſsit, ubi octauo ſui põtificatus anno uita deceſsit. Huius opus eſt
Viri illuſtres.
Deiparę porticus ad præſepe. Fuerũt Eugenio æquales, Gratianus monachus qui ſanctorum decreta in uolumen digeſsit, Petrus cognomẽto Lombardus, Pariſiẽſis antiſtes diuinarum literarum ſtudijs eminens, & Petrus Comeſtor, qui ueteris nouiq; teſtamẽti hiſtoriam interpretatus eſt, fuitq́ue Auicenna medicæ artis ſcientiſsimus, Auerrois, qui multo plura quàm alius quiſquam ſcripſit in Ariſtotelem, Zourus cognomento Sapiens & ipſe medicina clarus, Ricardus Cluniacenſis monachus hiſtoriæ cõditor haud ineptus. Eugenio defuncto Anaſtaſius quar-
Anaſtaſius IIII. pont.
tus ſedere cœpit, quo tempore Alphõſus rex Hiſpaniæ ab Hieroſolymitana, ut quidam ſcribunt, expeditione rediens, uita deceſsit: quando aut cuius hortatu is in Syriam profectus ſit, autores qui hæc ſcribunt, ſilentio prætermiſerũt: nec ipſe facile dixerim noluerint illi id prodere, an non potuerint, quia rem parum compertam haberent. Reliquit Alphonſus, quod ſatis conſtat, Sanctio filio regnum, quo in Arabia extincto, dum pro Chriſtina fide in ea terra fortiter bellaret, Ferdinãdus frater regnum fortitus eſt. Sunt qui Ricardi ſtudia, uiri diuinarum literarum doctiſsimi, in hæc conferunt tempora. Per id quoq; tempus tota eſt Europa fame laboratum. Anaſtaſij opera fuerunt, calix rari operis in Laterano dedicatus, & ædes ſumptuoſiſsimi apparatus apud Pantheon. Vixit Anaſtaſius annum unum & quartam ferè partem, in Lateranenſi baſilica ſitus eſt. Hadria-
Hadrianus IIII. pont.
nus, cui id nomen quarto loco contigit, in demortui locum eſt ſurrogatus. Is Noruuegiam ſua prædicatione Chriſtianæ fidei adiunxit, nõ tamen adhuc põtifex, ſed Albanus antiſtes. Cũ hoc Romani egerunt ab initio eius creationis, & minaciter quidem, ut uti bis adminiſtrationem liberam conſulibus relinqueret. Renuit id pertinaciter Hadrianus, ac nec conſecrari quidem uoluit, niſi Arnaldus Brixianus hæreſeos dãnatus ab Eugenio, prius urbe pelleretur: eſt itaq; nõnihil Romæ tumultuatum. Ad poſtremum Arnaldus eijcitur, & conſules iuſsi ſunt ſe magiſtratu abdicare, libera urbis adminiſtratione põtifici relicta. Sed dum hæc Romæ fiunt, Guilielmus rex Siciliæ, qui Rogerio ſucceſsit, Beneuentana ſuburbia Ceparanum, Baucumq; in Hernicis occupat. Hadrianus tam inſigni cõtumelia commotus Guilielmum ex piorũ cœtu anathemate eijcit, populos, ciuitates, milites, & quicũq; in illius uerba iuraſſent ſacramẽto ſoluit, ut quoties libitum eſſet, religione ſoluti ab eo deficerẽt. Per id tempus Federicus, qui in Sueuis
Federicus primus.
primus eſt imperij nomẽ adeptus, cum exercitu Italiam ingreſſus Dertonam aliquãdiu obſeſſam, quoniam imperium detrectaret, ui tandẽ cepit, hinc Romam citato agmine proficiſcitur, cauſa eius acceſſus nulla fuit alia, ut arbitror, quàm ut imperatorijs ornaretur inſignibus, niſi forte pontifex aliqua dedit ſigna ab horrentis à Federico animi, & ob eam rem infeſto ſit exercitu Romam properatũ, ſed quocũq; ille conſilio feſtinauit, pace, quod inter omnes cõnit, cum põtifice firmata, pacatus Romã init, quem uenientem Hadrianus in Sutrino agro perhumane excepit, Vaticanũ inde ũnà ingreſsi Petri baſilicam ſubeunt. Hic quum Hadrianus coronã Federico imponeret, Romani qui iniquo animo ferebãt pontificem

ficem tam facile Sueuo ceſsiſſe, ac præter omniũ opinionem ambobus conuenire, portis urbis repente clauſis, per Hadriani pontem eruptione in Sueuos facta, qui Vaticanum tenebant, cum multa cæde loco ſubmouent. Federicus ad nouum tumultum excitus ex Neronianis pratis exercitum ad ſigna reuocat, quo in ſequentem multitudinẽ immiſſo, ſit continuo à Romanis fuga: compelluntur itaque cum multa ſtrage ex Vaticano in urbem, multi præterea capti ſunt, quos Federicus pontificis rogatu incolumes dimiſit. Ituri inde in Lateranum, quia per urbem male pacatam parum tutũ credere, Mallianum petũt, agmineque per Sabinos in Tyburtem agrum circumacto, per Lucanum & Mãmeum pontes, in Lateranum peruenere, ubi cęremonia peracta Federicus uoti compos factus in Germaniam reuertitur, à cuius digreſſu Hadrianus Beneuentum accerſitus ab Apuliæ proceribus, magnam eius terræ partem ſua præſentia Guilielmo ademit. Sed dum hæc alibi geruntur, in Venetis Vitalis Michaël ſecũdus qui Mauroceno ſucceſſerat, obliteratas ueteris iniuriæ memoria, cum Piſanis ſtabilem & mãſuram pacem ſanxit. Erat adhuc Hadrianus Beneuenti, quum Paleologus à quo inſignis familia inde orta eſt, ad pontificem uenit, miſſus ab Hemanuele imperatore ad hoc ipſum, ut Hadriano quina milia pondo auri ſuo nomine polliceretur, & Guilielmi ex tota Italia expulſionem, ſi poſt uictoriam tres littorales Apuliæ urbes Græco imperio ex fœdere darentur. Hęc Hemanuelis poſtulata ubi indicio ſunt ad Guilielmum delata, ſupplex ab Hadriano petijt, ut ſibi pacem redderet, pollicitus ſe non ſolum ea reſtituturum, quæ de pontificia ditione occupaſſet, ſed ultrò etiã quædam conceſſurum, Romanæ eccleſiæ rebelles, ut in officio permanerent, ſe armis, ſi aliter nequeat, præſtiturum, ipſe à pontifice cis ultraque Farum rex declararetur. Dediſſet id libens illi pontifex pacis & quietis cupidus, niſi antiſtitum quorũdam ſummi ordinis interceſsiſſet autoritas, quod ubi negatum iri ſibi Guilielmus ſenſit, continuò Apuliam inuaſit cum ualido exercitu. Græcos & Apulos qui circa Brunduſium caſtra fecerant, acie congreſſos egregie ſuperat, Salentinos & Apulos deditos in fidem recipit. Hadrianus pacis diſturbatoribus infenſus cum Guilielmo in gratiam redijt, duplicis regni titulo ornat, iuramento adigit, ne res eccleſiæ infeſtaret amplius. Et Italia huiuſmodi fœdere pacata Romam Hadrianus repetit, ubi præter opinionem in ciuilem contentionem incidit, cõſulibus ciuitatem in antiquam libertatem aſſerere conãtibus. Veritus itaq; ne alia in ſe uis oriretur, Arinianum conceſsit ad quintum & uigeſimum lapidem ab urbe, hic ille fatalẽ diem obijt, anno quàm ſedere cœperat quarto, menſe decimo.

Pontifex & imperator timẽt Rom.
Vitalis dux.
Guilielmus rex declaratur
Alexander III. pontifex max.

ENNEADIS IX. LIBER V.

ALEXANDER qui in Hadriani defuncti locum eſt pontifex creatus, tertiusque fuit ab eo cui ex pontificibus id nomen primo contigit, Senis Hetruſcis ortus, Rainucium habuit patrem. Diuturnus hic pontificatus non magis, quàm uarijs fortunę agitatus caſibus, ſed fas piumq; ſit credere, quum in cæteris quæ rite fiũt, tum in his in quibus humanæ pietatis ſumma ſita eſt, omnia prouidentia fieri. Enimuero Alexander ſummi antiſtitum ordinis conſenſu pontifex declaratus, confeſtim nouis motibus exerceri cœptus eſt, Octauiano Romani ſanguinis triũ duntaxat ſuffragio pſeudopõtifice creato, unde fœdum ſchiſma magnæque diſcordię exarſerunt. Horrebat Alexander Romanorum arbitrium, qui ſuum populare externo homini haud dubiè prælaturi uidebantur, ſi ad populum ea cognitio delata eſſet. Federicum ergo imperatorem, qui tum Cremonã circumſedebat, per legatos rogat, ut ſua autoritate id diſsidium tolleret. Reſponſum eſt, Ticinum opportere eos uenire, quo imperator ex proximo occurreret, amborum cauſam cogniturus. Viſus eſt Federicus eo reſponſo rem in dubium trahere, tanquam difficilis eſſet cognitio, & quæ nec ſine diligenti diſcuſsione intelligi poſſet, utra cauſa eſſet honeſtior, quum nemo alioqui non plane ſentiret, eum legitime creatum, in quem plurium ſuffragia inclinaſſent, ne res igitur certa pro dubia in diſcrimen ueniret, petebatur enim auxilium non arbitrium, Alexãder relicta urbe Anagniam ſe contulit. Victor (id enim no
Alexãder urbẽ deſerit.
men ſibi antipontifex optauit) Segniam occupat. Federicus ut erat in iram præceps, ubi ſuum arbitrium ſenſit declinari, ad Alexandrum duos miſit antiſtites, qui illum ſuo nomine ut priuatum non ut pontificem ad ſe accerſerent, qui ab eo reiecti Victorem adeunt: is ut maiorem adhuc inuidiam illi faceret, ad Federicum cum his qui ad ſe uenerant, Ticinum contendit, hic frequenti antiſtitum conuentu imperator Victorem pontificem probauit, ratamq; illi fecit ſuo aſſenſu dignitatem, mox albo equo ſedentem tota urbe circunduxit, ſupplexque de more adorauit. Alexãder Victorẽ & Federicũ abſentes anathemate execratur ſcribitque ad omnes Chriſtiani nominis duces, Federicum cum ſuo pſeudopontifice deiectum & excluſum ab omni piorum cœtu, ob ea quæ in pontificiam dignitatem ambo impie molirentur. Inde Romam reuerſus, quum per homines aduerſę factionis parum ſibi tutus in urbe futurus uideretur, ex Taracina ubi nauigiũ à Guilielmo paratum inuenit, Philippi regis hortatu in Galliam proficiſcitur. Hic quoque apud Claromontem celebri conuentu Victorem & Federicum, qui eam facem alebat, impios pronuntiat. Eratque hic rerum ſtatus in Europa, quum in Syria, Balduino rege defuncto, Almericus eius frater Hieroſolymitanus eſt rex declaratus, intulit is bellum Ægyptijs, de cuius euentu uariãt omnino autores quos ſequimur, ſunt qui ſcribãt Drogonem hoſtilium copiarum ducem ingenti prælio ab eo ſuperatum, Alexandriamque
Almericus Alexandriam obſidet.
à Chriſtianis obſeſſam, quam Tyracinus Saracenorum regis præfectus, fraude occupauerat, tum uero Alexandrinos, qui neque tyrannum ferre poterant, nec Chriſtianorum hominum imperium erãt laturi, cum Almerico egiſſe, ut tyranno armis deiecto urbs ſuo regi reſtitueretur, ob eamq; operam ciuibus nauatam certũ ipſe auri pondus acciperet, atq; ita eueniſſe, ut Alexandria tyranno ſit adempta & Alexandrinis reſtituta. Cæterum quia aurum ex pacto non redderetur, Gallum ira percitum, Carras aiunt regiã urbem obſediſſe: ſic enim Cairum quidam (falſo ut arbitror) appellant, & ex ijs quos ſequimur nonnulli ita rem digerunt. Alij ex eo bello ortam eſſe aiunt cauſam noui regiminis in Ægypto quæ quum ad id tempus reges duntaxat habuiſſet, Sultanũ habere cœperit, ut ſi non rem, uocẽ tamen uariari contigerit. Cæterum quò res facilior ſit cognitu, cauſa & ratio mutati aliquoties regni paulo altius reperẽda eſt. Paruit aliquandiu Ægyptus poſt lapſum Ro. imperij Græciæ imperatoribus circa uero annũ ſalutis ſeptingenteſimum quartum. Ægyptij Græcorum uel ſuperbiam, uel auaritiam pertęſi, ad Saracenos deficiunt, principem ſibi creant ex ea gente, & à Mahometo prognatum, Caliphum, id enim fuit illi
De nouo Ægyptiorum rege.
nomen, quę poſtea appellatio in poſteros propagata eſt, ut quicunq; iã inde in ea terra regnum tenuere uſque ad Almerici tempora, qui principatum illum euertit, eandem appellationem ſint ſortiti, fuitque

Ægyptus eiusmodi ditionis annos tercentum circiter & quadraginta. Postremò bello ab Almerico ipsi genti illato, quod in annum salutis millesimum tertium & quinquagesimum incidit, ut quidam colligunt, cepisset que Hierosolymitanus rex plura ex hoste loca, Caliphus suis omnibus diffisus, à Syriæ rege, quem Sultanum plures dicere maluerunt, auxilium implorat: mittitur à rege in Ægyptum Saracō uir fortis cum exercitu, ad res Caliphi tuendas: horū armis Christiani ex Ægypto abscedere coacti retrò abierunt. Tum Saracon tanquam sibi non Ægypto uicisset, Caliphum in potestatem redactum in uincula conijcit, regnum occupat, se Sultanum uocat: sic Saracon Medus natione primusq; eius gentis regno in Ægypto est potitus. Saraconi Saladinus filius succesit, omnium qui in ea terra postea regnarunt fortissimus. Is quod suo sit postea loco dicendum, Hierosolymitanum regnum euertit. A Saladino eius fratres per manus regnū acceperūt: sunt inde horū filij imperio potiti, ac lōga serie alij nō pauci numero, usque ad Melechsalam, quo Ægypti regnum tenēte, Tartari Comanos bello subegere, qui hominum Comani fuerint, Agitonus, qui res eius gentis latius est complexus, perspicue demonstrat, nos Comanā urbem in Cathaonia fuisse scimus. Est & Cathaonia Cappadocię propemodū inserta, fuitque olim gentis eius caput, atque afflatorum numine, sacrorumque multitudine seruorum ualde insignis. Strabo Gnosius ad Cappadociā pertinere Cathaoniam significare uidetur, planities ingens Amano & alijs montibus undique septa, qua coniectura adducor, ut Cappadoces, & qui circa illos incolunt populi gentes que multæ ij sint, quos Agitonus Comanos appellat. Accedit huc quod apud quosdam scriptum reperio, Comanos fuisse eam uenalitiorū manum, quæ primo ab Ægyptio rege empta est, ut postea dicetur: quo cōtigit, ut ad seruitia sit eius terræ imperium deuolutum. Iam satis cōstat supra sex milia seruorum Comanæ fuisse olim quæ circa Deę templum agitabant, atque hos libet credere à Tartaris, postquam eam terram bello sibi quæsiuere, Ægyptijs negotiatoribus ad idipsum missis esse uenditos, in cōemptum uanę religionis quam illi, quia unum deum faterentur, fuerint aspernati, quā quam ex Cappadocia quoque Romani sibi seruitia quærere soliti sint. Sed quicunque hominum Comani sint, bello capti, quum uulgo à Tartaris uenderētur, ac uilissime, ut fama ferebatur, per negotiatores qui eò nauigare iussi sunt, ingētē uim seruorū Melechsala in Ægyptum accersiuit, quos diligenti cultu & ad bellica, & urbana munera instructos, ita rex complexus est, ut omnium aliarum gentium opera repudiata, per hos regnum domi foris que administraret. Comani igitur serui rege interfecto, quæ cædes incidit in id tempus, quo Lodouicus Frācorum rex bello captus in Ægypto custodiebatur, quod aliquot ab Almerici regno interiectis annis accidit, unum ex conseruis, Turquemenium nomine sibi Sultanum & regem creant. Is motus facultatem Lodouico præbuit se & suos commodius redimendi, & Ægyptus terra olim nobilis, per hunc modum, seruitiorum serua facta est, quæ turpis & detestabilis seruitus adhuc durat, Gothos Comanorum unus Tarquimenium obtrūcat, regnoque ui potitur, quo recepto Melechemes dictus est, Garbocoamque ab Hialone Tartarorum rege, ut postea dicetur, in Syria relictum prælio uicit, nec multum eiusmodi fuit uictoriæ superstes, suo exemplo domestica fraude oppressus perijt. Bādocadar qui eum interfecit rex inde fuit, uir fortissimus, atque idem Comānus genere: huius armis Christianum nomen ex tota ferè Syria est eiectum, Antiochiaque subacta, anno humanæ salutis, supra millesimum ac ducentesimum octauo & sexagesimo. Hoc rege Edoardus rex Angliæ cum classe in Syriam uenit, Bandocadar tieneno necatus est, quum Damasci esset, Melecsaytus in paternum regnum succesit, quem Elpis regio solio deturbat, uique regnum adeptus Tripolim in Syria cepit, mox & ipse ueneno tollitur. Et Melecastraphus qui post illum rex fuit, Ptolemaidē, qui unus locus adhuc Christiano presidio tenebatur in ora Syriæ expugnauit, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo primo. Melechnaser dein regnat admodum iuuenis, Guithboca Tartarus genere, militiæ magister, repente oppressum custodiri iubet, ipse imperio potitur, quo sanè tempore tanta rei frumentariæ caritas presit Ægyptū, quanta nulla unq̄ hominū memoria. Fauere suę gentis rebus ex cōfesso Malechaldel, id enim nomē illi fuit post regnum adeptum, quod studium auersati Comani serui imperium alienigenæ homini abrogant, Melechnaserem restituunt custodia eductum: hunc demum Casanus Tartarus, quod suo dinceps loco memorabitur, bello adort⁹, tota Syria expulit. Et Ægyptij per hæc seruitijs parere perseuerarūt, quę miserabilis seruitus ducētesimo & amplius abhinc anno orta, tam grauiter eam gentem premit hodie, quàm unquam aliàs à principio grauissime. Cæterum quando sua sponte eò processit hæc relatio, ut origo noui regni & qui regnum ipsum longa serie tenuerunt, ordine dicerentur, nihil ab re sit breuiter referre, quæ militandi forma sit ab his instituta. Qui igitur regi militant, equis utuntur idoneis ad ferenda arma, equabus ad cursum, impedimentis Camelos onerant. Cairum regiam urbem pars multo maxima colit milit um ut præsto sint regi quum opus sit, quinque milia circiter sunt, nec amplius, in quibus situm est omne militiæ robur. Hi sunt, credo, qui hodie Mamaluchi dicuntur, prędia à rege accipiunt, horum quisque multos numero habet seruos, quos ad bellum disciplina & armis instruunt, sic fit ut serui apud seruos seruitutem seruiant, annuum militis stipēdium aurei nummi centeni uiceni, & donatiuum à rege, si ad externum bellum eatur. Sūt duces militum, qui uulgo Admirathi dicuntur, horum alij alium ducūt ordinē, ut quisquis regi gratior, eo maior illi numerus attribuitur Quum procul domo bellandum est, peregrini milites explent exercitum, Beduini, Turci, & Arabes Ægypti accolę, qui spe prædæ gratuitā regi exhibent militiā, si defensio regno opus est, ægre ab his ulla impetrātur auxilia. Sunt regij milites sciētissimi rei bellicæ, & in expugnandis urbibus incredibili solertia, arcubus, contis, & scorpionibus utuntur, & in urbium oppugnatione cuniculo, bellicisq; plurifariam machinis. Patet hodie Ægyptus lōgitudine quindecim dierum, latitudine trium, à meridie ortu & occasu arenarum solitudinibus septa, fronte qua septētrionem spectat, Ægyptio alluitur pelago, recentiores id Græciæ uocant, qua orientem Solem spectat octo dierum arenæ ipsi terræ prætēduntur, ad occasum dierum octo, distat à Nubianis fabulosę solitudinis interiectu quindecim dierū itinere. Sunt Nubiani Æthiopes, qui super Ægyptum habitāt, fusco colore ac Christiani nominis, de quib⁹ mox suo loco dicetur. Diuiditur uniuersa Ægyptus in quinq; prouincias, quarum maxima est Saitica, urbium quę in ea sunt omnium amplissima Cairus, inde ab ea Messer secundo loco cēsetur, quam Memphim libet interpretari, nisi Cairus ipsa ueritus sit hodie, quæ olim Memphis fuit. Apud Messericos colūna est medio Nilo constituta, ex cuius inspectione præsagiunt accolæ ex fluminis incremento, qualis tritici sit anni illius futurus prouentus, atque ex eo imponunt pretia. Nili aqua primo hausta calida & subturbida, mox ad Solem exposita fit frigida, perspicua, potuique salubris. Portus duo in ora, Alexādrinus, & qui Damiatę est. Hanc urbem Christianis armis obnoxiam Saraceni longius à mari posuerunt, Heliopolis

Saracon. *Saladinus.*

Cathaonia.

Comani.

Seruorum regnum fit Aegyptus.

Successio Sultanorū in Aegypto.

Aegyptiae militiae ratio.

Aegyptus.

Heliopolis olim fuit, ut ex recentioribus quidam suspicantur. Cæterū siue recens res est, siue uetus, urbs ipsa ducentesimo abhinc anno deserta propemodū iacuit omni humano cultu. Nullus in Ægypto locus est mœnibus septus, præter Alexandriam & Cairanam arcem, tritici ferax regio, omniumq; frugū præstantia nobilis, lignorū indiga, ferri, picis, hæc & seruitia in supplementum militiæ aliunde aduehūtur. Hæc de Ægypto & eius regno, fortasse longiore sermone quàm stili breuitas postulat. Nunc quādo ad aliarum res gentium festinat relatio hæc, illud apud lectorem testatum relinquo, congessisse me eo con filio unum in locū hęc, quæ ad Ægyptios pertinent, ut quæ deinceps sunt de his per partes dicenda, tantum in præsentia signaremus. Dum igitur Almericus, unde hic de Ægyptijs sermo ortus est, opes eius gentis bello fatigat, nam quo sit euentu ab ipso rege bellatū parum liquido traditur, in Italia Federicus, tyrannum agēs uerius quàm imperatorem, Dertonam diripit, Mediolanum solo æquat, populum qui in sex olim portas fuerat diuisus, in totidē uelut colonias decimo ab urbe quam habuerāt miliario relegat. Tunc trium magorum corpora, qui Christum regem recens natum in Iudæa adorarunt, in Coloniam Agrippinā translata quidam arbitrantur. Sunt & Cremonenses eisdem armis inclementer uexati, qui ab initio cœpti fuerant obsidione premi. Quòd tam hostiliter Federicus sit Italiam uexare adortus, eam habuisse causam crediderim, quòd Mediolanēses alij; Cisalpinæ Gallię populi, suę libertatis memores inhibere conati sint alsiduos Germanorum in Italiā accessus, cuius gentis exercitus otiose irent per Italiam & redirent, tanquam nō uiros amplius, sed uirorum umbras ipsa terra gigneret. Vt igitur aliquando externæ gentes, quæ id persuasum haberent, re experirentur non usqueadeò in Italia à maiorum uirtute degeneratum, ut non essent, qui aliquando antiquæ libertatis admoniti, ad tam insignem contumeliam inhibēdam arma induerent, ciuitates pleræque in id conspirasse uideri possunt, ut Federici imperium detrectarent, eumque uenientem suis mœnibus excluderēt. Nec mihi excidit primo illius in Italiam accessu Dertonam ab eo oppugnatam, unde eius odium in Cisalpinæ Galliæ populos ortum uideri potest, sit & defectio plurium ciuitatum secuta ob Dertonēsium iniuriam, auxit eū motum schisma in ecclesia ortum, ut populi diuersa studia secuti, qui Alexandri partibus hęsere, Federicum ex confesso hostem sortiti sint. Cæterum quoquo modo id bellum conflatum est, uidentur mihi Dertonēses ab initio idcirco Federici imperium detrectasse, ut quandoq; initium fieret ueteris contumeliæ abolendæ. Verum quæcunq; fuit tantorum malorum causa, nā quæ sanè fuerit pro certo ponere non ausim, atrocissimum Mediolanensium excidiū, quod satis constat, tantam cæteris ciuitatibus consternationem attulit, ut non multo pòst Veronēses, Vicentini, Patauini, & Veneti, ut quidam scribunt, communi nomine decreuerint, ut nulla amplius auxilia Federico darent. Occurrit ad eam defectionē ulciscendam Stuuus ira accensus, Veronamq; graui obsidione adoritur, adduxisseręque urbem nobilissimam ferox hostis in apertum discrimen diutius assidendo, nisi ueritus sociorum auxilia, quę propediē Veronēsibus affutura dicebātur, metu obsidionem soluisset. Ticinum inde reuersus literis & nūtijs Philippum regem Gallię hortatur, ut tollendi schismatis causa Alexandrum secum ad conciliū ducat, quo Victor pontifex esset secum uenturus, placuit ad Dionem concilium indici, locū ubi Sauo fluuius Germanos à Gallis diuidit. Huc Federicus Italiæ rebus ad præsens compositis, cum suo pontifice, Daciæq; & Boëmiæ regibus proficiscitur ingentibus septus copijs. Negauit Alexander se eum conuentū obseruaturum, quòd non ipse indixisset, quum alium Turonij inchoasset, quem postea multa celebritate peregit. Excanduit ad hæc Federicus, arq; irarū plenus Germaniam repetit, Victorem in Italiam prę mittit, ipse haud multo pòst secuturus, sed Victor malorū omnium fomes, Lucæ in Hetruria breui pòst moritur, cui Guido Cremensis continuò antipōtifex surrogatur. Interea creatis Romæ consulibus Alexandrinæ factionis, publico decreto pontifex ex Gallia reuocatur, qui in Siciliam naui delatus, inde Romā, incredibili lętitia suscipitur. Pontificis reditu Cisalpinæ Galliæ populi in spem libertatis erecti, in Federicū, quia crudeliter nimis imperaret arma induunt, eius præsidia munitioribus locis eijciunt. Fuit ille annus quo apertior hęc defectio orta est, salutis humanæ undecies centesimus sexagesimus quartus. Federicus his motibus ex Germania excitus, ingentem comparat exercitum, ut Italiam inuadat. Cęterum dum hęc alibi geruntur, Veneti iam indè à prima Alexandri & Federici discordia, à finitimis populis sunt hostiliter uexati, Federici imperio, quia Alexandri partibus fauere crederentur. Caput aggeris caprum Veronenses Patauini & Ferrarienses diripuere, qua Veneti iniuria accensi Adrianum agrū populati sunt. Hanc temporum nouitatē adeptus Vlricus, Aquileiensis antistes (Alij Henricum pro Vlrico habent) Foroiulienſium regulorū auxilijs, Stephanię; Pannoniæ regis fauore fretus, Gradū occupat, nec tam spe retinendi loci quàm spoliandę ecclesię studio, sed parum feliciter res illi cesit, qui subito Venetę classis accessu interceptus, cū parte Aquileiensis cleri, septingentis q;, ut Blondus scribit, nobilibus Foroiuliani Pannonicię; nominis Venetias perducitur, estq; his cōditionibus dimissus, ut quotannis duodecim apros, & opimum taurū Venetias mitteret, sub Carnispriuij dies. Blōdus, & qui illum secuti sunt, duodecim suum sunt autores, & panum duceriariorum pari numero, taurus & sues ante forum, celebri spectaculo, quotannis, principe cū magna parte patrū ludis præsidente, conficiuntur, quatriduo anteę quadragenaria ineātur ieiunia. Plures autores in hęc tempora reponunt Gradensem illam expeditionē, etsi magna pars Venetorum annalium, in Angeli Particiaci principatum id cōferunt, ut est suprà demōstratum, quod idcirco uariatū existimo, quia Alexandro pontifice id factum aliquādo legerant, sed secūdo an tertio huius nominis sedēte hoc illis parum constitit. Et ne non semper res Veneta in motu esset, per idem fere tēpus Hemanuel imperator Veneti nominis ex confesso hostis extitit. Egit is cū Venetis ut pro ueteri amicitia sibi auxilia mitterēt aduersus Guilielmum Siciliæ regem cum quo Veneti statim pòst Rogerij interitū fœdus percusserant. Negata sunt imperatori auxilia, quę publica fide incolumi præstari non poterāt, cæterū quia apparebat Hemanuelem id ęgrè laturum, continuo data est opera, ut publico edicto omnes Veneti nominis qui tota Gręcia negotiarentur, domum reuerterentur. Hemanuel, qui sua sponte infesto erat in Venetos animo, ubi primum sibi renuntiatum est à Venetis non præstari quæ peterentur, cum Stephano Pānoniæ rege Veneti nominis hoste, fœdus & amicitiam iungit, Spalatrum, Tragurium & Ragusiū repente occupat: inde aperte ui fraudem iungit, ueterem cum Venetis amicitiam celebrat, uoluisse se dictitās eas urbes idcirco interceptū iri, ut per illarum restitutionem amicum nuper populum, ueteri amicitia interpolata, ad pristinum erga se studium retraheret: per legatos igitur publicè perit, ut recenti decreto iubeāt Græciæ emporia à suis hominibus frequentari, fore ut se amicissimum, & non hostem, in cunctis experirentur, memoremq; ipsius populi in se & suum imperium meritorum: credita res est, factaq; omnibus potestas in Gręciā nauigandi, ingens

Mediolani excidium.

Alexander in Italiam reuertitur.

Veneti à finitimis uexantur.

Causae belli à Federico gesti.

Hemanuelis imperatoris fraus.

uis nauium quæstus cupiditate domo proficiscitur, sequentibus duobus legatis, spe certa ueteris amicitiæ cum Græco imperatore renouandę: sed uix Byzantium Veneti attigerãt, quum Hemanuel die ad id facinus constituta, toto suo imperio Venetos negotiatores, cum nauibus, & omni pecunia ex impro uiso opprimit, ac tandiu quoad aliud fieri uelit publicè custodiri iubet. Legati atrocitate rei perculsi quia iure gentium uiolari non potuerunt, Byzantio profecti Italiam perpetuo cursu repetunt. Sed priusquam hi domum uenerint perpauci qui media trepidatione deductis in altum nauibus fuga euaserãt, eorum quæ in Græcia facta essent domum nuntij uenere. Perculit inopinata clades ciuitatem, doloreq; & ira stimulantibus Veneti classem studio comparant, tam insignem perfidiam ulturi: centum longæ naues intra totidem dies in salo stetere ad bellum instructæ, & cum his uiginti onerariæ, quibus decem triremes Histri addiderunt, ut Blodus significare uidetur: Michaël dux classe in Delmatiam delatus, Tragurium ui captum funditus diruit, Ragusium receptum murorũ parte, qua mari alluitur, nudauit. Progressus inde in Eubœam Venetus, persuasus ab Hemanuelis præfecto, ut transiſper oppugnatione abstineret, quoad Byzantium legati mitterentur, affirmans fore, ut quibus Venetus uellet conditionibus haud dubia pax sequeretur. Missi Michaël Byzantium, qui de pace agerent: cæterum ne interim in otio esset, Chium insulam cepit, ubi quia iam hyems apparebat, hybernare constituit, expectareq; legatorum reditum. Et quia spes facta erat componendæ pacis, post Chium captam abstinuit Venetus uim omnem à Græcorum rebus. Ac simulare studiũ pacis Hemanuel, occulteq; Venetis insidiari. Enimuero dum legati citrò ultroq; mittuntur, subita uis morbi Venetam classem inuasit, tantaq; uis hominum breui consumpta est, ut creditum sit uulgo & fontes & flumina, unde Veneti aquabantur, Hemanuelis fraude uenenis infecta, quæ opinio ab ea quę fuerat in Germanos & Gallos duces eorũq; copias machinatę, nihil abhorret à fide, apud quosdam reperio Hemanuelem Hellesponto egressum, cum satis ualida classe, nec cum Veneto confligere ausum, aquis Veneno infectis retrò abijsse. Sed quoquo modo lues illa orta est, omnes Iustinianæ gẽtis uiri, qui ad id bellum exierant, ad unũ interiere, quæ domus apprimè nobilis ne prorsus extingueret publicè est à Romano pontifice petitum, datumque ciuitati, ut unus qui ex ea familia reliquus esset, sacrisq; initiatus, ad reparandam stirpem daret operam cõubio. Vitalis, etsi non mediocriter erat affectus tererrima suorum clade, ubi primum apparuit rẽ fraude trahi, quanquam adhuc de pace ageretur, ne sedendo rẽp. perderet, ad prima ueris signa ex Chio profectus in Lesbum transmisit, ex Lesbo in Lemnum & Scyrũ. Hic quia pestis in hybernis contracta aliquãto atrocius incubuit, ut remiges socijque nauales passim expirarent turmarumq; clamoribus, amarisq; crimi nationibꝰ Venetus dux deterritus, classem uehemẽter affectã Venetias reduxit. Vulgatus est inde morbus, totaq; urbs pestilentia infecta, ut multo plures hic paucis diebus quàm foris uita defuncti sint, quæ res facit ut cunctantius ijs accedam, qui ad Hemanuelis fraudem eam cladem referunt. Nam si aquarum hausturis illa morbi orta esset, non ad alios, ut arbitror, serpsisset lues illa, sed corpora in quę uis ue neni recepta esset tãtum periclitari oportuisset. Sed utcunq; res accipiẽda est, ciuitas quod inter omnes conuenit, post reditum classis, in numeris est funeribus deformata. Qua recenti clade tãta orta est Vitali inuidia ut concione egressus, quia se purgare uolenti ab omnibus obstreperetur, interfectus sit. Perijt Vitalis anno sui principatus decimoseptimo. Decemuiri post eam cædem creati nouum ducem legerunt: quidam autores sunt decemuiros creatos, ut parricidium illud uindicarent. Alij quadraginta fuisse aiunt, qui ad nouum principem eligendum tũ primum constituti sint. Inclinabant omnium suffragia in Aureum cognomento Mastropetrum. Cæterum eius admonitu Sebastianus Zianus uir sapiens atque admodum diues, qui ea temporum nouitate, ob amplum patrimonium, multo utilior reipublicæ futurus uidebatur, prærogatiua illa suffragiorum antiquata dux declaratus est. Inter initia principatus huius, geminæ columnæ sunt ante forum constitutæ, crasitudine & proceritate uisendæ. Hemanuel interea, ne non semper ingenitæ perfidiæ studeret, postea quàm fama comperit Venetam ciuitatem graui pestilentia affectam, Henrico Dãdulo uni ex legatis, quos Vitalis princeps Græcia decedẽs ad eum miserat, per speciem colloquij in secretum abducto æneam tabulam obiecit, prius igni admotã, cuius aspectu propemodum luce priuatus est: satis cõstat iam inde semper hebeti uisu fuisse. Hæc perfidia quæ degenerem in tanto principe arguit animum, facit ut credam uerum esse, quod quidã exijs, quos sequimur, literis tradidere, humili loco Hemanuelem natum, Tryphonemq; uocatũ à pueris, qui primoribus ciuitatis muliebri cõsilio interfectis, sit imperiũ adeptus: fuerat hæc Alexij principis uxor, cuius Trypho consuetudine tenebatur, quo accidit ut post uiri interitum nobilium cæde adultero imperiũ astruxerit. Sed Hemanuelis in Venetos odiũ, quod nemo externorum scripsit, ex alia causa ortũ uideri potest, quàm quod arma in Guilielmum Siciliæ regẽ capere noluissent, incidit forte Græcus imperator in fatidicum carmen, quo significabatur fore quandoque, ut ex Adriaco sinu uenirent, qui Byzantium caperent, præterea reliqua, quę omnia quũ obscuris uerborum inuolucris operta iacerent, cõie ctoribus tamen diuinationumq; peritis rei interpretandæ admotis constitit inter omnes eos Venetos esse Adriaci maris accolas, quod ipse per se cõiectando eò uenerat, ut sine alterius interpretatione Venetos esse arbitraretur, de quibus carmen loquebatur. Cæterum ueritúsne fatale tempus instaret ut Venetis armis Byzantium occuparetur, insidijs, quando aperta ui non dabatur, Venetũ nomen per hæc quæ diximus perdere conatus est. Cæterum non cõtentus quòd occulta ui, uariaque fraude, ad id tempus, cum una ciuitate etsi alioqui opulentissima, certasset, sibi Anconitanos & Ariminenses adiũxit ad Venetos ex proximo insectandos, ac tum demum quidam aiunt, Guiscardum archipiratam quia mare Venetis infestaret cum quinq; nauibus captum suspendio necatum. Veneti Hemanuelis perfidiam pertęsi cum Federico imperatore, ut apud quosdam scriptũ reperio, pacem iunxerunt. Et cũ Guilielmo in uiginti annos fœdus est percussum. Erãtq; in hoc statutes Venetæ. Federicus interea, ubi Alexandrum à Romanis reuocatum audiuit, in Italiam reuersus, blandę ciuitates allocutus, pacate in Bononiensem agrũ descendit, parte una copiarum in Hetruriã missa, ut præsidio Guidoni esset, qui se Lucæ tenebat, is tunc erat antipontifex. Ipse Anconem profectus, eam urbem obsidione fatigat, per Italiæ regulos urbi finitimos, omnia Alexãdro reddidit infesta. Interea circumpadanæ ciuitates Mediolanum summa ope instaurant, fœdus & societatem Mediolanẽsiũ secutæ, estq; urbs ipsa multo operosius munita quã ante excidium fuisset. Moritur per id tẽpus Guilielmus Siciliæ rex regno per manus tradito Guilielmo filio, Hemanuel legatos Romã misit, qui suo nomine arma, ad Federicum Italia depellendum, pollicerentur, & orientalis ecclesiæ obsequiũ, ut in cunctis Romano pareret pontifici, modo pontifex & Rom. ita euenire uellent, ut occiduum imperium iterũ orientali iungeretur, uetusque monarchiæ forma qualis ab initio

Attende Hemanuelis perfidiã

Recens Hemanuelis dolus.

Iustinianæ domus reparatio

Tetra pestilentia.

Violatur ius gentium à Hemanuele.

Mediolani instauratio.

ab initio fuerat, in integrum restitueretur. Erat certe magnum & difficile quod petebatur. At mihi uidetur Hemanuel non tam spe impetrandæ rei hæc mouisse, quàm quod Anconitanos, quos in fidem receperat à Federico oppugnari grauiter ferebat, ac simul quærere, qua ui, quáue arte, hostem infestissimum ex illorum ceruicibus depelleret. Sed quocũque consilio res tanta mota est, erexit Alexãder animum ad Hemanuelis postulata, misitq; legatos Byzantium, qui hæc quæ ex Græcia afferebãtur coràm cognoscerent. Per quod tempus Romani inuito põtifice, Albanos & Tusculanos bello persecuti sunt, quia tributa pendere recusassent, quæ illi auarè nimis sibi imperari quererentur. Obtinebat Tusculũ Rayno comes, quem Innocentius secundus, & Lotharius imperator Apuliæ præfecerant, is ex Apulia à Rogerio deiectus Tusculum regebat, Germanisq; circa Nepete & Sutrium sedentibus subsidio accersitus, in Romanos qui, ut diximus, in armis erãt, impetum fecit, fusos ac disiunctos tanta cæde afflixit, ut cum Cãnẽsi illa peruetusta ac memoratissima collata, uel ob id calamitosior fuerit æstimanda, quia post hanc Tusculanam, nunquam amplius Romana ciuitas extulit caput. Germani eiusmodi uictoriam adepti urbem tumultuose adequitant, & Federicus ex Ancone Romam aduolat, consediteque primo in Neronianis pratis, inde in Vaticani partem receptus omnia terroribus complet. Põtifex ex Laterano in Fragipanicas ædes transijt, quæ ad palatium erant, ut apud principem ciuitatis familiã tutior esset, perseueraruitque Alexander Romæ esse, etsi nauis & pecunia à Guilielmo Sicilię rege missa affuit illi à principio, ut quum uellet sibi fuga salutem quęreret. Petere interea Federicus ut ciues duorum pontificum causam cognoscerent, pollicerique; pacem cum restitutione eorum quæ ecclesiæ ademisset, modo pontificum altero sublato unus legitime sederet. Alexãder, quia populus ad eas conditiones erexerat animum, apparebatq; ita futurum ut in Federici gratiã ciuitatis fauor in Guidonem inclinaret, noctu ex urbe profectus est, ad mareq; secũdo Tyberi deuectus, præter Circeum & Caietam, Beneuentum petijt. Federicum pestilentia, qua exercitus laborare cœperat urbe exegit. Cæterum in Cisalpinam Galliam reuersus, coniuratas urbes bello adoritur. Sed id bellum tantum ostensum est, territus enim tot ualidissimarum urbium opibus, bellicoq; apparatu, in Germaniam cum exercitu abijt, hostibus ad Alpes usq; abeũtem incessentibus. Post Federici digressum, sociæ ciuitates urbem condiderunt Tanaro fluuio impositam, quam ab Alexandro pontifice in Federici inuidiam Alexandriam dixere, intra annum fossa, aggere, uallo; munita est, quindecim milia colonorũ eò deducta. Contrà Romani per id tempus, Albam, unde urbis conditores fuere, solo æquarunt. Hemanuel eodem tempore recenti legatione cum pontifice & Romanis egit de monarchia restituenda, maiora quàm unquã antea pollicitus, sed pontifex omnia postremo renuit, diffisus credo Hemanuelis ingenio. Interim Guido Cremẽsis, in Vaticano ad apostolici basilicã quæ Federici præsidio tenebatur, die obijt, cui Ioannes Sirmiensis abbas furti olim cõpertus, successit. Quo tempore Rayno, qui Tusculũ tenebat, Romanæ ciuitatis iustum in se odium timẽs, Germanis ea cõditione id oppidum tradidit, ut ipse Phaliscum montem obtineret. Sed antipõtifex eodem die quo eò uenerat, est Tusculo eiectus, & Rayno à Phalisci exclusus. Tusculani ueritine aliqua ui cogerentur Raynonem recipere, Alexandro pontifici urbem tradiderunt, ubi legatos Henrici Angliæ regis audiuit, cædem Thomæ Cantuariensis antistitis multæ sanctitatis uiri, purgantes, qua Henricus fuerat respersus infamia. Missi; sunt duo antistites supremi ordinis in Angliã (fuit hæc olim Britãnia) ut præsentes rem cognoscerent, quibus in autores cædis anquirentibus, rex Ibernico bello omisso libens affuit. Calumnia in hunc modum discussa est. Rex iureiurando se purgauit, pollicitusque est se ob eam rem pœnitentiam acturum, quòd uiuentem hominẽ in nullo honore habuisset, unde nefariæ illius cædis causa orta uideri potuisset, iniunctum pœnitentiæ loco ut ducenos milites Hierosolymam mitteret ad rem Christianam tuendam, ipse intra triennium cum quàm ualidissimo põsset exercitu Turcis & Saracenis bellum inferret, libertatem ecclesię toto suo regno restitueret, quæ omnia rex se præstaturum iureiurando affirmauit, & quod omnium maximum fuit, passus est ita declarare, ut ipse & filius ita Angliæ regnum obtinerent, ut nemo post illorum mortem regis nomen ferre intelligeretur, nisi quem Romanus pontifex probasset. Sed dum hæc circa Henricum procul Italia aguntur, Alexãder interea ex Beneuento Romam reuersus, ea conditione petijt à populo in urbem recipereturut tantum rem sacram curaret. Cæterum quum id quoque negaretur, Signiam concessit, hic sedenti antistites ab Henrico reuersi, quid in Anglia actum esset ordine exponunt. Adijciunt his multa & magna rerum miracula, quę ex confesso circa Thomæ sepulchrum facta dicerentur post illius mortem. Quibus Alexander permotus sanctorum numero solenni cæremonia ascripsit. Fuit hic annus quo hæc gesta sunt, humanæ salutis undecies centesimus atque octogesimus, ut quidam colligunt. Magna inde discordia orta est inter Hericum & Viranium filium, ex qua tam magnum quàm nefarium bellum exarsit, quod ægre intra biennium resedit. Per quod tempus Federicus Italiam per Cinisium mõtem terrifice inuasit. Alexandriam quatuor mensibus multa ope oppugnatam capere non potuit, soluta obsidione Ticinũ perijt, pactus prius cum ducibus fœderatarum urbium inducias, qui in aperto castra fecerãt, inde pacis cupidus ad singulas ciuitates legatos misit, qui cum his de imperio recipiendo ageret. Placuit nihil fieri, nisi ex Alexãdri sentẽtia, tantaq; interim ciuitatibus ipsis superfuit fiducia, ut Cremonensium consules, quia tardius copias eduxissent, propriarum ædium demolitione multati sint, quando cunctatione illa Ticinensibus gratificati uiderentur, eratque hic rerum status in Italia. Almericus Hierosolymæ rex, quum ob bellum in Ægypto conflatum, Carras longa obsidione fatigasset, esset; non procul ab eo, ut iam urbe potiretur, pecunia quæ sibi debebatur ob Alexandriam tyrãnide liberatam, recepta bello abstinuit. Scio plures esse qui Cayrum ab Almerico oppugnatam arbitrentur, appellantq; locorum errore decepti Carras, quum uerius Mẽphis dici possit, ut alio est loco significatũ. Almericus ex ea obsidione rediens Ascalonem aliquãdiu oppugnauit, sed inde infecta re, nam urbs capi nõ potuit, Hierosolymam cum exercitu reuersus nõ multum superfuit, à quo Balduinus filius, q sextus rex fuit in Syria, regni administrationẽ accepit. In Italia Federicus nouis ex Germania copijs auctus, pacem quã nuper pene supplex petierat aspernatus, fœderatis ciuitatibus, si quãdo aliàs ferociter imminebat, quaproter Mediolanenses Ticinensem agrum Comensemq; hostiliter populati sunt. Interea Alexãder aliquid partibus gratificaturus, Alexandriæ nouę urbi antistitẽ dedit. Federici copiæ per saltum Domusfulæ Comum petierunt, quod ubi sociarum ciuitatum duces exploratum habuere, ad Croacium uicum Comensi uia, in hostem progressi, cruentum ibi prælium commisere. Erant cum Mediolanẽsibus Brixianorum Veronensium & aliarũ sociarum urbiũ appendices, exercitus ingens, ac pene inuictus: cruenta itaq; pugna ibi loci edita, multiq; Germani nominis mortem ex prælio oppetiuere, sed multo plures Ticinẽsium & Comen-

Fœda Ro. clades.

Quomodo Manuel adeptus sit imperium.

Alexandria in Cisalpina Gallia conditur.

Albæ euersio.

Henrici Angli purgatio.

Audituis ecclesiæ quæsitũ in Anglia.

Coracina pugna.

Comenſiũ qui à Federico in acie ſteterunt. Ex Aquiliferis unus interfect⁹ & Aquila capta eſt, Federicus cuius pugna inſignis fuit, confoſſo equo ad terram deiectus, pro mortuo habitus eſt, adeoq; eius mors credita, ut uxor quę Comi tum forte erat, mutata ueſte uirum luxerit, corpusq; à Mediolanenſibus & ſocijs per oratores petierit, ſed quinto deinceps die priusTicinii imperatorio habitu cõſpectus eſt, quàm uiuere ſit creditus. Et Federicus tam infeliciter ad Coracium dimicauit. Multi perſuaſum habuere tam triſti euẽtu ab eo pugnatum, quia Romanam hoſtiliter inſectaretur eccleſiam: plerique etiam urbium antiſtites pœnitentia adducti apertè teſtati ſunt, fore ut breui à Federico deficerent, niſi daret operam, ut cum Alexandro põtifice rediret in gratiam. Miſſi ſunt proinde legati ad eum qui tum Anagniæ erat, eſtq; cum his de pace actum, atque ita comparatum ut Alexander Bononiam iret, Federicus Mutinam procederet. Tum demum fore, ut ex propinquo facile in colloquium uenirent. Cogor hic quod in Venetis rebus feci, id quod ſentio præfatione teſtari, nũquam in re aliqua tam memorabili tantum tenebrarum eſſe unum in locum congeſtum, ſcriptorum uel negligentia uel inſcitia quantum in hæc, quæ de Federici & Alexandri pontificis recõciliatione ſunt literarum monumẽtis prodita, ut fateri oporteat in tanta ſcriptorum diſcrepãtia, aut hos à fide, aut illos magnopere laborare. Externi fere omnes, ex cõdicto hinc Alexandrum, inde Federicum Venetias uenìſſe aiunt, ubi de pace ſit actum. Veneti annales & omnes domeſtici ſcriptores, & ex externis un⁹ Obbo Rauennas, ignoto habitu Alexandrum Venetias delatum memorant, latuiſſeq; hic aliquãdiu, donec agnitus à principe & patribus in magno ſit honore habitus. Cæterum à Federico repetitum, nec redditum, materiam illi præbuiſſe terra & mari ſæuiendi in Venetos, uictoq; Othone eius filio nauali pugna, ac Venetias perducto, de pace agitari cœptum, quæ non multo pòſt ex pontificis & Venetorum ſententia ſecuta ſit. Scio ego in nulla re maiorem obtrectatoribus materiam eſſe præbitã noſtræ fidei infamãdæ, quàm quod in Venetis rebus, quum hic à me locus tractaretur, uiſus ſum Venetos annales externis ſcriptoribus anteponere. Sed utinã inuidia nõ ſemper cæca eſſet, cui ſi quod æquum eſt, quod probabi le monſtrari queat, iam nihil ſit tam facile quàm uanam illorum calumniam diſcutere, nã ut alia omittam, dicant rogo ac boni cõſulant, utrum à communi ſenſu magis diſtet, q, fera lupa ſua ſponte nutriuerit infantes, quòd Chlœlia uirgo Tyberim tranauerit, an quòd is populus qui mari plurimũ poſſet, qui Pipinum regem, regisq; filium, qui Rogerium Siciliæ & ipſum regem, qui Guiſcardũ Rogerio fortiorem, nauali prælio uicìſſet, qui numeroſam Saracenorum claſſem in ora Syriæ deleuiſſet, uicerit & Federici filium, uictum Venetias perduxerit. Sed Liuius, dicet aliquis, Romanos eſt annales ſecutus, qui id ſcriptum habuere, inſeruit ille ſuis hiſtorijs hęc, quia reticere non potuit, aut certe nõ debuit, ne fide uno alteróue loco annalibus abrogata, in cæteris abrogari uideretur. Recte quidẽ, ſed ſi Liuio licuit meras, ut ita dixerim, fabulas ſequi, quia Romani id annales habuerunt, cur nõ mihi quæ & Veneti, quum res Venetas ſcriberem, & in his præſertim quę tam uero ſimilia ſunt ut nihil poſsit eſſe ſimili⁹? At externi ſcriptores nihil eius rei meminerunt. Non tradunt hæc illi fateor, at nũ propterea negant? Quid quòd totum rei ſchema ducenteſimo abhinc anno Veneta ciuitas in comitio figurandum curauit, ut pulcherrimæ uictoriæ monumentum extaret ad poſteros. Nam ne ipſi quidem Veneti, qui inter cæteros mortales ſpectaræ fidei & fuerunt ſemper, & uideri uoluerunt, auſi eſſent tam impudens mendaciũ in publico ꝓponere, ſi aliter perſuaſum habuiſſent, quan-

Scriptorũ diſcrepantia.

Attende de inuidia.

Attende Apologiam.

A quam ne ita quidem aſtructum Romani pontifices, Federicíq; ſucceſſores paſsi eſsẽt inoleſcere, ne duorum principum Chriſtiani nominis fama eiuſmodi ludibrio ſuggillaretur. Sed hæc nõ eò tẽdunt, ut pro confeſſo habeam, quod à multis uarie traditur (neque fidem meam in his obſtringo) ſed an locũ præterire debuerim, præſertim quum res Venetæ ſcribe rentur, quæ quia in ea tempora inciderunt, quibus Latinæ literæ ex omni fere memoria interciderant, defuit ob id omnis ſcriptorum copia. Verum damnant inuidi factum, quod ſi à me eſſet prętermiſſum multo audacius carperent, uel quia neq; bonorum exemplo fieri contigiſſet, uel quòd præiudicio quodam fidem annalibus, quos ſequebar, abrogaſſem. Sum itaq; tunc teſtatus, & nunc planè teſtor, externos ſcriptores omnino diuerſa à domeſticis tradere in his quæ ad Alexandri & Federici reconciliationẽ attinent, & ob eam rem, quid illi, quid noſtri dicãt, inſtituta breuitate breuius referam, non mea ſed illorum fide, quibus hæc prodere curę fuit, interpoſita, integrum ſit omnibus utrum malint credere. Blõdus & alij quos ille ſecutus eſt, ita rem digerunt, ut inter principes comparatum dicant, uti põtifex Bononiam iret, Federicus Mutinam, inde diem & locũ obſeruarent, ubi inter ſe de ratione pacis loquerentur. Mox hæc ſubijciunt, pontifex Garganũ petens, cum duodecim Guilielmi triremibus Venetias nauigauit, quæ inconſtantia eſt hæc, quòd ex urbe Bononiam petiturus Garganum petierit? aut cur trede cim triremes nunc parantur huic, cui una aut altera ad ſummum parari à Siciliæ regibus, amicisq; ciuitatibus cõſueuerit, quoties in Galliam, aut alìò iret? Sex antiſtites ſupremi ordinis terreſtri itinere ſunt Bononiam miſsi, ut illi aiunt. Federicus Mutinam proceſsit, ad quem Terdonenſes Cremonenſesque, relictis ſocijs, defecerunt. Mutata inde loci ratione, B quia Bononia ſuſpecta uiſa eſt, conuẽtus Ferrariam indicitur, quo pontifex profectus mutato iterũ conſilio Federicum Venetias traxit, ubi pax confecta eſt his conditionibus quibus Alexander ab initio opta uerat: eſt & Guilielmo Siciliæ regi, & ſocijs ciuitatibus, quę erant quindecim numero, pax in ſex annos data. Federicus pro foribus Marciani tẽpli ſe ad pedes pontificis dimiſit, inde ad aram maximam progreſsi, ſeſe complexi, manum & oſcula iunxerunt, ac duo principes Chriſtiani nominis, per hæc pacificati, diuerſa loca petiere, Federicus Rauennam conceſſit, Alexãder cum Guilielmi triremibus, & quatuor Venetis, Sipontum tenuit, unde per Troiam & Beneuentum Anagniam petijt. Hæc illi. Veneti annales & Obbo Rauennas, Alexandrum uarijs caſibus iactatum, à Romanis demum petijſſe aiunt, ut omnium rerum humanarum adminiſtratione ciuibus permiſſa, liceret ſibi Romæ tuto eſſe, id quum tenere nequiuiſſet, cæteraque Italia, ob capitale Federici odium, crudeleque eius edictum, foret ubique ſuſpecta, diceretur; Guilielmi fides, uel metu, uel inconſtantia labare, omni ſpe tuendæ dignitatis abiecta, per Apuliam ad Garganum ueniſſe, inde Liburnica nauigauit, ut Obbo ſcribit, Iaderam delatum, mox ignoto habitu ex Delmatia Venetias nauigaſſe. Hic quia parum Venetorum in ſe animum exploratum haberet (pacate enim cum Federico agebant) ad ædem publicæ Charitatis, humili habitu, tandiu latuiſſe, quoad palam ſit factum quis eſſet. Tum uero agnitum à Ziano principe, multaq; officiorum frequentia in publicum eductum, & in Oliuolenſi collocatum. Miſit Federicus qui eum à Venetis ſuo nomine depoſcerent: hi quoniam eiuſmodi poſtulata neglexiſſent, terra & mari ſunt bello petiti, occupauitque primas belli partes Otho qui omnium opinione celerius, cum quinq; & ſeptuaginta triremibus Adriæ inſinuatus, cum Ziano principe in Iapidum ora circa Salborium promontoriũ prælio conflixit.

Scriptũ conſtantia.

Alexandri ga.

Laude h

flixit. Hic uictor Venetus, duabus triremibus in alto depreſsis, octo & quadraginta captis, & in his regia nauicum Othone, qui Venetias perductus eſt, magnũ ſibi & patriæ decus peperit. Inde Otho ſub fide ad patrem dimiſſus, autor fuit componendę pacis. Cętera ſimilia ijs quæ externi prodiderunt: prętermiſſa quod Federicus & Zianus princeps cum Alexandro Romam profecti à noſtris dicuntur, quo tempore aliquot ſit inſignibus inſtructa ducaria maieſtas, põtificis munere, qualia uiſuntur hodie circa principem, quum in publicum procedit, Tubæ argenteæ, aurea Vmbella, Sella aurea, Puluinus aureus, uerſicoloria uexilla, ſed horum quædam, quod ſatis conſtat, aliundè quæſita, quæ omnia haud dubiè agunt ita rem geſtam, ut in Venetis annalibus proditum eſt, ac præter hos, Obbo Rauennas, exter norum unus, eadem memoriæ prodidit. Quod quũ ita ſit, non poſſum non mirari quod in Ziani ducis ſepulchro tam inſignis uictoriæ nulla fiat mentio, nec apud externorum aliquem Federici filius legatur Otho nomine, ſed in re, ut diximus, multum uariatum eſt, nec minus in tempore: quidam enim ita colligunt, ut annus ille quo hæc geſta ſunt, ſeptuageſimuſſeptimus fuerit humanæ ſalutis ſupra undecies cẽteſimum. Alij ſex annos huic numero adijciunt. Fuit Zianus quadrageſimus in ordine Veneto rum principum, tenuitque annos octo rempublicam, quidam ſeptẽ ſcripſere. In huius principatum conferunt, aureæ ædis, quæ & Marciana eſt, opulentiſsimum apparatum, de quo non grauarer hoc loco dicere, niſi tota operis ratio longiore eſſet à me ſermone in rebus Venetis explicata: ſed quum res multo maioris ſit ſumptus, quàm fatu ſcriptóue æquari poſsit, abſurdum ſit credere tantum opus tam breui tempore conſummari potuiſſe, quum ſatis conſtet Suſannæ oratorium, quod in parte templi recẽtiore facie uiſitur, ſex & triginta annorũ ſpatio mu- B ſeaco opere figuratum, duplici artificum manu. Sed dum hęc in Italia fiunt, Noradinus Turcorum rex fatalem obijt diem, cui Saladinus ſucceſsit, omnium eius gentis fortiſsimus, is Syriam & Ægyptum ſuis opibus adiunxit Saletho Damaſci rege & Catheba dino interfectis, quorum ſtipendium meruit aliquãdo. Sic enim ſcribunt quidam. Alij uero Saladinum Saraconis aiũt fuiſſe filium, qui per manus regnũ à patre acceperit. Saracõ, ut ſuprà eſt dẽmõſtratum, ex Syria miſſus, ut Calipho auxiliũ ferret, uictoria parta, Ægypti ſe regem conſtituit. Affixiſſet idem breui res Chriſtiani nominis in Syria, niſi Balduin⁹ qui tum rex erat, illius conatibus fortiter reſtitiſſet, is tertio ſui regni anno Saladini copias fudit ad Aſcalonem, alteroque circa Tyberiadem prælio, uiginti hoſtium milia, in quibus Turci Saracenique fuerũt Saladino duce, pari ſucceſſu profligauit. Prefecerat interim Saladinus Aſiæ, Armeniæ, & Cilicię, ex ſuis ductoribus quendam, & cum eo mediocrem exercitum. Hemanuel Conſtantinopolitanus Saladini abſentiam pro occaſione amplexus, Ciliciam cum exercitu ingreſſus, omnem armis prouinciam ſubegit, inde Aſiam adortus, apud Cimeum fecit caſtra. Occurrit eò Aſiæ præfectus cum decem milibus hominum, qui ubi cum hoſte caſtra contulit, per internuntios cum Hemanuele egit, ut urbium quas cepiſſet, parte ſibi retenta, quod reliquum eſſet ſibi habendum relinqueret, fœdusque inter ſe inirent aduerſus impiiſſimum Saladinum. Adiecerat enim animum Barbarus ad regnum quod præſidio obtinebat hoſtiliter occupandum, ſed ſiue Hemanuel nullam homini fidem habuerit, ſiue habuerit, & ſocietatem Turcorum neglexerit, nihil, quod ſatis cõſtat, ab eo impetrari potuit. Ille ubi ſe pro deſpicato haberi ſenſit, in ſuas artes conuerſus, nam militum numero multo erat inferior, ſimulat fugam, ablatusque repente ex hoſtium oculis, arctiſsimas lo-

Ducis Veneti inſignia.

Zianus.

Marciani templi apparatus.

Noradinus. Saladinus.

A corum anguſtias inſedit. Barbari poſtulata, & copiarum paucitas ueræ fugæ ſpeciem præbuit. Temere itaque Græcus imperator fugientium ueſtigia ſecutus, in inſidias præcipitatur, capiturq; cum omnibus copijs quæ cædi ſuperfuerunt, captus ea lege eſt ab hoſte dimiſſus, ut omnia quæ in Cilicia bello ceperat, Turcis reſtitueret, & hæc per id tẽpus ſunt in Aſia geſta. In Italia Alexandro ex Venetijs Romã reuerſo, Ioannes antipontifex in Albanæ arcis latebras ſeſe iniecit. Romani uerum pontificem magna omnium lætitia in urbem accepere, prius tamẽ cum eo pacti ut Conſules ad regimen urbis crearentur, qui iuramento tamen adigerentur de fide pontificibus & apoſtolicæ ſedi præſtanda. Alexãder per hæc iam tertiò reſtitutus, Lateranenſi conuentu nouì autor fuit decreti, ne ferrum, ligna, armáue Turcis aut Saracenis importarentur. Hoc anno Hemanuel imperator uita deceſsit, Alexius filius adhuc puer ei ſucceſsit, cui Philippus rex Galliæ Agnetem filiam deſpondit. Suſcepit pupilli curam cum imperij adminiſtratione Alexius quidam pueri perneceſſarius: is quum nimis ſeuere imperaret, Andronicus eſt ex Ponto accerſitus, uir facinoroſus, imperatorum ſtirpe prognatus: hic, ut quidam ſcribunt, ob inceſtum cum ſorore perpetratum, extremum ab Hemanuele ſupplicium timẽs, ad Turcos in Aſiam ſeſe contulit. Alij autores ſunt quia res nouas Byzantij moliretur Hemanuelis iuſſu aliquandiu cuſtoditum, inde quum iam meliorem de ſe ſpem daret, Ponticæ oræ ab eo præfectum. In Alexij igitur inuidiam reuocatus, dubium domeſticis an Turcorum opibus fretus, Byzantium reuerſus, Alexium tutorẽ interficit, mox imperandi cupidus, Alexium adhuc pupillum clam interfectum, ſacco quę inuolutum in mare deiecit. Et Andronicus duplici parricidio imperio potitus eſt, ſed principatus crudeliter quæſitus, multoque crudelius adminiſtratus, tam infelicem quàm debuit habuit exitum, quod ſuo poſtea ſit loco dicendum. Balduinus qui adhuc in Syria regnabat, Elephantico, ut fertur, morbo affectus cælebs uixit. Omnis igitur ſobolis expers, ſororem Sibyllam nomine Guilielmo Mõtferratenſi matrimonio locauit, ex quo primo connubij anno uirilẽ ſtirpem enixa eſt. Puerum parentes Balduinum dixere ut auunculi nomen ferret. Per idem tempus Alexãder Romę moritur, anno ſui pontificatus uigeſimoprimo, qui Chriſtianæ ſalutis fuit undecies centeſimus atq; octogeſimuſprimus. Lucius huius nominis tertius ſedem adipiſcitur, quo pontifice Alexius puer, ut quidam prodiderunt, quum uoluptatis causa paruo nauigio ueheretur, eſt in mare ab Andronico pręcipitatus, alij ut ſuprà eſt memoratum, primo necatum aiunt, inde in mare deiectum, quo ſublato confeſtim Andronicus imperio ad ſe recepto omnes pueri fautores interficit. Moritur interea Guilielmus Montferratenſis Hieroſolymis. Poſt cuius mortem Balduinus Sibyllam uiduam ex eo relictã, Guidoni Luſigniano ex Pictauorum gente connubio iungit ea conditione, ut poſtquam ipſe in humanis eſſe deſiſſet, pro tutore ille tandiu regnum adminiſtraret, quoad Balduinus ex ſorore nepos Guilielmo ortus, pupillarem eſſet ætatem egreſſus. Fiebantque hæc omnia ex Lucij pontificis ſententia, quem Chriſtiani duces qui in Syria erant, inſigniter obſeruabant, ut per eum commodius Turcis & Saracenis reſiſterent. Sed dum per hæc Lucius foris feliciter ageret, domi periclitatus eſt: quippe qui pauorum ciuium fauore conſularem poteſtatem tollere conatus, urbe eijcitur, ſocij fautoresque pontificis ad unum luminibus priuantur. Lucius extorris factus Veronæ conuentum habuit, non de ſede recuperanda, ſed quod optimi fuit paſtoris, de repub. Chriſtiana in Syria tuenda relaturus: afferebatur ex prouincia Guidonem qui poſt iunctam affinitatem

Hemanuel imperator capitur à Turcis.

Alexandri decretum.

Lucius III. pontifex.

fuerat à Balduino adminiſtrationi admotus, quia ni A
mis ſuperbe regnaret, ab eo dignitate priuatum, tráſ
lato tutoris titulo in Bertrandum Tripolitanum co
mitem, quo motu Saladinus Hieroſolymitani re
gni fines ingreſſus, multos mortales ſubita ui op
preſsiſſet, & in his templarios milites: de Syriæ igi
tur rebus in eo cõcilio agitatum, ut caueretur ne res
Chriſtiana maiorem aliquam cladem in ea terra adi
ret, quod ut impenſius fieret, uehementer urgebat
Heraclius antiſtes. Heraclij Hieroſolymitani antiſtitis præſentia, qui
imminenti periculo motus ad Lucium pontificem
ex Syria uenerat mox ad Philippum regem in Gal
liam profecturus, ut auxilia ab eo imploraret. Mo
uit Gallos duces Heraclij præſentia, armaque ſimul
expediri cœpta, affuerunt que non multo pòſt mili
tes qui ad bellum mittebantur, nam per partes in Ita
liam tranſcendebant, ut pontificis arbitratu in Sy
riam traijcerentur. Nec adeò multi adhuc aderant,
quum Guilielmus rex Siciliæ Alexij pueri mortem
ulturus Andronico bellum intulit, Theſſalonicaq;
in ora Macedoniæ capta multas Græciæ Thraciæq;
urbes magnis prius cladibus affectas, imperio ade
mit. Nec Andronicus præſentibus malis ire obuiã,
ſciebat ſe ſuis ciuibus inuiſum, quum ob Alexij &
principum cædem, tum ob infanda ſcelera quibus
omnia diuina & humana polluebat. Conſtantino
politani huiuſmodi neceſsitate adacti, Iſacũ ex im
peratoria ſtirpe, cui uni ex primoribus ad id tẽpus i
gnouerat Andronici ſæuitia, dubium caſu an conſi
lio, ex Peloponneſo, ut quidam ſcribunt, Byzãtium
accerſunt, imperijque ſummam decernũt. Sunt qui
ſcribant ad Andronicum quum Byzantij eſſet, acci
tum ire ad eum recuſaſſe, & ob id principis iram ue
ritum, in publicum repente proceſsiſſe ciuiumq; fi
dem ab eo imploratam, atque in eo tumultu impe
rium Andronico abrogatum, magnoq; omnium cõ
ſenſu Iſaco delatum. Andronicus ſiue in ordiné re
dactus, ſiue uictus prælio, nam utrunque traditur, B
terrima eſt morte multatus, quæ eo atrocior fuit
Attende odiũ ciuitatis in Andronicum. quo magis ignominioſa. Enimuero altero lumine
priuatus aſinæ impoſitus per totam eſt urbem cir
cumuectus præpoſtere ſedẽs aſinæ cauda manibus
pro ſceptro alligata, capite alliorum reſte præcincto
diadematis loco, promiſcue uiris mulieribus que in
præteruehentem multa probra iacientibus, conge
rentibus que in eius faciem lutum & alia dicta fœ
diora. Demum eò proceſsit ira, ut pendens laqueo,
uncis & harpagonibus à mulieribus petitus, multq;
que particulam corporis ex laniatu adeptæ mande
re ſint auſæ: & Andronicus per hęc tam atrociter pe
rijt quàm antea imperauerat. Poſt cuius mortẽ Gui
lielmus cum Iſaco pacem & amicitiam iũxit, quem
Lucius pontifex Syriacæ expeditionis ducem deſi
gnauerat, ut cum iſs copijs quæ ad id tempus para
tæ eſſent, quotidieque parabantur, in Aſiam ad res
Chriſtiani nominis tuendas tranſmitteret. Cæterũ
dum nuntij ad Guilielmum eunt, Lucius Veronæ
moritur, quadriennio quàm ſedere cœperat circũa
Ingens in Syria terræmotus. cto. Sub Lucij exitum terra in Syria horrendè, ut ſi
quãdo aliàs, mota eſt. Antiochia, Tripolis & Dama
ſcus magna ex parte conciderunt, ſed Catina in Si
cilia multo fœdius conuulſa, quinque & uiginti mi
lia hominum ruinis oppreſſa, & mare circa inſulam
inſolito æſtu innumeros mortales ſubito obruit au
ctu: Italia prodigioſa grandine concuſſa eſt, iacuitq;
Vrbanus III. pontifex. ſparſa in anſerini oui ſpeciem. Vrbanus tertius Lu
cio ſucceſsit, quem ſtatim honore inito cura ſubijt
ſedandæ in Syria diſcordiæ, quę Balduini morte cõ
tinuò extitit. Enimuero eo defuncto Tripolitanus
comes, qui tutor datus erat Balduino, Sibylla pueri
matre & Guidone eius uiro inhibentibus, tutelam
ſibi iniunctam obire non potuit. Nec puer diu ſuper
ſtes fuit, ſed octauo menſe ab auunculi interitu fato
defunctus eſt. Habi[illegible] eius mors tandiu in occul-

to, quoad Sibylla profuſa largitione tenuit, ut con
ciliato ſibi principum fauore Guido Luſignianus
cui nupta erat, rex declararetur. Tulit eiuſmodi de
clarationem iniquo animo Raimundus, confeſtim
que in Guidonis inuidiam cum Saladino inducias *Chriſtianæ diſcordiæ.*
paciſcitur, atque ita Tripolis, Tyberiadis, totiuſque
Galileæ principatus ab Hieroſolymitano rege, uel
potius à Chriſtiano nomine defecit. Tum Saladi
nus ratus ueniſſe tempus quo rem Chriſtianam diſ
ſidio conuulſam uel modico conatu affligeret, ad
Ptolemaidem fecit caſtra, ubi cum Templarijs bre
ui pòſt acie conſſixit. Fuit Templariorum res ſupe
rior, ſed uictoria admodũ cruenta, fortiſsimo quoq;
eius ordinis cum magiſtro ſacræ militiæ eo prælio
interfecto. Auxit exercitum Saladinus, repetitque
Templarios multo atrociore quàm antea bello. Tũ
Raimundus reputans animo quantum rei Chriſtia
næ periculum à Saladino impenderet, quum ne ipſe
quidem multum illi crederet, cum Guidone in gra
tiam redit, ſimulq; inducias quas cum Saladino pe
pigerat uiolenter abrumpit. Barbarus ira accenſus
Ptolemaide omiſſa in Tyberiadem omnẽ belli im
petum uertit. Efflagitare Chriſtiani uiri, atque om
nium maximè Templarij, ut in Saladinũ iretur: nec
Guido tot uirorum fortium conſenſu eſt pugnare
auſus, itur ita que in hoſtem, caſtra caſtris conferun
tur, nec longior inde fuit mora, biduo quàm ad Ty
beriadem uentum eſt, ex compoſito utrinque eſt in
aciem deſcenſum. Fuit id prælium Chriſtianis duci
bus infelix, copiarum parte multo maxima aut ca
pta aut cæſa. Guido cum omnibus uiris illuſtribus
in hoſtium poteſtatẽ uenit, quorũ multi ſunt ſecuri
percuſſi. Nec Saladinus ſibi defuit in tam inſigni ui *Saladini ſuccęſſus in Syria.*
ctoria, Acconem properè duxit. Chriſtiani qui in ur
be erãt metu perculſi continuò deditionem fecere,
pacti ut cum ſingulis ueſtimentis inde incolumes
mitterẽtur. Pari celeritate Berytum, Biblum & alia
maritima loca uictor occupat. Aſcalo quia ualidius
munita eſſet, aliquot diebus oppugnata eſt, ac po
ſtremo his conditionibus dedita, ut Saladinus Gui
donem & nouum templariæ militiæ magiſtrũ pro
ximo loco captos reſtitueret, eſtq; id negotium à Sa
ladino properatum, quia indicio compertum habe
bat Conradum Montferratenſem Tyrum peruenif
ſe cum Græca claſſe ab Iſaco accepta, cuius ſororem
in matrimonio receperat. Conſtans ad id fama erat
Guilielmum Silicię regem haud multo pòſt cum ua
lidiore adhuc claſſe in Syriam uenturum. Turci di
uerſa parte audito Saladini ſucceſſu, & ipſi ferociter
Chriſtianos adorti, Laodiceam illis adimunt, Antio
chenum agrum tumultuoſe irrumpunt, ubi illis re
penſa eſt clades à Saladino nuper Chriſtianis ad Ty
beriadem illata. Saladinus Aſcalone recepta Hiero *Hieroſolyma capitur à Saladino.*
ſolymam magna ui adortus, non prius deſtitit Chri
ſtianos qui obſidione tenebantur, omnibus modis
fatigare, quàm aſsiduis terroribus inopia que rerum
omnium tricti, ea cõditione deditionem fecerint, ut
tantum liceret inde ſecum aſportare, quantũ quiſq;
ſuis ferre poſſet humeris: ſic Hieroſolyma octauo & *Quando Chriſtiani Hieroſolymã tenuerũt.*
octogeſimo anno quàm à Gothifredo & alijs Chri
ſtianis ducibus fuerat recepta, in impiorum manus
recidit. Fuit ille annus humanæ ſalutis ſextus & o
ctogeſimus ſupra undecies centeſimum. Chriſtiani
nominis uiri qui ex Hieroſolyma dedita cum Hera
clio antiſtite dimiſsi ſunt, pars Tyrũ, alij Antiochiã,
quidam Alexandriam petiere. Multi mortales in ur
be remanſerunt Saladini permiſſu, ex Chriſtiano ri
tu nihil mutatum: qui in captæ urbis incolatu perſe
uerarũt, fuere Af[illegible] Armenij, Iacobitæ, Geor
giani & Græci quorũ[illegible] geries adhuc durat. Hie
roſolyma recepta, continuò Saladini iuſſu omne æs
campanum eſt è turribus depoſitum, templa pro
phanata, præter illud quod Salomonis dicitur. Id
uero priuſquam ſubierit roſacea lauari iuſsit aqua.

Ex

Ex Hieroſolymis Saladinus Tyrum petijt, eſtq; in- A
de infecta re abire coactus à Conrado multa ui re
pulſus: & hæc in Syria. Vrbanus pontifex Hieroſo
lymæ amiſſæ triſti nuntio affectus, ſolicitus adhæc
de Antiochia, cui Saladinus imminere dicebatur,
comparandę claſsis gratia Venetias petebat, quum
& mœrore animi & corporis laſsitudine æger Fer
rarię decubuit, ibique paucis diebus uita defunctus
eſt, quum annum unum ſediſſet, & amplius denos
Gregorius octauus pont. menſes. Gregorius qui á primo eius nominis octa
uus fuit, à Bariona centeſimus & octogeſimus, Vr
bano ſubſtituitur. Qui cõfeſtim à ſua creatione om
nes Chriſtiani nominis principes literis & nuntijs
hortatur, ut ad Hieroſolymam bello recuperandam
ſecum arma induant, quę expeditio ut celerius pro
cederet, Piſas decreto petit, ut pace inter Piſanos &
Genuenſes compoſita, utrunque populum tempe
ſtate illa maritimis opibus pollentem, ad inſtruen
dam claſſem hortaretur. Sed dum optimus põtifex
Clemẽs tertius pont. ſtudio rem procurat, Piſis altero ſui pontificatus mẽ
ſe moritur. Clemens tertius qui illi ſurrogatus eſt,
inchoatum negotium excipit, ſtatim propoſito edi
cto de bello in Saladinum & omnem impiorum gẽ
tem comparando. Sed ille dum hæc in Italia agun
tur, quinque & uiginti Antiocheni principatus urbi
bus captis, ipſaque Antiochia, urbis antiſtite largi
tione corrupto, iam potitus erat. Pararunt nihilo ſe
Chriſtianorũ apparatus in Turcos. cius bellum Chriſtiani duces, Federicus imperator,
Philippus Galliæ, & Ricardus Angliæ reges, Otho
Burgundiæ dux, & cum his antiſtites clariſsimi. E
rant tunc Veneti Delmaticis, ut ſæpe aliàs, rebus oc
cupati, & iam cæteris urbibus quæ ad Belam Pan
noniæ regem defecerant, receptis Iaderæ imminebant, quum Clemens ab his publicè petijt, ut & ipſi
quàm opulentiſsimam claſſem pararent ad bellum,
quod ut commodius fieret dedit enixè operam, ut
inter Venetos & Belam in biennium inducię fierẽt. B
Ornant itaque Veneti claſſem, inſtruunt & Piſani
ſuam, qui Venetis iuncti in Aſiam abierunt. Prœceſ
ſit horum in eam terram acceſſus Tranſalpinorum
ducum expeditionem, ut Ptolemais quę & ipſa iam
hoſtibus ceſſerat, prius cœpta ſit oppugnari quàm
Federicus Thracio Boſphoro copias traiecerit. Phi
lippus rex cum Ricardo infero mari emenſo Meſſa
nam in Sicilia tenuit. Hinc digreſſus in grauem inci
dit tempeſtatem, qua iactatus in Cyprum inſulam
delatus eſt, eá Gallus latè populatus eſt, quia ab in
ſulanis portu excludebatur. Friſones interea, Daui
& Flandrenſes cum quinquaginta triremium claſſe
per Gaditanũ fretũ ingreſsi, ut credere par eſt, nam
interno mari fuiſſe eorum claſſem inſtructã uix cre
diderim. Hi curſu Aphricam petiere, egreſsique in
littus, multis eam terram cladibus afficiunt, Silicinã
urbem ex ea gente captam diripiunt. Bela, inquit
Platina, Poloniæ rex pacem Pannonibus dedit, ne
pium bellũ impediret. Sed Bela Pannoniæ rex fuit,
ut Veneti produnt annales, cum Venetisque indu
cias pepigit, ut ſuprà ſignificaui, quibuſcum per id
tempus de Delmatiæ poſſeſsione certabat. Guido
Luſignianus regio tumẽs nomine Tyrum conatus
fuerat occupare, Hieroſolymis deiectus. Cæterum
Tyrij Conrado Montferratenſi à quo diu fuerãt de
fenſi, parere maluerũt. Tum Guido cum ea piorum
manu quam circa ſe habuit, & his quos Tyrij de
derunt, Acconem oppugnabat, quum Veneti & Pi
ſani in Syriam uenere. Affuit nec multo pòſt Saladi
nus cum ingenti exercitu, ſub cuius acceſſum ex cõ
poſito utrinque eſt in aciem deſcenſum. Fuit ab ini
tio res Chriſtiana ſuperior, inde fuga imaginario
metu orta, ingens fuiſſet clades excepta, niſi Gaufre
dus Luſignianus qui ad preſidium caſtrorum remã
ſerat, ſubita eruptione ſuos à fuga in prælium reuo
caſſet ſimul & hoſtium impetum inhibuiſſet. Ceci
derunt nihilominus ad duo milia Chriſtianorum,

& in his magiſter Templariæ militiæ, eſtque nihi
lominus in obſidione perſeueratum, ueneruntque
in ea caſtra & Friſones cum ſocijs, ſunt qui dicant
eos prælio interfuiſſe, affuit & Philippus cuius ac
ceſſu Chriſtianorum opes multo ſunt firmiores fa
ctæ. Cæterum quo maiores erant copię, eo citius fa
mes ſentiri cœpta eſt, quæ breui adeò inualuit, ut
Chriſtiani uiri premente inedia, ad triginta milia *Chriſtianorũ fames.*
numero ſublatis clamoribus ad hoſtium caſtra ac
ceſſerint, inde annonam petituri. Saladinus uelut i
gnarus eorum quæ fierent, quum iam antea indicio
compertum haberet, qua rerum penuria Chriſtiano
rum copiæ premerentur, ſimulata fuga caſtra deſer
uit omnis opulentiæ referta. Credita res eſt, diſcur
ſumque eſt temere in prædam. Tum Saladinus ſu- *Attende Saladini artem.*
bito recurſu ea parte Chriſtianos recenti oneratos
crapula inuadit, qua erat illis reditus in caſtra, hicin
numeri mortales occidione occiſi ſunt, ſed maior
conſternatio fuit quàm cædes, tenuit tamen obſi
dio, perſeueratumque eſt in Acone ſiue Ptolemaide
oppugnanda. Interea Conradus Montferratenſis Iſa
bellam Sibyllæ ſororem quæ Rhodi erat, adhuc
uirginem, uerum Herfraudo Toronio nobili adole
ſcenti deſpõſam, rapuit, ſibiq; matrimonio iunxit:
erat hæc genita ex Balduino quarto, qui ſexto loco
Hieroſolymis regnauit, quo fretus connubio Con
radus cœpit regis appellationem uſurpare. Diſpli
cuit exemplum alienæ ſponſæ rapiendæ, cæterum
Cõrad⁹ profuſa largitione & obſequio ita ſibi prin
cipum animos deuinxerat, ut ad id flagitium conni
uerent potius quàm in uulgus criminarentur. Per i
dem tempus Guilielmus rex Siciliæ Panormi mor
tem obijt ſine hærede, quo contigit ut regnum ad
eccleſiam deuolutum uideretur. Primores tamen
regni Tancredum Rogerij qui rex fuerat, ex concu
bina filium regem creauere, quem ob inertiam Gui
lielmus ne agnoſcere quidem uoluit unquam. Miſit B
Clemens exercitum ad Calabriæ & Apuliæ poſſeſ
ſionem Romanæ eccleſiæ uindicandã, quibus tum
Tancredus ferociter reſiſtit, omnia citra fretum fœ
data ſunt cędibus & rapinis. Aſsidebãt Acconi Chri
ſtiani duces, quum Federicus imperator per Panno
niam & Thraciam ingentem trahẽs exercitum, By
zantium uenit. Eius arma ueritus Iſacus qui tum in
Græcia imperabat, autor illi fuit copias confeſtim
traijciendi, traiecto in Aſiam exercitu Philomelum
Federicus ex hoſtibus primo cepit, alij Philomenã
ſcribũt, ſed parum integra uoce, inde Iconium pro
cedens circumiectam illi regionem populatur. In
greditur dein Germanus exercitus minorem Arme
niam, totamque eam terram armis ſubigit. Hic im
perator lauandi ſtudio rapidum flumen ingreſſus, *Federici Barbarubræ interitus.*
uorticibus abreptus perijt. Et Federicus cui Barba
rubræ cognomen fuit, quique primus ex Sueuis po
titus eſt imperio, hunc ſortitus eſt exitum. Eius co
piæ in Antiochenum agrum delatæ, partim morbo
perierunt, partim fuga diſsipatæ ſunt. Circumſede
batur adhuc Ptolemais à Chriſtianis ducibus. Cle
mens pontifex ueritus ne Italico motu Galli duces
qui in Syria erant, bello diſcederent, quod ne ponti
fici quidem ea res curæ eſſet, non modo alijs, à Tan
credo armis infectando deſtitit: conuerſus itaq; ad
res eccleſiæ ornandas, Laurentinæ ædis extra mu
ros ædificauit atrium, Lateranenſem baſilicam uer
miculato & muſiuo opere excoluit, fuitque hoc illi
ultimum humanorum operum, ipſe anno tertio q̃
ſedere cœperat fato deceſsit. Per id tempus Humi- *Humiliatorũ origo.*
liatorum ordo in Germania oritur, exordium rei tri
ſte, ſed læti ſucceſſus: multi mortales aut bello ca
pti, aut quia fides eorum ſuſpecta eſſet, fuerant ex
Ciſalpina Gallia in Germaniã traducti Federici im
peratoris ſæuitia, nec enim ſemel ea terra Barbaru
bræ ductu eſt Sueuis armis concuſſa, hi longiorem
moram pertæſi, aliquando albis ueſtibus amicti ui-

ri fœmineq́ue humiliter ad Federici pedes proſtrati iacuere ueniam implorantes. Horum lachrymis ue ſtituq́ue motus imperator, poteſtatem fecit omnibus in patriam abeũdi, qui poſtliminio reuerſi ſunt, uoto, ut credere par eſt, in eo habitu perſeueraſſe dicuntur, lanificio & orationibus dediti. Inde ut fit res à modico principio orta, adeò creuit ut rem pièinchoatam auctamq́ue inſigniter, Romani pontifices plerique numero ſuo aſſenſu probarint, auguſtioremq́ue fecerint ſanctioribus indultis. Benedicti dogma in pluribus ſecuti Humiliatorum nomẽ ex eo, ut arbitror, tulere, quod ad Fœderici pedes quando/que humiliter proſtrati iacuiſſent. In Clementis demortui locum Cæleſtinus ſuffectus eſt, eius appellationis tertius. Ferebat nouus pontifex iniquo animo Tancredum Siciliæ regno potiri, Conſtantiam itaque Rogerio natam, qui rex fuit Siciliæ, in ſacris agentem, occultè in prophanum adductam (erat enim iam matura uiro) religione ſolutam, Henrico Federici qui in Armenia perijt, filio matrimonio locat, Siciliamq́ue iuueni cum Calabria & Apulia tribuit, ea conditione ut tributum penderet apoſtolicæ ſedi, atque ita ſua Romanæ eccleſiæ iura in his terris inoffenſa manerent. Erat Henricus poſt patris interitum rex declaratus, quem Cæleſtinus ut maior accederet autoritas imperatoria appellatione inſigniuit. Héricus Tuſculum pontifici reſtituit, ille reſtitutum Romano Populo tradidit, ſed parũ prudenter. Enimuero Romani fœdiſsimam ob cladem, & ad recordationem teterrimam circa Tuſculum & pro Tuſculo acceptam, inſigniter Tuſculanos odiſſe, quæ res fecit, ut oppidum ſibi traditum confeſtim diruerint, ac tam infenſe, ut uix tam celebris nuper loci extarent ueſtigia. Saxa inde Romam translata & in Capitolino cliuo ex his quædam diſpoſita. Obſedit Henricus nonnihil Neapolim, uerum orta in caſtris peſtilentia cum toto exercitu in Germaniam reuertitur. Ptolemais ſiue Acconiam biennio obſeſſa, tandem ea conditione dedita eſt, ut Barbari qui in præſidio fuerant, ſingulis ueſtimentis incolumes dimitterentur. Sed quum dominica crux non reperiretur, Ricardus qui eos deduxit, cruciatus deliter trucidauit, qui à Philippo educẽdi erãt, ſunt cum Chriſtianis commutati. Saladinus Ptolemaide amiſſa, quæcunque urbes uiſæ ſunt ſitu & opere minus idoneę ad reſiſtendum, mœnibus nudauit, & in his Porphyriam, Cæſareã, Aſcalonem, & Gazam. Ricardus contrà Ioppem inſtaurauit, piorumq́ue colo niam fecit. Et iam Saladinus de Hieroſolyma Chriſtianis relinquenda conſilia agitabat, ut quandoq; tam longo bello defungeretur. Cæterum audita Philippi & Ricardi diſcordia, in ea retinenda perſeuerauit. Duorum regum diſceptatio ex principatus æmulatione eſt orta, quæ res nobiliſsimas ſæpe uictorias deformauit, fuitq; magnarum cladium cauſa tam ducibus his quàm exercitibus. Hoc, credo, uidit Homericus ille Vlyſſes, qui unum in bello regẽ, unum ſibi optat ducem dari. Principatus itaque cupiditate uterq; alteri fuit impedimento in re bellica adminiſtranda. Cæterũ Philippo Syria decedente, Ricardus maiore quidem animo quàm antea bellũ geſsit, nec multo pòſt priuſue quàm Philippus prouincia deceſsit, duo ſicarij Conradum in publico interfecerunt, qui ex fuga retracti, exquiſitiſsimisq́ue cruciatibus affecti, confeſsi ſunt coniuraſſe in cædẽ omnium Chriſtiani nominis. Iſabella poſt Conradi cædem Henrico nupſit Campaniæ comiti, quibus nuptijs Tyrum eſt ille adeptus. Ricardus rex Guidonem Luſignianum comiter appellando, multaq́; pollicendo eò pellexit, ut ſibi Hieroſolymitani regni iura permiſerit, quo contigit ut Angliæ reges in hunc diem regiam eius urbis appellationem uſurpent, id regia eius gentis diplomata edictaq́ue demonſtrant. Auctus his Ricardus Hieroſolymam oppugnare conſtituit, agebatq́ue eò exercitum, quum Saladinus extremum agmen adortus, haud mediocri affecit incommodo, inde circa Bethleem metatus eſt, ne ex Ægypto commeatus in caſtra ferri poſſent. Anglius rex frumentariæ rei inopiam ueritus, & quia iam hyems appetebat, relicta obſidione ad quam Romanus pontifex miſsis etiam in ſtipendiũ pecunijs uehementer hortabatur, in hyberna Aſcalonem conceſsit, nudauerat muris hanc urbem Saladinus, quos hybernorum tempore inſtaurauit Ricardus, loci opportunitate allectus. Interim Chriſtianorũ copiæ ſupra modum diminutæ ſunt, alijs aliò dilabentibus. Piſani quia eo triennio quo in Syria fuerant, tanta cum Venetis æmulatione certauerant, ut res in mutuum odium graueśque exierit inimicitias, uel quia Rhodiacam ignominiam ulciſci uoluerunt, quum Italiam repeterent in Adriam flexere, Polamq́ue ſubita ui captã retinere conati ſunt, atque ibi loci hyemare. Veneti (nam & ipſi quoque ex Syria redierant) Piſanorum iniuria accenſi, confeſtim eò occurrũt, urbeq́ue armis recepta Hetruſcas naues ad præſidium relictas concremarunt, maior enim pars claſsis aberat, ut præſidio eſſet aliquot ſuorum nauibus, quæ mercibus onuſtæ, ex Pontica negotiatione redibant. Venetus Polam qua parte mari adiacet, mœnibus nudat, non tam in ciuiũ inuidiam, quàm ne Piſani amplius eam occuparent ſtationis cauſa illic habendæ: inde Veneti ut Piſanos aliqua maiore clade afficerent, Methonem profecti, extructæ claſsi cum negotiatorijs nauibus Peloponeſi oram legenti ex aduerſo occurrũt: fit pugna ſed breuis, nam præſidiarijs Piſanorũ fugatis, duę mercatoriæ captę ſunt. Exarſiſſent hincinde odia multo latius, eſſerq́ue toto mari aperte bellatum, niſi Cæleſtini autoritas interceſsiſſet, pacataq́ue eius arbitrio res eſſent. Aureus dux ſponte ſe dignitate abdicauit, monaſticam uitam ſecutus, in cuius locum Henricus Dandulus ſuffectus eſt. Hoc principe, ut quidam ſcribunt, hæc circa Hiſtriam & Peloponneſum geſta ſunt, quę proximè de Piſanorum motu memorauimus. Sequẽti anno quum iam uernum tempus appeteret, Ricardus Hieroſolymam repetiturus ſtudio bellum comparat, nuntiatur interea Philippum Gallorum regem eo conſilio res Normanicas hoſtiliter infeſtare, ut ad Angliam inuadẽdam ſibi uiam aperiret, quam adeptus Ioanni eius fratri regẽdam traderet. Ricardus ueritus ne dũ procul domo, pro republica Chriſtiana bellaret, proprij regni iacturã domi faceret, cum Saladino his conditionibus bellum compoſuit, ut præter Ptolemaidem (Tyrus enim & alia quædam loca minus illuſtria iam antea à Chriſtianis tenebantur) cætera eo triennio capta reſtitueret, Saladinus ab Chriſtianorum rebus omnem uim abſtineret. In Europam inde reuertitur Anglius rex, nec ita multo pòſt bello captus magno auri pondere eſt à ſuis redẽptus. Geſsit inde cum Philippo grauiſsimum bellum, ſæpeq́ue acie duo reges conflixere, Cæleſtino pontifice reclamante deteſtãtèque id bellum ceu Chriſtianæ rei calamitoſum, per quod Syria hoſtibus proderet. Saladino enim uita defuncto, quippe qui per id tempus deceſſerat, nulli dubium fuit, quin minimo conatu res Chriſtiana in ea terra in integrum reſtitui potuerit. Ferunt (quando eò uenimus ut de Saladini interitu mentio fieret) in funere interiorem eius tunicam lanceæ trunco ſuſpenſam, in modum trophæi prælatam, præcone clamante, Saladinus Aſiæ dominator ex tanto regno tantiſq́ue opibus nihil ſecũ præter hoc unum defert, ſpectaculum tanto rege dignũ, cui nihil aliud ad ſummam laudem defuit præter Chriſti fidem. Cæleſtinus quia Saladino extincto magnam ſpem præceperat Hieroſolymæ recuperandæ, Henricum ad Aſiaticum bellum hortatur, iam enim ex Tancredi morte trans citraq́ue Farum fuerat

Cæleſtinus tertius pont.
Attende Cæleſtini factum.
Venetorum Piſanorumq́ue multæ.
Tuſculum diruitur à Romanis.
Ptolemais recipitur.
Diſcordia ducum calamitoſa.
Angliæ reges, Hieroſolymæ reges.
Saladini interitus.

fuerat regno potitus, id negotium quia imperator obire non potuit, aut potius noluit, Maguntinum antiſtitem & Saxonię ducem cum exercitu miſit in Syriam. Profectus eſſet ad id bellum & Philippus Galliæ rex, niſi Saraceni per id tempus Hiſpaniam ulteriorem ex Mauritania inuaſiſſent, regeq́ue eius terrę capto Bethicam ſubegiſſent, nunc Granata eſt: tenuerũt iam inde terram ipſam Saraceni uſque ad hanc ætatem. Ferdinandus rex Hiſpaniæ his paucis annis impietatem gentis inde ſuſtulit, quod ſuo ſit poſtea loco dicendum. Cæterum quia Saraceni præſenti uictoria ferociores facti haud quieturi uidebãtur, neceſsitatem Philippo impoſuere in Europa remanendi. Germani qui ab Henrico miſsi ſunt, Berytum muniuere ab hoſtibus deſtitutum, & Ioppenſes leuarunt obſidione, erantq́ue & Hieroſolymam bello petituri, quum Cæleſtini mors eſt in Syriam nuntiata. Obijt Cæleſtinus anno ſexto ſui pontificatus, uir inſigni pietate, & cui una præ cæteris cura ſemper hæſit animo, ut Hieroſolymam ex impiorum manibus extorqueret. Huius opera fuerunt, pontificię ædes in Laterano, & in Ioannis Zacharię templo quod ibi loci eſt, æneæ fores, & ad Apoſtoli baſilicam in Vaticano pontificia domus, magno, ut tum res erant, apparatu: dedit & Vetulonenſi eccleſiæ antiſtitem. Innocentius iij. Cœleſtino ſucceſsit, qui continuo honore inito eò animum intendit ne Aſiaticũ bellum interpolaretur: nam Henrico mortuo, qui per idem tempus quo Cœleſtinus deceſsit, Germani qui ad id bellum profecti fuerant tumultuari dicebantur, nec ut in officio perſtarent, literis aut pollicitationibus potuit ullis pontifex impetrare: & ut omnia in peius abirẽt haud multo pòſt Ioãnes rex Anglię Ricardum fratrem interfecit, regnũq́ue parricidio adeptus, à Lodouico Philippi filio qui tum in Gallia regnabat, graui bello petitus eſt. Tum uero ouuiſſe fertur, ſi regnum ſibi incolume manſiſſet, futurum ut Anglia & Hybernia uectigales eſſent apoſtolicæ ſedis, magnumq́ue auri pondus uoto nũcupauit, quod duæ illuſtres inſulę quotannis Ro. ponti. penderent: ſui itaq́ue uoti damnatus, quum ipſe, tum ſucceſſorum plerique, ut rite uotum erat, ratum habuere. Per id tempus Eremitanus ordo inſtauratus eſt, quum temporum iniuria pene ad interitũ perductus eſſet. Inſtaurationis autor Ioannes Bonus Mantuę natus, eiuſdem uir profeſsionis. Germani qui Maguntini antiſtitis ductu, Henrici auſpicijs in Syria belligerabant, ubi de Henrici interitu ſunt certiores facti, non prẽmio, uõ precibus, non Innocentij pontificis autoritate flecti potuerunt, ut in prouincia amplius eſſe uellent, conſternati animo, magno Chriſtianæ rei detrimento Syriam relinquunt, Ioppenſes ab illorum deceſſu confeſtim oppugnati ſunt, nec quum deditionem ultrò facerent, eam recepit hoſtis, ui igitur capti ad unum crudeliter trucidantur, urbs funditus euerſa, & iam res in Syria pro deſperatis haberi. In Europa Bela rex Pannonię per id tempus uita deceſsit, duo ab eo filij relicti, Henricus maior natu, & Andreas, huic quia maior multitudinis erat fauor cõciliatus, ui ad ſe regnum trahebat, eratq́ue iam res armis decernenda, quum Henricus arduum facinus auſus, ſed à regis indole minime abhorrens, in aduerſam fratris aciem inermis ſeſe immiſit, regale ſceptrum gerens clara teſtatus uoce uelle ſe experiri ecquis in regiam progeniem auderet manum inijcere. Tum uero accidiſſe aiunt, ut Henricus ubi ad cõſpectum uenit fratris, trepidantibus cunctis qui circa illum ſteterant magis quàm ſæuientibus, maior natu, ac proinde fortior minorem fratrem in ueſtigio obtruncarit, ſic ille neſcias maiore animo an felicitate ſibi regnum ſtabiliuit. Eſt & in Germania ſeditione laboratum, alijs imperij nomen ad Othonem, Saxoniæ ducem trahentibus, Philippum alijs præferentibus, hominem Germanici ſanguinis atque Hetruriæ ducem, quem Henricus moriens tutorem filio reliquerat, & ut latius ſerperet diſcordia, Ricardus rex Angliæ Othonis fauebat partibus, Philippus Galliæ Hetruſco duci. Innocentius pontifex ne incendium quod huiuſmodi fomitibus alebatur, in Chriſtiani nominis perniciem gliſceret, Othonem declarauit imperatorem, ab his iam antea nominatum, quibus imperatoris eligẽdi ius erat. Nec Philippus deſtitit bellum comparare, Hetruriam in Italia præſidijs firmat, & in Germania Sueuiam. Idem fecit & Conſtantia ab Henrico uidua nuper relicta, quæ ut ſibi & Federico filio quem puerum adhuc pater reliquerat, regnum ab omni externa iniuria tueretur, cis ultraq́ue Siculum fretum opes regni ſtudio firmat. Erantq́ue res Italiæ his motibus magis ſolicitæ quàm bello obnoxiæ, quum Innocentius omnia ſua conſilia ad reipublicæ Chriſtianæ uſum referens, cum pleriſque externorum ducum egit ut in Turcos arma induerẽt, quod illi quũ pontificis tum humanæ pietatis ſtudio commoti, cum quatuor milibus equitum & quingentis, peditum octo milibus in Italiam deſcẽdere. Erant Veneti in Delmatico bello parando occupati, nam Iadera quintò rebellauerat, quum Tranſalpini duces Venetias uenere, claſſem ſibi mercede quærentes, qua copias in Aſiam tranſmitterent. Veneti tantam gerendi belli occaſionem ex inſperato oblatã haud aſpernati, mercenariam non ſolum his operam deferunt, ſed in bello etiam adminiſtrãdo ſocietatem ita pacti ſunt, ut Delmatiæ ſtatu pacato, ubi quicquid bello receptum eſſet, Veneti ut antea tenerẽt, bellum in Aſiam ea conditione trãſferretur, ut quęcunque ex hoſte loca caperentur, dimidium Venetis cederet: & fœdus in hæc ſancitum, ſimulque opulenta claſsis inſtructa eſt, quæ ducentas & quadraginta habuit naues, ſexaginta triremes bello inſtructas, onerarias ſeptuaginta, & centum uiginti Arcilia, ſic enim dicunt Veneti nauigia ad conuehendos equos, Græci Hippagones uocant. Dandulus dux ad id bellum profectus eſt, etſi debilis uiſu, quo penè priuatus fuerat, ut alio eſt loco ſignificatum, Hemanuelis fraude. Externi duces Balduinus & Henricus, hic diui Pauli, ille Flandriæ comites, Bonifacius Montferratenſis, & Lodouicus Allobrogum comes Tergeſtini & omnes Hiſtrię accolę, qui maria curſu infeſtabant, tanto belli apparatu perterriti, ſub primum claſsis appulſum ad Henricum mittunt, qui ueniam implorent. Data eſt pax Hiſtris: centum uini amphoræ tributi nomine imperatæ, quarum dimidium Tergeſtini darent, reliquum Humagenſes, & ut Venetias irent qui in publica uerba iurarent, perpetuò ſe tributum daturos, permanſurosq́ue in fide, quam ultro ſui maiores à Venetis olim imploraſſent. Ex Hiſtria Iaderam claſsis admota eſt, fuitq́ue ea oppugnatio omnium opinione longior, multus cruor utrinque fuſus atrocioribus pręlijs quæ circa oppidum geſta ſunt cum Pannonibus qui præſidio urbi erant. Poſtremo Iadera armis recepta, cæterum ut materia toties rebellandi uniciuitati adimeretur, quà mare ſpectat mœnibus nudatur. Hyems interea magnis ſæuire cœperat procellis: placuit itaque hic tandiu eſſe, quoad uere apperente mare fieret tractabile. Et iam medium hybernorum tempus exierat, quũ Alexius Iſachij Conſtantinopolitani principis filius quæ ſceleratas domeſtici hoſtis manus effugerat, ad Venetũ ducem & ſocios uenit. Hic puer ſupra ætatẽ multa de perfidia & crudelitate patrui queſtus, qui Iſachium patrem, cuius beneficio magno auri pondere fuiſſet olim à Turcis redemptus, atque ita humanè tractatus, ut quamuis multo minor natu eſſet, uixerit tamen ſemper cum eo imperante ex æquo, ſubita ui oppreſſum priuaſſet luminibus, priuatũ arceriſsime uinxiſſet,

Granatæ dimiſſio.
Cæleſtini opera.
Innocentius III. pont.
Anglia & Hybernia uectigales.
Attende Henrici facinus.
Attende fœderis conditiones.
Bellicus apparatus.
Attende occaſionem Venetos & ſocijs oblatam.

uinxisset,uinctum in fœdum & tetrum carcerē cōi
cisset: orare proinde multum obtestariq́; ut pro ue-
teri patris sui in omne Venetum nomen beneuolen
tia,pro fide,focietate, hospitio, proque omnibus be
neficijs quibus ille rem Christianam circa Byzantiū
ac toto suo imperio aliquando iuuisset, afflictis re-
bus suis opem ferrent,ne patris orbitatem in maio-
ribus quàm cæcitas ipsa attulisset, tenebris diutius
iacere, ne se puerum patre omnibus quę necessitudi
nibus orbatum, omni ope & auxilio destitutum, pa
tria, domo, paterno imperio porrò fugatum, inopē
& egenum errare paterentur. Polliceri adhæc si in
pristinam fortunam restitueretur, magnum auri pō
dus, præmia multa & magna, quæ recepto imperio
bona esset fide persoluturus. Mouerunt ducum ani
mos pueri lachrymæ, & tenera ætas, cui facile fauor
conciliatur, sed magis prę̄mia quę promittebantur,
nam præter cætera spes prętendebatur, fore ut si A-
lexius cum patre imperium recuperasset, Constan-
tinopolitana ecclesia Romanę subijceretur, quę om
nia ab his qui eius fugæ erant comites, fuerat puer
edoctus, ut credere par est. Talia enim policri uix
multa ætate proiectis in tanta consternatione suc-
currisset, non modo huic qui nondum pueritiæ an-
nos fuerat egressus. His conditionibus ad prima ue
ris signa duces profecti Byzantium uersus cursum
intendunt, post classis discessum continuò in Del-
matia tumultuatum est: Iadrenses subita rebellione
omnia circa se turbare sunt adorti. Exarsisset multo
larius is motus, nisi ex improuiso Rainerius Dandu
li filius qui proprinceps relictus à patre fuerat, ex Ve
netijs cum aliquot nauibus ex improuiso in Delma
tiam delatus, defectionem nuper motam oppressis-
set. Iadrēses obsides dare iussi sunt, quibus acceptis,
pacato prouinciæ statu, Rainerius domū cum classe
reuersus est. Galli duces interea cū Veneta classe per
Hellespontum ingressi, ad Bosphorum usque Thra
cium processerant. Obiecerat Alexius qui multo pri
us resciuerat de bello quod in se parabatur, catenā
ad fauces sinus qui inter Byzantium iacet & Peram,
sedet hic locus ęregione Byzantij, modico traiectu
distās, unde illi nomē inditū credibile est. Dum igit̄
hic hæret classis, nam nisi catena discussa nulla spes
dabatur oppugnandæ urbis, uenerunt ex Cręta in-
sula legati, qui insulam publico nomine dediderūt
Alexio puero, eam deditam & receptā Alexius Bo-
nifacio Montferratensi uiro impigro, arctaque con-
sanguinitate sibi iuncto tradidit habendam, nec ita
multo postquam Cretenses cum his uenere, catena
quæ sinui prætendebatur, uiolentissimo Ceteæ u-
nius impulsu diffracta est, simulque Veneti sinum
ingressi, Gallorum copias in terram exponunt: Con
tinuò itaque urbs terra mariq́ue oppugnari cœpta,
Byzantiū oppugnatur. obstruxerant Græci fauces interioris portus uiginti
triremibus ad pugnam instructis, arctissimoque ne
xu in angusto collo catis, estque biduo hic laboratū,
peruicit tamen Venetus, atque hac quoq; parte non
sine magno certamine portum irrumpit, & à terra
cruentum est prælium commissum cum Theodoro
Lascari, qui Alexij imperatoris erat gener. Is facta
ex urbe eruptione aliquandiu Gallos tumultuario
prælio fatigauit, postremo uictus, magnaque suorū
cæde in urbem compellitur. Atrocior inde oppu-
gnatio est urbem terra & aquis adorta, coniectusq;
ignis in urbica ædificia incendiū concitauit ingens.
Venetis in muros euadentibus & in urbem irruptu
ris aduersa ui Græci resistunt, ægre urbs primo die
Alexius imperio excidit. est defensa, nocte quæ deinceps secuta est, Alexius
imperator desperatis rebus, uxore & liberis relictis,
occulte fugam occupat, magno auri pondere apud
Irenem filiam, unam ex sacris uirginibus humi de-
fosso. Patefacta Alexij fuga, Isachius solutus custo-
diaque eductus in medium producitur, & Alexius
puer in urbem incredibili omniū fauore accipitur,

A uterque à multitudine salutatur imperator, magnæ
utrinque gratulationes, sed quæ ob miserabilem se
nis orbitatem non caruerint lachrymis. Post hunc
itaque senis & filij congressum Isachius pro concio-
ne pronunciat se omnia probare, & pro ratis habere
quę filius cum Venetis Gallisque suæ dignitatis as-
sertoribus pactus fuisset, & iam animum ad id unū
senex intenderat, unde promissum aurum socijs ex-
pediret, quum morbo ex aëris insolentia contracto
moritur. Nec minor inde extitit Alexij cura in exol-
uenda fide, ut non solum quæ deberentur benemе-
ritis ducibus prę̄stare paratus esset, sed iuuare etiam
cōmeatibus & auxilijs in Asiam transmissuros, hæc
ille animo agitare, quum ingrata ciuitas iam antea
seditionibus assueta, meliora euertit consilia, orto
nanque in urbe tumultu, multitudo cum clamore
in Alexij domum minaciter irrupit, ibi maledictis
& conuicio iactantes, quod dissoluēdæ pecuniæ stu
dio, quam temere puerilitérque auarissimę genti &
Græci nominis immicissimæ promisisset, non dubi
taret nobilissimam urbem ueteribus fortunis spo-
liare. Hic puer tam atroci motu sibi timens, consi-
lio supra ętatem usus, alta uoce pronuntiat futurum
se in suorum ciuium potestate. Compressit uox illa
ex ore principis audita nocturnum tumultum: po-
stridie consilio paucis amicorum communicato, ad
Bonifacium propinquum suum mittit, ut tertia pro
ximæ noctis uigilia, cum expeditis cohortibus sibi
auxilio ueniret, magnum sibi uitæ periculum insta-
re à ciuibus dicens, ac nisi maturè adesset, fore ut bre
ui actum de fede imperioque audiret, orare proinde
obtestariq́ue ut puero & consanguineo cōsiliorum
indigo, in aperto discrimine subueniret, daturum se
operam ut porta qua urbem inuasurus esset, ad tem
pus pateret. Fuit in ijs qui eius consilij particeps e-
rant, Alexius cui Myrtilo cognomen erat, alij Mur-
ciphum scripsere, hūc Isachius ex infima plebe mul-
B tis & magnis honoribus ad dignitatē euexerat: ho-
mo igitur ambitiosus & ad omne tetrum facinus
promptus, Alexij consilium aperit paucis aduersæ
factionis, iniungitque his negotium, ut eadem hora
qua priore nocte recētem excitent tumultum, quo
ex composito, cæterum præter bonorum opinionē
exorto, Myrtilus trepidanti Alexio autor fuit, sese
in abditissimam domus partem illatebrandi: hor-
tando itaque ac periculi admonendo eò perpulit, ut
infelix puer funesto hominis consilio acquieuerit,
ad locumque dein perductus asseruari iussus est, ip-
se consilij autor in publicum egressus, per speciem
sedandi motus ita pro cōcione uerba fecit, ut quum
præsentem statum rerum questus docuisset quantū
periculi immineret ciuitati, ab ijs qui terra & aquis
eam circumsederēt, non puero opus esse diceret, sed
uiro aliquo prudētia non uulgari atque eodem for-
tissimo, qui ciuitatem & res imperij manifesto peri
culo labantes uirtute & consilio erigeret. Est itaque
quod maxime optabat, consecutus, ut pars una mul
titudinis eum præfectum urbis, altera belli ducem,
tertia imperatorem declararit: ipse ab ea declaratio-
ne confestim satellitum propinquorumque caterua
stipatus, sese ex publico proripuit in Alexij domū,
ac puerum quem antea ueneno petitum necare non
potuit, elisō gutture propria necauit manu, homo
tam perfidus quàm ingratus, peperitque summum
Isachij beneficium summam ingratitudinem. Con-
stituit primo Myrtilus Venetos hinc, inde Gallos
pellere armis, cæterū terrestres copias prius inuasu-
rus, ita aciem instruxit, ut in frōte sacerdotes essent
cum Deiparę iconibus. Fuitq́; ab initio acris pugna,
ad ultimū Græci cum strage & multa cæde in urbē
pro uictis cōpelluntur. Icon uirginis Græcis adēpta
est, id in bonū omē Italici Galliq́; uerterūt, rati certā
sibi ex eo portēdi uictoriā, quòd numē cœlicolis &
mortalibus populare, à Grę̄cis ad se trāsiuisset: tum

Attende Alexij cædē, Myrtilij; facinus.

uero ad hanc defectionē iterum fœdus inter Vene-
A tos & Gallos est ictum (omnes enim scelerati Myr
tilum bello persequendum censebant) scriptum est
in nouo fœdere, ut quicquid urbium, insularum, lo
corū̄q; ex Constantinopolitano imperio bello quę-
reretur, dimidium Galli duces haberent, reliquum
Veneti, alij ut tertia pars Venetorum esset, scriptū
prodidere, quibus ipsa diuisio quæ postea facta est,
haud dubie astipulatur. Vrbs inde octo & sexagin-
ta dies oppugnata, tantaque animorum pertinacia,
quanta nunquam antea. Veneti sicut in priore oppu
gnatione, Græcis muro deiectis, aliquanto prius q̄
Galli à mari uobem occuparunt. Alexius ubi urbem
una ex parte captam uidit, cum uxore ac pellicibus
magnaq́; ui auri, intempesta nocte Byzantium reli-
quit. Cuius fuga posteaquam palàm facta est, ciues
ancipiti malo destituti, nam hostis iam murorū par-
te potitus erat, magis pertinacia quadā quàm quod
spem ullam in armis repositam haberent, aduersa ui
resistunt, mittuntq́; simul sacerdotes cum iconibus
Byzantium à Gallis & Venetis capitur. ad Venetos qui muros tenebant, ueniam supplices
orant, mittuntur & qui à Gallis pacem exposcant,
nec incassum missæ preces, recipiuntur dediti, por-
tæ Venetis Gallisque patefiunt. Byzantio recepto,
quindecim uiri creati sunt, quorum imperatoris eli
gendi potestas esset, atq; illud expressum, ut si Galli
nominis imperator crearetur, Veneti darent quem
suæ uellent gentis antistitem. Veneti ex electorum
numero quinos dedere, Flandrensis & diui Pauli co
mites, totidē. Montferratensis & Allobrogum du-
Balduinus imperator creat. ces numerum impleuere. Horum suffragio Balduinus Flandrensis imperator creatus est, Veneti Tho
mam Maurocenum, priuo suffragio, urbis antistitē
creant. Is Romam uenit ad Innocentium pontificē,
quem adeptæ dignitatis fecit autorem. Fuit annus
ille quo hęc circa Byzantium gesta sunt, millesimus
ducentesimus secundus humanæ salutis. Anno qui
B secutus est, omnia quæ sub Isachij imperio fuerant,
præter Adrianopolim, Gallicis Venetisq́; armis ces-
sere. Multi mortales ex tota Grę̄cia Latini nominis
odio Adrianopolim profugerunt. Galli duces consi
ciendi belli studio, quicquid urbium, prouinciarū,
uectigalium fuerant ex fœdere sortiti, Balduino im
peratori attribuunt, additum præsenti munificen-
tiæ, ut quæcunque loca imperij postea reciperen-
tur, uelle se pronūtiarint omnia Balduini nomine
Diuisio Constantinopolitani imperij. recepta uideri. Scribunt quidam quarta imperij par
tem illi datam, inde quod reliquum fuit, in duas par
tes diuisum, quarū unam sint Veneti ex fœdere sor-
titi. Cæterum quia id totum, quod est Venetis da-
tum, in insulis, quæ in Ionio & Ægæo sunt, absume
batur, esset̄q; tum Creta insula Bonifacij, non mul-
to prius ab Alexio illi, ut suprà est demonstratum,
dono attributa, Balduinus ad tollendam discordiā,
& ut socijs, quæ promissa essent, ex fide persolueren
Creta insula Veneto cessit. tur, Bonifacium Thessaliæ regem declarauit, insu-
lamque illi ademptam Veneto nomini tradidit ha-
bendam: quæ omnia ut firmius tenerent, Henricus
dux Venetus Marcum Sanutum, & Rabanum Car-
cerium ad Bonifacium misit in castra, quę Galli tūc
ad Adrianopolim habebāt, hi Balduini decreto am
plissimisque muneribus datis, facile tenuerunt, ut
Montferratensis princeps ius, quod Alexij munere
quæsitum in ea insula habuit, Veneto nomini libēs
cesserit. Sub id tempus Thomas Constantinopoli-
tanus antistes, Romam reuersus, quatuor triremes,
quę in supplementum classis mittebantur, domi pa
ratas inuenit, quibus usus, quum Byzantium decre
to peteret, præteruehens Delmatiæ & Macedoniæ
oram, Ragusium recepit, & Dyrrachio, quam urbē
Constantinopolitani imperatores penè incultā re-
liquerant, præsidium imposuit. Hinc perpeti naui-
gatione usus, ubi Byzantium uenit, pontificis nomi
ne diadema, cæteraq́; imperatoria ornamenta Bal-

A duino attulit, quibus Gallum, celeberrimo morta-
lium cōuentu, Maurocenus antistes insigniuit, fuit
lux illa non Venetis solum & Gallis, sed & Græcis
lætissima. Fuerunt per id tempus, quo hæc circa By
zantium gesta sunt, uiri ingenio clari, Helomandus *Viri illustres.*
Frigidi montis, monasticæ professionis, qui de tem
poribus scripsit. Papias, qui de uerborum significa-
tione opus magis copiosum, q̄ aut eruditum, aut ele
gans. Vernerius Lucerna iuris sciētiæ doctissimus:
is ad iuris interpretationem glossemata primus, ut
fertur, inuenit. Duo Bosiani, Cremonenses ambo,
eadem disciplina clari. Azon Bononiensis Bosiani
auditor, quem nisi ualde probasset Baldus, nunquā,
ut credere par est, illius toties meminisset. Legitur
summa iuris eius nomine, quæ in hac scriptorū con
gerie, qua hodie legulei premuntur, haud in postre-
mis censetur habenda. In hæc tempora conferunt
quidam Carmelitanæ familiæ ortum, res haud du- *Carmelitarum origo.*
bie à Carmelo monte Syriæ est, qde & nomē ipsum
arguit. Est Carmelus quum aliorum quorundā pro
phetarū, tum Heliæ & Heliseī incolatu, in Syria no-
bilis, id credo secuti Anachoritarū non pauci nume
ro locū tenuere, qui demū Almerici Antiocheni an-
tistitis opera in unū coiuere, quum antea sparsim cir
ca mōtem agitarent: tum primum igitur & hone-
sta præcipiendo, & parendo humiliter, sub uno ali-
quo agere cœperunt. Fuit forte iuxta fontē, qui He-
liæ dictus est, uetustius Deiparæ phanū in eo mon
te, hic prima cœnobij ratio illis inita, suntq́; fortas-
sis inde Carmelitanę uirginis fratres nuncupati. In-
cidit prima hæc institutio in Alexandri tertij tempo
ra, uerū quia neq; uitæ instituto, neq; cultu, neq; cæ
remonia illa nitebat nouus ille cœtus, abortus qui
dam, non res legitima instituta uisa est à principio,
ueram icaq; originē arbitrati sunt quidam, quæ an-
no post circiter quinquagesimo secuta est Innocen-
B tij tertij pontificatu. Albertus Hierosolymitanus an
tistes, apostolicæ sedis legatus, his in Eremo agenti
bus certam obseruationis dedit formam ex Basilij
instituto quædam mutuatus. Attributum est palliū
uersicolor ex albo & canusino circulatum, quali di-
citur Helias prophera olim usus. Creuit familia hęc
breui lateq́; in multas diffusa est regiones, eratq́; u-
biq; gratus propheticus pallij habitus. Cæterū quo
magis luxuriosa erant incrementa, eò plus inuidiæ
apud multos nouæ religioni conflabatur, estque ob
id multifariam oppugnata. Honorius tertius pallij
formam ademit uelut religioni parum conuenien-
tem, pro circulato & uersicolore album est illis da-
tum, ita ut sub eo canusinati essent, sicuterque color
retentus. Viri in ea familia sanctitate & doctrina cla
ri, Cyrillus utiliter multa scripsit, Franciscus Marti-
neus, Gerardus Bononiensis, Guido Parpiniacen-
sis, & alij pleriq; numero: fuerūt sacerdotio illustres
quidam, & in his Petrus Caseius Hierosolymitanus
antistes. Pudet locorum & religionis huius initiato
rum immensum numerum referre, quem in cōmen
tarijs Carmelitani cuiusdam alioqui multi nominis
reperio: nisi forte sit in numero error, pro mendacio
haud dubiè refelli possit, ut septem milia sint hodie
cœnobiorum & quingenta Carmelitani nominis,
in quibus sacris operentur centum octoginta & am
plius initiatorum milia: quod si omniū Christianæ
pietatis religionum cœtus in unū conferas, uix ut ar
bitror, tam ingens expleatur numerus: sed tantum
abest ut fidem meam in eo obstringam, ut ne relatū
quidem in hoc uideri uelim, tanq̄ dignum duxerim
cui fides haberet. In hæc tempora incidit Scytharū *Scytharum expeditio.*
expeditio illa memorabilis, quā immensa uis homi
num patrijs montibus egressa, qua parte terra ipsa
ad Indiā spectat, Parthiam primò prędata est, mox
Mediam, Assyriam, Persidem, Armeniā peruagata,
in Sarmatas processit, hic circa Mæotim uictrix gēs
sibi sedes fixit. Et ex autoribus quos sequimur, tam

ieiunè ne maligne dicam prodiderunt rem longe memorabilem,ut nec qui Scytharum hi fuerint sciri possit,nec quæ imperij ab his cõditi appellatio: nos Armenium Aytonum secuti, ad Tartaros Scythicá gentem,eam relationem attinere arbitramur, cuius regni originem in hæc tempora ille conijcit. Sed de his in parte proximi uoluminis apparebat explicatio. Eadem tempestate Innocentij, qui tum pontifex erat,auspicijs Almæ Trinitatis ordo cepit exordium, Ioanne Marensi & Felice Anachorita autoribus, qui quum aliquandiu ad frigidum ceruũ Meldẽsis agri fuissent, iussi ambo sunt per quietem Ro. põtificem adire, uitæ institutum ab eo petituri: iam pontifex & ipse nonnihil antea prẽuidit eos affuturos simul oraculo instructus. Cæterum benignè accepti pallio ab eo albo sunt ambo amicti, cærulea & rubenti cruce insignito, quali habitu cælestis nuntius pontificis sacris operanti astitisse fertur duos in manibus captiuos habens, quod uisum Innocẽtius secutus almę trinitatis fratres eos & qui dein futuri essent appellari iussit de captiuorum redemptione.

Trinitatis ordo.

A

ENNEADIS IX. LIBER VI.

Rouidentia euenit,ut credere equũ est,non casu, quod Innocentio tertio sedente,multum sit innocentiæ uirtus illustrata,multum & religio, innocentiæ mater: nam & Carmelitana,ut proximo est loco demonstratum, per id tempus religio uel orta est, uel tum demum in lucem edita, & duo Christianæ pietatis lumina terris affulsere,quibus multo maxima parte orthodoxa creuit fides, autores incrementi huius, Dominicus Calaguritanus Hispani generis,& Franciscus Assisias,in Vmbria Italiæ regione ortus,æquales hi,uterq; enim alterum uidit,& hic quidem sanctitate clarus, & ille, sed numerosa familia clarior Italus, quæ ex eo orta est. Hispanus ille canonicus ab initio fuit,ac cũ paucis, quos sibi delegit socios, qui diuina potius fuerint prouidentia oblati, noua instituit obseruationẽ,nouumq; habitum ijs qui secum cõmilitiũ facerent,quiq; postea facturi essent: cãdidam tunicam induxit, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine, nec tantum pietatem colere docuit, sed pietatis lucem sua prædicatione,unde nomen habent,longeq; lateque terris omnibus propagare, nec tantum præcipere hæc Calaguritanus, sed facere etiam, Christum regem imitatus,nam & Tolosæ hæresim iamdudum glisscentem,mira celeritate compescuit. Vidit Innocentius tertius nouum institutũ,miratusq; est,Honorius qui illi succesisset ratum apostolica fecit auctoritate.Nec facile sit referre quot numero uiri sanctitate & doctrina clari, in ea familia extiterint, & in his ut familiæ lumina dicantur, Thomas Aquinas, Innocẽtius, Petrus Martyr, & alij multi,qui partim diuorum sunt numero ascripti, partim beatorũ appellationem sortiti. Censebantur quum hæc commentaremur, una & uiginti prouinciæ prædicatorum,conuentus siue cœnobia quatuor milia, centũ, quadraginta tria, & in his initiati sex & uiginti milia, quadringenti sexaginta, quorum circiter mille quingenti essent theologicæ professionis magistri, multi præterea familiæ huius in Armenia,& Æthiopia,quæ est supra Ægyptum,hodie Indiam uocant, peregrinantium adhæc congregationes, circa Byzantium, quorum numerus iniri non possit,ut plànè significant illi, qui de hac re ad me commentarios dedere,& Dominici Calaguritani tam insigniter creuit familia, ipse totam propè Europam peruagatus, ad annum humanæ salutis tertium & uigesimum supra duodecies centesimum, Bononiæ est uita defunctus. Gregorius nonus diuorum catalogo ascripsit, ut suo postea loco explicabitur. Humilior Franciscus, qui, ut scribunt quidam, Aurelij Augustini sacris initiatus, calceatusque & scortea zona cinctus aliquandiu conspectus est, inde reputans animo illud Euangelicæ historiæ quo sanctissimi iubentur apostoli neque binas tunicas, neque sacculum habere, unicam induit tunicã natiui uelleris, funiculoque præcinxit, pedes nudauit, Anachoritam inde egit, uisitur hodie crepido in Apennini iugo, cui Lauernæ est nomen, ubi ille diuinis intẽtus dominicę passionis stigmata accepit. Quos sibi piẽtissimi instituti fratres ab initio optauit,manifesto humilitatis argumento minores dixit. Incidit illud institutum in annum humanę salutis septimum supra duodecies cẽtesimum, raro ac nescio an unquam uerius dixerim, ullum humanæ pietatis institutum maiora sensit incrementa,totum orbem terrarũ una hæc impleuit familia,quadraginta prouinciæ, quibus Minoritanum nomen est insertum, in custodias diuiduntur, custodiæ quæ multæ sunt numero, in conuentus & loca. Franciscus Antracinus Theologicæ professionis homo, in ijs commẽtarijs quos ad me de huiusmodi re dedit,sæpius testatur, difficile sibi uideri locorum numerum posse ab ullo inueniri,sed multo difficilius initiatorum, qui ut idem ille,cæteriq; de eadem re à me appellati coniectura assequũtur,sint hodie ad sexaginta milia numero. Sepe & hoc fando auditum,magistrum uniuersi ordinis polliceri quandoq; ausum Pio pontifici maximo expeditionem in Turcos paranti, ex Seraphici Francisci familia triginta bellatorum milia, qui bellica munera nauiter obire possent, nihil sacrorum cultu interpellato. Verum hæc quæ parum liquidò traduntur,in medio tutius erunt. Instituit,quod satis constat, Assisias ille, humilitatis & continentię doctor, diuersum ab eo quem diximus ordinem,hunc pauperum quidam dixere,diuæque Claræ attribuitur: constat hic ordo plurimum muliebri sexu, tantaq; initiatorum uis est, ut hic quoque numerus latè omnibus terris diffusus iniri nullo modo possit. Sequitur tertius ab eo ex eodem fonte manans, Pœnitentes dicuntur, in hoc quoque innumeri mortales,tantoque sanctitatis profectu ut plerique beatorum sint numero ascripti, sed plura præcipuaque religionis lumina in primo ordine emicuere, uiri sanctitate illustres, Franciscus Assisias tantæ rei autor, Antonius Patauinus,Lodouicus regia Gallorum stirpe, Bernardinus Senensis, Bonauentura,Otho, Accursius, Bernardus, Petrus & Auitus,qui uno martyrio cœlum meruere.Theologica sapientia clari Bonauẽtura, cuius nuper mentio incidit, Ioannes Scotus, Franciscus Maronius, Ricardus, Nicolaus Lyrensis, & alij innumeri: nam florem religionis attingimus. Summi pontifices quinque Minoritani nominis, supremi ordinis antistites sex & uiginti, inferiorum multo maior numerus quàm ut facile comprehendi possit.Nec has modo accessiones sensit Christiana pietas, Innocentij pontificatu, sedit enim annos duodeuiginti,sed Eremitanus ordo,qui erat iam propemodum extinctus, instauratur. Sunt & Crucigeri Lateranensi conuentu probati supremo Innocentij anno, qui salutis fuit humanæ duodecies centesimus,ac quintusdecimus, quum pestilens esset Romæ hæresis orta, magnusque ex ea motus extitisset, multi qui tum forte in urbe erant, cruce signati, in Syriã,credo,ituri,aut certè inde reuersi, Innocẽtij hortatu pestem illam in horas glisscentẽ nauiter extinxerũt,quidã Albiensem ab autore, ut reor,eam nuncuparũt hæresim. Placuit adeò factum, ut pontifex Crucigerorũ nomẽ propè ad interitum perductum, erexerit

Diuus Dominicus & Franciscus Assisias.

B

Prædicatorum conuentus, & initiatorũ numerus.

Francisci institutum.

Attendimentum, gionis Britannia.

Eremitanus ordo instauratur.

Crucigeri probantur.

erexerit autoritate sua,ornaritq; priuilegio haud uno.Sed res multo antiquior est, omniumq; ordinũ post pontificiam dignitatẽ uetustissima,si uera sunt quę homines eius religionis ad me primordium rei requirentem,longiore sermone exscripserunt. Cletus,qui Petri primi põtificis fuit discipulus, & mox tertio ab eo loco pontifex, cœlesti nuntio monitus dicitur crucem habente,ut hospitalem domum fundaret ijs qui Romam peregrè uenirẽt religionis causa,essentq; ibi præstò, qui itineribus fessos comiter exciperent,pieq; reficerent,gestarẽt hi perpetuo crucem,monumentum dominicæ passionis. Rem his principijs ortam(nam paruit Cletus oraculo) Cyriacus Hierosolymitanus antistes, quem Iulianus apostata occidit, primus illustrauit ac nonnihil auxit, mox Innocẽtij tertij pontificatu multo illustrior facta,inde quartus Innocentius religioné prope adultam optimis excoluit institutis : tribuit & Alexander tertius multum huic ordini, multoq; uenerabiliorem reddidit suo diplomate. Habitu olim coloreq; indiscreto usi sunt,postremò Pij secundi pontificatu,Mantuano cõuentu,datum ut cæruleo tantum uterentur,crucem gestant uereri instituto, unde inditum familiæ nomẽ. Viri in his sanctitate clari præter Cyriacum,Raynaldus & Sollicitus,qui cũ eo martyriũ subiere,Ventura Spoletanus, Liberius regis filius,crucigerorum loca hodie quinquaginta numero. Subit nunc illa reputatio quod Francisci Assisiatis,& Calaguritani Dominici ordines, & qui Eremitani dicuntur, experti sunt uelut diísidium quoddam in suo quisq; instituto,ut ex una duæ sint uelut familiæ factæ,non cultu,non cæremonia, sed obseruationis discrimine,ut qui primo instituto acquiescũt,multo remissius agant uacentq; plurimũ contemplationi: alij paulò liberiore uita sacrarum literarum studia impensius quàm illi affectent. Balduinus,qui post Byzantium à Gallis & Venetis captum,fuerat imperator declaratus intra annũ quo fuit imperio potitus,uita decesit. Sunt qui scribãt ad Adrianopolim uictum in hostium potestatẽ uenisse,atq; in uinculis morte consumptũ,alij Byzantij aiunt fato defunctum.Henricus eius frater ex Adrianopoli reuersus,imperator salutatur.Nec Dandulus dux multum fuit Balduino superstes, Byzantij obijt anno sui principatus tertiodecimo,in Sophiæ atrio situs est.Prodijt in lucem fatidicum carmen,quod referre non pigeat, uel quia apud quosdam pro Sibyllino receptũ uideo, aut quod ad Henricũ,cuius nunc fit mentio,attinet. Æneadũ, inquit, gloria (nam à Constantino orta est Sibylla,si Sibyllę fuit id uaticiniũ) Byzantiũ deducetur,eruntq; Danai in robore delicato,usq; ad Leonem sexaginta pedum,donec catulos eius ursus deuoret,hunc Aquila despecta ursum disipet. Aquilam hircus obumbret,pullum uoret aquilæ,fietq; portentũ in Adriacis aquis congregatio, cæco duce hircum abigent, Byzantium prophanabunt,hircus non balabit amplius,nec gallus cantabit usque dum sexaginta tres pedes &pollices nouem discurrant.Romanum,inquit,imperium quod Constantino principe accidit, Byzantium transferetur, eritq; pacatum usq; ad Hemanuelis imperatoris tempora,qui uixit annos sexaginta,huius liberis peremptis Andronicus imperium ad se trahet, quẽ autor carminis ursum appellat,Isachus ab Hemanuele prognatus despectus antea Andronicum obtruncabit. Alexius Isachum fratrem Græcanico ritu barbatum, insidijs exceptum, priuabit luminibus, priuatum in uincula conijciet. Est & Alexius Isachi filius ab eo uictus, ut scribunt quidam, qui ruptis uinculis ad Venetos profugit, tum Veneta arma Gallicis iuncta, Dandulo duce, quem Hemanuelis fraus uisu priuauit, in Græciam transibunt Byzantio capto, Grẽcis imperium auferetur,tum neq; imperator Græcus, neque antistes, quorum hunc gallum, illum hircum Vaticinium appellat,annos tres & sexaginta,& menses nouẽ non erunt in Græcia, & fatidicum illud carmen hoc habuit,in quo nihil sanè fuit cui non suus responderit euentus. Post Henrici interitum Zianus Sebastiani qui princeps fuit,filius,dux est Venetijs creatus. Vi ri Veneti nominis qui Byzantij agebant, prætorem sibi Petrum Zenum ea conditione legunt, ut is demum magistratus pro raro haberetur,si princeps & populus Venetus probassent, res publico decreto probata est.Per idem tempus Thessalia recipiẽ, Bonifacius Montferratensis receptæ ex Balduini decreto,rex declaratur, erantq; iam omnia Græci imperij subacta,præter Adrianopolim quæ diu circũsessa,multifariamq; fatigata,capi non potuit, Valachorum gente ultra Danũbium sita à Græcis qui eã urbem tenebant,stipendio accersita. Igitur quia nihil assidendo proficerent, Henricus imperator & Bonifacius omissa obsidione,Byzantium repetunt, cæteras imperij partes ordinaturi, erantq; res circa Byzantium si non lætæ,non tamẽ aduersæ, quum Saladinus Iconij princeps Sataliam urbem Græcã, qua Christiani duces in Asiam traiecturi aliquoties fuerant usi,subita ui adortus cepit,captam diripuit, cædes per omnem ætatem & sexum euagata. Sita est urbs in ora Ciliciæ,unde nũc sinus nobilissimus nomen habet,olim Issicus dictus.Est & alia impiorum manus peridem tẽpus ex Aphrica Hilmimolini Tunetani regis ductu,Europam tumultuose adorta, primoq; ad Toletum castra fecit, quo terrore motus Innocentius,publico edicto omne Christianum nomen hortatus est ad eam terram periculo eximẽdam,multi mortales ex Gallia sunt ad id bellum profecti, quorum auxilia Hispani non receperunt,suspectum,credo,erat Gallicũ nomen ipsi genti. Cæterum externis uiribus repudiatis,domesticis nequeuntibus aut nolentibus Aphro hosti resistere, magna est clades Hispanis eo bello accepta. Apher utrãq; Hispaniam sine uindice populatus, Arelatum usq; processit. Tam fœda iniuria demũ perciti Hispaniarũ reges,ad ultionẽ consurgũt, iungũtq; in unũ copias quatuor eius terræ reges, Castulonis, Arragoniæ,Portugalliæ,& Nauarræ: estq; nõ multo pòst cum Aphris magno prælio concursum. Fuit ea pugna Christianis ꝓperrima, Hilmimolinus uictus,copijsq; penè exutus, omnia quæ in Hispania tenebat,præter Granatá Beticæ urbẽ totregũ opib⁹ impar factus,breuiter amisit.Sed dũ hæc alibi fiunt, interea Otho imperator à Philippo,cui prælatus fuerat in imperio,non uno prælio superatur: postremò in Coloniam Agrippinam compellitur,ubi obsidione fatigatus,quum ex urbe in hostem erupisset, essetq; eo prælio inferior,à Colonienſibus excludiẽ, urbs Philippo dedita est, quo haud multo pòst fraude interfecto,Otho in Italiá transgressus, ab Innocẽtio imperij insignia accepit.Veneti interea quũ oês Ægæi ferè & Ionij maris insulas ex imperij diuisione fuissent adepti,essetq; earũ numerus ingens,pau cis publico præsidio retentis, cæteras hominibus Veneti nominis,ut quisq; hanc uel illam temerè occupasset,tuendas reliquerunt: sic multi uelut in colonias missi,cum liberis & uxoribus ac tota domo in insulas migrarunt,quod idcirco factum scribunt quidam,quia ciuitate maioribus rebus circa Byzantium occupata,passimque insulæ à maritimis prædonibus fœdarentur, apparebat breui futurum, ut in his quæ sine præsidio essent, frequens iniuria acciperetur. Placuit itaque priuatis opibus minores insulas defensum iri,quando maioribus curis ciuitas implicata, publicis non posset. Igitur ditissimi quiq; & qui unam duás ue triremes alere possent, priuoq; præsidio tueri,quod sorte obtigisset, uelut in uacuum uenissent,alij alias adepti, sibi merũ mixtumque in illis imperium quæsiuere, erantque res

Venetæ

Crucigerorum incrementa.

Fatidicum in urbem religiosam.

Attende fatidicum carmen.

Viri clari nominatoris ordinis.

Satalia à Turcis capitur.

Aphri Hispaniam inuadũt.

Insularum diuisio.

Venetæ in hoc ſtatu. Otho interea imperij inſignia adeptus, Phaliſconem montem & alia quædã pontificiæ ditionis loca repente occupat, Federico Siciliæ regi, fuerat is Federici imperatoris ex Henrico nepos, bellum infert. Hanc Othonis intemperiem auerſatus pontifex, eum nuntijs & literis commonet, ut bello abſtineat. Pergit nihilominus ille Fedricum oppugnare, tum uero Innocentius ira percitus, Othonem anathemate notatum imperij titulo priuat. Quam Siculo bello cauſam Otho prætenderit, parum liquidò traditur, non una tamen eſſe potuit: nam & reſiduum odium in Philippũ Federici tutorem, Othonem ad id bellum impulſiſſe uideri poteſt, aut quod magis credo, ſuſpecta fuit illi adoleſcẽtis nobilitas, quod patre & auo imperatoribus natus ad imperij faſtigium magno omnium fauore aſpiraret. Nec Otho fruſtra æmulũ formidare: nam ubi Germani duces quibus imperatoris creandi ius erat, de pontificis anathemate, deq; imperij abrogatione reſciuerunt, eam occaſionem complexi, Federicum uiginti annos natum, imperatorẽ ſuo ſuffragio creant. Otho Italia digreſſus, ut Saxoniæ rebus conſuleret, opportunitatem dedit maximam pontifici omnia eccleſiæ loca recipiendi, quæ Saxones occupauerant. Et res Italiæ per id tempus ſic habebant. Almericus interea, alij Armericum ſcribunt, rex Cypri quiq; & Hieroſolymæ titulũ uſurpabat, quia frigide nimis rem adminiſtraret, à Chriſtianis ducibus qui in Aſia adhuc erant, regia appellatione priuatur, Ioanne Brenianico multæ celebritatis in re militari uiro ex Gallia accerſito. Is cum ualido exercitu Conſtantinopolim primo uenit, claſſeque ab Henrico imperatore adiutus, copias Ptolemaidem deportauit, anno ſalutis humanæ milleſimo ducenteſimonono. Nec ita multo pòſt quàm claſsis eò appulſa eſt, Conradi Montferratenſis filiam uxorem duxit, cum qua Hieroſolymitani regni titulum recepit, quum urbs & regnum impiorum interea armis teneretur, eius urbis recuperandę magnã ſpem Brenianici uirtus nouaq; affinitas fecit. Saragebant interim Veneti inſularum, quas nuper ſoriti fuerãt, quæ etſi pleræq; numero priuatę ceſſerant ditioni, priuatisq; opibus defenderẽtur, eſſetq; interim maioribus curis reſpublica occupata, nequa tamen occaſio prædonibus relinqueretur in res ſuas per otiũ graſſandi, claſſem publicè inſtruunt, Rainerij Danduli, Rogerij Permarini ductu circa ſuperi maris inſulas agendam: præfecti præſidiariæ claſsis urbe digreſſi, ad exitum Hadriaci ſinus Leonem Vetranũ Genuenſem maritimi curſus fama, tempeſtate illa, illuſtrem obuium habuere. Hunc in poteſtatem rectum Corcyræ ſuſpendio necarũt, mox in Peloponneſum tranſmittũt, ex Methone Coroneq; duabus maritimis urbibus prædones eijciunt, præſidio que firmant. Tenebant circa Peloponneſum & toto Ægæo, uſq; in Helleſpontum, alij Venetorum alias inſulas, ut quiſq; unam aliquã uel plures publico fuerat decreto ſortitus, Marcus Dandulus & Iacobus Viarus pari iure Callipolim. Marcus Sannutus aliquot ciuibus in partem ditionis aſſumptis, Naxum, Parum, Herinnam, Andrumq; : Rabanus Carcerius Eubœam, cum proximo Euripo: Andreas & Henricus Glaſiũ Tenum & Myconem (recentiores Micolas dixere) Philocolum, olim Philocandrum, & cũ ijs quam nunc Staliminum, pro Lemno dicunt, erantque alijs inſulis alij potiti, quum Henricus cognomento Piſcator, Malliacæ oræ princeps, Genuenſium fretus opibus, Cretam inſulam conatus eſt Venetis adimere, eſſetque uoti compos factus, niſi Rainerius Venetæ claſsis præfectus, celeri occurſu hoſtem præueniſſet: eſtitaq; non ſolum inſula defenſa, ſed interceptæ etiam ſunt quatuor Genuenſium triremes, & in his Vetranus, ut quidam literis prodidere, extremoq; eſt ſupplicio affectus. Is motus, ut quidam ſcribunt, Venetis curam iniecit coloniæ in Cretam mittendæ, ac tum Candacem, nunc Candiam dicunt, coloniam factam eſſe aiunt, ex patritio ordine equites eò miſſi ſunt, ex plebeio pedites, nec propterea Genuenſes incœpto deſtiterunt, ſed inſulam nobiliſsimam Venetis inuidentes, turbare illius ſtatum inſidijs, nouoq; nauium apparatu. Veneti ad hos Ligurũ motus infringendos Ioannem Triuiſanum cum nouẽ nauibus in Græciam mittunt: is in Siciliam delatus, conſilio an caſu non habeo dicere, circa Drepanum Liguré adeptus maiore quidem animo quàm uiribus, cum eo congreſſus, duodecim naues ex hoſte cepit, qua Genuenſes clade perculſi, nihil iam inde ſunt mouere auſi. Alij duodetriginta naues circa Siciliam captas prodiderunt, quod ſi uera ſunt quæ illi in literas miſerunt, multo maiorem nauium numerũ Triuiſano affuiſſe contenderim, ut non ſit abſurdum credere, cum nouem nauibus profectum ex urbe, ſed in opprimendo hoſte multo maiorem illi claſſem affuiſſe, ex ijs conflatam nauibus, quæ iam antea ad inſularũ præſidium fuerant domo profectæ. Per idem tempus eſt & cum Patauinis circa Bebias dimicatum: nouæ huius diſcordiæ cauſa ex Taurinſno ſpectaculo orta: fuit id iuuenile ludicrũ, ſuper quo animis æmulatione accenſis, iuſta propemodum pugna in aliena ciuitate eſt à Venetis iuuenibus & Patauinis depugnata, irati atq; utriq; alteris infenſi domum diuerſi abierunt, nec ita multo pòſt in Bebiano ſolo hoſtiliter duo populi cõfixere, fuſiq; Patauini ſunt, atq; ex his quadringenti numero capti, & cum his quatuor ſigna militaria, ſed pax breui ſecuta eſt. Aquileienſis antiſtitis interuentu, miſsiq; ſunt Venetias uiginti ex Patauina iuuentute, qui ſuo ſupplicio Venetis ſatisfacerent: ab his enim orta erat diſcordia. Veneti inuiolatos dimiſerunt, captiuosque reſtituunt. Per idem tempus ſunt & Corcyram coloni aliquot miſsi à Venetis, atq; hi ex numero nobilium. Sed dum hæc in Italia geruntur, Henricus imperator Chriſtianę pietatis obſeruantiſsimus, ſe adiutorem præbuit Romani pontificis legato ad hoc Byzantium miſſo, ut Græcos ſubigeret ad Romanę eccleſiæ ritum ſuſcipiendum. Vix ea res moueri cœpta eſt, quum ſeditio ingens ciuitatem inuaſit, Græcis reclamantibus imperatoris officiũ eſſe arma curare, non ſacra, ſatis ſuperq; à ſe datum, quod ſuam paſsi eſſent eccleſiam Romanę ſubiectam renuntiari. Henricus, relictis cum ſua pertinacia Græcis, ad imperij conſtitutionem conuertitur, Bonifacij filiũ Theſſaliæ regem declarat, cætera domi foriſq; prudenter diſponit, quę ad rerũ ſuarum ſecuritatẽ pertinebant, ueteres ſocios omni officio aſſectatur, nouos comparat, eratq; ſapienti adminiſtratione omnia meliora facturus, quũ ipſe quoq; ut Balduinus frater, immatura eſt morte conſumptus. Petrus Autiſiodorẽſis comes, magno omniũ conſenſu in defuncti locum imperator declaratur, qui Romam cũ uxore profectus, ad Laurẽtij phanum extra muros imperij inſignia ab Honorio accepit. Is enim Innocentio ſucceſsit, ſed hęc aliquãto poſtea ſecuta ſunt. Enimuero Innocentio adhuc ſedente, Otho imperij dignitate priuatus, fœdus inijt cum Ioanne Angliæ rege auunculo ſuo, & Reginaldo Bononiæ maritimæ urbis comite. Cęterũ Reginaldus haud multo pòſt à Philippo Galliæ rege principatu deijcitur, ad quem reſtituendum Anglicus rex fœdus percuſsit cum Ferdinando Flandriæ comite. Philippus Flandriam ingreſſus, Brugam & Gandauum inuaſit, mox uero rege in mediterranea abeunte, Reginaldus eius claſſem incendit, ad Dammum oppidum relictam, ſunt hęc urbium nomina omnino recentiora. Nec Philippus ob eam cladem cunctantior eſt factus, quin Pariſios reuerſus, multo maiore quàm antea ſtudio bellum cõparat, quo terrore per-

Abrogatur Othoni imperiũ

Noui apparatus in Turcos.

Origo Genuẽſis belli.

Venetorum a Patauinorum pugna.

Qui Venetorum quas inſulas tenerent.

Greci ſui ritum tuentur.

Regum gẽta in Gallia.

perculſus Anglicus rex ad Innocentij præſidiũ confugit, ut ipſius autoritate tegeretur, Angliã Hyberniamq; ut ſuprà eſt memoratum, Romanæ ſubiecit eccleſiæ, magnum auri pondus tributi nomine in omne tempus pollicitus, quod ipſe libens & ex ſuæ ceſſoribus nonnulli ritè diſſoluerunt. Sunt qui tradant, quod non multum diuerſo loco diximus, id uoto datum, non pontificis merito. Nec multo pòſt Otho cum copijs in Flandriam deſcendit, & Ioanes rex Andegauos in partes belli traxit, obſeditq; Monadium, id trans Ligerim eſt loco nomẽ, unde à Lodouico Philippi filio deiectus eſt, congreſſus inde prælio Lodouicus cum Othone in Tornacenſi agro, medio pugnæ ardore equo deijcitur, eſtque ibi ſuorum hoſtiumq; concurſu penè obtritus. Cæterũ media ſtrage reuulſus & in equum ſublatus, uictoriæ compos fuit. Otho uictus ad duo milia hominũ amiſit, quũ trecenti nec amplius eſſent à Gallis deſiderati, ſunt & ſigna Othoni adempta eo prælio, ficq; inſigni clade & ignominia affectus, in Saxoniam ſe inglorius recepit, ubi breui pòſt mortẽ obijt. Apud quoſdam reperio Federicum, qui imperio Othoni abrogato in eius locum ſucceſſerat, Aquiſgranũ obſidione fatigatum cepiſſe, ubi ex Innocentij autoritate iterum ſit corona inſignitus, qui ut ſe gratum pontifici probaret, crucem extulit tanquã Chriſtianæ rei in Syria laborãti opem laturus, Fundanumq; principatum Romanæ eccleſiæ dono dedit. Innocentius conuentum in Laterano habuit celebrem, de Aſiatica expeditione relaturus, cui Conſtantinopolitanus antiſtes, & Hieroſolymitanus interfuere, primarum eccleſiarum antiſtites ſeptuaginta, ſuffraganei quadringenti numero, undecim abbates, & illuſtrium conuentuum magiſtri octingẽti, duorum imperatorum & quinq; regum legati. Satis conueniebat de bello aduerſus impios decernendo, ſed quo minus res parari poſſet, Genuenſium & Piſanorum obſtabat diſcordia, qui maritimo inter ſe bello diſceptabant, iam & Ciſalpina Gallia inteſtinis armis laborare cœperat per id tempus, ad quos motus maturè ſedandos ex Roma pontifex profectus, Peruſij fato deceſsit. Eius opera cœnobium Pietatis ad almum ſpiritum, & uermiculatũ opus in Vaticana apoſtoli baſilica circa aram maximam, omnibus templis, ſacris ædibus quæ tum Romę fuerũt, argenti libram ſingulis dono intulit, ut inde argenteus calix conflaretur, quo res diuina fieret. Id factum obtrectatores interpretabantur, ad abolendã infamiam inſani operis, ne omnia ſua in unũ opus contuliſſe uideretur. Turris eminens, quę hodie Romæ uiſitur, ab eo fundata eſt, & ad ſummum perducta, quam ſuæ familiæ cognomen ferre uoluit, ut Comitum diceretur. Eſt id nomen nunc quoq; clarum Romæ inter principes familias urbis. Habuit eius pontificatus annos duodeuiginti, quo temporis ſpatio Almericus hæreticus Pariſijs damnatus eſt, quod ideas creari diceret in mente diuina, quum in deo omnia æterna ſint, & quod nullum in charitate conſtitutis peccatum aſcriberetur. Non defuerunt qui Almerici deliriũ affectari maluerint, quàm à recto & uero ſentire, adeoq; multi numero hi fuerunt, ut res nõ ſolum uerbis, ſed armis etiam ſit decreta, Simone Montfortenſi & Dominico Calaguritano, qui adhuc in humanis agebat, Almerici impietatem impugnantibus, hic uerbo, ille ui & armis. Honorius Innocentio ſucceſsit, ad hunc pontificem nuper creatum uenit Petrus Autiſiodorenſis, ut ſuprà eſt ſignificatum, à quo imperatorijs inſignibus ornatus, cum Ioanne Columna, ſupremi ordinis antiſtite retrò abijt, mittebatur is in Pannoniam ad arma in Turcos comparanda: ubi uero Brunduſium uentum eſt, imperator Venetis nauibus cum uxore & liberis exceptus, in Delmatiam tranſmiſit, Ioanne antiſtite ad comparãdum bellum præmiſſo, ipſe conatus eſt Dyrrachium Theodoro, qui Epirũ obtinebat, adimere. Gerebat is ſe pro imperatore Græciæ, Veneti aliquanto antea inſtaurauerant, ille ex improuiſo ſuo inſederat præſidio. Venero itaq; nomini gratificaturus imperator, tum quia imperij æmulum infenſe oderat, aliquandiu Dyrrachium fruſtra oppugnauit. Theodorus interim pacis ſtudium alsimulans Autiſiodorenſi inſinuatus, ex hoſte breui ſit hoſpes, imperatorem ita q; comiter inuitatum medio conuiuio obtruncat, neq; fœdus nuper ictũ, neq; hoſpitalia iura reueritus, alij circa nemoroſa Theſſaliæ loca, quæ Tempe uocant, inſidijs à Theodoro exceptum ſcribunt, atq; in poteſtatem redactum in uinculis aſſeruattum. Tepulus Byzantij prætor, cognito principis caſu cum Theodoro in quinque annos fœdus percuſsit, & cum Turcis in bienium. Nec ita multo pòſt Robertus Petri filius per Pannoniam & Myſiam Conſtantinopolim uenit, ubi confeſtim eſt imperator ſalutatus. Fuerit ne Robertus in comitatu patris, diuerſiſq; ab eo itineribus cum matre Byzantium uenerit, an aliunde fuerit accerſitus poſt illius caſum, ij quos ſequimur parum liquidò produnt. Fuit quod ſatis conſtat, Robertus Veneti nominis adeò ſtudioſus, ut omni ſua præfatione Venetum ducem chariſsimum imperij collegam appellaret, quod ij etiam qui præceſſerãt, feciſſe dicuntur. Fuit huius quoque perbreue imperium: enimuero prædiuitis matronæ filia in coniugem recepta, quæ uni purpuratorum fuerat deſponſa, in magnum famæ diſcrimen incidit. Enimuero prior ſponſus contumelię impatiẽs, in Roberti domum facto cum hominibus ſuæ factionis impetu puellam truncis naribus deformat, puellæ matrem quæ noui connubij fuerat autor domo abſtractam in mare præcipitat. Robertus irarum plenus Romã profectus eſt, multumque apud pontificem de domeſtica iniuria queſtus, quum inde uerò Byzantiũ rediret, in Achaiam deceſsit. Non poſſum non mirari, adeò tum nullas imperatoris opes fuiſſe, ut priuatam iniuriam per ſe ulciſci nequiuerit, niſi ad pontificem eam detuliſſet, uelut Byzantij plus poſſet pontifex quàm imperator, ſed coniectare libet, aut tum Robertum abfuiſſe, quum domi ea clades accepta eſt, aut ſi poſt ignominiam acceptam domo profectus eſt, eo conſilio Romam petierit, ut à pontifice imperij coronam acciperet, non ut domeſticum deploraret dedecus. Quod ſcribere tanto quidem fuit abſurdius, quanto pontifex minus erat idoneus autor, ad eiuſmodi iniuriam uindicandam. Sed quæcunque Romam eundi fuit illi cauſa, peregre rediẽs moritur, filio admodum puero, ex altera, credo, coniuge, relicto, cui Ioannes Breniacus, Hieroſolymitanus rex filiam deſpondit, tutoriſque nomine aliquandiu res imperij magno omnium conſenſu adminiſtrauit, & hæc circa Byzantium. Columna antiſtes, qui in Pannoniam fuerat miſſus, ingentes copias per id tempus, aut certe non multo prius in Syriam deportauit, fuit eius expeditionis princeps Andreas Pannoniæ rex, qui ut Venetorum nauigio uteretur in traijciendo exercitu Delmatiæ iura, quamobrem ſæpe fuerat in ea terra armis diſceptatum, Veneto nomini remiſit. Damiata urbs Ægypti poſt Pannonis in Syriam acceſſum, aliquandiu obſeſſa eſt. Fuit hæc olim Æliopolis ab Ælio principe, qui eam triplici muro cinxit, particulaq; Nili deducta, in inſulæ formam redegit. Cæterum dum Æliopolis oppugnatur, Cordirius Memphitici regis filius, qui Hieroſolymam præſidio obtinebat, omni retiendæ urbis ſpe abiecta, ſi Æliopolin caperetur, Hieroſolymam muro nudauit. Turrim Dauidis, templum & ſacratiſsimum Chriſti ſepulchrum, intactum reliquit, Chriſtianorum qui perpauci ea loca incolebant, precibus fatigatus. Interea ad Æliopolim nonnihil eſt fame laboratum

Innocentij opera.

Almerici hæreſis.

Honorius pontifex.

Theodori tẽtrum facinus.

Violatur imperatoris cõiunx.

Delmatiæ iura.

ab his qui urbi aſsidebant, bisq; Memphiticus rex (Sultanum hunc uocant) caſtra in hoſtium conſpectu poſuit, qui quum neque prouocatione, neque conuicio ad pugnam elici poſſent, impetum in Pannones & Gallos fecit: nam non una gens, neq; dux unus, ad id bellum cõuenerat. Chriſtiani duces, qui in eam occaſionem parati ſtabant, ubi impiũ uident hoſtem temere uallum ſubire, repente dant ſuis ſignum ad erumpendum: ſunt itaque non ſolum caſtra defenſa, ſed hoſtis cum multa cæde à caſtris repulſus. Perſeueratum inde eſt in obſidione, ac quin todecimo méſe quàm Æliopolis obſideri cœperat, ui capta eſt, triginta milia captiuorum inde abducta, apud quoſdam ſcriptum reperio. Romę interea Honorius pontifex Dominici Calaguritani recens inſtitutum probauit, & Federicum ſecundum, quia poſt Conſtantię matris deceſſum pontificiam dignitatem uexare adortus eſſet, imperatoria dignitate priuauit. Fama hæc duorũ Chriſtiani nominis principum inter ſe diſſidentium, ad hoſtem delata, in cauſa fuit ut Memphiticus rex multo maiorẽ quàm unquam antea contraxerit exercitum: proceſſerunt Chriſtiani duces illi obuiam ad Nilum uſque Ioannis cardinalis qui in caſtris erat ſuaſu. Hic callidus hoſtis, ſimulato metu, paululum retrò abijt, ut Europei duces locum, quem ſemel occupauerant, audacius tenerent, cataractis inde Nilus repente patefactus, omnia inundatione compleuit, ut ubi minimum, aquæ cubito uno extarent ſupra terram. Pannon, & qui cum eo erant, inopinato malo perculſi, cum hoſte agunt, ut Æliopoli cum captiuis relicta, ipſi incolumes in Tyrum abirent, ſic urbs nobiliſsima tam longa obſidione quęſita hoſtibus relicta eſt anno ſalutis duodecies centeſimo, alteroq; à uigeſimo, triennio poſtquam Andreas Pannonię rex cum Romano antiſtite exercitum in Syriam deportauit. Sunt qui Scytharum memorabiſem illam expeditionem, cuius loco non multum diuerſo mentio incidit, in hæc tempora conferant. Chriſtianis ducibus in Europam reuerſis, Ioannes Hieroſolymitanus rex filiam Federico imperatori matrimonio iunxit, diuerſam, ut credere eſt, ab ea quã Roberti Conſtantinopolitani imperatoris filio deſponderat: attribuit præterea regium nomen, & iura Hieroſolymitani regni dotis nomine ipſi genero. Eſtq; ob eam rem iam inde ſeruatum, ut quicunque cis ultraque Siciliæ fretum latè ſunt rerum potiti, Hieroſolymæ ſeſe reges ſcripſerint. Ioannes rex in Galliam reuerſus, meliore omnino uſus eſt fortuna, q̃ ad id tempus uſus eſſet, quadraginta milia pondo argenti adeptus, Philippi Galliæ regis legato, tantundem & Templariorũ magiſtro teſtamento datum. Peregrè eſt inde Ioannes profectus in Hiſpaniam, ut Gallaeciani Apoſtoli ædem uoto inuiſeret, quo tempore Berengariam Hiſpanię regis ſororem ſibi matrimonio iunxit. Per id tempus Dominicus Calaguritanus Bononię deceſsit, & Federicus imperator Henricum filium Alemaniæ regem declarauit. Honorius, quieſcente Italia, templa aliquot uetuſtate conſumpta reparauit, digeſsit & decretorias epiſtolas, Franciſci Aſiſiatis ordinem probauit, moritur inde anno ſui põtificatus decimo, méſe ſeptimo: in Deiparæ templo, quod ad præſepe eſt, funeratur. Sub Honorij exitum terra adeò grauiter in Alpibus, in Saluiorum gẽte mota eſt, ut quina hominum milia ſint ædificiorum ruinis obtrita, ex lateribus montium molibus auulſis, atque in ſubiectas ualles cultu frequentes cum pernicie hominum & pecorũ prouolutis. Fœminæ ſanctitate illuſtres, per id tempus fuere, Clara uirgo inſignis, quæ nouum religionis inſtitutum à Franciſco Aſiſiate acceptum, non ſolũ perſanctè coluit, ſed auctum etiã poſteris reliquit. Heliſabeth Pannonum regis filia, Turingiæ comitis uxor, hæc quia res terrenas contempſit, illa quia

Capitur Aelio polis.

Fredericus ſecundus.

Attende hoſtium artem.

Aeliopolis dimittitur.

Motus ingens terræ.

Diua Clara et Heliſabeth.

A contemni oportere & didicit & docuit, cœlum adepta eſt. Gregorius huius nominis nonus in demortui locum ſit pontifex, fuit is ex Comitum familia & Innocentij tertij perneceſſarius, confeſtim honorato, Federicum edicto monuit, ut contracto exercitu in Syriam copias deportaret, Hieroſolymam ui & armis repetiturus: recepit ille prouinciam ſibi iniunctam, multamq; ſolertiam adhibuit in bello maturè comparando. Poſtremò edicit ut omnes ſacræ militiæ addicti, ad certam diem Brunduſiũ conuenirent in Syriam ſecum ad bellum profecturi. Affluxit eò breui ingens mortalium numerus, affuit & Langrauius ex Germania qui Brunduſij cũ magna militum parte extinctus eſt, peſtilentia, an cœli intemperie in æſtuanti regione parum compertum habeo. Simulare interea Federicus aduerſam ualetudinem, fruſtrariq; eo ludibrio pontificis, totiusq; Chriſtiani nominis expectationem: cæterum audita Langrauij morte, Brunduſium occurrit diripuitq; eius pecuniam, omnemq; belli apparatũ. Tum quaſi Syriam periturus, cum parte nauium in altũ euehitur, nec procul à Brunduſio aberat, quum repente retrò flexit curſum, uelut aduerſis tempeſtatibus impeditus. Et Federicus per hæc rem Chriſtianam ludificari, quũ Ioannes rex Hieroſolymitanus expeditionis huius fama percitus, ex Gallia in Italiam tranſijt cum uxore, ut gerẽdo bello intereſſet. Pontifex quia res indies magis tepeſcebat Federici fraude, ut uirum fortiſsimum & Syriacis expeditionibus aſſuetum in Italia detineret, donec ad bellũ exiretur, Rauennæ & earum urbiũ quæ olim in exarchatu fuerant, adminiſtrationem decreuit, Honorij anathema in Federicum celebrat, reddidiſſetq; illum grauioribus adhuc cenſuris execratorẽ iratus pontifex, ni Saracenorum nouus terror incidiſſet, ſed gẽs ipſa ab Aragonum rege in Hiſpania quò tumultuoſe trãſmiſerant, tam ualide afflicta eſt, ut B Valentiam & ex Balearibus unam uictor rex ex his receperit. Proceſsit tandẽ Federicus imperator amicorum precibus fatigatus, ſed magis Gregorij minas ueritus, in Cyprum uſq;, ut Chriſtianis qui in Syria erant, nouorum ſpem auxiliorum ex proximo oſtẽderet. Sed dum procul domo hoſtium uires explorat, Rainaldus quem Siciliæ præfecerat, res Romanæ eccleſiæ adortus, nonnulla in Piceno agro loca ſubita ui occupat, erat tum Peruſij Gregorius, Aſiſium petiturus, ut quę de Franciſco Aſiſiate uulgo ferebantur miracula, preſens cognoſceret, uidit itaque & probauit, defunctum ſanctorum catalogo aſcripſit. Sed dum pontifex magno piorum conuentu id ſolenne celebrat, alius Federici dux Fulginiũ per factionem unam occupat. Cæterum quàm remerè res mota eſt, tam terror ille facile reſedit, autore eius motus cum paucis proditionis illius cõſcijs urbe eiecto ab eccleſiæ fautoribus. Gregorius Federici perfidia inſtructus, ad milites qui in Syria erãt, occultè literas dedit, ut ab eo cauerent (iam enim Federicus Ptolemaidem uſque proceſſerat) uereri ſe ne perfidum hominis ingeniũ rem Chriſtianã afficeret aliqua inſigni clade; hæc ſimul in Syriam ſcribit, ſimulque Ioannem regem cum ualido exercitu Rainaldo opponit, iamdudum Picenum agrum hoſtiliter uaſtãti: diuerſa parte Columna antiſtes cum pari armorum robore, alterum Federici præfectum & Saracenos eius commilitij ſocios, ex Diuo Germano eiecit, omnesq; Campanię urbes Capuam uſque recipit. Rainaldus & qui in Piceno erant, audita ſuorum clade, confeſtim intra regni ſeſe fines trepide receperunt. Necita multo pòſt Federicus ex Syria reuerſus, pacem à pontifice implorat, atque obſecrat ut ſecum in gratiam redeat, ſibi imperij nomẽ reſtituat, pronuntietq; eccleſiæ uectigalem, ſed nihil horum ille prius impetrauit, quàm centum uiginti milia unciarum auri ob illata eccleſiæ damna pontifici

Gregorius nouus ponti.

Attentãta Federici in ſacris arma.

Gregorij põt. clementia.

Dominici Calaguritani cõfecratio.

Antonij Patauini conſecratio.

Attende Federicum in ponti. perfidiam.

Federicipro fidia.

Federicus ad obſequium redit.

pontifici perſoluiſſet, ipſeq́ue ſupplex ad Gregorij A pus breuior: neque enim multo pòſt quàm in Syriã
conſpectum uenifſet. Et Federico per hæc ad obſequium reuocato, põtifex Peruſiam proficiſcitur res eius ciuitatis inſpecturus, quam exules nouo quatiebant motu. Sed dum externæ ſeditioni tollendæ eſt pontifex intentus, altera multo maior ac periculoſior Romæ orta eſt. Hannibal ex Hannibalũ gente, tum clara in urbe diuite & opulenta cum pleriſque è clero in pontificẽ coniurat, tantumq́ue illi motum exciuere, quantus unquam alias Romæ ad id tempus coniuratione ulla extiterat, exarſiſſetq́ue id malum plus nimio, niſi inopina religio offuſa eſſet oculis ciuitatis, cæleſtis iræ nuntia, nam & Tybris inſolenter urbem inundauit, ac mox tam fœda peſtilentia ſecuta eſt, ut ex ingenti nuper ciuium multitudine, uix decimus quiſque ſuperfuerit. Pontifex Romam reuerſus, tam atrox facinus clementer ultus eſt. Hannibalẽ ſenatoria dignitate priuauit: qui è clero eius flagitij conuicti ſunt, ſuum errorem faſſi, ſupplices ſatis pontifici fecerunt, inde Roma ualetudinis cauſa digreſſus, Reate, ut aiunt quidam, Dominicum prædicatorij ordinis autorem in ſanctorũ numerum retulit, & mox paulo Antonium Oliſiponenſem ex Franciſci Aſiſiatis affectatoribus Spoleti pari cæremonia inſigniuit: deſierat in humanis eſſe haud multo prius quàm hæc à Gregorio acta ſunt, quũ forte Patauij eſſet, ubi hodie religioſiſsime colitur. Interea quum Romæ ſenatoria rogatione latũ eſſet ad populum, & populus ſciuiſſet, ut urbes & loca urbi Romæ circumiecta, Romano Populo penderent uectigal, ueritus põtifex nequis grauior motus ex ea re oriretur, Anagniam reuerſus, præſidia opportunis locis diſpoſuit, adhibuitq́ue & alia remedia, nequid temere Ro. moliri poſſet popul⁹. Inde Romam repetit, quanquam amicis diſſuadentibus. Hic uero quum recte monendo caſtigandoq́ue ciuitatis intemperiẽ nihil proficeret, ſed iam res ad B apertam uim ſpectaret, iterum in Sabinos cõceſsit, eſtq́ue Reate cum Federico de ſumma rei locutus, comparatumq́ue eſt inter eos, ut iunctis copijs uno tempore Romanos bello inuaderẽt. Decretum erat pontifici ferociſsimæ ciuitatis ſpiritus infringere, armisq́ue obſequio adigere, ſi aliter nequiret. Sed Federicus quum ſemper aliàs, tum præcipue pontificem ludificatus eſt, quippe qui in Germaniam profectus, ſuis occulte ducibus imperauit, ut aduerſus omnes pontificis conatus, Roma. Po. rebus faueret. Senſit Gregorius hominis perfidiam, etſi ſero: ſenſit tamen, ac ſimul magna Germanis militibus proponit præmia ſi in ſua tranſirent caſtra, quam ſpẽ multi numero ſecuti tranſitionem fecere, hac uirium acceſsione põtificiæ copię adeò creuere, ut Romanus exercitus non ſit auſus cum ijs acie confligere. Breui itaque pontifex Sabinum agrum cum eccleſię patrimonio recepit, reiectis q́ue Memphitici regis legatis, qui pacem petitum uenerant per uniuerſam Europam, ex Franciſci Aſiſiatis, & Dominici Calaguritani familijs uiros, iam enim inſigniter adoleſcere cœperat uterque ordo, alios in alias dimiſit terras, qui Chriſtiani nominis duces & populos ad arma in Turcos & Saracenos induenda, uehementi prædicatione concirent, horum opera tantus mortaliũ numerus ad id bellum ſeſe accinxit, quantus nunquam antea, quod ſciam ab ullo proditũ. Sed dum idoneus dux quæritur, pontifex interea Heliſabeth Pannoniæ regis filiam, cuius ſupra mentio facta eſt, uita defunctam in diuorum numerum ſolenni cæremonia retulit. Nec multo pòſt Theobaldus Nauarræ rex, Almericus Montfortius, & Henricus Barienſis comes, cum numeroſo exercitu, per Germaniam & Pannoniam Thraciamq́ue ad Boſphorum peruenere: hic breui traiectu Aſiam ingreſſi Ptolemaidẽ uſque, per immenſa terræ ſpatia populabundi peruenere, ſed fuit ea uictoria quo feſtinatior eo ad tẽ-

Heliſabeth cõſeratio.

Nouus in Turcos exercitus.

Noui motus Italiæ.

Ecelini origo.

Romanorum diuerſa ſtudia.

Origo Liguſtici belli.

Primi Cretẽſes inſulæ motus.

Variat res Venetam Cretã.

lius discessum insula continuò pacata est, seditiosis quibusdam in armis pertinaciter perseuerantibus, ad quos opprimẽdos Rainerius profectꝰ, telo trãsfixus, mortem occubuit, nuntiata Rainerij morte cõfestim sex longæ naues, totidemque onerariæ decernuntur ad insulam præsidio obtinendam. Classem egerunt Leonardus Nauigaiosus & Iacobus cognomento Longus, missus est cum his Iacobus Tepulus qui ducaria potestate Cretensibus præsideret, Raphael Zenus Coronem & Methonẽ præsidio est iussus obtinere. Iacobus Longus tris Ligusticas naues circa Cretam oppressit: sunt qui hoc demum tẽpore colonos in insulam à Venetis missos credant, quum Cretenses alioqui in fide contineri non possent: alij statim recepta insula coloniam eò missam prodiderũt, ut proximo est uolumine significatum: potuit, uideo, ita accidere, ut tum primum missi sint coloni in Cretam, ut illi aiunt. Cęterum quum nihilo secius insulæ status fluctuaret, recentiores alios missos ut ualidior firmiorque esset inter insulanos res Veneta. Deducta noua Colonia, si tum demũ, ut quidam scribunt, deducta est, Agiostephanitæ à Venetis deficiunt, erant hi inter Cretẽses opibus & celebritate nominis longe nobilissimi, quos Tepulus Marco Sannuto ex Cycladibus quas tenebat accersito, breui ex insula eiecit. Oritur inde discordia inter ipsos duces: quo accidit, ut nõ multo pòst quũ uenalis annona parum tempestiuè conspecta esset in publico, continuò sit cœptum à Græcis tumultuari. Tepulus ex urbe eiectus Temenum occupat. Sannutus, dubium ui an uoluntate, dux defectionis factus, Tepulum hostiliter oppugnauit, is se & oppidum ualide defendit, moxque obsidione Lasitos & Montem fortem recepit. Venerunt nec multo pòst in insulam Do. Quirinus. Sanctes Bethanus legati cum magno equitum peditumque numero. Ad horum appulsum Tepulus, cum his copijs quas Temeni habebat, ad Apanosobrites castra fecit, locum ad rem gerendam satis idoneum: obiecit sese illi Sannutus, locoque opportuniore metatus est, eratque proinde Tepulanis illic sedentibus tempus omnia deteriora facturum: quare facta hostibus dimicandi copia, quum nihil ab his moueretur, Tepulus Temenum repetit, relictis qui castellum quod ibi loci militari opere erexerat, præsidio obtinerẽt, nec multis inde diebus interiectis silentio noctis, Cádacem profectus, urbem sine tumultu recipit, muro à militibus scalarum applicatione transcenso. Sannutus amisse urbis nuntio fractus animo, omnem spem uictoriæ abijcit, cum Tepulo itaque pacisci tur, ut præsidijs undique deductis, ex insula incolumis dimitteretur. Nec diu inde Cretenses quieuere, sed rerum nouarum cupidi iterum à Venetis deficiunt, alienatusque est uno tempore omnis insulæ tractus, qui à Milopotamo ad occidentem excurrit Solem. Erat tum Paulus Quirinus dux Cretæ, qui audita insulanorum rebellione, iubet confestim eò occurrere Ioãnem Grittum & Petrum Toniscum cum lectorum

Creticum bellum.

expedita militum manu, ut improuiso accessu opprimeretur motus ille Græcorum, priusquam eorũ opes inualescerent. Sed ij qui missi sunt, in insidias præcipitati magnam cladem adiere. Grittus fortiter dimicans, cum plerisque uiris fortibus mortem occubuit: cæteri post tererrimam cædem abiectis armis, fuga dissecti sunt. Succesit Quirino Do. Delphinus, sub cuius accessum pacata est insula, datáq; sunt publicè prædia quædam ad deliniendos Græcorum animos Theodoro Melisino, & Constantino Seuasto, defectionis autoribus. Et hæc Ziano duce, qui Dandulo succesit, in Creta & alibi gesta. Is iam grandis natu sponte magistratu abijt, quum annos duodeuiginti reipublicæ præfuisset. Iacobus Tepulus inde princeps fuit, inter cuius regiminis initia

Cretæ insulæ rectõs defectio.

Cretenses repente ad res nouas consurgunt, à Melisinis & Scordilis orta defectio, quum omnia ui & rapina fœdarent, nec à militibus, quos Delphinus in insula conscripserat, uis inhiberi posset, spectarentque interim omnia ad defectionem, M. Sannutus ex Cycladibus Delphini hortatu in Cretam uenit cum magno numero militum: quo potest intelligi Sannutum, non Venetum nomẽ, sed Tepulum, à quo dissidebat in re bellica administranda, uoluisse ex insula eijcere. Cretenses post Sannuti appulsum suis rebus diffisi ad Ioannem Vatazum mitunt, Tenebat Vatazus Lesbum insulam, & alia insulę circumiecta loca, quæ de Graio imperio occuparat tẽporum nouitate fretus, tantumque eius opes breui creuerant, ut ne ab imperatoris quidem appellatione abstineret. Pollicentur Cretenses insulæ principatum si ad Venetos ex ea eijciendos tẽpestiua mitteret auxilia. Vatazus spe insulæ potiundæ, confestim tris & uiginti naues bello instructas misit in Cretam. Sannutus sub Vatazanæ classis appulsum, insula decesit: metu rerum suarum, an pecunia à tyranno corruptus, non facile dixerim. Continuò igitur omnia mutata, fauor uictoriæ comes in Vatazanos inclinat, Rithymnaque, & alia plura loca illustria breui ad illos aut defecere, aut coacta sunt deditionem facere. Et iam Bonifacij arx summa ope à Vatazanis oppugnabatur, cæterum Delphini interuentu obsidio soluta est, & hostis inde repulsus, quum planè cerneret omnia sua cum tempore deteriora fieri, Venetis opibus indies inualescentibus, omnis futuri successus desperatione præsumpta, in altum cum tota classe abijt, insula Venetis relicta. Fugit Vatazanus dux hostium sæuitiam, sed maris effugere non potuit, quippe qui fœda tempestate iactatus circa insulam Cythera classem naufragio amisit, autores defectionis omni externo auxilio destituti, ne longior pertinacia obstaret, futuræ ueniæ spe haud multo post Vatazanę classis discessum, in fidem rediere. Ac status insulæ per hæc multo maxima ex parte pacatus est. Supererant adhuc rebelles, sed pauci quidem numero, oppugnabaturque Scythia à Venetis littorali tractu insulæ, quum quatuordecim Vatazanæ naues ex alto conspectæ sunt, quibus insulam decreto petentibus, incerti Veneti quò flecterẽt cursum, obsidionem soluũt, subijt hostium classis Sudensem portum, potuitque hic hostis subito Venetorum incursu intercipi, nisi oppidani crebro missilium iactu Venetas naues ab irruptiõe portus distinuissent. Eius diei periculo permotus Vatazanæ classis præfectus, sequenti nocte portu egressus retrò abijt. Erantque res Cretensium adhuc in motu, quum Angelus Gradonicus, qui sub id tempus ducaria potestate est in insulam missus, Subritibus in fidem receptis paucisque seditionum autoribus è medio sublatis, insulam usquequaque pacatissimam reddidit, sed Venetis Cretensium rerum cura solutis, alia maior continuò oblata est. Perc

hostem ire contendunt, nec ubi in conspectum hostium uenere cessatum est à Venetis, quin confestim facto in aduersam classem impetu, facile sunt uictoria potiti, quatuor & uiginti triremes sunt ex hoste captæ, reliquæ fœdissima fuga dissectæ, qua clade perculsi, qui à terra urbi assidebant, continuò & ipsi obsidionem soluunt: omni itaque hostium terrore discusso, Venetæ classis præfecti omnium spe celerius cum uictrici classe domum reuersi sunt, fuitque rei bene gestæ eo maior lætitia, quo celerior uictoria. Nec multum inde Vatazus quieuit, sed breui pòst quinque & uiginti longarum nauium classe Byzantium iterum obsidet, fuitque recens hic conatus nihilo illi prosperior quàm prior fuerat. Ioannes Michaël qui tum Byzantij prætor erat, sexdecim fretus nauibus quæ ad urbis præsidium stabãt, in hostilem classem ex improuiso inuectus, tantum ab initio metum Vatazanis iniecit, ut uix tentato prælio fugati sint, decem hostium naues captæ cætera classis fuga seruata est. Nec secundum hanc aduersam pugnam Vatazus diu superstes fuit, Nymphei fato decesit Theodoro filio relicto, quem ex Theodori Lascari filia habuit. Et quia cum Genuensibus, etsi non bellũ, non tamen pax erat, ob ea quæ circa Cretam ab initio moliti fuerant, nam ita Venetis persuasum erat illorum consilio & opibus, etsi Maliaci comitis ductu, Crætæ insulæ statum ab initio turbari cœpisse, secuta inde Vetrani ignominiosa mors, interceptarumque nauium iactura, quibus mutuis offensis animi utrinque odio accensi, ad bellum potius quàm pacem spectabant. Atque hæc causa Gregorio pontifici fuit Venetorum Genuensiumque legatos, ut suprà est significatum, ad se uocandi, ex cuius autoritate inducias in nouem annos

Fœdus Veneto rum & Genuẽ sium.

inter se duo populi pacti sunt, quæ ut inuiolabiles essent, interposuit pontifex anathematis edictum, quo utrisque cauebatur, ne illis tenentibus uis ulla fieret. Blondus credidit prius id fœdus ictum quàm Veneti Byzantium obsidione leuassent, cæterum quia in eo fœdere scribebatur, ut neutris liceret bellum cuiquã inferre, aut auxilia prestare, sine utriusque partis consensu, quia Veneti Balduino auxilia misissent, idcirco crediti sint contra fœdus fecisse, & ob eam rem sit inde bellum ortum inter Venetos & Genuenses. Sed uidentur mihi Veneti fœdere non excidisse quod eam urbẽ obsidione leuarint, in qua ius quæsitum haberent, ubi perpetuus esset Venetus magistratus. Platina Venetarum rerum non testis sed hostis, Balduinum scribit pecuniæ inopia filium Venetis oppigneraſſe uendidisseq; illis plumbeas templorum tegulas, Lanceam & Spõgiam do

Lancea & Spõgia Christi.

minicæ passionis. Sed hæc neque Veneti annales tradunt neque Venetijs huiusmodi res sacræ, quod sciam, uisuntur. Sed tantum abest ut eo nomine Venetorum fides fuerit aut Gregorio aut Genuensibus suspecta, ut illi sint per id tempus usi Venetorum opibus aduersus Pisanos hostes, sic enim Veneti habent annales: et pontifex in illorum amicitia

Venetorum gesta in Apulia.

non solum perseuerarit, sed Veneta etiam classe sit usus ad oram Apuliæ infestandam, quæ sub Federici erat imperio. Fuit classis illius prefectus Petrus Tepulus, principis frater, estque ab eo Apuliæ ora hostiliter uexata, Bestice Thermolis & Campo Marino ex hoste captis. Oppresit inde Tepulus apud Sipontum ceream nauim omnium, quę tempestate illa in mari fuerunt, nobilisimam præcipuaque magnitudine uisendam, mille erat pugnatoribus instructa Federicique stipendium merebat ad maria infestanda, subito Venetæ classis incursu direpta & incensa est, ac secundum hæc quæ sunt à Tepulo circa Apuliam gesta, sociæ ciuitates, ut quidam tradũt, ad Cortam nouam magno sunt prælio à Federico superatę, quo prelio Petrum Tepulum, Tepuli principis filium uenisse aiunt in hostium potestatem,

Cancanus.

Federici imperatoris in Venetos expeditio.

eum Federicus in Apuliam misit necandum in Tepulanę expeditionis uindictam, ipse post uictoriam Patauium processit, quam urbem Ecelinus cum aliquot alijs ut suprà est demonstratum noua premebat tyrannide. Celebrabat hic imperator paschales dies, quum præter opinionẽ comperit se & qui sua sequerentur signa, cum omnibus qui Cęsareis fauerent opibus, pontificis anathemate excluſos ab uniuerso piorum cœtu, quo nuntio consternatus animo, in Venetos flexit iram: horum fines uelut phanatico præceps furore tumultuosus inuadit, ad Hilarij ædem primo processit, ubi Ecelinus in Venetorum conspectum turrim cum præsidio erexerat. Hinc subito Federicus impetu auersus, Bebiacam turrim ad dextram flectens citato agmine petijt, locus quia inaccessus erat, aquis omnia obtinentibus, facile defensus, quoad auxilia ex urbe missa affuerunt, quorum superuẽtu hostis Venetis finibus excesit. Et hæ sunt calamitates illæ immensę quibus Platina & alij (quod miror) scribunt Venetos à Federico imperatore affectos: nam quid præter hæc ille in Venetos egerit, Veneti non tradunt annales. Per idem tempus Genuenses ad Venetos miserunt, qui iure fœderis ab his peterent, ut sibi auxilio essent: compertum habere se Pisanos Federici fauore & opibus fretos centum aduersus se triremes comparasse, maturato opus esse, graue sibi periculum ab hoste imminere nisi tempestiua à socijs auxilia adesent. Sexaginta triremes sunt Genuensibus missæ,

Classis Genuensibus missa.

Andrea Tepulo classis præfecto, fuit is quoque Tepuli principis filius, ut prodiderunt quidam. Prima is uelificatione in Istriam delatus, Polam, quia suam ex fœdere triremen non dedisset, pecunia, & murorum parte diruta multauit. Profpera dein tempesta te Dyrrhachium appulit, quo allatum est Federici Pisanorumque classem circa Cyrum insulam á Genuẽsibus superatam. Tepulus, eo nuntio accepto,

Genuensium uictoria.

flexit retrò cursum Polam decreto petiturus, quã pòst suum inde digressum nouerat à Venetis defecisse: hãc itaque subito recursu captam diripuit Venetus direptam incendio fœdauit. Vix classis domum uenerat, quum Iadera, Veneto magistratu eiecto, quinto rebellauit: quinque & quadraginta naues ad id bellum missæ, in quibus quinque & uiginti triremes fuisse dicuntur, reliquæ onerariæ, duobus mensibus oppugnatæ sunt. Iadrenses à Rainerio Zeno classis præfecto, postremò fatigati bello deditionem fecere: ac tum demum Stephanus Iustinianus & Petrus Dandulus sunt in Pannoniam ad regem missi, tenuerunt que ut omne ius, quod eius terræ reges in ea urbe quæsitum haberent, Veneto nomini remiserit. Et res Venetæ per hunc modum habebant, quum Tepulus princeps uita decesit, uigesimo suæ administrationis anno. Maurinus Maurocenus illi surrogatur. Sed hæc aliquando postea secuta. Ardebat, ut siquando aliàs, Federicus in Gregorium pontificem ira, quum Ferraria, quæ ad imperatorem defecerat, à socijs ciuitatibus ad obsequium est ecclesiæ retracta, in qua recipienda multum enituit Azonis Estensis opera, atque ob id meritum est ciuitatis ipsius regimen illi à pontifice attributum, anno humanæ salutis duodecies centesimo ac quadragesimo. Erat per id tempus Federicus imperator Pisis, qui quum nõ satis exploratum haberet, qui hominum suis fauerent partibus, omnes Italiæ ciuitates uelut in duas diuisit factiones, ut qui pontifici fauerent Guelphi nuncuparentur, qui imperatoris partibus Gibellini, nomina ad Italiæ exitium reperta, quanquam & alias geminæ illæ pestes attigerint, apud Pistorienses in Hetruria primum res orta est. Enimuero quum Cancellarij Pynzaticos ex ea urbe deiecissent, factum est ut duo Germani sanguinis fratres, quorum hic Guelph nomen ferret, ille uero Gibel, in diuersas factiones suũ

Quando Guelphi & Gibellini esse cœperint.

Abit Italia in partes.

fauorem inclinarint, nomenque uterque suum dederit his unde stetit partibus: Pinzati Gibellini dicti, diuersæ factionis Guelphi. Inuasit id malum uelut ex proximo Florentinorum ciuitatem, unde confestim sunt nobiles electi, quia Gibellinarum essent partium, contrà Guelphi à Senensibus & Aretinis extorres facti. Serpsit inde latius pestis, breuique uniuersam corripuit Italiam, hinc bella non tantum inter ciues orta, sed inter propinquos & fratres, multæ Italiæ urbes hoc motu à pontifice defecerunt, quo malo Gregorius perculsus, solenni supplicatione apostolorum capita tota urbe circuntulit, habuitque ad populum orationem accuratissimam super ea re: nam & Romana ciuitas eiusmodi insania dissidere cœperat. Cæterum pontificis uerba adeò ciuitatem mutarunt, ut confestim ciues crucem & arma pro pontificis & ecclesiæ dignitate sumpserint. Hic Romanorum consensus Federicum proposito auertit, qui opprimendi pontificis consilio Romam proximè castra admouerat. Fremés igitur atque ira ardens captiuos immaniter excruciat, inde impetu auersus in Samnium abijt, Beneuentum ui captum diripit, direptum mœnibus nudat, hinc Romam hostiliter repetens Casinense cœnobium spoliat, Soràm ferro & igni uastat. Templariorũ si qui in Italia tũc erant, bona diripit. Saracenos interim, quibus homo impius utebatur in bello, tam indulgenter fouere ut urbem & magistratum illis in Italia esse deA tuor menses distracta, Balduino Constantinopolitano intercedente, postremo dictus est locus quò Innocentius cum eo in colloquium ueniret. Interea pontifex indicio comperit Federicum & Romæ & foris suæ uitæ insidiari, desperata itaque pace, Genuensium nauigio usus, ex Cétumcellis in Galliam proficiscitur, Lugdunum inde decreto petijt, quo conuentum hominibus Christiani nominis indixit, citat inde huc Federicum imperatorem, indicta illi pœna ni dicto obediens sit. Fuit hic annus quintus & quadragesimus supra duodecies centesimum humanæ salutis. Dixit se concilio occursurum Federicus, tantum petijt, ut paululum res differretur. Assignatus est ei dies quo deberet adesse, quem ille non solum non seruauit, sed quærere etiam compertus est, quomodo, quáue ratione uel in media Gallia, Innocentium opprimeret. Tum uero omnium consensu regno & imperio priuatur. Federicus ira ardens Innocentij necessitudines infectatus, cognatorum ædes & uillas in Parmensi diruit, fœdereque cum Burgundiæ duce icto Lugdunum proficisci cõstituit, & iam in Taurinos processerat, quum comperit Parmenses exules, ciuibus aduersæ factionis ad Tarrum amnem superatis urbem ingressos teterrimam cædem edidisse, quo nuntio turbatus, omisso itinere, ex tota Italia exercitum contrahit: ad sexaginta milia hominum fuisse dicuntur: his copijs fretus in animo habebat Parmam oppugnare, contrà sociæ ciuitates, cum pontificio legato, bellum in Federicum comparant, obsessa est inde Parma toto biennio, postremo facta ex urbe eruptione, Federicus fusus fugatusque est, castra omnis opulentię pleB na Parmenses & socij diripiunt, cinxerat hæc hostis fossa & uallo, eo consilio, ut Parma capta & excisa ibi nouam urbem conderet, Victoriamque uocaret, nummum quem in his castris percusit, Victorium nominauit. Fuerunt qui scriberent Federicum eo prælio coronam amisisse immensi pretij, uasa aurea & multa & magna, Cremonamque fuga delatum, urbem ingredi non esse ausum, quum sciret ciuitatem merito sibi iratam, multi enim Cremonésium, qui sub eius signis militabant, ceciderant eo prælio. Dedit dein se uoluptatibus Federicus, inter spadonum & concubinarum greges agens, quod ubi Innocentius resciuit, domestici hostis terrore leuatus, Christianos duces ad arma in Turcos comparanda literis & nuntijs hortatur, copiarum imperium decernit Lodouico Galliæ regi qui ex uoto ad id bellum festinabat. Recens terror ex Scythia ortus non nihil eam expeditionem retardauit, ingens uis Scytharum eius generis qui Tartari nunc uulgo dicuntur, tripertitò suis egressi finibus pars una per superiorem Armeniam, Iconium usque Turcorum regiam peruenit, altera terribilior manus, Bachonis ductu, Polonos & Pannones fœda populatione peruagata, ad mare Ponticum flexit iter. Rosulanorum & Iazigum terram suis subegit armis, reliqua ad meridiem processit, sed expeditio illa parum felix. Nũc quando Tartarorum mentio sua sponte incidit, qui hominum hi fuerint, qui mores & ritus gentis, quæ imperij origo, propagatióue fuerit, strictim explicandum est. Habuit gens hæc sedes in ea Scythiæ parte, quę est ultra Beliam mõtem, ut Aytonus scribit, ad quem Macedonum arma, Alexandri ductu peruenisse dicuntur. Ferus his ab initio cultus, sine moribus, sine lege, sine ullo uitæ cultu, armenta pascere, obscuri nominis inter Scythas, finitimorumque uectigales. Mox gens ipsa in plures uelut tribus diuisa est, cœpitque sub ducibus agitare, penes quos erat totius rei summa, pendere tamen nihilominus uicinis accolis uectigal, quum Canguista oraculo quodam primus est rex ab ijs creatus. Is recepto imperio primum omnium malorum dęmonum cultum abrogauit, edictoq; præcepit, ut tota gẽs deum optimum

Cur Saracenorum Nuceria.

Nuceria dicta. Ademit Federicus & Rauennam põtifici, cuius iniurijs alijs super alias Gregorius irritatus in Laterano conuentum habuit de imperio illi abrogando: Federicus interea itineribus terra marique præclusis, in quo est præcipua Pisanorum opera usus, aliquot supremi ordinis antistites de uia & nauigatione captos, in carcerem conijcit, qua noua iniuria tanto est Gregorius dolore affectus, ut paucis diebus quibus ægrotare cœperat, sit uita defunctus, anno sui pontificatus quartodecimo, quum paulo prius tam tetrum Solis deliquium esset in cœlo obseruatum quàm nullum aliud hominum memoria. Vixerunt cum eo uiri ingenio & sanctitate clari, Raimundus Barchinonensis, quo Gregorius usus est in decretorum libro digerendo, Antonius Olisiponensis, ex Francisci Assisatis obseruatione, quem idem pontifex in sanctorum numerum retulit, Accursius Florentinus maioris Azonis auditor, Bartholomæus Brixianus pontificij iuris peritissimus. Cælestinus quartus in Gregorij locum successit, obiitque duodecimo initi honoris die. Fuit inde ecclesia mensem unum & uiginti sine pontifice, Cardinalium consensu negante se prius pontificem creaturos, quàm antistites sui ordinis, qui Federici iniuria custodirentur, carcere emissi essent. Ille interea Picenum agrum magna ui, sed terrore adhuc maiore peruagatus, Flaminiam inuadit, inde Fauentiã in Æmilia occupat, mox Bononiam, hinc quia non statim imperata ciues fecissent, Gymnasium, ut aliqua urbẽ ignominia deformaret, Patauium transtulit. Venit nec multo pòst Balduinus Byzantij imperator in Italiam, qui tantum apud Federicum ualuit precibus, ut antistites, qui eius iussu custodiebantur, dimiserit, his in libertatem restitutis conuentus Anagniæ habitus est, quo pontifex creatur Innocẽtius quartus, Genuensis patria ex Flisca, quo nuntio Federicus haud perinde ut erat hominum opinio, lætatus, uixerat enim cum eo alioqui coniunctissime, fertur amicis gratulantibus dixisse, Synibaldũ (id enim fuit illi nomen) ex amico factum esse sibi ex pontificatu inimicum, adeò homo impius oderat pontificium nomen aut certè metuebat, suarum sibi in Romanam ecclesiam iniuriarũ conscius. Pontifex Romam ingressus primum omnium de Federico ecclesiæ reconciliando egit, estque res in quaB

Viri illustres.

Cælestinus IIII. ponti.

Vnde Gymnasium Patauinum ortum.

Innocentius IIII. ponti.

Federicus regno & rio pr.

Attonita Tartarica cęstu.

Tartarorum origo.

Canguista primus rex.

Abdicatur monet. et regã.

optimum maximum coleret, cuius prouidentia regnum credi uoluit à se receptum. Edictum est deinde, ut quicunque per ætatem arma ferre possent, ad certum diem regi præstò adessent, estque militaris multitudo in hunc modum distributa, ut decuriones centurionibus parerent, centuriones Chiliarchis, Chiliarchi myriadem id est denũm milium præfectis. Inde ad periclitandas uires imperij septẽ principum ex ijs qui uniuersæ genti ante constitutum regnum præfuerant, filios parentum manu iussit interfici, facessunt illi imperium, etsi acerbum & atrox, quum multitudinis metu, tum religione adacti, credere enim uulgo cœli numen eiusmodi regni initijs interfuisse, non regem, sed deum ipsum uiolari arbitrantes si illius dicto minus obtemperassent. His fretus opibus Canguista primum finitimos Scythas bello subegit, subactos uectigales fecit, & cum his eos quibus Tartari ad id tempus tributum pependerant. Inde remotiores populos suo subegit imperio. Cæterum dum bellis bella ferendo neque labori, neque periculo parcit, pugna quadam parum feliciter cõmissa, profligato exercitu ex fuga in proximum uepretũ sese coniecit, hærebat uictor hostis à tergo legens fugientis uestigia, & iam qui ad cædem festinabant, adorti erant locum perscrutari, quũ bubo auis alioqui inauspicata ad strepitum aduentantium excita, præpete uolatu regem seruauit, quũ uacuæ fecisset latebræ indicium. Et quia rex per eũ modũ seruatus est, in magno iam inde honore fuit auis ipsa apud eam gentem: nullum gestamen pulchrius in his quàm pennę eius uolucris cono affixę. Circumiectis gentibus domitis Canguista studio propagandi imperij ad occidentẽ Solem flexit belli impetum, & iam uictor ad Caspium mare processerat: nam quid aliud Scythia egressis potuerit prius occurrere, haud sanè intelligo. Cæterum, siue Caspium, siue aliud id fuerit ad quod uentum est, CanB guista, quod satis constat, medio uictoriæ cursu moriens duodecim filijs regnum reliquit, quos ille quũ sub ipsum tempus mortis ad concordiam hortaretur, iussit ut duodecim sagittas quisque suam in unum conferrent, fascemque ex his facerent, inde singuli in orbem experiri iussi sunt, possent ne fascem infringere. Cæterum quum res ab omnibus frustra tentata esset, tam firmum, inquit, erit uestrum imperium filij, si in eo tuendo concordes eritis, contrà fragile & hostium iniuriæ obnoxium, soluto animorũ consensu, ceu si fasciculus iste aut casu aut consilio soluatur, infirma erit sagittarum quælibet, ac cuiq; uestrum facile friabilis. Et ille similitudine haud quidem inepta docuit res hominum concordia augeri, auctas discordia labefactari. Hoccota qui omnium maximus erat natu, & ob eam rem cæteris facile cedentibus, rex post patris interitum dictus est, Asiam inuasurus mille lectos equites misit ad explorandum eius gentis statum: hi ad angustias montium progressi ubi fores obditæ sunt ferratis trabibus Dyriodoro amne subterfluente, castellum ibi munitum ad arcendas transitu gentes innumeras, uelut altero terrarum orbe portis exclusas, primo accessu capiunt. Fuerint ne Caspiæ portæ, ad quas illi uenerunt, an Caucasææ, nec Aytonus scribit, nec ipse utræ fuerint affirmare possum, inclinat tamen ad Caucaseas animus, quia oppidum ab Hoccotæ equitatu oppressum Alexandreta, ut Aytonus tradit, fuerit olim appellatum. Verum Plinius Alexandriam non in ipsis faucibus statuit ut ille, sed in Caucaseis portis: contrà Caspiæ non minori miraculo naturæ celebrantur quàm Caucaseæ cum castello in ipsis angustijs, cui Cumanæ fuit nomen, cęterum siue hæ fuerint siue illæ, præsidio oppresso Hoccotę equites locum tenuere, inde in alterum uelut orbẽ egressi, quum ad Arserem Turcorum urbem processissent quia ingens uis hominum ad bellum in-

Institutio militaris.

Tartarorum successus.

Canguistæ factum.

A strui dicebatur, ut iussi à rege fuerant retrò in pacatum abierunt. Hoccota, post suorum equitum reditum, quia ex ijs quæ illi renuntiarũt apparebat posse Asiam facile subigi, tres filios cum tribus exercitibus ad bellum mittit: Iachis natu maximus ad occidentem Solem ire iussus est, Batho (quidam Bacho scribunt) imperium patris secutus ad septentrionem flexit, Tagladais (erat is natu minimus) terras & gentes, quæ ad meridiem uergunt, inuaderet. Ipse quando multitudine abundabat, cum opulentissimo exercitu circumiectas gentes ad ortum Solis bello aggressus, celerrimo uictoriæ cursu Cathaium usque extensione facta, longe lateque imperij fines propagauit. Est & Persarum regnum ex parte adeptus, qua expeditione Tartari literas didicere, quum ad id tempus nullus ipsi genti fuisset literarum usus. Sed uix ea res tantum profuit ad uitę cultum, quantum ad pietatem tuendam obfuit malorum dæmonum ueneratio, quam magna pars uicto ris exercitus, commercio eorum quos uicerant imbibit. Tagladais siue Cagadaus, nam utrunque scriptum reperio, qui ad meridiem egressus est, ad Indos usq; Æthiopas, qui sunt supra Ægyptum, promouit arma, infelix tamen eius militia, uictus prælio ab Æthiopibus & in desertas terras incautè cum exercitu delatus, partem non paruam amisit copiarum. Apud quosdam reperio incidisse eos in genus hominum canino aspectu, mordicusque pugnando, magno incommodo affectos. Et Tagladais per hæc male habitus, ad occidentem Solem flexit iter iunxitque se cum fratre, qui res Turcorum circa Persidem, Assyriam, & Mesopotamiam uehementer afflixerat, nam in has terras ille primum exierat, mox ad occidentem Solem iturus, datæ sunt Tagladanis sedes ad inhabitandum, & recepti in partem uictoriæ, ita tamen ut summa rei penes Iachin fuerit, & successores. Maior celebriorque Bathonis uictoria, qui Goniata Turcorum rege ingenti prælio uicto, breui omne ipsius gentis regnum armis domuit. Sit Goniata à Bathone Hoccotæ filio uictus, an alio huius nominis duce, quem ab initio eius expeditionis missum cum triginta milibus equitum significare uidetur Aytonus, cuius ductus magna ex parte accisæ sint Turcorum opes, parum perspicuè traditur. Cæterum, siue hic, siue ille fuerit, qui Goniatam uicit, satis constat Latinorum auxilia Turcis eo prælio affuisse. Bonifacius Molinus, Veneti sanguinis, & Ioannes Liminatius in Cypro insula ortus auxiliaribus copijs præfuerunt. Accidit hæc Turcorum clades in eum annum, qui humanę salutis supra mille simum ac ducentesimũ alter à quadragesimo fuit. Secundum eam pugnam, quam Batho in Turcos prospere depugnauit Comaniam inuasit: quæ Comania fuit, aut ubi terrarum, loco non multum diuerso est suprà demonstratum in rerum relatione ad Ægyptios pertinentium: nam Comani fuerunt seruitutis, qui ipsi genti imperitare cœperunt. Cæterum Aytonus non Cappadoces solum & qui illis finitimi sunt, sed omnes gentes usque ad Tanaim & Euxinum ad Comaniæ regnum pertinere persuasum habuit, ut mihi uidetur: Comani, inquit, suis sedibus eiecti in Pannoniam fuga deferuntur ad consanguineos. Sed Hunni & Vngari eius terræ aduenæ, Scythæ quod nulli est dubium, fuerũt. Verum quoquo modo hæc capienda sunt, Batho Comania subacta Rosulanos bello subegit, Iazigas, & Polonos. Comanorum inde uestigia secutus in Pannoniam processit, oppressique sunt ex his plerique ultra Histrum. Hinc fluminis magnitudine auersus, fatis ad exitum rapientibus in Germaniam flexit cursum, estque in Austriam usque impetu delatus. Hic Drauum, credo, superare adortus, nam Austriæ id flumen esse Aytonus ait, quod ille primus omnium temere ingressus magnum equitum globum secum

Tartarorum successus.

Bathonis interitus.

traxit: fluminis itaque impetu & uiolentia uictus, cum magna eorum parte, qui uorticosum amnem transnare conati sunt, mortem occubuit. Tartari, rege amisso, eas repetunt terras, quas bello suas fecerant. In his postea gentibus Bathonis filij latè imperitarunt. Et hæ sunt memorabiles illæ Tartarorum expeditiones longe lateque septentrionem, meridiem, & ortum magno quidem humanarum rerum motu peruagatę: de cuius regni origine & incremẽtis non ab re fuerit hæc in literas misisse. Cæterum quando eò uenimus, ut de eius gentis uetustate, & imperio non pauca dicerentur, subtexam his breuiter illius mores & ritus, ut gentis minus alioqui nota sit uita cognitu facilior. Colunt Tartari simpliciter deum optimum maximum, ad cuius prouidentiam omnia referunt, necieiunia habent ulla, neque sacrorum cæremoniam, nullis utuntur precibus, quum quid à deo impetratum uolunt: Aytonus tamen autor est, aliquando exercitui uniuerso indictum esse à rege ieiunium, hominem interficere nullius noxę est: si frenum non ademerit is qui quadrupedem misit in pascua, piaculum est. Fornicari ac uenerem quoquo modo exercere, neque probro, neque uitio datur. Multiplex connubium in usu: post patris obitum fas est nouercam sibi matrimonio iũgere, fas & quæ fratri nupta fuerit: regi quicquid libitum est licet, & cuicunque uelit, lege permissum est uxorem & omnia quæ uelit adimere: ex rapto plurimum uiuunt, aut si hæc desint uenatu, equino bubulo ́que lacte uictitant, uescuntur & equina carne, sed ne humanis quidem carnibus abstinent: fallax ingenium, uinum cupidissimè potant, si fiat copia bibunt & humanum cruorem: pediculos esitãt, uxor mariti, amicus amici, illud dictitantes, sic regis hostes eant. Nuptæ mundum gerunt capitis in cistę speciem figuratum, circa summum latiorem, sesquipedali altitudine, serico & margaritis ornant, puellæ adhuc innuptæ indiscreto ferè à uiris habitu, hi pileo caput contegunt, mento subligant: Pilei forma penè plana, uestę ad genua ferè demissa, multifariam recisa à pectore, arte magis quàm uiribus pugnant, gladio utuntur brachiali longitudine, ab una parte fastigiato, corio teguntur aut laminis ferreis, equites agiles, sagittandique scientissimi, is omniũ fortissimus qui & imperij obseruantissimus, sine stipendio militant. Pedites inutiles & insigni tarditate, gens in prælijs & rebus gerendis solers, & ad omnia momenta rerum imperium ́que obeundum præstò, nec fuga turpis si conducibilis sit, aut necessaria: sagittas tanta ui intendunt, ut nullum armorum genus sit illis non penetrabile, turmatim pugnam capessunt, turmatim fugiunt, uulnifico sagittarum iactu sequentem hostem à tergo conficiẽtes, inde prementium paucitatem conspicati subito in pugnam redeunt, ac tum maxime uincunt, quum uicti creduntur, comiter & benignè colunt hospites, aliena appetunt, negligunt sua, sub tentorijs in aperto agitant, libentius hoc modo quàm in oppidis aut urbibus, uiri à re bellica feriati aut uenantur, aut se luctãdo exercent, mulieres pelliceas uestes sarciunt, ocreas & cætera, quæ ex eadem materia fiunt, trigesimo die luctum finiunt, cum defuncto, si altiore fortuna fit seruum unum sepeliunt, & phaleratum equum, socialibus bellis mites ubi inferiores numero sint, alioqui superbi in socios & contumaces, ueritatis studiosissimi, nihil tam capitale turpitérue adimunt, quod expostulati non sponte fateantur. Et Tartari gens Scythica in hunc modum se habuit ducentesimo abhinc anno, quum quę de his breuiter executi sumus, Aytonus Armeni⁹ prodidit, sunt quædam his inserta, quæ Iacobus Planensis, & Benedictus Sarmata, Minoritani ordinis explorarunt, ab Innocẽtio pontifice ad eius gentis regem missi. Vincentius autor est, & Antonius Florentinus antistes, Vincentium secutus. His itaque septẽtrionem sibi bello uindicantibus, ut suprà est significatum, Arabes Melechsalę Ægyptiaci Sultani impulsu, Hierosolymam occupant, mœnibus nudatam. Christiani nominis uiros in ea urbe repertos crudeliter trucidant, sepulchrum fœdãt sacrilegæ manus. His Innocentius pontifex commotus, multo impensius q̃ antea, Lodouicũ regẽ obtestãt, ut iter acceleret, copias in Syriã deportet, cęterũ læuiente mari coactus est rex in Cypro hybernare, inde ad prima ueris signa Heliopolim adortus, hostiũ inde classem depulit, terrestri prælio barbaros superat, castra urbi admouet, cæteras ex Italia copias expectaturus, quæ quo minus in Syriam transmiserint, uesana Federici rabies fecit, qui à libidinibus uelut longa ebrietate experrectus, ex improuiso ad uim & arma conuersus Italiam terrore compleuit. Plerę ́q; ciuitates metu perculsæ tum demum à pontifice defecerunt, ut in Hetruria sola Florentia pro pontifice staret, hæc quoq; multifariam uexata Guelphos eijcere coacta est, omne Picenum nomen ab ecclesia ui alienatum, & cum Picentibus Vrbinates, Foroliuienses, & Ariminenses, & pars Vmbriæ multo maxima, erant ́que per hæc pontificis opes plus nimio accisæ. Bononiẽses interim Henricum Federici præfectum, iusto prælio superant, actum demum Federicus in Siciliã reuersus, Panormi, ut quidam scribũt, moritur, alij in Apulia graui morbo conflictatum, & iam conualescere incipientem, à Manfredo filio, quem ex concubina extulerat, compressis faucibus strangulatum scribunt, eratis ab eo Tarentinus princeps declaratus, cæterum non contentus præsenti forte patrem primo inde Conradum fratrem ex Iole Ioannis regis filia ortum, regni & omnium fortunarum hæredem relictum, ueneno sustulit, & ne non semper cruderiter operaretur, Neapolim & Aquinum ui captũ diripuit, pontifice in eum reclamante, ac nihil molestius ferente quàm Italiæ statum nouis motibus turbari, unde auxilia ad bellum expectarẽtur, quod in Turcos & Saracenos gerebatur. Erat iã Heliopolis capta in Ægypto quum Robertus Pictauiẽsium comes ad Lodouicum cum nouis copijs uenit, quibus auctus uiribus rex, continuò ex Heliopoli profectus, ad Pharmianiã castra promouit, huc aliquanto antea Melechsala rex Ægypti, id ueritus, cum immenso exercitu uenerat. Dirimebat fluuius utraque castra, eaq; res impediméto esse, quo minus de summa rei uno prælio decerneretur, committebantur leuia prælia, eaq; per occasionem, ut assolet, alterius partis, quibus Robertus uir fortis maiora in hostẽ quàm tutum esset facinora ausus edere, à suis exclusus capitur. Et circa Ægyptum fortuna belli per hũc modum uariabat, quum Innocẽtius, quia res Italiæ iam pacatiores essent, eam repetere constituit: cæterum priusquam ex Gallia sit profectus, Edimundum Cantuariensem antistitem defunctum diuorũ numero ascripsit, inde Italiam ingressus, quia senatoriam potestatem horrebat, quæ in urbe plus nimio creuerat, Perusiam se contulit, ubi solenni cæremonia Petrum Martyrem, prædicatorij ordinis, inter Mediolanum & Comum non multo prius ab hæreticis interfectum, in sanctorum retulit numerum, retulit & Stanislaum Cracouiensem antistitem, quippe qui uiuens multis inclaruit miraculis. Accersitus interea Innocentius à Siciliæ proceribus Neapolim inuisit nuper instauratam, hicque diem obijt quum annos sedisset undecim & dimidium. Innocentij instituta, ut natalem Deiparę uirginis octonis diebus celebraret ecclesia, ut supremi ordinis antistites equo sedentes, Puniceo uterentur galero, ut maior adhuc ipsi ordini accederet maiestas, argumẽto tamẽ nihil obscuro oportere hui⁹ ordinis antistites semper paratos esse, p̃ fidei defensione sanguiné effundere. Reliquit & uaria studiorũ monumẽta, & in

Tartarorum mores.

Tartarorum ritus.

Federicus Iam uex.

Federici interitus.

Attende ueritatis studium.

& in his opus ingeniosè eruditeq; digestum, Decretale id uocant, doctus doctos coluit, fouitq; clementer in cunctis eruditionem & dignitate auxit, ut in Hugone Barchinonensi, quem ad supremum cleri ordinem euexit, rubroque insigniuit pileo. Scripsit hic quoque multa grauiter & accuratè. Fuerunt his æquales Bernardus Parmensis Compostellanus, & Guilielmus Innocentij huius ex fratre nepos, cuncti eruditione haud uulgari. Iacobus Balduinus scitissimus iuris, Vincentius Gallus historiarum scriptor magis copiosus quàm elegans, Martinus Cisterciensis, cui etiã aliquid debet historia, sed quantum eius ætatis homini debere potuit, id opus ab autoris nomine Martinianam uocant. Alexander Minoritani ordinis, is de grammatica arte metrice scripsit, erãt eius scripta nobis pueris in magna adhuc dignatione apud grammaticæ professores, cæterum doctorum hominum consensus his paucis annis ex triuialium manibus id opus excussit. Alexander de Ales, cuius scriptis omnes astipulãtur docti. Guido Bonatus astrorum scientia sua ætate illustris. Alexander huius nominis quartus factus est inde pontifex: is confestim honore inito, Manfredum admonuit, ne quid in res pontificiæ ditionis moliretur, qui non modo nõ paruit dicto, sed uelut iussus id facere, Saracenis ex Nuceria accersitis, pontificis copias nil tale metuentes ex improuiso adoritur, partim itaq; fœde trucidauit, partim captos custodiæ tradidit impius iuuenis, ueraq; Federici progenies. Nam ut pater in aui impietatem degenerauit, ita is paternam ualeniam est studio imitatus. Erant ́que per hæc initia Alexandri pontificatus parum læta, quum in Ægypto res multo tristiores essent. Enimuero occupata ab hoste una Nili fluminis parte quum cõmeatus in Ludouici regis castra subuehi nequirent, continuò Christianæ copię famem sentire cœperunt, occurrit eò Hierosolymitanus antistes, req; male gesta, ab hoste capitur: coactus itaque obsidionem soluere Gallus rex, quum Heliopolim (Damiatam nunc uocant) repeteret, in alias hostium copias incidit, uictusq; prælio cum Alphonso Pictauiensi & Andegauensi comite capitur, cæterum Melechsala Ægypti rege post uictoriam à Comanis seruis, quorum opera domi forisq; utebatur, interfecto. Tarquemenius quem illi (unus enim erat ex conseruis) sibi regem crearunt, Heliopoli à Gallis recepta, magnaq; captiuis ducibus pecunia expressa, Gallum regem cum omnibus copijs Ptolemaidem usq; perduxit incolumem. Ludouicus fratribus in Galliam dimissis, ipse Alexandri pontificis hortatu tandiu in Asia subsedit, quoad Ioppem, Sidonem, & alia oppida à Christianis recepta & instaurata præsidijs firmarit: & nouissima Christianorum in Syria expeditio, quæ sex habuit annos, huiusmodi est exitum sortita, quo sanè tempore Ægyptus, ut proxime est demonstratum, triste seruitium subijt, ut uenalitijs seruis coacta sit seruire, Ludouico ex Syria reuerso. Alexander pontifex tanti uiri præsentia & opibus fretus, Manfredum ob ea quæ impiè & insolenter fecerat, piorum cœtu excluſum, anathemate execratur, Neapolitanos per legatum aduersus impium regem confirmat, pollicitus breui fore, ut quum ipsis, tum Campanis ualida mitterentur præsidia. Manfredus interea non tantum Neapolim uexare, sed Herruriam etiam nouis motibus solicitat, atque omnium infestissime Florentiam, quæ statim à Federici interitu se in libertatem uindicauerat, publico decreto Guelphis in urbem restitutis, ut aduersæ factionis conatibus resisterent. Inualuerunt breui Guelphorum opes, ita ut Manfredus spe sua frustratus, nonnihil incœpto abstiterit. Cæterum Panormi rex declaratus, omnia circa Neapolim turbare Saracenorum milite usus, Iordaneum suarum copiarum præfectum, cum mille & quingentis equitibus auxilio Senensibus mittit, qui eò missi sunt, Florentinos ad Arbiam flumen tanta clade superarunt, ut urbem hostibus relinquere sint coacti. Nec interea pontifex destitit tyrannos ubique insectari: enimuero Ecelinus nescius maiore successu an crudelitate suas opes in Veneto Italiæ tractu latè propagauerat, qui post nobilissimas urbes seruitio pressas, in quibus subigendis tanta dicitur crudelitate usus, ut nobilissimorum hominum, quos crudeliter insectatus est, alios luminibus priuarit, his manus, illis nares & aures præciderit, horum filijs uirilia adempta, uirgines corruptæ, matronis mammæ mutilatæ, prægnantibus exectus uterus, flammis ́que consumptus partus. Mantuam premebat obsidione, quum Philippus Fontanus, Rauennas antistes, Venetias à pontifice ad id missus, magna cœlestis uitæ præmia proposuit omn⁹ ⁹is, qui aduersus Ecelinum, Romanæ ecclesiæ hostem iudicatum, secum arma induerent, conspirarent ́que ad incendium illud extinguendum. Magnus mortalium concursus est ad antistitem factus. Veneti Alexandro gratificaturi, & quia tyrannidem in proximo gliscentem infense oderant, militem, arma, stipendium, commeatus & naues obtulerunt, quibus copiæ sunt in hosticum transuectæ. Patauium primo impetu capitur, tyranno absente, sed defectio fuit illa potius, mox arx quoque dedita est. Habebat tum Ecelinus castra in Mincij ripa, quum de Patauij amissione nuntium accepit: dissimulata itaque clade, Veronam citatum rapuit agmen, ubi duodecim Patauinorum milia, non mercenarios milites, aut gregarios, sed ingenuos, atque ex omni flore iuuentutis lectos, ad unum interfecit, quod à nullo unquam præterquam à Cornelio Sylla factum reperio. Varij inde fuerunt Ecelini conatus, sed omnes irriti. Pontificius legatus strenuè Patauium tutatus est, Venetis ob publicam operam eo bello nauatam, datum est ut Marcianæ ædis Primicerius pastorali baculo & mitra in sacris uteretur. Maurocenus dux per id tempus moritur: in cuius locum Rainerius Zenus surrogatus est, quintus & quadragesimus in ordine. Missi sunt post Patauium in libertatem assertum, plerique Minoritani ordinis uiri, per circumpadanas urbes, & quæ alpibus subiectæ sunt, qui solenni prædicatione confirmarent partes ecclesiæ, nec incassum missa illorum opera, nam Brixiani Guelphis in urbem restitutis, Romani pontificis sunt autoritatem secuti: fecissent idem Cremonenses & Placentini, nisi earum urbium Vbertus Palauicinus aduersæ factionis opibus fretus, dominatum occupasset. Cum hoc igitur & Ecelino pontificius legatus, Guelphis iuuantibus, apud Gamaram conflixit, magnoque prælio uictus cum Brixiano antistite, & principibus Guelphæ factionis capitur. Ecelinus Brixia in potestatem redacta, capriuos dimisit. Fuit annus ille humanæ salutis undesexagesimus, supra duodecies centesimum. Nec multum inde temporis intercesit, quum Palauicinus pontificij legati impulsu, relicta Ecelini societate, Guelphis se ciuitatibus adiunxit, in quo Philippus antistes, præcipua usus est opera Bosij Cremonensis. Palauicini alienatione commotus Ecelinus, irarum plenus, socijs ciuitatibus bellum intulit, Abduamque transgressus, Casianum agrum populatus est. Mediolanenses cum appendicibus sociarum urbium Martini Turriani ductu cum tyranno sæpius dubio marte dimicarunt, ad postremum fusus fugatus ́que tyrannus, Suncinum compellitur grauiter uulneratus, ubi cladis & ignominiæ acceptæ impatiens consutum uulnus præ ira nimia rescidisse dicitur, atque ita medio dolore & cruciatu est morte consumptus. Sunt qui

Alexander IIII. pont.

Edimundus Cantuarien.

Petrus Mart.

Primus Pon. ceps galeri.

Viri illustres.

Attende Ecelini crudelitatem.

Attende crudelitatis exemplum.

Mitra & pastoralis baculus datur Primicerio ædis Marcianæ.

Ecelini interitus.

Status Christianorum in Syria expeditio.

qui ſcribant eum poſtremo prælio captum, eius corpus ut anathematicum & omni piorum gradu deiectum, in prophano etſi ſatis alioqui honeſte ſepultum. Exercuit tyrannidem annos uiginti, quæ initium habuit ad annum ſalutis quartum & trigeſimum ſupra duodecies centeſimum, ſunt qui annos quinque illius principatui adijciunt. Omnes Ciſalpinæ Galliæ ciuitates, quæ ſub Ecelini tyrannide iacuerant, libertate poſt eius mortem recepta, Rom. ſunt pontificis auſpicia ſecutæ. Apoſtolicus legatus reliquias belli executus, Albericum Ecelini fratrem, quidam Albertum pro Alberico ſcripſere, Tauriſij cum uxore & liberis obtruncati, ſunt qui ſcribant Tauriſinos tyrannorum odio ſex Alberici filios in conſpectu patris contrucidaſſe, uxorem & filias uiuas igni conſumptas. Alexander Ecelino & eius tyrannide ſublata, quia iam Italia omnino quietior eſſet, ad Asiaticum bellum flexit animum, obſtitit præſenti conſilio recens Venetorum & Genuenſium diſcordia, quæ unde demum ſit orta, paulò altius repetendum. Habebant Veneti in Ptolemaide urbe quę inter Carmelum eſt montem ſita & Sidonem, ius quæſitum, iam inde ex quo Hieroſolyma Gothifredi ductu Chriſtianis fuit armis recepta: habebant Genuenſes Piſaniq;, nam hi quoque ad id bellum claſſes miſerant. Accidit ut Genuenſes & Veneti commune eſſent phanum in ea urbe ſortiti, quum priuum alioqui uicum, priuumq; forum utriq; haberent. De huius poſſeſsione animi iam antea mutuis offenſis æmulationeq; & odio accenſi, diſceptare adorti ſunt. Veneti nō uicum modo, ſed tertiam etiam partem eius urbis ex fœdere cum Balduino icto ſibi deberi prædicantes, ipſam etiam ædem diuo Sabę dedicatam uendicabant. Inſtare Genuenſes, neq; fœderibus neq; ſocijs ceſſuri. Et quia nulli dubium quin ex ea diſceptatione magnum erat incendium exarſurum, ad tollendam omnem diſcordiæ cauſam, res ad Alexandrum delata eſt pontificem. Cenſuit ille quietis magis quàm æquitatis amicus utrorumq; phanum commune eſſe debere, quando ſacra etiam utriſq; communia eſſent. Eam pontificis declarationem quū aliquanto antea Genuenſes quàm Veneti cognouiſſent, non expectatis ab Alexādro literis, ſed Philippi Montferratenſis eius tunc urbis præfecti beneuolentia freti, locum occupant, tumultuarioq; opere in ſpeciem arcis muniunt. Cæterū Venetis qui ibi erant de iniuria querentibus, tantum abfuit ut Philippus pro poteſtate interceſſerit, ut iuſſerit etiam Venetos inde populariter abire. Blondus indignabundos inde Venetos ultrò abiſſe ait, quam inſignem cōtumeliam quum ferre non poſſent, cum Manfredo Sicilię rege, in Genuenſes fœdus percuſsiſſe. Non caruit interim Philippus reprehenſione, Antiocheni & Hieroſolymitani antiſtitum literis perſpicere iuſſus, quàm parū conſideratè ageret quod diſcordiam inter duos populos Italiæ principes ipſius culpa ortam tam pernicioſe aleret, fore ut niſi Veneti cum Genuenſibus redirent in gratiam, qui ipſius culpa eſſent alienati, magnum ex ea re incommodum res Chriſtiana breui adiret. Audire ille hos ſalubres monitus, ſed nihilo ſecius omnia ad Ligurem trahere, tum uero patientia iniuriæ magnitudine uicta, Veneti tredecim triremes quas per id tempus Tyri habebant, portu celeriter educunt. Domeſtici ſcriptores eas Tepuli ductu Venetijs profectas aiunt, Ptolemaidem celeri curſu contendunt ubi catena qua portus occludebatur refracta, iij. & xx. Genuenſium onerarias, & duas triremes quæ in portu ſtabant diripiunt, gubernacula adimunt, & omnia nautica inſtrumenta, atq; ita direptas ſubiecta flamma omnes ad unam abſumunt incendio: Phanum eodem impetu recipiunt, ac qua parte fuerat à Genuenſibus munitum diruunt. Incidit noua hæc diſcordia in eum annum

Origo Liguſtici belli.

A qui duodecies centeſimus fuit ſalutis humanæ ac duodeſexageſimus. Genuenſes ea clade magis irritati quàm territi, xl. inſtruunt triremes, & cum his ceteas naues decem. Veneti interea ad res Balduini tuendas in Ponticum mare curſum intenderāt, ubi Selimbram de Turcis ab his captam & direptam quidam ſcribunt. Alexander auditis quæ in Syria nuper acciderant, pro non paruo habuit negotio utriuſque ciuitatis cauſam audire. Adhibuit eiuſmodi diſceptationi, ut res æquius decerneretur, Piſanorum legatos, foretque proculdubio pax ſecuta, niſi in Syria res celeriter nimis præcipitata eſſet. Genuenſes ex Tyro profecti Ptolemaidem decreto petebant Venetorum iniuriam ulturi. Redierant aliquanto antea Andreas Zenus & Laurentius Tepulus ex Pontica expeditione, nam à Ligure non ita maturatum eſt, ut ab infero mari in Syriam cōtinuò uenerit. Hi igitur audito Genuenſium aduentu, naues confeſtim portu educunt, ut res in aperto geretur, atque ita aduerſæ claſſes maioribus propè odijs quàm uiribus congreſſæ, cruentam ediunt pugnam, fuitq; res Veneta ab initio ualidior Piſanorū opibus adiuta, qui reſiduo in Genuenſes odio Venetis ex confeſſo aderant, funduntur itaq; Genuenſes, ac multa cum ſtrage diſiecti, quinque & uiginti nauibus in pugna amiſsis, quidam autores ſunt hūc captarum fuiſſe numerum, ac plures medio conflictu corruptas mariq; depreſſas. Ligur male affectus fuga priorem curſum remenſus Tyrum tenuit, nec ea uictoria, quamuis hoſtibus funeſta, expleuit Venetorum iram, quin maiorem in modum sæuiendo omnia Genuenſium loca Ptolemaidi publica & priuata diruunt, negotiatorum horrea, præcones, apparitores, cæteraque priſtinæ fortunæ ornamēta quæ ad eam diem manſerant inuiolata, penitus ſuſtulere: nec multo poſtquam ad Ptolemaidem hoc fuerat euentu dimicatum, tres alię Genuenſium naues circa Tyrum ſunt à Venetis interceptæ, qui ex Liguſtica claſſe priore prælio capti fuerant, Alexandri pontificis rogatu ſunt gratis reſtituti. Erantque in hoc motu res Venetæ in ora Syriæ, quum in Græcia nihilō quietiores eſſent, Theodoranis armis (fuerat Theodorus Ioannis Vatazi filius) res Balduini adeò grauiter uexantibus, ut niſi Veneti ut ſæpe antea per idem tempus afflictis imperij opibus ſubſidio affuiſſent, breui caſuræ uiderentur. Ferebat itaque ſuppetias Balduino Venetus, claſsisque ex Syria profecta pleno curſu in Græciam ferebatur, quum peropportunè Theodori morte nuntiata, retrò in Syriam ubi maius à Genuenſibus intendebatur certamen, flexit curſum. Reliquerat Theodorus Michaëlem, cognomento Paleologum filijs tutorem, fecitque ea res fidem Balduino & Venetis futuræ pacis, ſi tutoris nomine contentus eſſet Paleologus. Sed homo uehementi ſpiritu, multaq; prudentia, non ſolum Balduini opes fregit, quod ſuo poſtea ſit loco dicendum, ſed euertit etiam fundituſ. Sunt qui Gregorium Imiſolum tutorem à Theodoro relictum ſcribant, quem ſacris operantem Paleologus interfecerit, recepta ad ſe puerorum tutela, quos pari iniuria, ac neſcio an maiore etiam, ſuſtulit. Ipſe ab initio Guilielmum Achaiæ principem bello uexare adortus, non prius infeſtare deſtitit, quàm in apertum martis diſcrimen traxerit, uictumque prælio ac captum uinxerit: qua Paleologus uictoria ferocior factus, Balduinum inuadit, occluſit ille Pontici maris anguſtias hoſti, ut procul à portu arceret. Ipſe à terra cum omni robore copiarum ſeſe uenienti oppoſuit, ut de ſumma ſemel dimicaret. Iam enim Vatazi prius, mox eius filij iniuria ad eam redactus erat deſperationem, ut ob inopiam rerum omnium, ne laceſsitus quidem crederet, Byzantium poſſe à ſe diutius teneri. Satis conſtat Burgenſibus negotiatoribus

Genuēſes & Veneti pugnā.

Theodori Vatazi filius

Paleologus

toribus, non Venetis, ut Platina ſcribit, filium ab eo pecuniæ inopia oppigneratum, Venetijsque ab his depoſitum, aliaque ornamenta urbis ab eo egeſtate alienata: urbe itaque ſine præſidio relicta, in quo eſt magnopere erratum, quicquid uirium erat circa Boſphorum collocat. Sed dum ille externam uim formidat, domeſtica opprimitur, urbs uacua à paucis Paleologo prodita eſt. Balduinus nocturna trepidatione excitus, ubi urbem ab hoſte teneri comperit, cum Pantaleone Iuſtiniano antiſtite, & neceſſarijs omnibus ad mare ſe proripuit. Sūt qui dicant eum abfuiſſe quum hoſti tradita eſt, ſed ſiue affuit quum hoſtis in urbem receptus eſt, ſiue in caſtris fuit, ſatis conſtat Byzantium proditione amiſſum, anno poſtquam à Gallis & Venetis fuerat Græcis ademptum quinquageſimo octauo, ut alij ſcribunt tertio & ſexageſimo. Balduinus Byzantio profugus nauj in Eubœam delatus eſt. Veneti & ad pontificē miſerunt, & cum ipſo Balduino ad Ludouicum Galliæ regem, utrobique nec data ſunt nec omnino negata auxilia. Interea quia ſatis apparebat Paleologum in tanto rerum ſucceſſu minime quieturum, duodeuiginti naues ad inſularum præſidium decernuntur M. Michaële præfecto, cui eſt in primis mandatum ut in Paleologi rebus infeſtandis nullam prætermitteret occaſionem. Alexander interea quum Claram uirginem ex Franciſci Aſiſiatis obſeruatione in ſanctarum numerum Anagniæ retuliſſet, Viterbium conceſsit pacem inter Venetos & Genuenſes compoſiturus, ubi dum longa altercatione inquieratur, ac ſupra uires laborat in re conficiunda, ægritudine animi obijt diem anno ſui pontificatus ſeptimo. Fuit Alexander quum ipſe eruditus, tum eruditionis fautor, pietatis & Orthodoxæ fidei cuſtos acerrimus perniciosiſsimum librum à Guilielmo quodam editum publicè combuſsit: aſſerebatur in eo quod religioni uacantes ui uentesq; ex eleemoſynis non eſſent in ſtatu ſalutis, proficiſci adhæc ſtatum gratiæ non ab euangelica lege, ſed à lege ſpiritus. Teſtudineū opus quod Romæ ad Agnetem uiſitur, Alexandri huius eſt: Locusque eodem autore ueræ pietati ceſsit, quum antea Liberi patris fuiſſet. Vrbanus quartus qui in Alexandri eſt locum ſurrogatus, confeſtim à ſua creatione militem ex Gallia euocauit, quem Manfredo res pontificiæ ditionis infeſtanti objiceret. Is terror Iordaneum copiarum Manfredi ducem ex Hetruria reuocauit, quo abeunte Guelphi confeſtim in ea gente extulerunt animum, atque omnium maxime Florentini & Lucenſes: premebat eadem peſtis & Galliam Ciſalpinam, Vberto Paluicino Gibellinæ factionis longe principe prægrauante. Inſectabatur is Guelphos pluſquam hoſtili odio, eratq; circumiectis urbibus adeò formidoloſus, ut Brixia urbs nobiliſsima, & quę ex confeſſo Guelphos tuebatur, magno ciuitatis conſenſu Paluicinæ ſit ditionis facta. Contrà Mutinenſes & Rhegienſes Bononienſium conſilio Gibellinos eijciunt, ueritine ea animorum inclinatio ad alios ſerperet. Et Italia per id tempus his erat motibus obnoxia. Interea Veneta claſsis adeò Paleologi res affligebat, ut inter omnes cōſtaret eum deſperatione adactum breui fuiſſe Byzantium relicturum, niſi Genuenſes in Venetorum inuidiam ſubſidio affuiſſent, quanquam nō tam gratia aut odio quàm pretio uideri poteſt id factum, Chio inſula à Paleologo Genuenſibus data ob operam ab his eo bello nauatam. Paleologus Liguſtica claſſe fretus ſtatuit in Peloponneſum uſque imperij fines propagare, Guilielmo quem captum ad id tempus in uinculis habuerat, ea conditione dimiſſo, ut ſibi Epidaurum traderet, hodie Mononaſiam uocāt. Veneti illum poſtliminio reuerſum complexi, arctiſsimo ſibi iungunt fœdere: nulli dubium erat quin Paleologus ex ipſa urbe ſi-

Byzātium Paleologo ceſsit.

Vrbanus IIII.

Varij Italiæ motus.

A quando ea potitus eſſet, omnia Venetorum in Ægæo & Ionio fuiſſet infeſtaturus. Guilielmo igitur in belli ſocium recepto, ſeptem & triginta triremes in ſupplementum claſsis Veneti decernunt, & hi tunc partium erant apparatus. Interea Vrbanus in animo habebat ad Genuenſes & Venetos mittere, qui cum his de pace agerent, quum repente Manfredus Saraceno uſus milite, Picenum agrum occupat: tum pontifex ab alieno negotio ad rem ſuarum curam conuerſus, ex Gallia ingentem bellatorum numerum accerſit, erant hi cruce ſignati, expectabantque ſignum à pontifice, ut in Syriam mouerent. Guidonis igitur Autiſiodorenſis antiſtitis ductu in Italiam tranſeuntes Paluicinum circa Brixiam magno prælio ſuperant, Saracenos inde qui Manfredo militabant, ex Marſis quò profugerant ad Lyrim fluuium præcipites agunt. Romani etſi per id tempus nihil erant pontificibus infeſti, magiſtratus tamen ſuo ſuffragio, & ex ſuo corpore creabant. Sed neſcio quonam modo ea tempeſtate, ſiue quia honor ille ſordeſcere cœpiſſet, aut quod operæpretium fuerit id facere, Branchaleonem Bononienſem magni conſilij uirum ſenatoré crearunt, qui domo accerſitus omnium externorū primus Romæ eum magiſtratum geſsit. Cæterum Romani haud multo pòſt mutato cōſilio Branchaleonem in poteſtatem redactum in uincula conijciunt, quem breui pòſt ſoluere coacti ſunt, quia Bononiæ plerique Romani nominis ob id facinus cuſtodiri dicerentur. Eum ſolutum ciuitas in priſtinā dignitatē reſtituit, creauit inde ſibi regionatim nouum magiſtratum, penes quem & uitæ ciuium & mortis eſſet arbitriū: hos Bandereſios dixere. Diſsimulare Vrbanus eam ciuitatis intemperiem, Manfredi bello occupatus, quo ut aliquando defungeretur, ad Lodouicum Gallorum regem miſit, qui eum hortaretur, ut Carolum Andegauiæ comitem perneceſſarium ſuum ad ſe cum exercitu in Italiam mitteret, fore pollicitus, ut Manfredo ejecto eum Siciliæ regem crearet. Fuiſſet id libenter pontifici datum, niſi aduerſa ualetudo omnem gerendarum rerum facultatem uiro ademiſſet. Sed dum hæc in Italia geruntur, recens Venetorum claſsis, nuper, ut diximus, decreta, in Eubœam proceſsit, Amphesiumque inde eiecit, qui Paleologi partibus fauebat: fuit is Federici ſecundi filius nothus, qui ex nuptijs Marulæ Bonifacij Veronenſis filiæ, partem inſulæ unam fuerat adeptus, nec multo pòſt tres Venetæ naues prædandi ſtudio per Helleſpontum & Propontidem ad Boſphorum progreſſæ ab hoſtibus captæ perierunt. Captiuos quos Genuenſes ſortiti ſunt, crudeliter interficiunt, cæteros Paleologus luminibus priuat, nec eo anno eſt aliud memorabile in mari geſtum. Ornarunt ſequenti anno Veneti triremes duas & xxx. quæ Gilberti Danduli ductu ad Septem Porcos (ſic locus hodie in Ægæo dicitur) cum Genuenſium claſſe hoſtiliter conflixere, fuitq; ab initio pugna atrox & anceps, poſtremo Ligur fuſus fugatusq;, quatuor nauibus amiſsis, in Epidauренſem ſeſe portum recepit, ſed Ligur eam cladem breui reſarſit, tribus Venetis commeatu onuſtis ſubito incurſu interceptis. Nec tantum in Ægæo & circa inſulas, ſed in Syria quoq; bellum erat, Venetis Ptolemaidem tenentibus, Tyrum Genuenſibus, quo accidit ut quicquid Chriſtiani nominis per id tempus fuit in Syria, in diuerſa duorum populorum ſtudia uelut in duas factiones abierit, ſic urbes tanto labore & ſanguine à crudeliſsimo Mahometi imperio receptæ deteſtabili bello mutuis ſeſe cladibus affligebant. Tertio igitur Liguſtici belli anno, ſiue quarto, ut ſcriptum apud quoſdam reperio, Veneti claſſem ad bellum opulentiſsimam inſtruunt, quinquaginta numero triremes inſtructæ dicuntur. Alij vij. & xxx. fuiſſe aiunt, primo in Siciliam

Qui primus externorum ſenator Ro. fuerit.

Paleologi & Genuenſium odium in Venetos.

ciliam Venetus tenuit cursum ubi hostis stare dicebatur,sed nulla ibi Ligurum neque classe, neque naui reperta,in Syriam flexit cursum: hic non procul à Tyro ceteam unam Genuensium cepit,quo successu ferocior factus Tyrum oppugnare conatus est, sed urbs ualidè defensa, Venetus que incommodo affectus ab oppugnatione destitit. Nec Ligur interim in otio esse,quin audita decem onerariarum ex Venetijs profectione,quæ mercibus onustæ in Syriam cursum intenderant, eratque iam eis ceteanauis multi ea tempestate nominis, quæ præsidij causa negotiatorijs hærebat,sexdecim triremibus fretus, ad exitum Adriaci sinus Venetum præstolari, nec iam procul aberat,quũ speculatoria nauis nuntiat hostem in insidijs sedere. Perculsi Veneti trepidè proximum petunt littus, ac parte mercium in terram exposita futuræ pugnæ sese multa cum trepidatione expediunt, sed parum profuit animus. Enimuero Venetus numero nauium longe impar, impar & uiribus, nauibus cum tota merce amissis, uix subsidiaria illa ingens incolumis retrò abijt acceptæ cladis nuntia. Et Genuenses Michaëlis Aurij ductu eam tum cladem Venetis intulere, qui tantum abfuit ut ad paucarum nauium iacturam, etsi pretiosa merce onustarum animum demiserint, ut continuò sit noua classis ad bellum missa, Iacobi Danduli ductu. Iunxit sese huic Marcus Gradonicus cum altera classe circa Ragusium,qui omnem ferè Siciliæ oram ad ortum & meridiem circũuecti, tres Ligusticas triremes circa Lilybæum obuias, quibus præerat Lanfrancus Barbonius, modico negotio intercipiunt,quam Genuenses cladem ulturi duas & triginta triremes ad bellum instruunt, quæ perpetua nauigatione in Siciliam delatæ, ad Drepanum hostem inueniunt: quidam utranque classem obuiam alteri fuisse aiunt ante Drepanitanum portum. Cæterum quoquomodo aut ubicunque aduersę classes congressæ sunt, ubi primum ex aduerso apparuere, confestim ad pugnam sese expediunt: certatum est ut uiribus, ita paribus animis,fuitq; certamen cruentum & pertinax. Hi pulchrum ducere atque illi, in Siculorum conspectu æquis uiribus congressos, uter populus uirtute bellica reique maritimæ scientia alteri præstaret ostendere. Multum itaque ancipiti marte est dimicatũ, postremò uictor Venetus quatuor & uiginti triremes ex hoste cepit, cæteræ aut combustæ sunt,aut in pugna depressæ, duo milia & quingenti capti, mille & ducenti ferro absumpti. Cæteri aut fluctibus, aut alijs casibus periere,neque his incruenta obtigit uictoria, sed siqua clades accepta est, lætitia rei bene gestæ quo minus sentiretur, effecit. Genuensium rebus una aduersa pugna insigniter affectis, Paleologus qui illorum societati ad id tempus studuerat, cum Venetis inducias pacisci tur in quinque annos. Hi post Drepanitanam pugnam, unam & uiginti triremes Methonę in oram Peloponnesi miserunt, quæ mare tuerentur, nam Genuenses ex Tyro omnia reddebant Veneto infesta, circaque Euboicum Euripum negotiatoriam unam cum pretiosissima merce interceperant,& in Cretæ insulæ ora Cydonem urbem, nunc Caneam dicunt,subito incursu diripuerant:nec urbs tantum direpta est, sed in Venetorum inuidiam magna ex parte diruta. Dum uero hæc in mari geruntur, Venetijs ob nouum uectigal impositum seditione laboratur, in qua ducaria maiestas uiolata est:uindicatur res acerbissimo sontium supplicio. Augere interea ciuium animos clades in Creta accepta: igitur noua classis trium & uiginti nauium M. Gradonico decernitur confestim in Syriam agenda ad omnes Genuensium conatus non solum inhibendos, sed infringendos etiam,suntque à Gradonico octo hostium negotiatoriæ circa Rhodum captæ. Quidam autores sunt inter Rhodum & Tyrum,cum octo & uiginti Genuensium conflictum,captasque eo prælio quinque Ligusticas. Obijt per id tempus Zenus princeps,in cuius locum Laurentius Tepulus Iacobi principis filius,dux creatus est,duodequinquagesimus in ordine. Vixerunt tum uiri ingenio clari Albertus Theutonicæ gentis prædicatorij nominis, qui ob doctrinæ & ingenij amplitudinem Magni cognomen est adeptus: extant huius plura & uaria studiorum monumenta: magnum sacerdotium repudiauit ne ab literarum auerteretur otio: in Colonia Agrippina diu professus, ubi octogenarius obijt: multi sub eo egregie profecerunt,sed omnium maxime Thomas media Italia Aquini ortus. Is relicta patria omnes necessitudines spreuit discendi cupiditate. Erat enim ab Apuliæ comitibus oriundus, æterna mortalibus præferens, cœlestia terrenis. In Germaniam profectus Alberto operam dedit, per quem adeò profecit ut Parisijs in clarissimo orbis Gymnasio, primum sit locum fortitus: inde Romã ab Vrbano põtifice accersitus, omnes qui ultrò deferebantur honores aspernatus, totum quo natura & uoluntate trahebatur ad docendum & scribendum se contulit. Gymnasium Romæ instaurauit, pertractauitque omnis philosophię partes multa eruditione. Extant hodie eius ingenij monumenta ram multa numero quàm grauiter & accurate elaborata. Vrbanus ponti. cui ille charissimus fuit, anno sui pontificatus tertio obijt, qui duodecies centesimus fuit salutis ac sexagesimus secundus. Clemens illi succesit centesimus in ordine, nonagesimus que pontifex. Is absens creatus fraterculi habitu Perusium usque processit ignotus,alij in ea urbe fuisse aiunt quum pontifex relatus est. Hinc, quod satis constat,pontificio ornatu Viterbium magna officiorum frequentia est perductus. Sub idem tempus uelut ex composito Carolus comes ab Vrbano adhuc in humanis agente accersitus, cum triginta triremibus à Massilia profectus prospera nauigatione Italiam tenuit, Tyberiq; subuectus, Romæ senatorium munus tantisper pontificis iussu obijt, donec duo supremi ordinis antistites ad id missi, illum in Laterano Hierosolymæ ac Siciliæ regem pontificis autoritate ea lege declararunt, ut uectigalis esset Romanæ ecclesiæ, penderetque eo nomine quadraginta annua aureorum nummorũ milia Clementi pontifici, & qui post illum futuri pontifices essent.

Drepanitana pugna.

Viri illustres. Alberti Magni laudes.

Diui Thomæ studia.

Clemens pontifex.

ENNEADIS IX. LIBER VII.

ISTE & perniciosum bellum inter Venetos & Genuenses iam antea conflatum tantæ ab initio Clementi pontifici curę fuit,ut nihil ille secundum Caroli regis declarationem duxerit utilius,& ob eam rem magis necessarium, quàm duos potentissimos Italię populos,sublatis è medio armis pacare. Egit itaque cum his per legatos, quũ adhuc Viterbij esset, ut si animi ad pacem inclinari non possent,inducias saltem in certũ tempus inter se paciscerentur, quod ut commodius fieret, petere ut utriq; ad se legatos mitterent, per quos res publico nomine conficeretur:idem poscere Galliarum & Siciliæ reges, suam quisq; operá ad id polliciti,& Veneti & Genuenses ad põtificẽ miserũt, apud quẽ diu multũq; est de pace agitatũ, nec tamẽ ulla secuta est. Erant igitur duo inimicissimi inter se populi tã ad bellũ accęsi q̃ siquã do antea fuerãt. Põtifex omissa eorũ causa,ubi pertinaciter & obstinate oía fieri uidit,Carolumq; Gallię regis fratrem complexus in Manfredum incitat. Fuerat Carolus rex ea lege declaratus, ut duorũ regnorum titulo contentus,ab imperij petitione abstineret,quod idcirco est factũ, ut omnis spes Manfredo adimeretur Caroli ab instituto bello auertendi. Ille ubi primum copiæ ex Gallia affuerunt, in hostem profectus,primum Ceperanum occupat deiecto inde Manfredi præsidio, ad Beneuentum inde cum hoste signa contulit, fuitq; atrox utrinq; prælium, Carolusq; medio pugnæ ardore equo deiectus est, cæterum Manfredo cadente, uictor Gallus Beneuento ex deditione potitur, mox utrunq; regnũ adeptus, Saracenos ex Nuceria eijcere non potuit, est itaq; illis pax reddita, datumq; ut suis legibus uiuerent. Misit inde Carolus exercitum cum regiæ militiæ magistro,nunc Marescalum uocant, qui ex Piceni agri & Hetruriæ urbibus Gibellinæ factionis uiros eijceret,estq; id Carolus breui consecutus, in quo pontifici haud dubiè gratificatus uideri potest. In Hetruria plus omnino negotij fuit cum hominibus eius factionis:siquidem Gallus Senenses adortus Pisanos ad arma conciuit. Venit interea in Italiã Henricus Castulonis infans, si quæ nunc Castella est,olim Castulo fuit in Hispania, is à fratre qui regnum obtinebat,in exilium eiectus, Caroli cõmendatione magnis est à pontifice donatus muneribus, urbisq; senator factus. Venit inde Carolus in Hetruriam Gibellinos oppressurus, qui Corradinum Sueuum in Italiam accersere dicebantur. Bonitium oppidum fame domuit, Muronium Pisanis ademptũ Lucensibus dono dedit, fuissetq; Carolus inchoatá uictoriam executus, ni trepide nuntiatum esset Saracenos qui Nuceriam tenebant, audito Corradini aduentu ad defectionem spectare: occurrit eò Carolus,compulitq; tam arctè illos Nuceriæ,ut nihil aduersus se moliri possent ampli⁹. Nec ita multo pòst Sueuus Italiam irrupit, uastatoq; Lucensium agro, unoq; ex Caroli ducibus circa Aretium interfecto, præter Viterbium Romam processit. Clemens põtifex uenientem miseratus dixisse fertur, dubium diuinans an coniectura ductus, Corradinum, ut uictimam aræ deuotam,ad indubitatam mortem trahi. Senator & frequens populus illi ad Miluiũ pontem prodiuit obuiam, magnoq; fauore & officiorũ frequentia acceptus,urbem ingredi noluit,metú ne an quia ad hostem properaret,nõ habeo dicere. Insederat Carolus quem ille hostem sibi destinauerat, in Hernicis,& Latina uia omnes locorum angustias muniuerat præsidijs: quod ubi Sueuus compertum habuit,per Equiculanum saltum,qui Taliacotio imminet, in Marsos transijt, nec procul à Fucino lacu castra fecit,hic Carolus factus illi obuiam non tantum uiribus,sed arte etiam usus est in hoste superãdo,obiecto Germanis militiæ magistro regijs insignibus ornato,ipse cum lectissima parte copiarum post montem in insidijs sedit. Fuit diu anceps prælium,multiq; hincinde cæsi:demum cadente Caroli duce,Galli fugam capessunt in eam partẽ qua iussi fuerant fugam inclinare. Germani uictoria exultantes sine ordine,sine imperio dispalati hostẽ persequuntur,postremò in insidias præcipitati, nõ solum uicti sunt, sed cum multa etiam strage disiecti, ac passim trucidati. Dicitur Carolus Deiparæ uirgini ibi loci templum uouisse si potitus esset uictoria, habet & nunc locus uictoriæ nomen, manifesto ibi rei gestæ argumento. Extat hodie templum,sed dirutum,ex candido lapide miraq; arte extructũ, cui Carolus aliquot castella prædiaq; multa & magna attribuit. Corruit opus nobilissimum grauissimo motu terrę,ut mihi adolescenti dictitabat Nicolaus Carsius monachus Cistercensis,pernecessarius meus,qui eius fuit loci abbas. Enimuero diruto templo durat adhuc dignitas ab initio instituta. Incidit hæc Caroli uictoria in eum annum qui salutis fuit humanæ duodecies centesimus sexagesimusoctauus. Corradinus ex fuga retractus, Caroli iussu interficitur. Carolus post tam lætam uictoriam Romam profectus, põtificis hortatu senatoriũ munus aliquot dies gessit, nã Henricus qui eo magistratu fungebatur, diuersarum partium factus, haud multo prius circa Reate est captus, ac pro hoste habitus. Quiescebat iam Italia,nam in Hetruria Florentini & Senenses inter se pacate agebant, Veneti & Genuenses adhuc in armis erant, sed omnes illorũ conatus maritimi. Interea Clemens fato decessit, anno sui pontificatus tertio, tantaque ab eius morte non solum ciuitates,sed ipsos etiam supremi ordinis antistites discordia agitare cœpit,ut quum his in nouo pontifice creando parum conueniret, bien nio apostolica sedes fuerit sine põtifice. Viri autem per id tempus illustres fuere,Bonauentura Minoritanæ professionis,cuius ingenio & doctrinæ Clemens pontifex tantum detulit, quantum ingeniorum nulli. Habuit aliquando Clemens uxorem, ex cuius obitu factus cœlebs,per omnes dignitatis gradus pontificatum adeptus est: fuit itaque illi nepos ex filia,quem quum comperisset tris præbendas habere, dedit illi ut unam ex his optaret sibi, cæteras relinqueret,precãtibus amicis ut nõ eas solum adescenti,perneccssarioque suo assensu faceret ratas, sed maiora etiam & plura tribueret sacerdotia, ita occurrisse fertur,non esse dignum Barionę sede,qui plus cognationi quàm Christo daret ueræque pietati. Idem Eduigem,quæ in Polonia ducatum tenuit, ob miracula quæ in eius morte extitissent,consecrauit. Carolus uacante sede omnia diligenter prospicere,ne quid detrimenti caperet ecclesia ex summorum antistitum discordia. Profectus que in Hetruriam, quæ per homines aduersæ factionis turbari cœperat,Bonitium captum diruit,quia ibi primum esset ad arma recursum,dirutum Florentinis uendidit,qui oppidum humiliore loco conditum Podiũ Bonitium dixere. Reddidit inde pacem Pisanis Carolus,ut eorum classe uteretur in Aphricana expeditione. Cæterum tantisper dum regnũ inuisit, Rufum Anguillariæ comitẽ in Hetruria relinquit, qui terram omnem à ciuitatum discordia tueretur. Sed dum hęc in Italia fiunt,Lodouicum regem ex Massilia profectum,tres filij adolescentes, rex Nauarræ, & alij uiri illustres in Aphricam ad bellum in Saracenos secuti sunt. Tunetem regiam urbem primo Gallus obsidione fatigat,circumiecta deinceps loca populatur:oritur non multo pòst grauis pestilentia in castris, estq; à principio per ignobilia capita lues illa euagata:inde Lodouicum regem cum filio qui minimus erat natu,dein & pontificium legatum cõtinuatis propè funeribus extinxit. Fuitque hic finis Lodouici,omnium qui in Gallia rerum potiti sunt, longè pientissimi. Philippus in locum defuncti patris est rex declaratus. Affuit nouo regi non multo pòst Carolus rex Sicilię quum iam de obsidione soluenda cogitare cœpisset, eius accessus in id ualuit, quod Tunetanus rex pacem ea conditione accepit, ut Carolo tributum penderet, libereq; patereť Christi nomen in Aphrica prædicari, classe dein in Siciliam reducta, Nauarræ rex & comes Campaniæ eadem ui pestilentiæ moriũtur, Carolus & Philippus ad cõtagionem euitandam,& ut creandi pontificis autores essent,nam biẽnio ferè pontifex nullus fuerat, Viterbium decręto petunt, ubi adhuc pontificis creandi inter summi ordinis antistites tenebat disceptatio. Duorum itaq; regum presentia cõmotus ordo Theobaldum Leodiensem creat pontificem, tunc procul Italia agentem, qui mox Gregorius decimus est dictus. Erat tum is in Asia cum Eduardo regis Angliæ filio, qui per id tempus quo Lodouicus rex in Aphricam aduersus Saracenos transmisit,cum ingenti classe in Syriã transijt tuędæ fidei studio,

Siciliæ regnum Gallis cessit.

Caroli regis strategema.

Caroli uictoria.

Corradinus interficitur.

Viri ingenio & eruditione clari.

Gregorius X. pont.

ſtudio,tãdiu Ptolemaide commoraturus (ita enim inter Chriſtianos duces fuerat comparatũ) quoad Lodouicus ex Aphrica uictor cum maiore exercitu adeſſet: ſed dum Anglius belli ſocios expectat, domeſtica fraude penè perijt,tribus uulneribus ab Arſacida quodam in cubiculo confoſſus:perierat proculdubio Eduardus, niſi ſubito ſuorum acceſſu cæde nondum perpetrata percuſſor diſtractus diſcerptusque fuiſſet,quam Arſacidas cauſam tam audaci facinori prætulerit, non reperio. Anglius dux periculo ſeruatus Theobaldum pontificem creatum ac cerſitumque in Italiam, magnis muneribus donatũ à ſe dimiſit. Eduardi Anglij caſus qui inopinata ui propemodum perijt in Syria, ſtilum admonet, ut ſeries rerum in ea terra geſtarum,iam inde à Tarquemenij regno, qui ſeruorum primus in Ægypto rerũ potitus eſt, paulo altius repetatur. Cœperat Syria à Saladini temporibus ut quidam prodiderunt,ſubla to eius gentis rege, ſub ijs eſſe qui in Ægypto imperitabant. Sed Armenius Aytonus quem ſequimur, aperte ſignificat Syriam ſuum habuiſſe regem quẽ Sultanum uocant, ſub id tempus quo Haalon Tartarus eam terram bello inuaſit.Cæterum cuiuſcunque ductu & auſpicijs Syria Ægyptiaco ceſſit regno, quoties à Tartaris cuius opes iam ualidiſſimæ erant, bello petita eſt, ſemper quod ſatis conſtat, in certamen Ægyptios traxit reges.Haalon Tartarorũ primus Syriæ bellum intulit,fuitque Magonis frater, qui princeps eius gentis Aytoni Armeniæ regis hortatu Chriſtũ fidem recepit. Enimuero poſt Hoccotam,cuius filij longè lateq; eius gentis opes propagarunt, ut alio eſt loco memoratum, Guiſga huius filius aliquãdiu imperauit, cuius morte ſumma rei ad Magonem, ſiue Meto ille fuit, eius conſanguineum, ut idem autor prodidit, deuoluta eſt:is ueræ pietatis cultor factus, quum ab eodem rege & hoſpite didiciſſet Hieroſolymam Syriæ urbem nobiliſſimam in qua certa dominicæ paſſionis uiſerentur argumẽta, & in his ſacratiſſimum ſepulchrum ab impijs teneri, hortareturq; ad eam armis uindicandam,Haaloni id bellum demandauit. Erat Haalon Metonis frater, atq; acri ingenio: cum ingenti igitur exercitu domo profectus primum omnium uniuerſam Perſidem ſubegit, ſex menſium ſpatio, unus duntaxat locus capi non potuit,quem natura munitiſſimum latrones inſederant. Dena milia equitum hic ad obſidionem relicta, quæ in ſeptimũ & uigeſimum annum poſtea diſtracta eſt, ut Aytonus ſcribit, omnium quarũ hodie memoria extet, haud dubie lõgiſſima, ueſtium, ut idem ait, defectu demum deditio facta eſt. Deinde Baldacha urbs ui capitur. Fuit hęc olim Babylon,quam Semiramis in Meſopotamia cõdidit,adijcit Aytonus ſedem in ea fuiſſe Calphi, qui Mahometanæ legis ſummo fungebatur magiſterio, urbs exciſa eſt, non ſexus, non ætatis diſcrimen ullum habitum,omnis multitudo ferro dedita,immenſum pondus auri gazaq; omnifariam Calphi ſtudio congeſta, regem & exercitum ditauit: hic cauillabundus Haalon uictor,æquũ eſt, inquit, tam quæſtuoſum hominem cibis ueſci non niſi prætioſiſſimis,ite & Calphum (erat enim ad id ludibrium ſeruatus) medijs auri gemmarumq; acer uis ſtatuite,his ueſcãr epulis,has illi affatim ad omnia uẽtris deſideria miniſtrate: & ille ita plures dies aſſeruatus, in media diuitiarũ affluentia fame conſumptus eſt,magno eorum documento qui naturæ obliti (paruo enim contenta eſt) nullum ſibi habendi finem cõſtituunt. Nupſit Haaloni(in Perſide credo) Docuſcanton puella regia ſtirpe,& ab his oriũda, qui ut Chriſtum nuper natum adorarent frequẽti hominum comitatu in Iudæam uenere, coniugis hortatu omnia Mahometi templa Haalon iuſſit diruí afflixitq; paſſim eius delirij cultores. Poſt Baldachæ excidium, capta eſt à Tartaris Rhoais in Meſopotamia, huc Aytonus Armeniæ rex eius belli autor cum auxiliaribus copijs uenit:florebat per id tẽpus Armenię regnum,eratq; adeò armorum potẽs, ut ad bellum mitteret duodecim equitũ milia, quadraginta peditum. Ex Meſopotamia Haalõ bellum in Syriam tranſtulit, Alephumque paucis diebus ui capit, captum diruit. Fuit annus hic humanę ſalutis milleſimus ducenteſimũsque ac ſexageſimus, erat tum rex Damaſci Malecnaſer (Sultanũ Barbari uocant) parebatq; huic tota Syria, cum Hieroſolyma. Is Alepho ab hoſte capto cũ uxore & liberis ad Haalonem uenit ſupplex, futurum ratus ut impetrata uenia pars regni multo maxima ſibi relinqueretur habẽda, ſed non modo non id tenuit, uerum quàm longiſſime eſt cum ſuis ab eo ablegatus,ne eius præſentia uictoriæ obſtaret: eratque iam uictor Scytha Hieroſolymam petiturus,quum de fratris obitu certior factus eſt, accerſitusque ad imperium recipiendum: intulerat Meton rex bellũ Cathainis, fueratq; ea expeditio ab initio ſatis proſpera, cæterum dum inſulam quandam eius gentis oppugnaret, fraude hoſtiũ regiæ nauis carina ab urinatoribus perfoſſa, ex improuiſo eſt cum tota naui abſorptus. Haalon igitur decem milibus bellatorũ in Syria cum Guirboca uiro fortiſſimo relictis,retrò cum cætero exercitu abijt, & iam ad imperium feſtinabat, quum recentioribus nuntijs fit certior Cobillam alterũ fratrem, fauore procerum regia ſede collocatũ, tenuit is poſtea regnum annos duos & quadraginta, condiditque urbem in Cathaino regno Lop nomine, magnitudine uiſendam. Aytonus multo Roma ampliorem eam eſſe urbem autor eſt. Perculſus Haalõ atroci nuntio occupati à fratre regni, pergit tamen proculire. Interim atrocior adhuc nuntius affertur Barchen eius Bathonis filium qui in Auſtria perijt, cum immenſo exercitu aduentare dimicãdi ſtudio. Aytonus ſcribit habuiſſe Barchen in animo regnũ Haaloni adimere, quod bello nuper erat illi quæſitum, cui etſi inhumanum ſit,ne dicam impium,fidẽ abrogare, præſertim quia ijs quæ ab Haalone geſta ſunt, magna ex parte interfuit, ut ipſe haud uno in loco teſtatum reliquit,cæterum quia eiuſdem gentis eſſent ambo, & à Caguiſca prognati, propius fidei ſit credere Barchen ueritum ne Haalon fraterno regno excluſus in ſuum impetum faceret, hoſtiliter illi occurriſſe,aut quod ſimilius uero eſt, Cobilæ gratificatus,ne eius finibus Haalon ſe inſinuaret, ſuo occurſu obſtitit,ſed quocunque conſilio uis illata eſt,hoſtiliter, quod ſatis conſtat, inter ſe conflixere: forte quadam concurſum eſt in alueo fluminis (nomen Aytonus non ponit) glacie cõcreto: hic res memorabilis accidit, ac miſeratione digna, medio pugnæ ardore ſoluta eſt glacies uehementiore ungularum attritu, abſorptaq; cum ſuis equis ad triginta milia hominũ utriuſque exercitus,ſicq; marte neutrò inclinante,ingenti tamen clade utrinq; acepra, diuerſę inde abierũt acies. In Syria interea Guirboca cui illud erat in primis mãdatum ab Haalone, ut Hieroſolymam reciperet, receptã Chriſtiani nominis hominibus reſtitueret,à noſtris alienatur,qui circa Sidonem loca quædam præſidio obtinebant. Enimuero quum hi forte prædas ex eius prouincię finibus furto abegiſſent,qui res repetitum miſſi fuerant, contra ius gentium uiolati ſunt,& in ijs ipſius ducis ex ſorore nepos iuuenis impiger interfectus, ira itaque & odio accenſus Guirboca Sidonem expugnat,captamq; diripit & incendit,atque per hæc infenſior factus tantum abfuit ut Chriſtianæ rei ſit iam inde aliquid gratificatus, ut hoſtili etiã animo fuerit in eos qui noſtrorum hominum in Syria agebant: hæc quia Haalon bello erat domeſtico implicitus, ut ſuprà eſt demonſtratum, materiam præbuerunt Melecheni Ægyptiorum regi qui Tarquemenio ſucceſſit, Tartaros ex Syria eijciendi. Inuaſit is prouinciã

Audi longam obſidionem.

Baldacha olim Babylon.

Attende memorabile exemplum in auaros.

Trigintamilia Tartarorũ fracta glacie pereunt.

Chriſtianos Aſſi. tuant.

prouinciam cum ualidiſſimo exercitu, nec Guirboca etſi impar uiribus abſtinuit pugna. Inclinauit uictoria eò unde plus roboris fuit, Tartari duce amiſſo, fuſi fugatiq; ſunt, fœdaq; cæde diſſipati, qui prælio ſuperfuerunt in Armeniam ad amicum regem ſe receperunt. Syria ſecundum eam pugnã præter pauca loca quæ partim Chriſtianorũ præſidio tenebantur, partim retenta ſunt eo motu à Tartaris, Ægyptiacis ceſſit armis. Cœperit ne tum primum Syria Ægyptiorum regum eſſe, qui & ipſi Sultani dicuntur,an aliquanto prius eius ditionis fieri cõtigit,qd̃ quibuſdam placuiſſe uideo,non facile dixerim. Erat Haalon Syriam repetiturus, quum medio belli apparatu moritur. Abaga eius filius qui à patre regnũ per manus accepit,anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quarto & ſexageſimo, ipſe quoque domeſtico bello implicitus, Syriacum omiſit. Interea Bandodacar qui ex Melechenis cæde eſt in Ægypto & Syria imperium adeptus,Tartarorũ metu ſolutus, Antiochiam Chriſtianis ademit. Et cum ea urbe omnia propemodum loca quæ in Syria piorum armis fuerant ad id tempus defenſa. Eſt & Armenia Ægyptia cis armis petita, Aytono abſente, qui Tartaris auxilia quodam bello tulerat. Duo regij iuuenes in ipſis finibus regni ferociter cum hoſte cõgreſi, funeſtiorem Armenio pugnã fecere, hic ſuo caſu fortiter dimicans mortem in acie occubuit, ille uiuus uenit in hoſtium poteſtatem, qui non multo pòſt à patre eſt redemptus, aliquot Alepini agri locis, quę dono ille ab Haalone acceperat, Ægyptio reſtitutis. Geſsit Armeniacum bellũ Bandodacar alieno ductu, ipſe Antiochia recepta Turcorum regnum quod à Tartaris tenebatur, cum exercitu ingreſſus, Abagę in ſe arma conciuit. Iam alienata erãt quædam regni loca, quũ Tartarus ad id incendium reſtinguendum occurrit, adeptusq; hoſtem regno præcipitem eiecit, magna impedimẽtorum parte exutum, duobusq; milibus equitũ ex eius exercitu interceptis, longius fugientẽ perſequi religione prohibitus eſt, uatibus ne procul pergeret monentibus. Oppida quæ ad Ægyptiũ regem defecerãt, Abaga ad unum diruit. Peruanam prouinciæ præfectũ qui rem ad hoſtes traxerat, mẽbratim excarnificatus eſt, appoſuitq; regali cõuiuio epulandum. Adiecit inde animum Abaga ad Hieroſolymam recuperandã, iniunxitq; Armenio regi negotium ſcribendi ad Ro. põtificem & cæteros Chriſtiani nominis duces, ut auxilia ad id bellum cõpararet. Per id tẽpus Eduardus Anglius in Syriã uenit, cuius parum felix expeditio caſuſque grauiſsimus fecit, ut ad hæc ſcribẽda ueniremus. Nunc ne nimiũ multis locis geſta unius gentis repetantur, operæpretium eſt in eadem relatione adhuc paululum immorari. Miſit Abaga rex triginta equitũ milia in Syriam Mandogamoris fratris ductu, cui ſeſe adiunxit Armenię rex, eratque tum Sultanus in Ægypto Melechſaites Bandodacaris filius: cum hoc Tartari ad Hamam circa Camelam prælio congreſi, ab utroq; cornu egregiè uicerunt. Cæterum Mandagomor rei bellicę inſuetus, pro uicto retrò ad Euphratem conceſsit. Contrà Alinax dux impiger, biduo poſt pugnam in hoſtico habuit caſtra, inde hominis deſperationẽ miratus, in aperta uictoria regis ueſtigia ſecutus, in Meſopotamiam exercitum reduxit. Inſtaurabat Syriacum bellum Abaga, quũ domeſtica fraude perijt: eſt & frater cum eo necatus, qui parum feliciter in Syria nuper rem geſſerat. Tangodar qui illi ſucceſsit commercio gentis à piorum cœtu ad impios tranſgreſſus, capitali odio Chriſtianũ nomen inſectatur, tãtumq; abfuit ut incœpto deſiterit, à Cobilla Tartarorũ imperatore monitus (erat enim Cobilla Chriſtianus ueręq; pietatis cultor) ne pergeret tanquam impius pios infeſtare, ut fratre, quia nõ ſibi inſanienti conniueret, interfecto, Argonum eius filium Centurioni interficiendum dederit. Cęterum Argonus non ſolum nõ interficitur, ſed ſubito multitudinis fauore rex cõſulatur. Tangodar qui ex impio affectu Mahometes dici uoluit, in nouí regis poteſtatem redactus, ſuæ inſaniæ meritas luit pœnas, quũ duos duntaxat regnaſſet annos. Argonus quatuor poſtea annos rex fuit. Queghato huius frater regnum deinceps eſt adeptus, homo inertiæ deditus, & cui deus uenter fuit, inciderunt̃q; initia regni huius in nonageſimum ferè ſupra ducenteſimum ac milleſimum ſalutis annum. Cæterum fœda hominis uita fœdum eſt exitum adepta. Perteſi principes eius gẽtis Queghatonis ignauiam, eliſo gutture occultè necant, Bandonem eius cõſanguineum regem creant. Is Mahometani cultor delirij, haud multo pòſt à Caſſano Argoni filio prælio uictus interficitur. Ab hoc, credo, Perſarum reges Caſſani nomen acceperunt, ut nullum ſit hodie frequentius in regum ſtemmate. Caſſanus regno potitus, Mahometi lege, quam ſimulanter ad id tẽpus probauerat, repudiata, ex cõfeſſo Chriſti cultum complexus, Syriæ bellum infert, nec ita multo pòſt quàm prouinciam inuaſit, ad Hamam (eſt is locus media ferè Syria) Melecnaſarem Ægypti regem ingenti prælio uictum tota Syria expulit. Cõmiſſa eſt pugna hæc memorabilis ad annum ſalutis milleſimum trecẽteſimum primum. Molais dux Caſſani iuſſu cum quadraginta milibus bellatorum fugientem hoſtem uſq; ad deſerta Ægypti perſecutus eſt. Tartarus Hama recepta quæ Camela dicta eſt, regios theſauros qui ibi reperti ſunt, benigne inter ſuos partitur, præter enſem unum & ſcrinium cum ſecretioribus literis, nihil ex tam opulenta præda attigit. Fuit Caſſanus, ut Aytonus ſcribit, qui huic interfuit bello, Aytonum Armeniæ regem auunculum ſuum ſecutus, ſtatura breui atque omnium qui ea tempeſtate fuerũt turpiſsimus, ſed fortitudine & liberalitate regum omnium prẽſtantiſsimus. Damaſceni & ipſi per legatos deditionem fecere, quibus receptis ad Damaſcum Caſſanus caſtra fecit: hic illi ſedenti trepidè nuntiatur in Perſide graue bellum repente exarſiſſe, cuius fines hoſtiliter à Caido quodã infeſtarentur. Is nouo bello occurſurus, parua copiarũ parte ſub duobus ducibus in Syria relicta, Damaſci cuſtodiã Capcapo duci attribuit, qui poſt fractas ſtui regis opes ad Tartarum tranſfugerat. Cæterum rege in Perſidem profecto conſeſtim Capcapus ab eo defecit, traxitque ſecum Damaſcum, ac ferè totam Syriam. Ductabat tũ Molais Caſſani dux, copias Hieroſolymã uerſus, qui audita Capcapi defectione, impar nouo hoſti cum quo uniuerſa Syria conſpirabat, in Meſopotamiam ſe recepit. Repetita eſt bello ſequẽti anno Syria regis iuſſu. Caroloſa cum triginta milibus equitum in prouinciam uenit, conciuitq; Chriſtiani nominis duces ex Cypro & Tyro ad id bellum, ſed is Damaſcenorum fraude nocturna fluminis inũdatione penè periclitatus eſt, ſunt tamen nõ pauci trepidatione illa nocturna deſiderati, ſed retrò abiens multo plures amiſit in tranſitu Euphratis, nec Caſſanus diu poſt ea ſuperſtes fuit. Ægyptius rex, Tartarorũ metu leuatus, Armeniam bello petijt, uaſtataq; eſt pars regni multo maxima ab hoſte. Armenij Tartarorũ auxilijs freti, ad Maciũm cum Ægyptijs acie congreſſi egregie uicerunt. Sed hæc aliquot poſt annos geſta ſunt, nunc ut eò reuertar unde hæc de Tartaris relatio orta eſt, dum Gregorius põtifex ab Eduardo ex Syria dimiſſus in Italiam properat, fœdum facinus eſt Viterbij editum, Henricus Ricardi comitis filius, ſacrorũ hora, atq; in ipſis ſacris interfectus eſt à Guidone Montfortenſi. Eſt Guido mortem patris ſui ultus (hanc enim cauſam cædi prætexuit) quem Ricardus Hẽrici pater in Anglia necari iuſſerat. Intempeſtiuam cędem reges auerſati, non expectato pontificis ex Syria acceſſu, diuerſi inde profecti ſunt, hic in Apuliam, ille in Galliam abiturus. Nec ita multo

Tartarorũ motus.

Caſſanus Tartarus.

Antiochia demittitur.

Abaga Tartarus.

Caſſani ſtatura & uirtus.

Tartari humanis carnibus ueſcuntur.

Caſſani interitus.

pòst Gregorius pontifex in Italiam uenit, Viterbijq; coronam adeptus, continuo animum adiecit ad res inter Venetos & Genuenses componendas, ex Philippiq; auroritate, qui pōtificis rogatu ad hoc ipsum Cremonæ subsederat, induciæ (nam ad pacem animi nullo modo inclinabant) in quinq; annos inter utrunq; populum pactæ sunt, fuitque annus ille undecimus ab eo, quo Veneti Genuenses q; bellare inter se cœperant, alij plures annos huic numero adijciunt. Nec Veneti Ligustico bello soluti arma exuerunt, nouo illis bello à Bononiensibus orto, qui quū molestè ferrent nouum uectigal exigi ab his, qui intra Padi ostia & Phanaticum sinū nauigarent, quod idcirco factū reperio, quia circūiecti populi in summa rei frumentarię inopia non passi essent Venetos in suis urbibus frumentum coēmere. Bellum itaq; Bononienses occultè comparāt, inde domo moturi Venetias legatos præmittunt, qui dissimulato omni armorum apparatu cum principe & patribus agerent, ut abrogata lege, præsidijs q; undiq; amotis, liberam redderent suis negotiatoribus nauigationē, quòd si facere recusassent, apparebat enim omnino recusaturos, bellū indicerent. Sensit Bononiensium fraudem Tepulus dux, tum ipse quoq; in suas artes conuersus, quæ non minus uaframenti haberēt, nouem triremibus celeriter missis Padi ostium, quod Primimarium dicunt, obsideri iubet, teneriq; præsidio. Veneti celeri cursu eò delati hostē offendunt in ulteriore ripa prę sidium munientē, confestim & ipsi ad diuum Albertū locū tumultuario opere firmant. Nec multo pòst Tepulus assuit cū maioribus copijs, estq; inde sæpius quum his locis, tū alibi dimicatū, fueruntq; Bononienses omnibus ferè prælijs superiores, quippe qui militum numero præstabant, ad quadraginta milia hominum in eorum castris fuisse dicūtur. Exijt id bellum in tertium annū. Tum uero M. Gradonici ductu totis est uiribus in aciem desēsum, ea demum pugna uictor Venetus hostem fudit fugauitq;. Vno aduerso prelio Bononiēses fracti aut certe longiore fesi bello, his conditionibus pacem composuere, ut castellum diruerent, suisq; rebus inde asportatis libera Padi ostia relinquerēt. Anconitani & ipsi Bononiensium exemplum secuti, nonnihil hoc nomine sunt mouere ausi, apud Gregorium pontificem de Venetorum iniuria per legatos ad id missos querebantur, mandat pontifex Anconitanis mare aperiri, placuit pontifici tantū responderi, rem de qua ageretur, parum illi liquere: cæterum cognita Venetorum causa futurum ut multo æquius iudicaret. Sicque neque iussa facere uisi sunt Veneti neque aspernari, & actio illa per hæc antiquari cœpta est, pontifice maioribus curis occupato. Accidit ut per id tempus Lugdunū esset Gregorius iturus, quò concilium indixerat. Estque & circa Euboeam nonnihil eodem tempore bellatum, regulis, qui tertiam eius partem insulæ tenebant, res Paleologi infestantibus, quos ille nauali prælio uictos tota ferè classe exuit. Cæterum quia plerique Veneti nominis cum insulanis capti sunt, eos Apocrisarijs suis Paleologus dedit Venetias ducendos, simulque mandatum ut cum Venetis in quinque proximos annos fœdus renouarent. Tepulus princeps cum quo est id fœdus renouatum, per id tempus uita decesit, anno quàm reipublicę præesse cœperat sexto, Iacobus Cōtarenus in eius locum suffectus est. Quo non multo prius creato negotiatoria Venetorum nauis onusta mercibus à duabus Ligusticis oppressa, propemodum causam præbuit belli cum Genuensibus renouandi. Cæterum quia res de more repetitæ sunt & redditæ, omnis cura reparādę classis in quam unam erecta erat ciuitas, discussa est. Nec multo pòst Iustinopolitani à Venetis defecerunt, cęterum mari terraque oppugnati, etsi eis auxilia ex Carnorum ora sunt ab Aquileiensi antistite missa, ui tamen subacti in fidem rediere. Sunt qui Anconitanum bellum Istrico statim subijciant, uerum quia id in Ioannis uigesimi tempora incidit, alio quidem loco, etsi non multum diuerso, est referendum. Concilio itaque Lugduni indicto, multi Christiani nominis principes eò profecti sunt, & in his Paleologus imperator, qui gratificaturus, ut mihi uidetur, Romano pōtifici conuentum quem ille indixisset obseruauit: eo demum concilio Græci tertiodecimo adducti sunt in sententiam Romanæ ecclesiæ Paleologi autoritatem secuti. Scytharum adhæc proceres quidam baptismi lauacrum acceperunt. Per idem tempus Rodulphus Habspurgi comes est imperator in Germania declaratus, ea conditione ut à pontifice imperatoria acciperet insignia. Nec Italia interim quieuit, nam Gibellini sunt Florentia eiecti, quos Gregorius in Galliam proficiscens in urbe restituerat. Bononienses idem feciſſe dicūtur, sed hi huiusmodi iniuriæ pœnas luere, quippe qui Forliuienſis bello adorti, quòd suos exules hospitaliter excepissent, subita eruptione ex urbe facta, ad octo milia hominum amiserunt. Extulere caput ad eam cladem plerę que Flaminiæ ciuitates, simulque à Bononiensibus defecerunt. Tenebant hi tunc non paruam eius terræ partē, quam olim Boij Galli & Senones habuerunt. Interea Lugdunensi conuentu Græci de processione almi spiritus sunt Romanæ ecclesiæ assensi, estque de bello in Turcos comparando agitatum. Tenebat adhuc de modo & ratione pontificis in futurum eligendi consultatio, quum Minoritani ordinis magister maximus Bonauētura Albēsis antistes diem obijt. Pōtifex dimisso conuentu, quū Italiam repeteret, Alphōsum Castulonis, nūc Castella est, ut arbitror, regem obtuium habuit qui maiorem in modum quæstus est quòd in imperatore eligendo Rodulphum sibi præferri passus esset. Cæterum satisfacienti illi, culpamque in alios transferenti Alphōsus facile cessit, & Gregorij pontificatus hęc habuit. Ipse haud multo pòst quàm in Italiam reuersus est fatalem obijt diem, quum iam quinque sedisset annos. Innocētius appellationis huius quintus tenuit deinde sedem ex Calaguritani Dominici professione, uir nihil uulgari scientia, cuius creatio incidit in annum salutis duodecies centesimum septuagesimum quintum. Blondus & qui eum secuti sunt ab Innocentio aiunt legatos ad Venetos & Genuenses missos, qui post inducias ad arma recurrissent. Venetæ urbis annales Anconitanum bellum præferunt Ligustico, quod Ioannis uigesimi est pontificatu gestum, ut annalium scriptores significant. Is unius Hadriani administratione interiecta Innocentio successit. Nec interim Hetruria multo quietior erat solito, ubi in Pisanorum perniciem plures conspirauerant ciuitates: cæterum Florētini unde præcipua uis intendebatur, Innocentij & Caroli regis autoritatem secuti, nihil ultra tetenderunt, excusisi/set idem pontifex ex Genuensium & Venetorū manibus arma, qui tum in armis erant, & ad pacem fortaſsis utrunque populum inter se sanciendā adegisset, si longior illi uita contigisset. Perijt mense sexto ab eo quo sedere cœperat. Sed multo breuior fuit Hadriani administratio, qui post illum pōtifex fuit, quintus ab eo qui primus id nomen tulit. Sed ille tanquam diu superfuturus confestim pontifex creatus Rodulphum in Italiam exciuit ad Caroli potētiam comminuendam, cuius arbitrio omnia Romæ fiebant. Erat tum Rodulphus Boēmico bello implicitus, quare nec ille tam cito in Italiā occurrere potuit, nec si potuisset Hadriani auspicijs fuit res gerenda, qui quadragesimo initi honoris die mortem obijt. Cæterum dum Rodulphus se ad Italicam expeditionem comparat, Ioannes, qui à primo huius nominis uigesimus fuit, fit Viterbij pontifex. Sunt scio quædam urbiū nomina, quæ si uetustiore uoce ponerentur, magis fortasse implerent lectoris aures, ut si quis Veruloniam scribat pro Viterbio, Fluentiam pro Florentia, sed ego perspicuitatem secundum à uero locum in historia sortiri oportere arbitror. Imminebant tum Veneti Anconitanis, quibuscum iamdudum bellum habebant, pauci admodum, quod sciam, rei huius meminerunt, sed in quibusdam Venetis annalibus id scriptum reperio, Ioanne uigesimo sedente Anconem à Venetis oppugnari cœptam. Ioannis huius pontificatus incidit in primum Contareni ducis annum, bellum inde ortum aiunt, quod quum lex de portorijs paucis antè annis Venetijs lata esset, Anconitaniq; e fraudem legi facerent, atq; eo audacius quòd Gregorius pontifex, ut suprà est memoratum, factum non probasset, quia satis apparebat, si sic fieret, fore ut breui lex antiquaretur, Veneti eam iniuriam uindicaturi, cum tribus & uiginti nauibus ad id ipsum instructis, Anconitanum portum irrumpere ui conati sunt. Verum inde repulsi, quum nullam circa urbem classis tutam haberet stationem, nec in anchoris staret, subito tempestate coorta, dissectæ sunt naues, atque aliæ alio casu periclitatę, sex triremes Senogallię litoribus impactæ prorsus perierunt, reliqua classis diu multumque iactata, tandem superata magnitudine tempestatis, altum tenuit, continuò aliæ naues in supplementum decretæ, atque ad bellum missæ, quibus hostis noua arte insidiatus est. Venetarum nauium signa naufragio amissa suis affigunt, assimulantque cætero apparatu, quàm diligentissime possent, Venetas triremes. Venientes itaque procul plausu & gratulatione inuitant, ut tanquam ad amicam classem ad se cursum flecterent, quos allectos, aciam cominus annauigantes, subito procursu adoriuntur, improuisa res fecit, ut Veneti penè prius oppressi sint quàm se deceptos senserint. Hostes captas naues, cum ingenti ciuitatis lætitia, in portum pertraxere, cuius ductu sit ita res male gesta illi qui sunt belli huius autores non scribunt: satis constat, quia paucis dieb' duplex fuerit clades accepta, prę fectum classis abrogato illi imperio domum reuocatum, atque in uincula coniectum. Noua deinceps classis, ac multo ualidior instructa, decretum erat ciuitatis unius pertinaciam euincere, breui proinde cœpta est Ancon multo arctius obsideri: quam Venetorum constantiam cum Anconitani pertimescerent, ad Romanum pontificem mittunt (erat iam Nicolaus tertius pontifex) hi qui missi sunt, tempestiua suarum rerum deploratione, lachrymisque adeò pontificem flexere, ut Venetos legatos, qui officij gratia missi fuerant, publicam causam tueri uolentes, prohibuerit pontifex fari, quæ signa pontificis à Veneto alienati fecerunt, ut legati publico decreto sint domum reuocati, ac simul triremes octo in classis supplementum decretæ. Quum igitur indies grauius Anconitani urgerentur, ueriti ne aliquam maiorem cladem adirent, nec enim in pontifice quicquam spei repositum habebant, quippe qui timido & inconstanti fuisse ingenio traditur, Venetias legatos mittunt, qui pacem peterent, pax ob cōditiones quæ proponebantur, nulla tunc secuta est. Legati itaque infecta re dimissi, ad quorum digressum quatuordecim triremes sunt ad augendam classem decretæ, ex ijs duæ ab hostibus interceptæ, quū ab alijs paululum aberrassent, quæ res effecit ut æquioribus sit conditionibus pax hostibus nō multo pòst data. Contarenus dux iam senio confectus ultrò se principatu abdicauit, in cuius locum Ioannes Dandulus est populi suffragio surrogatus. Sunt qui hoc principe pacem Anconitanis redditam scribant, atque his conditionibus, ut lex de portorijs inoffensa Venetis maneret. Mare per id tempus supramodum inundauit, est & urbs ipsa post alluuionem illam uehementi motu terræ concussa. Num-

Induciæ inter Venetos & Genuenses.

Bononiēsis belli origo.

Concilium Lugdunen.

Bononiensium opes.

Græcorū ecclesia Romanæ accedit.

Innocentius pontifex.

Hadrianus V. pontifex.

Ioannes XX. pontifex.

Vetulonia. Fluentia.

Bellum Anconitanorū arte.

Pax Anconitanis redditur.

mus aureus per idem Venetijs cudi cœptus est, anno salutis, si quos sequimur recte colligūt, duodecies centesimo septuagesimo sexto. Cæterum ne non semper esset cur Veneti foris laborarent, Histrię populi per id tempus rebellarunt, quos quum Aquileiensis antistes tueri cœpisset, suis, ut creditur, opibus diffisus, destitit in cœpto studium pacis assimulans: ciuitas itaque nullo maiore negotio qui defecerant breui ad obsequium retraxit, eratque prouincia nondum pacata, quum idem antistes, Goriciano comite in belli socium ascito, subito arma comparat, omniaque ex improuiso circa Histriam perturbat. Ad hos nouos motus noua est defectio secuta, Veneti & ipsi subito bellum reparant, atque eo attētius quo ualidiores erant hostium opes nouarum uirium accessione: constans fama erat habere eos sub signis ad sex & triginta armatorum milia: decernitaque ingens nauium numerus, ac tertia pars ciuium qui per ætatem arma ferre poterant, in naues imponitur, classe in Histriam delata, Tergestum decreto petitur, nam ipsum quoque eo motu defecerat. Erecta sunt statim aliquot circa oppidum castella, aliaque opera bellica, inde quia oppidum opere & natura munitum expugnari non potuit, castellis præsidio firmatis, castra sunt aliò promota. Affuit nec multo pòst hostis, suntq; Venetorum præsidia multa ui oppugnata, sed aliquanto maiore defensa, estque, eruptione à præsidiarijs facta, acriter extra munitiones certatum, multi utrinq; mortales ferro absumpti, & in his Goriciani comitis nepos, iuuenis impiger. Pactæ sunt inde in diem induciæ. Interim Gardanus uir multi nominis uenit in suspicionem, quòd de præsidio prodendo cum hostibus egisset, conuictus proditionis, tormentali machina in hostes coniectus est. Nec ita multo pòst hostis abijt, sub cuius discessum continuò Venetæ copiæ affuerunt. Quæ incompertum habeo suarum ne uirium conscientia (erant enim longè impares hostibus numero) de industria ad mare cesserint, ne iniquam pugnam pugnare cogerentur, an aliam expeditionem secuti procul inde fuerint, dum res cum præsidiarijs gesta est. Venetus urbem oppugnare adortus, cum multa cędę est à mœnibus repulsus. Copijs inde abductis perseueratum est tandiu à tuendis præsidijs, quæ circa urbem Venetus ab initio statuerat, quoad nuntiato hostium reditu milites, qui ad obsidionem relicti fuerant, dubium metu an lōgioris obsidionis tædio, munitionibus relictis, trepidè ad naues quæ in proximo stabant, concessere. Et hæc in Histria toto ferè biēnio gesta, quo tempore Ioannes pontifex & ad Paleologum misit, & ad Hispaniæ & Galliarum reges, ut fœdere inter se inito bellum in Turcos, aliosq; Christiani nominis hostes, per partes compararent. Dum hæc molitur homo parum sanæ mentis, ut dicitur, & qui plus socordiæ ostendebat facto dictoque quàm personæ quam gerebat dignitas patereť, subita noui cubiculi ruina oppressus, usqueadeo afflictus est ut inter trabes & rudera semianimis repertus, septimo pòst die expirauerit, octauo mēse ab eius creatione, Viterbij sepultus est. Miretur iure aliquis quid sit quòd plures pontifices perseuerarint Viterbij esse quum Roma tam propè esset. Ego quia autores, quos sequimur, non demonstrant, coniectura adducor, ut credam Romanos, si quando aliàs, ea tempestate præcipuè conatos sese in libertatem uindicare, cui rei quia pontificum præsentia, qui ad se regimen trahebant, obstare uidebatur, ita euenisse, ut hi omnia libentius per id tempus Romæ uiderint quàm pontificem, atque is ciuitatis stomachus, quia nihil obscurus esset, pōtifices, qui in ea tempora inciderunt ad dignitatem & salutem suam pertinere arbitrati sint procul ab ea ciuitate esse, in qua nō poterant non solicitè & cum periculo degere. Scripsit idem pontifex plura in di-

Quando num mus aureus Venetijs percussus.

Bellum Histricum.

Gardani supplicium.

uinis, estque in his multo prudentior habitus, quàm in re pontificia administranda. Nicolaus tertius est dein pontificatum adeptus, Rom. patria Vrsinumq; illi genus, præfuit illius creationi Carolus rex Siciliæ urbis senator, nam diu multumque uariarunt Cardinalium suffragia in noui pontificis creatione. Inijt Nicolaus pontificatum anno humanæ salutis duodecies centesimo septuagesimo octauo. Is post honorem initum primum omniū eo animum adiecit, ut Caroli potentiam, quod priorum pōtificum nōnulli iam antea tentauerāt, comminueret, nam & regium nomen popularius erat apud Romanos, quàm pontificium, uel quia iam pōtificum satietas cepisset, aut quod uero est similius, multitudo cuius propriū despere est, ad id quod minus optabile esset libentius inclinabat. Vicariam itaque potestatem in Hetruria nouus pontifex Carolo ademit, Rodulphoq; imperatori attribuit, quē diceret non aliter adduci posse, ut pro Syria tuēda induere uellet arma. Bertoldum ex fratre, credo, nepotem, Flaminię comitem declarat: & alterum, cui Latino fuit nomen, puniceo ornat galero, supremo antistitum ordini ascriptum in Hetruriam mittit, qui exulibus Florentiæ & cæteris urbibus restitutis, magistratus suo arbitrio constituit, ipse Romæ senatorii munus, principibus summis demādari solitum, solus obiuit. Tanta fuit tum dignitas in eo magistratu, quem reges & pontifices tam cupidè obirent. Ab Nicolao pontifice reiecti sunt Venetorum legati, ob Anconitanam causam, ut scribunt quidam, & non à Ioanne uigesimo, atque eiusdem autoritate pacem Anconitanis redditam affirmant. Creditur in animo habuisse duos reges creare, atque utrunque suæ gentis, quorum hunc Hetruriæ, Cisalpinę alterum Galliæ præficeret, qui Theutonicos inde, hinc Gallos qui Siciliam & Apuliam tenebāt, armis cohiberent, & ut res Caroli adhuc magis solicitaret, cum Petro Aragonum rege egit, ut hæreditarium ius Siculi regni Constantiæ uxori suæ uindicaret. Senatorio in se munere translato, ut suprà est demonstratum, edicto uetuit ne princeps aut rex eum magistratum capesseret amplius. Fuit Nicolaus uirili ingenio, studiorum fautor, probauit maxime & fouit prudentiam cum eruditione coniunctā, in partiendis honoribus pietatis exactor diligentissimus, sed omniū maxime meritum spectare, quippe qui sacrorum potestatē adeptus, Minoritani nominis unum Albanū ordinauit antistitem, Prædicatorij alterum ordinis Hostiensem. Iordanum fratrem, & Iacobum Columnā, uirū grauitate & innocētia insigni, in primorum antistitum ordinem retulit. Pontificias in Vaticano ædes magnifico instruxit apparatu. Pomarium muro cinxit. Augustissimum urbis templum, quod Barionæ est, magna ex parte restituit. Aulicis magistratibus suum cuiq; locum attribuit. Extant præter hæc non pauca eius pietatis monumenta, aut ab eo condita, aut certe renouata. Nullus priorum pontificum sanctius diuina tractauit, nunquam sacris operatus non ubertim fleuit media sacrorū cæremonia: fouit mira pietate omnes religiōis gradus, sed Minoritanum omnium pientissimè, ob rerū humanarū contemptum: nulli sacerdotiū attribuit, nisi doctrinam & mores prius inspexerit. Tabelliones, & quos notarios uocant, ut pestem hominum & luem quandā auersari, utpote qui inopes circū scriberent, litigantium sanguine alerentur. Edicto cauit, quando magistratus omnia uenalia haberent, ne cui supra annū prorogaretur dignitas, si quis ultra præscriptū in eo perseuerasset, pontificij anathematis notam incurreret. Et quum is talis esset, non caruit tamen infamia, quòd plus nimio diceretur suis indulgere, raperetq; aliūde, ut alia alijs desideria expleret. Enimuero pleraque circa urbē oppida suæ familię hominibus dedit habēda, & in his Surianam arcem, ubi quarto sui

Nicolaus III. pontifex.

Senatorium munus quàm magnū fuit olim.

Nicolai pontificis acta.

Tabelliones taxantur.

A

pontificatus anno nōdū peracto, subitaria est morte consumptus. Quidā prodigioso Tyberis incremento eum breui peritorum uaticinati sunt. Ferunt Tyberinum amnem adeò insolenter per idem tempus auctū, ut ad Pantheon, nunc Deiparæ uirginis est id templum, aram maximam quaternis pedibus & amplius supergressa sit fluminis alluuio: fuitque hic annus salutis duodecies cētesimus arq; octogesimus. Clara eorum temporū nomina, Guilielmus Placentius qui de tota medendi ratione scripsit. Durātius cognomento Speculator, Iacobus Beluisus, Ioannes Gualtisius, sacrarum hic literarum, ille utriusq; iuris sciētissimus, amborum studia ad posteros manarunt, ob ea quæ scitè multa, suo uterque genere, scripta reliquerunt. Ioannes Gurra Scoti theologorum acutissimi doctor, Guilielmus Amarinus, Rigaldus Remēsis antistes theologica sapientia clari: & hi tum uiri ingenio & doctrina celebres fuere.

Tyberis auctus.

Viri illustres.

Post Nicolai obitum, continuò est noua discordia laboratum. Coiuerat summus cleri ordo Viterbiū, nouum pontificē suffragio creaturus, præeratq; concilio Ricardus, ex Hannibalum familia, Romanæ ciuitatis longè princeps, oderat is Vrsinos infensè, ut homo aduersæ factionis, odiumque pro causa secutus Vrsum Nicolai defuncti perneccessarium Viterbij prætorem magistratu deijcit. Accensi eiusmodi contumelia duo Vrsinæ gentis antistites supremi ordinis, qui concilio intererant, palàm fremere, testari se non passuros nouū pontificē creari, nisi honor per iniuriam Vrso ademptus prius restitueretur, quam seditionis anfam Viterbienses adepti, Ricardi impulsu conclaue irrumpunt, duobusque Vrsinæ gentis antistitibus, multa cum indignitate abstractis uincula injciunt, quod ubi Romæ auditum est Vrsinorū factio Hannibales ex urbe eijcit. Præneste fuit his exilij sedes, erantque res circa urbem in hoc motu, quum Martinus huius nominis quartus sit pontifex, quinto pòst mense quàm Nicolaus uita decesserit. Noluit nouus pontifex, ob uim duobus antistitibus publicè illatam, Viterbij inungi, cingue corona, manifesto penè indicio interdictæ ciuitatis, urbem ueterem (hodie Oruietū est corrupta uoce) cum clero profectus, solenni cæremonia coronatur. Carolum regem ad se uenientem perbenignè susceptt. Senatoriam dignitatem à Nicolao ademptam amico regi restituit, quæ res uulgo displicuit. Apparebat fieri non posse ut Carolo cum Vrsinis conueniret. Siquidem hi Hannibalum factione ex urbe ejecta principem in ciuitate locum sibi uendicabant, sed pontifex homo Gallici sanguinis suæ gentis regi magis consultum uoluit, quàm publicæ quieti & otio. Igitur Ioannes Vrsinus Latini frater suorum antistitum iniuriam ulturus dignitatemque sibi à Romano pontifice traditam defensurus, comparato exercitu, Viterbiensem agrum hostiliter populatur. Erat tū Martinus pontifex in Phalisicis, qui permotus Viterbiēsium clade, Matthæum Vrsinum supremi ordinis antistitem Romam misit, qui res urbanas componeret. Is Ioannem Vrsinum qui Rom. erat dux exercitus, obiter adeptus ad urbem secum perduxit, huc omnium factionum principes edicto accersuntur ad apostolici legati conspectum. Paruerunt dicto quum alij proceres tū Ricardus Hannibal, qui ob publicum interdictum, cui se obstrinxerat, quòd Viterbij sacrorum antistitū conclaue uiolenter irrupit, iniecitq; manum in duos primi ordinis uiros, Vrsinæ factionis, ad pedes legati prouolutus laqueum gerēs collo implicitum, ueniā impetrauit, paceq; inter ciues firmata, exercitus ex Viterbiensi reuocatur. Et pontifex populo cōcesserit, ut duos ex corpore ciuitatis crearet senatores, suntque populi suffragio tū primū creati, Hannibal Petri Hannibalis filius, & Pandulphus Sabellus. Et rebus Italiæ per hęc pacatis Martinus pontifex Paleologū

Martinus III. pontifex Gallici sanguinis.

B

anathemate

anathemate execratus est, quòd pollicita de ecclesiarum unione non seruasset. Permotus Paleologus imperator eiusmodi execratione, ueritus præterea Caroli regis potentiam, quem charissimum sciebat pontifici, cum Petro Aragoniæ rege fœdus percussit, qui Siciliæ regnum sibi uendicabat ob Constantiam uxorem Manfredi filiam. Igitur communi nomine ualidam parant classem, misit pontifex ad Aragoniæ regem scisitatum quid sibi uellet bellicus ille apparatus, in quo ornando occupatus esse diceretur, tum ille. Scinderem, inquit, interiorem tunicā, si crederem mearum posse cogitationum fieri cōsciam: & qui à pōtifice uenerat hoc à rege tulit responsum. Rex nuntio à se dimisso non multum dein cum classe in Aphricam cum opulenta classe transmisit, populatusq; Hipponensem agrū in Sardiniā transijt expectaturus hic ut aliquid per Ioannem Prochitā, quemadmodū facta spes erat in Sicilia moueretur. Et res alibi in hunc modum habebant, quum in Cisalpina Gallia noui motus ex improuiso extiterunt. Luchinus Maffeus, & Ioan. Vicecomites uiros Turrianæ factionis Mediolano eijciunt. Luchinus dein uicariam Hetruriæ administrationem gerens, ab imperatore iniunctam, Florentinos & Lucenses grauissimis incursionibus infestat, pontificem aspernatus, qui interdicto & execratione conabatur hominem à sociarum ciuitatū ceruicibus auertere: & ne non ubique uno tempore laboraretur, Perusini Fulgineum subita ui captum mœnibus nudant. Vlciscitur id facinus pontifex subito interdicto, quo ut aliquando soluerentur, magnam Perusini pecuniā pendere coacti sunt. Et in Italia sic per partes laborabatur, quum in Sicilia Ioannis Prochitæ impulsu coniuratum est in Gallos. Insulani sumptis ex improuiso armis, omnes Gallici nominis uno tempore trucidant, adeoq; cupidè per homines eius generis est cædes euagata, ut sine sexus discrimine mares fœminæque eius gentis ferro dediti sint, & Siculę mulieres, siquæ Gallorum erant cōpressu grauidæ, in tantum Siculi tunc Gallicum nomen oderāt. Erupit uis illa uesperarum hora, & ad campani æris sonitū datum est signum discurrentibus ad cædem, unde adagium illud ortum, quod hodie quoq; est in ore multorum, ut quum subitam cædem in multos editam significare uelint, Siculas nominent uesperas. Nec Guidonis Appij melior fuit fortuna, qui cum quingentis Gallici nominis equitibus ad Flaminiam recuperandam à pontifice missus, quum forte forum Liuij obsideret, ciues obseruato tempore, quod ad eruptionem in hostem faciendam Guido quidā Bonatus astrorum ea tempestate peritissimus mōstrarat, subita ui Guidonem adorti, cū toto propemodū equitatu interfecere. Carolus audita Siculorum defectione, insulanorumq; sæuitia in homines suæ gētis, cum ingentibus copijs in Siciliā transgressus primo Messanam obsidet, fuissetque haud dubiè urbs deditione recepta, nisi Galli ultionis cupidi, excidiū palàm minitantes, necessitatem ciuibus imposuissent urbis obstinatius tuendæ. Alij aliquanto pòst Caroli ductu in Siciliā transmissum memorant. Nec Aragonius rex audito Siculorum motu, multum in Sardinia desedit, nam à Siculis accersebatur, Panormumq; applicuit incolumi classe, ex tota insula magnus mortalium numerus ad eum confluxit, salutatur rex magno consensu & fauore hominū. Qua animorū inclinatione perterritus Carolus, soluta obsidione, in Italiam cōcesit patrem expectaturus, qui cum classe & auxilijs ex Narbonensi Gallia breui debebatur affuturus. Incusare Carolus Petrum regem, qui Siciliæ ambitiose insinuatus, per scelus & nefariam insulanorum coniurationem, amicū & pernecessarium regem regno pelleret. Contrà Aragonius non potuisse se aiebat Siculis indigna ferentibus, opemq; suppliciter suam implorantibus, non auxilio

Petrus Aragonum rex.

Gallі in Sicilia ad unū interfi cuntur.

A

adesse. Quāquam si iure agi oporteret, nulli dubium esse, quin id regnum ob Constantiam coniugem hæreditario ad se iure prineret. Mutuo inde iurgio sese reges incessentes, eò processit ira, ut ad singulare certamē uterq; alterum prouocarit, una demum pugna de uita & regno decreturi. Burdegala est locus dictus in quem ambo cum centū lectis equitibus irēt. Pontificis autoritas intercessit, quo minus ferro decerneretur. Eratis utriq; arcta iūctus necessitudine: omni itaq; pugnæ occasione sublata misit Aragonius rex Neapolim classem, Rogerij Loriæ ductu, eratq; tum ibi Carolus Salernitanus princeps eius Caroli filius, à quo Siculi defecerant, cum pontificio legato, cui id in primis mandatū erat, ut populos & ciuitates circūiectas in officio contineret, suspicio erat ne defectio nuper à Siculis orta in Italiā citra fretum serperet. Legato igitur non solum non probante, sed reclamante etiam Carolus prodijt Aragonibus obuiā, fit acre prælium, cæterum Gallis pòst fœdam stragē fugientibus, regius iuuenis capitur, perductusq; in Siciliam in Hispaniam transmittitur. Martinus pontifex Caroli captiuitate miseratus, Aragonium regem, quia inde belli causa orta esset, anathemate execratur, eius regnum occupare uolentibus ius fasque omnibus fore pronūtiat, subditos iuramēto soluit, crucē signatos in eū concitat, iuuissetq; amicum regem suo exercitu Romanus pontifex, nisi per id tēpus Foroliuienses, Guidonis Feltrij auxilio freti, in armis esse perseuerassent, aliquāto prius à Romana ecclesia alienati: sed Guido pòst paulo pœnitentiam egit pacemq; cum pontifice sanxit, Liuianorum muros demolitus in Guidonis Appij ultionem. Recepit inde Guido non paruam Flaminiæ partem, esset & Vrbino potitus, quod summa ope opugnabat, nisi Ruber Anguilarius Hetruriæ comes, in ea oppugnatione ictus occubuisset. Erat interea Romanus pontifex, tanquam res Flaminiæ nihil ad ecclesiam attinerent, supra modum de Caroli regno solicitus, anceps que consilij utrius populi in Aragonem auxilia imploraret, Genuensium, an Pisanorum. Interea tāta inter eos renata est discordia de Cyrni insulę possessione, ut non modo nō alijs auxilia ferre possent, sed tam hi quàm illi ui subacti sint suis rebus aliunde opem implorare. Instare tum acrius Arago, etsi constās fama erat Caroluni cum ingēti exercitu aduentare, summaque ope niti sibi regnum uindicare: processerat Gallus Caietam usque, cum de casu Caroli filij atrocissimum accepit nuntium, pergit tamē procul ire, ac classe maiorem in modū aucta, medio belli conatu moritur. His pontifex curis implicitus Perusium proficiscitur, nā & Vrbeuetani tumultuari dicebantur, hic & ipse lenta febre aliquandiu conflictatus obijt, anno quarto quàm sedere cœperat. Eius sepulchrum in eadem urbe uisitur, pluribus, ut ferunt, miraculis illustratum. Martini huius pontificatu Philippus Tuscus genere, Florentiæ ortus, nouæ fuit sectæ autor, institutorque familiæ, quā Deiparæ uocant uirginis, qui primo initiati, ferui nūcupari cœperunt, tenerq; hodie ea appellatio. Fuit Philippus medicæ artis professor, anachoritică inde uitam secutus, oraculo monitus nouum religioni adiecit dogma, paululum ab eremitano diuersum, nigræ tunicæ ac succinctę, nigrum superinijciunt pallium, circa humeros in rugas complicatum, scapulari amictu ab humeris reiecto, indifferens calceatus, nec res magno admodū est fauore à primordio recepta, cæterum quum nouum institutū sua sponte glisceret, augeretur q; indies initiatorū numerus, Benedictus undecimus, septemq; deinde pōtifices secuti, nō modo ad pium institutum cōniuere uisi sunt, sed probarunt etiam suo assensu, probatū cæremonia & priuilegio excoluere. Datum præterea ut facculū gestarent, mendicandi facultate concessa. Viri in familia sanctitate & eruditiōe clari, tres & uiginti in bea-

Attēde regum prouocationē.

Origo seruorum Deiparæ uirginis.

torum numerum relati, muliebris ſexus nouem, nam & in his quoq; eſt tertius quidē ordo. Scire pleriq; uiri ex his & utiliter multa in diuinis ſcripſere: ſunt horum conuentus hodie in Italia duodequinquaginta, & in his mille quingēti & amplⁱ initiati. Incidit primū rei huius exordiū in eū annū ſalutis q octogeſimus ſecundus fuit ſupra duodecies cēteſimum. Martino huius nominis quarto Vaticanā ſedem tenēte. Poriebaturq; rerum in Græcia Ioannes Paleologus, in Germania Rodulphus qui decimuſeptimus in ea gente imperator fuit. Viri eadem tēpeſtate clari, Matthæus Florentinus medicæ artis ſcientiſsimus, multaq; in eo genere ſcripſit, nullus unquam carius ſuam operam locauit, nullius principis curationem recepit, niſi grandem mercedem pactus. Accerſitus ab Honorio pontifice, qui Martino ſucceſsit, non prius eum adijt quàm tris libras auri ſit in ſingulos dies pollicitus. Cæterum pontifex diligenter curatus centum auri libras libens illi obtulit. Scripſit per id tēpus Ioannes Baphus Bononienſis archidiaconus aliqua ad ius pontificium pertinē tia, Garſias Hiſpanus in eodem genere quędam, Egidius Bituriēſis antiſtes eremitanæ profeſſionis omnes Theologiæ partes ſcientiſsime tractauit. Sunt qui ſcribant eum Romę ortum, Columnēſi familia. Natus eſt eodem pontificatu ex illuſtri fœmina pontificis perneceſſaria, puer uilloſus & in ſpeciem urſi unguiculis armatⁿ: quo mōſtrifico partu permotus pōtifex, oēs urſorum imagines, quę forte in eius domo fuerunt, iuſsit deleri, manifeſto argumento recepta ab eo perſuaſionis, quales in conceptu hauriantur ſpecies, tales in partu ſæpius repræſentari. Incidit id mōſtrum in primum Martini pontificis annū, quo tempore in Tyrrhenię ora apud Centūcellas captus eſt piſcis abſoluta leonis ſpecie, qui mari extractus humanam uocē ululatu expreſsit, ad pontificis cōſpectū delatus eſt, qui urbe uetteri tunc forte erat. Obſtupuit pōtifex & omnis multitudo quæ illi apparebat inſuetam beluę formam, præſertim pelagicæ, ſed ita uulgo perſuaſum uideo, nihil naſci in aliqua naturę parte, quod non idem & in mari cernere ſit. Poſt Martini obitū Honorius nominis huiⁿ quartus ex Sabella domo iam tum quoq; in urbe celebri pontifex creatur, qui cōfeſtim honore inito Perufia digreſſus Romā reuertitur, anno ſalutis duodecies centeſimo octogeſimo quinto, fratre eius Pandulpho tum ſenatoriū munus obeūte. Tanta fuit in uiro ſeueritas, ut quoties Ro. urbē latronibⁿ ſicarijsq; purgatum iri uellent, non alium expoſcerent quàm Pandulphum ſenatorem. Cęterum quum talis eſſet, parum proſpera utebatur ualetudine, corpore chiragra uehementer podagraq; profligato, quo genere morbi adeò Honorius infeſtabatur, ut adminiculis opus eſſet quibuſdam, quum ſacris operaretur. Fuit alioqui tāta in uiro ſapiētia, ut plus unus propemodū uideret q̄ tota ciuitas: habuit ab initio decretum neminem lædere, omnibus prodeſſe, uerū Aragonij regis iniuria prouocatⁿ, Siciliā illi adimere conatus eſt. Acceſsit inde Rodulphi imperatoris ſordidus quæſtus, miſeratis ſcribā unum à rationibus in Hetruriam, qui cuitatibus populisq; eius terræ uenalē libertatem proponeret. Hanc Lucenſes occaſionem nacti duodenis milibus aureorum numerum ſeſe in libertatem uindicant, Florētini dimidio minus, qui ſtatim libertate parta priores artiū uexilliferum q̄ue priuos ſibi magiſtratus creauere. Philippus interea rex Galliæ, Martini pōtificis edicto fretus, Aragonię regno imminebat, premebatq; Gerundēſem urbem obſidione, obiecit ſe illi Petrus Aragonius, eſtq; cruenta pugna utrinq; edita. Aragonius letaliter uulneratus, nō multo pōſt uita deceſsit. Gallus quoq; Gerunda potitus, quum Perpinianū obſidere cœpiſſet, in febrem incidit, qua plures dies cōflictatus moritur, quo tempore Gallorū claſsis in Narbonenſi Gal-

Attēde medici næ quæſtum.

Attende monſtrū hominis.

Attende monſtrum maritimum.

Honorius IIII. pontifex.

A lia eſt à Petro Loria oppreſſa. Duo erant Petri regis filij, Iacobus maior natu, qui Aragoniæ regnū ex teſtamento adeptus eſt, Ferdinandus ætate minor Siciliam. Succeſsit & Philippus rex in Gallia in paternum regnum, eodem quo pater nomine, ſed cognomento Pulcher. Sic bellum quaſi hæreditarium à parentibus, uelut per manus noui reges acceperūt, conabanturq; hinc Piſanos inde Genuenſes in ſuas partes trahere, quū illi interea de Cyrni, quę & Corſica eſt, poſſeſsione inter ſe armis diſceptarent, eſtq; inter eos de ſumma rei apud Lamellum inſulam, Piſano portui propinquam, tanta ui certatum, ut Piſani undequinquaginta triremibus amiſsis, & cū his duodecim militibus hominum, nunquam caput amplius ad priſtinam fortunam erexerint. Et res circa Hetruriam ſic habebāt. Pontificis legatus Catinam in Sicilia occupat, ſed quum iam de pace propemodum eſſet actū. Enimuero Edoardus rex Angliæ in Vaſconiam profectus, ſua autoritate & cōſilio adeò reges flexit, ut poſitis armis utrinq; animi ad pacem inclinarent. Erat adhuc Carolus qui circa Neapolim in hoſtium poteſtatē uenerat, in uinculis, & iam de eo cuſtodiæ eximendo agebatur, quum de Catinæ occupatione eſt auditū: turbatis itaq; rebus Edoardus (quidem Herdardum ſcribūnt) infecta re in Angliā abijt. Ferdinandi regis opes, quod ſatis conſtat, poſt Gallicam claſſem à Rogerio acciſam, multo firmiores factæ, iam non adeò multum pontificis minas uereri, quæ res in cauſa fuit, ut ille Siculi belli (nam pro Gallis ſtabat fauor eccleſiæ) cura omiſſa, ad Flaminiæ ſtatū animū adiecerit. Enimuero Guido Feltrius eā Italiæ partem graui bello quatiebat, ſed is non multo pòſt magno prælio uictus, tota Flamina ceſsit. Nec pontifex eiuſmodi uictoriæ multū ſuperfuit, annos omnino duos ſedit. Carmelitarum ordinem ad id tempus nulli pontificum probatum, necnō eremitarum Pariſijs repudiatum, utrunque ſuo ratum fecit aſſenſu, Carmelitanorum pallio in albū mutato, qui atri antea fuit coloris. Ex Honorij morte apoſtolica ſedes denis uacat menſibus. Conuenerat ſupremus antiſtitum ordo in Auentinū, ubi Honorius habitauit nouum pontificē creaturus, plures hic ex eo ordine grauitate cœli ſubito offenſi, in morbum inciderunt, eaq; res creationem diſtulit. Eſt Auentinus magna ex parte auſtro expoſitus, cuius noxijs flatibus pręcipue pars illa montis obuerſa eſt, quę teſtaceo imminet campo, accidit aliquando noſta memoria, ut magna pars ciuitatis, quæ ex ea Auentini parte Circenſes ſpectauit ludos, quorū aliqua adhuc ſpecies durat, quum antea æſtuaſſet, auſtro leuiter afflata, in morbum inciderit, multiq; mortales febre conflictari demum periclitati ſint. In quo illa ſubit reputatio haud relatu indigna, quū pars una ſpectaculi illius tam grauiter fuerit infecta, cæteri qui ab Auſtro auerſi eo die ſpectauerant, murorum urbis obiectu, qui campū ab ea parte muniūt, auſtrino flatu defenſi, innoxij domum abiere. Fuit Romana eccleſia aliquādiu, ut ſuprà eſt demonſtratum, ſine pontifice: poſtremo patres morbo leuati Nicolaum in demortui locum creant, qui quartus huius fuit nominis, ex Frāciſci Aſiſiatis familia. Sub id tempus Romæ ſeditio mota eſt, quapropter pontifex in Sabiniam conceſsit, ſed breuis ille feceſſus. Enimuero motu illo ciuili ſua ſponte remittente, Nicolaus Romam reuerſus ad pia opera conuertitur. Auguſtiſsimum Deiparæ templum ad præſepe inſtaurat, & in Laterano utranq; baſilicæ partem uermiculato duxit opere. Per id tempus Aragoniæ & Galliæ reges pontificis hortatu, alij Edoardi regis opera aiunt, his inter ſe conditionibus pacem ſanxere, ut Carolus qui diu cuſtoditⁿ fuerat, daret operam ut Carolus Nales cognomine Philippi Gallorū regis frater renuntiaret Aragoniæ regno, quod Martinus pōtifex Gallo detuliſſet, id niſi triennio feciſſet,

B

Attende filij norū cladem.

Carmelitarum approbatio.

Nicolaus III. pontifex.

ſet, carceri ſe reſtitueret: dati tres filij obſides, Raimūdus, Ioannes, & Robertus: alij Lodouicum in his nominant, qui Frāciſci poſtea Aſiſiatis ſectam ſecutus, ſanctorum eſt catalogo aſcriptus. Sed hæc in Europa aguntur, Elpis Ægyptius rex Chriſtianorū principum diſcordia fretus, uel potius ſocordia, Tripolim Syriæ urbem nobiliſsimam, cæſo piorū præſidio, ferro & igni uaſtauit. Par dein Sidon & Berythus paſſę ſunt excidium, nullo interim tātam Chriſtiani nominis cladem uindicante. Superat Ptolemais, quæ tenentibus inducijs biennio adhuc iure ūiolari non poterat. Eas hoſtis inducias idcirco ſeruaſſe dicitur, ne Ptolemaidem demum adortus, nimio rerum ſucceſſu omne Chriſtianū nomen ad arma concitet. Miſit in Syriam Nicolaus pontifex mille & quingētos cataphractos equites, quos pio hortatu, aſsiduaq; prædicatione, ad eiuſmodi militiam recipiendā adegit, inautorauitq; ſuo ſtipendio. Sunt hi equites ad id miſsi, ut Ptolemaidi præſiderent, ſuntq; horum uires auctæ uolūtariorū numero, ſed hi non minus Chriſtianis hominibus, qui eam urbē incolebant, quàm Mauro hoſti fuerunt infeſti, ac tū demum excidium maturatum eſt. Erat grauis inter Chriſtianos homines de Ptolemaidis poſſeſsione contentio, alijs aliò eam trahentibus. Hieroſolymitanus antiſtes, Templarij, Teutonici, rex Cypri, Siciliæ rex Carolus, quin & Piſani eā ſibi uēdicare adorti eſſent, niſi ſuper Liguſticum bellum, quo uel uno ad Lamellum prēlio fuerant res eorum in perpetuū accīſæ, nouis motibus fuiſſent per id tempus agitati, Vgolino comite, cum duobus filijs & nepotibus in uinculis pædore & inedia ab hominibus aduerſę factionis necato. Conciuit tam atrox facinus totam Hetruriā. Fremere Gibellinæ factiōis uiri, paſsimq; exitium Guelphis minaciter intendere tam diri ſupplicij autoribus, eſtq; Aretinis primū uis illata, exulibus eius urbis id perētibus, quibⁿ Feltrius comes & Florentini exules auxilio eſſe. Florētini quum in tam ſubita re non ſatis ſuis uiribus fideret, Carolum hortantur, qui cum duabus alis equitum ad pōtificem iturus Florentiam forte uenerat, ut Gibellinorum conatibus iret obuiā, hic erat ille Carolus, qui apud Neapolim ab Aragonijs captus, conditione, ut diximus, ſolutⁿ eſt. Induit Gallus pro Florētinis arma, eſtq; haud multo pòſt in Typhernate egro cum hoſtibus congreſſus. Fuit id prælium anceps ab initio, cadētibus hoſtium ducibus Carolus egregiè uicit, ceciderūt eo die ad tria milia hoſtium, duo milia capta. Pergit inde Gallus ad pontificem ire, quem multo honore acceptum Nicolaus pontifex utriuſque regē Siciliæ declarauit. Fremere Aragonius rex, Caroliq; perfidiam incuſare, nec multum inde cunctatus Caietam hoſtiliter à mari inuadit. Cęterū nequid deeſſet ad rem Chriſtianam turbādam, grauiſſimum per id tempus ortum eſt bellum inter Philippum Galliæ regem, & Edoardū Angliæ, quæ res magnā attulit perturbationē hominibus Chriſtiani nominis, qui in Syria adhuc erāt, addiditq; ferociā hoſtibus, ut ſumma ope connixi, breui omnes ex Aſia Europeos eiecerint. Melecaſcraphⁿ Elopis filius terribili armorum apparatu Ptolemaidem obſidet, cētum quinquaginta milia armatorum ſub eius ſignis fuiſſe dicuntur. Eſt urbs ipſa aliquandiu ſtrenuē defenſa, exieratq; obſidio iam in tertium mēſem, quū Elopis moritur, Melecaſcraphus qui Ptolemaidi aſſidebat in eius locum rex ſalutatus eſt, qui tantū abfuit, ut ob patris interitum, aut quia nouum eſſet regnū adeptus, obſidione abſceſſerit, ut multo atrocius quàm antea hoſtem preſſerit, propoſitaque milibus præda muros ſubita oppugnatione inuadit, & iam hoſtes repletis foſsis ſeſe mœnibus inſinuabant, quū eruptio ex urbe facta eſt, Saracenis à muris cum cæde & ſtrage multa ſunt repulſi, atq; in caſtra uſq; reiecti, tenebat nihilo ſeciⁿ obſidio. Interea

Chriſtianorū res in Syria cōcidunt.

A

B

Nicolaus pontifex reputans animo in quàm aperto diſcrimine in ora Syrię res Chriſtiana eſſet, in Galliā miſit, qui pacem inter reges componeret, eosq; ut ad ma reipub. Chriſtianæ hoſtes ſumerent, auerterenturq; à nefario bello. Iam Carolus in Italia & Aragonum rex pontificis hortatu nuper pacificati erāt his conditionibus quibus Gallus fuerat cuſtodia emiſſus. Sed neque hi qui in proximo erant, neq; illi flecti potuerunt, ut arma pro re Chriſtiana in Syria periclitante induerent. Nec qui Ptolemaide erāt, ſtrenuam ſuis operam ad extremum nauare uoluerunt, quin præſentibus rebus difffiſi alij ſuper alios dilabentibus duodecim milia numero remanſerunt, ueſtum ſpe abiecta urbis amplius retinendæ, duces & Hieroſolymitanus antiſtes nauibus cum ijs copijs quæ aderant occultè conſcenſis, urbem hoſtibus reliquere. Vſi ſunt hi primo proſpera nauigatione, inde circa Cyprum inſulam fœda tēpeſtate iactati ad unum periclitati periere. Hoſtis urbē propugnatoribus uacuam ingreſſus primo diripit, ac ne à Chriſtianis aliquando recipi poſſet, quod in Sidone Beryto & alijs antea excīſis cauiſſe uideri poteſt, funditus urbem diruit: & Chriſtianum nomen per hæc tota Syria eſt ſublatum anno ſalutis duodecies centeſimo ac nonageſimo, alij annum unū huic numero adijciunt, ab eo autem quo Vrbani ſecundi auſpicijs, ductu uero Gothifredi recepta eſt, cēteſimo nonageſimo ſexto. Cyprus & Cilicia in Chriſtianorū fide permanſerunt. Per id tempus in Venetis Dandulus dux, decimo ferè ſuæ adminiſtrationis anno uita defunctus eſt, à cuius funere quum populus nominatim Iacobum Tepulum principē efflagitaret, uir optimus, & publicæ quietis ſtudioſus eam multitudinis intemperiem auerſatus, tādiu in ſuburbanis locis latuit, donec Petrus Gradonicus legitimè ſit dux creatus. Sub id tempus Andreas rex Pannoniæ, Veneta matre natus, quæ in Maurocena gente orta, Stephano regi nupſit, Venetias uenit, ac tatum abfuit ut maternam domum quia in libera ciuitate priuata eſſet, noluerit agnoſcere, ut gētilia etiam ſigna uſurpare in tanto rerum faſtigio non recuſauerit, alba tātum cruce cum paruo circulo illis adiecta. Romæ interea Nicolaus pōtifex poſt Ptolemaidem amiſſam, ueritus ne hoſtes reliquū Aſię inuaderent, à Rodulpho imperatore petijt, ut copias ad id bellū cōpararet. Sed hoc non multo pòſt defuncto, Adulphus Aſſo ſucceſſor declaratur, quem iura imperij & nomen ſibi uendicantem, Albertus Rodulphi filius in Spirenſi agro prælio uictum interfecit. Nicolaus quum parum proſperè omnia euenirent, multa animi ægritudine affectus in morbū incidit, quo paucis diebus conflictatus mortem obijt, anno ſui pontificatus quarto, in Deiparæ uirginis templo ad prę ſepe ſitus eſt. Viri ea tempeſtate clari. Vgolinus Vrbeuetanus eremitanæ profeſsionis, Arlotus Hetruſcus, Ioannes Parmenſis, Matthæus Aquaſpartius Alexandrinus antiſtes, omnes Minoritani nominis & qui in diuinis multa ſcitè utiliterque ſcripſere, Minorita & Vgo Bolionius, uitæ ſanctitate, & in diuinis eruditione memorabili, Ioannes Balbus Genuenſis prædicatorij ordinis, cuius uaria ad poſteros manarunt ſtudiorum monumenta: & hi tum uiri ingenio claruerunt. In noui pontificis creatione, quum ſupremi ordinis uariarent ſuffragia, uacaretque interea Barionæ ſedes, Michael Paleologus, imperator Conſtantinopolitanus moritur, quem in ſacro ſepeliri uetuerunt Graij ſacerdotes, quòd Lugdunenſi conuentu Romanæ eccleſiæ ceſſiſſet de proceſſu almi ſpiritus. Andronicus eius filius qui libenter in paterna pietate manſiſſet ſi quid in ea re fuiſſet à noſtris adiutus, quia pontifex erat nullus, nec alius qui cauſam tueretur, ab orthodoxæ fidei ritu defecit. Petrus Mutotius Nicolao ſucceſsit, quintus à primo Cæleſtino, erat is anachorita colebatq;

Viri illuſtres.

Cæleſtinus V.

colebatq; cœnobium ad radices Magellę montis ſecũdo à Sulmone miliario, Carolo rege & Latino ſupremi ordinis antiſtite adnitentibus pontifex creatur, in Amiternis coronam adeptus eſt pontificiam. Aquilani ad id urbem exhibuere, quo curiam pontifex euocauit, ducẽta milia hominum ad id ſpectaculum confluxiſſe proditum memoriæ eſt, magis ui ri ſanctitatem, ut credere eſt, quàm cæremoniã tanta uis mortalium ſecuta, quòd enim uir diu in eremo uerſatus, accerſitusq́ue ad id faſtigium honoris ueniſſet, omnes ad diuinam prouidentiam referre, ipſe tam facilis fuit in omnes, ut diuerſis idem petẽtibus annueret, unde tacitus quidam maieſtatis cõtemptus primo ortus eſt apud malignos interpretes, pietatem hominis parum æqua lance expendẽtes, inde eò uẽtum eſt, ut parum idoneus haberetur ad rem tantam adminiſtrandam, & iam agitari cœperat inter ſummi ordinis uiros de põtificatu ei abrogando, quod quũ reſciuiſſet, inuito & reclamante Carolo profeſſus eſt ſe in ſupremi collegij poteſtate futurum. Factum eſt inde decretum ut liceret pontifici ſe quomodo uellet dignitate abdicare, id decre
Bonifacius VIII. pont. tum Bonifacius octauus, qui illi ſucceſſit, ſuo proba uit aſſenſu: abijt itaq; Cęleſtinus pontificatu menſe ſexto quàm ſedere cœperat, eũ Bonifacius qui mox creatus eſt, circũſcriptum & in ordiné redactũ in Fri monis arce iuſsit cuſtodiri, ne ex ea abdicatiõe aliqs
Cæleſtinorum ordo. nouus motꝰ oriretur. Cæleſtinorũ nobilis ad poſteros rẽligio per idem tempus orta eſt. Cęleſtinus fuit autor, quod & nomen declarat, ex Benedicti abbatis inſtituto aliqua mutuatus, nouã induxit piè operantium ſectam, quæ breui in tantũ creuit, ut ſui auctus ordinem nõ pœniteret, ſed nihil æquè ré auxit, ac perſpecta autoris ſanctitas, quo in cuſtodia defuncto, quum indubitata quędam circa iacentis corpus facta eſſent miracula, multi mortales eius inſtitutũ ſecuti, & rem & nomen auxerũt. Bonifacius Bario
B ne qui primus fuit pontifex, & alijs bonis abſimilis, malis artibus uſus põtificium decus tenuit, quippe qui Cæleſtinum multis preſtigijs impulſum potius quàm perſuaſum apoſtolica deturbauit ſede, eruditione opus eſſe nõ pietate ratus ad id munus obeũdum. Cęterum utcunq; eſt ille dignitatem adeptus, incidit eius creatio in annum ſalutis nonageſimum quartum ſupra duodecies centeſimũ, fuitq; à primo Bonifacio octauus, à Petro Bariona ducẽteſimus, homo ambitioſus, tantaq; arrogãtia ut præ ſe cæteros mortales contemneret. Nicolai quarti, & Cæleſtini in pleriſq; reſcidit acta. Quũ igitur talis eſſet ſine ſimultate diu eſſe nõ potuit. Enimuero Gibellinæ fa-
Infectatur Columnios Bonifacius. ctionis uiros inſectari adortus, erat enim Anagniæ natus ac Guelphæ factionis, Iacobũ & Petrum Columnios (erant hi ambo antiſtites ſupremi ordinis) offendit: criminari eos Bonifacius quòd eccleſię theſauros in morte pontificũ diripuiſſent, contrà illi eũ apud reges, ut ambitioſum & arrogantem inſectari, qui Cæleſtino apoſtolica ſede deiecto pontificatum uerius furatus eſſet quàm ſuffragio adeptus. Cęterũ à Bonifacio accerſiti, quũ dicto minime paruiſſent, horrere enim illius ſæuitiam, cum tota factione ſeceſsionem fecere, quã pontifex anſam adeptus, eos ſchiſmaticos pronuntiat, & ut publico decreto iudicarentur autor fuit: nec huiuſmodi ignominia contentus, ambos ſacerdotio dignitateq; priuauit, oppida prędiaq; & urbana & externa ipſi familię ademit, eam priuationem Bonifacius in decreti formã retulit, inde totam gentem armis inſectatus, Pręneſte & Zagoriolũ hoſtiliter oppugnat, Columnã oppidum in totius familiæ inuidiã grauiter affligit, inde enim Colũnia domus. Ipſi antiſtites undiq; armis deiecti
Sarræ Columnij caſus. Reate profugiũt in Sabiniã. Sarra eorum pater circa Antium diu multumq; in nemoribus uixit põtificis arma uitabundus, per ſaltus & deſerta littora declinare omné hominum occurſum, ſed dum domeſti-
A cum fugit periculũ in externũ incidit, à latronibus captus q maritimo curſu ſuburbana littora omneq; oram Latij infeſtabant, ignotus quis eſſet remo eſt adhibitus. Maluit generoſius animus ignotꝰ ſeruire, quàm fateri quis eſſet, ne pontifici dederetur: & fortuna tam nouum in Ro. procerum uno tunc luſit ludũ, ut qui princeps nuper fuiſſet Ro. ciuitatis, duos ſummos antiſtites haberet filios, tot oppida urbi circũiecta, tot prędia, tantas clientelas intra extraq; urbem, cui factio ingens, cui omnia uitæ ornamẽta affuiſſent, extorris, inops, ęrũoſus latronibꝰ ſeruiret. Sæuire interea pontifex in uniuerſam factionẽ, nec ab inſectatiõe deſiſtere. Nota eſt illius uox qui Prochetum Genuæ antiſtitem primo quadragenarij ie iunij die ſignaturus cinere, mutato carmine ita ſit affatus, Memento homo quia Gibellinus es, & cũ Gi-
Attende potificis fum. bellinis in cinerem uerteris, ac ſimul eius oculis non capiti, ut moris eſt, infudit cinerem, nec multo pòſt eum dignitate priuauit, ſed mox paulo reſtituit. Columnia igitur factione è medio ſublata, ab armis & ab omni hoſtili inſectatione põtifex ad cęremonias & ſacrorum inſtituta animum adiecit, ſacratiſsimis apoſtolis cæremoniam duplicauit, par honor euangeliſtis & quatuor eccleſiæ doctoribus uno decreto inſtitutus: Lodouicum ex regia Gallorũ ſtirpe (fuit
Lodouici ſeceſsio. is Caroli ſecundi filius, Franciſci; Aſſiſatis cultu & religione frater) in diuorum numerũ retulit. Addidit ſextum põtificio iuri uolumen. Eugubiũ in Vmbria, quod Gibellinorum inſtinctu defecerat, breui recepit. Alberto Auſtriæ duci petenti ut ſuo aſſenſu ratum ſibi faceret imperium, negauit. Moritur interea Iacobus Aragonius rex Siciliæ, quã nactus occaſionem Robertus Caroli filius dux Calabriæ, Catinam in Sicilia occupat, ad quem motum tantũ repente exarſit bellum, ut tota ſit Italia tumultuatum. Siculi qui Aragonijs fauebant, ſtudio claſſem cõpa-
B rant, Philippum Roberti fratrem prælio ſuperant, captum in uincula conijciunt, qua Robertus clade perculſus inſulam reliquit. Affuit breui pòſt Federicus Aragonius cũ ualida claſſe, is pacato Sicilię ſtatu Calabriam Roberto ademit: & circa Siciliã ſic Galli Hiſpaniq; uario euentu bellum inter ſe gerebãt. Genuenſes interea adeò Piſanorum opes afflixerãt, ut Liburnium captũ cremauerint, ne Piſanis mare pateret amplius. Magni itaq; erãt rerũ motus in Italia,
Ingens mu terræ. ſed maior omnino incidit ex cõcuſsione terræ, quæ per id tẽpus tam horrẽde mota eſt, quã unquã aliàs hominum memoria: tenuit tremor plures dies, quo paſsim ſunt ædificia multa & magna euerſa. Erat tũ Bonifacius Reate, unde Colũnios antiſtites aliquãto prius eiecerat, hic ueritus tectorum ruinam, patẽtio atrio ſibi caſam conſtrui iuſsit ex materia tenuiſsima, ut ne caſus quidem multum timeri poſſet, perſe uerauitq́ue in aperto eſſe plures dies. Apparuit inde cometes magnitudine inſigni: & hæc in cætera Ita-
Cometes ingẽs. lia. Veneti per id tempus, aut certe non multo prius poſteriúsue, exeũtibus inducijs, quas in aliquot annos cum Genuenſibus pactas habuere, cõfeſtim ad retinendũ maris imperiũ publicè claſſem inſtruunt, eſtq; ad primas belli partes, ſi bellandum foret, occupandas in altum cõfeſtim educta, ſed in Piſanorum gratiam nonnihil maturatum, qui rebus uno ad Lamellã prẽlio acciſis, ægrè Liguri reſiſtebant. Ad Genuenſes igitur inde auertendos Rogerius Mauroce-
nus, cum ſexaginta triremium claſſe, in Ponticũ mare proficiſcitur, ad res Genuenſium circa Byzãtium & Peram infeſtandas, alij ſex & quadraginta eã claſſem habuiſſe naues prodiderunt. Perenſibus primo uis illata. Tenebant uicum proximum Byzantio Genuenſes negotiatores, Peram à breui traiectu
Pera uicus dicta. ut arbitror, Græca uoce dixerunt, erat is locus illis peropportunus non ſolum ad Põticas merces citro ultroq; conuectandas, ſed ad bellieſtiam gerendi rationem, adeoq; res ad id tẽpus ibi loci creuerant, ut ab empo-

ab emporij forma non multum abeſſet. Venetus ſu-
A bita ui locum adortus, quia nullis erat adhuc munitionibus firmatus facile occupat, diripitq́ue hoſtiliter, direptum incendio abſumit. Inde ad Folia itum, tenebant hęc quoq; Genuenſes, huius loci pars una
Pera incẽditur eſt ſub Venetæ claſsis acceſſum igni conſumpta: & hæc prima illa expeditione ſunt à Venetis geſta, ſequenti anno Ioannes Superantius cum quinque & uiginti triremibus in Pontum miſsis Caphatã urbẽ improuiſo acceſſu cepit, quibus coactus locis hye-
Caphata capitur. mare, in tantam frigoris intemperiem incidit, ut nouem propemdum nauales turmę ſint pedibus intolerando frigore manibus q́ue periclitatę. Genuenſes
Attẽ. cladẽ ob frigus acceptã & ipſi haud ultra differendum rati, ſexaginta & amplius triremes ad bellum mittunt, Lampadij Aurij ductu. Ligur cladem in Pontico mari acceptã ulturus Adriaticum ſinum ingreſſus, Venetias perpetuo curſu adnauigaſſet, niſi ad tam numeroſę claſsis famam maioribus quàm unquam opibus hoſti itũ eſſet obuiam. Habuit tum Venetus triremes quinq; & nonaginta, quam claſſem ubi Aurius ad Corcyrã nigram ſtare compertum habuit, eò pugnandi ſtudio flexit curſum, nec Veneti id certamen detrectarũt, quippe qui præterquam quòd nauium numero ſuperiores eſſent, cum eo hoſte ſciebant ſibi rem futuram, quem circa Ptolemaidẽ in Syria, & ad Drepanum in Sicilia, pluribus q; locis, paucis antè annis prælio uiciſſent. Contrà Ligur dolore cladis eo biẽnio in Pontico mari acceptæ, cæterũ ferocior factus quòd Piſanorum opes per id tempus in perpetuum afflixiſſet, pugnam acriter capeſsit. Fuit ab initio anceps certamẽ, cædes q́; terrirma, qualem in tam ualidarum claſsium concurſu eſſe oportuit, eſtq; ea di
Veneta claſsis uicta. micatio aliquandiu diſtracta, demum fuſa diſiectaq; eſt Veneta claſsis. Amiſſarum nauium numerũ, neq; annales urbis, neque ſcriptores, quos ſequimur, ponunt, omnes tamen ingẽtem cladem acceptam ſcri-
B bunt, unus quidem diuerſa ab alijs ſecutus, Genuenſes ait à Venetis Corcyrenſi portu obſeſſos ab initio petiiſſe, ut relictis nauibus inde incolumes abire liceret. Id uero quum à Veneto negaretur, tum metu in iram uerſo, tam atrociter eſſe ab his cõflictum, ut qui pro uictis habebantur, breuiter uicerint, aiuntq; additam à Ligure artẽ, ut quindecim triremes medio certamine ex improuiſo uelut ex inſidijs iniectę terrorem Veneto inculſerint, ac tum demum Venetam claſſem terrima clade diſiectã, captaq; ad quatuor milia hominũ cum claſsis prẽfecto, qui rei male geſtæ ſibi cõſcius adeò ſeſe affixit, ſubinde caput aduerſæ triremi impingens, ut priuſquam Genuam ſit uentum expirauerit. Ricoaldus Ferrariẽſis autor eſt duodenonaginta Ligu ſticas triremes eo prælio conflixiſſe, quinque Venetorum milia capta. Cæterum adeò cruentam Liguri uictoriã obtigiſſe, ut nulla ex ea re lætitia ad hoſtem peruenerit. Ligur poſt ſecundum illud prælium procul abijt. Veneti tam inſigni clade accepta ne una pugna, etſi grauiſſima, plꝰ nimio afflicti uiderentur, confeſtim quinque & uiginti triremes cum M. Baſeio ad bellum mittũt, cui in primis eſt mandatum, ut attentè inſulas & maritima oppida tueretur præſidio, nec ullum rei in hoſtem bene gerendæ prætermitteret occaſionem. Is haud multo pòſt circa Helleſpõtũ, ut nihilo meliore euẽtu, ita maiore animo cũ hoſte conflixit. Ferũt hic quoq; cruentam pugnam depugnatam, ac poſt multam utrinq; ſtragem Venetorum fortunã inclinaſſe, ſexdecimq; triremes cũ turmis & ſocijs nauali bus
Ingens Veneto rum clades. captas. Ligur duplici uictoria elatus, Cretã inſulam adortus, Cydonem primo impetu capit, nec præter eam urbem captam quicquam aliud à Genuẽſibus ea expeditione geſtum reperio, ſed ne mari quidem eſt pòſt res ulla memorabilis geſta, tantum autores, quos ſequimur, memorant Venetos, reparato bello uario euentu iam inde cum Genuẽſibus bellaſſe, ſed
quo loco, cuius ductu, quo nauiũ numero, aut quo euentu, uelut conſulto ſupprimunt, tanta tũ fuit uel incuria, uel inſcitia ſcriptorum, ſed utercq; populus cladibus feſſus ad pacem inclinauit. Fuit ſecundum Liguſticum bellum aliquanto breuius priore, ut cõiectura aſſequor: iactata eſt inde Venetorum ciuitas ciuilibus diſcordijs, duabuſq; coniurationibus una poſt alterã adducta eſt in diſcrimen libertas, ſed fortuna urbis, & melior cauſa fuit ſuperior. Buchonia quæ aliquãto antea prœceſſit, minus periculoſa, minoreq; motu extincta eſt. Cæterum pacato ciuitatis ſtatu cum Patauinis nonnihil, ut ſæpe alijs, de finibus certatũ eſt, & cum Paleologo bellatum, qui grã-
Veneti Paleologũ bello inſectantur. dem Veneto nomini pecuniam abnegabat. Belletus Iuſtinianus cum ſepté & uiginti nauibus eſt ad eam rem uindicandam miſſus. Cepit Iuſtinianus ex Græcis naues aliquot, dubium in prælio an medio pelagi curſu, Græci, quod ſatis cõſtat, omnes laqueo necati ſunt, inde Venetus Byzantium euectus maritimam oram quæ eſt à Pera ad Argyrũ, ferro & igni uaſtauit, quæ res tantum Paleologo merum iniecit, ut pecunia quæ publicè debebatur, reddita, pacẽ pene ſupplex acceperit: & Veneti per hæc duobꝰ ſunt certaminibus defuncti, paucorum annorum ſpatio, Liguſtico prius, & mox altero, quod cum Græcis eſt geſtum, ac breui ſoluti, quo tẽporis interuallo Bo-
Quãdo primũ iubileus celebratus. nifacius põtifex uetuſto Iudæorum exemplo iubileum retulit, anno ſalutis milleſimo ac trecẽteſimo: de cuius ratione in priore Rapſodiæ parte plura diximus. Nunc quod ad rem attinet, diuerſa quædam uideretur fuiſſe ratio Iudæis anni huius celebrandi, q̃ fit poſtea à noſtris ſeruata, illi quinquageſimo & nõ ut noſtri, cẽteſimo quoq; anno id ſolenne repetebãt, quo tempore ſoluebãtur nexi, ſeruiq; in libertatem uindicabantur, ſed illis corporum aſſertio curæ fuit, noſtris quod multo eſt optabilius animorũ, qui tũ demum liberi ſunt, quum omni labe criminũ uacãt. Tanta uis mortalium ea de cauſa Romam cõfluxit, ut uix in præcipua urbis uaſtitate commeãdi eſſet facultas. Venit Romã Carolus Valeſij comes, Philippi
Carolus Valeſij comes. Gallorum regis frater, qui Balduini filiam in matrimonium receperat, eius quem Paleologus Conſtantinopolitano deiecit imperio. Egit Carolus cum Bonifacio, facileq; tenuit ut ſibi liceret ſocero, q adhuc in humanis agebat, imperiũ armis uindicare, id eo libentius eſt Gallis ducibus datũ, quòd in animo habebat Bonifacius eorũ uti opera in Hieroſolyma repetenda. Per idem tempus eſt nonnihil in Hetruria tumultuatum, Albis ex Florentia cum multa cæde
Albi & Nigri ejectis: tranſierant iam nomina à Gibellinis & Guelphis ad Nigros & Albos, ut hi Gibelli dicerẽtur, illi Guelphi, ſed maior omnino cura Bonifacio hęrebat Hieroſolymæ Chriſtianis armis uindicandæ: miſit itaq; ad Philippum Galliæ regem. Apamenſis antiſtes, qui legatione illa functus eſt, quum nihil precibus à rege impetraret, minaciter id petere auſus, cõuertit in ſe illius iram, qui hominis audaciã pertęſus etſi apoſtolicũ legarũ, cuſtodiri tamen iuſsit. Irritatus ea iniuria põtifex nõ territus, iubet archidiaco-
Attende potificiã autoriã tatem in reges. num Narbonẽſem ad regem ire, cumq; monefacere, ut Apamenſem antiſtitẽ cuſtodiæ eximat, qui ſi minus eſſet dicto obediens, omnibus audiẽtibus teſtaretur, Galliæ regnum ad eccleſiam deuolutũ ob Philippi impietatem adhiberetq; anathema, Gallos q́ue iuramento quo tenerẽtur, ſolueret. Peregit archidiaconus mandata, eſtq; continuò Apamenſis cuſtodia eductus. Cęterũ Philippus Bonifacio iratus, ut eum aliquo incõmodo afficeret, edicto uetuit quẽquam Gallici ſanguinis Romam proficiſci, pecuniámue eò mittere. Exierat iam alter à iubileo annus, quũ Carolus Valeſius in Italiam uenit cum exercitu, ut Carolo perneceſſario ſuo (erãt enim ex duabus ſororibus nati) ferret ſuppetias, q Aragonijs premebatur armis, erantq́ue Gallorum opes eis fretum adeò afflictæ,

fiictæ,ut prꝛeter regium nomen ex tanta olim fortuna nihil Gallo supereſſet, quæ cauſa traxerit Aragonem hoſtem in Italiam ex Sicilia, ſuprà eſt abũdè ſignificatum. Commotus nouihoſtis aduentu Federicus rex, his conditionibus ſoluit bellum,ut Calabriam & omnia quæ in Italia cepiſſet armis Carolo relinqueret,ipſe Siciliam haberet quoad uiueret: & res Siciliæ & quæ Gallorum erant circa Italiam, ſecundum id fœdus ad tempus quieuere. Multi interea uariq; in Hetruria extiterunt Florentinorũ exulum conatus,ſæpiusque reditus tentatus eſt,Bononienſibus ſumma ope adnitentibus, iuuantibusque Scalanis,ſed res ut ſæpe ita ſemper infeliciter mota. Fuit factio illa nobilior ad poſteros ob Aligerium Dantem, qui cum Albis eiectus eſt patria, poëtam uernaculis rhythmis omnium qui ad id temporis fuerant præſtantiſsimum, fuit & philoſophiæ ſtudijs clarus, quod eius ſcripta facile demõſtrant. Per id tempus noua obrepſit religionis ſecta,res ſuo ortu lęta,ſed exitu triſtis ac deteſtabilis. Fraterculi nũcupati ſunt, qui noctu ſacra operari, fuitque à principio, ut credere eſt, mens eius ſacri inuentoribus non aliena à pietate: cæterum tempus ipſum & loci licentia (nam in abditis ea ſacra fieri) omnia in peius uertere. Canebant illi deo nocturnos hymnos, ut aliquo pietatis prætextu ſuum tegerẽt flagitium, conſuebant mulieres ad orgia illa uerius quàm ſacra, cæremoniaque peracta ſacerdos pronuntiabat, ut extinctis luminibus omnes almo ſpiritu inuocato,promiſcue coirent: matronæ,uiduæ,uirgines ſine diſcrimine,ut ad huius,uel illius manꝰ ueniſſent, indiſcreto concubitu fœdabantur: partus per hunc modum conceptus tandiu per manus in orbem ſtãtium iactabatur in ipſo antro, donec exhalaret. Is in cuius manibus expiraſſet, pontifex maximus creabatur,cremabant adhæc ſacerdotes unum aliquem ex infantibus ita procreatis,cineres in cadum conijciebant, uino ſuperinfuſo quo nouitij initiabantur, quæ cæremoniæ ratio uidetur mihi nõ multum diuerſa ab ea fuiſſe, quæ in Bacchanalibꝰ uſurpata eſt olim. Serpſit dirus hic cultus in multas Italię urbes, penetrauitque ad Græcos,niſi fortè illinc potius fluxit, unde olim & orgia. Fuerũt quod miror,uiri ſingulari eruditione, multaq; religione prædiți,ut fertur, qui huic ritui fauerent, adeò nullum eſt malum cui ſtulta mortalitas nõ aliquo modo patrocinetur. Hunc Bonifacius morem inſectatus ut dirum & deteſtabilem, iuſsit Ferrariæ Hermanij,qui ex Fraterculis unus fuerat,corpus reſodi,annos circiter uigiti multa ibi ueneratione cultum, refoſſum mãdauit publicè cremari, ad coarguẽdam uulgi opinionem, habuit inde ſuper ea re quæſtionem: quo habitu his ſacris initiati uterentur,quod ſciam non traditur. Id malum adeò inualuit, ut in quibuſdam Italiæ urbibus adhuc duret, ſed quia nunc res inuidioſa eſt, in occulto habetur. Philippus rex dum hæc in Italia fiunt,aut certè non multo prius poſteriúsue, Pariſienſi conuentu,quem ipſe antiſtitibus Gallici nominis & primoribus gẽtis indixerat, Bonifacij ſuperbiam & ambitionem inſectatus, eo deſcẽdit, ut diceret ſe concilium appellare ob ſedem apoſtolicam uacantem, quibus uerbis omnes qui aderant interpretati ſunt,Bonifacium à rege priuatum iudicari. His pontifex percitus,frequentiſsima ſynodo ſuper ea re habita, Philippi regnum Alberto imperatori ſubiecit, quẽ initio ſui pontificatus reiecerat. Philippus contrà Sarram Columnium,in Maſsilię portu agnitum, à latronibus redemptum,cum Nogaretio Gallo mittit ad Bonifacium opprimendum,ſeruili habitu Italiam ingreſſus, cum pleriſque amicorum occultè in colloquium uenit, & Nogaretius ſuo nomine, quominus res ſuſpecta eſſet, ducẽtos Gallos equites,ex Valeſij equitatu, mercede conducit. Cum his igitur diſſimulanter Anagniam, ubi tunc Bonifacius erat, contendunt,noctuq; Sarra per homines ſuæ factionis in urbem receptus, pontificem nil tale ſuſpicantem in paterna domo opprimit, captumq; Romam perducit, ubi paucis diebus mœrore animi cõfectus obijt,anno ſui pontificatus octauo, menſe nono. Et Bonifacius hunc exitũ ſortitus eſt, dum regibus & principibus terrori eſſe mauult quàm uenerationi. Põtificatus huius opera, ſacellum uermiculatum in Vaticano,ubi ipſe ſepultus eſt, & ſuggeſtum in Laterano,unde Philippum Galliæ regem & Colũnenſes anathemate execratus eſt. Viri ætatis illius illuſtres diuus Mugellanus,Iacobus Arenarius Parmẽſis,Petrus Perticanus,Nicolaus Parthenopeus,Franciſcus Accurtius Florentię ortus, Iacobus Rauẽnas, Martinus Syluanus, Albertus Odofredi auditor omnes ciuilis & pontificij iuris ea tempeſtate longe principes,& qui multa in utroq; genere ſcripſerunt. Fuit his æqualis Ioannes Scotus, acumine ingenij theologorũ ſummus,fuit & Rainerius Piſanus prędicatorij ordinis. Sunt qui & Alanum in hæc tempora reponunt. Auguſtinus Interãnius, & Guilielmus Bergomates,hic pontificio iure,ille theologica eruditione clarus. Poſt Bonifacium Benedictus undecimꝰ fuit põtifex, ex Calaguritani Dominici obſeruatione, uir innocentia & pietate inſigni, & qui poſt obitum ſit in beatorum numerũ relatus. Is dignitate inita Nogaretium Gallum,Sarrã & Anagninos, qui ſe illis in Bonifacio opprimendo adiutores præbuerant,anathemate execratus eſt, reſtituitque non multo pòſt eccleſię Philippi regis rogatu,reſtituti ſunt cum his duo antiſtites Sarræ filij in priſtinã dignitatem, iuſsi tamẽ aliquandiu Puniceo Galero abſtinere quo fuerant à Bonifacio priuati. Per idem tempus res Hetrurię in nouos motus reciderunt, omnes Albinæ factionis uiri cum cęterarum urbium exulibus noctu Florentiam ingreſsi, ad phanum uſque Deiparæ graſſabundi peruenere,maiore omnino metu quàm cęde aduerſę factionis. Cæterũ dum magis ſtudent prædæ & direptioni quàm uictoriæ, mutata eſt fortuna,& qui modo uicerãt uicti ac diſiecti cũ multa ſtrage urbe eijciuntur. Florẽtini eiuſmodi uictoria erecti, Piſtorium obſidione cingunt, Roberto Calabriæ duce ad id bellũ inautorato. Sed ea res parum proſperè mota,nam & urbs ſtrenuè eſt defenſa,atq; eruptione facta fuſus fugatusq; Robertus,& in Pratenſium fines turpiter compulſus. Sunt qui Pratum uſq; fugam illam extractam memorẽt. Sed dum Hetruria in hoc motu eſſet, ſatagere interea Romanus pontifex, ut nõ ſolum Tuſci,ſed quicquid gentium in Italia eſſet, continuò pacaretur, cupiebat Tartaros auxilijs iuuare,qui per id tẽpus Syriam inuaſerant,fueratq; literis & nuntijs,ut alio eſt loco ſignificatum, ab ea gẽte inuitatus ad id bellum per partes iuuandum,ſed mors id conſilium diſcuſſit. Obijt Peruſij menſe octauo ab eo quo ſedere cœperat: uiſitur in ea urbe eius ſepulchrum multis clarum miraculis,quæ poſt eius mortẽ ibi facta dicuntur. Fuit inde Clemens quintus põtifex, qui abſens creatus eſt, ex Burdegala ubi tunc erat accerſitus. Is Lugdunum progreſſus, huc curiam ex Italia exciuit, iuſsis omnibꝰ ſupremi ordinis antiſtitibꝰ ad ſe proficiſci: paruit totus ordo pontificis dicto, atq; his auſpicijs apoſtolica ſedes Italiæ finibus egreſſa, annos lxxiiij. abfuit. Incidit hæc Ro. aulæ in Galliam tranſlatio, in annum ſalutis milleſimum trecenteſimum quintũ. Fuit illa pontificum abſentia, quum cæteræ Italiæ, tum Rom. ciuitati, ut ſuo deinceps loco demõſtrabitur, ſuprà quàm dici poſsit calamitoſa. Sed quàm aduerſo numine res mota ſit, clades quæ in põtificis coronatione accepta eſt, haud dubiè demõſtrauit, quum ad id ſpectaculum ingens mortalium numerus cõfluxiſſet, Britanniæ dux, ſubita ædificij ruina oppreſſus perijt,& Philippus rex Galliæ eade ui inſigniter debilitatus aliquãdiu extincto ſimilis

immotus

Dantes poeta.

Fraterculorũ dirus ritus.

Nogaretium ponti/ficis & Phi/lippi odium.

Bonifacij infe/lix exitus.

Viri illuſtres.

Benedictus XI. pon.

Clemens V. pontifex.

Quando cu/ria in Gallia/ translata.

Attende omẽ.

immotus iacuit. Ex põtificis tiara carbunculus immenſi pretij excuſſus reperiri non potuit. Rebus inde ex ſententia compoſitis, Clemens pleroſque Gallici ſanguinis ſupremo ordini aſcripſit, Italici generis neminem, apparuitque ex eo quòd Clemens in animo haberet, ut pontificia ſedes in perpetuum ex Italia tolleretur. Sardiniam à Saracenis oppreſſam ea conditione Federico Aragonio Siciliæ regi attribuit, ut continuò ſe accingeret ad eam armis uindicandam. Veneti interea cum Carolo ſecundo,in Paleologum iuniorem, qui tum Byzantij imperabat, fœdus percuſſere. Huius fœderis fama, ut quidam ſcribunt, Rufiæ regem adeò perculit (uiuebat is ut hodie Græco ritu) ut à Romano pontifice petierit orthodoxæ fidei rationem. Cęterum Carolo & Venetis in ſuſcepto bello tepeſcentibus Rufiani & ipſi ſententiam mutarunt. Eſt per idem tempus apud Nouarienſes,in Italia noua hæreſis orta. Dulcino uiro omnis doctrinæ ignaro & coniuge autoribus,uiri fœminęque ſimul habitantes in omnem libidinis fœditatem abierant. Hos Platina Fraterculos appellatos exiſtimat. Alij diuerſum hocab illorum ſecta fuiſſe delirium ſignificare uidentur. Clemens flagitij huius corrigendi cupidus, legatum eò apoſtolicum cum armorum præſidio miſit. Hos ille in Alpibus adeptus, partim inedia & frigoribus, partim bellica ui oppreſsit. Autores flagitij huius capti mẽbratim laniati ſunt,eorum corpora combuſta,cinisque diſsipatus. Incidit hic error in trecẽteſimum ſeptimum ſupra milleſimum humanæ ſalutis annum. Hoc demum tempore Templariorum religio ſubla ta eſt. Scriptores quos ſequimur,quia ad Saracenos defeciſſent, ſæuitum eſſe in eum ordinem ſignificare uidentur. Ioan. Boccatius cuius pater per id tempus in Gallia negotiatus eſt,quique Templariorum ſupplicio interfuit,ex eo ſe audiuiſſe prodidit, fuiſſe ea tempeſtate qui perſuaſum haberent Philippum regem, quia primoribus eius ordinis diuitias inuideret,magis rapinæ ſtudio quàm religiõis,queſtionem in eos acerbiſsimá exercuiſſe, ut homines eius profeſsionis flagitij conuictos,liberius perderet. Clementis aſſenſu Philippus rex fretus,omnes Templarij nominis uno tempore in poteſtatem redegit, ac quum ingẽs eſſet in tota Gallia numerus,per multos & ſæuos cruciatus diſtracti,poſtremò igni conſumpti ſunt. Cęterum quũ ab initio impunitas propoſita eſſet omnibus, qui ipſam religionẽ ut parum frugi damnarent, damnatam repudiarent, nemo in tanto numero repertus eſt, qui non uſque quo animam efflauerit una ſit uoce uſus, Templariorum religionem ſancte inſtitutam, ac multo ſanctius ad id tempus cuſtoditam. Nullum à cõdito æuo acerbius ſpectaculum uidit Gallia, nullum in quo maiora extiterint exẽpla cõſtantiæ. Iacobus Templariæ militię magiſter cum tribus alijs aſſeruatus, Lugdunũq; ad Clementem miſſus, pontificis hortatu quædã de religione confeſſus dicitur, quapropter res ipſa merito affficta uideri poterat. Pariſios dein retractus, hic magno mortalium conuentu Templaria religio reprobari cœpta eſt, ut res neque exemplo neq; cæremonia utilis, quanquam ipſe uita donaretur, rei indignitate permotus,in medio ſtans ſilentium petijſſe dicitur,ac perſanctè iuraſſe Templariá religionem nihil tale eſſe meritá, habuiſſe illam optima inítia, optimeq; & ſanctè adminiſtratam, idcirco dignã quæ diuturniorem & perpetuum fortira eſſet ſtatũ, maioremq; mortalium fauorem, ac ſiquid in illã antea dixiſſet, Clementis impulſu ſe id feciſſe, fuiſſeq; omnia illa conficta in pontificis gratiã, Templariorũ uitam & inſtitutũ procul ab omni labe abfuiſſe ſemper, hęcq; alta uoce teſtatus intrepidè ſeſe morti obtulit. Affectus eſt acerbiſsimo ſupplicio cum tribus alijs principibus Templarij nominis, adeoq; cõſtanti uultu, ut ne cruciatum quidem ſentire putarẽtur.

Templariorũ ſupplicium.

Hæreſis Fraterculorum origo.

Attende exem plũ conſtãtiæ.

Auxit regiæ auaritię infamiam aliud facinus Tẽplariorum necem ſecutũ. Omnes Iudæi qui tota Gallia agebant, direptis eorum fortunis, cum ſingulis ueſtimẽtis eiecti ſunt eiuſdem regni finibus, ſed in his Philippus maleficium & auaritiam calumniæ prætexuit. Sub id tempus, quo hæc in Gallia geſta ſunt, aut certè non multo pòſt, Albertus imperator à Ioãne fratris ſui filio interficit, quo motu magna eſt rerum mutatio facta in Italia, præſertimque in Ciſalpina Gallia, plerąque urbes fama & opibus celebres ſubita animorum inclinatione ſibi dominos conſtituere, qui præfectura apud ſe antea functi eſſent. Scalani Veronam ſortiti ſunt, Paſſerani Mantuam, Pautauium Carrarij. Eſtenſes aliquanto antea Ferraria potiti, fræno Mutinæ alijsque locis Ferrariæ finitimis iniecto, eo uſque creuere, ut Carolus Calabriæ & Apuliæ rex, Beatricem filiam Accioni ea tempeſtate florenti, matrimonio locauerit. Hunc Friſcus ex aliena coniuge, ut ipſe dicere ſolebat, filius in poteſtatẽ redactum uictumq; in carcerem conijcit, ubi Accio non multo pòſt, mœrore an ui non habeo dicere, morte conſumptus eſt. Ex Accionis interitu Friſcus principatum inuadit parricidio quæſitum, excludebatur arce & ea parte urbis, quæ ad flumen obuerſa eſt, fluuialibus itaque auxilijs opus eſſe. Impetrauit Friſcus claſſem à Venetis, eſtque urbs magna ab his ope oppugnata. Fuit id certamen eo difficilius, quòd medio pugnæ ardore ſuperuenerunt ex Bononia ab apoſtolico legato, qui edicto uetabant urbem oppugnari, quorum præſentia freti Ferrarienſes, qui iam Friſcum in urbem recipiebant, ſubita defectione rebellarunt. Quæ res effecit ut iuuenis urbe & arce ui potitus, equites ſubito immiſerit ad urbem haud uno loco inflammandam, eſtque in primis mandatum, ut illorum domos incenderent, qui rebus nouis præter cæteros ſtuderent. Ferrarienſes inter ignem & ferrum deſtituti, in Friſcum arreptis armis conſurgunt, Venetorum fidem implorãt, ſecundum eam deditionem continuò eſt ab iniuria temperatum. Veneti etſi urbem in fidem receptam, ſuis armis tueri in animo habebant ne publicam fidem prodere uiderentur, Friſcum extorrem fieri non permiſerunt, eſt itaque horum conſilio & opera in urbe retentus. Clemens põtifex, qui in Gallia erat, audito Ferrarienſium caſu, uehementer excanduit, quòd urbs Romanæ eccleſiæ uectigalis hoſtiliter eſſet oppugnata tyranni cauſa, ac nouiſsime incenſa, alienæque ditionis facta, confeſtim Venetos anathematis ſpiculo defigit, propoſito edicto, ut hos piorum cœtu eiectos, Romanæque eccleſiæ hoſtes iudicatos, fas eſſet unicuique uolenti iure & iniuria interficere. Alij ut mitius ita ſimilius uero tradunt, ſacris duntaxat Venetis interdictum, additumque nihil impiè facturum, qui eius nominis hominem in ſuam poteſtatem redactum pro mancipio haberet. Sed quæcunque fuit illius execrationis forma, ad pontificij edicti famam, omnibus ferè Galliæ emporijs Venetorũ res ſunt principum permiſſu direptæ, eadem iniuria accepta eſt circa maritima Calabriæ & Apuliæ loca. Cæterum rebus amiſsis, Veneti ubique male habiti ſunt, quidam etiam ex his necati, quo accidit ut ab omni externo cõmercio tũ Veneta ciuitas abſtineret. Nec interea pontificius legatus (Palegorę fuit illi nomen) in Ferraria recipienda quicquam operæ aut induſtriæ prætermiſit. Erat is Bononiæ, unde Gallos cruce ſignatos, & aliam ex Italico delectu manum, miſit in Venetos & Ferrarienſes. Ad primã urbis oppugnationem ciuitas ad Gallos defecit, ſimulq; ſunt hi in urbem recepti. Venetum præſidium cũ multa cæde in Thealdum cõpellitur. Inde non multis diebus interiectis, etſi iam antea ad pontificẽ miſſi fuerant, qui de urbis reſtitutione agerẽt, ne maiorem aliquã reſpublica ea de cauſa adiret cladem, ex Thealdo

quos

Noui in Italię dominatus.

Ferraria oppugnatur.

Interdictum pontificis.

quoq; eſt præſidium eductum. Conſternatá his malis ciuitatem atrox cõiuratio eſt domi adorta, certatum in publico eſt aduerſus nefarios ciues, ſtetitque uictoria unde debuit, pulſi ex publico coniurati, de ſontibus eſt ſupplicium ſumptum. Sunt qui ſupplicio rem uindicatam dicant, ſed multo plures aut in exilium acti ſunt, aut ad tempus relegati. Extat certum rei geſtæ monumẽtum, quòd Idibus Iulijs, quo die libertas à coniuratione illa ſeruata eſt, princeps & patres quotãnis inuiſunt Viti martyris phanum, publicam ſaluté diuo gratulaturi. Hanc temporum nouitatem Iadrenſes nacti ſexto rebellarũt. Claſsis cõtinuò decernitur. Belletus Iuſtinianus ad urbem ui & armis recipiẽdá mittitur. Moritur interea Gradonicus dux, anno ſuę adminiſtrationis undecimo, méſe nono. Martinus Georgius inde princeps fuit, qui ab uitę integritate & ſingulari innocentia ſancti eſt cognomẽ adeptus. Eratq; tunc is rerum ſtatus in Venetis, & cætera Italia, quũ Rhodus inſula ex hoſtibus recepta, pontificis iuſſu Rhodianæ militię uiris, qui eam à Turcorum imperio armis uindicarũt, datur tuenda, hi Hieroſolyma amiſſa, templarijsque deletis, ex ea inſula Turcorum arma eiecerunt, horũ militia deo optimo eſt & Ioãni Zachariæ ſacra, crucem in nigro pallio candidá affigunt, ingens numerus, magiſtrum habent militiæ, qui in uniuerſum ordinem obtinet imperium, cum Turcis perpetuũ bellum gerunt, atq; ex proximo hoſtiliter infeſtant, ſæpe & ipſi bello petiti, ac ſumma ope à Turcorum imperatore oppugnati, noſtraque memoria præcipue. Fuit annus quo Clemens quintus his inſulam attribuit, ſi recte hi colligũt quos ſequimur, milleſimus humanæ ſalutis trecenteſimus octauus. Sed dũ hæc alibi fiunt, Veneti terra & aquis Iaderam oppugnãt, mille equitibus in Delmatiam miſsis caſtra in conſpectu urbis munire. Bannus qui præſidio erat Iadrenſibus, ipſe quoq; extra muros metabatur, exieratq; obſidio hæc in longum, quum Dalmaſius uir Hiſpani generis, dux Veneti equitatus ad hoſtes tranſijt urbis potiundæ, ut ipſe uideri uoluit, deſperatione adactus, ſed pecunia potius corruptus, nam non deſunt qui ſcribant eam tranſitionem ex compoſito factam dataq; illi ex pacto bina milia aureorum nummũm. Venetus eques duce amiſſo ueritus ne fraude aliqua ab hoſte opprimereẽ, ad naues concеſsit, quæ in proximo ſtabant, ſtuduit inde plures dies Dalmaſius futurę paci, aut certe ſtudiũ aſsimulauit, atq; adeò impenſe id fecit, ut propior arbitro eſſe cœperit quàm tranſfugæ. Cæterum quum pax confici nequiuerit, eſſetq; iam merito hoſtibus non minus ſuſpectus quàm Venetis inuiſus, media inuidia deſtitutus, nauibus ex fœdere acceptis cum ſuis rebus ex Delmatia proficiſcitur Apuliam petiturus, ubi altum tenuit, iactatus tempeſtate, nauem fregit, rebusq; & ſocijs amiſsis, meritas ſuæ perfidiæ luit pœnas: ſed quum naufragus omnia ſibi cerneret infeſta, ne maius adhuc incommodũ adiret, haud multum Delmatico littore commoratus quo fuerat ui maris reiectus, paruo nauigio in Italiam tranſmiſit. Exijt Iadrenſis obſidio in Ioannis Superantij principatum. Is inter initia ſuæ adminiſtrationis, Iadrenſes in fidem recepit, adeo remiſsis conditionibus, ut hinc præbitam eis materiam quidá putent ſeptimò rebellandi. Verum defectio illa aliquanto poſtea ſecuta eſt. Iadera tunc recepta, plerique alij Delmatiæ populi in fidem rediere, Oenonenſes, Spalatini, Tragurini, & Sicenſes. Ciuitas pontificis interdicto, cui ad tempus fuerat obnoxia, unius ciuis opera ſoluta eſt, Franciſcus Dandulus qui in Galliam ad eam culpam deprecandá publicè acceſſerat, etſi ſero, ad pontificis tamen conſpectum admiſſus, illuſtri exemplo priuatæ pietatis in patriam, publicæ in religionem, catena ferrea collo iniecta, ad eius menſam tandiu proſtratus iacuit, donec expugnata Clementis ira, ignominioſam notam patriæ ademerit, atque ex eo fuit illa poſtea Canis cognomen inter ſuos, quia ut canis ad põtificiam menſam proiectus iacuiſſet: nec fuit ingrata ciuitas, ſed data ſedulo opera eſt, ut is qui non multo prius in tam ignominioſo accubitu uulgi opinione conſpectus eſſet, cultus ſummi honoris inſignibus conſpiceretur, & Clemens tam durus fuit in Venetos, quanquam cauſá non multum diſsimili, per idem ferè tempus, Florentinos & Lucẽſes interdicto notauit, qui totius prope Hetruriæ appendicibus Piſtorium oppugnare adortis, quum alij pontificis edicto uim abſtinuiſſent, ſoli omnium in armis eſſe perſeuerarunt, quoad Piſtorienſes obſidione feſsi deditionem fecerint, deditæ urbis Florentini & Lucenſes muros diruere, agrũ inter ſe partiuntur, temperatum eſt à ciuium cæde, ſolum urbis utriq; ciuitati cõmune mãſit, ſed quod ex fœdere cõmune fuit, Florentini haud longo interiecto tempore ſuum fecere, urbe muro & foſſa ſuis opibus communita. Erat igitur Hetruriæ ſtatus ob hæc quę diximus, tunc, ut ſiquãdo aliàs, parum quietus, quum Neapoleo Vrſinus ſupremi ordinis antiſtes, ad ciuitates & populos eius terræ pacandos, eſt ex Gallia miſſus à pontifice. Audire Florentini & Lucẽſes Clemẽtis mãdata, ſed nihilo ſecius in armis eſſe, tũ apoſtolicus legatus ira accenſus, utrunq; populum priſtino interdicto repetit, diſcordiæ & malorum omnium autores pronuntiat, adeunt hi Palegoram alterum pontificis legatum per quem facile tenuerunt, ut ſoluti interdicto ſint, & in pontificis gratiam recepti. Moritur interea Carolus ſecũdus, Roberto filio relicto, cui Clemẽs pontifex ratum fecit paternum regnũ ſuo aſſenſu, qui ex Gallia reuerſus, à Palegora rogatus eſt, ut Ferrariæ nuper à Venetis receptæ tãtiſper præſideret: donec eius ciuitatis ſtatus pacaretur: properabat iuuenis regnum adire, Degoiraque uiro impigro ad præſidium relicto, cũ ala una equitum Neapolim proficiſcitur. Nec Ferrarienſes diu quieuere, quin ſeditionibus & domeſtica diſcordia inſolentius ſæuire, non Degi hortatus nõ minas audire, tum ille ciuitati iratus armatos equites ex arce miſit, eſtq; inſignis cædes edita, octoq; & uiginti ex primoribus interfecti ſunt, qui præcipue Eſtenſibus fauebant. Sed dum hæc in Italia geruntur, Henricus ſeptimus Lucenburgẽſis, Germanorum uigeſimus ſit imperator, fecit illi Clemens ratum imperium, ea conditione ut in Italiam cum exercitu tranſcẽderet ad pacandum eius terræ ſtatum, recepit libens eam prouinciam Henricus, ſimulq; ad Florentinos miſit, qui ſuo nomine eos monerent, ut ab Arretio oppugnando abſtinerent, ſibiq; & exercitui hoſpitium in urbe parent. Reſponſum eſt tantum principem imprudẽter facere qui Barbaros in Italiam cogitet inducere, quam ut imperator tueri deberet ab omni externarũ gentium incurſu, nec quod ad Arretij oppugnationem attineret recte fieri, quòd quum exules ab imperatore reſtitui cõſueuiſſent, Guelphi qui ab Arretinis eiecti eſſent, ipſius iuſſu patria excluderentur. Ferũt Dantem cuius ſuprà meminimus tum Florentinos cæcos appellaſſe, idcirco ut credere eſt, quòd nõ uiderint eum perdere uelle omnia qui tenenti arma quod iuſtũ ſit audeat negare: quid enim magis alienum à publica ſalute eſſe potuit quàm imperatori quum in armis eſſet, tam ferociter reſpondere? Sed Robertus nouus rex hos illis animos faciebat, qui per Hetruriã quum Neapolim iret, ultrò Florentinis pollicitus dicitur, ſe totis regni uiribus quoties opus eſſet pro Guelphis bellum ſubiturũ. Affuit breui pòſt Henricus cum exercitu per Taurinos in Italiam tranſgreſſus, omnes ciuitatum principes præſtò illi fuerunt officij cauſa. Erant tum Mediolani duæ aduerſę inter ſe factiones, Vicecomites & Turriani, Guelphis præerat Guido Turrianus urbis prefectus: Maffeus Vicecomes alterius factionis erat

Canis cognomen.

Rhodus ex Turcis recipitur.

Iadrenſis obſidio.

Franciſci Dãduli pietas erga patriam.

erat longe princeps. Hic Guido ueritus ne diuerſarum partium principes gratiam apud Henricum occuparent, in Mediolanenſi agro fecit caſtra, palam dictitans experiri uelle an quiſquam hominum ſe inuito ſit Mediolanum inuaſurus. Nec Maffeus in tãta occaſione deſedit, per literas & nuntios Henricũ hortatur, ut urbem occupet, non procul enim aberat. Magnus ſub Henrici acceſſum motus eſt Mediolani ortus, Guidone in urbem reuerſo, ſed motus ille cõfeſtim reſedit, rebus ita inter factionum duces compoſitis, Henrici autoritate, ut Guido Vercellis potiretur, Maffeus imperatorij equitatus eſſet præfectus. Accepit inde Henricus Mediolani ferream coronam, ciuitas quæ ſpe libertatis libens Henricũ acceperat, poſteaquam plus æquo grauari ab eo cœpta eſt pergraui impenſa, conſternata animo arma induit. Germani qui circa urbem agebant, ubi ſuos ab hominibus utriuſque factionis cædi animaduertere, earum principes appellant. Occurrit eò Galeacius Maffei filius, cum magna clientum manu, quod iuuenis callidus & à callido patre inſtructus ex compoſito feciſſe uideri poteſt. Is ubi ad Henrici conſpectum uenit, Turrianos criminatur, qui urbis tyrannidem affectantes multitudinem ad arma conciuiſſent. Tum Germani Turrianos adorti, Vicecomitũ opibus adiuti urbe eijciunt, eiectis Guidonis ductu Vercellæ decreto petuntur exilij ſedes. Sunt eo tumultu circiter xxx. interfecti, & in his iiij. Turriani.

ENNEADIS IX. LIBER VIII.

Erat Henricus ſua ſponte in Guelphos animo infeſto, quum propter Florentinos, tum quia imperatorũ ſuæ gentis, & in primis Federici ueſtigia potiuſquam alterius libens ſequeretur. Diuerſarum tamen partium iam ex confeſſo factus, ob ea quæ circa Mediolanum acciderant, Turrianis domo eiectis, Cremonenſes bello petijt, qui Gibellinos extorres fecerãt. Horum uoluntaria deditio reddidit in ſe Germanũ multo mitiorem. Contrà Cremonenſes, quorũ cauſa eadem fuit, obſiſtere auſi, magis iratum habuere: ſæuitum eſt in ciues & urbs mœnibus nudata. Parmenſes Cremonẽſium clade perculſi, Roberto Corrigiano ſuadente, Rubrijs cũ Guelpha factione eiectis, Henrici præſidium accipiunt. Brixiani aliquandiu urbem aduerſus Henricum tutati ſunt: cęterum quum arctius indies premerentur, oppido noctu relicto, populariter in proximos montes abiere. Germani mœnia in oppidanorum inuidiam demoliuntur. His uicinarum urbium cladibus territi Mantuani, Veronenſes, aliæque circumiectę ciuitates, Henrici dicto paruerunt. Placentini & ipſi Alberto Scoto Guelphæ factionis principe eiecto imperatoris partes ſecuti ſunt. Hęricus Ciſalpina Gallia per hũc modum pacata per Placentinos Genuam proficiſcitur, cum Amadeo Sabaudiæ duce, qui eum officij cauſa ſequebatur, huc legati à Roberto Neapolitano rege, & Federico Siciliæ ad Henricum uenere, Siculi legati ueram præ ſe pacem ferentes, Neapolitani fictam & ad breue tempus duraturã. Miſerat Robertus duo milia equitum in Hetruriam, qui Florentinis & Lucenſibus auxilio eſſent. Henricus haud multum Genuę commoratus, copijs terreſtri itinere in Hetruriam præmiſsis, ipſe Piſas claſſe delatus, Lucenſes uarijs afficit cladibus. Fuerunt ea tempeſtate qui omnium malorum culpam in Clementem reijcerent, qui auror fuiſſet Henrico in Italiam tranſeundi, ſed ille potius accuſandus, qui nõ arbitrum egit, & quem pontifex uoluiſſet, ſed alterius factionis hoſtem. Enimuero crudeliter nimis Germani uſi ſunt uictoria, non in urbibus ſolum, ſed in obſcuris etiam locis & humilibus popellis, in quibus nulla eſſe poterant de principatu certamina, cædebantur promiſcuè uiri fœminæque, non ætas non ſexus erat cuiquam præſidio. Romam inde profectus Hẽricus, Lodouicum Amadei filium cum quingentis equitibus præmiſit. Is quia ad Stephanum Columnam decreto diuertit, ut apud eum in hoſpitio eſſet, ingentem incuſsit metum hominibus Vrſinę factionis. Iam enim duæ nobiliſsimæ Romanæ urbis familię inter ſe apertè diſsidebant, quę diſcordia à Bonifacij octaui potiuſquam Nicolai Vrſini pontificatu, ducenteſimo abhinc anno, uel paulo minus orta, adhuc durat. Secutus eſt inde Henricus, qui à tribus ſummi ordinis antiſtitibus pontificis iuſſu Cęſareis eſt inſignibus ornatus. Romanos inde in ſua uerba iurare coëgit, celebrauitque ingens conuiuium, cui omnes ciuitatis primores Vrſinis dũtaxat exceptis interfuere, tributum inde à populo exigere conatus eſt, diſpoſitis per opportuna loca præſidijs, ne quis ex re iam deſueta oriretur in urbe tumultus. Cæterum tanta animorum mutatio ſubito facta eſt, ut hominibus aduerſæ factionis ſit continuò ad Vrſinos cõcurſum, qui ſuas ædes non procul ab Adriani mole ualidè communiuerant. Henricus ira percitus ſagittarios quos Piſani dederãt accerſit in Romanos, hos Ioãnes Roberti regis frater, qui nauales copias in inſidijs ſub Auentino collocauerat, facile repulit, equitatum deinde, quem nõ procul inde in ſtatiuis habebat, in Germanos immiſit, Romano Populo iuuante, Henricum urbe eiectum Tybur compulit. Nec ille poſtea Romæ fuit amplius quin Tybure digreſſus Aretium decreto petijt: hic Robertum regẽ reum fecit maieſtatis, mox accerſitus, quia ad diem non affuiſſet, regno priuauit. Tulit id ęgrè pontifex, quod neque loco, neque tempore idoneo rem tantam, ac ne ad eum quidem pertinentem, eſſet Henricus mouere auſus, pontificis eſſe dictitans, non imperatoris Siciliæ regnum, Romanos pontifices ſolere illud dare & adimere, quum libitum eſſet. Mouit inde Henricus in Florentinos & Lucenſes, qui cum Roberto ex confeſſo ſentiebant, cæterum quia Florentiam aliter oppugnare non potuit, Bonitiũ, nũc Contium corrupta uoce dicunt, ex his captum præſidio firmat, bellum mox in Senẽſes uertit, quia ma lignè ſuis commeatum miniſtrarẽt, ſed morbo peropportune implicitus, Macereti petijt balnea, hic morbo ingraueſcente digreſſus, Bonconuẽtum delatus paucis diebus mortem obijt, nec ſine ſuſpicione ueneni in euchariſtiæ ſacramento dati, monachi cuiuſdam opera, quem Florentini ad id facinus magnis pollicitationibus impuliſſent. Piſani, Henrico defuncto, Florentinorum opes ueriti, Vgutionem Fagiolanum ſibi ducem & tyrannum deligunt, is equitatu qui Henrici fuerat, ad res gerendas ſibi aſſumpto, Lucenſes agro multatos in poteſtatem ſuã redegit. Clemens quia ad cætera mala, quæ Italia patiebatur, Conſtantiana etiam baſilica per id tempus incendio deflagrarat, grandem pecuniam miſit Romam ex Gallia, ut templum auguſtiſsimum ea clade deformatum reſtitueret, etſi tanta eſt eo anno rerum omniũ penuria laboratum in Gallia, ut uix ſatis pecuniarum eſſet ad curiam alendam. Quam bellorum cladem, tetramq; famem, inſolens Solis deliquium, terrificique cometę in cœlo obſeruati aliquãto antea portenderant. Nec pontifex, etſi procul abeſſet, rem eccleſiæ negligebat, quin tanquam ex eminenti quadam ſpecula omnia ſolicita attẽtione proſpicere, quæ ad eam tuendam augendamque pertinebant. Dulcini ſectam extinxit, templarios ſuſtulit, prætexuitque facto, ut quidam ſcribunt, quod à fide defeciſſent, ſed quid alij ſenſerint, ſuprà eſt demonſtratum. Cæleſtinum quintum in ſanctorum numerum retulit. Clementinarum librũ quem ſcri-

Germanorum crudelitas.

Henricus ex urbe pellitur.

Moritur Henricus.

Viri illustres.

pſit, Viennenſi conuentu probatum edidit. Et ille quum per hæc uirtutis opera noué ferè annos pontifex fuiſſet, non uno morbi genere affectus uita deceſsit, fuere per id tempus uiri iuris ſciẽtia clari, Guilielmus Cunius Gallici generis. Ricardus Cremonenſis, cuius Cynus meminit, & Lambertus Ramponius, Theologica ſapientia illuſtres, Iacobus Vetulonius Eremitanæ profeſsionis, Ricardus à uilla, Gerardus Odonius, Beltrannus Turrianus ex Franciſci Aſſiatis familia. Extant horum multa ſcitè & utiliter ſcripta. Turſinus medicꝰ Thadei auditor, & Dantes poëta his æquales fuere, Florẽtini ambo, & hi tunc uiri celebres fuere, anno circiter quartodecimo ſuprà trecenteſimum ac milleſimum ab eo qui primus fuit humanæ ſalutis. Poſt Clementis obitũ nouũ pontificis creatio idcirco non ſtatim ſecuta eſt, quia in ſuffragijs ſit nonnihil uariatum, quum parũ etiam conueniret inter eos qui imperatorem legũt, quem Henrico potiſsimum ſurrogarẽt, quibuſdam imperij decus ad Federicum Auſtriæ ducem trahentibus, alij Lodouicum Bauariæ creatum iri uolebãt, ſed hi præiudicium fecere congreſsi inter ſe prælio. Enimuero Lodouicus victor omnis moræ impatiens imperij nomen occupat, cęterum quò facilior ſibi uia pateret in Italiam, nam Romã properabat, ut ibi de more coronaretur, Vicecomitibus impenſe fauit in Mediolanenſium dominatu aſtruendo. Horrere Hetruſci nouũ imperatoris nomen non minus quàm nuper Henrici. Enimuero Vicecomitum & Piſanorum fauore in Italiam deſcenſurus diceba tur. Ad ſuas itaque partes firmandas, Guidonem Petramalam antiſtitem Aretinum, qui non ſolum antiſtes, ſed princeps etiam erat eius urbis, & Philippum Roberti regis fratrem militari gloria ea tempeſtate florentem, ſuis opibus partim fœdere, partim mercede adiungunt. Ioannes qui alter à uigeſimo

Ioan. XXII. pontifex.

eius fuit nominis, creatus eſt in de pontifex. Lugduni dignitatem adeptus haud multo pòſt curiam in Auinionem tranſtulit: hic octo ſunt ab eo puniceo galero donati, & in his unus Romani ſanguinis Ioãnes Caietanus Vrſinæ gentis. Retulit Ioannes in ſanctorum numerum Lodouicum Caroli regis Siciliæ

Lodouici conſecratio.

filium, Toloſanum antiſtitem. Sunt qui à Bonifacio octauo relatum ſcribant: eratque hæc rerum conditio in Gallia circa pontificem. Veneti per id tempus quia Genuenſes circa Boſphorũ & in Pontico mari ſuos negotiatores uarijs afficerent incõmodis, multæque de ea re eſſent querimoniæ, ad eam iniuriam ulciſcendam claſſem inſtruunt, Iuſtiniano Iuſtinianæ gentis præfecto. Is perpetuo curſu per Helleſpõtum & Propontidem inuectus, ad introitum Ponti, Liguſticas aliquot adeptus, nullo maiore negotio opprimit, inde aliquanto infeſtius Peram inuadit. Perenſes ſuorum clade perculſi, ſuis uiribus & loco diffiſi, ab armis ad preces uerſi cum Veneto agũt ut oppugnatione abſtineat, polliciti ſe omnia damna ſoluturos quæ ab hominibus ſuæ gentis diceretur illata, ac quicquid in ornanda claſſe fuiſſet publicè inſumptum. His conditionibus Peréſes ſibi pacem redemerunt. Eſt & in Creta non multo pòſt bellatũ ob ſubitam inſulanorum defectionẽ, ſed is motus celeri Venetorum occurſu breui cõpreſſus reſedit. Scalani quoque horum opera ex Patauinorum cæruicibus per idem tempus ſunt depulſi, ut Veneti annales demonſtrant, ciuitatis adminiſtratione Marſilio Carrario permiſſa. Eſt id bellum Patauinis ortum, uel potius ſuſceptum, quia ſui exules Vicentiam ſe recepiſſent, foueranturque Scalanorum opibus qui eam urbem uicario nomine tenebant. Veronę præfecturam aliquanto antea Canis Scalanus cum Alboino fratre ab Henrico imperatore acceperat, mox & Vicentiæ huic cura delata eſt. Id bellum circa Patauium Scalani Canis ductu geſtum externi ſcriptores ſignificant. Sed dum hæc in Venetis geruntur, haud uulgare eſt ſeueritatis exemplum in Gallia editum circa pontificem. Coniurauerat Vgo Carnutenſis antiſtes in pontificis caput, ac ſceleris compertus, annulo, mitra togaque linea exutus, uarijs eſt cruciatibus diſtractus, atrociterque necatus. Auxit pontifex Toloſanam eccleſiam aliquot circa illam locis in urbium dignationem traductis, ut eſſent plures numero qui Toloſano parerent antiſtiti: nullus unquam pontificum maiore inconſtantia enormique uarietate, pontificia eſt uſus autoritate, ex una diœceſi ſæpe duas fecit, & ex duabus unam: pari uariatione uſus in omni dignitatis genere. Clementinas pontificij iuris non ſolum probauit, ſed ut & publicè legerentur autor fuit. Gradimoteſem ordinẽ ſanctiorem reddidit, quibuſdam in melius mutatis: fecit & Auguſtanã eccleſiam, quia inſigniter ab imperatore coleretur, pluriũ eccleſiarũ caput: in Luſitania eorum militiam inſtituit qui Chriſti regis milites dicerentur, ut eſſent qui Saracenis reſiſterent Bethicam tenentibus. Recentiores partem hanc Hiſpanię Granatam dixere, à cocco ut qui dam nõ inepte interpretãtur, eſt enim id genus graminis quo lanæ inficiuntur, Bethicæ propemodum peculiare. Alij Granam uocant, unde uideri poteſt nomen prouinciæ datum. Nouæ huic militiæ omnia Templariorum bona addixit pontifex, quo libeniùs Chriſto militarent: fecit id nouæ religioni ratũ Luſitaniæ rex, datumque militiæ magiſterium Alcoaſianenſi Abbati Ciſtercienſis ordinis. Cæterum ne pontificia poteſtas per omnia eccleſiæ iura non exercita uideretur, duos ſanctorũ cæremonię Thomas nomine alcripſit, Aquinatem, prædicatorij ordinis, eximia eruditione uirum ſanctitateque inſigni, Herferdenſem alterum, doctrina & miraculis clarum. Sunt hi quidem diuorum nomen adepti ante no ſupra milleſimum ac trecenteſimum uigeſimoſe cundo ſalutis humanæ. Propoſuit inde pontifex edictum, quod iure miretur aliquis, ut pro hęreſi haberetur quiſquis Chriſtum aut eius diſcipulos diceret nihil proprij habuiſſe. Cęterum, ut de Chriſto ſileam, de quo non intelligo quid ſibi uoluerit, apoſtolorum quidam quod ſatis conſtat uxorem & filios habuere, nec impiũ ſit credere fuiſſe omnibus communia, ſed ille aliud ſecutus uideri poteſt, nequis in ea hæreſi ius nullum fuiſſe diſcipulis crederet, uendendi, emendi, teſtandi, acquirendi ſuo ingenio, quæ facultas adimitur his qui religionẽ profitentur, profeſsi in alterius iura tranſeunt. Edictum eſt præterea ne quis de ea re diſputaret, euagataeq; ſunt apoſtolicæ literæ per cuncta Europæ gymnaſia, quibus eſt eiuſmodi quæſtio interdicta. Hortatus eſt multos ſui ordinis Petrus Minoritanus ad Chriſti paupertatem ſequendam, traxitque facile in ſententiam, ſed res adeò diſplicuit (cauſam ut ſuperius teſtatus ſum haud facile intelligo) ut ex ijs qui illi aſſenſi ſunt plerique ſint damnati, capitaliq; ſupplicio affecti. Decem inde antiſtites ſupremi ordinis creati, & ex his duo Romani ſanguinis, hic Columnius, Vrſinus ille. Sed dum hæc in Gallia aguntur, Florentini magno ſunt prælio ab Vgutione uicti, ad montem Catinum. Nec ita multo pòſt in Lucenſibus tumultuatum: erant hi ut Piſani alienę ditionis facti. Nerium itaque tyranni filium pellere adoriuntur, quippe qui Caſtrutium ciuem ſuum uirum nobilem, ac manu promptum leui de cauſa ad ſupplicium rapere conatus eſſet. Pulſus itaque Nérius patrem in Lucenſes concitat, quem in hoſtem profectum, Piſani portis excludunt: tẽtauit inde ſępius Fagiolanus reditum Malaſpinis iuuantibus, cęterum ubi omnia ſibi obſepta uidit ad recuperandã tyrannidem, in Flaminiam conceſsit, ſua contentus patria, quando foris dominari amplius non potuit. Caſtrutius cõtrà ex extrema calamitate magno fortunæ ludibrio Lucenſium eſt principatum adeptus, ſed pi-

Chriſtiani.

Granati.

Thomæ Aquinatis & Thomæ Herferdenſis cõſecratio.

ſed nihil pontifex in tanta rerum uarietate iniquius ferre quàm Ferrariam à Venetis receptam, Eſtenſibuſq; ceſsiſſe, Mediolanum Maffeo Vicecomiti, omiſſa Eſtenſium cauſa, Vicecomitem interdicto notat: pari cenſura uſus eſt & in Lodouicum qui imperij nomen parum legitimè occupaſſet. Cæterũ ne non ubique nouis motibus diſcordiaq; laboraretur, per idem tempus Gibellina factio pulſa eſt à Genuenſibus, qui eo motu eiecti ſunt, Sauonam conceſſere. Hos Robertus rex quo adnitente Guelphæ factionis uiri, Genua potiti ſunt, bello inſectatus, Sauonę interceptos, hoſtiliter uexauit. Exceſsit inde Galliæ finibus Robertus, ad cuius deceſſum pleręq; ciuitates una poſt aliam Guelphos eiecere, quod pontifex iniquiſsimè ferens, Carolũ Valeſi comitẽ Philippi Gallię regis filiũ miſit cũ exercitu in Italiã ut Guelphis pſidio eſſet. Fuerat Guelpha factio ab initio in pontificũ partibus, Gibellina à Cęſaribus ſtetit ſemper, iuſſus eſt Carolus quum cæteris Guelphis pręſidere, tum ijs qui Vercellas cum Turrianis tenebãt, ſed quamuis feſtinatum ſit à Carolo, prius tamen quàm in Italiam uenerit Lodouici iuſſu Turriani & Guelphi omnes ſunt Vercellis eiecti à Galeacio Vicecomite, qui pulſis inde hoſtibus urbẽ ſuis opibus adiecit. Eſt & Caſtrutius per idem tempus Piſtorio potitus, & Guido Petramala non multo prius Typherno Florentinis contrà tendẽtibus. Fretus inde Caſtrutius Galeacij auxilio (miſerat ille filiũ in Hetruriam cum mille & quingentis militibus) Florentinos magno prælio uictos in urbem compulit. Requirat forteſsis aliquis in his Italiæ motibus geſtarum rerum cauſas, miretur quid ſit quod quũ in reliqua hiſtoria frequens ſim in his referendis, in hac parte aut negligentia, aut nimio breuitatis ſtudio cauſæ rerum ſupprimantur: ſed ſatis ſit hoc loco admoniſſe ex uno fonte omnia hæc mala redundaſſe: nam ubi Federici ductu infelicique auſpicio Italia in duas factiones abijt, iam inde ciuitates populique tabifico diuerſarum partium ueneno imbuti, in tantum odij euecti ſunt, ut ex confeſſo haberetur hoſtis quiſquis non ſuæ factionis eſſet, queque feretur que in ui inferenda non cauſa ſed occaſio: ſatis iuſte feciſſe putabatur ſiquis aut unum aliquem alterius factionis, aut totam ciuitatem incommodo affeciſſet. Ex uno itaque fonte omnia hæc mala redundarunt, quanquam in eo Guelphorũ cauſa minus turpis iudicãda, quod ſemper in eccleſiæ partibus fuit, tuereturque antiquam libertatem. Gibellini contrà nouorum dominatuum acerrimi aſſertores. Et res Hetruriæ in hoc motu erant. Cæterum quum nulli dubium eſſet ad cæteras calamitates magnum cumulum acceſsiſſe, quod nouus imperator ex cõfeſſo Gibellinæ eſſet factionis, qua imperatorij nominis umbra prægrauante, Guelphi ubique labare cœperant, iratus pontifex Lodouico ſacris interdicit, Guidonem qui Typhernum occupauerat, ſacerdotio priuat. Cortonam Aretinę diœceſi exemptam in ciuitatis dignationem erigit, Ioãnem Vetulonium dat illi antiſtitem, & ne non ubiq; Italia nouis quateretur motibus, Nicolaus Eſtenſis Argenteam Rauennatis eccleſiæ locum occupat, habuitq; eius iniuriæ adiutorem Bonacoſsium, qui Mantuam obtinebat. Locauerat huic Eſtenſis ſororem matrimonio. Nec ille Argẽtea potitus quieuit, ſed copijs cum Bonacoſsio iũctis Bononiam oppugnare eſt adortus, hic ambo prælio victi à Beltrando pontificij exercitus duce, magno ſunt incommodo affecti: abſtinuit uterque bello poſt unam aduerſam pugnã, ſed Ioannes pontifex ambos nihilo ſecius execratus eſt, & ſacris Eſtenſibus interdictum, niſi Argenteam reſtituerent. Florentini interea ad eam deſperationem adducti ſunt Caſtrutio impune illorum res affligente, ut Carolo Roberti filio Neapolitani regis, ſuę urbis dominatum obtulerint, modo ad eam iniuriam

Attende Italiæ motum.

uindicãdam ſibi auxilio eſſet. Ego non Caſtrutium, ut quidam ſcribunt, crediderim Florẽtinos in eam deſperationem compuliſſe, ſed Lodouici Bauari aduentum, qui Guelphi nominis nihil obſcurè erat hoſtis. Conſtans fama erat iam alpes cum ualido exercitu tranſcendere, id quoque Romanus põtifex ſi procul aberat, ueritus, Lodouicum Vrſinum in Italiam miſit, qui Florẽtinos & Guelphorum partes in Bauarum confirmaret. Lodouicus tranſcenſis alpibus primo Mediolanum contendit, hic ferreum coronam adeptus, quum pecunię indigus eam à populo acerbius exigeret, Galeaciusque ſumma ope obſiſteret moleſtè ferens Mediolanenſes eo nomine inquietari, Bauarus ira accenſus Vicecomitem in poteſtatem redactũ cuſtodiri iubet, quatuor & uiginti ciues legit, qui remp. adminiſtrarent, addito ſuę gentis præfecto. Cæterum Caſtrutij precibus imperator fatigatus Galeacium & omnes Galeacij neceſſarios cuſtodiæ exemit. Inde ad urbem progreſſum iuſſu cleri Populiq; Romani Stephanus Columna, Nicolao ex Comitum gente collega abſente, duo enim tunc Romæ creabantur imperatoris uicarij, in Laterano Cęſareis ornauit inſignibus, quibus receptis Petrus Corbarienſis Minoritanæ profeſsionis, antipontifex à Lodouico creatur, uir humili loco natus, cęterum doctus & ad res agendas minime ineptus, eſtque Nicolaus quintus appellatus: probauit ciuitas creationem illam magno cõſenſu & fauore, deſiderio, credo, pontificiæ dignitatis diu abſentis. Creati ſunt ab eo continuò antiſtites pleriq; numero, puniceoque galero donati ut magis inexplicabilis eſſet error. Erat Caſtrutius Romæ apud Bauarũ, quum trepidis eſt nuntijs domum reuocatus. Florentinorum præſidiarij milites Piſtorium occupauerant. Cum ſuis itaq; & Vicecomitum copijs quæ ſeſe illi adiunxerant, Lucam reuerſus, confeſtim Piſtorium aduolat, ciuitatemque obſidione fatigatam ad deditionem compulit. Bauarus poſt Caſtrutium Roma digreſſum, nouum pontificem Viterbij collocat, ipſe Florentiam oppugnaturus in Hetruriam tranſijt. Adduxiſſet haud dubiè Florentinorum libertatem in diſcrimen tam ualidus hoſtis, niſi peropportuna Caſtrutij mors interueniſſet. Obijt is ex morbo quem circa Piſtorium aſſiduis laboribus cõtraxerat, cęterum tantum defuit, ut defuncti memoria apud Bauarũ profuerit filijs ſuperſtitibus, ut conſeſtim ſint ab eo Luca & Piſis eiecti. Moritur per idẽ tempus Galeacius Vicecomes, cuius filij grandem pecuniam Bauaro polliciti facile tenuerunt ut Mediolanum reſtituerentur. Accius alter ex fratribus domum dimittitur: Marcus eius frater apud Lodouicũ obſes relictus eſt, quoad promiſſa pecunia diſſolueretur, fuitque aliquandiu Piſis imperator, mox hinc digreſſus Mediolanum petijt, in Germaniam abiturus, Accius ueniẽtem urbe excluſit, haud immemor eorum quæ in Galeacium patrem feciſſet. Erat Marcus Vicecomes Piſis ab imperatore cum pſeudopontifice relictus, huius uirtutem pollicitaque ſecuti Germani milites ad præſidium relicti, in ipſius uerba iurarunt. Caſtrutiani quoque milites Lucenſem illi arcem tradiderunt, quam ad id tẽpus defenderant, fitque ille per hæc ex obſide princeps: ſed Germani haud multo pòſt mutata fide, Lucam Vicecomite abſente, Genuenſium uni Spinulę gentis uendiderũt. Et in Hetruria hic erat rerum ſtatus, ſummaq; imperij anceps, quum Lodouicus in Germaniam tranſijt. Bonifacius Piſanus Ioanni pontifici gratificaturus Nicolaum pſeudopontificem quẽ Piſis diximus à Bauaro relictum, ui in ſuam poteſtatem redegit, redactum Auinionem pertraxit, ubi arctiſsimè uinctus attenteque cuſtoditus, non multo pòſt moritur. Ioãnes duabꝰ curis liberatus, & quod antipontifex ſublatus eſſet, nec Italia à Lodouico infeſtaretur amplius, expeditionem in Syriam edi-

Lodouicus Bauarus imperator.

Caſtrutij interitus.

Attende fortunæ ludibrium.

Qui tum illustres Italiæ principes.

cto promulgat, decimas in stipendium exigit, ut id Philippo regi expenderet, qui ad bellum erat profecturus. Magna inde rerum mutatio facta, Mastinus Scala Veronæ princeps, Philippinus Gonzaga Mantuæ, Carrarienses Patauij, Estenses Ferrariæ cũ Roberto rege societatem & fœdus iungunt, cuius etiam auxilio Florentini adiuti Pistorium capiunt. Estenses Ferrariensium precibus fatigati, Argenteã Rauennati ecclesiæ restituunt, ut pontificis edicto soluerentur, oppugnant inde Estenses Scalanorum auxilijs freti Felicem, est oppidum id in Mutinensi agro. Cæterum à Carolo Boëmiæ regis filio & Manfredo Carpensi cui cognomen fuit Pio, fusi fugatique Estenses ad octingẽtos milites amisere, horum multo plures capti sunt, & in his Nicolaus Estensis, præsidebat tum Mutinæ, Rhegio & Parmæ pontificius legatus, qui cum Boëmiæ rege ad res ecclesiæ tuendas non multo prius amicitiam & fœdus iunxerat, hancque nactus occasionem, quia ab Estensibus orta esset iniuria, Ferrariam magno armorum apparatu obsidet. Copiarum duces fuere Galeotus Malatesta Ariminensis, Ricardus Manfredus Fauentinus, Franciscus Ordelaphus Forliuiensis, Hostasius Polentanus Rauennas: erant hi ex uicarijs urbium iam principes facti, uerterantque potestatem in dominatum, obsidebatur Ferraria multa ope, erantque suburbana loca capta, quum Estenses Gonziacis, Scalanis, & Carrariensibus auxilijs adiuti repente in hostem inuecti, fugam ingentem fecere: capti ferè sunt omnes hostium duces, eaque conditione dimissi, ut in Estenses non amplius militarent, Romandiolę comes cum Nicolao Estensi est permutatus, & Ferrariensis obsidio per hunc modum soluta est. Rainaldus Estensis tantæ rei successu ferocior factus, Bononiensem agrum populatur, & iam ipsi urbi imminebat, quum repente affertur Bergomum & Brixiam urbes à Scalanis teneri, quæ post Bauari discessum, in pontificis fidem uenerat, simulque auditum Accium Vicecomitem Ticinum inuasisse, arcemque ab eo oppugnari. Appropinquabat interea Boëmiæ rex cum copijs, petebatque decreto Bononiam, ut cum pontificio legato ueniret in colloquium. Cæterum factus certior de Ticini inuasione, eò flexit iter, filio cum aliquot cohortibus Parmæ ad præsidium relicto, munitionibus hostiũ Ticino exclusus Mediolanensem uastauit agrum, Parmam dein reuersus comperit Lucam urbem Almerico Castrutij filio amicorum opera proditam, oppugnabatur tamen arx, quam rex grandi pecunia accepta tyranno & Lucensibus inuadendam reliquit, meditabaturque interim rex Italia decedere, ciuitatum factiones pertæsus. Mutina itaque & Rhegio suo præsidio firmatis, Parmam Marsilio & Petro Rubrijs dat præsidio obtinendam. Nec ita multo pòst in Italia commoratus, in Boëmiam unde uenerat abijt, se haud multo pòst cum ualidiore exercitu rediturum pollicitus. Post regis discessum Bononienses pontificis legato urbe electo, sese in libertatem uindicant, Estensium & Florentinorum auxilio freti: cæduntur in urbe & in agro præsidiarij milites. Legatus desperatis rebus in Galliam proficiscitur, urbibus ecclesiæ tyrannis prædæ relictis, anno salutis millesimo trigesimo quarto, quo tempore Ioànes pontifex moritur iam nonagenarius, quum annos undeuiginti sedisset. Viri per idem tempus medica arte clari, Dinus Florentinus, & Gentilis Fulginas magnis honoribus & donis amplissimis à Ioan ne pontifice donati: fuit his æqualis Petrus Aponi indigena, est is locus in Patauino agro, fuit huic cognomen Consiliator. Sunt qui præter medicas artes, in quo genere sine controuersia fuit sua tempestate summus, magicas illi disciplinas tribuant, sic enim uideo uulgo persuasum. Fuit & Matthæus Sylnaticus Mantuæ ortus & ipse eadem arte clarus. Ex

Galeotus Malatesta Ariminensis.

Ricardus Manfredus Fauentinus.

Franciscus Ordelaphus Forliuiensis.

Hostasius Polẽtanus Rauennas.

Viri illustres.

A tant horum scripta multa & uaria: claruit cum his Augustinus Anconitanus eremitanę obseruationis, qui & ipse scite & utiliter multa scripsit, Bonauentura & Albertus, uterque Patauinus, & ex Fráciſci Assisiatis familia, hic euangelica prædicatione, ille martyrio clarus. Nicolaus Lyrensis, Franciscus Maronius, theologus uterque eminens. Michaël Cæsenensis magisterio totius ordinis priuatus à Ioanne pontifice, quia nihil Christum & apostolos priuatũ habuisse affirmare esset ausus, sed ille erratum confessus est, egitque pœnitentiam. Sunt qui Rocchum Narbonensem in hæc tempora reponant, cuius corpus ad annum salutis millesimum quadringentesimum Venetias furto translatum multa uenerationе colitur. Augustum illi templum cum celebri collegio datum. Fuerunt & alij insignes uiri, etsi aliquã to iuniores, Ioannes Andreas Bononiensis, Cynus Pistoriensis Dini auditor, & Io. Andreæ amicissimus, uterque iurisscientiæ longè princeps. Fuerunt, sed minus celebri fama, Oldradus Laudensis, Nicolaus Mutinæus, Rainerius Forliuiensis, Federicus Petrucius Senensis, Recupertus Miniatinus, Lapus Lunensis, omnes iuris scientissimi, alius alia uia ingressus, cuncti tamen iura interpretari. Nec hi qui se quuntur, theologica scientia obscuri, Henricus Hermanus eremitani ordinis. Gerardus Bononiensis carmelitanus, Bartholomæus Pisanus, Albertus Brixiensis prædicatorij nominis ambo. Guilielmus cognomento Ocha, & Sertorius Valensis minoritæ, quorum omnium extant præclara studiorum monumẽta. Ioáni defuncto Benedictus huius nominis duodecimus successit. Huic nihil à principio sui põtificatus æquè fuit curæ, ac ne pdecessoris sui in Bauarum antiquarer censura, eam uerbo confirmauit, integramque tandiu manere uoluit quoad pœnitentiam egisset, si acturus esset unquam, iudicabaturque per hęc Bauarus priuatus. Quum nullus itaque esset imperator, ut nauis sine gubernaculo omnibus est obnoxia fluctibus, sic Italia omnium eam exagitare uolentium quatiebatur motibus. Iam enim Scalani trium clarissimarum urbium, Veronæ, Brixiæ, & Bergomi dominatu nondũ contenti Parmæ imminebant, Gonzaga Rhegium appetebat, Estensis Mutinam, Lucam Florentini. Cæterũ quia irritus fuit primus Scalanorum in Parmenses conatus, urbe à Rubrijs & Germanico præsidio defensa, Vicentiam Scalanus adoritur. Hinc quoque eius arma ualidius repulsa paululum quieuere. Cæterum audito Germanorum decessu, iterum Parmam adorti breui sunt ea urbe potiti. Per idem ferè tempus Nicolaus Estensis Mutinã subegit Guidonis Gonziaci soceri sui fretus auxilijs, Philippus Gõzaga Regiũ Lepidi, ciuibus urbem ultrò dedentibus, & Italiæ urbes per hunc modum aliæ alijs cessere. Interea Veneti Genuenses que sibi maria utrique alteris infestare, duæque Venetæ triremes ex Gallica negotiatione redeuntes ab octo Ligusticis sunt interceptæ. Sub id tempus Polani & Vallenses ex Istris in Venetorum fidem sua sponte rediere, fortuna res prosperas tristibus miscente, sed mox paulo altera recẽs clades est in mari accepta. Thomas Viarus qui cum triremibus octo missus fuerat ad præsidium insularum, cum sex Ligusticis congressus fusus fugatusq; cætera classe amissa cum tribus nauibus est domum reuersus: fuit ea res Viaro tantę inuidię, ut perpetuo sit carcere multatus. Per idem tempus Turci non cõtenti totam sibi Asiæ oram subegisse, iam & maria infestare cœperãt, quicquid pelagi supra Cretam ad ortum excurrit, perpetuo occupauerant cursu. Egerunt itaque Veneti per legatos cum Ioanne pontifice quum adhuc in humanis esset, de expeditione in Turcos comparanda, perpulit ille suo hortatu, ut suprà est demonstratum, Philippum Galliæ regem ad id bellum. Gallus his conditionibus fœdus cum Venetis

Benedictus XII. pontifex.

Aliæ Italiæ urbes ab aliis occupantur.

Venetis icit, ut ipse xx. milia equitum ad id bellum A instrueret, peditum quinquaginta, Veneti centum naues darẽt, & in his triremes ad bellum instructas, in quibus essent quatuor armatorum milia, ac super eum numerum onerarias ad commeatum, machinas, aliaque onera deferenda. Cæterum Gallis tardius omnia comparantibus, prius Ioánes pontifex uita decesit, quàm arma in hostem moueri cœpta sint, sic res unius morte discussa. Auxit ea cunctatio hostibus animum, multoque infestius longè lateq; uagari, fiebantque per hæc res Turcorum indies ualidiores, qui metus pontificẽ adegit, ut ex Christianis ducibus quosdam hortatu precibus que induxerit ad arma in Turcos comparanda: pararunt & Veneti ad id bellum uim nauium ingẽtem, quibus Petrus Zenus præfuit, fuit expeditio illa haud inutilis, actus est toto mari hostis, plures que ex eo naues oppressę, pacataque sunt maria à Creta insula usque in Syriam, & hæc tum in Turcos gesta. Creuerant interim in Italia Scalanorum opes suprà quàm finitimis tutum uideretur, nam post Parmam ui captam, ut est loco non multum diuerso demonstratum, Lucam urbem Scalani interceperant, fecerant & Vicentiam aliquanto prius suæ ditionis, mox & Patauij tantis opibus adiunxerant, inde Feltrenses, Belunenses, Cæneteneses adiungunt, qui sub Boëmi regis imperio fuerant, iam & Taurisium Scalanis parebat, ut quidam scribunt, quibus haud grauatè accedo, nam eorum quos sequimur nemo præter unum id tunc oppidum Venetorum fuisse scribit, nec Blõdus qui est eius rei autor, expedit, quo iure aut quãdo urbs ipsa Venetæ esset ditionis facta, quin propius uero est eo bello, de quo proxima erit relatio, Scalanis Taurisium ademptum, Venetis cessisse. Erat Scalanorum principatus eo finitimis magis inuisus quo formidolosior, sed nullos minus ea inuidia stimulabat quàm Venetos, qui tum maris imperio conteri B agebat. Cæterum Mastinus (erat is duorum fratrum maior natu) Patauio potitus ad res Venetas solicitandas animum adiecit, munitione insigni circa Petabubulam tumultuario opere erecta, Veneti & ipsi haud procul inde locum muniunt, mox haud ignari eam esse hominis naturam, quę multo minus in secundis rebus quàm in aduersis statuat sibi modum, reputantes animo quorsum euaderet recens ille ferocissimi tyranni conatus, stagno sese insinuantis, cum Estensibus & ijs quibus erat Scalanorum successus multo quàm sibi supectior, fœdus ineunt. Accessere & Florentini qui iniquissime ferebant Lucã ab ijs fraude interceptam: sunt qui tradãt hos ab initio fœdus cũ Venetis percussisse, mox suscepto bello cæteros principes cum his socia arma iunxisse. Erat eisdem infensus Petrus Rubrius Parmensis, & fratres uiri fortes, quos spe futuræ amicitiæ Parma electos hostiliter Mastinus infectabatur, & iam Petrum in Pontentremulum compulsum graui obsidione premebat. Societate igitur in tyrannos inita, edictum est Venetijs, ut quicunque per ætatem arma ferre poterant, darent nomina, conscripta dicuntur quadraginta hominum milia & amplius à uigesimo anno ad sexagissimum. Placuit parte & non totis uiribus ciuitatis uti. Blondus autor est data à Venetis quatuor milia equitum qui publicum merebant stipendium, & sagittariorum parem numerum ex urbano delectu. Habebatur Petrus Rubri⁹ inter illustres Italiæ uiros ea tempestate rei bellicæ scientissimus, hunc Veneti absentem ad id bellum suarũ copiarum imperatorem legunt. Obsidebatur tunc Rubrius à Mastino, ut diximus, suæ tamen & fratrũ iniuriæ ulcisendi cupidus, ne tantam ille prætermitteret occasionem (iam enim per literas accersebatur) statuit per hostium stationes ignoto habitu, quando aperta ui non dabatur, in pacatum abire. Erat huic coniũx, cui sciebat se præter cętera esse charissimum, hanc unam fecit sui consilij participem Rubrius, quæ ut mulier & uiri amantissima, multũ diuq; cum lachrymis precata est, ne se manifesto uitæ exponeret periculo per hostium stationes transiturus, quin pergeret arcem & liberos tueri, futurum ut breui hostis maiore belli mole grauatus, uel inuitus cogeretur soluere obsidionem. Hæc mulier & alia his similia quæ impatienter dolentibus amor & metus suggerunt, quum flebiliter multaq; afflictatione precaretur, commotus uir alioqui fortis multis ægram & ad pedes prouolutam hortatus est, ut arcem, inquit, ualido præsidio firmatam tibi & fratri relinquo amantissima coniunx, scio præterea ita fore ut breui hinc hostis aliò abstrahat. Nec quia per hostes euasurus sim, ob eam causam nostrum discessum fletu & lachrymis pergas interpellare, necessitas cui nulla uis repugnat, cogit me omnia audere, nulla mihi occasio aut maior aut optatior offerri potuit præsentis iniuriæ ulciscendæ, perpetuæq; glorię mihi & meis parandæ, quàm ut ad id bellum cũ imperio accerserer, quo uno aut certè nullo alio sunt infestissimi hostis opes perituræ. His ille & alijs in hanc sententiam usus uerbis, & ab uxoris & natorum complexibus solutus, uno duntaxat comite per hostium stationes elapsus trãsijt in Hetruriã, hic Florentinorum copijs usus, Lucensem agrũ populatus est in Scalanorum inuidiam, erant tum urbi ipsi præsidio quingenti equites, hi porta quæ ab hoste maxime fuit auersa, occultè egressi Rubrium ex hostico cum magna præda abeuntem ex improuiso inuadunt. Perculit subitus clamor eos qui erant in primo agmine, metuq; & trepidatione funduntur, pluresq; momento temporis cæsi sunt, signaque à fugientibus abiecta. Cogebat Rubrius extremum agmen, ad quem subitus pauor trepide perlatus ingentem circa illum excitit motum, nonnulli etiam præcipiti fuga ad eum delati, rem perditam nuntiãt. Rubrius ut præsenti erat animo in subitis rebus, suorum fugam primo sistit, hortaturq; ut in hostem cõuersi fortiter resistãt. Adest interea Scalanus eques, committitur prælium, ac multo atrocius quàm pro numero dimicantiũ, adæquatur primo pugna, mox paulo metus ad hostes transijt, & qui iam se uicisse arbitrabantur momento temporis uicti cum cæde & strage multa funduntur: sunt itaque non solum signa quæ amissa fuerant, recepta, sed quædam etiã ex hoste capta, quæ in hostium contemptum Florentiæ sunt per publica loca distracta. Auxit ea uictoria haud mediocriter Rubrij famam, cęterum dum ille Florentiæ copias quæ ex fœdere ad bellum dabantur, præstolatur, in Venetis interea cœptũ est in hostes bellari, sed nõ eam prospere quàm modo in Hetruria. Gerardus Caminẽsis qui & ipse Venetorum societatem secutus in Scalanos arma induerat, Opitergium, tenebatur enim Scalanorum præsidio, noctu occupat: occurrit huc ad primum nũtium ferox hostis, atq; ubi in conspectum uenit, uix tentato prælio fugam simulat, qui in urbe erant ueram non simulatam fugam eam esse rati, temere portis effunduntur, tergaq; fugientium cæduntur, ad locum inde insidiarum distracti cum multa cæde & consternatione in urbem compelluntur. Scalani ferocius inuecti, haud prius pugnam remittunt quàm in urbem irrumpant. Tum uero multi mortales intra mœnia intercepti ferro dediti sunt, paucos admodum fuga seruauit, & in his Gerardum expeditionis illius ducem. Scalanus dux Opitergio recepto Caminũ Gerardo adimit. Veneti interea nihil mouerant ciuitate in comparando bello iamdudum occupata, tentata est à Scalanis pax, polliceriq; castelli demolitionem quod in stagna erexerant, sed quum nihil pacati, qui ad id missi sunt, Venetijs inuenissent, re infecta retrò abierunt. Rubrius interea cum equitibus mille & quingentis, quorum Fluẽtini octingẽ-

Scalanorum opes.

Fœdus in Scalanos.

Qui numerus urbanorum.

Rubrius accersitur à Venetis

Attẽde Rubrij successum.

Scalani Opitergium recipiunt.

tos dederant, trecẽtos Bononienſes, cęteri ab Eſten ſi Obicione dati, per Ferrarienſes & Foſſam Clodiã Venetias uenit: hic in curiam à principe & patribus

Oratio principis ad Rubriũ

accerſitum ita Dandulus princeps affatus eſt. Tua Rubri ſpectata uirtus quę eſt (ut uideo) in ore hominum, effecit ut quũ Scalanorũ iniuria adacti bellum ſanè difficillimum moliremur, te unũ ex omnibus Italiæ ducibus dignum duxerimus, cuius præcipue opera in tam arduo bello uteremur, conſtitit nobis à principio opus eſſe imperatore aliquo, cui terreſtres copias ſummamq; totius rei gerendæ credere mus: cæterum multorum famam ſecuti, quem demum prudentia, fide, inuicto animo, tecum conferre poſſemus, fuit nemo: decreuimus itaque tibi abſenti grauique bello implicito, noſtrarum copiarũ imperium, haud ignari ſi is es quem omnes prædicant, & nos futurum arbitramur, breui fore ut uno tempore hoſtem merito nobis inuiſum tibique infeſtiſsimum non ſolum frangeres, ſed uehementer etiam afflictum compelleres ad pacem ſupplicter petendam, ut qui nuper tanto ſtrepitu finitimorum res ſolicitabat, de rebus ſuis ſolicitus, uel iniquiſsimis cõditionibus otio & quieti ſtudeat, quod ipſum non magis erit honorificum, & ad potentiæ exiſtimationem amplum q̃ tibi & tuis utile & ad ſalutem neceſſarium. Difficile eſt dictu quantã bene gerendæ rei ex eo ſpem præceperimus, quod te ad id bellum ducem nacti ſumus, qui nõ magis noſtra q̃ tua intereſſe ſcias, ut ſuperbiſsimus hoſtis concidat, haud parui refert mercede an odio aliquem oppugnes. Quod quum non magis Veneto nomini q̃ tibi opus ſit re bene geſta, omnis noſtra adhortatio ſuperuacua uideri poteſt. Verũ ne nulla ſit, petimus abs te, ut ſtrenuè & ſumma fide ut belli ſocium decet, ut imperatorem optimũ rem Venetam adminiſtres, occaſio rerũ omnium gerendarũ magiſtra, quo loco, quo tẽpore, dicas faciasq; omnia monſtrabit, qua ut melius uti poſsis, nos militẽ, commeatũ, & cum his bellorũ neruos, pecuniam tibi affatim miniſtrabimus. Nunc quod tibi Venetoq; nomini bonũ ſit, publica tibi trado ſigna quę tuũ comitentur imperiũ, hæc uniuerſus exercitus. Deus optimus maximus tua ſecũdet facta, ut non ſolũ ea ad nos incolumia, ſed uictricia quoq; uictor referas. Rubrius cõfeſtim receptis ſignis, ſpem maioris animi q̃ magnificam ullã de ſe prædicationẽ relinquens, cum omnibus copijs ad bellũ proficiſcit. Forliuienſis Blondus autor eſt copias Tauriſiũ traductas, qui perſuaſum habuit id oppidũ tum Venetorũ fuiſſe. Alij in Patuinorũ finibus primũ caſtra à Rubrio facta autumant. Ego eorũ ſum opinionis qui ad Metã aiunt oppidũ (hodie Mota eſt) edictũ fuiſſe militi ut conueniret: hic priuſquã arma mota ſint. Luſtrato exercitu recenſa ſunt, præter ſuorũ appendices, quaterna milia equitũ & cccc. peditũ ſena milia. Blondus aliquanto minorẽ ponit numerũ. Collatini comites & ex tota Carnorũ regiõe Germaniaq; auxiliares copiæ affuerũt, in tanto tunc odio apud omnes gentes fuit Scalanũ nomen. Maſtinus cognita Rubrij ex Pontetremulo profectione, & quod iam Veneti bellũ in ſe aperrè cõpararent, ſoluta obſidione Veronam repetit. Albertus eius frater interea Patauiũ tenebat præſidio, remq; cum Vbertino Carrario cõmuni conſilio adminiſtrabat. Erat Menſtra oppidũ ſtagnis propinquũ Scalanorum, præũdebatq; Menſtranis Thomaſinus quidam, is pactus cum Venetis quina aureorũ nummũm milia proditionẽ affingit, dat uxorẽ & liberos obſides, cõuenit tempus quo Venetus miles oppidũ intraret. Veneti etſi prodito rẽ inautoratũ habebant, quia res ſuſpecta eſſet, mercenariorũ cohortẽ unam ad id negotium miſere, ſui nominis neminẽ, quicũq; intra muros recepti ſunt, (nam Albertus Scala cũ magna militũ manu eò noctu uenerat) præter paucos quibus magis fortuna q̃

Ad Metã primo fiũt caſtra.

Menſtra.

A hoſtis pepercit, ad unũ occidione occiſi ſunt. Facta eſt inde eruptio in eos qui ſubſidio aderãt extra muros, hi quoq; ſubita trepidatione diſiecti, ac magna ex parte ferro alióue caſu ſunt ea nocte pericitati. Nec Rubrius multo poſtq̃ hæc clades ad Menſtram accepta eſt, ſua digreſſus ſtatione celeri curſu ad Medoacum conſedit, nunc uulgo id flumen Brentã uocant, noctuq; traiectis copijs ante lucẽ ulteriorẽ tenuit ripam, inde quia hoſtis dimicandi ſtudio Patauio egreſſus in aperto caſtra feciſſe dicebatur, quadrato agmine ad præliũ feſtinat. Albertus ubi propinquum eſſe hoſtem ſenſit, ſuis diffiſus uiribus inter manendi fugiendiq̃ conſilium deſtitutus, nec fugam nec prælium expedire. Interim qui in caſtris erant animaduerſo ducis metu, alij aliò dilapſi fugam capeſſunt, Scalanus ubi rem inclinatam uidit, nec ſuorum fugam ſiſti poſſe amplius, quia Rubrius appropinquare dicebatur, in urbem ſeſe recepit. Caſtra direpta ſunt, & miles Patauium progreſſus, quia in urbe nihil mouebatur, ad populationem conuertitur, res Patauinorum ferro & igni foris affligit, uagabaturq; latè populatio, quum Saccenſes metu perculſi deditionem fecere. Inde Curaina turris incenſa, quam ſubito inſtauratam Veneti præſidio firmant. Prouocat interim Rubrius Scalanum hoſtem, ut de ſumma belli totis uiribus ſecum acie congrediatur, aut ſi id minus ſuis rebus expediret, excuſareturq; paucitatem militum, ambo pugnam decernerent, ut unum ſingulare certamen demonſtraret uter alteri uirtute præſtaret. Cæterum quum neutrius dimicationis copia fieret, ad Bubulentam fecit caſtra, quò ſociorum ex Clodia uenit equitatus, copijs auctus Rubrius Patauium tumultuoſe adequitauit, hic quia nihil ut à principio mouebatur, ad loca hoſtium urbi circumiecta ducit exercitum, arx Salinarum quæ hoſtium præſidio tenebatur, intra paucos dies capta

B eſt, aderatq; Veneta claſsis Marci Lauretani ductu, aduerſo Atheſi inuecta, ad Caput aggeris Lauretanus ſeſe Rubrio obtulit. Per eos dies Conglanenſes ad Venetos defecerunt, ab his orta eſt urbium & ſociorum à Scalanis defectio, quæ late poſtea euagata eſt. Merebant illorum ſtipendium ad quatuor milia Germanorum qui Patauij erant, horum licentia in ciues & fortunas ciuium graſſandi, Patauinorum animi maiorem in modum alienati ad defectionem ſpectare cœperant, fuiſſetq; breui ſecutus motus aliquis, niſi partem unam Ateſtæ præſidij nomine maturè Albertus ablegaſſet, cũ his Rubrius proſperè dimicauit, trecẽtis & amplius uno prælio interfectis. Scalani quum tantam belli molem ſuſtinere nõ poſſent, ipſi quoq;, quod ab initio fecerant, rem ſuam externis auxilijs firmant, & ab alijs qui amici erant, & ab Lodouico Bauarię rege extra Italiam auxilia implorant. Multi principes & populi Venetias miſere, qui magno ſtudio à duce & patribus peterent, ut pacem mallent potius q̃ bellum, quæ poſtulata ſi Veneti reijcerent, plerique eorum qui ad id miſſi fuerant in mandatis habuere, ut id ſaltem impetrarent, uti ſociorum numero aſcriberentur. Proditum eſt in Venetis annalibus uno tempore ſexaginta principum & populorum legationes Venetijs fuiſſe, actum eſt itaq; aliquandiu de pace, ſed nihil confici potuit, Scalanis conditiones quæ proponebantur uelut ignominioſas auerſantibus. Petebatur ut Tauriſium, Patauium, & Parma liberæ relinquerentur: ut Luca Florentinis daretur. Erat itaque bellum ut antea integrum, quũ Accionis Vicecomitis & Philippi Gonzagæ legati ad id miſi, fœdus cum Veneris percuſſere, manifeſto errore illorum qui à principio Vicecomitem & Gonziacum principem cum Venetis ad id bellum conſpiraſſe aiunt. Fuit & Marſilius Carrarienſis Venetijs quum de pace ageretur, qui & ipſe Patauij eſt

Rubrius in Menſtram mouet.

Attende legationum numerum.

eſt defectionem pollicitus. Sed dum hæc Venetijs aguntur, Rubrius aliquot Patauinorum oppida partim ui, partim deditione ſubegit. Patauium inde armis repente adortus, improuiſo acceſſu portam urbis ad omnium ſanctorum ædem cremauit, urbs tamen capi non potuit. Sub id tempus Menſtrani oppugnatione tentati deditionem fecere. Admotis inde Tauriſium caſtris duabus portis repẽte iniectus eſt ignis, quibus deflagrantibus, tantus terror inuaſit ciuitatem, ut multi mortales freti noctis umbra, per auerſa ab hoſte loca, relicta urbe fugam moliri ſint: ex his quidam amenti curſu palantes in hoſtiũ manus inciderunt, & in his Clara Caminenſis fœmina illuſtris ignoto habitu urbe egreſſa. Temperatum eſt, quod miror, ab omni alio conatu, ignoratione, credo, eorum quæ in urbe fierent. Serauallenſes per eoſdem dies ad Venetos defecerunt. Et Scalanorum res ſic habebant circa Tauriſium. Interea Luchinus Vicecomes & Philippus Gonzaga iunctis copijs, Scalanis diuerſa parte bellum inferũt. Affuit illis Marſilius Rubrius cum his copijs, quas illi frater reliquerat, ut in parte belli eſſet. Veronenſem igitur agrum ingreſſi, omnia circa urbem populatione & incendio complent. Carolus Boëmiæ regis filius eodem tempore cum magna bellatorum manu Feltrẽſem agrum hoſtiliter inuadit. Et Scalani per hæc non uno loco bellica ui grauabantur, quum Maſtinus, ut ferox erat animo, Verona egreſſus, Gonzacos & cæteros qui cum his populabundi propius urbem acceſſerant ſubita ui fuſos, in Mantuanos fines reiecit, inde Patauium occurrit, hincque impetu in Venetos facto qui caſtra fecerant ad Bubulẽtam, aliquot oppreſsit nauigia, aſſeditque hoſtibus plures dies, ratus fore, ut inſeſsis itineribus hoſtem cõmeatus inopia ſubigeret. Hic Rubrius quanquam laceſsitus, & Marſilij fratris copijs auctus qui ex Mãtuano per eos dies agro uenerat in caſtra, nihil tamẽ eſt mouere auſus, quum hoſtis copijs abundaret. Affertur interea Brixiã à Vicecomite oppugnari, quo nuntio Maſtinus perculſus confeſtim motis caſtris per Patauinos fines & Vicetinos citato agmine Veronam recurrit, Brixiæ opem laturus. Eratque tum uni præcipuè negotio Scalanus intentus, ut Brixiã tueretur, quum tumultuoſe Veronam affertur Patauium à Venetis teneri, Albertum Scalam ſubita Patauinorũ defectione cum toto præſidio oppreſſum, ſiquidẽ Rubrius poſt Maſtini diſceſſum à Marſilio Carrario fuerat cum exercitu in urbem admiſſus. Albertus in poteſtatem redactus Venetias miſſus eſt, regimen ciuitatis Marſilio permittitur. Conciderat ad tam atrocem nuntium haud mediocriter Scalanus hoſtis, quum diuerſa parte ſignificatur Veltrum (ſic enim quidam pro Feltro ſcribunt) cum aliquot circumiectis oppidis à Boëmis captam, Lucãque in Hetruria obſidione fatigari à Rolando Rubrio qui Fluentinorum præerat copijs. Cæterum ex tot cladibus illam omnium atrociſsimam hoſtis arbitrari, quę poſtremo pene loco nuntiata eſt, Brixiã Vicecomiti dediram, inde & Bergomum defeciſſe auditum. Sed dum hæc alibi fiunt, Rubrius Patauio recepto ad Montemſiilicem caſtra admouit, oppidumq; oppugnare adortus lethale accepit uulnus, Patauiumq; delatus continuò moritur, raro unquã copiarum imperator ullus maius ſui reliquit deſiderium. Marſilius eius frater qui aliquanto prius in febrem inciderat, ſexto poſt die Venetijs obijt. Veneri Rolandum amborum fratrem ex Hetruria accerſitum, copiarum imperio præficiunt, huius ductu Monſſilex & in Veronenſi oppida quædam ſunt ex Scalanis capta, poſtremò Maſtinus aliquot tumultuarijs prælijs uictus Alberto fratre capto, Vicentia iam ab hoſte ita circumſeſſa, ut interclusis commeatibus iamiam deditionem factura eſſet, his cõditionibus ad pacem inclinauit, ut Veltrum (nunc id Fel-

A trum eſt ut dixi) Belunum, & Ceneta Boëmo relinquerentur, Brixia & Bergomum Vicecomiti, Tauriſium Venetis cum Baldo & Baſſano, Florentini quatuor Lucenſis agri oppida retinerent. Tulit eam pacem Tuſcus ini quo animo, quia Lucam ſibi dari mallet, uenerunt q̃ue ad hoc ipſum legati Venetias, uerum inclinantibus ad pacem Venetis, & fœderatis principibus, deſerunt Florentini ulterius tendere. Veneti Baldum & Baſſanum cum ſuis finibus Vbertino Carrario qui Marſilio per id tempus defuncto ſucceſſerat, dono dederunt: quo apparet ueriſimum eſſe illud quod Blondus ſcribit, nihil minus Venetos ex ea uictoria ſibi queſiuiſſe, quàm ut fines ſuarum rerũ propagarent, & cum Scalanis per hunc maxime modum eſt bellatum. Nec ita multo pòſt pacata ciuitate, Dandulus princeps obijt diem, anno ducariæ adminiſtrationis undecimo. Bartholomæus Gradonicus inde princeps creatur quinquageſimus ſecundus à Paulo Heracliano, qui primus in Venetis dux fuit. Per id tempus Benedictus pontifex qui in Gallia agebat, legatum in Italiam miſit, qui Romanæ eccleſiæ partes ſtudio & induſtria niteretur in priſtinum ſtatum reſtituere. Is primũ omnium cum Romanis egit, ut ſenatores duo qui Lodouici regis nomine creabantur, quod aliquot fuerat annos ſeruatum, iam inde non regis ſed pontificis nomine crearentur. Tenuit id pontificius legatus, eſtq̃ue is magiſtratus in quinque proximos annos Stephano Columnę prorogatus, quum collegę quotannis mutarentur, fuitq; hic annus undequadrageſimus ſupra trecenteſimum ac milleſimum à Chriſti regis ortu, quo anno, ſuo & Stephani nomine qui in Galliam ad pontificem profectus eſt, ſenator fuit Iordanus Vrſini filius. Sequenti anno Vrſus Anguillariæ comes, qui poëticam lauream obtulit in Capitolio Franciſco Petrarchæ, ob id credo in Capitolio, quia Capitolino certamine poëtę laurea donari conſueuiſſent. Fecit idem pontifex ratum ſuo aſſenſu principatum Luchino Vicecomiti, Ioannẽque eius fratrem Mediolanẽſem creauit antiſtitem. Fecit & Guilielmo Gonzagæ, Maſtino Scalę, Vbertino Carrariæ, Obicioni Eſtenſi, ut uicaria fungi uice in his urbibus dicerentur quas ad id tempus adepti eſſent. Petierint ne principes ipſi hoc ipſum à põtifice, an ille ad apoſtolicę ſedis autoritatem in terra Italia reparandam, id decretum ſua ſponte tulerit, parum compertum habeo, etſi pontifex ita interpretatus uideri poteſt, omnia Italiæ iura, quia imperator nullus eſſet, ut ipſe decreto pronuntiarat, ad põtificem Chriſti ſummi regis uicarium deuolui oportuiſſe, & ob eam rem ſuo iure uſus alias alijs urbes adminiſtrandas decreuerit. Obicionem uectigalem fecit eccleſiæ, ut annua dena aureorum nummũm milia apoſtolicæ ſedi penderet. Mirum eſt quod de pontificis iuſtitia prodiderunt quidã, non odio, non gratia, non precibus, non ui ulla adduci potuiſſe unquam, ut à recto & æquo deflexerit, uitiorum inſectator uehemens, fautor uirtutis, multum diuq; elaborauit, ut bellum inter Philippum Gallię regem & Eduardum Angliæ conflatum, tolleret. Enimuero tantis utrinq; uiribus nonnunquam inter eos dimicatum eſt, ut non procul à Flandrenſi portu triginta tria milia Gallorũ una nauali pugna deſiderata ſint, ſatis conſtat Eduardũ legatos Venetias miſiſſe, qui magnis pollicitationibus claſſem ad id bellum publicè petierint, reſponſum eſt auxilia ob id negari, quòd Veneti magnum & perpetuum certamẽ cum Turcis haberent in maris poſſeſsione tuenda, quorum opes adeò ualidæ eſſent, ut ducentas naues ac multo plures ſi paululum adniti uellent in altum educerẽt. Sedit Benedictus pontifex annos ſeptem, quo tẽpore uiri fama inſignes uixere, Frãciſc⁹ Petrarcha uernaculis rhythmis poëta nobilis. Illuſtris & Iuo Britannicus in ſanctorũ numerum relatus, Gregorius

Ad Metã primo fiũt caſtra.

Menſtra.

Rubrius in Menſtram mouet.

Attende legationum numerum.

Pax Scalanis redditur.

Bartholomæus Gradonicus.

Iura principatuum.

Petrarcha.

Viri illuſtres.

gorius Ariminenſis, & Thomas Argentinas, theologica eruditione uterque eminens claruit. Alphonſus Hſpalenſis, & Michaël Meſſanus, & hi omnes Eremitani ordinis. Ioannes Saxius & Aſtiſius minoritani. Lodolphus Carthuſienſis, diuinarum literarum ſcientiſsimus, qui & ipſe omnino aliqua in cõmunem uſum ſcripſit. Andalus Niger Genuenſis, aſtronomica arte clarus, Boccacij præceptor, Paulus Peruſinus & Zotus Florentiæ ortus, ambo iuriſcientię ſtudijs tempeſtate illa nobiles. Clemens ſextus Benedicto ſurrogatus eſt, Rotomagenſis antiſtes. Petijt ab eo Romana ciuitas, ut quando hominis uita tam breuis eſſet, ut pauci numero metam ſecularis anni attingerent, Iubilei annus cuius celebrandi Bonifacius octauus morem retulit, quin quageſimo quoque anno celebraretur, ut plenam indipiſceretur ueniam quicunque hominum apoſtolorum inuiſeret limina: dedit id libenter pontifex Romanis petentibus, cæterum quia Italia inteſtinis motibus fluctuabat, ſolis Vicecomitibus Inſubrię principatum fecit ratum ſuo aſſenſu, alios ſilentio præterijt, idque illis datum, quod ſoli omniũ ſatis eſſe credebantur ad Lodouici Bauari in Italiã deſcenſum inhibendum, is ubi compertum habuit pontificem ſuis conatibus obſtare, ut eiuſdem autoritas aliquo modo à ſe infringeretur, multas Italiæ urbes pontificiæ ditioni exemptas, cuicunque libitum eſt, ac præter paucos cunctis ferè nouis hominibus dedit habendas. Viterbium, olim Vetuloniam, Ioanni Vicano, Piſaurum & Fanum Fortunæ Galeoto Malateſtæ, & fratribus. Vrbinum Feltrio, Callium Nolpho & Galaſio fratribus. Aligreto Clauello Fabrianum, Matelicam Bulgarutio, Seuerinũ Iſuardutio, Camerinum Gentili Varaneo, Cingulum Pongonio, Eſium Nicolao Boſcharero, Rauennam Guidoni Polentano, Forum Liuij & Cæſenam Synibaldo, Ioanni Manfredo Fauentiam, & hos ille principes in Italia conſtituit, & horum plerique partim ui, partim ciuium ſtudijs, iam antea in his urbibus principatum fuerant adepti, & ne non ſemper eſſet cur Italia aliquo laboraret motu, Freſcobaldi Florentia eiecti, Piſanos ad arma concitant. Emerát Florentini à Scalanis Lucam urbem, quam & Piſani ſibi emptam uoluiſſent: cæterũ quia plus illi dabant, cum his Scalani negotium tranſegerát, & iam Florentini obſides Ferrariam miſerant, quoad quinquaginta milia aureorum nummũm eo nomine ſoluerentur. Piſani qui ſua ſponte erant Florentinis infenſi, Freſcobaldis impellétibus Lucam obſidione cingunt, admittuntur nihil ſecius Florentini in urbem Scalanorũ fauore: inſtant Piſani multo infeſtius, eſtq; ſæpius magno Florentinorum incommodo circa urbem dimicatum, quoad Malateſtæ Ariminenſis ductu quem ad id bellum accerſitum Florentini ſuarum copiarum imperio præfecerant, Piſani metu ſubacti, obſidionem ſoluerunt. Blondus Parmam ait, non Lucam, tum uenalem Scalanos habuiſſe, quam Florentini emere nequiuerint Piſano bello impliciti. Verum ſiue hæc, ſiue illa, ſiue utraque potius licitata eſt, ſatis conſtat Parmam per id tempus quo circa Piſas eſt bellatum, à Guidone Corrigienſi Philippi Gonzagæ auxilio ſubactam. Venit interea à Roberto Neapolitano rege Gualterius Athenarum dux cum modico equitatu Florentinis opem laturus. Is Malateſtam imperio copiarum fraude deijcit, Florentinis ſeſe adeò inſinuat, ut copijs omnibus & urbi cæteris magiſtratibus abrogatis præfecerint. Iuuerunt peſsimũ hominis conſilium Aretini, Piſtorienſes, & Volaterrani qui ſponte ſeſe illi dedidere. Dedit interim Accius Corrigienſis Parmam quam tueri non poterat, Obicioni Eſtenſi, cuius auxilio Guidonem ex ea urbe eiecerat. Tulit id factum iniquo animo Philippus Gonzaga, quod Obicio Parmam intercepiſſet quam Corrigienſes ſua opera fuerant adepti. Id enim propius uero eſt, quàm quod alij tradunt, Gonziacam rem ab Obicione hoſtiliter aliquando petitam. Verũ ſiue hoc ſiue illud fuerit, Philippus ſumma ope cõnixus, Eſtenſem in Regienſi agro pugna ſuperatum ac porro fugatum Ferrariam compellit. Obicio una pugna fractus, omni ſpe retinendæ Parmæ abiecta, eam Luchino Vicecomiti dedit habendam, anno ſalutis ſupra milleſimũ ac tercenteſimũ, ſexto & quadrageſimo. Florentini interea quũ Gualterij administratio in apertam tyrannidem exijſſet, multa publicè & priuatim ab eo tulerũt incommoda, eratq; iam publica libertas deplorata, impendebantq; ciuitati omnia mala quę tyrannica uis preſſis ſolet urbibus afferre. Angelus Aciolus Florentiæ antiſtes ſuis ciuibus autor extitit, ut ſuæ libertatis admoniti arma caperent. Hi tyrannum domum cõpulſum, nec adhuc tyrannidem inhibentem, ferociter circũſiſtunt, ad poſtremum fractus tantum petijt, ut cum ſuis rebus & ijs quos circa ſe habuit, incolumis abiret, id ut ei daretur, Aciolus fuit autor. Cęterum ciuitate in priſtinum ſtatum reſtituta, multitudo nouarum rerum cupida, publicam adminiſtrationem quæ ad id tempus fuerat utrique ordini communis, nobilibus ademit, multaq; turbatio ciuitatem inuaſit, direptiones nobilium domorum & incendia ſecuta. Sed maior diſcordia per idé tempus Neapolitanũ exagitare cœpit regnum. Enimuero Robertus rex ſine uirili ſtirpe moriens teſtamento mandauit, ut Ioãna quam ſibi ſuperſtité reliquit ex filio Carolo genitam, Andreæ Caroli Vngariæ regis filio nuberet. Fuit Carolus Roberti ex fratre nepos. Cæterum quia Caroli & Roberti nomen plus nimio frequens eſt in hac regum relatione, qui uno tempore in Pannonia & Italia regnũ tenuere, haud ſuperuacuum ſit breuiter totum ſtemma in ordiné redigere. Carolus primus cui attributum eſt Sicilię regnum à Romana eccleſia, quique Sicilia amiſſa in Apulia fato perijt, filium habuit Carolum ſecundũ Salerni principem, quippe qui uiuo adhuc patre circa Neapolim nauali prælio captus, quatuor fuit annos in poteſtate hoſtium in Hiſpania. Is plures habuit filios, & in his Carolum, qui poſt Caroli aui obitum tenuit regnum, quod poſtea patri reſtituit poſtliminio reuerſo, ipſe in Pannoniam abijt, ubi materna imagine creatus eſt rex, atque per hæc accidit, ut duo uno tempore, Carolus pater in Italia regnarit, filius eiuſdem nominis in Pannonia. Habuit Carolus qui in Italia rex fuit, præter hunc qui Pannoniæ tenuit regnum, plures filios, & in his Lodouicum, qui poſtea eſt diuorũ numero aſcriptus. Habuit & Robertum cui regnum per manus tradidit. Ex hoc unicus uirilis ſtirpis filius ortus Carolus nomine, qui Caſtrucianis temporibus in Hetruriam uenit. Idem patre adhuc in humanis agente, mortem obijt, duobus liberis ſuperſtitibus muliebris ſexus: ex his Ioanna quæ maior dicta eſt, Roberti aui teſtamento connubio ceſsit Andreæ Vngariæ regis filio. Cuius mortem ulturus Lodouicus rex uenit in Italiam. Fuerant hi Caroli filij, qui ex Italia profectus Pannoniæ rex fuit, ut ſuprà eſt perſpicuè ſignificatum, uenerat is ex Pannonia in Italiam, ſub id tempus quo Robertus uita deceſsit, quod ſecuti quidam, rege adhuc uiuo puellam Pannoni iunctam matrimonio tradiderunt. Alij poſt regis interitum, aiunt nuptias celebrari contigiſſe. Cæterum Ioanna ſocordiam hominis pertæſa, nouum ſponſum fraude ſuſtulit, Lodouici patruelis ſui nuptias ſecuta. Erat Lodouicus ex Philippo altero Roberti fratre Tarentino principe ortus. Lodouicus rex Pannoniæ indignam Andreæ fratris ſui mortẽ ulturus cum magno exercitu uenit in Italiam, primoque Sulmonenſes in poteſtatem redegit. Nec Roma interea quieſcebat. Nicolaus Récius qui

Clemens VI. pont.

Gualterius tyrannidem Florentiæ exercet.

Florentini in dicant ſeruitutem.

Carolorum ſtemma.

Attende quot noui principes.

qui ſcriptum in Capitolio fecerat, homo obſcuri nominis, ſenatoribus inde ſubita coniuratione electis, tribunitium nomen & poteſtatem aſſumpſit, ſe antiquę libertatis aſſertorẽ profitetur, eius edicta hoc habuerunt, Nicolaus ſeuerus & clemens libertatis pacis & iuſtitiæ tribunus, ſacræq; Romanæ reipub. liberator illuſtris, ſic illa regiminis forma quæ ſub Clemente ſexto cœperat, ut ex pontificis autoritate ſenatores duo crearentur, qui urbem adminiſtrarét, unius opera ſublata eſt, incredibile dictu quantus fauor ſit illi ab initio conciliatus, ut iam præter Romanam ciuitatem quæ ſuæ libertatis autori incredibili ſtudio fauebat, multæ etiam gentes & populi in tam pulchri facinoris expectationem erecti, audaciſsimi hominis incœpto conniuerent, ſed res maiore animo quàm ſucceſſu mota breui concidit. Septimo menſe quàm ille tribunatum inuaſerat, quũ partem unam ciuitatis complexus offendiſſet alteram, nulliq́ue dubium eſſet quin mutato fauore populi breui caderet, noctu urbe egreſſus, magnis itineribus ad Carolum Boëmiæ regem proficiſcitur, fœdus & ſocietatem ab eo petiturus. Fuerat Carolus in Lodouici Bauari inuidiam pontifice annitéte Cęſar declaratus, quæ res arguit ſtultum hominis ingenium. Enimuero Carolus pontifici gratificaturus hoſpitalia iura merito poſthabuit, tribunum in uincula conijcit, uinctumq; ad Clementem mittit Auinio nem. Eratq; hic rerum ſtatus alibi. Pannon interea Sulmone recepto, breui uniuerſo regno potiẽ. Ioanna cum ſuo uerius adultero quàm marito, in Galliã abierat, Dyrrachino duce uiro impigro ſibiq; perneceſſario ad regni præſidium relicto. Hunc bello captum Lodouicus capitali affecit ſupplicio. Laborabat interim cætera Italia peſtilentia, ſed multo uehementius Neapolitanus tractus. Pannon præſidio ad cuſtodiam regni relicto, Italia deceſsit. Luchinus Vicecomes per id tempus fato moritur. Ioãnes Mediolanenſis antiſtes Luchini neceſſarius, pontificis aſſenſu in principatum ſucceſsit. Erant res Italiæ nõ minori curæ pontifici procul agenti, quàm ſi tum Romæ eſſet, quæ ut ex omni parte pacaretur, Portuenſem ex Gallia miſit antiſtitem, qui res Neapolitani regni componeret, ex huius autoritate pax inter Lodouicum & Ioannam reges his conditionibus confecta eſt, ut illa in regnum reſtituta, reginæ nomen obtineret, Lodouicus cui nupſerat, ſiue uir eſſet ſiue adulter, Tarentini principis non regis titulo uteretur. Pontifex magni anni celebritate Romanis conceſſa, ex ſupremo ordine miſit Romam qui ciuitatis ſtatum reformarent. Horum decreto ſenatoria poteſtas reſtituta eſt, ut eiſdem quibus antea auſpicijs crearetur. Fuerunt itaque primo anno ſenatores, Sarra Columnius, & Ioannes Vrſi filius. Vaſtabatur interim Italia trium annorum peſtilentia, eratq; iubilei ſolenne. Interim Ioannes Vicecomes Bononiam proditione occupat. Miſit confeſtim in Italiam Clemens pontifex, qui Scalanos & Florentinos in Vicecomitem armaret, fuiſſet, ut credere eſt, aliquis omnino motus inde ortus, & arma in Vicecomites ſuſcepta, niſi Maſtini interitus interueniſſet, quo defuncto res diſcuſſa eſt, obſtrinxit ſibi fœdere nihilominus Vicecomes antiſtites omnes Gibellinæ factionis principes, quorum ſocietate ſuiſq; opibus fretus, palàm negligere pontificis minas. Bononiam præſidio firmat, ad quam obtinendam miſit Bernabouem fratris ſui filium. Florentini & ipſi per idem tempus Piſtorienſes & Pratenſes ſuæ ditionis fecerunt. Mox uero Vicecomitum armis uexati, Ioannis Aulegi ductu, adeò res Tuſca inferior fuit, ut Florentini ægrè ſe mœnibus tutarentur. Anglare & Burgũ ſepulchri; tum quoq; ad Vicecomites defeciſſe apud quoſdam ſcriptũ reperio, pontificiæ ditionis loca. Et hæc per aliquot annos in Italia geſta. Veneti interea nonnihil in Creta nouis inſulanorũ motibus bellare coacti ſunt, quo tempore Gradonicus princeps obijt, cuius adminiſtratio triennium non impleuit. Andreas Dandulus in eius locũ ſurrogatus, qui duplici ſtilo (ut Cariſinus prodidit) res Venetas ſcripſit, priore magis fuſo, & ob id fortaſsis minus eleganti, altero cohibito, & in quo plus omnino fuit eloquétiæ, qualis uidelicet eſſe potuit in eius ætatis homine. Inter initia eius adminiſtrationis, ut quidam memorant, Veneti cũ Clemẽte pontifice & quibuſdã Chriſtiani nominis ducibus fœdus in Turcos percuſſere, ſunt eo nomine xvj. triremes ad bellũ inſtructæ. Smyrna in ora Ioniæ à Petro Zeno qui præfectus erat claſsis, expugnata, fœuitum in oppidanos, urbeq; præſidio firmata, quibus locis eſt ſæpius etiam in Turcos dimicatũ uario euentu, Rhodiorũ auxilijs Cypriorumq; Chriſtianam rem iuuantibus, ad poſtremũ Veneti cum ſociorũ appendicibus uicti, in Smyrná cũ multa cæde, ut illi aiunt, compulſi ſunt. Et expeditio illa parum à ſcriptoribus nobilitata, hunc exitum habuit. Necita multo poſtq́ hæc in Turcos geſta ſunt, Iadra ad Lodouicum Pannoniæ regé defecit, ſuntq; Iadrenſes confeſtim terra & mari à Venetis oppugnati, præerat claſſi Petrus Canalis, terreſtribus copijs Marcus Iuſtinianus, & cum eo duo legati Andreas Maurocenus, & Simon Dandulus. Eſt Iadra ab initio magna ui oppugnata, ſed aliquanto maiora à ciuibus defenſa. Affuit nec multo pòſt Lodouicus rex cum ingenti exercitu, ſub cuius acceſſum atrox eſt prælium commiſſum circa Venetorum munitiões. Claſsiarij relictis nauibus eò occurrũt, eſtq; res Veneta non ſolum defenſa, ſed audacior facta. Nam & ex caſtris ſub id tempus erupit Italus miles, atq; ita hoſtis ancipiti terrore non ſolum loco ſubmotus eſt, ſed fuſus etiam ac fugatus, multaq; cæde diſiectus retrò fugienti ſimilis abijt. Perſeueratum eſt inde in obſidione quoad Iadrenſes feſsi deditionem fecere, defectionis principes relegati ſunt, cæteris uenia data. Hoc anno ingenti motu terræ qui ad octauum Calend. Februarij factus eſt, die Pauli conuerſione ſolenni, uigeſima dici hora, pleraque ædificia publica & priuata Venetijs corruere, aliqua terrifico aſpectu acclinarunt, & in his ſacrarum ædium turres, uno atque altero loco, inde dies quindecim plus minùs ue terra mota eſt, quo contigit ut omnes ferè grauidæ mulieres, quæ tum in urbe erant, abortum fecerint, inde fœdiſsima peſtilentia inuaſit ciuitatem, Inguinariam dixere: fuit ea uis morbi adeò lethalis, ut ex omni languétium numero uix centeſimus quiſque mortem euaſerit, ex Scythia primum orta dicitur, inde per oram Ponticí maris & Helleſponti graſſata, per Græciam demum & Illyricum Italiæ inſinuatur, hanc credo eſſe peſtilentiam quæ Italiam, ut ſuprà eſt memoratum, humano cultu inſigniter deformauit. Veneti in tam fœda urbis uaſtitate edictum propoſuere, ut quicunque hominum Venetias cum coniuge & liberis peterent habitandi cauſa, perſeuerarentq́ue biennio in nouo incolatu, pro ciuibus haberentur, & cum Lodouico qui tum in Italia erat aduerſus Ioannam reginam in decem annos inducias per legatos ad id miſſos pepigere. Inducias cum rege pacti ſunt Marcus Iuſtinianus, Andreas Maurocenus, & Nicolaus Gradonicus. Bellatum eſſet inde breui pòſt, etſi ciuitate adhuc infirma, aduerſus Albertum Croaciæ Regulum qui Delmatiæ loca infeſtabat excurſionibus, niſi eſſet ab eo maturatum, ut priuſquam arma mota ſint, ſatis principi & patribus feciſſet. Et res Venetæ in hoc ſtatu erant, quum tertiò bellari cœptum eſt cum Genuenſibus. Cauſa renouati belli fuit rei maritimæ æmulatio, iam inde ex quo Veneti à Paleologo fuerant Byzantio eiecti, quærentibus illis qua ui, quá ue arte Venetis curſum Pontici maris intercluderent. Erant igitur

Ioanna regina pellitur regno

Magni anni celebritas.

Motus terræ ingens.

Morbus lethalis.

Cauſa tertij belli Liguſtici.

igitur quum alibi Venetis negotiatoribus infesti, tũ circa Thracium Bosphorũ. Hic Ligur Venetas Crenses; negotiatorias forte adeptus magno temporis dispendio, maiore hominum ignominia, Caphatã retrahit, Carisinus Caphatino portu negotiatores oppressos tradidit. Repetitis itaq; rebus nec redditis, Veneti ad eam iniuriam ulciscendam magno studio comparant quinque & triginta naues, Marco Rucino, uel ut alij habent annales, Nicolao Pisano classis præfecto: siue igitur is, siue ille fuit qui naues in altum eduxit, quum præter Eubœam (nam Hellespontum decreto petebat, ut in Ponticum mare euaderet) aduersa tempestate iactari cœpisset, Carystium portum ab instituto cursu excussus subijt. Hic quatuordecim longas Genuensium naues merce onustas adeptus, confestim exitum occupat, angustijs portus præterquã ab una parte quę uadosa nimis uisa est subito insessis, oppugnat: hic aliquandiu Ligur, inde uelis repente sublatis, quatuor una post aliam ea parte qua mare ut uadosum, & ob id minime nauigabile, fuerat sine præsidio relictum, in apertum euasere: tum Venetus eam quæ uadum quinto occupauerat loco, ex transuerso inuectus opprimit, cæteræ unius clade consternatæ, atq; in arcto hærentes ad unam interceptę sunt, ingens præda parta est, decem naues uenere in Venetorum potestatem cum suis turmis naualibus & septuaginta nobilibus Ligustici nominis, qui cũ mille alijs in Eubœam sunt custodiæ traditi, cccc. numero in Cretam missi, ut & ipsi in reditum classis custodirẽtur. Celeri deinde cursu uictor Venetus Hellespontum & Propontidem emensus ad Bosphorũ festinat, Perenses improuiso accessu oppressurus. Hic quum omnia maturè ab hoste prouisa essent, pugna abstinuit. Resciuerat Ligur aliquãto prius quid ad Carystum per eos dies esset actum, præuideratq; ita fore ut hostis non multo pòst ad se ueniret, atq; B eo metu Perenses adacti irrequieto opere se ad uim arcendam comparauerant. Hic Venetus sua spe frustratus, nonnihil his locis commoratus est, consilij anceps: interceptæq; sunt interim aliquot Genuensium naues. Sed dum Veneta classis Petensibus imminet, interim quatuor illæ Ligusticæ ex Carystio portu nuper dilapsæ, cum alijs quas Petrus Aurius ductabat, in Eubœam relatæ Chalcidem subito appulsu expugnant, captiuos, qui ibi loci erant, recipiunt, omniq́ue oppidanorum turba inde abducta urbem incendunt, inde digressus Aurius Chium occupat. Et hæc clades pro illa ad Carystum nuper illata, Veneto repensa qui ex Bosphoro reuersus, quia hostis nusquam repertus est, Venetias se cum classe recepit. Fecit illius reditum ualde conspicuum hostilis præda quadringentis, uel ut alij aiunt, trecentis milibus nummis aureis æstimata. Eodem anno quo per hunc modum est bellari cœptum, Veneti fœdus cum Aragonio rege qui Siciliam obtinebat, percusserunt aduersus Genuenses. Michaël Stenus fuit ad id publicè missus. Veneti regijs auxilijs aucti, maioris alicuius rei gerendæ spem nacti, classem decernunt ingentem, Nicolaus Pisanus est illi præfectus, mittunt & Ioannem Delphinum Byzãtium, qui cum Græciæ imperatore fœdus & societatem iungeret. Et Veneti Genuensesque per hæc tertiò arma induerant. Dissidebant interea ut siquando aliàs inter se Italiæ principes & populi, de cuius terræ statu Clemens pontifex uehementer erat solicitus: sed quum ea cura hæreret animo, quanquam rem ecclesiæ quoquo modo occasione oblata, procul ab Italia studio & industria augebat, id uero quũ in non parum multis, tum in hoc quod dicam multo industrius fecit. Debebat illi Ioanna regina grandem pecuniam, quam se illi pro regia corona ab eo accepta daturam promiserat, cæterum regina multis & grauibus casibus iactata, quum non esset alio-

Caryſtia classis Genuensium.

Attende præclam ingentem

qui soluendo, cum ea pontifex egit, ut Auinionem Romanæ ecclesiæ eo nomine habendam relinqueret, atque ita urbs nobilis pontificiæ ditionis est facta. In Hetruria interea quũ Angularię comes Scarpariæ & Mugellæ hostiliter assideret, Senenses, Aretini, Perusini Vicecomitum potentiam horrentes, cum Florentinis societatem iungunt. Nec Pisani cũ Vicecomitibus sentire poterant, Gambacurtis quorum factio tum potens Pisis erat, Hetruscæ rei faué tibus. Petierant Florentini à pontifice auxilia, sed quum nulla mitterentur, ueriti Vicecomitum potentiam, Carolum Boëmiæ regem, & iam imperij nomen adeptum, in Italiam accersunt. Clemens ueritus ne ad illius descensum uniuersa Italia ferro & flammæ dederetur, quod se facturum Carolus minabatur, ut Vicecomites aliquando quiescerent, Bonoiam his ea lege permittit, ut duodena aureorũ nummũm milia quotannis apostolicæ sedi penderent, atque illi pontificis liberalitate & Caroli metu subacti, pacem Florentinis reddunt, in qua sancienda est illud expressum, ut neutri Pisanos, Lucenses, Senenses, Perusinos bello uexarent, Vicecomites Cortonensium libertatem tuerentur, Burgenses ecclesiæ parerent. Et Italia hac parte pacata, diu multumq́; pontifex elaborauit, ut bellum inter Galliæ regem & Anglium componeret, sed animis bello deuotis, pax teneri non potuit. Enimuero Anglius post multa Gallorum milia nauali prælio interfecta, Calesium xl. mẽsibus obsessum suis opibus adiunxit: dimicarunt & in Scotos admodum prospere Angli per id tempus: quatiebatur itaq; & longo & graui bello circa Oceanum, quum Clemens pontifex uita decessit, anno eius administrationis decimo circumacto, mense sexto. Species ignea Clementis pontificatu terribili magnitudine à boreali plaga per cœlum latè euagata est, quidam autores eadem tempestate bestiolas multitudine immensa è cœlo cecidisse aiunt, quibus extinctis ac putrescentibus, sit uniuersus cœli tractus grauiter infectus, diraq́ue pestilentia laboratum. Sunt & Iudæi in Germania ad unum combusti, atrocissimi sceleris comperti, consilia inter se agitasse dicebantur, de puteis ueneno inficiendis, ut Christianum nomen ex ea terra tollerent. Est & cometes ingens in cœlo obseruatus, ac biennio pòst trabalis species ignea aperto cœlo cucurrit, flamma ingens post occasum Solis inter Zephyrum & Austrum magnum trahens incendiũ, cum terribili sonitu ad terram deprimi uisa est: sed hæc etsi rara uisu, naturæ tamen sunt opera, uulgi opinione prodigiosa, & idcirco non omnino indigna quæ inter exempla temporum referantur. Sequitur Innocentius sextus, qui ab initio sui pontificatus edicto præcepit, ut sub anathematis pœna qui cunq; esset ecclesiam sortitus, ad illius regimẽ proficiscereturoportere dictitãs pium gregem à pastore & domino non à mercenario pasci: adiecit eidem edicto teneri summi ordinis antistites, quoniam eorũ uitam exemplo esse oportet alijs, Christumq́; regem imitandum, cuius uita ad omnium gentiũ institutũ pertineret: constituit & annua salaria curiæ auditoribus, ne fordidũ quæstũ sectarenẽ, sępius testatus nõ posse fieri, ut inedia laborantes alieno abstinerent, oblata recipiendi facultate. Fuit in uictu parcus, bellico sumptu profusissimus. Igitur reputans animo quantũ in Italia noui dominatus ecclesiæ ademissent, Egidiũ Cardinalẽ Hispaniæ gentis præstanti ingenio uirũ misit ex Gallia ad Italiæ regulos & urbiũ principes, qui citra põtificis autoritatẽ dominatũ occupassent, bello persequendos. Incidit Egidij aduentus in id tempus quo Veneti cum Aragonũ rege & Constantinopolitano imperatore fœdus in Genuẽses percusserãt. Et iã Paganus Auriª Ligusticæ classis prẽfectus aliquãto prius belli partes occupauit, quàm Veneti cum Aragonia classe

Auinio eccleſie.

Innocentius ſextus.

Innocent. edict.

circa

circa Siciliã coiuerint, inde digressi grauem experti sunt in alto tempestatem, tenuerũt tamen Methonem in Peloponneso. Hinc pleno cursu ad hostem tendunt. Oppugnabat tum Ligur Chalcidem in Eubœa, quo certamine amiserat ad mille & quingentos homines. Is audito duarum hostiliũ classiũ aduentu soluta obsidione ad Bosphori angustias insidendas cum tota classe sese proripit, quibus insessis sciebat futurum ut & Perensibus auxilio esset, & in quantumuis opulentam hostium classem multo tutius dimicaret, locorũ angustijs fretus. Pisanus ex Methone cum Põtio Aragoniæ classis præfecto in Eubœam uenit, inde Byzantium petiturus. Cæterũ pertinaci Aquilonis flatu plures dies intercluſus deficiente cõmeatu retrò in Cretam abire coactus est, hinc quadragesimo pòst die ad prima ueris signa Venetus & socij armis & commeatu instructi cursum instaurant, Byzantium perpetua nauigatione itum est. Venetæ urbis annales duas classes Byzantiũ ũe nisse aiunt, nec sine nauium iactatione atq; his Græcorum tertiam adiunctam. Nec multo pòst cum hoste circa Peram dimicatum cruento quidem marte, cæterum neutrò adhuc fortuna inclinante diremptum esse prælium. Blondus & alij qui eius pugnæ meminerunt, Bosphori angustias produnt à Ligure occupatas, ne si aperto mari res gerenda esset, à tribus classibus circũuentus in orbem dimicare cogeretur. De Bosphoranis angustijs, deq; ipsa nominis ratione alio Rapsodiæ loco diximus. Iidem illi à prima luce ad uesperam dimicatum memorant. Veneti annales tribus diei horis ante occasum, & per integram noctem quæ secuta est, pugnatum significant. Adijciunt Græcorum classem ex transuerso inuectam, ne pugna quidem conserta facile cessisse: Venetam & Aragoniam quarum hæc triginta habuit triremes, illa totidem ac decem amplius, à fronte congressas, ac tam arcto loco, ut dimidium Vene B tarum nauium prælium inire nequiuerit: fuit atrox pugna, atq; utrinq; calamitosa, cæterum Pontio cadente, Aragonijsque ob id pugnam remittentibus, Veneti & ipsi quia plus non poterant, Liguri cessere: ille pulchrum ratus quod tres hostiles classes sibi loco cessissent, Ligustica uehementer conuulsa in pristinam se stationem recepit. Ceciderunt ea pugna Stephanus Contarenus diui Marci procurator, Ioannes Stenus, & Benenatus Bembus, Pancratius Adriaci sinus præfectus, ex uulnere quod in pugna acceperat, non multo pòst expiratiit. In quibusdam annalibus scriptum reperio, Ioannem Delphinum qui pugnæ interfuit, domum uenisse rei ad Bosphorum gestæ nuntium, atq; affirmare ausum Venetam classem eo prælio superiorem fuisse, captasq; ex hostibus triremes duodetriginta, quarum turmę profligatæ in prælio essent, alijs alio casu consumptis, ac præter hos ex alijs naualibus turmis plures numero aut cęsos, aut uulneratos, ex Veneta classe iiij. triremes amissas, & cum his circiter mille uiros: sed Blondus & cæteri externi eo quo diximus euentu circa Bosphorum dimicatum prodidere. Conatus est dum circa Byzantium adhuc esset Pisanus, hostẽ ad pugnam elicere, uerum ubi nihil ex aduerso oueri uidit, duabus Ligusticis cum commeatu oppressis cum sua & Aragonia classe in Cretam retrò abijt, hic triremes laceras refarsit. Ligur & ipse cum male affecta classe non multo pòst domum repetit. Fama Bosphoranæ pugnæ quæ falsos rumores secuta est, ingenti mœstitia Venetam ciuitatem affecit, sed patres non magis mœror quàm pudor conficiebat: iniquo animo ferebant quod Genuensem, quem ipsi suo nomine toties uicissent, paucorũ temeritate qui iniquo loco pugnam commisissent, duorum principum potentissimorum opibus adiuti, non modo non incommodo aliquo affecissent, sed clade etiam accepta, turpiter cessissent loco. Nec

Boſphorana pugna naualis

antea quieturi uidebantur, quoad Veneto nomini eam ignominiam ademissent. Multi interea uarijq; hinc inde fuerunt conatus, pluresq́ue Ligusticæ per occasionem hoc uel illo loco oppressæ. Cæterum Pisanus ad delendam Bosphoranæ pugnæ infamiam, cum uiginti Venetis triremibus optime instructis in Siciliam proficiscitur, hic Aragonia classe sibi adiuncta, cui in Pontij locum Bernardus Caprarius fuerat præfectus, in Sardiniam concesit. Occurrit eò Ligur recentem uictoriam adhuc spirans, cum tribus & quadraginta triremibus ad pugnam paratis, Antonij Grimaldi ductu, circa Corsicam constictum esse aiunt quidam. Alij ad Calarim in Sardinię ora, unde Calaritanus sinus. Nõnulli ad Congeriam memorant, uerum ubicunque loci res gesta est, satis constat utranque classem ubi se ex aduerso intuitæ sunt, ferociter ad pugnam processisse. Ligur quia aduersus hostem multo potentiorem circa Bosphorum prosperrime nuper dimicasset (siquidem triũ classium triremes centum & amplius numero conflixerant, etsi Græci ne pugna quidem conserta cessissent) certam sibi uictoria proponere. Veneti iniquitate loci non hostium uirtute id accidisse rati, aut certaminis illius ignominiam abolitum iri uolebant, aut omnes ad unum cadere. Augebant & socij qui pugnæ cupidissimi erant, Venetorum animos: quo contigit, ut non minori sit ferocia concursum quàm uiribus, fuitq; prælium pedestri & stationario perq́ simile, conserris manibus cominus unoq; in loco res gesta est, ac post atrocissimum certamen Genuensium rebus porrò afflictis, uix prætoria nauis ex media suorum strage cum una aut altera Ligusticarum reuulsa, ægre fuga seruata est. Cæteræ una & quadraginta numero aut media pugna depressæ sunt, aut in uictorum potestatẽ uenere, quas ad Genuense nomen abolendum Venetus uictor & socij in alto cum suis turmis depressere. Sic in Genuensium rebus se legisse aiunt quidam. Ego quia de maris imperio nõ de uita dimicatio erat, uix adduci possum ut credam hostes in potestatem redactos tá crudeliter necatos, quod & Veneti scriptores mihi significare uidentur. Hi autores sunt uim hominum ingentem in prælio absumptam: qui uero in nauibus, & in his Genuensium nobiles, partim Venetias deportatos, partim in Hispaniam, ijdem tradunt duasdetriginta hostium triremes captas, quæ opinio multum diuersa est ab ea quæ proximo est loco relata. Post memorabilem illam pugnam Veneti & Aragones duo Genuensium oppida in Sardinia ceperunt, inde utraque ab altera diuersæ domum abierunt. Ligur una aduersa pugna fractus calamitosa quidem & funesta, suis opibus accisis ad alienas confugit. Florebant tum res Vicecomitum omnium maxime in Italia, quas Ioannes Vicecomes Mediolani, & antistes & princeps magna indole, maioreq́ue rerum successu, ad eam diem uehementer auxerat: ad hunc Genuenses legatos misere, qui urbem, ciues, agrum, omnesq; ciuitatis fortunas publicas & priuatas illius fidei traderent, postularentq́ue unum illud precibusq́ue conderent ut se deditos aduersus omnem Venetorum Aragonumq; tueretur iniuriam, & hi ira & odio stimulantibus, sic se libertate priuarunt sua. Accepit libẽs eam deditionem Vicecomes, ac deditos bene sperare iussit, pollicitus fore ut nunquam Genuenses publici illius studij in Vicecomites pœniteret. Deditionis huius fama Venetos adegit, ut nouo fœdere & societate partes suas firmarent, Carrarienſium, Scalanorum, Estensium, Gonziacorum, & in Hetruria Florentinorum amicitiam & societatem complexi, quod eò facilius sunt consecuti, quo Vicecomitum opes finitimis (creuerant enim plus nimio) erant formidolosiores. Nec Genuenses post eam cladem acceptam diu quieuere, sed quatuor

Calaritana pugna.

Attende dedi/tionem Genuenſium.

eorum

eorum triremes Adriaticum sinum ingressæ, Farum & Corcyram Nigram Delmatiæ adiacentes, impro uiso accessu fœde populatæ sunt, oppida in his capta ac direpta incendio absumunt, mox & aliæ qua tuor domo affuerunt, ad quarum famam Veneti tre decim triremes expediunt, Nicolaũ Pisanum classi præficiunt, cui in hostem profecto decem aliæ adie ctæ sunt: nam & hostium uires indies ualidiores fie bant, addidit inde Pisanus priori numero decem alias, quas Ioannes Sannutus ductabat, sic trium & triginta triremium expleta est classis. Huiusmodi nauium numero fretus Sardiniam Venetus petijt, ut quàm longissimè domo bellum propulsaret. Per idem tempus Paganus Aurius cum ualida classe (iã enim annus integer fluxerat post illam cladem in infero mari à Genuensibus acceptam) siue casu siue consilio Venetorum declinato occursu, Adriaticum sinum tumultuose ingressus, negotiatorias aliquot intercepit naues, in Istriam inde perpetuo cursu delatus Parentiũm capit & diripit, & direptum incendit. Estq; interim Venetijs magno pere trepidatum: ex Istria Ligur profectus negotiatoriam unam merce onustam pretiosissima cepit, & mox alias quasdam, sed minoris pretij. Ferebant Veneti iniquo animo, quod qui nuper magno prælio uicti essent, & ad internecionem propemodum cæsi, tanto strepitu maria turbarent, & in ipsis propemodum oculis ciuitatis. Verum quia satis constabat Vicecomitum opibus Ligurem tam ferociter bellum instaurare, ut eos aliquo graui negotio implicarent, quo minus Genuensibus opitulari possent, cum Carolo Boëmiæ rege, cuius societate usi fuerant Scalano bello, fœdus renouant, hortanturq; ut parato exercitu in Italiam transeat ad Vicecomitũ opes infringendas: & Veneti hæc foris moliebantur, quum domi Dandulus princeps anno ferè duodecimo suæ administrationis desijt in humanis esse. Marinus Fa B lerius dux absens declaratur. Fungebatur is in Gallia apud pontificem legati munere, nec ita multo post eam ducis creationem hostis iterum Adriã ingressus paucis nauibus, captis quas sors obuiam tulerat, aliquanto tumultuosius quàm uenerat, retrò abijt. Pisanus qui iam numerosam agebat classem, in superum mare reuersus, tris Ligusticas triremes inter Græciæ insulas opprimit. Cæterum audito hostium aduentu (nam Ligur sinu egressus recta nauigatione Venetum petebat) ad Sapientiam consedit, hic scopulus uerius est quàm insula Peloponneso adiacens, inest portus multarum nauium capax, erant Veneto quinq; & triginta triremes, Liburnicæ duæ & uiginti. Ligur ubi hostẽ in proximo stare exploratum habuit, irrequieto cursu ad eum contendit dimicandi studio: erat Aurius triremium numero nihilo inferior. Forliuiensis Blondus autor est in aperto mari dimicatum, ac post difficile certamẽ uictoriam penes Ligurem fuisse, Pisanũ cum quinque milibus hominum captum. Veneti annales sine pugna aut cæde ulla uniuersam classem, præter triremem unam quæ media trepidatione celeri fuga elapsa est, in portu, subito hostiũ accessu oppressam. Iam si sic est, eodem casu uidetur mihi Venetus ab hoste oppressus, quo paucis antè annis in Caristio portu fuerant Ligusticæ naues ab eo intercluse. Nec illud, ut uideo, multum constat, fuerit ne tũc Pisanus an alius classis illius præfectus. Ferunt pridie quàm clades illa fuerit accepta, manifestis signis Veneto demonstratam. Coruorum uim ingentem aiunt supra classem aduersis agminibus inter se cõflixisse, ac partem alterã adeò uexatã, ut plumę cruorq; fusus Venetas triremes resperserit, remige ad hæc ex sua in proximam nauim transilientem, ab immani pisce exceptum, & deuoratum. Affecit nuntius acceptæ cladis æquè ac debuit ciuitatem, uulgo credere fateriq́ue actum esse de re Veneta, si hostis uictoriam secutus urbem annauigaret, quando non classis, non turmæ nauales, non ulla præsidia adessent, quibus uis hostium inhiberi potuisset. Nec præsens metus passus est ciuitatem iacere, cõfestim quatuor triremes instructæ sunt, quæ sinui præsidio essent, hæ confestim in altum eductæ tris Ligusticas prædandi studio in Istriam usq; progressas, cursu auerterunt, triremis illa quæ Sapientina clade euaserat, per eos dies ab Ligustica una Grimoalda cognomine, circa Peloponnesum capta est, inde paucis diebus alteram, & mox aliam ex Venetis Ligur oppressit, successuq; blandiente in Istriam usq; cursu euehitur, sed trium Venetarum occursu audaci conatu inhibitus, metu retrò auertit cursum. Nec foris duntaxat res Veneta est per id tempus iactata, quin domi etiam atroci coniuratione in discrimen adducta. Fuit res eo propior periculo, quo maiorem quàm unquam aliàs conceptum facinus habuit autorem. Falerius dux, quod satis constat, maiestatis conuictus, cum capitibus coniurationis securi est percussus, quidam alto mari depressi saccis inuoluti, indici non solum uenia data est, sed mille aurei nummi annui ex publico decreti, Ioannes Gradonicus cui Nasoni cognomen fuit, in Falerij locum dux surrogatus. Septem Venetæ triremes per id tempus Bernardi Iustiniani ductu multa Genuensibus damna intulerunt, moliebanturq́ue adhuc maiora, quum pax inter utrunq́ue populum compositа est anno quinto, ex quo tertiò recursum fuerat ad arma, & cum Barnaboue & Galeacio qui Ioanni uicecomiti successerant, bellari desitum. Fuerant hi ipsius antistitis ex Luchino fratre nepotes: restituti sunt hinc inde captiui, quorum Genuenses duo milia numero custodia educti, uno agmine Magdalenæ, cui lux illa fuit sacra, fanum cum cæreis adiuere, salutem suam diuæ gratulaturi, secundum eam pacẽ Genuenses à Galeacio & fratre pontificis suasu defecere. Et Caloiannes per idem tempus Constantinopolitanum recepit imperium, Catacusino qui ui illud occupauerat, Catalusij Genuensis opera electo, quo merito Ligur Mitylene cum Lesbo insula à Caloianne donatus est. Romæ eadem tempestate non minor motus quàm Byzantij extitit. Franciscus cui cognomen fuit Baroncello, in Romana ciuitate haud ignobilis, Ioanne Vrsino & Petro Columna senatoria dignitate electis, tribuni nomẽ occupat, titulum usurpat haud multum à Renciano diuersum. Franciscus Baroncellus dei gratia almæ urbis tribunus secundus, ac Romanus consul. Innocentius factus certior de ijs quæ Romæ acciderant, ad temeritatem hominis infringendam Rencium, siue Laurentium potius, alij Cencium scribunt, uincu lis solutum (fuerat is paucis antè annis idem facinus adortus) Romam ire præcepit ad tribunatũ repetendum, nec pontifex sua est deceptus opinione, homo facinorosus domum reuersus, nobilium fauore fretus, tribunum è Capitolio eijcit, eiectum atque in potestatem redactum, interficit, tribunatu potitur. Cæterum Columnenses insectari adortus, eodem ipse loco deturbatus, quum mutata ueste fugam moliretur, inimicorum incursu interficitur: secundum Rencianam cædem unicus creatus est senator ad annum Guido Iordanus, per quod tempus Carolus Boëmiæ rex in Italiam transgressus ferreã coronam Mediolani adeptus est: Romam inde profectus ea conditione à duobus summi ordinis antistitibus est Cæsareis insignibus ornatus, ut confestim Italia abscederet. Post Caroli discessum continuò Egidius pontificis legatus omnia recepit oppida, quæ noui principes in Piceno & Flaminia nuper occupauerant, quibusdam ratum fecit principatum, qui obsequentiores in Romanam sunt ecclesiam & pontifices iudicati, & in his Galeotũ Malatestam, Guidonem Polentanum in Flaminia, Varanẽses in

Sapientina clades.

Prodigium ingens.

Coniuratio Faleriana.

Pax Venetis & Genuen.

Rencij tribuni cædes.

ses in Piceno, Ordelaphos ex Foro Liuij & Foro Popilij & Cæsana deiecit, quoniam pontificum dicto parum obtemperassent. Est Egidius Foroliuiensi ut be adeò delectatus, ut ibi pontificiam pecuniam ex Gallia missam, uelut publico ærario, locauerit. Miserat pondus ingens auri & argenti Innocentius pontifex ex Gallia, ut Italiæ arces instaurarentur, & iam Egidius incredibili successu consecutus erat, ut multo pacatiorem obtineret prouinciam quàm acceperat, quum successor est illi datus Arduinus Burgundius Cisterciensis abbas, uir magis religioni tuendæ idoneus quàm prouinciæ administrandę, quo accidit, ut post Egidij ex Italia discessum cõfestim sit ad arma recursum. Pisani Florentinum agrũ populantur. Et Bernabos Mediolanensium princeps Bononiam bello adoritur, quam Vicecomitibus subiectã Aulegianus quidam Cluniacẽsi abbati prodiderat, Firmium mercedis loco habiturus. Sed dum Vicecomes Bononiam & Rhegium bello premit, Cisterciensis legatus Gonziacis, Estensibus, & Scalanis in societatem belli ascitis, Brixiam inuadit: quę Scalano bello Vicecomitibus cesserat, ut suprà est demõstratum. Vicecomes Bononia relicta in Brixiam celeriter aduolat, ut suos bello leuaret, ad Mõtem clarum sub eius accessum dimicatum est, fuitq́ue ea pugna Bernaboui parum prospera, quippe qui atroci prælio superatus ęgrè urbem tueri potuit. Sed dum hæc circa Brixiam geruntur, Florentini Pisanos præ lio fundunt ac fugant militibus mercede corruptis. Criminabantur Pisani Gambacurtas quod occasionem hosti præbuissent sese illis insinuandi cum malignè stipendium ab his militi redderetur, estq́ue ea re tãta illis inuidia orta à ciuibus, ut Agnellus adʼuersæ factionis princeps qui per id tempus exulabat, in Gambacurtarum inuidiam sit in urbem reuersus. Sub Agnelli reditum Gambacurtæ urbe eijciuntur, nec ita multo pòst Florentini Pisaniq́ue pacificati sunt ex Innocẽtij autoritate. Hetruria rebus pacatis Romæ tumultuari cœptum est senatorijs comitijs, potentissimi quiq́ue ambibant eam dignitatem. Ad discordiam igitur tollendam pontifex extrarium hominem senatorem dedit ciuitati, Raimũdum Ptolemæum ciuem Senensem, qui magistratũ annuũ gessit. Inciditq́ue administratio illa peregrini hominis in annum salutis M. ccc. atque undesexagesimum. Romani externi hominis regimen pertęsi, septem uiros sibi creant qui ciuitatis statum reformarent, ad quem motum comprimendum Innocentius senatorem creat Vgonem Lusignanicũ Cypri regem, tunc ad bellum in Turcos proficiscẽtem, cui illud primum iniunctum est negotium Septemuiralis potestatis ex urbe tollendæ, adeò suspectus fuit pontificibus omnis priuus Romanorum magistratus. Quod bellum per id tempus in Turcos pararetur, aut cuius auspicijs, parum compertum habeo, sed æquum est credere sæpius ex Gallia auxilia recentesq́ue armatorum manus missas ijs qui circa Rhodum & Cyprum perpetuum cum Turcis bellũ gerebant. Sed dum põtifex Romanorum motibus it obuiam, interea Anglij Gallis in Pitiriẽsi agro magno prælio superatis, eorum regem cum Philippo filio capiunt quos Edoardus ea qua fuit magnitudine animi, conditione dimisit, ut bello abstinerent. Cæterum Galli haud multo pòst ad arma recurrunt, Edoardumq́; iterum solicitant, Angliusq́ue resumptis armis Parisios obsidet, ardebatq́;, ut si quando aliàs, Gallia funesto bello. Quærere interea Innocentius quando Gallicis opibus uti non poterat Anglico bello occupatis, in Italia bellum in Turcos comparare. Cæterum classe opus erat in primis, quã non Pisani ornare poterant, quippe qui iam in armis esse cum Florentinis, aut certè, non multo pòst futuri erant. Nec Veneti, quorum opes commodius id põtifici & Christiano nomini præstitissent, ab armis quiescebãt permoleſto impliciti bello, id quale fuerit, & cum quo gestũ suus postea locus declarabit. Torquebant pontificis animum huiusmodi Italiæ incommoda, eoq́ue magis quo spei minus relinquebatur id bellum per alios instruendi: peperit hæc solicitudo grauem illi morbum, quo confectus nono sui pontificatus anno obijt. Sub eius accessum tam insolens Solis defectio facta est, quàm unquam antea hominũ memoria. Vrbanus quintus in demortui locum sufficitur, sed dum Innocentius moritur, Vrbanusq́ue, ut fit, suffragio creatur, Veneti interea perdifficile cum Lodouico Pannoniæ rege bellum gerebãt, belli huius origo ex eo orta est, quod hi nauigium illi in Italiam aduersus Ioannem reginam trajicere uolenti, publicè negassent, id plures autumant. Ego uetus de Delmatiæ possessione certamẽ potius fuisse arbitror. Verum siue hæc siue illa fuerit, Lodouicus ingenti hominũ numero in Delmatiæ urbes immisso, uno tempore Iaderã, Sicum, Spalatrum, Tragurium, & Enonam obsidione cingit. Erat ea parte res satis prouisa à Venetis, & eam obrẽ hostis minus formidabilis: diuersa igitur uia Pannon ingressus, fœdere cum Carrarijs occultè icto, cũ centum armatorum milibus Italiam inuadit. Affuerunt Lodouico & ab Austriæ duce auxilia, & ab Aquileiensi antistite. Defecerunt ad regem confestim Collatini comites, & alij pleriq; reguli. Cuniglanũ & Sacilium, siue Sacellum sit potius, Pannon ad deditionẽ metu compulit. Taurisium inde castra admouet. Firmauerant Veneti ad primam aduentantis regis famam eam urbem præsidio, hæsit itaque hic bellum. Interea Gradonicus dux moritur, quũ annum unum & aliquid amplius tenuisset rempublicam. Ioanes Delphinus absens sit inde princeps. Erat is Taurisij, urbemq́; præsidio obtinebat. Defendebatur interea is locus à Venetis tam ualidè ut rex longioris obsidionis tædio in Pannoniã retrò abierit, parte una copiarum ad obsidionem relicta. Veneti, quia satis constabat Carrarios ictum cum rege fœdus habere, confestim à Lodouici ex Italia discessu, magistratum quem ad id tempus Patauij habuerãt, domum reuocant, commercio urbis Patauinis interdicunt, accersunt & Germanorum cohortes aliquot stipendio inauctoratas, quę per Vicentinorum fines ingressę, quum ad Medoacum consedissent, ab hoste qui eorum accessum præsenserat, quum nihil tale suspicarentur, subita ui fusæ sunt magnaq́; cum strage dissipatæ. Nec multo pòst inducię in quinq; menses cum hoste interceſſere, quibus ineuntibus missi sunt in Pannoniam, Andreas Contarenus, Michaël Phalerius, & Bonitẽdius scriba, qui cum rege de pace agerent, sed pax teneri non potuit. Inducijs itaq; exeuntibus, Serauallum in hostium potestatẽ uenit. In Delmatia quoq; ingens est clades accepta, Spalatrum, Sicum, Tragurium & alia pleraq; oppida ad hostem defecere, est & Iadera furto à Pãnone inita. Enona tanta rei frumentariæ inopia à Ioanne Iustiniano defensa est, ut à nulla ciborum obscœnitate sit interim ab oppidanis & præsidiarijs temperatum. Delmatia magna ex parte amissa, rebusq́; circa Taurisium periclitãtibus, Veneti pacem cum Lodouico rege, si nõ honestam & quam ipsi optassent, at necessariam & ad præsentem fortunam accommodatam his conditionibus sanxerũt: ut quicquid ultra Phanaticum sinum Dyrrachiũ usq; tenuissent, regi cederent, circa sinum citraq́; Veneti haberent: & hæc in ora: in mediterraneis rex Venetis restitueret quicquid circa Taurisium illis ademisset: & Veneti per hęc graui bello leuati sunt. Moritur interea Delphinus princeps quum annos quinq; rempublicam tenuisset. Laurentius Celsius dux inde creatus est, quinquagesimꝰ octauus in ordine, uel, ut alij colligũt, sexagesimus. Celso principe Creta insula à Venetis defecit ob tributum insulanis imperatũ, orta

Vrbanus V. pontif.

Taurisiũ à Lodouico oppugnatur.

Pax cum Lodouico rege.

Celsius dux.

Veij motus Latio.

Septem uiros Ro. creant.

Anglij Gallos superant.

est defectio à Veneris colonijs, quibus autoribus Græci Leonardum Dandulum ducem (is erat ut hodie summus in insula magistratus) in potestatem redactum custodiæ tradunt, negotiatorias naues quæ sub uindemiarũ tẽpus eò uenerãt, intercipiũt. Duplex legatio est in insulã missa, tentatũ an Cretẽses nullam maiorem uim experti imperiũ recipere uellent. Cæterum quum nihil inde pacati responderetur, autores defectionis hostes reipub. iudicati sunt, classis magno ciuitatis studio instructa, mille equites, peditesq; duplo maiore numero præter copias

Bellum Creticum.

nauales ad bellum missi. Buchinus Vermius Veronensis uir ea tempestate fortissimus his dux datus est, & Veneti per hęc bellum inferũt. In Creta quod multum ad uictoriam contulit, non unus ab initio fuit colonorum consensus, quo contigit, ut qui nobilium remab initio non probarãt, prius quàm bellari cœptum sit, in suburbana loca & castella quæ in insula possidebant, secessione facta concesserint, ne tam nefario bello interessent. Fuit ea secessio, quum alijs tum Græcis ipsis maiorẽ in modum suspecta. Arreptis itaq; armis Calergi cuiusdam ductu in eos grassati, plerosque clari nominis interfecere, estque eorum cędes Calergi damnatione uindicata, ne Græci nobilium cruori insuescerẽt. Cum Græcis ad Strabolum montem post Vermij appulsum est dimicatum, fuitque ea pugna Venetis prospera, atque uno loco re bene gesta Candax urbs recepta est, autores defectionis securi percussi, cæteris uenia data, tam celeris uictoriæ nuntius adeò publicè & priuatim Venetijs est lætanter auditus, ut qui in uinculis erant continuò soluti sint, & uirgines pleræque inopia laborantes publico ære matrimonio locatæ: ludi pluribus diebus celebrati tanto nobilium adolescentum studio, ut nonnulli professi sint insumptũ à se in id spectaculũ quingenties aureũm nummũm.

Cornarius.

Sub id tempus quo Creta pacata est, Celsus quum triennio princeps fuisset mortẽ obijt. M. Cornarius, sunt qui Cornelium pro Cornario scribãt, Celso surrogatur. Nec Cretæ insulæ status multum inde quie

Recens Cretẽsium defectio.

uit sed ab hominibus Græci generis & paucis Latinorum recens defectio orta, totam penè insulam breui à Venetis alienauit. Reparato itaque bello sæpe & uario euentu utrinque est dimicatum, incubuitque interim omnis ferè recentis belli conatus circa Lasithos montes, pugnatum & in Siuritis, & ad Milopotamum, postremò uicti circa Anapolim Græci in fidem rediere. De autoribus defectionis ut antè, sumptum est supplicium, & ad omnem noui motus materiam in futurum tollendam, ex Anopoli & Lasithis ueteres accolæ in aliam insulæ partem migrare iussi sunt. Et Creta insula per hæc pacatur biennio ab nouissimo illo defectionis motu, estque huiusmodi uictoriam Cornarij ducis interitus continuò secutus. Habuit principatus ille annos duos & octo mẽses. Andreas Contarenus inde dux fuit.

An. Contarenus.

Tergestini inter initia principatus huius à Venetis defecere, oppugnatiq; sunt terra & mari. Cæterum longa laboriosaque obsidione fatigati, certis conditionibus ad obsequium rediuere. Sed dum Veneti bis Cretam insulam, & mox Tergestinos ad imperium retrahunt: Vrbanus pontifex qui Clemẽti successerat, omnium primum ad res Italiæ tuendas animum adiecit. Egidio quem ex Italia à Clemẽte reuocatum diximus, pristinam administrationem restituit. Is ut magno erat animo in Cisalpinam Galliã reuersus, Scalanos, Estenses, Gonziacos & Carrarios in Bernabouem concitat, à quo Mutinẽses uno tempore & Rhegienses bello premebantur, estque non multo pòst totis utrinque uiribus dimicatum,

Vicecomes ab [illegible] uictus,

magnoque uictus prælio Vicecomes saucius ex acie aufugit. Pleriq; uiri illustres qui illius stipendium merebant, aut fœdere obstricti socia cum eo arma iunxerant, sunt eo prælio capti, & in his Andreas Pe

[illegible] cum eo [illegible]

pulus Bononiensis, sed patria eiectus: Synibaldus Ordelaphus, Paulus Mirandulanus, Guido Foliani cus, Accio Corrigiẽsis, Guilielmus Gaualcabos Cremonensis: & quod eam uictoriam adhuc nobiliorẽ fecit, captus est prælio Lodouicus Bernabouis filius nothus. Venerunt non multo pòst à Galliæ, Anglię, & Cypri regibus legati, postulantes ut Vicecomiti pacem Egidius redderet. Accersiti sunt socij principes Cæsenam à pontificio legato, ubi pax omnium consensu constituta est, sed ea parum fida & ob eam rem non diuturna. Enimuero Ioãne Aucuto, qui Vicecomitum stipendium merebat, Florentinorũ res hostiliter uexante, continuò bellum in Italia renatũ est. Affixit Aucutus Thuci copias ad Miniate oppidum graui prælio. Cæterum ne Florentini secũdum eam pugnam maiorem aliquam cladem adirent, cõfestim Thomas Obicio cum auxiliaribus copijs Egidij iussu transijt in Hetruriam. Aderant Obicioni tria milia equitum, atque ingens peditatus, quibus fretus uiribus haud multo postquam in Hetruriam uenit, in Aretij & Cortonæ finibus cum Aucuto ferociter conflixit, quatuor horis dubio marte pugnatum est, postremò peditum robore cõnixus Obicio hostem fudit, fusum cum multa cæde & strage persecutus uehemẽter affixit. Sena milia equitum Aucuto eo prælio fuisse dicuntur, quorum pauci numero hostem euaserint. Tam nobilis uictoria nõ solum Florentinos erexit, sed quicunque etiam Italiæ principes à pontifice ad id tempus defecerant, in fidem rediere. Erantque res Italiæ in hoc statu, quum Venetis nouum est bellum cum Carrarijs ortum, primum de finibus ambigi cœptum, inde animis altercatione mutuoque odio ad bellum accensis Veneti arma inferunt Rainerij Vaschi ductu, quem magno stipendio ex Hetruria accersiuerant. Populatur Vaschus Patauinum agrum, inde ad oppugnationem cõuersus, aliquot ex hostẽ oppida breui subegit. Reuocat Carrarius princeps graui bello pressus Lodouicum regem in partes belli ex fœdere, est & per eũ Albertus Austriæ dux fœderi ascriptus. Nec ita multo pòst uis ingens Pannonum in Italiam effusa, omnia Venetorum circa Taurisium cæde & incendio fœdant, estque ad Anaxum fluuium à Vascho duce infelici prælio dimicatum, ac secundum eam pugnã Vaschus Venetis legatis iratus per quos non liceret quum uellet ex occasione bellum administrare se imperio abdicauit, alij quia in suspicionem uenisset quod parum syncera fide rem Venetã ad id tempus administrasset, abrogatum aiunt illi imperium. Albertus Corrigiensis & Petrus Fontana alternis diebus in castris imperitarũt. His ducibus cum Stephano Ttransyluano, regiarum copiarum duce, & Carrarijs Veneti in Taurisino agro iterum conflixere, fuitque hac pugna superior Italus, Pannones fusi fugatique sunt, multi ex his cæsi, multi etiam capti & in his Transyluanus cum nobilissimis quibusque Pannonum, capti sunt Patauinorum plerique nobiles cum Carrariẽsium signis. Nec ita multo pòst Lodouico suos ex Italia reuocante, Carrarij pacem quibus Veneti legibus dedere, cupidè complexi sunt. Atque per hæc intra annum est cum Patauo debellatum: quieuit inde aliquandiu res Veneta, sed id otium ut breuius esset, Leopoldi Austriæ ducis subita per Feltrẽses in Taurisium agrum eruptio effecit. Taurisinorum res & loca urbi circumiecta prædę & populationi cessere. Causam illati à Leopoldo belli non reperio, sed Carrarijs instigãtibus, cum quibus Albertus eius dux gentis per Lodouicum regem fœdus & societatem iunxerat, uideri potest bellum illatum, ne quid laxamenti Venetis esset à re bellica, quãquam & Taurisium, quod Scalanis ademptum hi iure belli suum fecerant, solicitare eam gentem potuerit ad arma induenda. Veneti Estensium auxilijs suisque copijs freti, Iacobi ductu cognomento Caballi,

Ioan. Aucutus magno prælio uincitur.

Pannõ uallis inundat.

Venetorum uictoria.

Caballi, ex Verona accersiti, Feltrensiũ fines ingressi, ad urbem usque prędabundi processere, estque Feltrum oppugnatione tentatũ: sed dum Caballus Feltrensibus imminet, una Venetorum cohors à Leopoldo qui Belũni tunc erat, circa Baldinam turrim subita ui opprimitur, eratq; id bellum longius processurum animis utrinque accensis, ni Lodouicus Pannoniæ rex interces sisset, cuius interuentu Veneti & Leopoldus in duos annos inducias pepigere. Nec multum inde temporis intercesit, quũ ne non semper una ciuitas in motu esset, bellum multo infestissimum plũrium principum conspiratione est Venetis ortum. Lodouicus rex cum Genuensibus, Carrarijs & Aquileiensi antistite, cuius erat omnis Carnorũ regio, in Venetos fœdus percusit, qui his nouis terroribus circumuenti, iam enim cum Lodouico induciæ exierant & cum Austrasijs mox paulo exituræ erant, ut in tam periculosi belli expectatione hostili metu aliqua ex parte leuarentur, cum Leopoldo redeunt in gratiam, firmamque sanciunt pacẽ eius gentis negotiatoribus, quos ab initio belli in carcerem coniecerant, dimissis. Restituuntq; simul aliquot circa Feltrũ loca, quæ priore bello hostibus fuerant adempta.

Conspiratio ingens in Venetos.

ENNEADIS IX. LIBER IX.

Ausa belli cum Genuensibus renouandi Tenedi fuit insulæ possessio quam Veneti Caloianne imperatore ab Andronico filio in carcerẽ coniecto (fuerat Caloiannes Veneti no minis amicissimus) à prefecto arcis traditam accepere. Satis cõstabat eam Andronicum Genuensibus dedisse, quibus impulsoribus usus fuerat, inde adiutoribus, ad patrem imperio deturbandum & iam eò missi fuerãt qui Andronici nomine insulam Liguri traderent, quibus responsum est, Tenedum Caloiannis esse non filij, & cum his iusi sunt confestim insula excedere, occurrit eò Andronicus, ubi Venetorum præsidio arcem teneri auditum est, struxeruntque Genuenses aliquot triremes adolescentis nomine, ut res aliena non sua geri uideretur. Andronicus eruptione ex oppido facta, cum suis ad naues compellitur bellicis operibus circa arcem amissis. Hac præcipue causa impulsus Ligur ad euertendas Venetorum opes, cum Lodouico rege, Carrarijs, & Aquileiensi antistite, fœdus & societatem iunxit, impendebatque huiusmodi belli moles Venetis, quum Vrbanus pontifex ex Gallia in Italã uenit quarto sui pontificatus anno: causa Italiæ illi adeundæ fuisse traditur, ut terram ipsam suo interuentu pacaret. Cæterum miror id quosdam scriptũ reliquisse, quum ipsa terra tum maxime quiesceret nec Genuẽses, & qui cum his in Venetos fœdus pepigerant, adhuc bellum ostendissent, ut Italia pacata opus esset. Venit ille quodcunque secutus negotium, subq; eius accessum Egidius, qui tam pulchrè & salubriter rem ecclesiæ ad id tempus administrarat, Viterbij fato decessit. Carolus, audito Vrbani in Italiam reditu, cum uxore & liberis Alpes transcendit. Autores quos sequimur, parum compertum habuisse uidentur, uenerit ne Carolus cum pontifice in colloquium, nec quid rei secutus Romã adierit, facilis est coniectura, quum iam antea insignia imperij esset adeptus, tantum illi tradunt, ab eo Romã petenti Lucam Pisanis, Florentinis Miniate ademptum. Ipse (quod satis constat) tertio mense quàm uenerat trans alpes abijt, grandi à Florentinis pecunia accepta, ut bello abstineret. Fuit annus ille, quo Vrbanus pontifex & Carolus in Italiam uenere, mil

Brigida mulier sanctissima.

Iesuatorum religio.

Gregorius xi.

Banderesij Romæ.

lesimus ab humanæ salutis exordio trecentesimus duoquedeseptuagesimus. Vrbanus Apostolorum capita ex adito in apertum relata, duobus argenteis loculis inclusit, ad aram maximam Lateranensis basilicę multa cæremonia collocauit, ibique hodie uisuntur, quum statis solennibusque diebus populo spectanda proferuntur, ipse Romam profecturus, consilio tamen redeundi, Ioannem Aucutum omnibus copijs, qui pontificium merebant stipẽdium, præfecit, ut rem ecclesię in Italia tueretur. Reuersus inde in Galliam anno sui pontificatus nono aliqua ex parte circumacto Massilię moritur, ut alij scribũt Auinione, quidam autores sunt Vrbanum sub id tẽpus migrasse è uita quo Brigida Suetiæ princeps mulier sanctitate insigni, Romam uoti causa uenit. Quinto huius pontificatus anno, sexto & sexagesimus fuit supra trecentesimum ac millesimum humanæ salutis, Iesuatorum deuotio Senis orta est: colligebantur ab initio domesticatim, simplici habitu amicti multa innocentia & pietate uiri uictum sibi labore & opera quæritantes. Hos Vrbanus pontifex ad se Romam uocatos de cæremonia & uitę instituto appellauit, cognouit rem totam & probauit, deditque ut alba tunica uterentur, tegmento capitis albo cum lacinia quadrata à cervice ad humeros deiecta, cingũtur ad hæc scortea zona, nudos alioqui pedes ligneo socculo inferiore parte muniunt, datum inde est ut canusinum pallium tunicæ superiectum ferrent, Apostolici ab initio clerici nuncupati, hi neque sacris initiantur, neque celebrant missarum solennia, tantum orationi uacant, Iesuati ab eo dicti quòd Iesu regis summi frequens sit nomen in illorum ore. Fuerunt tam piæ rei autores (ut quidam scribunt) Ioannes Columbinus & Franciscus Vicentius Senenses ambo in beatorum numerum relati: secutus inde Ioannes Tusianensis, & Antonius Senensis, hic Fulginei antistes, ille Ferrariæ, uterque sanctitate insigni. Iesuatorum conuentus plerique numero in Italia. Gregorius qui id nomen undecimus à primo tulit, pontificiam est inde sedem adeptus, fuit is Clementis sexti nepos & Baldi iurisscientiæ peritissimi auditor: Senator adhæc Romæ unicus & semestris, quum Banderesij ciuitatem administrarent, sic enim tunc Germanico uerbo dictos reperio, qui nunc regionum capita dicuntur, à uexillis quibus in bello utebantur, inter se diuersis, ut decuriæ signo internosceretur aliquo, uox ipsa adeò inoluit, ut Banderam militare signũ nunc quoque tota uocet Italia. Inter initia pontificatus huius, Veneti Genuenses q;, ob eam quam dixi causam, quartò inter se bellare cœperunt, Victor Pisanus cum uiginti triremium classe, ut procul domo bellum abstineret, in oram inferi maris delatus in Antiate sinu aduersus decem Ligusticas conflixit, sed Venetarum nauium ne dimidium quidem pugnauit, cæteris subita tempestate disiectis, quæ sub ipsum tempus pugnæ ualidius ingruit mari, estque per duas horas certatum, demum uictus Ligur sex amisit uaues, & in his prætoriam, qua Lodouicus Fescius classis præfectus est captus, ac præter hunc ex nobilioribus uiginti numero in Venetorum potestatem uenere, remiges socijque nauales octingẽti, alij sexcenti numero aut cæsi, aut fluctibus absorpti sunt, nec Venetis incruenta obtigit uictoria. Sub id tempus Garreti marchio Bernabouis auxilio fretus, Albingaunum, quod nunc Arbingam uocant, Aulum & Castrum Francum de Genuensibus occupat. Sed is haud multo pòst cum Ligure in gratiã reuersus omnia restituit. Genuenses post cladem illam circa Antium acceptam, Petrum & Dominicum Fregosios in custodiam coniciunt: Nicolaũm Gualcum ducem creant, classi Lucianum Aurium præficiunt. Cæterum dum hæc Genuæ fierent interea Carrarienses hinc bellum Venetis inferunt,

inde Aquileiensis autiſtes. Hi præter Bernabouem Vicecomitem, qui Genuensibus infensus erat ob eorum defectionem, & Petrum Lusignianum Cypri insulæ regem, neque socium ullum neque amicum habebant, etsi regis opibus nunquam, Vicecomitū nonnihil eo bello usi sunt ad Ligusticam oram infestandam. Carrarij principis & Aquileiensium copiæ ex composito circa Taurisium consedere, & Genuenses non multo prius Augustam in Cypro urbē occupauerant. Causa inimicitiarum regis cum Ligure inde orta est, quod quū Petrinus Cypri rex in Augusta coronationis suæ pompā duceret, adessentq; Venetorū & Genuēsiū ptores, qui in ea urbe, alijsq; eius insulæ emporijs, suis uterque ciuibus, qui negotiorum causa illic esse, ius dicebant, orta inter eos contentione de præcessu & digniore loco secundū regem tenendo, utrisque in aduersum tendentibus, oritur & tumultus quo Genuenses cæsi pulsiq; sunt ex tota insula, rege in Venetam causam multo propensiore quàm Ligusticam, in quo uideo regis consilium à quibusdam accusari, quod quum pro imperio & potestate qua suo regno pollebat certamē accensum, tollere potuisset, maluerit alere quàm extinguere. Genuēses ergo quadraginta triremium classe ad id instructæ. Petri Fregosij ductu, qui Dominici erat ducis frater: sunt qui tradant hunc primum Genuæ ad Venetorum imitationem ducem creatū. Fregosius subito in insulam appulsu Augusta potitus est. Habeo quosdam autores regem ipsum cum urbe uenisse in Genuensium potestatem atque in Liguriam abductum, restitutum & inde in regnum, sed prius tributarium factum, alij subita ui subactū tributum his annuum promisisse memorant, Augusta quam semel occupauerant illis relicta. Sed utcunque res acta est, Ligur quod inter omnes conuenit, Augustam tenuit, præcelsiq́ue hic Cyprius motus nonnihil quartum bellum Ligusticum. Nec multo B
Bernabouis filia. postquam Augusta Genuensibus, per eum modum quo diximus, cesit, Bernabos Vicecomes cum Venetis egit, ut filiam Cyprio regi desponsam, sex triremium comitatu ad uirum deueherent, ipse in tris mensēs obtulit equites mille & octingentos ad Genuensium res domi lacessendas: sunt qui Vicecomitis classe puellam dicāt in Cyprum delatam, sed Veneti annales quos sequimur, rem ut à nobis prodita est digerūt. Fuit regia sponsa apud Cornelios in hospitio, quandiu Venetijs commorata est, sex itaque Venetis triremibus & quinq; Cyprijs quas rex miserat, hinc profecta, Cyprum incolumis tenuit, erat tum rex ad Ceraunium, nunc Cerinum dicunt, hic cum trierarchis Venetarum nauium egit, magnam mercedem pollicitus ut Augustæ portum eximpro uiso irrumperent, ipsiq́ue à mari, Cyprij à terra, urbem uno tempore oppugnarent, manifesto illorum errore, qui literis prodiderūt regiam sponsam à Bernabouis classe in Cyprum deuectam. Occuparunt sex Venetæ triremes portum cum quinque mercenarijs, quibus rex utebatur, tres Ligusticæ quæ in portu stabant, subita sunt ui oppressæ, est & urbs oppugnatione tentata. Cęterum Cyprijs parum nauiter à terra operam nauantibus, cunctantiusq́ue muros subeūtibus, Veneti cum multa cęde sunt, à mœnibus repulsi, ac toto portu telorum multitudine eiecti, sic urbe parum feliciter tentata, Veneta classis in Syriam tenuit cursum, Spina regia, naui magnitudine & fama insigni, obiter ex hostibus capta & cum ea preciosissima merce. Sed quum procul domo hæc fiunt, Pisanus interea classis præfectus Catarum expugnat. Affuit nec multo pòst Ligur hostis cum classe ad bellum instructa, qui Venetum obuiā factum, & à sinus ingressu arcere conantem, uariè
Res in Delmatiæ ora gestæ. ludificatus, Tragurinum insedit portum. Nec res Veneta tantum mari hostiliter incessebatur, sed uno eodemq́ue tempore hinc Genuenses Delmatię sese A insinuant, inde Carrarij sociorum auxilijs aucti, Mēstram oppidum urbi propinquum multa ope oppugnant, sed locus Venetorum præsidio ualide est defensus, simulq́ue Pisanus à mari per idem tempus Sicum ui captum diripit. Iam enim Lodouicus rex qui fœdus cum Carrarijs & socijs occultè ictum habebat, ex confesso erat hostis, in eius itaque inuidiā Venetus Sicum hostiliter direptum incendit, est & Tragurium oppugnatum, sed frustra, Genuensibus, qui regi iuncti erant fœdere, & portum & urbem tuentibus. Fuit itaque oppugnatio illa Venetis non solum irrita, sed tristis etiam & ignominiosa, quippe qui à muris hostium reiecti sunt cum cæde multa: & ad naues compulsi, Cęterum Pisanus hinc profectus Arbam insulam recepit, inde Tragurium repetitum, sed recens ille conatus nihilo fuit priore prosperior. Et hæc per id tempus in mari gesta: principio alterius anni duæ Venetæ onerarię, contra publicam fidem illis daram, sunt apud Anconē in portu à duodecim Ligusticis oppressę. Pisanus patrum decreto tota Apuliæ ora frumentatus, onerarijs domum cum tritico dimissis, ipse cum cætera classe in Histriæ ora consedit. Interea quinque triremes ad bellum instructæ, Caroli Zeni ductu, in oram inferi maris domo proficiscuntur, ut res Genuensium ex proximo infestarent, laborarentq́; ipsi quoque propinquiore bello. Et Veneti per hunc modum terra mariq́ue suarum rerum satagebant, quum in Hetruria nouum bellum oritur. Pratenses se in libertatem uindicare uolentes, Ioannem Aucutum cum exercitu accersunt pōtificio legato haud inuito. Cæterum Florentinorum pecunijs mutatus Aucutus, Pratum ingressus, autores defectionis capite multauit, inde res ecclesię libertatis titulo adortus, breui tenuit, ut Typhernates, Perusini, Tudertini, & aliæ pleræque ciuitates à pontifice defecerint. Occupat interim Granariolum Fauentini agri Astorgius Manfredus, B ad quem opprimendum pontificis legatus Ioānem Aucutus misit ex Bononia. Fauebant nihil obscurè Astorgij conatibus Fauentini & Bononienses, quorum perfidia percitus Aucutus Fauētiam hostiliter diripuit, oppidanos sine ætatis aut sexus discrimine militi trucidandos dedit, solum urbis Nicolao & Alberto Estēsibus uendidit. Pontifex nouo Italiæ motu percitus Gebenensem antistitem legatum misit in Italiam, & cum eo sex Gallorum equitum milia. Hybernarūt hi in Cisalpinam Galliam progressi in Foro Cornelij, fueruntq́ue hyberna illa tam tumultuosa, ut oppidani Gallorum iniuria exagitati, quin gentis subito tumultu interfectis, cæteros præcipites actos muro & portis excluserint. Galli suorum cæde iritati, non multo pòst per arcēm immissi, urbem occupant, qua potiti præter uirgines & matrōnas florentes ætate ad stuprum relictas, cæterā multitudinem ferro trucidant. Forliuienses uicinę urbis excidio perculsi, ne ipsi quoque legati stultitia cladem aliquam insignem adirent, Ordephalos in urbem accipiunt, à quibus strenuè defensi sunt. Tum Gregorius reputans animo omnia mala, quæ Italia pateretur pontificum absentia euenire, de Gallia relinquenda animo agitabat, quum fortè antistitem quendam in proximo stantem intuitus, ab eo quæsiuit, quid esset quod tandiu suam ecclesiam non inuiseret, non esse boni pastoris dictitans diutius à suo grege abesse: tum ille satis tempestiue, tu uero pontifex qui alijs exēplo esse potes & debes, cur tandiu à tua quæ Romæ est, abes ecclesia? Perstrinxit Gregorij animum tempestiua uox illa, ita ut paulo *Pontificis fu-* pòst uiginti triremibus in Rhodano instructis, di- *des Italiæ re-* uersum negotium assimulans, ne Galli suum impe- *stituitur.* dirent digressum, quorum magnopere intererat curiam penes se esse, cum omni clero in Italiam redijt, *LXX. anno ab init. Rō.* anno ex quo in Gallia esse cœperat septuagesimo. *pontificis.* Fuit hic annus quo Italiæ restitutum est pōtificium decus,

decus, septuagesimus septimus supra trecentesimū A ac millesimum, ab eo qui primus humanæ saluti dedit exordium. Haud dicere est quàm gratus fuerit Romanis pontificis reditus, quum non solum urbis ædificia situ & uetustate consumpta essent, sed ciuitatis mores esse desierāt, qui olim fuerant. Subito itaque & urbem instaurare adortus est pontifex, & Italiæ statum pacatiorem reddere. Florentini qui bus Gregorij in Italiam reditus haud proinde gratus fuit, ob ea, credo, quæ in nobilissimarum urbiū ab ecclesia defectione, eorum, ut ferebatur impulsu nuper euenerant, cum Bernaboue paterno & auito hoste fœdus paciscuntur, & Aucutum ab ecclesia alienatum stipendio accersunt. Notauit pontifex Florentinos anathemate, in quo ea usi contumacia dicūtur, ut sacerdotes quibus erat sacris interdictum, contra jus fasq́ue diuinis operari coëgerint, tum pōtifex & ipse ad arma conuersus exercitum comparat, ut his bellum inferret. Cæterum Genuensium Venetorumq́; discordia impedimento fuit quo minus bellum intulerit. Enimuero dum Gregorius totis pontificiæ dignitatis uiribus laborat ex duorum populorum manibus ferrum excutere, dum adutrosque mittitur, amborumq́ue audiuntur querelę, ueficæ dolore uictus moritur, anno sui pontificatus septimo. Fuerunt ea tempestate in re literaria clari *Viri illustres.* Ioannes Boccatius Florentinus, Certalda domo, uir copioso ingenio, & cuius uaria extant studiorum monumenta, Ioannes Rupesinus Minoritanę professionis, Thomas Constantinopolitanus antistes Carmelita, Simon Cassianus eremitani ordinis, omnes theologica doctrina illustres, quippe qui plura in eo genere scripsere. Orta est per idem tempus no *Origo nouī or-* ua eremiticæ pietatis congregatio, nil ferè habitu di *dinis.* stans ab diui Hieronymi secta, quæ alio est à nobis loco memorata. Cæterum ijs qui Gregorij pontificatu esse cœperunt, ex scapulari amictu tenuis pendet lacinia in humeros reiecta, calceatus ferè communis, cætera quę & Hieronymianis. Petrus quidā uir Hetruscæ gentis, ac Pisis natus, noui huius instituti autor, qui ad hunc suam ipsi originem referunt, huius filij uocari uolunt, nec adeò multi numero, utpote re adhuc recenti, quinque & uiginti conuentus huic familiæ, quadringenti circiter initiati, nec Italiæ limites res adhuc supergressa est. Efflagitare Romani nouum pontificem Italici generis, ueriti ne curia in Galliam remigraret. Erant tredecim Gallici sanguinis in supremo ordine antistitum, qui haud dubiè pontificem sui corporis creassent, quum quatuor duntaxat Italici essent, nisi peropportunè esset inter illos uariatum, quo accidit ut Bartholomæus Neapolitanus Barensis antistes, absens sit pontifex *Vrbanus VI.* creatus, qui Vrbanus sextus dici uoluit. Fremere *pontif.* Gallici antistites, fraude & ui sibi pontificatum è manibus extortum calumniari, dimisso itaq; concilio continuò secessio facta est, sæuienteq́ue Romano Populo quidam eius ordinis in Adriani molem concessere, alij ad montes prolapsi sunt. Vrsinus antistes ad uicum Valerium, alij Varronis appellant, sese proripuit, sperans eo tumultu fore ut ad se pontificium decus deuolueretur, sed paucis diebus pœnitentia adducti secessionis autores ad obsequium redeunt, erat in Vrbano magna seueritas, odisse ac palam insectari immoderatiores magnorum antistitum sumptus, effrenatas cupiditates, his offensi Gallici nomi nis uiri qui supremo illi erant ordini ascripti, specie uitandi æstus ex urbe digressi Fundos abiere, ubi pontificis creationem infamare adorti, ut uiolētam minisq́ue sibi non uoluntario suffragio expressam, Vrbanum in ordinem redigere, pseudopontificem appellare, mox in unum coëuntes, Ioanna regina iuuante, nouum sibi pontificem creant, Gebennensem antistitem, Clementem septimum uocant, hinc *Nouū schisma.* nouum schisma ortum, hinc diuersa principum stu-

dia, diuersi urbium fauores, iam & Gallicus exercitus à nouo pontifice immissus ad res ecclesiæ suo nomine recipiendas, Romę appropinquabat. Hunc urbana multitudo uenientem ad Salarium pontem prælio excepit, incompositoq́ue agmine irruit in pugnam, funduntur Romani, multaq́ue cędę & trepidatione pulsi in urbem refugiunt, nec multi inde dies interceſſere, quibus ijdem cum eodē hoste ad Marinum oppidum irerum congressi, Gallos ad sa- *Gallorum cædes.* tietatem cecidere, ita ut uix ex tāto numero & exercitu repertus sit qui acceptam suis nuntiaret cladē: hæc fuit illa Gallorum manus, quę à Gregorio pontifice cum Gebēnesi antistite fuerat in Italiam missa, ut loco non multum diuerso est demonstratum. Sed dum res ecclesiæ duorum pontificum discordia laborant, Veneti magno à Genuensibus incommodo affecti sunt. Insederat Pisanus classis præfectus Polanum portum, ex Appula illa frumentatione reuersus, cuius suprà mentio facta est, habebat ille unam & uiginti naues ad bellum instructas, & in his quinque aliquanto cæteris crassiores, quæ carinis stabant inuersis palmigatui subiectæ, eratq́ue Venetus huic operi intentus quum quatuordecim Ligusticæ mille passus à portu repente apparuerunt proximum promōtorium circumactæ, & iam pugnam ciebant. Venerant per eos dies decem aliæ triremes in supplementum classis Liguri, de quarum aduentu nihil adhuc Venetī resciuerat, eas hostis post promōtorium subsidio locauerat. Pisanus nihil minus quàm insidias ueritus, prioris enim classis numerus ante oculos obuersabatur, iussis quinque illis quæ in manibus erant ad prælium expediri, atque euestigiò sequi, ipse cum cętera classe in Ligurem uehitur: fuit aliquandiu anceps prælium, conciditq́ue primo *Pugna naualis.* congressu Aurius classis præfectus, estq́ue prætoria nauis eo cadente oppressa: tum Ligur, simulata fuga, Venetum à portu distrahit, tractumq́; ad locum insidiarum, à fronte & à lateribus ferociter circumstitit, restitit intrepidè quoad triremes illæ, in quibus omnis spes fita erat subsidij, & quæ pone sequi debuissent, Venetam classem ab hoste circumuētam intuitæ ad dexteram flexerūt Venetias uersus, tum Veneti qui prælio degrauati ægre hostem sustinebant, suorum auxilio destituti, haud dubiè succumbunt. Pisanus medio certamine reuulsus & ipse fugam occupat, quindecim Venetæ triremes cum nualibus turmis in hostium potestatē uenere, ad duo milia hominum capta dicuntur eo prælio, & in his plerique nobiles, cæteri aut ferro, aut medijs fluctibus mersi occubuerunt. Pauci numero proximum littus nando tenuerunt: trierarchi qui pugnam detrectarunt, quum suis subsidio esse debuissent, postquam Venetias appulsum est, in carcerem coniecti sunt: Est & Pisanus classis præfectus, patrum decreto custoditus, quod inexploratò ad pugnam exiuisset, eamq́; temere initam postremò detrectasset. Nec Ligur ea uictoria potitus quieuit, quin reparata cōfestim classe, captiuisq́; nauibus Delmatico remige instructis, octo & quadraginta triremium expleuit numerum, nec ab initio est uniuersa usus classe, sed parte nauium celeriter deducta, Humagum, in ora Istriæ occupat, mox Gradum & Caprulas Venetijs uicinas cepit, pergit inde proculire, onerariamq́; unam in Syria, merce onustam adeptus, in conspectu urbis diripit, direptam incēdit. Inde dextrum littus tenens, Palæstinam metu hostium desertam occupat, postremò Clodiam oppugnare adortus ęgrè est inde ab oppidanis & præsidio repulsus: hinc Delmatia reperitur, quò nuper uenerat Petrus Aurius ex domo missus, ut mortui fratris loco classis imperio præesset. Is octo & quadraginta triremibus minoribusq́ue nauigijs confestim eductis, perpeti cursu Istriæ & Iapidiæ oram, mox & Venetum littus prę- *Clodia fossa ca-* teruectus, tumultuosę Clodię fossę portum insedit. *pitur.*

Affuit ex compoſito Carrarius cum commeatibus & auxilijs, ſuperuenerunt & ab Aquileienſi antiſtite aliquot cohortes, ſic hoſtis multitudine abundans, urbe magna ſuorum cæde, ſed hoſtium multo maiore potitus eſt, ſex milia oppidanorum militũque præſidiariorum cæſa. Inde Lauretum cepit Ligur, poſtremò Metamaucenſem portum quinque milibus paſſuum ab urbe cum tota claſſe inſedit. Veneti Clodia amiſſa ſtudio & irrequieto opere non ſolum ea parant, quibus urbem tuerentur, ſed quibus etiam procul inde hoſtem arcerent. Victor Piſanus confeſtim carcere educitur, alijs aliud munus iniungitur, mari, terra, ſtagno, ciuitas laborat. Carolus Lodouici regis perneceſſarius cum decem milibus Pannonum & ſociorum appendicibus Tauriſium circũſider, atque ita Veneri terra & aquis premebantur. Cæterum in tanto ſæuientis fortunæ ſtrepitu ſemel duntaxat pax ab his tentata eſt, quæ cum talis proponeretur, ut nihil præter uitam hoſtis Veneto relinqueret, ira ex indignitate rei oritur, ex ira tuendę libertatis ſtudium, atque omnia extrema audendi, priuſquam hoſtibus cederetur. Quum omnia Venetorum tempora ab urbe condita, ad noſtrã uſque ætatem conſidero, nullum unquam tempus incidit, nec res ulla in qua magis Veneta uirtus enituerit, ut neſcias maior ne afflictę ciuitati affuerit in aduerſis conſtantia, an in laboribus robur, an in conſilijs ſolertia. Enimuero paucis diebus reparata claſſe cum hoſte ſępius in ſtagno dimicant, quibus certaminibus quidam autores ſunt hominem Germani ſanguinis, ignobilem alioqui, tum primum Bombardæ uſum Venetis oſtendiſſe, cui à ſonitu ſit nomen inditum, huiuſmodi machina haud uno loco Veneti iam inde uſi dicuntur ad hoſtem procul inceſſendum, qua Genuenſes clade, quoniam id malum adhuc uulgo ignotum eſſet, haud mediocriter affecti ſunt: primò itaque Metamaucenſi ſtatione Ligur metu deiectus Clodiam repetit, quem Venetus mox paulo adortus tam ualidè ab omni parte clauſit, ut non Carrarienſium opes, non Liguſtica claſſis bis Clodiæ admota obſeſsis auxilio eſſe potuerit. Longum ſit & ab inſtituta ſtili breuitate alienum, ordine explicare, quæ interim partium conſilia, quæ rerum uices, quoties & quàm uario marte ſit ſępius hincinde circa Clodiam dimicatũ, quoties conatus ſit Ligur in apertum euadere, & à Venetis prohibitus. Perijt Aurius hoſtium dux interea, perierunt multi uiri fortes, alij alio caſu. Sed dum ad Clodiam foſſam per hũc modum bellatur, Carolo cum exercitu in Pannoniam abeunte, quem Lodouicus rex Vrbani pontificis rogatu erat in Apuliam miſſurus, aduerſus Ioannam reginam, quę Clementi pſeudopontifici fauebat, Tauriſium multo pertinacius eſt aduerſus Carrarium hoſtem & ſocios defenſum. Et procul domo Carolus Zenus multa per id tempus pręclarè geſſit. Primò circa Siciliam, in ipſa Tyrrhenię ora multas Ligurum onerarias oppreſsit, inde hoſticum iugreſſus omnem Ligurię oram à portu Venetis Genuam uſque fœdè populatus eſt. Sũt & Vicecomitum armis Genuenſes eodem tempore laceſsiti, Venetorum cauſa. Adortus Vicecomes Pulceferam uallem hoſtiliter omnia prædatus eſt. Cæterum auro, ut fertur, à Genuenſibus corruptus, nulla alia re memorabili geſta, retrò abijt: miſit tamen non multo pòſt Aſtorgium Fauentinum in eũdem hoſtem, qui ſubita Genuenſium eruptione fuſus fugatusque eſt, ueniſſet & dux ipſe in uictorum poteſtatem, niſi cucullo amictus periculo ſeruatus eſſet. Iuuit Michaël Iuſtinianus rem Venetam procul domo quatuor triremib⁹ fretus, quas circa Helleſpontum ab initio belli decreto patrum ductabat, iuuerunt & ſex aliæ triremes, quæ poſt Zeni digreſſum domo abſceſſerant, cuius ductu non habeo dicere. Hæ magno hoſtium incommodo, per oram ſuperi maris euagatæ, in Pontum poſtremò curſum tenuere, ac circa Byzantium Coloianni, qui Andronicum filium in Peram compulerat, peropportunam in recipiendo imperio operam nauarunt. Sunt qui ſcribant in Venetorum gratiam Coloiannem Peram oppugnaſſe, ut ea quoque parte Genuenſes aliquo incommodo afficerentur, ſed locus ab Andronico Turcorum Bulgarorumque ſocietate & auxilijs freto, ualidè eſt defenſus, tantumque terroris patri incuſſum eſt, ut in Genuenſium partes tranſire ſit coactus. Sub id tempus Zenus Tenedum appulit, quò paucis diebus undeuiginti Venetę triremes quæ ante Clodiæ expugnationem aliæ alius ductu fuerant domo profectæ, uelut ex compoſito conuenerunt, præceſsit hic Venetarum nauium appulſus Caloiannis defectionem, quo contigit, ut Albertutius Piſanus, Caroli & aliorum conſenſu cum aliquot triremibus ſuppetias tulerit Caloianni Peram oppugnanti. Has ego illas triremes fuiſſe arbitror, quæ, ut proximo eſt loco ſignificatum, quidam ſuppreſſo præfecti nomine, domo poſt Zeni diſceſſum profectas prodiderunt, quę latè Adriacum Ioniumque peruagatæ, Perenſi demum oppugnationi interfuere. Poſt Albertutij digreſſum Carolus cum cætera claſſe Rhodum petijt, duabus triremibus ad Tenedi præſidium relictis: ex Rhodo Venetus Cyprum tenuit, ex Cypro tranſmiſit in Syriam, pleriſque interim ex hoſte nauibus interceptis. Sedebat Zenus in Berytano portu, quum Cretenſis ad eum nauis uenit cum publicis literis, quibus factus eſt certior de Clodiæ amiſsione, patriaque nonnihil à Ligure obſeſſa, properaret itaque ſuis opem ferre, maturato opus eſſe, nequa maior clades cunctando adiretur. Commotus ſam atroci nuntio Zenus confeſtim ex Syria profectus celeri curſu Cyprum repetit, hinc digreſſus quum Rhodum præterueheretur, ceteam unam Liguſticam expugnat, qua neque maior ulla, neque ditior fuit tempeſtate illa, proſpera inde uſus nauigatione peropportunè ſuis circa Clodiam laborantibus affuit: nam eò res nenerat, ut Veneti qui Clodiam terra & aquis circumſedebant, rerum omnium inopia adacti, hoſteque prægrauante, biduo ſoluturi eſſent obſidionem, niſi peropportunus Zeni reditus ſuorum animos confirmaſſet. Nullius opera magis eo bello enituit, quanquam Contarenus princeps ſupra ætatem obſidione illa laborauit. Reportauit & Victor Piſanus magnum nomen ex Clodia recepta. Tenebat adhuc obſidio, quum Thadeus Iuſtinianus cum duodecim triremibus iuſſus eſt onerarias naues ſequi, quæ ad frumentum coëmendum in Apuliam mittebantur. Is Carnorum oram præteruehens Gradum recepit, proſpera inde uſus nauigatione Sipontum tenuit. Hic quum Venetus ſederet, audito Liguſticæ claſsis aduentu, aliquot naues frumento onuſtas domum properare iubet, cæteras onerarias demerſit, ne illis Ligur potiretur, ipſe cum ſex triremibus, cæteraę enim præſidiariæ aliò frumentatum diuerterant, confeſtim portu egreſſus in altum abijt Venetias petiturus. Cæterum inſtituto curſu ſubita tempeſtate excuſſus, Sipontum repetit, affuit nec multo pòſt Ligur, eſtq; circa portum plures horas dimicatum. Poſtremò ſuperante hoſtium multitudine, Thadeus cum centum alijs capitur, cæteros uicinitas urbis texit, naues igni corruptæ ſunt. Inde ad Ficulanum portum eſt itum, ubi ſex alię Venetæ triremes ſtabant, ut fama erat. Hic uictor Ligur ſucceſſu exultans, quum parum conſiderate ſubijſſet portum, facultatem prębuit Venetis ſeſe ad fugam expediẽdi, quinq; una poſt aliã prima trepidatione dilapſæ altum tenuerunt, una hoſtem effugere non potuit, tum mę nauales quæ Sipontum fuerant metu compulſę terreſtri itinere Clodiam uenere, ubi adhuc Venetus

Bombardæ uſus.

Venetorũ & ſuorum conatus circa Clodiam.

Attende nuntium.

tus ſedebat: quanquam res iam ad exitum ſpectabat. Ligur longa obſidione domitus, fameque & laboribus cõfectus, deditionem fecit decimo men ſe quàm urbem ipſam ui ceperat, quo temporis ſpatio plurimi ex his, alij alijs caſibus, ſed fame multo plures deſiderati. Tria milia Genuenſium fuiſſe dicuntur, qui poſtremò dediti ſunt, cæteri Patauini & Delmatici nominis Ligures Venetijs publicè cuſtoditi uſque ad exitum belli. Fuit hic annus quo per hunc modum ad foſſam Clodiam bellatum eſt, octogeſimus ſupra trecenteſimum ac milleſimum humanæ ſalutis. Clodia dedita Ligur cum claſſe, quam eò fruſtra admouerat, quod ſemel atque iterum fecerat, ut ſuis auxilio eſſet, ubi rem perditam ſenſit, in Iſtriam tranſmiſit, ſub cuius appulſum Tergeſte paucorum exulum proditione eſt à Venetis alienatum, arcem Ligur à fundamentis diruit, urbemque præter exulum domos hoſtiliter diripit, direptam ac male affectam, Aquileienſi tradidit antiſtiti habendam. Hinc retrò impetu auerſus, Clodiam repetit, ubi omnia ſibi obſepta intuitus, læuum littus relegens, ante urbem in procinctu ſtetit, confeſtim dimicaturus, ſi ſibi pugnandi copia fieret. Cæterum quum nihil ex urbe moueretur, in Carnorum oram auectus, claſſem Marranenſi portu reſarſit, mox hinc digreſſus Polam ui cepit, captam magna ex parte incendit. Hac Veneri clade adacti, aliquanto celerius quàm animo deſtinarant, claſſem in apertum emittunt ſeptem & quadraginta triremium, & cum his biremes aliquot eductæ. Ligur ad tam ualidum hoſtium apparatum territus, ubi Venetus appropinquare dictus eſt urbe crudeliter direpta Iaderam conceſsit, creuit Venera claſsis breui, ita ut centum circiter magnarum nauium ſit numerus expletus, eratque Victor Piſanus tam ualidæ claſsis præfectus, aderat & Caballus Veronenſis, cuius opera fida ſtrenuaque fuerant Veneti uel in extremis ſuis rebus uſi: ſub primum igitur in Iſtriam appulſum, Tergeſtum receptum eſt ac direptum in exulum inuidiam: quidam annales Iuſtinopolim, non Tergeſtum captum ſignificant. Polam inde claſsis admota, quo tempore Ligur Arba potitus eſt. Venetus ex Iſtria in Delmatiam proceſsit, ubi quum Iaderæ immineret, indicio compertum eſt decem Liguſticas triremes in Apuliæ ora frumentari, quas Piſanus ut opprimeret, confeſtim ex Iadera ſoluit, quanquam grauante febre. Ligur in Pelignorum ora ſub noctem repertus, contracto prælio, ſiſti non potuit tenebris illum è conſpectu auferentibus. Claſsis inde Sipontum admota eſt, ubi Piſanus fato deceſsit. Circa Tauriſium iam inde à Caroli digreſſu diu multumque laboratum. Carrarijs in ea urbe obſidenda perſeuerantibus, eſtque interim cum hoſte uarie certatum, ac multo pertinacius circa Silim, munitioneſque ab hoſte fluuio impoſitas ad fluuialem nauigationem inhibendam, ſed certamine illa non multum memoria digna. Veneta claſsis poſt Piſani interitum, Alouiſij Lauretani ductu, Segniam & Breſcham in ora Liburniæ ui capit, eſt & Coricta deditione recepta, Bocharis oppidum inde direptum, atque incendio abſumptum. Et iam in mari Venetæ opes multo ualidiores erant quàm antea, ut merito hoſtis eas formidaret, quum pleraque oppida circa Tauriſium à Venetis alienata, ex omni ſpe ciuitatem deiecere Tauriſij ulterius retinendi. Cæterum mille equites ad hoſtes defecerunt, quia ſtipendium ſibi non redderetur, & Tauriſij præſidiarius miles tumultuari, quia indicio comperiſſet, miſſos eſſe à Venetis in Auſtriam ad Leopoldum, qui urbem ipſam publico illi nomine deferrent, ne Carrarij ea potirentur: coguntur ſimul Veneti claſſem reparare: conſtans enim fama erat, Genuenſes cum magno nauium apparatu in aper-

Piſani interitus.

tum proceſsiſſe. Carolus Zenus in hoſtem iturus (is tunc maris imperio præerat) duodecim Delmatici nominis naues haud uno loco captas diripit, atque igni corrumpit, inde perpetuo curſu in oram inferi maris euehitur, ut hoſtem domeſtico bello implicaret. Sub Venetæ claſsis digreſſum Genuenſes qui circa Delmatiam ab initio belli fuerant, aut certe qui cum noua claſſe uenerant, Zeni occurſu declinato, Iuſtinopolim occupant, direptamque magna ex parte incendunt. Hæc in mari. Tauriſium interea ne ea Carrarius potiretur, Leopoldo Auſtriæ duci Veneti habendum permiſerũt, miſsi ſunt publico nomine, ut ſuprà eſt demonſtratum, qui eam duci traderent. Venerunt confeſtim à Leopoldo qui deditam urbem à Veneto reciperent, nec Leopoldus multo pòſt affuit cum decem milibus equitum, ac tum demum Carrarij duces, qui circa Tauriſium adhuc ſedebant, Leopoldi metu obſidionem remiſere. Interea tres Liguſticæ læuum Italiæ latus curſu præteruectæ, ab Ancone Venetias uſque quinquaginta onerarias naues, circa fluuiorum oſtia temere oblatas diripuere. Cæterum ueritus Ligur, ne ſubito hoſtium occurſu opprimeretur, præda onuſtus in Delmatiam tranſmiſit. Inceſſebanturque per hæc Veneti à Ligure, contrà Zenus cum claſſe Genuenſium finibus ferociter imminebat, quum demum pax inter utroſque & ſocios partium ſecuta eſt. Autor & arbiter iungendæ pacis fuit Aimo dux Allobrogum, leges utrinque datæ & acceptæ huiuſmodi fuere: Vt Genuenſes Venetique utrique alteris captiuos redderent. Carrarius princeps Caput aggeris & Morentianum reſtitueret. Præſidia quæ in ſtagno & circa flumina teneret, demoliretur, Veneti Curaniam illi turrim relinquerent, Albertus Eſtenſis eſſet finium, de quibus ambigeretur, arbiter. Venetus Tenedo præſidium abduceret, inſulam Allobrogum dux biennio ſuis armis cuſtodiret. Veneti & Genuenſes ſtipendium ad prędium alendum darent. Poſt biennium arx dirueretur, ſi ita opus facto Liguri uiſum eſſet, ac tum demum Veneti inſulæ poſſeſsione decederent. Florentini de inſula nõ amplius à Veneto aut à Ligure occupanda, ſponſores facti, ea iniuria trecentis milibus æſtimata. Nec Veneto Liguri ue liceret circa Tanaim negotiari, quum ob eam rem ſæpius mota eſſent arma, ut Veneti decimo quoque anno ſeptem aureorũ nummũ milia Lodouico regi penderent, ille ob id toto Delmatiæ tractu ſalem fieri prohiberet, omnemque Delmatiæ oram tutam Venetis redderet, citro ultroque negotiorum cauſa nauigantibus. Chinatius Tauriſinus, qui omnium quos uidimus, diligentiſſime hoc bellum ſcripſit, tributi huius nihil meminit. Et bellum per hæc utrinque ſolutum eſt, anno ſexto quàm cum Genuenſibus fuerat ad arma reẽſum. Eo die quo pax ſancita eſt, infans natus dicitur, crura brachiaq; quaterna habens, uixitq; quoad ſit ex baptiſmi fonte ſublatus. Venetæ matronę tantum pecuniæ in medium contulere, ut Genuenſibus qui ſeminudi cuſtodia educti ſunt, tunicæ aliaque uelamenta corporis, ut cuique hac uel illa re opus fuit, ſint abeuntibus præbita, uiaticum adhæc datum, ne mendicare cogerentur, qui tandem emiſsi ſunt, mille quingenti numero fuerunt, cæteri diuturni carceris fœtore, tædioque, & ut quidam tradiderunt, ab longa obſidionis inedia, ad eſuriem cibo ingurgitato, medio tempore mortem obiuere. Quieuit hac pace parta magna pars Italiæ, ſed Italia non tota, nam Carolus Lodouici regis ex fratre nepos, qui ab Vrbano fuerat in Italiam accerſitus aduerſus Ioannam reginam, cum octo milibus equitum Hetruriam ingreſſus Arretium ciuium diſcordia agitatum, in poteſtatem redegit, inde Florentinos bello eſt adortus, quo apparet pontificem

Pax inter Venetos & Genuenſes.

Monſtrum.

Venetarũ mulierum in captiuos pietas.

in animo habuiſſe, non tantum reginam ulciſci, quæ põtificem à Gallis antiſtitibus per ſeceſsionem creatum tuebatur, ſed infringere etiam illorum opes, quia Aucuti ducis moribus, ut ſuprà eſt memoratum, conniuere crediti eſſent. Fuerant Florentini aliquanto prius quàm Carolus affuiſſet Pannonicis armis uexati, qui Ianoti ductu ex Taurinſina obſidione in Hetruriam proceſſerant. Enimuero Pannon parte una copiarum in Italia relicta, in regnum abijt haud multo pòſt, quod feciſſe credere æquum eſt, ut maiore cum exercitu in Ioannam reginam in Italiam reuertereretur. Piſani ſub Ianoti in Hetruriam acceſſum rebus ſuis timentes, hominem auro placa runt. Florentini eadem uia ingreſsi pacem impetrare nequiuerunt. Poſtulare Pannonius dux, ut exules in urbem reſtituerentur, quod quum à Florentinis non daretur, fuiſſent hi aliquo magno incommodo ab eo affecti, niſi Ioannem Aucutum ei obiecciſſent, quem à pontifice peropportune alienatum, magno Florentini ſtipendio inautorauerant. Reddidit Aucutus uir impiger omnes hoſtium conatus irritos in Caroli uſque aduentum, hunc Florentini auro adorti, quadraginta aureorum milibus regio iuueni datis, facile tenuerunt, ut bello abſtineret. Pacata Hetruria Carolus Romam proficiſcitur, pontificeq́ue ſalutato, Neapolitanum regnum inuaſit. Cauſa belli huius reginæ Vrbani impulſu illati inde orta eſt, ut nõ uno eſt loco demonſtratum, quod Ioanna Gallici nominis antiſtitibus fauiſſet in nouo pontifice creando. Pannon hoſtium fines ingreſſus, regijs copijs prælio fuſis, Neapolim ciuibus dedentibus cepit, Reginam in arcem cognomẽto Nouam compulſam multa ui oppugnat. Interea Arretij tumultuatum eſt, Iacobo Gazariolo, qui Arretinis aliquandiu Caroli iuſſu præfuerat, in arcem à Guelphę factionis hominibus compulſo, nec aliam tumultuandi cauſam Guelphi habuiſſe uiſi ſunt, q̃ quod præfectus utrique factioni ex æquo faueret. Adeò interdum priua hominum ſtudia priuatis odijs indulgent, ut ne æquitatem quidem in libera ciuitate ferre poſsint. Occurrit eò Albericus Barbianus, ex Tudertinorum finibus à Gazariolo accerſitus. Is urbem ingreſſus Guelphos inuaſit, ſed quum alteris obeſſe uult, utriſque obfuit, rebus diuerſarum factionum promiſcuè direptis. Secutus inde Ferrabachus, qui & ipſe magnas ductabat copias, ſub cuius acceſſum abraſum eſt quicquid Albericus reliquum fecerat miſeræ ciuitati: & Arretini hanc cladem adiere, alterius factionis intemperie. Sed dum hæc circa Neapolim & Arretium fiunt, recens bellorum procella ex Gallia in Italiam effundi tur. Lodouicus Andegauenſis qui ad Gallorum reges ſuum genus referebat, cum triginta milibus equitum Alpes tranſgreſſus, magno Italiæ motu circa Bononiam conſedit, non tam reginæ opitulaturus, quàm ut in Clementis pſeudopontificis gratiam Vrbanum pontificatu deturbaret. Carolus amiſſo Arretio Albericum & Ferrabachum duces cũ ſuis copijs ad ſe uocat, & Florentini Vrbani pontificis rogatu Ioannem Aucutum Neapolim miſere. Lodouicus per Marſos in Caſsinenſem uſque ſaltum proceſsit, expectaturus duodecim milia equitum, quæ Andegranij cuiuſdam ductu eueſtigiò ſequebantur, & iam Arretium uſque equitatus ille proceſſerat. Cæterum Galli in urbem à Guelphis inducti, eam tertiò diripuerunt, oppugnarunt inde aliquot dies arcem, qua breui potituri erant, quum repente allatum eſt, Andegauenſem fato defunctũ. Andegranius conſilium cum re mutandum ratus, hortantibus Arretinis qui arcem obtinebant, urbẽ Florentinis uendidit, atque auro accepto continuò Italia exceſsit. Reliquus Gallorum exercitus, qui cum Lodouico longius excurrerat, morte ducis turbatus, continuò ſolutus eſt, alijs aliò dilabentibus.

Lodouicus Andegauenſis.

A Vrbanus Gallico terrore liberatus, Neapolim ad Carolum proficiſcitur, cum quo egit ut liceret ſibi nepotem (ex fratre an ſorore non traditur) Capuæ principem creare, id quia à Carolo non impetraretur, iratus pontifex minas intendere, tanquam ui conſecuturus, quod bona non daretur uenia. Ea res adeò Pannonem commouit, ut Vrbanus aliquot dies ſit eius iuſſu cuſtoditus. Tulit Vrbanus diſsimulanter id factum, inde ſpecie uitandi æſtus Nuceriam profectus, urbem præſidio firmat, antiſtites aliquot ſupremo ordini aſcribit, ueteres in uincula conijcit, maieſtatis reos urget, perinde ac cum Carolo & Clemente aduerſus ſe coniuraſſent. Fecit & Carolum impietatis reum, ad crimenq́ue diluendum accerſit. Reſpondit Pannon libenter ſe iturum, ac fore ut armis non uerbis obiecta dilueret, nec ita multo pòſt citato agmine Beneuentum profectus, pontificem circumſeſſum obſidione fatigat, coẽgiſſetq́ue eum Pannon breui deditionem facere, niſi Raimundus Baltianus, ex Vrſina gente (fuit is poſtea Tarentinus princeps) pontificem & qui cum eo erant, obſidioni exemiſſet, exemptos, & ad proximum littus deductos, in Genuenſium naues impoſuit. Petijt pontifex Genuam, ac inter uehendum quinque primi ordinis antiſtites quos uinxerat, ſaccis inuolutos in mare deiecit. Moritur interim Lodouicus Pãoniæ rex, quo defuncto acceſſit Carolus in regnũ à primorib⁹ eius gẽtis. Deceſſu rus Italia, quum celebrem conuentum haberet ad Neapolitani regni reſ componendas, Reginæ opera interficitur, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo & octageſimo quinto, quo tempore Bernabos Vicecomes captus in carcerem conijcitur à Ioanne Galeacio, Galeacij fratris ſui filio, cuſtoditusq́ue iam inde uſque ad exitum uitæ, erat Mediolanum ambobus commune, cætera pro diuiſis ad id tempus poſſederant, patruo in poteſtatem redacto, potitus eſt Galeacius uniuerſo principatu. Erat adhuc Vrbanus pontifex Genuæ, quum indicio comperit Romanæ eccleſiæ ciuitates à Florentinis ad libertatem ſolicitari: confeſtim itaque ne aliqua noua defectio oriretur, ex Genua proficiſcitur, anno quàm eò uenerat, iam propemodum circumacto, per Lucam & Senas Peruſium contendit, confirmatisq́ue ſuo acceſſu ciuitatibus, Neapolim petiturus, Ferentinum proceſsit, teſtatus ſe miro teneri deſiderio patriæ uidendæ: ſed multi ea tempeſtate fuerunt, quibus perſuaſum fuit habuiſſe eum in animo Ladislaum & Ioannam Caroli filios paterno regno deturbare: periclitati eſſent haud dubiè regij pueri regno & uita, niſi Caietani magna fide & conſtantia regiam ſtirpem turati eſſent pupillari ætate: pontifex ſpe ſua fruſtratus Romam reuertitur, ubi quum à Banderenſijs inſidias ſibi parari comperiſſet, magno conſilio periculum diſcuſſit, undetriginta antiſtitibus uno die ſupremo ordini aſcriptis, & in his tribus Romani ſanguinis, cæteri ferè Neapolitani pontificis municipes fuere. Et Vrbanus tam fluctuoſe rem ſacram adminiſtrauit. Veneti poſt pacem cum Genuenſibus factam aliquandiu elaborarunt in Tenedo reſtituenda, inſulanis & præſidij præfecto inſulam contra publicum edictum retinentibus. Vi itaque ſubacti Veneti, ne contra fœdus ictum facere uiderentur, claſſem ad inſulam expugnandam inſtruunt, datumque id negotium Fantino Georgio, quæ ſeptimo pòſt menſe quàm oppugnari cœperat, ui ad obſequium retracta eſt, ac per manus Allobrogum præſidio tradita, Tenedenſibus inſula digreſsis, arx nouiſsime diruta. Tergeſtini qui medio Liguſtici belli ardore à Venetis alienati fuerant, ueriti, ne ui aliqua opprimerentur, in Leopoldi fidem, qui adhuc in humanis agebat, conceſſere. Et Carrarij Tauriſium bello repetitum non prius infeſtare deſtite-

Attende diem cem ultimam

Vndetriginta cardinales no die creã.

A deſtiterunt etiam poſt Lodouici interitum, quoad Leopoldus deſperatione eius urbis retinendæ adactus, certis conditionibus, Carrario habendam reliquit, anno tertio quam deſtitum erat cum Genuenſibus bellari. Moritur interea Contarenus princeps Venetijs, anno ſui ducatus quartodecimo, cui Michaël Maurocenus ſurrogatus eſt. Is quarto poſt mẽ ſe uita deceſsit, breuiſq́ue principatus fecit ut nihil eo duce ſit geſtum memoria dignum, fuitq́ue is ſexageſimus in ordine. Antonius Venerius defuncto ſucceſsit, uir quum cæteris uirtutibus clarus, tum uel uno iuſtitiæ exemplo dignus, qui omni ætate merito celebretur, filium præclara alioqui indole, modici, ut fertur, & in adoleſcente propemodum tolerabilis flagitij domeſtica queſtione conuictum tam arctè diuq́ue cuſtodiri iuſsit, quoad tædio carceris & mœrore confectus, uita deceſſerit: fuitq́ue hoc principe ciuitatis ſtatus domi foriſq́ue multo paca tior ſolito. Interea Antonius Scala cum Carrarijs grauiſsimam gerebat bellum, cuius opes Ioannes Galeacius ex improſo adortus, Carrariorum, ut credere par eſt, impulſu, omni hominum opinione breuius affixit, Verona & Vicentia una poſt aliam ex hoſte capris, inde fœdere cum Venetis icto Carrarijs bellum intulit. Cauſam illati belli autores quos ſequimur non tradunt. Patauium pari ſucceſſu occupat, Franciſcum Carrarium in Modecianam arcem cuſtodiendum ablegat. Huius filius paterno nomine in Auſtriã profugit. Cepit inde Vicecomes Tauriſium, & ob Carrarij iuuenis effugium Feltrum, alij Veltrum ſcribunt, Auſtraſijs & Belunũ adimit, Tauriſium Venetis ex fœdere ceſsit, cætera Galeacius ſortitus eſt. Florentini per id tempus ſuæ ditionis augendæ cupidi, Politianum & Lucianum ex Senenſibus cepere, non minori arte quàm uiribus. Iubent præterea Carolum Bernabouis filium, & Antonium Scalam cum quinque milibus equitum in Senenſem agrum erumpere. Ægrè ferre Galeacius Antonium Scalam, & Carolum Vicecomitem, hoſtes ſuos nihil contemptibilem ductare exercitum: mittit itaque Florentiam qui publicè reſtarentur, ui deri Galeacio contra pacis fœdera à Florentinis fieri quod hoſtes ſuos ſtipẽdio inautoraſſent, & quod ſociæ ciuitati bellum intuliſſent. Poſtulatorũ ſumma hæc fuit, ut duces ipſi exautorati dimitterentur, & à Senenſium rebus abſtinerent Florentini, ſi fœdus quod ſecum ictum haberent, uellent integrum manere, quæ ſi facere recuſaſſent, iuſsi ſunt legati, qui ad id miſsi fuerant bellum Florentinis indicere. Induiſſet confeſtim arma Galeacius in Tuſcum, niſi Petrus Gambacurta Piſanorum tyrãnus, cum Vicecomite egiſſet ut bello abſtineret, ſuam in ea re componenda operam pollicitus. Et res Italiæ in hoc erant ſtatu, quum Vrbanus pontifex deſijt in humanis eſſe, anno poſtquam ſedere cœperat undecimo, menſe octauo. Catharina Senis Hetruſcis nata per id tempus ſanctitate claruit, tertij ordinis prędicatorum. Bonifacius nonus in demortui locum fit pontifex, ducenteſimus ac decimus in ordine. Incidit Bonifacij creatio in eum annum, qui ſupra milleſimum ac trecenteſimum undenonageſimus fuit, triginta natus erat annos, quum apoſtolicã ſedem adeptus eſt. Cæterum ita uixit, ut iuuentam cum ſenio mutaſſe uiſus ſit. Primus omnium uim omnem poteſtatemq́ue populi Romani ad pontificem traxit. Adriani molem multa ope muniuit, quam in arcis modum redactam, perpetua murorum acie Vaticano iunxit, omnes urbanos magiſtratus priua autoritate creauit. Et Bonifacius tam uehemens fuit ab initio ſui pontificatus. Interea Galeacius Vicecomes Florentinis & Bononienſibus bellum intulit, erantq́ue eius opes tam ualidæ, ut merito à finitimis totaq́ue Italia formidarentur. Conſpiratum eſt uno tempore in Galeacium à Ve-

Catharina Senenſis.

Bonifacius nonus pont.

Bellum ſociale in Vicecomitẽ

netis, Franciſco Gonzaga, Eſtenſibus, Carolo Malateſta, adductusq́ue eſt in partes belli Robertus Auſtriæ dux, ad quem Carrarius iunior (tulit is Nouelli cognomen) profugerat. Veneti annales habent, Mantuam quoque Vicecomitum armis circumſeſſam terra & aquis per idem tempus, fuiſſeq́ue in hoſtium caſtris ad quadraginta milia militum, cæterum hoſte Venetorum opera nauali certamine ſuperato, ſolutam eſſe obſidionem. Platina aliquanto poſtea hoc fœdus inter Venetos & ſocios ictum ſcribit, atque ita rem digerit, ut Florentinorum accitu Nouellus Carrarius in Italiam reuerſus, Venetisque fauentibus receperit Patauium. Arx quæ Caſteaci præſidio tenebatur, nonnihil inde oppugnata eſt, ut idem autor ſcribit, adiutusq́ue eſt interea Nouellus externis auxilijs. Nam Robertus haud multo pòſt ipſe quoque in Italiam tranſijt cum exercitu, Florentinorum pollicita ſecutus. Cæterum quum arx adhuc defenderetur, Robertus retrò abijt, fraudatus, ut ipſe uideri uoluit, ſtipendio. Veronenſes Patauinorum defectionem ſecuti, Galeacij præſidio ex urbe ejecto, Antonium Scalam accerſunt, obiuerat is fatalem diem illiſpſis diebus in Hetruria, unico filio ſuperſtite pupillari adhuc ætate Veronenſes pœnitentia adducti, uel ſpe potius deſtituti, Vgolotum Blancardum, qui Galeacij exercitum ductabat, ex Cremonenſi ad ſe uocant, publica fide prius ab eo accepta, fore, ut nulli ea defectio fraudi eſſet, appenſaq́ue duci ingens pecunia, mulctæ nomine. Cæterum exercitus in urbem admiſſus, ab illius direptione inhiberi non potuit. Florentini interea per Eſtenſium fines Ioannem Aucutum Carrario iuueni miſerunt, qui illi auxilio eſſet in recuperanda arce, eſtq́ue locus Aucuti opera breui ab hoſte receptus. Nec ita multo pòſt Armeniacus comes in Italiam cum uigiti milibus B equitum ex Germania tranſcendit à Florentinis accitus. Ingreſſus is ſuburbana Alexandriæ tecta, à Galeacij copijs quæ urbi præſidio erant, Alexandrinisq́ue qui cum præſidiario milite eruptionem fecerant, loci iniquitate circunuentus, deleto exercitu in hoſtium poteſtatem uenit. Nec multo pòſt ſuperfuit, dolore uulneris interijt quod in prælio acceperat. Capti ſunt cum eo Rainaldus Lamphighatius, & Ioannes Ricius Florẽtini, qui ad id miſsi fuerant, ut Armeniacum in Italiam accerſerent. Conuertit inde bellum in Florentinos Galeacius tam inclyta uictoria elatus, miſſusq́ue eſt ad id bellum Iacobus Vermius, cum duodecim milibus equitũ, & quatuor peditum. Tuſcus grauiſsimo bello grauatus, Aucutum ex Patauio reuocat, ludificatus eſt inde Aucutus hoſtẽ miris artibus belli tractu, quando uiribus multo inferior eſſet. Atque hi tum erant partium conatus in Hetruria, quum Bonifacij pontificis & Antonij Adurni Genuenſium ducis hortatu & arbitrio, Florentini Galeaciusq́; bellum inter ſe compoſuerunt, ſed uno incendio extincto, alterum proxime oritur. Iacobus Appianus publicus Piſanorum ſcriba, Tambacurta cum filijs interfecto, urbis tyrannidem occupat. Et Viterbium ab Roma na eccleſia proditione alienatur, circa Padum etiam tum Alberti Eſtenſis deceſſu, Accio iam antea ui pulſus principatũ repetit, Cunij comitũ fretus auxilijs. Erat Nicolaus Alberti filius adhuc puer, quẽ cõplexi Ferrarienſes Accionẽ portis excludunt, pollicentẽq; Cuniaco comiti Lucũ & Conſilicã oppida, ſi Accionẽ interficiat: occidit ille nõ Accionẽ, ſed quendam Accioni ſimilẽ, ac ſimul mercedẽ, ceu hoſpitis cedes ppetrata eſſet, à Ferrariẽſibus accepit, inde quaſi pulchrũ aliquod editũ eſſet facinus ſordida illa ludificatione, accepto præmio Accionẽ in mediũ protulit. Res ne ingenuo quidem homine digna, non modo principe, & quam in homine ſuæ gentis deteſtatus eſſet, Albericus Agidarius Cunij comes ex ea familia

Comes Armeniacus.

Cunij comitis laus.

Per quẽ Itali/ca militia ſit reparata.

lia ortus, cui uni plus debet Italia, quàm omnibus ducibus, qui ea tempeſtate fuerunt. Hic primus Italos armis deſuetos ad legitimæ militiæ cultum reuocauit, quibus artibus iam inde Itali multo acrius quàm antea ſe intimis externiſque bellis extulerunt. Hic idem, quum omnia Italica bella externo milite gererentur, plures Itali nominis ſub uno ſigno militare docuit, quibus poſtea uſus, Theutones, Britonas, & Anglios, Italia expulit, Hiſpanos unde eius maiores erant oriundi, duntaxat in ipſa terra tenuit, hinc Sforſortiani Bracchianiq́ue orti, qui tantum nominis ſunt in re militari adepti, ut exteræ gentes hos ueriti, iamdiu Italia abſtinuerint: aut eam adire auſi, tam male habiti ſint, ut fama & re parum integra retrò abierint. Moritur interea Clemens antipontifex, cui Gallici nominis antiſtites

Benedictus XIII. pont.

Benedictum huius nominis tertiumdecimum ſurrogarunt. Succeſsit per idem tempus Carolo imperatori Vinceslaus filius, Galeacio Mediolani ducatum ſuo ratum fecit aſſenſu. Miſit inde Galeacius exercitum in Hetruriam Alberici ductu, qui Florentinos cohiberet ab Appiani Piſanorum tyranni inquietatione, nam in hunc rediderat principatus eius urbis. Militabant Alberici ductu, Paulus Vrſinus, Broila Brandolinus, Paulus Sabellus, Lucas Canalis, qui clara ſub eo merebant ſtipendia, cum his Albericus Florentiam adortus, ad Cartuſiacos in conſpectu urbis fecit caſtra, cædibus & populatione omnia circa urbem complet, anno ſalutis ſeptimo & nonageſimo ſupra milleſimum ac tercenteſimum. Sub id tempus Bonifacius pontifex Perufium proficiſcitur, nobilium factionem plebeis Rapſantibus conciliaturus. Cæterum plebs contra fidem in id datam, ſumptis repente armis octoginta ex optimatibus tumultuoſe interfectis, Biordo & Micheleto multitudinis ducibus urbis dominatum deferunt. Pontifex indigna tot nobilium B uirorum cæde, nouaq́ue tyrannidis ſpecie in urbem inducta, uehementer commotus Aſiſium concеſsit, conatusq́ue eſt Galeacium Vicecomitem in Vmbriam traducere, ut eiuſmodi ſceleris atrocitatem ulciſceretur: ſed Galeacius tum Mantuã ſumma ope oppugnabat, unde infecta re eſt tandem abire coactus, Venetorum opera, ut ſuprà eſt memoratum, in ſtagno prælio ſuperatus eſt. Nec ita multo poſtquam hæc alibi geſta ſunt in Hetruria, Gerardus Appiani filius, quia poſt patris interitum Piſas tueri nequibat ob ciuiles diſcordias, quę Florentinorum opera indies magis ingruebant, urbem Galeacio uendidit, Plumbino ſibi & ſuis ex omni Piſanorum ditione retento. Sic Piſæ Vicecomitum ditioni ceſſere, anno ſalutis milleſimo atque undequadringenteſimo. Nec ita multo poſtquã Piſæ per hunc modum adiectæ ſunt Galeacij opibus, Perufini Biordo interfecto, quũ ſe in libertatem aſſerere niterentur, obſtaretq́ue illorum conatibus Vgo-

Perufia Galeacio deditur.

linus Trincius Fulginas, uicario nomine in ea urbe à Bonifacio conſtitutus, ciues ira perciti, urbem Galeacio dedunt. Nec ab ea deditione duo deinde menſes interceſſere, quibus Galeacius Bononia quoque eſt & Luca in Hetruria potitus, adeò per id tempus uni Italorum principum fortuna indulſit. Iam enim eò uenerant Vicecomitum opes, Galeacij auſpicijs, ut nouem & uiginti nobiliſimę Italiæ urbes, uni principi ſeruirent. Cæterum quo maior erat Galeacij ſucceſſus, eò magis Florentini ſuis rebus diffidere, & iam multi aperte prædicare deploratam eſſe eius populi libertatem, niſi Galeacij uita corriperetur. Erat tum Aſilij Bonifacius pontifex, quo poſt Perufinorum motum ſe contulerat. Huc ad eum legati ex urbe Roma uenerunt, rogantes ut quando Iubilei anni tempus appropinquaret, Romam ad id ſolenne peragendum reuerteretur, negauit pontifex ſe id facturum, quum uche-

A menter alio qui id cuperet, cauſariq́ue Romanorum in ſe contumeliam, quod ſenatores externos accipere noluiſſent ex priorum pontificum inſtituto, & quod ſiſci conſeruatores ſuopte ingenio creaſſent uiros minime idoneos, quum illorum ignauia quic quid libitum eſſet, liceret Banderefijs facere. Roma ni Bonifacio gratificaturi, Banderefios tollunt, & Malateſtam Pandulphi filium Piſaurenſem, pontificis nomine ſenatorem ad ſe miſſum accipiunt, decernunt & pontifici pecuniam pro reditu, ſic pontifex Romam reuerſus, magnum annum celebrat, *Magni anni celebritas.* qui milleſimus ac quadringenteſimus fuit humanę ſalutis. Ingens mortalium numerus Romam confluxit religionis cauſa. Florentini per id tempus ut Galeacium ſibi imminentem aliquo modo inſtringerent, Robertũ Bauariæ ducem, qui imperio Vinceslao Boëmo ob ignauiam abrogato, imperatoris fuerat nomen adeptus, ea conditione in Italiam accerſunt, ut non prius aurum ei penderetur, quod ſtipendij nomine pollicebantur, quàm Vicecomitum eſſet fines ingreſſus. Ad Benacum igitur uſque lacum proceſsit Robertus, ubi à Galeacij exercitu ſuperatus, Tridentum retro abijt. Nec quanquam Veneti Florentiniq́ue multa pollicerentur, adduci potuit ut inſtaurato exercitu Italiam repeteret. Pontifex per id tempus annatarum uſum eccleſiaſticis ſa *Annatarum uſus.* cerdotijs primus omnium aſcripſit, ut qui beneficium indipiſceretur, dimidium annui prouentus pontificio ſolueret fiſco. Probarunt id decretum omnes gentes præter Anglios, quiin minoribus ſacerdotijs id repudiarunt. Confirmataq́ue per hæc pontificis autoritate, regeretq́ue Bonifacius Roma nam ciuitatem ſuo arbitrio, Ladiſlaum Caroli Neapolitani regis filium in paternum regnum reſtituit, à tyrannis & populis qui à Lodouici Andegauenſis partibus ſttererant, ex parte multo maxima occupatum, ſed ut omnia ritè fierent antiquauit Bonifacius Vrbani ſexti decretum, quo Carolus regno priuabatur. Puer pontificis iuſſu Caietæ coronatus, ubi ſumma ciuium fide & ſtudio memorabili ali & inſtitui contigerat. Galeacius per id tempus, Bauaro Italia eiecto, Albericum miſit cum exercitu ad Bononiam armis recipiendam, quam Ioannes Bentiuolus ſibi ſubiecerat, Vicecomitum præſidio pulſo. Mittunt Florentini copias auxilio Bononienſibus, quibus auĉti appropinquantem hoſtem prælio excipiunt. Fuit pugna illa Bentiuolo & ſuis infelix, incompta multitudine cum Hetruriæ auxilijs in urbem coniecta. Bentiuolus dum obſtinatius reſiſtit, ab hoſtibus circumuentus, quia uiuus capi nõ potuit, interficitur, ex Bentiuoli morte Bononia nullo maiore negotio iterum Galeacio ceſsit. Imminebatq́ue iam Vicecomes nihil obſcurè Florentinorũ *Galeacij V comitis m* rebus, quum bona eius populi fortuna tantus ho- *Attende* ſtis è medio ſublatus, febre extinctus, anno ſalutis *mutatio* milleſimo quadringenteſimo ſecundo. Portende- *in Italia* rat tanti paincipis interitum terrificus comeres, aliquanto prius in cœlo obſeruatus. Poſt Galeacij mortem magna rerum mutatio breui ſecuta eſt, tyranni plerique numero ſimul exorti, partium diſcordia ducentis & amplius annis per omnes Italiæ ciuitates euagata, adeò per id tempus inualuit, ut ad internecionem ſit propemodum certatum. Vgolinus Caualcabos aduerſæ factionis hominibus urbe eiectis, Cremonam occupat. Otho tertius Rubrijs aut interfectis, aut porro fugatis, Parmam, Soardi Bergomum, Ruſconij Comum, Vignatæ Laudem Pompeij, Facinus Canis Montferratenſis Vercelas & Alexandriam. Iam & ueterum principum nonnulli, qui Galeacij armis fuerant pulſi, in ſpem maximam erecti ſunt dominatum recuperandi, & in his Guilielmus Scala, & Carolus Vicecomes Bernabouis filius, qui quum primores ciuitatum, tum ciues ipſos ad defectionem ſolici-

Conſtabilis.

ſolicitare, eſtq́ue primus omnium Ordelaphus ſui uoti compos factus, quem confeſtim à Galeacij exitu Forliuienſes reſtituerãt. Iam & Albericus Cuniacus Fauentię imminebat, quum à Ladiſlao rege accitus in multo diuerſam Italiæ partem tranſijt. Ladiſlaus Albericum perbenignè acceptum militiæ regiæ præficit: magnum regiæ domus Conеſtabilem uocat, qui nõ multum diuerſus mihi uidetur ab eo qui apud Cæſares fuit prætorij præfectus. Poſt Alberici digreſſum Peruſium & Bononia ad Rom. eccleſiæ obſequium rediere. Ductabat pontificias copias Bracchius Montonius, qui ſub Alberico prima fecit ſtipendia, mox uero eius ductu honeſtiſsimũ duxit ordinem. Sub eodẽ duce & militiæ magiſtro pari indole, ſed maiore poſteritatis ſucceſſu, Sfortia illuſtratus, Cotoniolæ (eſt id Flaminiæ oppidũ) ortus, ab his Sforſortiani ſunt & Bracchiani Italicæ militiæ factiones inclytæ, quarum adeò procedente tẽpore opes & fama creuere, ut octoginta & amplius annis nihil ferè ſit in Italia geſtum quod non hi aut illi, aut utriq; inter ſe geſſerint. Albericus à Ladiſlao accerſitus Neapolim, unde rex arcebatur, aliquandiu obſidione fatigaram ad deditionem compulit. Neapoli dedita multi principes & ciuitates regni, quę imperium ad id tempus detrectarant, in Ladiſlai fidem uenire, qui non uno contentus regno, in Pannoniam quò accerſebatur, cum exercitu profectus eſt. Sed dum hæc in cætera Italia geruntur, Veneti Michaële Steno principe, qui quartus, ſiue ut alij colligunt, ſextus fuit & ſexageſimus dux in ordine, cum Genuenſibus, qui nec amici tunc erant, nec aperte hoſtes, pari numero nauium, circa Methonẽ conflixerũt Caroli Zeni ductu, fuitq; pugna illa diu anceps, poſtremò tribus Ligurticis merſis, totidem captis, Venetus uictoriam haud incruẽtam adeptus eſt. Petebat Ladiſlaus Pannoniam cum exercitu, ex Italia, ut dixi, eius gentis regnum ſibi hæreditario B iure uendicans, in Delmatiam tranſgreſſus circa Iaderam conſedit, urbemq́; aliquandiu oppugnatam recepit. Fit interim certior literis & nuntijs Neapolitanos, & principũ quoſdam ſui regni ad defectionem ſpectare, tum uero Italiam repeturus Iadrenſium urbem, uniuerſum agrũ cum ſuis finibus, centum milibus aureorum nummũm Veneto nomini uendidit. Sunt qui tradant totius Delmatiæ iura tũ ab eo uendita, Venetis rem totam quanti ſuprà memoratum eſt, licitantibus. Rex Neapolim reuerſus omnes ſuæ ditionis regulos, quia imperium detrectarent, deiecit regni finibus Albericiuſus opera. Is enim hoſtes armis inſectatus pacauit Ladiſlao regnum, quo tempore Bonifacius pontifex dolore laterum diem obijt ſuum, anno quartodecimo ab eo quo ſedem tenere cœperat. Nihil in eo deſideratum

Tamberlanis uictoria.

præter diſciplinam paulò ſeueriorem in domeſticos & cæteras neceſſitudines, his tantum indulſit, ut diuina & humana palàm uenalia haberent. Extremis Bonifacij temporibus Tamberlanes uita deceſsit: is humili loco inter Scythas natus, ex gregario milite ordinem primò, mox exercitum ductauit, eoq; eſt potentiæ euectus, quum ſolertia tum corporis uiribus, bellandiq; promptitudine, ut magno fortunæ ludibrio multarum ſit gẽtium imperio potitus. Sunt qui primum in Parthis regnaſſe dicant, mox Scythas ab eo ſubactos, Iberos, Albanos, Perſas, Medos, inde Armeniam & Meſopotamiam ingreſſus, utranque armis ſubegit, tranſmiſſo dein Euphrate, minorem Aſiam latè domuit, quadringenta equitũ milia, ſexcenta peditum in armis habuiſſe traditur. His fretus copijs Paiazetem, potentiſsimum Turcorum regem, ſecum acie congreſſum, etſi pari ferè bellatorum numero, cruento tamen prælio ſuperauit, ducentis Turcorum milibus una acie cæſis, regẽ ipſum in pugna captum, aureis uinctum catenis, omnibus ſuis expeditionibus præ ſe egit. Sunt qui in

Paiazetes captus.

A Armeniæ finibus Paiazetem uictum ſcribãt, ſed minorem Armeniam fortaſsis intelligi uoluerũt, quæ Sicilia eſt, minori Aſiæ propemodum affinis. Nunc quando in Paiazetis mentionem incidit ſtilus, paulò altius ſunt res Turcorum nobis referendæ, ita tamen ut inſtitutæ breuitatis non uideamur obliti. Iam uero altero Rapſodiæ loco quum de regione eius gentis ſermo haberetur, eò proceſsit rerũ explicatio, ut qua fuerit Orchanes indole & felicitate proderetur. Fuit is Othomani filius, qui Stephano tertio ſedente, circa Pontum & Bithyniam plus nimio propagare cœpit gentis imperium. Poſt patris interitum Orchanes uſque in Helleſpontum & *Turcorum* Ægæum & regnum & arma promouit, Licaonia, *ſucceſſio.* Phrygia, & Caria domitis. Tenuit inde regnum Amurathes Orchane genitus, qui quum de Conſtantinopolitano imperio orta eſſet diſceptatio, Cathacuſini patritij uiri accitu, primus eius gentis ex Aſia exercitum in Europam deportauit. Traxit Amurathes gentili aſtu tandiu bellum, quoad rebus ambarum partium bello fractis, Thraciam primo interceperit, mox & Myſiam adortus armis ſubegit. Pari inde ſucceſſu Beſſos & Triballos domuit loca infra Rhodopem, & Orbelum incolentes, poſtremò ſuperiorem Myſiam ingreſſus cum Lazaro Deſpota in Coſſonijs campis acie congreſſus, ſub inguine cõ foſſus occubuit. Nec Europeis incruenta obrigit uictoria, Lazaro cum multis uiris fortibus cadente. Reliquit Amurathes duos filios, Solymanum, qui tum in Aſia latè imperabat, quum Balduinus & alij Gallici Germaniq́ue nominis duces Hieroſolyma petebant, cum quibus plura, ut ſuo eſt loco memoratum, geſsit prælia, ut conſilio auerteret. Habuit & Paiazetem cum quo poſtea Solymanus in Europã tranſgreſſus hoſtiliter conflixit, quo extincto totius rei ſumma ad Paiazetem deuoluta eſt. Multum is diuq́ue circa Thraciam traxit bellum, eratq́ue Europeis rebus occupatus, quum Scythico tumultu in Aſiam reuocatus, in Galatiæ & Bithyniæ confinio ad Stellam montem cum Tamberlane, ut ſuprà eſt *Tamberlanis* memoratum, prælio congreſſus, ducentis Turcorũ *ſucceſſus.* milibus cæſis, uiuus uenit in hoſtium poteſtatem, nec eſt unquam poſtliminio reuerſus. Poſt memorabilem illam pugnam, domitum eſt Scythicis armis quicquid terrarum eſt à Tanai ad Nilum, uicit inde prælio Tamberlanes Memphiticum regem, quem Sultanum uocant, uictumq́ue ultra Peluſium intra Nili fluenta compulit, Damaſcum cepit, in cuius arce oppugnanda alteram ex aduerſo arcem militari opere erexit: cepit & Caphan in Euxini ora, *Attende Tamberlanis ſæuiã tiam.* quæ tum Genuenſium erat. Mirum uideri poſsit, quod de ſæuitia hominis proditum eſt memoriæ, quum unum aliquem locum oppugnare adortus eſſet, primo die candido utebatur tabernaculo, ſequenti rubro, nouiſsime nigro: candor pacem arguebat, rubeus color cædem omnium puberum, niger urbis & omnium excidium. Satis conſtat aliquando immiſſum ab eo equitatum in puerorum frequens puellarumq́ue agmen, quod in candida ueſte, oleaq́ue ramos prætendens, patrię excidium deprecaturum prodiuerat illi obuiam, crudeliterq; eius iuſſu conculcatum fœdeq́ue obtritum. Rogatus aliquando à Genuenſi quodam qui longiuſcula conſuetudine fuerat in eius familiaritatem propemodum receptus, cur in ſupplices nihil mitior eſſet, turbato truciq́ue oculorum aſpectu: quid tũ ne, inquit, puras me hominem eſſe? & non dei iram potius, orbisq́ue uaſtitatem? Et ille quidem talis fuit, qui tota ferè Aſia domita, cum uictore exercitu, prædaq́ue onuſto ad ſuos reuerſus, urbem condidit ingentem, cui Marchanti, ut aiunt, nomen eſt, quam omnigenũm captiuorum multitudine refersit, ornauitq́ue captarum urbium ſpolijs. Regnum moriens, duobus reliquit filijs,

horum

horum discordia amplissimi regni opes nuper tanta indole quæsiti, retrò abierunt: potuisset ex Tăberlanis interitu omnis Syria cum Hierosolymis ab impio Mahometi imperio uindicari, si Bonifacius pontifex ad eam rem animum adiecisset. Fractis Turcorum opibus, Ægyptiacis adhuc trepidantibus, ora Syrię omni præsidio destituta, aliquādiu uelut prędæ fuit expositа occupare uolentibus, sed nouum & memorabile Christianorum facinus maluit Bonifacius insectari, descenderat ex Alpibus, anno qui Iubileum præcesserit, sacerdos alioqui ignotus, ingentem mortalium numerum trahens secum: erat is alba ueste amictus, tantamq; prę se ferebat modestiā, quum uultu tum sermone, ut eūtem uulgus passim adoraret: ingens itaq; multitudo ad eum confluxit, omnis sexus fortunæ & ætatis uiri fœminæque, albis linteis circumuoluti, crucem quam ille gestabat studio sectari, Deiparæ uirgini hymnum canere, ueniam precari publicè, in uicis epulari, collatis undique uelut ad solenne sacrum epulis, ubicunq; nox oppressisset in nuda humo sternebāt corpora. Processit phanatica hæc turba Vetuloniam usq;, nunc Viterbium est. Hic dux agminis captus, quæstioniq; adhibitus, flagitij, ut aiunt, cōpertus est, uelut atrox scelus sub nouæ religionis prætextu lateret, multi persuasum habuerūt per inuidiam innocentissimū hominem supplicio deditum. Pontifex, quod satis constat, eum cremari iussit, quo extincto cœtus ille hominū confestim solutus est, sic res paulatim abolita. Incidit Albatorum ille motus (sic enim ab habitu nominati sunt) in eum annū qui millesimus fuit humanæ salutis, atq; undequadringentesimus. Fuerūt eodem pontifice uiri ingenio clari, Chrysoloras Byzantius, qui Græcas literas recentiore inuectu nostris hominibus restituit, quum quinq; & amplius ætates, iniquitate temporum conticuissent. Hinc uiri Græca Latinaq; facūdia mox illustres fuere, Guarinus Veronensis, Victorinus, Philelphus, Ambrosius monachus, Leonardus, & Carolus Aretini, alijq; literarum principes tanquam ex Troiano equo in lucem prodiuere, quorum æmulatione ingeniosa posteritas tantum profecit, ut Rom. linguæ cultus in antiquum sit statum propemodum restitutus, nā si non ingenio uetus illa maiorum elegantia singularisq; uirtus effingitur, sit certe ut uoluntate & iudicio proxime accedatur: & hæc clara uirorum nomina ex uno Græco homine postea extiterunt. Ipse, quod suprà ostēdimus, Bonifacio pontifice floruit.

De Albatorū secta.

Viri illustres.

Innocentius septimus.

Huius pontificatum Innocentius septimus recepit, quo sedente, magna quædam ex Carrariensium motu oblata est Venetis materia suæ ditionis propagādæ. Erat tum Venetijs Guilielmus Scala, non in ciuitatem solum, sed in principatum etiam ascitus, hūc Nouellus Carrarius post Galeacij Vicecomitis mortem instando castigandoq; impulit ad paternū principatum repetendum, & consiliū & operam ei pollicitus. Verona itaque recepta, hominem familiarissimum, & quem nuper armis iuuerat, ueneno (ut fama est) sustulit, Antonium & Brunorum filios proditione captos, necandos curauit. Alij custodiæ traditos aiunt, atque cum his omni Scalanorum stirpe extincta, Veronam occupat, Iacobum filium, siue potius is frater fuit, nam utrūque scriptum reperio, captæ urbis principem & dominum creat, Vicetiam deinde adortus, nisi deditio fiat, hostilia minatur: horrebant Carrariorum principatum, uel tyrannidem potius, Vicetini: bello itaq; petiti ad Æcaterinam Galeacij coniugem mittunt, qui ab ea præsidiū peterent aduersus Carrariorum iniuriam. Hæc mulier morte uiri perculsa destitutaq; inter nouos tyrannorum motus, uariaq; ciuitatum studia, ut iam de Mediolano retinendo solicita esset Vicetinis auctor fuit, ut ad libertatem suam tuendam Venetorū fidem implorarent. Primi itaque omnium Vicetini A sunt in fidem accepti, secuti inde Feltrēses, Belunenses, & Bassanici. Obijcere se Carrarius omnibus Venetorum conatibus infesto occursu, & aperte hostē agere, tum Veneti quia Carrarium nomen per se oderant, cæterum recenti iniuria adhuc magis irritati, magnas decernunt copias, decretas studio contra hunt, ad triginta armatorū milia pedites equitesq; stipendio conducunt, copiarum imperium Carolo Malatestæ Ariminensi deferunt, uiro acerrimo, militarisque disciplinæ scientissimo, sed is medio ardore belli, nulla adhuc re memorabili gesta, se imperio abdicauit, eius abdicationis causam nō reperio, estque interim in suburbanis aquis parum prospere bellatum, lintrium & lemborum classe ad Helori phanum ab hoste profligata. Imperium est inde Paulo Sabello Rom. sanguinis decretum, cuius ductu breui loca quædam sunt Patauis adempta. Interea ne non hostis pluribus fatigaretur locis, Franciscus Gonzaga, quem belli huius socium sibi Veneti asciuerant, circa Veronam Carrariorum rem hostiliter infestare. Premebatur itaque duplici bello Patauus, quum Albertus Estensis, siue ut quidam scribunt, Nicolaus Alberti filius, cui Liliola Carrarij filia nupserat, se socero adiunxit: Veneti contrà ut nouum hostem domestico implicarent bello Accium Estensem, qui in Alberti gratiam fuerat in Cretam deportatus, ex insula repetitum, classe ad id instructa ad Ferrariam inuadendam per aduersum Padum immisere, estq; res tanto ardore à Venetis suscepta, ut Estensis territus, haud multo pòst sit pacem ea conditione complexus, ut sal ad Comaclum non fieret amplius. In Patauis interea circa Bassanulū est prælio dimicatum cum Nouello Carrarij filio, Terho huic cognomen erat, suntq; primo cōflictu aliquot signa Venetis adempta. Alij ad Masanum aiunt id prælium commissum, suppressaq; omni signorum mentione sexcentos equites Venetos amissse scribunt. Necita multo pòst Sabellus, copiarum imperator, uita decessit. Galeacius Grimellus Mantuanus est inde ad exercitum missus. Alij Galeacio Gonzagæ copiarum imperium datum prodidere, fuit is Francisci principis frater. Sed dum hæc circa Patauium fiunt, Veronenses interea aut certe non multo pòst, siue calamitosum bellum, siue tyrannum, siue potius utrunq; pertęsi, iam Gonzaga Venetis armis fretus, multo infestius urgebat, ad defectionem spectare cœperant, & iam deditio mota erat, quum Iacobus Carrarius occultè fugā molitus est, circa Padum, uel ut alij scribunt, ad Asellariam Veronensis agri uicum interceptus, uenit in hostium potestatē, captus Venetias perducitur: deditio inde à Veronēsibus legitime facta, arcesq; dedita urbe breui sunt receptæ, inde in Patauinos tota uis belli uertit, Carrarijsq; rebus iam apertè periclitantibus, nonnihil est de pace actum, sed res sero mota ad exitum perduci non potuit. Nec ita multo pòst Patauium est sine ullo maiore certamine deditum. Nouellus cum filiorū parte Venetias perducitur. Vbertinus enim & Marcilius, priusquam Veneti sint urbe potiti, fuga dilapsi, in Hetruriam extorres abiere. Carrarius & filij paucis diebus quibus Venetias perducti sunt, publico decreto in carcere necantur, & Veneti per hæc Vicetiam, Feltrum, Belunum, Veronam, acnouissime Patauium tenuere, estq; interim tantis opibus certatum, ut in id bellum quod intra biennium resedit, ad uicies centum milia aureorum nummūm sit publicè expensum. Sed dum Veneti Carrarios debellant, Paulus Guinisius Lucensium principatū inuasit. Io. Maria & Philippus eodem cognomine, Galeacij filij, in summa rerum consternatione Mediolanum & Ticinum ægre tuebantur. Philippus minor natu statim à patris interitu fuerat Ticini comes declaratus, Mediolani dux ille. Nouitas igitur temporum, & puerorum ætas, fecit ut florentissimi nuper

Bellum Patauinum.

Rerum Vicetarum instrumenta.

nuper principatus pars multo maxima cesserit occupare uolentibus. Hinc tyranni multi numero, & hi supra modum facinorosi emerserunt, quorum flagitia tantum abfuit ut Innocentius pōtifex armis aut interdicto inhibere curauerit, ut iniquo etiā animo ferret, si quis apud se de ea re mētionem feciſſet. Cæterum hic præ omnibus priores pontifices acerbissime insectabatur, priuatus adhuc, quòd neq; schisma ex ecclesia per eos tolleretur, neque tyrannorum iniuriæ uindicarentur armis, adeò nonnunquam cū dignitate mutantur hominum studia. Satis constat Romanis publicè petētibus ut sibi libertas restitueretur, ut tolleretur schisma, & tyrannorum flagitia uindicarētur undecim ex primoribus ciuitatis eius iussu necatos. Suorum supplicio commota ciuitas, Ladislaum Romam exciuit, armisq; tumultuose arreptis, tantum pōtifici metum incussit, ut Viterbiū concesserit cum Lodouico fratris sui filio, cuius opera fuerat nuper usus in supplicio de Romanis ciuibus sumendo. Sæuire multitudo sublato iniuriæ autore, quem ad supplicium requirebant, omnemque ultionis iram in aulicos uertit, multi itaque sunt eo tumultu interfecti, bona eorum direpta, Capitoliū occupatum cum ponte Miluio, Adriani moles multa ope oppugnata, iuuantibus Io. Columna & Monteranico, qui Ladislai stipendium merebāt. Paulus Vrsinus à pontifice cum copijs missus, hos in Neronianis pratis prælio superauit, inde quum assiduis excursionibus pontificius dux omnia Romanis circa urbem redderet infesta, ciuitas ui subacta pontifici cem multis precibus reuocat: reuersus Romam Innocentius, plerosque antistitum in suprемum ordinem asciuit, ex his tres unus post alium Io. dūtaxat uigesimo tertio his interiecto pōtifices fuere. Creauit Innocentius Lodouicum nepotem ex fratre Firmij principem omnemque Picenum illi nomen attribuit, nec ipse multū inde superstes fuit. Obijt altero sui pontificatus anno, quo tempore Cabrinus Fūdulus Cremonam tyrannide occupauit, Caualcabone interfecto, & Gurecaldus, qui Genuam Gallico præsidio obtinebat, erant enim tum Genuenses in Gallorū regis fide, Mediolano imminebat cupidus eius urbis in Gallorum potestatem redigendę: apud quosdam Bucicalum pro Gutecaldo scriptum repe rio, adijciunt fuisse Gallum ingenti statura, sed quia à Galeacio Gonziago, pusilli corporis, cæterum animi inuicti, ex prouocatione singulari sit certamine superatus, eius ignominiæ Gallus impatiens nunquam amplius loricam induerit. Nicolaus Estensis Othone tertio interfecto Rhegio Parmaq; potitur. Ladislaus Roma digressus ubi fuerat cum exercitu, Perusiam quam Bracchius armis uexabat, in deditionem recepit. Petebat inde rex infesto animo Heturiam, quem eūtem Malatesta Pisaurensis tam infesto occursu auertit, ut fugiēti similis in regnū sese receperit, quo Florētini metu liberati Pisas inuadūt, laborioseque oppugnant, demum Sfortia & Tartalia ducibus suo subijciunt imperio anno salutis humanæ millesimo quadringentesimo sexto. Claruerunt Innocentij tempore, Petrus Philargius Cretensis qui postea pontifex fuit, Franciscus Aurigarius Cremonensis, ambo Minoritani ordinis, theologicaq; sapientia clari, Paulus Venetus, Bartholomęus Vrbinas, Iordanes Alemanus, Iacobus Tolentinas, Eremitanæ professionis. Magnum hi nomē adepti ob ea quæ scripserunt in diuinis, sed Pauli Veneti fama multo insignior, quippe qui non minor philosophus extitit, quàm theologus. Pōst Innocentij obitum magna tollendi schismatis cura incessit Christiani nominis principes, pigebat pudebatque rem optimam & in qua fidei summa sita esset, pōtificum discordia labefactari, iam mos inolescere cœperat ut duo essent pontifices, Romæ unus, alter in Gallia, ut igitur esset ouile unum & unus pastor, tētata pri-

Singulare certamen.

Inde principium cōsensum in unico pontifice schismate.

Alexander V. pontifex.

mo res est à Galliæ regibus, qui cū Benedicto duodecimo, is tum in Gallia erat pontifex, egerūt ut ad id malum è medio tollendum in eas cōditiones descenderet cum pontifice, qui Romæ creandus erat, ut ambo unum in locum conuenirent, ubi celebri sacrorum antistitum conuentu de tota re ageretur, ac tum si ita opus esset, alter duorum aut ambo abdicarent sese pontificatu. Audijt hæc Gallicanus pontifex, etsi nonnihil restitans, uisus est tamen rem probare, cæterum dum Gallię principes inter se de summa rei consultant, ueritus, ut fertur, Gallorum antistitum inuidiā, quibus sciebat se esse inuisum, quòd paulo seuerius cohibuisset ueterē cleri licentiam, se ualido præsidio sepsit, fuitq; tandiu in Gallia quoad naues ad fugā expedirentur, quibus secundo Rhodano deuectus, in Hispaniam proficiscitur, unde erat oriundus, nec res propterea omissa, quin Romæ ea conditione est pontifex creatus, ut quisquis is esset, cui creari contigisset, cum Gallico pontifice, ubi unum in locū cōueniissent, ultrò pontificatu abirēt. omnesq; primi ordinis antistites in id iurarunt, exceratione interposita, priusquam suffragia inirentur. Creatur itaque Angelus Corarius Venetus, qui est Gregorius duodecimus dictus. Nec ab initio satis conueniebat, quo deberet loco cōuentus haberi, ap paruitq; de industria rē trahi. Tum uerò supremi ordinis antistites, eiusmodi morā infamantes, ab Roma & Auenione Pisas Hetruscas conuenere, eoq; cōuentu Benedictus absens & Gregorius in ordinem rediguntur. Consenserunt in id decretū omnes Europeæ gentes, præter Hispaniam citeriorem, necnō Hybernię regem, & Armeniaci comitem, qui Benedicti autoritatem tuebantur. Creandi itaque pontificis ratione, quæ inita omniū rectissima esse potuit, creatus est Alexander quintus, Minoritanæ uir professionis, de quo in nouissima illustrium uirorū relatione est mentio habita. In hæc tempora reponit Canonicorum regularium ortum Philippus eremitanus apud Frisonariam Lucensis agri oppidum, sed huius fidem eleuat inueterata contentio de eremitanæ & canonicæ familię ortu, utraque suam ad Aurelium Augustinum referens originem, ut alio est loco demonstratum. Potuit itaque instauratio esse uerius quàm origo. Tempestate illa monastica familia Benedicti abbatis euenit, quæ quum ueteri instituto excidisset, Patauij Lodouico Balbo Veneto autore, ad Iustinam uirginem, instaurari cœpta est. Est & eremitanum diui Hieronymi dogma reparatum. Cęterum dū hæc Pisis geruntur, Ladislaus Ostia prius occupata, terrestri naualique armorum apparatu ita Romanos foris afflixit, ut pacatè coacti sint eum in urbem accipere. Adiecerat ille, ut mihi uidetur, animum ad rem Romanam suo regno subigendam magis occasionem quàm rectum consilium secutus, ut be itaque potitus, magistratus & omnem regiminis formam suo arbitrio mutauit, & iam Romanorum imperium nihil obscure ad se trahebat, quum Paulus Vrsinus cum pontificio exercitu affuit, sub cuius accessum continuò ad Iacobi phanum in Septimiano est hostiliter concursum, fuitq; cruenta utrinque pugna, tenebat se Ladislaus trans Tyberim, ut tutiore esset loco, & ad fugam, credo, magis idoneo, quia Ostiam teneret, augebanturq; in horam Vrsinæ factionis opes, quæ quo maiores uidebātur regi, quā ut tutò Romę esse posset, eo magis suis partibus diffidere. Enimuero Vrsinus dux, sub primū urbis ingressum omnes regiarum partium uiros oppresserat. Nihil igitur conatus ultra Ladislaus relicta urbe Neapolim abijt. Romę per hos motus frumenti annona adeò inualuit, ut raro aliàs sit hominū memoria maiore fame laboratū. Creatus est Pisis, ut proximo est loco significatum, magno omnium consensu Alexander pontifex. At Gregorius & Benedictus haud propterea pōtificium munus inhibuere, tanta

libido dignitatis retinendæ utriuſq; animum inuaſerat. Gregorius Arimini, Malateſtarũ præſidio fultus: in Paniſchola ille Hiſpaniæ loco munitiſsimo, opinione dignitatis rerentæ tam pertinaci, ut quoſdam etiã ſupremi ordinis antiſtites creare ſit auſus. Fuit Alexãder, qui Piſis creatus eſt, præter eruditionem, quæ in eo fuit non uulgaris, in pauperes tã munificus, ut nihil propemodum ſibi reliquum fecerit. Auditum eſt ſæpe ex eo, quum non infacete diceret fuiſſe ſe pauperem, quum in ordine adhuc eſſet, ſed poſt pontificatum adeptum multo pauperiorem factum. Fuit præterea tam conſtanti & intrepido animo, ut uix pontificia dignitate recepta, Ladiſlaũ regem potentiſsimum, quia Romam, ut diximus, infeſtaret, anathemate petitũ priuarit regno, tribueritq; eius iura Lodouico Andegauię duci, ſed põtificatus ille breuis. Piſis profectus, Bononiæ octauo menſe quàm ſedere cœperat fatalem obijt diẽ. Fertur moriens antiſtites ſummi ordinis, qui forte aderant, ad concordiã hortatus, inde poſtremò illud dixiſſe, pacem do uobis meam, pacem relinquo uobis, atq; his defeciſſe. Ioannes huius nominis tertius & uigeſimus is demortui locũ eſt ſurrogatus: Neapolis illi patria in Italia, Balthaſar nomen, uir acri ingenio, at multo ferociore quàm huius deceret perſonam, qui humanæ pietatis arcem teneret. Erat tũc ille Bononiæ legatus, perſuaſumq; multi habuerunt ui non libero ſuffragio creatum, diſpoſitis circa urbẽ armatorum præſidijs, ut dignitatem armis ſibi uindicaret, ſi ſuffragio negaretur. Alij effuſa largitione creatum criminari. Cęterum quoquo modo res acta eſt, creatio illa nõ caruit infamia: fuit, quod ſatis cõſtat, ab adoleſcentia põtificiæ dignitatis tam cupidus, ut quum ex Bononienſi Gymnaſio Romam proficiſceretur, rogatus ab amicis quo iret, ad põtificatum dixit indipiſcẽdum: factus itaq; uoti cõpos, autor fuit, ut Sigiſmundus Lucimburgus, Pannoniæ & Boëmię rex, imperator crearetur. Inde Romã concilium indixit, ueritúsne, pcul eo nomine accerſeret, quorum negotium ut commodius obiret impenſe annixus eſt pacare Ciſalpinæ Galliæ ſtatũ. Diripuerat per id tempus Ticinum Facinus cognomẽto Canis, nouarum rerum cupidus, per homines Gibellinę factionis in eam urbem receptus, quum ea eſſet conditione admiſſus, ut res Guelphæ factiõis diriperẽtur, querentibus ijs qui urbem prodiderant, quòd non ſtaretur promiſsis, imo, inquit, ſtatur. Vos enim qui Gibellini eſtis, quod pollicitus ſum, incolumes eſſe iubeo, ueſtra bona quia ſint Guelpha diripio, in utriusq; factionis ſtultitiam cauillatus, urbẽ igitur ad libitum uexatã præſidio firmat, mox in Pãdulphum Malateſtam iturus: nec Bergomo dein Brixiæ multo pacatior fuit, ſed utriq; ciuitati multa hoſtiliter rapuit. Eratq; per hęc Italia, etſi nullo maiore bellõ implicita, nõ tamen ex omni parte pacata, quum Sigiſmundus Pannoniæ rex Romam, ut fama ferebatur, uenturus, dena hominum milia præmiſit in Italiam Pipo duce, qui per Foroiulienſes ingreſſus, Tauriſiũ uſq; tumultuoſe adequitauit: ſed de Pannonico motu mox paulo ſermo futurus eſt. Veneti ſub id tempus quo Ioannes eſt pontificatum adeptus, Sicenſibus in Delmatia diſſidentibus, claſſem in prouinciã miſere, ſpe eius urbis recipiendæ, primoribus ciuitatis rem ad eos trahẽtibus, ſed res multo aliter ceſſit, claſſe ab eo appulſa, non modo non quieuit ciuitas, ſed Venetus cum cęde multa à mœnibus ſubmotus eſt, ac portu procul expulſus. Repetitũ eſt nec multo pòſt Sicum, terraq; & aquis obſideri cœptum, datumq; id negotium Lodouico Buccharino uiro impigro, miſsiq; ob Sicenſem cauſam legati in Pannoniam, quæ citro ultroq; per irritas altercationes iactata, poſtremò ad Ioannem põtificem delegata eſt: ſed dum Romæ cognoſcitur, Patauium paucorum proditione eſt propemodum à Venetis alienatum.

Attẽde uocem põtifice dignã

Ioan. XXIII. pontifex.

Delmaticus motus.

Patauium motum.

A Accerſebatur in urbem Marſilius Carrarius, & Brunorius Scala, iam matura proditione, cæterũ interceptis literis, pleriq; conuicti extremo ſupplicio afficiũtur. Marſilius & Brunorius proſcripti ſunt, percuſſoribus quina milia aureorum nummũm publicè decreta. Perid tempus presbyterorum congregatio, qui regulares nunc dicuntur, nunc Apoſtolici, quum ad id tempus in obſcuro fuiſſet, Venetijs ſuſcitata & aucta eſt, Laurẽtij Iuſtiniani opera, quem in beatorum numero habuit poſteritas. Fuit is Oliuolenſis eccleſiæ antiſtes, eiusq; profeſsionis unus fuit Gabriel Condelmarius, qui ex adepto pontificatu Eugenius eſt poſtea nuncupatus, huius appellationis quartus. Fuerunt & alij uiri ſanctitate illuſtres, cuculla diſcincta exterius amiciuntur, laxioribus manicis, & in humeros paululũ reiectis, ſubter tunica alba, ſcortea zona cinguntur, tegmen capitis cucullæ concolor, calceatus à prophano indifferens, nullus his carniũ uſus, niſi forte ægrotare cœperint, nec profeſsionis uinculo ſe aſtringunt, quum libitũ eſt diuerſum licet ſequi uitæ inſtitutum. Pannones qui cum Pipo Italiam inuaſere, maiorem omnino excitere motum, quàm ſit poſtea clades ſecuta, ſub primam illorum irruptionem Hunniẽſes ad eos defecere, inde in Tauriſinos progreſsi, Serauallum, Belunum, Feltrum, Venetis ademere. Cur ſit id bellum à Pannone illatum, niſi Delmatiæ diſceptatio fuerit in cauſa, non facile dixerim. Quidam ſuſpicari mihi uidentur Foroiulienſium motus Pãnoni materiam præbuiſſe in Italiam intrãdi, cæterum quia pars eorum rem ad Venetos trahebat, idcirco in hos omnis belli uerſa ſit. Sunt qui tradant Brunorij Scalæ inſtinctu, qui ad paternum principatum recuperandum anhelabat, Sigiſmundum decreto Venetis bellum intuliſſe. Sed quocunque nomine res mota eſt, Pipus poſt præclara belli facinora, auro, ut creditur, B corruptus, re infecta retrò abijt. Quidã autores ſunt eum in Pannoniam reuerſum, Sigiſmundi iuſſu, liquefacto auro necatum, nec ita multo pòſt ab eo Italiam bello repetitam cum quadraginta milibus hominum. Platina Blondum ſecutus duodecim equitum milia fuiſſe ait, & octo peditum, Pipiana expeditione ſilentio prætermiſſa. Fuit Sigiſmundi acceſſus Venetis multo terribilior, quàm regij olim ducis, obiectusque eſt illi uenienti Carolus Malateſta, dux ea tempeſtate in re bellica clariſsimus. Dimicatum eſt in Tauriſinis, & in Feltrenſi per alterius partis occaſionem nonnunquam, ac cruenta ſemper acie, & terror ille hactenus proceſsit. Pacti ſunt inde Veneti cum Sigiſmundo in quinque proximos annos inducias. Quo tempore Stenus princeps uita deceſsit, anno publicæ adminiſtrationis tertiodecimo, Thomas Mocenicus fit inde dux. Nec Veneti à Sigiſmundi diſceſſu multum quieuere, Hunnienſibus à reſidua diſcordia laboratibus, tumultuanteq; omni Foroiulienſium regione, ob diuerſa partium ſtudia. Profugerant ad Venetos Pannonico tumultu domo eiecti principes Sauorgnanæ factionis, qui ut in ciuitatem reſtituerẽtur ſumma ope Veneti adnitebantur. Contrà Lodouicus Techius Aquileienſis antiſtes, cuius auſpicijs omnis Carnorum regio, quæ recentiore eſt uoce Patria nuncupata, per id tẽpus regebatur, nihilo minore conatu obſtare Hunnienſibus, qui eam reſtitutionem poſcebant, & iam uis utrinque parabatur, quum ad Venetos Sacilium defecit, inde Ciuitatum ad Natiſonem amnem, Iulium id olim appellatum quidam haud ineptè ſuſpicantur. Lodouicus, ubi rem ad Venetos apertè inclinare uidit, ad Sigiſmũdi opes profugit. Nec ita multo pòſt in Italiam reuerſus eſt cum quatuor milibus Pannonum, ſuntq; ſub eius reditum Ciuitatẽſes aliquandiu oppugnati. Cæterũ appetente bruma, quia Pannon in Italia retineri non poterat, auxiliaribus copijs deſtitutus Techius iterum ſe ad regem cõtulit.

Presbyteri regulares.

Pipus in Italiã irrumpit.

Sigiſmũdus imperator Venetis bellũ infert.

Hunnienſium & Patriarchæ motus.

lit. Veneti qui ad recentem belli motum exercitum A comparauerant: Belunum & Feltrum recipiunt, Foroiulienſium inde fines ingreſsi Prata oppidũ euertunt. Philippus Arcius uir armorum peritia ea tempeſtate inſignis, habebat in Venetis caſtris imperiũ, is Pratẽſi oppido exciſo Hunnium admouit caſtra. Nec multũ abfuit quin primo ſit acceſſu oppido pditione potitus, ſed ubi id conſilium non proceſsit, uiditq; Philippus omnia ſibi obſepta ad urbem inuadendam, motis inde caſtris ad loca in fidem recipienda ſeſe cõuertit. Geſtata ſunt inde Veneta ſigna citro ultroq; per uniuerſam Patriã, multaq; interim oppida, reguliq; Patriani nominis, in Venetorũ fidẽ uenere. Poſtremò Hunnienſes & ipſi, ubi ſatis apparuit externi ſe auxilij uanam ſpem alere, in Venetorum fidem uenere. Horum deditio, quicunq; adhuc Patrianorum in armis erant, ſecum ad Venetos traxit. Bis inde Techius cum externis auxilijs Patrię fines irrupit, ſed uterq; motus tantummodo reſedit conatu: & Veneti per hæc omni Foroiulienſiũ terra potiti ſunt, cuius inuadendæ, non magis Hunnienſium diſcordia materiã præbuiſſe uideri poteſt, quã quòd Techius Aquileienſis põtifex, Pannonico tumultu, hoſtili fuiſſet in Venetos animo. Quieuit inde res Veneta uſq; ad Foſcari principatum, qui poſt Mocenicum cõtinuò dux fuit, habuit Mocenici adminiſtratio annos decem. Sed dũ hęc in Venetis geſta ſunt, in Ciſalpina Gallia Ioannes Maria Vicecomes, domeſtica coniuratione oppreſſus perijt, autores cædis Bernabouis filios nepotesq; exules reſtituũt. Philippus fraterna cæde perculſus, amicorum

Beatrix Philippo Vicecomiti nubit.

ſuaſu Beatricem ſibi matrimonio iũgit, quæ Facino nuper defuncto fuerat cõnubio locata. Sunt qui ſcribãt Facinum morientem id amicorum primoribus mandaſſe, ut Beatricem iam quadragenariã Philippo adhuc adoleſcenti in matrẽ uerius quàm in uxorem iungerent, cuius cõſilio & autoritate ſciebat futurum, ut ille facile paternum recuperaret principatum. Erat Beatrix abundans diuitiarum mulier, pollebatq; autoritate apud eos multa, qui Facini ductu auſpicijsq; militarant. Mirum eſt quàm proſperè ea res Philippo ceſſerit, Vercellæ, Dertona, Alexãdria, Nouaria, & cętera loca, quæ ſub Facini imperio fuerant, Beatricis nomẽ ſecutæ in Philippi fidem redierunt. Pari ſtudio Montaneus Siccus, & Carmaniola duces fortiſsimi, qui omnes Facini copias fuerãt inter ſe partiti, eiuſdem ſe opibus adiunxere. His Philippus auctus uiribus, Aſtorgium Bernabouis filiũ Mediolano expulit, expulſum in Modecię expugnatione interfecit. Et in Inſubribus hęc. Per id tempus Franciſcus Gonzaga qui ſtipendio merebat, Bononiam tutatus eſt aduerſus Malateſtam Ariminẽſem qui Ladiſlao militabat regi. Erat Ladiſlaus rebus ecclesiæ, quum antea ſua ſponte, tum ob Ioannẽ pontificem, cuius decreto priuabatur regno, multo infeſtior factus: eſt itaq; aliquoties circa Bononiã dimicatum, fuerant prælia hæc Gonziacis ferè proſpera, uexare itaq; Ladiſlaus pontificem quum alibi, tum multo infeſtius circa urbẽ, adeoq; minaciter inſtare, ut Ioannes Roma profectus, per Florentiã & Bononiam Mantuam petierit. Hinc cum Gonziaco principe, à quo honorificentiſsime eſt acceptus, Laudem Pompeij petijt, ubi ex compoſito Pannoniæ rex cũ eo in colloquium uenit. Incidit, credo, is duorũ Chriſtiani nominis principum congreſſus in id tempus quo Sigiſmundus eſt cum exercitu aduerſus Venetos Italiã ingreſſus. Mãtua inde ex eo colloquio eſt à pontifice repetita, rege & Gõzaga duce atq; hoſpite comitãtibus. Conſultatio illa tantorum principum eò tẽdere, ut Ladiſlaum ex Hetruria, Vmbria, & Latio armis pellerent. Iam enim Romã & loca pleraq; urbi circũiecta pontifici ademerat. Pecuniæ itaq; & cętera ad bellum neceſſaria ſtudio parabantur, quũ multò maior cura pontificẽ præſenti cõſilio auertit.

Constantiacus conuentus.

Enimuero concilio omnium gentium cõſenſu Conſtantiam Maguntinæ prouinciæ urbẽ indicto, accerſitus eò pontifex, quanquã amicis diſſuadentibus, atq; identidem prædicãtibus, foreut priuatus inde reuerteretur, ut diſcordia tamen aliquando ex eccleſia tolleretur, in Germaniã profectus eſt, lectiſsimo doctorũ hominum comitatu: hic facta omnibus loquendi poteſtate, & multa & fœda crimina ſunt põtifici obiecta, quibus ille perculſus, quum impar ſibi uideretur ad tã atrocem inuidiã ſuſtinendam, Scaphuſam ſe cõtulit ignoto habitu, ueritúsne quid in ſe grauius ſtatueretur. Erat is locus Federici Auſtrię ducis: huc plures antiſtites, quos ille ad ſupremũ ordinẽ euexerat, fuga delati ſunt, põtificis ueſtigia ſecuti. Sed his concilij autoritate Cõſtantiam reuocatis, Ioannes ex Scaphuſa Friburgũ ſe proripuit, inde ad Burgũdiæ ducem iturus. Sed obiter interceptus, totius cõcilij iuſſu fluuiali quadam inſula ſeponitur ſub arcta cuſtodia, anno põtificatus eius quarto, mẽſe decimo, inde in eo anquiſitũ, multaq; & fœda crimina in abſentem congeſta, & in his aliqua, quę hominem impietatis arguebant, quædã eiuſmodi credita ſunt, ut niſi grauiter uindicata eſſent, fœdũ fuerint exemplum Chriſtiano nomini allatura. Magno itaq; omnium conſenſu dignitate priuatur. Mittitur præterea ad Lodouicum Bauarię ducem qui cũ Gregorio ſentiebat, cuſtodiẽdus, quoad aliud de eo ſtatueret. In Aldeberga arce dein triennio fuit, ſine cubiculario famulóue Italicæ gẽtis ullo, nutu & ſignis loquebatur, quando nullum cum his à quibus cuſtodiebatur, eſſet linguæ commercium. Abrogatus eſt Ioanni pontificatus ab his qui cum eo antea fuerãt. Nam qui cum Gregorio & Benedicto ſtabant: erant enim hi duo antipontifices, nondum Conſtantiã uenerant. Ioanne pontificatu deiecto, Gregorius Conſtantiam accerſitus, quia ad diẽ non affuiſſet, per Carolum Malateſtã, in cuius fide erat, ſe pontificatu abdicauit. Cæterum quia facile ceſſerat, decreta eſt illi Piceni agri legatio, in qua non multo pòſt moritur, nouo nõdum põtifice creato. Interijt, ut fertur, quũ nimiũ dolori indulſiſſet, ceu res à ſuo principe præcipitata eſſet, quã ipſe alioqui trahi uoluiſſet, omni in mora ſpe repoſita. Maior inde labor fuit in Benedicto abrogando, tenebat ille ſe loco in Hiſpania munitiſsimo. Adijt Sigiſmundus imperator Galliæ & Angliæ reges, egitq; cum his ut de tota re ſemel conſtitueretur, ne uiri unius inſolens pertinacia publicum bonum remoraretur. Aditus eſt poſtremò Ferdinãdus rex Aragoniæ, omnes operã ſuam polliciti, nuntijs & literis Benedictum in ſententiam trahere diu multumq; ſunt conati. Verum non regum horta tiones, non populorum preces, nõ Chriſtiani nominis conſenſus, mouere potuerunt, ut in ordinẽ ſe redigeret, quam hominis pertinaciam reges perteſi, & ipſi & omnes Hiſpaniæ gentes deſtituere. Nullum quidẽ uitiũ magis eſt hominũ fauori inimicũ q̃ pertinacia. Quinq; gentium ſuffragia Conſtantiacus habuit conuentus. Erant hi Itali, Galli, Germani, Hiſpani, & Anglij, omnium conſenſu pontificatus eſt Benedicto abſenti abrogatus, reiectis & qui cũ eo ſentiebant, Scotis & Armeniaco Comite, diſcuſſa prius re quonã modo & potuerit & debuerit id fieri, nequid temerè factum uideretur. Eſt eodem cõuentu damnata Ioan. Vviglephi hæreſis, ſunt & duo inibi ex eius aſſectatoribus combuſti, ut Hæreſiarchæ, Io. cognomento Huſius, & Hieronymus eius diſcipulus. Aiebãt hi oportere antiſtites & omnem clerum ad Chriſti imitationẽ pauperes eſſe, quia in opulentia & luxu uiuere, qui Chriſti perſonam in terris gererent, parum ad exemplum uitę conduceret. Erant adhuc quædam in melius mutanda, nonnulla in integrum reſtituenda nouo decreto, cæterũ quia ſede uacua ſanciri non poterant, primũ omnium nouum põtificem creari placuit, atq; ita comparatum, ut ſex

Benedictus põtificatu abire noluit.

Attẽde opinionem de clero.

uiri ex singulis gentibus legerétur, qui cum duobus & triginta primorum antistitum suffragium ineuntes pontificé crearent. Quadriennio igitur quàm uerus in ecclesia pontifex esse desierat, Otho Columnius uir Romani sanguinis, supremi ordinis antistes, magno omnium consensu pontifex declaratur, ad tertium Idus Nouembris, anno millesimo salutis quadringentesimo decimo septimo. Cæterum quia eiusmodi creatio in luce quæ diuo est Martino sacra incidit, Martini appellationé ferre uoluit nouus pōtifex, tantaq; ad eiusmodi creationem est omnium lætitia orta, ut prę nimio affectu uix fari possent homines, lachrymis ubertim manantibus. Sigismūdus gaudio effusus incredibili, cōcilium sine discrimine dignitatis ingressus, omnibus egit gratias quòd in summo rei Christianæ discrimine tāti uiri rationem habuissent, inde ad noui pontificis conspectum humiliter prouolutus, pij gregis pastoré & dominum salutauit, pedes exosculatus est. Cōtrà pontifex eū alleuans mutuo affectu cōplectitur, Christianæ pietatis instauratorem appellat, autoré pacis cuius opera pax clero reddita esset, Apostolica dignitas in pristinum statū restituta. Sed dum hæc Constantiæ geruntur, Ladislao in ea expeditione defuncto, quà in Florētinos inchoauerat, Romæ cōtinuò est ad arma & libertatem conclamatum. Affuit nec multo pòst pōtificius legatus, cuius opera breui pacata est ciuitas, sumpto de ciuib⁹ supplicio, qui noui motus fuerant autores. Sed nec longior pax contigit ciuibus. Bracchius Montonius sequenti anno Romam cum exercitu ingressus, multa ui Adriani molem oppugnat. Tenebatur arx iunioris Ioannæ præsidio. Fuerat hæc Ladislai soror, successeratq; defuncto in regni successionem. Ductabat regium exercitū Sfortia uir impiger, qui celeri occursu nō solum hostem ab oppugnatione auertit, sed prælio etiam uictum procul urbe expulit. Occidit eo prælio Io. Colūnius quem gregarius miles transfixit. Voluit is Pauli Vrsini ducis fortissimi mortem ulcisci, quem Lodouicus Columna in Fulginati agro interfecerat, militauerat diu miles Pauli ductu, eggerrimeq; ferebat eius mortem. Petebat infesto telo Lodouicum, uibrauerátq; ferrum in aduersum hostem, cęterum Ioannes periculum intuitus, ut perneccssarium hominé tegeret, subito occursu lethalem excepit ictū, fluctuabatq; per hæc res Romana, quum optatissimus de noui pontificis creatione nuntius spē quietioris status fessæ ciuitati attulit.

Martinus pontifex.

ENNEADIS NONAE FINIS.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI RAPSODIAE HISTORIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS DECIMAE, PROOEMIVM.

PRVDENTER mehercule sciteq; feciſſe uideri possunt ueteres poetæ, qui externo fabularum actu ita ferè uterentur, ut nouissimus ille locus omniū maxime delectaret, illustraretq; totum fabulæ schema, ut Sol mundum, & quæ mundo continentur, quod si ijs, qui ludere dicuntur, tum maxime placere fuit curæ, quum ludere desinerent, nulli credo dubium est, quid in reseria fieri oporteat, quanquam historia eiusmodi est ut non solum prodesse uelit, sed delectare etiã, nisi Pliniū delirare credat aliquis, qui rem ipsam adeò popularem iudicauit, ut quoquomodo scripta esset historia non posset non placere, & delectatione aliqua afficere, quod rei ipsi astruere, nihil ut arbitror æque potest ac rerū uarietas quæ nō tam consilio nobis quæsita est, ut alieno exemplo scripsisse uideri possimus, quàm extremæ Rapsodiæ huius parti agnata ac casu quodam inserta. Enimuero quid per deū tam necessarium instituto operi, aut tam cōueniēs fuit, ꝙs ut quẽadmodū in prima Enneade operis huius tota uetustatis facies expressa est, ut qui olim mores gẽtiū, qui ritꝰ, quæ religio, quæ disciplina militaris, quæ ciuilis & domestica fuerit, & in plenum totã uitæ rationem, uelut in tabula quadã depictã sit uidere: pari industria hic ultimus labor omnium recentiū rerum explicationẽ contineret. Cœli & terrarū situs, flumina, lacꝰ, stagna durãt iã, & in multis prisca nomina adhuc incorrupta manẽt. Ãt in moribus hominum, cæteraq; uita, tãta mutatio facta est, ut nulla meo iudicio relatio utilior aut gratior esse possit, quàm hæc quæ demonstratura sit quantū in humanis rebus mutare potuerit uetustas. Ex qua rerum inconstantia existimare licet, quàm infirma sint hæc, quæ in terris mirantur humanæ gentes, tãquam perpetua ac semper duratura, sed reputatio hæc suum desiderat locum. Nunc tantum præfari liceat quod ad recentioris uitæ relationem attinet, reposuisse me hæc in extremam partem operis, nō magis consilio quàm necessitate adductum, ut in nouem duntaxat libris sparsim inserta, ceu lumina quædam interlucerẽt, eo, ut arbitror, plus gratiæ habitura, quo minus uaga, minusq; inter se distare uidebuntur, quod si pluribus Enneadibus fuissent astructa, contingere nullo modo potuisset.

ENNEA-

ENNEADIS X. LIBER I.

Spectabat iam ad exitum Constantiaci conuentus celebritas, post solennem pontificis creationem, quum métio illata est, resq; inter plures iactari cœpit, creuisse plus nimio cleri licentiam, in moribus uulgo peccari, emendatione uita opus esse, ut ueteri instituto ui ueretur, poscere proinde sicut ad tollendam discordiam, quantum humana ope prouideri potuisset, abunde consultum esset, ita uitæ cōsuleretur. Probare rem nouus pontifex, cæterùm ueritus ne aliquis recens motus oriretur, qui suum in Italiam reditum impediret, nam Benedictus antipontifex, ad quem ipse cōtinuò pòst suam creationem miserat, in Panischolana arce illa schismatis se tenebat, licet omnium fauore destitutus, magno principum consensu soluit cōcilium, quibusdam tamen prius decretis, nónullis, aut rescissis aut in melius mutatis, quæ quadriennio illo, quo id concilium tenuit, totaq; schismatica tempestate parum utili exemplo inoluerant. Nec ita multo pòst pontifex, etsi Germaniæ Galliæq; regibus obnixè rogantibus, ut ad se diuerteret, in Italiam transijt, sæpius inter suos re

Martini pontifex uox memorabilis.

status rectorem nauis in puppi non in prora esse oportere, Romam dici & esse Christianæ pietatis caput: iam plus æquo pontificum absentia res ecclesiæ in Italia affectas, diuorū templa Romæ partim corruisse, partim sine cultu pro despicatis in solitu dinem redacta, faciem urbis situ & squalore deformatam, oppida Italiæ pontificij iuris pressa sub Tyrannis iacere, pontificis præsentia opus esse, ut Romanæ ecclesiæ dignitas ab iniuria uindicetur. Hæc B sæpius ex eo audita, & ipse qui ea iactabat multum erat & ad dicendum, & ad persuadendum efficax, facile impetratum est ut externi reges sua commoda pontificijs posthabuerint. Pontifex abeundi cupidus ob Ioannis effugium, ne qua illi noui cōcilij habendi relinqueretur occasio, Ticinum Galliæ urbem Christiano nomini cōuentum indixit in quintum proximum annum, tulitq; decretum, ut septimo dein anno alius haberetur, & mox tertius decennio pòst, quod annorū spaciū seruaretur deinceps omni quo ut decimo quoque anno Romanus pontifex & omnes Christiani nominis duces, unū in locum coirent, de summa rei cōsulturi. Sunt qui concilio adhuc tenente hæc decreta fuisse scribāt, cæterùm siue tum demum, siue prius res confecta est, Pontifex, quod inter omnes constat, conuentu dimisso, per Allobrogum terram, Sabaudia nūc est, in Italiam transgressus, Mediolanū petijt. Erat tum Philippus Vicecomes uehementer occupatus in urbibus paterni principatus recipiendis. Mediolano recepto, cum urbibus quæ sub Facino fuerant, ut in calce proximæ Enneadis fuit significatū, Comum ad Larium lacum à Rusconijs fratribus recepit, & mox Laudem Pompeij, cuius arcem quia Lodouicus Vineatensis obstinatius defendisset, cum patre in potestatē redactus, Vicecomitis iussu, laqueo est necatus. Deiecit inde Carmaniola, qui copias

Philippi ducis successus.

Philippi ductabat, Coleonicos ex Trecio oppido Abduæ flumini impositio, & dein ex Leuco ad Larij emissorium, Cremam proditione recepit. His Philippus successibus elatus, Carmaniolę quatuor milia equitum attribuit & mille peditū, imperatq; ut Philippo Arcellano qui Placentiam obtinebat, bellum inferat, hæc mandat, ac simul ducem ipsum cognomine & affinitate Vicecomitum familiæ asciuit, ut obsequentiorem haberet, magisq; fidum in re bellica administranda. Fuit Placentinum bellum A tractu durius quàm à principio uisum est, Genuensibus Arcellanos tuentibus, ad postremum urbs capta est, arx tantum retenta. Occurrit eò cum exercitu Pandulphus Malatesta, qui Bergomum & Brixiam obtinebat, nam & ipse cum Arcellanis fœdus iunxerat aduersus Philippum, cuius successus iam meritò finitimis suspecti esse cœperant. Philippus quia Placentia recepta bellum Carmaniola in Genuenses uerterat, ueritus ne Placentini sub Malatestę accessum deficerent, edicto præcepit, ut Placentini cum uxoribus et liberis Ticinum et Laudē populariter migrarent: ea res fecit ut Malatesta uacuā urbem nactus, cōfestim retrò abierit. Et Carmaniola non multo pòst affuit, qui in Arcellani conspectū dedit filium & fratrem uinctos, quos in Pulceferano ceperat, Tyrannum hortatur ut sibi et suorū saluti cōsulat matura deditione, pollicetur ad hæc multa, ut hominem in sententiam traheret. Cæterùm quum nihil ab eo pacatè responderetur, Carmaniola, ut iracundo sæuoq; erat ingenio, captiuos in conspectu arcis laqueo necauit. Erat Arcellani coniunx in arce, quæ filium & mariti fratrem pendentes intuita, conuicio male affectum Philippi animum incessere nō prius destitit, quàm ille desperatis rebus reliquit arcē, ad Venetosq; se contulit. Vicecomes Placentia potitus, breui circa Ticinum omnia recepit: Palauicini, Rubriani, & Peregrinenses in fidem uenere. Erantq; res Philippi per hæc adeò auctæ, ut iam meritò formidini essent finitimis: sed ut sunt hominum res subitis casibus obnoxiæ, facileq; uariabiles, incidit Philippus in hoc gerendarū rerum cursu in domesticam cladem, non magis inopinatam quàm turpem, Beatrice, quam iam exacta ætate fœminam in matrimonium receperat, adulterij comperta: adolescés eius pincerna, qui cum illa stuprum fecisse dicebatur, quęstioni subiectus crimen confessus est, ac securi percussus. Beatrix contrà id flagitiū cōstanter inficiata est, cæterū cū nihilo sacius ad supplicium traheretur, adolescentis truncum intuita eius manes execrata est, ut fertur, quod pudicitiam suam tota uita sancte à se custoditam, supplicij metu, falso testimonio labefactasset. Scio fuisse qui crederent, (nam hoc quoque traditur) ex Philippi sententia ea omnia accidisse, quòd intempesti uum connubium iam fastidire cœpisset, quod tam absurdum sit credere, quàm ab ea magnitudine animi, qua fuisse fertur, alienum. Bellum inde Malatestæ illatum, breuiq; Bergomum est illi ademptum, foretq; breui cum eo debellatum, nisi Brixia à Carmaniola cōpulsum Veneti pecunia & armis iuuissent. Martinus Fauentinus, dux ea tempestate acerrimus, cum auxiliaribus copijs ad Pandulphum ire iussus est: eratq; Philippus Brixiano bello implicitus, cum Martinus pontifex ex Gallia reuersus, Mediolanū petijt, tanti hospitis interuentu pax est Malatestæ his conditionibus delata, ut quandiu is uiueret Brixiá obtineret. Pontifex ex Mediolano digressus Mantuam proficiscitur, ubi Francisci Gonzagę arbitrio pax inter Philippum & Pandulphum prius mota sancita est. Et hæc primo Martini pōtificis anno intra extraq; Italiā sunt gesta, q millesimus ac quadringentesimus fuit humanæ salutis, duoq; deuigesimus. Pontifex ex Mantua Florentiam proficiscitur, nec obiter Bononiam inuisit, quæ posteaquá Ioanni pontifici Constantiaco conuentu dignitatem adeptam audiuit, ecclesiæ magistratu eiecto, in libertatem sese uindicauerat. Nec uno loco pontificiæ res nouis motibus laborare. Bracchius uir militari gloria tempestate illa insignis, Perusium cū tota ferè Vmbria & ex patrimonio loca quæ dā (sic enim Hetruriæ partē hodie uocāt) circa Vetuloniā armis occuparat, regulorū quibusdam mercede cōductis, ut itineribus circunquaque insessis pontifex ab urbis reditu excluderetur: qua ille con

Beatricis miserabilis exitus.

Bracchius.

tumelia instructus, anathemate hostem defigit, omni sacrorũ cęrimonia ciuitatibus, ciuitatumq; principibus interdicta, qui Bracchio fauerẽt. Cæterum Florentinis annitentibus, quibus erat Montonius dux charissimus, pax breui secuta est, atq; ex ea parte aliquot oppida sunt pontifici restituta. Bracchius ad põtificis pedes prouolutus ueniã impetrauit, stipẽdioq; inautoratus, iussus est Bononiã ad obsequium retrahere. Manauit Bracchius strenui ducis opera Romanæ ecclesiæ in ea urbe recipienda, tenebatq; adhuc id certamen, quum quatuor illi Antistites, qui ad extremum Benedicti Antipontificis partes secuti fuerant, Florentiam ad Martinum pontificem uenere. Hos ille concordiæ cupidus perhumanè complexus, in primorum Antistitum ordine habuit, Balthasarẽ Cossam, qui Ioannes pontifex fuit, custodia liberauit, Cosmo mediceo & alijs principibus ciuitatis gratificatus. Cæterum priusquã pontificis iussu solueretur, uindicauerat ille se in libertatẽ quadraginta milib. aureorũ nummũm Palatino comiti, apud quem custodiebatur, datis: eratq; eius in Italiam reditus uehementer suspectus põtifici, multiq; erant in eam expectationem erecti, ut per eum aliquis nouus motus oriretur, sed ille prẽter omnium opinionem Florentiam se contulit, demissusq; humiliter ad pedes pontificis eum de more adorauit. Mouit expectatum pœnitentiæ exemplũ pontificis animum, afflictamq; hominis fortunam miseratus, primo Antistitum ordini iterum ascripsit, habuitq; apud se iã inde in magno honore, sed dolor plus ualuit quàm restituta ex parte dignitas. Enimuero quia tristitiæ & mœrori plus æquo indulsit, paucis mensibus, quibus Florentiam uenerat, mori
Cosmi diuitiæ. tur, defunctum Cosmus ad Ioannem Zachariæ honorificentissimè extulit: fuerat enim illi amicissimus, pecuniaq; ab eo relicta *multo* locupletissimus est Florentinorum omniũ factus, mox adeò uni uiro indulsit fortuna, ut affluentibus diuitijs apud ex B
teras etiam nationes sit omnium, qui tempestate illa fuerunt, fortunatissimus iudicatus. defuncti Antistitis sepulchrum hoc habet: Baltasaris Cossæ Ioannis uigesimi tertij quondã Papę corpus hoc con
Baltazar Cossa qui Ioann. XXIII. fuit. ditur sepulcro. Per idem tempus legati ex Bizantio ad pontificem uenere, qui ab imperatore ad hoc ipsum missi significabãt cupere Græcos in ijs, quæ ad fidei cultũ pertinerent, Romanæ eccleſiæ uniri, modo æquis id fieret conditionibus. Audiuit libẽs summus pontifex Græcorũ postulata, creatusq; est confestim legatus ab eo Petrus Fonsiccius, Hispani generis, uir singulari eruditione, et in supremũ antistitum ordinem iã antea ascitus, qui ad id negociũ in Græciam proficisceretur, est aliquãto prius eò missus Antonius Massanus, ex Francisci Asisiatis familia, uniuersi magisterio ordinis fungens, is totã rem iussus est explorare. Sed dum hæc circa pontificem gerũtur, Philippus interea paterni principatus uindicãdi cupidus, Cabrino Fundulo bellũ intulit Cremonensiũ tyranno, estq; in hostem itũ Carmaniolę ductu. Soncinẽses, & Pixitones, primi omniũ ad Vicecomitẽ defecere, quã suorũ inclinationẽ ueritus Cabrinus Cremonã conatus est cum Salodio & Benaci lacus ora permutare cum Malatesta principe. Criminari Philippus Malatestã, quòd pace, quã nuper secũ sanxisset, parũ sanctè custodiret. Castellionẽ itaq; oppidũ munitissimũ cũ auro & omni domestico apparatu habẽdũ permisit, ut Cremona potiret, cuius rei cõpos factus cõtinuò Malatestã p fidẽ rupti fœderis recẽti inuasisset bello, nisi ueritus esset ne primo adortu Venetorũ arma mouerẽtur. Fauebãt Veneti ex cõfesso Malatestę reb. quàm maximo itaq; potuit studio bellũ assimulat in Franciscũ Gonzagã, paterni principatus oppida repetẽs, & in his Pischeriã, ad Mincij caput, nulli dubiũ erat quin Pischeria recepta Veronã Philippus esset et Vicentiam armis infestaturus. horrere id Veneti autoresq; Gonzagæ esse, ut Pischeriã non redderet. His Philippus cõmotus, pro magno habuit negotio sibi Venetos iungere, percusso cũ his fœdere in decẽ annos, estq; in eo diserte scriptũ, ut utriq; hostẽ haberẽt, quicunq; externorũ regũ aut ducũ, alterutris bellũ intulisset, ne Veneti dũ fœdus teneret Pandulphũ Malatestã ullo iuuarẽt præsidio. Descensum est cò libentius utrinq; in id fœdus, quòd Sigismũdus imperator Veneto nomini & Vicecomiti inimicus Italiæ imminere dicebatur. Publici Venetorũ studij à Pãdulpho auersi inde causa orta est, quòd Martinus Fauentinus, quẽ periclitantibus Malatestę rebus Veneti adiutorẽ illi dederant, post nauatã belli operam interfectus ab eo esset. Destitutus Veneto rũ auxilijs Pandulphus cõfestim relabitur in nouũ belli discrimẽ, Carmaniola ignobilibus quibusdam Brixiani agri locis primò captis, montem dein Clarium maiore ui cõnixus inuadit, quo amisso omnis externi spes auxilij Malatestę adimebatur. Carolus interea Pandulphi frater, qui Florẽtinos perpellere nõ potuit, ut arma in Philippũ induerẽt, quibus ingens uideri uolebat imminere periculũ à Vicecomite, si fratris sui principatum euertisset, per se bellum cõparat, quinq; millia equitũ & duo peditũ ad Brixianũ bellũ misit, Lodouici Melioris ductu, fuit is Innocẽtij septimi ex fratre nepos, obtinebatq; Firmiũ in Piceno. Cęterũ Lodouicus in Clarianis campis bello superatus in hostiũ potestatẽ uenit, pertulit etsi grauissima clade affectus Pandulphus immi
Fœdus inter Venetos et Philippum. nentẽ hostẽ, bellũ mœnibus propulsans. Interea Nicolaus Estensis Philippi potentiã ueritus, cuius opes iã multo plus creuerãt quàm ut finitimi turò se illis obijcerent, Parmã quod mox paulo coactus fecisset, ultro Vicecomiti restituit, tenuerãt eã urbem Estenses iam inde ab Othonis tertij interitu, tenuit tamen Martini pontificis rogatu, ut Regium Lepidi quod Vicecomitum fuerat, possideret. Inter hęc aut certè nõ multo pòst Carmaniola est Brixia potitus, & Cabrinus, Castellione capto, supremo est supplicio affectus. Platina, post Brixiã Malatestæ ademptã, significare uidetur Cremonã à Carmaniola captã, Cabrinumq; supplicio affectũ. Hoc defunctus bello Philippus, Bellincionã & Domussulã recepit in alpibus, qua ex Italia iter patet in Germaniam. Suitẽses, qui ea possederãt loca, dissimulata ad tempus ira, nihil aliquandiu mouere, mox repente ad uim coorti, Bellincionam tumultuose inuadũt. Occurrunt eò duo Philippi duces. Angelus Pergulanus cum expedito milite, secutus inde Carmaniola est cum robore copiarũ, pugnatumq; breui pòst non procul à Ticino amne. fuit pugna atrox ac diuanceps, sed Itali ad postremum egregie uincunt.
Suitenſium ades. Germani prælio fusi: cum multa trepidatione, sese in locum paulo editiorem recepere, defixis que solo hastis deditionem facere patrio more significabant. Censebat Pergulanus eam deditionem, ut fiebat recipiendam, contrà Carmaniola instandum ratus tumulum ferocius subijt, instauratoque prælio hostes fuga & metu disiecti pars in Ticinum præcipitati sunt, alij alijs itineribus in suos fines duobus milibus hominum amissis, se trepidè receperunt, nec ea uictoria fuit Italis incruenta, ex Philippi exercitu fortissimo quoq; interfecto aut uulnerato, quadringentis equis ab hoste confossis, mirum fuisse aiunt, quantum negocij fuerit primo cõgressu Philippensibus iniectũ à ferocissimo hoste, quippe qui iniquũ certamen adeptus, quũ ex equo
Att. ferociam. Itali dimicarent, ipsi Germani ferè pedites essent, equos illi non equites petere, quibus confossis populitibus suffraginibusq; defectis, equites ad terram deuolutos trucidare. ea res effecit ut pars multo maxima eorũ qui ex equo dimicabãt, ad terrã digressi, pedestre obiuerint prælium, plerique ex Germanis

lancea

lancea traiecti pẽ hastam conati sunt ad hostẽ pertendere, ne inulti caderent, & cum ea gẽte hoc euẽtu tunc dimicatum est. Quo rerum successu, quum Philippus maiores spiritus indies aleret, bellum nõ multò post in Genuenses uertit, Terano Adurno, Francisco Spinula, & alijs primoribus ciuitatis, tũc urbe extorribus, Vicecomitem ad id bellum impelIentibus, primum omnium Sauona ex Genuẽsibus bello petita est à Carmaniola (is enim ducẽtabat Philippi copias) sed urbs ualidè defensa est Spinulę Fregosij uiri impigri opera: Sauona omissa Genuẽsem agrum Carmaniola inuadit, multaq; circa urbem loca subegit. omnes Genuẽsium primores, præter Fescios, in Vicecomitis partes metu transiuere, & iam Philippi exercitus Genuæ imminebat, in qua subigenda quum duo maximè obstare uiderentur, inuictus Thomæ Fregosij animus qui dux tũc erat Genuensium, & Florentinorum amicitia, qui in extremis Genuensium rebus uidebãtur omnia enixe facturi, ne Philippus ea urbe potiretur, placuit omniũ primum Florẽtiam mittere, qui cum eo populo, pacem uiginti prope annos utrinq; seruatã, nouo fœdere instaurarent. Sex legati eò missi, quibus in curiam accersitis, factaq; dicendi potestate, eorũ unus
Oratio legatorum Philip. ad Florent. in hũc modum uerba fecit: Misit nos Philippus Vicecomes, Florentini uiri sapientissimi, ad eã pacem uobiscum instaurandam, quæ uiginti prope annos summa fide & studio utrinque persanctè custodita est, nec id fieri postulat, quia non satis explorata sit illi publica Florẽtinorum fides, qua nihil est aut cõstantius aut firmius, nec quia non sit suæ constãtiæ, perpetuiq; in uos studij sibi conscius, sed ueritus ne suarum rerum successus sit plus æquo uobis suspectus, quia Dei optimi benignitate plus ipsius opes ad hũc diem creuerint, quàm uobis & finitimis tutũ fortasse uideri possit, qui metus semel receptus etsi uanus, queat tamẽ uos trãsuersos agere atq; im B
pellere ut aliquid cõtra pristinum fœdus moliamini. etenim nulla potest esse diuturna amicitia, quæ nõ sit omnis mutuę suspicionis expers. Sed uos Florentini uiri non quantus sit hodie Philippus expendere oportet, sed qualis in uos fuit semper, quo studio, quo amore Florentinum nomen prosecutus sit in omni tẽpore, omni fortuna iam inde ex quo suis auspicijs patrium cœpit principatum administrare, in quo ueteri studio ut constantius perseueret, pręcipuè admonet antiquarum cladiũ tristis recordatio, quæ illatæ & acceptæ feruntur his bellis, quæ, ipsius maiores uobiscum gessere, quo fit ut nihil hodie aut uos aut illum magis deceat, quã de perpetua pace cogitare. Accedit huc ipsius principis consiliũ, quum autori, tum uobis uniuersæq; Italiæ salutare: nemo est hodie Italici nominis qui non aut uiderit, aut fando ab alijs didicerit, quibus ille casibus iactatus exercitatissimã per omnes aduersos casus egerit adolescentiam, pręcipuamq; partem iuuentutis. Puer amplissimi principatus parte multò maxima spoliatus est, ut præter Mediolanum & Ticinũ, cætera prædæ fuerint quum alijs tyrannis, tũ illis ipsis quibus sua & fratris orbitas curæ esse debuit. Inde fratrem crudeliter interfectum, cũ Mediolano amisit, supereratq; ex opulentissimo nup principatu solum Ticinum. In hac ueluti arce unica suam tutatus est salutem, magis iniuriæ obnoxius quàm cuiquã infestus. Mutata est inde fortuna, ac quàm antea infesta fuerat, tam postea illi mitis & æqua facta est. Enimuero post Beatricis nuptias, tyrannorum alijs fato, alijs bello sublatis, felicissimo rerum cursu eò uenit, ut opibus & potẽtia tantum hodie Dei benignitate, suaq; uirtute floreat, quàm ne optare quidẽ esset olim ausus: contentus igitur florẽtissimo principatu, magis de eo tuendo cogitat quàm armis augendo, nec fatigandam sibi putat fortunã, quę quid possit in utranq; partem satis superq; expertus est.

Nihil igitur quum hoc animo sit, ad se magis pertinere arbitratur, quàm ut quantum humano cõsilio prouideri possit, det operã ut Italiæ status sit quàm pacatissimus, quod unũ si contingat, ne ab externis quidẽ armis possit metus ullus ingruere. nã quod ad pacem attinet, satis credere ita futurum, ut Venetos omni tẽpore quàm amicissimos habeat, qui ut gentis ipsius natura est, ad pacem multò propẽsior quàm ad bellum, nunquam non sint secum ad communem pacem tuendam conspiraturi: quòd si uos Florentini uiri in fœdere manseritis, nulli dubiũ sit, quin multò maxima pars Italiæ triũ potentissimorum nominum autoritate secuta, sit in id fœdus cõsensura, per quod res Italię ab omni motu intestino & externo liberæ, florebunt, ut si quãdo aliãs, quiete & ocio. Quid autem Philippus nouo hoc sibi uelit fœdere perspicuè demõstratũ est. Cæterùm quid uos super ea re decreturi sitis, incertum habeo, tantum affirmare possum, eam stabiliendę pacis uobis occasionem deferri, quę si non aliunde oblata esset, fuerit tamẽ à uobis omni studio & diligẽtia requirenda, aut quia res equissima sit, aut quòd uobis & uniuersæ Italiæ utilissima. Quum Philippi legatus in hanc sententiam peroraſſet, iussus cũ collegis curia discedere, cœpta res est cõsultari. Erant qui cẽserent nihil esse Philippo credendum, habituros tantisper Florentinos cum eo pacem, donec Genuam subegisset, mox fore ut ille mari terraq; potẽtior factus, multò infestior quàm ullus unquam maiorũ, Florentinos adoriretur, esse proinde eo magis cauendum, quo maius ab eo pacis studium assimularetur. Multi ac ferè ex primoribus assentiebantur huic sententiæ, uicit tamen multitudo pacis cupida, fœdusq; renouatum est his conditionibus: ut utrorumque fines essent Macra fluuius, & Crustilus; ambo in Apennino orti, cęterum diuersis fontibus, hic Padi, ille maris inferi accola: cautumq; ne ultra horum fluenta hi aut illi proferrent arma, nõ nouos belli socios, non pacis ullos asciscerent, ne quid rei alterutris esset ultra ipsorum finium præscriptum. Premebatur interim Philippi armis Genua, assidebantq; urbi Philippi copiæ, adeoq; hostium propinquitate omnia reddebantur Genuensibus infesta, ut res haud procul abesset à legitima obsidione, restitit forti animo Fregosius dux, Florẽtinorumq; auxilijs destitutus, strenuè hostem ferre, nihil terrestre bellum ueritus, quando affatim commeatus à mari subuehebantur. Cęterum pecuniarum inopia adactus, Liburnium Pisanorum portum, quem Genuenses per id tempus tenebant, Florentinis centenis uicenis milibus uendidit, classemq; simul instruxit, quam Genuensibus extorribus obijceret, qui nouem triremes mercede cõductas Barchinone ad bellum instruere dicebantur, ut urbem à portu infestarent. præerat urbicę classi Baptista Fregosij frater, qui nauali prælio uictus, cum primoribus partium, uenit in exulum potestatem. Fregit ea clades Fregosij animum, ut omni spe abiecta retinendæ urbis, Sarzana cum aliquot locis sibi ex fœdere retentis, Philippo & exulibus Genua cesserit. *Philippus Genua potitur.*
Tũ Philippus non magis lætus quòd Genuensi bello ex sententia defunctus esset, quàm quòd Tusci inchoandi oblata sibi esset occasio, fœdus à Florentinis uiolatum interpretatur, qui Genuenses pecunia iuuissent. Cæterùm ut Tuscum magis iniuriæ haberet obnoxium, omnem de ea re disceptationem in apertæ contentionis tempus consulto differt, ipse interea Forliuiensibus multa arte insinuatus, per speciem præsidij eorum arce potitus est, unde ciuitas non multò prius Lucretiæ præsidium deiecerat: erat hæc Lodouici Aledosij Cornelienſium principis filia, nupseratque Georgio Ordelapho, ex quo Theobaldum enixa est, eo adhuc puero quum mater multo propensior in Corneliẽses esset,

quàm ut æquo animo amplius ferre posset Forliuiensium ciuitas, omnia enim his credere, principatus partem multo inaximam per eosdem administrare, facile ciuiũ studia à se alienauit, oblata est ex eo Vicecomiti occasio Forliuiensium rebus sese miscẽdi, mox Lucretia in ciuium potestatem redacta, creati sunt ex corpore ciuitatis, qui pro puero principatum administrarent. Iuuit Philippi consilium nonnihil Nicolai Estensis opera, cui Forliuienses multum ea tempestate deferebant ut principi sapientissimo, & in cuius fide aliquando fuissent. Nam is anno circiter quarto decimo antequã hæc gesta sunt, eam urbem Georgio Ordelapho, uelut per manus dederat tuendam, ipse à Ioanne põtifice acceperat. Huius autoritatem ciues secuti, etsi permulti alioqui cum Philippo sentiebant, Vicecomitis præsidiũ accepere, nec multo pòst & arce potiti sunt Forliuienses, Cornelienſium præsidio inde eiecto. Cœpta est inde fama circumferri Forliuium Theobaldi nomine administrari, sed urbis imperium Philippi ducis esse, iã & Lucretia custodibus deceptis Forum Popilij petierat, locum arce, fossa, uallo; munitissimum: distat Popilij forum quatuor milia passuum à Forliuio, tunc satis frequens, cæterùm moribus inconditum. Hæc ubi primum Florentiæ audita sunt, magnus est animorum motus secutus, fremere ciues, insidiari Philippum Florentinorum libertati, iã fines qui ex fœdere obseruari debuerant, eum palam armis transgressum, occupassẽque alienam urbem, & opportunã ad rem Tuscam ex proximo infestandam: bello itaq; ut hostem persequẽdum, iuuandam armis Lucretiam, totis uiribus adnitendum, ut Vicecomitis præsidium ex Forliuiensium ceruicibus depellatur. hæc simul fremunt, simulque ad pontificem mittunt, qui Alphonsum Carillium Bononiæ legatum accusarent, quòd de Forliuio occupando cum Philippo cõueniret, quibus pontifex delationibus commotus, confestim Gabrielem Condelmarium Venetum, qui postea ex adepto pontificatu Eugenius fuit, dedit Carillio antistiti successorem. Miserunt præterea Florentini Ioãnem Lauellanum, & Lodouicum Obicium cũ duabus alis equitũ, qui Lucretiæ auxilio essent, rem ad Theobaldum & matrem traherent, horũ signis uterẽtur, & in tesseris militaribus omnia usurparent. & iã ciuitas tota erecta erat in belli expectationem, quum Genuensis Antistes ex urbe rediens, Philippi nomine factum excusauit, testatus eo consilio Philippum cupere Forliuium suo teneri præsidio, ut copiæ quæ in põtificis gratiam à se aduersus Bracchium ducẽ mitterentur (præmebat is Aquilanos bello, qui in pontificis fide erant) per Flaminiam tutò ad hostem pertenderẽt redirentq; quum opus esset, ac si quid obiter accidisset, haberent quò incolumes se reciperent: paterẽtur itaq; Florentini Romanæ res ecclesiæ, quæ in aperto sitæ essent discrimine, per hæc iuuari, nec expeditionem tã piam quã necessariam interpellando, pontificis, utrorũq; amicissimi, deq; pietate optime meriti, ré & dignitatem tyránorum armis proderent. Summa eorum omnium quæ ille Philippi nomine locutus est, hæc fuit, ne Florentini uano metu subacti, quippiam temerè mouerent, quin mitterent potius ad Philippũ legatos qui coram docerentur nihil esse fraudis in eo quòd Forliuiũ eius teneretur præsidio. Dimissus est antistes ille cum ambiguis responsis, sed quibus satis significabatur Florentinos non ignorare, quò Philippi consilia tenderent, & iam miles undiq; stipẽdio accersebatur, parabaturq; Florentiæ nihil obscurè bellum, quum Lauellanus & Obicius, Tusci equitatus ductores, qui ad Lucretiam missi fuerãt, cũ Philippi ducibus, qui Forliuij erant tumultuario prælio, sed paribus ferè copijs congressi, ad Bidentẽ amnem fœdè fusi fugatiq; sunt, atq; Popilium compulsi. Affuit his auxilio sub primũ congressum Pandulphus Malatesta, qui ex Cæsena eò occurrerat, erat is infestissimo in Philippum animo ob Brixiam sibi ademptam, Florentinisq; autor esse belli maturè comparandi, atq; ab ijs occultè inautoratus, ad eam diẽ id consilium texerat, ut ab aliquo præclaro facinore rem inchoaret, cesset illi consertum prælium nihilo felicius quàm Tuscis ducibus. nã & ipse eodem quo Lauellanus, ui hostium compulsus, ne Popilianis muris inclusus obsideretur, paululũ ibi cõmoratus Bretonoriũ cũ paucis celeri cursu se proripuit, & ex Bretonorio Cesenã, quam frater obtinebat. Nuncius rei in Flaminia male gestæ pudore & ira stimulantibus, multò magis Florentinos accendit ad bellum summa ope instruendum, legatisque passim ad principes & populos dimissis, ut hos in societatem belli traherent, illos mercede conducerent, in omni gente laborãt. Thomas Fregosius Genua pulsus, qui Sarzanã obtinebat, & loca quædam illi circuniecta, primus omniũ est in partes belli adductus. Est & ad Philippum ducem postremò missum, fuitq; legationis illius princeps Bartholomæus Valerius. Cæterùm processerant legati Laudẽ usq;, quum ibi subsidere iussi sunt, atq; edocti Philippũ pestilentię metu nolle eos audire, missurum tamen qui ipsorũ postulata cognosceret, cognita ad se deferret. Tum Valerius: Nos, inquit, pacem nõ pestem Philippo attulimus, nec apud aliquem publica summus mandata depositurus, quam apud ipsum principem, ad quem missi sumus, quem si non cõminus affari liceat, ut præsenti liberetur metu, clara uoce procul stãtes iniunctæ legationis defungemur officio, sed quum id quoq; non daretur, aliquot diebus uana expectatione cõsumptis, infecta re retrò abierunt. Valerius domũ reuersus acerbè est in Philippum inuectus apud magistratus, qui legatos de pace acturos audire noluisset, sed pro despicatis tanquam supplices ab eo aliquid petituri uenissent, ne uisos quidem à se dimisisset, id non parum pertinere ratus ad eorum studia sibi cõcilianda, qui neutro adhuc suum fauorem inclinassent, ita natura cõparatum esse, ut in ijs bellorum partibus omnes libentius esse uelint, unde maior spes appareat uictoriæ, ut nõ tam causa quàm fortuna spectetur. Sed si uiri sunt Florentini, inquit, si sue libertatis memores, in callidissimum hostem, nihil enim in eo non hostile est, bellum decernẽt, decretum forti alacriq; animo obibũt, spero futurum ut pacem, quam nunc haud dubiè aspernatur, solicitus demum requirat, ac tum fortasis quum à nullo sit impetraturus. His q; Valerius stimulis adeò primorum animos inflammauit, ut postridie sit bellum decretum. Philippus interea, etsi nihil de Romani pontificis in se animo dubitaret, tantumque abesset ut ab illo quicquam tristè expectaret, ob ea quæ circa Forliuiũ facta essent, ut conniuere etiam ijs quæ fierent arbitraretur, ut tamen ipsius animum sibi magis deuinciret, quando res suæ satis alibi in tuto essent: & in Æmylia si de Forliuij possessione cum Tuscis armis disceptãdum esset, abundè sibi cautum, ne suum inde præsidium deijci posset, rem pontificis procul tuendam suscipit: sed quid fuerit cur ille gratificari uoluerit pontifici, multò melius poterit intelligi, si quæ circa Neapolim totoq; regno per id tẽpus gesta sunt, breuiter referantur. Fuit Ioanna maior Ladislai soror opulenti hæres regni à fratre relicta. Enimuerò præter alias immensas opes reliquerat moriens Ladislaus sedecim milia equitum sub signis. Cæterùm Ioanna magis sui sexus quàm regiæ maiestatis memor, Pãdulpho cuidam adhuc pènè adolescẽti, cum quo stuprum facere consueuerat, sese summamque rerum omnium permisit agendam, quum regnum morte fratris adhuc uacillaret, estque ingens inuidia reginę ex ea re orta, sed maior omnino infamia: ad quam

Philippus Forliuio potitur.

Vincuntur Tusci duces.

Atẽde Philippi artem,

Bellum in Philippum ducitur.

ad quam declinandam, Iacobo Marchiæ comiti ex regia Francorum stirpe, conditione nupsit, ut ille regia appellatione contentus, priuatum alioqui ageret, regni administratio muliebris, ut antea esset. Mirũ est quàm uariè luserit fortuna in hoc quod dicã. Fuerunt duæ Iuliæ mater & filia, hęc Augusto genita, altera Marco Agrippa, ambę adulterij damnatæ. Duæ Agrippinæ, mater Caligulam, filia Neronẽ genuit, teterrimas humani generis pestes. Duę Faustinæ, maior impudica, sed quæ ex ea genita est impudicissima. Pari infamia notatæ patrũ memoria duæ illustres fœminæ quibus Ioanna fuit nomen, utraq; regina, nec tantũ infamia respersę, sed infausto quoque matrimonio celebres. Gallus in dotale regnum receptus primum omnium Pandulphum interficit, Sfortiam, qui erat in reginam propensior, quia non regem se sed comitem appellasset, copijs exitum in custodiam conijcit, fuit illi saluti Attendulorũ apud nouum regem autoritas, & quòd res nouas illi molituri credebantur, si de Sfortia esset aliquid immitius constitutum. Ioanna regimine priuata supra sui sexus imbecillitatem, nouo coniugis intemperiem dissimulans, ueluti ex sententia ita euenisset, ut perpetua administrationis molestia aliquando liberaretur, multa hilaritate uirum excipere, cum eo suauiter iocari, dicere ac facere omnia, quibus animus malè affectus tegeretur, sed nihil æque profuit ad omnem alienati à uiro animi suspicionem abolendam, quàm quòd de coniuratione in regem appellata, rem totam ad uirum detulit. Tum Gallus tanquam de reginę animo in se certus, in apertum eam prodire est passus, quum ad id tempus in arce continuisset. Flagrabant interea rex & Galli, quorum ille opera præcipuè utebatur, inexpiabili apud omnes odio, quo cõtigit, ut subito motu populi regina sit in pristinum statum restituta. Galli partim cæsi sunt, partim rebus exuti, quas alijs ademerant, cum ignominia è regno dimissi sunt, nonnulli etiam in uincula conjecti. Ioanna renouato cum Iacobo fœdere, ut in muliebri manu esset summa rerum omnium, arcem recepit, Sfortiam custodia educit, is reparato exercitu in nouum incidit discrimen: Neapolim remerè cum suis copijs ingressus, etsi reginæ amicus, mutauerant mulieris animum Sfortiæ æmuli occulta obtrectatione, quo accidit ut in Sfortianos populum Regina ut in hostes immiserit, suntq; sexcenti equites ex his subito incursu oppressi, Sfortia cum cætero equitatu Acerras occupat, Neapolitanos acerrimo bello persequitur: ciuitas belli impatiens cum Regina egit, ut cum Sfortia in gratiam rediret: rebus itaque redditis dux nouo stipendio inautoratur. Nec multum inde temporis intercessit, quum Iacobi regis odio, qui regimini assuetus non poterat imperium inhibere, labanteq; Reginæ animo, Sfortia multo magis ancipitem est fortunam expertus. Erat ille haud dubiè regum odijs impar, quum non minori arte reginam est adortus, quàm antea aperta ui fecerat, autorem se præbuit Caracioli, quem regina perdite amabat, ab exilio reuocandi. Nam is sub Sfortiæ reditũ fuerat publica administratione submotus, atque urbe eiectus: per eum igitur Ioãna est Sfortię placabilior facta. Iacobꝰ ubi se proditum ab uxore animaduertit, ueritus Sfortiæ opes, fuga dilapsus Tarentum concesit, ubi obsidione à Ioanna fatigatus, urbem Ioanni Vrsino uendidit, qui est deinde princeps à Regina declaratus. Iacobus in Galliam reuersus, humanarum rerum inconstantiã perpessus, adeò sese pietati addixit, ut anachoritæ pallio uteretur. Et hæc circa Neapolim sunt per id tempus gesta, quo Bracchius multis Romanæ ecclesię urbibus in Vmbria Hetruriaq; præsis, Martinum pontificem, ut suprà est memoratum ab urbis reditu arcebat, qua ille iniuria adactus, ea conditione regiũ diadema obtulit Ioãnæ reginæ, ut quatuor milia equitũ sibi auxilio mitteret ad Bracchianas opes infringendas. Missus est cum auxilijs Sforzia, quem pontifex omnium ecclesiæ copiarum præfecit imperio, dimicatum est utrinq; circa Verruloniam, quã urbem Bracchius tum maxime infestabat, uictiq; sunt præsidio Sfortiani, magis paucorum perfidia, qui ducis cõsilia hosti retexerant quàm hostium uirtute. Hanc regina Caraciolus q; occasionẽ nacti, ut Sfortiæ opes uno prælio afflictas prorsus euerterent, fœdus cum Bracchio iungunt. Pontifex mulieris incõstantiam perfidiam q; detestatus titulo priuat regni. Lodouicum Andegauensem ex regia Francorũ stirpe, Sfortia adnitente accersitum, Siciliæ regẽ declarat, Sfortiam iuuat stipendio, is exercitũ studio reparat, bellum reginæ indicit, quibus illa terroribus perculsa, Alphonsum Aragonum regem filiũ sibi optat, futurum rata, ut eius auxilijs fulta, facile regnũ ab omni externa iniuria tueretur, nam præter cæteras regni opes, Sicilia Italię agnata Alphonsi parebat imperio. Erat tunc Alphõsus ex Corsica cum classe reuersus, Bonifacium q; eius insulæ oppidum aliquot mensibus obsidione fatigauerat, subegisseꝰ; hostẽ fame adactum nisi Genuensiũ naues multo pauciores numero quã Aragonię, peropportunè affuissent: certatum est in angustijs sinus, in quo sedebat id oppidũ, ac ui uentorum, magno q; armorũ certamine, tenuerunt Ligusticæ naues, ut ad oppidũ per cędes & uulnera peruenerint, insulanisq; commeatu aditis, retrò Ligur noua arte hostẽ ludificatus abijt. Alphonsus omni spe potiundi loci abiecta classem in Siciliã reduxerat, quũ à Ioanna auxilio accersitus, per adoptionem est ab ea in filiũ receptus: est & Bracchius unà stipẽdio cõductus, uario deinde marte Bracchini Sfortianiq; aliquandiu bellum traxere, quoad stipẽdij inopia cœpit Sfortia inferior haberi, tum uero Bracchius uir magno animo, sed consilio adhuc maiore, eam iungẽdæ pacis occasionẽ adeptus ita bellũ cum pontifice soluit, ut Typhernũ Perusiæ propinquum sibi subijceret. Sed iam maiora animo moliebatur, ut per nouos motus Neapolitanum regnũ armis subigeret, quod negotiũ ut cõmodius exequeretur, primum omnium cõstituit Aquilanos in Furconẽsibus suis adiũgere opibus. Nec multo postquã Vmbria pacata est, põtifex Romã reuertitur, Florentiam ubi totum biennium fuerat, hospitali affectu pluuium ecclesiarũ fecit caput, Volaterrana, Pistoriensi, & Fesulana illius ecclesiæ adiectis. Acceptꝰ est à Ro. pontifex tam effuso ciuitatis gaudio, ut dies quo est ille urbem ingressus, sit in fastis relatus, ad decimũ calendas Octobris, anno salutis millesimo quadringentesimo uigesimo primo. Mouit pontificis animũ miserabilis patrię aspectus omnia squalebãt situ, ędificia sacra & prophana fœdè disiecta, insignis q; uastitas, cœnosa & squalida uiarũ facies, uiri sine moribꝰ sine cultu, agrestis & barbara quædã feritas ciuitatẽ inuaserat: caritas adhæc & inopia rerum omnium: quibus pientissimus pontifex motus, sedulo dedit operam, ut breui omnia in melius mutarentur. Nec ciuitas fuit ingrata, quin magna sibi ex parte restituta, pontificem patrem patriæ dixit. Interpolauit hãc publicã lætitiam insueta fluminis inũdatio, quæ sequenti anno facta est circa festum diem Andreę apostoli, inuectus Tyberis regione Flaminiæ uię totam urbis faciem inundauit, quatenus à collibus in campũ Martiũ lõgè lateq; effundit. Remisit uis illa aquarum biduo postquam fuerat inuecta, multaq; sunt animalia in prœceps acta. Sub id tempus Lodouicus Andegauensis uenit Romam, estque magno supremi ordinis consensu Siciliæ rex, citra ultraque fretum declaratus. Sed dum is à pontifice accersitur, interea Alphonsus, reginæ inconstantiam ueritus, ut totius rei ad se summam traheret, primo Neapolitanas arces, quæ ad mare spectant, firmat præsidijo. Caraciolum, qui reginę charissimus stupri consuetudine

Attende exemplum fortunæ.

Ioanne reginæ ars.

Ioanna reginẽ recipit.

Iacobus rex.

Sfortiæ ars.

Lodouicus Andegauensis rex declaratur.

Reditus Martini põtificis ad urbem.

Inundatio Tyberis.

Varij Ioan. regimæ casus.

fuerudine suo arbitrio omnia administrabat, in potestatem redactum in uincula conijcit, Reginam in Capuanam urbis arcem compulsam obsidione cingit, quibus illa malis perculsa, à Sfortia auxilium imploraꝛat, affuit ille spe nouarũ rerum cupidus. Alphonsumq; circa Neapolim prælio superat, Reginam ex arce receptam Auersam perducit incolumẽ. Superuenit Aragonia classis, post cuius appulsum est nõnihil in urbe dimicatum, ad postremum Alphonsus urbe potitus est, cuius partem ad mare expositam diripuit & incendit. Regina Alphonso repudiato, Lodouicum Andegauensem, qui Romam non multo prius uenerat, Sfortiæ hortatu, sibi filium optat. Renouato bello Bracchius in Anxanos Samnites cum exercitu transgressus, ad Lanceanum nisi ueriꝰ Lanxanum dici possit, quia in Anxanis sit, locum solenni mercatu nobilem, consedit. Nec ita multo pòst Sfortia cum eo castra contulit, erantque ambo duces uiribus & armis pares, disciplinaque militari florentes, sunt itaque aliquot prælia leuiora à principio commissa, totis deinde uiribus in acie descensum, fuitque pugna hæc Bracchio parum prospera, sequitur Sfortia hostem retrò abeuntem paribus castris, eratque uterque futuræ pugnæ intentus. Nec ita multis interiectis diebus, ad Frentanam uillam, nunc Francauilla est, iterum collata sunt signa, fuitque Sfortia hoc quoque prælio superior. Montonius dux, duplici pugna uictus, trãs Aternum amnem se recepit, Piscariam id flumen uocant, admouit, & Sfortia uictorem exercitum ad Aternum uado amnem traiecturus, ut cedentem hostem à tergo premeret, iam enim uictoria in manibus erat, nec fluuius erat uadabilis, nisi quia mari infunditur, ubi refluo pelagi æstu, quia & ripæ in littus abeunt, se pervium uadantibus præstat latior alueus nullis coercitus ripis: primus Sfortia uadum explorat ad ulteriorem ripam progressus, inde ad citeriorem reuertitur, ut audacius cæteri uadum intrarent, hic fatalis necessitas potiusquam casus ducem sustulit, aurigam præ se agebat recentiorem tranatu, cum pretiosissima cassida, qua in pugna utebatur, euaseratque minister dimidium fluminis, quum subito in clunes equi resupinatur, uix galeæ cristis extãtibus, dubium subita cerebri uertigine aquarum insolentia puer defecerit, an equus uoraginẽ aliquã nactus, in ipso emersu anteriorum pedum colluctatione, aut suffraginibus à postica parte deficientibus illum cassidis põdere eiectum, in tergum excusserit. Sfortia, quod satis constat, periclitantem uoce hortatus, eò per medium amnem occurrit, puerũ manu subleuat. Cæterum alieni periculi solicitus, sui oblitus, dum alij opitulatur, ipse aquarum altitudine cooptus perijt, eius corpus diu multumque requisitum, nusquam extitit amplius: & hic finis fuit Sfortię ducis omnium qui ea tempestate fuerunt, fortissimi.

Regina Lodouicũ adoptat.

Aternus flu. qui Piscaria.

Sfortiæ exitus.

Sfortianæ copiæ tam atroci casu consternatæ, alijs aliò dilabentibus, cõfestim solutæ sunt. Hostis præter spem præsenti metu liberatus, in Furconenses abijt, Aquitanos subita obsidione adoritur. Erat tunc urbs hæc opulenta magnitudineque & uirium præstantia nobilis, sed postea multo nobilior facta Bernardini Senensis sepulchro, miraculis, & cæremonia insigni: multi persuasum habuere breui futurũ, ut Sfortia extincto regina & Lodouicus ab Alphonso opprimerentur, pari euentu Aquilanis bello subactis, Bracchius pontificias res affligeret, amboque dimidium Italiæ obtinerent. Hæc tum partim spes erat, quum Philippus ratus uenisse tempus, quo nõ solum pontificem ex amico sibi amicissimum redderet, Lodouicumque perneccessarium suum in regia collocaret sede, sed nominis etiam gloriam sibi ingentem quæreret, Alphonsi regis & Bracchij conatibus statuit ire obuiam, ac primum omnium classem Genuæ opulentam instruit, naues circiter quadraginta. Carmaniola, qui tum Genuam gubernabat, ornandæ classi præfuit, eam in altum egit Guido Torellus Mantua oriũdus. Is Caietam primo accessu Aragonijs adimit, dein Neapolim progressus Capuanam arcem cum ipsa urbe occupat, arces quę ad mare spectant firmissimo hostiũ tenebantur præsidio, ex Neapoli Ligustica classis digressa, omnem Apuliæ oram in reginæ potestatem redegit. Florentini interea cum Fregosio quem in partes belli traxerant, Genuensium res hostiliter infestabant. Et Aragonia classis per idem tempus Massiliam, quæ in Andegauensium erat principũ ditione, ut res Lodouici à Ioanna in adoptionem recepti aliqua insigni clade afficeret, subito appulsu captam diripuit, per quod tempus Philippi duces, qui in Flaminia forum Cornelij noctu furati sunt, Aledulsium Lucretiæ patrem in potestatem redactum, sub custodia ad Vicecomitem mittunt, quem Philippus Mediciæ arctissimè custodiri iussit. Exarserũt multo maiore in Philippum ira quàm unquam antea Florentinorum animi, Imalo ab eo occupata, legem sanciunt ut capitale esset quicunque siue priuatus, siue magistratus, de pace cum Philippo iungenda ad populum referret, in Flaminia bellum studio comparant, cum Alphonso agunt, ut classe instructa Fregosium extorrem in patriam restituat. Petrus Alphonsi frater, infantis appellatione, quatuor & uiginti triremium classe, noctu Genuæ portum cum Fregosio occupat, magnusque illico motus est in urbe excitus, audito Fregosij nomine, inde uero Aragonia classe inspecta, ciues gẽtis nomen auersati arma capiunt, telis primo mox bombardarum ictibus portu eijciunt, uastataque est utraque Genuensium ora ab Aragonijs, essetque omnino aliqua Genuensium defectio secuta, nisi publicum in Aragonum gentem odium plus ualuisset apud ciues quàm Fregosij gratia. Florentini præterquam quòd in Aragoniam classem militem dederant, ut res Philippi non uno fatigarentur loco, terrestrem parant exercitum ad sex milia mercenariorum equitum, peditumque pari numero: cũ ijs copijs & alia non mediocri etuagatorum manu, Carolus Malatesta, cuius erat militare imperium, ad Forliuium castra fecit mille passibus ab urbe. Sunt deinde Philippi duces, qui urbem præsidio obtinebant, & Forliuienses plures dies obsidione fatigati. Misit inde Philippus Angelũ Pergulanum, cum quatuor milibus equitum, & mille peditum, suis auxilio, deiecitq; obiter Pergulanus Albericum Cunium qui à Philippo defecerat in Sagonariam oppidũ, ubi arcta obsidione pressus, in paucos dies inducias pactus, Malatestam accersit ad se obsidione eximendum, qui nisi maturè adesset, fore aiebat, ut ad deditionem faciẽdam inuitus cõpelleretur. Alberici periculo Malatesta permotus, cũ omnibus copijs Sagonariam contendit. Cęterũ ut omniũ opinione celerius in conspectũ ueniret, eoq; maioré incuteret terrorem, quo minus attestatus afforet, noctu ad hostẽ ire properat, eratq; iam Luna pernox, sed pluuio cœlo, nullum prębuit luminis usum euntibus, quin lutulentus exercitus circa torrentes & lacunas fœdè colluctatus, Sagonariam fessus peruenit. Confestim igitur, etsi iniquo loco nocturnoque labore & uigilia lassus miles manũ conferere cogitur, estq; primo cõgressu Pergulanus hostiũ impetu degrauatus, pugnatum inde aliquandiu circa castrorum munitiones. Procedẽte itaq; prælio, quum Tuscus miles paululum impetum remisisset, perui-
gilio & labore fessus, nec ordines illi constaret amplius, subita ui Pergulanus cõnixus primò hostẽ auertit, inde fusum fugatumq; strage & cæde multa dissipat: Carolus copiarum imperator equo effusus capitur, & cum eo aliquot ductores equitum, multi sunt in fuga capti, sed multo plures à circũiectis locorum accolis oppressi, cõsternatione illa dispalati.

Caieta capitur

Massilia diripitur.

Vincuntur Florentini ad Sagonariam.

Fuerunt

Fuerunt ea tempestate qui crederent fuisse Philippũ Florentinorum libertatem euersurum, si uictoria utisciuisset. Verum quia per legatos res gerebatur, priꝰ Tuscus copias reparauit, quàm nobilissimę uictorię occasio sit animaduersa. Rectè instituta fuisse uidetur à Lacedæmonijs, ut primus omnium rex ad bellum exiret, ultimus reuerteretur. Enimuero res bellicæ plurimũ ex occasione administrantur, qua oblata uti non potuit, qui Mediolanensi arce incluſus rebus gerendis procul aberat. Misit Pergulanus Carolum ex acie captum ad Philippũ ducem, quem princeps ille non ut hostem, sed ut unum aliquẽ ex necessarijs penes se perhumanè & clementer habuit, scripsit & Pergulano qui iam Ariminum signa admouerat, ut à Caroli rebus abstineret, eũque non multo pòst iuramento adactum, ne cum Florẽtinis sentiret amplius, magnis muneribus donatum domum dimisit, magno clementiæ exemplo ingenueq; liberalitatis, sed multo est adhuc maiore usus in Alphonsum regẽ, & alios regiæ stirpis uiros, quod loco non multum hinc diuerso sit postea dicendum, etsi quod ad Malatestam attinet, non temere Philippus uidetur tantum uni hostium tribuisse, quantum fortasse aliorum nemini. Fuit Carolus uir præcipua sapiẽtia, strenuus in bello, & in otio omnium bonarũ artiũ, reiq; literariæ in primis studiosus, constans adhæc, munificus, iusti & æqui tenax. Pergulanus Arimino Philippi iussu omisso, res Malatestæ Pisaurensis, qui cum Florentinis sentiebat, nonnihil infestauit, hinc quoq; Vicecomitis imperio auersus, Florentinorum rebus imminebat, quum Ticini (nunc Papia est) cœptus est haberi Christiani nominis cõuentus ex Martini põtificis decreto, missiq; sunt eò ex urbe Petrus Donatus, & Iacobus Capho, hic Spoletanus, ille Cretensis antistes, & cum his Petrus abbas Rhosaciensis, qui concilium inchoarent, sed hi non multo pòst graui pestilentia inde depulsi, Senas, ex põtificis sententia, negotium contulerunt. Huc magnus mortalium numerus breui confluxit, estq; agitari cœpta Benedicti antipapæ causa, in Alphõsi regis astu, qui ob Lodouicum Andegauensem pontificem oderat. Nulli dubium erat, quin aliquis grauior motus breui extitisset, nisi præsenti actioni itum esset obuiam. Ad omnem igitur nouæ discordiæ materiam tollendam, pontificis iussu concilium solutum est, decreto interposito, ut quicquid ad id tempus eo conuentu sancitum esset, ratũ haberetur. Alphonsus ubi, quæ occultè mouerat, parũ procedere animaduertit, palàm de Romano pontifice est questus, qui Neapolitanum regnum, cuius ad se iura spectarent, Lodouico Andegauensi astrueret. Cæterum ut rem ecclesiæ & Lodouicum maiore aliquo incõmodo afficeret, Bracchio autor fuit Aquilæ in Furconensibus oppugnandæ. Genuenses interea classe domum reducta, Aragonium infantem procul Liguria, totaq; Italiæ ora expulerunt. Pontifex nouas contrahit copias, ut Aquilanos obsidione leuet, qui iamdudũ Bracchianis premebãtur armis, Iacobus Caudola, & Franciscus Sfortiæ filius adolescens magnę indolis, quem ex paterno exercitu plurimi sequebantur, ad id bellum mittuntur. Habuere hi sub signis ad quinq; milia equitum, pedites dimidio minus, his illi copijs freti, adiutique subita Aquilanorum eruptione, feliciter in hostem dimicant: fuit omnino cruenta pugna, sed Bracchiani, duce amisso fusi fugatique sunt, fœdeque profligati. Bracchij corpus Romam delatum, in prophano est sepultum extra muros urbis, ad Laurẽtij phanum. Bracchiani exercitus reliquiæ ex acie illa funestissima Oddonem Bracchij filium secutæ, rectà in Vmbriam abierunt Perusium occupaturæ. Cæterum Perusini præsentem occasionem complexi urbem pontifici dedunt, tantum pacti, ut Montonem oppidum Bracchij filius haberet, uiueretque Perusij priuatus, Raspantes aduersæ factionis uiri perpetuò exularent. Perusinorum studium secuti Assiates, Tudertini, & alij qui sub Bracchio fuere, in Romanæ ecclesiæ fidem concessere, & Bracchij fortissimi uiri dominatus hunc exitum habuit. Perijt eodem anno quo & Sfortia, sed hic ferro, ille aquis. Fuit hic, ut quidam colligunt, quartus ac uigesimus supra millesimum ac quadringentesimum salutis annus, quum Sigismundus in Germanis imperaret, Caloiannes Byzantij, Martinus nominis huius quintus Vaticanam teneret sedem, in Turcis Amurates rerum potiretur, Paiazetis nepos, quem ad Stellam montem Tamberlanes ingenti prælio uicit. Enimuero, Paiazete capto, quum plures ex eo filij superfuissent, Celapinus maximus natu Græcis fatientibus paternum tenuit regnum, cui defuncto Orchanes successit admodum adolescens, Thraciæ regulis fauentibus, sed irritus fuit noui regni conatus. Moses alter Paiazetis filius, Græcis occultè iuuantibus, Orchanem ad Ebrum fluuium interfecit, Gazaro est loco nomen. Nec multum inde fuit Moses in humanis, qui sine filijs moriens, Mahometo fratri regnum per manus tradidit. Erat is quoque Paiazete genitus, Macedoniamq; bello domuit, promouitque Turcorum signa ad Ionium usque pelagus, & in Asia contra Lydos & Cilices multa præclarè gesit. Cæterum fato defunctus, Amurato filio regnum reliquit, qui latè in Turcis imperitabat, quum hæc quæ de Sfortia & Bracchio memorantur, in Italia acciderunt. Nullus propemodum Turcorum regum diutius regnauit, quadraginta annos rex fuit, nullus magis exercuit Christiana arma, magisque est ab his exercitus: audito nanque patris decessu, ex Asia in Europã traijcere conatus, quia à Græcis prohiberetur, qui Muscaphæ eius patrui rebus fauebant, exercitum celeriter contrahit, mox uero Genuensium opera in Thraciam delatus, cum Muscapha, qui Europæ res ad se trahebat, hostiliter conflixit. Est pugna illa ab Amurato feliciter depugnata, hostis in prælio occubuit, quo cadente regnum uniuersum illi cessit. Incidit regni huius exordium in millesimum ac quadringentesimum duodecimumque humanæ salutis annum.

Qualis Caro/ lus Malatesta.

Bracchij interi/ tus.

Temporum supputatio.

Turcorum regũ successio.

Nec paterni regni compos factus quieuit Amuratus, sed Græcis infensus ob ea quę Muscaphano bello aduersus se egerant, eorum fines hostiliter populatur prouincias Græciæ finitimas adortus, agros incursat, urbes ui captas diripuit: quo metu perculsæ quædam nobilissimæ Græcorum ciuitates ultro in Turcorum fidem cessere. Thracia dein armis peragrata Thessalonicen, quæ tum à Venetis tenebatur, expugnat in ora Macedoniæ, quo rerum successu adhuc ferocior factus, Tomarum & Pindum mõtes in eadem terra transgreditur cum ualido exercitu, perpetuoque uictoriæ cursu, Phocidem cum Attica regione, Bœotiam, Ætoliam, Acarnaniam & omnes citra Peloponnesum gentes, usque ad Corinthiacum sinũ, suo subiecit imperio. Epiro abstinuit omnem uim bellicam, tribus filijs, cum Croia oppido haud ignobili, à Ioanne Castriotò, cui omne Epiroticum nomen parebat, obsidum loco acceptis.

Attende quot gentes Turcorum armis ces serint.

Constantinus Reposius, & Georgius, quem Turci Scanderbegum dixere, tunc dati sunt obsides. Stanissam maximum natu, paucis antè annis, cum plerisque adolescentibus, Castriotus Amurato miserat quum Isachbegi ductu Epirum popularetur. Et iam superiori Mysiæ imminebat Amuratus, quum Sigismundus imperator, & Philippus dux Burgundiæ, cum eo acie cõgressi sunt, Æneas Senensis, qui ex pontificatu Pij cognomen tulit, cum Celapino, cuius loco non multum diuerso meminimus, non cum Amurato Sigismundum conflixisse ait, sed de pugna illa memorabili, & eius euentu maturiori postea sequetur relatio. Et Turci per hæc quæ diximus, bello Græciã quatiebant, quum in Italia Oddo qui

qui Bracchij ducis fuit filius, est à Florẽtinis magno stipendio accersitus. Reparabãt hi totis uiribus bellum post cladem illam ad Sagonariam acceptã, multi Bracchianorum paterni nominis umbram in adolescente complexi, eum sibi ducẽ legerant, ut quando principatu exutꝰ esset, bellica uirtute illustrarẽt. Prima igitur expeditio fuit in Anomoniæ uallis accolas, Lodouici Manfredi ductu, qui graues cũ Guidone Fauentino gerebat inimicitias, estq; hic res nihilo felicius quàm ad Sagonariam non multo prius gesta. Bracchiani conferto cũ Anomonensibus prælio, locorum iniquitate uicti, præter paucos qui media trepidatione sunt fuga seruati, cæteri partim ferro occubuere, partim capti sunt. Occubuit eo prælio Oddo adolescens magnæ indolis, captiui Fauẽtiam perducti sunt, & in his Nicolaus cognomento Picininus, & ipse Perusinus patria, etsi adolescẽs adhuc, in Bracchianis tamẽ ductoribus, ob altam indolem, celebritate longe princeps, huius impulsu, & quia aliquando à Malatesta auunculo suo fuisset Mediolani increpitus, quòd Philippum externũ principem suæ & Florentinorum amicitiæ prætulisset, Fauentinus Guido ad Florentinos defecit. Vagari interea Philippi arma, suntq; alijs ducum alia gesta, cæterũ omnia parũ memorabilia. Pergulanus Salsubio potitus est, id uulgo castrum Carum uocãt, & Balinea ualle, quam Gerardus Gambacurta, ex Pisarum deditione, à Florentinis acceperat. Gorzanum est frustra oppugnatum. Florẽtini Bracchianam legionem à Guidone receptam Picinino attribuunt, qui in Flaminia apud Guidonem nuper in socieratem belli receptum hybernare iussus est. Philippus hostem non uno fatigaturus loco, ad Burgũ sepulchri (erat is locus Caroli Malatestæ) trãs Apenninum partem copiarum collocat, ut inde Arretinum agrum infestaret, sensimq; admoueret bellum Florentiæ, in Flaminia Guidonem Torellum, qui Liguſticę classis circa Neapolim fuerat nuper prẽfectus, & Francisci Sfortiæ filium adolescentem præmatura uirtute, qui nõ tãtum paterna gloria, sed ob rem etiam in Bracchiũ prospere gestã, in magna erat celebritate nominis, Picinino & Guidoni circa Fauentiam obijcit, estque nonnunquam inter eos leuiter dimicatum, postremò ad Anglariam Torellus Tuscorum copias insidijs exceptas insigniter fudit, multique mortales in prælio cæsi sunt, sed in fuga multo plures. Fuit hæc clades Florentinis, ut priore illa ad Sagonariam accepta minus calamitosa, ita amicarum urbium alienatione atrocior, siquidem ad primã aduersi huius prælij famam Typhernates, Perusinenses, & omnis ora Hetrurię, ad Philippum defecit. Attigisset ea animorum inclinatio Cortonẽses & Arretinos, nisi confestim eò Picininus occurrisset, cuius improuiso accessu, siqua adhuc defectio coqueretur, compressa est. Erant interea Florentini in recuperandis copijs occupati, resistebantque ferociter imminenti hosti quum Picinini & aliorum quorũdam ducum subita ad Philippum transitio adeò eos afflixit, ut parum à uictis abessent. Picinini transitus ad hostem inde causam habuit, ut ipse dicere solebat, quòd emeritũ sibi non redderetur stipendium, ut Florentini prædicabant, inconstans ducis ingeniũ & ambitio fuit, quę spem stipendij secuta famam fidemq; prodidit. Accepisset haud dubiè res Tusca breui cladem aliquam insignem tot modis affecta, si duces hostium bellum concordi animo gessissent, sed æmulatio & mutua inuidia impedimento fuit, quominus uictoria parta sit, dum plures de principatu & fama inter se certant, parum nauiter res in Hetruria & Flaminia administrata est. Quid quòd ne Philippo quidem in tanta ducum discrepantia satis constabat, quæ belli ratio esset ineunda? Quam Florẽtini occasionem complexi ad Venetos mittunt, qui tametsi ob fœdus quod cum Philippo ictum habebant, ad id

Recens Florẽtinorũ clades.

A tempus adduci nequiuerant, ut ad nouam ullam societatem respiceret, iterum ac sępius precibus fatigandos censebant, ac simul monendos, uiderent ne Florentinorum rebus euersis, Philippi opes multo plus augerentur, quàm tutum esset Veneto nomini, actum demum sera subiret pœnitentia, quòd libera ciuitas nullum liberæ ciuitati auxilium tulisset: hæc ut uere dicebantur: ita principem & patres mouebant, ut quando iure icti fœderis inhibere bellũ non poterant, amice deprecarentur, missiq; sunt nonnũquam hoc nomine legati ad Philippum, qui iure amicitiæ eum rogarent, ut Tusco bello absisteret, liberaretq; seipsum calumnia affectatæ tyrãnidis, qui per ęqua & iniqua diceretur alienam libertatem oppugnare, trahere illerem æstu, alia atq; alia causando nec tamen bello absistere. Eratq; res Venetis eo magis suspecta, quo sæpius fuerant Philippi animum incassum periclitati, & iam Florentinorum periculo admoniti sua sponte inclinabant animi ad illorũ societatem recipiendam, quum peropportuna Carmaniolę ducis à Vicecomite defectio dubias adhuc mẽtes ad bellum confirmauit: hic post multa præclara facinora edita, quibus Philippi principatus non solum restitutus fuerat, sed insigniter etiã auctus, ubi domesticorum obtrectatione sensit principis animum à se alienatum, nam præterquam quòd Torellus fuerat sibi in Neapolitana expeditione prælatus, Genuæ gubernationem ignominiæ loco poneret, *ut procul ab omni bellico opere inglorius cõsenescęret*, iussus demum equitum alam, quã ipse peculiariter alebat, dimittere, utpote ad urbis præsidiũ non necessariam, ut iracũdo erat ingenio, ad Philippum, ne accersitus quidem ire pergit, ut quo esset in se animo ad extremum experiretur: cæterũ foribus excluſus, frẽdens fremensq;, multaque de Philippi ingratitudine questus, qui exoletorum consilijs ad-

B ductus, se per quem amissum principatum recuperasset, recuperatum auxisset, ut ignauum & inertem suo congressu non dignaretur amplius, futurum testatur, ut breui intelligeret quãtum in sẽ uno adhuc momẽti esset, iraq; simul & impetu ablatus, cum eo comitatu quem habebat, irrequieto cursu Ticinum petit, quem uado traiecit, inde ad Amadeum Allobrogum ducem magnis itineribus contendit, à quo benignè est acceptus, ac pſuasus, ut ad Venetos trãsiret, quorum opes satis ualidæ essent ad Philippi potentiam infringendam, paratum esse se arma induere in Philippum, quum primum Veneti bellũ ostenderent. Carmaniola Amadeum ad bellum hortatus, pollicitus fore, ut breui Dertona Vercellis & Alexãdria potiretur, ipse transmissis Alpium iugis, ut pro cui suspecta loca declinaret, per Tridẽtinum saltum in Italiam reuersus, Taurisium se cõtulit. Philippus reputans animo quanta moles belli à Venetis immineret, nam nulli dubium erat quin illorum animi ad primum Carmaniolæ accessum parerent quod tandiu parturissent, Gabrinum Cremonæ olim tyrannum, qui in omnem nouarum rerum occasionẽ erectus putabatur, per Oldradum Lamponianũ in potestatem redactum interficit. In Liguſtica ora, per id tempus, est nonnihil ab exulibus in Genuenses bellatum, tenueruntq; Fregosij, qui plurimũ gratia ualebãt, aliquot maritima loca, maiores inde partium conatus fuere circa Clauarium, unde Fregosij deiecerant Philippi præsidium, estq; locus maiori belli apparatu quàm fuerat expugnatus Philippi armis repetitus. Fregosij ab arce, quæ cũ oppido capi non potuit, & ab exteriore parte grauiter fatigati, euicerunt tamen pertinacia, ut Philippeis infecta re abeũtibus, sit oppidum retentum. Sed quàm obsidio hęc Fregosijs prospere cesserit, tam circa Rapallũ res eorum paulo pòst afflictę sunt, subito accessu exules in littus egressi, improuisa ui fusi sunt fugatiq;, ac toto littore palãtes male habiti: est & Thomas princeps totius

Carmaniolæ ducis transitus in Italiam.

Philippi peracumanum responsum.

totius gentis ad Segestium insulam à Philippeis oppugnatus, sunt & Fregosij uno fere tempore alius alibi grauiter exagitati, magnoque incommodo affecti: & res alibi per hunc modum habebant, quum Veneti, qui sępe aliàs cum Philippo per legatos egerant, ut cum Florentinis bellum solueret, essetq; per id tempus Mediolani ad hoc ipsum missus Franciscus Serra à secretis, qui postea fuit scribarum maximus, quia nihil ex pristino belli studio remittebatur, Paulum Cornarium nouissime eò mittunt, uirũ magna inter suos autoritate facundiaque singulari. Longa is oratione ad Philippum usus est, cuius summa hæc fuit, ut dixerit oportere eum memori esse gratoque in deum optimum animo, cuius benignitate paternum principatũ non modo recuperaſſet, sed ampliaſſet etiam maiorem in modũ, potiretur; ea Italiæ parte, quæ uirorum robore omniumq; rerum præstantia, cæteris iure esset præferenda: cętetrum quo ipsius principatus esset pulchrior atq; opulentior, eo magis Venetos mirari quid esset quod non suis finibus contentus in Flaminia urbes non obscuri nominis occupaſſet, exercitum trans Apenninum misisset, Florẽtinorum libertatem hostiliter oppugnaret, nec credere Venetos eam fabulam quę in prętextum suscepti belli prętenderetur, quia Florentini Ligurno intercepto Genuenses pecunia iuuissent, tanti fieri debuisse, ut urbs libera, atque eadem nobilissima, & quæ nihil tale sit merita, internecino bello peti debuerit, atque ad extitium exposci, percussisse Venetos cum eo fœdus in decem annos, quia ita persuasum habuere, ut suo contentus principatu ab omni finitimorum iniuria abstineret, patereturq; Italiam quiescere, & à longa malorum serie respirare. Verum quia longe aliter eueniret, q̃ Veneti ab initio crediderant, essetque ut si quando aliàs finitimo cuique infestissimus, aliosq; alio prętextu, cæterum multos dominandi libidine, nulla

B laceſsitus iniuria bello premeret, sic Genuenses bello subactos, sic in Flaminia urbes nobilissimas eius præsidio pressas, sic Florentiam cum tota Hetruria grauiter infestari, ut nulli iam dubium esset quò per tinacissimus ille bellorum conatus tenderet, decretum esse Veneto principi & patribus, nisi bello absisteretur, ire obuiam præsenti iniuriæ, nec illius fœderis iura plus apud eos ualitura quàm quod rectũ esset & æquum: pulchrum illis uideri libertatem, in qua ipsi nati essent, non solum domi, sed quàm longissime etiam tueri, futurum ita ut nisi confestim arma deponerentur, Veneti Florentinos complexi, pro utrorumque libertate terra & mari arma induerent, in ipsius itaque arbitrio esse, uellet ne bellum in quo tam pertinaciter perstaret, in otium uertere, pace cum cætera Italia frui, Venetos in fœdere & amicitia continere, an potius experiri quanto honestius fortiusque propria libertas defendatur, quàm oppugnetur aliena. Mouit ferox oratio uehemẽter Philippum, qui ut in dubijs præsenti erat consilio, persuaderi sibi non posse respondit, ut Veneti, quorum sęmper studiosissimus fuisset, Florentinorum querelis fœdus & amicitiã suam posthaberent, pręsertim quum illorum perfidia & superbia id bellum esset ab initio conflatum, uerum ne nõ semper plus Venero nomini à se datum uideretur, quàm cæteris gentibus etsi iam in certa possessione uictorię esset, paratum tamen se Venetorum & Nicolai Estensis arbitratu bellum soluere, misitque simul Ferrariam, qui rem totam illi permitterent, miserunt & Veneti ex primoribus patrum, missi sunt ex Florentia quoque Venetorum hortatu, qui publicam causam tuerentur, etsi magis fugiendæ calumniæ causa inde legati uenerunt, ne per eos stetisse diceretur, quò minus res ex equo & bono cognoscęretur quàm quod spem ullam Florentini haberent, posse id negotium perduci ad exitum. Ardebat interea Hetruria bello

Cornarij uersus ad Philippum.

A ut si quando maxime, præcipuè in Aretino & in Flaminia. Franciscus Sfortia Philippi iussu Fauentinos adeò urgebat, ut non multum à iusta obsidione distarent, eratque tam bellum Tuscis integrum quàm antea. Venetijs interea Laurentius Rodulphus uir facundus, & iuris scientię fama clarus, publicè à Florentinis missus, singulos patrum prehensando, suadendo, rogandoq;, tantam animorum fecerat inclinationem, ut iam palàm in curia iactaretur, esse Florentinos bello iuuandos. Fremere id multi, sed omnium maximè Frãciscus Foscarus princeps, uir & ipse uehementi ingenio, Venetæq; rei propagandæ cupidus: placuit itaq; Rodulphum in curia audire, ut quid publicè attulisset sciri posset, cæterum siue Rodulphus fuit, siue legatorum alius, nam utrunq; proditum est, qui in curia uerba fecit, in hanc sententiam locutum reperio, ut dixerit se idcirco Venetias missos, ut liberæ ciuitati auxilium à libera poscerẽt ciuitate, multum diuq; testatus nihil esse in terris tyranno inuisius quàm libertatis nomẽ, nihil quod infensius oderit, id olim Antiochum regem, Philippũ, Mithridatẽ & alia magnorum regum nomina, magisquam iniuriam aliquam, quæ in eos immissa esset, adegisse, ut Romana arma experiri maluerint q̃ amicitiam. Id olim Carrarios, Scalanos in Venetum nomen, idem odium Galeacio Vicecomiti, & mox Philippo eius filio, in suam rempub, hostilem animũ implacabilem dedisse, hoc idem breui pòst eundem Philippum ad rem Venetam solicitandam impulsu rum, nec infestum tyranni animum aliud meditari, aliud quærere quàm ut libertate ex duabus nobilissimis urbibus sublata, totius Italiæ imperio potiretur, quod eius milites tam sępe quàm insolenter iactarent. Hortari proinde Venetos, monereq; idẽtidem, ut in Florentinorũ libertate tuenda suam stabilirent: nam quod ad studium ciuitatis pertineret, multũ, inquit, auri profudimus, princeps & patres optimi, ut à tyranno communem libertatem tueremur, & nunc quod supereſt, est enim id quoque dei benignitate non omnino exiguũ, aurum, argẽtum, liberos, coniuges, uitam ipsam, qua nihil est homini charius, si opus sit, parati sumus effundere pro nostra uestraq; libertate tuenda, nullas conditiones dicturi, libenter accepturi quaſcunq; dixeritis, satis superq; habituri, si Venetis socijs, immo ducibus & auspicibus, fractam tyranni rabiem uidere contigerit, bellũ & arma, quibus premimur, in ipsum tyrannũ conuersa, nostram libertatem uestramq; in tuto cõstitutam, quæ omnia, inquit, euentura confidimus, si maturè bellum fuerit à uobis decretum, quod decernere necesse est: nã quod ad hostẽ attinet, prius ignis aquæ desinet esse contrarius, quàm tyrannus libertati. Et ille hæc & alia in hanc sententiam est ad principem & patres locutus, quibus multo inclinatior factus uniuersus ordo ad bellum decernẽdum, placuit tamen priusquam aliud fieret audire Philippi legatos, qui per eos dies Venetias uenerant, erãt hi Beltrandus Lamponianus, & Ioannes Aretinus, qui Galeacij fuit à secretis. Is, posteaquam sunt in curiam accersiti, ut erat ingenio promptus & eloquentia, quæ in homine eius ætatis esse potuit non uulgari, ita est exorsus, ut dixerit se à Vicecomite Venetias missum, ut principem & uniuersum Senatũ saluta-

B ret, nuntiaretq; illis ac gratularetur optatissimum Hetrusci belli successum, immo uictoriam, quę iam in manu esset, quã pro ueteri amicitia, quę ipsi principi cum Venetis intercederet, recte amiceq; eos facturos si communem sibi ducerent, sed quando ita accidisset, ut quemadmodum sibi diceretur, Florentinorum legatus Philippi fidem & dignitatem magis nugaciter quàm uere nuper in curia procidisset, conatusq; esset sui principis potentiam reddere amicissimæ ciuitati suspectam, tanquam facile fieri posset, ut quisquam amicorum opes odio haberet,

Verba Florentinorũ ad principem & patres.

Aretini legatꝰ oratio ad principem & patres.

uelut sibi nocituras, habere se quibus modis Tuscā A uanitatē redargueret. Verum cæteris omissis illud non posse nec debere à se taceri, quod in regū odio aduersus Populum Romanum memorando fuisset Tuscus uehementer occupatus, quum multo plura & maiora amoris & beneuolentiæ regum tyrannorumque extarent in eundem populum exempla, Hieronis Siculi, Masinissæ, Ptolemæorum, Attali regis, qui Romanorum nomen non modo coluisset, sed moriens hæredē reliquisset, nec pluris apud Venetos debere esse Carrariensium & Scalanorum disceptationes, quæ de finibus incidissent, ut inter finitimos assolet, quàm perpetuum Philippi ducis & Galeacij patris in omne Venetum nomen studium & beneuolentiam. Nam quod ad belli originem attineret, palàm esse omnem discordiæ causam à Florentinis ortam, qui primo contra fœdera Genuēses iuuissent pecunia & auxilijs, mox Philippi copias Martino pontifici auxilium laturas, non minus impio quàm temerario motu auertere conati essent, de quibus Philippus foret ex æquo & bono ad Venetorum tribunal disceptaturus, quod libens se facturum sæpe pollicitus esset, & tūc demū polliceretur. Quod uero ad fœdus pertineret, satis credere Philippum, eam esse Venetorum fidem & constantiam, ut multo plus apud alios sua, Galeacijq; patris ualeret amicitia, perspectaq; beneuolentia, quàm falsa inimicorum calumnia. Et legati in hanc sententiam utrinq; locuti sunt. Auditus est inde Carmaniola Philippo infestissimus, is multa de ipsius principis erga se ingratitudine questus, plura de ratione belli disseruit, docuitq; Philippum, si bellū esset, facile posse uinci, ad quod ipsum operam suam eo utiliorem futuram prædicare, si Veneti ea uti uellent, quo magis sibi illius consilia uiresq; notæ essent, quàm cæterorum ducum cuiquam, qui eius copias diutissimè ductasset. Inclinabat per hæciam pars magna patrum ad nouum fœdus cum Florentinis sanciendū, uerum quia pleriq; adhuc erāt qui nihil temere mouendum censebant, identidem prædicantes facile esse cum uelis bellum alij indicere, sed indictum ex sententia administrare, perducereq; ad optatum exitum difficile. Disseruit itaq; uariantibus adhuc animis Foscarus princeps, habuitq; super ea re accuratissimam orationem in senatu, cuius consiliū & auctoritatem uniuersus ordo secutus in nouum fœdus consensit, in quo ita est scriptum, ut Veneti Florentiniq; sexdecim milia equitum & octo peditum ad bellum armarent, communi impensa duplex classis instrueretur, quarum unam Veneti per Padum inuectam Philippo opponerent, alteram Florentini in ora Liguriæ haberent, nec prius alitertie quàm Venetus uellet pax cum Philippo fieret. Quicquid urbiū agriue ex hoste in Flaminia caperetur Florentinorū esset, cætera Veneto cederent, aut cui Venetus uellet. Ascripti sunt nouo fœderi Nicolaus Estensis, Frā ciscus Gonzaga, & Amadeus dux Allobrogum, Alphonsus rex Aragonum, iām antea Florentinis conciliatus, ut suprà est significatum. Erant & Senenses in Florentinorum partibus ob uicinitatem, sed ut omnia ritè fierent, Franciscus Serra à secretis publicè missus est, qui Philippum moneret, ut bello statim absisteret, abstineretq; à Florentinorum rebus, qui socij Venetorum essent, quod si facturum se negasset, illi more maiorum bellum indiceret. Cæterū Philippus non modo non absitinuit, sed forti & constanti animo indictum susceipit. Fuit annus ille humanę salutis quo cum Philippo bellari cœptum est, millesimus, ut Palmeri° colligit, quadringētesimus quintus & uigesimus, Sigismundo in Germania imperante, Byzantij Calonianne, Romæ Martino eius nominis quinto sacram sedem obtinente. Erāt tum uiri ingenio & religione clari, Laurentius Iustinianus Venetus Oliuolensis antistes, extant eius inge-

Veneti cū Florentinis fœdus jaciunt.

Nomi fœderis leges.

Supputatio tēporum.

Viri eruditione clari.

nij monumenta tam sanctè quàm utiliter scripta, mi raculo res accidit, quòd sub præceptore uix prima didicit elementa, ipse ob uitæ sanctitatem & miracula quædam, quæ circa illum in morte edita sunt, beatorum numero ascribitur, fuit huic æqualis Dionysius Burgensis ad sepulchrum, eremitanæ obseruationis, qui uarie multa scripsit, Bartholomæus Salecetius, & Petrus Anacharanus, Antonius Butri° Bononienses, iuris scientiæ professione illustres. Franciscus Zabarellus & Petrus Maurocenus supremi ordinis antistes, pontificij iuris interpres uterq; optimus, Venetus hic, ille Patauinus. Raphaël Fulgosius Placentiæ ortus, & alter huic æqualis atque eodem nomine, uterque iuris scientiæ assectator, & in eo genere glossematum autor. Ioannes Imolanus qui pontificij & Cæsarei iuris commentarios reliquit. Vixerunt cum his Gasparinus Bergomēsis rhetor, sua ætate longe princeps, Venetijs publicè docuit, primus Latinas literas adhuc iacentes suscitare adortus est, fuitq; is conatus haud omnino irritus, sed rem auspicatius motam multo efficacius iuuit Leonardi Aretini eloquentia, oratoris & historici tē pestate illa clarissimi. Huic æqualis Poggius Florētinus, uir & ipse non illepida minerua, sed elocutionis minus diligens obseruator.

ENNEADIS X. LIBER II.

THi tunc erat in Italia uiri celebres, quum Sigismundus imperator cum Turcis infeliciter conflixit, de cuius pugnę euentu priusquam dicam, operæpretium est stilo paululum deflexo, uel retrò uerius acto, breuiter explicare, quibus fortunæ uoluminibus Sigismundus Pannoniæ regnum primò sit adeptus, mox & imperium. Fuit is quod satis constat, natione Boëmus, genere Theutonicus, Caroli quarti filius, qui imperator fuit, proceritate corporis & maiestate insignis, liberalitate & munificentia quanta nullus regum qui ea tempestate fuerit, sed domi belliq; parum felix, uxorem habuit Lodouici regis filiā, quæ cum regno illi cesit. Pannonia potitus duos & triginta regulos extremo affecit supplicio, quia regiæ puellæ rebellassent, qua insigni ultione inexpiabile gentis odium est illi conflatum. Quod ad tempus dissimulatum, post coniugis obitum in subitam ultionem erupit, improuisa conspiratione oppressus, nobilissimæ fœminæ traditus est magis necandus quàm custodiendus, quoniam illius uirum interfecisset, sed tantum abfuit, ut pœna sit aliqua affectus, quod & uultu & dicendi facultate mulieri concilia tus, non multo postquam custodiri cœptus est, sit incolumis dimissus. In Boëmiam igitur reuersus, Venceslaum fratrem uinxit, utpote regno inutilē, fuitq; illi nihilo secius & longum & laboriosum certamē cum ea gente, priusquam sit regno potitus, inde & imperium est adeptus, fuitq; Italicis expeditionibus, ut suprà est demonstratum, paulo felicior, mox uero quia latius Turcorum arma uagaban tur intra Europę fines, quàm Christiani nominis regibus, qui adhuc intacti erant, aut decori esset, aut ui lui futurum, ad Amuratis conatus infringendos, qui tum latè in ea gente imperitabat, cum Philippo Burgundiæ duce Thraciam inuasit, estque mox paulo ingenti prælio ab hoste uictus, acie itaque egressus Byzantium petijt, hinc Venetorum classe, quæ Bosphori angustias obtinebat, in Epidaurum delatus, domum inglorius sese recepit, fuit pugna illa non minus Christianis funesta quàm ignominiosa, nam in acie & mox in fuga multa hominum milia aut cæsa sunt aut capta, & in his Philippus dux, qué captum

B *Quā uariam sit fortunā experta Sigismundus imperator.*

Vincuntur Christiani à Turcis.

captum uictor hostis Adrianopolim traxit, redemptusque est magno auri pondere. Ferunt non tam uirtute hostium quàm sua discordia, Europeos eam cladē adijsse, contentione inter Gallos Germanosq; & Pannones de principatu orta. Nunc quando eò uenimus, ut cum Sigismundi rebus trium terrarum Pannoniæ, Boëmiæ & Thraciæ mentio uno propè loco fieret, qui sint nunc earum gentium mores, & quæ in his mutauerit uetustas, breuiter est dicendū. Vngaria nunc sanè est, quæ olim fuit Pannonia, recentis huius uocis causa alio est loco demonstrata, sed neque Vngaria nunc Pannoniæ fines impler, neque illa tam latè olim patuit, quàm hodie Vngaria. Enimuero à Leuca flumine inferiorem Pannoniam usque ad Sauum amnem complexa, ultra Danubium Poloniam attingit, terramque complectitur, quam Gepidæ & Daci tenuerunt, patetq; imperium gentis multo latius quàm terræ nomen. Enimuero Delmatici nominis quidā, q Sclaui sunt hodie, Illyrij qui Bosinenses, sed de Bosina alia est opinio, quæ suo postea loco memorabitur, Triballi qui Bulgari, Mysij qui Seruij, Gethæ, qui partim Transyluani, partim Valachi, horum quidam aut parent Vngarico imperio aut patrum memoria parue runt. Pannones qui ab initio eam terram tenuerūt, Peones olim dicti, ut Polybius scribit. Inde Hunni habuere gens Scythica, mox Gothi qui & ipsi Scythę, etsi non desunt qui ex insulis Germanici Oceani ab initio profectos dicant, nunc id mare Baltheū uulgo uocant, post Gothos Longobardi ex Scandia uia Oceani insula profecti, nouissime Vngari qui recens terræ nomen dedere, & hi quidem Scythæ, nec mihi excidit quid diuerso Raspodię loco de ipso nomine sit à me proditum. Cæterum & hæc quę nunc proditur & illa superior ratione & autoritate defendi tur opinio. Ferunt, quod ad hæc quæ nunc scribunē attinet, Vngaros ad Ryphæos montes olim sedes habuisse, qui Scythica lingua Montani nominē tur. Habet Vngaria ad occasum Austriā & Boëmiā, ad meridiem Illyrici partem quę Adriaco est pelago obuersa, ad oriētem Solem Seruiam quam Triballi & Mysij tenuerunt, nunc quidam Zagoriam uocāt, ad Arctum & Boream Poloni Moschique finitimi, urbs regia Buda à Bada Attylæ fratre, ut interpretātur nonnulli, dictione leuiter inflexa. Is primum locum munire adortus, medio opere dicitur à fratre interfectus. Sedet urbs placidissimo colle Danubio obiecta, arce, mœnibus, ædificijs uisenda. Ager quatenus colitur tritico fertilis, auro & argento diues. Mirum est quod indigenæ narrant, esse riuum in Pānonia, in quo si ferrum sæpius mergatur, fiat cuprū. Viri uestes supernè excauant circa interscapilium, linea subtus tunica circa collū & humeros quadātenus apparēs, quam partem serico & auro ferè exornant, indifferens his caliga, cothurno superinducto, capillos inungunt, concinnantque, lineo galericulo contegunt, raroque nec nisi in otio resoluunt, muliebris uestitus strictior, & ad collū subductus, ut omnia tegantur, tantum lineæ tuniculæ ora emineat, pretiosissime ornata, uestibus togam superinducunt, serico caput aut lineo componunt uelamine, ac præter oculos & nasum cætera ferè abscondunt, gemmis & margaritis uulgo utuntur, cothurno calceantur uiri fœminæque ad media crura inducto, annum lugent defunctos, & quosdam biennio, barbam rasitant præterquam superiore labro. Orthodoxæ fidei cultus ex lege iudicant. Est & alia iudicij ratio, si causa anceps sit, nec aliter liquere possit, lis ferro decernitur, reus & actor dimicāt, rex aut qui regis uicem gerit, pugnam spectat, iudicatque secundum eum qui superior fuerit, satis uicisse credunt, cuius aduersarius aut pugnam cunctantius inibit, aut lineis areæ quibus pugnæ locus circumscribitur, exciderit, qui ex equo dimicāt, lācea prius,

Pannoniæ descriptio.

Illyrij olim, nūc Bosinēses.

Triballi qui & nunc Bulgari.

Mysij qui Seruij.

Gethæ qui nūc Trāsyluani & Valachi.

Peones olim inde Pānones.

B

A dein gladio utuntur, pedites præter uerenda cætera nudi pugnant. Suus gentis sermo, etsi Boëmo nō multum absimilis, habet & priuas literas, sed Romanas libentius usurpant, ferox genus hominum & in bello ualidum, equestri prælio magis quàm pedestri idoneum, regis imperio parent, aut regijs ducibus, caraphracto equite consistunt in prælio, utuntur & leui armatura, sed parcius omnino: turmatim confligunt, non tamē toto agmine. Nulla gens Christiani nominis magis Turcorum arma exercuit, nul la ab his magis exercita est, adeò paribus animis uario que euentu est semper utrinque bellatum. Valachi Italicum genus hominum, horum terram Daci olim tenuerunt, nunc Theutones, Siculi, & Valachi tenent. Theutones ex Saxonia profecti (ut fertur) uiri fortes, & qui à septem urbibus quas habebant, Sebemburgenses patrio sermone dicuntur. Siculi Vngarorum uetustissimi ex ijs qui ab initio ex Scythia digressi his locis consedere: Valachorum nobilissimi, qui agriculturam & qui pecuariam exercent, quæ res ipsius gentis arguit originem, pendūt tributum regi, sed semel id ac cuique regum & confestim ab eius declaratione, tum singulæ familiæ dant bouem tributi nomine. Sexaginta milia numero & amplius esse traduntur. Iussi ad bellum exire capitale est non paruisse. Est Valachia Transyluaniæ contermina ab occasu, ad ortum in Euxinum excurrit, abluitur Istro ad Meridiem, ad Boream & Septētrionem Ruxianos attingit, Gethica olim fuit tellus quæ nunc Valachia est, quibus locis Darius Hidaspis filius penè perijt. Gethæ Romanis armis demū subacti sunt ac deleti, Coloniaque eo missa est Flacci ex Quiritum gente, ut credere est, ductu, unde primum Flaccia, dein corrupta uoce Vallacia dicta. Astipulaē huic opinioni Romanus sermo qui adhuc in ea gente durat. Cæterum adeò ex omni parte corruptus, ut uix Romano homini intelligatur, Romanarum literarum usus, elementorum forma aliquatenus inuersa, sacrorum ritus qui & Græcis, duę Valachorum factiones, Dragulæ, & Dani, alias Daui, nam Gethæ & Daui seruorum nomina inde olim profecta sunt, ut Greçorum quidam prodidere. Dragulę Danis impares Turcos nostrorum patrum memoria in eam terram induxerunt, armis Dani ad internecionem deleti sunt. Ioannes Huniades cui Albo cognomē fuit, uir acer, Danis demum auxilium tulit, terramque ab hoste receptam sibi & suis uindicauit, sed hæc post Sigismundi tempora cuius arma nulla gens diutius exercuit quàm Boëmi. Hi terram habent Germanię limitibus inclusam, Aquilonis flatibus obiacet, Vngaria illi orientalis est, australis Bauaria, Noricus ager occiduus, Polonia Borealis, quidam Saxones ad Meridiem statuunt. Attribuuntur Boëmico regno Slesia, Morauia, noua terrarum nomina. Fuere quondam Boëmis duces, nunc reges sunt. Vratislaus primus regis appellationem tulit in ea gente, Henrico imperatore genitus, regia sede ex Morauia in Boëmiam translata. Praga regni Metropolis quæ Praha esse debuit. Praha limen est Boëmica lingua, in Multauiæ fluminis ripa urbs sita est. Multauiæ Albis nomen aufert. Iungitur uetus Praga nouæ urbi ponte quatuor & uiginti arcubus uisendo profundissimæ fossæ imposito. Mirū est ac cunctantius referendum quod scriptum reperio apud quosdā qui de his rebus ad me commentarios dedere, Pragam esse tantæ magnitudinis, ut ne expeditus quidem uiator tridui spacio diametrum conficiat, immensa clauditur sylua, etsi crassioribus mœnibus urbs circundata, sunt & aliæ urbes clari nominis, Cadauum, Bruxia, Cutianum cupri & argenti uenis nominatissimum, solū hordei ferax, tritici, boum syluestrium & piscium abundans, non leges genti, non sanctiora instituta, quod libet licet, si uera sunt quæ de ritu gentis memorantur,

Valachi & mores gentis.

Boemia & eius gentis mores.

Pragæ urbis amplitudo.

Pannoñ mores & corporum cultus.

B

morantur, Christianæ fidei nomen non cultus, ut qui Husitarum ueneno infecti (quod auorum memoria accidit) orthodoxæ fidei cultum parum intergrè custodiant. Romanum pontificem in ordinem redigũt, negantq; cæteris antistitibus auguſtiorem esse ac uenerabiliorem, negant ignem esse ullum, quo solutæ corporibus animæ expientur, stultum arbitrantur defunctis parentare, Dei optimi maximi, diuorumque simulachra tollunt è medio. Sacerdotes aiunt eleemosyna ali oportere, non opes, non pecuniam possidere: nugacem & superuacuam confessionem, quę fiat sacerdoti, satius uideri secretum quærere, hicque deo optimo cõfiteri, superuacuum cœmiterij usum, Eucharistiæ sacramentum ubique recte confici à sacerdote, frustra tempus conteri in canonicis horis dicendis, ieiunia nihil mereri, & gens una tot modis à ueræ pietatis cultu aberrat. Borealis est Slesia Boëmiæ & Germaniæ finibus inclusa, Boëmico tamen regno attribuitur. Vratislauiam urbem habet nobilissimam ad Oderam fluuium qui Germanico Oceano infunditur, ad ortum Morauia Boëmis contermina, ubi olim regia sedes, ferox genus hominum, & rapto uiuere assueti, nulli hominum nisi ui armorum per eam gentem patet transitus, regione latrocinijs infesta. Sermo Morauis ex Theutonico & Boëmico mixtus, Husitanicumq; genti delirium, & Vngaria, Valachia, & Boëmia in hunc modum se habent, de quibus non ab re fuit uno loco dicere, quando in Sigismundi gesta qui latè his terris imperitauit sua sponte humanarum rerum relatio hæc incidisset. Nunc Italia stilum latius euagatum sui admonet, ubi Veneti post fœdus cum Florentinis ictum, quum bellum Philippo indixissent, ut indictum fortiter gererent, ex tota Italia militem stipendio conducunt. Carmaniola cui decretum erat omnium copiarum imperium, non ignarus quantum in utranq; partem haberent momenti bellorum initia, ut ab aliquo memorabili facinore res inchoaretur, ad Brixiam occupandam animum adiecit. Arx primò tentata est, actumque cum custodibus, ut præfectum noctu interficerent, dum uigilias circuit, Venetumque præsidium admitterent. Cæterum eo consilio destiturus, per Petrum & Achillem aduocarios Guelphæ factionis uiros, quibus erat Philippi nomen inusitum, intempesta nocte cum ijs copijs quæ ad manus fuere, intra muros receptus urbem tenuit. Principes aduersæ factionis ad primum clamorem captæ urbis metu & pauore consternati locum occupant à reliquo corpore ciuitatis muro discretum, Ciuitatulæ est illi nomẽ. Venerat nuper Brixiam cohors una peditum à Philippo Oldradi cuiusdam ductu ad Brixianorum præsidium missa, tenebatque præfectus cohortis eam urbis partem, cuius nunc mentio facta est. Is subito tumultu excitus, arma corripit, cæterum rerum omnium ignarus abstinet nocturno prælio, ratus fieri posse ut Ciuitatula & arce retentis hostis mœnibus inclusus facile opprimeretur. Munit Carmaniola partem urbis à se initam irrequieto opere, ut ne ulla quidem hostium irruptio sibi & suis formidanda esset amplius. Philippus nobilissimæ urbis periculo perculsus, Francisco Sfortiam iussit eò confestim occurrere cum ala una equitum: ut uero alij scribunt, cum equitatu ualidissimo. Imperat præterea ut quicquid armorũ in tota Gallia Cisalpina esset, suppetias suis laborantibus ferret, quoad exercitus ex Hetruria reuocaretur. Est Carmaniola Brixiam ingressus duodecimo Calẽdas Aprilis. Eodem tempore quo Brixia per eum modum quo diximus capta est, Nicolaus Estensis cui Florentini decreuerant suarum copiarum imperium, ex Rhegio Lepidi Parmensem agrum inuasit, prædamque inde abduxit opulentam. Veneti Brixia potiti, ut urbem semel captam tenerent, studio militem & arma contrahunt, quibus Carmaniola fretus Ciuitatulam ferociter adortus, crebris bombardarum ictibus alijsque bellicis operibus extra intraque oppugnat, multaque interim prælia sunt per occasionem gesta, Sfortianis equitibus orare infestãtibus. Abfuit interim Carmaniola aliquot dies à gerendarum rerum cursu abductus, graui morbo implicitus, Aponi balnea frequentauit, quo tempore oppugnatio nõnihil intermissa est, & Franciscus Gonzaga cui summa rei interim permissa est, impigrè omnia obire, ut ne in cohibenda quidem hostium licentia multum ducis præsentia desideraretur. Atrocior inde oppugnatio hostes adorta est Carmaniola ex balneis reuerso. Cæterum quia satis constabat Philippum omne robur copiarum ex Hetruria reuocasse, Veneti ne tota belli moles in se uerteretur, Nicolao Estensi negotium iniungunt hostilium copiarum transitum prohibendi, mittunt & Victorem Barbarum cum numeroso equitatu qui socia iuuaret arma in cohibendo hoste. Consederunt triginta circiter dies Philippi copiæ in Bononiensis agri finibus non procul à Vineola, prælto amne, nec usque uadabili, à Venetis & sociorum copijs diremptι, id flumen paludes efficiunt circa Coalcotium in unum corriuatæ, unoque alueo sese in Padum exonerant, tam longus igitur fuit partium conatus: postremò Philippi duces fabricato ad Persicetum oppidum ponte, circa Scultennam Calendis Maijs, sub lucis exortum, copias transmisere, subitus clamor hostium Venetos in fugam uertit, uenit & ala una equitum in hostium potestatem, quam Guido Sentinas agebat, qui inscius eorum quæ fiebant circa fluuium, ad hostilem clamorem flexit iter, ratus eam uocem ex Venetis stationibus redditam. Nec Estensis dux conatus est hostem transitu auertere, quæ res suspicionem auxit parum syncera fide rem ab Estensibus & socijs administratam, ne diutius bellum suis aleretur finibus. Interfuerũt duo ferè menses inter Brixiæ à Philippo alienationem & illius copiarum ex Hetruria reditum. Pergulanus qui Philippi copias agebat, Brixiam decreto petijt, fecitque castra duobus stadijs ab urbe, futurò certamini intentus si dimicandi copia ab hoste fieret, nulli dubium fuit, quin si arx & loca quæ Philippi præsidio tenebantur, sub Pergulani accessum nouis inita essent subsidijs, omnis spes Brixiæ retinendæ fuisset Venetis adempta. Carmaniola uni negotio intentus, ut arcem expugnaret, nihil sub hostium aduentum passus est in urbe à suis moueri: iuuerunt Veneti sui ducis constantiam assiduo copiarum auctu: iuuerunt & Florentini recentibus auxilijs Brixiam missis, & quia satis constabat quod Nicolaus Tollentinas primus omnium uidisse dicitur, qui Tuscum stipendium merebat, Brixiensem arcem capi non posse, nisi fossa & uallo illi circumiecta, omnis præsidij commeatusque importandi facultas hostibus adimeretur, ingenti agrestium manu accersita, omnium opinione celerius res ad exitum perducta est, trium milium passuum circuitu fossa est ducta atque utrunque agger in murorum speciem impositus, mediam intercapedinem tricenũm pedum turribus breui spatio inter se distantibus firmant, portæ duodecim numero statuuntur cum suis turribus, ut per eas alterutrò uersum cum opus esset copiæ in hostem immitterentur. Fama operis huius ad Philippum perlata, ferunt ex aulicis unum exclamasse, nihil à deo optimo optabilius Philippo dari potuisse, quàm ut Venetos hostes libido incessisset eius operis inchoandi, cui perficiundo ne Xerxis quidem opes quę immensæ fuisse dicerentur, non modo Venetorum satis essent futuræ. Nec Pergulanus interim quieuit, sed ut hostem ab instituto opere auerteret, Mantuanos inuasit fines, ubi tametsi res sociorum ualidè

Attende Boemorũ persuasionem.

Slesiæ situs & gentis mores.

Brixia capitur.

Philippi conatus.

Munitio Brixiensi arci circumiecta.

sunt affectæ, nihil tamen est ex opere mutatum. Reuersus Brixiam Pergulanus aliquanto propius hostem cõsedit, nec interim Picinini aut Sfortiæ horratu adduci potuit ut in hostes operi intẽtos impetum daret, dubium quia sciret ita Philippum uelle, quod identidẽ est iactare solitus, an quia parum tutum crederet in extremũ rei certamen descendere, quo si uictus fuisset, facile euerti potuerit Philippi principatus. Peracto opere Carmaniola inter uallũ et hostium castra consedit. Erant sub Venetis signis cum sociorum appendicibus ad quatuordecim milia equitum, dena peditum, & in his quinq; sagittariorum, quibus munitionem obtinendam attribuit Carmaniola, cuius imperio suberant pleriq; clari nominis duces, Franciscus Gõzaga, Lodouicus Seuerinas, Paulus Vrsinus, Alouisius Veranus, Laurẽtius à Cotoniola. Aderãt & cum Tolentinate qui à Florentinis socijs uenerãt, aliquot uiri illustres qui ad id tempus clara fecerant stipendia. Merebãt Philippo duodeuiginti milia militum, ac præter Pergulanum cuius erat imperium, Franciscus Sfortia, Nicolaus Picininus, uiri fortes, & ab initio inter se æmuli, mox uerò ex confesso hostes: fuit id odiũ ambobus uelut hæreditariũ, quia hic fuit Sfortiæ filius, ille Brachium militiæ habuit magistrum. Miror Pium pontificem literis prodidisse, nunquã hũc aut illum adduci potuisse, ut eisdem militarent auspicijs. Enimuero ambo, si Blõdus uerus est autor, circa Brixiam Philippi stipendium meruere aduersus Venetos, eisdemq; castris fuere, atq; uterq; celeberrimus, etsi alienum erat imperium. Conatus est inde Carmaniola partem urbis quæ ab hoste tenebatur expugnare, fuitq; acre prælium, multiq; ex hostibus à Venetis sagittarijs confixi mortem occubuere. Defensus tamẽ est strenuè locus, fames inde sentiri cœpta est ab obsessis, qua inualescente indu cias pacisc̃untur in paucos dies, quibus tenentibus nisi extraria ope adiuti essent, deditionem pollicerentur. Vociferari Picininus ac palàm testari rẽ Philippi proditum iri ipsorum ducum siue fraude siue ignauia, iturum se extremamq; fortunam cum suis tentaturum, rogare obtestariq; ut quicunq; Philippi nomen non odissent, secum arma caperent, irent secum, & rem iam propè perditam armis uindicarent. Visus est Sfortia Picinino conniuere. Sed dum concionantis specie alios ad id facinus hortatur, Picininus interea qui cũm paucis Venetorũ uallum subierat, sagittis telorumq; multitudine penè obrutus, retrò infecta re abire coactus est, suorũ perfidiam incusans. Qui uerò obsidione tenebãtur, etsi spe destituti, perseuerarunt tamen ultra inducιarũ tempus in parte urbis retinenda, quam non multo pòst fame domiti reliquerunt Veneto occupãdam. Arx postremò oppugnata est, machinisq; adeò concussa, ut ruinæ procumbentium murorum Veneta castra attigerint, ac tum demum uicta hostium pertinacia, facta est ab his deditio qui in arce erant, septimo mense quàm Brixia fuerat à Venetis inita. Carmaniola laborioſa oppugnatione defunctus, Brixiani agri oppida siqua adhuc in hostium potestate erant, armis subegit. Inde pax tentata est, Pontificij legati interuentu, remq; propemodum confectam Philippi ducis subita mutatio discussit, dubiũ quia ab Amadeo Allobrogũ duce spes pacis facta esset, an quia Mediolanenses studium & operam suam polliciti, autores fuerint Philippo reijciendæ pacis, quæ ob Brixiam nuper amissam nõ nisi ignominiosa esse poterat, daturos se professi decẽ millia equitum ac tantundem peditũ, quoad debellatum esset cum hoste, conditione tamen ut Philippus urbana uectigalia ciuibus interea remitteret. Visus est primo uicecomes rem non aspernari, cæterum aulicorum uerbis edoctus esse eam illecebram quandam appetendæ libertatis, quam semel gustatam pericu-

Venetorum copiæ.

Philippi copiæ.

Mediolanensium ad principatum oblatio.

lum fore ne opulentissima ciuitas duarum prepotentium urbiũ exemplo atque opibus freta, sibi ui & armis stabiliret. His ille suspicionibus imbutus totam rẽ periculoso exemplo, ut ipse existimabat, motã antiquauit. Valuit nihilominus publica Mediolanensium adhortatio, nam ratus uicecomes fore, ut quoquo modo à Mediolanensibus stipendio iuuaretur, pro infecto habuit quicquid de pace cõuenerat. Recurritur itaque utrinque ad arma, incursaturq; Mantuanus ager à Philippi ducibus: fit Venetijs senatusconsultum de bello in Philippum reparando, reuocanturq; in pristinum fœdus Florentini, qui longissimo bello fessi pacem maluissent, reuocantur & alij ad bellum socij, & in his Amadeus dux Allobrogum, qui impensiorem deinceps operam se bello nauaturũ pollicitus est quàm antea fecisset, nihil enim ad id tempus gesserat memoria digniũ. Ascripti sunt nouo fœderi Montferratensis Marchio, & Rolandus Palauicinus, qui nõ in extremis habebãtur Cisalpinæ Galliæ regulis. Philippus etsi plenè perspiciebat quantam belli molẽ subiturus esset, magno tamen animo & ipse bellum reparat, tripertitoq; res hostium inuadere constituit ad potentiæ famam aucupandam. Padum classe occupat, in exules Genuenses (uenerant hi quoq; in partem fœderis) mittit Franciscum Sfortiam cum parte copiarum, Pergulanum cum cætero exercitu Brixianos fines iubet aggredi, in ora Liguriæ circa Genuam Fregosij, qui, adeò Genuensium rebus imminebant, ut ab urbe oppugnanda non procul abessent, sub Sfortiæ accessum castris exuti, Rhecum se trepidè recipiunt, Pergulanus ferociter Brixianos adortus, eorum fines uariè affecit. Nec Picininus circa Padum in ocio fuit, sed classe ad se accersita, Casale maius terra & aquis adortus, ad deditionẽ cõpulit, copijs inde in ulteriorẽ fluminis ripam traiectis Brixellum proditione occupat, arx expugnari non potuit, & his ab hoste auspicijs est bellũ renouatum. Veneti inter ea & ipsi terra & aquis magna ope connixi, classem opulentam instruunt. Franciscus Bembus eam per aduersum Padum in hostem egit, quæ ubi appropinquare dicta est, continuò Eustachius Ticinensis qui Philippi classem agebat, ex Brixellana mouit statione, estque ad quatuor milia passuum à Cremona dimicatũ, fuitq; pugna illa naualis Veneto prosperrima, octonis nauibus, quos Galeones uocant, ex hostili classe captis. Eustachius medio certamine dilapsus, cũ cætera classe Cremonam se recepit, Brixellani præsidio accepto non solum arcem sunt strenuè tutati, sed oppidũ etiam abiectis hostibus recepere. Bembus abeuntem hostem secutus in nouum incidit genus pugnæ. Erexerat Philippus ab utraq; Padi ripa medioq; fluminis uado castella quædam lignea, præsidioq; & armis firmata, habuitq; ab initio persuasum nullam esse tãualidam classem quæ aut urbẽ circumsedere posset, aut in Galliæ intima penetrare. Duo ex his Venetus unum post aliud omnium opinione celerius expugnauit, quod reliquũ fuit propius Cremonã, eo pertinacius defensum, quo certiorem spem subsidij exhibebat urbis uicinitas. Cæterũ uictor Bembus hostium castella subiecto igni combusit. Fœdauit huiusmodi uictoriæ cursum clades eodẽ ferè loco paulo pòst à Venetis accepta, trecẽti ferè ex naualibus socijs temere in eã terram egressi, quæ media est inter Padũ & Cremonam, à Lauellano subita eruptione excepti ferro trucidati sunt, inde classis superiora fluminis petijt. Cæterum quum circa Ticinum omnia silentij & solitudinis plena offendisset Venetus, insidias ueritus à præda & euagatione suos abstinuit, nec multum his locis commoratus, secundo fluuio Cremonam relatus, militem in terram exposuit, cladem ulturus nuper his locis acceptam. Creuerunt interea hostium uires nouis præ-

Pax frustrà mota est.

Philippus bellum reparat.

Fluuialis pugna.

Bembus classis præfectus.

sidijs, quæ res fecit ut non solum non sit clades ulla Lauellanicis repensa, sed multo fœdius quàm antea cæsi essent classiarij, nisi paucis amissis Bembus signum receptui dedisset: & hæc inter initia recentis belli circa Padũ gesta. In Mediterraneis Albericus Cunij comes & Petrinus Dertonensis ex Otholengo in Brixianum agrum tumultuose effusi, ad quadringentos pabulatores in agris oppresse re:in hos Paulus Vrsinus cum ala una equitum à Petro Lauretano qui urbi præsidebat, primò est immissus, qui agmine celeriter circumacto uiam insedit, qua hostes abituri putabantur, maior inde uis equitum immissa quæ abeuntem prælio incesseret, utrinq; strenuè opera nauata est à Venetis ducibus, hostis in medio cæsus non solũ prædam amisit, sed Petrinus expeditionis illius caput cum centũ quinquaginta est equitibus captus. Eodem die quo hoc fuerat euentu circa Brixiam dimicatum, Carmanio
Venetæ copiæ. la cum exercitu est urbem ipsam ingressus, huc breui omnes copiæ pedestres equestresq; ad imperiũ conuenere, quatuordecim milia equitum fuisse dicuntur, sex peditum, cum his copijs ille Brixia profectus, ad montem Clarium primo castra fecit. Cæterum quia sedendo nihil se profecturum uidebat, ob loci naturam quæ munitissima est, ad Otholengum transtulit castra, Philippi duces & præsidium quod ibi loci esse dicebatur, breui ut persuasum habuit, oppressurus: sed longe aliter euenit. Erant uires hostium subid tempus haud mediocriter auctę, quibus intra muros quiescentibus Venetus exercitus æstu & labore fessus, ad curanda corpora conuertitur, & iam post cibum quieti sese milites dederant, quum ex oppido subita eruptio facta est. Sustinuit fortiter Nanes Strocius, qui cum quadringentis equitibus in statione erat, uim hostium. Cæterũ eo cadente maior omnino trepidatio orta est, multi quidem cæsi sunt, multi etiam capti, potuisseq; eo die florentissimus profligari exercitus, nisi Carmaniola cum robore copiarum hostium ferociam pressisset, qui retrò abeuntes ad tubarum cantum quantiũ more sunt in oppidum reuersi. Carmaniola etsi non mediocri clade affectus, nam ad mille & quingentos eo prælio amiserat, perseuerauit tamen in eisdem statiuis esse, quoad paucæ quædam pedi tum cohortes uenirent in castra, quæ Patauij fuerãt conscriptæ. Hæc Forliuiensis Blondus, qui eo tempore quo hæc gesta sunt, Brixiæ fuit, ut ipse scribit. Mariotus Montanus qui & ipse gerendis rebus interfuit, dedit q; ad me commẽtarios de ijs quę nũc scribuntur, præter paucos qui ex improuiso fuerãt ab hoste oppressi, nullã maiorem ait ad Otholengũ cladem à Veneto acceptam, pugnatum q; utrinque æquo marte, nec Otholẽgica obsidio deinceps diu
Otholengica pugna. renuit, sublatis signis Carmaniola ad Binam Ollij fluminis pontem expugnat, exercituq; in hosticum transmisso, septem milia passuum Cremonæ proximus consedit, consilio eius urbis oppugnandæ, cõfisus fore ut Cremona quoquo modo capta, confestim omnia quæ hostium præsidijs à tergo tenerentur, sua sponte ad Venetos deficerent. Erant in Ve-
Venetorum copiæ. netis castris supra triginta milia armatorũ. Nec procul inde Bembus Padanæ classis præfectus stationem habebat, erantq; cum eo dena milia militũ remigumque. Hoc terrifico belli apparatu perculsus Philippus, Mediolanensiũ fidem implorat, edicitq; ut quicunq; militaris ætatis Vicecomitum nomen
Philippi copiæ. principatumq; saluum esse uellet, secum arma caperet. Multi Mediolanensiũ Ticinensiumq; id edictũ secuti, cum eo ad bellum exiuere. Habuit hæc euocatorum manus equitũ peditumq; ad quindecim milia numero. Aderant præterea Philippo sub signis duodecim equitum milia, peditum dimidio minus, quibus copijs fretus tribus milibus passuũ ab hoste circa Cremonam castra fecit. Ita duo Italici nominis opulentissimi exercitus quanti post lapsum Romani imperij nunquam, ut arbitror, aduersi inter se castra contulerunt, prælium inde fuit ad locum cui est nomen Summæ, ubi Veneti castra habebant, pugnatumque est à meridie ad uesperã æquo marte. Philippus quia trepidissimis afferebatur nuncijs Montferratensium & Allobrogum alas equitum per Vercellensium fines in Mediolanensem agrum irrupisse, adequitasseque mœnibus urbis, euocatorum manu dimissa Mediolanum concessit, nec Carmaniola multum ibi commoratus est, ubi compertum habuit Cremonam ualido hostium præsidio initam, ne tempus frustra tereret illi assidendo, ad Casale maius admouit castra, id oppidum post multos Venetorum conatus uariosq; labores exhaustos capi non potuit. Philippus quia nihil erat in quo sui duces non inter se dissiderent æmulatione & inuidia accensi, non ignarus quàm multis perniciosa fuisset in re bellica ducum discordia, ueritus ne ex ea re aliqua sibi clades oriretur, totius belli summam detulit Carolo Malatestæ Pandulphi Pisaurensis filio, qui & in duces ipsos, & in uniuersum exercitum obtineret imperium, nec in eo tam strenuitas quæsita est, ut quidam scribunt, quàm uiri sapientia & familiæ nobilitas. Fuerunt qui interpretarentur Philippum non tam hæc quæ ab alijs memorantur, spectasse in nouo duce, sed studium quod illi Brixiæ conciliatum esset ob paternam memoriã. Carolus imperium adeptus, transuersis ducens itineribus omnibus hostium motibus se ex improuiso obijcere. Interea Venetus Casalina oppugnatione omissa, ad Maclodium fecit castra. Est id oppidum Brixiani agri, Machalum uulgo uocant. Nec multis inde diebus interiectis, duo diuersi exercitus inter Pompeianum, ubi Malatesta cœperat locum castris, & Maclodium totis inter se uiribus confixere, estque atrociter utrinque dimicatum, postremò Venetus egregie uicit, militum multitudine & locorum natura adiutus, fusæ disiectæque Philippi copiæ: captaque ad octo milia hostium, pari peditum ac equitum numero, & cum his Malatesta hostium imperator. Liber hic memorare fortissimi ducis exemplum: Fuit Carmaniola Agidariæ genti semper infestus, qui per Beatricis nuptias Philippo duci insinuatus, ut Facini Agidarij cognomento Canis pupillari adhuc ætate filios fratresque nobilissimo principatu spoliaret, illi autor & impulsor fuit, pari odio Cunij comites & Sumaliæ eiusdem gentis afflixit. Cæterum Maclodiensi acie Benedictum Agidarium præclarè dimicantem intuitus, memor ad hæc quod memorabili uirtutis exemplo idem nuper in Brixianæ arcis oppugnatione supra interfecti fratris cadauer dimicans strenuè locum retinuisset, tantam in homine indolem complexus, eorum quæ in præclarã alioqui familiam feciſſet, pœnitentiam egit, Agidarioque uiro fortissimo affinitatem, honestissimumque in exercitu ducendum ordinem detulit. Ferunt quod ad magnitudinem uictoriæ huius attinet, facile potuisse Philippi principatũ euerti, post illius res insigniter afflictas, si post pugnam continuò in hostem mota fuissent signa, quod nõ solum Carmaniola non fecit, sed captiuos omnes liberos abire permisit, estque illi ex ea re non mediocris inuidia orta, origoque supplicij quo postea in eum publicè animaduersum est. Ad tam aduersæ pugnæ famam omnia Brixianorum loca præter Nouos Vrceos à Philippo ad Venetos defecere, sunt & Vrcei aliquandiu circumsessi, atque ad deditionem compulsi. Nec Philippus ad tam insignem cladem concidit, sed arma studio reparat, reperti sunt Mediolani duo fabrorum mancipes qui professi sunt fore ut tot cataphractos instruerent quot fuerant in prælio amissi, implorauit Philippus & à Sigismundo imperatore auxilium, suo olim nõ minus quàm Venetorum hoste, egitq; cum eo ut Brunorium Scalam cum exercitu in Italiã mitteret adrem Venetam infestandã. Cum Amadeo Allobrogum duce, Vercellis tamen prius datis, non solum pacem, sed affinitatem etiam iunxit, eius filia in matrimonium recepta: cuius congressu post primos thoros pertinacissimè abstinuit, egit adhæc cum Martino pontifice maximo, ut quacunq; uia aut ui posset, Florentinos à Venetorum societate auerteret. Cæterum quantum per hæc Philippus conatus est suas partes erigere, tãtum Pergulani & aliorum quorundam ducum depressit interitus, qui continuatis funeribus unus post alium diem obiuere.
Fit Philippo additur. His Philippus cladibus fractus, pacem multò iniquiorem quàm antea dabatur, cupidè cõplexus est, quæ pontificij legati interuentu his conditionibus Ferrariç ad exitum perducitur, ut Brixiam cum suis
Bergomum & Brixiæ Venetis cedunt. finibus, & Bergomum cũ ea parte agri quæ ad Abduam spectat, Veneti haberent, & quæcunque loca in Cremonensi ad id tempus occupassent: Florentinis datum est, ut propria signa suis triremibus præfigerent, cum antea ex fœdere cum Genuensibus icto, Pisanorum ad suum usum usurpassent. Cautum est Estensibus, Gonziacis, & cæteris belli socijs, & Florentinorũ nomine Senensibus & Ligusticæ oræ comitibus, ut Fregosij, Flisci & Malaspinæ in partibus censerentur, à Philippo teneri non potuit. Carmaniolæ uxor & liberi cum domo quam Mediolani possederat, sunt ex fœdere restituti, & cũ Philippo per hũc modum est debellatum, sed pax illa quo
Causa renouatæ tibelli. minus diuturna esset, quum pleræque aliæ, tum una Lucensium præcipua fuit causa, tametsi Bononia per idem tempus à põtifice defecit, & de finibus est cum Philippo alieno arbitrio disceptatũ: sunt adhæc Flisci & Fregosij Genuẽsium extorres bello repetiti à Viceconite, qui etsi in partibus non essent, ex formula tamen fœderis nuper icti, pollicitus fuerat Philippus in fancienda pace ab his omnem iniuriam abstinere, indigna tamen hæc uideri, ob quæ temerè ad bellum reuerteretur, turbandæ itaque pacis initium ex Hetruria fuit. Erat tum Paulus Guinisius Lucensium tyrannus, qui trigesimo ante anno suorum ciuium libertate oppressa ita res eius urbis administrauit, ut omnibus bellis quibus per id tempus ualde est Italia concussa, nulli hominum ex fœdere socius fuerit, nulli hostis, quo factum est ut ne amicum quidem haberet, ut in Guinisium uideri possit illud ab homine non infaceto dictum, qui
Dictum facetum. cuidam glorianti quòd nullum haberet inimicum, ita occurrisse fertur, ut ab eo quereretur an & amicum haberet? Oderunt itaq; multi intempestiuum Guinisij ocium, sed omnium maxime Florentini, qui quum longo & laborioso bello nihil à Lucensibus adiuti essent, ut aliquo tyrannum incommodo afficerent, Nicolaum Bracchij ducis clarissimi ex Stella sorore neporẽ, nihil ab auunculi indole degenerantem, primores ciuitatis occultè ornant, (nihil enim minus populus uolebat quàm bellum) ut publicè exautoratus nouum contraheret exercitum, suisq; nec alterius auspicijs auunculi exemplo exercitum ductãs, Guinisium ex improuiso adoriretur, nec defuturã illati belli causam, quando tota Hetruria sciret factum olim Bracchij tributarium, nec tributũ post eius mortem sibi aut successorum cuiquã redditum. Cõfecit impiger iuuenis exautoratus in Florentinorum finibus uelut procul abiturus, erantq; cum eo ad duo milia hominum, eratq; huius mora interim non minus Senensibus quàm Guinisio suspecta, prima itaq; noctis uigilia per compẽdia uiarum in Guinisium mouit, postridie uerò tertia diei hora Lucensem agrum tumultuose ingressus, omnẽ circumiectam urbi regionem hostiliter incursauit, inde ad oppidorum expugnationẽ conuersus, pau-
Nicolaus Stellæ auunculus bellum infert.

cis diebus octo Guinisio loca ademit, quæ ui capta sunt diripuit, ultrò deditis omne ius belli abstinuit, fuit is motus tyranno eo terribilior quo minus expectatus. Dubius animi Guinisius qua ui, quáue arte iret præsenti malo obuiam, nam omnia adhuc incerta erant, ubi & quis autor belli esset, & quæ bello prætẽderetur causa, audiuit, ratus quod erat Florentinorum æstu conflatum sibi id bellum, cõfestim Florentiam misit, qui eam iniuriam publicè quererentur. ea calumnia constanter à primoribus ciuitatis discussa est, misit Guinisius inde ad Venetos, misit & ad Philippum ducem legatos, est & ad Senenses quoq; eiusmodi querela delata, ubiq; Florentinorum ambitio iactata est à legatis qui ad Lucã occupandã anhelare dicerentur, sed nulli acerbior uisa est quàm Senensibus, quibus sua sponte suspecti erant omnes Florẽtinorum successus, sed res multò inuidiosior facta, posteaquã rumor uulgatus est Florentinos ad nouum ducem misisse qui eũ hortarentur ut inchoatum bellum exequeretur, nõ pecuniã in stipendium defuturam, nõ cætera ad bellum necessaria, pergeret Florentinorum nomine rẽ gerere, hostẽq; debellare. Confluxerãt interim multi mortales ad Stellam ducem prædæ cupiditate nouarũque rerum spe freti. Cæterum quo magis id incendium glisceret, eo solicitius Senenses remedia circũspectare, futurum rati ut Lucensibus uictis fœda illa armorum tempestas in se uertereretur. Mittũt itaq; Venetias qui cũ principe & patribus agerent ut Florentinos communis socios graui aliqua denunciatione si socialia iura minus ualerent ab incœpto reuocent. Responsum est cupere Venetos libertatem Senensibus inoffensam manere, uerùm nihil ad se attinere quid rei sit Florentinis cum ea ciuitate quã omnibus fœderibus sibi sociam ascribi, & censeri uoluerint. Senẽses præsenti spe destituti, quum ipsi tum Guinisius Philippi auxilium implorant, is Florentinorum exemplum secutus Franciscum Sfortiam tanquam exautoratum Lucam occurrere iubet, urbemque obsidione leuare. Secesit in Senensium fines Bracchianus dux sub Sfortię aduentum, ne cum Guinisijs & Sfortianis uno tempore dimicare cogeretur. terrebat iuuenem recens auunculi exemplum, qui tali pugnæ genere fuerat in Furconenses oppressus, cesserat ille tantisper quieturus, quoad hostis Lucensium finibus excederet, ubi commeatus inopia diutius esse non posse uidebatur, quo abeunte in animo habebat confestim Guinisios repetere. Sfortia hoste non reperto præsidia
Francisci Sfortiæ successus. circa urbem ab eo relicta primo impetu expugnat, inde ouanti similis urbem ingressus, aliquot dies apud Guinisios fuit. Pistorienſem inde agrum cum exercitu adortus Iarè omnia populari, & iam aliquot ex Florentinis oppida bello ceperat, quum indicio comperit Guinisium occultè cum Florentinis de pace agere. Lucam itaque reuersus Guinisios in potestatem redigit, redactos ad Philippum sub custodia mittit, ac simul Lucensibus libertatem restituit, nec ita multò post amplissimis muneribus ab ea ciuitate donatus, magnoque auri pondere à Florentinis accepto, quibus pacem reddidit, in Galliam cum exercitu reuertitur. Florentini confestim à Sfortiæ decessu, Lucenses iterum obsidione cingunt. Tum Philippus aliam uiam ingressus non multum à priore diuersam, Nicolaum Picininũ Genuensium nomine, in quorum fidem Lucenses uenisse rumor erat, cum ualido exercitu mittit in Hetruriam, qui eam ciuitatem obsidioni eximeret, Florentinorum omnes infringeret conatus. Fuit Picinini subita irruptio aliquanto Sfortiana terribilior, quæ res fecit ut Veneti qui priore tumultu nullis sociorum precibus moueri potuerunt, ut ad arma respicerent, continuò per legatos cum Philippo egerint, ut quando satis constaret Picininũ non Ge-

Maclodium.

Philippi copiæ profligatur.

Fabrorum Mediolan. opera.

nuensium,sed ipsius merere stipendium,aut ab Hetruria abstineret, abduceretq; cum suo exercitu ducem, aut ita euenire pateretur ut Veneti Florētinos quos omni tēpore fidissimos socios habuissent,auxilijs iuuarēt : nam quod ad pacem attineret, seruaturos Venetos patrium morem,ut tādiu eā ratā haberent sancteq; custodirent, quoad sua sociorumq; salus patereť. Legati qui ad id missi sunt,nihil certi domum retulere,hinc fuit quòd nō statim est ad arma recursum,sed posteaquā renunciatū est Florētinorum copias ad Auserim fluuiū magno prælio uictas,cōstaretq; aliquot oppida in Volaterrano agro & Pisano ex Florentinis ab hoste capta, tum totius ordinis consensu decretum est id bellum, conatiq; sunt Veneti Sfortiam suo stipendio inautorare, qui post Lucensem expeditionem in Mirādulanis finibus se tenuerat,nec Florētini minori studio id facere, in quos ille ob paternam amicitiam multò erat propensior. Philippus tanti ducis alienationem ueritus, ut arctiore aliquo uinculo hominē sibi perpetuò adiungeret, unicæ filiæ illi matrimoniū defert, facit adhæc spem successionis si sine uirili stirpe uita decessisset. Et iam omnia ad bellum spectabant, quum Martinus pontifex suum diē obijt:huius urbana opera Vaticanę porticus restitutio quæ est ad Barionæ,pauimentum Lateranēsis basilicæ uermiculato opere,etsi ab alijs inchoatū,cōtignatio templi figuratioq; Gentilis manu pictoris ætate illa clarissimi, sed opus imperfectū reliquit. Foris schisma quod in plures annos exierat,non minori sapientia q̄ felicitate sustulit,nam post Benedicti in Panisçola obitum,quum ab eius assectatoribus Egidius canonicus Barchinonensis nouus antipontifex creatus esset,quem Clemētem octauum dixere,per Alphōsum regem renuit ut ille apostolico sit legato traditus, qui in potestatem redactus, ultrò se pontificatu abdicauit. Desijt Martinus pōtifex in humanis esse anno quàm sedere cœperat quarto decimo,in Constantiniana est basilica situs ad capita Apostolorum æneo sepulchro. Vixerunt cū eo uiri eruditione clari,Paulus Vergerius Iustinopolitanus. Mapheus Vegius Laudēsis autor carminis suo æuo illustris. Leonardus Iustinianꝰ alterius Leonardi ex filio nepos. Frāciscus Barbarus, Veneti ambo & Patricij sangui nis, Carolus Aretinus Caietanus Vicetię ortus,theologica sapientia philosophiæq; studijs insignis, in quo genere scitè multa & utiliter scripsit. Iacobus Forliuiensis,Ioānes Martianus, & Vgo Senēsis medicæ artis scientissimi,testantur studiorum monumenta quantus eorū quisq; fuerit. Lodouicus Pōtianus iurisscientiæ nomine claruit. Abbas Siculus Catāneæ ortus, Paulus Castrensis, hic Cæsarei, ille pontificij iuris omniū qui ea tempestate fuerūt longe principes. Fuit his equalis Sanctes Pisaurēsis qui medicinam exercuit auxitq; scriptu. Antonius Mediolanensis Minoritani nominis,homo theologica doctrina nō ignobilis,sed qui melius ingeniū exercere potuit, quàm ut Lactantij scripta sugillaret, & hi tum uiri fama celebres fuere Martini pontificis equales,quo defuncto Eugenius Venetus nominis huius quartus fit pontifex, Cōdelmaria ortus. Fuit annus quo is sacram est sedem adeptus millesimus, ac quadringentesimus Salutis, primusq; & trigesimus,quū in Turcis Amurates adhuc imperaret Mahometis pater,qui Byzantiū subegit, in Græcia Ioannes Paleologus, in Germania Sigismūdus cuius sæpius mentio facta est,in Gallia latè regnabat Carolus septimus, eius Caroli auus, qui nuper Italiam cum exercitu ingressus,quod suo sit posteà loco dicendum,ex Neapolitano regno iuniorem Alphonsum & filium expulit. Egit nouus pontifex confestim à sua creatione cum Philippo & Venetis ut armis quæ utrinque studio parabantur, abstinerent, uelle se utrorumque causam cognoscere, remq; ex æquo & bono componere. Potuisset Eugenij arbitrio pax instaurari, nisi Philippus cui pōtifex ob patriam ab initio suspectus fuit,illius arbitrium detrectasset. Cæterùm nehis quidem contentus,uicecomes auror Colūnēsib. fuit ut seditiose arma induerent,urbis statum turbarent, etsi non magis quæsita his causa uideri potest pontificis hostiliter uexandi, quàm aliunde oblata. Enimuero nouus pōtifex paucorum suasu Oddonem Pocium Martini pontificis proquæstorem eo consilio capi iussit,ut ex eo in potestatem redacto quæstione cognosceret, ubi uis illa auri esset quam Martinus pontifex coēgisse dicebatur, estq; id negocium Stephano Columnæ iniunctum, quem Eugenius quia à cætera Columnensium factione dissidebat, pōtificio præfecit exercitui, captus Oddo, cum multa indignitate ante oculos ciuitatis distractus est, eius que domus à Stephano directa. tulit eam antistitis iniuriam pontifex iniquo animo:cæterùm autor culpę Eugenij animum ratus ob eam rem à se alienatum, hanc nouādarum rerum ansam nactus,Pręneste secessit,hic apud principem Columniæ gentis uera falsis miscens,tanquam arcanorum pontificis conscius, tantam suspicionum congeriē effudit homini sua spōte infesto, atque hostilia cogitanti, ut confestim aduim & arma animum adiecerit, ceu manifestū exitium sibi & suis ab Eugenio impenderet, nec prius bellum ostēdit quàm per homines suæ factionis sit in urbem receptus. nec res improuisa fuit pontifici, quin ad uim arcendam paratus, Columnēsibus per Appiam portam ingressis, & iam in mediam urbē progressis, armatum obiecit agmen : certatum est aliquandiu dubio marte, multiq; interim hinc inde ferro occubuere, postremò Columnenses urbe eiecti hostiliter Romanum agrum prædātur, par iniuria ac nescio an aliquanto etiam maior cōtinuò illis in urbe repensa est:pontificia cohors militū urbanę multitudini immixta,Columnensiū principū ędes facto impetu diripuere, direptas hostilem in modum diruunt:captus est & Antonij Columnij filius Beneuentanus antistes, & cum eo Massius frater qui ex quæstione confessus est agitasse se animo de Adriani mole occupanda, tradendaq; Columnensibus, ut Eugenius & Vrsini, quos ille complexus fuerat in Columnensium inuidiam, urbe pellerentur. Massius sceleris conuictus sacerdotio priuatur, corpus eius sub furca quadrifariam dissectum celeberrimis uijs urbis Eugenij iussu pependit,tentata inde pax est inter pontificem & extorres principes : in qua sancienda eo magis est properatum, quòd iam constans fama erat Sigismundum imperatorem Italiam ingressum, Romam decreto petere. Sed dum hæc Romæ fiunt, diuersa Italiæ parte Veneti & socij bellum cum Philippo iterum cōflatum habebant,& procul Italia Thessalonice, quæ à Venetis in ora Macedoniæ tenebatur à Turcis capitur. sunt qui aliquanto prius quàm hęc fierēt eam urbem dicant Veneto ademptam, quòd alio est loco à nobis significatum. Amurathis, quod satis constat,auspicijs Thessalonice capta est,inde uelut scintillæ quædam emicuisse creduntur eius belli, quod Veneti postea plures annos cū Turcis gessere. Fuit hyems anni huius adeò glacialis, ut concreto circa Venetā urbem stagno Clodiā usq; pedibus iretur, & ex Menstra oppido curru sit sponsa Venetias aduecta,quod à cōdita urbe nunquā acciderat, & intē peries illius anni talis fuit. Cum Philippo instauratum est bellum quarto mēse ab Eugenij creatione, extiteruntq; circa Cremonā & Nouos Vrceos primi partium motus,sed in Hetruria aliquanto magis festinatum. Imminebant Florentini ut siquando maximè Lucensibus, uidebāturq; post cladem ad Auserim acceptā reparatis summa ope armis, maiore quàm antea conatu hostem fatigaturi, quū quinq; Genuen-

Bellum cū Philippo renouatur.

Viri illustres.

Eugenius IIII. pontifex.

Pontificis & Columnēsium discordia.

Massij supplicium.

Genuensium triremes cum duabus onerarijs ad bellum instructæ Ligurum insedere, est is locus magis opere quàm natura munitus,in Tyrrheno littore non procul ab Arni ostio. Circunferuntur Catonis nomine quædam uelut fragmenta ex illius originibus,ubi legere est Ligurum à Ligure Phaëtontis filio nomen olim adeptum, à quo Liguria est,atque aliquot ætates antè quàm Oenotrus in Italiam uenerit,cui opinioni ut cunctantius accedam, non una res facit. Enimuero scripta illa cuiuscunq; sunt, neque Romanum aliquid sonant,neque uetustum, sed recens & barbarum. Præterea ij qui de rebus Italiæ aliquid scripsere, neque nostrorum quisquam, neque Græcorum unde omnis lux literarum fluxit, eius rei meminerunt. Sed quum de præsenti Italiæ statu postremo Rapsodiæ loco habebitur sermo, quid de rota re sentiam monstrabitur, nūc quod ad Ligurni nomen pertinet,uideri potest uox ipsa non solum à Ligure ducta,ut scripta illa testantur,sed ab Arno fluuio qui haud procul inde Tyrrheno infunditur pelago. Florentini igitur ueriti ne ad Liguſticæ classis appulsum aliqua Pisanorum defectio oriretur,Pisas quas paucis antè annis suæ ditionis fecerant,ualido præsidio firmant. Non multo pòst Picininus in Pisanum agrū hostiliter irrumpit, qui post pugnam ad Auserim commissam, ad Fliscorum res circa Apenninum affligendas omnem molem belli uerterat,subegit ille paucis diebus quibus in Hetruriam redijt,omnia ferè Pisani agri oppida. Horrebant Florentini hunc hostium successum, cæterū ne Pisę quoque ab his proditione occuparentur, publico edicto imperant ut omnis urbana multitudo ā quintodecimo ad sexagesimum annum ex urbe momento temporis migraret. Transtulit inde bellum Picininus in Volaterranum agrum, fuitque recens hæc Picinini expeditio æque ac prior illa Florentinis calamitosa. Venissent Volaterræ in discrimen, nisi Michaël Attendulus ab Eugenio missus, Volaterranis maturè subuenisset, nec Aretini multo tutiore loco esse,quin & ipsi grauiter sunt ab eodem hoste uexati, estque Aretium propemodum à Florentinis proditione alienatum. In Cisalpina Gallia parum lætis initijs Veneti bellum inchoarant, nam & Carmaniola spem Soncianæ arcis proditione occupandæ temere secutus, à Sfortia & Tollentinate Philippi ducibus insidijs exceptus, ad mille & amplius amisit equites. Et Lodouicus Columna qui Cremonam præsidio obtinebat,Venetum equitatum prædandi studio late effusum aliquanto minoribus copijs adortus,fudit,fugauitque equitibus circiter trecentis ex hoste captis. Quidam ex his quos sequimur,cladis huius nihil meminerunt : Veneti etsi per hæc parum prospere ad bellum redierant,constanter tamen rem gerūt terra & aquis,fluuialem classem per aduersum Padum ui actam Cremonam admoueri iubent, erant in ea præter remiges dena milia bellatorum,& Carmaniola circa urbem bina fecit castra. Interea aut certè non multo prius, Tollentinas Philippo iratus quod Picininus & Franciscus Sfortia sibi haud dubiè præferrentur, hic in filiæ connubio,ille gratia & autoritate,in Flaminiam secesit. Hinc ab Eugenio accersitus, magnoque stipendio inautoratus,Columnensibus obsicitur. Ea res Philippo necessitatem imposuit Picinini ex Hetruria reuocandi, qui sub id tempus, quo Veneta castra sunt Cremonæ admota, Alberto Cunij in Hetruria relicto, ut bellum exequeretur,cum multo maxima copiarum parte in Cisalpinam transijt Galliam. Sed Cunius dux post Picinini digressum ad collem insidijs exceptus, ad mille & amplius equites amisit,nec sine perfidiæ infamia tanquam ipse ita euenire uoluisset, quam postea opinionem auxit eius ad Tuscum defectio. Post Picinini in Galliam reditum non minus arte quàm uiribus res ab hostibus geri cœpta est,terrestria certamina apertè gerebantur, sed nauale prælium occultè meditari Philippi duces. Struxerat is in Pado classem haud contemptibilem,sed multo Veneta inferiorem,præfeceratque nauali negotio Ioannem Grimaldum Genuensem uirum rei maritimæ scientia apud suos ea tempestate clarum : erat is circa Cremonam quum Venetus eò cum classe applicuit: audito itaque hostium appulsu confestim cataphractum militem ut inter duces conuenerat ex castris cum Picinino accersitum in naues distribuit ,cæteraque ad prælium necessaria celeriter comparat,ad hostem secundo fluuio deuehitur. Venetus ubi hostis appropinquare dictus est,confestim classem instruit,sese ad pugnam expedit. Mirari interea quid esset,quòd Ligur multo inferior tam ferociter pugnam capesseret, uerum ubi omnia ex aduerso micare armis uisa sunt, planeque apparuit cum terrestribus copijs & non naualibus prælium eo die futurum, continuò nuntios ad Carmaniolam mittit, qui eum docerent in quo discrimine res Veneta esset,conferuisse se manum non cum naualibus turmis,sed cum toto Philippi exercitu, adesset itaque sibi confestim auxilio,si rem saluam uellet esse. Excāduit ille,estq; palā Veneti præfecti imbelliā insectatus, quòd armorum insolentia somniaret quæ nuntiari iussisset. Cæterum siue non credidit, siue non credere simulauit,nec ipse etsi in proximo erat, accersitus affuit, nec quenquam misit qui laborantibus opem ferret. Est itaque atrox pugna utrinq; edita, dimicatumque ad noctem usque,quo prælio quatuor Veneti Galeones qui principes pugnam iniuerant, sunt capti. Hos per noctem Picininus instruxit recenti milite ex castris accersito. Postridie sub lucem iterum concursum, fuitque id prælium multo hesterno atrocius, ad bina hominum milia utrinque cæsa, sed Veneti ad postremum uicti, ex tam opulenta nuper classe quinque duntaxat naues euasere, cæteræ aut depressæ sunt aut captæ, & in his sena hominum milia:accessit ad tam insignem cladem Palauicinorum defectio, & quod Carmaniola suæ culpæ sibi conscius à gerendarum rerum cursu obstinatius destitit, ut patres pro magno negotio habuerint,uecordiam hominis per oratores ad id missos delinire,ueriti ne in aliquod maius facinus prolaberetur. Cæterum tantū abfuit,ut principis & patrum animi conciderint ad tam atrocem cladem,ut continuò nouam decreuerint classem ad Genuensium res infestandas, quorum arte & consilio magis quàm armis fuisset Veneta classis nuper profligata. Petrus Lauretanus cum duodeuiginti triremibus est ad bellum missus. Is omniū opinione celerius in orā inferi maris delatus, circa Ligurnum quinq; triremibus auxit classem,quas Florentini socij dedere. Iunxerūt se Veneto Iacobus Adurnus & Antonius Fliscus Genuensium extorres,estq; haud multo pòst in Rapallitano sinu pugnatū cum iiij. & xx. Liguſticis, quas agebat Petrus Spinula, fuitq; pugna utrinq; cruēta,sed Venetus egregiè uicit,octo triremibus cū præfecto classis, tribus cōsiliarijs & octo trierarchis ex hoste captis, quos Lauretanus Venetias misit, desiderati sunt octingēti ab utraq; parte, quatuor milia uulnerati. Post Rapallitanā pugnam quū Venetus oram superi maris peteret, supplementi causa circa urbem ueterem tantisper habuit classem,Eugenij pōtificis rogatu, quoad ille arcem recepit. Post Lauretani discessum quū Fliscus & Adurnus ex Pisis Florentiam peterent, in insidias præcipitati,quum obstinatius se tuerentur, ne uiui uenirent in hostium potestatem, ferro occubuerunt & in ora inferi maris hæc breui tempore gesta. In Gallia post naualem pugnam terrestris alia edita est. Ad Summam locum Cremonensis agri Pado propinquum totis partium uiribus dimicatum,

Catonis fragmenta.

Ligurnum.

Renouandi.

Nauale prælium atrox.

Nauale prælium ad Rapallum.

micatum, interfuitq́ue Philippus dux, ex Mediolano illuc progressus, ut suis ducibus ob naualem uictoriam gratularetur, nulla equitum turma, nullus peditum manipulus, non eò die pugnam conseruit, estq́ue id certamen in serum diei distractum, fortunaq́ue neutrò inclinante dirempta est pugna. Nec his locis gestum aliquid memoria dignum reliqua parte anni, nisi quod Cremona furto capta esset murorũ parte ac porta urbis una à militibus sub lucem insessa, si Carmaniola qui cum legione una non procul inde insidijs subsederat, suis auxiliũ tulisset. Cæterum Soncinianæ (ut credere par est) cladis memoria territus, sublato clamore ubi suos manum cum hoste conseruisse comperit, insidias ueritus mœnibus adequitare non est ausus. In inferi maris ora post Lauretani digressum Barnaba Adurnus ala una equitum à Montferratensibus accepta, omnem maritimam oram ad defectionem compulit, occurritq́ue eò Picininus, qui uictoriam adeptus, nullius crudelitatis exemplum in miseros accolas non exercuit, bello inde in Montferratensem uerso, paucis diebus castella circiter triginta cepit ex eius principatu. Chius insula quam Genuenses tenebant, est sub id tempus à Venetis oppugnata altera classe ad id structa, quam egit Andreas Mocenigus, perseueratum in obsidione mẽses duos & amplius, nec hostis præsidio & commeatu abundans capi potuit, insulam Venetus fœde populatus. Sequenti anno duæ aduersæ classes in apertum processere, Genuensium unius & uiginti nauium, trium & triginta Venetorum, hæc Lauretani, altera Petri Spinulæ ductu. Venetus celeri cursu oram inferi maris petijt, ut in hostium terra bellum occuparet, pari exemplo Ligur circa Corcyram conspectus, magnam patribus necessitatem imposuit insulæ ualidiore præsidio firmandæ. Picininus Montferratensium opibus bello afflictis, Cremonam reuersus Turriculum & Bordelanum paucis diebus cepit, quæ res eò fuit suspectior Venetis, quo minus procul erat Carmaniola cum copijs, tum demum eius fides iactari cœpta est in senatu, de eo uariæ sententiæ fuere. Erant qui censerent eum in potestatem redigendum afficiendumq́ue supplicio, distracta disceptatio hæc in octauum mensem, tanto totius ordinis silentio, ut ne minima quidem suspicio aut coniectura ad Carmaniolam peruenerit, quum multi alioq ex eo ordine cõiuncti illi essent hospitio & familiaritate, ac quidam etiam rei domesticę inopia laborarent, qui eiusmodi indicio quantumuis magnũ auri pondus illi exprimere potuissent, prodito curiæ secreto. Demum Venetias accersitus, acceptusq́ue multa comitate ab ijs qui officij gratia fuerant uenienti obuiam missi, in curiam perducitur, hinc subiectus quæstioni, literisq́ue & domesticis testibus perfidiæ conuictus, publicè est securi percussus. Vrgebat interea hostis res Venetas uictoriam secutus, quam Carmaniola adhuc uiuo inchoauerat, omniaq́ue Brixiam usque partim ui, partim uoluntaria deditione à Venetis Picininus alienasset, nisi peropportunè in pontis oppugnatione qua Ollium erat copias traiecturus, graue accepisset uulnus. Ea res fecit ut Montferratensis principis Venetias appulsus minus tristis fuerit ciuitati. Is enim rebus suis accisis, ut est suprà memoratum, per Taurinos in Germaniam transijt: hinc diuersa parte Alpium in Italiam reuersus, ad Venetos confugit belli socios, ubi tam munifice est cultus publica indulgentia, ut neque patriæ, neque amissi principatus (ut ipse prædicare solebat) ullum sentiret desiderium. Senescebant hostium successus in Gallia indies magis post Picinini uulnus, quum in Hetruria interim res eorum essent parum lætæ. De his priusquam dicam, Romæ quæ gesta sunt post Columnenses ex urbe pulsos breuiter dicenda. Egit cũ Ioanna regina Eugenius suas opes confirmaturus, ut se auxilijs iuuaret domestico bello implicitum, uenit primo ala una equitum auxiliaris, secutus est nec multo pòst Iacobus Caudola pontificis stipendio inautoratus, huius opera res Columnensiũ sunt adeò afflictæ, ut cum his breui tempore debellari potuerit, si Caudola in fide permansisset, iam pontificis castra erant Genetiano admota, quum ille pontificem destituit, Columnensium secutus stipendiũ. Attulit ea defectio non mediocrem Eugenio consternationem, fuissetq́ue breui res Columnensium restituta, nisi peropportune Nicolaus Tollentinas à pontifice (ut diximus) inautoratus esset. Fuit is posteaquam à Philippo discessit, nonnihil in Flaminia, unde ad bellum accersitus, breui fregit omnes Caudolæ conatus, eratq́ue res pontificis superior, & Columnensibus manifestum imminebat exitiũ, quum ijs pacem reddidit Eugenius pacis & otij cupidus, & quia leges dabat hostibus non accipiebat. Sunt hæc sex ferè mensium spatio à noui pontificis creatione circa urbem gesta, per quæ Salernitanus princeps Columnensium potentissimus, & in quẽ præcipuè bellatum est, nobilissimas urbium arces restituit Romanæ ecclesiæ, Narniæ, Ortæ, Suriani, Gualdi, Nuceriæ, Assisij, Asculi, Imolæ, Forliuij, Fori Popilij, ad extremum ne Salernum quidem tenuit. Sed dum hæc circa urbem geruntur, quia Florentini Michaëli Attendulo uiro acerrimo decreuerant suarum copiarum imperium, Nicolaus cognomento Stella, Michaëlis æmulus, commeatu ab his impetrato, in Vmbriam cum suis copijs transijt. Hic Typhernum oppugnare adortus, quod tum Guido Vrbinas obtinebat, tandiu in ea obsidione perseuerauit, quoad Eugenius illum stipendio inautorauit: nam Tollentinas post pacem Columnensibus redditam, quum Esium & Tudertum, quę urbes stipendij nomine sibi debebantur, ab Eugenio non impetrasset, nouis rebus studere creditus est. Cæterum à Florentinis accersitus in Hetruriam pacatus abijt. Bracchianus dux in Iacobum Vicanum præfectum urbis immittitur ab Eugenio, ea belli causa prætensa est, quod Vicanus quandiu cum Columnensibus bellatum esset, nunquam destitisset Romanum agrum infestare, nec multum deinceps quieturus uideretur. Aderat Stellæ duci Recanatensis antistes patria Cornetanus Vitellia domo, uir supra personam quam gerebat feroci ingenio. Capta sunt paucis diebus aliquot ex hoste loca, mox Vetralla in uia Cassia laboriose capitur. Inde ad urbem ueterẽ admota sunt castra, tenuit tandiu obsidio illa quoad Venetæ classis interuentu, ut suprà est significatum, præfectus qui in arce erat, metu perculsus deditionem fecit, quatuor aureorum milibus ab Eugenio acceptis, cum tota supellectile & familia incolumis Senas dimissus est. Nec multo postquam hæc ita gesta sunt, Malatestę Pisaurenses pontificis armis sunt in Flaminia exagitati: per idem tempus Nicolaus Stella pontificis stipendium emeritus, ex Vetralla profectus Typhernum per homines suæ factionis occupat, arces ui multa oppugnat, quæ Guidonis Vrbinatis tenebantur præsidio. In Hetruria eodem tempore Tollentinatis & Attenduli ductu Florentinorum res Picinino absente, multo prosperius q̃ antea administrata est, locis plerisq; quæ hostis occupauerat, quũ circa Pisas, tum alibi receptis: pugnata est deinceps ad montẽ Topulum memorabilis pugna, ubi ad mille amplius equites sunt ex Philippi exercitu capti. Erat tunc Lucæ Sigismundus Cæsar Vngariæ & Boëmiæ rex, magnis Philippi pollicitationibus Italiam ingressus, is Mediolani ferrea corona de more donatus, septem ferè menses circa Parmam Placentiamq́ue commoratus est, Philippi congressum & exercitum ab eo promissum opperiens, ex Parma Philippi suasu Lucam proficiscitur, Florẽtia

Carmaniola securi subijcitur.

Pax pontificis & Columnensium.

Nicolaus Stella.

Quid Sigismundus Cæsar in Italia.

tia omissa, quò si itum esset, uereri Philippus ne hospitali iure Sigismundus Florentinis aliquid gratifi caretur. Euagabantur post Topulanam pugnam licentiosius, ut fit, ob rem prosperè gestam Florentinorum duces, in quos sexcenti circiter equites Pannonici generis & ex Lucensibus quidam, ferocissimo procursu inuecti, in castra trepide compulerũt, munitionem inde transgressi ingentem tumultum excitere: hic Attendulus dux claua percussus à quodam Pannonum uiro statura corporis & uiribus insigni, concidisset haud dubie ad ualidissimum hostis ictum, nisi galea eum texisset, nec Italus eam distulit ultionem, sed hostem in uestigio transfixũ ad terram deijcit, fusi deinde fugatiq́; sunt hostes, aliquot etiam fortibus uiris in fuga amissis, nec prius hi fugiendi finem fecere quàm in Lucæ conspectũ uentum est. Concessit inde Senas Sigismundus Romam continuò petiturus, ni Eugenij edicto iussus esset ab urbe abstinere. Senis itaq; substitit, estq́; interim de concordia actum, crebris legationibus ab utroq; ad alterum missis. Platina autor est sex mensibus quibus Sigismũdus Senis fuit, de nulla re magis actum quàm de pace cum Florentinis iungenda. Cæterum quoniam res frustra cum Tusco agitata est, pontifici Sigismundus conciliatus, eius permissu Romam proficiscitur, uenientem Eugenius perhumanè accepit, ornauitq́; diademate imperij, anno humanę salutis millesimo quadringentesimo trigesimo secundo. Nec imperator diu postea fuit in Italia, factus uoti compos per Picentes & Flaminiam, Ferrariam decreto petijt, fuit & Mantuæ nõnihil, hinc digressus in Germaniã reuersus est, tam Philippo infensus quàm amicus uenerat, nec magis euitatus cõgressus, aut quia quæ Philippus de exercitu pollicitus fuerat, non præstitisset, Sigismundi animum immutarunt, quàm Eugenij æstus Florentinis gratificari cupientis. Erat per id tempus Laureranus in ora inferi maris, quò ab eo cum classe festinatum, loco non multum diuerso est significatũ, nec ulla interim memorabilis gesta res est. Sigestani ex Genuensibus nonnihil sunt obsidione fatigati, est & Clauarẽsis ager incursatus, sed modica hinc præda abducta, in Sigestana oppugnatione pleriq; uiri fortes sunt ex Venetis interfecti. Nec sua Liguri expeditio multo prosperior fuit, qui circa Siciliã tempestate iactatus, tris longas amisit naues. In Cisalpina Gallia res aliquanto lætiores Venetis fuere, aliquot locis in Cremonensi agro captis Gonzagæ principis ductu, cui post Carmaniolæ mortẽ Veneti decreuerant omnium copiarum imperiũ, estq́; interim de pace nonnihil agitatum: sed dum de ea re Ferrariæ agitur, Georgius Cornelius qui rebus in Cremonensi gerendis Gonziaco affuit, eo domum decedente, appetebat enim hybernorum tempus, in Camonica ualle, cum Daniele Victurio nouo legato iunctus, Transabduanos hostes inuasit, fuitq́; ea expeditio magis Veneto quàm hostibus terribilis locorum difficultate, tenuit inde Cornelius Tellinam uallem trium milium hominũ præsidio, hæc loca Picininus tumultuose adortus, quem Gibellinæ factionis uiri occulte accersuerant, haud mediocrem cladem adijt. Venetus præsenti successu ferocior factus, etsi militum numero multo inferior, cũ hoste manum conseruit, eratq́; iam acre prælium initum, quum subita accolarum defectione destituta obruitur, præter trecẽtos equites qui eruptione per hostes facta in aduersos saltus fuga abierũt, omnes præsidiarij in hostium potestatẽ uenere, uenit & Cornelius legatus cũ pleriſq; armorũ ducibus: est & circa Padũ interea nihilo melius res Veneto administrata, Casalinis & Brixellanis à fide alienatis. Foscarus princeps & patres Tellina dede nuntiata, Gonzagã principẽ iubent eò occurrere. Retraxit is loca omnia ad imperiũ quæ post cladẽ in Tellinis acceptã ad hostes defecerant, necita multo pòst cũ Philippo bellari desitũ est Nicolai Estensis opera, in qua pace sancienda omnia ex Veneti nominis et sociorũ sententia cõuenerant. Philippus Glareana terra cessit Veneto, & res Montferratensi & socijs redditæ sunt, sed quũ cætera rectè cõuenirent, Georgij Cornelij restitutio habuit aliquãdiu ciuitatẽ suspẽsam, erantq́; Veneti pacẽ pro infecta habituri, nisi uir patritij generis ciuitatiq́; gratissimus ex fœdere redderetur: obstabat res una nouæ paci, ut quibus sancita erat cõditionibus teneret, quũ à Philippo legati ad id missi Venetias uenere, iureiurando affirmantes Cornelium priusquã ex fœdere dimittendus esset, fato decessisse. Mirũ est quod de constantia uiri huius fama acepimus, diu multũq́; ab irato hoste excruciatũ, nequiuisse tamẽ subigi ut secreta curię detegeret. Cęterũ post aliquot annos quũ pro mortuo haberetur, postliminio domũ reuersus est. Fuit inde pax cũ Philippo iiij. annis, etsi anceps mutuisq́; suspicionibus plena, Philippo Eugeniũ clam primo, mox hostiliter oppugnante, Venetis contrà, & quia pontifex esset & Venetus, summa ope nitẽtibus, ut illum in sua dignitate retineret: est itaq; in urbe & foris bello exagitatus, semperq́; Vicecomitis astu. Enimuero Sforzia dux exautoramenti specie à Philippo dimissus, cum binis milibus equitũ, magnoq́; peditũ numero in Flaminiam transijt, tanq̃ inde per Picenũ in Apuliã abiturus, ut in ea terra ab Alphonsi regis iniuria tueretur ea quæ Sforziæ patri reginę permissu cesserant oppida. Cæterum Picenum ingressus, quicquid urbium, arcium, oppidorum, eius prouincię finibus contineret, & quia pacata omnia, & sine præsidio, præter pauca numero loca, partim ui, partim uoluntate decẽ dierũ spatio subegit: sed nihil æque ualuit ad prouinciã alienandam, ac Basilienſis cõuentus literæ à Philippo confictæ ac passim recitatæ, coiuerat iam concilium ex Martini pontificis instituto, declarabat diploma illud cõmentitium, Philippũ Vicecomitẽ Basilienſis concilij ducem, uicariumq́; in Italia Rom. ecclesiæ, quibus uerbis pontifex in ordinẽ redigebatur. In tam subita rerum mutatione, Reçanatensis antistes qui tũc propõtifex prouinciã administrabat, nihil à Sforzia uiolatus, tandiu quieuit, donec sacrorũ causa, quia Sforzia uisurus esset Deiparæ ædẽ uirginis quæ in Laureto est, cõquisitis undiq; sacris uestibus, ut magnificentissimo cæremoniarũ apparatu & clero excipereẽ, noctu naui ad tẽpus parata cũ multa pretiosa ueste, aliisq; sacrorũ instrumentis Venetias nauigauit, uoluit Sforzia uideri à Philippo alienatus, q̃ Picininus esset sibi prælatus. Nec ille æmulatione accensus, quieuit in tam insperato Sforziæ successu, quin & ipse cum ualido equitatu ad oẽs Sforziæ conatus infringendos ex Gallia proficiscẽr, adeò infesto inter se animo duo clarissimi ea tẽpestate duces fuere, nisi Philippi rechna est factũ, ut simulatio illa odij fuerit, nõ uerũ odiũ, ut per ea quę fierent, ipsius arma latius tota Italia uagarenẽ alieno ductu, quũ & amborũ ducũ consilia ex uno fonte manare uiderenẽ, sed uera fuit, ut plures existimãt, illorũ simultas. Natura enim nihil sine pari esse uoluit: fuerunt illi ut corpore, ita ingenio inter se diuersi, nam præterq̃ quod militaris glorię uterq; fuit cupidus, Picinino pusilla erat statura, sed quo inferior corpore, eò animi magnitudine & ferocia præstãtior, uerborũ parcus, sententiarũ & ponderũ fœcundus, militibus indulgẽs, in amicos & hospites munificus, hostis durus & inexorabilis, dimicãdi cupidus, quietis impatiẽs, prõptus in periculis ac imperterritus, ex occasione prę-liũ inibat, præuenire hostiũ cõsilia incredibili celeritate, eoq́; leuis armaturę equite magis q̃ pedite utebat, fortes & duros milites plus nimio amauit, nullis hostiũ copijs deterritus est unq̃, & ille qdẽ talis fuit, Cõtrà Sforzia, procero & emineti corpe, honesta facie,

Pax Venetorũ & Philippi.

Franciscus Sforzia Piceni occupat.

Francisci Sforziæ & Picinini comparatio

facie, lętis oculis, latus ab humeris, patẽti pectore, p A cætera ad pedes usq; æqualis & compactus, insigni caluitie, facundus in dicẽdo & copiosus, acri & ipse ingenio, magnarumque rerum cupidus, in gerendis rebus solers, laboreinfatigabilis, omnem occasionẽ sagaciter præuidere, in capiendo hoste uafer, in prẽueniendo solers, raro nisi ex destinato conflixit, hostem sæpius assidendo quàm certando fregit, gaudere frequenti peditatu, hoc genere militiæ uires ostentare, auro & argento milites excolere, in exequendis consilijs celer, in omni re gerenda præsentia animi, laborum tolerantia, usu, exercitatione, cõ silio instructus: has in ambobus uirtutes æqua lance expendentibus tempestate illa hominibus, diu multumque dubitatum uter alteri esset præferendus. Cæterum fugato Picinini exercitu, magnisque deinceps rebus gestis, nouissimeq; Mediolano potitus Sfortia multo maior apparuit. Æmulatio igitur & odium quod à primo tyrocinio sub duobus inimicis ducibus imbiberant, ut alio est loco significatum, adeò diuersos in duobus illis affixit affectus, ut ne in eodem quidem commilitio idem unquam senserint, horreretq; uterque alterius successum, ut dirum sibi & exitialem. His Picininus stimulis agitatus, cum mille lectis equitibus ex Gallia, ut alio est loco proditum, profectus in Hetruriam transijt tanquam aliud curaturus. Sunt in Senensi agro balnea saluberrima, hæc quò minus res suspecta esset, se petere aiebat, huc progressus per literas & nuntios agit cum Stella duce ut secum conferat castra, communique consilio bellum gerant in pontificem & Sfortiam. Erat Stella Bracchianæ factionis, ut suprà est demonstratum, tenebatque per id tempus aliquot circa urbem loca, unde Columnensiũ fauore fretus, res pontificis ex proximo infestabat, eratque per hæc interim circa urbem laboratũ, dimicatũq; interdum uario euentu, pecus ingens ex oculis ciui B tatis in prædam abactum, Tybur frustra oppugnatum, inde bello repetitum atq; proditum Stellæ duci, quo tempore multa & uaria sæuitiæ exempla edita sunt in ea urbe, plerique mortales odio partiũ

Cataracta Tyburtina.

uiui in cataractam Tyburtinam ex ponte qui illi imminet, in abruptum præcipitati, quo nullum atrocius spectaculum fœdiusque potuit excogitari: uidere fuit corpora adhuc uiuentium abrupto barathro cum flumine absorpta, inde in tartaro aquarũ uiolentia rotata, in tormenti speciem ex eminenti & abrupta rupe præcipiti aquarum eiaculatione cõ torta, uoragine excipi profundissima. Nulla est sæuientis Scyllæ Charybdis ue tam monstrosa facies, quæ huic monstro comparari possit. Tenuit Tybur Stella dux, tenuit & Assisium, utrãque urbem proditione adeptus, & ne non ubiq; res ecclesiæ ruerent, Pisaurum ad Malatestas defecit. Eratque his Eugenius difficultatibus implicitus, quũ Franciscus Sfortia Picenum agrum eo quo diximus euentu inuasit, qui prouinciam adeptus ad primos Picinini motus in Vmbriam transijt, ubi Tuderto cum plerisq; alijs haud ignobilibus locis subita ui recepto, Tiberim traijcit, copijsq; in Hetruriam traiectis, tumultuose in Vetulonensi agro (nunc Viterbiensis est) castra fecit, sedebat tum Picininus ad Falisc um montem, tenebatur is locus Bracchianorum præsidio, quod eò magis crediderim à Sfortia maturatum, ne ille cum Stella duce, qui eò occursurus dicebatur, conferre posset castra. Iuuabant Viterbienses Sfortianos cõmeatu, impenseque sunt ipsum ducẽ hortati ad pontificis partes tuendas, quod ille sua sponte facturus uidebatur, ne Bracchianæ opes plus nimio inualescerent: sunt qui scribant inter hæc Falisc um montem à Sfortia oppugnatum, ac multa Hetruriæ loca partim ui partim metu subacta. Interea Eugenius

Eugenius ex urbe pellitur.

Bracchianis armis urgentibus, Columnensiumque factione adnitente, quum iam tota ciuitas ad aper- tam defectionem spectaret, ex urbe secundo Tyberi, inter infesta tela ex utraque ripa iecta, piratica scapha Hostiam deuehitur, inde dextra Hetruria Tyrrhenum legens, Pisarum portum primò subijt, hinc Florentiam petijt. Eugenio pulso, Stella dux sui compos uoti factus, in Sfortiam omnẽ belli impetum uertit, contulitque haud multo pòst cum Picinino castra inter Viterbium & Rispanpanum. Admouit eò copias Sfortia dimicandi studio, enimuero inuictum ductabat exercitum, erantque iam conflicturæ acies, quum Vrbanus Dortonensis à Philippo missus, ducibus superuenit, huius tempestiua adhortatio, Philippique absentis autoritas, non solum tela ex utrorumque manibus excusit, sed ad inducias etiam inter se pacisc endas compulit. Quidam pacem inter eos iunctam prodidere, atque his conditionibus, ut Picininus cum suo equitatu in Galliam abiret, Sfortiæ liceret quà placitum esset copias circumagere. Cæterum nec eam pacem tenuisse, sed bello in Sabinis reparato, à Bracchianis circa Vtriculum & Mallianum aliquoties dimicatum, actum demum recentium à Philippo legatorum interuentu pacem instauratam, Picininoq; datum ut in Cisalpinam Galliam, unde uenerat, exercitum reduceret: & iam in Flaminiam uentum erat, quũ circa Forum Cornelij Picininus in apertum belli discrimen incidit. Sanxerant nouum inter se fœdus Eugenius Veneti & Florentini, contraxerantq; ingentẽ exercitum ut Bononiam quę Cannetulis autoribus ab Eugenio defecerat, ad Romanæ ecclesiæ obsequium traherent, erant in eo exercitu aliquot duces clari nominis, paruo quodam successu elati, & quia militum numero præstarent, temere cum Bracchianis congressi, fusi fugatiq; ad tria milia equitum a- *Attende Picinini victoria.*

misere, mille peditum, & quod plus admirationis q̃ fidei habeat ad posteros, quatuor duntaxat eo prælio interfecti sunt, triginta uulnerati, capti primores ducum Tollentinas, Thadeus Estensis, & Paulus Vrsinus. Creduntur sociorum duces uoluisse Picininũ auertere à Bononię accessu. Constans fama erat Philippum in Eugenij inuidiam Bononiensibus fauere: & Romanus pontifex cum socijs huiusmodi tũ cladem adijt. Nullus pontificum maiorem rerũ perturbationem perpessus est unquã quàm Eugenius, qui præterquam quòd urbe pulsus est, & quod omnia quæ Romanæ ecclesiæ fuerant Bracchianorum armis aut Sfortianorum tenerentur, uehementer etiam erat anxius de Basiliensis concilij euentu, ad quod accersitus ire pertinaciter recusauit. Picininus secundum pugnam illam à se tam strenuè pugnatã, Francisco filio cum ala una equitum in agro Bononiensi relicto, ipse cum cætero equitatu, & spolijs ex hoste captis, ad Philippum quò iter intenderat, ire perseueraui t. Percrebuit opinio filium à Picinino relictum, ut Marsilio Carrario continuò opẽ ferret, si Patauio fuisset ille potitus, fuerat is Francisci illius filius, qui trigesimo antè anno principatu excid erat à Venetis bello uictus, hunc ex Pannonia accersitum Philippus tandiu penes se occultum habuit, quoad ex Patauinis quosdam magnis pollicitationibus perpulit, ut Marsilio urbem proderent, pecunias, arma, & omnia ad urbem tuendam pollicitus, & iam Marsilius negotiatorio habitu, paucis comitatus, in Vicetinos processerat, hic demũ agnitus, cum his qui eius lateri hærebant, captus est, Venetiasq; perductus, cognita reditus causa, cum duobus Philippi amicis, qui dati fuerãt illi comires, securi subijcitur, & in proditionis conscios publicè animaduersum. Sub id tempus, aut certe non multo pòst quàm hæc ita acta sunt, Picininus cum florentissimo equitatu in Flaminiam reuertitur. Constituit Eugenius Franciscum Sfortiam suarum copiarum imperatorem (rederat enim cum eo pontifex in gratiam) his conditionibus ut totius Piceni nominis

minis ille principatum haberet, quoad uiueret, imperiumq; obtineret in omnis Romanæ ecclesię copias, mererետq; annua stipẽdia trium milium equitum, mille peditum, & iam ex Vmbria fuerat accersitus, quum repentè allatum est Alphonsum regem circa Caietã nauali prælio à Genuensibus superatũ, saptumq; in prelio cum duobus fratribus, Ioãne rege & Henrico infante: sic enim regũ filij in Hispania prius quàm regnent appellari consueuerunt, trecẽti adhæc uiri illustres cum regibus dicebantur in hostium potestatem redacti. Is nuncius fecit ut pax cũ Philippo, de qua cœptũ erat per legatos agi, perducta sit ad exitum, prius quàm ille de tã inclyta suorũ uictoria resciuisset. Cæterùm quando ad res Neapolitani regni sua spõte deflexit stilus, paulò altius repetenda est gestarum rerum series, quibus sit motibus in eo laboratum pòst Ioannę iunioris mortem, quæ in eum annũ incidit, quo Eugenius est ex urbe Roma pulsus, in Piratico nauigio, ut est suprà memoratũ, monastico habitu inter dẽsa tela ab utraq; ripa immissa (nam ciuitatem in id erectã fallere nõ potuit) sub clypeo iacens ad mare deuectus est secundo fluuio: hinc in Hetruriam profectus, circa dimidium ætatis Florentiam adijt, hyeme quæ proxime secuta est regina diem obijt, quũ iam Romani ad pontificis obsequiũ redijssent, quinto pòst mense q̃ eo electo, Capitolioq; occupato, asseruerant sese in libertatẽ. Ioanna humanis defuncta, confestim Neapolitani Renato Lodouici, quẽ Ioanna adoptauerat, fratri, ille enim eodem anno, quo & regina fatali consumptus morte est, & regis appellationẽ, & summam rerum omnium deferut, ceu moriẽs regina id testamento mãdasset. Traxit machinatio hæc testamentaria illico regnum in duas partes, accersitur Alphõsus rex ex Sicilia à primoribus regni, erãt qui regem eum se probaturos dicerent, quẽ Romanus pontifex legeret. Affuit confestim Alphonsus, B tenuitq; primo insulam Neapoli proximam, in Sinuessinos inde transgressus arma comparat. Magni deinde motus secuti, magnoq; partium conatu bellum reparatũ, quoad Caieta sit terra & mari cœpta ab Alphõso oppugnari. Sed dum suas opes firmat, in Flaminia bellum instauratur: nam quũ circa Assisiũ Stella dux Sfortianis premeretur armis, essetq; his longè impar, iubet Picininus Franciscum filium eo occurrere cum ala una equitum, auxiliumq; Brachianis laborãtibus ferre. Accinxit se ferox iuuenis ad eam expeditionem, eratq; iã ex Flaminia moturus, ubi à patre fuerat relictus, quum Sigismundus Malatesta uir acer, & qui tum põtificis stipendium merebat, Forliuiensem agrũ incursauit. Amicæ ciuitatis periculo motus Picininus iuuenis, huc subitò aduolat, Forliuiẽsibus suppetias laturus, nam res eò uenerat, ut non procul abessent à legitima obsidione, superuenit inde Picininus pater, cũ quatuor milibus lectorum equitum, ac peditũ numero minime contemptili, Bracchianis in Vmbria laborãtibus opem laturus. Sfortia pontificis & sociorũ literis fatigatus, in Flaminiam cũ exercitu uenit, sed quum uiribus esset Picininus inferior, locorum opportunitate fretus, hostem tandiu sustinuit, quoad pax de qua pòst dicã, sit inter partes secuta: sed quãdiu id bellum tenuit, haud uno est loco dimicatum, primo ad Sapim fluuiũ, qui in Apẽnino ortus Adrię infunditur, pugnatum est infra Cæsenam, qua fluuius lapideo ponte iungitur: secuta & alia leuiora prælia, & per alterius partis occasionem conserta, nusquam enim totis uiribus descẽsum est in aciem, fuerũtq; certamina illa Sfortianis ferè prospera. Sed quàm hic ex sententia res cesit, tam in Vmbria infeliciter bellatum, ubi apud Falcum montem Leo Sfortiæ frater, improuiso Stellæ ducis accessu, cum magno in castris equitatu opprimitur, ad quẽ Bracchianorum successum tanta animorum mutatio fa

Eugenius & socij cum Philippo pacem sanciunt.

A cta est, ut satis constaret breui omnia in Vmbria & Piceno Bracchianis cessura, nisi pax cum Philippo non multò pòst secuta esset, quam audita Alphonsi clade, maiore quodam studio à põtifice & socijs acceleratã, suprà ostẽdimus, ut prius sanciretur quàm hostis de suorum ad Caietam uictoria resciuerit. Pacis illius conditiones hoc habuerunt, ut Philippus Eugenium pontificem, ceu patrem, Christianæque pietatis principem coleret, restitueretq; ecclesiæ Forũ Cornelij, ut Veneti copias & sua præsidia ex Bononiensi agro & tota Flaminia deducerent, ea loca quib. decessum est reciperet Eugenius, Vicecomes suos duces & exercitum ex Flaminia reuocaret. Est præterea in fœdere diserte scriptũ, ne Philippus res ecclesiæ per se aut aliũ uiolaret, ne in Apuliæ regno quicquam armis occuparet, nec ultrò deditum reciperet, an Stella dux paci includeretur, quia magnopere festinatũ est, decerni nõ potuit. Idcirco omnis de ea re disceptatio in aliud est tempus dilata.

ENNEADIS X. LIBER III.

NAVALIS pugnę nũcius, qui ad hostes aliquanto prius quàm ad Philippũ delatus est, & pontifici & socijs acceleratæ pacis, ut dixi, æquoribusq; conditionibus impetrandę fuit causa. Auxerat quod ad Caietanã pugnã attinet, suas opes Alphõsus adeò insigniter, ut iam Caietam terra & mari obsidione fatigaret, tuebantur eam urbẽ Genuenses, qui peregrina nauigatione reuersi cum preciosa merce à prima obsidione portu intercluſi in urbem se & sua recepe rant, quanquam Philippo autore, qui Renati partibus fauebat, Genuensium pleriq; quum adhuc bellum esset Caietam uenerant ut urbem cum ciuibus tuerentur. Habebat Aragonius naues tectas undeuiginti, undecim triremes, biremem unam, quarum partem ipse multò maximam instruxerat, reliquũ classis fratres ex Hispania adduxerant. Nauarrę rex unus & duo infantes, quorum Hẽricus Gallacianæ erat ædis magister. Genuẽses suorum ciuiũ & mercium, quæ cum his erant periculo commoti (satis enim constabat Alphonsum, & qui cum Alphonso erant, non minus Genuensium rebus quàm Caietanis imminere) reputantes adhæc animo nihil in re bellica ę què ualere ac celeritatem, classe subitò in altum educta Caietam intendunt cursum, omnia extrema malunt pati quàm suos in aperto discrimine deserere. Habuit Ligustica classis naues duodecim tectas, Liburnicam unam, tres triremes, biremem unam exploratoriam. Erant Genuenses & nauium numero & bellico apparatu lõgè inferiores, rei maritimæ scientia & usu bellandi haud dubiè præstabant. Tentata res est ut pacatè qui in urbe erãt cum mercibus incolumes dimitterentur. Cęterùm quia id teneri non potuit, iam Ligur de processu cogitabat, quum uisa est regia classis plenis uelis in prælium ruere, cõfestim & ipse sese pugnæ expedit: cõfligitur ab utrisque ferociter. Naues regiæ quæ ualidissimæ erant uiris & armis optimè instructę, ante alias pugnam capessunt, inter Pontiam insulã & Caietam ex aduerso classes cõflixere, iniectisq; ma- *Caietana pugna naualis.*

nicis ferreis atrox prælium conseritur, tres Genuẽsium pugnam detrectare uisæ sunt, cæterùm in altum euectæ ubi modico circumactu eò uenere, ut iam uentum à tergo haberent, tum plenis retro uelis in Aragonium conuersæ, quum alias quasdã ex primoribus, tum regiam nauim ex qua Alphonsus & plerique cum eo uiri illustres dimicabant, tã ualidè quatiunt ut Magnania (id enim nomen fuit nauiqua Alphonsus uehebatur) in latus deiecta parũ abesset quin fluctibus obrueretur, procedẽte tamẽ

nihilo segnius pugna. Acceſsit inde aliud diſcrimẽ, quòd Ligur uiuæ calcis deiectu rerum omniũ conſpectum hoſtibus ademit, quę dimicationis ſpecies eo moleſtior terribiliorq; Aragonijs uiſa eſt, quo minus erant talibus artibus aſſueti, iam & tragulis ex aduerſo coniectis obruebantur, qui in regia naui erant. hic Alphonſus ancipiti periculo motus pacem alta uoce poſtulat, quo ab hoſtibus recepto, fratres qui pari diſcrimine tenebantur, & ipſi deditionem faciunt, primoribus itaq; nauium captis cæteræ fuga diſſipantur. Captus eſt Alphõſus rex, & cum eo duo eius fratres, Nauarræ rex & Hericus infans, Ioannes Antonius Vrſinus princeps Tarentinus, Antonius Martianus dux Sinueſſanus, trecentiq; alij illuſtres uiri. cæſi ſunt ex regia claſſe ſexcenti numero, ex Liguſtica cẽtum & quinquaginta. Petrus infans & Antonius Columna Salernitanus princeps, ubi rem perditam uidere, funiculo in ſcapham delapſi & in proximam triremem recepti, fuga euaſerunt: qui in Aragonijs caſtris erant, ſuorũ caſu perculſi, ſoluta obſidione, p uictis dilabuntur. Et ad Caietã tã memorabili eſt euẽtu dimicatũ anno Salutis milleſimo quadringenteſimoquinto & trigeſimo. Capti reges ad Philippũ p ducti ſunt, quos ille nõ ut hoſtes, ſed ut reges & holpires penes ſe habuit, poſtremò ampliſſimis munerib. donatos incolumes dimiſit, rarũ clementię exẽplum in hoſte, atq; omni æuo memorabile. Cęterùm uix tãtus fauor eſt Philippo cõciliatus ex ea re apud cęteras gẽtes, q̃ atrox à Genuẽſibus odium, ubi prępotentẽ hoſtẽ tantoq; periculo à ſe uictum, dimiſſum audiuere, nec dolorem ſuum diu nobiliſsima ciuitas texit, quin occaſionẽ huiuſmodi amplexa, à Vicecomite defecit. ſed de Genuæ defectione alius poſtea erit ſermo. Fuit Philippus Vicecomes (ut pauca hic de eius moribꝰ dicã) munificus, acri, callidoq; ingenio, in puniẽdo facilis, difficilis in audiẽdo, ſed q in alloquio mitis & placidus, cultus corporis & omnium elegãtiarũ negligens, uenãdi ſtudioſus, omnis impatiẽs quietis, imperandi plus nimio cupidus, quo ſtudio euectus exercuit omnes Italiæ opes, necipſe minus eſt exercitus, ex occaſione bellum paci, pacẽ bello prẽuertere, ſimulandi egregius artifex ac diſſimulãdi: in milites indulgentior q̃ in ciues, raro in publicum prodire, delatoribus adeò addictus, ut amicorũ fidiſſimos temerè à ſe uel leui ſuſpicione alienauerit, nihil minus libens audire q̃ ſi de morte ſermo incidiſſet, expauere æquè fulgura ac tonitrua, tabifica lue infectos urbe expulit, eorum domibus incẽdio cõſumptis: in nullo principum laſciuius luſit fortuna, puero principatũ ademit, reſtituit adoleſcenti, adultum & robuſtum exercuit, Genuam ſubegit, duos reges clariſsimosq; principes captiuos habuit, cum Venetis & Florentinis uariè bellauit, ſępius tamen uictor quàm uictus. Suitenſes genus hominũ ferociſsimum domuit, Forliuium, Bononiã, Forum Cornelij ſuis opibus adiunxit, adiũctas Romanę eccleſiæ reſtituit. Sigiſmundum Cæſarẽ Mediolani ſedẽtem, ut inde Romam peteret, uidere noluit, aut certè non eſt auſus: Eugenium pontificẽ non ſolũ exercuit, ſed autor etiã fuit ut ex urbe eijceretur: & hæc alieno ductu. Ipſe ceu magiſter nauis gubernaculo hærens, eorum quæ foris agenda eſſent domi cõſul tare: & fortuna per hæc illi ſatis indulſit. Cæterùm ut mutabilis & inconſtans fauorem primò uariare cœpit: inde diuerſarum partium facta aliò inclinauit ex matreq; nouerca facta eſt. Genua ab eo defecit, ipſe luminibus captus, foris uictus, armis hoſtiũ aures circũſtrepentibus languore & tędio cõfectus mortem obijt, Alphõſo rege hoſte quondã ſuo, hærede relicto: ſed hæc aliquanto poſtea. Per id autem tempus quo in Flaminia & Hetruria eſt bellũ ſolutum, Stella dux Sfortianis ad Falcum montẽ fugatis, Falcenſes tãdiu obſidionę fatigauit, quoad prętorẽ quẽ ipſe daret accepturos ſe polliciti ſunt, recẽtem pacem aſpernatus, ad quam Philippi literis inuitabatur, habet itaq; in Vmbria delectum q̃ accuratiſsimè poteſt, inde per Apennini cõpendia ducẽs in Camertes ſubita ui irrupit, Picenorũ intima petiturus, Camertium loca quędam ui capit, capta diripit, Florium mõtẽ obſidione cingit. Hic à Sfortianis circũuentus, caſtris exutus, dum ſuos fuga diſſe ctos reuocat in prelium, tueturq; obiectu corporis, cũ toto equo præcipitatus in pedes ſe celeriter ſtatuit, hoſtemq; ferro hauſit à tergo imminẽtem, nec impunè ipſe ab eodẽ grauiter uulneratus concidit, nec ab Alexandro Sfortia qui ſuperuenit, alijs q; dum cum etſi benignè appellatus, adduci potuit ut duabus horis quibus ſuperuixit uictorem hoſtem ſpectare uoluerit, aut alloqui. Nec Sfortiani in tã præclara ſibi uictoria defuerũt, ſed diſpalatum hoſtem perſecuti, adeptumq; in Apennini anguſtijs, alia ui alios opprimunt. Camertium caſtella breui recepta ſunt. Penetrauerunt inde Sfortiana arma Itali Forliuliani, & Alexandri Sfortię ductu in Vmbriam, rediuerunt q; confeſtim Falcenſes & Tiphernates ad pontificis obſequium. Audito Stellæ ducis interitu, huius filius Carolus Aſiſium præſidio obtinebat, is à Sfortianis bello petitus, Perufinorum conſilio Florentiam miſit ad Eugenium, qui cum eo de urbis deditione ageret. Per id tempus Vitellius antiſtes pontificis ductor exercitus, Vetrallam in uia Caſsia aliquandiu obſidione fatigatam ad deditionem compulit, deditus eſt & Iacobus Vicanus, qui poſt deditionem priore bello factam rebellauerat, eſtq; ob eam rem extremo ſupplicio affectus. Et Carolus Stellæ ducis filius, cum hæc in uia Caſsia fiũt, Florentiam ad Eugenium profectus, Aſiſioq; deſtituto, ſe & uetera nos partis pontificiæ tradidit fidei. Horum lectiſsimum quenq; Vitellius antiſtes, qui poſt Vetrallam receptam Florentiam, ſe ad pontificem contulit, ſtipendio inautorauit. Vrſinus & Dulcis Anguilarius, poſt Iacobi Vicani necem, relicto Vitellij imperio (horrebant, credo, trucem hominis naturam, infeſtamq; principibus) Tyberi circa Hoſtiam, cum copijs tranſmiſſo, ad Alphõſum regẽ trãſiuere, & ut eſt fortunæ flatus, ſemper tenax in alteruram partem, ſub id tempus quo Vetralla recepta eſt, Tiphernum & Aſiſium in Vmbria ex Stellæ ducis interitu, Bononia in Æmylia ad pontificis obſequium redijt, & Guido Vrbinas omnia loca reſtituit, quæ in Tiphernati aduerſus Stellæ ducis finita arma ſuo defenderat præſidio. Blandiente itaq; rerum ſucceſſu, ad res Siculi regni animum adiecit, decernit eam prouinciam Vitellio Alexandrino antiſtiti. Conſedit Vitellius cum exercitu ad Burgum ſepulchri, armis id oppidum uindicaturus à Puppij comite, ſi alia non daretur uia. Sederlocus in ſupremo Apennini iugo. Cęterùm quãquam anni hyems eſſet, perſeueratum tamen eſt in obſidione, poſtremò Burgenſes feſsi, deditionem fecere. Defecerunt interea Pratum uetus, & Vallis bona à Puppio ad Florentinos: receptã ſunt præterea Vitellij ductu Cornelienſium loca à Guidone Menfredo, & à Feltrio comite, Pergula & Mũdauij principatus oppida quędam. Rediit inde in fidem quicquid ea temporum nouitate fuerat à pontifice alienatum, præter Campaniæ urbes & maritimæ oræ oppida. Iniungitur itaque negocium Vitellio, ut ea quoq; reciperentur, quæ nondũ in fidem redierant, ſed omnium maximè curare iuſſus eſt, totiſq; Romanæ eccleſię uiribus anniti, ut Neapolitanum pacaret regnum. Eratque tunc hic rerum ſtatus alibi, quum Genua repentè à Philippo defecit, quæ clades adeò Vicecomitis animum fregit, ut iam inde magis obnoxiè uixerit quàm antea ſuperbè & contumelioſe. Defectionis cauſa ex eo eſt Genuẽſibus quæſita, quòd Alphonſum regem & captiuos Philippus

Alphonſius rex capitur.

Alphõſus cum ſuis dimittitur

Philippi mores.

Philippi mors

Nicolai Fort. exitus.

Vnde orta diſſen.

lippus dimiſiſſet. Oderat igitur infenſe Catalaunicum nomen, cum qua gente capitale odium illi intercedebat. Frãciſcus Spinula, quem Lauretanus ad Rapallium nauali prælio cepit, fuit defectionis autor. Monitus is quum Venetijs eſſet, indignè facere Genuẽſes, qui nulli Italiæ populorum geſtarum rerum gloria cederent, quòd tam humiliter inſolẽtiſſimi tyranni ferrẽt iugum, quàm humillima quæq; ciuitas ad ſeruitutem nata, quin irent, & quãdo non turpe ſolum, ſed miſerum quoq; eſſet tyrannorum libidini ſeruire, in priſtinam ſe libertatẽ uindicaret, ad quam tuendam non Venetorũ auxilia, non Florentinorum eſſent defutura, quod quum Philippi odio utriq; libenter facturi eſſent, tum quia æquum & pulchrum ducerent ubiq; libertatem à liberis ciuitatib. defendi. His Spinula impulſus ſtimulis audaciter polliceri ſe patriæ libertatis aſſertorem, ſi aliquãdo poſtliminio in eam reſtitutus eſſet, idem & cęteri nobiles, qui cum eo capti fuerant, conſtanter deſpondere. Tentata primò res per Blaſium quendam Aſeratum, qui ex Venetijs eſt domum miſſus, captiuorum ſpecie redimendorũ, ut cũ principibus ciuitatis occultè in colloquiũ ueniret, animosq; ciuiũ periclitaretur. Cæterùm ſiue res non credita ſit, ſiue nimis temerè mota, quum ab his ad quos mandata habebat, pro uano reijceretur, ad Philippũ Aſaretanus negociũ detulit, omnis itaq; criminis inuidia in Spinulã uerſa eſt, hinc certè fuit, ut poſtquã eſt Ligur à ſuis redemptus, quia ſe Philippo ſuſpectum ſciebat, Caietã ſponte ſeceſſerit. Sunt qui ſcribant à Philippo prefidij ſpecie eò ablegatum. Cęterùm quoquo modo contigit eum Caietæ eſſe, quia proſperè eſt res ibi à Ligure geſta, uelut ſatis ſuperque ſuam Philippo fidem probaſſet in nobiliſsima urbe tuenda, poſt nauale illam pugnam memorabilem, qua Alphõſus captus eſt, domum reuertitur, tum ita reſtitutus quũ parũ ſibi tutus uideretur ab Opicino præfecto urbis homine ſæuiſsimo, quem ſciebat ſuo capiti imminere, preſidio ſeptus in urbe commorari, inde ubi indicio comperit, foris quoq; in ſe arma comparari, periculo motus, non parũ ido neam defectionis anſam nactus, autor ſuis ciuibus extitit ſeſe in libertatẽ uindicandi, ad quod facinus ut ſuorum animos cõmodius impelleret, ita inter eos, quibus res tanta ab initio credita eſt, uerba feciſſe dicitur. Mirum uobis uideri poſsit, Ciues fortiſsimi, quid ſit quòd quũ de Philippi ducis potentia optimè meritus ſim (ueſtro enim cõſilio & opera fretus ei dominatũ urbis huius, quod fari liceat, detuli, Italiæ & cæterarum gẽtium ſum aſtruere conatus) nunc eò uenerim, ut poſt exilium ſponte ſuſceptum, poſt ignominioſam Caietæ latebrã, domũ reuerſus à crudeliſsimo Opicino exagitatus, unus omnium maxime ad pœnam & ſupplicii depoſcar, ut aut diro ſatelliti ſit omnino ſanguis dandus, aut uita ui & armis ab iniuria uindicãda. Is carnifex ueſtrius quàm præfectus huic urbi datus, aſſuetus ciuiũ ſupplicijs, ut immanis quędam belua, iam & noſtrũ ſitire cœpit ſanguinem. Sed cur hæc memini quum Philippi ducis inconſtantia in amicos omnibus nota ſit, ingratitudo in induſtrios & fidos, o diũ in bonos? nullis hominũ plus tribuit quàm exoletis, nullis magis credit quàm delatoribus, quibus uſqueadeò eſt addictus, ut ex primoribus amicis quoſdam temerè afflixerit, alios atroci calũnia deterritos ex amiciſsimis ſibi fecerit inimicos: ſic Carmaniola uir fortiſsimꝰ, hoſtis ex duce fideliſsimo factus eſt. Sic Sfortia etſi gener dictus, ſic Tollentinas ab eo alienatus, ſic innumeri alij, quos omni tempore tã ſtrenuos quàm fidos fuit expertus, aut iniuria ab eo affecti ſunt, aut miſerabiliter afflicti. Cęterùm ne non ſemper ſuis ſit infeſtus, Blaſij Aſareti hominis perditiſsimi calumniam, leuem quidem, ſed mihi perniciоſam, ſecutus, me, neſcias magis ſtultè an ingratè,

ſpinule ora. to ad ſuos.

A nam & perpetuum ſtudium meũ & fides ſatis omnibus perſpecta eſt, ex amiciſsimo hoſtem iudicauit, in exilium egit acerbũ & luctuoſum, in quo nõ tã Caieta ab Aragonijs armis defenſa mihi ſolatio fuit, quàm triſtitiæ & dolori, quòd in meam unius inuidiam Aſaretum, hominem ſordidum, obſcuroque loco natum ad claſsis præfecturam euexit, ad quem unum Philippus trahit omnem partæ uictoriæ gloriam, non Genuenſium apparatum celebrat Philippus, non laborem, impenſam, non uirtutem in prælio, ſed Aſareti nomẽ in eius ore eſt, hunc Caietani miris laudibus extollunt, principis ſtudium ſecuti, fuiſſentq; inter deos relaturi, niſi Vicecomitis nouiſſent ingenium, qui ne in amicis quidẽ ſucceſſum ferre poſsit. Fuit id mihi pergraue & moleſtum, alebam tamen nõ paruam ſpem melioris fortunæ, uidebar enim mihi ſatis probaſſe meam Philippo fidem Caieta in grauiſsima obſidione defenſa, ſed tãtum abfuit, ut ille in me ſit pacatior factus, ut in patriã reuerſus, coactus ſim ab illius magiſtratu haud aliter quàm ab immaniſsimo hoſte ſalutẽ meam armis tueri. Sed uos ciues fortiſsimi, quouſque tandem ſuperbiſsimi Philippi dominatum laturi eſtis? quãdiu urbem clariſsimam, rerum geſtarum gloria florentẽ, patiemini ſub tyranni pedibus iacere, turpiterq; ſeruire? an ea cõditione Genua eſt Philippo adiuncta, ut populus terra mariq; uictor, qui fama ſui nominis impleuit orbem terrarum, nõ ſolum ſua libertate exueretur, ſed turpiſsimo etiã cuiq; ſeruiret? Et enim ut alia diſsimulẽ, quo animo ferendum eſt illud, quòd quadringẽti ciues alij alia calumnia, & in his nobiliſsimi quidam, cæterũ omnes crudeliter & iniuſtè ſunt Philippi iuſſu interfecti? Nobilitatis principes in exilium acti, ſordidi & obſcuri homines ſoli ad dignitatem euehũtur. Sed quid magis ſeruile, quid turpius uidere aut audire, patiue potuimus, magis q̃ alienum à ciuitatis huius dignitate, & ueteri gloria, q̃ q, Philippus nobiliſsimam uictoriã noſtro ſanguine & uirtute partã, ſibi uſurariã fecit? duos reges, totq; inſignes uiros uno prelio captos, tanquã non libera ciuitas, ſed ſeruilis quædam manus id opus peregiſſet, è noſtris manibus extorſit, Mediolanumq; perductos, nõ ſolum liberos, ſed magnis etiam muneribus donatos à ſe dimiſit, nõ publicas Genuenſium inimicitias cum ea gente reputans, non pericula, quę noſtræ ciuitati in poſterum ab regibus ipſis imminebũt tali ignominia affectis: quin credibile eſt uoluiſſe Philippũ captos hoſtes ob eam rem incolumes eſſe, non tam ut Italiæ imperium, de quo ſemper cogitauit, per eos ſibi aſtrueret, q̃ ut his intuãtibus, imò hortantibus, Genuę libertatem, ſi quid adhuc ex ea ſupereſt, funditus tolleret: & nunc quia præſentem contumeliã paulò liberius doluimꝰ, quid aliud arbitramini Philippum cogitare, quàm ut ſtatum ciuitatis huius ita frãgat, debilitet, affligat, ut ne ſuſpirare quidẽ poſthac, non modò reclamare audeat quiſquã ad ea quę per ſcelus & libidinem in hanc miſeram ciuitatẽ paB traturus eſt? Nam quid per Deum ſibi uult longior hæc regum cunctatio ad portum Veneris? quid ſubitus turmarum acceſſus ad hæc loca? quid claſsis ex Sicilia accerſita? imminet, mihi credite, imminet huic urbi exitium, niſi fæuiſsimi tyranni conatibus eatur obuiã. Sed quid uos uiri fortiſsimi in tã aperto patriæ diſcrimine facturi ſitis parum compertũ habeo. Ego, quod patrię & ciuibus omnib. beneuetat, certus ſum armis libertatem à tyranno repetere, patriamq; in antiquum ſtatũ reſtituere, ad quod pulchrum facinus non deerunt nobis, quum aliarũ gentium, tum Venetorum Florẽtinorumq; auxilia, qui uel Philippi odio, uel quia pulchrum ducunt libertatem ubiq; tueri, præſto erunt nobis ſubſidio. Sunt & principum ciuitatis nobis ſtudia conciliata, & in primis Thomæ Fregoſij, cũ quo nuper in gra-

Deceratio. tiam redijt. Ite uiri fortes, & si publica libertas, si ciuium, si uestra, si coniugum liberorumq; uestrorum salus uobis curæ est, turpissimæ seruitutis iugum è patriæ ceruicibus excutite, tyrāni dominatum tollite, Opicinum carnificem cum suo præsidio subita ui opprimite, oppressum laniate, uictoria haud dubiè nostra est, si ad primum clamorem consensus & clamor ciuium sequetur, quo si proditi & destituti simus, honesta mors potius experenda est, quàm turpis uita in posterum agenda. Et Spinula suos huiusmodi oratione hortatus: postridie. (nam Philippi arma non procul abesse dicebantur) clamore ex composito sublato ad arma conclamatum, ciues libertatis nomine audito consternati arma capiunt.

Opicini cædes Occurrit eò Opicinus tumultū sedaturus, qui pluribus uulneribus in uestigio confossus est, eius cadauer seminudum, lacerumq; in publico iacuit cœno & sanguine coopertum, & Genua per hūc modum

Genua à Philippo deficit. in pristinam libertatē restituitur, anno Salutis millesimo quadringentesimo quinto & trigesimo. Sauona & omnis ora littoralis, ubi quid in urbe actū esset, est foris uulgatū, confestim Philippi magistratus & præsidia eijciunt, eiectis in libertatē sese uindicant. Affuit nec multò pòst Picininus cum uiginti milibus promiscuè militum & euocatorum. Cæterū sub eius accessum Genuenses ultima ui cōnixi, arcem expugnāt, qua amissa Picininus omni spe recipiendæ urbis abiecta, in occiduam oram littoralē flexit: belli impetum, estq; Albingaunum obsidione tentatum, nec inde quicquam gestum his locis memoria dignum. Per id tempus Neapolitani Isabellam Renati regis, qui in Burgundia custodiebatur, cum duobus filijs ex Massilia accersitam, in urbem accepere. Cæterùm Alphōso rege & fratribus à Philippo dimissis, cōtinuò bellū multò atrocius q̄ antea toto regno exarsit, Tarentino principe & cæteris ducibus partium domū reuersis, armaq; studio B reparantibus, & Caietani audita Regum incolumitate, sub primum Petri infantis appulsum, qui ex Sicilia cum classe portum Veneris petebat, ut inde fratres à Philippo dimissos in regnū deportaret, futurum arbitrantes ut Philippus & Genuēses Philippi nomine eam deditionem uehemēter probaturi essent: nam de Genuæ defectione nondum auditum erat, aut certè nō adhuc defecerat. Aragonium præsidium intra urbem accepere. Fuit Alphonsus nonnihil circa portum Veneris, ut Picinini conatus magis terrificos faceret hostibus, quippe qui gratificari cupiebat Philippo, in tam recēti merito. Cæterùm, quia parum prosperè bellum gerebatur, ex Liguria

Caieta Alphōso deditur. Caietam adnauigauit. Florētini interea Genuenses frumento & auxilijs iuuant, nihil fœdus nuper ictū ueriti, quando id Philippus antea uiolasset. Siquidē Philippus, fœdere cum Alphonso rege icto, Neapolitani se regni miscuerat rebus, quod ne fieret, cautū erat in conditionibus nouę pacis. Interea Frāciscus Sfortia, diuersa Italiæ parte, Forliuienses obsidione fatigat, ac prælio demū uictos, & intra mœnia coniectos ad deditionem compulit. Vrbs Antonio à ciuibus eiecto pontifici dedita est, dein & Luganij ad Romanæ ecclesiæ obsequium retracti, quorum reguli finitimorum res uariè inquietabant, estque res gesta Baltasaris Offidani, & Pauli Vrsini ductu: eratq; per hæc tota Flaminia ab Eugenio recepta ac pacata, quū Offidanus, qui ob Adriani molem Romæ seruatam multum gratia & autoritate ualebat apud pontificem, obtinebat iam Bononiam præsidio, cupidus Piceni agri ad ecclesiā retrahendi, Frāciscо Sfortię capitaliter insidiatus est, parum abfuit quin totius prouincię ocium unius hominis temeritas euerterit: concesserat Sfortia pòst Forliuiū receptū in Bononiensem agrum cum sua legione pōtificis iussa expectaturus, feceratq; castra ad Peletranum, distat locus octo circiter passuum milia à Bononia. Fecerat & Offidanus castra haud procul inde, cum his copijs quibus nuper usus fuerat ad Lugum subigendum, habuitq; persuasum ab initio, ut Sfortia interfecto cōtinuò eius copias profligaret, si quid pòst cædem ducis mouere ausæ essent. Negocium patrandę cædis creditum erat duobus, qui ex proxima turri eum incautū sagitis transfigerent, processitq; eò Offidani temeritas, ut cum pontifice egerit, uti Picinini operam (erat tum is in Parmensi cum exercitu) sibi usuariam in breue tempus posceret à Philippo, & iā peracta re Picininus accersebatur, quum de his quæ parabantur indiciū ad Sfortiam defertur. Tum ille rei indignitate periculoque commotus, Offidani copias facto impetu disipat, autorem sceleris muliebri uestę ex latebra extractū & ad se perductum, quæstioni subijcit, rem totam ex anquisitione cognoscit: laniasset hominem scelеris conuictum Sfortia ira accensus, nisi Hermolaus Donatus, uir patricij sanguinis, superuenisset, qui tū oratoris munere fungebatur apud Eugeniū, cuius autoritas à iusta ultione ducem sæuientem reuocauit. Nulli dubium fuit, quin ob indignam Antonij Bentiuoli mortem, quem non multò prius Offidanus indicta causa securi percusserat, fuerit Bononia à pontifice defectura, si copias eò Sfortia admouisset, sed nec ipse iustæ iræ indulsit, ac ne in posterum ex residua ira moturus crederetur, Hermolai hortatu pacato agmine in Picenum concessit: & hæc alibi. In Liguriæ ora, prę terquam quòd Genuenses aperrè inuabantur, à Florentinis frumēto & auxilijs Alphonsi præsidium eiectum est ex arce, quæ est ad portum Veneris, quem locum, ut apud quosdam legere est, Philippus habendū dederat regi. ea res maiores adhuc motus conciuit, bellumq; quod Eugenij hortatu fuerat nuper sopitum, confestim latius exarsit: Picininus huc cum suis copijs missus, ubi natura loci firmior uisa est, quàm ut oppugnādo & assidendo breui expugnari posset, impetu inde auersus Sarzanam occupat, capitur eodem procursū Castrum nouum. Sunt & alia quædam ignobilia loca interim ui subacta, ad mare expositа. Inuasit inde Hetruriam, Macra superato, quum omnibus fœderibus cautum esset, ut is fluuius utriusq; foret imperij terminus. Confinio itaq; belli pacisq; transenso, hostis Lucam decreto petijt, Lucēses inuitos ad bellum reuocat, sanxerant hi haud multò prius pacem cum Florentinis. Scio fuisse ea tempestate, qui

Picinini gesta in ora Hetruriæ. crederent Picininum à Lucensibus accersitum, sed quocunq; impulsu Hetruriā ille inuadere est ausus, prætextus renouati belli fuit Picinino, quòd Genuenses posteaquā à Philippo defecissent, frumento & armis adiuti essent à Florentinis. Affecisset itaque subita uis belli eo atrocius rem Tuscā, quo minus fuerat eiusmodi clades præuisa, nisi spe Genuę recipiendæ cōfestim retrò ferox hostis abijsset. Sub Picinini digressum Sfortia, qui Eugenij stipendium merebat, cū copijs affuit, ad id accersitus, ut Florentinorum rebus auxilio esset. Recepit primum omnium Sfortia quicquid in Pisano agro nuper hostis occuparat, hinc Lucam admouet castra. Picininus spe Genuæ per seditionem recipiendæ: frustratus in Parmensem agrum concesit, supplementi causa commeatusq; inde petendi, sed dum hic omnia segnius illi dantur, Lucēses grauissimo bello fatigati, haud multum aberant à deditione facienda, conatusq; est Picininus illis laborātibus opem ferre, sed res parū feliciter tentata, quum Apennini angustiæ Sfortianis armis tenerentur. Nec Veneti renouato bello quieuere, sed Sfortia Hetruscum bellū gerente, quia eius opera uti nequibāt, Frāciscо Gonzagæ omnim copiarum imperium aduersus Philippū deferunt. Sub id tempus Romanus pontifex Florētia profectus Bononiam petijt consilio, ut postea compertū est, loci alicuius in ea urbe ualidius firmandi, ut

ut Bononiensium motus, uelut fræno aliquo cohiberētur, estq; id opus ad portam, cui nomen est Galeræ, inchoatum, sed tāta ciuitatis indignatione, ut

Bentiuoli supplicium. ex ea re non minus quàm Bentiuoli indigno suppliciо, quem Offidanus inaudita causa securi percusserat, oblata sit Bononiensibus nouę defectionis materia, sed res quia nondum matura esset, nō temerè in apertum erupit. Erat Eugenius adhuc Bononiæ, cum Ioannes Paleologus Græciæ imperator, cum Iosepho Constantinopolitano antistite, Demetrio Peloponnensi principe, Alexandrinæ, Antiochenę, Hierosolymitanæ ecclesiæ procuratoribus, cū Trapezūtijs legatis, Hiberum, Mysiorum, & illustribus plurium gētium antistitibus, Venetias appulere, ad Eugeniū inde ituri, ut solenni conuentu, qui postea celebratus est, de ecclesiarum cōcordia ageretur, ut oriētalis ecclesia, quæ Græcorum est, cum occidua, quæ Romana dicitur, in cunctis iam inde conueniret. Fuerat id negocium per legatos morū Martino pontifice adhuc sedente. Tentauit Basiliense concilium (adhuc enim tenebat) Paleologū magnis pollicitationibus allectum ad se trahere, ut res Basileæ inchoata maioris esset pōderis, paratæq; fuerāt naues in Narbonēsi Gallia apud Massiliā, eo nomine, quæ eū ex Græcia deportarent, sed Eugenij autoritatē maluit ille sequi: Veneti qui eius cōcordiæ erāt cupidissimi naues egregiè structas dedere, quibus

Paleologi imperatoris in Italiam accessus. Congressus pōtificis & Paleologi. Paleologus est in Italiā aduectus, Fosc arus princeps eum uenientem honorificētissimè excepit. Ex Venetijs Ferrariam imperator processit, quò pōtifex ex Bononia se contulerat. Fuit tātorum principum cōgressus, quum Ferrariensibus ipsis, tum Nicolao eorū principi, qui eos hospitio excepit, famæ & celebritati. Hic de summa Christianæ fidei celebri cōuentu agitatur, tenuitq; rei disceptatio aliquandiu, estq; interea magnum nomen eruditionis adeptus Hugo Senensis, medicę, ut Pius pontifex scribit, ar- B tis professor, cui Grecorū nemo sit par repertus facundia & disceptandi acumine. Cæterùm cōcilium Ferrariæ inchoatum, Florentiæ est ad exitum perductū, ex Eugenij sententia: exijt disputatio illa in plures menses. Sed dum hæc alibi geruntur, Romę tumultuatū est, Pōticell⁹ uir Romani sanguinis, cuius impulsu ciues à pontifice defecerant, portam urbis qua Prenestе itur, ex improuiso occupat, custodib. deceptis, affuit ex cōposito Antonius Pisanus, cuius opes haud quidem tenues erant in parte Latij, quæ nunc Campania est. Pisani milites in prædā dilapsi extrema loca urbis rapina & incēdio fœdant. Ciues subita re perculsi arma capiunt, à finitimis opem imprimorant, multi confestim auxilio uenere, & in his Auersus Anguillarię comes, cū cohorte una. Ad cuius accessum Antoniani urbe pulsi sunt. Superuenit Vitellius Alexādrinus antistes, qui pōtificias ductabat copias. Is ex Hetruria profectus, cū in Vmbria paululum tributi exigendi causa subsedisset, Reate diuerterat, ubi per idem tempus seditione erat nōnihil laboratum. Cepit Vitellius pòst suum ad urbem

Gesta Vitellij antistitis in Campania. accessum aliquot finitimorum principum loca, qui nihil obscurè fauebant Pisani conatibus, capta hostiliter diripuit, nec ita multò pòst Pisani res bello adortus, primò Setiam illi ademit, Priuernates inde uastato eorum agro ad ueniam petēdam compulit: & iam de pace agebatur, quum hostis dictus est appropinquare, confestim itaq; prælium initum, ubi comminus uētum est, Pisanus collem occupat, qui campis imminebat, eo cōsilio, ut pugnam inserum diei traheret, noctuq; Amaseno amne superato, qui interfluebat, in urbem præsidium immitteret. Sensit consilium hostis Vitellius, prælium q; leuiter initum iubet totis uiribus instaurari, obiecto Antonianis omnium copiarum robore, fuitq; deinceps pugna atrox, ad postremum pōtificius miles totis uiribus cōnixus, hostem ex tumulo, quem ceperat, ui deturbat, simulq; per decliuia mōtis præcipitē agit, multi quidem cęsi sunt, sed plures omnino capti, & in his Pisanus dux, & caput malorum omniū, quę Vitellius duplici laqueo necauit, ut ignominiosius periret. Fuit Pisanus uir alioqui non uulgari doctrina, optimis moribus instructus, & ob id tā tristi exitu indignus, si meliore in pontificiam sedem animo fuisset. Petitus inde bello est à Vitellio Laurentius Columna, qui Pisani impulsu aliquandiu Romanū agrum infestauerat, estq; primum omnium castellū cognomento Nouum, Stephano Laurentij fratri ademptum, inde Prenestе oppugnari cœptum, etsi opera & natura ualidè munitū: tulerunt Prenestini aliquādiu obsidionem, cæterùm aquæ penuria domiti deditionem fecere. Sæuitū est nihilo secius in urbem ultrò deditam, quam uictor Vitellius funditus diruit, oppidanis uelut in coloniam iussis Romam migrare. Prenestе capto & euersо, transtulit *Vitellij gesta.* aliò bellum Vitellius antistes, Franciscum Picinini filium & Ricium Monclarensem, ex Aquila Furconensium urbe clarissima eijcit, quam Aragonū prę sidio pressam tenebant. Franciscū inde persecutus, ex Amatrice quo se receperat, eijcit, eiectū in Montem Regium compulit, circūstans ager hostiliter uastatus est, oppidū situs difficultate omitti placuit. Pecunia ingens Aquilanis imperata ad alendū exercitum, acerbeq; exacta, bellum inde in Materios comites translatum, captumq; ex illorum principatū Coruarium, direptum & incensum. Inde in Marsos trāsijt Vitellius cum exercitu, Adriamq; ui captam pari clade affecit. Adrianorum excidio territi Aquinates, qui & ipsi Ricio parebant, ad pontificiū ducē deficiunt, Arpinates & ipsi imperata se facturos pollicentur, promota sunt inde castra Casinatem usq; saltū, multiq; persuasum habuere potuisse Alphonsum facilè cogi, ut regnum relinqueret, si animis ad defectionem inclinatis, uictoria uoluisset Vitellius uti. Cæterùm nulla maiore causa adactus ex Casinati repentè profectus Romam reuertitur. Fuerunt qui crederent non tam non potuisse eam prouinciā iam profligatu facilem obire, quàm noluisse, Renatoq; uictoriam inuidisse, cuius rebus fauebat apertè Eugenius: sed quæcunq; illi causa fuit uictoriæ interpolandæ, sub uernum tempus sequentis anni cū exercitu ab Roma profectus Pōtianum Ptolemæo Sublacensi ademit: Ciperetо dein frustra oppugnato, Lirim ponte superat, in Casinati dein castra fecit. Hic militi edictum, ut in decem dies cibaria sibi comparet, signumq; profectionis expectet. Hinc digressus dux pontificius ad Venafrum cōsedit, locus expugnari nō potuit Aragonijs armis aliquātо antea initus. Ad Aliphas inde itū, deditoq; ab Aliphanis oppido, in Campanū agrum processit, Vulturnoq; traiecto ad Acerras admouit castra, ex Acerris sexcentis septus equitibus Neapolim ingressus est. Excepit illum uenientē Isabella Renati uxor regali apparatu, triduoq; de summa belli cū eo locuta est, sed quum parum ambobus conueniret, Neapoli digressus in castra redijt, nec ita multò pòst, composito agmine Capuam adequitauit, factaq; hostibus dimicandi copia, ubi Alphonsum, & qui cum eo erat, prælio abstinere uidit, motis repentè castris, Auersam decreto petijt, hic Caudolani se Vitellianis iunxere, estq; mox paulò Sarculum expugnatū. Conati sunt interea hostes commeatum Vitellio intercludere uia quæ ducit ex Sarculo Beneuentum castris proximo loco positis, utrinq; uiam insident, ab una parte Tarentinus princeps circa Sabanum amnem, cum mille & quingētis equitibus, peditibus ferè dimidio minus, consedit: ex aduerso Ricius Monclarensis ad Toclium, aliquanto maiore copiarum robore. Missi sunt de industria Calones Beneuentum cum modico præsidio, subsidiariæ copię inde secutæ. Tarentinus hostis Calones circa Beneuentum

adortus,præsidio leuiter fuso, quum prædam agere cœpisset,subito exceptus prælio à subsidiarijs fusus fugatusq; est,ac parte peditum multò maximo exutus,ex equitibus pauci admodū capti sunt. Contulit inde Vitellius hoc successu elatus, cum hostibus castra, estque breui pòst in pugnam descēsum,fuitque prælium ab initio cruentum,cæterùm dum Tarētinus princeps fortiter pugnam ciet,in uinearum angustias coniectus, cum toto equo præcipitatur, quo casu afflictus capitur. Gabriel Vrsinus principis frater, eius casu territus, quia uictor hostis post captum ducem castris imminebat, cū magna equitum parte, decumana castrorum porta in pacatum refugit. Fuit Vitellius antistes in Tarentinum principem multò mitior quàm in hostes esse consuesset, habuitq; tam comiter penes se, ut Iacobus Caudola, qui grauissimas cum eo exercebat inimicitias, Vitellio iratus,seorsum castra fecerit, uocatus que à pontificio duce ad colloquium adire noluerit. Tarentinus sub conditione dimissus est, ut instaurato exercitu pontificis partes sequeretur. Extulit Eugenij animum suarum rerum in Italia successus, ascripsitq; supremo antistitum ordini Vitellium, cuius ductu res tam prosperè gerebantur,ac tum demum Basilienſis conuētus decreta est palàm aspernari ausus. Fuerat id concilium ex ueteri Martini pontificis instituto initum, ad quod Eugenius uocatus, quia parēre noluisset, dignus iudicatus est cui pontificatus abrogaretur. Amadeus dux Allobrogum (sic olim dicti, qui nūc circa Rhodanum Sabaudiēses dicuntur) Pontificatus spe adipiscēdi, Basileam accerſitus cum duobus filijs eò profectus est, uixerat is annos circiter quadraginta in florentissimo principatu,subijt inde tędium rerum humanarum, institutique eremiticam uitam, sumpsit & pallium eremiticum, per quæ magnum erat nomen sanctitatis adeptus,quum ad eiusmodi honoris illecebrā caput extulit,pallio que & barba depositis se reddidit seculo,arrisitque illi fortuna primo conatu, Basileam profectus magno omnium consensu pontifex declaratur,ipse se Felicem quintū uocat. Fauere nouo pontifici Carolus Galliæ, & Alphonsus Aragonię reges, Philippus Vicecomes,& Federicus imperator, & quum Felix tantorum principum niteretur suffragio, stare tamen non potuit, quippe qui hominum fauore paulatim destitutus, quum multa pro pōtifice gessisset,in ordinem redactus, quod suo sit postea loco dicēdum, in supremo antistitum ordine ad exitum uitæ mansit, multò felicius moriturus,si in pristino uitæ statu se tenuisset, satis quidem fuisset illi dignitatem nūquam adipisci, quàm adeptam amittere.Enimuero adeò se pro pontifice gessit, ut supremo etiam ordini quosdam ascripserit, & in his Ioannem Segobiensem Hispani generis, qui Nicolai quinti pontificatu dignitate spoliatus,in solitudinem abijt,paruo contentus, Alcoranum, quo Mahometis lex continetur, in Latinum uertit,multaq; in eo ut inepta refutauit.Et ut in Galliæ rebus paululum immoretur relatio hæc, Carolus rex,cuius nuper mentio incidit,per hęc tempora,aut certè non multò prius posteriúsue, Ioannem Armeniaci comitem,incesto sororis amore infamē, eiusque nuptias affectantem principatu expulit. In hæc tēpora incidisse crediderim Ioānæ Gallicę uirginis facinus, illud omni æuo memorabile, quum Gallorum opes Anglicis bellis fractæ iacerēt. Puella cœlesti uoce monita(ut creditur)uirili habitu armisq; instructa,ductare cœpit exercitum, dein cum hostibus sæpius congressa inter primos dimicans, multò maximam Francorum regni partem ex Anglijs recepit. Sunt Franci, ut aliquanto altius,quàm alio loco fecimus, repetatur gentis origo, Troiana stirpe oriundi. Ferunt Priamum quendam ex maioris Priami sorore ortum,eodem tempore,quo

Dux Tarentinus capitur.

Eugenio dignitas abrogatur.

Alcorani conuersio in Latinum.

Ioanna puella.

Frācorum origo.

A Antenor & Æneas in Italiam uenere,per Euxinum & Meotim in Scythiam penetrasse, ubi Sycambria sit urbs ab eo condita, atq; inde postea Sycambri dicti. Habuit Troiana manus, quæ illum secuta est, luxuriosa incrementa, tenuitque sedes quas à principio sortita est plures ętates,postremò Halanis res Romanas infestare adortis,Valentinianus Cęsare edictum proposuit,ut quicūque hominum Halanorum conatus infringerent, decem annos omnium immunes essent tributorum .Sycambri eam gētem bello adorti uictos excidio dedere, suntque ob id meritum in decem annos libertate donati, Francorum que nomen adepti,Francos Itali liberos appellāt. Insedit interea adeò animis libertatis dulcedo, ut post decennium detrectare cœperint imperium: bello itaq; repetiti,acieq; dimicare ausi, amissis ducibus,ipsi,ex parte multò maxima,occidione occisi sunt,qui pugnæ superfuerunt, Marcomedis & Sunonis ductu in Germaniam ingressi, in Turingiæ parte confederunt. Suno sine liberis decessit, ex Marcomede Feramundus oritur, quem Franci sibi regem creauere, atque hic primus nomen in ea gente tulit. Clodoueus Feramundo successit, cui cognomen fuit Crinito, à quo Francorum reges Criniti. Ijdem hominum tempestate illa,qua Gothi urbem Romam inuasere,Rhenum transgressi eam comatæ Galliæ partem Romanis ademerunt, quę est trans Ligerim,alia dein atque alia appetendo,in Aquitaniam usque promouere arma, sæpeque ditionis fecere. Merouеus à quo Merouigi gens Gallica, post Clodoueum regnat,Heldericus Merouеo successit, qui ob uitæ sordes regno pulsus, ad Bisinum Turingiæ ducem se contulit,exemplumque Alciabiadis secutus,cum regis & hospitis coniuge commisit adulterium : in Helderici locum Franci Egidium sibi regem creant, is Siagrio filio regnum per B manus tradidit, habitauitque in Suessona urbe. Enimuero Heldericus octauo sui exilij anno, Agrippina potitus urbe, in non paruam regni partem receptus est,ad quē Bisini regis uxor se contulit, consuetudinem adulterij (ut credere æquum est)secuta, habitaque est ab eo iustæ coniugis loco : ex hoc Clodoueus oritur, qui Francorum regum primus Christianam coluit pietatem : Siagrium Egidij filium Clodoueus bello uicit, uictum regno expulit,pulsum & à Gothis, ad quos confugerat, repetitum ac deditum, hostiliter interficit : intulit inde Clodoueus bellum Gothis& Aquitanis,equum pro uictoria uouit, damnatus que uoti tenui est pecunia conatus quadrupedem redimere,cæterū tandiu bellator equus stetit immotus, donec maius sit precium pro eo datum,tum rex bonus,inquit,propitius que fuit mihi in prelio diuus, cuius hic equus est (huic enim cœlitus res uota erat) sed negociator nimis auidus. Tenuerunt huius posteri regnum in Gallia longa serie usq; ad Carolum cognomēto Nanum,qui magni fuit Caroli pater,is post regnū Helderico secundo abrogatū rex creatus est. Vixit Heldericus hic iunior, ut priscus ille, suorum odijs obnoxius, Francorum res auxit, ut à Pyreneis montibus in Pannoniam sit gentis & terræ nomen propagatum. Duplex terra Franciæ nomen tulit, ut Pius pontifex prodidit. Orientalis una à Bohemiæ finibus ad Rhenum, altera à Rheno ad Pyreneum, fuit Carolus cognomento Magnus Germanici sanguinis,ut ille ait,atque in ipsa Germania natus,Aquisgrani plurimum uixit,quæ Germaniæ urbs est.Cętera gētis huius in relatione rerum Gallicarum suo sunt loco dicta. Nec mihi excidit,horum etiam quędam cū his quæ de Francorū in Galliā transitu scripsimus,referri cōtigisse. Verū dicturus nunc, quod in cæteris etiā gētibus fiet, qui sint hodie Francorū mores,quæ in uniuersum uita, nil (ut arbitror) fuit ab historia alienū gētis huius primordia paulò longius

Attendere animum in regendo.

Francia dupl.

gius repetere. Videtur mihi hodie Franciæ nomen A propemodum obtinere quicquid à Iura & Iubenna mōtibus ad Oceanum patet, rursus à Rheno flumine ad Pyrenæos montes,quę Comata fuit olim Gallia,in ea non solum terræ totius uariatū est nomen,sed plurium etiam prouinciarum,urbium,populorum,amnium,& ut pauca numero ponantur, qui olim Arar fuit,nūc Sagona est,quę Alexia urbs, nunc Alsetum,qui Atrebates, Picardi, Allobroges, Sabaudienses,Aulertij, Aurelienses, ut quidam opinantur,Agrippina olim nunc Colonia,qui Boij fuerunt,nunc Baiouani dein Bauari dicti,Gergoniam, ubi Cæsaris legio fusa est, Claromontem quidam esse aiunt, Lemanum Luxanæ lacum, Sycambros Gelrenses, sed hi ut alia quædam eorum, quæ diximus Germaniæ potius sunt,multæ adhæc urbes esse desierunt, contrà extant hodie quæ Romanis rebus florentibus non fuere, & iam ritus omnino diuersus ab eo qui olim fuit. Malorum quondam dæmonum cultores,hi ut cæteræ gentes, nunc ueræ pietatis obseruantissimi, uiuebant tum populi quisq; sibi,uiuebāt & ciuitates, pauci numero regulis in tota gente,nūc regis imperiū latè omnia tenet. Matrimonia Italico ritu celebrant. Liberales artes multis curę sunt, & in primis diuinarū artiū studia. Gymnasiū,quod Parisijs est,id declarat,omniū quę hodie sunt in terris celeberrimū. Sunt & Romanarū literarū appetentissimi,ac Latinorū æmuli in eo studiorū genere, nec Græca aspernātur, penes magistratus iudicia sunt,regum est hos legere,in bellis cataphracto equite utūtur,peditęq; leuiter armato, utunt & sagittarijs,q lōgiores intendunt arcus,nec corneos,ut Scythæ & totus ferè oriēs, sed ex taxo, aliáue duriore materia,comitantur bellica torméta exercitū,curribus uehuntur, magis ordine q̄ agminibus dimicāt, maiore ferocia q̄ arte, quanquā hāc quoq; in administrando bello haud negligūt. Aralos uocāt caduceatores, hi belli pacisq; nūcij: colūt regē incredibili affectu, multa religio in tēplis,in religione sanctitas,sacrorū antistitū maiestas,in clero dignitas & ueneratio multa, frequēs in cærimonia cātus,& ob eā rē musicæ studiū his ppemodū peculiare,in uestitu et calceatu uel nostra memoria nōnū quā uariatū,me puero Gallicæ gētis aulici oēs citra clerum amiciebantur manicato sagulo,uix dimidias nates tegente, in multas scutulas ab imo ad summū complicato,puluinatoq; circa humeros. Calcei anteriore parte in tenue cornu protenti,semipedalis lōgitudinis, qualis nūc species uisitur in gentilibus aulæis,tegmen capitis,id biretum dicunt, oblongum ac uelut in conū exiens. At nūc omnia mutata,calcei à fronte uehemēter expansi, in modū urſini pedis,retrò castigatior forma,ac uix calcanei capax. Laxior uestitus ac multo demissior quàm antea, ad media ferè crura descendens,laxis manicis ab una parte defectis,teneis uersicoloribus tectis et ex obliquo cācellatim sago assutis.Laxus pileus ac plurimū punicei coloris,sed biretum multo laxius malè capiti cohærēs,ut nihil sit sanè in gētis uestitu calceatūue, quod spectantiū possit delectare oculos,quū nihil alioqui sit ipsa gēte cultius. Cepit his paucis annis nostrorū hominū animos incredibile studium eius cultus imitandi, atq; adeò mos inualuit, ut tota ferè Italia Gallico spectetur habitu,manifesto præsagio eorum quę postea secuta sunt. Mulebris habitus nihil ferè mutatus . & hæc de Francorū ritu & moribus quàm presius potui. Nunc ad res Italiæ redeat stilus, atque eò potissimum, unde egressus est. Vitellius antistes puniceo donatus pileo à pontifice, Laurentij titulum in Lucina est adeptus, sic ædes diuo sacra in parte urbis hodie nuncupatur à luco Lothi arboris, quæ ibi fuit olim.Is à Caudola,ut dixi,destitutus,nec Tarētinis adiutus opibus,quas sibi conciliatū iri credidit, B quia comiter hostē & clemēter penes se habuisset, uictorię cursu facile excidit.Enim uerò nō mō iam inde nō aliquid prosperè est ab eo gestū, sed obnoxius etiā hosti,magis clypeo indigere q̄ gladio. Alphonsus q impar illi ad id tēpus fuit, aisiduè armis lacessere.Belloq; per hæc in hyemē extracto,Vitellius Salernum occupat,Aragonij arcē obtinebāt,& Alphōsus eò ppfectus pōtificium ducē obsidione fatigat.Vijs & omnibus locorū angustijs præsidio in sesis,interclusisq; cōmeatibus,nulli dubiū erat qn Vitelliani cum suo duce,rerū omniū inopia adacti, breui uenissent in hostiū potestatē, nisi Vitellius in preces uersus, pacandiq; regni studium asimulās, Alphōsum flexisset,testatus se cum exercitu in prouinciam uenisse pacis non belli causa,uerùm quum cerneret, Caudola incolumi, id incendiū restingui nō posse, à principio habuisse se in animo perfidum caput tollere,quod facile fieret,si pactis secū inducijs ambo in unum conspirarent. Credidit Alphonsus, pacisciturq; cū Vitellio inducias,ille uerò Salerno emissus,haud ppcul inde aberat, quū in Caudolā incidit, qui citato agmine in hostem ferebatur Vitellium obsidione leuaturus,cui etsi erat iratus ob Tarentinū principē, ab eo hospitē ex hoste dimissum,noluisset tñ Alphonsum eius uictoriæ fieri cōpotē. Vitellius explorato Caudolæ in Alphonsum animo,nactusq; ansam renouandi belli, quò d dicetur rex quosdam diuersarum partium in sua fœdera compulisse, fœdus nuper initum pro irrito habuit. Ambo itaq; media bruma,motis prima noctis uigilia signis, celeri ductu ad Alphonsi castra ire pergunt,ut incautum opprimerent. Nec frustra res mota esset, si noctu ad hostē peruenire potuissent. Cæterū luce oppressi ac procul conspecti, Alphonsus impedimentis relictis,incolumi exercitu,Capuam se proripuit,nec ita multo pòst Vitellius & Caudola diuersi abierunt. Pontificius dux in oram superi maris cum suis copijs profectus,Tranium occupare est conatus, tenebatur arx pontificis præsidio, urbs ab Aragonijs, quibus ciues freti omnes Vitellianorum conatus irritos fecere, hinc ille exclusus,quia Tarentinus princeps non stetisset promissis, & Alphonsi opes multo ualidiores essent, quàm ut par illis futurus crederetur,copijs Laurentio Attendulo relictis, in Delmatiam transgressus, ora Illyrici maris enauigata, Venetias decreto petijt. Hinc Ferrariam se ad pontificem contulit, erat tum ibi Eugenius,ut suprà est demonstratum,concilium inchoaturus, quo omnes orientalis ecclesiæ principes, cum Paleologo Græciæ imperatore, ut loco non multum diuerso diximus, uenerant de summa fidei cum eo acturi. Sub id tempus Renatus postliminio domum reuersus in Italiam trāsijt, hic classem haud cōtemptibilem nactus,quam Genuæ ad tempus parauerat,Neapolim cursum intendit, plerisque Malaspinarum locis in Liguriæ ora receptis quæ Alphonsi tenebantur præsidio, multi persuasum habuerunt, breui futurum, ut Renatus uniuerso potiretur regno, nam Caudolanæ opes & Attenduli arma inde stabant. Alphonsus suis fretis uiribus auxilijsque,haud in minori spe uictoriæ esse quàm antea fuisset.Erat que per hæc anceps fortuna, bellum que tam integrum, quàm ante Galli aduentum circa Neapolim, ac toto regno fuerat.Veneti interea Florentinių; recens cum Philippo bellum habebant,premebanturq; arcta obsidione Lucenses à Sfortia,cuius opera fœderatæ ciuitates impetrarant ab Eugenio,ut suprà significatum est,erantq; iā omnia Lucēsibus bello adempta prēter urbē, quam ægre tuebantur,& iā de deditione facienda cogitabat ciuitas, quū Picininus Apennino insinuatus in Lucēsem usq; agrū processit Philippi iussu, nec unus fuit inde conatus, ut Lucam obsidione leuaret,sed motus illi magis tumultuo-

Francię situs. Mutatio in rebus Gallicis.

Francorū mores.

Vitellius antistes obsidetur.

Varij armorū & belli casus in regno.

si fuerunt quàm Sfortiæ formidabiles, ac parũ abfuit quin ad Bergam conferto prælio fusus sit Picininus à Petro Brunorio, quem Sfortia eò iusserat occurrere cum militibus leuis armaturæ, ut oppidanis qui obsidione tenebantur, suppetias ferret. Satis constat statione fusa Lodouicum Gonzagã adolescentem, qui inuito patre Philippi stipẽdium merebat, obstinatius resistentem eo prælio captũ. Poscebant Veneti, ut Sfortia sibi in Cisalpinam Galliã mitteretur, Mediolanensem agrum inuasuri, cæterùm quo impensius id facere, eo res Tusco suspectior uideri, tanquam Veneti nollẽt euenire, ut Luca Florentini potirentur, sed tantum abfuit, ut expeditio illa in id moueretur, ut desperato Sfortię accessu Veneti Francisco Gonzagę suarum copiarum imperium decreuerint, cõtinuoque iussus sit trans Abduam bellum transferre. Euaserat Mellita dux fortissimus in ulteriorem ripam cum equite leuis armaturæ, expeditoque peditatu, eratque pons fluuio propemodum impositus, quum Abdua noctur nis imbribus repente auctus opus interrupit. Incidit Mellita diei interuẽtu à suis exclusus, subito hostium incursu, in apertum uitæ discrimen, restitit tamẽ ille fortiter, etsi loco & uiribus inferior, ac tamdiu impetum sustinuit, quoad equites peditesque fluuio enatato ad suos se receperunt, plerique uorticoso amne arrepti in suorũ cõspectu periere: Mellita Romani Coclitis exemplũ imitatus, omnium ultimus ad suos tranauit. Nec Gonziacus dux quieuit, primo belli conatu deceptus, quin Abduanæ terræ loca ferociter adortus, affecisset haud dubiè hostem insigni aliqua clade, nisi confestim Picininus cum exercitu affuisset, cui uenienti restitit Venetus dux locorũ opportunitate fretus, quẽ mox commeatus inopia retrò abeuntem hostis ad Ollij amnem assequitur circumacto per locorum compendia exercitu, adeptum præcipitem ad flumen agit, impedimẽtis exuit. Conuertit inde bellũ Picininus in Bergomates, Calepiumq; ex his cepit, Trestoriam uallem subigit, dein ponte tria milia passuum ab urbe repẽte capto, arcem quæ Bergomo imminet, multa ope est oppugnare adortus. Veneti rebus longè aliter cadentibus quàm ab initio putarant, quippequi hostẽ lacessere adorti iá eò uenerãt, ut ipsi non una clade affecti graui bello premerentur, cum Sfortia & Florentinis agunt, ut Regiũ usq; Lepidi cum suo ueniret exercitu, futurũ rati ut ad eius accessum Picininus, Parmæ timens, à gerendarum rerum cursu auertereretur. Fatigatus Sfortia Venetorum literis in Æmyliam uenit. Cæterum uix è Lucensi mouerat, quũ Picininus de eius profectione certior factus, citato agmine Parmam petijt. Reliquerat Sfortia dimidium copiarum ad Lucensem obsidionem continuandam, ipse cum cætero exercitu Apenninum transgressus circa Regium consedit. Hic suorum paucitati diffisus à Venetis efflagitare, ut sibi tantum copiarum mitterẽt, ut tutò posset cum hoste congredi: Veneti contra ab eo postulare, quando suum stipendium mereret, ut Padum traijceret, essetq; suis rebus auxilio, trahebaturque per hæc tẽpus, quũ Picininus in omnem belli occasionem erectus, consilium capit Lucensium obsidione leuandi, Sfortia absente. Fabrorum igitur agrestiumq; operarum manu occultè comparata, incredibili celeritate ad Apenninum contendit, nec hostis profectio quamuis subita Sfortiam fefellit, pari et ipse cursu montibus insinuatus angustias occupat, certus erat hic quãdo abũdabat copijs, uelle pculire. obstabat ille sua ui nixus, nec solũ irruptioni imminentem sustinere hostem, sed procul etiam arcere, certatumq; est sæpius. fuerunt eiusmodi prę lia plurimum Sfortianis prospera. Per id tempus Gonzaga dux qui Venetum ductabat exercitum, sese ultrò abdicauit imperio, resciuerat fidem suam

Mellitæ nobile exemplum.

Picinini gesta.

Sfortiæ & Picinini conatus.

A suspectiorẽ Venetis factã, iã inde ex quo Abduam traijcere nõ potuit, tanq nõ occasio, sed uoluntas defuisset Veneti exercitus in hostiũ fines traducẽdi. In eo temperauit quòd domũ abiturus, suã equitũ alã in Venetis reliquit castris. Incusati sunt inde, p cõcione pleriq; ducũ à Paulo Throno, qui patrũ decreto post Gonzagæ digressum uenerat ad exercitũ, ut pari iure cũ Federico Cõtareno rẽ foris administraret, ex ijs qui à Throno increpiti sunt, quòd in Abdua traijciendo parum strenuam Veneto nomini nauassent operam, quidã ira accẽsi exautoramentũ petiere, suntq; nihil grauate dimissi, Antonius et Astur Fauentini, Bortius Estensis Nicolai filius, adhuc adolescẽs erãtq; res Venetæ in hoc statu, quum princeps & patres Sfortiæ irati, q, quũ cõmune suũ & sociorũ mereret stipendiũ, tenere nequiuissent, ut Padũ transgressus in Gallia aduersus Philippũ rẽgereret suarũ copiarũ ductu, negabãt ob id æquum esse ei stipendiũ reddere, qui nullã sibi in bello nauasset operam. Lenire Sfortiam sæuientẽ Florentini, palamq; minitantẽ futurũ, ut nisi meritũ stipendiũ persolueretur, breui ex duce hostis fieret. Miserũt ea de causa Florentini Cosmũ Mediceũ Venetias, uirũ quum diuitijs pollentem, tum prudentia & autoritate inter suos longe principẽ, fuerat paucis antè annis Florentia pulsus: estq; interea nonnihil Venetijs uersatus, adeoq; humanè & comiter cultus, ut in patriam restitutus, Venetum nomẽ frequẽs in ore haberet, celebraretq; præter cætera mores & ritum Venetæ ciuitatis. Permoleste ferre huiusmodi affectum in summo ciue Florentini, Venetiq; nominis æmula ciuitas, uirumq; patrię alioqui amantissimum Veneti appellatione fugillare. Summa igitur eorũ quę in curia ille disseruit, hęc fuit, ut dixerit se ob suum in Venetos studium, non ut Tuscum, mediaq; Florentia natum, sed ut Venetorum unũ Venetias missum, susceptæ legationis causam eam fuisse, quòd Florentini Lucensium iniuria ad bellum reuocati, adeò Dei benignitate res hostiũ afflixissent, ut bello mœnibus admoto, breui essent Luca potituri, si Sfortia in studio partium retineretur, id ut fieret in Venetorum arbitrio esse, qui redditio ei stipendio, quo se fraudari quererentur, facile ducem fortissimum in pristino studio retinerent, quod quum fœderis causa fieri oporteret, tum ne fabula, quæ in ore multorum esset, inualescęret, ægre ferre Venetos Lucam Florentinorum fieri, orare proinde atque obrestari, ne sociorum res in aperto discrimine desererent, redderent Sfortiæ uel immerito stipẽdium, quod se emeritum diceret: nã quod ad Florentinos attineret, quia ob multa et uaria bella in Hetruria gesta, adeò exhausti pecunia essent, ut suo & sociorum nomine Sfortiæ satisfacere nequirent, uiderentque ita futurum, ut breui fortissimus dux iniuria accensus, ad hostes transiret, decreuisse se noui fœderis moderatorem habere, quẽ ducem belli habere maluissent. Et Tuscus in hanc sententiam perorauit, etsi maiore uerborum complexu. Tum Foscarus princeps Lucensis calumniæ suspicione grauiter & accuratè discussa, idcirco dixit apud maiores stipendium militibus constitutum, ut eorum opera qui eos inautoraſſent, quũ uelẽt uterentur, at nõ modò nõ operã ullã diceret præsenti bello à Sfortia Venetis nauatam, sed tum quũ maxime opus fuit ab eo obstinatius denegatã: irẽt Florentini & ipsi ex sua fide eius ducis rationem haberent, quo peculiariter uterentur. nam quod fœdus se uiolaturos minarentur, facile esse quibuscunque hominum fidem fallere cum libeat, cæterũ sperare se futurum, ut Florẽtini superis, quorum sacra fallerẽt, hominibusq; per quos olim seruati essent, debitas suæ perfidiæ exoluerent pœnas. Cum his ille curia dimissus Ferrariam concessit, ubi Eugenius Paleologum imperatorem cum primoribus orientalis

Ducum exautoramentum.

Sfortiæ defectio ad hostes.

Cosmi Mediceiorratio.

orientalis ecclesiæ nuper exceperat, ut suprà est demonstratum. Petijt Mediceus à pontifice, ut cũ Venetis intercederet de Sfortiæ stipẽdio, qui si sententia moueri nõ possent, daret operã, ut quibus posset conditionibus, pacem inter Philippum & Florentinos componeret. Nec ita multo post quã Cosmus Venetijs fuit, Iulius Dauantiatus eandẽ acturus causam ad principem & patres uenit publico Florentinorum nomine, qui cum nihil impetrasset, Sfortia ad Philippum defecit. Lucẽsium rebus per hunc modum constitutis, ut Lucenses ad sex milia passuum circa urbem ius & imperium haberent, cætera Florentinorum essent, pax & fœdus ambabus ciuitatibus esset in decem annos, cuius Sfortia sequester esset, atque utri populo ab altero iniuria fieret, Sfortia ut socius opem ferret, essetque uiolatæ pacis ultor, cum Philippo sicipse fœdus percusisit, ut stipendiũ ab eo acciperet, quod sub Venetis meruisset, quod Picininus & cęteri eius ductores à Florentinorum rebus abstinerent: si iniuria non abstineretur, iure Sfortia fieret eius iniuriæ ultor. Et Florentini per hæc à Venetis ad Philippum desciuere, cõtra id fœdus quod à principio fuerat inter utrũq; populum ictum: est eidem fœderi ascriptum, ut Philippus filiam Blancam iam antea promissam, Sfortiæ daret uxorem cum dote. Tulerunt eam pacem Veneti iniquo animo, sed Picininus multo iniquius, qui multum de Philippi in se ingratitudine questus, per Flaminiàm uagus nõnihil circumegit exercitum, ceu consilij inops. Postremò Rauennam repentè adortus, non prius hostilia moliri destitit, quàm Ostasium Polentanum, eius urbis principẽ, qui in Venetorum fide diu manserat, Rauẽnatibus bellum detrectantibus in Philippi partes adduxit. Obstiterunt primis hostium conatibus Franciscus Lauretanus & Lodouicus Molinus, hic cum classe missus, ille cum semiplena peditum cohorte, habuit classis duodecim scalinos, sic enim nauigia quædam appellant fluuialibus prælijs apta. Subjit itaq; Venetus fluminis ostium, quo ad urbem nauigatur à mari, estq; circa pontem aliquandiu certatum ne Picininus eo potiretur, sed hostis factus uoti compos, in florentissimam Rauennatis agri partẽ exercitũ traduxit, quæ Pado amne & Padusa continẽt, per quæ facile tenuit, ut Ostasius sit à Venetis alienatus. Tyberianum, nũc Bagnacaballum id uocãt, aliquanto prius idem hostis ademerat, qui quũ ad id tẽpus plus Eugenio quàm Philippo deferre esset solitus, subita ui nixus Forum Cornelij; & mox Bononiam pontifici aufert: affecit, & Franciscus Picinini filius, per id tempus, aut certè non multo prius res ecclesiæ in Vmbria non mediocri clade, quippe qui ex Furconensium finibus à Vitellio antistite, ut est demonstratũ, penè præceps actus in Vmbriã descẽdit, Pyrrho Casinensi abbati opem laturus, qui Spoletanæ arci & urbi à põtifice prefectus, diu multumq; ob insolentem administrationem, cum ciuibus simulatus, tantũ odij incurrit, ut diu sit in arce ab his obsidione fatigatus, uenissetq; breui in hostium potestatem fame subactus, ni maturè Picininus subsidio affuisset. Is in urbem proditione receptus non tantum arcem obsidione liberauit, sed ciuibus partim captis, partim fuga dissipatis, urbem nobilissimam hostiliter diripuit. Interea Mellita, cui Veneti post Gonzagæ digressum omnium copiarum imperium decreuerant, suppresso tamen imperatoris titulo, receptis omnibus locis, quæ Picininus in Bergomati superiore anno ceperat, in Cremonensem agrum transgressus omnia igni & ferro fœdauit. Ea res necessitatem Picinino imposuit, filium ex Vmbria reuocandi, cui urbibus quas in Flaminia occupauerat relictis, ipse cum robore copiarum ad Padum præcipiti agmine festinat, Cremonẽsibus auxilium laturus. Cessit Mellita audito hostium accessu, citerioreq; Ollij ripa ad Binam armis insessa, Picininum transitu prohibere conatus est, satis habiturus si hostem à Brixianorum finibus uiolandis arceret: ille Padum transgressus Cassale maius oppugnat, tenebatur id oppidum Veneto præsidio, tenuit ea oppugnatio plures dies, postremò potitus loco Picininus consilium cepit Mellitæ ducis cis cum exercitu intercipiendi, ut copiarum parte ad Marcariã filẽtio noctis transmissam, Gonziacus dux qui eius consilij factus fuerat particeps, cũ his suas iungeret copias: iam & Brixianorum agrestiũ quidam suam operam polliciti fuerant, ut Mellitæ retrò abeunti sese infesto cursu obijcerent, sic Venetus à tribus lateribus pressus hostilibus obrueretur armis. Perierat haud dubie exercitus cum suo duce, quum Veneti nominis felicitate, non hominum prudentia, ex captiuo homine quodam, quem ad Brixianos agrestes solicitandos miserat Picininus, res tota palam facta est, tum Mellita proditionis die haud expectata, motis repẽtè castris, in oppida Brixiæ propinqua incolumis euasit cum omnibus copijs, & iam qui à Picinino missi fuerant, cum Gonziacis coiuerant, ipsęq; mox traiecturus erat, quum prẽter opinionem nunciatum est hostem in pacatũ abijsse. Forliuiensis Blondus sub id tẽpus, quo hæc circa Ollium gesta sunt, Ioannem Paleologum Byzantij imperatorem Ferrariam uenisse ait, alij Paleologi in Italiam appulsum nonnihil prætereunt. Idẽ autor est post Paleologum Isidorum Ruthenum antistitem in Italiam uenisse, cuius imperio parẽre dicebantur innumeræ gẽtes à Scythico littore ad Danubium latè incolentes. Sunt hodie Rutheni, qui & olim Rhoxolani, ut Strabo significat. Plinius Rhoxolanos uocat. Rusia nunc illorum terra, gẽs haud dubiè Scythica. Peuce fluuio ad septentrionem includitur, ad orientem solem Moschis, occidua illi Liuonia & Prusia, utraq; terra Germaniæ finibus inclusa. Sueui olim hanc terram, nunc Deiparæ obtinent milites, quæ sit hominum religio, quod instituti, qui habitus & color in uestitu, loco haud multum diuerso explicabitur. Patent hodie Ruthenorum fines octo dierum itinere à Tanai ad septẽtrionalem oceanum, habetq; id spacium nonaginta & amplius dierum iter, rursus à Germanico oceano, quem Baltheum uocant, ad mare Caspium Ruthenię urbs regia Moscouia, circuitus quatuordecim milium passuum: hic dies longissima septendecim horarum, & dimidiæ, distat Nogardia milibus passuum quingentis à Moscouia, sedecim milium passuum ambitum complexa ad septentrionẽ repostа. Huc, ut Pius pontifex scribit, laboriosè perueniunt Germani negociatores, nullus hic signati argenti usus, lapis est in medio ferè quadrata forma, quem si quis ascendit, nec inde ui deturbari possit, principatum urbis obtinet, ingens de ascensu loci & deiectu dimicatio inter indigenas, fæpiusq; ob eã rem pugnatum inter ciues. hactenus Pius. Ruthenorũ legati, qui cum hęc commentaremur Venetias uenere, ad Augustinum Barbadicum principem & patres missi. hæc mihi de situ terræ & moribus gentium memorabant, Nogardię titulum ferre regię stirpis qui maximus natu esset, hic lucem lõgissimam decem & nouem horarum, Colmogor inde distare quingenta milia passuum in Asiatico littore, ubi circa solstitium æstiuum duobus ferè mensibus nox sublustris, sitque sol supra horizontem conspicuus duabus & uiginti horis. Distat regia urbs à Bizantio unius & uiginti dierũ itinere. Mira sunt ac cunctantius refereda, quæ ijdem illi & qui cum his uenerant, mihi & Paschaleio, cuius opera sum in primis usus in legatorum congressu, de opibus eius gẽtis memorabant. Quodam bellico tumultu, qui eo quadriennio inciderat, recensa in regijs castris centum uiginti milia equitũ, quorũ singuli ordinẽ ducerent,

Ostasius à Venetis alienatur. Tyberianũ olim, nunc Bagnacaballum.

De Russis & moribus gẽtis.

Mellitæ ducis consilium.

cerent, fuisseque immensi illius exercitus imperium Danielis Basilij cognomento Schennæ, & Iacobi Zachariæ ducum. Videtur his astipulari Franciscus Bifius Bergomas, qui duodecim annos fuit in Ruthenia, quique de rebus gentis eius ad me commentarios accuratissimè conscriptos dedit, adesse regi aiebat si bellicus incidat tumultus, ad trecenta milia equitum. Vtuntur Rutheni arcu in bello, quod gentile & uetus est illis, est & lancea in usu duodenum pedum, cataphracti equites supra hamatam loricam ferreum thoracem induunt, umbilicis speculorum modo prominentibus, galerum gestant pro cassida in conum fastigiatum, equite libentius utuntur in bello quàm pedite, pedites alij scorpione utuntur (Ballistam Itali uocant) alij plumbeas pilas sulphureo puluere ex æneis excutiunt machinis. Theutonico more inuisum genti regium nomen, idcirco ducis appellationem libentius usurpant qui ibi rerum potiuntur, ut magis populares. Dux dicitur, qui in totam gentem obtinet imperium, regnabatque, quum hæc proderemus, in Ruthenia Ioannes Basilij filius iam grandis natu: genus illi à Constantini successoribus, ut fertur, qui Bizantij totoque oriente rerum potiti sunt. Autor gentis Valodimerus, qui CCC. abhinc anno Lithuaniam tenuit, excoluitque eam gentem moribus & quod omnium maximè fuit optabile, Christianæ pietatis cultu instruxit, huius filius Rutheni am albam ingressus, urbem in ea condidit, quam Valodimeram à patris sui nomine appellauit, attulitque Ruthenis fidei cultum à maioribus per manus acceptum. Nulli in lõgissima ducum serie tam amplæ opes fuere quàm Ioanni Basilij filio, qui nũc regnat, nullus rem Ruthenicam magis auxit. Pileus duci paulo elatior quàm cæteris proceribus, cætero nihil ab alijs differens, omnis color in usu præter nigrum, uiri fœminæque lineo amiciuntur indusio eoque tenuissimo, & ad crura demisso, auro circa collum rubentiue serico excolunt id amiculum, laxior uestis, ac nihil ferè à Græcis differes, qualem Turci quoque & totus septentrio usurpat, manicæ tantum laxiores Ruthenis, auroque fimbriatæ à pectore & humeris. Lutrina pellis ambit exterius uestem, sola uxor luget uirum, obducto capite albo linteo, & ad ulnas deiecto: quibus fortuna amplior est, quadragesimo die à funere conuiuantur in memoriam defuncti: quorum res augustior est, quinquies hoc temporis interuallo solenni modo epulantur, obseruatur dies obitus, quem anniuersarijs celebrat epulis, quoad ex ea stirpe supersit aliquis, custodiuntur nomina defunctorum monumentis literarum, ut sciri possit quo cuique die parentandum sit, planctu & lamentatione funus educunt: patrij moris est mulieres gemmas & uniones ex auribus suspendere, decorum & maribus, sed adhuc pueris: quæ iterum nupserit, satis castam ducunt, auersantur ut impudicam tertiò nubentem, par in maribus offensa: puellæ à tergo capillum promittunt, cæterùm matrimonio locatæ sedulò absconduntur, uiri supra aures tondentur, datur probro huic sexui omnis capillorum cultus, gens uniuersa in uenerem prona, ac bibacissima, hoc laudis loco ponunt, alterum licere arbitrantur, modò id fieri contingat citra omnem connubij offensam. Fœnerant uulgo, nec fraudi est cuiquam ne sacerdotibus quidem. Pars multo maxima Rusianorum seruitutem seruiunt, necinuiti, multi quidem & in his nobiles etiam se, coniugem, & liberos uenditant, aut quia sic maiore ocio fruantur, aut quòd maiore uoluptate: antistites sacrorum Græcanico ritu nigro amiciuntur pallio, horum primores albo, ferunt hi bullã ad pectus suspensam, & tabulam præceptis diuinæ legis inscriptam: minores sacerdotes & ipsi græcè uestiuntur, sacræ uirgines, quod unum genus in ea gẽte est, ex Antonij abbatis instituto, nigra stola amiciuntur, est & suus sermo gẽti, Scythicus uerò an alius, parũ compertũ habeo. Sunt & literæ nõ multũ à græcarũ figura abhorrentes. Musicen & grammaticẽ discũt, utrũq; græcè, cæteras artes uulgo asperna tur, de summa fidei cũ Græcis sentiunt, par in cultu cærimonia, & in cœlites ueneratio. Iudicia exercẽt duodecim numero uiri, unus aliquis è collegio cognoscit causam criminũe, id cognitũ ad collegas defert, interdũ & ad regem, si res maioris est ponderis quã ut pro collegio uindicari possit. Si reus negueat cõuinci, parumue liqueat factũ, cũ accusatore cogitur de uita dimicare, atq; ita uictor duplici pecunia donatur q̃ lis fuerit æstimata, agrorũ cultũ oppido exercẽt, equis arãt, ager feracissimus præterquã uini, ceruisiã potant, quã & totus ferè septẽtrio, sit ceruisia ex aqua mulsa et tritico, sed ex hordeo probatior, ex cannabi papauere & nucibus oleũ conficiunt, oliuã nõ fert Rusiana regio, neq; ex ea arbore liquor aliunde inuehitur: uaria alit animalium genera, & in his pleraq; pelliũ æstimatione nobilia, parũ alioqui à ueteribus celebrata, quia, credo, eiusmodi deliciæ ea tẽpestate parũ in usu fuere. Piscium copia, & in his Seldis nobilissimus ex Pareslausco lacu, perquã similis ijs, qui in Benaco capiũtur. Lacus in Ruthenia illustres septẽ numero & quos gẽtili uoce nõ pigeat nominare, Pareslausc us, Ilmen, Volhous, Roscouus, Galicius, Alba, & Rusca. Flumina insignia nouẽ, & in his quẽ Borysthenẽ esse suspicari libet, ob ea quę de ipsius magnitudine & natura prædicãt, & hæc de Ruthenis, qui soli propemodũ Scytharũ sunt hodie nobis noti, nec fidẽ historiæ in his obstringo meã, quin apud illos sit potius, qui partim hæc in literas miserũt, partim fando hoc quo à me modo ꝓdita sunt mõstrauere. Per id tẽpus quo Græcorũ ecclesiæ ꝓceres in Italiã uenere, aut certè anno, qui illorũ appulsum præcesserit, Sigismundus imperator fato obijt, anno q̃ imperare cœperat uigesimo septimo. Potiturimperio inde Albertus Austriæ dux, Sigismundi gener, regnorumq; ab eo hæres relictus. Austria Germaniæ est, Austriorum Charinthia, ad ortum Carnis contermina, ad meridiẽ Alpibus, quatenus Forliuiẽses accolũt, ad Aquilonem affinem habet Stiriã. Memoratu digna res est, qua gens hæc ducem sibi creẽt cærimonia, ipsi Archiducem uocant, est patens uallis ad Vitum oppidum, durant in uasta planitie dirutæ urbis uestigia adhuc uisenda, nomen loci aboleuit uetustas, nec procul hinc est marmoreus lapis in patẽtibus pratis erectus, hunc quum dux creandus est, rusticus hæreditario iure occupat, ad dextram boem habens fœtam, nigri coloris, ad lęuam equa alia sistitur strigosa macieq; insigni, frequens circà populus, agrestiumq; turba ingens. Dux inde futurus ex aduerso mouet, purpuratorum multitudine septus, pręcedunt principatus signa, omnesque in toto comitatu egregie culti, præter futurum ducem. Is agresti habitu pileo tectus, calceos et postoralem baculum gerens, pastorem agit magis quàm principem. Hunc uenientem intuitus, qui lapidem obtiner, Illyrica uoce (sunt enim Charinthiani Illyrij genere) quis hic est exclamat, qui tam superbè incedit? respondet circumfusa multitudo, principem regionis aduentare: tum ille, iustúsne iudex? salutem patriæ quærens? liberæ conditionis? dignus ne honore est? Christianæ fidei cultor actutor? reclamatur, est quidem, & erit. rursus idem, quæro quo me iure hac à sede dimouebit? ait ducalis aulæ magister, sexaginta denarijs hic abs te locus emitur. Iumenta hæc tua erunt, ad bouem & equam manum intendens, uestimenta quæ dux exuet habebis, eris tu cum tota domo liber. quibus dictis rusticus malam percutit alapa leuiter incussa, iubetq; simul æquum iudicem esse. præmioque inde abducto loco

Rusianorũ ducum stemma.

Rusianorũ mores.

De Charinthia.

Aff. moré circa ducis.

cõcedit. Tum lapidem dux occupat, nudum gladiũ uibrans, populum affatur, pollicetur se æquum iudicem futurum, ferunt & aquam agresti pileo delatam potaræ in futuræ sobrietatis argumentum: deinde operam sacris, quibus peractis humili ueste deposita, paludamentum induit: splendideque conuiuatur cum proceribus, postremò in apertum egressus, pro tribunali sedens ius dicit populo: & Charinthij hunc creandi ducis morem à maioribus acceptum adhuc seruant. Accepit gẽs hæc Christianæ pietatis cultum ad humanę salutis annũ septingẽtesimum ac nonagesimum, quum occiduum imperium teneret Carolus cognomẽto Magnus. Sũt in eius terræ parte Calgefurtini, est hęc gens una in Charinthijs, qui sancitam legem habent, ut qui in furti suspicionẽ uenerit euestigiò suspẽdatur, mox triduo de suspicione iudicant. Si sontem inueniũt, pendere sinunt donec per partes ad terram defluat cadauer: insons repertus sepelitur, exequiæq; ex publico exoluuntur. Est Charinthia regio plurimum montana, triticiq; feracissima. Drauus amnis in ea nobilis, penulis natiui uelleris Charinthij regũtur, uulgoq; pileo muniunt capita. Austria unde ortus est sermo, Pannoniæ ad ortum solis iungitur, Bauariæ ad occasum, qua ad Arctum & Aquilonem spectat, Morauiam habet, Stiriæ montes ad meridiem, patet terræ amplitudo trium dierum itinere, duplo maior longitudo, regio ferax quatenus colitur, ac uini abundans, nemorosa alioqui, regionis caput Vienna Danubio appositа, olim Flauianum fuit, ut quidam opinantur, mox prima syllaba detrita Vianum, postremò Vienna. Sunt qui malint credere à suburbano fonte, cui nomen sit Viennæ, urbem nomen adeptam. Locus in urbe sacer, quo sacris uirginibus assciscuntur prostitutæ. Cæterum si qua promissam castitatem fallat, in profluentem Danubij uiua præcipitatur. Gymnasium præterea multæ celebritatis, pietatis, cultus, uestitus, sermo, & cætera uita, eadem quæ & alijs Germanis. Austriæ iungitur Stiria ad meridiem, quę olim fuit Valeria, ut scribunt nonnulli coniectura magis quàm autoritate freti, montana plurimum regio præterquam ad ortum, qua Pannoniæ finitima est, ea parte uastam effundit planitiem. Drauus & Mura terram irrigant, Mura Drauo iunditur, Drauus Danubio. Sũt Stiriani & ipsi cultu & sermone Germani præter Drauos accolas, qui Illyrica utuntur lingua. Cilia urbs uetus in ea regione, incolæ Syllaceum olim dictũ autumant, fabula à maioribus accepta oppidum à Publio Sylla conditum, una fortasse coniectura ad credendum inducti, quòd multa inibi uisuntur ueterũ Romanorum monumenta. Sal hinc ad finitimas gẽtes defertur. Regio ferri & argenti ferax, sed principum incuria parcius foditur. Continebantur olim Charinthia, Austria & Stiria Noricis finibus magna ex parte, nunc Germaniæ ascribuntur.

Mt. morẽ gentis.

De Austria.

Vienna.

De Stiria.

Vnio Romanæ & Græcæ ecclesiæ.

Viri illustres.

Prodigia.

ENNEADIS X. LIBER IIII.

PEruagatus unam Germaniæ partem, nec eam incelebrem, ad res Italię flectitur historię cursus: nostri enim propositi fuit, non omnia uno loco dicere: cętera igitur Germania per partes deinceps dicetur, nunc Italia repetatur, ubi celebris ille Christianorum procerum est conuentus habitus eo biennio, quo Sigismundus imperator obijt, cæterum Ferrariæ inchoatus, mox Florentiæ perductus est ad exitum. Summa eorum quæ sunt eo concilio agitata, à patre ne procedat spiritus sanctus, an à patre potius & filio, ut Romana tam piè quàm uerè prædicat ecclesia, an idem sit cum patre homousios. Discussis diuersarum partium tenebris luceq; in mediũ prolata, Græci & qui cum his sentiebant Romanæ sunt ecclesiæ astipulati, estq; magnum nomen in ea re adeptus Ambrosius Camaldulensis monachus, uir impense doctus, Nicolaus Sagodinus, Venetorum scriba, Græcè & Latinè disertus, fidissimusq; utriusq; gentis interpres. Incidit conuentus ille in eum annũ, qui unde quadragesimus fuit supra millesimum ac quadringentesimum humanæ salutis: duplex in eo successus, & quod duarum principum ecclesiarum unitas secuta est pontificiaq; est dignitas Eugenio per hæc stabilita, quæ Basileę fuerat priore anno illi abrogata. Erant tum uiri ingenio illustres, præter eos quorum nuper mentio facta est, Ioannes Tortellius, patria Aretinus, qui de scribendi ratione edidit opus non inutile neq; ineruditum, & in Dialecticis quædam: fecit & Athanasij uitam, quæ græca fuit, latinam. Laurentius Valla unus omnium, qui patrum memoria fuerunt, de Latina lingua optimè meritus, nam præter Thucydidem, Herodotum & Homerum, quos Latinos fecit, aliaq; studiorum monumenta, libros elegantiarum accuratissimè scripsit, & si inepti quidam, ut audio, literatores suæ imperitiæ ignari, alienæ eruditionis molesti interpretes calumniam illis adstruãt. Sed meminisse eos oportuit, quòd uno alteróue loco sit ille testatus, se non legem scribere, sed quæ plurimi atq; ijdẽ optimi scripserint. Fuit huic æqualis Flauius Blondus Forliuiensis, quo recentiorum nemo ad id æui plura scripsit in historia, post Romani imperij lapsum. Marthæus Palmerius Florẽtiæ ortus Eusebium in Chronicis & Hieronymum imitatus, uir mediocri elegantia, & qui tempestate illa in usu fuit quum latinæ literæ à fœda barbarie uindicari cœpissent, graui ignominia notatus in ijs quę de angelis alio seor sum opere sunt ab eo prodita, etenim publicè sunt Florentiæ cõbusta, ob multa in his errata. Nec Guarinus Veronensis exiguum est nomen adeptus in latina lingua uindicanda, quãquam maiore affectu quàm ingenio, felix tamen discipulorum profectu, horum celebritas quantus uir ille fuerit facile declarauerit. Parem laudem in eo genere adeptus Victorinus Feltrensis, Guarini æqualis, & in principum assectatione æmulus, Gonziacis hic familiaris, ille Estensibus. Georgius Trapezuntius, quem Eugenius Romã accersiuit, philosophus & rhetor insignis, in Platonem scripsit, peripateticæ disciplinæ fautor, estque ab eo Plato magno stomacho accusatus, sed maiore aliquanto à Bessarione Niceno antistite defensus, scripsit & rhetoricos libros Hermogenẽ imitatus, in quo nõ mediocrem est laudẽ adeptus. Sequuntur clari nominis his æquales Ioannes Aurispa, Poggius Florentinus, uir disertus & facetus, Antonius Guainetus Ticinensis, & Apollinaris Cremonæ ortus, ambo medicæ artis egregiè docti, & ob id maius nomen adepti, quod scitè quædam in eo genere posteris scripta reliquerũt. Marcus Ephesinus antistes, qui impium Herostrati popularis sui exemplum secutus, unus omnium non tam ueritatis studio, quàm ut ingenium & eruditionẽ ostentaret, seque aliquo memorabili facinore illustraret, ecclesiarum concordiæ Florentino conuentu non est astipulatus. in Asiam itaq; reuersus, omnia delirio perturbauit suo, ut maius aliquãto quàm antea secutum sit dissidium. Fuit ea tempestate Vgo Senensis, medicę artis longe princeps, sed maius omnino nomẽ adeptus, quòd Græcos qui cum Paleologo uenere, omnium Italorũ fortissimè sustinuit, sæpe cũ his Ferrariæ etiã congressus. Per idem tempus aliquot prodigia intra extraq; Italiam facta dicũtur, sed illa in primis memorabilia, ex pyro arbore duo formicarum examina, ex aduerso concurrẽtia, pugnam edidere insignem multis spectãtibus, cædemq;

cædemq; utrinq; teterrimam, & aliquanto prius in Gallia, ad Leodium corui accipitresq; duabus uelut aciebus infestiore occursu se incessentibus, adeò atrociter conflixere, ut cruor & plumarum uis ingens ad terram defluxerit, postremò accipitres aduersa acie fœdo laniatu fusa fugataq; locum tenuere. nec id prodigium leui euentu expiatum: siquidé non multo post inter Leodinos & Burgundios hostiliter concursum, desideratáq; sunt uno prælio triginta hominum milia, sed huiusmodi prodigia non multo prius posteriusue nunciata sunt, quàm Florentiæ de duarum ecclesiarum concordia est solenni conuentu actum. Inter cuius initia quæ Ferrariæ, ut est suprà demonstratũ, extitere, in Cisalpina Gallia Veneti subita principum & populorũ defectione Philippi arma, ut si quádo aliàs, maxime infesta habuerunt. Enimuero Picininus, post Mellitę ex Ollio discessum, toto ferè Brixiensi agro est potitus, et iam Gonziacus princeps ex confesso erat hostis factus, nec Mellita in tanto hostium successu ullũ dedit signum fracti animi, quin Brixia præsidio firmata ad Balneolum fecit castra. Præerat Brixiæ Franciscus Barbarus, uir acri ingenio, is quum iá haud dubiè cerneret quanta belli moles ab hoste instaret, pro magno habuit negocio Martinengios & Aduocarios, principes factionum noua affinitate iungere, estque per Leonardum Martinengium, Paris Ludronius Aduocarijs reconciliatus, cum quibus graues illi intercedebant inimicitiæ. Tenebat is aliquot Castella in Brixianis montibus, fuitque ob id eius opera Venetæ rei per opportuna in Brixia retinenda. Et res in hunc se modum habebant, quum Picininus conatus est Mellitanas copias, Lacu Benaco, & Mincio exclusas, inopia rerum omnium in discrimen adducere, quibus subactis nulli dubium fuit, quin breui clades ingés erat Venetis adeunda. *Att. Picinini consilium.*

B Bipertito itaque in Mellitam mouet ad Balneolum sedentem, hinc Gonziacus dux, & Lodouicus Vermis profecti, Vallegium cum ponte, qui Mincio incubat, ex improuiso occupant, inde tumultuosius effusi omnes Benaci accolas, & quicquid locorum Veneti intra Mincium & Athesim tenebant, armis subigũt. Benaci situm naturamque memorabilem in rebus Venetis demonstraui, nunc institutæ breuitati consulendum. Processerat interim Picininus ad Bidiciolum, quo Mantuanus dux ex Vallegiana & Benacensi expeditione reuersus se contulit, sunt qui hinc tum profectum scribant, dum Vallegium tenuit. Fecit interea castra dux Venetus circa Clesium amnem. Distat Clesius æquis ferè spacijs à Benaco & Brixia. Cæterum ut tutius se hostium conatibus obijceret, aliquot armatorum cohortes sunt ex Brixia ad eum missæ, & ex montibus ingés euocatorum manus breui in ea castra confluxit, ut uigintiquinque milia armatorum iam sub signis essent, habebatque in animo Mellita cum hoste acie confligere, uerùm quia multi in Venetis castris erat ambiguæ fidei, qui diu sub Gonziaco principe stipendia fecerát, pugna abstinuit, nec illi quidé quod facturi essent, diu postea dissimularunt, nam adepta proditionis occasione, ad hostem plerique numero transfuerunt. Mellita ueritus ne aliqua maior oriretur defectio, Brixiam reuersus partem copiarum multo maximam in Brixiani agri locis quæ adhuc in fide erant, distribuit, tum demum hostis liberius euagatus: cæterà circa Benacum oppida, & in his Salodium Veneto ademit, inde Brixianos maiore bello adortus Palatiolum & Pantolium occupat. Camonica uallis per id tempus à Bartholomeo Bergomate, & Leonardo Martinengio ad id missis, ui ab hoste recepta est, direptaq; passim omnia, & incensa. Clarienses interea à Venetis deficiunt, & iam Rhoadum obsidebatur, quum Mellita suos obsidione soluturus, cum lectissima copiarum parte, & ex Trompianis Serclianisque alpiũ accolis, altera manu sibi adiuncta, ad Coloniam multo minoribus copijs cum hoste à prima ferè luce ad noctem dimicauit: sustinuit hostem Mellita per diem consilio & arte magis quàm uiribus, quem in se grassantem sæpius repulit, fuditque, sed non ut fuso multum inferet insidias ueritus, per quæ hostem toto die ludificatus, demum integra acie Brixiam est reuersus. Picininus Coloniã circumsedit, manauit rumor magistratuum opera, eo die hostem prælio fusum, ut labantes populorũ animi in officio continerentur, ea fama ut temerè exierat in uulgus, ita celeriter delata, tantum gaudij exultantisq; lætitiæ attulit multitudini, ut nocturnis luminibus operata ciuitas magnam seditionem penè adierit, seruitiorum remigumq; petulantia, qui publica priuataq; ædificia circa forum, dum ex proximo lignantur, diripuere. cõpressa demum uis est non magis publico edicto magistratuumque præsentia, quàm Petri Lauretani interuentu, tanta tum in ciue uno fuit autoritas apud classiarios & nauales uiros, longa imperij consuetudine. Nullum fere bellum gesserat Venetum nomẽ, plurium annorũ spacio, in quo respublica non esset eius uiri opera feliciter usa, et nunc cũ res in aperto essent discrimine, fluuialis classis, quę in hostem parabatur, decretum erat Lauretano imperium, habitura fuit classis illa centum sexaginta naues, & in his triremes quinque, Galeones circiter septuaginta: cæterarum forma minor, motu & agilitate celocibus similium. Ratis adhęc ingens decreta, quę uelut agmen cogeret, ex quadringentis quinquaginta trabibus contexta, & cum his bellicorum instrumentorum uis ingens, quæ omnia dum domi comparantur, Picininus Rhoado potitus est, plurium in de locorum secuta est alienatio, quicunque Brixianorum planitiem accolunt, cum non parua montanorum parte breui ad hostes defecerũt, præterquá Vrceani. Conatus est interim Mellita cum parte copiarum per hostes in pacatum abire, ne Brixiæ mœnibus cum toto exercitu, incluſus fame conficeret: celeri itaq; cursu cum quinque milibus armatorum ad Mincium usque progressus est. Verum ubi ulteriorem fluminis ripam hostium præsidijs teneri est animaduersum, pari celeritate Brixiam recurrit, nec ibi multum inde fuit, sed per iuga alpium agmine laborioſe circumacto ad Benaci caput Sarcam fluuium uado transijt, discussisq; à frõte hostibus, q fal tum fluuio imminentem insederant, in pacato consedit Venetus exercitus. Blõdus octingẽtos equos ea expeditione amissos prodidit, Mariotus montanus, & Pasius Ariminensis, nullam maiorem cladẽ acceptam scriptum reliquere, facinus alio qui nefarium cuique & labore & periculo meritò comparabile. Per id tempus Nicolaus Estensis, siue ita crediderit, siue id se credere uideri uoluit, quòd classis, quæ Venetijs parabatur, aduersus se decreta esset, multum apud Eugenium questus, quũ adhuc Ferrariæ esset, ut quidam scribunt, bellum & ipse multa ope comparat, quò Venetam classem suis finibus arceret, sed uis illa haud dubie Gonziacis intendebatur, qui ex confesso erant hostes. Veneti ne supra alia bellorum onera nouo hoste grauarentur, pontificis arbitrio rem cum Estensi duce decidũt, ut Rhodigium illi cum aliquot circumiectis oppidis relinquerent habendum, quæ loca Veneti septem circiter & triginta tenuerant annos, atque ita Estensis mitior factus Venetam classem per suos fines pacatè in hostem transmisit. Verum quum omnia domi segnius expedirentur, Gonziacus hostis circa Hostiliam triplici iunxit Padum catena, aduersus hostes præsidio ab utraque ripa impositio. Sed dum circa Padum per hæc laboratur, Brixia obsideri cœpta est, disiectaq; sunt haud uno loco mœnia bombardarum ictibus, Vrbs multa ui sæpius oppugnata, sed

Attẽde tumultum nocturnum.

Apparatus nauális Venet.

Mellitæ facinus memorabile.

Brixia obsidetur.

sed maiore aliquanto à ciuibus & præsidio defensa. Laboratum est interim ab his, qui obsidione tenebantur, duplici malo, fame & pestilentia. Erat prætor urbis Christophorus Donatus, Franciscus Barbarus præfidij præfectus, horum uirtute necnon ciuium fide mãsit inter tot terrores res Veneta ad exitum incolumis. Picininus post multos irritos conatus, spe potiundæ urbis abiecta, inde exercitum abduxit, media ferè bruma, duobus hominum milib. & amplius in oppugnatione amissis. Sed dum Brixia oppugnata est, Mellita dux in Lagatina ualle aliquot oppida cepit, & in Benaci ora Turbulas uicos insedit, ubi postea cum exercitu hyemare constituit. Hic Veneti ob ea quæ Mellita non minore fide quàm uirtute gesserat, copiarum omnium imperium decreuerant absenti. Hærebat interim una principi & patribus cura Brixiæ commeatu leuandæ, licet soluta esset obsidio, nihil melior erat Brixianorum conditio quàm antea fuisset, commeatibus undiq; ab hoste reclusis: mittunt itaq; uno tempore Ioannem Pisanum, qui Franciscum Sfortiam aduersus Philippum stipendio conduceret, quod posse fieri Nicolaus Estensis principi & patribus, quum ad hoc ipsum Venetias uenisset, primus omniũ demõstrauit, docuit is esse Sfortiã, ut si quando aliàs, Philippo infensum, quòd filia sæpius promissa negaretur. Missus est & Fracicus Barbaricus in Heturiam, ut Florentinos ueteres socios in partes bellireuocaret. Petrus Aduocarius Brixiensis, qui Venetias uenerat ut principẽ et patres doceret in quã to discrimine ciuitas esset, ob ingentem rerum omnium penuriam, ire iussus est suosq; ciues hortari, ut forti constantiq; animo essent, seruarent fidem quam duriore conditione Veneto præstitissent, fore ut breui intelligerent, nihil tam curæ esse principi & patribus, quàm Brixianorum incolumitatem, iam enim animum adiecerãt, ut ualida classe instructa, omnes Benaci accolas ad imperium retraherẽt, per quos facile Brixianis subueniri posse uidebatur. Nec Mellita dux in ocio esse, quin & ipse animo meditari qua uia Brixiæ commeatum importaret: placuit itaque montanum iter, quando id unũ cum filium relinquebatur, datumq; est id negociũ quatuor centurionibus, qui frumẽto militibus diuiso, ad Paridem Ludronium, qui de ea re prius commonitus fuerat. Per Paridis fines fuit ijs iter satis pacatũ, mox uerò Brixię appropinquãtes insidijs ab hoste excipiuntur, excepti in nudũ collẽ trepidè compulsi, triduoq; obsessi, quia nulla spes erat subsidij, cum armis & commeatu in hostium potestatem uenere. Cęterùm quia omnis Venetorum conatus eò (ut erat) spectare uidebatur, ut Brixiam commeatu leuarent, hostis uel media bruma, castella quædam militari opere erexit circa urbem, qua potissimum parte Venetus miles uenturus putabatur. Sunt præterea loca hæc præsidio firmata, per quæ, quum hostis, tum cęteri persuasum habuere, omnẽ commeatus in posterum inuehendi facultatem esse Venetis ablatam, sed castella & præsidium non multo pòst Venetus disiecit, & Italus Foroiulienſis, quem Picininus cum aliquot cohortibus in orã Benaci miserat, ut rem Venetam circa lacum infestaret, obstaretq; quo minus Brixianis commeatus per alpes in ueherentur, à Paride Ludronio duplici prælio uictus, omnibusq; ferè copijs amissis, per deuia & aspera montium Ripam petijt oppidum, quo trecenti equites, pediresq; ferè mille fuga dilapsi peruenere, secuti ducis uestigia. Picininus Paridi iratus medio hybernorum tempore, quum minimè expectaretur, Ludronem subita ui adortus, paucis diebus quibus eò uenerat, oppido potitus est: Ludrone capto in Benaci oram descendit, ut circa lacum reliquum hyemis ageret. In Pado nil est à Lauretano gestum memoria dignum, quando eorum quæ ad nauale bellum decreta fuerant, nihil sit maturè datum, ipse fluuiali cœlo grauatus, Venetias secundo Pado delatus est. Necita multo pòst moritur, uir magnus, deq; patria præcipuè meritus, nudis calcibus, saxoque ceruici subiecto, ad Certosinæ Heleneę funeratur. Stephanus Contarenus præfuit inde Padanæ classi. Per id tempus Veneti, ut Benaci imperium reciperent, Brixięque laboranti subueniretur, triremem unam, & quasdam immensæ molis naues per aduersos montes in Benacum traxere. Sorbolus homo Græcę nationis & in Creta ortus, præter omnium opinionem trium mensium spacio id operis peregit, naues primò aduerso Athesi Veronam subiere, uiolẽtiore deinde fluuio ad Mauri pagum laborioſius perductę, hinc terrestri uia lacui in uectæ, qui diui est Andreæ, postremò per ardua mõtium decliuia in Benacum traductæ, res quidẽ plus admirationis ad posteros quàm fidei habitura, sed cuius certa adhuc extent uestigia, quę arguunt rem gestam, ut à Flauio Blondo est memoriæ prodita, & à nobis fando audita; ex ijs qui rei gerendæ interfuerunt. Et circa Benacum hi tunc erant Venetorum apparatus, quũ per legatos nouum est fœdus cum Sfortia ictum aduersus Philippum Vicecomitem, ea conditione, ut in quinque proximos annos teneret, Sfortiam socer à se alienauerat, manifesta ludificatione filiæ sæpius promissæ: Florẽtini in id fœdus consensere Sfortiam secuti, odere & ipsi sua sponte Philippi nomen, horrereq; illius opes, & Eu genius, qui Florentiæ tunc erat, multum sua autoritate profuit, ut in partibus esse uellent, estque illud omnium primum in fœdere positum, ut Sfortia utriusque esset populi socius, omniumque copiarum imperator, stipendium mereret trium miliũm equitum, duũm peditum. Mariottus Montanus bis centies uiciesq; mille aureorum nummũm scripsit in annuum stipẽdium Sfortiæ datum, quorum Veneti centena uicena penderent, reliquum Florentini, est & illud in fœdere expressum, ut omnia quæ ex Philippi principatu bello caperentur, præter Cremonam quæ Veneto cederet, Sfortiæ quærerẽtur. Ariminensis Pasius autor est id fœdus in Hetruria renouatum, dum Brixia adhuc hostilibus circumfederetur armis, Flauius idibus Februarijs percussum scribit, quum satis constet ante Ianuarias calendas Brixiam obsidione solutam, quanquam Brixiani etsi oppugnari desierant, non procul tamẽ abessent à iusta obsidione, commeatibus & auxilijs ab hoste intercluſis. Fregit Philippi animum haud mediocriter noui huius fœderis fama, de quo postea quàm Picininus factus est certior, ut irrequieto erat animo, & ad omne facinus prompto, cum Gonziaco principe consilium cepit belli in Vicentinos Patauinosq; transferẽdi ante Sfortię aduentũ, de quo patres Mellitæ literis certiores facti, admonitique sunt expediręi Venetæ, ut Athesis ualida classe insideretur. In Benaco interea Petrus Zenus, qui Turbulanæ classi præerat, ita partem lacus sibi & suis patefecerat, ut per Ponalis ostium, & deuia mõtium loca, sit nonnihil frumenti Brixiæ militũ humeris importatum, multi dein uarijq; fuerunt partium conatus circa Athesim, Picinino traijcere adnitente, Venetis flumine insesso nauibus obnixè resistentibus. Erant Gonziaco principi Galeones duo detriginta, quos circa Hostiliã ad bellum instruxerat, hos uarie per stagna & fluuiorum anfractus circumegit, ut Athesi inferret, estq; interim totis uiribus, & in ipso flumine, & circa ripas dimicatum, pęrijtq; priorępugna Marinus Contarenus classis prę fectus tragula ictus. Occurrit eò Mellita cum omni robore copiarum, & Darius Maripetrus ex urbe est missus, ut classi præesset, post cuius accessum hostes ui flumine potiti sunt, Mellitanæ copiæ metu disiectæ alij alio dilapsi in pacatum concessere. Pici

Triremes per montium iugá traductæ.

Ad Sforciam mittitur.

ninus submoto uel pulso potius Venetorum præ- A fame & pestilentia supra modum est laboratum.
sidio, classiarijsq; subuectum inhibētibus bombar- Operæprecium est cognoscere quibus artibus ciui
Picininus Athesim superat darum meru, quas hostis læua ripa fluminis statue tas affecta bello, fame, pestilentia, fuerit à magistra-
rat, Athesim per ocium superat, Leniacumq; fluuio tibus defensa, data est aliquando opera ut summa
impositū multa ui adoritur, estque is locus uelut in annonæ caritate iuglandes, rapa, castaneæ, & alia a-
duo oppida diuisus, ponte inter se peruia Athesi im grestium frugum genera, sint noctu ex finitimis ac
posito: nec multum est hic laboratum, sed præsidio colis in urbem innecta, nonnunquam Calones, an-
metu disiecto oppidani deditionem fecere. Post Le te oculos ciuitatis, cum iumentis arena aliáue ma-
niacum pleraque Veronensium Vicentinorumque teria onustis, pro frumentatoribus præteriere, sunt
loca, partim ui, partim uoluntaria deditione, ad ho & literæ tanquam ex castris in urbem missæ sagitta
stem defecere. Huiusmodi successu elatus Veronā rum iactu pro concione recitatæ, quibus monebatur ciuitas cauere ne deditionem faceret, nec crederet ducibus hostium, qui ueniam promitterent, statutum his esse, Brixia recepta, non ætati, nō sexui parcere, omnem promiscuè multitudinem tollere, urbem direptā & incensam funditus euertere. Pro ditur illud memoriæ, Francisci Barbarum præfectum nunquam nisi in aperto discubuisse, nec temere alium panem uisum in eius mensa, quàm hordeaceum. Sed quum res in urbe sic haberent, Brixiani parum lætam pugnam aduersus Italum pugnauere, circa Felicianum res gesta est, sed quàm infeliciter hic dimicatum est, tam diuersa parte ad Euphemianum prosperè, & ex ciuitatis sentētia, expugnatum est hic hostium præsidium ac dirutum. Picininus iam plures dies Veronam obsederat, quum audito Sfortiæ aduentu, impedimentis Mantuā missis, Suauium processit, est id Veronensis agri oppidum, qua ille fossam hostibus obiecit, à montibus ad Athesim extensam, ut omnes Sfortię conatus infringeret. Sfortia Leonico capto, etiam cætera Vicētinorum loca breui recepit, inde quadrato agmine Suauium progressus aciem in hostium conspectum explicat, de summa rei decreturus. hic quia nihil ex aduerso mouebatur, metus confessione hosti alioqui ferocissimo expressa, in castra reuersus
B montanum iter adoritur Veronam iturus, estq; cir ca montiū iuga, quæ Picininus præsidijs insederat, nonnihil laboratū, conserta non uno loco cū hostibus manu, tenuit tamē Sfortia ui & armis propositum, circumactoq; nonnihil agmine per altiora loca, Veronam peruenit. Picininus, præsidio ad Suauium relicto, Athesi superato ad Vigisium in Mantuanis finibus sedit. Tum uerò Sfortia retrò conuersus, Suauium & quæcunque Veronensiū loca uenerant in hostiū potestatē, prætcr Leniacēsem portū recepit. Sed dū hęc geruntur, cōuentus ille Christianorū hominū, de almi spiritus processu, de quo nō uno diximus loco, est ad exitū perductus, ut quidā prodiderūt. Oppugnatū est inde in Benaci ora Bardolinum, sed Zenus hostibus inferior nō est ausus eò classem admouere, quo accidit, ut Sfortia, infecta re inde digressus, mille equitum cum tribus peditum centurijs, præter Arcū & Tieniū, per alpina loca iubet Brixiā cū cōmeatu proficisci, ut urbs diuturna fame affecta aliqua ex parte leuaretur, cessisset prosperè ea expeditio, nisi qui ad id missi sunt, nonnihil in Pedemontanis subsedissent, ut equos montium asperitate confectos pabulo reficerent, quam Picininus occasionem adeptus, improuiso ac cessu totum equitatum disiecit, frumentū diripuit. Maior deinde clades in Benaco accepta, captus est Zenus præfectus classis, omnes ferè naues amissæ una nauali pugna aduersa in ora lacus, nam res utrobiq; uno tēpore gesta est, terrestres Venetorū copiæ à multo maiore hostiū numero profligatæ, ac fœdè disiectę. Accessit duplici cladi alia reces, quòd postridie q̄ ita terra & aqua est ad Benacū tā infeliciter pugnatū, Maderniana arx, quæ Venetorū præsidio tenebatur, hostibus dedita est. Affecit nuncij huius atrocitas ciuitatē mœrore ingenti ac tristitia, uerū partes ne succubuisse uiderentur, confestim decretū tulerūt, ut noua classis in Benaco pararet, quęsitaq; est ex proximo materia, Turbulis octo tri remes,

Atten. artem Venetorum in tuēda Brixia.

Sfortiæ accessus.

Sfortiæ successus.

Prodigium ex auctu aquarū. Loca serpentibus infesta.

Atten. spectaculum.

Venetæ copiæ.

Venetorū celeritas in classe construenda.

remes, totidē Galeones, & Celoces, quatuor naua- A confestim itaq; edictū est ut miles ui abstineret, ac
lis fabricæ opificibus ex urbe eò missis, omniū opi simul Gonzaga dux princeps ciuitatis est in præto
nione celerius in pōtibus stetere. Stephanus Con- rio declaratus, in id enim fœdus cum Philippo per-
tarenus classi præficitur, Trierarchi ex patricio or- cusserat, ut Verona & Vicetia, si quādo ex hoste ca-
dine triremibus dati, deductæ demū naues ad bel- ptæ essent, suæ ditionis fierent. Inde arciū præsidia
lū instruuntur. Vertēte se autumno grauis morbus tentari cœpta, præsertim uereris quæ in plano est,
Venetū affecit exercitū, sunt & hostiū castra per idē ubi Carolus Gonzaga Mantuani principis filius cu
tēpus nō morbo tantū sed pestilētia grauiter uexa- stodiebatur Theniana acie captus. Fit interim Sfor
ta. Erant itaq; uelut feriæ bellorū ab utraq; parte, tia certior Veronam ab hoste teneri, tantum arces
quū princeps & patres de Brixia, ut si quādo antea, à Veneto retentas, trepidissimis itaq; nuncijs exci
maximè solliciti ad Sfortiā mittūt, qui publicè eū tus, multo hostiū opinione celerius cū Mellita du-
hortarētur, ut priusq̄ exercitū in hyberna dimitte- ce & omnibus copijs affuit, hosteq; leui certamine
ret, fidelissimā ciuitatē cōmeatu & præsidijs iuua- circa urbē repulso, per Felicianā arcem peditem in
ret, cæterū ut omnia quę Sfortia post se relinqueret subiectā urbē immisit, equitū turmæ per episcopi
tuta essent, Athesim ad quartū lapidē supra Leniacū portā quæ illis sub primū patuit accessum, urbem
Pestilium in oriundo Athesi. suo cursu auertere constituūt, ut amnis latè effu- inuasere, quo metu perculsi hostes trepidi ultra flu
sus eā Vicentini Patauiniq; soli partem inundaret, men se recipiunt, interluitur Verona medio Athesi, *Verona à Sfortia recipitur.*
quæ maximè hostili esset iniuriæ obnoxia, qua uin qui lapideis sublicijsq; pontibus est ciuitati peruia-
dicabatur & Veronensis agri pars illa, quæ ad Vice us, horum unus hostibus conserto agmine refugiē
tinos & Patauinos spectat. Enimuero aquis planitię restagnantibus, omnis facultas adimebatur ho tibus subitā traxit ruinā, suntq; cū eo aliquot equi
stibus, amplius circa Athesim euagandi, quū omnia tum in subiectum amnem præcipitati absorptique
interim Venetis lintribus peruia fieret, cōmodeq; uorticibus, estq; nonnihil circa pontes certatū, quo
nauigarē Veronā usq;, uel inuitis hostibus, q̄ Lenia prælio Ioannes Gonzaga principis frater mortem
ci partē tenebāt. Admota sunt operi quatuor milia occubuit. Postremò, Sfortianis ciuium auxilio in ad
agrestiū, sed res postea intermissa. Interea circa uersam partem urbis irrumpentibus, territi hostes
Benacū conatus est Picininus improuiso accessu Ve sub occasum solis in ciuitatulā se recipiunt, est enim
netā classem igni corrūpere: cæterū Troiulus unus circuitu & amplitudine exercitus quamuis magni
ex Sfortianis ducibus nō solū locū tutatur, sed acri capax. Nocte itaque sequenti, quia nulla spes reli-
pugna conserta, hostē magno incommodo affecit, qua erat retinēdæ urbis, citato agmine in pacatum
Picininus equo deiectus ægrè seruatus est, trecen- concessere, ita quatriduo quā capta fuerat, Verona
tis equitibus in prœlio amissis, tū Sfortia ueritus ne recepta est. Dederat ex itinere literas Sfortia ad
hostis maiore ui nixus id opus efficeret, Mellitam principem & senatum, se Veronā petere eo consi-
ducē iussit eo occurrere, ut classi præsidio esset, nec lio, ut aut eam confestim reciperet, aut cum fratrib.
multi inde dies interessere, quibus ille cū lectissimo & uniuerso caderet exercitu, breui futurum ut al-
equitatu & duabus peditū cohortibus, ut Brixianos terutrum audirent: erat itaq; senatus assiduè in cu-
commeatu leuaret, in Benaci orā processit, B ria, mœsta sollicitaq; circa sorū nobilitas, tota ciui-
ui & armis per hostes iturus, estq; bis cū hoste dimi tas in id unum erecta stabat, quum repētè publicis *Nuncius Veronæ receptæ.*
catū, circa lacū primò, mox ad Theniū. Vtroq; præ priuatisq; literis alijs super alias nunciatum est Ve
lio Picininus fusus fugatusq; est, sed posterius certa ronam ex hoste ui & armis à Sfortia Venetisq; du-
mē multo atrocius, captiq; ex hostib. Carolus Gō cibus recuperatam. Tanta ad eum nuncium lætitia
zaga & Carolus Martinēgius. Picininus q̄ditis re orta est, ut ne lachrymis quidem patres temperarēt
Quarti ferme mutus Picininus. bus Theniūse, ripuit, ueritus ne Sfortianis armis mutua & ingens inter ordines gratulatio, in tridu-
oppidū circūsedererur, nocte quę proxime secuta est, umq; supplicatio decreta, Sfortiæ Mellitæq; dena
pānis obsitus pro lacero & uulneribus cōfecto hu aureorum nummūm milia à Veronæ magistratib.
meris exportatus, auersis itineribus Ripā oppidū dono data, patres suo assensu id munus ratum fece
quod Benaco incubat, incolumis uenit: huc pars re, Sfortia Veronæ hybernare constituit, quo tem-
eius exercitus multo maxima ex Theniana acie re- pore Ciarpellio & Troiulus Sfortiani duces per Al
fugerat. Scio proditū à quibusdā Picininū sacco in- pes infinuati, præsidiarios & frumentum Brixię in
uolutū, pro uili sarcina in tutū à gregario milite de- tulere, estq; obiter ab his prosperè in hostes dimica
latum. Sunt qui scribāt postridie q̄ ad Thenium ita tum trecentis equitibus ad Gusaccum in prælio ca
pugnatum est, ex Ripa quadrato agmine ad hostiū ptis. Apparebat reliqua fore hyberna quietiora,
castra accessisse, acie dimicaturū, si pugnæ copia quum rumor percrebuit Vitellium antistitē cū Pici
fieret. Pasius, quod propius uero est, Sfortiā cū exer nino fœdus occultè percussisse, ut uno tempore is
citu post uictoriā ad hostē ueniisse ait, essęq; circa Ri cum pontificijs copijs Picenum agrum inuaderet
pā tumultuose concursum, quo prælio Malatesta ad Sfortianos opes euertendas, Picininus Apenni-
Cæsenæ princeps strenuus adolescēs sit ex hostib. no superato Florentinos bello adoriretur, credere
captus, alij ad Theniū id prælij pugnatū autumāt, omnes Philippi astu hęc moueri, ut Sfortia à rerum
eo quo diximus euentu. Et Brixiæ per hæc aliquid gerendarum cursu auerteretur, si suis rebus in Pice-
Picininus Veronam capit. est frumenti importatū, eratq; maior adhuc copia no consultum uellet. Egerūt Veneti cum Eugenio
breui importanda, quū hostis Veronā furatus est, per legatos, & à Florentinis ut idem ipsi facerent so
scalis intēpesta nocte ciuitatulæ admotis. Est is lo- ciali iure petierunt, ne in res Sfortiæ paterentur im
cus in parte urbis in arcis modum muro & fossa se petum fieri, quin uellet pontifex iuberetq; ut om-
ptus. Ingens terror inuasit ciuitatē ad primū clamo nia quæ ipsi duci in Piceno semel concessa essent, ei
rē captæ urbis, concursum est in publicū, unde ma- dem absenti inoffensa manerent. Et iam Picininus
gistratus priusquā illucesceret in arces concessere, per Flaminiam Apennino insinuatus, trāsitum mo- *Capitur Vitellius.*
q̄ opere & natura multo munitiores sunt quàm ci- liebatur, quum repentè ex urbe allatum est Vitelli-
uitatula, nulli dubiū erat quin retentis arcibus bre- um antistitem pontificis iussu ab Antonio Rido Pa
ui cogeretur hostis urbē relinquere. Picininus ubi tauino Adrianæ molis prefecto Romæ interceptū,
primū illuxit, ex superiore loco copias emisit, cœ- excussus ille à suis ferreq; portæ deiectu in pōte qui
ptaq; est urbs hostiliter diripi, uix primorum pauci arci accubat, à militibus ad hoc ipsum paratis ca-
ad hostiū genua obuoluti precibus tenuere, ne tā ptus est, atq; in arcem perductus. ubi paucis diebus
fœda & miserabili clade afficeretur ciuitas, quæ ne quibus custodiri cœperat, ueneno, ut creditur, uul-
que ui capta esset, neq; imperata facere recusasset; neribus indito, quæ reluctādo acceperat, morte cō
sumptus est, & Vitellius hunc exitū est fortitus, uir

maiore animo magisq; facinoroſo quàm uirum ſacris initiatum deceret, quippe qui eo creuerat plus ſibi arrogãdo q̃ permiſſum eſſet, ut Eugenio & omnibus ſupremi ordinis iure formidaretur, ductabat quaterna milia equitũ, duo peditum, firmauerat q; ſuo præſidio nobiliſſimas Romanæ eccleſię arces, ut nulli dubium eſſet Eugenio defuncto, ui fuiſſe pontificatum inuaſurum ſi ſuffragio potiri non contigiſſet, ſuntq; hæc eo anno geſta, quo eſt de eccleſiarum unione Florentiæ ſolenni conuentu actum.

Temporũ ſupputatio. Fuit idem annus mundanæ originis trigeſimus octauus ſupra cẽteſimum ac ſexies milleſimum, quũ à Chriſti regis ortu anni mille intercurriſſent quadringenti triginta nouem, Alberto Auſtriæ duce in Germania imperante, Ioanne Paleologo Bizantij, quum in Italia Eugenius iam nonum annum pontifex eſſet, in Gallia Amadeus Sabaudienſis, ſuperiore anno Baſilię pontificis nomen adeptus, unde recens in eccleſia ortum eſt diſſidium, propagatumque in Nicolai quinti pontificatũ, qui Eugenio ſucceſsit. Premebat per idẽ tempus Renati regis opes circa Neapolim Alphonſus Aragonius. Enimuero Iacobo Caudola fatali morte extincto, diffiſus ſuis opibus Renatus, Iſabella uxore relicta quæ in fide Neapolitanos contineret, iam enim Acerræ Aragonijs tenebantur armis, qui locus eſt Neapoli proximus, ad Antonium Caudolam ut ad ſpẽ unicã ſuarũ proficiſcitur, nec Gallus eſt ſua ſpe fruſtratus, ſed à Caudola, Aquilanis, alijsq; circumiectis populis

At. Picinini conatum. ſtipendio adiutus bellũ inſtaurauit. Nec Picininus acerbiſsimo Vitellij antiſtitis caſu propoſito auerti potuit, quin ſæuiente adhuc hyeme niuibus laborioſe diſcuſsis in Hetruriam tranſijt, ubi Politiano potitus in Caſſentinates tranſtulit caſtra, omnia terrore & populatione complens. Perculit hæc ſubita belli intẽperies Florentinos, ſuntq; ab initio ſuis uiribus uſi, inde & Sfortianorũ auxilia quædã affuerũt. Superuenit nec multo pòſt põtificis exercitus, poſt Vitellij interitũ in Hetruriã accerſitus: nã põti fex quũ ad id tẽpus adduci nequiſſet, ut duorũ populorũ ſocius uellet ſcribi, tũ Picinini conatibus cõmotus, quia ut hoſtis ab eo armis peteretur, in id

Eugenius fœderi aſcribitur. fœdus cum Venetis Tuſcisq; perculſit, ut omnium bellorum quæ extra Ciſalpinã Galliã gererẽt, eſſet ſocius, haberetq; in armis ad uſum partium quaterna milia equitũ, duo peditũ, tantum copiarum tum pontificiũ merebat ſtipẽdiũ. Lodouici igitur Aquileienſis antiſtitis ductu Aretinorum fines ingreſſæ Eugenij copiæ, tantũ ferociæ hoſtibus ademere, ut iam inde Picinini arma Tuſco uileſcere cœperint. Ipſe hoſtis ubi Sfortianos duces, qui in Hetruria erãt, cũ pontificijs copijs contuliſſe caſtra compertũ habuit, ad radices Apennini fecit caſtra, ut montiũ propinquitate tutiore eſſent loco. Sfortia qui ad id tempus anceps fuerat, deberet ne laborantibus Florentinis ſuppetias ferre, nã literis & nuncijs in Hetruriã accerſebatur, an Venetorũ conſiliũ ſecutus, ad Picininũ in Galliã reuocandũ res Philippi ferocius inuaderet, ubi ſocios auxilijs abũdare ſatis cõſtitit, quũ iã æſtas appeteret ex hybernis egreſſus, primum omniũ Brixiã, uel per medios hoſtes pene trare ſtatuit. Hortari ad id facinus naualis pugna nuper à Venetis proſperrimè in Benaco depugnata. Stephanus Cõtarenus cui claſsis ad Turbulas texẽdæ fuerat negociũ iniunctũ, ut cũ his nauibus hoſtẽ bello inſectaretur, triremibus cũ cætera claſſe in Benacũ deductis. (Quo nauiũ genere claſsis illa cõſtiterit alio eſt loco demõſtratũ, niſi quod de triremium numero uaria eſt ſcriptorũ opinio) in Turbulano tractu, ut alij aiũt, inter Ripã & Ponalis oſtiũ

Veneorum uictoria in Benaco. Venetus cum hoſte congreſſus, nauium etiã numero aliquanto inferior, poſt cruẽtiſsimum certamẽ, ingentẽ eſt uictoriã adeptus, ex tota hoſtili claſſe duæ duntaxat naues media trepidatione dilapſæ

A ſunt: cæteræ ad unã aut depreſſæ aut captæ. Fuit ea uictoria eo inſignior, quo & hoſtiũ apparatus maior: nã præter quod Blaſius Aſaretus & alij Liguſti ci nominis, Genuæ, ut arbitror, extorres, qui rei maritimæ ſcientiſsimi, Philippi claſſem agebãt, Italus Forgiulianus naues militibus inſtruxerat pugnæque præeſſe uoluit. Is ubi rem perditam uidit, in ſcapham tranſgreſſus fuga ſeruatus eſt. Fuit eiuſmodi uictoria, quũ alijs ciuitatibus tum Brixianis lætiſsima, qui aperto lacu ſatis ſciebant non defutura ſibi auxilia, non commeatus, non alia ſubſidia, quibus erat ad id tempus laboratũ. Miſerunt itaq; Venetias legatos qui principi & patribus gratularẽtur uictoriã, legati aureũ uexillũ ſecũ attulere, quod hodie in aurea æde uiſitur, in quo illud eſt, Brixia magnipotẽs cæteris urbibus prębuit fidei exemplum. Expugnauit inde Contarenus Ripã oppidũ in ora Benaci, quod ui captũ diripuit, mox & Garda recepta eſt, unde lacus recens habet nomẽ: nã Benacus olim fuit à Naco, ut credere par eſt, is uicus hodie lacui propinquus, Bardolinum inde receptũ, Lagiſium & cætera loca lacui obiacentia. Sed dum hæc in Benaci ora geruntur, Sfortia interea ad Mineruium caſtra admouerat: hic auditum eſt Borſium Eſtenſem, quem Florentini magno ſtipendio inauto rauerant, ad Philippum defeciſſe, & Gõziacum hoſtem cum ingẽtibus copijs nõ procul abeſſe, ut oẽs Sfortiæ conatus ex occaſione infringeret, ſtetit aliquandiu anceps ille, an Minciũ trãſmitteret: cęterũ Petri aduocarij monitu & hortatione, erat is in caſtris publico Brixianorũ nomine, aſsidueq; poſtulare, obteſtariq; ne urbs Veneti nominis fideliſsima in aperto diſcrimine ꝓderetur. His Sfortia commotus, & quia ſciebat id Venetis cordi eſſe, Brixiã ire pergit, Mincioq; ad Zambanũ ſupato copias flumine traiecit, id oppidũ ui captũ diripuit, deinde Riuoltella dedita eſt, ꝓceſsit inde ad Cleſiũ amnẽ decem milia paſſuum à Brixia, eſtq; interim Salodiũ ui receptũ direptumq; hoſtiliter, quædã etiã ſpõte loca in fidẽ rediere, quo ſucceſſu Sfortia ferocior factus, Brixia relicta quã ſatis recreatã ſui aduẽtus fama ſciebat, in hoſtẽ pergit porrò ire: ad Balneolum primò fecit caſtra, hic quũ indicio cõperiſſet Philippi duces, Lodouicũ Seuerinatẽ, & Italum Foroiulia nũ inter Soncinũ & Nouos Vrceos ſedere, ad hos citato agmine profectus, non ſolum prælio fudit, ſed caſtris etiam exuit, mille hoſtium partim cæſi ſunt, partim uulnerati, quatuor milia equitũ peditumque pari numero capta, ut Ariminenſis Paſius ſcribit, alij hũc numerũ dimidio ferè extenuant. Erat Borſius Eſtenſis cũ mille & quingẽtis equitibus ad Ienepaltã uicũ duobus milibus paſſuũ à loco, ubi res geſta eſt, in hũc ſollicitũ & deliberantem ſuis ne ſubſidio occurreret, an in tutũ cũ uniuerſo equitatu abiret: Sfortiani fugientẽ ſecuti impetũ fecere, & hic quoq; eſt nõnihil certatũ, ſed ut ferè euenire ſolet, ut res ſemel inclinata, neq; cõſilio neque uirtute ſiſti poſsit amplius, tertia equitũ pars cũ omnibus impedimentis capta eſt, tũ uerò Philippi rebus duplici clade acciſis, Vrceani & finitimorũ qui dã in fidẽ rediere. Sunt qui ſcribãt Soncinum ui captũ, recepta adhæc omnia Bergomatis & Brixienſis agri oppida, Brixiæq; tantũ commeatũ undique importatũ, ut decuplo minoris q̃ nup ueniret anno na. Trans Olliũ inde trãſtulit bellũ Sfortia, Caſſalinosq; ad deditionẽ cõpulit: recepere & alia quædã loca imperiũ, & in his Triuiliũ & Triuoltella in Abduana glarea, Carauagium tentare nõ placuit, quia munitionibus & præſidio eſſet ualidè firmatũ, iam & Abdua eſſet cõfeſtim trãſmiſſum, ſed Philippus duplici clade circa Vrceos accepta, aduerſam flumini ripã aggere crebrisq; firmauerat ſtationib. erat & Picininus cum exercitu ex Hetruria reuocatus, ob hæc, & quia aliquot poſt ſe loca reliquerat Sfortia

Vexillum Brixianorum.

Benacus.

Sfortia Mineruium ſupra.

Sfortiæ uictoria.

A tia ad omnia bellorum momenta peropportuna, quæ præſidio hoſtium adhuc tenebãtur, ab Abduq; tranſmiſſu abſtinuit, adortus itaq; Carauagiũ paucis diebus ad deditionem compulit: quidam autores ſunt Leonẽ Sfortiæ fratrẽ Carauagiana obſidione occubuiſſe, tormento ictum. Et res Philippi in hoc erant ſtatu, quæ quo iniquiore loco eſſe ferebãtur, eo Picininus ſuum in Ciſalpinam Galliam redi tum magis accelerabat. Cæterũm nulli dubiũ erat, quin eo ex Hetruria digreſſo, omnia loca, quæ bello amiſiſſent, continuò Florentini reciperent. Perũſiana expeditione omiſſa, qua certa ſpe ferebatur Perũſiæ per homines ſuæ factionis occupandæ, Typhernoq; obiter ſed fruſtra quidẽ tẽtato, Burgũ ſepulchri decreto petijt, ut cũ pontificij Tuſcisq; exercitus ducibus confligeret, qui ad Anglariã ſedebant, ratus, ut ſi ea parte hoſtẽ clade aliqua inſigni affeciſſet, nõ modò oppida quæ capta eſſent permanerent in fide, ſed multo etiã plura à Tuſco & pontifice breui deficerent. Certa igitur ſpe rei bene gerendæ ex Burgo ad tertiũ Calendas Iulij, die quæ ſacra eſt apoſtolorum principibus, uelut ad feriatũ hoſtẽ profectus in multo difficilius pugnæ genus incidit quàm animo cõceperat. Enimuero Lodouicus antiſtes, Paulus Vrſinus ac cæteri duces qui ad

Funditur Picininus ad Anglariam. Anglariã ſedebãt futuræ pugnæ intẽti, adeò feroci ter uenientẽ excepere, ut uelut in inſidias præcipitatus, coactus ſit cõfeſtim mutare pugnæ rationẽ. Certatum eſt itaq; acriter utrinq;, mox Picininus ultima ui connixus, hoſtẽ ex ſuperiore loco deturbare adortus, cũ magna ſuorũ ſtrage ad ima deijcitur, deiectus porrò fugatus eſt, parteq; copiarũ multo maxima exutus. Scio fuiſſe qui ſcriberẽt Picinino abſente à Franciſco eius filio ad Anglariam tam infeliciter dimicatum, ſed Lagiſianus autor eſt Picinium quum Burgum refugiſſet, bis ob rem malè geſtam conatum ſibi manum inferre, fuiſſeq; id factu

B rum, niſi Franciſcus filius die noctuq; illi aſsidendo conſolando q; tenuiſſet, ut in uita perſeueraret, audita uox ducis eſt ac mox uulgata, actũ uno prælio de Philippo & eius principatu, ſi florem Italicæ

Sfortiæ ſucceſſus. militiæ eo die captum hoſtis reddere noluiſſet. Sed dum ad Anglariam hoc euentu eſt dimicatum, Sfortia interea Carauagio recepto, Aſulam, Canetum, & Mercarium Gonzagæ ademit. Lunatẽſes & ipſi pòſt paulò imperium accepere. Piſcaria inde oppugnata eſt ad Mincij caput in Benaci ora. Hic Sfortię

Nicolaus Eſtẽſis autor pacis. ſedenti Nicolaus Eſtẽſis aſſuit de pace acturus, policeri Eſtenſis dux pacis ſuaſor, futurum ut præter cætera Philippus filiam toties abnegatã daret Sfortiæ, cui ſi ita cordi eſſet uel in caſtra etiam mitteret. Cæterũm quia dux ipſe & Veneti quorũ ille ſtipendium merebat, uiſi ſunt à pace non abhorrere, Eſtẽſis Mediolanum proficiſcitur, certa quidẽ ſpe confi ciundæ pacis, interea Piſcaria ui capitur, capta diripitur, dein Vigeſium, Vallegium, & alia quędam ex eodem hoſte loca Venetis armis ceſſere. Nec multo pòſt omnium opinione celerius Blanca ſecũdo Pado Mantuã ab Eſtenſi delata eſt, quæ res fuit Venetis ab initio ſuſpecta, tacitè ſecũ reputantibus quid ſibi uellet feſtinata illa Sfortiæ & ſoceri reconciliatio. Gliſcere itaq; ſua ſponte ſuſpicio hæc, quum liberiore quadã Sfortiæ uoce porrò diſcuſſa eſt, petẽtibus Philippi amicis ut dux ipſe Marmariolũ iret, Mantuani agri uillã, de pace & nuptijs coram conjuge acturus, nec ſe iturum dixit Sfortia Venetorũ

Sfortiæ uox memorabilis. imiuſũ, neq; illos ſi ſapiant permiſſuros, ex Mantua dein puella Ferrariam flumine deuecta eſt. Sed dũ hęc alibi fiunt, Picininus ex Burgo quo ſe ex Angliana acie receperat, in Vmbriam trãſijt, collectoq; modico exercitu ex ijs qui prælio egreſsi fuga ſeruati fuerant, circa Eugubium conſedit, tentauit interim ut à Perũſinis reciperetur, cæterũm quia id nõ dabatur in Flaminiam tranſijt, hic firmatis eius prouinciæ urbibus, Mediolanum conceſsit, Franciſco filio cum his copijs quæ aderant ad locorum præſidium relicto. Nec Lodouicus antiſtes ſibi defuit in choata uictoria, quin Apenninum tranſgreſſus in Flaminiam duxit exercitum. Sigiſmundum Malateſtam & fratrem qui ad Philippum deſciuerãt, ad pontificis ſtipendium reuocat, eius prouinciæ oppida pleraque ad deditionem compellit, quæ Picinini præſidio tenebantur. Oſtaſius Rauennæ princeps, qui diuerſarum cenſebatur partiũ, quia aperto perebatur bello, Iacobi Antonij Marcelli Veneti legati fidem implorat, fuerat Marcellus in Flaminiam miſſus cum quinque turmis equitum ſub Lodouici acceſſum, ut belli partes iuuaret, eſt itaque Oſtaſius cũ coniuge et liberis Venetias miſſus. ſunt qui tradãt deditionem illam ui Oſtaſio expreſſam, Rauennatibus iam apertè rem ad Venetos trahentibus, id, ut libentius credam, Oſtaſij ſuadet & libe

Albertus imperator. rorum in Cretam inſulam deportatio, quo publico decreto ablegati ſunt. Tulit iniquo animo Lodouicus antiſtes Rauennam omnium opinione celerius deditam, uel quia laudem receptæ urbis noluiſſet ſibi ademptam, aut quòd clariſsimæ urbis poſſeſsionem inuidit Venetis. Pontificiæ copiæ iã hyeme appetente trans Apenninum in Hetruriam conceſſere, & Sfortia omnibus iam locis ex hoſte receptis, præter Leniacum portum, quia ualido teneba tur præſidio, milite in hyberna dimiſſo, ipſe Veronæ cum cohorte una eſſe uoluit. Et hæc in Italia geſta eo anno, quo Albertus imperator qui Sigiſmun do ſucceſsit, ſua mortem obijt, una uſus eſt in Turcos expeditione proceſsitq; ad Drauum uſque amnem. Cæterũm dum hic ſedet, nam adhuc non tantum copiarum aderat, ut turò ſe poſſet hoſtibus objicere, Turci Sindrouia quam aliquandiu obſederant, potiti ſunt. Morauos & Sarmatas qui Poloni ſunt hodie, intra ſuos fines coërcuit, quorum arma licentioſius uagabantur. Sunt Morani, quando eò

Moraui. uenimus ut duarum gentium uno loco mentio fiet, inter Pannones & Boẽmos ſiti, ex Auſtria trans Iſtrum extenſi, Marcomanni & Sudini eam terram tenuere, ut recentiorum quidam exiſtimare uidentur, gens hodie ferox, ac rapto gaudens, Romanæ tamen ritu eccleſiæ Chriſtianam colunt pietatem, Reguli duntaxat Huſsitano fauent delirio, fatis cõſtat patrum memoria (Pius pontifex huius eſt rei autor) Ezernahoram Morauiæ gentis regulum inſignem, Ioannis cognomento Capiſtrani minoritanę obſeruationis opera ad ueræ pietatis cultũ reuocatũ. Polonia oriẽtalis eſt Morauiæ, ad ortum Moſchos habet, Scythicũ genus hominũ, & Vallachos, nec Moraui ſolũ occidui ſunt Polonis, ſed Bohemi, & Sleſitæ, Lithuani, & ad meridiẽ Polonię adiacẽt, ad Septẽtrionẽ Sarmaticus oceanus. Pruſia interiecta, q̃ olim Sarmatiæ pars fuit. Aiũt Poloniæ nomẽ à Pola eſſe, quę uox planitiẽ ſignificet: plana eſt plurimũ regio, caput in ea gẽre Cracouia urbs ad Iſtulę

Cracouia. fluminis ripã, cũ celebri Gymnaſio omniũ liberaliũ artiũ, fama tenet à Graco Sarmatiæ duce qui eã cõdidit, nomẽ urbi inditũ, ædificia publica & priuata uiſendo apparatu, mœnia uetuſtate cõſumpta, omnia lapidea, cæteris urbib. ꝓ muro lignea materies. Iacynthus Dominici Calaguritani comes Cracouię ſirus eſt, Cãtus q; Cracouiani quondã Gymnaſij doctor ambo in beatorũ numerũ delati. Imminet urbi tẽplũ cũ Vinceslai Bohemiæ ducis tumulo inſigni ſanctitate uiri, id opus marmore & alabaſtro, ſed arte nobilius: hic regia eſt totius q; regni gaza. Contra

Caſimirum. Cracouiã in aduerſa Iſtulæ ripa Caſimirũ urbs: & hæc à cõditore nomẽ adepta: peruię inter ſe urbes: quę põs uſum præſtat fluuio impoſitus. Regnũ uniuerſum in quatuor uelut regiones eſt diuiſum, quas in orbẽ rex quotãnis inuiſit, ſinguląternis meſibus alũt regẽ regiũq; comitatũ. Cæterũ ſi caſu cõſilióue in una aliqua regni parte diutius rex eſſe pſeueraue rit, nihil debeꝛ illi amplius. Gẽs in uniuerſum pru-

dés, multaq; comitate in hospites, bibaciſsimũ genus hominũ, ut totus ſeptẽtrio, ſed rarus uini usus, ignotus gẽti omnis uinearũ cultus, factitia ex tritico alijsq; generibus ſeminũ potio in uſu eſt, ſolũ ſerax triticiq; abũdans eſt & paſcuis idoneũ, arméta latè paſcuntur, uenatio multiplex, equus ſyluester ceruino cornu, bos ferus, Vrũ Romani uocãt. Plumbũ dũtaxat ex omnib. metallis fodiunt Poloni, & ſalẽ ſaxorũ duritie, nullũq; toto regno uberius uectigal, mellis copia ingẽs, ſermo gẽticus et Sclauonicus, literarũ figuratio mixta ex gẽtili & Greçanica, ꝓmiſcuus & fidei ritus inter Romanũ & Græcũ uirorũ & mulierũ ueſtitus Græcanico ſimilis. Eſt Podolia pars Sarmatiæ Poloniæ prętẽta, Scytharũ incurſib. iã, ꝑpemodũ deſerta. Eſt Podolia & inferior Ruthenia dicta, omnis enim Ruthenorũ terra tripartito nominat, alba, ſupior & inferior, fuitq; inferior hæc q̃ & Podolia eſt, uetus Ruthenorũ ducũ ſedes. Solũtã, ꝓdigioſæ eſt feracitatis, ut gramẽ humanæ ſtaturæ inſtar aſſurgat, mira florũ copia, & ob eã rẽ increbidilis quidã mellis & cæræ, ꝓuentus, paſſim apes cauis arboribus lapidibusq; cauernoſis mellificãt. Sed quo maior eſt ſoli pręſtãtia, eo ꝓpius fidei accedit quod de uetuſtate terræ memorãt, tres ex ſuperiore Germania fratres fortuna haud ignobili in ea regione Chiũ cõdidiſſe, ubi horũ poſteri lõga ſerie ſint rerũ potiti, regno etiã in omnẽ Ruthenorũ gentẽ ꝓpagato, primus in his Cyrilli ductu Chriſtianã eſt fidẽ cõplexus Volodimerus, qui urbẽ loco emineti cõdidit, conditã de ſuo nomine Voldimerã dixit, quo regiã ſedẽ ex Chio trãſtulit. Moſcouiã inde quatuordecim miliũ paſſuũ circuitu ſtatuit ad Moſcũ amnẽ, unde & urbi nomẽ, nobiliſsimaq; hodie in Ruthenis ac regia ciuitas. Maſouitæ, aut ut quidã ſcribũt, Maſſagethæ Polonię regi parẽt, ambiguus gẽtis ritus, ambigua fides, nã neq; Chriſtianæ pietatis ſunt hi, prſus, neq; alterius ſed anceps religio. Inter Liuoniã accolũt & Prutenią, ſiue Pruſiã, itinere unius diei Hercinia ſylua totã ꝑcurrit Poloniã, pãditurq; latius circa Cracouiã regiã urbẽ, alit id nemus, ꝓter alia ferarũ genera, Biſontẽ animal citrei coloris latiore frõte, homini natura inimiciſsimũ. Protenditur Polonicũ regnũ Balteũ uſq; mare, nõ multo pòſt dicendũ. Poloni Vinthelino Germani ſanguinis electo, Vladislaũ ex Lithuania accerſitũ regẽ creauere, obijt hic ferè nonagenarius, duob. filijs ſupſtitibus. Vladislaus regnũ à patre accepit, belloq; occubuit, quod cũ Turcis geſsit, Caſimiro eius fratri Poloni regnũ abrogarũt, detulerũtq; ꝓlegatos Federico Brãdeburgenſi, nec ille delatũ recepit, nõ eſſe ſe rogandũ reſpõdit ut alienũ reciperet regnũ, ſed Caſimirũ potius ut id capeſſeret, qui hæres eſſet fratris. Pari modeſtia uſus dicit Federicus tertius imperator, q̃ à Pãnonib. & Boemis poſt Ladislai mortẽ ad eius res inuadẽdas accerſitus ꝓtinaciter recuſauit, ne Sigiſmũdo ꝓpinquo ſuo ea res eſſet prędiudicio. & hęc de Polonia & gẽtis ritu ut breuiſsimè potui. Nũc ꝙa Pruteni & Lithuani ad occidẽtẽ ſolẽ terrã hãc attingere dicti ſunt, de his breuis inſtituẽ ſermo priusq̃ ad res Italię reuertar̃ hiſtoria. Poſt Maſouitas qui in rerũ Polonicarũ relatione nuper dicti ſunt, Pruſia, unde Pruteni, terra eſt Germaniæ & Sarmatiæ particeps, ſi Ptolemæus uerus eſt autor, qui Viſtulã fluuiũ utrãq; ait terrã diſtermina re. Perluit Viſtula Pruſiã à Torno oppido Gedanũ uſq;, quo in loco Balteo mari infundit. Balteũ mare nunc quod Sarmaticus olim fuit oceanus, à Baltia, ut arbitror, inſula immẽſæ magnitudinis, quæ à Scythico littore tridui nauigatione diſtat, ut Xenophõ ꝓdidit Lampſacenus, ut Balteũ mare ſit dictũ quaſi Baltiũ, ſed hæc cõiectura eſt. Intra Scythicum oceanũ & Germanicũ Balteũ mare cõſtituũt recentes. Scythicus oceanus à Scythia eſt, cuius ſeptentrionalior pars Almachiũ dicitur ab Hecateo, quod Scythica ſonet lingua congelatum. Philemõ Mori

Maſouitæ.

Hercinia ſylua.

Att. ueri principis reſponſum.

Pruſiæ & Lithuaniæ ſitus.

A maruſam à Cimbris uocari prodidit, hoc eſt, mortuum mare, id ſecuti noſtrorum quidam glacialẽ uocant oceanum inſolubili glacie concretũ. Eſt itaq; Pruſia ad Sarmaticũ oceanum extẽſa citra Viſtulã, ultra Germaniæ eſt, ad orientem ſolem & meridiẽ. Maſouitæ ſunt & Poloni, accolunt ad occidentem Saxones, Germanicum genus hominũ, ferax Pruſiæ ſolum, maximeq; frugiferũ, irriguum, frequens cultus, regio amœna & pecoris abundans, piſcatus, uenatioq; multa. Vlmerigi eam terrã tenuere, quũ Gothi ex Scandauia inſula egreſſi ſunt, ut Iordanes ſcripſit, Ptolemæus Amaxobios, Alaunos, Venedes, & Githones penes Viſtulã habitaſſe autor eſt, malorum dęmonum cultrix olim gens uſque adſe cundi Federici tempora, eam terram Deiparæ milites poſt Ptolemaidem in Syria amiſſam reuerſi in Germaniam ſuo ductu & auſpicijs ſubegere, ſubactã ac iure belli quæſitam ſuæ ditionis fecere, uicta gens Chriſti fidem complexa eſt, & cum fide Ruthenicam linguam. Fuit ad Viſtulam amnem quercus, ubi à principio uictrix gens caſtellum erexit, mox, ut ſunt res hominum quæ tenui principio in maius augentur, oppidum frequenti cultu adoleuit, Marienburgum uocant, caput nunc gentis, ſedesq; eorum qui uniuerſi ordinis funguntur magiſterio. Sacræ huius militiæ origo Theutonica eſt, nec quiſquam niſi Theutonicus his ſacris initiatur atq; idẽ claris ortus natalibus, & cui proponitur ut aduerſus ſacratiſsimæ crucis hoſtes paratus ſit omni tempore dimicare, albo pallio amiciuntur, nigra cruce, ſubter & nigra tunica, omnes alunt barbam, ꝓter eos qui ſacris operantur. Dominicam orationem pro canonicis horis uſurpant, neq; literas diſcunt, diuitijs abundant, nec minor quàm regibus potentia, cum Polonis graue bellum geſſere de finibus, ut aſſolet, ſuſceptum: uſi ſunt Poloni eo bello Tartaris & Lithuanis ſocijs, Deiparinis militibus ex tota Germania auxilia aſſuerunt, ſexaginta milia equitum in utroq; exercitu cenſa, Vladislaus tum Poloniæ rex erat: ſunt itaq; Lithuani ingenti ſtrage cęſi, qui primi prælium iniuere, Poloni dein ultima ui connixi Theutones fundunt, ac fœda ſtrage fugãt. Cæditur magiſter religionis cum primoribus ſuæ gentis & ordinis, nec incruenta obtigit Polonis uictoria & ſocijs. Sed memorabilis hęc pugna multis antè annis pugnata eſt quàm Albertus, de cuius obitu nuper dixi, imperium in Germania obtinuerit, quippe quę in dẽcimum humanę Salutis ſupra milleſimũ ac quadringenteſimum incidit annũ: peritrũt prælio illo ſuper obſcuram multitudinem ſexcenti equeſtri dignitate, omnis Pruſia ad uictorem defecit præter Marienburgum. Cæterùm expace quæ mox ſecuta eſt, Pruſia Marianis militibus eſt reſtituta, magno auri pondere pro terræ reſtitutione uictorib. appenſo: multis inde uarijsq; Pruteno rum motibus eſt religio agitata, Caſimiro ex Polonia accerſito, cum quo Deiparini, qui & Mariani ſunt milites, uario euẽtu ſæpius dimicarunt, fuitq; ex omnibus certaminibus illud maximè memorabile, q, ad Connitium eſt geſtũ, oppugnabat ferox hoſtis multa ui id oppidum, ceſsit ea pugna proſperè Marianis. Rodulphus ſacræ militiæ magiſter cũ ſeptem milibus bellatorum fudit duodeuiginti hoſtium milia, fuit uictoria illa inſignis, ſed ob mortẽ ducis minus læta. Agitatum eſt non multo pòſt de nouo magiſtro reficiẽdo in demortui locũ, ubi quũ ſuffragia multitudinis uariarẽt, nec in unũ aliquem plurium ſtudia inclinarent, conceſſa eſt uni facultas eligendi ex omni numero quẽ uellet, modò dignisſimum tali honore iudicaret. Fertur quiſquis fuit ille cui talis poteſtas obtigit, ſibi magiſterĩ arrogaſſe, publicè teſtatus nullũ credere ſe eiuſmodi honore digniorẽ. nã quo animo forẽt alij parũ ſe explorãtũ habere, ſuum ſibi animum ſatis notum eſſe, quippe qui omni tempore optauerit aliquid ſibi dari, quapro-

Deiparæ milites.

Att. ſuneſtum Germaniæ pugnam.

Att. electionis memorabilis.

quapropter inſigniter totũ religionis nomẽ demereręr, tenuit ille eiuſmodi adagio, ut uniuerſa multitudo rẽ ꝓbauerit. Nũc ꝙa in Prutenicis reb. Lithuanorũ mẽtio facta eſt, q̃ in prima acieà Polonis aduerſus Marianos milites ſterere, de ea quoq; gẽte ſunt pauca hoc loco dicẽda. Eſt Lithuania ad ortũ Poloniæ connexa noningentorum milium paſſuum circuitu, magna ſui parte paluſtris plurimumq; nemoroſa, & ob eam rem difficilis aditu, ac quodãmodo inacceſſa, aquis paluſtrib. cuncta obtinẽtibus, hyeme cõmercia cũ Lithuanis habiliora, paludibus & ſtagnis alta glacie cõcretis, niueq; ſuperinfuſa ſiunt omnia mercatorib. peruia, quo fit ut uelut alto mari quando nulla certa ſit uia aut ſemita, ſidera ſignent iter. Rara in Lithuanis oppida, uillarũ incolatus infrequens, accolarum diuitiæ pelles multigenũm ferarum, quibus regio inſigniter ſcatet, ceræ & mellis abundans, uſus pecunię nullus gẽti inter ſe, matronæ palã cõcubinos habent, uirorum permiſſu, quos cõnubij uocãt adiutores, cõtrà pellicatus uiris probro datur, ádeò gẽs una à cęteris mortalibus diuerſo uiuit ritu, ut nõ abſurdũ ſit illud Ariſtippi, honeſtum nõ natura, ſed cõſuetudine cõſtare: ſoluuntur ab his cõnubia mutuo cõſenſu, uini rariſsimus uſus, panis nigricans, armenta uictũ præbẽt, multo lacte utẽtibus, ſermo gẽti ut Polonis Sclauonicus, ex his qui Sclauorum utuntur lingua, Romanæ ritum eccleſiæ ſequũtur, Poloni, Delmatæ, Croacij, Carniq;: alij Græco ritu ſacra peragunt, ut Bulgari, Rutheni, & ex Lithuanis pleriq;, nõnulli ab his diuerſi abeũt ut Boëmi, Moraui & Boſnenſes, quorũ pars multò maxima Manichæũ fouẽt delirium, & Sclauonicus ſermo tã late patet. Hieronymus Pragenſis, qui Eugenij quarti põtificatu in ea terra euangeliũ prædicauit, ritum & mores gẽtis ad id tẽpus minus notæ noſtris hominib. demõſtrauit. Narrabat is, ut Pius pontifex prodidit, Lithuanorũ quoſdã ad quos primum peruenifſet, domeſticatim ſerpẽtes habuiſſe, quibus per ſe quiſq; ſacrificabant. Cęterùm renuiſſe ſe ut ꝓter unum qui cremari nõ potuit, à ſuis cultoribus interficerẽtur, alij ignem colunt, captantq; ex eo auguria, ſolẽ nonnulli, mallei ferri ſpecie immani magnitudine, appellati ſacerdotes de eiuſmo di ſacris, plures dies aiebant ſolẽ à nullo hominũ uideri potuiſſe, quippe quẽ rex potẽtiſsimus captum clauſiſſet turri quadã munitiſsima, tũ Zodiaci ſigna laboranti ſoli opitulata, factumq; ut prægrãdi malleo ſit turris diſiecta, & ſol mortalibus reſtitutus, proinde fas piumq; uideri eam rẽ colere riteq; uenerari, per quam id numen conſeruari cõtigiſſet. Riſit ineptã barbarorũ perſuaſionẽ homo ueritatis amicus & cultor, docuitq; palam quibus uerſarẽtur tenebris uanæ ſuperſtitionis cultores. Ventũ poſtremò eſt ad eos qui lucos colũt dæmonibus ſacros, hi quum Pragẽſis prędicatione ſuccidi cœpiſſent, fortè conſauciatus eſt operantium unus bipennis ictu, uerſa res eſt in religionẽ, ſuperſtitioq; illa nõ ſolum ob id non extincta eſt, ſed maiorem etiã in modum adaucta. Eratq; diuinus ſermo hucuſq; progreſſus, quum Vitoldi literis iuſſus eſt Pragenſis prouincia excedere. Fuit Vitoldus Vladislai frater, alij Caſimiri nõ Vitoldi Vladislaum fratrẽ fuiſſe aiunt, eũ dico qui Varnenſi acie perijt, niſi fortè duo ab eo qui nũc eſt, diuerſi eodem nomine in ea gente fuerint. illud quod ad Vitoldum attinet, ſatis cõſtat cẽtesimo ac paulò amplius abhinc anno Chriſtianæ fidei cultũ Lithuanorum ducum eum primũ ſuſcepiſſe, cui Vitoldus ſucceſſit, Vitoldo Caſimirus. Is ut magno & elato fuit animo, quatuor uirilis ſtirpis liberos antequã uita decederet, ſublimi rerum faſtigio collocauit, Vladislaum Bohemiæ declarauit regẽ, qui & Pannonię poſtea eſt regnũ adeptus, Alexandrũ Lithuaniæ ducẽ, Albertum regẽ Poloniæ. Federicus ſacris initiatus pari felicitate in ſupremo Romanorum antiſtitum ordine locum inuenit. Cæterũ tãta

Lithuania.

Sclauonici nominis ritus & mores.

Delirium Lithuanorum.

A fuit Vitoldi in Lithuanis autoritas, tãtus terror, ut qui ſub eius fuere imperio iuſsi ſe ſuſpendere, ultrò uitã laqueo finirent, fontes urſinis pellibus conuolutos canibus laniandos obiecit, arcũ in expeditionibus ſemper intentum habuit, ut ordine aberrates confeſtim transfigeret, capitale futurũ edixit ſi quis barbã aleret, ut id unũ diſcrimen regẽ à populo diſcerneret. Nec Lithuanii imperio paruerũt, ſatius rati uita quã barba periclitari. Periculoſum nimis uiſum eſt Vitoldo id uindicare quod populariter peccaretur, abſtinuit itaq; uindicta, cęterùm recentiore edicto uetuit capillum barbã úe ſecari, ſoluſq; iã inde in tota gente tõſus uixit. Sindrigal Vitoldo ſucceſſit, fuit huic cicur urſa quę ex nemoribus cõſueta erat ad domum uenire, erectaq; in aduerſum cubiculi oſtium unguium crepitu, uelut claſsico quodam, ſuum reditum ſignificare, hanc coniurati occaſionem nacti, patefacto ad id ſignum cubiculo, regem obtruncant. Sed iam diutius quàm hiſtoriæ breuitas patiatur procul Italia hæc relatio per gẽtes euagata eſt ad Septentrionẽ repoſtas. Erat proinde eueſtigiò Italicarum rerum explicatio repetẽda, niſi Chriſtianæ pietatis amor & Liuoniæ admonuiſſet, eſt hæc terra ueræ ſtirpis cultrix, Rutheniæ ad Septẽtrionem prætenta, & ipſa intra Sarmatię fines. Tartari Scythicũ genus hominũ incurſant, Liuonianos Mariani milites ad Chriſti cultũ traxere, antea nullum niſi malorum dæmonũ nouere, ſæpius uarioq; euentu de poſſeſsione regni in ea terra bellatũ, Sarmaticum mare ab occaſu ſinusq; incõpertę magnitudinis, cuius oſtium ab occidente eſt non procul à Cymbrica Cherſoneſo, quam Daciam hodie uocãt, nam ueteris Daciæ ora ad Ponticum mare ſpectat, tãta nominũ mutatio ubiq; facta eſt. Iam uerò illud mirum uideri ꝓteſt, q̃ Daniã recentiorũ quidã hãc Cherſoneſum uocant: nam quæ alia terra Saxoniæ proxima ea uoce poſsit appellari nõ reperio, quod magno errore arbitror factum, ut quę Dauia primo diceretur, nã Dauos & Dacos dixere uetereſ, mox unius literæ inuerſione Dania ſit dicta. Circa ſinum ad Septentrionem ſemiferæ gentes, cũ quibus nullum eſt linguę commercium, nutu & ſignis permutant merces, ad meridiem Saxonia huic finitima in Germaniæ rebus dicenda, & gentes terræque iam dictæ in hunc modum ſe habent. Nunc ad Alberti exitum redeo, ut uelut ex proximo fiat in Italiam recurſus. Obijt diem Albertus altero ſui imperij anno uixdum acto, qui nouus fuit Eugenij, geſtabatque eius uxor uterum, quo Vladislaus poſthumus naſcitur, hunc die quo eſt in lucem editus populorum ſtudia regem declararunt, fuitque iam inde in tutela Federici Cæſaris, qui poſt Albertum imperio potitus eſt. Heliſabeth mater puerum illi & coronam commendauit, nouum connubium ſecuta, enimuero inuita ac reſtitans, cæterùm ſic Pannonibus poſcentibus, nupſit Vladislao Polonię regi, declarauitque ex eo connubio Pannonum pars una Vladislaum regem, quapropter regnũ ipſum abijt uelut in duas factiones, bellatumq; eſt inter Heliſabeth & Vladislaũ aliquandiu de poſſeſsione regni. Fauit reginę partibus dux Ciliæ, captusq; eſt eo bello à Polonis, arcteq; cuſtoditus. Intermiſſum id bellum nonnunquam interuenientibus induciis, certa pax nunquam ſecuta eſt. Moritur interea Heliſabeth, à cuius interitu recurritur continuò ad arma, uarioq; eſt euentu utrinq; bellatũ. Giſcra uir acerrimus ac Bohemi generis, Vladislai pueri partes tueri. Fecit Giſcra aliquot ſecũda prælia, fuditq; ſæpius acie Ioannem Huniadem Valachum genere, cognomine Album, qui primus noſtrorum hominum, Chriſtiani dico nominis, monſtrauit Turcos poſſe prælio ſuperari, ſæpe in eam gentem, ut ſuo poſtea loco demõſtrabitur, feliciter pugnauit, ditauitque Pãnoniæ templa hoſtium exuuijs. Operæpreciũm eſt audire quale pietatis exẽplum Huniades edidit

Vitoldi crudelitas.

Res Pannonicæ.

extremo uitæ tẽpore,homo Christianæ pietatis ob A
seruãtissimus,quũ iam morti propinquus Euchari
stiã posceret,in tẽplum uoluit deferri,palã inter suos testatus non dominum famuli domum subire
oportere,sed domini famulum.Fuit Huniades Ma
thiæ regis pater,qui latè postea in Pannonia regna
uit. Sed hæc postea secuta. Tenebat adhuc bellũ in
Italia inter Venetos & Philippum,quum ad cẽtum
miliaTurcorum Amurathis ductu Pannoniã ador
ti,latè terram populati sunt,commeatus inopia ob
stitit,quò minus omne Pannonium nomen eorum
armis subigeretur.Venit haud multò pòst in Pãno
niam Iulianus Cæsarinus Romani sanguinis ex su
premo antistitum ordine,quẽ Eugenius in eã pro
uinciam misit,ac tum demum eius interuentu do
mesticum Pannonię bellum resedit,qua usi oppor
tunitate,id regnũ Turci multò ferocius inuaserant.
Pace itaque parta in Turcos Christianis exercitus
proficiscitur,estq; circa Sophiam Thraciæ locum sæ
pe in hostem dimicatum Huniadis ductu, cuius fa
ma tam terribilis fuit iam inde inter hostes, ut pue
rorũ ploratũ cohiberẽt matres eius nomine illato.
Inde totis uirib. est in aciem descẽsum, cæsaq; sunt
quadraginta Turcorũ milia, ut Pannones ad Federi
cũ Cęsarẽ scripsere.Cęsarinus legatus sex milia tãtũ
cęsa significauit.Pax inde cũ Turcisiureiurãdo sanci
ta est, quã Eugenius põtifex detestatus, autor Vla
dislao fuit belli in Turcos instaurãdi.Rex qa iuramẽ
ti uinculũ sibi & suis remittebat,tametsi Pannoniã p
id tẽpus sibi armis uindicabat,posthabuit tñ dome
sticũ bellum externo,pontificis autoritatẽ secutus.

ENNEADIS X. LIBER V.

IV multumq; procul ab Italia e
uagati, ac nescio plus nimio etiam B
multoq; prolixius,quàm nostri fuit
ab initio consilij,eò reuertimur,un
de nostratium rerum sermo excide
rat. Fuit annº ille quo Picininus est
ad Anglariam memorabili prælio uictus,quum ge
starum rerum uarietate insignis,tum cœli inclemẽ
tia ad posteros infamis, fœdis assiduisq; tempesta
tibus, qua necessitate partium duces adacti, multò
celerius solito in hyberna concessere. Est & rei fru
mentariæ inopia non uno interim loco bellorum
iniuria laboratum, tristis ad recordationem memo
ria. nam non magis Brixia sensit id malum Vicece
mitis armis circumsessa, quàm Neapolis in inferi
maris ora ab Aragonijs oppugnata, quam suorum
egestatem Renatus rex armis uindicaturus,ex Cau
dolanis cæterorumq; principum, qui in partibus
erant,auxilijs,ad quatuor equitum milia contraxit
in Pelignis Furconẽsibus,quod alio est loco demõ
stratum, quem hostium conatum ubi exploratum
habuit Alphonsus,infesis montium angustijs,ob
tulit se obuiã Renato uelut acie dimicaturus.Cete
rùm quia Gallus pugnæ aliquanto paratior affuit,
quàm fuerat hostium opinio, conspectaq; est circa
illum maior armorum uis, quàm fama nuncia
tum esset, abstinuit pugna Alphonsus, ac dum ho
stis de prælio ineundo deliberat, loco decesit fu
gienti similis.Fuit ea res inuidię apud Renatũ Cau
dolæ, qui autor fuit pugnæ nõ temerè capessendæ,
& ob eam rem est Galli iussu nonnihil Neapoli cu
stoditus,sed libera custodia:eiusmodi iniuria fecit,
ut ubi primum Caudola sui iuris est factus,cum his
copijs quas secum habuit decedens, præsidioq;ue
ex Auersa educto,Renati partes reliquerit. Caudo
læ defectione adeò Gallicæ opes acciẽ sunt,ut iam
non solum non hostem sit ausus lacessere, sed Nea
poli incluſus ægrè urbem sit ipsam tutatus. Alphõ
sus ubi hostem uidit sociorum auxilijs destitutum,
multò ferocius Neapolim urgere est adortus, Gal
lum assidua oppugnatione fatigare. Sunt q; non
nihil interea maritimo commeatu Neapolitani ad
iuti,quem Genuensium nauibus importãdum Eu
genius curauit, tenuit inde obsidio illa quoad Ara
gonius hostis per cloacam, siue aquæductum ur
bi insinuatus Neapoli potitus est. Arx tamen
est retenta, multaq; ope ab Alphonso postea op
pugnata. Fuit is annus quo Alphonsus Neapolim
tenuit, humanæ Salutis millesimus quadringente
simus atque alter à quadragesimo, ac Eugenij pon
tificis duodecimus. Hæc diuersa parte Italiæ.In Ci
salpina Gallia Picininus qui nõ magis uictus quàm
uictor quiescebat,media bruma eius anni, quo fue
rat in Herruria uictus,præter omnium opinionem,
cum subitario exercitu in apertum erupit, ac quam
tumultuosissimè potuit circa Abduam res Vene
tas adortus omnem Brixianorum planiciem, præ
ter Vrceos,cũ inferiore Bergomatis agri ora, incre
dibili celeritate oppressit.Sũt & ex Sfortianis mul
ti numero capti in hybernis,alij alio loco, cæterùm
mille & ducenti ad Clarium,dum trepidè plures in
unum coëunt ad uim arcendam. Erat tum fortè Ve
netijs Sfortia,quo medio hybernorum tempore ex
Verona quam sibi ad hyemãdum,ut suprà est signi
ficatum, delegerat, cum paucis uenerat, principem
& senatum salutaturus, fuitq;ue eius accessus ciui
tati uniuersæ insigniter gratus,ab omnibus ordini
bus uenienti itum est obuiam, unum illum omnes
intueri, intentiusq;ue mirari tanquam in eo aliquid
supra hominis fastigium cernerent:tãta fuit de uir
tute unius uiri apud omnes tunc temporis opinio
ob ea quæ præclarè feliciterq;ue eo bello gesserat.
Hanc mendacij ansam nactus Picininus, quia plu
res dies ille fuerat Venetijs,rumores dissipat Fran
ciscum Sfortiam captum Venetijs,ac patrum decre
to in carcere necatum. Ea res adeò credita est, ut ex
ducibus qui ad id tempus sub Sfortia militarant,&
in his Ciarpellio uir multi nominis, ad Picininũ cũ
trecentis equitibus tranierit, essetq;ue omnino ma
ior defectio secuta, nisi Sfortia repentè adhuc hye
me, ad falsos de se rumores coarguendos,Brixiam
aduolasset, cuius peropportuno accessu confirmati
sunt animi omnium,qui in fide adhuc erãt,quietio
ra fuerũt reliqua hyberna, quo tempore incredibili
partium studio omnia ad bellum parari in sequen
tem æstatem,eratq;ue non solum ipsa prouincia, de
cuius possessione certabatur, sed tota etiam Italia
in euentũ futuri certaminis erecta. Ad prima igitur
ueris signa Picininus tanquam multum interesset
utri primas belli partes occuparent, aliquãto prius
quàm in apertum exiturus crederetur, cũ sexdecim
milibus hominum ad Seriolam amnem in Bergo
mensi consedit loco munitiore,nec à Sfortia est ces
satum,sed continuò hybernis egressus, cum floren
tisimo exercitu ad hostem proficiscitur,in eius cõ
spectu castra locat. Auxerat maiorem in modũ Ve
neta arma Mihaël Attẽdulus, qui sub id tempus ex
Hetruria in Galliam uenit cum duobus milibus e
quitũ,ad id publicè inautoratus,ut Mellitanis præ
esset copijs.Mellita enim iã exigua spe trahebat ani
mam graui morbo cõflictatus, cui postea defuncto
equestris statua posita est Patauij, quæ nunc uisitur
ad Minoritanam Antonij ædem.Sunt itaq; aliquot
leuiora prelia hic gesta,sed dum ualidi exercitus ad
Seriolam sedent,Bartholomæus Bergomas qui Ve
netum merebat stipendium, Ollium transgressus,
siue Antonius Martinengius(ut alij aiunt)is fuit,in
Cremonensem agrum ex improuiso erumpit, ad
id scilicet missus, ut hostis suorum clade commo
tus retrò abiret,quod nõ multò pòst accidit.Enim
uero Picininus trepidis excitus nuncijs, ex Serio
la profectus suis subsidio properat, traxit ille se
cum hostem euestigiò sequentem, sic paucis diebus
quàm collata fuerant castra ex Bergomati agro in
Cremonẽsem translata est belli sedes,Tum Sfortia
multò

Bellici regũ ap paratus.

Alphõsus Nea poli potitur.

Hybernat. nimi exped.

Falsa de Sfor tia rumor.

multò superior uiribus Martinengium corona cin A
git, erant in Venetis castris ad triginta armatorum
milia. Nec Picininus procul inde consedit, ut suos
qui obsidione tenebãtur, castrorum propinquitate
cõfirmaret.Incubuit hic omnis belli impetus,sed in
tanto partium apparatu,nihil gestũ est memoria di
gnum, stationarij exercitus nihil se incessentes bel
lum trahere,adeò ut iam ipsorũ ducum fides suspe
cta esset multis tanquam inter se occultũ fœdus in
iuissent,ut bellum de industria traherent,ne quãdo
omne robur Italicæ militiæ secũ haberent, prouin
cias inter se,partirẽtur, sed uetus simultas notumq;
factionum odium fidẽ opinionis huius leuabat,fie
bant tamen tepidius omnia, quum Philippus siue
fœderis inter duces icti suspicione imbutus,siue im
mensa bellorũ dispẽdia pertæsus, siue quod plures
credidere,insolẽtissimis Picinini& aliorũ qui ipsius
stipendiũ merebant,postularis offensus,repentè ab
armis ad pacẽ cõuersus, ad Sfortiã occultè misit, q
filiã omnesq; sui principatus fortunas eius fidei tra
deret. Vrbanus quidam Rhoseus Ticinensis in ca
stra ad id missus, alij Eusebium Caimum scribunt:
cæterùm siue hic fuit,siue ille qui cum mãdatis ue
nit, nocte una remotis arbitris inter se locuti rẽ ita
cõposuere, ut postridie Sfortia tabernaculo ingres
sus hilari uultu Maripetro legato, & ijs qui officij
causa aderant pacem nũciarit, inde in utrisq; castris
edictum est ut bello abstineretur, ipsiq; duces con
gressi inter se iũxerũt dextras, mutuaq; usi sunt gra
tulatione.Misit cõfestim Sfortia ad Folcarum prin
cipem & senatum,Angelũ Simonetam,qui his nun
ciaret pacem.Nec Picininus dissimulare potuit do
lorem suum, sed præsidio ex Martinẽgio educto in
Laudensem agrũ cõcessit,multũ de fortuna & Phi
lippo questus, quòd se claudum, senẽ, inopem unà
prodidisset,ut qui præsidio suis,terrori hostibus, cę
teris gentibus admirationi fuisset,omnibus iã inde B
ludibrio futurus esset.Sfortia Martinengio & cæte
ris locis receptis, Maripetro legato,cum Attendulo
& Alexandro fratre, ad exercitum relictis Venetias
proficiscitur. Vbi in curiã admissus ita ad principẽ
& patres uerba fecit. Data est, inquit, nobis prin
ceps & uiri sapientissimi ea soluendi belli occasio,
qua nec maior ulla, nec optabilior contingere po
tuisset.Fractus bello Philippus Vicecomes pacem à
nobis petit supplex, quam uester imperator sit suo
arbitrio daturus, exercitus uester incolumis est,
quæcũq; loca fuerãt bello amissa recepimus,suntq;
in uestri legati potestate,pacem cũ his uobis affero,
non solum æquam, sed reipublicę uestræ Venetoq;
nomini honestissimam,huius si autores eritis,pro
babitisq; in eo arbitrium nostrũ,res cõfecta est: sin
minus,decernite quid me facere uelitis, nam quod
ad meum in uos studium & fidẽ attinet,dabo enixè
operam,ut hoc bellum quod uobis magna ex parte
confeci,breui & ex omnium sentẽtia (modò fortu
na uotis respondeat) confectum audiatis. Fuit pax
quæ afferebatur eò omnib. gratior, quò minus ex
pectata,actæ sunt illi gratię ingentes,quòd bello &
diuturno & laborioso finẽ imposuisset,iret,& quod
ipsi duci Venetoq; nomini bene uerteret,quib.uel
let conditionibus pacem sanciret, futurũ ut Veneti
firmum ratumq; haberent quicquid ipse super ea re
statuisset.Cum his ille in castra reuersus,tam incly
ta pace lętus,dimisso in hyberna exercitu,Caprianę
esse uoluit, quo ex tota Italia legati ad eum uenere.
Philippus ut ab initio pollicitus fuit,filiam, ex Fer
raria reuocatam, cum nuptiali pompa Cremonam
misit,misi præterea cum ea qui Cremonã dotis no
mine Sfortię traderẽt,hic nuptijs ritè celebratis au
diri cœpta sunt legatorum postulata, tenuitq; plu
res dies altercatio alijs alia postulantibus,sed Sfor
tiæ declaratio hoc habuit, ut Brixia ad Bergomum
cum suis finibus Venetæ essent ditionis, Cremo
na Blancæ coniugi dotis nomine addiceretur, cæ
tera quæ citra Abduam essent,Philippo restitueren
tur,ut Veneti Lunatum & Piscariam retinerẽt, cæ
tera Mantuanorum finium Gonzaga princeps reci
peret,ita tamen ut ex Leniacẽsi portu præsidiũ ab
duceret, Venetus Turbulas & cætera circa Benacũ
loca,quę capta essent bello,haberet,ut Bononia in
tra Bienniũ pontifici restitueretur à Picinino,Astor
gius Fauentinus post locorum restitutionẽ, quæ ex
Florentinis occupasset,custodia liberaretur, Genuẽ
ses liberi essent,nec quicquam rei his esset cum Phi
lippo.Probarũt cæteri huiusmodi Sfortiæ arbitriũ,
Pontificius legatus quia parum rebus ecclesię con
sultum crederet, neq; ipse probauit, neq; cuiquam
probandum censuit, & Eugenius ob eandẽ causam
Florentia profectus Romam reuersus est,Sfortię &
socijs iratus. Nec is diu post pacẽ fuit in Gallia, sed
cum noua coniuge Venetias primò, ubi exquisitis
simo rerum apparatu est exceptus: ex Venetijs Pi
cenum petijt,anno tertio quo ad bellũ fuerat à Ve
netis accersitus. Quieuit inde res Veneta aliquãdiu
à terrestribus bellis,in mari nonnihil exercita est,in
piratica uagandi licentia cohibenda. Sunt & trire
mes aliquot per idem tempus in Turcos instructæ,
sed tã obscurè res prodita est in Venetis annalibus,
ut nec cuius ductu,nec quo sit loco res gesta, quan
tóue numero nauiũ,sciri possit: notior fama classis
Eugenij impensa in Turcos instructę,octo numero
triremes fuisse traduntur,id negociũ pontifex Ioan
ni Cõdelmario iniunxit,primi ordinis antistiti per
necessario suo,sunt & quatuor aliæ ad idẽ bellũ tri
remes missæ,Burgundiæ ducis nomine, Trierarchi
omnes Veneti nominis, utriusq; classis imperium
Alouisio Lauretano decretum, qui cũ Cõdelmario
antistite domo profectus,omnibus prosperam na
uigationem successumq; precãtibus in altum abijt.
Hic rerũ ordo postulat, ut paulò altius repetãtur ea
quę sunt in Turcos gesta post memorabile illud prę
lium in Thracia editũ,quo Sigismundus imperator
& Philippus dux Burgundiæ, magna Christianorũ
clade sunt ab Amurathe victi:ferox hostis eo succes
su adhuc ferocior factus, Mesicbechum misit cũ ex
ercitu trans Danubium.Hunc Ioannes cognomen
to Albus acie uictum,cum maxima parte exercitus
strauit. Attulit ea res tantum illi nominis apud Pan
nones, ut à Ladislao rege dux & gubernator regni
deposceretur.Amurathes iterum Mysiam ingressus
non precibus,non prẽmiorum pollicitatione ulla à
Georgio Despota prius flecti potuit, ut secum pacẽ
fœdusq; iungeret, quàm ab eo filię nuptias extorsit
cum ingenti dote.Cæterùm neq; pax illa,neq; affi
nitas obstitit, quò minus paucis interiectis annis,
Amurathis arma tertiò Mysiã inuaserint Tauri du
ctu,igni ferroq; terra ferax & opuléta uastata est, ur
bes & oppida partim ui capta, partim metu dedita,
soli omnium Nouomontani & Samandrini memo
rabili fide & uirtute hostium uictoriam diu remo
rati sunt, quadriennio assidẽtem hostem pertulere,
tanta interim rerum omnium inopia, ut super ueti
tos obscœnosq; cibos reperti sint, qui fame adacti
suas ipsi corroserint manus, postremò inedia uicti,
cum Gregorio principis filio ultrò in hostium pote
statẽ uenere.Enimuero Georgius Despota,ubi for
tunam inclinare uidit,cum uxore & liberis,omniq;
familia Vladislaum Polonię regem profugit, auxi
lium ab eo imploraturus. Motus pientissimus rex
tanti principis casu, continuò animũ adiecit ad bel
lum in Turcos comparandũ,in quo ornando bien
nium consumptum ab eo est. Misiam Vladislaus cũ
exercitu ingressus, Turcos prouincia depulit, quos
auidius in Thraciam usque persecutus, in insidias
penè præcipitatus est. Rhodopes angustijs ab A
murate infesis, quo casu excussus uictoriæ cursu
rex alioqui fortissimus, cũ hoste fœdus ad tempus
percusit,

Attẽde opinio nem de Sfor tia & Picini no.

Philippus pa cem petit.

Verba Sfortiæ ad senatum Ve netum.

Pacis declara tio.

Eugenius classẽ instruit in Turcos.

Attende obscœ nam famem.

Vladislai gesta in Turcos.

percussit, alijs artibus opus esse ratus, multoq; ma-
ioribus copijs ut potétissimum debellaret hostem.
Georgio itaq; in regnum restituto duobus ipsius fi-
lijs ab Amurathe receptis, quos crudelissimus ho-
stis luminib. priuauerat, in Pannoniã reduxit exer-
citum, Cæsarino pontificis legato Romam dimisso,
qui Eugenium doceret de his quæ circa Mysiam &
Thraciam nuper gesta essent, hortaretur; ad nouã
in Turcos expeditionem maturandam. Ipse tanta
celeritate bellũ reparauit, ut sub legati reditũ, præ-
missis in Transyluaniam ducibus, iam signa in ho-
stem mouerẽtur. Inter Nicopolim inde & Bidinum
inferioris Mysiæ loca ducens, ad Varnam consedit,
est is locus in Pontici maris ora. Per idem tempus
Lauretanus cum classe quam Venetijs profectã su-
prà est memoratum, in Propontidem uenit. Cupie-
bat uehementer Vladislaus classem sibi adiungere,
quum Amurathes quàm maxima potuit celeritate
copias ex Asia ingentes in Europam traduxit, Ge-
nuensibus precio corruptis, qui barbarum hostem
nocte una, ut fertur, circa Bosphorũ traiecere. Asia-
no exercitu his uiribus adiũcto, quas ex Thracia &
Macedonia collegerat, ad hostem ire pergit acie de-
creturus. Pugna itaq; conserta primo congressu Io-
annes Huniades, qui Albi cognomen tulit, omnem
hostium equitatum in fugam uertit, longiusq; à ca-
stris euectus, quũ tardius ad signa reuerteretur, cre-
ditus in prælio occubuisse. Hic rex Amurathis ca-
stra ferociter adortus, dum fossæ uallóq; imminet,
conaturq; munitiones hostium trãscendere, effusus
Vladislai inte- equo ad terram, interficitur. Huniades cognito Vla-
ritus. dislai casu, silentio præteruectus ad Histri fluminis
Christianorũ traiectũ, quàm maximis potuit itineribus adequi-
clades. tans in pacatum abijt. Pontificis legatus in Danubij
traiectu perijt, dubiũ nauigio ui fluminis uicto, an
ipse à uectoribus sit in fluuium præcipitatus, ut eius
spolijs potirentur: alij circa paludem quandam op-
pressum memorãt, dum equus cursu fatigatus po-
tu reficitur: hæc Segonius. Pius pontifex autor est
Vladislaum audito hostium numero cedendũ cen-
suisse, contrà Huniadem autorem regi & alijs fuisse
locum retinendi, ubi uerò hostis in proximo steterit,
tum Huniadem de fuga sermonem intulisse, quod
Vladislaus negauit se facturum, actum demum cõ-
serto prælio quũ neutro adhuc fortuna inclinasset,
aut certè nõdum decrera esset pugna, Huniades cũ
denis milibus Pannonũ Valachorumq; acie exces-
sit. Poloni, quod satis cõstat, eam cladẽ Huniadi, ut
fugaci desertori, acceptam referre soliti dicũtur, sed
qui rem æquius æstimant, prudenter ab eo factum
autumãt, qui perditis rebus superesse maluerit, qui
afflictas Christianorũ opes tueri possent, quàm una
funesta pugna omnia extingui. Cæterùm siue cõsi-
lio, siue metu fugam occupauit, in Dacia (nunc Va-
lachiã uocant) Huniades captus à Despota eius gẽ-
tis, uix filio in obsidem dato tenere potuit ut inco-
lumis mitteretur. Vladislai caput hastæ infixũ per
totam Græciã Turci circuntulerunt. Conflixerũtq;
Varnensi illa acie, ut apud quosdã scriptum reperio,
triginta Christianorum milia, quum multò maior
fuerit Turcorum numerus. Nec uictoria illa fuit ho
stibus incruenta, quorum duodequadraginta milia
desiderata sunt, Christianorum numerus à nullo,
quod sciã, ponitur. Stetit in acie illa funesta uir Gal-
lici generis, cuius pugna maximè insignis, is ut præ-
ualido erat corpore, animoq; inuicto, medijs Turco
rum agminibus cuneo rescisis, ad Amurathẽ usque
peruenit, quem conto prius, mox gladio percussit.
Cæterũ infesto hostiũ occursu à suis exclusus, post
multa & præclara dextræ facinora, in cõfertissima
hostium strage mortem occubuit. Pius pontifex au
Amurathis me- tor est fuisse eã pugnã magis hostibus quàm Chri-
morabilis nox stianis funestam, si cæsorum numerus cõferatur: sa-
tis constat rogatum Amurathem à suis cur in tã in-
clyta uictoria nullum dedisset lætitiæ signũ, ita oc-
curisse, ut diceret nolle se simili euentu sæpius uin-
cere. Fuit annus quo ad Varnam per hunc modum
pugnatum est, quartus & quadragesimus supra mil
lesimum ac quadringentesimum humanæ Salutis,
quum Eugenius quatuordecim sedisset annos. Per
id tempus Georgius Scanderbechus à Turcis defe-
cit, fuso in Transyluania Mesechbego, cuius ductu
militabat, concessit ille primo in Thessaliã, ceu regis
negocium curaturus, nec prius per fugã egit, quàm
paterno regno sit potitus. Intulit huic bellum Amu
rathes, sed à Thessalis & Epiroris fusus, grauiacta
ra affectus prouinciã reliquit. Expeditionis huius
memoria penè in obscuro est. Illa uerò & re & fama
nobilior. Peloponnẽses Varnensi clade perculsi, ad-
orti fuerant celeri & irrequieto opere Isthmum mu
nire, quod opus sæpius aut inchoatum est, aut con-
silijs destinatum, ac semper infeliciter, recentẽ hunc
Græcorum conatũ Amurathes discussurus cũ exer
citu Isthmum adequitauit. Cæterùm Græcis præter
opinionem resistẽtibus, obsidio trahi cœpta est. In-
rim indicio affertur Ioannem Huniadem subsidio
Græcis aduentare. Hũc Amurathes in Cassonio My
siæ campo quo erat illi transitus in Macedoniã, ex
improuiso inuadit, omnem metandi faculratẽ adi-
mit, cõcursum est tam hinc quàm inde atrociter ac
triduo dimicatum, fuitq; unum atq; alterum præliũ
Huniadi prosperum, nec tertiæ pugnæ initium mi-
nus lætum. Enimuero fusis fugatisq; hostiũ copijs,
Amurathis castra ferox Huniades oppugnat, cui ne
gocio intentus dum putat se egregiè uincere, uictus
est. Tenuerat se proximo tumulo Mahomeres Amu
rathis filius, fuit is postea rex, Byzantiumq; Christia
nis ademit, habuitq; extra aciem ad quadraginta le *Recens Chri-*
ctissimorum equitum in omnem occasionem para *stianorum cla-*
tus. Huniadem itaq; paternis castris hærentẽ tanta *des.*
est ui adortus, ut post ingẽtem suorum stragem, ægrè dux ipse cum paucis sit seruatus. Sunt qui scri-
bant hac demũ acie egressum Huniadẽ in Dacia cap-
tum, ut suprà est demonstratum. Memorãt adhæc
Amurathem ad famam belli huius ex Asia reuocatũ
à Calabassa qui Mahometi rector datus erat. Enim-
uero Amurathes Mhaometi admodũ adolescẽti im
perij habenas tradidit, ipse uel quia bellorũ tædium
cœpisset, uel q, iam grauior annis quietẽ optaret, in
Asiã reuersus, ocio & uoluptati deditus, haud mul-
tò pòst ex humanis decessit. Plures autores sunt A-
murathẽ hoc bello defunctum, omni hostium me-
tu solutum in Asiam cõcessisse, duobus exercitibus
cum suis ducibus in diuersa loca dimissis, hoc lose-
becho duce, ut Delmatiam inuaderet, hostiliterq;
popularetur, trãs Danubiũ altero, qui Dacas à Thra
ciæ incursatione cohiberet. Attribuunt alij postre-
mò unã Amurathi expeditionem, quã assiduis Ma-
cedonum querelis fatigatus suscepit, quod eorũ fi-
nes à Georgio Castrioto, cui Scanderbecho cogno-
mẽ fuit, ferro & igni uastarẽtur, ea querela impulsus
etsi iã ętate cõfectus in Epirũ trãsgressus, omne Epi
roticũ solũ usq; in Adriã læua populatione afflixit,
nullo tamẽ munitiore loco potit⁹, quin interceptis
etiã in reditu impedimẽtis, cæsaq; præcipua copia-
rũ parte ab Epirotis qui syluarũ angustias insederãt
in morbũ incidit, quo inualescẽti paucis dieb. mor-
tẽ obijt, anno uitæ septuagesimo quinto, ex quo re- *Amurathes*
gnare cœperat quadragesimo. Mahometes q postea *moritur.*
Byzantiũ cepit, uiginti annos natus, ab eo regnum *Mahometes*
per manus accepit. Fuit Amurathi alter à Mahome- *regnum à pa-*
te filius superstes, Calapius nomine, qui admodum *tre accipit.*
puer patrẽ amisit, hunc quũ Mahometes neci dede-
ret, puer alius pro eo suppositus est, ipse Byzantium
trãslatus, & ex Byzantino Romam, Calisti iussu est
in Vaticano custoditus, sed hæc aliquanto postea,
nũc Mahometis gesta consultò differũtur suo post-
ea loco dicenda. Per id tempus quo hæc in Turcos
gesta

Noui Italiæ gesta sunt, magna in rebus Italiæ mutatio facta est,
motus. Eugenio à socijs alienato, ob Sfortię arbitrium, qui
Bononiam non nisi post biennium reddendam cẽ-
suisset, & Philippus quia Cremona Venetis potius
quàm sibi credita esset à genero, nihilque post filiæ
nuptias suarum esset partium studiosior factus, ira
& odio ardere. Accesserunt Alphõsi preces, quibus
ille supplex cum Philippo egit, ut generum autori-
tate sua, aut ui proposito auerteret. Constans fama
erat iniuisse eum fœdus cum Renato rege, aduersus
Alphõsum moturum, ad prima ueris signa, cum ua-
lido exercitu, ut eum Neapolirana arce obsidione le
uaret. Fœderis huius à Sfortia, cum Renato icti non
una uidetur fuisse causa, nam & Sfortia pater Ioan-
næ reginę, cuius Renatus hæres fuit, summa ope iu
uerat partes. Augebat hæreditarium hoc studiũ re-
cens iniuria ab Alphonso accepta, qui quędam loca
haud obscuri nominis in Sannio & Apulia occupa-
uerat armis, quæ Sfortia dux fortissimus filijs pos-
fidenda, uelut per manus tradidit. Ad hos igitur no
uos generi conatus euertendos, Philippus cum Eu
genio fœdus clandestinè percussit, fuitque illi autor
ut Picinini opera usus, quo nullus dux aptior tunc
esset ad Sfortiæ opes infringẽdas, Picenum agrum
Romanæ ecclesiæ armis uindicaret. Prœuentus igi-
tur domestico bello Sfortia, quia tutò abesse nõ po-
tuit, Ioãnem fratrem suum ad Renatum misit, cum
ualida bellatorum manu, qui ad Carpenonum, cũ
Caudolanis acie congressus, magno prælio uictus,
toro equitatu exutus est. Fatigatus inde obsidione
est Renatus Neapoli inclusus, Alphonsus in Sfortię
inuidiam, Picinino in Aragoniæ gentis adoptionẽ
recepto, ex confesso se adiutorem prębuit, ille ut in-
festo erat in Sfortianos animo, pecunia in stipen-
dium ab Eugenio & Alphonso accepta, per Perusi-
norum fines Vmbriæ insinuatus Tudertum subito
accessu Sfortiæ ademit, inde per Asisiates in Pice- B
num transgressus uniuersam prouinciam tumultu
compleuit. Sunt qui scribant prius in Piceno bella-
ri cœptum, quàm Sfortia ex Cisalpina Gallia discẽs-
serit. quod si sic accidit, equum est credere Sfortiam
post pacatam suo arbitrio Galliam aliquandiu Cre-
monæ fuisse, nisi credere libeat post Sfortiæ arbi-
trium, confestim inter Eugenium & Philippum fœ
dus ictum, ut ad res nouas consurgerent, sed utcun-
que res habet, Sfortia in Picenum reuersus, Picini-
num in arcta quædam loca redactum, ad petendam
pacem compulit, ictumque est fœdus, ut ille prouin
cia decederet, abstineretque à Sfortiæ rebus. Erat-
que per hæc pacatum omne Picenum nomen, cum
tota Vmbria, quũ ex causa specie satis honesta re-
natum est bellũ. Diripuit in Picentum finibus Tra-
soniatum oppidum Sfortia, quòd eius loci oppidi-
cos minus obsequentes haberet, quam renouandi
belli causam Picininus cupidè complexus, ceu res
ecclesiæ à Sfortia uiolatæ essent, Tollẽtinum occu-
pat, inde Gualdum Nuceriæ, Alexandro Sfortiæ fra
tre inde ejecto, mox Asisio potitus est. Sfortia pa-
cato prouinciæ statu, continuò domo profecturus
erat cum exercitu, afflictis Renati rebus auxiliũ la-
turus, cæterùm tumultuosissimis nuncijs in pro-
uinciam reuocatus, coactus est in Piceno hyemare.
Interim Renatus desperatis rebus, Neapolitana ar-
ce sub præsidio relicta, per Hetruriam Pisas se con-
tulit, hinc in Galliam transmisit. Nec multò pòst Al
Alphonsus rex phonsus arce potitus est, declaratusq; ab Eugenio
Neapolim de- rex, ea conditione, ut in Picenum agrum ueniret ad
fendit. Sfortiæ principatum euertendum, & Eugenius Al
phonsusque per hunc modum bellum coquebant,
apparebatq; magnum certamen futurum de Piceni
possessione, quum Bononienses Francisco Picinini
filio, cum prędidij parte oppresso, se in libertatẽ uin-
dicant, cũ Venetis & Florentinis per legatos agunt,
ut ad tuendam libertatem utrorumq; socij fierent,
quod facilè assecuti, cõtinuò Picininorum præsidia
suis finibus ejciunt, locaque suæ conditionis reci-
piunt. Bononienses ut corpus reip. habilius coale-
sceret, publicum decretũ tulerunt, ut Baptista Can-
nedolus, & omnes eius factionis uiri in urbem resti
tuerentur, qui iam inde ex quo Eugenius Bononiã
receperat, extorres facti, adhuc porrò exulabant: cæ
terùm ut omnis ueterum inimicitiarum memoria
aboleretur, Hannibal Bentiuolus Baptistæ filiã du-
xit uxorem, sed neque patriæ charitas, neque noua
affinitas, ullàue necessitudo uincere potuit uetus
odium partium: paucis diebus quibus hæc ita com
parata sunt concordiæ causa, Hannibal à Cánedola
factione interficitur, cædes tanti uiri adeò indigna
uisa est ciuibus, ut ciuitas armis tumultuose arre-
ptis, Cannedolos urbe exegerint, plerisque eius fa-
ctionis fœdè trucidatis, & in his Baptista Hanniba
lis socer, cuius cadauer per urbem distractum publi
cè est crematum. Stetit per hos motus libertas inco
lumis Bononiẽsibus, qui pòst paulò Philippi armis
petiti, suis sociorumque opibus freti, hostem armis
pulsum suis finibus eiecerunt. Pacato Bononiensiũ
statu, auxiliares copiæ diuersæ abierunt, Veneti
suos domum reuocant, iam enim à Philippo recẽs
bellum ob ea quæ mouebantur, instare putabatur.
Florentinorum auxilia in Picenũ ad Sfortiã transi-
uere, is enim Aragonijs (nam Alphonsus in prouin
ciam uenerat) & Eugenianis grauatus armis, mul-
tis præterea cladibus, alijs super alias affectus, æger
rimè hostibus resistebat. Sed nihil æquè Sfortianas *Deseritur Sfor-*
opes affixit, ac ducum quorundam defectio, Tro- *tia à suis.*
iulus cum mille equitibus, & Petrus Brunorius, cũ
paulò minore equitatu ad hostes transiuerunt, bre-
uique eò res uenit, ut omnibus propemodum in Pi
ceno amissis, in phanum Fortunę se pro uicto Sfor-
tia receperit, ac tum demum ille socerum respicere
cœpisse creditur, fœdusque cum eo occultè percus-
fisse, ut Philippus bellum in Gallia renouaret, quo
semel moto Sfortia ceu coactus ad socerum transi-
ret, cuius fretus opibus Venetos graui bello impli-
caret, & socer generque hęc tum animo molieban-
tur. Veneti interea etsi in Gallici belli erant expecta
tionem erecti, miserunt tamen ad amicum ducem
& socium auxilia in Picenum, Thadei Estensis, Gui
donis Ranconij, & Tiberti Brandolini ductu: Flo-
rentini Simonetum miserant, & hæc toto ferè trié-
nio sunt in Piceno gesta. Quarto eius belli anno Al
phonsus rex & Picininus summa ope bellum repa-
rant, nec contentus Aragonius hostis terrestres co-
pias ad bellum comparasse, in Eugenij gratiam clas-
sem quoque comparat, octo triremes armis & com
meatu instructas in Adriacũ sinum uenere, ut terra
& aquis Sfortia uno tempore premeretur. Tum Ve
neti & ipsi classe usi sunt, ut quidã annales tradunt,
qua Rauennatium oram tuerentur. Ardebat igitur *Delentur Pice-*
ut si quando maximè Picens bellum, quum Philip- *nini copiæ.*
pus dux Picininũ ad se accersiuit, ceu aliquid cũ eo
deliberaturus, quod aliorum fidei credi non oporte
ret. Acerbissimi hostis absentiã nactus Sfortia Fran
ciscum eius filium, in Piceno cum exercitu relictum
ad mõtem Vlmeum prælio superat, castrisq; ac ma-
iore copiarum parte adempta, cũ Firmiano antistite
pontificis legato capit. Scio fuisse (nam hoc quoq;
traditur) tempestate illa qui crederent Philippum
uoluisse ita euenire, ut Picinini exercitu deleto, Sfor
tia domestico bello solueretur, quo leuatus in Gal-
liam ad destinatum cum Venetis bellum tranfiret.
Nec Picininus dissimulauit dolorem suum, sed nũ-
cio tã sæuæ cladis accepto exclamasse fertur, habet
Philippus, habet quod uoluit, nihil Picinino præter
uitã reliquit, superest ut iã in hoc miserum caput sę-
uiat. hęc identidẽ clamitãs, afflictãsq; sese in morbũ
incidit, quo paucissimis dieb. cõflictat⁹, quũ adhuc
Mediolani esset diẽ obijt. Et Picinini ducis omniũ
qui

Picininus moritur.

qui tempestate illa fuerunt prudentissimi, atq; acerrimi, hic exitus fuit. Sforti a Fráciscum defuncti hostis filium, ad Vlmeum à se captum Philippo peteti ex custodia dimisit. Eugenius quinto anno, quo in Piceno agro beliari cœptum erat cum Sforti a, bellum multò quam antea accuratius instaurauit, misitq; in Picenum agrum Lodouicum antistitem Aquileiensem, qui incredibili rerum successu Sforti a tota prouincia eiectum Pisaurum compulit, hic ille cum uxore hyemem egit, sub uernũ inde tẽpus sequentis anni amicorũ consilijs solicitatus per Vmbros in Hetruriam transijt Sforti a, cõseditq; in Vetulonensi agro, ut formidolosior esset accessus pontifici, mox hinc profectus præter Trasimenũ in Flaminiam reuersus, ad Metaurum amnem castra fecit, ubi comperit Alexãdrum fratrem, cum Pisauro defecisse: tum uerò undiq; hostibus septus ad primũ lapidem circa Vrbinum fecit castra, nec inde quicquam memorabile est in Piceno gestum à Sforti a. Sed dum hæc ab eo gerũtur in Cisalpina Gallia, Philippus dux Fráciscum Picinini filium ex Piceno accersitũ, exercitu instruit, ac uelut Sforti æ iratus præcipit ut Cremonẽsem agrum inuadat: ludibrium id esse primo Veneti arbitrati sunt, quieticq; spectare, quò tenderent eiusmodi Philippi motus, cæterùm ubi hæc serio fieri uisa sunt, ut iã Cremonenses prementur, Alouisium Foscarenum ad Philippũ mittunt, ut à rebus Sforti æ abstineret, quę suæ fidei creditæ essent, & cum quo fœdus ictum haberent, nisi uim inhiberet, ei bellũ indiceret. Responsum est Veneto, nec uacare Philippo legatos audire, nec huic qui uenerat expedire diutius Mediolani esse, fore ut nisi inde cõfestim abscederet pro hoste haberet. Veneti ubi rem ad bellum spectare uident, Mihaẽlẽ Attẽdalum tum suarum copiarum ducem, cum sex milibus equitum peditumq; pari numero, imperãt Cremonensibus suppetias ferre. Concesit Picininus ad famam hostis in Padanã insulã, quam Attendulus multa ui laborioso q; certamine expugnauit, potitus est Venetus dux hostium castris, captaq́ue sunt cum his quatuor equitum milia. Picininus ubi fortunam inclinare uidit, fluuialem cymbam adeptus, in ulteriorem Padi ripam euasit. Secundum eã uictoriam Attendulus non solum quæ Cremonensium erant breui recepit, sed quicquid circa Abduã tenebat Philippus præter Cremonã miro uictoriæ cursu armis subegit, fluuium inde transgressus in ulteriore ripa, quæ ab hoste tenebatur, exceptus prælio, pari quo nuper ad Cremonam successu, Philippi copias fudit, quingẽtos equites capit, & duo milia agrestium, tũ uerò Sforti a uelut ui subactus Eugenij & Alphõsi hortatu ad Philippũ defecit, quòd Philippi rebus faueret Alphonsus nulli dubiũ erat, Eugenius (ut credere par est) non tam amici principis causam, Sforti a procul ablegando, secutus uideri potest, quàm ut res ecclesiæ aliquando in Piceno pacarẽtur. Nec quòd is ad Philippum defecisset, res noua uisa est Venetis, qui sagaci coniectura ita futurum multò antea præuiderant, uerùm mutata ducis fide, mutatur & publicum Venetorum studium. Simonetam (qui erat Venetijs Sforti æ nomine) custodiri iubent, quæstioni adhibent, qui metu subactus totum illud sui ducis & Philippi schema principi & patribus patefecit. Adimitur igitur omne publicum beneficium Sforti æ & Sforti anis omnibus, in quos adeò ampla extabant munera, ut à fide non abhorreat quod in quibusdam Venetis annalibus proditum est, ultimo bello Gallico, quod fuerat cũ Philippo gestum, centies quinquagies centum milia aureorum nummũm publicè à Venetis impensa. Memorabat mihi quidã grandis natu, post res præclarè ab eo in Gallia gestas Sforti am Venetias uenisse principem & senatum salutaturũ (ut suo fuit loco demonstratum) uertisseq; eius comitatum in se

Bellum cũ Philippo renouatur.

totius ciuitatis oculos, ingens paludatorum caterua, quæ ponè sequebatur, tantum argenteariũ squamarum circa pectus & humeros uestibus affixerat, ut cataphractorum equitum speciem præbuerit primò intuẽtibus, tam profusa dux ille, & qui cum illo erant per id tempus meruerunt stipendia. Sforti æ alienatione palam facta, Veneti Rauennam præsidio firmãt, & Florentini in Bononienses misere, qui Sforti am in Galliam iturum transitu arcerent. Attendulus interea ulteriorem Abduæ ripam adeptus, pontem quo flumẽ iunxit, ualido firmat præsidio. Mediolanẽsem inde agrum ingressus, cum tumultu & trepidatione hostium Mediolanum usq; adequitauit, suburbanisq; tectis igni iniecto aliquot ędificia urbi proxima incendio absumpsit, uis pecorum ingens, multiq́ue mortales in prædam abducti. & res Galliæ in hunc se modum habebant, quum Eugenius pontifex uita decesisit, anno uitæ quarto & sexagesimo, sui uerò pontificatus sextodecimo. Domestica eius acta. Nicolaum Tollentinatem Eremitanæ obseruationis sanctorum numero solenni cęremonia retulit, in Laterano porticum, quę templo accubat extruxit, atrium à tergo restituit, auxit templi figurationem à Martino pontifice inchoatã. Syluestri mitram ex Vaticano in Lateranũ detulit, ibiq́ue sacrauit: canonicos qui regulares dicũtur, templo induxit, clero inde eiecto. In pontificatu administrãdo uarius, principio consilijs usus parum salubribus, diuina & humana turbauit, Romanum populum ad arma conciuit, Basilienſis conuentus decretis, unde multa deinceps mala redundarũt, apostolicis astipulatus est literis: cæterùm ad se reuersus prudentia non mediocri inoffensaq́ue gratitate pontificatum administrauit. Fuit Eugenius uenerabili aspectu, facieq́ue non ingrata, sermone graui & accurato potius quàm eloquẽti, literarum penè expers, multa alioqui experientia, historię haud ignarus, munificus, utpote qui ciuiles disciplinas & amauerit in omnibus & fouerit, sed multò in dulgẽtius humanitatis studia, quo nomine Leonardum & Carolum Aretinos, Poggium, Aurispam, Georgiũ Trapezuntiũ & Blondum suis secretis admisit, liberalium artium gymnasia, quum alibi tum Romæ instruxit ingeniorum copia, coluit & uiros pietate insignes, opibusq́; & immunitate donauit, & quum talis esset erga mitiora hominum studia, à re bellica non modò non abhorruit, sed intra extraq́; Italiam bellorum quæ fuit materiam, aut aliunde oblatam arripuit. Enimuero præter ea quę in Turcos eius gesta sunt auspicijs, & quòd Italia eo sedente assiduis bellorum arsit incendijs, bellum in Gallia eo consilio composuisse fertur, ut Delphinus regis filius, cũ suo equitatu Basilienſem cõuentum deserceret, quo motu quum quatuor milia Suitensiũ Basilienſibus ausi essent suppetias ferre, à Delphino, qui triginta armatorum milia tunc habuit sub signis, occidione una occisi sunt. Est alioqui Sueticum nomen hodie apud Gallos, haud quidem contemptibile, actum quoque terribile fuisse crediderim, ob recens crudelitatis exemplum, quo in Turicenses acie uictos usi dicuntur: habuit gens hæc cum Suitensibus fœdus ictum, quod illi quum temerè uiolassent, meritò in se Suetica uerterunt arma. Congressi itaque prælio ad unum ferè Turicenses cęsi sunt. Suitenses uictoria parta, ibi loci ubi dimicatum est, epulati dicũtur sedibus & mensis ex hostium cadueribus usi, nec eiusmodi contenti ludibrio, hostilem cruorem potasse, ex his quosdam proditum est memoriæ cęsorum corda dentibus laniasse: & illi tam crudeliter uictoriam exercuerunt. Sunt Suitenses, ut arbitror, qui & Sueui olim, aut certè ab his oriundi, nunc uoce paululum deflexa Suizari dicuntur, qui Gallicis bellis, quibus his paucis annis Italia cõcussa est, magnum sunt rei bellicæ nomen adepti, omniũ qui in his

Attende dus Calcinum in tianis.

Attendulus cessus circa diolanum.

Eugenius.

Suitenſium dele

Qui Sue fuerint, hodie tios nomi

his aut illis partibus militarunt multò ferocissimi, sed maiorem omnino famam assecuti ex eo bello quod cũ Germanis nuper gessere. Ferox genus hominũ ac Germani sanguinis, alpes magna ex parte incolũt, est in his Limagus q olim, credo, Alemanus fuit lacus, unde terra uniuersa Alemania est, illustria genti oppida, Berna, Durega, Solitor, & Lucerna. Sunt Turicenses & ipsi Germani, inter Athesim & Henum sedes habent, contumax genus hominum & imperio rebelle. Quum Federicus tertius, qui nostra memoria imperauit, Turicensium principẽ penes se diutulè habuisset, repetitus à suis quoniã nõ statim redditus fuisset, eiecto prouinciæ præfecto quem imperator dederat, Tridentum occupãt, quo audaci facinore tenuerunt, ut cõfestim sit princeps ipsi genti restitutus. Sed ad Eugenium redeo. Fuit præter ea quæ nuper collegi, constans in eo fides, nihil cuiquam promisit quod nõ demum præstiterit, nisi tale esset ut satius fuerit id negare, splẽdidus in familiæ uictu, suo uerò parcus ac ita sobrius, ut meritò à quibusdã abstemius diceretur. Familiares admodum paucos habuit, eosq́; perdoctos, quos cœnaturus, ceu secretiores uitæ, temperãtiæq́; suæ testes admittebat: scisitabatur q́ue interim quę de se deq́; suo pontificatu esset opinio: & Eugenius talis fuit. Desijt in humanis esse anno Salutis millesimo quadringentesimo sexto & quadragesimo: quum triennio ante Bernardinus Senẽsis, ex Francisci Assisiatis familia diem obijsset: uir sanctitate insigni, euangelicæq́; doctrinæ orator sua tempestate maximus. Aquilæ in Furconensibus uisitur eius cõditorium, religione multa donarijsq́; insigne multiplici testimonio miraculorum, quæ circa defunctum facta memorantur. Idem minoritanæ obseruationis uetus dogma penè abolitum, prędicatione & exemplo restituit: quę res in causa fuit ut in duas uelut familias abierit omne minoritanum nomen: obseruationis hæc, illa à conuentu sibi nomen uẽdicat. Eugenio Nicolaus huius nominis quintus successit, Thomas antea dictus, Sarzanæ in Lucensi agro ortus modicis natalibus, est is sedem adeptus magno felicitatis exemplo, eodem anno quo Bononiensis factus est antistes rhoscoq́; insignitus galero, ac põtifex maximus creatus. Erat tũ Alphonsus rex Tyburi, qui per id tempus quo Eugenius uita defunctus est, eò uenerat, in Hetruriam transiturus, ut Florẽtinos bello persequeretur: in hoc enim fœdus cũ Eugenio & Philippo percusserat, ut quando Florentini Sforti æ opes Picenti bello iuuissent, Veneti socijs auxilio esse non possent: quia cum Philippo cõflatum bellum haberent, ipse Florentinorum opes inuaderet. Anceps itaq; rex consilij Eugenio defuncto, inchoatam expeditionẽ exequeretur, an retrò abiret etsi nouus pontifex autor erat pacis, audire tamen Alphonsus quosdam Tusci generis, qui omnia illi prospera polliceri, futurũ affirmantes ut breui totius Hetruriæ imperio potiretur. Hos Alphonsus pollicitis onerat, iubetq́; domũ abire, animosq́; suorũ ad res nouas cõparare: fore ut ipse breui pòst cum exercitu Hetruriam inuaderet. Sed dum diuersa Italiæ parte hæc fiunt, Veneti Casale maius Sforti æ adimunt: erat ille iam apertè ex socio hostis factus. Iterum Attendulus Mediolanẽsem agrum hostiliter ingressus, Tibertum Brãdolinum iubet portas adequitare: signisq́; Venetis in conspectu urbis constitutis, Mediolanenses ad libertatem uocare: cæterùm quia in urbe nihil mouebatur, conuersis aliò signis Ticinum usq́; euehitur cursu, abducta est ex Ticinensi agro præda ingens: mox iterũ Mediolanenses ad libertatem inuitantur: quibus nihil mouẽtibus ager urbi circumiectus fœda populatione uastatur. Breuium inde Attendulus in Brigantinis adortus ad dedition em cõpulit: est & Barius mons captus direptusq́ue: postremò Leucum Larij caput

Bernardinus Senensis.

Nicolaus V. pontifex.

impunè oppugnatur. Leuci dein oppugnatione omissa exercitum Attendulus præda onustum circa Abduam recipit. Et res Venetę tam prosperè habebãt, quum Sforti a cum quatuor milibus equitum, duobus peditũ, per Ferrariensiũ fines & Parmenses in Galliam uenit, quo sanè tempore Philippus omnium qui in Vicecomitum familia fuerunt, clarissimus, febre primò, mox uentris profluuio conflictatus obijt, quinto ferè mense ab Eugenij interitu, agebaturq́; interim de pace Nicolai pontificis opera enixè id curante. Miserat nouus pontifex tantũ non à sua creatione Mondensem antistitem ex supremo ordine Ferrariam tanquã ad domicilium pacis. Occurrerunt eo Alphonsi regis & Philippi ducis legati de pace acturi. Miserũt Florẽtini & Veneti. Erantq́; iam motæ pacis conditiones, quum Philippi ducis mors audita est, à cuius obitu Laudẽses in Venetorum fidem uenere, metũe an libertatis studio non traditur. Placentini Laudensium exẽplum secuti & ipsi Venetum intra mœnia accepere. Vtrãq; urbem Iacobus Antonius Marcellus maturo firmauit præsidio, inde copijs Ollio trãsmissis Columbanum & quicquid locorum Laudensium finibus continetur breui recepit. Mediolanenses bellum à Philippo inchoatum magno animo suscipiũt, Sforti am legunt suarum copiarum imperatorem, res à Venetis repetunt. Responsum est fore, ut Veneti qui omni tempore solitiessent honestam pacem bello anteponere, omnia libenter Mediolanensibus restituerent, si prius illi Venetо dissoluerent quicquid auri esset eo bello publicè impẽsum. Et circa Padum tum res sic habebant, quum Alphonsus rex Nicolao pontificẽ frustrà reclamãte cum ualidissimo exercitu in Hetruriam trãsijt, bellum quod antea destinauerat oboriturus: Senenses etsi ueniẽtem commeatibus iuuere, horrere tamen Arragonium nomen, excludereq́; portis oppidorum. Rex ubi nullum sibi locũ ad insidias relinquiuidit, ex Senensibus, ceu decreto bellum Florentinis inferret, Volaterranum Pisanumque agrum hostiliter ingressus, aliquot ex his locis partim ui, partim deditione metu expressa, subegit, & in his Castellionẽ. Verũ Florẽtini breui pòst receperũt quicquid hac parte bello amiserant, Sigismũdi Malatestæ ductu, qui tum Florentinorum ductabat exercitum. Est & Plumbinum in ora Hetruriæ multa ui ab Alphonso oppugnatum, sed maiore aliquãto defensum à Reinaldo Vrsino, qui oppidum sibi uindicabat ut coniugis hæreditariũ. Ardebat per hæc tẽpora Italia haud uno loco bellico furore, inuaseratq́; multa religio animos mortalium, tanquam pestilentia, maioraq́ue adhuc impendẽrent mala. Portendere id credita eclypsis solis, quę in id tempus incidit, & quòd terra non uno loco ualidè commota est. Accedebat his terroribus minacissima prædicatio Roberti minoritanæ nunc obseruationis, homo in euangelica enarratione tempestate illa uehemens ac longè princeps. Nunciare is Romano populo cęteræq́ue Italiæ iratum numen, cuius uoce tanquam è cœlo missa cõmota ciuitas pœnitentiam egit, pueri puellæq́ue matronarum cœtus ingens, & uulgi pars multò maximà miserabili uoce supplicijsq́ue omnifariam, circa diuorum templa uentitare implorare: supplicatum est sæpius solẽni modo ad cœlestem iram auerruncandam. Per id ferè tempus Amadeus antipõtifex ex Fedetici Cæsaris autoritate, se in ordinem redegit, datum est illi ut quando ad tollendum schisma se pontificatu abdicasset, ut in supremo antistitum ordine, quoad uiueret cẽseretur. Et hæc in Hætruria & circa urbem: in Insubribus Sforti a cum Mediolanẽsium ducibus copias iunxit, contrà Veneti classem instruunt, quę aduersò Pado in intima Galliæ penetraret, terrestres copiæ quia post Sforti æ accessum inferiores factæ essent, in Laudẽsem agrum cessere, ille Colum-

Alphõsi trãsitus in Hetruriam.

Philippi interitus.

Prodigia.

bano ex Laudensibus recepto, Placentiam ex improuiso adortus ui cepit, captam diripuit, Gerardo Dâdulo legato & Thadeo Estensi cum mille peditibus, magnoq; equitum numero, in potestatem redactis. Attendulus interea in Ticinensem agrum prædabundus irrumpit, ex Ticinensi Mediolanensium fines ingressus omnia terrore complet, ut Sfortiam à gerendarum rerum cursu auerteret, implicaretq; hostem intimo bello, secuta est inde hyems ob cœli intemperiem aliquãto ab armis quietior, quo tempore tentata pax est Florentinorum & pontificis legati interuentu, sed res ad exitum perduci non potuit, accensis utrinque animis ad arma, nec ad ea quę proponebãtur inclinantibus. Est & in mari per idem tempus res Veneta latronibus omnia fœdantibus exercita. Laurentius Lauretanus cum classe profectus est ad eam iniuriam uindicandam. Is Vitalem Sardum archipiratam in potestatem redactũ, & omnes qui cum eo capti sunt laqueo necauit. Inde haud procul Neapoli duabus Liburnicis in alto oppressis, qui in his erant, pari affecti sunt supplicio. Ferre hæc Alphõsus rex iniquo animo, uel quia piratæ eius nutu licentiosè uagarentur, aut loci uicinitate commotus, quòd ante oculos regię ciuitatis, Venetæ classis præfectus imperium & ultionẽ exerceret, nam hoc ipse unum prætexuit iniurię, Venetos negociatores circa Apuliæ littora, ac toto regno interceptos custodiri iussit, res eorum cum omni pecunia in publicum redegit. Miserunt Veneti ad regem qui scisciterentur ab eo, pacem an bellum sibi uellet cum Venetis esse, quęrerẽt præterea qua iniuria adactus suos negociatores contra ius gentium uiolasset. Tum rex testatus est se non mediocri iniuria affectum, quòd in conspectu regiæ urbis naues nulli infestę hostiliter captę ac direptę essent, earumq; gubernatores cum remigibus extremo affecti supplicio. Cæterùm quantacunq; illa esset iniuria æstimãda, nolle se ultione prosequi, ut omnes scirent se eum esse qui libens pacem tueretur, irent & negociatores cum suis rebus secum abducerent, rogati ut iam inde Veneti in se & suos pergerent ij esse, per quos ocium & quietẽ fouere liceret. Et hęc tum mari gesta. Interea Bartholomæus Bergomas, cognomẽto Coleo, uir acerrimus, post Philippi interitum refracto carcere, quo illius iussu arctissimè custodiebatur, Mediolanensium stipendio inauoratus, cum suo equitatu & Asture Fauentino in Gallos missus, qui Boscum arcta premebant obsidione, hostem subito adortus prælio egregiè superat, uictos castris exuit, multi Gallorum eo prælio cæsi sunt, sed in fuga multò plures capti. Tenebant tum Galli Hastam, quam ex fœdere receperant, quod Vicecomes cũ rege aduersus Venetos percusserat. Cęterùm Galli Philippo uita defuncto, non Hastã modò, sed magnam quoq; Alexãdrini agri partem sibi uendicabant. Eratque ita celebre Coleonis nomen, ob rem præclarè gestam in Gallos, quum ille patrię memor, sed magis iniurię à Philippo acceptę, à Mediolanensibus ad Venetos cum mille & quingentis equitibus trãsijt. Principio sequẽtis anni Sfortia ex hybernis egressus, præter Carauagium omnia Abduanæ terræ loca ex hostibus recepit. Venetam inde classem in Cremonensium finibus ex improuiso terrà & aquis adoritur, deorsum uersus ad Casale usque maius, crebris bombardarum ictibus omnifariamque telorum iactu compulit. Hic adeò naues malè habitæ sunt, ut Andreas Quirinus, cuius erat classis imperium desperatione adactus, armamentis nauium noctu in oppidum translatis, triremium & galeonum corpora igni cõsumpserit, pars classis multò maxima igni corrupta est, nauibus quas flamma subita trepidatione corripere non potuit, hostis potitus est. Cremona per hęc omni metu liberata, Sfortia ad Carauagium castra fecit, oppidumque obsidione cingit. Nec multò pòst Attendulus eò copias admouit, locum Venetorum clade insignem facturus, rarò aliàs Gallicis bellis tãta uis armorum, tot illustres uiri unum in locum coiere. Erant in Venetis castris præter Attendulum, penes quem fuit copiarum omnium imperium, Lodouicus Gonzaga, Bartholomęus Coleo, Gentilis Leonessius, Carolus Montonius, Tibertus Brandolinus, Ioannes Comes Romani sanguinis, Guido Rangonius, Albertus Bodiensis, Cæsar Martinengius, Nicolaus Guererius, & cum his duodecim milia equitum, ac uis peditum ingens. Stabat inde Franciscus Sfortia, omnium qui rempestate illa fuerunt dux clarissimus, Alexander, Bosius, Gerardus eius fratres, Robertus Seuerinas, Franciscus & Iacobus Picinini, Guilielmus Montferratensis, Carolus Gonzaga, Alouisius Verinus, Ioannes Tollentinas, Christophorus Torellus & Bartholomæus Quarterius. Erantq; cum his sexdecim milia equitum cum suo peditatu. Est itaque sæpius per occasionem dimicatum, nonnunquam prælium in noctem distractum, nouissimè totis uiribus descensum est in aciem, fuitque prælium ingens ac nonnihil anceps, postremò orta fuga ab his qui subsidio esse debebant, Venetæ copię fusæ fugatæque sunt, castra capta ac direpta, & cum his duo milia curruum, ad octo equitum ac peditum, alioqui pauci numero desiderati. Carauagium postridie quàm ita dimicatum est, hosti cessit. Sfortia insigni uictoria elatus mittit Picininos fratres ad Laudenses obsidione fatigandos, ipse cum robore copiarum Brixiam uersus, mouet castra. Nec Veneti ad tam fœdam cladem animum remisere, sed largo stipendio copias contrahunt, quo studio effectum est ut breui ingés sit exercitus reparatus. Miserunt & Florentini sua auxilia, apparebatque fore ut Venetus non multò pòst esset hoste superior. Hic Sfortia non ignarus quo Mediolanenses in se essent animo, quibus omnes suos successus sciebat esse suspectos, & ob eãrẽ nihil obscurè meditari, qua uia, qua arte irent sibi obuiam, imperiumq; inhiberent, nihil sibi in tanta occasione defuit, quin ad Venetos conuersus misit occultè ad principem & ad patres qui suo nomine eos hortaretur, ut ad se Iacobum Antonium Marcellum, aut Pascalem Maripetrum mitterent, fore ut uter eorũ mitteretur aliquid ex se disceret, quod Veneti nominis & sua interesset. Apparuit statim omnibus Sfortiam de pace acturum, à qua Veneti quum ob cladem nuper acceptam minimè abhorrerent, placuit, quia Marcellus tum Veronæ præfectus esset, Maripetrum ad eum ire, qui circa Piscariam occultè cum Simoneta à secretis sæpius congressus, in hęc fœdus percussere, ut Sfortia & Veneti Mediolanensium hostes essent, darentque Veneti quatuor milia equitum, bis mille peditum, donec Mediolanum subigeretur, mitterentq; ad id quot mensibus ipsi duci tredecim aureorum nummũm milia: estque in fœdere expressum, ut quicquid citra Abduam Philippus tenuisset, Veneti haberent, ille Mediolanum cum cætero principatu. Post id fœdus ictum restituit Sfortia captiuos omnes, Abduaque superato Mediolanensibus bellum infert. Horrere Laudenses Sfortiæ dominatum, quamobrem Veneto præsidio prius dimisso, Mediolanẽsium fidem implorant: cæterùm ut uaria sunt ciuitatum studia, quantum Laudenses sunt Sfortianæ arma ab initio auersati, tam facilè nec minus cæteræ ciuitates, quæ inter Ticinum & Abduam tenebant Mediolanenses, ipsi duci cesserunt, quibus receptis Sfortia ad quintum lapidem Mediolanum admouit castra, cœperatque urbs alioqui insignis & opulenta aliquanto arctius obsideri, quum repẽtè affertur, uim Allobrogum ingentem Nouariensium fines inuasisse. Hi à Lodouico eius gentis duce subsidio

Alphonsi motus.

Galli ad Boscũ reuocantur.

Attendulus ornatissimos exercitus.

Veneti classem Carauagium mittunt.

Sfortia diuersis fulminetis fulcit.

subsidio mittebãtur Mediolanẽsibus, ex fœdere cũ ea ciuitate nuper icto. Coleo cui alpinarum gẽtium prælia ceu fato, debebantur, ad hanc hostium nouorum uim arcendam profectus est: pugnatum est ad Siccidam fluuium, fusiq; ac fugati sunt Allobroges, & ex his quadringenti equites cum Copensio eorum duce capti. Oppugnabat Sfortia Meltianam arcem, cęterùm audito Mediolanensium accessu, in quibus fama erat quadraginta esse armatorum milia, qui sulphureo puluere plumbeas pilulas in hostem omitterent, ita ex aduerso struxit aciem, ut territi hostes ne tentata quidem pugna retrò abierint. Aderat Sfortiæ Marcellus Legatus, qui miratus duces prudentiam, præcipuamq; in subitis rebus constantiam, Venetias scripsit imminere periculum ingens ab iniicto duce, non solum Mediolanensibus, sed uniuersæ Italiæ, si ille Mediolano potiatur. Cedentibus itaque hostibus Sfortia in Meltiana obsidione perseuerauit. Transierunt nec multò pòst Picinini fratres à Mediolanẽsibus ad Sfortiam, fuerantque nonnihil in castris, sed quum in suspicionem uenissent, quòd capitales Sfortiæ insidias tenderent, ueriti ne in potestatem redacti grauius de se aliquid statueretur, cum suis repentè in urbem concesserunt. Crediti sunt eo consilio transfugiũ mentiti, ut per hyemem copias foris alerent, mox sub uernum tempus Mediolanẽsibus auxilio adessent. Circumsedebatur nihilo secius Mediolanum Sfortianis armis. Interea Veneti negociatores, Alphonsi regis edicto, toto regno eijciuntur, datumque id Mediolanẽsibus ab rege amicissimo, ut Veneti maritimo bello impliciti, à rerũ terrestrium cura auerterentur, atq; ita Sfortiæ uires minus ualidæ essent, nec incassum res mota est. Enimuero Veneti ad tã hostilem denunciationem continuò classem decernunt, ad Alphonsi opes uexãdas, Alouisius Lauretanus maritimo bello præficitur, hortanturque una Sfortiam ducem ad pacem cum Mediolanensibus iungendam, quæ magnis proponebatur conditionibus. Cupiebant Veneti se terrestri bello leuare, ut maritimo ab Alphonso illatum cõmodius obirent. Sub id tempus, quo legati sunt ad hoc ipsum in castra ad Sfortiam missi, Crema Venetis cessit, quæ aliquot mensibus fuerat uehemẽter oppugnata, Sigismundi Malatestæ ductu, uiri acerrimi, quem Florentini socij, Venetis auxilio miserãt. Pax, quæ tum agitata est, hoc habuit, ut Sfortia Ticinum & omnes haberet urbes, quas Philippus ultra Abduã tenuisset, præter Mediolanum, & Laudem Pompeij, quæ cũ libertate Mediolanensibus relinqueretur, si eiusmodi Sfortia pacem probaret, Venetorum & Mediolanensium esset socius, haberentque Veneti pacato Galliæ statu sex millia equitum, Mediolanenses quatuor, Sfortia mille nec amplius. Sin res ab eo minus probaretur, ut Mediolanensibus pacem non redderet, utrorumque hostis esset, Venetique octo milia equitum alerent, sex Mediolanenses, ad bellorum siqua inciderent, usum. Huiusmodi pacem nec probauit Sfortia, nec repudiare est ausus, sed de Venetorum in se fide questus dixisse fertur, se non Laudem solum, quam Veneti uellent, Mediolanensibus dare, sed ijs etiam urbibus, quas sibi ex fœdere decreuissent cessissentque iam antea suis armis, si Princeps & Senatus Venetus censerent, decessurum, missurum se Venetias qui eam pacem probarent. Estque non multò pòst Alexander eius frater, cũ Simoneta ad id missus, qui pluribus diebus per irritas altercationes impunè cõsumptis, re infecta, retrò abierunt, actum demum pax inter Venetos & Mediolanenses composita est. Sfortia, quia nõ procul aberat, ut Mediolano potiretur, forti usus consilio duorum populorum bellum, ut inuicto erat animo, ferociter suscepit, susceptum ex animi sententia confecit. Lauretanus quem cũ classe domo profectum diximus, Calabriæ Siciliæque oram circũuectus septem & quadraginta hostium naues æstate una, & in freto ad Messanam, & mox Syracusano portu, alias q; alibi, aut aquis depressit, aut igni consumpsit, cæterum apperente hyeme Corcyram in hyberna concessit, classis parte una domum dimissa patrum decreto. Fuere per id tempus Venetijs Nicolai pontificis maximi, Florentinorum, Mediolanensium, Sfortiæ, & Allobrogum legati, iactataque Mediolanensium & hostis causa: cæterùm ubi res ut antea ad uim & arma spectare uisa est, Florentini publico nomine testati sunt, se Sfortiæ nunquam aduersaturos, quapropter ciuitatis commercio est eis interdictum. Copiarum imperium Sigismundo decernitur, qui à Florentinis ad bellum missus, maluit Venetorum stipendium sequi. Nec Sfortia interim in ocio esse, sed res suas, quum de pace agitur, nauiter firmat, Florentinorum opes sibi iungit nouo fœdere, cum Allobrogum duce pacem sensit, circa Abduam ad Breuium Venetis munitiones objicit. Coleo dux per Saxinam uallem ad Larium progressus conatus est cum Iacobo Picinino copias iũgere: Franciscus enim eius frater maior natu, uita decesserat, sed res incassum mota est, hoste in omnem occasionem intento, sic quoque nonnihil frumenti est laborantibus socijs importatum. Sed qui parua dat immensæ multitudini nihil dat, laboratum itaque est tanta rei frumentariæ inopia, ut uicenis aureis nummis cõsterper id tempus Mediolani uæniisse tritici modium. Obsidebant Sfortiani tripertito urbem, habebantq; ad uicum Mercarum castra, ad Melcium, & Caratum, prouocatusque ad pugnam hostis à Venetis ducibus, pertinacissimè abstinuit. Satis sciebat fore ut breui Mediolanenses fame subacti ad deditionem compellerentur. Nec Sfortia sua est opinione deceptus, famis impatiens multitudo subito arma corripit, Leonardum Venetium, quem eo Veneti miserant, ut sociorum desiderijs quantum tempus & uires paterentur, consuleret, subito incursu trucidant, Sfortiam in urbem inducunt, ducem salutant, Anno millesimo Salutis quadringentesimo ac duodequinquagesimo, quidam sequenti anno id accidisse aiunt. Alij, quod miror, magno anno, quem Nicolaus quintus ingenti mortalium conuentu celebrauit Romæ. Sed quocunque tempore res ita acta est, Veneti, quod satis constat, non multò pòst quàm Sfortia est Mediolano potitus, cum Alphonso rege arma exuerunt, estque cum eo fœdus publicè ictum aduersus Sfortiã quem Aragonius plusquam hostiliter oderat, quũ propter uim ab utroq; alteri intentatam, tum quia Mediolani principatum hæreditario iure Alphonsus ad se pertinere aiebat, à Philippo duce hæres relictus. Instigabant Venetos ad Sfortiam bello persequendũ, Iacobus Picininus, qui ad Venetos trãsiuerat, Sigismundus Malatesta, & Carolus Gonzaga, Sfortianis opibus infensi. Recepti in partẽ, dux Allobrogũ, Montferratensis princeps, & Corrigiani. Hortantur & Alphonsum Veneti, ut Florentinos domestico bello quoquo modo implicet, quò minus Sfortiæ auxilio sint. Incidit id fœdus in magnũ annum, cuius nuper mentio habita est, quo tempore ne externarum rerũ uideamur obliti, Carolus septimus Gallorum rex, Sequana cum exercitu superato, Rothomagenses ab Anglis recepit, Normanos inde cũ Burdegala armis subegit. Normania est hodie pars illa Galliæ quæ intra Sequanã iacet & Pyreneum, Aquitaniæ olim finibus inclusa. Normani qui eam Francorum genti ademerunt, dederunt nomẽ terræ. Qui hominum Normani fuerint, alio Rapsodiæ loco est demonstratũ. Habet nunc terra hęc caput gentis urbem unam, sunt & aliæ urbes, non obscuri nominis, oppida quatuor & nonaginta, uicis frequens ad urbium speciẽ extructis, piscium &

Conditiones pacis.

Veneti cũ Mediolanensibus pacem & fœdus iungunt.

Quãde opinione de Sfortiæ uirtute.

Sfortia Mediolano potitur.

Fœdus aduersus Sfortiam.

Res à Carolo septimo gestæ.

Normani.

pecoris ferax, frumenti adhuc feracior, pomorum abundantissima, quibus succum exprimunt, siceram uocant, gens bibacissima, lanificij studiosa, ingenij calliditate eximia, nullis exteris legibus obnoxia, ex consuetudine uiuit, suis moribus contenta, astus & litiū gnara, ob eamq; rē finitimi nihil temere gentis commerciū celebrant, doctrinarū alioqui ac pietatis cultrix, nec bello inutilis. Talbotus uir fortissimus, post Caroli discessum, cū Anglico exercitu, quem à rege acceperat, Burdegalam, cum parte multò maxima eorum quæ amissa fuerāt, ad Angliq; regnum retraxit. Reuocauit is motus Carolum in prouinciam, estq; cum Anglis acie dimicatū, quo *Talbotus.* prælio Talbotus cū duobus filijs mortē occubuit. Alij unum cum eo interfectum aiunt. Anglij fusi fugatiq;, magis bombardarum ictibus in primo congressu, quam ferro occisi, ac secundum eam uictoriā Burdegala est à Gallis recepta, cum Normanica terra. Est Anglia quādo eò uenimus, ut eius gentis fieret mentio, insula in oceano cōtra Gallicum littus, ueteres Britaniā dixere. Causa mutati nominis alio est loco prodita, necnō qui hominum Angli fuerint demonstratum, & quò Britanni abierint, ex insula *Anglorum mores.* eiecti. Sunt (quod de præsenti ritu hominum fari licet) Angli cæruleis oculis, uenusta & cādida facie procera statura, bello intrepidi, optimiq; sagittarij, fœminæ candore & forma insigni, uulgus ignobile, ferū & inhospitale, mitior nobilitas, ac magis obuia ad omne humanitatis officium, aperto capite, alteroque genu flexi hospites salutant, osculātur etiam si mulier sit, atque in cauponam ducunt, potantque unà quod facere minimè probro est, modo omnis lasciuia absit. In bello non agri uiolantur, nō urbes, ne ui quidem captæ, sed ad internicionem alterius partis dimicatur, omnia uictorem sequuntur. Prouinciarum omnium prima Christianam pietatē cōplexa est, pecoris & lanificij abundans, lupos nō gignit Anglia, nec illatos nutrit, idcirco uagum pecus & sine custode innoxium: aurum habet, argentum, plumbum & cuprum. Insunt & margaritæ & gagates lapis, uinum nō gignit tellus, pro uino ceruisia in usu est, sunt & exotica uina, uici & uillæ plurimæ, sunt & urbes multæ numero & in his Lundonia caput gentis, regiaq; sedes, corrupta nunc uoce Londres est. Scotia suprema Angliæ pars est ad sep- *Scotia & Hybernia.* tētrionem, tenui freto siue fluuio ab insula diremp- ta. Nec procul inde Hibernia, Hirlandiam uulgus uocat, indiscreti insulanorum habitus, indiscreta ferè omnia, eadem lingua, ijdem mores, subita ingenia, & in ultionem prona, ferociaque in bello insignis, sobrij & inediæ patientissimi, eleganti forma, sed cultu neglectiore. Scoti à pictura corporis nuncupati, ut quidam arbitrātur, uetus & uulgare fuit, pectus, brachia, manus, encausto figurare, quod in paucis hodie seruatur, atque ijsdem syluestribus. *Scotorum mores.* Veteres scriptores Britannorum fuisse aiunt, quum in pugnam ituri essent, corpora sibi tingere, ad terrorem ut credere par est, inuidi natura, ac cæterorum mortalium contemptores, ostentant plus nimio nobilitatem suam, ut in summa etiam egestate suum genus referant ad regiam stirpem, gaudent mendacio, nec pacem colunt, cętera ut Anglij. Pius pōtifex, qui in Scotia fuit aliquanto, ut ipse scribit, brumales dies ibi esse ait trium ferme horarum, in- *Audi miracu-* uestigatam præterea à se arborem, sed nō repertam *losam arborē.* cuius cadiua folia in subiectum amnem prolapsa in uolucres uerti dicerentur, adijcit audiuisse postea se à locorū peritis id miraculi in Orchadum una spectari, cæterum illud mirabile in ea gente obseruatū, nudis circa diuorum templa mendicantibus, lapides in eleemosynam congeri à prætereūtibus, quibus ad usum ignis uterentur. Caret lignis ea regio, lapis qui datur sulphurea est materia, aut certè pinguis. Nec Hibernia multum distat à Scotia, & ipsa quidem metallis scatens, Sexagonas hic siue Iris lapis, qui soli oppositus Iridis colores imitatur. Qui ad me de Hiberniæ rebus commentarios dederunt lacum esse aiunt in ea insula in quo si palus defigatur, quicquid sub terra fuerit ferrum fiat procedente tempore, cætera lapidescant. Est & alius ab eo lacus non minoris admirationis, modo uera sint hęc, in quo corylus in fraxinum uertitur, contrà fraxinus in corylum, quin & locum esse aiunt, ubi cadauera non corrumpantur, nullum Hybernia maleficium gignit animal, non araneum, non ranam, nec alit aliunde inuectam. Terra hybernica alio asportata necare dicitur noxia animalia solo puluēris iniectu, apes in ea non reperiuntur, mira cœli temperies, fertilitas insignis. Montium incolæ carne, lacte, & pomis uictitant, magis uenationi & ludis quàm agrestibus operibus dediti. Nunc Henricus in ea regnum obtinet, & qui insulanorum adhuc dicti sunt, Christiani censentur nominis, ad septētrionem & occasum uersi. Sed Italia nos sui admonet, ubi tēpestate illa, qua sunt in ea quę nuper diximus, in Aquitania gesta, magnus est annus celebratus, nec à condito æuo maior mortalium conuentus religionis causa unum in locum coiuit unquam, si Platina uerus est autor, sed tristis ad recordationem casus, cærimoniam illam nonnihil polluit, minusque hilarem reddidit, quum multitudo ingens ex Vaticano in urbem se reciperet, circa Adriani molem in arcta colluctatione multi mortalium periclitati sunt, partim elisi, partim ex lateribus pontis in subiectum Tyberim præcipitati. Satis constat ad Celsi phanum, quod arci accubat congesta ad centum triginta hominum cadauera, ibique humi cōdita. Statuit Nicolaus pontifex rei atrocitate affectus ædicu las duas in aditu pontis, ex candenti lapide, quæ monumentum rei essent ad posteros. Et annus ille per hæc circumactus est, nec qui proxime est secutus parum celebris fuit Federici Cæsaris in Italiam accessu. Is Leonora coniuge Pisis excepta, quo ex Hispania ad tempus puella fuerat naui delata (fuit Leonora Lusitaniæ regis filia) Romam decreto petijt, raro ulli imperatorum frequentius itum est obuiam ab omnibus ordinibus. Nec ita multò postquam Romam uentum est, ambo corona Imperij sunt à pōtifice donati. Dubitasse fertur ab initio uehementer Nicolaus pontifex, ne in Federici accessu aliquis Romæ motus oriretur: quapropter ante illius aduentum loca quædam urbis mœnibus præsidioque firmauit, & ut ciuiū studia sibi magis conciliaret, uiros Romani sanguinis singulos singulis præfecit urbis regionibus, hos uulgo Mareschallos uocant, suntque primi illi coccina ueste donati, tenet adhuc mos ut eodem nomine pariq; numero uiri creentur, qui urbem à grassatoribus & siccarijs tueātur. Federicus ex urbe Neapolim proficiscitur, ubi exquisitissimis honoribus est ab Alphonso rege acceptus. Erat Alphonsius Leonoræ perneccessarius. Sed apparatu nihilo inferiore Veneti eū in Germaniam abeuntem publico hospitio exceperunt. Nullus unquam hospitum maiori studio & luxu ciuitatis cultus est, nulli tot spectacula exhibita, tot munera congesta. Ex Venetijs confestim ille in Germaniam transijt: constans fama erat ex Germanis ducibus, & Pannonibus quosdā, ad res nouas consurrexisse, aut certè pòst paulò consurrecturos ob Ladislaum regium adolescentem in Italiam à Federico abductum. Per id tempus quo imperator Venetijs fuit, renouato in Gallia bello, Venetæ copiæ, Gētilis Leonesij ductu, aliquot locis circa Abduam ab hoste captis, fluuio ad Ripaltam transgresso in hostium delatæ, Mediolanum usque peruenere: facta spes erat per exules, fore ut si Veneta signa ad urbem admota essent, aliquis in ea motus oriretur: cæterum equitibus leuis armaturæ in suburbana usque

Hybernorum mores.

Magnus celebrius.

Federicus imperator.

usque tecta cursu euectis, quia nihil intus mouebatur, continuò signa retrò conuersa sunt, copiæque in pacatum abductæ. Soncinum inde multa ope oppugnatum. Quod negocium Venetis ducibus reddidit irritum Lodouicus Gonzaga Sfortię amicus, ac belli socius, cui graues inimicitiæ intercedebant cum Carolo eiusdem familiæ, qui ad Venetos se contulerat. Is cum uiginti milibus armatorum Brixianum agrum ingressus, Pontem Vicum obsidione cinxit. Veneti annales tradunt post Gonzagæ irruptionem Venetum Soncino, & Romanengio potitum, hostemque Ponte Vico ex Venetis capto Agellum oppugnare adortum, occursumque huc à Leonesio, qui palustri loco haud procul ab hoste metatus sit castra, atque his locis uario euentu sæpius dimicatum. Platina per Veneros stetisse ait, quo minus sit aperto marte dimicatum, qui omnem spem uictoriæ in mora repositā haberent. Ardebat ut si quando maximè Cisalpina Gallia bellico incendio, quum ab Alphonso rege, Ferdinandi filij ductu, Hetruria repetita est, octo milia equitum peditumque dimidio minus ad id bellum missa, Ferdinandus Florentinos decreto adortus, Cortonenses ad defectionem impellere conatus est. Fuit id consilium irritum Aragonio duci Cortonaque dimissa, Folianum ex Florentinis capit, multa ui prius oppugnatum. Castellina capi non potuit, per Senenses inde ad maritima loca concessit, iam appetente hyeme, subegitque interim Ferdinandus aliquot loca in Volaterranis. Carpere hostium uestigia Sigismundus Malatesta, quem à Venetis alienatum ad se Tuscus stipendio retraxerat, in omnem occasionē intentus. Horrere Florentini interea hostium uires, quibus ne demum succumberent, quia domesticis opibus diffidebant, ad extremas confugiunt, in Galliam ad Carolum regem mittunt, qui iure amicitiæ cum eo agerent, ut Allobrogum ducem à Venetorum societate auerteret, Renato autor esset in Italiam ad Alphonsi opes infestandas transeundi, utrunque illis datum, & Allobrox iussus est bello abstinere, nisi regis hostis esse uellet: & *Renatus in Italiam uenit.* Renatus impulsu regis, nō multò pòst uenit in Italiam Alphōsum debellaturus. Ardebat interea Cis- *Gallia Cisalpina bello quatitur.* alpina Gallia graui bello: Guilielmus Montferratensis cum ualido equitatu Alexandrinorum fines tumultuose ingressus, compleuit omnia terroris & prædæ, pari Dortonenses clade Ticinenses que ab eodem hoste affecti: cæterùm expeditio hæc parū lætum habuit exitum: uictus Montferratēsis subitario prælio in Alexandrinorum finibus à Sfortianis, in Castellum Nouum compellitur. Sed ut uaria est fortuna belli, Veneti duces per id tempus, aut certè nō multò pòst, ad Iouenoltā, Cremonēsis agri oppidum, Sfortianis prælio fusis ducentos paulominus equos ex his cepere, & paulopòst Alexander Sforties frater, circa Abduam, qua ad Cerretum iunxerat fluuium ponte, à Carolo Montonio, qui Venetum merebat stipendium, castris & copijs magna ex parte exutus: Pari successu Matthæus Campanus cum Sfortianis in Insubribus subitanea pugna congressus, quadringentos cepit equites. Sfortia haud ignarus quātum interfit tuis ne finibus an hostium bellū geras, Renati regis equitatu auctus Mella celeriter superato, Caluisanum occupat. Nec multis inde diebus interiectis, Veneti duces haud procul Otholengio prędisidiarias frumentorum turmas ex improuiso adorti, in prælium omnium opinione difficilius incidere. Occurrit eò Sfortia suis auxilio, ex diuersa parte Leonensius pugnam ciet, certamē fuit atrox & anceps, postremò Veneti curribus potiti sunt, qui primo incursu fuerant hosti- *Pedestrini interfecti.* bus adempti. Cecidit eo congressu Hector Brandolinus, Tiberti frater uir impiger. Necita multò pòst quia iam hyems appetebat. Sfortia in hyberna con-

cessit. Post hostis decessum, Venetus continuò ad imperium retraxit quicquid locorū ille armis subegerat: nam præter Caluisanum cesserant alia quędam oppida Sfortianis armis. Venerat Renatus in Italiam sub exitum ætatis huius, cum duobus milibus equitum, magis Florentinorum & Sfortiæ opibus, quàm suis fretus, ac tum demum Gallicis auxilijs Sfortia ferocior factus, ut suprà est memoratum, in Venetos mouit: cæterùm ubi est utrinque in hyberna concessum, in Galliam Renatus decessit, Sfortiæ & socijs iratus, quia nihil fuisset ab his adiutus ad bellum Alphonso inferendum. Est & de pace actum eadem ætate, ad quam iungendam unus supremi ordinis Antistes ex urbe missus est à Nicolao pontifice, sed arma è manibus pārtium excuti nequiuerunt, animis ad bellum inclinantibus; Pontificio legato identidem testante, per Romanum pontificem non stare, quin Christianæ rei maturè subueniretur. Iam enim constās fama erat Turcos Byzantio imminere, atque in id bellum accuratissimè parari à Mahomete, qui Amurathis fuit filius, nec pacis actio deposita adhuc erat, neque spes abiecta illius ad exitum perducendæ, quum nouus in urbe motus pōtificem præsenti cura auertit. Ste- *Stephanius Portius.* phanus Portius, uir Romani sanguinis, nobilique familia ortus ac peruetusta, ut gentis nomen testatur, equestri præterea dignitate clarus, singulariq; facundia, post Eugenij obitum, quum frequenti concione de publica libertate uerba fecisset, hortatusque esset ciues ad eam armis repetendam, perpulisset forasis ciuitatem ad aliquid audendum, ni Beneuentani Antistitis interuentu concilium solutum esset. Ea res fecit, ut Nicolaus Pontifex ingenium sua spōte ob indolis altitudinem suspectum, cæterùm tam audaci incœpto adhuc suspectius factum, urbe submouerit. Relegatur Portius Bononiam, ea conditione ut Nicenum Antistitem, qui urbi præsidebat, quotidie adiret. Nec ferox animus est ea ignominia fractus, sed ad res nouas potius irritatus, occultè cum admodum paucis conspirat in pontificem, & in omnes supremi ordinis Antistites, ut his in potestatem redactis, Romani se in libertatem uindicarent: diem constituit, quo ipse Romæ futurus esset. Simulata itaque aduersa corporis ualetudine, quum aliquot dies publico abstinuisset eo prætextu, occasionem per hæc idoneam nactus, Bononia occultè proficiscitur ignoto habitu, magnisque itineribus Romam petit, ubi socij omnia maturè comparauerāt, peregissent illi facinus sanè memorabile, nisi ipse coniurationis princeps in mora fuisset, quippe qui peruigilio & itinere fessus, quum paulum quieuisset, data est facultas ijs qui alij super alios à Niceno post illū missi fuerant illius profectionis nunciandæ. Cōiuratione igitur palam facta, confestim eius domum armati circūstant, hic ex coniuratis unus Baptista cognomēto Sarra, ubi subiecto igni Portij domus deflagrare cœpit; cum paucis eius coniurationis socijs, per confertum ārmatorum agmē, uiam sibi ferro fecit. Portius apud sororem, quę extra paternam domum matrimonio locata erat, latitans capitur, captus laqueo necatur in Adriani mole. Sarra dein & sociorum quidam, alius alia ui in potestatem redacti suspendio multati sunt. Vindicata res est quinto idus Ianuarij, anno tertio ab eo qui magnus dictus est. Et cura pacandę Italiæ per hęc nonnihil est à Pōtifice intermissa, erat itaque integrum adhuc bellum in Cisalpina Gallia, & Hetruria. Interea Florentini suis Sfortianisq; opibus connixi, Folianum superiore anno ab hoste captum recipiunt, Veneti Manerbium oppugnant, qua obsidione Gentilis Leonesius, cuius fida strenuaque opera fuerant Veneti ad id tempus usi, sagitta saucius occubuit. Summa totius belli Iacobo, qui fuit Picinini filius, decernitur. Sub id tempus

Gentilis Leonesij interitus.

Carolus Gonzaga, qui Lodouici fratris res hostiliter infestabat, temerè in eius copias inuectus, inter Godium & Villam Francā prælio fusus, septingentos amisit equites, & ut uaria est fors belli, Picinin⁹ Manerbio sub id tempus potitur, & mox Quintianum recepit, & Pontem Vicum cum magno hostiū præsidio, & iam Guadium oppugnabatur, quū SforTiæ accessu soluta obsidione, in Pontem Vicum cōpellitur, ubi ancipiti marte est non multò pòst dimicatum. Incurſauit inde hostis Brixiēsem agrum, datumque est id negocium Roberto Seuerinati & Tiberto Brandolino, qui ad SforTiam, pòst fratris interitum, desciuerat, in hos præda onustos impetū dedit Picininus, magnamq; prædæ partē ademit. Aduolat eò SforTia cum expeditiſsimis equitum alis, sed Venetus dux pugna maturè dirempta, castra repetit incolumis, quæ erant ad Porcianum paluſtri loco, estq; his locis sæpius certatum, prælia eiusmodi leuia, & per alterius partis occasionē commiſſa. Veneti annales in id tempus reijciunt Renati in Italiam accessum, qui cum quatuor milibus equitū ad SforTiam in castra uenerit, quum hæc gererentur, ac tum demum Gallicis auxilijs auctus Pontē Vicum ceperit. Cęterùm quia Galli crudeliter uictoriā exercuiſſent in Vicanos, tantum terroris aiunt finitimis iniectum, ut omnes qui Cremonenſem & Brixianā planiciem accolunt, inter Alpes & Padum ad hoſtes breui defecerint, præter Sōcinum & Romanengiū. Picininus ea animorum inclinatione cōmotus, Brixiam copias admouit, Brixianis & montium accolis, qui in fide erant, præſidio futurus.

ENNEADIS X. LIBER VI.

TRes Italiæ per hūc modum habebant, quum de ſumma nō terræ, aut gentis unius, ſed totius Chriſtiani nominis nouus incidit terror, trepidè ex Græcia afferebatur Mahometem, qui fuit Amurathis filius, immenſum paraſſe exercitum, oppugnareq́ue iam Byzantiū imperij caput, aut certè non multò pòst oppugnaturum. Veneti, etſi graui bello erant implicati, nuncij tamē atrocitate permoti, decem triremes decernūt, Iacobi Lauretani ductu, ad eius urbis præſidium, totidem Alphōſus rex daturum profitetur, parem numerum Romanus pōtifex, ut triginta triremium claſsis expleretur. Cęterùm uix erat Venetus domo profectus, cum circumſederi auditum eſt Conſtantinopolim terra & aquis à Turcis. Qui gerendis rebus interfuerunt, trecenta hoſtium milia fuiſſe memorant, Veneti annales tertiam partē adimunt. Aderant Paleologo imperatori aliquot Veneti nominis naues, quę antequā urbs obſideri cœpta eſt, Byzantium fortè uenerant, aderant & Genuenſium quædam, his adnitentibus Othomanica claſsis eſt ſinu excluſa, qua parte Paleologus obiecerat hoſtibus catenam, quam paululum circūactam hoſtes circa Perā terreſtri molimine in ſinū pertraxere. Dedit id negociū Mahometes acerrimorū ducum uni, qui cum ſeptuaginta milibus hominū urbē ea parte oppugnaret. Conati ſunt Chriſtiani nominis nauarchi ex improuiſo Turcorū claſſem igni abſumere, ſed infeliciter mora, una atque altera nauiū ab hoſte corruptis, qui ad id paratus ſtabat, infecta re auxiliares naues retrò abierūt. Atrociter inde oppugnatio à terra incubuit, diſturbati ſunt muri bombardarum ictibus, atq; ita fœdè diſiecti ut ui capta ſit urbs paucis dieb. quib. oppugnari cœperat. Ferunt ad quintum calēdas Maias Mahometē Turcorum regem, ſuis edictū propoſuiſſe, ut die omnes ieiunio ſanctificarent, pararentq́; ſe in craſtinum ad ultimum certamen, quare Turcorum plurimi ita affecti diſceſſerint à cœna tāquam ſequens dies multis eſſet ultimus futurus. Pugna ante lucē inita eſt, poſtea uerò quàm illuxit, Perenſes quoque oppugnari cœpti ſunt, ut neutri alteris opē ferre poſſent. Vi urbs capta eſt. Conſtantinus imperator poſteaquam barbarum uidit intra mœnia receptum, ne ui uus in hoſtium poteſtatem ueniret, aut certè ne in tantæ urbis excidio ſupereſſet, uir dignus imperio, mutatis ueſtibus in aduerſum agmen inuectus, hoſtili manu mortē occubuit. Sunt qui dicant ad Romani portam, in conferta fugientium multitudine exanimatum, paludamentoque eius cadauer agnitum, cęterùm quoquo modo perijt, eius caput Mahometis iuſſu abſciſſum, per urbē & tota caſtra eſt ad ludibrium geſtatum, cædes ingens edita, ſæuitum in omnem ſexum & ætatem præterquā in eos qui in auguſtiſsimum Sophiæ templum, uelut in aſylum confugerāt, urbs direpta eſt, pueri uirgines q; cū matribus (ut fit) ad ſtuprum rapti, ſi quibus fortuna urbis pepercit, in ſeruitutem abducti ſunt. Perenſes, qui eodem die oppugnati fuerant, Byzantio capto, deditionem fecere. Muri diruti ſunt, cætera hoſtiliter direpta, tantum cæde temperatum eſt. Et uetuſtiſsimum Græciæ imperium, per hunc maximè modum interijt, anno ex quo Byzantij cœptum fuerat imperari, ſupra milleſimum ac centeſimum primo & nonageſimo, in quo ſubit illa reputatio, à Conſtantino Helenæ filio id imperium inchoatum in Conſtantino, qui eiuſdem nominis matrem habuit defeciſſe. Fuit idē annus quinquageſimus ſecundus ſupra milleſimum ac quadringenteſimum humanæ Salutis, triſtis ad recordationem, ob tanti imperij excidium. Alienatio nobiliſsimæ urbis, quum cæteris gētibus fuit grauis, tum Venetis Genuenſibusque grauiſsima, quibus cum Byzantio adempta uidebatur omnis Ponticæ Scythicæque nauigationis facultas. Eſt urbs ipſa loco ſita opportuniſsimo, in ora Thracię, qua parte modicus euripus Aſiam ab Europa diſterminat. Qui Byzantij conditores fuerint, ſuo loco eſt demonſtratum. Auxit urbem auguſtioremque reddidit Conſtantinus princeps, Helenæ filius, Romanī imperij parte una huc translata, coloniaque deducta, quo contigit, ut ob frequentem Romanorum cultū, pars Thracię multò maxima ad poſteros Romaniæ nomen adepta, ſic hodie nūcupetur *maritima eius terræ ora ad Boſphorum Propontidem & Helleſpontum obuerſa.* Qui olim Thraciæ fines eſſent diximus: quū de ſitu & uetuſtate terræ incidit relatio. Complexi ſunt olim Triballos, Dardanos, & Myſios. Terra quā Triballi tenuerunt, nunc Bulgaria eſt, poſt Triballos ad orientem ſolem in Euxinum uſque inter Hiſtron & Hemum montem, Myſij ſedes habuerunt. Horum nunc terra Seruia eſt, uel, ut alij uolunt Raſia, Drino, Sauo & Danubio fluminibus complexa, olim inferior fuit Myſia. Citra Myſios ad meridiem, Propontidem uerſus & Helleſpontum maritima ſunt Thraciæ, hæc terra Byzantium uſque totaque interior regio, ſed amplitudine multò caſtigatiore, Romania nunc dicitur ab eo, ut multi opinantur, quod coloniæ commercio à Conſtantino Byzantium deductæ, Romani mores & lingua aliqua ex parte his terris inoluerit, quod in gente quadantenus agnoſcitur. Ferunt Conſtantinum Thracia Cherſonneſo primum cepiſſe locum condendæ urbi, ubi Agamemnon & Græci contra Ilium olim habuiſſent caſtra: cæterùm oraculo monitus Byzantium legit, quæ ut olim nunc caput eſt Thraciæ. Affinis eſt huic Macedonia, nullius in Europa gētis procacius excurrūt fines, quàm Macedonum, inter Ionium & Ægæum longiſsimè extenſi, hinc Dyrrachio, inde Theſſalonicę, quam Andronicus Emanuelis

Byzātium oppugnatur à Turcis.

Conſtantinus peratorū ultimus.

Byzantium capitur.

Romania olim Thracia.

Quę Seruia.

Macedonia olim, nunc Scopia circa Dyrrachium.

Albania.

Bœotia nunc ducatus.

Attica nunc Sethinæ.

Hellas et Lorris Valachia.

Aetholia Despotatus.

Ambracia.

Larta.

Circa Epirum Lopoſti.

Peloponneſus, nunc Morea.

Emanuelis filius Venetis dedit, Amurathes Mahometis pater bello abſtulit Theſſalonicen, Macedoniæ & Dardanorum hodie caput Scopia, circa Dyrrachium, quæ olim Macedonia fuit, Albania nunc eſt, ab ijs qui ex Albanis, qui ſupra Colchidem incolunt, profecti his conſederint locis, ut recentiorum quidam aiunt, manifeſto uulgi errore, cui perſuaſum uideo eſſe Epiroticum genus hominum, qui nunc à peritis Albani, ab indoctis Albaneſij dicuntur. Bœotia quæ fuit cum Phocide, in Ducatus nomen abijt. Atticæ ora cum Megarenſi tractu, nunc uno nomine Sethinæ ſunt, ab Athenis nomen haud dubiè factum. Poſt Corinthiaci Iſthmi anguſtias à tergo, quæ Hellas ſiue Græcia fuit, cum Locride Valachia facta eſt, à Valachis, qui Turcorum imperio plerique numero recenti memoria in ea terra conſederunt. Aetholia nunc Deſpotatus, quæ olim Ambracia fuit, nunc Larta eſt, quaſi Laertium, ut nonnulli interpretantur. Sunt qui Acarnaniæ ducatus nomen nunc aſtruant, ſed peritiores Bœotiæ, ut ſuprà memoratum eſt. Circa Epirum Chrilei & Lopoſſei ſunt, ferè hæc religio, mores, habitus, cætera græcè, ut olim Peloponneſus, quæ peninſula eſt, nunc Morea dicitur, à continenti Corinthiaco Iſthmo clauditur, dictum abundè eſt quoties & à quibus Iſthmi anguſtiæ muniri cœptæ ſint, ac ſemper res infeliciter tentata. Conſtantinus Paleologus, qui nouiſsimè Byzantij imperauit, Iſthmum quem nunc Hexymilum græca uoce nuncupant, inſtaurandum curauit quodam Chriſtianorum ſucceſſu, tributumque Turcorum regi ſtatuit non reddere, uerūm Pannonibus & Polonis ad Varnam ingenti prælio uictis, pecunia ab Amurathe multatus, murum diruere iuſſus eſt: Veneti nouiſsimè locum tumultuario opere, quod ſuo ſit loco dicendum, munire ſunt adorti, ſed nihilo meliore euentu. Horum hominum ſi qui à Chriſtiana pietate non aberrarunt, Græco cultu ſermoneque & moribus utuntur, cærimoniarum ritu à Romana eccleſia diuerſo. Macedoniæ ora ad Ionium uerſa Albania nunc eſt, ut dixi, circa Macedoniam in immenſum propè patuit nomen Illyricum, hodie in ea terra ſunt Delmatæ, Hiſtri, Iapides, in ora, Croacij, & Boſinenſes. Eſt Boſina hodie quæ olim ſuperior Myſia, Croacia quæ Liburnia, aut certè pars illius multo maxima, his gentibus Sclauonica uulgò lingua. Tenuit patrum memoria regnum Stephanus Deſpota, qui in multum æui prouectus baptiſmi lauacro uoluit admoueri, quum ad id tempus à nulla re magis abhorruiſſet. Chriſtianæ pietatis ſtudio bellum intulit Turcis. Iuxta Manicheæ impietatis dogma in hac gēte plerique duo rerum principia eſſe rati, bonorum unum, alterum malorum. Cubant matronæ morbo liberatæ in templis, quæ ſunt in conuallibus, ex uotoque uiuunt aliquandiu cum monachis uirorū permiſſu. Et in terrarum nominibus hæc mutatio facta eſt. Byzantio capto ingens terror cum luctu & mœrore omnium animos inuaſit. Miſit Romanus Pontifex cōfeſtim ad Venetos, ut ſuo nomine triremes quinque in Turcos pararent, plenam dat omnibus ueniam, qui in publicum Chriſtiani nominis hoſtem arma caperent. Contrà anathematis in eos ſpiculum detorquet, qui exautorati piam derrectarent militiam. Veneti Bartholomęum Marcellum Byzantium ad Mahometem Turcorum regem mittunt, qui ab eo res peteret, nam multi Veneti nominis Byzantij aut capti, aut cæſi fuerant, & in his ſeptem & quadraginta patricij ordinis, qui aut in ea urbe negociari, aut ſub ipſum obſidionis tempus illuc forte appulerant, aliò ituri. Lauretanus quem domo profectum diximus, quum Ægeum adhuc nauigaret, factus certior de ijs quæ Byzantij geſta erant, in Eubœa cum claſſe ſubſedit. Ardebatque interea, ut ſi quādo antea, bello Ciſalpina Gallia, nam SforTia ſuper ea loca, quæ ab eo capta ſunt, poſt Renati acceſſum, Mārtinengium, Camonicam uallem, Vrceos, Soncinum, & quicquid Veneti intra alpes, Padum, Cleſium, & Abduam flumina tenebant, partim armis, partim uoluntaria deditione cepit. Erat & Aſulam in Gonzagæ gratiam oppugnare adortus, cæterùm apperente iam bruma in hyberna conceſsit, ac tum demum, ut Veneti annales habent, Renatus SforTiæ & Florentinis iratus, quia in caſſum Italiam illorum impulſu petiſſet, in Galliam remeauit. Anno qui proximè ſecutus eſt, minaciſsima Nicolai Pontificis denunciatio fecit, ut de pace inter partes conuenerit, quæ his conditionibus ſancita eſt, ut SforTia præter Abduanæ terræ oppida quæcunque Venetis loca ademiſſet, reſtitueret: Florentini, præter Caſtellionem, cætera ab Alphonſo reciperent, quæ bello amiſiſſent: quæ de Senenſibus bello capta eſſent, reſtituerentur. Et Italia diuturno feſſa bello per hæc in uniuerſum ferè pacata eſt, quarto & quinquageſimo ſupra milleſimum ac quadringenteſimum ſalutis anno, ex quo Philippo, ob Cremonam renatum erat bellum, octauo, cum SforTia, ob Mediolanenſes ſocios, anno iam quinto exacto: cæterùm quia conſtans fama erat Alphonſum regem ab eiuſmodi pace abhorrere, ex uniuerſa Italia miſſi ſunt ad eum legati, orantes, ut quam Veneti, & SforTia ſuo & ſociorum nomine pacem ſanxiſſent, ratam haberet. Probauit rex tandem quæ acta eſſent, tenuit tamen ut ſibi bellum deinceps integrum eſſet cum Genuenſibus, quia ſibi tributum non redderent. Fuit inde Ciſalpinæ Galliæ, quæ Langobardia nūc eſt, ſtatus uſque ad Ferrarienſe bellum omnis ferè bellici motus expers. Tirarchi eius claſsis, quæ Nicolai nomine in Turcos extructa eſt, quia Laurera ni iniuſſu domum rediiſſent, carcere & pecunia multati ſunt, qui ſecundum illos dignitate præſtabant fuſtuario admoti, præciſisque naribus in exilium acti. Obijt interim Nicolaus pontifex anno octauo quàm ſedere cœperat, in Vaticano ſitus eſt. Vrbica eius opera Adrianæ molis reparatio, & pro pontificijs ædibus in Vaticano, murorum moles ingens, poſt Barionæ templum ſecus aram maximam teſtudineum opus, ſed utrunque imperfectum reliquit, reſtituit pontificiam domum ad Deiparæ cognomento maioris, & in Cœlio Stephani phanum, Theodori ædem inter capitolium & palarium, Pantheon uetus Agrippæ opus plumbo texit, Italiam ſua autoritate pacauit, inchoatæ pacis cuſtos diligens, doctus doctos coluit, adeoque munificè & indulgenter, ut per eum Romana lingua ſuum magna ex parte receperit cultum. Multi præmiorum ſpe impulſi, græcorum non pauca in latinum uertere. Laurentius Valla uir Romani ſanguinis, Herodotum & Thucydidem, Nicolaus Perottus Polybium. Publius Candidus Appianum. Pogius Diodorum, alijque alias ex Plutarcho uitas, ſed omnium elegantiſsimè Theodorus Gaza Theophraſtum & Ariſtotelis libros de animalium natura. Strabonem Guarinus Veronenſis, & Georgius Tiphernas. Miſsi adhæc multi per omnem Europam, qui ueterum ſcriptorum opera, quę pro neglectis in pędore & tenebris apud exteras gentes iacerent, ſtudioſe conquirerent, eſtque eiuſmodi indagine Romana lingua ex parte ſibi aliqua reſtituta. Nam præter Fabium Quintilianum, qui Poggij opera uelut poſtliminio receptus eſt, Enoch Æſculanus Marcum Celium Apitium inuenit, & Pomponium Porphirionem in Flaccum Horatium, pari cura alij alia inuenere. Amauit adhæc obſeruantionem in religioſis, ſed in Franciſci Aſiſiatis familia multo impenſius, quo affectu Bernardinum

Animaduerſio in deſertores.

Nicolai pontificis acta.

Inſtauratio latinæ linguæ.

Bernardini Senensis cõfecratio.

dinum Senensem,uirum euangelica prædicatione illustrem,sed post obitum miraculorum magnitudine magis illustratum, cœlitum numero ascripsit. Sed nulli hominum unquam bona omnia contigerunt: carpitur eius fama quòd pronior fuerit in iram & ad pœnitentiam usque præceps. Satis constat Angelum Ronconium uirum fortissimũ eius iussu in Adriani mole capitali affectum supplicio re quisiuisse,quem ubi securi percussum comperit,seipsum & ministros incusauit,qui tã sua celeriter mãdata obiuissent,Calistus tertius Hispani generis,antea Alphonsus dictus, in demortui locum fit Pontifex,cum quo pleriq; uiri ingenio clari uixere,nam

Calistus III. pontifex.

præter eos quorum industria est in proximo Pontifice relata, descenderunt plerique eorum in Calisti & Pij tempora, Antonius Parnomita,impudici autor carminis,Procelius & ipse amorum scriptor, uterque lepidus & suauis, nec multum à maioribus disidés. Fráciscus Philelphus Græcè & Latinè doctus magnus quidem orator,nec poëta minor,multa in utroque genere scripsit. Nec Petro Monopolitæ minus poëticum fuit ingenium, extat eius carmen ad Calistum pontificem magni quidem profectus index, si longior illi uita contigisset. Æneam Picolomineum Senensem,qui postea pontifex fuit maior rerum cura à poeticæ studijs auertit, nescias poeta maior fuerit an orator,an historicus,eius scripta demonstrant quãtum ille Romanam linguam augere potuerit, ni cœli prouidentia illum maiora curare uoluisset. Rhetores clari nominis per idem tempus fuere Laurentius Vallensis, cuius modò mentio facta est, Guarinus Veronẽsis, Victorinus, Georgius Trapezuntius. Theologica sapientia illustris Antonius Florentinus Antistes, qui multa scripsit,nec minor in eo morum sanctitas quàm eruditio. Leonardus Vtinẽsis &,ipse theologus insignis, tam hic quàm ille ex Calaguritani Dominici familia. Alexander Sentinas supremi Antistes ordinis, Ioannes Rocchus Ticinensis Eremitanæ obseruationis instaurator, Ioannes Nauariensis piæ huius curæ adiutor. Ioannes Capistranus, & Iacobus Piceñs, ex Francisci Assiatis obseruatione, ambo in euangelica prædicatione celebres, par in utroque sanctitas,& miraculis (ut fertur) post mortem nobilitata,& hi tum uiri insignes fuere. Calistus pontificatum adeptus, primum omnium bellum Turcis indixit,id quidam uotum fuisse existimant. Mirum uideri potest quod Platina de ea re scriptum reliquit,repertum esse chirographum in quodam libro ipsius nondum pontificis, in hæc uerba: Ego Calistus pontifex Deo & indiuiduæ trinitati uoueo me bello,maledictis,interdictis, execrationib.

Classis pontificia.

& demum quibuscunq; rebus potero,Turcos Christiani nominis hostes sæuissimos,persecuturum,in quo illud fuit admirationi, quod dignitatem nondum adeptus pontificis sibi nomẽ chirographo adoptasset,homo iam decrepitus, minimeque ambitiosus. Sed quocunque affectu id bellum susceperit, breui quod satis constat, triremes sexdecim in Turcos instruxit, estque classis præfectura Lodouico Aquileiensi Antistiti data, qui triennio oram Asiæ multis afflixit cladibus, ademit aliquot insulas hostibus. Iuuerunt id negocium Genuenses, qui Pera à Turcis post Byzantium capta,classem studio compararunt in communem hostem. Alphonsus rex, & Lodouicus dux Burgundiæ id sese bellum gesturos professi sunt,sed negocium non obiuere,incertum difficultate rei territi, an domesticis curis grauius impliciti. Præstitit Calistus quod potuit, nam præter classem ad id bellum missam, per omnes Christiani nominis terras misit diplomata & nuncios,quibus principes & populi in Turcos concitarentur,quod negociũ magna est ex parte euangelicæ prædicationis hominibus iniunctum, uniuersoA clero edixit,ut matutino sacris operaturi orationẽ pro piorum incolumitate canerent,ut æs campanũ meridie pulsaretur ad salutationem Virginis, qui mos adhuc tenet in quibusdam urbibus Italiæ: & Calistus talis fuit in Christiano grege tuendo principio sui pontificatus,inter cuius initia non parua Romæ incidit tumultus, ex parua re, ut fit, ortus. Quum nouus Pontifex Lateranum peteret, ut solenni more templo augustissimo mitra insigniretur,duo gregarij equites iurgio accensi sese mutuis uulneribus confoderunt, ortus inde est clamor & fremitus indignantium,discurrunt duæ diuersæ factiones ad arma Vrsini & Anguillarij,quorum duo illi equites fuere: Neapuleo Vrsinus ira accensus, Auersi qui erat Anguillariæ comes, domum inuadit ac diripit, concursumque esset eo die in media urbe hostiliter,nec sine pernicie alterius partis,nisi Pontificis iussu inhibita essent arma. Potuit motus ille tolli,odium & inimicitiæ ex ea iniuria conflatæ non potuerunt:secutum inde bellum,quod circa urbem est gestum mutuis partium cladibus,ut hinc pleræque Vrsinorum familiæ starent,inde Columnenses,Sabelli,& Anguillarij,sed hæc aliquanto postea sunt secuta. Procul Italia Mahometes post Byzantium captum tanto rerum successu ferocior factus,primum omnium tributũ quod Memphitico regi sui maiores pendere consueuerant,negat se redditurum, mittit inde circa finitimos qui imperata recusantibus bellum indicerent: cæterùm ne non ubique sæuiendi materia præsto esset, Calibassem sibi moderatorem à patre relictũ, quia in Byzantij excidio autor fuerat uictoriæ mitius exercẽdæ,crudeliter afflixit,exquisitissimisq; peremit cruciatibus. Triennio post cum centũ quinquaginta armatorum milibus ad Saum usque fluui um progressus, superiorem Mysiam magna ex parte domuit, Belgradum, ut Segonius scribit, multaB ui oppugnat,Pius pontifex non Belgradum,sed Albam nominat,ad Sai & Danubij confluentem, æquatisque solo mœnibus, iam media urbe dimicabatur,quum subito Christianorum auxilio, quod matureaffuit,non solum urbs retenta est,sed Mahometes sub læua mamilla uulneratus, impedimentis relictis, trepida fuga inclytam Christianis reliquit uictoriam. Omne bene gestæ rei decus fuit penes Ioannem Huniadem,cognomento Album. Ioannes Capistranus, qui rei gerendæ non solùm interfuit,sed præfuit, is cum diui Angeli antistite ad id bellum à Calisto missus, ad quadraginta signatorum milia collegerat, quum de ea re ad Pontificem scriberet,nullam Huniadis mentionem habuit,neque Huniades Capistrani, sed uterque uictoriam sua opera, cœlestique auxilio partam significare, quæ res planè arguit multo facilius opes contemni à mortalibus,quàm laudem. Potuit Capistranus diuitias & omnia terrena calcare, laudem non potuit. Etsi Capistrano diuinus honor non suus, non hominum,curæ fuisse uideri potest. Nec Huniades non satis parcè de se scripsit, qui se uictoriæ illius ministrum testatus est non autorem. Fertur Mahometes ad memoriam eius cladis iam inde barbam demulcere solitus,ac cum fremitu execrari diem quo ad Albam prælio pugnasset. Persuasum multi habuerunt, si Huniadis equites maturius affuissent, ut fusos dispalatosque hostes insectati essent, potuisse eo die Othomanorum imperium deleri. Sic quoque ad uiginti milia hostium cæsa dicuntur, & in his Carazam Thraciæ præfectum, uirum impigrum, estque uictoria hæc parta triennio post Byzantij excidium. Nec hostis tam insigni clade affectus quieuit, quin Byzantium reuersus confestim classem reparat, nouam construit, Aegei maris insulas proxima æstate inuaturus, sed maior inde cura ab ea expeditione auertit.

Nobilis Christianorum victoria.

Enim-

Enimuero sub id tempus, quo maritimum bellum moliebatur, legati ab Isan Cassano regead Othomanum cum amplissimis donis Byzantium uenere. Fuit Alueus inter regia munera, tabulas habens & tesseras gemmeas, & in his labor nihilo materia inferior. Repperit preciosissimum id munus Isan Cassanus,ut legati testati sunt, in thesauris Demiri Persarum regis, quem bello uictum regno & uita spoliauit. Summa eorum ob quæ legati missi sunt, hæc fuit,ut Othomanus Cappadociæ finibus absti neret, quam ille prouinciam ut doralem sibi uendi cabat,erat ex Trapezunte oriunda Cassani cõiunx. Fremere Mahometes, auersariq; legatorum postulata, tum hi quemadmodum iussi fuerant, ex Othomano quæsiuere,uellet ne pacem an bellum cũ suo rege,qui quum bellum dixisset, confestim legati retrò abierunt. Hic priusquam de memorabili bello,quod est postea inter barbaros reges gestum, sermo instituatur, aliquanto altius sunt res gentium,quæ ad orientem uergunt,à nobis repetendæ, idque eò libentius facio, quod millesimo ab hinc anno & amplius nulli,quod sciam, curæ fuit, præterquam uni Aytono Armenio, ut alio est loco à me significatum,de eiusmodi rebus aliquid prodere,& ut omnia uno loco dicantur, satis apparet ex Aytoni historia,Cathaiũ nunc dici eam Indiæ partem,quæ inter Gedrosiam iacet & Indum fluui um, si Ptolemæi partitionẽ cum ea,qua ille utitur, libeat conferre. Pius pontifex eam Scythiæ partem intelligit, quæ intra Imaum montem & Iaxarthem fluuium continetur, quam Scythæ Nomades tenuerunt,& si citra Iaxarthem extendi Cathai num nomen uideri potest in Arrianos & Bactras, ob ea quæ de mitiore cultu gentis traduntur. Terra hæc nobilis ob Herculis, Liberi patris, & Cyri regis metas. Scythicum genus hominum Cathaini, & in quibus magna morum mutatio facta uideri

De Cathaio & moribus gentis.

B posit,si uera sunt quæ Armenius homo de his prodidit in historia. Sagacissimi sunt, inquit, aiuntque se solos hominum duobus luminibus cernere: cæteros mortales aut cæcos esse, aut altero oculo captos, magnum ingenij acumen, sed iactantia maior: persuasum est uniuersæ genti, se cæteris mortalibus artium subtilitate, & scientia longè antecellere. Candidum genus hominũ, paruis oculis, natura imberbes, literis utuntur Romanis quadratura si milibus, alij alio superstitionis aguntur delirio: cæterùm omnes ueræ pietatis expertes, hi solem adorant, illi lunam, quidam fusiles statuas, nonnulli bouem, uarieque per hæc monstra sparsa est gentis superstitio: non scriptas leges, non fidem norunt ullam, & quum in opificijs mirum sit gentis acumen, nulla tamen his rerum diuinarum notitia: timidum genus hominum, mortemque formidans, gerunt tamen bella magis ingeniosè, quàm fortiter, sagittis in pugna utuntur, telorumque generibus quibusdam, hominibus aliarum gentium minime notis, papyracea moneta in usu, quadrata forma, & in ea regis imagine expressa, quæ si uetustate obliterari cœperit obsoletam cum recentius impressa in regia commutant: supellex ex auro & argento, cæterisque metallorum generibus: olei ino pia insignis, hoc reges duntaxat unguenti loco utuntur. Nicolaus Venetus, qui ad eius gentis terram peruenisse dicitur, urbem regiam Cambastiam uocari nostros homines docuit: esse & aliam Nemptaim non minus illustrem, sed cuius conditio multo recentior haberetur. Est Cathaio Tarse ad occidentem solem finitima, in tris uelut prouincias, ut Armenius ait, diuisa. Hæc ea esse uidetur, quæ & olim Gedrosia, Idolorum cultu gẽs dedita, soli omnium à Magis, qui Christum regem nuper ortum adorarunt, longa serie procreati, disciplina à maioribus accepta, in antiqua pietate perstant. Sed Aytonus parum, ut ingenuè dicam, sibi constare uidetur, qui ex terra tam remota tredecim dierum spatio potuisse Magos putet in Iudæam uenire, Ingeniosa alioqui gens omniumque scientiarum capax, nec caret literarum usu,& quod proprium est gentis ipsius, uulgo carnibus & uino omniumque animalium cæde abstinent, urbes affabre constructę, grandia templa, malorum dæmonum imaginibus referta, tritici omniumque frugum abundans præterquam uini, nefas apud Tarsianos id potare, attinguntque hi ad occidentem solem Terqueste terram quam olim Carmaniam dixere, si Aytoni partitio non discrepat à ueterum autoritate. Infrequens terræ cultus, regio campestris pabulo magis quam cultui idonea, uagi incolæ Numidarum more, uino carent, pro uino ceruisia in usu est. Pars Caramaniæ, si Caramania hæc est, omnis ueræ pietatis expers, sunt in his qui Mahometem colant, literarum usus infrequens,& in urbibus tantum, quas perras habere dicuntur, suntq; literæ eædem quæ & Arabicæ. Corasine & Comania, quę secundum gen

Atten. ritum gentis.

Aten. preciosum Alueum.

Terqueste quæ Caramania.

Corasine.

tes iam dictas ponuntur ab Armenio, à populorum nominibus haud dubie nomen habent, quos Plinius suprà Bactros & Mardos statuit. Frequens Corasine cultus, crebræ urbes uillis passim interiacentibus, sic Aytonus: solum ferax, frumenti & frugum abundans, Baccho inimicum, & idcirco rarus uini usus. Corasinis urbs gentilium omnium pulcherrima, Corasine nomine,& ob eam rem totius regni caput. Nullus genti literarum legumue usus, ferox ingenium uiris ac bellorum cupidum, perpauci Christiani nominis in Corasinis esse, quum Aytonus anno abhinc centesimo ac nonagesimo: hæc prodidit. Discreta his lingua à cætera multitudine, discretus sacrorum ritus, utrunque illis græcanicum, parebantque tempestate illa Antiochenæ ecclesiæ, ab ortu solis deserta regio prætenditur Corasine, ipsa ad occidentem solem porrò extensa Caspio mari iungitur, septentrionalis illi Comania est immensis euagata finibus, ob cœli intemperiem parum cultu frequens,& quod iure ali quis miretur, hic rigens & gelida, alibi retorrida & æstuosa, plana plurium regio, & nuda arboribus pro lignorum materia, qua omnino carent, stercore utuntur indigenæ. Tanaim & Euxinum mare ad occasum attingit, utis quem sequimur scribit, ab ortu Caspium Comaniæ adiacet, quo apparet Asiaticæ Scythiæ partem non paruam cum his, Hiberiæ, Colchidis & Albaniæ tractu Comaniæ nomine contineri. Saram regni huius caput, Tartari Scythicum genus hominum uastarunt, Aytono hæc prodente. Et hæc ferè Scythiæ sunt, trans Caucasum & Imaum ad septentrionem & boream obuersa. Quæ citerioris Asiæ ad ortum & meridiem spectant, idem autor sic digerit, ut Indiam dicat ab occasu in ortum secus oceanum longe excurrere. Oceanum Indicum mare uocat, ut Plinius & plerique ueterum. Vnus Ptolemæus,& quod mirari possis, aliquanto Plinio iunior, huic opinioni non astipulatur. Affulsit his gentibus aliquando Christianæ pietatis lux euangelica prædicatione, sed in tenebras gens tota temporum interuallo relapsa est, una duntaxat ciuitas adhuc ueritatem tuetur, quam ab initio fuerat complexa. Hic uulgi error castigandus, multis, ut uideo, persuasum est, quum in India dicitur latè Christianum nomen patere, de hac India intelligunt, cuius modo habetur mentio, quum Æthiopia sit illa, quæ est suprà Ægyptum. Quid autem sit quòd terra hæc Indiæ fuerit nomen sortita, in Æthiopicis rebus explicabitur. In orientali illa India Hermes est urbs negociatorum frequentia nobilis, sed multo nobilior Gamalech, quo mercium causa ex Herme negociatores modico traiectu euehuntur.

Comania quæ olim Hiberia & Albania.

India.

In

In Parside quæ notior terra est, quum uetustate
Persæ. nominis, tum quia Persæ sæpius Romana arma
senserunt, certatumque uario euentu cum his de
Mesopotamiæ possessione. Duæ nunc in ea urbes
illustri nomine, Bocchera & Scornehat: à Saraceno uicti Persæ Mahometique delirio imbuti in tenebris agunt, bellica olim gens, ut quæ diu in orien
te sit rerum potita, nunc armis desueta ueteri glo-
Armenia. ria excidit. Nec Armenia mutauit nomen, clarissima eius terræ ciuitas Taurisium. In bello Armenij Scytharum armis & uestitu utuntur, eorum dico, qui Tartari hodie dicuntur, sub quorum imperio aliquandiu fuere: Literæ Armenijs à cæteris gentibus diuersæ, & quæ Armeniacæ dicuntur. Mons Ararach Armeniæ est, in quo mystica desedit arca, ut fertur, post diluuium. Riget uertex mõtis perpetuis niuibus & idcirco inaccessibilis. Scribit Aytonus in summo uertice nigrantem quandam speciem apparere, quàm uulgus uetustam illam cataclysmi arcam arbitretur. Nec mihi excidit quod de eiusmodi re in primo Rapsodiæ libro scripserim, Iosephum & alios secutus, sed Aytoni sunt hæc, quæ nunc scribuntur. Erat Aytono prodente, uniuersa Armenia Christianæ pietatis cultrix. Media & ipsa ueteri nomine Armeniæ iungitur, ad austrum illa prætenta. Medi Mahometem colunt, sunt Arabicæ in usu literæ, ferox genus in bello,
Att. regionis naturam quæ Anise dicitur. optimique sagittarij. Georgiæ regnum ad Scythiam pertinet, Georgi & Alani Scythæ sunt. Hinc fit ut Alania à quibusdam uocetur, pars regni huius trium dierum circuitu tam densa obducta est caligine, ut ob tenebrosam speciem nemo locum subeat, nec cernere sit aliquid in ea densitate tenebrarum, qui in proximo habitant, exaudiri aiunt in de uoces hominum & Gallorum cantum, hinnitum equorum, nec horum quicquam uideri, regionẽ ipsam Anisen uocari. Fluit ex ea terra amnis, qui suo inuectu arguit locum non esse sine humano cultu. Aytonus qui adhæc usque loca peruenisse se ait, autor est in Georgianæ gentis monumentis prodi tum, quod & ipse legerit, Christiani cultus manum ingentem in ea olim loca compulsam impia Sauorini Persarum regis insectatione, cæterùm quum hostile ferrum fugientium cruricibus immineret, miraculo eueniisse, ut profuga multitudo tenebris sit repente obsepta in munitissimi ualli speciem. Caldæi à Mediæ montibus ad Itureos usque campos accolunt, in his Ninus urbs olim gentis caput,
Baltach olim Babylon. nunc Baltach prima est, Babylon olim nuncupata. Regio plana & fiticulosa. Caldæis iuxtà Arabicisque utuntur literis, qui in ea sunt, Mahometanæ legis gens hæc. Est Mesopotamia Romanis armis sæpe adita, in ea Rochais Euphrati impositа Augarij regia. Hinc sacrum sudarium quod Romæ hodie uisitur. Multi in ea Christiani nominis, Syri, Armenij, & in his Saracenorum quidam, eadem pietate imbuti. Horum optimi bellatores Armenij, Siri & Saraceni imbelles. Colunt Mesopotamiæ partem unam Saraceni tantum, atque ijdem pugnacissimi, Arcarios gentili uoce appellant. Terra
Turcia. quæ nunc Turcia est, maiorem habet Armeniam ab ortu, excurritq; ad Cilicium usque pelagus, ad septentrionem uersus Euxino terminatur, ab Aytono Turquia dicitur, plures in ea prouincia. Lycaonia in qua Ionicum caput gentis. Cappadocia, in qua Cæsarea. Isauria, ubi Seleucia, Lycia, quæ nũc Briquia, Ionia, quæ Quiscum, ubi Ephesus. Paphlagonia ubi Germanopolis, Ienech, ubi Trapezus, olim pontus fuit. Trapezus ducentesimo abhinc anno à Constantinopolitano alienata imperio, subita præfecti defectione, qui ex Byzantio mitti cõsueuerat. Cæterùm quicunque ille fuit, nam nomen, quod le gerim, non proditur, qui primus ab imperio defecit, se ab initio regem dixit, inde imperatoris appellationem assumpsit. Euerterũt Turci id imperium paucis post annis quàm Byzantium est ab his captum ac direptum. Hoc quicquid est terræ, quæ nunc Turciæ tenet nomen, non una gens incolit, sed Turci, Græci, Armenij, Saraceni, Iacobitani. Horum Turci agriculturam exercent, in agro sub tentorijs agunt, quibus terræ cultus curæ est, ijdem aliqua ex parte pecuarij, bellatores fortissimi. Sed qui sit totius gentis ritus quando de his sæpius mẽtio habenda est, opportunior explicabit locus. Nunc
Syria. Syria dicẽda totius Asiæ ultima, ad occasum ab Euphrate ad internum mare extenditur, in quatuor prouincias uerius quam regna diuiditur, ut Armenius homo docet, Sen in cuius medio est Damascus, Palæstinam ubi Hierosolyma, Antiochiam ubi urbs ingens eiusdem nominis, & Ciliciam in
Plurium gentium ritus. qua Tarsus, in Syria Græci habitant, qui & Grisponi dicti, Iacobitæ, Nestoriani, Saraceni, duæque Christianæ pietatis gentes Syriani & Maroniani, ut Aytoni, quem sequimur, utar uerbo. Syriani græcanico ritu sacrificant, paruerunt que aliquãdiu Romanæ ecclesiæ. Maroniani sentiunt, cum Iacobitarum gente. Horum lingua & literæ, quæ & Arabũ. Habitant duo hæc piorum hominum genera ad Libanum montem, & circa Hierosolymam. Saraceni strenui in bello gaudent agrorum cultu, Syriani inutiles, Maroniani, qui ad Libanum sunt, pauci quidem numero, sed uiri pugnacissimi. Saracenorum gens ex Arabia est, inde pestis illa hominum orta, abijt (ut credere est) pars Arabum ingens in Saracenicum nomen, cæterum tenent nunc uererem quoque appellationem, qui circa Ægyptum habitant, raptoque plurimum uiuunt equorum celeritate freti: cætera in Saracenorum origine latius sunt à nobis explicata: omnis Asia quę ab Indo flumine ad Syrium mare, rursus à Tanai ad Nilum longe lateque patet, per hũc modum se habet. Hi mores, hæc gentiũ religio, nominumq; uariatio facta in prouincijs populisq; fuerat ab inclinatione Romani imperij, ad Clementis quinti tempora, qui ducentesimo abhinc anno pontifex fuit. Nunc quando demonstratum est qui hominum ad orientem solem post Romanos potiti sint rerum, nomina in ordinem digerantur, ut uel modico uerborum complexu possit intelligi. quæ fuerit regnorum successio. Post sa-
Variatio ni imper. lutarem Christi ortum Ceserosachus Persarum rex primus omnium à Romano defecit imperio, estq; à suis Asię imperator dictus. Imperauit is non solum Persis, sed Armenijs etiam & Medis, quæ duo regna suis opibus adiecit. Suntq; per hęc Persę rerum potiti annis trecentis undeuiginti: Saraceni orientis imperium Persis ademere, anno salutis sexcentesimo trigesimo secundo, hi multo latius quam illi dominati, sedemq; imperij fecere Valdacham urbem, sic hodie quæ olim Babylon ad Euphratem sita. Mansit inde his regnũ incolume annis quadringentis ac duodeuiginti. Turci quos nũc Turquos nunc Turquimanos Armenius Aytonus uocat, sunt inde rerum potiti, cœpitq; illorum imperium anno salutis millesimo quinquagesimo primo. Corasini gens Scythica, Persida occupata imperij imaginem sibi effinxere. Sunt Turcorum ab his arma parum feliciter tentata, mox & Syria non multo felicius inita, per hæcq; non una clade affecti breui imperium amisere. Tartari dein (& hæc gens Scythica) Hoccotę regis ductu, Turcorũ opes afflixere, suntque Asiæ imperium adepti anni millesimo ducentesimo quarto & nonagesimo, ceperũt & Syriã ex Saracenis, Memphitico rege intra Ægypti paludes fluentaq; cõpulso, inde uarie utrinq; bellatũ, mãsit tamen summa imperij apud Tartaros, Tamorq; sextus eius gentis imperator in Cathaiano sibi regno fixit sedem, & in Ægypto ingens mutatio postea facta est, ut serui imperare cœperint. Id uerò quo casu

casu acciderit, alio loco diximus. Nec ita multò pòst
res Turcorum in antiquam fortunã restitui cœptæ
sunt, miroq; successu creuere usq; ad Mahometi tẽpora, ad quẽ, ut est alibi significatum, legati ad Isan
Cassano uenerant, petentes ut Cappadociæ regno
abstineret. Erat tum Romæ pontifex Calistus tertius, quo sedente exiterunt prodigia aliquot in urbe, & cætera Italia. In Sabinis biceps uitulus natus.
Prodigia. Romæ ad portam Veneris, & in Liguria sanguine pluisse ferebatur. In Piceno ortus infans cum senis dentibus. Cometes diro aspectu in quintadecima parte Cancri toto ferè mense Iunij in cœlo obseruatus. Fœdissima procella mense Augusto magnam Italiæ partem, & in primis Hetruriam, Venetamq; oram populata est, inde paucis mẽsibus interiectis magna pars Italiæ horrendo motu terræ concussa est. Multa in Amiterno agro, Apulia, ac toto ferè Apuliæ regno, ædificia corruerunt, alia aut conuulsa, aut parietum hiatu deformata. Sensit eam cladem Neapolis regni caput, sensit & Capua, utraq; urbs ruinis oppressa. Circa Benacum nobilissimum Italiæ lacum, mons in abruptum desedit, eó ne motu terræ, an alio casu parum compertum habeo. Inciderunt prodigia hæc, si rectè colligunt hi quibus fuit curæ hæc prodere, in eum annum humanæ Salutis, qui supra millesimum quadringẽtesimum sextus fuit & quinquagesimus. In hũc quoq; annum reponunt memorabilem pugnam illam, qua Mahometes est, ut suprà demonstraui, ad Albam uictus. Albam hanc Taurinum olim fuisse existimare uidẽtur quidam. Cæterùm quodcunque locus nomẽ habuit, est enim in dubio, ut uideo, Mahometes inde reuersus, quum maritimum bellum meditaretur, Casiani regis legatione commotus, Asiaticum maritimo prætulit. Post legatorũ discessum, parte classis in Pontum præmissa, Synopem & Trapezunte uersus, ipse cum terrestri exercitu omnium opinione celerius transijt in Asiam, rectaq; ad Euphratem contendit. Sensit hostis terribilem Mahometis apparatum, concessitq; cõfestim ad montes, ac quàm diu Othomanus fuit in prouincia, tenuit se ille munitioribus locis, nihil ausus interea mouere. Mahometes rex confessi one uictoriæ hostibus expressa, exercitum in Paphlagoniam duxit, breuiq; Synopem prouinciæ caput, omnemq; Paphlagonũ gentem subegit. Trapezuntem inde terrestri naualiq;
Trapezuntis imperiũ euertitur. prælio oppugnatam, pari successu domuit. Trapezuntium imperatorem cum Ponticę oræ & Cappadociæ principibus liberis, uxoribus, Byzantium uelut in triumphũ duxit, ductos interfecit. Nec post tam insignem uictoriam Turcorum arma quieuere, quin Othomanus ea classe usus, quam superiore anno in Propõtide parauerat, Mitylenem occupat, omni ferè insulanorum multitudine Byzantiũ tanquam in coloniam abducta. Vtres bellicæ fortunæ arbitrio uariantur, grauem ignominiam adijt Othomanus non multò pòst in Dacia uictus, nec minor clades accepta: nam quum in eam terram bellum transtulisset, Draculas Dacorum dux cum sex milibus equitum pariq̃ peditum numero intempesta nocte Turcorum castra ferociter adortus, tantũ iniecit terroris, ut nisi Maimuthis ducis consilio edictum esset, ut non ex equo, sed in uestigio quisq; stans, ante suum tabernaculum pugnam capesseret, deleri potuerit uniuersus exercitus, sic quoq; pars multo maxima cæsa est, cæteri equorum pernicitate seruati sunt, sed ut ferox erat Mahometis animus, & in aduersis inuictus, breui post superiorem Mysiam, nunc Bosina est, ex improuiso adortus, uniuersam terram fœdè populatur. Rex inopinato bello perculsus fugam molitur, ubi cuncta circa se ruere uidit ferro & flamma, cæterùm hac quoque ab hostibus, qui omnia obtinebant, adempta qua proximum illi fuit, Cludensem arcem occupat, hic Othomanicis circunsessus armis publica fide accepta
Mysia superior subigitur à Turcis. deditionem fecit, sed neq; spontanea deditio, neq; data fides illi profuit, in hostium potestatem redactus confestim interficitur. Iacia totius regni caput quarto mense quàm obsideri cœperat, capta est, ciues in prædam acti, prouinciæ duces cum fratre & sorore regis Constantinopolim missi & ad triumphum seruati. Erat Mahometes bellum in Macedoniam translaturus, Mysia iam potitus, quum certis rumoribus affertur Corinthiacum Isthmũ summa ope à Venetis muniri. Enimuero Veneti post Byzantium captum, pacatoq; Italiæ statu, decẽ circiter annos quieuere, in quam temporum intercapedinem inciderunt Europeæ & Asiaticæ Turcorum expeditiones, quarũ adhuc mentio habita est. Venetis rebus interea ab omni bellico motu quiescentibus, domi Foscaro principi ob multam ætatẽ publicis muneribus iam minus utili (erat enim nonagenarius) dignitas abrogata est, quũ annos quatuor & triginta reipublicæ præfuisset. Paschalis Maripetrus illi adhuc uiuo subrogatur. Vigebat adhuc in effœto corpore generosa quædam uis animi & honorum ambitio, quo contigit ut in ordinem redactus, audita noui principis creatione paucissimis diebus morte consumptus sit, summi magistratus insignia, quæ illi uiuo fuerant adempta, mortuo publico decreto restituũtur, ac tum demum princeps principem extulit, quod post sublatum collegæ in principatu coaptandi morem, nunquam quod sciã accidit. Maripetro principe grauissimus motus terræ factus est in Italia, de quo nuper habita est mentio. Per idem tempus Libraria impressio apud Ita-
Libraria impressio. los uulgari cœpta est, res sanè memorabilis, nec minore admiratione digna, sed multo admirabiliorfutura, si non adeò uulgari contigisset: mirum & uix credibile dictu, sed uerius uero tantum literarum uno die opificem unum formare, quantum uix biennio uelocissimus queat librarius. Commentum id Theutonicum, fuitque ab initio in multa, ut debuit, admiratione, nec minore quæstu. Pulcherrimi inuenti autor Ioannes Cutembergius, equestri uir dignitate, Maguntiæque res primùm tentata est, maiore quidem fiducia quàm spe, annis circiter sex decim, priusquam in Italia res cœpta sit uulgari. Sunt qui inter initia Pientini pontificatus, id opificium Italię inuectum dicant, quod non multum sit diuersum ab eo quod alij prodidere, ut in eum ipsum annum Calisti exitus inciderit, & Pij pontificis creatio. Sed utcunque res signanda est, claruerunt plerique eiusmodi opificio, sed omnium maximè opibus & eleganti literarum forma multùm cęteros antecelluerunt, Nicolaus Ienson & Ioannes Colonienſis ambo Theutonici, quibus multi diligentem operam nauarunt, uaria recognitione, ut in iure pontificio Petrus Trecius, quem audio gloriari solitum XXX. uoluminum milia ex formula suæ recognitionis librarijs officinis impressa. Reddidit Maripetri principatũ ad posteros illustriorem libraria impressio, res humano generi gratissima, qua omnis uita continetur, & uastitas Italiæ ex uehementiore motu terræ, habuitque administratio illa quatuor annos & dimidium, incidit; in Calisti tempora. Fuit is pontifex tribus annis, quo sedente Alphonsus rex ex residuo in eam ciuitatem odio, res Genuensium est hostiliter insectatus, classe ad id parata: ea res fecit, ut quũ Petrus Fregosius, qui Genuæ dux erat dignitatem & urbẽ amplius tueri non posset, eam Carolo Francorum regi dederit habendã. Rex deditam urbem Ioanni Andegauensi præsidio obtinendam tradidit, unde ille non multò pòst Alphonso rege defuncto, uelut ex arce quadam Neapolitanum inuasit regnum.
Iacobus Picininum. Est per idem tempus nouum in Hetruria bellum conflatum, Iacobus Picininus, Veneto stipendio

dio exautoratus, Senensibus bellum intulit. Illato eam prærexit causam, quòd ea ciuitas tantum auri pondus sibi nõ redderet, quod Nicolao patri suo deberetur, erant Senẽses improuiso bello aliquam omnino cladem adituri, nisi auxilia prius à pontifice, mox à Veneris & Sfortia maturè affuissent, quibus Picininus uehementius quàm ferre posset degrauatus, uenisset haud dubiè in hostium potestatem, nisi ad Orbatellum, Alphonsi regis triremibus exceptus sese hosti subtraxisset, fauebat unus duntaxat Alphonsus ex omnibus Italiæ principibus Picinini conatibus. Senenses graui bello leuati, cuius eius motus autores, erant enim nonnulli qui magis Alphonsi partibus studebant quàm publicæ libertati, aut extremo affecerunt supplicio, aut exilio damnarunt. Quieuit inde pluribus annis eius ciuitatis status, omnis ciuilis discordiæ expers. Circa urbem nonnihil est per id tempus discordia laborátum. Neapuleo Vrsinus & fratres oppugnati sunt Calisti armis: reliquerat hos hæredes Ioannes Antonius Vrsinus, quem Calistus præfectũ urbis creauit, tenebantq; hæreditario iure & alia quædam in Latij humeris congesta oppida, habebantque cum Anguillarijs bellum, quum alia de causa, quam dixi, conflatum, tum ob nouum principatum, de quo acriter est inter eos certatum. Tenebantur ab Anguillarijs Monticuli (est is locus in edito contra Tybur) fuerantq; id oppidum ex defuncti principis rebus fortè adepti, multi quidem partium ac uarij conatus, nec sine agri Romani uexatione, sed intra annum desedit ille motus pontificis autoritate, cuius domesticę actiones fuere Vincentius Hispanus prædicatorij ordinis, & Edimũdus Anglicus in sanctorum numerum relati, quod solenne sacrum Dominicæ transfigurationis institutum ad octauum Idus Augusti, quo die Mahometes Turcorum rex Christianis armis est ad Albam superatus, tametsi non id unum in cærimonia illa sancienda secutus uideri potest: eodem enim die & ipse pontifex creatus. Nouem supremi ordinis creauit antistites, et in his Æneam Picolomineum Senensem, cuius præclara est opera usus in pacanda Italia. Nobilium inopiam fouit insigni pietate, aluit pauperes, uirgines matrimonio locauit, fuit & in principes munificus, præsertim in eos qui Christianum nomen poterãt armis tueri, ad Cassanum Persarum & Armeniæ regem, & ad Tartaros, Lodouicum Bononiensem ex Francisci Assiatis familia cum donis amplissimis misit, quos ad arma in Turcos comparanda excitaret, cum Alphonso rege nihil est obscurè simulatus, quia non personæ, non ætatis ut Platina scribit, ratione habita, sacerdotia quibus libitum esset largiretur: hinc fuit, credo, quòd Alphonso uita defuncto cogitare cœpit, ut fertur, quo nam modò Neapolitanum regnum ad Apostolicam retraheret sedem, bello uindicaturus, si bona uenia non daretur, sed morte præuentus rem exequi nõ potuit. Obijt Alphonsus rex quatuor circiter & sexaginta annos natus, fuit gracili corpore, pallido colore, uultu hilari, & ad promerendam gratiam obuio, naso aquilo, oculis illustribus, crine nigro, & ad mediam ceruicem extenso, mediocri statura, cibi potusque temperãs, nec ferè est uino usus, nisi admodum diluto: rei literariæ adeò studiosus ut nullius æquè rei, dedítque præcipuè operam grammaticæ arti, in quo genere adeò profecit, ut operæ diu nauatæ non peniteret, etsi perrarò latinè loqueretur: omnigenam euoluit historiam, poetas & oratores: nouit dialecticæ nodos perdifficiles soluere, si quando quæstio aliqua obscurior incidisset. Castigatus & pressus sermo, ac tam blandus, ut à se tristem dimitteret neminem: si quid improbè à se peteretur, ita demum occurrebat, ut differri res non negari uideretur: fouit ut qui maximè religionem, Christianæque pietatis

Vrsinus & Anguillarij.

Vincentinus Hispanus, Edimundus Anglicus conſecrãtur.

Alphonſi regis mors.

A nomen, sacris uestibus cerimoniam instruxit: in domestico ornatu splẽdidus & sumptuosus, gemmas & uniones terra mariq; conquisitos animose mercatus est. Vestiebatur magis nitidè quàm sumptuose. Mirum in eo uenandi studium, aluit canes innumeros ad uenatum, & uolucrum uim ingentem. Durus & immitis in bello, clemens in ocio & exorabilis. Inuitus accedere ad capitale supplicium, odisse tamen scelera, seduloque uindicare, ne quis impunè peccasse gloriaretur. Legatis ad se uenientib. largè sumptum suppeditare. Prætoria uerius quàm naues instruxit. Et ille quidem talis fuit domi, sed nihilo bellica uirtute inferior. Lodouicum Andegauensem regno expulit, Ioannam reginam non tam afflixit quàm coercuit: Renatum bello uictum obsedit, ac regno eiecit, Caietam bis cepit, Neapolim expugnauit, Ioannem Nauarræ regem graui bello implicitum suis auxilijs defendit, Massiliam noctu captam diripuit, Lothophagitem insulam quatuor milia passuum ab Aphrica obsidione fatigauit: Bophorion eius terræ regem acie fudit, fusumque in castra compulit, Lothophagitas tributarios fecit: Franciscum Sfortiam ex Piceno agro expulit, bis Florentinos bello petijt, bis pacem petentibus dedit, Turcos circa Epirũ, et in ora Ægei maris magno affecit incommodo, sed alieno non suo ductu, Genuenses à quibus uictus est nauali pugna, tributarios fecit, ut aureã pateram annui tributi nomine sibi mitterent. In Philippum Vicecomitem, à quo ipse & fratres fuerant incolumes dimissi, tam grato fuit animo, ut ab eo hæres sit postea relictus. Post Alphonsi interitum Ferdinandum eius filium Calistus spoliasset, ut constans opinio fuit, regno, ob paternas inimicitias, si longior ei uita contigisset, quanquam in eo fœdere, quod Eugenius cum Alphonso percussit, diserte Ferdinando cautum erat, ut is in paternum regnum succederet. Desijt Calistus in humanis esse eodẽ anno quo et Alphõsus, qui millesimus fuit salutis quadringẽtesimus octauus & quinquagesimus. Sedit Calistus tribus annis ac pari mensium numero. Pius eius nominis secundus Calisto successit, Æneas antea nominatus, Senis ortus Picolominea nobili familia: nullus unquam ad eiusmodi dignitatis fastigium exercitatione uita pernenit, ut ad negocium & uirtutem nõ ad ocium natus dici possit, nullum ferè citra armorum tractationem, publicum Christianæ rei negocium, siue sacrum siue prophanum, iam inde à Basilienſis conuentus celebritate incidit, cui non interfuerit, quum de eo ageretur, ut uetus Græcię prouerbium tam illi cõueniret quàm Ægei filio, cuius gratia est repertum, non sine Theseo, per omnes honorũ gradus, quos sola uirtus peperit, ad pontificium decus est euectus. Quod aliquãdo futurum matri puerperio proximæ est nocturna imagine demonstratum, per quietem dicitur sibi uisa puerum eniti mitram habẽtem. Post Calisti obitum Romam intrantem, pars ciuitatis multo maxima obuiam effusa pontificem salutauit, haud dubio futuræ dignitatis præsagio. Primum omnium pontificatum adeptus bellũ sustulit ex Vmbria, quod Iacobus Picininus nouarum rerum cupidus excitarat, recepitque ex hoste Asisium & Nuceriam, obtulitq; se arbitrum pacis inter Ferdinandum regem, & Sigismũdum Malatestam, erat id bellum ab Alphonso, quum adhuc in humanis ageret, inchoatum. Cupiebat Pius Italiam quàm pacatissimã habere, ut hominibus Christiani nominis, quibus publicum conuentum Mantuæ indixerat, tutior ad id concilium fieret accessus. Ex omni Europa principum & populorum legati maturè affuerunt, estque eo concilio actum de bello in Turcos comparando, exercuitque diserti-ſimus Pontifex omnes ingenij uires in tam pia quã necessaria expeditione suadenda, sed propositum non

B

Pius ij. pont.

Mantuanes conuentus.

non tenuit, Italorum animis ad intestina bella magis q̃ externa inclinãtibus. Nec Itali solũ discordia laborare, sed exteræ etiam gentes erant per id tempus malè pacatæ. Fremebant Galli publicèque testari dolorem suum, quòd Pius pontifex Ferdinandum Alphonsi filium Neapolitano locasset regno, cui Ioannes Andegauensis Renati filius bellum intenderat. Nec Pannonibus Germanisque multum conuenire, utrique ad arma spectabant. Britannorũ studia in duas abierant factiones. Est & circa Barchinonem sub id tempus bellatũ, quod haud multo pòst sit dicendũ in externarum rerum relatione. His Europa malis laborante res Christiano nomini salutaris discussa est. Et res Italiæ aliarumq; gentiũ tam ualidè fluctuabant, quum iam Veneti bellum cũ Turcis haberent, aut certè non multo pòst erant habituri ob Peloponnesum, quàm reliqua Græcia domita Othomanus demum sibi uendicare. Thomas & Demetrius fratres Christianorum ultimi peninsulam possederant, quibus inter se dissidentibus, Demetrius Mahometis arma intra Isthmum per speciem auxilij induxit. Sustinuit graue bellum aliquandiu Thomas, postremò desperatis rebus in Italiam ad Pium pontificem nauigauit, attulitq; secum Andreæ apostoli caput, quod Romanus pontifex cum uniuerso clero & magna populi parte ob uiam progressus, circa Mammeũ ponte uenerabundus excepit. Nec Turcorũ arma diu quieuere: quin captis proditione Argis, quum omnia hostiliter fierent, Veneti bellũ sunt suscipere coacti, ut ea quæ iá antea in Peloponneso possederant, armis tuerẽtur. Bertholdum itaq; Estensem cum exercitu in Græciam mittunt, ante enim illius accessum nihil erat in Peloponneso gestum, quod dignum esset memoria. Sub primum igitur in eam terram appulsum, citato agmine Venetus dux Argos petijt, ipse bene gerendæ rei in celeritate posita: breui igitur quàm eò B uentũ est, Argiua arce potitur, ac simul hinc digressus, cum quindecim milibus hominum, ad Isthmũ contendit. Affuit illi ex compoſito Alouisius Laurentanus cum classe satis ualida, ut suis auxilio esset. Hi Isthmum munire adorti, adeò festinatum est, ut totam muri longitudinem, quæ ab Ionio ad Ægeum quadraginta circiter stadia patet, quindecim dierũ spacio duplici fossa subitariaq; molitione firmarint. Triginta milia hominum eo loco operata dicũtur, sed ueteris structuræ saxa, quæ ad manus fuere, materiá præbuerunt operis celerius consummãdi. Veneti duces præsenti labore defuncti, Isthmoq; præsidijs firmato, Corinthum inuadunt. Est id oppidũ tam arduo quàm opportuno loco situm. Tripertito igitur castra circa oppidum metati sunt: inde per saxa & abrupta loca aduersas munitiones subire conati, satis prosperè sunt priore prælio defuncti. Sequẽti pugna Bertholdus lapide ictus letale uulnus accepit, quo breui pòst moritur, nec ob tanti uiri casum obsidio remisit: cæterùm dum Venetus hic sedet, ecce repentè afferunt ingentem Turcorum numerum ad Isthmũ properare: Mahometes rex, Bosina subacta, quum in Macedoniam iã bellum translaturus esset, ut est suprà significatum, audito Venetorum conatu, quòd Isthmum munire essent adorti, confestim eò occurrendum censuit, ut cœptum opus disturbaret. Venetus soluta obsidione ad Isthmum se recepit, ut uenientem hostem muro excluderet, inde certior fama secuta est, octoginta milia equitum appropinquare, & cum his Othomanum regem. Betinus Calcinatius cui copiarum imperiũ cesserat post Bertholdi interitum, suæ paucitati diffisus, nauales enim turmæ ad mare se receperant, Lauretano cæterisque consilium probantibus Isthmo sine præsidijs relicto, Neapolim sese recepit, maritimam Peloponnesi oram armis defensurus. Affuit breui pòst infestissimus hostis, qui Isth-

Caput Andreæ apoſtoli.

Veneti & Venetus munitur.

Corinthus oppugnatur.

A mum ingressus, cum strage & cæde agrestium, circa Argos debacchatus: Neapolim præcipiti cursu contẽdit, ut Venetum improuiso accessu opprimeret, trepidatum est uehementer subito ac penè inopinato hostium inuectu, suntque aliquot milites circa munitiones intercepti, bis Turci urbem subiere, bis telorum multitudine, tormentorumque cre bris ictibus afflicti ac penè obruti, sunt à mœnibus repulsi. Peruagati inde maiore tumultu quàm clade Coroneum & Metonensem agrum, Iuncum oppugnant in ora multa ui, sed maiore quadam à Veneto defensum. Hinc digressi, quia iam hyems appetebat, ex Peloponneso abierunt, proficiscentibus Veneti Arcadiam prædabundi irrumpunt, abducuntque in prædam, oppidum quod regionis nomine Arcadiam dicunt, oppugnãt. Locus multa ui defensus capi non potuit, suburbana tantùm tecta direpta sunt & incensa. Sed dum hæc in Peloponneso geruntur, res Venetæ in Italia nihilo quietiores fuere, discordia inter Tergestinos & Iustinopolitanos de finibus, ut inter finitimos assolet, orta. Sunt itaque Veneti ut suorum iura tuerentur, hac quoque parte bellum comparare coacti, estque toto ferè autumno Tergeste Venetis armis fatigatũ, ager hostiliter uastatus, urbs terra & aquis oppugnata, præsertim ea parte qua bellicę machinæ nõ nihil murorum disturbarant. Tergestini Germanico præsidio freti, non solùm muros tutati sunt, sed crebris eruptionibus omnia circa urbem Veneto reddebant infesta, perseueratum sic quoq; esset in obsidione, ni Pius pontifex, qui præterquàm quòd Federici erat imperatoris amicissimus, in cuius fide erant Tergestini, Antistes fuerat ciuitatis ipsius, cũ Venetis egisset, ut armis abstinerent, cũ his pactus ut Venetis obsidionem soluentibus, Sigismundus Malatesta qui à Federico Vrbinate inter phanũ Fortunæ & Senogalliam magno prælio uictus, ac toto ferè exercitu exutus, magnaque principatus parte amissa, bello leuaretur: rebusque in hunc modum comparatis uno tempore Tergestinis & Ariminensibus pax reddita est. Belli huius in Flaminia gesti inde causa orta est, quòd post Alphonsi mortem Ioannes Renati filius, Neapolitanum regnum ingressus, graui bello Ferdinandum implicuit, quem ad Sarnum tumultuario prælio uictum, paucis urbiũ cum Neapoli exceptis, uniuerso propemodum regno spoliauit, communi principum & populorum defectione. Abijt per hæc tota ferè Italia in partes. Sfortiani, Florentini, & omnium enixissimè Pius pontifex Ferdinandum auxilijs iuuabant, Reguli principesque Neapolitani regni, præter paucos, cũ Gallis esse. Accesserũt inde Renati opibus Iacobus Picininus & Sigismundus Malatesta. Hic odio adductus, oderat enim infense Aragonium nomen, aperteque fuerat Alphonsi regis hostis. Ille stipendium & Gallorum pollicita secutus. Pius põtifex ubi Gallos ad Neapolitanum regnum sibi armis uindicandum propensiores uidit, quàm in publicam cautam, quæ Mantuæ agebatur, nec cæteris Christiani nominis ducibus multum conueniret, ea ad tempus actione deposita, ex Mantua in Hetruriá transijt, ubi res Senensium ita compoſuit, ut reipublicæ forma ad Aristocratiá retracta multo melior pacati orque iam inde fuerit eius ciuitatis status quàm antea fuisset. In Piceno preterea & Vmbria ciuitatum quorundam inter se dissidentium discordiam sustulit. Inde sicariorum motum in urbe compressit. Tyburtium eius facinoris autorem, quia Pantheon cum armatorum iuuenũ manu occupasset, inquietasset que aliquamdiu crebris grassatorijsq; eruptionibus ocium & statum ciuitatis, suo reditu urbe ex pulit, pulsum ac mox paulò in potestatem redactũ laqueo necari iussit. Fuit Tyburtius Angeli Maffani filius, quem ex Portiana coniuratione Nicolaus

Attende Turcorum celeritatem.

Neapolitani regni motus.

Motus urbanus.

pontifex eodem affecit supplicio. Insectatus est inde Pius pontifex armis Iacobum Sabellum, quòd Picininum ducem in Romanum agrum hostiliter irrumpentem, per suos fines pacatum adiutumque commeatu transmisisset. Obiecerat Pius pontifex illi ab initio, regni fines inuadere uolenti, ut Gallorum partes tueretur, Alexandrum Sforciam & Federicum Vrbinatem, ea uis illum proposito auertisse creditur, & quia spes certa prætendebatur, turbato urbis statu Tyburtiano motu, posse fieri ut res pōtificis aliquo domestico incommodo suo accessu afficerentur. Sed quàm tumultuosus fuit Picinini in Sabinos descensus, tam breui resedit tumultus ille, subita hostium profectione: nam ubi res aliter cadere uisa est, quàm à principio habuit persuasum, paucis diebus Picininus retrò cum exercitu abijt, modico equitatu, circa Palumbariam relicto, qui res pontificis ex proximo infestarent. Hac Pius iniuria accensus, Sabellorum opes in Tyburti, ubi Palūbaria est, & in Sabinis hostiliter afflixit, suntq; aliquot oppida ex Sabellis oppugnata, acui capta, Federici Vrbinatis ductu, mox est & Sigismundus Ariminensis bello petitus, actum demum prælio uno superatus, phanoque Fortunæ cum parte principatus multo maxima amisso, Venetorum opera à pontifice pacem impetrauit. Multum interea est toto regno laboratum, ubiq; fortuna bellum uariante: nam & Consentia in Calabria direpta est, & ad Troiam in Apulia de summa rei dimicatum, ubi Ioannes Renati filius & Iacobus Picininus prælio fusi sunt, atque in Troiam compulsi. Tum uerò magna rerum mutatio facta, & Ferdinandi res iam inde superior esse cœpit, principum studia sensim mutata, ut breui Gallus pòst coactus sit regni finibus excedere, sed hæc aliquanto pòst, illud à multis observatum, quod uelut tacita quadam ui fortunę ita accidit, ut paucis dieb. & ad Troiā & in Piceno circa Senogalliam sit de summa rei certatum, atque utrobique infeliciter res gesta sit ab ijs qui à Gallis stabant. Sed dum hæc in Italia gerūtur, bellum erat terra & aquis circa Peloponnelum, & in Ægeo, ubi Lemnum occupauit Lauretanus classis prefectus, à Cominio archipirata traditam, fuerat is insulam furatus è Turcis, cæterùm suis opibus diffisus, Venetis dedit habendam. Nec ita multo pòst Vrsatus Iustinianus Lauretano succesit, qui dū Ægæi insulas lustrat duūm & triginta triremium classe, Veneti ductores in Peloponeso inter Mantineam & Pithimem cum Turcorum equitatu temerè cōgressi, magna suorum strage fusi fugatique sunt, ac mille & quingenti cæsi, & in his Cicus Brandolinus, & Ioānes Attellanus, qui pridie illius diei in castra uenerant, cecidit Andreas Dandulus legatus, & Ioannes Massanicus, aliíque uiri illustres, qui honestum ducebant ordinem, & ut fortuna tenax in aduersis, breui postquam hoc ad Mantineam fuerat euentu pugnatum, in Lesbo clades multo fœdior est à Venetis accepta. Enimuero Vrsatus classis præfectus, Mitylenem insulę caput subita ui adortus bis intra paucos dies oppugnauit, uterque Veneto conatus nō solum irritus fluxit, sed calamitosa illi fuit utraque pugna, ad quinque hominum milia ex Veneta classe, alij alio casu desiderati. Nec Vrsatus ob ea quæ acciderant, soluturus erat obsidionem, nisi terra & aquis uis hostium aduentare dicta esset. Tum Venetus meru subactus insula digressus Eubœam repetit, ex Eubœa transijt in Peloponnesum, ubi rei malè gestæ conscientia, quum plus nimio indulsisset dolori, dum per manus è naui in littus exponitur, repentè collapsus animo, breui pòst moritur. Et Vrsatus Iustinianus uir sumptuositate & splendore uitæ in Venetis clarissimus hunc exitum habuit. Iacobus Lauretanus pòst Iustiniani interitum ad imperium classis mittitur, quem in prouinciam profectum Sigismundus Malatesta cum mille uiris secutus est, Pio pontifice iamdudum cum Venetis, & Mathia Pannoniæ rege, Philippoque Burgundiæ duce, bellum in Turcos molientibus. Occupauit Sigismundus cum ea paucitate militum, quam in prouinciam deportauit, Missistratum locū hodie infrequentem, olim hæc Sparta fuit, arcem hostium præsidio munitam aliquandiu oppugnatam caperenō potuit, incenso oppido sub autumni exitum Neapolim copias recepit, nec inopia militum est inde gestū aliquid memoria dignū. Sed dum Spartana arx in Peloponneso oppugnatur, Lauretanus Rhodum insulam hostiliter populatus est. Rhodij enim Venetas triremes in suo portu uiolauerant sedētes, nulla ipsi iniuria affecti, erantque res publicè reperitæ, nec redditæ. Ex Rhodo Veneta classis latè per Ægei insulas euagata est, quin & Hellesponti faucibus aliquando admota, triremiū una inter crebros bombardarum ictus Dardanulas est arces prætuecta, sic uocant hodie duo Turcorum præsidia in Hellespōti aditu sibi ex aduerso respondentia, iam hæc pro amissa habebatur, cætera enim classis hostium ui & locorum iniquitate deterrita abstinebat ingressu. Venetus à suis exclusus ne in hostium potestatem ueniret, sequēti nocte tacito elapsu per hostes sine maiore noxa præter spem omnium ad suos reuersus est. Et hæc procul Italia, quum Pius pontifex compositis iam ex omni parte Italiæ reb. animum ad Asiaticam expeditionem deflexit, tanti belli socios adeptus, Venetos qui iam antea in armis erant, & Mathiam Pannoniæ regem Ioannis Huniadis filium. Fuerat Mathias aliquandiu custoditus Vladislai iussu. Vladislaus Alberti filius fuit, qui mortuo patre, eo die quo est natus, Pannoniæ, ut alio est loco demonstratum, populorum fauore fuit regnum adeptus, diademateq; insignitus. Procedēte tempore, quum duo decim sub Federici Cæsaris tutela fuissent annos, Bohemiæ regnum ei cessit ex Vladislai interitu, qui Varnensi acie occubuit. Erat illeiam duorum regnorum factus compos, lateque imperitabat in utraque gente, quum Vladislaus Huniadis filius Mathiæ frater natu maior, Ciliæ comitem interfecit regis auunculum, ueritusque supplicium pòst patratam cædē solum uertit exilij causa. Tum uerò quia culpæ autor aberat, Mathias in inuidiam fratris sit reus, in uincula conijcitur, custoditurq; regis iussu arctissimè, nec multo pòst moritur Vladislaus adhuc adolescens. Hic memorabili fortunæ ludibrio Mathias custodia eductus, inter quadraginta uirorum milia, super Danubij amnem, tum glacie cōcretum, nec adhuc quidē solutus uinculis, rex salutatur duodeuiginti annos natus. Fuit Mathias uir feroci ingenio atque inuicto, ut ueram Huniadis sobolem agnoscere is, nullus eorum qui recenti memoria in Pannonia regnarunt, omnique Arctoa plaga fuit, Turcis infestior, nullus cum ea gente prosperius bellauit, aut cū his plura & tā secunda fecit prælia, & quod magno laudū cumulo accesit, nullus regū indulgētius fouit bonarum artium studia. Nec solum Pannonem traxit Pius pontifex in fœdus, sed Philippum etiam Burgundiæ ducem, ut suprà est demonstratum. Sed Philippus alijs districtus curis bello non interfuit, cum Lodouico Gallorum rege parum Pontifici cōueniebat ob Renati causam, cuius partes in Italia hostiliter Pius oppugnauerat, & quòd rex pragmaticam tollere cogitasset, ob id, credo, Gallus in fœdus piæ illius in Turcos expeditionis non uenit, quanquam is ab initio sui regiminis laborare cœpit domestica discordia, quòd suo sit loco postea dicendum. Erat & Britannia per id tempus intestino implicita bello. Henricus rex insulanorum principum coniuratione oppressus, & in uincula coniectus, armis repetitus est à Margarita coniuge regia Francorum,

Pugnatur ad Troiam in Apulia.

Gallorū res inclinant in regno Neapoli.

In Peloponneso insuliter pugnatur.

Sigismundus Spartam oppugnat.

Mathias custoditur.

Britannorum motus.

Francorum stirpe orta. Congressa est hęc prælio cum Eboracensi duce, qui fuit illius conspirationis caput, hostem acie fusum ac captum securi percussit, inde ad alterum hostiū exercitum profecta, qui ad iter unius diei procul aberat, haud minore prælio uictum magna ex parte cecidit. Cæterùm regia coniunx multo felicius suis quàm mariti bellauit auspicijs, enimuero recepto ex hoste uiro, cum Edoardo, qui regis appellationem receperat, haud procul ab Eboraco conflixit, certatum est duodecim horis, cæsaque sunt ad triginta milia hominum. Regina pòst multam suorum stragem prælio egressa fugam occupat, Narbonemque ad Renatum fratrem sese contulit, regno pulsa, Henricus iterum captus in uincula conijcitur. Perijt Eboracensi illa pugna omnis Britannorum nobilitas: & res aliarum gentium sic habebant. Pius pontifex nuncijs & literis per omnem Europam missis, reges & populos ad tam pium quàm necessarium bellum inuitat, & is iam grandis natu & ualetudinarius bello constituit interesse. Per Sabinos igitur, Vmbros, & Picentes Anconem decreto petijt, innumeri mortales, fidei tuendæ studio, famaque pontificis ad bellum profecturi, ex Germania, Gallia & Hispania, alijsque exteris nationibus in Italiam transgressi, sese illi obuiam effundunt, bello deuoti, omnem laborem, omnia pericula ultro adituri pontificis ductu & auspicijs. Affuit illi Ancone sedenti breui pòst Christophorus Maurus dux Venetus cum decem triremibus optimè instructis, ut & ipse gerendo bello interesset. Pontifex nonnihil antea lenta febre conflictatus, biduò pòst illius appulsum uita decessit. Incidit eius obitus in eum annum qui quartus & sexagesimus fuit humanæ Salutis supra millesimū ac quatercentesimum, nullus unquam hominum memoria maiorem ex suo pontificatu laudem reportauit: nulli omnia, quæ in pontifice tam summo quàm optimo esse queunt, uberius affuere: sanctè uixit, sanctius obijt: eius corpus Romam delatum est, magnoque exequiarum apparatu marmoreo est sepulchro illatum, quod Franciscus Senensis ex sorore nepos, materia & arte conspicuum illi posuit, uisitur ad læuam Barionæ templum subeuntibus. Constituit Pius aluminis fossiones tum primùm in Italia reperti, unde ingens uectigal quæsitum est pontificio fisco. Longum certè fit & ab stili ratione alienum, omnis uitæ partes in uno pertractare, sed studiorum eius totiusque uitæ præstantia facit, ut non uidear mihi ab officio aberrare, si domestica unius pontificis acta paulo prolixius fuero executus, uel quia plura sint quàm cæterorū pontificum, uel quòd relatu multo digniora. Primum omnium pontificium decus adeò in cunctis tenuit, auxitq; etiam, ut ad eam dignitatem quam gesserit, non suffragio creatus, sed naturæ prouidentia natus uideretur. Maiestatem sacræ sedis non solùm tutatus est, sed multo augustiorem reddidit, quàm accepit, Taracinam, Beneuentum, Soram, Arpinum, magnamque Hernicorum partem subiecit ecclesiæ, duodecim ex omni clero lectos supremo antistitum ordini asciuit, & in his Franciscum ex Laodamia sorore natum, auunculi æmulum omni uirtutum genere. Marmorei scalarum gradus ad Barionæ phanum in Vaticano, & uestibulum pontificiæ domus, Pientini sunt pontificatus opera. Est & porticus ab eo inchoata, in fronte pontificiæ domus, Tyburtina arx à fundamentis ad summum extructa incredibili celeritate. Senis quadrato lapide porticum fastigiatam suæ genti statuit, Corsianum in Senensi, ubi casu ortus dicitur, ædificijs & augusto templo exornatum in urbeculæ formam redegit, Pientiamque appellauit à nomine, quod ex pontificatu fuit adeptus. Posuit & parentibus marmoreum sepulchrum, inscripsitque hoc carmine: Syluius hic iaceo, coniunx Victoria mecum est, Filius hoc clausit marmore papa Pius. Doctos magis dilexit quàm fouit uitio temporum. Summam dignitatem adeptus quicquid ocij dabatur à publica administratione, id totum literis impendebat, sæpius inter suos testatus, id demum esse unde uera uoluptas perciperetur, quapropter multo pluris libros faciebat quàm gemmas aut uniones, qui bus ut dicere solebat, multum Chrysolithorum inesset. Scripsit puer adhuc tria milia carminum, quorum pars multo maxima Basileæ interijt, inde ætatis prouectu prosam complexus orationem, oppidò multa edidit per omnes eloquentiæ partes propemodum euagatus. Extant hodie Historiarum libri, Dialogi, Epistolæ, aliaque studiorum eius monumenta multa & utilia, tenuitque medium dicendi genus & ad omnia accommodatum, uenustus in eo sermo magis quàm comptus, crebrior affectibus quàm figuris, suus tamen non alienus, & quum ueteribus sit similis, à recentiorū figura non abhorret, uim scilicet uerborum, non sonum secutus, candidus alioqui, ueteris & recentis historiæ scrutator diligens, sententias in prouerbij modum scriptas reliquit. Diuina, inquit, natura fide magis quā disputatione comprehendi potest. Christianā fides, si nulla extēt miracula, quia persanctè sit instituta, probanda est. Quòd tres sint trinitatis personæ, nō qua probetur ratione, sed à quo dicatur uidendum est. Mortales cœli terrarumque mensores magis audaces quàm ueri. Siderum cursus inuestigare pulchrius quàm utile. Neque potest auarus pecunia expleri, neque doctus rerum cognitione. Cui plura datum est nosse, hunc maiora sequuntur dubia. Plebeijs loco argenti esse debent literæ, nobilibus auri, gemmarum principibus. Boni medici non pecuniam quærunt, sed bonam ægroti ualetudinem. Artificiosa oratio stultos flectit, non sapientes. Sanctæ sunt leges, quæ uaganti frena licentiæ imponunt. In plebem uim habent leges, in potentes obmutescunt. Grauiores res armis decernuntur non legibus. Lubricus est apud reges princeps locus. Vt in mare flumina, ita in potentiorum ædes confluunt uitia. Omnium maximè assentator, quò uult trahit reges. Nullis hominum reges facilius aures præstant, quàm delatoribus. Pessima regibus pestis adulatrix lingua. Qui multos regit, à multis regatur necesse est. Litigatores, aiebat, auiculæ sunt, forum area, iudices retia, aucupes causarum patroni. Dignitatibus homines dandi, non dignitates hominibus. Graue pontificis onus, sed illi beatum qui beńe fert. Indoctus episcopus similis asino. Corpora malus medicus, imperitus sacerdos animas perimit. Vagus monachus mancipium diaboli. Sacerdotibus magna ratione ademptum connubium, sed maiore quadam restituendum. Nullus est thesaurus fideli amico præferendus. Hostem in se nutrit, qui filio ignoscit. Auarus nunquam placet nisi mortuus. Vitia liberalitate teguntur, nudantur auaritia. Vini usus morbos & labores auxit mortalib. Dulcis mors bonis, iniquis dura. Sed de Pio plura fortasis quàm instituta breuitas patiatur. Accesit pontificatus cumulo, quòd Catharinam Senensem in cœlitum numerum retulit. Obijt Pius sexto anno quàm sedere cœperat. Breuis pontificatus, sed gloria immensa, & in omne æuum duratura. Paulus huius nominis secundus, Pio succesit, Venetus patria, patritio genere ortus ex Barborum familia, ab Ænobarbis gente olim Romæ illustri, ori unda, ut ipse credi uoluit. Fuit is ducentesimus ac uigesimus à Petro qui primus pontifex fuit. Calendis septembris creatus est, anno Salutis millesimo quadringentesimo quarto & sexagesimo, quo tempore Veneti Asiatica in Turcos expeditione discussa, pontificis morte, Mathiam Pannonię regem complexi,

Pij pontificis acta.

Pij pontificis apophthegmata.

PAVLVS. II. pontifex.

cõplexi,cui præter certũ auri põdus quod ex pontificis uiatico eſt illi tranſmiſſum ad alendũ exercitũ, ipſi ſuo nomine annuum ſtipẽdium decernunt, ut quatenus Italia inter Alpes patet & Adriã, ſuis tueretur armis ab omni Turcorum incurſu, cum quibus grauiſsimum bellum per multos deinceps annos terra & mari geſſere. Hyeme quæ Pij interitũ ſecuta eſt, nihil in Græcia eſt geſtum memoria dignum, mox æſtate proxima quum Neapoli peſtilentia laborari cœpiſſet, Sigiſmundus dux in Laconiam conceſsit, huc quum dena hoſtium milia citato agmine properare dicerentur, ſuæ paucitati Malateſta diffiſus, Mantineam proficiſcitur. Barbari Pithmam expugnant. Victor Capellus claſsis præfectus ſub id tempus in prouinciam uenit, imperioq; à Lauretano recepto in Eubœam proceſsit. Hinc Aulidem profectus cõtra Chalcidem in Euripo, & in Saloniceníi ſinu Larſum ex hoſte recepit, inde Himbrum inſulam ante Athum montem in alto ſitam armis ſubegit, poſtremò ex Pyreo in terrã noctu egreſſus, Athenas nobiliſsimam olim Græciæ urbem ex improuiſo occupat. Sethinas nunc uulgus uocat, quicquid hominum rerumq; in ea fuit, momento temporis prædæ conceſsit. Ex Attica in Eubœam primò & mox in Peloponneſum celeri curſu reuertitur, hic ſpes Veneto facta eſt Patras occupandi per proditionem, admota eſt huc claſsis, confeſtimq; Barbaricus legatus cum quatuor milibus peditum, ducentis equitibus leuis armaturæ ad urbem ire pergit, aberantq; adhuc milæ paſſus ab urbe, quum equites & ſocij nauales prædandi ſtudio per agrum effuſi ſigna reliquerũt. Hanc hoſtis occaſionem nactus trecentos circiter equites in Venerum uagum diſpalatumq; immittit, funduntur claſsiarij cum ſuo equitatu, ac multa cæde ad naues compulſi ſunt, uix mille fuga ſeruati, cæteri aut capti aut cæſi. Barbaricus primo hoſtium congreſſu confoſſus perijt. Nicolaus Ragius dux leuis equitatus ab hoſte captus palo affigitur. Paucis inde diebus iterum Venetus Patras repetit, fuitq; recentior ille conatus nihilo felicior priore, ad mille hominum circa urbem cæſi, cæteri ad naues præcipiti fuga compulſi. Claſsis confeſtim inde abducta, tranſmiſitq; Capellus mœroris plenus primò in Zacinthum, hinc in Eubœam nauigauit, ubi adeò dolori indulſit ob rem infeliciter geſtam, ut non multo pòſt ſedens repentè expirauerit. Multi amicorum & in his Ioannes Dedus, qui poſtea ſcribarum à ſecretis magiſterio functus eſt, conati ſunt ægrum & iacentem animum erigere, ſed uir uehementi ingenio, præcepta ſemel ſuſpicione infamiæ, nullis amicorum precibus hortationibus ue adduci potuit ut æquiora reſpiceret, & ille per hæc mortem obijt. Præfuit aliquandiu Iacobus Veneri us uniuerſæ claſsi, quoad Iacobus Lauretanus in defuncti locum ſucceſsit. Per id tempus magnus armorum motus extitit in Italia, ſed qui ad breue tempus reſedit, haud tamẽ citra cruorem partium, tetramq; cædem uno prælio editam. Erat Bartholomæus Coleo in multa celebritate nominis, quippe qui diu grande ſub Venetis meruerat ſtipendium. Is fortè (ſic enim credi uoluit) publicè à Venetis exautoratus, ſuo ductu & auſpicijs florentiſsimum in Flaminiam duxit exercitum, dubium quo conſilio. Fuerunt ea tempeſtate qui crederent Florentinorum quorundam exulum eum pollicita ſecutum, affirmantium q; fore ut ſi ex Gallia in Heturiam cum exercitu tranſiſſet, Florẽtinorum res in diſcrimen adduceret. Pauli pontificis nutu alij eum domo profectum arbitrati, ut per Flaminiam & Picenum Ferdinãdo regi à quo tributum ſibi abnegabatur, ex improuiſo bellum inferret. Cæterũm ſiue hæc fuit cauſa eiuſmodi expeditionis inchoandæ, ſiue alia diuerſa, ubi primùm quod ſatis cõſtat,

Bartholomæus Coleo.

A Flaminiam attigit, tota repentè Italia excita uelut ad claſsicum quoddam, arma induit. Galeacius Maria Mediolani dux, Florentinorum & Ferdinandi regis copiæ confeſtim ſiunt illi obuiam. His territus Coleo impetum inhibuit: certatum eſt inde ad Molinellam, eſt locus in Bononienſium finibus, futq; cruentum utrinque prælium, fortunaq; ad huc neutro inclinante dirempta eſt pugna. Nec ita multo pòſt Venetis, quorum ille diu ſtipendia fecerat, adnitentibus, cum incolumi exercitu citra Padũ Coleo ſe recepit, nec in Turcos anno illo aliquid eſt geſtum memoria dignum. Lauretano Nicolaus Canalis datus eſt ſucceſſor, qui claſſe accepta in Saloniceníi ſinu aliquot uicos uillasq; ſubito acceſſu diripuit. Reuerſus inde in Peloponneſum Legoſti cium oppidum inter bellorum motus relictum in Patrenſi ſinu celeri opere communiuit, præſidioq; firmauit. Certatum eſt nonnihil cum hoſtibus circa oppidum adnitẽtibus id opus inhibere. Canalis in Chalcidem reuerſus, Oenum haud multo pòſt ex improuiſo occupat diripitq;, duo milia captiuorũ in Eubœam abducta. Sunt & Nouafolia poſt Oenũ capta. Sub idem tempus feliciter eſt cum Turcis in ora Macedoniæ dimicatum. Ducaini fratres Alexius & Nicolaus de priuatu, ut fit, inter ſe diſſidentes, hic Venetos complexus ad mille & ducentos ſecum in armis habebat, aderatq; his Ioſephus Barbarus legati nomine. Alexius Turcorum auxilijs fretus, cum pari penè numero ad Drimonis ripam cum fratre de ſumma rei conflixit, utring; eſt uehementer pugnatum, ad poſtremum fuſus fugatusq; Alexius, cæteris ad unum cæſis, cum ducentis equitibus ægrè ſeruatus eſt. Sequenti deinceps anno ſub uernum tempus Turci in Lenno Coccinum expugnant. Nec multi pòſt dies interceſſere, quum numeroſa Othomani claſsis Helleſpõti fau

B cibus egreſſa, Hymbrum primò petijt, occurritq; Venetus cum tota claſſe, ut primis hoſtium conatibus ſe obijceret: cæterùm explorata Othomanicæ claſsis magnitudine, quum ipſe multo inferior eſſet, in Scyrum conceſsit. Deflexit huc curſum ferox hoſtis, indè inſulam præteruectus Eubœam decreto petijt, ubi ſub primum appulſum Storam & Baſilicõ ignobilia cepit loca, capta excidio dedit, hinc rectà ad Chalcidem obſidendam Barbarus ire pergit. Venetus ſuſpicatus quod erat, Eubœam abhoſte inuaſum iri, eueſtigiò Othomanicam ſecutus claſſem, ad Mãtelli caput cõſedit, unde prius quàm Chalcis cœpta ſit oppugnari, tris triremes commeatu onuſtas Chalcidenſibus immiſit, iuſſiq; ſunt nauarchi illic ſubſidere, ut Chalcidenſibus præſidio eſſent. Magiſtratus urbis commeatu accepto triremes nihil morati ſunt. Grauis inde oppugnatio eſt Chalcidenſes adorta: enimuero hoſtis primum omnium Euripum iunxit ponte, per quem ingens uis hominum in inſulam tranſmiſſa eſt, urbsq; corona obſideri cœpta. Tenuit inde obſidio triginta diebus, quibus eſt ſæpius circa muros dimicatum, tantaq; hoſtium cæde, ut ad quadraginta hominum milia ſint poſtea in caſtris deſiderata. Ad poſtremũ quia Veneta claſsis iam in conſpectum urbis uenerat, apparebatq; eo conſilio admotam, ut de ſumma rei dimicaret, ferunt Mahometem cogitare cœpiſſe de ſoluenda obſidione, cæterùm ſuorum adhortatione confirmatus, per integram noctem ad lucem uſq; Chalcidenſes prælio fatigauit, inde ubi *Chalcis à Turcis capitur.* illuxit atrociore adhuc oppugnatione adortus, ſecunda hora diei oppido poritus. Sæuitum ſine diſcrimine in omnem ſexum & ætatem. Magiſtratus urbis & ipſi in promiſcua cæde alij alio loco interfecti. Capta eſt Chalcis anno Salutis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo. Affuerunt inde auxilia ex Creta & Italia, ſed iam nihil profutura. Venetus Chalcide amiſſa, quia ſatis conſtabat tercẽtum nauibus

nauibus Chalcidem expugnatam, ueritus ne in pro A ximo ſedendo ab hoſte opprimeretur, ex Laureti ſtatione, quo claſſem admouerat, retrò tenuit curſum.

ENNEADIS X. LIBER VII.

Probi Picinivexitus.

ERat adhuc pontifex Paulus ſecundus, quum hæc in Græcia gerebantur, cuius pontificatus anno primo Iacobus Picininus à Ferdinando rege accerſitus, ceu magno ſtipendio inuitorandus, Franciſco Sforti Mediolanenſium duce qui illi filiam deſponderat autore, Neapolim magno comitatu proficiſcitur. Hic captus cuſtodiæq; traditus, quo genere ſit mortis ſublatus parum conuenit: ſunt tamen qui ſcribant paucis diebus quibus cuſtodiri cœptus eſt, quum è feneſtra quadam naues ex Enaria inſula, nunc Ichia eſt, redeuntes incautius ſpectaret, crure grauiter conuulſo dolore conſumptum. Scio fuiſſe ea rempeſtate qui crederent fuiſſe Franciſcum Sfortiam eius conſilij haud ignarum, blanditumq; Picinino per nouam affinitatem ut magis obſequentem haberet. Horrere ambo (ut fertur) Picinini nomen quum Mediolani, tum cætera Italia ob patris memoriam, militaremq; ipſius gloriam populare, ob idq; in eius mortem conſpiratum. Per idem ferè tẽpus quo ille ſic perijt, Deiphobum, & Franciſcũ Auerſi comitis filios ſubito bello afflictos, principatu ſpoliauit Paulus pontifex, quia ipſius iuſſa aſpernarentur. Hæc enim cauſa bello præteſa. Tolphianos inde regulos armis infectatus eſt Paulus, Tolphiam apoſtolicæ ſedi uindicans, ob aluminis foſsiones. Sunt reguli aliquandiu eo nomine obſidione fatigati, cæterùm Ferdinandi copijs ſuperuenientibus quæ ex Hetruria reuocabantur, obſidio ſoluta eſt. Tumultus quem Coleonis ducis in Flaminiam acceſſus exciuerat, cuius cauſa regia arma eo occurrerant, priore eſt uolumine declaratus. Sed quod tunc armis decerni non potuit, cum Tolphianis auro decretum eſt, cuius certum pondus eſt regulis datum à pontifice, ut loco cederent. Nec meliore euentu, etſi belli apparatu multo inferiore, Robertum Malateſtã paterna inuidia potius quàm ſua ardentem, oppugnare eſt pontifex adortus, eſtq; Ariminum penè captum à Neapuleone Vrſino põtificij exercitus imperatore, mœnibus loco non uno diſcuſsis, hoſtibusq; in partem urbis receptis, ſed Roberti uirtute & felicitate non tantum urbs defenſa eſt, ſed regijs etiam auxilijs, quæ Federici Vrbinatis ductu maturè affuerunt, pontificis arma ab Ariminenſium ceruicibus depulſa ſunt, atq; in cõſpectu urbis diſiecta et afflicta. Interpoſuit Galliæ rebus idem pontifex autoritatem ſuam, præſertim in Leodiorum contumacia premenda, ſed omnium maximè annixus ex Federici Cæſaris & Mathiæ regis manibus arma excutere, de Pannoniæ regno diſceptantium, quod Federicus ex Vladislai morte ad ſe deuolutum aiebat. Maluiſſet Paulus Germanos & Pannones ſocia arma iungere in Turcos, quàm inter ſe diſſidere, quod ut aliquando cõtingeret miſſus eſt in Germaniam Franciſcus Senenſis antiſtes Pij pontificis ex ſorore nepos, uir ſapientia & grauitate ſingulari, quo autore celebris eſt in Germania conuentus habitus, ac quædam in eo decreta, quæ ad piam in Turcos expeditionem attinerent. Sed Pannoniæ ademptæ dolor, qui Germanorum hærebat animis, non eſt paſſus inchoatum opus ad exitum perduci, neque multo pòſt magnis eſt utrinque cladibus bellatum, ut lo-

co non multum diuerſo ſignificabitur. Et hæc illeB foris. Romæ Canonicos regulares, quos Eugenius Lateranenſi æde locauerat, quum Caliſti pontificatu inde ui electi eſſent, conditione reſtituit, ut diſcreta eſſet diuerſis ordinibus cærimonia. Circa Polítorium quoſdam ueteris hæreſeos compertos, quia pertinacius ſuum fouerent errorem, norauit ignominia. Venerunt quidam etiam non obſcuri nominis uiri in eiuſdem criminis ſuſpicionem; acceríitique ſunt maieſtatis rei facti, ſed hi pòſt longam quæſtionem Romæ habitam, extra omnem noxam comperti, cuſtodia dimiſsi ſunt. Aſciuit Paulus ſummo antiſtitum ordini pleroſque ex omni clero lectos, & in his Franciſcum Minoritanum Sauonæ in Liguria ortum, qui poſt illum pontifex fuit, Marcum Barbum Venetum, uirum prudentia ſingulari & pietate inſignem, & Oliuerium Carapham Neapolitanum antiſtitem, qui uitæ ſanctitate & ſtudiorum affectu, facile eſt conſecutus ut inter principes ſit hodie eius ordinis. Athletica certamina multa & uaria dedit. Currebant ſenes, pueri, puberes, Iudæi, equi, equæ, aſini, bubali, ingenti plauſu & lætitia populi. Gemmas & uniones animoſe mercatus eſt, noctu plurimum uigilabat, dormiebat ad altum diem, clemens & mitis in ſontes, ut perrarò eo pontifice ſit capitaliter in quenquam animaduerſum; literarum ſtudia aſpernatus eſt, in hoſpites munificus. Federicum imperatorem apoſtolorum limina uiſentem, quinto ſuo pontificatus anno, exquiſitiſsimo excepit apparatu. Mox anno qui ultimus fuit uitæ, Borſium Eſtenſem haud minore ſumptu & lætitia exceptum, Ferrariæ ducem declarauit, certauit cum eo luxu ueſtium & abaci ſumptuoſitate. Objit Paulus repentè apoplexia ictus, anno ſui pontificatus ſexto, menſe decimo. *Sixtus huius appellationis* SIXTVS IIII. quartus, fuit inde pontifex, ex Franciſci Aſſiſatis *pontifex.* ordine, diuinarum literarum ſtudijs magiſterioque totius ordinis ab initio clarus, mox à Paulo rhoſeo donatus pileo, manſit in ſuo ordine modicis opibus, nulloq; lautioris uitæ apparatu. Poſtremò magno omnium conſenſu ſedem eſt adeptus. Floruerunt inter initia eius pontificatus uiri *Viri illuſtres.* ingenio clari, Iacobus Zenus Patauinus antiſtes; uir diuinarum humanarumq; literarum impẽſe doctus nec à ſtudijs eloquentiæ abhorrens. Lodouicus Donatus & Dominicus Dominicæ gentis, plebeius hic, ille patricius: Brixianæ is eccleſiæ, ille Bergomatis antiſtes, uterque multigenæ doctrinæ, ſed in maiore eruditionis fama Brixianus; maioribusq; rebus uerſatus. Nicolaus Perottus Sentinas, Sipontinus antiſtes, Græcè & Latinè doctus. Rogatus à me Pomponius Lætus, cui adoleſcens dedi operam, quem ætate illa doctiſsimum iudicaret? Theodorum Gazam reſpondit: quem ſecundum? Sipontinum antiſtitem dixit, alludens ad ſtudia hæc noſtraria, quæ nomen ab humanitate ſibi uindicant. Erat per id tempus Roberti Leciani nomen celebre, nullus homo à condito æuo poſt Paulum Tarſenſem utilius diuina tractaſſet, nullus maiore theatro tantoq; mortalium auditus eſſet ſtudio, ſi in obſeruatione perſeueraſſet. Cæterùm mutato uitæ propoſito, mutata ſunt & hominum ſtudia, quæ ex opinione pendent, uix eum agnoſcas ſi quæ ſcripſerit attendas, non quia non diſertus ſit & copioſus, ſed omnis cultus & elegantiæ expers. Vixit cum his Bartholomeus Platina, quem nos omnium maximè ſecuti ſumus in *pontificia hiſtoria. Domitius Calderinus* Benaci accola, Græcè & Latinè impenſe doctus, Iuuenalem interpretatus eſt, Valerium Martialem, Sappho, & Naſonis Ibim, reliquit & alia ſui ingenij monumenta inchoata magis quàm perfecta. Fuit feſtinatio illa non literaria lucubratio, plura

uno tempore adortus, manifesto breuioris uitæ præsagio, multum in eo homine amisit Romana lingua, nihil fuit quod de eius profectu non sperare liceret, nihil natura illa frustra tentasset. Sabinus Turrensis Belgicum carmine scripsit bellum, & in Iuuenalis Satyras. Fuit & Paulus Marsus per id tempus, Poëtico uir ingenio, sed Poëta magis extemporalis, quàm grauis. Extant & Martini Philetici monumenta quædam nec cognitu indigna. Marij Philelphi magnum quidem nomen, ac nescio an maius etiam fuerit, quàm aut ingenium, aut eruditio, sed alij uiderint quid illi debeatur. Bernardus Iustinianus non parum in eloquentia meritus est, extant eius orationes, epistolæ, & de urbis Venetæ origine libri tam eleganter quàm accuratè scripti. Sed omnium prædicatione Vitalis Landus copia orationis & dicendi facultate insignis, qui si tam elegans fuisset quàm disertus, sine dubio poterat cuilibet ueterum copia comparari. Vixerunt cum his Benedictus Capra Vicetinus, & Antonius Rosellus Tuscus, hic Cæsarei, ille pontificij iuris scientissimus. Extant horum commentarij eruditionis amborum & ingenij testes: & hi Pauli pontificatu clari nominis fuere, descenderuntque in Sixti tempora, quo sedem tenente, plus nimio Gallia intestino arsit bello. Lodouicus rex qui aliquando à Carolo patre defecit, regnum post eius mortem adeptus in grauissimum incidit bellum. Fuit illi frater minor natu Aquitaniæ dux, huius nomen cum gratius esset multitudini, ortaque ex eo esset tacita quædam regni æmulatio, quia is repentè mortem obijt, uenenoque, ut creditur, inexpiabilis inuidia est Lodouico ex ea re conflata apud principes & populos Galliæ, inuidia bellum peperit, nec ab ullo sunt infestius arma illata quàm à Philippo Burgundiæ duce, qui cum centum armatorum milibus Pichnerum urbem clarissimam ui captam diripuit, direptam solo adæquauit, finitimæ ciuitates Pichnensium clade perculsæ metu à rege alienantur, nec in tanto motu ex omni principum numero, præter duos, quisquam repertus est qui auxilia ei polliceretur, tantæ illi inuidiæ fuit domesticum parricidium. Lodouicus fauore principum destitutus, cum his quæ suo nomine aderant copiæ, Parisios se contulit, regiam urbem defensurus, si cætera teneri non potuit. Missit Sixtus pontifex Nicenum supremi ordinis antistitem in Galliam, qui bellum diu antea in choatum, sed quod inter initia sui pontificatus plus nimio exarserat, pontificia autoritate componeret, nec legatio hæc profuit aliquid ad arma è medio tollenda. Misit Franciscus Sfortia Mediolani dux Galeacium filium in Galliam regi auxilio cum tribus milibus equitum. Intercedebant uetereſ disceptationes Leodinis cum Burgundica gente, quæ ut tollerentur, diu multumque elaborauit Lodouicus Borbonius Leodinus antistes, qui Caroli Burgundiæ ducis erat pernecessarius, peperitque id studium illi apud ingratos ignominiam, populariter urbe eiectus Romam se contulit, questusque apud pontificem Leodinorum iniuriam, facile tenuit ut Tricarienſis antistes in Galliam mitteretur, qui Leodinorum & Burgundiæ ducis discordiam tolleret. Sustulit is primùm omnium interdictum, cui obstricti erant Leodini, quia suum eiecissent antistitem, inde præferocem sæuientemque ciuitatem curare adortus, & ad sanitatem reuocare conatus, non solum non tenuit, sed in uincula conijcitur cum Leodino antistite, quem ipse restituerat pontificis nomine. Leodinorum impietatem pertæsus Carolus dux Burgundiæ (iam Philippus pater uita decesserat) bellum cum Lodouico rege soluit, Leodiumque acri bello adortus ui capit, captum direptumque solo æquatur. Suscepit id bellum Carolus non minori odio quàm postea excutus est: nam in cogêdo exercitu ij quibus erat id negocium iniunctum, una manu exertum gladium habuisse dicuntur, altera ardentem facẽ, Leodini sine discrimine sexus & ætatis cæduntur. Cæterùm tantum abfuit ut Gallus Caroli conatibus obstiterit, ut auxilia etiam ad id bellum miserit, atq; aliqua ex parte interfuerit rebus gerendis. Et Gallia per hęc pacata est, unde Galeacius Sfortia ante Leodinum bellum, audito patris obitu ignoto habitu in Italiam reuersus, paterno principatu magno omniũ fauore potitus est, anno Salutis millesimo quadringentesimo sexto & sexagesimo. Auxilia quæ Lodouico regi Galeacius attulit à patre missus, ex fœdere Gallo debebantur, ob Genuam biennio ante illius permissu receptam, nam quum Genuenses aliquandiu, ut suprà est significatum, in Gallorum fide & præsidio fuissent, seditione turbati præsidium que Gallorum pertęsi, quia imperium apertè detrectarent, Rhenati in se arma concitarũt, cæsa sunt eo bello aliquot Gallorum milia, per quę adhuc magis alienati in Mediolanẽsium fidem sua sponte rediere. Pacatior inde fuit Gallię status Leodio excisso, sed quo hic res pacatiores fuere, eo Britannicę per idem tẽpus maiore sunt discordia agitatæ: Hedoardus, qui regibus uictis insulæ regno fuerat potitus, post aliquot annos quàm imperitare cœperat, subita principum est coniuratione pulsus. Henricum quem bello ceperat Hedoardus Lodouico rege id petente, insulanorum principes restituerũt. Erat Margarita Henrici uxor, quæ cum uiro, ut diximus, prælio uicta fuerat, Rhenati filia. Hedoardus ad Philippum Burgundiæ ducem se contulit: nam cũ is regno excidit, Philippus adhuc uiuebat, ut quidam tradunt. Cæterùm siue ad Philippum ille uenerit, nam cum eo affinitas intercedebat arctissima, siue ad Carolam Philippi filium, ad ducenta armatorum milia & amplius, & in his decem & octo equitum ad bellum instruxit, ut Hedoardo regnum uindicaretur. Dimidio harum copiarum rex usus in insulam reuertitur, Calisium & alia quædam loca haud obscuri nominis, ingenti hostium cæde edita, expugnat. Carolus interea cum altero exercitu Gallorum rebus imminere, ne quid Lodouicus Henrico gratificari posset. Hedoardus quum uiribus polleret, essetque haud dubiè in possessione uictoriæ, insulanorum consensu restituitur, Henricus & homines eius factionis in hostium potestatem redacti, Hedoardi iussu interficiuntur. Et Britannia per hæc pacata est. Ad hoc bellum post Leodij excidium, non ad Hispanienſe, ut quidam scribunt, Ioannem Andegauensem præfectum crediderim, erat illi Henricus sororius, tametsi per id tempus sit in Hispania quoque de regno armis disceptatum, inter Henricum quartum & Alphonsum fratres, omni nobilitate maiori natu fauente. Exarsit ex ea discordia atrox & laboriosum bellum, exijtque in plures annos, quæ res partem Hispaniæ multo maximam afflixit. Tenebat adhuc ea disceptatio, quum in Gallia Carolus Burgundiæ dux ad Moratum in Eluetijs à Rhenato Lothoringiæ duce ingenti prælio uictus, ad septemdecim milia hominum uno prælio amisit, nec ita multo pòst reparato exercitu Nancium obsidione cingit, hic breui pòst in Eluetios & eorum auxiliares in aciem descendit, fusisque ac fugatis Burgundijs, ipse cum toto equo præcipitatus, tribus uulneribus confossus mortem occubuit. Incidit memorabilis hæc pugna in annũ salutis septuagesimum sextum supra millesimum ac quadringentesimum.

Gallorũ principum discordia.

Leodinorum pertinacia.

Hedoardus de-lo ejicitur.

Caroli Burgundij cæsi.

tesimum. Lothoringiæ dux Carolo extincto, Lodouici regis nomine, partem Burgundiæ multò maximam subegit. Nec circa Bohemiam & Pannoniam res hominum sine motu per id tempus fuere: enimuero Mathias Hunniadis Pánoniæ regnũ adeptus, in magnas acerbasq; incidit contentiones, Federico Augusto ad se id regnum trahente uelut hæreditarium ex Vladislai interitu. Sed erat Federici ingenium magis paci & ocio quàm bello idoneum. Est itaq; disceptatio ad tempus compressa, maius inde fuit certamen regi cum Casimiro: imminebat illius regno Mathias, aperteq; prædicare, non tantũ Pannoniæ, sed Bohemiæ quoque sibi regnum deberi. Accessit huic curę occasio ingẽs destinati hostis infestius urgendi, quod Casimirus tum Romanæ ecclesiæ hostis haberi, quia non in omnibus illi accederet. Enimuero pulsus regno Casimir⁹ à Federico Augusto & Vladislao, cui Mathias succesit, ad Sarmatas qui Poloni sunt hodie, se contulit. Mox Vladislao uita defuncto, regnũ armis repetere adort⁹, quia murato cõsilio orthodoxæ fidei in uniuersum astipularetur, Federico annitẽte, in regnũ restitutus est. Fuit Casimirus Vladislai frater, qui Varnẽsi acie occubuit, Spignei Lithuaniæ ducis filius. Spigneus in Bohemiæ regnum conditione accersitus, ut Christi fidem susciperet, continuò ubi Cracouiam uenit baptismi lauacro admotus est. Mox regnũ adeptus Prutenis bellum intulit, nec prius exuit arma quàm omne Prutenicum nomen tributum sibi pẽdere coëgisset. Restitutus in regnum Casimirus in pristinum relabi cœpit errorem, secutus est studium totius gentis in id malũ pronæ. Quæ res prębuit Mathiæ non iustam modò, sed piam etiam causam bel li Casimiro inferendi, multisque deinceps cladibus sunt Bohemi à Pannone affecti, quoad Christianæ rei studio tuendę Pannon in Turcos uertit bellum. Longum sit & ab historię huius breuitate alienum, ordine explicare, quoties, quibusue locis, quo euentu sit ille cum Turcis acie congressus, ut tam uerè, quàm breuiter hoc proditum dici possit, nullũ Christiani nominis, neque regem, neq; ducem, crebrius aut felicius cum ea gente dimicasse. Bosnam quæ olim Mysia fuit, ab impiorum armis magna ex parte occupatam, suis armis recepit, receptamq; adiecit suo regno. Huius felicitatem Veneti uirturemq; mirati, annuum stipendium illi decreuere, quod suprà est memoratum, ut Turcorũ arma ab Italiæ ingressu arceret. Mathias Veneto stipẽdio fultus, quũ ualidissimum aleret exercitum, intrepidè res Turcorum inquietare: nullum fuit genus cladis, quod eius ductu & auspicijs Pannones non ipsi genti intulerint: Belgradum quam illi arcem contra Taurinum multa ope muniuerant, expugnauit rex fortissimus, captum diruit, quindecim milibus hominũ occidione occisis. His succesisbus Federicus imperator motus Bohemiæ regem declarauit. Transfert Pannon confestim bellum in Bohemos, Pragam urbem nobilissimam capit, eratque in aperto uictorię cursu, quum Vladislaus Casimiri filius, ex Polonia cum septuaginta & amplius bellatorum milibus in Bohemiam uenit, tũ Mathias multò inferior factus ac penè obrutus hostium multitudine, non solũ ex hostico cesit, sed Budium Pánonici regni caput ab hoste compellitur. Cæterùm Venetorũ interuentu, qui Mathiæ opera utebantur ad Turcorum motus inhibendos, pace parta ita inter reges comparatum ut Pánonia hic contẽtus esset, ille Bohemia. Et hæc alibi gentium, in Græcia post Chaldicis excidium, Veneta classis alijs super alias nauibus ex urbe Creta; insula in supplementum missis, adeò creuit, ut cętum propè sit triremium numerus expletus. His fretus uiribus tentare statuit Venetus an subito accessu Chalcidẽ adimere posset hostibus, iam Mahometes per Bœotiam terrestri itinere. Classis præter Chium & Tenedum Byzantium uersus procul inde abiuerant. Admotæ sunt Chalcidico littori aliquot triremes, estq; in littus descensum. Tenebatur Chalcis ualidissimo hostium præsidio, quo accidit, ut subita Turcorum eruptione penè obruti sint, qui fuerát in terram egressi: sunt itaq; ex his quidam in uestigio cæsi, alij præcipites ad naues acti. Sub id tẽpus quo res ad Chalcidem per hæc parum prosperè tentata est, Petrus Mocenicus Canali successor datus, cum tribus triremibus in prouinciã uenit, classeq; ad se recepta, quia iam hyems apperebat, in Peloponnesum cõcesit: ad prima inde ueris signa Richaiensius ex Apulia affuit cum decem rostratis nauibus, quas ad bellum Ferdinandus rex miserat, ut cum Veneto iunctus, rem gereret communi nomine in Turcos. Mahometes interim ueritus ne Chalcide excisa omne Christianũ in se nomen concitetur, pacis studium assimulat, ratus fore, ut si pax nulla secuta esset, mora tamen in id prodesset, dum tantæ cladis atrocitatem leniret tempus. ea ludificatio in causa fuit, ut æstas quæ secuta est, sine re ulla memorabili fit acta. Regiæ classis præfectus uertẽte se anno, quum iam hyems instaret, domũ cũ classe abijt. Per id tẽpus Maurus princeps Venetijs uita decesit, anno suę administrationis nono, mẽse sexto. Nicolaus Thronus in defuncti locum succesit. Fuit Throni principatus breuis admodum, sed Veneto nomini aliquanto lætior. Fœdus est cũ Persarum rege ictum, & Cyprus nobilissima insula Veneto cesit. Misit Venetus senatus ad Romanũ pontificem, misit & ad Ferdinandum regem, ut aduersus communem Christiani nominis hostem bellũ compararent in proximam æstatem, utrobiq; sunt legati benignè auditi, promissaq; ad tempus auxilia. Pari studio Mocenicus classis præfectus Cyprium regẽ & Rhodianæ militiæ magistrum per literas hortatus est, ut & ipsi arma induerent, ad ferocissimi hostis motus inhibendos. Classis inde ex hybernis egressa, emporium uerius quàm uicum cõtra Chium insulam celebrem, Syriacis mercibus refertum, diripuit. Nec ita multò pòst Venetus in Lesbum trãsmisit, ex Lesbo in Asię oram euectus Pergamenum agrum incursat, inde & Gnidium in ora Cariæ, ingens agrestium hominum rerumq; parta est pręda, in Delum inde classis delata est. Fuit hęc olim insula celebris, nunc deserta est omni humano cultu. Ex Delo Venetus Peloponnesum repetens, commeatus causa, Richaiẽsium circa Maleam obuiũ habuit cum decem & septẽ triremibus, cognouitq; ex eo & à pontifice non multò pòst classem affuturã. Post mutuam gratulationem Metonem petũt, cibarijsq; inde sumptis ad alendas turmas, cõfestim in altum euecti, Rhodiaci maris insulas tenuere, hincque in terram egressi indifficile genus pugnæ inciderunt, colitur tota ora uicatim: locorum accolæ classem in proximo conspicati, omnem imbellem multitudinem ad montes præmisere, ipsi locorum asperitate freti uim arcere conati sunt, multum itaque laboratum est, fuitq; aliquandiu pugna anceps, ad postremum submoti loco Barbari cum ingenti cęde funduntur, multi abiectis armis dediti, alij in deuia mõtium fuga delati sunt: uici uillæq; passim toto tractu direptæ ac incensæ. Tapetum uis ingens ad naues congesta est, tota eius terræ ora mulieres lanificio deditæ, circa eiusmodi textilia, & ad domesticum usum, & ad mercaturam exercentur. Sunt & hostium capita quædam ad naues relata, aureusq; nummus singulis repensus, sed captiuorum maior fuit numerus. Quatriduo quàm eò uentũ est, classis inde profecta ac paululum circumacta, in Alicarnasseos fines impetum fecit. Visuntur adhuc Alicarnassi uestigia quædam, & in his portio aliqua Mausolei inter pauca mundi opera decãtati, locorũ accolæ pecuariam exerçent. Est hinc quoq; prædа

Mathiæ regis opera.

Pax Casimiri & Mathiæ.

Delos.

Alicarnassus.

ingens abacta. Sub id tempus pontificia classis ue-
nit in prouinciã, Nicolai Modrusensis antiltitis du-
ctu, uiri multa prudẽtia & autoritate inter suos: hũc
ego quum ad id bellum mitteretur, Arimini sedẽ-
tem uidi, primis tempestatibus inde abiturũ, sumq;
sæpe cum eo congressus ac perhumanè semper acce
ptus, fuitq; in eo quantum ex bidui sermone potui
assequi, non uulgaris dicendi facultas, studiumque
singulare rerum antiquarum. Multa itaq; lætitia &
gratulatione pontificiam classem Venetus accepit,
ex tribus classibus una facta est: Samum inde decre
to petunt, ut de summa rei hic consilium caperent,
Samos. est nunc Samos & ipsa omni cultu deserta. Ex Sa-
mo Attaliam petunt urbem Pamphiliæ nobilissi-
mam, Syriæ Ægyptiq; mercibus peropportunam,
suntque obiter duæ à Rhodiẽsibus acceptæ, & ipsę
auxiliares, expletus est numerꝰ quinq; & octoginta
triremiũ, uiginti à pontifice uenerant, sexdecim de-
derat Ferdinandus rex, duas Rhodij, reliquum fuit
Veneti nominis. Attalicus portus catena ui fracta
capitur, suburbana tecta pretiosissimis referta mer-
cibus direpta & incẽsa. Vrbs per diem summa ope
oppugnata capi non potuit. Inde passim tota Pam-
philiæ ora quæ mari obuersa est, ferro & igni uasta-
tur. Ex Attalia sociarũ classium duces in Rhodum
Cassani regis legatus. transuere, ubi ex Cassani regis legato quem ille ad
Romanum pontificem & Venetos mittebat, cogni
tum est regem ipsum cum Venetis fœdus iunxisse,
ad euertendas Othomani opes, ad quod petendum
Caterinus Zenus fuerat publico nomine ex Vene-
tijs missus. Se aiebat ad Romanum pontificem mit
ti, & ad Venetos cęterasq; Christiani nominis gen-
tes, ut aduersus communem hostem opes Persicas
iuuarent, bombardis alijsque machinamentis ad
urbium expugnationem sibi opus esse, quibus hos-
tis abundare uideretur: quòd nisi Cassani opes ea
quoque parte à socijs iuuarentur, fieri non posse ut B
turò cum hoste confligeretur, si confligendi aliquã-
do data esset occasio. Iussus est Barbarus bene spe-
rare, futurum ut omnia facilè impetraret, pergeret
modò sui regis mandata in Italiam perferre, ubi cer
tò sciret omnia illi præsto futura. Producta est in-
de classis in conspectum; quam quum ille mirare-
tur, responsum est fore ut socius rex pro sua, quum
uellet, posset uti, ituros se quocunq; illi libitum es-
set, & cum his ille in Italiã dimissus. Incredibile di-
ctu est quàm modicis principijs luxurioso̊que au-
ctu Cassani huius opes creuerint. *Fuit illi prius no-*
Cassani successo- *men* Asimbeco, alij Asimbeum scribunt, tenuitque
sius. Armeniæ portiunculam à principio, sed quo minor
fuit fortuna, eo maior uis animi, ferociaque in bel-
lo, modicis copijs sæpe præpotentes fudit exercI-
tus. Qui quum talis esset Zenzæ Persarum regis, le-
gatos quadam de causa ad se missos, parum comi-
ter acceptos, nihilo pacatius à se dimisit, id insolens
factũ rex uindicaturus ingẽtẽ exercitũ in Asimbe-
cum comparat. Is maiore animo quàm opibus fre-
tus, etsi longè inferior, non solum non refugit ad-
propinquantem hostem, sed intrepidè cum eo con
tulit castra, collatis acie ferociter conflixit, uicitque
egregiè Armenius, nec ad unam aduersam pugnam
cõcidit regis animus, quin multò maiori quàm an-
tea armorum apparatu hostem repetit, nec recens
pugna fuit Persis lætior, sed priore illa multò etiam
calamitosior, rex uictus cõcidit Asimbeci manu (ut
fertur) medio certamine ferro traiectus. Venit Zen
zæ extincti filius in uictoris potestatem, hunc tan-
tisper apud se Asimbecus, in summo honore ha-
buit, regiamque appellationem tribuit, donec Per-
sarum rebus per otium pacatis, regnique guberna-
culo recepto, imaginarium regem interfecit, & ille
per hunc maximè modum Persarum imperio poti-
tus, omnibus cœpit esse formidini & admirationi,
unde scriptorum quidã recentium Vsancassani ap-

A pellationem tradunt esse factam, quę uox magnum
sonet uirum, uel certè tale aliquid, mihi uerò multò
antiquius id nomen esse uidetur, ducentesimo ab-
hinc anno, uel paulò minus ex Tartarorum regibus
qui aliquandiu orientis sunt imperio potiti, unus
quidam, ne plures dicam, quod in rerum relatione
dixi, ad eam gentem pertinentium, Cassani tulit no
men. Sustulit animum ad tam insperatos successus
Cassanus, Syriæque & Ægypto imminebat, quum
Calistus pontifex ad eum misit, suaq; autoritate mo
uit, ut bellum in Turcos uerteret. Miserunt & Ve-
neti ad eundem regem post Eubœam insulam amis
sam, Caterinum Zenum, qui cum eo amicitiam &
fœdus iungeret. Nec incassum res mora est, sed fœ-
dere in hoc ipsum cum Venetis icto, cœperat Bar-
barus rex bellum in Turcos comparare, quum ab
Othomano ad eum legati uenere, multũ obtestan-
tes ne Turcorum imperatorem nouo bello impedi
ret, quo minus Christianum nomen deleret: quòd si
nulla re alia moueretur, cõmunis fidei necessitudo
tanti apud eũ esse deberet, ut non modò non inter-
polaret tam pulchrum negocium, sed enixius etiam
iuuaret. His ita est respõsum, Mahometem quẽ ipsi
sequerentur, id in primis lege sanxisse, ut quę semel
promissa essent ex fide seruarentur, se summo Chri-
stianorum pontifici Venetoq; nomini pollicitũ, san
xisseque in id fœdus, ut Turcos terra & mari perse-
queretur, adnixurum proinde se totis imperij uiri-
bus, ut sibi fidẽ constare omnes intelligerent, quam
alienę gẽti fœdere obstrinxisset, & qui ab Otho-
mano uenerãt cum his dimissi sunt. Ipse omnium opi-
nione celerius cum exercitu per Armeniam in Pon
tum trãsgressus, Trapezuntem inuasit, certũ est hic
cum Othomani filio, cæsaq; sunt uno prælio ad tri- *Turcorum cla-*
ginta milia Turcorum. Nec multò pòst Mahometes *des.*
cum uniuerso exercitu ad id bellũ proficiscitur, est-
que iterum pugnatum circa Armeniæ montes, ubi
primo congressu ex acerrimis Othomani ducibus,
unus cum quadringentis milibus hominũ ab hoste
cæsus est, ad quem atrocem nunciũ concidit Maho *Castianus ac-*
metes dolore affectus. Castigatus inde à familiarib. *cenditur.*
q, fortuna adhuc incolumi ita prorsus animo cõci-
disset, erectusq; suorum hortatu, spẽ reuocat. Inter
angustias montium castra fecit, uallũ à fronte ob-
icit hostibus arctissimo curruũ nexu, post uallum
uim bombardarum ingentẽ collocat, dextra lęuaq;
sagittarios, huc temerè hostis inuectus, breue uim
hominum amisit ingentem bombardarum ictibus
afflictam, secuta equorum consternatio ad insuetũ
& terrificum tormentorum sonitum, auersiq; ab ho
stium conspectu, non frenis, non alio moderamine
inhiberi fistine potuerũt. Nec Othomanus desedit
in tanta occasione, quin in hostem sua sponte tur-
marum equitatum immittit, tum fuga terraq; cędę
edita, Persarum castra diripiuntur. Fuit uictoria hęc
satis speciosa, sed multò Turcis calamitosior, quàm
Persis. Apud quosdam scriptum reperio eo die qua
draginta Turcorum milia desiderata, decem milia
Persarum, nec amplius: & secundum eam pugnam
Othomanus retrò in pacatum se recepit, exerci-
tum reparaturus. Asimbecus Taurisium reuertitur
filijs in prouincia cum exercitu relictis. Horum qui
audacissimus fuit, eo die quo ita est dimicatum,
mortem occubuit, dum suorum fugam sistere co-
natur: nec ita multò post quàm hoc euentu in Ar-
menia pugnatum est, reges ipsi fœdus & affinita-
tem inter se iunxerunt. In Europa interea haud uno
loco res Venetæ, Christianiq; nominis principum,
Othomanicis sunt armis uexatæ, infestari Epirus
assiduis horum incursibus, quæ terra ualidè ad id
tempus Scanderbechi fuerat armis defensa, erat
& Delmatia his cladibus obnoxia. Contrà Moce-
nicus sociarumq; classium præfecti, ex Rhodo un-
de Persarum regis legatum in Italiam dimiserãt, in

Mindio-

Mindiorum terram trãsgressi, hostilem agrum pas- A
sim fœdant, multi mortales in prædã abducti, in Na
xum insulam inde itur. Hinc regia classis, exierat iã
pars maxima autumni, in hyberna concesit, post
cuius discessum Smyrna urbs olim clarissima ui ca
pta est, direpta, & incensa à Mocenico & pontificio
legato. Est & Clazomenius ager postremò incursa-
tus, mox quia hyems apperebat, prouincia discessi-
sum. Veneta classis Metone hybernauit, pontificia
in Italiam dimissa. Sub id tempus quo hæc gerebã-
tur, Iosephus Barbarus Persicæ linguæ peritus, pu-
blicè à Venetis ad Cassanum regem belli sociũ mit-
titur, cum tribus onerarijs bombardarum multitu-
dine onustis, preciosissimisque muneribus auri se-
ricique panni, missaque adhæc uasa aurea magnificè
cælata, & cum his centum iuuenes eiusmodi machi
narum scientissimi. nondum fuerat auditum de Ar
menica pugna inter reges commissa, uel potius nõ
adhuc pugnatum, quin priusquã Venetæ triremes
cum muneribus affuissent, Veneta classis in Ciliciã,
ut Caramanis fratribus Persarum socijs auxilio es-
set, profecta est, hi regno pulsi Turcorum armis, ma
Mocenici ge- ritima Ciliciæ oppida oppugnabant. Huc itaq; clas
sta circa Cili- se appulsa cognouit Venetus ex duobus Carama-
ciam. nis fratribus, Cassambetum minorem natu nõ pro-
cul inde castra habere, Pyrametus nomine in Persi-
cis erat castris. Cassambeti rogatu, Venetus Sichi-
num ad mare positum, sed loco edito & difficili op-
pugnauit, breuique ad deditionem compulit muris
ab una parte dissectis. Sichinum Venetus Carama-
ni præfecto tradidit. Imminebat iã & Coryco, quod
in eadẽ Cilicia est. Significauerat Cassambetus per
legatos, quos ad Mocenicum miserat, tribus oppi-
dis captis sibi opus esse, Sichino, Coryco, & Seleu-
cia, cui ipse cum magno assidebat exercitu, Cory-
cum aliquandiu oppugnatum, pariq;e euentu rece
Seleucia. ptum, Cassambeto restituitur, ad Seleuciam postre- B
mò itum: urbs hæc peruetusta, & à Seleuco uno ex
Alexandri successoribus condita, Oronti imminet
fluuio, nunc magna sui parte inculta, ac penè deso-
lata, restat arx loco & opere munitissima, quã Tur-
ci præsidio obtinebant. Cæterùm ubi eo uentum
est, dictat Seleucia quinque milia passuum à mari,
intuitus præfectus arcis machinas æneas, aliaq; bel
lica instrumẽta ex aduerso expediri, fractus animo
arcem Veneto tradidit, Venetus per Victorem Su-
perantium legatum Caramano tradidit recipien-
dam. Misit Cassambetus quædam ad naues mune-
ra, egitque Veneto gratias, quòd per eum restitutus
esset in paternum regnum, pollicitus nullum tem-
pus fore, quo quicquid fortunarum sibi fratriq;e
esset, non libenter Veneto nomini referret acce-
ptum. Hinc Mocenicus digressus in animo habebat
Lyciam adhuc intactam inuadere, cæterùm fama
ad eum perlata, Cyprium regem Venetorum socI-
um & amicum grauiter ægrotare, in insulam diuer
tit. Rex etsi magnopere affectus, amicè tamen gra-
tulatus est Mocenico, quòd feliciter magnaq;e Ve
neti nominis gloria rẽ in Cilicia gessisset. Inde quia
magnitudine morbi non procul aberat ut iam uita
decederet, amantissimam coniugem Corneliæ gen
tis iam grauidam, cum posthuma prole regnoque
uniuerso Veneto nomini tradidit tuendam. Hor-
tatur regem Mocenicus ut bono sit animo, precA-
tusque est illi longiorem uitam: cæterùm si quid ac-
cideret, eam spem secum ferre iubet, nullum fore
tempus, quo regia coniunx, cum posthuma stirpe
non publicè & priuatim curę esset Veneto nomini,
quo incolumi nunquam non esset & regnum inco-
lume mansurum, & cum his ille à rege digressus o-
mnem Lyciæ oram prædatus est. Locum in ea Mi-
cram nomine cõditione deditum, ut oppidani cum
præsidio incolumes dimitterentur, diripuit, ignI-
que subiecto excidio dedit, estque his quoque locis

in Turcos dimicatum, relataq; sunt ad naues cen-
tum & amplius hostium capita. Cogitabat iam Ve-
netus imperator in Hellespontum irrumpere, edi-
xeratq; ut nauarchi omnia ad expeditionem neces-
saria compararent, quum Cypri regis mors illi nun *Cypri insulæ*
ciata est, ac simul legati à Carlota ad Mocenicum ue *motus.*
nerunt petentes auxilia. Fuit Carlota soror Iacobi
regis ac legitimo thoro nata, quam frater ex concu-
bina ortus, Memphitici regis adiutus armis regno
eiecerat. Legatis auxilia non solum nõ negata sunt,
sed responsum est etiam fore, ut non classis modò
quæ in procinctu esset, sed omne nomen Venetum
laboraturum ut regia coniunx, quæ Veneta esset pa
tricia domo orta, filiaq; publicè appellata, cum pro-
le quæ ex ea nasceretur regnaret. Est itaq; uno tem-
pore de obitu Cyprij regis auditum, simulq; ex Ca-
terini Zeni literis cognitum Persarũ regem eo con-
silio castra cum Turcorum rege collaturum, ut de
summa rei uno prælio decerneretur, facturum ita-
que Mocenicum rem socio regi gratissimã, si in Ci-
liciæ oram iret cum classe, quò rex diceret se copias
admoturum, ut de ratione gerendi belli, cũ eo con-
silium caperet. Admouit eò classem Venetus, fuitq;
ibi plures dies regem expectans, perseuerabatq; in
statione, quũ Caterini literis cognitũ est (erat is pu
blico nomine, ut dixi, in Persicis castris) bis Barba-
ros reges inter se cõfixisse, atq; utrãq; pugnã eo e-
uẽtu pugnatã, quo superius est memoratũ, tãtũ adij
ciã quod ad famã eius belli pertinet, fuisse in Persi- *Attende hunc*
cis castris trecenta quinquaginta armatorũ milia, in *roſos exercI-*
Othomanicis triginta milib. minꝰ, iudicataq; est res *tus.*
Othomanica superior arte & ingenio, Persę ferocia
& uirtute præstare crediti. Cæterùm quia & illud
significabatur, socium regem ob aduersam pugnã
eo anno in Ciliciam non esse uenturum, Mocenicus
inde digressus, Cyprum decreto petijt, hic cum An
drea Cornelio quædam de statu insulę locutus, erat
is reginæ patruus uir magno consilio, adminIstra-
batq; primaria potestate insulam reginæ permissu:
Mocenicus tametsi ex Cornelio didicit esse toti⁹ re
gni statũ haud aliter quàm uiuo rege pacatissimũ,
ne tamen tanta res sine aliquo præsidio esset, tribus
onerarijs quæ cum publicis muneribus ad Persarũ
regẽ missæ eò fortè appulerant, duas adiecit trire-
mes ad bellum instructas, ut Augustæ præsidio es-
sent, inde Cycladas circumuectus in Peloponẽsum
classem recepit. Per id tẽpus Thronus princeps mo
ritur, successit in defuncti locum Nicolaus Marcel-
lus, quo principe denarius argenteus cusus est Ve-
netijs, Marcellusq; à duce nuncupatus, ut Thronus
nuper ab eo qui præcesserat, duplo maior nummus.
Nec adhuc medium hybernorum tempus exierat,
quum Cyprus tumultuari cœpit, insulanorum qui-
dam longè principes nouarum rerum cupidi, occul
ta coniuratione inter se inita, nocturno tumultu re- *Cornelij cæ-*
ginæ medicum & mox Cornelium ipsum, cũ Mar- *des.*
co sororis filio trucidant, inde ex composito coniu-
rati regis filiam annorum sex, Ferdinandi regis no-
tho despondent, Galilææ principis titulum, quem
Cyprij reges usurpare soliti sunt, puero astruunt, &
hæc clandestinè. Palam legatos decernunt, qui Ve-
netias irent principi & patribus de Cornelij cędę sa
tisfacturi. Iam & arces suarũ partium hominibus
firmare cœperant, quum Coriolanus Cyprius cum
duabus triremibus affuit à Mocenico missus: is, priuS
quam in insula motus aliquis extitisset, quia res Cy
pria ad defectionem spectare dicebatur, ex Metone
ubi hyemabat, triremes duas unam post aliam eò
occurrere iusserat, secutus quatriduo pòst Superan
tius legatus, cum octo triremibus, is leniter cona-
tus est coniuratos ad officium retrahere, ut præsidia
ex arcibus deducerent, restituerentq; omnia regI-
næ & filio: sed hi alia atq; alia affingendo, rem sedu
lò trahere. Scripsit Superãtius ad præfectum classis

Cyprios

Cyprios apertè ad defectionem ſpectare, quę cauſa Mocenico fuit adhuc maturius properãdi. Iã Rhodum uſq; cũ ualida claſſe proceſſerat, quum hic ex ſuorũ literis cognouit coniuratos propinquæ claſſis fama territos, ſuorumq; conſiliorum ſibi cõſcios occultè fugam occupaſſe, pacatumq; totius inſulæ ſtatum eorũ deceſſu. Perrexit Mocenicus nihilominus in Cyprum ire Reginæ hortatu, quæ literis ſignificabat, etſi tumultus ille à paucis ortus reſediſſet, ſupereſſe tamen aliquid unde in futurũ magnũ excitari poſſet incendiũ, niſi maturè tolleretur omnis materia futuri motus. Pergeret igitur porrò ire, ſi reipub. cõmodo fieri poſſet, quando eius præſentiam ſtatus inſulæ non parũ deſideraret. Contraxerat eo motu Mocenicus ingẽtem hominum numerum, deditq; poſt ſuũ appulſum uniuerſum exercitum in inſulanorum conſpectum, ceu turmas & ſocios nauales luſtraturus, deſixit Cypriorũ animos id ſpectaculum, quum omnia tenerentur armis. Secũdum hæc Mocenicus arces ualido firmauit præſidio, inde quæſtio habita de Corneliana cęde, ſceleris cõuicti capitali ſunt ſupplicio affecti, quidam in exilium acti, alijs per deuia inſulæ nauigãtibus igni & aqua eſt publicè interdictum: & Cyprus per hæc pacata eſt. Interim hyeme peracta, æſtas appetebat, Mocenicus decẽ trimembus cũ Superantio legato ad inſulæ præſidium relictis: iam enim Triadanus Grittus, cui publicè decretum erat claſſis imperiũ, in prouinciã ueniſſe dicebatur, ex Cypro profectus Metonem reuerſus eſt, inde primis tempeſtatibus, Venetias iturus, huc trepidè affertur Scodrã in Macedonia à Turcis ingenti armorum apparatu obſidere. Macedones olim hanc terrã habuere, cur poſtea Albania, noua ſit uoce dicta, ſuo eſt loco demonſtratum, ad octoginta armatorũ milia ſunt Scodrenſes oppugnare adorti Solimani ductu. Erat is Thraciæ, quæ Romania nũc eſt, præfectus, quem Othomanus eius loco qui aduerſus Perſas dimicans ceciA B dit in Armenia, ipſi prouinciæ præfecit. Mocenicus audita Scodræ oppugnatione, Corcyram adnauigauit. Hic ſenatuſconſultum accepit, quo ei Scodra cũ tota ora Delmatiæ tuenda decernebatur. Cõfeſtim itaque ne in aperto ſuorum diſcrimine ceſſare uideretur, ad Triadanum ſe contulit, qui cum aliquot triremibus Bolianæ oſtium, ita enim uocant fluuium, qui ex Scodrenſi lacu in Ionium euoluitur, ſed neq; fluminis, neque lacus uererum quiſquam meminit quod ſciam, quapropter ſuſpicari libet rem utranque recentem eſſe. Ariſtoteles uir ſummus & occidere & oriri flumina credidit temporũ ſpacio, quod uſqueadeò perſuaſum habuit, ut Nilum & Hiſtrum non ſemper fluxiſſe arbitretur, neutrum q; perennem futurum. Mocenicus cum Triadano iunctus rem communi conſilio adminiſtrare adorti, Olchinium, quod olim Colchinum fuit, à Colchis (ut fama eſt) conditum, nunc Dulcinium eſt, præſidio firmant, pari ſtudio Dyrrachium & alia loca ad mare obuerſa, terra & aquis muniunt. Ipſi aduerſo flumine cum aliquot triremibus inuecti in conſpectum urbis uenere, hinc nocturnis ignibus alijsq; ſignis ſuos hortari, ut forti & inuicto animo eſſent, pergerentq; conſtanter oppidum tueri. Ferre id iniquo animo Barbarus, conatusq; eſt à tergo catenã Venetum intercludere, qua fluuius aliquanto arctius ripis coërcetur, ſed fruſtra res mota eſt, certatum utrinq; eſt pluribus horis, cęſiq; ſunt ex hoſtibus circiter quingenti, plures uulnerati. Venetæ triremes repulſo à ſe hoſte in apertum euaſerunt: tentatum inde eſt an ſubſidium poſſet aliquod in urbem mitti, res magis mota eſt, quàm quòd ſpes ulla adeſſet negocij conficiundi, hoſtibus omnia obtinentibus. Scodra demum oppugnata eſt tanto hoſtium conatu, quanto poſt Byzantium nullum Chriſtiani nominis oppidum. Sed ea fuit Antonij Laureta-

Pacatur Cypri inſulæ ſtatus.

Scodra oppugnatur à Turcis.

Fluuiorum deſitio.

Scodrenſis obſidio.

ni uirtus, qui urbi præfidebat, ea Scodrenſium præſidijq; conſtantia, ut poſt acerrimum certamen multa ſit cum ſtrage & ruina hoſtis à mœnibus repulſus. Cepio Coriolanus qui de Scodrenſi oppugnatione diligenter ſcripſit, autor eſt tria milia hoſtium ſub muris interfecta, illi qui rebus gerendis interfuere quatuordecim aiunt. Sed qui numerum augent, uideri poſſunt de his ſentire qui pugnando & aſsidendo periere. Enimuero fluuialis ora multos mortales exitiali morbo implicuit, multiq; uita defuncti ſunt. Veneti duces cum naualibus turmis, qui in flumine ſtationem habuere, adeò graui morbo affecti, ut Triadanus claſsis imperator paucis diebus quibus hæc circa Scodram geſta ſunt, uita deceſſerit. Mocenicus morbo grauatus ægrè curatus eſt. Perſeueratũ eſſet abs Turcis in obſidione, niſi Pannonicis armis prægrauantibus coactus fuiſſet Othomanus inde exercitum reuocare. Fuit Mathias rex quum ſemper aliàs Turcorum rebus infeſtus, ſed tum multò infeſtior factus, ubi Scodra huius armis oppugnari dicta eſt, ut hoſtem præſenti negocio auerteret, tertio menſe quàm circumſederi cœperat, obſidione ſoluitur. Erat Scodrẽſes ſumma aquarum inopia, ſitiq; intolerantia breui pòſt deditionem facturi, cæterũm hoſte præter ſpem abeunte, ſitibundum agmen præceps ad flumen decurrit, hic multi mortales aquam diu deſideratam adepti, auidius ripis procumbẽtes nimio aquarum hauſtu obruti, exanimati ſunt. Poſt Triadani interitũ Mocenicus domum reuertitur, Scodrenſis uictoriæ nuncius, qui ob ea quæ terra & aquis fortiter geſſerat, Marcello duce defuncto, princeps creatus eſt. Fuit hic annus tertius Sixti pontificis, quo triennio tranſijt Hiſpana claſsis in ulteriorem Mauritaniam, quę Tingitanica fuit olim. potiti ſunt Hiſpani Traga urbe tã nobili quàm uetuſta, eſt & Argilla ab his capta. Aſciuit Sixtus inter initia ſui pontificatus duos ex neceſſarijs ſupremo ordini antiſtitum: incredibile dictu eſt quantũ huic qui diui Sixti tulit titulum, indulſerit fortuna, ſed ad breue tẽpus quantũ ſit faſtu & luxuria bacchatus, qui nuper humilis fraterculi perſonam tulerat, tantus repẽtè extitit, ut animi magnitudine & munificẽtia nulli Italorum principum qui ea tempeſtate fuerunt, cederet: ſed quo maiores illi fortuna ingeſsit ſpiritus, eò breuior fuit uita. Petri ad uincula eorum alteri obuenit appellatio, hic quàm inuicto eſſet animo nouitate ſuorum temporum facilè declarauit. Sunt & alij ſequenti anno eadem dignitate donati, & in his Malpheranus antiſtes, qui poſt Sixtũ pontifex fuit. Quartus Sixti annus inſignis fuit Romanæ ciuitati non ſolum magni anni recurſu, ſed clarorum etiam hoſpitum acceſſu. Chriſternus rex Daciæ Romam uenit uoti cauſa, conatus eſt Dacus Italiæ principes in Turcũ ſociare, ſed res fruſtra mota eſt. Venit Romam & Ferdinandus rex religionis prætextu, ſed aliud ſecutus negocium, ut poſtea compertũ eſt. Incidit in hunc annum facinus Iudæorum tetrum & deteſtabile, ſed ab odio eius gentis in Chriſtianum nomen nihil abhorrens, ad octauum Calen. Aprilis Tridenti (eſt urbs hæc in Italiæ & Germaniæ finibus) puerum furto ſubtractum, diro, ut poſtea compertũ eſt, ritu gentis occultè peremerunt, toto ſchemate Dominicę paſsionis in puerili corpore repręſentato: nec res tã atrox in occulto fuit, ſed numinis prouidentia (ut credere par eſt) mox palàm facta, decreta queſtio eſt: Iudęi plures numero ſceleris cõperti, merito ſunt ſupplicio affecti. Reportauit ex ea queſtione magnum integritatis nomen Ioannes cognomento Sala Brixianus, iuris ſcientiæ tempeſtate illa penè princeps. Is pontificis decreto in reos lege anquiſiuit, hunc Iudæi magno auri pondere corrumpere adorti, à tam pia ultione auertere non potuerunt. Simonem (id enim nomen fuit puero) ob

Simonis puer martyrium.

ob multa miracula, circa defunctum corpus magno mortalium occurſu edita. Tridentini in templũ ſolenni cærimonia receptum beatorum numero aſciſcunt. Eiuſdem impietatis ſcelus quinquennio pòſt Venetijs uindicatum eſt, ex Mota oppido (eſt is locus ad Liquentiã amnem) ſontibus Hebraicę gentis ad ſupplicium deportatis. Per id tempus Hieronymus Riarius, Foro Cornelij potitus eſt, erat hic Pontifici gratiſsimus, Sauonæ nobili familia ortus, ac Sixti antiſtitis, cuius nuper mentio facta eſt, frater. Sixto adnitente Galeacius dux filiam illi matrimonio locauit, detulitq; ei dotis nomine Forum Cornelij habendum, quàm urbem non multò prius à duobus Mãfredis patre filioq; inter ſe diſſidentibus, certa conditione acceperat: quadriennio pòſt, Ordelaphis de principatu diſceptantibus poſt Pini interitum, Sixto non modò conniuente, ſed apertè etiam iuuante, Forliuium eſt Riarius adeptus, & ille per hæc duarum nobilium urbium ſit princeps. Cæterùm ne non ſemper eſſet quod in naturæ opere miretur uita, eadem tempeſtate infans fœmina in Veronẽſi agro orta eſt binis genitalibus, duplici uẽtre, quarternis brachijs, id monſtrum parentes multum diuq; per Italię urbes quæſtus cauſa circumtulere. Bartholomæus Bergomas dux clariſsimus, eodem anno moritur, Venetarum copiarum imperium annos unum & uiginti potitus, nullus ducum qui omni hominum memoria fuerunt, tantum auri congeſsit legirimo ſtipendio, nullus ditior uita deceſsit. Reliquit is teſtamento Venetum nomen hęredẽ. Nec Venetus ſenatus uinci ſe gratitudine paſsus eſt, equeſtrem illi ſtatuam auratam opus uiſendum, ad Gemellorum ędem baſi marmorea ſtatuit. Et res Italiæ ſic habebant, quum in Daciæ finibus Solimanus Thraciæ præfectus, prælio uictus, & in paludes ſyluarumq; angueſtias coniectus, amiſſo exercitu fugiens perniciſsimo equæ curſu ſeruatus B eſt. Incidit ille in hãc cladem eo anno quo Scodram oppugnauit. Nec ita multò pòſt in Euxini ora Turci ſunt Capha urbe nobiliſsima potiti. Erant Caphẽſes in Genuẽſium ditione, cæterùm in Galeacij Vicecomitis inuidiam urbem Othomano tradidere, ne quod ille iam apertè moliebatur per Genuenſes qui illi parebant, eius ditionis fierent, prodita tamẽ urbs eſt priuato, non publico conſilio. Græci & Armenij, qui deditioni obſtiterunt, Bizantium traducti ſunt: Scythæ & ſi qui Genuenſium dedendę urbis autores fuere, in urbe ſunt retenti. Sed dum in Euxino hæc ſiunt, in Gallia Carolus Burgũdiæ dux Lothoringiæ partem multò maximam bello affligit. Cæterum bella bellis ſerendo, quum Lingones & Treuiros armis premeret, iamiam & in Suenos moturus, ad Venacum Treuirorũ oppidum à Sueuis, qui & Suitenſes dicuntur, uulgus Suitaros uocat, magno prælio uictus mortem occubuit. Dux fortiſsimus, & qui annos circiter decem uniuerſam Belgicá imperio tenuit, filia quæ unica illi fuit, Maximiliano Federici Cæſaris filio nupſit. Quieuit inde Galliarum ſtatus unius uiri morte. Sed quãtum Gallia per id tempus quo Carolus perijt, bellis agitata eſt, tantum nec minus Hiſpania inteſtinis eſt diſcordijs cõcuſſa, Henrico Hiſpaniarum rege defuncto, omne Hibericum nomen in diuerſas abijt factiones. Ferdinandus Ioannis Aragonię regis filius ab Edoardo Angliæ bello uictus, cum uxore & liberis captus uita priuatus eſt. Soror huius Eliſabeth Ferdinando nupſit, atque ita contigit ut fratre extincto, ulteriorem Hiſpaniam ſecum dotali nomine ad uirum traxerit. Mira ſunt quæ de reginæ huius indole fama feruntur, quæ eò propiora uero mihi uidentur, quia cum fortiſsimo rege, atq; eodem feliciſsimo Ferdinando cui eſt nupta, ex æquo, ut fertur, regnum adminiſtrarat, tanta inter ſe concordia, quanta nulli regum ulla unquam memoria in connubio uixere. Eſt inde Ferdinandus quadriennio pòſt citeriorem Hiſpaniam adeptus, quum iam patrem amiſiſſet, eſt & Siciliam conſecutus cum Balearibus inſulis, quam ex Alphonſi fratris interitu, qui in Italia regnauit, Ioannes eius pater ſuis opibus adiecerat. Sed ut ſunt hominum ſtudia nouarum rerum cupida, Luſitanorum pars non parua ad Alphonſum Galleciæ regem inclinabat: quo euenit, ut uniuerſa terra graui bello exarſerit, multę clades ſint hincinde illatæ & acceptæ, poſtremò in Numantino agro utrinque ſigna collata, quo prælio Ferdinandus egregiè uicit, fuitq; ſecundum eam dimicationem pacatior Hiſpaniæ ſtatus, quatenus terra ipſa ſub Chriſtiãnis erat regibus: nam & Mauri magnam Bethicæ partem tenebant, quibus breui pòſt Ferdinandus bellum intulit. Sed de Bethico bello ſua poſtea erit relatio. In Italia poſt ſacrum annum, quem Sixtus pontifex condidit, Nicolaus Eſtenſis temerè Ferrariam occupare auſus, Hercule abſente, poſteaquam in publicum cum hominibus eius cõſilij conſcijs irrupit, nec tenere potuit, ut quippiam in urbe moueretur, urbe metu ceſſit. Cæterùm ex fuga retractus, & in Herculis reditum ſeruatus, illius iuſſu ſecuri percuſſus eſt, quem poſtea ipſe Hercules dux principali pompa extulit. Veneti interea terra & mari belliũ adhuc integrũ habebant cum Turcis, eſtq; æſtate illa, quæ Scodrenſem obſidionem ſecuta eſt, Naupactũ, nunc Lepanto uocant in Corinthiaco ſinu quatuor menſibus à Solimano obſidione fatigatũ, fuitq; oppugnatio illa minus terribilis Veneto quàm Scodrẽſis. Affuit confeſtim ſuis laborãtibus Antonius Lauretanus, cui ob rem ad Scodram fortiter adminiſtratam decretum erat claſsis imperium. Admota itaq; in proximum claſſe, uiros, arma, commeatus, ſuis aſſatim ſubminiſtrare: quæ res fecit, ut ualidè ſit oppidum defenſum, alioqui neque loci natura, neque opere ut Scodra munitum. Solimanus hac quoque expeditione fruſtratus, frendens fremensque ſoluit obſidionem. Lemnum inſulam Turci inde ui ſubita adorti ſunt, fuiſſetque improuiſa irruptione oppidum captum, niſi mulier Lemniaca patrẽ ab hoſte in portis confoſſum intuita, armis ſubitò arreptis, quæ temerè pedibus obiacebant, hoſtẽ tandiu aditu prohibuiſſet, quoad oppidanorum occurſu hoſtis ſit ad naues fœda cum ſtrage actus. Superuenit nec multò pòſt Lauretanus, cuius acceſſu Othomanica claſsis in altum abijt. Mocenicus altero ſui ducatus anno diẽ obijt, in cuius locum Andreas Vendraminus ſufficitur. Eſtque in Croianis campis per id tempus ad locum qui Tyranna dicitur, cum Turcis dimicatum, certatumque pluribus horis æquo marte: poſtremò Turci fugam capeſſunt, dubiũ metu an arte, captaq; ſunt illorum caſtra ac direpta, caſtella quæ hoſtes circa urbem erexerant eodem impetu adempta: ſed dũ Venetus putat ſe uicisſe, breui uictus eſt. Enimuero dum magis prædæ intẽtus quàm pugnæ, quæ haud omnino remiſerat, temerè diſpalatur, conſultaturque inter Venetos duces an in caſtris hoſtium pernoctarent, iam enim adueſperauerat, interea ſubita Turcorũ impreſsione degrauatus conſultantium globus, ac penè circũuentus, in ueſtigio fœdè cæditur, equites metu iniecto fugã capeſſunt, pedites & ipſi alij aliò dilabuntur. Inſtat ferox hoſtis, paſsimq; diſpalatum agmen cędit in altam noctem, mille & amplius deſiderati ſunt, & in his Franciſcus Contarenus legatus, ac pleriq; uiri illuſtres, qui honeſtũ ducebant ordinẽ. Tulerũt Veneti hãc cladẽ multò æquiore animo quàm eam quę in Italia mox paulò accepta eſt, obiecerãt hi Turcis poſt primam in Italiam irruptionem munitionẽ ualidiſsimam circa Sontium amnem ad duodecim miſſia paſſuum, ſecundum ueterem ripam fluminis opus productum: ſuntq; bina caſtra foſſa & uallo medio

Monſtrũ nec morabile.

Capha.

Carolus Burgundię.

Ferdinãdus Hiſpaniæ rex & Elizabeth.

Lepanti.

Muliebre facinus.

Croiana pugna.

Sontiaca munitio.

medio ferè ſpacio communita, his potiſsimum locis qua fluuius uadabilis uiſus eſt. Gradiſcana hæc, illa Polianica dicta, inter ſe mille paſſus diſcreta: quæ ad Gradiſcá fuere, nunc muro ſunt & foſſa circúdata in urbeculæ modum, frequentibusq; ædificijs exculta. Erant in his caſtris ad tria milia equitũ, pedites admodum pauci, quum repentè in aduerſa ripa fluminis Turci ad decem milia numero conſtitere. Eſt Sontius in Aquileienſium finibus, fluitque uiolentius ubiq;, ac raro uadabilis, cuius nomen mirum uideri poſsit à nullo, quod ſciam, ueterũ literis prodictum, nec aliud poſitum pro eo, cum ubertate alioqui aquarũ & loci natura (eſt enim in ipſo propè Italiæ limite) Natiſoni, Tarro, & cæteris eius terræ fluminibus, quę in magna ſunt celebritate apud ſcriptores, longè præſtet. Tumultuarum eſt in Veneris caſtris, coiuitq; omnis equitatus unum in locum, conſentq; duces ipſi hoſtem à tranſitu arcendum, aut ſi arceri non poſsit, acie decernendũ. Marbecus, id nomen hoſtium duci fuiſſe aiunt, contemplatus ſub noctem locorum naturã, ad inſidias conuertit animum, mille equites ſilentio noctis diuerſo, à Venetis loco trans fluuium mittit, iubetq; poſt iugum montis, qui in conſpectu erat, nec procul à flumine tacitos ſubſidere, ſignumq; expectare, ipſe ſub lucem cum cætero equitatu ad fluuiũ progreſſus præmittit alam unam equitum, quæ Venetis caſtris obequitaret, certamineq; iniecto, ceu inter pugnam & fugam dubij hoſtem ad inſidiarum locum traherent, faceſſunt illi imperium: Venetus barbarum tumultuoſe inuectum ferociter excipit, excepturn fugat, fugienti pertinaciter inſtat. Marbecus ubi hoſtem uidit perſequendi ſtudio eò proceſsiſſe, ut uel inuitus cogeretur pugnam conſerere, cũ parte multò maxima copiarum flumen uado tranſgreſſus à fronte Venetum excipit, cõſertaq; comminus pugna erat, ſimul ſignum ſuis, ut in aduerſum hoſtẽ ex inſidijs conſurgerent, hic clamor & fremitus hoſtium a fronte & faceribus ſeſe inferentiũ, adeò perculit Venetũ, ut confeſtim facta ſit fuga, quæ à turmalibus orta eſt. qui ponè ſequebantur, ſuisq; ſubſidio eſſe oportuit. ubi cædes terrerrima edita ac tota planicie aut cæſi aut capti ſunt equites. multi uiri fortes, qui in prima acie fuere, deſiderati, & in his Hieronymus Nouellus, penes quem fuit omnium copiarum imperium. Dimidium & amplius florentiſ ſimi equitatus cecidit eo die. Barbarus præſenti ſucceſſu ferocior factus, poſtridie quàm ita dimicatum erat in Foroiulienſes agros tumultuoſe effuſus, quicquid intra Sontium & Tiliauentum patet ſoli, uno die cæde, flamma & rapina fœdauit, ad centum circiter uillæ incendio deflagrarunt: & in Foroiulienſibus hæc tũ clades accepta eſt. Reuerſi ſunt hoſtes ſequenti anno multò maiore apparatu. Erat tũ Carolus Montonius cum ualido equitatu in Gradiſcanis caſtris, is quia prouocatus elici nõ potuit ad pugnam, ueriti barbarorum duces ne ſi in prædam diffunderẽtur à tergo circumuenti aliquam inſignem adirent cladem, ſubito acceſſu ad Alpes cõuerſi, per abrupta & inuia Alpium, non ſine admiratione eorum qui poſtea illius itineris ueſtigia obſeruarunt, in Germaniam irrupere. Per id tẽpus Venetijs Vendramino duce defuncto, Ioannes Mocenicus Petri nuper principis frater, dux creatur. Eratq; hic rerum ſtatus in Italia, quũ Mahometes Turcorũ rex multò atrociore quàm triennio ante Scodrá oppugnatione adortus, omnis locorum accolas adeò perculit, ut Croia quæ per annum & amplius tulerat obſidionem, confeſtim dedita ſit ab oppidanis longa inedia propemodum enectis. Nullus à cõdito æuo locus eſt maiore mole quàm Scodra oppugnatus, nullus magis ſtrenuè defenſus, bis hoſtis ſubijt muros, bis cum ingenti ſtrage eſt à mœnibus repulſus utrinq; maior cędes edita, quo maior fuit hic quàm prior ille obſidionis apparatus, fecitq; omnia terribiliora ipſius regis præſentia, qui ſpectator utriuſq; pugnæ affuit. Vix fidem inueniat ad poſteros quod oppugnatione illa accidiſſe aiunt, tantam ſagittarũ uim in urbem conjectam, ut nõ uno loco plures ſagittæ ſint repertę inuicem confixæ, taliſque materia nec alia pluribus menſibus ſint Scodrẽſes uſi ad calefaciendos furnos, coquendaq; obſonia: ac ne quid laxamenti Venetis daretur, dum Scodram obſidione tuẽtur, Italia Othomanicis armis repetita eſt, de cuius expeditionis euentu loco proximo diximus. Tenuit inde Scodrenſis obſidio uſq; ad dimidium autumni, quo tempore eſt Driuaſtum Venetis adeptum, nec ita multò poſt quã hoſtis eſt eo loco potitus, parte una copiarum ad obſidionem relicta, ex Scodra profectus eſt Mahometes, ſub cuius digreſſum Lyſſum ad Drymonis ripam eſt à Venetis alienatum. Et res Veneta erat in hoc ſtatu, quum de pace agi cœptum eſt. Cæterùm res tum primum mota, ut erat ardua & perdifficilis, in plures menſes diſtrahitur, demũ pax his conditionibus confecta eſt, ut Scodram Veneti, Tenarum Laconiæ, & Lemnũ inſulam Turco relinquerent. Soluerent ad id quotannis octona aureorum nummũm milia, ut Pontica patẽret nauigatio Venetis negociatoribus: alij centum milia duntaxat intra biennium promiſſa aiũt, negociatoresq; id aurũ daturos ſe ob negocia, quæ in Pontico mari haberent, pollicitos, atque ita magiſtratus quem Veneti ad id tẽpus Byzantij habere conſueuerat, poſt pacem in eam urbem reſtituitur. Vix tantum quietis & ocij attulit pax hęc Venetis, quantum cæteræ Italiæ ſolicitudinis & metus, omnibus uulgò prædicãtibus futurũ ut Venetis quieſcentibus Italiæ pars, quæ Venetæ non eſſet ditionis multò infeſtior iam inde Othomanicis eſſet armis quàm ullo unquam tẽpore fuiſſet. Poſt pacem Mahometes Neritum, quę nunc Maura eſt, Leonardo Taucio ademit, qui ea tenebat loca. Cephaleniã inde, Zacynthumq; ſuo imperio adiecit. Soluerunt ſe Veneti Othomanico bello anno ſextodecimo q̃ in Turcos arma induerant. Fuitq; annus ille Salutis ſeptuageſimuſo octauus ſupra milleſimũ ac quadringẽteſimum. Pacis huius tam iniquis conditionibus iungendæ, ut non una fuit Venetis cauſa, ſic omniũ illa urgẽtiſsima, quia omni Chriſtianorum ope deſtitutos nimium prægrauabat hoſtis. Iam & indicio compertum habebant Mahometem à quibuſdam Chriſtianorum principum literis & nuncijs aduerſus ſe ſolicitari, & Mathias rex exautoratus infenſo hoſtiliq; animo in Venetos ferebatur. Ferdinandus rex & Sixtus pontifex Florentinos graui bello implicuerãt, de cuius origine & ſucceſſu tantũ hinc non dicere incipiã. Venerant Veneti in fœdus belli huius Hetruſci, iuuabantq; Florentinos & Mediolanẽſium auxilia, Galeacius Vicecomes ſuperiore anno quàm in Hetruria ſit bellatum, feſto protomartyris die, phanoq; eiuſdem cœlitis, ab Andrea Lamponiano ferro confoſſus in ueſtigio cõcidit. Tumultuante igitur Italia ac ſuper Othomanicum bellum Hetruſco etiã grauati, alijs aliunde impendentibus pacem Veneti cum Turco ſanxerunt, non tam utilẽ quàm neceſſariam. Incidit Galeacij cædes in id tempus, quo Carolus Burgundię dux à Suitenſibus uictus mortem opperijt. Genuenſes Galeacio extincto ſeſe in libertatem uindicarunt: ſed breui pòſt ciuitate ſeditione agitata in alienæ ditionis iura recidunt. Hetruſcum bellum ab Iuliani Medicei cæde ſumpſit exordium, qui improuiſa paucorum coniuratione ſacrorum hora, ad Liberatæ phanum interfectus eſt, Laurentius eius frater ægrè ſeruatus, neſcias maioréne ſua felicitate inimicorum manus effugerit, an tumultum & conſternationẽ ex ea re ortã conſilio ſedarit. Ex coniuratis in poteſtatem redactis, alij ferarum laniatui ſunt obiecti, alijlaqueo ſuſpenſi,

Bellũ Tuſcũ.

Cædes.

Scodra iterum oppugnatur.

Turci & Venetipacem ſanciunt.

Galeacij cædes.

ſuſpenſi, unus ſupremi ordinis antiſtes pontificis perneceſſarius, qui legati nomine Florentiam uenerat, publicè cuſtoditus eſt. Sixtus iniuriam eam non tulit in tanto ordine, acceſsit indignationis cumulo fœdum Saluiati Piſani antiſtitis ſupplicium, qui in ultionem patratæ cædis inter conſcios coniurationis fuerat laqueo necatus. Pontifex ira accenſus anathemate & interdicto duobus acerrimis eccleſiæ telis Florentinos defigit, ſimulque bellum comparat, quod omnium opinione celerius eſt Tuſco illatũ, Ferdinando rege & Senenſibus in fœdus aſcitis, Federico Vrbinati ſumma imperij delata, uiro conſilio & rerum geſtarum gloria ea ętate ſummo. Interfuit gerendis rebus Alphonſus Ferdinandi filius, ætate ferox & odio in Florentinos paterno & auito. Excepit Tuſcus magno animo tantam belli molem, exceptam ſuis ſociorumque opibus nixus fortiter tulit. Erant cũ his Veneti Othomanico adhuc bello impliciti, erant & Mediolanẽſes & ipſi ob Galeacij cædem uix domeſtico motu ſatis liberi. Quamobrem nullis propè externis auxilijs eſt Tuſcus ab initio adiutus. Ademit itaq; hoſtis aliquot ei loca priuſquam ſit in hyberna conceſſum, tũ uerò quia fatis conſtabat hoſtes maiore adhuc armorum apparatu ſociorum res ſequẽti ruina inuaſuros: his Veneti alijſq; quas diximus, commoti rationibus, pro magno habuerũt negocio cũ Othomano quoquo modo bellum componere, quo ſoluti cõfeſtim Carolum Montonium, cum ualido equitatu in Hetruriam ad bellum miſere. Sed is non multò poſt quàm ad id bellum eſt miſſus, fatalem mortẽ obijt. Res inde prouinciæ ea parte geſta eſt Roberti Malateſtæ ductu, qui Venetorum merebat ſtipẽdium. Conſixit is poſtquam in Hetruriam uenit, cũ Matthæo Cãpano & alijs Sixti ducibus circa Peruſiam, fudítq; Robertus ac porrò fugauit hoſtem, multi in fuga capti ſunt, impedimenta direpta. Adeptus eſt Tuſco bello magnum nomen Vrſinus Petiliani comes, qui tum Florentinorum ductabat copias, aſſiduis in hoſtem expeditionibus, quibus omnia illis redderet infeſta. Pugnatum tamen à Tuſco infeliciter ad Podium imperiale, diſtat locus is haud multum à Florentia, ſed clades illa ducum diſcordia accepta eſt, ut ſoliti ſunt prędicare, qui in caſtris fuere. Erat copiarum omnium imperium penes Eſtẽſem Herculem, quem Franciſcus Gonzaga infenſe oderat ob Nicolai Eſtenſis necem, quem Hercules non multò prius ob Ferrariẽſem motum capitali affecit ſupplicio. Sunt qui ob Caſsianam prædam dicant eam diſcordiam ortam, certatumq; armis eſt inter Eſtenſes & Gonziacos non ſine Herculis periculo. Sed quacũq; eſt de cauſa ſeditione laboratum, Hercule paucis diebus quibus hæc acta ſunt, domũ abeunte, Gõzaga dux Mediolanum profectus eſt, unde Robertus Seuerinas per eos dies fuerat eiectus, Federicus Vrbinas & Alphonſus dux, Tuſcum exercitum ſine ducibus adorti, poſt breue & inconſtans prælium hoſtem caſtris exũũt. Podio inde recepto ad collẽ caſtra admota ſunt, hoc quoq; ab hoſte capto, Florentini ad pacem inclinarunt, quã ut æquioribus conditionibus impetrarent, Laurentius Mediceus inter ſuos longè princeps, & qui publica & priuata inuidia apud hoſtes eminebat, Neapolim ad Ferdinãdum regẽ nauigauit. Nec ita multò pòſt pax ſecuta eſt, magnaq; in Italicis rebus mutatio facta ob Ferrarienſe bellum, quod breui poſt Hetruſcum totis eſt Italiæ uiribus geſtũ: de quo iam hinc ſermo potuiſſet inſtitui, niſi externa quædam forẽt quæ temporum ordine Italicis ſunt rebus prefereda. Nam peridem tempus quo bellatum eſt in Hetruria, in Gallia Lodouicus rex exeũtibus inducijs, quas cum Maximiliano pepigerat, Burgũdiam hoſtiliter ingreſſus, parum feliciter rem geſsit, triginta milibus hominũ eo motu amiſsis, Tenebat Maximilianus eius gentis imperium ex obitu coniugis, quæ fuit Caroli ducis filia, eius qui Suitenſi bello perijt, tuleratque ex ea uirilem ſtirpem eodem ferè anno quo Mahometes pacem cum Venetis fecit, terribili armorum apparatu, ut biennio ante Scodram, terra marique Rhodum inſulam oppugnare eſt adortus, bis omnino muros ſubit, fuitq; utrunque prælium tam laborioſum Rhodijs quàm hoſtibus calamitoſum, mœnia mille & trecentũm bombardarum ictibus concuſſa, propugnatorum ſunt uirtute defenſa. Tenuit obſidio undenonaginta dies, quo tempore ut hoſtium ſermone eſt poſtea compertum, ad nouem milia Turcorum deſiderata fuere, quindecim milia uulneribus debilitata. Adijciunt propugnatorum uirtuti omni æuo memorabili miraculum, de quo duplex eſt fama. Sunt qui dicant obſeruata in murorum faſtigijs diuorum ſimulacra quædam pro urbis, ut creditur, incolumitate excubantium, quorum etiam occurſu hoſtes nonnunquam remiſerint certamen. Alij quibus libentius accedo, quoniam bello interfuerunt, crucẽ auream media oppugnatione in cœlo conſpectam ab hoſte cum ſimulacro Deiparæ uirginis, haſtam uibrantis, uiſam, & Ioannis Zachari effigiem cum numeroſa manu præſidẽtem. Et hæc tempore belli ſunt, ut fertur, ab hoſtibus obſeruata, ob quæ tam pia quàm uera cõiectatio ſubit animum, fuiſſe tum Rhodum cœleſti magis quàm humana ope defenſam: nam Rhodij, & qui præſidio Rhodijs aderant, ſua ui freti tantis Barbarorum conatibus fuiſſent (ut fertur) haud dubiè impares. Et Rhodus hoc euentu oppugnata eſt ad annum Salutis milleſimũ quadringenteſimum undeoctogeſimum, qui Sixti fuit pontificis octauus. Hoc anno Pirametus Caramanus fudit Turcorum copias, quo tempore Mathias Pannoniæ rex à Federico Auguſto, Pannoniæ regni iura conditione accepit, ut filij ſi qui ex eo naſcerentur, non ſuccederent in regnum. Duxit inde coniugem Mathias Ferdinandi filiam Neapolitani regis, qua auctus affinitate, quia maiores credebatur ſpiritus alere, quàm ut fœderibus ſtaturus eſſet, Bernardus Granenſis antiſtes, cum regijs theſauris & corona, qua Pannoniæ reges ueteri inſtituto uti conſueuerunt, in Germaniam aufugit. Bernardus & theſauri de more à rege repetiti ſunt, cæterùm quia res non redderentur, Pannon bellum Federico intulit, quod poſtea longè lateque in Germania exarſit. Et hæc in exteris gentibus. In Italia eodem ferè anno Lodouicus Sforcia Mediolano eiectus, cum Roberto Seuerinate, qui tum ſuis auſpicijs ductabat exercitum, à Genuẽſibus quorum ſtipendium aliquandiu fecerat, exautoratus, Dertonam Mediolanẽſibus ademit, mox Alexandrini & uiginti circiter oppida, his finitima in Lodouici fidem uenere. Fuit Lodouicus Galeacij frater, eius qui in protomartyris phano, Lamponiani manu ictus concidit. Paterna imago populareque nomen Blancæque matris, adhæc & ingenium uiri ad promerendam gratiam comparatum, facilè ad ſe omnia trahebat, qua animorum inclinatione Galeacij uxor territa, ſibi & liberis ſuis timens, utrunque ea cõditione reſtituit, ut Seuerinas Philippi ducis adhuc pueri (erat is Galeacij filius) dux eſſet, Lodouicus ſummã rei adminiſtraret. Fluctuabãt res igitur Italiæ partim domeſticę diſcordię metu, ut in Inſubribus, partim in Hetruria, nondum reſederant à bellico metu: nam circa Senas adhuc Aragonia arma uagabantur, eratque Senenſium libertas in aperto diſcrimine, Alphonſo Ferdinandi filio prægrauante, qui per ſpeciem componendi eius ciuitatis ſtatum eò rem traxerat, ut non procul abeſſet à tantæ urbis dominatu. Affertur interea Hidruntem in Apuliæ & Calabrię finibus à Turcis teneri, uiſus eſt nũcius ille atrox, ac debuit: nulli dubium erat quin actum

Florentini ad Podium uincuntur.

Galeacij cædes.

Mediolanenſiũ diſcordia. Lodouicus Sforcia.

Miraculum in Rhodo tuẽda.

Hidruntẽ Turci occupant.

actum esset de salute Italiæ, ni diuina prouidentia contigisset, ut priusquam pestis illa latius obrepere cœpisset, Mahometes uita decesserit. Est Hidrũtum Ionij maris & Ausonij discrimen, modico aquarum interuallo Aulonis littoribus respondet, id maris spacium quod Italiam à Macedonia dirimit, quinque habet & quinquaginta milia passuum. Pyrrhus rex cogitasse dicitur utranque terrã alteri actis pontibus committere, mox & Marcus Varro Piratico bello, quum Pompeij classibus præesset, sed uterque alijs distractus curis, tam memorabile opus intactum reliquit. Hidruntina clades in causa fuit, ut Aragonius dux penè præceps in Calabriam abierit, de rebus suis solicitus. Nec Veneti interea quieuere Pannonicis armis Corittam insulam sibi uindicantibus, nunc Veglia est, sunt & Veneta arma huc confestim admota. Tenebat tunc insulam Ioannes, qui fuit Banis filius, occupaueratque is in Delmatię ora loca quædam, quæ frater eius moriens Pannoniæ regi testamento reliquerat. traxit ea iniuria Pannonica arma in insulam, & iam Muselo oppido capto primariæ urbi imminebãt, quum Veneta arma Bani regulo auxilium imploranti affuerunt. Triremes aliæ super alias eò missæ Pannonem non tantũ gerendis rebus auerterũt: sed ubi auditum est Banem, quum omnia ad defectionẽ spectarent, tradidisse se & insulam Venetis, ueritus Pannon ne quum uellet, exercitum inde deportare non posset, sine aliquo maiore certamine, Coritam reliquit. Fluctuabat adhuc insula proximo tumultu, quum maius in Italia bellum Veneti inchoarunt, id quia circa Ferrariam primo conflatum est, & aduersus Herculem Ferrariæ ducem, tametsi latè postea exarsit, Ferrariense est iure uocatum: nec id bellum una ex causa natum uideri potest, nam & salinæ quæ apud Comaclum sunt ambiguiq; circa Padum utrorumque fines, multæque suspiciones, quæ in Venetis rebus altius repetũtur, Venetos Othomanica alioqui bello fessos, in id belli certamen traxere, nec temerè itum ad arma, sed diu multumque inter partes res iactata est: ad postremũ publico decreto bellum Herculi, qui tum Ferrariæ dux erat, Sixto pontifice autore indicitur. Duplex classis decreta, hæc quæ aduersus Pado in hostium fines ageretur, illa Calabriæ & Apuliæ arma infestaret, si quid Ferdinandus rex mouisset, nulli dubium erat quin ob arctissimã necessitudinem quæ Herculi cum Ferdinando intercedebat. Duxerat is Leonoram ipsius regis filiam uxorem, tuleratque iam ex ea liberos, quin & Aragonia arma mouerentur. Padanæ classi Damianus Maurus præficitur, alterius quæ procul domo remsi opus fuisset gestura uidebatur, Victor Superãtius sortitus est imperium. Terrestrium copiarum duces, Robertus Ariminensis iussus ultra Padum rem gerere, & Robertus Seuerinas qui ex proximo bellum inferret. Enimuero Seuerinas iterum Mediolano pulsus, ad Venetos cum filijs sese contulerat. Is ex Verona cũ exercitu profectus, partim lintribus & lembulis, partim uia medijs paludibus communita, copias omniũ opinione celerius in hostico exposuit. Mellaria primo ab hoste capta est Pado imposita. Padus omnium Italiæ fluuiorum, ut aquarum ubertate ita, celebritate nominis maximus, à picea arbore quæ circa eius fontẽ nascitur, Padi nomẽ sortitus est, quia Gallicè ea arbor Pade uocetur. Est idem & Bodicus dictus, quæ uox Ligurum lingua sit fundo carens. Sunt qui & Eridanum uocent, ipse quocunq; nomine sit dicendus, in Vesuli montis gremio oritur, euoluiturq; in Adriam sex ostijs. Amnes plerique numero ex Apennino & Alpibus dextra læuaque sese illi infundunt, sed omnium nobilissimus Ticinus ex Verbano, qui maior lacus est hodie, sunt eiusdem accolæ ex Lario Abdua, ex Benaco Mincius, ex Sabino Ollius, ex Eupolis gemino lacu Lambrus, ex liquatis niuibus maiora quàm ex pluuijs sentit incremẽta, nullus fluuiorum maiore ui hominũ coërcetur, nullus fluit uiolẽtius, tantaque agrorum strage, quum fines excesit. Mellaria capta, aliquot ignobilia loca ab hostibus metu relicta Seuerinas occupat. Sunt inde ad Castrum nouum copiæ admotæ, quo tẽpore ad triginta armatorum milia fuisse aiunt in Venetis castris, & Castrumnouum paucis diebus captum ab hostibus, mox Ficariolo sunt castra admota, ubi multum diuque est à Veneto laboratum, locusque præter omnium opinionẽ plures dies ab hoste defensus. Sub id tempus quo Ficariolum est cœptum oppugnari, Federicus Vrbinas, cuius hostilium erat copiarum imperium, Stellatis in aduersa Padi ripa consedit. Hinc ille noctu suis cõmeatum & subsidia submittebat, incessebat adhæc assiduis bombardarũ ictibus Venetos, qui Ficariolo assidebant, adeò iactus ille frequens omnia reddidit Veneto infesta, ut nihil æquè contra eam uim hostium profuerit ac fluuialis agger, quo tegebantur militum tabernacula. Sed dum terrestres copiæ hic sedent, pars una fluuialis classis quam ductabat Christophorus Mula, ui Adriam expugnat, urbem uetustate insigni Pado propinquam. Atria fuit hæc olim, unde & mare illi prætentum, ut alio est loco demonstratum, Atriacum primo, mox Adriacum nominatum. Sæuitum est prima irruptione in oppidanos, incẽsaq; est urbs aliquot locis, sed posteaquã Atriates abiectis armis in preces uersi sunt, ferro temperatũ est, urbs nihilo secius direpta, circumiectus ager in prædam & populationem abijt. Est & Comaclum per eos dies hosti ademptum. Sub id tempus classis aduerso Pado Mauri ductu, ad Pilosellam locum fluuio contiguũ subuecta est. Hic Hercules Padum obstruxerat, castellisque ab utraque ripa, & circa medium impositis præsidioque firmatis. Agebat Venetus Lembos, Celoces, & Myoparones Gazariolas, adhęc plures numero, cæteraque nauigia ad ducenta ferè numero, omnia ad bellum comparata. Dimicatum est totis utrinque uiribus, atroxque fuit pugna. Demum pulso hostium præsidio, castella Venetus occupat, cætera dat flammis, unum quod medio fuit alueo prægrandi nauigio impositum, in argumentum uictorię, Maurus classis præfectus Venetias misit. Nauales copiæ dextra læuaq; circa fluuiũ effusæ ferro flammisq; omnia fœdant. Processit inde classis aduerso Pado Ficariolum usq;, estq; iam inde terra & aquis locus oppugnatus. Nec multò post quã classis huc appulsa est, pars eius una iussa paululum supra Ficariolum stationem habere, non multò postquam ibi loci qui monstratus fuerat consedit, occasionem adepti classiarij rei bene gerendæ: ferebant nauigia quędam ex Mediolano hostibus suppetias, egressiq; milites in proximã insulam herbido solo sternũt fessa æstu corpora: hic Venetus ex proximo quàm maxima potuit celeritate delatus, subitoque clamore hostem adortus, ne tentata quidem pugna ad primum clamorem fudit. multi quidẽ capti, interfecti etiam nonnulli, alij semisomnes incerto pauidoq; cursu ad naues refugere. Sed, ut uaria est fortuna belli, ea clades breui pòst ac nescio an aliquanto etiam fœdior est Venetis repensa. Scinditur Padus paululum infra Ficariolum, firqueibi oblonga insula ac latè patẽs, in qua sita est Ferraria, in hoc fluminis diuortio placuit Venetis ducibus præsidium excitari, datumq; est id negocium Antonio Martiano uiro impigro, qui locũ irrequieto opere, ac prius quàm res ab hoste animaduersa esset, ualidè muniret. Transijt huc Martianus cum magna agrestium manu, duabusque peditum cohortibus. Plures hoc loco per diem operati, estq; effecta imago quædam præsidij: nulli dubium fuit quin si locus fuisset à Venetis retentus, magnum hostibus incommodum fuerat

Bellum Ferrariense.

Padus.

Padi descriptio.

Venetis ibi successus.

fuerat allaturus, sed quo maius ex ea re periculum intendebatur, hoc celerius ad id præsidium opprimendum est ex Ferraria ab Hercule occursum. Traiecerant sub noctem plurimi peditum in aduersam ripam. Martianus ad subitum hostium impetum, etsi multò infirmior factus suo decessu, tutatus est tamen nonnihil locum, sed longè impar uiribus, hostium armis penè obrutus capitur: capti sunt & alij multi, multi etiam interfecti, pauci propinquarum nauium occursu ægrè seruati sunt. Cæterũm dum Seuerinas Ficariolo assidet, Seuerinatium iuuenum, Marcelliq́ue legati ductu Rodigium, Lendenaria, Abbaria, & quicquid Hercules intra Padũ & Athesim tenebat, partim uoluntaria deditione, partim ui Venetis cessit armis. Ficariolum postremò expugnatum est ad tertium Calend. Iulias. Incidit adhæc grauis æstas, sed autumnus qui secutus est, adhuc grauior ac pestilens. Pars ingens terrestrium naualiumque copiarum grauitate cœli affecta, inutilis bello facta est graui morbo implicita, ad uiginti milia hominum terra & aquis æstate illa consumpta dicuntur, alij alio casu, sed multò plures letifero morbo confecti. defuncti sunt uita, Damianus Maurus classis præfectus, & Antonius Lauretanus legatus, Seuerinas grauí est morbo conflictatus. & hæc circa Padum. Infestauerat interea diuersa parte aliquandiu res Herculis, Robertus Ariminẽsis subitis expeditionibus, sed is media ferè ęstate, qua hæc sunt circa Ferrariam gesta, patrũ decreto Romam profectus est, ad Sixtum pontificẽ obsidione leuandum. Enimuero Ferdinandus rex, Hidruntino defuncto bello, confestim se totũ in Ferrariense conuertit, ut generum auxilijs iuuaret. Oppugnauit ille totis uiribus Hidruntum à Turcis occupatũ, in quo recipiendo prosperè illi cesit, quòd Mahometes Turcorum imperator inter initia belli Italici diem obijt. Ferdinandus tametsi domestico bello fatigatus, multum enim diuq́; laboratum est, priusquam Barbari, qui locum insederant, terra & aquis intercluſi ad deditionem compulsi sint, ut Venetorum conatibus sese obijceret, primum omniũ statuit Sixtum põtificem à Venetis alienare, id quia amicè nõ potuit, per Columnẽses & Sabellos, quorum opes Romæ foriśq; latè pollebant, bellum intendit. Descendit Alphonsus inde Ferdinãdi filius, per Marsos & Equos in Romanum agrum, cũ delecto potius quàm numeroso equitatu. Erãt & Sixto copiæ satis ualidæ, quæ urbi præsidebant, ne quis in ea motus per homines diuersarum partiũ eximprouiso oriretur: quam Aragonius dux occasionem amplexus, aliquot pontifici loca Romæ circumiecta paucis diebus adimit, erat interea tam infestus urbi, ut res non multum à legitima obsidione distaret, quum Robertus Malatesta Venetarum copiarũ dux auxilio affuit. Cæterùm ne Ferdinandus dũ bellum foris aleret, securus ipse domestico ocio fueretur, ualidá Veneti classem ab initio decretá, si quid inde moueretur, in regem ornant, quæ Victoris Superantij ductu Apuliæ & Calabriæ oram hostiliter infestaret. Alphonsus post Malatestæ accessum, suis diffusus uiribus, relicta urbe in Veliterno agro fecit castra, Robertus cũ his copijs, quæ nuper urbi præsidio fuerãt, euestigiò hostem insequitur. Est locus in Veliterno, Campum mortuum uocãt, hic aduersi duces fortiter confligunt, quatuor & amplius horis est dubio marte dimicatum, eratque Aragonius dux, ut animo & ferocia par, ita bellatorum numero inferior, sterit fortuna unde uirtus & uires. Vicit Robertus egregiè, parsq; multò maxima hostium, aut capta est, aut cæsa. Calaber dux ubi fortunam inclinare uidit, multum diuque conatus est hortatu & præsentia sua pugnam restituere, nec prius cessit, quàm rem eò deductam uidit, ut fisti non posset amplius. Tum uerò dolens gemenśque penè solus celeri fuga in pacatum abijt. Rarò aliàs in Italia maiore animorum constantia pertinaciaque, duæ aduersæ acies conflixere, id tetra cædes, quę ibi loci édita est, ac captiuorum numerus declarauit, nullus ferè fuit clari nominis in Aragonio exercitu, qui nõ uenerit in hostium potestatem, præter Alphonsum, qui re, ut diximus, perdita ac profligata, cũ uno aut altero suorũ fuga seruatus est. Hieronymus Riarius Sixti põtificis perneccssarius, qui paribus auspicijs cum Roberto copijs imperabat, Romam rediens, longum captiuorum ordinem prę se egit triũphanti similis. Robertus penes quem meritò fuit omne quæsitæ uictoriæ decus, paucis diebus, quibus tam prosperè in hostem dimicauit, uita decesit, uel in eo felix, quòd tum potissimum mortem obijt, quũ eius uirtus in omnium ore fuit, maiusque sui reliquit desiderium, quàm postea relicturus fuerit, si aut fama tempore consenuisset, ut fit, aut parta gloria in inuidiam uertisset. Scio fuisse multis persuasum eum ueneno perijsse, sed notior fama est, Veliterna acie, qui labor fuit illi omnium humanorum operum ultimus, nimio labore æstuasse, fessumque in febrem incurrisse, uique gtassantis morbi breui consumptum: eius sepulchrũ Romæ uisitur, in quo hæc sunt, Veni, uidi, uici, lauream pontifici retuli, mors secundis rebus inuidit. Obijt eo die quo & Federicus Vrbinas, omnium ducum, qui noſtra tẽpestate fuerunt, consilio & prudentia præstantissimus. Is quum in Stellatinis castris ægrotare cœpisset, Ferrariam delatus, iam grandis natu moritur. Et res alibi sic habebant. Interea Petrus Rubrius Parmensis, qui in belli partes uenerat, ex proximo Sfortianas opes infestabat, cæterùm hoste uiribus prægrauante, Rubriani intra suos fines compulsi constanter bellum trahere. Moritur tamen medio ardore belli Petrus Veneti nominis amicissimus. Excipit id uelut hæreditarium Guido eius filius uir fortis, qui etsi Venetis exclusus auxilijs ob locorũ distantiam, multum tamen diuque restitit domesticis opibus nixus: & hæc ferè æstate illa, qua cum Hercule bellari cœptum est. Verterat iam se annus in autumnum, quum Victor Superantius, maritimæ classis prefectus, Padum ingressus, Argenteam usque processit: nondum enim mouerat in Ferdinandum. Causa huc subeundi Superantio fuit, ut eum locum totis uiribus oppugnaret, cœperat miles in terram egressus fluminis ripam cõmunire aduersus omnem hostium incursum, quum Sigismũdus Estensis, Nicolaus Corregianus, & Hugo Seuerinas, atque alij quidam clari nominis duces, cũ tribus milibus hominũ penè improuisi affuerunt. Cõseritur statim pugna, fuit prior congressus Veneto perdifficilis, inde æquato certamine dimicabatur utrinque ferociter, quum trecenti Peloponnesiaci equites, paululum circũuecti, ex transuerso sese hostibus ostendunt. Tũ Estenses uelut in insidias prolapsi, remisso prælio, fugam capessunt: multi præcipitante metu in fluuiũ deiecti ui aquarum periere, plures in fuga oppressi, alij aut cæli aut capti sunt: Sigismundus uelocissimo usus equo, qua illi proximum fuit, Argenteam perijt. Hugonem Seuerinatẽ cum septuaginta ferè armorum ductoribus captum Superantius Venetias misit, & cum his galearũ numerum ingentem, quæ in argumentum quæsitæ uictoriæ sunt in publico propositæ. Suorum successu incensus Seuerinas, ut & ipse pulchrum aliquod facinus ederet, præsidio ad Ficariolum relicto ad Obscurũ lacum ex improuiso copias in aduersam fluminis ripam traiecit, deiectisque metu hostibus ex proximo præsidio, ipse locũ munit irrequieto opere, Padumque iungit ponte ex nauium contextu. & res per hęc eò uenerat, ut non Padus, non munitiones ullæ obstarent amplius, quò minus Ferraria terra & aquis fatigaretur. Circumuagari Veneta arma,

Mense intempriem anni.

Robertus Malatesta moritur.

Federici Vrbinatis exitus.

Campus mortuus.

Alphonsus dux Padio superatur.

omniaq; prædæ & populationis cõplere ante oculos ciuitatis, eratq; omnium opinione iam deploratus Herculis principatus, quum subita Sixti pontificis defectio, Venetum non solum spe uictoriæ depulit, sed in discrimen etiam belli maximum adduxit. Quæ causa Sixti animum mutauerit difficilè dictu est, tentauit, quod satis constat, suasu & hortatione arma ex Venetorum manibus extorquere: id uerò quia tenere non potuit, interdicto Veneto nomen petijt, perseueratum est tamen in bello, etsi tota Italia ex confesso stabat pro Hercule. Nec ita multò pòst Alphõsus põtifice iam in belli partes adducto, cum duobus milibus armatorũ à patre est Ferrariam missus. Ille maius bellum moliturus, copijs quas duxerat ad urbis præsidium relictis, Mãtuam primò, inde Mediolanum proficiscitur, concilioq; ad Casale maius indicto, frequenti sociorum conuentu, tenuit ut bellum in Venetos cõmuni nomine decerneretur. Imperium copiarum omnium Federico Gonzagæ defertur. Veneti nihil horum quę apud hostes fiebant ignari, reputantes animo quanta belli moles sub uernum tempus, nã hæc per hyemem parabantur, sibi subeunda esset, Renatum Lothoringiæ ducem ingenti stipẽdio ex Gallia accersunt. Fuit is ex filia eius Renati nepos, quẽ Alphonsus maior Neapolitano deiecit regno. Transijt Gallus in Italiam cum ducentis equitibus, & mille peditum, & iam uernum erat anni tempus, quum Robertus Seuerinas publico decreto iussus est cũ parte copiarum circa Abduam sese primis hostium conatibus opponere, qui tametsi nihil ad id tẽpus mouerant, ea potissimum parte bellũ illaturi uidebantur. Ad eorum igitur motus inhibendos mãdatum est Seuerinati, ut si cum reipublicæ cõmodo queat Abduam traijciat, Mediolanum copias admoueat, ubi satis constabat domestica discordia grauiter laborari, hinc Lodouico Sfortia, Galeacij inde coniuge, summam ad se rei trahentibus. Apparebat itaq; posse fieri, ut per homines suæ factionis, Robertus aliquem Mediolani motũ excitaret, si proximè adequitasset. Seuerinate in prouinciam abeunte, Gallus dux ad Ferrariæ obsidionem mittitur, fuit huius accessus magis hostibus terribilis quàm Veneto utilis, ob militarẽ seditionẽ quæ secuta est. Sępiꝰ inter Gallos & Italos est armis dimicatum. Seuerinas Abdua ponte superato, in aduersa ripa fecit castra, abstinuit tamen omnem uim belli, pacato similis neminem lacessere, nec ea ducis modestia leniuit inuidiam, quæ ex eo motu conflata est, quin uelut ad bellicum classicũ Lodouicus Sfortia concitus, à Rubrijs Parmensibus, quos tum armis persequebatur in Venetos conuersus, in Cremonensem agrum transgreditur, cum Alphonso confert castra, mox amnem transgressi Bergomatium fines irrumpunt, hic uno duobusue locis ex Veneto captis in Brixienses castra transferunt. Ollio superato breui quicquid agrestium locorum est inter Mellã fluuium, & nouos Vrceos armis subigunt. Seuerinas ubi tam fœdam armorum tempestatem uidit in Venetos uersam, quia longè impar erat hostibus, centum enim & amplius equitum turmę illis aderant, maioraq; auxilia à socijs expectabantur, cum ijs quas à principio habuit copias, cæteroq; equitatu recepto, qui ex Ferrariẽsi publico decreto in Bergomatem agrum uenerat, ad primos hostium motus nunc à fronte, nunc à lateribus, ex occasione occursans, omnia reddere illis infesta. Post uarios itaque armorum conatus, quum Alphonsus ad Balneolum in Brixiensi feciſſet castra, Venetus exercitus ad Regianum consedit, quinque milibus passuum à Brixia: & hæc ferè gesta sunt æstate illa, quæ secunda fuit Ferrariensis belli. Erat iam autumni tẽpus, quũ Gallus dux nunciata Lodouici regis morte, & quòd tutor regni esset testaméto relictus trãs

Sixti põtificis defectio.

Attẽde molem belli.

A Alpes abijt, parte multò maxima Gallorum, aut grauitate cœli extincta, aut morbo grauiter implicita, circa Ferrariam nihil est æstate illa memorabile gestum. In mari Federicus Aragonius, Alphonsi frater, cum quinquaginta triremiũ classe, sub uernum tempus Anconitanum insedit portum, attulitq; subitus hostium accessus ingentem Venetis curam. Nulli dubium erat quin si in ea statione hostis esse perseueraret, futurum ut omnia urbi fierẽt infestiora. Ille siue metu Venetæ classis, quę in ora Delmatiæ erat, siue aliud consilium secutus, triduo quàm eò uenerat, sublatis uelis in altum abijt. Cæterùm ne non aliquid interim egisse uideretur, Lyssam insulam in Delmatico tractu, subitò adortus ferro & igni penè desolatam reddidit. Ex Lyssa in Corcyram nigram transmisit, estq; multa ui insula oppugnata, sed fortius defensa, præcipuaq; Georgij Viarij opera, qui tum urbi & insulæ præsidebat. Perierũt in ea oppugnatione quingenti fermè uiri ex Aragonia classe. Hyeme quæ secuta est multi uarijq; extiterunt utrinque bellorum motus, multæ clades citrò ultroq; illatæ & acceptæ, sed leues & ob eã rem minimè memorabiles. Processit ex Balneolo Aragonius dux ad Calcinatum, apparabatq; futurum ut inde Lunatum iret, cæterùm ne nudi omni præsidio Lunatenses ad iniuriam patẽrent, Marcus Antonius Maurocenus legatus, ex castris eò se contulit, tuendi oppidi causa, locumq; fossa & uallo studio muniuit. Nec ita multò pòst hostis ex Calcinato profectus, in Veronensem agrum irruit. Hic Gonziagus princeps, quia post longam consultationem tenere non potuit, ut Lunatum & Pischeria oppugnarentur, Alphonso & socijs iratus, Mantuam consedit. Sub id tempus quo castra hostium ex Calcinato mota sunt, aut certè non multò prius Stellata locus Pado impositus, ut suprà est significatũ, Venetis armis maxima est ex parte captꝰ. Cæterùm Herculis superuentu Veneti inde cũ cæde multa depulsi sunt, & ad flumen præcipites acti. Thomas Imulanus expeditionis huius caput, cum plerisque eorum cum eo erant, uenit in hostium potestatem. Diuersa parte Veneti qui ad Obscurum la cum stationem habebant, ut hostem ab eorum sensu auerterẽt, quæ apud Stellatinos fiebant, ex compositio Ferrariam usque tumultuose euecti, incendium atrox excitant in suburbanis tectis. Ioannes Hemus legatus, audita Stellatinæ arcis expugnatione, dum suis subsidio ire festinat, ex peruicaci equo uiolenter ad terram prouolutus, paucis diebus quibus est ita afflictus, interijt. Iacobus Medius Hemo succesſit, grauitate cœli offensus, ipse quoq; nõ multò pòst moritur. Alphonsus Villa Franca in Veronensi potitus ad Athesim prædabundus processit, infestabat excursionibus Veronensem agrum, quum Seuerinas ad Vallegium loco edito cosedit, in hostium conspectu, cum parte una copiarum, secutus est mox paulò Maurocenus cum cætero exercitu. Augustinus Barbadicus eius collega morbo affectus ex his castris domum abiuerat. Tentauit Calaber an hostis ad pugnam elici posset, uerùm quia nihil inde mouebatur, subito in Brixianos recursu paucis diebus Asula potitus est. Dum hæc foris geruntur, Venetijs ducaria sedes fortuito igni noctu deflagrauit, Asula Venetis adẽpta, Aragonius dux Herculis sororij sui precibus fatigatus, præmissis qui secundo Pado Ostiliam ueherentur, ipse cũ expeditissimo equitatu ad Venetas opes circa Padũ infringendas pergit. Habebat tum Seuerinas castra ad Calcinatum in Brixiẽses reuersus: qui quum indicio comperisset de subito hostium discessu, suspicatus quòd erat cum expeditissima bellatorum manu per Veronam, fecũdóq; Athesi, in Ferrariẽses aduolat, uix satis properatum foret, nisi austro flante, qui Pado uehebantur segnius affuissent uẽto retardati.

Aragonie dux ſis conatus.

Caldri dux proceſſus.

Attende celeritatem in Seuerinate.

dati. Accidit igitur ut uno tempore, & Calaber circa Castrum nouum sit conspectus, & ex altera parte clamore significatum sit Seuerinatem cum auxilijs adesse, cuius inopinato accessu perculsus Aragonius dux, Quid hoc est inquit, habuitne alas hic capularis senex? aut cur debui aut potui celeritate uinci? tum se suorumq; moram incusans Ostiliam reuertitur. In Bergomatibus interea & Brixianis res haud quidem in ocio fuere, funtq; loca aliquot ab hostibus capta, & à Veneto recepta, & iã hyems appetebat, quum in hyberna concessum est. Quo tempore uenit Seuerinas ad Principem & Patres, acceptusq; est multa officiorum frequentia, multaq; comitate, ob solertem ab eo operam in bello nauatã. Superuenerunt & Rubrij Parmenses, principatu eiecti, qui & ipsi sunt perhumanè culti. Reddebat eos uulgò cõmendatiores recens fortunæ casus, q, socij fidelissimi fortissimiq; domo, patria, principatu spoliati essent. Decretum est Guidoni & fratribus perpetuũ ex publico stipendium, Sacerdotia ampla filijs, qui sacris initiandi essent. Fuerunt Hyberna illa etsi parum pacata, nulla tamen memorabili re insignia. Iniecta erat spes interea conficiũdæ pacis: eaque res fecit, ut aliquanto tardius Venetus exercitus in apertum processerit. In Pado interim turma una naualis, quum insolenter tumultuaretur, pauciq; eius seditionis autores supplicio coerciti essent, ad hostes defecit, omnes nominatim proscripti, ut si quãdo eorum aliquis in potestatem redactus esset, more maiorũ capite puniretur. Sed quum hæc fiunt circa Padum, in mari Veneta classis Marcelli ductu Galliopolim oppugnat, in Calabriæ ora: fuit id certamen atrox & utrisque laboriosum: cæterùm dum Marcellus classis præfectus ex prætoria naui pugnam fortiter ciet, hortaturq; remiges & socios nauales, ut intrepidè muros scandant, inchoatamq; uictoriam strenuè exequantur, B tormento ictus concidit. Verũ tantus fuit pugnantium ardor, ut prius sit oppidum captum, quàm remiges & socij nauales sciuerint se sine imperatore pugnare. Galliopolitanis uenia data est, temperatum à cæde & omni ui bellica. Locum Venetus celeri opere firmat, sedem belli constituit ad Ferdinãdi regis opes infestandas. Post Galliopolim Venetus Neritum occupat in Salentinis, & quædam alia loca parum clari nominis, & pòst paulò Racalisca. Concidit Ferdinandi animus, ubi recepta uidit suis finibus Veneta arma, mox alia atque alia appetendo pluſquã sibi tutum esset inualescere: nec iam inde destitit, priusquã id incẽdium latius serperet, de pace cogitare, quæ nõ multò pòst secuta est. Enimuero Aragonius dux cum centum uiginti turmis equitum, pòst Seuerinatem in apertum egressus ad Balneolum, ubi superiore anno fecit castra: Seuerinas cui tres circiter & nonaginta aderant equitum turmæ peditumq; ingens numerus, ad Zenonem medius inter Brixiam consedit & hostiũ castra: atq; hic demum de pace actum, de qua quum adhuc ageretur, Venetus circa Ferrariam parum prosperè dimicauit, quadringenti circiter capti sunt, multi etiã interfecti. Eratq; iam pax ad exitum propemodum producta, quũ ex Verona Brixiam contuli me, Veneta castra uisurus: erant tunc in his legati, Nicolaus Pisaurius, & Lucas Pisanus, à quibus perhumanè acceptus, quum per ocium omnia lustrassem, facta est mihi copia ex illorũ autoritate, ad hostes sub publica fide penetrandi. Hic quum ad Alphonsi tabernaculum peruenissem, obseruata sunt mihi principum ferè omnium & populorum Italię signa, ante uestibulũ fixa, quæ res demonstrare uisa est, quãtam belli molẽ Veneti iam biennio & amplius pertulissent. Nec ita multò pòst pax sancita est, anno humanæ Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo tertio. In pace sancienda hæc sunt cõditionibus ascripta, ut Venetus Galliopolim & oppida in Calabria bello capta Ferdinando restitueret, ut præsidia ex circumpadanis locis educeret, & quæ Ferrariensi bello occupasset, ipsi Rhodigianam, Polesinum haberent, Asulam & quicquid in Brixiano agro aut Bergomati hostis cepisset, reciperent. Fuit ea pax ut Veneto honesta, ita uniuersæ ciuitati pergrata. Celebrati sunt ludi haud multò pòst magnificentissimo apparatu, magnoque mortaliũ conuentu, in argumentũ publicæ lætitię, quos Hercules Estensis nuper hostis, & Iulius Camertium comes, principi & patribus assidentes spectarunt. Affuit & Leo Lodouici Sfortiæ filius. Seuerinas senex tã celebri spectaculo interesse noluit, quum præsidere potuisset.

Galliopolis capitur.

ENNEADIS X. LIBER VIII.

EST SIXTO põtifice Italia uariis bellorum motibus, alijs super alios concussa, in Hetruria primò bellatum est, dein circa Hidruntem cum Turcis secutum Ferrariẽse bellum, quo in Cisalpina Gallia & in Veneris & circa urbem Romam, totis Italiæ uiribus est certatum. Sixtus sub ipsum Ferrariẽsis belli exitum uita decesſit, anno quàm fedre cœperat tertio decimo. Sed dum per hunc modum in Italia laboratum est, ageretq; adhuc Sixtus in humanis, res externarum gentium parũ quieuere. Nam Mahomete Turcorũ rege mortuo, quod inter ipsa Ferrariensis belli initia contigit, anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo primo, qui decimus fuit Sixti pontificis, Byzantij confestim tumultuatum est, hostiliterq; inter duces dimicatum, parte una militum ad Baiazetem trahente summam imperij, ad Zizimum altera, minorem natu fratrem. Zizimus gentili lingua amor dicitur, Baiazetes fulgur, nisi Baiazetus potius sit scribendum, quòd plures faciũt, ut sit diuersum à Paiazete nomẽ, ambo tum procul aberant, Zizimus Lycaoniam obtinebat, agebatq; Iconij Baiazetus, ut plurium opinioni ambiguæ uocis usu accedamus, in ora Põtici maris, circa Paphlagoniam, unde fuit illi Byzantium facilior recursus. Post patris interitum Achinarus unꝰ ex fortissimis ducum, is ille qui Hidruntem occupauit in Italia, firmauitq; præsidio, Zizimica factione ui pressa, & Baiazeto adhuc absente astruxit imperium: fuitq; autor ut tãtisper, dum pater abesset, eius filius summæ rei præficeretur. Nec ita multò pòst Baiazetes Byzãtiũ uenit, qui de domestica seditione certior factus celeri cursu cum classe affuit, ui & armis imperium uindicaturus. Pari festinatione Zizimus ex Lycaonia iter accelerauit, sed uiarum dispendio præuẽtus Prusiam in Bythinia occupat, mox inde eiectus modico comitatu in Syriam trãsijt, fuitq; nonnihil Hierosolymis sacrorũ causa. Hinc profectus per deserta Arabię Memphim se contulit, sic enim ut uerius, ita libentius nominabo urbem, quam uulgo Cairũ dicunt, quidam uocem, credo, ipsam secuti Carras appellare maluerunt: sed Carræ, nisi multum opinione fallor, procul inde distant. Huc fuga delatus Zizimus, postea quàm eius aduentus appropinquare dictus est, Mẽphiticus rex primores gentes misit illi obuiam, ab his comiter acceptus, ductusq; ad regis præsentiam (Sultani uox uulgatior est) ita illum Zizimus affatus dicitur: Nisi certo scirem regum fortissime, te non ignorare quis sim, & quo patre genitus, qua iniuria pulsus, per tam longa terrarum spacia huc uenerim, aliunde sumendũ fuisset mihi principium dicendi, longioró; oratio adhibenda, ut tuũ mihi fauorem cõciliarem. Verùm quia hæc omnia

Zizimus. Baiazetes.

Regiæ domus discordia.

Zizimi oratio.

abundè sunt tibi nota, id enim uel ex eo intelligo, A quòd multò maiore officiorum frequẽtia sum abs te rex clemẽtissime acceptus, quàm ego in tam aduersa fortuna optare essem ausus, ne dicam poscere, supereſt ut de Baiazeti sæuissimi hostis, ueri⁹ quàm fratris iniuria apud te querar. Etenim non contẽtus ille paternum imperium per tumultum & cædẽ occupasse, me regia urbe exclusum, & in Bythinia agẽtem, non illius regno, non hominum ulli infestum, bello & armis insectatus, paterni regni finibus expulit, nec illum tam imperij libido, quę patri, dum uixit, semper fuit suspecta, quàm dira quędam in suos omnes sæuitia odiumq; in fratrem, ad tam crudele impulit facinus, nam qui compos imperij sit, priuatumque & iniuriæ obnoxium hostiliter petit, non hic imperium sitit, sed cruorem: non debellare uult, sed ad mortem compellit. Nec quia post patris interitum sit Byzantij tumultuatum, sircq; inter factiones ferro dimicatum, meo uideri potest consilio id factum, quum procul tunc patria abessem, nec quia Byzantium iter intendi post patris interitum, dari queat mihi fraudi, præsertim quum à multis & bonis eò accerſerer, fuit ipsius fortuna superior, cesſi, ac ne meus ad regiam urbem accessus noui alicuius motus materia esse posset, in Bythiniã deflexi, Prusiam petij, ibi demum quieturus, si per fratrem licuisset: uerùm tantum abfuit, ut per eum quies ulla contigerit, ut hostiliter petitus, nisi matura fuga me periculo subtraxissem, excesſissemque prorsus paterni regni finibus, dandus erat ei sanguis hauriendus. Nec ille metu, sed odio tam mihi infestus est, tã crudeliter huic capiti insultat, nã quod in me timere posſit, nihil sanè est, illius Byzãtium imperij caput, illius ducum & militũ studia, illius pecuniæ, & omnis regia gaza, fratrem igitur odit, non timet, unus uult in uacua aula imperitare, unus Othomanici generis omnia habere, unus omnium supereſſe. Ma- B gnus fuit Xerxes, in ampliſsimo tamẽ regno fratres nõ solum incolumes prestitit, sed in summo etiã honore habuit. Quid Alexãder? cui frater nõ tãtũ periculo⁹ fuit, sed nobiliſsimę etiã expeditionis comes. Quid alij plures, quum externi, tum nostræ familiæ reges, qui multò tutius rectiusque imperitarunt, amantiſsimorum fratrum consilio ac præsidio sulti, quàm alieno? sed Baiazetes uim & superbiam maiora firmioraq; præsidia putat, his magis natura illa gaudet, quàm iure & æquitate, fratrem mauult hostem habere quàm comitem, magis exilijs agitare, quàm consilijs adhibere. Sed tu rex inclyte, nostræ legis cultor ac custos optime, per Mahometi sacraria rogatus, quæ Hieroſolymis & Lamechæ obtines, ne patiaris regiam stirpẽ procul domo, patria, regno, extorrem & inopem iacere, fraternæ crudelitati ludibrio esse, quin prophetæ summi legem ueritus, affligtum & iacentem erige, domesticam iniuriam inhibe, autoritate, quæ in te summa est, aut si id minus procedit, armis uindica, nec patiaris imperium tanta indole quæsitum, unius uel sæuitia uel dementia labefactari, quod non magis nobis triste & luctuosum sit, quàm maiestati tuæ & cęteris nostræ fidei regibus periculosum. Etenim quàm infensi sint Turcorum rebus Christiani duces, per te satis intelligis, an putas si grauius aliquod bellũ ex hac (quod nolim) discordia exarserit, illos quieturos, aut ocioſe id certamen spectaturos, dum sua sponte remittat, an hãc potius grassandi causam adepti, totis uiribus incumbent, ut regnum domestico malo conuulsum, subita ui inuadant, distrahant, funditus euertant? quòd si inimica gens fiat eiusmodi uoti compos, quàm Mahometes cladẽ in eos prius auertat, horret animus dicere, quò sit clades illã euasura. Enimuero Othomanico nomine sublato, præter maiestatem tuam, quæ Christianis opibus opponi posset, nostræ erit gentis nemo. Erit itaque pro se illi & tota gente laborandum, sustinendaque ab uno omnis Christianorum potentia, multo labore & dispẽdio bellandũ, incerto tamẽ euentu. Quare quum res integra adhuc est, remedia que adhiberi possunt, te iterum atque iterum rogo rex inuictiſsime, ut nostram fortunam miseratus, per oratores ad id missos cum Baiazete agas, ut si in sortem imperij nolit, in partem aliquã recipiat paterni regni, regnet, imperet, omnia uni pareant, liceat mihi misero alicubi quieſcere, tantum posſidere ut satis sit ad priuatam uitam honestè agendam: quod si ille facturũ se negat, ut non diuina non humana iura uereatur, querar ego quod Hieroſolymis feci, & mox Lamechę, si per maiestatem tuam liceat illucire, fratris iniuriam apud prophetam summũ, inde tuam experiar uoluntatem rex fortiſsime, proderũt spero hæc. Verùm si (quod nolim) fruſtra fuero expertus, quando ultima desperatio cogit homines omnia audere, ibo ego per æqua & iniqua, ferro, flamma, cæde, occulta & aperta ui, quibuscunque auxilijs, quocũque uindice, inuisum fratrem inuisus inquietabo, nec prius desinam diuina & humana miscere, quàm aut in parte regni recipiar, aut illa quæ in perditis sunt & desperatis, cum ipsa uita relinquã, quũ multò satius sit celeriter extingui, quàm per dedecus & ignominiam uitam trahere. Rexiu- *Peroratio.*
uenem familiariter hortatur, ut bono sit animo, & ut præsentem casum fortiter ferat, oportere eos qui in ampliſsima fortuna nati sunt, nõ frangi in aduersis, nec si quæ præter opinionem accidant, sese abijcere & prosternere, in quo meritò Zizimus laudaretur, qui nihilo minores spiritus tum demum aleret quàm incolumi fortuna feciſſet. Iret & eam spẽ secum ferret, ut quantum autoritate apud Baiazetem ualeret, enixè daret operam, ut cum eo in gratiam rediret, reciperet que in partem regni. Hæc ille pollicitus cõfestim ad Baiazetem miſit, qui regem ad pacem hortaretur. Zizimus interea Lamecham profectus, Mahometis sepulchrum inuiſit, nec pax inde ulla secuta est. Meditari proinde bellum Zizimus ad regẽ reuersus, maiore animo, quàm spe imperij per uim recuperandi, nec propterea diffidere, fieri posse, ut noua ducum defectioue, cuius rei per amicos occultè spes fieret, fratris potentiam infringeret. Hæc ille agitabat animo, quum Ciliciæ regis literis nuncijsque est accersitus ad bellum Baiazeti communi nomine inferendũ. Repetebat Cilix paternum regnum armis, ex Mesopotamia minorem Asiã inuasur⁹, uter alteri fuerit maiori fiduciæ ad id facinus capeſſendum nõ facilè dixerim, quũ ambo longè impares hosti essent. Transijt itaq; Zizimus ex Ægypto in Asiam, ac cum Caramano locutus, nã quis tunc alius rex fuerit circa Ciliciam non uideo. In Isthmo minoris Asiæ primò congressi sunt, ac de summa rei inter se locuti: apertè itaq; bellum comparant, etsi multò uiribus inferiores. Nec Baiaze- *Infert bellũ fratri Zizimus.*
tes in tanto rerum discrimine desedit, qui non tam fratrem horrebat, quàm ducum defectionẽ: magna itaq; auri profusione, quũ militiæ præfectos, tũ populorum principes in officio tenuit. Achinatũ uirũ fortiſsimũ, per quem Baiazeti absenti imperiũ (ut dixi) est quæsitum, primo hostium conatui oppoſuit. Nec ita multò pòst ipse cũ maioribus copijs ad bellum egreditur, ut ad ducenta armatorum milia sub signis essent, & iam nõ procul à Zizimo aberat, quẽ alsimulato pacis studio capere ab initio conatus est, nuncijs ac literis citrò ultroq; missis & acceptis. Hæc palàm. Occultè circa Iconium & Larãda, quibus locis Zizimus cũ socij regis exercitu castra fecerat, omnis locorum aditus occupari iubet, ut nec ad fugam quidẽ patẽret uia, nam nulli dubium erat quin prælio abstinerent suis uiribus diffiſi. Sẽsit tãdem ille quid in se pararetur, sensit & amicus rex, ac priusquã omnia circa se loca insideretur, Tauri iuga petierunt,

petierunt, quorum obiectu Syriam à se excludit Ci- A licia. Hic Zizimus rerum desperatione adactus socium regem & hospitem hortatus, ut tempori cederet, seq; ad meliora seruaret, in maritima Ciliciæ descendit, expeditiſsimum nauigium mercede adeptus parari iubet, ac præsto sibi esse, ut si qua uis ex improuiſo adorta esset, confestim in altum abiret. Mittit interim Rhodum, qui sacræ militiæ magistro significaret statuisse se sub publica fide, in insulam ad Christianos transire, quando fraterna iniuria pressus nullus apud suos locus supereſſet sibi amplius. Id non modò non negatum est, sed quia Christianæ rei tanti principis transfugium utile uideri, confestim classis in Ciliciam mittitur, quæ illum ex infesto littore in altum ueheret. Nondum *Zizimi fuga.*
Rhodiæ naues eò uenerant, quum Zizimus subito hostium accesſu compulsus, naui quam paratam habuit, subitò conscensa, imminenti se periculo sub- *Zizimi epiſtola.*
traxit. Inde ubi paululum à littore progressus est, literas ad fratrem dedit, sagittæ alligatas, quæ arcu uiolẽter excussa, in proximum emiſſa est littus. Fuerunt literę quas ille ad fratrem dedit hoc argumento scriptæ, ut diceret Zizimus se non fidei, non gentis odio, sed fratris iniuria subactum ad Christiani nominis uiros fugam intẽdere, hos aditurum, qui omnium maximè Othomanico essent nomini infensi, unam spem in tantis malis secum ferre, uel ut ipse iniuriæ autor, uel eius filij quandoque præsentis aduersus se impietatis debitas exoluerent pœnas. Fertur Baiazetes ea epiſtola cõmotus lachrymis temperare nequiuiſſe, animoq; consternato tabernaculum ingreſſus aliquandiu tacitus sediſſe amenti similis. Zizimus à Rhodijs exceptus in insulam defertur, quem uenientem militiæ Magiſter magna officiorum frequentia excepit. Postridie q̃ B uenerat Zizimus ita est Rhodiæ militiæ magistrũ allocutus, ut reddita domesticæ discordiæ causa, di- xerit se iccirco conatum post patris interitum ad se imperium trahere, etsi fratre minor esset natu, quia ille ex patre nondum rege procreatus esset, ipse uerò non solùm ex patre rege, sed iam & Græciæ imperium adepto, fuiſse tamen sic quoq; cessurum se fratri, si in portionem aliquam regni fuiſset ab eo receptus. Cæterùm eo consilio Rhodum ueniſse, ut per ipsum Rhodiorum principem, cuius fides & summa uirtus in multorum ore esset, Romano põtifici & cęteris Christiani nominis ducibus insinuatus, in paternum regnum illorum auxilijs restitueretur, futurum affirmans, ut si aliquando restitui cõtigisset, omni tempore principum Christiani nominis amicitiã coleret, perſanctęq; seruaret, omniaq; illis de se & suo imperio polliceretur. Hæc ille, aut non multum his diuersa. Sed quod ad insulam attinet, uidetur mihi Zizimus decreto Rhodum petijſſe, delegiſſeq; sibi sedem exilij, ut se in proximo sedente quandocunq; occasio oblata esset, audacius ad res nouas consurgerent amicorum animi, haberetq; eo metu fratrem semper sollicitum, quo ut aliquando solueretur, sua sponte ad pacem inclinaret. Fuit Zizimus statura procera, ualetudine pro- *Zizimi forma & mores.*
spera, cæruleis oculis, ac paululum obliquis, aquilo colore, naso aduncо, & circa medium prominentiore, obœso uentre, proiectuq; aliquãtulum enormi, compactis alioqui membris: pronus ad iram, in signisq; oculorum inconstantia, quum fluctuaret animus: in fremitu uox caprinæ similis, sedatus alioqui sermo, compoſitus ac rarus, cibi appetentiſsimus, uorare uerius q̃ mãdere, aquã sed saccaro infusam patrio ritu potare, caloris, algoris & inediæ impatiẽs, mergere se marinis fluctibus natãdi studio, nudare sine rubore corpus multis etiã spectantib. nec uno esse loco poterat, adeò ut in subdialibus noctu quieſceret, quod ex ipsa curarũ fluctuatione accidiſſe credere est, subtriſtis & cogitabũdus sem- per uideri, nec ullũ lætitiæ signum dare, nisi in Rhodij Magiſtri congressu, patriæ legis obseruantiſsimus, nihil æquè auersabatur ac temulentiã in hominibus sui generis. Gẽtiliũ literarũ adeò peritus, ut historiam conderet: matrẽ habuit ex Regia Dacorum gente, quã cum duobus filijs apud Memphi- *Zizimus Gallis traditur.*
ticum regem reliquit, ex Rhodo in Galliam primò ad regem perductus est, Innocentio dein Pontifici deditus, qui Sixto succeſsit, estq; ea deditio arte & solertia Leonelli Concordienſis Antistitis, apostolici legati, Gallis magis expreſſa quàm impetrata, quum & Baiazetes, per legatos, præter cætera sacratiſsimum Christi sepulchrum cum Hieroſolymis & omni terra quę Sancta dicitur, Christiano se nomini daturum pro Zizimo polliceretur, adijcere & lanceam, quæ Christi regis hauſit latus. Nec id minus impense à Pannoniæ rege petebatur, qui Zizimo sibi dedito indubitatam de Turcis uictoriam polliceri, uicit tamen facundia unius & apostolicæ sedis reuerentia, Pontificiq;, ut dixi, est deditus, qui Romã miſſus aliquot superuixit annos. Perijt Alexandri quinti pontificatu, Carolo octauo, quum in Italiam uenit traditus, ueneno (ut creditur) sublatus, sed de eius exitu alia propior erit relatio, quũ de his, quæ Carolus in Italia gesſit, erit sermo, tunc ordine dicendũ, quis fuerit rerũ status in alijs gentibus, dũ res Turcorum ex Mahometis interitu in hoc fuere motu. Nam & in ora Macedoniæ Ioannes Castriotus, Scanderbechi filius, prędio ad Croiam prosperè cõmiſso, Baiazetis arma ſuis expulit finibus. Pari succeſſu Ioannes Cernouichius subita rebellione adeò Baiazetẽ perculit, ut tributo tantũ imperato passus sit eum obtinere quæ post Mahometis obitũ armis receperat. Sed omniũ prosperrimè rẽ Christianã in Turcos Matthias rex Pannoniæ administraſſet, temporũ opportunitate, niſi domestico fuiſſet bello implicitus. Enimuero Federici Cæsaris exercitus per id tẽpus Pannoniã ingreſsus, regẽ à tã pulchro negocio auertit, sed Federici iniuſſu ea uis Pannonib. illata est (ut fertur) copiarũ duces ob eã causam grauiter increpiti, atq; ignominia notati: est & inferior Mysia à Turcis recepta per idẽ tempus, Stephano, qui olim eius terræ princeps fuit, Pannonũ auxilijs eã uindicante. In Ionia magis tumultuatũ est q̃ bellatũ. Leonardus Theuchius Cephaleniam, & alias olim suæ ditionis insulas, cũ Aragonia claſſe, q̃ Ferdinandus rex illi dederat, tumultuoſius circuiuit, sed motus hic tã irritus quàm breuis fuit. Idẽ rex conatus est Auelonẽ intercipere, ac spe fruſtratus, Chimęrã circa Ceraunia occupauit. Parũ abfuit quin & Veneti coacti sint aliena fraude cũ Turcis bellũ instaurare, Bernardus Rilla archipirata tempestate illa haud ignobilis, Venetis usus signis, Othomanici imperij fines hostiliter infestare, quæ res facilè Barbaros ad ultionẽ cõciuit, hi Venetorũ eã iniuriã rati Idrẽsem agrum ex improuiſo ferro & igni fœdarũt. Est dein bello temperatũ cognita piratarũ fraude. Renatus Gandauię dux ex Ferrariẽsi bello in Galliã reuersus, post Lodouici regis obitũ, maioré belli motũ ostẽdit q̃ sit posteà secutus. Et hæc, pcul Italia. Romæ Sixtus *Sixti pontificis opera.*
põtifex maximus, qui sub exitũ Ferrariẽsis belli obijt (ut suprà est significatũ) inter optimos põtifices meritò reponitur, cærimoniarũ pietatisq; cultor diligẽs. Ædificauit in Vaticano sumptuoſiſsimè, lapideũ pontẽ Tyberi impoſuit, quẽ à suo nomine Sixtũ dixit. Vrbẽ Romã tẽplis, uijs, omniq; ædificiorũ genere excoluit, sed q̃ in hoc felix, tã domesticis seditionibus, ciuilibusq; discordijs obnoxius: nam præter Aragonia arma, quæ circa urbem Ferrariensi bello, cum agrorum populatione, sunt hostiliter uaſtata, ut pontificis copijs Romam compulsis res non procul à legitima obsidione esset, ultimo eius pontificatus anno ciuile bellum est in

urbe conflatũ, direptæ & incensæ Columnensium ædes, Antistes unus ex principibus eius factionis, magna iuuenis indole, fecuri percussus, res horum foris oppugnatæ, atq; ad excidium propemodum perductę. Obijt Sixtus anno quàm federe cœperat tertiodecimo. Fuitq; ab eo qui primus id nomen tulit quartus, à Petro Bariona, à quo pontificia dignitas sumpsit exordium, ducentesimus tertius & uigesimus. Incidit eius obitus in annum Salutis millesimum quadringentesimum quartum & octogesimum. Vixerunt cum eo uiri ingenio & eruditione clari, Ioannes cognomento Capreolus Tholosanus, & Nardo corrupta uoce pro Naricos dictus. Theologica uterq; disciplina insignis & ex Calagu ritani Dominici familia. Picus Mirandulanus, Thomas Anglicus Eremitani nominis, pontificij Cæsa reiq; iuris tempestate illa princeps, Antonius Rosellus Tuscus genere, Benedictus Capra, Barbatius Siculus. Hos secuti Iason Mediolanẽsis, Bartholus Soncinus, Ioannes Campegius, uterq; Bononiensis, Bulgarinus Senensis, sed hi aliquanto iuniores, omnes iurisscientię principes. Pictorum celeberrimi, Messanicus, Andreas Mantenga Mantuanus, Bellini fratres Veneti, quorum Gentilis maior natu publicè est Byzantium missus ad Mahometem Turcorum regem, ut apud illum artis experientiã deponeret, estq; eo nomine equestri dignitate, amplisq; muneribus ab eo donatus. Sunt & alij clarũ nomẽ in pictura adepti, atq; horũ æmuli, qui olim nominabuntur. Musicæ artis uirum omnium, qui unquam fuerunt sine controuersia præstantissimũ plures annos Venetiæ habuerunt, Bernardum cognomento Theutonem, argumento gentis in qua ortus esset, omnia musicæ artis instrumenta scientissimè tractauit, primus in Organis auxit numeros, ut & pedes quo que iuuarent concentum funiculorum attractu, mira in eo artis eruditio, uoxque ad omnes numeros accommodata, numinis prouidentia ad id natus, ut unus esset in quo ars pulcherrima omnes uires experiretur suas. Cæterùm quando non omnia uni data sunt, arguitur in eo inconstantia quædam, ut uerè illud sapientissimè sit dictum, nullum esse magnum ingenium sine mixtura dementiæ. Fuit alioqui insigni pietate, multaq; castimonia, plerique exijs qui illi operam dedere, clarum sunt in ea arte nomen adepti. Cæterùm nullo disciplinarum genere plures claruerunt, quàm in eo quo hæc studia continentur, quæ ab humanitate nomen sibi uendicant, fuitq; huic profectui adiumento, ut credere par est, immẽsa librorum copia, quæ iam plures annos ex Librarijs manauit officinis. Qui in eo genere artis præstantissimi fuerint, suo loco diximus, nunc in plures res uulgata est, ut non solum Italia, sed Germania quoq;, Gallia & Hispania, passim obstrepãt huiusmodi officinis. Rhetores, poëtæ, & oratores clari, ut ordine cẽseantur, floruerũt Sixto põtifice, Delmatici nominis Helius Ceruinus Rachusęus, poëta insignis, & Ioãnes Gotius orator, eius municeps, Marcus Marullus Spalatrensis in Italia: Neapoli Antonius Pontanus poëta egregius Alphonsi iunioris à secretis. Romæ Pomponius Lætus, Domitius Calderinus, Marsus iunior, Antonius Volscus Priuernas, Sulpitius Verulanus: Florẽtiæ Marsilius Ficinus, sed is philosophus uerior quàm poëta aut orator, Landinus Fontius, Angelus Politianus. In Vmbria Maturantius Perusinus, Ioannes Camertinus Antistes, Iulij principis ex sorore nepos, etsi horum plerique in Innocentij tempora, & Alexandri qui Innocentio successit, descendere. Bononiæ Philippus Beroaldus. Mantuæ Baptista Carmelitanus, & Marcus Antonius Algatus. Ferrarię Baptista Guarini filius, Baptista Strocius. Venetijs Hermolaus Barbarus, Hieronymus Donatus, Georgius Valla Placentinus, sed hic potius philosophus quàm poëta aut orator. Patauij Barocius urbis Antistes, Ioannes Auriſpa Arimẽsis, Calphurnius, Leonicum & Creticum philosophiæ studia proposito auerrerunt, sed utrunque rectè faciunt. Claruit omnibonus Leonicenus Vicentiæ extremi Sixti tẽporibus. Mediolani Georgius Alexandrinus, & Philippus Eremitanus, per idem tempus clarum nomen adeptus ob ea quæ scripsit, in quo eloquentiæ defectum, industria pensamus, & hi quidẽ Sixto pontifice aut clarum erant nomẽ adepti, aut clarescere cœperãt. Post Sixtum Innocentius Octauus est pontificatum adeptus Genuensis patria, à cuius creatione Romæ tumultuatum est, ciuilibus q́ discordijs ex residuo proximi pontifi catus odio confestim ad arma recursum. Vrsinorũ ædes, quæ sunt ad Iordanem, ferro & igni uiolatę, & ut tũ multis persuasum est, conniuente põtifice. Sed hæc sub Roberti Seuerinatis Ducis clarissimi ad urbem accessum, quem Innocentius aduersus Ferdinandum regem, cum exercitu ex Cisalpina Gallia exciuit. Causa belli huius ab Aquilanis orta, & principibus quibusdam, qui à Ferdinandi imperio defecerunt, metu (ut fertur) non rerum nouarũ studio alienati, nam Alphonsus Ferdinandi filius, in quo ferox & uiolentum fuit ingenium, quum Ferrariensis belli causa procul abesset domo, absens iactare erat solitus, fore ut domum reuersus res paterni regni non sine multorum clade suo arbitrio componeret. Huiusce modi uoces ad eos delatæ, qui circa regem autoritate pollebant, primaq; obibat munera, & p hos ad principes & regulos quosdam, qui præsentem rerum statum occultè oderãt, adeò perculerunt omnium mẽtes, ut sub Ferrariensis belli exitum maturata sit defectio, Romani pontificis implorant fidem, ad quem iura regni pertinerent. Visa est horum causa pontifici satis digna, quã totis ecclesiæ uiribus tueretur, atq; ea res necessitatem illi imposuit Seuerinatis Romam accersendi. Verginius Vrsinus, recenti iniuria in urbe accepta, Ferdinandi partes secutus, urbem hostiliter infestat, quo tempore Venetijs Ioãnes Mocenicus dux, qui fuit Petri nuper principis frater, uita defunctus est, in eius locum Marcus Barbaricus subrogatur. Circa urbem post Seuerinatis accessum, nonnihil est bellatum, Nomentum ex Vrsinis captum ac direptum, & præfectus urbis qui fuit Sixti ex fratre nepos, uir acri & bellicoso ingenio, cum aliquot equitum turmis regni fines ingressus, tumultuose, nec sine clade hostium, Beneuentum usque penetrauit. Sustinuit interea Pontificis arma circa urbẽ Verginius in Alphonsi usq; aduentum, quià Medio Ianensibus & Florentinis implorata auxilia acceperat. Opposuit se uenienti Seuerinas, unaq́ue tumultuaria pugna in Falisci edita Calaber hostem ludificatus in Romanum agrum irrupit. Tulit aliquandiu Innocentius fortiter imminentem hostẽ, accersiuitq; ex Gallia Renatum iuniorem, qui Ferrariensi bello interfuit, ut in Ferdinandum concitaret, conatusq́ue est Venetos in societatem belli trahere: sed quia hi moturi nihil uidebantur, fœdere obstricti, & longum erat Gallos expectare, collapsus animo Romanus pontifex, pacem, quæ satis æquis conditionibus proponebatur, homo etsi pontificiæ dignitatis cupidus, pacis tamen & otij multo cupidior, libens complexus est, in qua sancienda sociorum rebus, quantum in se fuit, cautum uoluit. Seuerinatem pace parta Innocentius à se dimisit, petijt is à Venetis ut liceret sibi cum duobus milibus equitum intra Venetos fines se recipere: id quum senatus nullo modo dandum censuisset, inops consilij, ac destituto similis, quum omnia circa se haberet infesta, cuncta bundus in Flaminiam usque processit. Hic dum fluctuat animo, deliberatq́ue quò potissimum intendat cursum, Alphonsi superuen-

Viri illustres.

Innocentius Octauus pontifex.

Pacatur Italia.

Seuerinas conijs exuitur.

superuentu, qui cum multo maioribus copijs è uestigio sequebatur, quia neq; spe, ueq; uiribus par illi esset, copias in fidem recipiẽdas Calabro reliquit: ipse ne in hostium potestatem ueniret, cum filijs irrequieto cursu in Rauennatium se fines recepit. Quid in causa fuerit, quòd Veneti illi copias trahẽti reditum negarint, difficile dictu est, æquum tamẽ sit credere id Seuerinati negatum, ne si cum exercitu ad Venetos reuersus esset, autores illi fuisse crederentur ad id bellum proficiscendi, aut certè non placuit eum cum copijs ad se redire, ne hostem à tergo imminentem in suos fines traheret, nouaq́ue ex eo belli materia oriretur. Sed de his difficile est dicere. Sub id tempus, quo hæc in Italia gesta sunt, Maximilianus Federici Cæsaris filius, Romanorũ rex declaratus est, quod ille Veneto senatui per literas significauit. Dominicus Triuisanus, qui diui Marci postea curator fuit, & Hermolaus Barbarus in Germaniam missi, qui ob eam rem publico nomine am bobus gratularentur. Hieronymus Donatus in Lusitaniã, ut publico nomine amico regi ageret gratias, quòd remiges & socij nauales quatuor Venetarum triremium ex Gallica negociatione redeuntium, quas Colũbus iunior archipirata illustris cruẽto prælio oppressĕrat, circa Olisiponem regiam urbem, in littus saucij & seminudi à piratis expositi, hospitaliter & benignè regis iussu curati essent, uestibus & uiatico adiuti. Obijt interim Marcus Barbaricus princeps, quum ne annum quidem administratio illa impleuisset. Augustinus eius frater post Marci interitum dux declaratus est. Eratq; tum Italia satis pacata, quũ ob ambiguos fines nouũ est bellũ Veneris ex Germania ortũ. fuit id certamẽ eo difficilius, quo minus expectatũ, cũ Sigismundo Austriæ duce est id bellũ gestũ, cũ quo iure ueteris hospitij Veneti plures annos pacatè & amicè egerãt. Est interim disceptatũ aliquãdo inter Ripenses Benaci accolas & Arcuenses Regulos, qui in Sigismũdi fide erant, de finibus, ut assolet inter finitimos. Cæterũ ne maior aliqua ex ea disceptatione discordia oriretur, citro ultroq; causa per legatos iactata est: nec interea est aliquid ex amicitia mutatũ, etsi cõstans fama fuit Sigismundũ ducẽ medio Ferrariẽsis belli tempore magnis pollicitationibus sollicitũ ad bellũ Venetis inferẽdũ: quod ne accideret, Veneti p nõ paruo negocio habuerũt, in ueteri amicitia tanti principis animũ retinere, Paulo Pisano ad id in Germaniã misso, qui multa arte & ingenio tenuit, ne quid inde tã alieno tẽpore moueretur. Sed, ut sunt mortaliũ ingenia, q́ cũ tẽpore uariosinduũt affectus, biennio ferè postq́ erat circa Ferrariã bella cũ, Sigismundus repẽrè ad uim animũ adiecit, quorundam (ut fama est) regulorum impulsu, quibus Sigismundus libẽs acquiescebat: infestior itaq; coortus Ripensem causam celebrat, simulq́; Ferrifodinas in Noricis diu à Venetis possessas, ut ambigui iuris, occupat. Arcuenses omnes Venetæ ditionis suo cõmercio interdicũt, adijciunt his noui stimuli, q, Ludronij reguli, qui in Venetorũ erãt fide, cũ Barchianis quos Sigismundus tuebatur, cœperũt inter se armis disceptare. Conati sunt Veneti discordiã per hęc gliscentẽ sopire, sed necesse fuit ut animi aliquando părerẽt, q, iã antea haud obscurè parturiebant. Veneti negociatores, celebri mercatu, ad Bulsanum oppidũ uiolãtur. Est is locus alpinus paululũ supra Athesis & Sarchi confluentem. Nec multo pòst Sigismundi duces, nec indicto quidẽ bello, per Tridentinũ agrũ citato agmine Roboretum Venetæ ditionis locũ hostiliter inuadũt. Fuere in eo exercitu Rheti, Vindelici & Suitenses, & alię alpinæ gẽtes, quæ nõ tã stipendij spe q̃ prædę, sunt eam militiam secutæ. Estq; ea uis illata ad nonum Calendas Maias, eius anni qui septimus & octogesimus fuit supra millesimum ac quadringẽtesimum humanæ salutis. Germani agro fœdè populato, Roboretum terribili clamore (ut mos est gentis) oppugnant, oppidum tametsi uis illa ex improuiso illata est, expugnari nõ potuit, huc omnis uis belli incubuit. Amasiæ comes, cuius erat hostilium copiarum imperiũ, æneis machinis muro admotis, Roboretanos graui obsidione fatigat. Affuerunt cõfestim auxilia ex Vicetia, Verona, & Benaci ora à Venetis magistratibus missa, secutæ sunt inde armorũ copiæ, locusq; in Athesis & montium angustijs à Venetis insessus, quinq; passuum milia à Roboreto, promota inde arma in hostium conspectũ. Venit in hæc castra Robertus Seuerinas, cũ Luca Pisano legato, Hieronymus Marcellus, huius collega aliquanto prius eò uenerat. Affuit nec multo pòst Iulius Camertium comes Venetarũ copiarum imperator, ex Vmbria expeditissimis nuncijs accersitus, merebat hic iam tertium annum Venetum stipendium, copiis itaq; alijs super alias affluentibus, iam legitimi erat exercitus forma in Venetis castris, Roboreto ad uiginti milia hostium assidebant. nec uno deinceps loco laboratum, bis Roboretum disiecta murorum parte grauiter est oppugnatum, bis hostis inde cum cędemulta à mœnibus reiectus, laborabatur interea in Benaci ora, & in Alpinis Carnis Cadubrinisque, uario quidem euentu ubique, sed hæc latius in rebus Venetis, quàm Rapsodiæ huius breuitas patiatur. Habet relatio illa, quo tempore, quibus locis, per quos gestæ sint, quo consilio, quo euentu per partes dimicatum, nunc res carpitur, & ex multis dun taxat insignia consectamur. Assidebat Germanus Roboreto, quum ex Crucelo monte tres Germanorum centuriæ, ex improuiso locum insederant, subitaria Foroiuliẽsium manu, quæ Sauorgnanorum ductu eò celeriter occurrit, præsidio depulsæ sunt, patet ex eo monte per Tulmetium descensus in Foroiulienses campos, quæ res demonstrat quo Germanus consilio locum insederit, diruto hostium præsidio, quod illi adorti erant communire tumultuario opere. Patrianæ euocatorũ cohortes in Porsenicos effusæ (erant hi in Sigismũdi partibus) omnia direptionibus & incendio cõplent, diuersa parte ad Roboretũ quũ Germani sexaginta circiter passus muros disturbassent, præsidiarij qui quadraginta fermè dies hostem fortiter tulerant, deditionem fecere, quum opportunis circa locis ab hoste insessis omnis precila spes esset futuri præsidij. Nicolaus Priuolus, urbis prætor, ad primam deditionis mentionem, cum lectissima uirorum manu arcem occupat, perseuerauitq; in ea retinenda, quoad ex omni parte sit mœnibus nudata, fuit ea res perutilis ad remorandos hostiũ conatus, Roboreto amisso nulli dubium erat, quin aut ad læuam hostis conuersus in Vicetinos imperium faceret, aut Benaci orã quæ illi dextera fuit pòst paulo inuaderet. Placuit Venetis ducibus iungere Athesim ponte, ut citra ultraq; suis præsto subsidio essent: sed dum ad id opus necessaria expediuntur, interim Marcellus legatus ad confirmandos regulorum animos, qui trans fluuium in Venetorum fide erant, cum paucis proficiscitur. Offendit omnia trans flumen terroris & consternationis plena, Agrestium inde decreto se cõtulit, & cũ Antonio eius loci regulo uenit in colloquium, is Marcellum incredibili affectu complexus ita eum affatus dicitur: Mea, inquit, fides in Venetum nomen, & tibi Marcelle uir clarissime, & omnibus Venetis (ut arbitror) nota est. Nihil iã inde ex quo per me sapere potui, antiquius habui, nihil impensius curaui, quàm ut fidem & studium in Venetũ nomen à maioribus mihi traditum, quàm diu uiuerẽ, non solum seruarem, sed auctum etiam posteris relinquerem, quod quum semper aliàs, tum præcipuè hoc bello feci. Nunc quo statu res sitæ sint plane uides. Roboretum hostibus cessit: iam & arcẽ ipsam etsi

Causæ Rhetij rebelli.

Roboretum oppugnatur.

Roboretum deditur.

Oratio Antonij Agrestis.

etsi incerta adhuc fama, ab hostibus teneri audio. Certè scio futurum ut ea amissa illico omnis uis belli huc sit inclinatura, uel quia sit locus ad rem gerendam peropportunus, aut quia hosti nimium propinquus. Cæterùm quia sæpe experientia compertum est, ut cum fortuna, nunc ui, nunc uoluntate mutentur hominum studia, ne qua necessitas metusúe queat animum subigere ad eam fidem uiolandam, quam persanctè ad hûc diem custodiui, arcem hanc, oppidum, fortunas omnes, tuæ fidei trado, tu perge quæso hæc ita dedita ab omni iniuria tutari: nã quod ad me attinet, satis superq; mihi cauisse uidebor, si hac tẽporũ nouitate bonus fidusq; belli socius, quod & esse semper & uideri uolui, tuo aliorumq; iudicio existimabor. Pergrata fuit Veneto Agrestini Reguli oratio, laudataq; est uiri fides, iubet itaq; eũ forti animo esse, nõ stipendium, non auxilia defutura, missurũ se ex castris, quæ proxima essent, firmissimum præsidiũ, fore adhæc ut breui audiret pontem Athesi impositum, quo non solum auxilia, sed omnes Venetorum copiæ, si omnibus opus sit, ei præsidio adessent. His ille cõfirmatus ad uim & arma conuersus, studio omnia comparat ad se tuendum. Sub Marcelli reditum Athesis ponte iũctus est, per quẽ Venetæ sunt cohortes & turmæ equitũ transmissæ: quæ latè transfluuiũ uagantes uehemẽter profuerũt ad socios & alpina loca in fide cõtinenda, estq; interim aliquoties cum hostibus dimicatum, sed prælia hæc tumultuosa, & *Singularis pugna.* per alterius partis occasionẽ gesta. Vna singularis pugna satis celebris fuit, & ad posteros memorabilis, duo uiri fortes ex prouocatione, in Pratalinis cãpis, circa Athesim ab utroq; exercitu ad singulare certamen prodiuere, Antonius Maria Seuerinatis filius, iuuenis impiger, & Georgius Sombergius Germani sanguinis, militari gloria & ætate florẽs. Hastis ex aduerso infestis primò conflixere, mox casu ad terrã digressis pedestris fuit pugna, suntq; aliquandiu gladio usi, postremò cõsertis manibus, ac sese complexi, ambo in latus concidunt. Hic Germanus breui pugione usus, quo se in usum hunc acciuerat, bis infra inguina Seuerinatem sauciat, cõfecissetq; haud dubiè sæpius repetitum, nisi ferox alioqui iuuenis se uictum uoce declarasset. Statuunt itaque se ambo in pedes, Seuerinas in hostium castra perductus est equo sedens, ac mox paulo suis restitutus. Nec ita multis interiectis diebus ultra *Pugna ad Rapacionem.* Athesim ad Rapacionem cum Germanis parũ prosperè est dimicatum. subitarium fuit id prelium, & ab hoste de industria iniectum, ut Venetum ducem insidijs exciperet, multi circa Seuerinatem senem, ubi pugna acrior fuit, mortem occubuerunt. Actũ erat de salute ducis, quum iam undiq; armis degraderetur, nisi Antonius Maria, & Venantius Iulij Camertis filius iuuenis impiger, ferocius pugnã ciendo omnẽ in se uim hostium auertissent: duce itaq; seruato, ambo à suis excluſi, hostium multitudine obruti, dedere sese coacti sunt, atq; per hunc modũ unus ex Seuerinatis iuuenibus, ut est fortuna in aduersis tenax, bis est paucis dieb. captus. Per eos dies Roboretana arx Germanis dedita est, qua recepta turbati sine imperio Germani, sine cõmeatu, dilabi cœperant stipẽdij inopia, estq; interim nõnihil de pace actũ. Per idẽ tẽpus in Sugania uallẽ ad Griniũ Veneti feliciter in hostẽ dimicãt, duplici præsidio in faucibus uallis capto, ignibusq; consumpto, estq; ea clades Veneto haud multo pòst ad Celatiũ repensa, duabus centurijs peditum per insidias ab hoste oppressis, præsidioq; expugnato. Sed ut in cæteris rebus atq; in bello maximè uariat fortuna, Venetæ cohortes ad Burgũ, quem uicum Medoacus adhuc tenuis intersecat, hoste intra munitiones cõpulso, quicquid tectorũ fuit illi proximũ diripiunt, iniectaq; deinceps flãma incendio absumunt. Cæterùm dum hæc alibi geruntur, Armasiæ comes, quia miles stipendij inopia sub signis teneri nõ potuit amplius, feretq; in dies insignior paucitas, pacis studium affingit, ut magis credo suus latẽret digressus, per diem de pace actum, mox nocte quæ secuta est, Roboreti arce incensa, cum exercitu in Germaniam concesit. Roboretum cõtinuò à Venetis ducibus receptum est, quib. diebus Venetę aliquot cohortes in Suganios & Telesinos alpium accolas, per aspera iuga montium immisse, ferro & igni omnia fœdarunt. Interea Camertinus comes morbo implicitus Veronam concesit, ut commodius curaretur. Seuerinas, cui publico decreto æquatum erat imperium, ne ea temporum opportunitate abuteretur, ignobilibus quibusdã locis receptis, quæ circa Athesim hostis ceperat, de bello in Tridẽtinũ agrum transferendo, cum legatis cœpit occultè agitare. Id consilium ut commodius tegeretur, Nomũ ex hoste circa Athesim aliquot dies oppugnat, id postremò deditum, inuito duce, miles prædæ cupidus diripuit. Nec ita multis inde diebus interiectis, omnibus maturè paratis noctu inter Perram & Bisinum in hosticum copias transtulit, Lucio Maluetio cum ala una sagittariorum equitum præmisso, ut per Roboretum & montes, qui his locis imminent, equite circumacto, noctu, ubi clamorem sublatum audiret, hostem si opus esset à tergo inuaderet. Conati sunt locorum accolæ, qui in hos casus stabant intenti, transitum inhibere, iniueruntq; prælium magis ferociter quàm constanter. Enimuero ancipiti metu perculsi, ubi clamor à tergo auditus est, in tutum abierunt, tum uerò pars exercitus multo maxima per ocium transmittitur. Gerebatur hac parte bellum à Venetis ducibus, quadraginta equitum turmis, quinq; milibus peditum, ex his quatuor & uiginti turmæ cum suo peditatu põte transmittuntur, reliquum copiarum citeriorem ripam tenuit, ut ponti præsidio esset: & iam parta erat uictoria, nisi paucorum militum temeritas omnia uno tempore euertisset. Miserat Seuerinas dux, qui locorum angustias, qua Tridentini campi intra fluuium et montes in arctum coëunt, subitario opere munirent. Oritur Athesis supra Tridentum ad ortum, primò tenuis fluens, mox ubi Sarcam infra Bulsanum accipit, ad meridiẽ flectitur, maior acue hementior factus. Postea uerò quàm Tridentum perstrinxit, tanq; accolis miteſcat, quietior fit, placideq; per Tridentinã labitur planiciem. Coniectus inde in montium angustias uiolentus & præceps agitur, ut ruere uideatur, non fluere, atq; ita semel concitus, ne per aperta quidẽ pacatè fluit amplius, nisi quũ mari appropinquat. Milites igitur ad angustias obtinẽdas missi, paucis admodũ ad muniendum locum relictis, sese in hosticum effundunt prędæ cupiditate, omnia terroris & fugæ complent. Qui in uillis erant celeri fuga ad urbem delati, nunciant hostem adesse, duæ Germanicæ equitum alæ ad præsidium urbis stabant, erat enim Tridentinus Antistes in Sigismundi partibus, totidemque peditum cohortes, & cum his oppidanorum plurimi, subito tumultu urbe egressi, ex improuiso militem dispalato, ac prædę intento, sese ingerunt: sit statim fuga, trepideque prædatores ad suos recurrunt, segniter conteptimque fossam & uallum iacientis. Cæterùm non modò non locum retinere conati sunt, sed anhelo cursu ad pontem festinantes, cæteros secum trahunt. Seuerinas subito tumultu excitus, cum globo equitum uenientem hostem excipit, edicitq; ut confestim oẽs arma capiant, atq; in ordinẽ redacti sibi subsidio maturè adsint. Milites æstu & peruigilio fessi magna ex parte intẽti erant curandis corporibus, quo accidit, ut neq; arma maturè sumpta sint, neq; ubi sunt recepta aliquid profuerint. Nam ubi Seuerinas impar hostibus conspectus

spectus est cum suis retrò abire, præbuitque procul spectantibus fugientis potius speciẽ quàm cedentis. Enimuero hostes à fronte, et qua montes fluuio imminent, Seuerinatem degrauabant: oritur consternatio ingens, non imperium, non iussa exaudiri, discurrunt alius aliò magis fugæ quàm pugnæ memores, sit inde aperta fuga, præcipitique cursu certant pontem occupare: hic fœdè colluctantur, dum quisq; pro se nititur in tutum euadere, peperit inconsulta fuga, turpisque trepidatio maiorem ad huc cladem, quàm uel à uictore hoste expectari potuisset. Vix paucis numero transmissis pons solutus est, dubium alieno iussu, ut miles sisteretur, an quia nimio ponderi succubuerit: utrunq; enim traditur: plurimi mortales in subiectum amnem prouoluti, alij aliter, cæterùm omnes miserabili modo extincti sunt, plures uorticoso uiolentoque amne absorpti ex oculis euanuerunt, nonnulli tabulam lembumúe sortiti ex fragminibus pontis uado aut saxis impacti, subito naufragio penè prius pereunt quàm se perituros putarent, & pedites per hûc modum partim disiecti, partim periclitati sunt. Equites in summa rerum perturbatione ipsi etiam non mediocriter perculsi, quia expediri arma tam citò nequiuerant, plerique inermes equis sedentes nihilo meliori spe esse, quàm pedites. Nam simul ac pontem solutum audiuere, tum quasi ad cædem & exitium relicti, cæci & amentes iuxta armati inermesq; fluuium transnare adorti sunt, pauci ex omni multitudine ad ulteriorem ripam euasere, tanta est fluminis uiolentia, haud multi numero, & hi ferè Rubriani. ubi in sola uirtute salutem repositam uidere, moti etiam ducum præsentia, sese hosti obijciunt, pugnam capessunt. Seuerinas qui certamen ad id loci traxerat, ubi suos in conspectu habuit, in hostem conuersus qua plus periculi & laboris esse pugnam ciebat, increpare alta uoce peditum fugã, equites nominatim appellare, monere, hortari ne rem Venetam in tanto discrimine proderent. Aderat & Guido Rubrius suorum equitum ala septus, is non solum Germanorum impressionem sustinuit, sed retrò etiam hostem auertit. Fuit inde atrox certamen, estque utrinque terra cædes edita, sed hostium multo maior, qui temerè in confertum equitem grassantes obruti sunt, ferroque confossi. Cecidit eo conflictu Seuerinas copiarum imperator, incerto tamen casu, plures aiunt eum cum toto equo in fluuium præcipitatum, quum circa amnem dimicaretur, perijt, sed extra aciem Antonius Tollentinas, is captus à Germanis temperare nequeuntibus interficitur. Pulso Germanorum equitatu Rubriani tota planicie peditem ferro obnoxium cum multa cæde exigunt, locumque obtinent. Insignis Rubrianorum paucitas fecit ut hostis, qui ex acie excesserat, in pugnam sit reuersus, sed recessit ille conatus nihil fuit his prosperior, cæsus dissectusq; passim globus Veneto equitatui cesit. Vix fando unquam auditum est, toties uno die fortunã uariasse, manè pulsis hostibus Veneti fluminis ripam tenuere, hinc præcipites acti ad flumen compulsi sunt, mox paucorum uirtute restituta res est: & qui pro uictis habebantur, uicere. Postremò hi qui uicerant suæ paucitati diffisi, ut uicti relictis equis, ex hostico noctu paruula usi cymba in pacatum abiere, ueriti ne luce oppressi à maiore hostiũ multitudine obruerentur. Germani postridie posteaquàm hostis nullus uisus est citra flumen, in apertum egressi, per ocium spolia legerunt, sed suorum multo plura quàm Venetorum. Culpa acceptæ cladis omnium uoce in pedites reijcitur, à quibus orta sit fuga, milites qui ea trepidatione dispalati alij aliò concesserant, legatorum edicto, paucis diebus frequentes circa signa coiuere, nec maiores ulli circa Athesim fuerunt iam inde bellorum cona

Suorum strages.

Clades ad Athesim accepta.

tus. In Benaci ora Arcuensis ager ex hostibus fœdè à Venetis uastatus est, & in alpibus diuersa parte tu multuarijs expeditionibus mutuæ sunt clades illatæ & acceptæ, sed parum memoria dignæ. Germani ex Fraxineto in Canalinam uallem ex improuiso inuecti, uillas & uicos pasim diripuerunt, quæ clades est illis in Marubianis pòst paulo à Venetis repensa, & iam de pace cœptum erat agi, quum in Ampetia est postremò certatũ, fuitq; ea pugna paucorum culpa magis turpis quàm calamitosa, quum præter omnium opinionem submotus sit loco Italus, atq; castris exutus, & in Rhetis alijsq; alpinis gentibus. per hunc modum est inter Venetos & Sigismundum Austriæ ducem, per id tempus bellatum. Pax haud multo pòst composita est Venetijs, quo à Federico imperatore legati uenerunt pacem suadentes, aderat & Innocentij pontificis orator, qui principi & patribus assidens, monere hortariq;ue, ut arma exuerẽt. Venerunt nouissime à Sigismundo & socijs quindecim oratores, cum quibus pax sancita est his conditionibus, ut res negociatoribus ad Bulsamum ademptæ æqua æstimatione redderentur. Veneti Ibanium & Nomum, & cum his alia quædam loca ex hoste capta tamdiu tenerent, quoad de re maturius cognosceretur, esseréque eiusmodi cognitio Innocentij pontificis, de finibus nihil ferè est mutatum. Captiui utrinque restituerentur, & in his Venantius Camertinus, & Antonius Maria Roberti filius. Iulius copiarum imperator pace parta in Vmbriam abijt, quo exautorato, quicunque illius stipendium merebant, publico decreto iussi sunt Venetis finibus excedere. Habuit id bellum, quod Rheticum in Venetis rebus uocamus, quia in ea sit terra ortum, magnaque ex parte gestum, quam Rheti olim tenuerunt, menses circiter septem. Idibus Nouembris pax sancita est, quũ in Maias incidisset Calendas primus Germanorũ motus. Fuit annus ille septimus & octogesimus humanæ Salutis supra millesimum ac quadringentesimum. Quieuit inde nonnihil res Veneta, agebaturque satis pacatè in reliqua Italia. Prodigia interea quædam partim hominum oculis sunt obserua- *Prodigia.*
ta, partim temerè credita. Biceps infans est Patauij natus, in eo præter naturæ luxuriem nihil alioqui fœdum aspectu, omnia magis terra in puero, qui per eosdem dies Venetijs editus dicitur, ore pluriſariam sciſſo, & præter multa fœdiora relatu, genitale membrum habuit uertici agnatum, atque ob eam rem non placuit in apertum referri, & ut sæpe euenit, ut animis semel religione imbutis, omnia aurium oculorumque ludibria pro portentis habeantur, percrebuit rumor gallinam ad Apostolorũ ædem gallinacei cantũ infausto omine edidisse, extincto confestim eius domino, qui leuiter ægrotabat, eaque interfecta repertum aiebant ouum in proximo, in quo Basiliſci esset species inchoata. affirmabant alij natum in patricia domo Basiliſcum, quem pertinaci incubatu gallus exclusisset, sed hęc uulgo credita, tanquam parum constaret Aphricæ id malum esse, nec totius, ut quidam scribunt, sed Cyrenaicæ tantum: uerùm quum hæc commentaremur, absoluta forma extincti Basiliſci reperta est in Oliuolensi ecclesia, estq; multis spectare uolentibus repręsentata, nec quãtum uidere est, species illa multum distat ab ijs, quæ de Basiliſco scribit Plinius. Parauij, quod satis constat, horrendè terra concussa est, conciditque eo motu ædes Carmelitanæ uirginis. Et res Italiæ per id tempus ita habebant, quũ ad ortũ & occasum solis & ad septentrionẽ externæ gẽtes magnis quatiebantur bellorum motibus, ac nescio an grauius etiam q̃ nuper in Italia. Circa Syriam Baiazetus Othomanus res Memphitici regis infestabat bello, bisque intra annum, in finibus utriusque regni est inter Barbaros acie dimicatum,

Varij partium conatus.

Pax cum Sigismundo.

Ad ortum, occasum et septẽtrionẽ bellatur.

micatum,fuitq; utrunque prelium Turcis funestũ, ut pòst paulo significabitur. Causa belli huius potuit fortasis alia uideri,nam Memphiticus rex hospitium cum Zyzimo Baiazeti fratre iunxerat,posteaquàm ab eo est extorris factus, depositoque ille apud hospitem matrem & filiorum pignora,sed propagandi imperij maior (ut arbitror) fuit utriq; cura.In Bethica,quæ ad occidentem solem spectat, Ferdinandus rex Maurorum rebus ita imminebat, ut omnium iudicio breui gens ipsa caitura esset.Circa Pannoniam Mathias rex, post mutuas utrinque offensas,sumptis armis in Federicum Cæsarem, grauibello quatiebat Austriam.Mutui odij & inimicitiarum causa, unde est postea id bellum ortum, ex Pannonici regni possessione profecta est,ut alio est loco memoratum. Per idé tépus pacatissimo alioqui Italiæ statu, duo principes haud obscuri nominis, unus post alium, domestica sunt coniuratione oppressi, Hieronymus Riarius quem Forliuienses fœdissimè trucidarunt, quòd superbè nimis imperaret,ut fama ferebatur,& Galeotus Fauentinus.Is ut erat disciplinarum omniũ studiosus,in primisq; mathematicis addictus,aliquanto prius uiderat,ut fertur,instare sibi fatale tempus,cæterùm cum uim extrariam sollicitè cauere t, in uxoris cubiculo multis est uulneribus confossus . Scio fuisse ea tempestate qui crederent uxoris consilio interfectum, utrobique est tumultuatum. Catherina Riarij coniunx, post cædem uiri cum liberis in ciuium potestatem redacta (erat hæc Sfortianæ gentis Galeacij Vicecomitis,qui domestica coniuratione periit, filia) cum Forliuiensibus egit, qui de recipiéda arce uehementer erant solliciti,ut ipsa ad præfectũ arcis iret, futurum pollicita, ut confestim se autore arx dederetur.Custodia emissa posteaquàm in arcé recepta est, tantum abfuit ut Forliuiensibus quicquam gratificata sit,ut confestim urbem iniuriæ obnoxiam,ferro,igni,bellicisque tormentis atrociter adorta(ut acri erat ingenio) non prius affligere desiterit, quàm Sfortianis armis adiuta urbem cum liberis receperit.Nec Fauentia quieuit à Galeoti cæde,occurrit eo Ioannes Bentiuolus Bononiensium princeps,cum non parua hominum manu, ut in eo motu filiæ, quæ Galeoto iuncta fuit matrimonio, auxilio esset.Cæterùm Fauentinis sæuientibus,plerique ex eius comitatu uiri sunt in urbe oppressi, fuisset & Bentiuolus non sine periculo apud Fauentinos,in quorum potestatem uenerat, nisi opportuno Laurétij Medicei seruatus esset accessu.Et in Flaminia Æmyliaque per hęc nõnihil tumultuatũ est. Venetos interea noua rerum maritimarum cura incessit, enimuero Baiazetus Othomanus, per id tempus opulentam ad bellum classem comparare dicebatur, nec quia bellum in Syriam parari diceretur, minor propterea cura subijt Venetos classis subitò ad bellum instruendæ,quæ multo maior incessit,posteaquam Baiazetus per speciem Ægypti inuadendæ,à Veneto senatu petijt,ut in Cyprum liceret classem appellere:id quia illi est publicè negatum,uulgo addubitare, ne quod pacatè non dabatur,ui ille niteretur occupare. Classem itaq; magno studio comparant, Francisco Priuolo imperium decernunt.Is ubi auditum est Othomani classem unà quæ Hellesponto nuper egressa esset,ad Scyrũ consedisse, & ex ora Ioniæ alteram multo ualidiorem affuturam,tametsi minacissimi illi motus aliò spectare uidebantur,nam id bellum Memphitico regi fama intendebatur:reputans tamen Venetus imperator quàm occulta & subita essent Turcorum consilia,nequa his occasio relinqueretur in rem Venetam ex improuiso grassandi , cohorte una Cretensi sagittariorum in Cyprum missa, ipse triginta stipatus triremibus , Naxum usque insulam adnauigauit, ut ex proximo quæ essent Turcorum cõsilia cognosceret: quorum profectione audita, recta & ipse nauigatione Cyprum pertendit. Turci interea Lyciæ oram,Pamphiliæ & Ciliciæ præterecti, Syriã tenuerunt, ubi nullum est ab his memorabile facinus gestum.In terris biduo est dimicatũ in Ciliciæ finibus , fuitq; ab initio cruenta & ambigua pugna, exitu uerò infelix Turcorũ ducibus. Est , ut dixi,ab initio dubio marte dimicatũ,cæterùm Memphitici duces amissis prælio cõmeatibus,quos medio pugnæ ardore locorum accolæ diripuerant,inopiam ueriti,si bellum traheretur, sequenti die in æquum egressi,hostem ad pugnam eliciunt,estque à prima luce ad noctem tãta utrinq; strage certatum,ut pauci pro numero eorum qui in acie steterant,cæsi superfuerint,centum milia Turcorum eo die confixisse fama est,quorum uix tertia pars superfuit:nec minor pro numero clades Ægyptios attigit, ex septuaginta milibus, qui in acie steterant, dimidium est desideratum.Extollunt quidam in maius utrorumque cladem , alij contrà extenuãt: nam parum clara fama hęc ad nostros homines delata est. Illud inter omnes cõstat,tam obstinatis animis ab utrisque in ea acie perseueratum, ut rebus fœdè accisis neutra pars pro uicta prælio cesserit. Cæterùm Baiazeti duces rerum sibi perditarum conscij præsentibus copijs diffisi , nocte quæ diem pugnæ proximè secuta est,silentio in pacatum concessere , castra cõmeatibus referta uictor hostis diripuit.Nec classis melior fuit fortuna quàm terrestrium fuerit copiarum,quippe quæ quum fortè ante Selphicæ fluminis ostium staret, sub id tempus quo est à suis in terra dimicatum , subita tempestate iactata est fœdeque dissecta.Suspicari libet Selphicam nunc esse, quam ueteres Orontem dixere, is præter Antiochiam lapsus Phœnicio mari infunditur. Mansit interea pax Venetis cum Baiazeto terra & mari incolumis.Fuitq; hic annus Venetæ ciuitati insignis duarum illustrium fœminarum ad urbem accessu, Ioannæ Daciæ reginæ,& Batauiæ ducis, huius in Syriam iturãe,ut sacrum inuiseret sepulchrum, alterius ex urbe Roma peregrè redeuntis, utrique magnus honor habitus.Fuissent ambæ exquisitiore apparatu exceptæ,nisi religio obstitisset.Præbuit Catherina Cornelia,Cypri regina,celebrius spectaculum ciuitati,quàm ex Cypro Venetias per Georgiũ Cornelium eius fratrem accersitam, Augustinus princeps & patres Bucentauro naui exceptam triumphanti similem,per mediam urbem ad Estenses ædes,ad tempus regali apparatu instructas, deuexere. Vetus est mos ciuitatis in regum & principum ad Venetam urbem accessu,Bucentaurum purpura & auro insternere , est hæc nauis totius senatus urbanorumque magistratuum capax , agiturq; nunc remo , nunc uelis , sæpius remulco.Sedet princeps in puppi auro strata , aureo & ipse ferè pallio amictus:assidet summus ille ordo dextra læuaque maiestatis & filétij plenus,aurum,holosericũ, & quod minimũ est purpura huncuestit ordinem: tubæ,tibiæque alia id genus instrumenta circumsonant, Bucentaurum suburbana præcurrunt nauigia, Paraschermos patrio sermone uocant, hæc publico sumptu aulęis,& festa frõde in Topiarij operis modum inflexa,ad tempus instruunt,à prora & puppi pulpita altiusculè attolluntur,quorum fastigijs pueri puellæque elegãti forma,cultuq; exquisitissimo, alij alios mentiti genios , latenti machina subnixi, puro aperto q; libratur aëre,hi aurea systra,illi Thyrsos,aliaq; deorum dearumue gestantes insignia, inferiore gradu adolescentes in Tritonum & Nympharum speciem figurati,suo quisque statu,concentu tamen uno subuehuntur. aurea adhæc signa toto nauigio defixa, uentoque agitata , spectaculum præbent tam uoluptuosum,ut nullum fit propemodum aliud quod meritò huic uni comparari possit.

Bucen-

Barbarorum atrox pugna.

Cedunt Turci Ægypto.

Bucentaur nauis.

Federici Cæsaris in Italiam accessus.

Bucentaurum tanta uis cymbarum sequitur officij gratia,ac spectãdi studio,ut interdum quàm longè lateq; toto stagno fert prospectus,regãtur aquæ frequenti comitatu : quam rerum pompam si quis uetustarum rerum peritus diligẽtius spectet , haud multum diuersam agnoscat ab ea quam ueterũ scriptorum quidam in Quiritium triumphis prodidere,etsi rerum formę diuersæ,quia in diuerso elemẽto,ut ornatissima illa nauis ac lõgè maxima sit currus,etsi nullus reperiri possit, qui cum tanta queat mole meritò comparari. Suburbanæ naues,quę insigni apparatu præcedunt, urbium simulacra, earũ expugnationes,ac totum rerum gestarum schema, cymbarum ille frequens comitatus,ciuium officia, currum longo ordine comitantium. Et illa per hos honores, quod Venetarum nulli , ac ne Romanarũ quidem (quod sciam) contigit unquam,per mediã urbem ante suorum ciuium ora triumphanti similis præterecta est.Georgius Cornelius reginæ frater,sub primum appulsum,publico decreto, equestri est dignitate donatus, nihilo minori studio , & amoris affectu,quàm regina ab uniuerso ordine acceptus.Enimuero grauis cura incesserat principem & patres Cypri insulæ suis opibus tuendæ,quæ eo maior inciderat, quo minus status insulæ uidebatur posthuma regis prole extincta sub muliebri imperio quieturus. Ne igitur insula nobilissima fraude aliqua externa domesticáue alienareẽ,una in primis cura hęrebat animis,eratq; nõnihil res in curia agitata,ut regina Venetias accerseretur: erat enim hæc,quòd suprà est memoratum,publicè à Veneto Senatu in filiam adoptione recepta,ut regia dignitas tutiore esset loco,& insula minus iniuriæ obnoxia,præsidijs & nouo regimine firmata. Detulit ad id negocium obeundum ultrò suam principi & patribus operam Georgius Cornelius reginæ frater, qui mari parum tractabili liburnica in Delmatiam naui delatus,inde cum Priuolo præfecto classis & aliquot triremibus,Ionium mare,Creticum,Carpathium & Pamphilium demum emensus,cum paucis insulam adnauigauit , ducentis circiter milibus passuum tota classe & classis præfecto post se relictis:hic uir magno ingenio consilioq; ad res gerendas præsentissimo,citra omnem insulanorum motum,reginã nihil inuitam,nihil restitanté, secũ Venetias aduexit , quibus uenientibus suus utriq; est honor habitus,accesit domestico splẽdori,regięq; affinitati equestris dignitas sapientissimi Senatus consensu decreta.Secutũ itaq; inde recens decus,q; Cornelij huius filius adolescens altæ in dolis roseo est galero insignitus ab Alexandro sexto, rarum felicitatis exemplũ in priuata domo,sed Cornelia gente & unius uiri indole haud indignũ.Media ferè anni huius æstate uenit Federicus imperator in Italiam mediocri comitatu, miserunt ei uenienti obuiam Veneti qui illi felicé accessum publico nomine precarentur, hospitaliterq; & amicè acceptũ per Venetæ ditionis loca comiter & benignè traducerent,ille per Tridentinos in Italiam ingressus,nõnihil circa Benacum uersatus est,lacus amœnitate captus,per Veronam inde,Vicẽtiam, & Tauriium portum Naonem petijt.Causa tã longi itineris in homine iam nonagenario haud una uisa est, opinati sunt aliqui gestationis gratia alpes ab eo transcensas,sed quum multa alia,tũ locorum asperitas fecit,ut minus hoc à multis crederetur: alij eo consilio in Italiam uenisse aiunt,ut de pace cũ Matthia Pannoniæ rege cominus ageret , de qua per legatos citro ultroq; iam antea missos frustra ad id tempus fuerat inter partes agitatũ. Enimuero Pan non subitis Germanorũ motibus, ut suprà est significatum,odio & ira accensus, Austriam hostiliter adortus,magnam eius terræ partẽ , cum Vienna urbe clarissima Federico ademerat, ad quod bellũ cõponendũ Veneti legatos ad Federicum & Mathiã regem miserunt,qui utrunq; ad pacem hortarẽtur. Austria igitur Pannonicis infesta armis, quia p Germaniã nullus ad propinquiora patẽbat loca accessus,eam Italiæ partẽ Federicus decreto petijt, quæ Pannoniæ & Austriæ finibus esset maximè propinqua,ut res commodius ad exitũ perduceretur , sed ne sic quidé negociũ cõsici potuit , q̃n bello adhuc integro Federicus Italia haud multo postquàm uenerat,excesit.Erat tunc anni ęstas,quum Venetijs prima hora noctis duæ eminentissimæ turres urbis,Marciana,& quæ est ad ædem minoritanæ uirginis,uno tempore è cœlo ictę, pariter deflagrarũt, ambarum fastigio cum ruina ad terram decusso:fœdum per noctem attonitæ ciuitati spectaculũ præbuere.Petrus Diedus per id tẽpus ad Memphiticũ regẽ publicè est missus,cur sic libentius uocẽ quàm Cairi regem,haud uno sum loco testatus, nisi enim multum opinione fallor, Memphis olim fuit quæ nunc est Cairus.Obtulit mihi Franciscus Teldius, quo Diedus legationẽ illa est apud regem interpretę usus, situm eius urbis cum circumiecta regione figuratum,ac quantũ ex ea tabula conijcere potui, quoniam urbs cuius nomen in dubium uenit , uiginti milia passuum distet à prima Nili scisione, is mihi locus uidetur esse qui olim Memphis fuit,uetus arx Ægyptiorum , quam immensa urbis uastitas nunc complexa sit,nomenq; simul ademerit,pars urbis una est,quæ,ut mihi dicitur,& tabulę illius figura demonstrat,Nilo circumflua,qualis fuit Memphis situs.Strabo Gnosius pyramides quæ sunt ad Memphim ex Babylone conspici autor est, quę miranda regum opera hodie circa urbem ipsam uisuntur:quo datur intelligi,aut Memphim ibi loci fuisse,ubi nunc est Cairus,aut non multũ diuerso loco rem peruetustã obrutam iacere:est & ille error tollẽdus,quo pleriq; decepti locorũ ignoratione,quia idem rex Babyloniæ sit Sultanus dictus,sitq; id nomen loco,qui regia urbe includitur,Babylonem illam esse arbitrantur quàm Semiramis ad Euphratem fluuium condidit in Mesopotamia, quum hęc sit Nilo fluuio imposita, quã Babylonij ex Mesopotamia profecti loco ab Ægyptiorum regibus impetrato condidisse dicuntur,muniuisseq; ab initio uelut arcem quandam,qua nũc reges ipsi, ut arbitror, pro regia utũtur,sublimi loco sita , unde pars urbis sit postea Babylon nuncupata. Siue igitur Babyloni um regem aliquis dixerit,siue Memphiticum, multo honestius meo iudicio quàm Sultanum nominabit. Par error inoluit (ut uideo) in Indiæ uocẽ, nam quotusquisq; hodie non arbitratur Æthiopiã, quæ Ægypto contermina est, eam esse Indiam , in qua res ab Alexandro olim gestæ dicuntur, quum India multo longius ab Æthiopia distet, quàm hęc ipsa Æthiopia ab Italia:illa quæ circa Indum & Gãgem,ad æquinoctialem & Borealem ortum immẽsis spaciatur finibus,hęc quæ Æthiopiæ est ad meridiem & circa Nilum: Vergilij carmen Nilũ ab Indis fluere testatur, quæ res trahere potuit multos in errorem.Herodotus ingentem ait Indorum multitudinem,ex magna illa India,omnium prouincia rum maxima,in Æthiopia consedisse,horum res p̃cedente tempore adeò creuit, ut mores & nomen utriusq; gentis confuderit,abolitaq; ueteri uoce, p̃ Æthiopia sit India nuncupata. Regnum hodie amplum,ac si uera sunt,quæ locorum indigenæ prædicant,cum quibus sum sæpe per interpretes congressus,nonnulli etiam nostri sermonis compotes facti longo commercio,mecum de ea re multũ uariẽ; sunt locuti : hi adeò rem suæ gentis extollũt, ut duobus et sexaginta regibus imperitare affirmẽt Æthiopiæ regẽ, quẽ Æthiopicæ uocis ignari Pretoianẽ uocant,illi Gyam dicũt,id est,potentẽ.Mirantur præterea quid sit q̃ Itali sacerdotij nomine appellant,

Cairi situs & uerum nomẽ.

Babylon.

Pretoianes.

pellant,quum neq; sacerdos sit, neq; sacris ullis ini
tiatus,sitq; non Ioannes aut Ianes, sed Gyam genti
li uoce nuncupandus.Illud aiunt,magnorum antis-
stitum desideria ad ipsum regem deferri,ab eoq; sa
cerdotia impetrari,quod Ro.pontifex regum maie
stati dederit. Mira mihi uidebãtur ac pene indigna
quæ in historia ponerentur,pleraque ex ijs quæ illi
de ritu & moribus suę gentis memorabant,esse pri
morum antistitum numerum ingentem, atq; horũ
cuiq; ut minimum uiginti parere episcopos. Ante-
ire adhæc crucis simulacrum principes illos maio-
ris ordinis antistites,nec crucem modò, sed uas eti
am aureũ terra refertũ,ut hæc inspecta eumtem suę
admoneat mortalitatis, illa dominicæ passionis.
Sacerdotes procreationis causa ducunt uxorem,
quam si morte amiserint nefas sit aliam superduce
re.Magna diuorum templa,ac nostris opulentiora,
plurimamq; fornicato opere ad summum educta.
Multæ piorum ordinum familiæ,Antonij, Domi-
nici Calaguritani,Augustini,Macharei,colore ami-
ciuntur indiscreto antistitum permissu. Secũdum
Deum optimum Deiparamq; uirginem,summa in
his terris ueneratio, Thomæ cognomento Didy-
mo. Regum ille maximus, quem Gyam uocant, à
Dauide procreatus, stirpe unius gentis in tot ætа-
tes(ut ipsi persuasum habent) propagata,estq; non
atro,ut plurimi Æthiopum,sed cãdido colore. Gar
ma urbs regia,quæ non muris,non parietibus con
stat,sed tabernaculis in ordinem digestis,ex serico,
byssо,purpura intextis,ueteri instituto rex in aper-
to agit,necse intra mœnia plus biduo continet,aut
quia id turpe ducunt & molle, aut quòd lege qua-
dam non liceat.Decies centum milia hominum ad
bellum instruit,quingentos elephantes, equorum
adhæc & camelorum ingentem numerum,& hæc
uel mediocri rerum motu, sunt q; in tota gente fa-
miliæ stipendiariæ,in quibus orti signo crucis ue-
lut cauterio insigniuntur, cute leniter incisa. Arcu
in bello utuntur, conto,lorica,galea. Sacerdotium
in summa dignitate, secunda dignitas sapientum,
quos Balsamatos & Tenquatos uocant: tribuitur
etiam non parum innocentiæ & probitati, quã pri
mo sapientiæ gradu collocãt.Nobilitati tertius ha-
betur honos,sequuntur stipẽdiarij. Iudices de uita
hominis decernunt,decretum ad præfectum urbis
deferunt,quem Lycomegiam uocant,locum regis
is tenet.Legibus nullis ex scripto utuntur,ex bono
& æquo iudicant,si quis adulterij sit cõuictus, qua
dragesima bonorum omnium pars multa est, de a-
dultera domestica ultio,illi quorum interest, puni-
unt. Viri dotem constituunt ijs quas sibi matrimo
nio iungunt,non aliunde quærunt.Mundus mulie
bris ex auro,quo gens plurimum abundat, marga-
ritis & serico, uiri fœminæq; uestitu utuntur ad pe
des demisso,manicato,nec uspiam adaperto, indi-
screto colore,præterquàm nigro qui in ea gente lu
ctificus est.Defunctos lugẽt quadraginta dies,lau-
tioribus conuiuijs secunda mensa crudæ inferun-
tur carnes,quibus affabrè concisis, respersisq; aro-
mate auidissimè uescuntur.Lanificio carent,sericũ
aut linum uestit rotam gentem,nõ unus omnibus
sermo,sed uaria loquẽdi ratio,uarijsq; distincta no
minibus.In Azgeza loco Æthiopiæ aromata nascũ
tur Piperis, Cinamomi, Gingiberis.Est Æthiopia
omnifariam pecorum abundãs,Boues gibbos alit,
Leones,Rhinocerotes,Elephãtos, & canes eximia
magnitudine,quibus ne Leones quidem pares sint
uiribus.Agriculturã exercent,& rem pecuariã. Bi-
na messis,binaq; illis æstas. Qui fuerint huius In-
diæ,uel Æthiopiæ potius fines,olim altera est Ra-
psodiæ parte demonstratum. Quicquid Libycarũ
gẽtiũ est ab Æthiopia usq; ad occidentẽ solẽ, om
nes Mahometis impietatẽ colunt, uiuuntq; eodẽ
ferè cultu,quo & Barbari q in Ægypto sunt hodie,
hiuulgo Mauri dicuntur,ab ipsa,credo,Maurorũ e-
uagatione.nam ea quoq; gens non minus fuit Ly-
byæ infesta quàm Saraceni, diris illis temporibus,
quibus magna in humanis rebus facta est mutatio,
mores gentium, pietatis cultus, terrarum nomina
passim immutata. Enimuero quæ Ægyptus fuit,
nunc Maurorum terra est: quæ Æthiopia,etsi alia
de causa,nunc India.Quę Aphrica, magna nunc sui
parte Barbaria. Mauritania quæ extrema est ad oc
casum,& ipsa hodie est Maurorum terra, inde Ma-
rani corrupta uoce pro Mauranis dicti,hinc egres-
sa est tempestas illa,quæ toties Hispaniam afflixit.
Enimuero tam Hispania concussa est diris illis tem
poribus quàm Aphrica, ac nescio an etiã ualidius,
quod in relatione rerum ad eas gentes pertinentiũ
fuit abundè demonstratum. Adhæsit pestis illa no
bilissimæ eius terræ parti, quæ Bethica olim fuit,
nunc Granata est, paruitq; ad hæc usque tempora
Maurorum imperio,Ferdinandus rex in cætera Hi
spania latè imperans, plurium annorum bello Mau
rorum opes in Bethica oppugnauit, postremò to-
tis regni uiribus connixus, cum Isabella coniuge,
decimo abhinc anno,gentis huius in ea terra regnũ
funditus euertit,Mele Maurorũ rege cum regia ur
be in potestatem redacto. Verùm siue diritate illa
temporũ accidit, siue quod magis credo, uetustas
fecit,quia facile res humanæ mutãtur,magna & in
Hispania rerũ & nominũ uariatio facta est.Quæ e-
nim Bethica fuit,in Granatæ(ut dixi) nomẽ abijt,
ab eo,credo, q; terra ipsa(ut fertur) coccum granũ
ferat.Iam & in extrema Hispania,circa Calpem, Si
biliæ nomen inoluit,inde & Sibilię terra circa fre-
tum, quod à Gadibus est nuncupatum. Lusitania
Portugalliæ nomẽ adepta est.Sequiẽ Galatia quõ-
dam, nũc Galicia est Taraconẽsis, in Catalauniam
& Aragoniam abijt. Cæterùm quantum nominis
temporum iniquitas ipsi terræ ademit,tantundem
& amplius regum uirtute & felicitate est his pau-
cis annis illi repensum,ut non modò gens ipsa,sed
uita etiam omnis sit illustrior facta,altero uelut or-
be terrarum,regum auspicijs Hispanien si classe gen
tibus patefacto , Christophorus cognomento Co-
lumbus,uir rei maritimæ assuetus , primus omniũ
rem tẽtare est ausus:is octauo abhinc anno,qui no-
nagesimus secundus fuit supra millesimum ac qua
dringentesimum humanæ salutis,regum impensa,
cum tribus nauibus ꝓfectus Gadibus,ad fortuna-
tas insulas est primò delatus , Hispani Canarias uo
cant , distant à Gaditano freto duodecies centum
milia passuum.Infrequens hominum cultus , cæte
rùm temperies tanta ut nudi agitent insularum in-
digenæ.Hinc classis digressa,trium & triginta die-
rum noctiumq; irrequieta natigatione in Fauoni-
um tendens, quasdam est demum insulas adepta,
ex his duas præcipua magnitudine nominibus no
tarunt.Hispanam hanc dixere, alteri (omen credo
secuti) Ioannæ nomen indiderunt, huius orã mul-
tum diuq; præteruecti Hispani, quia finem assequi
non contigit,longiorem nauigationem pertesi, Hi
spaniam decreto petunt. Appulsa huc classe, insula
ni, qui ad primum ignotæ classis appulsum refuge
rant in syluas & deuia loca,spe pacis,nouiq; cõmer
cij ad littus sensim pellecti,mirari nouũ genus ho-
minum,mirari naues & omnia quæ in his erant, se
cuta inde ridicula permutatio , ingerere illi certa-
tim aurũ nautis , quum ipsi interim uasa uitrea pro
auro cupidè acciperent,scorteas ligulas,specula, a-
liaq; puerilia oblectamenta, mirari omnia gens ru-
dis,ubi aliquid inesset artificij & ingenij,ex auri ꝓ-
fusione creditum est insulam auro abundare, nudi
uulgo agitant, habent regem , cœlum adorant,solẽ
& lunam,ut nutu & signis nisi sunt præ se ferre. Re
petita est non multo pòst hęc insula spe auri,& mul
to maiore classis apparatu, sunt q; in ea aliquot loca com-

De Æthiopia.

Granatensis rixa.

Hispaniarum nomina.

Canariensis.

Insulæ auri.

Æthiopia.

ca communita ab Hispanis, reperta interim grãdia
flumina,et in his rameta auri, suntq; annuo spacio
ad regem hinc delata mille pondo eiusmodi metal
li. Alit insula serpentes miræ magnitudinis,sed in-
noxios,anseres sylуestres,turtures,& anates Hispa
nis anseribus ampliores,niuali candore,capite pu-
niceo , habet & psittacos uirides,croceique coloris,
quosdam habet & Indicis similes , fert sua sponte
Mastychẽ, Aloën, Gingiberim, & Cinnama, sed Æ-
thiopicis non conferẽda : duo inibi genera arborũ
uulgò uisuntur,pinus & palmæ duritia & proceri-
tate uisendæ. Mira sunt nec, fine rubore referenda
quæ de feracitate insulæ ab Hispanis tradũtur,Ra-
phanos,lactucas, brasicas quindecim dierum spa
cio à satu matures cere, pepones et cucurbitas sex
& triginta dierum,uitem intra annum frugiferam
esse factam,triticum (ne non omnia experirentur)
principio Februarij humi conditum ad Idus Marti
as maturuisse.Processit Hispanica classis , Colum-
bi ductu, ad Canibalum insulas,quæ ad bis & ter-
decies centum milia passuum distant à Gadibus,
genus id hominum durum & detestabile, uescitur
humanis carnibus,suntq; ob id terrori finitimis, la
trociniũ lõgè lateq; exercent, captiuos mares cum
pueris interficiunt , cæsorum carnibus recentibus
& sale respersis uescuntur, fœminæ ad fœturã ser-
uantur,& ex his genitos ut agnos hœdosq; adhuc
lactantes diris epulis apponunt:ex horũ fuga, quũ
Hispani uacua domicilia irrupissent, in manifesta
argumenta eorum quæ fama ferebãtur, inciderũt.
Stabant mensæ instructæ, & in his patinæ nostris
similes,psitacis, phasianarũ auiũ magnitudine, hu-
manisq; carnibus plenæ, pendebat & in proximo
humanũ caput,recenti adhuc cruore madẽs . Hanc
Hispani insulã Guadalupeã dixere, à montiũ simili
tudine, qui in Hispania sunt ad Guadalupeæ uirgi
nis phanum . Multæ in hoc tractu insulæ, & in his
una magnitudine insigni,ad septentrionẽ recedẽs,
quã à mulieribus teneri cognitũ est,hic more Ama
zonũ ad sobolis procreationẽ coeunt , uirilẽ prolẽ
in uicinas ablegãt insulas,sui sexus studio alũt & in
stituũt , uim omnẽ arcẽt à suis littoribus sagittarũ
multitudine: sic captiuæ quædã mulieres ex Cani
balis receptæ memorabant. Quod si sic est,non ab
surdũ sit credere, quod à Siculo Diodoro de ueteri
fœminarũ regno in his locis agẽtiũ proditur in hi-
storijs.Memorabant qui ea expeditione fuerunt in
Canibalum insulis, Decembri mense obseruatas à
se nidificantes aues,quædã etiam uisę pullos alere,
tanta est locorũ temperies,negãt inde cerni maiorẽ
Vrsam,minori adiacet,in qua polus est mundi.Sũt
inde Hispana signa ad occidentẽ solẽ eodem ductu
longè lateq; euagata, atq; obiter obseruata ad tria
milia insularũ , nomina septingẽtis indita, & in his
unã repertã quã indigenæ Imaicã uocant Siciliam
maiorẽ. Enauigata est interim septuaginta diebus
Cubæ ora,sic enim terrã uocãt,nõ multũ ab Hispa
na insula ad occasum repostam: cæterùm quia ex-
tremi fines nõ sunt reperti , continens terra credita
est.Pleriq; inde Hispani generis regũ permissu, na-
uibus priuata impẽsa instructis,famę cupidi,ac spe
quæstus,alij alia ad meridiẽ loca scrutati.Processit
Petrus cognomẽto Alonsus in Curtanã terrã, quã
idcirco cõtinentẽ arbitrati sunt , qa ad quadragies
centũ milia passuũ per orã eremigata , tota lustrari
nõ potuit.Indigenæ terræ huius nudi agitãt,ex ra-
dicibus panẽ cõficiunt,ut in Hispana insula, nigro
capillo & subcrispo, celebrãt choreas, ludũt, nun-
dinãtur,sagittãdi peritissimi,tanta uel hominũ sim
plicitas uel rerũ copia,ut Hispani pauonem quater
nis acubus emerent,duabus phasianã auẽ, anserem
una. Alij in Aphricũ progressi in genus hominũ in-
ciderũt Numidarum more uagũ,arcu & sagittis in
structũ,Dayaræ est terrę nomẽ,& quæ ipsa ꝓ oram
ad sexagies cẽtũ milia passuũ enauigata meritò cõ-
tinẽs credita est, ex his locis Arctici poli cõspectus
est Hispanis omnino adeptus, qua cõiectura addu
cor hos esse quos ueterũ pleriq; Antipodes dixere,
autcertè nõ multũ ab his distare. Postremò ꝓ exte-
rioré orã Aphricæ circumacta classe, per Atlanticũ
mare præterq; Hesperidum insulas & bonæ spei ꝓ
montoriũ,Prasonac Trogloditicæ orã in Barbari-
cum mare Indicumq; progressę sunt.Ibericę naues
ex Colocura & alijs circumiectis insulis, quibus lo
cis cõmercij æmulatione est cũ Ægyptijs negocia-
toribus cruenta cædę dimicatũ, ingentę, quũ hæc
commentaremur,uim aromatũ in Hispaniã depor
tarũt decimooctauo mẽse q̃ domo ꝓfectę sunt,cen
ties quinquagies centũ milia passuũ, & amplius in
itu emensæ,ac totidẽ in reditu.Nũc ad institutã re-
lationẽ redeo eorũ quæ nomẽ mutarũt, nã præter
ea quæ ad Hispanias attinent,quæ Narbonẽsis fuit
Gallia, nunc prouincia est, comata Gallia Francia,
& in ea Heluetiorum quæ fuit terra, iã Burgundia
est facta. Quæ Britannia in oceano, Anglia terra,pa
ri nouitate quę Germania quondam, Alemania, Sa
xonia in Sansoniæ nomẽ abijt. Sed quãdo magno
circuitu eò recurrit historia, ut de Saxonia fieret
mẽtio,de his qui eam terrã tenẽt, & alijs paucis nu
mero gentibus est hinc dicẽdum , ut Germanicarũ
rerum status qualis sit hodie intelligi possit.Termi
natur Saxonia ob occasũ Visera fluuio,ad Aquilo-
nem Dacos habet et mare Baltheum,id quale sit et
unde dictum proxima Germanicarũ rerũ relatio de
mõstrauit.Francones ad meridiẽ,quibus Baiouarij
& Bohemi obtendũtur. Ad ortũ Pruteni,Turingi,
Brãdeburgenses,Mixinẽses,Lusacij, qui omnes Sa
xonici iuris esse uolunt. Nobilissimæ Saxonũ ur-
bes Cripsuoldia,Sterinium,Rostochium,cum gym
nasio omniũ disciplinarũ,& hæc in ora. Bradburgi
um urbs ad Hortellam fluuiũ sita,unde Bradburgẽ
sis populus nobilissimus.Diuiditur Saxonicũ solũ
in duas uelut regiones,utraq; est Marchiæ nomen
sortita, quæ recens dicta est , Obdera perfunditur
fluuio,ueterem Albis intersecat. Est Alberstadium
ciuitas cum Deiparæ templo augustissimo, quo ꝓ
phanis non patet accessus,ut quidã memorãt,tan-
tum initiati id phanũ subeũt,inducitur tamẽ unus
aliquis è populo , cinericio die, hominũ opinione
nequissimus:hunc uelato capite, pulla uestę sacris
admouẽt , quibus ritè perpetratis templo eijcitur,
eiectus toto ieiuniorũ tempore nudis calcibus ur-
bem pererrat, diuorum templa uisitabundus , sa-
cerdotes illi uictum suggerunt , mox in Domini-
ca cœna iterum templo inductus , post olei conse-
crationem ab uniuerso clero expiatus dimittitur,
eleemosyna prius accepta, quam piè offert tem-
plo,hunc Adam uulgo uocãt, quia ut Protoplastus
ille omni uacet crimine,per eumq; ciuitas creditur
expiata.Est & Lubicensis omniũ Germaniæ ciuita
tũ ditissima.In Mixinensibus Marsburgium caput
olim gentis , & Lipzgium literario gymnasio nobi
le.In Madburgensibus Mauricij templum , Otho-
nũ Cęsarum opus,cum Florentij conditorio, & Hy
dria una diuinorũ operũ Christi regis teste.Saxoni
cus ager rerũ omniũ præterquam uini ferax,argen
ti fossiones , ad Goslariam salem coquunt albissi-
mum,ex fontium quorundam aquis.Sunt & apud
Luneburgium salinæ,hinc uectigal ingens.Perue-
tustũ est Saxonum nomẽ in Germania, ac Turingi
gico antiquius, manifesto eorum errore qui Saxo-
nes ex Macedonia classe aduectos dixere, Turin-
gosq; expulisse ea terra,quæ sit postea Saxonia nũ-
cupata.Sunt Saxones elato ingenio,& qui cæteros
mortales prænimia animi magnitudine contem-
nant, est & peculiaris lingua ipsi genti,insignis pie
tatis cultus,uestitus,& cætera cum alijs Germanici
sanguinis indiscreta. Phrisones Oceani accolæ ad

Canibali Anthropophagi.

Att.quòd pro grecsæ sint Ibericæ naues.

Saxonum nomen.

Phrisonũ nomen.

Ins. cõmerciũ.

occasum Saxoniam attingunt, gẽs ferox & armis exercita, robusti & proceri corporis, animi intrepidi, seruitutis impatiens, nec dominandi cupida, ob libertatem intrepidè Phriſo mortem oppetit, nec ferre poteſt qui ſe alij præferat: ſacerdotem ſine cõiuge haud facilè admittit, ne alienam ſectetur, adulteria ſeueriſsimè puniunt. In pecoribus omnis eorum pecunia, ager planus & paluſtris multo grami ne fœcundus, arborum expers, bituminoſum urũt ceſpitem & ſimum bubulum lignorum inopia. Libet hic referre memorabile exemplum ingenuitatis in duobus ex ea gente legatis, hi Romam ad Neronem principem publicè miſsi quum celebri ſpectaculo Pompeij Theatrum ingreſsi, quoſdam obſeruaſſent externo cultu inter ſenatores in Orcheſtra ſedentes, didiciſſent́; id honoris exhiberi earum gentium legatis, quæ uirtute & amicitia populi Romani cęteras anteirent: nullus mortalium armis aut fide Germanos præcellere alta uoce teſtati ſunt, atq; ita progreſsi inter patres cõſedere. Eiuſmodi uirorum indole delectatus Nero ambos ciuitate donauit. Eſt & Hollandia Germanię prouincia, Phriſiæ ad occaſum annexa, ſunt hi Oceani accolæ, quidam Traiectum nobiliſsimam Hollandię urbem Galliæ attribuunt: habitus tamen & lingua Germanica eſt, plures annos gens hæc conflictata eſt, ob antiſtitem populariter eiectum. Pontificio anathemate primò petiti ſunt Hollandi, mox & uicinorũ armis, ſemperq́; cũ his infeliciter cõgreſsi, teneritq́; hic malorũ tenor uſq; ad Caliſti tertij tempora, quo pontifice ad Romanæ eccleſiæ obſequium rediere, Philippi Burgundiæ ducis terribili in ſe apparatu perculſi. Hollandi his finitimi in terra Rheni oſtia accolũt, ultimi Germanorũ ad occidentem ſolẽ, horum Dordracenſes opibus & celebritate lõgè principes urbem habent ualidè munitam, negociationi idoneam. Mediterranei Germanorũ Vueſtfali, qui & Sicambri olim, ut credere par eſt, eorum terram claudit Rhenus ab occaſu. Carolus Francorum rex qui magni cognomen tulit: Sicambros, ſi Sicambri hi ſunt, bello uictos ad Chriſtianæ fidei cultũ primò compulit. Cæterùm quum ſæpius rebellaſſent poſt multas clades uni genti illatas ſecretos iudices dedit, qui ſontes ſuo arbitrio necarent: tũ uerò quũ multi laqueo ſuſpẽſi reperirẽtur in publico: nec author nec cauſa ſatis cognoſci poſſet: nouũ ſubitariũq́; ſupplicij genus fregit ferociá gẽtis, ut iã inde qeuerit: Scabini hi iudices nominati ſunt. Eſt weſtfalia frumenti & uini inops: ceruiſia in uſu eſt, bellicoſi indigenę & ingenioſi: inoluit prouerbiũ, weſtfalia improbos, nõ ſtultos gignit. Bructeri qui ad Ameſim amnẽ ſedes habuerũt, & quos nauali prælio uicit Druſus Auguſti principis priuignus, uideri poſſunt qui ſunt hodie Pruteni. Aſsia poſt weſtfalos Turingiæ iũgitur, huius dux fuit Lodouicus Landrafius. Is quum ad imperium magno hominum conſenſu uocaretur, maiorem rẽ eſſe dixit imperiũ quã ſuis humeris ferri poſſet. Cęterùm quia literas ignoraret id quoq; obſtare teſtatus eſt, quo minus rem tantam capeſſeret. Francoonia huic, pxinia. Qui hominũ fuerint ab initio Frãci, & cur id nomen ſortiti, in Gallicarũ rerum relatione diximus, nunc pauca de ſitu terræ & recenti ritu gentis ſubtexenda. Sueui & Baiouarij Franconiam à meridie attingunt: Rhenus illi occiduus: ab ortu ſolis Bohemi & Turingi accolunt: Mogonus amnis ex Bohemiæ montibus lapſus mediam terram interſecat, qui ſuperiorẽ Germaniã diſterminat ab inferiore. Videtur Mogonus nũc eſſe quem Obrincam Ptolemæus uocat: Rheno infunditur è regione Moguntiæ: unde primò Moguntia olim dicta, ut quidam arbitrati ſunt: dein corrupta uoce Maguntia. Habet Franconia Bambergenſem eccleſiam ad Pognitium amnem ſitam: Henrici ſecundi opus uiſendum, ac clari nominis in Germanis. Nobilitauit locũ Berengarij exiliũ, qui quũ Italię regnum occupaſſet, ab Othone captus hic diem obijt. Imminet arx his locis triſti ad recordationẽ exemplo: oppugnatus eſt diu in ea Albertus Francorum comes, Othonis Saxoniæ ducis ex filia nepos: petebatur huius uita in ultionẽ cædis. Fuerat Conradus Lodouici regis filius ab eo interfectus, nec quũ aperta ui ſubigi poſſet, fraude captus eſt. Perduxit illum ad imperatorem Otho Magũtinus antiſtes, qui ſanctiſsimo iureiurando interpoſito futurum, ut eum incolumem ſuis reſtitueret: cæterùm ne quando periurij argui poſſet, ubi in apertũ egreſsi ſunt, autor fuit Alberto ut in arcẽ reuertereẽtur, ac priuſquã ad hoſtẽ iretur cibum caperent. Paruit Albertus: pranſi ambo ire pergũt: ubi ad hoſtẽ uentũ eſt, cõfeſtim Albertus raptus eſt ad ſupplicium. Implorat ille Othonis fidem, iuſiurandum celebrat: cui Otho, Præſtiti, inquit, fidem quũ prandij prætextu te in arcem reſtitui. Et Otho uir multæ alioqui uenerationis tam flagitioſe hoſpitem perdidit: tanquam parum cõſtaret fraude aſtringi periurium, non ſolui. Eſt Fráconius ager plurimum ſabuloſus: & ob eam rem ſterilis, regio ſyluis obſita: mirumq́; proinde uenãdi ſtudium genti. Iacet Germaniæ portio, quæ Noricum appellatur, inter Danubium & Norimbergam urbem, quam Franconię attribuũt quidã: ſed Norimbergij ipſi non Francones credi uolũt (nõ Baiouarij) quũ ab utriſque ſint certis finibus diſcreti. Eſt Forche in Noricis locus, præcipuo panis candore inſignis, diſtatq́; id oppidum non procul à Norimberga: huius terræ accolæ Pilatum cognomento Pontium, popularem ſuum memorant. Hinc Federicus tertius, hinc Albertus frater, uir rei bellicæ gloria omni æuo memorabilis: geſsit is cum Norimbergenſibus graue bellũ: quo motu tota penè Germania in partes abijt: eſtq́; interim nouies acie dimicatum: fueruntq́; prælia hæc omnia Alberto ſecunda præter unum. Militauit in Polonia, pugnauit in Sleſia, caſtra poſuit in Pruſia, hoſtes in Bohemia fudit, nullus eſt in Germania locus cui nõ ſuæ militiæ ueſtigia impreſſerit, ad ſummã pluribus interfuit prælijs quàm cęteri duces ſui temporis aut uiderint, aut audiuerint. Sæpius ex prouocatione dimicauit ac uictor ſemp, ſæpe galea duntaxat & clypeo tectus cætera inermis, multi equitum ſunt ab eo haſta ſuperati, & ad terram deiecti, ipſe nunquam ab ullo eiuſmodi certamine uictus: quo eſt factum, ut Theutonicus Achilles ſit dictus. Baiouariæ, quę Franconiam attingit, Alpes ad meridiem obtenduntur, Sueui ad occaſum, ad Aquilonem Danubius. Hanc olim terrã Norici habuerũt, portio quædã ex ea trans Danubium, nunc quoq; Norici nomen habet. In uetuſtis codicibus Baioariã plurimum legere eſt, quæ uox à Boijs facta uideri poteſt, ut Boiouaria ſit olim nũcupata. Gnoſius Strabo autor eſt, Boios gentẽ Gallicam Romanis armis Italia eiectos, circa Iſtrum cũ Tauriſcis habitaſſe: iam & illud ab eo traditur, habitaſſe Boios aliquando Hirciniam ſyluam, aut Boiouaricus ager trans Danubium non parua ſui parte Hircinia occupatur: de uaſtitate ſyluæ huius alio eſt loco ſermo habitus, tenuit uſus, quod ad preſentem rem attinet, ut Bauaria hodie non Baiouaria dicatur, eſtq́; eius terræ ſermo Germanicus, caput gentis Salzburga, olim Iuuanumi fuit, à flumine cui uicina eſt, & hæc Germaniæ ſunt. Alſatia, quæ quondam Eluetia fuit, nunc Galliæ, nunc Germaniæ habita eſt. Sed in Germaniæ rebus diutius fortaſſe immorati ſumus quàm hiſtoriæ huius ſtilus exigat, uerùm non ab re fuit id facere, ut Italia excepta, de qua ultima erit relatio, Europa abſolutè diceretur: nunc ad regum & populorum geſta redeo, & ut paululum adhuc Italia abſim, Mathiæ Pannoniæ

Att. exemplũ in Phriſonum legatis.

Hollandia.

Sicambri.

Bructeri.

Franconiæ ſitus.

Noricũ ſitus.

Pilatus.

Albertus.

Theutonicus Achilles.

Mathiæ rex interim.

niæ regis facit interitus quì in hæc tempora incidit, ab cuius exitu quia ſine hærede deceſsit, continuò cœptum eſt de regni poſſeſsione diſceptari in ter Maximilianum Federici filium, & Vladislaum Bohemiæ regem, tenuit diſceptatio ea plures dies, eſtq́; interim penè iuſta acie utrinq; dimicatũ. Poſtremò Maximilianus Vienna cæteriſq́; Auſtriæ locis, quæ Pannon Matthiæ ductu Federico patri bello ademerat, receptis, Pannonia certo fœdere abſtinuit. Incidit Pannonicus hic tumultus, cuius nunc mentio facta eſt, in nonageſimum ſupra milleſimũ ac quadringenteſimum Salutis annum, quo ſanè tempore Venetis piratas toto mari Thomæ Zeni ductu inſectantibus, Paulus Catinenſis haud obſcuri nominis pirata cognomento Camalius Ragu ſino portu interceptus, Venetias ad ſuppliciũ mittitur: hic magno patrocinio defenſus uix tenuit, ut extra uincula in urbe liceret eſſe, dein paulatim animo ad religionem inclinante, eò proceſsit, ut Anachoritico habitu, capite & pedibus nudis uagaretur, & qui nautis toto mari nuper terrori fuit, mitis humiliſq́; ac ſeminudus conſpiceretur, ad Eremitanum cœmiterium diuerſabatur inter mortuorum oſſa, ſubterraneo ſpecu cubans. Vidi aliquando locum, quem animo contemplatus non potui nõ uehementer mirari, in uno aliquo tã repentè omnia mutari contigiſſe, ſed nos fateri oportet pronam eſſe naturam hominis ad uirtutem, & ad pœnitentiam habilem, ſi diuina iuuet gratia. Fuit hyems anni huius citra omnem hominum memoriã rigida & niualis, iacuerunt inſolubiles niues uſq; ad initium æſtatis in quibuſdam locis urbanis, concretũq́; eſt circa urbem ſtagnum quàm longè lateq́; patet uſq; ad mare, tã alta glacie, ut ex Margaria uico & alijs circumiectis locis pedibus currũq́; ad urbem iretur, diſſerenauit poſt caſum niuiũ in plures menſes, circumuehebantur uenales aquæ, ut aſſolet, in cymbis, uerùm rigore concretæ ac ſecuribus diffractæ, ut magis oculorum æſtimatione uenderentur quàm menſura, paluſtres & marinæ uolucres in paludibus deprehenſæ, minoraq́; animalia intoleranDis frigoribus paſsim interiere. Quieſcebat per id tempus Italia, pace ubiq; parta, quũ Venetis nouus terror à mari ortus eſt. Othomanica claſsis quum minimè expectaretur, Helleſponti faucibus egreſſa, præterq́; Græciæ oram uehẽs, haud procũl Corcyra tumultuoſe conſedit. Nec ita multo pòſt Baiazetes rex cũ ingenti exercitu terreſtri ductu in Epirum uenit, nec Veneti in manifeſto rerum periculo ociosis hæc auribus audire. Erat tum Methone Andreas Lauretanus uir impiger, ad alterius Camalij archipiratæ curſus inhibẽdos miſſus. Is penè prius quàm res tanta nũciari potuerit, cum naui una munitiſsima cui præerat, & uiginti negociatorijs incredibili celeritate inſtructis, triduo Corcyrã tenuit. Sunt ex urbe & inſulis naues eò ad præſidium miſſæ Laurentij Paſchalici ductu, pperare hæc Veneti ne locus inſidijs relinqueretur, ſed uis illa bellica in Chimerinos uerſa eſt, tenent hi arduum & inacceſsum penè locum in Acroceraunijs, Strabo Gnoſius Chimerium uocat, eminensq́; id ſolum interpretatur, huius loci incolæ ferox & indomitum genus hominum, aliquandiu tributum Baiazeti abnegauerant, ob eam rem petiti ſunt bello. Sed hi terrificos hoſtium apparatus ueriti, metu ſubacti ceſſere. Manſitq́; interea pax Veneto incolumis, uel quia Baiazetes eam uiolare noluit, aut quia non potuit, re aliquanto prius præuiſa. Ipſe quod ſatis conſtat, Chimerinis ad imperium retractis, pacatus retrò abijt. Perluſtrauit inde Lauretanus internum mare, qua latè ad ortum panditur, prædones inſectatus, quo tempore Calendis nouembribus Cous in ſula in Ægeo tã uehementi motu terræ cõcuſſa eſt, ut tria eius oppida funditus ſint euerſa, obtritaq́ue ad quinq; milia inſulanorum ſubita ædificiorum ruina. Secuta eſt annum hunc ęſtas Innocentij pontificis morte inſignis. Huius loco Alexãder ſextus fit pontifex, anno Salutis milleſimo quadringentesimo atq; altero à nonageſimo. Fuit Alexander Caliſti põtificis perneceſſarius, floruitq́; ab illius pontificatu ad id tẽpus autoritate & opib, inter principes ſupremi ordinis. Erupit cõfeſtim abillius creatione inter nouũ pontificem & primorũ antiſtitũ quoſdam grauis diſcordia, factaq́; eſt ab his receſsio, fauebatq́; res nouas molientibus Virginius Vrſinus, qui Alexandrum ſtatim ab eius creatione habuit infeſtum, dubium ob reſiduum illius in eã familiam odium, iam inde à Caliſti pontificatu conflatum, ob Borgiam fratrem, an quòd Verginius ex Franciſco Innocentij filio, aliquot urbi propinquа uiæ Caſsiæ regione emiſſet oppida, hæc certè cauſa prætenſa eſt, fuiſſetq́ue ſumptis armis in conſpectu urbis continuò bellatum, niſi Ferdinandus rex cuius ſtipendium merebat Verginius, nonnihil interceſsiſſet. Redijt Alexander breui pòſt cum Verginio & ijs qui receſsionem fecerant in gratiam, ſed odij ſuſpicio ſemel animis recepta non paſſa eſt concordiam coaleſcere. Iulianus Oſtienſis antiſtes paucis diebus quibus Romã rẽdierat, iterum Oſtiam receſsit, quia indicio compẽriſſet inſidias ſibi parari: hęc enim cauſa nouę receſsioni prætenſa eſt: alij animis ſemel ad diſcordiam inclinantibus pacem (ut dixi) malè focillatam diuturnã eſſe non potuiſſe arbitrati ſunt. Extabant per hęc argumenta odij nihil obſcura inter pontificem & Ferdinãdum regem, uel quia rex annuum tributum non redderet eccleſiæ, aut quod diſcordiã circa pontificem ſua ſponte ortam occultis alebat ſtimulis, ne reddere cogeretur. Exarſit diuerſa parte hoſtile odium inter Maximilianum regem, et Carolum octauum, qui in Gallis latè per id tempus regnabat. Erat Maximiliani filia Carolo deſponſa, duxit autem is uxorem (ut alio eſt loco memoratum) Caroli ducis Burgundiæ filiam, quo matrimonio erat puella orta. Hanc Gallus ex improuiſo repudiat, iunxitq́; ſibi ex citeriore Britannia nouam coniugem Annam, Frãciſci eius terræ ducis filiam, quæ à patre hæres relicta dotale ſecum trahebat omne Britannicũ nomen, & quod multo atrocius uiſum eſt, erat hæc Maximiliano cõiunx promiſſa, aut certè facta ſpes erat connubij, prior enim coniunx Carolo Burgundiæ duce genita fato deceſſerat. Traxiſſet duplex contumelia utranq; gentem in fœdũ certamen, niſi quum aliarum gentium, tum Venetorum legati, & Leonellus Concordienſis antiſtes à põtifice ad id in Galliã miſſus interueniſſent, q re gũ animos lenire adorti, precibus hortatuq́; ægrè tenuerunt ut armis abſtinerent. Franciſcus Capellius, & Zacharias Contarenus à Venetis hoc nomine ſunt in Galliam miſi: in Germaniam Paulus Piſanus & Georgius Contarenus. Erat & alia conflati inter reges belli non minor cauſa, ac neſcio an etiam maior, quòd Burgũdia & Artheſium à Lodouico rege Caroli patre interceptum, armis repetẽbatur à Maximiliano, qui Atrebatẽſibus receptis, urbem nobiliſsimam fecit belli ſedẽ aduerſus Gallos. Miſsi ſunt & in Hiſpaniam per idem tempus Hieronymus Leo, & Georgius Piſanus, ut Ferdinando regi Bethicam uictoriam gratularẽtur, quò poſt Zaram, Alphamam, Rondam, Maliciam, & alia de Mauris loca bello capta, Granatam regni cãput cum ipſo rege bello ſubegiſſet. Eſt & Marcus Dandulus ad Vladislaum in Pannoniam miſſus, qui amico regi gratularetur, quòd regnũ adeptus eſſet opulentiſsimum, ac ſi qua de eo diſceptatio orta eſſet, ex ſententia compoſuiſſet, ubique legati benignè habiti, equeſtriq́; dignitate à regibus donati, & hæc foris. In Italia Veneti cũ Alexandro pon-

Camalius pirata uapitur.

Hyems niualis.

Chimerini.

Alexander VI. pontifex.

Antiſtitum ſeceſſio.

Carolus rex.

Maximilianus rex.

tifice & Lodouico Sfortia,qui iam suo arbitrio res Mediolanensium administrabat,fœdus percussere. In mari Andreas Lauretanus Camalium piratam Venetis rebus infestum, in ora Libyæ adeptus, ex alto trepidum compulit ad littus, ex piraticis nauibus aliquot incensis,quibusdam etiam captis,uisa est ea uictoria insignior,quòd Barbari locorum accolæ circa littora occurrantes laborantibus Turcis auxilio fuere. Sed dum hæc circa Libyam geruntur, nō mediocris est clades in Liburnia accepta, nunc terra ipsa Croacia est. Septem milia hominum sunt uno prælio interfecta. Conflixere ea pugna ad nouem milia hominum Pannonum Liburnorumq;, quorum terram assiduis cursibus uastabant Turci, fuitq; ab initio cruentum certamen,cæterùm Turcis egregiè uincentibus,cæsa est Christianorū acies ex parte multo maxima, uix duo milia media strage dilapsa per saltus & nemora in pacatum abierunt. Victor hostis ut cæsorum numerus commodius iniretur nares iacentium exectas, balteolisq; insertas secum extulit. Fecit hūc annum insignem Venetæ ciuitati nobilium hospitum ad urbem appulsus. Affuit primò Hermes Sfortia cū honestissimo comitatu. Secutus Saxoniæ dux Hierosolymis reuersus, inuiserat is uoti causa Christi sepulchrū. Nec multi inde dies interfuerunt, quibus Helisabet Herculis Estensis filia, Francisci Gonzagæ, qui tum Venetum merebat stipendium uxor, secundo Pado Venetias est delata, ac pòst paulo Leonora Herculis coniunx in urbem aduecta est cum Beatrice altera filia,nupserat hæc admodū puella Lodouico Sfortiæ. Itum est ijs obuiam ab uniuersa ciuitate in amicorum principum gratiam, suntq; in urbe ludi multifariam celebrati, in quibus puellæ suburbanæ nauali cursu certarunt, spectaculum adid tempus Veneræ urbi insuetū. Fuit hic alter annus ab Alexandri creatione,quo se in autumnum uertente Alpina flumina prodigioso auctu omnem ferè terram quæ intra Padum iacet & Alpes,per partes inundarunt,cum multa hominum & pecorum strage,in Bergomati primò subita uis illa aquarum erupit,pari clade sequentibus diebus Veronę laboratum Athesis inundatione, Patauinum inde agrū & omnem Carnorum oram eadem uis Cataclysmi inuasit. habuit res alioqui prodigiosa hoc plus admirationis,quòd parum euidenti causa extitit subita illa inundatio,quum ne pluuio quidem cœlo, ut quidam aiebant, flumina creuissent, & quòd dierum interuallo non uno sit die ea clades euagata. Scio non defuisse qui interpretarentur multum imbrium in Alpibus effusum,discussumque ui uentorum ex arborum foliis causam extitisse, ut torrentes multi uno impetu in subiecta flumina præcipitati insuetum fecerint incrementum. Cęterùm siue hæc fuit causa, siue alia magis occulta, insueta rei facies in prodigium uersa est, multi portendisse arbitrati sunt tumultuosum Gallorum in Italiam descensum,ductu & auspicijs Caroli octaui, quo tempore magno cum Italiæ motu Alphonsus iunior Neapolitano excidit regno. Ferdinādus pater iam grandis natu medio belli apparatu fato obijt. Vendicabat sibi Carolus hæreditario iure id regnum, ut fama ferebatur, hæc belli causa illi prætensa est, sed ut præcipua hæc,ita fortasse non sola,nā quod ad hæreditarium ius pertinet, Ioanna Ladislai soror fratre sine liberis defuncto, Neapolitani regni gubernaculum adhuc puella cepit: uerùm uix tantus est illi fauor ab initio conciliatus ætatis flore, sexusque imbecillitate, quanta mox secuta est infamia,ob fœdos, quos illa malè dissimulauit, amores,aut quia non potuit,aut quia noluit: inter suorum itaque odia destituta, reputans animo regni gubernaculum multo maiorem rem esse quàm tuto queat à fœmina administrari, Iacobo Marchiæ comiti nupsit,ut suo est loco memoratum, cum eo postea diuortium fecit,hominis potentiam pertæsa. Gallus,ut magno erat animo, confestim à nouo connubio regem & moderatorem egit, quod diu ferre non potuit mulier imperio assueta. Recepit in de regina Alphonsum in adoptionem Ferdinandi filium,cuius opes latè in Hispania & Sardinia pollebant: cæterùm ut inconstans est & uarium mulie bre ingenium,hoc quoq; abdicato Rhenatum Andegauensem adoptauit sibi. Alphonsus eam contumeliā haud ferēdam ratus,reginam graui bello implicitā quoad uixit hostiliter uexauit,inde cū Rhenato bellum gessit,quem Neapolim demum compulsum, ac biennio obsidione fatigatum, urbe capta in arcem redegit, hinc quoq; Gallus rerum desperatione deiectus, quarto anno quàm fuerat ex Gallia accersitus,regno excidit. Fuit inde nō unus Gallorum conatus, nam undecimo pòst anno Rhenatus in Italiam uenit cum duobus milibus equitum,Francisci Sfortiæ & Florentinorum opes secutus,sed horum fauore destitutus breui Italia excessit,nil ultra moliri ausus. Alphonso dein uita defuncto Ioannes Rhenati filius in regnum accersitus, magno principum studio,parum abfuit quin toto regno sit potitus,sed ut incerti sunt bellorum exitus,Gallus ingenti ad Troiam prælio uictus, non multo pòst regnum relinquere coactus est. Gessit inde Ferdinandus bellum magis graue quàm longum cum Turcis,qui Hidruntum occuparunt. Incidit inde Innocentij temporibus in nouū discrimen subita principū defectione: hoc quoq; bello satis feliciter Ferdinādus est defunctus,stetitq; semp magis alienis quàm suis opibus,atq; per hos bellorum motus qui sparsim à nobis suprà referuntur, duo Aragoniæ gentis reges Alphonsus maior & Ferdinandus eius filius annos circiter sexaginta Neapolitanum regnū tenuere. Obijt interea Ioannes Rhenati filius,cui pater iam senior haud multum superfuit,Carolo fratris sui filio hærede cōstituto. Is sine liberis moriens Lodouicum Galliæ regem, qui fuit Caroli octaui pater,testaméto reliquit hæredem, quo iure innixus Carolus nono ferè sui regno anno,Neapolim & quæ Rhenati fuerant in Italia, armis sibi uendicare statuit, & hæc prima belli causa fuit. Cæterùm nō tā regni possessio q̄ laudis & gloriæ immodica cupido, acerrimus magnorum regū stimulus,tempestiuaq; paucorū adhortatio,iuueni Iem animū ad id bellum accendit, qui id bellū suadebant, regem à domesticarum rerum conspectu, (ut fertur) auertere conati sunt, quo minus aulicis essent obtrectationibus obnoxij, polliceri eiusmodi uiri adolescenti uictoriā, Italorum principum discordia freti. Scio fuisse ea tempestate qui persuasum habuerint, Carolum in Italiam & nuncijs & literis accersitum,sed per quos ille, ac quibus de causis ad id fuerit bellū inuitatus,in rebus Venetis latius scribitur, ubi causæ belli, totaq; rerum gestarum series quatuor uoluminibus explicantur. Tenuit nonnihil ea consultatio inter regem & primores Galliæ,an Italia esset bello lacessenda: Rex tametsi plerique principum quietem armis præferebant, horrebantque Italiæ nomen semper Gallis exitiale, decreuit sibi tamen Italiam prouinciam,nec prius bellum ostendit quàm res Galliæ ex sententia composuit,cum Hispaniæ & Britāniæ regibus pacē fœdusq; iūxit,Rusinone,hodie Rusicillo est,circa Pyreneum,Hispanis restituto,uenit & cū Maximiliano in colloquiū,Italiā inde literis & nūcijs ad destinatū bellū cœpit solicitare,& in primis Venetos, qui amicè hortati sunt regem ut bello abstineret, nec Italiæ statum, quando nulla inde iniuria esset in Gallos profecta, inquietaret: quòd si proposito rex auerti non posset, staretque fixum uelle id bellum exequi, iure ueteris amicitiæ ab eo petere, ne Venetos

Præclarū Lauretani facinus.

Prodigiosus fluuiorum auctus.

Ioanna regina.

Alphōsus rex Rhenatum ex.

Causa Neapolitanæ.

Venetos in partem huius belli traheret, quod esset media Italia gerendum,pro cuius quiete Veneta ciuitas semper excubare consuesset, tenuerūt per hęc Veneti ut neutrarum partium censerentur,pacatiq; Gallum in Italiam transmitterent. Eratque Italia in noui belli expectationem erecta, quum repentè est nouum fœdus ictum inter pontificem & Ferdinandum regem adhuc in humanis agentem, resedirtque ob hæc nonnihil Romæ pontificis & antistitum discordia. Verginius qui totus Ferdinādi erat,ad officiū redijt. Iulianus Ostiensis antistes,quique cum eo sensērāt,tum demum sunt Romam reuersi. Sed is (ut suprà est demonstratum) siue quia sua sponte parū pontifici crederet,siue indicio com perisset Alexandrum parum sincera fide secū in gratiam redijsse,Ostiam secessit,quam arcem præsidio obtinebat. Per eos dies quibus hęc circa urbem gerebantur, nunciatus est Federici imperatoris exitus,nonagenarius obijt,estque adeò exquisito exequiarum apparatu à Maximiliano filio elatus, ut triginta equitum milia eū funerasse dicantur. Nec multò pòst Ferdinādus rex in Italia uita decessit,quum iam ex Gallia nuncijs & literis afferretur Italicum bellū terra & mari à Carolo summa ope parari. Alphonsus cōfestim à patris interitu rex salutatus est, qui ad confirmandas sui regni opes, ut Alexādrum pontificem in fœdere & amicitia retineret, nouam cum eo affinitatem iunxit, fœdus instauravit, misit & ad Venetos, quos etsi socios non erat habiturus, hostes tamen haud sibi futuros arbitrari. Florentini cum eo iam antea ictum fœdus habebant, multū diuque conatus est per pontificem Venetos trahere in partes belli: quod ubi ille per se efficere non potuit, per Baiazetem Turcorum imperatorē enixius laborauit Venetum nomen Gallorum motibus opponere. Verū enimuero nihil æquè Alphonsus horrebat ac Mediolanensium opes, quæ per Lodouicū Sfortiam ad Gallū trahebantur: & ne omnia fecisse uideretur, quæ ad stabiliendum regnum attinerēt, tametsi Gallorum oratoribus reclamantibus celebrantibusque Carolis regis iura, quarto ferè mense à patris interitu, tenuit ut regni diademate insigniretur. Cæsar Valentinus antistes coronam & cætera insignia ex urbe ad id Neapolim ab Alexandro pontifice missus, solenni hominum conuentu multaque cęrimonia detulit. Et iam constans fama erat Gallos Alpes transcendere, classemq; ab infero mari Italiam breui inuasuram, quum Ostiensis antistes pontificis, & Alphonsi regis fœdere affinitateque commotus, intempesta nocte ex Ostia ad mare secundo Tyberi delatus, Genuam irrequieto cursu contendit, unde literas ad pontificē dedit & ad antistites supremi ordinis, se ad omnem simultatis & discordiæ materiam tollendam procul ab urbe abfuturum, quoad res Italiæ pacatiorem sortirentur statum, iturum ex Genua in Galliam, non ut quippiam moliretur, sed ut ab omni inuidia procul abesset. Nec ita multum Genuæ commoratus in Galliā transmisit. Ostia pòst huiusmodi profectionem aliquandiu oppugnata est pontificijs armis, ad postremum primorum antistitum collegio non pontifici dedita est. Et iam annus ille uergebat in autumnū, quum quadraginta Sfortianorum turmę Caiatiani comitis ductu in Parmensi agro consederunt, Aragonijs pontificijsq; copijs obuiam processuræ, quę in Flaminiam uenturæ dicebantur, ut primis Gallorum motibus sese obijcerent. Nec Veneti in tanto Italiæ motu omnino quieuere, quin ut mare in potestate haberent, classem decernunt, decretæ Antonium Grimanum præficiunt, qui cum imperio insulis & maritimæ oræ præsideret. Is paucis dieb. quibus est domo profectus, diui Marci procurator creatur, nec quia decreta esset classis, rerū propterea terrestrium omissa est cura. Secutū recens senatusconsultum, ut pedestres equestresque copiæ augerentur. Interea Aragonia classis ad Arni fluminis ostium processit, siue Ligurnium, eratq; in ea Petrus Fregosius summi ordinis antistes, & Obiectus Fescius Genuensiū nobilitate & fama lōgè princeps: nulli dubiū fuit eo consilio Alphonsi classem in Heturiā uenisse, ut Genuæ nouus aliquis oriretur motus, ubi Caroli regis opulēta ornabatur classis. Occurrit Genuam ex Alexandria Lodouicus dux Aurelienſis, qui iam in Italiam transiuerat, & cū eo Salernitanus princeps, cui decretum erat à rege classis imperium, ut Campaniæ, Lucaniæ, & Brutiorum oram à mari inuaderet, & res Italiæ in hoc motu curarant. Alphonsus rex interim cum Alexandro pontifice in colloquium uenit ad uicum Varonis. Est is locus in Valeria Anieni fluuio incubans, ut non inepte interpretetur, si quis à uia nobilissima Valeriū uicum olim dictum existimet, Vrsinorum uetusta sedes,ac ditionis princeps locus,quo tum clerus frequēs, & in his undecim supremi ordinis antistites conuere,pontificem secuti,oratores præterea regum liberorumque populorū plerique, aderat & Verginius Vrsinus regiarū copiarū imperator. Hic Alphōsus, ubi de summa belli,cuius rei causa eò uenerāt, cœptum est referri, in hanc sententiam uerba fecisse dicitur: Vellem ego, Alexander pontifex maxime, patres, & uiri præstantissimi, ut quemadmodum in hoc modico cōuentu, qui pro maiestate sedentium amplissimi quiddam haberi instar concilij, dere non parua sum hodie dicturus, ita ex specula aliqua eminentissima,unde à tota Italia & conspici possem & audiri, alta liceret uoce testari, quid de hoc Gallico tumultu sentiam, qui Italiæ imminet. Certè si nihil suadēdo proficerem,relinquerem tamen apud omnes testatum, & prędixisse me iam antea mala quæ hinc euentura sunt, & ut illis iretur obuiam, consilio & opibus me autorem prębuisse. Nunc etsi planè uideo autoritatem meam leuiorem fieri ob uulgati belli famam,quę de industria est à Gallis dissipata, ut dicant se Alphonsum regem,eiusque regnum,non Italiam petere, dicam tamen quod sentio, illudque omnium primum, & ut uerè,ita liberè dicam,fuisse me euentum belli huius minus solicitè expectaturum,si compertum haberem in me tantum & meos, qui Italia incolumi cadere non possumus, hoc bellum comparari, sed aut Gallorum ingenia parum mihi nota sunt, aut tota Italia bellum habitura est. Nec quia Neapolitanum regnum hæreditario, ut ipsi aiunt, iure à me reposcunt,si (quod nolim) eius rei compotes fiant, sunt propterea cæteræ Italiæ parsuri. Iam satis superque nota est Gallorum auaritia, nota inexplebilis auri sitis,libido alienæ terræ occupādæ,diripiendæ,notum odium in omne Italicum nomē. Etenim quam, per Deum, aliam eorum maiores habuere causam inuadendæ Italiæ, ut ne natura quidem rerum omnium potentissima, asperrimarum obiectu Alpium illorum rabiem coërcere potuerit, nisi ut armis domitam opibus & fortunis spoliarēt, spoliatam uectigalem facerent? Quid Cenomani, Insubres, Boij, Senones, aliud secuti sunt? quibus non satis fuit occupasse quicquid soli inter Apenninum iacet & Alpes, quinetiam Apennini iuga transgressi in ipsa Italiæ uiscera penetrarunt, Romam Italiæ caput ceperunt, captam diripuerunt, direptam igni ferroque delere conati sunt: deleuissentque haud dubiè, nisi Capitolium cum arce defensum, diram gentem proposito auertisset, tanta fuit his omni tempore perdendæ Italiæ cupiditas, tanta delendi nominis libido. Quid quòd ne una quidem uictoria contenti esse queunt? nam quid aliud est Neapolim cū Apulia & Calabria occupare, extremumque Italię angulum obtinere, quàm se uelut in nassam quandam atque in arcta uincula conijcere, ubi

Alphōsi regis oratio.

Federici imperatoris interitus. Ferdinādi Neapolitani regis interitus.

Primi partiū apparatus.

ferro & fame ferarum ritu conficiantur, nisi tota illis Italia ad libitum pareat? Habebūt, dicet aliquis, Mediolanenses ad obsequium paratos, habebūt Genuenses, at nō semper illi ut hodie Gallorum rebus consultum uolent. Quare nisi stulti sunt Galli, non magis hodie de Apulia & Calabria subigēda cogitāt, quàm de reliqua Italia, iam & in Turcos bellum trāslaturi dicūtur, quòd nisi Italiā ad obsequiū habeant paratā, qua spe, qua fiducia id bellū inchoari possit, haud satis intelligo. Quod quū itasit, uideo equidem Alexander pontifex optime, uideo patres pientissimi, ac tam perspicuè, quàm quæ oculis uideri solent, nisi communi Italiæ consensu, præsenti incēdio maturè occurratur, fore ut breui omnia sint pariter deflagratura. Enimuero Gallici motus eo semper terribiliores uisi, quo magis subiti & precipites, quàm aliarum gentium. Addo feritatem gentis, quæ tanta est ut de uita cum his dimicari oporteat. Non bellorum induciæ, non captiuorum permutatio, non linguæ, non morum commercia ulla, de uita, prima & ultima dimicatio est: quo fit ut quāto magis ab hoc mitiore bellandi more quo utitur Italia, abhorrent, eò sint illorum arma magis formidāda, longeq; ab Italiæ finibus arcēda. Quod quum nō mihi magis & meis, quàm Italis omnibus periculum ab ea gēte immineat, nec de fortunis modò, sed de uita sit futurum certamen, tuum est beatissime pater, est & omnium principum Italiæ populorumq; pro communi salute, communi nomine bellum hoc susc ipere, socia arma iungere, imminētem pestem ab ipso Italię limite propulsare, ac si qui pro Gallis sentire creduntur, summa ope adnitendum ut nobiscum sentiāt. Italiæ libertatem cum suis defendant, uetustissimo illo cōsensu opus est, quo uetus Italia in Gallicis motibus semper usa est, in qua re cōficiunda tua in primis opera nobis opus est Alexander pontifex optime, qui quo plus autoritate polles, eo magis tuo monitu, hortatione, imperio niti debes, ut cæteri in Italia tuēda tecū sentiāt. Quod si, ut spero, tua beatitudo tenebit, ut omne Italicum nomē in unū cōspiret, haud dubiè uicimus, auertētur suo conatu hostes metu nostrarū uiriū, aut si qd ultra tentabunt, ut in intima Italiæ loca irrumpant, nihilo meliore euentu bellabunt, quam eorum maiores in hac terra sæpius bellasse dicuntur, quippe qui haud unum Italiæ locum sua clade nobilitarūt. Consensu opus est (ut dixi) celeritas in ea adhibenda, interim Ferdinandus filius, cum magna nostri equitatus parte, tuis q̄ue pater beatissime, & Florentinorum auxilijs, opportuna intra Padum loca, & Apenninum insidebit, ut primis hostium motibus resistatur: quòd si minus contingat, ut Gallis, quia aliorum fauore destituti simus, obsisti non possit, tum alij uiderint qua uia sibi & suis consultum uelint. Ego quod ad me attinet, totis regni uiribus cōnixus, priusquam Galli nostros fines irrumpāt, acie cum his confligere constitui, ut uel uno prælio, si prosperè cedat, res meas cum tota Italia defendam, aut si (quod nolim) uictus fuero, pulchra morte uitam cum regno finiam. Laudatus est Alphonsus ab omnibus, & in primis à pontifice, iussusq̄ue est bene sperare fortiq̄ue animo esse, futurum ut neque ecclesiæ opes, neq; suam operam in tanto bello desideraret, neque in ueteribus socijs in fide continendis, neque in nouis comparādis suum studium defuturum, quod ut re etiam præstaret, oratores qui aderant uehemēter hortatus est ut ad suos publicè scriberēt, & ipse se missurū pollicetur, qui totam Italiam in Gallos concitarent, bellumq; communi nomine in eam gentem suscipiendum suaderent, atq; ita dimisso conuentu Alexander Romam, Alphonsus in proximos regni fines diuersi abierunt. Nec multi adeò dies interfuerunt, quibus Columnenses Ostiam subita ui occuparunt, Ascanij (ut creditur) impulsu. Erat Ascanius Lodouici Sfortiæ frater, qui in eo motu, ne qua uis sibi inferretur, ad Columnenses, qui iam ex confesso pro Gallis stabant, fecesserat. Necita multò post Caroli regis edictum est Romam allatū, ut quicunq; ex clero facerdotiū haberent in Gallia, quindecim dierū spacio ex urbe discederent, id si qui minus maturè fecissent, maiestatis rei omnibus bonis mulctarentur. Multi pontificem reueriti, sed plures omnino ne circa urbem capti spoliatiq; cum ignominia in urbem retraherentur, quod quibusdā accidit, in officio permansere, & æstas illa cum magna autumni parte per hæc exacta est. Et iam hyems apperebat, quū Aragoniæ pontificiæq; copiæ Ferdinandi & Nicolai Vrsini Petilianum comitis ductu per Ariminēsem agrū Flaminiam ingressæ, ad Sapim fluuiū cōsedere. Oritur is ex Apennino, ac præter Cæsenam lapsus in Adriā euoluitur. Affuerunt continuò Sfortiani duces cum suo exercitu, suntq; castra castris penè collata, erātq; cum Sfortianis ad quatuor milia Gallorum equitū, peditū tria milia, quæ res fecit ut ab initio ualidiores uisæ sint res hostium quàm Pontificis & sociorum. Traxerat hic motus totam ferè Italiam in partes, uersabatq̄ue spes & metus animos hominum, nec erat qui de tam terrifici belli euentu non uehementer esset solicitus, quisq; ex suo ingenio periculum metiri, sed pars multò maxima malè ominari, tanquam necesse esset Italiam eo bello, quod instabat, tetram aliquam cladem adire. Augebant hunc metum sua sponte subeuntem astrorum periti, qui siderum quorundā defectus astruentes, aperta prædicatione cædem & fœdas populationes Italiæ denunciare: quæ res fecit, ut quum prodigia quædam alia alibi per eos dies facta dicerentur, temerè sint credita. Auxit uulgi opinionē Caroli regis per eos dies in Italiam ingressus, cui uenieti circa Astam urbem officij causa occurrit Lodouici Sfortię uxor cū exquisitissimo mulierum comitatu, cētum circiter matronæ in auro aut holoserica ueste, illam ex Mediolano secutæ. Sed dum rex hic sedet febre implicitus, circa Genuam Obiectus Fescius cum aliquot milibus hominum ad Rapallū in terram egressus, subito hostium occursu uix prelio iniecto in fugam uertitur, multi ex ijs qui cum eo erant, aut cæsi sunt aut capti. Et in Flaminia per idem tempus maiore arte quàm uiribus bellatum magna simulatione dum cum & principum qui in partibus erāt. Fuerunt interim qui crederēt, autores Gallici belli persuasum habuisse posse fieri, ut quum in Flaminia frangeretur primi Gallorum conatus, fœda illa armorū tempestas in Venetos uerteretur. Sed hæc in rebus Venetis plenius dicūtur. Fuerūt itaq; plures dies uelut quædā bellorū feriæ, tēperatūq; est utrinq; armis, ad postremum commissa sunt leuia quędam prelia, eaq; per occasionē alterius partis gesta. Interea Columnenſium opes plus nimio circa urbem innalescere, interclusiq̄ue erant ab his qui Ostiam tenebant commeatus, qui Tyberi ad urbem subuehuntur: erat adhæc Romæ eius familiæ ingēs factio ad omne facinus parata, quibus Alexander difficultatibus subactus, tametsi Verginius Alphonsi iussu ex Carseolis cum quadraginta equitū turmis præsto illi fuit, reuocauit tamen pontifex ex Flaminia ad urbem partem suarum copiarum multò maximam, eaq̄ue res fecit, ut iam inde Aragoniæ uires in Flaminia inferiores factæ, hostibus fuerint ubique obnoxiæ. Et res alibi per hunc modum habebant, quum Carolus rex senis milibus equitum septus, Ticinum processit, nec in tanti belli expectatione æquè aliud terruit Italiam, ac ingens fusilium machinarum numerus, qui regium agmen sequebatur, quibus neque nomē unum dicebatur esse, neq; forma. Erat Ticini Ioannes Galeacius, qui fuit Galeacij filius, hunc graui morbo affectum, ac iam

Peroratio.

Edictū Caroli.

Imminēs Italiæ terror.

Ioan. Galeac. interitus.

iam morti propinquum, Carolus officij causa uidere uoluit, commendauitq̄ue ille filium paruum quem penes se habuit, multis lachrymis regi, nec ita multò pòst uita decessit. Percrebuit rumor eum ueneno perijsse, ad quam calumniam discutiēdam Lodouicus princeps extinctū, corpus aureo lecto impositū, Mediolani toto biduo spectare uolentibus, in publico statui iussit, nec ulla interim ueneni argumenta aiunt in eo extitisse, quæ rei indicium facerent. Ipse, quod satis constat, non nisi Caroli hortatu, & quia, ut fertur, id cunctantius faceret, regis iussu principatum recepit, sed modico, ut fertur, fauore populi. Cæterùm non prius nomen ducis in epistolis & edictis est ausus usurpare, quàm à Maximiliani legatis ad id Mediolanum missis, ducatus susc epit insignia. In Flaminia interim Mordano à Gallis & Sfortianis capto atque incenso, Catherina quæ Hieronymi fuit Riarij, præsenti clade perculsa, ad Gallos defecit. Iam uerò Florentini & Camonię uallis accolæ, genus hominum incultum ac ferox, cum Gallis sentire, qua sociorum inclinatione perculsus Ferdinandus, ex Fauentino agro in Cæsenatium fines transtulit castra. Sed dum hæc in Flaminia geruntur, diuersa Italiæ parte Alphonsus Taracinam eo consilio processit, ut Neptunium Columnensium locum ad mare oppugnaret, nam eò Gallicam classem primò appulsurum rumor erat: affuitq̄ue regi Verginius cum suo equitatu, affuit & Leonellus Heregatus Concordiensis antistes, ab Alexandro missus, qui rem consilio & autoritate iuuaret, copijsq̄; ad Neptunium admoris, nocturna uis aquarum ita castra inundauit, in regium tabernaculum crurum tenus aquæ irruperint, castra confestim sunt in editiorem locum translata, oppugnatumq; est oppidum dein magna ui, sed maiore aliquanto defensum.

Prodigiosus auctus aquarum.

ENNEADIS X. LIBER IX.

RAT Alphōsus rex Taracinæ, fuit hæc olim Anxur, quum uno tempore literas & nuncios accepit de Ioannis Galeacij generi sui obitu, deq̄ue Florētinorum ad Gallos defectione: quibus perculsus cladibus se intra regni fines recepit, Verginium cū suo equitatu retro Romam misit, ut urbi præsidio esset, reliquum copiarum circa Lyrim collocat, ut Gallum quum opus esset, à tranſitu arceret, in Flaminia post Forliuienses & Cornelienses, iá & Fauentini ad Gallos defecerant. Est & Cæsenæ tumultuatum, ueniſq̄ue in hostium potestatem Guidone cognomēto Guerra, rem ad Gallos trahente, nisi ex Berthonorio, ubi Ferdinandus postremò fecit castra, auxilia affuissent, habuitq̄ue deinde Cæsenę statiua nō nihil dux Aragonius. Cæterùm audita Florentinorum ad hostes defectione, Flaminia decesit, ac tum demū omnia ad Gallos defecere. Irruperunt in Rauennatium fines Gallica arma, sed agrestium culpa, qui in rixa temerè orta duos ex ea gēte uiros interfecerant, estq; ita ea cædes à Gallis ferro & igni in paucos uindicata, maiore autē iniuria abstinuerūt. Florentiæ interea mutata sunt omnia, nam posteaquam Carolus in Hetruriam transijt, quum ad Sarzanam primùm fecisset castra, Florētini ad Gallum defecere, Petro Medicēo & fratrib. urbe eiectis, certatum est ab initio sententijs in curia, essētne Gallorum partibus accedendū, quod ne fieret obstitit aliquandiu Medicea factio, quæ ob autoritatem à maioribus acceptam primas in administranda republica sibi partes uendicabat. Cæterùm hominibus aduersæ factionis, rem ad Gallum trahentibus, ubi nihil obscurè apparuit omnia obstinatius fieri, cū aduersarijs Mediceus egit, ut quod olim Hetrusco bello fuerat Laurentio patri concessum, ipse ad regem iret publico decreto cū eo de pace acturus: uix absens tenuit, ut cum duobus suæ factionis ad Carolum mitteretur, nec multò pòst populus id decretū antiquauit, principibus aduersæ factionis id suadētibus. Censuit populus nouos legatos mittendos, & in his Hieronymum quendam ex Calaguritani Dominici obseruatione, qui ea temporum nouitate, plus omnino humanis sere reb. misceuit, quàm deceret hominem religioni addictum. Sed dum noua legatio domi decernitur, Mediceus ex priore decreto, cum Gallo ita rem transegit, ut Pisæ cum Sarzana & aliquot circumiectis locis, Gallo regi parēret. Id fœdus tantæ illi inuidiæ fuit, ut Florentiā reuersus, frementę curia, ciuitate sæuiente, coactus fit cū suis urbe excedere, ac mox absens hostis iudicatus, eius bona publicata, ac partim direpta. Sic domus una omnium non modò Hetrurię, sed Italię etiam, ob affluentes diuitias maximè celebris, & iam inde à Cosmi temporibus, qui fuit Petri huius proauus, in florentissima ciuitate opibus, & autoritate longè princeps, in hāc incidit calamitatem, ad sextum Idus Nouembris, eius anni qui millesimus ac quadringētesimus humanæ fuit Salutis quartus & nonagesimus. Petro Florentia eiecto, legati qui fuerāt secudo loco missi, certis cōditionibus pacem cum Carolo sanciunt, in primis cautū est publicæ libertati. Nec rex multò pòst Florentiam adijt, quem ciuitas exquisitissimis honoribus uenientem excepit. Per hos dies Franciscus cardinalis Senensis, homo ob uitæ integritatem ingenijq̄ue præstantiam inter primi ordinis antistites autoritate princeps, ab Alexandro pontifice ad Carolum magnis de rebus missus, Lucam usq; processit: ubi quum comperisset regem se non ut Apostolicę sedis legatum, sed Senensem antistitem auditurū, homo præsenti consilio, & quem Pij pōtificis perneccssarium agnoscas & alumnum. Quādo, inquit, ut legatus nō recipior, ut tanquam Senensis antistes accedā, non expedit, atq; ita infecta re retrò abijt. Erat Caroli regis haud obscurum odium in Pij pontificis memoria & eius necessarios, quod quum adhuc Florentiæ esset, edicto declarauit, Italiam petijsse ut Neapolitanum regnum hæreditario ad se iure deuolutū, armis, quando alia uia non liceret, ab Alphonso Aragoniæ gentis expoſceret, quo recepto confestim esset bellum in Turcos translaturus. Cæterùm dū paucorū pontificum iniuriam insectatur, quod Aragoniæ genti alienum regnum ambitiosè habendū permisissent, domesticā obscuritatē in Pio perstrinxit. Sed quod ad genus attinet, non uideo quid illa sibi uellet calumnia, aut quæ obscuritas generis huic obijci potuerit, qui liber in libera & opulenta Italiæ ciuitate, patriciaq; domo esset ortus. Addo eruditionē & sapientiā, quibus ille uirtutibus decus maiestatemq; pontificiam, multò augustiorē reddidit, quàm à maioribus accepit: sed eam calumniam in eos reijciūt, quorū cōsilijs rex maximè acquiescebat. Cæterùm, dum Carolus adhuc Florentiæ esset, duo à Venetis legati, Dominicus Triuisanus, & Antonius Lauretanus illi superuenerunt, uiri sapientia & autoritate clari, ambo equestris ordinis, erātq; hi publico decreto iussi Carolum Romam usq; comitari, nā Romā se uelle ire Gallus prædicabat, & ut urbē pacatè ingredi liceret, per literas & nuncios ab Alexādro petijt. Cōtrà obnixè conatus est ille regem proposito auertere, nunc inopiam commeatus excusans, nūc ciuium discordiam, futurum aiebat, ut eius accessu audito, continuò aliquis nouus in urbe motus oriretur: quin imitaretur potius magni Caroli exemplum, à quo ipse prognatus esset, qui quum Italiam seruitute liberasset, exercitu circa Ticinum relicto, inermis

Pisæ Gallis deduntur.

Medicei Florētia ejiciuntur.

Carolus rex Florentiam ingreditur.

Edictū Caroli.

inermis Romam ad pontificem ueniſſe diceretur. A Hæc Alexander. At Carolus Florētia profectus per Senas & Viterbium propius Romam accedēs, Brachiani fuit aliquot dies, nā Verginius ubi omnia ad Gallos inclinare uidit, ipſe Romæ erat cum Aragonio exercitu, autor fuit filijs, ut uenīēti Gallo cederent, tutius ſua à pacato, quàm irato hoſte occupari ratus. Tum pontifex fractus animo, nam omnia ad deditionem ſpectabant, Ferdinādum qui ex Flaminia cum exercitu Romam uenerat, Verginiū & Aragonios omnes, ut urbe diſcedant hortatur, cedantque tempori Carolo, quando plus non potuit, portatem facit Romam cum exercitu adeundi. Pridie Calendas Ianuarias, rex noctu exercitum ſub ſignis in urbem immiſit, mœſta & attonita ciuitate, à tertia hora noctis ad undecimam continens intrauit agmē, armatorum numerus uariè traditur, qui medium ſequuntur, quadraginta hominum milia fuiſſe aiunt: quorum tertia ferè pars ex hominum colluuione conſtabat, qui ſpe prædæ nouarumque rerum cupidi, ſeſe Gallis adiunxerant, poſtea quàm in Italiam ab his uentum eſt: nam quod ad Gallos attinet, ſatis nobis compertum eſt multò minoribus copijs regem in Italiam ueniſſe, quàm quibus Romam eſt ingreſſus, tametſi illud quoque uariè proditur, quæ nam illum fuerint copiæ ex Gallia ſecutæ, plures quinque & uiginti milia peditum equitumque promiſcuè fuiſſe aiunt. Ingreſſus eſt urbem cum rege Aſcanius ſupremi ordinis antiſtes, qui nō multò antea in urbem ſpe concordiæ reuocatus, Alexandri iuſſu fuit aliquandiu cuſtoditus, ſed libera cuſtodia. Proſper Columnus, qui cum eo Romā uenerat, arctius attentiusque cuſtoditus eſt, ob Oſtienſem arcem, quæ ab eo repetebatur, ſed hęc aliquanto prius acciderant. Comitati ſunt regem & Ioannes Baptiſta Sabellius, & Iulianus Oſtienſis, ad Vincula cognominatus, & ipſi ſummi ordinis uiri. B Cur noctu urbem Carolus adierit, etſi parū liquet, æquum tamen eſt credere idcirco id ab eo factum, ne Gallorum paucitate animaduerſa, aliquis in urbe tumultus oriretur, aut certè ne ipſe clara luce obſeruatus, etſi undique præſidio ſeptus, ui aliqua occultain pontificis gratiam uiolaretur, uel quod à fide non abhorret, ut formidoloſior ſuus eſſet ciuitati acceſſus. Eſt enim auditus multò terribilior ſenſus quàm uiſus. Ad diuum Marcum rex diuerſatus eſt, ciues domeſticatim Gallos accepere, datumque eſt id negocium capitibus, eſtque ſic quoque militum inſolentia nonnunquam per eos dies, quibus rex fuit Romæ, in urbe tumultuatum, cædesq; non uno loco edita. Abſtinuit aliquandiu pontifex à Caroli congreſſu, firmauerat is Vaticanum cum pontificia domo præſidijs, eratque cum eo ex omni cœtu primorum antiſtitum unus Baptiſta Vrſinus, qui ſolus ea temporum nouitate, ſemper pontificis lateri adhæſit, nec ut cæteri, regem adijt officij cauſa, ſæpius teſtatus poſſe ſibi uitam adimi, at ui extorqueri non poſſe, ut eum amicè ſalutaret, qui ut hoſtis Romanum pontificem adijſſet. Cæteri primi ordinis antiſtites frequētes circa regē fuere, ac præter paucos, qui ex confeſſo aduerſabantur pontifici, pacem ſuadere. Scio per eos dies agitatum de dignitate pontificī abroganda, monſtratamque à quibuſdam eſſe rationem eius rei conficiundæ. Cęterūm, ſiue exemplum non placuit, ſeu pontificis prudentia, rem tum primum motam maturè diſcuſſit, ea certè actio non ſolum omiſſa eſt, ſed breui etiam comparatum, ut Carolus qui nuper ſe, arcem oppugnaturum palam minatus fuerat, pacatus in Vaticanum iuerit ad pontificem. Hic humiliter ad eius pedes demiſſus, de more adorauit, eſtque eo congreſſu Maclodienſis antiſtes, qui regi chariſſimus fuit, rhoſeo pileo donatus. Verūm dum hæc Romæ fiunt, manus una Gallorum per Sabinos in regni fines irrupit, defeceruntque Aquilani ad Gallos, eſt & circa Fucinum in Marſis magna defectio ſecuta Columnenſium impulſu, ſed pars exercitus multò maxima per Latium ad Lyrim proceſſit. Per eoſdem dies Salernitanus princeps, & Claromontius comes, Gallus hic, ille Italici generis, cum ualida claſſe Genua profecti, ut maritima regni loca inuaderent, in grauiſſimam tempeſtatem inciderunt, nauibusque fœdè concuſſis circa Coſas & Populoniam in terram egreſſi, ad regem terreſtri itinere Romam uenere. Carolus interea rebus cum Alexandro compoſitis, ea conditione pacem cum eo ſanxit, ut Zizymum Baiazetis regis fratrem ſibi traderet, qui in Vaticano cuſtodiebatur: quem ut ueneno tolleret, ab initio Gallici tumultus per literas cum Alexandro egerat Barbarus rex, magnum auri pondus ſi eam ſibi operam nauaſſet, pollicitus. Nec ſolum Zizymus datus eſt regi, ſed in fœdere etiam diſertè poſitum, ut Valentinus antiſtes pontificis filius quatuor menſes regia caſtra ſequeretur, omniaque pontificis loca Gallis amicè patérent, ut Oſtienſis arx Iuliano antiſtiti redderetur, quum in Italia debellatum eſſet, nec fraudi eſſet huic & alijs antiſtitibus, quòd cū Gallis ſenſiſſent, ut ijdem in urbem reſtituerentur, ut Columnenſibus & Sabellis pontifex omnem remitteret offenſam, ut rex in Vrſinos iam inde nihil hoſtiliter ageret, & hæc ferè ſunt fœdere aſcripta, quod ictum eſt circa Idus Ianuarias eius anni qui quintus & nonageſimus fuit ſupra milleſimum ac quadringenteſimum humanæ Salutis. Necita multis inde diebus interiectis, Carolus Roma proficiſcitur. Interea Alphonſus rex ſuis opibus diffiſus, reputans adhæc animo, quod certè erat, principum & populorum ſtudia, quibus ſuperbè & auarè imperaſſet, ad Gallos inclinare, ad præſentem inuidiam leuandā, Ferdinandum filium ad ſe accerſitum, regem declarat. Erat is ſex ferè & uiginti annos natus, multò mitio ri ingenio quàm pater, & ad promerēdam gratiam magis idoneo, habuit Alphonſus perſuaſum poſſe fieri, ut regia appellatione in eum translata, multò facilius populi in fide continerentur, nec ipſe multò pòſt cum quinque triremibus regia gaza onuſtis in Siciliam nauigauit. Fuerunt qui crederent celeri quadam deſperatione, ubi ſociorum auxilijs deſtitutus Gallum uidit regni finibus imminere, fugam circumſpicere cœpiſſe, quod multum uideri poteſt diuerſum à cōſtantia, quam difficillimis ſuorū temporū rebus ſemper præſtitit. Manauit rumor in uulgus uoluiſſe eū uotū exoluere, quòd nouitate quadam ſuarum rerum Deo religionē uouiſſet, ſi ſibi & patri regnum incolume manſiſſet: ſed quęcunq; illi fuit cauſa regni relinquendi, excidit (quod ſatis cōſtat) regio ſolio eo die quo pater anno antea deceſſerat uita, eodem quo fuerat rex ſalutatus. Ferdinādus regno à patre per manus accepto, cum omni robore copiarū aliquot dies caſtra habuit ad Germanum. Erant illi ad quinque milia equitum grauis armaturæ, expediti circiter quingenti, quaterna milia peditū. Cæterūm ſiue impar eſſet hoſtibus, ſeu quia commeatus inopia ſentiri cœpta eſſet, uel potius ueritus ne à tergo ab hoſte circumueniretur, ut quum uellet Capuam & Neapolim recurrere non poſſet, nam altera Gallorum manus in Apuliā tumultuoſe irrupiſſe dicebatur, ad Vulturnum caſtra tranſtulit, ut Capuam præſidio obtineret. Sunt qui dicant eum, quum hoſtes ad Corbionem ſederent, quadrato agmine ad eos acceſſiſſe dimicandi conſilio, præliumque à Gallis detrectarum. Vix in ulteriore Vulturni ripa conſederat Ferdinandus, quum Neapolim trepidè accerſitur, iam cœptum erat ex urbe tumultuari, nunciabaturque omnia ad defectionem ſpectare: cum paucis igitur inde profectus eſt, exercitu ſub tribus ducibus circa

Capuam

Carolus urbē ingreditur.

Zizymus traditur.

Alphōſus filius regē declarat. Alphonſi cōſilium reijcit.

Capuam relicto, Nicolao Petiliano comite, Verginio Vrſino, & Iacobo Triultio. Inuenit Ferdinādus Neapolim reuerſus, ſtatum ciuitatis aliquāto quietiorem, quàm animo præceperat: cæterūm, ut ciuiū animos in ſumma rerum pertubatione erigeret, eorumque uoluntatem periclitaretur, primores ciuitatis ad ſe accerſitos in hūc modum dicitur affatus: Scio ego ac fateri neceſſe eſt, Neapolitani uiri, nullum firmius regnorum præſidiū eſſe, quàm eorum quibus imperes, ſtudium & beneuolentiam, hi mu ri, hæc tela multò tutius hoſtibus opponūtur, multò fortius reſiſtunt, quàm aut arces, aut ualidiſſimi exercitus, quod utinam Alphonſus pater meus, & auus Ferdinandus, ut in cæteris uirtutibus, ita quoque in hoc laudis genere alios reges anteire uoluiſſent, in eoque omne ſtudium, & omnem operam, omnesq; regiminis ſui rationes collocaſſent, ut uobis & alijs, quibus diu imperitarunt, meritò quàm chariſſimi fuiſſent. Sed uos queſo, non quod illi fecerint recordemini, quanquam ipſi quoq; ob aſſiduos regni huius motus, crebrasque principum defectiones, ſi quid acerbius egere, aliqua digni ſunt excuſatione, iniuriaq; ſubacti multa uideri poſſunt feciſſe, quæ niſi laceſsiti facturi nunquam fuiſſent. Nunc non quales illi fuerint uos ſpectare oportet, ſed quam de me publicè & priuatim ſpem ab initio aluiſtis, eam uobis ante oculos proponite, ſi quid in me unquam probaſtis, id hodie intueamini, in gremio urbis huius ſum natus, hæc me aluit, educauit, inſtituit, hæc prima ſtudiorum rudimenta tradidit, prima militię præcepta: probaſtis me puerum, amaſtis adoleſcētem, nec poſteaquam adoleuit ætas feci, credo, aut dixi aliquid, quod non idem fuerit ciuile & populare, omnibusq; conducibile, ab omni ſorde, ab omni iniuria alienus. Quæ omnia ſi quam ſpem facere potuerūt munificentiæ & moderationis in futuro principe, per hanc ipſam ſpem, perque B regiam maieſtatem, quod nomen ſemper gratum fuit huic ciuitati, ſemper uenerabile, uos Neapolitani uiri oro & obteſtor, ut eam fidem & ſtudiū, quod Aragoniæ familiæ tertio & ſexageſimo abhinc anno ad hunc diem præſtitiſtis, præſenti temporum nouitate præſtare & tueri uelitis, mecum hanc urbem, hoc regnum, totam Italiam ab immaniſsimis Gallis defendite, qui magisne crudeles ſint an auari, difficilè eſt dictu. Iā nullus eſt Italiæ locus in quo non ſuæ libidinis & auaritiæ ueſtigia impreſſerint: quod ſi uictoria adhuc incerta, quum clementiæ & moderationis conciliata opinione opus fuit iniuria non abſtinuerunt, quid eos facturos putandum eſt, ſi (quod Deus nolit) rerum omniū compotes fiant? Rapiēt illi, quis ignorat? fortunas noſtras, filias uirgines, coniuges, ut prona & cæca eſt gentis in alienas fœminas libido, in aperto & occulto turpiter uexabunt, inſultabunt earum pudicitiæ, in ueſtra corpora ut in uilia mancipia ſæuient, & breui nulla eſt tam tetra clades, tam fœda iniuria, quæ ab ea nō ſit gente expectāda. Nec quia magna pars Italiæ illi ceſſerit, deſperanda eſt uictoria, emenſi ſunt Galli Italiam ſoluto & molli agmine, bacchantium non bellantium more, occurri eis uenientibus in Flaminia, ſæpius ad pugnā prouocaui: cæterūm non modo non congredi ſunt auſi, ſed ab omni certamine abhorrentes, in Hetruriam iter flexerunt, obieci me iterum illis circa urbem Romam, hic quoque non prius eam uel patentibus portis ingredi ſunt auſi, quàm ab Alexandro pontifice impetrarūt, ut urbis mihi præſidium remitteret. His paucis diebus tertiò circa Lyrim amnē quadrato agmine, ad eorum caſtra acceſsi acie dimicaturus, ſi dimicādi copia facta eſſet, pari metu pugna abſtinuerunt, fuit itaque hoc non bellare, ſed peregrinari: non urbibus ui potiri, ſed ultrò cedētibus inſtare: non belli iura in uictos exercere, ſed in hoſpites latrocinari. Ceſsi ego ex Germani præſidio, non quia hoſtem primo regni limite facilè ſuſtinere non poſſem, ſed ne ab his qui latrocinātium more per Apuliæ fines uagari dicebantur, dum procul hinc ſederem, uos ſine præſidio premeremini. Nunc Vulturnum obtinemus, ibi lectiſsimæ ſunt nobis copiæ, optimi & fideliſsimi duces, haud uereor quin ſedendo facilè ſimus hoſtem fatigaturi. Nota eſt gentis inconſtantia, fluida ad labores corpora, quorū impetus ubi paululum refrixit, in ridiculam & penè muliebrem exit mollitiem. Sæpe illi ſunt tumultuoſe Italiam ingreſſi, recentiſsimeque patrum noſtrorum memoria, fuerūtque eorum motus ſemper ab initio terribiles, cęterūm mox uicti, fracti, diſiecti, ſine equis, ſine armis, magna ex parte cęſi retrò abierunt, & quia terra non patebat, naui hinc auecti ſunt. Quod quum neque uirtute, neque felicitate, neque conſilio ualeant, appareatq; futurum ut ſi uel exigua mora eorū conatus fregerimus, confeſtim tota Italia ſit noboſcum in eorū perniciem conſpiratura, ſuperbiam gentis & auaritiam pertæſa: ueſtram fidem imploro, ciues fideliſsimi, ut conſtanti animo Gallum hoſtem mecum ſuſtinere uelitis: nec ſuſtinere ſolum, ſed pro uiribus infringere, ad quod uno ueſtro conſenſu mihi opus eſt, quem ſi (ut ſpero) mihi præſtiteritis, quicquid regiæ dignitatis, quicquid fortunarum in futurum mihi erit, Neapolitanorum fidei & uirtuti grato animo, grataque memoria omni tē pore referam acceptum. Contrà ſi auito conſilio, pa terno fauore, ſociorū auxilijs deſtitutus, uos quoq; minus fideles experiar, tum quàm bene uobis & patriæ conſulueritis, ipſi poſtea uidebitis. Ego ſatis & regio nomini, & maiorum dignitati mihi feciſſe uidebor, ſi ad extremum dimicādo, aut uincam, aut ſi uincere non contigerit, fortiter mortem occumbā, ut idem dies ſit mihi regni ultimus, qui fuerit & uitæ. Hæc ille. Neapolitani in ſumma rerum trepidatione, manifeſtoque periculo, medium quoddā reſponderunt. Cupere ſe uehemēter, ut ea temporum nouitate urbem haberent, quę natura & opere munita poſſet tutò hoſtibus opponi, uerūm daret ipſe operam, ut procul inde Gallos diſtineret, futurum quod ad fidem publicam pertineret, ut quamdiu Capua Aragonijs defenderetur armis, omnia tuta regi eſſent Neapoli. Cęterūm amiſſa Capua, non eſſe cur urbem, ſine mœnibus, ſine præſidio, irato hoſti obijcerent, qua ui capta, ipſi cum uxoribus & liberis, alij ſuper alios ferro conficerentur. Satis ſibi dari Ferdinandus reſpondit, quando tali tempore cogi non poterant, ut plura pollicerentur, ipſe cōfeſtim Capuam recurſurus Auerſam proceſſerat, quū in atrocem incidit nunciū, res Capuę perditas eſſe, urbemque Gallis deditam, deletum exercitum. Enimuero orta inter duces leui ſuſpicione, quia Triultius Ferdinandi iuſſu, ut ipſe ante diſceſſum teſtatus eſt, ad Gallos tranſijt, quædam de pace acturus, continuò tumultus ingens in caſtris ortus eſt, tanquam defectio eſſet illa non legatio, direptaque eſt regia pecunia, alijsque alio fine imperio, ſine ſignis dilabentibus. Vrſini duces medio periculo deſtituti, cum ſuo equitatu Nolam conceſſere, ubi non multò pòſt ſub fide dediti, in uincula conięcti ſunt. Ferdinandus cum eo globo armatorum, quę ex fuga collegerat, Neapolim reuerſus, quia per urbē nō patuit tranſitus, circumacto agmine, cum lectiſsima parte militum arcē ingreditur, qua præſidio firmata, quod reliquum fuit copiarū in proximo collocat, conatus ciues in officio continere. Sed fortuna omnia mutauit, ultrò Neapolis dedita eſt, ſed id triduò pòſt Ferdinandi reditum, quo ſpacio tempo ris ille omnia translatu facilia in naues contulit. Interea quum omnia tumultuoſe & cōtumaciter fierent, conſpicatus ex faſtigio arcis regium ſtabulum à ciuibus diripi, dolore & ira accenſus penè ſolus illuc

Ferdinādi oratio ad Neapolitanos.

Peroratio.

Capua Gallis cedit.

illuc deuolat. Mirum hic accidisse aiunt, multitudo armis instructa, & iam Gallorum ex confesso facta haud secus uenienti cesserit, quàm si illi incolume regnum mansisset, adeò legitima & moderata regum maiestas, uel ipsis hostibus fuit semper uenerabilis. Ipse perditis rebus illustres uiros, qui in arce custodiebantur, sua sponte dimisit, armamentarium incendit, cum aliquot ædificijs, quæ tuendæ arci uidebantur obfutura, unde cum Federico patruo suo, & maiore nouerca, cæterisq; domesticis in eam arcem transijt, quæ ab auo cognomen sortita est, ma-
Carolus Neapoli potitur. ri circumfluam. Sub id tempus Carolus rex Neapolim intrauit, pars murorum disiecta est, antiquissimo Græciæ ritu, cuius ciuitates sic accipere consueuerunt suos Olympionicas. Ferdinandus cum duabus & uiginti triremibus in Prochytam, quæ nunc Iscla est, trãsmisit, hinc belli euentum expectaturus. Cæterùm quum à præfecto arcis inde excluderetur (tanta tunc hominum animos libido cepit ad Gallos deficiendi) multis precibus uix tenuit, ut solus ad colloquium admitteretur. Tum uerò arcem ingressus, etsi ignarus adhuc quo in se animo præsidia rij essent, ad primum congressum præfectum arcis breui ferro, quod occultè intulerat, adortus in uestigio opprimit, inde militum circa se tumultuãtium animos molliter affatus, adeò circũegit, ut sine ulla maiore ui in officio manserint. Paucis inde diebus
Neapolitanæ arces dedũtur. quibus hæc gesta sunt, Neapolitanæ arces una post aliam in hostium potestatẽ uenere, mox ex uniuerso regno principum & populorũ legati, Neapolim confluxerunt ad deditionem faciũdam, ac tum demum omnibus alienatis Ferdinandus in Siciliã classe trãsmisit. Et Aragonia domus per hunc modum Neapolitano regno excidit, anno tertio & sexagesimo, quã Alphonsus maior Ferdinandi huius proauus, Renatum Neapoli eiecit. Carolus paucis diebus, quibus est urbem ingressus, per celebres uias & B porticus, se regem salutandum præbuit populo, cessetq́ue per hæc omnis Italia Gallis, præter Venetos, hi ut à principio polliciti fuerant, omni armorũ motu abstinuere: quãdiu est de Neapolitano regno certatum, fuerunt́q; apud regẽ Veneti legati publico decreto, quoad est Neapoli potitus. Nec interea (ut dixi) ullum signũ futuri motus in Venetis extitit, tantum sub id tempus quo Carolus est Romam ingressus, duo legati sunt Mediolanũ missi ad Lodouicum Sforti ã, Sebastianus Baduarius, & Benedictus Triuisanus: hic breui postquam eò uentum est, uita decessit. Erant́q; Veneti magis futurorum soliciti, quàm quòd præsenti Italię statu mouerẽtur, quũ repentè allatũ est negociatorias triremes, quæ ad Gallicam & Britannicam negociationem ueteri
Attende naufragium. instituto exierant, cum naualibus turmis & merce pretiosissima ui tempestatis in Gallico oceano perijsse. Attulit ea res non mediocrem dolorem ciuitati, sexcentis & amplius uiris uno naufragio amissis, & cũ his triginta patricij ordinis. Sed maior omnino cura hærebat animis, quàm quòd priuatę cladis ullus in tanta rerum expectatione respectus haberetur. Iam ex uniuersa ferè Europa unus post aliũ paucorum dierum spacio, uelut ex cõposito ad Augustinum principẽ & patres uenerant legati, ut uno tempore quinque regum oratores sint circa curiam obseruati: aderant & ab Alexandro pontifice, & Lodouico Sfortia legati, fuit́que duobus inde mẽsibus res in magno silentio, dum per Leonardum Lauretanum, qui postea princeps fuit, & alios quibus publico decreto id negocium iniunctum fuerat, cum pontificis & regum legatis maturè transigitur. Po-
Nouũ fœdus. strẽmò nouum fœdus est ictũ inter Venetos & Alexandrum pontificem, Maximilianum, Ferdinãdum Hispaniæ regem, & Lodouicum Sfortiam, in quo illud est diserte positum, ut si quis sociorũ sua sponte alicui bellum intulisset, id suis opibus conficeret: si uerò aliunde inferretur, fœderatorum principum communi auxilio propulsaretur, singuli suo nomine quaterna milia equitum, dena peditum darent, quoad esset cum hoste debellatũ, teneretq́ue id fœdus quinq; & uiginti annos. Fuit fœderis huius fama, quum cæteris regibus grata, tum Baiazeti (ut fertur) Turcorum regi gratissima. Horrebat is Gallorum arma, etsi magno erat iam antea metu leuatus, Zizimo fratre non multò pòst quàm eum pontifex Gallo tradidit, extincto. Fuerunt qui crederẽt eum ueneno sublatum, fuisseq́ue Alexandrum pontificem eius consilij non ignarum, quippe qui ut infenso erat in Gallos animo, omnia prius maluisset, quàm res Caroli per eum meliores fieri. Assignatus est certus dierũ numerus Carolo regi ad deliberandum, uellétne fœderi, de quo diximus, ascribi? Ad cuius famam Gallus frendens, gemenśque dixisse fertur, initurum se breui rationem qua catenam illã solueret, etsi homines adamantinam prædicarent. Erat́que per hæc Carolus neque hostis, neque Venetorum amicus. Interea Lodouicus Sfortia à Maximiliani regis oratoribus ad id missis, Mediolanẽsis ducatus accepit insignia, celebri hominum conuentu, apparatúque exquisitissimo. Carolus cũ magna copiarum parte Neapoli profectus, Romam decreto petijt, quod reliquum fuit armorum ad regni præsidium est ab eo relictũ. Misit præterea qui pontifici nunciaret se Romam petere, ut pacatè per urbem & cæteram Italiam abiret in Galliam, uenturũ se cum eo in colloquiũ, ut de summa rei maturè inter se consultarent, futurum ut congressus ille uehementer utrique conduceret. Alexander siue recentes ueritus offensas, quæ haud obscurè post regis discessum intercesserant, siue residuo metu quem ab initio præceperat animo, quoniam suorum inimicorum cõsilijs Carolus nihil obscurè acquieuisset, siue quod maioribus est rumoribus agitatum, ut soCarolus Romã ingreditur. cijs & fœderatis principibus gratificaretur, qui ueriti ne qua eo congressu fieret in pontifice mutatio. nã subita illa regis ex Neapoli profectio, quia ànullo interim incesseretur, erat uulgò omnibus suspecta, autores illi fuerunt Caroli congressum euitãdi. Cæterùm quicquid rei fuit, quapropter Alexander colloquium illud declinauit, nam hæc uulgi magis sermonibus iactata sunt, quàm à nobis pro ueris cõperta, ipse (quod satis constat) ita respõdisse fertur, posse regem per unum aliquem suorum, uel literis, si libeat, secum agere, si quid esset quod sibi occultè communicatum uellet: uel si qua res foret, quæ neque literis, neque nũcijs tutò credi posset, cupereret́que ob eam rem Romã uenire, petere ab eo ut sine exercitu ad se proficisceretur, ut pacatus pontifex, pacatum regem acciperet: quòd si armis septus, ut hostis, non ut hospes expectari uellet, futurũ ut uenienti illi urbem relinqueret, petiturum se aliquem Italiæ recessum, quò si rex ire perseueraret, foreut eò nauigaret, ubi pontificia maiestas ab omni externa iniuria esset tuta. Et ille hæc regi nunciari iussit, nec ita multò pòst, quia Gallus cum exercitu appro
Pontifex de profectur. pinquare dicebatur, ex urbe discessit. Secutus eum abeuntem frequens clerus multò maiore comitatu, quàm res ad posteros sit fidem habitura, ad decem milia equitum fuisse dicuntur, etsi præter pontificis copias, Venetæ quoque & Sforti anæ equitum alæ subsidio aderãt. Secutus est breui pòst Caroli ad urbem accessus, fuit́que rex totum triduum Romæ, nõ sine tumultu aliquo. Sæuitum est à Gallis in Hispani generis homines, si qui in urbe reperti sunt, eorumq́; bona direpta. Intrauit urbem Carolus ca-
Carolus Romã ingreditur. lendis Iunijs, quinto mensẽ ab eo quo fuerat primũ à Gallis inita. Misit rex ab Roma ad urbem uetere, quo Alexander contenderat, qui illi nunciarẽt multùm se cupere cum ipso in colloquiũ uenire, utriusque uehementer interesse, ut unum in locum conuenirent

uenirent ambo, de re seria acturi. Hic pontifex ue- A
ritus ne apertè negando subito accessu à Gallis intercluderetur, facta illi potestate, ac dimissis qui ad hoc ipsum uenerãt, rapto agmine, ac fugiẽti similis Perusiam contendit, eo consilio (ut fertur) ut si Gallus è uestigio secutus esset, per Vmbros & Picenos Anconẽ peteret, primis inde tẽpestatibus Venetias
Carolus Romã ingreditur. transmissurus, quo scripserat se uenturum, si per hostes alibi tutus esse nõ posset. Carolus pontificis cõgressu priuatus, Senas iter flexit, estq; obiter Tuscanula à Gallis direpta in pontificis inuidiã, siue quod ipsi aiebãt, ob negati commeatus iram: parem propemodum Laurentiani & Phalisci experti sunt clades. Cæterùm dum hæc alibi gerũtur, diuersa Italiæ parte, Nouaria Carolo prodita est, quibus socio-
In pontificis ingæ fallendo. rum cladibus Veneti cõmoti, reputantes simul animo in quo res Italiæ statu essent, Alphonso & Ferdinãdo regib. pulsis, Alexãdro pontifice fugiẽte, Florentinis, Senensibus, Pisanis & Lucẽsibus ad Caroli obsequium paratis, Sfortianorum rebus ob nobilissimæ urbis alienationem noua clade perculsis, actum rati de libertate Italiæ, nisi Gallorum conatibus iretur obuiam, immenso auri pondere in medium prolato, copias undique contrahunt. In nullo unquam bello ornando, tanto, ut fertur, est studio à Venetis properatũ, ut paucis diebus quibus ita tumultuari cœptum est, florentissimus sub signis exercitus, in Parmensi agro ad Tarrum fluuium consederit, Francisci Gonzagæ ductu, Mantuani principis, cui ob præclaram in re militari indolẽ Veneti omnium copiarum decreuerant regimen, citra nomen imperij. Affuerunt continuò à Lodouico Sfortia ualidæ armorum copiæ, sed Venetis multò inferiores numero, iam Carolus Apenninum tenebat. Erant in Venetis castris Melchior Triuisanus. & Lucas Pisanus legati, quibus mandatum est ab initio, ut Gallorum uim, si qua ab his illata esset, à Venetis B
& sociorum finibus pro uiribus arcerent, alio qui omni abstinerent iniuria. Carolus Pontetremulo in Apennini faucibus occupato, quem locum incẽdio propemodũ cõsumpsit, eò processit ut iam ad ima descẽsus crederetur, ui sibi uiam facturus, si qua ire uellet bona uenia non liceret, Venetus contrà uim inhibere certus erat, si qua ipse uellet nõ iretur: erat itaq; res per caduceatores nonnihil agitata, quum repentè regius exercitus sub signis ad ima descendere cõspectus est. quod priusquam fieret, Carolus suos hortatus est, ut sibi strenuam eo die nauarent operam, si manus conserenda esset. Reclamatum aiunt ab uniuerso exercitu, iussumq́ue regem bono animo esse, fore ut per hostiũ cadauera regi uia sterneretur, aut si minus id contingeret, cruentam Italis luctuosamq́ue uictoriam Galli relinquerẽt. Par alacritas in Veneto exercitu, qui acie instructus sinistram tenebat Tarri fluminis ripam. Polliceri copiarum duces Venetis legatis uictoriam atque omnium maximè Gonziacus dux, sæpe testatus fore ut uel una pugna quæ instare uidebatur, Galli suæ uanitatis admoniti facilè intelligerẽt Italicã uirtutem non esse, ut ipsi falso prædicarent, omnino extinctam. Vbi igitur eò Galli dextero Tarro sine strepitu & clamore processere, ut iam Venetum & sociorum exercitum in procinctu stantem ex aduerso in tuerentur, subito bombardarum iactu adorti sunt, quiescentem incessere, dubium in contemptum, an ut metu in uestigio continerent. Gonzaga ut ferox erat atque pugnæ cupidus, quid stamus? (inquit) incessentium iunt hæc non abire uolentium. Tum
Itali in Gallos ruũtur. Triuisanus, Age igitur, & quando aliunde uis orta est, eatur quo hostium uocat iniuria, utrere imperio, nec ulla deinceps mora fuit, canentibus signis uno tempore pluribus est locis in hostem procursum, mandatumq́ue alijs ut signum expectarent, ad pugnam capessendam. Qui in hostem ferebãtur, cum

fremitu & clamore amnem ingressi, triplici aluco ad ulteriorem ripam pertendunt: hic tetra colluctatio orta est, paucis uada tenentibus, cæteri riparum altitudine, lacuniśque & uoraginibus præpediti, in apertum discrimen inciderunt, priusquam pugna iniri potuerit. Erant salicta & uirgulta ripis agnata procursum impedientia, quę res effecit ut multi uiri fortes, alij alio casu retardari, prælium capessere nequiuerint: hoc certè facit ut minus grauatè ijs accedam, qui nullo publico decreto aiunt eo die dimicatũ, nec enim arbitror accidere potuisse, ut tanta fortium uirorum indoles, quanta sub Venetis militabat signis, ea dementia fuerit aut discordia, ut si de conserenda pugna certum aliquod extitisset cõsilium, non prius duces ipsi circa se omnia diligẽter explorauerint, quibus esset locis dimicandum, ut ipsa fluminis natura, uada, ripæ, omniaq́ue omnibus nota essent, ut qua in hostes iturus esset miles, qua se ad signa receptarus prius cognosceret, quàm in incertum pugnę discrimen mitteretur: sed aut res (ut dixi) improuisa fuit, aut fateri oportet, eo die à Venetis ducibus maiore animo quàm consilio dimicatum. Equites igitur qui incolumes aduersam ripam tenuerunt, & cum his paucæ admodum peditum centuriæ, equitibus mixtæ, ferociter Gallos adorti, turbãt primò, ac cum cæde multa lo- *Galli loco sunt mouentur.*
co submouent, fuit́que circa Gonzagam ducem pugna prosperrima, ille omnium primus in aduersam aciem inuectus hostẽ transfixit hasta. Peruasit Gallorum metus ad regem usq;, qui in medio erat agmine. Qua ille suorum consternatione perculsus, regia (ut quidam tradunt) exuit insignia, ut in dubio pugnę euentu minus esset nobilis: tum Galli in aperto discrimine destituti, multa ui connixi, Venetum iniquo loco dimicantem primò sistunt, in-
Æquatur pugna. de æquata pugna facilè per decliuia agunt. Hic repentè fortuna mutata est, ac multi uiri illustres alij B
super alios fortiter mortem occubuerunt, & quod plus nimio offuit ad inchoatam uictoriam, leuis equitatus qui hostẽm à tergo inuadere debuerat, in Gallorum impedimenta impetum fecit, cæterùm dum hęc diripit distrahitq́ue clarissima è manibus uictoria emissa est, pugnatum est una hora & paulò amplius, multiq́ue utrinque cæsi, atque ex Gallis etiam capti, & in his Borbonius nothus, quem captum Gonziacus princeps præ se egit in castra. Certatũ est à Sfortianis, nec sine cæde, sed ea parte infignis fuga facta est, Parmam uersus præcipiti cursu fusi milites pro uictis abierunt. Gallorum impedimenta prædæ fuerunt equitibus leuis armaturę, in quibus diripiendis maior propemodum cædes edita est, quàm alibi, certatuḿque est inter equites pediteśque ob hostilem prędam. Qui in medio agmine dimicarunt, post fœdam multorum stragem, ad flumen compulsi, se ad suos receperunt, attule- *Veneti ad flumen cõpelluntur.*
runt́que secum perturbationem non mediocrem. Stabat pars exercitus multò maxima adhuc sub signis in citeriora ripa, quę siue noluerit, siue non potuerit, in tanta celeritate congredi, pugna, quod satis constat, abstinuit: gliscente itaque tumultu, uix miles à fuga continebatur, quum Petilianus comes quem cum Verginio Vrsino Nolæ, captum alio est loco significatum, maturo ad Venetos perfugio fluctuantes animos confirmauit, significans res hostium adeò accisas, ut si unus alterue ex intactis ordinibus pugnam continuò instauraret, fore ut facilè Gallorum exercitus deleretur, polliceríque ad id operam suam, quæ fide adhuc dubia non est recepta. Alternabant itaque spes & metus, quum Galli acceptę cladis sibi conscij, sensim pugnam remisere. Instituit Gallis sua sponte cedentibus nonnihil Gonzaga dux, actum demum Borbonium ducem ab eo captum aiunt quidam. Cæsorum numerus parum iniri potuit, satis cõstat duplo maiorem

numerum ex Italico exercitu, quàm Gallico cecidisse, sed res Veneta eo superior fuit, quòd impedimentis Gallo ademptis hostis, qua Venetus uoluit, ire coactus est, non qua iturus putabatur. Contrà Gallus ad se uictoriam trahere, quòd Italis à se cum cæde repulsis destinatum iter tenuisset. Ceciderunt ex Venetis ducibus Rodolphus Gonzaga, Francisci patruus, Rhanusius Pharnesius, & alij pleriq; uiri illustres. Sed ex primoribus Francorũ aliquanto plures numero, Galli eo quo fuerant loco deprehensi pernoctarunt, postridie inducię datæ utrinq; sunt ad sepelienda corpora, transtulitq́ue Gallus castra in tumulum quendam ad duo milia passuum inde, ubi fuerat pugnatum, ubi biduo per irritas simulatæ pacis altercationes extracto, mox inde profectus ignes toto castrorum ambitu accendit, peruigil atque animo fluctuans, tertia circiter uigilia silentio profectus, Ticinum uersus iter arripuit: & ad Tarrum fluuium hoc maximè euentu est cum Gallis dimicatum anno Salutis millesimo quadringentesimo quinto & nonagesimo, pridie idus Iulias.

Virorum illustrium casus.

Gallus noctu silentio profiscitur.

Cognita regis profectione leuis equitatus continuò immissus est à Veneto, qui è uestigio abeũtem sequeretur, secuti inde duces ipsi cum robore copiarum, sed qui præmissi sunt, siue noluerint, siue non potuerint, nullo hostem incõmodo affecerunt. Carolus Astam cum exercitu processit, ubi aliquandiu postea fuit. Per eos fortè dies quibus est in Parmẽsi hoc modo dimicatum, regiæ naues Neapolitana pręda onustæ à Genuẽsibus interceptę sunt. Enimuero Genuenses Venetorum nomine aliquot naues ad bellum instruxerant. Ferdinãdus iunior magno ciuium consensu, non multò post regis discessum, Neapolim reuertitur, arces magno labore sunt à Gallis qui eas præsidio obtinebant receptæ. Capua & Auersa eodem tempore uelut ex compositо Aragonia in publico signa statuerunt. In ora Apulię B Antonius Grimanus Venetæ classis prefectus, Monopolim quæ à Gallis tenebatur, acri oppugnatione adortus ui cepit, captam diripuit, Puligianũ inde & alia quædam loca ad Venetos defecerũt. Nec ita multò pòst pugna insignis pugnata est in finibus Calabriæ à Gallis & Aragonijs, pari penè bellatorum numero, fuitq́ue id prælium Aragonijs prospe rum: inde Tarentum quod Gallorum præsidijs tenebatur, est nonnihil terra & aquis tentatum, sed irritus fuit Aragonijs is conatus. Dimicatũ est breui pòst circa Ebulium non procul à Sarno, ubi multò maior est clades Aragonijs repẽsa, quàm ipsi Gallo antea intulissent. Processerunt inde Galli præsenti successu elati Neapolim usq;, dubium, ut suis qui arcibus inclusi adhuc obsidione tenebantur, opem ferrent, an spe urbis proditione recipiendæ: omnis ferè nobilitas, quia Gallis fauere credebatur, partim relegata est, partim aliò ad tempus migrare iussa. Confederunt Galli ad Magdalenæ phanum, estq́ue circa Regios hortos utrinque acriter pugnatum: cæterùm, Galli uel quia arcium præfecti in certum tempus fuerant cum Ferdinando inducias pacti, aut quia spes potiundæ urbis adempta esset, siue quòd diuturna illa dimicatio parum prosperè cessisset, nocte quæ deinceps secuta est, suburbana statione digressi, circumactoq́ue nonnihil agmine, retrò abierunt: & circa Neapolim res per hunc modum habebant. In Cisalpina Gallia ad Nouariã diu multumq́ue laboratum est, omnes Venetæ copiæ publico decreto eò admotæ post Tarrensem pugnam in Lodouici gratiam, ipse quoque totis opibus sui principatus cõnixus Gallos inde eijcere, exercitũ adeò auxit, ut quadraginta & amplius armatorum milia circa Nouariam confederint: hic Gonzagæ sedẽti ob rem ad Tarrum strenuè gestam, Veneti omnium suarum copiarum imperium decreuere, miseruntq; publica signa cum argenteo sceptro,

Ferdinãdus restituitur.

Gallorum gesta circa Neapolim.

A sunt q; ad id Petrus Marcellus, & Georgius Hemus missi. Nouaria multa ui inde oppugnata est, sed magna indole & uirtute à Gallis defensa, obtinebatq; urbem præsidio Lodouicus dux Aurelienſis, Caroli perneceſſarius, uir militari uirtute & prudentia in Gallis ea tempestate summus. Multi interim & uarij fuerunt utrinque conatus, estq́ue Carolus totis uiribus adnixus obsidionem soluere, ualido circa Astam exercitu coacto, per caduceatorem nunciabat breui se hostibus affuturũ, ut de summa rei cum his decerneret, rumores ad hæc dissipandos curauit, fore ut breui Nouariam copias admoueret, quibus uanis terroribus persuasum habuit, posse fieri ut obsidio metu solueretur: sed ea fuit Italorum cõstantia, tandiu urbs oppugnatione fatigata, quoad pax inter Carolum & Lodouicum ducẽ secuta est. Veneti pristinum cum socijs fœdus seruare maluerunt. Nouaria, ut in pace sancienda conuenerat, Lodouico restituitur, duos post menses quàm obsideri cœperat. Nec post eam pacem Italia quieuit, quin ciuilibus externisq́ue, ut si quando aliàs, conuulsa est bellis. Neapolitanum regnum in partes abijt, ut non solum in aperto armis dimicaretur, sed singulæ etiam ciuitates domestica discordia laborarent, his rem ad Gallos, illis ad Aragonios trahentibus. Quatiebat par furor pleraſque in cætera Italia urbes. Perusiam in Hetruria, in Flaminia Cæsenam, quæ ambę per id tempus ciuili cruore redundarũt. Sed maius præterea certamen ob Pisas in Hetruria ortum, Florentinis eam urbem ad imperium retrahentibus, contrà Pisanorum libertatem summa ope tuentibus Venetis, quorum fidem illi à cæteris destituti imploraurant, estq́ue disceptatio illa in tertium ferè annũ distracta, fuit ea res magnorum motuum causa, qui postea sunt in Italia alius super alium secuti. Sed dum circa Pisas magno partium conatu laboratur, Verginius Vrsinus, quem Carolus in Galliam domum abiturus dimiserat, Ferdinandi regis fauore destitutus, qui post Caroli digressum Columnenses complexus arctissimè fouebat, auxeratq́ue amplissimo principatu, suis opibus Caroliq́ue stipendio adiutus, exercitum haud contemptibilem in Hetruriam duxit, consilio, ut tum latè fama euagata est, Mediceę factionis uiros in patriam restituendi: inde quia res parum maturè mota est, subito impetu auersus per Sabinos in Amiternum agrum transijt, mox hinc per Pelignos in Apuliam descendit, ubi cum Gallorum ducibus iũctus, tantum terroris Ferdinando iniecit, ut quanquam Neapolitanas arces ab hoste recepisset, de retinenda tamen urbe solicitus ad externas opes coactus sit confugere. Certis itaque conditionibus, quibus Brundusium, Tranium, Hidruntum & alia quædam Apuliæ loca Venetis detulit, magno auri pondere & armis est ab his adiutus, estq́ue ad id bel lum missus Franciscus Gonzaga cum parte copiarum, sub cuius accessum Aragoniæ res adeò auctæ sunt, ut non multò pòst castra castris sint utrinque collata. Sub exitum hyemis anni huius, qui sextus & nonagesimus supra millesimum ac quadringentesimum humanæ fuit Salutis, inter Cæsenam & Bertonorium, tertia diei hora, ad quintum Calendas Februarias, tres lapides adusti coloris horrendo sonitu è cœlo conciderunt: præcesſit horum casum ingens sonitus, & uelut fragor ruentis materiæ, fuerunt qui unum fuisse crederẽt, cæterùm suo casu in partes dissiluisse, significarunt id non solum literę ad multos de eiusmodi ostento priuatim Venetias missæ, sed pars una lapidis colore adusto, multis spectare uolentibus est in medium prolata, quanquam neque aurium, neque oculorum sensus apud doctos æquè ualuit ac uetustas, quæ similis testis est prodigij. Proditum memoriæ est, in Thracia ad Egos fluuium saxum uibiculi instar è

Pax inter Carolum & Lodouicum sanctiam. Italiæ.

Saxum è cœlo cecidit.

cœlo

cœlo lapsum, quod Anaxagoras Clazomenius saga A ci uir ingenio, iam antea casurum dixerat. Per idem tempus nouum morbi genus cœpit tota Italia uulgari, sub primum Gallorum in ipsam terram descensum, priore anno inchoatum, & ob eam rem (ut credere est) Gallicus nuncupatus: nam unde primùm fluxerit parum (ut uideo) cõstat, dira lues, & quam nulla sit ætas antea experta, post uarios cruciatus pustulę corpus inficiebant, quibus in fœdissima ulcera abeuntibus, suprà quàm exprimi possit, fœdabantur humana corpora, non elephantia, non lepra huic malo conferri potest, & quod omnium calamitosissimum est, trahebatur morbus in plures annos, infectaq́; corpora, neque uita, neque fœda lue defungebantur, pauci pro numero ægrotãtium extincti, sed multò pauciores à morbo seruati: nec tantum Italia est ea clade concussa, sed Germania, Dalmatia, omnisq́ue Macedoniæ & Græciæ ora, uigesima ferè pars hominum id malum est experta. Incubuerat omnis uis belli in Apuliam, eratq́; adhuc integrum certamen Ferdinando cum Gallis, & ex Gallia literis & nuncijs afferebatur bellum terra & aquis à Carolo reparari, ut Italiã repeteret, & in Hispaniam exercitum mississe aduersus Ferdinandum regem ferebatur, cum quo bellum apertè suscepe rat, ob Aragonias res, quas Hispanus rex nihil obscurè tuebatur. Horrebat Lodouicus dux Caroli ar ma, tamẽsi pacem cum eo sanxerat, magis necessariã quàm quòd diuturnam speraret: perculsus itaque noui belli fama, pristinum fœdus instaurat, ueteres complexus socios, cũ põtifice & Venetis agit, ut Maximilianus in Italiam accerseretur, futurũ ratus ut Germani exercitus accessu, Gallus proposito auerteretur. Instaurat Carolus nihilominus bellum, nouas in Italiam copias mittit, & Veneti Lodouico duci auxilia miserunt, ductu Petiliani comitis, sed B prius quàm hac parte bellum sit renouatũ, in Apulia debellatum est. Verginius Vrsinus, & Galli post uarios partium conatus, in Attellam compulsi sunt, pluribusq́ue diebus obsidione fatigati, essetq́ue hic in subigendo hoste diutius laboratum, nisi Consalis Agidarij Hispani ducis uiri fortissimi, consilium & strenuitas uictoriã accelerassent, quippe qui Gallis Gallorumq́; auxiliaribus, uiam qua Attellas inuaserant, confestim ita à tergo fregisset, ut retrò abire uolentibus, fit continuò omnis spes adempta, mox & à fronte quum castra illis obiecisset, frumẽtarias Attellanorum molas, difficili & periculoso certamine fregit, quibus hostes incommodis affecti, & ad rerum omnium inopiam breuiter redacti, his legibus deditionem fecere, ut duces incolumes dimitterentur cum suis copijs. Cæterùm deditione facta contra fidem Verginius cum Iordano filio Neapoli custoditus est, & Galli duces per speciem parandæ classis, qua in Galliam aucherentur, in æstuosa loca ablegati, cum maxima parte militum, morbo consumpti sunt: qui huic cladi superfuerunt, in naues impositi, dubium fraude, an casu naufragio periere. Caieta inde tam longo quàm laborioso certamine recepta est. Sub id tempus Ferdinandus iunior moritur ex morbo, quem æstate il la circa Attellam contraxerat, anno ab Alphonsi patris interitu nondum acto, ab aui triennio. Obijt Alphõsus in Sicilia, anno quo regno excederat. In Ferdinandi iunioris locum Federicus eius patruus, qui fuit maioris Ferdinandi filius, magno omnium fauore est rex salutatus, ex qua rerum inconstantia fit palam, quàm fluxa sint & uana hæc quæ homines non minus stultè, quàm stupidè mirantur in terris. Obijt Ferdinandus maior sub initiũ Gallici tumultus, moriens q́ue Alphonso filio regnum tradidit. Is suis diffisus opibus Ferdinando filio cessit, quum uix annum unum regnasset, excidit hic regno pòst paulò Gallicis armis pulsus, potiturq́ue Carolus re-

Morbus Gallicus.

Lodouicus cũ Venetis fœdus instaurat.

Caieta oppugnatur.

Moritur Ferdinandus rex.

Federicus rex salutatur.

Inconstantia rerũ.

gia, quo in Galliam abeunte, Ferdinandus Neapolim recipit, fitq́; iterum rex, cæterùm hoc intra annum defuncto Federicus regium nomen cum re adeptus est, & uno regno, intra triennij spacium, toties est regibus uariatũ. Nec Verginius multò post Ferdinandum, quum adhuc custodiretur, Neapoli moritur, quam temporum occasionem nactus Alexander pontifex, Vrsinorum res circa urbem hostiliter adortus, summa ope Bracchianum oppugnat, sunt interea loca quædam ex Verginij ditione pontificis armis capta ac direpta, Bracchianum ualidè est à paucis defensum, enituitq́ue in ea obsidione Bartholomęi Albiani uirtus, cuius opera Vrsinorum res circa Bracchianum mansit ad exitum incolumis. Sed dum pontificis arma Bracchiano assident, Maximilianus Italiam modico exercitu ingreditur, per Mediolanũ Genuã progreditur, ex Genua Veneta Ligusticaq́ue classe in Hetruriam processit. Hærebat illi interea Franciscus Foscarus eques, Venetus orator, qui iampridem apud regem Legati munere fungebatur, oppugnatumq́; est subeius accessum in sociorum gratiã Ligurnum in ora Hetruriæ, tuebatur id oppidum Florentinorũ præsidium. Ligurnum à Ligure Phaëtontis filio condi tum quidam prodidere, unde & nomen sit loco inditum: posit & ab Arno, cuius ostium haud longè inde distat, nomen factum uideri. Quandiu circa Ligurnum Germanus fuit, ob fœdas cœli tempestates, nihil omnino geri potuit, nec ille postea multum in Italia est cõmoratus, sed integro adhuc bello trans Alpes in Germaniam abijt. Magnum inde certamen est in Hetruria ortum, multum diuq; circa Pisas laboratum, Venetis milite & pecunia Pisanos iuuantibus, contrà Florentinis summa ope nitentibus inde Venetum eijcere pręsidium. Sunt interim Pisani graui obsidione fatigati. Sed dum hæc in Hetruria gerũtur, circa urbem Vrsinorum res ab Alexandro sunt grauiter afflictæ, prætexuit huic bello pontifex causam, quòd Verginius postremis temporibus à Gallis stetisset, sed nulli obscurum fuit inueteratum pontificis odium in Verginium, & omnem Vrsinorum gentem: imminebat itaque, ut si quãdo infestissimè pontificius exercitus Bracchiano, cæteris circa locis, aut ui captis, aut metu ad deditionem compulsis, quum ex Gallia affuit Carolus Verginij filius, qui sub id tempus in Italiam uenit, quo Gallica classis Ligurnum subijt, ut commeatu & præsidijs Tuscum iuuarer. Incidit Gallorũ appulsus in eos dies, quibus Maximilianus nonnihil his, ut dixi, fuit locis. Carolus naui in terram egressus ad Vitellios Ciphernates, & Baleones, Perusinos, paternos amicos diuertit. Horum ille opibus fretus, cum Iulio Vrsino castra contulit: Borges Candianus dux, cuius erat imperium in omnes põtificis copias, Bracchiana omissa obsidione circa Bassianum castra fecit, hic Vrsini duces multò inferiores, numero cum hoste ferociter cõsligunt, fuitq́ue aliquandiu anceps prælium, multiq́; interim aut cæsi sunt aut uulnerati. Postremò fusæ fugataeq́; sunt ac latè disiectæ põtificis copię. Conati sunt Guido Vrbinas, & Petrus Gonzaga, qui pontificiũ merebant stipendium, haud uno loco aciem reparare, sed res semel inclinata, fisti non potuit. Guido cũ bellatore equo præcipitatus in hostium potestatem uenit. Perierit uictoria illa Vrsinis nõ solum celebré famam, sed pacem etiam insperatam, quam breui pòst illis pontifex reddidit. Enimuero Alexander post eã cladem de suis rebus solicitus, pacem bello prætulit. Circa Neapolim iam res quietiores esse, Federicus, Caieta & Tarento receptis, Salernitanũ principem & omnes qui Gallorum partes fuerant secuti, ad officium retraxerat. Liguria quoq; ubi cum Gallis uariè fuerat ad id tempus bellatũ, non multò pòst pacata est: nam Carolus ubi parum prosperè bellũ in

Maximilianus Italia discedit.

Vrsini põtificis exercitum profligant.

Cisalpina Gallia sensit per Triultium & alios duces reparatum, Italici belli cura abiecta, cum Lodouico duce pacem composuit, & cum Hispaniæ regibus in incertum tempus inducias pepigit. Eratq; Italiæ status per hæc aliquanto pacatior, unum adhuc tenebat certamẽ de Pisanorum libertate, de cuius euentu erant hominum animi solicíti, atq; uehementer anxij, multiq; futurum augurari, ut ea res maius aliquod Italiæ pareret incendium. Egerat Lodouicus dux cum Venetis per legatos, suo & sociorum nomine, ut Pisanorum omitterent causam, idq; primò amicè petijt, cui responsum est, esse Venetos id libenter facturos, si Lodouicus & socij, qui Venetis autores fuissent eius curæ suscipiendę, darent operam quod sua sponte præstare debuissent, si bona fide secum ageretur, ut aurum quod in ea urbe tuẽda publicè fuisset expensum, sibi restitueretur, caueretuŕq; Pisanorum libertati, ne qui semel in fidem recepti essent, medio bello destituti proditiq; uiderẽtur, præstarent hæc socij, ac fore aiebant, ut cõfestim præsidium Pisis abductum audirent. Sed dum hæc citrò ultroq; iactantur, Lodouicus interea enixè curauit, ut omnia Apẽnini loca, per quę iter in Hetruriam patebat, occluderentur, quò minus Pisanis laborantibus opitulari possent Veneti, simulq; Florẽtini multò infestius coorti, Pisas armis urgere. Romæ per id tempus Borgias, Alexandri pontificis filius, cuius nuper mentio incidit, quum iuueniliter per urbem noctu uagaretur, uno duntaxat comite, subita ui oppressus interficitur: eius cadauer fœdè cõsauciatum postridie in Tyberi repertũ sacco obuolutum, autor cædis quum hæc commentaremur adhuc erat in occulto. Nec ita multò pòst Vrsini & Columnenses, erant hi utriq; alteris, ut si quãdo maximè infesti, in Tiburti hostiliter congressi, cruẽtam inter se pugnam ediderunt. Vicere Colũnenses magis arte quàm uiribus, uicere tamen egregiè. Vrsini duces secundum eã pugnam reparato exercitu iterum castra conferunt, de summa rei decreturi, apparabatq; id certamen calamitosum & exitiale utriq; futurum, ubi obstinacius res gerenda esset, maioribusq; odijs quàm unquã antea, eratq; pars magna Italiæ in certaminis huius euentum erecta, quũ repentè præter omnium opinionem, inter se pacẽ iunxere, fuitq; ea pax pontifici suspecta. Cœpit Alexander uehementer dubitare, ne duæ potentissimę urbis factiones in se arma uerterẽt, sed omnia Romæ inde pacatiora fuere: nam ex Vrsinis Carolus Verginij filius, & Bartholomæus Albianus, non multò post quàm hæc circa urbem gesta sunt, Venetorum stipendium secuti, in Flaminiam cum copijs transiuere. Iulius & cæteri Vrsinę factionis duces, partim stipendio inautorati, partim affinitate coniuncti, in pontificis fide fuerunt: Columnenses in Federici regis autoritate erãt, cui perbellè tunc cum Romano pontifice conueniebat. Alexander metu uno leuatus in alium non expectatũ incidit: Adriani moles è cœlo tacta est, atq; adeò atrociter, ut res in prodigium sit uersa, pars arcis non parua deflagrauit, estque incẽdio & ruinis deformata. Reparauit mira celeritate locum Alexander pontifex, ac multò maiore, quàm antea molimine Tyberi circumducto. Eratque hic rerum status in Italia, quum in Britanniam improuisus ex Orchadibus trãsiuit exercitus, Edoardi filio (ut fama fuit) duce, cæterùm is prælio uictus ab Henrico rege atque in potestatem redactus, confessus est non esse se Edoardo genitum, sed id mendacium à paucis confictum, ut ad illius nomen (fuit enim admodum populare in Britannis) aliquis in insula oriretur motus: hæc in Britannia. In Ionio quatenus Peloponnesum alluit, Venęta triremis uectoribus, qui de more sepulchrũ Dominicum inuisunt, onusta aduersus Turcorum piraticas naues, Aloisij Georgij ductu, aliquot horis atrociter dimicauit, ad postremum uelis defragrãtibus, triremique magna ex parte corrupta, à piratis nulla maiore iniuria afficitur, credo, quia tum pacem habebant cum Venetis fœdere sancitam, quod facinus ubi est animaduersum Barbari iniuria abstinuerunt. Depugnata est per idem tempus memorabilis pugna in Turcos, à Scythis & Sarmatis, qui nunc Poloni sunt. Cæsa dicuntur ad quadraginta Turcorum milia, receptaque aliquot ex hoste loca in ora Pontici maris: ex Hispania quingenti & amplius, haud unius cultu religionis uiri initiati, quia Ferdinandi regis Christianæ pietatis obseruantissimi edicto, emendatius uitam agitare cogerentur, starẽque ueteri religionis instituto, in Mauritaniam uno agmine transmiserunt, ut inter impios impiè agerent, flagitium post Christianam fidem conditam inauditum. In Ægypto eadem tempestate Caithibeo rege defuncto, ges ipsa Sultanum uocat, inter primores gentis est magno regni motu de summa rei certatum, ut ex ijs cognoscere curæ fuit, qui per id tempus Damasci, & in cætera Syria negociorũ causa agitabant, quorum fidei astipulatæ sunt literæ Catarini Zeni patricię gentis, qui de Ægyptiaco tumultu ad Petrum Zenum patrem sæpius scripsit. Mahometes qui fuit Caithibei filius, post patris obitũ, summa rei potitus, domestica est fraude propemodum regia sede deturbatus. Campson omnium secundum regem ducũ maximus, per suorum hominum factionem tumultuose rex salutatus, regiam arcem propemodum occupauit, septem milibus hominum septus, cæterùm inde exclusus, haud multò pòst irruptione ex arce facta, disiectaque suorum phalange, urbe excedere cogitur, cum ala una equitum, & peditibus mille Gazam iter intendit, urbem in Syria nobilem, ut credere est, subita ui occupaturus. Fit illi eunti obuiam Diadarus, qui locum præsidio obtinebat, cum pari ferè numero armatorum, pugnaque tumultuose conserta, Campson prælio occubuit, & cum eo septendecim qui in ea gente Admirathi dicuntur. Tam insigni uictoria Diadarus elatus, tanquam sibi non regi uicisset, ubi in regiam urbem uenit, de occupando imperio consilia agitare: Mahometi cuius erat regnum insidiatur, cæterùm ubi in suspicionem uenit affectati regni, sibiq; periculum sensit imminere, in Arabiam concessit. Nec ita multò pòst cum decem milibus eius gentis, ac maiore quadam aliarum gentium manu, Mahometem obsidione fatigat. Latebant per id tempus in regia urbe foriśque, ex ijs qui cum Campsone conspirauerãt, quidam uiri fortes, & in his Cartibeus cognomẽto Lachimarus: hunc rex sub fide accersitum cum præsidiarijs, qui in arce erant, in Diadarum repẽtè misit, qui fusus fugatuśque cum octingentis circiter equitibus in Syriam sese proripuit, hic cum Achinare iunctus Ptolemaidis præfecto in Damascum agrum hostiliter irrumpunt, in conspectu urbis castra locant, Damascenos & præsidium quod in urbe erat, ad deditionem inuitant, occurrit eo Cartibeus, cũ sex milibus armatorum, à Mahomete missus. Presensit Diadarus hostis accessum, suiśq; uiribus diffisus, soluta obsidione Syriæ finibus excessit, nec Cartibeus in fide mansit, quin uniuersa Syria cũ Hierosolymis sibi adiuncta, partim ui, partim uoluntate, ex confesso sit Mahometis hostis, in eo tẽperauit, quòd à regis appellatione pertinaciter abstinuit: erant́que res Syrię in hoc statu, quum Diadarus in Syriam reuersus est. Aderant illi Turquimanorum auxilia, ad quindecim milia omnino, his fretus copijs Ptolemaidem obsidione cingit, interim Cartibeus fato moritur. Fuerunt qui ueneno sublatum crederent. Per eosdẽ dies in regia urbe, quam Cairum uocant, Mahometes, quum lac fortè biberet, interficitur. Erat Tomombeus, qui eum interfecit, Diadarus secundus, est

Pisana causa iactatur inter socios.

Vrsini & Columnenses acie confligunt.

est hæc dignitatis appellatio. Cãpson Gilepes, Mahometis auunculus, rex confestim salutatur, qui regia appellatione recepta, Tenebechum cum quinque milibus hominũ misit in Syriam, ut Ptolemaidem obsidione solueret, pugnatũ est hic aliquoties, sed prælia illa parum memoria digna. Nec ita multò pòst Syria pacata est, Tripolitana pfectura Diadaro permissa, qui haud multum paci supersuit, uenenò & ipse, ut creditur, sublatus. Cãpson biennio quàm regnum ceperat moritur: Iambalatus inde fit rex, à quo Cassarõ, Damasci præfectus, qui Cãpsone adhuc rege res nouas moliebatur, apertè defecit, totamque Syriam subegit. Tomombeus cum duodecim ducibus in Syriam mittitur à rege ad Cassaronis opes infringendas, is fœdere cum hoste occultè icto, redactiśque in potestatem aliquot ex ducibus, qui pro rege stabant, Damasci, quò cõuenerant, rex creatur, iunctiśq; copijs ad regiam urbem occupandam conuolant, arcem capiunt, Iambalatum regem captum in uincula conijciunt. Tomombeus arcem & regnum per hæc adeptus Cassaronem cum duobus ferè milibus strenuorum militum, quos gentili uoce Mamaluchos uocant, interficit: adijcit Iambalati cædem, qui in uinculis adhuc erat. Hanc regis fœuitiam duces detestati in eum conspirant, in qua subita defectione consternatus Tomombeus, relicta arce, fugam meditatur, sed quum in urbe adhuc esset agnitus, interficitur. Fit eius loco rex Elgaurius, sed hęc aliquanto pòst secuta sunt. In Italia, per id tempus, quo Ægyptus est his motibus concussa, Florentini, præter bellum, quod foris alebant, domestica sunt discordia agitati. Ex primoribus ciuitatis quidam, qui nouis rebus studere dicerentur, sunt securi percussi, & bona publicata: est & Hieronymus Ferrariẽsis, ex Calaguritani Dominici obseruatione, capitali supplicio affectus. Capita accusationis fuere, quòd in Alexandrum pontificem contumacius dixisset, quum ad populum concionaretur, sed maiori in uidiæ illi fuit noua factio sui nominis, in liberam ciuitatẽ inducta. Fuit uir alioqui ingenio & doctrina eminens, & dignus, qui nihil extra religionem uoluisset. Nec tamen per hos motus exciderat Tusco Pisarum cura, quin Lodouici opera adeptus, ut circa Apenninũ omnia essent Venetis obsepta, cerneretq; ademptam his facultatem omnem amplius Pisanis opituládi, Paulum Vitellium Tiphernatem, magno stipendio inautoratum suarum copiarum creant imperatorẽ: Pisas multò fortius quàm unquam antea adorti, omnibus circa urbem locis prius receptis, mœnibus infestius hærere. Pisani contrà Veneto pręsidio freti, obstinatis animis obsistere, certi mortem prius oppetere quàm cedere, multis interim labor utrinq; exhaustus, multi uariiq́ue bellorum casus, quos cognoscere si cui curæ est, ex his quæ in rebus Venetis scripsimus, abundè poterit. Nec Veneti quiescere, omnia ex aduerso moliri, ne Pisanos, suæ fidei creditos, in aperto discrimine deserere uiderẽtur. Tentatum est per Senensem agrum exercitum immittere, missumq; ob id est magnum auri pondus ad Guidonem Vrbinatẽ, obiuisseq; fortasis dux impiger eam prouinciam, si per Senenses licuisset. Tentatę sunt inde haud uno loco Apennini fauces, postremò Albiani ductu (merebat is iamdudum Venetum stipendium) per Lauernæ montem Venetus miles insinuatus, in Cassentinatem agrum ex improuiso irruit, capta sunt subito accessu aliquot ex Florentinis loca, & in his Bibiena. Fuit hic annus millesimus ac duodequingentesimus humanæ Salutis. Incubuit huc omnis Venetorum conatus, fuisseq; haud dubiè res Hetrusca in discrimen adducta, si Florẽtiam uersus continuò signa mota essent: sed dum omnia cunctantius fiunt, data occasio est hostibus omnia maturè prouidendi, secuta est niualis hyems, coactæ sunt Venetę copię in hostico, nec uno loco spatium hybernare: quam occasionẽ Vitellius adeptus, parte una copiarum ad obsidionem relicta, improuiso accessu Venetum pręsidium haud uno oppressit loco. Carolus Vrsinus unus omnium cum suo equitatu per medios hostes Bibienam incolumis euasit, hucque demum incubuit omnis bellica uis, estque tandiu Bibiena oppugnata, donec Veneti uniuersæ Italiæ consensu uicti, jam enim præter Sfortianos, qui ex confesso aduersabãtur, Pontificis quoque fauor ad Florentinos inclinabat, Herculis Estensis arbitrio bellum soluerunt. Fuit Hercules Venetijs, dum ea disceptatio tenuit. Veneti primũ omniũ poscere, ut Pisanorũ libertati caueret. Inde aurum quod eo esset bello expensum sibi redderetur. Vix adhuc res producta erat ad exitum, quum Veneti fœdus percusserunt cum Lodouico Aurelianensi, qui non multò prius ex Caroli octauij interitu (obijt is improuisa morte dum calcearetur, uelut alij dicunt, dum in sphæristerio spectat) magno Galliarum consensu fuerat rex salutatus. Ex Herculis arbitrio certum auri pondus Venetis restituebatur, quod Florentini penderent, Pisanorum libertate specie magis quàm re cautum, atque ob id ipsum Pisani Herculis arbitrio stare noluerũt, quin suis uiribus freti urbem tueri perseuerarunt. Et Veneti per hæc ad breue tempus quieuere, quum à primo anno Gallici tumultus, magna auri profusione in armis fuissent. Scio non defuturos quibus hæc paulò presius à me prodita uideantur. Sed instituti stili breuitas id postulat, cæterùm in rebus Venetis omnia latius dicuntur, quod alio sum loco testatus, per quos res gestæ sint, quibus locis, quo cõsilio, quo demum euentu sit ubique bellatum. Fuit Lodouico duci ab initio suspecta noua cum Gallis Venetorum societas, nam Lodouicus huius nominis in Gallis regibus duodecimus: continuò regnũ adeptus, ad omnes Italię principes & populos literas dedit de sua creatione, pręter quàm ad Lodouicum Mediolanensium ducem, & quod Sfortianis multò formidolosius fuit, confestim regnum adeptus, regijs diplomatis, non Galliæ regem solum, sed Mediolani etiam se ducem inscripsit, ut à Ioanne Galeacio, primo Mediolanensium principe oriundum, etsi muliebri stirpe: hoc itaque metu semel recepto, ut sagaci erat ingenio, & ad consilia capessenda præsentissimo, non destitit iam inde in omnibus gentibus laborare. Primò Maximilianum regem complexus est, futurum ratus, ut per eum Germaniam Gallis tutò opponeret, & ad Baiazetẽ Turcorum regẽ misit, qui diceret Venetos in id fœdus cũ Gallis percussisse, ut subacta Italia, bellũ in Turcos Transferretur, hortaretur itaq; ut instructa classe Italiam inuaderet, quæ per Federicum regem illi haud dubiè patẽret, quando Aragonia domus nihil æquè ac Gallorũ arma horreret. Nec Lodouici tantum legati, sed Florentinorum quoque, qui ob Pisanorum causam erant Venetis irati, aliorumq; principum Italiæ circa Baiazetis regiam sunt, ut fertur, per id tempus obseruati. Nulli dubiũ fuit quin Veneti uel inuiti, ad primos Turcorum motus, tuendi maris studio cogerentur classem comparare, atque ita euenturum ut Italicum omitterent bellum, maritimo occupati. Cõparauit classem Baiazetes quãtam nullus antea, quòd sciam, eius gentis regum: Veneti etsi fœdus cum eo ictum habebant, per legatos tamen Barbari regis animum explorant, simulque classem studio ornant. Lodouicus rex, Galliæ rebus compositis, Annam Francisco citerioris Britanniæ duce genitam, quæ Carolo nuper mortuo nupserat, sibi matrimonio iũgit priore cõiuge ut sterili repudiata, fuerat hæc Caroli nuper defuncti soror. Celebrat ille nouas nuptias, atque una in Lodouicum ducem bellum comparat. Eodem ferè tem-

Hieronymus Ferrariensis.

Veneti cũ Gallis fœdus faciunt.

Lodouici contra filium in discrimine bello.

pore Gallorum exercitus in Italiam trãscendit, sub tribus ducibus, Heberardo Obiginio, Alouiſio Liginio, & Iacobo Triultio, & Baiazetis claſsis terreſtris que exercitus Peloponneſum inuaſit, nec Venetus in tanto motu quieuit, ſed confeſtim numeroſam claſſem Othomanicæ opponit. Maris imperiũ Antonio Grimano decernit, qui priore bello Gallico Monopolim expugnauit, in ora Apuliæ pari ſtudio terreſtres copias comparat, ut Gallicum ex fœdere bellum iuuaret. Exercitus ad hoc ipſum inſtructus, ſub ipſum Gallorum in Italiam deſcenſum, in Abduanam terram tranſijt, ut Lodouici res inuaderet. Scio me ſcribere rem quæ plus ſit admirationis quàm fidei ad poſteros habitura, prius propemodũ uictoria parta eſt, quàm mota ſint arma. Nam Galli Aratio & Nomo ex hoſte potiti: ſunt hęc loca ad Tanarum amnem ſita, haud procul ab Aſta urbe, quã Galli iam antea tenebãt, incredibili celeritate Dertonam & Alexandriam Lodouico adimunt, tum is ſiue populorum ſtudijs diffiſus, ſiue ſubita quadam (quia hinc Gallis, inde Venetis urgentibus ſciret ſe imparem futurum) deſperatione, Aſcanio & liberis cum magno auri pondere in Germaniã præmiſſis, Mediolanenſem arcem ualido firmat præſidio, firmatam dat tuendã Bernardino Curtio Ticinenſi: inde Mediolanenſes pro concione affatus, bono iubet animo eſſe, affuturũ ſe breui ex Germania cum amici regis auxilijs. Cæterùm quum iam omnia dicerentur circa urbem ad defectionem ſpectare, ex Mediolano Comum tranſijt, inde Lario lacu enauigato per Tellinam uallem in Germaniã abijt. Poſt Lodouici diſceſſum, Mediolanum cum circumiectis urbibus, cõfeſtim defecit ad Gallos, & arx alioqui munitiſsima breui pòſt dedita eſt. Nec Veneti minori celeritate, Petilienſiũ comitis ductu, Marco Antonio Mauroceno equite, & Melchiore Triuiſano legatis, quicquid eſt circa Abduam cum Cremona urbe clariſsima ſuæ ditionis fecere, quod ex fœdere cũ Gallis icto debebatur. Et Sforſtiani per hæc nobiliſsimo principatu exciderũt, anno milleſimo Salutis atque undequinquageſimo, qui quinquageſimus fuit ab eo quo Frãciſcus Sforſtia Lodouici pater fuerat Mediolano potitus. Sed dum hæc in Italia geruntur, Maximilianus interea graue bellum cum Suitenſibus geſsit, quum ipſi gẽti tum Germanis funeſtum, etũ Suitenſes ipſi quoque Germani ſint, ut in eius gentis relatione eſt ſuprà demonſtratum. De uita non de fortunis certatum, ſæpe aduerſæ acies conflixerunt, fueruntque omnia ferè prælia Suitenſibus proſpera, ſed uictoria ſemper cruenta. Conſtãs opinio fuit id bellum Gallorum impulſu, per id tempus Maximiliano cõflatum, ut domeſtico bello implicitus periclitãtibus Sforſtianorum rebus auxilio eſſe non poſſet. Et Germania in hoc motu erat, quum repentè ad octo milia Turcorum (iam enim ex confeſſo hoſtes erant) Italiam ingreſſi, per Foroiulienſem agrum, cum metu & trepidatione agreſtium, Liquentiã uſque prędabundi proceſſere, uillæ paſsim direptæ & incenſæ, multique mortales capti, ſæuitũ in captiuos, quòd rarò aliàs in Italicis eius gẽtis expeditionibus accidit, quum ad Tiliauenti ripam ſub noctem feciſſent caſtra, ueriti, ut credere eſt, ne ab hoſte intercluderentur, aut certè graué prædam perteſi, ingentem captiuorum numerũ, mares promiſcuè & fœminas, uno in loco fœdè trucidarunt. Sic quoq; ingens uis mortalium abducta eſt, atq; ex omni flore ætatis ſelecta, alternabantq; per hæc res Venetæ in Italia: nã ut hic triſtes & calamitoſæ, ita circa Abduã lętiores. Pari fortunæ uarietate eſt in mari bellatũ. Inſtruxerãt Veneti opulentã claſſem, quæ ad primos Turcorum motus domo profecta circa Peloponneſum hoſtibus fuit obuia. Erat Venet⁹ numero nauiũ inferior, ſed maritimæ rei ſcientia & triremiũ robore, bellicoq;

Veneti claſſem comparant.

Galli Mediolano potiuntur.

Captiui à Turcis cæduntur.

A apparatu longè præſtabat, quæ res fecit ut ab initio hoſtis, ne laceſsitus quidem, manum cõſerere ſit ausus, quin Peloponeſi orã legens, nõ multũ à littore abſcedebat, procedebatq; æquo gradu cũ claſſe terreſtris exercitus. Occurlare interim Venetus, nunc ex alto, nũc à frõte uim intẽdere, aut à tergo inſtare ne hoſtem omitteret ſolicitus, ſatis habiturus ſi ab Italiæ curſu Venetisq; finibus auerteret. Perſuaſum habuit eo tempore Veneta ciuitas, imò magna pars Italiæ, futurum, ut ſi aduerſæ inter ſe claſſes confligerent, Venetus uinceret egregiè, quando tam obnoxiè hoſtis nauigaret: ſed quò maior nauigatio fuit hæc, eò ciuitas moleſtius ferre, quòd tardius, quã omnium eſſet expectatio, cõfligeretur, patereturq; Venetæ claſsis præfectus Barbaros plus nimio Venetis finibus inſinuari, nemo erat qui nõ pugna malluiſſet de ſumma rei decerni, quàm anceps bellũ trahi, erantq; animi erecti in expectationẽ præclari alicuius facinoris, quum ſubitò allatum eſt Othomanicam claſſem Sapientinum portum aquandi occaſione ſubijſſe, ibique à Veneto intercluſam. Fuit ea res uulgo grata ac debuit, multique hoſtem pro uicto habuere, eratque eo gratior ſpecies illa inſperatæ uictoriæ, quòd citra omnem Venetorum cladem quæſita eſſet: hoc alij, locorum uerò peritiores longè aliter interpretari, eam eſſe loci naturam prędicare, quo hoſtis teneretur, ut quũ libitum eſſet citra omnem noxã liceret inde abire. Cæterùm quia in egreſſu multò opportunior iniuriæ eſſet hoſtis, quàm ſi in aperto cõcurrereẽ, nemo fuit cui nõ perſuaſum eſſet Venetum ad primum profectionis ſignum Barbaro occurſurum, & hominũ animi tam uariè erant affecti, quum ad Sapientiam tumultuaria pugna commiſſa eſt, ceteaua Veneta, Andreæ Lauretani uiri fortiſsimi ductu, qui ex Corcyra eò occurrerat, ut pugnæ intereſſet, cum duabus onerarijs ad bellum inſtructis Othomanicã unam, arcem ueriusquàm nauem ferociter inuaſere, iniectiſque confeſtim catenis conſerta eſt atrox pugna, atque utriq; funeſta. nam ad primum prælij congreſſum, ſiue hoſtium fraude, ut periculo prælium diſcutere tur, ſiue caſu aliquo (ut fit) continuò ingẽs flamma emicuit, conflatumq; eſt incendium, & naues quæ ex aduerſo conflixerant, quia manicis ferreis cõſertæ inſolubiliter inter ſe hærebãt, & propugnatores qui in his erant atrociter abſumpſit. Turcorum plurimi ex ſua cetea in ſubiectũ mare metu prȩcipitate deſiluerunt, ſuntq; ſuorũ occurſu ſeruati. Nec multò meliore euentũ Venetę triremes pugnam iniuere. Nam cum una aut altera in confertiſsimas hoſtium naues ferociter inuectę, ingentem ſtragẽ & trepidationem intuliſſent, cæreræ ſiue metu, ſiue quia ſecunda aura, ut trierarchi cauſati ſunt, deſtituerentur, aliò curſum tenuere. Quibus manus cõſerta eſt, multum diuque inter hoſtes cum ſtrage colluctatę, poſt atrocem pugnam, etſi malè habitæ, retrò tamẽ ad ſuos abierunt, quo apparuit nobiliſsimam uictoriam eo die è manibus emiſſam. Secundum hãc pugnã hoſtis inſtitutam nauigationẽ repetit, dextrũ Peloponneſi littus legens, non minus tamen quàm antea Venetorũ incurſibus obnoxius, ſunt interim pleræq; naues Turcis ex occaſione ademptę. Ventũ eſt inde ad fauces Naupactei ſinus: hic iterũ Venetus hoſtem adortus aliquãto fœdius quã ad Sapiẽtiam elabi paſſus eſt, nam quum loco & nauium robore apparatuq; multò ſuperior eſſet, facilis eſſet ſecuta uictoria, ſi hi quibus datum erat negocium, fortiter obiuiſſent. Sed pluribus pugnam detrectantibus, Barbarus qui à principio de fuga agitaſſe dicitur, ut ſi Venetus paulò ferocius fuiſſet inuectus, in terram ad ſuos relictis nauibus egrederetur, præter ſpem ſinu potitus eſt, quanquam non ſine iactura aliqua interceptarum à Veneto nauium. Emenſa inde Othomanica claſsis dextram ſinus oram, Naupactum

Nauale pugna ad Sapiẽtiam.

A pactum urbem uetuſtiſsimam, Venetis ademit, hodie Lepanthum, ut pleraque, corrupta uoce nominant. Fuit ea res quum claſsis præfecto, tum legatis & trierarchis inuidiæ. Grimano datus eſt ſucceſſor Melchior Triuiſanus, qui cum imperio confeſtim in prouinciam iret, ille domum reuerſus, publicè cuſtoditus eſt, publici aduocatores reum detulerunt, ſed Nicolaus Michael uehemẽtius quàm cæteri eſt in cauſam inuectus. Nullum unquam iudicium à condita urbe maioribus ſtudijs ciuitatis, maioriq; patrocinio conſtitutum. Capita acculationis fuere, quòd pro imperio non animaduertiſſet in eos qui pugnam detrectaſſent, & quòd ſucceſſore non expectato deceſsiſſet prouincia. Grimanus, ut uir erat acri ingenio cõſtantiaq; in aduerſis haud uulgari, adeò accuratè utrunque crimen refutauit, ut ueritus Michael ne ſenatus ſententia abſolueretur, iam enim pars curię multo maxima pro reo ſtare credebatur, iudicium ad uniuerſi ordinis concilium detulerit, per quem Grimanus in Abſyrtidum unam (ſic enim arbitror inſulam olim dictã in ora Liburnię, quam nunc Oſſaron uocãt) relegatus eſt. Nec hyeme illa quicquam in prouincia geſtũ quod memorabile fuerit: Cephalenia tantum oppugnata à Veneto, multumq; circa illam laboratum, ſed incaſſum. In Italia interim pontificius exercitus cũ appendicibus Gallorum, quos circa Mediolanum Lodouicus rex ad præſidium reliquerat, Cæſaris Valentini ducis ductu, Forliuium in Flaminia oppugnat. Eratis Alexandri pontificis filius, fueratq; à patre in ſupremum ordinem antiſtitum aſcitus, permanſitq; in ordine aliquot annos, inde ſiue Alexandri impulſu, ſiue ipſe dominandi cupiditate ita euenire uoluit, ſe ultrò dignitate abdicauit, uxorem que ex nobiliſsima Gallorum gente duxit, præfuitque cum imperio exercitui. Prętextus belli Forliuienſibus illati ferebatur, quòd Catherina, quæ B Hieronymi fuit Riarij, & ipſa Sforſtianæ gentis, filijque adoleſcentes, triburum aliquandiu non reddidiſſent apoſtolicę ſedi. Forum Cornelij primùm, mox Forliuium eſt illis ademptum, aliquandiu laborioſe oppugnatum. Adoleſcentium mater, muli er audax, & ſupra muliebrem ſexum facinoroſa, cũ Forliuienſi arce poſt multos utrinque labores exhauſtos, uenit in hoſtium poteſtatem. Suntque geſta hæc in Flaminia, ſub magni anni initium. Sub id tempus tumultuatum eſt Mediolani, ciuibus ægrè ferentibus, præſertim hominibus aduerſæ factionis urbem à Triultio adminiſtrari. Gliſcente itaque motu, ciuitateque ad defectionem ſpectante, Triultius hic enim ſummæ rei præerat, uir acri ingenio, & gloria militari florens, primoribus ciuitatis ad concilium uocatis, in hanc ſententiam uerba feciſſe dicitur: Miror clariſsimi ciues, atq; eò magis miror, quò minus intelligo unde noua hæc libido quorundam animos inceſſerit, ocium & quietem ciuitatis per ſeditionem & diſcordiam perdendi. nam quod ad multitudinis motum attinet, ſatis compertum habeo alieno impulſu illam, ut ſemper, nunc demum tumultuari, mouetur, ſcilicet, inſipiens uulgus ut mare, non ſuo, ſed alieno flatu, & ne quid obſcurè aut perplexè dicam, uideor mihi pro comperto habere, ex capitibus ciuitatis hæc mala redundare, hanc partem corporis ægrotare oportet, quando minora membra ſunt tam grauiter affecta, inde mali huius origo eſt, inde diſcordiæ fomes, ſiquidem uobis impellentibus, aut quod proximum ſit, adhæc quæ fiunt conniuentibus, ciuitas hæc fit indies inquietior. Sed uos dicite quæſo, quid uobis uultis? quid armaiſta quibus cincti eſtis? quid ſtiparorum caterua? quid nocturna concilia, quæ domeſticatim fieri dicuntur? an non ſatis clementer adhuc egit cum Mediolanenſibus Lodouicus rex? non ſatis muni-

Antonius Grimanus.

Cæſar Valentinus.

Triultij oratio.

ficè? qui uectigalium parte duntaxat una ſibi retenta, cætera uos liberos eſſe permiſit? Venit ille in hanc urbem, nuper receptam, ſed quàm per deum mitis, quàm pacatus, quàm ad omne officium obuius? publicè & priuatim uobiſcum conuiuatus eſt, priuata officia obiuit, nullum munificentiæ genus in ciues, nullum clementiæ prætermiſit, nihil ſtatuit, nihil in quenquam decreuit quod non huic ciuitati commodo fuerit & emolumento. Nec poſteaquam rex hinc profectus eſt, à me in uos, aut in quenquam ciuium eſt aliquid profectum, quod non populare fuerit: at quia unus aut alter ſit in comprimenda ſeditione interfectus, non propterea eſt id ſæuitiæ dandum, non me hercule puto, ſed neceſsitati: coërcenda eſt multitudo metu, quę officio contineri non poteſt. Nec quia ciuis, & in priuata fortuna natus, publicæ præſum adminiſtrationi, debet cuiquam minuidioſum uideri: nam nihil, credo, præter perſonam mihi à rege iniunctam, in me adhuc extitit, quod non idem ciuile, atque omnibus conducibile fuerit. Præterea non meis auſpicijs quicquam in hac urbe geritur, ſed regis illius Mediolanum eſt, illius locus quem teneo, perſona quam gero, omnia mea facta, dicta ad illum referuntur, regio nomini datum, quòd ciuitas adhuc in officio manſit, quòd me coluit, quòd dicto obediens fuit, & nunc ſi quid mouebitur, non mihi ſit iniuria, ſed regi. Quod quum ita ſit, ut nihil acerbum patiamini, nihil tyrannicum, nulli publicè aut priuatim fiat iniuria, expedit uobis & uniuerſæ ciuitati, ut confeſtim ab armis diſcedatur, ſitque per uos pacatior multitudo, & imperio obſequentior: nam ſi contumaciter omnia fiant, ut neque regem abſentem, neq; eos qui à rege iuſi ſunt uobis præſidere, reuereamini, dabo operã, ut breui intelligatis, neq; uires mihi defuiſſe ad imperiũ uindicandũ, neq; ad ſeditioſorũ temeritatẽ cohibendã conſiliũ, ut nõ prius inuictiſsimus rex audiat ſui regni maieſtatẽ à uobis uiolatã, q̃ à ſuis fortiter defenſam. Hęc ille. Verùm quia principes aduerſæ factionis ita ab eo diſceſſerũt, ut nulla ſpes quietioris ſtatus relinqueretur, habuit in animo Triultius uim armis inhibere, ſed quũ eos qui aderant ad tantam rem audendam longè impares ob eximiam militũ paucitatẽ arbitraretur, & inimicorũ opes ita in horas inualeſcerent, ut ne tutus quidem iam in urbe futurus ſibi uideretur, cum uxore in locum arci proximum conceſsit, cum quatuor ferè milibus hominum Mediolano noctu profectus Nouariam ſe recepit, eo conſilio ut Gallis ex Flaminia reuocatis, Venetorumq; auxilijs auctus, Mediolanũ ad imperiũ retraheret. Affuit interea ex compoſito Aſcanius Lodouici frater, ex Germania literis & nuncijs accerſitus, hunc uenientem Mediolanenſes in urbẽ magno totius ciuitatis fauore induxerunt: id ſtudium Ticinenſes & Parmenſes ſecuti, Gallorũ præſidia ſuis urbibus eijciunt, & iam omnia ad defectionem ſpectabant, quum Veneti ne rebus amici regis in tam aperto diſcrimine deeſſent, per Carolum Vrſinum, & Soncinum Benzonium, qui in proximo tum fortè erant, Laudem Pompeij iam propemodum alienatam præſidio firmant. Nec Lodouicus dux in tãta rerum occaſione ſibi defuit, quin triduo poſt Aſcanium magna omnium gratulatione Mediolanum reuertitur, contrahit dein mira celeritate & ſtudio: nam diſcrimen in quo res ſita erat, nihil per ocium fieri patiebatur, ad octo milia peditũ Germani Italiciq; generis duo equitum, Ticinoq; copijs traiecto, Veganum recepit, Gallis qui in arce refugerant, conditione dimiſsis. Nec Triultius interea quieuit, quin Mediolano pulſus cõfeſtim Gallos ex Flaminia reuocat, quũ iã Valentinus dux Piſaurenſibus immineret. Galli præter Placẽtiam impetu euecti, quum Aſtam infeſto agmine abirent,

Aſcanius & Lodouicus Mediolanum recipiunt.

Dertonam ſubita ui captam diripiunt: nec his rece
ptis Triultius ſibi uiſus eſt tanti, ut turò cum hoſte
caſtra conferre poſſet, adeò Lodouici exercitus bre
ui creuerat, acceſsit formidini quam ille ſua ſponte
præceperat, quòd Sfortiani ſub id tempus ſunt No
uaria potiri. Veneti Gallorum rebus per hæc peri-
clitátibus, Nicolaum Vrſinum Petiliani comitem,
cum robore copiarum trás Abduam, ſi opus ſit, cõ-
feſtim ire iubẽt, Gallisq; ſuppetias ferre. Cæterùm
quia omnia media hoſtiũ eſſent, ſi copias cũ his iun
gere nõ poſsit, ancipiti bello Sfortianos fatigaret,
infeſtaretque res hoſtium circa Mediolanum, eſtq;
interim non procul à Nouaria penè iuſta acie dimi-
catum, fuitque pugna illa Gallis aliquanto proſpe-
rior. Lodouicus de ſumma rei dimicaturus in ho-
ram expectabat aliquot euocatorum milia, quæ ex
Mediolano mittebantur, ut certior ſequeretur ui-
ctoria. Inſtare interea Gallus, ac multo quàm un-
quam antea ferocius ad pugnam prouocare, quæ
hoſtium intemperies fecit, ut parum maturè ſit cer
tamen initum: ſic quoq; fuiſſet uictoria anceps, ni
Suitenſium duces, inito prælio ſuis congreſſum in-
hibuiſſent. Conſtabat pars multo maxima Sfortia-
ni exercitus ex eo hominum genere, qui poſtris nõ
multo prius cum Maximiliano armis, in Italiam ad
id bellum tranſiuerant, Lodouici ducis ſtipendium
ſecuti. Hic anceps fama eſt, fraude pugna abſtinue-
rint à Gallis corrupti, an quia publico gentis edicto
iuſſi eſſent intra paucos dies bello abſcedere, quod
quum facturi eſſent, ad leniendam inuidiam, quæ
apud ſuos eſſet ſibi ex ea militia conflata, Gallo per
ea gratificati ſint: cæterùm quacunque de cauſa pu
gna detrectataeſt, Sfortiani Italici generis, qui præ-
lium ferociter iniuerant, ubi Suitenſes nõ ſeruare or
dinem dicti ſunt, ſed fluctuare animo, ſignaque re-
trò conuerti, confeſtim pedem referunt, inſtat Gal
lus cedenti agmini potius quàm fugienti, ſuntque
interim ex Sfortianis non pauci aut capti, aut inter
fecti, ad poſtremum Nouariam compelluntur. Hic
Suitenſibus cum hoſte pactis ut incolumes inde a-
birent, ueritus Lodouicus ne Nouarię cum ſuis reli
ctus, fame aut alia ui ſubactus in hoſtium poteſtatẽ
ueniret, Suitanico habitu Germanis mixtus cona-
tus eſt diſsimulata perſona in apertũ euadere. Sta-
bant Galli dextra læuaque armis inſtructi, per hos
Suitenſes longo agmine taciti abibant, hic ſiue ab
ijs proditus, quorum fidem ſequebatur, ſeu ab ho-
ſte agnitus, quum iam multum Germani agminis
proceſsiſſet, ex improuiſo Galli in eum manum in
ijciunt, captus eſt cum fidiſsimo uno ex familiarib.
qui illi ignoto habitu hærebat. Sunt qui dicant or
to à Germanis tumultu, extortumque Sfortianum
ducem è manibus Gallorum, aliquádiu in agmine
latuiſſe, quoad qui cõditione dimittebantur, unus
poſt alium inter obuerſas haſtas abire coacti ſunt,
actum demum Lodouicum ueniſſe in hoſtium po
teſtatem. Galli receptum atque equo impoſitum
in arcem, quæ adhuc ſuorum præſidio tenebatur,
perduxere, urbs confeſtim dedita eſt. Sfortiani au-
dito ſui principis caſu, alij aliò dilapſi, magna ſui
parte hoſtibus prædæ fuerunt. Lodouicus confe-
ſtim eſt in Galliam ad regem miſſus. Erat tunc Aſca
nius Mediolani, qui acerbiſsimo de fratre nuncio
conſternatus, relicta urbe fugam occupat, hunc ma
gno amicorum comitatu abeuntem, in Placentino
agro Carolus Vrſinus, & Soncinus Benzonius ade
pti, leui certamine hoſtium equitatum fundũt, ma-
gis fugæ quàm prælio intentum, fuit tamen omni
no aliqua certaminis forma. Aſcanius medio tu-
multu cum tribus equitibus à cætero agmine di-
greſſus, celeri curſu proximum caſtellum petijt
(Ripaltæ loco nomen eſt) Trebiæ fluuio impoſi-
tum, apud Conradum Landenſem hominem ſibi
familiarem, latebram quæſiturus. Occurrit eò Ben
zonius cum expeditis equitibus, ſuſpicatus quod
erat, ſuperuenit Carolus, hoſtibus partim captis,
partim fœda fuga diſiectis. Sub Caroli acceſſum A-
ſcanius deditus eſt, eum Soncinus Venetias duxit,
ubi aliquot eſt dies publicè cuſtoditus. Miſſus eſt
ex urbe Roma ab Alexandro põtifice Angelus Leo
ninus, Tyburtinus antiſtes, uir magno ingenio, qui
eum à principe & patribus pontificis & collegij no
mine repoſceret, fuiſſetque (ut par erat) Pontifici &
tanto ordini obtemperatum, ſed aliquanto prius
quàm pontificius orator Venetias appuliſſet, dedi-
tus erat Aſcanius Gallis, qui eum regis nomine de-
poſcerant, mittiturus quoque confeſtim in Gal-
liam ad regem. Incidit recens hæc Sfortianorum
clades multo priore illa calamitoſior, ad tertium I-
dus Aprilis, magni anni, quem Alexander ſextus cõ
didit. Et Sfortiani fratres per hæc florẽtiſsimo prin
cipatu exciderunt, ueneruntq; in hoſtium poteſta-
tem, uiri ſapientia animi & munificentia omnium
ſuæ ætatis principum longè præſtantiſsimi, qui nõ
minore indole amiſſum principatũ recuperaſſent,
ſi uel fortuna uel militũ fides illorum cœptis reſpõ
diſſet, quàm à Franciſco Sfortia eorum patre fuerat
olim quæſitus. Exieratiam uernum tempus anni,
quum Baiazetes rex terra marique bellum in Pelo
ponneſo reparauit, fuitque hic recens motus Vene
tis terribilior quàm prioris anni: nam præterquàm
quòd claſsis multo ualidior quàm antea in apertũ
progreſſa eſt, Othomanus cum terreſtri exercitu in
prouinciam uenit. Liber hic quando de Turcorum
origine & ritu gentis per partes operis eſt abundè
dictum, pauca de militari inſtituto, deque ordinib.
militum, quibus nunc gens ipſa utitur, ſubijcere.
Primum non unum apud hos genus eſt equitum
in uſu, ſunt Timarcini, qui ſtipendiarij interpretan
tur ad octoginta milia, hi uicos, uillas, caſtella, ut
quiſque meritus eſt, regis indulgentia poſsident
ſtipendij loco, præſtoque ſunt Sanſacho, duci ui-
delicet eius prouinciæ, cui attributi ſunt, in duos
diuiſi ſunt exercitus, Aſiaticũ & Europeum, ductu
inde maiorum ducum militaturi, quorum hic Aſię,
ille Europæ præſidet, hos Baſſas gentili lingua ap-
pellant. Sunt & Aconiziæ fatales dicti, hi ſine ſtipẽ
dio militant, ſemperque agmen præcedunt præda
bundi, quintam prædæ partem regi debent, manu
biarum nomine, ſunt hi circiter quadraginta milia.
Abijt tertium genus in Charippos, Spahiglanos &
Soluphtaros, præſtantiſsimi horum Charippi e-
queſtri dignitate illuſtres, & circa regẽ frequentes,
octingenti numero ex Scythis Perſisque, nec alio
genere hominum lecti, in conſpectu regis inſignis
ter, quum opus eſt, dimicant. Spahiglani & Solu-
phtari ſunt, qui ab initio ad turpem uſum pueri ad-
huc apud regem fuere, mox adulti regis indulgen-
tia uxorem ducunt, auctiq; dote coniugis & ſtipen
dio plurimum oratorum utuntur officio, regis la-
tus dextra læuaque ſtipant inter eundum, ad præ-
fecturas & cæteras dignitates ex hoc ferè ordine le
guntur, mille ſunt & recenti numero. Triplex in pe
ditibus ordo, Ianizari, hi impuberes adhuc ex toto
imperio leguntur à conquiſitoribus aliquandiu mi
litari diſciplina inſtruuntur ſub magiſtro in publi-
cis gymnaſijs, mox militiæ aſcripti amiciuntur bre
uiore ueſte, & pileo albo, ac ſurſum uerſus porre-
cto, arma, ſcutum, enſis & arcus: hi caſtra muniũt,
urbes oppugnant, ſuntq; ad uiginti milia & amplius. Secundi ſunt ordinis Aſappi leuis armaturæ pe
dites, enſe, ſcuto, & longiore haſta inſtruuntur, rubro pileo à Ianizaris diſcreti, hoſtium equos in præ
lio confodiunt, horum numerus ad belli magnitu-
dinem accommodatur, minimũ quadraginta milia
cũ rege proficiſcũtur, his ſtipendiũ cũ bello finitur,
ex hoc inſtituto regius habet exercitus ad ducenta
armatorum milia. Cæterùm peditum turba ſine ſti
pendio

Lodouicus Sfortia capitur.

Aſcanius capitur.

Militaris diſciplina Turcarum.

Turcorum militia.

pendio uoluntariorum eſt, aut euocatorum, ſuntq;
his calones mixti, lixæ, fabri lignarij, & qui pugna
tibus neceſſaria miniſtrant, ſternunt uias per loca ar
dua & abrupta, pontes fluminibus aut ſtagnis im-
ponunt, aggeres in hoſtes erigunt, cæteraq; ad ex-
pugnationes urbium utilia expediunt. Comitatur
caſtra nummularij, trapezitæ, inſtitores, atq; aliorũ
id genus hominum ingens colluuio, ne quid deſit
eorum quæ humano uſui conducunt. Sed nihil eſt
quod in ea gente magis mirari poſsis, quàm celeri-
tas in agendo, in periculis conſtátia, obſeruatio im
perij, ut minima delicta capite uindicentur, profun
da & uorticoſa tranant flumina, abruptos ſuperant
montes, iuſsi per æqua & iniqua eunt præcipites,
nõ uitæ, ſed imperij memores, peruigilij, inediæ to
lerantiſsimi, nulla ibi ſeditio, nullus tumultus, fre-
mitu non clamore utuntur in prælio, in caſtris no-
ctu tam pertinax ſilentium, ut patiantur captiuos
dilabi, ne tumultus excitetur aliquis, & ut breuiter
dicam, hi ex omni mortalium numero hodie legiti
mè militant, ut nemini mirũ uideri poſsit quid ſit,
q, res eorũ tãtũ ad hunc diem creuere, quantũ ducẽ
teſimo abhinc anno nullius alterius gentis, poſsitq;
uerè dici eſſe id genus hominum inuictum, niſi aut
lue, aut peſte aliqua tetterrima, aut domeſtica diſcor
dia uincantur. Affuerunt itaq; Baiazeti Peloponne
ſum petenti ad centum quadraginta armatorum
milia, quibus fretus copijs Metonem terra & aquis
terribili eſt oppugnatione adortus, eneis machinis
muri diſiecti, & tecta urbis cõcuſſa, ſaxorũ molibus
ſupernè petiti, defenſa eſt tamen urbs plures dies
Meronenſium fide & uirtute, Venetoque præſidio,
bisq; interim oppugnati qui in urbe erãt, tanta ho-
ſtiũ rabie, ut cateruæ militũ muros ſubeuntiũ à ter
go impulſæ, ac in præceps actæ, foſſas urbis ſua cor
porũ ſtrage repleuerint: mãſit utroq; certamine res
Veneto incolumis, repulſus q; eſt hoſtis à mœnibus
propugnatorũ uirtute, ignominia & clade affectus.
Superueniũt interea Venetæ triremes tres cõmea-
tu & uiris onuſtæ, quæ ex Zacyntho mittebantur,
nã Veneta claſsis, quæ illic ſtabat, multò erat inferi
or, q, ut tutò cum hoſte congredi poſſet, fuerũt trire
mium quę miſſæ ſunt trierarchi Io. Maripetrus, Ale
xander Cothius Corcyreus, & Cachuris Hidrunti-
ni remigij caput. Valerius Marcellus cum Baptiſta
Polano aliquãto prius eò cum duabus triremibus
miſſus fuerat, ut urbi præſidio eſſet, hi qui nouiſsi-
mè ſuppetias ferre iuſsi ſunt, per medias hoſtium
ſtationes, plenis uelis ad urbem cõtendunt, nec por
tum ſubire potuerũt, qui multis molibus fuerat ab
oppidanis obſtructus, ne eo hoſtis potiretur. Vi igi
tur ſua ſub muralibus uadis impacti, in ſe totam ci-
uitatem illico uertunt, ne uadis hærentes ab ho-
ſtibus interciperentur: metu igitur lætitiaq; uarian
tibus, ut commeatum ſimul & præſidium accipe-
rẽt, nõ ſolũ ex cæteris urbis locis, ſed ex murorum
quoq; ſtationibus ad mare cõcurritur: quam hoſtis
occaſionẽ nactus, facto impetu prius muros tran-
ſcẽdit, q, ad ſubitũ clamorẽ occurri potuerit, pugna
tũ eſt nõnihil in urbe, poſtremò omnibus amiſsis
cædes fœdiſsima Græcorum militumq; edita eſt,
urbs direpta, ac magna ex parte incenſa. Baiazetes,
Metone capta, Iunco deditione potitur, mox & Co
rone. Sub id tempus Melchior Triuiſanus Venetæ
claſsis præfectus, graui morbo cõflictatus obijt, de
cuius aduerſa ualetudine deq; terrifico hoſtium ap
paratu & Metonis oppugnatione, ubi literis et nun
ciis eſt Venetijs auditũ, Benedictus Piſaurius eſt cõ
feſtim illi ſucceſſor datus, q tametſi irrequieta uſus
nauigatione, ut ſuis laborantibus ſuppetias ferret,
quũ tñ uenit in prouinciã, iã Metone ab hoſte tene-
batur, ceſſerantq; ſub idẽ tẽpus & Iuncũ & Corone
eiſdẽ armis, & iã terra & mari Nauplijs imminebat
uictor Barbarus, cæterùm audito noui ducis, ad Za
cynthum appulſu, & quòd ſtudio claſſem contrahe
bat, trierarchis, ex circumiectis ſtationibus, nauar-
chisq; ad ſigna reuocatis, propoſito aduerſus domũ
proficiſcitur. Piſaurius claſſem abeuntem ueſtigiò
ſecutus in Helleſpontũ uſq; extremum agmen car
pendo, moratarumq; aliquam aut ordine aberranti
um intercipiendo perſecutus eſt, ademitq; interim
Barbaro hoſti biremes & alia nauigia ad uiginti &
amplius: mox retrò auerſus complures ex hoſte in-
ſulas locaq; maritima populatus eſt, Æginiam inſu
lam recepit, inde Zacynthum repetit præda onu-
ſtus, ubi Conſalem cum Hiſpanienſi claſſe à ſocio
rege miſſum inuenit. In Italia eadem æſtate Piſæ à
Gallis ſunt in Florẽtinorum gratiam oppugnatæ,
urbs non ſolum defenſa, ſed Galli etiam cum cæde
ſunt à mœnibus repulſi. Et Valentinus dux ponti-
ficis filius, Flaminia cum exercitu repetita, Arimino
& Piſauro ſine certamine potitus eſt. Principes u-
triuſq; urbis, omni fauore deſtituti, maluerũt tem-
pori cedere, quàm ſua ciuium q; pernicie uim belli-
cam experiri. Dabatur his crimini quòd diu ponti-
fici tributũ non reddidiſſent. Eſt & Fauentia nonni
hil oppugnata. Procul Italia eodem tẽpore Ruthe-
norum dux Alexandrum Lithuaniæ ducem, cui fili
am deſponderat, graui premebat bello. Fuit Alexã
der Caſimiri filius, Alberti Polonię & Vladiſlai Vn
gariæ Bohemiæq; regum frater. Illati origo belli
proditur, quòd Lithuania, quam ille per manus à
patre accepit, Rutheni eſſe nominis diceretur, quã
à Caſimiri interitu armis repetitã, poſt magnos par
tium conatus, Io. Rutheniæ dux doris nomine Ale
xandro permiſit habendam, uerùm cõditione quã-
dam, ut filiæ in regia urbe oratorium conderet, ubi
Græcanico more res diuina fieret: hũc enim ritum
ſeruat in uniuerſum hodie Ruthenia. Stetiſſet pro-
miſsis Alexander ſocero & nouæ ſponſæ gratifica-
turus, cæterùm Polonis ſæuientibus, deos atq; ho-
mines cum fremitu teſtantibus, rem indignam fie-
ri, quòd nobiliſsima prouincia per eam cærimonię
ſpeciem ad Ruthenos relaberetur, ſi in ritum gen-
tis degeneraret, ueritus Alexander ne omne Sarma
ticum nomen (ſunt enim Poloni qui & olim Sar-
matæ) alienaretur, cui in primis chariſsimus eſſe cu
piebat, preſertim regni eius ſucceſsione animo pre
cepta, abſtitit incœpto, qua Ruthenus ludificatione
commotus, cum ingenti exercitu Lithuaniam a-
dortus, ita Alexandri opes, cum hæc proderemus,
bello afflixerat, ut iã parte multo maxima prouin-
ciæ ad id rempus excidiſſe diceretur. Belli euentus
anceps adhuc erat. In mari Piſaurius, Venetæ claſ-
ſis præfectus, Hiſpanienſi claſſe auctus, Cephaleni
am oppugnat. Erat regiæ claſsis imperator Conſa-
lis Agidarius, uir fortiſsimus, Hiſpani generis, ſed
ab Agide Spartanorum rege (ut fertur) progna-
tus: prima huius militiæ rudimenta ſub Alphonſo
fratre duce fortiſsimo, cuius ſtrenua opera Bethi-
cam Hiſpaniæ reges à Mauris recepere. Granata
urbe regia poſt multos labores longa obſidione ex
hauſtos expugnata. Occubuit Alphonſus Mau-
rorum defectione quadam, iniquiore loco ab ho-
ſtibus circumuentus, qui Æmylij Pauli exemplum
ad Cannas imitatus, in ueſtigio cadere maluit,
quum ſeruari potuiſſet, quàm ſuorum ſtragi ſuper-
eſſe. Terra dein marique Conſalis uarię exercit-
us, in Italiam priore bello Gallico à Ferdinando
rege miſſus, ut Aragonijs auxilio eſſet, multa im-
pigrè geſsit, per quæ cœpit eius nomen in ea terra
illuſtrari. Sed ipſe multo deinceps clarior factus
his bellis, quæ poſtea ſecuta ſunt. Enimuero eò
uiri fama & celebritas proceſsit, ut imperatoris o-
ptimi nomen adeptus iam uniuerſæ ſit Italiæ admi
rationi. Sed quę eius ductu Hiſpani hoc biennio in
Italia aduerſus Gallos geſſere, p partes ſunt poſtea
dicẽda. Agnoſceret Italia ſuos Agidarios, indigenas
tamen

Sfortiani fratres per fidem capti.

Metone capitur.

Benedictus Piſaurius claſſi præficitur.

Conſalis origo.

Alphõſi mors.

tamen nec patrum illustres patrum memoria, nam & Cunij comites Agidarij fuere, censentur & Brixiæ hodie uiri eo cognomine, & in his Iacobus Agidarius, philosophicæ disciplinæ affectator. Sed de Consale quando non unus in historia locus posthac eius nomine signabitur, non ab re fuit hæc unũ in locum contulisse. Nunc ad Pisaurium redeo, qui A duarum classium opibus fretus, Cephaleniam superiore anno frustra ab alijs oppugnatam, multa ui est iterum adortus: laboratum utrinque non modiocriter, magnumque cum hoste certamen plures dies tenuit. Ad postremum disiectis mœnibus, oppidoque ui capto, Venetus uniuersa insula est potitus. *Cephalenia capitur.*

ENNEADIS DECIMAE FINIS.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI RAPSODIAE HISTORIARVM AB ORBE CONDITO, ENNEADIS VNDECIMAE, PRAEFATIO.

POTVI, satis scio, honesti, & citra omnem ambitionis suspicionem hic demum consistere, ubi nuper immensa lucubratione fessus, tanquam iam emeritus, aut certè emerito similis, interquieui, satis superq; laboris exhaustum uideri potuit, in tam longa rerum serie, totq; retro seculis texenda, nec qui deinceps hauriri posset ullus meo iudicio reliquus erat amplius: sed nec debui ego, nec potui quietem ullam præcipere animo, quæ non ab hominum consilio fuit petenda, sed ab occasione & opportunitate temporum, quorum conditio omnium gerendarum rerum mater est & magistra: nam ea tempora, quod ad hoc attinet sunt sacrum annum proximè secuta, qui ultimus Rapsodiæ huius esse debuit, ut non solum non desinere quenquam patiantur, sed aliud etiam agentem possint adscribendum sollicitare. Nullum unquam tempus tam sæuum & infestum incidit Italiæ à condito æuo, quàm hoc paucorum annorum, quibus magnus fuit annus interiectus, quem Alexander sextus condidit. Breue id quidem, sed ob ea quæ interim gesta sunt, longè memorabile, nullis unquam rebus ambitiosius sese miscuit fortuna, nulla temporum nouitate improbius suas uires exercuit, nunquam plures afflixit, paucioribus fauit, ut ne ab his quidem, qui demum uicisse creduntur, gratiam reportarit: adeò cæco impulsu statum terræ, omnium olim gentium principis, concussit fortuna, magis histrioni, quàm sibi similis, qui omni ferè actu mutat personam. Sed qualis hic ludus fuerit quàm nouus et memorabilis, quum ultima proximæ Enneadis uolumina demonstrant, tum multo magis hæc quæ ex instaurata relatione produntur.

ENNEADIS XI. LIBER I.

VIt supremus sanctioris anni dies, is quo Cephaleniorũ insula, nominis uetustate insignis, Venetis cesserit armis, nũc tantisper relatio eorum, quæ deinceps terra mariq; gesta sunt, posthabenda est, dũ quis status rerum in cæteris gentibus per id tempus fuerit, explicabitur, & in primis Italiæ terrarũ omnium nobilissimæ: tuebitur præsens relatio breuitatem stili ab initio institutam, ne sui oblita uideatur historia. Erat igitur dum magni anni celebritas adhuc teneret, rex in Æthiopia, quę est supra Ægyptum, (hodie India est) Noad Gian Schendri filius, nostri corrupta uoce Pretoianem uocant. In Ægypto & Syria rerum potiri Melech Laseraph Sultanus. In Græcia, Ponto & minore Asia Baiazetes, qui Mahometis fuit filius. In Hiberia Bacharetes Melech. In Persis Asambeus, qui Vssumbasses. In Caramanis Lambraibechus. Circa Euxinum ubi Capha urbs est, & tauricam Chersonesum, Mahometes Baiazetis filius, circa Dromon Achillis, quę hodie Perecopa peninsula est, alter Mahometes Tartarorum qui sunt in Europa rex. Vltra Tanaim, & Mæotas populos Tatis, cognomento Lordo. Inde ultra Bolgam amnem & supra Caspium mare Nogais Tartarorum maximus. Mox retrò ad septentrionem in Rutenia quæ Rhosolanorum fuit Scythicæ gentis, Ioannes Vasilij. In Polonia quæ & Sarmatia nunc est, Alexander Casimiri filius. In Pannonia & Bohemia, Vladislaus Alexandri frater. In Germania Maximilianus, qui fuit Federici tertij. In Gallia Lodouicus huius nominis duodecimus. In Burgundia Philippus Maximiliani filius. In Britannia quę nũc Anglia est, Henricus. In Bethica Hispaniæ, & Aragonia, Sardinia, & Sicilia, Ferdinandus, qui fuit Alphonsi. In Lusitania Emanuel huius gener. In Libya ad Tuneta, Mandes Abdale. In Italia Montferratensiũ dux erat Guilielmus Bonifacij. Mediolanum cum Genua & Liguria Galli obtinebant, quo nuper principatu excidit Lodouicus Sfortia. Pisæ, Luca, & Senæ liberi iuris. Florentia non solum libera, sed Hetrusci etiam nominis fama & celebritate longè princeps. Roma pontificię ditionis, ubi pontifex Alexander sextus: pontificij iuris pars una Hetrurię, Vmbria. Picenus ager, B *Terrarum reges & principes.* *Italiæ principes.*

ager, & Latium uetus. Neapolis Federici regis, qui fuit maioris Ferdinandi filius, Perusiæ, Baleonicæ factionis opes prętalebant. Tipherni Vitelliorum. Bononię Bentiuolorum. Camertium princeps erat tum Iulius Venantius. Vrbinatiũ Guido, Vbaldus Pheltrius. Senogalliam urbis prefectus obtinebat, qui fuit Sixti pontificis ex fratre nepos. Pisaurum & Ariminum Cæsari Borgiæ & põtificijs armis, anno quo hæc prodebantur cesserant. Forliuium superiore anno ui cesserit, & Fauentia ab eodem duce oppugnabatur. Ferrariæ dux erat Hercules Estensis. Mantuæ princeps Franciscus Gõzaga, qui priore tumultu Gallico ad Tarum fluuium in Gallos insigniter dimicauit. Veneto nomini quod reliquũ est Italiæ parebat, ab Abdua flumine ad Arsiam cũ Alpinis gẽtibus, quatenus alpes ad Italiam spectãt. Vltra Arsiam secundum Histros Liburniæ ora, Dalmatiæ, Macedoniæ cum adiacẽtibus insulis. In Peloponneso Nauplia, quæ hodie corrupta uoce Nea polis. Magnus adhæc in Ionio Cretico Carpathio & Syrio mari, in quo Cyprus est, insularum numerus. Mera ægrotantium, quod ad Italiam attinet, in somnia continere mihi uidentur fragmenta, quæ Berosi, Catonis & Sempronij nomine circumferũtur. Sed quæ uerissima de uetustate Italiæ dici potuerunt, ij libri continebunt, quos de originibus (superst modò uita) sumus non multo pòst edituri. Nunc quod ad recentioris Italicæ gentis ritum & mores attinet, nam omnis uetustatis ratio in frõte septimæ Enneadis abundè repetita est. Italia in uniuersum Christianę cultrix est pietatis sacrorum cærimonia ex Romanæ ecclesiæ instituto, nisi fortè in ultima eius terræ parte, pauci Græcum hodie seruent ritum, & ipsi quidem Græci generis: unum connubium Italis ut olim, sed citra repudium, neq; id permittitur, nisi magna de causa, Romanij; pontificis permissu. Regum nobiliumq; principum primogeniti ueteri instituto regnum obtinent, in priuata fortuna uirilis stirpis liberi ex æquo fiunt hæredes, sed legitimo thoro nati. Triplici iure utitur Italia, pontificio, Cæsareo, & municipali, cõstat hoc ex legibus, quas aliæ ciuitates alia sibi de causa condunt, ad bonum æquumq; spectãt. Iudicia rerum ciuiliumq; negociorũ, hic iudicum ordines exercẽt, illic magistratus, nam non una ubiq; est regiminis forma. Prima nobilitas militiæ, si felix sit, sequens rei literariæ, sacerdotium magis uenerabilem facit quàm nobilẽ. In claritudine literarũ Theologi primas sibi uendicant, secundas ab his iuris scientiæ periti, sunt & medici in admiratione, sed maiore quæstu. Mathematici, Dialectici, Astronomi, & poëtæ magis inter se clari quàm uulgo cõspicui. Grammatici extremi omnium, ut qui inter pueros consenescant: est & sacris oratoribus grande nomen, sed maior ueneratio ob pietatis studium, frequentiore agunt theatro quàm forenses: his maior quæstus, quàm nomen. Est & mercatura in magna celebritate, nam precium hodie ut semper, in precio est: pictores, statuarij, fusores in maiori admiratione q̃ agricolæ, etsi prima laus huic rei debebatur apud maiores. Romani propemodum soli Italorum, pecuaria exercent, sed mercenaria externorum hominum opera. Vestitus alius alijs, sed Venetis laxitate insigni, ac prolixitate, & in his urbicus municipalis sumptuosior. Secundum Venetos ciuilis & nitidus Florentiæ, & cæteræ Hetruriæ, Mediolanenses ac toti Æmiliæ Liguriæq; floridior, sed paulo contractior. Romæ aulicus prolixitate uarietateq; colorum omnes alios antecellit. Romanus multo frugalior, sed cui suus non desit nitor, præsertim in fœminis. Neapolis magis nitido utitur quàm sumptuoso, & externus gratior Italico: cętera Italia simplicius uestitur, nec unus habitus omnibus, quippe quem nostra memoria sæpe uariari cõtigit. Ecce in Æmilia & tota Gallia Cisalpina gaudent principes fœminæ in Hispanico habitu uideri, uiri in Gallico malunt. Iam & Romæ muliebris sexus Tuscum nuper affectabat. Venetijs matronæ his paucis annis ulnas pectus & humeros nudabant, nunc omnia contegunt, ac laxioribus utuntur manicis & in Hispanicum degenerant: ueteres Romanorum statuę & numismata arguunt nullum apud maiores fuisse tegendi capitis usum, nec caliga fuit nisi militaris: est hodie utrunq; uulgatissimum, sed tegere caput translatitium in Italia, ut credere est, quod nomen etiã declarat. Nec lanei aut linei thoracis adeò frequens usus olim, quod ex ueteri statuarum figuratione potest intelligi, nunc omnis iuuenum cultus in his propemodum sese effert. Italicus sermo neque ille est qui olim fuit, nec ab eo omnino diuersus, sed Barbaris uocibus plus minusue adulteratus, ut hæc aut illa regio fuit externis gentibus magis obnoxia: littoralis Histriæ ora Veneta plurimum utitur lingua, quæ compta est & grauis, pluriumque linguarum flore conflata, quod facile contigit in frequentissimo Italicarum gentium commercio, olim multo simplicior fuit ac minus auribus grata. Carnicus sermo plures sonat linguas, ac nescio quid ab Italico diuersum, dulcior auditu, quo Taurisium, Patauium, Verona, Vicentia, Mantua, Ferraria utuntur, sed in his urbicus gratior agresti. Cisalpina Gallia externum quẽdam, & à nostro alienum sonat. Nulla alioqui gens cultior, aut urbium apparatu, aut uictus frugalitate Rauennæ, Arimino, Pisauro, Fauentiæ, Bononiæ, & uniuersæ Aemiliæ, Flaminiæque, uenustus sermo: Tuscis breuis ac uelut Laconicus, in alieno quàm suo ore gratior. Quod Romæ nuper offendebat commercio gentium indies magis excolitur. Picenis & Sabinis, & Marsis crassior, castigatior Vmbris. Appulis, Lucanis, Brutijs, Samnitibus & cæteræ Italiæ rudior lingua, ac minus peregrinis imbuta, præter Neapolim, ubi plerique Hispanicum affectant, quòd si quis altius spectet, atque in uniuersum iudicet, nulla est ciuitas, nullus populus, qui non aliquid à finitimis differat. Principes Italici nominis urbes, & quibus aliquid insigniter attribuitur hominum prædicatione, dites Venetiæ, Mediolanum inges, superba Genua, pulchra Florentia, Bononia ferax, Rauenna uetus, Roma olim gentium, nunc humanæ pietatis caput, & ob id sancta. Neapolis nobilis. Histria quæ olim fuit est hodie. Quæ Carnorum fuit ora, nunc Foroiulienſium est, quæ Venetia in Taurisinum, Cenetensem, Opiterginum, Vicetinum, multarumq; urbium agrum abijt, olim Euganeorum hęc regio. Qua Tauristi fuerunt, sunt Belunenses. Qua Rheti, Tridentini. Veronenses Rhetorum genti penè inserti, ac præter hos Brixiani in Euganeis fuere, ut quidam scribunt, ut alij in Cenomanis, ut Bergomates & Cremonenses, Cisalpina Gallia magna sui parte nunc Langobardia est. Liguria Genuæ littoralis ora, quæ olim Flaminia Æmiliaque nunc Romandiola: quæ Hetruria siue Tuscia, Tyrrheniáue, nunc Thuscania, qui Picenus ager, Marchia, quæ Vmbria, Spoleti ducatus, q Amiternini, nunc Aquilani & Furconenses, qui Peligni & Marucini, nunc Abrutini, Marsi & Sabini qui & olim, qui Equiculi nunc Ceculi, Appuli & Calabri qui quondam, ubi olim Brutij, nunc Messanæ caput, quę fuit Lucania, hodie Basilicata est, quę Campania Leboria terra, ubi Leborini campi antiqui nominis, Latium omnium gentium caput in Campaniæ nomen abijt, præter eam terræ partem, quæ urbi adiacet, hæc Romana terra est, & de externis regibus atque Italiæ statu, Italorumque moribus hæc quàm breuissimè potui, nunc ad se stilus reuertitur, repetitq; locũ, unde fuerat egressus. Venetus Cephalenia potitus, regia classe, cuius strenua fuit

Recentes Italorum mores. *Hominum ordines in Italia.* *Cultus & uestitus Italorũ.* *Populorum & urbium Italiæ sermones.* *Vrbes & regiones Italiæ.*

fuit opera in ea oppugnatione usus, domum abeun A saurius ad eas hostiũ naues subita ui inuadẽdas, aut Recẽs Pisaur. consilium.
te, insulam ualido firmat præsidio, mox Corcyram si alia ui nequeat, igni cõficiat, futurum ratus ut Bar
repetit, ubi medijs ferè Hybernis indicio comperit barus simul omni spe latius in futurum euagandi
sedere in Ambracio sinu nouã Turcorũ classem ar priuaret, simul se & suos solueret laboriosa illa sta
mis & commeatu instructam, ut ad prima ueris sig tione. Instruxit Venetus occultè aliquot tecta naui
na sinũ egressa, cum ea iungeretur, quæ ad Eantẽ gia, quas uulgò uocant Barbotas, impositq; ex na
stabat, nunc is amnis Vagiula est. Percrebuit ad hęc ualibus turmis uiros electissimos, qui ostium flu
rumor fore, ut sub idem tempus tertia hostium classis, minis taciti subeũtes, subito incursu hostiles naues
ex Hellesponto profecta, circa Corcyram Venetum adorirentur, flammaq; tumultuose iniecta, priusq;
incipiti bello implicaret, actũ erat de summa subueniri posset, cremarẽt. Hic quia prouisa ab hos
rei, aut domi aut foris, clades ingens adeunda, nisi te res fuit, stabátq; parati qui Venetũ sub primum
Barbarorũ cõsilijs itũ esset obuiã. Res Veneta, pxi appulsum insidijs exciperent, aut quòd subsidium
mior periculo, sed Italiæ & insulis, quę ipsi terræ ad ad primũ clamorem maturè affuit, classiarij, quòd
iacent, par belli terror intendi, Othomanica classe satis constat, Barbaris tumultuose in se ruentibus
liberè euagãti. Magnitudinem periculi huius repu coniectis in aduersum hostẽ telis, retrò cursum ex
Pisaurij consilium. tans animo Pisaurius classis præfectus, consilium pediunt, abijssentq; ad suos incolumes, tametsi ne
capit tam audax quàm necessarium, ut per angusti gocio infecto, nisi sub ipsum fluuialis ostij exitum,
as sinus quæ hostium præsidio tenebantur, repen in aduersam uentorum tempestatem incidissent,
tè inuectus, hostium naues ex improuiso opprime cum qua diu colluctati remiges, postremò ui pela
ret, oppressas, & in potestatem redactas, in altũ ab gi, & uẽtorum pertinaci flatu uicti, ceu naufragi in
duceret, aut si minus id consilium procederet, inie proximum littus deiecti, in hostium potestatẽ ue
cta combureret flamma. Qui rei gerendæ interfue nere: ducenti fuisse dicuntur, qui per hunc modum
runt, prius quàm in Hyberna sit concessum, aiunt periclitati sunt, alij dimidio minus ponunt, sed ma
Pisaurium in hostem profectum, qui confestim Ce ior quàm pro numero clades, ex cũctis triremium
phalenia recepta, sociaq; classe à se dimissa, quia in turmis fortissimi quique ad id facinus lecti parem
dicio comperisset hostilem classem in Ambracio si sunt casum experti. Sed dum hęc procul domo fiũt,
nu sedere, ad eam opprimendam animum adiece Alberti Sarmatiæ regis legati Venetias appulerũt,
rit. Cæterùm ut hostem ab omni eorum quæ para hi principem & patres, ut fama fuit, regis sunt no
bantur sensu auerteret, partem classis multò maxi mine hortati, ut in bello aduersus Turcos gerendo
mam Neritum misit, quæ subito appulsu insulanos fortiter perstarent, petere se Romam testati, ut re
tumultuose inuaderet. Peregerũt intrepidè Trierar gis hortatu Alexandrũ pontificẽ ad bellum stu dio
chi imperium, conuertitq; motus ille in se finitimo comparandum in communem Christiani nominis
rum animos: sed quum de Nerito hostes iam sollici hostem hortarentur, adituros Sarmatas (sunt hi ho
ti essent, ipse cum octo triremibus ex omni nume die Poloni) pro uiribus id bellum, ut ex immanissi
ro lectis celeri cursu ad hostem contendit. Coëunt mo hoste facilior uictoria sequerer. Huic regis stu
Ambracię et Epiri montes in arctum, relinquuntq; dio causa prætensa est, quòd is aurum noller Chri
Ambracij sinus forma. angustias quatuor stadiorum sinum intrantibus, B stianæ fidei hostibus pendere, quod tertio ante an
quem Ambracium ueteres dixere, nunc Lartæ est. no Turcorum regi daturum se promiserat, necessi
Huc secunda Venetus tẽpestate delatus sinus angu tate quadam subactus: fortè eo triennio acciderat,
stias ferociter inuadit, inde cũ tumultu & accolarũ ut Sarmatico exercitu in locum iniquiorem dela
trepidatione latè longeq; per internos fluctus euã to quingena annua aureorum nummũm milia cum
gatus, hostilem adeptus classem, triremem unã in Getis, qui hodie Valachi sunt, & Turcorum stipen
cendit, igni ad hostium terrorem iniecto, undecim diarij, fortissimus rex pepigerit, ut incolumem in
triremes armis & cõmeatu onustas, à Venetarum de exercitum educeret. Scio fuisse qui legationem
Atten. Pisaurij facinus. puppibus religat, frementibusq; circa littus Barba illam aliud sibi uoluisse crederent, quàm uulgo ia
ris ac fæuientibus, per dęsa hostium tela, & crebros ctatum est, sed hæc tutius in medio relinquuntur.
tormentorum ictus, in altum abductas, ouanti simi Per idem tempus sunt in Germaniam duo Veneti
Iuncũ recipit Venetus. lis Corcyram pertraxit. Recepit inde Venetus Iun oratores ad Maximilianum regem missi, Hieryny
cum in Peloponnesо, dum Cephaleniæ assidet, sed mus Donatus & Antonius Lauretanus, ambo e
nescio quo fortunæ ludibrio, locum breui pòst ite questris ordinis: causa eius legationis mittendæ,
rum Barbarus occupauit hostis, tam ex insperato, q̃ quũ hęc proderemus, in occulto adhuc erat. Suntq;
nuper fuerat locus receptus. Exierat Camalia hosti eodem anno apud reges Veneti nominis legati uita
um pirata nobilis, cum subitaria classe ex Hellespõ defuncti, Benedictus Triuisanus in Gallia, in Pan
ti faucibus, consilio (ut fertur) Venetas triremes in nonia Victor Superantius. Per idem tẽpus facinus
tercipiendi ex Syria redeuntes, preciosaq;, ut asso incidit fœdum in Italia, immoderatæ libidinis, o
let, merce onustas, quas ubi se assequi non posse ui dijq́ue externi in Venetos minimè ieiunum. Erant
dit (nam Venetus hoc ipsum ueritus cursum matu Cæsaris Borgiæ conatus omnibus sua sponte suspe
rauerat) in Peloponnesum deflexit, tribusq; Iunca cti, iam enim nulli dubiũ erat quin omnia Alexan
no portu triremibus, quæ præsidio locum obtine dri consilia eò tenderent, ut Italiæ principatum fi
bant, improuiso appulsu oppressis, ijs etiam qui ar lio astrueret, sed quum per se res inuidiosa esset, uul
cem obtinebant, tantum terroris incussit, ut salutẽ goq; suspecta facta est, ex hoc quod dicã multo su
cum hoste pacti, præsidio decesserint, estq; eadẽ arx spectior, ceu Alexander & filius, cui pater plus ni
bis metu hostibus dedita intra annum, bisq; deden mio indulgebat, parum amico essent in Venetum
tibus fuit exitio, uterq; deditionis autor capite luit nomẽ animo. Accersebat ad se Caratius, uir fortis,
pœnas, Pisaurio uindice. Per id tempus, quo Iuncũ quem Veneti uniuerso peditatui præfecerant, puel
iterum hostibus cesserit, aut certè nõ multo prius au lam ingenuam, quam sibi matrimonio iunxerat, ex
dax facinus est à Venetis tentatum in ora Macedo Vrbino, ubi honestè & pudicè apud Guidonis Vbal
niæ. Habebat Baiazetes classem ad Eantem fluuiũ, di, Vrbinatium ducis, fuerat, cõiugem educata, ade
ut suprà est significatum, stabant aliquot Venetę na ratq; puellę honestissimus comitatus, & iam secus
ues in anchoris contra ostium fluminis in alto, aut mare iter faciens Cæsenatium fines attigerat, quũ
si per aduersas tempestates minus liceret stationẽ in eam Borgiani milites impetum fecere, sarcinas
seruare, citro ultroq; oberrabãt, attentè speculan diripiunt, comites partim trucidant, partim malè
res, ne quid hostes molirentur, néue occasionem na affectos metu & pauore dissipant, puellam iniuriæ
cti in apertum euaderent. Adiecit itaq; animum Pi destitutam, cum multa indignitate, ad Cæsarẽ per
ducunt.

ducunt. Tulerunt eam iniuriam Veneti iniquo ani A ad belli usum, omnẽ uim abstinuit. Deceptus Cęsar
mo, estq; confestim missus Aloisius Manerius à se opinione sua, Bononiensibusq; iratus, q, nullus in
cretis, qui publico nomine res repeteret. Placuit ut ea ciuitate motus propter se ortus esset, ut per lite
& Accursius Manerius Lodouici regis orator, ad ras facta spes erat, ciuium literas ad se datas prodi
Borgiam iret, ut si ille sui oblitus, non Venetum no dit Bentiuolo, quibus sollicitabatur ad Bononiam
men, amicum saltem regem uereretur, ex cuius fa bello inuadendam, fuitq; ea res exitio quibusdam,
uore haud dubiè pendebat. Sunt per hos res repeti qui literarum indicio proditionis conuicti, pœnas
tæ, sed non redditæ. Imminebat interea Borgias Fa capite luerũt. Bononia omissa Borgias cũ pontificis
uentinis, quos non multò pòst graui obsidione est copijs in Hetruriam proficiscitur, auxiliaribus Gal
adortus, par calumnia quæ cęteris regulis Astorgio lis à se dimissis. Percrebuit rumor Plumbinum in
intendebatur, quòd annuum tributum pontifici nõ ora Hetruriæ ab eo peti, ut locũ bello & paci oppor
reddidisset. Fuerant Fauentini sub initium brumæ tunũ sibi adiũgeret. Erat qui diceret Romã à patre
eius anni aliquot dies oppugnati, scalæque muris accersitũ, ut in nouo Italiæ motu urbi præsidio es
admotæ, multi ex Borgianis sub muris, alij alio ca set. Iã recẽs Gallorum exercitus alpes transgressus
su morte occubuere, & in his Honorius Sabellus, ferebatur, bellum Federico regi illaturus. Extulerat
Romani sanguinis iuuenis, uirtute militari & gene animũ Lodouicus rex perpetuo successu rerũ à suis
ris nobilitate clarus: eius cadauere Fauentini potiti superiore anno in Italia gestarum, ad Neapolitanũ
sunt, quod matri postea per nuncios & literas re regnũ sibi armis uindicandũ, cuius possessione Ca
poscenti ad sepulchrum est redditum. Reiecti sunt rolus octauus, cui ipse in regnũ successerat, eo qua
priore illa oppugnatione ab urbe, tanta animorum driennio exciderat. Constans hominum opinio fu
consternatione, ut si illis retrò abeuntibus uel mo it Alexandrum pontificem Lodouici cœptis conni
dica ex urbe eruptio facta esset, facile, ut multi per uere, ut Gallicis armis in Italia prævalentibus, quæ
suasum habuere, potuerit eo die Pontificius exerci sua sponte erant omnibus formidolosa, nulli curæ
tus deleri. Secundum eam pugnam Cęsar copias in esset, uelle cognoscere, quid ipse, quid filius præsen
hyberna dimisit, nam in aperto contineri amplius ti strepitu armorũ moliretur. Erat præterea fœdus
miles non poterat, ob rigores hyemis & altiores ni Att. formam fœderis inter reges icti. nouiter ictum inter Lodouicum & Ferdinandum
ues, quæ passim iacebant. Dux circa Cæsenam hye Hispaniæ regem, ut Federico electo ipsi inter se re
mauit, Remigius Lorqua, Hispanæ uir gentis cum gnum partirentur, Apuliam & Calabriam haberet
magno peditatu circa Forliuium in hybernis esse Hispanus, cætera Galli tenerent. Videtur mihi Fer
iussus est, atq; inde assiduis terroribus Fauentinos dinandus rex, non tam cupiditate regni in hoc fœ
sollicitos habere, ne à præsenti pauore respirarent. dus cõsensisse, nec quòd Federico esset adeò hostis,
Michael Valentinus à Fauentia duo milia passuum ut de eius regno euertendo antea cogitauerit, et
locum insedit, qui multo infestior quàm ex proxi si is nonnihil cum nouerca sua, quæ fuit maioris
mo perculsæ ciuitati imminebat, assiduis excursio Ferdinandi uxor, quæque Hispani erat regis per
nibus, nullum per hyemem hostibus laxamentum necessaria, post Ferdinandi iunioris interitum, es
contingere passus est. Sub uernum tempus Fauenti set simultatus, quòd domesticum dissidium in cau
ni multo maiore quàm antea belli apparatu repetũ B sa fuit, ut fertur, quòd illa non multo prius quàm
tur, disturbati muri, ac magna ex parte dissecti mil hæc gesta sunt, ex Neapoli in Hispaniam ad suos na
le & amplius bombardarum ictibus quotidie con uigauit, quin illud uerius mouit Hispanum regem,
cussi. Tum Cæsar ex improuiso urbem adoritur, tã quòd nisi in partem regni receptus esset, Gallorum
Die Fauentia oppugnata. quam primo impetu capturus, ipse ut fertur, in pri armis fuerit obstitutus, ne si Galli uniuerso fuissent
mis muros subijt. Fauentini in eosdem casus para regno potiti, plus nimio ac magis quàm sibi tutum
ti, non solum clamorem, sed uim etiam hostiũ forti esset, uisæ essent eius gentis opes Siciliæ insinuari,
ter sustinent, sit utrinq; prælium atrox, sed Borgia quæ terra Italiæ agnata est. Scio & illud incertis ru
nis multo funestius, ad duo milia hominum deside moribus iactatum, Federicũ regem per literas con
rata, & in his quidam uiri illustres: nec Fauentino ditionem Lodouico regi detulisse, ut ipse posteriq;
rum uiri tãtum pugna illa pro patria, penatibus, & Gallorum regibus tributum pénderent, Galli uerò
liberis, proq; sui principis salute fortiter dimicarũt, se regnare paterentur, polliceri adhæc fore, ut sua
sed mulieres etiam nobilem, ut fertur, pugnam edi opera Lodouicus breui Sicilia potiretur, si armis eã
derunt. Postremò Fauentinos, quos non pontificis insulam repeteret, quæ Federici literæ Hispano re
Fauentinorum uirtus. arma, non anathemata & interdicta terrere potue gi proditæ, illius animum ab Aragonijs alienarint.
Fauentia deditur. runt, non Cæsaris ferocia, non Itali, Galli, Hispani, Sed quæcunq; causa regem ad bellum impulit, Ve
qui cum Cæsare militabant, frangere, quum toties neti quia duo potentissimi reges in id bellum con
muros ferociter subijssent, fames & penuria rerum spirassent, essentq; ambo sibi fœdere obstricti, nihil
omnium fregit, ut spe abiecta urbis diutius retinen in eo motu sibi mouendum putarunt. Erant insu
dæ, legatos in castra miserint, qui certis conditioni per adhuc maritimo bello occupati, quod biennio
bus deditionem facerent. Estq; in primis cautum, antè cum Baiazete Turcorum rege fuerat inchoa
ne cui ciuium fraudi esset, q, ciuitas, p principe suo tũ. Accedebat Alexandri põtificis anceps animus,
arma in pontificẽ induisset, cautũ & Astorgio quan qui tametsi ex confesso non erat hostis Veneti no
tum in ciuibus fuit, cui non solum impunitas pro minis, non tamen ob ea quæ fierent amicus haberi,
missa est, sed dignitas quoq; amplissima, ut primo & iam Galli Francisco Seuerinate Caiatij comite, et
rũ antistitũ ordini ascriberetur, sed quũ huic tũ fra Bernardo Obiginio ducibus Italiam ingressi, per
tri nõ multo pòst, p dignitate indigna est mors re Cisalpinam Galliam & Hetruriam, perque urbem
pensa, ambo Romæ, Borgiæ iussu, crudeliter neca Romam in Latium uenerant. Borgias dux in urbe
ti. Fauentia recepta, quam ne intrare quidem Cęsar erat, ex Hetruria, ubi nonnihil Plumbinates oppu
uoluit, dubium metu, an quia maius instaret nego gnauerat, Romam accersitus, nequis in urbe mo
Bononia tenta tur. cium ad Bentiuolos Bononia deturbandos animũ tus oriretur Gallicis armis circumstrepentibus. Mi
adiecit: sed ubi præter opinionem cuncta sibi ob rum uideri possit quàm parum sua Alexandro pon
septa uidit ad urbem inuadendam, & à Bentiuolis tifici consilia inter eos motus constiterint. Satis cõ
omnia maturè prouisa, ciues in officio esse, adeoq; pertum habeo per id tempus, quo Galli per urbem
bellũ ex aduerso cõparatum, ut magis clypeo q̃ gla sunt in Latium transmissi, eum plurimum in Adria
dio indigeret, pactus Borgias cũ Io. factionis & ci ni mole fuisse, ut suorum sibi consiliorum conscius,
uitatis principe certũ auri põdus, & alã unã equitũ ne Gallis quidem multum fideret, nisi fortè copias

quæ ad bellum mittebantur, ex proximo contemplari uoluerit, sed quocunque ille consilio in arce fuit, res suspicione non caruit, uulgi interpretatione. Fuerunt qui tum ad bellum transmissi sunt octo milia peditum, equites dimidio minus. Columnenses & Sabelli, qui in Federici partibus erât, quia Galli suis rebus hostiliter imminebant, ne temerè resistendo (erant enim longè impares) iuxta se suos q; perderent, ante hostium accessum suo utrique principatu cessere, horum oppida & arces Galli sine certamine occupant, sunt q; ex his loca quædam haud ignobilia direpta & incensa in Columnensium inuidiam, qui priore bello Gallico magno fuerant Aragonijs adiumento ad Gallos toto regno depellẽdos, eorum oppida utcunque affecta pontifici tradita sunt, quo nihil obscurè apparuit perbellè Gallis cum Alexandro conuenire. Recepit interea Iordanus Vrsinus, qui cum Gallis erat, Taliequitium, & Albam cum circumiectis locis, quę Verginio patri, quia in Gallorum partibus fuisset, priore bello fuerant adempta. Sed dum hæc media Italia fiunt, Liburnicæ Turcorum naues celocibus mixtæ non nihil peruagatę sunt oram inferi maris, ab ijs, ut creditur, accitæ, quorum res ancipiti metu tenebantur, ut Borgianis hinc inde Gallicis armis territantibus, clades quæ sibi apertè imminebat, nouo aliquo metu, si fieri posset, discuteretur: cęterùm prius quàm regni fines Galli attigissent, in Apulia Camillus Corati comes, & Rainaldus Barbiniacus, uterque regno profugus, fuerât hi in Caroli octaui partibus, Tranium occultè ingressi, mox que inde profecti, ne eorum appulsus à Veneto magistratu sentiretur, Coratum occupant. Tenebat tum Fœdericus rex eum locum, & oppida illi circumiecta, quæ Alphonsi Aragonij fuerant, duxerat is Alexandri pontificis filiam in uxorem, cessitq; regio adolescẽti infeliciter id connubium, quippe qui cum fortè ex pontificis ædibus per Vaticanæ basilicæ uestibulum, se domum reciperet ad uxorem, insidijs exceptus, grauiterque uulneratus, ægrè percussorum manus effugit, mox uerò quum domi curaretur, à Cæsare Borgia, ut fama fuit, ferro traiectus indignam mortem occubuit. Huic Coratum & oppida quædam illi circumiecta, Alexander pontifex mercatus dotis nomine attribuerat. Ex cęde igitur propinqui sui Federicus uacuum principatum, suis opibus adiunxerat. Erat cum Camillo Gallus homo ingenti statura, & rei bellicæ peritissimus, Carloni ab ipso corporis habitu, ut credere est, fuit illi nomen, huius appellationem & genus Vigilienses secuti, à Federico ad Gallos defecere, factus est inde ad hos frequens hominum concursus nouarum rerum studio, in quibus fuere equites, sed per quàm pauci numero, leuisque armaturæ, his noui duces freti copijs, ex Borulano & Bituntino agro prędam abduxerunt ingentem: defecerunt nec multò post ad Gallos Venusini Camilli impulsu, Spinatula, Lauellum, Ciriniola, sunt etiam quædam loca ui capta. Accesit Adriæ deditio, & mox Apulia nõ parua sui parte Gallorum nomen complexa est, quatenus tunc Aragonijs parebat. Nec temerè orta uideri potest hæc in Apulis animorum inclinatio, uenerat in eam terram Rainaldus, cuius suprà meminimus, Alouisij Lignij nomine, qui alteram Altemuræ principis, filiam iam inde à Caroli octaui uictoria duxit uxorem, cuius soror Federico regi nupserat: ceu igitur ius Gallo in eo esset principatu per eas nuptias quæsitum, magno ciuitatum studio est Rainaldus ab initio exceptus, quem constans fama erat à Lignio missum ad populorum animos solicitandos. & hæc ab initio belli in Apulia gesta, ut Rhochiani Vlyssis commentarij de primo Gallici belli motu ad me dati demonstrant. Erant Veneti ut si quãdo maximè maritimo Turcorum bello occupati, egerantque per oratores cum Vladislao rege, ad quem hoc nomine missi sunt, Sebastianus Iustinianus, & Victor Superantius, ut & ipse in Turcos socia arma compararet, secutę sunt aliquot eius gentis in communem hostem expeditiones: cæterùm incertis rumoribus agitatæ, ceu parum uera essent, quæ à Pannonibus in Turcos gesta, literis & nuncijs dicerentur. Sed maiore belli cura à mari incubuit, nam præter quàm quòd Veneti numerosam alebant classem in ora Macedoniæ, Delmatiæ & Liburniæ, bello à terra fatigabantur, erant maritimæ urbes terrestribus hostium incursibus passim obnoxiæ, ut non uno alteróue loco ualidis opus esset præsidijs. Veriti Christiani nominis principes, ne in recenti illo Italiæ motu peropportunam nactus occasionem Baiazetes insignem aliquam Christiano nomini cladem ex improuiso inferret, & Alexander pontifex aliquot suo nomine triremes instruxit, & Lodouici regis prævalida classis, uiris & armis oppido instructa in oram uenit superi maris. Venisset & Hispana, nisi medio cursu, pestilentia laborare cœpisset, quæ quum indies magis inualesceret, circa Siciliam subsedit. Interea Galli duces, qui Federico regi bellum inferebant, Lyri superato, in cuius traiectu aliquandiu laboratum est, nec sine cæde dimicatum, Capuam copias admouent. Obtinebat Fabricius Columna urbem præsidio, erant que cum eo equites quadringenti, peditum mille & amplius: cæterùm Galli Vulturno amne supra Caiatium superato, urbem oppugnare adorti, muros æneis disturbant machinis. Campani ueriti ne si Gallus ui urbem irrumperet, omnia paterentur, quæ ciuitates bello capræ pati consueuere, in castra ad duces hostium mittunt qui occultè deditionem faciant, pacti in primis ciuium & fortunarum incolumitatem. Fabricius Campanorum deditione indicio comperta, quia impar erat ciuium conspirationi, hostibus urbi assidentibus, publica fide accepta, cum Gallorum ducibus uenit in colloquium. Sunt qui dicant eum in castra accersitum, didicisse que ex his quæ facta essent, admonitum que unà ut suæ maturius saluti consuleret, præoccuparet que solus fugam, priusquam Galli in urbem reciperentur. Hic ille de suorum salute solicitus, quum ab hoste impensius contenderet, ut præsidium incolume ex urbe educere liceret, ut sunt Galli natura iracundi, & in uictos imperiosi, iussus est confestim castris excedere, fore ut nisi illico inde faceſſeret pro hoste haberetur. Columnius dux consilij anceps atque in medio hostium destitutus, quia neque in castris tutus esset amplius, nec in urbem incolumis abire poterat, omnia Gallis circa obtinentibus, quum iam non multum sibi animo constaret, Iordanus Vrsinus casu quodam est illi obuius factus: tum ille non ueterum inimicitiarum memor, quæ à maioribus uelut per manus traditæ sibi cum Columnensibus intercedebant, non recentis iniuriæ, qua pater ab his parte una principatus fuerat exutus, quinetiam ipse etsi alienis auspicijs, eorũ tamẽ ductu hostiliter oppugnatus, Fabricium amicè complexus, iubet bono esse animo, futurum ut se uiuo à nullo hominum iniuriam pateretur, atq; ita castris eductum, per medias Gallorum stationes inter infesta alioqui arma, Capuam usque incolumem perduxit, exemplum omni æuo memorabile, & à prisca illa Romanorum indole nihil alienum. Columnius dux, in urbem reuersus, ubi omnia mutata uidit (iam enim ciues apertè imperiũ detrectabãt) conatus est cum suo equitatu subita eruptione, per auersa ab hoste loca in pacatum abire. Cęterùm ubi omnia ad tantum agmen educendum sibi & suis uidit

Columnẽsium consilium.

Iordanus Vrsinus.

Nouæ Apuliæ motus.

Apuliæ defectio ad Gallos.

Classes Christianorũ pyratarum.

Galli Capuam obsidẽt.

Campanorum deditio.

Attem. ceptũ magnũ mi.

uidit obsepta: cætera incassum expertus, cum duobus comitibus celeri equo euectus fugam molitus est, & iam aliquantum spacij ab urbe confecerat, quum in fossam cum toto equo præcipitatus in hostium potestatem uenit. Hic quia portarum claues penes præsidiarios esse, Campani Gallis gratificaturi, è muris milites in urbem attrahunt, certatim subeuntibus manus & adminicula porrigentes: sed ne que eares fuit ciuibus saluti, quin Galli prædæ cupidi, urbem tanquam ui captam hostiliter diripuere. Cæsi sunt iuxtà ciues milites que ad tria milia numero, matronæ & puellæ uirgines cum multa indignitate uexatæ, & ad stuprum raptæ, quædam ex his memorabili exemplo, ne superbissimo hosti ludibrio esset sua pudicitia, se in subiectum amnem præcipitauere. Cæsar Borgias qui non multo prius quàm Capua sit capta, ad Gallos uenerat, summa ope adnixus est Columnium ducem, cuius uitæ capitaliter imminebat à Gallis impetrare. Sed neque ipse nec pater qui multa etiam Gallis ducibus polliceri, tenere potuit, ut sibi uir clarissimus ad supplicium dederetur. Redemptus est magno auri pondere, in quo maturius repræsentando, eiusdem Iordani liberalitate est Fabricius adiutus, qui in duobus milibus aureorum nummũm, qui tam citò expediri non potuerunt, Gallis se sponsorem exhibuit. Nobilissimæ urbis excidium tantum ciuitatibus populisque terrorem incussit, ut paucis diebus certatim omnia ad Gallos defecerint, quæ festi nata regni alienatio adeò supra cladem nuper Capuæ acceptam Federici regis fregit animũ, ut quod ab initio nihil obscurè ostendit se facturum, cũ Gallis in colloquium uenerit, pactus que sit ut Neapoli cum arcibus his relicta, ipse Prochyram insulam (Iscla est hæc) contra Neapolim in alto sitam, in sex menses retineret, quo cum amicis & necessarijs sequi uolentibus, omnique regia gaza se conferret, post id tempus insula decederet, ni decessisset pro hoste haberetur. De Apuliæ & Calabriæ urbibus quæ ex fœdere inter reges icto ad Hispanos attinebãt, nihil est cautum. Sunt proinde Tarentum & alia quædam loca Aragonijs armis retenta, quæ non longo interiecto tempore alia alio casu in Hispanorum potestatem uenere. Et Federicus rex per hæc regno excidit, quinto circiter anno quàm Ferdinando iuniori successerat. Sed dum hæc alibi geruntur, in Amiterninis Aquilani aduersæ factionis principibus urbe eiectis, Hieronymum Galliophiũ Vrsinis iuuantibus magno in urbem studio & fauore acceperũt. Pari successu Marsi, Peligni, & quic quid soli intra Truentum iacet & Aternum amnẽ, Gallorum opibus cessit, sunt que hæc per hunc modum gesta Augusto mense eius anni qui magnum illum ab Alexandro sexto conditum, proximè secutus est. Federicus æger animo nec corpore satis ualidus in Galliam ad Lodouicum regem sua sponte nauigauit, à quo non clementer solum & benignè acceptus est, sed in principatu etiam satis honesto & pro præsenti fortuna optabili collocatus. Huius filius quem sub initiũ belli huius pater Tarẽti principem declarauit, præmisit que ad eam urbem præsidio obtinendam, posteaquam Hispani præter alia Calabriæ loca, sunt & Tarento uoluntaria deditione potiti, in arcem sese recepit. Hic quum arcta obsidione premeretur, à Consale Hispanorum duce tenuit, ut liceret sibi in Galliam mittere, ut de ratione dedendæ arcis, aut præsidio retinendę, ex patris sententia cõsilium caperet. Nulli dubium fuit quin Federicus Hispanis iratus, quia quos præcipuè adiutores speraſſet, ex confesso hostes esset eo bello expertus, nihil minus uoluerit euenire quàm ut hi Calabria & Apulia potirentur. Hoc quia multi persuasum habuerunt, non deerant qui crederent, ne patre quidem autore arcem ab adolescente his deditam, tanquam diuersum ab eo studium secutus, cum Hispanis esse maluerit, Gallico nomini infensus, ut quodam iniquiore fato nobilissimæque familiæ infesto, accideriit, ut non solùm regno Aragonij exciderint, sed domesticum sint etiam passi dissidium, tametsi potuit id consilium esse ac uelut præsagium quoddam discordiæ, quæ postea inter Hispanos & Gallos orta, ut alterutra uictoria secuta esset, in ea aliquid spei repositum haberent Aragonij. Sed quoquo modo id accidit, regius adolescens, etsi cum Gallis pactus diceretur, ut siue in Galliam ire uellet, siue Venetias nauigare, incolumis cum suo comitatu & rebus quas secum ferret, tutus dimitteretur, ipse (quod satis constat) apud Hispanos non inuitus substitit. Cæterùm sub id tempus quo Tarentum Hispanis cessit, duæ ualidissimæ classes uelut ex composito, Gallica Neapolim intrauit, Hispana Calabriæ littoribus admota est. Pisaurius quoque cum Veneta classe in Apuliam uenit, ut amicorum regum classes ad nouam aliquam in Turcos expeditionem hortaretur. Princeps interea & patres tres in Galliam oratores misere, Dominicum Triuisanum equitem, qui tum Patauij erat prætor, fuitque postea diui Marci procurator, Hieronymum Donatum, & Franciscum Capellum, qui Neapolitanam uictoriam amico & socio regi gratularentur, etsi Capellus ex Gallia in Angliam publico decreto ad regem profectus est. Erat & Petrus Paschalicus non multo prius in Lusitaniam missus, qui eius terræ regem ad classem in Turcos comparandam hortaretur. Sed dum alibi hęc fiunt in ora Macedoniæ, Turci Dyrrachium occupant, omni propè humano cultu desolatum. Et Suitenses Gallis irati Italiam circa Alpes tumultuose inuadunt. Causa motus huius, quia pressius suprà memorata est quàm historiæ lux postulat, paulo latius explicabitur. Debebatur à Gallis grandis pecunia Suitensibus, qui in Italia cum Lodouico duce militauerant, quia ab eo defecissent (ut fama fuit) promissa, quę quum post opera his nauatã sibi non redderetur, agmine abeuntes Vercellis subsedere, eam urbem de Gallis direpturi, nisi debitum sibi aurum redderetur. Vercellenses quia ui & armis ire non poterant obuiam fæuientibus Barbaris, abundabant enim multitudine, noua arte usi dicuntur, ut periculum quod ab ipsa gente imminebat propulsarent. Statuuntur temporariæ mensæ ante urbem ad stipẽdium illud (nisi merces illa uerius fuit) Germanis persoluendum, ceu pecunia tutius in aperto appenderetur, ne quis oriretur tumultus. In patentem itaque locum accersuntur, qui uanam spem secuti exclusique portis, quia urbs ualidè munita expugnari non potuit, Suitenses nouo ludibrio adhuc magis irritati, obsidionem soluunt domum abituri: cæterùm inde digressi Clauariam in Italiæ finibus subita ui occupant, locum ipsi genti peropportunum ad res Gallorum quoties libitum esset in Italia infestandas: ex residua igitur ira bis postea in Italiam egressi magis in se sollicitarunt Gallorum arma quàm exercuerũt. Plumbinum oppidum nobile in Hetruria per id tempus Valentino duci cessit. Plumbinatium princeps in Galliam (ut fertur) nauigauit ad Lodouicum regem, in cuius fidem concesserant ex populis Italiæ & principibus plerique, ac præcipuè qui pontificis arma Borgiæq; successus horrebant, Florentini, Lucenses, Estenses, Bentiuoli, Gonzagæ, & Italiæ terræ status tunc is erat. Inter ea regia Gallorum classis ex Neapoli, quo admota fuerat, profecta, oramque Italiæ circumacta per Ionium in Melum insulam processit. Pisaurius sociam classem breui assecutus, cõsilium cum Gallis ducibus

Fabricius capitur.

Campani Gallos in urbem admittunt.

Federici regis delitio.

Federicus in Galliam profectus accitur.

Vercellensium consilium.

Mitylene oppugnatur.

capit Lesbum insulam inuadendi, huc prospera na A
uigatione delati, Mitylenem uetustissimam insulæ
urbem subita oppugnatione adoriuntur, estque
breui pars murorum una bombardis discussa. Sed
dum muri disturbantur, Pisaurius Tenedum insu-
lam adnauigauit cum aliquot Venetis triremibus,
maius quoddam negocium secutus, breui enim
Turcorum classis Hellesponto exitura ferebatur,
ut suis laborantibus supperias ferret, quos rumo-
res Galli duces de industria dissipandos curarant,
ut per Veneti absentiam oppidum oppugnarent,
traherentque ad se omne decus captæ urbis, cum
præda, si capi contigisset. Pisaurio igitur absente si
gnum datur Gallis ad hostem inuadendum, obte-
stari oraréque amicæ classis præfectum Paulus Va
leresius qui Pisaurij uicem gerebat, ut eam oppu-
gnationem in illius reditum differret. Audire hæc
Gallus, sed urbem nihilo secius inuadit, atrociter

Mitylene frustra à Gallis oppugnatur.

Mityleneos adortus muros intrepidè subijt: fuitq;
utrinque magnum & cruentum certamen, ac post
uulnera cædemque multorum urbs ualidè ab hoste
defensa est, tum Gallus spe sua frustratus soluta ob
sidione omnem bellicum apparatum imperat ad
naues deferri, in altum abiturus. Superuenit nouo
consilio Pisaurius, multumque hortando suaden-
doque ægrè tenuit, ut in obsidendo hoste perseue-
raretur, ex captiuis interim cognitum est esse in ur-
be centum duntaxat, & uiginti præsidiarios mili-
tes, oppidanos trecentos Christiani nominis, sunt
inde per aliquot dies muri multo ualidius disiecti,
& iam de urbe iterum oppugnanda inter duces agi
tabatur, quum repentè affertur unam hostium co-

Mitylene à Venetis oppugnatur.

hortem aduentare Mityleneis auxilio missam: hos
insidijs exceptos classiarij partim ferro trucidant,
partim medijs fluctibus obruunt, qui cædi super-
fuerunt in deuia & deserta loca insulæ dispalati a-
bierunt, recens inde oppugnatio est Mityleneos a- B
dorta, Gallis pugnam spectantibus. Veneti muni-
tiones hostium ferociter subeunt, estque tanto ar-
dore in hos itum, ut bis miles muros ascenderit.
Ceciderunt ea pugna plerique uiri fortes, plures
uulnerati, defensum est tum quoque oppidum,
sed dum id certamen adhuc teneret, affuit Liburni
ca Rhodiorum, una quæ significabat magistrum
Rhodiæ militiæ breui cum classe affuturum. Placu
it ducibus utriusque classis in eius aduentum ob-
sidionem trahere, uerùm postridie Gallus mutato
consilio in altum repentè uela fecit, Chiumque de-
creto petijt, inde digressus in fœdam incidit tem-
pestatem, prætoria nauis cum duabus alijs sæui-

Atten. naufragium.

tia maris uicta fluctibus absorpta est. Perierunt eo
naufragio octingenti uiri fortes, ipse classis præ-
fectus cum quadraginta alijs, præter spem pericu-
lo seruatus est. Venetus sociæ classis auxilio desti-
tutus, quia nec Rhodia ad diem affuit, soluta obsi-
dione ex Lesbo in Chium, ex Chio Parum insulam
transmisit, ubi Rhodiam offendit classem, hic Pisau
rius apud sacrę militiæ magistrum multum de Gal
orum inconstantia questus est, per quos stetisse a-
ebat, quo minus Mitylene caperetur: nec inde am
plius commoratus, iam enim bruma appetebat, ex
Paro in Melum insulam cursum intendit, ubi Rhi-
chium hostium archipiratam captū inuenit, quem
ui tempestatis in Melicum littus deiectum insulani
subito incursu oppresserant. Pisaurius quia trucu-
lentus prædo plusquàm hostiliter solitus erat in
homines Veneti nominis sæuire, palo defixum len
to igni, ut longius supplicium traheretur, torreri
iussit, ex Melo inde profectus Corcyram in Hy-
berna concessit. Sed dum hæc foris geruntur, domi

Barbarici principis interitus.

Augustinus Barbaricus, princeps moritur, anno
quàm reipub. præesse cœperat quintodecimo exa-
cto. Nullius unquam principis administratio ma-
gis exercita ob assiduos Italiæ motus, dubium fe-
lix ne magis lætusque principatus, an sollicitus &
grumnosus. In Italia res Veneta aucta est, Cremona
& tota ferè Apuliæ ora Venetis rebus adiuncta.
Contrà circa Peloponnesum & Ætoliam, Naupa-
ctum amissum, Metone, Iuncum, Cotone. Rursus à
mari Cyprus & Cephalenia Venetæ ditionis factę,
cum ijs quæ amissa sunt non solum æquilibrium
faciunt, sed successu etiam præponderant. Est & do
mi uariatum, neque fame neque pestilentia est la-
boratum toto illius principatu, at nummariæ men
sæ partim fide periclitatæ sunt, partim importuno
creditorum occursu grauiter uexatæ, sed his fide in
columi pecuniæ ad alienum æs dissoluendum su-
perfuere. Barbaricus defunctus ad ædem publicæ
Charitatis situs est. Fit dux Leonardus Lauretanus *Leonardus Lauretanus dux.*
tanto hominum consensu, ut primis suffragijs at-
que eodem die quo inita sunt, quod nunquam me
moria hominum accidit, creatus sit princeps, uir
prudentia & pietate insigni, nec à literarum studijs
abhorrens. Auxit quæsitum decus noua in familia
dignitas, primus in ea gente, clara alioqui & illu-
stri, princeps fuit, frequenti hominum conuentu
& ingenti ciuitatis lætitia, postridie quàm dux de
claratus est per Marcianam aream citroque de mo-
re gestatus, eo conspectior apparuit, quòd & ipse,
ut assolet, pecuniam sparsit populo, & duę eius filię
matrimonio locatæ, ex procuratorijs ædibus gran
dem multitudini in area stanti pecuniam plenis
manibus effuderunt, in argumentum domesticæ lę
ticiæ. Sub id tempus tentata pax est inter Lodoui-
cum Galliæ regem & Maximilianum, res Triden-
ti agitata, quo Rothomagensis antistes regis sui
nomine ex Mediolano profectus est, cum pontifi-
cis legato & Georgio Cornelio equite, qui tum Ve
ronæ erat prætor: progressus huc Germanus sæpe
cum Gallo antistite summotis arbitris est locutus,
actumque interim ut credere est, de pace, sed res
quum alijs suspectior fuit, tum sociorum legatis:
cęterùm siue quia promissis non staretur, aut quòd
uterque rex alteri parum crederet, nam neque ob-
scuræ inter eos intercedebant mutui odij causæ, ne
que parum graues offensæ, non multo pòst (quod
satis constat) pax illa & noua concordiæ species è
medio sublata est: graues, ut si quando aliàs, exarse
runt inimicitiæ, ac eo minus expiabiles, quo maio-
re inuidia Maximilianus domestica fraude (ut fer-
tur) ueneno petitus est, periturus haud dubiè nisi
res indicio aliquanto prius palam facta esset. Et
hæc terra & aquis per autumnum eius anni gesta,
qui sacrū annū è uestigio secutus est, quo sanè tem-
pore Marcus Dādulus est in Galliā ad Lodouicum
regem à Venetis orator missus, & Alouisius Moce
nicus in Germaniam ad Maximilianum. In mari re
liquum hyemis eius anni res quietiores fuere. Per-
crebuit interim fama nouum in Persis prophetam
extitisse, qui non sermone, miraculisue, sed terrori-
bus rem ageret. Perculit motus ille totum orien-
tem, & iam occidens quoque longinqui belli fa-
ma personabat, Italiaque cogitare cœperat de no-
uo Sophis (id enim illi nomen fuit) fauore sibi con *Sophis prætus.*
ciliando, præsertim in Turcos, quorum ille immine
bat finibus, quum terror ille Tauro tenus progres-
sus, nescio quonam modo sua sponte sensim remi-
sit, abijtque res in fabulam. Sed hæc aliquanto po
stea. Subrepserat hæc imaginarij illius belli cura a-
nimis hominum, quum media propè Italia atrocis-
simum est bellum modicis initijs ortum, nam Ta-
rento ab Hispanis Calabriaque & Apulia receptis,
quum aliquandiu utriusque terræ status quieuis-
set, essentque interim loca quædam ambigui iuris
in fronte Apuliæ à Raynaldo & Carlone Alouisij
Lignij nomine à principio belli, ut suprà est signifi-
catum,

catum, insessa, Hispanis rem sibi iure fœderis uin- A
dicantibus, cōtrà Gallis Lignij iura celebrantibus,
exijt res in apertam disceptationem, estque à princi
pio ex æquo & bono lis agitata: inde uerò quia in-
ter duces conuenire non potuit, eò est decursum ut
uterque de ea re ad suum scriberet regem, futurum
rati ut illi inter se rem multo honestius compone-
rent, & contentio hæc ita ad tempus est inter du-
ces sopita, ut neuter alteri possessione cessisse uide

Noui bello origo.

retur. Nec multum inde ę̄poris intercesit, quum
indicio Cōsalis Hispanus dux simul comperit Gal-
los milites Venusiam ad sui ducis edictum conue-
nire, simulque fit à Gallo certior, fore ut nisi locis
ambigui iuris ultrò cederet, breui rem armis uindi
caret sui regis iussu. Ad hæc Consalis, nullum se re-
gis dixit responsum accepisse super ea re, testari ta-
men se si armis non iure sit agendum futurum ut
regia causa non careret uindice, animisque per
hæc ad bellum accensis, quia multo ad rem geren-
dam paratior erat Gallus, breui tota Apulia Hispa-
num depulit, pauca admodum oppida, atque ea
ad mare ferè expositа, subito illo motu Consalis re-
tinuit, & in his Barolum et Adriam, quam ut firmio
re tueretur præsidio, omnem imbellem multitudi
nem urbe expulit, uel consilio procul ablegauit, ne
muliebris pudicitia esset militari libidini obnoxia.
Matronæ, puellæ, puerique ad quinque milia nu-
mero, uno agmine Tranium proficiscuntur, quæ
miserabilis manus quū lachrymis & flebili lamēta
tione portis incidisset, misericordia uictus Venetus
magistratus in urbē admisit. Euagari interea Gallo
rum arma longè lateque, breuique omnem Apuli-
am & Calabriam præter maritima, partim ui, par-

Gallorum successus.

tim uoluntate suæ ditionis fecere, urbes ad mare si
tæ externis adiutæ subsidijs capi non potuere, &
res in Apulia & Calabria sic habebant. Media æsta
te anni huius qui supra millesimum Salutis quin- B
gētesimus secundus fuit, Petrus Mediceus Floren-
tia exul, Vitellianis fretus armis, Aretium repentè
occupat, Valentini ducis impulsu, ut tū multi per-
suasum habuere, iam is apertè ad Italiæ principa-
tum anhelabat, sunt breui inde unum post alium
ad quadraginta Florentinis oppida adempta, & in
his Cortona urbs celebris in Hetruria, exarsissetq;

Noui Hetruriæ motus.

incendium illud latius, labantibus ob Mediceum
nomen populorum animis, nisi peropportunè no-
uæ Gallorum copiæ per id tempus in Hetruriam
uenissent, quæ in supplementum exercitus qui in
Apulia erat, à rege mittebantur. Hic Gallis ducibus
omnia hostilia Mediceo & Vitellijs denuncianti-
bus, nisi bello abstinerent, ab incœpō destiterunt.
Mox uerò Lodouici regis arbitrio qui sub id tem-
pus in Italiam descendit, ex Florentinorum sen-

Borgiæ astus.

tentia res composita est. Borgias interea cum suo
exercitu Vmbriæ insinuatus, Camertibus, ut ipse
credi uoluit, bellum illaturus, hos rumores disi-
pandos curauit, ut quibus uerè bellum intendeba-
tur commodius opprimeret. Petit inde à Guidone
Vbaldo Vrbinatium duce, ut Pontificias opes ar-
mis & bellico apparatu iuuet, benignè sunt illi om
nia præbita. nam quis tum Borgię ausus esset quip
piam negare quod amicè peteretur, qui præter pa-
tris qui pontifex erat maximus, potentiam, unus
omnium in Italia ducum per id tempus ualidisi-
mum ductabat exercitum. Reddebat Borgias per
hæc Guidonem sibi ad iniuriam opportunum, ac si
mul in eum nihil tale suspicantem ex improuiso
duxit exercitum, ut incautum affligeret: fecit res
subita, quum uix tempus ad fugam supperet, ut
sine certamine Guido uenienti cesserit, confestim
Vrbinum & quicquid illius ditionis fuit, Borgias
subegit, nec multi inde dies interfuerunt, quibus
Camertes bello repetiti, ui & metu subacti deditio
nem fecere, ingens pecunia longo studio conge-
sta Iulio Camertium principi est expressa, ipse cum
duobus filijs in uincula coniectus, ac pro hoste ar-
ctissimè custoditus. Sed dū hæc in Vmbria geru-
tur, Vladislai Pannoniæ regis Venetique nominis
amicissimi, uxor ex Gallia ueniens, à Lauretano
principe & patribus Bucentauro naui honorifcen-
tissimè excepta est, multi & exquisiti honores re-
giæ puellæ habiti, in amicorum regum gratiam.
nam Lodo. Gallorum regem arctissimo regia spon
sa attingebat consanguinitatis gradu, nauium pro-
cursu hastis utrinque infestis est in publico certa-
tum: cucurrere & puellæ suburbanę, celebertimas-
que agitarunt cymbas. Actus est & in comitio Hele
næ raptus, saltauit regina in Orchestra ad tempus,
medio, ut assolet, comitio extructa. Fuit inde regia
coniunx plures dies Venetijs, frequenti dein comi
tatu Seniam naui delata est, in Pannoniam abitura,
subsedit tamen hic aliquandiu Turcorū metu quo
rū arma circumuagari dicebantur: percrebuit inde
rumor Pannones, qui præsidio illi obuiā mitteban
tur, ab his insidijs exceptos, cum magna cæde fu-
sos, porroque fugatos. Erat Mediolani per id tem-
pus Lodouicus rex, ad quem magnus est concur-
sus Italorum principum factus ceu ad uindicem
malorum omnium, quæ à pontifice & filio Italiæ
principibus & populis imminebant. Venetis ne
pontificis conatibus se objcerent patrius mos ob-
stabat, accedebat huc graue bellum quod iam an-
tea cum Turcis confirmatum habebant, erantque pro
pterea in Liburniæ & Delmatiæ ora tuenda uehe-
menter occupati, quæ per id tēpus fuit, ut si quando
maximè, Turcorum armis infesta, neque pla-
cebat quòd Italia à nouo homine tam grauiter qua
teretur, neque ijs quæ fiebant, quia pontificis, au-
toritate fierent, ire obuiam. Circumstabant igitur
regem uiri plerique illustres Italici nominis, & in
his Hercules Estensis, Franciscus Gonzaga, & alij
plures multa celebritate principes, quum Valenti- *Valentini ducis ad Lodouicum regem accessus.*
nus dux ignoto habitu & à nullo expectatus, di-
ctus est adesse, osculoque & complexu arctissimo
à rege exceptus, continuò in secretum abducitur.
Defixit rei nouitas animos eorum qui aderant, mœ
stoque silentio alius alium intueri, inde post lon-
gum colloquium quum rex in apertum prodijsset,
estque una Borgias conspectus regis lateri familia-
riter hærens, omnium in se oculos uertit, perturba-
tionemque non paruam astantibus incussit, quan-
do cuncta eius facta dictaque sua essent sponte su-
specta. Nec rex multùm inde Mediolani fuit, sed
cum Cęsare Borgia Genuam profectus, multis præ
buit spem Italiæ præsenti metu leuandæ, homine
Italiæ rebus infestissimo secum in Galliam abdu-
cto. Manauit inde fama Borgiam non abduci ab re
ge, sed ex Genua Plumbinum petere, paratamque
Genuæ triremem qua ueheretur: cæterùm dum ua *Borgiæ celeritas.*
rij de eo celebrātur sermones, ille ea celeritate qua
ad regem se cōtulerat, per loca sibi infesta cum pau
cis reuersus prius Ferrariæ conspectus est, quàm
Genua profectus crederetur: hic sororem offendit
graui morbo affectam, nonnihil itaque cum ea
commoratus, urgentibus de subita Vrsinorum de-
fectione nūcijs, Forū Cornelij petit, ubi omnia mu
tata inuenit. nam præter Vrsinos, Vitellij & Baleo-
nes erant ab eo alienati, aderant Vrsinis & eorum
fœderatis mille & quingenti equites, robur haud
dubiè præcipuum pōtificij exercitus. Sed dum hęc
in Italia fiunt, Neritum nunc diua Maura est, Pisau-
rius prefectus, Veneta classe, & ijs triremibus quas
Iacobi Pisaurij Papiensis antistitis ductu Alexan-
der pont. ad bellum miserat, fortiter oppugnat. Co
rinthij eam terram à continenti absciderunt, bre-
ui euripo immisso, quem Venetus sub primum oc-

cupauit appulſum, obiecitque uallum ab utraque parte hoſtibus, qui non multo pòſt à terra affuerunt, quàm inſula oppugnari cœpta eſt, ad tria milia equitum & amplius uenere, ad id miſsi, ut ſuos obſidione leuarent, eſtque circa uallum atrociter dimicatum, multique ex hoſtibus ſunt aut interfecti aut uulnerati. Verùm Turcis retrò abeuntibus in ſulani confeſtim oppidum dediderunt, ingens in eo pecunia parta eſt. Solebat Cynthius Anconitanus, uir Poëtico ingenio multa mihi memorare de Piſaurij ſolertia in Nerito oppugnanda. Fuit Cynthius, ut aliquid Poëticæ tribuar hiſtoria, quę illius cognata eſt, paterno genere, ut ipſe gloriari ſolebat, à Dionyſio Syracuſano oriundus, maternum genus ad Landam patriciam in Venetis gentem referebat, Poeticis ſtudijs clarus, ſed clarior regum & ſummorum principum amicitia: quum Ferdinandus ad Hidruntum à Turcis recipiendum externorum regum imploraſſet auxilia, Cynthius à Mathia Pannoniæ rege cum aliquot Pannonum militibus in Italiam eſt miſſus, unde uictor reuerſus, Bucaſtri eſt ab eo comes de ſignatus, mox & ſecretioribus conſilijs adhibitus, ad Hiſpaniæ reges eſt ire iuſſus, & ad Turcorum imperatorem legatione eſt demum functus. Poſt Pannonis interitum in Italiam reuerſus, duabus ab Alexandro pōti. triremibus prefectus Veneto affuit in Nerito oppugnanda. Narrabat is mihi familiariter qua ui Piſaurius ſit Neritum adortus, quo conſilio, conſtantiaque hoſtem à fronte repulit, qua animi magnitudine Maurenſibus imminens ad deditionem compulit, ut dubium ſit maioréne ſucceſſu an uirtute uictoria illa Veneto contigerit. Sed dum hæc foris geruntur, domi Lauretanus princeps & patres literis regum & per legatos ſollicitabantur, hinc à Ferdinando Hiſpaniæ rege ad nouum fœdus ſecum in Gallos ſanciendum: contrà Gallus ut ſibi auxilio eſſent, id à ſocijs poſtulare, in Neapolitano regno armis uindicando: cæterùm tametſi magnæ utrinque conditiones proponerentur, uiſum eſt ad publicam dignitatem pertinere, nihil ex eo fœdere mutare, quod cum utroque regum iam antea ictum habebant. Lodouicus rex Herruriæ rebus ad tempus conſtitutis, ut Florentini loca Vitellianis armis & Mediceis ſuperiore æſtate ſibi adempta reciperent, Petra ſancta Genuenſibus attributa, & Piſis in ſua libertate retentis, ex Liguria in Galliam tranſijt. Borgias Cęſar in Æmylia tunc erat curarum plenus ob fœderatorum ducum defectionem. Cur Vrſini & ſocij à Borgia defecerint, non una, ut uideo, cauſa traditur. Fuerunt Valentini ducis ſucceſſus ab initio Vrſinis ſuſpecti, nulli dubium erat, quod etiam clara uoce ferebatur, futurum ut aliorum principatu euerſo Vrſini funditus delerentur, & opinio hæc iam omnium animis recepta, & Baptiſtæ Vrſini antiſtitis ad Lodouicum regem profectio, qui Alexandro inuito & reclamante Gallum regem quum Mediolani adhuc eſſet, modico comitatu adijt, præcipuam deficiendi materiam præbuerunt fœderatis ducibus: conſtans fama fuit occultè Vrſinum antiſtitem à rege monitum, ut cauerent Vrſini ab Alexandri & Valentini ducis inſidijs, compertum ſibi eſſe decretum illis ſemel, quacunque arte ſi aperta ui nequeant, Vrſinæ factionis opes euertere, quo regis indicio per ſuum hominem ducibus delato, confeſtim ab his ſeceſsio facta eſt. Scio fuiſſe qui crederent Julium Vrſinum qui cæteros factionis duces autoritate anteibat, Cæſaris commilitium derrectare cœpiſſe, quod in Bentiuolos quos bello peritурus Cæſar fuit, recuſaſſet arma induere, militareque aduerſus eos quibus cum arctiſsima ſibi affinitas intercederet. Nulli dubium fuit ſi Vrſini & fœderati duces ad uim maturè conſurrexiſſent, facile Borgiam opprimi potuiſſe auxilijs deſtitutum: cæterùm ſiue ambitione quorundam, ſiue fato gentis, cui humana conſilia incaſſum opponuntur, nulla uis eſt ab his quum ſine dubio ualitura fuit, intentata: ſed circa Perufiam unum in locum congreſsi, dum de ſumma rei conſultant, ſpacium eſt hoſti datum Gallorum ad ſe auxilia ex proximo accerſendi: quibus fretus Cæſar, quia non erat cur amplius Vrſinorum arma formidaret, quum multo remiſsius antea egiſſet ac penè humiliter, pro imperio, duces & capita factionis admonere ſui cœpti officij, celebrareque ſimul ſua, ſimul & patris in eos beneficia, maiora polliceri, ſi imperium recipiant redeantque ſponte ſua ad officium. oſtenderunt deinde Vrſini & ſocij, etſi tardè, oſtenderunt tamen apertè defectionem ſuam, quæ res fecit ut paucis diebus Forum Sempronij, mox Vrbinum & pars non parua locorum quæ fuerant Guidoni Pheltrio adempta, à Borgia defecerint, cæſaque ſint pleriſque locis Borgianorum præſidia. Erat tum Venetijs Guido, ubi nouitate illa temporum eſt à Venetis comiter & benignè cultus, domo publica, uictu annuo, ſtipendioque adiutus. Is ad primos ſuorum motus excitus, penè prius ſuis affuit, quàm Venetijs diſceſsiſſe crederetur, tum uerò paucis diebus omnia loca ambiguæ adhuc fidei ſuum principem certatim ad ſe uocant. Miſit Borgias hoc motu percitus, Michaelem Valentinum, carnificem ſuum uerius quàm ducem, ut ſi qui adhuc in fide eſſent, in officio contineret, qui defeciſſent: ui, ſi uoluntate non poſſet, ad imperium retraheret. Subito itaque acceſſu Pergulanos offendit Borgianus dux de ſuo principe recipiendo conſilia agitantes, eſtque nihilo ſecius pacatè in oppidum admiſſus: cæterùm non aliter quàm ſi ui & armis cepiſſet, hoſtiliter diripuit, Iulium Camertem ad eam diem hic cuſtoditum, propria manu interfecit. Forum inde Sempronij inuaſit, urbemque ſine certamine adeptus, adeò immaniter uexauit, ut pro direpta haberi potuerit miſera ciuitas, uarijs cladibus affecta: hinc cohors illa mox paulò digreſſa, quum Vrbinum decreto peteret, adeò certam ſecum ſpem uictoriæ ferebat, ut multi ſaccos tuliſſe dicantur, ne quid ad cogendam prædam eſſet impedimento, cęterùm locorum anguſtijs excepti, ſubito indigenarum incurſu fœdè miſtes partim cæſi ſunt, partim fuga & conſternatione latè diſiecti. Vrſinorum copiæ interea Phanenſem agrum ingreſſæ, agreſtes & locorum incolas hoſtiliter uexabant, nec à Piſauренſium rebus, qui & ipſi Borgianæ ditionis, abſtinere. Curſitabant interim nihilominus citro ultroque ab Vrſinis ad Cæſarem pacis arbitri, & rurſus ab eo ad fœderatos duces, eminereque inter eos Pauli Vrſini ſtudium. Fuit is Latini antiſtitis filius, ſed in familia clarus, erat præterea pontifici iunctus affinitate quadam, ambitioſe nimis is ſeſe obtulit pacis arbitrum, magnis, ut credere eſt, pontificis pollicitationibus allectus. Erat in eadem familia inter principes & duces factionis Robertus Aſculanus dux, iuuenis adhuc, ſed qui magnum merebat in pontificijs caſtris ſtipendium, hic unus Vrſinorum qui aderant ducum in id fœdus non cōſenſerat: nam Iordanus qui fuit Verginij filius, nihil per id tempus commune ſibi eſſe uoluit cum cæteris familiæ ducibus, Lodouici regis & Gallorum partes ſecutus. Robertus igitur & Paulus Vrſini cum Vitellio, Guidoni Vrbinati, & Iulio Venantij filio Camertium principi, fuerat is quoque eo motu rerum, agreſtium potius quàm ciuium fauore in principatum receptus, autores fuerunt, ut quando iam de pace cum Valentino duce conueniret, tempori cederent, nec ſe & ſuos conijcerent in nouum belli

Piſaurius.

Defectio Vrſinorum unde orta.

Att. retract. eius in Vitt.

De pacifi. tur.

belli diſcrimen, quum nemo eſſet auxilio futurus, parérent neceſsitati, cui nemo niſi ſtultus repugnet. Cautum eſt Vrbinatibus & ijs qui eo tumultu à Borgia defeciſſent. Guido animo & corpore ęger, Tiphernum à Vitellijs perducitur. Aſsimulare interea mira arte Alexāder Romæ, foris Borgias paternis artibus inſtructus, obliuione iniurię, nihil nō Vrſinorum eſſe uelle ambo, tum Pauli impulſu Frā ciſcus dux Grauinæ ad Borgiam officij cauſa primus omnium Piſauium uenit, quò Cæſar ex foro Cornelij proceſſerat, poſteaquam de pace conueni re cœpit. Acceptus eſt uterque tam comiter, quàm neque ipſi neq; aliorū ducū quiſquam antea: nume ratum eſt utrique ſuum ſtipendium, neque ullum interea reſidui odij ſignum in eo extitit, non dictum, non factum ſuſpicioſum ut nullius hiſtrio alienum uultum melius ferret quàm tunc Borgias amici principis tulit, ut nihil triſte ab eo expectandum amplius quiſquam putaret, cauere ſibi nihilo ſecius, quum ij qui tam familiariter fuerant accepti, tum alij multo magis, qui ut dirum & exitiale horrebant Borgiæ nomen, ſuæ ſibi culpæ conſcij, tenebant ſe cum copijs hi circa Senogalliam. Ad hos itaque Valentinus dux ſcripſit eſſe ſibi in animo Senogalliæ arcem expugnare, urbem aliquanto prius Leporotus Firmianus ſuburbanis tectis in ſinuatus ad deditionem compulerat, conſenſit is cū Vrſinis in fœdus, eratq; ciuitatis Firmianæ lōgè princeps, uir acer & rei bellicę haud ignarus, magnūq; merebat ſub Cęſare Borgia ſtipediū. Obtinebat eius urbis arcē Ioāna; Pheltria. Fuit hæc Ioānis Roborei præfecti urbis uxor, is Sixti Pont. maximi ex fratre nepos, ubi mulier omnia ad defectionem ſpectare uidit, ſenſitque à ciuibus ad Borgiam miſſos qui deditionem facerent, arce ſub præſidio relicta noctu uirili habitu inde egreſſa, per infeſta loca in Hetruriam tranſijt, ex Hetruria Venetias. Significabat Borgias non tantum quod pararet, ſed diem etiam quo duces ſibi adeſſe uellet, condixit, ipſe tanquam tempus ſeruaturus, cum Vaſconum phalange Senogalliam petijt, Gallorum parte multo maxima à ſe dimiſſa, ut res minus ſuſpecta eſſet. Vbi igitur appropinquare dictus eſt, Vrſini duces & ſocij non ſatis uirium illi ad apertam uim eſſe arbitrantes, uenienti obuiam prodiuere. Fabio Vrſino Pauli filio, adoleſcente magnæ indolis, patrem & ſocios reuocante, impenſiusque obſtante precibus, ne ſe & ſuos perditum irent. Proceſſerunt illi nihilo ſecius obuiam duci iam propinquo, ſuntque ad primum congreſſum benignè & comiter appellati, receptique in medium agmen, Senogalliam cū Borgia ingrediuntur. Erat in urbe priuata quædam domus, in ducis aduentum parata, hic Cæſar uelut ſecretum quærens in auerſam ædium partem ſolus tranſijt, ducibus, qui officij gratia circunſtabāt, in media ſuorum corona relictis, tum ij quibus iniunctum erat negocium, repentè in hos manus injiciunt, nihil reluctantes: nam quid pauci & inermes in conferto armatorum agmine turò moliri potuiſſent? tantum ducis fidem implorant. Vitellius & Leporotus Firmianus ceruice fidiculis eliſa, confeſtim necati ſunt. Paulus Vrſinus & dux Grauinæ in paucos dies aſſeruati, eo conſilio, credo, ut ſi Romæ res non ex compoſito proceſsiſſet, quod Baptiſta Vrſinus antiſtes & cæteri principes factionis capi nequiuiſſent, minor inuidia pontificem & filium ex ea proditione maneret, præſertim ab Vrſinæ familiæ uiris: uerùm ut alij ex his in poteſtatem ſunt redacti, alij porrò fugati, oppida adempta, in Perufino agro, quo poſtea tranſijt Borgias, ambo eodem quo priores illi ſunt ſupplicio affecti. & hęc aliquanto poſtea. Senogalliæ ducibus captis, qui eos ſecuti fuerant, diſpoſitis circa portas cuſtodijs, illico oppreſsi ſunt ac malè habiti, inde Barbari paſſim dimiſsi qui fœderatorum ducum copias circa urbem hybernantes ex improuiſo adorti, armis & equis ſpoliarent. Oppreſſus eſt in hybernis ingens equitum numerus, multique interim cæſi, aut grauiter uulnerati, pauci media trepidatione dilapſi, et in his Fabius Pauli filius, qui cum paucis equitibus per deuia & compendia uiarū ægrè ſeruatus eſt. Si qui præterea Borgianorum manus euaſere, ipſis locorum accolis prædæ fuerunt. Eodem die quo hęc in Piceno geſta ſunt, Romę ex compoſito plerique Vrſinæ factionis uiri illuſtres, & in his Baptiſta antiſtes à pontifice capti, in Adriani molem obtrudun tur. Miſsi ſunt qui & Iulium Vrſinum Baptiſtæ fratrem, qui tum Palumbariam fortè oppugnabat in Tyburti, ex improuiſo caperent. Dederat id oppidum Alexander Vrſinis habendum, non multo prius Sabellis ademptum, ut eiuſmodi illecebra factionis tum præpotentis filio fauorem conciliaret: mox Vrſinis iratus, quòd ſeceſsionem in Flaminiam feciſſent, autor fuit Sabellis extorribus, ut multi perſuaſum habuerunt, locum inuadendi, de quo recipiendo acre tenebat certamen, quum Iulius præcipiti nuncio factus certior de ijs quæ Romæ foriſque facta eſſent, ubi in nulla re prēterquàm in fuga ſibi ſpem ſalutis repoſitam uidit, Cære occupat, locum natura munitiſsimum. Vrſinorum ædes eo dem die pontificis iuſſu cum omni pecunia publicatæ ſunt. Baptiſtæ antiſtitis & Iulij mater iam octogenaria domo eiecta, per urbanas porticus amēti ſimilis iacuit, attonita ad tam fœdum ſpectaculum ciuitate, nemine hoſpitium exhibente, pontifi cis metu, inſigni documento nil eſſe in humanis quod manſurum, & ſtabile ſibi polliceri homo poſsit. Vrſinorum oppida non pauca numero pontificijs armis ceſſere, & in his quædam ſitu & opere munitiſsima.

Vrſini Borgi an adeunt.

Att. Borgiæ artem in Vrſinis capiendis.

Duces defectionis necantur.

Vrſini Romæ capiuntur.

ENNEADIS XI. LIBER II.

DVm Romæ foriſque circa urbem hæc fiunt, Borgias dux in Picentibus ſumpto de captiuis ſupplicio, copijsque deletis, Senogalliam diripuit, & mox in Sentinati Fabrianum oppidum celebre tranſgreſſus, inde Vmbriam, tantum ſuo acceſſu incuſsit terrorem, ciuitatum primoribus, nobiliſsimarumque capitibus factionum, ut Vitellij & in his Iulius antiſtes urbis, Vitellij ducis nuper interfecti frater, confeſtim ex Tipherno ceſſerint, ex Perufia Baleones, alijque ex alijs urbibus principes. Guido Vrbinas, qui Tiphernum fuerat à Vitellijs perductus, audito fœderatorum ducum caſu, per Hetruriam ignoto habitu fugam molitus eſt, atque obiter agnitus: parum abfuit, quin prodi tus ſit hoſtibus, incolumis tamen Mantuam peruaſit, unde Venetias uelut in tutiſsimum ſeſe portum recepit. Fuit urbs Veneta nouitate illa temporum Italiæ laboranti perfugium, & uelut arx munitiſsima. Borgias Perufinorum fines ingreſſus, Paulum Vrſinum & Grauinæ ducem, quos ad eam diem ſub cuſtodia ſeruauerat, capitali affecit ſupplicio. Baleones Perufia ceſſerant, aut certè per hæc ceſſerunt, duxit inde Borgias copias per Senenſem agrum, ſatis pacatè, Pandulpho Petrutio non multo prius in eam urbem reſtituto. Fuerat is ſuperiore anno Senis eiectus (erat enim longè princeps ciuitatis) Valentini ducis opera, cæterùm quia huius in primis arte Cæſar dux fuerat Plumbino potius,

tus,eo conniuente Senenſes reuocarunt. Fuiſſet & Perilianum per id tempus oppugnatum, quò nobiliſsimarum ciuitatum extorres, Vrſinęque factionis reliquię ſe contulerant, niſi Veneti cum Alexandro pontifice & Borgia per literas egiſſent, ut à Nico. Vrſini & Bartholomæi Albiani rebus abſtinerent, quòd ſi quid his hoſtile intenderetur, futurum ut Venetis autoribus ambo res ſuas armis tuerentur. Cęre oppidum quod Iulius tumultuoſe inuerat, ſumma ope eſt pōtificijs armis oppugnatū, cuniculis,igne,bellicis q; omnifariā machinis, neq; atrox illa oppugnatio remiſit,quoad Iuliusomnib. auxilijs deſtitutus,cū Pontifice pactus eſt ut incolumis inde abiret:incolumis dimiſſus Petilianum primò petijt, inde Venetias, pfectus eſt, cū Frācilione fratris filio,iuuene impigro,ut inde digreſſus,cū Nicolao Vrſino perneceſſario ſuo ueniret in colloquium, cæterùm quum Venetijs adhuc eſſet,appellatus de præſenti ſuarum rerum ſtatu, ecquid ſpeī, quid conſilij haberet de principatu recuperando? Noſtrum(inquit) uincere eſt, ut fugiendo incolumes ad meliora tempora ſeruemur.Sed quum Cære oppugnaretur, Baptiſta Vrſinus antiſtes Iulij frater,in Adriani mole diem obijt, nec ſine ueneni ſuſpicione: ſunt & circa Tybur in confinio Latij omnia ab Vrſinis loca alienata, præter Vicum Varronis, qui in Valeria uia Anieni incubat,bis locus petitus eſt pontificijs armis, bis oppidanorum uirtute & fide in ſuum principem ualidè defenſus.Immi nebat adhuc Vicanis hoſtis, pollicebaturque aſsidendo ſibi uictoriam:nihil enim erat in quo perpe tuo illo rerum ſucceſſu non Alexander & Borgiani crederent ſuis fortunam uotis reſponſuram.Erant Columnenſes principatu eiecti, Sabelli procul expulſi, Vrſini afflicti, tota Flaminia, & magna pars Vmbriæ eorum armis ceſſerat, alebant itaque certam ſpem uictoriæ, & quo certior ſpes præcepta erat animo, eo ferocius pontificiæ copiæ hoſtibus hærebant:ſtabant oppidani pertinacia obnixi, omnia prius laturi quàm ut deditionem facerent, popularet ſtudium per hæc & uetuſtam fidem illa temporum nouitate Vrſinæ genti, cuius ditionis multis antè ætatibus locus fuerat,probaturi. Contigit his duplex laus,fidei una,altera fortitudinis, quòd ſoli omnium pontificijs armis, quibus pars Italiæ non parua ceſſerat,fortiter reſtitiſſent, & ad poſtremum uinci nequiuerint. Iam recēs oppugnatio fuerat Vicanos adorta, quum Lodouici regis literis & nuncijs, per quos pontifici rex ſignificabat eſſe Iordanum Vrſinum, cuius res hoſtiliter uexarentur, in ſua fide,illum ſua cauſa procul domo abeſſe, Neapolitano bello armis Gallorum partes iuuare, futurum ut niſi illius rebus abſtineretur, ui & armis eam uindicaret iniuriam.Cauſari pontifex non pauca, ut iuſtè bellum ſuſceptum uideretur, iactareque Iordani cauſam cum Vrſinorum gente coniunctam eſſe, qui nuper à ſe & filio defeciſſent. Licere pontifici principes Romani nominis, quando Roma ſua eſſet, armis, ſi autoritate nequeat, in officio continere,delinquentes pro poteſtate punire.Hæc Alexander.cæterùm ueritus ne Gallorum fauorem ea res à filio alienaret, conditione ceſsit, ut Vicus Varronis & ſi qua adhuc loca circa urbem Iordani nomine tenerētur, ambigui iuris eſſent, quoad rex cauſam cognoſceret.Sed dū hæc circa urbē & in cætera Italia fiūt, hyems eſt & uer eius anni exactum, qui tertius fuit ab eo quem Alexander ſacrum Chriſtiano nomini fecit, quo ſanè tempore in Apulia memorabilis pugna ex prouocatione pugnata eſt. Ardebat, ut ſi quando antea, pars illa Italiæ graui bello, inter Gallos & Hiſpanos per eum quem diximus modum nuper orto, auditaque eſt interim uox Galli militis inſolenter prædicantis, nihil inutilius eſſe Italo milite, nihil ignauius:quam inſignem contumeliam haud ſibi ferendam rati equites Italici nominis, qui cum Hiſpanis militabant, ad Gallos communi nomine miſerunt, qui his ſignificarent, cupere Italos equites, quando timidi & ignaui eſſent Gallorum opinione, armis experiri, quid utrique alteris uirtute præſtarent. Reſponſum eſt longè aliter Gallos opinari,ut & boni & fortes milites ſint Itali, ſed ſi pugnæ cupidi eſſent, paratos eſſe cum his conditione certare, ut uictor centum aureos præmium ferret, uicti equitis ſpolia haberet, & equum quo ſederet. Accepit Italus conditionem, lecti ſunt utrinque tredecim uiri fortes, dictusque pugnæ locus inter Adriam & Quadratam.Conſalis Hiſpanorum dux, peractis ſacris,quibus Itali interfuere,ſumptoque modico cibo, euntes in pugnam paucis hortatus eſt,irent & Italo nomine, quod olim maximum fuiſſet in terris,ac belli gloria maximè inclytum, fortiter dimicarent, futurum ut ea res non ſolum ad communem laudem gentis pertineret, ſed ad infringēdam etiam Gallorum ſuperbiam,qui omne genus hominum præ ſe contemnerent.Cum his illi dimiſsi locum occupant,proceſſerunt & Galli, ſed aliquanto ſegnius: cæterùm quia conditione certabatur, ut quicunque ſiue impulſu, ſiue caſu ſtadij finibus exceſsiſſet,pro uicto haberetur, eratque locus de induſtria,ne pugna longius traheretur, breuioribus circumſcriptus ſpacijs: ſubſtiterunt Galli primo ingreſſu,futurum rati,ut ſi Itali qui in medio ſtetērant campo, temerè in ſe equos concitaſſent, ſuo impetu ultra præſcriptum euecti,citra omnem cruorem uincerentur. Senſit Italus inimicorum aſtum, ſtetitque tamdiu immotus, quoad Gallus, longioris moræ impatiens, ex aduerſo mouit, tum quia bipertito inde procurſum eſt, Itali & ipſi utroque uerſum concitant equos: breuis & anceps concurſus fecit, ut pauci haſtas fregerint, quinque Galli & duo Itali campo exciderunt, equorum impetu metas præteruecti,qui pro uictis quieuerūt.Fuit inde atrox pugna,gerebaturq; res gladijs & ſecuribus,cadūtq;duo ex Italis, equis ab hoſte interfectis, attulitque eiuſmodi caſus Italo uictoriam.Enimuero duo illi quum ſeſe in pedes ſtatuiſſent, uenabulis duobus arreptis, quæ tela in hunc uſum fuerant ab initio illata, momento temporis plures hoſtium equos unum poſt alium confoſſos ſternunt, ex equitibus Gallis unum interficiunt, tum illi numero & uiribus impares facti, uictos ſe clara uoce fatentur, duo obſtinacius pugnam traxere, fuiſſentque haud dubiè à pluribus in ueſtigio cæſi, niſi ſuorum monitu & hortatione ceſsiſſent: perduxerunt Itali captiuos Gallos Baretum ad tubarum & tibiarum cantum pulſumque campani æris, Hiſpano exercitu proſequente, ciuibus manu & uoce fauentibus, teſtantibusque præſentem lætitiam clamore, Hiſpani Italiam, Itali Hiſpaniam clamare, manifeſto argumento mutui inter utramque gentem ſtudij & amoris. Ferunt ex captiuis quoſdam quamdiu apud hoſtes fuere,obmutuiſſe, alios lachrymis tacitè manantibus, amentibus & attonitis ſimiles ſedīſſe, mille & tercentum aurei nummi bona fide ſunt Italis uictoribus repræſentati: fuitque id certamen præſagium uerius quàm pugna,eorum quæ non multo poſt Gallis in eadem Italiæ parte infeliciter acciderunt. & hæc alibi. Veneti interea bellum cum Turcis adhuc integrum habebant, etſi de pace cœptum erat iam antea agitari, ad quam rem conficiendam primò publicè miſſus eſt Lodouicus Manetius à ſecretis, fuitque aliquandiu Byzantij, cæterùm ob iniquas cōditiones, quæ ab hoſte ꝓponebant, infecta pace domū reuerſus eſt, tenuit

Cæretana oppugnatio.

Vicus Varronis.

Lodouici regis ſtudium in Vrſinos.

Italorum prouocatio.

Gallorum fex uox reſponſum.

Conſalis hortatio.

Gallorum cum ſilium.

Primus concurſus.

tenuit tamēn homo ſolerti ingenio, ut ex regia aula unus aliquis ſecum mitteretur Venetias, qui de legibus pacis quas Baiazetes diceret, in curia apud principē & patres diſſereret,ut totus ordo de ſumma rei maturius conſuleretur. Eſt Baiazetis orator bis auditus,nec ob eam cauſam quæ ſuprà memorata eſt, pax confici potuit. Miſſus eſt ſequenti anno Zacharias Phriſcus, & ipſe à ſecretis, tum quia longioris belli tædio animi libentius ad pacem inclinabant, etſi non ſine longa & difficili diſceptatione pax ad exitum perducta eſt, iam maritimæ hoſtium ciuitates multis cladibus à Venetis affectæ,pacem efflagitare,pacem mediterranei populi, ad extremam rerum omnium externarum inopiam redacti,ob maris commercia diu intermiſſa. Acceſsit his recens Neriti expugnatio,quæ non parum hoſtium ferociam fregit, eſt ſic quoque aliquandiu in conditionibus dandis & accipiēdis addubitatum. Ad poſtremum pax per hunc modum confecta eſt,ut Venetus Neritum relinqueret,Baiazetes res Venetis negociatoribus ab initio belli ademptas reſtitueret, ut Pontica nauigatio, ut antea patēret, eſſetque Veneti nominis magiſtratus, qui antea fuit, ſuis hominibus ius dicturus, ut res Venetæ ditionis certis finibus à Turcorum rebus diſcernerentur. & hæc diſertè in conditionibus pacis poſita atque edita. Phriſcus Byzantio profecturus, magnis eſt muneribus à Baiazete donatus,quæ rata fecit illi uniuerſus ordo.Andreas Grittus qui diu Byzātij magna celebritate nominis negociatus eſt, & ob eam rem Baiazeti ualde notus, ac penè familiaris, ad ſanciendam pacem dein miſſus eſt,iuſſusque tentare an de Nerito quippiam mutari poſſet: ſed à priore formula nihil uariatum, quando obſtinatis omnia animis fierent. Et Veneti per hæc maritimo ſunt bello defuncti. Hiſpani interim in Italia mulrò Gallis inferiores, perquam pauca numero loca obtinebant, unde ſæpius in Apuliæ pecuaria, quæ in Gallorum fide erant, hoſtiliter inuecti, bis centum milia iumentorum capta duabus excurſionibus in prædam auertere. Tenebat ſe Conſalis Hiſpanus dux Baruli obſeſſo ſimilis, Gallislatè omnia obtinentibus, ſed poſtea quàm ſub uernum tempus auxilia affuerunt, & in his mille & quingenti Germanici nominis, bina milia & amplius fuiſſe quidam dicunt, qui ex Germania ad Iſtros progreſsi, ex Iſtria in Apuliam tranſmiſere. Horum preſidio firmior iam inde eſſe cœpit res Hiſpana, ac liberius euagari. Acceſsit huc quòd quatuor Gallorum triremes, quæ Hidruntum portum fortè ſubierāt, cum duabus Hiſpanis nauibus quas in alto ceperant, periclitatæ ſunt, totidem Hiſpanarum nauium interuentu. Preianes uir fortis maritimisque curſibus aſſuetus Gallicas agebat naues, qui Hiſpanas portum ſubituras intuitus, fidem Veneti magiſtratus implorat, poſtulat Hiſpanus qui loco & uiribus ſuperior erat, hominem Hiſpanorum rebus infeſtum ſibi ad ſupplicium dari, aut cogi, ut pro damnis quæ ille hominibus ſui generis intulerat, quadragena milia aureorū nummūm ſibi darentur. Iubet Venetus ui abſtineri tantiſper dum ad Piſaurium Venetæ claſsis præfectum mitteret, illius eſſe maris imperium, factūrum ſe quicquid per literas ab eo facere iuſſus eſſet. Reſcripſit Piſaurius ne portus uiolaretur, ſi inde ambo abire uelint, atque in alto uires ſuas inter ſe experiri, id nihil ad Venetum pertinere. Preianes qui multò erat Hiſpano inferior, & hoſtis nihilo ſecius aſsidebat in omnem occaſionem erectus, nauium armamentis in terram expoſitis, turmisque naualibus præter Turcos libertate donatis ac dimiſsis, triremes ac naues quas habuit in portu depreſsit,ne hoſtis potiretur,ipſe terreſtri itinere Nea polim ſe contulit. Hiſpana claſsis inde profecta omnem maritimam Calabriæ oram prædata eſt.Galli interea quum ad decem milia armatorum ſub ſignis haberent, Onetanos obſident, qui non multò prius cum pleriſque finitimorum ad Hiſpanos defecerant. Nec Conſalis in ocio fuit, quin nouo milite auctus in aperto fecit caſtra. Rubum obſidet, alij Rugum uocant, diſtat locus ſeptem milia paſſuum à Tranio, obtinebat id oppidum præſidio uir in Gallis nobilis, Pelliciæ Regulus, erant cum eo ad centum cataphracti equites & cohors peditum una,cæterùm neque præſidium, neque munitiones ullæ Hiſpanum tenuerunt, qui oppidum cum præſidio ferociter adortus, paucarum ſpacio horarum ui eſt loco potitus.Cæſi ex præſidiarijs ferè quadringenti, cæteri milites cum ipſo duce uenerunt in hoſtium poteſtatem, & ut eſt fortuna in aduerſis magis quàm in lætis tenax, per idem tempus Obiginius dux in Calabria prælio fuſus eſt, ac grauiter uulneratus. His ſuorum caſibus Gallus territus cum omnibus copijs Canuſium conceſsit, miſitque nuncios & literas Salernum & alia loca amicorum principum, ut ſubitarium militem conſcriberent,adeſſentque ſibi cum auxilijs,quę eo demum magis grata forent, quo celerius adducta. Interea pleraque loca & in his illuſtria quædam in ora Calabriæ à Gallis deficiunt ad Hiſpanos, apparebatque in tam aperta animorum inclinatione & ſtudio populorum plura in dies defectura, niſi primis accolarum motibus iretur obuiam. Et res utriuſque gentis per hunc modum uariabant, alternabantque ſpes & metus, quum Conſalis dux animum adiecit ad Ciriniolam oppidum in Apulia expugnandum: obtinebant Galli id oppidum præſidio, nec ulli dubium erat, quin loci opportunitas ea eſſet, ut Gallis eum tenentibus, res Hiſpana in dies magis eſſet laboraturarei frumentariæ inopia: contrà Gallo Ciriniola depulſo, omnia locus eſſet illi iniquiora facturus, adempturus omnem frumentandi facultatem. Igitur ad quartum Calendas Maias ex Barulo Conſalis cum omni robore copiarum, & bellicis machinis profectus, Ciriniolam proficiſcitur, fuit ductus ille perdifficilis,exercitus per ſiticuloſa loca iter faciens, atque æſtu retorrida, ut in calidiſsima regione Italiæ,adeò laborioſe traductus eſt, ut equites aliquot, ac peditum aliquanto plures, dum ſitibundi & æſtuantes coguntur ſigna ſeruare, media uia defecerint. Habebat Hiſpanus ſub ſignis equites mille & octingentos, pedites Hiſpani generis ſena milia, duo Germanici nominis, leuis armaturæ equites quingentos, cum his Conſalis tam laborioſe diem egerat, quum ſub occaſum ſolis uiſum eſt Gallorum agmen appropinquare pugnæ inſtructum, ij qui rei gerendæ interfuerunt,in conſtituenda acie & acierum conflictu haud mediocriter uariant. Dicam tamen quod inter plures conuenit, in fronte utrique habuerunt bellica tormenta, ad hoſtem procul inceſſendum, tria milia Hiſpanorum peditum ſecundum æneas machinas, candones, colubrinas, uertiuolantes, & alia noua nomina conſiſtere iuſſa ſunt, cui phalangi præfuit Fabricius Columna. Conſalis cum robore copiarum, rem curare uoluit ab uno cornu,reliquum Proſpero Columnæ aſsignat, cum Italico equitatu, & tribus Germanorum peditum cohortibus. Poſtea uerò quàm ad bombardæ iactum, Galli appropinquarunt, continuò æneæ pilæ citrò ultroque uiolenter excuſſæ utranque ſimul aciem cœperunt inceſſere, cæterùm dum ad alterum tormentorum iactum tumultuoſe omnia expediuntur, incertum caſu an conſilio ſubitum (quod ſatis conſtat) incendium circa machinas cōflatum ingentem attu-

Alternant res partium.

Conſalis proſectio in hoſtes.

Acici diſpoſitio.

Gallicæ naues opprimuntur.

Preianis conſtantia.

Subitum incẽdium.

lit Hiſpanis trepidationem, Conſalis ſcripſit Itali militis opera id accidiſſe, qui fieri non poſſe ratus, ut Gallis obſiſteretur, ſulphureum puluerem incenderit, ut omnia potius flammis abſumerentur, quàm his hoſtis potiretur. Ad ſubitam hanc hoſtium trepidationem, fœdumque incendium Galli lætitia elati, rem Hiſpanam iam perditam rati, ſuaque ſponte turbatam poſſe facilè profligari, tanquam ad certam uictoriam, & ſine labore partam, in aduerſum hoſtem procurrunt: ubi uerò conſeren da manus fuit, Hiſpani pedites, qui poſt machinas locati fuerant, Fabricij hortatu, à ſubita illa trepidatione reuocati aduerſum hoſtem fortiter excipiũt, ac non ſolum ſuſtinent, ſed ferociter in confertum agmen inuecti, primo impulſu loco ſubmouẽt, ſubmorum latè fundunt, fuſum in fugam uertunt. Fuerunt qui à principio manum conſeruerunt Galli & Vaſcones tria milia & quingenti, quibus cum multa cæde diſiectis, in eam partem Fabricius conuertit agmen, qua Gallorum robur pugnam cum Italis & Germanis conſeruerat: hic quoque breui debellatum eſt, Galli ea quoque parte fuſi fugatiq́ue ſunt, & cum multa cæde diſiecti: ſed inſignior cædes edita, qua parte Conſalis aduerſam Gallorum phalangem, cum multa ſtrage fudit. Nox fugientibus ſaluti fuit, nam pugna ſub occaſum ſolis inita, per horam tenuit & dimidium. Affuerunt eo die Gallorum ducibus mille & quingenti equites leuis armaturæ, quaterna milia peditum, cataphracti equites quingenti, cum ſuo equitatu. Ceciderunt ex Gallis in pugna tria milia, ſunt qui ex hoc numero aliquid detrahant, augent alij. Occubuere cum his plerique uiri illuſtres, Nemẽſis dux qui ſummæ rei præerat, gerebatq́ue uicarium regis nomen. Potitus eſt hoſtium caſtris uictor Hiſpanus, impedimentis, commeatu, & omni fariam belli apparatu refertis: & ad Ciriniolam in Apulia hoc maximè euentu eſt dimicatum, anno qui tertius fuit à milleſimo humanæ Salutis, ac quingenteſimo, ad quartum Calendas Maias. Galli equites, qui prælio ſuperfuerunt, Alegrij principis ductu, ad Podium regium circa Neapolim conſederunt. Sed ad unius pugnæ famam tanta ciuitatum & populorum mutatio ſecuta eſt, ut poſtridie quàm in Apulia eſt dimicatum, ſexaginta & amplius oppida ad Hiſpanos defecerint. Peruagata eſt inde latius defectio, adeò ut nullo maiore negocio, breui pòſt Neapolis regni caput, Auerſa, Capua, & omnia his loca circumiecta ſponte à Gallis ſint alienata. Neapolitanæ arces, quæ Gallorum præſidio tenebantur, non multis inde diebus interiectis, quod uix credere ſit, una poſt aliam, citra omnem bombardarum ictum, ui & armis captæ ſunt. Ingens in his præda reperta eſt, quicquid Galli eo biennio fuerant bellando adepti, huc uelut in tutum congeſſerant: uenerunt plerique etiam Gallorum uiri illuſtres in hoſtium poteſtatem, cum ipſis arcibus capti. Mouerat ex Marſis Iordanus Vrſinus, cum aliquot peditum cohortibus, ubi primùm auditum eſt ad Ciriniolam infeliciter à Gallis pugnatum, qui tametſi totis uiribus conatus eſt circa Neapolim Gallis ſuppetias ferre, perditis tamen eorum rebus cum reliquijs eius gentis Caietam compellitur: mox inde egreſſus, aliquandiu Tyrrheni maris oram oberrauit, nulla certa ſtatione, ne Alexandri qui eius capiti imminebat, armis circumueniretur. Fabricius Columna confeſtim poſt uictoriam in Apulia partam, cum Populi & Mõtonij comitibus, qui & ipſi erant in Hiſpanorum partibus, à Conſale dimiſſus, ut Marſos, Pelignos, Aquilanos, & omnem Montanam regionem ad defectionem ſolicitaret, primum omnium in Vrſinorum ora aliquot loca recepit, mox & Theatini ad defectionem compuliſi

Primo cõgreſſu Vaſcones funduntur.

Hiſpanorũ uictoria.

Cæſorum numerus.

Ingẽs defectio.

Neapolitanæ arces expugnantur.

ſunt, multæ inde urbes & oppida à Gallis alienata. Hieronymus Caliophius in Amiternis Aquilam obtinebat, uir factioſus, & qui maiore indole quàm partium fauore, penè totum biennium ſummam rei adminiſtrauerat (erat enim in Lodouici regis fide) is in eo motu rerum quoſdam ex principibus ciuitatis Aragoniæ factionis interfecit, quia nouis rebus ſtudere comperti eſſent. Affuit nec multò poſt Fracaſſus Seuerinas, cum ala una equitum ex urbe Roma à pontifice miſſus. Scio fuiſſe multis perſuaſum, eo conſilio Seuerinatem ab Alexandro miſſum, ut Aquilana ciuitas pontificiæ ditioni ea temporum nouitate uindicaretur, adeò anceps ſuſpectaq́ue inter duos reges fuit Alexandri pontificis fides. Nobilium uirorum cædes, ciuium ſtudia, ſi qua erant, inſigniter à Caliophio alienauit: & res in Amiternis ſic habebant. In Equis interea Paulus Marganus, uir Romani ſanguinis Columniæq́ue factionis Taliequitij arcem de Vrſinis occultè occupat, corrupto arcis præfecto. Alba dein ad Fucinum lacum ſita, quæ & ipſa Equorum fuit, ſi Liuius uerus eſt autor, ab Vrſinis ad Columnenſes defecit, quum Fabricius adhuc Theati eſſet. Erat Fabius Vrſinus, qui ex Piceno cum paucis equitibus fugiés, ſe Borgianæ ſubtraxit carnificinæ, Scurculanis præſidio, & cum eo permodicus equitatus, quo fretus iuuenis ferox aliquandiu metu & terrore Fucini accolas, & cum his circumiecta loca in fide continuit. Nec ita multò pòſt Fabricius affuit cum cohorte una peditum, & equitibus admodum paucis. Sub huius acceſſum, quia omnia ad defectionem ſpectare cœperant, Fabius ſuis opibus diffiſus, per loca ſaltuoſa in pacatum abijt: nec ullus inde pudor aut metus obſtitit, omnia confeſtim Columnenſium armis ſponte ceſſerunt, præter Coruarij arcem, quę Vrſinorum præſidio retenta eſt. Augebantur per hæc in dies Hiſpanorum opes, ut iam ualidior Fabricio, & qui cum eo erant adeſſet equitatus, erantq́ue in hanc unam occaſionem erecti, ut aliquid ab Aquilanis moueretur, proceſſitq́ue Columnius dux ad arcem uſque Mediam, ſic loco nomen eſt medio ſaltu, per quem ex Marſis in Amiternum agrum tranſcenditur. Hic quia Seuerinas Cangianam præſidio arcem obtinebat, Fabricius ſubſedit. Nec ita multò pòſt diuerſa parte Montorij comes ex compoſito Aquilam uſque adequitauit, ſub cuius acceſſum Seuerinas & Hieronymus Galiophius, quibus ſatis perſpicuè compertum erat, quid iamdudum ciuitas moliretur, urbe ceſſerunt. Conficiebat tum Aquilanos tam ſæua peſtilentia, ut ne Montorius quidem comes ſit auſus urbem ſui alioqui cupidiſſimam ingredi. Aquilanorum defectionem omnes montanæ urbes ſtudio ſecutæ ſunt. Sed dum hæc alibi geruntur, circa inferum mare, Galli cæteris propemodum amiſsis, Caietam cõpelluntur, multi interim uarijq́ue extiterũt partium conatus, eſtq́ue nonnunquam ex occaſione, terra & aquis pugnatum. Sunt ad hæc commeatus & auxilia aliquoties Gallis mari aducta, & in Hetruria nouus eſt exercitus illis comparatus, magnus peditum equitumq́ue numerus, quos Florentini, Bentiuoli, Eſtenſes, & alij Italiæ principes, in Lodouici gratiam ad tempus inſtruxere. Recentium copiarum imperium regis iuſſu, Franciſco eſt Gonzagæ delatum. Percrebuit fama pontificij exercitus partem multò maximam à Cæſare Borgia exautoratam, patre ad ea quæ fierent conniuente, ne Gallorum partes in eo diſcrimine à ſe iuuarentur. Nulli dubium erat quin ſi pontificiæ copiæ Gallorum opibus acceſsiſſent, magnum ſecum momentum attuliſſent ad bellum deinceps gerendũ. Fuit exautoratio illa omnibus ſuſpecta, multisq; perſuaſum eſt Alexan-

Anceps Aloisij fides.

Fabij Vrſ. indoles.

Attẽde iniquã temporum cõditionem.

Alexandrum & eius filium, cum Hiſpanis occultè ſentire, quam hominum opinionem auxit Trocij ſupplicium, qui per id tempus ex Cyrno eſt Romam deportatus, capitaliq́ue affectus ſupplicio, erat is in intimis Alexandri aulicis, ac ſecretorum conſcius: cęterùm quia per eum Lodouicus rex reſciuiſſet (ſic enim ferebatur) conuenire pontifici & Borgiæ cum Hiſpanis, ob eam rem ex inſula qua fugam intenderat, ut in Galliam primo quoque tempore tranſmitteret, eſt ad ſupplicium repetitus. Iunxit huic domeſticæ cædi alteram ciuilem Alexander, Iacobo Crucciæ gentis, Vrſinæ factionis amiciſsimo ſecuri percuſſo, cuius ſupplicio cõmotus Robertus Vrſinus Aſculanorum dux, quem ea temporum nouitate, unum ex ea familia incolumem pontifex præſtitit, ubi apparuit ne innocentiam quidem hic ſatis eſſe tutam, ubi cuncta libidinoſe fierent, occultè à Borgia defecit. Nõnulli ad hæc Romanæ ciuitatis uiri nobilitate generis & opibus clari, peregrinationis alteriúsue negocij prętextu, ſolum ſua ſponte uerterunt, illam temporum læuitiam fugientes: & Romæ cæteraq́ue Italia, res per hunc modum habebant. Ex Corcyra interea Venetias affertur, Piſaurium claſsis præfectum, graui morbo implicitum eò ueniſſe, ut de eius ſalute cœptum eſſet dubitari. Senatuſconſultum, ut quando pax foris parta eſſet, parte una nauium ad præſidium maris relicta, Piſaurius domum ueniret. Nec multis inde diebus interiectis, literis & nuncijs cognitum eſt Piſaurium, quum iam publicum decretum accepiſſet, nauigaretq́ue Venetias uerſus, morbo ſuccubuiſſe, uitaq; defunctum. Corpus pullata triremis domum detulit. Lauretanus princeps, & ſenatus celebri, & exquiſita exequiarum pompa, ad minoritanam ædem funerarunt, laudatusq́ue eſt defunctus pro concione more maiorum. Per id tempus Hiſpani, qui aliquandiu Caietam obſederant, quia Galli commeatum & ſubſidiũ à mari accepiſſent, ſoluta obſidione ad quinque milia paſſuum procul inde, caſtris locum capere. Guilielmini modico hoc Gallorum ſucceſſu elati, cohorte una militum ex Caieta occultè accerſita, Triſtanum Cunium præfectum arcis, nil tale ſuſpicantem, & ob eam rem minus cautè ſeſe oppidanorum turbæ, familiariter miſcentem, capiunt. Arx à præſidiarijs retenta eſt. Affuerunt his confeſtim ſubſidio quingẽti pedites ſub tribus uexillis. Occurrunt Hiſpani eò ſuis arcem tenentibus ſuppetias laturi, ſimul ut oppidanos ad imperium retraherent, qui poſtea quàm appropinquare dicti ſunt, Galli ſuorum paucitati, & oppidanorum fidei, locoq́ue diffiſi, fugam circumſpiciunt. Superuenit hoſtis, multosq́ue inter fugæ pugnæq́ue confilium, in oppido opprimit: alij media fuga partim cæſi ſunt, partim fœdè diſiecti, multò plures curſu longius euecti, pontem Coruum fugam intenderant, conſternatiq́ue agmine abibant. Incidunt interim in ſagittarios Hiſpanos, à quibus Gallus confixus eſt, multoq́ue atrocius, quàm antea affectus, occidit unus ex tribus ducibus Gallicę cohortis, duo ſigna militaria capta. Interea qui Caietæ erant, quum indicio comperiſſent celeri curſu hoſtem Guilielmum petijſſe, ut & qui eò miſsi eſſent, & oppidanos unà opprimerent, ueriti ne cohors illa, quæ ſub tribus ſignis nuper domo exierat incauta ab hoſte exciperetur, quod ſanè acciderat: duæ aliæ uiſæ ſunt cohortes, his & Guilielmianis ſubſidio aduolare, ſed ex his quæ poſtremò miſſæ ſunt, cohors una cum ſuo duce circa Itrium capta eſt, altera metu diſpalata ægrè retrò abijt. Et hæc æſtate illa geſta, quæ tertij à iubileo fuit anni, quo ſanè tempore circa Pyreneum, ſi uera ſunt quæ ex Hiſpania, & ea Italiæ parte ubi bellum gereba-

Gallorum claſſes.

tur, ad regium oratorem literæ ſignificabant, magni utriuſque gentis conatus extitere. Lodouicus & Ferdinandus reges, non contenti eo bello quod in Italia de Neapolitano regno ortum magnis opibus alebant, ad oſtentandam regni uterque ſui potentiam, uel ad uictoriam potius id pertinere rati, maiori aliquanto armorum apparatu, nunc ſuo, nunc alieno ductu inter ſe conflixere, fueruntq́ue ea prælia ferè ſecunda Hiſpanis. Proceſſerant nouæ Gallorum copię Gonzagę ductu, in Hetruriam bellum circa Caietam reparaturæ, eratq́ue Italia uniuerſa in nouiſsimi huius certaminis euentum erecta, quum repentè ex urbe affertur Alexandrum pontificem, grauiter cum Cæſare Borgia ægrotare, manauit rumor in uulgus ambos una menſa uenenum imprudenter hauſiſſe, quod ipſi communi conſilio comparaſſent in quendam ſupremi ordinis antiſtitem, cuius auro inhiabant: ſed de pontificis morte, quæ non multò pòſt ſecuta eſt, & Borgiæ filij morbo, non una fuit fama. Obijt Alexander anno quàm ſedere cœperat undecimo. Cæſar Valentinus dux, etſi grauiter affectus, ut ipſe uideri uoluerit, ab Alexandri obitu, in Vaticano eſſe perſeuerauit, ualido ſeptus præſidio. Mirum quàm celeriter ab Alexandri interitu, Iulianus Oſtienſis, Aſcanius Sforcia, & Rothomagenſis antiſtes, ex Gallia Romam uenerint, ut pontificijs comitijs intereſſent. Venit in urbem Proſper Columna, cui Valentinus dux conſcius ſibi recentis Vrſinorum offenſæ, ut æmulæ factionis opes ſibi conciliaret, arces & oppida Columnenſibus adempta ultrò reſtituit. Ipſe quia pontificia impediebantur comitia, principibus ſummi ordinis negantibus ad ea ſe comitia ituros, quibus ui & armis alienoque nutu, nouus eſſet pontifex creandus, ne maiore ſe inuidia oneraret, ſub fide publica Vaticano egreſſus. Nepe proficiſcitur, Gallorum præſidio ſeptus, qui illi urbe egreſſo, uelut ex compoſito affuerunt, aut certè adeſſe ſibi uideri uoluit. In urbe exactis de more exequijs in defuncti pontificis memoriam, ſupremi ordinis antiſtites, in unum coiue re de nouo pontifice acturi, eſtque magno totius ordinis conſenſu pontifex creatus, Franciſcus Senenſis antiſtes, qui Pij ſecundi ex ſorore nepos, uoluitque & ipſe Pius tertius, in aununculi, credo, memoriam, uocari. Inter Alexandri obitum, & noui pontificis creationem, Galli qui ex proximo Romam occurrerant, & cum his Vrſini & Columnenſes, ſummi ordinis edicto, prius quàm de nouo pontifice ageretur, urbe excedere iuſsi ſunt: apparebat non poſſe fieri, ut diuerſarum factionum principibus, nouitate illa temporum urbem obtinentibus, non grauis aliqua exiſteret diſcordia. Guido Pheltrius ſtatim ab Alexandri obitu, incredibili ſtudio ciuitatum & hominum, ſuæ ditionis in paternum principatum reſtituitur, præſtititque reſtitutus fautorem ſe Pandulpho Malateſtæ & Ioanni Sforciæ Piſaurenſi, ut armis, ſi citra bellum non liceret, ciuitatem uterque ſuam repoſceret. Piſaurum ſine ullo maiore certamine Sforcia recepit, arx à Borgianis retenta: ſed quum is ſuam non poſſet arcem recipere, alienam occupauit, in Phanenſemque præſidiarij unius opera receptus, tantum Phanenſibus terrorem iniecit, ut certum auri pondus Sforciæ ſe daturos polliciti ſint, ſi ciuitate incolumi præſidium inde abduceret. Accepit ille conditionem ſtipendij indigus, appenſoque ſibi auro Phanenſibus arcem reſtituit. Maius cum Ariminẽſibus certamen fuit Malateſtæ, ob reſiduum ciuitatis in ſuum principem odium. Arx à Borgianis tenebatur, ut ne integrum quidem eſſet ciuibus citra periculum quippiã mouere. Merebat iam quartum annum Venetũ ſtipẽdium Bartholomæus

Nouæ Gallicæ copiæ.

Alexandri interitus.

PIVS III. pontifex.

Bartholomæus Albianus.

mæus Albianus, uir acri ingenio, & ad omne bellicum faciꝰ audax. Is audito Alexandri deceſſu, ut infeſto erat in Borgiam animo, Lauretano principe & patribus inuitis, ſolus ignotoque habitu, Venetijs profectus Romam ire intendit, Vrſinorum iniuriam ulturus. Imminebat tum Pandulphus Ariminenſibus cum ingenti euocatorum manu, obtulitque ſeſe illi adiutorem ad urbem recipiendam Albianus, cuius præſentia non mediocrem attulit Ariminenſibus perturbationem, erat enim ferocia ducis nota omnibus: nemo præterea fuit qui non Venetum adhuc ſtipendium eum merere arbitraretur, Venetisque conniuentibus rem tantam aggredi auſum. Cęterùm Venetis indignantibus, edictoque ut incœpto abſtineret iubẽtibus, urbe nondum dedita, Bononiam proceſſit. Et Ariminenſes haud multò poſt Pandulphum in urbem accepere. Mirum uideri poſſit, ac penè incredibile, quantum unius uiri, uel ingenium, uel autoritas ualuerit in exercitu celeriter comparando, ex Bononia cum pau-

Albiani faciꝰ cinus.

cis digreſſus Albianus, modicaque pecunia adiutus, in Hetruriam tranſijt, obtulitque ſe Baleonibus adiutorem ad Peruſiam inuadẽdam, eiecitque inde laborioſo & cruento certamine, homines aduerſæ factionis, exules reſtituit. Paucis inde diebus

Albiani ſucceſſus.

magnus ad eius nomen factus eſt concurſus, Tudertumque ingreſſus, Vrſinæ factionis hominibus reſtitutis arcem ui cepit, cuius præfectum in poteſtatem redactum, atroci affecit ſupplicio. Pari ſucceſſu Viterbij Ameriæ, & alijs circumiectis urbibus ſuarum partium principes, aut reſtituit, aut eorum opes ſtabiliuit, & iam Valentino duci imminebat. Nepe oppugnaturus, quò ille ex urbe, ut ſuprà eſt ſignificatum, conceſſerat, inualeſcebantque indies Albiani opes, Vrſinis enixè iuuantibus, multi mortales ſpe prædæ, quæ Borgia capto uictoribus proponebatur, ad nouum ducem confluebant. Oderant Itali omnes, aut certè pars multò maxima Valentini ducis nomen, ſed omnium infenſiſsimè Vr-

Borgiæ metus.

ſini, & in his Fabius, Pauli nuper à Borgia interfecti filius, qui poſt Alexandri obitum, unum ex Cæſaris Borgię neceſſarijs fortè adeptus, atrociter laniauit, ex eiusque cruore lauit ſibi, ut fertur, manus & ora. Deſtitutus Borgias inter tam aperta odia & infeſta arma, ueritus ne ui aut proditione aliqua foris opprimeretur, à nouo pontifice petijt, ut priuſquam obſidione cingeretur, Romam ire liceret, quod nihil grauatè eſt illi conceſſum. Recens hoc pontificis ſtudium in Borgiam, & quia ipſe Gallorum præſidio ſeptus ſe Nepe contulerat, ut loco nõ multum diuerſo proditum eſt, multis cõiectandi materiam præbuit, Pio pontifici cum Gallis conuenire in Borgiæ ſalute & dignitate tuenda: quę res fecit ut Vrſini, qui hominem inſigniter oderãt, Hiſpanorũ partes ſequi maluerint, etſi magnis cõditionibus inuitarentur ad Gallorũ res in Italia tuendas, unus eius

Iordani Vrſini fides.

gentis Iordanus, qui fuit Verginij filius, etſi præter amplum ſtipendium reſtitutio proponebatur omnium, quæ in Equis & Marſis nuper amiſerat, adduci non potuit, ut fidem & ſtudium in Gallos mutaret, quod hæreditarium in eam gẽtem à patre acceperat. Pius tametſi ſtatim à ſua creatione illud frequenter in ore habuit, nõ armis opus eſſe amplius, ſed de pietate & religione omnibus cogitandum, quæ prædicatio totam Italiam in ſpem certam erexit quietioris ſtatus, bellorum terroribus undique ſublatis, prætermiſit tamen Gallicũ exercitũ aduerſus Hiſpanos in Latium, uel quia inermis armatum tenere non potuit, aut quia nouꝰ debuit, ne prohibendo bellum in ſe uerteret. Ad decem milia equi-

Nouus Gallorũ exercitus.

tum peditumq; fuiſſe dicuntur, qui ſub ſignis præter urbem Romam ad bellum profecti ſunt, multis augurantibus fore ut nihilo lætiorẽ ſortirẽtur exitum, quàm breui pòſt fortiti ſunt, uel quia oppido pauci eſſent, ſeu quòd parũ bello inſtructi. Per eos dies, quibus recentes Gallorum copiæ in Latium tranſiuere, circa Caietam ſubita eorum, qui in urbe erant, eruptione, eſt nonnihil dimicatum, multique Hiſpanorum ea pugna deſiderati. Simul hęc ex Latio nunciata ſunt, Pijque põtificis, quem terris oſtẽderat cœli prouidentia, mors audita. Obijt ſexto & uigeſimo die quàm ſedere cœperat. Sequitur noua pontificis declaratio nõ minus popularis, ac neſcio an gratior etiam Romanæ ciuitati, ubi fauor ingens eratiã inde à Sixti pontificatu, munificentia & iplẽdore uitæ ipſi antiſtiti conciliatus, Iulianus Oſtienſis antea dictus, mox ſedem adeptus Iulius ſecun-

Iulius ſecũdus pontifex.

dus. Inter Pij ſecundi, & Iulij huius creationẽ Pandulphus Malateſta iterum Arimino eijcitur, cohorte una militum à Borgianis occultè per arcem immiſſa, eſtque in urbe atrociter dimicatum, ſed armis Malateſta inferior, urbe pellitur, Ariminum hoſtiliter direptum. Reſtituitur nec multò pòſt Guidonis Pheltrij fauore Pandulphus, cęterùm quia arx Borgiano præſidio tenebatur, nec erat inde præfectus arcis abſceſſurus, nec miles niſi magno auri pondere ſibi prius appenſo, ueritus Malateſta ne arce exclu-

Malateſte Venetorum permutatio.

ſus, urbe quoq; excluderetur, cum Venetis egit, ut arcem redimerent auro, quã cum tota urbe & agro locisque urbi circumiectis haberent, ipſe ab his ſibi poſteriſque Ciuitatulam (ſic celebri & opuléto nomen loco eſt in Patauino agro) cum circumiecto agro, perpetuò acciperet habẽdam, mereretq; quum ipſe, tum frater omni tempore Venetum ſtipendiũ. Tentati per eoſdem dies Cæſenates Guidonis Vrbinatis ductu, resque parum proſperè mota eſt, ſed

Fauentia Borgianis ablata.

periclitari id fuit, non uim inferre. Cõceſſerunt ſub id tempus Lamoniæ uallis accolę in Venetorum fidem, circumſeditq; plures dies Venetus exercitus Fauentiam, ut inde Borgianum deijceret præſidiũ: ſunt Fauẽtini aliquãdiu oppugnati, poſtremò diſiecta murorum parte, quia arx Veneto ceſſerat, ciues & ipſi certis conditionibus ceſſere: ſed hæc aliquãto poſtea circa Fauentiã geſta, Petiliani comitis ductu, legato Chriſtophoro Mauro, qui poſtea deditæ urbi per annũ præſidio fuit. Romæ Cæſar Borgias in urbem pontificis permiſſu reuerſus, in Vaticano aliquandiu ſe tenuit, ualidiſsimo ſeptus præſidio, mox confeſtim à Pij interitu cœptus eſt ab Vrſinis inquietari, quibus Albiani ductu ſæuientibus, tantus eſt illi terror iniectus, ut armis ſeptus conatus ſit urbe egredi, eſſetq; haud dubiè inter Vrſinos & Borgianos in urbe dimicatum, non ſine cæde multorum, niſi paucorum antiſtitum occurſu ſummi ordinis principum diſcuſſum eſſet quod inſtabat certamen: & iam pars ciuitatis non parua Vrſinorum

Borgiæ mors.

conatibus fauebat, poſcebaturque Borgias ad ſupplicium, aut ut tãdiu in Adriani mole cuſtodiretur, quoad eius cauſa cognita eſſet. Cęterũ dũ per ſęuas altercationes res trahitur, Borgias perculſus animo ex ſuburbanis ædibus in pontificiam ſeſe domum proripuit. Milites qui ad id tempus in armis fuerãt, ubi fractum ducem ſenſere, & iam latebram quærentem, alij aliò dilapſi, neque ſtationẽ amplius neque præſidium ſeruare. Subit nunc illa reputatio,

Attende documentum.

quòd rarò in aliquo hominum maius uitæ documentum extitit, quàm in hoc de quo iãdudum hęc producuntur: potuit is ſecundo à Pontifice contentus eſſe loco, tam amplis ſacerdotijs pollẽs, quàm eius ordinis, in quo fuit, nullus quod ſciam alius in diuitijs & dignitate ampliſsima uicturus. Cæterùm ſui oblitus, dum fortunam ut matrem nimis indulgentem fatigat, ſæuam eſt nouercam expertus, in ampliſsimo ordine eſſe noluit, ut in nullo demũ eſſet, ſed nihil certè eſt inconſulta felicitate breuius, ſumma faſtidiuit, ut triſtia & calamitoſa optaret. Enimuero

uero inter ſæua hominum odia deſtitutus, quia incolumis aliter eſſe nõ potuit, beneficij loco poſuit, quòd in põtificia arce ſit cuſtodiri iuſſus, quoad nouus pontifex crearetur. Sed dum hæc Romæ fiunt, Galli Caietam peruenere: Hiſpanorum copiæ, quæ inter Alexãdri obitum & Pij tertij creationem, Columnenſiũ ductu, non procul ab urbe conſederant, ut ciuibus ſupremoq; antiſtitum ordini præſidio eſſent (ſic enim uideri uolebãt, ut pacatiora eſſent no

Gallorum conſilium de Lyri traijciendo.

ui pontificis comitia) ſub Gallorum in Latiũ ex Hetruria tranſitũ, aut certè non multò prius trans Lyrim ad Germanum conceſſere. Gallis itaque Caietę appropinquantibus, qui in urbe erant, in apertum egreſſi, Mola & Itrio direptis, ſuorũ ſe copijs ingenti lætitia adiungunt, arcem in cognomento Siccam ſunt oppugnare adorti, tenebatur locus Hiſpanorũ præſidio, qui ubi bellicas muro machinas admotas uiderunt, ſubitò in hoſtem erumpunt, ac ſubita ui adorti non ſolum propoſito auertunt, ſed fundunt

Recens Gallorum clades.

etiam fugantque, fuſum ac fugatum cum cæde & ſtrage perſequuntur, trecenti ex Gallis ſunt ea pugna deſiderati. Auxit præſens ſucceſſus Hiſpanis animos, contrà res infeliciter mota Gallos haud mediocriter fregit, qui ab arce ſunt cum cæde & ignominia reiecti, pontum Coruum decreto petierunt. Conſalis ratus adeſſe tempus urgendi inſtandique abeuntibus, militem ex proximo contrahit, inde ex Germano profectus ad hoſtẽ ire pergit, ut de ſumma rei uno prælio decerneret. Fecerat Gallus caſtra non procul à ponte Coruo, hic eum Conſalis adeptus ad pugnam elicere non potuit, quod ubi appa

Attende Hiſpanorũ trepidationem.

ruit ab hoſte prælium detrectari, cum omnibus copijs Germanum repetit. Galli pontem Coruum hoſtiliter occupant, ac diripiunt, deijcitur inde Gallorum præſidium ex Caſsinate ſaltu ab Hiſpanis, placuit & Euandri arcem, quæ ab eiſdem hominibus tenebatur oppugnari, erat locꝰ natura bellicoq; ap-

B paratu munitiſsimus, pars una copiarum eſt eò miſſa, Fabricij Colũnæ ductu, qui concuſſo ab una parte hoſtiũ muro, oppidanos ſubita ui adoritur, fuitq; cum his haud lõgum certamen, quippe qui perculſi animo relictis muris trepidi in arcem refugiunt. Inſederant locum aliquanto prius Federicus Monfortius, erantq; cũ eo Gallici generis uiri quidam haud ignobiles. Hos Columnius dux ferociter inſtãs breui ad deditionem compulit. Nec Galli in ocio eſſe, quin & ipſi dum ad Euãdri arcem à ſuis laboratur, Guilielmianam magno oppugnãt conatu, Hiſpani qui locum præſidio obtinebant, ualidè ſeſe arcemq; tutati ſunt, qua ſpe Galli duces fruſtrati, ſoluta obſidione, Lyrim petunt de traiectu fluminis actur. Nulli ab initio dubium fuit, quin ea res malè uerteret Gallis, hoſtibus aduerſam ripam tenentibus, paIuſtria loca, & circa ripas reſtagnantis fluminis alueus, nuſquam ferè ſe præbet uadabilẽ, niſi qua hoſtis ex aduerſo cõfederat, appetebat iam hyems, ut nulli non planè appareret quin hic ſedentibus omnia tempus eſſet Gallis iniquiora facturum, ut fame & frigore miles, per irritos conatus, conficeretur.

Conatus paſſandi Lyrim.

Contrà tutius & ad bellum reparandũ multò cõ dubilius fuiſſe aiebãt, ſi in Marſos & Pelignos Galli duces ſubitò tranſiuiſſent, atque in his terris ſtatiua adepti, ſub tectis reliquũ hyemis egiſſent, mox ſub uernum tempus in Apuliam digreſſi ex integro bel lũ reparaſſent: nec opinio illa hominũ uana. Enimuero dum Lyri aſſident, in mediumque conſultãt, qua ui quóue loco eſſet fluuius ſuperandus, fames primò ſentiri cœpta eſt, ſecutꝰ inde morbus, poſtremò hyemis intemperies, quibus malis breui Galli exercitus pars multò maxima eſt inutilis facta: ſed aliquanto poſtea. Iam machinis æneis fluuiali ripa diſpoſitis, ponte ut in ulteriorem ripam euaderent, amnem iunxerant Galli, communiuerantque nec

Albani cõſilium.

procul inde caſtra, ut nulla prætermitteretur occaſio, ſi qua oblata eſſet, militis in ulteriorem ripam tranſmittendi. Nec multi deinde dies interceſſerũt, quum repentè in Hiſpana caſtra affertur hoſtem fluuium ſuperare, edicit Conſalis ut Fabricius Columna eò maturè occurrat, obijciatque ſe hoſtium conatibus, faceſsit ille intrepidè ducis imperiũ, cumque ala una equitũ ad Lyrim progreſſus, ubi citerio

Fabij Vrſini interitus.

rem ripam à Gallis teneri intuitus eſt (iam ſexcenti pedites ferè pontem ſuperauerant) ſuos ad pugnam hortatus, ferociter in confertiſsimum hoſtium globum inuehitur, primoque impulſu turbat, turbatum fundit fugatque. Galli partim cæſi ſunt, partim in proximum amnem metu præcipitati, ceciderunt etiam ex Hiſpanis quidam Colubrinarum ictibus ex ulteriore ripa petiti: eſt & pons ab hoſte ualidè defenſus, quem quum præſidio firmaſſent Galli, ſępe equites leuis armaturę Hiſpanorum caſtra tumultuoſe adequitarunt, eſtque per hæc nonnunquam ex occaſione alterius partis, ut fit, circa pontem dimicatum, quibus locis Fabius Vrſinus, qui fuit Pauli filius, adoleſcẽs magna indole, quum propius flumen res hoſtium inſpectaturus acceſſiſſet, letale uulnus accepit ſagitta cõfixus, quo breui pòſt uita deceſſit. Tentatum inde eſt an põs igni corrumpi poſſet, occulteque miſsi, qui ſecundo fluuio ſcapham cum arida lignorum materia, & ſulphureo puluere incenſam, in aduerſum pontem nocu immitterẽt: nec res fruſtra mota eſſet, niſi ij, quibus id erat negocium iniunctum, nimium properaſſent, prius enim quàm pontem in conſpectu haberent, incendium conflarunt, quo accidit, ut ſubitaria illa flamma aliquanto antea defeceriꝰ, quàm nauicula tenui allapſu, ad locum peruenire potuerit. Secutus nec multò pòſt recens Hiſpanorum co-

Albianorũ ſugium.

natus, nocu ad duo milia paſſuum ſupra pontem qui ab hoſte tenebatur, fluuium tranſgreſſi ſunt, ut B Gallos ex improuiſo inuaderent, cæterùm tam fœda tempeſtas grandinis imbribus mixtæ euntes adorta eſt, ut neque ordines, neque ſigna obſeruari potuerint, diſiecti diſpalatique milites, quo cuique proximum fuit, in pacatum abierunt, ſed pars multò maxima Sueſſam ſe recepit. Hæc trepidatio materiam præbuit hoſtibus famæ paſsim diſsipandæ fuſos profligatoſq; à ſe Hiſpanos inſidijs exceptos. Is rumor temerè euagatus effecit, ut oppida quædã inter utriuſq; gentis ſtudia ſuſpenſa adhuc, ad Gallos apertè inclinarint, & in his Oliuetum Gonfredi, Borgiæ Scylacei principis locus: Oliuetani, ſuo in arcem principe compulſo. Fuit is Alexandri pontificis filius, Gallicum præſidium accepere, oppugnati ſunt nec multò pòſt, captumque ui oppidum, militibus prædæ fuit. Exieratque per hæc dimidium brumę, quum Bartholomæus Albianus (uenerat is ſub initium hyemis in caſtra) Conſali, cuius imperium erat, ſuadere cœpit non eſſe bellum diutius trahendum, poſſe uel uno die facilè cum hoſte debellari, monſtrare ad hęc uiam, qua Galli frigore, morbo & inedia cõfecti, modico negocio uinci poſſent, nec prius deſtitit dubium ducis animum uerſare, quàm Conſalis uictoriæ cupidus id negocium ei iniunxerit, quibuſdam ducum adeò diſſentientibus, ut apud Hiſpanum teſtatum reliquerint, non eſſe aliquid temerè mouendum. Impoſuit pontem occultè fabrefactũ flumini circa Sugium Albianus, eſtq; ipſe in primis in hoſtem tranſgreſſus, cum ſuo equitatu & paucis militum cohortibus, ſecutus eſt inde Conſalis dux, & cum eo omne robur copiarũ. Albianus Sugium ex hoſte adortus ſubita ui cepit. Aberãt inde Gallorũ ſtatiua ad duo milia paſſuum, qui bombardarum ſonitu commoti ducentos expeditos equites miſerunt, qui omnia ſolicitè explorarent; hi ad locum progreſsi, ſubito Albianorũ impe-

Galli ad Lyrim profligãtur.

petu funduntur, Galli cognito hostium accessu, iam enim nox aderat, quàm maxima queunt celeritate æneas machinas, partim Caietam uersus præmittunt, partim in proximum amnẽ deuoluũt: postridie sub lucem modico negocio funduntur, conatusque est Gallus uno aut altero loco prælium instaurare, sed res semel inclinata sisti non potuit, fuga ingens facta est, uicti uictoresq; simul Caietam peruenere, præsidiumque quod Galli circa mõtem habebant, primo impetu capitur, captus est eodem impetu & mons, qui urbi imminet, qui pro arce illi est. Multi media trepidatione, ubi rem perditam uiderunt, ad nauem quæ fortè in proximo fuit, fuga delati, alijs super alios seſe ingerentibus, adeò depresserunt, ut mare paulò fluctuosius circa Lyris ostium nacti, cum tota naui sint fluctibus absorpti.

Atten. naufragium.

Petri Medicei imcritus.

Perijt in his Petrus Mediceus patria extorris, qui Gallorum partes sequebatur. Nec multi inde dies interceſſere, quibus Galli qui Caietę erant, quia nulla spes supererat amplius urbis retinendę, hostibus montem tenentibus, certis conditionibus Caieta cesserunt, atque per hunc modum Neapolitanum regnum, partim fœdere inter reges icto, partim ui & armis, Consalis ducis fortissimi ductu, Ferdinando Hispaniarum regi cesſit, præter Sipontum in Apulia, & alia ignobilia quædam loca, quæ Gallorum adhuc armis tenebantur: & ut bellorum fortuna fuit tum uni genti ubique infesta, non multò prius quàm cum Gallis sit ad Caietam debellatum, circa Pyreneum in Galliæ & Hispaniæ finibus ingenti prælio Galli sunt ab Hispanis uicti. Caieta dedita, Gallorũ multò plures nauib. inde auecti, qui terrestri itinere retrò abierunt, frigore & inedia, nõ citra ruborem fortunæ, passim periclitati sunt, ludibrioque ubique habiti, præter quàm apud Iordanum Vrsinum, qui comiter & amicè penes se habuit, quicunque Gallici nominis, consilio, cassúue, in loca suæ ditionis deuenere. Inciderunt hæc in Ianuarium mẽsem eius anni, qui primus fuit Iulij secundi pontificis maximi, quartus ab eo, quem Alexãder sextus sacrum fecit Christiano nomine. Nec ita multò post quàm Galli regni finibus cesſere, Lodouicus & Ferdinãdus reges in tres annos inter se inducias pepigere, ac tũ demum Italia, Gallia, & Hispania bellicis curis solutæ quieuerunt.

Hispanorum uictoria.

Iordani in Gallos studium.

Reges inter se inducias pangunt.

ENNEADIS VNDECIMAE ET VLTIMAE FINIS.

M. ANTONIVS MARCO BARBADICO, SERENISSIMO VENETIARVM PRINCIPI, & Senatui fœlicitatem.

ESTRI *splendor imperij is est, Princeps & Patres amplissimi, ea ciuium iustitia ac morum sanctitas: ut nemo sit rerum humanarum tam negligens, qui Venetæ urbis originem & eius incrementa nõ uehemẽter cupiat cognoscere. Noui equidẽ multos, qui hoc ipsum secuti, miro quodam eius rei inuestigandæ mihi flagrare uisi sunt studio: in quibus me quoq; iam inde fuisse fateor, ex quo fortunatissimis littoribus uestris superioribus annis applicui. Magnificentissimo nanq; urbis apparatu inspecto, stupendo situ, rerum opulentia, & in his diuina quadam Reip. administrandæ forma, incredibilis cupiditas continuo animũ incessit cognoscendi, qui tanti imperij conditores fuissent: quos uel ex eo summos fuisse uiros arbitrabar, quòd urbem tam præclarè fundatam posteris reliquissent. Nec mihi in eo diu laborandũ fuit: haud enim multo post ipsum appulsum, quod tantopere optabam consecutus, in commentarios quosdam in annalium speciem conscriptos incidi: unde alia quædam ignobilium scriptorum monumẽta uidendi copia nobis facta est: quæ omnia (apertè enim dicam quod sentio) tam squalida fœdaq; barbarie operta offendi, ut nemo cognoscendæ historiæ tam cupidus sit, quẽ nõ facile ab instituta lectione auertere potuissent. Iniquo quidem tuli animo, urbem clarissimã, & quæ omnium una in toto orbe Romani imperij uere æmula & uideri & dici poterat, nullum ad eam diem uel mediocrem scriptorem fuisse sortitam: iudicauiq; ex eo, uerissimũ esse illud Horatij: In humanis nihil ex omni parte beatum fuisse unquam. Haud enim parum infeliciter cum Veneto nomine actum ad id tempus arbitrabar, quòd ea parte, qua in primis illustrari oportuisset, scriptorũ aut defectu aut ignauia, meritissima fraudaretur laude. Cõtulissem me tum primũ (fateor) rei indignitate motus, ad scribendũ: uerùm imbecillitatis conscientia tamdiu ab eo munere abstinendum duxi, donec uiribus assidua lectione firmatis rem tantã tutius aggredi liceret. Sperabam ad id fore, ut in præclara hac eruditorum hominũ luce, quã hodie uiuitur, aliquis interim existeret, qui Venetũ uellet imperiũ eo nomine demereri. Longa quidem fuit ea expectatio, sed non magis longa quàm irrita. Quod quum ita euenturũ putarẽ, ut pro neglecta res tanta in tenebris iaceret: non tam ingenio q̃ uoluntate fretus, accinxi me ad opus sanè difficilimum: breuiq; industria & diligentia tantum profeci, ut omniũ spe celerius (siquidem lucubrationis illius Veronam testem habemus) longissimã uestrarũ rerum seriem ab Vrbe condita ad hæc tempora duobus & triginta clauserim uoluminibus: quum interim ob ueterum annalium, & eorum quos sequebamur commentariorũ perplexitatem, adeò laboriose ea nobis conquirenda essent, ut nihil minus q̃ ocium ad ea quæ inuenirentur sermone, illustranda haberemus. Quod ipsum eò facilius ferebam: quia omnino fore existimabam, ut postea satis temporis daretur ad hæc, quæ tumultuario scripsissem stilo, per ocium castiganda. Verùm nõ solùm id non contigit, sed penè prius ab hominibus patriæ uetustatis studiosis (quibus nihil iure à me negari potuit) librarius est schædæ adhibitus, q̃ opus ipsum ad exitũ spectare cœpisset. Quod quum omnino abortus nobis faciendus esset, nec matura expectaretur editio: nõ uidebã qua ratione nostra hæc lucubratio tutius in lucẽ uenire posset, q̃ si uestro nomine, Princeps & Patres sanctissimi, apparuisset. Nam uelut antiquissimi uates deorũ templis sua inferre carmina consueuerunt, ut pia commendatione illa ab omni humana inuidia uindicarent: ita uisus sum mihi rite facere, si laborẽ hunc nostrũ uobis dedicassem, quos utiq; certò sciebam, non solùm in parte ornatissimæ uestræ Bibliothecæ reponendũ curaturos, sed amplissimi etiam nominis maiestate, uelut præsenti quodam numine, præstituros, ut si aliquando in publicũ exiuisset, minus ac minus obtrectatorũ uocibus esset obnoxius. Accipite igitur, quæso, munus hoc, si non rei, uoluntatis tamen & fidei certè plenum: ac si quando à terrarum pelagiq;, quorum uestrum est imperium, cura & administratione aliquid dabitur ocij, ne pigeat auspicatissimam uestræ urbis originem, eius q̃ incremẽta, cum ijs quæ terra mariq;, domi ac foris, maiores uestri, ac nouissimè uos ipsi glorioſe gessistis, à peregrino homine, cæterùm*

rum Venetarũ rerũ ſtudioſiſſimo recognoſcere. Nam quod ad me attinet, ſi lucubrationem hanc diuino iudicio ueſtro probari ſenſero, non grauabor, & quæ tuo feliciſſimo principatu Dux ſereniſſime (qui utinam tam diuturnus ſit quàm reipub. utilis eſſe poterit) & quæcũq; poſtea domi foriſq; geſta fuerint, literarum monumentis commendare.

M. ANTONII COCCII SABELLICI, RERVM VENETARVM AB VRBE CONdita, *in uniuerſum opus, præfatio.*

SCRIPTVRVS ego ab urbe condita Venetorum geſta, poſſum ut uerè, ita honeſtè illud profiteri, quod plærique alij rerũ ſcriptores nõ ſine ambitionis ſuſpicione fecerunt, ordiri me hiſtoriam non modo uariam, atq; ob id ipſum maximè memorabilem, ſed longè etiam utiliſſimam, quippe quæ cum ipſa rerũ nouitate non parum delectare poſsit Lectoris animum, tum optimorũ multitudine exemplorũ in omnes ciuiles diſciplinas inſtruere. Nam quum omnis fere noua lectio hoc habeat, ut meliorẽ quàm accipiat reddere ſe dicat lectorem: id rerum Venetarũ eo audacius profitebitur cognitio, quo facilius pleniuſq; quàm reliqua ulla præſtare poterit. Fuerunt populorũ quorundam qui imperio quandoq; potiti ſunt, res (quis neſcit?) magnificæ & amplæ, uel in primis Romanorum, quibus ſplendore ac magnitudine eorum quæ foris geſſere, fortaſſe cedimus: uerũ ſanctitate legũ, iuris æquatione, innocentia, cæteriſq; ſanctioribus inſtitutis res Venetæ cum Romanis collatæ, non modò non deteriores illis, ſed longè etiam (adſit modò æquus iudex) meliores reperientur. Neq; mirum, creduntur cæterorum primordia (niſi poëtarum fabulis fidẽ habendam putamus) omnino humilia ac penè ſordida. Sed ſi ac uel honeſtiſſima fuiſſe, ea ipſa tamen parum læta ab initio reperies: quandoquidem ſeruitutẽ longè prius ſenſerint, quàm ullam libertatis dulcedinẽ. Et dubitet quiſquam, quales earum gentium fuerint mores, quę regũ libidinibus prius parere aſſueuerint, quàm legibus: quę antè ſeruili plauſu delectatę ſint, quàm libero ſuffragio? Ego uero non miror, imperia illa quæ huiuſmodi habuiſſent principia, prorſus olim interiiſſe: ſed quòd his ſemel malis imbuta coaleſcere quandoq; potuerint, & quòd ubi coaluiſſent, tam diu illis ſtare contigerit, id certè non ſolùm miror, ut dixi, ſed uehementer etiam obſtupeo. Contrà fuerunt uiri clari, iſdemq; eximia pietate prædiți, qui Venetam urbẽ condidere: ſed hi quum perpetuę libertati, in qua urbs nata eſſet, conſultum uellent, iure omnibus æquato ſanctiſſimis inſtitutis ciuitatem muniuere: quorum omnis poſteritas iam inde ab ipſa urbis origine ita ſemper ſtudioſa fuit, ita incorrupta ſeruauit, ut Venetum imperium, quod late hodie terra mariq; patet, his artibus magis quàm armorum ſtudio creuiſſe, manifeſtè appareat: atq; ob hoc ipſum nunquam interiturum (ſiquid humani interitu carere poteſt) æquum ſit iudicare. Quod cum ita eſſe conſtet, uehementer mecum mirari ſoleo, quid ſit quòd in tanta eruditorum hominum frequentia, quanta paucis annis in his dicendi floruit ſtudijs, nemo adhuc, quod ſciam, de rebus Venetis aliquid ſcripſerit: quum interim eorum plærique extiterint, qui ob ſingulare ingenium excellentemq; doctrinam, quantumuis amplam materiam tutò ſuſcipere, ſuſceptamq; cum dignitate tractare potuiſſent: ſed quo conſilio alij laborem hunc, immo potius laudem, effugerint, difficile eſt iudicare. Ego uerò quum in hac hominum luce omnino eſſem aliquid auſurus, cerneremq; rem tantã ineptiſsimis quibuſdam commentarijs incultã, & quaſi membratim diſperſam iacere, aliquid certe me profecturũ putaui, ſi uelut in uacuum ſolum, atq; nullius poſſeſsione prius occupatũ ingreſſus, omni ſqualore abſterſo, hoc quantumcũq; eſt, ita excultum, atq; ad frugem paratũ reddidiſſem: ut quicunq; poſt me res Venetas ſcripſerint, iccirco quia hæc noſtra prius legerint, rem tantam ſemel adorti, cõmodius ad exitũ perduxiſſe credantur. Sed alij uidebunt quid hoc nomine nobis præſtandũ putẽt: nos uerò, ne impudenter nimis, ulla futuri quæſtus expectatione meritũ præuertamus, ſolo officio cõtenti, iam hinc ab ipſa priſcorũ Venetorũ origine noſtrã auſpicabimur hiſtoriã.

M. ANTONII SABELLICI, IN librum primum Epitoma.

PRiſcorum origo Venetorum, uariæq; de conditione urbis opiniones primo libro referuntur: Quo loco, & à quibus primum in ſtagnis cœptum eſt ædificari: Qui hominum in nouam ciuitatem aſciti: Naſcentis urbis fœdiſsimum incendium: Primi eius magiſtratus conſulari nomine ac poteſtate: Vetus ciuitatis parſimonia, & recentiora incrementa: Tribunitiæ poteſtatis adminiſtratio, quæ conſulari ſucceſsit: Vnde Longobardi oriundi: Ingentes eius gentis in Italia ſucceſſus: Qui ab ea gente ſint Venetis fines præſcripti: Prima Venetorum in Dalmatas expeditio: Vetus de Marianis ludis opinio: Inſulanorum in Gothos auxilia Narſeti exhibita: Vetuſtiſſimarum ædium conditio: Gradenſis eccleſia Metropolis declarata: Diluuium in Venetis ingẽs: Maiora indies incrementa urbis: Aquileienſis antiſtitis & Gradenſis diſcordiæ: Primi ducis declaratio: Rauenna à Barbaris recepta: Bellũ inter Heraclienſes & Ieſulanos perniciоſiſsimum: Vrſi principis cædes; Nouum militaris magiſterij regimen: Ex Heraclia & Equilio in Medoacum frequens commigratio refertur.

M. AN/

M. ANTONII COCCII SABELLICI, RERVM VENETARVM AB VRBE CONDITA, AD MARCVM BARBADICVM, SERENISSIMVM VENETIARVM PRINCIPEM, & SENATVM, PRIMÆ DECADIS, LIBER PRIMVS.

VONIAM igitur ſatis conſtat, priſcos Venetos & urbis & imperij, de quo hæc ſcripturi ſumus, cõditores fuiſſe: nihil ab re fore exiſtimaui, quando de origine gentis inter ueteres auctores parũ conſtare uideo, priuſquam urbis primordia aperiantur, de illorum uetuſtate aliquid breuiter referre. Fuerunt itaque priſci Veneti, non Italiæ indigenæ: ſed, ut quidam tradiderunt, à Venetis Gallis Oceani accolis oriundi. Neq; hi nomen tantum ſecuti uidentur: ſed quia rei maritimæ ſtudium & gloriam, qui Adriatici ſinus oram tenuerunt, ut illi, nunquã neglexerint: eſſentq; ijs qui in Gallia ſunt, ſi nõ lingua, moribus tamẽ & ornatu corporis (ut Polybius ait) perquam ſimiles. Alij uerò eos è Paphlagonia profectos affirmãt, in quibus eſt Liuius: Is Pylæmene duce ad Troiam amiſſo, cum Antenore in Italiã uenisse tradit: quod ipſum ſecutus Cato Troiana ſtirpe Venetos procreatos credidit. Cornelius Nepos & ipſe ex Henetis, qui Cromnam oppidum circa Paphlagoniam tenuerunt, Venetos eorũ cognomines in Italia ortos exiſtimauit: Quidam Cappadocibus eam gentem finitimam tradiderunt, accũ Cimmerijs militaſſe, poſteaque Adriam peruenisse: Alij uicum non longè ab Amaſtri tenuisse arbitrati ſunt: requirebantq; interim tota regione Henetos, quaſi nuſquam oſtenderentur. Sed inter omnes ſe B
re conſtat, hanc, de qua loquimur, Paphlagonũ eſſe gentem: quod Xenodotus non ſolum credidit, ſed Amyſum quoq; oppidum id eſſe exiſtimauit, quod in ea terra poſtea Henetia dicta ſit. Cęterũm qui ita eſſe autumant, præcipuam utriuſq; gentis in equis mulisq; alendis induſtriam in argumentum adducunt, Homeri uſi teſtimonio, cuius illud eſt:

Mularũ genus ex Henetis quæ robore præſtent:

quum de Aſiaticis interim ſummus poëta loqueretur. Strabo uetuſtatis auctor diligentiſsimus, nobiliſsimam equarum progeniẽ uſq; fermè ad ſua tempora in his Venetis, qui Adriatici maris partem accolunt, peruenisse ſcribit, quarum fama ob eximiã pernicitatem ualde celebris fuiſſet. Hæc certè atq; alia multa faciunt, ut eorum ſim ſententię, qui cum Antenore Henetos in Italiam uenisse tradũt, ac mutata litera deinde Venetos appellatos. Antenoris aduentum in intimum maris Adriatici ſinum non ſolùm Veneti teſtantur, qui eius comites fuere: ſed quod locus, in quem primum egreſsi ſunt, Troia eſt dicta: quodq; Troiano deinde pago nomen manſit. Ij primo pulſis ſuis ſedibus Euganeis, qui eius terræ oram, quæ eſt inter mare & alpes, incolebãt, Patauium condiderunt. Procedente deinde tempore ita illorum res creuere, ut non ſolum quæ Euganeorum eſſent, quorum opes ita amplæ & eximiæ olim fuere, ut Cato in Originibus, quatuor & triginta eius gentis numerauerit oppida: ſed Cenomanorum Carnorumq; non pauca loca in eius gentis poteſtatem Venetiq; nominis appellationem conceſſerint: tantundem nanq; ſoli Venetia deinde nuncupata eſt. Quidam regionem ipſam Abdua Padoq; fluminibus, lacu Benaco, alpibus atq; Adriatico mari terminauere: Plinius ad ortum finibus Venetiæ Aquileiã includit: contrà excludit Strabo. Tam longe lateq; priſcorum res Venetorum in amœniſsima Italiæ parte creuerant. Sed ipſa locorũ magis quàm gentis natura antiquum terræ ſtatum ſollicitũ ſemper habuit: hinc enim aſsiduis Liburnorum latrocinijs, inde terrificis efferarum gentium crebriſq; eruptionibus longiore frui ocio non licebat: quin ſæpiſsimè accidit, ut quantum publicæ eorum priuatæq; fortunæ, quum aliquid fuit ocij ab externis armis, auctæ uiderentur, tantundem ſubitę bellorum procellæ miſerabili clade depreſſerint. Potuiſſet alioquin gẽs ipſa fortunatiſsima uideri: quippe quę pulcherrimam Italiæ oram iure belli ſuam feciſſet, factamq; incoleret: quæ præterquam quòd ad meridiem placidiſsimo alluitur maris ambitu, ſitq; ob hoc ipſum ad peregrinas merces excipiendas non inhabilis, amœniſsimis irrigatur fluminibus: quibus res maritimæ in mediterranea facilè ſubuehuntur. Lacus præterea, ſtagna, ſaltus, nemora, agrorũ ubertas, tritici, uini, olei, omniumq; frugũ præſtantia: uillæ ad hæc, uici, arces, oppida & ſitu & mœnibus perſpicua, de quibus ut ſuo quæq; loco occurrerint, dicetur. Sed nunc ad ipſas incolas redeo, quibus iam inde ex quo res eorũ coaleſcere cœperunt, rara ab externis armis ocia contigerunt. Longum eſſet, nec omnino facile, in re tam uetuſta longiſsimam laborum explicare ſeriem: quanquam ne conſilij quidem noſtri erat, in priſcorum Venetorum rebus diutius morari. Poſt uarios itaq; Barbarorũ incurſus, quum aſsidui bellorum motus, alius ſuper alium iam inde ab initio uſq; ad Athilæ tempora, eius gentis opes ſollicitare non deſiſſent, eſſentq; res Venetæ Gothico tumultu adhuc conſternatæ, longè fœdior quàm ulla antè clades ipſam terrã inuaſit. Hunnorum gens, duce Athila Mandluci filio, fœdiſsima populatione adorta eſt. Fuit gens ipſa Scythica, ut tradidit Priſcus, ſedesq; Riphæis montibus uicinas habuit: Aquileiã longa obſidione captam diripuit, direptamq; incendio abſumpſit. Pari deinde clade Concordia, Altinum, atq; omnis ferè ora Veneta oppreſſa eſt. Ad tam horridam belli famam, in Venetis ac reliqua Italia, longè prius tumultuatum eſt: ſed maiore quadam conſternatione Veneti eo tumultu perculſi ſunt. quippe qui primos ſemper externarum gentium motus excipere conſueuiſſent. Ea igitur tempeſtate frequens mortalium concurſus ex continenti in inſulas, quibus Venetiæ ſunt, factus dicitur: ſed longè frequẽtior, ubi hoſtis in conſpectu fuit. Ignobiliorum quidam qui de hac re ſcripſerunt, ita Hunnicas res digerũt, quaſi bis Athila Italiam inuaſerit: quod diligentiorum nemo tradidit: atque ita ſanè euenisse aiunt, ut neq; uno tempore, neq; ab omnibus unum in locũ ſit commigratũ. Idem auctores ſunt, fugam à Patauinis quibuſdam illuſtribus ortam, quorũ auſpicijs ad oſtia fluminis, quę tum maximè profunda erant (ipſi loco poſtea Riuoalto nomen manſit) profuga multitudo prima urbis iecisſet fundamẽta: atq; pari trepidatione ex Patauino agro qui fugerant, Foſſam Clodiam, Medoacũ, Albiolamq; frequẽtare oc

cœpisse. Ex Aquileia quoq; per id tempus migratũ A
à nonnullis aiunt ad Gradatas aquas. Sed sub Athi
læ reditum tum frequentissimè ex agro totisq; lit-
toribus in propinquas insulas itum: atq; ita euenis-
se, ut Aquileienses Gradum, non procul à continen
ti locum aquis munitum, occuparint. Ex Concor-
dia profugi Caprulas: Altinates sex propinquas in-
ter se insulas, quas à portarũ amissę urbis nominib⁹
Torcellum, Maiorbium, Burianum, Murianũ, Con-
stantiacum, & Amianũ nuncupauere. Hęc ferè sunt
quæ illi longiore sermone de origine urbis tradide
re: quibus uideo cũ cæteris qui de hac re commen-
tarios scripsere, in omnibus fermè conuenire, nisi
quod bis Hunnum Italiam ingressum suspicari uisi
sunt. Ego erroris illius eâputo fuisse causam, quòd
legerant, quandoq; Hunnicis tẽporibus bis ex con
tinenti in insulas migratum, quod sine hostium in-
teruentu apparebat uix fieri potuisse. Sed quid nos
de ea re sentiamus, non multo pòst declarabitur: nã
hinc ferè oritur illa de urbis origine uariatio, ut alij
alio tempore eam cõditam scribant. Sunt quidem
non pauci, qui anno salutis CCCCXXI. iacta pri-
ma urbis fundamẽta dicant, quo tempore Hunnici
belli fama cœptũ sit in Italia trepidari. Nam per id
tempus, aut certè non multo antè, Hunnus Danu-
bio superato Macrinum Pannoniæ & Macedoniæ
præfectũ ingenti prælio uicit: quo successu elatus,
ad occidentis imperium euertendum animum ad-
iecit. Reclamant alij in hanc opinionẽ, tanquã ine-
ptam: audentq; affirmare, sub ipsum Aquileiæ ac re
liquæ Venetiæ excidium urbem ipsam primo fun-
dari cœpisse, quod aliquot inde interiectis annis ac
cidisse manifestè cõster. Sed nihil prohibet, nos cre
dere ad primos huius belli motus nobilissimum ac
ditissimũ quenq; cum non parua necessariorũ ma-
nu fugam præoccupasse, atq; his auctoribus cœptũ
esse ædificarii in his locis quæ primo tenuissent: in-
de procedente tempore, ubi hostis Italiam inuasis- B
set, tum frequentius undiq; in has insulas concur-
sum, cœptũq; urgente necessitate, passim loca inha
bitari: atq; ita factum, ut diuersa credatur urbis Ve-
netæ origo. Nos uerò ne quid confuse dicere uidea
mur, eorum sententiæ libenter accedimus, qui ante
Aquileiæ euersionẽ Venetias conditas aiunt: quod
ipsum qua ratione sit factum, ordine explicabo. Ve
netiarum urbis origo, quantum eorũ lectione qui
de re ipsa diligentius scripsere, consequi potuimus,
in hunc fermè modum se habet. Quum iam Hunni
ci belli terror Italię populos inuasisset, essetq; omne
Venetum nomen ut periculo propius, ita ob id ue-
hementer sollicitum (uulgo enim ferebatur, Hun-
nos in Italiam moturos.) Eorum feritas, quæ plus
quàm Barbara in Christiani nominis uiros esse tra-
debat, effecit, ut ex priscis Venetis, qui circa Adria-
ticum sinum amœnissima loca incolebant, alij alias
ꝓpinquas maris insulas fuga occuparint: fuerũtq;
uiri illustres, ac mira præditi religione, à quibus fu
ga orta dicitur. De reliquis locis omnino nõ habeo
quid affirmem. Ex duabus clarissimis Venetiæ ur-
bibus Aquileia Patauioq; tum primũ migratũ ma-
nifestè constat, ut Aquileiensium quidam eo tumul
tu Gradum cum liberis & preciosa supellectile con
fugerint. Ex Patauio quoq; non pauci, atq; ijdẽ cla-
ri, sese in Riuumaltum receperint. Fuerunt olim ea
loca ubi nunc urbs ipsa residet, in sulæ quædam an-
gustiores, parum inter se distantes, quas placidissi-
mi amnium meatus sinuoso ambitu in mare decur
rentium pelagi æstu alternante discriminabant. In-
colebant repostas sedes marinæ tantum uolucres,
quæ illuc apricatũ ex alto se recipiebant: ac fortas-
sis piscator aliquis, sed omnino rarus, in his locis a-
gebat. Patauini igitur qui Riuumaltum tenuere
(est locus ipse nunc in media fermè urbe) primi o-
mniũ ædificare cœpisse dicuntur: hic prima uolunt
esse iacta nouæ urbis fundamenta, quod ipsum ꝙ
pieriteq; sit factũ, ex eo potest intelligi: quod quã-
to quis ea tempestate ueræ pietatis studiosior fue-
rit, eo magis Hunnũ reformidans, quem utiq; Chri
stianum nomen & odio & crudelitate plus quàm
Hunnica persequi non ignorabat, quærendæ salu-
tis effugio, & quæsitæ munitiore loco tuendæ sese
alijs & ducem & auctorem præbuit. Pijs itaq; uo-
tis nuncupatis, qualia sanè à uiris optimis in re tan-
ta nuncupari oportuit: fortunata mœnia fortunato
solo statui cœperunt. Non desunt qui eo loco, ubi
nunc aueam diui Marci ędem conspicimus, primò
ædificari cœptum non dubitent affirmare: in eo fe-
rè omnibus conuenire uideo, VII. Calend. Aprilis
primordia urbis cœpisse. Quòd si eximia quædam
naturæ opera quæ eodem die edita dicuntur, con-
siderare uolumus, nõ absurdum erit dictu, nihil ea
luce inchoari potuisse, quod nõ idem magnificum
esset, amplum, perpetuum, humanarumq; rerum fa
stigium superaturum. Diuinæ literæ testantur, eo-
dem die ipsum humani generis parentem à Deo o-
ptimo formatum: ipsum quoq; Dei filium in Virgi
nis utero cõceptum: cuius mysterij amplitudinem
supra humanum creditur ingenium, nõ modò uer-
bis explicare (quod fieri non potest) sed mente &
intellectu concipere. At nos ut pie, ita sapienter cre
dimus, constanterq; fatemur, diuinitatem humani
tati coniunctam: & quod æternum sit, immensum,
sacrum, cum corruptibili & dimenso cõfusum. Nec
miretur aliquis, cur Deus summus id fecerit, quia
oportuit: nec an id fieri potuerit, quia uoluit: om-
nia enim quæ uult, potest. Sed riserit hæc aliquis,
quasi uanam & anilem quandam obseruationem:
stultumq; putet, dierum ullum discrimen credere:
uerum putet, nos non parum ad rerum initia ido-
neum diem illum arbitramur, quo semel atq; iterũ
nobilissime sit natura operata. Quum igitur sub ip-
sam originem undiq; magnis pollicitationibus ad
nouam urbem incolendam homines rei maritimæ
nauales q; fabricæ periti accerserentur: neq; seruilis
fortunæ quenquam, neq; sicarium sceleſtumue ali
quem in eam receptum affirmant: ex quo manife-
stè apparet, uiros illos optimos urbis cõditores no-
luisse nascentem ciuitatem praua ulla conuenarum
colluuione contaminari. Quod ipsum non modò
non fecerunt illustrium urbium conditores quidã,
sed ultro flagitiosissimum quenque aperto ad hoc
ipsum Asylo in ciuitatem euocauerunt: uerum illi
frequentiæ, hi morum sanctitati nobilitatique suæ
consultum uoluere. Crescebat indies noua ciuitas
multitudine & ædificijs: quum ignis repente ortus
ex architecti domo, mometo temporis quatuor &
uiginti casas cõtinuato incendio absumpsit: & quũ
materies ad ędificandum temerè disiecta ipsum in-
cendium aleret, appareretq; humana ope conceptã
pestem tam facilè restingui non posse, in preces uer
sa ciuitate, uotaq; diuo Iacobo ædę, urbs præsenti
clade seruata est. Ædem ad hunc diem inter Riual-
tinas mẽsas cum uestigio uetustatis cernimus. Sed
primam hanc, de qua loquor, ædificationem tenuę
admodum fuisse crediderim, cuius speciem magis
domorum frequentia quàm apparatus ullus fece-
rit, multis in præsentem usum sibi ex palustri mate
ria domicilia parantibus, consilio non multo pòst
in continentem abeundi, si Hunnus Italiam nõ in-
uasisset. Sic quoq; quia Athilæ aduentus in aliquot
annos dilatus est, à multis in pristinas sedes inde
remigratum ferunt. Post enim tanti belli famam
Subthar Manduchi frater, cuius auspicijs tunc om-
nia gerebantur, in Germaniam mouit: quo postea
extincto, Athila, qui illi cum fratre succesſerat, diu
Galliam peruagatus in Tolosanis campis cum He-
tio Romano, & Theodorico Gothorum rege cruen
ta acie dimicauit: hinc penè uictus in Pannoniam
abijt,

abijt, ubi quinquennio in exercitus reparatione ab A
sumpto Italiã prorsus inuadere statuit. Nec breuis
interim parúmue laboriosa fuit expeditio illa, qua
Illyricum latus, Dalmatiam, Histriamq; domuit, ita
ut quatuor & uiginti anni à primis Hunnorum mo
tibus, quibus Danubium superarunt, usq; ad Aqui-
leiæ euersionẽ interfuisse credantur. Tãtisper noua
urbs circa Riuumaltum coalescere cœperat: sed nõ
usq; adeo, uerum quãtacũq; per id tempus fuit, cõ-
stat consulari potestate rempublicam illic adminis-
tratam, de qua suo loco postea dicetur. Vbi uero
Hunnus Italiam infestissimis armis uexare cœpit,
tunc undiq; promiscue omnis ordinis & fortunæ
uiri cum cõiugibus, liberis, cæteraq; supellectile in
propinquas insulas, qua cuiq; proximum fuit, sunt
dilapsi: urgenteq; necessitate pro se quisq; noua te-
cta ponere, uicum uico continuis operibus iũgere:
quot erãnt insulæ, uici, metæ, tot noua oppida ędi-
ficari putasses: multæ uidebantur paruo ambitu cõ
di ciuitates, quum nomine & re una condderetur. Et
hęc illa Venetiarum celebratior conditio est, quam
recentissimus quisq; probat, ac sub ipsum Aquileię
excidium contigisse affirmat: sed ego priorem illã
Riualtinam ueram, urbis originem primariamq; ha
bendam existimo. Cæterum recentiores ædificatio
nes, incrementa potius dicenda, quę non Hunnicis
tantum, sed Gothicis quoq; Longobardicisq; tu-
multibus, modicis interuallis sunt postea conse-
cuta. quòd licet diuerso tempore, ut plene ostẽdimus,
sit huc uentum: quia tamen Hunnica tempestate id
frequentius sit factũ: incensa enim & euersa patria,
adempta iam spe reditus quum studiosius aliquan
to ac frequentius quàm unquam alià consteret in in
sulas concursum, factum est, ut ea uulgo sit credita
Venetiarum conditio quæ sub Aquileiæ euersionẽ
contigit: quum uerius fuerit incrementum, quàm
conditio dicenda. Sed de urbis origine hactenus. B
Nunc quia in dubium uenire potest, unde recentio
res Veneti sint orti, paucis expediam, ad quos mor
talium primordia gentis sint referenda. Certo scio,
siquis id quærat, quã plurimos, immò ferè omnes,
ad Paphlagonas Henetos, qui cum Antenore uene
runt, decursuros, securos uidelicet ipsum nomen:
sed siquis rem altius inspexerit, proculdubiò inue-
niet, paruam omnino originis partem ad illos atti-
nere: Troianus fuit Antenor, unde Patauini sunt
Troiani, & qui eum secuti, ac lõgè plures quàm He-
neti: qui ubi in Italiam uentum est, passi sunt in ap-
pellationem Henetorum uenire, non quod aut pau
ciores essent quàm illi, aut dignitate inferiores: sed
quia speciosius uisum est, fastigium regiæ dignita-
tis penes Antenorẽ, & reliquos deinceps suos esse,
quàm nominis appellationem: pluris rem ipsam,
quàm umbram nominis faciẽtes. Quod & ij qui in
Latium cum Ænea uenerunt uictores, in quos ui-
cissent, nomen transcribi facile tulere. Aquileienses
ad hæc Latini fuerunt coloni, Concordienses Ro-
mani: hi priscis Venetis interiecti Gradum Caprula-
sq; tenuere, quum Hunnico tumultu solum uer-
terunt: utrinq; procedente tempore in urbem quæ
nunc est, migratũ esse manifestè constat. Quod quũ
ita sit, ab Roma, Latio Ilioq; Venetam progeniem
uerius, quàm ex Paphlagonia aut Gallia oriundam
dixeris. Et hæc quàm presius potuimus, de gentis
origine & uetustate. Nũc autem quis status, quíue
nouæ ciuitatis mores ab initio fuerint, quæ parsi-
monia, quæ religio, dicam: si prius illud testatum re
liquero, fuisse è numero scriptorum quosdam, qui
originem urbis ad annum salutis quinquagesimũ
sextum supra quadringentesimũ reijciant. est q; in
illis Forliuiensis Blondus, secutus & ipse eorũ opi-
nionem, qui post euersam Aquileiam urbem ædifi-
cari cœpisse arbitrati sunt: sed quàm apertè decipiã
tur, uel ex eo intelligi potest, quòd sexto ante anno,
qui quinquagesimus supra quadringentesimũ ab
Christi incarnatione fuit, Aquileia, ut quidam tra-
diderunt, ab Hunno cœpit obsidione premi: aiũtq;
eam obsidionem in tertium annum nõ amplius di
stractam. Sed fac etiam longiorem fuisse: nemo est
ita rerum humanarum ignarus, qui non uideat, fu-
gam sub Barbari aduentum factam, & nõ postquã
omnia oppressa sunt, cum sanè parum utilis, atque
omnino irrita fuisset. Certe igitur ita contigit, ut ali
quot annis antequam Aquileia euersa sit, in insulis
secundo cœptum sit ędificari. Nec eo inficias, ipsam
urbis originem ad primum Gothicum tumultum
(neq; enim res Hunnicas multum præcesserit) aliqua
ex parte referri posse, quo Venetam oram Barbaris
armis concussam proditum est memoriæ. Sed tan-
quam omnium uerissima illa nobis semper celebra
bitur, quæ primo postuicesimum ac quadringente
simum salutis anno esse cœpit. Antiquus igitur ciui
tatis status qualis fuerit, cum ex multis alijs intelli
gi potest, tum quia optimi atq; ijdem nobiles diui-
tesq; fuere, qui nouæ urbis condendæ auctores di-
cuntur. Si quidem prisci illi Veneti, ea temporũ no-
uitate, liberis, coniugibus, preciosissimisq; rebus se
cum sublatis per ocium in tutiora loca concesserũt:
uerum uagantibus toto littore Hũnicis armis, quũ
agrorum cultu arcerentur, quibus tum res angustio
res fuere, piscationibus, salinis, rerumq; uicinarum
frequenti conuectatione, quæstum non magis for-
didum, quàm si interim alienos agros coluissent, fa
ciebant: amplioris fortunæ uiri, aut ad peregrinarũ
mercium negocia exibant, aut ad formandam legi
bus ac nouis institutis ciuitatem domi residebant:
tantumq; interim erat æquitatis studium, tanta iu
ris adæquatio, ut nullum in tam amplo ciuium nu-
mero diceres esse discrimen. Erat in primis religio-
nis cura, quæ eo maior tum fuit, quo maiora impẽ-
debant ab infestissimo hoste pericula. Augebat nõ
parum commune illud pietatis studium quorundã
antistitum præsentia, qui Christiani nominis hostẽ
ueriti, cum suis popularibus salutem effugio quæ-
siuerant: eorum opera opportuna fuit nõ solum ad
sacrorum ministerium, sed in rudi etiam ciuitate in
antiqua religione & pietate retinenda, quo minus
Arrianæ hæresis ueneno contaminaretur: quum pe
stis illa non minus quàm Hunnicum ferrũ iam pas-
sim longe lateq; tota regione uagaretur. Certabant
ad hæc inter se ciues non luxu & uoluptate, sed cõ-
tinentia & uirtute: non diuitiæ, & quę modo homi
nes mirantur, discrimen ullum honoris in ciuitate
faciebant, sed pietas & innocentia: nõ hominis pur
pura spectabatur, sed probitas: tunc non affectati,
sed ultro oblati sequebantur honores: diceres ocio
se philosophantium illum fuisse cœtum, non profu
gorum ciuium. Et ne quis nos hęc ad rem ornandã
finxisse putet, audiat, si uacat, quæ Cassiodorus Ra
uennas de antiquo ciuitatis statu scripserit: Pauper
tas, inquit, ibi cum diuitibus sub æqualitate uiuit:
unus omnes reficit cibus: habitatio similis omnia
concludit: nesciũt de penatibus inuidere: & sub hac
degentes mensura uitium fugiunt, cui mundus ob
noxius est. mitto reliqua, quæ ille longiore prose-
quitur epistola, quam Bonitendius suis commenta
rijs inseruit. His auspicijs nata est Veneta ciuitas,
per hos mores, per hæc studia angustam traduxit in
fantiã, his demum uirtutibus adoleuit & coaluit.
Et quia, ut reor, abundè cõstat quæ fuerint tanti Im
perij initia, de prima eius administratione pauca re
feram. Nam in hoc quoq; eos, qui de rebus Venetis
commentarios quosdam scriptos reliquere, uaria-
re uideo: horum quidam tradidere, consulari pote-
state cœptam esse rempub. administrari ab his qui
Riuumaltum tenuere: scribuntq;, Galienum Fonta
nam, Simonem Glauconium, & Antonium Caluũ,
qui per id tempus Patauij consules erant quũ circa

Riuumaltum fundari noua urbs cœpiſſet,couſulari A poteſtate primos omnium naſcenti illi præfuiſſe. fuerunt qui crederent, his auctoribus ortam eſſe à Patauinis fugam,atq; in hęc loca primò migratum, ædificariq; cœptum. apud quoſdam pro his Albertum Phalerium,Thomam Candianum,& Daulum Comité reperio. Tertio ab urbe condita anno noui conſules in biénium creati, Marinus Linius, Hugo Fuſcus,& Lucianus Graulus. quidá hos quoq; Patauio conſulari poteſtate in Riuumaltũ miſſos affirmant:ex quo apertè intelligi poteſt,originem urbis Athilę aduentum omnino præceſsiſſe.Conſules in tertium biénium creati,Marcus Aurelius, Andreas Clodius,& Albinus Maurus: qui hos ſecuti ſint nõ reperio. At credibile eſt, eam adminiſtrationis formam uſq; ad Athilæ aduentũ permanſiſſe. Quibus temporibus quũ iam circunie ctæ inſulæ incoli cœpiſſent, Tribuni pro conſulibus cœpti ſunt creari. Apud nonnullos ſcriptum reperio, aliquanto poſt Athilæ aduentum id factum, ut anno circiter ſexageſimo ab urbe condita tribunitia poteſtas cæperit in inſulis haberi,ubi iam omnia frequentius incolerẽtur.De tribunorum creatione res primo eſt, ut ſolet, inter paucos agitata:inde frequentiſsimo inſulanorum conuentu decretum, ut in ſingulis inſulis ſinguli tribuni crearentur, eſſentq; is magiſtratus annuus:ſuis popularibus ius diceret,ſeueraq; animad uerſione ſcelera uindicaret. cætera uero quæ ad rei pub.ſtatũ attinerẽt,frequentiſsimo inſulanorũ cõcilio conſultanda reliquere. Adhuc quę ſcripſimus, ſiquis rectè omnia cõſideret, ad originem urbis ſpectant: hinc de eius infantia dicere incipiemus: Sic enim quibuſdã ſcriptoribus uideo placuiſſe,in quibus eſt Florus, ut incremẽta urbis per partes quaſdam humanæ uitæ diſtinguerent,infantiam, adoleſcentiam,& iuuentã. Tribunitia igitur adminiſtratio quæ origini iuncta eſt, infantia iure optimo nomine abitur. De his igitur quæ interim domi foriſq; geſta ſunt,ordine dicemus: ſi prius illud lectori teſtatum reliquerimus, Longobardicis temporibus, quæ in urbis infantiam inciderunt,magna ex parte auctam ciuitatem. Nam ita ſanè accidit, ut Venetis rebus adhuc Hunnico tumultu trepidantibus,Lõgobardi,qui ab eo quod longam barbam alerẽt, ita nominati dicuntur, Alboino duce, undecimo eius gentis rege,Italiã ingreſsi Venetos inuaſerunt,quorum opes longe antè fractas primo aduẽtu oppreſſere.Quicquid enim continentis oręfuit,continuo ſuæ ditionis fecere:maritimas uires, quas haud uti que contemptibiles eſſe nouerant, tentare nõ ſunt auſi, aut certè in magis opportunum tempus diſtulere. Ex Scandinauia Germanici oceani inſula gens ipſa oriunda dicitur:quę quum multos ante annos Godocho rege circa Danubium prouinciam Pop. Rom.ſollicitare cœpiſſet: procedente tempore Adoini regis ductu in Pannoniã uenere:hinc Alboinum eius filium ſecuti,anno octauo poſtquã eo uẽtum erat ac tricesimo, in Italiam irrupere: ubi eorũ opes eouſque creuerunt,ut annos ducentos & amplius in ipſa terra rerum ſint potiti.horum itaq; interuentu factum eſt, ut omnis continentis ora Venetiæ cum libertate nomen amiſerit,atq; ijs Venetis qui inſulas incolebant, præſcripti fuerint fines, à loco qui Caput aggeris hodie dicitur, ad Gradatas uſq; aquas. Auctor rei eſt Paulus Diaconus Lõgobardicæ hiſtoriæ ſcriptor. Nunc quia res Venetas orſi ſumus,cętera ipſius gentis geſta,præter pauca quæ ad ſuſceptam hiſtoriam pertinere uidebuntur,conſulto miſſa faciemus. De ijs igitur quæ communi nomine à Venetis in ipſa quoq; infantia ante Longobardorum aduentũ geſta ſunt,ordine ediſſeram:quorum omnium illud antiquiſsimum eſſe aiunt,unde futuram maris potẽtiam fœliciſsima expeditione auſpicati uidentur. Infeſtabant Hiſtri & Dalmatæ maritimis latrocinijs nouæ ciuitatis ſtatum, nec tuti quicquam inſulanis ab illorum incurſibus eſſe poterat:Id ne odio facerent, quia ęgrè ferrent tantam molem,quanta futura apparebat,proximo ſibi loco creſcere: an quia uetus id gentis uitium eſſet maritimo curſu maria infeſtare, parum compertum habeo: Fuerunt ea tempeſtate qui crederent,Tergeſtinorũ ſuaſu id factum,quibus nouæ urbis ſucceſſus præ cæteris erant ſuſpecti: In hos communi nomine mouerunt Veneti,quos alto mari aſſecutos acri prælio uicere, uictosq; fractis præſenti clade animis toto mari prorſus abſtinere coegerunt. Ludi annui diuæ Virgini ea pugna uoti dicuntur: quanquam ludorum cauſam diuerſam quidam eſſe tradunt,atq; longe recẽtiorem. Patrij moris fuiſſe ferunt, ut uirgines in templo deſponderẽtur, quò omnis earũ ſupellex cum apparatu dotis delata publicè oſtentaretur.forte accidit, ut quum in æde diui Petri (quæ in parte urbis nunc ſita eſt, quod Caſtellũ dicitur) ſponſalia celebrarentur,Tergeſtini, qui iam palàm hoſtes facti erant, duabus triremibus nocturno curſu ex alto proximã urbi loca tenuerint:Mane uero cęremoniarum hora in ędem ipſam impetu facto,loci antiſtitem cum non parua mortalium manu rebusq; multis inde aſportarint. Erat per id tempus Dux Perrus Gandianus:is in re tam trepida minime ceſſandum ratus,confeſtim in genti hominum manu ex omni ordine in naues impoſita hoſtes inſequiẽ:eos in Caprulanis aquis aſſecutos prædam inter ſe diuidentes, haud magno negocio oppreſsit: receptisq; ciuibus cum antiſtite ac reliqua ſupellectile, ouans quarto nonas Februarij biduo poſtquam in eos mouerat, urbem ingreſſus eſt. Verum quia Purificatio Virginis in eos dies inciderat, à re feliciter geſta ludos primò inſtitutos ferunt,rem autem à religione ortam luxurioſa poſteritas inuidioſo auri & gemmarum apparatu omnino deprauauit. Sublatis igitur omni ora maritima quæ urbi adiacet latrocinijs,quum Venetũ nomen clarum, ac uicinis accolis minime contemptibile eſſe cœpiſſet,nõ multo interiecto tempore Narſes, Iuſtiniani Imperatoris eunuchus, uir alioquin impiger,Gothicis temporibus ad Italiam ſeruitute liberandã miſſus, publico nomine à Venetis adiutus eſt:uerum parum conſtat, armis ne an commeatu & nauibus,quibus maximè tũ opus fuit ad tractionem ingentis exercitus quem ſecum duxerat. Præmiſsis ille ex Aquileia duodecim Longobardorum millibus, cuius gentis fida ac ſtrẽnua utebatur opera aduerſus Totilę copias,quas Barbari iuſſu Athęſis ripam inſediſſe acceperat,conſilium cepit,ſecus Hadriatici ſinus littora Rauẽnam uenire: quod ſine ingenti oneraria rium nauium apparatu fieri nõ potuit, quãdo loca fermè omnia tum paludibus in mare emittentibus, tum magnorum fluuiorum oſtijs eſſent impedita: Veriſimilius eſt laborioſam alioquin expeditionem Venetorum opera leuatã: quippe qui & locorum & maritimæ rei iam inde haud imperiti habebãtur. Satis conſtat, ob egregiũ eo bello à Venetis nauatam operã, duo in urbe adhuc noua Narſetem phana ſuo nomine ex hoſtium manubijs erexiſſe: Theodoro martyri unum, quod hoc tempore aurea diui Marci ædẽ continetur: alterum, quod è regione ipſius ædis in ſumma area cernitur,Menæ & Geminiano ſacrũ. Hic eſt ille Narſes,qui quum Gothicum nomẽ prorſus Italia ſuſtuliſſet,ingentibus interim ferociſsimarum gentium exercitibus impigrè ſuperatis, pacatoq; prouinciæ ſtatu,quum Sophiæ literis, quæ tum Orientis Imperium ob mariti dementiam adminiſtrabat,nõ ſine priſtinæ fortunæ opprobratione,quaſi imbellis eunuchus ad telam & penſa eſſet reuocatus,Alboinum Longobardorum regem ex Pánonia magnis pollicitationibus ad res Italiæ ſollicitandas concitauit: quod per literas ipſi conuiciatrici prius non A obſcurè ſignificauerat,fore dicẽs,ut is qui in obtrectatorum gratiam tam mollis haberi cœpiſſet,ut ad penſa & calathos uelut muliercula quędam reuocaretur,eam telam paulopòſt orſurus eſſet,quæ & Sophiæ inſolentiſsimæ fœminæ,& ijs qui tam petulãter ueteri fortunæ ſuæ inſultarent,eſſet inextricabilis.Nec illud mouebit quempiam,quòd Longobardorum opera Narſetem ſub primum ipſius aduentum in Italiam uſum diximus,in qua nullum per id tempus ea gens habebat principatum: ex Pánonia quãtacunq; fuit illa auxiliaris manus, ab eo dicitur quæſita. Originem eius gentis,quando noſtri conſilij fuerat ab initio,à rebus Venetis non longius recedere,ſupra quam breuiſsimè expoſui. Longobardicis igitur temporibus, Paulus Aquileienſis antiſtes,omnes eccleſię theſauros cum ſacris & ueteribus cæremonijs Gradum deportauit, ubi phanum Euphemiæ ſacrum dicitur conſtitutum: Pelaſgius pontifex auctor fuit Helia annitente,qui Paulo defuncto,uno Probino, uelut quibuſdam placere uideo,interiecto ſucceſsit, ut frequentiſsimo antiſtitum conuentu Gradenſis eccleſia omnium quæ in Venetis eſſent,Mater haberetur: ipſum uero oppidũ noua Aquileia eſt dicta: quod ex antiquiſsimis urbis annalibus quidam ſe didiciſſe affirmant. Per hæc tempora magna prodigia facta dicũtur:igneæ acies cruore ſuffuſæ in cœlo uiſæ: ipſa tellus in prodigioſam omnium frugum feracitatẽ reſoluta eſt. In Venetis terris ac tota penè Gallia Ciſalpina ingens diluuiũ repente extitit, ita ut Atheſis fluuius, qui Veronam perfluit, prodigioſe auctus faſtigium ædis diui Zenonis, quæ in parte urbis ſita eſt atq; fluuio proxima, penè inundarit: datumq; miraculo illud,quòd apertis interim feneſtris uiolentus uorticoſusq; alioquin amnis, quaſi prophanus ſacro loco abſtinens,intra parietes non irruperit. Cæterum B erexit Helias diuę Virgini phanum,Barbano nomẽ nunc loco eſt.Nec inde multis interiectis annis Patauium Longobardicis armis expugnatum atq; direptum, nõnihil creſcentem in dies auxit ciuitatẽ: profugis ſedes in ea parte urbis datæ, quæ Embragola dicitur, inter ipſum nauale & publicos furnos.Eorum opera dicuntur duo phana, quę parum inter ſe diſtantia hodie ibidem uiſuntur, Ioanni Baptiſtæ hoc, illud Martino ſacrum. Et ne quando q; res Venetæ non in motu eſſent,Fortunatus Aquileienſis Longobardorum opibus fretus Gradenſem eccleſiam tum Metropolitanam,auro,ueſtibus,omnię; precioſo apparatu ſpoliauit: in cuius præſenti clade deſtitutæ antiſtitem Honorius pontifex annitente Heraclio imperatore Primogenium legit: cui ſedem tenenti magnũ ille auri atq; argenti pondus ad religionem ſplendido uaſorum ac ueſtium apparatu inſtruendam dono miſit, & cum his diui Marci ſedem ex Alexádria delatam:Is per quietem monitus,ex agello qui Alexandriæ Aquileiẽſis mira pietate fœminæ fuerat,Hermagoræ & Fortunati corpora Gradum deportauit,atq; in abdito ſumma ueneratione cõdidit.Sub id fermè tempus Opitergium quoq; à Rothare Lõgobardorũ rege euertitur:qui inde profugerant,antiſtitem ſuum uirum optimum nomine Magnum ſecuti, in Ieſulanis finibus conſedere: condideruntq; ſibi urbem,quam in gratiam Heraclij principis ipſi Heraclij,recentiores uero Vrbem nouam dixere: nunc fermè omnia æquata ſunt ſolo:monſtrantur uetuſtiſsimæ ibi ędis ueſtigia,quam primi illi Heraclianæ urbis fundatores diuo Petro ſacram eſſe uoluere.Eadem quoque tempeſtate Paulus Altinas antiſtes Longobardica arma reformidans, uicinorum conſternatus clade, cum omnia ſacra ſupellectile frequẽtiq; populariũ manu Torcellum migrauit. Patauina quoq; ſedes, Seuerino Romano pontifice auctore,Medoacũ per A id tempus inuecta eſt: multa phana ab accolis mira pietate uiris,circa Torcellum cõſtituta: quem uicũtradunt quidam à Conſtantio Heraclij filio,qui per id tempus Romam nauigaturus eò appulerat, Conſtantiacum ab incolis nũcupari cœpiſſe. Interim uero quum Heracliana ciuitas frequenti hominũ concurſu magnopere creuiſſet,nec locus prę nimia multitudine plures capere poſſet: paſtores qui Barbarorum incurſus declinantes, equarũ boumq; armenta ampliſsima in id littus compulerant: quia in Heracliam ſe recipere non poterant, haud longè inde locum ſibi muniunt, quod à re ipſa (ut Bonifędius tradidit) Equilium dixerunt. Scio ego non deeſſe, qui Equilium id fuiſſe interpretentur, quod hodie Ieſulum uocant:auctores autem quos ſequimur,utrunq; nomen tanquã diuerſa fuerint oppida,diuerſi uſurpant.Et hæc ſunt quæ de priſcis Venetis,deque origine & incrementis urbis laborioſe conquiſita tradere potuimus.nunc quemadmodũ primus Dux creatus ſit dicam: quæ adminiſtrationis ratio, & ſi quando q; intermiſſa eſt,ut optima tamẽ, ac rei publicæ maximè ſalutaris, ad hunc quoq; diem ſeruatur. Cœperant inſularum tribuni non ita ut antè concordi animo rempu.adminiſtrantes ciuili ſeditione omnia turbare: apparebat q; ex ea diſcordia corpus coaleſcentis ciuitatis,paulopòſt omnino ſolutum iri. Hanc occaſionem nactus Liuthprandus, qui ducario nomine maritimæ Carnorum oręForum Iulium nunc regionem appellant) præſidebat: ratus id quod erat, domeſtica ſeditione ſolui poſſe rem Venetam,quã plus certè quàm ſatis ſibi & uicinis tutũ eſſet,creſcere uidebat, Venetos fines inuadere ſtatuit.quæ belli cauſa prætenſa ſit, haud compertum habeo : ſatis conſtat Longobardicis armis per id tẽpus fines Venetos hoſtiliter infeſtatos: Id quum inſulani indigne ferrent,rati quod erat,opes ſuas cœpiſſe ciuili diſcordia finitimis uileſcere, ac paulopòſt fore, ni eorum conatibus iretur obuiam, ut à barbaro hoſte nouæ ciuitatis ocia per occaſionem ſollicitante ingés reſpub. caperet detrimentũ, communibus querelis publicum omni Veneto nomini in Heracliam concilium indicitur:cui Chriſtophorus Gradẽſis antiſtes cum numeroſo clero prę-fuit. Hic diuinis rebus procuratis, quum de repub. cœptum eſſet referri,ſatis pro ſe quiſq; fremere, deploratam eſſe rem Venetam,deploratam q; libertatem tanta indole à maioribus quæſitam, niſi tribunitio furori finis quandoq; imponeretur: diſceſsiſſe olim maiores ſuos dulcedine libertatis ex amœniſſimo ſolo,relicta patria,domo,laribus,atque omnibus quæ ſolẽt hominibus eſſe chariſsima:ueniſſeq; in deſertas inſulas, in quib⁹ nihil conſpiceręquod ad ſui cultum inuitare poſſet : licuiſſe tamen illis, ſi libertatis obliuiſci potuiſſent, incolumes urbes in quibus nati & educati eſſent,retinere, atq; hac una amiſſa ſuperbiſsimo barbaro ociòſe ſeruire: uerum quia uiri fortiſsimi fuerunt, illam ipſam niſi cum morte relinquendã non putarunt. Quid quod multi etiam eorum qui adeſſent, maiorũ ueſtigia ſecuti, ſuperioribus annis in ea loca ueniſſent,ut liberi uiuerent? Quid igitur illorum conſilia? Quid ſubitę migrationes profuiſſent? Quid ædificia,templa,ædes,publicæ priuatæq;? Quid illud,quod ex continenti ſeruitutis metu deceſsiſſent, ſi inſolentia paucorũ medijs aquis eſſent ſeruituri? An crederet quiſquam, barbarum hoſtem antè quieturum, quàm ſi per occaſionẽ liceret,uicinũ illud libertatis euerteret domicilium ? qua nihil magis eſſe ſoleat tyránoodioſum. Id ſanè eũ optare:id eſſe ei cordi, ut quod alia uia efficere non poſsit, ciuili diſcordia rem Venetam ſolueret. Irent igitur,& qui reipub.conſultũ uellent, nouum Ducem continuò crearent: penes quem decus omne imperij ac maieſtas eſſet:cui ius concilium cogendi, quum iam de repub. aliquid re

ferri oporteret: qui tribunos annuos in singulas in A
sulas legeret: à quibus ad ducem esset prouocatio.
Cæterũ si quis dignitatẽ,ecclesiam,sacerdotiúmue,
cleri populiq; suffragio esset adeptus,ita demum id
ratum haberetur,si Dux ipse auctor factus esset.His
decretis communi omnium cõsensu Paulutius He
raclianus, uir inclytæ inter suos populares iusticiæ:
Dux declaratus est,anno,ut quidam tradunt,ab Vr
be condita octogesimo secundo ac ducẽtesimo: ut
alij, supra ducentesimum septimo ac nonagesimo:
ut item alij, septuagesimo sexto. Illud certè conue-
nit,ducẽtos triginta & amplius annos rempub. tri
bunicia potestate administratam. Sed in primo Du
ce creando haud hæc suffragandi ratio inita est,quã
hodie in principũ electione seruari uidemus, quin
alia quędam simplicior formula tum primum susce
pta est: Quippe quum nullus esset ambitus in tam
proba ciuitate,nulla honorum affectatio, non diui-
tiæ, non nobilitas, non reliqua in suffragijs specta-
bantur ornamenta: sola hominis uirtus censebatur:
hac in quęrendis honoribus opus erat,nõ arte. Sed
quamuis probitatis & innocentiæ in primis ratio
haberetur: quia nunquam satis cautum creditur ijs
quę mortalibus charissima sunt, ferunt nouum Du
cem coactum in aliena uerba iurare, omnia se cum
fide curaturum quæ è repub. Venetiq; nominis di-
gnitate essent. Secundum hęc quę diximus, tradita
sunt illi insignia quædam, quibus amplissimam di
gnitatem ornandam putauere. Nec omnia ab initio
data contenderim, quæ nunc circa principem con-
spicimus: quum planè constet, ex eis quædam esse
longe recentiora,atq; aliunde quęsita. His ita cæce-
ptis,continuò nouus Dux ad rempub. præsenti bel
lo leuandam conuersus, cum Liuthprando fœdus
percussit. Sunt qui eum prælio uicisse scribant, He-
racliæ fines à Plautę fluuio ad minorẽ quam Plaui-
culam quidam nominãt,promouit. Equilinos, qui B
per id tempus à Venetis defecerant (apud nonnul-
los Iesulanos pro Equilinis defecisse reperio: quo
fit ut non omnino ab illis dissentiam, qui Equilium
& si nomine,re tamẽ à Iesulo haud quaquam diuer-
sum autumant) auctoritate magis quàm armis ad
imperium retraxit. Torcellani interim splendidissi
mum phanum diuæ Virgini erexerunt: in eo Helio
dori Altinatis corpus diuorumq; complurium reli
quias locauere. His operibus ęditis quũ annos ui-
ginti & menses sex Paulutius reipub. præfuisset, ui
ta decessit. Marcellus Heraclian⁹ in demortui locũ
omnibus suffragijs Princeps declaratur: eius duca-
tu, qui annos nouem habuit, nihil dignum memo-
ria gestum reperio: hinc puto accidisse, quod quidã
scriptores eum inter duces non retulere, Paulutio
Horleum Hipatum subijciẽtes, cui Vrso cognomẽ
fuit. Ferunt miræ alioquin fuisse probitatis amœ-
nię; ingenij, nec omnino à rebus bellicis abhorren
tis, sed maiore omnino pacis quàm belli conciliata
fama diem obijt. Horleus,quem Vrsum cognomi-
natum diximus,post Marcellũ est dux creatus: Per
id tempus Rauenna urbs uetustissima Lõgobardi-
cis armis est oppressa: Hexarchus,qui urbi præerat,
ad Venetorum opes confugit. Gregorius pontifex
& ipse per literas Venetos hortat, ut arma pro He-
xarcho aduersus insolentissimos Barbaros capiãt:
Veneti põtificis studiosissimi, haud grauate id præ
stiterunt, ualida continuò classe Rauennam trans-
mittunt,urbem recipiunt,receptamq; Hexarcho re
stituunt. Ferunt noui huius magistratus nomẽ per
id tempus fuisse inductum à Lõgino quodam, quẽ
Iustinus Imperator Narsetis loco Italiæ præesse uo
luit: summumq; eum magistratum tempestate illa
in Italia habitum. Cecidit in ea pugna Prędeus Vin
cẽtinus, homo impiger ac multi nominis inter eos,
qui urbi præsidio erant. Expeditionis huius auc-to-
res sunt Paulus Longobardicæ historiæ scriptor,& Bonitendius scriba: qui literarum exemplum quas
à Gregorio pontifice ad Venetos datas hoc nomi-
ne diximus, suis commentarijs inseruit. Nec circa
Gradum res Venetæ interim pacatæ fuerunt, Cali-
sto Aquileiensi antistite Gradensium fines infestan
te: credo quia iniquo animo ferret nouam illorum
ecclesiam suæ antiquissimæ prælatum iri. Sed Cali
stus pontificis iussu non multo pòst ab omni infe-
statione abstinuit. Mox uero grauissimæ discordię,
& quasi bellum quoddam ciuile, reipub. statum cir
ca Heracliam non mediocriter turbarunt: Eius bel
li causam insolentissimi ducis ingenium fuisse fe-
runt, cuius fastum & superbiam haud ultra laturi Ie
sulani ad arma concurrerunt: in hos ulciscendi stu-
dio dux superbissimus arma mouit: estq; uario euẽ
tu utrinq; propè maioribus odijs quàm uiribus pu
gnatum: demum multis hinc inde cladibus illatis
& acceptis, quum Heraclianos infandi belli pigere
cœpisset, uerso ab hostibus in ducem odio: quippe
quẽ malorũ omniũ auctorẽ non ignorabant: à suis
popularibus fœde trucidatus est, anno sui ducatus
undecimo exacto. Consternatis cædę ducis Hera-
cliẽsibus, haud quidem multo pòst inde in Medoa-
cum migratum ferunt, damnatis manifesto parrici
dio antiquis sedibus: an quia locus nimis esset con
tinenti proximus, ac per hoc hostium incursibus op
portunus, incertum est. Quidã auctores sunt, id ac-
cidisse ob bellũ inter Heraclianos & Equilinos or-
tum: diligentiores diuersam ab his omnino asserũt
causam, nec statim pòst patratum parricidiũ discẽ-
sum inde ferunt: uerũ enimuero Ienis omnino cau
sa, ut de alijs fileam, prima illa uisa est, ob quam tam
frequens ciuitas solum uertere debuisset: sed ita sa-
nè res se habet, ut illi aiũt, aliquot post annos quàm
Dux cæsus est, Mauricio & Ioanne eius filio Princi-
pibus, Heracliam Equiliumq; incoli desijsse: quod
ipsum qua ratione acciderit, perspicue suo loco di-
cetur. Nunc ad ea redeo, de quibus nihil inter scri-
ptores ambigitur. Vrso siquidem cæso quũ de crea
tione noui Ducis parum cõueniret insulanis, ac ma
gnopere, quod nunquam aliàs accideret, uariarent
suffragia: placuit, in sex proximos annos Ducem in
republ. non creari, sed nouum aliquem magistra-
tum constitui, penes quem summa rerum omnium
esset, eiusq; annuum imperium: atq; ita factum, ut
quadragesimo fermè anno, aut paulo plus minus-
ue, ex quo Dux in republica esse cœperat, ad nouã
regiminis formam sit reditum. Qui loco Principis
nouus magistratus est inductus, Magistrum militũ
dixere. Primus itaq; suffragio omniũ Dominicus
Leo creatus est. Huic Fœlix Cornicula succesit,
quem Medoaci creatum quidam scripsere. Cornicu
læ Theodatus Vrsi Ducis filius, nuper ab exilio re-
uocatus: cui in sequentem quoq; annũ ingenti om
nium consensu imperium fuerat prorogatum: ue-
rum priusquam magistratu abiret, non sine populi
mœrore uita decessit. In eius locum Iulianus Cœpa
rius, seu, ut alij habent, Hipatus suffectus est. Quidã
auctores sunt, huius Magisterio Rauennam à Barba
ris oppressam Venetos recepisse. Quintus annus
Cianum Fabriciatium habuit: apud quosdam Ioan
nem pro Ciano scriptum reperio. Is nõdum annuo
munere defunctus, à populo excæcatus magistratu
abire est coactus. Scribunt nõnulli, hoc anno ad ex-
cidium usq; inter Heraclianos bellatum & Iesula-
nos: dimicatumq; esse in loco, cui à memorabili pũ
gna Cavalis arcus inde nomen manserit: atq; ita de
mum utrorumq; rebus accisis euenisse, ut ex Hera-
clia, Iesulo, Equilióue omnino aliò sit concessum:
Verum eáne quam illi aiunt, an alia fuerit incolis in
de abeundi causa, ex ipso libro facile pote-
rit intelligi, quem huic proximo
loco subijciemus.

IN LI-

IN LIBRVM SECVNDVM
Epitoma.

A re ex optima administratione sibi cõciliato, frequẽ-
tissimo conuentu imperatrauit quod ad eam diẽ ne-
mo alius, ut Ioannem filium sibi collegam in princi
patu cooptaret. Horum temporibus tradũt quidã,
ex Heraclia & Equilio in Medoacum concessum:
causamq; fuisse aiunt, simultatem quam duces cum
Fortunato Gradensi antistite in repub. administran
da exercuere, aduersus eos cum non paucis Fortu-
natus coniurauerat: sed quum eorũ consilium im-
maturo tempore fuisset patefactum, ueritus ne cũ
socijs coniurationis opprimeretur, continuo ad Ca
rolum imperatorem transfugit: quem Venetos cri
minando, quòd contra fœdera publicè icta inter eũ
& Nicephorũ, qui Orientis res administrabat, post-
habitis Romanis rebus Constantinopolitano stu-
derent imperio: quũ in ipso fœdere fuisset expres-
sum, ut Veneti liberi iuris essent, atq; neutrius cen-
serentur imperij. Non prius irritare destitit, q̃ ille Pi
pino filio, qui rebus Italiæ præerat, per literas man-
dasset, ut Venetos acri bello inuaderet. Pipinus cõ-
tinuo in eam Venetiæ oram duxit, qua Heraclia cõ
tinenti proxima & Equilium fuere. Consternati ad
primam hostis famam locorũ incolæ, diffisi; mœ-
nibus, neq; opere satis ualido, neq; natura munitis,
frequenti agmine profecti in Medoacum se ac Ri-
uumaltum recepere. Sed de Heracliani excidij cau-
sa, deq; ipsa temporum nouitate auctores ipsos om
nino uariare uideo: Bonitendius ita tempestatis il-
lius res digerit, ut dicat, Mauricium principem (cu-
ius temporibus Carolus Gallorũ rex Longobardi-
cas opes Romano pontifici infestas, uetustũq; pro-
pemodum gentis eius in Italia regnum sustulit, ob
quod ipsum imperator declaratus est) quũ in tanto
Italiæ motu res Venetæ neq; domi neq; foris satis
quietæ essent: quia discordiam ciuiũ prudenter se-
dasset, ac Venetos fines fortiter tutatus esset, magis
B non aduersante quàm probante populo, nouũ exẽ-
plum parũmq; salutare in rempub. induxisse, Ioãne
filio sibi collega in principatus administratione as-
sumpto: atq; id ipsum nõ seni, quia non multo pòst
uita decessisset, sed filio qui superstes fuit, ac nepo-
ti, auito exemplo à patre in collegã cooptato, omni
no male uertisse. Ioannem præterea haudquaq; pa-
ternis artibus remp. administrare adortũ, præter a-
lia immodica eius principatus scelera, Mauriciũ fi-
lium cum ualida classe ad oppugnandũ Ioannẽ Gra
densem antistitẽ, uirum ea tempestate inclytæ iusti
ciæ, mississe. Suscepti belli causam neq; ille neq; alij
tradunt: sed ideo silentio prætermissam existimo,
quia nulla fortè fuit. Ita enim ferè accidere solet, ut
quũ nequissimus quisq; uult obesse, nihil in inferẽ
da iniuria minus respiciat q̃ causam. Impius filius
impij patris iussa executus, antistitẽ ipsum in suam
potestatẽ redactũ ex alta turri præcipitauit. Fortu-
natus Tergestinus, qui mox illi surrogatus est, Ioan
nis indignã mortẽ ulturus, cum primoribus Veneti
nominis agere cœpit de principatu Mauricio iunio
ri & patri abrogando, qui se infando parricidio nul
la iniuria lacessiti astrinxissent. Verũ patefacta con-
spiratione subito ille cum aliquot eius consilij con-
scijs Taurisiũ concesit: in quibus Demetrius Mar-
manus, Foscarus Georgij, & Obelerius Medoacẽsis
eo tẽpore tribuni fuere. Fortunatus Taurisio profe
ctus in Galliam, ad Carolũ imperatorẽ se cõtulit: cu
ius suasu Bonitendius ait impulsum regẽ Pipino fi
lio, ab Adriano pontifice Italiæ rege appellato, Ve-
netũ bellũ demãdasse: atq; eo modo euenisse, ut in
Mauricij parricidæ & patris inuidiã, qui Obelerio
Medoacensi, quẽ diximus Fortunatũ antistitẽ Tau
risiũ secutũ, duce declarato, in exiliũ hic senio pres-
sus Mantuã, ille in Galliã abierãt: Heraclia, qa inde
illi originẽ traherẽt, cũ circumiectis locis sit euersa.
Quidã auctores sunt, Ioannẽ à Mauricio maiore mis
sum ad Gradũ oppugnandũ in Ioãnis antistitis illic

M. ANTONII SABEL-
LICI, RERVM VENETA-
rum ab Vrbe condita, Deca-
dis primæ,

LIBER II.

ANNO quinto militaris Magisterij
nondum acto, quũ miro ducis de-
siderio teneretur ciuitas: appare-
retque, sine eo magistratu rempub-
licam esse non posse, continuo om
nibus suffragijs Theodatus Vrsi fi-
lius Medoacensi conuentu dux declaratus est: Is
cum Aistulpho Longobardorum rege egit, ut He-
racliani fines eisdem spacijs Veneto nomini consta
rent: quibus antè ad Plauem fluuium fuerant pro-
moti. Est præterea portus tria millia passuum recta
nauigatione à Fossa Clodia distans: circa huius fau-
ces castellum fuit opere magis quàm natura muni-
tum: locum proximi incolæ Brundulum dixere:
nunc solum turris uestigium illic uisitur, cætera so-
lo æquata sunt. Quum ad locum hũc muniendum
proficisceret Theodatus, à Galla insidijs exceptus,
tertiodecimo sui principatus anno à perfido hoste
excæcatus, ducatu miserabiliter deijcitur, quem
nefando scelere quæsitum Galla Medoacum reuer
sus occupat. Sunt qui dicant, Theodatum in suspi-
cionem affectatæ tyrannidis ob nouam castelli mu
nitionem uenisse, atque ita Galla auctore à populo
excæcatum. Ille uerò male parto principatu quum
male uteretur, essetq; profundissima uiciorum uo-
ragine demersus, euentum certe quem debuit, est
assecutus: priuatus & ipse oculis altero regiminis
anno nuper inito in exilium est actus. Dominicus
Monegarius in eius locum continuo surrogatur:
cui ob ferocissimum ingenium annui tribuni dati
sunt, cum quibus rempub. administraret. Appare-
bat enim, hominis temeritate aliquid incommodi
nomen Venetum accepturum, nisi in consultando
decernendoq; affuissent qui præceps illius ingeniũ
cohiberent. uerùm ne sic quoq; multum profectũ
est, sed pro fræno quasi calcaribus adhibitis, in om-
ne facinus mox praua natura erupit. Tum uero ciui
tas nouæ tyrannidis impatiens, luminibus priuatũ
quinto administrationis anno summo magistratu
abire coëgit. Mauricius Heraclięsis Monegario suc
cessit, uir ingenio & uita clarus: hic quum feliciter
aliquandiu rempub. tenuisset, ingenti populi fauo-

*De aria administratione in ciuitatem reducta, Theoda-
tus dux excæcatus in exilium actus est: Eundem & Gal
le, qui ei succesit, ducatus habuit exitum: Mauricius dux no-
uo exemplo Ioannem filium sibi collegam in principatu coo-
ptauit: Vnde inter Mauricium & Fortunatum Gradensem an
tistitem orta sit discordia: Variæ de bello à Gallis Pipini du-
ctu Venetis illato opiniones: Breuis Vrbici status descriptio: Pi
pinus omnia præter Riuumaltum Venetis ademit: Veneti na
uali prælio Pipinum inter urbem & Medoacũ uicerunt: Ve-
netorum successum ac Romanorum in Gallicis bellis compa-
ratio: Veneti cum Pipino incolumi libertate debellarunt: He-
racliam Particiatius dux instaurauit: Ducarij ac fori descri-
ptio: Aliquot sacræ ædes in urbe erectæ: Quæ causa ludorum
fuerit, qui sub dies Carnispriuij ante fórum celebrantur: Quæ
Sarracenorum origo: Diui Marci corpus ex Aegypto Vene-
tias furto est translatum.*

cæſi ultionẽ: q, ille qa parũ ſyncera fide præſtitiſſet, Fortunatum infenſum habuiſſe creditur. Neque id quoq; omnino conſtare uideo, quamdiu tres illi cõtinuata ſerie Reip. præfuerint: Bonitendius tamen ita breuiter illorum tempora colligit, ut Mauricius maior princeps fuerit annis tribus & uiginti: cum quo Ioannes filius annos nouem rempub. adminiſtrauerit: totidemq; deinceps ſolus: demũ cooptato Mauricio minore, anno ſeptimo eius collegij in exilium cum filio abierit. Tradunt quidam, Mauricij maioris principatu pontificiam ſedem in Oliuolenſi (quod Caſtellũ poſtea in parte urbis dixere:) Adriano pontifice auctore conſtitutam, inſulis quę tum Geminæ dicebantur, Riuoalto, Luprio, ac Duro dorſo, illi ſubiectis. Sub id quoq; tempus memorant quidam, à Scoparijs, illuſtri tum in Venetis familia, diui Moſis fanum præclaro, ut tum erant ciuitatis opes, apparatu erectum, ampliſsimisq; donarijs ornatũ: Ædemq; ad hęc Michaëlis, quam hodie ueſtigio uetuſtatis circa Brundulum oſtendunt, opere & opibus à peregrino homine auctam. Ferunt Sergium quendam, uirum ea tempeſtate Senogalli cæ ciuitatis longè principem, quum incurabili morbo diu laboraſſet, per quietem cœleſti uoce monitum, fore, ut ſi locum qui circa Brundulum ſacer eſſet, inuiſeret, continuo omni languore ſanaretur: ac quia oraculo euentus reſponderat, fanũ largo ſumptu inſtauratum amplis muneribus ditaſſe. Nunc ad Obelerium redeo, qui dux, ut diximus, abſens declaratus, ubi Medoacum uenit, quum ingenti populi fauore aliquandiu reipub. præfuiſſet, Beatum fratrem ſibi collegam aſciuit: is Conſtantinopolim ad Nicephorũ nauigauit, à quo ampliſsimis honoribus eſt acceptus, ac inſignibus quibuſdam imperij ornatus. Valẽtinus interim frater natu minim⁹, iuſſu populi Obelerio collega datur. In his quæ horum tẽporibus ſecuta ſunt, ita uideo ſcriptores uariare, ut quid potiſsimum ſequamur, difficile ſit iudicare. Tradunt quidam, Obelerium principatu à Beato fratre deiectum, ad Caroli opes confugiſſe, eiusq; filiæ nuptias impetraſſe, quia patriæ proditionem regi eſſet pollicitus: atq; in hanc ſpem Gallum erectũ continuo in Venetos mouiſſe, omniq; ora littorali momento temporis oppreſſa, Medoacum uſq; perueniſſe: quem locum quum incolis deſtitutum cognouiſſet, ratibus tentaſſe in Riuumaltum traijcere, quò à principe & omni multitudine conceſſum acceperat: tum ibi fœda tẽpeſtate iactatum, maxima exercitus parte amiſſa, infecta re abducere coactum. Verùm præter cætera quæ facilè refelli poſſunt, omnium fermè ſcripta eam expeditionem nõ Caroli, ſed Pipini filij fuiſſe conſentiũt. uerior itaq; fama ac celebrior hæc eſt, quam ideo libentius ſequor, quia diligentioribus id ferè quod dicam, placere uideo. Sed res aliquã to altius eſt repetenda, ut magis ſit perſpicua legentibus: & ne à rebus Venetis longius recedamus, omiſsis quæ alij magis longo q̃ neceſſario ſermone de ea re ſcripſerunt, unde neceſſe eſt, hiſtoria repetetur. Euerſo Longobardicę gentis, ut nuper diximus, regno, atque Italiæ rebus à Carolo conſtitutis, quibus Pipinus filius poſtea regis nomine præfuit: eſſent q; interim Veneti ex fœdere inter Carolum & Nicephorum icto liberi iuris: orta ob Dalmatiã inter utrũq; imperiũ diſcordia. Ferunt in eo fœdere, de quo proximè locuti ſumus, fuiſſe expreſſum, ut Dalmatia Græcanici imperij eſſet prouincia. Quod quum appareret parum Romanis rebus expedire, maritimã regionẽ Italiæ proximã, à Romano imperio alienatam: poſt rem aliquandiu altercationibus iactatã, uim utrinq; parari cœpiſſe: mox uero pactis inter Nicetam, qui pro Græciæ imperio ipſi prouinciæ præerat, & Pipinum in aliquot menſes inducijs, illum Conſtantinopolim cum claſſe abijſſe: eaq; ad tempus non multo pòſt in Dalmatiam reducta, ſupplemento ex ipſa prouincia accepto, loca ſuperi maris quæ Pipino parebant (exierant enim iam inducię) ultro inuadere ſtatuiſſe. Quæ omnia parari quũ Pipinus reſciuiſſet, ex omnibus Gallicis Italicisq; copijs habito delectu, Comaclum oppidum, in ſpeciẽ inſulæ undiq; ferè ſtagnis mariq; circumfluum, occupat (erat is locus maximè idoneus ad omnes hoſtium conatus inhibendos.) Eò & Niceta quum nõ multo pòſt ueniſſet, cum clade ſuorum non parua repulſus dicitur: multi Veneti nominis in eo cõcurſu occiſi, plures uulnerati. Sed fuerit ne ea Veneta manus auxiliaris, quæ publico nomine Græcũ ducem ſequeretur, an priuata potius ſtipendia fecerit, incompertum habeo. Ille aũt primo fruſtratus conatu Venetias ſe recepit: poſt cuius aduentũ Obelerius & frater, qui tum rempub. adminiſtrabant, pacem inter Nicephorum & Pipinum tentaſſe dicuntur. Creuerãt Venetorum opes ita ad eam diem, ut populum ipſum duo potentiſsima orbis imperia uelut molem quandam, aut Iſthmum diuerſis fluctibus obiectum, intuerentur. Fuerũt ea tempeſtate qui crederent, Obelerium interim quũ de pace ageretur Pipino inſidiatum, in quibus fuit Paulus Diaconus Longobardicæ hiſtoriæ ſcriptor: atq; ita infecta re à Niceta & Pipino Venetijs diſceſſum. Nec multo pòſt ob hoc ipſum graui bello Venetos à Gallo infeſtatos: rerum Venetarum ſcriptores ferè omnes in Obelerium belli culpam reijciunt, qui à fratre pulſus, quum uxorem ex Gallica gente duxiſſet, quã Caroli filiam quidam fuiſſe affirmant, ad euertendam Veneti nominis libertatem Carolum: uel, ut diligentiores ſcribunt, Pipinũ irritarit. Blondus, qui plura in hiſtoria ſcripſit q̃ recentiorum ullus, ait ſe Gothifredum quendam Viterbienſem ſecutum, bis Venetos à Pipino bello petitos credere, ſemel quũ Heraclia euerſa eſt, de qua expeditione ſuperius diximus: ac priore bello Venetos ſubactos, eaq; lege reſtitutam eis libertatem, ut nihil rei cum Græciæ imperatore illis eſſet amplius. quod quum minime feciſſent, ſed per negociatores q̃ circa Propontidem atq; oram Pontici maris nauigabant, cũ Nicephoro in gratiam clandeſtinè rediiſſent, tũ demum quia omnia quæ facta eſſent, reſtituiſſet Pipinus, continuo quàm maximo potuiſſet armorum apparatu Venetos iterum ſit adortus: de cuius expeditionis euẽtu breuiter dicã, ſi prius & ipſe quid de hac re ſentiam explicauero. Nam Blondi quoq; ſcripta parum ſibi conſtare uidentur. ait ille, tum factam eſſe deditionẽ, quũ Heraclia euerſa ſit. Quod ſi ita eſſet, non Obelerij & fratris ducatu id accidiſſet, ſed Ioannis & minoris Mauricij, quibus principibus Heracliam exciſam ipſe alio loco affirmat. Ego, quia planè uideo omnes Venetarum rerum ſcriptores pertinaciſsimè negare deditionem ullã eſſe factam, ita rem ſeſe habere arbitror, ut Fortunati patriarchæ ad Carolum criminationibus, quòd contra fœdera inter illum & Nicephorum icta, quibus fuerat expreſſum, ut Veneti neutrius cenſerentur imperij, per ſuos negociatores ambitioſe ſe Nicephoro inſinuaſſent: Pipinus iuſſu patris Venetos fines terreſtri prælio ſit adortus, Heracliaq́ue & Equilio euerſis, quia res eorum ſatis eo bello acciſæ fuerant, creditum uulgo eſſe, omne nomen Venetum cum ſuis ducibus ſubactum. Sed conſtat, Venetos in priſtina libertate manſiſſe, atq; ea lege præſenti bello leuatos, ne cum Nicephoro rerum aliquid ſibi amplius eſſe uellẽt. Mox orta inter utrũq; imperium ob Dalmatiam diſcordia, quum Veneti Nicephori rebus apertè fauiſſent (etenim Nicetam eius præfectum terra mariq́ue auxilijs iuuiſſe dicuntur) tum demum Pipinum in Venetos ira exarſiſſe, ac maiore aliquanto quàm antea belli apparatu eos adortum. Illud ad hæc inter omnes conſtat, eo tem-

eo tempore quo bellum à Gallo illatum eſt, Obelerium & Beatũ, ſiue domeſtica ſiue ciuili diſcordia ejectos, apud hoſtem fuiſſe: quum interim Valentinus amborũ frater rempub. domi adminiſtraret. Et ut atrociſsimi belli ratio facili⁹ intelligi poſsit, pauca de Venetiarũ ſitu, præter illa quæ proximo libro à nobis tradita ſunt, expediam. Sedent Venetiæ, ut alio loco diximus, in inſulis parum inter ſe diſtantibus, quas alternus maris æſtus æquis penè interuallis diſcriminat, ita tamen, ut littus ad meridiẽ inter ipſum pelagus & ſtagna quadraginta paſſuũ milia porrectũ, in decem circiter ſcindatur uada: littoraq; in inſularũ ſpeciem ſic abrupta tunc paſsim Veneti incolebant: quorũ ad meridiem primi Brundulenſes: poſt hos Clodiani, Pelleſtrinẽſes, Albiolani, Medoacenſes, Oliuolenſes, ubi nũc eſt Patriarchica ſedes: alij à mari introrſum recedentes media ſtagna tenebant: quorũ primi Riuoaltini, qui noſtro tẽpore frequentia & fulgore ſui nominis cæteris locis tenebras induxere. Pipinus obiecta hinc claſſe ut hoſtes maritimo curſu arceret, apparererq; omnẽ commeatus ſpem ablatã, terreſtribus copijs inſulas continẽti proximas inuaſit, ac Brundulenſibus, Clodianis, Pelleſtrinẽſibus q; partim ſuis ſedibus metu eiectis, partim in poteſtatẽ redactis, in Albiolanos diuxit. Ea oppugnatio cum præter ſpem omnium aliquantiſper illius conatus remorata eſſet, Valẽtinus interim dux & Medoacenſes cum liberis & rebus quæcunq; ea trepidatione aſportari potuerunt, in Riuumaltũ abiere, non ſolũ priuatas ſecũ fortunas, ſed ſummũ etiam magiſtratũ maieſtatemq; omnẽ reip. eò traducentes: ubi maiore quodam rerũ ſucceſſu perpetuisq; incrementis iam inde ex quo illic eſſe cœpit, ad hunc diem reſidet. Sed locus poſtulat, ut de Medoaci uetuſtate nunc pauca referam: Omnes ferè qui de rebus Venetis aliquid ſcriptum reliquere, affirmãt Medoacũ illud, quod nunc ex urbe Clodiã introrſum nauigantibus ad lęuã iuxta portum eodem nomine nuncupatũ occurrit, nõ uetus eſſe quod priſci Veneti condidere, unde in Riuumaltũ Gallico tumultu cõceſſum diximus: ſed ueteris illius euerſi monſtrari hodie ſub alto mari ueſtigia. unde datur intelligi, nõ parũ iam inde ad hunc diẽ pelagus littoribus abſtuliſſe. Auſim ad hæc affirmare, Medoacũ locum ipſum ab initio dictũ, inde à recentioribus, ut pleraq; alia, pro Medoaco Metamaucũ, corrupto nomine uulgò appellatum. Albiolani audita ducis ac ciuiũ ex Medoaco fuga, eo nuncio territi ad deditionẽ continuo ſpectare cœperũt: quã factã Medoacenſes, qui perpauci domi remanſerant, ſunt ſecuti. His receptis quũ ad Albiolę portũ, qui nunc è regione noui Medoaci eſt, uictor Gallus perueniſſet, cerneretq; (quia omnia hinc mare, inde ſtagna obtinerent) aut conſilium aut rationẽ belli eſſe mutandam, ferunt aliquandiu in aduerſo littore tacitũ ſediſſe, quaſi deliberabundũ, quo conatu id belli quod reliquũ erat, profligare poſſet: ac demũ (quod uix credo) uetulæ conſilio aquis pontem iunxiſſe, quo cataphracti equites in Riuumaltum traijcerent. Sũt qui rãtes ad hoc ipſum ſtructas fuiſſe tradant. Verũ quod ad mulierculæ unius conſilium attinet, id uanũ omnino crediderim: quaſi uero plus ſtulta anus, atq; eadem delyra, quid in tãto diſcrimine opus eſſet uiderit, q̃ tot hominum milia quot Gallum ſequebantur: quũ multi interim Italici generis atq; rei maritimæ non ignari cum illo eſſent, qui uel maioris negocij potuiſſent fieri auctores. Quòd ſi cætera multitudo id locorũ inſcia præſtare nequiuiſſet, certè Medoacẽſes, qui cum patria in hoſtium poteſtatẽ uenerant, potuere. Nam quod tradunt quidam, præter uetulam unam in tam frequẽti nuper loco repertũ eſſe neminem, ridiculum eſt credere. Non deſunt qui dicant, Venetos fame prius tentatos, ſed quum machinis quibuſdam pa-

nes ab his qui aduerſum littus præſidio tenebant, in caſtra hoſtium fuiſſent conijecti, tum demum ferociſsimum Gallum, longioris moræ impatientẽ, ex dolijs tenaciſsimo nexu contextis, inſtrataq; deſuper tenuiore materia, pontem quàm longiſsimũ produxiſſe. Quum igitur appareret, pro libertate, pro templis, pro ſua liberũmq; ſalute dimicandum: aut ſi ceſſaſſent, omnia ſuperbiſsimo hoſti ſubijcienda: certo conſilio, aut in acie moriendi, aut publicã libertatem retinendi, ſtatuunt Veneti hoſti occurrere, ac ea parte belli ultimam fortunam potiſsimũ experiri, qua plurimum patria uirtus polleret. Obſeruato itaq; aquarum in altum recurſu, expeditiſsimis nauigijs & ad conſerendam & eludendam pugnam idoneis inſidentes, uento & aquis ſecundis in propinquantem hoſtem ferociter inuehuntur. atrociſsimum continuo oritur prælium, uerum uarijs animis: Gallus cupiditate prædæ & rerum geſtarum gloria accenſus, fortiter dimicat: at Venetus pro liberis, uxoribus, publicis priuatisq; fortunis, proq; ipſa libertate, quæ horum omnium erat chariſsima, in pugnam ruebat. Et quia pons admodum rudis fuit atq; infirmus, utpote qui æſtu maris ageretur, inſuetus hoſtis quia conſiſtere non poterat, continuo titubare cœpit: contrà Veneti nauigiorũ celeritate freti, à fronte à lateribus ferociter incurſant: demum ui ſoluto ponte, quod quidam putãt, tempeſtate factum quæ ſub initium pugnę orta ſit, continuo fœdiſsima oritur cædes: hinc ferrum, inde aquæ territo hoſti mortem intentant. Multi igitur cæſi, plures in mare præcipitati: res ipſa nomen loco fecit, ut ab inſigni clade canalis flexuoſus, quo à Medoaco in Riuumaltum nauigatur, Orphanus poſtea ſit dictus. In hunc modum à Venetis aduerſus Pipinum Caroli filium proſperè pugnatum accepimus. Libet hic, & fas eſt, rerum Venetarum in quibuſdam euentus Romanis, quos ſæpe facturi ſumus, comparare. Nam multa reperio in utraq; republica tam proſperis quàm aduerſis inter ſe ſimillima. Siquidem conſtat, proſperos utriuſque populi curſus, creſcentemq; fortunam à ſubito barbarorũ incurſu penè oppreſſam: quanquam ſua temporum nouitate aliquanto iunior tunc res Veneta erat, q̃ Romana Senonico bello fuiſſet: uerum utraque ex Gallia hoſtem ſortita eſt: Senones illa ferociſsimũ genus hominum, ſed ante urbis captiuitatem penè ignotum: hæc Belgas, gentem non minus ferocem, uerùm Senone longè opulentiorem: quippe quæ imperij acceſsione Italicisq; auxilijs non mediocriter florebat: Romanus hoſtem in ſe uerterat, quia legatorum unus contra ius gentiũ in Gallum depugnaſſet: Venetus, quia neglectis fœderibus, quę inter Carolum & Nicephorum icta eſſent, alteri partiũ eſſet gratificatus. Oppreſſerãt Senones omnia præter Capitolium: Belgæ præter Riuumaltum nihil Veneto nomini reliquum fecere: tam hic quàm ille iactu panis fuit hoſtem ludificatus: hic littus, ille collem tutatus eſt: uterque Gallum uictoria & ſucceſſu exultantem ferociter oppreſsit: ille ultro, hic coactus: uerum in eo Romana uirtus clarior, quòd hoſtes ad unum cęſi ſunt: ut Veneta, quia potentiſſimi regis filium non ſuis ſolum, ſed paternis quoque atq; imperij uiribus ſuperbientem fregit. Defenſum Capitolium cauſa fuit Vrbici incrementi, & maieſtatis imperij perpetuo ibi ſanciendæ: ut Riuusaltus retentus, non ſolum ampliandę urbis, ſed Ducariæ quoq; ſedis anguſtiore loco, quàm aut olim Heracliæ, aut deinde Medoaci fuiſſet, ſtatuẽdæ. Hucuſq; Veneti imperij adoleſcẽtia proceſsiſſe creditur. Sequitur iuuentus, qua firmatis iam uiribus, Veneta arma longe lateq; pollere cœperũt, atq; imperij fines promoueri. Sed ad Pipinum redeo, quẽ præſenti clade deiectum confeſtim aiunt Venetos obſidione leuaſſe: conuerſumq; ad uicinorum loco-

rum

rum uastationem, omnibus quę Gallicis armis obnoxia fuere populatis, copias in continentē abduxisse. Sunt qui dicant, Obelerium & fratrē, quia malorum omnium auctores fuissent, uoluntarium exilium sibi consciuisse, abeuntemq; hostem secutos. Alij, qui Carolum belli huius, & non Pipinum auctorem faciunt. Post cladem acceptam ferunt Gallum cum Venetis pacē fecisse, uenisseq; in Riuumaltum, atq; honorificè acceptū, continuo cum populo de Obelerio in patriā restituendo agere cœpisse. Id Veneti quū grauatè (quod exitus postea declarauit) præstitissent, confestim Carolo abeunte Obelerīū à populo disserptum, eiusq; præcordia euulsa, à quibusdā dētibus lacerata: cōiunx quoq; illius, Gallici, ut fertur, generis, cum eo cæsa dicitur. Sed neq; Caroli auspicijs id bellū gestū, neq; hæc quæ illi dicunt, secuta: ut omnino credam, diligentiorū consensus facit, qui Pipini ductu Venetis bellum illatū affirmant, at siue ille, siue hic, potius fuit, planè constat, Venetis libertatem incolumē mansisse, fuisseq; alterius imperij apertè amicos factos. Sunt qui tradant, Beatum Obelerio cæso Ducatū tenuisse. Alij uero, hoc & Obelerio in exiliū actis Valentinū minimū natu reip. præfuisse. sed utcūq; res sese habuit (nam difficile est discernere in tanta scriptorū uarietate quid potissimum sequamur) illorum triū principatus quintum annū non excessit. Hos duces Angelus Particiatius secutus est, qui primus omnium ducariū in Riuoalto thronū habuit: duo annui tribuni cum eo creati sunt, cum quibus cognosceret decerneretq; omnia. Tradunt quidā, Badoario fuisse illi cognomen, à quo Badoarij sunt. Diligētiores, inter Heraclianas domos quæ in Riuumaltū uenere, Particiatios retulerunt: quod ipsum ut facilius credam, hoc quod dicam effecit. Inter enim publica eius administrationis opera Heraclia quoq; ab eo instauratā reperio, quæ à recentiore *illa* ædificatione postea noua Ciuitas dicta est. Et quia ingens factus erat Gallico bello in Riuumaltum concursus, quantus ad eam diem in reliquarum insularū nullam, esset q; locus auctus incredibili mortalium frequentia, factum est, ut sexaginta paruæ insulæ, quę loco proximè adiacebant, pontibus tum primū inter se iunctæ sint. Sed quum inter omnes constaret, ciuium multitudine, ac locorum natura dignā uideri sedem, in qua summus magistratus atq; summa reipub. esse deberet, quod bonum felixq; duci Venetoq; nomini esset, publicè decernunt, perpetuam principum sedem Riuumaltū fore. Secundū id decretum, ne fine domo amplissimus magistratus esset. Confestim dux ipse locum animo concepit, in quo ducariam sedem, quam hodie Aureæ ædi accubantem spectamus, ædificaret. Sed Particiatio auctore Ducarium tantū insigni opus uetustate conditū affirmare ausim: idq; ut credam, opera illi contigua ad forū & curiam attinentia efficiunt: sunt enim specie omnino recentiora. Cæterūm magnificentissimus ille columnarū cęterorumq; lapidū apparatus, unde eo tempore tam facilè quæri potuisset, quum res Venetæ adhuc tenues essent, non uideo: sed siue tum primum Particiatio duce, siue postea (quod magis credo, & quod annales fermè omnes testantur) id opus editum sit, illius splendor & amplitudo exigunt ut rem tantam silentio nō prętereamus: quia longum esset ipsius loci singula enarrare, de eximio eius apparatu pauca referā. Est itaq; opus ipsum ut uarijs usibus comparatū, ita in facie non unā diuisum: quarū ea quæ ad occasum quæq; ad meridiem spectat, duplici columnarū serie consurgit: hæc cui totius molis onus est impositum, colūnas habet peregrini lapidis magis crassas q̄ proceras. Sumptuosi ad hæc arcus eadem arte & materia parati, columnas ipsas nō multū inter se distātes superbo cōplectuntur fornice: superior ille ordo qui eodem fermè lapide & opificio constat, eo frequentiores columnas habet, quo & tenuiores: has colūnellæ densissima serie dispositæ inferiore parte circumuallant, ita ut non solum fulciant, sed ornatum eriam afferant incredibilem. Sed tam superior hic ordo, de quo proximè sum locutus, q̄ ille inferior amplissimā explicat porticū: quarum quæ eminentior est, in usum fori penè tota absumit: reliqua usq; ad culmen totius molis facies, quæ pretioso lapide albo puniceoq; in tesserarū speciem secto est distincta, adeò eminenti fastigio se tollit, ut nō minus fatiget, q̄ delectet spectantiū oculos. Huic superbissimo operi ex plumbeis tegulis tectum impositum. Id totum quod supra forum est, partim amplissima bibliotheca Græcis Latinisq; uoluminibus nō infrequens occupat, quorū partem non paruā Bessarion Cardinalis ex testamēto intulit: reliquū quod ad meridiem spectat, comitium habet. Nam quo alio nomine locum ipsum appellare possim, in quē octauo quoq; die interdum sæpius omnis coit nobilitas creandorum magistratuū causa, non uideo. Curiam enim ut honestius, ita libentius, partē illam ad ortū spectantē dixerim, in qua senatus ferè quotidie haberi soler. Senatum eum appello, quod illi, Rogatorū conciliū: in quo amplissima quæq; reip. curantur negocia. Ab initio ueteres illi imperij conditores, ut pleraq; alia, hoc quoq; ex Romana repu. acceperunt: ut eos qui in senatu sententiā dicerent, Rogatos ideo nominauerint, quia in cōsultatione, ab eo qui senatū haberet, rogaretur sententiam. Sed hæc alio seorsum opere prolixius. Nunc ad Particiatij gesta redeo: qui quum duos haberet filios, alterū Iustinianum nominatum, ad Leonem Græciæ imperatorem misit: à quo benigne acceptū ferunt, amplissimisq; uerbis laudatū, ornarumq; honoribus nō paruis: alterū cui Ioannes fuit nomen, sibi interim collegam instituit. Quod ipsum Iustinianus reuersus, ita indignè tulisse dicitur, ut ad conspectum patris uenire pertinaciter recusarit. Verū senex quū filij desiderium diutius ferre non posset, Ioanne abdicato, qui publica administratione, ne iubente quidem patre nisi populus coēgisset, uidebatur abiturus, Iustinianū, & Angelum ex Iustiniano nepotem, collegas sibi in principatu cooptauit: Ioannē magistratu abire iussum populus Constantinopolim relegauit. Tradunt quidā, eum ultro ad Leonē imperatorē uenisse quū Pergami esset: unde reuersus iubente patre Constantinopolim cum cōiuge & liberis profectus sit. Sub id tempus sacrū Zachariæ corpus cum parte uestiū: tum Christi nostri regis: tum diuæ quoq; Virginis, & cum his Dominicæ crucis lignum à Leone imperatore Particiatius dono accepit: atq; ea omnia in ædem, quā Zachariæ nomine erigendā curauerat, rite condidit. Traduxit prętereа, Ioanne abbate annitēte, ex fano diui Seruuli monachos in ædē Hilarij, quæ tum in extrema Riualti parte fuit, nunc eius uestigia intra continentē à peritis locorū monstrantur. Eadē etiam tēpestate, Seueri & Laurentij fana in insulis, quæ olim Geminæ dicebantur, Ioanne Particiatio auctore cōditæ: cuius filius Vrsus nō longo interiecto tempore ad Laurentij fanum uirginibus cœnobium instituit. Apud quosdam, eodem auctore, Oliuolensem ædē in parte urbis, quod nunc Castellū dicitur, Apostolorum principi fundari cœptā reperio: in cuius dedicatione Sergij & Bacchi reliquiæ illatæ sint. Sub id quoq; tēpus ab illustribus quibusdam uiris in ipsos est duces conspiratū, Ioannes Tanolicus, & Bonus Bragadinus principes cōiurationis capitali supplicio affecti sunt. Monetarius nepharij cōsilij socius, ultro in exiliū abijt: absentis bona in publicū sunt redacta. Huius quoq; principis auspicijs, auctores sunt nōnulli, Vlricū Aquileiēsem cū Foroiulianis illustrib. nauali prælio à Venetis uictū. Fuerat Vlricus ante

ante ab Alexādro pōtifice hęresis nomine dānatus: Is quia ægre credo ferret Gradensem ecclesiam suę Aquileiensi prælatam, subito bello insulæ antistitē cum auxiliari Carnorum manu est adortus: ad quē præsenti bello Ieuandum Veneta classis missa est: quæ quum hostem in pugnam traxisset, paruo negotio fudit fugauitq;, capto Vlrico cum nobilibus non paucis. Cæterum fusam multitudinem Venetus uictor in continentem secutus, omnem littoralem Carnorum oram, quam nunc Forumiulium uocāt, ferro & igni uastauit: oppida quoq; aliqua subito incursu oppressa. Quidam post pugnam locorū ignari per Caprulanas paludes errantes, in uictorū manus incidere. Veneti ad conciliandam benignitatis famam Vlricum cum reliquis captiuis missum fecere: uerum his cōditionibus, ut quotannis seruato uictoriæ die Venetias mitterent porcos duodecim, ac totidem panes unius sextarij, qui adhibito tauro frequenti spectaculo necarentur. Cęterum castella quędam lignea ferratis hastis disijciūtur: quę omnia, illis ipsis diebus quibus pugnatum est, magnifico apparatu quasi annui ludi pro foro hoc quo que tempore celebrantur. Hæc domi foris q; Angelo Particiatio principe gesta: qui Ducaria in Riuūaltum sede trāslata, melioribus certè auspicijs publicam est hic administrationē auspicatus, quām aut Paulutius olim Heracliæ, aut Theodatus inde Medoaci. Propagatis enim lōge lateq; imperij finibus, quasi certo perpetuoq; loco omne publicū decus hic residet. Defuncto patre Iustinianus per se rēpu. administrare cœpit: Nec multo postquam ita solus Venetis rebus præesse cœperat, ut in pristino Constantinopolitani imperij studio esse pergeret, aliquot naues bello aptissimas Michaēli Imperatori gratificatus aduersus Sarracenos, qui per id tēpus Europæ insulas uehementer infestare cœperant: in primisq; Siciliam, ut publico nomine Veneti mitterent auctor fuit: sed hoste non reperto, non multo pōst domum incolumes rediere. Et quia in Sarracenorum mentionem incidimus, nō ab re fuerit, pauca de huius nominis ratione referre. Est enim omnino recens, factumq;, ut quibusdā placuisse uideo, Maomethi temporibus, quem ferūt execrabili illa prędicatione, qua totum fermè Orientem à uera luce in tenebras coniecit inextricabiles, Sarracenos cœpisse uocare eos, qui legē à se traditam susceperint, à Sarra legitima Abraæ coniuge: quasi diuino id accidisset oraculo, ut qui suum dogma sequerentur, legitimi diuinæ promissionis successores haberentur. Quanquam non omnino negauerim, id nomen à Sarraca Arabiæ felicis oppido fieri potuisse: sed quod primo loco diximus, id scriptorum ferè omnium consensus tenet. Multi uariiq; fuerunt gētis eius in Aphrica & Europa cōnatus: multi quoq; & in Asia: sed partim Gallicis, partim nostris armis sunt oppressi. Nunc ad res Venetas redeo, quæ per id tempus quū per se satis prosperæ essent, magna quadā accessione auctæ creduntur. Diui Marci corpus ex Alexandria delatum memorāt: quod ipsum qua sit ratione factum, breuiter explicabo. Condebat eius gētis Rex domum sibi sumptuosissimam, atq; ob hoc undiq; preciosos lapides ex uetustissimis templis operibusq; alijs publicis priuatisq; cōparari iusserat: sed quum ne ipsi quidem diui Marci phano, quod huiusmodi materia esset magna parte constructum, prophanæ manus parsuræ uiderētur, metuerētq; loci euersionem: Stauracius monachus & Theodorus presbyter ambo natione Græci, qui non solum illic sacris operabantur, sed quasi ęditui sacrarium ipsum officiose asseruabant: Bonus Medoacensis, & Rusticus Torcellanus, Venetorum ui contra publicum edictum cum decem nauibus Alexandriam delati opportune interueniūt. hi religionis causa quum ad locum ueniissent, essentq; ab illis tristitiæ quā præ se ferebant, causam scisciтati: quū cognouissent rem ad demolitionem templi specta re, magnis pollicitationibus eos tentare cœperunt, affirmantes fore, ut si diui Marci corpus sibi traderent, amplissimi deinde honores utrunq; apud Venetos manerent. Auersari illi primo cōsilium, quasi pro sacrilegio habentes sua sede sanctissimum corpus amouere: sed diuina est prouidentia factum, quod dum fortè de ea re loquerētur, quidam ex ijs quibus conquirendorum lapidum negocium fuerat à rege datum, eo uenerit, atq; aliquot inde lapides ad structuram inchoati operis idoneos non sine templi deformatione asportarit. Quo indigno spectaculo cōmoti ęditui, Venetis ob id ipsum tum magis instantibus: quum omnino appareret ædem ipsam, quoniam fermè tota nobiliore constaret materia, non multo pōst magna ex parte diruturam iri, annuere cœperunt: & ne incolæ, qui non parua uenerатione diui nomen cum ipso sacrario ob eximia quæ in eo facta fuerant miracula colebāt, rem subito depræhenderent, dissecto occultiore parte pallio, quo corpus ipsum erat obuolutum, intactis sigillis quibus illud antica parte erat munitum, diuæ Claudiæ aliud pro eo quod acceperant includunt. Ferunt, interim tantam odoris fragrantiam ex ipsa ædе manasse, ut factus sit ad locum cōcursus inges, potuerit q; res facile depræhendi, nisi palliū immotis signis fuisset conspectum. Et quia satis cōstabat, sublatum corpus ad naues sine periculo deferri nō posse, rem nouam ad uulgus eludendum commēti dicuntur: quod uix huius rei scriptoribus crederemus, nisi in aurea diui Marci ædе ipsam historiæ seriem, ut ab illis tradita est, mira arte figuratā hodie conspiceremus. Ne igitur alicuius temeritate, qua plurimum gens ipsa in peregrinos lasciuire solet, tantum facinus detegeretur, sacrum onus in sportā coniectum, herbis suillaq; carne circumuoluunt. à qua pertinacissime gens ipsa ueteri instituto abstinet: unde adagium illud Augusti natum, qui dicere solebat: Satius fuisse Herodis porcum esse quām filium. Illi igitur quibus datum erat id negocium, ad omnes occursus, quod facere prius moniti erant, Ganzir, quę uox porcum apud Barbaros ipsos significat, uociferantes, ad naues deueniunt: hic uelis obuolutum corpus atq; antennis alligatū, quasi mox inde soluturi malo suspendunt, ne ab his qui sub ipsum negociatorum digressum omnia in nauibus scrutari solent, pretiosissimum furtum depræhenderetur: demum suspecto littore soluētes læti inde abeūt. Sed quū altum naues tenuissent, cœpissentq; fœdissima iactari tempestate, fama tenet, diuū Marcum Bono Medoacensi manifestè apparuisse, monuisseq; ut primo quoq; tempore uela summitteret, ne ui uentorum actæ naues in proximos scopulos, qui in uastis fluctibus latebant, impactę naufragium facerent: atq; ita præsenti oraculo classem seruatam. Res ante eorum aduentum Venetias delata in summam læticiam ciuitatem erexit: iam manifesta prædicatione cunctis affirmantibus, fore ut præsenti numine perpetuum esset nomen Venetum, perpetuum imperium. Verissimum fuisse oraculū, quod à maioribus acceptum in ore omnium esset: in illis ipsis locis olim ante urbem cōditam diuum Marcum in humanis agentem, quum Aquileiā fortè nauigaret, naui ad ea loca delatum, per quietem cœlesti uoce monitum fore, ut quandoq; in ea terra quam tum omni ferè humano cultu desertam uideret, ipsius ossa quiescerent. His mutuis gratulationibus tota urbs tripudijs & cantu personare: preces ad hęc & pia uota passim exaudiri, ut propitius uolens q; suam urbem inuiseret: fineretq; suum corpus ea parte ciuitatis perpetuo esse, ubi sacratam illi sedem mox ciuitas esset dedicatura. atq; ita effusa illi obuiam multitudine omnis promiscue ordinis sexus

sexus & ætatis, ad Oliuolensem portum præeunte clero, hymnosq; & laudes canente, inter suauissimos odores certissimũ Veneti imperij pignus uenerabunda ciuitas excepit: exceptũq; sacello, quod tunc in Ducario fuit, intulere.

IN LIBRVM TERTIVM. Epitoma.

Sacerdotes cum primicerio diuo Marco dati sunt: Obelerius in Coricta insula oppressus, capitali supplicio affectus est: Medoacum in eius inuidiam expugnatum, incendio est absumptum: Dux Carrosiana conspiratione pulsus in Galliam abijt: nec multo pòst per optimatium factionem restitutus, atq; in Gradum insulam nouissime relegatus, uita decessit: Diuo Paulo ædes media urbe erecta est: In Narentanos parũ prospere pugnatum: Veronenses aduersus Benaci accolas Venetis sunt opibus adiuti: Validissima in Saracenos Mauros classis instructa est: Quæ Mauri circa urbem Romam & reliqua Italia breui gesserint: Veneti & Græci in Crotoniate sinu nauali prælio à Mauris superati: Pancratij & Sabinæ corpora pontificis dono in Zachariæ ædem sunt illata: Ciuilis discordia aliquandiu rempub. sollicitã habuit: Tradonicus Princeps à conspiratis nefarie obtruncatus est: Quando Pouegia incoli cœperit: Venetorum interuentu Gradus insula Sarracenorum obsidione leuata est: Qua ratione Durum Dorsum cœptum sit habitari: Comaclum à Venetis in ultionem est expugnatum: Candianus dux in Narentanos pugnans prælio occubuit: Dux & patres Clodiensibus fines præscripsere: Quæ Hunni in Pannonia gesserint: Hunni Berengarium in finibus Italiæ prælio uicere, Venetamq; oram populati urbem oppugnare sunt aggressi: Veneti Hunnos nauali prælio superarũt: Iustinopolitani Venetorum tributarij facti: & in Narẽtanos, ut quidam tradunt, prospere per id tempus est pugnatum: Cãdianus Dux ob instiam superbiam & affectati regni suspicionem à populo trucidatus est.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARUM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER III.

Rescebat in hunc modũ ciuitas, maioresq; Venetis rebus accessiones nõ solum uirium, sed cæremoniarum etiam in dies fiebãt: florebatq; his successibus Iustiniani principatus, qui quo felicior fuit, eo breuior. Sic enim se habent res humanæ, ut nulla in eis sit diuturna felicitas. Siquidem non multo pòst, quàm diui Marci corpus domestico sacello intulerat, factusq; erat nõ parui numinis hospes, fatali necessitate humanis decessit, quum duos circiter annos solus reipub. præfuisset, testamento est ab eo mandatum, ut sui ampliorem ædem diuo Marco erigendam curarent. Cæterum ipsius quoq; legato Zachariæ & Hilarij phana, amplissima prædiorum accessione sunt ditata. Ioãnes Particiatius, Iustiniani frater, quem ille ex Græcia reuocatum sibi collegam cooptauerat, princeps declaratus, publicam administrationẽ à diuinis orsus, phanum ducario propinquum statuit, in quod rite dedicatum ex minori sacello Euãgelistæ corpus est translatum: lectiq; ex omni clero aliquot, qui rem ibi diuinam facerent: his antistes datus, quem Primicerion hodie uocãt. Fuit res ipsa omnino tenuis ab initio, nec præsenti opulentiæ & magnitudini, qua hodie moles ipsa laborat, quicquam habuit simile: sed de magnificentissimo ipsius templi apparatu, loco magis opportuno dicetur. Cum Narentanis uetusto more gentis proxima maria cursu infestãtibus publicè fœdus est percussum: quo nõ multo pòst uiolato, aliquot Venetos negociatores ex Apulia nauigantes, medio mari oppressos Barbari necauere. Ferunt per id tempus Obelerium ducem (quem annales quosdã secuti in exilio abijsse proximo libro docuimus) in Curictam insulam, quam uulgo nunc Vegliam uocant, transiuisse, recuperandi principatus causa res nouas moliturum: in eum Particiatius, antequam moueri posset aliquid, ualidam classem instruit, hostemq; inter primos conatus penè incautum obsidione cingit, obsessum summa ope oppugnat: interim ex Medoacensibus quidam ueteri in Obelerium studio, qui prius eorum popularis, inde Dux fuerat in urbem transfugiunt. Ea re Ioannes commotus soluta obsidione, classeq; Venetias celeriter reducta, in trãsfugarum inuidia Medoacum expugnat, atrocissimoq; incẽdio absumit. Mox uero supplemento prioribus copijs addito Curictam denuo traiecit: qua in suam potestatẽ redacta, Obelerium capitali supplicio affecit. Inde haud longo interiecto tempore nobilium quidam, Carosio Bonici filio auctore, in ducem coniurarũt: ille subita conspiratione pulsus, in Galliam transfugit: Carosius interim iniussu populi ducatũ inuadit. In quem pessimo exemplo rempub. administrãtem recens optimatium factio coorta est: cuius capita Basilius Trasimundus, Ioannes Marturius, & Dominicus Orcianicus fuere. hos triginta alij illustres uiri secuti, qui Ioannis Ducis exilium iniquo animo ab initio tulere. Carosiũ itaq; adortiin suã potestatem redigunt, redactum excæcant, excæcatum in exilium agunt: Theodato Ciuro, Marino patricio, Dominico Monetario, ac plærisque alijs Carosianæ factionis uiris fœde trucidatis. Ciuitatis administratio tantisper dum Ioannes ex Gallia reuocaretur, Vrso Oliuolensi antistiti, Basilio Trasimundo, & Ioanni Marturio commissa: quam illi reuerso haud grauate restituerunt. Is procedente tempore quum graues simultates cum Mastalicia familia exercere cœpisset, quæ tum erat in Venetis nobilissima: ab hominibus aduersæ factionis pro æde diui Petri, quò sacrorum hora se contulerat, insidijs exceptus summæ dignitatis insignibus exutus, barbamq; & capillos detonsus, octauo sui principatus anno est Gradum relegatus: ubi sacris initiatus uitã postea cum morte cõmutauit. Ioanni defuncto Petrus Tradonicus surrogatus est: Is Pola oriũdus, ex Equilio Gallico tumultu eiectus in Riuumaltũ uenerat. Est Pola in Italiæ finibus oppidum uetustissimum, & à Colchis, qui ad Medeam persequendam missi fuerãt, ut Callimachus scripsit, in sinu portus formam habente conditum. Tradonicus Ioannem filium sibi collegam instituit: Paulo gẽtium doctori ædem in ea parte urbis, qua hodie uestigio uetustatis uisitur, largo, ut tunc erant ciuitatis opes, sumptu condidit. In hostes Narentanos aliquot expeditiones fecisse dicitur: sed eas ipsas parum prospere. Quidam filiũ ab eo quandoq; missum tradunt, qui aliquanto fortius patre in piratas depugnarit. Veronensium legati per id tempus Venetias uenere, auxilia imploratum aduersus Benaci lacus accolas, cum quibus apparebat sine externa ope debellari non posse. Sunt qui scribant, ab ipsis accolis aduersus Veronenses implorata auxilia: diligẽtiores tamen, quod prius diximus tenent. Addunt ad hęc Veronenses Venetorum consilio usos nauigia quędam fabricasse, quibus in lacũ deductis maturius sit cum hoste debellatum: Veneto non tantum gratiæ actæ: sed ex Verona quoq; magnifica & ampla munera Venetias missa. Non desunt qui scribant (nam

(nã nihil fermè est in quo auctores quos sequimur, non aliquid uarient) post cladem illam in Crotoniate sinu acceptam (de qua mox dicetur) Veronenses Venetorũ auxilijs adiutos: quod uix impetrari potuisse crediderim. Nullus enim populus uel longe bellicosissimus, in tanta clade quãta per id tempus accepta est, non animũ remisisset: in hoc statu erant res Venetæ magis omnino domi & circa continentem, quàm foris lætæ. Quum Theodosius Constantinopolitanus, qui à Michaële Græciæ Imperatore classi aduersus Mauros Sarracenos præfectus fuerat, Venetias uenit: ubi cum Tradonico egit, ut ualidam in Barbaros, qui tũ Appuliæ fines infestabant, Veneti classem compararẽt. Id in Michaëlis gratiã benigne cõcessum, sexaginta triremes in Mauros instructæ: atq; ob id Tradonicus à Theodosio Protospatharius est Michaëlis nomine declaratus: qui honor tum primarius erat apud Græcię Imperatores. Sabbas (nam non ab re fuerit de eius gentis expeditionibus aliqua breuiter referre) Maurorũ dux (ex Mauritania enim ferũt Barbarorum uim illam ingentem ea tempestate erupisse) sub primum in Italiã appulsum, portũ in Tyrrheno littore oppressit, quem urbis nunc Veteris appellant. Non desunt qui Centumcellensem uocẽt, ab oppido quod proximo loco Hadrianus Imperator opere & iudicijs, ut Plinij epistolæ testantur, instruxit. Auderem ego affirmare, Pyrgos ueteres hos fuisse: quod & recens nomen urbis quam Veterem dicunt, arguere uidetur: Pyrgensemq; portum appellarẽ, nisi haud procul inde Ostiam uersus nauigantibus occurreret locus, quem nunc quoq; uicini accolæ Pyrgum nominant. Hic copijs in terram expositis, prædisidioq; ad classem tuẽdam relicto, infesto agmine Sabbas Romam ducit: moxq; Vaticano oppresso, ac celeberrimo orbis templo, quod Apostolorum principi est sacrum, spoliato, urbem obsidere pergit. uerum audito Guidonis aduentu, quem ex Gallia Cisalpina Gregorius quartus ad præsidium urbis exciuerat, soluta repente obsidione, inter Appiam & Latinam uiam ducẽs, suburbana loca igni ferroq; populatur: nec diui Pauli magnificẽtissimum templum, quod duo milia passuum ab urbe distat, inuiolatum relinquit. Flexerunt inde Barbari in Latinam uiam: atque ubi in Casiensem saltum peruenere, oppidum quod in eo fuit, subita ui opprimunt, oppressumq; diruunt: nunc recens oppidum quod illic est, Germanum uocant. Est non procul inde monasterium uetusta religione & opulentia insigne: hoc quoque sacrilegæ manus diripuere direptumque magna ex parte incendio consumpserunt. Hinc profecti secũdum propinqui Liris ripam (nunc fluuium ipsum Garilianum uocant) ad mare uelut procella quædã ex montibus in subiectos campos ui uentorũ deiecta, omnia ferro & igni proculcantes, se proripiũt: hic opulenta præda in naues quas ex Hetruria accersiuerant, imposita, in Mauritaniam transmittũt. Nec inde diu quieuere, quum gestarum rerum successu felicioris adhuc militiæ spem nacti, non multo pòst patrio littore profecti in Italiam redeũt, Tarentumq; ac Siciliam eodem ferè tempore tumultuose inuadunt. Quum itaq; appareret, omnem superi maris oram Maurum infestaturũ, tum Theodosius ijs copijs quas ex Græcia adduxerat, diffisus, ad Venetorum opes, ut diximus, confugit: quibus benigne impetratis, continuò in Barbaros mouit: Sabbas interim audito hostium aduentu, incertum est metu ne, an quia ita suis rebus cõducere arbitraretur, si hostem specie fugæ ludificatus ad aliquid temerè agendũ impulisset: soluta Tarenti obsidione celeri cursu se cum tota classe circa Crotonis littora recepit. Sedet Croto in Tarentino sinu, oppidum uetustissimum ab Achiuis oraculo Apollinis conditum Miscello duce, ac ita quandoq; opulentum, ut centum triginta hominum milia in armis habuisse dicantur Crotoniate, quum ad Sagrã fluuiũ à Locris sunt superati. Fuit alioquin ciuitas rei bellicæ peritissima, dedit & quandoq; athletis operam non paruã. Sed Pythagoras Samius, & Milo qui eius auditor fuit, præcipuam urbi gloriam attulere: hic quia ciuis, omniumq; athletarum qui ea tempestate fuerunt, fortissimus: ille uero philosophiæ commercio. Hic itaq; (nam Græca Venetaq; classis in ea quoq; loca uenerant) aliquot leuioribus prælijs per occasionem commissis, tandem totis uiribus utrinq; est concursum: tum uero fusis fugatisq; Græcis, omnis Maurorũ impetus est in Venetos conuersus: sed ij usq; adeo in præsentem pugnam erant intenti, ut alterius cornu fugam non prius respexerint, quã undiq; sint à Barbaris circũuenti. Sic quoq; tum ferocissimi hostis impetũ Venetæ triremes aliquandiu sustinuere: sed Maurorũ multitudine superante, partim summersæ, partim captæ ad unam omnes periere: Venetorum pauci uiui in hostium potestatem uenerunt: reliquã multitudinem aut ferrum aut aquæ confecerunt. Sunt qui scribant, apud Crotonem prius pugnatum quã Mauri Romam uenissent: in quibus est Bonitẽdius. Barbari præsenti successu elati in Dalmatiam traiecere, ubi aliquot oppida subito incursu oppressa diripuerunt: Venetas ad id naues preciosa merce onustas ex Syria redeuntes, quę Maura classe procul cõspecta in Tergestinum sinum declinarãt, intercepere, atq; immodico odio quo Venetum nomen persequebantur, in captiuorum cædem prouecti ad unum omnes necauere. Nuncius acceptæ apud Crotonem cladis ingentem luctum & terrorem attulerat ciuitati: sed audita recentiore clade, quo res minus erat expectata, ita magis ac magis fregit omniũ animos, ut non minus Venetijs sit trepidatũ, quàm si Barbarus in conspectu fuisset: esseq; in tanta consternatione adhuc magis laboratum, nisi per exploratorias naues cognitum fuisset, hostes Anconem uersus cursum flexisse, eaq; inopinato aduentu oppressa ac directa, confestim in altum abijsse. Aduersis Venetorum rebus Narentani elati, ex Dalmatia subito cursu Caprulas usq; prædabundi processere: Est id oppidum ad ostiũ Limenis amnis, quod prisci Veneti Cõcordia profugi Hunnico tumultu frequentare occeperũt. Per hæc tempora, aut certè nõ multo pòst, tradit Bonitendius, Benedictum pontificem Venetias uenisse: ubi quũ benigne fuisset acceptus, inuiseretq; Diui Zacharię cœnobium, Agnetis Maurocenæ, eius loci antistitis, precibus fatigatum promisisse, ex urbe se ad ædẽ religione instruẽdam Pancratij martyris & Sabinæ corpora missurum: ac postea ab eo missa summa cum ueneratione templi sacrario fuisse illata. Eodem quoq; principe Lotharius Imperator, quod plæriq; alij deinde Imperatores fecere, ueteres immunitates ac cætera libertatis iura ut inuiolatæ Venetis manerent, rescripto constare uoluit. Cæterum ut respublica ea tempestate infeliciter foris administrata est, ita domi quoq; nihilo felicior fuit: Ciuili discordia nõ mediocriter iactata est, sex illustribus familijs in factiones duas sua studia trahentibus: hinc Iustiniani, Polani, & Basęij: inde Barbolani, Selij, & Seuoli in aduersum nitentes, fœdissima spectacula populo sępius præbuerũt. Sed quum penè ad internitionem inter eos uario euentu media urbe esset pugnatum, Barbolani cũ hominibus suæ factionis ciuitate eiectisunt: uerum non multo pòst Lodouico Imperatore, ad quem confugerant, annitente, compositis inter utrãq; factionem rebus in ciuitatem restituti sunt. Hæc Petri Tradonici principatu domi foriscq; gesta: qui quum aliquot annos Ioanne filio defuncto, quem sibi collegam in principatu cooptauerat, rempub, solus administrasset, sacrorũq; hora in Za-

chariæ ędem ueniſſet:factum eſt ut quum domum
se reciperet,ſubita coniuratione exceptus,underri-
ceſimo ſui principatus anno ſit trucidatus.In re au-
té tam trepida miniſtri, qui de more illi apparebãt,
charitate,ut ſit,& ſtudio in ſenem,aliquandiu iniu-
riam ab eo propulſare ſunt conati:ſed à pluribus,at
que eiſdem melioribus,pulſi,ſubito tumultu Duca
rium occupauere: ubi à coniuratis obſeſsi triginta
dies, ſe loco tutati ſunt. accepta demũ publica fide,
ne cui eorũ capitali fraudi eſſet quòd principis opti
mi uitam aduerſus nefariam coniurationem tueri
uoluiſſent,quodq; ut ſuam ſalutem à parricidarum
iniuria tutarentur,publicũ locum occupaſſent, oc-
cupatumq; ſemel ad eam diem pertinaciter defen-
diſſent:pacti ad hæc,ne ciuitas impunè id factũ pa-
teretur, quòd facinoroſi homines principem opti-
mum,ac nihil tale meritum,tam fœde trucidaſſent:
indignum fore prædicantes,ciues in ea urbe cõſpi-
ci:in qua parricidium per ſcelus cõmiſiſſent, popu-
li faciem ſummi magiſtratus cruore reſperſiſſent.
His conditionibus ex Ducario in ęquum deſcen-
dere. Populus Triumuiros creauit, qui de parrici-
dis quæſtionem haberent, de ſontibus iudicarent,
deq; his cognoſcerent, qui ſeceſsionem in Ducariũ
feciſſent. Triumuiri creati ſunt, Petrus Equilienſis
antiſtes,Ioannes Gradẽſis archidiaconus, & Domi
nicus Maſſonius: hi parricidij reos alios in Galliã,
alios in Greciam perpetuò relegarunt:quidam ad-
huc indemnati interfecti ſunt: Vrſus Grugnarius
coniuratorum unus dæmonibus uexatus miſerabi
li cruciatu perijt:ut manifeſtè appareret, Tradoni-
ci mortem non hominibus ſolum,ſed ſuperis quo-
que diſplicuiſſe.Qui ſeceſsionem fecerant, quoniã
non ſine motu ciuitatis id eſſet factũ, alij extra Ve-
netos fines eiecti,alij,atq; omnino plures, in Popi-
liam inſulam relegati. Diſtat locus ab urbe quinq;
paſſuum milia:huc uxoribus & liberis traductis ita
procedẽte tempore res eorum creuere,ut oppidum
quod illi condidere, ſit frequenter poſtea habitatũ:
ſed illud ipſum quantumcunq; fuit,Genuenſi bello
prorſus interijt.Ita repub. triumuirali iudicio paca
ta,Vrſus Particiatius Dux declaratus eſt:huius au-
ſpicijs conſtat rempub. domi foriſq; feliciter admi
niſtratam: initio ſui principatus ut Veneto nomini
rata pax eſſet cum Narẽtanis, & alijs qui piraticam
exercebant,auctor extitit,ut obſides aliquot Barba
ris darentur. Hoc Annales habent: quidam autem
Venetarum rerum ſcriptores nullam prorſus dato-
rum obſidum mentionem fecere. Nec multo pòſt
Sarraceni, qui ex Alexandria profecti Cretam inſu-
lam annos circiter uiginti poſt Sabbæ Mauri in Ita-
liam aduentum occuparant,repente in Dalmatiam
progreſsi,omnem oram maritimã cum Hiſtria præ
dati, Gradum obſidione cinxerunt: eos ſubito ac-
ceſſu ita Vrſus turbauit, ut nauibus trepide ab du-
ctis continuò in altum abierint. Apud quoſdam re
perio,ſtrenuam in ea expeditione operam à Ioanne
principis filio,iuuene impigro,nauatam:quod ſi ſic
eſt,haud abſurdum erit credere,non modo ad famã
Venetę claſsis territos Barbaros nõ fugiſſe,ſed cõ-
gredi etiam aũſos:atq; ita euenisſe, ut iuuenis quia
in hoſtem fortiter eo die depugnaſſet, iuſſu populi
datus ſit patri collega. Bonitendius non circa Gra-
dum ſolum, ſed apud Tarentum quoq; ab Vrſo in
Sarracenos fœliciter pugnatum tradidit. Rurſus &
aduerſus Narẽtanos qui rupto fœdere aliquot ma-
ritima Hiſtriæ oppida fœda populatione uaſtauit,
triginta nauium claſſe proſpere dimicauit. Sed cur
pro Hiſtris ſint ſumpta arma,quum nondum in Ve
netorum fidem ueniſſent, auctores quos ſequimur
non tradunt:credibile eſt,ſecundum Hiſtriam illos
cœpiſſe & Veneros fines infeſtare. Cum Petro Gra-
denſi antiſtite tãtiſper Vrſus ſimulatem exercuit,
quoad Dominicum Caloprinum, qui Torcellanus
A antiſtes fuerat deſignatus, probaſſet, quũ hominẽ
alioquin ſibi inuilum nõ eſſet probaturus. Quieto
itaq; ciuitatis ſtatu, quũ foris quoq; reſpublica ex
ſententia eſſet adminiſtrata, Dux auctorem ſe pre-
buit ijs,qui ad ducum miniſteria erãt aſcripti,quiq;
poſtea Excuſati principum dicti ſunt,ut in ea parte
urbis,quod Durum dorſum ab initio dixere,domi
cilia ſibi ædificarent:atq; ita cœptus eſt locus inha-
bitari, qui antea maritimarum incurſionum metu
fuerat deſertus. Huius quoq; principis felicitate ue
teres diſcordiæ, quæ inter Venetos & Carnos, ſuo
utrorũq; in Aquileienſem Gradenſemq; eccleſiam
ſtudio,ortæ fuerant,Vulperto Aquileienſi antiſtite
pollicente ſe non amplius Gradenſem eccleſiam in
feſtaturum, omnino ceſſere. Ad hos ſucceſſus illud
acceſsit, quòd re proſpere aduerſus Sarracenos ge-
ſta, Vrſus à Baſilij Imperatoris apochriſarijs Pro-
toſpatarius eſt creatus. Sed ut gratitudine cũ Baſi-
lio certare uideretur, duodecim campanas magni
ponderis illi Byzantiũ dono miſit:atq; ita euenisſe
ferunt, ut Græci Venetorum munere tum primum
Campanũ æs habere cœperint.Sic omnia domi fo-
risq; Vrſus conſecutus quæ ad uitæ ornamentum
attinebant, anno initi principatus decimo ſeptimo
obijt. Vrſi autem morte Ioãnes eius filius rempub.
adminiſtrare cœpit:is Badoarium fratrem ad Ioan-
nem Pontificem mittere conſtituit, ut Comacli do
miniũ illo auctore, Veneto nomini uendicaret. Ob
id crediderim rem à Veneto moram,quia intra anti
quę Venetiæ fines is locus eſſet.Horum cõſilia quũ
Marinus Comacli Comes cognouiſſet, Venetũ Ro
mam proficiſcentem in Rauennatiũ finibus inſidijs
exceptum ſauciumq; in ſuam poteſtatem redegit,
acceptaq;ab eo fide de Comaclina actione depone-
da, domum dimiſit. Verum non multo pòſt quàm
ad ſuos reuerſus eſt,ex uulnere quod acceperat Ba-
doarius moritur,Dux ira accenſus fraternam cædẽ
B ulturus ualida claſſe Comaclum inuaſit, ac ui cepit,
in eos qui fraternæ cędis conſcij fuerant omnia ho
ſtilia exercuit: impoſitoq; deinde urbi præſidio Ra-
uennatiũ fines (quia & ipſi eius conſilij conſcij fuiſ-
ſent) fœda populatione uaſtauit. Huius opus dici-
tur,Cypriani & Cornelij in Medoacenſi littore pha
num: quod interiecto tẽpore Vitale Michaële prin
cipe,atq; eodem auctore, in monaſterium Virginũ
eſt uerſum. Verum quum aduerſa ualetudine labo
rare cœpiſſet, iuſſu populi Petrum fratrem ſibi ſuc-
ceſſorem inſtituit: ſed quia præter ſpem omnium
conualuiſſet,pro collega habuit in Ducatus admini
ſtratione,quo poſtea defuncto,Vrſum qui illo ma-
ior natu fuit, cooptauit. Non longe autem interie-
cto tempore quum in grauem morbum recidiſſet,
ac per aduerſam ualetudinem rempub. adminiſtra
re non poſſet (Vrſus interim ſe ultro magiſtratu ab
dicauerat) facta populo poteſtate noui Ducis crean
di,anno ſui principatus ſexto inito,ſed nondum ac-
cto,in ordinem ſe redegit. Fuerunt ea tẽpeſtate qui
crederent, id utrunq; feciſſe, quia cernerent ingen-
tem ſibi inuidiam à populo imminere, quem eorũ
principatus iam apertè tædere cœpiſſet. Ioanne di
gnitate abeunte, Petrus Candianus ei ſurrogatus
eſt:cui in curiam uocato quũ ille ducatus inſignia li
bẽs tradidiſſet,in priuatas ſuę familię ædes tranſijt.
In Narentanos interim ueteres Veneti nominis ho
ſtes,quoniam proxima maria latrocinijs infeſtarẽt,
aliquot longæ naues ad eorum curſus comprimen
dos miſſæ:quæ infecta re (nuſquam enim hoſtis re
pertus erat) domum rediere. Nec multo pòſt Can-
diani principis ductu naues duodecim (quidam ſe
ptem ſcripſere) in eoſdem hoſtes paratæ, qui circa
Dalmatię promontorium, quod ipſi incolę Miculũ
uocant, reperti ſunt:in eos hortatu ducis ferociter
inuectæ ſunt Venetæ triremes:nec Liburnicæ na-
ues pugnã detrectauere: utrinq; maioribus propè
animis

animis quàm uiribus eſt cõcurſum. Primo quidem
A congreſſu res Veneta aliquot hoſtium nauibus op-
preſsis ſuperior fuit: uerum Barbarorũ multitudi-
ne ſuperante, Ducaria naui cum reliquis circũuen-
ta Candianus fortiter dimicans occubuit,quũ men
ſes quinq; non amplius repub. adminiſtraſſet. eius
cadauer ab Hiſtris ſubtractum, paulopòſt Gradum
eſt deportatum,atq; eo loco ſepultũ.Fama acceptæ
cladis ciuitatem repente occupat, eſtq; uulgo non
mediocriter trepidatum:ſed maior omnino metus
multitudinem ſollicitam habuiſſet,ni cõtinuò pre-
cibus populi fatigatus, Ioannes Particiatius, qui ſe
ducatu abdicauerat, reipub. adminiſtrationẽ cum
Ducarijs inſignibus recepiſſet: ac tãtiſper ſe pro du
ce geſsiſſet, dũ tumultu & pauore ſedato populus
fauore & conſenſu maximo Petrum cognomento
Tribunum,Ducem creaſſet:hunc quoq; Protoſpa-
tharium à Græcię Imperatore creatum reperio. Pi-
ratæ interim perpetui hoſtes loca urbi proxima in-
feſtabant, ob quod ipſum Tribunus murum ad ur-
bis munitionem à Caſtelli riuulo uſq; ad Iubanicã
ædẽ Virginis duxit, cathena ab ipſo muro ad Geor
gij phanum protenta, ne ſubitus aliquis hoſtiũ in-
curſus repente ciuitatem inuaderet. Sed ueſtigia ue
teris illius operis nulla (quod ſciam) hodie extant.
Clodienſibus fines ab eorum portu per littora ad
Atheſis oſtium,quas Foſsiones uocant,inde per Be
bias & Conchas rurſus ad ipſum portũ terminauit.
Erant ea tempeſtate res Venetæ totius q; Italię quę
ad ſuperum mare ſpectãt,parũ,ut diximus,quietæ:
quippe quæ hinc piratarum latrocinijs,inde Sarra-
cenorum aſsiduis motibus erant ſollicitę:quum a-
lius nouus terror Venetis exortus eſt,Hunni,quos
alio loco Scythicam eſſe gentem docuimus, in Ita-
liam tumultuoſe erupere: ingẽs eorum manus per
eos annos ex Scythia profecta, nõ prius ſedes ullas
cepit, quàm ad conſanguineos in Pãoniam ueniſ-
B ſet: hi Italicis expeditionibus aſſueti, diuturna iam
cum noſtris conſuetudine patriam feritatẽ magna
ex parte exuerant:hinc accidit,ut mitiores facti, ab
illis qui nouiter uenerant ex his ſedibus, quas ſuas
ipſi iam antea iure belli fecerãt, factas q; ad eam diẽ
tenuerant,quaſi ciuili inter ſe bello ſint eiecti.Ferũt
eam fuiſſe gentis immanitatem,ut poſtquã in Pan-
noniam uenerant,patrio more ab eſu humanæ car-
nis non abſtinerent: moxq; in appellationẽ eorum
quos eiecerant tranſeuntes, Hungari ſint dicti. Illi
uero qui tum extorres erant ab initio ut hi, Hunni
fuerant:ſed Athilæ temporibus, ut quidam tradũt,
ubi in Pannoniam uenere,primo Bauari nominati:
inde ex Hunnis & Bauaris literis quibuſdam detri
tis, ex duobus nominibus factum eſſe unũ. Ij itaq;
poſt Gallicas Germanicas q; expeditiones, quũ ui-
cto Lodouico Germaniæ rege ac ſtipẽdiario facto,
ingentem prædam domum reportaſſent, geſtarum
rerum ſucceſſu elati ſtatuerunt Italiã inuadere:atq;
ob id fortaſſe, quia eius terræ ſtatum parum per id
tempus pacatum audiuerant.Myſiam igitur primo
adorti, hoſtes cruento prælio uictos tributarios fe
cere.Inde profecti quum iam Italię propinquare di
cerentur,Berengarius,qui Romanum tum imperiũ
habebat,cum quindecim hominum milibus occur
rit:in ipſis Italiæ finibus eſt acriter dimicatum, ui-
ctus q; Berengarius maiore parte copiarum amiſſa,
ex acie aufugit.Secundũ hanc pugnam elatus Hun
nus qua proximum fuit,populabundus ſeſe in Ita-
liam effudit, igni ferroq; Carnorũ finibus uaſtatis,
terrore & metu omnia complens,Taurinum occu-
pat.Inde quum Mediolanum uerſus ducturus uide
retur,fama Venetarum opum,quæ iam inde in Ita-
lia illuſtres eſſe cœperant, motus omnem uim belli
repente in Veneros conuertit:confeſtim lembis ad
traijciẽdas copias fabricatis, quos corijs obductos
(quia rudi materia & arte conſtarent) fuiſſe tradũt:
A Ciuitatem nouam Barbarus adortus (ſic enim poſt
inſtaurationem appellatã fuiſſe conſtat: quæ olim
Heraclia dicebatur) primo impetu occupat, incen-
dioq; abſumit.Inde digreſsi Equilium Barbari Ieſu
lumque pari clade opprimunt.Secuti deinceps pro
ſperarum rerum curſum ſecũdum maris littus, Clo
diam ac Caput aggeris dirripiunt, direptisq; ignem
ſubijciunt. Demum ad Riualtinam oppugnationẽ
animum adijciunt. Haud ſimilis pauor tum Vene-
torum animos inceſſerat,qui & bello Gallico: lõn-
ge maior præſens metus, quàm tũ ille fuiſſet:Cum
Gallis de libertate pugnatum,cum his de uita dimi
catio futura erat. illi etſi Barbari, non omnino ta-
men pietatis expertes: Hunni non modo pietatis,
ſed humanitatis etiam contemptores: quippe qui
ne cęſorum quidem cadaueribus parcerent,imma-
niumq; ferarum more humana membra laniarent,
laniataque manderent.Hic nefandus gẽtis mos ita
ab initio omnis ſexus & ætatis animos perculit, ut
non libertas,ſed omnium uita iam complorata ui-
deretur. At (quod ſæpè fit) deſperatio in iram uerſa
eſt,ita in ulciſcendi cupiditatem,aut certè, ſi id mi-
nus proceſsiſſet, fortiter moriendi. Cupiditas hæc
ſpem fecit,ſi pro uiribus dimicare uellẽt,poſſe Bar-
barum uinci.Nec defuiſſe crediderim (nam de ea re
nihil quod alioquin affirmare poſsim, habeo) qui
eos tumultuaria concione ita adhortaretur:Veniſſe
tempus, quo Venetos uerè oporteret eſſe uiros:im
minere ingens periculum, non patriæ ſolum,ſed ui
tę etiam:rem ſibi cum eo hominum genere eſſe, qui
non magis poſt pugnam cæſorum membris parce-
re ſoleant,quàm in prælio uitę pepercíſſent:uerum
eos quoq; non ferreos eſſe,quorum corpora uiola-
ri non poſsint. Priſcos Venetos olim Latinis colo-
nis mixtos,circa Aquileiæ mœnia paruam bellato-
rum manum trecentis & amplius hominum mili-
B bus (tot enim tum Athilam ſequebãtur) pro patria
ſe obijcere non dubitaſſe: euentum pugnæ illius fa
cile declaraſſe,plus uirtutem in armis ualere, quàm
multitudinem:ſed illi fortaſsis temerè feciſſe uide-
ri poſſunt,qui ea parte belli qua hoſtis plurimũ po-
terat, pugnam committere eſſent auſi: ſibi contrà,
aut aperto mari, aut certè in his ſtagnis dimicandũ,
ubi omnia propugnatoribus explorata ſint,Barba-
ro ignota.Verum enimuero nihil dicere tam opta-
bile fuiſſe Venetis, qui ab ineunte ætate maritimæ
rei aſsueſcunt,quàm ut ea parte ſibi hoſtis pugnę co
piam faceret, qua plurimũ patria uirtus emineret.
Cæterum illis neque animum neque nauigia ad id
ipſum eſſe accommodata. maiores ſuos Pipinũ re-
gem, ſuis paternis q; imperij opibus ſuperbientem,
in illis locis in quibus dimicandum eſſet, olim ſu-
peraſſe: ſed pro libertate ab illis pugnatum: ſibi ue
ro uitæ periculum bene pugnandi neceſsitatem im
ponere.Quia igitur ſi uicti eſſent,moriendũ ſit:cre-
dere ſe nullum eſſe tam imbellem ciuem,nullũ tam
timidum,qui non malit,quum poſsit,honeſte mo-
ri, quàm turpiter captum amiſsis omnibus ab im-
maniſsimo hoſte uelut ouem iugulari. At uirtutem
ſuorum ciuium eam eſſe dicere:quę,ſi totis uiribus
fuerit dimicatum, non ſolum Hunnicum ferrum è
ceruice ciuitatis ualeat propulſare, ſed difficili pa-
triã liberare obſidione. His adhortationibus erecti
animi aut certè ſimilibus.nam in tam efferatum ho
ſtem ſine aliqua uehementi oratione, atque eadem
hortationum plena, territam multitudinem excita
ri potuiſſe,ſtultum eſt credere. Confeſtim igitur ad
defendẽdam libertatem: immò ad depugnandum
pro uita ſeſe omnes accingunt. Interim Barbarus
Riuumaltum uerſus mouerat: cui Veneti in expe-
ditiſsimas naues & ad pugnam idoneas conſcen-
dentes,circa Albiolam occurrunt: atrox primo cõ-
mittitur prælium, uarijq; fuerunt Hunnorum co-
natus, qui multitudine freti non uno loco erumpe

re conabãtur: contrà Veneti omnibus locis illis oc A
curſantes impigre, eorum impetus ſuſtinere. Pluribus diebus ancipiti marte pugnatum: deniq; totis utrinq; uiribus in pugnam deſcenſum: hic fuſi fugatiq; Barbari, ſolutaq; obſidione procul abeuntes in clytam uictoriã Venetis reliquere. Nec multo pòſt Berẽgarij muneribus capti (id enim fama tenet) Italia ceſſerũt. Ingens fuit Veneti nominis gloria poſt ſecundam illam circa Albiolam pugnã: illud in ore omnium eſſe, fregiſſe Venetos Hunnicam rabiem, cui Berengarius, homo impiger atque ob Italiæ imperium tum prępotens, ceſſiſſet. Ipſe Dux cuius auſpicijs res geſta fuerat, magnificentiſſimis uerbis abſens ab eo laudatus eſt. His temporibus credidim, cathena & muro munitam ciuitatem à Tribuno Duce potius quàm piratico motu: quod Venetarum rerum ſcriptores quidam affirmant. Sic itaq; domi foriſq; repub. fœliciter adminiſtrata, Tribunus ipſe anno ſui regiminis, ut quidam tradunt, undeuicẽſimo: ut alij, tertio & uicẽſimo uita deceſſit. Vrſus Badoarius in demortui locũ ſurrogatus eſt: Is Petrum filium ad Græciæ Imperatorem Byzantium miſit, à quo Protoſpatharius factus multis eſt muneribus ornatus: ſed quum iuuenis Venetias rediret, à quodam Michaële regulo in Dalmatia interceptus, omni cultu muneribusq; exutus in Myſiã relegatus eſt: unde clàm deinceps profectus Venetias uenit. Vrſus cum Clodiẽſibus cœpit de finium recognitione agere: ſed cognita Petri principis cui ipſe ſucceſſerat declaratione, præſenti actione abſtinuit. Ferunt fuiſſe uirum mira pietate & innocẽtia prædituũ: quippe qui undeuicẽſimo ſui ducatus anno ſponte ſe magiſtratu abdicauit, monaſticamq; ſectus uitã, in diui Fœlicis Amiani cœnobio reliquũ uitæ egit. Extant ad hunc diem eius loci ueſtigia ędeipſa penè uetuſtate collapſa, quæ ex urbe Portũ Gruarium uerſus (eſt id Carnorum oppidum) na- B
uigantibus circa turrim quæ Riui maioris dicitur, ad lęuam occurrit: huius uoluntariam abdicationẽ Petri Candiani, ſiue Sanuti (id enim cognomen ferunt Candianę deinceps familiæ fuiſſe) Ducatus ſectus eſt. Fuit hic Petri illius qui Dalmatico bello perijt; filius: habuit & natum eiuſdem nominis, qui à patre in Græciam miſſus ab Imperatore Protoſpatharius eſt creatus: in hęc tempora referunt quidam illam raptarum uirginum cladem, de qua etſi plura primo libro differui (quia in hoc quoq; uariãt ſcriptores quos ſequimur) non abs re fuerit pauca dicere. Hiſtri, qui Venetorum hoſtes ea tempeſtate fuere, ex ædẽ Diui Petri, quæ in ea parte urbis eſt quod Caſtellum dicitur, aliquot uirgines, quarum nuptiæ tum forte celebrabantur, cum dotibus & reliquo apparatu impetu repẽte in eas facto abduxere. Quo caſu conſternata ciuitate, Dux tumultuaria manu contracta continuò in eos mouit, atq; in Caprulanis paludibus hoſtem aſſecutus, in eum ſortitione prædæ occupatum ferociter inuectus, modico negocio, ut quidam tradunt, ſuperauit: alij acriter utrinq; pugnatum ſcribunt, cruentamq; fuiſſe pugnam: demũ hoſtes ad unum trucidatos, cadaueraq; in medios fluctus proiecta. In eius uictorię memoriam annui ludi decreti, qui Mariarum ſunt nuncupati. Quotãnis ſtatis diebus duodecim uirgines ſolenni apparatu frequentiſſima parte ciuitatis circumuehebãtur. uerum cultus ille à religione ortus in odioſum poſtea luxum proceſſit. Manſit mos ille uſque ad Genuenſis belli tempora, ut duodecim uirgines auro & gẽmis ornatę ſolenni pompa quotannis ſtata die in rei geſtę memoriam tota urbe circumueherentur: ſed Lygure Clodiam tenente, ciuitate maioribus curis occupata prorſus euanuit. Plęriq; auctores ſunt, atq; ijdem diligẽtiores, apud Caprulas nõ Petri Candiani, ſed Badoarij auſpicijs pugnatum. Per hæc tempora in Comaclinos feliciter pugnatum reperio: à quibus quũ ob Venetos ciues uiolatos res repetitæ eſſent, nõ prius ſunt receptæ, quàm Comaclum fuerit expugnatum: tum demũ non captiui tantum redditi, ſed Venetorum quoq; imperia ſe facturos Comaclini publica ad id fide data promiſere. Iuſtinopolitani quoq; ſub id tempus in fidem Venetorum ueniſſe dicuntur: ſed cauſam deditionis huius non tam uoluntariã quàm neceſſariam fuiſſe crediderim. Quippe qui in ultionem pollutarum cæremoniarum raptarumq; antea uirginum à Venetis bello petiti, uel inuiti imperium accipere ſint coacti: pactæ ad hæc tributi nomine centũ uini amphoræ, quas quotannis Venetias mitterent. Petrus Oliuolenſis antiſtes, Petri ducis cui Tribuno cognomen fuit, filius, Saturnini & Nicodemi corpora in Virginis formoſæ phano cõdidit. Et hæc Petro Candiano duce geſta accepimus, qui altero ſui principatus: uel, ut alij ſcribunt, ſeptimo circumacto anno uita deceſſit. Eum Petrus Badoarius Dux ſecutus, quem ex Græcia redeuntem in Illyrico captum diximus: duos hic quoq; annos reipub. præfuit: ſunt qui tres ſcribant. Eius ductu Hiſtros circa Caprulas uictos, uirgines recuperatas: quidam, ut proximo loco oſtendimus, tradidere: præter id unum nihil ab eo dignum memoria geſtum reperio. Succeſsit illi Candianus, Petri filius: cui à patre in collegam aſſumpto ob inſolens ingenium abrogatum fuerat imperiũ: ſed mutata cum annis uitæ ratione, quum in mores ſe faciliores cõpoſuiſſet, unius Petri Badoarij interiecto principatu, magno populi fauore ad faſtigium amiſſæ dignitatis fuerat reuocatus. Infeſtabant interim Narentani proxima maria latrocinijs, ita ſanè, ut nihilo melior ferè eſſet Venetæ urbis conditio, quàm eorum qui obſidione premuntur, eſſe ſoleat: tum demum pudor iraq; omnium animos ad uindictam ſtimulare, rem ſanè indignam dicere, Venetos, qui tot clariſſimas uictorias ad eam diem medijs aquis eſſent aſſecuti, ſua patientia effeciſſe, ut latrunculi quàm pauciſſimi, quibus ſpes nulla niſi in fuga eſſet, ad id licẽtiæ peruenirent, ut nihil Veneto nomini quod tutum eſſet, reliquum feciſſent: fuiſſe ad eam diem multos ab eis in cõſpectu ciuitatis oppreſſos: quid iam ſupereſſe, niſi ut facto ex alto impetu in mediã urbem perrumpant, paſſimq; miſeros ciues uelut uiliſſimas oues trucident. His querelis accenſi animi confeſtim noua in Narentanos decernitur expeditio: tres & triginta naues, quas à forma Gombarias appellatas reperio, in altum deductæ: Vrſus Badoarius & Petrus Roſolus cum imperio præfuere. Ad huius nouæ claſsis famam territi Narentani, nõ modo cõgredi non ſunt auſi, ſed per legatos etiam pacem petiere: quæ his conditionibus eis data eſt, ut omnia quæ Venetis damna ad eam diem intuliſſent, æqua æſtimatione perſoluerent. Sunt qui dicant infecta re, ut ſæpè aliàs, claſſem Venetias reductam. Fœdus cum Aquileienſi antiſtite per id tempus renouatũ. Dominicus Oliuolenſis antiſtes Ioãnis Baptiſtę reliquias quaſdam in phano à ſuis maioribus in ea parte urbis quæ Embragola dicitur, olim inſtructo rite condidit. Candianus interim ex tribus filijs, non maximum neque minimum natu, ſed medium inter utrunq;, Petrum nomine ſibi collegam cooptauit: Is non multo pòſt in tantam prouectus eſt inſolentiam, ut patris uiri optimi conſilia aſpernatus, facinoroſos aliquot homines ad apertam ſeditionem in ciuitate mouendam ſollicitare ſit auſus. Patres fermè omnes ſeni fauebant: ſeditioſi & ſtulti atq; non adeo multi, temerarium iuuenẽ ſequebãtur: eouſq; diuerſa utrorunq; ſtudia proceſſere, ut parum abfuerit, quin media urbe ſit inter ciues dimicatum. Sedauit incenſam hinc inde multitudinem, & iam ad pugnam ſeſe expedientẽ, Candiani auctoritas, continuoque iuſſu populi, cuius exigua

exigua pars nefariæ conſpirationis erat conſcia, ab A
rogatum eſt filio imperium, atque exilium inductum: omni clero ac primoribus ſe ultro iureiurando aſtringentibus, neque patre uiuo neq; mortuo paſſuros ſe Petrum Candianum, hominem ſeditioſum, in eum principatum, unde merito eſſet ęiectus, aliquando reſtitutum iri. Sunt qui tradant, illum in uincula adductum, ac dignum capitali ſupplicio à populo iudicatum, ſed patre illius mortem deprecante in exilium actum: exul ad Guidonem Berengarij filium ſe Rauennã contulit (apud quoſdam Alberrum pro Guidone ſcriptum reperio) hoc autem annitente, à Berengario exul impetrauit, ut Venetos, quorum iudicatus eſſet hoſtis, hoſtiliter inſectari liceret. Sex naues ad hoc ipſum illi datæ à Guidone, ut arbitror: nam in ea fortuna haud quiſquam priuatus rem tantam per ſe moliri potuiſſet. His ferox iuuenis inſtructus breui tẽpore aliquot Venetas naues circa Rauẽnæ littora oppreſsit. quo ſcelere ita pater affectus dicitur, ut mœrore & ægritudine nimia intra paucos dies expirauerit, quum annos ſeptem, uel, ut alij tradunt, undecim rei Venetæ præfuiſſet. Erecta in noui Ducis creationem ciuitate (ut leuia ſunt ſemper populi ſtudia) confeſtim quaſi miro unius abſentis deſiderio teneretur, publico decreto Candianus ab exilio reuocatus, cõtra cleri & optimatium iuſiurandum Dux patri ſurrogatur. Sed neglecti iuramenti ciuitas mox tyrannica Ducis adminiſtratione publicoq; incendio, Petrus ſuæ in patrem ac patriam temeritatis meritas pœnas luerunt. Ferunt officij gratia Rauennam uſque trecentas illi cymbas (nam quod alij naues ſcribunt, ridiculum eſt credere) obuiam progreſſas. Eo iraq; principe Petrus Marturius, Oliuolenſis antiſtes Diuo Auguſtino ædem conſpicuo apparatu erexit. Legati etiam per id tempus Romam miſsi ad B
Leonem Romanum pontificem & Othonem imperatorem, cum quibus agerent ut Gradenſis eccleſia frequentiſsimo antiſtitum conuentu, qui tum Romæ habebatur, Venetiæ atq; Hiſtriæ metropolitana declararetur. Quod ipſum non ſolum adepti ſunt, ſed & alia quædam immunitatum priuilegia Veneto nomini conceſſa reportarunt. Dux interim cum Ioanna coniuge diuortium fecit, quia, ut ipſe uideri uolebat, iam anus eſſet: ex ea filium Vitalem nomine tulerat, hunc quo que initiatum ſpecie religionis abdicauit. Sed id adoleſcenti bene uertit: quippe qui poſtea Gradenſis eccleſiæ fuit antiſtes. Ejecta igitur domo coniuge, & in Zachariæ phanũ ablegata, Vualdertam Guidonis filiam uxorem duxit: à qua quum ſeruos, ancillas, prædia, precioſamque ſupellectilem accepiſſet, fortunis & noua affinitate auctus: mox praua natura ad uitiũ, quod tantiſper celarat quoad opes ſuas firmaſſet, recurrit, manifeſtamq; penè tyrannidẽ cœpit pro legitimo principatu exercere: ſuperbiæ & minarum plenus, formidabilis malebat uideri quàm iucundus populo. Parato præterea ingenti exercitu in Opiterginos mouit: à quibus prædia nõ parua, ad uxoris dotem ſpectantia, iniuria occupari prædicabat: Opiterginos uaſtatis prius finibus aggreditur, oppidumque non multo pòſt expugnat, incendioq; abſumit. Ferrarienſes quoq; eodem nomine ab eo uexatos tradunt quidam, oppidumq; in eorum finibus expugnatum. Præſenti itaq; ſucceſſu elatus, quum Ducarium præſidio ualido firmaſſet, nihilq; diceret aut faceret, quod non idem ſuperbiſsimi tyranni eſſe uideretur, anno eius ducatus, ut quidam ſcribunt, decimo ſeptimo, ut alij (nam in ſingulorum ferè principum temporibus uariant ſcriptores) duodeuicẽſimo, repente populus ſuæ libertatis non omnino immemor, in eum impetum fecit. Sed quum è ſuperiore loco præſidio prius firmato ſe tutaretur, ſecũdo uentorũ flatu in propinquas ædes, quæ eis riuũ è regione Ducarij erant, faces injiciunt: quibus conflagrantibus nõ ſolum ducis tecta, ſed etiam ipſum Diui Marci phanum incendium contraxit. Petrus quũm undiq; ſe malis cinctum uideret, appareretq; aut cedendum eſſe aut omnino moriendum, complexo paruo filio, quem ex recentiore coniuge tulerat, in eam ardentis templi partem tranſijt, quã nõdum ignis corripuerat: ſecretiore uia egreſſus ſalutem ſibi ac nato, quem exilij comitem deſtinarat, tacita fuga moliebatur. uerum ubi exitus omnes ab armatis inſeſſos uidit, tũ in preces uerſus orare cœpit, ne ſe uelut feram quandam immaniſsimam circumſiſterent, tantiſper manibus & ferro temperarent, dum ſuam cauſam ad populum dixiſſet: tum illi integrum fore, de ſe, ſi ita libeat, uel atrociſsimũ ſuppliciũ ſumere, aut certè ſeruare: quod aliàs uiuo patre quum perduellionis manifeſtè reus crederetur, ſua clemẽtia feciſſet. Cæterum habere fortaſsis populum iuſtam iræ in ſe cauſam, filium tam paruulum omnino inſontem eſſe: indignum quidem facturos, ſi odio patris in eum fæuirent, qui per ætatẽ ne peccare quidem potuiſſet. Irritæ fuerũt eius preces, acclamatumq; eſt in eum à circunſtantibus, fas quidem piumq; eſſe, tyrannum è repub. tollere, cuius cauſa niſi mala eſſe non poſsit. ac cum his factõ in eum impetu, multis momento temporis uulneribus cõfectus cum filio concidit. Sunt qui ſcribãt, in gremio nutricis eo tumultu trepidantis puerum iugulatum. Amborum corpora ad macellum dicuri tur proiecta, canibus q; laniãda iuſſu populi relicta. ſed Ioanne Gradonico petente tam fœdum ſpectaculum oculis inſenſæ multitudinis ſubtractum: is è publico ſublatain diui Hilarij æde honorificentiſsime ſepelienda curauit. Fuerunt ea tempeſtate qui crederẽt, Petri Vrſeoli, qui poſt illum princeps declaratus eſt, ſuaſu populũ ignem in propinquas Ducario ædes conieciſſe, ſed id ipſum in ſolius ducis perniciem. Verum res aliter euenit: ita enim uis uentorum propinquitaſq; ædium incendium alue re, ut præter ducariũ, auguſtiſsimũ quoq; urbis tẽplũ cũ Theodori martyris uirginisq; Iubanicæ ædibus, trecẽtis q; priuatis domib⁹ eo die cõflagrarint.

IN LIBRVM QVARTVM Epitoma.

VRſeolus Dux, qui Candiano ſucceſſit, Ducarium quod proxima populi conſternatione conflagrarat, priuato ſumptu reparauit: Tabulam preciosiſsimam ad aram maximam ſtatuit: Venetus Sarracenos ad Baretum nauali prælio fudit: Vitalis Gradenſis antiſtes Candiani cæſt filius, ad Othonem Imperatorẽ transfugit: Quos Adheleta, illuſtris fœmina, fortunæ caſus fuerit experta: Cum iuſtinopolitanis fœdus renouatũ: Vrſeolus religionis cauſa clàm ex urbe eſt profectus: Reipublicæ ſtatus nonnihil ciuili iactatus eſt diſcordia: Otho ſecundus Venetos occulto petijt bello, ac primo fame tentauit: Georgij ædes è regione fori condita eſt: Totius Illyrici deſcriptio: Vrſeolus Princeps omne Hiſtricum Dalmaticumq; nomen in fidem recepit: Otho Imperator diſſimulata perſonã Venetias uenit, ſecretoq; apud Principẽ in hoſpitio fuit: Phaedri Diuo Benedicto ædem erexerunt: Venetus Hadrienſes inter Atheſim & Padi oſtia magno prælio ſuperauit: & in Dalmatia non multo pòſt in Hereſimum Croatiæ regulũ prœlio pugnauit: Otho princeps in exilium actus eſt: Dominicus Vrſeolus poſtridie quàm Ducatum temerè occuparat, à populo fugatus Rauẽnam in exilium abijt: Iadrenſes qui iam antea in Venetorum fidem uenerãt, ab imperio deſcere: Reipublicæ ócia à Pepone Aquileienſi antiſtite turbari cœpta ſunt: Vnde Normani, qui in Italia diu fuere, originem traxiſſent: Et quæ Guiſcardi ductu in Italia & Sicilia ab illis ſunt geſta; Veneti Normanos ad Dyrrachiũ nauali prælio uicerunt.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER IIII.

PVblica libertate morte ducis retenta, difficile fuit iudicare, maiúsne gaudium secutum sit sublato tyranni metu, an tristitia ex publica illa priuatáq; incendij clade, quæ faciem urbis miserabili modo deformauit. Verum ne in tanta consternatione atrocius aliquod malum (quod sæpè accidere solet, ut recentem luctum alius maior nõ longè sequatur) in ciuitate oriretur, confestim de creatione noui ducis cœptum est agi. Quærebatur interim aliquis ab cæsi principis ingenio longe diuersus: in quo reperiendo, quia ad manum ut dicitur erat, haud multũ est laboratum. Erat ea tempestate Petri Vrseoli probitas omnibus spectata: hunc nihil uariantibus suffragijs populus in æde diui Petri, ubi nunc patriarchica sedes est, principem creauit: magistratumq; adire recusantem, populi preces ne rempub. ea temporũ nouitate desereret, omnino flexerunt: quanquam id ipsum constet, ægerrime ab eo impetratum. Reformidabat ingenium illud, à teneris iustitiæ assuetum, popularem administrationem, in qua rarus relinquitur innocentiæ locus: sed patriæ charitas, cui primo, ut diuinus ait Plato, nascimur, effecit ne in tãto discrimine ciuibus deesset suis. Dux igitur declaratus, quia apparebat statum reipub. non tam cito sisti posse, sed maiores in dies motus in ciuitate cæde principis commota orituros: ut populum obsequentiorem haberet, fidem publicam sibi obligat: iuramento adiguntur omnes, nullo modo passuros se quenquam res nouas in eum qui summam in urbe obtineret dignitatẽ moliri, nec quid aliud quod nõ idem è repub. esset. Et quia Ducarium incendio conflagrarat, in priuatas ædes thronum cum insignibus adepti principatus transtulit, consilio tamẽ, in publicas ædes ubi instauratæ essent, remigrandi. Ab eo itaq; opere publicam administrationem auspicatus est: atq; aliquanto maiore apparatu quàm prior ille fuisset, utrunq; locum priuato sumptu reparauit: In phanum ita instauratum sacrum Euangelistæ curauit corpus incendio seruatũ paucis conscijs reportandum: Tabulam ad hæc ex auro Byzantij mira arte conflatam, eodem intulit, illatamq; ad aram maximam solenni dedicatione statuit. Sub id tempus, aut certè nõ multo antè, Sarraceni Italiam bipartito ingressi, Capua occupata, Barium Peucetiorum urbem inter Brundusiũ & Ausidi fluminis ostium, terra mariq́ue obsidione cinxerãt: miseros ciues rei frumentariæ inopia in ultimum penè discrimen adductos, Vrseoli ductu Veneta classis cõmeatu iuuit. Sed quum nihilominus Bariensem acri Barbarus premeret obsidione, Vrseolus auxilia ri ex Græcia classe auctus, maritimo prælio cum hoste conflixit: quo fuso fugatoq;, ac magna ex parte cæso, ingentem inde Veneto nomini gloriam reportauit. Filium ex Fœlicia cõiuge unicum habuit, quo nato uterq; perpetuam Deo uouit castitatem. Interim ea innocentia rempub. administrauit, ut ex eius regimine appareret permississe se principẽ creari, non tam ut præesset reipubl. quàm ut ex adepta dignitate prodesset. Pacatior itaque rerum status turbulentissima illa cæsi ducis tempora excepisset, nisi pauci, qui furiosi illius Candiani regiminis & auctores & ministri fuerant, ciuitatis ocia turbare A cœpissent: horum suasu Vitalis Gradensis antistes, quem adhuc puerum prætextu religionis à patre abdicatum diximus, in Galliam ad Othonem secũdum profectus est: ubi multa de infanda Petri genitoris sui morte questus, rogare cœpit ne illius cædẽ inultam esse sineret: quippe qui ipsius & hospes olim & necessarius fuisset. Potuisse fortasis illum iure cæsum uideri: at fratrem quem infantem adhuc in eius amplexu crudeliter interfecissent, uideri nõ posse. Accedere ad id exilium suum uel ipsis hostibus miserabile, in quo sibi senescendum sit, atque à patrio solo quàm longissime moriendum, nisi aliena ope in eam ciuitatem restitueretur, unde suorũ ciuium iniuria esset eiectus. Mouerunt eius lachrymæ Othonis animum familiariterq; hospitis sui calamitatem indoluit: facta igitur spe reditus in patriam bono animo esse iubet, atque penes se tantisper in hospitio esse, donec in ciuitatem esset restitutus: quod ut breui fieret, pollicitus est se enixe curaturum. Vualderta interim Vitalis nouerca priuigni exilium secuta, ad Adheletam Othonis coniugem, quæ tum Placentiæ erat, transfugit: in cuius gratiam non multo pòst bona principis ac populi uenia in patriam restituta est. Operæpreciũ est breuiter cognoscere (quia & hoc ipsum ad institutam historiam attinet) quibus casibus iactatam Adheleta tam ad fastigium imperij, unde morte uiri exciderat, restitui contigerit. Nupserat hæc uirgo adhuc Lothario Imperatori, qui Veneti nominis amicissimus fuit. Eo defuncto Berengarius, qui Veronæ Imperator declaratus fuerat, Adheletam in Gardensem arcem, unde nobilissimus Italiæ lacus nomen nunc habet, relegauit: ubi ad id inopiæ redacta est, ut emẽdicato per internuncium cibo calamitosam tueretur uitã. Quo fortunæ ludibrio, nisi stulta terrenarum rerum admiratione suæ infirmitatis mortales obliuiscerentur, quantumuis sublimis fortunæ ne homo admoneri posset, nihil esse in humanis rebus tam arduum, nihil nostra ope tam munitum, quod sibi diu incolume mansurum affirmare possit aliquis. Adheleta clàm ex Garda profecta ad Aleardum, Veronę (ut arbitror) antistitem (nam hodie quoque in ea urbe Aleardorum familiam florere non ignoramus) se contulit: is quia locũ ubi tam illustris fœmina latere posset non habebat, eam ad Accionem aunnculum suum, quondam Lotharij amicũ, clandestine misit: cuius opera tam diu in suburbano quodam ad decimum lapidem latuit, quoad Othoni primo, uno Accione auspice, nupsit. Otho illam in Germaniam duxit, habuitq́ue ex ea filium qui Otho secundus est postea cognominatus, cuius proximè mentionem fecimus. Is Berengarij & Alberti eius filij opes non fregit solum, sed euertit etiam: stabilitoq́ue iam imperio matre Adheleta annitente, cum Venetis, quibus ob Candiani ducis mortem iratus erat, rediit in gratiam. Sub id tempus recens cum Iustinopolitanis orta est discordia, quæ breui pòst renouato fœdere oppressa est: in eo sanciendo in primis ita conuenit, ut Venetis quotannis centum uini amphoras Iustinopolitani darent: id tributum Gradenses antistites aliquandiu publico nomine ab Histris exegere. Hic erat rerum Venetarum status, quum respub. nouo quodam abdicationis exẽplo optimi principis administratione est priuata. Guarinus homo genere Aquitanus, Venetias peregre appulisse dicitur, ut diui Marci corpus inuiseret: is, quia ita ab ipso mandatum erat ut omnes diuinarum rerum studiosi qui in urbem uenissent, hospitaliter inuitarentur, ad Vrseoli conspectum ductus est. hic de religione & pœnitentia (erat enim hospes ille monasticæ professor uitæ) non pauca locutus, eò animum iam ante sua sponte ad id spectantem sensim perduxit, ut de principatus restitutione continuo cogitare cœperit: ad quod

A quod ipsum Vrseolus tantum sibi moræ depoposcit, quoad rempub. in meliorem statum redegisset. Iussum itaq; intra annum Gallum redire, à se dimissit: interim ad pientissima quæq; opera conuersus, pauperes amplexus miro studio eorum inopiam subleuabat. Cõdidit ad hæc pium diuersoriũ, quod hodie è regione fori uisitur. Collegia præterea, clerum, religionem omnem incredibili charitate protegere ac fouere: Vitalem absentem, & homines eius factionis quotidie res nouas molientes, quorũ nefaria consilia diuinitus aiunt rescire solitum, mira patientia sustinere: demum anno per hæc opera circumacto, noctu (nam Guarinus præstò illi ad cõstitutum tempus affuit) ignoto habitu urbe egressus, coniuge, nato, necessarijsq́ue eius profectionis ignaris, peregrè profectus est. Eum magistratu patriaq́ue excedentem Ioannes Gradonicus, & Ioannes Maurocenus, cum Romoaldo & Marino Rauennatibus, eius consilij cõscijs, secuti sunt. Is procedente tempore ita religione & sanctitate profecit, ut post mortem in Aquitania, ubi reliquum uitę egit, multis (ut quidam tradunt) sit miraculis illustratus. Altero itaque ab eius creatione anno, tanto principe priuata ciuitas magno quidem mœrore affecta est, maiore tamen desiderio. Verumenimuero sic quoq; publici regiminis haudquaquam oblita, pro magno negocio habuit primo quoque tempore in desiderati principis locum alium creare. Vitalis Candianus Petri Candiani tertij filius, consensu omnium dux declaratur. Eo annitente Vitalis patriarcha Gradensis, qui metu populi ad eam diem exul fuerat, in patriã reuocatus est. Nec multo pòst principis suasu cum publicis legatis ad Othonem in Germaniam proficiscitur, qui Venetum nomen ob atrocẽ Petri Candiani cædem miro ad eam diẽ odio persequebatur. Ea legatio haud irrita fuit, placato Othonis animo: ad quod impetrandum multum profuit Vitalis præsentia, qui cæsi ducis filius fuerat. Etenim illius saluti in primis consultum uolebat: quod ipsum si infectare à se legatos dimisisset, apparebat fieri non posse: fœdus cum eo renouatũ. Interim anno uno ac paulò amplius eius ducatus acto, quum in grauissimum morbum Candianus incidisset, atq; indies maiore grauaretur, ratus quod erat fore, ut paulo pòst tabescente corpore uita decederet, magistratu sese abdicat, monasticáq;, si quid adhuc superesset, uitam professus in diui Hilarij cœnobiũ deferri uoluit: ubi post aliquot dies humanis decedens sepultus est. Huic defuncto populus Tribunum Memum ducem surrogauit, uirũ singularis solertiæ, sed uerborum alioquin paucorum. Is etsi prudenti, ut dixi, fuit ingenio, parum tamẽ feliciter rempub. administrauit: nam & à suis ciuibus est nonnunquam atroci coniuratione petitus, & Mauroceni Caloprinią; familiæ illustres, maioribus propè odijs quàm uiribus inter se certãtes, fœdissima aliquando spectacula populo præbuerunt: quorum illud nescio an ut primum, ita quoq; si non euentu, specie tamen atrocissimum fuerit, quod aiunt, Stephanum Caloprinum post multas simultates cum liberis, necessarijs, alijsq; non paucis suæ factionis hominibus, in Maurocenam domum arma corripuisse: eo certe consilio, ut non uiros, sed nomen etiam, si fieri posset, eius familię extingueret. Ibat armata manus per mediam urbem iamiam dimicatura, nihilo interim minore animo aut odio, quàm si cum aliquo Veneti nominis hoste res esset futura. Attonita ciuitas silentio tam fœdi certaminis euentũ expectabat: Mauroceni (quia ad id forte minus parati erant, aut certè opes aduersæ factionis ueriti) pugna abstinuere. Sed domi ne ex superiore loco sese tutati sint, an (quod innuere quidam scriptores uidentur) ea trepidatione per urbem dilapsi, apud amicos & necessarios latuerint, B pro tempore quieturi, incompertum habeo. At ne Venetum solum ciuili eo die non madesceret sanguine, ita fors tulit, ut ubi in pugnã descensum non sit, per occasionem commissa sit cædes: Dominicũ Maurocenum in Oliuolensi foro repertum, Caloprini fœde trucidarunt: qua postea cæde consternati (quia aduersæ factionis opes ad domesticam iniuriam abolendam Tribuno auctore comparari non ignorabant) Stephanum caput factionis secuti, ad Othonem secundum, qui tum Veronæ erat, transfugiunt: cui in principis Maurocenæq́ue gentis inuidiam, Venetorum imperium pollicentur. Ad eam rem, quia non leues facinoris cernebat adesse auctores, continuo Otho animum adiecit. Verum antequam aperto bello Venetos peteret, famẽ eos tentare statuit: confestim per edictum uniuersæ Italiæ Venetorum commercio interdixit. His denunciari fecit, ne negociorum causa alióue prætextu imperij urbes frequentarẽt. Quod si quid temere egissent, fore ut deinceps pro hostibus ubiq; haberẽtur. Ea statim denunciatione apparuit quid Otho moliretur: ut interclusis commeatibus ad ultimum omnium malorum, atq; id ipsum intolerabile, inediam Venetos redigeret. At quanquam nõ parum terroris ea res ciuitati attulerat, perinde ac ignari quorsum Othonis consilia tenderent, bono se animo esse Veneti uidebant, suum dolorem metumq́; dissimulare, certi prius omnia extrema pati, quàm libertatem amittere. Et iam ad multum inopiæ uentum erat, quum Caput aggeris, municipium (quod sæpe fit ut malum malo hæreat) à Veneto nomine defecit: ipsi municipes defectionis nomine, ut esset esca quædam ad cæteros populos mouendos, aliqua Lauretanorum prędia ab Othone impetrarunt. Sed quũ hæc foris facta essent, cœpisset q; interim ciuitas iam rerum omnium penuria premi, id totum Veneti Caloprinæ factionis hominibus, qui circa Othonem frequentes erant, acceptum referre, eos incusare illorum suasu talia in se moliri hostem. Publico itaque decreto Caloprinas ædes funditus diruunt, uxores & liberos custodiæ tradunt, reliqua bona publicant: interim Otho sua adhuc pertinacia obnixus, ut neque aperto bello Venetos oppugnaret, neque integram pacem redderet, Romã proficiscitur: ubi subita correptus febre pauciſsimis diebus expirauit. Eius morte Veneti (ut sæpe aliàs) ingenti sunt periculo seruati. Adheleta defuncto Othone, ne Caloprinæ factionis causam prodidisse uideretur, cum Venetis egit, ut Stephanus & hi qui eum secuti erant, ab exilio reuocarentur. Quod ipsum quum Tribunus princeps populusq; Adheletæ præstitissent, essentq́ue iam Caloprini in Patriam restituti: quatuor Maurocenæ familię uiri ueteris iniuriæ non obliti, treis Caloprinos fratres, Stephani filios, ex ducario se domum parua cymba recipiẽtes, adorti simul obtruncant. Venit dux in suspicionem: creditumq́; uulgo est, eo auctore patratam fuisse cædem: id circo se ille præsenti calumnia ad populũ pro cõcione purgauit. Idem Memus Ioanni Mauroceno, qui Vrsum in Aquitaniam secutus fuerat, in patriã redeunti, Georgij ædem, quæ est è regione fori, cum paludibus circumiectis ea lege tradidit, ut ibi ijs domicilium cõderet, qui Benedicti abbatis dogma sequerentur: quum antea locus, de quo loquor, ad Ducarium sacellum spectaret: Mauricium filium ad Basiliũ Græciæ imperatorem misit, ut aliquo ab eo insignitus munere conspectior quandoq; suis ciuibus uideretur. Verũ non multo pòst quàm hæc ita facta sunt, graui morbo implicitus sua sponte, uel, ut quidã tradũt, à populo coactus: quia in ciuilib. discordijs parũ æquum principis functũ esset officio, sed alterutrius factionis semp studiosus fuisset, anno sui regiminis quartodecimo summa dignitate se abdicauit. Nec

ita diu postea superfuit, quin paucis diebus monasti cã in posterũ uitam professus mortem obijt. Surro gauit illi populus Petrum Vrseolum, cuius princi patum ferũt diurno quodam uaticinio longè prius à patre, uiro optimo, prouisum. Huius administratione res Veneta non solùm domi, sed foris quoq; mirum in modum est aucta: primum omnium à Ba filio & Alexio (qui per id tempus unà in Græcia im perabant) obtinuit, ut toto eorum imperio Veneti nominis negociatores terra mariq; à uectigalibus & portorijs immunes haberentur: Ægypti & Syrię principes sibi per legatos conciliauit: Italiæ ad hæc potentissimum quenq; muneribus & officijs assectatus: ubi ratus est uenisse tempus quo Veneti ueteres nouas q; Narentanorum iniurias facilè ulcisci possent, uetuit tributum, quod Venetũ nomen mul tos annos ut tuto oram Dalmaticam sui negociato res nauigarent Barbaris miserat, ulterius dari. Na rentani ira in Venetos accensi subito maria infesta re incipiunt: uerùm non contenti maritimis latroci nijs, terrestribus etiam expeditionibus uastant Iar densium fines: ij enim Dalmatarum omnium soli in Venetorum fidem ad eam diem uenerant. Sed ea iniuria non solùm ad eos peruenit, quin & finitimo rum populorum res Narentani iam apertè sollicita bant. Quod ipsum quum illi aliquandiu ægrè tulis sent, appareret q; sua patientia latronum ferociam indies augeri, rati quod erat, insolentissimam gen tem nunquam ab iniuria desituram, nisi eorum co natibus quandoque iretur obuiam: pleriq; Dalma tici nominis populi (nã id suis uiribus moliri haud tutum credere) ad Venetorum opes confugere: ex Liburnia quoq; & Histria uenerunt legati ad hoc unũ omnes missi, ut cum Veneto duce publico no mine agerent: si in Dalmatiam aduersus Narenta nos ualida classe transmitteret, omnemq; littoralẽ oram cum his qui littoribus proximi sunt, à ueteri Narentanorum iniuria uendicaret, fore (quod ipsi suorum popularium nomine reciperent) ut omne Dalmaticum nomẽ quod ritus incoleret, cum ma ritima Liburniæ & Histriæ ora in Venetorum fidẽ concederet. Legatorum pollicita erexerunt princi pis animum, totamq; ciuitatem in spem maximam potiundæ Dalmatiæ. Ne igitur talis occasio è mani bus laberetur, continuo ualida classis decernit. Sed antequam ad ipsius profectionem ueniamus, pau ca altius de ipsius prouinciæ situ sunt à nobis refe renda. Græci Illyrios eos existimasse dicuntur, qui supra Macedoniã & Thraciam à Chaonibus & The sprotis ad fluuium Histrum sedes habuere: cuius prouinciæ amplitudo esset ex Macedoniæ & Thra cię montibus ad Pæonas usq; & Ionium mare, quę dierum quinq; contineret iter: longitudinem tri plo & amplius maiorem fecere: quam Romani scri ptores dimensi, sex milium stadiorum esse tradide runt: latitudinem mille & ducentorum. Ex quo da tur intelligi, quicquid soli intra eos terminos con tinetur, ad Adriaticum sinum usq; uno nomine Illy ricum ueteres appellasse: atque ob id ipsum Dalma tiam Liburniamq; Illyriorum esse terras. Tradunt ad hæc, nomen genti & prouinciæ inditum ab Illy rio Polyphemi & Galateæ filio, qui eam terrã quã doque tenuisset: Dardanum & Taulantium acnõ nullos alios huius fuisse filios, unde Dardani sint & Taulantij Dalmatiæ incolæ. Habuit id terræ quan tumcunq; est, ex antiqua scriptorum diuisione Li burniam in se ac Dalmatiam complexã: nunc Dal matia dicitur omnis ora illa post Histriam, cui Li burnia fuit proxima, quæ ad Adriaticum mare uer git usq; fermè ad Drilonem fluuium: accolæ ipsius fluminis olim Dalmatę fuerunt: inde terram ipsam usq; ad Macedoniam Epirotarum gẽs suis sedibus profuga tenuit, totaq; regio à recentioribus Alba nia est dicta. Patet sic quoq; Dalmatia omnino ma

A gis à Septẽtrione ad meridiem, quàm ab occasu ad ortum. Parata itaq; classe, copijsq; in naues impositis, quum Vrseolus in Oliuolensi fano publica si gna antistitis manu accepisset, in Dalmatiam mo uit. Erat tum uernum anni tempus, prosperaq; usus nauigatione Aquileiam primo, inde Gradũ tenuit. Hic Vitalis loci antistes cum populo & omni clero obuiã progressus, eius aduentum gratulatus: Quod felix sit tibi, inquit, Vrseole, Venetoq; nomini, acci pe diui Hermagoræ uexillum: hoc inter patria si gna fac tui milites sequantur, sub hoc acriter pu gnent: spero fore ut quandoque manifestè sentias, hæc quæ tibi tradimus signa, non minus quàm tuo rum militum uires ad uictoriam contulisse. Scimus uirtute ubiq; rempub. rectè administrari: sed Deo auspice rectius. Accipio tuum istud dux ait omen: tuq; nobis hinc soluentibus prosperam quæso ora atq; uictoriam precare. Cumq; his digressus confe stim felici cursu in Histriam transmisit. Est Histria hodie extrema Italiæ regio, & Liburniæ olim affi nis, quæ in peninsulæ formam excurrit. Hic Vene tus Parentium primo petit: sed uix ad insulam urbi proximam uentum erat, quũ Andreas ciuitatis an tistes obuius factus, se ciuesq; suos cum omnibus fortunis, publicis priuatisq;, in Venetorum fidem tradidit. Dux militibus septus urbem ingreditur, diuiq́ue Mauri corpus pro magno habuit negocio inuisere. Deducta ex Parentio classis ad insulã Po læ propinquã admota est. Histriæ oppidum est Po la uetustissimum, &, ut alio loco significauimus, à Colchis conditum. Sub ipsum ferè appulsum Pola ni quoque Parentinorum deditionem secuti, cum Bercaldo antistite ultro in Venetorum potestatem concessere. Multi populi iam pridem ad deditionẽ spectantes, huc ad Vrseolum confluxere, ac certa tim per legatos Venetorũ imperium accepere. Ali B quot hic dies consumpti in audiendis populorum legationibus, eisdemq; in fidem recipiendis: sed ali quanto plures in conscribendis militibus: quibus in naues impositis, ad Iaderam Vrseolus nauigat. Manserat aliquanto prius ea ciuitas in Venetorum patrocinio: ac per hoc ingenti plausu & lætitia ob uiam effusa multitudo uenientem Venetum exci pit, dominum liberatoremq; suum appellat. Hic su bito ex Corycta & Arba suorum popularium nomi ne antistites duo cum legatis affuere, pacem orant, imperiumq; semel acceptum perpetuò se facturos iureiurando promittunt: atq; illud additũ, ut quo tiens rem diuinam facerent, secundum imperato ris laudes Veneto duci suas decantarent. Quũ tam prosperæ res Venetę tota Dalmatię ora essent, Mur cimirus pulso fratre Croaciorum regnum obtine bat (Croaciam siquidem rubram, eam Illyrici par tem quę à uastitate camporum, qui in media fermè prouincia sunt ad Dyrrachium usque, recentiores dixere) ueritus is ne prospero rerum cursu Veneta signa in intima Dalmatiæ loca penetrarent, per le gatos properat sibi ducem conciliare, auxiliarẽ ma num in Venetorum gratiam se comparaturum pol licetur. Ex Iadera interim dux decem longas na ues mittit ad uastandos Narentanorum fines. Circa insulam Belgrado proximam ferunt eam ab in colis Chamam appellatam. Quadraginta Narenta nos negociatores qui ex Apuliæ littoribus solue rant, intercipiunt. Sunt qui tradant, per explora tores eorum aduentum antea cognitum, atque ob hoc ipsum premissas fuisse naues. Vrseolus supple mento prioribus copijs addito, non multo pòst subsecutus est: sed naues quæ præcesserant, insu lam, circa quam Narentanos oppressos diximus, ante ducis aduentum cepere: quo factum est, ut sub Vrseoli appulsum Belgradenses & Tragurini legati præstò affuerint, imperiũ & ipsi accepturi. hi quoq; in ducis uerba publico nomine iurant, perpetuo se in fide

in fide quam supplices imploraſſent mansuros. Est A ritima Histriæ, Liburniæ & Dalmatiæ ora in Vene
Tragurium Dalmatię insula, cum oppido eiusdem torum ditionem redacta, prospera usus nauigatio
nominis ab Isseis condito, cõtinenti penè cõtigua. neVenetias redijt: urbemq; ob insignem uictoriam
Erat in ea insula Suringa Croacius, Murcimiri frater: is post deditionem factam Stephanum filiũ du (quia triumphandi mos nullus erat) gratulabunda
ci obsidem dedit, cui postea Venetus Hicelam filiã septus multitudine quasi ouans ingressus est. Inde
matrimonio locauit. Mota deinde classis ad reli quũ de rebus à se gestis publicè retulisset, diceretq;
qua Dalmatię loca, Spalatrumq; (urbs ea tempesta omnem oram maritimam ab Histria ad extremos
te opulentissima) finitimorum deditionem secutũ, Dalmatiæ fines cum omnibus adiacentibus insu
Venetum intra mœnia accepit. Corcyram deinde lis Dei benignitate suoque ductu Veneto imperio
nigram imperium recusantem Vrseolus expugnat: subiectam: amplissimis uerbis pro concione lauda
eam hodie Cursulam appellari audio. Secundũ hæc tus: & quod bonum felixq; ei Venetoq; nomini es
quæ diximus, Venetæ triremes ad Pharum insulã set, decretum: ut non Venetiarum modò, sed & Dal
admotę: rupibus ferunt abruptis undiq; locum me matiæ dux ipse, ac deinceps reliqui principes, uoca
dijs fluctibus prominere (hanc quoq; corrupto no rentur. Cæterùm placuit in singulas nouæ prouin
mine recentiores Lesinam pro Pharo dixere) atq; ciæ urbes nouos magistratus mitti. feruntq;, Otho
ideo procul spectantibus inexpugnabilem uideri. nem Vrsum, Ragusium Othonis filium, Spalatrũ:
Insulæ natura freti Narentani, maria latrocinijs ad Dominicum Polanum, Tragurium: Ioannem Cor
eam diem infestarant: huc sese piratæ uelut in arcẽ narium, Sicum: (recentiores Sibinicum dixere) Vi
tutissimam quum opus erat, recipere consueuerũt: talem Michaëlem Belgradum: atq; in alias urbes a
urbs ad hæc in illa fuit natura & opere munitissi lios missos, quorũ nomina uetustas aboleuit. Gra
ma: circa ea loca Veneti negociatores sæpius capti dum Vrseolus urbem instaurauit, ubi ædes etiã a
fuerant, ac mercibus spoliati. Occupant repente tri liquot largo sumptu reparasse dicitur. Corpora For
remes insulæ portum: tentatiq; sunt oppidanorum tunati & Hermagoræ, & cum his Dionysij Largij
animi, ut aliorum deditionem secuti Veneta nollẽt & Hermogenis nouo condidit sacrario. Heracliæ
experiri arma: stultum esse dicere, malle omnia in quoq; amplas sibi ędes, templumq; pro loco qui tũ
fanda pati, ac cum his uitæ etiam discrimen adire, infrequens erat, splendidissimum ædificauit. Ioan
quàm saluis liberis & fortunis pacatum Venetum nem Belunnensem antistitem res Venetas infestan
intra mœnia accipere. Identidem igitur monere, ui tem, subito interdicto, quo populi eius ditionis om
derent ne sua pertinacia pergerent Veneta in se ar ni Veneto commercio arcebantur, ita deterruit, ut
ma irritare: fore ut postquam obsidione premi cœ redditis rebus (quod ut faceret ne Othonis quidẽ
pissent, nullus superesset amplius ueniæ impetran resciptа ad eam diem compellere potuerant) pacẽ
dæ locus. Apparebat Pharenses accepturos præsi ultro peteret: eã ut perpetua esset nouo fœdere lan
dium, atq; imperium continuo facturos, si eisdem ciendam Venetus curauit. Filium præterea adhuc
conditionibus acciperentur, quibus & reliqui po puerum ad Othonem per literas id petentem, Ve
puli fuissent: sed ueriti quod erat, ne Venetus urbẽ ronam misit, à quo chrismatis sacramẽto admotus
in suam potestatẽ redactam funditus everteret, cha Otho cœptus est dici, quum Petro illi prius nomen
ritate patriæ (qua nil mortalibus solet esse gratius) B fuisset. Multæ insuper amplæq; immunitatũ acces
urbem ui tueri parant, procul q; hostem arcere. Dux siones, mercatiq; & portus celebrandi iura ab eodẽ
contrà, ubi ea oppidanos moliri animaduertit, con impetrata. De finibus quoq; Heraclianis ad Plauẽ
festim dat signum pugnæ: oppidani ferociter se ex olim promotis, per Ioannem Diaconum, quẽ Dal
superiore loco tuentur. Erat arx, ut diximus, asperi matiæ uictoriæ nuncium dux Veronam miserat, cũ
tate locorum & ascensu difficilis: uerùm ea telorũ eo actum, facileq; impetratum, ut ex antiquo fœde
uis ex inferiore cliuo in propugnatores emissa est, re immoti fines Veneto nomini manerẽt. Otho Ro
ut missilium nube operti præsidio decedere coacti mam per id tempus accessit, unde in Galliam con
sint: tum socij nauales cum mercenario milite per cessurus Ioannem, quem secum duxerat, per literas
abrupta montium in summum iugum euasere. Tur Vrseolo significare iubet, non multo pòst Rauennã
batis eorum qui intra mœnia erant animis, muros se uenturum, atq; inde Venetias exoluendi uoti gra
Veneti ferociter aggrediuntur, scalæ pluribus locis tia clandestinè transmissurum: uelle se iccirco suum
admotæ, atrociterq; utrinq; pugnari cœptum. Ve accessum ignorari: quia cum paucis, atq; ignoto ha
netis spes potiundi oppidi, si paulò fortius annite bitu uenire constituisset. Eo nuncio eque ac debuit
rentur, suggerebat uires: illis desperatio. interim ui dux lætatus, miro desiderio tanti hospitis aduentũ
turris una capitur à paucis: qui repulsis ea parte ho expectabat. Imperator Rauennam interim uenit:
stibus muros occuparant: tum uicta Pharensiũ per ex Rauenna Pomposiam primo transijt, locũ Gho
tinacia abiectis armis supplices ueniam implorãt. rio Padi ostio propinquum: noctuq; nauem ingres
Iubet inermibus parci mitissimus dux: urbeque ip sus quinq; ex domesticis cum Ioanne Diacono ac
sius iussu euersa, continuo ab Pharo ad Diui Maxi ceptis, prospera nauigatione usus Venetias appli
mi est transmissum: ubi Ragusini legati cum suo an cuit: placuit in diui Seruuli monasterio esse potius
tistite occurrunt, seq; ac suos Vrseolo Venetoq; no quàm in publico aut priuato hospitio, ut suus ad
mini dedunt. Mox princeps infesto agmine Naren uentus commodius celaretur. Hic cum Petro du
tanorũ fines ingressus, omnia ferro & igni circa op ce noctu congressus est: ac post mutuam gratula
pidum uastat: tum demum fractis fœda populatio tionem, & quòd ille prospera usus nauigatione Ve
ne animis hostes pacem per legatos implorant. qui netũ littus incolumis attigisset: hic uero, quòd nu
bus his conditionibus data est, ut quantacunq; ab per tam pulchrè rempublicam in Dalmatia admini
initio belli Veneto nomini dãna intulissent, æqua strasset. Intempesta nocte diui Marci fanum subie
æstimatione persolueret: tributum nullum post id re: ubi uotis ritè ab Othone solutis mox Ducarium
tempus exigere auderẽt: ne reguli populares ue, aut conscendunt: & quia uterq; pro summo habuit ne
quis alius eorum nomine, piraticam exerceret. Has gocio, ut nouo hospitis præsentia ignoraretur. Dux
Narentani conditiones, cum quibus annos circiter quoad penes se Othonem habuit, prandebat in pu
centum septuaginta de maris possessione fuerat ua blico: cœnas uero cũ eo familiariter celebrabat. In
rio sæpe euentu à Venetis pugnatum, pacem magis terim ne hospitali tantum necessitudine essent in
necessariam quàm speciosam amplexi, non abnue ter se iuncti, sed alia adhuc sanctior accederet, ex sa
re: captiui omnes redditi: uictor exercitus ad naues cro fonte ducis filiam per eos dies natam Otho su
reductus. Dux purgato latrocinijs mari, omniq; ma stulit: aureum pannum, qui ex publico fœdere Cæ
saribus annuis debebatur, in perpetuum Vene
to no-

to nomini remisit: ipse quoq; multis & amplis mu A
neribus à duce donatus, Rauennam reuersus est. Dux triduo postquam Othonem à se dimiserat, po pulum ad concionem uocauit: cui imperatoris ad uentum, & quonam modo penes se in hospitio per aliquot dies fuisset, & quæ ab eo impetrata essent, significauit. Grata æquè omnia populo fuere, lauda taq; Vrseoli industria in tanti principis præsentia oc cultanda: atque ita nõ multo pòst ob egregia ipsius in rem Venetam merita publico decreto est ei per missum, ut Ioannẽ filium sibi collegam cooptaret: quem ad summam dignitatem traductum, pater cũ coniuge & Othone fratre ad Constantinum & Ba silium imperatores, in Græciam misit: à quibus ma gnis muneribus ornati, haud longo interiecto tem pore Venetias rediere. Sed quia nulla fuit unquam humana fœlicitas, quam non aliquis fortunæ casus uiolauerit: ita sanè accidit, ut ante quam senex, alio quin fœlicissimus, uita decederet: duob⁹ extremis malis, fame & pestilentia ciuitatis, filij quoq; & nu rus penè continuatis funeribus, prosperarum sit re rũ cursus deformatus. Cum Capitaggeranis & Sac censibus actiones interim diuersas suscipere coa ctus est: cum his de porrorijs soluendis, quæ & Ri parica uocabant: cum illis de paludibus Laureta nis: uerùm utrunque negocium ex sententia reiq̃e publicæ dignitate transegit. Ea tempestate Phale dri, familia illustris, ædem diuo Benedicto cum cœ nobio, priuato sumptu construxere: quam prædio rum longe lateq; circumiectorum donatione dita runt. Ducarij & templi instaurationem miro studio absoluisse dicitur. Bona sua testamento trifariã par titus est: partem unam, atque eam ipsam non paru am, liberis distribuit: alteram in pauperum alimo niam, sacrarumq; ædium instaurationem impen dit: quæ reliqua fuit, spectaculis publicoq; congia rio ab eo adhuc in humanis agente consumpta dici B
tur. His domi forisq; gestis, quum annos duodeui ginti reipub. præfuisset, humanis decessit: corpus in Zachariæ atrio mœsta ciuitas magnifico exequia rum apparatu condidit. Ei Otho filius magno po puli consensu surrogatur, alta indole iuuenis, & ue re patre suo & auo, uiris optimis, dignus: rempub. non minori uirtute quàm expectatio fuerat, admi nistrare cœperat, quum eius fama impulsus Geica Pannoniæ rex filiam illi matrimonio locauit. Ha drienses Venetos fines infestantes, circa Lauretum inter Athesis & Padi ostia magno prælio uicit: uic tisq; his conditionibus pacem dedit, ut res Laure tanis redderent, atque in posterũ omni iniuria abs ti nerent. Sed ita clade illa ad Lauretum accepta Ha drienses opes concidisse dicuntur, quæ non par uę ad eam diem fuere, ut iam inde retrolabentes ad nihilum ferè sint redactæ. Infestabat sub id tempus Murcimirus Croaciæ regulus (apud quosdam He resimum pro Murcimiro scriptum reperio) contra fœdera nuper icta Iadrenses, eorumq; fines crebris excursionibus uastabat: senserantq; iam & aliæ fini timæ urbes Croacina arma. Otho ulturus suorũ in iuriam, in Barbarum mouit: quem acie congredi au sum, modico negocio fudit fugauitq; : sed marí ne an continenti dimicatum sit, auctores, quos uidi mus, non tradunt. Secundum hanc prosperam pu gnam Otho omnem maritimam Dalmatiæ, Libur niæ & Histriæ oram, quæ patris ductu in Veneto rum fidem uenerat, classe circumuectus: quasi pro uinciæ statũ recogniturus singulas ciuitates & con uentus adijt: ciues nouo iuramẽto adegit, ut in Ve netorum fide, in quam ultro uenissent, in posterum manerent: neque quenquam ex suis popularibus res nouas aduersus Venetum imperium moliri pa terentur. Mox uerò ex Dalmatia reuersum Domini cus Flabenicus scelerata coniuratione incautũ ex cepit: captumque abrasa illi barba anno quinto ex

quo rempub. solus administrare cœperat, in Græciã relegauit: ubi non longo interiecto tẽpore uita de functus est. Othone in exilium acto Petrus Centra nicus siue Barbolanus (nam utrunq; eidem familię cognomen fuisse reperio) successit: Is patriæ statũ domi foriſq; parum pacatum adeptus, haud quidẽ ab initio exploratum habuit, utri parti reipu. prius succurrendum esset: constitit tamen, satius esse ciui tatẽ atroci coniuratione exilioq; ducis optimi con sternatam, ad pristinam concordiam reuocare. Inte rim uerò Pepo Aquileiensis Venetarum rerum no uitate solitudineq; Gradensis ecclesiæ fretus (nam sunt qui scribant Vrsum eius loci antistitem, Otho ne fratre principatu eiecto, ueritum ne ab homini bus aduersę factionis, per quos ille pulsus esset, ipse quoque insidijs opprimeretur, extorrẽ abijsse) qua si loco, absente Vrso, præsidio esse uellet, Gradũ oc cupat. Alij tradũt, in gratiam Vrsi locum expugna tum, quũ Veneto interim præsidio teneretur: quod omnino pro mendacio refellitur. Quoniam si illi inter se tum amici fuissent, non utique per id tem pus uterq; suæ ecclesiæ causam, quæ frequenti con uentu Romæ acta est, non sine simultatis & odij su spicione suscepissent: ubi à põtifice totoq; cœtu de claratum ferunt, Gradensem ecclesiam Venetię me tropolim habendam. illud uerò constat, Conradũ imperatorem in Peponis gratiam Venetis per id tẽ pus uehementer iratum fuisse, atque in quibusdam apertè aduersatum. In hoc statu erant res Venetæ, quum Centranicus, qui iam annos quatuor rem Ve netam administrarat, Vrsi Gradensis, ut fertur, opera, à populo captus: atq; adempta prius barba, mo nasticoq; insuper habitu inducto, in exilium est a ctus. Petro electo, iubet populus Vrsum rempub. capessere: ac tantisper illi ducaria potestate præesse, dum Otho eius frater ab exilio reuocaretur. Missi B
ad hoc ipsum legati qui retulerunt, postquã in Græ ciam uenissent, comperisse se aliquãto prius Otho nem, quàm ipsi eo applicuissent, ex humanis decess isse: quasi diuinitus esset factum, ne ingrata ciuitas tantum uirum reciperet, quem optimi principis fi lium, atque eum ipsum de repub. optimè meritum, ignominiosè à pauciſsimis coniurationis conscijs in exilium agi passa esset, & quum iniuriæ potuisset occurrere, noluisset. Morte fratris audita Vrsus, qui iam annum reipub. præfuerat, se ultro præsenti ad ministratione abdicauit. Eo abeũte Dominicus Vr seolus, domestico magis splendore fretus, q̃ quod multi ei suffragarentur (tangebat enim Othonẽ ar ctissimo consanguinitatis gradu) temere ducatum inuadit. Verùm ciuitas suę libertatis memor, rata si insolentissimi ciuis conatibus non iretur obuiam, fore ut paulo pòst beneficiũ populi pessimus quis que pessimo exemplo adductus ad libitum usurpa ret: postridie quàm magistratum occuparat, impe tu in eum facto trucidasset, nisi clandestino effugio sibi salutem quæsiuisset. Exul Rauennam uenit, ubi haud multo postquam exulare cœpit, uitam eum morte commutauit. Breuissimum Vrseoli principa tum Dominicus Flabanicus, dux suffragio populi creatus, noua administratione excepit: Is, ut dixi mus, Othonis in exilium eijciendi auctor fuerat: quapropter Vrso Gradensi antistite rempub. tenen te hostis iudicatus ciuitate excesserat: necita multo pòst populo id petente fuerat in urbem restitu tus. Continuo igitur publica administratione susce pta ad populum tulit, uideri sibi æquum ualdeq̃e reipub. salutare, omnem Vrseolam familiam, tanq̃ perniciosam, ac ciuitatis ocio infestam, urbe eijcien dam. Irent igitur, publicoq; decreto ducatu, magi stratibus, suffragio, omniq; dignitate Vrseolæ gen ti interdicerent, hostes iudicarent, iudicatos in exi lium agerent. Quod ipsum stulta multitudo, utere rum eius gentis in se meritorum oblita, alieni odij mini-

stra, continuo decreuit: sic illustris ad eam diẽ A
familia, & quæ summos in repub. uiros habuit, pre senti ignominia eò usque depressa est, ut ad pristi nam fortunam nunquam amplius emerserit. Cæte rùm eodẽ auctore sublatus est mos collegæ in prin cipatu cooptandi: quod ipsum ut est reipub. utilis simum, ita ad hunc diem maximè seruatur. Hæc ab eo domi toto decennio quo princeps fuit, gesta di cuntur: quid dignum memoria foris egerit, non re perio: uerùm confectus iam senio, humanæ necessi tati concesit. In eius locum Dominicus Contare nus publico suffragio suffectus est. Pepo interim cir ca Gradũ omnia turbarat: ad cuius conatus oppri mendos (quia alia maior cura ciuitatem incesserat) nihil in præsentia est decretum. Iaderenses ad Croa ciorum regulum defecerant, uel, ut alij scribunt, ad Salomonem Pannoniæ regem. Qua defectione au dita (apparebat enim, nisi primo quoque tempore Veneta classis in Dalmatiã processisset, fore ut non multo pòst reliqui populi q̃ui iam ad defectionem spectare dicebantur, Venero alienarentur imperio) confestim dux ingenti ui nauiũ in Dalmatiã trans misit: Iaderam obsidione cingit: cinctam operibus expugnat. Iaderensis expugnationis fama perop portuna fuit ad cæteras urbes in fide continendas. Interim Pepo ui Gradum secundo occupat: urbẽq; primo impetu captã, longè maiore clade quàm an tea afficit. Veneti eam iniuriam ægerrimè ferentes, tantisper ultionem distulerunt, donec ad Benedi ctum pontificem legatos mitterent, de Peponis in juria questum. tum si ille dicto pontificis, quem ap parebat omnia inhibiturum, non paruisset, decretũ erat, Gradensiũ cladem armis uindicare. Paruit Pe po pontifici: sed illum, ut acerbo & pertinaci fuit in genio, ita parum honesto mortis genere non mul to pòst aiunt extinctum. Sunt qui tradant, per hæc tempora Leonem Romanum pontificem Venetias B
uenisse. Quòd si pro Gradensi causa legati ad Bene dictum pontificem sunt missi, ut ex plurium sentẽ tia scripsimus: non uideo cur tam cito pontificis no men uariari possit: sed certè aut librariorum incu ria, ut arbitror, id accidit, qui pro Benedicto Leonẽ scripserint, aut contra, Benedictum pro Leone: seu, quod ueri simílius est, diuerso tempore ea quę dixi mus acciderunt. Suscepti itineris causam illi fuisse aiunt, ut diui Marci corpus inuiseret: priuilegia & multa & magna, tum ipsi templo, tum alijs plærif que diuorum ædibus, ab eo concessa traduntur. Ea quoque tempestate aduersus Rubertũ, cognomen to Guiscardum, uirum nationẽ Normanum: cuius opes præualidæ in terra Italia tunc erant, pluribus prælijs in Apulia dimicatum reperio: quod ipsum ideo non omnino affirmauerim, quia è numero eo rum quos sequimur, præter unũ id nemo tradidit. Et hæc Contareno duce, qui sexto & uicesimo sui principatus anno feliciter obijt. Ad Nicolai ædem in riuo situs est: ubi cum forte funus frequenti popu lo celebraretur, media pompa Dominicus Silui us subita populi acclamatione dux salutatus est. Fe runt hunc uxorem habuisse, Græci fastus & super biæ plenam, patria Constantinopolitanam: quæ, ut Damianus scripsit, adeò morosa fuit elegantia, ut communi aqua ad se lauandam nũquam uteretur: cibaria digitis non attingeret, sed aureis furculis ap prehensa ori applicaret: eius cubiculum ea odorũ uarietate fragrabat, ut nimia suauitate ingredientiũ sensus penè obrueretur. Sed nihil certè est immode rata luxuria breuius, quæ quo maior est, eo pericu losior. Ferunt insolentissimum illius cultum in fœ tidissimam tabem se uertisse: ut quæ nobilissimo elemento, quia quum alijs sibi commune cerneret, pertinaci stomacho abstinuisset: non modò non a qua, sed ne ulla quidem ope tabidi corporis sanié posset abstergere. Per id tempus Dominico Oliuo- A
lensi antistite defuncto, Henricus proximi ducis fi lius in demortui locum surrogatus, repudiato uete ri sui sacerdotij titulo, pro Oliuolensi Castellanus præsul dici uoluit: quod ipsum hodie quoque usur patur: Normanos ferunt Siluij huius ductu ex Dal matiæ finibus depulsos: de quibus quia cum ea gẽ te sæpius à nostris dimicatũ constat, pauca referen da sunt. Fuerunt illi, ut quidam memoriæ prodide runt, Aquitanici Oceani accolę: qui quum proxima maria aliquãdiu latrocinijs infestassent: procedẽ te tempore Rollo duce per Ligerim fluuium Gal lias ingressi, Lothoringiam cum Germaniæ parte ferro & igni populati sunt. Rollus cum Carolo ter tio, cui Simplex cognomen fuit, fœdus percussit: cu ius suasu Christiana fide recepta, ex hoste hospes fa ctus, Rubertus q; postea uocatus, regis filiam uxorẽ duxit, quibus nuptijs Carolo conciliatus, regionẽ Sequanæ proximam incolendam accepit, quæ ab ipsis incolis iam inde Normania dicta est. Fuit is de quo loquor, Ruberti atauus, qui postea citra alpes Normanicum nomẽ traduxit: de quo pauca adhuc restant dicenda, ut gestarum rerum ratio magis sit perspicua. Erant res Italiæ per id tempus quo Ru berti iunioris res circa Lucaniam & in Sicilia illu stres esse cœperunt, tum alijs recentibus cladibus, tum Sarracenorum armis, quæ longe lateq; in ipsa terra, sed in Sicilia latius uagabantur, miserabili mo do accisæ: sed illud in dubium uenit, huiús ne auspi cijs an alterius, eius gentis ex Gallia in Italiam Nor manicæ opes traductæ sint. Constat enim, abnepo tem hunc fuisse maioris illius Ruberti, qui ex Ocea ni littoribus in mediterranea Galliæ per Ligerim penetrarat: quod facilè accidere potuit, ut regij san guinis aliquis ante eum Normanica arma in Galliã Cisalpinã, quæ hodie pars Italię est, inuexerit. Hinc certè plęrique aiunt, Rubertum iuniorem primum B
in Sarracenos mouisse. Verumenimuero utcunque res sese habet, illud inter omnes conuenit, uno ferè atque eodem tempore ex Italia Siciliaq; multis e ius gentis interim milibus utrobiq; cæsis Barbaros Normani opera sublatos, Græcosq; ex Calabria & Apulia eiectos. Sed quum post uarios eius gentis successus Normanorum uires Romano pontifici su spectæ esse cœpissent: quippe quę & in Sicilia & ma gna Italiæ parte plus ad eam diem creuerant, quàm aut rebus ecclesiæ, aut alijs tutum uideretur. Nam & Lucania nouissimè occupata, constans fama e rat, Normanum in Campaniam transiturum. Tum demum aiunt, Leonem pontificem, si precibus aut minis non posset, ui eorum motus inhibere statuis se: paratoq; ad hoc ipsum ualido exercitu, haud æ quo Marte ad Beneuentum cõflixisse: fœdaq; cla de accepta ex acie in propinquum se oppidum rece pisse. Sed ad eam pugnam quum nihil animum re misisset, hominem ingentis spiritus denuo circum spicere cœpisse, qua ui, quá ue arte Normanicum no men ex Italia tolleret. sed irriti post id tempus om nes illius conatus fuere. Leone autem defuncto Ni colaus pontifex eius gentis arma haud sollicitare ausus, satis cautum rebus ecclesię credidit, si annuo tributo gratuitaq; militia (quando opus esset) cum Ruberto pacta confessionem alienæ rei Normano expressisset. Hæc fermè sunt quæ de primis moti bus eius gentis quidam tradidere. Non desunt, qui ex Gallia, ut diximus, Cisalpina scribant Rubertum originem habere, omni Gallicæ uetustatis mentio ne omissa, aiuntq;, Tancredum eius terræ regulum bissenos habuisse filios, quorum omnium Guilel mum cognomento Ferrabach, & Rubertum Gui scardum maximè celebrant. Negant præterea ea, quæ proximo loco de Normanis scripsimus, Rober ti auspicijs esse gesta, sed Guilelmi fratris: nec, quod plus est, ita rem ut illi quos secuti sumus, sed omni no diuersa digerunt ratione: Campaniam & Luca-

niam

niam nõ ab ea gente occupatas, nec Sarracenos inde pulsos: sed Guilelmum cum Campano Salernitano; principibus aduersus Barbaros qui Siciliam oppresserant, socia arma iunxisse. Nec quidem multo pòst Molochũ, qui Apuliæ Calabriæq; pro Græciæ imperatore præerat, in socium expeditionis acceptum: atque ita quaternis exercitibus iunctis facilè Barbaros ex Sicilia eiectos. Verùm pacata insula Molochum impositro præsidio, imperatori nõ soli jsinsulam receptam uideri uoluisse: quod ipsum quum ægrè Normanus tulisset, citato agmine ex insula in Italiam qua proximũ fuit, transfretasse, Melphiamq; in Apulia obsidione cinctam armis premere occepisse. Ad quam armis leuandam quum Molochus ex insula properasset, ibidem haud dubio euentu dimicatum, eumq; uictum exutumq; exercitu in Græciam aufugisse: ac tum demum non paruam Apuliæ partem Guilelmi ductu Normanis armis accessisse. Sed quũ sæpius de possessione ipsius terræ uario esset euentu pugnatum, accidit ea tempestate, ut Michaël imperator cum tribus filijs à Nicephoro Byzantio eiectus sit. Is cum Ruberto Guiscardo, qui tum fortè Tarentum obsidione premebat, egit (Constat enim, per id tempus, illius ductu rem Normanicam in Italia floruisse) ut in Græciam transiret: fore affirmans, ut Nicephoro eiecto, quod facile se annitente fieri posset, ipse rerum in Græcia postmodum potiretur. Gregorio præterea ad id ipsum hortante confestim soluta obsidione Hidruntem petijt: eò copijs omnibus ad idem conuenientibus, atque in nauem impositis, prospera usus nauigatione, primo Aulonem tenuit: hinc Dyrrachiũ profectus, terra mariq; urbem obsidione cingit. Nicephorus contra Ruberti & Michaëlis conatus Alexium cum terrestribus copijs ad Dyrrachium obsidione leuandum mittit. Is eum Siluio principe Nicephori nomine egit, ut ualidam Veneti classem aduersus Normanos compararent. Sunt qui scribant, Nicephorum per legatos id à Venetis ante Alexij aduentum impetrasse. Numerosa itaq; classe Venetus princeps in Normanos mouit: atque ubi Dyrrachium uentum est, hostisq; in conspectu fuit, suos ad pugnam expediri iubet: nec diu cunctatus in eũ Siluius ferociter inuehitur. Contrà hostes & ipsi ingenti animo suarum rerum successu nixi, intrepidè Hadriacas excipiunt triremes. Veneti tanto ardore pugnam capessunt, ut non pro socij imperij dignitate, sed pro ipsa patria pugnare uiderentur. diu ancipiti euentu est dimicatum: demum soluta hostiũ classe, nauibusq; partim captis, partim aut summersis, aut fugatis, uictor Venetus mare antea occlusum Dyrrachinis aperuit.

IN LIBRVM QVINTVM
Epitoma.

Siluij principis ductu Veneti à Normanis nõ procul Dyrrachio ingenti prælio uicti sunt: Henricus imperator Venetias uenit: Diui Marci corpus quũ aliquandiu latuisset, miraculo se suis ciuibus prodidit: Quæ causa Christianum nomẽ in Turcos & Sarracenos armauerit: Vrbanus pontifex in Claromontensi conuentu Christianos principes ad arma pro tellure sancta recipienda hortatus est: Transalpini duces in Asiam ingentibus copijs transmisere: Christiani parum feliciter in Bithynia ab initio pugnarunt: Christianæ copiæ Niceam obsidione cinxere: Vbi aduersus ingentes Turcorum copias prospere sit pugnatum: Iconium, Heracleam ac plæraq; alia oppida hostibus Christiani ademere: Antiochia post laboriosam obsidionem uariaq; prælia capta est: Veneta classis Smyrnam occupauit: Boëmundi cum Raimundo simultas, & alia quæ in Phœnicia gesta sunt, eodem libro referuntur.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER V.

DYrrachinæ obsidionis ea parte qua pugnatum erat solutio, haud quidem parui Veneto nomini constitit. Nam post euersas Nicephori opes, quas subita suorũ defectio oppresserat: quum Dyrrachium terra, & iam reparata classe mari quoque Normanicis armis premeretur: absentibusq; Venetis Michaël & Alexius, qui Nicephoro pulso imperium occupauerant, opem ferre urbi statuissent, pro ipsius mœnibus cruento marte dimicatum ferunt: uictisq; Græcis cadente collega, salutem sibi fuga Alexium quę siuisse. Dyrrachini deditione facta tum demum in hostium potestatem uenere. Nec ita multo pòst in Alexij gratiam Veneti in Normanos mouerunt: eodem fermè loco ubi prius, sed longè alio euentu pugna commissa est: uicti quidem adeò insignem cladem Veneti accepere, ut ex numerosa classe quàm eò Siluius duxerat (quia alij medijs aquis cæsi, alij capti essent) pauciss imi euasisse dicãtur. Peperit ea res ingentem principi inuidiam: quapropter populus eum in patriam reuersum, anno ex quo rempublicam administrare cœperat, tertiodecimo, summa dignitate priuauit. Fatentur quidam, Græcos ac Venetos ante portum Dyrrachij uictos, at non eam cladem quam diximus acceptam, sed cruenta hinc inde acie dimicatum. Cęterùm ubi res Normanica superior esse cœpisset, tum ad læuum Alexium flexisse fugam, atque in Peloponnesum abijsse. Siluiũ ad dextram fugientem Venetum tenuisse littus. Negant ad hæc, illum publica administratione priuatum: sed secundo, uel, ut alij tradunt, tertio & uicesimo sui principatus anno feliciter diem obijsse, honorificẽtissimeq; in diui Marci æde sepultum. Post Siluij obitum Vitalis Phalerius dux suffragio populi creat. Prima huius actio non magis decora quàm utilis reipub. fuit. Continuo ubi princeps est declaratus, cum populo egit, ut legati Constãtinopolim ad Alexium mitterentur: à quo peterent, ut Dalmatiæ Croaciæque imperium: quas prouincias Iatronũ manibus extorsissent, suasq; iure belli fecissent, Veneto nomini perpetuo cõcederet. Apparebat obrecentia Venetorum in eum merita id Alexium nõ grauatè facturum. Decreta legatio: missi Dominicus Dandulus, Andreas Michaël, Iacobus Aurius: apud quosdam pro Dominico, Andrea & Iacobo: Cianum, Vitalem, & Antonium reperio. Omnia ab Alexio benigne concessa, atque iam inde factum, ut Dalmatiam Croaciamq; legitimo Veneti possederint imperio: Phalerius q; omnium primus, ut quidam annales habent, earum dux prouinciarum cœpit inscribi. Circa Dyrrachium per hæc quoq; tempora à Græcis Venetisq; Phalerij ductu aduersus Guiscardum, nec meliore euentu quàm antea Siluio duce pugnatum reperio. Henricus Italiæ imperator ex Tausio Venetias transijt, diui Marci sacrarium uisurus: cuius corpus non multo antè miraculo repertum constans erat fama. Ferunt aliquandiu ignoratum ubi nam esset conditum: creditum uulgò, quasi se oculis populi subtrahere uoluisset in occultiorem transisse sedem, sed quum desideriũ tanti numinis sollicitam ciuitatem haberet, supplicatione & ieiunio indicto, antistites aliquot totusq; clerus sequente populo ad eius ædem supplices uenere: tum ibi pòst multas preces, miraculo tradit, altero

altero ex humo exerto brachio se suis ciuibus ostendisse: tum demum ingẽti populi lætitia sublatum inde corpus, atq; in locum augustiorem repositũ: decretumq;, ut soli principi templiq; procuratoribus id sacrarium fas esset scire: nouam ædem sumptuosiore apparatu erectam tum illi dedicatam ferunt. Restituit ad hæc Phalerius Lauretum uicum uetustate collapsum, atq; in parui oppidi speciẽ redactum, ut frequentius coleretur multis immunitatibus loci incolas ornauit. Nec aliud ullum publicũ illius opus pòst Lauretanam instaurationem domi forisue reperio. Ipse uero duodecimo, ut quidã tradunt, ut alij, tertiodecimo sui principatus anno ex humanis decessit. Vitalis Michaël in demortui locũ est suffectus: huius auspicijs ualidissima classis, ad urbes & loca quæ telluris sanctæ dicuntur recipienda, est in Syriam missa. Verum quia & multa & magna ex ijs quæ Christiano nomine in Asia ea tẽpestate gesta sunt, nouimus ad Venetos pertinere: nõ ab re fore existimaui, belli origine breuiter repetita ipsam rerum seriem summatim perstringere: ut ex ijs quæ dicentur, Venetorum gesta quæ illis interiecta sunt, magis perspicua esse possint. Caput itaq; suscepti belli ex Petro quodam heremita, Gallicæ gentis homine, ortum scripserunt quidam: qui per id tempus quũ ad Christi nostri regis sepulchrũ peregre uenisset, ex Symeone Hierosolymitano antistite & alijs Christianæ professionis uiris, qui ea loca perpauci incolebant, didicit: quã indigna seruitute tellus in qua omnium gentium salus quæsita esset, ab impio Maomethi imperio premeretur: nullum iam esse in ea locum tam sanctum, tanta religione præditũ, quem infandæ gentes rapinis, cæde, stupris, ad eam diem non uiolassent: accedere ad ea, uerbera, cathenas, cruciatus eorũ q Christiani essent nominis: quibus aut iam inde migrandũ esset, aut miserabili modo pereundum. Additur rei mira B culum: intempesta nocte quæ diem Dominicæ resurrectionis præcesserit, uisum sibi Petrum per quietẽ Christi uoce moneri, ut in Italiã reuersus Romano põtifici, atq; inde alijs tam Galliæ quàm Germanię principibus nũciaret, placere sibi, iubereq; suorum armis id solum ab impiorũ iniuria uindicari, in quo pro publica salute & nasci & mori uoluisset: ubi susceptę à se humanitatis uestigia & multa & magna essent: tugurium sui ortus consecium: templum ubi infans uagijsset, puer disputasset, adultus docuisset: Thabor, & Oliueti montes: hic orationis locus, ille figurationis: cœnatio: Pilati atrium: Caluarius tumulus, ubi suæ crucis basis, nec inde procul sepulchrum ostẽderetur. Petrus ubi in Italiam uenit, pro magno habuit negocio, Vrbanum põtificem adire, ad quem, sua functus legatione, superatis alpibus ad cæteros Christiani nominis duces profectus est: nec interim dum totam fermè lustrat Europam, populos publica prædicatione ad diuinam expeditionem hortari destitit. Vrbanus uero non multo pòst in Claromontensi conuentu Aruernæ ciuitatis uehementi oratione causam egit, cuius summa hæc fuit: Non solum Romanæ ecclesiæ causa, cui opus reformatione esset, ex urbe se profectum præsenti concilio interesse uoluisse: sed alia quadam, ut magis pia, ita honestiore ratione adductum, pro comperto habere se, neminem illic esse qui non ea quandoq; resciuisset, quæ multis ante annis in Syria, uel in primis circa eam terram, quã uulgo Sanctam uocarent, accidissent: Infandam gentem, quam uulgo Sarracenam dicerẽt, Christi summi regis sepulchrũ (quod à se memorari non posset sine lachrymis) occupasse: nullum templum, nullam aram, nullum deniq; sacrum locum fuisse, quem impius uictor non aut solo æquasset, aut in prophanos usus uertisset. Cœtum illum pietatis cultorem qui ea loca incolebat, ubi in hostium potestatem uenisset, partim supA pliciorum metu Christi fidem abnegare coactum, partim ferro, igni, alijsq; cruciamentorũ generibus, quia in antiqua perstaret religione, consumptũ: sanctissimas fœminas ex tota fermè Europa ad ea loca peregre profectas, non tam ad insolẽtissimi hostis libidinem explendam, quàm ad nostrum dedecus monstrosis concubitibus uexatas. Quòd si ea quæ audiuissent, parum digna uiderentur cur quisquam ad eam iniuriam ulciscendam uellet temerè accedere: illud saltem animis succurreret, illud memoria repeterent, quàm breui tempore Asiaticæ opes suorum maiorum ignauia creuissent: quàm præterea longe lateq; impia Maomethi arma uagari cœpissent: quantum telluris, quod olim Romani fuisset imperij, eorum esset ditionis factum. Sed utinam, inquit, ea conditione, eoq; statu Christianæ res essent, ut aliena tantum damna flere deberemus: Italiam nostra tempestate fœda eorũ populatione deformatam uidimus, arces, urbes, templa, sacrilegis manibus & direpta & incensa. Sed quid ego cędes, quid uincula, quid stupra, quid alia penè inaudita mala refero, quæ per multos annos ipsa terra perpessa est? quum Hispania quoq;, & illi cõtigua Aquitania, atq; omnes gentes quę ad occidentem solem uergunt, eadem cladem nõ solum senserint, sed uix bene abstersis lachrymis adhuc reformident. Vos Galli, inquit, etsi uulnus uestris uisceribus nondũ est adactum, propinquitate tamen locorũ hæc quę diximus, non audire solum, sed uidere etiam potuistis. Germani, & alij ad septẽtrionem repositi, quos hæc clades nõ attigit, identidem cogitare debebũt, quale incendium sibi ab ortu & aquilone oriatur, immò quàm uicino loco iampridẽ eluceat. Quod nisi Veneti essent, qui superi maris oram præsidio tuentur, quorum opibus ex Histriæ Dalmatięq; litoribus sæpius infestissimus hostis est repulsus, nescio an ad hunc diem in Pannoniam quoq; Germaniamq; fœda illa tempestas transcendisset. Constãtinopolitani imperij opes, quæ pro munimẽto quodam ad Boream & Eurum aduersus impios hostes dum uigebant, Europę fuerunt: ita ultra Thracium Bosphorum, Hellespõtumq; accisæ sunt, ut iam Imperator ipse circumspicere incipiat, qua ui, quáue arte Byzantiũ ipsum retinere possit: qua obice (quod nolim) discussa, satis per se possunt intelligere, qualis nõ magis sua quàm totius Europæ sit futura fortuna. Horret animus admonitu eorum quę uentura sunt, si huic incendio, quod indies magis sese nobis insinuat, non eatur obuiam. Omnia mala quæ antea passi sunt ij, quorum fortunam deploramus, nostris capitibus incident: seruire cogentur uiri cõiugesque, pueri & puellæ ad stuprum rapientur: ac quum nihil omnino proderit, dolebitis, tantis malis dum licuit non iuisse obuiam. Non creditis hæc futura? Nec illi qui iã passi sunt, olim credidere, utinam uanã spem non sæpius aleremus. Sed præstat, uiri fortes, dum uires nobis constant, consilium, auxilia, opes, pecuniæ: dum adhuc omnia quæ ad uictoriæ spem attinent, integra sunt, imminentẽ cladem auertere. Nec interea rem mouemus, quæ sit humanis uiribus desperanda. Carolus ille cognomento Magnus, uester Germani, auita origine penè ciuis: Rex & splendor uestri nominis, Galli duces, ex Hispania Aquitaniaq; Sarracenos deiecit: Carolus Italia expulit: Carolus, qd' gloriari soletis, Hierosolyma cum tota terra quam Sãctam appellatis, eiectis inde hostibus recepit. Sed quo illius gloria & nomẽ maius est, eo uos, qui ab eo procreati estis, magis niti decet, recentibus factis uetustum gentis nomen augere. Quod non modo non præstabitis, sed ne retinebitis quidem, si in hac senescentes desidia, natale nostri regis solum impiorum hostium planta calcari: sepulchrum, templum, & reliqua sacraria; cædibus, stupris, sacrilegio, non sine uestra

Christianiq́ nominis ignominia, prophanari sini tis. Quin potius, dum licet, arma capitis, idq́ue com mune dedecus aboletis: uobisq́ue ac toti Europæ perpetuum ocium & quietem quæritis? Quæretis credo. Nam quanto maiores erunt uobis uires, si in unum cõspiretis omnes, quàm tũ Carolo fuissent: tanto certior, facilior q́; erit uictoria. Præmia ad hęc & multa & ampla uictores manent ex tam opulen ta gente diuitibus q́; regnis. Sed illud cœlestium bo norum maius erit & amplius, quod diuino nomine fortiter dimicaturis polliceor. Ad hęc põtificis uer ba ex toto cõsessu acclamatum ferũt, Deum ipsum ita uelle. Tum pontifex indicto silentio: Ite ergo, in quit, uiri fortes: & id uerbum quod ex ore omniũ uno tempore manauit, pro tessera uobis in bello su mite: crucem q́; ex rubro panno qui in nouam pro fecturi sunt expeditionem, sagis dextro humero as suant. Hic res mira narratur, &, nisi Deum pijs in teresse consilijs crederemus, uix referenda. Eodem die quo hæc apud Claromontem acta sunt, famam decreti belli ad extremas terræ oras peruenisse. In terim uero dum illio ipso conuentu Vrbanus & alij, de noui Imperatoris creatione, quæ præter cætera omnium animos in expectationem erexerat maxi mã, agerent: tenuisseq́; ea consultatio aliquot dies, multa mortalium milia ad nouum bellum deuota, in speciem concionis astitisse dicuntur. Nec ita mul to pòst ad trecenta armatorum milia ad presentem expeditionem parata sese itineri accinxisse. Ea Chri stiani nominis multitudo ductores habuit, Gothi fredum, Eustachium, & Balduinum Bolionios: Rai mundum Ægidij, & Rubertum Flandrię Comires: Hugonem cognomento Magnum, Philippi Gallo rum regis fratrem: Stephanum Carnoti Comitem: Podiensem antistitem: & Petrum Hæremitã nouæ expeditionis auctorẽ. is ut primas belli partes ob isse uideretur, cum Balduino & fratribus per Ger maniã, Pannoniam, ac Thraciam ingenti armatorũ manu Constantinopolim uenit: Podiensis antistes, Raimundus, Hugo Magnus, & Stephanus Carnoti maioribus omnino copijs in Italiam trãsgressi, Ro mam ad Pontificem uenerunt. Hinc tripartito pro fecti, pars una Brundusium, alterum Barium, tertia Hidruntem petiere: sed ijs qui per Appuliam duce bat Boëmũdus Guiscardi filius, homo impiger, tam inclytæ expeditionis fama iam antea motus, socia arma iunxit. Dum copiæ quę in Italia erant, sese ad profectionẽ expediunt: interim Hęremita qui cum Bolionijs fratribus Bizantiũ uenerat, Thracio Bos phoro quà proximum fuit, copias in Asiam traie cit. quod ut primo quoq; tempore fieret, ferunt Ale xium Imperatorem ob solutissimã eorum qui Pe trum sequebantur militiam, nimiamq́; peccandi li centiam summo studio curasse. Eam militaris disci plinæ negligentiam Petro Hæremitę, ut homini ar morum imperatoriæq́; artis ignaro, Alexius & alij acceptam referre. atq; ob id ipsum crediderunt qui dam, Imperatoris iussu Petrum penè inuitum inter primos in Asiam trãsuectum. Continuò itaq; Nico mediam uersus Niceamq́ue mota sunt castra. Sed quia manifestè apparebat, si solius Hæremitæ au spicijs, hominis magis probi quàm prudentis inge nij, res gerenda esset, omnino fore, ut sub primos co natus, aut certè non multo pòst, quicunque traiecti essent, discrimen aliquod adirent: Raimundũ, Ger mani sanguinis uirum impigrum, sibi ducẽ creaue runt. Ex cuius lectionis genere facile potest intelli gi, Bolionios fratres aut cum Petro Constantinopo lim non uenisse, aut si uenerũt, eo in Asiam tranſue cto apud Alexium, donec reliquæ copiæ adessent, subsedisse. Turci quì ab initio rescierãt quę in Gal lico conuentu decreta fuerant, ac quæcunq; postea Christiani duces ad bellum decreuerant, constituũt eos qui primum in Asiam uenissent, insidijs exce-

A ptos trucidare: reliquos qui iam appropinquare di cebantur, Bosphori transitu arcere. Quum in Nice num itaq; agrum inexplorato Raimũdus duxisset, in insidias præcipitatus, cum multa suorum strage in Exorgum oppidum se recepit. Fuerat is locus de industria ab hostibus relictus: quem ubi ab Germa no duce occupatum uiderunt, hostes continuò ob sidione cingunt. Hic Raimundus longa obsidione fatigatus, pro duce transfuga factus, cum paucis ad Turcos transijt. Oppidum inde aliquandiu strenue defensum, demum fame, siti, omnibus q́; malis qui intus erant affectis, magnaq́; ex parte aut ferro aut alio belli casu absumptis, uictor Barbarus recepit: qui ex eo præsidio inuiti in hostium potestatem ue nerant, ad unum cæsi. Hæremita interim Cinitum oppidum, & ipsum ab incolis destitutum, occupa rat: seq́; loco tutatus copiolas quas habuit, sub ad uentum suorum maioribus castris iunxit. Dum hęc in Bithynia geruntur, interim Hugo, Normanus Flã driæ Carnotiq́; Comites, ex Bariensi portu profecti Dyrrachium applicuere: hinc turmatim interiectis diebus, ne alioquin quacunq; iret tam ingẽs, nimis grauis esset exercitus, Dalmatię prefecto Alexij no mine id petente, Constantinopolim copiæ omnes sunt traductæ: ubi cum uelut in hospitio essent, fe runt Alexium illis insidiatum, utpote qui ab initio eam expeditionẽ suspectam habuisset: sed Baldui no, Gothifredo & alijs iam illi reconciliatis, Podiẽ sis antistes & Raimundus, qui per Dalmatiam du xerant, Epirum, Macedoniam, & Thraciã superue nere: Boëmundus, qui ob paternas suasq́; cum Ale xio inimicitias, sciebat parum pacata omnia se in Græcia habiturum, ex Brundusio perpetua nauiga tione in Peloponẽsum uenit: hinc composito agmi ne profectus quasi acie dimicaturus, per superiorẽ Mysiam & Thraciam, ut Alexij declinaret insidias,
B spe omnium celerius in Asiam transmisit. Hic hære ticę gentis expugnato oppido ac direpto, quum ad Barbarum amnem uentum esset, parte copiarũ ua do transmissa, reliquas cohortes in citeriore flumi nis ripa tenuit. postridie uero sub lucẽ Alexiani tra ductas copias ingenti tumultu adorti, primo impe tu terrorem maximum iniecerunt: fuissetq́; illic nõ sine periculo laboratum, nisi Boëmundus cum duo bus milibus equitum, quos in hunc usum paratos habebat, præsto affuisset: cui uenienti facile Græci cessere. Atq; ita ille, quum nihil sibi uspiam tutum ab Alexij insidijs cerneret, quadrato inde agmine ducere statuit. Ipse interim Imperator, quum omnia frustra tentasset, pro magno habuit negocio, cũ Boëmundo per legatos in gratiam redire, insidiarũ culpa in paucos prædæ cupidos reiecta. Ferũt, iam inde Alexium nemini ducum plura quàm Boëmũ do deferre solitum: in quo studio ut perseueraret il lius comitas fecerat: qua ita sese Alexio, quum Con stantinopolim uenissent, insinuauit, ut copias in sup plementum, equos, uestem, arma, atque omnia ne cessaria se benigne militibus prębiturum promise rit. Sed ut suis quoq; rebus cautum uideretur, ea se conditione quæ promissa essent præstiturum dice re, si duces ipsi iureiurando recepissent, neq; se neq; suorum quempiam, quãtum imperio coërceri pos sent, hostile quicquam in res suas molituros: si & ur bes Asiæ quæcunq; postea reciperentur, præter Hie rosolyma, Constantinopolitano imperio habendas permitterent. Atq; cum his omnes copię continuò in Asiam traductæ, solus Boëmũdus apud Alexiũ cum paucis ad commeatus expediendos subsedit: reliqui interim ductores ad Nicomediam progres si, copias undiq; contractas in unum iungunt. pla cuit hic primo Niceam oppugnare. motis itaque si gnis per saltus & deuia prius eò uentum est, cœpta que urbs obsideri, quàm Boëmũdus commeatibus fero datis in castra uenisset. Post eius accessum Ni-

ceam

ceam Bythiniæ metropolim (Antigoniam urbem A ipsam ab initio appellatam accepimus, ab Antigo no Philippi filio qui eam cõdidit, inde à Lysimachi coniuge Niceam dictam) tripartito adoriũtur. Erat id oppidum satis natura loci, sed magis opere muni tum: quippe quod sublimibus crassisq́ue cinctum erat mœnibus, atq; ipsis quadrata forma deductis quindecim stadiorum ambitu: quartam fermè par tem Ascanius lacus ad meridiem alluit. Confestim igitur machinæ aliquot & castella lignea ciuitatis muros æquantia cœpta sunt erigi: aries ad hæc uine æq́; mœnibus admotæ: cuniculis quoq; irruptio tentata. urbs præter oppidanorum multitudinem, ualido inita erat præsidio: ac quotidie in eorum lo cum qui aut cæsi aut uulnerati essent, recentiora a quis subuehebãtur auxilia. Apparebat itaq; aperto lacu Niceam capi non posse: quapropter uisum est ad inhibẽdos hostium cursus ad Alexium mittere, ut comparata nauigiorum multitudine lacum ho stibus obcluderet: prestitit id Alexius, sed non tam cito. Nam dum ille naues compararet, interea ad se xaginta Turcorũ milia, Sarracenis auxiliaribus mi xtis in proximis Niceæ mõtibus consedere: missis lacu, qui nondum clausus erat, nũcijs, Nicenis signi ficant, ut certo die eruptionem in hostes ea parte fa cerent, qua ipsi castra erant ex improuiso aggressu ri. In Podiensem antistitem, qui ad orientem meta batur, impetus est factus: quem non modo fortiter Gallus sustinuit, sed facta etiam ex castris eruptio ne, hostis cum ingenti cæde ad montes usque turpi est fuga compulsus. Interim Alexiana classis lacum occupat: atq; hic quum quasi corona Nicenti uallati essent, uicta tandem eorum pertinacia deditionẽ faciunt: illud prius fœdere expressum, ut Nicea Ale xio tradita, ij qui intus essent, cum armis & cæteris rebus Constantinopolim migrarent. Id etsi Alexij arte factum duces intelligebat, ne quid eo nomine
B Christianis deberi uideretur: tamen quia presentes conatus ex maiore uictoria pendebant, acceptam iniuriam facile dissimularunt. Nicea in hunc modũ recepta, confestim amoræ inde copiæ, ac bipartito ob locorum sterilitatem profecti, quarta luce ad riuum herbidos campos rigãtem, metati sunt. Hic Boëmũdus quum reficere uellet exercitum, iussis setq́; castra eodem quo erant loco communiri, tre pidissimis nuncijs alijs super alios aduolantibus, ingentem uim hostium adesse cognouit. Edicit ille, ut confestim omnes à castrorum munitione auersi, se ad pugnam expediant: equites q́ue citatissimos ad Hugonem & alios mittit, qui nunciarent Turco rum multitudinem ingentem uenisse: orarent pro inde, ut præsto sibi subsidio adessent: ipse quadrato agmine in hostem ire pergit, qui iam in conspectu cum clamore, ut mos est gẽtis, erat: & iam quidem in pugnam utrinque ferociter ibatur, quum maio res hostium cateruæ hinc inde sine tumultu loca e minentiora insederant: ab his incredibilis telorum multitudo in nostros cõiecta est: quorum plurima, quia in cataphractos equites cadebant, irrita fuere. Normanus non sagittis, sed contis primo, inde gla dijs comminus rem gerere. Ingentes Turcorum cæ des eduntur, quum ex Christianis quampauciss imi interim occumberent: tantaq́ue cadauerum strages fuit, ut effusius grassandi facultas omnino sit uicto ribus adempta: eratq́ue pro uallo quodam impio hosti fœdissima illa suorum coaceruatio. Dum igi tur intentius utring; pugnatur, mille Turcorum e quires in Boëmundi castra impetum fecerunt, subi taq́ue mulierum & calonum cæde ingentem à ter go tumultum edidere: sed maiorem omnino cladẽ attulissent, nisi Boëmundi interuentu è castris equi tatus ille cum cæde fuisset deiectus. Verum quum in aciem relicta ibi ad præsidiũ equitum ala redijs set, ita mutata erat belli fortuna, ut parum abesset, A quin Normani fugam respicerent: sed præsentia du cis continuò reparata est pugna. Turci aliquanto maiore conatu iterum castra aggressi, quum illi qui ad præsidiũ relicti erant, uim hostium sustinere non possent, (erant enim castra parum ut diximus mu nita) ad unũ omnes trucidãssent, nisi opportunus Hugonis aduentus, qui triginta equitum milia age bat, oppressis hostibus præsidiũ & castra seruasset. Inde rectà in aciem procursum, unde tam numero so equitatu prospecto, Barbari qui hinc inde spectã tium more in procinctu steterant, (nam quum te lorum iactu cernerent plures ex suis, utpote iner mes, quàm ex Christianis qui utique cataphracti e rant, cadere, sagittis prorsus iaculisq́ue iamdudum abstinebant) ut suis igitur auxilio essent, in equum sublato clamore decurrunt. Redintegratur itaque pugna, atque aliquãto priore illa atrocior. Prælium à prima diei hora est ad uesperam distractum: tum hostes sensim pedem referentes, in proximos mon tes abierunt: à nostris in Boëmundi castra reditum. Postridie uero ubi primum illuxit, Hugo & Norma nus in aciem pugnaturi descendunt: sed hoste nus quam uiso, data est opera ut cæsorum cadauera in unum contraherentur, quæ crux in tanta strage fe cit insignia. His in unum congestis, apparuit, ex ho stibus duplo plures quàm ex nostris cecidisse. Spo lijs deinde lectis, tanta uis auri, argenti, iumentorũ, omnis q́; Barbaricæ gazæ reperta est, ut inopia quã longi itineris difficultas fecerat, prorsus ea sit præ da subleuata. Deinde una sepeliendis cadaueribus uulneribus q́ue curandis data, biduo postquam pu gnatum fuerat, consilio persequendorum hostium mota sunt castra. Cognouerant ipsi duces ex nobili bus captiuis, quos in hunc scisscitandi usum perpau cos seruauerant, maiores aliquanto quàm putarãt copias eo prælio secum conflixisse, quarum nume
B rus supra quadringenta armatorũ milia habuissent: inerant his Syri, Chaldæi, Turci, Arabes, & Mesopo tami: horumque non pauci magis iuuenili quodam ac temerario rerum nouarum studio, quàm quod aut stipendia facerẽt, aut cuiuspiam essent imperio astricti, castra fuerant secuti: Solymanus eius expe ditionis dux non parũ interim uiæ emensus, à Nor manicis castris quàm longissimè potuit recesserat: uerum quacunq; ducebat, dissimulata clade quam per eos dies acceperat, non modò non se acie uictũ, sed uicisse etiam gloriari: urbes interim diripere, ciues in prædam agere, & cætera ne spem ullam a lendi exercitus nostris relinqueret, de industria cor rumpere. Boëmundus cæteriq́ue ductores, & ipsi motis castris per loca arida & siticulosa, ad Iconiũ Lycaoniæ urbem uenere. Tauro monti propinquo adiacet loco Iconium: peropportunaq́ue fuit oppi danorum deditio, quæ sub nostrorum aduentum facta est. opus quidem erat refecto exercitu, qui lo corũ, per quæ ductæ fuerant copiæ, sterilitate cum magna iumentorum hominumq́ue pernicie labo riosissime ad loca irrigua, & in quibus ali posset, fue rat traductus. Post aliquot dies ad Heracleam est i tum quadrato agmine, ducibus omnia circumspe ctantibus ne in hostium insidias præcipitarentur: exploratum nanq; habebant, ingentem Turcorum numerum in eum locum dimicandi consilio consti xisse. Sed quum ita ad pugnam instructi urbi pro pinquassent, Heraclienses omni interim suorũ præ sidio destituti, supplices occurrunt: pacem orant, se, urbem, fortunas q́ue suas publicas & priuatas, Chri stianis ducibus dedunt. Recepta Heraclia (quia per exploratores cognitũ erat nullo proximo loco ho stes consistere) post quatriduum bipartito inde co piæ abductæ sunt, Baldoino & Tancredo Tarsum ducentibus, quæ nullum habere præsidium diceba tur: Tarsenses statim deditione facta portas aperue re: urbis principatus Baldoino omnium consensu

permissus: atque illud additum, ut quicquid deinceps in illis terris armis occupasset, iure belli ipsius ditionis factum uideretur. Neque ita diu postea Edussa Manustraq; urbibus potitus est. Maius robur, copiarum in minorem Armeniam, quę eadem olim fuit & Cilicia, interim flexerat: Ferūt terram ipsam ab Armenio Iasonis comite nomen accepisse. Eam duplicem fecere qui de terræ ratione scripserunt: illam quæ sub Cappadocia est, citra Euphratem indi scretos terminos à Cilicia ad meridiem habentem, minorem Armeniam: alteram uero quæ est ultra fluuium, præcipuam terræ partem quæ Ponticum mare ac Caspium interiacet, sibi uendicante, maiorem nuncupauerunt. Omnia igitur eius regionis oppida, quia nullo inita erant præsidio, breui in Gallorum potestatem uenere: ea recepta Palmuro cuidam Armeno, uiro impigro, qui frequens ad eam diem circa Christiana signa fuerat conspectus, habenda Galli duces permisere. Cappadociam deinde ingressi Cæsaream capiunt. Et quia rumor erat, decreuisse hostes totis uiribus Antiochiam retinere, apud Socor urbem, paucorum communis religionis opera qui illic agebant receptam, tantisper statiua sunt habita, dum in quintum diem milites sibi commeatum expedirent. Inde autem profecti, Sura urbe cum publicanorum castello atq; aliquot oppidulis quæ Surensis ager habuit, potiti, angustissimo tramite iuga Tauri mōtis aggressi sunt superare. Habuit iter illud, quod unius diei fuit, non minus periculi quàm laboris: Erat uia angusta admodum, scopulosis hinc iugis subiecta, inde uallē habebat profundissimam, ac tam stupendæ altitudinis, ut illius aspectum spectantes reformidarent: per hæc loca non sine ingenti ducum sollicitudine die uno traductæ copiæ, cuius uiæ parte non paruā necesse fuit pedibus conficere: Nullus in tanto exercitu equo sedens ausus est locorum asperitatem superare: sed uectes & alia onera equis imponentes, quanto magis poterāt ad discriminosam illam sese uiam expediebant. Sic quoque non pauca iumenta cum impedimentis, partim casu, partim eorum cōsilio qui ea traduci posse desperabant, in profundā uallem eo die præcipitata dicūtur. Superatis montium angustijs Murasim urbem deditione facta recipiunt. Hic effusa camporum uastitas sese procul spectātibus aperuit, cuius prospectus tam longè lateque patebat, ut intuentium oculos fatigaret. His campis propinqua Antiochia cernebatur, ad quam subito oppugnandam omniū ductorum animi inclinabant. Vbi igitur in subiectos campos descensum est, circa flumen quod media labitur planicie, hostes procul conspecti sunt: ij ab Antiocheno rege erant missi, ut præsidio ijs essent, qui ex montanis locis commeatum in urbem conuehebant. Leuis armatura in hostem missa, primo impetu fundit fugatque: fugientes uictor miles partim obtruncat, partim trepidos in urbem compellit. Magna uis iumentorum, ingensq; commeatus copia eo die parta: quæ omnia ut maximè necessaria, ita gratissima uictoribus fuere. Ad flumen deinde Antiochiæ proximum uentum est, quod ab accolis Farfar nominari aiunt. Nos uero non ignoramus, Orontem Antiochiam alluere. Sed non solum fluminis nomē in dubium uenit, uerum de qua etiam Antiochia hæc recētes auctores scribāt, uix intelligi posset, nisi urbis celebritas ea esset, quæ nos in tantis nouorum scriptorum tenebris errare nō sineret. Nam & in Pamphilia Antiochia est, Seleucę uicina: & alia nobilior in Phœnicia, à Seleuco Nicanore Antiochi filio condita, olim Epidaphnęis cognominata, quam Orontes amnis dirimit. Huc igitur quum Boëmundus, Hugo, & alij ducerent copias, ex captiuis hostibus cognitum est, in ea urbe Casianum regnare, qui Babylonij regis esset tributarius: atque iccirco ab eo multa hominum milia Antiochiam ad præsidium missa, qui adeo spectatæ uirtutis esse crederētur, ut non modò nō bello tentandi essent, sed ne acie quidem, si ultro arma inferant, expectandi. Ad ea uerba non solùm non territi sunt ductores: sed postridie sub ortum solis motis signis Boëmūdus cum quinque legionibus ad urbē progressus, hostes acie sub mœnibus structos ferocissime est adortus: sed murorum aliarumque munitionum uicinitas, quæ facilem laborantibus receptum præbuit, effecit ne totis utrinq; uiribus fit concursum. pugna iccirco magis tumultuaria, & per alterius partis occasionem, quàm stataria fuit: sed quamuis leuis, ad uesperam tamen distracta est. Inclinante itaque die Boëmundus ad suos se recepit. flumen quod inter urbem & castra pari propè spacio erat, ponte continuo iunxere: castra ipsa ita disposita sunt, ut undique urbs obsidione cingeretur, præterquam ab ea parte, qua altissimi mōtes illi incubant, ubi nihil tutum nostris ab hostium incursu esse poterat. Erat Antiochia duplici muro circūdata, cuius pars interior lateribus: quæ extra erat, quadratis lapidibus constabat: sexaginta ad hęc supra quadringentas tradunt illi fuisse turres: arcem præterea in ea parte urbis quæ ad ortum spectat, munitissimam, omnia oppugnātium ingenia, omnes conatus frustraturam. Lacum urbi propinquum, piscium abundantem: agrum fluminibus fontibusque irriguum, ac miræ feracitatis: recedit autem duodecim milia passuum à mari, quod Cilicium uocant. Hic suam Petrus apostolorū principeps sub prima ecclesiæ initia sedem fundasse dicitur, quod ipsum multum postea splendoris loco attulit. Sub primam igitur obsidionem, quia uuæ in uitibus maturæ erant, fames nō tam cito sentiri potuit: aluit etiam aliquandiu numerosum exercitum frumenti uis ingens, in puteis, quibus eius regionis incolæ utuntur, reperta: pecoraq; ex occultissimis conuallibus in castra interdum abducta: quarū expeditionum auctores erant Armenij quidam, Christianæ professionis uiri, qui proximorum mōtium iuga incolebant: His quia Christi fidem ab initio acceptam, post Hierosolymam Heraclij temporibus à Sarracenis captam, constanter retinuissent, nunquā ab impio hoste certas habere sedes fuerat permissum: nouissime Carpharatus Ægyptius quartā urbis partem circa sepulchrum antistiti & eius plebeculę annua pensione pacta incolendam tradidit. Audita autem noua Christianorum in Asiam expeditione, Hierosolymis pulsi in mōtibus Antiochiæ uicinis confederant. Sed dum Galli Germaniq; duces hæc in Asia gerebant, Veneti (ultro ne an Alexij Imperatoris pontificisue suasu & adhortatione, incompertum habeo) classem ualidissimam, & quantam ad eam diem nunquam comparauerant, in Ioniā miserunt: ducentas omnis generis fuisse naues apud quosdam reperio: Quibus Henricus Contarenus Castellanus antistes, & Michaël Vitalis ducis filius, cum imperio præfuere. Sunt qui tradant, ante Hierosolymam captam Venetos in Asiam non transijsse. quod omnino non probo, ut gens rei maritimæ potentissima, in tanto Asiæ & Europæ motu desederit: quum interim cernerent, omnem maris orā quæ est ab Hellesponto ad Pelusiacum Nili ostium, ad prædam sibi expositam, quā si paulo anniterētur, breui ab impio Maumethi imperio essent uindicaturi. Quū igitur Rhodū Venetus uenisset, iurgio à Pisanis, qui non paruam eò classem appulerant, lacessitus dicitur: atque ob id iecto certamine utrinque hostiliter concursum: uictor Venetus duas deuiginti triremes Pisanis ademit: in quibus quatuor milia hominum capta dicūtur. quæ causa, aut quæ potius tanta fiducia Pisanos traxerit ad id certamen, non reperio, quum planè Venetū cernerent se longe potentiorem. Eos ita captos, quia rubenti

benti cruce erant insigniti, triginta nobilibus uiris obsidum loco retentis, restituta classe uictor Venetus abire permisit: mox prospera usus nauigatione in Ioniam uenit, ubi Smyrnam urbem præsidio destitutam repente occupauit. Hinc Diui Nicolai corpus Venetias asportatum ferunt, atque in æde quę in littore illi dedicata est, conditum. Hæc tantū prima illa expeditione à Venetis gesta quidam tradiderunt: alij uero, Smyrneis rebus continuò Syrias subijciunt, quod à fide non multū abhorret: ut dum classis domi cōparatur, in Dalmatia augetur: dum primo Rhodum, inde Ioniam petit: dum Smyrnam recipit, nec non Pamphilij, Cilicij, & Syrij maris oram legit. Recepta interim Antiochia Galli duces non solùm castra Hierosolymam admouerunt: sed per ocium etiam expugnarunt. Nam constat, Venetos sub primum eorum in Syriam aduentum, ex Iopensi portu, unde pulsa sit hostium classis, Hierosolymam uenisse: inde ad locorum expugnationem conuersos: Sed de ijs quę illi in Syria gessere, postea dicetur. Fuit interim Antiochię obsidio non minus longa quàm laboriosa: quippe quæ in nonum distracta mensem Europeas copias uehementer fatigarat. Nam & fame usque ad perniciem interdum laboratum est, ut præter ignobilem turbam, quidā etiam uiri illustres, inediæ laborum impatientes, quandoq; moliti sint fugam: in quibus Petrus Heremita, Guilelmus Carpentarius regio sanguine ortus, & Tancredus Boëmundi nec essarius fuere: qui ut desertores cum ignominia ex fuga retracti, nouo militiæ sacramento sunt adacti: amarissimæ quoq; uoces in ipsos duces uulgo iactarę: Duxisse illos ab Occidente sole ad ortum omne Christiani nominis robur: ut id ipsum quantūcunque esset, circa Antiochiæ mœnia sedendo, fame perderent: nullum esse tam nefandū cibum, in quem miseri milites ad eam diem non suos morsus uertissent: Esse itaque crudelissimos ductores cum sua pertinacia reliquēdos: aut si quid curæ ijs esset suę salutis, cōtinuo se quocunque terrarum inde abducerent: uel si ita libeat, in aliquod extremum pugnæ discrimen conijcerent: iocundum sibi fore prædicantes, præ his malis quæ modo paterentur, uel in eam aciē duci, in qua certo scirent esse moriendum: longe quidem pulchrius ducere, se fortiter pugnādo occūbere: quàm captiuorū more, fame & desidia extingui. Boëmundi auctoritas, cuius ob præstantes ipsius in re militari uirtutes, inter cęteros duces omnium scriptorum testimonio maxima in illis castris fuit: non parum ualuit ad hos motus comprimēdos: addita eius comis oratio, quæ in spem melioris fortunę militum erexit animos. Sed quum fames nihilo interim leuior esset, multi mortales fugam circūspectare cœperunt: fuissentque haud dubie castra breui relicta, quum peropportune allatum est, ingētes hostium copias adesse: cum quibus non solùm de obsidione retinenda, sed de uita quoque esset dimicandum: uenisse diem, quo aut ipsum Europæ nomen circa Antiochię mœnia extingueretur, si minus prospere esset pugnatum: aut certè fame, alijsque malis, quæ ad eam diem miles passus esset, defungeretur. Ad tam trepidum nuncium non modò non territi sunt Gallorum animi, sed totis castris acclamatum, ducerent se continuò in aciem: satius fore semel mori, si uincere non detur: quàm lente periclitando quotidie mortem adire. Ducti itaq; extemplo milites in pugnam, concursumque in conspectu urbis: anceps ab initio euentu multis horis atrociter dimicatum: fusi demum fugatique hostes dimidia copiarum parte amissa ingentem Christianis uictoriam reliquere. Nec unum id prælium ijs ad Antiochiam sedētibus cum hoste commissum, sed sæpius, ut fit, per occasionem alterius partis uario euentū pugnatum: nonnunquam etiam in aciem utrinque descensum: quo accidit ut fames frequenter sit hostium commeatibus leuata. Demum Pyrrhi cuiusdā Antiocheni uiri illustris proditione (qui Boëmundi fama allectus ad id se facinus compulsum uideri uoluit) noctu nono fermè mense postquam urbs ipsa obsideri cœperat, capta est: Cassianus rex inter nocturnam trepidationem, ubi hostē in urbe esse sensit, per auersam portam egressus in propinquos mōtes abijt: sed præ nimio, ut fit, metu, quum parum caute syluas saltusque urbi proximos incertis itineribus lustraret, ab Armenijs ipsorum, ut diximus, locorum incolis obtruncatus est. Antiochia recepta, paucis diebus non procul urbe, maiore quàm unquam aliàs prælio in Corbanam Persarū regis præfectum, & Sensadolum Cassiani filium est dimicatum: ad centum milia hostium eo prælio cęsa dicūtur: ac præter equos cæteraq; iumenta, quindecim camelorum milia capta. Secundum tam prosperam nostrorum ducum pugnam, Antiochenæ arcis præfectus, qui ad eam diē impigre locum defenderat, se Boëmūdo tradidit. Vrbs, quam ducum omnium consensu, Hugone cognomento Magno ad hoc ipsum Constantinopolim misso, Alexio concessam ferunt, nec ab eo acceptam: Boëmundo omnibus suffragijs, uno Raimūdo Ægidij Comite aduersante, data est: quod ipsum ut fieret, Pyrrhum ante proditionis diem cum Christianis ducibus pactū fuisse ferunt. Creditum uulgo est, Alexium beneficium accipere noluisse: quia conscius suæ parum integrę in Gallos & Germanos fidei, ueritus sit, ne quid doli eorum liberalitati ineesset: quibus se merito, ob fœdera non seruata, suspectum sciebat. Etenim neque commeatus miserat, neque alia multa in magnis difficultatibus à socijs quæsita, ex fœdere præstare curarat. Concessa Normano Antiochia, quarto post quam recepta est mense mota sunt castra: ad Rugiā primo uentum, inde ad Albariam. Is locus aliquandiu fœlicium rerum cursum longa obsidione distinuit: tandem muris ariete concussis, cuius formam Rubertus monachus, qui in illis fuit castris, his uerbis expressit: Trabs, inquit, lōga ferrato capite, quā funibus suspēsam milites crebris ictibus in muros agebant, admota insuper alia bellica opera, in quibus castellum fuit trium contignationum. Albaria ui capta, fœuitum est in omnes, præterquam in paucos quos Boëmundus seruauit. Hic quoque suborta iterū cum Ægidiano Comite altercatione, cum omnibus copijs Antiochiam Normanus, redijt: cęteri duces partim Albariæ, partim Rugiæ hyemarunt: accersitusq; in ea hyberna Boëmundus. Tentata est frequenti concilio illius cum Raimundo reconciliatio: Sed quum neque is sua decederet pertinacia, neque ille quicquam de sua dignitate remitteret, iactarentque haud dubie castra breui relicta, non ærumnationis solum, sed odij quoque & irārum plena: & iam propemodum ad certamen res spectare cœpisset: ne sua culpa detrimenti aliquid res Christiana caperet, cui in primis quantum in se esset consultū uolebat, cessit Boëmundus, Antiochiamque est reuersus. Eum abeuntem quasi secessione facta Gothifredus Bolionius, & Flandrensis Comes sunt secuti. Ea hyeme leues quædam expeditiones à Raimundo & alijs qui cum eo erant, factæ: Inde ad prima ueris signa (quia sunt loca illa, utpote ad ortum uergentia, ualdè aprica) mota sunt castra: in ualle Camellę urbi propinqua per diem Purificationis Seriati duces statiua habuere: inde in Raimundi gratiam Tripolitanus rex bello tentatus: adieceratque ad id regnū, si ui aut arte aliqua occupare posset, animum. Est igitur Tripolis oppugnari cœpta: sed quum ob loci naturam omnes nostrorum conatus irriti essent: diuisis copijs Normanus Comes urbē obsidere pergit. Raimūdus in tortosam ducit: Boëmundus quoque, Gothifredus & Flandrensis Comes,

mes,& ipſi ex Antiochia iamiam appetēte uere mo uerant.Sed quum interim de Raimundi inſolentia accepiſſent, quæ longe maior facta eſſet ob res ea hyeme geſtas,quàm antea fuiſſet: appareretq́ue,ex ſuo & illius certamine inſignem aliquam cladem rem Chriſtianam adituram, Antiochiam Boemundus cum ſuis copijs eſt reuerſus:Gothifredus interim Flandrenſiſq́ue Comes Gibellum, urbem diutiſsima obſidione cingunt : cinctam haud multo pòſt recipiūt.Ex Gibello ad Tortoſam profecti,ubi ob paucitatē copiarum ſuos in diſcrimine eſſe maximo cognouerant, eo quoque & Normannus Comes à Raimundo accitus uenit. Sic trinis caſtris in unum collatis,Tortoſa arctiori obſidione cœpta eſt premi:ſed oppugnatione in tertium menſem per irritos labores diſtracta, infecta re duces inde copias abduxere:atque Tripolitano regi æquioribus conditionibus quàm ab initio propoſita fuiſſet, pace reddita,ueſtibus ab eo,armis,pecunijs,commeatuq́ue adiuti, Hieroſolymam uerſus mouerūt. Ad Belon eo die quo primo mota ſunt ſigna,uētum eſt: hinc ad urbem Zebarim, in cuius finibus non nihil eſt aqua laboratum:tertio die ad flumen Braim cōſedere. Hinc digreſsi per arduos & abruptos montes non ſine inſidiarum metu traductus exercitus: quinis caſtris Berytum urbem maritimam uenere:ad ſagittam deinde caſtra habita : quibus poſtea promotis,decimo tandem die ad Cęſaream eſt uentum. Hic biduū quieti datum : ad Ramolas poſtea quadrato agmine itum, locū ab hoſtibus metu deſtitutum.Demum tertia uigilia motis ſignis,ſub ortum ſolis Hieroſolymæ mœnia ijs qui in primo erant agmine, haud procul apparuere: tum uero ad primū conſpectum ingenti alacritate ſublatus clamor:pars Chriſti ſummi regis nomē uenerari : pars in terra procumbentes, mixtis cum riſu lachrymis ſanctam urbem ſanctumq́ue ſepulchrum ſalutare. Et quia locus poſtulat ut de uetuſtate & apparatu loci aliqua dicātur,ne nimis libri huius magnitudo creſcat,ſextus, qui huic ſubijcietur,ab urbis deſcriptione ſumet exordium.

IN LIBRVM SEXTVM Epitoma.

SExtus Hieroſolymæ deſcriptionem,& urbis ipſius expugnationē habet: Gothifredi Hieroſolymitani regis declarationem:pugnam in Turcos feliciſsimam: Aſcalonis & aliarum Syriæ urbium expugnationem:Claſsis Venetæ in Italiam reditum:Immunitatem Ferrariæ quæſitam: Claſſem in Syriam reuocatam: Ptolemaidis & Sidonis expugnationē:& ius Venetis in illis ex parte quæſtum : Proſperam in Patauinos & ſocios pugnam:Duo fœdiſsima urbis incendia paruo interuallo ſecuta: Iadrenſium & aliorum quorundam Dalmatarum à Veneto imperio defectionem:Ordelaphi principis in Dalmatiæ urbibus recipiendis ſucceſſum:Ordelaphi in Barbaros pugnantis interitum: Venetæ claſsis Caliſto pontifice auctore in Syriam reditum : Venetorum in Barbaros ante Syrium littus proſperrimam pugnam : Terreſtrem maritimamq́; Tyri obſidionem:Tyriorum deditionem:Venetæ claſsis ex Syria in Italiam reditum : & ædem Publicæ Charitatis media urbe ædificatam.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER VI.

IEroſolyma,quam & urbem ſanctā libet appellare, arduo,quemadmodū accepimus, ſita eſt loco:arduisq́ue montibus ferè undiq; uallata: neq; fontibus ullis, neque fluminibus,præter Siloam (quem alij fontem,in quibus eſt Ioſephus, alij amnem eſſe dicūt) irrigua.Hic uero, quem ne amnem quidē ob aquarum inopiam iure appellare poſsis, montem Sion perſtringens,uallem quę Joſaphat dicitur, mediam interſecat.Ager urbi circumiectus,aridus eſt & ſiticuloſus:atq; ideo ciſternis pluuiam aquam capientibus refertus.Solymi, qui ijdem olim fuerūt & Lycij (ſi Herodoto credimus) urbem ipſam, quod & nomē indicat, & Tacitus Cornelius affirmat in his quæ de Iudæorum uetuſtate ſcripſit, condiderunt. Homerus, qui eam gentem ſuo carmine celebrat, diuerſos à Lycijs Solymos exiſtimare uidetur:eius carmen eſt,

Hic Solymis iterum præſtantibus intulit arma:

quū de Bellerophonte ex Lycia profecto ſummus interīm poēta loqueretur.de religione uereriq́; gentis inſtituto iuuat ea referre,quæ Strabo,homo Ethnicis erroribus imbutus, memoriæ tradidit. Nam quæ diuinarum rerum ſcriptores de loci uetuſtate memoriæ prodiderunt, nemo eſt qui nō aut ea per ſe legerit, aut certè ab alijs quandoque audire contigerit. Iuuat inquā, & fas eſt,cognoſcere,quā proximè ad ueritatis cognitionē etiam ij,qui uana alio quin imbuti erant ſuperſtitione, acceſſerint:Fama, inquit ille, de rebus circa Hieroſolymorum templū creditis obtinet,Ægyptios eorū progenitores fuiſſe, qui nunc Iudæi appellantur. Nam Moſes unus ex Ægyptijs ſacerdotibus,quum partem quandam religionis haberet, ac moleſte ferret eorum inſtituta, inde in Paleſtinam migrauit : diſceſſerunt cum eo multi quibus diuina curæ erāt:docebat ille,quo modo Ægyptij non rectè ſentirent, qui ferarum imagines Deo tribuerent : nec Græci, qui deos hominum figuris inſignirent : & quod id ſolum Deus eſſet,quod nos & omnia contineret, & quam naturam appellamus : Cuius profecto imaginem nemo ſanæ mentis audeat effingere. Itaque relicta omni ſimulachrorum figuratione,& digno ei templo cōſtituto,ſine forma coli oportere:ac ſemper aliquod bonum expectare eos,qui caſte,integre, & cum iuſticia uiuerent : cæteros nequaquam. Haud omnia uidit Strabo: Sed omnino operæprecium eſt audire,hominem uana religione præditum, ea probare quæ à ſuo diuerſa eſſent inſtituto. Satis enim probat,quæ non damnat : uel in primis ea, quæ apertè delyramentis ſuorum popularium ſentias eſſe contraria. Verum, ut dixi, non omnia intellexit. Nam de diuinæ perſonæ figuratione non magis ab illorum quàm noſtro inſtituto recedit. Etenim quàm illi ſtulte fecerunt, tam nos ſapienter facimus:quia diuerſa ratione. Id itaque Moſes quum non paucis perſuaſiſſet, in eum locum deduxit, ubi nunc condita ſunt Hieroſolyma : quem eo facilius obtinuit, quo minus quidem ac minus ob ſoli ſterilitatem erat inuidioſus : nec omnino talis, pro quo aliquis bello decertare uoluiſſet. Eſt enim calculoſus, & ubi ſita eſt urbs, parum aquis abundans. Ex quibus Strabonis uerbis datur intelligi, non Solymos, ſed Moſem

Moſem & qui cum eo ex Ægypto uenerāt, fuiſſe urbis conditores.Foſſam ad hæc urbem habuiſſe traduntin lapide exciſam,pedes ſexaginta profundā, latam ducentos ac quinquaginta : atq; è lapidibus inde egeſtis magnificentiſsimū templum, quod in Vrbe fuit,ab imo ad ſummum conſtructum : de eo multa alij : plura uero Ioſephus Iudaicæ hiſtoriæ ſcriptor.Sed quum ab optimis inſtitutis ad tyranni dem primo, inde ad auaritiā ac cætera uitia res ipſa declinaſſet,factū eſt,ut diuino quodam iudicio non una clade,neq; uno tempore, ſed multis diuerſiſq; modis ſit urbs ipſa ſæpius conflictata. Nam ut alia omittam,& ab Ptoſemæo primo Ægyptiorum rege(de his loquor qui ab Alexandro Macedone fluxerunt) euerſam olim accepimus.Procedente dein de tempore,Titi Veſpaſiani filij auſpicijs eo maiorē cladē perpeſſam, quo ſe tum magis infando quàm unquā aliàs piaculo aſtrinxerat.Mox Hadriani temporibus,atq; deinceps continuatis cladibus,alijs ſuper alias,nunquam ab ipſa malorum ſerie reſpirare datum:quæ in huius uſq; expeditionis tempora diſcurrens,auguſtam alioquin terram, ſub impio Mahometi imperio diu tenuit depreſſam: tam ſæuis premebatur armis,quum Chriſtianæ copiæ eò admotę ſunt.Explorato igitur urbis ſitu conſtituerūt duces eam tripartito aggredi. Ad ſeptentrionē Normanus & Flandrēſis comites metati ſunt: circa portam quæ Protomartyris dicitur (nam & proximo loco illi ſacellum dicatum ferunt:cæterūm fama tenet,eum urbe eiectum haud procul inde lapidibus obrutum) Ad occidentem Gothifredus cum Tancredo.In Sion monte,qui eſt ad meridiem,Raimundus conſedit.Aliquot prędia primo per occaſionem hinc inde commiſſa. Nec interim ob maris uicinitatem locorumq́ue aliquot in Paleſtino agro receptorum,ita fame urgebat Antiochiam eſt laboratum.Fuit per eos dies quibus tenuit obſidio,urbs nonnunquam oppugnatione tentata:ſed primi illi conatus irriti fuere.Demum caſtellis alijsq́; operibus bellicis muro admotis, oppugnatio aliquanto atrocior quàm ulla ante alias hoſtes adorta eſt. Inita nanq; prima luce pugna,in meridiem fuerat protracta: ce ciderantq́; interim ex noſtris non pauci, maiorq́; in horas cædes oriebatur: apparebatq́; eo die rem parum proſperè motam, niſi Baldoinus robore militum ſeptus,per tabulata,quæ hoſtes ad occupanda opera urbi admota ſummis mœnibus ſubſtruxerant,in muros tranſcendiſſet,tum quoque aliquantiſper laboratū.Sed refracta interim porta, muroq́; haud procul inde ariete diſcuſſo,irrumpentibus undiq; victoribus ceſsit hoſtis : fœdiſsima cædes paſſim tota urbe ædita : fœuitumq́; primo in omnem ſexum & ætatem.Turris quæ Dauidis dicitur,in arcis ſpeciem munita,per deditionem continuo eſt recepta.Circa templum omnis uis belli incubuit: ingens mortalium numerus eò confugerat. Hic cum multa utrinque cæde dimicatum, deſperatione illos animante, hos uero indignatione : quippe quibus urbe capta templū, quod ab imbelli turba fuerat occupatum,non pateret. Vi tamen irruptione facta,ita cupidè in cædem procurſum, ut alijs cuneis alios in templum trudentibus,ij qui primo irruperant,cominus cum globo armatorum hoſtium pugnare cogerentur:quinetiam à tergo impulſi,in obiectos mucrones præcipitabundi ruerent. Nec ab hoſte interea ceſſatum, cui præſens periculum pugnandi neceſsitatem imponebat, cogebatq́ue omnia audere. Cruentum itaq; certamen commiſſum, non tantum circa limina, ſed in medio etiam templo: tantaq́; promiſcuæ uictorum uincentiumq́ue fuit ſtrages,ut cruor pauimento fuſus pedalem altitudinem æquauerit. Demum faſtigio templi nōdum expugnato, iam ſe primis tenebris intendentibus datum eſt ſignum receptui. Poſtridie propoſito edicto,ut inermibus parceretur qui ſe ex ſuperiore loco tuebantur ſupplices ueniam precati deditionem fecere. In hunc modum Hieroſolymam receptam accepimus, undecenteſimo ſupra milleſimum ſalutis anno:captiuitatis eius quadringenteſimo nonageſimo : die ex quo obſideri à Chriſtianis ducibus cœperat,undequadrageſimo.Gothifredus omnium conſenſu rex Hieroſolymitanus ſalutatus eſt:qui cæteris regni inſignibus acceptis,à coronæ uſu pertinaciſsimè abſtinuit,impium eſſe prędicans, Chriſtianum hominem ibi auream coronā geſtare,ubi Chriſtus ſummus rex ſpineam tuliſſet. Dum hæc Hieroſolymis aguntur, trepidè nunciatur ingentes hoſtium copias appropinquare. Quibus relicto ad urbem præſidio, Gothifredus nō procul ab Aſdona uenientibus occurrit.Cruentum hic prælium commiſſum,atq; in multas horas fortuna neutrò inclinante pugna diſtracta eſt : demum ingenti clade accepta,fuſi fugatiq; ſunt hoſtes, quorū centū milia eo die cæſa auctores ſunt quidam:ex captiuis compertum eſt, quingenta armatorum milia ea acie conflixiſſe. Dum hæc in Syria geruntur, Veneti ex Smyrna Lycij,Pamphilij,Cilicijq́ue maris oram circumuecti,in Syriam uenere, portumq́; Iopenſem à Chriſtianis prius receptum tenuerunt. Sed haud affirmare auſim, Venetos ex Smyrna profectos non prius in Syriam ueniſſe,quàm urbs ſancta expugnata eſſet:quum maritimo cōmeatu Gallos duces ad Hieroſolymam ſedentes omnino conſtet adiutos:quod ipſum à quibus præſtari potuerit niſi à Venetis, quum omnis ora Syriæ adhuc hoſtium eſſet,non uideo.Ex Iope Veneti relicto ad cuſtodiam claſsis ualido præſidio, agmine Hieroſolymam cōrendunt:unde reuerſi Aſcalonē urbem maritimam expugnant, quam nuper Galli fruſtra oppugnare fuerant adorti. Gallico ibi præſidio impoſito,Caipham,quæ & Porphyria dicitur, oppidum Ptolemaidi propinquum obſident : fuitq́ue pugnatio illa ſpe omnium longior. Ne igitur ociоſam omnino illic ſtationem habere uiderentur, Tyberiadē interim adorti, deditione ab oppidanis facta recipiunt:nec ita multo pòſt & Caipham.Sunt qui hæc Gothifredo,non Venetis tribuant. Ego communi conſilio geſta exiſtimo, ut ille terreſtribus copijs, Veneti maritimis rem poſt Hieroſolymam receptā in Syria geſſerint. Atque hinc factum, ut Venetarū rerum ſcriptores,Venetis ea tribuant: Gallicarum, Gothifredo.Nullo modo à fide abhorret, Venetos ubi in Syriam ueniſſent, ſocia cum Gallis iunxiſſe arma:atque ita utrorumque auſpicijs rem Chriſtianam eo anno, ut dixi, in prouincia adminiſtratam. His geſtis Veneta claſsis domum eſt reducta. Poſt cuius diſceſſum haud multo interiecto tēpore Gothifredus uita deceſsit.Sub id tempus diuorum Nicolai & Theodori corpora,hoc in æde Saluatoris,illud in fano quod ei eſt in littore dicatū,condita dicunē.Infeſtabant Normani Rogerij Boēmundi fratris ductu,Græciæ & Dalmatiæ oram. Veneti,ictо prius fœdere cū Calomano Geicæ Pannoniæ regis filio,in Normanos mouere. Quā uero inferendorū Venetis & Alexio armorū cauſam Normani tū habuiſſent,nō reperio. Veneta claſsis in Apuliā cum Barbarorū appendicibus tranſmiſſa : nam & Calomanus nō ſolùm fœdus,ſed ſocia quoq; cum Venetis arma iunxerat:quod curita ſit factū,non uideo: niſi per id tēpus aliqua Pannones in Dalmatia poſſederint,quæ indigne ferrent à Normanicis armis infeſtari: quanquā ex fœdere quoq; illud præſtitiſſe uideri poſſunt.Brunduſium igitur ſub primū penè appulſum Venetus occupat: præſidioq́; hic relicto in continentem effuſus ad dextrā læuamq́;,omnem oram maritimā terrore & populationibus cōpleuit : nec ita multo pòſt claſsis præda onuſta, eſt domum reducta.In fœdere cum Calomano icto ex

preſſum reperio, ne Calomanus, aut ex ſucceſſoribꝰ quiſpiã, ois Dalmatiã Venetum nomen aliquo modo infeſtaret. Matildis, fœmina illuſtris, ex Sigifredi familia procreata, quũ Veneta per id tempus claſſe adiuta Ferrariam recepiſſet, immunitatem in ea urbe per eruam amico populo, per quẽ uictoriam adepta eſſet, donaſſe dicitur. Vitalis princeps anno ſui ducatus quarto circumacto, uita deceſſit. Orde laphus Faledrus Vitali eſt ſuffectus: cuius primo re giminis anno, aut certe altero, numeroſa claſsis in Syriam ruſsus miſſa eſt: Venetarum rerum ſcriptores centum eam habuiſſe naues tradiderunt: Blon dus Forliuienſis octoginta. Genuenſes quoq; per id tempus aliquanto ante Venetum eò tranſmiſerãt. Baldoinus, qui in Gothifredi fratris locum Rex ſalutatus fuerat, per id tempus Ptolemaidẽ urbem maritimam oppugnabat: Is paulo pòſt Gothifredi mortem magno prælio in Syria uictus (in quo Boe mundus uir clariſsimus captus fuerat) ita animum remiſerat, ut nihil ferè ea temporis intercapedine moliri ſit auſus. Audito Boemundi in Antiochiam reditu, qui Tancredi nepotis ex fratre induſtria & liberalitate magno auri põdere hoſtibus dato poſt liminio reuerſus dicebatur. Tãti uiri præſentia con firmatus Rex Ptolemaidem, ut diximus, obſidione cinxerat (Eam urbem audio à recentioribus Aconem uocatam: ac nouiſsime corrupto nomine Acram.) Hic itaq; Baldoino ſedẽti duæ ualidiſsimæ claſſes ex Europa magnis pollicitationibus accitæ præſto affuere: Maritimis igitur auxilijs Baldoinus auctus, terra mariq; attentiore obſidione cœpit Ptolemaidem premere: quo factum eſt, ut intra uicesi mum diem ſit urbe potitus: Blondus Ptolemaide capta interm iſſam fuiſſe ait expeditionẽ, nec prius aliquid tẽtatum quàm Boemundus, qui per id tem pus in Italiam nauigauerat, in Aſiam rediſſet. Vnde datur intelligi, Baldoinum plus uni Boemundo de ferre ſolitum, quàm omnibus Chriſtiani nominis ducibus, qui ad eam diem ſuperſtites eſſent. Verũ enimuero ea quæ Blondus de Boemũdi in Italiam aduentu ſcribit, haud multum à ueritatis ſpecie recedũt. In quibuſdam annalibus reperio, his tempo ribus quibus Boẽmundus in Italia fuit, Venetos in Alexij gratiam claſſem in Normanum ad Dyrrachium ſedẽtem ſtruxiſſe: uerum antiquæ fortaſsis illi acceptæ cladis memores nõ auſos hoſtem, qui portum in federat, ſollicitare, curſum in Appuliam flexiſſe: ubi quum multa hoſtibus damna intuliſſent, domum re alioquin infecta rediiſſe. Quod ſi res ita ſe habet, fateri oporter, claſſem Venetam re ceptam in Syria Ptolemaide, in Italiam reductã: tum quia Ordelaphi ductu ſcribunt miſſam in Norman num: tum etiam quod uix contingere potuiſſet, ut tot nauib. Syriaco bello occupatis, aliæ denuo con tra potentiſsimum Regem parari potuiſſent. Cauſam ſuſcepti aduerſus Alexiũ belli aiunt Boemundo fuiſſe, quod Græci ob Laodiceam à Tancredo occupatam, maritimas Antiocheni principatus urbes armis aliquandiu infeſtauerant: Sunt qui dicãt ad primum Alexianæ Venetęq; claſsis cõſpectum, territum Boemũdum de pace agitare cœpiſſe: ſicq; Dyrachium breui poſtea obſidione leuatum. Vene ti annales, poſt Ptolemaidem receptam, ad Sido nem ad motam fuiſſe claſſem: terreſtres q; Baldoini copias tradunt. Fuit inter Berythum Sidon & Ty rum omniũ Phœniciæ urbium & uetuſtate & opu lentia olim clariſsima: hæc quoq; intra paucos dies recepta eſt. Quidã Sidoniã oppugnationẽ Berytha næ ſubijciẽtes, Berythũ prius expugnarũ tradũt: ubi menſes duos ſedẽdo cõſumpti ſint, oppidumq; nõ ſine ingẽti cæde captum: quo accidit ut nõ ſolũ inipſos puberes ſit ſæuitũ, ſed in eos etiã, q per ætatẽ arma ferre nõ poterãt. Eò ob agri feracitatẽ Chri ſtiana colonia deducta eſt. Et hæc Ordelaphi tẽpo-

A ribus à Venetis in Syria geſta reperio. Auctores ha beo, Sidone recepta Venetos Faraniã oppidũ ma ritimum circa Nili oſtia recepiſſe, multaq; ad id ho ſtiũ naues maria infeſtãtes ea expeditione oppreſ ſas. Quibus magnifice geſtis motus Baldoinus, ſa cram in Ptolemaide ædem, uicum, forum, aream, Veneto dedit: ubi merũ mixtũq; cũ Gallis haberet imperium: nec una urbe tãtum, ſed toto quoq; Hie roſolymitano regno plurima tribuit priuilegia. Ipſum uerò præſenti rerum ſucceſſu elatum finium promouendorum ſtudio, trãs Iordanem fluuium, Chriſti noſtri regis lauacro inſignem, Sobal caſtel lum in edito aiũt fundaſſe loco. Nec ita multo poſt Venetis in Italiam reuerſis, quum aliquot prælia pa rum ſecunda aduerſus hoſtes commiſiſſet, ac loca quædam circa Ptolemaidẽ præſidio firmaſſet, longeq; maiora animo moliretur, inter ipſos belli ap paratus extinctum. In cuius locum Baldoinus Bur genſis, qui arcto illum cõſanguinitatis attingebat gradu, Hieroſolymæ eſt Rex declaratus: fuitque ut ratum id eſſet Gelaſius ſecundus Romanus ponti fex creationis illius auctor. Sub id autem tempus quo claſsis ex Syria reducta eſt, in Alexij gratiã Or delaphum in Normanos duxiſſe tradiderũt quidã: ſed nec belli cauſam, neq; quò claſsis ſit ducta me morant: Nimirum de ea loquuntur expeditione, quam in Boemundum decretam ſuperius ſignifica uimus: quanquam illi non in Boemundum, ſed in Liamontem eius filium conflatam claſſem tradãt. Ab Henrico quarto multa & ampla immunitatum priuilegia hac ipſa tempeſtate impetrata dicuntur. Ad hoc ipſum petendum, Vitalem Faledrum, Ste phanum Maurocenum, & Vrſum Iuſtinianũ Romã miſſos apud quoſdam reperio: qui pallium Henri co aureum & annuam pecuniam, ſed eam admodũ tenuem, conceſſarum rerum monumentum publi co nomine polliciti ſint. Sunt qui Veronę uelint id impetratum: atq; Henricum per legatos à Venetis petiuiſſe, ut ad ſe mitterentur, cum quibus Patauinã cauſam cognoſceret. Acciderat enim per id tem

B pus, quod Patauini cum Tauriſanorum & Rauen natium appendicibus in Venetos mouerant: Cau ſam ſuſcepti belli etſi in annalibus non reperio, ob utrorunq; tamen fines, ut ſæpe aliàs, ortam ex Hen rici declaratione quæ poſtea ſecuta eſt, poteſt intel ligi. Intra Brentæ & Atheſis fluenta ad Bebianam turrim progreſsis hoſtibus Veneti occurrunt: ali quot leuia prælia primo cõmiſſa: demũ totis uiribꝰ concurſum, ubi quum res Veneta ſuperior fuiſſet, ueniſſentq; ex hoſtibus ſexcenti in uictorum pote ſtatem: Patauini ea clade conſternati, ad Henrici o pes confugiſſe dicuntur, auxilia aduerſus Venetos implorantes. Henricus ne eorũ cauſam reijcere ui deretur, cum legatis, qui hoc nomine (ut dixi) Ve ronam accerſiti fuerant, egit: ut depoſita omni al tercatione Veneti Patauiniq; amice inter ſe rem de qua ageretur, cognoſcerent: oportere prædicãs Ve netos meminiſſe, ſe à Patauinis ortos: rem indignã eos facere, niſi pio quodam ſtudio illius urbis no men, unde originem ſe trahere non ignorarẽt, proſ equerentur, ac ipſos loci incolas, uelut decrepitos parentes filij ſolent, ſumma pietate fouerent. Con tra Patauinos ipſos dicere, non modo non inuide re Venetæ gloriæ debere: ſed gloriari etiam, quod ad eam diem hi qui à ſe procreati eſſent, tãtum glo riæ terra mariq; eſſent adepti. Cenſere itaq;, ſuos fi nes utriſq; conſtare oportere, nec eo aut alio nomi ne amplius in ſe cognata arma uertere. Valuit mul tum Henrici auctoritas ad tollendam diſcordiam: ſed longe magis ipſa comis oratio, qua adducti le gati qui aderant, ex illius ſententia lite ſopiuere. Ac tũ demũ Venetos aiũt, q̃ diximus ab Henrico obti nuiſſe. Fuerũt è numero ſcriptorum, qui ea Venetis cõceſſa crederẽt, quo p id tẽpus ille ueniſſet, omni

interim

interim aurei pallij alteriús ue tributi mentione o A gnitum, curam retinendæ prouinciæ Venetis attu
miſſa. Fœdiſsimo ſub id tẽpus incendio ciuitas ma litingentem. Apparebat enim niſi maritimę urbes,
gna ex parte conſumpta eſt: ignemq; ex Henrici Ze & quicquid illis adiacet, præſidio retinerentur: fo
ni ędibus ad Apoſtoli fanum primo manaſſe ferũt: re (quæ eſt eius gentis natura, ſemper nouarũ rerũ
ac toto repente uico abſumpto, quum uentus ma cupida) ut omne Dalmaticum nomen ad hoſtem
teriaq; ignem alerent, flammam ultra riuum deuo deficeret. Ordelaphus itaq; in tãto diſcrimine haud
lutam Caſsiani inſulam ſubito corripuiſſe: inde lon ceſſandum ratus, aliquanto maiore claſſe quàm an
gelateq; ad Matris domini ædem uagatum ignem, tea in prouinciam tranſmiſit: hoſtemq; circa lacerę
Agathæ uicum, Auguſtini, & Stephani ultra riuum mœnia aſſecutus, ad pugnam cõtinuo elicuit. Fero
cõtinuato incendio cõſumpſiſſe: inde duobus plus citer primo utrinq; dimicatum, fortuna adhuc neu
minús ue menſibus (nam omnino tempus ab au trò inclinante: dum Ordelaphus ubi plurimum pe
ctoribus uariari uideo) interiectis, recens incendiũ, riculi erat, inter primos hortator adeſt, ac cominus
priore illo fœdius, ciuitatem priore clade adhuc cõ hoſtem ferit, telo ictus concidit. Morte ducis per
ſternatam inuaſit. Ex Zancanis ædibus id ortum di culſi Veneti, impetũ hoſtis aliquantiſper ſuſtinue
citur, primoq; in Laurentij inſulam graſſatum: mox re: inde ſolutis ordinibus aperta fit fuga. Multi cæſi
undiq; diffuſum ſexdecim urbis inſulas cum parte eo prælio dicuntur, multi etiam capti. Fama ad uer
ducarij, quæ ad Balſi fanũ ſpectat, corripuiſſe. Me ſæ pugnæ Venetias perlata, ingenti ciuitatem mœ
doacum quoque eo tempore conflagraſſe tradunt rore affecit: uulgo credere, cæſo duce cæſisq; co pijs
quidam: ac non multo pòſt inundatione ſummer haud ſpem ullam ſupereſſe Dalmatiæ tuendæ. Pla
ſum. Ordelapho auctore Clodienſibus permiſſum, cuit proinde, primo quoq; tempore legatos ad re
ut ad ſacrarum ædium publicorumq; ædificiorum gem mitti, à quo pacem ſi poſſent, aut ſi ea non da
ſtructuram, ex Medoacenſibus ruinis lapides, colũ retur, inducias ſaltem in certum tempus impetra
nas, ac cætera quæ uellent, Clodiam aſportaret: at rẽt. Miſsi Vitalis Faledrus, Vrſus Iuſtinianus, & Ma
que ita publicis priuatisq; operibus urbs ipſa, quæ rinus Maurocenus ſcriba: qui in annos quinq; cum
ad eam diem nullis niſi humilibus ſordidisq; prę rege inducias pacti ſunt. Ordelaphi corpus, qui an
dita fuerat ædificijs, magnopere dicit exculta. Fre no ſui ducatus undeuicesimo pro patria dimicans
quens monachorum cœtus ex Hilario Medoacenſi fortiter occubuerat, Venetias eſt delatum, atq; in di
profectus, in Sorboli ædem conceſsit. Gradonici & ui Marci æde honorificentiſsimè ſepultum. Do mi
ipſi ſplendidum Cypriano templum Muriani con nicus Michaël in demortui locum ſuffectus eſt. Ad
didere, ut eſſet in quem locum tranſirent uirgi hunc principem Baldoinus ſecundus miſit. Erant
nes illæ, quæ eidem diuo Medoaci ſeruiuerant. Ba Chriſtianæ opes ad id in Syria redactæ, ut non mo
doarij quoq; eo religionis ſtudio fanum Crucis, & do de ampliando regno nõ cura ulla eſſet amplius:
cœnobium illi contiguum, priuato ſumptu erexe ſed quo pacto antea quæſitum retineri poſſet a gita
re. Vixdum à fœdiſsima illa incendij clade ciuitas retur. Quanquam enim primo alteroq; ſui regni an
reſpirarat, quum repente nunciatum eſt, Iaderenſes no aliquot ſecunda prælia cum hoſtibus feciſſe tũ
magiſtratu iecto à Venetis ad Calomanũ Panno lorum tamen opibus indies inualeſcentibus appa
niæ regem defeciſſe. Siquidem Barbarus poſt ſocia B rebat, recepta Syrię loca ſine nouis auxilijs defen di
le bellum aduerſus Normanos geſtum, quia multa amplius non poſſe. Per legatos igitur à Venetis pe
ſibi ex ſententia ſucceſſerant, præſenti ſucceſſu ela tijt, ut in Aſiam cum quàm ualidiſsima poſſent daſ
tus, repẽte uiolato fœdere, quod Veneti ad eam diẽ ſe tranſirẽt, quod ut facilius impetraret, magna pol
ſanctè cuſtodierant, Dalmatiam inuaſit: ac primo Ia licitus eſt per legatos præmia. Interim uero dum le
derenſes, inde omne ferè Dalmaticum nomen dedi gatorum reditus ex Italia expectatur, Baldoinus à
tione facta breui tempore recepit. Et ut populorũ Dalocho Parthorum rege, cum quo acie conſtixe
animos à Veneto alienaret imperio, ſubito ſe Dal rat, captus, Charras ducitur. Tum uerò qui Hie ro ſo
matas omnes libertate donare pronunciauit. Orna lymis erãt, in quo ſtatu res Syriæ eſſent, Caliſto pon
uit ad hęc & urbium templa donarijs ampliſsimis. tifici trepidiſsimis nuncijs ſignificant, opem implo
Inde in Pannoniam reuerſus repentina morte op rant: affirmantq; fore, ut niſi primo quoq; tempore
preſſus uiolati fœderis meritas luiſſe pœnas credit. ex Italia ac reliqua Europa noua mittantur auxilia:
Tum Ordelaphus prouinciæ recuperãdæ occaſio non multo pòſt, ſublato ex Aſia non tantum regno,
ne oblata, in Dalmatiam tertiodecimo ſui ducatus ſed Chriſtiano etiam nomine, omnia in Turco rum
anno tranſmiſit: Iaderam obſidione cingit, cinctam poteſtatem eſſent conceſſura. Caliſtus maguit udi
oppugnat. Interim Barbari qui ad præſidium urbis ne periculi motus, continuo Italiæ uires circumſpi
relicti erant: aut, quod magis credo, ad leuandã ob cere cœpit: conſtituitq; Venetos ſolos eſſe qui in Sy
ſidione urbem ex Pannonia miſsi, cum Venetis cõ ria Chriſtianorum opes eo temporum ſtatu retine
greſsi, fuſi, fugatiq; tota Dalmatia ceſſere: Iadera ſe re poſſent. Per legatos itaq; Dominicũ ducem pre
cundum proſperam illam pugnam recepta eſt. In catus eſt, ut confeſtim potentiſsima claſſe inſtructa
de Siccum admotæ copiæ, nam & ipſum in eo mo ad Chriſtianã rem tuendam in Aſiã tranſmitteret.
tu à Venetis defecerat: id Ordelaphus ad deditionẽ Tum populo ad concionẽ uocato, diuinis rebus ri
compulit, compulſumq; muris quibus erat cinctũ, tè procuratis, iuſſu principis ita antiſtitem urbi ad
nudauit. Cætera loca ordine imperiũ recepere. Nec populum locutum ferũt: Quæ in Aſia ſuperioribus
Venetus præſenti cõtentus uictoria, ſuperatis Croa annis pro Paleſtinę terrę recuperatione, quam uos
ciæ montibus quicquid in mediterraneis fuit, Ve tellurẽ ſanctã uocatis, partim noſtris, partim cęte
netis armis breui ſubiecit. Ac tum primum quidam rũ Europæ gentiũ auſpicijs geſta ſint, puto uos, uiri
exiſtimant, Venetos duces cœpiſſe Croaciæ titulũ Veneti, nõ ignorare. Nam ſextus, ni fallor, abil lo &
uſurpare. Pacata itaq; prouincia, finibusq; imperij uiceſimus nũc annus agit, quo ingens illa Chriſtia
propagatis, Ordelaphus Venetias redijt: ac præter norũ manus in Aſiã tranſmiſit: ubi dei benigni tate,
cętera quibus illius reditus toti ciuitati conſpicuus ſuaq; uirtute, quicquid terrarũ eſt à Bithynia in Sy
fuit, illud penè legitimi triumphi ſpeciem ciuiũ o riã, breuiid totũ ex immaniſsimo hoſte armis rece
culis ſubiecit, quod multos Illyrici generis regu pere. Nec interim & in Ionia, Smyrna capta, & circa
los, alioſq; eminẽtioris fortunæ uiros, captiuos du maritimę Syriæ orã, pauca à noſtris geſta dicun
xit. Nec diu prouinciæ ſtatus quietus fuit. continuo tur: ubi nõ tantũ gloriam ingentẽ cõſecuti ſumus, ſed in
enim ubi ea quæ in Dalmatia Croaciaq; geſta erãt, partẽ etiã receptarũ urbiũ admiſsi. Qđ ſi rectè om
in Pannoniam allata ſunt, repente nouus ex Panno nia animo cõſideratis, certiſsima quędã fundamẽta
nia exercitus in Dalmatiam uenit. Quod ipſum eo Veneti imperij in Syriã promouendi præclara ill ae-

peditione

peditione iacta uideri possunt. Verum intra paucos annos accidit, ut Gothifredi, Baldoini, Boëmundi, & aliorum illustrium ducum morte, qui fatali necessitate ex humanis concessere, ita res nostrę in Syria mutatæ sint, ut non modo non sint in eo felici, in quo fuerant, cursu: sed retro, ut aiunt, labentes, at que indies tenuiores factę, magisq; ac magis hostiũ iniuriæ obnoxiæ, modicam spem ipsius prouinciæ retinendæ nobis reliquerint. Id metuẽs Baldoinus secundus, ad nos non multo antè legatos misit: qui supplices magnaq; prẽmia pollicentes rogarent, ut confestim classem expediremus numerosissimam: atq; ubi primum fieri posset, in Asiam transmitteremus. Mouerãt nos tanti uiri preces. Sed quum iam ad uos de hac re relaturi essemus: deq; classe comparanda agitari cœptum esset, trepidissimis est nũcijs allatum, Baldoinum à Dalocho Parthorum rege captũ, Carrasq; in uincula abductum. Quo Christianissimi uiri casu consternatus Varinundus, Hierosolymitanus antistes, & cæteri qui urbem præsidio tenent, confestim ad Calistum pontificem misere, opem fidemq; eius implorantes: quibus nisi primo quoq; tẽpore subueniatur, nemo est qui de eorum salute, deq; rebus in ea terra receptis non omnino actum existimet. Tantæ rei periculo commotus Rom. põtifex, Venetos solos dignos iudicauit, quibus res tãta tuto committeretur: ad principem uestrũ, & ad uos misit, Veneti ciues: precatur, orat, obtestatur, ne Christianam fidem in tanto discrimine deseramus. De ea re ad uos uester dux referẽdũ duxit: uelitis, iubeatisq; hoc nomine classem uali dissimam parari: ad quod ipsum nõ solum pietas, nostrumq; in Romanam ecclesiam ac Christianos omnes studium adhortatur: quod à maioribus nostris uelut hæreditarium acceptum, non tantũ seruare, sed enixe etiam augere debemus. uerum ipsa quoq; Imperij propagandi ratio, erit (quis non uidet?) illud præcipue pium, quod ipsum in primis spectari oportet: nec non uehementer dignum ea, qua cẽsemur, pietate: eam terram armis protegere, & ab omni impiorũ iniuria uindicare, ubi Christus rex noster nasci uoluit, obrepere, fiere, tradi, capi, transfigi, suumq; sanctissimum corpus monumẽto condi: ubi, uelut diuinæ literæ testantur, Iudex ille summus est humani generis causam quandoq; cogniturus. Quem sacrę ędis apparatum? quod cœnobium? quas aras putamus illi gratiores pia hac expeditione futuras? qua sciat sua in cunabula, suum sepulchrũ, cuncta deniq; susceptæ humanitatis uestigia, à tam indigna liberari seruitute. Verum quia humanæ res ita sese habent, ut publica pietas nulla fermè sit quæ ambitione careat: & uos quoq; fortasis, ex quo hic uerba facere occœpimus: quis honor, quæ gloria, quæ præmia, expectanda hinc essent, taciti quærere cœpistis. Decorum certè est, eritq; semper, ac nostræ glorię conducibile, Venetas opes ex omni Europa hoc tempore creditas, quæ uniuersæ ferè Asiæ tuto opponerentur. Extremus oriens Venetam sentiet uirtutem: loquetur Aphrica: Europa quidem ipsa mirabitur: in ore omnium, uestrum erit nomen: uestra omnis belli huius gloria: uestrum decus. Possunt quidem alienis potius quàm nostris auspicijs quæ in Asia gessimus, gesta uideri: quæ posthac gesserimus, non poterunt: obstitit non parũ nobis aliena gloria, quæ suo fulgore quasi tenebras nostris rebus induxit: deinceps nõ obstabit. Illorum labor ac periculum in frangendis hostium uiribus: noster honos, nostra laus, illas fractas coërcuisse. Præterea non ambigo, uos omnes & uelle & optare, huius urbis imperium uel quàm longissimè quandoq; propagatum iri. Qua uia, qua ratione, creditis id futurum? Sedendo ne? aut proxima hæc stagna lintribus frequentando? Fallitur si quis hoc credit. Veteres Romani, à quibus uos oriundos esse gloriari soletis, quorum etiam æmuli & uideri & esse uultis: non orbis imperium desidia, nõ ocio, sibi quæsiuere, sed bellis bella serendo. Bello illi frenum omnibus gentibus iniecerunt: bello supra quàm dici possit, eorum opes creuere. Accedit ad hoc, quod maximè optandum fuit, ut in eos moliamur arma, quos nõ solum fas sit perdere: sed pium etiam ac penè diuinum. Tribuerunt præterea illi nobis quibus opem ferimus: tribuentq; partem omnium urbium locorumq; ex hoste receptorum non paruam. Sed uidebitur fortasis hoc nonnullis exiguum, & nullo modo dignum, propter quod rem tantam mouere debeamus. Sunt, fateor, ea specie parua: sed futura spectantibus, certa ampliandi toto oriente imperij fundamẽta. fæpe enim ex paruis initijs incredibilia rerum momenta oriri solẽt. Quod si uos non gloria, non præmia, non commune & uetus nostræ ciuitatis in Christianum nomen studiũ, mouet: id certè mouere debebit, quod eam terram ab impiorum iniuria uindicaturi sumus, in qua olim ad tribunal illius immensi iudicis constituti, quasi prætoriani milites neq; regi neque alijs ignoti, perspicui astabimus, piæ militię pia præmia accepturi. Ite igitur, & quod uobis Venetoq; nomini bene uertat, classem decernite: commeatum copiasq; contrahite. Maturato opus est, ne, quod fæpe accidere solet, aliquis inopinatus casus tantos successus remorari possit. Ad eam orationem cum fletu mixtus clamor ex toto templo redditus est: poscentium, ut continuo classis expediretur: nullum esse in tota ciuitate, qui non libentius tam piæ militiæ ascribi uelit, quàm domi in ocio residere. Deductæ itaque naues longæ, ut hi tradunt qui maximè rem extenuant, quadraginta: ut alij, qui mediũ tenent, centum: qui uerò maximè augent, ducentę, quibus libẽtius accedo. nam nisi ita esset ut illi aiũt, non uideo quo consilio, ut postea dicetur, Michaël cum classe hostium, quæ septingentarum nauium fuisse dicitur, ante Iopensem portum confligere ausus esset. Verùm non desunt, qui, numero credo decepti, septuaginta, non septingentas fuisse hostium naues tradant. Quod si sic esset, haud tam celebrata fuisset illa Michaëlis uictoria ab omnibus scriptoribus: & in primis à Blondo, qui res in Syria ea tempestate gestas omnium accuratissimè scripsit. Iacobus ad hæc Genuensis, qui paulo pòst quàm hæc gesta sunt, Hierosolymis fuit: scriptum reliquit, ducentas Venetos habuisse naues, in quibus septuaginta onerariæ fuerint. Vbi itaque in Dalmatiam uentum est, accepto ibi supplemento dux prospera usus nauigatione, in Cyprum delatus est: hic de numerosa hostium classe quæ ad Iopem erat, certior factus, in eos ferociter mouit. Premebant Barbari hostes per id tempus Iopenses, qui in Christianorũ fidem uenerãt, maritima obsidione, ac portu infesto: excluſisque ea parte, qua sperari poterant, auxilijs, miseros ciues ad deditionem compellere studebant. Antistites audito Venetæ classis aduentu, ad Iopem quantascunque potuit cum commeatu copias eduxit: ut tantisper urbs præsidio esset, dũ Veneta auxilia adessent. Sed dũ ille hæc præparat, Michaël, qui iam, ut diximus, in hostem iuerat: impetu repentè facto hostes adoritur: ac continuo, antequam naues in pugnam explicari possent, uictos, partim cæsos, partim captas, tota classe disiecta obsidionem soluere coëgit. Alij in alto pugnatum dicunt, ac centum fuisse non amplius hostium naues, concursumq; utrinq; magnis animis, atrociq; prælio per aliquot horas dimicatum. demum uictis hostibus, prætoriaq; naui cum multis alijs capta, Venetum uictorem Iopensibus mare aperuisse. Paucis deinde diebus interiectis, decem onerarias eiusdẽ gentis preciosis mercibus onustas, in alto assecutũ oppressisse. Præda, quæ diues & ampla fuit, socios, nauales, milites, ac remiges ditauit. Secundum hãc uictoriam tradunt quidam, Michaëlem Hierosolymam uenisse, ubi benignè à Varinundo antistite & alijs congratulantibus, quòd incolumi classe in Syriam uenisset, & quod hostem uix bene uisum mira celeritate uicisset, sit acceptus: ibi aliquandiu inter duces de ratione gerendi belli actum. Quæ consultatio quum aliquot dies tenuisset: nec eis omnino conueniret, quam potissimum urbem aggrederentur: tum demum ferunt, Michaëlis consilio ad diuinas sortes recursum, atque ita forte constitisse, Tyrum in primis oppugnari oportere: Sortiũ, de quibus loquor, ratio huiusmodi fuisse traditur: ut nomina oppugnandarum urbium in proximam aram temere conjecta, manu rudis adhuc pueri misceretur. Inde diuinis rebus ritè procuratis, puer ille unã ex schedulis, quibus singulis singularum urbiũ nomina inscripta essent, ad conspectum principũ deferret. apparuit ea ratione, ut dixi, à Tyria oppugnatione bellum inchoandum. Fuit Tyrus olim insula, ac prælato mari septingentis passibus à continenti diuisa: Alexander Philippi filius quum locũ oppugnaret, omnino continentem fecit: clara suo partu, claris urbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula Carthagine: Gadibus quoque extra orbem cõditis. Patet insula decem nouem milium passuum circuitu: ab Alexandro obsidione & operibus septimo mense expugnata. Loci nobilitas in conchylio & purpura, cuius rei gratia non solùm à regibus, sed à Romanis quoque sunt loci incolæ liberrate donati. Oppidũ ipsum duo habet & uiginti circuitu stadia. Eius conditorem Agenorem prisci Beli filium memorant, ac Sarram quandoque uocatum: unde factum puto, quod apud quosdam Venetarum rerum scriptores Surum pro Tyro scriptũ reperio. De Phœnicibus, quorum post Sidonem Tyrus maxima olim fuit atq; antiquissima, multa ac miranda uetereς scriptores prodiderunt: hos arithmeticæ inuentores artis fuisse tradunt: horũ quoq; literarum commentum, & syderum nocturnam observationem. Placuit igitur, terra mariq; urbem oppugnari: ubi sub primam obsidionem in has à Varinundo & Venetis uentum est conditiones, ut quæcunq; à Baldoino in Syria fuerant, priore bello Venetis concessa, eis rata manerẽt: Blondus Forliuiensis ait, se priuilegij illius quandoque uidisse formulam, in quo hæc notata essent, ut in omnibus Hierosolymitani regni Antiochenique principatus urbibus, priuam aream, priuum uicum, priuumq; forũ Veneti haberent. Nec quidem ea tantum, sed & alia quædam non pauca ad usum uitæ necessaria: negocia ad hæc quæ Veneti in Asia facerẽt, omnibus essent uectigalibus immunia. Si quis Venetus naufragium fecisset, aut intestatus diem ijs locis obiuisset, illius bona Veneti magistratus essent: cui quotannis regius quæstor ex Hierosolymitano ærario aureos nummos trecentos numeraret. Hæc Varinundus antistes, & qui ea tempestate res Christianas in Syria ministrabant, & aliquanto maiora tribuere: quæ Baldoinus postliminio reuersus rata omnino esse uoluit. In fœdere cum Varinundo icto expressum est, ut Tyri Ascalonisq;, si quandoque caperentur, Veneti tertiam partem haberent. Fuerat Tyrus quatuor menses antea à Baldoino magnis conatibus oppugnata: nec, quia esset ferè undique mari circundata, aliquo modo capi potuit: tum quoque recentior obsidio omnino longior fuit, quàm ab initio credita esset. Sed dum terra mariq; Tyrus graui bello premitur, cœptæ sunt totis castris quæ in continenti erant, uoces in Venetos iactari: quos solos dicerent omnium periculorũ expertes esse. Si quid nouo aliquo hostium incursu, qui iam aduentare dicerentur, in continenti laborandũ esset, fore ut Veneti deductis in altum nauibus ex prouincia in patriam abirent. Proinde aut exequandum omnibus periculum, aut obsidionem soluendam: delata huiusmodi ad Michaëlem calumnia non mediocriter illius animum turbauit: & quum aliquandiu indignitate rei defixus stetisset, cogitaretq; interim secum, & quo pignore Venetam fidem socijs probare posset: confestim publico edicto iussit tabulas ex singulis nauium carinis reuelli (Alij clauos & alia remigij instrumenta adempta scribunt) Quæ omnia quum ad Varinundi antistitis & aliorum ducum conspectum afferri iussisset: Audio, inquit, socij, Venetam fidem apud uos in suspicionem uenisse: atque deserores nos pro socijs fortissimis haberi cœpisse. Sed non tam leuibus momentis pendet nostra fides, ut eam uobis, pro quibus omnia paratissimi sumus subire pericula, diutius suspectam esse patiamur: Accipite, inquit, certa nostræ cõstantiæ pignora. atque cum his instrumenta nauibus adempta ad illorum pedes constituit: Habetis, inquit, puto & tu Varinunde & alij, cur iam nobis tũ to salutem uestram credere possitis: quanquã uulgo prædicari audio, hominum ingenia ante omnia æstimari oportere. Verùm ne ullam obtrectandi oc casionem cuiquam relinqueremus, placuit ita efficere, ut apertè intelligeretis, eundem, qui & uobis, Venetis esse animũ: restat ut pari studio pergamus urbem oppugnare: qua recepta, spero breui omnẽ Syriam nostris armis concessuram. Laudata principis & Venetorum fides: omnes uno ore eos extollere: fidos socios Venetos, optimosque bellatores uocare. Confirmatis in hunc modum animis, quũ aliquanto attentiore studio obsidio cõtinuaretur, tradunt rem nouam in castris accidisse, & quã pro miraculo ignarum uulgus audire possit. Columbã tabellarij uice fungentem, ex castris Dachinis regis Damascẽni, in Tyriorum subsidium ingentes copias trahentis, nunciatum est ab ijs qui earum rerũ periti id fortè ex specula obseruabant, aduentare: tum uero expectato illius supra castra uolatu, subito repentè ab omnibus clamore columbam cõsternatam concidisse. Et quia ex literis quæ columbæ pedibus erant alligatæ, compertum est, Dachinem regem magnopere Tyrios hortari ut forti animo essent, se intra paucos dies cum ingentibus copijs affuturum: tum fore ut cæsis hostibus ipsi obsidione continuo leuarentur. Mouit ea res non mediocriter principum animos: apparebat, Tyrios ea spe confirmatos longè obstinatius sua mœnia defensuros: &, quod magis periculosum erat, cura animum incesserat, ne inuiti etiam cum potentissimo hoste cogerentur acie dimicare. Commentitaque dicuntur rem non ineptam, ut subditiæ literæ pro Damascenis columbæ pedibus necterentur, quibus Tyrijs significabatur, nõ esse cur à Dachine auxiliũ ullum diutius sperarent. Prudenter eos proinde facturos, quando in eo loco res essent ut deditionem omnino fieri oporteret, si tempori, cuius ratio in primis habenda esset, cessissent, sibiq; & fortunis suis matura deditione consulerent. His literis quia columba ubi primum dimissa est, in urbem uenit, publicè recitatis, uicta Tyriorum pertinacia quinto obsidionis mense deditio facta est. Scio ego nõ defuturos, qui pro fabula sint hæc quæ de columba scripsimus, audituri alienum rati à natura, atq; propterea ualde procul à fide, uolucrem ullam in remotissimas terras deportatam in pristinos nidos perpetuo uolatu redire. Sed ita sanè res se habet: quod ipsum experientia quoque est sæpe cognitum. nam & ueteres Romanos auibꝰ ad hoc ipsum usos, multorum testimonio constat. Plinius columbam ait Mutinensi obsidione literas in castra attulisse. Fabium Romanorum annalium scriptorem, & Cecinnam Volaterranum, hirundinibus quandoque ad id usos reperio. Sed cõcesso usu, illud non minus miran-

mirandum, quod uehementi clamore subito subla
ro aues supernè uolantes concidant. Quod in Isth-
miorum,ut sæpe aliàs,conuentu,quum Græciæ an-
tiqua libertas T.Flamini auspicijs restituta est,acci-
disse memoriæ quidam prodiderunt. Plutarchus,
homo excellentis doctrinæ, causam illius uiolenti
casus esse existimauit aëris scissionem:quod quum
uox permagna æditur, aër ui disiunctus nullam uo
lantibus relinquat firmitatem: sed quum iccirco lu
bricus factus sit,aues perinde ac ad inane peruene-
rint,delabantur:aut certe clamoris ictu, tanquã sa-
gitta quadam,sauciæ aues concidant. Potest,quod
idem auctor affirmat,esse quidam aëris uelut pela-
gi uortex,qui aues ipsas uiolento quodam turbine
actas ad terram deprimat.Igitur deditione à Tyrijs
facta, in turribus & locis eminentioribus præfixa
sunt Varinundi & Venetorum signa.Tertia pars ur
bis Venetis,quorum opera omnium scriptorum te
stimonio in ea obsidione maximè enituit, ex fœde-
re data est:tantundem & Ascalonis,apud quosdam
datum reperio.ea omnia Baldoinus per id tempus
reuersus,non solùm probauit, sed magnifica etiam
præfatione Venetum ducem inter stipulandum or
nauit: apud quosdam ita illum præfatum reperio:
Dominicus Michaël dux Venetiarum atq; Dalma-
tiæ,Hierosolymitani regni princeps,qui numerosa
hostium classe ante importuosam Ascalonis oram
profligata,multis Barbarorum millibus, partim ca
ptis,partim cæsis,Iopensibus graui obsidione leua-
tis uictor Hierosolymam ingressus. Subijciunt alij
quædam maiora,ut præter alia quæ Venetis ea tẽ-
pestate in Syria concessa sunt,illud quoque sit datũ,
ut Venetorum dux quum Hierosolymis esset, com
munibus cum rege fungeretur honoribus. Quod
ad Ascalonem non ad Iopen hostium classem pro-
fligaram dicit,id scriptorum uariatio facit. Dum in
hoc prospero cursu in Syria res Venetæ essent, Ca-
loianes Alexij filius (quidam Emanuelem filiũ pro
Caloiane scribunt) Christiano nomini tam inclytã
inuidens uictoriã,& in primis Venetis,penes quos
omne decus rerum ea tempestate in Syria gestarum
esse ferebatur, apertum cœpit aduersus eos moliri
bellum.Quo motu apparebat,Venetos ab Asiaticis
rebus, si suis consultum uellent, omnino auersum
iri,atque ita sanè accidit. Nam sub primos Græco-
rum motus trepidissimis nuncijs accersitus ex pro
uincia Michaël decessit. Is quum Rhodum transis-
set,denegarenturq; à Rhodiensibus cõmeatus, op-
pidum ui captum diripuit.Ego aliam omnino fuis-
se causam crediderim:si quidem fuisset illud inuitis
exprimere uelle beneficium. quin propius uero est,
aut in Caloianis inuidiam, qui iam aperte factus e-
rat hostis,direptam Rhodum, quod è numero scri-
ptorum quidam affirmant. aut certè alia maior in-
iuria ab illis antea in Venetos profecta erat, quã po
stea per occasionem Veneti in hunc modum sint ul
ti.Inde profectus Michaël Chium quoque pari affe
cit clade, ex ipsa insula Isidori corpus sublatum Ve
netias deportandũ curauit, quod in aurea diui Mar
ci æde est conditum,eo quidem facello,quod à Nar
sete ex hostium manubijs erectũ suprà ostendimus.
Hic aliquandiu ob hyemis magnitudinem classis
stationem habuit: aut certè locum ad rationem bel
li idoneũ nactus Venetus, tam diu illic esse uoluit,
quoad circumiecta loca Græcis ademisset.Mox ue-
rò hinc deducta classe,Samum primo, inde Lesbũ,
Andrum atque alias Græcanici imperij insulas ar-
mis oppressit.His circa Cycladas gestis,occupataq;
in ora Peloponnesiaca Methone (uulgus hodie lo-
cum Modonem uocat) ac præsidio ibi ad custodiã
relicto:quum in Dalmatiam uenisset, Iaderã,ut scri
bunt quidam,unde Venetus magistratus fuerat an
tè eiectus,recepit,receptamq; (ut finitimis urbibus
illius clades documento esset, ac fidem in quam o-
lim ultro ueniissent,nollent prodere) magna ex par
te euertit.Spalatrum deinde Traguriumq; armis re
cepit.Sed alij hæc quæ in Dalmatia ab eo facta di-
cuntur,silentio præteriere. His tot tantisq; ue rebus
gestis,omni ora maritima à Syria in Dalmatiã usq;
partim domita,partim ab iniuria hostium uindica-
ta, incolumi classe reducta omnibus æquè gratus
urbem Michaël est ingressus: ubi quum de rebus à
se gestis pro concione disseruisset, magnificentissi-
mis uerbis est ab omnibus ciuitatis ordinibus lau-
datus.Res Christiani nominis in Syria iã hinc pau-
latim retrofluentes, in peius semper abierunt usq;
ad Baldoini quinti tempora, quibus Hierosolyma
à Saladino Ægyptiorũ rege oppressa est,anno post-
quam à Christianis recepta fuerat, octauo supra o-
ctogesimum.Multi uarijq; fuerũt tam Italiæ quàm
reliquę Europę apparatus pro Syria retinenda:nõ-
nunquam etiam in Asiam transmissum.Sed illi ipsi
motus,irriti omnes uaniq́ue fuerunt: de quibus,ut
suo quisque loco occurrerit, ne Venetarum rerum
ordo turbaretur,breuiter dicendum duximus. Per
id tempus,quo Michaëlis auspicijs hęc sunt in Asia
à Venetis gesta,uel non multo pòst eius reditũ: æ-
des Publicæ charitatis, ac quicquid operum illi ac-
cubat,est erectum.Diui Donati corpus ex Pera Ve
netias aduectum, nouo est fano illatum. Auctores
quosdam habeo, Marci Iuliani cuiusdam opera &
impensa id templum constitutum. Michaël quum
reipub.annos undecim præfuisset, felicissimè mor
tem obijt: cuius funus frequens populus extulit.
Visitur hodie illius sepulchrum in Georgij uestibu
lo,& è regione curiæ, quod ad læuam diui ædem
subeuntibus occurrit.

IN LIBRVM SEPTIMVM

Epitoma.

*PHanenses in Venetorum fidem uenerunt:Noua religio ad
fanum Saluatoris condita est,atq; ædes diuo Clementi ere
cta:Cum Patauinis ad Brentæ fluuij scissionem prosperè pu-
gnatum:Veneti in Emanuelis imperatoris gratiam Normanis
bellum intulere:Turris ingens è regione fori erecta est: Plæ-
riq; Histriæ populi tributarij sunt facti: Crucigerorum ædes
erecta:Vicinorum conspiratio aliquandiu rem Venetam solli
citam habuit: Vnde ludorum qui Carnispriuio celebrantur,
origo sit orta: Emanuel imperator uno tempore negociato-
res Venetos tota Græcia oppressit:Validissima classis in Ema
nuelem instructa:Iustiniana domus hostium fraude penè to-
ta absumpta est: Vitalis princeps ex Græcanica expeditione
reuersus,à suis cæsus est: Artifex Gallici sanguinis Geminas
ante forum columnas mira arte erexit: Riuumaltum primus
ponte iunxit: Emanuel Venetorum legatorum alterum uio-
lauit: Quam ob causam Emanuel Venetum nomen oderit:
Quando primum pecuniæ à priuatis sint mutui nomine in
publicum collatæ: Alexander pontifex dissimulata persona
Venetias confugit: Veneti pontificis causa arma in Fœderi-
cum Barbarubram susceperę:Fœderici filius à Venetis naua-
li prælio uictus, Venetias captiuus est perductus: Alexander
Ducariam maiestatem amplissimis ornauit insignibus:Fœde-
ricus Alexandro Venetijs reconciliatus est:Venetus dux Pon
tificem Romam secutus, magnis ab eo muneribus do-
natus, domum redijt: Aureæ ædis ultimo
loco continetur expli-
catio.*

M. ANTO-

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER VII.

MIchaëli defuncto Petrus Polanus il
lius gener succesit.Sub primã hu-
ius administrationem Phanenses
in Venetorum fidem uenere:auxi-
lia quum opus esset, & ad aureæ ę-
dis usum olei mille pondo, pecu-
niamq; ad hæc tributi nomine annuam pollicẽtur.
Causam tributi huius fuisse crediderim, quod ali-
quo graui bello illi à Venetis fuerint adiuti, qđ ex
scriptoribus quidam significare uidentur:quanquã
aduersus quos sint pro eis sumpta arma, non dicãt,
Bonfilius Michaël,qui Saluatoris phano uicario no
mine ea tempestate præerat, cum omnibus qui ibi
diuina procurabãt, canonicum dogma & habitum
susceperę:cuius noui instituti Innocẽtius pontifex
postea factus est auctor:Alexãder quartus inde eo-
rum ædem dedicauit:Petrus Gariloſus ad canalem
orphanum Ædem Clementi perspicuam erexit.Cę
terũ grauissimæ discordiæ inter Venetos Pisanos-
que per id tempus subortæ dicuntur:causam fuisse
ferunt tumultuariam pugnam illam ad Rhodum, à
Michaële Vitalis principis filio classis præfecto,te-
merè commissam : in qua uicti exutiq́ue tota fermè
classe Pisani graui uidebãturignominia affecti.Mul
tæ uariæq; fuere clades citro ultroq; per occasionẽ
illatæ & acceptæ: exarsissentq; adhuc magis ambo
tum populorum odia, nisi maturo Romani ponti-
ficis interuentu pernicioſa illa utrorunq; in alteros
compressa esset grassandi ratio. Dalmatici nominis
plærique populi Venetis gratificaturi nauim unam
longam singuli suo nomine iustructuros se pollicẽ
tur, quotiens Veneti quindecim nauiũ classem es-
sent aliquò educturi : Polani Histriæ accolæ & ipsi
supplementum polliciti sunt,ac cætera ad triremes
instruendas necessaria, quãdocunq; princeps in ho
stes moturus eò appulisset. Cum Patauinis rursus
ob scissionẽ fluminis ad ædem Hilarij factam, hoc
tempore pugnatum reperio:Quo bello Veneti Gui
done Monticulano terrestrium copiarũ imperato-
re sunt usi,atq; ad tumbam cruento utrinq; Marte
dimicatũ:uerum fusis hostibus ad trecentos quin-
quaginta ex eis Venetias adductos. Sed principib.
ciuitatis suppliciter orantibus : culpamq; scissi flu-
minis non penes nobiles esse, sed plebeios quosdã
temerarios affirmantibus,captiuos gratis ad unum
redditos.Vrsus Badoarius multa & ampla prædia
circa Murianum & Maiorbium Ioanni Trunno Ma
iorbiensi,ad Pium diui Iacobi nomine diuersorium
construendum,tradidit: eum postea locum maiore
apparatu excultũ Cistercinæ uirgines tenuere. Sed
dum hæc domi ociosę curabantur,Veneti ne quan-
doq; ciuitas longiore frueretur ocio, Emanuele By
zantij Imperatore per legatos petente classem in
Rogerium,Guiscardi filium Siciliæ regem instruxe
re.Is Hidruntino portu profectus cum ualido exer
citu in Corcyram insulam uenerat, quæ Hadriatici
maris confinium est & Ionij. Ea Rogerius armis po
titus, in Peloponesum transmisit: ubi circa Maleæ
promontorium, inter Argolicum Laconicumq; si-
num,multa hostiliter gesit.Inde classe in Saronicũ
sinum delatus, circa Cencreas Corinthiacum naua
le, circumiectum agrum ferro igniq; fœde popula-
tus est.Progressus inde,quia neminẽ interea obuiũ
habuit,ad Isthmum (quem hodie uulgus Heximi-
lon uocat)terrore & populationibus omnem Acha
iam cõpleuit. Thebas quoq; bello captas diripuit,
ubi crudelissimam in quærendo auro exercuisse di
citur auariciam. Demum neque Euboios fines, ne-
quẽ eam Bœotię oram quam Phocidem uocãt, in-
uiolatam reliquit. Præsenti itaque rerum successu
elatus Rogerius, ex purpuratis unum cum sexagin
ta longarum nauium classe, per Hellespontum ad
Bosphorum usque Thracium misit:estq; res ita im-
pigrè à Siculis circa Byzantium gesta, ut ædificia ut
bi contigua ardentium sagittarum iactu ab ijs qui
in nauibus erant, missarum conflagrasse dicantur.
Rebus Imperij in hũc modum accisis, Emanuel ad
Venetorum opes per legatos confugerat:à quibus
iure uetustæ amicitiæ petere nõ dubitauit,ut rebus
suis afflictis succurrerent : aut si fero id petitum es-
set,acceptam ulciscerentur iniuriam. Valida itaque
classis decreta est: qua in portum deducta Polanus
princeps cõfestim in hostes mouit, reuocatis prius
publico decreto aliquot longis nauibus, quæ tum
foris erant. Sed quando illæ domo profectę essent,
scriptores quos uidimus non tradũt:puto eas fuisse,
quas ad tuendam Syrię oram Veneti se perpetuò
circum loca ipsa habituros Baldoino,ut quidã tra-
dunt,ab initio polliciti erãt.Interim classis quæ nu
per Venetijs deducta erat, aliquantisper tempesta-
te iactata, Caprulanum portum in Carnorũ ora te-
nuit.Hic aduersa ualetudine quum Polanus labora
re cœpisset, atq; indies magis grauante morbo cer-
neret haud tam cito se conualiturum,Ioanne fratre
& Rainerio filio classi præfectis, Venetias est reuer
sus : Emanuel & ipse interea ingẽtem uim nauium
comparauerat: cuius cura cum rei maritimæ impe-
rio purpuratorum uni demandata, ipse cum terre-
stribus copijs in Epirum uenit,Butrotumq́ue castra
admouit.Sed dum hæc ab illo gerũtur, Veneti Cor
cyram,multis ex hostibus cædis, pluribus uulnera-
tis,expugnant:Apud quosdam tamen inuenio, an-
te insulam armis receptam, quam in alto sit dimica
tum : ac regia inde classe profligata, quatuordecim
naues à Venetis captas.Firmata ualido præsidio in-
sula, subito in Siciliam cursum Venetæ triremes te
nuerunt : nullum cladis genus est, quod insula non
sit per id tempus à Venetis perpessa : longe lateq́ue
ignis cum ferro tota terra uagatus est : mortales nõ
pauci in captiuitatem abducti: loca plurima incen-
dio absumpta:sata frugiferæq́ue arbores corruptę.
Et breui constitit,Græciæ imperium ea tempestate
Venetis armis non solum,ut sæpè aliàs, defensum:
sed in antiqua etiam maiestate, quod sine huiusmo
di auxilijs uix contingere potuisset,retentum. Du-
cis interitus, qui classis reditum præcesserat, quo
minus tam inclytæ uictoriæ lætitia sentiretur effe-
cit.Præfuit ille reipub. annis undeuiginti:Domini-
cus Maurocenus dux secutus est,miro omnium or-
dinum studio princeps declaratus. Per id tempus
Rogerium Veneti nominis hostem uita decessisse
apud quosdam reperio: qui post multa præclara ge
sta,quum & Thuneta in Aphrica subegisset illud ui
uens regio ensi inscribendum curauit:

Appulus & Calaber,Siculus mihi seruit & Apher.

Naues longæ sex,ad tutandam maris oram, quæ pi
ratarũ latrocinijs infestabatur,eo anno missę,quin-
que Anconitanas alto mari adeptas cæpere : præe-
rat his Guiscardus,homo maritimo cursu ea tempe
state illustris, qui in Venetorum potestatem reda-
ctus suspendio necatus est. Hoc quoque tempore
aliquot publica priuataq́ue ędificia in Matris domi
nin insula,incerto auctore, ignis cõcremauit. Turris
quę è regione fori est,tum quoque fundata dicitur,
opus sanè admiratione dignum. ferunt molem i-
psam tam altis fundamentis impositã,ut penè plus
operis illa hauserint,quàm id reliquum sit quod ex
tat.Eius fastigium quod ex purissimo fulget auro,

in eam assurgit altitudinem, ut non solum urbem, A quam circumquaque subiectam habet, contempla ri inde liceat: sed ad ortum quoque & meridiem, longe lateque in ipsum mare aperiat prospectum, ita ut ex Histria Dalmatiaque introrsum nauiganti bus, ad ducēta & amplius stadia fulgor ille, tanquā sydus quoddam salutiferum, occurrat. Polani atq; alij non pauci Histriæ accolæ, latrocinijs finum infestabant: In hos Ducis filius & Marinus Gradenicus cum quinquaginta instructis nauibus sunt missi: Pola obsideri cœpta. Sed sub primā ferè obsidionem ciuibus pacem petentibus, his conditionibus est data, ut à maris infestatione abstinerent: cæterū ut bina milia pondo olei quotannis diui Marci pha no inferrēt. Parentini quoque & ipsi pari metu perculsi, si quando dux ad bellum iret, auxilia pollicentur: Hemonenses & auxilia & annuum olei tributum: quibusdā etiam accepti imperij confessio expressa est, uectigalium immunitate Venetis negociatoribus promissa. Anconitani per id tēpus in Venetorum societatem uenere: & cum Guilelmo Siciliæ rege, qui Rogerio successerat, fœdus percussum: atque ob hoc ipsum multæ ab eo immunitates Venetis negociatoribus, Sicilię emporia frequē tantibus concessæ. Anastasius Romanus pontifex Venetis annitētibus Iaderensem ecclesiam, Metropolitanam declarauit: cui omnes insulanas urbes proximo tractu adiacentes subiecit. Libet suspicari, id non tam Iaderensium gratia factum, qui tum parum integræ fidei in Venetum imperium habebantur, quàm in reliquæ Dalmatiæ inuidiam: quæ per id tēpus à Venetis magna ex parte alienata, sub Pannoniæ regis erat præsidio. Quod si ita est (nam non desunt qui hoc quoque scribant) omnino negauerim, Spalatrum Tragurium, aut oppidum Dalmatiæ ullum, præter Iaderam à Dominico Michaële ex Syria redeunte receptum. aut certè Vitalis Mi- B chaēlis secundi temporibus ea declaratio facta est: quo duce Tragurium, Spalatrum, Ragusium, ac plęraque alia Dalmatiæ loca ab Emanuele imperatore occupata reperio. Phanum Virginis quod Crucigeri habent, à Gausonia familia priuato sumptu est conditum. condita & Matthæi Apostoli ædes: areā in qua fundata est, Bernardus Cornarius pie obtulit. Hæc domi forisque Mauroceno duce gesta repe rio: qui anno sui principatus octauo diem obijt: ad phanum Crucis est situs. Vitalis Michaël secundus illi suffectus est. Hic Pisanos ueteri æmulatiōe prorsus sublata, ad Veneti nominis amicitiam retraxit. Alexandro tertio Romano pontifice aduersus Octauianum Antipapam hoc duce Veneti patrocinati sunt: qui & Galliæ reges & Britāniæ fauebant. Fœdericus, cui Barbærubræ cognomen fuit, Imperator, unus Octauiano opitulabatur: atque hoc nomine iussit Venetos fines à finitimis populis, qui eius imperio parebant, bello repente inuadi: tum Veronenses, Patauini, Ferrarienses, coniunctis copijs Caput aggeris adorti in suam potestatem redigūt. Sed audito Veneti exercitus aduentu, qui ad primā hostium famam subito delectu fuerat eductus, direpto oppido, incolisque ad unum in captiuitatē abductis, trepide inde abierunt: Veneti non reperto hoste in Hadrianos fines effusi, suorum cladem ulciscuntur. Hac temporum nouitate fretus Vulricus Aquileiæ antistes: (Nā & ipse Octauiano fauebat) cum ualida Carnorum manu Gradū occupat: nec tam retinēdi loci spe (quæ nulla esse poterat) quàm ut preciosissima quæque inde ablata in Aquileiam transferret. Sed ille inopinato ducis interuentu oppressus, cum duodecim canonicis ac plærisque alijs nobilibus uiris, Venetias est perductus. Nec ita multo pòst his conditionibus missus, ut quotannis opimum taurum ac duodecim apros sub dies Carnispriuij Venetias mitteret: qui frequenti populo an te forum conficerentur, ut eorum cæde Vulrici & aliorum noxa expiari uideretur: essetque posteris perpetuum eius uictoriæ monumentū. Verum hęc quidam ad Angeli Particiatij principatum referūt, & nos id ipsum alio loco scripsimus: quod ideo factum existimo, quia Alexandro pōtifice id accidisse illi quando que legerant: sed utro eorum sedente id accidisset, hoc parum illis constitit. Per id tempus quo hæc circa urbem gesta sunt, Emanuel imperator res Venetas noua arte sollicitare est adortus: Iūcto nanq; sibi nouo fœdere Guilelmo Siciliæ rege, delataque illi occulte in matrimonium filia: aut certè nouæ affinitatis spe prætensa. Nam nisi id clandestine esset factum, non uideo quo prætextu à Venetis petere potuisset ut illi arma inferrent: Nemo nō id rectè intellexisset, rei fraudem inesse, aliena arma in eum sollicitare cum quo nouam iniuisset affinitatem. Vt itaque illum ab eis aliquo modo alienaret: quorū studiosissimū esse sciebat, à Venetis, ignaris eorū quæ facta essent, petit ut auxiliares copias sibi aduersus Siciliæ regem mitterent. Sunt qui scribant, post fœdus ictum nouam ortam fuisse inter Emanuelem & regem discordiam. Quibus eo libētius accedo, quo difficilius adducor ut credam, tam illustrem affinitatem fœdūsue inter summos duces ictū Venetos præterire, aut diutius latere potuisse. Responsum itaque legatis, neque iure gentium, neque suo ueteri instituto Venetos facturos, si in eum cum quo pacem fœdere sancitam haberent, arma tam temerè induerent. cæterū in his quæ ex dignitate essent Veneti nominis, posse debereque Emanuelem amicissimi populi opibus omni tempore & loco pro suis uti. Nūc uero negari illi auxilia, quę publica fide incolumi præstari non possint. atque cū his legati dimissi. Quibus profectis (quia apparebat id illum ægrè laturum) continuò ut publico edicto ex Greçia Veneti negociatores reuocarētur, est decretum. Imperator, qui iam antea inimico fuerat in Venetos animo, negatis auxilijs quasi legitimam nactus inferendi belli materiam, Spalatrum, Tragurium, Ragusiumque illis ademit: ui ne an uoluntaria deditione, incompertum habeo. Moxque dolum dolo nectens, simulat se Dalmatiæ urbes occupasse, nō tam eas retinendi consilio, quàm ut Venetos ad pristinam amicitiam retraheret. Per legatos itaq; subito hortatur, ut permittant suos negociatores Græciæ emporia frequentare: fore ut se grato memorię; in socios animo esse, Veneti breui intelligerent. Satis quidem mouit ciuitatem tanti principis pollicitatio: sed plus omnino ueterū suorum in ipsum imperium beneficiorū memoria: quæ freti, priore decreto sublato fit potestas omnibus in Græciam nauigandi. Ingens uis nauium quęstus cupiditate ad ea exierunt negocia. Sequētibus duobus legatis spe renouandæ amicitiæ missis, Sebastiano Ciano, & Aureo Mastropetro: qui uix Constantinopolim appulerāt, quum Emanuel die ad id facinus constituto, toto imperio Venetos cum nauibus ac mercibus oppressit: ac tā diu donec aliud fieri uellet, in custodia eos haberi mandauit: pecunias uero & res omnes in publicum redigi. Legati nouitate rei territi (nam ipsi iure gentium uiolari non poterant) non multo pòst Byzantio profecti, Italiam uersus cursum tenuerunt. Ante legatorum reditum nonnulli, qui in ipso tumultu & trepidatione deductis in altum nauibus fugam præoccuparant, Venetias nunciant Emanuelis perfidia omnes suos, præter paucos, cum nauibus preciosa merce circa Græciæ portus & emporia interceptos. Defixit rei atrocitas ciuitatis animum: sed recordata, nihil solere mortalibus minus inultū esse quàm perfidiam, ad ulciscendam iniuriam conuersa, ualidissimam cōtinuò decernit classem. Centū longę naues intra totidem dies miro studio construc tæ dicūtur: uiginti

uiginti onerariæ his additæ: reuocatis per edictum A omnibus qui negociorum causa foris essent, ut ante Calendas Septembris adessent. Ex Histria quoq; & Dalmatia supplemento accepto, classe in altū deducta Michaël classi præerat: Tragurium primo ui capit, captūq; funditus euertit. Quod ipsum arguit, uoluntariam fuisse defectionem illam ad Greços factam, & non deditionem ui Dalmatis expressam. Ragusium quoq; receptum, parte murorū qua mari alluitur, cum turri in qua fixa fuerāt Imperatoris signa, demolitus est. His in Dalmatia gestis, prospera nauigatione in Eubœam delatus, quū sese ad urbium oppugnationē Michaël expediret: quāquam ualido inita essent oppida præsidio, perculsus tam numerosæ classis aduētu insulæ præfectus, aut certè consiliorum Emanuelis non ignarus, ut potētissimum alioquin hostē aliqua mora ludificaretur, Vitali persuadet ut Cōstantinopolim legatos mittat, affirmans se pro comperto habere, Emanuelem uel iniquissimam pacem bello prælaturum. Missi antistes Equilinus Greçi sermonis peritus, & Manasses Badoarius. Interim Vitalis in Chium insulam trāsmisit, urbemq; cum tota insula cōfestim in suam potestatē redegit. Hic quia iam hyems appetebat, hybernare cōstituit, legatorumq; reditum expectare. Et quia spes facta erat futuræ pacis, post Chium oppressam ab Emanuelis rebus arma abstinuit. Interim ille (ut callido erat ingenio, & ad dolum prompto) coràm pacis sa tagere, quędam petere, alia negare: nūc legatorum postulata probare, paulopòst cōsilio opus esse dicere: atq; ita rem in dustria trahere, Venetos ludificari. Demum re adhuc infecta Equilinus antistes & Manasses cum Emanuelis legatis ad Vitalem redierunt: Græcorum legatio & ipsa apud nostros alia atq; alia causando moram nectere. interim pestis ingens repente orta breui uim hominum ingentem confecit. Creditum uulgo est, B fontes proximos & flumina unde Veneti aquaban tur, Imperatoris iussu ueneno fuisse infecta: atque ex ipso aquarum haustu pernicio sum morbum à tota classe contractum. Apud quosdam reperio, Emanuelem cum ingenti classe ad insularum præsidium uenisse, sed non ausum cum Venetis cōgredi: aquis ueneno infectis abijsse. Ferunt, omne Iustinianę familiæ nomen ea clade extinctum: nam ita sanè accidērat, ut omnes ex ea domo uiri qui arma per ætatem ferre poterant, ducē secuti ad id bellum exiuissent. Ægrè molesteq; ciuitas ferebat totius familiæ nomen deperditum iri. Recordati itaq;, ex ea gente adhuc unum superstitem (Nicolao ei nomē fuisse accepimus) qui sacris initiatus ad Georgij phanū, quod est contra forum: ut alij uero tradunt, in litore: ad Nicolai ædem sacris operabatur: publico nomine ad Pontificem mittunt, ut ad eam sobolem reparandam liceret iuueni religione soluto ex cœlibatu ad coniugium transire. Quod ipsum quia impetratum est, Iustinianæ gentis nomen, quæ sapientibus iam inde uiris, optimisq; floruit oratoribus, in ciuitate retinuit. Vitalis etsi huiusmodi clade nō parum erat affectus: quia tamen uidebat, rem Emanuelis fraude in longum de industria trahi: ne omnino interim ocio desidiaq; suos ac rempub. prodere uideretur, ad prima ueris signa ex Chio Lesbum transmisit: ex Lesbo in Lemnum: ex Lemno Schyrum tenuit. Hic quia pestis in hybernis cōtracta ali quanto atrocius incubuit, ita ut iam uulgo milites socijq; nauales caderent, clamoribus amarisq; criminationibus deterritus, classem maximā copiarū parte amissa Venetias statuit reducere. Scio à quibusdam memoriæ proditum, Tragurium, Spalatrū & Ragusium, dum circa Cycladas classis esset, à Venetis ad Græciæ imperium defeciſſe (quod plures omnino negant) arq; à Michaële Venetias redeunte urbes receptas. Reducta classe repente pestis tota tam urbē inuasit: miserabiliusq; hic quàm foris intra paucos dies multa hominum milia consumpta dicuntur. Tum populo ad concionem uocato omnes acceptę cladis culpam in Michaëlem conferre: eum reipub. suorumq; ciuium proditorem uocare: qui dum Emanueli, uiro Veneti nominis inimicissimo, obsequi studet, inclytę uictoriæ occasionē turpiter è manibus emisisset: ac, quod plus esset, totam classem Græcorum infidijs perdendam obiecisset. Et quum purgare se uolenti omnes amarissimis cōuicijs obstreperent: appareret q; iam capitis periculum imminere, tacitus è media cōcione dilapsus ex Ducario secus littus ad Zachariæ phanū solus, qua proximum erat iter, intenderat. In eum ita cedentē quidam obuius factus impetum fecit, grauissimūque intulit uulnus: ex quo cōfessione ritè facta decimoseptimo sui ducatus anno mortuus est. Sunt qui uarient cędis ratione: sed satis sit, constare nobis eum per inuidiā cæsum: cui nihil æquè nocuit, ac nimia reportandę pacis cupiditas: quam dum nimis credula spe sequitur, rempub. magno detrimēto affecit. Fuit alioquin uir optimus, atq; ob spectatam probitatem omnibus æquè ab initio dilectus: publicum in eum studium ipsius funus declarauit, quod postea frequenti populo est celebratū. Ex eo funere multitudo in Aueam ædem se recepit: ubi ad tollendam seditionem, quæ ciuitati cæde Ducis consternatæ instare uidebatur: Decemuiri cōtinuò creati sunt, ac iureiurando adacti, neminem se ducē declaraturos, nisi quem declaratum è repub. fore intelligerent. Sunt qui non ad creandum ducem, sed ad parricidium uindicandum decem uiros à populo creatos dicant: nec tātum in præsens tempus, sed ut quotiens quis summum magistratum uiolasset, quem sacrosanctū esse uolebāt, atroci supplicio sceleris uindicarēt. Alij quadraginta uiros tum creatos affirmant, qui principem in demortui locum legerent. Vbi itaq; inter eos de creando duce cœptū est agi, ferunt omnium suffragia ad Aureum Mastropetrum inclinasse, uirum innocentiæ singularis, ac miri cōsilij, & qui unus ex Decemuiris tunc erat. Tum illum, ut incredibili erat in rempub. charitate, collegis persuasisse, ut in alium utiliorem reipub. ciuem sua uerterent suffragia: ac cum his Sebastianum Cianum nominasse, hominem septuagenarium, ac diuitijs præpotentem: eum dicere ciuitati longe utiliorem futurum, quippe qui ea temporū nouitate nō consilio solum, sed auro quoq; (quo in primis auxilio esset opus) rempub. posset facile iuuare. Qua unius Aurei modestia apertè datur intelligi, quā modica uiri illi optimi laborarēt ambitione: qua essent charitate in patriam affecti, qui publicum bonum omnibus suis commodis anteponerent. Secuti collegæ Aurei cōsilium, Cianum ducem declarauērūt: quem miro cōsensu populus probauit. Et quia multa & magna domi forisq; eo principe gesta sunt: à domestica auspicabimur narratione. Igitur per id tēpus quo Dux ille declaratus est, tres eximiæ magnitudinis columnæ ex Græcia aductæ sunt (quidam ex Constantinopoli tradunt: sed id Emanuele imperante quomodo fieri potuerit non intelligo) onerarijs nauibus, quas uulgo Zataras uocant, ad eam molem subuehēdam usos reperio. Illarum una ubi naues appulsæ sunt, quum in continentem machinis quibusdam trahi cœpisset, superato artificū ingenio, nimio pondere in profundum depressa, ad hunc diem sub aquis est: reliquæ diligentiore cura adhibita in terram deductæ. Quæ quum aliquādiu humi iacuissent, nec ampla quamuis mercede propositā reperiretur, qui eas erigere auderet: tum mira transigendi operis cupiditate publico decreto edictū, ut quicunq; id opus suo ingenio cōsummasset, fas illi esset à principe & populo petere quę uellet: quādoquidem fide publica ei præstaretur, si tale

esset quod merito præstari deberet. Ad famã propositi operis multi, ut fit, alij spe præmij, alij gloria adducti, rem tentare sunt ausi. Verum unus omniũ, ex Cisalpina Gallia, ut dicitur, profectus, opus peregit, madefactis assiduo aquarum iactu funibus quibus appensa erat moles: parua intercapedine distãtes in conspectu fori, ubi hodie uisuntur, geminas statuit columnas: Quarum utraq; suo epistylio, aureum hæc Diui Marci signum, ea figura qua alatum leonẽ imitatur: altera Theodori martyris hastæ & scuto incubantis habet. Ferunt pro mercede postulatum, ut aleæ lusoribus ipso intercolumnio uel dolo malo ludere impune liceret. Macte tuo ingenio dicerem, quisquis ille opifex fuisti, nisi tam turpi ordini consultũ uoluisses: quem nisi summopere probasses, haud quidem tam opportuna cõmendatione esses prosecutus, sed non uni omnia superi dedere. Hic quoq; Riuumaltum primus omnium ponte iunxit: arq; alias complures commentus est machinas, publicis operibus haud inutiles: pro quib. omnibus (quia id quoq; ab eo petitum reperio) ex publico in reliquũ uitæ uictum impetrauit. Sed dum hæc domi fiunt, Emanuel interim aduersis Venetorum rebus usus (nam & quàm grauiter ciuitas post reductam classem pestilentia laborasset, deq; principis cæde resciuerat) ne ullũ esset fraudis genus qđ in Venetorum perniciem intentarum relinqueret: legatos Venetos quos penes se habebat, cõtra ius gentium uiolauit. Eos Vitalis princeps Græcia decedens quum adhuc hostis paci studere uideretur, Constantinopolim miserat. Per speciẽ igitur secretioris colloquij Henricum Dandulum, alterum ex legatis, in secretum adductum candenti ære oculis obiecto uisu priuauit. Sordida hæc hominis perfidia, & quę degenerem omnino in tanto principe arguit animũ, efficit ut credã illud, quod apud quosdam rerum Venetarum scriptores reperio: humili loco Emanuelem natum affirmantes: ac uiduæ mulieris immoderata libidine omni per occasionẽ nobilitate cæsa, ad fastigium tanti Imperij peruenisse. Fuerat hæc Alexij, credo (quia illi Emanuel successit) uxor: quo defuncto, quia fœminæ auspicijs tantum imperium administrari non posse apparebat, eam principes & alij ad nouum hortabantur cõnubium: ut ex omni procerũ nobilitate sibi quem uellet, in maritum legeret. Tenebatur hæc interim consuetudine domestici cuiusdam exoleti, Grifonis nomine (post occupatum imperium Emanuel dicituit) Huic clàm ad se uocato nefarium aperit consilium. Est, inquit, mihi in animo, ne nouo matrimonio locata fructu nostræ consuetudinis caream, te, si uir uerè sis, ad imperij fastigiũ promouere: sed intellige tu quaid ratione cõfici possit. Audio te multos tuæ familiæ uiros habere, in agris omnino agẽtes: hos omnes tectis armis in urbem diuersis itineribus diuersoq; tempore inducas uolo: inde quum tempus aderit, in parte ædium ad cædem paratos esse oportebit. Tum proceribus Imperij uocatis, stipulari ab eis incipiam, uelint iubeantq; me nubere cui uelim: sint ne cui nupsero, pro Græciæ Imperatore habituri. Si se id facturos (quod non dubito) dixerint: tum ego te & meum coniugem & Imperatorem salutabo, in tua uerba cogam iurare omnes. Quod si facere recusabunt: tum hominibus tuæ factionis ad unum trucidandos obijciam. Probat ferox & amans iuuenis mulieris consilium: atq; omnibus ut inter eos conuenerat comparatis, aduersari principes tam sordidas nuptias, ad unum ferro cęsi sunt: atq; ira eo die ab ijs qui ex Cõstantino procreati erant, desitum est in Græcia imperitari. Occupato in hunc modum Imperio, ferunt Emanuelẽ in diuinorum carminum libellum incidisse: quem quum forte euoluerat, exhorruit uehementer fatidicum carmen, quo significabatur, fore quandoq; ut ex Hadria uenirent, qui Byzantium occuparẽt. Prætereo reliqua, quę omnia quum obscuris uerborum inuolucris operta iacerẽt, coniectoribus diuinationumque peritis hominibus adhibitis inter omnes constitit, eos Venetos esse, Hadriatici sinus accolas. qđ ipse quoq; per se coniectando iam antea propemodum assecutus fuerat: ac inde odium illud Emanuelis in Venetos originem habuisse ferunt: qui breui fore ratus, ut illorum armis Byzãtium premeretur. quod sanè non multo pòst accidit, insidijs (quando aperta ui non poterat) Venetum imperium perdere aggressus est. Nec contentus adhuc ijs quæ ad eã diem in Venetos molitus fuerat, Anconitanos ab illorum societate alienauit: qui aliquandiu mare infestum ciuitati reddidere. Sed Ariminẽsibus in socios acceptis Veneti locorũ uicinitate usi, ita illis mare clausere, ut parum melior esset eorũ conditio, quàm qui obsidione premuntur, esse soleat. Pecuniam ex depositis conflatam (quia ea temporum nouitate exhaustum erat ærarium) publico decreto placuit, in diui Marci sacrarium ad opportunos casus reponi: ac tam diu sub publica custodia seruari, quoad respub. in meliorem esset statũ restituta. Hodie uulgo præstita appellari audio, quæ Michaële principe instituta traduntur: unde ingentẽ illi ortam inuidiam, primariamq; cædis causam quidam crediderunt: Multis legationibus citro ultroq; missis de pace cum imperatore per hæc quoq; tempora nonnihil actum reperio. Erantq; in hoc statu res Venetæ: quum, ne quandoq; à magnarum rerum cursu ciuitas quiesceret, Alexandri tertij Romani pontificis casus inclytæ uictoriæ prębuit materiam: ad quam describendam accessissem ego omnino cũctantius, quando à quibusdam nostri sæculi scriptoribus uideam rem ipsam nõ adeo uulgatam, nisi Venetorũ annalium qui omnes hoc habẽt, domesticorum ad hæc externorumque scriptorum consensus admouisset, oportere nos rem ut gesta est, posteritati tradere. Aiunt itaq; illi post longas Alexãdri & Fœderici simultates, quas inde originem traxisse cõstat, quod in nouo schismate inter pontificem ipsum & Octauianum antipapam orto: quum res cognoscẽda ad Fœdericum delata esset: uisusq; esset Alexander declinare illius arbitriũ: accersito ad se Octauiano, cœpisse Fœdericum apertè Alexandro aduersari: indictoq; apud Diuonem, Gallię locum, concilio (quia adesse Alexãder noluit) infecta re soluto principum conuentu accensum ira in Italiam Fœdericũ redire statuisse: atq; suo antipapa præmisso, ipsum non multo pòst cum ualidissimis copijs in Cisalpinam Galliam transijsse: sed ante eius aduentum Octauianus diem obiuerat: cui Guido Cremensis surrogatus est. Huic quoque in Alexandri inuidiam sefautorem (ut aiunt) Fœdericus exhibuit. Multis interea in ea terra gestis, atq; Anconem usq; promotis armis, demum Romam uersus ut Alexandrum opprimeret, ferocissimus hostis mouit. Sub eius aduentum territus ille, duabus triremibus Guilelmi Siciliæ regis usus. Caietam primo, inde Beneuentũ uenit: Fœdericus Guidone Romę constituto ipse in Galliam Cisalpinam redijt, sed & Guido quoq; nõ multo pòst moritur. Tum Alexander permissa Romanis rerum humanarum cura, diuina sibi tantum deposcit, modo Romæ per homines aduersę factionis esse liceret. Verũ quum nec sic quoq; pacem impetrare potuisset: desperata concordia ex urbe profectus est. Siue igitur hæc causa fuerit quod uix probo: nam ciuiũ discordia non illum (ut quidã aiunt) urbe excedere coẽgisset: quando utriq; reipub. administratione illis permissa, nulla esse potuit: siue impium potius Fœderici edictum, qui Alexandro omni Italia interdixisse dicitur: ut capitale esset, si quis eum cibo, potúue, aut hospitio iuuisset: ciuitatibus quæ illum excepissent excidium interminatus: Regulis

gulis & alijs illustribus uiris ultricia arma. Quũ nihil ille sibi tutum reliqua Italia cerneret: cœpisset q; & Guilelmi quoq; fides suspecta esse, per Appuliam ad Garganum montem trãsijt: mox inde, ut Obbo Rauẽnas ait, liburnico nauigio Iaderam delatus, ex Dalmatia ignoto habitu Venetias, tãquam ad unicum libertatis domiciliũ, diuertit. Nec hic quoq; satis fidẽs (quippe qui Venetorum in se fidem adhuc nõ satis exploratam haberet) dissimulata personæ quam gerebat magnitudine: quando ita cõducere saluti suę existimabat, tam diu humili habitu ad Publicam charitatem latuit, quoad certo indice (Commodo aiunt fuisse illi nomen) à quo iam antea fuerat cognitus, palàm, quis esset, sit factus. Sũt qui tradant, ad sordidum culinę ministerium, ut occultius lateret, se ultro dimisisse. Sed propius fidei est, inopis sacerdotuli habitu personã quam gerebat dissimulasse: quod plures adffirmãt. Externi scriptores tradunt, triremibus tredecim Guilelmi regis Venetias delatum, non autem profugum: sed ut in libera ciuitate cum Fœderico in gratiam rediret: quãdo is locus dictus esset in quem conuenirent. Verũ si sic est ut illi aiunt, nõ uideo quid tam numerosa opus fuerit classe: quæ non solum tenuẽ illam, quam credibile est tum pontificẽ ipsum habuisse familiã: sed totam penè Romam, quę ea tempestate ualde infrequens fuit, capere potuisset. Quid prætereа longa illa periculosaq; opus erat nauigatione, ut omnem superi maris oram cum periculo nauigare maluisset, quàm per Vmbriã & Picenũ agrum tutius uenire: proculdubiò uix tantũ dispẽdij, &, quo magis mouerioportuit, periculi ille adijsset: nisi aliud maius uitare uoluisset incõmodũ: quia omnia illi infesta Fœderici edictum fecerat. Ignoto habitu, aut certè ea classe qua dicitur (nam ex nostris quoq; scriptoribus quidã nõ omnino id negant) Venetias uenisse oportet. Verum quoquo modo ille Venetias appulerit, inter omnes quos sequimur cõuenit, Fœderici insectatione pristrinæ dignitatis fastigio deiectum ad Venetas opes Alexandrum confugisse: cognitumq;, benigne à Ciano principe acceptum, atq; in Oliuolensi constitutũ: spe aut pacis cum Fœderico iungendæ, aut certè pontificiæ dignitatis uindicandę illi facta. Primũ igitur omniũ legatio ad Fœdericũ est decreta: quem publico nomine rogatum uolebant, ut cum Alexandro pontifice in gratiã uel let redire, facturũ eum rem non solum Christiano nomini longe utilissimam, sed Venetis quoq;, qui Alexandri commodis ac dignitati consulẽt uellet, gratissimam. Ferunt pontificẽ ipsum cum ducem literas ad Fœdericũ de fide legatis habenda cæra obsignantem conspexisset, in Ciani & aliorum gratiam mandasse, ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirẽtur: quẽ obseruationis usum ad hunc diem seruari non ignoramus. Obbo, quem quĩ codicis unde hæc accepimus uetustate: tum quia omnia quæ eo bello accidẽre, diligenter perscripsit, tempestate illa fuisse suspicari libet: duplici, ait, Venetos principes ad eam diem signandi forma usos fuisse, ut publica monumenta plumbo, epistolas ac reliquos libellos cæra communirent: sed tum primũ Alexandro auctore receptũ, ut in his quoq; plumbo illi uterentur. Legati ad Fœdericũ profecti primo cõgressu satis benigne ab eo accepti: uerũ ubi de pace cum Alexandro ab eis mentio fieri cœpta est: tum ille ira accẽsus: Ite, inquit, & hęc uestro principi & populo dicite: Fœdericũ Romanorũ Imperatorẽ ab eis hostem & fugitiuum hominem reposcere: quem nisi primo quoq; tempore ad se sub custodia uinctũ miserint, fore ut pro hostibus Imperij se haberi paulo pòst Veneti scirẽt: neq; fœdus neq; iura ulla gentiũ plus apud se ualitura, quàm insignem illam contumeliam pro qua ulciscenda omnia diuina & humana iura paratus esset euertere: admoturum se non multo pòst terra mariq; ad eorum urbem copias, futurumq; ut uictrices aquilas, quod ipsi nũquam putassent, ante Diui Marci ędem sisteret. Cum his legati missi ferocissimas Fœderici minas Venetias attulere. Quibus commota ciuitas (apparebat enim imminere sibi bellum omnium quę ad eam diem gessisset periculosissimum) classem ad retinendum maris imperium continuò decernit: quo defenso, non erat cur infestissimi alioquin hostis uires magnopere timerentur. Dum classis igitur instruitur, essetq; ciuitas in tanti belli expectationẽ erecta, trepidissimis nuncijs allatum est: Othonem Fœderici filium cum quinq; & septuaginta longis nauibus appropinquare: Tum Cianus in eũ moturus, classem iam ad profectionem paratam expediri iubet. Facit interim rem diuinam pontifex, prosperam nauigationem, prosperamq; pugnam Duci Venetoq; nomini precatur. Inde ad Cianum conuersus aurato ense alijsq; equestribus ornamẽtis insigniuit. Ille uero egressus portu, triginta longis nauibus pergit hosti ire obuiam: in Histriæ ora, haud procul à Salborio promontorio, quod in Piranensi tractu est, concursum ferũt, atq; atroci pugna pluribus horis dimicatum: demum hostium classe fusa fugataq;, nauibusque octo & quadraginta captis, in quibus regia fuit triremis: duabus media pugna in alto deprelsis, retento maris imperio Othonem Venetias adductũ. Ad tam inclytæ uictoriæ famam ingés lætitia cum stupore ciuitatem occupauit. Vix credi potuit, tam prospere rem gestam, atq; à tam paucis ita secundo euentu pugnatum. Audito deinde classis appulsu, Othonemq; Fœderici filiũ cum aliquot illustribus uiris adduci: uidendi studio ad portũ usq; multitudo ingés obuiam effusa est. Tanti principis captiuitas magis ac magis perspicuũ fecit Ciani reditum. Cui reuerso pontifex primo uictoriam gratulatus: inde annulum porrigens aureum, Accipe, inquit, Ciane: & me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito: quod tu tuiq; successores quotannis stato die seruabitis: ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem iure belli uestram esse quandoq; factam: atq; uti uxorem uiro, ita illud uestro subiacere imperio. Otho cũ Venetis egit, ut data redeundi fide si Alexandro & ipsis pacem nõ impetrasset, liceret sibi ad Fœdericum patrem ire: futurũ dicere, ut se rogante patris consilia in melius mutarentur. Iturum proinde se, atq; enixe curaturum ut paulopòst cum Alexandro & Venetis ille in gratiam rediret. His pollicitationibus dimissus, quum ad eius conspectum uenisset, eo maiore lætitia est à patre acceptus, quo magis ac magis fuerat de eius salute addubitatum. Post itaq; mutuos complexus & oscula lachrymis commixta: tum ille de ratione aduersæ pugnæ pauca locutus, omnia ad diuinam prouidentiam referre: nullum optimi Imperatoris officiũ dicere in ea dimicatione à se prætermissum: omnia præter causam affuisse quæ ad uictoriã attinere soleant. Credere itaq;, nõ humanis uiribus, sed diuina potius prouidẽtia factum, quòd tam ualida classis intrepide pugnam ingressa, à paucissimis, & qui penè minus dimidio essent, fuisset profligata: posse humanas opes uel iniuria oppugnari, diuinas non posse: Orare se proinde ipsius clemẽtiam, ut ab Alexandri dignitate infectãda absisteret: cuius causam ipso rerum euẽtu manifestè appareret, æquè ab hominibus ac superis probari: satis superq; totis ferè Imperij uiribus in illius pontificatu oppugnádo laboratum. Sed omnia frustra tentata: factum eum rem omnibus gẽtibus gratam, ac Christiano homine non indignam, si mutato tandẽ consilio, omniq; deposita simultate pontificem ipsum, accepta prius publica Venetorum fide, à se conuentum uellet: ac coram illi satis faceret, cum quo postea cõcordi ánimo pergeret rem Christianam administrare: quod

ut faceret,se illum & orare & obtestari dixit. Valuit Othonis oratio plurimum apud patrem:cõtinuoq; ab armorum studio ad pacem conuersus, de reditu in gratiam cum Alexandro & Venetis agere cœpit. Nec ita multo pòst publica fide accepta Venetias uenit: Petrus Cianus principis filius cum sex longis nauibus Rauennã usq; missus est illi obuiam:Circa Clodiã multa parua nauigia officij gratia illuc usq; progressa uenientẽ exceperunt. Vbi uero Venetias uentum est,Romanus pontifex pro foribus templi sella sedens ornatissima, Fœdericum ad se uenturũ expectauit:Is ubi proximo loco stetit, purpurea humeris chlamyde depositа,atq; humi prostratus, ad Alexandri pedes obrepens peruenit,quos ubi exosculatus est, cõfestim illum manum subleuatum ad osculum pontifex admisit. Inde ad maximam diui Marci aram itum,ubi preciosissimam illam tabulã gemmis ornatam ante dicatam diximus,& quę hodie inter publicos uisitur thesauros.Hic quoq; edito loco duo Christiani nominis principes se inuicẽ alloquentes suauissimum populo spectaculum prębuere. Addunt quidam, pontificẽ quasi ita illum expiaturum, collo ipsius prostrati pedem imposuisse, cœpisseq; interim Dauidicum illud canere: Super aspidem & basiliscum ambulabis:notũ est carmen. Tum Fœdericum ingentes adhuc spiritus alentem, dixisse:Non tibi,sed Petro. Cui ille irato similis,impressa fortius planta,Et mihi & Petro,respondebit. Ferunt Dominicæ ascensionis die id factum: alij uictoriam per eos dies partam affirmant,ac in tam felicis rei memoriam pontificẽ sanxisse,ut quotannis sacro die in ea æde plena omnibus qui confessionẽ fecissent, pateret uenia. Nec ita multis interiectis diebus Fœdericus Alexanderq;,ut alij tradũt, Venetijs abiere:Veneti uero scriptores, aliquot post mẽses utrunq; digressum memorant. Obbo Fœdericũ terrestri itinere, Alexandrum pontificem cum Ciano principe naui, eodem tempore Anconem peruenisse scribit: Vbi quum tota ciuitas ad portũ officij gratia effusa,publico nomine umbellas duas,unam Alexandro,alterã Fœderico obtulissет:Tum pontificem iussisse ferunt, tertiam Veneto duci afferri:ac coram permissse,ut ipse & reliqui duces ea perpetuo uterentur:quam nostra quoq; tempestate solẽni põpa cum reliquis eius magistratus insignibus præferri uidemus.Vbi uero Romam uentum est,ingenti quidẽ lætitia pontifex à suis exceptus,quum inter multa & uaria officia argenteas quoq; tubas esset intuitus, quarũ cantu & clangore omnia circũ strepebant:ad eos conuersus qui illi apparebant,ex ipsis tubis Veneto duci in adeptæ uictorię memoriã octo offerri iussit:quibus & ipsis perpetuò summus Venetorum magistratus uteretur.Scio ego nõ deesse, qui arbitrentur fuisse insignia illa aliũde quæsita:sed Veneti annales id quod diximus habẽt.Cianus bona ab eo uenia missus Venetias uenit:Popiliẽses remiges, qui huic erant ministerio addicti,uenientem illum Bucentauro exceperunt: Oliuolẽsis antistes, bonaq; pars ciuitatis officij gratia obuiam prodiere:Ipse cãdido cæreo,quem inter prima insignia ab Alexandro quum Venetijs esset,dono acceperat, umbella tubis uexillo prælatis (quæ omnia ipse & qui summum Venetijs magistratum gesturi erant, perpetuò habenda acceperant) inter multas cõgratulationes est urbem ingressus.Hæc sunt quę à domesticis & externis scriptoribus de inclyta Venetorum uictoria aduersus Othonem Fœdericifilium accepi: de qua ne aliquo modo scribere dubitarem, præter alia multa quę quantumuis amplam arguere possunt uictoriam, illud quoq; me uehemẽter admonuit,quod Veneti illi qui multis retro annis fuere,rem omnem ut gesta est,in publicum referendam cẽsuere. Tota ipsius belli series figurata est in ea parte fori,ubi octauo quoque die ad creandos magistratus comitia habẽtur.Cianus republ. feliciter administrata, quum iam senio confectus esset, aduersaq; ualetudine laborare cœpisset,ad Georgij phanũ translatus paucissimis diebus,anno,ut quidam tradunt,sui ducatus octauo, ut alij, septimo uita decessit. Multa & ampla prædia circa Diui Marci aream publicè legauit:quædam alia ad Iuliani ędem,mercatoria uia, ijs qui eo ubi sepultus erat loco diuinis rebus operantur. Huius quoq; opus esse affirmant, splendidum Aureæ ædis apparatum: de qua eo nunc breuius scribam, quo magis iam liber hic ac magis ad exitum spectare cœpit. Est itaq; tẽplum ipsum nõ tam magnitudine & uastitate sua, ut pleraq; alia, quàm opulẽtia insigne. Eius effigies absolutę crucis uidetur mihi imitari speciem,cuius anguli in altissimas cõsurgunt testudines: quarum fastigia, ut reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta ad centum uiginti stadia ex alto ad urbem nauigantibus inter eminentissima urbis ędificia occurrunt:superbissimi ad id fornices mira inter se arte coeuntes totam molẽ fulciũt:Quicquid à medio sursum est, purissimo fulget auro: recedunt tamen quàm longissimè ab oculis in ipsa testudinũ conuexura Græcanici operis uetustissimę imagines, mœsta quadã uenerabiliq; præsentia horrore cum religione mixtum spectãtium animis inferẽtes. Quod inde ab auro ad pauimentum subiacet,id totum est marmoreis tabulis compactum: quę blanda quadã inter se uenarum similitudine citius fatigant,quam expleant intuentium oculos. Circa imum sedilia peregrini lapidis porphyritem rubentis. Pauimẽtum figurarum uarietate incredibili distinctum:ac in tãta colorum diuersitate,nulla alia nisi marmorea materia prædituм. Columnæ ad hæc & tabulę multæ & uariæ, Tapsici lapidis, Parij, Spartani, Numidici, aut certè Numidico assimilis, suggesta duo circa aram maximã muniũt. Idem fermè ornatus est & uestibuli,quod à fronte dextra lęuaq; templo adiacet: cuius aurei fornices exteriore parte trecẽtis & amplius fulciuntur columnis, non tam magnitudine sua,quàm colorum uarietate conspicuis: intercolũnia, & quicquid mediũ est, marmoreis tabulis protectorio renitet. In uestibuli fastigio à fronte quatuor ęnei equi,auro micãtes,alacri statu prominẽt. opus eximium,nec quidem nostri seculi.His operosum templi supercilium incubat,senis sese explicãs pinnaculis: quorum singula in tabernaculi speciẽ surrecta,singulas habent ex candido lapide statuas nudi genij. Aliaque suauissimi aspectus simulacra, suo quæq; statu operibus inserta, miro quodã modo ipsam pinnarum exornãt intercapedinem: Idẽ opus eandem materiam tam dextrum latus habet quàm læuũ. Quicquid sub his conuexi est, id nihil est nisi aurũ. Breui,nullus est intra ædem locus,nullus quidem extra, qui non auro sit aut marmore alióue precioso lapide conspicuus: ita ut & geminæ ex alabastro columnæ,post aram maximam stãtes: & sesquipedales Chalcidonij, qui pauimẽto inserti uisuntur,nihil in tanta opulentia habeant admirationis. Hæc est illa diui Marci ędes, cuius,ut dixi,aparatum magna ex parte ad Cianum principem referunt: quam etiam ob id quod penè tota auro munita est, auream, ut ab initio feci, quotiens in illius mentionem incidero,appellare non dubitabo.

IN LIBRVM OCTAVVM

Epitoma.

QVando pia publici ęris distributio primum instituta sit: Iaderẽses quarto à Venetis defecẽre: Noua Christianorum in Turcos expeditio, qua Saladino nauali prælio uicto, Accon à Turcis recepta est: Aurellus nummus in urbe percussus est: Pisani Polam subito incursi oppressere: Pola recepta Veneti Pisanos non procul Methone nauali prælio superarunt: Isachus ab Alexio fratre imperio priuatus, in carcerem coniectus est: Christiani duces in Turcos moturi Venetias uenere:Veneti cum peregrinis ducibus in Turcos fœdus percussere:Iadera recepta est:Veneti externiq; duces Alexij pueri interuentu in Græciam mouerunt: Veneti cum Gallis belli socijs Byzantium expugnarunt: Alexius Isacho patre uita defuncto,suorum fraude oppressus est: Veneti iterum suo & sociorum nomine Byzantium expugnarunt: Baldoinus Flandrensis imperator est declaratus: Veneti iure sibi Byzantij ex parte quæsito, Cretam,quò noui subito missi sunt coloni,cum omnibus fere Aegæi maris insulis suo adiungunt imperio: Cum Genuensibus ob Cretensium motus mari disceptari cœptum est: Cum Patauinis quoque ob iniuriam Taurisino spectaculo acceptam prospere est pugnatum: Coloni nonnulli ex patricio ordine Corcyram sunt missi:Henricus imperator Baldoini successor, ex urbe in Græciam rediens, à Theodoro Epirota fraude oppressus est: Damiata Aegypti urbs à Christianis capta, ingenti eos præda & captiuorum numero ditauit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER VIII.

Ama tenet, Ciani principis legato illam quoque piam nummorũ dispensationem primo institutã: quã hoc quoq; tẽpore diui Marci procuratores orphanos ac pauperrimum quenque ære publico subleuant. Sed diuersam omnino dandi rationem uteterem illam ab hac recentiore fuisse:& quo honestiorem,eo sanè magis probabilem. Per se,ut aiunt,uiri illi scrutabantur qua cuique opus re esset: inde demissis in papyraceos cucullos pecunijs singulorũ nomina habentes(eorum sanè quibus die illo consultum uolebant) primis tenebris conuentis domesticatim pauperibus, q̃ occultissimo pietatis funge bantur munere. Nec cum uidisses (quia non opus erat)in illorum uestibulis pauperum multitudinẽ, ut hodie: nec apud quenquam ualebat amicorum aut propinqui cuiusquam intercessio: sola inopia, modò cognita esset,satis erat ad opem consequendam. Nunc mutata omnino ratio, ut dixi: sed uariatio ipsa eximmensa curarum multitudine orta est. Sunt enim ferè senatorij ordinis,consilio,ætate, & auctoritate principes ij,qui eam dignitatem consequuntur: quo fit ut non solùm hanc reipub.partem,sed longè maiora onera sustineant, atq; ita uarijs curis depressi nequeant,ut primi illi, hæc per se cognoscere:sed aut ad se uenientibus libenter subueniunt, aut si quis calamitatem alienam edoceat (sit modò is qui dicit,dignus cui fides habeatur,atque res ipsa talis, cui necessum sit opitulari) officiũ pietatis nullum in ea subleuanda prætermittunt. In huius igitur Ciani locum populus Aureum Mastropetrũ,apud quosdam Andream pro Aureo scriptum reperio,surrogauit: creatis ad hoc quatuor uiris, qui quadraginta inde uiros legerent. Horum suffragio princeps creatus,qui receptis summæ dignitatis insignibus,continuo Pisanos ab Anconitanorũ societate alienauit. Horũ auxilijs locorumq; opportunitate freti Anconitani,mare ualde infestũ aliquandiu Venetis reddiderant. Nouissimè uerò redditis hinc inde rebus, induciæ in decem annos sunt pactæ.Iadera per id tempus quarto à Venetis defecit:continuoq; post defectionem ualido Belæ Pannoniæ regis præsidio inita est. Causam inde ortam ferunt,quod Iaderenses ęgrè ferrent,ecclesiam suam Gradensi antistiti coactam parere: aut si alia fuit,hæc sanè prætensa est. satis constat, hac uia infestam alioquin Veneto nomini crebris defectionibus ciuitatem,quod iam antea parturierat,tum demum peperisse.Noua defectione audita, confestim omnia ciuitatis studia in id unum uersa sunt,ut cõparato exercitu Iaderenses armis ad imperium retraherentur:à quibus postea meritas totiens uiolatæ fidei pœnas uictor Venetus, ut documẽto essent alijs,exigeret. In ea expeditione decernenda occupati erant omnium animi:sed apparebat,ob ærarij inopiam classem tam cito expediri non posse: tum ciues non pauci,qui diuitijs & charitate in rempu. alios anteibant,magis publicæ quàm priuatæ fortunæ studentes, uim pecuniæ ingentem in mediũ contulere. Vectigalia ad hæc Riuoaltina & tributa quædam ad bellum decreta. Comparata itaq; classe in Dalmatiam subito transmissum: Iaderẽses sub Veneti aduentum obsideri cœpti:insulæq; urbi circumiectę,intra paucos dies imperiũ recepere. Vrbs regio præsidio munita, expugnari non potuit: sed dum Veneti Dalmatico sunt bello occupati, accingunt se interim Christiani principes ad Hierosolymam reparandam:unde Sarraceni octauo & octogesimo postquam à Gothifredo recepta fuerat,anno Saladini auspicijs Gallos deiecerant.Inducijs itaque cum Bela Pannoniæ rege,Clementis Romani pontificis interuentu,in bienniũ pactis, qui Barbarum Venetosq; ad eam expeditionem uehementer hortabatur,classis ingens à Venetis decernitur: multi clariq; Christiani nominis duces, & ipsi (ut dixi) pontificis hortatu pro Syria arma induerũt:in quibus Fœdericus imperator, Philippus Galliæ,& Ricardus Britãniæ reges fuere: Otho Belgarũ dux, multæq; clarorum antistitum appendices. Pisani & ipsi in Hadriatico Venetis iuncti ingenti nauiũ numero in Syriam traiecerunt. Sed utriusq; classis aduentus, Fœderici & aliorum regum expeditionem longè præcessit.Fuerat enim aliquandiu antea,terra mariq; Ptolemais oppugnata(nam eam quoque Christiani amiserant) quàm aut Fœdericus Thracio Bosphoro in Asiã copias traiecisset: aut Philippus ex Messana,ubi Ligustico Tyrrhenoq; pelago emẽso cum Ricardo cõfederat, in prouinciam uenisset. Richardus fœda tempestate iactatus Cyprum tenuit,quam totam ob denegatum ab insulanis portum depopulatus est. Nec ita multo pòst & ipse in Syriam transijt. Fœdericus paucissimis Asiæ urbibus receptis,quum minorem Armeniam ingressus, lauandi sudoris studio in prærltum flumen temerè descendisset,impetu aquarum uictus perijt.Sed antequã hæc facta essent,diu multumq; ad Ptolemaidem fuerat à nostris laboratum: nam & prælia aliquot periculosissima cum Saladino commiserant. Cæterùm ea fuit in Christianis castris rerum omniũ inopia,ut ab obscœnissimo quoq; cibo nihil milites abstinerent:multi ad hæc inedia deficientes, sese à castrorum munitionibus hostium telis transfigendos obiecerint. Demum post duorum regũ aduentum, ubi binis castris simul iunctis Gallorũ opes ualidiores esse cœperunt: ac tam ualidæ, ut ea parte obsidio ab hoste solui non posset: statuit Saladinus suis omnino mare aperire: addiditq; uiribus dolum: oneraria naui serpentibus onusta Christianis sub primum pugnæ congressum obiecta.Sed ubi illa in conspectu fuit,priusquam Barbari, qui in ea erant, arte ulla uti possent, ante portum cætera

classe fusa fugataq;,à nostris studio demersa est. De speratis itaque auxilijs omnibus oppidani,& ij qui præsidio erant,deditionẽ fecere. Iam anno ex quo obsideri cœperat circũacto, in deditos eo nomine est à uictore sæuitum, quia dimidium crucis, quod ciues in ipsis conditionibus se daturos fuerant polliciti, nusquam sit repertum. Ptolemaide recepta, Veneti quod iure belli olim in ea urbe sibi quæsiuerant,recipiunt. Hæc foris. domi uero Aureo Duce nouum nummi genus Venetijs signatum reperio, atque ab auctore ipso Aurellum nuncupatum: ipse anno sui principatus,ut quidam scribunt,nono: ut alij,quartodecimo:ut item alij (quod longè diuersum est) octauo & uicesimo monasticam uitam secutus,ad fanum Crucis diem uitæ obijt. Henricus Dandalus illi quadragintauirali suffragio dux creatus successit,ea uidelicet forma quam suprà expressimus. Huius auspicijs nõ Venera solum gloria, sed ipsius quoque imperij fines longe lateq; promoti: Veronensibus qui Venetis Athesim nauigantibus uim fecerant,Dandalus Veneto interdixit cõmercio: qua denunciatione effecit,ut illi non multo pòst redditis rebus suas Venetis immunitates seruaturos se polliciti sint: fluminisq; nauigatione nunquam uiolaturos. Hoc quoque principe nummus percussus est, quem Octonis taxatum ab initio,ut nunc Grossum nuncupauere. Classis ex Syria reducta est: quippe cui reparatione supplemento q; opus erat. Tertio anno iam Italia abfuerat. Pisani & ipsi ex prouincia profecti: sed ij eo triennio tanta cũ Venetis emulatione certauerant,ut ea res (quod sæpe euenire solet) in mutuum odium apertasq; inimicitias traxerit utroq;, quod ipsum Pisanis post ea male uertit. Quippe qui in Hadriaticum sinum flectentes, Polam tributariam Venetorũ urbem subito incursu oppressere: ubi, si per ociũ licuisset, hybernare in animo habebant. Sed eam rei indignitatem haud quidẽ Veneti tulerunt: noua subito classe triremium decem, nauiumq; sex onerariarũ comparata: nouoq; milite in supplementum uetereri addito, Polam continuo transmittunt: urbe repente capta quicquid Hetruscarum nauium illic fuit, uictor Venetus concremauit. Maior pars classis aberat, ut præsidio esset sex onerarijs: quę mercibus onustę per id tempus, ex pontica negociatione in patriam redibant. Dirutis itaque Polæ mœnibus, non tam in oppidanorum inuidiam, quàm ne amplius Pisanis receptus eò esset, continuo Methonem Venetæ triremes uenere, ut cum onerarijs Pisanorũ, & ijs quę præsidio illis ex Pola profectæ erant, confligerent. Nec diu ibi stationem habuerant, quum illis prætereuntibus Veneti occurrunt. in conspectu urbis propemodum pugnatum: ubi fuso fugatoq; Hetruscarũ nauium præsidio, duę ex onerarijs sunt captæ. Nec ita multo pòst pax cum Pisano secuta est. Quidam ex Venetis scriptoribus nullam prorsus pacis huius mentionem fecere: sed, quod magis est diuersum, eodem aiunt anno quo apud Methonem fuerat pugnatum, Pisanos Hadriaticũ sinum Brundusinis auxiliaribus Venetis clausisse: atq; ad eorum conatus opprimendos Ioannem Basilitũ, & Thomam Phaledrum cum ingenti classe missos: ad quorum aduentum territos hostes, trepide toto sinu cessisse: ac tum demum Brundusinis, qui eos auxilio commeatuq; iuuerãt, arma illata: quibus post multas clades confessione erroris expressa, pacẽ uictor Venetus reddiderit. Peregrinus Aquileiensis antistes, ut Taurisinos, cum quibus apertas exercebat inimicitias, opportuniores ad omnẽ iniuriam haberet, Venetis nouo fœdere se iunxit: à quibus ciuitate donatus, ampla in urbe prædia emisse dicit: auxilia præterea quotiens opus esset Veneto nomini, ex fœdere est pollicitus. In Peregrini igitur gratiã Taurisinis est urbis cõmercio interdictum. Per hęc fermè tẽpora maior quædam propagandi imperij occasio est Venetis oblata. Pręerat Græcię imperio per id tẽpus Isachus, homo Christiani nominis amicissimus: cuius fida opera fidoq; hospitio (quod in alijs qui eũ præcesserãt, raro ob institũ genti in Christianos omnes odiũ euenerat) Galli & Germani duces in Asiã transmissuri nuper usi fuerãt. Huic frater erat minor natu, Alexius nomine: cui adeo ille semper indulserat, ut præter nomen imperij, quod penes se esse uoluit, cum eo ex æquo uiueret. Appenderat ad hæc Isachus non multo antè Barbaris hostibus (in quorũ potestatem ille sua temeritate uenerat) magnum auri pondus. Sed ingratissimus frater beneficiorum omnium immemor, Isachum dolo captum excæcat, excæcatum in nauicula cõijcit: nec uno contentus scelere, filium quoq; fratris adhuc puerum (quippe qui annum duodecimũ nondum egressus erat) ad id quoq; supplicium studio requirit. Is amicorũ consilio, & præmatura qua dicitur fuisse prudentia, in ea rerum trepidatione salutem effugio adeptus est. Erant ea tempestate Venetorum opes quàm ualidissimæ. Nam uerno eius anni tempore Bonifacius Montferratẽsis, Baldoinus Flandriæ, & Henricus Pauli Comites: & cũ his Allobrogum & Montisferrati duces in Asiam aduersus Turcos Sarracenosq; moturi Venetias uenerãt. Sunt qui legatos ab his prius missos dicant: sed plures hoc habent. Principes coràm cum Venetis pacti sunt, ut octo peditum milia, quatuor equitũ & quingentos: cõmeatus ad hæc equosq; usq; ad Thraciũ Bosphorum (qua omnes ferè Christiani duces ad eam diem copias transmiserant) connectarent. Apparebat enim, alia ratione eas copias in Asiam haud utrò traduci posse: tum quia in Germania Pannoniaque res per id tempus parum quietæ erant: tum etiam propter nouos Byzantij motus, qui quotidie maiores ob ea quæ facta erant afferebantur. Venetarum rerum scriptores undetriginta peditum milia fuisse tradunt, in quibus nouem scuratorum essent, quod propius fidei est. Nam quid minus credibile dici potest, quàm quatuor clarissimos duces tam longinquam expeditionem, laboris & periculi plenam, molientes, duodecim hominum milia non amplius comparasse: præsertim quum eorum quilibet eas copias per se facilè instruere potuisset. Pro tantarum copiarum uectura magnum argenti pondus pactum dicitur. Comparata itaque classe, quia milites spe omnium tardius affuere, in autumnum expectando res distracta est: quo accidit ut pecunijs, quas duces pro uiatico comparauerant, consumptis coacti sint mutuam à Venetis poscere eam pecuniam, ut duces ipsos obnoxios & quasi inauctoratos haberent, quorum opera uti uelle in animo erat, non solum mutui nomine Veneti expenderunt, sed dono etiam dedisse dicuntur: factaq; est illis spes maioris adhuc munificentiæ, si tantisper dum Histriæ accolas ad imperium Veneti retraxissent: Iaderamq;, & ipsam totiens rebellem (quę à se ad Pannoniæ regem paucis antè annis defecisset) recepissent, auxilio esse uellent: Non modò non id Venetis denegatum, sed inita quoque sunt in annũ fœdera: ut hi triremes sexaginta in presentẽ expeditionẽ educerent, in quas suos milites imponerent, suaq; instrueret impensa: ac præter Dalmatiã, cuius loca omnia insulæq; illi proximæ Venetorũ essent: oppidorũ quicquid atq; omnifariã prædæ caperet, dimidiũ ex fœdere deberet Veneto nomini. Henricus, etsi parũ prospera utebatur ualetudine, quippe qui Emanuelis iniuria uisu haud mediocriter laborabat: ne tamẽ in tanta opportunitate reip. deesset, sua præsentia expeditionẽ ipsam iuuare constituit. Primus itaq; omnium idib. Octobris Venetijs profectus est: eũ postridie reliqui secuti. Habuit classis uniuersa naues ducentas & quadraginta. Nã præter triremes

triremes sexaginta numero, quas ab initio Venetus cum Gallis fuerat pactus, septuaginta onerariæ instructæ dicuntur, in quas externus miles est impositus. Nauigia ad hæc (Vrserios uulgo appellant) ad commeatus, equos, ac reliqua impedimenta deportanda, centum & uiginti. Sub primum tam ualidæ classis aduentum Tergestini & alij Histriæ accolæ, qui maria cursu infestabant, metu perculsi ad Henricum mittunt pacem orantes. Ea his cõditionibus data est: ut Humagenses quinquaginta uini urnas, ac totidem Tergestini Veneto duci quotannis tributi nomine mitterent. Missi ad hoc ipsum Venetias, qui in publica uerba iurarent, perpetuò se tributum daturos: atq; in ea fide, in quam ultro sui olim maiores uenissent, permansuros. Ex Histria Iaderã classis admota: ea oppugnatio (quia urbs ualido inita erat præsidio) omnium opinione longior fuit: & quo longior, eo quidem laboriosior. Oppidum sæpius oppugnatum, multus cruor utrinq; fusus. demum post uarias clades urbem armis receptam: qua parte mari alluitur, muro nudarunt Veneti. Iaderensium primores, quibus auctoribus totiens ciuitas defecerat, ueniam desperantes media trepidatione dilapsi uoluntarium sibi exilium consciuere. Hyems interea non solũ appetebat, sed iam crebris sæuire cœperat procellis. Quũ Alexius puer Isachi filius, qui patrui sceleratas manus effugerat, Dandulo Gallisq; ducibus circa Iaderam hybernantibus superuenit: hic multa puer de iniuria patrui questus, cæcitatem patris, uincula, squalorem, tene brosum carcerem, exilium suum uel ipsi hoſti miserabile, flebiliter exponit: orare quidẽ ut pro ueteri genitoris sui in Venetos studio, pro fide, societate, hospitio, proq; omnibus beneficijs quibus ille rem Christianã circa Byzantiũ, ac toto suo imperio quãdoq; iuuisset, ut afflictis rebus suis opem ferrẽt: ne paternã orbitatẽ in maioribus q̃ cæcitas attulisset, tenebris diutius iacere: seq; admodũ puerũ, patris omniumq; necessariorũ consilio & ope destitutum, extorrẽ, inopem, egenũ, tam indigno exilio paterni imperij finibus electũ, mendicare paterentur. Pollicerì ad hæc, magnũ auri pondus, præmia & multa & magna proponere, quæ recepto imperio se bona fide præstiturũ affirmabat. Mouerunt pueri lachrymæ, mouit & ipsa ætas, omniũ qui aderãt animos, uisaq; est omnibus digna causa, cui quisq; libens faueret uellet. Accedebant ad hæc ampla pueri pollicita, quę in tanto discrimine proponenda ab ijs, qui eius fugæ erant comites, edoctũ eum credibile est. Nam uix ea quæ dixi, ætas uel longè maturior, non modò illa quæ primos annos nondum erat egressa, per se tam facilè cõmenta esset: Pollicitus dicit, si sus aut cum patre in imperiũ restitutus esset, Constantinopolitanã ecclesiam Romanæ subijcere: certũq; auri pondus se Venetis Gallisq; pro cladibus, quas olim Emanuel imperator utrisq; diuerso tempore intulisset, daturũ. Et cum his aliã grandẽ Venetis pecuniã quã ab initio cum externis ducibus pro copiarũ traiectione pacti fuissent. His cõditionibus ad prima ueris signa Veneti Galliq; ex Dalmatia mouerũt: perpetuo cursu Constantinopolim, si per uentos liceret, petituri. Iaderenses interea profugi, audito Veneti discessu infestissimam Histris finitimisq; Dalmatię populis piraticã exercere cœperũt: aduersus eos noua classis decreta. Præerat uicario nomine reip. Rainerius Dandulus, Henrici filius, iuuenis impiger. Hoc auctore aliquot naues aduersus Iaderenses exules instructæ, in Dalmatiã transuere: Præsidiũ insulæ quæ Iaderę proxima adiacet, ad hostium conatus opprimendos est impositũ: malo consilio ferũt loco nomẽ inditũ. Munitionẽ ipsam extorres Pannoniæ, regis opibus freti, subito incursu præsidio repentè oppresso diruerunt. Quamobrẽ longè maior nauiũ numerus decretus, qui omnino satis ad temerarios motus cõsiliaq; hostiũ euertenda crederet. Quem quũ studio parari hostes rescisuissent, pacẽ suppliciter petitã his legibus impetrarunt, ut principũ liberis Venetias missis in patriam exules reuerterentẽ: ipsi Veneto magistratui, eorũ ecclesia Gradensi antistiti pareret. cæterũ quotannis mille cuniculorũ pelles Veneto duci dono mitterent. Dum hæc in Dalmatia geruntẽ, Veneti interim Gallicũ, Ionio primo, inde Ægæo, Hellespontoq; emensis, ad Bosphorũ, qui Thracius dicitur, peruenerant. Sed hic de loco, deq; urbis situ, ut magis perspicua sint quæ postea dicentur, pauca à nobis sunt referenda. Byzantium (quam Constantinopolim postea à Constãtino, qui eam auxit, nouaq; imperij sede ornauit, dictã manifestè constat) à Pausania Spartanorũ rege conditũ Trogus tradidit. Est urbs ipsa adeo opportuno loco sita, ut Megarenses Chalcedonis conditores, quæ è regione Byzantij fuit, oraculo Apollinis cæci iudicati sint: quod tam locupletem ripa omissa, ubi postea Byzantium fuisset conditũ, sterilem ædificandæ urbi locũ optassent. Maris angustias quingentorũ passuum latitudine: haud procul hinc sese arctantis Thracium Bosphorũ, à peruijs boũ meatibus appellatũ tradunt. Habet urbs ipsa ad septentrionẽ sinum quinquaginta stadia ab alto ad occasum protentũ: ad aditũ cuius breui interuallo hinc Byzantiũ, inde Pera (quam à breuiore traiectu uerbo Græco appellatũ existimo) se ex aduerso intuentur: utring; ualidissima cathena deducta, impositoq; ad utrunq; caput præsidio, aditũ hostibus Alexius ademerat. Dum hic igitur tam numerosa hæret classis, Cretensium legati duabus ue ci triremibus ad Alexium uenerunt, Cretam insulam illi publico nomine dedentes. eam benignè acceptam Bonifacio Montferratensi, uiro impigro, auitaq; consanguinitate sibi propinquo, puer habendam tradidit. Cathena interim non prius perrumpi potuit, quàm ualidissima nauis (Aquilã uulgo nuncupatam ferunt) cæcia uento impulsa, magnaq; fori cipe adiuta, in illam sit inuecta. Ea discussa potiti Veneti sinu, omnes externas copias in terram exposuere, ac cõfestim urbs terra mariq; obsideri cœpta est. Sed sub primam obsidionem Theodorus Lascaris imperatoris gener, cum copijs, quibus præerat, eruptione ex urbe repentè facta, ferociter in Peregrinos (ita enim ab initio Galli & cæteri Transalpini bellum Asiæ illaturi appellari uoluerunt) inuectus est. Cruentũ prælium ab initio ancepsq; Mars fuit: obstinatis inde animis aliquandiu dimicatum: demum uicta Græcorum pertinacia, Theodorani intra mœnia cum ingenti cæde compulsi sunt. Interim Veneta classis portum nititur occupare. Sed hic quoque in cathena, quæ ad illius fauces obiecta erat, perrumpenda biduo laboratum: fuitq; certamen illud eo Venetis difficilius, quo ualidius præsidium portus habuit, quàm sinus, de quo proximè diximus, habuisset. Viginti triremes illius angustias insederant: quæ se cathena, uelut obice quadam hostibus obiecta, tutissima statione tuebantur: nec tutum erat cuiquam munitionem tentare ob uim telorum ingentẽ, quæ propinquiore loco in aduentes mittebatur. Vicit tamen Venetorũ uirtus: nanque & hac quoq; diffracta, impetu in hostes facto, momento temporis portus occupatus est. Triremes & ipsæ sub primam eruptionem ab Alexianis relictæ in Venetorum potestatem uenerunt. Secundum hanc uictoriam placuit, undique armis operibusque urbem perpetua aggredi oppugnatione: partitique inter se munera, Veneti uineas aliaque bellica opera quà urbs portum spectabat, in hostes erexere: inde binis nauium malis supernè adcaueas ligatis pontes impositi: unde (quia sua altitudine murorum fastigia superabant) ingens uis telorum à nostris in Græcos coniecta est. Quinetiam

etiã ignis in proxima ædificia è nauibus coniectus, fomẽta primò, inde aridam materiam nactus, adeo ingens excitauit incendium, ut eo territi propugnatores, crebrisq; insuper uulneribus afflicti, muros ea parte nudos reliquerint: quos Venetus admotis scalis repentè occupat. Ad eum tumultum excitatus Alexius cum triginta hominum millibus, quos in hos casus paratos habuisse dicitur, subito accurrit: aciemque primo in Venetos explicare uelle uisus est: quod Græco astu ferunt ab eo factum, quasi nihil minus quàm fugam meditari uideretur: interim uero (quia non solùm ea parte, sed à continenti etiam res propè perditæ erant) cõmissis aliquot à Theodoro prælijs cum ijs qui auersa parte urbem oppugnabant: quibus fermè semper cum ingenti cæde Græci intra mœnia fuerant reiecti. quasi igitur postridie acie dimicaturus cessit. Veneti interim uictoriam secuti, iam propemodum intra mœnia pugnabant. Verùm interuenientibus tenebris Alexius desperatis rebus, concubia nocte, uxore & liberis relictis, ex urbe aufugit: magno auri pondere apud Irenem filiam, unam ex sacris uirginibus, humi defosso. Cognita imperatoris fuga confestim Isachus ex uinculis in medium producitur. Et Alexius puer, patefactis repentè portis, in urbem, ingẽti populi fauore est acceptus. Consalutatus uterq; imperator: magnæque utrinque gratulationes fuere, sed quæ ob miserabilem senis cæcitatem lachrymis non caruerunt. Laudabat senex nati pietatem, laudabat altam indolem, gratulari illi præsentẽ successum: eumq; ad imperium quod sua uirtute recuperasset, fortiter retinendum adhortari. Puer contrà, & quod scelerati fratris uincula rupta essent cæco patri gratulatur, quodq; perfidum caput, dijs & hominibus inuisum, imperio ac patria pulsum, in exilium actum audiret: dicere, se non tam sua felicitate, quàm paternæ iniuriæ ultione lætari. Aliquid certè pœnarum sceleratum Alexium expédisse, qui hostem in eo loco imperaturum sciat, unde ipse cũ ignominia sit depulsus. Post has mutuas gratulationes pro concione Isachus probauit, rataque esse uoluit, quæcunque filius cum Venetis Gallisq; suæ dignitatis assertoribus pactus fuisset. Et iam animũ omnemque cogitationem suam in hoc unũ intendere cœperat, quo pacto, quáue ratione promissum aurum Gallis Venetoque expediretur: quum morbo, aëris ut creditur insolentia contracto, senex extinctus est. Nec segnior illo in ostendenda gratitudine erat superstes puer: qui non solùm quæ promiserat, uidebatur re præstiturus: sed eos quoque in Asiam transire uolentes, cõmeatu, auxilijs, omniq; officio prosecuturus. Verùm ingrata ciuitas, iam antea ipsa temporum nouitate seditionibus assueta, illius consilia euertit. Orto nanque in urbe tumultu populus cum clamore in Isachi domum repente impetum fecit: ibi conuicia in Alexium non pauca iactata, quod stultus puer, rerumq; omnium ignarus, pecuniæ soluendæ studio, quam auaræ genti, & Græci nominis inimicæ, temere promisisset, urbem suam diripere, uetericbusque fortunis spoliare non dubitaret. At puer in tanto motu uitæ suæ timens, consilio supra ætatem usus alta uoce pronunciauit, se in ciuium suorum auctoritate futurũ. Tam populari denunciatione eius noctis tumultus sedatus est. Postridie paucis amicorum communicato consilio, ad Bonifacium propinquum suum mittit, ut tertia proximę noctis uigilia cum armatis cohortibus sibi auxilio adsit: magnum dicere non imperij solum, sed uitæ quoque sibi à ciuibus imminere periculum: orare proinde illum, ne in tanto discrimine puero, consanguinitatis uinculo sibi propinquo, cæterum consiliorum rerumque omniũ inopi, deesset: curaturum se ut porta qua urbem initurus esset, ad tempus pateret. Fuit inter eos qui eius A consilij conscij erant, Alexius, cognomento Myrtilus, uel, ut alij habent, Murcyphus, quem Isachus ex infima plebe multis & magnis honoribus ad summam dignitatem prouexerat. Is ambitioso ut erat ingenio, & ad omne facinus prompto, continuo rẽ paucis aduersæ factionis, & quorum auctoritatem haud paruam in ciuitate esse sciebat, communicat: tumultumq; ea hora qua priore nocte excitandum procurat. Quo repente orto, Alexium puerum trepidantem, ut sese in abditissimam partem domus illatebraret, adhortando, præsentisque periculi admonendo perpulit. Eum ad locum productum fidissimis quibusdam asseruandum tradidit: inde in publicum exiens quasi seditionem compressurus (quod se facturum receperat) pro concione orsus, in quo res loco sitæ essent primo cœpit ostendere: quàm præterea euidens ab auara (ut ipse prædicare solebat) & Græci nominis inimica gente immineret periculum: esse proinde opus affirmare uiro aliquo optimo, ac eodem prudentissimo, & nõ puero, si præsentibus malis obuiam iri cuperent. Est itaque, quod maximè optabat, consecutus, ut incõditis uocibus pars una populi eum urbis præfectũ, altera copiarum ducem, tertia imperatorem declararit. Secundum eam acclamationem satellitum necessariorumq; gratulantium caterua stipatus, in Isachi ædes sese proripuit, & Alexium puerum, quẽ ueneno dato occultiore mortis genere conficere nõ potuerat, elisо gutture propria manu necauit. Tumultu deinde sedato, ingentibusq; copijs contractis, primo Gallos Venetosq; armis pellere constituit: inde ad partes suas firmandas omnes Alexij amicos tollere. Hæc quum in animum induxisset, cum omnibus copijs repente ex urbe egressus acie quam in hostem erat explicaturus, ita constituxit, ut in prima fronte sacerdotes Iconas manibus habentes locati essent, qui pugnam inituri carmina quædam diuina canerent. Id ne ad incutiendam hosti religionem: an quia à diuinis prælium orsi ad uictoriam pertinere putarit, incompertum habeo. Forte impetus in Flandrensis comitis stationes primo est factus. Is ut impiger, inuictoq; semper animo, cum paucis occurrens, tamdiu phanaticum Græcorũ impetum sustinuit, quoad primum armata legio, inde reliquæ copiæ affuere. Momento itaque temporis non solùm æquata est pugna, sed territa quoque hostium acie uictus Myrtilus trepide se in urbem recepit. in eum cedentem adeo uiolenta à nostris impressio facta est, ut parum abfuerit, quin ipse cum tota multitudine sit sub ipsis mœnib⁹ interceptus. Virginis Iconem Græcis ademptam, in bonum omen Itali Gallicq; uertere: rati certam ex eo portendi uictoriam, quod signũ non parui numinis à Græcis ad se transiuisset. Res inde in cõsultationem uenit, essẽtne oppugnandus cum urbe scelestissimus Myrtilus: constitit inter omnes, fas piumq; uideri, nefarium hominem tollere: qui se non solùm indigna cæde polluisset, sed scelere quoque imperium sibi ob pactam mercedem oppignoratum occupasset. Fœdus inter Venetos Gallosq; denuo est ictum: in quo ita est expressum, ut ipsius urbis, locorum, rerumq; omnium quas armis ex Constantinopolitano imperio capturi essent, dimidium Gallis daret, reliquum Venetorum imperio quæsitum uideret. Sunt qui scribant, aliam fuisse pactam diuisionem: ex qua non dimidium, sed tertiam eorum quæ armis quererentur partem Veneti essent sortituri. sed quod prius diximus, plures tenent. Secundum hæc noua fœdera confestim ad oppugnandam urbem conuersi, adeò pertinaciter terra mariq; pugna continuata est, ut non antea cessatum sit, quàm in suam potestatem Veneti Gallicq; eam redegerint. Nec omnino uictoria facilis: quippe quam Græcorum pertinacia in octauum & sexagesimum diem distulit.

Enituit

Enituit maximè in ea oppugnatione Venetorũ uirtus: qui eadem ui qua prius urbem adorti, pulso è mœnibus præsidio, aliquãto prius urbe potiti sunt, quàm illi qui à cõtinenti maioribus copijs eam oppugnabant. Myrtilus noctis umbra usus, cum uxore, pellicibus, magnoq; auri pondere suppliciũ euasit: ciues in apertum discrimen conjecti. Nam hinc uictorum uoces muros tenentium terrebant: inde Myrtili fuga non mediocrem metũ iniecerat. Dante igitur ingenium necessitate, ad ueniam impetrãdam conuersi: sacerdotes ad hoc ipsum uocatos, cũ Iconibus præire iussos, ipsi inermes secuti sunt. Vbi ad Venetorum conspectum mœnia tenentiũ uẽtum est, ueniam supplices orant, quæ portas patefacientibus facilè concessa est. Prior Venetus urbem ingressus est: secuti deinde Galli cum omnibus copijs quæ à continenti urbem oppugnarant. Byzantio recepto conuenit inter proceres, ut quindecimuiri crearentur, quibus imperatoris eligendi potestas foret: atque illud expressum, ut si Veneti nomi nis imperator declaratus non esset, quem ipsi uellent suæ gentis antistitem urbis crearent. Ita, ut dixi, comparatum erat: Veneti ex electorum numero quinos dedere: Flandrensis & Pauli Comites totidem: Montferratensis & Allobrogum duces numerum expleuerunt. Horum igitur suffragio Balduinus Flandrensis imperator est declaratus: cui Veneti Thomam Mauroceum priuo suffragio antistitẽ subiecerunt. Is Romam ad Innocentium pontificẽ uenit, ut adeptæ dignitatis eum faceret auctorem. Principes interea expeditionis studio & liberalitate incredibili nouum imperatorem prosecuti, dimidio urbis, prouinciarum, uectigalium, rerumque omnium quas ex fœdere sortiti erant, donauere. Nec huiusmodi contenti officio, illud præsenti munificentiæ est additum: ut quascunque Græcanici imperij urbes, castella, uicos, postea recepissent, uelle se Balduini nomine uideri recepta. Scribunt quidam, quartam imperij partem illi datam: inde quod reliquum fuit, in duas partes diuisum: quarum altera Veneti sint sortiti. Pacato ciuitatis statu confestim mota sunt Byzantio castra: ac primi omnium Bonifacius Montferratẽsis, & Henricus imperatoris frater, omni Thracia, quæ inter Byzantium & Hadrianopolim trium dierum itinere quaque uersum excurrit, miro uictoriæ cursu potiti sunt: id soli quantumcunque fuit Balduini imperio, ut ab initio recepérât, subiecere. Henricus interim princeps qui Byzantij subfederat, cum imperatore agere cœpit, ut ea pars imperij quam Veneti ex fœdere fuerant sortiti, certioribus terminaret finibus. Et quia id fermè totum in insulis, quæ in Ægæo & Ionio sunt, absumebatur: essetque tum Creta insula Bonifacij, quam Alexij dono fuerat consecutus. Balduinus ad tollendam discordiam, & ut socijs quę promissa essent, ex fide exoluerentur: Thessaliæ regem Bonifacium declarauit: insulamque illi ademptam Veneto nomini habendam tradidit. Quæ omnia ut magis rata essent, M. Sanutus, & Rabanus Carcerius, principis oratores, Hadrianopolim in castra ad Bonifacium sunt missi. Henricus interim classem ad reliquas pelagi insulas recipiendas mittit. Legati qui ad Bonifacium missi erant, ubi Hadrianopolim uenere, Imperatoris decreto, ingentique insuper pecunia oblata, facilè eum in sententiam traxere: ut ius quod Alexij munere in eam insulam quæsitum haberet, Veneto imperio remitteret. Thomas interea Constantinopolitanus antistes ab Roma reuersus, ubi omnia ex sententia fuerat consecutus, quũ aliquandiu Venetijs subsedisset, esseteq; iam in Græciã nauigaturus, quatuor triremes, quæ in supplementum classis Byzantium ad Henricum principẽ mittebantur, accepit. His fretus Ragusium, quod à Venetо imperio defecerat, recepit. Et Dyrrachio, quã A urbem Græciæ imperatores desertam reddiderãt, instaurato præsidium imposuit. Hinc perpetua nauigatione Byzantium uenit, ubi ingenti plausu & fauore exceptus est. Sed nihil æquè illius reditũ omnibus exoptatum fecit, quàm quòd Romano pontifice auctore diadema imperij Balduino daturus uenit. Fuitq; ea dies celeberrimo non magis Græcorum quàm Gallorum & Latinorum conuentu lætissima. Vix adhuc annus post captum Byzantium erat circumactus, quum terra mariq; omnia Græcanici imperij loca in imperatoris potestatem, præterquam Hadrianopolim, uenerant: quem felicissimũ rerum cursum immaturus illius turbauit interitus. Quidam auctores sunt, eum Byzantij defunctum: alij Hadrianopolitana obsidione in insidias præcipitatum ferunt, & ab hostibus captum, in uinculis expirasse: eoque defuncto Græciam annos septem imperatore caruisse. Hæc annalium scriptores: qui ab his diuersa sentiunt, in illius locũ continuo Henricum eius fratrem imperatorem salutatum affirmant: qui quum apud Hadrianopolim esset obsidionem à fratre inchoatam executurus, festinaretque Byzantium ad imperij insignia sumenda: nuncium de Henrici Veneti principis obitu accepit: adeò nõ multi dies inter Balduini imperatoris & Henrici mortem interceßere. Obijt Venetus anno sui principatus tertiodecimo, atque in diuæ Sophiæ atrio est sepultus. Libet hic recitare carmen, quod apud quosdam ex his quos sequimur reperio, pro Sibyllino receptum: feruntque id ipsum diu ante Byzantium à Venetis Gallisque occupatum, uulgo celebrari solitũ. Quod si ita est, hoc uerius crediderim, quàm ullo alio oraculo, Emanuelem imperatorem commotum, inexpiabili odio Venetum nomẽ infestasse. Et quia rerum ferè omnium euentus, quæ à Constantini principis temporibus circa Byzantiũ B usque ad Henrici Veneti ducis tempora gesta sunt, ipsi diuinationi respondent: operæprecium duxi eam referre, ut ex ipso oraculo intelligi possit, quantum fœmina diuino spiritu afflata in futurorum cognitionem sit prouecta: esseque non omnino absurdum illud, quod Plutarcho autore Ægyptij existimant, mulieribus dei spiritum facilè appropinquari. In hunc igitur modum orsa illa est: Æneadũ gloria Byzantium deducetur: eruntque Danai in robore delicato usque ad Leonem sexaginta pedum: do nec catulos eius Vrsus deuoret: hunc Aquila despecta Vrsum dissiperet: aquilam Hircus obumbret: pullum uoret Aquilę: fierque potentum in Hadriaticis aquis congregatio: cæco duce Hircum abigent: Byzantium prophanabunt: Hircus non balabit amplius: nec Gallus cantabit, usq; dum sexaginta tres pedes & pollices nouem discurrant. Romanum, inquit, imperium, quod Constantino principe accidit, Byzantium traducetur, eritque pacatum usque ad Emanuelis imperatoris tempora, qui uixit annos sexaginta. Huius liberis peremptis, Andronicus imperium ad se trahet, quem Sibylla Vrsum appellat: Isachus ab Emanuele prognatus, despectus antea, Andronicus obtruncabit: Alexius Isachum fratrem, Græcanico more barbatum, insidijs exceptũ excæcabit, in carcereмque conijciet: quò & Alexiũ Isachi filium tractũ quidam uoluere, postea ruptis uinculis ad Venetos confugisse: tum Veneta arma Gallis armis iuncta Dandulo duce, cui Emanuelis fraude lucem penè ademptam diximus, in Græciã transibunt: Byzantio capto imperij decus Græcis adimetur: tum neque imperator Græcus neq; antistes: quorum hunc Gallum, illum Hircum Sibylla (si Sibyllæ id carmen fuit) appellat: annos tres & sexaginta, ac menses nouem in Græcia non erunt. Hæc illa. Henrico autem principe defuncto, Petrus Cianus Sebastiani ducis filius, secutus est: eratis per id tempus quo princeps declaratus est, Arbæ Comes.

mes. Veneti interim qui Byzantij erant, ne sine ali-
quo magistratu essent, prætorem sibi creauere: uerũ
creationem illam Byzantij factam ita ratam esse uo
luerunt, si dux patres q; illius auctores Venetijs po-
stea facti essent. Primus igitur omnium qui nouum
Byzantij magistratum gesit, Marinus Zenus fuisse
dicitur. Legati Constantinopolim ad Henricũ im-
peratorem sunt missi renouandorum fœderũ cau-
sa. Bonifacius Montferratensis subacta interim ar-
mis Thessalia, eius prouinciæ rex ex Balduini insti-
tuto declaratus est. Sed dum hæc in Græcia gerun-
tur, Veneti Ciano duce nouiter creato, ut omnia im
perij loca, quæ ex fœdere cum Gallis & reliquis so-
cijs icto Veneti nominis facta uideri poterant, com
modius suo imperio adiungerent, publicum edictũ
proposuere: ut qui ciuium aut sociorum priuatis au
spicijs insulas Ionij Ægæique maris, cæteraque lo-
ca illis circumiecta quę Constantinopolitani antea
fuissent imperij occupassent (præter paucas maio-
res insulas, à quibus omnes abstinere uolebãt, quo
rũ nomina expressa sunt) eos in his locis ius quod
semel sibi armis quæsiuissent, perpetuo habituros.
In quo prima specie parum reipub. consultũ appa-
ruit: sed rem altius inspicientes, ita facto opus fuis-
se reperient: ciuitate non solum maioribus Græcię
rebus occupata: sed quia prædonum uires eousque
per id tempus, quo Veneti Thracio bello fuerãt oc
cupati, inualuerant, ut ualida iam classe opus esset
ad eorum cursus opprimendos. Apparebat proin-
de, haud tuto publicas opes in tot partes diffundi
posse. Satius igitur uisum, ut qui prædiuites essent,
singulas plures ue triremes aliaque nauigiorum ge
nera ad hoc ipsum singuli compararent: quod tanta
spe præmij proposita pleroſq; studio facturos haud
dubium erat: atq; ita fore, ut nauibus priuato sum-
ptu instructis, quum opus fuisset suo iure respub. u-
teretur. Cæterũ loca quæ reciperentur, eorũ qui-
libet suo erat præsidio defensurus (quod respub.
sine magno dispendio & labore præstare non po-
tuisset) atque in eas cum coniugibus, liberis, & for
tunis omnibus migraturus: sic tanquam ex urbe co
lonijs in insulas missis, omnia in Venetorum fide
permãsura. Siue igitur hoc uiderint, siue illud quod
prius diximus, satis constat, multos priuato nomi-
ne ad id arma comparasse. Sed ante omnia publica
classis unius & triginta triremium in altum deduc-
ta: cui præfectos apud quosdam Rainerium Dan-
dulum, & Rogerium Permarinum reperio: alij u-
troque nomine mutato, tantum Rainerium Perma
rinum habent. Omnes fermè annales & alij quos
legimus, priuatorum gesta publicis præferũt, quasi
fieri potuisset, ut quicquam geri priuatis auspicijs
circa insulas potuerit antea quàm maria piratarum
latrocinijs fuerint lustrata: cum quibus in ipsis pe-
nè Hadriaci sinus finibus publicæ triremes coactæ
sunt pugnare. Nos, quando ita ordo rerũ postulare
uidetur, publica prius exequemur. Vix Veneta clas-
sis extra sinum ierat, quum Leonem Vetranum Ge
nuensem, hominem ea tempestate maritimis cursi-
bus illustrem, cum nouem longis nauibus obuiam
habuit. cum hoc Hadriacæ triremes congressæ, infe
stissimos hostes haud magno negocio fuderũt: Ve-
tranum captum, Corcyramque quo classis admo-
ta est, addu ctum, suspendio necarũt. Insula recepta
Venetus inde digressus, Methone primo, inde Co-
ronem, duo ea tempestate piratarum domicilia ex-
pugnat. Sunt ea Peloponnesi oppida: illud inter Co
riphasium & Acritã promontoria, hoc uero in Mes-
senio sinu positum. circa hæc loca ab Achæis & A-
thenien sibus legati ad nauium præfectos uenere,
deditionem pollicentes: sed eorum immatura con
silia à Megaduce quodam, qui tunc ea loca tenebat,
oppressa dicuntur. Huius ego & aliorũ armis tum
ea loca occupata existimo, quum Veneti Constanti
nopolitano bello erant impliciti: quo sanè tempo-
re & insulæ & oppida mari proxima, quæ ad Ægeũ
& Ionium spectant, nutante imperio prædæ omni
bus gentibus exposita fuere, quanquam nõ eo insi
cias, potuisse dignitatem illam uideri in eam terrã
ab ijs qui in Græcia imperauerant, iam antea indu
ctam. Aperto igitur in hunc modum mari, quasi in
paratam prædam ad occupandas insulas est discur
sum. M. Dandulus & Iacobus Viadrus communi-
bus armis Callipolim occupãt. M. Sanutus aliquot
ciuibus in socios assumptis, ex Cycladibus Naxum,
Parum, Molum, Herinam, Andrumque subiecit. Ra
banus Carcerius cum nepotibus Eubœam cũ pro-
ximo Euripo. Andreas & Henricus Glasij Tenum,
Myconemque (recentiores Micolas dixere) Schy-
rum, Philocolum (olim uero Philocandrũ) & cum
his quam nunc Staliminũ pro Lemno dicunt. Hen
ricus interea, cognomento Piscator, eius Peloponne-
siacæ oræ Comes quam Maleam uocãt, Genuen
sium nauibus fretus Cretam Venetis adimere cona
tus est: sed Rainerius classis præfectus qui præstò
affuit, non solùm insulam tutatus est, sed quatuor
quoque Genuensium naues circa littora adeptus
oppressit: in quibus Vetranum captum, ultimoq;
supplicio affectum auctores sunt quidam. Nec ita
multo interiecto tempore ad inhibendos Græco-
rum motus Candacem coloniam, quam uulgo Can
didam dicunt, in ipsam insulam Veneti milere: ex
Patricio ordine equites: ex plebeio pedites missi di
cuntur. Genuenses ipsi maria grauiter infestabant:
ad quorum cursus opprimendos, Ioannes Triuisa-
nus cum nouem nauibus ad pugnam instructus est
missus. Is circa Siciliam haud longè à Drepano Li-
gusticam classem assecutus, maiore propè animo q̃
uiribus cum hoste congressus, duodecim hostium
naues intercepit. Qua clade fractis Genuensium a-
nimis, pax secuta est. Sunt qui scribant, ob nauem
unam à Genuensibus captam Triuisanum ipsum ad
eos persequendos cum duabus longis nauibus, to
tidemque onerarijs ad pugnã instructis dimissum:
atque Libyco mari circa dirutæ Carthaginis littora
hostem adeptum, iniecto certamine quatuor Li-
guri naues ademisse: mox uerò præter Siciliam o-
cto & uiginti. Per hæc quoque tempora ex leuissi-
ma causa, grauissima cum Patauinis orta est discor-
dia. Florebant tum longa pace Taurisinorum opes:
& quum ludis multaque lasciuia, ut fit, in secundis
rebus ciuitas ipsa luxuriaretur: commenta dicitur
suaue ludicrum, ut castellum media urbe peregri-
nis pellibus ac eisdem ualde preciosis, purpureisq;
stragulis murorum loco muniretur: ut ingenuæ uir
gines, quibus locum tuendum destinarant, pro ga-
leis coronas aureas haberent, pro thoracibus & bra
chiorum tegmentis armillas, & ditissima monilia.
Puellæ, ut dixi, eleganti forma castellum præsidio
tenerent: nobilissimi adolescẽtes uirginibus æqua
les arcem oppugnarent: missilia quæ utrinque iace
rent, poma essent, muscatæ nuces, rosæ, lilia, alijque
flores in pilarum speciem cõglobati: subitæ ad hęc
rosaceæ aquę eiaculationes, uariaq; alia odoramen
torũ exquisita genera. Is rerum apparatus multos,
ut fit, mortales spectandi studio Taurisium traxe-
rat. Venerant & Veneti non pauci, & ex Patauio ad
id spectaculum inuitati. Sed quum iam loci oppu-
gnatio omnium oculos occupasset, essentq; cuncto
rum animi intenti, qua parte primum in castellum
ipsum oppugnatores irrumperent: accidit, ut Vene
torum iuuenum globus occupata repente porta,
iamiã signa esset illaturus. Quod ex Patauinis qui-
dam, qui proximo loco & ipsi uirgines oppugna-
bant, conspicati, Venetis præsentem gloriam inui-
dẽtes, facto in signiferum impetu, uexillum in quo
diui Marci effigies erat, illi præreptum ignominio-
se lacerarũt. Continuo ex iniuria orta est rixa: fuis-
setq;

setq; non sine cæde ibidem dimicatum, nisi qui lu-
dis præsidebant, confestim spectaculum edicto sol
uissent. Discessum est itaq; utrinque iratis animis.
Sed Patauini suæ culpæ conscij (apparebat enim
haud inultam se eam à Venetis iniuriã laturos) qua
si ipsi, quod ad occultandam culpam spè fit, iniuriã
accepissent, Taurisinis in socios assumptis sine ulla
belli denunciatione primas partes occupant: Vene
tos fines ingressi, subitam inde prædam abduxere:
resq; publico nomine repetitas non modò non red
dunt, sed Bebianam etiam turrim flumini impositã
oppugnare incipiunt: eam ualido præsidio Cianus
princeps muniendam curauerat: cui M. Concanus,
homo impiger, præerat. Veneti priore illa, inde rece
tiore iniuria irritati, sumptis armis circa turrim ip-
sam hostes repentè adorti, fundunt fugantq; : qua
dringenti & amplius hostium cum quatuor signis
militaribus in potestatem Venetorum uenere: qui
Venetias perducti, gratum infensæ ciuitati spectã-
culum præbuere. Taurisini qui in eorum auxilium
ueniebant, audita sociorũ clade retro trepide abie-
runt: Annuum tributum Clodiẽsibus (quia eorum
opera in ea pugna maximè enituit) publico decre-
to est remissum. Nec multo pòst quã ad Bebias est
pugnatum, Aquileiensis antistitis interuentu pax se
cuta est: uerum his conditionibus, ut quinq; & ui-
ginti illorũ, à quibus Taurisino spectaculo iniuria
orta erat, Venetias ad principem mitterẽtur: cui fas
esset eos quo uellet supplicio afficere: sed eos po-
stea traditos Venetus inuiolatos dimisit. Nec pax
diuturna fuit, quin subito est utrinq; ad arma recur
sum. Belli causa ab utrorunq; socijs est orta. Disce-
ptabãt per id tempus de finibus Foroiulienses Car
ni cum Taurisinis, qui Venetorũ auxilijs freti nouo
rum hostium fines inuaserant. Bertoldus antistes,
cuius auspicijs omnia gerebantur, ad Patauinorum
opes confugit: sed alij ad Venetos eum uenisse di-
cunt, ac ciuitate subito donatum: quod ut libẽtius
credam, Taurisinorũ Patauinorumq; pristina facit
societas. Sed inter primos armorũ conatus Bertol-
dum cum Goriciano comite Venetias uenisse aiũt:
pactisq; in quinq; annos inducijs, bellum uix bene
motum resedisse. Medoacensis ecclesiæ sedem Clo
diam hac tempestate traductam quidam auctores
sunt. Terræmotus ad hæc ingens uehementer ur-
bem concussit: pars ædis diui Georgij cum aliquot
priuatis ædificijs eo motu collapsa dicitur. Hæc cir
ca continentem. In insulis uerò res Veneti imperij
in dies maiorẽ in modum augebãtur. Rabanus Car
cerius, qui Eubœam occuparat, ueritus quod erat,
tantæ insulæ possessionem uix suis opibus retineri
posse: ultro cum nepotibus in Venetorũ fidem ue-
nit, tributumq; se dare est pollicitus. In Corcyram,
quæ non multo antè recepta erat, uiri aliquot illu-
stres uelut in nouam coloniã præsidij nomine sunt
missi: & in his Petrus Michaël, Stephanus Foscare-
nus, Sigibertus Quirinus, & Iacobus Serius, Guifre
dus Achaiæ princeps, qui Megaduci patri succesſe-
rat: & Gallus Cephalenię occupator, & ipsi in Vene
torum fidem uenere. Dum hęc circa insulas & in Io
nij maris ora geruntur, Henricus interea cum Vala
chis fœdus percussit: ac regis filia in uxorem ducta,
noua affinitate auctus, breui omnia Græciæ loca,
quæ ob infelicem Balduini casum ab imperio defe
cerant, recepit. Atq; ita rebus foris pacatis piam do
mi causam adortus, se fautorem Romani pontificis
legato præbuit ad id Byzantium misso, ut Græcos
ad Romanæ ecclesiæ obsequium retraheret. Parũ
abfuit quin eo nomine seditio ingens in ipsa urbe
fit subito orta, reclamãtibus in Henricum ciuibus:
optimi Imperatoris esse, arma curare, non sacra: iam
satis superq; à se indultum, quod suam ecclesiã pas-
si essent Romanæ pronunciari subiectam. Relictis
iccirco cum sua pertinacia Græcis Henricus ad con
stituendum imperium conuersus, Bonifacij filium
Thessaliæ regẽ declarauit: apparebatq;, in dies maio
ra præstiturum, quum immatura mors illum sustu-
lit. Dum hæc in Græcia geruntur, Cianus princeps
interim, aut certè circa hæc tempora, legatos ad O-
thonem misit, gratulatũ illi uictoriam quam aduer
sus Philippum Suauiæ ducem fuerat adeptus, cum
quo aliquandiu de imperio disceptauerat: Ab eo ue
terum immunitatum approbationem legati beni-
gne impetrarunt. Angelus Phaledrus procurator ta
bulam, quam ad aram maximam Aureæ ædis ante
dicatam diximus, gemmis atq; alio precioso appa-
ratu adhuc amplius instruendã curauit. Cianus dux
priore coniuge defuncta Constantiam Tancredi Si
ciliæ regis filiam superduxit uxorem: ex qua liberos
procreauit uirilis stirpis unum, alteram fœminam,
Mariæ Hierosolymitanæ phanum, ubi hodie uirgi
nes clausæ sunt, eiusdem opus esse apud quosdã re-
perio. Petrus Antesiodorensis Comes Henrico de-
functo miro omniũ cõsensu Imperator declaratur,
(erat is illius sororius:) qui cum uxore Romam ue
nit: atq; ab Honorio pontifice in æde diui Lauren-
tij Tyburtina uia extra muros urbis coronatus est.
Roma inde profectus cum Ioanne Cardinali Colũ
na pontificis legato ad auxilia in Turcos contrahen
da in Pannoniam misso: ubi Brunduſum uentũ est,
coniuge & liberis, quos secum habebat, in nauem
impositis, triremibus Venetis acceptus in Dalma-
tiam transmittere statuit, terrestri inde itinere Con
stantinopolim iturus. Ferunt, in Venetorum gra-
tiam Dyrhachium ab eo oppugnatione tentatum.
Theodorus dux Epiri urbem tenebat: quam non
multo antè à Venetis muro instauratam, Epirotico
ille præsidio munierat. Fuit itaq; Imperatoris op-
pugnatio irrita. Gerebat se Theodorus pro Græ-
cię imperatore: referebatq; inter suos progenitores
Emanuelem, qui Imperator fuerat. Simulata itaq;
pace Petrum hospitaliter inuitatũ medio conuiuio
obtruncauit: Aliæ circa nemorosa Thessaliæ loca,
quæ Tempe dicuntur, à perfido hospite oppressum
existimarunt. Erat tunc Iacobus Tepulus Byzantij
prætor, qui quum cerneret Gallicas opes in Græcia
semifractas, cũ Theodoro Epirota, cuius opes quo-
tidie inualescebant, fœdus in quinquenniũ percus-
sit: & cum Turcorum rege in biennium. Robertus
interim Petri filius per Pannoniam & Mysiam Con
stantinopolim uenit: ubi cõfestim est imperator sa-
lutatus. Is ab initio cum Marino Michaële Byzantij
prętore, de cõmunis Imperij administratione mul-
ta & utilia agere cœpit: atq; in ea concordia libẽter
& studiose perseuerauit: adeo ut in omni præfatio-
ne (quod & alij qui eum præcesserant fecisse dicun-
tur) Venetum Ducem charissimũ imperij collegã
appellaret. Nec uana interim erat ea prædicatio,
quum ueteribus Gallorum opibus quotidie in Grę
cia se remittentibus, nec noua ulla in supplementũ
aliunde mitterentur auxilia, ad id uentum erat: ut
omne ipsius Imperij pondus Venetorum, nec alte-
rius gentis, opibus stare crederetur. Robertus uxo-
rem diuitis matronæ filiã, humili alioquin loco na-
tam, quę purpuratorum uni prius fuerat desponſa,
duxit uxorem. Is eam contumeliam ulturus, in Ro
berti domum cum hominibus suæ factionis, quæ
præpotens erat, impetu facto truncatis puellæ nari
bus, matrem recentium nuptiarum conciliatricem
mari mergendam curauit. Robertus irarum plenus
Romam profectus, multaq; de indigna coniugis in
iuria apud pontificem questus, quum Byzantium
rediret, in Achaia uita decesſit, Balduino filio ad-
modum puero relicto. Is Ioannis Hierosolymitani
regis filiam uxorem duxit: qui communi omnium
consensu generi sui adhuc pueri imperium tutan-
dum, ut quidam auctores sunt, suscepit. Cardinalis
interea, qui à pontifice ut in Syriam trãsiret, missus

erat cum ingentibus copijs, Ptolemaidem uenit. *Fuit eius expeditionis princeps Andreas Pánoniæ rex: qui ad traijciendas copias Venetorũ opera usus dicitur: quã ideo facile impetrauit, quia ius omne quod Pannoniæ reges ad id tempus in Dalmatia sibi uendicare consueuissent, Veneto nomini remisit. Damiatam Ægypti urbem, Nilo fluuio contiguam, ea expeditione ex hostibus captam habent annales quidam: unde triginta captiuorum milia abducta sint. Quid aliud memoria dignum ea expeditione sit gestum, non reperio.*

IN LIBRVM NONVM Epitoma.

CRetæ descriptio nono libro habetur: Cretenſiumq; rebellio: Veneti Malliaco comite ex insula eiecto, Cretam recepérunt: Insulani nobiles à Veneto defecerunt imperio: Candida urbs à Venetis alienata est: Cretenses post uarios belloru casus penè omnes in fidem redierunt: Noui insulanorum motus iterum Venetos reparare bellum coegerũt: nec multo pòst insula pacata est: Cretenses ad Ioannem Vatazum deficere: Auctores defectionis hostibus insula eiectis, merito supplicio affecti sunt: Exagonarum classis ante Byzantium à Venetis profligata est: Nec multis interiectis diebus eisdem fermè locis & Vatazana classis: Cum Genuẽsibus fœdus in nouem annos est ictum: Veneti in Fœdericum Imperatorem & Ecelinum terra mariq; arma cœpere: Genuenses Fœderici Imperatoris & Pisanorum classem circa Cyrnum insulam ingenti prælio superauere: Iadera quinto à Venetis defecit, nec multo pòst recepta est: Ducariorum comitiorum explicatio: Veneti Alexandri pontificis societate freti, Ecelino urbe eiecto Patauinis seruitutis iugum exemerunt: Ecelinus duodecim Patauinorum millia Veronæ trucidari iußit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARUM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER IX.

RETIÆ insulæ assidui motus, qui alij post alios cõtinuata penè serie diu rem Venetam sollicitam habuere, postulant, ut procul Italia adhuc paruper abesse uelimus: quod ut libenter faciamus, non solum materia quę uariarum rerum referta est: sed & ipsa insulę celebritas, quæ sanè terræ ipsius uetustatem arguit & amplitudinem, hortatur. Et ne quis rerum antiquarum ignarus, uetusti nominis inscitia erret: ea quidem Creta est, quam hodie Candidam, à recẽtioris nomine urbis quæ in ea est, uulgus, ut arbitror, appellat. Cretam Dosiades ab Hesperidis filia nominatam credidit: Anaximander à rege Curetum: Philistides & Crates Æriam primo, inde Curetim dictã tradiderunt: unde nomen ipsum postea factum facile suspicari possis: Eudoxus (nam de eius situ est aliquid breuiter dicendum) in Ægeo mari insulam ipsam esse existimauit: sed diligentiores diuersis æquoribus allui prodiderũt, Ægęo Cretico, Lybico, Ægyptio, ac Carpathio. Apollodorus longitudinẽ insulæ duodus millibus & trecentis stadijs constare credidit: quatuor millibus Arthemidorus ac centum, quæ ab occasu ad ortum longissimo tractu ex currat: quidam duo milia, nec amplius, fecere. Latitudinem uero inæqualem: eam Plinius nusquam quinquaginta passuũ milia excedere arbitratus est. Longitudinẽ ducenta septuaginta. Quingenta uero circuitum ipsum ac nonaginta. Est præterea insula sanè densa, ac tota fermè montuosa: ualles habet frugiferas: montes in occasum spectantes miræ altitudinis, Taygeto Laconiæ monte nihilo inferiores: in medio, ubi latissime panditur mons, Idæus surgit Cretensium omnium altissimus, de quo multa in fabulis. Ephorus antiquissimos incolas legibus à Rhadamãtho primum institutos tradidit, & ad urbes incolendas, & ad mansuetiores uiuendi ritus perductos: quem Minos secutus, & ipse legibus decretisq; in medium propositis, ad institiam seuerius colendam instituit. Antiquæ huius institutionis optimos primariosque Græcię populos, in primisque Lacedæmonios, sectatores æmulosq; fuisse idem auctor ac Plato crediderunt. Sed in peius omnibus, ut Strabo ait, mutatis: sanctior ille uiuendi ritus defluxit, moresq; omnino mutati. ipsa primo piratarum incursibus: inde interiecto tempore Romanis armis non uexata solum, sed etiam subacta, sub tãti imperij umbra aliquãdiu quieuit. Quo postea inclinante: quum Constantinus princeps illius maiestatem decusque omne Byzãtium transtulisset: cœpisseque nouissime quod unum fuit, bifariam imperium administrari, duosque habere moderatores, ut Græciæ rebus hic, ille Italiæ præesset: tum uero Graiarum partium semper habita: atque interim, barbaris armis non solum sollicitata, sed grauiter nonnunquã afflicta est. Recentissimis uero temporibus sublato Myrtilj imperio (quod breuissimum fuit) Græcis omnino adempta Venetorum rebus accesit. Verum ea est gentis natura, id nouarum rerum studium, ut in ea retinẽda diu Venetum imperium fuerit occupatum. Sed de motibus eius terræ hinc dicere incipiam. Inuidia, quæ felicitatis uestigio semper hæret, Genuenses Venetarum rerum æmulos iam inde ex quo Creta Hadriaco cesserat imperio, irritare cœpit, ut pro uirib. (quę per id tempus magnæ & amplæ erant) anniteretur eam Veneto nomini adimere. Vix igitur insula ullo firmata erat præsidio, quum illi per homines fugẽtis aliquot ad id nauibus instructis, eius terræ statum sollicitare cœperũt. Audito autem Leonis Vetrani casu, quem Veneti ignominioso mortis genere affecerant: tum Ligur adhuc magis irritatus, æmulatione in apertum odium erumpente, Cretẽses ut rebellarent multis hortationibus instigat. Quod ipsum quum paratum procederet, Malliacum Comitem ad turbandum insulæ statum perpulit. Ligusticis ille auxilijs fretus, uir ferox & ad omne facinus promptus, totam penè insulam breui in suam potestatem redegit. Veneti, quia ab initio decretũ erat uel magno reipub. incommodo Cretæ possessionem retinere, classem cum ualido exercitu decernunt. Fuerunt interea qui censerent, ea recepta omnes urbes, arces, & loca uel situ uel opere munita, solo æquanda: ostenderentq; ad hæc rationem cur ita fieri oporteret. Sed Rainerius Dandulus, ut presenti erat ingenio atq; opibus præpotens, quæcunque reciperent loca se priuatis opibus defensurum professus est. quæ uox ruborẽ omnibus imposuit, ne amplius quisquam retinendæ insulæ desperatione de urbiũ euersione ausus sit aliquid referre. Missa itaque classis, cui Rainerium ipsum præfuisse quidam annales habent: multi ex Cisalpina Gallia milites mercenarij, potius quàm auxiliares (uti ego existimo) in naues impositi. Post classis appulsum confestim Candax urbs, hac tempestate insulæ emporium & Metropolis, recepta est: inde reliqua oppida arcesque omnes. Malliacus Comes in quandam arcem ad extremum compulsus, & ad deditionem

nem sub conditione redactus, ex insula nouissime abijt. & iam Cretenses omnes in fidem redierant: quũ seditiosi adhuc quidam, Graij generis, omnia tumultu & seditione turbantes, statum insulæ nihilo pacatiorem esse sinebant. Rainerius ad eorũ motus comprimendos profectus transfigitur: cuius extincti corpus Candaci ad Georgij phanum postea est sepultum. Nunciata Rainerij morte, cõfestim ad insulæ præsidium cum sex longis nauibus totidéque onerarijs ad pugnam instructis mittuntur Iacobus Lõgus, & Leonardus Nauigaiosus: missus cum his & Iacobus Tepulus, quẽ ducaria potestate Cretensibus præesse uoluerunt. Raphael Zenus in Peloponesum ad Corones Methonesque præsidium: Iacobus (cui Lõgo cognomẽ fuisse diximus) haud longè ab insula tres Liguſticas naues, alijs non paucis in fugam uersis, oppressit. Et quia Græcorũ leuitate apparebat, insulæ statum nunquam in ocio futurum, nisi perpetuò quodam præsidio muniretur: placuit nouam in Cretam mittere coloniam: equites ex patricio ordine, ex plebeio pedites. Quibus in Candacem urbem, ac sparsim per totam ferè insulam transcriptis, prædia multa & ampla uiritim diuisa: quædam etiam in perpetuum concessa. quidam uero coloniam missam tradunt continuò ubi insula recepta est, ut proximo libro docuimus. Deducta nuper colonia, Hagiostephanitæ rerum nouarum cupidi, à Venero imperio defecerũt: (Erant hi inter Cretẽses & diuitijs & celebritate nobiles) ad primum defectionis tumultum Mirabellum Sithiãque occuparunt. Ad hos motus comprimendos Iacobus Tepulus Marcum Sanutum, magna in stipẽdium eorum quos duceret pacta mercede, ex insulis accersiuit. (Dixi in stipendium: Nam quam aliã mercedem cum homine Veneti sanguinis pacisci debuisset non uideo: siquidem quo nomine ea pacta sit, auctores quos uidimus non tradunt) Haud itaque magno negocio ex insula auctores defectionis eiecti, ac castella, quæ non multo antè occuparant, recepta sunt. Oritur interim inter ipsos duces discordia: qua fretus Seuastus quidam, uir improbus rerumque nouarum cupidus, occasionem obseruabat qua posset prouincię ocia aliquo motu turbare: atque ea reperta defectio ingens secuta est. Ferunt accidisse, ut parum tempestiue urbicæ annonę consulturn uideretur: quia panis, ut antea, uenalis in foro suo tẽpore non fuisset repertus. Nec cessauit in tanta occasione Seuastus, neque alij, qui præsentium rerum statum immutari uolebant: concita ab his multitudine primo ad Sanuti ædem cõcursum, quasi ad hominem eorum quæ fierẽt ignarum (Sed ita cum illi Sanuto conueniſſe multi crediderẽ) Verum ne ipse tam nefarij cõsilij particeps haberetur: neue studio nouarum rerum magis quàm necessitate arma à se capta putarentur: passus est in se, ut dixi, primum impetum fieri. sed mox ab eo in prętorium cum clamore procursum: urbsque momento temporis ab armatis ad hoc ipsum iam antea paratis capta. Tepulus, qui ubi ad rebellionem rem spectare sensit, in Marci Tonisci familiaris sui ædes ignoto habitu transfuerat: quia amissa urbe periculum sibi uitæ, si diutius in ea moraretur, instare non ignorabat: ex publico muro reste demissus muliebri amiculo opertus saluté sibi tacito digressu quęsiuit. Præceps fuga illum ad Themenum traxit, oppidum munitissimum: ubi quum se satis tutum fore putaret, ne nimis etiam celeri desperatione prouincia decessisse uideretur, locum nouo opere communitum retinere statuit. Tepulo urbe eiecto, tradunt quidam ex his quos sequimur, Sanutũ se defectionis furorisque alieni ducem præbuisse: patrię publicorumque in se beneficiorum oblitus ad insulam à Venero nomine alienãdam cum hominibus suæ factionis excurrit: Stephano Sanuto, necessario suo, ad urbis custodiam relicto: copijs & Græci & Itali nominis unà iunctis, & oppida & alia munitiora loca breui in suam potestatem redegit. Sunt quidam auctores, Themenum quoque cuò Tepulus se receperat, ab eo oppugnatum: oppidamque ab ipso duce & ijs qui illi interim in auxilium uenerãt, strenuè defensum. Non pauci enim mortales qui adhuc in fide perstabant, audita Tepuli ad Themenum fuga, eò ut illi subsidio esset confluxerãt. Themenensi obsidione soluta, intra paucos dies Tepulus Mõtem fortem & Lasithos recepit. In hoc statu res Cretenses erãt, quum Dominicus Quirinius, & S. Bethanius legati cum ingentibus equitũ ac peditum copijs ad insulam applicuere. Dux, qui ad eã diem nihil temerè metu hostis ausus fuerat (quippe quem se longe potentiorem nouerat) audito legatorum aduentu, qui præter copias quas fama erat in insulam adductas, arma, pecuniam, commeatum aduexisse dicebantur: in maiorem gerendæ rei spem erectus, Themeno cum his copijs quas secũ habebat, profectus, ad Apanosubrites, locum arduum ualdeq; ad rem gerendam opportunum, consedit, hic munitis castris castellum militari opere exerxit. Sanutus audita Tepuli ex Themeno profectione, & ubi illius essent castra, citato agmine ad eum ire pergit. Sed antequam in hostis cõspectum ueniſſet, ardui montis iugum quod castris immineret, transmisso per speculum quendam exercitu occupauit. Defixit parumper ducis animum subitus hostium aduentus: inde per exploratores factus certior, quantæ in Sanutanis castris essent copiæ. Cæterum auctus, uti ego arbitror, nouis auxilijs quæ sese insulanis iunxerant, haud multum cunctatus suos in aciem eduxit, continuò dimicaturus si per hostem licuisset. Sanutus contrà ratus quod erat, sedendo se uincere posse. nam præter quam quod sui ipsa locorum opportunitate freti, omnia Tepulanis infesta redderent: uidebat quotidie nouis auxilijs, quæ ex Candace urbe, atq; tota ferè insula mittebantur, suas copias auctum iri: cõtrà hosti omnia tempus iniquiora facturum: ita sanè, ut fame ferroque pereundum esset, aut omnino insula cedẽdum. Non latuit Tepulum quorsum hostis tenderent cõsilia: quem ubi ad pugnam elici non posse uidit, castellum quod nouiter erexerat, ualido firmat præsidio: ipse motis castris Themenum subito redijt: uti de non multo pòst tacito agmine profectus ad Candacem duxit: scalisque silentio noctis muro admotis, omnes copias sine tumultu, sine ullius cæde, in urbem transmisit. Qua recepta Stephanum Sanutũ urbis præfectum cum plærisq; alijs in uincula cõiecit. Eo nuncio perculsus hostis, ad pacem animum adiecit: quam his conditionibus à Tepulo impetrauit: ut deductis ex omnibus locis, quæ in insula habebat, præsidijs (tota enim ferè ora quæ à Milopotamo ad Spathæ promontorium est illius præsidio adhuc tenebatur) cum naui una longa & urseio uno, ac pluribus si ad traijciendas copias pluribus opus esset, ijsque non suis, sed mercede conductis, Creta relicta in suas insulas transiret. Hæc cum duce pactus, fide data acceptaque, militę in naues impositio, maturo digressu suum insularijs ociũ Sanutus restituit. Hæc ferè sunt quæ de secunda Cretensium defectione tradunt illi quos uidimus: quibus haud adduci possum, ut alio nomine id bellum quàm ciuile appellem: neq; ut credam Marcum Sanutum consilio Cretæ Veneris adimẽdæ arma sumpsisse: sed ut ducem ipsum, cum quo apertas gerebat inimicitias, tota insula ignominiosè depelleret. Etenim haud intelligo, quo consilio, quáue fiducia ille in suos ciues, in patriam: &, quod eum ante omnia à tanto scelere deterrere potuisset, in inuictum ad eam diem populum arma uertere uoluisset: quũ certo sciret, non modò non Cretam, sed ne illas qui

dem quas ad eam diem possederat insulas, Venetis in se armis uersis, aliquo se modo retenturum. Cæterum quid leuius fieri potuisset, quàm eorum hostes oppugnare, cum quibus se paulo pòst bellare statuisset. Non enim illum Maliacum Comitem ex insula eiecisset, si eam Venetis aliquo modo uoluisset adempram. Quin similius uero est, æmulatione quadam, ut fit, ac simultate quam post uictoriã cum duce exercuerat. Quando quidem uterq; studiosior altero, ac magis de republica meritus uideri uellet ad id bellum compulsum: ac tum demũ armis tentasse illum ex insula eijcere: quo pulso satis suã Venetis fidem probatũ iri existimabat, si eam suo præsidio defensam, pacatam illis restituisset. Sunt præterea aliqua, quibus adducor ut credam ita, ut diximus, euenisse: & quod postquam nouæ copiæ Venetijs in insulam missę sunt, quibus apparebat, se ut hostem reipublicæ peti: obstinato animo pugna abstinuerit: & quũ multa adhuc loca in Creta suo nomine tenerentur, facile tota prouincia cessit. Quod si hostili in Venetos fuisset animo, non deerat quibus uel suppliciter precantibus, eam insulæ partem tradere potuisset: sic hostem ex hoste quasi uersura facta Venetis comparare. Si qui inducti poterant, Genuenses erant, Venetæ gloriæ æmuli: sed cedere maluit magis publico ocio, quàm hosti Tepulo consulturus. Quidam scriptores in hæc tempora reijciunt memorabilem illam Ioannis Triuisani in Genuenses uictoriam, cuius proximo libro mentionem fecimus. Nec diu res Cretensium in ocio fuere: sed nouus motus, atq; eo, de quo nuper diximus, longe atrocior omnia turbauit: uerum res à paruo admodum principio orta tantum excitauit incendium, ut penè tota insula ea conflagrarit. Constans fama est, Petri cuiusdam Philareti consilio, Boreparitanæ arcis prefecti, aliquot nobilium insulanorum equos furtim abactos. Delata res ad Paulum Quirinum, qui tum dux erat: per edictum mandauit, ut ablata insulanis restituerẽtur. Quod ipsum quia nõ tam cito, ut illi uoluissent, est præstitum: Græci quasi aliqua maiore iniuria moti, Petri Scordili, cuius abacti equi esse dicebantur, ductu, ingentem ex Reparitano agro prædam abduxere. Præsenti itaq; tumultu freti Cretenses nouarum rerum cupidi, cõtinuò ad defectionem spectare cœperunt: ac breui quicquid à Milopotamo ad occasum insulę est, à Veneto nomine defecit. Dux ad subitos Græcorũ motus cohibẽdos Petrum Thonistum & Ioannẽ Grittum ultra Milopotami scalas cum ualido mittit exercitu. Hos per Pśuronensem saltum inexplorato ducẽtes, Cõstantinus Seuastus & Theodorus Mellisinus cum non parua Græcorum manu insidijs excipiunt, exceptos fundũt, fugantque. Magna Venetorum cædes ædita ab ijs, qui locorum periti in territos, ac iam subito metu temerè palatos, grassabantur. Ceciderunt in eo loco Ioannes Grittus ductorũ alter, uir impiger, ac sanè strenuus: Nicolaus Balaster, Marcus Bonus, Andreas Thealdus, & Vendraminus Aquileiensis: multi præterea cum his obscuri nominis milites. Pauci quidẽ abiectis armis, per deuia & abrupta loca ex tanta cæde dilapsi ad Quirinum uenere: cui non multo pòst Dominicus Delphinus successit: quo duce pax secuta est inter Venetos & Græcos. Ad quorum ingenia beneficio aliquo delinienda, quædam citra Mussetam fluuium ad occasum, Seuasto & alijs defectionũ auctoribus possidenda sunt data. Prędia quædam in insula esse constat, quæ equestris militiæ nomine emeritis tradantur, insulani Caballarias uocãt, earum quasdam Græcorũ principibus tempestate illa concessas: alias postea Theodoro & Michaëli Mellisinis in fidem receptis datas reperio. Et hæc Ciano duce domi foris; gesta: qui quum annos duos & uiginti rempub. administrasset: essetque iam ob senectutem publicis negocijs parum omnino utilis, sponte se magistratu abdicauit: atque intra paucos dies ad Georgij phanum, quò religionis causa transuerat, feliciter uita decessit. Eius corpus in paterno sepulchro conditum. Iacobus Tepulus in demortui locũ quadragintauirali suffragio suffectus. Huius quoq; principatu res in Creta parum quietæ fuerunt: de quibus pergam breuiter dicere, priusquam ad alia quę ipsius auspicijs domi foris; sunt gesta, transeamus: nimia Venetorum in Cretenses indulgentia effecit, ut Græcorum ingenia (quæ ingenita quadã leuitate laborare creduntur) non modò non obsequentiora Veneto sint facta imperio, sed longe etiã infestiora. Non utitur prauum ingenium aliena patientia, sed abutitur: nec obsequio ullo aut gratia mouetur, sed seueritate potius & supplicio. Multa igitur peccandi licentia omni pudore abiecto, Scordili in primis & Mellisini omnia latrocinijs infestare cœperunt, rapere iam apertè, spoliare, grassari, nihil rerum relinquere cuiquam, & iam omnia cædibus & rapinis compleuerant: quum ea rerum indignitate Dux commotus continuò Cretensem militem cõscripsit. Misit & ad Marcum Sanutum, ut ad tollendos ex insula latrones, eosdem perpetuos hostes, cum quàm maximis posset copijs in Cretam transiret: Insulanos dicere ad apertam defectionem spectare: quorum consilia nisi subito armorum terrore opprimerentur, fore ut paulo pòst tota insula à Veneto alienaretur imperio. Tum ille in tanto reipub. discrimine haud cessandum ratus, armis repente sumptis in Cretam transmisit: ibi ad cohibendos hostium motus opportũno loco oppidũ fundasse dicitur. Ea re territi hostes, nihil tamen ex sua pertinacia remittentes, ad Ioannem Vatazum (qui Lesbum insulam in Ægęo mari habebat, quiq; nõ pauca alia Imperij loca ad eam diem armis occuparat, adeo ut se iam pro Græcię Imperatore gereret) mittunt: cui per legatos insulæ principatum electis Venetis promittũt, si tempestiua sibi mitteret auxilia: atque ea ipsa tam ualida, ut ad eijciendum hostem satis essent uiriũ suffectura. Erant ea tempestate Vatazi opes haud contemptibiles: quippe quem Hexagonarum rex (qui circa Ponticum mare se quoq; Græciæ Imperatorem nominabat) nouo fœdere, nouaq; affinitate sibi iunxerat: eo consilio, ut Byzantij imperium cõmuni nomine oppugnarent. Ægre tulerat illud, quod Rubertus adolescens Petri Imperatoris filius, purpuratorum quorundam consilium secutus, affinitatẽ Hierosolymitani regis (qui præter nomen nihil ex tanto regno retineret) suæ prætulisset. Tres igitur & triginta longas naues in Cretensium auxilium Vatazus mittit: sub hostium appulsum Marcus Sanutus, pecunia, ut dicitur à Vatazo corruptus, cũ omnibus copijs insula excesit. Tum Vatazanæ classis præfectus ad urbium oppugnationem conuersus, Marco Quirino ad deditionem compulso Rithymnam recepit. Quirini deditionẽ secuti Margaritus Fuscarenus, Milopotamũ: Conradus Milenius, castrum nouum hostibus tradidere: nec ad primum eorum conspectum facta est deditio, uerum aliquandiu oppida ipsa prius oppugnata sunt, quã dedita. Cataldus Auenalis, qui Castellum quod Bonifacij dicitur, cum ualida manu iniuerat, præsidium & oppidum impigre tuebatur: quum ducis interuentu, qui ad suos obsidione leuãdos tacito agmine ex Cãdace mouerat, hostis inde abire compulsus est: operibus bellicis haud paucis relictis. Et quia non tam facilis uictoriæ cursus apparebat, quàm insulani ab initio erant polliciti: uideretque Vatazanæ classis præfectus, bellum in dies sibi & suis magis quàm Venetis fore laboriosum: constituit insula abire. Impositis itaque suis in naues quas ex Lesbo duxerat, relicta Venetis Creta repente in altum abijt. Ea classis postea quantacunq;

cunque fuit, ad Cythera insulam fœdissima tempestate iactata, præter tria minora nauigia, tota fluctibus absumpta est. Nicolaus Mutatius, & Marinus Marini cognominis, qui spe pacis legati in Græciã nauigabant, & ipsi naufragio periere. Nicolaus Tonistus dux, qui Ioanni Storlato successit: & Bartholomęus Gradonicus, qui eius successor fuit, aliquot oppida receperunt. Nicolaus Seuastus & Michaël Mellisinus, defectionis malorumq; omnium capita, Gradonici ingenio in fidem & ipsi redierunt: datum illis quicquid soli est à Petræa fluuio ad Actim, his conditionibus: ut quotannis libras cęræ quingentas aureo diui Marci phano inferrent: Veneto duci laudes canerent: aduersus rebelles assidue militarent, quoad in fidem redijssent. Qui autẽ ad eam diem imperium non receperant, illi sanè erant, qui sedes à Petræa ad Summonium promontoriũ accolunt. Moritur interim Gradonicus: morte cuius insulæ administratio à legatis suscepta est: singulis ducibus duo legati dabantur: quo nomine ea tempestate in insula erant Ioannes Ardizonius & Marcus Molinus. Hic dum Sithiam maritimum oppidũ obsideret, repente ex alto naues longę duo decim conspectæ, quæ plenis uelis in insulam proras uerterant: eas Ioannes Vatazus mittebat in eorum auxilium, qui à Venetis oppugnabantur. Molinus ueritus, ne si classis in portum decurrisset, fretique nouo præsidio oppidani subito eruptionem facerent, suorum præsidium restituere non posset: uel si fortè Candacem classis cursum detorsisset, aliquo casu occuparet. Soluta obsidione cõtinuò cum omnibus copijs ad urbem uenit: Ardizonio cum nauibus, quæ ad hos casus in portu paratæ erant, misso qui uenienti hosti sese si è republica id factum uideretur, obijceret. Interim Vatazani Sudæ portum tenuerunt. Eò Venetæ triremes subito delatæ, hostem iam portum tenentem, tumultuose inuadunt. Expediunt continuo sese Græci ad pugnam, (quod ipsum quia præ loci angustia non satis commode fiebat) tormentis bellicis, omniq́ue telorum genere procul arcent inimicam classem. proximi accolę, qui sub primum tumultum prę sto suis affuere, rem Græcam non mediocriter iuuerunt. toto nanq; littore oppidani, & reliqua agrestium manus, aderant, Venetum misilibus incessentes. Protracta erat in meridiem pugna, quum Ardizonius legatus grauiter uulneratus cani iussit receptui. Erat in animo Venetis, postridie in pugnam redire: quod Græci ueriti, silentio noctis portu egressi in altum abiere. Dum hæc à legatis geruntur, Angelus Gradonicus dux in insulã applicuit. Huius auspicijs Subrites in fidem his conditionibus redierẽt ut uiuos traderent: aut si id minus præstari posset, obtruncarent Emanuelem Dracontopulum cum Constantino eius fratre, defectionum auctores: & quibus saluis apparebat insulæ statum nunquam in ocio futurum. Cæterum ut Calotheti & Anatholici, qui genus ab antiquis Græciæ imperatoribus se ducere gloriabantur, exules essent: trigintaq́ue Subritum familiæ illustres Bonifacij oppidum incolerent. Atque ita Cretensium rebus compositis, illi qui oppidum tenebãt quod Nicolai dicitur (erant enim adhuc in Creta Vatazi prę sidia) deditionem fecerunt. Sed iam tempus est, ut ex Cretensibus rebus ad alia transeamus, quæ per hæc tempora & in Græciæ cõtinenti, & circa ipsas insulas gesta dicuntur: quæ ut his maiora fuere, ita grauiorem Venetis curam iniecerunt. Nam ex quo nouum fœdus, nouaq́ue, ut uulgo ferebatur, affinitas Hexagonarum regis & Ioannis Vatazi cognita est: quos rumor erat communi nomine Byzantij imperium totis uiribus oppugnaturos. Motus ea re Ioannes Hierosolymitanus rex, Byzantij gubernator, circumspicere cœpit, quo consilio, qua arte, quibus uiribus commissum sibi tueri posset imperium. Apparebat præter Venetos nemi nem esse, à quo subsidia ulla sperari possent. Continuo igitur & ipse, & Theophilus Zenus, qui per id tempus Byzantij prætor erat, ad Tepulum ducem mittunt: qui eum doceret de nouo duorum potentissimorum principum fœdere, qui uulgo dicerentur in se arma comparare: opus proinde esse nouis auxilijs, & in primis celeritate: cuius maxima esse soleant in bellis momenta: dicere, se pro comperto habere, utrunq; in magno apparatu belli esse occupatum. Maturarent igitur Veneti opem ferre, si sibi Byzantium defensum uellent: neq; auxilia tantum, sed ea etiam expedirent, quæ ad arduum bellum sustinendum necessaria crederentur: nec cunctationis opus esse: ne si, quod nollet, hostes subito incursu opportuna gerendo bello loca præoccuparent, suis sociorumque rebus perditis, quum uellent, subuenire non possent. Haud ociosis autibus eum ciuitas accepit nuncium, rei periculo commota: continuo igitur classem decernit non paruam: quinque & uiginti triremes paucis diebus instructæ: Leonardo Quirino & Marco Gussonio præfectis portu eductæ, celeri nauigatione Byzantium petebãt. Quum nunciata est interim urbis obsidio, ualida hostium classis circa eam esse dicebatur. Tum eo nuncio perculsi triremium præfecti, maiore quàm antea studio, ne quid interea mali urbi accideret, Constantinopolim ire pergunt. Præerat hostium classi Leo Gauala, homo rei maritimæ non ignarus: is audito Venetorũ aduentu, mutata statione eò classem applicuit, ubi terrestres copiæ (nam à continenti quo que iam urbs oppugnari cœperat) castra habebant. Sed nec id quoque hostium consilium Venetum à congressu deterruit, quin sub ipsum statim appulsum ferociter in Græcã sit classem inuectus. Quod ipsum tanto ardore dicitur factum, ut momento temporis quatuor & uiginti triremes, reliqua classe disiecta, in ipso tumultuantium hostium conspectu oppressę sint. Victor Venetus in urbem obsidione leuatam ingressus, ingenti ab omnibus lætitia excipitur: sed longe maiore à suis ciuibus, qui urbẽ incolebant. Quibus confirmatis, iusisque inde bene sperare, quando re Veneta incolumi, ipsi quoque incolumes semper futuri essent: paucis diebus morati Italiã uersus inde abiere. Victrix classis Venetias celerius spe omnium reducta, ingentem ciuitati attulit lætitiam. Gratissimum fuit audire, suos ciues præsenti periculo leuatos: sed non minus gratum, tam celeri cursu uictoriã ex superbissimo hoste relatam, qui penè prius uictus fuisset quàm uisus. Sed nec uictus ille quiescere potuit. Siquidem Vatazus ex altera parte (nam priorem illam ex ora Pontici maris ab Hexagonarum rege missam tradunt quidam) quinq; & uiginti longarum nauium instructa classe Byzantium denuo obsidere pergit. ingens nauigiorum uis illis addita: sed quantumlibet magna fuerit classis illa, non tamen deterruit Ioannem Michaëlem, tum urbis prætorem: is tribus sexdecim fretus, quæ ad præsidium urbis in portu ad hos casus paratæ erant, in hostium stationem impetum fecit. Eum ferociter inuectum Vatazana classis haud diu sustinuit: turbati hostes continuo fugam circumspectare cœperunt: mox apertè inclinante fortuna, haud dubia fit fuga. Decem naues captæ, reliquæ fusæ fugatæque uictoriam Veneto, urbi apertum mare reliquerunt. Soluta obsidione Vatazus graui morbo implicitus, haud multo pòst Nimphæi uita decessit: Theodoro filio relicto, quem ille ex Theodori Lascaris filia tulerat: quam uirginem & ipse adhuc iuuenis duxerat uxorem. Sunt qui præter naues ad Byzantium captas unam & uiginti, alias in angustijs Rhodiaci maris hostibus ademptas dicant, in quibus aliquæ Syriæ mixtæ fuerunt. Cum Genuensibus in nouem an-

nos pactæ sunt inducíæ, Gregorio Rom. pontifice id petente: qui quum Fœdericum imperatorem parum amico in se animo esse sciret, haud mediocriter suis partibus conducere existimauit, si duos potentissimos Italiæ populos ab armis ad pacem retractos aliquo sibi officio deuinxisset. Ferunt ob id ipsum Gregorium à Venetis petiuisse, ut legati ad se mitterentur, qui de pace cum Genuensibus agerent. Quidam Stephanum Iustinianum & Marianum Maurocenum missos: alij Ioannem Cornarium & Paulum Molinum tradunt. In Lugdunensi conuentu rem agitatam auctores sunt quidam: alij uero Romæ de inducijs actum affirmant. Inter multas conditiones quibus utrisque est cautum, illud in primis expressum: Ne his uel illis liceret nouos hostes aut socios accipere: nulli bellum inferre: aut cuiquam auxilia præstare, nisi id communi consilio fieret. multa & magna his à pontifice anathemata irrogata, qui neglecto fœdere aliter quàm in conditionibus esset expressum, fecissent. Blondus Forliuiensis ait, id fœdus prius percussum, quã Veneti Byzantium obsidione leuassent: atque ideo creditos contra fœdera fecisse: unde postea ingens bellum inter utrunque populum sit ortum. Sed miror, illum & alios qui id crediderunt, non aduertisse, Venetos & potuisse, & rectè fecisse, quod aduersus Hexagonarum regem & Ioannem Vatazum arma cœpissent suarum rerum oppugnatores. Nam & Byzantij ius quęsitum Veneti habebant, ubi publico nomine eorum erat magistratus. Cæterum & colonos habebant eò ab initio missos: quibus suorum ciuium fidem implorantibus, tam impiũ fuisset in tanto discrimine nõ succurrere, quàm quod uis sanctissimum fœdus uiolare. Leuarunt Byzantium obsidione Veneti, quia & decuit, & oportuit eos ita facere. Nulli non enim fas est rem suam, ubique, quum posit, & semper, tueri. Tam inhumanum creditur, prohibere quenquam ne à se iniuriã propulset, quàm iniuriam inferre. Nec Genuenses ipsi, siquis eorum res oppugnatum uenisset, non prius sumpsissent arma, quàm Venetos, an ita uellent iuberentque, consuluissent. Accedit ad hæc, quod Genuenses dolo malo eo fœdere cum Venetis egisse & uideri & credi potuerunt: quippe qui rati fore ut Venetos præsenti fœdere quasi uinculo aut cathena quadam deuinctos, tam diu ab auxilio suis ferendo consultatione, simulatoque belli apparatu remorarentur, quoad hostes, quos ipsi ad id bellum forrasse compulerant, Byzantium occupassent: in quam socordiam quia Venetum trahere non potuerunt: rem quasi ita esset, ut uiolati fœderis incusari possent, eleuare cœperunt. Sed tantum abfuit ut Gregorius pontifex, qui inducíarum auctor fuit, crediderit quicquam perfide eo tempore à Venetis factum, ut in eorum societate pertinacissime perseuerauerit. Quid quod & ipsos quoque Genuenses reperio, per hæc ferè tempora, aut certè non multo pòst, à Venetis aduersus Pisanos & Fœdericum imperatorem opem, uelut à fidis socijs imploraſſe: atque benigne præbitam. Sed de his alio loco. Gregorius pontifex ab initio icti fœderis Venetos Genuensesque atque omnem Italiam ad arma capienda hortatus pro tellure sancta armis retinenda dicitur: atque rem facile tranſigi potuisse, quandoquidem nemo fuisset qui non benigne id se facturum pollicitus esset: sed immatura mors põtificis tam opportunam expeditionem discussit. Fuisset ea tempestate & cum Patauinis secuta pax, iam diu multumque per legatos citro ultroq; missos tentata: sed atrox tyrannis, quæ urbem ipsam per id tempus adorta est, rem penè confectam, ac ob id quod accidit non adeo necessariam, turbauit. Ecelinus, homo obscuro loco natus, quippe qui auum eiusdem nominis ex Germania habuit gregarium militem, Orthonem tertium in Italiam secutum, à Fœderico secundo (cuius fuit perquam simi lis) opibus & auctoritate auctus, tyrannidem sibi in Italia immodicam quæsiuit. Eo itaque tempore quo Fœderici arma aduersus Romanum põtificem magna Italiæ parte uagabantur: uel in primis in ipsa Cisalpina Gallia, in qua pleraſque illustres urbes uarijs cladibus affiixere: nec ullam belli aliam prętensam ab initio causam reperio, nisi quod in ea discordia, quæ inter Gregorium pontificem & Fœdericum orta erat, hę ciuitates non ut aliæ alterius, sed neutrius partis censeri uoluissent. Ecelinus magnis pollicitationibus Patauinos adortus: & in primis facta spe retinendæ libertatis, eò ciuitatem perpulit, ut Fœderici partium haberi paterentur. Quibus honesta seruitutis confesione expressa, continuo ille frenum iniecit: iugum indomitæ ad eam diem ceruici imposuit, amarissimaq; cœpit premere tyrannide. Tum uidisses nobiles uiros, alios ad supplicium trahi, alios in uincula adduci: hos damnari, illos in exilium agi, fortunas diripi: puellas ingenuas, nobiles matronas ad stuprum rapi: omnia infanda, & quæ à superbissimo uictore in captiuos edi solent, à nouo principe in miseros Patauinos edebantur: multi metu uoluntarium sibi exilium conſciuere: plures fortunis omnibus spoliati, exterres cum uxore & liberis eiecti, Venetias tanquã ad unicum libertatis domicilium confugerant. Interim quum omnis ferè Cisalpina Gallia Fœderici armis streperet, aiunt Petrum Tepulũ, Veneti principis filium, ad Cortem nouam cum Mediolanensium cohortibus, quorum prætor erat, aduersus Fœdericum parum secundo prælio dimicasse: cladeque non mediocri accepta, cum non paucis uiris illustribus in hostium potestatem uenisse. Eum in patris ac Veneti nominis inuidiam (cui iam antea magnopere infensus erat uictor hostis) Pisas primo, inde in Appuliam misit: ubi miserabili modo trucidatum ferunt: uerum cur in eam terram obtruncandũ ablegauerit hostis, auctores non tradunt. Ego uerò in Appulorum gratiam puto id factum, qui per id tempus à Ioanne Tepulo ipsius Petri fratre multis cladibus fuerant affecti. Miserant Veneti Romano pontifici gratificaturi, cum quinque & uiginti longis nauibus Ioannem Tepulum in Appuliam, ad eius terræ urbes oppugnandas quæ in Fœderici fidẽ uenerant. Sub Tepuli accessum classe quæ ad præsidium eius oræ erat, disiecta, Thermolas Venetus occupauit: inde Campum Marinum: mox & Bestigem. Sed dum captum oppidum diripit atque euertit, nunciatur Cæteam (nauim ea tempestate nobilissimam, quæ mille uiros ad pugnam instructos habebat, quæque Fœderico aperto mari militabat) Siponti portum intrasse: eò Venetæ triremes repente aduolant, nauimque iniquo loco adeptam, tumultuose adoriuntur: nec maiore negocio in potestatem suam redactam uictores diripiunt, direptam subiecto igni in hostiũ conspectu comburunt. atq; ob hæc credibile est, Petrum Tepulum Appulis nec candum à Fœderico traditum. Dum hæc foris gerũtur, aut certè circa hæc tẽpora, aliqua ad ciuitatis regimen attinentia instituta dicuntur: Forũ in primis petitionum, cum tribus iudicibus qui in eo causas cognoscerẽt. Veteres leges & instituta ciuitatis diligenti examinatione recognita: ac nõ tantũ recẽtiore decreto sancita, sed diligẽtiore etiam formula in aliud uolumen perscripta. Quidam in hæc tempora reijciunt secundam illam Ioannis Michaëlis pugnam, qua numerosam Vatazi classem ad Byzantium paucissimis triremibus fretus profligasse dicitur. Fœdericus post pugnã illam quam secũdo marte ab eo ad Cortem in Mediolanensi agro pugnatã diximus, in qua Petrus Tepulus in eius potestatem uenerat, Patauium iam antea ab Ecelino crudeli tyrannide

rannide oppressum profectus est. Hic quum fortè paschales celebraret ferias, allatum est, Romanum pontificem paucis antè diebus, ipsum, & omnes qui eius signa sequerentur, aut opem aliquo modo ferrent, à piorum cœtu anathemate excluſisse. Quo nuncio consternatus, in Venetos fines quasi phanatico furore instinctus, continuo mouit, atque ad Hilarij ædem (ubi Ecelinus aliquãto antea turrim Venetorum oculis obiecerat) progressus, subito impetu inde auersus, Bebiacam turrim ad dextram flectens citato agmine petijt. Turris ob inaccessum locum aquis omnia ferè tenentibus, tantisper à præsidio quod illic erat defensa est: donec magna uis leuium nauigiorum in subsidium missa, Patauinos interuentu hostem cedere coëgit. Sed expeditionis huius in Venetos non unam apparet fuisse causam. Nam & iniuriam in cętea naui acceptam, à se ultam Fœdericus uolebat: & Veneti Romano pontifici fœdere se iunxerant. Sed illud fortasse magis ac magis Barbarum mouerat, quod Patauinorum exulũ uis ingens Venetijs per id tempus erat: quibus tam proximo loco agentibus apparebat, Patauinæ urbis statum eum, qui tum esset, haud diutius futurũ: idque eo propius fidei mihi uidetur esse, quod ille non multo pòst Patauio profecturus prælantissimum quenque ciuium per speciem militiæ procul urbe ablegauit. Genuenses per hæc tempora ex fœdere à Veneris petiere, ut classem sibi quamprimũ in auxilium mitterent: significantes rescisse se Pisanos suis Fœdericique opibus fretos supra centum in se triremes instruxisse. Nec rem ullam pati dilationem dicere: pro comperto se habere, hostem nõ multo pòst affuturum: cum quo sine sociorum classe dimicatum nollent. Veneti triremibus sexaginta instructis, Andream Tepulum (hunc quoque ducis filium fuisse reperio) triremibus præfectum cõfestim opem socijs ferre iubent. Is prima uelificatione Polam delatus, urbem ipsam, quia suam triremem non dedisset, imperata pecunia, & muro aliqua ex parte diruto mulctauit. Prospera inde usus nauigatione Dyrrachium uenit: quò allatũ est, Fœderici Pisanorumque classem circa Cyrnum insulã à Genuensibus superatam. Eo nuncio accepto Andreas Polam retro cursum conuertit. Cognouerat enim, post suum inde digressum à Venetis defecisse: subitoque accessu recepit, receptam diripuit, direptam incendio uastauit. Iadera quoque, ne ciuitas quandoq; in ocio esset, & ipsa non multo postquam classis domum reducta fuerat, quintò à Veneto imperio defecit: Ioanne Michaële, qui tum ubi præerat, electo. ualidissima classis ad eam recipiendam confestim decernitũr: quinque & quadraginta naues instructæ: quarum uigintiquinque longæ, reliquæ onerariæ fuere. Rainerius Zenus classi præfectus est. Traiectis in Dalmatiam copijs ciuitas totiẽs rebellis obsidione cingitur, duobus mensibus urbs oppugnata, demum post multos conatus uicta eorum pertinacia Iaderenses deditionem fecere: quibus receptis placuit legatos ad Pannoniæ regem mitti. Stephanus Iustinianus, & Petrus Dandulus missi. Hi cum Bela, ut quidam tradunt, rege egerunt, ut ius omne quod ille & alij reges in ea urbe sibi uendicassent, Veneto nomini remitteret. quod ipsum quum à Barbaro impetrassent, ut ratum perpetuumque haberetur, rescripto constare uoluerunt. In hoc statu erant res Venetæ quum Tepulus princeps uita decesit: anno sui ducatus uicesimo circumacto, in æde diuorum Ioannis & Pauli gemellorum fratrum honorificentissimè est sepultus. Marinus Maurocenus nouo, ut quidam tradunt, electionis genere Tepulo surrogatur. Quæ créandi ducis ratio ad eam diem seruata esset ostendimus (fuit enim omnino simplex) & quę (si uiri illi qui ea tempestate fuerunt, non omnino ambitione caruissent) facilè peccandi cuiuis occasionẽ præbuisset. Quæ deinceps secuta est, ueteri illa longè cautior: & quo cautior, eo magis diuersa. Nanque omnium primum quum nouus dux creandus est: priusquam ordo ullus lectorũ sorte ducatur: quinque uiri ad hoc ipsum creati, futuro duci leges publico nomine præscribunt: quæ tum exillius dignitate, tum uel maximè è republica esse credantur: eas supremum concilium sciat necesse est: & quas sciuerit, probet. Si igitur probauerit, tum ijs patricij ordinis comitia indicuntur, qui trigesimum annũ uitæ attigerint. Hic tot minutissimę pilæ in urnam unam conijciuntur, quot intra curiæ parietes censa fuerint nobilium capita. His triginta aureæ temerè miscentur: ita dico, ut omnes unà mixtæ ciuium numero respondeant: ne plures pauciorésue quàm ab initio censi fuerint, reperiantur. Mox ordine cirati singuli singulas educunt: atq; ij qui aureã sortiti sunt, in proximum conclaue deducuntur: & hæc prima triginta pilarum sortitio nominatur. Hic rursus pro numero eorum qui sorte ducti fuerant, triginta pilæ, quibus nouem aureæ insunt, in unum conijciuntur: atque nouem illi qui aureas eduxerint, quadraginta uiros suffragio legunt: quo fit ut hi primæ lectionis lectores dicantur. Quadraginta illi suffragio creati, totidem pilis, in quibus duodecim aureæ miscentur, in unum coniectis in sortes recidunt: ex hoc numero duodecim illi qui remanserint, secundi lectores nominantur. Ab his quinque & uiginti creantur uiri. Hi nouem aureas pilas: reliquas pro numero albas in sortem coniectas educunt. Nouem illi qui aureas sorte duxerunt, quinque & quadraginta uiros suffragio legunt: qui ad sortes reuocari, undecim aureas ex omni numero educunt: quas qui eduxerint, ij demum unum & quadraginta uiros creant: qui ducem summũq; urbis magistratum legunt. Lectionis huius ducariæ rationem (quia apud eos quos sequimur, nihil de ea scriptum reperio) fateor me ex Benedicto Triuisano totam cognouisse, quem ad Veronæ præfecturam exeuntem ex Venetijs secuti fuimus. Ab eo itaque (nam sæpe unà fumus, eiusque sermone uehementer delector) accepimus: unũ & quadraginta uiros illos ducariæ lectionis auctores in ea parte curiæ claudi solere, ubi penè quotidie senatus habetur. Tum ibi sub primum ingressum trés ex omni numero, qui annis & auctoritate præstare credantur, totius collegij principes creati, quos ipsi inter se priores appellent. Inde aliquanto digniore his loco quàm reliquis constituto, diuiditur ipsum conclaue quadrifariam, ut sint loca unde nominatim suffragaturi citentur: qua parte esse uelit fas est unicuique optare. Ex qualibet igitur illarum partium (nam ita haud multum refert) uocati ad conspectũ illorum trium suffragatum ueniunt: singuli complicatas schedulas habentes, in quibus nominatim exprimunt quem ducem uelint creatum iri: eas in unum conijciunt locũ. ubi uero omnes retrò abiere, scribæ duo qui senioribus illis assistunt, ipsis spectantibus perspiciunt, quot numero cuique suffragati sint. Tum illorũ nomina quibus suffragia quęsita sint, in pileum demissa sorte educuntur: & ut quotoquisque loco fuerit eductus, ita ordine cum suis suffragijs notatur. Sed hæc ipsa suffragia non tam conferunt ad ducis creationem, quàm ad dispositionem animorum percipiendã. Redactis itaque in ordinem nominibus, & rursus in unum cõiectis: tum pro eo, cuius nomen primo fuerat sorte eductum, suffragia citãtur: ipse interim in proximũ penetrale cogitur abire. Verùm priusquã illa ineantur, quæritur ab ijs qui adsunt: an quisquam sit illi pro quo citentur ad suffragiũ, aliquid obiecturus: fitq; potestas omnibus liberè quid de eo sentiant loquendi. Tum si quis est qui aliquid ei obijciendum

puteт,in medium procedit,omnia dicit, quibus ille indignus uideri posit,cui amplissima urbis dignitas deferatur. Hic quasi reus ex penetrali in conspectũ productus,iubetur ea diluere,si poteſt,quæ obiecta sint:atq; ubi id fecit,in pristinum conclaue reducitur.Hinc rursus quæritur, an sit qui in ea quæ ille dixerit,denuo sit aliquid dicturus:atq; ita quotiens obiectum fuerit aliquid, sit ei diluendi potestas:sed una,aut ad summũ duabus actionibus rem ipsam transigi solere accepimus. Post nouissimam igitur purgationem pro eo uocata suffragia ineuntur:atq; in duos calices,assensus & negationis indices,pilas certis characteribus notatas, ne qua fraus inesse posit, demittunt: numerantuŕq; diligenter suffragatoriæ pilæ:quæ si quinq; & uiginti numero fuerint,ille pro quo uocata sunt suffragia, declaratur princeps:si pauciores,pro eo citatur cuius nomen secundo loco fuerat sorte eductum. In hunc quoq;,ac deinde in reliquos,fas est cuique ea quæ sentiat dicere: atq; rursus illi sit obiecta refellendi potestas.Is quoq; si suffragiorum numerus quadraverit,princeps erit:si minus, ad tertiũ ueniatur necesse est:sic deinde ad quartum & reliquos in orbẽ. Raro ait euenire solere,ut ad pristinum hoc scrutinium non Ducis creatio sequatur: quæ si fortè non secuta fuerit,antiquatis prioribus suffragijs, rursus noua pro ijs qui in conclaui sunt,inire incipiunt: ea uidelicet ratione, quã proximo loco expressimus: idq; toties fit,quoad noua principis contingat declaratio.Hæc habui quæ de principis creatione sub grauissimo auctore referrem:ad quod ipsum dicendum,ne alicui à nostro instituto alienum fecisse credamur,consultò uenimus:tum ut omnes intelligerent,quæ olim fuerit,queq; nunc sit apud Venetos creandi ducis ratio:de qua sæpius ad hunc locum diximus,ac quum opus erit dicemus : tum quia hoc lectionis genere primum omnium Mauroceni ipsum creatum reperio. Verùm siue tunc, siue posteа,quod nonnulli affirmant,ea lectionis formula in usum uenerit:satis constat,iampridem summum Venetijs magistratum in hunc modum creari. Sed nunc ad Mauroceni redeo administrationem : quo principe Philippus Fontana Rauẽnas antistes, Gregorij,ut quidam tradunt:ut alij, Alexandri Romani pontificis legatus Venetias uenit: ubi diuinis armis usus cœlestis uitæ præmia proposuit omnibus qui arma aduersus Ecelinum tyrannum, Romanæ ecclesiæ hostem iudicatum,secum sumpsissent.Premebat is graui obsidione Mantuam : ad cuius opes euertendas, constituit Philippus loca quæ ille occupauerat,quibuscunq; posset copijs infestare. Nõ pauci mortales ad tam piam expeditionem magno præmio euocati, Venetias ad illum confluxere.Sed Venetorum opes rem in primis iuuerunt. Siquidẽ præter ingentes copias, quas Philippo dedere arma,naues,commeatus, & quicquid gerendo bello oppugnationibuśque locorum usui futurum putabant,in castra comportandum curarunt: atque ita primum ex Bebijs (in quem locum ut conueniret, edictum erat militibus)mota in hostes castra,Corregiolaḿque subito admota.Huc Ansedinus, Ecelini ex sorore nepos,Patauij prętor,cum aliquot cohortibus occurrerat. Is quum ab initio resciuisset quæ Venetijs facta essent, Brenta fluuio Bachilioneq́ue proprio cursu auersis stagna,quę illorum refluxibus circa ea loca fiunt, cohibitis : in proprium alueum aquis exiccanda curauit, ne esset qua Venetorum nauigia exercitum in continentem exponerent.Reddidit res ipsa aliquanto impeditiorem nauigationem.Nam ubi ad Corregiolæ ostium uentũ est,essetq́ue antiquus alueus penè totus aquis deletus,ut maiora nauigia nullo modo ferret : minores lembi lintresq́ue ut adhiberentur, necesse fuit. His sagittarij primo,qui hostes aduersam ripam tenentes summouerent : inde reliquæ in continentẽ copiæ expositæ:tum in Saccenses ductum.Horum oppidum Ansedini præsidio, à quo antea erat initum,impigrè est defensum. Rauennas antistes soluta repentè obsidione quosdam haud procul inde uicos occupauit. Quum hæc Ansedinus resciuisset, confestim oppido Saccensibus relicto,citato agmine Patauium ire contendit : Philippus Venetiq́ue Saccensibus in fidem acceptis,hostẽ persecuti sunt: sub quorum accessum tam subita oppugnatio Patauium adorta est, ut penè prius ad Pontem curuũ pars eius sit capta,quàm omnino oppugnari sentiretur. Ea uictoria Philippus Venetiq́ue audaciores facti, rursus circa Altinatẽ portam magno impetu hostem adoriuntur.Oppidani & ipsi indigne ferentes,urbem alioquin nobilissimam, præsidio & opere ualde munitam, sua ignauia tam cito expugnatum iri,obstinato animo hostibus resistunt.Magnum utrinque oritur certamen : pugnant utrique, hi pro patria,illi pro gloria:hos patriæ charitas, illos spes uictorię accendit.Multus cruor utrinque fusus:demum uicta oppidanorum pertinacia, & hac quoq; parte ciuitas expugnata est. Tum desperatis rebus Ansedinus saluti suæ consulens, cum necessariorum manu auersa parte urbis ausugit.Ad eius profectionem subita ciuium deditio secuta est. Arx quæ in parte urbis hodie quoque uisitur, quarto die pòst per deditionẽ est recepta. Ecelinus interea quum ignarus esset eorum quæ Patauij facta erant, cerneretq́ue se circa Mantuam sedendo nihil proficere, soluta obsidione Veronam ut copias reduceret,ad Mintij fluuij ripam consederat:ubi triduo statiua habere in animo habuisse dicitur. Verùm maior clades quàm per id tempus expectaretur,consilium subito mutare coëgit.Nuncio de Patauij amissione accepto:ipse uero,etsi ea clade non mediocriter est commotus,dissimulato præsenti dolore rem tamdiu occultam esse uoluit , quoad Veronam uenisset:quò post acceptum nuncium citato agmine se contulit.Hic urbe cum omnibus copijs inita, infanda dicitur crudelitate usus. Duodecim Patauinorum milia,quos in castris habebat, non mercenarios milites aut gregarios, sed ingenuos omnes : & in his eminentioris fortunæ non paucos , diuersis cruciatibus ad unum necauit:quod à nullo unquã, præterquàm à Cornelio Sylla, factum reperio, ut tantam uim hominum in suam potestatem redactam,uno tempore ferro conficiendam curarit. Ille duodecim Prænestinorum milia uno loco unoq́ue temporis momento,quia Marianis partibus fauissent,obtruncasse dicitur:nec cuiquam in tanto numero,præterquam ueteri hospiti,uitam concessisse:quam ille, cum cerneret omne suæ ciuitatis robur extinctum iri,pertinaciter recusasse dicitur,fassus,se nullam salutis gratiam ei habiturum , si suorum popularium percussoribus permisceretur.Nec cuiquam mirum uideri uolo,nec pro mendacio excipi,quod diximus,tantam uno tempore multitudinem ex Patauio in militiam abductam: quũ grauissimi auctoris testimonio constet, quandoque in ea urbe censos quadringentos equestris ordinis uiros : & quod plus est, inde centum & uiginti hominum milia uno tempore ad bellum missa. Post Patauinorum cædem Ecelinus Bachilionem fluuium haud multum infra Vincentiæ mœnia ualidis munitionibus occlusum, in plures partes deriuandum curauit,ut Patauinos aquis priuaret: quibus multifariam deductis urbem magis communitam reddidit. Cæterùm uarijs,uel in primis molarum , usibus eam deriuationem accommodauit. Rauennas antistes & ipse circumducta Patauinis mœnibus fossa,ita oppidum communiuit , ut nulli Ecelini conatus amplius timendi uiderentur. Nec ita multo pòst cum magna hominum manu ad Bachilio

chilionis clausuram pergit. Cui Vincentinus prætor, neque uiribus , neque animo impar, cum Ecelini copijs ad urbem præsidio relictis occurrit. Subitum ibi prælium cõmissum diuq́ue fortuna neutrò inclinante dimicatum. sed in medio pugnę feruore quum nunciatum esset, refractos esse fluminis aggeres , amnemq́ue in ueterem alueum toto aquarum impetu auersum:cõtinuo Rauennas pręsul cani iussit receptui. Secutæ hinc inde expeditiones aliquot,sed omnino memoria indignæ. Ob egregiam per id tempus operam pontifici nauatam tradunt quidam Venetis concessum, ut Aureę ædis primicęrius mitra & pastorali baculo cæremoniarum hora uteretur : quod ad eam diem præcessorum nemo impetrauerat. Dux senio confectus satis quidẽ prospera usus administratione, anno sui ducatus quarto humanis decessit. Eius corpus in Aureæ ædis uestibulo est sepultum. Rainerius Zenus princeps in demortui locum est declaratus.

IN LIBRVM DECIMVM

Epitoma.

PRimi Ligustici belli causæ decimo libro referuntur: Cur Veneti Ptolemaidem occuparint: Prospera Venetorum inter Tyrum & Ptolemaidem in Ligures pugna:Veneti Baldoino opem tulere: Palæologus Baldoino electo Byzantium occupauit:Genuenses tres Veneto naues in Hellespontiangustijs ademere : ipsiq; non multo pòst uicti ad Septem Porcos quatuor naues amiserunt : Tyrus à Veneto frustra oppugnata est: Michaël Aurius ad exitum Adriaci sinus aliquot Venetas onerarias oppressit:Veneti in Siculorum conspectu ad Drepanum Genuenses ingẽti prælio uicere: Palæologus cum Venetis fœdus percussit : Ligures Cydoniam in Creta occupa runt: Ducaria maiestas orta in urbe seditione uiolata est: Octo Genuensium triremes circa Cyprum captæ, Venetias sunt perductæ:Genuenses in Syria, penè eodem loco quo non multo antè à Venetis sunt superati:Vicinæ urbes frumentationem Veneto negarunt:Nouum maris uectigal in uicinorum inuidiam mox publicatum est : Induciæ cum Genuensibus pactæ: Cum Bononiensibus penè triennio circa Padi ostia bellatum: Cum Anconitanis quoque ob maris uectigal aliquandiu armis disceptatum : Cretensium insulanorum motus rempub. in belli discrimen retraxere:Iustinopolitani à Venetis defecerunt : Anconitani à Venetis mari obsessi ad pontificis opes confugere: Vrbs uehementi motu terræ est concussa : In Histria aduersus Aquileiensem antistitem & Goriciæ comitem aliquandiu uario euentu est bellatum ; Ptolemais à Babylonis rege eversa est.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis primæ,

LIBER X.

VIt in parte Syriæ, quæ Phœnicia dicitur: inter Carmelum montem & Sidonem urbs olim illustris,Ptolemais ab initio dicta, recentiore deinde nomine Accon nominata. Quidam Venetarũ rerum scriptores, uernaculam puto uocem secuti,(nam ita uul-

gus appellat) pro Accone Acram scripserunt. In ea urbe Veneti iam inde ex quo Christianis armis Hierosolyma cum parte Syriæ recepta fuerat, jus sibi ex fœdere quæsitum habebant:sed non Veneti solùm,uerumetiam & Genuenses & Pisani, qui auxiliares ad id bellum classes miserant. Accidit itaque, ut Veneti Genuensesq́ue commune fanum in ea essent urbe sortiti,quum priuum uicum , priuumq́ue forum alioquin haberent. De huius itaque possessione animi iam antea æmulatione,inde odio accẽsi,disceptare cœperant: Veneti non uicum tantum, sed tertiam quoque urbis partem sibi ex fœdere cũ Baldoino icto deberi dicentes,ipsam quæ diuo Sabbæ sacra erat ædem iure fœderis sibi uendicabant. Instabant Genuenses,neque fœderibus , neque socijs cessuri : apparebatq́ue ingens malum ex ea altercatione rei Christianæ in Syria eminere. Sed ad tollendam futuri certaminis causam res ad Alexandrum quartum Romanum pontificem est delata. Censuit mox ille,æquitatis non parum , sed magis quietis amicus:utrorumq; commune oportere esse fanum,quando ipsa quoque sacra communia essent omnibus. Eam pontificis declarationem quũ Genuenses aliquanto prius quàm Veneti cognouissent:nõ expectatis ab Alexandro literis:sed Philippi Montfortensis,Gallica gente orti, tunc quoq; urbis præfecti beneuolentia freti locum occupant, atque celeri opere in arcis speciem communiunt. Tantum abfuit ut Philippus Venetis præsentẽ injuriam querentibus consultum aliquo modo uoluerit : quod tertiam partem urbis sibi ex fœdere uendicantes, populariter inde abire iusserit. Tam insignem contumeliam Veneti haud sibi ferendam rati, confestim cum Manfredo Siciliæ rege aduersus Genuenses fœdus ineunt. Sed dum Veneti in comparãdis armis occupati essent , interim dux Antiochenus,& Hierosolymitani templi antistes Philippum grauiter increpitum identidem per literas monent,ut consideratius ageret : prædicantes uno ore omnes,fore,ut nisi Veneti in gratiam cum Genuensibus redirent,qui ipsius illoruḿque insolentia alienati essent:res Christiana nõ multo pòst ingentem ex ea discordia cladem in Syria acciperet. Horum ueriſimam prædicationem quum eum aspernari Veneti resciuissent, appareretq́ue , neque monitionibus ullis,neque minis ingentes illius spiritus remitti : sed pertinaciter in eo odio quod antea imbibissent,hominem manere:tum patientia magnitudine iniuriæ uicta , tredecim triremes , quas per id tempus Tyri habebant ad pugnam instructas, portu celeriter educunt. Venetarũ rerum scriptores eas ex Italia Laurẽtio Tepulo præfecto missas tradunt. Vbi uero ad Ptolemaidis portum uentum est,cathena,qua illius aditus occludebatur,subitu tumultu refracta,impetum in Genuensium naues faciunt, quæ numero tres & uiginti onerariæ, duæ triremes forte illic stationem habebant : haud magno negocio,ut incautæ,oppressæ omnes. Veneti nautica illis instrumenta primo eximunt, mox ignem subijciunt : subiecto ad unam incendio absumunt. Diui Sabbæ fanum, quod tumultuario opere communiuerant, eodem impetu recipiunt, receptum magna ex parte diruunt. Genuenses ea clade magis irritati quàm territi, classe duarum & triginta triremium apud Tyrum interim instructa, Venetæ occurrunt : nec tamen prælium ullum memorabile est commissum. Veneti rerum Græcarum cura à Syrio certamine auersi, in Ponticum mare cessere, ut suis Byzantium incolentibus Vatazano bello implicitis,presenti auxilio subuenirent. His interim quæ Ptolemaide gesta erant, in Italiam allatis : Genuenses, qui iam antea inimico in Venetos fuerant animo ,indignitate rei cõmoti,ad cladem ulciscendam ingẽtem decernũt classem;

classem:triremes quadraginta instructas, & naues
A cæteas decem in Syriam mittunt. Veneti & ipsi in
Italia (quia ingens cum Ligure certamen instare ui
debant) mira celeritate triremes quindecim, onera
rias decé instruunt: quibus Andreas Zenus est pre-
fectus. Qui Ptolemaidi erant, minora nauigia (uul-
go uaccetas uocãt) circiter quadraginta, cæteas na
ues decem & ipsi expediunt. In hoc statu Venetorũ
res Genuensium q; in Syria erant. Quum in Italia A-
lexander pontifex, auditis quæ ab initio apud Pto-
lemaidem gesta erant, cerneretq; quàm ualidę es-
sent utriusq; populi uires, quàm magna odia, quàm
atrox ea re malum Christianos qui in Syria tunc
erant, maneret: pro magno habuit negocio audire
oratores utrinque hoc nomine ad se missos. uoluit
& Pisanos adesse: quorum legatos ex Hetruria, ut
quasi arbitri inter utrosque pacisque auctores es-
sent, accersiuerat. Fuissetque non multo pòst pontifi-
cis interuentu pax secura, nisi procul domo tam ci-
to dimicatum esset. Cuius rei fama pontificis & alio
rum turbauit consilia: ubi enim utraque classis in
Syriam delata est, Veneti, quanquam Ptolemaidé
ualido tenebant præsidio, non propterea Tyrum re
liquerant. hic & Genuenses & Philippus Mont-
fortensis erant, qui omnino hostilia in Venetos ui-
cum ibi incolentes, fuissent ausi, nisi prohibiti à ma
gistratu urbis mouere quicquam in urbe aut in por
tu essent. Erat proinde Venetorũ conditio aliquan
to melior: quippe qui Ptolemaidem soli haberent:
& quæ prius in Tyro quæsita essent, nõ amisissent.
Ea re Genuenses adhuc magis accensi, portu repen
te egressi, Ptolemaidé uersus ire pergunt. Andreas
Zenus & Laurẽtius Tepulus classis præfecti, quos
nullus hostium motus latere potuit: quum Tyri, ut
diximus, multi Veneti nominis penè mixti hosti-
bus essent: rati quod erat, Genuenses ad se uenire,
ut suo exemplo omnia improuiso aduentu turba-
B rent. Confestim & ipsi instructas naues portu edu-
cunt, atque ita ualidæ classes sibi obuiam factę, con
tinuo se ad pugnam expediunt: cõcurritur magnis
utrinque uiribus, sed maioribus omnino odijs: cru
enta inde pugna oritur. Sed res Veneta eo ab initio
superior fuit, quo & ualidior: quippe quæ non pa-
rum Pisanorum, quos fœdere per eos dies sibi iun-
xerat, appendicibus esset aucta. Funduntur iccirco
fuganturq; hostes: eorum naues multæ in altum
demersæ: plures captæ, quæ uigintiquinque nume
ro fuisse dicuntur: reliquæ trepida fuga se Tyrũ re-
cepere. Venetus uictricem classem Ptolemaidem
reduxit, quò secum captas naues cum aliquot Ge-
nuensium militibus adduxit. Tanta hostium clades
non modo non expleuit Venetorum iram, sed ma-
gis propemodũ ac magis efferauit. Quippe qui post
uictoriam ipsam continuo omnia publica & priua-
ta illorum ædificia quę Ptolemaidi erant, diruerũt:
horrea mercatorum, præcones, apparitores, & alia
pristinæ fortunæ uestigia, quæ ad eam diem ibi ma
nere permiserant, tum demũ sustulerunt. Duo mil-
lia Genuensium ac sexcẽtos quos in pugna captos,
eò ut diximus, pertraxerant, publicis signis subie-
cere: &, ut sæpe accidere solet, ut una accepta clade,
aliæ proximæ sequantur. Non multo pòst hanc pu
gnam tres aliæ Genuensium naues non procul Ty-
ro à Venetis sunt oppressæ: ac totidem circa Cretã.
quanquam non desunt, qui aliquanto prius quàm
pugnatum esset, hæc accidisse tradãt. Pontifex nun
cio pugnę huius accepto, non mediocriter commo
tus dicitur: qui quum Genuenses legatos post acce
ptam cladem domum reuocaros dimitteret, non
prius passus est eos abire, quàm à Venetis impetras
set ut captiuos Genuensibus restituerẽt. In hoc mo
tu res Venetæ erant in Syria: quum nihilo interim
quietiores in Græcia essent: infestis quidem Græco
rum armis, in primis Ioannis Vatazi: inde Theodo
ri eius filij. Ita Baldoini imperatoris res accisæ erãt,
ut nisi Veneti quandoque in Ponticum mare ad il-
lorum uires comprimendas transiuissent, actũ iam
antea de Gallorum imperio fuisset: quod cum sępe
aliàs, tum non multo antè accideret. quũ post Pto-
lemaidem oppressam, etsi magnum cum Genuensi
bus instabat certamen: tamẽ ut Baldoini rebus ma-
turè subuenirent, suarum quæ in Syria erant quasi
obliti, in Græciam cursum tenuerunt. Sed nuncia-
ta Theodori morte, quæ peropportuna ad Græciæ
terræ ocia uulgo accidisse credebatur: Veneti in Sy
riam, quò trepidissimis reuocabãtur nuncijs, redie
runt. Interim Michaël, cognomento Palæologus,
qui Theodori filijs tutor cum principatus admini-
strandi potestate relictus, ab initio spem omnibus
fecerat futuræ pacis (apparebat enim contentum
eum fore, satisque strenuam pueris operam nauatu
rum, si quæ Theodori antea fuissent, ab omni exter
na defendisset iniuria) Baldoini opes non solũ fre-
git, sed prorsus etiam sustulit. Quod ipsum qua ui
ille, quáue arte sit consecutus, breuiter ostendam.
Sed illud interim non tacebo, esse è numero scripto
rum quosdam, qui non Palæologum tutorẽ à Theo
doro relictum dicant: sed Gregorium quendam, co
gnomento Imisolum, quẽ ille à suis inter sacra tru-
cidandum curauit. Inde susceptra puerorum cura,
quia Theodori præter cognationis necessitudinẽ,
studiosissimus semper uideri uoluit: pueros quoq;
suis opibus firmatis infanda cæde sustulit. Sed hæc
postea ab eo facta dicuntur. Ipse non multo post
Theodori mortem, Guilelmum, hominem Gallica
gente ortum, Achaiæ principem bello uexare cœ-
pit: nec prius eius opes infestare destitit, quàm Bar
barum lacessitum ad pugnam excitisset, excitumq;
ac uictum in uincula traxisset. Qua uictoria elatus
confestim Baldoinum adoritur: cuius copiæ quum
B aduentare dicerentur, constituit imperator, angu-
stias Pontici maris præsidio retinere, ac, si fieri pos-
set, hostem procul à portu arcere. Cum quàm maxi
mis igitur potuit copijs circumuehendam curauit
classem: cui M. Gradonicum Venetum, urbis præto
rem, præesse uoluit. certus erat Baldoinus, aut in ul
timum discrimen omnia conijcere, aut superbissi-
mum hostem ab instituto cursu auertere. Iam mani
festa quadam rerum desperatione uix illi constare
poterat, qua ui, quáue arte Byzantium amplius re-
tinere posset. Quippe quem ita ad eam diem, Ioan-
nis Vatazi primum, inde Theodori filij arma frege-
rant, ut Burgensibus mercatoribus, à quibus mu-
tuam acceperat pecuniam, Philippũ in pignus tra-
dere (quem illi postea Venetijs asseruandum cura-
runt) regulas plumbeas quibus publica ædificia te
cta erant, preciosissimasque diuorum reliquias, in-
credibili pecuniarum inopia coactus esset alienare.
His itaque calamitatibus circumuentum, quadam
ferè amentia actus: nullo in urbe relicto præsidio,
omne robur copiarum ad maris angustias occupan
das miserat. Sed quum externum hostem reformi
daret, in domesticas incidit insidias. Quidam Grai
sanguinis uiri: quos (ut læuia sunt gentis ingenia)
præsentium rerum cœperat pœnitere (quanquam
ab initio eos Gallici nominis pertęsos credíderim)
rati, quod erat, absentia copiarum, urbem hosti faci
lè tradi posse: cum Palæologo per fidos nuncios a-
gunt, ut certa noctis hora sibi cum quibus uidere-
tur copijs adesset: fore ut in urbem receptus, sine ul
la cæde rerum potiretur. Haud quidem cessauit ille
in tanta gerendæ rei occasione: sed silentio noctis
cum expeditissimis copijs ad urbẽ uenit: quas per
uersa ab hostibus loca, ne quid illi præsentire pos-
sent, mœnibus admotas, cæsis portarum uigilibus,
proditores in urbem sine alia maiore cæde accepe-
re. Baldoinus, & Pantaleo Iustinianus antistes ad
primum captæ urbis tumultum exciti, cum necessa

rijs

rijs preciosissimisque rebus, quas nocturna illa tre
A pidatione secum asportare potuerunt, ad Euripum
se trepide receperunt: ubi nauem ingressi, cõtinua
nauigatione in Eubœam sunt delati. Quidá auctó-
res sunt, Balduinum cum omnibus copijs abfuisse,
quum urbs Palæologo tradita est. Verùm siue do-
mi siue foris esset, satis constat, Constantinopolim
per hunc modum amissam, anno postquam à Vene
tis Gallisque capta est, octauo ac quinquagesimo:
uel, ut alij aiunt, tertio & sexagesimo. Veneti & ad
pontificem miserunt, & cum ipso Baldoino ad Lo-
douicum Galliæ regem: utrobique nec data, nec o-
mnino negata auxilia. Interim quia apparebat in
tanto rerum successu Palæologum non quieturũ,
Marcum Michaëlem cum duodeuiginti triremibus
ad tuendas pelagi insulas cum omni maritima ora
mitti placuit: cui in primis illud mandatum, ut nul
lam in Palæologi rebus infestandis prętermitteret
occasionem. Quod tam cupide strenuęque factum
ferunt, ut inter omnes constiterit, illũ desperatione
rerum breui fuisse Byzantium relicturum, nisi Ge-
nuenses in Venetorum inuidiam sese auxiliares ei
præbuissent. Quippe qui societate inita omnẽ clas-
sem quam in Syria habebant: præpotentem quidẽ,
ac ea longè instructiorem quam ante cladem inter
Tyrum & Ptolemaidem acceptam habuerunt, in
Græciam misere. Horum uiribus fretus Palæolo-
gus, rentauit in Peloponesum sui imperij fines pro-
mouere: quod ut breui conficeret, Guilelmũ, quem
acie ab eo uictum, & in uincula adductũ diximus,
ea conditione missum fecit, ut sibi in Peloponneso
Epidaurum traderet (Sic enim ueteres dixere oppi
dum in sinu Argolico, quod hodie corrupto nomi-
ne Maluasiam uocant) apparebat id traditum om-
nia infesta Venetis terra marique facturum. Veneti
autem quum & omnia resciuissent, Guilelmum su-
bito complexi sibi certo iungunt fœdere: cuius stre
B nua fidaque opera in eo bello postea usi sunt. Vete-
ri classi quæ in Græciam prius missa fuerat, septem
& triginta triremes additæ. Sed dum ualida hæc
classis in Palæologum instruitur, diuerso tempore
Venetijs profectæ sunt: nunc naues onerarię ad pu
gnam paratæ, nunc triremes non magis ad imperij
fines tuendos, quàm ad ea quæ hostium essent, per
occasionẽ infestanda: quæ non parũ ad omnes illo-
rum conatus prohibendos profuere. Quale accidit
eo tempore quo nauis illa illustris, quam Leonem
cognominatam accepimus, ducentorum naualium
sociorum, centumque militum præsidio munitam,
cum duabus triremibus Venetijs profecta, apud
Tenedum uiginti Genuensium triremes, quæ sibi
occurrerant, non modò non reformidauit, sed in fu
gam etiam actas Constãtinopolim uersus aliquan
diu persecuta est. ubi uero ingens illa classis, quæ
triginta septem in supplementum, ut diximus, ha-
buit triremes, in Græciam uenit, ac forte circa Thes
salonicensem sinum ageretur: sexaginta Græcorũ
Genuensiumque naues obuias habuit. Illis uerò ni
hil mouentibus, nec ipsa, utpote numero nauiũ im-
par, hostem lacessere est ausa. Præteruecta igitur si-
lentio in Eubœam uenit: cuius insulæ partem non
paruam tum credo, aut certè non multo antè, Vene
ti fuerant consecuti. Eiecto ex insula Anfosio, Fœde
rici tertij Siciliæ regis filio, ut quidam tradunt, no-
tho: qui ex nuptijs Marullæ Bonifacij Veronensis
filiæ, eam insulæ partem cõsecutus, Palæologi par-
tibus fauebat. Hostium classis è Thessalonicensi si-
nu digressa, tres Venetas naues, quæ prædandi stu-
dio Constantinopolim usque processerant, ad Bo-
sphorum obuias oppresit. quibus captis continuo
Genuenses captiuos quos fortiti sunt, ad unum in-
terficiunt: reliqui à Palæologo excæcati. Venętę tri
remes (quia nihil ab hoste mouebatur) Venetias,
quum iam hyems instaret, reductæ sunt. Sequenti
A anno duæ & triginta longæ naues Gilberto Dan-
dulo præfecto Venetijs eductæ: quæ ubi in Græ-
ciam uenerunt, classem illam cum qua superiore an
no Veneti non fuerant ausi congredi, ad Venetarũ
rerum populationem Bosphoro egressam, ad por-
tum quem Septem porcos dicunt, obuiam habuit:
utraque alteram conspicata confestim se ad pugnã
expediunt: magnoque deinde impetu confligunt.
pugna quidem ab initio acerrima fuit: sed ut nõ in
longum distracta, ita pro numero nauium parum
omnino cruenta. Genuenses fuga quatuor amissis
nauibus remis connixi in Epidauri portum se trepi
di receperunt. Sed Ligur quatuor amissarum na-
uium cladem paucis diebus resarsit, tribus Veneto
rum onerarijs cõmeatu onustis subito incursu in-
terceptis. Et quanquam omnis uis belli circa insu-
las & ipsam Ægæi maris oram, quæ à Peloponne-
so ad Hellespontum est, incubuisset: in Syria tamen
haud res omnino quietæ erant, Venetis Ptolemai-
dem tenentibus: quibus omnes ferè Italici generis
homines qui Hierosolymis erant, ita fauebant: ut
planè appareret, Venetis rebus eos magis quàm Li
gusticis studere: contrà qui Tyrum incolebant, eni-
xè fauere Genuensibus. Quo accidit, ut omne Chri
stianum nomen quod ea tempestate in Syria fuit,
in duorum præpotentum populorum certamẽ ere
ctum, tanquam in diuersas factiones abierit: ipsęq;
interim urbes tanto labore ac sanguine, à crudelissi
mo Mahometi imperio quandoque uindicatæ, in-
fando bello ac sanè detestabili mutuis se cladibus
affligerent. Verùm ne suarum rerum Veneti obliti
uiderentur, tertio primi huius Ligustici belli: seu,
ut alij tradũt, quarto anno triremes quinq; ac quin
quaginta: uel, ut quidam auctores sunt, septẽ & tri-
ginta in Genuenses hostes parauere: quæ in altum
deductæ, in Siciliam usque sunt progressæ: ubi ru-
B mor erat Ligusticam classem esse. sed hoste non re-
perto, in Syriam continuo cursum flexere: ac propè
in conspectu Tyri, cæream hostium nauim adeptæ
oppresserunt. Quo successu & alacritate in portum
delati, urbem quoque Veneti expugnare sunt ador
ti. Præsidio tunc urbi erat Andreas Barotius, homo
impiger: is quanquam ab Ptolemaide quoque Ve-
neti copias accerhssent, ut terra marique urbem a-
crius oppugnarent: strenue tamen & oppidum &
præsidium tutatus est. Genuenses interea & ipsi
haudquaquam in ocio fuere: sed cognita per explo
ratores nauis Venetæ unius (quam ualidam arcem
uulgo appellabant) decemque onerariarum ex Ve
netijs profectione, quæ mercibus onustæ in Asiam
cursum intenderant: ad ipsum Hadriatici sinus exi
tum triremes sexdecim post scopulum insidijs lo-
cãt. Speculatoria nauis rem ipsam negociatoribus
trepidè nũciat: qui rei periculo perculsi, rebus con
festim in littus expositis, quod Epirotarum præsi-
dio tenebatur, naues uacuas hostibus (qui cognito
Venetorum consilio ex statione profecti iam in cõ-
spectu erant) relinquunt. Quidam annales habent,
Michaëlem Aurium fuisse Ligusticæ classis præfe-
ctum: medijsque fluctibus concursum. Nouissimè
uero Venetos cæteæ unius magnitudine ac robore
nixos, cæteris cum merce amissis, Venetias retro
abijsse. Ad eam cladem Veneti non modò non ani-
mum remiserunt, sed quasi stimulo quodam ingen
tes illorum spiritus adacti, haud quidem multo in-
terjecto tempore septem triremes Iacobo Dandu-
lo præfecto in Dalmatiam mittunt: cui mandant,
ut si è repub. uideretur, alias quoque quæ ad præsi
dium insularum essent, naues his iungerer. Ex Ia-
dera igitur tribus acceptis, ad fretum usque Siculum
est progressus: ubi illi tres aliæ Cretenses remigio in-
structæ præstò affuere. Iis non multo pòst quatuor
ex Eubœa adijciuntur: auctoque in hunc modũ na-
nium numero, Dandulus Ragusium uenit: ubi Mar

cum

cum Gradonicum cum decé longis nauibus offendit. Vna igitur classe ex duabus facta, in Siciliâ trâsmiserunt. Hic omnem insulæ oram quæ ad ortum spectat circumuecti, & eam ferè totam quæ post Pachynum promontorium ad meridiem iacet, circa Lilybæum tres Genuensium triremes, quibus Lan francus Borbonius præerat, sibi obuias opprimũt. Qua clade Genuã perlata, duodetriginta triremes confestim ad nouam iniuriam ulciscendam domo profectæ sunt: quæ continua nauigatione ut hostẽ assequerentur, in Siciliam delatæ: ad Drepanum Venetos in portu stationem habentes reperiunt. Sunt qui tradant, utranque classem ex occursu fuisse ante Drepanitanum portum sibi obuias. Sed siue hoc siue illo modo sit factum, satis conuenit, hinc inde naues ad pugnam instructas processisse. Verùm ali quanto auidius, atq; ob id fortasse incautius, ferunt à Genuensibus concursum: quippe qui nil magis ex quo domo profecti fuerãt, timuere: quàm ne Venetus, cum quo dimicare possent, reperiretur: ut uiribus penè paribus, ita etiam animis prælium contiuno initum. Hinc odium, inde laudum cupiditas ui res utrorunque accendebat: tam hi, quàm illi pulchrum ducebant, in Siculorum conspectu æquis uiribus congressi ostendere, uter populus uirtute bellica reique maritimæ scientia præstaret. Diu ancipiti marte pugnatum. Demum Genuensium fortuna inclinante, tanta fuit animorum pertinacia: ut mori prius, aut alia ui opprimi passi sint, quàm fugam turpiter tentare. Quatuor & uiginti triremes captæ: reliquæ combustæ, aut alto mari media pugna deprelæ dicuntur. Duo milia ac quingẽti & amplius Genuensium uiri in uictoris potestatem uenerunt: mille & ducenti ferro absumpti, reliqui fluctibus aut alia ui periere. Nec uictoria Venetis incruenta fuit: sed si qua clades est accepta, tam insignis uictorię lætitia, ne sentiretur, effecit. Et quia ea pugna Genuensiũ opes fractæ credebantur, Palæologus, qui eorum societati ad eam diem studuerat, cum Venetis in quinquennium pacisci tur inducias. Ipsi uero post Drepanitanã uictoriam triremes unam & uiginti Methonem ad maritimam oram tuendam miserunt: audiuerant credo, ea loca Ligusticarum cursu infestari. Forte ita accidit, ut hostium naues per eos dies prædandi studio Methonẽ uersus cursum intendissent: quæ audito Venetę classis accessu, sua celeritate fretæ, continuo retro fugientibus similes abiere. Nec hostium fuga Venetos fefellit: sed portu statim eductis nauibus, fugienti Liguri instare cœperunt. Ille uero memoria Siculæ cladis territus (quia ab initio pugnam detrectare fuit in animo) remis innixus in Rhodiacum portum incolumis abijt. atque hinc non multo pòst profectus, nauim Venetam unam precio sissimis mercibus onustam ad Eubœæ Euripum expugnatam oppressit. Quidam non ad Euripum, sed in Hiericano portu captã tradidere. Mox in Cretam Ligures cursum tenuere: ubi magnam insulæ partem circumuecti, Cydonem maritimam urbem (quam hodie corrupto nomine recentes Caneam dicunt) subito incursu occupauere: occupatam diripiunt, direptam magna ex parte diruunt. Hæc in Græcia gerebantur: quũ grauis seditio domi orta rempub. penè in discrimẽ adduxit. Diuturni belli onera ærarium ita exhaustum ad eam diem reddiderant, ut cogerentur Patres ad alendam classem noua uectigalia excogitare. Quum igitur in mulcturis nouum commenti essent uectigal, mandassentque illud publicari: tũ populus oneris impatiens cum clamore & minis in curiam impetum fecit. Perculsis Patribus rei nouitate, Rainerius princeps ad primum tumultum curia egressus in medium processit, ut uel Ducaria auctoritate strepenti multitudini pudorem injiceret, uel populari aliqua oratione concitatos animos leniret, plebs Ducaria maiestate neglecta lapides cõtinuo in Rainerium coniecit. celsit ille territus plebeio furori. Quo è medio abeunte seditionis capita noua uia ad grassandum ingressa, aliquot nobilium domos facto impetu diripuere. Demum sedato tumultu acerbissima quæstio in eos decreta, qui publicam maiestatem uiolassent: quique plebei se furoris duces præbuissent. capti sunt fontes, exquisitissimisque supplicijs affecti. Per hæc tempora uiæ urbis ac uici omnes lateribus strati dicuntur. Pons qui in Riuoalto est, maiore opificio quàm prius fuisset, maioreque est sumptu instauratus. Angebat interea ingentis Venetorum spiritus Cydonis in Creta excidium, & clades in preciosissima naue accepta. Classis proinde triremium trium & uiginti M. Gradonico præfecto Ptolemaidem deducenda datur: mandatumque, ut gerendæ rei occasionem expectaret: qua oblata, pro uiribus hostium ferociam ex rebus nuper bene gestis ad temeritatem usque auctam, aliqua insigni clade deprimeret. Quidam auctores sunt, triremes ipsas ad earum quæ per id tempus ad Asiatica negocia exierant, præsidiũ missas: atque octo Genuensium naues mercibus onustas circa Rhodum ab his interceptas, quæ ingenti ciuitatis gaudio sint postea Venetias missæ. Nõ post sum non mirari, traditum esse à quibusdam, quinq; Pisanas cum Ligusticis Venetias adductas: quum Pisanis auxiliaribus Veneti paucis antè annis in Syria aduersus Ligurem depugnassent: ac non multo pòst cautum sit Pisanis, ut Venetorum socijs, in ijs inducijs, quæ cum Genuensibus Philippi regis interuẽtu sunt pactæ. Qui ad Cydonis diruta, & mercatoriæ nauis intercepte, ultionem triremes missas tradunt: non circa Rhodum, sed inter Tyrũ & Ptolemaidem cum ualida Genuensium classe, quæ triremes octo & uiginti habuisset, dimicatum aiunt: atque utriusque suorum uicinitatem locorum animos aliquanto ad pugnam promptiores fecisse. Demum hic quoque rem Venetam superiorem fuisse, naues q; ex hoste quinque numero captas. Sed dum hæc mari gerũtur, Zenus princeps decimoseptimo sui ducatus anno moritur: Laurentius Tepulus Iacobi principis filius, ei succesit. Prima huius administratione quum duo potentissimi Italiæ populi in armis essent: uulgoque crederetur, ex eo certamine præter incommoda, quæ & multa & magna ad eam diem Galli, & alij qui in Syria erant adijssent, adhuc longè meliora pluraque adituros. Clemens quartus per legatos Venetos Genuensesq; ad inducias, si ad pacem animi tam cito inclinari non possent, magnopere hortatur. Quod ut commodius transigi posset, petijt ut legati Viterbiũ ad se utrinque mitterentur. Hoc ipsum ut facerent Galliarum ac Sicilię reges precibus contendere, quisque suam ad sanciendam pacem operam pollicẽtes. Missi ad pontificem legati, qui post aliquot menses infecta re domum abiere. Fames ingens per id tempus ciuitatem inuasit, frumentandi facultate ex Sicilia Apuliaque negociatoribus adempta. Genuensibus maria infestantibus nemo erat qui publicis commodis suo priuato periculo consultum uellet. Opus igitur erat ualida classe, quæ frumentatores citro ultroq; nauigantes, ab hostium iniuria tueretur. Sed id ipsum in tantis bellorum motibus non ita facilè præstari poterat: ad uicinorum itaq; opes est recursum. Missi Taurisium, Patauium, Ferrariam, & ad alias uicinas urbes: qui ad ingentem pecuniam quę promittebatur, adderent preces, orarentq;, ut si qua Veneti nominis in uicinos extarent merita, cũ in alios, tum in Patauinos recentissima (Quippe quibus, suo in primis beneficio, seruitutis iugum nuper fuisset ademptum: scire omnes, nullas aut maiores, aut præsentiores ad euertendam Ecelini tyrannidem opes affuisse, quàm Veneras) ciuitatẽ de se bene

de se bene meritam, in tanto discrimine iuuarent. Quod si illa ipsa suo aduerso tempore illis excidissent (quando ita comparatum sit, ut omnium beneficia magis dantium fortuna, quàm animus cõmendet) iure humanitatis saltem id à se impetratum uel lent. Neque preces neque pecunię uicinorum ingratitudinem uicere: negata ubique frumentatio est. Tum Veneti indignitate rei moti, ut scirent omnes, uel in primis illi ipsi, qui id modò tam obstinatè negauerãt, quàm humanè secum ad eam diem actum esset: legem tulerunt, quæ ad hunc diem tenet, ut omnes qui intra Phanaticum sinum, & Padi fluminis ostia negociorum causa nauigarẽt, uectigal reipub. penderent: ad quod persoluendum, & ad mercem ipsam (si magistratibus ita libuisset) æstimandam Venetias uenirent. Cui legi ne fraus fieret, nouus magistratus est creatus: huic aliquot nauigia, quibus omnem oram maritimam perlustraret data. Ea res effecit (apparebat enim ad primam legis famam aliquid uicinos populos moturos) ut cum Pisanis in quinquẽnium renouatum sit fœdus. Per hęc quoque tempora Philippi Gallorum regis, qui Lodouico successit, interuentu (cupiebat is uehementer Gallorum rebus in Syria laborantibus opẽ ferre) Genuenses & Veneti suo Pisanorumque sociorũ nomine inducias pepigere. Cuius rei ille tam cupidus fuisse dicitur, ut utrorunq; legatos tam diu Cremonæ secum esse uoluerit: modo hos, modo illos hortando, leniendo, pollicendoque: donec rem è sententia confectam uidisset. Fuitque hic annus (ut quibusdã placere uideo) undecimus ab eo quo cœptum erat cum Genuensibus bellari. Quidã Venetarum rerum scriptores, aliquot huic numero annos addere uidentur: traduntq;, Rainerium Zenũ annos decem & septem reipub. præfuisse: quũ alij sexdecim dicant. constatque, primo illius principatu anno (qui sexagesimus supra duodecies centenum salutis fuit) apud Ptolemaidem pugnatũ, bellumque in Laurentij Tepuli tempora protractum. Sed librariorum incuria puto factum, ut in Venetis annalibus tempora non constẽt: tribuantq; plures annos Zenico principatui, quã forte habuerit: aut certè bellum ipsum nõ à prima illius administratione est inchoatum. Tanta est illorum perplexitas, ut ubi uerum lateat, nullo modo intelligi possit. Secutus itaque Forliuianum Blondum, diligentissimũ temporum computatorem, in undecimum annum primum Ligusticum bellum perductũ crediderim. Pactis cum Genuensibus inducijs, ne quandoque ac armis uacatio daretur, nouum ex Cisalpina Gallia ortum est bellum. Bononienses, qui per id tempus maximam Flamminiæ partem obtinebant, ini quo ferre animo, lege de portorijs lata suis negociatoribus mare nuper interclusum. Quod ut primo quoque tempore apertum redderent, quàm occultissime possunt nouum parant bellum. Inde domo moturi, Venetias legatos præmittunt: qui dissimulato omni armorum apparatu cum Venetis ageret, ut abrogata lege, præsidijsque undique amotis, suis negociatoribus liberam & immunẽ nauigationẽ redderent. Quod si facere recusassent (nam apparebat omnino recusaturos) omni altercatione omissa bellum denũciarent. Sensit Bononiẽsium fraudem Tepulus: atque & ipse in suas artes (quæ nõ minus uaframenti haberent) cõuersus, nouem triremibus celeriter missis hostium aduentum præuenire studet. Satis quidem constabat, eum qui aliena cõsilia sua celeritate præuertisset, occupata belli sede omnia hostibus iniquiora facturum. Celeri itaque cursu Veneti ad Padi ostium, quod primarium uocant, Rauennæ proximum, uenere: ubi sub primũ appulsum Bononienses in ulteriore ripa castellũ munientes conspicati, confestim & ipsi ad Diuum Albertũ præsidium sibi militari opere firmant. Nec multos post dies ad cõnatus hostium inhibendos Tepulus dux cũ maritimis copijs affuit. Hic & alibi est cruento Marte sæpius pugnatum: fueruntq; Bononiẽses prælijs ferè omnibus superiores, quippe qui multitudine hominum longe præstabant. Ad quadraginta hominum milia in eorum castris fuisse proditũ est: atq; ex ea terra, quã partim Boij Galli tenuissent (genus hominum ferocissimum, ac penè indomitum) partim Senones, qui urbem Romam aliquot menses captam tenuere: tota deinde regio Flammi nia dicta: nouissime uero Romaniola. unde suspicari possis, non omnino nunc terram ipsam diuersos ab illis quos olim tulisset uiros alere: sed ferocis & ingentis spiritus, ac breui tales: ut non frustra sit dictum, Ruffum capillum in Italo homine, in Theutonico nigrum: utrunq; uero in Romaniolo, peruicaciam arguere. In tertium itaq; annum laboriosissimum bellum protractum. Nouissime Marci Gradonici auspicijs in aciem totis uiribus est descensum. Eo prælio uictor Venetus hostem ingenti strage fudit fugauitq;. Qua aduersa pugna Bononienses fracti, pacem his conditionibus acceperunt: ut suo diruto ad Primarium castello, quarundã rerum asportatione permissa, libera Padi ostia Venetis relinquerent. Anconitani & ipsi Bononiẽsiũ exemplo non nihil mouere ausi: ad Gregorium decimum, Romanum pontificem, Venetorum iniuriam questũ miserunt. Monuit pontifex Venetos, ut Anconitanis mare aperirent. Ii neq; iussa facere, neq; omnino negligere: sed per legatos, ne contra patrium morem pontificem aspernati uiderentur, alia atq; alia causari: Anconitanos, dicere, parum ingenue feciss e, qui Veneti populi famam maledictis & sordida delatione ad pontificem laceraſſent: nec ea quæ ipsi quererentur uera esse. Hæc & alia Venetis subijcientibus, actio paulatim antiquata est. Sed tãtum abfuit ut põtifex eo nomine Venetos aliquo modo suspectos habuerit, ut induciæ, quæ Cremonæ paucis antè annis inter eos & Genuenses pactæ fuerãt, in biẽnium prorogarentur enixe curauerit. Dum hæc in Italia geruntur, pauci Eubœo reguli, qui tertiam insulæ partem adhuc tenebant: Andrea Dandulo pręceptore inuito, cum sexdecim longis nauibus eam minoris Asiæ partem, quæ tum Palæologo parebat tributuose inuadunt. unde ingenti præda abducta illius in se arma excitare. Comparata classe confestim Palæologus in Eubœã transmisit: Oreum obsidione cingit. Reguli ut suos obsidione leuarent, uiginti triremibus freti lacessendo hostem ad pugnã pertraxere. eos fusos fugatosq; Palæologus tota pẽ classe exuit: plerosq; nobiles uictor ex insula captiuos abduxit: quingentos Venetos, qui in Regulorum nauibus capti fuerant, Apocrisarijs suis Venetias adducendos tradidit. quibus mãdatum est, ut in quinq; proximos annos fœdus cum Venetis renouarent. Non possum non uehementer mirari, uulgo traditum, Dandulo inuito Euboicos Reguli os arma Palæologo intulisse. potuerũt insulani detrectare magistratus imperium: at quingenti Veneti nominis qui in ea classe capti dicuntur non potuerunt: sed illud ij qui ita euenisse uolunt, qua ratione sit factum uiderint. Hic tũc erat rerum Venetarum status, quum Tepulus anno sui regiminis sexto uita decessit: in Gemellorum æde paterno sepulchro est conditus. Iacobus Contarenus in eius locũ creatus. Sub primam huius administrationem bellum propè est cum Genuensibus renouatum, cętea Venetorũ naui mercibus onusta, à duabus Ligusticis oppressa. Creditum uulgo, id publico cõsilio factũ: atq; ideo classis armaq; cœpta continuò parari. Placuit tamen, more maiorum res prius publico nomine à Ligure repeti. Quibus non redditis apparebat, omnia Venetos hostilia molituros. Missi Genuam ad hoc ipsum legati: receptisq; rebus domum non

multo pòst reuersi, quum in noui belli expectationem erectam inuenissent ciuitatē (quia pacata omnia à Ligure afferebantur) præsenti cura leuarunt. Seditio Tepulo duce ob molarum uectigal in ciuitate orta, hoc principe prorsus sublata est. Pacato ciuitatis statu, foris nouum oritur bellum. Iustinopolitani, qui præter cæteros maritimæ illius oræ accolas Venetorū studiosissimi per id tempus habebantur, ab imperio defecerunt. Ad eos in fidem retrahē dos Andreas Baseius cum ingentibus copijs mittitur. Illi uero, ubi terra mariq; omnia Venetis armis circumstrepere cœperunt, ad Aquileię antistitem in Carnos mittunt: orant ut pro mutua amicitia finitimæ ciuitati ferret opem, arma cōpararet: Venetum minaciter imminētem, à sua ceruice depelleret. Motus ille his precibus tumultuarium militem cōscribit: conscriptum Tergestinis ferre opem iubet. Freti his auxilijs Histri Venetum ab obsidione multis conatibus studēt auertere: sed parum illis aut suæ aut externæ opes profuere: uicti bello in fidē coacti sunt redire. Rainerius Maurocenus ad eos in fide continendos in prouinciam est missus. Defunctus Histrico bello Venetus Anconitanum bellum proxime excepit, ac nescio an hoc quoq; sit cœptū, antequā illud depositū: ita omnia in annalibus quos sequimur perplexa hoc loco traduntur, ut quid potissimum affirmem non habeam. Cæterum paucissimi quidem Anconitani huius belli mentionem fecere: Ii uero in quibus id relatum inuenio, tradunt Anconem à Venetis Ioanne uicesimo primo pontifice oppugnari cœpisse: cuius breuis pontificatus in primum Contareni ducis annum incidit. Suscepti belli causam fuisse affirmāt, legem de portorijs paucis antè annis latam: cuius antiquandæ quum Gregorium pontificem auctorem facere quæsiuissent: essetq; tum primum res parum feliciter mota, multa occulte ut fraudem legi facerent, & in Histricum sinum, & circa Padi ostia inuexerant. Eam rem indigne ferentes Veneti (constabat enim sua patientia Anconitanos indies insolentiores fieri) sex & uiginti triremes expediunt. Additæ onerariæ quædam ad commeatus, machinas, aliaq; ad urbis oppugnationem necessaria deuehenda. Sed prius quàm hęc pararentur, crediderim repetitas fuisse ab Anconitanis res, nec redditas. Cœpit Venetus sub ipsum appulsum portum oppugnare: unde repulsus quū classis nullam circa urbem tutam haberet stationē: nec interim in anchoris staret fœdissima tempestate arrepta, non mediocriter proximis est littoribus confligata: sex triremes Senogalliæ, scopulis impactæ omninò perierunt: reliqua classis magnitudine tempestatis superata in altum abiere. Continuò in supplementum ex urbe onerariæ naues ac triremes missæ: quibus uenientibus hostis in alto noua arte est insidiatus. Suis nauibus, quæ Venetorū fuerant, affigit insignia: ac reliquo apparatu quàm diligentissime potest, Venetas triremes assimulat. Venientibus igitur procul plausu & gratulatione inuitat, ad se cursum, tanquam ad amicam classem, deflectere. Moxq; in duas proxime admotas impetu facto, compores illi in suam redigunt potestatem: redactas ingenti oppidanorum lætitia in portum pertraxere. Quis uero tum classi præesset, nihil omnino reperio: constat tamen, illius socordia, reiq; bellicæ. insciti a duplicem cladem paucis diebus accepram: atq; ob rem male gestam domum cum nauibus reuocatum, atq; in uincula coniectum. Noua deinde classis ac longe instructior parata. Stabat omnino sententia, pertinacissimum hostem obsidione domare. Paucis itaque diebus interiectis cœpit denuo Ancon obsideri: tum ciues rati, quod erat, hostium constantia rem suam in discrimen non multo pòst adductum iri. Ad Nicolaum tertium, Romanum pontificem legatos mittunt: qui eum nouiter creatum aduersus Venetos præpararent: docērentque in primis, quæ ad eam diem ab illis in se hostiliter essent gesta, quæq; in dies hostilius gererētur: monstrarent ad hæc, omnia mala quæ ij qui graui diuturnaq; urgentur obsidione pati soleant, se adid tempus esse à Venetis perpessos, ac longe maiora passuros, nisi externa aliqua ope subleuarentur: orarent proinde illius clementiam, ut uetustissimę urbis Romanæq; ecclesiæ studiosissimæ fortunā miseratus, præsenti periculo seruaret. Veneti legati & ipsi officij gratia sub id ferè tempus Romam uenerant. Qui quum diu ibi fuissent, nec ut cæteri, ad publicam congratulationem admissi essent: rati quod erat, pontificem à Veneto nomine Picenorum causa alienatum, id domum significant. Quod dux Patresq; ægrè ferentes, per literas legatos ex urbe reuocant. Eos profectos iussit pontifex ad se retrahi: atq; ubi seuerissima oratione Venetorū factum incusauit, qui Anconitanos, Romanæ ecclesiæ uectigales, tam obstinata premerent obsidione: legatos publicam causam tueri uolētes fari prohibuit. Siue igitur ita facto opus fuerit, siue potius quia indigne Veneri tulerant, oratores suos parum humane à pōtifice accepros: traditur eo die quo illi Venetias appulerunt, octo triremes in supplementū classis Anconem missas. Hostes interim uidentes, se non modo non obsidione leuatos, sed aliquanto infestius quàm antea Venetū instare: fractis animis legatos ad pacem petendam mittunt. Re aliquandiu iactata, nec ad exitum perducta, eorum legati sine pace domum sunt dimissi. Quatuordecim triremes pòst illorum digressum ad pristinum augendum numerum decernūtur: quibus eductis quum earum duæ ab alijs in alto paululū aberrassent, ab hoste in omnem occasionem intento sunt captæ. Nec ita multo pòst pax æquioribus conditionibus illi data. Dux ipse iam decrepitus, & ob multos annos publicis negocijs obeundis parum idoneus, omnium cōsensu se principatu abdicauit: abdicationem ipsam matura mors paucis diebus secuta est. Eius funus frequenti populo ad ędem Minorum elatum. Ioannes Dandalus illi ducatu abeunti suffectus est: ac dux absens declaratus. Quidam auctores sunt, hoc principe pacem cum Picentibus factam. Quod ita sanè euenire potuit, ut belli exitus in nouam huius administrationem inciderit. Aiunt ad hæc, in eo fœdere expressum: ut lex de portorijs inoffensa Venetis maneret. Mare ita urbem inundauit, ut res penè in prodigium fit uersa. Ingens ad hæc motus terræ nō multo post alluuionem illam secutus dicitur. Nummus aureus per hæc quoq; tempora Venetijs cudi cœptus est. Cū Aquileiensi antistite ob Histros, quibus ille aduersus Venetos enixe fauebat, nouū est bellum conflatū. Defecerant à Veneto imperio nōnulli eius terræ populi: quos quum Venetus armis recipere statuisset, trāsmissumq; cū ualida classe in prouinciam esset: cōtinuò & ipse cum auxiliaribus copijs affuit. Sed quū cerneret suas opes haudquaquam eas esse, quæ tuto Venetis armis objicerentur: sine alio maiore certamine cesserit. atq; ob id uisus aliquantisper paci studere. Interim Veneti per ocium Histriæ accolas ad imperium retraxere: Ille uero armis Goriciani Comitis sibi iūctis, noua principis societate auctus, denuo circa Histriam omnia turbare cœpit. Nouos illius motus aliquot oppidorum defectio secuta est. Qua audita coguntur Veneti arma classemq; cōtinuo reparare: ferebatur uulgo, ad sex & triginta hominum milia in hostium castra esse, & in ijs ingentem equitatum. Tantarū copiarum fama subitam reparandi belli curam attulit ciuitati. Decernitur itaq; ingens nauium numerus: delectusq; accuratissime habetur. Tertia pars omnium qui per ętatem militare poterant, in naues est imposita: classis portu educta, confestim ubi in Histriam

striam uenit, ad Tergestum (nam & ipsum quòque eo tumultu defecerat) castra sunt admota. Hic Venetus ad urbis oppugnationem cōuersus, munitiones aliquot & præsidia ad hostium incursus inhibendos paucis diebus erexit. Inde operibus alijs urbem oppugnare adortus: quæ, quum magno inita esset præsidio, capere nullo modo potuit: & quia è repub. non erat, circa Tergesti mœnia tantas copias sine spe ulla potiundæ urbis hærere: satisq; ad obsidionem continuandam castella iam ab initio præsidijs firmata esse credebant, reliquæ copiæ aliò abducę: sed quò admota fuerint castra, annales quos sequimur, non tradunt. Paucis inde diebus hostis affuit. Sub cuius accessum tentata est munitionum oppugnatio: quæ non solum strenue defensæ sunt, sed ab ijs etiam qui ad præsidium relicti erant, eruptione in hostem facta, atrociter pro uallo dimicatum: multiq; utrinq; ceciderunt, & in his Goriciani Comitis nepos, iuuenis impiger. Dirempta pugna induciæ in diem unum pactæ. Interim Gardanius, homo multi nominis, & qui honestissimum ordinē in Venetis castris ad eam diē duxerat, in perfidię suspicionem uenit. Rumor erat, egisse eum clandestine cum hostibus de præsidio illis tradēdo: capto, quæstioniq̃ adhibito nefarij consilij confessio expressa est. conuictus sceleris, postridie ubi primum illuxit, tormentali machina in hostium castra coniectus est. Sed quum neq; dolo neq; aperta ui proficeret hostis, omni iam potiundi præsidij spe destitutus, infecta re domum abijt. Post cuius digressum Venetæ copiæ continuò affuere: quæ parum compertum habeo, an consilio cessissent: ne cum eo hoste dimicare cogerentur, quem utiq; longe uiribus præstare non ignorabant: ac tam diu classe in altum abducta, in anchoris, aut certè in proxima aliqua fuerint statione, quoad hostes inde abijsse cognitū esset: an potius ita euenerit, ut relicto ad obsidionem præsidio, classis cum reliquo copiarum ad uicinorum locorum oppugnationē (ne uno loco tempus tereretur) circumacta, ad primam hostium famam suis opē latura, mature affuerit. Id, ut dixi, quomodo sit factum, nobis parum cōstat. Venetus urbem rursus oppugnare adortus, cum multa cędę à muris est reiectus. Copijs inde abductis obsidio tantisper continuata est, dum ij qui ad præsidium relicti erāt, nunciato hostiū reditu relictis munitionibus (metūne, an quia tædium longioris moræ eos cepisset: nec hoc satis affirmare possum) trepide ad naues cō cessere. Hæc in Histria toto fermè biennio gesta dicuntur. In Syria autem Veneti qui Ptolemaidem tenebant, cum Babylonio rege inducias in biennium pepigere. Euerterat ille per id tempus Tripolim, urbem clarissimam: inde simili fortunę cursu Tyrum, Sidonem, Berythum captas diripuit, direptas incendio absumpsit. Ferunt inducias cōsulto ab illo cum Venetis & alijs Christiani nominis qui Ptolemaidi erant, tunc pactas: ne tanto rerum successu omnem in se uerteret Europam. Verum ne sic quoque omnino cessatum. Nicolaus Romanus pontifex clarissimos Europæ duces ad opem Christianis rebus laborantibus ferendam per legatos & literas concitauit: ipse mille & quingentos cataphractos equites suo nomine dedit. Ad quos in Asiam traijciēdos Veneti uiginti longas naues pontifici obtulere: uiaticum ad hæc nauticū pro remigibus, quos suo ære pontifex parasset. Quod ut aliquanto maturius expediret, Tripolitanus antistes Venetias missus est. At Veneti, qui tanto studio hæc à pontifice comparari uidebant, ne ipsi quoque non omnia pro Christiano nomine moliri uiderentur, uiginti illis triremibus quas pontifici datas diximus, alias quinque suo nomine instructas adiecerūt: quibus omnibus Iacobus Tepulus cū pontificis legato est præfectus. Cessantibus inde reliquis, ille nauium & armorum apparatus omnino irritus fuit. inducias nanque tempore exacto, Babylonius rex, qui quàm segniter omnia in Europa fierent non ignorabat: misso cum ingenti exercitu filio, Ptolemaidem subito obsidione cingit: cinctam graui aggreditur oppugnatione. aliquandiu Venetorum opera pontificioque præsidio defensa ciuitas. Inde cessantibus ex Europa auxilijs, quibus mare patuit ad effugium, paulatim dilapsi: urbs demum cum paucis capta, primo direpta est, inde à fundamentis euersa. Atq; in hunc modum Christianum nomen est ex Syria sublatum nonagesimo supra duodecies centenum salutis anno: ex quo uero Vrbani secundi auspicijs expeditione illa celeberrima Hierosolyma cum parte Syriæ recepta est, anno supra centesimū sexto ac nonagesimo. Dandulus, cuius principatus in hæc parum secunda tempora incidit, anno ferè decimo quo rempub. administrare cœperat circumacto, humanis decessit: ad Gemellorum phanum eius funus frequēti populo est elatum. Vbi pòst exequiarum pompā ingens tumultus repente ortus dicitur: ac cum trepidatione undiq; eò concursum: uoces amarissimę & inuidiæ plenæ in Patricios iactatæ: nominatim Iacobum Tepulū ducem populus postulabat. Quā uulgi temeritatem uir optimus, & publicæ quietis amicus, uehementer auersatus, clandestinè urbe egressus, Marochium se cōtulit: ubi dissimulata persona tam diu latuit, donec sedato tumultu Petrus Gradonicus ex Patricij ordinis sententia dux fuisset declaratus.

Rerum Venetarum ab Vrbe condita, Primæ Decadis finis.

IN LIBRVM PRIMVM Epitoma.

VEnetarum rerum Ligusticarumq; ad Romanas & Punicas per comparationem relatio: Cum Genuensibus exeunte induciarum tempore secundo cœptum est bellari: Pera à Venetis combusta est: Ioannes Superantius in Pōtico mari pòst præclara gesta aliquot nauales turmas frigore amisit: Veneti ad Corcyram Nigram uicti classem ingentem amisere: Nec multo pòst circa Hellespontum pari fermè clade sunt uicti: Pax iterum cum Genuensibus secuta: Respublica Boconia coniuratione ingens discrimen adijt: Veneta classis ingentem ex Græcia prædam deportauit: Venetis ob Ferrariam occupatam omnium gentium commercio interdictum est: Quo tempore publica libertas ob atrocissimam ciuium coniurationem ægrè est retenta: Iaderensibus rebellantibus Veneti aliquādiu in Dalmatia bellarunt: Diuo Dominico ædes erecta est: Ciuitas Francisci Danduli opera à pontificis interdicto liberata: Vetus nauale per id tempus auctum: Classis in ponticum mare missa aliquot Genuensibus naues ademit: Recens Cretensium rebellio continuo oppressa est: Veneti Patauinis iterum seruitutis iugum exemere. Bellum in Histria renatum Venetos ad arma reuocauit: Expeditio in Turcos decreta, Gallis cessantibus discussa est: Veneti Florētiniq; in Scalanos fœdus percussere.

M. ANTONII COCCII
SABELLICI, RERVM VENETARVM
AB VRBE CONDITA, DECADIS SE-
cundæ, Liber primus.

VLTA nobis res Venetas ſcribentibus occurrunt: quæ tam Romanis ſimilia ſunt, ut conſilio, laboribus, fortunæ uarietate, euentu ipſo, nihil uideri poſsit ſimilius. Sed horū omnium quæ non pauca ſunt, ut dixi, bella, quæ Veneti cum Genuenſibus geſſere, nimiſtimam uidentur mihi habere ſpeciem cum ijs, quæ Romanus populus cum Carthaginenſibus olim geſsit. neq; enim locorum uicinitate (ut ſæpè fit) inter illos æmulatio, neq; bellum ortum uideri potuit, quippe qui tantum inter ſe diſtabant, quantum Tyrrheni pelagi Libycíq; inter Italiam atq; Aphricam ſpaciatur amplitudo. Diſtabant illi multum inter ſe: ſed ne hi quidem ſibi uicini. Quin ſi quis Italiæ latitudinem conſideret, tam uterq; populus ab altero recedit, ut niſi relicta Italia amplius recedere nō poſsit. Eſt enim Italia, ut Strabo ait, promontorium ab Alpibus: quarum altitudine quaſi uallo quodam à ſeptentrione munitur, ad meridiem excurrens: alluiturq; ab occaſu Liguſtico Tyrrhenoque mari: ab ortu, Hadriatico & Ionio. In ſinuant ſeſe hinc pelagi fluctus: nitūturq;, ut Italiam tutiorem reddāt, Alpes perſtringere: ſed id ipſum non conſequuntur. In hoc intimo ſinu inclytæ Venetię reſident: illinc Liguſticum mare ſatagit Apénini radicibus hærere: quod penè efficit. In hoc quoq; receſſu Genua, illa Veneti imperij æmula, ſita eſt: quo ſit ut penè contrà ne, quod eminentiſsimus poëta, longe, dicam: diuerſis Italiæ finibus ſibi reſpondeant. Oppoſuit illis ad internitionem quādoq; concurſuris prudens natura ingentem maris uaſtitatem, ut eſſent obices, quibus immēſa utriuſque populi odia, immenſæq; frenarētur iræ. His uero non ſolum Italiæ amplitudinem, ſed alta quoq; Apennini iuga ab Alpibus in Liguriam primò, inde Ancónem uſq; procurrētia: unde occurſu maris ſuo impetu auerſa, ad Garganum montem inclinant. Mox quaſi pelagus reformidantia, extremum Italiæ cornu petunt, tanquam uim fluctibus quos totiens effugerant, illatura. Sed illorū iras tanta aquarum uaſtitas non coërcuit: nec horum quidem, Alpium aſperitas. Ab Ilio Romani oriundi: ab Ilio & Veneti. Mixtæ Phœnicibus Libycæ gentes: mixti & Phocénſibus Ligures. Geſtarum rerum æmulatio primò illos, inde imperij cupiditas accēdit; his quoque hæc duo, non aliud, bellorum cauſam prębuerunt. Illi de Siciliæ poſſeſsione: hi ut dixi, de Ptolemaide certare cœperunt. Fuerunt Romani qui uicerunt, quandoq; priores periculo Pœnis, qui poſtea victi ſunt: fuerūt & Veneti, qui Liguſticas uires penitus fregerūt. Centum & amplius annos paribus odijs, ſæpè etiam uiribus inde bellatum. hinc quoque tam diuturni, & aliquanto longiores fuerunt labores: ut ab illis, ita quoq; ab his arma quandoq; poſita, odia uero nunquā. Euentus ſi non idem, non tamen omnino diuerſus. Excidit Carthago illa ingens: ſuperba Genua abiectis armis, quia plus non potuit, victoribus Venetis perpetuò ceſsit. De his igitur bellis dicere pergam, quæ Veneti cum ferociſsimo populo deinceps geſſere: ſi pauca adhuc illis prætulerimus, quæ iccirco præferenda crediderim: quia in quibuſdam annalibus prius relata repe rio. Alioquin enim ipſa temporum ratio nō ſolum ſcriptorum perplexitate nō liquet: ſed quæ quibus potiſsimū præferas, in dubium uenire poſsit. Erat Gradonicus Iuſtinopolis prætor per id tēpus, quo dux eſt domi declaratus: is Venetias accerſitus ducariam adminiſtrationem adijt, quam à diuinis auſpicatus, mandauit Catharinæ uirginis diem, quem ipſe in priuata fortuna ſolennè egerat, publicè obſeruari. Credo aliquot Patrum decretū in noui ducis gratiam interceſsiſſe: quo factū ſit, ut hoc quoq; tempore lux illa in Venetis ſingulari ſit obſeruatione, quum antea inter profeſtos dies haberi conſueſſet. Sed habuit fortaſsis ille non magis priuatę religionis rationem, quàm ſuæ creationis: quā in eum diem incidiſſe quidā auctores ſunt. Per id tempus ferunt, Andreā Pannoniæ regem, matre Veneta ex Maurocenorum familia & Stephanō regis filio ortum, Venetias ueniſſe: ac tantum abfuiſſe, quo minus maternā domum, quia in libera ciuitate priuata eſſet, agnoſcere uoluiſſet: ut gentilia etiam ſigna in ipſo rerum faſtigio libens uſurparit. alba tātum cruce cum paruo circulo illis adiecta: quo diſcrimine quicunq; poſtea ea familia progeniti eſſent, à reliquis Maurocenis agnoſcerētur. Stephanus huius pater, Ferrarię natus eſt: quò mater, Ferrariēſis principis filia, poſt uiri obitum quum uentrem ferret, ſe contulerat: ſed illi adulto nunquam paternum regnum, quod defuncto patre propinqui occuparāt, recuperare cōtigit: umbram credo Veneti nominis ſecutus, Thomaſinam Maurocenam in uxorem duxit: ex ea Andream hunc tulit, qui procedente tempore prius adminiſtrationem, inde regis nomen recepit. Sunt qui Ptolemaidis excidium in id tēpus reijciant: ſed potiores tenēt id quod proximo libro docuimus. Cum Genuenſibus iterū inducijs exeuntibus cœptum eſt bellari. Sed Venetorum fortuna haud tantū proximo bello Liguſtico eminuit: quantum in hoc, quod illi aliquot interiectis annis ſucceſsit, eſt depreſſa. Et quia utriuſq; populi tū florentiſsimæ res erant, ac iam antea notæ inter ſe: aliquāto maiores bellorum apparatus, quàm ullo unquā tempore utrinq; proceſſere. Apparebat enim, nō de Ptolemaidis poſſeſsione, non de uico, aut æde: ſed de matris imperio atrox certamē futurum. Verum aliquāto prius mouit Venetus quàm Ligur: quod ideo factum credibile eſt, quia per id tēpus Genuēſes graui bello Piſanos fuerant adorti: capto inceptoq; præſidio quod illi ad Liburnium habuerant, onerarijsq; ad id nauibus cemēto arenaq; onuſtis, in ipſo portu, ut mari ciuitati occluderent demerſis. Erant Piſanorum opes iam antea non mediocriter acciſæ: uel poſt cladem illam inſignem ad Lamellū inſulam acceptā: ubi duodecim hominū millibus, partim cæſis, partim captis: unde quinquaginta triremes Genuenſis victor illis ademerat. Vt igitur Piſanos, quorum fida ſocietate primo Liguſtico bello uſi fuerant, præſenti periculo Veneti ſubtraherent, auerterentq; ipſum Ligurem ab eo uictoriæ curſu, maturarunt primas belli partes occupare ingenti claſſe: quæ ſex, ut quidam auctores ſunt, & ſexaginta habuit triremes, Rogerio Mauroceno præfecto, in ponticum mare ad res Genuenſium infeſtandas eſt miſſa: alij ſex & quadraginta ſcribunt: alij in ea claſſe triremem nullam fuiſſe affirmant, ſed alia omnis generis nauigia. Primus in Perēſes impetus eſt factus. Proximum hi Byzantio locum communiuerant (uicum tunc eum potius quàm oppidum fuiſſe crediderim, quem Genuenſes circa Ponticum mare negociantes ob Byzantij uicinitatem uulgò frequentabant.) Eratq; illis loci opportunitas admodum chara ad merces citro ultroq; cōuectandas: ac neſcio an, quod poſtea feciſſe dicūtur, iam tū quoq; in animo erat, locum muris communire: quod non ſolum ad id quod apertè prætendebant, ſed ad bellorum etiam rationem, maximè Liguſticæ rei, conducibilem nō ignorabant. Igitur quia nullis adhuc munitionibus erat firmatus, repente locus à Venetis oppreſſus eſt, atq; incendio cōſumptus. Inde ad Folia uetera, quæ Genuenſium tunc erant, admota claſsis. Huius quoq; oppidi in ſuam poteſtatem redacti non paruam Veneti partem combuſſerunt. Interim à Genuenſibus nihil motum reperio. Sequenti anno Ioannes Superantius cum quinq; & uiginti triremibus in eandem prouinciā miſſus: is Caphata urbem in Taurica Cherſoneſo ſitā adortus, ſubita ui occupat: ubi appetente hyeme coactus eſt hybernare. Immenſis regio damnata frigoribus (quippe quæ nō ſolum ad ſeptentriones uergit, ſed penè etiam ſubiacet) nouem nauiū turmas, reliquis magna ex parte afflictis, cōſumpſit. Mæotis palus, quę nō multum inde recedit, cum ipſo Cimmerio Boſphoro adeo alta glacie concreſcit, ut proditum ſit memoriæ: hic ubi per ęſtarem nauibus fuerat dimicatum, equeſtre ſit prælium hyeme cōmiſſum. Genuenſes & ipſi haud ultra differendum rati, Lampa de Aurio prefecto cum ſex ac ſexaginta triremibus: uel, ut alij tradunt, ſeptuaginta in altum proceſſere: qui ut cladem in Pontico mari acceptam ulciſcerētur, Venetum ſinum tumultuoſe ingreſi, ad urbē uſq; continuo curſu peruenīſſent, niſi ad eam numeroſæ claſsis famam, maioribus quàm unquam conatibus, itum eſſet Liguri obuiam. Habuit tum Venetus triremes quinq; & nonaginta: quas quū hoſtis ad Corcyram nigram eſſe cognouiſſet, pugnandi ſtudio eò curſum deflexit. Nec Veneti, utpote q non parum numero nauium præſtabant, pugnam detrectarunt. Memoria ad hæc rerum priore bello geſtarum ingentes his animum dabat. Sciebāt cum eo hoſte ſibi rem futurā, quem inter Tyrum & Ptolemaidem ingenti prælio uiciſſent. Succurrebat & nobiliſsima illa ad Drepanum pugna: qua aliquāto etiam minore nauium numero congreſsi, Genuenſium uires penè in perpetuum fregere. Nec illud excideram, quotiens eo bello Genuēſis (qui tanto ſtrepitu tum pugnam cieret) Venetorū occurſum turpi fuga declinaſſet: apertè prædicare, hoſtes nō ſua rum uirium fiducia, aut quia Venetam uirtutem ignorarent, id facere: ſed pertinacia quadam genti innata: quæ per æqua & iniqua eam præcipitem ageret: certo ſcire ſe, Liguſticam terram nō tam cito diuerſum genus hominum tuliſſe ab ijs, quos paucis ante annis totiens fugaſſent, ac penè ad internicionē nō una ſtrage perduxiſſent. Contrà Ligur, indigne ferre quod nonnunquā primo Liguſtico bello Venetis ceſsiſſe uideretur: cęterum ſtimulabat recens dolor iniuriæ in Ponto biennio acceptæ. Sed nihil erat quod eos ferociores redderet, quā quod per id tempus Piſanorum opes ita fregerant, ut nihil tam potenti nuper populo, pręter antiqui nominis umbram, reliquiſſent. His utrinque animis ac fiducia concurſum. Præerant Veneræ claſsi Carolus & Andreas Danduli, uiri impigri: hi nulla re quę ad uictoriam pertineret prætermiſſa, uenientem hoſtē ferociter excipiunt: exceptum magno animo ſuſtinent. Anceps oritur pugna, cędesq; terribilis in tam ualidarum claſsium occurſu oriri oportuit. Horrendæ uoces & clamor nautarum ac militum ſeſe hortantium exaudiri: ſtrepebāt omnia collisarum nauium conflictu, pugna cum multa cædealiquandiu diſtracta. Demum fuſis Venetis fœdiſsima oritur ſtrages: inſtare uictor Ligur, omnia cædis ac ruinæ complere. Venetarū rerum ſcriptores præter unum, reliqui omnes fatentur atrociſsimam cladem ea pugna acceptam, profligatamq; ac prorſus deperditam claſſem: ſed amiſſarum nauium numerum quaſi conſulto ſupprimunt, ut merito ſuſpicari poſsis, ex tanta claſſe, aut nauim nullam, quod incredibile eſt, aut quampauciſsimas euaſiſſe: unus, ut dixi, omnium rem aliquanto prolixius tradidit: ait ille, quod omnino ab alijs diuerſum eſt, Genuēſes in Corcyrenſi portu à Venetis obſeſſos uoluiſſe naues omnes Dandulis tradere, ſi incolumes inde uiros abire permiſiſſent: quo negato, tum metu in deſperationem uerſo concurſum fuiſſe: Liguremq; artem uiribus addidiſſe, quindecim triremibus in inſidijs locatis, quę medio pugnæ ardore in Venetos coortæ haud dubiam ſuis fecerint uictoriam. Cæterum ſex Genuenſium, duas & triginta Venetorum naues nō pugnaſſe: quę metu, uel, ut alij tradunt, ui uentorum auerſæ certamen detrectarunt: ab reliquis acriter dimicatum, pluresq; aliquando Ligures quàm Venetos cecidiſſe: atq; ab initio ita à Ligure laboratum, ut iam fugam circumſpicere cœpiſſet: quum quindecim illæ ex inſidijs tumultuoſe egreſſæ, pugnam repararunt, ac prælio inſtaurato Venetam claſſem omnino profligatā. Capta ad quatuor Venetorum milia cum ipſo Andrea nauiū prefecto: qui quum Genuam captiuus traheretur, prænimio dolore ita grauiter totiēsq; triremi caput impegiſſe dicitur, ut antequā Genuam uentum eſſet, expirarit. Ricoaldus Ferrarienſis auctor eſt, cum octo Genuenſium nauibus atque octoginta eo loco concurſum: trigintaq; Venetas prælio euaſiſſe, quę ab initio pugnam detrectarunt: captaq; ad quinq; hominum milia. nec ob cædem hoſtium ingentem Genuæ ullam uictoriæ lætitiam ſentiri potuiſſe: publiceq; prædicatum, maiore ad Corcyram clade Ligurem quàm Venetum affectum. Atq; in hunc modum in Dalmatia pugnatum accepimus. Tantę cladis nuncius ingentem luctum terroremq; ciuitati attulit: ſed imminentis periculi metus effecit, ut ciuitas ab omni mœrore auerſa, continuò ad uires reparandas animum adiecerit: uulgo credere, uictore hoſtem (quia nulla eſſet claſsis quæ illius curſum, ſi Venetias uerſus mouiſſet, impedire poſſet) nō multo pòſt cum tumultu affuturum. Sed eum in Græciam, uel domum potius, continuo abiiſſe ideo crediderim: quia poſt Corcyrenſem pugnam nihil à Ligure geſtum, non modo non in intimo ſinu, ſed ne in Dalmatia quidem reperio. Reparata claſſe ne inſulæ & maritima oppida quæ in Ionio & Ægęo erant, ſine præſidio eſſent, quinque & uiginti triremes Marco Baſeio prefecto ex urbe ſunt profectæ. Hæ quoque circa Helleſpontū cum hoſte congreſſæ, nihilo meliore euentu, quàm ad Corcyram eo anno pugnatum erat, conflixere: & ut non meliore euentu, ita non minori animo dimicatum. Ferunt ingenti prælio pugnatum: ac poſt multam ſtragem Venetorum fortunam inclinaſſe, ſexdecimq; longas naues cum remigum turmis ſocijsq; naualibus in hoſtium poteſtatem uenīſſe: quę reliquę fuerunt media trepidatione dilapſas, celeri fuga è Ligurum conſpectu abijſſe. Fuit recentior hæc clades omnino Corcyrenſi illa minor: quia pauciori bus nauibus eſſet concurſum. Sed ut in affecto corpore, in quo omnis noua morbi acceſsio grauiſsima eſt: ita hic nouus luctus qui modico interuallo maiorem illū cōſecutus eſt, incredibili mœrore Venetos affecit. Et ne publica fortuna uſpiam meliore ſpe eſſet,

haud multo poſtquã ita in Helleſponto eſt pugnatum, victor Ligur in Cretam curſum tenuit: ubi primo impetu Cydonem urbem occupauit. Sed in tãtis malis haud quidẽ Venetus ille uigor aliquo modo remiſit: reparatiſque ſæpè uiribus uario eſt euentu cum hoſte deinceps bellatũ: ſed quo loco, quoue tempore, quibus auſpicijs: neq; ſcriptores quos ſequimur, neque annales ipſi id tradunt: ita ut merito ſuſpicari poſsis, præter hæc quæ uulgo tradita ſunt, nil reliquo belli tempore accidiſſe memoria dignum. Illud affirmant omnes, poſt mutuas clades citro ultroque illatas, iam uiribus utriuſque populi grauiſsimo bello exhauſtis, hinc inde animos ad pacem magis uidelicet neceſſariam quàm uoluntariam inclinaſſe. Poſitis nãque armis odia nunquã depoſuere. Quamdiu ſecundò ſit cum Ligure bellatum, auctores quos uidimus non tradunt: ſed multa ſunt quibus coniectare libet, Liguſticum id bellum ſecundum priusquam penè dimidio fuiſſe: uerum quo breuius, eo ſanè atrocius. Quo accidit, ut uterque populus ultro ad pacem, ut diximus, inclinauerit: non quia nollent amplius in armis eſſe, ſed quia plus non poterant. Feſſam duro rempublicam, & adhuc præ nimio labore anhelantem, periculoſiſsimæ ciuium coniurationes exceperunt: ſed illæ ipſæ ut diuerſis hominum ordinibus profectæ: ita magnitudine periculi inæquales. nam quo minoris fortunæ hęc q̃ illa uiros ſortita eſt, eo facilius oppreſſa: qualis fuit Bocchonia, quæ Tepulanam longe atrociorem præceſsit. Fuit ea tempeſtate Marinus quidam, cui Bocchoni cognomen erat, homo non patricij, nec ſordidi etiam generis, ſed mediocris quidem & honeſtioris fortunæ: cæterum audax, & ad omne facinus promptus: is publicæ libertatis, aut certè illius qui tunc erat, ciuitatis ſtatus impatiens, de cæde principis atq; optimatium quorundam cogitare cœpit: ubi uero ad rem animum adiecit (quia per ſe tale facinus aggredi non audebat) cum ſui ordinis hominibus, quos publicæ libertatis antea pertæſos non ignorabat, ſuum communicat conſilium: probant illi rem, ſeque periculi ſocios ultro exhibent. Conſtat haud dubie, ſtatuiſſe eos principem cum aliquibus Patrum obtruncare: ſed conſilio ne reipublicæ inuadendæ, an quia Gradonicum ipſum non ex ſua ſed Patrũ ſententia paucis antè annis ſummam dignitatem adeptum dolebant: atque ob hoc non ſolum ducem ipſum, ſed eius etiam creationis auctores obtruncare in animo erat: id parum compertum habeo. Coniuratio ad principem delata non mediocriter eius animum turbauit: ſed periculo neceſsitatem imponente, confeſtim ad eam opprimendam conuerſus, pro magno habuit negocio, Marinum & ſocios in ſuam poteſtatem redigere: capti, ac ſceleris cõuicti, ad geminas columnas merito ſunt ſuſpendio necati. Cum Patauinis denuo orta eſt diſcordia, communito ab eis loco in ſtagnis, quæ inter Clodiam ſunt & Albanũ (Petabubulę loco nomen eſt) Haud dubie apparebat Patauinorum conſilia eò tendere, ut munitione præſidio inita uel nolentibus Venetis circumiecta loca in ſalinarum uſum uerterent. Verum Patres expedita hominum manu ad id miſſa locum ſubito diruendum curarunt. Tulerunt id Patauini iniquo animo: ſed nihil in præſentia mouere auſi, aliquandiu neque pro hoſtibus ſe Venetorum, neque amicis geſſerunt. Cum Palæologo Græciæ imperatore bellatum hoc tempore ſcribũt quidam: quia grandem pecuniam, quam deberet Venetis, recuſaſſet ſoluere: quo autem nomine ea deberetur, ab illis non traditur. Claſsis ad bellum inſtructa ſupplemẽtis ex Creta & Eubœa acceptis, ſeptem & uiginti triremes habuit: Belletus Iuſtinianus, qui cum imperio ad id bellum eſt miſſus, multas Græcorum naues (congredi ne auſas, an per occaſionem oppreſſas, non reperio) in ſuam poteſtatẽ redegit: omnes Græci generis qui in nauibus fuere (quia credo eorum fraude Venetum nomen cum Baldoino paucis antè annis fuerat Byzantio ejectum) ad unum laqueo necauit. Inde ad populationem conuerſus omni maritima ora, quæ eſt à Pera ad Argirum, ferro igniq; fœde populata, tantum hoſti metũ iniecit: ut pecunia, quæ debebatur, reddita, pacem penè ſupplex à Veneto impetrauit. Victrix claſsis cum quindecim captiuorum millibus domum eſt reducta: erexerat uictoria hæc ciuitatẽ, cladibus ſecundo bello Ligu ſtico acceptis domeſti caque coniuratione attonitam, in ſpem maximam reipub. in meliorem ſtatum retrahendę: quum Ferrarienſis motus in maius quoddam coniecit diſcrimen. Acciderat diuturna imperatorum ab Italia abſentia, ut clariſsimæ aliquot Ciſalpinæ Galliæ urbes nouos eſſent principes ſortitæ: ut Scalanos Verona haberet, Mantua Gonzagas: Ferraria Ateſtenſes: cuius familię uiri anno antea ſexageſimo quàm hæc geſta ſint, Salinguerra ejecto urbem ipſam pro Romana eccleſia adminiſtrare cœperunt: iniectoq; deinde Mutinæ locis q̃ finitimis freno, eò uſq; eorum opes creuerant: ut Carolus ſecundus Neapolitanus rex, Beatricem filiam Accioni, ea tempeſtate floréti, in matrimonium locauerit. Hunc Friſcus ex aliena uxore, ut ipſe prædicare ſolebat, filius, anno quo Beatricem duxerat, inſidijs exceptum in carcerem conijcit, coniectum ad mortem compulit. Mortuo Accione ſceleſtiſsimus adoleſcẽs principatum parricidio quæſitum, Ferrarienſibus paucis cum ipſo antiſtite annitentibus, ſibi interim firmare ſtuduit: & iam ferè omnia adeptus, arcem huic urbi ea parte qua Bononiam itur, inde Pado accubantem, nondum receperat. Ad eam oppugnandam (quia ſine nauigijs ob fluminis uicinitatem præſidium domari non poterat) ad Venetorum opes confugit: à quibus auxiliari claſſe accepta, quum locum arctior premeret obſidione: appareretq; breui hoſtẽ, quia Veneti aquas inſediſſent, deditionem facturũ: pontificis legatus, qui tum Bononiæ erat, cognitis quæ apud Ferrariã geſta erant: per oratores ad id miſſos ſolenni denunciatione à Venetis poſtulat, ut ab incepta oppugnatione abſtineãt. Forte accidit, ut ſub illorum aduentum acri certamine caſtellum oppugnaretur: quo factum eſt, ut ea quæ legati afferrent, in eo pugnæ feruore minime ſint exaudita. Interea Ferrarienſes, freti credo legatorum præſentia, diuerſarum partium facti, ſe legati fide futuros pronunciant. Secutus deinde clamor, rebus eccleſiæ propriæque libertati apertè fauentium. Turbauit omnino alios repentina ciuium defectio, & in primis Friſcum ipſum. Sed tantum abfuit ut Veneti ea nouitate territi ſint, quod Ferrarienſium nauigijs, quę ad caſtelli oppugnationem tyrannus contraxerat, ſubito incenſis, pugnaq; acriter inſtaurata nõ prius abſtiterint, quàm reſciſſo ponte Thealdum irruperint. Friſcus Ferrariẽſibus ob ſubitam defectionem iratus, infeſtis equitibus ex munitiore loco miſsis urbem pluribus locis incendit. Tum ciues hinc ferro inde igni circumuẽti, ſedato tumultu Friſco, quẽ infenſe oderant, præterito, Venetorum fidem implorant. Continuò deditione facta prorſus ab iniuria temperatum eſt. Veneti, & ſi urbem in fidem acceptam ſuis regere auſpicijs in animo habebant: Friſcum tamen, ne publicam fidem prodidiſſe uiderentur, in urbe retinuere. Clemẽs pontifex, qui tum in Gallia erat, audito Ferrarię caſu, ęgerrime ferens urbẽ Rom. eccleſiæ uectigalẽ, ita indigne à tyrãno uexatã, ac nouiſsime Veneti imperij factã: cõtinuo anathematis ſpiculũ in Venetos detorſit: ꝓpoſito tota Europa edicto, ut Venetũ Chriſtiano cœtu ejectũ, Romanęq; eccleſiæ hoſtem, fas eſſet cuiq; interimere. Hæc quidã habẽt annales: ſed ut mitius, ita ſimilius illud, quod externi ſcriptores tradunt: Veneto nomini ſacris interdictum: additum ad id, nihil impiè facturum, qui Venetum hominem in ſuam poteſtatem redactum, pro ſeruo uendidiſſet. Effecit ea res, ut in omnibus ferè Galliæ emporijs Venetorũ merces multi precij, regulorum ac principum iuſſu miſerabili modo fuerint direptæ: eadem circa mari tima Calabriæ Picenique agri loca accepta iniuria. Cæterùm ubique amiſsis rebus Veneti male habiti dicuntur, quidam etiam ex eis necati. Quo accidit, ut ab omni externo commercio per id tempus abſtinerent. Pontificius interea legatus ingentibus copijs contractis, acceptoque ualido à Florentinis equitatu, aduerſus Venetos & Friſcum Ferrariã duxit. Ciues ad primam propinquantis exercitus famam à Veneto deficiunt: mox copias portis admittas in urbem inducunt. ingens in utroſque edita cędes: ſed aliquanto maior in Venetos, qui ab hoſtiũ multitudine pulſi, intra Thealdi munitiones ſe trepidè receperunt. Ad eum locum oppugnandũ recepta urbe continuo à legato proponitur ſignum. Veneti (etſi iam antea ad pontificem miſerat legatos, qui cum eo agerent de Ferrariæ reſtitutione: quia res tam cito ob locorum diſtantiam tranſigi nõ potuit) ne aliquam maiorem cladem acciperent, arce quam adhuc præſidio tenebant, ultrò ceſſerunt. Cõſternatam his malis ciuitatem atrox coniuratio eſt adorta. quæ parum abfuit, quin libertatem ipſam cum toto imperio euerterit. Baiamons Tepulus, homo nobili familia natus: ſed animo in patriam inimico, & non minus fortaſsis quàm Catilina olim fuit, ſuæ ciuitati infeſto: fretus credo ea temporum nouitate qua rempub. multis malis concuſſam uidebat: cum non paucis patricij ſanguinis eminentioriſq; fortunæ uiris, quos ipſe ſui furoris participes fecerat, in patriam coniurauit. Ferunt inter eos conueniſſe, ut cum amicorum & clientũ manu, ſtatuta ad id facinus die, in curiam prorumperent: ac momento temporis Duce cum Patribus trucidato rempub. inuaderent, rebusq; imperij inter ſe diuiſis, apertam exercerent tyrannidem. Acceſsit ad id malum, quod ex reliqua multitudine quàm plurimi, partim pollicitationibus, partim nouarum rerũ ſtudio coniuratorum ædes frequentabant: quibus haud quidem exiſtimo rem tantam ab initio creditam, ſed aliud longè diuerſum parari oſtendebatur. Vbi uero dies quo gerenda res erat, affuit: ferunt (quaſi aër tanti ſceleris ciuitatem admonere uoluiſſet) ingentem tempeſtatem repente coortam: uim uentorum mixto imbri ſtrepitu omnia compleſſe. Coniurati autem non modò non territi, ſed uſi etiã prodigioſa illa tempeſtate, cum clamore & ſtrepitu in publicum prorumpunt. Res aliquanto antea tre pidiſsimè ad principem & patres delata, ingentem attulit terrorem. Continũo ad arma conclamatum eſt: dimiſsis per Vrbem qui alta uoce ſignificarent, ut quicunque rempub. ſaluam eſſe uellent, arreptis armis in curiam ad opem principi ac patribus ferendam aduolarent. Vndique huc concurſum. Coniurati interea aream quę pro æde diui Marci longè ac latè ſpaciatur, armis compleuerant: nec diutius cunctati, in curiam impetum faciunt. Tum optimates (nam non pauci iam cum armis in auxilium uenerant) coniuratorum impreſsionem non modò ſuſtinent, ſed fortiter etiam iniuriam repellunt. Oritur fœdiſsimum certamen: Libertas in medio erat. Illinc nefandæ manus in illam arma intendunt: hinc dux & Patres aut mori uolunt, aut omnino eam retinere. Luctuoſum & miſerabile erat cernere, ciuitatem in libertate natã, in libertate adultam: pro qua retinenda priſci illi Veneti urbis conditores aduerſus immaniſsimas gentes totiẽs dimicaſſent, ac tantum ſanguinis terra mariq; fudiſſent: in ſe tandẽ arma uertiſſe, ac ſeipſam ſuis armis conficere; & liber tatem, quæ omnibus ſemper æquè chara fuiſſet, diuerſarum partium eſſe factam. Credas illius ſpeciẽ ſollicitam tum in conſpectu omnium uerſatã, hinc patres ad ſe tuendam magnopere hortantem: illinc ſceleratis ciuibus nunc pudorem, nunc conuicium facientem: nec prius horũ ſatagere deſtitiſſe, quàm ſuperante optimatium factione coniuratorũ arma cum multa cędę ex publico ſint repulſa. Aiunt in ea trepidatione Baiamontem, ubi fortunam inclinare uidit, ſe mercatoria uia domum recipientem, à muliercula quadam molari lapide ſuperne dejecto, penè exanimatum iacuiſſe: atq; ita graui uulnere retentum, ab ijs qui eum inſequebantur ferro oppreſſum: inde ſubito recurſum in forum: hic coniuratorum aliqui patricij ſanguinis à Theſſerarum ponte ad principis conſpectum retracti, confeſtim ſecuri ſubiecti ſunt. Ferunt iam inde Mali uadi nomen loco manſiſſe. Ad abolendam nefandorum capitum memoriam publico eſt decreto edictũ: ut Baiamontis & omnium qui cum eo cõiuraſſent, ſigna undiq; tollerentur: futurumq; capitale huic, qui ea in albo aut alio loco poſtea retuliſſet: ædes dirutæ, cætera bona publicata. Quidam Baiamontis ædes ibi fuiſſe memorant, ubi nunc macellum in Riuoalto eſt. Ex ærario ſtipendium mulieri quæ Baiamontẽ ſubito ictu retardauerat, ac poſteris decretum. Feſta Viti martyris luce aiunt nefandam coniurationem oppreſſam: quo fit, ut quotannis ſtato die dux cum bona parte Patrum præeunte clero, quaſi publicã ſalutem diuo gratulaturi, eius ędem inuiſunt: undè reuerſi laute in curia epulantur. Scio ego non deeſſe, qui exitum cõiurationis huius diuerſum ab hoc quem dixi, memorent: tradantq; principẽ aliquanto antea q̃ ad arma ſit uentum, de coniuratione reſciuiſſe: miſſos q; publico nomine M. Michaëlem, & Guidonem Canalem ad Baiamontis ędes, qui eum orarent, ne quid in patriam temere moueret: ac cerè parũ abfuiſſe quin legati à cõiuratis fuerint uiolati. Inde ſumptis armis publicis quibuſdã locis incẽdio & rapina fœdatis, in aperto, ut diximus, eſſe dimicatũ: demum nefandis armis cum cæde repulſis optimatium factionem uicisſe. Inde Vgolini Iuſtiniani interuentu, qui cum magna hominum manu in auxilium Patrum uenerat (erat tum ille Clodiæ prætor) Baiamontem & ſocios (qui ultra Riuumalt um ſe tenebant) metu territos, in principis & patrum fidem ea conditione uenisſe, ut coniurationis conſcij extra Venetos fines exularent. atq; ita acciditſſe, ut nulla ferè urbs ſit in tota Ciſalpina Gallia, nullũ oppidũ in littorali Flaminiæ & Carnorũ ora, in quod coniuratorũ aliquis exulatum non abierit. Sed celebrior fama id habet quod prius memorauimus. Hac temporum nouitate Iaderenſes freti, Michaële Mauroceno Comite ejecto, ſextò rebellarunt. Ad urbem recipiendam confeſtim claſsis decernit: cui Belletus Iuſtinianus eſt præfectus. Dux interim anno ſui regiminis duodecimo ac mẽſe nono, diem obiuit: eius funus ad Cypriani ædem eſt elatum. Marinus Georgius, cui à probitate uitę Sancto cognomen fuiſſe traditur, Gradonico ſucceſſit. Toto ferè huius principatu, qui annum nõ expleuit, Veneti ob Ferrarienſem cauſam pontificis interdicto obnoxij fuere. Hinc fuit, credo, quòd domi foriſque reſpublica parum fœliciter ſit adminiſtrata. Nam in quàm apertum diſcrimen Tepulana coniuratio ciuitatem adduxerit, proximo loco oſtendimus. Sed nec apud Iaderam quidem paulo pòſt eſt fœlicius bellatum. Traiecerat in Dalmatia Belletus Venetas copias, & in ijs mille equites: quibus Dalmaſium Patres præeſſe uoluerunt: hominem ſtrenuum, ac Hiſpani generis: cuius ductu circa Ferrariam, quum pontificis ſtipendia faceret, Veneti ex urbe cum multa cæde fuerant in arcem compulſi. Quum itaque claſsis

ad insulam quæ urbi proxima est, stationem haberet: Dalmasius cum toto equitatu in continentem egressus, loco Iaderę propinquo metatur castra uallo ac fossa munit. Erat Iaderæ præsidio barbarus quidam, cui Banno erat nomen: is copijs urbe eductis & ipse ab Dalmasij castris mille passus consedit. Tota ferè æstas sine ullo memorabili prælio hic cōsumpta est. Et iam autumnus appetebat, nec spes interim ulla potiundæ urbis aderat. Bannus pacem leuioribus tentat conditionibus: quam quum nō impetrasset, ad dolum uersus cum Dalmasio clàm egit, ut à Venetis in urbē transiret: factaq; transitione duo millia aureorum nummūm in præsentia acciperet, præsertq; tamdiu urbi cum amplissimo stipendio, quàm ipse præesse uellet: tantum ad hęc tritici & omnium quæ ad uictum requiruntur, oppidani darent, quantum ad domesticum usum satis esse crederet: promissa insuper nauigia, quibus impedimenta suos q; in Italiā, aut aliò, quotiens inde abire uellet, turò traijceret. His in hunc modū comparatis, simulat Dalmasius quasi longioris moræ impatiens urbem postridie oppugnare uellet. Inde fidissimo cuiq; amicorum communicato consilio, edicit ut preciosissima quæq; in pugnam exeuntes secum quàm occultissimè asportarent, adessentq; ibi in prima acie: ut quum transitio facienda esset, nemo in mora esse posset. Postero die eductis copijs atq; ad urbē admotis, quum starent equites signum expectantes ut urbem oppugnatione adorirentur: ipse uelut aliquid prouisurus, cum suis hostium munitionibus adequitans, stupentibus noui tate rei Venetis, ingenti oppidanorum alacritate urbem est ingressus. Defixit omnium animos ut dixi subita Dalmasij transitio: ac metus ingens à perfido homine ac desertore incesit. Confestim igitur ne aliquam maiorem cladem acciperent (nam periculū erat, ne unà ex oppido & his castris quæ nō procul ab urbe Bannus habebat, repentina aliqua fieret eruptio) equitatus ad naues se trepidè recepit. Dalmasius ubi ad hostes uenit, ne omnino trāsfuga haberetur: sed causam fuisse ostenderet qua ad defectionem adduci potuisset, pacis arbitrū inter Venetos Dalmatas q; se non multo pòst agere cœpit. Cui rei quum aliquandiu studuisset: nec propter conditiones quæ hinc inde proponebant, quicq; transigi posse cerneret: cæterū se & Venetis ut desertorem inuisum, oppidanis uerò suspectū intelligeret: pacis actione deposita, ne cum periculo illic diutius esset, naues ex fœdere acceptas in Apuliā transmissurus ascendit. Et iam altum tenebat, quū fœda tēpestate coorta altis fluctibus primo iactatus: inde transuersa classe scopulis impacta, rebus & socijs amissis, suę perfidię meritas luit Veneto nomini pœnas. Ipse naufragus quum omnia sibi infesta circūspiceret: post res perditas ne uitæ discrimen adiret, haud multum uicinis littoribus cunctatus, paruū adeptus nauigium fugienti similis in Italiam traiecit. Breuissimus Marini principatus efficit ut credam, Iaderensem obsidionē nihil interea remisisse: sed ad deditionem usq;, quā sub ipsam Superantij principis declarationē factā reperio, in obsidenda urbe à Veneto perseueratum: alioquin quid de ea re affirmare possim, nō habeo. Marinus interea amplum diuo Dominico fanū priuato sumptu ædificauit: frequens q; in eo collegium, quod sacris operaretur instituit. Pium ad id hospitium non solū statuit, sed ita etiam donarijs instruxit, ut simul ijs qui diuina ibi curarent, simul etiam languentibus uictū per diui Marci procuratores (quibus hoc nomine res suas procurandas tradidit) perpetuo exhibendū cauerit. Ipse uero quū per hæc pia opera reipub. mēses decē præfuisset, humanis decessit: ad Gemelorū ædem est sepultus. Ioannes Superantius inde reipub. prælatus, homo præter nobilitatē generis A mansueto ingenio, & ad promouendā gratiā cōparatoris cōtinuo pòst suā declarationē Iaderenses in fidē recepit: sed tanta indulgentia, adeoq; remissis conditionibus, ut præbitā hinc eis materiā credide rint quidā, septimo postea rebellandi. Vitalis Michaēl eò comes missus. Procuratorum numerus auctus, ut sex numero esse cœperint, quū omnino pauciores antea fuissent. Ad caput Salinū fundamenta usq; ad Trinitatis fanū (locus per se longa exaggeratione exaruerat) hoc tēpore iacta dicunt. Ænonenses, Spalatrini, Tragurini, Siccenses in fidē rediere. Ciuitas pontificis interdicto, cui ad eam diē fuerat obnoxia, pientissima Francisci Danduli opera hoc nomine ad pontificē missi soluta est. Ferūt eum ad Clementis conspectū (qui Venetum nomen ob Ferrariensem causam inuisum habebat) serius admissum: miro priuatæ pietatis in patriam, publiceq; religionem exemplo cathena ferrea collo iniecta, ad pontificis mensam tamdiu in morē canis prostratū iacuisse, donec expugnata illius ira ignominiosam notā patriæ ademisset, atq; ex eo illi postea Canis cognomen fuisse. Quam appellationem iam inde ex quo ad pontificis mensam cathena uinctus conspectus est, primo foris, inde inter suos adeptus dicitur. Verumenimuero (si æqua & iniqua scriptoribus æstimare fas est, & ea quæ sentit animus, liberè loqui) haud quidem tam piè Dandulus tunc egisse uideri potest: quàm Clemens duriter, ne super bè dicam: quem si hominis libero loco nati, à clarissimoq; Italiæ populo, ac eodem Christianissimo, ad publicam ignominiam deprecandam missi, in speciem canis ad pedes prostrati, miserabilis tamdiu non mouit aspectus: exemplū saltem nostri regis, cuius ipse uicarium tunc nomen gerebat, mouere debuit, qui ne flagitiosissimo quidem latroni ueniā denegauit. An uerendū erat, ne ad eam diem nō satis pœnarum Veneti dedissent: quod ob arcē propinquę urbis expugnatam (ad quod facinus magis fortasis iura gentium (quia Friscus ille socius erat) quàm pollicitationes ullæ, aut ulla prædæ cupiditas traxisset) precio sissimis eorū mercibus in cunctis Europę emporijs hostiliter direptis: magno auri pondere amisso: multi (quod atrocius est) Veneti nominis graui ad eam diem seruitio pressi essent, obtruncatiq; etiam aliqui? Expleuit ille ignominioso hominis statu iram suam: sed expleuerit, dum ipsa posteritas magis probet huius patientiā, quàm illius seueritatem. Duriter, ut dixi, egit ille, quia potuit: hic uero pie, quia uoluit. Probabunt illius factum fortasse aliqui, sed non adeò multi: huius uero pietatem omnes non solùm probant, sed mirantur etiam. Nec fuit ingrata ciuitas, sed apertè ostendit, nihil in suis ciuibus magis probare, quàm animi mansuetudinē. Haud quidem diu in referenda gratia cessatū: sed data sedulò opera, ut non multo pòst ille qui tam ignominioso statu pro patria nuper cōspectus est, cultus summi honoris insignibus cōspiceretur. uicta Clementis ira cœpit ipse uerè Clemēs uideri. nam præterquam quod Veneto nomen interdicto leuauit, mandasse etiam dicitur, ne hoc alióue nomine Veneti postea à Romano pontifice tam lethifero spiculo peterentur: quod quidem rescripto etiam, ut quidam tradunt, constare uoluit. Sub id tempus triremes quatuordecim in altum eductæ: quibus Iustinianus Iustiniani cognominis est præfectus, Huic datum est negocium, ut undecim Genuensium triremes toto mari perquireret: quas rumor erat in quibusdam Europæ emporijs bona Venetorum diripienda acclamasse. Vbi uero in Ponticum mare uentum est, Iustinianus classem ad Caphata urbem admouit: ibi diligenter quæsitū an uera essent quæ de Genuensium in Venetos petulantia uulgò ferebantur: constitit q; uanos fuisse rumores illos, & à quibusdam nouarū rerum

rum cupidis ad irritanda utriusq; populi arma dissipatos. Cæterùm Genuenses qui eam urbem inco lebant, ueriti ne à Venetis hoc nomine cladem aliquam acciperent, amplissimis pollicitationibus & publicam operam & priuatam Venetis sunt polliciti. Iustinianus, quia parū honestè fieri apparebat, eos à se uiolatum iri, à quibus nulla in suos profecta esset iniuria, nihil hostile ultra molitus domum incolumem classem reduxit. Hæc foris. Domi interea uetus nauale aliqua est ex parte auctum: inde recētissimis temporibus longè magis ampliatum. Nostro uero tempore tam longe lateq; promotū, ut eius circuitus (qui mœnibus undique munitus est) non parui oppidi procul spectantibus præbeat speciem. Locum ipsum superioribus annis nō sine ſtupore perlustraui: nec interim mihi constitit, nauale ne uerius, an armamentarium dici posset. Nam præter triremes circiter centum iam paratas, nec dum tactas, sed in suis adhuc pontibus stantes: ac penè totidem carinas hinc inde positas, quarum aliquæ ad consummationem spectabant: aliaque minora nauigia, quæ numerum ingentem explebant: tanta inerat omnigenūm armorū uis, ut exercitū quàn tumuis ingētem facilè instruere potuisset. Classem ad insulas & oram Ionij Ægæique maris tuendam per hæc quoque tempora missam reperio, at nihil memorabile ab ea gestum. Anno principis duodecimo, triremes quadraginta aduersus Genuenses Iustinianus, qui ad Tauricam Chersonnesum paucis antè annis cum classe peruenerat, educere iussus, in Ponticum mare cursum tenuit: oppressisque circa Thracium Bosphorum non paucis Ligurum nauibus, quæ res Venetas infestabant (quatuor & triginta numero fuisse dicuntur.) Perenses suorū clade consternati, confestim ad se tuendos aliquot nauigia quæ ad manus erant, cemento aliaque grauiore materia repleta, ante oppidum deprimunt. Iustinianus nihilominus classem ad Peræ oppugnationem conuertit, castellis bellicis q; machinis in nauibus aduersus oppidanos dispositis: quod ipsum cōspicati Ligures (quia ingens ab hoste sibi periculū imminere uidebant) ab omni ui in preces uersi Venetum orant, ne pergat oppidum oppugnare, paratos esse se illata à suis damna Veneto nomini persoluere, ac quicquid in tam numerosa classe ornanda esset publicè collatum. His conditionibus pax Perensibus reddita, classisque incolumis domum reducta. Noua Cretensium defectio in hæc ferè tēpora incidit, aut certè non multo pòst. Iustinianus, qui Peram Venetas triremes nouissima in Græciā expeditione admouerat, Ducario nomine insulæ præsidebat. Is contractis ad nouos insulanorū motus uiribus, eam mira celeritate compressit: Cretēnses metu perculsos in fidē recepit. Hæc in Græcia. In Italia uero cum Patauinis actum de Brentæ fluminis alueo, cursu paululum auerso ad mare deriuando. Premebantur Patauini ea tempestate Mastini Scalani armis, quo bello ut uicinam urbem Veneti leuarent, magnopere conati sunt, obliti prorsus pristinæ iniuriæ, suorum temporum nouitate à Patauinis acceptæ. Siquidem ciuitate Clementino interdicto laborante, nullius gentis opes magis rei Venetæ infestæ, quàm Patauinorum fuere. Et quia pax interim nulla secuta est, Patauini Scalanis armis domiti, seruitutis iugum accepere. Verùm non prius est à Venetis cessatum, quàm tyranno ex illorum ceruice depulso pristinam Patauini libertatem recepere. Ciuitatis administratione Marsilio Carrario permissa: qui postea in Venetorum amicitia studiosè perseuerauit. Hæc domi forisque Superantio duce gesta. Sunt qui coniuratum à quibusdam in rempublicam hoc principe dicant: quod apud uindicatores non reperio. Ea administratio annos sexdecim, menses sex habuit: situs est in eo diui Marci A sacello, ubi baptismi lauacrum uisitur. Franciscus Dandulus, cui Canis cognomen inditum diximus, in Superantij locum est suffectus. Sub cuius declarationem, quum ciuitas mira annonæ charitate laboraret, aliquot longæ naues, & cum ijs plures onerariæ, quibus Nicolaus Phalerius præfuit, in Siciliā frumentatum missæ, tantam uim tritici inde abduxere: ut paucis diebus (quod gratissimum fuit populo) fames discussa sit. Octo Genuēsium triremes per id tempus duas Venetas ex Gallica negociatione redeūntes oppresserunt: merce quæ in nauibus erat potitus est Ligur: remiges ac socij nauales (qa aut cadendum, aut certè in hostium potestatem uenientum erat) quà proximum cuique fuit, relictis triremibus in littus abierunt. Polani & Vallenses, qui in Aquileiensis antistitis fide aliquandiu manserant, Venetum imperium ultrò receperunt. Id ille ægrè ferens, ad recipienda loca subito arma com parat. Contrà Veneti (ne eorum fortunā prodere uiderentur, qui nuper in suam fidem redijssent) & ipsi Iustiniano Iustiniani cognominis præfecto ingenteis in Histriam copias transmiserunt. Hic Aquileiensis antistes, quū cerneret se Venetis armis omnino imparem, sine ullo memorabili certamine Polam Vallemque certis conditionibus (uerùm quales illæ fuerint, auctores non tradunt) Veneto habendas reliquit. Sex Ligusticæ triremes cum octo Venetis, quibus Thomas Viarus ad præsidium insularum ac maritimæ oræ missus fuerat, conflīgūt: fusus ac fugatus Venetus quinque triremibus amissis, cum tribus quæ reliquæ erant, Venetias uenit. Tulerunt eam rem indignè Patres, eo ctique, Viari secordia eam cladem acceptam, in custodiam coniecere: ubi reliquum uitæ egisse dicitur. Turci interea non contenti ex tota Syria Christianos eiecisse, iam maris imperium cursibus cœperant occupare: quicquid aquarum supra Cretam ad ortum iacet circa Cyprum ac Rhodum, ita infestum reddiderant, ut nihil fermè tutū tota orientis ora nauigantibus relinqueretur. Egerant Veneti cum Galliæ rege, Ioanne Romano pontifice (qui secundus ac uicesimus fuit) annitente: ad quem hoc nomine Philippus Belegnus, Blasius Zenus, & Marinus Mauroce nus legati missi sunt, de expeditione in Turcos cōparanda. Quidam annales Nicolaum pontificē pro Ioanne habent: sed ineptè nimium illi errant: quū pòst Nicolaum quartum nullus ad id tempus pontifex eo nomine fuisset. Conuenerat igitur in eo fœdere, quod tunc cum Gallis ad euertendos Turcorum conatus, & ad Syriam inuadendam est ictum: ut uiginti equitum milia, peditum quinquaginta ab illis armarentur: Veneti classem centum nauigiorum conflarent: in quibus essent triremes instructę cum quatuor milibus armatorum: præterea onerariæ naues ad commeatum, machinas, aliaque onera ad usum belli deferēda. Sed Gallis (qui mos gentis est) cessantibus (creduntur omnino segnes qui trans Alpes incolunt ad peregrinas expeditiones: sunt alioquin uiri admodum feroces, & ad omne arduum facinus prompti: &, quod omnium in ea gente potissimum est, Christianæ fidei studiosissimi) tam pulchræ rei apparatus paulatim remisit. Ea cunctatione ac desidia Barbari feriores facti, omnia penè maria assiduis latrocinijs infederant. Periculum igitur quod proximè imminebat, pontificem & ex Christianis ducibus quosdam, sed nō adeo multos, ad comparanda arma perpulit. pararuntque in primis Veneti uim nauium ingentem: quarum imperium Petro Zeno est datum. Is miro uictoriæ cursu longè lateq; Barbaros insectatus omnem maris oram circa insulas & ad Syriā quæ spectat, à Turcorum iniuria uindicauit. Fuerunt & alij non pauci, qui aduersus eam gentē feliciter ea tempestate rem Christianam medijs aquis administra-

runt:sed Veneti omniũ felicissimè, quippe qui innumeras penè naues illis ademerunt. Quoscunque uiuos in suam potestatem Zenus redegit, suspēdio necauit. Ipse pacato mari uictricem classem Venetias reduxit. Per hæc tempora solem circa meridiē trium horarum spacio obtenebratũ, memorię proditum est. Dandulus princeps nummum percusit, Medianinum uulgò nominatum. Creuerant non mediocriter per id tempus Scalanorum opes: ut intra alpes quàm longe lateque Cisalpina Gallia patet, nemo esset qui non eorum potentiam reformidaret. Nam prēter Veronam, Vincentiam, Brixiam, quas aliquanto prius possederāt: Parmam Rubrijs fraude ejectis nouiter occuparant: Feltrum, Bellunum, Cenetamque iam antea Ioanni Bohemiæ regi ademerant. Taurisium quoque Scalanæ tunc erat ditionis, ut quidam auctores sunt: & in primis rerum Venetarũ scriptores. Forliuiensis Blondus Venetorum fuisse Taurisium scribit, quum aduersus Mastinum scalam primo cœptum est bellari: sed illi iccirco non accedo, quia nullũ ad eam diem oppidum Venetos in continenti habuisse reperio: cōstaret, si ita esset, aliquo modo, quo tempore, quóue iure Veneti tam illustrem urbē suam fecissent. quin probabilius illud quod cęteri habēt, eo bello quod est cum Mastino gestum (de quo nobis dicendum est) Taurisium Veneti imperij esse factum. Patauiū quoque (ne quid ad tantos deesset successus) haud multo antequam sumpta sint arma, illi subegerant. Vrbem ipsam ob ciuium discordiam Marsilius Carrarius (sed pro Marsilio Vbertinum apud quosdā reperio) quoniam in pristina libertate retinere nō posset, in seruitutem recidere passus erat. Verū quia tam facilè cesserat, permissum à Scalanis ut suo nomine publicæ administrationi Carrarij præessent. Tanto igitur rerum successu elatus Mastinus (ut est humana cupiditas, quæ longè minus in secundis rebus quàm in aduersis nouit seruare modum) Venetas opes sollicitaturus munitionem in stagnis, haud longe à Petabubula, tumultuario opere erigit: erectamque ualido firmat præsidio. Veneti, qui non ignorabant quorsum tenderent illius consilia, & ipsi haud procul inde locum communiunt. Interim cœptū est inter Patres consultari: qua ui, quáue arte infestissimum tyrannum, post alienas opes euersas suis etiam inhiantem, bello domare possent. apparebat, illius rebus per ocium firmatis, cōtinuo Venetis arma illaturum. Ad prœuertendā igitur Mastini consilia (is enim Scalanorum fratrum maior erat) bellum est à Venetis maturatum. Erant illius opes quò inter uicinos eminentiores, ita maiori inuidiæ obnoxiæ. Siquidem res humanæ ita sese habent, ut nihil æquè ac felicitas pariat mortalibus odium. Sed quia omnino nō paucos ea tangebat inuidia, nulli profectò erant quos minus perstringeret quàm Venetos: quippe qui nondum à continētis ora imperij fines promouerant, contenti maris potentia & præsentium rerum fortuna, quæ ob pelagi negocia tum quoque satis ingens erat. Quod quum res ita se haberet, nihil certè erat cur à tyranno quicquam suis rebus Venetos metuere oporteret. Erant igitur alijs eorum uires formidolosæ: ut Obicioni Æstensi, Philippo Gonzagæ, Accioni Vicecomiti: & in Hetruria Florētinis, qui ob Lucam urbem proximo loco occupatam, non mediocriter ab infestissimo tyranno iniuriam timebant. Erant ad hæc illi infensi, Petrus Rubrius Parmēsis, & fratres, uiri fortes: quibus spe futuræ amicitiæ Parma ejectis capitales Mastinus struxerat insidias. Quod ipsum ubi illi resciuerunt, Pontremulum concesserant: ubi eos Mastinus per id tempus, quo fœdus in eum est à Venetis & alijs percussum, graui premebat obsidione. Legatis igitur citro ultroque missis Florentini omnesque Cisalpinæ Galliæ principes, quibus Scalanæ opes suspectę tunc erant, in Mastinum & omnem Scalanam gentem se socios Venetis iunxere. Sed Florentinos tantum ab initio in Venetorum societatem uenisse tradunt quidam: inde iam susceptо bello cæteros principes socia his arma iunxisse. Additus his Ioannes Bohemię rex, qui urbes sibi in Italia ademptas recuperare in animo habebat: sed Veneti primas belli partes exceperūt. Fama tenet, nullum unquā bellum maiore animo à Venetis susceptum: nec metu quidem aut inuidia (quorū duorum affectuum suspicio in eos, ut sæpe dimus, non cadebat) sed quia populus in libertate natus, ac diuitijs tum præpotens, pulchrū ducebat, non propriā libertatem tantū, sed alios etiam, & in primis finitimos, à tyrannorum iniuria uindicare.

IN LIBRVM II.

Epitoma.

PEtrus Rubrius Parmensis sociorum populorum imperator declaratus Scalanum equitatum ad Lucam in Hetruria fudit: Scalani Opitergium paulo antè amissum recepere: Rubrius publicis signis à principe & Patribus acceptis, ad Metam oppidum primo castra fecit: Mercenaria Venetorum cohors ad Mestram proditione cæsa est: Rubrius copijs Brenta fluuio traiectis, hostium castris potitus est: Veneta signa citro ultroq; Patauino agro gestata: & circa Veronam nonnihil eodem tempore bellatum: Conglanenses in Venetorum fidem concessere: Patauij tumultuatum est: Multorum principum legati de pace acturi uno tempore Venetias uenere: Patauini Scalanis eiectis libertatem receperunt: Vrbis administratio Carrarijs permissa est: Petrus & Marsilius Rubrij paucis diebus uita decessere: Circa Vincentiam & in Veronensi agro pluribus locis in hostes prosperè est pugnatum: Galeacius Vicecomes Bergomum & Brixiam Scalanis ademit: Quibus Taurisio pluribusq; locis ablatis, pax tandem reddita est: Vrbs ad hæc ingenti cataclysmo diui Marci præsidio est seruata.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER II.

SOcietate in tyrannos inita, decreto Patrum iussi sunt dare nomina quicunq; per ætatem militare poterant: quadraginta & amplius hominum millia intra uicesimum ac sexagesimum ætatis annum conscripta dicuntur. Sed tanto quidem omnium ordinum & ætatum studio sumpta arma, ut multi sine publico, sine priuato cuiusquam stipendio ad uicinam tyrannidem extinguendā ultrò sint castra secuti. Haud tamen placuit, totis uiribus hostem aggredi: sed patrio more lentius incipere: ac ubi cœptum esset, acrius perseuerare. Dum uero potentissimi duo Italiæ populi in parandis armis erant occupati: ferunt ad famam tanti belli ex Transalpina Gallia multos mortales in Italiam militandi studio transiuisse: qui per Hetruriam & Flaminiam Veneti auri famam secuti (quia per Cisalpinam Galliam non licebat) Rauennam peruenere. Erant citra ultraque

traque Padum loca: ac quicquid prorsus terrę inter Alpes iacet, præter Ferrariam ac Bononiam, Venetis occlusum: nondum enim Luchinus Vicecomes, qui Mediolanum tenebat: nec Philippus Gonzaga, à Scalanis erant alienati. Bononienses etsi ea tempestate domestica discordia, pontificisque interdicto (quia Romanæ ecclesiæ legatū ex urbe eiecissent) unà laborabant: benignè tamen Venetis concesserе, ut intra suos fines mercenarium militem conscriberent: nec non & ipsi socia cū his arma paulo pòst iunxere. Ostasius Polentanus, cuius tunc Rauenna erat, homo Veneti nominis studiosissimus, ueniētes Gallos excipiebat, exceptos lintribus alijsq; expeditioribus nauigijs Venetias deuehendos curabat: ad Mendiculorum ædem (est locus in extrema parte urbis) parata erant uenientibus statiua, cum commeatu & ijs quæ necessaria essent, donec in hostem mota essent castra. Habebatur ea tempestate Petrus Rubrius Parmensis, inter illustres Italiæ principes rei militaris peritissimus: hunc Veneti absentem copiarum imperatorē legunt. Is quanquam graui per id tempus à Mastino premebatur obsidione: ratus tamen uenisse tempus quo alienis opibus suam ac fratrum ulciscereturiniuriā: ne tantam prætermitteret occasionem (iam enim à Venetis per literas accersebatur) statuit per hostium stationes ignoto habitu (quia aperta eruptio fieri non poterat) Florentiam primò, inde Venetias uenire. Erat illi uxor, fœmina pudicissima, singularique in maritum beneuolentia: cui omnia in tali discrimine uiri consilia nota erant: reputans hæc in quàm apertum uitæ periculum ille se conijceret, & quàm magnum facinus aggrederetur: cum lachrymis ad pedes mariti prouoluta, per superos orare cœpit, perq; iugalem amorem, ne tam manifestum capitis adire uellet discrimen: cōsideraret animo, quo statu res suæ essent, ubi miseram coniugem cum tanto filiarum grege relinqueret. Ferunt sex illi fuisse filias, quæ patri circumfusæ id quod mater, flebili uoce precabantur: Quid, inquit illa, quid erit (quod nolem) si in hostium insidias lapsus & mihi & his miseris, quarum spes ex tua unius uita pendet, eripiaris? cessabit in tanta opportunitate superbissimus hostis: an facto potius repentè impetu, nos arcemq; tuo præsidio nudatam, atroci oppugnatione adorietur: rediget ille (quis nescit) omnia in suam potestatē. Verùm quid tum mihi, quid infelicibus puellis fiet? an putas illum tuarum pudicitiæ parsurum, qui tuæ uitæ non pepercit? Insultabit intemperantissimus hostis, ut suum in te odium expleat, harū uirginitati: aut tradet illas suis militibus uexandas: rapiet, incendet, diruet has tenues fortunas, quas nobis fortuna reliquas fecit. Erit (quis nescit?) conditio tua, qui hæc mala non uidebis, aliquanto melior. Ego misera, ego infelix, quæ hæc uidebo. Sed quid uidebo dixi, immò patiar, quæcunq; à superbissimo hoste patiūtur ij qui bello uicti sunt. Quod si tuæ uitæ periculum non mouet, mouere saltē debebunt hæc quæ diximus: quæ sanè ego tam uera fore existimo, quàm ea sunt quę oculis subiecta habemus. Sis igitur hic potius dulcissime coniunx, teq; ac nos (quæ tuæ sumus) cum his modicis fortunis tueri pergas: ac tantisper quæso tuum differ digressum, dum res nostræ tutiore loco sint. Spero breui fore, ut quum Scalanus hostis res suas Venetis armis ultra Padum premi senserit, continuo sit hinc abiturus, ac tum demū ad imperium istud exibis. Hæcilla. Ad quas flebiles uoces turbatus, uir alio quin strenuus, pauca subiecit. Sciebat omnia uerissima esse quæ illa dixerat. Verùm ut ægram animi spe aliqua erigeret, iubet bono animo esse, ac bene quidem sperare: fore dicens, ut non multo pòst audiret, se cum imperio missum ad euertendas eorum opes, à quibus modo tanto principatu fraude ejectus, ad excidium cum tota domo quærerentur: satis superq; se fidere, intra paucos dies hostem abiturum: rogare interea ut forti animo esset: communes liberos cum tota domo sustineret. Nam quod ad arcis defensionem attineret, certò se scire dicebat, fide & strenuitate suorum omnia defensum iri: ac tamdiu fortiter obsidionem laturos, donec inuitus hostis uellet nollet inde cogeretur abire. Cæterùm maturato opus esse dicere, ne tantum imperiū negligere uideretur: nec in eo quod per hostes esset transeundum, tantum inde periculum sibi immineре, quantum ipsa animo concepisset: scire se, multos summos duces ignoto habitu nō solùm per hostes transiuisse, sed in eorū castris etiam omnia exp lorando diu uersatos. Desisteret igitur, seipsam fletu & eiulatione cōficere, nec plura precari, ita facto opus esse: multa quidem & magna homines uirtute facere, sed plura & maiora necessitate. Atque ita ea cum liberis ac tota domo amicis, quos ad præsidium relinquebat, commendata, se transitioni accingit. Sunt qui tradant, alterum ex fratribus ad sustinendum bellum domi relictū. Alij, ab initio ambos Venetias præmissos aiunt, ubi post imperium fratri decretum donati sunt ciuitate. Suorum igitur complexibus solutus, ignoto habitu per hostiū stationes cum uno fido, atque eodem strenuo comite silentio noctis elapsus Florentiam uenit. Hic mira omnium lætitia acceptus homo impiger, atq; desidię impatiens: haud multo pòst in Lucenses, Florentinorum copijs fretus, duxit: quorum finibus ferro igniq; uastatis, cum paucis ad portas urbis adequitauit. Inde ingenti præda abducta, quum ex hostico in pacatum abiret, in insidias incidit. Quingenti equites à Mastino ad præsidium ciuitatis missi, auersa parte urbis egressi celeri cursu saltum insederāt, qua hostes iter facturos exploratum habebant: eò ubi uentum est, repentè illi ex insidijs cum clamore coorti, turbant primum agmen præda impeditum: inde ferocius inuecti fundunt fugantque: multi interim cæsi, signa militaria quę in prima fronte erāt, capta. Peruenerat clamor ad ipsum ducē, qui extremum cogebat agmen: & iam multi præcipiti fuga in suorum aciem incidentes, nunciant perditas res esse. Rubrius, ut præsenti erat consilio, suorum metum increpans sub signis manere imperat: fugientes sistit, iubetque forti animo esse: inde alacrem hostem & quasi parta uictoria gestientē, ferociter excipit, atrox committitur prælium. Sed ducis præsentia effecit, ut metu à Rubrianis repētè in hostes uerso, qui modo se uicisse putabāt, multis cadentibus uicti sint. Fusos igitur multa cum cæde ad urbē usque immissus eques insequitur: præda recepta, signa quæ amissa erant, non solùm recuperata, sed hostibus etiam sua adempta, quæ in Mastini inuidiam uictor Petrus Florentiam reuersus, iussit per publica loca ignominiosè distrahi. Auxit ea uictoria non mediocriter prioris famæ opinionem: eius uirtus in ore omnium esse: illud prædicare omnes, fore ut eius ductu immodica Scalanorū superbia esset non multo pòst remissura: eum uirum dignum iudicare, cui duo potentissimi Italiæ populi sua signa crediderint. In hac erat ille æstimatione, & iam Venetias uersus moturus copias, quas Florentini ex fœdere daturi erant, expectabat: quū in Venetis quoque bellari est cœptum, sed nō tam prosperè, quàm modo in Hetruria. Gerardus Caminensis, qui & ipse Venetorum societatem secutus, in Scalanos arma comparauerat: cum expedita armatorum manu Metа oppido profectus (uulgus Motam appellat) silentio noctis Opitergium occupat. Mastinus eo nuncio motus (sed Alberti potius eam expeditionem quàm Mastini fuisse crediderim) citato agmine ad hostē duxit. Vbi uero Opiterginos fines est ingressus, expeditos milites ad oppidum præmittit

mittit:ipſe cum robore copiarum ſequebatur, hoſtem ad pugnã temere egreſſum excepturus. Ii qui præceſſerant,ſubita ex oppido facta eruptione,cõtinuo ſunt à mœnibus repulſi: mox leue certamen inijciunt de induſtria, ut quàm longiſsimè hoſtem ab urbe diſtraherent. Quod ipſum conſecuti ubi ad inſidiarum locum uentum eſt, uerſi Scalani in pugnam,præcipiti fuga præſidium in urbem compulere:tum equites tyranni iuſſu ad terram deſiliunt, atque oppidum multa ui adorti ingentẽ Caminenſi militi inijciunt terrorem.(Erant enim præ loci magnitudine quàm pauciſsimi) Vbi igitur Scalani murum ſubiere, continuo illi ſuæ paucitati diffiſi,relictis mœnibus fugam capeſſunt. Tum refractis portis infert ſe agmen, hoſtemque paſsim obtruncant: pauci ſeruati,& in his Gerardus ipſe. Opitergio recepto Caminum uerſus mouit uictor hoſtis: oppidoq; paucis diebus,corrupto præſidio, eſt potitus. Creditum uulgò eſt, Metam quoque paruo negocio capi potuiſſe,ſi eò hoſtis adequitaſſet:ſed negligentia,ut fit,ex ſucceſſu orta,ſine cõmeatu, ſine imperio,nulla militari diſciplina eos coërcẽte, ſubitarij milites alij aliò dilapſi ſigna nuda reliquerunt, Veneti autem nihil interea mouerũt. Marſilius,qui ab initio legatus fratris Venetias uenerat, in cõſcribendo milite erat occupatus: ac uiribus nondum firmatis, ne quid ſub primos conatus temere ageret,ad hoſtem ducere non eſt auſus. Quidam Marſilium ad Tremulanam obſidionem perferendam à fratre relictum ſcripſerunt: Venetarum autem rerũ ſcriptores,eum Venetijs per id tempus fuiſſe affirmãt. Scalanus ad Venetos miſit qui de pace ageret, conditione tollendi ex ſtagnis præſidij, munitionisq; diruendæ, quam ad Petabubulam ſtruxerat, delata. Verùm illi nihil pacati in Veneris uidentes, ſine ſpe ulla conficiendæ pacis domũ abierunt. Rubrius interea cum equitibus mille & quingentis (quorum octingentos à Florentinis acceperat,à Bononienſibus trecentos, Obicio Æſtenſis reliquos dederat) per Ferrarienſes ducens Clodiam uenit. Hinc cum paucis Venetias progreſſum magna Patrum frequentia, qui officij gratia illi obuiam prodierant,excepit:moxque in curiam ad conſpectum principis admiſſum, ita Dandulus dicitur eum allocutus: Tua, Petre uir fortiſsime,egregia uirtus, quę mira omnium prędicatione celebris ubique eſt, effecit, ut quum Scalanorum iniuria adacti arma ad bellum ſanè difficillimum pararemus, te unum ex omnibus Italiæ ducibus dignum duxerimus,cuius præcipuè opera in tam arduo bello uti deberemus. Conſtitit nobis ab initio, opus eſſe imperatore aliquo,cui copias ad terreſtre negocium comparatas crederemus: ſed multorum famam ſecuti, quẽ demum conſilio,ſtrenuitate, nõ præferre (quia fieri non potuit) ſed conferre tecum auderemus, erat nemo:abſenti tibi ac graui bello implicito, noſtrarum copiarum imperium demandauimus: haud ignari, fore ut uno tempore,ſi is eſſes quem omnes te prędicant,& nos futurum arbitramur, infeſtiſsimũ nobis hoſtem nõ multo pòſt domitum redderes, teq; & tuos præſenti bello non ſolùm liberares, ſed iniurias etiam omnes ab illo acceptas, fortiter ulciſcereris. difficile eſt credere, quantam bene gerendæ rei ſpem ex eo conceperimus:quod te ad id bellum ducem nacti ſimus, qui nõ magis noſtra quàm tua cauſa ſis omnia facturus. haud quidem parui refert, mercede an odio aliquem oppugnes. Quod quum non magis nobis quàm tibi opus ſit, re bene geſta omnis noſtra adhortatio ſuperuacua uiſa eſt: uerũ ne nulla ſit, petimus à te, ut ſtrenue ac multa fide, uelut belli ſocium &imperatorem optimũ decet, rem Venetam adminiſtres. Occaſio omnium magnorum operum mater,quo loco,quóue tempore, omnia dicas, faciasque, ipſa facilè demonſtrabit.

A Nos tibi militem interea,commeatum, ipſoſq; bellorum neruos, pecuniam affatim miniſtrabimus. Et, quod Veneto nomini tibiq́ue bonum felixque ſit,accipe publica ſigna, quæ tuum comitentur imperium: tui uero milites illa, Deus optimus maximusque tua ſecundet geſta,ut non ſolùm ea ad nos incolumia,ſed uictricia quoque uictor referas. Receptis imperij ſignis pauca ad ea quæ princeps dixerat,Rubrius ſubiecit:ſpemq; maioris animi, q̃ ullam magnificam de ſe prædicationem, relinquens: cum omnibus copijs profectus eſt. Forliuiẽſis Blondus Tauriſium ait primo traductas copias, ratus ui delicet tum urbẽ ipſam Veneti imperij fuiſſe. Quidam annales habent,in Patauini agri Tauriſinique confinium:alij,quibus magis accedo (nam ea quæ illi tradunt,omnia hoſtium tunc erant) ad Metã oppidum edictum fuiſſe militi ut conueniret. Hic recognito exercitu conſtat,præter ſociorum appendices, quatuor equitum millia ac quingentos fuiſſe, peditum uero ſex millia: caupones præterea, lixas & calones non paucos. Collatini Comites, qui Scalanarum fuerant partium,& ipſi cum non parua militum manu in caſtra uenerunt: multi quoq; ex Carnorum finibus,& ultra Alpes ex Germania,ad tanti belli famam domo exciti Venetas copias non mediocriter auxere. Maſtinus audita Rubrij profectione,& quæ in Lucenſi agro per eos dies, quibus ille Florentiæ fuit,geſta fuerant: Tremulana obſidione ſoluta,Lucenſibus primo opem ferre ſtatuit, atque urbem ualido inire præſidio: quam uehementer timuit,ne ſibi tam acerbi hoſtis præſentia adimeret. Sed quum nunciatum eſſet,illum Venetias accerſitum,reſciuiſſetque per exploratores quàm ingentes copias Veneti comparaſſent,citato agmine Veronam contendit. Albertus Maſtini frater Patauiũ interim ualidò muniuerat præſidio: remq; communi conſilio cum Vbertino Carrario adminiſtrabat: B quo fit ut non Maſtini, quod fermè omnes tradunt (aberat enim quàm longiſsimè) ſed Alberti ductu Opitergium receptum credam. Intentus itaque ille in omnem occaſionem, ut primos Venetorũ motus aut euertere:aut,ſi id minus procederet, aliquo incommodo remorari poſſet:quia aperta ui nõ poterat,ad dolum ſe conuertit. Præſidebat per id tempus Meſtræ (eſt id Tauriſini agri oppidum Venetis ſtagnis propinquum.) Thomaſinus quidam,homo Spinetæ Malaſpinę (quĩ Scalana ſequebatur arma) longè familiaris:huius nomine locum ille præſidio tenebat. Is, Spineta auctore, fœdum eſt facinus in Venetos aggreſſus. Quinque millia aureorum nummũ pactus, Venetis ſe oppidum traditurum pollicetur:uxoremq; in fidem rei ac filium dat obſides. Conſtitutoque ad rem tranſigendam tempore, Albertus & Spineta ſilentio noctis oppidum cum expedita equitum ala ac peditibus non paucis ineũt. Veneti,etſi proditorem obſidibus inauctoratũ habebant,nihil fidem temerè habendam rati, Veneti nominis haud quempiam ad nocturnam illam expeditionem paſsi ſunt exire. Quingenti mercenarij milites miſsi:quos quarta noctis uigilia in oppidũ inductos,repentè Scalani ex inſidijs coorti adoriuntur. Pauci,quibus fortuna potius quàm hoſtiũ conſilium pepercit, uiui in eorum poteſtatem uenere: reliqui ad unum cæſi. Inde eruptione in illos qui foris erant repente facta, equite in conſternatũ agmẽ immiſſo pauciſsimi euaſerunt. Pulchro ſe facinore in Venetos defunctum Albertus exiſtimare: geſtire proinde,ac militibus captis quaſi Venetis inſultare. Verùm ubi ex ipſis captiuis cognitum eſt, nullum Venetum in ea expeditione fuiſſe, omnes mercenarios miſſos,atque eos procul à Veneta terra ortos:cœpit tyrannum ſui facti pœnitere,deum hominesque uehementer incuſare: nocturnæ cædis uehementer pudere:ita irarum plenus Patauium cum ſuis

ſuis eſt reuerſus. Rubrius,dum hęc in Tauriſinis geruntur,iamiam & ipſe in hoſtẽ moturus, ſuõs paucis affatus dicitur, atq; uehementer hortatus, ad ea in primis audenda quæ uiros fortes decerent: inde ut militaris diſciplinæ eſſent memores,non opus ſibi eſſe dicere ſeditioſo aut ignauo militi, ſed ſtrenuo in hoſtem, imperijq; ac laborum patientiſsimo: ſiquis eſſet qui hæc minus ſeruare poſſet, expedire illi ut caſtris antequam mota eſſent excederet: cum paucis ſtrenuis malle ſe uincere dictitãs, quàm cum multis ignauiſsimis uinci: audirent ij qui ita animati eſſent egregia ſuorum facinora potius, quàm præſentes turbarent. Maſtinus audito hoſtium motu, ueritus ne ſuburbana Meſtræ tecta Rubriani occuparent, iuſſit illa non ſine ingenti oppidanorũ inuidia uno tempore omnia concremare. Rubrius Anaxo fluuio ſuperato, per Tauriſinos ducẽs, tecta procul fumantia intuitus dixiſſe fertur: maiora ſe animo moliri, quàm ut in ſuburbanis Meſtrę tectis eſſe uellet. Erant qui Tauriſium dicerent oppugnandum: ille uerò, ad hoſtẽ ſe properare reſpondit, quo uicto fore prædicabat ut multæ & amplæ ſequerẽtur uictoriæ. Ad Brentam fluuium iam Veneta caſtra proceſſerant, quum trepidiſsimis nuncijs Patauium allatum eſt, hoſtes aduentare: cœptæ tam ambiguæ uoces, atque inuidiæ plenæ, in tyrannos iactari: irent modò Scalani, et ſi ij eſſent qui uideri uolebant, ſumerent arma, Venetos hoſtes tranſitu fluminis prohiberent. Illi uerò in tanta rerum trepidatione, ne non omnia audere uiderentur, iubẽt milites cõfeſtim arma capere. Albertus cum lecta manu hominum hoſti occurſurus urbe egreditur. At Rubrius traductis noctu copijs, in ulteriore fluminis ripa ante lucem cõſederat: inde quadrato agmine in hoſtem, qui appropinquare dicebatur, alacri animo mouit: ratus ueniſſe tẽpus, quo ueteres Scalanorum in ſe iniurias aut ulciſceretur, aut optimi B imperatoris officio functus, fortiter pugnando occumberet. Albertus interim audito hoſtium tranſitu,& quod iam pugnandi conſilio, pleno in ſe ferrẽtur gradu, perculſus animo fugam circumſpectare cœpit. Qua re animaduerſa & ij qui cum eo erant, continuò dilapſi caſtra nuper communita commeatibus plena relinquunt. His Venetus miles potitus cũ tumultu ad portas urbis adequitat: inde ad prędam conuerſus, longè lateque omnia circa urbem præda & incendio complet: à cæde & ſtupro iuſſus miles imperatoris edicto abſtinere. Interim uerò quum tam fœda populatio latè uagaretur, Saccenſes cum lachrymis appropinquanti hoſti ad ſuos fines occurrunt: orant ut iniuria abſtineret, paratos ſe eſſe imperata facere, commeatum exercitui benignè præbituros. Receptis in fidẽ Saccenſibus, mandatum eſt ut in caſtra commeatum deferrent, quæ ad oppidum penè admota erant. Hinc Rubrius Maſtino ſignificari iubet, qui ſub primos Venetorum motus Patauiũ uenerat,uehementer cupere ſe collatis ſignis cum eo dimicare. Quod ſi ea uirtute animi,armorumq; peritia eſſet,quam inſolenter iactare ſolebat: hortari identidem ne pugnam detrectaret, ſed confeſtim in æquum deſcenderet, acieque congreſsi uno prælio oſtenderent, quid uterq; alteri uirtute præſtaret. Ferunt Maſtinum prouocatum nullum dediſſe reſponſum. Rubrius ubi hoſtem ad pugnam elici non poſſe uidit, haud diutius cunctatus, caſtra mouet, turrim Corraniam iecto igne incendio abſumit. Eam ſubito opere inſtauratam Veneti præſidio firmarunt. Hæc fermè intra menſem geſta. Circa autem nonas Nouembris, quum ad Bubulentam uicum caſtra admota eſſent: auxiliares Florentinorum atq; aliorum ſociorum copiæ, quæ Clodię relictæ fuerant, Veneris ſe per ocium iunxere. Eſt is locus undiq; ferè aquis munitus: fama eſt, circa hæc loca Antenorem Ilio profugũ prima fundaſſe mœnia. Quidã auctores ſunt, ſub primos Rubrij motus equitatum omnem qui Clodię fuerat relictus, maioribus copijs ſtatim adiectum: atque ubi primum in continenti agmen conſtitiſſet, cõfeſtim caſtra ad Bubulẽtam cõmunita. In animo Rubrius habuiſſe dicitur, non prius inde mouere, quàm hoſtium cõſilia aliquo modo explorata haberet: haud ignarus, cum eo ſibi hoſte rem futuram, aduerſus quem nihil temerè eſſet agendum. Annales quos ſequimur, id habent quod priore loco diximus: addunt̃que Rubrij conſilio caſtellum ad Bubulentam erectum, ualidoque præſidio terra & aquis firmatum. animaduerterat ille, ſitum loci ad rationem gerendi belli magnopere pertinere: quod ita ſanè uſu euenit. Nam crebræ excurſiones in Patauinum agrum inde à Venetis poſtea factę dicuntur. Motis inde ſignis Patauiũ ſubito tumultu Rubrius inuadit:hic pro portis mœnibus que obequitans, hoſtes ad pugnam prouocabat, eorum ignauiam amariſsimis uerbis increpans. Sed quum ille intra mœnia ſe teneret, nec ad certamen ullum elici poſſet: conuerſis ad ima loca ſignis Caput aggeris petijt, ut Caſtellum ſalinarũ mox inde profectus oppugnaret. Venerat eò Marcus Lauretanus cum inſtructa claſſe. Communi itaque conſilio cœpta eſt res geri: tentatique interim eorum animi qui locum præſidio tenebant, an uoluntariam deditionem facere uellet, antequam uim ullam experirentur. Sed poſtquam nihil inde pacati reddebatur, atroci Venetus oppugnatione caſtellum aggreditur. Erant admotæ iam mœnibus bellicæ machinæ, & miles hoſtium munitiones ſubierat, quum Spititellus præſidij præfectus ſubito uulnere concidit. Conſternati eo caſu reliqui, inducias in octo dies paciſcuntur, his conditionibus, ut ſi Maſtinus interim ad ſe obſidione leuandos ueniſſet, pro Scalanis arcem retinerent: exeuntibus inducijs ſi opem ille non tuliſſet, deditionem facerent. Miſerunt itaque Patauium, qui ab eo peterent, ut aut ipſe ad ſuos obſidione leuandos ueniret: aut, ſi per ſe id minus præſtare poſſet, mitteret ſaltem qui hoſtem inde propulſarent. Illo uerò nihil pollicente, ſed admonente potius ut ſuæ ſaluti conſulerent, facta eſt caſtelli deditio, quod receptũ continuò Veneti diruerunt. Conglanenſes per eos dies & ipſi in Venetorum fidem uenerũt: ab his orta eſt urbium ac ſociorum à Scalanis defectio, quæ poſtea latè ſecuta eſt. Contraxerant tyranni & ipſi mercenarios milites ab initio nõ paucos, in quibus erant tria Germanorum milia: multa ab his hoſtilia in Patauinos edita dicuntur: non ſolùm non à rapinis, ſed ne à puellarum quidem matronarumq; ſtupris temperatum: creditumque uulgò eſt, ex huiuſmodi iniuria primam Patauinę defectionis cauſam ortam. Coactus ita Maſtinus per ſpeciem præſidij alios aliò ablegare: mille & quingentos Ateſte ad præſidium miſit. Horum quoq; ſolutiſsima hyberna Ateſtanorum res miſerabili modo afflixerunt. Patauij etiam (quia nulla interim iniuria abſtinebant qui in urbe remanſerant) tumultuatum eſt: fuiſſetque media urbe inter ciues & Barbaros dimicatum, niſi Maſtini maturo interuẽtu rixa, quæ iam coorta erat, fuiſſet dirempta. Haud cuiquam dubiũ uideri, ea iniuria Patauinorum animos à Scalanis alienatos, atque ob hoc ipſum iam propemodum ad defectionem ſpectare. Fuit Maſtino in animo præſidium ab Ateſte in urbem reuocare: feciſſetque, niſi Alberti fratris conſilio obtemperaſſet, prædicantis non eſſe ciuitatem recentiore Barbarorum iniuria onerandam. Cæterùm nihil eſſe cur à Patauinis & Marſilio quicquam metuere deberent, ſatis ſuperq; exploratum eſſe illius ac ciuium fidem. Rubrius interim aduerſus eos qui in Ateſtanis erant hybernis, proſperè pugnauit: trecẽtos ex eis captos ademptis armis miſſos fecit. Videbãt Scalani res ſuas in aper-

tum adduci discrimen: iccirco & à Cisalpinæ Galliæ A
socijs, & extra Italiam à Lodouico Bauariæ duce au
xilia per legatos implorarunt. Verùm illi ne tyran
nos omnino prodidisse uiderentur, legatos uno tẽ
pore Venetias miserunt, qui si fieri posset, auctores
pacis inter Venetos & Scalanos essent. Hæc coram:
occultè uerò aliud mandatum, ut si pax nulla secu
ta esset, societatem cum Venetis aduersus Mastinũ
inirent. Sexaginta principum ac populorum lega
tiones uno tempore Venetias uenere. Venit & ho
stium nomine Marsilius Carrarius, quem lapidibus
à plebe sub primum appulsum contra ius gentium
uiolatum ferunt. Neq; uerò id tam in Marsilij quàm
tyrannorum inuidiâ, quos Veneti infensè oderant.
Fuerunt ea tempestate, qui id arte factum interpre
tarentur, quo minus Scalanis ille suspectus esset, ad
uersus quos, ut cæteri legati, occulta cum Venetis
colloquia habiturus uenerat. Petentibus itaq; Ve
netis, ut Patauium, Taurisium, Parma, in pristinam
libertatem restituerentur: Lucaque in Hetruria Flo
rentinis daretur. Quia eas conditiones, uelut igno
miniæ plenas, Scalani auersabantur, infecta re di
missi sunt legati. Interim Accionis Vicecomitis,
Philippi Gonzagæ, atque aliorum quorundam ora
tores fœdus cum Venetis in Mastinum & fratrem
percusserunt. Marsilius cum Principe secretiore ser
mone egit de Patauina defectione, quæ non multo
pòst secuta est. Ferunt eum astante legatorum coro
na demisso sermone Dandulo dixisse: Ecquid si tibi
princeps Paduam daremus? Tum illum, & uoce &
uultu rẽ quæ interim agebatur dissimulando, Eam
tibi habendam traderemus, respõdisse. Hoc magis
placet, quã illud quod ùulgus tenet: à Carrarij prin
cipis legato id diu postea dictum, quum laute in cu
ria Princeps & Patres festa Viti martyris luce ex cõ
suetudine epularentur. Verum enimuero potuit fie
ri ut in conuiuio id acciderit: sed proditoris perso
na illorum arguit errorem. Cõstat enim ei ciuitatis
regimen, quisquis ille fuit, ab initio promissum: qd
Marsilio postea est datum: ei uero quem illi aiunt,
minime. Dum hæc domi aguntur, interim aliquot
Patauini agri oppida à Rubrio hostibus adempta
sunt. Quibus receptis quum ad urbem copias ad
mouisset, portarum unam, quæ Sanctorum omniũ
dicitur, subito incursu concremauit. Cæterum Me
strani, aliquanto postea noua oppugnatione territi,
deditionem fecerunt. Admotis inde Taurisium ca
stris, duas urbis portas noctu iniecto igni Venetus
cõcremauit. Tantus nocturna illa trepidatione me
tus ciuibus iniectus est, ut multi mortales noctis
umbra freti, per aduersa ab hoste loca urbe egressi
fugam moliti sint: ex ijs nõnulli, amenti cursu in ho
stes delati, capti dicuntur: in quibus Clara Caminẽ
sis fœmina illustris seruili habitu oppressa est. A ma
iore oppugnatione est temperatum: nescio an quia
parum confiderent, oppidum capi posse (ignari ui
delicet trepidationis ciuium ac consternationis il
lius noctis) seu potius ad Serualum recipiendũ pro
peratum est: quod oppidum per eos dies in Vene
torum fidem ueniisse quidam tradunt. Mastinus in
terea & Albertus fratres, præter tot oppida intra
paucos dies amissa, cognita sociorum defectione, à
quibus iam apertè in se parari bellum audiebant.
Nam fama erat, Luchinũ Vicecomitem (qui ex pro
pinqui sui Accionis morte Mediolani principatum
nuper adeptus fuerat) & Philippum Gõzagam: aut
iam in se mouisse, aut certè paulopòst moturos. Tã
tis malis circumuenti haud sanè illis constare pote
rat, quæ quibus consilia præferrent: quibus potis
simum locis hostium conatibus se obijcerent: qui
búsue præsidio urbibus esse uellẽt. Sed in tanta flu
ctuatione rerum quum parum liqueret quid aflli
ctis rebus expediret: Mastinus Patauio repente pro
fectus cum maxima parte copiarum, Alberto ad ur
bis præsidium relicto, Veronam abijt. Marsilius Ru
brius interea Atheſi superato per Polesinũ cum co
pijs quas à fratre acceperat, Mantuam uenit: hicq;
iunctis copijs Philippus Gonzaga & Luchinus Vi
cecomes de summa rei cũ eo locuti, belli partes in
ter se comparant: placuitque, in primis Veronam a
cri bello inuadere. Motisque repẽte signis hostium
fines ingressi, omnia circa urbem fœda populatio
ne complent: inde cum tumultu ad urbem obsiden
dam uersi expediunt quæ ad oppugnationem ne
cessaria uidebantur. Carolus interea Ioannis Boë
miæ regis filius, cum magna Barbarorum manu cir
ca Feltrum cõsedisse dicebatur: quo accidit ut uno
tempore tribus locis Scalani premerentur. Anceps
primo consiliorum, qua potissimum uia ingressus
se hostium conatibus obijceret: demum post mul
tas cogitationes ad uim & arma ferox Mastini ani
mus respicere cœpit. Constituit itaque, acie cum ijs
qui aderãt dimicare. At uero priusquam ad pugnã
exiret, Franciscum filium puerum adhuc, Spinetam
Marchionem, Guidonem Corregiarium, & Paulũ
Aligerium urbis prætorem, equestri dignitate do
nauit. Eruptione igitur repente facta, cum tumultu
ad hostem uadit, in conspectuq; aciem explicat: nul
lam pugnæ morã, si per eum licuisset, facturus. Ces
sit Marsilius: cesserunt alij prælio abstinentes: rati,
satius esse bellum in longum trahi, cuius onus appa
rebat Mastinum haud diutius laturum: quàm sum
mam rei in unius pugnæ euentum conijcere. Cedẽ
tes igitur potius quàm fugientes, in Mantuanos se
fines recepere. Ille uerò præsenti successu, quasi acie
uicisset, elatus, cum tribus millibus equitum, ac pe
ditum robore, Patauium cõtinuò uenit: inde ad Bu
bulentam, ubi Venetæ copiæ erant, castra mouit.
Hic subito accessu uiginti Venetorũ nauigijs, quæ
circa munitiones erant, oppressis, præsidium oppu
gnare est adortus. Quo strenuè defenso, ad duo mi- B
lia passuum inde inferiore loco iuxta amnem conse
dit: cõsilio uidelicet, commeatus qui ex urbe aquis
subuehebantur intercludendi: quod facilius conse
cutus esset, si inter Bubulentam, ut aiunt, & Mestrã
consedisset. Rubrius ad submouendum loco hostẽ
dicitur uim magnam contusi Gualdi (herba est ad
fullonicam in primis apta) superiore parte in fluuiũ
deiecta, aquationem Scalanis infestam reddidisse,
aqua parum perspicua facta: cæterum gustui ama
rissima. Sed quum proximo hoste Veneta castra la
borare fame cœpissent: reditus Marsilij, ob hoci
psum credo accersiti, effecit, ut auctis copijs possent
quò uellent Veneti mutare castra: quippe qui nihi
lo iam pauciores Scalanis essent. Verum sic quoq;
dicitur Petrus ab hoste lacessitus, cõsultò pugnam
detrectasse. Perspiciebat ille, Mastinum tantum bel
li onus haud diutius laturum: seq; parum prudẽter
facere, quando hostem iam semifractum cerneret,
cum quo etiam non multo pòst sine cruore debella
tum iri nemo ambigeret, si in discrimen unius dimi
cationis uictoriam conieciſſet. Dum itaq; ille circa
Bubulentam sedet, ratus se magno incõmodo hos
tem affecturum, si pergeret ei commeatus intercludere, quo minus fluuio subueherẽtur: ecce trepide
affertur, Brixiam graui obsidione à Luchino premi
occepisse. Quo nuncio turbatus Mastinus, per Pata
uinos fines & Vincentinos citato agmine se Vero
nam proripuit, Brixiæ subito opem laturus. Quod
ipsum dum studio pararet tumultuosius, nũciatum
Patauiũ defecisse: Albertumq; fratrẽ cum omni præ
sidio captum. Ea clades ita tyranni ferociam pro
strauit, ut nunquam postea ad spem melioris fortu
næ sit erectus. Marsilius Carrarius, Mastino ad Bri
xiam obsidione leuandam Patauinis finibus abcun
te, Petrum Rubrium cum copijs accersitum: aper
ta illi porta, quæ Pontis curui dicitur, intra mœnia
admiserat. qui ubi media urbe conspectus est (nec
enim

enim hostile quicquam in ciues mouebatur) conti- A
nuo in publicum est lætitia decursum: Rubrium li
beratorem suum salutant: Rubrium miro fauore &
laudibus extollunt. Hic uerò pro cõcione ciuitatis
regimen, Venetorum nomine Marsilio Carrario mi
ro omnium consensu defertur. Albertus & Risius
Foranẽsis urbis prætor: ac pleriq; ex tyranni neces
sarijs, in ea trepidatione capti sunt: res eorum direp
tæ: Albertus non multo pòst Venetias est missus.
Quingentos Germanos equites, qui in uictorũ po
testatem uenerãt, equis armisq; restitutis Rubrius
libere abire permisit. Mastini animus tot cladibus
cõcussus uehementer angebatur: quum interim &
alia recens clades affertur: Carolum per eos dies Fel
trum cum aliquot oppidis recepisse: Lucam ad hęc
graui bello à Rolando Rubrio, qui Florentinorum
copijs præerat, urgeri: ac etiam dubium esse, an Lu
censium animi iam ad defectionem spectare cœpis
sent. Sed omnium penè atrocissima illa, quæ non
multo post allata est: Brixiam, ad quam obsidione
leuandam sedulò se accinxerat, deditionem feciſſe:
atq; ita cõtinuatis, alia scilicet super aliam, cladibus
nouissimè cognouit Bergomum quoq; sibi à Luchi
no ademptum. Paduam Scalanis eiectis Venetorũ
legati uenerũt, M. Lauretanus, Iustinianus Iustinia
ni cognominis, & Andreatius Maurocenus: quib.
in forum adductis, uocato ad concionem populo,
Lauretanus publico nomine Patauinis gratulatus
est, quòd crudelissima tyrannide liberati pristinam
ciuitatis administrationem, quam Mastini iniuria
amiserant, recepissent. Decreto inde Patrum Mar
silio ciuitatis regimen se tradere pronunciauit: cu
ius innocentia quo maior esset atque omnibus no
tior, eo Venetos Patauinis melius consultum cre
dere: accedere ad id summam uiri prudentiam, quę
ocium & quietem maximam esset ciuibus omni- B
bus allatura: scire Venetos, atq; id sæpius expertos,
beatissimam tum esse rempub. quum à prudẽte ui
ro, atq; eodem innocente, administrari cœpisset. Ire
tẽ igitur, & quod ipsis Venetoq; nomini bene uer
teret, Marsilium popularem suum audirẽt, illius di
cto obediens quisque esset, ferrent æquo animo æ
quitatem, qui tyrannidẽ tam grauem esse non igno
rarent. Inde ad illum conuersus, Te quoque, inquit,
Marsili, etsi tuam probitatem satis exploratam ha
bemus omnes: meminisse oportebit, te nos tuæ ci
uitati præfeciſſe, non ut illi tantum præesses, sed pro
desses etiam. Quod si tibi minus cõstat, quã uia in
gressus ad illam præclarè administrandam accedas:
qua ratione, quibusúe moribus sine inuidia inter
tuos eminere possis, nostræ urbis magistratus, ne
aliunde exempla petas, id tibi facile monstrabunt.
Quippe qui ipso nomine ideo eminent, quia ob pu
blicam maiestatẽ debent: sublato nomine, cum in
fimo quoq; ex æquo uiuunt, norunt, equitatem ma
ximum esse ciuitatis uinculum. Reliquũ est, ut tuo
exemplo ciuitas assuescat ad Venetã amicitiam pu
blicè priuateq; colendam. Quod quàm piè sancteq;
oporteat uos facere, uestrorum temporum notita
tes admonere possunt, quibus iam paucis annis bis
uobis iugum seruitutis ademimus. non minus stul
tus est quàm ingratus ille, qui beneficio non mouẽ
tur. Vt uerissima, ita omnibus maximè grata fuit
Lauretani oratio: uel in primis Marsilio, qui actis
Veneto nomini gratijs, se studio curaturũ dixit, ut
suæ administrationis ne unum quidem pœniteret
ciuem: atq; ita prorsus, ut nulla noua regiminis for
ma ijs qui bene reipub. cõsultum uellent, esset desi
derio futura. Cæterùm neq; illud in postremis habi
turum, ut tales Patauini in Venetos omni tempore
futuri essent, quales gratissimi quiq; in eos qui de
se bene meriti sint, esse soleant: ea uidelicet gratia &
officio, ut omnes iudicaturi sint, Venetos suum in
Patauinis officiũ præclarè collocasse. Quod ad me- A
moriam præsentis beneficij attineret, nullo tempo
re, nullo se loco desiturum, quo principatũ, digni
tatem, reliquum q; suarum fortunarum, Veneto no
mini acceptũ non esset relaturus. Hæc ille quæ cir
cumfusa multitudo ingenti assensu & approbatio
ne excepit. Mutuæ deinde gratulationes secutæ, to
ta ciuitas ingenti gaudio exultare: uidisses subito
omnia mutata, pro metu & tristicia, in qua modo
fuerat, securitatem ciues & læticiam sentiebãt. Sed
hunc tantorum successuum cursum, qui in Venetis
rebus erat, Rubriorum fratrũ casus, qui penè conti
nuatis funerib. intra paucos dies interiere, magno
pere deformarunt. Padua nanq; recepta, monte Sili
cem Petrus oppugnare est adortus: quo certamine
occupatus letiferum uulnus accepit, inde Patauiũ
relatus, ingẽti omnium luctu expiraut. Fuit uir pro
cerioris staturę, promptissimus bellator, imperator
optimus, ab omni sæuitia alienus: quippe qui illud
in primis militibus in expeditionẽ exeuntibus edi
cere solebat, ut à cæde & stupro abstinerent. Cæte
rum ita ob suam in omnes comitatem dilectus, ut
ab Germanis equitibus, qui nõ pauci in eius castris
fuere, pater appellaretur. Ea ad hæc fuisse tradunt
munificentia, ut præter equum & paludamentum,
omnia suis profusa largitione donaret. Multi Italici
generis, & ex Germanis non pauci, eum pullis ue
stibus sustulerunt, luxeruntq; diu. Perijt ætate flore
tissima, cum annum uitæ ageret sextũ ac tricesimũ.
Marsilius eius frater (qui paucis antè diebus in fe
brem inciderat) sexto inde die Venetijs iam quin
quagenarius moritur. Rolando amborum fratri ab
senti, qui tum Lucenses graui bello premebat, om
nium copiarum imperium est delatum. Accersitus
haud quidem multo pòst, in castra quæ ad mõtem
Silicem erant, uenit. Neq; enim imperatoris morte
ob fidio interea remiserat. Hic parte copiarũ ad præ
fidium castrorum relicta, ipsa cum robore exercitus
per Æstanos fines in Veronensem agrũ populabun
dus erupit, omnibus q; ferro & igni ad mœnia usq;
uastatis, in castra cum prœda reuersus est. Vnde non
multo pòst accersitus, Venetias uenit, quò sociorũ
omnium legati uenerant de pace acturi. Hic quo
niam eædẽ conditiones Mastino, quæ & antea, pro
ponebantur: illeq;, ut ab initio fecerat, constanti ani
mo auersaretur, infecta re Venetijs legati abierunt.
Mastinus quum præsenti bello nondum se defun
ctum cerneret, à Lodouico Bauariæ duce auxilium
implorat, additq; ad preces, magnas pollicitatiões.
Promittit Barbarus, auxilia se affatim missurum, si
eum aliquo certo pignore prius auctoratũ uideret.
Tum ille Pischeriam cum Francisco filio, nobilissi
mis q; quibusdã adolescẽtibus Lodouico tradidit.
Verũ cessante Barbaro, ubi se proditum Mastinis
sensit, subito incursu oppidũ cum filio & obsidibus
recepit. Marsilius interim moritur, qui Venetis au
ctoribus Vbertinum propinquũ suum sibi succesſo
rem testamento instituit: centum millibus aureorũ
nummũm Venetijs depositis, ad ædem in ea parte
urbis erigendam, quæ Iudaica dicitur: nec ad eam
solùm erigendam aurum sepositum, sed magnifico
quoq; apparatu ac prædijs instruendam. Ad Mon
tem forte castra per eos dies admota: crebrę q; hinc
excursiones & in Veronenses fines & Vincentinos
factæ. Mastinus interim Monticulũ obsidebat, hic
eum sedentem Rolandus subitò aduentu adortus
fundit fugatq;. Paucis inde diebus in nouam Scala
nis exit expeditionẽ, quæ nihilo Moticulana illa fe
licior fuit. Habebant Patauini & Germani equites
castra ad Longaram insulã: hos ut incautos oppri
meret, citato agmine hostis ad locum ire cõtendit.
Terra & aquis insula oppugnata est: uerùm non so
lùm defensa, sed nauigijs etiã amissis Mastinus in
de ignominiosè est reiectus. Vbertinus corrupto
præsidio montis Silicis, parte quæ arci subiecta est

recepit. Arcem ipſam paucis pòſt diebus, deditione
A à Floreno præfidij præfecto facta, Veneti recepérũt.
Tentauit interim Maltinus Montagnanum oppidũ
proditione recipere: ſed hoc quoq; parum feliciter
ab eo tentatum. Spinetæ Marchioni & Guidoni Fo
rauenſi res gerenda datur, ut quàm cautius poſſent
ad locum ducerent. Ea expeditio Venetos non la-
tuit, locatisq; circa Ateſte quingentis Germanis e-
quitibus, hoſtes inexplorato ducẽtes inſidijs excep-
ti ſunt: ad primum clamorẽ territi, abiectis armis
in fugam uertuntur: non pauci cæſi, ſed multo plu-
res capti: in quibus Guido & Gilbertus eius frater,
fuiſſe dicuntur, atq; cum his equites ducenti in Ve-
netorum poteſtatem uenere. Andreatius Mauroce
nus, cuius opera in ea expeditione maximè enituit,
equeſtri eſt poſtea dignitate donatus. Rolandus Pa
tauij tũc erat, unde citato agmine profectus Vincẽ-
tiam duxit: facto q; in urbem impetu, per Fœliciana
portam, & eam quę Noua dicitur, in ſuburbana te-
cta erupit. Tum longè maius quàm antea malũ mi-
ſeros ciues inuaſit. Circunſeſsi undiq; ab hoſtibus,
non erat unde annonã amplius ſperarent: ne ex Ve
rona quidem, Venetis Brendolam & Monticulum
tenentibus. Eiecti quidam proprijs domibus cum
coniugibus & liberis, ab equitibus qui præſidio e-
rant mẽdicare cogebantur. Tum demũ fracta pror-
ſus tyrãni ſuperbia, opportunè pax ſecuta eſt. Ferũt
illum, quum inire nõ poſſet rationem, qua Vincen-
tiam obſidione leuaret, ad pacem inclinaſſe: ad quã
petendam miſsis Venetias legatis, his conditioni-
bus impetrauit, ut Feltrum, Belunnum, Cenetaq;e
Carolo relinquerentur: Bergomum ac Brixia Vice-
comiti, qui eas occupauerat: Tauriſium cum uicis,
oppidis, caſtellis, quæ eius finibus continerẽtur, Ve
netorum eſſet: haberentq; cum his caſtellum Baldũ
& Baſſanum: & quod nauigatio Venetis negocia-
toribus libera per Atheſim pateret, Florentini qua-
tuor Lucenſis agri oppida retinerẽt. Ferunt iniquo
animo illos præſentẽ pacem tuliſſe: quippe qui Lu
cam urbem ſibi dari poſtulabant. Venerunt eorum
legati ad hoc ipſum Venetias, resq; magis tẽtata ab
illis dicitur, quàm quod ſpes eius rei impetrandę ul
la eſſet. Verùm inclinãtibus ad pacem Venetis, Flo
rentini facile ceſſerunt. Cautum ſocijs omnibus ac
regulis, qui ad Venetos defeciſſent: Albertus & ca-
ptiui omnes reſtituti. Vbertino Carrario caſtellum
Baldum & Baſſanũ Veneti dono dederunt. Ex quo
datur intelligi, nihil Venetos eo bello minus quæ-
ſiuiſſe, quàm imperij fines aliquo modo promoue-
re. Nam præter fractas iam tyranni opes, quas faci-
le euertere potuiſſent, atq; armis ſibi quærere, quic-
quid illi ademiſſent: Paduam urbem clariſsimam,
ſuam iure belli factam, Marſilio, priuato tunc homi
ni, habendam permiſerunt: nouiſsimeq; Vbertino,
qui illi ſucceſſerat, duo non parua oppida, hoſti in i-
pſo fœdere adẽpta, cum ſuis finibus tribuerunt. Sed
certè ita eſt, ut Forliuienſis Blondus ſcribit: nullàm
tum Venetis ampliandi imperij curam fuiſſe. unde
manifeſtè apparet, id unum quod ex ſententia con
ſecuti ſunt, eos quæſiuiſſe, ut inuiſam tyranni ſuper
biam contunderent, cernerentq; omnino fractũ, pa
cemq; ſuppliciter petentem eum, qui nuper tanto
ſtrepitu omnia turbabat: cui nõ ſatis erat, quicquid
telluris cis ultraq; Padi fluenta intra alpes iacet, ni-
ſi in Hetruriam quoq; tyrannidem promouiſſet, ac
nouiſsimè maris poſſeſsionem tanto labore queſi-
ram, non adimere (quod fieri nõ poterat) ſed turba
re Venetis cœpiſſet. Hunc igitur fructũ ut maximũ,
ita ſuauiſsimum ex ea uictoria tulere: ſatis ſuperq;
ſe adeptos rati, quod ſuperbiſsimi hoſtis ferociam
tandem proſtratam uidiſſent: cui demum iacenti, ac
miſerabili modo ignominioſam pacem petenti, nõ
modò non negauerunt, ſed ciuitate etiam donaue-
re. Dandulus repub. domi foriſq; feliciter admini-

ſtrata, anno ſui ducat⁹ circiter undecimo obijt: Bar
tholomęus Gradonicus illius adminiſtrationẽ ex-
cepit, Dux quadragintauirali ſuffragio creatus. Hoc
tẽpore ampliſsimũ illud conclaue, in quod octauo
quoq; die, interdum ſæpius, ad creandos magiſtra-
tus omnis ferè patricius ordo coit, apud quoſdam
conſtructum reperio. Popiliam, Peleſtrinã, Medoa-
cum decreto Patrũ tum primùm ex urbe magiſtra-
tus miſsi. Aquæ triduò ante Martias calẽdas noctu
ſubita tempeſtate coorta, ita ingentem fecere cata-
clyſmũ, ut tribus & amplius cubitis in urbe quàm
unquam aliàs creuiſſe dicantur. Res ipſa in porten
tum uerſa, auxit fidem ijs, quæ piſcatori cuidam ea
nocte uiſa tradũtur: appulerat is quum tempeſtatẽ
inſtare uidiſſet, circa ripam quæ Aureæ ędi propin-
qua eſt, piſcatoriã cymbã, ſeq; in opertum quod ui-
cino loco erat, trepidè receperat: tũ omnibus aqua
uentoq; ſtrepentibus, ad illum tres ueniſſe dicũtur,
qui uelut magno aliquo urgẽte negocio petere cœ
perunt, ut ſe ad Nicolai ędem, quę in riuo eſt, quàm
primum traijceret. Quod ille magnitudine tempe-
ſtatis deterritus negauit ſe facturũ. Tum eos quaſi
per ſe ituros, cõfeſtim in cymbã cõſcendiſſe. Quod
ipſum piſcator intuitus, quanquam inuitus ſe illis
remigem præbuiſſe. Vbi uerò ad ędem uentum eſt,
tum cõuerſos ad fauces portus, in quem (ut poſtea
creditum eſt) nauis cacodęmonũ plena delata erat,
diuino imperio illam fluctuanti pelago merſiſſe: ad
quod ſubita aquarum tranquillitas ſit ſecuta. Tum
uerò ex illis unum proximam ædem ſubijſſe, alterũ
ad Georgij fanum deuectũ, tertium priſtinã cymbę
ſtationem cum piſcatore repetiſſe: à quo (quanquã
animus ob ea quæ uiderat, nõ erat omnino religio-
ne liber) naulum tamen ſenex petere nõ dubitauit.
Cui ille, Ibis, inquit, ad Principem & Patres: ij ſanè
tibi mercedem uel cumulatiſsimam proſoluẽt, qui
B bus memineris ordine enarrare, quæcunq; hac no-
cte uidiſti. Haud mihi credẽt, ait piſcator: quin ſcio
me pro ludibrio in ora omniũ iturum, ſi temerè hęc
in uulgus referre auſim. Ad hæc diuus ille, Accipe,
ait, hoc pignus: ſimulq; ei annulum quem in manu
habebat, tradidit: nuncia duci, inquit, & Patribus,
noſtra opera ciuitatem hac nocte horrẽdo diluuio
liberatam. Et ne quid erres, eum quem ſuam ædem
ſubeuntem uidiſti, diuum Nicolaũ eſſe nõ ignores,
quem uos nautę in primis ueneramini: alterũ Geor
gium, qui & ipſe ſuum fanum inuiſit: me uerò Mar
cum Euangeliſtam, ueſtræ urbis parẽtem. atq; cum
his ex illius oculis euanuiſſe. Eo pignore ſenex con
firmatus, ubi primùm illuxit, in curiam aſcẽdit. Hic
quum dixiſſet, eſſe rem arduã ob quam opus eſſet
ſe ad Principis cõſpectum adduci: mox ad illius &
Patrum præſentiam admiſſus, omnia quæ uiderat,
audieratq;, ordine enarrat. Inde in eorum quæ di-
cta eſſent fidem, annulum ſibi per noctẽ à diuo tra-
ditũ, è ſinu protulit. Deſixit primò omnes, qui ade-
rant miraculi magnitudo: inde publicæ priuatæq;
gratulationes cœlitibus ipſis circa aras habitæ, quo
rum præſenti periculo ciuitas liberata eſſet. Seni ſti
pẽdium ex publico decretum. Per id tempus legati
ab Edoardo Britannię rege Venetias uenere, mari-
tima auxilia petentes aduerſus Philippum Galliæ
regem, cui Genuenſes enixè fauebãt: nec, quamuis
regis nomine multa pollicerentur, auxilia ulla im-
petrarunt. Docuere Patres in quãto diſcrimine eſ-
ſet imperium maris, quod à Turcorũ incurſibus uix
aſsiduis expeditionibus tueri poſſent: tantũ Chri-
ſtianorum deſidia eorum uires inualuiſſe dicere, ut
ducentas longas naues, ac quum paululũ adniti uel
lent, trecentas in Chriſtianum nomen inſtruerent.
Cretenſes quidam reguli circa hæc tempora rebel-
larunt: hi arces & caſtella in montanis locis tuẽtes,
magnam inſulæ partem infeſtabant. Ad eorum mo
tus comprimendos, uis peditũ ingens miſſa eſt, qui
bus in

bus in naues longas, quæ ad Cypriam negociatio-
A nem exibãt, impoſitis, Nicolaus Phalerius, Iuſtinia-
nus Iuſtiniani cognominis, & Andreas Mauroce-
nus præfuere. Vbi uerò in inſulam uentum eſt, tri-
partitò in hoſtes mouere: quà maximè opus fuit, ſe
ſe hoſtiũ conatibus obijcere, occurrere ubiq; illis, ni
hil tutum eis relinquere, nullam prorſus prædandi
occaſionem. Edictum ad hæc præpoſuerunt, ut qui
cunq; rebellium regulorum aliquem aut obtrũcaſ-
ſet, aut uiuum ad Veneti magiſtratus præſentiã per
duxiſſet, non paruam in ſingula capita mercedẽ ac-
ciperet. Verùm quàm magna prępoſita ſit, auctores
quos uidimus non tradunt. Paucis itaq; diebus in
Venetorum poteſtatem redacti, meritas ſui ſceleris
pœnas luerunt: multi aquis merſi, plures ſuſpendio
necati. Quæ res effecit, ut inſulani regulorũ ſuppli-
cio territi, ad imperium breui poſtea redierint. Paca
ta inſula, copiarum præfecti Nicolao Phalerio de-
functo Venetias redierunt. Ingens annonæ caritas
toto Gradonici principatu in urbe fuit, ſed ducatus
ille admodũ breuis: quippe qui duos annos & men
ſes nouem nõ exceſsit. Ille quum tantiſper rempu-
blicam adminiſtraſſet, ex humanis deceſsit: corpus
eius in Aureæ ædis ueſtibulo eſt ſitum.

IN LIBRVM III.

Epitoma.

VAlidiſsima in Turcos claſsis parata eſt: Diuo Antonio ędes fundata: Iaderẽſes nouiſsimè ab imperio defecere: Veneti proſperè in Lodouicum regem ad Iaderam dimicarũt: Vrbs ipſa deditione recepta eſt: Ingens motus terræ horrendè urbem concuſsit: Fœdiſsima peſtilentia ciuitatẽ miſerabili mo do deformauit: Inducię cum Lodouico rege in quinq; annos pactæ ſunt: Iuſtinopolitanorum defectio Veneta arma in Hiſtriam excuſit: Tertij belli Liguſtici cauſæ: Decem Liguſticæ naues Caryſtio portu à Veneto ſunt oppreſſæ: Ligur Veneta claſſe abſente Chalcidem expugnauit: Veneta & Aragonia claſsis in Ionio fœda tempeſtate cum periculo iactatæ ſunt: Genuenſes in tres porẽtiſsimas claſſes uno tempore circa Boſpho rum proſperè pugnarunt: Veneta & Aragonia claſsis in ora inferi maris ualidam Genuenſium claſſem ingenti prælio uicerunt: Genuenſes libertatem ira perciti abiecere: Ligur repa ratis uiribus Parẽtium occupauit: Pleraſq; Venetas onerarias non uno loco oppreſsit: Ingens Venetorum claſsis ad Sapientiam inſulam à Ligure oppreſſa eſt: Phalerius dux affectati regni conuictus, meritas Patribus & populo cum ſocijs conſpirationis luit pœnas.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis ſecundæ,

LIBER III.

ANdreas Dandulus Gradonico ſucceſsit, uir ſingulari doctrina, & eloquentia, qualis in homine eius ætatis eſſe potuit, haud omnino uulgari. Quippe qui res Venetas duplici dicitur ſcripſiſſe ſtylo: uno prolixio re, & ubi id fortaſsis minus elegãti: cohibito altero, & ubi plus omnino, ut Careſinus ait, enituit eloquẽtiæ: comis ad hæc, atq; natura munificus, unde Cõmiſsini cognomen traxiſſe ferunt. Hinc fuit credo, quod immatura adhuc ætate procurator eſt factus;
A ac non multo pòſt princeps, quum alioquin non ni
ſi maiores natu uiri eam dignitatem ſortiri conſue-
uiſſent. Tradunt ferè omnes, ſextum ac triceſimum
uitæ annum tunc egiſſe, quum ſummum eſt hono-
rem adeptus. Reperio apud quoſdam, ſub primam
huius adminiſtrationem, ex fœdere cum Clemente
Romano pontifice ac pleriſq; alijs Chriſtiani nomi
nis principibus in Turcos icto, longas naues ſexde
cim inſtructas, Petrum Zenum, qui claſſi præfuit,
plurimis Barbarorum nauigijs oppreſsis, Smyrnã
urbem ſubita oppugnatione adortum occupaſſe, ca
ptamq; cæſis oppidanis ualido præſidio firmaſſe.
Nec ita multo pòſt circa hæc loca à Venetis, auxilia
ribus Rhodiorũ copijs Cypriorumq; fretis, in Tur-
cos uario euentu ſæpius dimicatũ, multosq; utrin-
que in ipſa acie occubuiſſe. Poſtremò fuſis fugatis-
que Venetis, cum ſociorum appẽdicibus quàm plu
rimos ex ipſa pugna ſeſe in oppidum trepidè rece-
piſſe: reliquos à Barbaris intercluſos ad unum occi
dione occiſos. Sub id tempus Nicolaus, cognomen
to Ioannes, ad Babylonium regem publico nomi-
ne eſt miſſus, qui cum eo ageret, ut Venetis negocia
toribus tuta in Ægyptum nauigatio pateret. impe-
tratũ eſt à Barbaro rege, quod publico nomine pe-
tebatur, ſed certis conditionibus. Verùm quia parũ
licita, niſi Romanus pontifex permiſiſſet, ſe cum
Chriſtianę fidei hoſtibus commercia habituros ap-
parebat: ad eum quoq; Marinus Phalerius eques,
& Andreas Cornarius miſsi, impetrarunt ut in pro
ximum quinquennium liceret Venetis cum ſex tri
remibus circa Alexandriam negociari. Duæ itaque
longæ naues primo ad eam negociationem exiue-
re, quibus Superantius Superantij cognominis præ
fectus eſt. Petrus Iuſtinianus cõſul cum his miſſus.
Biennio pòſt Iuſtinianus Iuſtiniani cognominis pu
blico nomine cum pontifice egit, ut in Syriam quo
B que Venetis fas eſſet negociorum cauſa nauigare:
prorogatumq; eſt utriuſq; negociationi tempus in
decem proximos annos. Antonij fanum per hæc tẽ
pora cœptum eſt ædificari: Ioannutium quendam
Florentia ex Abbatum familia oriundum, conden-
di operis auctorem memorant: atq; ab initio tenuẽ
illic ſcopulum fuiſſe, ubi lignea ædes, atque eadem
perexigua, tum primum ſit conſtructa: noſtro tem-
pore ampliſsima area, immò inſula potius, aſsidua
exaggeratione facta circumquaque, amœno proſpe
ctu in ſtagna decurrit: ac præter ædem, quæ & am-
pla & ſplendida eſt, perſpicuum opus ad pij hoſpi-
tij uſum nouiſsimè erectum templo accubat. Iade-
renſes ſeptimò à Veneto defecere imperio: conſtãs
que interim fama erat, miſiſſe eos ad Lodouicũ Pan
nonię regem, qui ei, ſi in Dalmatiam tranſire uellet,
utbem, agrum, portũ, ſeq; ipſos cum omnibus for-
tunis publicis, & priuatis dederent. Patres ſubitò
triremes quinque inſtructas Petro Canali præfecto
in Dalmatiam tranſmittunt. Vbi uerò ad Iaderam
claſsis admota eſt, Marco Cornario prætore cum to
ta domo & omnibus Veneti nominis, qui forte ea
nouitate temporũ illic erant, in naues acceptis, con
tinuò inde Venetus ſoluit. nam oppugnari urbs tã
exiguo nauium numero, & ab ea parte ſolùm, quæ
ad mare ſpectat, ut temerarium, ita quoque inutile
fuiſſet. Ad Pagum igitur primò itum: hic oppidani
magiſtratũ quem Iaderenſes eò miſerant, cum ple-
riſque popularibus qui officij cauſa fuerant nuper
eum ſecuti, Veneto intra mœnia accepto tradunt.
Eos Canalis Venetias miſit. Pago deinde præſidijs
firmato, confeſtim cum ijs nauibus quas habebat,
pleraq; hoſtium nauigia, circa inſulas ſubito acceſ-
ſu oppreſsit. Sed dum in hunc modũ ſtudet ille om
nia Iaderẽſibus infeſta reddere, M. Iuſtinianus cum
terreſtribus copijs ad fontem qui propinquus urbi
eſt, conſedit, ubi continuò militari opere caſtellum
erexit. Hinc operibus urbem Venetus oppugnare,

muros diſijcere,parietes diſturbare, omnia deniq; A infeſta hoſtibus reddere. Graui circa continentem obſidione premebantur Iaderẽſes: ſed à mari nihilominus interea uexabantur.Damiano nanq; oppido illis adempto,nunc inſtare claſsis,nunc celeriter abire:inde ubi paululum abfuiſſet, aliquanto maiore quàm antea impetu portũ inuadere.Erant in hoc ſtatu Iaderẽſium res, quum Andreas Maurocenus, & Simon Dandulus principis frater, in caſtra ad ea quæ è repub.eſſent prouidenda uenere, atq; iccirco Prouiſores ab initio huiuſmodi magiſtratus appellatos exiſtimo: nos uerò ubiq; Legatorum nomen libentius uſurpabimus. Sub eorũ acceſſum placuit terra mariq; urbem oppugnari. Acceperant, credo, Lodouicum cum ingentibus copijs appropinquare. magno igitur certamine urbẽ adorti:hinc nauales turmę pontes è nauibus in muros demittere,atque in urbem tranſcendere conabantur:inde terreſtres copiæ uineas,arietes, aliaq; bellica opera muris admouere. Vtrobiq; res parum proſperè mota eſt. Tranſcenderant in muros ab initio aliqui pontibus è ſummitate nauium ad mœnia admotis, ingẽtemq; oppidanis trepidationem iniecerant. cæſi etiam ex hoſtibus nonnulli primo incurſu: mox uerò deſperatione adacti, impetum in ſocios nauales faciunt,mœnibus deturbant,pontes quicunq; fuerant admoti,aut non multo pòſt erant admouendi, refringunt. quibus diſiectis reijciuntur cum ignominia ab oppido claſsiarij milites.Nec terreſtre præſidium felicius fuit:nam machinę quæ mœnibus admoueri debebant,inter agendum fractæ irritos fecere Venetorum conatus. Militibus igitur certamine auerſis datum eſt ſignum receptui. Secundũ hãc pugnam Lodouicus rex cum centum & uiginti millibus armatorum circa Iaderam tumultuoſe conſedit,qui ut urbem ſuæ fidei traditam obſidione leuaret,confeſtim ad Venetæ munitionis oppugnatio- B nem accurrit, dat ſignum pugnæ. Barbari terribili clamore Venetum uallum inuadũt, rati neq; foſſas neq; munitiones ullas eſſe, quæ ſuos remorari poſſent conatus.Iaderenſes & ipſi eruptione facta,præſidium unà oppugnare adorti ſunt. Veneti nõ ſolũ cætera ſtrenuè defendunt,ſed à uallo quoq; cũ multa cęde Barbarum ſummouent.Interim qui in nauibus erant, audito clamore, rati quod erat, ſuos acri oppugnatione laborare:confeſtim relicto ad naues præſidio,in littus deſiliunt,ac denſo agmine ad opẽ ferendam accurrunt. Quod quidem conſpicati qui intra munitiones erant, ſublato clamore repentè in hoſtem erumpunt. Atrox pro uallo oritur certamẽ, fœdiſsimaq; ſimul utrinq; cædes. Sed Barbarus,cui ſub primum Venetorum acceſſum minus ac minus ordines conſtare cœperant,ſubita è caſtris eruptione uictus in fugam uertitur. Inſtat uictor Venetus, paſsimq; palatos obtruncat. Dalmatæ ubi ſuorum fortunã inclinare uident,ſe trepidè intra mœnia recipiunt. Pulſus rex, magnaq; tanti exercitus parte amiſſa,in Pãnoniam fugienti ſimilis abijt.Vix equidem crediderim,ut liberè dicam quod ſentio,tantã hominum multitudinẽ à tam paucis uinci potuiſſe: quin propius fidei eſt, credere uiginti hominũ millia fuiſſe , quæ Lodouicus in Dalmatiam duxerit: cæterùm in numero à librarijs potius quàm ab auctoribus uehementer erratum.Sed quantæcunque fuerint copię(cõſtat enim omnino ingentes fuiſſe) inclytam Venetis uictoriam Barbari eo die relinquere. Ea ad hæc hoſtium cædes ædita eſt, ut aër tabeſcentium cadauerũ fœtore infectus , multos mortales in Venetis caſtris breui extinxerit. Verũ ſic quoque nihil obſidio remiſit, ſed terra mariq; Venetus rebellem populũ attentiſsima ſtatione fatigat. Demum cathena,quę portui prætenta erat,refracta:Iaderenſes iam externa auxilia deſperantes , nec ſuis opibus amplius fidentes , petiuerunt ut liceret ſibi mittere Venetias legatos. qđ haud grauatè eſt eis cõceſſum. Hi imploratа uenia, urbem ſeq; patribus tradidere. Recepta Iadera Iuſtinianus Comes ciuitati datus.Principes ciuitatis,quibus auctoribus ſe ptimò Iaderenſes defecerant, publico decreto ſunt procul domo relegati. Ex qua remiſſa animaduerſione datur aperтè intelligi, quãta ſemper fuerit Venetorum clementia: qui ciuitatem crebris defectionibus Veneto nomini infeſtam,paucorũ ciuiũ exilio duxerint mulctandã. Populi aduocatores (quia ob ingentem gerẽdarum rerum multitudinẽ parũ commodè audituri uidebãtur prouocationes, quæ à iudicibus ad eorum tribunal deferebãtur) tres publico decreto auditores creati,qui eas cognoſceret: ij propagatis imperij finibus , quum ob peregrinas cauſas tres alij creati eſſent,Veteres nominari cœperunt.Veterum prętereà inſtitutorum abrogationes nõ paucas,nouas ſanctiones à principatu Iacobi Tepuli ad ſuam adminiſtrationem decreto Patrum factas,in unum uolumẽ Dandulus princeps redegit: capitibusq; ſuo indice notatis patriarum ſanctionũ ſextum inſcripſit.Scrutatus prætereа(quum procurator adhuc eſſet) ciuilia acta,omnia ſummi cõcilij decreta ordine notauit: quo quæq; auctore relata eſſent, quo item recepta ac probata.Ingẽs annonæ caritas premebat ciuitatem, quæ à Gradonici principatu cœperat inualeſcere.Ad eam leuãdam triremes & alia pleraq; nauigia in Appuliam & Siciliã uſq; frumentatũ miſſæ:quibus M.Iuſtinianus præfectus eſt.Ex hoc libet ſuſpicari,hanc frumentationem Iaderenſem obſidionem pręceſsiſſe: quod quidam etiam non negant. Conſtat enim , Dalmatico bello Iuſtinianum ipſum terreſtrium copiarum imperatorẽ fuiſſe:atq; Iaderenſibus in fidem receptis, Comitẽ poſtea datum.Haud enim fieri potuit(quis non uidet?) ut eodem tempore unus utrunq;-prouinciam,atq; omnino diuerſam obiuerit.Ex nauib. quæ ad coemendum in Siciliam frumentum miſsę fuerant: quum domum uenirent,duæ ſubita tempeſtate amiſſæ dicuntur:nec poſtea, ut quidã auctores ſunt, famam ad Venetos de illarum caſu ullam perueniſſe:quia nemo ex tanto naufragio euaſiſſet. Alij quatuor tantum ex fœda illa tempeſtate ſeruatos tradiderunt. Reliquæ naues frumento onuſtæ domum incolumes uenere. Sub illarum reditu continuò annonæ caritas remiſit. Quo ſublato malo, alia cõfeſtim ſubſecuta.Nam & motus terrę ingẽs, qui feſta cõuerſi Pauli luce circiter uiceſimam diei horam factus eſt:ita uehementer urbem concuſsit, ut ædificia multa,& publica & priuata,ruinam contraxerint : ſacrarum ædium turres, Silueſtri,Vitalis & Iacobi,quæ in Luprio eſt,faſtigium demiſere: & ad Angeli fanum terribili ſpecie acclinauit. Baſilij læuũ templi latus à culmine corruit.Exiſtimauerũt Babylonij (nam quid ſit quod terra ita horrẽdè moueatur,uideo à multis queri ſolere) quorundã ui ſyderum cum ſole circa mũdi quadrata cõmeantium id accidere : Anaxagoras ſucceſsione aëris in terrã generari arbitratus eſt : & Poſsidonius concluſum coarctatũq; in terra ſpiritũ eſſe credidit:Plinius neque,inquit,terræ unquã intremiſcũt,niſi ſopito mari,cœloq; adeò tranquillo , ut uolatus auiũ nõ pendeãt,ſubtracto omni ſpiritu qui uehit:neq; unq̃ niſi poſt uẽtos in uenas & cauernas cõditos.Ex quib. Plinij uerbis daſ intelligi, uẽtos in cauſa eſſe : quod philoſophorum plurimi affirmant.Subijcit deinde illud:Neq; aliud eſt,inquit,in terra tremor,quàm in nube tonitruũ : nec hiatus aliud, quàm quum fulmen erumpit,incluſo ſpiritu luctante , & ad libertatem exire uolente. Stoici eius genera plura eſſe dicunt:motum terræ,hiatum,alluuionem,ebullitionem. Quod ita ſanè eſt. Nam nunc terra in profundum ſubſidit , nunc uaſtas egerit moles: hic amnes ſubitò prorumpunt,illic aut ignes,aut calidæ aquæ ſubita

ſubita iaculatione proſiliunt:auertuntur nonnunq; A & ſuo curſu flumina. Terribilis ſonitus præcedit ipſum motum ac comitatur , nunc mugitui ſimilis, nunc humano clamori , fragoriue armorũ pro qualitate materię excipientis,formaq; cauernarum uel cuniculi per quem meat ſpiritus, qui in curuis reſultare dicitur:in duris feruere,in humidis & ſtagnantibus fluctuare. Quare nõ ita obnoxia eſt motibus terræ Venera ciuitas,ut quidam exiſtimarunt: quũ fluctuatio inter cæteros motus infeſtiſsima habeatur.Nam & uibratio non tam noxia eſt: nec concurrentium ędificiorum arietatio:quando alter motus alteri renitatur:neq; dũ terra intumeſcit , alterno̅q; motu reſidet.Tutiſsimi contra hos motus ædificiorum fornices,anguli parietũ, pontesq; alterno puſu renitẽte habentur.Latericia ad id mœnia minus, quàm reliqua huic cladi obnoxia. Præſentiunt in mari nauigantes futuros motus , cum fluctus ſine flatu ullo ſubitò intumeſcunt. Habent & qui in terris ſunt,quid ad hoc præſentiendũ obſeruent:quãdo aut aues non impauidæ ſedent,aut in puteis turbidior aqua eſt,nec ſine odoris tędio: futuri motus ſigna eſſe credũtur. Pherecydes Syrus hauſta aqua è puteo,terræmotum eo loco futurũ prædixit. His fortaſsis,aut certè aliqua ſimili coniectura , Anaximander Mileſius Lacedæmonijs terræmotum inſtare preſenſit:nam alioquin non Deus erat , qui ſcire potuiſſet futura.Sunt & ſua ſigna ſecuritatẽ quærentibus,neq; ſpirantibus uentis,neque fluctuante mari terræmotus fieri credũtur.Emergentibus uentis ceſſant tremores : quod ſi non fiat , quadraginta dies durant:interdum diutius,nonnunquam biennij ſpacio duraſſe conſtat.Ea uerò tẽpeſtate , de qua loquor,dies circiter quindecim quotidie magis minúsue mota eſt terra.Traduntq; hinc factũ, ut nulla ferè grauida mulier fuerit,quæ eo motu cõcuſſa nõ aborsum fecerit: nec nõ exceptas graui peſtilentia, B quę ſubitò ſubſecuta eſt,ad unam perijſſe omnes.In Scythia eam perniciоſam luem primò ortam accepimus:inde circa Pontici maris oram & Helleſpontum aliquandiu graſſatã. demũ ſub id tempus quo ingens ille motus terræ factus eſt,totum fermè occidentẽ corrupiſſe.Inguinariam peſtẽ apud quoſdã appellatã reperio:ob id credo,quia,ut aiunt,ad prima graſſantis morbi ſigna, glandulæ quædam circa inguina oriebantur:ad quarum ſenſum ingẽs feruor grauedoq; capitis cum obliuione rerum omniũ ſequebatur : ita, ut intra triduum morituri expirarent.adeoq; miſeros mortales peſtis illa uehementer corripuit,ut ex omni languentium numero uix cẽteſimus quiſq; mortem euaſerit. Alij ſex, ſeptẽue ad ſummum,ex eo numero ſubleuatos tradunt. Exaudiri ab initio in Veneta urbe (quæ præter cæteras ea lue conflictata eſt)lamentationes & ploratus:funera paſsim efferri,medicos languentium ſatagere,ægrotantium ędes ab amicis & propinquis frequentari,accerſitos ſacerdotes præſtò adeſſe,infirmos circuire. Verum ubi paulo pòſt dira illa uis morbi longè atrocius incubuit : tum uulgò cadere omnes:nullius ordinis ętatiſue in morte diſcrimẽ: alius ſuper alium procumbens expirabat: non propinquus propinquo ferre opẽ,nõ amicus amico:frater fratrẽ omnino deſerere,ſororẽ ſoror: nõ parẽtes liberis ſubuenire amplius,nõ liberi parentibus : nõ medicus ullus,non medicina aderat:fugere alius alium:quo quiſq; loco peſte deprehẽſus erat, ibi deiectus ſine ullius ope,ſine hortatione expirabat.Nõ funera ulla inſignia efferri:ſatis erat,ſi ſuo fœtore cadauer domi eiectum quempiam ad ſe in publicum trahendum inuitaſſet : atq; incompto aliquo nauigio exceptũ , ſine nomine, ſine pompa, ſine funere ullo,ad ſcrobẽ tumultuario opere factam , deferri contigiſſet.Opinio tenuit, multos adhuc ſpirantes pro mortuis ea tempeſtate elatos, Ad prima ueris ſigna intemperiem illam aëris ortã ferunt, indies̅q; A ad Maias Calendas uſq; inualuiſſe:tum toto menſe longè lateq; cum pernicie ferè omnium uim morbi graſſatam:demũ per menſem Iunij paulatim remiſiſſe:tum ſcilicet,quum pauci ſupererant in quos graſſari poſſet amplius. Vrbe in hũc modum exhauſta (quia omnia ſolitudinis plena erant)ad multitudinem refarciendam,necnon & ad tollendam uaſtitatem,quæ ciuitatem magnopere deformabat,lata lex eſt,ut quicunq; Venetias habitandi cauſa per id tempus migraſſet,fuiſſetq; ibi totum biẽnium , pro ciue haberetur. Veriti Patres ne ea clade fretus Lodouicus rex,rurſus Dalmatiã inuaderet,(erat enim in Italia per id tempus,quò cum ualido exercitu ad cædem fratris , à Ioanna regina coniuge perempti, ulciſcendam tranſmiſerat) tres ad eum legatos miſtunt:M.Iuſtinianum, Andream Maurocenum equitem,& Nicolaum Gradonicum:qui nunc rogando, nunc multa pollicendo , ita Barbarum ex ſententia uerſarunt,ut non modò quicquam aduerſo Venetorum tempore non mouerit,ſed in decem,ut quidam ſcribunt:ut alij,octo annos cum illis inducias pepigerit. Verùm ne Veneti nõ aliquo externo bello omni tempore occupati eſſent : Iuſtinopolitani, Iaderenſibus non multo antè receptis,à Veneto imperio defecerant:tum uerò (etſi ſatis alieno tempore moliri arma cogebantur) Pancratio tamen Iuſtiniano præfecto ad Iuſtinopolim recipiendam maritimas terreſtresq; copias Veneti inſtruxere. Traiecta in prouinciam claſſe,paruo negocio Hiſtri imperium recepere. Auctores defectionis,ne alicuius poſtea motus cauſa eſſent, Venetias abducti : unde ſi iniuſſu patrum abijſſent,capitalis dicta erat illis pœna.Per hæc quoq; tempora Albertus Croatiorũ regulus,Hiſtrię urbes excurſionibus & latrocinijs infeſtans,Veneta in ſe arma irritauit. Ad eam iniuriã ulciſcendam nouæ ſunt copiæ conſcriptæ , bellũq; ſubitò Alberto illatum.Miſsi Patricij duo,qui communi conſilio bellum adminiſtrarẽt:ac cætera quæ è repub.eſſent,in caſtris prouiderẽt.Ad primos motus territus Barbarus legatorum fidem implorauit: à quibus permiſſum eſt , ut Venetias ad Principẽ & ſenatum irent.Ad quos quum ille ſupplex ueniſſet, etſi iuſtam in eum iram patres habebant: ne tamen ſui moris obliti uiderentur , ueniam dederunt, aliquot oppidis illi prius ademptis:quæ,ne latronum receptacula,ut antea,eſſent,dirui mandarunt. Legatos , quia bellum ex ſententia Patrum non fuerant executi,ubi domum uenere,damnatos,ærarios̅que factos,Careſinus tradit, qui Dalmaticum hunc motum unus omnium memoriæ prodidit. Haud quidem multo ab hinc tempore , cœptum eſt tertiò cũ Genuenſibus bellari:ſed belli cauſa,ut ſępe aliàs,ab eorum iniuria profecta dicitur.Tenebant illi ea tẽpeſtate maritima quædam Pontici maris oppida: atq; ob id iam inde,ex quo Venetorum opes Byzantio à Palæologo eiectæ fuerant,cogitare cœperunt, qua ui,quáue arte Venetis negociatoribus Pontici maris curſum occluderent.Erant itaq; tum alibi Venetis infeſti,tum circa Protoſperum , quod oppidũ illi in eo tractu tenebant. Hic Cretenſes Venetasq; naues adepti,in apertam iniuriam proruperũt : eas interceptas magno negociatorum incõmodo, maiore ignominia,Caphata retrahendas curarunt.Careſinus Caphatino portu naues illas oppreſſas tradidit.Repetitis itaq; per legatos rebus, nec redditis, Patres ualidiſsimam in Genuenſes decernunt claſſem:in Dalmatia aliquot naues inſtructæ , in Creta quoq; & Eubœa:domi etiam hoc nomine retentę, quæ ad mercaturã paulo pòſt erant profecturæ.M. Mauroceno Hadriatici ſinus præfecto ex Raguſio cũ nauibus,quibus præerat,accerſito,quinq; & triginta triremiũ claſsis expleta,M.Rucinio data eſt: (ſed pro Rucinio Nicolaum Piſanum apud plures

reperio) is domo profectus ut Genuensium naues, A quæ dicebantur foris esse, assequereť. Quum igitur subita tempestate coorta Carystium portum, qui in parte Eubœæ est, tenuisset: bona Venetorum fortuna accidit, ut quatuordecim Ligurum triremes per id tempus ibi stationem haberent (erant hæ mercibus onustæ, uim præterea armorum ingentę, multos quoq; milites habebant) quibus cõsiliũ erat, Peram, ad Bosphorũ præsidio firmare: nẽ ob ea quę gesta fuerant, subitus aliquis à Venetis in suos populares, loci incolas, (ut sæpe aliàs) fieret incursus. Sunt qui eas triremes in Italiam rediturás eo portu consedisse dicant. Venetæ classis præfectus conspectis hostium nauibus, confestim suos ad pugnã expediri iubet. Tum impigrè omnes dicto audientes arma capiunt, in Ligurem proras detorquẽt, à fronte, à lateribus omnem exitum occludunt, præter uadosum latus (id enim ne naues scopulis impactæ colliderentur, Venetus insidere non est ausus) tuebatur fauces portus. Ligur certus erat, omnia primò experiri, quàm deditionem facere. Tum nauiũ præfectus parte copiarum in proximũ littus exposita, uicino hostibus loco munitionẽ tumultuario opere erectam præsidio firmat: hac quoq; parte bellicis machinis Liguré oppugnare aditur: interim quoq; ex nauibus missilia in hostem assiduè mitte bantur. Quibus undiq; afflictus iam longioris morę impatiens (quia omnia sibi in horas infestiora fieri cernebat) obseruato tempore antennas ac uela subitò expedire incipit. Eum tumultum Venetus cõspicatus, primò nouitate rei aliquantisper defixus stetit. Sed posteaquam hostem se ad subitá eruptionem parare animaduertit: ipse quoq; intentus expectare, qua primùm parte conaretur erumpere. Illi interea dum aliud longè diuersùm simularẽt, obuersis in id latus proris, quod pro uadoso Veneti sine præsidio reliquerant: uelis remisq; innixi apertã B fugam moliuntur. Iam quatuor triremes alia post aliam euaserant: quum M. Maurocenus, Hadriatici sinus præfectus, indignirate rei motus, repentè unã ex ijs triremibus, quas ad præsidiũ maris superiore anno habuerat, in hostem missam, iubet quintã Ligusticam triremem iamiam in apertum euadentẽ, ex transuerso ferire. Quod ipsum tam impigrè ab ijs, quibus id negocium erat datum, est factũ, ut cõtinuò illa oppressa, reliquæ quę proximè sequebantur consternatæ uicinis littoribus impactæ, paruo omnino negocio captæ sint. Et quia hostium triremes precioſam habebant mercem, conuersi ad eas diripiendas remiges socijq; nauales, quatuor, quæ iam altum tenebant, cupiditate prædæ circa captas hærentes, abire patiebantur: neq; præfecti, neq; cuiusquam imperium interim exaudiri. Tum ille tantam occasionem, suorum auaritia, è manibus labi, iniquo animo ferés, quinq; captarum nauium, quæ nondum erant direptæ, iussit incendi. Id aiũt ab eo factum, ut spe potiundæ prædæ exutum militẽ, ad hostem insequendum cõpelleret. Verùm dum primò cessat Venetus, inde sese ad persequendum conuertit. Ligur interim quàm longissimè abierat: decem longæ naues cũ præfecto classis, & septuaginta nobilibus Genuensibus in Venetorum potestatẽ uenere: sine ignobili multitudine, quæ pro numero nauium omnino ingens fuit. Victor Venetus post Carystiam uictoriam in Chalcidem mouit: ubi nobiles Genuenses cum mille alijs in custodiam tradi ti sunt: reliqui, qui quadringẽti circiter fuere, in Creta missi, & ipsi ibi in uinculis habiti. Eius uictorię fama Venetias perlata, ingenti lętitia ciuitatem afecit. Patres in tam lætis rebus haud religionis immemores, statuunt diem quo ad Carystum Ligur uictus esset, inter festos solennesq; dies perpetuò in Venetis habendum. Aiunt eum fuisse, quem hodie ciuitas ob Ioannis Baptistæ truncationem religiose obseruat: quum ante id tempus obseruari nõ consueuisset. alij Victoris martyris eum fuisse tradunt. Venetus haud diu circa Eubœam cunctatus, Ægæo & Hellesponto prospero cursu emensis, ad Peram subito incursu opprimẽdam ire pergit. Sed eius accessus hostem non latuit: quippe qui audita clade nuper ad Carystum accepta, Venetarumq; triremiũ accessu per exploratores cognito, omnia circa oppidum communiuerat: nauibus quæ in portu erant, arboribus & antennis, quasi uallo quodã cathenaris, ac reliquis ita ualidè instructis, ut Venetus (qui non multo pòst cum tumultu affuit) quia omnia ab hoste prouisa uidit, pugna abstinuerit. Verũ circa Bosphorum paucis diebus moratus, complures Ligusticas intercepit. Interea quatuor illæ Genuensium triremes, quæ eruptione facta ex Carysto fugerant: sex alijs, quas Philippus Aurius habebat, iunctæ: audita Venetæ classis profectione, ad Chalcidem oppugnandã sunt celeriter ductæ. Thomas Viarus qui tum urbi præerat, conspectis procul hostibus territus, parte oppidi Euripo auersa cũ legatis aufugit. Consternatam magistratuum fugam ciuitatem Ligur adortus, momento temporis occupat: occupatam diripit, direptam captiuis receptis turbaq; oppidanorũ abducta incendit. Vlta in hũc modum clade nuper accepta, lætus Aurius ex Chalcide mouit: atque non multo post quàm inde profectus est, Chium insulam occupat. Venetæ classis præfectus quum quadraginta circiter dies abfuisset, nec maioris prædæ potiundæ spes ulla daretur, remenso Hellesponto Venetias uersus cursum intenderat, quando præter oram Dalmatiæ, decem Venetas triremes obuias habuit, quas audiens ad se publico decreto missas, iusiit cursum sistere, ac secum retrò domum nauigare. Classis reditum ingentis prædæ fama, quæ nihilo opinione hominũ inferior fuit, perspicuum fecit. Quadringentis milli B bus prædam, quæ domum relata est, æstimatá tradiderunt quidam: sunt qui trecentis dicãt. Eodem anno quo bellari cœptũ est, Aragonum rex, ad quẽ Veneti Michaëlem Stenum legatum miserant: socia aduersus Genuẽses arma Venetis iunxit. Patres tanti principis societate aucti, maioris alicuius rei gerendæ spem nacti, classem decernunt ingentem: quinque & uiginti uiros creant, qui omnia quæ ad bellum necessaria essent, domi curarent. Nicolaus Pisanus classis imperator declaratus, cum duodecim triremibus & Ioanne Delphino, qui ad fœdus in Genuenses cum Græciæ imperatore feriendum Byzantium mittebatur domo profectus: is ubi in Dalmatiam uenit, nauim unam longam à Corictanis accepit: à Ragusinis item unam: tres deinde Venetæ sequi iussæ, circa Eubœam Pisanum assecutæ sunt. Ioannes Delphinus, qui cum eo domo profectus erat, sua interim legatione apud imperatorem defungitur: qui & ipse se socium in Ligures Veneto nomini iunxerat. Sed dum Græci naues expediunt, triginta triremes cum Pancratio Iustiniano sinus præfecto domo digressæ, in Siciliam cursum tenuerunt, ut circa insulam Aragoniæ classi, quam fama erat aduentare, se iungerent. Duabus hic classibus iunctis confestim præfecti Græciam uersus ex Trinacria mouerunt: unde consilium erat, in Peloponnesum transmittere. Sed quum iam naues altũ tenuissent, tam fœda tempestas orta dicitur, ut rara hominum memoria fœdior uisa crederetur. Iactatę grauiter & cum discrimine maximo triremes: quarum una cum tota turma nauali undis absorpta est: pleræque aliæ proximis littoribus impactæ, soluta carinarum crate in partes abierunt. Sed harum remiges ob proximam tellurem non adeò multi desiderati. Remittente demum tempestate Methonem tenuerunt: quò Nicolaus Pisanus postea ex Chalcide uenit. Eum paucis antè diebus Genuenses tribus &

bus & quadraginta longis nauibus freti, in Eubœæ A insulæ latus ex alto fugauerant. Hinc nauibus aliquot ad hostem aditu prohibendum in portu demersis: ipse cum omnibus copijs ad Chalcidẽ præsidio tuendam celeriter aduolauit. Ligur interim ferox cum tumultu affuit, urbem oppugnare adortus est: sed Veneto strenue oppidum tuente, omnes illius conatus irriti fuere. Ex Chalcide reiectus Ligur Phytholeum oppidum expugnauit. Dum hæc aũt circa Chalcidem geruntur, triremis una Ligustica speculatum progressa Veneti triremi occurrit, cui Ioannes Maurus præerat: apud alios Memum pro Mauro reperio. Venetus certamine uictus cum tota naui in hostium potestatem uenit. Ex eo Ligur cognouit, Hadriacam & Aragoniam classem haud procul inde esse. Celeri itaq; cursu in Eubœam delatus, suis nunciat ingentem uim nauium in orã Peloponnesiacam uenisse: binas classes, Venetorum alteram, alteram Aragonij regis: quæ aut iam inde in se mouissent, aut certè non multo pòst moturæ essent. Paganus Ligusticæ classis præfectus, eo nuncio turbatus, relicta Eubœa pręproperè cum omnibus copijs Peram contendit. Ante digressum omnium nauiũ turmas recognouisse dicitur, sensisseq; ad mille & quingentos homines deesse: quorum pars maxima Chalcidensi oppugnatione ceciderãt. Leuatus obsidione Pisanus ex insula, ut dixi, Methonẽ uenit: ubi cum Pancratio & Pontio Aragoniæ classis præfecto de ratione administrandi belli est locutus. Tũ paratis quæ ad profectionem necessaria credebantur, in Eubœam transmisere. Hinc Chalcide ualido præsidio firmata, Byzantium uersus mouere. Sed quum adhuc Ægæum nauigarẽt, Borea (erat enim anni bruma) uehementissimè spirante, coacti sunt aliquandiu eo loco esse, ubi uiolentissimus Aquilonis flatus deprenderat. Deficiente uerò commeatu retrò in Cretam abiere: ex Creta quadragesimo inde die ad prima ueris signa instructis cõmeatu & armis nauibus, in hostem denuo mouerunt. Venetarum rerum scriptores binas classes Byzantium non sine aliqua iactatione peruenisse tradunt: hisq; Græcorũ nauibus adiunctis in hostem ferocissimè itũ, at cruento marte circa Peram dimicatum: neutroq; adhuc fortuna inclinante diremptum esse prelium. Sed in hoc illi nimis ociosè, ne licentiosè dicam, Venetæ famæ indulserunt: diuerso nanq; euentu pugnatum diligentiores tradunt. Proditũ est ab illis, circa Thracium Bosphorum dimicatũ. Distant diuersarum terrarum angustiæ tria millia passuũ à Byzantio: hinc Europa, inde Asia est: uicinis se littoribus intuentes, ita prorsus ut suspicari possis, unam olim fuisse terram, ac terræmotu quandoque abruptam, arctissimã freto uiam præbuisse: ut olim Calpem ab Atlante abscissam, aditum Oceano in mediterranea dedisse credidit Plato. Huiusmodi fauces, quæ à boum meatibus ob breuem intercapedinem credantur peruiæ, Bosphorum appellant: atq; eundem Thracium, à terra cuius altera Bosphori ripa est. Has maris angustias audito hostium aduentu, qui ex Callipoli nouissimè soluerãt, consultò Ligur occupasse dicitur: ne si aperto mari cõmissum esset prælium, aduersus tres numerosas classes uno tempore, & uelut in orbem, pugnare cogeretur. apparebat iccirco tutius, Venetos Hispanumq; à fronte excipere, loco quidem angusto, ubi tanta uis nauium uno tempore dimicare non posset. A latere uerò Græcam, quæ modico negocio, si non tam citò auerti, certè sustineri posset. atq; ita sanè accidit, ut Græca classis penè intacta adhuc, ubi cœptũ est pugnari, turpiter hosti cesserit, & quasi pulsa, quum quadraginta longarum nauium esset, domũ se trepidè receperit. Leuatus ea parte Ligur omnem impetũ pugnæ in Venetas & Aragonias triremes, quę à fronte pugnabant, conuertit. Cruentum hic certa men commissum ferũt, ac duabus horis neutrò fortuna inclinante pugnatum. Verùm circa occasum solis, nascentem Austrum iniquiorem locum aduerso flatu Genuensibus feciſſe: ac ne sic quoq; illos loco summoueri potuisse, quin obstinatius resistẽtes, per noctem pugnam ciere nõ destitisse, citius ad unum mori quàm cedere uolentes. Veneti & ipsi suę famæ non obliti, parum decorum putabant, quando nauiũ numero præstarent, ab initio non uicisse. Nam præter quadraginta naues quas ipsi habebãt, triginta aliæ Aragoniæ gentis erant: quidam uerò pauciores fuisse aiunt, atque ex utraq; classe quàm plurimas triremes, ui uentorum præsenti certamine auersas, confligere non potuisse. horrendũ itaq; prælium per umbram noctis ad insequentem lucẽ protractum. Nox omnia pugnæ discrimina terribiliora fecerat. Exaudiri gemitus terribiles q; clamores: conflictus ad hæc collisarum nauium, armorũ sonitus, horrendo strepitu utrunq; littus resultare: tota, ut diximus, nocte: &, (quod magis mirum uideri potest) hyberna cæco est marte dimicatũ. Creditum est, in tantis tenebris Barbarum Barbaro, Venetum Venero, Ligurem Liguri concurrisse. Vbi uerò postea dies illuxit, tum cruenta aquarum facies quanta utrinque clade per noctem certatum esset, retexit. Spumabat humano sanguine Euripus: instrumenta mersarum nauium, telorumq; uis ingés omnia compleuerat: multæ triremes sine milite uagæ fluitabant. Demum afflictis rebus, cadenteque Pontio Aragoniæ classis præfecto, Barbarisque ob id cedentibus: Veneti & ipsi (quia plus nõ poterát) Liguri cessere. Contẽtus hostis sibi loco decessum: ac pro uictoria id habens, & ipse parum incolumi classe in suam se stationem recepit. Ceciderunt ea pugna Stephanus Contarenus procurator, Ioannes Stenus & Benenatus Bembus. Pancratius Hadriatici sinus præfectus, ex uulnere quod in pugna acceperat, paucis diebus expirauit. Tradunt Veneti scriptores, dimidium Venetæ classis eo prelio non amplius conflixisse. Quod loci angustias feciſſe omnino crediderim: ac proinde Liguri immotam classem constitisse. Sed nec illi uictoria incruenta fuit: quippe qui à Veneto postea ad pugnam prouocatus, confligere non sit ausus. Ioannes Delphinus, qui pugnæ interfuit (ut quidam scribunt) Venetias nunciauit, Venetum ea pugna superiorem fuisse: captasque ex hostibus triremes octo & uiginti, quarum remiges & milites ad unum perijssent: ac præter hos, quàmplurimos ex alijs turmis aut cæsos, aut uulneratos: ex Veneta classe quatuor triremes amissas, ac circiter mille uiros. Sed externi scriptores eo modo, quo diximus, ad Bosphorum pugnatũ tradiderunt: de cuius prælij atrocitate (ne quid finxisse uideamur: uel in primis, quia diximus tota nocte dimicatum) Franciscus Petrarcha ita scriptum reliquit: Vicistis, inquit ille ad Genuenses scribens: Quiescite, ne quis uos uestrorum morum putet oblitos: Venetorum hostium cruore spumantem Bosphorũ uidimus: quando ad uesperam uiolentissimo spirante Austro inter Constantinopolim & Chalcedonem trium ualidissimarum gentium in uos est factus incursus: uobis uerò contra hostes, contra uentum, contra mare pugnantibus. Hæc ille, & alia in hanc sententiam quæ sequunt. Forliuiensis Blondus hæc subijcit: Pernox etiam prælium fuit postremò proximá in lucem sine intermissione protractũ: &, quo magis miretur posteritas, nox brumalis fuit. Per eos dies quibus pugnatũ erat, duas Genuensium naues cum commeatu Peram uenientes Pisanus intercepit: qui ubi hostem ad pugnam elicere non potuit, cõmeatu deficiente, in Cretam cum Veneta & Aragonia classe concessit, hic concussas triremes per ocium refarsit. Genuensis & ipse semifractas naues

domum

domum reduxit. Bosphoranæ pugnæ nuncius Venetias perlatus, ingenti mœstitia ciuitatem affecit. Sed Patres nō magis mœror, quàm pudor conficiebat: indignè ferebant Patres, Genuenſem, quem ipſi totiens ſuis uiribus freti uicissent, tum paucorū temeritate qui iniquo loco pugnam commiſiſſent, duorum potentiſsimorum principum opibus adiuti, non modò non uicissent, ſed clade accepta loco etiam ceſsiſſe uiderent. Ne quid igitur in poſterū temerè cōmitteret, placuit quatuor legatos mitti, qui ubiq; claſsis imperatori aſsiſterent, ac cum illo omnia quæ è repub. essent, prouiderent. Ioannes Delphinus, Marcus Cornarius, Marinus Grimanus, Marinus Phalerius miſsi. Poſt illorū in Cretam acceſsum nonnullæ ex inſula triremes in Ponticum mare miſsæ sunt, quæ pluribus hoſtium nauibus, frumento aliaq; mercè plenis, eo curſu interceptis incolumes ad ſuos rediere. Illis receptis mox Paulus Laureranus, qui Magnus cognominatus eſt, cū triremibus nouem in Cyprum eſt miſſus: unde Venetos negociatores cum multa & preciosa merce Venetias deuexit. Dum hæc circa inſulas gerūtur, quatuor Liguſticæ triremes ſinum ingreſſæ, in Hiſtriam uſque prædabundæ proceſſere. Ad quarum famam naues longæ quinque Marco Michaëli decreto Patrum datæ, qui ad hoſtem medio conatu opprimendum, ſi fieri poſſet, confeſtim moueret. Sed dum naues expediuntur, hoſtis non minori ꝙ uenerat celeritate ſinu exceſsit. Per eoſdem fermè dies triremes octo Ioanne Sanuto præfecto in altū eductæ: nec ita multo pòſt nouem aliæ: utriuſque claſsis imperium eſt Nicolao Piſano datum. Is Ionij Ægæiq; maris ora perluſtrata, inde Helleſponto emenſo Peram uſque progreſſus, multa Genuenſiū nauigia mira celeritate intercepit: in quibus cæteræ duæ fuiſſe dicuntur, merce tam preciosa refertæ, ut ducentorum millium ſummam æquarint. Nouem Genuenſes nobiles cum negociatoribus non paucis, in illis capti. His proſpero curſu geſtis, quū constans fama eſſet, Genuenſes ingenti nauium numero, aut iam domo mouiſſe, aut certè paulo pòſt moturos: tutius ſemper fuiſſe ratus Piſanus, inferre arma, quàm illata propulſare: & in alienis finibus, q̄ in ſuis bellare: uiginti longis nauibus ex omni numero lectis. (M. Michaële cum reliquis triremibus ad præſidium ſinus relicto) felici nauigatione uſus in Sardiniam uenit: ubi ſe Aragoniæ claſsi quadraginta longarum nauium, & cætearum trium, quibus Bernardus Caprarius præerat, ſe iunxit. Obſidebat Barbarus per id tempus Algerium oppidum, inde iunctis claſsibus in Caralitanum ſinum uentum. Genuenſes Boſphoranæ pugnæ memoria feroces, tribus & quadraginta longis nauibus domo profecti, Antonij Grimaldi ductu ad hoſtem ire pergūt. Circa Cyrnum pugnatum ſcribunt quidam: alij ad Calarim, qui locus in parte Sardiniæ inſulæ eſt: unde nobiliſsimum inſulæ ſinum nominatum arbitror: quidam ad Congeriam memorant. Verùm ubicunque dimicatum ſit, planè conſtat, utranque claſſem ubi hoſtis in conſpectu fuit, ad pugnam proceſsiſſe, ac magnis hinc inde animis concurſum. Genuenſes, quia non multo antè aduerſus eos longè potentiores proſperè pugnaſſent, uictoriam ſibi pollicēri: Venetī iniquitate locorum, non hoſtium uirtute, id accidiſſe rati, aut illius pugnę ignominiam eo die ſibi ademptum iri uolebant, aut ad unum extingui: erexerant ad id ipſum & ſocij animum. Quo factū eſt, ut non maioribus uiribus quàm animis ſit concurſum. Sunt qui tradant, Genuenſes cōſpectis Venetis ſignis magnopere timere cœpiſſe: quippe qui audita Venetorum appropinquatione cum Aragonia claſſe, priuſquam Hadriacus hoſtis adeſſet, confligere ſtudentes, ad locum celeri curſu uenerant. Iuuerunt ad hæc Veneti & ſocij uires ſuas conſilio, A iunctis tenaci nexu in procinctu nauibus, præter decem Venetas ex omni numero lectas: quibus iuſſus eſt Ioannes Sanutus, quum tempus adeſſet, rem gerere. Appaſuit uel ex hoc uno, quo animo Veneti eo die conſtixerint: quippe quos cathenatis nauibus aut uincere oportuit, aut omni ſpe fugæ præreptā ad unum cadere. Sunt qui dicant, Ioannem Sanutū cum decem nauibus primò hoſtem excepiſſe: inde totam molem claſsis cūm cęteis ſubſidio ſecutam. Sed parum credibile eſt tam temerè pugnam commiſſam, ut decem Venetæ triremes tribus & quadraginta Liguſticis fuerint obiectæ, quæ ingēti nauium multitudine circumuentæ, momento temporis fuiſſent oppreſſæ. propius fidei eſt, eas poſt claſſem quaſi ſubſidio locatas, ac præfectos iuſſos, ubi Ligurem medio ardore pugnæ occupatum uidiſſent, ſubito prorumpentes ex tranſuerſo hoſtem ferire: atque ita Ligurem undique à fronte & à lateribus grauatum uinci contigiſſe. Verùm ſeu arte, ſeu ui, ſeu utroque potius id contigerit, ſatis compertū habemus, atrociſsimo marte eo die pugnatum: ac conſertis manibus ſtatario & quaſi pedeſtri prælio dimicatum: demumq; Genuenſium rebus prorſus acciſis, Grimaldi triremi exipſa colliſarum captarumq; nauium ſtrage ac ruina à ſuis ægrè reuulſa, uictos Ligures unam & quinquaginta naues amiſiſſe: quas in ſuam poteſtatem redactas cum totis turmis ad Liguſticum nomen abolendum Venetos ac ſocios medijs fluctibus merſiſſe memorāt quidam, qui id ſe in Genuenſium rebus legiſſe tradunt. Verùm, quia de imperio nō de uita agebatur: neque ullo antea bello acciderat, ut hoſtes in poteſtatem redactos alter populus uictor tam inhumanè necarit: uix adduci poſſum, ut credam ita, ut illi aiunt, in hoſtes ſæuitum: ſed ignominiam potius acceptam alieni criminis atrocitate tegere uoluerunt. Venetarum rerum ſcriptores duas & triginta B ex hoſtibus triremes captas tradiderūt, uim ad hęc hominum ingentem prælio abſumptam: ſed qui in nauibus capti ſint, in quibus nobiles plerique fuerint, eos partim Venetias, reliquos à Barbaris in Hiſpaniam miſſos. Grimaldus cum quibus potuit nauibus, atque illis ipſis ſemifractis, Genuam ſe trepidè recepit: uulgataq; per urbem acceptæ cladis fama, tantus fletus, tam miſerabilis comploratio in ciuitate coorta dicitur, ut uix maior Genua capta ori potuiſſet. Victor Venetus cum Barbara claſſe Sardiniam poſt pugnam adortus, duo oppida uī capta Genuenſibus adimit. Inde utraq; ab altera digreſſę, domum diuerſæ abierunt. Genuenſes uria aduerſa pugna, ſed ea ſanè atrociſsima, fractī: quia ſuis uiribus, ut tum uulgò creditum eſt, ſtare ampſius non poterant, ad alienas opes confugerunt. Eorum legati ad Ioannem Vicecomitem, qui non ſacra tantūm, ſe prophana quoque Mediolanenſium adminiſtrabat, uenere. Orationis quam legatorum princeps ad eum habuit, hæc ferè ſumma fuit: ut diceret, Genuenſium fortunam ita uno aduerſo prælio mutatam, ut quàm florens antea ac potēs fuiſſet, tam modò languida & eneruis iaceret. Verùm potuiſſe ſe, qui ſæpius uicissent, tum demū à potentiſsimo hoſte uinci, atque ob id ipſum ſuas opes perditum iri. Sed quamuis omnia cum ipſa fortuna cōcidiſſent, odium tamen ſuum in Venetos non modò non remiſſum dicere, ſed in aduerſa fortuna quodammodo recruduiſſe. Malle itaque ſe antiquam libertatē in diſcrimen conijcere, quàm uiribus inimiciſsimi populi cedere. Accipere proinde (quod ei bonum felixq; eſſet) Genuam urbem, ciues, agrum, mare, littus, oppida, opesq; ſuas publicas & priuatas: poſtremò omnia diuina & humana, quæ Genuenſis populi iuſſu in eius fidem & poteſtatem liberè traderent: ipſe uerò ſuam Genuam, ciues, & omnia quæ illorum eſſent, præſenti ope tueretur: & quos

ſemel

ſemel in fidem accepiſſet, ab armis & iniuria Venetorum, ſuo præſidio defenſos uellet: pergeretq; uolens deinceps facere, ut omnes intelligerent, nō fruſtra Genuenſes ſuum quandoque auxilium, ſuā fidem imploraſſe. Non poſſum non mirari, ac quodā modo non ęgrè ferre, potentiſsimum poſt Veneros Italiæ populum, rei maritimæ gloria & uirtute excellentem, tam turpiter, ne ſtultè dicam, libertatem tanta indole ad id tempus defenſam, ſubita, aut certè nimis celeri deſperatione amiſiſſe. Sed ita profectò eſt ut Stoici aiūt, cæteros affectus hominis mentem trahere, ſolam iram præcipitare. Verùm Genuenſes tunc ſuo odio & ira amentes, Vicecomes autem deditionem, ut erat facta, libens accepit. Mox legatos benignè affatus, iubet eos bono animo eſſe: ſtudio curaturum ſe, curaturos & alios, ut Vicecomitum fortuna incolumi nunquam Genuenſes præſentis conſilij pœniteret: irent, eamq; ſpēm ſecum ferrent: præſidium eius familię, cuius fidem ultrò imploraſſent, ad omnem externam iniuriā propulſandam nunquam ſibi defuturū. Atque cum his legati dimiſsi. Eius rei fama Venetias perlata (quia magnum apparebat cum Vicecomite inſtare ob Genuenſes certamen) continuò Veneti & ipſi ſuas circa continentem opes firmare ſtudent: Carrariorū, Scalanorum, Æſtenſium, Gonzagarum, & in Hetruria Florentinorum opibus in ſocietatem aſſumptis, pacem à Vicecomite per legatos, ſuo & Genuenſiū nomine, tentatam tradunt quidam, principemq; legationis Franciſcum Petrarcham memorant: ſed eam à Venetis uel ampliſsimis conditionibus impetrari nequiuiſſe: atque hinc quaſi diuina uoluntate factum arbitrari, quod inſigni clade Peloponneſiacam oram non multo pòſt nobilitarunt. Nec Genuenſes, quia ita infeliciter pugnaſſent, omnino quieuere: ſed quatuor eorum triremes Venetum ſinum non multo pòſt ingreſſæ, Farum & Corcyram ni- B gram, Dalmatiæ inſulas repentè adorrę, fœdè populantur: oppida capiunt, capta diripiunt, directa incendio abſumunt. Mox uerò aliæ quatuor ſecutæ, ad quarum famam exciti Patres, quatuordecim triremes expediri iubent: ijs Nicolaus Piſanus præfectus eſt, iuſſusq; confeſtim in hoſtem mouere. Sed Ligur ante claſsis aduentum toto ſinu per ociū excurrerat. Piſanus, ne uana omnino ea eſſet expeditio, in Ponticum mare curſum deflexit: ubi nulla re memorabili geſta in Dalmatiam ſe recepit. Hic decem alijs triremibus Arbæ inſtructis, priori numero adiectis, trium & uiginti longarum nauiū claſſem expleuit. Genuenſes interea reparatis opibus (erat iam annus poſt cladem in infero mari acceptā fermè actus) Pagano Aurio præfecto quinque & uiginti longas naues ad bellum inſtructas habere cōſtans fama erat: ac eas iam domo profectas, aut certè non multo pòſt profecturas. Eorum conatibus occurſurus Piſanus, decem alias triremes, quibus Ioānes Sanutus præerat, tribus illis & uiginti quas habebat adiecit, moxq; ut hoſtē præueniret in Sardiniam curſum tenuit. Paganus (ſeu ita ſors tulerit, ut non obuiæ ſibi claſſes fuerint, ſiue conſilio, quod magis credo) declinato Venetæ claſsis occurſu, ut in alienis aquis potius quàm Liguſticis bellū aleret, haud multo pòſt quàm Venetus abierat, Hadriacum ſinum tumultuoſe ingreſſus, quàm plurima nauigia temere occurrētia paucis diebus intercepit: inde in Hiſtriam uſque progreſſus, Parentiū ui occupat, ac diripit: direptum, ſublatis inde diuorum Caroli & Mauri corporibus concremauit. Venetijs hoſtium aduentu, inde Parentino excidio, tumultuoſe nunciato, non minus trepidatum eſt, q̄ ſi Ligur in conſpectu fuiſſet. continuò itaque illi nauim cathena in portu cum ualidiſsimo præſidio obiecta: quippe quē, quia robur claſsis procul domo abeſſet, ad urbem recto curſu uenturum uulgò credere. Vigiliæ & ſtationes per urbem diſpoſitæ, ſpeculatoriæ naues ad præſentiendos eorum motus paſsim dimiſsę. Nec trepidari prius eſt deſitū, quàm Liguſticam claſſem toto ſinu exceſsiſſe cognitum eſt. Aurius Hiſtria profectus, cæteam unam Venetam alto mari adeptus, tribus Liguſticis triremibus ad eam expugnandam miſsis, in ſuam poteſtatem redegit: negociatores in ea capti mercem (quę octo ſupra cētum quadraginta millibus licuiſſe dicitur) prędam adhuc maiorem fecere. Paucis inde diebus tres longas naues (quæ in Cretā, ut remigio inſtruerentur, curſum tenebant) hoſtes intercepere. Indignè ferebant Patres, Genuenſium uires tam breui à clade inſigni, quam ſuperiore anno acceperant, ita reſtitutas, ut nil ſibi tutum non modò alibi, ſed ne in ipſo quidem ſinu eſſe ſinerent. Et quia Vicecomitis opibus Ligurem bellum reparaſſe non ignorabant, ut eum quoque aliquo domeſtico bello impliCarent, quo minus Genuenſibus opitulari poſſet, ſedulò curabant. Placuit igitur, præter alios ſocios quos ad eam diem conciliatos habebant, cum Carolo quoque Boëmiæ rege (quo paucis antè annis aduerſus Maſtinum Scalam ſocio uſi fuerāt) fœdus renouare. Quo facto cum eo agere cœperunt, ut in Italiam quàm ualidiſsimo poſſet exercitu aduerſus Vicecomitem tranſiret. Interim Genuenſium captiui cū Venetis permutati ſunt. Andreas Dandulus, quum annos fermè duodecim reipub. præfuiſſet, humanis deceſsit: eo defuncto rempub. domi foriſque magnis incommodis iactatam, Phalerij periculoſiſsimus ducatus excepit. Nam præter uarias clades mari ea tempeſtate acceptas, fame quoque, peſtilentia, diriſque terræmoribus ciuitas concuſſa eſt. Cæterum parum abfuit, quin & publica libertas nefario illius conſilio amiſſa ſit. Perijt Dandulus octauo idus Septembris, atque in aurea æde ad Baptiſmi lauacrum eſt honorificētiſsimè ſepultus: Marinus Phalerius eques, & uallis marinæ Comes, abſens dux declaratus eſt. Fūgebatur tum ille apud pontificem publici legati munere. Per eos dies dum Patres in noui ducis creatione occupati eſſent, allatum eſt, tres Liguſticas triremes à Venetis circa Grecię inſulas interceptas. Hoſtiū quoq; claſsis ſinū ingreſſa, aliquot interea negociatorum nauigia intercepit: intraq; paucos dies ingenti præda abducta, non minus quàm uenerat tumultuoſe abijt. Poſt Phalerij declarationem, Piſanus, qui rempub. foris adminiſtrabat, cuius ſolius ductu potentiſsima Venetorum claſsis, per id tempus toto mari circumferebatur (Ferunt eam quinque & triginta longas naues habuiſſe, minora nauigia duo & uiginti) ad Sapientiam inſulam Peloponneſo adiectam, audito Genuenſium aduentu, conſedit: Aurius præfectus cum ſex & triginta triremibus pugnandi conſilio huc celeri curſu cōtendit. Forliuienſis Blondus ait, aperto mari circa inſulam pugnatum, ac poſt difficile certamen penes Ligurem uictoriam fuiſſe: Piſanum ipſum cum quinq; hominum millibus in hoſtium poteſtatem ueniſſe. Quod ſi in aciem deſcenſum eſt, ac pro uiribus dimicatum (quia uarij & incerti ſunt bellorum caſus) excuſanda Piſani & aliorum fortuna: ac neſcio an etiam probādi, quod aut mori aut capi maluerunt, quàm turpiter fugam capeſſere. Sed Venetarum rerum annales, ſine pugna, ſine cæde ulla tradunt totam claſſem, præter triremem unam, quę in ea trepidatione elapſa eſt, eo die amiſſam. Quod ſi ſic eſt, affirmarē auſim, eodem caſu Venetas naues à Ligure interceptas, quo paucis antè annis ad Caryſtum Genuenſes à Veneto, atque eodē ipſo Piſano, ſi Venetis triremibus (quod quidam tradunt) tunc præfuit, eumq; ſuis artibus captum: ſed longè maiore reipub. damno, quàm ipſe olim hoſtem affeciſſet. Ferunt, pridie quàm Veneti cladem illam fœdiſsimam accepiſſent, manifeſtiſsi

mis pro-

mis prodigijs eis demonstratam. Coruorũ uim ingentem supra classem conflixisse memorant, atque alteram interim partem ita uexatam, ut plumę cruorq; fusus in Venetas triremes deciderit: remigẽ ad id ex sua naui in proximam transilientem, ab imanni pisce deuoratum. Eiusmodi cladis nuncio perculsa ciuitas, nunquam aliàs maiorem cladem acceptã prædicare: uulgò actum de summa rerum credere, si uictor Ligur ad urbẽ infesto cursu annauigasset. Vbi dux? ubi triremes? ubi copiæ paratę essent, quę illum à faucibus portus, à ciuium ceruicibus iniuriam arcere possent? Ingentem omnino cladem accipiendam, nisi (quod sæpe euenire consueuisset) hostis nesciens uti uictoria aliò cursum detorsisset. Quod ita sanè accidit. Nanq; uictor Aurius præsenti successu contentus, domum cum tota classe abijt: ubi non magis illustri uictoria, quàm præda conspicuus, ingenti populi lætitia ingentique plausu acceptus est. At Veneti (ut mira gentis est in aduersis cõstantia) eam belli laxationem neque desidia neque cunctatione triuere. Siquidem continuò ad reparãda arma conuersi, paucis diebus quatuor triremes optimè instructas, ad præsidium sinus eduxere. Sed non illæ tam celeriter expediri potuerũt, quin tres hostium triremes prius sinum ingressæ, onerarias quasdam quæ ex Creta domum redibant, intercepissent, affecissentq; maiore omnino incommodo Histriæ & Dalmatiæ accolas, nisi eorum conatibus subito itum fuisset obuiam. In hoc statu res erant, quum in quatuor menses circa continentem pactæ sunt cum Vicecomite induciæ. Interim uerò Ligustica triremis, cui Grimaldæ fuit cognomen, in Peloponnesiaca ora Venetam unam (quam ex omni nauiũ numero Sapientina clade elapsam diximus) oppressit: mox uerò aliam, quæ Guidonem Triuisanum Cretæ legatum uehebat: nec ita multo pòst Frascano portu aliam. Crescente inde audacia Gradum usque triremis illa prædabunda decurrit. Veneti eam ignominiam haud ferendam rati, tres longas naues ad iniuriam non solùm arcendam, sed ulciscendam etiam expediunt. Negocium Nicolao Iustiniano datum, ut cum his temerarios hostiũ motus inhiberet. Phalerius interea, quum iam nouem menses rempub. administrasset, animum ad regnũ (ad quod sibi penè uiam fecit homo nefarius) adiecit. Statuerat ille patriæ quidem ac patrum inimicus, cuius ordinis beneficio summam adeptus erat dignitatem, optimatibus cæsis rempub. inuadere. Quod ipsum ut commodius consequi posset, multos ex eo ordine, quem popularem uocãt, ad infandam cædem præparauerat: &, quod magis miror, aliquot etiam ex ipsa nobilitate (adeò nunquã defuit qui sceleribus faueret) negocium patrandæ cędis sexdecim facinorosis hominibus, principibus coniurationis datum, quorum singuli cum sexaginta armatis in curiam statuto tempore erant impetũ facturi. Conuenerat inter eos, ut postridiè idus Aprilis repentè uanos per urbem rumores dissiparent, hostem adesse, eius triremes ante portum cum tumultu annauigare. Princeps confestim ad arma conclamari, campanamque ex summa turri pulsari iuberet. Quo signo coniurati suis sedibus exciti, diuersis itineribus armati (quasi Principis patrumq; imperium facturi) in curiam uenirent. Ibi tum limi nibus infesis in Patres, qui aut consultaturi de repub. aut ad alia obeunda munera eò uenissent, atq; in cæteram nobilitatem ferrum stringerent, ad unumque trucidarent: ac tum demum Phalerius nõ princeps amplius, sed dominus salutaretur. Sũt qui tradant, statuisse eos patricio nomine extincto, ciuitatis administrationem populo permittere. Verumenimuero respub. quæ Deo opt. max. charissima est, ac tam chara quando bene instituta est, ut omnium quæ in terris sunt, nihil credatur ei esse cha

A rius: quum non unam recipere posset administratio nem, ut à Platone traditum est, ea quæ Aristocratia dicitur: tum illius summi uiri, tum sapientissimi cuiusque iudicio, ut optima, ita maximè probabilis semper est habita. Ea quidem dici potest optimatiũ conspiratio: huic uidelicet similima, quæ est & Veneti imperij administratio. Sed ea ipsa cùm sæpe aliàs, tum illa maximè tempestate, diuina prouidentia euidẽtissimè seruata est. Nam unde minimè sperari debuit auxilium Patribus, affulsit. Erat Beltrandus quidam, homo plebeius, ex principibus coniurationis unus: is pridie illius diei, qui cædi destinatus erat, pœnitentia credo tanti sceleris ductus, ædes Nicolai Leonis, patricij hominis ac compatris sui, primis tenebris clandestinè subijt, remque illi summotis arbitris omnem aperit: dicere se charitate patriæ, ac summi ordinis studio adductum, tantum scelus cælare non potuisse. Mox principibus coniurationis cum ipso Phalerio nominatis, rogare cœpit ut salutis suæ esse uellet memor, ne fraudi sibi postea daretur, quod in Patres ac patriã ab initio coniurasset. Obstupuit Leo, atque aliquantisper atrocitate rei stetit defixus: sed publici priuatiq; periculi metus haud diu illius animum passus est iacere. Cæterùm domo egressus, confestim seniores Patrum, mox decemuiros, inde alios magistratus in priuatam domum cogendos procurat. Constitit inter omnes, tutissimum uideri coniurationis capita quàm primum in potestatem redigere. Tum dimissi qui domesticatim patricios uocarent, quique plebeios etiam, quos cõiurationis expertes ex ipso indice cognouerat. Sexdecim illi, uel (ut alij aiunt) decem & septem, coniuratorum principes ea nocte ferè omnes in potestatem Patrum redacti, ac sceleris cõuicti, ad unum suspendio necati sunt, reste ex ipsis columnis superiore parte curiæ demissi. Ferũt in his fuisse Philippum Calendarium, statuarium & architectum ea tempestate clarum: quippe cuius opera Patres in publicis uti consueuissent ędificijs. Huius creditur esse, quicquid recentiorum operũ, quæ ueteribus longè præstant, quęque tota ferè curia ac foro hodie uisuntur. Reticuissem eius quoq; nomen, nisi inhumanum uisum esset, illius ingeniũ (quod omnino præstans alioquin fuisse traditur) propria laude fraudare. Nam quod ad ipsum scelus attinet, tantum abest, ut nefanda coniuratorum nomina aliquo modo relaturus sim, ut parum considerãtè eos feciſse existimem, qui in illis referendis maximè sunt occupati: qui cum illis se iniuriam facere credant, ab obliuionis iniuria uindicant. Nemo nõ, quamuis sceleſtus, quoquo modo posit id fieri, suum uellet nomen posteritati commendari. Memoriæ proditum est, ignotum olim hominem Dianæ Ephesiæ templum de industria cõcremasse: qui postea sceleris conuictus, quum rogaretur quo consilio id feciſſet: respondisse dicitur, Vt scelere aliquo atrocissimo, quia uirtute non posset, sibi nomen cõpararet. Ferunt, tum ad illius memoriam abolendã lege cautum, ne quis illius nomen in annalibus aut historia referret. Meritò quidem ac prudenter. atrocius nanque supplicium fuit, eius memoriã quàm uitam abolere: quanquam nostros quoque domestica exempla sui officij admonere potuissent. Tepulana coniuratione decreto Patrum cautum est, ne quis Baiamontis aut cuiuspiam coniuratorum signa in albo aliáue materia referret. Quid quod quũ omnium principũ imagines ab initio urbis ad hæc tempora in comitio referendas maiores cẽsuissent: ne Phalerij pernicioſi principis imago in tanta maiestate ducum conspiceretur, thronum uacuum nigro uelo operum figurari uoluerunt. Viderunt & ipsi, eos qui de repub. malè meriti essent, nullo maiore supplicio affici posse, quàm si eorũ nomen perpetuo premeretur silentio. Nos quoque relatis con

iurationum

iurationum auctoribus, ut sciri possit quo consilio in patriam coniuratum quandoq; sit: cæterorũ nomina ut eos hac qua possumus afficiamus animaduersione, quemadmodum in alijs, ita in hoc quoq; scelere, cõsulto suppressimus. Phalerius & ipse iussu Patrum eo die, quo & alij coniurationis socij, capitali est supplicio affectus. Eius funus ad Gemellorum ædem parua cymba octo uiatoribus cæreos præferẽtibus elatum: inde ijs quibus id negocium datum fuerat, acerbissimam de coniuratis quæstionem habentibus ad quadringentos intra octo dies sceleris cõuictos fuisse ferunt: multos quidem, sed non uno supplicij genere necatos: ita ut alij suspendio mulctati sint: alij securi percussi: quidam etiam alto mari depressi. Multis, qui se coniuratis affuturos dixerant, non tamen sceleris participes facti, uenia data est: sed tam ignominiosa suspicione notati, ut pudore aliqui, plures uero metu, cum uxoribus & liberis urbe omnino excesserint: hi numero quingenti fuisse traduntur. Indici coniurationis non solum uenia data est: sed annuum stipendiũ mille aureorum nummũm decretum: priuatę Phalerij ędes ad Apostoli fanũ datæ: &, quod omnino plus fuit, ad patricium est ordinẽ traductus. Verùm ille, quasi parua pro tanta fide accepisset, ingratitudinis Patres palàm incusare: eorum famæ nullo loco, nullo tempore parcere. Tum illi impudentia hominis cõmoti, parum abfuit quin capitali iudicio dãnarint: sed recentis meriti memoria obstitit, quo minus extremo sit in eum supplicio ęquitũ. Adempto itaque illi publico beneficio, Ragusiũ in decem annos est relegatus: unde postea contra præscriptũ profectus, quum in Pannoniam iter intẽderet, perijsse dicitur. Marcus Cornarius quoad respub. in ea cõsternatione fuit, Proprinceps ciuitatem administrauit. Inde comitijs habitis Ioanes Gradonicus, cui Nasoni cognomẽtum fuit, Dux est declaratus. Sub id tempus triremes septẽ domo profectæ, quibus Bernardus Iustinianus præfuit: hæ prospero cursu aliquandiu uagatæ, multa Genuensibus damna intulerunt: erantq; adhuc maiora illaturæ, nisi opportuna utriq; populo pax anno iam quinto ex quo bellari cœpũ fuerat, circumacto secuta esset. Cautũ utriq; populo & socijs: nec mari tantum, sed terra quoq;, cum Bernaboue & Galeacio, qui Ioanni Vicecomiti sue cesserant, bellum depositum. Restituti hinc inde captiui, quorum Genuenses, qui ad duo milia fuere, festa Magdalenę luce uinculis soluti, ad illius ędem longo agmine quasi diuæ suam salutem gratulaturi, cum luminibus accessere. Mouit nouũ illud spectaculũ ciuitatẽ ad religionẽ, ut iã inde diẽ ipsum, qđ antea nõ fuerat, inter solẽnes ac festos habuerit.

A *ob uictoriæ lætitiam in urbe sunt celebratæ: Cyprius rex Venęta classe fretus, Alexandriam in Aegypto diripuit: Rebellio aliquãto atrocior deductis ex insula copijs secuta est: Diu multumq; in insula laboratum: tãdem fractis insulanorum opibus Græci imperium recepere: Tergestinorũ defectio Crẽticum bellum secuta est: Veneti prosperè in ducem Austriæ ad Tergestę pugnarunt: Cum Patauinis de finibus disceptatio orta est.*

IN LIBRVM QVARTVM Epitoma.

Lodouicus rex exeunte induciarũ tempore, fœdereq; cum Carrarijs & Aquileiense antistite percusso, Dalmatiam & Italiam uno tempore inuasit: Rex Taurisio aliquandiu frustra oppugnato in Pannoniam relictis ad obsidionem copijs abijt: Venetus urbis commercio Patauinis interdixit: Mercenaria Germanorum manus ad Brentam amnem à Pãnonibus cæsa est: Omne Dalmaticum nomen à Venetis alienatũ, in Lodouici regis ditionem conceſſit: Pax cum Lodouico rege secuta est: Legatorum qui ad imperatorem missi fuerant, duo in Germania à latronibus intercepti sunt: Dux Austriæ legatos captos secum Venetias reduxit: Cretenses nobiles à Veneto defecerunt imperio: Luchinus Vermius cum ualidis copijs in insulam missus est: Græci ad Strombolũ montem à Venetis prælio uicti, trepidè se Candacem recepere: Candax urbs recepta est: Pacato insulæ statu hastarum certamina & aurigationes

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER IIII.

DEpositis terra marique armis continuò ciuitas ad mercaturã cõuersa, in Cyprum diuersaque Ægei maris emporia naues quàm plurimas dimisit: quę ut tutiore uterentur nauigatione (nam sublato Genuẽsium metu, Barbarorum incursus imminebant) triremes aliquot ad præsidium instructas habuere: ijs Bernardus Iustinianus præfuit, qui quùm suos ciues tutis statuisset littoribus, subitò in Dalmatiam redijt, rebusq; prouinciæ constitutis Venetias incolumem classem reduxit. Ioannes Boldonius in uallem Marinã, quæ Veneto imperio Phalerij morte cesserat, primus prætor est missus. Verno huius anni tempore (quia uulgò ferebatur Lodouicum Pannonię regem in Venetos bellum comparare) Marcus Cornarius, & Marinus Grimanus ad eum in Pannoniam sunt missi. Nec ita multo pòst, quia nihil apud Barbarum pacati inuenerant, domum re infecta redierunt. Causam regij in Venetos odij, nauigia illi in Italiam aduersus Ioannam reginam copias traijcienti à Venetis denegata, apud quosdam reperio. Sed planè cõstat, illum circa Iaderã Venetis armis prius uictum, quàm bellum ullum in Italia molitus esset. Arma ab eo tum primum illata ob Iaderensem causam haud dubie traditur: uerùm siue hæc, siue illa quam nonnulli celebrant, causa fuerit (nam de hac re nihil quod alioquin affirmare possim, compertũ habeo) satis cõuenit, publicè legatos ad Barbarum in Appuliã missos, qui cum eo inducias in octo annos, ut quidam tradunt, ut alij in decem, pepigere. Sub initium uerò Ligustici belli (quanquam induciarum tempus nondum exierat) cœpit ille nomen Venetum ob Dalmatiam infestare: apparebatque, continuò arma illaturum, nisi Caroli quarti interpretis iniuria abstinuisset, à quo iussus induciarum exitum expectare, in hos dies bellum distulit. Quod ipsum quia Patres manifestè imminere uidebãt, cautum fuisse arbitror, quod cum Genuensibus pacem maturauere, quam illis petentibus antea obstinatis animis negarant, ut Ligustico bello leuati, aliud nihilo leuius eo quo defuncti essent, fortius exciperent. Quidam annales habent, potuisse à Cornario & Grimano legatis tum quoq; bellum auerti, si regi annuum tributum equum album publico nomine ob Dalmatiam se daturos polliceri uoluissent. Quod Venetis, ne iure in prouinciam quæsito decederent, recusantibus abeunte inducirum tempore sine alia belli denunciatione Dalmatiam ille tumultuose inuasit. Ferunt; tantam Barbarorum multitudinem primo ductu in ipsam terram ab eo effusam, ut uno tẽpore Iaderã, Sicũ, Spalatrũ, Tragurium, Ẽnonãq; obsidione cinxerit. Veneti ex suo ingenio (qui nihil temerè agunt) hostem reputantes, haud

quidem tam citò regem moturum rati: nullum ad eam diem præsidium in prouinciam miserant. Vbi uerò tumultuose Pannonicis armis allatum est, omnis ferè Dalmatiæ urbes circũsederi: tumultuosius & ipsi classem, militem, arma, commeatũ expediũt, ualido urbes firmant præsidio. Rebusq; ita firmatis uulgò credere, uirtute & fide eorũ qui missi essent, arces, insulas, oppidaq; munitiora facile seruatũ iri: bellum ad id Barbaro indies grauius futurum. quũ repentè Barbarus, ut Venetum pluribus locis occupatum haberet, fœdere cum Francisco Carrario occultè inito, in Italiam cum centum armatorum milibus, ualidisq; Austriæ ducis & Aquileiensis antistitis appendicibus transgressus, in Tarusinis finibus tumultuose consedit. Collatini Comites, alijq; pleriq; reguli subitò ad Barbarum defecere: Cunianũ, ubi Zacharias Contarenus prætor erat, Saciliumq; paucis diebus per deditionem accepit, inde Taurisiũ castra admota sunt. Veneti, etsi Dalmatico bello satis occupati erant, ad primam tamen famam regis in Italiam aduentantis, Taurisium armis & cõmeatibus muniuere: missis eò Marco Iustiniano, Ioanne Delphino & Paulo Lauretano, qui communi inter se consilio bellum administrarent. Interim rex uulgata cum Carrario principe societate, edicit ne quis suorum Patauinos fines pabulandi latrocinandiue causa ingrederetur: uel minimam iniuriã capitalem inferentibus futuram. Tam graui bello implicita repub. Gradonicus princeps quum annũ unũ & menses duos reipub. præfuisset, uita decessit: eius funus ad Minorum ædem elatum. Ioannes Delphinꝰ absens illi est surrogatus, qui ad principatum ineundũ ex Taurisio accersitus, à rege, qui circa mœnia sedebat, fidem ut tutò inde abiret impetrare non potuit. Ex eo planè intelligi potest, quàm Venetis infensus per id tempus Lodouicus fuisset. Verum ille armatorum cuneo septus, auersa parte urbis per eos ipsos dies in tutum abijt. Anténe, an post Delphini digressum oppugnatum sit oppidũ, haud satis compertum habeo: uariant omnino rem auctores quos sequimur. Illud inter omnes conuenit, regem admota testudine alijsq; operibus bellicis urbem atroci oppugnatione inuasisse: atq; in ipso certamine ex regijs ductoribus quendam propinquitate sanguinis Lodouico coniunctum, cum multis alijs sub ipsis mœnibus occubuisse, urbemq; à Veneto strenuè defensam. Fractus ad hos irritos conatus rex, speq; potiundę urbis in præsentia destitutus, relictis ad continuandam obsidionem copijs in Pannoniam abijt. Veneti Carrariorum iniuria commoti, Marinum Maurocenum prętorem ex Patauio reuocant (Habuerat Venetum magistratũ ea ciuitas iam inde, ex quo à Mastini tyrannide Venetorum opera se in libertatem uindicarat) Salem præterea eò deferri uetant, omni Patauinorum cõmercio suis interdicunt. Accersiuerant ad hæc stipendio ingentem Germanorum manum, quæ per Vincentinos fines progressa, ad Medoaci ripam cõsederat. Creuerat fluuius imbribus, auctus ita, ut nullo modo tunc pedibus uadari posset. Ea res coë gerat Germanam cohortem tam diu in ripa fluminis sedere, quoad remittẽte impetu tranari possent aquæ. Quod quum ij qui in castris erant, per exploratores cognouissent, citato agmine missi sunt qui Germanos nihil tale suspicantes opprimerent. Nec frustra res mota est: fusa est improuiso hostium aduentu tota cohors, magnaq; ex parte cæsa. Interim Marcus Iustinianus, cui Magno cognomẽ erat, Taurisium cum imperio copiarum omnium est missus. Domi uiginti quinque uiri creati, qui belli summæ præessent. Nec ita multo pòst, inducię cum hoste in quinq; menses sunt pactæ. Legati in Pannoniã, qui cum rege de pace agerent, missi, Andreas Contarenus procurator, Michaël Phalerius, & Bonitendius scriba. Sed ij quoq; infecta re domum reuersi sunt. Inducijs interim exeuntibus, Serauallum in hostiũ potestatem uenit. Sed in Dalmatia maiorem omnino cladem respub. accepit. Tota nanq; belli mole in Italiam inclinante, coacti fuerãt Patres præcipuam copiarũ partem ex prouincia reuocare: atq; ita quũ ob domesticum bellum obsidione leuari nequiuissent, Spalatrum, Sicum, Tragurium, ac pleraq; alia minora oppida, quę ijs circũiecta erant, ad regem defecere: Enona, cui Ioannes Iustinianus præsidio erat, impigre defensa est. & quod plus fuit, ne fames qui dem ferocissimos Veneti hominis spiritus frangere aliquo modo potuit, ut deditionẽ ullam faceret. Tanta dicitur rerum inopia Enonæ eo bello labora tum, ut à nullo obscœno cibo miles abstinuerit. Iadera quoq; ab hoste furtim inita est: creditumq; uulgò, Carrarij opera id factum: arx tamẽ à Venetis fortiter rerenta. Desperatis itaq; Dalmatiæ rebus, Taurisinisq; iam dudum periclitãtibus, placuit iterum ad regem legatos mitti, qui pacem cum eo, si nõ quibus uellent, saltem quibus possent, conditionibus componerẽt. Missi Petrus Triuisanus, Ioannes Gradonicus & Bonitendius scriba. Pax his conditionibus impetrata est, ut quicquid à Fanatico sinu Dyrrachium usq; Veneti ad eam diem possedissent, Lodouicus rex haberet, cederentq; Veneti Dalmatiæ possessione: reliquum uerò terrarum, quod circa sinum, quodq; citra esset, dimidiũ Veneti retinerent. Rex ipse restitueret, quicquid in Histria Taurisino & Cenetensi agro Venetis ademisset: pollicitus ad hæc, Dalmatici nominis nullum se passurum piraticam exercere, externis latrocinijs & portus & insulas clausurum: daturumq; operam, ut tam tuta Venetis omnia circa Dalmatiam futura essent, quàm antea fuissent. Desierũt Veneti principes, ex hac pace, magis necessaria quàm honesta, Dalmatiæ titulos usurpare. Deducti ex ipsa prouincia magistratus, quibus negatũ est res suas inde asportare: quũ alioquin in sancienda pace expressum esset, ut illis, & quisquis Veneti nominis in Dalmatia tunc ageret, fas esset omnia quę in prouincia haberẽt, in naues imponere. Constitit q; ex hoc ipso, pacẽ à Barbaro uiolatam: quia non præstitisset quę in conditionibus erãt expressa. Sed Veneti iniuriã tam iniquo reipub. tempore dissimulandam satius duxerunt, quàm nouo aliquo bello ulciscendam. Positis cum Lodouico armis tres legati ad Carolum imperatorem in Germaniam sunt missi, M. Cornarius, Ioannes Gradonicus, & Laurentius Celsus. Causam legationis huius in annalibus quos sequimur, non reperio. Celso apud Carolum relicto, reliqui duo infecta re ob quam missi fuerant indè profecti, quũ per Germaniam adhuc iter facerent, à Barbaro regulo intercepti sunt, atq; in æditam arcem latronum receptaculũ ignominiosè abducti. Celsus audito collegarum casu, auerso itinere Seniã abijt: inde ad mare flectens, domũ incolumis nauigauit. Nec ita multo pòst, is ad præsidium sinus cum imperio classis missus est. Verno huius anni tempore cœptum est in urbe pestilẽtia laborari. Ea æstate quæ secuta est, Delphinus anno sui principatus quinto circũacto moritur, ad Gemellorum fanum elatus est: Laurentius Celsus absens dux declaratus ei successit. cõsestimq; ad eum missi duodecim patricij ordinis, qui publico nomine illi dignitatem gratularẽtur, quiq; eum in triremem acceptum Venetias deportarent. Eum suburbanis littoribus applicantẽ, senatus obuiam progressus, Bucẽtauro naui excepit. Victor Pisanus ad imperium maris in Celsi locum missus est. Ferunt, aliquandiu noui principis patrem ab salutationis officio abstinuisse, ne filium nudo capite adire cogeretur: quasi nefas esset, parentẽ ciuili aliquo officio inferiorem filio uideri. Sed parum ille ciuiliter, & (ut sic dicam) ineruditè. An ita rerũ humanarum

rum patrijq; moris ignarus ille fuit, ut non intelligeret, id officiũ non filio, sed maiestati publicæ quæ in eo consp iciebatur, pręstari. Verum audiuerat fortasse, & sic non omnino accusandus, solere quęri inter eos qui de officijs differunt, filióne magistratum gerenti parentem cedere oporteat. Video Ethicę disciplinæ uiris non obscuris placuisse, id publicè deberi: domi, & quũ in priuato agitur, paternæ dignitatis in primis rationem habendam. Sub id tempus Austriæ dux cum Venetis legatis, quos diximus in Germania interceptos, Venetias uenit: & ut constans fama erat, nulla alia causa adductus, nisi ut urbem quam medijs aquis audiuerat fundatam, inspiceret. Princeps cum multis patricij ordinis illũ uenientem Bucentauro honorificentissimè excepit, deduxitq; in Cornarias ædes ad Lucæ fanum, publico nomine ob id ipsum ad tempus instructas. Visa itaq; per ocium urbe, post non multos dies inter publica & priuata officia in Germaniam abijt. Hyberno eius anni tempore Cyprius rex Venetias cũ tribus longis nauibus regioq; comitatu applicuit: qui & ipse publicè acceptus, atq; in idem, quo paucis antè mensibus dux Austriæ, hospitiũ adductus: Andreolum Ioannis cognominis Taurisij prætorẽ designatũ, in Aurea ędę equestri dignitate donauit. Mox Galliam uersus profecturum Cellus princeps cum bona parte Patrum Margariã usq; est secutus. Septembri mense, qui annum illum duorum illustrium principum hospitio insignem secutus est, ingens defectio in Creta, Venetis colonis auctoribus orta, penè totam insulam ab imperio alienauit. Ob immensa bellorum onera decreuerant Patres tributum Cretẽsibus imperare: ad cuius rei mentionem continuò nobilium animi, prętorquam paucorum, ad defectionem conuersi, Leonardo Dandulo duce cum legatis in suam potestatem redacto, onerarias naues, quæ sub uindemiarum tempus eò appulerant, repentè cum ipsis negociatoribus intercipiũt, M. Gradonicum cognomento Baiardum, uirum alioquin haud insipientem, tumultuoso suffragio ducem creãt. Dominicus Michaël, qui tum sinui præerat, audita Cretensium defectione rem Principi & Patribus naui una lõga ad hoc celeriter missa significat. Clarissimæ insulę alienatio ingentem ciuitati tristitiam attulit. Accedebat ad eam cladem ingens indignatio atq; ira, quę ut magna, ita iusta uideri potuit. Constans fama erat, defectionis auctores patricios fuisse, ac Veneto sanguine ortos. Quid Græci, quid cæteri insulani facerent, qui non modò nõ Venetijs nati, sed ne oriũdi quidem essent. Ituros eos, & incendium illud studio adiuturos, alienią; se furoris ministros præbituros: lætos uidelicet, Venetum imperium, ubi alia uia non posset, sua solutum iri discordia. Placuit confestim tres in insulam legatos ad ipsos Coloniæ principes mitti, quos hortando, ac patriæ pietatis admonendo, tentarent ab infando consilio auertere: data ad hæc potestas, quibuscunq; uideretur conditionibus insulanos ad imperium reuocandi. Missi sunt Petrus Superantius, Andreas Zenus, & M. Maurocenꝰ. Nec multo pòst ferunt quinque alios legatos subsecutos. Sed tam prior illa, quàm hæc posterior irrita fuit legatio. Publica mandata non modò non accepta, sed ne audita quidẽ. Quod ubi res ad bellum spectare uisa est, legati ex insula profecturi, à Venetis triremib. (quę ex Græciæ emporijs eò forte appulerant) excepti sunt. Præfectus classis inde soluturus, facto in maris accolas impetu ad trecentos Cretẽses captiuos Venetias abduxit. Patres post legatorum reditum uno ordine in perfidos colonos ac reliquos insulanos, qui apertè defecerant, bellum decernũt: quosdam etiam cõspirationis principes nominatim hostes reipub. iudicatos proscribunt. Sed ante omnia ad Romanum pontificem, & Carolum imperatorẽ mittunt: mittunt & ad Lodouicum Pannoniæ regem, ad Ioannam Siciliæ reginam, omnesque ferè Christianos principes ac populos: quos edoctos prius de perfidia & indigna Cretẽsium colonorum defectione, oratos uolebant, ut si ad iustam ultionẽ nomen Venetum non essent adiuturi, abstinerent saltem ab iniuria, nec opem ullam illis petentibus exhiberent: certò scire se, nulli non id liquere, Candacem Cretæ urbem Venetam esse coloniam, acto ta ferè insula Venetos colonos sparsos: licere parentibus insolentes filios sua iura detrectantes, si monitionibus aut minis non possint, uerberibus in officio continere. Esse itaq; Venetis in animo, quia officio & pietate non liceat, Cretenses armis domitos ad imperium retrahere: quod breui se cõsecuturos non dubitarent, si illi nulla externa ope iuuarentur. Vsuros itaque eos officio optimorum principum, Venetiq; nominis uerè amicorum, si patiantur perfidam coloniam à matre, cui omnia deberet, digna plecti animaduersione. Benignè ubiq; & accepti & auditi legati: nec fuit qui non Cretensium facinus detestatus sua Venetis auxilia benignè promiserit. Interea ingens classis decreta est: imperium Dominico Michaëli, qui præsidio maris antea præfuerat, est datum. Terrestres copiæ Luchino Vermio Veronẽsi per legatos Venetias accersito. Is in uerba principis iuratus, fidam se operam reipub. nauaturum, publica signa continuò accepit. Tributum ingens à ciuibus ad bellum non solùm comparandum, sed alendum etiam, exactum. miles undiq; stipẽdio accersitus est. Et quum iam contractis copijs, classeq; prorsus instructa, omnia ad profectionem spectarent: Vermius, ut sciret quibus uiribus sibi bellandum esset, exercitum lustrauit. Constat ad mille lectos equites, duoq; peditum millia præter remiges sociosq; nauales nauibus impositos. Quinto idus Aprilis classis, quæ tres ac triginta longas habuit naues, onerarias octo, domo profecta circa nonas Maias Fraschiacis littoribꝰ Candaci urbi uicinis appulsa est. Sed dum hęc parabantur, interim Candacẽsium nobilium quidam, quum forte rescisissent quæ post reditum legatorum Venetijs acta essent, comperissentq; se in proscriptorum numero nõ esse relatos: spe futuræ ueniæ adducti, cœperunt ijs qui in fide perstiterant, occulto studio fauere. Multi quidem ab initio nefarium cõsilium auersati, curia & urbe abstinẽtes in suburbana loca & castella, quę in insula habebant, cõcessere. Principes interim defectionis, reputantes quantum sibi periculũ nõ ab hostibus solũ, sed à suis quoq; ciuibus immineret: uehementer addubitare, ne quid illi quos nouis studijs uacillare senserãt, per eos qui curia & urbe aberant, in se molirentur. apparebat enim, illos qui prius sentẽtijs, inde absentes aperta detestatione obstitissent, confestim sub ipsum Venetarum copiarũ accessum ad arma ituros. Et quamuis multi iam diuersarum partium haberentur: nemo tamen aliorũ id facinus ausus est proponere, quod unus priuato consilio perficere non dubitauit. Is quisquis fuit, de cæde eorũ qui in fide manserant, cum Calergo quodam Pneumatico, proposito insulę principatu egit, ut Græcis non paucis sibi conciliatis ad illorum cædem erumperet. Primò itaq; Andream Cornariũ, qui in Mopsila suburbano suo erat, aggressus obtrũcauit. Ferunt Calergum iam antea illius hospitem fuisse, atq; eius patrocinio semper aliàs usum: quę quum ad se armatum uenire Cornarius conspicatus esset, subitò rogasse dicitur, ad quid uenisset. Et quum ad cædem missum accepisset: tum illum, antiquum hospitium, patrocinium suum, multaq; alia in Calergum beneficia commemorare cœpisse: ac pro his quærere, ne in se (à quo nulla esset iniuria, sed beneficio affectus) manum inijceret. Percussor libertatem eleuans, hospitium omnesq; humanas

necessitudines euersurum, uenisse se, ut patrię (qua nihil charius mortalibus esset) libertatē quæreret. Post Andreæ cædem, Calergi iniuria longè lateq; in fidelissimos colonos uagata est. Cæsi & Gabriel Venerius, Marinus & Laurentius Paschalici: alter in suburbano Pulea, alter in Melissa: Laurētius Gritus in Pesria: inde Zanachius Iustinianus, Leonardus Abramus, & alij plerique, qui eius furoris, ut diximus, expertes fuere. Calergi successu Græci elati, ferociter in nobilitatem coorti postulant decē Graiſanguinis uiros in senatum legi, quibus absentibus neque consuli quicquam, neque decerni posset. Sed plebs stulta prius, nūc demū stultior facta adsiduis tumultib. Patres territare, omnia illis suspecta reddere, minitari ad hæc, se carcerem fracturos nisi Veneti qui in uinculis essent, ad cædem dederentur. Interim Calergi subornator ut Latinum nomen ex insula tolleret, ad percussorem mittit, ut ad locum qui duo millia passuum ab urbe distabat ueniret, acturum se cum eo de proditione urbis dicere, malle se insulæ principatum Calergi & Græcorum, quàm Veneti nominis esse. Ad quod transigēdum quum ille accessisset, in M. Gradonici ducis præsidium incidit: quod ipse dux & alij, audita Venetorum nobilium cæde, cuius præter unum conscius fuerat nemo, ad Calergum opprimendum miserant. Apparebat Græcum hominem qui tantum nefas ab initio patrasset, aliquid adhuc longè atrocius tētaturum. Captus itaq; facinorosus homo, & in urbem deductus, ex superiore parte Ducarij in Veneti sanguinis ultionem præcipitatus, nudus ensibus exceptus est, atq; in plures partes cadauer discerptum. Ea res uehemēter plebi grata fuisse dicitur. Ex quo datur intelligi, quāta fuerit semper uulgi leuitas: quippe quod ex leuissimis, ut aiunt, momentis pendere soleat, odiumque eius ac studium, non factum, sed solum hominis fortunam spectare soleat. Fauere nuper Candacenses Calergo: ubi uerò eum ad supplicium trahi conspexere, detestari illum ac damnare omnes. Consternata his malis nobilitate, accedenteque ad id terribili bellorum motu: rati principes defectionis, suis auspicijs rem Cretensem præsenti statu diutius esse non posse: nec si id ipsum daretur, suas opes eas esse, quæ Venetis tutò objicerentur, circunspicere cœperunt (nam in Venetorum fidem redire in animo non erat) cui insulæ possessionem traderent. Soli Genuenses uisi sunt, quibus cùm ob maris potētiam, tum ob antiquam Veneti imperij æmulationem salutem suam crederent. Placuit igitur decem legatos primo quoq; tempore Genuam mittere, qui partim Itali, partim Græci sanguinis essent. Horum duo quū ea deliberatio adhuc teneret, rogati sentētiam dicere, Venetias ad principem & Patres mittendum censuere, atq; si ita placeret, dicere se eius legationis partem, quin etiam totum se munus obituros, si ita opus sit facto: affirmantes fore, ut uenia impetrata simul propriæ saluti, simul & Venetę dignitati consuleretur. Contrà alij aduersa inuidia renitentes, Genuam mittendū putabant. Ferunt, M. Gradonicum, alterum ex ijs qui sua sententia rem ad Venetos trahebant, locatis ab hominibus aduersę factionis in sacello, quod in parte Ducarij fuit percussoribus, per speciem publici negocij in senatum accersitum, illis ipsis diebus trucidatum. Nec multum abfuit, quin & alij qui in Gradonici sententiā ituri uidebantur, uiolati sint. Tenuit itaque consultatio illa plures dies, demum superante inimicorum factione decernitur in Liguriam legatio. Instructaque triremi qua legati uecherentur, forte ita accidit, ut per id tēpus in insula esset Georgius Molinus Coronensis antistes, homo eximia in patriam charitate: is audita Candacensium defectione, tentandæ pacis studio in insulam transmiserat. Huic re infecta iam abire uolenti, quidam ex ijs qui ad Venetos rem ab initio traxerant, occultè mādat, ut principem & Patres certiores faciat, legatos de insula dedenda Genuam missos. Quod ubi Molini literis est cognitum, continuò ad Genuenses legatio est decreta, quæ illis denunciaret, ut Creta insula, uelut antea polliciti essent, abstinerent. Recitatis in senatu literis, responsum est Cretensibus, non posse Genuenses publica fide incolumi id præstare: dolere publicè & priuatim omnibus, nobilissimā insulam, & (quod ex ipsa legatione intelligi posset) Genuensis nominis ualde studiosam, nō licere præsenti ope subleuare: irēt igiē, & aliūde sibi opē quærerent: nec à se impetrare contenderent, quod publica fide incolumi præstare non possent. Dimissi legati sine spe ulla auxilij domum abiere. Properauerant interea Veneti, ac circa nonas Maias Fraschiacum, ut diximus, littus tenuere. Assurgit inter locum hunc & urbem mons arduus, Strobolus nomine, miræ asperitatis: accubant illi alij duo montes, tam proximè hærentes, ut procul spectantibus non tres, sed unus appareat: habet id latus quod ad ortum spectat, angustissimum callem uix duorum expeditorum militum capacem: hinc inde loca præ rupta, atque ita aditu difficilia, ut insessis locorum faucibus quampaucissimi multa hominum millia facile remorari possint. In una parte montis, quę ijs angustijs subiecta est, ex subterranea specu salsārū uis ingens aquarum erumpit, quæ à mari, quod proximum est, per occultissimos meatus eò fluere creduntur: locum ipsum Almiron accolæ appellant. Creduntur aquę ipsæ ob torrentes proximis montibus decurrentes hyeme dulciores fieri. fit itaque fluuius molis aliquot deseruiens, qui mille passus intra continentem lapsus, ad Boream in mare euoluitur: ab ostio fluminis ad urbē tota maris ora importuosa est. Hic terrestres copiæ dum forte exponuntur, ad centū milites temerè ad molas progressi, ab hoste insidijs excipiūtur, exceptique ad unum trucidātur omnes. his iacentibus uirilia & linguas abscindunt Græci: illa dentibus, has natibus inserentes. Non tam cędes quàm ignominia illa Venetorum animos in hostes exasperauit. Expositis itaque in continentem copijs Michaēl classe circumuectus ad urbem obsidendam ire pergit: Luchinus antequam inde moueret, ita dicitur milites allocutus: Scio uiri fortes, neminē uestrum ignorare, cur per tam longa maris spacia uecti in hanc insulam missi simus: perfidiam uanamq; Candacensium colonorum à Veneta indole iam omnino degenerantium, Græcorumque quorundam temeritatem ulturi uenimus. Sed quo Venetorum causa est iustior, eo fortius nos niti decet ut uictoriam cōsequamur: ne si, quod nolim, nostra ignauia uicti simus, appareat, meliorem Venetos habuisse causam quàm militē. Cęterum cum eo hoste res nobis futura est, qui neque natura bellicosus sit, neq; armis expertus: quippe qui non tam suarū uirium fiducia, quàm lasciuia & ocio in hoc belli discrimen se coniecit. Accedit ad hoc, quod non equites, non arma, non externa ulla habent auxilia: nō deniq; aliquid, in quo spem ullam habere possint, præter suam stulticiam, quam secuti tam leuiter periclitabuntur, quàm discrimen ipsum adiere. Vnum quidem uerendum est, ne mœnibus inclusi nostram uictoriam diutius morentur. Verùm quia semper stulti, spero equidem ad pugnā exituros. Quod si tentabunt id facere, atque ij eritis qui debetis, uicimus. Locus præterea in quo sumus, bene pugnandi necessitatē omnibus imponit, omni spe fugæ ablata. circundata undiq; mari hæc terra est, locus nullus in ea ad quem confugere possimus. Amica classis ubi nos in littus exposuit, confestim ex oculis euanuit: ad urbem oppugnandā admota est: aut intra littus & hos montes moriēdum est, aut cum uictoria ad urbem perueniendum, ut classi

classi denuò iungamur: quanquam nihil uereor, si naues ipsæ adessent, spectarentq; nos in hoc littore pugnantes: fugientem militem ne hosti uictoriam relinqueremus, nullā acciperent: sed subductis potius in altum triremibus, nos in littore ut imbelles trucidandos relinquerent. Verùm hæc memorasse uolui, ut intelligeretis, non solùm nos oportere bene pugnare (quia meliorem causam habemus, melioresq; sumus) sed quia uelimus nolimus, modò uiuere cupiamus, ob locorum difficultatem fortes esse cogimur. Adhortatur nos quoq; ad uictoriā ditissima insula, ex qua uicta opulentam sperare præ dam licet. Sunt & Veneti, fuereque semper in strenuos uiros gratissimi, qui uirtutis uestrę memores, perpetuò optimum quenq;, atq; omnes, si omnes optimi, alent stipendio. Demum si aliud nihil uos ad uirtutem inuitat, certè ducis exemplum excitare poterit & debebit: Iubeo tam bene uos pugnare, quàm uestrum imperatorem pugnātem uideritis: Non ille miles habēdus, sed lixa potius, qui pugnā te duce prelium detrectat. Quod si quem ignauum pugnam minus ferociter cientem uidero, tam illi infestus ero, quàm cuiuis Græcorū, aduersus quos dimicaturi sumus, infestissimus. Huiusmodi hortatione usus Vermius, iubet suos corpora curare, seq; ad expeditionem accingere. Græci interim qui ad insedendas montium angustias missi fuerant: proxima credo uictoria elati, relictis montibus pugnā di studio in æquum descendunt, ut acie cum Veneto dimicent. Haud quidem cessauit in tanta occasione Luchinus: sed in eos propinquantes confestim explicat aciem. Sub primum ferè congressum funduntur Cretenses, fusos ita urget premitque uictor Venetus, ut ne in ipsis quidem angustijs aciem reparare conanté permiserit: per æqua & iniqua præcipitati mortem effugiūt uicti: fusis fugatisq; instat Italus, atque ita passim trucidat, ut longè plures fuga, quàm pugna eripuerit. Multi abiectis armis in propinquos montes abiere: sed plures præcipiti fuga delati hostē ad mœnia traxere. Hos Venetus ita infestè est secutus, ut pro portis urbis non pauci oppressi dicantur. Ea clade territi Candacēses, quum spem externi auxilij nullam haberent, cernerentq; se terra marique hostibus circunuentos, continuò ad deditionem spectare cœperūt. Missi itaq; noctu, qui ad Michaēlem & legatos claues urbis deferrēt: accepta prius ab eis fide, ut miseris ciuibus & eorū fortunis caueretur. Vrbē Luchinus cum paucis ingredi iussus, clausis portis militem prædę cupidum excluſit. Parum abfuit, quin in castris seditio ingēs orta sit: nec duces deerant, nō modò seditionis, sed defectionis etiam, Vermium & Michaēlem præfectum classis criminātes, quòd militem optimè meritum, præda quam uirtute sibi quæsiuisset, fraudarent. Sed ille audito motu continuò ad suos uenit: increpitisque auctoribus seditionis cum legatis egit, ut duplex stipendium in præsentia militi daretur. Quo cōsilio extemplò motus omnis compressus est. Quidam suæ culpæ conscij, ac ueniam despe rantes in ea trepidatione, rem adhuc armis tueri uolentes, momento tēporis obtruncati sunt: dux nouiter creatus, securi percussus est: auctores defectionis & ipsi capitali supplicio ad unum affecti, multi fuga dilapsi. Legati qui per eos forte dies Genua rediērāt, quum in Venetorum potestatem uenissent, sui sceleris meritas pœnas luere. Nuncius uictoriæ primò, inde receptę urbis Venetias perlatus, ingentem Patribus totiq; ciuitati lætitiam attulit: Gratiæ Deo optimo maximo circa diuorum templa actæ: qui in uinculis erant, soluti: nubiles puellæ inopia pressæ, publico ære matrimonio locatę: pro aurea diui Marci æde à nobilibus adolescentibus aurigationes & hastarum certamina per aliquot dies non sine magnifico apparatu celebrata: ita ut ausi sint quidam tradere, eorū singulos (qui quinq; & uiginti numero fuere) aureos nummos quingētos ad spectaculum instruendum in medium cōtulisse. Affuit & Cyprius rex, per id tempus ex Gallia reuersus, qui cum Luchini Vermij nato, adolescente impigro, hasta decertauit. Sunt qui tradūt, Luchinum ipsum ludis præsedisse. Quod si fic est, spectaculum non tam citò commissum esse credere par est. Ferūt penes Paschalinum quendam Minotum, qui cum Luchini filio uenerat, omne certaminis decus fuisse, aureamq; coronam trecētorum sexaginta aureorum nummūm prēmium tulisse. Pacata iam insula, & ad imperium retracta, classis cum uictore exercitu Venetias est reducta: fœdusq; cum Cyprio rege ictum, causa fuit nouæ instruendæ classis: qua ille usus non multo pòst, Alexandriam nobilissimū Ægypti emporium expugnauit, & diripuit. Retinere urbem ob ingentem Barbarorum uim (quæ eò paucis diebus affluxit) nullo modo potuit. Triduò itaque postquam Alexandriam fuerat ingressus, decedere coactus, classem prędа onustam in Cyprum reduxit. Celsus dux, quum annos tres & menses decē reipub. præfuisset, uita defunctus est: eius funus ad Cœlestinam ædem elatum: in demortui locum M. Cornarius est surrogatus. Sub primā ferè huius administrationem noua Cretensium defectio Candacensem illam, de qua diximus, paucis mensibus interiectis secuta est. Pleriq; nobiles Venetæ rei priori motu aduersari, tantisper quieuere, dum Vermiæ copiæ classisq; ex insula abducta esset: tum ad munienda primò loca conuersi, quorū alia alijs tūc erant: inde res nouas indies apertius molientes, nō prius statum insulæ adhuc proximo bello fluctuantem turbare destiterunt, quàm aperrè in Venetos arma sumpta sint. Sed primi motus à Ioanne Calergo, uiro inter insulanos illustri, orti dicuntur: is Græcanici imperij signis arreptis totius insulæ causam sibi susceptam prædicare: quisquis se in libertatem uēdicare uellet, ut signa illa sequeretur admonere. Multi consternati ad arma concurrunt. Qui eum secuti, ad nobilium perniciem primo conuersi, Nicolaum Dandulū & eius fratrem cum duobus castellis ui subita oppressere. Nicolaus Iustinianus legatus & Dominicus Molinus cū eo ad Calergi conatus inhibēdos, urbe profecti aliquot loca insulanis rebellibus ademerunt: eaq; subiecto igni incendio cōsumpsere. Calergini & ipsi suburbanas castri nouī domos, quæ Venetorum colonorū erant, subito adorti comburūt. oppidū ipsum ualide defensum: reiectiq; cum ignominia à Petro Triuisano legato Rhetimnum hostes inuadunt: qui ad præsidium relicti erant suæ paucitati diffisi, dimissis equis naues conscendunt, seq; Rhetimnum trepidè recipiunt. Græci Venetis colonis non uno loco deiectis: sequuntur suæ uictoriæ cursum: nec prius abstitere, quàm quicquid terrę est à Thallis ad Spathę promōtorium occidentem uersus, præter urbes & quàm pauci sima oppidula, à Veneto nomine alienauerint. Noua defectio Venetias allata, nō mediocrem reparandi belli curam Patribus iniecit. Quod eo sanè molestius fuit: quo maior erat per id tēpus Cretensium rerum securitas, quàm antea fuisset. Princeps Patresq; dant negocium ijs qui in insula erant, ut undecunq; possent militem conscriberent: equites, si aliunde nequeant, ex Lycia, Charia, ac ex tota Ionia stipendio accersant. Miserunt & ad pontificē (à quo facile impetrarunt) ut quisquis in perfidos insulanos arma induisset: is omniū quæ ad eam diē deliquisset, plenam demereret ueniam. Hæc in Italia. In insula uerò hostes interim ad radices montiū Lasitorum à Nicolao Iustiniano uicti, aliquot uiris amissis, à suis conatibus sunt auersi. Erat nanq; eis animus montana loca occupare: sed ad se tuēdum, an potius ut eos qui adhuc in fide erant, insperato

acceſſu opprimerent, parum compertũ habeo. Multi præterea uarijq; fuerunt Græcorum hyeme illa motus: ad quos inhibendos, nullo aut tempore aut loco diligens legatorum opera defuit. Iacobus Bragadinus, Paulus Lauretanus, Petrus Mocenigus, Laurentius Dandulus, & Andreas Zenus, noui legati in inſulam uenerunt. Sunt & ij quoq; iuſsi Barbarum equitem & pedites undecunq; uellent conſcribere. Acceptis igitur ueteribus copijs ab ijs qui in prouincia erant, nouoq; illis ſupplemẽto addito, in hoſtes iam moturi erant: quum & ipſi ingẽti hominum manu contracta, Maluicino oppido fruſtra oppugnato in Cydonienſem agrũ effuſi, omnia quæ Venetorum colonorum erant, ferro igniq; fœde populantur. Hæc in maritimis oris. In mediterraneis ad duo millia hoſtium & quingenti per eos dies circa Argaciam & Meliſſam cõſederant. Ad hos Iacobus Bragadinus cum equitibus quadringentis, peditibus mille & quingẽtis celeriter duxit. Totis hic uiribus dimicatum: fuſi fugatiq; inſulani: multi in ipſa pugna occubuere: ſed plures uiui in uictoris poteſtatem uenerunt, qui ad unum omnes ſuſpendio necati ſunt: reliqui fuga dilapſi, in proximos mõtes trepide abierũt. Suburbana inde & uicos hoſtium Venetus comburit: fruges & quæcunq; in agris erant corrumpit. In hoc ſtatu res erant, quum repẽte quindecim uicorum coloni ad hoſtes defecere: qui ne in agris opprimerentur, Laſithos cum coniugibus & liberis ingreſsi, à principib⁹ defectionis præſidium accepere. Secuti hanc defectionem alij pleriq; qui Laſithos ut & ipſi in tutiore loco eſſent, cõmigrarunt. Interim Græcorum uires ita inualuerãt, ut non ſolùm ſuis finibus iniuriã arcerent, ſed multitudine freti ultro eorum agros qui in Venetorum fide erant, ſubitis incurſionibus fœdaq; populatione uaſtarent. Candacenſes ad id fines tumultuoſe ingreſsi, omnia metu & terroribus compleuere: uicis pleriſq; ſuburbanis ſubito incurſu aut direptis aut incenſis: Petrus Mocenigus quum cerneret totam ferè inſulam eodem furore contactam, partim iam defeciſſe, partim ad defectionem ſpectare: nec cum hoſte, qui altioribus ſe locis tenebat, pugnãdi copiam fieri: copias quaſcunq; habuit Cãdacem eo conſilio reduxit, ut urbi præſidio eſſet, & hoſtium populationes inhiberet. Scripſit præterea ad Principem & Patres, in quo res Cretenſes eſſent ſtatu: maioribus copijs opus eſſe dicere, ſi hoſtium perfidiam domitam quandoq; uellent: ægrè ſe & collegas quingentos Aſiaticos equites contraxiſſe: Sed longe alio equitatu, maioreq; peditũ robore quàm tum in Creta eſſet, rem gerendam, ſi inſulã retinere uellent. Darent itaq; operam, ut maiores ſibi copiæ ex Italia in ſupplementum mitterentur. Nondum Mocenigi literæ Venetias fuerãt perlatæ: quũ noui legati Pantaleon Barbus, Ioannes Zenus, Nicolaus Triuiſanus, Andreas Zenus, Nicolaus Iuſtinianus cum aliquot peditum cẽturijs domo profecti, in inſulam uenerunt. Poſt quorum acceſſum ueteribus legatis prouincia decedentibus, Petrus Mocenigus Ducaria poteſtate in inſula remanſit. Qui nuper uenerant, ueteribus copijs acceptis quicquid uirium in urbe fuit, continuò tribus longis nauibus & onerarijs duabus Milopotamum deportandum curarunt. Mox hinc in hoſtes itũ. In quos munitioribus ſe locis tenentes Andreas Zenus legatorum unus, ferocius inuectus: dum pugnandi ſtudio iniqua loca temerè ſubit, ab ijs qui ſuperiora tuebantur interficitur. Eo cadente ceſſere alij. Copiæ Milopotamũ reductæ. His certè auſpicijs à nouis legatis mota erant in hoſtes arma, quum pedites ex Italia quamplurimi tribus onerarijs aduecti Venetas uires auxere. Multa itaque per Patres à legatis in inſulanos geſta: ſed ea parum omnino memoria digna, quando nullo interim loco pugnandi copiam hoſtis Veneto fecerit. Populationes & incendia longè latéq; tota inſula uagatæ, ingentem uaſtitatem ac rerum omnium penuriam fecere. Sed in ſumma annonæ caritate longè magis à Cretenſibus quàm à noſtris fame laboratum: quippe quibus Venetæ triremes rei frumentariæ commeatuumq; omnis generis undiq; affatim conuehebant. Fame itaq; adacti qui Laſithis erant, traditis primò defectionis auctoribus Iuſtiniano, haud procul inde copias habenti, imperium recepere. De ſontibus continuò ſumptum eſt ſupplicium. Laſithanorum defectio ita Græcorum animos fregit, ut quicquid inſulæ à Strobolo mõte ad ortum ſpectat, breui in Venetorum fidem redierit. Tota igitur belli moles in eam inſulæ partem, quę ad occaſum uergit, ſubitò inclinauit. Quidã Veneti nominis, qui noui illius motus fuerant auctores, ut Græcis gratificarentur, Latino nomine abnegato ſe Greçanico ritu uicturos profeſsi ſunt. Ea hoſtium conſternatione in ſpem bene gerendę rei Iuſtinianus ductus, continuò ex inſulanis qui in fide erant, ad quadringentos equites pediteſq; conſcripſit: cum his Candace profectus in Siuritos duxit. Res hic, expugnatis hoſtium munitionibus, quas illi alta macerie ſepſerant, bene geſta eſt. Nec minus ad Milopotamum feliciter alijs q; pleriſq; locis illis ipſis diebus bellatum. Lepterniį Alexium Calergũ cum fratre & liberis Creſsio Molino, qui Zeno ad Milopotamum cadẽte in inſulam uenerat, tradidere: hos ille cum Zanachio Molino gentili ſuo (qui & ipſe ex defectionis auctoribus unus ferebatur) Candacem ad ſupplicium traxit, Georgij quoq; Calergi coniunx & liberi per eos dies in Venetorum poteſtatem uenere, qui & ipſi eodẽ perducti ſunt. Iuſtinianus & Nicolaus Triuiſanus fractas inſulanorum opes perſecuturi, non longè ab Anopoli copias iungunt. Erant hic pleriq; & Latini & Græci nominis hoſtes. Erat locus natura munitiſsimus, arduaq; aſperitate inacceſsibilis, unaq; tantum uia, nec alia ulla ad hoſtem oſtendebatur, ſi promontorium quod urbi imminebat, Venetus occupaſſet. Quod quum legati nõ multo pòſt feciſſent, paucis diebus oppido potiti ſunt: Ioãnes & Georgius Calergi, ac pleriq; Veneti nominis rebelliũ capti ſunt, ac Candacem perducti. Ferunt Georgium ipſum in ſpelunca cum Ioanne fratre latitante tentaſſe in hoſtem ſagittam emittere, ſed illum arcũ fregiſſe. Stultum eſſe dicerem, eum irritare, in cuius poteſtatem ſcias te paulo pòſt uenturum. Et illud non mediocriter urbanum, quod in quendam ex principibus defectionis captum à gregario milite reſponſum ferunt. tradũt illum quum Candacem ad ſupplicium traheretur, petiſſe ſibi uulnus quod acceperat obligari, atq; fomenta aliqua adhiberi: tum uerò non in fulſe militẽ qui illi hærebat, ipſius uulnus neq; medico indigere neq; medicina, dixiſſe. apparuitq;, ab eo manifeſtè alluſum ad captiui hominis ſupplicium, qui paulo pòſt ſecuri ſubijciẽdus erat. Pax ſublatis undiq; hoſtibus Cretẽſibus reddita eſt. Pacata inſula Ioannes Dandulus, Paulus Lauretanus, Petrus Maurocenus, Ioannes Fuſcarenus, & Thaddęus Iuſtinianus ad eius ſtatum recognoſcendum, resq; cõponẽdas miſsi. Ii alijs legibus ſublatis, alijs nouitèr ſanctis, locorum etiam munitorum quibuſdã euerſis, nonnullis inſtauratis, Anopolim, iuſsis colonis qui illic erant aliò migrare, deſolatam reddidere: propoſito edicto, ut capitale eſſet quicunq; habitãdi cauſa in id oppidum redijſſet. Edictum etiam, ut nemo Laſithis ædificaret, nemo ſereret. Rebellium multis qui ſparſim inſulam incolebant, partim capitali ſupplicio affectis, partim perpetuo exilio damnatis, antiquum ocium inſulæ reddidere. Hunc exitum habuere temerarij Cretenſium motus. Cornarius princeps quũ annos duos ac mẽſes octo reipu. præfuiſſet, & iam grandis natu humanę neceſsitati conceſsit, in Gemellorũ æde eſt ſitus. Andreas Contarenus in demortui locum ſucceſsit, qui præſagio quodam futurorum aliquandiu oblatam dignitatẽ adire recuſauit: conceſſeratq; ob id ipſum in Patauinum agrũ (ubi fundum habebat) tamdiu urbe abfuturus, quoad noua alterius ducis declaratio ſecuta eſſet. Sed quum neque publicis neq; priuatis literis in urbem retrahi poſſet ad dignitatem capeſſendã, cognatorum quidam ad eum ire iuſsi ſunt, denunciãtes fore, ſi pergeret obſtinatè agere, ut paulo pòſt (quod Patres interminati eſſent) publicatis bonis ipſe in exilium ageretur. Tum illum priuato periculo motum ceſsiſſe ferunt, Venetias q; ueniſſe. Quod ſi uerecundia accidit, fuit (quis non uideat) exemplũ illud apprimè ſalutare, ne quis temerè rempub. adire auderet, cui in primis conſultum uelle debẽt, qui eam regendam capeſſunt, & quæ non tam noſtra q; ipſius cauſa adeunda eſt. Etenim conſiderare oportet eos, qui publicos honores ambiũt, qui ipſi ſint, quidue omnino præſtare poſsint: ac ſi ſe rei tantæ impares cognouerint, non ſibi minus quàm omnibus cõſuluiſſe ſciant, qui oblata dignitate abſtinẽt. Sed hæc in Contarenum ipſum non cadebant, qui ſapientia ſingulari fuiſſe traditur. Verùm ſi (quod ſuſpicor) id fecit, ut moleſtias & maiores curas quę in eo faſtigio dignitatis ſentiuntur, effugeret, parũ (meo iudicio) ciuiliter egit: ac neſcio an plus peccarit, quàm ſi rempublicã temerè adiiſſet: in eo enim ſtulticia accuſanda, in hoc uerò malitia. Sed quo cõſilio id factum ſit, parum compertum habeo. Conſtat, eo principe rempublicam externis bellis uehementer iactatam, & in urbe magnopere annona laboratum: ſumma dignitate recepta, haud quidem multo pòſt Tergeſtinorum defectio ſecuta eſt. Habebant Veneti triremem unam in Hiſtria ad uectigalium cuſtodiam inſtructam: Tergeſtini, qui iam pridem res nouas occultè moliebantur, facto repentè in Venetos qui eò fortè appulerant, impetu, turmæ naualis præfectum de induſtria iniecto certamine obtruncant: nonnullisq; grauiter uulneratis, totam turmam confeciſſent, niſi ſoluta repentè naui ex ipſo portu in altum abiiſſent. Nec præſenti ignominia contenti, Veneta ſigna feſto die in publicum (ut aſſolet) prolata, ex edito ad imum demiſſa diſtrahũt, lacerant, probroſisq; uerbis ſolo affligũt. Patres ab initio non ignari quorſum noui Tergeſtinorum motus tenderet: haud multum cunctandũ rati, tantiſper dum res à Tergeſtinis repetuntur, copias celeriter contrahunt, inde terra mariq; rebellẽ populum ſubitò obſidione cingunt. Terreſtris exercitus imperium Dominico Michaëli datum: claſsis Creſsio Molino. Media bruma erat. at quia dubiũ fuit, ne Venetis ceſſantibus, externis opibus ſuas interim hoſtis firmaret, omnia ad bellum celerrimè expedita. Sub primũ appulſum urbs oppugnatione tẽtata eſt: Tergeſtini Carnorum auxilijs adiuti, ſtrenuè oppidum defendunt: mox eruptione facta circa mœnia tumultuario prælio Venetos fatigãt. Dimicatum itaq; ſæpius, uarioq; euentu. Sed quũ maiore conatu opus eſſe uideretur, miſsi milites in ſupplementũ, miſsi & noui ex urbe legati: Paulus Lauretanus Dominico Michaëli ſucceſsit, Creſsio Molino Thaddæus Iuſtinianus: cum quo duo Tauriſinorum millia in caſtra uenere. Tergeſtini cernentes opes Venetas quotidie inualeſcere, circumſpicere cœperũt, unde ſibi auxilia quærere poſſent. Placuit itaq; ad ducis Auſtriæ opes confugere, eius fidẽ auxiliumq; implorare, illi urbem, agrum, omnia diuina humanaq; tradere. Miſsi ad hoc ipſum publico nomine oratores, à quibus deditio facta eſt. Barbari ſigna ſumma turri ſubitò erecta. Nec ita multo pòſt cum decem millibus equitum, peditatuq; amplisſimo Barbarus aſſuit: Veneti interim hoſtilem agrum populati, omnia ferè oppida urbi circumiecta ſuæ ditionis fecerant. Germani repentè Veneta caſtra inuadunt, tanto impetu coorti, ut momento temporis uallum occuparint. Vix ſubitus ille ardor ſuſtineri potuiſſet: niſi audito clamore milites ſocijq; nauales ex proxima ſtatione ſuis magnopere laborantibus maturè opem tuliſſent: ſub quorũ aduentum ita remiſſus eſt, ut hoſtes à caſtris nõ modò auerſi ſint, ſed fœda quoque clade accepta abire compulſi. In diem unum Barbaro petenti conceſſæ induciæ ad corpora ſepelienda. Mox una aduerſa pugna fractus, quum cerneret ſe nil circa Tergeſtũ ſedendo profecturum, nec Venetum à Tergeſtinorum ceruicibus tam facilè reuelli poſſe, inuitus inde copias in Germaniam abduxit. Sub eius diſceſſum Tergeſtini omnem aliam externã opem deſperantes, certis conditionibus imperium recepere. Quo recepto, uictor exercitus, uictrixq; claſsis domum reuerſa eſt. Nec diu ciuitas in ocio fuit, nouo bello cum Franciſco Carrario orto. Suſcepti belli origo à tyranni iniuria profecta dicitur, qui ſolum loco ſtagnis proximo (quod Venetorum finium eſſe conſtabat) & haud procul inde circa paludes aliquid adimebat. Ea iniuria Veneti adacti, confeſtim urbis commercium nauigationemq; ue Patauinis occluduntrant: eaq; hæc (quis neſcit?) certiſsima belli ſemina. Finitimi uerò principes moleſtè admodũ ferentes, Patauinorum cauſa urbica negocia ſuis adempta: enixè dant operam, ut ſopita diſcordia Veneti cum illis in gratiam redirent. Sed res fruſtra à ſummis uiris tentata. Venerunt inde ex Pannonia oratores (nam Carrarij in Lodouici regis fide eſſe dicebantur) & Venetorum cauſa ex Florentia Piſiſq; legati affuere: ſuntq; eorum interuentu in duos menſes pactæ induciæ. Dederunt Veneti quinque uiros, actotidem Carrarij, qui in rem præſentem uenirent, deq; finibus coram agerent, atque ſine aliqua maiore altercatione fines recognoſcerent. Sed ab his quoque nihil confici potuit. Sub id tempus reſciuerant Patres, ſubornatos fuiſſe quoſdam facinoroſos homines à tyranno, qui aliquot ex patricio ordine uiros trucidarent. Data eſt diligenter opera, ut ij tota urbe diligenter inquirerẽtur. eorum quidam apud plebeiam fœminam, cognomento Gobbam, capti ſunt: indici, cui ueritas ultro expreſſa eſt, uitam Patres condonarunt, ita tamen, ut decẽ annos in cuſtodia eſſet. Reliqui tota urbe equis diſtracti, & ad geminas columnas in quatuor partes diſſecti, pœnas concepti ſceleris meritiſsimas luerunt. Hoſpitis filius, qui nobiles conficiendos percuſſorum oculis ſubiecturus fuerat, laqueo necatus. Nec multo pòſt nonnulli eiuſdem ſceleris conuicti, eodem genere mortis affecti ſunt. Ingens metus Patres inceſſerat, ne ab huiuſmodi graſſationibus aliquod magnum incommodum reſpub. adiret: decretum eſt, ut optimi quique, uel in primis qui ſe Carrario tyranno inuiſos certò ſciebant, ab armatis ex domo in curiam deducerentur. Data præterea opera eſt, ut putei quàm diligentiſsimè aſſeruarentur, quos rumor erat, ſtatuiſſe eum ad perdendam ciuitatem ueneno inficere. Nondum præſenti metu liberati erant Patres, quũ noua cura illos inceſsit, ac mutua quædam ſuſpicio: eſſe ex ordine ſenatorio quoſdam, qui omnia quæ ſanctioribus cõſilijs decernerẽtur, per fidiſsimos internuncios Carrario ſignificarent. Quæſtione ſuper ea re decreta compertum eſt, nonnullos eius ordinis uiros in culpa eſſe. omnes ſceleris conuicti, qui minus ſontes fuere, ſenatu ſummoti iuſsi ſunt omni publico munere abſtinere: reliqui perpetuo carceri damnati, in quo reliquum uitæ agerent. Interim frequentibus legationibus citrò ultroq; miſsis, nihil obtineri potuit, quo minus ad arma ueniretur. quod Veneti cũ apertè iam futurũ cernerent, bellum ſumma ope comparare cœperunt.

IN LIBRVM V.

Epitoma.

RAinerius Vaſchus Venetarum dux copiarum, paulo poſt quàm in Patauinos mouerat, exauctoratus eſt: Veneti parum proſperè ad Anaxum amnem in Pannones dimicarũt: Stephanus Tranſiluanus cum auxiliaribus copijs uictus, in Venetorum poteſtatem uenit: Pax Patauino reddita eſt: Liopoldus Auſtriæ dux bellum Venetis intulit: Cum Barbaris ad Vnigum pugnatum eſt: Caſtra Feltrum admota: Liopoldi interuentu Feltrum eſt obſidione ſolutum: Auſtrini negociatores Venetijs in uincula coniecti ſunt: Cum Liopoldo pax facta: Cauſæ quarti belli Liguſtici: Tenedi occupatio: Græci & Genuenſes Venetis armis à Tenedo repulſi ſunt: Vno fermè tẽpore cum Lodouico rege, Aquileio antiſtite, Genuenſibus ac Carrarijs bellari cœptum eſt: Genuenſes nauali prælio ad Ancium uicti, plures naues amiſere: Veneti fruſtra Phamaguſtã in Cypro oppugnare ſunt adorti: Victor Piſanus Catharum expugnauit: Ligur Tarentino ſinu pugnam detrectauit: Meſtra à Patauino oppugnata eſt: Victor Piſanus Sicũ expugnauit: Bis Tragurium oppugnare fruſtra eſt adortus: Hyeme laborioſe frumentatum, ac magna pars claſſis inclementia brumæ deleta eſt: Piſanus ad Polam claſſem amiſit, atq; ob id in uincula eſt cõiectus: Genuẽſes præſenti victoria elati, claſſeq; mirũ in modũ aucta, Cloãã atroci adorti ſunt oppugnatiõe.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis ſecundæ,

LIBER V.

COnſtabat autem, in tanto terreſtris belli apparatu, uiro aliquo impigro, Venetiq; nominis amiciſſimo, opus eſſe, cui totius rei ſumma (quæ ſæpe aliàs in huiuſmodi motibus fieri conſueuerat) tutò demandare tur. Placuit itaque Rainerium Vaſchum, armorum ea tempeſtate peritiſſimum, ad hoc ipſum ex Hetruria accerſi: Dominico Michaële in caſtra prius miſſo, qui quoad ille abfuiſſet, copiarum imperio præeſſet. Miſsi cũ eo legati Andreas Zenus & Thaddæus Iuſtinianus. Edictum militibus, ut Meſtram ad certum diem conuenirent. Hinc primò in Patauinos mota caſtra, quorum fines ingreſſus Venetus, aliquot prælijs per occaſionem feliciter commiſsis, tumultu & terrore omnia compleuit. Rainerius interim Venetias uenit, hic imperij ſignis acceptis, cum amplioribus copijs in caſtra eſt profectus: quibus confeſtim moris, Medoaco ſuperato, quicquid Patauini agri illi adiacet uſque ad fluuium, quẽ Brentulam uocant, ſubita populatione fœdauit. Careſinus tradit, auctum imbribus fluuium uadari nõ potuiſſe, atque ita per Vincentinos fines exercitum in Euganeos ductum, ubi opulenta ex hoſte præda ſit capta: inde ad Aponi fontes caſtra habita, ibiq; deficiente commeatu, ortaque inter Rainerium & legatos diſcordia, fugienti ſimilem in Meſtrinum ſe agrum recepiſſe. Sunt qui Brentulam eum traijcere uolentẽ ut hoſtem infeſtius urgeret, ab legatis, diſſuadendo negandoque ſe id fieri paſſuros, impeditum ſcribant. Tum illum ira percitum, quum uideret non licere ſibi rem ſuis auſpicijs adminiſtrare, ſed imperitia legatorum bene gerendæ rei occaſionem è manibus extorqueri, imperio ſe abdicaſſe, Deum hominesq; teſtatum, paucorum pertinacia ſibi uincere non licuiſſe. Venerunt in ſuſpicionẽ legati, quaſi pecunia ab hoſte corrupti publicos ſucceſſus impediuiſſent. Sed re Veneta nihilominus feliciter geſta, oppidisq; nonnullis ex hoſte captis, ratus tyrannus quod erat, ſine externa ope Venetis diutius reſiſti non poſſe: Lodouicum Pannoniæ regem, iam antea Tauriſina oppugnatione conciliatum, ſibi in belli ſocium aſciſcit. Quidam auctores ſunt, ab initio belli cum rege fœdus à Carrario percuſſum. Is uerò quum terra mariq; bellum inſtrueret diceretur (quod facilè ob Dalmatiam prius Venetis ademptam præſtare poterat) præter terreſtres copias Patres & ipſi ualidam decernũt claſſem, cui Michaël Delphinus præfectus eſt: legati Petrus Iuſtinianus procurator, & Petrus Cornarius ei dati. Claſsis educta omnem oram maritimam toto bello Venetis negociatoribus tutiſsimam reddidit. Patauinorum res in hoc, ut dixi, ſtatu erant, quum ingens Barbarorũ uis ex Pannonia illis auxilio miſſa eſt. In Tauriſinos fines primò erupere: omnia cæde, rapinis & incendio uaſtata, nullum ſexus ætatisue diſcrimen haberi: cædes longè lateq; uagata, dimicatum etiam aduerſo marte. Nam ad primam aduẽtantis hoſtis famam Thaddæus Iuſtinianus, ad opprimendos eorum conatus ad Anaxum fluuium occurrit. Exploratoribus Venetis ab hoſte interceptis accidit, ut Barbarus penè prius ſit cõſpectus quàm appropinquare diceretur. Tumultuarium iraq; prælium circa fluuium commiſſum: ac primo congreſſu (quia exercitus robur nondum aderat) Pannon fuſus eſt: eum cedentem uictor Venetus ad undas fluminis inſequitur, nec milites omnes Iuſtinianũ fuſo hoſti inſtantem ſecuti. Tum uerò in ipſis ripis reparata pugna, longè atrocius quàm antea dimicatum. Hic Barbarus ſuperior fuit, uicti Veneti pauci ex media cæde abiere, plures omnino cæſi, pauciſsimi capti, in quibus Thaddæus ipſe & Gerardus Caminenſis fuiſſe dicuntur. Ad famam aduerſę pugnę confeſtim reliquæ copiæ in Tauriſinos abductæ. Ad ea caſtra progreſſus hoſtis, continuò ubi in conſpectu fuit, facit Veneto pugnãdi copiam. Sed quũ intra caſtra ſe teneret, nec in aciem prouocatus trahi poſſet, in Carnorum fines reuerſus Pannon, per Bellunenſes primò, inde per Feltrinos ducens, ad Baſſanum Vincentini agri oppidum conſedit. Erãt tum Bellunum Feltrumque Alberti Auſtriæ ducis, quem Lodouicus rex in ſocietatem belli traxerat. Sunt qui tradant, à Carrarijs eas urbes Albertũ recepiſſe, ut in Venetos arma tunc caperet, atque ita parum liberaliter cum illis egiſſe, qui non multo antè eas in conditionibus tentatæ pacis ſibi à Patauino oblatas, ne quid Barbaro moleſtum facerent, pertinaciter recuſarant. Delphinus, quem claſsi præfectum diximus, cum leuioribus natigijs (quas Gazariolas uocant) ſtagnis circumuectus, ad Patauinam lupam præſidium erexit: mox uerò haud procul inde aliud. Quibus locis uſus Venetus, opportunum ſibi ad clades ex propinquo inferendas reddidit hoſtem. In Tauriſinis, ubi omne robur Veneti exercitus erat, aliquæ expeditiones per id tempus factæ dicuntur, ſed nulla quidem memoria dignę. Milites pleriq;, qui magis graues ſuis quàm hoſtibus eſſent ob aſsidua latrocinia, ex ipſis caſtris iuſſi ſunt abire. Apud quoſdam reperio, Rainerium Vaſchum, quem ultrò ſe imperio abdicaſſe diximus, & ipſum cum ignominia exauctoratum. Iacobus Maurus ad imperium claſsis miſſus, quũ circa prędia quæ Delphinus erexerat, aliquandiu ſtationem habuiſſet, in morbum incidit, quo implicitus Venetias eſt delatus. Rainerio abeũte, terreſtrium copiarum imperium Alberto Corregiẽſi datum. Per eos dies quibus is cum Leonardo & Andrea Dandulis, &

lis, & Petro Fontana legatis in caſtra uenit, in ſtagnis res parum proſperè geſta eſt. Muniebatur locus tanquam omnium opportuniſsimus à Venetis, nõ procul à præfidijs quæ Delphinus erexerat. Eos operi intentos ex improuiſo Carrarius adortus turbat primò, inde fundit fugatq;. Ceciderunt primo hoſtium incurſu patricij ſanguinis quidam, atque cum his ſagittariorum nonnulli, reliqui ad naues præcipiti fuga compulſi. Sed non tam malè hic, q̃ feliciter poſtea circa caſtra dimicatum eſt. Nam quũ iam hoſtes in conſpectu eſſent, pararetq; Venetus communire locum qui medius inter utraq; caſtra erat: Stephanus Tranſiluanus Pannonici equitatus ductor, ut ab incœpto opere Venetũ auerteret, ſtructa acie eò proceſsit. In eum Leonardus Dandulus confeſtim eduxit, nullam pugnandi moram, ſi per hoſtem licuiſſet, facturus. Sed Barbarus quaſi cõſulto eo die prælio abſtinuit. Poſtridie uerò Petrus Fontana, penes quem illius diei imperium erat (alternis enim cum Corregiano imperitabant) ferociter & ipſe ubi illuxit, in aciem deſcendit. Hoſtis nec ipſe pugnam derrectauit, iniectoq; certamine conti nuò Venetus edicit, ut relictis equis caraphracti equites pedeſtre prælium capeſſerent: hortaturque obeundo aciem, iubetq; ſuos ut aut uincere in animum inducant, aut ad unum cadere: habiturum ſe pro hoſte, ac infeſto ferro petiturum, quem reſpicere fugam uiderit: affuturum in prima acie non ſolùm hortatorem, ſed uirtutis etiam cuiuſq; & ſtrenuitatis teſtem. His uocibus concitatus miles, fero citer pugnam conſerit: tantaq; ſtrenuitate & pertinacia dimicat, ut fuſis fugatisq; hoſtibus memorabilem ſit uictoriã de illo adeptus. Multi in acie cęſi, plures in fuga. Tranſiluanus cum omnibus ferè Barbaris illuſtribus qui ea acie dimicauerãt, captus eſt. Capti & Italici nominis, Bonifacius & Antonius Lupij, ac pleriq; alij Patauini illuſtres. Lodouici & Carrarij principis ſigna in acie diſiecta in Venetorũ poteſtatem uenere. Creditum eſt, Venetum, ſi hoſti inſtare uoluiſſet, Patauium uſq; cum præda & agrorum uaſtatione facilè adequitare potuiſſe. Fracti ea clade ciues, Carrarios incuſare, in eos omnem belli culpam reijcere: odiſſe itaq; illorum nomen ac deteſtari. Franciſcus interim ut aliquo incõmodo Venetos afficeret, magnam equitum partem maioris pollicitatione ſtipendij Venetis ademit: ſed hi aliquanto maiorem numerum quàm ademptus eſſet, ex Inſubribus accerſiuere. Quem uenientem ut exciperet Iacobus Maurus, Veronam uſq; progreſſus eſt. Eratq; cum eo Marſilius Fráciſci frater, qui poſt acceptam cladem, quum ſe pacis auctorem ciuibus obtuliſſet, nec fratrem in ſententiam trahere poſſet, in illum cum multis conſpiraſſe dicebatur. Verùm reputans quantum ob id ſibi à domeſticis periculũ immineret, ad Venetos transfugit. Marſilij exilium maiorem adhuc Franciſco peperit inuidiam: atque ita ciuium odia in eum exarſere, ut nihil amplius ei domi tutius quàm foris uideret. Lodouicus quoq; audita ſuorum clade, ac Tranſiluani caſu, ad eũ ſcripſit, ut de pace quibuſcunq; conditionibus iam cogitare inciperet, non eſſe cur à ſe auxilia ulla ſperaret amplius. Fracta hoſtis pertinacia pacem petijt, quam his cõditionibus impetrauit, ut Princeps & Patres quinq; uiros crearẽt, qui fines de quibus ambigebatur, ſuo arbitrio terminarent: quod Patauini in præſentia Veneto nomini quadraginta aureorum nummũm millia, inde ad quindecim annos quatuordecim millia quotannis: quod Franciſcus Carrarius, ſiue filius, ſupplex iret ad conſpectũ Principis & Patrum, ueniam petiturus, caſtrum nouum cum propinquis munitionibus diruueretur, turris Corania cum ſolo ad ſeptem millia paſſuum circũiecto Venetorum eſſet, daretq; Franciſcus operã ut Pannoniæ rex in gratiã cum Venetis rediret, quod Marſilius prædijs uteretur ſuis, atq; fructus Venetias illi deferrentur, captiui redderentur, auxiliares Barbaros confeſtim Carrarius dimitteret, quotannis ad aram diui Marci trecentos nummos aureos oblatum mitteret, prædia cum fructibus belli tempore Venetis in Patauino agro ablata reſtituerent, tria millia paſſuum ab oſtijs fluuiorum Patauinus non ædificaret, locum nullum cõmuniret, aut præſidium haberet. His conditionibus Carrarijs pax reddita, quam magis neceſſariam, q̃ ſpecioſam uicti accepere. Ad eam ſanciendam Nouellus Franciſci filius Venetias miſſus eſt: in diui Marci ædem ductus, ſuo ac patris nomine per ſacras aras quib⁹ fuerat admotus, iurauit, ſe cum patre & omni Carraria gente, quæcũq; nuper pacta eſſent, rata habituros: nec pacem ipſam uiolaturos unquã, nec eorũ quicquã quæ in pacis cõditionibus expreſſa eſſent. Atq; ita intra annum cum Patauinis debellatum accepimus. Ædes uirginum cum proximis ędificijs per id tempus conflagrauit, ſed omnia publico ære reſtituta. Poſt Patauinũ bellum tribus fermè annis pax fuit. Id ocium ne diuturnũ eſſet, ſubiti Barbarorum motus effecere. Liopoldus Auſtrię dux ſine ulla belli denũciatione cum quatuor millibus equitum in Italiam effuſus, Tauriſinum agrum tumultuoſe inuaſit: ferro & igni omnia quæ occurrerant populatus, in conſpectu urbis non ſine ingenti ciuium terrore cõſedit. Quam illati belli cauſam Barbarus habuiſſet, nõ reperio. Veneti qui nihil minus q̃ id bellum eo tempore expectabant, trepidiſsimis nũcijs commoti, ad uicinas Æſtentium opes decurrunt: à quibus quũ leuia quædam præſidia accepiſſent, confeſtim in hoſtes eſt itum. Nec his tantũ copijs, quas omnino tenues fuiſſe conſtat, Venetos tunc uſos crediderim: ſed in urbe quoq; ad primũ tumultum conſcriptas aliquot cohortes fuiſſe: quanq̃ auctores, quos uidimus, nõ tradant. Barbarus audito hoſtiũ acceſſu ſoluta obſidione in Bellunẽſem ſe agrũ recepit: patres interim iniuria adacti Germanos negociatores qui Venetijs erant arreptos, eorũ rebus in publicũ redactis, in uincula cõijciunt. Accerſunt & Iacobũ, cognomento Gaballũ, uirũ ea tẽpeſtate diſciplinę militaris peritiſsimũ, eumq; ſummę totius gerendæ rei præficiunt. Sed dum hæc domi expediunt, Petrus Hemus Tauriſij prętor, quingẽtorũ hominum cohortẽ in Feltrinos & Bellunẽſes prædatũ mittit (fuerunt peditibus equites mixti) Ii Marini Superantij ductu quũ in hoſtiũ fines prædabundi erupiſſent, eſſentq; aliquandiu cum pręda & tumultu uagati, Barbarorũ metu quos in ſe miſſos audiuerãt, trepidè ſeſe in pacatũ receperũt. Iacobus recepto copiarũ imperio Tauriſiũ uenit: ubi tãtiſper moratus eſt, quoad auxilijs undiq; contractis legitimã exercitus expleuiſſet formã. Quo diligenter recognito, hoſtium fines ferociter eſt aggreſſus. Ad Vnigũ primò caſtra admota: ubi cũ Barbaris acri prælio congreſſus, multisq; eorum cæſis, ad Victorias pylas ire pergit. Eſt citra Feltrẽſem ſalrũ anguſta uallis, per quã Anaxus fluuius magis præcipitaq̃ defluit: dextra parte qua ille cum impetu ferẽ, ita Feltrinos mõtes pſtringit, ut per uiã ſoli interca pedinẽ, & quaſi uadũ quoddã relinquat. Abrupto igitur montis latere, ad ripã uſq; fluminis uetuſtiſsimus murus claudit locorũ anguſtias, quas Victoris clauſurã hodie appellant. Hinc quoq; deiecto hoſte ad Victoriũ Venetus proceſsit: quod acri oppugnatione adortus, bellicis operibus in poteſtatẽ redegit. Ferũt in ea obſidione Gerardi Caminenſis opera maximè enituiſſe. Præſidio hic relicto Feltrũ caſtra admota, direptisq; ſuburbanis tectis, agroq; fœdè populato, acris oppugnatio urbẽ adorta eſt. Audito Feltrenſiũ periculo Liopoldus cum ingẽtibus copijs ad ſuos obſidione leuãdos accurrit. Ad famã propinquantis Barbari incenſis tectis oppido ſubiectis,

iectis, quæ ab initio milites occuparant, Venetus Taurisium se recepit. Liopoldus Belunum progressus audito hostium digressu, iniquo animo tulit præreptam sibi pugnandi occasionem. Conuersus igitur ad ea loca quæ amiserat recipienda, tentauit primò ex Baldina turri (quam tantisper dum Feltrum oppugnat Caballus occuparat) Venetum præsidiū deijcere. Iacobus cognito hostium consilio, filium, iuuenem impigrum, cum lecta militū manu ad locum præsidio retinendum mittit. Horum aduentu explorato Barbarus Beluno profectus, incautā cohortem insidijs excipit, exceptā turbat primò, mox uerò fundit fugatque. Præsidij caput cum centū & amplius strenuis uiris præter reliquam multitudinem in hostium potestatem uenit: sed eos captos confestim missos fecit hostis, accepta prius ab eis fide, intra paucos dies, si pax non interim secuta esset, ad se ueniendi. Recepta deinde turri Belunū copias Liopoldus reduxit. In hoc statu res Venetæ erant, quum Lodouici regis interuentu cum Liopoldo inducię in biennium pactæ sunt. Interim uerò (ut uaria sunt hominum ingenia) rex denuo alienatus, cum Genuensibus, Aquileiensi antistite, Carrarijsque in Venetos fœdus percussit. Quod quū occultū in se bellum parari Patres resciuissent, essetq; iam propè uentum ad exitum inducіarum: pro magno habuerunt negocio, cum Liopoldo, ne uno tēpore tot bellis onerarentur, redire in gratiam, pacemque quoquo modo fieri posset sancire. Restitutis itaque locis omnibus quę illi Venetus proximo bello ademerat, Germanis negociatoribus custodia eductis, rebusq; alijs redditis, Leonardo Dandulo & Petro Cornario ad hoc missis, pax cum duce composita est. Necita multo pòst cum Genuensibus quartò bellari est cœptum. Quod bellum ut acerrimū, ac omnium quæ ad eam diem Veneti gesserunt, difficilimum, ita ab ijs quos uidimus copiosissimè traditum reperio. Sed priusquam rem narrare aggrediar, renouati belli causa explicanda est. Tenebat Græciæ imperiū Caloioannes, homo Veneti nominis amicissimus: is inter cęteros quos tulit liberos, Andronicum habuit, qui cum temerè in patrem conspirasset, sceleris conuictus, illius iussu uisu debilitatus est, ac Peram ablegatus. Genuenses, qui iam antea indignè tulerant, Venetos sibi à Caloioanne in amicitia prælatos, puerū primò curandum medicis tradidere, quem magna ex parte luce recuperata ad imperium patris impiè occupandum impellūt. Audax & facinorosus iuuenis, haud abnuit scelus: ac Perensium, qui omnes ferè Genuenses erant, opibus fretus, repentè in senem & reliquos necessarios impetu facto imperium occupat, parentes ipsos cum tota familia in uincula conijcit. Quidam auctores sunt, à Cantacusino, homine Greci generis, Caloioannem dignitate eiectum, Franciscique Cateluſij Genuensis opera in pristinam fortunam restitutum, atque ob eam rem Ligurē Lesbū insulam ab eo dono accepisse. Sed annales quos sequimur, Andronicum auctorem eius motus fuisse affirmant, quos eo libentius sequor, quia constat, adolescentem cum Pera & Genuensibus postea à Caloioannē oppugnatum. Promiserat igitur ab initio Andronicus Tenedum insulam Genuensibus, quibus fidem præstiturus, scribit ad eos qui arcem præsidio tenebant, ut eam cum tota insula Liguribus traderent. Duæ Perensium triremes ad id Tenedum missæ: præsidij autem præfectus cum ipsis incolis, nihil Andronici literis moti, respondent insulam Caloioannis esse, non filij: nulli hominum se eam tradituros unquam, nisi is cuius esset imperasset. Ferūt florentibus imperij rebus & præsidij præfecto & insulanis mandatum, ut si, quod nollet, imperij fastigio casu aliquo quandoque fenex eiectus esset, nulli gentium, præterquam Venetis insulæ A possessionem traderent. Perenses spē Tenedi potiundæ frustrati, Constantinopolim continuò abiere. Præerat Veneto sinui Marcus Iustinianus, qui audito Caloioannis casu, ueritus ne Venetæ triremes quæ ad Pontici maris negocia exiuerant, aliquod à Genuensibus incommodum ea temporum nouita te acciperent: ad exitum usq; Pontici maris eas comitatus, Hellesponti parte remensa Tenedum applicuit, suarum triremium reditum ad uernum tempus expectaturus. Fuit itaque classis ibi ea hyeme. Inde sub initiū ueris Venetis nauibus receptis, quibus circa Thracium Bosphorum occurrerat, Tenedum redijt: hic proposito insulanis periculo, quod à Genuensibus & alijs imminebat, consensu omniū ab arcis ac totius insulæ præfecto Tenedum Veneti accepere: ad quam præsidio tuendam, Donato Throno cum plerisque alijs relicto, Iustinianus cū tota classe Venetias uenit. Audita insulæ alienatione, Genuenses cum ueteri odio & æmulatione: tum quia apparebat, Venetis eam tenentibus nullo deinceps tempore tutum suis negociatoribus in Ponticum mare cursum futurū: Andronicum satis per se Veneto nomini infensum nouis stimulis adigūt ad uim ijs qui Byzantij erant, inferendam. Pronus ille ad iniuriam Petro Grimano cum Venetis negociatoribus in custodiam adductis, cæteam nauim ex Tanai redeuntem (quæ per eos dies portum fuerat ingressa) intercipit. Post Iustiniani reditum ubi in senatu ille de rebus à se gestis, deque insula Veneto imperio nouiter adiecta disseruisset: ferunt uarijs animis id à Patribus acceptum, quibusdam beli periculo motis factum minimè probātibus: alijs opportunitatem loci secutis, atque ob id affirmantibus operæprecium fuisse id facere. Decretæ itaq; triremes duæ ad insulæ præsidium: missusq; eò Antonius Venerius, qui præfecti nomine Tenedo præesset, & cum eo legati duo, Ioannes Gradonicus & Petrus Cornarius. Eo præsidio insula inita, Genuenses interim undecim triremibus, non suo, sed Andronici nomine instructis, Lemnum insulam (quā Veneti, ubi uim suis ab imperatore illatam audiuere, Græcis ademerant) subito appulsu occupāt. Inde circa Peram atque oram Pontici maris trium & uiginti triremium classe expleta, cum ijs & onerarijs duabus Byzantio profecti, Tenedum inuadūt. Aderat Andronicus, cuius auspicijs ea geri Ligures uideri uolebant. Præerat tum Tenedo Carolus Zenus, homo impiger (nondum enim aderat Venerius, nec non Thronus ipse, iam antea credo insula decesserat) is non solùm mœnia ualidè tutatus est, sed cum lecta hominum manu eruptione facta hostes fudit, ac multa cæde ad naues fugauit: bellicis operibus amissis cum ignominia Andronicus inde naues abduxit. Hac præcipuè causa impulsos Genuenses ad opes Venetas euertendas: quia per se id consequi non poterant, fœdus cum Lodouico Pannoniæ rege, Francisco Carrario, & Aquileiensi antistite percussisse ferunt. At Patres, quum bellum specie & re atrocissimum iam apertè sibi imminere cernerent, confestim uiginti triremium classem decreuere, Victorem Pisanū illis cum imperio maris præficiunt, cui Pantaleon Barbus, & Lodouicus Lauretanus legati dati sunt. Ex omni nauium numero quatuordecim Venetijs, reliquæ Cretenses remigio instructæ, septimo Calēdas Maias classis domo est educta. Sed iussus est Victor nihil hostiliter agere, priusquam bellum Genuensibus esset indictum: ad quod ipsum ferunt Nicoletum municipē Clodiensem scribarum unum Genuam missum. Classis sinu egressa, circumuectaque Siciliæ ora Genuam uersus abijt. quo cursu non pauca hostium nauigia paucissimis diebus oppressit. Nec ita multo pòst quū totam inferi maris oram infestam hosti reddidisset: Lodouicus Fescius cum decem Ligusticis triremibus

bus ad bellum instructis; ad eam ignominiam demendam in Venetum pugnandi studio mouit. Erat tum Victor ad Antiū in maritima Latij ora, qui audito hostium aduentu, subitò triremes ad pugnam instruit, suosque corpora curare iubet, & ut ad primum classicum arma caperēt edicit. quum iterum signum daretur, remiges socijque nauales sua loca occuparēt, tertio uerò in hostes ferociter mouerēt. Etiam Ligur in conspectu erat, in quem ut alto mari dimicaretur, continuò Venetus mouit. Vix ad manus uentum erat, quum subita tempestas cum pluuia coorta, ita repentè omnia turbauit, ut reliquis auersis nouem tantum ex utraque classe triremes conflixerint. nullus fermè in tam subita rerum turbatione sagittarum usus fuit: gladijs, contis, harpagonibus cominus congressi utebantur. Prælijū mari cœloque strepentibus in duas fermè horas distractum: demū Genuensium fortuna inclinante, quatuor media pugna dilapsis, reliquæ cum Lodouico captæ, quarum una littoribus impacta sine remige uenit in uictoris potestatem. Capti cum ipso classis præfecto nobiles Genuenses duodeuiginti, remiges socijque nauales octingenti, sexcenti cæsi. Nec Veneto uictoria incruenta fuit, multis ex singulis turmis quæ conflixerant cæsis, pluribus uulneratis: & in his Zacharias Gisius, Fescius, & alij nobiles cum dimidio captiuorum Venetias missi: reliquos in Cretam ipse Victor abduxit. Sed cum circa Methonem oram Peloponnesiacam legeret, obuias habuit sex illas triremes, quas in Cretam ut remige instruerentur missas docuimus. His acceptis in insulam uenit. Vnde postea ad decem Genuensiū triremes, quæ apud Byzantium superiore hyeme fuerant, opprimendas profectus: quum in Eubœā uenisset, comperit hostium naues insulam præterue-
A ctas Genuam uersus abijsse. Conuerso itaq; retrò celeriter cursu, abeuntem Ligurem aliquandiu insequi perstitit: quanquam ille sua celeritate multū pelagi emensus iam in tutum abierat. Dum hæc mari geruntur, Carrarius princeps interim suo & Lodouici nomine arma Venetis intulerat: prædicans, nihil à se perfide fieri, nihil contra ius gentium, quod præter filij iusiurandum Venetis arma intulisset: oportere se Lodouico regi, in cuius fide esset, uel nolentem parere. Aquileiensis antistes & ipse bellum indicit. Tot uno tempore bella ad euertendum Venetum imperium coorta sunt: quū nullum interea Venetus neque auxiliarem quempiam, neq; sociū, præter Bernabouem Vicecomitem, & Petrininum Cypri insulæ regem, ad tantam armorum hostium tempestatem sustinendam haberet. Quanquam regis opera nunquam, Bernabouis uerò ad oram Ligusticam infestandam aliquandiu usus sit. Suis itaque non alienis uiribus sterit res Veneta toto belli tempore, quod uix re Veneta incolumi futurū credi potuisset. Vno igitur tempore Patauini hinc, inde Carnorum exercitus, in Taurisinum agrum ingressi, omnia terrore & populatione complent. Gerardus Caminensis sub primos belli motus à Venetis ad hostes descisuit, Meta oppido Riccardo fratri adempto; quem ob Pantaleonis Barbi filiam in matrimonium ductam apparebat Venetorum arma eo bello secuturum. Hæc in Venetis. In ora interim Ligustica Carretenses, reguli Bernabouis Venetorumque opibus freti, nonnulla Genuensibus oppida ademerunt. Nec hostes ipsi interea quieuere: sed Augustam Cypri urbem & emporium nobilissimū subita ui occupant. Iniuriæ illatæ causam inde ortā affirmant, quod quum in Petrini adolescentis, filij Petri regis, nuper domestica proditione cæsi solenni conuiuio, quod ille per eos dies quibus regni dia dema recepit, hospitibus & insulanis sæpius instauratum: Veneti Genuenses que, qui plurimi negociorum causa in insula erant, uocati adessent: accidit ut
B ueteri æmulatione ortum sit medio conuiuio inter eos certamen, quod Genuensium culpa contractū multi crediderē, qui indignè ferrent, Venetos sibi in honore à rege prælatos. Armis itaque media regia dimicatum. Fauentibusque Venetorum causæ Cyprijs, Genuensium nonulli ferro occubuere, plures uulnerati, reliqui ex conuiuio ignominiosè eiecti. Ea iniuria Ligur adactus ex insula cum rebus omnibus excesit. Necita longo interiecto tempore instructa classe urbem ipsam repentè adortus occupat: uine an proditione, illi quos uidimus, haud satis perspicuè tradunt. Multos in regiæ cædis ultionem, & in his regis fratrem obtruncant, eorum bona diripiunt. Adolescens metuens ab Ligure, medio tumultu cum matre urbe aufugit: atque ita nobilissimum Cypri emporium in Genuensium potestatem concessit. Venit mater adolescentis in suspicionem, ut in ultionem mariti urbem Genuensibus tradiderit: quod quum parricidarum cædes bonorumque direptio ut credam faciunt, tum quia hosti le nihil in eam & filium Genuenses moliti dicunt. Tenente itaque Phamagustam Ligure, quum interim Vicecomes filiam adolescenti regi in matrimonium locasset, uelletque eam in Cyprum ad uirum mittere: cum Venetis egit ut sex longas naues instruerent, quibus filiam in insula tutam sisterent: ipse uerò mille & octingentos equites cum, peditū robore ad Genuensium res infestandas suo stipendio in tres proximos menses mitteret. Puella Venetias ducta, apud Cornarios in hospitio fuit: inde sex triremibus Venetis, & Cyprijs quinque, quas rex per eos dies ex insula miserat, Venerijs profecta incolumis est in Cyprum delata. Rex tum ad Ceraunіam erat (nunc oppidum ipsum Cerinum dicunt) Hic magnifico apparatu coniuge accepta, cum Venetis pacto ingenti auri pondere egit, ut cum quinque illis quas ipse mercede conduxerat, uellet Phamagustæ portum inuadere: quem si occupassent, pergerent ipsi ea parte urbem oppugnare: interim uerò cum quàm maximis posset copijs ipse auersa parte muros subiret. Præerat Venetis nauibus Ioannes Mianus, Franciscus Bocolus, Petrus Quirinus, Franciscus Foscolus, Ioannes Barbus, & Franciscus Mocenigus, quorum singuli singulas triremes priuato sumptu instruxerant. Ii conditionem à rege propositam non aspernati: cæterùm publico in Genuenses odio adducti, cum quinque mercenarijs nauibus, quas à rege Venetias missas diximus, portu adorti, primo certamine à Ligure repulsi in altū se receperūt: hic tantisper se tenuere, dum remiges socijque nauales corpora curarent. Obiecerant illi tres onerarias naues in ipsis faucibus portus, ad arcendos hostium incursus. Iterū igitur Venetus cum mercenarijs Ligurem adortus, non à fronte, ut antea, sed à lateribus portum oppugnant: tantumque scopuli ac telluris circa uada egestum, ut ad irrumpendum satis sit triremibus datum. Quibus intra portum admissis, continuò onerariæ naues cum ipsis propugnatoribus in Venetorum potestatē uenere. Captæ cum ijs triremes, & nauigia alia pleraque, quæ tum forte ibi stationem habebant. Portu in hunc modum occupato, statim urbis mœnia Venetus adoritur: admotisq; pluribus locis scalis, pleraque in spem potiundæ urbis adducti, per tela & hostium clamores in summum euasere: Genuenses, quorum ingens manus in urbe erat, impetu in subeuntes facto cum multa cæde & ruina primùm muro deturbant, inde toto portu expulere. Crediderūt multi, eo die urbem capi potuisse, si Cyprij eo ardore quo Veneti, auersa parte ciuitatis hostem fuissent adorti. Veneti annales hoc habent: uerùm non desunt, qui non Petrum, sed Bugonem Lusinianum faciant Petrini patrem: nec illum domestica fraude obtruncatum, sed Petrum adolescentis fratrem: cæterum

terum Genuenſes non à Venetis uiolatos, ſed iuſſu regis partim ex ipſo cœnaculo præcipitatos, partim in urbe & reliqua inſula oppreſſos, ita ut uix unus qui cladem domũ nunciarit, ſuperfuiſſet. Tum uerò Petri Fregoſi ductu Genuenſes ingenti claſſe inſulam adortos, Nicoſiam urbem cum rege & coniuge ſubito incurſu cæpiſſe, inſulam fermè totã igni & ferro uaſtatam, Petrinum Genuam cum uxore abductum. Nouiſſimè autẽ poſtliminio reuerſum, Phamaguſtam, quam ultro Genuenſibus habendã dederat, ut reliquam inſulam obtineret, Venetis opibus fretum fruſtra oppugnaſſe. Sed quoquo modo illud acciderit, re parũ, ut diximus, feliciter tentata, Venetæ triremes inde profectæ in Syriam curſum tenuerunt: ac præter alias clades quibus Ligurem eo curſu affecerunt, cæream unam Spinaregiã nominatam preciоſiſſima merce onuſtam cæpere: mox in Hadriacum ſinum reuerſæ, circa Iaderam ſeſe claſſi cui Piſanus præerat, iunxerunt. Dum ea quæ diximus, in Cypro & Syriæ ora geruntur, Victor cum duodeuiginti longis nauibus Catarum urbem expugnat. Erat tum id oppidũ Lodouici Pannoniæ regis. Tentati primò oppidanorum animi, à quibus ferociſſimè reſponſum ferunt: additaq; inſuper probra multa, quæ Veneti mentem perſtrinxere. Ira ob id accenſus Piſanus, expoſitis in littus copijs oppidũ ſumma ui adoritur. Remiges ſocijq; nauales tanto ardore munitiones primò, inde muros ſubiere, ut momento temporis in urbem tranſcenderint. Capta ciuitate ac direpta, illi qui arcem præſidio tenebant ſubita ſuorum clade conſternati, & ipſi deditionem fecerunt. Præda militem ſociosque nauales ditauit. Triremis una Venetias ad eam uictoriam nunciandam miſſa eſt. Piſanus aucta claſſe, quæ iam quinque & uiginti triremiũ numerum explebat: quia rumor erat Ligуſticas triremes in Dalmatiam aduentare, quæ ad id domo miſ B ſæ dicebantur, ut Iaderenſi portu inſeſſo non ſinũ modò, ſed ſuburbana quoq; littora Venetis ex proximo infeſta redderent: quàm longiſſimè domo poſſet uenienti hoſti ſe obijcere ſtatuit. Circa Tarentum Venetus Ligurem adeptus eſt: nam quũ Neapolim ferè progreſſus eſſet, cognouit hoſtium claſſem nuper alto mari Calabriam uerſus abijſſe. Remenſis igitur littoribus, eo quo diximus loco hoſtium claſsis reperta eſt, quam ut ad pugnam compelleret, ad exitum ſinus ad Lacinium promontorium conſedit. Contra Lacinium eſt Salentinum. Hæc duo promontoria contra ſe intuentia, ſinum admittunt magna ex parte importuoſum, in eo Tarentum urbs ſita eſt. Dixi ad Laciniũ potius quàm alibi Venetum conſediſſe: quia quum Ligur Tarentino portu eſſet, quem ad pugnam Venetus non elicere ſolùm, ſed cogere etiam uehemẽter cupiebat: maluit ea parte Victor ſedere, qua occupata retrò abeundi ijs qui in intimo ſinu erant, præriperetur facultas. Tarento tandem digreſſus, hoſtis confeſtim ubi ex aduerſo Venetum in ſe mouentem uidit, in altum declinato curſu ſeſe proripuit. Inſtat fugienti Venetus, quaſi protinus aſſecuturus, quum noua ab eo arte eſt eluſus. Aſsimulat hoſtis pugnã, tanquam in fuga omnino parum ſpei eſſet: continuoque in Venetum conuerſus uelut acie dimicaturus, omnia quæ ad pugnam parari ſolent, in nauibus aſsimulari iubet. Quod Victor conſpicatus, & ipſe curſum ſiſtit, edicitque ut remiges ſocijque nauales ſimul corpora curarent, ſimul captis armis ſeſe ad pugnam expediret. Ligur ubi Venetos inſtructos uidit, turmas armorum pondere grauatas, bellicis inſtrumentis triremes omnes impeditas, ſuis ad fugam dat ſignum. Vidiſſes tum utranq; claſſem diſpari motu agi: illam quia expeditiſſimos remiges habebat, uelut alas habentem medio pelago uolitare, hanc tardam, & quaſi impedito remigio hærere. Abijt itaque hoſtis per otium, in Dalmatiam q; ire pergit. Piſanus, quia nullum Veneti in ea terra portum habebant, ad læuam in Appulum littus flexit. Sub id tempus quinq; longis nauibus poſt Catari expugnationem, iuſſu Patrum inſtructis cum ea quæ uictoriam nunciatum uenerat, ex urbe ut ad claſſem irent profectis, tres Liguſticæ circa Beſirſones occurrerunt. Fuerant illæ aliquandiu nõ ſine Venetorum clade longè lateq; uagatæ, oppreſſerantq; per occaſionem onerarias non paucas. Venetus eas procul conſpicatus, in hoſtem ultionis cupidus continuò flectit curſum. Ligur uerò nihilo ſegnius fugam capeſsit: nec prius aut illi inſequendi, aut huic fugiendi finis fuit, quàm in Iaderæ conſpectum ſit uentum. Tum omiſſo hoſte Brunduſiũ Venetæ triremes conceſſere. Hic audito Liguſticæ claſsis in Dalmatiam aduentu, ſeſe in ipſo portu tenuere: ueriti ne ſi ulterius ire pergerent, ab hoſte interciperentur. Eſt Brunduſinus portus natura perſpicuus, uno oſtio multi uarijq; portus includuntur, nullis fluctuum agitationibus obnoxij: pleriq; ſinus placidiſsimi inſunt, quorum ſinguli tranquillam præſtant nauibus ſtationem: eſtq; ipſa forma cerui cornibus ſimillima, unde urbi nomen inditũ aiunt: quia portus cum reliquo oppido ſit ceruino capiti (quod Meſſapia lingua Brunduſium dicitur) perquàm ſimilis. Turres igitur quæ ſunt circa fauces, ab oppidanis acceptas ualido præſidio Venetus firmat: terreſtri inde itinere ad Piſanum mittit, qui cum maiore claſſe in ora Apulię eſſe dicebatur, ſe Brunduſino portu conſediſſe ſignificant: uereri, ne ſi ulterius ire pergerent, ab hoſte qui proximo loco eſſet, interciperentur. Cognito ſuorum periculo confeſtim Victor Brunduſium uenit: hic ſex longis nauibus priori numero adiectis, unius & triginta triremium claſſem expleuit, quibus uiribus fretus in Dalmatiam ſubito curſu tetendit, ut Genuenſibus Iaderam petentibus ſe aliquo modo obijceret. Quod ubi illi audiuere, Tragurium ſe celeri curſu contulerunt. Sed dum hæc mari geruntur, circa continentem Veneti Soligetum Gerardo Caminenſi ademerant, nec multo poſt Ceſaltum: id captum ſubiecto igne concremarunt, illud funditus diruere. Nec hoſtes interea quieuere, quin Carrarius princeps cum Pannonum & Aquileienſis antiſtitis cæterorumque regulorũ appendicibus ſexdecim millibus hominum contractis Meſtram oppidum obſidione cingit, cinctum bellicis operibus oppugnat: & ut ſpem omnem commeatus auxilijq; ex urbe mittẽdi oppidanis adimeret, aquas quibus ex Margaria eò nauigatur, præſidio inſedit. Paucis inde interiectis diebus Laurentianum eius oppidi ſuburbium hoſtis occupat: nec in eo una clades accepta: pleriq; uiri illuſtres cum ipſo loco oppreſsi, qui ad præſidium miſsi erant. Cœptum deinceps oppidũ maioribus ab hoſte conatibus oppugnari, Veneti trecentos fortes milites Nicolao Galianico Lucenſi, & Hirco Piſano ducibus per ſtationes hoſtiũ Meſtram miſerunt, ſinguliq; ſagittarum faſces intulerunt. Multa deinde prælia circa uallum commiſſa, demum machinis alijsq; operibus bellicis uallo ſubiectis maiore oppugnatione hoſtis eſt Meſtrinos adortus. Erat oppidi præfectus Franciſcus Delphinus, cuius conſilio & ſtrenuitate nõ ſolùm mœnia ſunt præſidio retenta: ſed hoſtis operibus amiſſis, cum cæde ingenti in caſtra eſt compulſus, atque paucis inde diebus ſoluta obſidione abire coactus. Multi mortales paluſtri cœlo grauati in lethiferum morbum inciderunt, quo impliciti ubi domũ uentum eſt, uulgò uita defuncti dicuntur. Hæ fuerunt terreſtres eius æſtatis expeditiones. Victori claſsis præfecto ante Iaderam ſedẽti ſex Venetæ triremes ab expeditione redeuntes nunciant, Liguſticas naues Tragurinum portũ inſediſſe: ad eas opprimendas Victor

das Victor progreſſus quum forte Sicum maritimã A urbem præterueheretur, uiſum eſt eam oppugnatione aggredi: placuit tamen ciuium animos prius tẽtare, uelléntne ultro in Venetorum fidem redire, an uim magis experiri. Miſſæ triremes tres, quæ publica fide accepta portum ingreſſæ mandata principibus ciuitatis exponunt, à quibus ferociter eſt reſponſum, Non eſſe cur Venetus uoluntariam ullam Sicenſium ſperaret deditionem: armis opus eſſe, nõ uerbis, ſi urbe potiri uellet. Motus Piſanus ſuperbo oppidanorũ reſponſo, multitudine nauium fretus (quæ ſeptem iam & triginta numero erant) pergit urbem inuadere. Portum itaq; repẽtè ingreſſus, iubet ſuos in terram deſcendere, ferociterq; muros urbis ſubire. Tãtus fuit ab initio ardor, ut Icalis nõ uno loco mœnib⁹ admotis, effoſſoq; muro oppidũ ſit momento temporis captum, cædes oppidanorũ ingens edita. maxima pars ciuiũ cum liberis & uxoribus in prætorium ſe receperant: hic aliquandiu atrociter dimicatum. Verùm hoc quoq; expugnato, in omnem ſexum & ætatem indifferenter ſæuitum eſt: multi cæſi, quidam ex ſuperiore prætorij parte præcipitati. Fuit arx in parte urbis ſatis natura & opere munita: huc quoque multi mortales confugerant, ij multitudine cõfiſi impetu in Venetos facto media urbe auſi ſunt prælio congredi. Diu uariè pugnatum, atq; hic aliquanto maior cædes fuit quàm alibi. Victi Dalmatæ iterum in arcem compulſi, à cuius oppugnatione cõſulto Piſanus abſtinuit: ueritus ne ſe in eam intento hoſtis præteruectus Iaderenſem portum occuparet. Direpta igitur urbs atq; incenſa, captiuiq; inde abducti quamplurimi, præda ingẽs ad naues relata: Venetias triremis una ire iuſſa eſt, Sicią; expugnationem Patribus nunciare, doceretq; ad hęc omnino cõmeatu opus eſſe. Turmis inde ad naues reuocatis Victor Tragurium uer ſus ſoluit. Habet Tragurinus portus duo oſtia, ad B Ortum unum, alterum ad Occaſum ſpectans: utrunque Genuenſes magnis operibus ita obſtruxerant, ut Veneti oppugnatione deterriti circa illud quod ad occaſum uergit, in anchoris ſtare ſint coacti. Aberat tum pars Liguſticæ claſsis, quæ ad Appulam frumentationem exierat: inde autem reuerſus hoſtis auerſa parte, ne conſpectus quidem ab ullo, ad ſuos redijt. Quod factum quum Piſanus reſciuiſſet, diuiſa claſſe utrinq; Ligurem obſidere perrexit: parte militum non parua in continentem expoſita, ut pluribus locis hoſtem fatigaret. Ferunt leuia peditum certamina per eos dies commiſſa: ſed illa ipſa nulla memoria digna. Demum Victor longioris moræ impatiens urbem oppugnare aggreditur, ſed conatus illi omnino irriti. Venetus non ſolùm oppido non eſt potitus, ſed ab Genuenſibus (quorum uis ingens erat intra mœnia) cum cæde eſt ad naues repulſus. Cecidit eo certamine Lucas Valareſius, patricij ſanguinis homo. Victor ſuo inceptо fruſtratus, quia iam commeatus defecerant: nec erat quod ab urbe rei frumentariæ inopia laborãte quicquam ſperaret: ſoluta obſidione ante Iaderam rurſus conſedit, urbemq; aſsidendo magis ſollicitabat, quàm premebat. Miſit præterea triremes decem ad explorandos Arbenſium animos, qui Catarenſium primò, inde Sicenſium caſu conſternati dedi tionem fecere. Ad urbem præſidio tuendam Franciſcinus Contarenus prætor eſt miſſus. Audita Tragurinę obſidionis ſolutione, cõfeſtim Patres quinque longas naues ad bellum inſtruunt, onerantq; commeatu: mandant ad hæc ut Iaderam ad Piſanũ cum publico decreto irent, qui primo quoq; tempore Tragurium rediret, nec inde prius abſcederet, quàm naues quæ in portu eſſent, ſiue armis ſiue fama expugnaſſet. At Ligur poſt priorem illam expugnationẽ maiore aliquanto ſtudio quàm antea portum communiuerat. Quo accidit ut hic quoq; recẽ B tior conatus tã irritus ſanè fuerit, quàm ille de quo antè diximus. Circumſedit claſsis in anchoris ſtans aliquot dies portum: ſed famẽ ſimul ac frigore (inſtabat enim iam hyems) compulſus eſt Piſanus infecta re inde abſcedere. Vnde quum ad Patres Piſanus ſcripſiſſet, uellẽt iuberentq; ſe cum tota claſſe domum hybernatum redire, an potius foris eſſe. Placuit ob uicinũ hoſtẽ ea hyeme claſſem domo abeſſe, quod certè non parum reipub. obfuit. Milites & ſocij nauales famẽ & frigore confecti, ſine commeatu quà cuiq; proximum fuit, diuerſi abeuntes, claſſem ualde in frequẽtem reddidere: quidam etiam fame conſumpti dicuntur, nõnulli etiam frigore. Et quia ingens annonę caritas urbem inuaſerat: placuit hybernorũ tempore naues pleraſque frumentatum in Apuliam mitti, quas Piſanus ducere eſt iuſſus, ne ſine præſidio euntes ab hoſte interciperẽtur. Leuata eſt in urbe fames ea hyberna frumentatione, quæ non multorum dierum fuit. Claſsis in Hiſtriam ad ſolitam ſtationem redijt. Sed inclementia hyemis nihil remittente, pluribus q; in horas decedentibus, ad eam paucitatem uentum eſt, ut uix infrequens turmarũ numerus duodecim triremes legitimè inſtruere poſſet: pleraſq; prorſus deſtitutas Piſanus Venetias miſit, ut ſub uernum tempus ſi Patribus uideretur, nouo remige ornarentur. Ad prima ueris ſigna undecim triremes nouo apparatu inſtructæ, in prouinciam ex urbe ad Piſanum miſſæ: miſſa nauigia etiã pleraq; frumentatum, in quibus fuit oneraria una nauticis inſtrumentis armisq; plena: quam Piſanus in Cretam ducere eſt iuſſus, ut primo quoq; tempore expediri poſſent triremes, quas Patres in inſula inſtruendas decreuerãt. Educta Polano portu claſsis ubi in hybernis fuerat, quum iam altum teneret, ſubita tempeſtate diſiecta eſt, alijs aliò auerſis. One raria illá armis onuſta, ui uentorum Anconem delata, portum incolumis eſt ingreſſa, ubi Venetam unam cęteram Syria merce plenã offendit. Iunctæ igitur expectabant tempus quo inde abiret, quum repentè duodecim Liguſticæ triremes in alto apparuere. Rati Veneti quod erat, eas Genuenſium eſſe, continuò ad exonerandas naues cõuerſi preciоſiſſima quęq; in tutum comportare in animo habebãt: ſed oppidani uetuerunt id facere, prædicantes tutum eſſe omnibus portum quem tenerent: non eſſe cur à Genuenſibus aut mortalium ullis uim metuerent, eandem dicere Venetarũ ſuarumq; rerum fortunam fore. His confiſi Veneti nihil mouerunt. Interim Ligur in portum delatus aliquantiſper quietus manſit: inde curatis corporibus repentè arma capit: turrim & muros portus cũ clamore occupat, curritur inde ad naues diripiendas. Veneti qui in muris urbis erant, tela in hoſtes mittere conati: id facere ab oppidanis rurſus ſunt prohibiti: dicentibus, nolle ſe Genuenſem aliqua noua iniuria in ſe prouocare. Tum ille ſe proditos uidẽtes, quieuere. Venetæ naues inde portu eductę, earum altera exonerata armis ſubiecto igni in conſpectu urbis comburitur: quæ peregrinam mercem habuit, hoſtes ſe cum abduxere. Mouitata iniuria non mediocriter Venetos: ſed ultionem tot bellis impliciti in aliud tempus differendam rati, nihil in iniuriæ auctores ob eam rem mouerunt. Piſanus interim in Apuliã proceſſerat, frumentabãturq; Venetæ triremes partim Bareti, partim Siponti. Qui Bareti erant, contracto leui de cauſa cum oppidanis certamine, in diſcrimen uitæ penè adducti ſunt: ſed pugna interuentu eorum qui turmis nauálibus præerant, oppreſſa eſt. Exacta demum frumentatione, quum iam Venetæ claſsis ex Appulio littore ſoluiſſet, quindecim Liguſticæ in alto illi occurrerunt. Piſanus ad primum hoſtis conſpectum concepit ſtatim animo quod pugnæ genus ſibi inſtaret: tumultuarium, & quale per

occasionem committi nolet: sciebat, Ligure quem circa Tarentum adeptum ad pugnam elicere nō potuisset, quando neq; nauium numero neque re ulla melior factus esset, stataria nullam pugnam commissurum. Tormenta igitur bellica & missilia per naues disponi iubet: atq; ita ubi ad iactum teli uentum est, procul se missilibus utraq; classis incessere. Cecidit ea pugna ex Genuensibus, qui prefecti loco classi præerat: nomen eius Veneti annales non habent, neq; auctores illi quos uidimus. Victor quoque sagitta ictus est. Hostis quum se nihil ea pugnę ludificatione proficere posse uidit: agilitate suarum nauium fretus, in Dalmatiam soluta pugna ex Venetorum conspectu abijt, ac tum demum Iaderensem portū per ocium insedisse dicitur. Pisanus ubi in Histriam uenit, classe ad Polā reducta onerarias naues cum frumento Venetias misit. Dum hæc foris gerūtur, quinq; triremes optimè instructæ iussu Patrum ad oram inferi maris in festādam urbe profectæ sunt. Fama erat, nullam domi nauem ad bellū paratam hostes habere. Erat tunc nouum anni tempus quum in altum abiere: toraq; ea æstate cum autumno & magna parte brumæ procul domo abfuere, quo tempore uarias hostibus clades intulerunt. Pisanus, ut diximus, onerarijs domum missis Polæ cum nauibus longis una & uiginti subfederat: earū quinq; aliquanto alijs crassiores fuere, quas ut agiliores ad pugnam redderet (palmigatione nanque opus erat) in terrā attrahi iusserat. Interim uerò Ligusticæ triremes numero quatuordecim, haud mille passus à portu repentè apparuerunt, qui in illis erant gladijs uibrantibus Venetum ad pugnā prouocare. Venerant per eos dies decem aliæ in supplementum ueteris classis Iaderam, de quarum aduentu nihil adhuc Venetus resciuerat: eas hostis post promontorium portui propinquum in insidijs locarat, iusseratq; ut iniecto certamine ubi Venetū sensim cedendo eò pertraxisset, cum strepitu & clamore coortę fessum hostem adorirentur. Pisanus nihil minus inesse suspicans quàm insidias (quippe ante oculos omnem pristinæ classis numerū habebat) iussis quinq; illis quæ in littore erant, ad pugnam parari: ipse interim cum reliqua classe in hostem uadit. Vtrinq; ferociter concursum, pugnatumq; aliquādiu ancipiti prælio. Mox uerò prętoria Genuēsium cum Pisani naue congressa, cadente Luciano Aurio classis præfecto (quē Donatus Zenus trāsfixerat) nauis una prostigata est: atq; ita conserta pugna Ligur, non tam metu quàm consilio sensim retrò cedere cœpit. Vbi uerò ad locum insidiarum uētum est, tum hostes cum clamore & strepitu coorti ingentem metum Veneto incussere. At quinq; illæ triremes, quæ in littore ab initio fuerant ad pugnā instructæ: quia iam portu exibāt, ipse ardore pugnę nihil remisso irruētem hostem intrepidè Victor excipit. Verùm illi qui auxilium laturi erant, Ligusticarum nauium numerum, suosq; ab hoste circumuentos conspicati, pugnam detrectantes continuò Venetias uersus fugam capessunt. Tum palàm res Veneta inclinare cœpit: Pisanus medio certamine ægrè reuulsus, uictoriam hosti relinquens, trepido cursu & ipse domum contendit. Quindecim Venetæ triremes cum ipsis turmis in hostium potestatē uenere. Pauciſsimi ubi rem perditam uiderunt, consulto proximis littoribus illati in terrā euasere. Ad duo millia hominum ea pugna capta dicuntur: in quibus multi patricij sanguinis fuere, ceteri partim cęsi, partim uulnerati sunt. Pridie nonas Martias ea clades accepta est, qua omne ferè maritimi belli robur est amissum. Tam funestæ pugnæ nuncius ingenti mœrore ciuitatem affecit. Pisanus & alij triremium præfecti quia pugnam detrectarant, iussu Patrum ærarij prius facti in uincula sunt coniecti: illi, quia deserendo suos acceptæ cladis causa fuissent, A Victor, quod ad pugnam inexploratò exiuisset. Pisani damnationē iniquo animo populus tulit, sed iniquiore ipsam carceris ignominiam: rumor erat, inuidia paucorum nobilium potius, quàm quod ita meritus esset, Victorem in uinculis esse. Genuenses una prospera pugna in spem maiorum rerum erecti, ubi Iaderam uenerunt, captiuis prēter paucos ignobiles in uincula coniectis, ad reparādas naues conuersi, quæ non mediocriter pugna illa fuerant concussæ: Venetas inde Dalmatico remige instrutas, breui tempore ad octo & quadraginta nauium classem expleuere. Prius uerò quàm clades illa ad Polam accepta esset, sex aliæ longæ naues fuerant domo eductæ, ut & ipsæ in ora inferi maris res Ligusticas infestarent. Hæ quinq; illas non multo antè profectas, quibus Carolus Zenus prærat, procul domo adeptæ, in reliquum anni usque ad medium brumę (quo sanè tempore iam amissa Clodia publico decreto reuocatæ sunt) rem feliciter infero superoq; mari gessere. Ligur interim quū iam triremiū multitudine abundaret, sexdecim Iadera eductis, Humagum, Gradum, ac Caprulas uno tempore occupat: inde onerariam unam secutus Venetias usq; tumultuose annauigauit. Et iam in cōspectu urbis erat, quum Thomas Mocenigus oneraria illa erat, aquis & uento deficientibus, ad mille passus naui littoribus admota: ipse cum ijs quos secum habuit (iām enim hostis aderat) in actuariam nauim transgressus in tutum abijt. Tres igitur Ligusticæ confestim illam circumsistunt, diripiuntq;: direptam in ipsis oculis ciuitatis quæ circa portum effusa erat, comburūt. Nec maiore ulla ignominia eo bello Veneti affecti sunt, quàm eo die, quo Ligure patriciam nauim Syria merce onustam in Veneti populi conspectu diripiente, ac direptam subiecta flamma corrumpente, metu & stupore quodā pressi animi, nihil mouere sint ausi. Inde digressus hostis Pelestrinam inuasit, quam maiori ex parte metu belli deserB tam, ac subitò captam, dirupit & incēdit. Inde Clodiam ire pergit, ubi hostes in littus egressi eam partem urbis ad ortum spectantem, quam paruam Clodiam incolæ dixerunt, & ipsam penè desertam, sine aliquo maiore negocio occupant, momentoq; temporis quantumcunq; tectorum in ea fuit, incendio absumunt. Præsidium quod in urbe fuit, indignitate rei motum facta repentè eruptione in hostem uadit: hos Ligur ultra pontem excipit. utrinq; est aliquandiu fortiter pugnatum. uerum superante hostium multitudine, uictus Venetus miles cum ingenti cęde in urbem compulsus est. Ligur ad naues se recipit, inde Anconem cursum tenuit: fuitq; hic tantisper, dum corpora remigum sociorumq; naualium curarentur. Inde uerò ingenti lætitia Veneta signa quæ ad Polam fuerant amissa, medio mari trahentes Iaderā uantes rediere. Fama tenet, potuisse Genuenses quàm facilime Clodiam occupare eo die, quo eius partem combussere, si situm urbis exploratum habuissent. Veneti tot cladibus breui tēpore affecti, quum circumspectis ciuitatis opibus appareret, non esse unde tam ualida classis parari posset, quæ Genuēsibus tutò opponeretur. Idq; acciderat cum classe paucis antè diebus amissa, tum quia pleræq; naues ad bellum instructæ aberāt. Statuerunt pro tempore urbem tueri. Decernūt igitur ad præsidium portus quindecim triremiū classem, cui Thaddæus Iustinianus præesset. Sed ex eo numero uix sex instrui potuerunt ob remigum pauciC tatem, omnibus ferè dare nomina recusantibus: idque in Patrum inuidiam, qui Victorem Pisanū, uirum omnibus charissimum, in uincula coniecerāt. Portum ad hæc obstruunt in hunc modum: statuūt primò utrinq; castella duo lignea ex crassissima materia. Sunt qui per id tempus ea quæ hodie ibidem cementicia spectamus, condita fuisse tradant. utrūque

que latus telorum multitudine muniunt, torméta A bellica ad propulsandum procul hostem imis partibus subijciūt, triplicem inde cathenam sandonibus durissimis (ita enim incompta quædam nauigia appellant) insertam: quorum singuli binis fundati anchoris ne æstu pelagi citro ultroq; meantis agerentur, ferreas cuspides in ostium prętentas habebant. Validum ad hæc præsidium lęua dextraq; firmatū: trés onerariæ naues cathenis appositæ, quæ tenacibus uinculis connexæ, atque instratis supernè cratibus inexpugnabilis ualli speciem præbuere. Ad Nicolai fanū quod in littore est, profunda fossa à mari ad internas aquas ducta est: uallumq; impositū ad arcendos hostium incursus, qui ex Medoacensi ora fieri potuissent. Erigunt ad hæc circa Medoacum castellum munitissimū cum duabus tectis nauibus, ualidoq; præsidio ne hostes in stagna cum periculo urbis irrumperent. Imperium copiarum omnium quæ hic fuere, Caballo Veronensi datum. Atq; ita clausis portubus Thaddæus Iustinianus, classis prefectus, nunc extra munitiones ipsas, nunc citra stationem habebat. Stabant pleræq; aliæ naues ad opportunos casus paratæ cum multorum dierum cōmeatu, signum expectantes si quà occurrendum hosti fuisset. Genuenses nec ipsi in tanta gerendæ rei occasione cessarunt: sed octo & quadraginta triremibus, alijsq; breuioribus nauigijs Petro Aurio prefecto Iadera soluentes postridie nonas Augusti, urbem prętuerecti Clodiacum portum subito tumultu tenuere: quo insesso classis ad urbē admota est: Carrarius princeps, qui de aduentu Genuensiū iam antea ut belli socius resciuerat, atq; ad hoc ipsum & copias & naues comparauerat: audito Genuēsium accessu, & quę iuxta Clodiam secuta erant, nauigijs quas Gazariolas uocant, per ueterem Medoaci alueum secundo fluuio ad prefidium usq;, quod non longè à monte Albano Veneti habebant, peruenit. B Sed quum appareret, non sine ingenti certamine ac cæde locum expugnari posse: ne in mora esset, opus aggredi uerè memorabile, ac summo principe dignum: adhibita nanq; ingenti agrestium multitudine, à prima diei hora ad meridiem quingentorum passuum foueam in canalem usq;, quē Nasarioli uocant, tā profundā perduxit, ut facile nauigia cū omnibus copijs ea parte perducti sint, ac post pauciſsimas horas Nasarioli præsidium per deditionem receperit. Ioannes Ciuranus cum multitudine nauigiorum eodem die ad Patauini principis motus inhibendos missus, cum hoste congressus ab instituto cursu Carrarium ducem ad noctem remoratus est: inde, siue metu siue negligentia potius, omisso negocio Clodiam transijt. Hostis interim per ocium cum omnibus copijs ac cōmeatu Ligusticę se classi adiunxit: relicto ad exitum fluminis præsidio loco ad hoc communito, ut tuta esset suis ex continenti nauigatio. Patres Ciuranum ex Clodia accersitum, quia in distinendo hoste parum strenuam reipubl. operam nauasset, carcere & pecunia mulctarunt.

IN LIBRVM VI. Epitoma.

CLodia à Genuensibus expugnata est: Eius cladis nuncius ingentem attulit ciuitati terrorem: Victor Pisanus decreto Patrum uinculis liberatus est: Imperiū classis partim Thaddæo Iustiniano, partim Victori Pisano est decretum: Vrbs circa portum & alijs pluribus locis ualide munita est: Carolus à Lodouico rege missus Tauristum obsedit: Pax apud Barbariū mota, ob iniquissimas conditiones ad exitum perduci non potuit: Genuenses ad Medoacum cum tota classe consederunt: Vtrinq; & in littore & in internis aquis ex occasione sæpius est pugnatum: Valida in urbe classis decreta est: Multi priuati rempub. diuersa ratione iuuerunt: Ligur soluta obsidione Clodiam se recepit: Carolus Zenus multa supero inferoq; mari in hostes gessit: Clodiam Venetus undiq; obsedit: Circa portam & ad Brundulum laboriose in hostes est bellatum: Thaddæus Iustinianus partem classis ad Sipontum amisit: Genuenses circa Clodiā ingenti prælio uicti: inde fermè domiti, deditionē fecere: dux præda militib. cōcessa, captiuos cū ipsa urbe recepit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER VI.

SEdet Clodia medijs aquis undiq; ferè stagnis circumflua, habetq; ut Venetię introrsum riuos nauigabiles cum ipso mari refluētes: extra uerò riuulos plures salinis prædiolisq; interiectos, quos incolæ uelut secretiores calles lintribus frequentāt. Hinc fuit quod quandiu obsidio tenuit, non defuerunt qui occupato iā ab hoste portu, à patribus ad magistratus, & rursus hinc Venetias noctu literas perferrent. Sed illi maiora nauigia nō ferunt: una uia, quę est à portu ad urbem, quęq; hostibus patere potuit, iam antea à Venetis fuerat occlusa. Castellum citra portum cum prędidio, ut ad Medoacum erexerant, nauim ad hæc è regione illius, armis uirisq; instructam medijs statuerant aquis. His impedimentis retardatus hostis quo minus occupato portu, qui ad mille passus Clodia distat, rectà ad urbē oppugnandam uenerit, cui circa portum sedenti pauciſsimis diebus ingentes copiæ affuere. Nam præter Patauinos & mercenarium militem quem Franciscus Carrarius secum duxerat, appendices quoq; Aquileienſis antiſtitis aliæq; auxiliares copię eò uenerāt. Verùm enimuero quum nihil sedendo profecturos se uiderent, statuūt uno tempore castellum ac nauim oppugnare. Eductæ igitur portu Ganzariolæ duodecim, aliquātiſper exterius circumactæ paruę Clodiæ littoribus appelluntur: atq; ita appulſas ingeſuis hominū per tumulos qui littoribus imminent, in internas aquas pertraxere. Statuunt ad hęc belli casinipso littore machinas, ut à fronte, à tergo & à lateribus uno tempore præsidium fatigarent: nonnullæ etiam Ligusticæ uiadmōtæ miſsilibus Venetum infestabant, atq; eo modo telorum multitudine afflicti qui intus erant, suæq; paucitati diffiſi, castello cum naue incēſo ne hostibus usui esse possent, in urbem se recipiunt. Patauini, & qui in aduerſis littoribus stabant, ubi Venetum cedentem uidere, ingēti clamore sublato actum dicere, uictos esse Venetos, fractos feroces ipsius gentis spiritus, cum ipso nomine ad unum omnes interituros. Illi uerò ad Dominici fanum tres onerarias aduersus propinquantem hostem armis & uiris instructas statuunt: & ij qui ad præsidiū urbis erant, facta repentè eruptione ea parte qua pons ab urbe ad paruam Clodiam protentus erat, in hostes subitò inuehuntur: fuitq; aliquandiu anceps prælium. Verum superante hostiū multitudine (quippe qui ad quatuor & uiginti millia fuisse dicuntur) Veneti intra urbē amissa altera parte pontis, trepidè compellūtur. Erant in urbe prēter oppidanos tria millia armatorum & quingenti, quorum ductores centuriones- que fuere Baldus Gallucius Bononiensis, Nicolaus

Gallianicus, Hircus Piſanus, & Nicolaus Darſerius, A
uiri ea tempeſtate multi nominis: Petrus Hemus
prætor erat, legati Nicolaus Contarenus & Ioánes
Mocenigus. Duabus indè oppugnationibus tétata
Clodia: priori, etſi atroci & laborioſa (quippe quæ
à prima luce ad ueſperam cum multorum cęde pro
tracta eſt) manſit tamẽ ciuitas incolumis: altera ue-
rò mixtus militibus Ligur in mediam urbem irrupit. Ferunt artem uiribus adhibitam, ſubiectumq́ue
ab hoſte paruum nauigiũ ponti, ſarmentis aridiſq́;
uirgultis plenum: quibus incenſis fumo ſpiritum
ſuperne pugnantibus intercludente, æſtu adhęc &
flammis unà ingruentibus Venetum ceſſiſſe. Nec
hoſtis in tanta occaſione deſedit, ſed occupato ſe-
mel loco, cedenti Veneto inſtitit, cum quo mixto
agmine per cædem ac ſtragẽ in urbem irrupit. Tum
uerò ab oppidanis & alijs aliò dilabentibus fuga fa
cta eſt: Petrus Hemus cum quinquaginta militibus
relictus, aliquandiu hoſtem ad pontem foro proxi
mum fortiter ſuſtinuit: deſperatis tandẽ rebus, ſu-
perabundãteq́; hoſtium multitudine ſe cum ſocijs
in prætorium recepit. mox uerò deditione facta in
hoſtium poteſtatem uenit. Immiſſis deinde copijs
urbs direpta eſt, Genuẽſium ſigna, Lodouici regis,
ac Carrarij principis, deiectis Venetis, edito ſunt lo
co pręfixa. Matronæ, quarum pudicitiæ Victor ho-
ſtis in primis conſultum uoluit, cum pueris in æ-
des ſacras confugerant: inde poſt triduum reuoca-
tæ iubẽtur in ſuas ædes remigrare. Quidam media
trepidatione ſibi fuga ſalutem quæſiuere: reliqui ca
pti, qui in Ligurum poteſtatem uenere Clodiæ in
uinculis habiti. Quoſcunq; uerò Patauini & Carni
fortiti ſunt, ad unum abducti. Habet Clodia ad me
ridiem quaſi Cherſoneſum quandam, quum uerius
inſula dici poſſit, ad quingentos paſſus amplam,
Brundulum uſq; excurrentem: id ſoli fermè totum
ab accolis ſtudio & induſtria colitur, uineta habens
& hortos admodũ feraces. Hinc queſtus nõ paruus
locorum incolis: quanquam ſalinis quoq; & piſca-
tionibus ſtudeãt. Sunt his locis foueæ circa prædia
ob ſolum uliginoſum pleræq;: ſunt ex paluſtri ma-
teria multæ, multæ quoq; cementiciæ caſæ, paſsim
diſpoſitæ. Ex his locis uis captiuorum ingens eſt à
Genuenſibus retracta, qui undiq; aquis cincti naui-
giorũ defectu effugere non potuerunt: multi aquas
temerè ingreſſi circa littora exanimes reperti ſunt.
Sex hominũ millia ea expugnatione cecidere, quo-
rum pars maximè oppidani Venetiq́; fuiſſe dicun-
tur. In hunc modum Clodiam à Genuẽſibus captã
accepimus. Nicolaus Gallicanicus, & Balbus Gallu
cius à Franciſco Carrario, qui eos à Genuẽſibus pre
cio acceperat, capitali ſunt ſupplicio affecti: ſed qui
humani capitis precium accepere antequam debel
latum eſſet, in hoſtium poteſtatem redacti, in uincu
lis arrociori ſupplicio quàm illi ipſi quos uendide-
rat expirauere. Clodia Genuẽſibus cuſtodienda da
tur, Carrarius princeps cum parte copiarum domũ
abijt: abierunt & Aquileij antiſtitis auxilia, quibus
Iacobus Porlianus præerat. Petrus Hemus tribus
millibus aureorum nummũm redemptus eſt: ſupel
lectilem in ipſa urbis expugnatione amiſerat, ſi nõ
tantidem, paulo minoris æſtimatam. Clodia capta
Ligur Gazariolis quibuſdam alijſq́ue minoribus
nauigijs uſus: & cũ his pauciſsimis triremibus Lau
reti arcem, inde Bebianam turrim expugnat. Ii qui
turrim nouam tenebant, poſtquã duo pręſidia pro-
ximis locis expugnata audiuere, non expectato ho
ſte locum incendũt, ſeq; trepidè ad Caput aggeris,
Venetorum oppidum recipiunt. Sed illud quoque
non diu in fide manſit. Admotis à Carrario principe
eò copijs, continuò ab oppidanis facta eſt deditio:
qua nunciata pręſidium quod ad montem Albanũ
fuit, concremata munitione ad turrim Salinam cõ-
fugit. Id unum præſidium aiunt toto belli tempo-
re inuictum perſtitiſſe. Ita Venetis terra mariq; clau
ſis, annonæ & rerum omnium inopia breui ſecuta
eſt. Siquidem Clodia capta, & cum ea oppidis circa
flumina, præſidijſq́ue in ſtagnis amiſsis, non erat
unde amplius annona ſperari poſſet, niſi ex Tauri-
ſino agro: unde omnino aliquid frumenti ac carniũ
Sili fluuio eſt ad urbem deuectum. Nunciata Clo-
diæ expugnatione (quod circiter mediam noctem
cognitum eſt, quum ea ſub ſolis occaſum hoſtis po
titus eſſet) tantus terror curiam inuaſit, ut ubi pri-
mùm illuxit, ſubitò ſit ad arma conclamatum. Quo
ſigno cõſternata ciuitas cum armis in forum accur-
rit. Compleuerat multitudo ciuium quicquid areæ
ante curiam & aureã ædem iacet. Tum iuſſu Pa-
trum nunciatum populo, Clodiam cum præſidio
amiſſam. Ad quam uocem tantus fletus coortus di
citur, tanta lamẽtatio, ut capta urbe maior oriri nõ
potuiſſet. Vidiſſes tum matronas per urbem præ ni
mio dolore deiectas, nunc manus ad cœlum tende
re, nunc pugnis pectora pulſare: uiri inuicem publi
cam lamentari fortunam, actum eſſe de republica,
actum de imperio dicere: dolere omnes priuatam
fortunam, ſed libertatis periculum in primis ani-
mos uerſare: credere uulgò, Genuenſem uictorem
paulo pòſt affuturũ, qui euerſo imperio Venetum
quoque nomen euerteret. Quiſque pro ſe perditis
rebus priuatæ fortunæ conſulere, aurum, gemmas,
argentum, ueſtes, omnemq́ue precioſam ſupellecti
lem aut ad hoſpites in ſuburbana loca mittere, aut
in ſacris ædibus antiquiſue monumentis condere:
omnia luctus & pauoris erant plena. Crediderunt
multi, ſi in ea trepidatione hoſtiũ claſsis fuiſſet ad
urbem admota (quod ut Genuenſes facerent Carra
rius princeps identidem capta Clodia monuiſſet)
aut urbem eo die capi, aut certè in ſummum diſcri-
men adduci potuiſſe. Sed non omnia hominibus ſu
peri dedere. Multi reperti ſunt, qui norunt uincere, B
ſed uictoria uti neſciuerunt. Pręſidiũ quod ad Me-
doacum fuit, æquata ſolo munitione, nauibus abdu
ctis Venetias trepidè reuocatur. Cæterùm dolere
uulgo omnes, neminẽ eſſe qui fractos ciuitatis ſpi-
ritus præſenti conſilio hortationéue aliqua erige-
ret, quem etiam ob priſtina decora populus ſuſpice
ret, cuperetq́ue ducem in tanto diſcrimine habere:
deploratum eſſe imperium dicere, deploratam om
nium ſalutem, niſi aliquis exiſteret qui afflictis pa-
triæ rebus ſubueniret: unum Piſanum eſſe in tota
urbe, qui præterquam quod omnibus chariſsimus
eſſet, ſua uirtute publicam fortunam tam iniquo tẽ
pore ſiſtere poſſet. Verùm illum ipſum in uinculis
eſſe, in tenebris eum iacere, qui ſi in luce eſſet, pro-
ſtratos ciuium animos ſola præſentia erigeret: ope
ræprecium facturos ſe, ſi unà in curiam irent, pete-
rentq́; à Patribus, ut continuò ademptis uinculis il
lum ciuitati reſtituerent. Vulgò exaudiri huiuſmo-
di uoces, iactari interdum hæc coram nobilibus.
Quod ubi in curiam eſt allatum, uocato ſenatu pro
perarũt Patres ſuum munus occupare. Fit ſenatuſ-
cõſultum, ut Piſanus & alij eiuſdem cauſæ rei è cat
cere educerentur. Quod ubi populo nũciatum eſt,
ingens in curiam factus eſt concurſus. Sed ut erat
hominis modeſtia, uoluit nocte illa quæ ſecuta eſt,
in carcere eſſe: ac interim accerſito qui ſe audiret, cõ
feſsionem fecit. Vbi uerò illuxit, curiam aſcẽdit, &
ad Nicolai aram ſacris intereſſe uoluit: ſumpſit &
euchariſtiam, ut per ea oſtenderet, ſe omni publicæ
& priuatæ iniuriæ ignoſcere. Rumor erat, inuidia
paucorum fuiſſe eum ignominia illa affectum. His
procuratis ad conſpectum Principis & Patrum ab-
ductus, non turbida, non truci, ſed lęta hilariq; fron
te ſenatum omnem ſalutauit. Eum ad pedes conſti
tutum Cõtarenus Princeps ita affatus dicitur: Fuit
tempus Victor, quo iuſtitiæ ſtuduimus, nunc gra-
tiarum tempus eſt. Iuſsimus te ob cladem ad Polã-
acceptam,

acceptam, in cuſtodiam adduci: nunc te liberãdum A
duximus. Tu quæſo ne cognoſcere uelis, utrum æ-
quius fuerit facere: quin obliterata præteritorum
memoria, rempublicam reſpice, illam iacentem eri-
ge, ac tuere: ac demum fac ita, ut tibi publicã priua-
tamq́; ſalutem debeant tui ciues, qui te ob ampliſ-
ſimas uirtutes tuas colunt & honorant. Ad ea Piſa-
nus, Nihil, inquit, clariſsime Princeps abs te & alijs
qui rempublicam adminiſtratis, in me proficiſci po
tuit, quod, ut probum decet ciuem, non idem ęquo
animo fuerim laturus. Scio ego ſapientiſsimè fieri
omnia, quę è republica fiunt: ad quod unum nõ ue-
reor omnia cõſilia & decreta ueſtra ſpectare. Quod
ad priuatam iniuriam attinet, tantum abeſt, ut hoc
nomine ſim cuiquam obfuturus, ut per ſanctiſsi-
mum illud ſacramentum à me hodie ad ſalutem ſu
ſceptum, perq́; ipſa ſacra quibus interfui, nihil ſim
poſthac antiquius habiturꝰ, quàm obliterata ſimul-
tatum omnium memoria, illi ipſi, quibus fortuna
noſtra quandoque ſuſpecta fuit, intelligant, me ſibi
eſſe non minus amicum, quàm cuiuis homini ami-
ciſsimum: eorum dignitatem non per me aut per
alium uiolaturum, ſed daturum etiam pro uiribus
operam, ut ubiq;, & ſemper incolumes ſint. Quod
ad rempubl. capeſſendam pia adhortatione inui-
tas, ſuſcipio eam libens tuẽdam: utinam is ſim, qui
in tanto diſcrimine eam cõſilio & induſtria aliquo
modo iuuare poſsim: præcipuam enim charitatem
ad id ſcio non mihi defuturam. Cum his ad oſcula
& complexum Principis aliorumq́; multis lachry-
mis receptus, domum dimiſſus eſt. Quem per con-
fertam gratulãtium multitudinem euntem, quum
totus fermè populus ſequeretur, ferunt plauſum, &
uoces temerè diſiectas: Principem, non priuatum
ciuem circunſonantes familiariter corripuiſſe: con-
ſtanti uultu prædicantem, diuo Marco urbis paren
ti ac præſidi, nõ ciui humilimo ea tribuẽda. Et quia B
copiarum cura quæ circa portum ſtatiua habebant
fuerat illi decreta, ut communi conſilio cum Cabal
lo Veronenſi ea quæ è republica eſſent, diligenter
curaret, creditum uulgò eſt, claſsis quoque imperiũ
illi reſtitutum. Tum ſingulos ordines cernere erat,
ſingula collegia, uicos, couentus, publicè priuatim-
q́ue alios alia ad inſtruendam claſſem gratis offer-
re: quidam etiam priuato ſumptu ſe totas triremes
inſtructuros profeſsi ſunt. Sed omnes uir ille comi
ter acceptos, ad Principem & Patres ire iubebat: pe
nes illos eſſe dicere rerum omnium imperium, il-
los audituros quæ undique ad uſum reipubl. afer-
rentur. Ipſe interim munitiones & opera intuens,
& quæ ad Nicolai fanum erant, aduerſus hoſtium
incurſus erecta, ut inutilia aſpernatus ferè omnia
mutauit. Verùm ubi cognitum eſt, illum ad priſtinã
dignitatem nondum reuocatum, tum uidiſſes om-
nium ſtudia repentè mutata: damnare populus Pa-
trum pertinaciã, qui in ſummo etiam periculo pri-
uatis odijs ſtuderẽt: ſummum uirum rei maritimæ
peritiſsimum, geſtarum rerum gloria excellentem,
ad imperium maris non eſſe reſtitutum: non quia è
repub. non eſſet, ſed quoniam paucorum inuidię ſa
tis factum uellẽt. Huiuſmodi uulgi obtrectationes
in curiam delatæ, confeſtim conſulitur ſenatus: cõ-
ſtitităq; alieno tempore animos ciuium eo nomine
à Patribus alienari: ueniſſe tempus dicere, quo ciui
tatis concordiæ in primis ſtudendum eſſet: qua te-
nente adhuc, dubium uideri an reſpub. ſuo ueſtigio
ſtare poſſet. Reſtituitur itaq; totius ordinis conſen-
ſu in priſtinam dignitatem Victor: manatq́ue ru-
mor per ipſam urbem, imperium maris penes Piſa
num recentiore Patrum decreto futurum, damq́ue
illi eam oram præſidio tuendam, quæ inter ur-
bem eſſet & Patauinos fines. Fit itaq; ad illum con
curſus maximus, inſtruunturq́ue ad bellum triduò
ſex triremes: potuiſſent etiam plures, ſi pluribus
tum opus fuiſſet, remigio ornari, omnibus certatim
dare nomina cupientibus. Adduntur ijs Ganzario-
læ pleræque, & alia minora nauigia non pauca. Qui
bus ad profectionem paratis cum claſſe ad portum
Piſanus uenit: ubi cum ipſo copiarum imperatore
de uallo quod ab initio fuerat eductum, in cemen-
titium murum uertendo egit, deq́ue duabus turri-
bus ad utrunque caput cum pręſidio erigẽdis. Pro-
barunt id conſilium Patres, continuoq́ue ad opus
conuerſi omnes, quatriduo duæ turres erectę, qua-
rum prima fundamenta Victor ipſe, Thaddæus Iu-
ſtinianus, Caballus, ac plerique alij uiri illuſtres po-
ſuerunt. Inde ea parte qua uallum fuit, murus erigi
cœptus eſt, quem dierum quindecim ſpacia ab una
turre ad alteram magna parte ciuitatis cum milite
& remige utriuſq; claſsis operãte productum affir-
mant. Extant operis ueſtigia, quæ Venetum portũ
introrſum nauigantibus ad læuam occurrunt. Ca-
thena ad hæc craſsiſsima circa Iudaicam ad hoſtiũ
incurſus prætenta eſt, quatuor tectis nauibus ad
præſidium diſpoſitis: uallũ præterea exteriore par-
te urbis à recenti muro uſque ad Martini fanum, di
ſpoſitis leuioribus nauigijs, quæ noctu totum am-
bitum luſtrarent, ne clandeſtinè hoſtes ingreſsi, æ-
dificia urbi proxima incenderent. Conſtitutæ ad
hoc ipſum paſsim nocturnę ſtationes, ne per occa-
ſionem ciuitas no cturno aliquo afficeretur incom-
modo. Dum hæc in urbe curantur, interim pauci
quidam leuioribus nauigijs uſi, prętęr Albanum ac
loca quibus ex continenti Clodiam nauigabatur,
lintres citro ultroq́ue meantes inuadere ſunt auſi:
quibus per occaſionem oppreſsis, plerique ſucceſ-
ſu animante ad eum quæſtum animũ adiecere. Nul
lus fermè dies erat, quo non aliquod nauigium in-
terciperent: quo breui accidit, ut ex Patauio quàm
pauciſsimi Clodiam annauigarent. Senſerunt Ge-
nuenſes inſeſsis aquis ſtatim deficientem commea
tum. Ad eos igitur incurſus comprimẽdos, uel ſpe
potius alicuius maioris rei gerendæ, cum tribus &
triginta triremibus, necnon multis uarijſq́ue naui
gijs ad bellum inſtructis, occupato repentè portu
ad Medoacum tumultuoſe conſederunt: atque eo
loco ubi Venetum fuerat ſtatuto pręſidio, partem
copiarum ad Popiliam expugnandam in aduerſum
littus exponunt. Veneti audito hoſtium aduentu
paululum ultra almi Spiritus fanum duabus naui-
bus contiguo ferè loco depreſsis, internas aquas,
quibus ex Clodia Venetias nauigatur, occludunt,
ſtatuuntq́ue circa demerſas aliud maius nauigium
cum ualida ſagittariorum manu. Huc uſq; hoſtium
triremibus progreſsis Thaddæus Iuſtinianus qui
ad fanum, quod diximus, ſtationem habebat, cum
quinque triremibus quibus præerat quotidie oc-
currebat, inceſſebantq́ue ſe miſsilibus magis, quàm
cominus pugnarent. Leuiora Venetorum nauigia
à lateribus incurſantia bellicis tormentis ac ſagittis
Liguſticas triremes affligebant. Nec interim pauci
quotidianis prælijs ex utraque claſſe cadebant. In
littoribus quoque nonnunquam per occaſionem
pugnatũ: quibus certaminibus ferè ſemper res Ve-
neta fuit ſuperior. Erat enim Caballus Veronenſis,
rei militaris peritiſsimus, habebatq́ue ſecum lectiſ-
ſimum equitatum: quum hoſtes, qui ad Popiliam
& Medoacum erant, equos non haberẽt. Dum hæc
in aquis geruntur, Carolus Lodouici, ut quidã aiũt,
regis filius: alij uerò eum non Lodouico, ſed Caro-
lo qui Manfredum Apulię regem ſuperauit, natum
affirmant, cum decem Barbarorũ millibus ad Tau-
riſium conſedit. ante cuius aduentũ Nicolaus Mau
rocenus, Ioannes Gradonicus, & Zacharias Conta
renus Tauriſium miſsi ſunt, qui apud Barbarum pu
blicam cauſam agerent. Fama erat, mandatum fuiſ-
ſe illi à patre, ut Venetorum oratores ſociosq́ue au
diret: ac tum ſi uiſum eſſet, ex ſua & illorum ęſtima

tione pacem cum Venetis cõponeret. Sub eius igitur aduentum Patauinus Princeps in castra uenit. Venerunt & Genuensiũ & Aquileiensis antistitis legati, felicem illi accessum gratulari: & ut, siue pax siue bellum futurum esset, cum eo decernerent quę ex regis & sociorum dignitate essent. Venerunt & Veneti postridie in castra, quę ad quadraginta diuorum fanum erant, quibus licet mandatum esset quã tumuis iniquis conditionibus pacem non respuerent: tamẽ tot & tanta undiq; petebantur, ut si quadruplo maiores fuissent Venetorum opes quàm ea tempestate erant, uix hostium auaritiã explere potuissent. Tenuit ita que aliquot dies ea disceptatio. Sed impudentissima hostium postulata effecerunt, ut Venetorũ animi ad tam iniquam pacem demitti nullo modo potuerint, quin satius duxerint, extrema omnia pati quàm Venetum nomen presenti ignominia deformare. Carrarius princeps Patauiũ media altercatione redijt: Arcuano Bucecharino cum ea peditum manu quam ipse ad Carolum ueniens secum duxerat, relicto. Post illius digressum per multos dies iactata res est. Sed hostibus omnia Venero adimentibus, &, ut planè apparebat, nil uicto præter uitam relicturis, quam muneris etiam loco concessam uideri uolebant: dolore, quem ignominia fecerat, in iram uerso: decreto Patrum iubentur legati ea actione abstinere, atq; ita infecta re domum confestim redire. Quibus abeuntibus Carolum, quum circiter duos menses ad Taurisium sedisset, nec sedendo se quicquam profecturum uideret, in Pannoniam soluta obsidione abijt. Dum hęc in Taurisinis aguntur, Veneti quinquaginta paruis nauigijs pulchre instructis, quarta uigilia noctis ad hostium præsidium opprimendum ire pergunt. Erat circa fossam, quam Carrarius tumultuario opere haud longè ab Albano foderat, triremis una, cui Bartholomæus Vzerius Sauonicus cum duobus alijs nauigijs pręerat, qui ad eorum qui citro ultroque nauigabant præsidium uenerat. Hanc Venetus subitò adortus, momento temporis hostem magis tumultuãtem quàm arma expedientem opprimit. Capitur triremis à sagittarijs Venetis, qui in alterũ fossæ nouiter ductę latus expositi, ex superiore parte in illam littori hęrentem impetum fecere. Captã igitur ac direptam (quia refluxu aquarum agi non poterat) incendio Venetus absumpsit: reliquas naues cum centum quinquaginta captiuis hostibus Venetias aduexere, in quibus Vzerius ipse est ductus. Ingentem lęticiam ea uictoria attulit ciuitati, atque eo maiorem, quo præsens successus in spem melioris fortunæ ciuium animos assiduis cladibus prostratos erexit. Etenim his gestis cœpę sunt passim iactari uoces indignantium: tam desidem factã ciuitatem, tam timidam, ut in apertam cum hoste dimicationem exire non auderet: degenerare Venetos ab illa suorum maiorum uirtute, qui totiens uel minori nauium numero Ligurẽ uicissent. Quid quod paucis antè mensibus nullus erat toto sinu locus, in quo Venetorum metu se Ligur tutum existimaret, nunc fractos iacere uiuidos illos ciuitatis spiritus, non patriæ, non libertatis, non suarum fortunarum memores. Stultum dicere, immò miserum expectare, ut consumpta rerum omnium copia, fame magis quàm ferro domiti deditionẽ facere turpiter cogerentur. Irent Patres, & classem quàmmaximam possent decernerent: paratos esse ciues aut uincere, si hosti obijciantur, aut si minus id possint, mortem pro libertate occumbere. Huiusmodi uoces ad Patres delatæ effecerunt, ut continuò ad res maiores gerendas animum erexerint. Fit itaq; senatusconsultum, ut primo quoque tempore triremes quadraginta ad bellum instruerentur, quarum imperium penes Contarenum Principem esset. Declarati ad hæc nominatim singularum nauium præfecti. Publici huius decreti fama in uulgus delata ingenti gaudio populum extulit. Tanto ciuitatis studio res exacta est, ut sint quidam auctores, biduo à cognatis, amicis, & clientibus cuilibet præfectorũ penè tota expleta remigia, quatuor & triginta triremium numerus tunc comparatus, reliquæ hominum defectu expediri non potuerunt. Nam præter cladem paucis antè mensibus ad Polam acceptam, duodeuiginti triremes foris erant cum Carolo Zeno, qui in diem expectabatur. Interea uerò Contarenus princeps impositis in naue remigibus à Iudaica regione ad Nicolai fanum, ut nauales turmæ remo assuescerent, (erant enim opifices ferè omnes) quotidie classem agebat: sedulò ille id facere, tum quia operæprecium fore credebat, nouos homines remis insuescere: tum ut pugnam in Zeni aduentũ, si fieri posset, distraheret. Siquidem haud tutum apparebat, uictrici hostium classi inferiorem nauium numerum obijcere. Et quia ad rerum omnium inopiam iam uentum erat, ita ut res ulterius trahi non posset: ne in maius aliquod discrimẽ longa cunctatione ueniret, Carolo nondum reuerso confligere cum hoste statuunt. Interim uerò ut tanta classis in præsenti rerum angustia ali posset, priusquã in hostem sit itum, decreto Patrum propositum est publicum edictum, ut quicunq; è populo pecunia, cõmeatu, militéue, aut classem, aut littorales copias iuuissent, fore ut ubi cum hoste debellatum esset, ex eorum numero triginta qui optimè omnium meriti crederentur, ad Patricium traducerentur ordiné: quę dignitas illis eorumque posteris rata perpetuò maneret: daturos ad hæc Patres operam, ut quinque aureorum nummũm millia quotánis reliquis diuiderentur, qui dignitatem non essent consecuti. Multi spe prætensæ dignitatis, quidam etiam charitate patriæ, in medium processerunt, alij alia pollicentes: supra sexaginta familiæ repertæ sunt, quæ suum in rempublicam beneficium contulerunt: atque ita ut ditissimus quisque fuit, ita optimè de illa meritus & uideri & esse uoluit. Ferũt igitur multa & ampla hinc inde collata: quo factum est, ut plerique in Patriciatum eo nomine assumpti sint. Sed quum illa omnia apud quosdam legissem, qui in hu iusmodi rebus explicandis sunt maximè occupati, illud sanè me non mediocriter mouit, quod si non rei, animi certè & pietatis in patriam eximiæ fuisse existimo. Tradunt Matthęum quendam Faseolum, municipem Clodiensem (is capta ab hoste patria cum liberis Venetias se contulerat) in curia professum amississe se fortunas omnes, quæ multorũ millium aureorum nummũm summam exæquassent: quod si ad eam diẽ saluæ essent, libens pro salute patrię eas in medium contulisset: uerùm superesse adhuc sibi & filijs duobus uitam, quam se patrię ac Patribus elargiri pronunciauit. Vterentur igitur terra mariq; suo munere, paratos esse se illud unũ quod sibi reliquum fortuna fecisset, pro publica salute effundere. Genuenses audito nouæ classis apparatu, ueriti ne Venetus exteriore fluctu silentio noctis circunuectus, portus quem tenebant aditum occuparet: inde introrsum eruptione facta, reliqua ciuitas leuioribus nauigijs usi à fronte & lateribus incursando Ligusticam classem circunsisterent: atque ita in orbem pugnare coacti, ad unum cæderentur, soluta obsidione Clodiam abeunt: rati fore, ut commeatibus mari terraque interclusis, fame Venetus domaretur. Verùm antequam inde abirent, præsidium diruunt, Medoacum Popiliamque funditus euertunt. modicoq; interiecto tẽpore quatuor & uiginti Ligusticæ triremes in Camorum oram frumentatum exiuere, salis (cuius uim ingentem secum aduexerant) cum tritico & alijs frugum generibus cõmutandi consilio. Interim tres Ligusticę triremes earum quę ad custodiã portus relictę erant

erant (reliquis ne urbs sine præsidio esset, remigia Ligur ademerat) quotidie Salinam turrim (quod unum in stagnis præsidium Venetis reliquũ erat) circunuectæ, eos qui locum tenebant, subitis incursibus territabant. Trecenta minora nauigia cũ ganzariolis quinquaginta ad illas insidijs excipiendas Victoris Pisani ductu domo profectæ, in cannetis turri circunie ctis occultè cõsederant. Ea suis signis prodita ubi Ligur procul conspexit, fugam subitò capessens Clodiam uersus innitens remis abijt. Venetus quia fugientem hostem persequi nõ potuit, per stagna quæ minora nauigia ferebant, Clodiam celeri cursu præteruectus, præsidium Salinarũ quę urbi adiectę sunt, repętè opprimit: inde urbẽ ipsam tumultuose adortus, ingentem intulit hostibus terrorem: circa Marianam portam omnis impetus incubuit. Et iam in ipsis canalibus res gerebatur, quũ subitò tres illæ triremes circumactę affuere. Hic hoste à fronte, à tergo, à lateribus incursante, coactus est Venetus trepidè se ad signa recipere. Cecidit ea pugna Contareni principis gener, iuuenis impiger, ex Gradonica familia: alij etiam non pauci cum nauigijs octo ab hoste intercepti. Sic re parum feliciter gesta domũ classis reducta est. Nec multos post dies naues quæ frumentatum iuerant, Clodiam uenerunt. Tum uerò cognitis quæ se absentibus gesta essent, statuunt Clodiam communire æquatis solo ædificijs, quæ salinis circumiectæ erant, quæq; extremis mœnibus hærebant. Aream ad hæc quæ media fermè urbe patet, & quicquid undique areæ domorum adiacet, summa ope communiunt, occlusis cementicio muro uijs ad aquam ferentibus: circun ductoque in speciem muri uallo cum propugnaculis & ligneis turribus, pontibusque introrsum duplici serie ad propugnatorum usum discurrẽtibus. Interim quia per exploratores cognouerant, Carolum Zenum cum classe quæ foris erat, nondum uenisse: nihil minus quàm hostium aduentũ metuentes (quos nihil utique ante illius reditum moturos apparebat) ipsam belli sedem commeatu & operibus per otium instruebãt. Carolus, ut dixi, cum triremibus quinque sub id tempus quo ad Polam à Pisano malè pugnatum est, domo digressus, insulanas naues circa Siciliam nactus: quarum pleræque frumento multiplicique commeatu plenæ Genuã cursum intenderãt, in suam potestatem redegit. Ex his sumpto quantum satis ad alendam classem uisum est, quod reliquum fuit, in mare proiecit. Nautis quoque qui Siculi erant, aliquid uecturæ nomine est datum: monitiq; deinceps Genuam nauigarent, cum nauibus sine alia maiore iniuria sunt dimissi. Cæterùm pleraque Ligurũ onerarias, tum in ipsa Trinacrię ora, tum circa Tyrrheniam interce pit: interceptas, sublatis prius quæ uoluit, medio mari deprelsit. In hoc felici rerũ cursu quatuor triremes ex Creta profectæ se Carolo iunxerunt: hæ quoque priusquam suis iungerentur, pauciſsimis diebus tres Ligusticas cæteas mercibus onustas: unam inter Cretam & Peloponnesum, alteram Methonensium auxilio ad Sapientiam, tertiam circa Siculum fretum, intercepere: quibus Neapolim adductis, ferunt captam mercem quinque & quadraginta aureorũ nummũm millibus uæniisse. Ex duabus inde infirmis classibus una nouem triremium facta confestim Carolus (penes quem omnium imperium erat) ad oram Ligusticam deuastandã profectus, arboribus segetibusque corruptis, quicquid amœniſsimi soli à Veneris portu Genuam usq; patet, penè desolatum reddidit: ab oppugnatione locorum omnino abstinuit, sex hostium triremes ueritus, quæ suo semper uestigio hærebant. Depopulatis hostium finibus quum in superi maris oram se reciperet, onerariam unam Siculam, frumenti plenam, cum nauigijs quibusdam cursum in Ligutiã tendentibus, subito occursu in suam potestatem redegit: naui secum abducta, reliqua medijs fluctibus demersit. Hæc Zenus in ora inferi maris. At circa Trinacriam Micheletus Iustinianus, qui & ipse cum quatuor triremibus in Hellespontо fuerat, præter alias multas naues quas in Propontide & Bosphoro per occasionem hostibus ademerat, cæteam unã Neapolitanam cum Ligustica merce expugnauit, quæ hastæ subiecta duodeuiginti millibus uænijt. Nec sex triremes illæ (quæ sub id fermè tẽpus quo Zenus, aut certè non multo antè, Venetijs profectę fuerant) dum hæc gerebantur, in ocio fuere. paucis enim diebus quibus domo soluerant, duas Anconitanas adeptæ interceperant: res earum alteri ob fidem publicam redditæ. Nec ita multo pòst sinum egressæ, biremem Turcorum unam oppresserunt: eam cæso medijs fluctibus remigio mersérũt: Chiũ inde insulam leui tentant oppugnatione, molas cũ præsidio comburunt, ex Chio in Tenedum transeunt: hinc Hellespontum emensæ in Ponticum mare cursum flexere, ubi Siculam unam in potestatem redactam, quia Genuensium mercem esse constabat, uelut hostibus ereptam in Cretam misere, inde Byzantium classis admota. Per eos dies Caloioannes Andronico filio in Peram compulso imperium receperat. Arx urbis, quia nondum recepta esset, illius animum uehementer sollicitum habebat: non prius igitur destitit Venetos rogare, quàm partim precibus, partim pollicitationibus amplissimis, ad trecentos Genuenses qui intus erant, oppugnandos perpulisset. Ferunt multis lachrymis Venetos rogasse, ne se in aperto discrimine desererent: professum, deinceps non imperatoris, ut olim, sed Veneti nomen Byzantij habituram, si eorum beneficio in suum imperium restitutus esset. Recuperata Venetorum uirtute arce, præter Tenedum omnia Caloioannes recepit. Interim uerò dum circa Byzantium Veneti essent, duas Ligusticas, Scythicarũ rerum plenas, & in his Genuensium negociatorum octo & uiginti, multaque ad hæc minora nauigia, quæ Hellespontum omnemque Pontici maris orã negociorum causa frequentabant, intercepere: Peraque ob Andronicum graui obsidione pressa est: ac quandiu tenuit, quatuor Venetæ triremes in Caloioannis gratiam frequentes affuere. Sub id tempus Zenus Tenedum uenit, quò breui undeuiginti Veneræ triremes conuenere. His fretus ille cęteam unam Neapolitanam, in qua Genuenses nonnulli erant, in potestatem redegit. Mox cum quindecim triremibus Tenedo profectus est: duabus ad insulę præsidium relictis, reliquis ad Perensem obsidionem cum Bertucio Pisano Victoris fratre misis. Is quum Mandram Barbarorum oppidum non longè à Tenedo oppugnaret, sagitta ictus concidit. Carolus ex Tenedo Rhodum tenuit, unde digressus duas Ligusticas oppressit. Cyprũ inde appulsum, circa insulam cæteа hostium tritico plena, ac inde paucis diebus alia multi precij capta, ex Cypro in Syriam Veneti cursum tenuerunt. Hic quum Beritano portu sederet, Cretensis triremis à Principe & Patribus missa cum nuncijs de Clodia amissa, deq; patriæ obsidione superuenit. Simul igitur iussi in Italiam ad urbem obsidione leuandam ire, simulq; ex Syria profecti in Rhodum ad commeatum comparandum cursum tenuere: Nicolaus Zenus, Michaletus Iustinianus, & Ioannes Barbus ad expediendum uiaticum cum tribus longis nauibus præmissi, Ligusticam cæteam ea tempestate nobilissimam cognomine Pichinionam, Rhodiaco portu inuenere: Genuẽsis ratus, quod erat, affuturam paulo pòst reliquam classem, nihil Veneris ob nauis magnitudinem mouere ausis, portu egreditur, ac Ioniam uersus uento leniter spirante cursum intendit. Sed illi parum omnino progresso Carolus superuenit:

ita fortè accidit,ut tum peregrina quædam cętea in portu eſſet, & alia nihilo inferior Hiſpana ad bellũ ſatis inſtructa:cum his & cætera claſſe Zenus hoſtẽ ferociter inuadit,qui uętorum,ut dixi,inopia haud multum à portu aberat.Die uno ac nocte oppugnatus Ligur non prius deditionem fecit, quàm uela nauis flammam contraxere. Ad centum ſexaginta uiri negociatores in ea capti, ac penè totidem ſocij nauales.Florentini qui negociorum cauſa in ea fuere,ubi Rhodum uentum eſt,dimiſſi ſunt,ſingulis q; centeni aurei nummi pro uiatico dati.Ferunt nullo unquam tempore maiorem ditioremq; nauem inter Liguſticas fuiſſe. Compertum eſt ex ipſis negociatorum libris, quingentorum millium aureorum nummũm precioſiſsimam mercem quæ in ea reperta eſt,ſummã expleuiſſe:quæ ex ipſa naui haſtæ ſubiecere(neque enim omnia ſubiecta ſunt) octoginta millibus uendita. Tráslatis in alias naues rebus,eam Carolus alto mari depreſsit:inde in Cretam Veneta claſsis tranſijt. Hic,ut annales quidam habent,ex Marco Mauroceno à principe & ſenatu cum triremi una miſſo de obſidione patriæ cognitum.Sed dum hæc mari gerũtur, ciuitate indies magis ac magis rerum omnium inopia laborante,Contarenus princeps media bruma quatuor & uiginti longis nauibus,alijſq; onerarijs non paucis, quæ commeatum, cataphractos equites & ſagittarios uehebant,noctu domo profectus ſub primam lucem Clodiæ portum occupat: inde cæteas duas, quas iccirco eò traxerat, ut in ipſo aditu demerſis curſum hoſtibus omnino adimeret:eo quo mergẽdæ erant loco ſub primum acceſſum ſtatui iuſsit,ut quum gerendæ rei tempus affuiſſet, continuò ab ijs quibus id negocium datum eſſet,tranſigi poſſet. Inde curatis corporibus mercenarius miles in littus expoſitus, proximè ad urbem pugnandi cupidus accedit: in eum eruptione ex oppido facta ingens uis hoſtium impetum fecit (erant enim tum Clodiæ ad decem armatorum millia) atrox certamen,& utrinque cruentum fuit.Sed ſuperante hoſtium multitudine fuſus eſt Venetus, & ad naues uſque cum ingenti cæde fugatus,multi in ipſa pugna cecidere,ſed omnino plures fugá eripuit. Nam dum ad littus compulſum agmẽ naues repetit,plurimi in ea trepidatione obtruncati ſunt, ac quidam etiam capti,quos in urbem adductos, ademptis primò armis uictor hoſtis ad unum trucidauit.Cecidit ea pugna Hircus Piſanus,qui honeſtiſsimum ordinem in Venetis caſtris ducebat. Ea uictoria elatus hoſtis,pleriſque repentè nauigijs inſtructis in Venetas cæteas impetum fecit: ac nullo defenſas præſidio,nec triremibus ob remeantis pelagi impetum opem ullam afferentibus, occupat, iniectaq́ue flamma incendio abſumit. Placuit id magis Veneto, quàm ſi hoſtis illas in ſuam poteſtatem redactas aliquo inſtruxiſſet præſidio:quod ſi ab eo factum eſſet, omnem claudendi portus facultatem Veneto abſtuliſſet. Ad hanc duplicem cladem Venetus incolumi claſſe (nam neque remigum, neque ſociorum naualiũ quiſquam ad pugnam exiuerat) haud multum remiſit animum. Cæterùm triremibus domum celeriter miſsis, cæteas duas,ut antea,ad ſe attrahi iuſsit.Interim uerò dum hæc properantur, Fœdericus Cornarius iuſſu Principis cum quatuor longis nauibus Brundulum eo conſilio eſt miſſus, ut omnes exitus uno tempore hoſtibus occluderet.Vbi igitur eò uentum eſt,ſubitò duo nauigia aliquid omnino inter ſe diſtantia circa Brundulum depreſsit:unum ad Blaſij fanum, quà Clodia in Athefim nauigatur,in ipſo portu alterum. Sed dum hanc operam diligenter Cornarius nauaret, Contarenus princeps, ne in tanta gerendæ rei occaſione ceſſaret, duas cætearum nauium carinas à Ligure ambuſtas lapidibus oppletas eodem quo ipſe ſtauerat loco retractas deprimi iuſsit. Poſtridie uerò duas alias nuper domo petitas eodẽ loco ſine certamine ullo lapidibus plenas demerſit. Cæterũ ne aditus exitusq́; portus non ſemper Venetorum eſſet,præſidium ſumma ope in ea parte quæ ad urbẽ ſpectat communiuit:quod ne fieret, aliquandiu hoſtes obſtitere. Verùm multitudine telorum, quæ hinc ab ijs nauibus quæ in portu erant mittebãtur: inde uerò ab illis, quæ exteriore parte in anchoris ſtabant(& à fronte ſagittariorum uis ingens Liguri obiecta erat) undiq; penè afflicti cum multa cæde in urbem reiecti ſunt. Veritus hoſtis ne clauſo portu ad ultimum malorum omnium famem redigeretur,ad leuãdam multitudinem quatuordecim triremes cum turmis naualibus educit,per Brundulum in altum erupturus:conſilio ſub uernum tempus maiore domi claſſe cõparata ad ſuos obſidione leuandos redeundi. Venetæ naues quas Cornarij ductu eò miſſas diximus,ad Blaſij fanũ illis ſe objiciunt. Erant tam anguſti aquarum meatus, ut uix triremes duas pariter euntes capere poſſent.Id certè quia à maiori numero circumueniri non poterant,non parum Venetis profuit, ſed plus omnino depreſſa nauigia:quæ ubi Ligurem ui reuellere conantem, aditumq́; ſibi facere uolentem Cornarius cõſpexit,ſublato fumo dat ſignum ſuis, qui ad tria millia paſſuum ſtationem habebant. Eo uiſo confeſtim Contarenus Thaddæum Iuſtinianũ cum quatuor longis nauibus Cornario opem ferre iubet: ſub cuius acceſſum hoſtes aliquãtiſper ceſſere. Poſt Thaddæũ Victor Piſanus cum ſex triremibus ſubſidio miſſus duo alia nauigia eodem fermè loco demerſit.Cathena ad hæc ex nauium antennis aliaq́; craſsiore materia in ſpeciem ualli uadũ obſtruxit. Imperium omnium nauium quæ ad Brundulum miſſæ erant,Victori eſt datum. Quod ita ęgrè Thadæus tuliſſe dicitur, (nam in ſuſpicionem mutuæ æmulationis iam antea uenerant)ut ſtatim inde,ne ſub imperio illius eſſe cogeretur, ſua triremi abducta ad principem ſe contulerit.Reliquæ,quæ trede cim numero fuere,ad præſidium remanſerunt:qua parte ſupra modum eſt à Veneto laboratum, hoſtibus infeſtantibus,aſsidueq́ue inter ſe quærentibus, quaui,quáue arte mare ſibi apertum redderent.Liguſticis nauibus,quæ fruſtra eruptionem tentarãt, Clodiam reductis, ſubitò hoſtis circa Brundulum domicilium Virginum occupat, militariq́ue opere communit.Deductis ad hæc ſecus paruam Clodiã nauibus,alterum quoque Brundulani portus latus ſtudet occupare.Re Victor animaduerſa (nam hoſtium naues ab altera parte mouere cœperant)iubet Ioannem Barbadicum confeſtim cum leuioribus nauigijs (quorum uis ingens ab initio fuerat eò miſſa)in hoſtem impetũ facere: ipſe uerò in eam partem quam Ligur capere deſtinauerat, triremes quàm proximè poterat admouit: apparebat portu utrinq; ab hoſtibus inſeſſo Venetas naues omnino intercluſum iri.Panditur portus ipſe in quadringẽtorum paſſuum latitudinem,circa medium ſæneua doſus,utrinq; uerò ſecus littora nauigabilis. Iam alterum latus ualido,ut diximus, præſidio Ligur inſederat:ſi ad ęquum quoque quod facere deſtinauerat, exitum clauſiſſet, perierant Venetæ triremes. Haud igitur in tanto diſcrimine ceſſatum, medio portu acre prælium eſt commiſſum, multumq́ue à Venetis ob uim telorum ab hoſtibus,qui in aduerſo littore erant coniectorum laboratum: ſed rei periculum effecit,ut pertinacia nixus hoſtem præſenti conatu auerterit,ipſeq; nihilo ſecius occupato loco præſidium tumultuario opere erexit:quod ut aliquanto tutius expediretur, & militum & opificũ multitudo ingens ex maiore claſſe accerſita eſt. Ad eum locum tuendum Georgius Caballus Iacobi filius cũ lectiſsima cohorte eſt miſſus : ſicq; eſt factũ, ut unum

utrunum portum Ligur Venetusq; eodem tempore poſſederint:aſsiduum inde certamen fuit tormẽtis bellicis ſe citro ultroq; inceſſentibus: claſsis & ipſa ab hoſte die noctuq; machinis ad Virginiũ ſtatutis aſsiduo ictu infeſtabatur. Dum hæc circa Clodiam geruntur,Stellani interim Bernabouis auſpicijs,ut Genuenſes à Clodienſi bello auerterent,rem Liguſticam grauiter infeſtabant.Nam prætet cætera expeditiones quãtuor equitum millibus freti, ad Franciſci fanum Genuę proximum nonnunquã Aſture duce adequitarunt,terroribus & pauore omnia cõplentes.Sed eos nouiſsimè eruptione ex urbe facta Genuenſis fundit,fuſosq́ue, præter ipſum ducem,cuiuſdam agricolæ opera ſeruatum,ad unũ ferè omnes capit. Caloioannis quoq; imperatoris opes rem Venetam aliquid & ipſæ iuuerunt: quippe qui aſsiduis excurſionibus, ac nonnunquam acri oppugnatione Peram infeſtabat. Sed quum locus urbi propinquus ab Andronico filio, Myſijs & Turcis auxiliaribus teneretur,imminentis periculi metu in fide non diu manſit. Hæc procul domo. In Venetis uerò Genuenſes, qui ad leuandam multitudinem triremes aliquas emittere uehementer cupiebãt, duodeuiginti longas naues ſub ponte qui eſt ad Marianam portam, in eum riuum traductas, qui paruam Clodiam à maiore diuidit,Brundulum uſque laborioſe traxere:hic armis & remigio inſtructæ ante præſidium erumpendi occaſionem expectantes conſtitere.Contrà Veneti ne impune Ligur abiret,pro portu ſtationem habebant, ut in apertũ euadentes medio conatu opprimerent. Sed dũ hoſtes in mora ſunt,ac Venetus aquas inſidere pergit: tam grauiter triremes hoſtium telis afflictabantur, ut remiges deſperatione adacti uno ore clamarent, ſolui oportere obſidionem, niſi ad unũ omnes qui in nauibus eſſent circa Clodiam extingui uellent.Illi quoq; qui in littore præſidium tenebant,ueriti ne à tergo Carrarius princeps ſubitas cohortes immitteret:efflagitabant inde diruta munitione deduci hortari omnes Piſanus, perferendumq́; adhuc aliquid dicere:fore ut pauciſsimis diebus Carolus Zenus adeſſet:ſicq; uirorum & nauium numero claſſe aucta præſentem Liguris audaciam remiſſurã. Par animorum deſperatio in Contarena claſſe erat: frigora, fames, pericula telorum aſsiduè in naues cadentium uſque adeò fregerant omnium animos,ut ad fugam potius quàm ad arma miles & qui in portu erant,reſpicerent.Suſtinebat multitudinem principis præſentia & adhortatio, monſtrantis quantũ ignominiæ ac periculi ſe patriamq́; maneret,ſi inde re infecta decederetur : fore ut Venetos Clodia abſcedentes Ligur à tergo inſequeretur : aliquantoq́; ferociusquàm antea urbem adortus,breui eam iam propemodum fame confectam in ſuam poteſtatẽ redigeret. Sed neq; preces neq; adhortationes illæ fractos animos in ſpem continuandæ obſidionis erigere poterãt : & iam ad id uentum erat,ut biduo pòſt obſidio utrinq; ſoluenda eſſet: quũ Zenus opportune cum quatuordecim triremibus optimè inſtructis circa meridiem, quaſi diuinitus miſſus,Clodiacum portum intrauit. Eum Calendis Ianuarijs tertia diei hora urbem ex alto annauigantem ſenatus ad principem ire iuſsit.Fuit itaq; nõ minus gratus quàm opportunus illius acceſſus. Multæ & magnæ gratulationes fuere in utraque claſſe, ingens quoque lętitia,ubi uiro illo de rebus à ſe geſtis diſſerente cognitum eſt,ſeptuaginta hoſtium uarij generis nauigia ab eo demerſa.Cæterùm in Bachinio na cætea nobiliſsima ac reliquis præter remiges ſociosque nauales ad trecentos Genuenſes negociatores cum præda trecentorum millium captos. Et quia res maiorem nullam patiebatur moram, confeſtim Zenus cum duodecim triremibus Brundulum ad Piſani naues mittitur. Quo uiſo ingens gaudium Venetos inceſsit, lachrymis lætitia obortis, exultare gaudio omnes.Præſidium quod in littore erat,& ipſum ad conſpectum nauium animum recepit.Per eos dies tres Cretenſes naues, & una Arbenſis,ad principẽ uenere. Quo factum eſt, ut duabus & quinquaginta longis nauibus Venetus fretus,nullos amplius hoſtium metueret incurſus. Carolus ante portum in anchoris ſtare conſtituit, nec ante noctem portum ingredi:ſed inclinante die ſubita tempeſtate coorta, ipſe cum quinque nauibus ad Contarenam claſſem uento & aquis ſecundis ábijt.Thaddæus Iuſtinianus, qui cum ſeptẽ remanſerat, fœdè iactatus duas triremes naufragio amiſit:unam ipſis littoribus quæ præſidio contigua erat illiſam,alteram circa Padi oſtia. Carolus denuò cum nouẽ triremibus ad Piſani claſſem miſſus portum, quemadmodum iuſſus erat, ſubirò ingreſſus Victori ſe iunxit. Habebant triremes duæ ſtationẽ non procul inde, quà hoſtes erant in apertum euaſuri: earum alterum Ligur ſimulata nocturna eruptione ad pugnam prouocatam in littus Brundulano præſidio iuuante pertraxit.remiges harpagonibus & cathenis ſeſe attrahi ſentientes , ſpe ad ſuos traijciendi in aquas deſiliunt,qui ad unum ferè fluctibus obruti periere: plerique aduerſa ui renitentes ferro ab hoſte confecti ſunt.Ioannes Mianus triremis præfectus,cum magna præda in hoſtium poteſtatem uenit.Erat illa è numero earum una, quas nuper Carolus ſecum duxerat. Elatus eo ſucceſſu hoſtis conſtituit experiri,an eruptio aliqua fieri poſſet.Apparebat,tantam multitudinem uno loco incluſam breui fame perituram,ni aliqua ex parte cõtinuò leuaretur. Vno itaque tempore, una hora præſidium, quod ad Lupam circa portum Venetus moliebatur aggredi , & ad Brundulum in apertum mare euadere conſtituerant. utrobique atrociter dimicatum, Ligurque cum ingenti cæde repulſus : ſed aliquanto maiorem cladem ad Lupam quàm ad Brundulum accepit. Secundum hos conatus Venetus ut omnem ſpem fugæ hoſti adimeret:onerarias duas ad hoc ipſum domo petitas, quà Liguri anguſtus exitus patebat,cathena interiecta depreſsit: ac naues longas quinque, quum duæ prius conſueuiſſent,perpetuam ibi ſtationem habere uoluit,quibus Franciſcus Bocolus præerat. Carolus Zenus cum ſeptem triremibus iuxta præſidium manere eſt iuſſus : quinque aliæ, quà Bebias nauigatur : Victor cum reliquis ad Blaſij fanum ſedebat. Hæ erant diurnæ ſtationes. Noctu omnes propius Brundulum coibant, ſpeculatorijs nauigijs utentes, ut ſi quid hoſtis mouiſſet, continuò ſciri poſſet.Ita ſe res Veneta ad Brundulum habebat:quum tribus interim nauibus dextro littore miſsis, cum præſidij parte Lauretum Venetus oppugnatione adortus, paucis diebus recepit : receptum fido firmauit præſidio,turrim nouam quæ ſub Genuenſium aduentum conflagrarat, reſtituit: relictis qui eam diligenti cura cuſtodirent. Per eos dies quibus Lauretum receptum eſt,turris quę ad Virginium fuit (quo in loco hoſtes circa portum præſidium habebant) ſubito tormenti ictu concuſſa, ingentem traxit ruinam, qua Petrus Aurius Liguſticæ claſsis præfectus oppreſſus eſt.Sunt qui eum periiſſe dicant dum naualem pugnam cieret : quo cadente relictum ſit præſidium, claſsis ſubiecto igne deſerta . Venetus uictor fugientem hoſtem Clodiam uſque inſecutus, ibiq́ue ante paruam Clodiam, prælium inſtauratum : iterumq́; accepta clade Ligurem uictum dimidio pontis amiſſo,trepidè intra mœnia cõpulſum:captosq́; die illa Genuenſium ſexcentos,totidemq́ue ferè cæſos,in quibus pręter Aurium,de quo diximus,Thomas Gocius uir illuſtris ruina pontis oppreſſus ſit. Sed Chinatius rem aliter digerit, quem ut in alijs,

in

in hoc quoque libenter sequimur. Ille non uno die, A sed diuersis hæc quæ diximus gesta tradidit: nunquam aliàs inimica castra tam proximo inter se loco fuere: nec quæ telorum omnium multitudine ita mutua se clade afflixerint. Ferunt nullum fuisse diem quo non supra quingentos grandiores lapides æneis machinis excussos, cum ingenti strage & ruina in alterutra castra conciderint. Nec interea circa urbẽ quietiores res erant: sed quotidie secus minorem Clodiam per alterutrius partis occasionem prælia committebantur. Clausis in hunc modum Genuensibus, ex Piceno agro tota Flamminia, & ex Ferrariensi per Padi fluẽta cœptum est Venetias nauigari. Continuò igitur annona leuata est, quæ usqueadeò inualuerat, ut penè ad exitium sit in urbe laboratum: ferunt quadruplo pluris solito triticum & omnia obsonia per id tempus uenisse. Patauini furtim leuibribus nauigijs aliquid commeatus obsessis subuehebant. Patres in supplementũ copiarum quas circa Clodiam habebant, quinque millia peditum stipendio accersunt. Genuenses & ipsi nouissimè experiuntur, an classem quam Brundulum admouerant, in altum, ubi aperta ui nõ poterant, arte emittere possent. Ducta igitur circa præsidium profunda fossa ex transuerso ad littus, uenit in spem maximam Ligur, fore ut umbra noctis usus, naues decepto Veneto in apertum educeret, undeuiginti triremes erant eruptionem facturæ: quę satis omnino credebantur ad Venetam oram, in primisque urbem ipsam infestandam: ita utillis in apertum euadentibus, cogeretur Venetus uellet nolet soluere obsidionem. Sed eum hostium consiliũ nõ fefellit. Continuò militibus ex præsidio ad principis classem accersitis, statuit Brundulum uno tempore terra mariq; oppugnare. Omnibus ferè copijs in una castra coëuntibus seditio inter Italos Barbarosque (quorum cohors una illis ipsis diebus B stipendio conducta in castra uenerat) orta est, multique momento temporis conserto prælio cecidere: fuissetque in apertum discrimen uentum, nisi duc is interuentu rixa illa sedata esset. Hoc ipsum, & ne hostis fossam ad Brundulum perduceret, causa fuit Veneto maturandi: Ioanne Agunto Gallo, uiro impigro, non expectato, cui absenti omnium terrestrium copiarum imperium decreuerat. Accersito itaque Carolo Zeno cum reliquo copiarum quę circa Brundulum remanserant: datum est ei negociũ, ut cohortes quæ sub signis ante urbem steterant, secus littus ad Ligusticum præsidium expugnandum duceret. habebatur ille terrestris rei longè peritior quàm maritimę: & iam edictum erat Pisano, ut signum intentus expectaret, atque ubi suos ad Brundulum pugnare cognouisset, moueret & ipse ex altera parte: ac quàm proximo posset loco triremibus littoribus appulsis, nauales turmas in terrã exponeret, hostemque ab ea parte quæ portui contigua est, inuaderet. Iam omnia ad Brundulanã oppugnationem constituta erant, quando res ad paruam Clodiam bene gesta omnem gerendæ rei rationem præuertit. Ne quid enim à tergo relictus hostis obesse posset, statuit Venetus præsidium quod eo loco Ligur habebat, priusquam Brundulum iretur oppugnare. Eò adductæ copiæ uix bene turrim circumsteterant, quum Genuenses tanquam ad certum signum exciti, omnes qui ad Brundulum erãt, præter paucos ad custodiam loci relictos, Clodiam reuocant, iubentque eos instructo agmine uenire, ac Venetum pugnæ intentum à tergo inuadere: se interim ex altera parte, facta ex urbe eruptione, hostem ferociter inuasuros: uulgò credere, satius fore cum hoste acie dimicare, quàm in ultimum discrimen longa obsidione adduci. Ad mille & quingentos ex Brundulo uenisse dicuntur, qui ex urbe eruperant, circiter octo millia fuisse: Brundulana acies cũ clamore quasi ex insidijs coorta, in Venetos inuecta est. Excepit eam magno animo Zenus, pugnaq; oritur atrocissima. Tanta telorum uis ex utraque parte primo concursu iecta dicitur, ut aër nimia densitate quasi nube quadam obtegeretur. Clamor circa littora ipsasque paruæ Clodiæ ruinas: ingens quoque armorum fragor omnia terrore compleuerat. Cadunt multi, plures uulnerantur. Erumpit interim ex urbe maior illa phalanx, ac denso agmine quasi torrens cum impetu in Venetum præsenti pugna occupatum effertur. In hos quoque ille conuersus forti animo uiolentam impressionem sustinet. cogebatur iam duobus lateribus pugnare: sed dum altero prælio studet defungi, maiore ui nixus Brundulanum militem loco summouet, in quem gradum referentem aciam penè pulsum eques immittitur: is hostem pedestri prælio turbatum, fundit fugatque, ac fœdissima cæde insequitur. Multi ad Catharinæ fanum in aquas precipitati, aut nandi imperitia, aut armorum pondere perierunt. Victor hac parte Venetus omnem impetum in urbanam aciem uertit, quæ suorum casu territa iam pedem sensim referre cœperat: in eos sua sponte turbatos ferociter inuehitur. Tum uerò maiorem in modum perculsus hostis, minus ac minus ordines asseruare: demum palàm fortuna inclinante, aperta fit fuga: quisque pro se properat pontem occupare, ne à suis exclusus hosti trucidandus relinqueretur: cæduntur eorum terga, qui in extrema acie erant: multi in ipsa fuga, sed plures omnino circa pontem oppressi, qui pondere armatorum hominum pressus, mediusque repentè fractus ingentem traxit ruinam. Quicunque in subiectas aquas cum materia pontis ac totis armis procidere, ad unum penè extincti sunt: alij iaculis, alij lapidibus, plures armorũ pondere in imas aquas depressi, haud amplius extitere: ad mille & plures qui citra pontem exclusi fuerant periere, multi quoque uiui abiectis armis in Venetorum potestatem uenerunt. Illi qui in citeriore parte abrupti pontis hæserant, telis undique petiti deditionem facere sunt coacti. Hic Venetus præsidium militari opere ab hoste munitum, Iacobo Rouetio uiro impigro tradidit tuendum: turris quæ ante prælium initum cœpta fuerat oppugnari, per deditionem eadem hora recepta est. Capti eo die Genuensium quadringenti, in quibus nonnulli uiri nobiles fuere. Signa publica non solũ Liguri, sed & Patauinis etiam adempta, mille & amplius desiderati. Nocte quæ diem pugnæ secuta est, Genuenses Brundulano præsidio triremibusq; incensis Clodiam se trepidè receperunt. Victor cognita hostium fuga, triremibus eò statim appulsis duas Ligusticas incendio eripuit, decem flammis cõsumptæ, reliquæ non multo antè Clodiam fuerant reductę. Patauinorum plerique, ac Ligustici nominis quidam, ueriti, ne paulo pòst omnibus uijs à Veneto insessis, non esset sibi integrũ quum uellent inde abire: eadem nocte tacita fuga Patauiũ abiere. Postero die occupato Brundulo per exploratores, Victor cognouit decem hostium naues remige & armis instructas ad præsidium molarum esse: ad eas tentandas minora quædã nauigia confestim missa. Ad quorum conspectum ob nuncium acceptæ cladis territi Genuenses, relictis nauibus in aquas se præcipitant, nandoque in proximum littus euasere: ita sine ullo certamine naues illæ in Veneti potestatem uenerunt, quæ non sine ingenti ciuitatis lætitia sunt Venetias abductæ. Alij quinque numero fuisse tradunt, octoginta q; ex hostibus cum illis captos. Carolus Zenus iussu principis eductis ex parua Clodia copijs, ante portam urbis qua Brundulum itur ad Francisci fanum castra locat, profunda fossa militari opere hostibus obiecta. Hic Ligur quum se arctiori obsidione premi cerneret, pueros &

& mulieres omnes urbe eiecit, quam miserabilem A turbam Contarenus Venetias traducendam curauit. Cæterùm omnia loca quibus ex cõtinenti Clodiam nauigari poterat, crebris præsidijs Venetus insedit: Brundulanum portum hinc turri, inde præsidio erecto, ita intra mensem Pisanus obstruxit, ut exigua hominum manu ad utrunque latus relicta, securus inde classem abduxerit. Tenuit inde obsidio usque ad Clodiam receptã. Interim nuncio nonæ classis accepto quæ Genuæ parari dicebat, constabat præterea & naues & arma à Carrario principe studio parari: Patres quando non ita citò circa Clodiam debellatum iri existimabant, ne in urbe ut antea annona laboraretur, onerarias naues frumentatum in Apuliam misere, & cum his Thaddæi Iustiniani ductu triremes duodecim. Is in Histriam transmittens, modico negocio Gradum recepit, ubi plerosque ex ipsa Carnorum ora interceptos Venetias misit. Ipse prospera inde nauigatione usus, Sipontum tenuit, ubi audito Ligusticæ classis aduentu, cui Marufus Aurius præerat, quotquot potuit naues celeriter expeditas, cum frumento domum remittit. Nec ita multo pòst propinquãte hoste: reliquis onerarijs in portu depressis, ne illis Ligur potiretur: ipse cum sex triremibus quas secum habebat (reliquæ enim aliò frumentatum diuerterant) Venetias uersus mouet. sed fœda interim tempestate suborta cursum retrò auertere compulsus est. Hic ille (aderat enim iam hostis) nauticis instrumentis prius ademptis, & in urbem illatis, naues in portu demersit. Inde dolijs utrinque ad fauces portus constitutis ne nuda suorum corpora hostibus obijcerentur, Ligurem aditu summouere cõstituit. Ferunt Thaddæum à Guidone Foranensi urbis prętore hortatum, ut relicto portu se in urbem cũ suis reciperet: sed id facere recusasse. Sub primum igitur hostium appulsum acre prælium est commissum, di B stractumque in duas horas. Tum remisso paululum certamine utrinq; spacium datum ad curanda corpora: reditum inde in pugnam aliquanto ferocius: fuissetq; strenuè defensus portus, nisi parte hostiũ in littus exposita Venetus cominus, & quasi in orbem coactus esset pugnare. Sic quoque aliquandiu illorum uim sustinuit: uerùm superante multitudine loco summotus, in fugã uertitur. Proxima urbs effecit ne maior cędes æderetur, quàm in pugna cõmissa esset: Thaddęus cum centum alijs in hostium potestatem uenit. Ligur ea parte nauium corrupta quæ aquis exstabat, inde ad Ficulanum portum ire pergit: ubi sex alias Venetorũ triremes esse rumor erat. Earum quinque Ligure remerè locum occupante media trepidatione dilapsæ domum abiere: una quæ minus gnauiter fugam molita est, alias sequi non ualuit: illarum turmæ quæ ad Sipontũ cladem acceperant, terrestri itinere Clodiam uenere: ubi per eos dies quib⁹ hęc procul domo gesta sunt, in stagnis prosperè est à Venetis contra octoginta hostium nauigia pugnatum, quorum octo capta sunt, reliqua classe fusa fugataque, ac Clodiam trepidè compulsa. Nec ita multo pòst Ligusticum præsidium quod ad molas fuit, parum prospera est oppugnatione tentatum. Nam præterquã quod Venetus inde cum ignominia est reiectus: ceciditibi Lodouici Lauretani filius, iuuenis impiger, cum quibusdam alijs Veneti nominis illustribus. Postero die quum rursus Veneta nauigia præsidium circũstetissent: interim Patauina classis (quę obsessa Clodia eo ibi consilio desederat, ut per ocium dum Venetæ triremes renuitare aquarum agi non possent, in continentem transmitteret) stagnum nauigare occœperat. Ita fortè accidit, ut quum Veneti in id certamen essent intenti, allatum sit, trepidè ad eos Patauinum in continentem abire. Quo negocio statim omisso, transuersis stagnis ad hostem celeriter ire pergunt: quem non procul à littore adeptũ, subito clamore fundunt fugantq;: dilapsis in proximas paludes hostibus, nauigia omnia capta, quę circiter octoginta fuisse dicuntur. Capti cum his uiri sexaginta, & in his Genuenses aliqui. Nec circa Zeni castra res omnino quietæ fuere. Sed hic quoque aliquotiens per occasionem alterius partis est pugnatum. Iam enim commeatu deficiente, cœperunt milites primo, inde Genuẽses postulare, ut incolumes cum singulis uestimẽtis liceret Clodia abire. Quod utrisq; est negatum. Inde paucis interiectis diebus audito Ligusticæ classis aduentu, quæ in Dalmatia erat, & quæ in Patauina ora à Carrario principe ad leuandos socios obsidione parabantur: proposuit Venetus edictum, ut quicunque saluus esse uellet, paucis diebus (nam eorum numerum apud auctores non reperio) Clodia abiret, seque ad limen publici carceris sisteret: alioquin post id tempus non esse cur amplius ueniam sperarent. Eam conditionẽ usque adeò hostem aspernatum ferunt, ut ne unus quidem in tanto numero repertus sit, qui se id facturum profiteretur. Resciuerant & ipsi de aduentu Ligusticæ classis: adductiq; ob id in spem leuandæ obsidionis, constituunt adhuc diutius durare, atq; extrema omnia prius pati, quàm deditionem facere. Aduersus igitur nouos Patauini hostis apparatus (quia res in stagnis gerenda erat) quingenta leuiora nauigia Patres decreuere. Triremes præterea quinque & uiginti domum reductæ, quas hostibus obijcerent si ad urbẽ aliquo modo annauigassent. Pridie nonas Iunij tertia diei hora, ante Clodię portum Ligustica classis, quę tres & uiginti longas habuit naues, se in conspectum dedit: inde ad mille passus appropinquans, clamore ingenti hostem ad pugnam uocabat. Sed Venetus neque ex ipsa nauiũ statione, neque ex Zenicis castris quicquam mouens, stabat utrobique ad hostium impetum excipiendum paratus: & in stagnis nauium multitudo ingens omnia insederat, ne Patauinus hostis interim moueret aliquid. Ligur ubi Venetũ ad pugnã elici non posse uidit, ad Fossiones se recipit: inde quotidie mouens Venetam stationem annauigabat, pugnam cõucio efflagitans. Perstabant nihilominus Contarenus & alij in proposito, prælio absti nentes. mittebantur tamen celerrima nauigia, quæ sua leuitate incursantia Ligusticas naues missilib⁹ incesserunt. Demum Pisanus, contempta hostium paucitate, permittente Principe, quinque & uiginti triremes portu educit: atque in altum nonnihil prouectus, in hostem qui ad Fossionem erat, proras repentè dirigit. Venientem Ligur expectare nõ est ausus: sed confestim subducta classe Anconẽ uersus fugam capessit. Eum abeuntem longius persequi Venetus noluit, ne iniussu principis ab obsidione nimium recederet. Tentata est per eos dies ad leuandam multitudinem noua eruptio, centũ paruis nauigijs ex ædificiorum materia ad id celeriter fabricatis: quorum singula decem remis agebantur. Cõuenerat inter hostes (nam classis paulo pòst quàm fugata est, ad pristinam stationem rediret) ut triremibus ad portum admotis, ubi clamore & strepitu oculos omnium animosque occupassent (Creuerat Ligusticarum numerus supplementis domo Dalmatiaque nuper acceptis) tum tres longæ naues q̃ proximè possent, è regione paruę Clodię littoribus accederent. Interea qui in urbe erant, per internas aquas, quibus pręter Marianam portam ac paruam Clodiam nauigatur, eruptionem facerent: ac quum ad mare uentum esset, continuo triremes conscenderent. Granellus Perensis subitæ illius eruptionis dux erat: is ubi omnia comparata uidit, dat signum suis ad erumpendum. Qui in Zenicis castris erant id conspicati, subito Principi nunciant rem ad eruptionem spectare. Ad eam fugam impediendam ce

lerri-

lerrima nauigia continuò expediuntur, quæ transuersis aquis in hostem inuecta subito pauore uenientem fundunt. Quinquaginta hostium naues oppressæ, plerique ex hostibus cęsi, circiter octoginta, & in his Granellus, capti dicuntur: reliqui fuga dilapsi in urbem abiere. Blondus scribit, tentasse Ligurem cathenam cæteis nauibus circa portum ab initio mersis hærentę rescindere, quando ex alto Marufus Liguſticæ classis præfectus in Venetas naues impetum fecisset, ut iniecto certamine tantisper Venetum præsenti pugna occupatum teneret, dum, illi obicem rescidissent: sed rem utrobique parum feliciter motam. Nam & qui erumpere conati erant, quiq; extra impressionę deberant, bellicis tormentis omnifariam q; telorum generibus afflicti, turpiter cessere. Ligur suorum clade affectus, ad solitam stationem se recepit: qui in urbe erant quum neq; se neq; suos quicquam amplius proficere posse cernerent, captiuis uincula adimunt, adductosque ad portam in castra emittunt. uulgò creditum est, id eos fecisse, ne si fame illi consumpti essent, ipsi quoque postea ubi in hostium potestatem uenissent, simili pœna plecterentur. Inde nouam uiam ad salutem ingressi, legatos ad ductores armorum, qui in Zenicis castris erant, mittunt, qui omne Genuensiũ aurum, argentum, arma, cum ipsa urbe militi dederent: uerùm ea conditione, ut tutos se ab iniuria Venetorum ad suos dimitterent. Mouerat omnium animos ea deditionis forma. Quod ipsum Zenus auersatus, rem ad Principem continuò per internuncium defert. Mittitur itaque à nauibus in castra Petrus Hemus, Principis consiliarius. Etenim præter multa quæ eiusmodi deditione adimebantur, appa- A rebat insignem conrum eliam Venetum inde accepturum, si Genuensis perpetuus hostis tanto periculo & labore domitus, incolumis è manibus mitteretur. Hemi igitur consilio ad id decursum, ut urbs militi diripienda daretur: quique stipendium facerent, illius captiui essent: Genuenses, Patauini, Carni, Dalmatæ ac Græci remo magis quàm armis idonei, cum ipsa urbe Venetorum. His conditionibus ad officium reuocati ductores, in Zeni uerba iurarunt, nullas se amplius Genuensium cõditiones accepturos: non legatos, non preces, non pollicitationes ullas audituros amplius. Quiescentibus alijs, Rubertus Picens, qui honestissimum in castris ducebat ordinem, Genuensium conditionibus adhuc studens, non prius omnia turbare destitit, quàm ad Zeni præsentiam accersitus, consensu omnium in uincula sit deiectus. Is biduo pòst sceleris cõuictus, Venetijs suspendio est necatus: atq; ita uno oppresso, seditio cõpressa est. Tentarunt Genuenses priore consilio frustrati, amplioribus militi conditionibus propositis, aliquam (quod ab initio fecerant) in castris ferere discordiam: sed eorum legati à ducibus ad Zeni præsentiam ire iussi, in illius & aliorũ Venetorum manu, Genuensium uitam mortemq; esse dicere: illos orarent, ab illis salutem peterent: non esse cur amplius à milite quicquã sperare possent: esse duces cum omnibus suis in Caroli potestate. Tum illi ad Veneti præsentiam constituti, nihil eum de sententia mouerunt. Præcisa igitur omni spe, ad preces & lachrymas conuersi, ex omni numero lectissimos quosq; ad principem misere, qui ad illius conspectum cum lachrymis prostrati, per superos orare cœperunt, perq; suas miserias, ut præsentis fortunæ misererentur: fateri, se ut hostes multa in Venetos ad eam diem & terra & mari gessisse, sed de imperio interea, non de uita cum eis dimicatum: idq; manifesto argumento esse, quod sæpius bellis antè actis citro ultroque captiui, aut redempti aut permutati, nonnunquam etiam ex fœdere restituti essent: nouissimè autem capta Clodia, nullum à se inermem uiolatum, præter paucos captiuos, quos non publicò consilio, sed paucorũ temeritate necatos audiuissent: cęterum aliorum nulli unquam salutem denegatam. Quicunque in suã potestatem uenissent, deficiente commeatu ne fame conficerentur, ademptis uinculis ad suos incolumes dimisisse. Non negare, prius se omnia experiri uoluisse, quàm deditionem ullam facere: uerùm non tam odio id factum, quàm quod ita sanè fieri oportuit, ut uiri fortes, ut constantes à suis iudicarẽtur. Iam uerò fame magis quàm armis domitos, non aurum, non argentum, non reliquas sibi fortunas deposcere, sed dũtaxat uitam, quam inermi & supplici denegare, non minus inhumanum sit semper habitum, quàm illam per fraudem cuiuis eripere. Verùm quicunque exitus Genuenses maneret, in Venetæ clementiæ sinum se spem omnem suã, omne uotum reponere. Ipsi uiderãt quid precibus, quid lachrymis, quid demum miseris & afflictis sit præstandum. Nam humanæ uicis obliros esse eos, qui totiens aduersa experti sint: neque credere se, neque, si omnia extrema passuri sint, credituros unquam. Nullum mite responsum est redditum, nisi ut certò scirent, se paulo pòst in uincula iturosꝫ tum patres de eorum uita & morte maturius consulturos. Interim æquum uideri, in tenebris, in seruitute eum esse, qui dum odium & iram sequitur, propriã libertatem abiecerit. Irent igitur, & ne hoc reliquũ munus amitterent, ac quod facturi essent, citò facerent. In urbem reuersi, omnia tristia renunciant, amissionem rerum omnium, uincula, carcerem, uitę- B riam discrimen. Verùm urgenti fame (nam erant qui pluribus diebus panem non uiderant) placuit qualemcunque deditionem fieri potius, quàm inedia extingui. Sublato itaque alta turri uexillo, confestim Liguſtica classis ex sua statione in conspectum urbis uenit, tum repentè illud ab ijs qui in urbe erant, est suppressum. Ad quod signum perculsi qui in nauibus erant, uarijs modis tentarũt suos ad spem erigere. Ad quę quum nihil illi respondissent, tum demum de suis, deq; urbe actum esse senserũt. Tristes ac mœsti ad Fossiones se recipiunt: missi interim à ducibus in urbem, qui militem à Genuensi secernerent, prædamq; omnem unum in locum cogerent habito delectu. Quatuor millia hominũ in Venetorum potestatem uenerunt, quorum tria millia Genuensium fuisse dicuntur, Patauini ducenti, Carni quàm pauciſsimi: reliqui Dalmatæ Illyriciq; nominis, ac Græci quoque non pauci: omnes Venetias in custodiam adducti. Milites exuti armis à militibus, dimissi sunt, omnis præda ad fanũ Virginis cõgesta, biduo sub hasta Venetis licentibus uænijt. Partita inter milites pecunia, ductores urbẽ Veneto restituunt. Sic Clodiam decimo mense, ex quo à Genuensi hoste expugnata fuerat, Veneti receperunt. Contarenus princeps, Victor Pisanus, Carolus & alij primores, septimo Calendas Iulij urbẽ ingressi, Venetis signis per publica restitutis, undeuiginti Liguſticas triremes optimè instructas cum onerarijs plerisque, & ui salis immodica, in publicum redegerunt.

IN LIBRVM VII. Epitoma.

Veneti recepta Clodia Bebias & alia in aquis præsidia receperunt: Tergestini ad Ligurem defecere: Iustinopoliſq; ab hostibus expugnata est: Hostis Ligur classe ante portum urbis explicata in Histriam conessit: Validissima classis in Histriam ex urbe transiit, Iustinopoliſq; recepta est: Arbenses à Ligure ad deditionem compulsi sunt: Victor Pisanus Siponti uita decessit: Imperium classis Carolo Zeno est demandatum:

datum: Tauriſium Carrarijs opibus longa est oppugnatione fatigatum: Veneti frustra Tauriſinos commeatu & præsidio iuuare tentarunt: Veneti Tauriſium Liopoldo per legatos dedunt: Carolus Zenus in ora inferi maris hostium congressum declinauit: Captiui Ligures penè uiolati sunt ob Venetos, qui Genuæ necati dicebantur: Tres Genuenſium triremes multa per occasionem Venetis damna intulerunt: Liopoldus in Italiam cum decem millibus equitum uenit: Pax cum Genuẽſibus & socijs Allobrogum ducis interuentu confecta est: Venetæ matronæ captiuos Ligures uiatico & uestibus iuuerunt: Multi qui præter cæteros rempub. belli tempore iuuerant, patricia sunt dignitate donati.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARum ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER VII.

Clodia in hunc modum recepta, ne suorũ succesſuum cursum Venetus cunctatione aliqua retardaret, confestim ad Bebiacum præsidium expugnandum mittunt, ut nauigatio in Cisalpinam Galliã suis negociatoribus pateret. Genuensis interim Veneta ora profecturus, facto circa Corbulã in frumentatores impetu, naues pleraſq; tritici onustas, quæ ibi subsedebant expectãtes Liguſticę classis discessum, ut mox inde Venetias nauigarẽt, subito incursu oppressit, frumentoq; partim sublato, partim corrupto in Histriam transmittit. Ad cuius appulsum Tergestum, Carnis iam antea instigantibus, à Venetis deficit. Genuẽses sagittarios ex omnibus turmis lectos ad urbis præsidium dedere: Tergestinis sumptis armis prætorium occupant: Donarum Thronum prætorem, & omnes Veneti nominis subita defensione perculsos, rebus prius direptis in uincula conijciũt. Cõuersi inde ad utranq; arcem oppugnãdam (quia modico præsidio tenebantur) facta ab ijs qui intus erant deditione, breui in suam potestatem redigũt, redactas ab imis partibus diruunt. Contarenus interim rebus ad Clodiam constitutis, Carolo Zeno ad urbis custodiam relicto, maris imperio Victori decreto, Venetias redijt, ubi ingenti lætitia & plausu ab omnibus ordinib. ciuitatis exceptus est. Tergestinorum defectio quæ per eos dies nunciata est, ut lætitia illa minus sentiretur effecit. Ea cura sub principis aduentum sollicitam habebat ciuitatem. Sed eo ipso die quo dux domum uenerat, recẽtior alia accessit, Iustinopolitana expugnatione nũciata: constans ad id fama erat, ita aucta hostium classem, ut præter triremes (quæ circiter quadraginta esse dicebantur) biremes quoq; nonnullę adessent: Iustinopolim captam (præter pauciſsimas exulum domos, quorum proditione urbs capta esset) ab hoste direptam: arcem uerò adhuc Veneto nomine teneri, quò Criſpolinus Azonius Tauriſinus se cũ delecta militum manu amissa urbe recepisset. Duarũ finitimarũ urbium alienatio ingentem ciuitati curam iniecit. Angebat præterea animos Patrum Liguſticæ classis magnitudo: manifestè apparebat, nisi ipsi quoq; eum nauium numerum haberent, quo hostium conatibus ubiq; turò occurrerent, fore, ut nõ Histria solum, sed omni Veneta ora breui Ligur esset potiturus. Continuò igitur ad ingentem uim nauium expediendã conuersi sedulò dant operã, ut quotidie remigio & armis triremis aliqua instruretur. Sed dum hęc Venetijs studio curantur, Ligur Iustinopoli Aquileiẽsi antistiti tradita, ipse cum suis triremibus inde profectus, celeri cursu ad Brundulum consedit: inde Clodiæ munimenta intuitus, ubi omnia sibi obsepta cõspicatus est, urbem uersus cursum intendit. Hic aliquandiu classis ante portũ in procinctu stetit: nec omnino rerum omnium secura, quædam leuiora nauigia repentè portu egressa, sagittis bellicisq; tormẽtis illi omnia infesta reddere. Sed hoc quoq; loco nulla gerendæ rei occasio ne oblata, in Histriam Ligur abijt: tentataq; Pyranẽ siũm defectione quum nihil pacati ab oppidanis & ijs qui præsidio erant, redderetur, atroci eos Ligur oppugnatione inuasit. Oppidum non solum est defensum, sed cum cæde & ignominia hostis à mœnibus est repulsus. Parentium quoq; per eos dies Liguſticis armis sollicitatũ: sed tam hic quàm ad Pyranum nuper omnes hostiũ conatus irriti fuere. Hinc hostis in maritimam Carnorũ oram se recepit, ubi Maranenſi portu triremes resarsit. Per eos dies Bebiacum præsidium est receptum, in quo expugnando aliquandiu laboratum constat. Ad sexaginta Liguſtici nominis illic erant, qui strenuè locum ab initio tutati sunt: demum Venetis hostiũ munitiones subeuntibus, ubi illi uallum rescindi uiderunt, ad triginta propugnatorũ traiecto flumine in Patauinos fines præcipiti fuga concessere: qui remanserãt, pòst longũ certamen partim cęsi, partim capti sunt. Nec deditio ab ijs qui turrim tenebant, prius facta est, quàm illam incensam uiderunt. Bebijs receptis cætera præsidia & oppida, quæ in stagnis & circa flumina fuere, præter Caput aggeris (id oppidum Carrarijs armis tenebatur) Venetus recepit. In hoc statu erant res Venetæ, quum repentè allatum est, Polam urbem à Genuensibus captam, magnaq; ex parte incensam: quæ res effecit, ut Veneti indignitate rei commoti cum ualidiſsima classe aliquanto citius quàm decreuerant, in Histriam transierint. Sub cuius aduentum hostis territus (nam fama erat Veneros seprem & quadraginta triremes, & cum his biremes nonnullas habere) direpta urbe Iaderã cõtendit. Veneta classis ubi in prouinciã uenit maiorem in modum aucta est, nauibus à Pyranenſibus, Parentinis, alijsq; Histriæ accolis qui in fide adhuc erant, acceptis, ita ut centum circiter carinæ numero fuisse dicantur. Nec classis ulla Veneta unquam instructior fuit: quippe cuius singulæ triremes, præter remiges, sagittarios, reliquosq; nauales socios, quindecim cataphractos fortitæ erant uiros. Erat Pisanus tam ualidæ classis imperator. Aderat & Caballus Veronenſis, penes quem terrestrium copiarum imperium ab initio fuisse diximus. Vbi igitur in Histriam uentum est, primis se tenebris intendẽtibus duas Venetus triremes Iustinopolim ad explorandum statum urbis mittit: Præerant illis Michaël Delphinus & Peratius Maripetrus: ij nocturna umbra usi pontem, qui ab urbe ad continentem Aquileiensis antistitis iussu erat deductus, rescindunt. Quo facto apparebat, Venetis circumsedentibus non esse cur amplius qui in urbe erant, auxilia aliunde sperarent. Resciſſo itaq; ponte plerisq; exulum, quorum opera hostis fuerat oppido potitus, territi nocte illa per uada quæ urbi circũiecta sunt, in continentem euaserunt. Vbi uerò dies illuxit, reliqua classis ad urbem proximè admota est: leuiora nauigia præcessere, sequebatur cum strepitu & clamore reliquarum nauium robur. Nec illi qui in arce erant, in tãta occasione quieuere, sed subita eruptione ingentem hostibus terrorem iniecere. Tot illi malis circũuenti continuò deditionem faciũt, quadringenti Carni nominis in Veneti potestatem uenere: & in ijs Nicolaus Spilimbergius, urbis prętor, & Simon Pamperginus. Vrbs in exulum inuidiam direpta est, inde oppidanis, qui satis infrequẽtes ea

temporum nouitate aderant, restituta: relicto cum ijs ad custodiam satis ualido præsidio, ne urbs hominũ paucitate ab hoste denuo occuparetur. Iustinopoli recepta ad Polá subitò esset itum, nisi Pisanus à Principe & Patribus literas expectare constituisset, quibus certior fieret, uideretúrne illis ultra Phanaticum sinum classem transmitti oportere. Quod ubi facere est iussus, continuò classis Polam admota est. Nec Ligur interim quieuit: sed dum Venetæ triremes ad Iustinopolim fuere, ipse suas ad Sardonam insulam, quæ Liburniæ adiacet, admouit: Arbam insulæ oppidum aliquandiu oppugnatum ad deditionem compulit. Deditio ea conditione facta est, ut traditis omnibus Veneti nominis cum Lodouico Contareno urbis prætore & ijs qui ab initio belli oppidũ Venetis tradidere, reliqua ciuibus inoffensa manerent. Fuerant Arbenses ad eam diem Veneti imperij studiosissimi, ac sæpius eo bello oppugnatione tentati, omnia extrema pati maluere, quàm à Veneto imperio alienari. Chinatius, qui ultimum bellum Ligusticum diligẽtissimè omnium, quos uidimus, scripsit, auctor est, diu nullum panis usum inter Arbenses fuisse: ac lege cautum, ne quis panem nominaret: carnes & lacticinia uictum præbuisse. Tũ uerò atrocissimis oppugnationibus fracti, non quam ipsi facturi erant, sed quæ impetrari ab hoste potuit, deditionẽ fecere. Potiti oppido Genuenses, tribus triremibus ad præsidiũ relictis, classem inde continuò abduxere. Hæc mari gerebãtur, quum Taurisium Patauinus armis grauiter urgeri cœperat, duobus pontibus fluuio impositis: uno ad locum, cui Casali est nomẽ, altero propinquiore urbi loco, ubi Carrarius hostis tumultuario opere nouam turrim erexerat. habuit ille ab initio in animo, infestis aquis quibus commeatus ex urbe quotidie Taurisinis subuehebantur, Venetum militem cum oppidanis fame domare. Erant Patauina castra circa turrim, unde assiduè excursiones ad portas usq; fiebant. Vexabantur ad hæc qui in urbe erant, tormẽtis bellicis, quorum assidui casus omnia infesta ciuibus reddebant. In hoc statu res Veneta ad Taurisium erat. Pisanus interim ad iaderã classe admota cœperat portum oppugnare, quum per exploratores est cognitum duodecim Ligusticas triremes nuper inde profectas in Apuliá frumẽtatum iuisse. Ea re audita (quanquam febre penè assidua grauaretur, in quam circa nonas Augusti inciderat) ne tamen in tanta occasione cessare uideretur, pergit Victor ex Iadera ad hostem ire, quem in Peligna ora ademptum tenebræ quæ se sub primum certamen intenderant è conspectu abstulere. Cecidit tumultuaria pugna, quę sub primum occursum commissa est, Catharinus Corberius, triremis præfectus. Venetus amisso hoste Sipontum se recepit, ubi Victor intra paucos dies ingenti omniũ turmarum luctu uita decessit. Ferunt nunquam alium gratiorem suis ciuibus fuisse: quo factum sit, ut uiuum illum patronũ uno ore omnes dicerent: actum defunctus non minus quàm parentem remiges, socijq; nauales luxerint. Alouisius Lauretanus eius loco tã diu classis imperio præfuit, quoad nouus imperator Venetijs crearetur. Pisani corpus domum delatum, frequenti populo Patres ad Antonij ædem magnifico funeris apparatu sepeliuere. Eius sepulchrum circa aram maximam marmore & auro conspicuum uisitur. Nullius unquam funus maiore luctu & lamentatione est elatum, ita omnibus ciuitatis ordinibus fuit charus. Patres Carolum Zenũ in demortui locum maris imperio præfecerunt, qui duabus triremibus ad hoc ipsum è classe accersitis, primo quoq; tempore in prouinciá exire iussus est. Sed dum hæc domi studio curantur, Taurisium nihil Venetis exciderat. Interclusis commeatibus res ad ultimũ discrimẽ spectabat. Id Patres ægrè ferentes, dant operam ut fluminis nauigatione aperta cõmeatus obsessis subueherentur. nauali itaq; machina ad palos euellendos constructa quatuor & uiginti ganzarioas ac pleraq; alia ornãt nauigia: cum ijs ac parte copiarum quæ Clodiæ erant, quæq; ad præsidium urbis circa portum statiua habebãt, Marinus Carauellus, homo impiger, ad aperiẽdum fluminis cursum est missus. Triplici palorum serie Patauinus hostis ab una ripa ad alterã Silim quasi cathena quadã ea parte qua Casali proximus fuit, iunxerat. Cohortibus quæ aduersa hosti ripa Musestrum usq; ducẽdę erant, Sarracenus Dandulus præerat. Est Musestrũ ad mille passus Casali, ubi hostis præsidiũ habebat, propinquum. Huc ubi uentum est, confestim naualis illa machina bellico apparatu instructa cœpit in hostem agi. Sequebatur densa classis, & ad eius præsidium secus ripam militum agmẽ procedebat. Vbi uerò ad clusuram fluminis admota est, toto triduo hæsit in bina palorum serie refigẽda: eratq; interim acerrimum cum hoste certamen: sagittæ & omnia telorum genera citro ultroq; uolitabant: tormenta tamen ęneis machinis excussa, uehementer classem affligebant, & in primis nauim quæ palis hærebat: quorum ictibus ita breui concussa est, ut aquis obnoxia nullus iam ipsius usus esset amplius. Nec illi qui in ripa erant, in ocio fuere, Patauinæ cohortes quæ in obsidenda urbe erant occupatæ, cum Gerardo Caminensi sub primum Venetorũ accessum ad Casale uenerant: ex agro quoq; Patauino tumultuarius miles accersitus affuit. Ad Musestrum igitur sæpius pugnatũ, omnibusq; ferè certaminibus hostis superior fuit: quibusdam cæsis, aliquanto pluribus captis: in quibus Ioannes, cognomẽto Magnus, homo Gallici sanguinis multiq; nominis fuisse dicit. Infecta re classis ad Musestrũ se recepit. Nec hostes Veneto abeunte quieuere, sed aliquanto maiore quàm prius, truncis, sublicis, aliaq; materia qua circumiecta loca abundant, fluuiũ occluserunt. Venetus ubi uidit se illic sedendo nihil proficere, quarta uigilia noctis motis castris ad Mestram consedit, ut terrestri itinere, quia fluuio non posset, opem Taurisinis laborantibus ferret. Incidit interim in grauissimum morbum Dandulus, quo domum decedente Patres copiarum imperiũ Petro Hemo decreuere. Classis & ipsa terrestrib⁹ copijs Musestro profectis domum reducta est. Hostis post Venetæ classis digressum copias in castra reduxit: atq; turri cõmeatu & armis firmata (quia nullus erat locus quo se tutò recipere posset) ueritus ne Veneto ad Mestram sedente cladem aliquã adiret, motis castris ad Nouale consedit, operibusq; statim oppidum oppugnare cœpit. Interim Mestrinæ copiæ frumẽto aliquotiẽs Taurisium inuecto caritatem annonę aliqua ex parte leuarunt. Ferunt tanta rei frumẽtariæ inopia per id tempus in ea urbe laboratum, ut triticũ quatuor ferè nummis aureis ueniret, acciditq; ob id, ut multæ plebeiæ familiæ ultro urbe excesserint, quarum pars maxima Venetias se cõtulit. Nec hostis ad Nouale multum profecit, qui laboriosa fessus obsidione, spęq; potiundi oppidi amissa, motis castris in Patauinos fines se recepit. Et quia iam hyems apperebat, diuiso per opportuna loca milite, in hyberna est cõcessum. Hæc æstate illa, cum toto ferè autumno circa continentem gesta. In mari classis Lauretani ductu Anconem admota est, inde in Histriã trãsmissum: unde moués Venetus Brescham Seniamq; in ora Liburniæ subita ui adortus cepit, captasq; diripuit: sed ignis plurib. locis urbis temerè iniectus, Senianam prædam magna ex parte corrupit. Ad tãualidę classis famam Coricani relicta urbe cum cõiugibus & liberis in asperos insulæ montes trepidè abierunt. Antistes ipse Veneto uenienti obuiã progressus, continuò deditionem fecit: Lauretanũ suppliciter precatus, ut in deditam urbem nihil hostile committi

committi pateretur. Ab iniuria itaq; temperatum, nõ tam præsenti officio quàm ueterum regulorum in Venetos fide & amicitia, quam illi mutuo hospitio usq; ad illa tempora, quibus Lodouicus rex totam Dalmatiã Venetis ademit, studiosè coluerunt. Inde ad Bocharim appulsum, quod oppidum ui captum diripuit Venetus, direptum incendio cõsumpsit. Classe hinc abducta Polam Lauretanus uenit, ubi de Caroli imperio publicis literis certior est factus, quod ingẽti totius classis lætitia est auditum. Erat enim præter uigorem animi post Pisanum maximè omnibus charus. Ab Pola ille Parentiũ transmisit, quò paucis diebus Carolus applicuit: recognitisq; hic nauium turmis, sensit ad explenda remigia multos abesse. Igitur ueritus ne turmarum in frequentia naues cum hoste congressas in discrimẽ aliquando adduceret, septem triremibus priori numerò ademptis reliquarũ turmas expleuit: eas ita exutas (quia sine remige bellorum usum nullũ præstare poterant) domum dimisit. Caballo Veronensi cum omnibus terrestribus copijs, quas ob Taurisinum bellum Patres reuocabant, in eas impositò, tres earum ubi primum domum uenere, subitò instructas ad Flamminiæ & Piceni agri oram tuendã Marco Phalerio præfecto Patres misere. Ligustica nauigia haud adeò multa circa Anconem assiduis latrocinijs mare infestantia, negociatores à Venetę urbis commercio deterrebant: quæ res effecerat, ut denuo omnium rerum inopia cœptum esset in urbe laborari. Sed Phalerij aduentu cohibita est hostium audacia, annonaq; Venetijs relaxauit. Pacato negociatoribus mari, Phalerius cũ suis triremibus decreto Patrum ad Carolum in Dalmatiam transmisit, classis citro ultroq; per ipsam Histriæ & Dalmatiæ oram sæpius acta: quia hostis nullo loco occurrerat, nulla re memorabili gesta circa Nouemb. calẽd. Venetias est reducta, quatuor triremibus ad prouincię præsidium relictis. Nec ita multis interiectis diebus, trecentis leuioribus nauigijs ad bellum paratis Carolus domo profectus Maranum Carnorum oppidum quod ad mare est, oppugnatum ire pergit. Ad Lignani portum sexaginta Gradensiũ Pyranensiumq; naues eiusdem generis instructæ, uenienti illi affuere, quibus fretus feroci oppugnatione est oppidum adortus: sed undiq; illud fluctibus irriguum, magnisq; operibus ad tempus communitum, irritos reddidit omnes Venetorum conatus. Apparuit & Veneto statim conspecto loco, frustra idipsum tentari: sed ne metu pugna abstinuisse uideretur, admotis copijs aliquandiu pro mœnib. est uersatus: demum iàm nonnullis uulnere grauatis, sine alia maiore clade Zenus inde copias abduxit. Hauserant iam dum bellorum sumptus omne publicum aurum, cuius inopia adacti Patres, iubẽt sex triremes cum biremibus sexdecim in Cretam insulam expediri, ad pretiosam inde priuatorum ciuiũ mercem conuehendam. Quorum permissu quęcunque pecuniæ inde exactæ essent, ad alẽdam classem erant illi pro tempore in publicũ redacturi. Ad prima ueris signa (nam prius ob hyemis magnitudinẽ non potuit) classis Simoneto Michaële præfecto in altum educta est. Sed dum hæc domi pararentur, interim leuiores quasdam expeditiones, & in Taurisinis & in Histria citro ultroq; factas reperio, per occasionem q; alterius partis uario euẽtu dimicatum. Præsidium quod ad castellum cognomento Francum Veneti habebant, quia pluribus mensibus stipendium eis non esset datum, desperatione adactũ Andrea Paradiso prętore eiecto, oppidum Carrario principi oppidanis adiuuãtibus tradidit. Huiusmodi alienatio ingentis defectionis, quę postea in Taurisinis secuta est, origo & causa fuit. Hac clade nunciata, ecce recentior alia affertur. Pannones, qui statiua ad collem habebant, unde assiduis incursionibus Cenetẽsem agrum infestabãt, Guilielmum Caminensem belli socium in uincula conieceranr: crimini dabatur quod contra fœdus, Sacilium, Cunianum, Cenetam, aliaq; Venetorum oppida toto belli tempore frumento iuuisset. Postulare itaq; portum Bufalerium sibi tradi, ipsum Guilielmum cum tota domo Cunianum migrare. Periclitãtibus in hunc modum tota cõtinentis ora Venetis rebus, neciam esset unde commeatus, auxilia, stipendia, ad sustinendum belli onus expedirentur: uisum est Patribus, ad Liopoldũ Austriæ ducem mittere, qui publico nomine Taurisium illi cum suis finibus traderent: à quibus nisi Patauinus postea abstinuisset, quod haud facturus credebatur, non dubium erat, quin Barbarus subitò in Italiam cum quãmaximis posset copijs esset uenturus: sicq; externis opibus ciuitatem magna terrestris belli parte leuatum iri, quæ maritimo satis superque esset occupata. Panta leon Barbus decreto Patrum ad ducem missus est. Interim quia stipendium ob ærarij inopiam parum benignè militi dabatur, ad mille & amplius equites ex Mestranis castris ad hostem transiuere, qui in illis remanserant, ad ipsam equitum alienationem aliquid commeatus noctu Taurisium inuexere, atque eadem hora inde abeuntes ab hoste insidijs excepti: parte equitum capta, reliqui præcipiti fuga dilapsi, Taurisiũ primò in castra abiere. Atq; ita prorsus copiæ, quæ ad Mestram fuere, paucis diebus ad nihilum penè sunt redactæ. Aduersis rebus fracti Venetorũ animi, pacem cum Carrario principe Alberti Æstensis arbitrio tentarunt: missiq́ue ad hoc Fœdericus Cornarius & Pyrrinus Rota: hic illius procurator, Venetus uerò compater ueteriq; familiaritate cõiunctus. Sed ab eo ut causam susciperet, nullo modo impetrari potuit, usque adeò tunc omnium uicinorum animi odio in Venetos flagrabãt. Et quia fama erat, ingentem uim bellicorum operũ Paduæ per eos dies comparatam, atq; curribus impositam: confestim Venetus circa Musionis ripas, per quem Mestram nauigatur, aliquot munitiones statuit: ratus omnes hostium conatus ad id unum spectare, ut Mestram subita aliqua ui opprimerent. sed illorũ consilia diuersa. Siquidẽ Carrarius Nouale adortus, summa ope locum oppugnare cœpit: resciscisque circa Mogianum aggeribus, quà patebat Taurisium iter, ualidoq; præsidio ad rupturam impositò, omnem Veneti auxilij spem Taurisinis ademit. Qui in urbe erãt, audita ad Liopoldum ducem legatione (constans enim fama erat, ad id Pantaleonem Barbum missum, ut Taurisiũ cum suis finibus Barbaro traderet: quia & ipsi plures mẽses nullum acceperant stipendium) ueriti ne ipsa rerum mutatione, sua mercede fraudarentur, omnium militum causam Boratio Malaspinę, uiro impigro, tuendam demandant. In eius uerba iurant omnes, ratos se habituros fœdera, inducias, bellum, pacem, ac deniq; omnia quæ uir ille pepigisset: sumpturos se arma illius iussu, eiusdem iussu deposituros: pergeret modò susceptam causam tueri, atque ita efficere, ne frustra tot pericula & labores perpessi uiderentur. Ille uerò, ut prudenti erat ingenio, cum omnibus ferè qui ordinem ducebant ad Venetos magistratus uenit. Erat Leonardus Dãdulus urbis prętectus Marcus Zenus ptor, Legatus Andreas Venerius, quos ille ita coràm allocutus dicitur: Constans fama est, uiri Veneti, Principem & Patres ad Liopoldum Austriæ ducem mississe, qui ei Taurisium cum suis finibus publico nomine traderet: quod munus nisi ille stultus est, haud quidẽ aspernabitur: amplectetur, quis nescit? uestram munificentiã Barbarus, ac non multo pòst aderit, ut suo præsidio urbem tueatur: aut si (quod uix credo) cessator ille minus tempestiuè in Italiam transiuerit, en Carrarius adest, cui iti neribus insessis adempta commeatus Venetiq; au-

xilij ſpe, uelimus nolimus dedamur neceſſum eſt. A
Et quia alterutra fortuna nobis ſuſpecta eſt,ne mul
torum menſium ſtipédio fraudemur, ſtatuimus Ve
neti nominis dignitate militariq́ fide incolumi,
rebus noſtris maturè conſulere, amiceq́ue quod no
bis debetur,repoſcere ſtipendium.ac ne quid teme
rè agatur, certi ſumus tantiſper adhuc in officio eſ
ſe,dum unus ueſtrum ad pecunias expediendas Ve
netias eat.Interim omnia per nos uobis tuta erunt,
dilationẽ nullam laturi ſumus,nec literis nunciõue
id Patribus ſignificari placet: ueſtra opus eſt preſen
tia, utres nobis ex ſententia tranſigatur. Tamdiu
eum quem miſeritis expectãdum duximus, donec
pecunias nobis debitas expediri potuiſſe, arbitre
mur: nec conſultatione opus eſt in eo quod iure de
betur. In ueſtra poteſtate erit, uelitis nos deinceps
eos eſſe, qui ad hunc dié fuimus:an iniuria adactos
moliri, quę neque dignitati ueſtræ neque commo
dis conducant. Nam quod ad noſtram fidem attí
net,nos tam diu in officio erimus,quàm uos ipſi uo
lueritis. Defixit Venetorum animos tam inſolens
militum poſtulatio: nemo non facile per ſe intelli
gebat, quorſum tenderent eorum conſilia. Quan
quam igitur benignè ſit reſponſum, haud minus ta
men proprio quàm publico periculo timentes, in
ter ſe comparant, ut Dandulus Venetias continuò
iret,qui Principẽ & Patres doceret, in quo ſtatu res
ad Tauriſium eſſent. Noctu ille præter hoſtium ſta
tiones per deuia & nemoroſa loca duobus fidis co
mitibus Muſeſtrũ,inde Venetias uenit. Edocti Pa
tres in quanto diſcrimine Tauriſium eſſet, cenſent
miro conſenſu pecurias expediri:uerùm in eo dubi
tatum, qua ratione ſtipẽdium tutò eò mitti poſſet.
apparebat hoſtibus omnia tenentibus ſine periculo fieri non poſſe: nec erant paratæ cohortes ullæ,
quæ ad præſidium eorum,qui mitterẽtur dari poſ
ſent. Vilum itaq; eſt ad Zenum ſcribere, ut cum pri B
moribus urbis ageret,ut ex Tauriſinis aliquis in mi
litis ſtipendium eam pecuniam publico nomine nu
meraret:paratos eſſe ſe, ad quancunque ille uolue
rit menſam,ſummam illam bona fide aſcribere. Ob
diuturnum bellum accidit,ut omnes qui pecunioſi
habebantur profeſsi ſint, non modò non grandem
ſibi pecuniam,ſed ne unum quidem nummum ſu
pereſſe: aſsiduas clades aliam ſuper aliam effeciſſe,
ut fortunis omnibus ſpoliati iam propemodũ men
dicare cogerentur. Omiſsis itaque alijs ad duos in
quilinos fœneratores decurſum,quibus publica fi
de præſtita,quantacunque fuit ſumma illa expreſſa
eſt,atque ita redditum militi ſtipendium. Sed dum
hęc Tauriſij geruntur,hoſtis contractis in unum co
piis,quas diuerſis accerſiuerat locis, Aſilum, ubi in
frequens Venetorum præſidium erat,inuadit.Fran
ciſcus Delphinus prętor & qui intus erant,ſuorum
paucitate diffiſi in arcem confugiunt. Eam hoſtis
adortus operibus bellicis ac cuniculis diebus quin
quaginta oppugnat.Ferunt ex ijs qui in arce erant,
octo & quadraginta uiros hoſtium telis bellicisq́;
machinis obtritos perijſſe. Sed quum iam mœnia
cum tectis prorſus concuſſa eſſent,nec ſpes aliunde
ſubſidij daretur, ſpectarentq́; oppidanorum animi
qui in arcem ſe cum prętore receperãt,ad defectio
nem:coactus Delphinus his cõditionibus deditio
nem fecit,ut ſibi,& qui ſecum ire uellent, cum cur
ribus quinque & uiginti ſuis rebus onuſtis,inde tu
tò abire liceret, daretq́ue hoſtis ipſe currus. Atq; in
hunc modũ arce tradita dum Delphinus Venetias
abiret, in Liopoldi præſidium ad ſe obſidione leuã
dum à Barbaro miſſum,circa Creſpiniacum incidit.
Fuerũt ea tempeſtate, qui Lofinaſtrum Calderium
eius equiratus ducem,à Carrario corruptum dicere
non dubitarent:ob idq; tam diu de induſtria in mo
ra fuiſſe,donec ille arce potitus crederetur. Noualis
quoque præſidium ob ſtipendium quod debeba-

tur Veneto, magiſtratu electo arcem Carrario pro
didit. Turris Curania per eos dies in aquis ab hoſte
oppugnata: uerùm nõ preſidium ſolum defenſum,
ſed Ganzariolæ etiam quædam ex hoſte captæ, ac
Venetias miſſæ. Arcuanus Bucecharinus cum ingẽ
tibus copijs ad Tauriſium nouiſsimè obſidendum
à Carrario miſſus,ad fanum Quadraginta diuorum
conſedit:multi uariiq́ue utrinque conatus fuere,ca
pti interdum ex hoſtibus ſupra equites quadragin
ta. Præter hæc nulla nobilior pugna commiſſa dici
tur. Seraullum Tauriſini præſidij exemplo per eos
dies in diſcrimen uenit:milites qui ibi erant,ob ſti
pendium multorum menſium non ſibi miſſum,fa
cto in Nicolaum Valareſium prætorem impetu ar
cem ex improuiſo occupant:inde Venetias ad ſena
tum mittunt, qui pecuniæ commeatusq́ue inopia
factum excuſarent, quia utrunque ſibi malignè pre
beretur, coactos eſſe ſe res nouas uel inuitos moli
ri: poſcere proinde ſibi ſtipendium debitum reddi,
quod ſi intra octo dies mitteretur, & præſidium &
arcem incolumẽ Veneto máſuram:ſin minus, tum
ſe alia uia ingreſſos operam daturos, ut omnes in
telligerent, nihil minus tutum eſſe ijs qui bella con
trahunt, quàm militem ſuo ſtipendio fraudatũ. Ea
res haud quidẽ multum mouit Patres, quippe qui
certò ſciebant,iam deditionem à Pantaleone factã.
Verũ ne oppidani,qui Veneti nominis ſemper ſtu
dioſiſsimi fuerant, in aliquod diſcrimẽ eo nomine
adducerentur:per literas hortãtur, ut qua uia, qua
ue ratione poſſent,ſtipendio militi dato ſe imminẽ
ti periculo ſubtraherent. Mittunt itaque Seraual
lenſes (nam omnia incommoda prius adire in ani
mo erat, quàm Carrarij tyrannidem, cuius nomen
infenſe oderant, experiri) Franciſcum Lardoniũ ad
Belluni præfectum,à quo petereter ut ſe Venetorum
deditione iam Liopoldinæ ditionis factos, præſen
ti periculo eximeret: occupatam à præſidio arcem B
dicere,petiq́ue ab illo ſtipendium,quod niſi confe
ſtim reddatur, haud dubium eſſe cuiquam, quin
paulo pòſt illam ſit Carrario daturum,ad quod unũ
tyrannus iam antea omni ſtudio anhelaret:& nunc
quod diu optauit, ut tandem conſequatur, ſcire ſe
omnia illum manibus pedibusq́; facturum. Opus
eſſe igitur celeritate,ne quod ſæpè euenire ſolet,uel
breuis mora aliquam miſeris oppidanis pareret ca
lamitatem. Præfectus ne deditorum fortunam pro
dere uideretur,cõtinuò pecunias legato expediuit:
quas Iacobus Spiritellus Belunnenſis, homo inter
ſuos populares prędiues,Barbaro gratificaturus nu
merauit. Tria millia circiter & quingentos aureos
nummos Seraullum miſſos ſcribit Chinatius,qui
bus militi datis arx reſtituta eſt. Eam cõfeſtim Lio
poldi præſidium inijt. Hæc in Tauriſinis gerebantur,quùm Veneti (quia fama erat,Ligures numero
ſam claſſem comparaſſe,ac nuper illam domo pro
fectam) ueriti ne longæ naues quas ab initio ueris
in Cretam Simonero prefecto miſerant, ab hoſte ſu
bito incurſu opprimerentur, octo ualidas triremes
inſtruunt, inſtructas Zenus cui maris imperium in
annum fuerat ab initio decretum, in altum educit.
Primò igitur ut iuſſus erat in Cretam, ad ſuos tuen
dos curſum intendit. Sed dum Dalmaticam oram
legit, ad duodecim Illyrici nominis nauigia obuiã
facta oppreſsit,oppreſſaque ſublatis rebus concre
mauit:nec multo pòſt in Peloponenſiaca ora onera
riam Liguſticam, precioſa merce refertam, quam
poſtea in Cretam miſit. Inde ipſe ad Maleam pro
montorium conſedit, ubi claſſem ex Creta uenien
tem expectare cõſtituit. Simonetus paucis pòſt die
bus cum decem longis nauibus huc uenit:has reli
quæ non multo pòſt ſecutæ, ita ut paucis diebus
unius & triginta triremium numerus ſit expletus.
Et quia conſtans fama erat, unam & uiginti hoſtiũ
naues eſſe quæ appropinquare dicebantur: ſtatuit

Zenus

Zenus quinque nauibus cum merce ad Methonem A
relictis, ipſe cum reliquis inſtructis ad hoſtem ire.
Biduo poſtquam profectus eſt,ad Iuncum Liguſti
cam claſſem adeptus: quia pugnam hoſtis detre
ctauit,toto die fruſtra inſecutus eſt: ad ueſperã iam
ſe tenebris intendentibus,hoſtis ex oculis euanuit.
Venetus Anconem uſque progreſſus decem trire
mes ad præſidiũ urbis mittit: ipſe cum cętera claſſe
ad Liguriæ oram uaſtandam ire conſtituit. Omni
itaque Hadriaci, Ionij, Tyrrheniq́; maris tractu pro
ſpero curſu emenſo,ubi hoſtium ſines eſt ingreſſus,
ſex longas naues procul intuitus, aliquádiu Zenus
perſequi perſeuerauit. Quibus dimiſsis, haud qui
dem multo pòſt ante portum Veneris in quatuor
& uiginti Genuenſium triremes incidit: quæ audi
to Veneti in oram inferi maris acceſſu,ex Dalmatia
celeri curſu ad eius conatus cohibendos uenerant.
parum abfuit quin duæ Venetæ, quas Carolus ad
explorandas fauces pręmiſerat, ab hoſte circunuen
tæ ſint: ſed celeritate remorum hoſtem ludificatæ,
ſe ſuis protinus iunxerunt: hinc Liburnium, mox
inde Venetus digreſſus perpetuo curſu in Pelopon
neſum redijt. Ibi ſupplemẽto quinque triremium,
quas Lodouicus Lauretanus duxit, accepto, in orã
inferi maris denuo Carolus ire pergit, conſilio cre
do,ut cũ hoſte ſi pugnæ copia fieret, dimicaret: aut
maritima Ligurię loca, ſi nemo interim occurriſſet,
uaſtaret. Nec hoſtes tantiſper dum hęc à Venetis ge
ſta ſunt, omnino in ocio fuere. Nam ex quo Caro
lus Ancone profectus in Liguſticam oram mouit,
ſeptem & uiginti triremibus contractis Iuſtinopo
lim primò repentè inuaſit, quam acri oppugnatio
ne adortus,momento temporis cepit, captamq́ue,
ac direptam magna ex parte,ſubiecta flamma con
ſumpſit. Arx præſidio retenta eſt. Et quia conſtans
fama erat, Zenum in Liguriam curſum tetendiſſe,
ueritus hoſtis ne maritimam oram ſine alio firmo B
preſidio relictam Venetus per ocium popularetur:
ſex triremibus in Dalmatia ad res Venetas infeſtan
das relictis, cum una & uiginti triremibus ad opem
patrię ferendam properarat. Iis ad Veneris portum
obuiam, ut dixi, Veneto factis, parum abfuit quin
duæ Caroli triremes fuerint interceptæ. In Tauri
ſinis dum hæc mari geruntur, Cunianum propemo
dum eſt proditione amiſſum. Duo cęturiones cum
Barbaris qui ad collem præſidium habebant ege
runt,ut noctu cum ſcalis adeſſent, quibus admotis
fore,ut ſua opera ſine aliquo maiore certamine arce
potirentur. Illi uerò haud ceſſandum in tanta occa
ſione rati,obſeruato tempore affuere: & iam pleri
que muros turri ſubiectos euaſerãt, quum hoſte ex
ſuperiore loco audito ſtatim ad arma conclamatur.
Fit itaque ab oppidanis nocturnus in arcem con
curſus, quorum interuentu adiuti qui è ſumma tur
ri arcem tuebantur, hoſtem è mœnibus cum cæde
& ruina deturbant. Cataphracti equites circiter ui
ginti ea trepidatione cecidere, duodetriginta capti
proditores, ſceleris conuicti (ut alijs documẽto eſ
ſent) laqueo necati. Per eos dies Torcellanus anti
ſtes, ab Aimone Allobrogũ duce miſſus, Venetias
uenit,petijtq́ue à Patribus illius nomine,ut legatos
ad ſe mitterent, cupere uehementer tam Venetorũ
quàm hoſtium oratores audire,ac maturè utrorun
que cauſam cognoſcere: daturum ſe operã, ubi eam
cognouiſſet, ut hinc inde compoſitis rebus pax fie
ret: miſiſſe ſe Genuam dicere,& ad Lodouicum re
gem & ſocios miſſurum: nec deſperare, quin & ipſi
ſint oblatã pacem amplexuri. Tres igitur legati hoc
nomine ad Barbarum miſsi, Michaël Maurocenus,
Ioannes Gradonicus & Zacharias Contarenus, qui
bus antiſtes ipſe (erat enim natione Allobrox) co
mes eſt datus. Poſt legatorum digreſſum Pantaleo
nis literis Patres certiores ſunt facti de Tauriſij de

ditione. Venerũt & à Liopoldo duo Germani equi
tes, qui ducis nomine urbem à Venetis magiſtrati
bus acciperent: ij, quemadmodum iuſsi erant, mili
tes qui ad præſidium iam antea fuerant, in unum
duntaxat menſem donec Liopoldus cum maiori
bus copijs adeſſet, ſtipendio inauctorarunt. Per eos
dies allatum eſt, Venetis captiuis, qui Genuę erant,
ita malignè uictum ab hoſte ſuppeditari, ut pauciſ
ſimis diebus ad trecentos quinquaginta inedia ex
piraſſe conſtaret, quorum corpora in mare ſæuus
hoſtis proiecisſet. Fuerunt ea tempeſtate qui crede
rent uenenum eis datum, quo cibarijs mixto uno
tempore quamplurimi extincti eſſent. Ad eam fa
mam ita omnium animi ira exarſere, ut cõtinuò in
terram nouam ubi publicus erat carcer, fit concur
ſum: ac refractis portis parum abfuit quin Genuẽ
ſes uiolati ſint: uerùm quia id turpe, ac penè impiũ
uiſum eſt, ad iniuriæ ultionem alia uia ingreſsi, om
nia illis priora commoda ademerunt, pallia, culci
tras, ſtramenta, popinæ uſum. Mulieres quæ piè il
lis miniſtrabant, abire iuſſæ, ac uetitę miniſterij cau
ſa eò uenire: panis cum modica aqua in cibum cœ
ptus eſt dari, nec ad ſatietatem facturus. Sed ciuita
tis natura ſtatim ad clemẽtiam recurrit: omnia quæ
miſeris adempta fuerant, recẽtiore decreto ſunt re
ſtituta. Dum hæc domi & in continentis ora gerun
tur, tres Liguſticæ triremes quatuordecim Veneto
rum nauigia uino onuſta in Piſauri portu oppreſſe
re: negociatores ad id aliquot in ſuburbanis tectis
intercepti, combuſtis nauibus inde repentè profe
ctæ: quicquid littoris eſt à Piſauro Clodiam uſque,
curſu perſtringentes, multa circa portus & fluuio
rum oſtia Veneto nomini damna intulerunt: quin
quaginta onerarijs, quarum uiginti tectæ fuerunt,
captis Anconem conceſſere: hinc ſtatim, ne ſubito
aliquo Venetorum acceſſu opprimerẽtur, Iaderam
tranſmiſere. Et quia fama erat, Liguſticam claſſem B
per eos dies ſupplemento uehementer auctam, eſ
ſerq́ue interim Zenus procul domo cum nauibus,
ueriti Patres ne quis ſubitus hoſtiũ incurſus in ur
bem fieret: dant ſedulò operam ut portus adhuc
nouo opere muniretur: decernũt ad id caſtra ad Ni
colai fanum quod in littore eſt, accerſitis quæ reli
quæ erant ex Meſtra copijs, quarum nullus ibi poſt
Tauriſij deditionem amplius erat uſus. Stabant ad
hæc naues longæ octo ad ſubitos caſus paratę, qui
bus Nicolaus Michaël præerat. Tauriſina obſidio
nihil interea remiſerat, ſed quotidie potius nouo
milite hoſtis copias augebat. Earum imperiũ erat
penes Arcuanum Bucecharinum, Principis ſoro
rium. Quod ubi Liopoldus accepit, paucis diebus
pòſt Tauriſium à ſuis receptum, cum decem milli
bus lectorum equitum ad Cunianum tumultuoſe
conſedit. Ferunt præter multos illuſtres uiros, ad
quadringentos equeſtri dignitate donatos in ipſis
caſtris fuiſſe. Arcuanus audito Barbari aduentu, cõ
tinuò miſit in caſtra qui cum eo pauca ſuo nomine
ageret. Sed nuncius non modò non auditus, uerùm
ne admiſſus quidem ad conſpectum ducis: iuſſus
tantum Liopoldi nomine confeſtim caſtris excede
re, ac Patauino nunciare, ut poſtridie ſe expectaret,
tum fore ut ſi quid opus eſſet facto, de ea re unà co
ram conſultarent. Haud latuit illũ quorſum ea uer
ba tenderent. Ne igitur ſubito hoſtium aduentu
opprimeretur, poſtridie ſub lucem ſoluta obſidio
ne fugienti ſimilis abijt. Quod ubi Liopoldus acce
pit, iniquo tuliſſe animo dicitur, ereptam ſibi pu
gnandi occaſionem. Inde aliquanto poſt motis ſi
gnis Anaxo copias traiecit, ac circa Tauriſium ubi
hoſtium caſtra fuerant, conſedit. Ipſe cum multis il
luſtribus uiris urbem ingreſſus, tantam uim frumẽ
ti, uini, ac rerum omnium ſubitò intulit, ut & bello
& fame eodem tempore ciuitas leuata ſit. Atque in

hunc modum Veneti Taurisium amisere, anno pòst tertio ac quadragesimo quàm Scalanis illud ademerant. Sed ea fuit Patrum constantia in celando tantæ cladis dolore, ut legatos etiam ad Liopoldũ miserint, qui illi felicem accessum nouumque Taurisij principatum gratularentur. Missi Iacobus Delphinus, Petrus Hemus, Bernardus Bragadinus, Marinus Memus & Albertus Contarenus. Carrarius princeps etsi sub Liopoldi aduentum Taurisio abcesserat, haud tamen destitit Taurisinos fines armis infestare, quin aliqua etiam loca post Germani accessum occupauit, manifestè prædicans, se Lodouici iussu in armis adhuc esse: quum Liopoldus interim, quia noua affinitate Lodouico iunctus esset, media urbe regia signa suis prælata statuisset. Ferũt Lodouicum noluisse Liopoldi rebus in primis consultum, uerùm ne belli socios prodidisse uideretur, ab eo petiuisse ut æquo animo ferret Carrani pertinaciam. Hinc fuit quod sæpissimè illos per legatos, quum ui alioquin agere liceret, Patauinum ab incœpto auertere curauerit: sed neque precibus unquam, neque minis impetrare potuit, ut ab iniuria abstineret. Zenus autem, quem ex Peloponneso in oram inferi maris nouissimè profectũ diximus, ubi iam ad Arni fluminis ostium applicuerat, quũ publicis literis certior est factus de pace cum Genuensibus facta: atque ita ex ipsa penè hostium ceruice ingemens fremensque reuulsus, in Peloponnesum redijt: hinc non multo pòst cum onerarijs nauibus ac tota classe domum iussus est uenire. Sic æstas illa, quę quarti belli Ligustici ultima fuit, sine re ulla memorabili acta est. Pax Allobrogis interuentu anno sexto ac mense quarto, ex quo ultimò cum Genuensibus bellatum fuerat, cum ipso Ligure, Lodouico rege, & socijs his conditionibus secuta est, ut captiuos utrinque Genuenses Venetique restituerent: Patauinus princeps Caput aggeris & Morentianum Veneto redderet: præsidia quæ in aquis & circa flumina teneret, prorsus demoliretur: Veneti illi turrim Curaniam relinquerent: Albertus Æstensis finium de quibus ambigebatur, inter Venetum & Patauinum arbiter esset: Venetus Tenedo præsidium abduceret: insulam Allobrogum dux suis armis biennio custodiret: Venetus & Ligur stipendium ad alendos milites darent: biennio acto arx diruueretur, si ita facto Genuensibus uisum esset, ac tum Venetus prorsus insulę possessione decederet: Florentini de insula non amplius à Veneto aut Genuense occupanda ducentis millibus uadati: quod Veneto & Liguri circa Tanaim negociari non liceret, ne quod totiens acciderat, ueteri æmulatione rursus ad arma ueniretur: decimo quoque anno septem aureorum nummûm milia Lodouico regi Venetus solueret. Ille uerò ob id omnem Dalmaticam oram Venetis negociatoribus à latronibus tutam redderet, ne salem Dalmata, aut alius Illyrici nominis conflaret. Sed de tributo regi dando Chinatius Taurinus, diligẽtissimus huius belli scriptor, nullam prorsus mentionem facit. Ferunt eo die quo pax publicata est, natum Venetijs infantem, quaterna brachia quaternaque crura habentem: ac tam diu uixisse, ut satis datum sit spacij ad eum ex baptismi lauacro leuandum. Venetę matronæ tantum pecuniarum in medium contulerũt, ut Genuensibus, qui seminudi custodia educti erant, tunicę, induſia, calcei, fœmoralia, aliaque tegumenta corporis, ut cuique hac uel illa re opus fuit, abeuntibus sint præbita. Viaticum ad hæc, ne mendicare cogerentur datum. Ii qui tandem missi sunt, mille & quingenti fuerunt: reliqui diuturni carceris fœtore ac tædio, &, ut quidam tradidere, nimia crapula extincti sunt. Tradũt ad hęc, perijsse eo bello supra octo millia Liguſtici nominis: Venetorum dimidio minus. Patres defuncti bello, ut fides sibi publica constaret, ad triginta eorum qui medio ardore belli rem publicam priuato sumptu iuuerant, ad Patriciatũ traduxere, reliquis quina millia quotannis diuidenda in perpetuum decreta. Qui inter patricios relati sunt, antequam curiam ascenderẽt, diuinæ rei interfuere: inde ad Principis & Patrum conspectum adducti, in aliena uerba iurare coacti, fidem & silentium reipublicæ promisere. Iacobum Caballum Veronensem ob strenuam fidamque operam eo bello Veneto nomini nauatam, hac quoque dignitate donatum Chinatius scribit.

IN LIBRVM VIII. Epitoma.

Tenedi restitutio aliquandiu rem Venetam sollicitam habuit: Tergestini in Liopoldi fidem cõcessere: Taurisium Carrarijs Liopoldo permittente cessit: Lex de sicarijs lata est: Antonius Venerius Princeps filium ob iniuriam patriciæ domui illatam, in uinculis expirare coegit: Venetus Galeacij Vicecomitis opes aduersus Scalanos & Carrarios socijs armis iuuit, ex quo bello Taurisium recepit: Mantuanos obsidione leuauit: Patauium à Galeacio ad Carrarios defecit: Dux Austriæ, & Galliæ regis nepos, diuersi Venetias uenere: Vrbs nouis ornata est operibus: Genuensium classis ex infero in superum mare progressa, rem Venetam aliquandiu sollicitam habuit: Ligur ad Methonem ingenti prælio uictus, possessione maris perpetuò decessit: Carrarij fraude Veronam occupauerunt: Vincentini, Belunenses & Feltrenses in Venetorum fidem concessere: Causæ belli Carrarijs illati: Veneti terra & aquis Carrarios bello sunt adorti: In Aestenses ob Carrarios aliquandiu est bellatum: Veneti Veronam Carrarijs ademere: Breuis Veronæ descriptio: Carrarij Padua capta in Venetorum potestatem redacti, Venetijs iussu Patrum in carcere sunt strangulati: Veronensium Patauinorumq; legati eodem fere tempore ad Principem & Patres missi, ob insignem utrorunq; apparatum suaue populo spectaculum exhibuere.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER VIII.

PAce terra marique parta, Tenedi restitutio aliquandiu rem Venetã sollicitam habuit. præerat tum ipsi insulæ Ioannes Mutatius, qui cum patriæ charitati aliquanto immoderatius indulgere perseueraſſet, fidem publicam penè in discrimen adduxit. Miserant patres Pantaleonẽ Barbum, qui arcem Bonifacio Aimonis legato ex fœdere traderet. Aderat & Genuẽsium curator, ad hoc ipsum & ad stipendium præsidio soluendum missus. Mutatius auro quod uterq; attulerat, Veneto Liguriq; expresso, suum Tenedensiumq; consilium Bonifacio & legatis aperit: ait rescisse insulanos de cõditionibus pacis, in quibus id esset expressum, ut arx unicum Tenedensium refugium euerteretur: in quo non magis Ligur, qui id postulasset, quàm Venetus, qui permiserat, indignè feciſſet: sed illos dicere suis rebus consulere uoluisse, ac rectè quidem: uerùm Tenedenses nõ ea conditione in Venetorum fidem ueniſſe, ut insulam diruta arce desolatam quandoque redderent. Nũc quia & ipsi suarum fortunarum non omnino obliti sint, paratos esse omnia prius experiri, quàm tanta clade insulam deformare: orasseq; ita insulanos se, ut arcem, oppidum, fortunas omnes in fidem acciperet. Quod ipsum quia specie & re amplũ uisum esset, constituisse eam insulam, quando iam neque Venetorum neque cuiuspiam esset, pro sua retinere ac tueri. Irent igitur, & ne deditionem ullam expectarent: cæterùm satis haberent, si bona uenia liceret inde abire. Secutus ad hæc tumultus ingens oppidanorum ac militum, Mutatium ipsum ducẽ dominumq; salutantium, iubentiumque, Genuenses ac Venetos inde cõfestim soluere. Sunt qui tradãt, Mutatium uoluisse uideri id à se factum, ne Græci in insula arcem à Venetis dirutam postea instaurarent. Sed quæcunque causa sit prætensa, qui nuper uenerant, iussi protinus excedere, Venetias uenere. Eam rem Patres molestissimè tulerunt, rati quod erat, publicam fidem unius temeritate apud Italos & externos principes, ni Tenedus dederetur, periclitaturam: omnes uno ore prædicaturos, id nõ priuato, sed publico consilio factum: ac præter uiolatę fidei iacturam, periculum etiam imminere, ne ubi Genuẽses, Lodouicus & socij resciuissent, insulam Allobrogi non datam, quasi rupto fœdere ad uim & arma subitò respicerent. Decernitur itaq; ad Mutatium & insulanos legatio. Carolus Zenus missus est, qui neque precibus, neq; minis efficere potuit, ut ille sententia decederet. Post Caroli reditum ne publica fides cum unius ciuis pertinacia periclitare tur, subitò Patres classem decernunt, copias sedulò contrahunt: tantas uidelicet, quantæ satis ad expugnandam insulam esse crederẽtur. Earum imperiũ Fantino Georgio est datum. Is sex triremibus instructis domo profectus, ubi Tenedum uenit, expositis in terram copijs, arcem unà atque oppidum acri oppugnatione adoritur. Erat uis ingens sagittariorum in castris, non pauci quoque in arce: telorũq; multitudine omnibus ferè prælijs multi ex utraq; parte cadebant. Scribunt quidam, penè maioribus odijs quàm hostium esse soleant bellatũ: ita ut qui capti essent, confestim aut latronum more suspenderentur, aut bellicis machinis ueluti saxa aliúdue tormenti genus ex oppido in castra, & rursum hinc in arcem atrocissimo spectaculo torquerẽtur. Tum demum manifestè apparuit, culpam insulæ contra fœdus retentæ penes unum Mutatium, & non Patres esse. Tenuit inde obsidio menses septem & amplius: uerùm deficiente commeatu, his conditionibus deditio facta est, ut Mutatio & ijs qui cum eo fuissent, ne fraudi esset quod reipub. incommodo Tenedum retinuissent: quod aurum, argentum, ac reliquæ fortunæ insulanis incolumes manerent, & cum his ex oppido insulaq; migrarent: qui in Cretã irent, tantundem agri ibi acciperent, quantum Tenedo incolumi possedissent: qui Byzantium alióue proficiscerentur, prædiorum precium æqua æstimatione persolueretur. Atq; cum his decessum est præsidio. Recepta arce Fantinus reliquis copijs exinsula dimissis, ipse cum sagittarijs ducentis remansit, cui Ioannes Memus decreto Patrum succesit. Cætera ex fœdere præstita. Insulanis alijs aliò digressis, arx nouissimè euersa est: Tergestini, qui medio ardore belli ad hostes defecerant, ueriti ne pacatis terra marique rebus, ipsi subita aliqua Venetorũ ui opprimerentur, in Liopoldi fidem concessere. Nec ira multo pòst allatum est Lodouicum regem uita decessisse: cuius morte primò creditũ, Carrarij principis ferociam (qui ad eam diem res Taurisinas infestare non destiterat) aliquo modo remissurã: sed tantũ abfuit ut ex pristino illo ardore quicquã remiſerit, quod maioribus aliquanto q̃ antea conatibus Taurisium adortus, tot tantisq; cladibus afflixerit, ut rerum desperatione Liopoldus adactus, Patauino propè uictori urbem ipsam cum suis finibus, certis conditionibus reliquerit habendam. Et hęc ferè triẽnio pòst pacem terra mariq; partam gesta sunt. Interim uerò Contarenus princeps, qui annos quatuordecim & amplius reipub. præfuerat, uita defunctus ad Protomartyris ędem elatus est: Michaël Maurocenus in demortui locum succesit. Sub primam huius administrationẽ lex de sicarijs lata est, ut qui hominẽ occidisset, securi subijceretur: quando ad eam diem homicidij conuicti more patrio sustendio plecterẽtur. Creditum uulgò est, illius principatum si longior fuisset, nouis institutis sanctionibusq; plurimis ciuitatem magnopere ornaturũ fuisse. Sed quo spei plenior, eo quidem breuior fuit: perijt quũ menses circiter quatuor reipub. præfuisset, in Gemellorum æde situs est. Antonius Venerius absens illi surrogatur, homo præter nobilitatẽ generis amœno ingenio, & ad promerendam gratiam comparato. Ex Creta accersitus sub Ianuarias idus domum applicuit, ad Nicolai fanum, quod in littore est, frequens senatus cum magna parte populi prodiuit illi obuiam: ubi inter complexus & mutuas gratulationes in Bucentaurũ nauim acceptus, mira omnium ordinum lætitia in ducarium est aduectus. Fuit eius præsentia eo omnibus iocundior, quo ob diuturnam absentiam desideratior: septem annis cum tota domo abfuerat, ac pluribus locis, sed in primis ad Tenedum, rempub. optimè administrarat. Eius principatus suauissimus fuit, atque æquè probatisimus: neq; discordia in ciuitate ulla, neq; motus fuit: copia ad hæc rerum omniũ, quę in primis grata esse solet. Sed domestica clades felicissimum alioquin rerũ cursum aliqua ex parte deformauit: quanquam nescio etiam an plus decoris seuerum illud priuatumq; iudicium, q̃ filij interitus mœroris seni attulerit. Erat Venerio ipsi filius adolescens Aloisius nomine, qui patriciæ fœminæ amore tenebat: sed, ut fit sæpius, quod mutua suspicione inter amantes subitæ quædam & tumultuariæ oriuntur discordiæ: ita fortè accidit, ut adolescens in amicæ, quã tum oderat, inuidiam cornua ad ianuã mariti suspenderit. Decreta super ea re quæstione Venerius patricij hominis iniuria motus, filium flagitij conuictum, domestico iudicio damnatum, in carcerem adduci iusit, ubi postea non sine ingenti ciuitatis dolore adolescẽs expirauit. Æstensis Marchio & Mantuanus eodem anno diuerso tempore Venetias uenerunt, ac præter hos plerique alij principes principumq; legati, de rebus magnis cum Patribus acturi: quanquam eorũ nonnulli uidendæ ciuitatis studio uenisse traduntur. Paucis interiectis annis, quibus omnino domi forisq; pax fuit, Antonio Scala Veronensi, & Francisco Carrario seniore inter se acri bello decertantibus, Ioannes Galeacius Vicecomes (cuius opes tum longè lateq; pollebãt) Carrario instigante Scalanis bellũ intulit, quibus prælio superatis, Veronã Vincẽtiamq; ademit: inde (ut sunt hominũ cupiditates, quæ secundis rebus non tam facilè expleri queunt) haud minori bello q̃ nuper Scalanos, Patauinũ aggreditur. Sunt qui tradãt, Carrariũ tentasse Bernabouem affinẽ suum uinculis liberare, quem Galeacius & gener & ex fratre nepos (quia ex Catharina coniuge comperisset, capitales illum insidias aliquando sibi comparasse) captũ in Treciana arce sub custodia habebat, atq; ob id ipsum Vicecomitem iratum bellum intulisse. Cum eo igitur Patauinas opes oppugnanti Venetus socia arma iunxit, quadringentis & amplius nauigijs Iacobo Delphino præfecto ad bellũ instructis: omnia fermè oppida, munitiões ac loca quæ in stagnis & ad fluuiorũ ostia ille habebat, subito accessu occupauit,

pauit. Galeacius interim & ipſe intra continentem non ſolùm oppida urbi circũiecta,ſed Patauiũ quoque paucorum menſium obſidione cepit.Franciſcũ ſeniorem in ſuam poteſtatem redactum, in carcerẽ trudit Medocianum : filius cui Nouello cognomen fuit, media trepidatione elapſus in Germaniam cõfugit.Nec ille in tanto rerũ ſucceſſu quieuit, ſed uictoriæ curſum ſecutus Tauriſiũ quoque armis ſubegit.Fuit id bellum laborioſiſsimũ, ac maximè cruentum. Demum fractis euerſiſq; Carrariorum opibus,Patauium Galeacius, Feltrum & Belunum ex fœdere ſortitus eſt, Veneti Tauriſiũ: Æſtenſis Marchio, qui & ipſe ſocijs armis Carrariũ oppugnarat, oppida quæ ſuorum maiorũ fuiſſe dicebantur recepit.Inde haud multo interiecto tempore,quũ fortè Galeacius Bononienſibus & Florentinis arma intuliſſet,eſſentq; eius opes iam omnibus Italiæ populis & regulis ſuſpectę, Veneti,Florentini,Bononienſes,Franciſcus Gonzaga,Æſtenſis Marchio,& Carolus Malateſta fœdus in eum percuſſere. Accerſitur in partem fœderis Rubertus quoq; Bauarię dux,ad quem Nouellus confugerat, ut aduerſus Vicecomitis opes in Italiam deſcenderet. Galeacius auerſo à Bononienſibus bello Mantuam ingenti tumultu adoritur : fretuſq; armorum uiribus (quadraginta hominum millia in caſtris habuiſſe dicitur) terra & aquis obſidione cingit. Contrà Veneti, nauiũ im ingentem ad ſociam urbem obſidione leuandã cõparant:& quia omnino aquis magis q̃ terra Gonzaga premebatur,paucis triremibus priori claſsi adiectis,ferox hoſtis ea parte qua ſe uicturum ſperabat, Venetorũ opera cum multa cæde eſt ab urbe repulſus.Nec ita multo pòſt ad Gouernolum uicum ingenti prælio à Carolo Malateſta terreſtrium copiarum imperatore uictus,perditis rebus cum ignominia eſt à ſociæ ciuitatis ceruice depulſus. Neq; Nouellus in tanta occaſione deſedit, ſed Ruberto ceſſante ignoto habitu in Italiam reuerſus, Venetis nõ occulto (ut quidam tradiderunt) ſed belli ſocijs, & ob id apertè fauentibus Patauium ingreſſus urbe potitus eſt.Secutus inde Barbarus cũ ualido exercitu,qui Patauinã arcẽ nondum receptã oppugnare adortus eſt.Veronenſes & ipſi uicinæ urbis exẽplo conſternati,ad arma cõcurrunt, pulſoq; Galeacij preſidio Antoniũ Scalam ex Hetruria accerſunt. Quẽ ubi paucis antè diebus defunctũ accepere, pœnitentia ducti Vgolottũ Blancardum, qui cum Vicecomitis exercitu in Cremonenſi agro erat, aduocant:imploratq; prius defectionis uenia,& ad eam impetrandam ſtipendij nomine ingẽti pecunia collata,in urbem accipiunt, quam miles prædæ cupidus tumultuoſe ingreſſus,à direptione cõtinere nõ potuit.Vxor Galeacij tam claræ urbis caſum miſerata,triduo poſtquam diripi cœpta eſt,iniuriã inhibuit.Rubertus interea queſtus ſe pacto ſtipendio à ſocijs fraudari, ſoluta Patauinæ arcis obſidione in Germaniã cum copijs abijt. Tum Florentini Ioannem Haucutũ,uirum ea tẽpeſtate clarum, Nouello cum ualidis copijs auxilio miſere,cuius fida ac ſtrenua opera arx breui recepta eſt.Multi uarijq; fuerũt deinceps utrinq; conatus : ſed quia illos ipſos parũ ad Venetos pertinere uideo (nam in cõtinenti ora, & q̃ longiſsimè à mari,cætera geſta dicuntur) conſultò prætereo. Pax demum in decem annos ſecuta eſt,quæ afflictis Galliæ rebus non magis grata q̃ opportuna fuit. Per id tempus quo hæc geſta ſunt, dux Auſtriæ Venetias uenit, ubi benignè acceptus tam diu fuit, donec duæ eius nomine ornarentur triremes, quibus ille ad Chriſti noſtri regis ſepulchrum uiſendum profectus eſt. Applicuit eodem anno & Galliæ regis nepos, cui nihilo minores q̃ paulo antè Germano duci publicè exhibiti ſunt honores:is quoque triremi una ſuo ſumptu inſtructa, in Syriam eodem nomine quo Germanus dux nauigauit. Procedente tempore quum terra mariq; omnia pacata eſſent,allatum eſt,cæteam Liguſticã miræ magnitudinis ad ocia maris infeſtãda Genua profectam. Ad quam famam Veneti & ipſi tres ingentes naues cum quingentorum armatorũ præſidio in altum eduxere. Sed ubi Genuenſis illa fœda tempeſtate diſiecta perijt, Venetæ incolumes ſe domum recepere. Vrbs in tam longo ocio nonnullis publicis exculta eſt operibus:Riualtina area,&quę ante Auream ædem latè ſpaciatur,lateribus quadratoque lapide inſtratis. Venerius princeps anno ſui ducatus duodeuicesimo obijt : eius funus frequens ciuitas ad Gemellorum fanum extulit.Michaël Stenus procurator Venerio ſucceſsit, qui grauãte morbo ad quartum idus Ianuarias in curiam aſcendit, quum principio Decembris declarari contigiſſet. Nulli priorum ducum maiores à populo ſunt honores habiti : omnes ciuitatis ordines quiſque pro ſe ludos magnificè inſtructos in illius gratiam dedere:alij alia ſpectacula commenti : nullus feſtus dies toto ferè anno fuit,quo ciuitas non nouo aliquo oc cupata fuerit ſpectaculo. Fuiſſetque annus ille ocio & lætitia mirè inſignis,niſi non expectata clades ciuium gaudia turbaſſet.Sub exitum autumni ſex triremes peregrina merce onuſtæ,Leonardo Triuiſano præfecto domum ueniebant,factum eſt ut circa inſulas Ægæi maris ad Irenem (quem locum corrupto nomine Turinũ uocant) quatuor ex illis (quod rarò antea acciderat) tempeſtate actæ naufragiũ fecerint:pauci pro numero fractarum deſiderati : res diſiectæ laborioſiſsima cura receptæ ſunt : Viara, Delphina,Superantia & Sagreda concuſſæ:Cornaria,& Gradonica ui maris ſuperata incolumes domum uenerunt. Sequenti anno tres longæ naues domo ſunt profectæ (earum duas Auſtriæ dux,reliquam Carrarius princeps,ſuo uterque nomine oranuerat) ad ſororem Ladiſlai regis, quem in regnũ nuper reſtitutum Bonifacius Pontifex per Bartholomæum Iuliarium Romanæ eccleſiæ cardinalem diademate inſigniuerat,ex Apulo littore aduehendam. Erat regis ſoror ex Auſtrianis ducibus uni matrimonio locata:ſed illæ paucis diebus, abnegata à Ladiſlao puella,domum rediere. Quidam annales habent,hoc anno Rubertum imperatorem cum uxore Venetias ueniſſe, ubi magnifico apparatu ſit acceptus,magnisque muneribus donatus. Sed quę eius acceſſus cauſa fuerit, annales, quos ſequimur, non habent. Apud quoſdam ſcriptores reperio, Rubertum à Galeacio in Cremonenſi agro uictũ, Tridentum omnibus ferè copijs exutum,ſe trepidè recepiſſe:reparato inde exercitu Patauium profectũ, mox ex continenti Venetias tranſiiſſe : ubi humaniſsimè acceptus,ac multa familiariter apud Principẽ & Patres de Galeacij iniuria queſtus, in Germaniam abierit. Verùm quia uxorẽ comitem habuiſſe traditur,Romam tum peregrè profecturũ,Venetijs ſubſediſſe ſuſpicari liber : fuit enim annus ille ſalutis quadringenteſimus ſupra milleſimum, quo Bonifacius nonus magnum annum, & quem ſubileũ uocant, condidit. Riuoaltinus pons eodem anno refectus eſt. Florebat interim ocio & quiete ciuitas,nec ſi qua erat cura, ad aliud quàm ad mercaturam ſpectabat. Statum hunc rerum noui Genuenſium motus ſollicitare cœperunt. Struxerãt illi ſub id tempus unam & uiginti triremes, cæteasque naues ſexdecim:ſed de cęteis alij nihil ſcribunt. Fama erat,in Cypri regem claſſem comparatam, Bucicardus,homo Gallici ſanguinis, ſummæ rei præerat. Apud alios pro Bucicardo Bucichalum ſcriptũ reperio. Traditur ad hæc immanis ſtaturę fuiſſe ac ualidi corporis:ſed,ut euenire ſolet, ut in paruo corpore plus moderata uirtus poſsit, quàm immodicę effrenataeq; uires in uaſto & amplo: is ſingulari certamine congreſſus à Galeoto Gonzaga hoſtiliter procedentempore proſtratus dicitur. Fuerant aliquandiu,erantq; tum quoque Genuenſes in Caroli Galliæ regis fide, ac magna ex parte triremes Gallo milite ornauerant.Claſsis Genua profecta, & ad Scandelorum Ciliciæ oppidum poſt longiſsimum curſum admota(contra Cyprum in continenti Ciliciæ ora eum locum eſſe maritimæ rei periti affirmant) adeò hic ingentem cladem Ligur accepit, ut ex una & uiginti turmis quas claſsis ab initio habuit, undecim poſtea ſint triremes inſtructæ. Hinc poſtea profectus, in Syriam Ligur curſum tenuit: Berutoque ſubito incurſu oppreſſa, Venetas naues & aliarum gentium alias quæ tum fortè in portu erant,hoſtiliter diripuit. Ex Syria inde infeſto curſu,animo infeſtiore,in Peloponneſiacam oram uenit.Carolus Zenus, quem Patres ex quo allatũ fuerat Genuenſes naues comparare, Hadriatico ſinui cum triremibus undecim præfecerant: Liguſticam claſſem in ſuperum mare profectam,modico interuallo ab initio ſecutus, omnia circumſpicere, ſollicitusque prouidere,ne quis interim in res Venetas fieret impetus, nullus erat locus quem non infeſtũ illi redderent:nec tamen manũ conſerere,quia non apertè hoſtis nec ut amicus aderat. Sic pari diſſimulatione Venetus Ligurum, Ligur Venetum ſollicitum habere. Vbi uero non procul Methone uterq; conſtitit,apparebatque aliud quæri,quàm quod ab initio ferebatur:ne in apertum aliquod diſcrimen patientia ſua res Veneta adduceretur, ad Liguſticã claſſem quæ inter Methonem & Iuncum aquationis ſpecie conceſſerat, continuò Zenus ire pergit. Sub inopinatum Caroli acceſſum acre prælium eſt commiſſum:eratque Venetis eo deterior conditio, quo plures Liguſticæ triremes propugnatores q̃ Venetæ habebant.Ferũt præter legitimas turmas, ſingulas naues quadraginta bellatores habuiſſe, ac omnes ferè Gallici nominis,qui lanceis gladijsque (ut mos eſt gentis) pugnã ferociter ciebant. Etiam ęgrè Venetus hoſtem ſuſtinebat,quum Hermolaus Lombardus ex lõginqua negociatione duabus triremibus rediens,opportunè affuit. Conſpicatus is in quanto diſcrimine res Veneta eſſet,in hoſtem pugna occupatum quàm maximo poteſt impetu proram detorquet:ac tam infeſto ictu Liguſticam percuſsit,ut cum tota turma bellatoribus que in ea pugnantibus ſubuerterit. Cum Hermolai acceſſu ſubito fortuna mutata eſt.Nam & hoſtis qui penè uictor erat,ad cladem unius animum remiſit : contrà Venetus duarum nauium numero auctus,pugnam ferocius inſtaurat: ac denuò exæquata pugna quatuor horis dubio marte pugnatum eſt:demũ tribus hoſtium nauibus merſis,ac totidem captis:reliquæ triremes,quæ quinq; numero fuere, fuga abierunt. Quingenti hoſtes & amplius partim ferro, partim undis perijſſe dicuntur:octingenti capti. Nec Veneto uictoria incruenta fuit,quippe qui poſt pugnam ad centum quadraginta tres ex omni numero ſibi deeſſe ſenſit.Ferunt,poſt uictoriam quoſdam triremium præfectos ignominia notatos, quia ſegniter in hoſtem primo congreſſu mouiſſent,ſuaq; deſidia rempub. in diſcrimen maximum adduxiſſent. Alij, in quibus fuit Egidius Niger, quia ſtrenuam rei Venetę operã nauaſſent,ampliſsimis muneribus ſunt donati. Quinq; illæ triremes, quæ media pugna reuulſæ fugam fecere, in Venetam unam commeatu onuſtam inciderunt : qua nullo maiore negocio in ſuam poteſtatem redacta: cæteam aliam,in qua pleriq; Veneti nominis,atq; ijdem patricij erant,intercepere. Multa adhæc damna Venetis eo curſu illata: ſed quia poſt acceptam cladem nullo ſe loco tutos putabant,Genuam ſe mœſti receperũt. Paucis pòſt diebus quidam è numero Gallorum, qui proxima pugna capti in cuſtodia habebantur, tædio,tu fit,loci ira accenſus dixiſſe fertur : ſperare ſe quandoque fore,ut Veneto ſibi ſanguine manus abluęret.Dirũ Barbari omen ad Patres delatum, ita omnium aures offendit, ut uno ordine ad geminas columnas ſuſpendio necãdum cenſuerint.Per id tempus quo hæc geſta ſunt,Nouellus Carrarius Paduæ principatum habebat,quem Venetis iuuantibus aliquot antè annis recuperarat: is ut ſemper ingratus oderat Venetos odijs plus quàm paternis:die noctuq; aliquid moliri, quapropter Venetum ſollicitaret imperium:id cogitare ſedulò, ad id omnia ipſius conſilia ſpectare. Veneti, etſi iam antea non ignorabãt, quo ille eſſet in ſe animo:neſcio tamẽ quo nam modo per id tempus omnes illius artes, omnia aduerſa conſilia,alia atq; alia uia explorarunt:& ex captiuis Gallis cognitum eſt,eum claſsis illius Liguſticę nuper uictæ ut ædificaretur auctorem fuiſſe: & ex literis in ſcrinio Galeacij Vicecomitis paulo antè defuncti repertis,multa in lucem uenere,quę in Venetos tyranni inter ſe molirentur. Acceſsit ad id recens dolor,quod Galeacio mortuo,Guilielmũ Scalam Veneta nobilitate dõnatum,ac tum Venetijs agentem,ad principatũ recuperandum multis hortationibus pellexit : Veronaq; iam recepta hominẽ familiariſsimum conſilio & armis antea adiutũ ueneno ſuſtulit: Antonium uerò & Brunorum eius filios proditione captos, non multo pòſt necandos curauit.Scalanis in hunc modum ſublatis, Franciſcus imperij ſignis cum ſuis media urbe prælatis Iacobum filium:ut alij uerò habent, fratrem, Veronã pro principe induxit.Nec tam opulentæ urbis principatu contentus, Vincentiam ſuis armis ſubigere adortus,illius fines ex primo infeſtare. Vincentini à Carrario nomine abhorrentes, omnia prius pati certi erant,quàm inuiſæ tyrannidis iugum accipere.Ad Catherinam itaque Galeacij defuncti conſulem mittunt, (nam Carrarius iam ſuos fines infeſtare cœperat, armis ſibi quæſiturus quod iure non dabatur) Petebant proinde aduerſus Carrariorum iniuriam auxilia, docentes in quãto diſcrimine res ſuæ eſſent,niſi aliena ope leuarentur. Hinc Patauiũ eſſe dicere uicinam urbem tyranni arcem ac domicilium. Inde Veronam, quam ille infanda hoſpitũ cæde occupaſſet, ſe undique circumſeſſos iam aperto bello peti,ſuos fines hoſtiliter uaſtari, quia inſolentiſsimo tyranno non ſtatim portas aperuiſſent: nec eſſe unde Vincentini auxilia aut petere, aut ſperare poſſent, niſi ex ea domo in qua Galeacij opes floruiſſent:orare illam,ut aut ſe præſenti ope iuuaret: aut, ſi minus id præſtari poſſet, diceret qua uia Vincentinos uellet,iuberetque ſuis rebus conſulere.Hæc legati.Illa uerò præterquàm quod & fœmina,& mariti morte conſternata, maioribus etiã occupata rebus. Nam Carolus Bernabouis filius poſt Galeacij mortem res nouas moliri cœperat, multique adhæc tyranni multas ex eo qui fuerat Galeacij principatu urbes occuparant, ita ut de Mediolano retinendo ſollicita eſſet,ſuos conſuluiſſe dicitur: ac tum inter omnes conſtitiſſe, quando afflictis rebus in fide retineri non poſſent, ſatius eſſe, Veronam, Vincentiam, Feltrum, Belunum, Coloniam, Baſſanum cum ſuis finibus Venetis habendas permittere, quàm infeſtiſsimo tyranno affligendas relinquere. Veneti etſi iam antea Vincentinorum deditionem per legatos tentatam non receperant,non ut Carrario gratificarentur,aut quod Vincentinorum fortunæ non conſultum uellent: ſed uerecundia potius alienæ rei temerè occupandæ, ubi rem tantam ex inſperato ſibi oblatam uiderunt, (etſi magnum ſibi cum Nouello certamen futurum uidebant) haud tamen in tanta occaſione ceſſarunt. Nouiſsimè igitur legatos ad ſe cum clauibus urbis miſſos (cuius legationis princeps Iacobus Thienius fuiſſe dicitur) Veneti benignè acciepiunt, iubentque eos in fidem acceptos bene ſperare

ſperare: daturos ſe operam, ut breui Patauinus ille, qui omnia ſtrepitu & minis compleret, niſi Vincentinorum rebus abſtineret, ſuarum ſollicitus pau lo pòſt, non finitimis, non ulli gentium eſſet grauis. Cæterùm quando Vincentini ita animati eſſent, ut nihil ſuæ ciuitati conducibilius ab initio duxerint, quàm in Veneti imperij umbra conquieſcere: datu ros ſe pro uiribus operam, ut nullo tempore tam fi dam ciuitatem ſui in Venetos ſtudij pœniteat. Irent igitur, & quod ſibi & illis bene uerteret, diui Marci ſigna ſecum ferrent, quæ publicis locis urbis præfi gerent: reliquarum rerum curam penes Principem & Patres fore, atque cum his miſsi ſunt legati. Eos abeuntes Iacobus Surianus cum magna ſagittario rum manu ad præſidium urbis eſt ſecutus. Miſſus etiam qui publico nomine Carrario nunciaret, ut à Vincentinorum, quia in Venetorũ fidem ueniſſent, rebus abſtineret. Qui tantum abfuit ut denuncia tione illa ab incœpto abſtiterit, quod caduceatorẽ ad id miſſum, contra ius gentium uiolarit, naſo illi & auribus præcisis. Iubet ad hæc Venetis renuncia ri, indignè eos facere, qui leges meritò imperãtibus præſcribere audeant. Irent ipſi, & pelagi æſtuarijs ſe tenerent, eosque ciuitatibus præeſſe ſinerent, qui à maioribus dominandi facultatem accepiſſent. Superbiſsimo tyrãni reſponſo cõmoti Patres, pro ma gno negocio habuerunt, priuſquam apertè ad arma curreretur, cum Franciſco Gonzaga ſocietatem aduerſus Carrarios inire. Interim Feltrenſes Vincẽtinorum ſtudium ſecuti, Bellunenſes & Baſſanici imperium & ipſi ultro accepere. Colonia magni omnino certaminis cauſam præbuit. Patauinus Venetorum conatibus ubique occurrens, omnia illis reddere infeſta. Id Patres indignè ferentes, copias quàm maximas continuò decernunt, decretas ſtudio contrahunt, earum imperium Carolo Malateſtæ Ariminenſi ex Flaminia accerſito demandant. Ferunt ad triginta peditum equitumque millia ſtipendio conſcripta. Sed Caroli acceſſus ſpe omnium tardior fuit: at ſic quoque ubi Venetias uenit, ingenti lætitia acceptus, publica ſigna in Aurea æde recepit. Mox uerò in hoſtem moturus, Meſtram profectus eſt, quo Venetæ copiæ ad certum diem conuenerant. Fuere in caſtris illis uiri plerique illuſtres, qui clara ad eam diem magnaque fecerant ſtipendia. His uiribus ille uſus fecit ſubitas aliquas in Patauinos expeditiones: ſed eas ipſas nulla re memorabili geſta parum omnino celebres. Inde medio ardore belli ſe imperio abdicauit: abdicationis cauſam eorũ, quos uidimus, nemo tradidit. Dum hæc in continenti ora geruntur, res in aquis nihilo felicius mota eſt. M. Grimanus claſsis quam in tyrannum Patres ſtudio comparauerant præfectus, quũ aliquandiu in ſtagnis, quæ hoſtium finibus adiacẽt, uim lemborum circumegiſſet ingentem, aliquotq; preſidia expugnaſſet, ſubito hoſtium incurſu ad Helori fanum cum magna nauigiorum parte, quæ har pagonibus illi in terram traxere, oppreſſus eſt, tradi tusque Saccenſibus in cuſtodiam. Veneti abrogato Malateſtæ imperio, circumſpicere cœperunt, quem tantarum copiarum imperatorem potiſsimùm legerent: demum ex omni illuſtrium uirorum nume ro, qui permagnus (ut dixi) tum in caſtris fuit, Paulus Sabellus, Romani ſanguinis homo, ob multa ar morum decora dignus iudicatus eſt, cui totius rei ſumma crederetur. Huius ductu loca quædam bre ui ſunt ex hoſte capta, eratque iam res Veneta nouo imperio aliquanto melior. Verùm tyranni ferocia nec ſic aliquo modo frangebatur. Apparuit itaque diuerſa ratione belli eum fatigari oportere. Nouæ proinde copiæ, nouaque caſtra prioribus illis nihilo inferiora, ad Veronam infeſtandam ſunt decreta: Franciſcum Gonzagam belli ſocium rei præficiunt. Ille Veronenſes ſubita ui adortus, eorum fines populatur, prædam hominum ac pecudum præ ſe agit ingentem: mox uillas incendit, munitiora loca, & in his Hoſtiliam, expugnat, nihil denique inuiolatum hoſti reliquit. Tum uerò Carrarius duplici bello oneratus, ingentes ſpiritus quos ad eam diem aluerat, paulatim remittere. Etenim utrobiq; eſſe non poterat: nec tantæ ei erant copiæ, ut diuiſę turò hoſtibus opponi poſſent. Neceſſe igitur erat, utrobique, aut ſanè altero loco, res eius periclitari. Interim amici Principis affinisque ſui fortunam Alberti Æſtenſis miſeratus, bellũ intulit Venetis, præſenti negocio ſatis occupatis. Socios primò nouis auxilijs iuuat, Polineſo deinde tota Venetos exuit. Apud quoſdam reperio, à Nicolao Alberti filio arma Venetis illata, cui Carrarius Liliolam filiam, matrimonio locarat. Sed ſiue hic fuerit, ſiue ille (ut Veneti annales habent, qui tunc opem Carrarijs tulit) commoti ea iniuria Patres, Accium Æſtenſem, quẽ in Alberti gratiam relegatum ſciebant, ex Creta inſula Venetias accerſunt: eum cum ingenti hominũ manu appulſum continuò in Ferrarienſes mouere iubent. Fuerat Accius iam antea Alberto infeſtus, quem utique principatu deiecisſet, niſi Veneti, Florentini, & Bononienſes illũ medio conatu oppreſſum, procul Italia ablegaſſent. Apparebat igitur fore, ut ille primo quoque tempore Ferrarienſem domeſtico bello implicitum, aut aliqua magna clade afficeret, aut certè ad arma deponenda compelleret. Inſtruunt itaque & triremes nonnullas Veneti, quæ Ioanne Barbo præfecto per Padi fluenta actę, ingentem hoſtibus terrorem iniecerunt. Multa interim uariaque prælia circa Padum & alibi cõmiſſa. Et quum iam aquis terraq; Ferraria premeretur, ad reſtinguendum domeſticum incendium inclinare cœpit Alberti animus ad pacem, quam his conditionibus à Venetis impetrauit, ut ſal ad Comaclum non fieret amplius: pollicetur præterea interpoſito iuramẽto, ſe in Venetorum amicitia perpetuò manſurum. Hæc circa Ferrariam. In Patauinis nihilo ſegnius bellum gerebatur. Munierat Venetus caſtra ad campum Nucarium, inde cum parte copiarum dux profectus ad Baſſanellum conſedit: quo conſilio, auctores quos ſequimur, nõ tradunt. In eum ibi ſtatiua habentem Franciſci filius, cognomento Tertius, iuuenis impiger, cum lectiſsimo equitatu à patre miſſus, repentè impetum facit. Tantusq; terror primo clamore Venetis iniectus eſt, ut hoſtis antè ad tabernaculũ ducis uenerit, ac Veneta ſigna quæ proximo loco erant, oppreſſerit, quàm quiſquam illi occurrere ſit auſus. Sabellus in tanta trepidatione ſuos reuocare, prehenſare modò hunc, modò illũ: turpem militum fugam ſiſtere, metum ac pauorem increpare, in hoſtem redire iubet, ipſeque inter primos hortator aderat. Hoſtis uerò ubi Venetorũ globum reſiſtere, ac iam ferociter pugnam ciere uidit: ueritus ne iniecto certamine cogeretur collato pede cum omnibus copijs pugnare: uertens tergaplenos ſe gradu ad ſigna recepit, quæ iuſſu ducis denſo agmine referri cœperant. Venetus hoſtem, quia pugna ſiſtere non potuit: cum publicis ſignis, quæ ab initio pugnæ interceperat, abire paſſus eſt. Sunt qui tradant, ad Manſanum pugnatum, ademptosq; Venetis equites ſexcentos: ſed cladem in ſignorum amiſsione acceptam omnino ſupprimũt. Tertius uictor quaſi ouans in urbem reuerſus lætum populo præbuit ſpectaculum. Expeditiones deinde paucis diebus & multæ & uariæ factæ dicuntur: atque oppida ex hoſte aliqua, tam in Patauino quàm Veronenſi capta. Paulus Sabellus interim uita deceſsit: eius corpus Venetias delatum: Princeps cum ſenatu & frequenti clero ad Minorum ædem extulit: eius equeſtris ſtatua ante ſacrarium hodie quoq; uiſitur. Galleacius Grumellus Mantuanus illi in imperium decreto Patrum ſucceſsit. Quidam auctores non Grumellũ, ſed Gonzagam, ac Franciſci principis fratrem, eum fuiſſe tradunt. Is ita impigrè rem gerere adortus eſt, ut nullum ſummi imperatoris in eo officium deſideraretur. Iacobus interim Surianus, quia de Vincentinorum in Venetos fide nõ erat cur quiſquam uereretur, Principe & ſenatu auctoribus factis, conſtituit in Veneta caſtra, quæ in Veronenſi erant, cum cohorte una tranſire. Eam armatorum manum ad Suauium hoſtes ex inſidijs adorti, modico negocio fuderunt: fuſusq; cum non paucis Surianus, in hoſtium poteſtatem uenit. Veronenſes interim longa grauique obſidione preſsi, iam ad deditionem ſpectare cœperant. Nam & ipſi Carrarium nomen inuiſum habebant. Erat ad urbis præſidium Iacobus Carrarius, quem ab initio pro principe Veronenſibus datum diximus: is cuncta circa ſe infeſta uidens, nec iam intra mœnia magis ſe tutum quàm foris futurum ratus, omni retinendæ urbis ſpe abiecta, clandeſtinam fugam molitus eſt. Hoſtiliam primò profugit, inde dum Padum traijceret, in ripa fluminis captus Venetias perductus eſt. Sed non uideo quo conſilio ille ſe Hoſtiliam contulerit, quũ ad eam diem in Franciſci Gonzagæ poteſtatem ueniſſet, niſi ignoto habitu eò fuga delatus ſit: ratus tantiſper hoſtem falli poſſe, donec in ulteriorem Padi ripam traiecisſet. Sunt qui tradant, ad Aſellariam Veronenſis agri uicũ oppreſſum. Sed ſiue hic, quod plures tenẽt, ſiue alibi ſit captus, illud compertum habemus, eum non prius urbe exceſsiſſe, quàm deditionẽ à ciuibus factam cognouiſſet. Veronenſibus in fidem uenientibus, paucis diebus caſtella urbi circumiecta imperium recepere. Tam opulentæ ciuitatis acceſsio, in ſpem maiorum rerum Venetorum animos erexit: fuitque ea uictoria tam grata Patribus, quàm ad eam diem ulla alia fuiſſet. Nec immeritò. Eſt enim, ut pauca de ea dicam, inter cæteras Ciſalpinæ Galliæ urbes & celebritate nominis & ſitus opportunitate Verona maximè inſignis: eius conditores Gallos fuiſſe tum ex eo ſuſpicari libet, quod illuſtriſsimæ quæq; Ciſalpinæ Galliæ urbes à Gallis conditæ creduntur: tum quia Pompeius Trogus illius originem ad eos Gallos qui Brenno duce in Italiam uenerunt, referre mihi uidetur. Sed quicunque mortales fuerint, qui prima loci mœnia poſuerũt, ideo uiros ſummos fuiſſe credere par eſt, quia magnum & uerè perſpicuum opus moliri ſunt adorti: ita ut cordati & uerè prudentes, non cæci, & quales Chalcedonis conditores ab Apolline olim iudicari poſsint. Nam præterquam quod ager urbi circumiectus, tritico, oleo, uino, pecoribus abundat: quod & nobiliſsimas haber lapidicinas: quod flumina, quod ſtagna, quod lacus, in quibus eſt Benacus omnium qui in Italia ſunt amœniſsimus: quod & aquarum ſalubriũ plures haber ſcaturigines, quas balneorum uſum præſtitiſſe olim iccirco affirmare auſim, quia aquæ ipſę calidæ ſunt: & quod ad hunc diem ueſtigia murorum quædam circa aquas cernuntur, quæ id quod uulgus tenet, manifeſtè arguunt. Quid ſitus ipſe? Nihil certè eo formoſius, nihil uiſu ſuauius: nulla prudentiſsimi pictoris manus tam blandum locũ, tam amœnum effinxit unquam. Nam quum tota ferè urbs æquo ſolo recumbat, ſitque tam ad meridiem quàm ad ortum & occaſum brumalem, conuerſa: ad ſeptẽtrionem tellus illi leniter aſſurgit, cuius iuga breui mollicq; ambitu circumducta, theatralem penè formam exprimũt: uallis leniter reducta, quæ in medio eſt, uineta habet & pomaria amœniſsima, quæ procul ſpectantibus ita blandè arridet, ut ſpectantium animos (quod multis euenisſe conſtat) ſubita & inopinata lætitia uelut ruina quadam repentè obruant. In ſummo cliuo duæ nobiliſsimę arces, quarum una Atheſi extremam uallem placido curſu riganti penè incubat: altera eminentiore loco &

quaſi uallis ſupercilio ſedens, ſubiecta urbis mœnia deſpectat, ac longè lateque in circumpadanos campos totamque ferè Ciſalpinam Galliam pandit proſpectum. Plures ad hæc nobiliſsimi pontes fluuio impoſiti. Amphitheatrum media urbe aſſurgens, ueteres arcus ac mille alia antiquitatum ueſtigia, quę uetuſtam urbis opulentiam planè demonſtrãt. Sunt hæc quæ dixi omnino magna, ſed quod ſequitur, longè maius. Habuit ab initio ea ciuitas præſtãtium uirorum quaſi ſeminariũ quoddam, ut in omni ferè doctrinarum genere tam claros ſemper illa uiros tulerit, quàm quæuis alia clariſsimos. Hęc omnia quum nota eſſent Venetis, adhuc magis perſpicuam fecere uictoriam. Vrbem igitur confeſtim magno firmant præſidio, mittuntque eò Petrũ Arimundum præfectum, prætorem uerò Rubriũ Marinum. Sed dum hæc circa Veronam geruntur, Galeacius Patauino agro præda, incendio & populationibus uaſtato, pleriſque etiam oppidis captis, caſtra ad urbem admouerat. Eſt locus extra portam, quæ Crucis dicitur, Tellurem nigram uocant: hic Venetus caſtra habebat, premebatque urbem obſidiõe, certaminibusq; penè aſsiduis Patauinos ſollicitabat. Carrarij interim (quippe qui res ſuas in diſcrimen ſummum adductas uidebant) impigrè muros tueri, Venetorum conatibus omnibus locis occurrere, nihil die noctuque ceſſare: urbem munire, præſidia diſponere, animos ſuorum ciuium hortari, interdum etiam eruptione facta acres pugnas circa caſtra per occaſionem conſerere. Multum utrinque ſollicitudinis, multum negocij eſſe. Sed dum ſumma ope Patauium oppugnatur, defenditurque Maſſolerius, homo (ut aiunt) Veneti ſanguinis, in ſuſpicionem uenit, quod ſagittas cum literis alligatis ad hoſtes in urbem occultè mitteret: coniectus in uincula Venetias mittitur, ubi ſceleris cõuictus, ex ſuperiore parte curiæ reſte eſt ſuſpenſus: quo ite die eius frater cum duobus ſacerdotio initiatis ad geminas columnas uiui obuerſis capitibus ſunt humo defoſsi. Quod inſuetum ſpectaculum oculos ciuitatis mentemque pauore defixit: uulgò ferebat, ſtatuiſſe eos urbem noctu pluribus locis incendere: fuiſſeque alios pleroſque eius conſilij conſcios, quorum nonnulli paucis diebus ſaccis obuoluti circa littora fluitantes ſunt exanimes reperti, non tamen cogniti. Delatus & Ioannes Ticinenſis, qui magna ad eam diem in Venetis caſtris fecerat ſtipendia, quòd occulta cum hoſte haberet colloquia. Is quoque Venetias miſſus, ad geminas columnas laqueo eſt necatus. Ingenti dolore ea res tyrannũ affecit. Nam præterquam quod præciſam ſibi uiam uidebat explorandi ea quæ in caſtris fierent: apparebat, turpiſsimũ unius uiri illuſtris exitum aliis documento futurum, quo minus ſe manifeſto periculo objicerent. Vt itaque hoſtium cõſilia aliquo modo explorare poſſet, noua uia ingreſſus, quaſi paci ſtudens, poſtulat ſibi fidem publicã dari: affirmans, uelle ſecum Galeacio loqui, ac coràm de pace agere. Ea igitur accepta in caſtra ſe contulit, ubi ferunt has pacis conditiones fuiſſe illi propoſitas, ut Patauium Venetis relinqueret, ac cum liberis ad centũ millia paſſuum inde habitaret: Veneti Iacobum filium reſtituerent, permitterentque eum abeuntem omne aurum, argentum, ueſtes, omnemque precioſam ſupellectilem ſecum aſportare: darent inſuper illi dono aureorum nummũm ſexaginta millia. Eas conditiones auerſatus hoſtis in urbem infecta re abijt, certus omnia prius extrema experiri, quàm pacem tam ignominioſam accipere. Tum Venetus fractos ſentiens uiuidos illos ferocesque tyranni ſpiritus, urbem aliquanto acriùs ſolito urgere. demum intempeſta nocte ſcalis muro admotis, plerique ſopitis cuſtodibus in ſummum euaſere: his, & alijs qui ad portam Crucis erant, ſine tumultu opreſsis,

preſsis, copiæ omnes quæ præſtò affuere, repentè A
ſunt in urbem immiſſæ. Eſt Patauium triplici mu-
rorum ſerie cinctum: amiſſa exteriore parte urbis,
quam Venetus ſubito opere communiuit, interiori-
bus ſe muris hoſtis tenebat. Sed ſuis iam opibus fra-
ctis, alienis antea deſperatis, miſit qui Galeacij fidē
imploraret: cui ſe, liberos ſuos & fortunas omnes
traderet: rogaretq́ue ut liceret ad ipſius conſpectū
uenire, ac coràm de deditione facienda cum eo lo-
qui. Sed Galeacio & amicis hortantibus, ſatius eſſe
conſtitit ad Principem & Patres ire, ad quorum pe-
des cum lachrymis prouolutus, maiora fortaſsis q̄
ſperaret eſſet impetraturus. Perijt itaque ut publi-
ca fide accepta Venetias ire liceret. Reſpōſum eſt,
miſſuros Patres Meſtram uſque qui eum audirent.
In Meſtranos itaque fines utrinque proceſſum, res-
q́ue ibi multis altercationibus iactata, haud quicq̄
confici potuit. Diſceſſum itaque inde re infecta, ty-
rannus Galeacio comitante in urbem abijt. Eum ſi-
ne pace reuerſum, ita malè acceptum ferunt, ut mul
ti coràm dicere ſint auſi, Patauinos ita animatos eſ-
ſe, ut præſentem rerum ſtatum non eſſent laturi am
plius: iret, & ſi ſibi conſultum uellet, non quam ipſe
optaret, ſed quæ à uictore Veneto impetrari poſſet,
pacem amplexaretur: ſatis ſuperq́ue malorum miſe
ros ciues ob principum ſuperbiam ad eam diē per-
peſſos, iam hoſtē intra mœnia eſſe. Quid aliud expe
ctari? niſi ut milite interiores munitiones tranſgreſ
ſo, reliquum miſeræ urbis, quod fortuna potius q̄
cuiuſquam uirtus incolume ſeruaſſet, hoſtibus di-
ripiendum daretur. Stultitiam eſſe dicere, non per-
tinaciam, ubi iam omnino plus non poſsis, nolle ce
dere. Ad eas uoces territus ille, nouiſsimè Galeacij
fidem implorat, cum lachrymisq́ue eum orat, ut af-
flictæ domus indignam fortunam miſeratus, ſuæ
natorumq́ue ſaluti quantum ipſius fides pateretur,
conſultum uellet: atque ita ciuibus id petentibus, B
Venetum ſine alio maiore certamine nono Calen-
das Decembris in urbē inducit. Padua recepta No
uellus cum Franciſco, cui Tertio cognomen fuit, &
Guilielmo filijs (Vbertinus & Marſilius ante urbē
deditam fuga dilapſi in Hetruriam abiere) Venetiis
eſt ductus. Hic eos in inſula è regione comitij à
lembis (pleriſque ſollicitè circumſpectantibus ne
inde abirent) Patres primò cuſtodiri mandarūt. Za
charias Triuiſanus Patauium nuper receptum, pri-
mus omnium præfectus mittitur, Marinus Cara-
uellus prætor, ualido præſidio multisq́; munimen
tis urbem ſubitò muniunt: nonnullos quoq; Carra
riæ factionis ſtudioſiſsimos, alios aliò relegant: o-
mnia ſolerti cura prouident, quæ ad tam illuſtrem
ciuitatem retinendā pertinere uidebantur. Tyran-
nus & filij noctu (ne populus eos uideret, quos uti-
que ob inueteratum odium diſcerpſiſſet) in carcerē
ſeorſum translati, iuſſu Patrum ſtrangulati ſunt: ad
proto martyris ædem pater elatus, filiorum corpo-
ra ad Georgij fanum. Is Carrarienſium finis fuit, qui
nuper tanto ſtrepitu omnia terrore & minis com-
plebant: & quibus non ſatis erat nobiliſsimæ ur-
bis principatus, niſi eorum arma, per quos princi-
pum nomen olim eorum maiores adepti eſſent, te-
merario in ſe bello irritaſſent. Sed eo certe euentu,
non alio, crudelem Franciſci tyrannidem dignā iu-
dicarunt multi. Fama eſt, Androphagos canes im-
manis ſtatuaræ habuiſſe, quibus miſeros ciues lani-
andos obijcere ſolitus eſſet. Viſuntur adhuc in eo
conclaui, in quo decemuiri ſedent, ſcorpiones duo
minimi pōderis, quibus ille hoſpites ad colloquiū
uocatos, peracutis ſpiculis trāsfigere conſueuiſſet.
Tranſeo monſtruoſos concubitus, quibus uſus di-
citur: eos his ſcriptis inſerere nefas duximus. Ex tā
clara uictoria, Vincētia, Verona, Colonia, Feltrum,
Belunum, ac nouiſsimè Patauium ipſum cum ſuis
finibus Veneto imperio ceſſere. Eſtq́ue interim tan
tis opibus certatum, ut eo bello quod intra bienniū
reſedit, ad uicies centena aureorum nummūm mil
lia ex publico conſumpta dicantur. Fuit tamen tam
ingens auri profuſio ob inclytā uictoriam, quę po-
ſtea ſecuta eſt, omnibus ſuauiſsima. Sub id tempus
quo debellatum eſt, ob uarios ſucceſſus qui quoti-
die ferè nunciabantur, dum ciuitas tota nocturnis
luminibus alijsq́ue læticię ſignis operata eſſet, ſum
ma turris quæ pro Aurea ædē eſt, conflagrauit: ſed
ea poſtea ſumptuoſius reſtituta eſt, puriſsimoq; au
ro illita. Id curiæ latus quod ad meridiem ſpectat,
eo quoque tempore, quum diu antea opus inchoa
tum eſſet, perficitur. Pacatis rebus ad quadraginta
illuſtres Veronenſes candidis ueſtibus amicti cum
magno equitatu Venetias uenere. Et quia eorū ad-
uentus præcognitus fuerat, ut res uoluptuoſum ci
uitati ſpectaculum exhiberet, decreto Patrum pro
Aurea ædē eminens tribunal ad tempus conſtrui-
tur: in id ſuperbis auleis inſtratum Princeps ipſe cū
tota familia candidatus proceſsit: omnia eius inſig-
nia candida eo die fuere. Præſidentibus ſpectacu-
lo cū ipſo duce omnibus ferè urbis magiſtratibus,
magnaq́ue parte Patrum, Veronenſes ad tribunal
progreſsi ſuggeſtum ordine conſcenderunt, ſaluta
toq́ue principe ac ſenatu, ante eorum pedes publi-
ca ſigna cum clauibus portarum ſtatuerūt: & quod
Veneto nomini ac ſibi bonum felixq́ue eſſet, accipe
rent, dixere, publicæ priuatæq́ue ſuæ in Venetos fi-
dei certa perpetuaq́ue pignora: ipſi ſua pietate de-
ditam urbem, ciues, fortunas, omnia diuina & hu-
mana fouere ac tueri pergerent. Nam quod ad ſuū
ſtudium attineret, nihil uereri ſe, fore quandoq;, ut
Veronenſes fide & ſtudio in Venetos nulli populo
rum, qui eorum parerent imperio, ſecundi haberen
tur. Benignè legati accepti, ingentesq́ue eis gratiæ
actæ: ſpes adhæc facta, ſi ij forent quos ſe futuros
prædicarent, daturos Patres operam, ut breui eorū B
ciuitas intelligeret, nihil beatius contingere poſſe
ijs, qui ſuis uiribus ſtare non poſsint, quàm ſub le-
gitimo quieſcere imperio: ac tam dulce futurum ty
rannidis iugo excuſſo, ad domicilium & arcem li-
bertatis cōfugiſſe, quàm ſi quis tempeſtuoſum ma
re penè naufragus egreſſus, in tutiſsimum ſe portū
recepiſſet. Irent igitur, & Veneta ſigna (quæ cū his
ſimul dux legatorum principi tradidit) ſecum fer-
rent: mediaq́ue urbe, quod Veneto nomini & illis
bene uerteret, ſtatuerent, ſtatutaq́ue perpetuo ſtu-
dio colerent: cæterùm aſſueſcerent iuri & æquitati,
qui tyrannorū libidinibus tam iniquo animo quā-
doque paruiſſent. Cum his Veronenſes miſi. Quo
rum exemplum Patauini ſecuti, non multo poſt &
ipſi affuerunt. Nihil fermè à priore legatione uaria-
tum, niſi quod Patauini pro albis ueſtibus purpu-
ram habuerunt.

IN LIBRVM IX.
Epitoma.

*VEneti Iaderam à Ladislao rege redemerunt: In Dalma-
tia ob Sicum aliquandiu eſt bellatum: Fœdiſsima tempe
ſtas ad Auguſti idus orta, ſubito ſtrepitu terris & aqua omnia circa urbem turbauit: Scythæ Tanaim emporium occupa
runt: Pipus cum ingenti Barbarorum manu in Italiam erupit:
nec multo poſt Fœdericus ſubſecutus: In Tauriſino & Foroiu
lienſi agro uario eſt euentu cum Barbaris pugnatum: Nouī
quidam magiſtratus in urbe conſtituti ſunt: Vtinenſiū diſcor-
diæ in Carnorum oram Veneta arma traxere: Omne Carnici
nomen in Venetorum fidem conceſsit: Barbari bis in Italiam
Lodouici Aquileienſis antiſtitis ductu erupere: Carmaniola
dux à Philippo ad Venetos transfugit: Variæ in ſenatu actio-
nes de*

*nes de bello pro Florentinis in Philippum ſuſcipiendo: Fœde-
re cum Florentinis percuſſo bellum Philippo duci eſt indictū.*

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis ſecundæ,

LIBER IX.

CIum inde domi foriſq́; toto trienio fuit: nec apud auctores quos ſequimur, quicquā memoria dignū eo temporis ſpacio geſtū reperio. Quo exacto (fuit annus ille ſalutis nonus ſupra quadringenteſimum ac milleſimu) Ladislaus rex ex Italia in Pānoniam ad paternum regnum recuperandum ducturus, in Dalmatiam circa Iaderam conſedit. Fuit is Caroli illius filius, qui Genuenſi bello aliquandiu Tauriſium obſedit: unde poſtea accerſitus in Apuliam, ad mortem Andreæ regis aduerſus Ioannam reginam ulciſcendam tranſijt: Neapolitanum regnum iure belli ſuum fecit. Is poſtea ex Italia in Pannoniā uocatus, domeſtica fraude oppreſſus, Ladislaū ſuperſtitem reliquit: qui procedente tempore & ipſe ad hæreditarium regnum recuperandū accitus, in Dalmatiam tranſgreſſus, Iaderam aliquandiu oppugnā tam recepit. Interim certior per literas factus, Neapolitanos ac pleroſq; regni principes ad defectionem ſpectare, in Italiam traiecturus, urbem ipſam cū toto agro, littoribus, ac quicquid pelagi ad eius fines attinet, centum millibus Veneto nomini ueni- B
didit. Ad quam recipiendā quatuor legati cum ualido præſidio miſſi ſunt, Franciſcus Cornarius, Leonardus Mocenigus, Antonius Contarenus, & Fantinus Michaël. Apud quoſdā reperio, antè Venetos Iaderam recepiſſe quàm cum Patauino eſſet debellatum. Fuit ea res ciuitati longè grata, tum propter ipſum mare (eſt enim totius ferè Dalmatiæ natuigā tibus opportuniſsima) tum quia ea recepta apparebat fore, ut omnis ora Dalmatica quandoq; ad imperium retraheretur, quod ita ſanè non multo poſt contigit. Sunt qui tradāt, totius Dalmatiæ iura Venetos à Ladislao cum Iadera redemiſſe. Decreta igitur ob hæc quæ diximus ſupplicatio, & in diem unum feriæ indictæ. Paucis interiectis menſibus Sicenſes ciuili diſcordia laborare cœperūt, nobilibus rem ad Venetos trahentibus, reliqua ciuitate ad Pānonię regnum. Conſternata multitudo armis capit, electaq́; optimatium factione publicā adminiſtrationem inuadit. Qui domo pulſi ſunt, ad Venetas opes confugere: mox deditionē pacti, orant ut primo quoq; tempore ad Sicum recipiendum in Dalmatiam tranſeant. Expediuntur confeſtim longæ naues quatuor, aliaq́; minora nauigia circiter quinquaginta. Vrbs oppugnatione tentata, non ſolum defenſa eſt, ſed Venetus cum ingenti cæde eſt à mœnibus repulſus: apparuitq́; ex eo, ſine maiore belli apparatu urbem ipſam expugnari nō poſſe. Mittūt itaque patres Lodouicum Bucecharinum cum ſupplemento copiarum, qui terreſtri bello Sicenſes fatigaret. Sub illius aduentum erectum eſt iuxta urbem præſidium: inſeſſæ undiq; uię, ne commeatus, arma, ſubſidiáue ulla inferri poſſent. Miſiq́; ob hoc ipſum in Pannoniā legati, Ioannes Barbus & Thomas Mocenigus, uterq; diui Marci procurator: Sicēſem cauſam aliquādiu altercatione iactatam, Pannon Venetusq́; ad Ioannem Romanum Pōtificem cognoſcendam delegarunt. Sed dum ea cognoſci-

tur, Marſilius Carrarius & Brunorius Scala, qui tū in Germania erant, per literas fidosq́; internuncios, amicos uterq; ſuos ad defectionē ſollicitant: habebatq́; ea res Venetorum animos uehementer ſollicitos. Demum ex literis quæ caſu interciderant, cognitum eſt, paulo pòſt Marſilium Patauium uentu rum, cuius recipiendi facta erat illi ſpes à quibuſdā rerum nouarum cupidis. Captus ex ſontibus unus, ſceleriſq́; conuictus in quatuor eſt partes diſſectus. Inde alius ex Ferraria ad ſupplicium retractus, ad geminas columnas eſt truncatus. Ferunt fuiſſe cōiurationis illius pleroſq; alios conſcios, ſed ſatius uiſum Patribus, ultionem in aliud tempus differre: interim ſatis reipub. cautum rati, ſi Patauinis & alijs in officio retentis, tyrannos ipſos procul Italia periculi metu arcerent: quina aureorū millia in utrunq; caput ex publico percuſſoribus decreuere. Sub id tēpus procella inges circa Auguſti idus cum pluuia & grādine tanto impetu coorta eſt, ut pleraq; nauigia, alia fluctibus obruta, alia ſuburbanis alliſa littoribus, perierint. Multa ad hæc ędificia, priuata & publica, & in his turris quæ eſt ad Dominici corporis fanum, ruinam ingentem traxiſſe dicūtur: arbores ſolo auulſas remotioribus locis uis uentorum affli xit. Res in prodigium uerſa: auxeruntq́ue metum monſtruoſæ rerum formæ, quas medio ſtrepitu ſibi obuerſatas quidā uulgò prędicare. Duobus pòſt menſibus Venetias allatum, Scythas Tanaim emporium cum multa Chriſtianorū cędę expugnaſſe: direptisq́; negociatorum rebus, omni humano cultu penè deſolatum reddidiſſe: multos ad id Veneti nominis cum precioſiſsima merce à Barbaris oppreſſos. Cōſtitit, cladem de quā loquor, eo die quo tempeſtas illa fœdiſsima omnia Venetijs turbarat, apud Tanaim acceptā. Turris quæ in Riuoalto eſt ad Ioannis fanum, eo anno ad ſummum deducta. Cœleſtinus ordo, qui ad Georgij fanum in alga eſt, Laurentij Iuſtiniani opera & aliorum quorundam illuſtrium ſanctitate uirorum, celebris hac tempeſtate eſſe cœpit. Habuit ab initio præter eos quos diximus, alios pleroſq; eminentiores fortunæ uiros: & in his Gabrielem Condelmarium, qui poſtea ex pōtificatu Eugenius eſt nominatus: locū ille opere & donarijs ornauit. Triremis una ex quatuor, quæ precioſiſsimis rebus onuſtę ex Gallica negociatione redibant, ſub aditum Siculi freti, non uentorum procella, non æſtu maris, ſed inſcitia remigum perijt: qui in ea fuerunt, penè omnes euaſere, merx magna ex parte recepta eſt. Hic rerum ſtatus domi foriſq́ue per id tempus fuit. Sed ocium illud quo minus diuturnum fuerit, Barbarorum motus effecere. Ad decem nanque equitum millia, Florentini Pipi ductu, in Italiam per hæc tempora effuſa Venetos fines inuaſerunt: cauſam illati à Sigiſmundo imperatore belli (ſiquidem eius auſpicijs in Italiam Thuſcus mouerat) Veneti annales non habent. Sed Foroiulienſium Carnorū inteſtinas diſcordias in cauſa fuiſſe ſuſpicari libet: regulis populisq́; eius terræ alijs aliò publicam adminiſtrationem trahentibus. Erant qui rem ad Venetos deferrent, alij ad Barbarum & Aquileię antiſtitem. Hinc fuit, quod ſub primum Pipi acceſſum, Fœderico Sauorgnano cū hominibus ſuę factionis ad Venetos tranſeunte, continuò Vtineſes dēditionem fecere. Tum ille Vtino recepto, in Tauriſinos fines tranſijt: Venetiſq́; Seraualium, Bellunum, Feltrum, ac Metam ademit. Nō eo inficias, Iaderam à Ladislao emptā, & Sicenſem obſidionem tanti motus cauſam eſſe potuiſſe. Sunt qui Brunorij Scalæ, qui ad paternum principatum recuperandum anhelabat, inſtinctu regem in Italiam tranſijſſe exiſtiment. Sed quæcunq; tunc belli prætenſa eſt cauſa, ſatis conſtat, Pipum poſt præclara belli facinora auro (ut dicitur) corruptum omiſſa prouincia in Pānoniam rediiſſe, quem Barbarus ad

se reuersum liquefacto auro necarit. Necita multo
pòst cum quadraginta Barbarorum millibus eum
in Italiam ueniſſe. Sed alij numerũ magnopere exte
nuant. Fuitq; recẽtior illa expeditio omnino maio-
ris apparatus, ſed Pipiana nihilo felicior: quippe cu
ius conatus uix Carnorum fines exceſſere. Quidam
annales habent, uno tempore Sigiſmundum cum
Pipo Venetis bellũ intuliſſe. Sed ſiue ita fuerit, ſiue
(quod plures tenẽt) diuerſo ſit tempore bellatum,
conſtans fama eſt, Venetos ad primos belli motus
militem & arma ſtudio cõparaſſe, copiarumq; om-
nium imperium Carolo Malateſtæ, eximię uirtutis
uiro, quem domo ad hoc ipſum accerſuerant, à Pa-
tribus decretum. Ferunt, in Tauriſinis & in Feltren
ſi agro per occaſionem alterius partis nõnunquam
pugnatum, ac cruenta acie ſemper tanta à Barbaro
fæuicia bellatum accepimus, ut ne ab ijs quidẽ, qui
bus fortuna belli pepercifſet, iniuriam abſtinerent:
ſed captiuos ad unũ omnes mutilatis manibus, lu-
minibus etiam priuarent. Quum igitur in hunc mo
dum aliquandiu bellatũ eſſet, legatis ad regem miſ
ſis, Frãciſco Foſcaro, Thoma Mocenigo, qui poſtea
principes fuere, & Antonio Cornario, inducias Ve-
neti cum rege in quinquennium pepigere. Poſitis
cum Sigiſmundo armis, haud multo pòſt Stenus,
qui annos tredecim reipu. præfuerat, uita deceſſit:
eius corpus ad Marinæ ædem eſt ſitũ. Thomas Mo
cenigus abſens in demortui locum ſurrogatus eſt.
Is tum Cremonę legati munere apud Gabrinũ Fun
dulum fungebatur: unde accerſitus inter publicas
priuatasq; gratulationes urbem eſt ingreſſus. Recẽ
ti huius adminiſtratione, decreto Patrum magiſtra
tus quidam ſunt in Riuumaltum translati. Tribus
menſis quæ ab initio ibi fuerant, quarta nouiſsimè
Proſenetica addita eſt, quæ & uulgò Miſſeretia dici
tur. Erectæ ad id ædes eodem loco ampliſsimę, quę
Ferrariæ ripę imminent, in quibus quatuor illi ma-
giſtratus hodie continentur. Fuit ab initio illic ma-
ximum urbis uectigal, mox ex uno duo inde uecti-
galia facta: terreſtrium negociorum alterum, quod
immobile manſit, alterum maritimarum rerum, id
ad fanum Trinitatis eſt translatũ. Nec diu inde ciui
tas in ocio fuit, bello in Carnorũ ora renato, cuius
cauſa Vtinenſium diſcordiæ fuere. Erat Aquileien-
ſis eccleſiæ antiſtes Lodouicus Techius: is ſuis au-
ſpicijs totam fermè regionem, quæ Liquentia Ti-
mauoq; fluminibus, alpibus atq; Hadriaco mari ter
minatur, adminiſtrabat: eam autem terram Carno-
rum eſſe, grauiſsimi auctores affirmãt: ſed nunc uul
gò alij Forum Iulij, ipſi incolę Patriam appellãt. In-
ter hũc igitur & Vtinẽſes grauis orta eſt diſcordia:
his annitentibus, ut Sauorgnanæ factionis uiri, qui
ad Venetos rem proximo bello traxerãt, ac per hoc
ſeditione pulſi ad eorum opes confugerant, in ur-
bem reducerentur. Contrà Techius aduerſa inui-
dia reſiſtere, negareq; ſe id unquam permiſſurum.
Diſſidente in hunc modum Vtinẽſium ciuitate, ac
ſecundum illam uniuerſa ferè Patria tumultuante,
Veneti Sacilium occupãt. Lodouicus & ipſe armis
agendum ratus ad Pannoniæ regem proficiſcitur:
quippe qui opes ſuas lõgè infirmiores eſſe ſciebat,
quàm quę tuto Venetis opponi poſſent. Ciuidaten
ſes interim ad Venetos deficiunt, à quibus benignè
non in fidem ſolùm, ſed in ſocios etiã accepti ſunt.
Nec Lodouicus multo pòſt cum quatuor millibus
Barbarorũ affuit. His & Patrianorũ qui adhuc in fi-
de erãt, appendicibus fretus hoſtis, in Ciuidatenſes
mouit. Illi uerò præſidio à Venetis iam antea acce-
pto uenientem hoſtem intrepidè excipiunt. Caſtra
in conſpectu oppidi ad quindecim dies Barbari ha
buere, qui agrum urbi circumiectum magna ex par
te populati, ui frigoris & niuium caſu obſidionem
circum brumã ſoluere ſunt coacti. Barbaros Italia
abeuntes Lodouicus omni bene gerendæ rei ſpe
deiectus, in Pannoniam ſecutus eſt. Veneti Feltro,
Belluno, alijsque locis interim receptis, quæ priore
bello amiſerant, Patrianos fines ingreſſi Prata oppi
dum euertunt. Erat copiarum omnium imperium
penes Philippum Arcium, uirum armorum peritia
ea tempeſtate inſignem: is Pratis euerſis Vtinũ ca-
ſtra admouit, patefactaq; ab hominibus eius factio
nis, Fœderico & alijs, porta quæ Ciuidatum ducit,
parũ abfuit quin oppidum nocturna ſit proditio-
ne oppreſſum: ſed ſubito tumultu exorto quum re
pentè conclamatum concurſumq; ad arma eſſet, cõ
ſternati exules incerta trepidatione, pleriſq; qui fe-
rocius inuecti fuerant in armatorum cuneos amiſ-
ſis, re infecta ceſſere. Inde Veneta ſigna citro ultro-
que Patrianis finibus geſta. Fuerũtq; Vtinẽſium res
aliquot annis in diſcrimine, ac pleraq; interim oppi
da reguliq; Carnicæ oræ in Venetorum fidem uene
re. Sed ubi apparuit non eſſe unde amplius auxiliũ
ſperarẽt, uanamq; fuiſſe Lodouici expectationem,
ipſi quoq; deditionem fecerunt: miſsis ad hoc Ve-
netias qui ſe, agrum, publicas & priuatas fortunas,
omnia deniq; diuina & humana, in Venetorum fi-
dem traderent. Legatis benignè acceptis decreuere
Patres ut Fœderico & hominibus eius factionis in
urbem reſtitutis, omnia bona redderẽtur. Secundũ
id decretum non Sauorgnani tantum, ſed clientes
etiam & quicunq; eo nomine extorres fuerãt, in ur
bem rediere, bona ſingulis ex fide reſtituta. Vtinen
ſium deditionem uniuerſa Patria ſtudio ſecuta eſt.
Lodouicus audita Vtinenſiũ alienatione, haud am-
plius cunctandum ratus, cum ualida Barbarorũ ma
nu per Germaniæ fines in Carnos tumultuoſe eru-
pit: Cluſinam arcem munitiſsimam in anguſtijs al-
pium primo impetu oppreſit: nec procul inde Mu
tianum, locũ, ea tempeſtate ut nunc, munitiſsimũ:
accepiſſentq; omnino cladem aliquã ingentem Pa-
triani ea ſubita eruptione, niſi Venetę copiæ ad hoc
miſſæ nouos hoſtium conatus, quum adhuc in an-
guſtijs alpium caſtra haberent, opportuno aduentu
fregiſſent. Barbari non tantum pugnam detrectaue
re, ſed ne uenientem quidem Venetum expectare
ſunt auſi: quippe qui conſilio aliquid per occaſionẽ
gerendi, potiuſquã in Italia bellandi uenerant. Atq;
in hunc modũ paucis diebus quàm tumultuari cœ-
ptum erat, omnis Patria pacata eſt, receptis paruo
negocio locis, quæ in hoſtium poteſtatẽ uenerant.
Nec longo interiecto tempore aliquanto maiore ar
morum apparatu Lodouicus in Italiã eſt reuerſus:
ac Patriæ fines ingreſſus, Manſanũ primò, inde Ro
ſaciũ occupat. Sed expeditio hæc priore illa de qua
proximè diximus, nihilo felicior fuit. Venetus ad
primã hoſtis famam præſto affuit: cuius acceſſu ter
ritus ille continuò Italiæ finibus exceſsit. Lodoui-
cus haud multo pòſt, dum adhucres nouas molire-
tur, ex humanis deceſsit: quo ſublato Vtinenſes &
Patriani omnes Veneti imperij facti, pacem inde &
ocium tenuere. Hęc foris. In urbe ingens clades ex
incendio, ut ſæpè aliàs, accepta eſt: ignis ex Ducario
repentè ortus, Aream diui Marci ædem quæ illi in
cubat, repẽtè corripuit, ubi ita atrociter flamma eſt
debacchata, ut liquefacto plumbo (ex qua materia,
ut hodie, tota ædes operta fuit) nihil qtibuſdam lo
cis præter nudas teſtudines incendio ſuperfuerit.
Eſtq; interim circa templum magnopere laboratũ,
proximis ædificijs ægrè ab igne defenſis. Erat ſena
tuſconſulto cautum, ne quis de ueteri Ducario di-
ruendo ſumptuoſiúsue inſtaurãdo ad Patres refer-
re auderet: mulctaq; ducatorum mille erat irrogata
huic, qui contra decretũ feciſſet. Tum princeps pu
blicum decus priuato commodo præferens, id au-
rum in ſenatum attuliſſe dicitur: ac Patres rogaſſe,
uellent iuberentq; ipſam in formẽ Ducariæ ſedis fa
ciem ſumptuoſius, & ut è maieſtate publica erat, in
ſtaurari. Triumuiri aduocatores quia contra ſena-
tuſconſul-

tuſconſultum id à principe factum conſtabat, ab eo
mulctam petiuere. Ea Mocenicus nihil remiſsiore
animo ſoluta, in ſuſcepta actione tandiu perſtitit,
quoad priori decreto abrogato Patres Ducariũ in-
ſtaurandum cenſuere: atq; ita ueteri opere diſiecto,
ſumptuoſius aliud cœptum eſt ędificari. Sed eo nõ-
dum perfecto princeps uita deceſsit, quum annos
decem ac tres fermè menſes rempub. adminiſtraſ-
ſet: eius funus ad Gemellorum ædẽ frequens ciui-
tas extulit: Franciſcus Foſcarus illi ſucceſsit. Cuius
declaratio tam læta ciuibus Venetiq; imperij popu
lis fuit, ut haſtarum certamina, aurigationes, uariq;
generis ſpectacula per annum in ſingulos ferè dies
feſtos ſint inſtaurata. Sequẽti anno Riuoaltina por
ticus Scipionis Boni impenſa primò conſtructa: in
de ex integro (quia parum ſtabile id opus uideri)
ab eodem inſtaurata. Hoc quoq; anno cœptum eſt
cum Philippo Mediolanenſium duce bellari: cuius
laborioſiſsimi belli cauſam nõ ab re fuerit aliquan-
to altius repetere, ut non temerè in potentiſsimum
principẽ, & ad id tempus Veneti nominis ămiciſsi
mum, ſed neceſſariò potius tantam belli molem ſu
ſceptã appareat. Fuit is Galeacij Vicecomitis filius,
qui admodum puer cum Ioanne Maria fratre maio
re natu relictus maximam principatus partem ami
ſit. Galeacio nanq; defuncto multi hinc inde tyrãni
coorti, ſinguli ſingulas plurẽsue urbes inuadentes,
quaſi corpus quoddam in medio relictũ membra-
tim diſcerpſerunt. Sed ille procedente tempore ſuo
Franciſcij, cognomẽto Carmaniolę, multi ea tem-
peſtate nominis, ductu, nõ ſolum Paterni principa-
tus partem maximam recuperauit: ſed nonnullas
etiam urbes, quas maiorum nemo poſſederat, miro
felicitatis curſu ſubactas ſuis opibus adiecit. Nouiſ
ſimè uerò dum Genuam oppugnaret, premerentur
que Genuenſes rerum omnium inopia, cõſtitit, eos
ingenti pecunia à Florentinis adiutos: quo nomine
illi Liburnium, locum ad oſtium Arni fluminis mu
nitiſsimum, accepiſſent. Philippus etſi nouam belli
materiam ex bello ortam uidebat, diſtulit tamẽ ali
quandiu ultionem. Erat ei in animo (ut poſtea dice
re ſolebat) Martinum Romanum põtificem, quem
indignè à finitimis tyrannis uexari audiuerat, ſuis
opibus leuare: quapropter cõparatas uideri uoluit
copias, quibus ad Zagonaram Florentinos ingenti
prælio uicit: atq; ob id dimicatum, quia illi iter inhi
bere uoluiſſent. Sed ſatis conſtat, Angelum Pergu-
lẽſem, cuius ductu tum primùm in Thuſcum feliciter dimicatum eſt, ad Forliuienſes obſidione leuan
dos miſſum: qui quum Florentinorum armis pre-
merentur, à Philippo auxilia imploraſſe dicebãtur.
Verùm quacunq; de cauſa eò copiæ admotæ ſint,
bello ijs locis conflato ita euenit, ut procedẽte tem
pore Florentini ſuorum ducum ignauia (uel potius
fraude, ut multi crediderunt) non uno prælio uicti
poſt uarias clades de libertate retinenda iam cogi-
tare cœpiſſent. Et quia apparebat, ſine externis auxi
lijs Philippi opibus diutius reſiſti non poſſe, ad Ve
netos, quos ab initio in ſocietatem belli trahere cre
bris legationibus tentauerãt, nouiſsimè Laurentiũ
Rodolphum oratorem mittũt, qui eos ad fœdus in
Philippum hoſtem ineundũ precibus & hortatione
perpelleret. Quod ſi minus ea ſenatũ mouiſſent,
admoneret identidem Patres, quantũ periculi Flo-
rentinorum opibus euerſis, Venetis quoq; immine
ret. Nam quod ad euẽtum præſentis belli attineret,
tam diu ſe aduerſus acerbiſsimum hoſtem liberta-
tem defenſuros denunciaret, quatenus ciuibus &
fortunis quæ ſupereſſent ſaluis id facere cõtigiſſet.
Interim ſi Veneti pergant Philippi ſucceſſus tam o-
cioſe audire, haud quidẽ expectaturos ſe, ut caſtris
Florentiam admotis omnia prius in ultimũ diſcri-
men adducãtur, quàm ad pacem reſpicere incipiãt.
Quin ubi ita opus ſit facto, daturos ſe operã, ut uel

& in ijs Genua, fuí olim imperij æmula, bello fubactis, quando tam lætis rebus quieſcendum fuiſſet, Forumliuium in Flaminia occupaſſet, ad Florentinorum opes euertendas in Hetruriam tranſiuiſſet. Nec ignorare ſe, confictam fabulam narrari: Florétinos contra fœdera Ligurem pecunia iuuiſſe, Liburnium Genua iam propemodũ oppreſſa occupaſſe. ſed ea qualia eſſent, quóue tenderent, Venetos non latere: ueriſsimumq; eſſe illud, quod uulgò prędicari ſoleret, Eum cum quo dolo malo agatur, non minus interdum fraudẽ, quàm eum ipſum qui fallat, perſpicere. Sed ita ferè euenire ſolere, ut in auctoris caput mala conſilia ſæpius recidant. Eſſe præterea Venetis nihil eorũ quæ in humanis ſunt ipſa libertate ſanctius, nihil certè charius: ad eam unam illos iuſtitiam, clemẽtiam, pietatem, omniaq; publica & priuata officia referre: cuncta præclarè fieri arbitrantes, quæ illius cauſa fiant: non fœdera, non leges, nõ ius ullum aut diuinum aut humanũ obſtare, quo minus publicæ libertati cautũ uelint. Et quod ad præſentem cauſam attineret, haud quidem Florentino rũ periculo Venetos minus moueri, quàm ſi intra ſui imperij fines Philippi arma cernerent. euenireq; in eis, quãdo alienæ quoq; libertatis ſolliciti eſſent, eandemq; reipub. formam quam Florentini haberent, illud quod in multis euenire ſolet, qui in germani cognatíue corporis dolore non minus quàm in ſuo torqueãtur. Nec dubium eſſe, eum qui in Hetruria hoſtiliter libertatem oppugnet, ubiq; etiam ſi poſsit, id eſſe facturum: ac tyrannos in primis, qui bus libertatis nomẽ formidoloſum fuit ſemper & inimicũ: ſed eum uiſurum, quo animo in reliquos eſſet futurus. Veneti quando eo conſilio fœdus cũ Philippo percuſſiſſent, ut tam diu in ipſius amicitia permanerent, quoad paterno principatu contentũ à uicinorũ iniuria abſtinere, ocioq; ac paci ſtudere uidiſſent: quum Florentinos nulla eorũ maiore culpa, quã quod ſuis uiribus uti neſciuerint, ab eo diuturno bello confici, neq; boni ducerent, neq; laturi eſſent, niſi Flaminia, niſi Hetruria decederet, niſi intra præſcriptos ex fœdere fines ſe teneret, niſi florẽtiſſimo principatu contentus, quietus deinceps ac pacatus ageret, ut ſuam Floretinorumq; ſalutem unà tuerentur, bellum in eum, ut in tyrãnum, ut in hoſtem infeſtiſsimum, quàm maxima poſſent ope comparaturos. Mouerat Cornarij oratio nõ medio criter Philippi animum: ſed diſsimulata ad tempus ira, pacato uultu pauciſsima ſubiecit, quibus diceret, certò ſcire ſe, Venetos ſua fide & conſtantia, fœdera quę ſecum ſanxiſſent, omnino ſeruaturos: quę ſi nulla etiam eſſent, haud ſibi perſuaderi poſſe, Florẽtinos (quorum inſidias, fraudes, furta, publicè & priuatim Veneti odiſſent) ſibi in amicitia ab illis unquam præferentibus: nec eſſe (ſi Veneti ueruſtiſsimam familiæ ſuę amicitiã, ſi Galeacij patris ſtudiũ, ſi obſeruantiã ſuam reſpicere uelint) cur ab eis iniuriam ullam aut incommodum expectari oporteret. Quod uerò ad bellũ attineret, etſi certò ſciret, prius Florẽtinos ſuæ perfidiæ & temeritatis meritas ſibi pœnas daturos, quàm aut Venetus, aut alius quiſquam, acciſis illorum rebus ſuccurrere poſſet: tamẽ paratum eſſe ſe, id Veneto nomini præſtare, cui nihil unquam denegatum uoluit: ac ſi per Florẽtinos liceat, utrorunq; cauſam Venetis & Nicolao Æſten ſi cognoſcendam demandare. Cum his Cornarius miſſus, quem abeuntem Ioannes Aretinus, qui Galeacij patris ſcriba fuerat, & Beltrandus Lamponianus haud multo pòſt ſecuti ſunt. Conſtans enim fama erat, nouã à Florẽtinis legationem per eos dies Venetias uenisſe. Veritus ob id Philippus, ne Veneti ſatis ſua ſponte ad defectionem inclinati, Florentinorum ſocietatem complexi, à ſe alienarentur: uoluit ſuos quoq; legatos adeſſe, qui, ſi ita facto opus uideretur, ſuam in ſenatu cauſam agerent. Vbi itaq; illi Venetias uenere, tũ uidiſſes diſsimili habitu legatos per urbem incedere: Laurẽtium (ut par erat) præſentẽ patriæ fortunam, triſtitia & mœrore faſsum, ſollicitum circuire, ſenatorum obuios præhenſare, plurimos domi conuenire: nihil quod ad præſentem legationem attineret, intentatum relinquere. Cõtrà Philippi oratores, præter pompã rerumq; omnium ornatum, fiducię & ſpei pleni, urbem tum primum uiſam, nouo ſtupendoq; ſitu cõditam perluſtrare: ubiq; illam maritimã, ubiq; terreſtrem admirari: ſalutare ultro omnes, benignè reſpõdere: & breui, ſui principis felicitatem uultu, oculis, lingua, inceſſu ſignificare. Viſum itaq; Patribus eſt, primò Thuſcũ audire, qui in ſenatum introductus in hũc modũ dicitur locutus. Quid rei mihi apud uos hoc tempore, quid nouiſsima hæc Florentinorum ſibi uelit legatio, uel me tacẽte intelligere poteſtis principes & Patres cõſcripti. Intellexerũt & illi, qui me his diebus ex Hetruria profectum irrequieto hucurſu properantem uiderunt, liberæ ciuitatis legatum, à libero populo opem & auxilium libertati petiturum. Eò itaq; noſtra ſpectabit oratio, ut patriæ, quæ me genuit, educauit, honeſtumq; in ciuitate locum tenere uoluit, ſalutem dicendo implorem, atq; ſi fieri poſsit, à uobis implorando impetrem. Quod ſi illud conſecutus fuero, ut in tyrãnum ſæuiſsimũ, noſtræ libertati inſultantem, ueſtræ princeps & Patres infenſum, oblatam Florentinorum ſocietatem nõ aſpernati, ſocia nobiſcum arma iungere uelitis: felici me functum legatione, cum lachrymis præ nimio gaudio obortis læta patria excipiet: amplexabitur ciuitas, in hanc unam expectationem erecta, ſeq; ueſtro beneficio omni defunctã periculo arbitrabitur. Alit id uotum, hanc ſpem noſtram illud in primis, quòd ab eis id me petere intelligo, qui præterquam quod planè ſentiunt, non Florentinorum magis quàm ſua intereſſe, uicinas tyranni opes, uelut propinquum quoddam incẽdium, reſtinguere: ita libertatis, in qua & nata ſit ciuitas & coaluit, ſtudioſi credantur, ut nullus ſit locus, in quo eius ſpeciem intueantur, quem nõ incolumem, & ab omni iniuria (ſi fieri poſsit) defenſum uelint, oderintq; uno ordine tyrãnos: quippe quos inimicos, æmulos, inuidos, hoſtes libertatis eſſe nõ ignorent. Poſſem ego rei huius exempla multa referre, quàm infeſtũ Athenienſes Philippum Macedonem habuiſſent: quàm Romani Mithridatem, Antiochũ, ac multos alios, qui dominandi libidine, aut certè alienę libertatis inuidia, inuicti populi arma in ſe temerè irritarũt. Sed quid nos uetera aut externa ſequi oportet, quando domeſticis abundemus exẽplis? Nemo ueſtrum eſt qui non uiderit (ut credo) aut certè à parẽtibus quandoq; non acceperit, quàm acerbum Genuenſi bello circa Clodiam, inde apud Tauriſium Carrarius princeps ſe huic ciuitati hoſtẽ exhibuiſſet. Quid Lodouicus rex? Quid alij multi, qui ueſtrum imperium ſollicitare nunquam deſtiterunt? Nobis quoq; cum Vicecomitum familia, quaſi hæreditarium, iam inde à Luchini principatu rarò intermiſſum bellum durat. Eſt certè, eſt hoc natura cõparatum, ut qui ſuorum libertatem ſuſtulerit, ſi alienam tollere non poſsit, uehementer odio habeat. Non poſſum ego nõ beatiſsimam appellare ueſtrã rempub. Veneti Patres, uosq; etiam atq; etiam feliciſsimos prædicare, quib. Carrarios perpetuos Veneti nominis hoſtes prius tollere cõtigit, quàm hic leo uiolẽtiſsimus, cum quo nobis res eſt, adoleuiſſet: qui ſi familiam illam Veneto nomini infeſtiſsimam, incolumem his temporibus nactus eſſet, non in Bebianis ſtagnis, ut illi, ſed terra, mari fluminibus Venetos adortus: non imperium ſolùm, ſed libertatem etiam ipſam in ſummum diſcrimen adduxiſſet. Præclarè itaq; die illo uobiſcum actum exiſtimo, quo tam proximum incendium oppreſsiſtis: niſi

niſi nimia ſecuritas ex illa uictoria orta periculum, quod uobis ab hoc immaniſsimo tyranno imminet, proſpicere nõ patiatur. Hoſtis uobis, hoſtis, mihi credite, infeſtiſsimus imminet: atq; eo perniciosior, quo minus cognitus. Nec eſt quicquam tam arduum, quod ille ſua felicitate non ſibi polliceri & poſsit & audeat. Quippe qui ſeptem armatorum millibus noſtras opes, armis, pecunia, ſucceſſu, ad eam diem præpollentes adortus: ita ut duplo, triploque nonnunquam maiores quàm illi eſſent copiæ, à nobis obiectæ ſint: eas ipſas tamẽ penè prius confecerit & attriuerit, quàm ab eo uiſas credere mus: nec gigantes, aut truces centauri (quales in fabulis narrantur) ei militant: uiros habet noſtris ſimiles, ſed ſpe & fiducia longè meliores, quibus utique miſerorum ciuium, aut filias, aut uxores, in matrimonium locauit, alienas domos, agrum, uillas, prædia largitus. Et nunc quoque ingentis illorum ſpiritus ad quid ſpectare putare debemus? An credendum eſt, eos aliud meditari, aliud optare, quàm ut noſtris opibus euerſis, in Venetos & fama & re ampliores, quandoque impetum faciant. Tantum ſecũdarum rerum ſucceſſus illorum auxit audaciã. Sint igitur qui infandum eorum uotum, infanda cõſilia euertant: qui uxores, liberos, curatores, Ciſalpinæ Galliæ agris, uicis, urbibus, urbiumque finibus diſturbẽt: cogantur rei domeſticę anguſtia meliora, & ſi non meliora, aliena ſequi ſtipendia. Horreo princeps inclyte, hoc loco dicere quæ animus ſentit: ſed quia ultima neceſsitas cogit, dicam. Niſi confeſtim ſocia arma nobiſcum iunxeritis, eo loci ſubacta Florentia Philippum adducet, ut nullũ cuiuſquam ad res Venetas euertendas requiſiturus ſit auxilium. at fœdera ſemper ſancta Veneto ſemper inuiolata manſere. Ego princeps & Patres conſcripti Deum optimum maximum ſupplex oro, ut qui bus pietatem dedit promiſſa ſeruandi, eiſdem alienas artes cognoſcendi, ac cognitas matura prudentia opprimendi facultatem det & mentem. Meminiſtis credo, quibus dolis, quo aſtu, uos ille ludificatus ſit, quum Pandulphum Malateſtam (quem in Brixię principatu retinere tantopere laboraſtis) materno ſuoque munere priuauit. Audiſtis quomodo per fraudes & uiolata fœdera ex Genua ſummum magiſtratum ſuſtulerit, eoque ſublato, frena potentiſsimæ urbi iniecerit. Nec illud ignoratis, quã perdita fiducia nos legibus pacis obnoxios improuiſo bello fregerit. Qui totiens igitur iura diuina & humana peruertit, is (quis nõ uidet?) planè docet, pro infectis habẽda quæ cum perfido ſanxeris. Sed iam tacitus conſenſus ueſter efficit, ut propemodum intelligam, perſuaſum uobis eſſe, non noſtræ reipublicæ præſidium magis hac mea oratione peti, quàm uobis incolumitatem, ſucceſſum & amplitudinem, quibus perfidus ille, ſagax, aſtutus, rei bellicæ peritiſsimus, fido milite, ærario, amplisque uectigalibus fretus, non minus audax quàm paratus immineat, tantiſper dum res noſtras penitus afflixerit, in uos bellum dilaturus: nec uos, quia plus non poſſe uideamur, à noſtra ſocietate abſtinete. Quanquam enim magnas profuderimus opes: adhuc maiores, ſi non publicæ, priuatę ſuperſunt, quas pro libertate retinenda ultro effundere parati ſumus. Iungite igitur arma, iungite uires: ueſtram noſtramque libertatem, rempub. patriam, pio conſilio, pioque fœdere ſeruate. Nam quod ad illud tranſigendum attinet, nullas damus conditiones, nullas à uobis dandas recuſamus. Quum dicendi finem Laurentius feciſſet, ita Patrum animos illius uerſarat oratio, ut non ſenatorum inter ſe, ſed ſingulorum etiam uariæ eſſent ſententię: hinc Philippi potentia periculoſque reipublicæ, inde Florentinorum æmulatione & impenſa belli grauiſsima alternantibus. Placuit itaque, non prius reſponſum dari, quàm Philippi legati audirentur, qui ne eorum quæ Laurentius dixiſſet ignari, parum obiecta diluerent. Senatorum pleriſque eſt negocium datum, qui priuatæ neceſsitudinis ſpecie Mediolanenſibus omnia quę ille dixiſſet, denunciarent. Quo contigit, ut dato illis ſenatu, Ioannes Aretinus ab humanarum literarum ſtudijs non abhorrens, patrio quoque adid ſermone adiutus, permittente collega in hunc ferè modum ſit locutus: Quæ res, quæue cauſa Philippum Mediolani ducem impulerit, ut nos ad te princeps illuſtris ſanctiſsimumque hunc ſenatum miſerit, ſolicitè audio à Florentinis, rerum omnium curatoribus, tota urbe requiri: quibus ne non ſemper indulgeatur, noſtræ legationis cauſam breuiter expli cabo: etſi certo ſcio, eam ipſam ubi audiuerint, parũ illis iucũditatis allaturam. Non igitur ad motus ullos concitandos, non ad ius ullum diuinum aut humanum euertendum, Patres conſcripti uenimus: has illis inſitas à natura artes Philippus reliquit. Ei namque curæ eſt, ſtudia à maioribus tradita retinere, ueſtram amicitiam, ſocietatem, beneuolentiam, omni officio & obſeruantia colere. Et quando ita Dei optimi maximi benignitate contigit, ut in tam perpetua animorum cõiunctione, nullas nouas inter uos & illum aut pacis aut fœderis leges renouari oporteat, concedant Florentini: & ſi bona eorum uenia fieri poteſt, liceat Philippo ex ſuo maiorumq; ſuorum inſtituto te princeps ſereniſsime, hos amãtiſsimos Patres, totam ciuitatem per legatos amicè ſalutare: liceat nobis dicere, ualet Venetę reipũb. Philippus, ualet dignitati & amplitudini ueſtrę Mediolanenſium Dux, Veneti nominis amiciſsimus. Qui quoniam ueſtra erga ſe beneuolentia pro fœderibus, ſocietate, amicitia, cõmunes uobis ſuos omnes ducit ſucceſſus, communem gratulationem: fractos maleque habiros Florentinos hoſtes nunciat, qui temerario conſilio, perditaque audacia ſe periculoſo (niſi celeriter occurriſſet) implicauerant bello. Hæc Patres ſapientiſsimi, hæc erat noſtræ legationis ſumma: hoc erat illud, quapropter Philippus nos ad conſpectum ueſtrum uenire uoluit. Cæterũ quia gentem hanc ad ſermonis lenocinium natam, miſerabili querimonia non in ſenatu ſolum, ſed per areas & huius urbis compita deplorare accepimus, bellum quo ad hunc diem malè habiti ſunt, Philippi culpa eſſe contractum, id ille libens diuino iudicio ueſtro cognoſcendum relinquit, nullas cõditiones quæ à uobis præſcribantur, recuſaturus: in ipſo tribunalis ueſtri campo, ſi libet, ſe Florentini tueantur: neque uana hæc & inaudita confingant mendacia, quibus uaniſsimi homines ſtudent grauitatem ueſtram, ueſtram conſtantiam, contra uetuſtum ius amicitiæ, contra fœdera in Philippum armare. Timendũ, aiũt, ab eo eſſe ſi uires auxerit: hoſtes ſunt, æmuli ſunt: oderunt omnes reipubl. nomen reges, principes & tyranni. Philippum Macedonem, Mithridatem, Antiochum iactãt. quàm uellem & Porſenam eis in mẽtem ueniſſet, qui Romam libertatem adhuc infirmã, ſubito adortus bello penè extinxit. Sed ideo excidit credo, quia ex Hetruſcis noluit uideri quenquam repertum, qui alienam libertatem quandoq; oppugnarit. Quin ſi hiſtoriarum monumentis ſtandum cenſent, Hieronem potius, Maſſaniſſam, Ptolemæos, Attalum memorent, qui Romani populi amiciſsimi fuere. Fuit Lodouicus rex Veneti nominis hoſtis acerrimus, fuere Carrarij omnes: at Vicecomites, qui à centeſimo iam hinc anno illuſtri principatu floruere, non hoſtes, ſed amiciſsimi fuerunt. Sed hæc Thuſcus non nouit: an nouit potius, ſed callidus orator & aſtutus conſulrò ſuppreſsit: quod niſi præterijſſet unius familiæ uobis amiciſsimæ exemplum, ſatis ſuperque ad omnes Florentinorum nugas, fabulas, figmẽta, calumnias diluẽdas facere potuiſſet. Et ut de maioribus ſileã,

tátum abeſt ut opes Galeacij, Philippi huius patris (quæ ſanè ampliſsimæ fuerunt) ſuſpectas Venetus habuerit, quòd ſocia interdũ arma cum illo iungere non dubitarit, ut eas maiorem in modum augeret. Quale accidit per id tempus, quo Veronã, Vincẽtiam, Paduam ac nouiſsimè Taurinium ueſtra ſocietate fretus bello deuicit. Hæc uos (ne quis pro médacio arguere audeat) aut uidiſtis, aut certè à parentibus ueſtris, qui illis interfuere, audire potuiſtis. Sed Florentinorum hoſtes perpetui Vicecomites, & quaſi per manus à maioribus bella ad hunc diem in eos geſſere. Quid ſi iuſtam cauſam habuerint? quid ſi aliena iniuria ad arma compulſi ſunt? Nam ut de cauſis præſentis belli dicam, in quo uno deplorando maximè ſunt occupati, Forliuium contra fœdera captum queruntur, quaſi nunc primùm eam fabulam audiamus. fecit uobis & Æſtẽſi principi, eius cauſæ cognoſcendæ poteſtatẽ Philippus. Quin dicant potius, cur Genuenſes contra fœdera à Philippo obſeſſos ingenti pecunia iuuerint? Cur Philippi copijs Martino pontifici opem ferentibus iter occludere tẽtarint? Cur circa Macram fluuium fines ſint tranſgreſsi, Libumium occuparint? ita ut non prius Philippum audire dignati ſint, quàm in aperti belli diſcrimen coniecisſent. Has belli cauſas nunc Philippus, ſimiles olim Vicecomites habuerunt: ſuos ipſi mores, ſuam ſuperbiam, ſuam accuſent auaritiam: principem pacis & quietis amicum, liberalitatis & beneficentiæ hoſpitem, apud uos optimè de eo meritos criminari ac lacerare deſinant. Sed nos hæc pauca pro multis quæ dici poterant, prouocati reſpõdimus: quæ ita uera ſunt, ut ne ipſi quidem, quanquam uani & mendaces, refellere audeant. Cæterùm diximus antea, ac nunc iterum dicimus, paratum Philippum fuiſſe, paratum propenſumq; eſſe, rem omnem ueſtro iudicio, ueſtræ æquitati, ueſtræ ſapientiæ cognoſcendam & moderandam relinquere. Ad hęc nos miſsi ſumus, & non (ut Thuſcus ſuſpicatur) fœdera renouatum: quæ utiq; à nullo uiolata ſunt, nec, quantum in nobis eſt, uiolabuntur unquam. Perorante Aretino dimiſsi ſunt è ſenatu oratores. Tum diuerſæ inter Patres ſententiæ dictæ: quibuſdam, Philippi opibus rem donec cum Florentinis debellatum eſſet de induſtria trahentis, aperto bello occurrendum uociferantibus: alijs identidẽ, ne rem tantam temerè aggrederẽtur, monentibus: facile cuiuis eſſe prędicantibus, bellũ inferre, defungi uerò difficile. Quum igitur in hunc modum ſententijs uariaretur, placuit Carmaniolam in curiam uocatũ audiri. Eum iam inde, ex quo Tauriſiũ uenerat Foſcarus princeps, & ij qui in eius ſententiam pedibus ire conſueuerant, ſummis laudib. efferre & in curia & priuatis ſermonibus nõ deſiterant, famam uiri, rei bellicæ glóriam, fidem Philippo principi ingratiſsimo diutiſsimè ſeruatam prædicantes: fore haud dubiè affirmabant, ut tanti uiri ductu, mox omnes Philippi conatus (cuius ille uires, cuius conſilia uel ſecretiſsima teneret) facile opprimerentur. Vera, ut erat, principis & aliorum de Carmaniola prædicatio habebat: ſed hominis fides multis ſuſpecta erat, ueritis ne ubi rem Venetam in diſcrimen belli traxiſſet, magnis pollicitationibus corruptus ad Philippũ denuò tranſiret. Sed ad eam ſuſpicionem tollendam ita accidit, ut per eos dies quibus conſultatio hęc tenuit, aut certè non multo antè, à Ioanne quodam Luprandio Mediolanenſi ille ueneno penè ſublatus ſit. Duxerat is olim Bernabouis filiam in uxorẽ: ſed quum Aſturi Modoetię à Philippo obſeſſo fauiſſet, ueritus uictoris iram, cũ uxore Taurinium conceſſerat. Vtebatur ob id homine Carmaniola quam familiariſsime, quippe quem iam antea Philippũ inuiſum habere certò ſciebat. Ille interim cum Vicecomite in gratiam reuerſus, uenenum & neceſſario & hoſpiti cõparauerat. Sed eo ancillæ indicio deprehenſo, quęſtioneq; ſuper ea re habita, Luprandius ſceleris conuictus, ſecuri percuſſus eſt. Tum Patres rati, quod erat, Franciſci animũ adhuc magis à Philippo alienatũ (Venetias per eos dies ex continenti traiecerat) in curiam euocarunt: ubi (ut iracũda erat natura) in Philippũ acriter inuectus, multa dicitur de illius in ſe perfidia & ingratitudine queſtus, quod ſua induſtria & diligentia diceret, nõ ſolùm paternũ principatũ eum recuperaſſe, ſed longè etiã ac latè propagaſſe: Alexandriã, Nouariam, Modoetiã, Laudem, Comũ, Ticinũ, Bergomum, Placentiã, Cremonam, Brixiã, ac nouiſsimè Genuam ipſam Veneti imperij æmulã, partim receptas, partim ſuis auſpicijs & ductu illius opib⁹ adiectas. Quibus factum ſit, ut Philippi nomẽ non ſolũ Italiæ fines, ſed ob Genuam deuictam Europæ etiã tranſcendiſſet: nec quod in ſummo apud illum honore fuiſſet, quod ex ea gente duxiſſet uxorẽ, eſſetque cognomen familiæ adeptus, ſuorum laborum præmia ea uideri uelle: quandoquidem non id præmium, ſed uinculũ ſuæ militiæ fuiſſet: quo tam diu ingratus ille ſe quaſi inauctoratũ huiuſmodi pignoribus habere uoluiſſet, donec res ſuas ex ſententia conſtitutas perſpexiſſet, quod euentus ipſe poſtea manifeſtè declaraſſet. Nam præterquã quod impudiciſsimis quibuſdam exoletis famam ſuam lacerãdam obieciſſet, ſęq; eo nomine in ſuſpicionem adductum coëgiſſet exulare, iam nouiſsimè exulantis capiti eſſet inſidiatus. Verùm enimuero ſatis feliciter euenisſe, quòd præſenti periculo ſeruatus, pro patria, uxore, liberis, ampliſsimisq; fortunis, quas tyranno reliquiſſet, aliam iuſtitiæ, integritatis, omniũque uirtutum alumnam ſibi quæſitam uideret, ubi ſua cuiq; redderentur præmia, ubi uirtus, ubi iuſtitia coleretur: ubi nullus eſſet improbis locus, nulla dignitas. Quod quum ita eſſet, non amiſiſſe ſe diuitias, ſed quęſiuiſſe potius arbitraretur: neq; aduerſa ulla proſtratum fortuna, ſed ampliſsimo etiam munere donatum: niſi forte cum liberis coniunx, uxorium Carmaniolæ animum ubiq; terrarum ſollicitum, ac tyranno obnoxiũ poſſet reddere. Quod autem ad bellum attineret, non eam eſſe dicere Philippi potentiam, non eas opes, quæ uulgò prædicarentur: nec Florentinos uirtute hoſtium magis, quàm ſuorum imperatorũ aut ſtultitia aut fraude uictos: nec cæteras uictorias tam Philippi ductu & auſpicijs, quàm ſuis antea quæſitas. Accedere ad id pecuniæ inopiam, qua ille terreſtribus bellis & claſſe in Aragonum regem comparanda exhauſtus, iampridẽ ijs copijs quas in Hetruria haberet, malignè ſtipendium reddidiſſet. Audere ſe illud dicere, Philippum, qui iã ſpecie uiciſſe crederetur, re ipſa propius uicto eſſe quàm uictori: cuius ærarium exhauſtũ ſit, conſumpti ciues, uectigalia prorſus oppignorata: cui quicquid ſuperſit, furripiant, uorent, diſſipent exoleti. Compertum ſe habere, iam annuum militi ſtipendium ob inopiam nõ datum, nec gratuitam illi militiam à ſuis (ut quidam falſo interpretantur) exhiberi. Quid futurũ putarẽt, ſi inopes & aſſiduis tributis exhauſtos Galliæ populos Venetus ingenti bello adoriretur: ſi illorũ negociatoribus ad hoc unicum Italiæ emporium occluſa eſſent itinera: ſi commercium interdictum, ſi agreſti turba pecoreq; intra mœnia compulſo deſertis cultu agris: ſi corruptis aut ſublatis frugibus paſsim annona & omniũ rerum inopia laborari cœpiſſet: proculdubio eum, quem uictorem nunc prædicant, quem fama cõtremiſcunt, uictum, proſtratum, ſibi & ſuis rebus timẽtem, uiſuros: nec eum futurũ putarent in propulſando bello, qui in inferẽdo antea fuiſſet. Magnas ẽterea ab initio fuiſſe Florẽtinorũ opes, ſed Venetorũ maximas eſſe: aliud certè eſſe in aliena terra, aliud in ſua bellare: nec ſuũ nomen paruã acceſsioné ad oſa gerenda futurũ, quippe qui ſuſcepta bella feliciter obiuiſ-

obiuiſſet: omnes ſecum acie congreſſos ſuperaſſet, qui per tot armorum pericula, labores, diſcrimina, & parere didiciſſet, & imperare. Nam quod ad Philippi in Venetos animum attineret (quandoquidẽ illius conſilia ob longam conſuetudinem explorata haberet) certò ſe ſcire, tamdiu bellum quod iam antea animo moliretur, aduerſus Venetum imperium dilaturum, quoad Florentinorum opes prorſus euertiſſet. Extinguerent igitur quũ per occaſionem liceret tam uicinum incendium, ſęq;, ſi in adminiſtrando bello rem Venetam iuuare poſſe intelligant, ſuo iure uterentur: quando ob Philippi in ſe ingratitudinẽ, eodem ſtudio, induſtria, ardore animi, quo ſummum illi olim amicus principatũ queſiuiſſet, eodem paratus eſſet euertere: amplexarentur modò Veneti tantam gerendæ rei occaſionem, ſuumq; imperium non ſolùm tuerentur, ſed longè etiam lateq; ampliarent, Florentinosq; in libertate germanos aduerſis rebus laborantes præſenti ope iuuarent. Quod ut facerent, illud in primis perſuadere poſſe & debere, quòd ſe belli auctorem nacti eſſent, cuius opera (modò uſui fore crederent) ſuo uſui eſſent arbitrio: plures fortaſſe uiros uirtute & fama præſtantiores, ſed maiore in Venetum nomẽ fide, aut in hoſtes odio, habituri neminem. Motos Carmaniolæ uerbis Patrum animos, ut iam propemodum omnes ad bellũ inclinarent, Foſcarus princeps, in tanta occaſione haud ceſſandum ratus, uehementi eſt oratione adortus. Nam ita Veneti imperij fortuna tulerat, ut reſpub. ea tempeſtate principem nacta eſſet, præter miram ſapientiam ad res etiam magnas & arduas natum, naturaq; apprimè tyrannis infeſta. Is igitur in hanc dicitur ſententiam locutus: Duo ſunt in repub. Patres optimi, quę etſi re & nomine dulciſsima uideantur, ſæpe tamen ampliſsimis ciuitatibus calamitates inuexere: pax uidelicet, & à publicis impenſis uacatio. Etenim hæc tantum longè proſpecta pericula, propius admota ante oculos poſita, aut non uident, aut ſi uideant, dum ſibi nimis placẽt, ita contẽnunt, ut penè prius in quantumuis euidens diſcrimen adducaris, q̃ per horridum belli nomen, per odioſam impendij mẽtionem, liceat periculis quæ apertè imminent occurrere. Quod etſi ita eſſe, multæ à noſtris maioribus, nonnullæ etiam noſtra memoria acceptæ clades declararunt: exemplo tamen non magis utili quàm euidenti Florẽtinorum clades noſtris eſſe poteſt. qui dum creſcentem Philippi potentiam oblata totiens occaſione euertere potuiſſent, ne magnũ aliquod facerent impendium, noluerunt. Quid igitur accidit? aurum quod per ocium & pacem amentes cumularunt, ecce iampridem inutili diſpendio profundunt: & quod illis adhuc magis dolendum eſt, neq; pacem, neq; impendij uacationem ulla incolumi libertate reperiunt. Proſpicienda ſunt inquam pericula, ac proſpecta præſenti conſilio acuirture propulſanda. Eadem ferè ratio eſt (quis nõ uidet?) in repub. quæ & in naui gubernanda. Rogo, an ſiquis trãquillo, &, ut dicere ſolemus, lacteo mari, ſecundis uentis ac leniter ſpirantibus, qui naui præſideat, ſomno & deſidiæ deditus, quę inſtare poſſunt pericula nihil proſpicit: quiquę quũ uelis, malo, antennis agatur, ad ſubitos pelagi caſus nõ omnia maturè expediuerit: nec quo anni tempore, quo ſidere, qua parte maris nauiget, quæ uada, quos ſcopulos decliner, diligenter aduertit. Nónne hunc ſi ſubita tempeſtate correptus naufragiũ fecerit, meritò eam calamitatem adijſſe diceremus? Nunc ſimile quiddam Florentinis accidit: ſimile & ijs accidere ſolet, qui imminentia reipub. pericula nõ prouident, ac prouiſa dum poſſunt, non celeriter diſcutiant. Potuerunt Florentini (ne ab eorum exemplo recedam) creſcentem Philippi potentiam, ſi parum anniti uoluiſſent, facilè opprimere: ſed uel negligẽtia, uel auaritia potius, noluerunt. Quid igitur acciderit? prælio ſæpius uicti: perditis rebus in amittendæ libertatis diſcrimen adducti ſunt: & quod malorum cumulo accedit, grandi redundant ignominia, habenturq; pro ſolertibus ſtulti, pro callidis hebetes, pro cautis amentes. Propulſanda ſunt, inquã, propulſanda ſunt mala, quæ non ſolùm impendẽt, ſed propemodum etiam premunt ac grauant. Adde, quod ſi ego in extrema Libya (ſentiãt alij quod libet) ſi ultra Rhiphæos montes, populi alicuius libertatem oppugnari intelligerem: ſi auxilio minus iuuare poſſem, certè ſollicitudinis & mœroris quin particeps eſſem, fieri nullo modo poſſet. Nos uerò clariſsimi populi libertatẽ, eiuſdemq; finitimi, qui in communi parente Italia & natus eſt & coaluit, à ferociſsimo tyranno circumuentam lacerari, opprimi, extingui patiemur? haud ſanè proſpicientes, quod penè oculis admotum eſt: quod omnes Italici generis uno ore prædicant: eam diem quę Florẽtinis libertatem ademerit, primã Venetos inuadendi Philippo futuram. Quod quum ita inter omnes euenturum conſtet, non poſſum non uehementer mirari, non deeſſe, qui etſi hæc omnia ſe proſpicere fatentur, cenſeant tamen, cuncta prius perferenda, quàm Florentino, populo inuido, & nauigationis noſtræ æmulo, opem ullam exhibendam. Stultum ſanè eſt: ſtultum, mihi credite, magnam facere uelle iacturã, dum maiorem omnino hoſtis faciat: quanquam Dei optimi maximi benignitate non eſt cur illorum negocia noſtris domi foris ue comparari poſsint. Quod ſi ad hunc diem tam magna fuiſſent, ut nobis ſuſpecta eſſe iure potuiſſent: ita eorũ opes acciſæ dicuntur, ut magno annorum circuitu quæ fuerunt, amplius eſſe non poſsint. Quanquam non uſqueadeò exhauſtos audio, ut ubi ſocia arma Venetos parare ſenſerint, non & ipſi in ſpem melioris fortunæ erecti, tantum auri argentiq; in mediũ ſint collaturi, ut ad dimidium copiarum alendum ſatis credantur facturi. Nec Philippi uires tam ualidæ ſunt, ut nobis falſis rumoribus eſt perſuaſum. Carmaniolę oratio, quid ille ultra conari poſsit, ſatis ſuperque demonſtrauit. Spes adhæc ingẽs nobis obiata eſt de Brixia, Cremona, Bergomo, deque omni antiquæ Venetiæ terra recuperanda: quæ omnia, etſi non leuia ad bellum ſuſcipiendum ſint incitamenta, illud ſanè quod iampridem ueſtris animis obſeruari certò ſcio, nobis ſubdere debet ſtimulũ, ſollicitudinem, curam. Nam qui Piſchariam à Mantuano principe (quem nobis fœdere & amicitia iũctum non ignorabat) repetere eſt auſus: is Veronã, Vincentiam, & quicquid penè in cõtinentis ora tenemus, ſi bona uenia non dabitur, armis nón repetet? Nulla itaque impenſa, cuius tollerandæ Dei benignitate potentiſsimi ſumus, nulli, ſi me auditis, labores, quando pacem nobis & ociũ allaturi ſunt, tanti erunt, ut cum Florentino ſocietatem, fœdera, non ſtatim ineamus, bellumq; aduerſus tyrannũ forti ſuſcipiamus animo: bellum dico non minus utile, quàm neceſſarium. Vehemens principis oratio & auctoritas, quæ in eo plus quàm ducaria fuit, ita mouit ſenatum, per ſe antea ad id ſpectantem, ut omnibus fermè ſuffragijs decreta ſit cum Florentinis ſocietas: accitoq; in ſenatum eorum legato, fœdera, quæ uſque quo debellatum eſſet, tenerent, in hanc ſententiam conſcripta, ut communi utriuſque populi impenſa Florentinus Venetusq; ſexdecim equitum millia, octo peditum ad bellum armarent: claſſes duæ inſtruerentur, quarum unã per Padi fluenta Veneti Philippo opponerent: Florentini alteram in Liguſtica ora haberent: nec prius alitérue quàm Venetus iuſsiſſet, pax cum Philippo fieret: quicquid urbium oppidorum ſoliue ex hoſte caperetur, intra Flamminiæ fines Florentinorũ eſſet: cætera Veneto imperio cederent, aut cui Vene-

tus uellet. Vbi eas conditiones ut scriptæ erãt, Laurentius Florentinorum nomine probauit, ad Principis pedes prouolutus, sponte suã in hæc uerba q̃ potuit alta uoce iurauit: Nullum unquam futurum diem, quo Florentinum populum eius beneficij caperet obliuio: essentq́; res Venetæ semper salueq. Sed si ullo unquam tempore difficultas rerũ aliqua Venetum premere cœpisset, paratos promptosq́; Florentinos fore, rem Venetam pro uiribus iuuare. Secuti nouam societatem Nicolaus Æstensis & Franciscus Gonzaga, Amadeus Allobrogũ dux, Alphonsus rex, Florentinis antea conciliatus, & ob uicinitatem Senenses. Miserunt ad Philippum Veneti Franciscum Serranum, scribarum unum, qui eum moneret ut bello statim absisteret, abstinerentq; à Florentinis nouo fœdere in socios acceptis. Quod si minus facere curasset, publico nomine more maiorum ei bellum indiceret. Verùm ille non modò non abstinuit, sed forti etiam & constanti animo indictũ suscepit: ratus, quo periculosius id esset, eo plus celebritatis & gloriæ si uincere contigisset, ex ea se uictoria consecuturum.

IN LIBRVM X.

Epitoma.

CArmaniola Venetarum copiarum imperator, Brixiam Philippo ademit: Philippi copiæ ex Hetruria reuocatæ, Brixiam circumsederunt: Veneti ingenti uallo Brixiensem arcem cinxere: Hostis longa obsidione fatigatus arcem Veneto dedit: Pax cum Philippo facta illius culpa non tenuit: Mediolanenses Philippum ad bellum reparandum sunt hortati: Veneti renouato cum Florentinis fœdere, bellum & ipsi reparunt: Fregosij exules à Genuensibus prælio uicti, Liguria cessere: Philippi classis non multum infra Cremonam à Venetis profligata est: Nec multo pòst bis circa Cremonam parũ prosperè ab his est pugnatum: Ad Brixiam hostes in insidias præcipitati, equites non paucos amisere: Ad Otholengum subita hostium eruptione in Venetis castris uehementer est laboratũ: Totis uiribus ad Olliũ ancipiti utrinq; marte dimicatũ: nouissimè ad Macloditũ, ubi fractis Philippi opib. pax secuta est.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis secundæ,

LIBER X.

BEllo in hunc modum indicto, confestim Patres mittunt, qui ex omni Italia militẽ diligenti cura conscriberẽt. Interim uerò ne qua belli esset uacatio, copias quascunq; ad id rẽpus paratas habuere, Carmaniolæ imperio subijciũt. Quibus receptis homo ingentis spiritus, ac desidię impatiens, continuò cogitare cœpit, qua ui, quáue arte à præclaro aliquo facinore bellum auspicaretur. Hinc iusta in Philippũ ira, inde cura expectationis, in quam nõ Patres modò, sed omne Venetum nomen erexerat: ad ea quæ & ardua omnino & ampla essent, audenda impellebant. Tentauit itaq; primò Brixiæ arcem proditione occupare, subornatis qui præfectum noctu obtruncarent. Sed quum id parum processisset, Principes alterius factionis, quos Philippi nomẽ inuisum habere certò sciebat, multis aggreditur illecebris: in primisq; Petrũ & Achillem Aduocatos, magno quidem uiros animo, sed maiori omnino in Philippũ odio. Eò utrunq; pollicitationibus & hortatione perpulit, ut silentio noctis refracto muro Venetum intra mœnia urbis acceperint. Qua capta pauci aduersæ factionis nocturno tumultu excitati, in munitiorem urbis partem ad præsidium, quod illis ipsis diebus Philippus Brixiam miserat, trepidè se recipiunt. Tenuit Oltrandus cohortis illius caput, milites ea nocte in occupatã urbem erumpere uolentes: ratus fore, si ciuitatulam cum arce quæ superiore iugo residet, cum suis retinuisset, fore ut Venetus paulo pòst insigni clade accepta, urbe quam temerè occupasset, excedere cogeretur. Habet Brixia arcem, ut dixi, in iugo montis quod urbi imminet sitam: unde in subiectam planiciem per laterũ decliuia muri duo diuersi decurrũt, quorum alter, qui ad ortum spectat, qua parte deductus est, oppidum munit: qui uerò ad occasum, domos & ædificia intersecans, quicquid monti subiectum relinquit, Veteris ciuitatulæ nomen est adeptum. Sed uetus illa iã inde dici cœperat, ex quo tertio antè anno quàm hæc gesta sunt, muro proximo loco Philippi iussu circumducto recens altera facta est. Vetustiorem illam omnis ferè Gibellina factio incolebat. Sũt qui dicant, ad primam belli famam Petrum Aduocatũ cum ingenti agrestium Montanorum manu in urbem ingressum, quem postea Mantuanus princeps cum duobus millibus equitum sit secutus: notissimeq́; Carmaniola comes cum copijs quas tunc paratas habuit, affuisse. Sed quoquo modo urbs primò occupata est, planè constat, Venetũ oppido potitum: continuò ea parte qua muro ab hoste excludebatur, ne qua subita eruptio ex superiore loco fieret, ualidas munitiones obiecisse. Ferunt adhæc, his diebus quibus Brixia capta est, Nicolaũ Æstensem (quem Florentini ea parte belli suarum copiarũ imperatorem declarauerant) ex Cremonensi agro ingentem prædam egisse. Philippus etsi parum abinitio tanta suscepti belli mole motus uidebatur. Neque enim domi neq; foris aut noua arma, aut supplementa ulla comparauerat: cęterùm quascunque copias in Flamminia ad eam diem habuerat, ob stipendium diu non redditum, sine cõmeatu, & quasi soluta militia, in oppida quæ in ea terra occupauerat, dilabi passus erat: duplici clade intra paucos dies accepta, uehemẽter cœpit suis rebus timere. Sed nihil illius animum æquè ac Brixiæ amissio turbarat. Audita tamen arcis subiectarumq́; munitionũ retentione, spe urbis postea recuperandæ haud qua quam abiecta, ad auxilia & noua arma comparanda subitò conuertit animum. Id ille sollicitus atq; anxius quærere, quibus aut quantis copijs primò hostium conatibus iret obuiam. Recẽs ad hęc Alphonsi regis à Veneto & socijs defectio, in spe bene gerẽdæ rei non solùm eum retinuit, sed uehementer etiam confirmauit. Primum igitur omnium ad Brixiam recuperandam animum adiecit: ac Franciscũ Sfortiam (quem per eos dies ex Flamminia cũ paucissimis equitibus Mediolanum accersiuerat, ut cũ eo de ratione Hetrusci belli loqueretur) continuò suis intra Brixiæ munitiones laborantibus auxiliũ ferre iubet. Tradunt alij, Sfortiam ipsum in Gallia, non in Flamminia, per id tempus stationa habuisse: auditaq́; Brixiensium defectione ad Philippum subitò uenisse. Constãs fama est, omnẽ Philippi equitatum qui tum in Cisalpina Gallia fuit, duũm millium summam nõ excessisse. Cum his & alia manu ad tempus comparata ille in Venetum mouit. Alij quadringentos equites non amplius ei datos scribunt. Patebat tũc aditus ad eos, qui in munitionibus erant, q̃ facillimus: ita ut per se antequã ulla accepissent præsidia, eruptione nonnunq̃ ex superiore loco

loco facta, trepidationem ingentem & cædem fecissent. Creditum ab initio est, Venetos aliqua insigni clade accepta Brixia decessuros, habiturośque illic tamdiu præsidiũ, donec Sfortia cum suo equitatu affuisset. Datum erat ei à Philippo negociũ, ut quàm maximè posset se infestũ rebelli ciuitati exhiberet: arcemq́;, si Venetum inde deijcere nõ posset, tamdiu tutaretur, donec ex Hetruria omnes in Galliam copias reuocasset. Obiecerat interea fossam cum uallo Venetus imperator hostium munitionibus: ita ut sub Sfortiæ aduentum, etsi tumultuariæ aliquot inde eruptiones factæ sint, illæ ipse tamen haud multum trepidationis attulerint. pugnatum etiam nonnunquam circa mœnia uario euentu, sed pugnæ omnino leues, & quales per occasionem alterius partis committi solent. Carmaniola uidens hostium conatus haud tam formidabiles esse, q̃ ab initio ipse & alij futuros crediderant: quin etsi Sfortiæ præsentia, & uigor animi, hostem ad omnia audenda audaciorem redderent: indies tamen tumultuosas illius eruptiones magis ac magis frigescere. Tradita ualli & fossarum custodia Francisco Gonzagæ, uiro impigro, ipse summa ope portã quæ Pallaris dicitur, oppugnare adortus omnia intentè obire, admotisq́; proximo loco operibus die noctuque hostem fatigare: sed pernigilio assiduaq́; corporis iactatione neruorum debilitas (quam quum Tauri fij, esset præcipiti equo deuolutus contraxerat) uehementer recruduit, atq; ob id ipsum in Patauini agri balnea concedere coactus est. Quo absente, ductu & auspicijs Gonzagæ ita impigrè omnia administrata dicuntur, ut imperatoris in nulla re desideraretur præsentia. Etenim quando que per eos dies hostes ferociores solito coorti, rem Venetam crebris incursationibus sollicitarãt: ille tamen nõ modò non animum ad id remisit, sed fortiter etiã omnes eorum motus coërcuit: adhibitis extra urbẽ stationibus, quibus ij qui ad eam diẽ ociosę hostibus commeatum importarant, ab munitionum & arcis accessu prohiberentur. In hoc statu res ad Brixiam erant. Philippus interim trepidissimis nuncijs, alijs super alios missis, omnes copias ex Hetruria & Flaminia reuocarat: incesserat́q; ob id Patres ingẽs cura occurrendi, quo minus illius arma in Galliã peruenirent. Constans opinio erat, si in unum Philippi copiæ coiuissent, fore, ut nõ modò non arce aliisue munitionibus amplius Venetus potiretur, sed ne ipsam quidem urbem esset retenturus: periculumq́; ad id fore, ne aliqua interim non expectata clades acciperetur. Dum tantis hostium conatibus tã proximè esset resistendum, & quia iam ex statiuis mouisse dicebant, nec Veneti circa Alpes, Padíue fluenta locum habebant ullum, unde hostibus occurrere possent: Nicolao Æstensi, qui ualidissimum sociorum habebat equitatum, negocium dederũt, ut uadis in Mutinensi agro (cuius fines Apœnini iuga ac Padi ripas perstringunt) resciscis, paludes ipsas perpetuis stationibus asseruaret. Miserũt & Victorem Barbarum, uirum impigrum ac patricij sangui nis, cum sex millibus lectorum equitum peditumque, qui ad Vineolam medio ferè tractu inter Padũ & Alpes hostes transitu, si posset, arceret: Carmaniolam quoque per literas hortantur (qui adhuc circa Aponi balnea erat) ut primo quoque tempore Brixiam reuerteretur, ne eo absente aliquã ibi respub. acciperet cladem. Eius reditus ita coërcuit hostiũ audaciam, ut non solùm non amplius erumpere auderent, sed intra munitiones ipsas nonnunquã pugnare cogerentur. Interim Philippi copiæ in Bononiensis agri finibus consederant, haud procul à Vineola, prælto amne à Venetis stationibus dirempti. Exonerant se circa Coalcorium oppidũ admodum uastæ paludes, efficiuntque flumen in Padum decurrens, nusquam interim uadabile: ad huius ripas omnibus frustra tentatis dies circiter triginta hostes inuiti substitere. Demum fabricato ad Persicetum oppidum ponte, circa Scultennam Calendis Maijs sub lucis exortum transiuere. Ratio iungendi pontis huiusmodi fuisse dicitur, ut hostes uiginti oblonga dolia bina serie arctissimis uinculis connexa, utriusq; ripæ arboribus alligarint. His superiectæ crates uirgultis & sabulo instratæ, facillimum equitatui transitum præbuere. Superato amne dispositas in proxima sylua Venetorum stationes ita hostes subito repentè clamore terruerunt, ut ad ripam occurrere nemo sit ausus. Mirandula & Cõcordia ex propinquo oppida, & arbores passim succisæ tutissimam Veneto fugã præbuerunt. Guido Fabrianicus ad augendas Barbari copias cũ ala equitum missus, ad hostem tum primùm in ulteriorem ripam transgressum temerè delatus: ratus utique clamorem illum ex Venetis stationibus redditum, cum omni equitatu oppressus est. Fuerunt ea tempestate qui crediderint, Nicolaũ Æstensem potuisse facile hostem transitu prohibere, sed omnino noluisse, ne tantam belli molem suis aleret finibus. Quasi igitur distinere non potuisset hostem, sine aliquo maiore certamine abire permiserit. Philippus interim ueritus ne ea loca, quæ proximo bello sua in Flamminia fecerat, subductis undique præsidijs, in Florentinorum potestatẽ concederent: Martini pontificis legato (qui Bononiæ tunc erat) suo nomine tradenda curauit. Duo fermè menses inter Brixienſium defectionem & copiarum ex Hetruria aduentum interfuere: satisque inter omnes constitit, si aut illæ prius affuissent: aut si quum ubi primũ uenere, arx & reliquæ munitiones (quod facilè præstari potuit) subito essent præsidio initæ, necessariò Venetos fuisse urbem relicturos. Angelus Pergulanus, cuius ductu hostium copiæ in Galliam transierant, quum ad stadia duo uicinus arci consedisset, locum castris communiuit, ad pugnam, si dimicandi copia à Veneto facta esset, intentus: Carmaniola (cuius cõsilia & conatus omnes ad expugnandam arcem spectabant) nihil intra mœnia moueri est passus. Nec Veneti in tanto discrimine cessare, nouum militem studio conscribere, cõscriptum ad suas opes firmandas continuò Brixiam mittere. Misere & Florentini, alijq́; socij ex fœdere suppetias, & cum ijs pleriq́; duces, quorũ nouissimè Nicolaus Tollentinas affuit, homo præter cætera belli decora, oppugnandarum urbium peritissimus. Is Venetas hostiumq́; munitiones intuitus, docuit arcẽ uel diutissimè sedendo nullo modo capi posse, nisi per petuo uallo fossaq́; circa illã ducta, omnis accipiendi commeatus facultas hostibus prius fuisset adempta: magnaque ad id fabrorum agrestiumque operariorum multitudine opus esse dicere, ut res tanta breui confici posset. Quibus diligenti cura undique accersitis, ad tria millia passuum uallum est arci circumiectum, cuius hanc quidem fuisse formam accepimus. Duplex fossa pari utrinq; spacio ducta, medium aggerẽ pedibus triginta latũ habuit: ac quanto utraq; fossa altius adacta est, eo extremæ partes aggeris glebis in speciem muri cõgestis sublimius prominebant. Vallum adhęc utrinq; impositũ cum turribus ligneis, tam breui inter se spacio distantibus, ut quaternas singula haberent stadia. Habuit præterea munitio illa portas duodecim cũ firmissimis turribus, copias quum opus esset utroque uersum in hostes emissuras. Ferunt fama cœpti operis ad Philippũ perlata, ex aulicis unum exclamasse: Nihil magis ab immortali Deo ipsi duci precandum fuisse, quàm ut Venetos eius operis aggrediendi libido quandoq; incesseret: quod non tantum Venetas opes, sed quæ Xerxis olim fuisse dicerent, citius absumerer, q̃ ad exitũ perduci posset. Nec Pergulanus interim quieuit, sed ut ab instituto opere hostem

ſtem auerteret,in Mantuanos fines populabundus erupit:ubi tametſi omnia terrore & incendio compleuerit,haud tamẽ conſequi potuit ut ex tanto labore aliquid interim remitteretur. Vbi igitur ea clade hoſtem nihil mouere potuit,caſtra aliquãto uallo propius admota maiorem in modum communiuit. Sed neque Nicolai Picinini, rei militaris diſciplina inſignis, neque Sforti æ aliorumq; illuſtrium uirorum,qui tum Philippo militabant,conſilio aut hortatione adduci potuit, ut in munitiones nondũ perfectas impetum faceret:ſatis ſuperq́ue ſe habere dictitans, ſi Philippo, cuius mereret ſtipendium, quem etiam ita uelle non ignoraret,ita ſedendo ſatisfieret. Opere interim ad calcem perducto,Venetus imperator quicquid inter hoſtium munitiones & aggerem ſoli erat, caſtris occupat:in quibus cum appendicibus ſociorum,quatuordecim equitũ millia,peditum uerò decem fuiſſe traduntur:ac præter Carmaniolam ipſum,penes quem erat totius ſummæ imperium,uiros illuſtres,Ioannem Franciſcum Gonzagam,Lodouicum Seuerinatem, Paulum Vrſinum, Alouiſium Vermium,Laurentiũ Contoniolanum, & ſub Nicolao Tollentinate pleroſque uiros, qui magna claraq́ue ad eam diem fecerant ſtipendia. Maxima pars peditum aggeris præſidio eſt impoſita, in quibus quinque ſagittariorum millia fuiſſe memorant:illudq́ue in primis edictum, ſi imperatorem ipſum cum omnibus copijs ab hoſte circumuentum, auxiliumq́ue ab eis orantem uideret, ſcirentq́ue ſe imminentem cladem facilè propulſare poſſe, ne aliquo modo ſua ſtatione abſcederent: ſed intenti ad omnes hoſtium incurſus, diligenter proſpicerent,ne quid detrimenti eorum negligentia circa uallum caperet reſpub. In hoſtium caſtris decem equitum millia, atque peditum octo fuiſſe dicuntur: præter mille & quadringentos pedites, quos ad arcis & Ciuitatulæ præſidium Franciſcus Sforti a reliquerat, quũ ſub Pergulani acceſſu in amica caſtra tranſijt. Præerant peditibus qui intra munitiones relicti erant, centuriones quatuor patrio cognomine illuſtres,Brixianus,Placentinus,Bergominus, & unus adhuc notior, Andreas Taurinus. Hos Carmaniola hominum multitudine fretus aſſiduis certaminibus fatigare:nunc ſcalas muris,nũc uineas aliaq́ue opera bellica admouere: certus,ſi alia ratione non poſſet, eos aſsiduæ oppugnationis ſpecie ſagittarijs (quorum copia ingens in caſtris eſſet) conficiendos objicere, donec ad eam paucitatem redegiſſet, quæ facilè eſſet à ſuis ſuperabilis. Nec deſtinata hoſtium clades fefellit illius animũ: ad mille & amplius ſagittis breui aut confecti, aut omnino debilitati ſunt. Sed ne ſic quoque centurionibus ſaluis hoſtes ex priſtina ferocia aliquid remittere. Diſiecerant aſsidui tormentorum iactus magnam murorum partem,ita ut foſſæ ruinis penè opletæ eſſent:uel maximè circa portam, quam Gargetiam uocant. Quoniam igitur apparebat, admotis ſcalis facilè ea parte militem, ſi paululum adniti uoluiſſet,muros tranſcenſurum: oppugnatione decreta magiſtratus urbis premia militibus propoſuere,ut qui primus muros inſcendiſſet, quadringentis aureis nummis donaretur, trecentis ſecundus, tertius ducentis,decem ſequentes centenis, alij numero uiginti denis. Pugnatum itaque eſt per horã tanto utrinque ardore,ut qui id certamen ſpectauere,haud facilè dijudicarint,ſcandentium ne, ac ſeſe mortis periculo objicientium,an paucorum defendentium maior fuiſſet uirtus. Demum pluribus amiſsis hoſtes mœnia retinuere:quantumuis longã obſidionem perlaturi,niſi fames,humanarum uirium domitrix, eos tandem inuaſiſſet: qua adacti in decem dies inducias pepigere,quibus ſi à Philippo auxilium accepiſſent,ne fraudi daretur, ſi in munitionum defenſione perſtarent:ſi minus, illis Venetorelictis,cum armis incolumes abire liceret. Secũdum hæc quæ pacta erant,iuſsi ſunt ſtationarij milites intentius ſolito omnia circa arcem aſſeruare, ne qua præſidia aut commeatus obſeſsis alicunde mitteretur. Fremebant interim qui in Philippi caſtris erant,aperteq́ue ductorum ignauiam accuſare, uociferariq́ue,eorum ſiue fraude ſiue metu,nõ minus quàm à ciuibus Brixiam Veneto proditum iri: haud dubium eſſe, ſi in hoſtium munitiones à tanto exercitu factus eſſet quandoque impetus, facilè euenire potuiſſe, ut uallo & aggere diſiectis ſuos obſidione leuaſſent. Ad ea Pergulanus negare, mili tem armato hoſti,ſeq́; munitiore loco tenenti confidendum objici oportere: ſatius uideri, incolumi præſidio ex arce & munitionibus educto, cætera hoſti in preſentia relinquere: fore,ut tam ualida manu poſtea recepta eum abeuntem perſecuti ad pugnam uel inuitum traherent,tractumq́ue maiore aliqua clade afficerẽt. Tum Picininus, ut natura acer & ferox,peſsimo exemplo fieri uociferans, tutiora cuiquam loca relinquere, ut cum eo æquo campo poſtea congrediare: quin ſi quis Philippi res ſaluas eſſe uellet, ſiquis præſenti militia dignus uideri, ſe in hoſtem euntem ſequeretur,dixit:atque ita locutus,è media concione ſubitò ſe proripuit. Eum abeuntem Franciſcus Sforti a ſecuturum ſe pollicetur. Sed dum ille ſuam in Venetos explicat aciem, Sforti a concionabundus Pergulanum & alios hortari ut arma caperent. Venetus imperator, qui militem ad hos caſus inſtructum habebat,ubi ad iactum teli uenientem hoſtem conſpicatus eſt, ſuos patefacta repentè porta in eum immittit. Tum Picininus neminem ſibi ſubſidio adeſſe intuitus,ſuorum ignauiam incuſans,pedem retulit, ſeq́ue ſine alio certamine in caſtra recepit. Hoſtes qui munitiones preſidio tenebant,ſuorum fuga inſpecta, portis duabus Pallari & Gargetia relictis, intra breuiorem ciuitatulæ orbem incluſi,aliquot deinceps dies poſt exactum induciarũ tempus obſtinatius reſtitere. Tum demum fame domiti,hunc quoque locum Veneto magis reliquerunt quàm dederunt. Inde ad arcem oppugnandam ductus miles:eam ab initio Placentinus cum quinquaginta lectis ſocijs iniuerat. Veneti paucis diebus ita illius mœnia bellicis machinis concuſſere, ut exterior murus ingenti ruina in munitiones uſq; caſtrorũ procideri t. Quod ipſum quum Philippus reſciuiſſet,Placentino & alijs mandaſſe dicitur,ut ſalutem cum hoſte pacti arcem dederent. atque ita ſeptimo menſe quàm Brixia potitus fuerat,arcem quæ urbi imminet,Venetus recepit. Carmaniola laborioſa defunctus obſidione, ad recipienda oppida urbi circumiecta mouere iuſſus, Salodienſes,& omnes Benaci lacus accolas, qui ad Brixienſem agrum uergunt, antequam ulla eis arma illata eſſent,in fidem recepit. Nec ita multo pòſt Pontificij legati interuẽtu pax tentata,oratoribusq; hinc inde miſsis, Ferrarienſi conuentu ad id ipſum habito,ea his conditionibus Philippo data,ut præter uallem Camonicam, Brixiam cum ſuis finibus, atque ea Cremonenſis agri parte, quæ perpetua Oglij ripa Brixienſi reſpondet (cuius longitudo pateret ad quadraginta paſſuum millia) ille Veneto habendam relinqueret: Allobrogum dux quæcunq; loca occupaſſet,retineret. Et hæc ut publicè utrinque conuenerant, fuerantq́ue Philippi & aliorũ ſignis communita,Pontificis legatus rata adhuc magis facturus Mediolanum profectus eſt. Hic Philippum de præſenti iniuria querentem nactus: nunc Florentinorum ſuperbiam, qui ſe neceſſario implicuiſſent bello: nunc Venetorum auaritiam incuſantem,quibus non ſatis eſſet quod Brixiã ex ſuo principatu intercepiſſent, niſi Cremonenſis quoque agri partem ſibi adimerent: pro magno habuit negocio,iratum principem fremẽtemq́ue ſuadendo monendoq́ue delinire, ut quæ fœderibus expreſſa eſſent,probaret. Quod ipſum tandem conſecutus, ubi Venetos magiſtratus ad recipienda oppida miſsos,cum ignominia,ſe preſente,repulſos uidit,Romam reinfecta abijt. Fuerũt ea tempeſtate, qui tam ſubitæ mutationis cauſam fuiſſe crediderint, ſpem futuræ pacis ab Amadeo Allobrogum duce ei factam: ſed Mediolanenſiũ adhortationes alij in cauſa fuiſſe arbitrati ſunt: qui quum de conditionibus pacis reſciuiſſent, publico nomine Philippũ adeuntes, in hunc fermè modum allocuti dicuntur: Veniunt ad te Philippe tui Mediolanenſes,tua iuſſa & imperata facturi, quibus nullum tam graue onus (tuæ modò conducat dignitati) impoſueris, quod non omnino ſit eis leue futurum. Siquidem ea omnibus mens eſt,id conſilium, ut ſi ſemper alijs parati fuerimus,omnia tibi præſtare quæ ab obſequentiſsimã ciuitate optimo cuique principi præſtari ſoleant,nunc ſanè paratiſsimi ſimus:atque hocipſum eo ſtudioſius profiteri libet, quo tuorum Mediolanenſium opibus hac temporum nouitate, magis ac magis diffidere uiſus es:aut certè eas ignorare,quãdo ad hanc tumultuariam iniuriam à Venetis acceptam,ita animum remiſeris,ita dignitatem tuã abieceris,ut ea etiam quæ fortuna belli non tibi abſtulerit, auariſsimo hoſti cum ignominia relinquas. Nam quid aliud eſt, munitiſsima Brixienſis agri oppida,& ex Cremonenſi non modicam partem,cum Ollij ripa Veneto tradere, quàm Brixiæ occupatoribus Cremonam largiri,quàm ſuperbiſsimo hoſti ad totius Ciſalpinæ Galliæ imperium anhelanti, ſtimulos ſubdere, & ad maiora audenda fiduciã præſtare? Erenim ſi res tuæ (quod Deus nolit) ita acciſæ,ita fractæ eſſent,ut aut hoſti cedere, aut omnino ſuccumbere oporteret, fortunæ ac tempori id dandum, tecum ſentiremus. Sed quum florentiſsimũ habeas exercitum, cum quo totiens laceſsitus hoſtis congredi non ſit auſus: quid igitur aliud in cauſa eſſe putandum eſt, quod tam ignominioſam pacem ſis complexus, niſi quod pecunias ad ingentẽ exercitũ alendum tibi defuturas ſperaſti. Sed ſunt tibi publicæ adhuc & priuatæ Mediolanenſiũ fortunæ,quibus,ſi quandoque uti uoles, tuo iure poteris. Sunt & uectigalia multa & magna,quibus nõ ſolũ copias quas habes, retinere poſsis, ſed ſi opus ſit,longè etiam maiores conſcribere. At tu utere potius tuorum opibus,quæ tibi paratæ ſunt: nec patiaris Venetos libertatis ſpecie Mediolanẽſibus & reliquis Ciſalpinæ Galliæ populis,qui tuę ditionis ſumus,frenum injicere:ſed experire potius, an preſentis ſtatus, & libertatis huius, quam tuus nobis indulgentiſsimus tribuit principatus, iure ſtudioſi habeamur. Siquidem parati ſumus pro his omnibus non ſolũm fortunas ipſas, ſed uitam quoque, ubi opus fuerit,effundere. Ad ea comiter Philippus quum pauca reſpondiſſet,reijciens omnẽ belli culpam in Florentinos ac Venetos, qui ſua ſuperbia & perfidia in id belli diſcrimen ſe inuirum traxiſſent. Quia aut fœderibus ſtandum eſſet, ut ipſi adhortabantur, bellum omnino reparandum, cupere ſe dixit ex ſuis Mediolanenſibus cognoſcere, quid ipſi præſtare poſſent:irent,deq́ue ea re ad populum referrent,ut planè ſcire poſſet, qua ſpe tantã belli molem denuo eſſet ſubiturus. Res publico concilio iactata eſt,placuitq́ue Philippo reſponderi,ſi urbis uectigalia ciuibus exigenda permitterentur, daturos Mediolanenſes quoad debellatum in Gallia eſſet, equitum decem millia, ac totidem peditum. Ferũt fuiſſe Philippum id Mediolanenſibus conceſſurũ, niſi formidoloſum natura principem ex aulicis quidã admoniſſet: Videret ipſe quid ageret: nil aliud fore,uectigalia urbium ciuibus permittere, quàm ad libertatẽ illis gradum facere: ſanè periculoſum eſſe,cum duobus liberis populis, atque eiſdem potentiſsimis,bellum gerere, ac ſuos libertate, qua nihil dulcius mortalibus eſſe ſoleat, imbuere. Ceſsit facilè eiuſmodi monitionibus Philippus. Et quia nec accepturus erat conditiones quas ſciebat ſibi propoſitum iri,nec palàm aſpernaturus,ne ciuium animos à ſe ingrato reſponſo alienaret: per internũcium mandauit ijs qui cum publico decreto ad ſe ueniebant, ut ad Ioannem Ricium omnia quæ ſecũ acturi eſſent,deferrent. Ea res effecit, ut priſtina illa Mediolanenſium ſtudia paulatim reſederint: atque eo ciuium feruore ſeſe remittente,actio prorſus antiquata ſit. Philippus uerò haud deſperãs fore,quin oblatam ſibi ultro pecuniam, ſi nõ ſponte, ingenio & arte ſuis eſſet ciuibus expreſſurus: bellum reparare adortus, primò arces & caſtella ex fœdere nuper icto,reddi uetat, inde in Mantuanum agrum ſubita excurſione erumpit. Veneti ubi ex pontificij legati literis cognouere,Philippi animũ ad arma ſpectare, non mediocri ira perciti, bellum accuratius eo quod omiſerant, & ipſi iam reparare occœperãt. Verùm quia nõ paruam copiarum partem interim quum de pace ageretur, exauctoratam dimiſerant, undique nouum militem diligenti cura accerſere. Affertur interim,hoſtem in Mantuanum agrum tumultuoſe erupiſſe. Cuius rei indignitate animis adhuc magis irritatis, fit continuò ſenatuſconſultum de bello aduerſus Philippum ſumma ope reparando. Reuocantur itaque in priſtinum fœdus Florentini primò,qui etſi longo bello feſsi pacem magnopere optabant, tamen ex fœdere arma denuo capiunt. Amadeus Allobrogum dux, qui priore bello nihil fermè dignum memoria geſſerat, qui pollicitus intentius deinceps ſe gerendis rebus incubiturum,in belli ſocium & ipſe eſt aſcriptus. Secuti noua fœdera Montferratenſis Marchio, Rolandus Pallicinus,qui plura ea tempeſtate oppida in Ciſalpina Gallia habebat: Genuenſes extorres,quanquam Alphonſi regis auxilio deſtituti, nil mari per ſe amplius moliri poterant, in littorali tamen ora impigrè ſe rem geſturos ex fœdere promiſere. Philippus etſi tot bella uno tempore in ſe parari uidebat, nihilo tamen remiſsius aut ſegnius ſuas opes confirmare,bellum inſtruere, atque ad maioris potentiæ famam conciliandam tripartitò in hoſtem mouere ſtatuit. Nam & claſſe apud Cremonã inſtructa, Turriculas caſtellum Parmenſis agri ad Tari fluminis oſtium,quod Veneti aliquandiu poſſederant,occupauit. Multitudine ad id peditum fretus Brixienſis agri montana loca, equitibus uerò Pergulani ductu planiciem uno tempore eſt adortus. Tertia expeditio in Genuenſes extorres Franciſci Sforti æ ductu omniũ felicisima fuit: Thomas Fregoſius, qui cum ingenti exulum manu auxiliaribusq́ue Florentinorum turmis Genuam ira antea infeſtarat,ut urbem ipſam quandoque oppugnare ſit auſus: audito Sforti æ aduentu, fratrem ſuum, iuuenem impigrum,ad uallis porciferæ exitum cum parte copiarum hoſti occurrere iuſſerat. Interim Hetruſcæ turmæ ob ſtipendium diu ex Florentia non miſſum,ſine imperio,ſine commeatu dilapſæ,ita ſigna infrequentia reddidere, ut cum octingentis & non amplius Fregoſius in caſtris relictus ſit. Quod ubi Genuæ per exploratores cognitum eſt, cæterùm confirmati ciues Sforti æ aduentu qui iam propinquare dicebatur: facta repentè ex urbe eruptione, Fregoſios primo impetu fundũt fugantq́;. Thomas cum Baptiſta fratre fuga dilapſi,Rechũ cum paucis contenderunt: reliqui in hoſtium poteſtatem uenere: caſtra magnæ prò numero hoſtium opulentiæ referta,capta & direpta ſunt. atq; ita ſub Sforti æ aduentũ quaſi felicius quoddam ſidus affulſiſſet, Genuenſium res quæ graui bello ad eam diem implicitæ fuerant,meliore ſtatu eſſe cœperũt. In Brixienſi interea diſpoſitis per opportuna locà à Pergulano præ-

no præſidijs, Picininus cum ſuis copijs circa Padũ ſtatiua habebat. Acerſita itaque ad Caſale maius, Cremonenſis agri oppidum, claſſe, terra & aquis oppidanos adortus ad deditionem compulit. Inde tra iectis in ulteriorem ripam copijs Brixillum inuadit (oppidum Pado alluitur) Quo proditione recepto, arx expugnari non potuit. His auſpicijs bellum ab hoſte renouatũ: ſed nec Veneti interim in ocio fuere: nam & ipſi ualidiſsimam claſſem Franciſco Bembo præfecto expediuere: quam ubi Mantuani agri finibus aduerſo Padi fluuio attrahi nunciatum eſt, confeſtim Euſtachius Ticinenſis, aduerſæ claſsis præfectus, ex Brixillana ſtatione ſtatuit propinquãti Veneto occurrere. Negat Picininus ita factõ opus eſſe, ſed continuandam cenſet obſidionem. Ea animorum diſſenſione alienatis ducibus, Brixillanę arcis oppugnatio aliquanto poſtea ſegnior fuit: atq; ita euenit, ut qui ex Brixia ad ſubſidium miſsi erãt, ſine aliquo maiore certamine ſint in arcem accepti. Eo milite Brixillani freti, ſub Venetæ claſsis aduentum oppidum eiecto hoſte receperũt, in quo ingentem machinarum bellicorumque operum apparatum Philippi duces reliquere. Miles in Euſtachiũ, haud multum ſupra Caſale ſedentem, confeſtim ex Brixello eſt miſſus. Sed ille interim ad quartum lapidem claſſem Cremonæ propinquam appulerat. Hic eum ſtationem habentem Bembus adeptus, continuò ſuos ad pugnam expediri iubet. Vtrinq; galeones inſtructi erant (ita enim appellãt nauigia his ſimilia, quæ Græci Dromones uocant) Eſt id genus oblongum, non carinato, ſed plano fermè aluo, binisque, nonnunquam etiam ternis, contegitur tabulatis: ex ſummo malo deni plureſue, ſi pluribus opus ſit, milites depugnant: ſi medijs aquis in anchoris ſtantem, & ad bellum inſtructũ uideas, munitiſsimam arcem dixeris. Octo ex his Bembus in prima fronte arctiſsimo nodo inter ſe nexos ſtatuit: cætera claſsis proximo loco ſequi iuſſa eſt. Nec hoſtis pugnam detrectauit, ſed inſtructa acie quatuor galeonibus præmiſsis, qui ſecundo fluuio impulſuque remorum acti in Venetas naues cum impetu deferrentur, ex ſua ſtatione mouit. Illi uerò ubi in conſpectum uenere, Venetũ præteruecti prioris in hoſtium puppes obuerſis, ſtudio properant in pugnam redire: rati fore, ut ſuis ſuperueniẽtibus, ſi à tergo ſollicitatus eſſet Venetus, qui in prima fronte erant, facilè opprimerentur, ſed res longè aliter euenit. Nam Bembus præteruectos pro captis ab initio habuit, nauesque in orbem colligens ita, ut quum omnem ferè Padi compleſſet alueum, ex hoſtibus ferocius inuectos facilè circunſiſteret. Erat in ripa fluminis cũ terreſtribus copijs Picininus, qui ubi armis non poterat, adhortatione & clamoribus ſuos medio ardore pugnę iuuabat. Anceps certamẽ aliquandiu fuit: demum uictor Venetus præter eos quos ab initio intercluſos diximus, quatuor alios galeones hoſtibus à fronte ademit. Tum uerò Euſtachius, etſi ſerò, ſenſit tamen ſe uiribus & arte imparem Veneto congreſſum. Conſpicatus itaq; hoſtem ad ſuos quos circumuenerat opprimẽdos intentum, obuerſis repentè proris cum reliqua claſſe Cremonam abijt: ubi reduces naues, ratus quod erat, Venetam claſſem non multo pòſt affuturã, omni nautico inſtrumento exuit. Qui ab initio intercluſi fuerant, animaduerſa ſuorum fuga, quà cuique proximum fuit ripis impacti, relictis nauibus in terram euaſere. His Bembus potitus fugientem hoſtẽ inſequitur: eoque nuſquam reperto Cremonã propius accedens, in nouum pugnæ genus incidit. Phi lippus haud procul inde tribus plurium tabulatorum caſtellis medio fluuio erectis, ita Padi alueum occluſerat, ut nullam tam ualidam claſſem fore exiſtimaret, quæ aut urbem circunſidere poſſet, aut in Galliæ intima penetrare: illorum duo è regione urbis palis in altum demiſsis impoſita, & ripis & fluuio prominebant: tertium circa medium amnem craſsiore materia innixum, tantum utrinque ſpacij reliquerat, ut naues læua dextraque interlabentes facilè miſsilibus affligi poſſent. Bembus id quod è duobus magis urbe aueſum uiderat, oppugnare adortus, haud multo certamine in ſuam poteſtatẽ redegit: neque ullo maiore negocio quod huic proximum fuit, inde cepit. ultimi oppugnatio eo fuit laborioſior, quo maior ſubſidij ſpes militibus ob uicinitatẽ urbis fuit quàm reliquis: ſed nocturna pugna, eaque ipſa laborioſa, id quoque Venetus expugnauit. præſidia uictor Bembus ſubiecto igni concremauit: palos quibus impoſita fuerant, ne uſui quandoque hoſtibus ad alia denuo opera inſtruenda eſſe poſſent, ad unum euulſit. Venetus autem uictoria abuſus, quum nauales ſocios in eam terram, quæ Cremonam inter atque Padi fluenta iacet, inexplorato expoſuiſſet, eruptione à Chriſtophoro Lauellano, qui urbi præſidio erat, repentè facta, ingens illis trepidatio iniecta eſt. Erant ſocij naualesferè omnes Illyrici Dalmaticique nominis: quippe qui, ſi quando uino paululum incaluerunt, nullum uitæ diſcrimen reformidant: in hos pedes equesq; Lauellanicus ſubitò coortus, ad trecentos tumultuario incurſu confecit. Execratus gubernatorũ temeritatem Bembus, qui militem ſe inſcio in terram expoſuiſſent, claſſem in ſuperiora Padi loca agi iuſſit: præſidioque ad Abduæ & Padi confluentẽ expugnato, per Ticinum aduerſo flumine prouectus, haud procul Papia ſubſtitit (ueteres urbem ipſam à proximo, ut credo, flumine Ticinũ dixere) Hic quia ſolitudinis & ſilentij omnia circa ripas plena offendit, inſidias ueritus Cremonam eſt reuerſus. Hic ad priſtinam cladem ulciſcendam, milites præfectus claſsis Venetus expoſuit: ratus ſi cum Lauellanico tantum milite dimicandum eſſet, fore ut iniuriam nuper acceptam noua pugna ulciſceretur. ſed erat per eos dies urbem ingreſſus Nicolaus Guerrerius, qui cum ſua equitum ala Lauellanicis mixtus maiore omnino clade quàm nuper accepta erat, Venetum affeciſſet, niſi paucis ſub primum congreſſum cadẽtibus, opportune Bembus receptui cecinisſet. Hæc in aquis. In mediterraneis uerò æſtate iam appetente, ac copijs, quas ingentes Venetus ad eam diem ſtipendio contraxerat, in Mantuano agro paratis: Carmaniola Patauio profectus ex Lagiſio Salodium Benaco traiecto ad quintum lapidem Brixiæ propinquarat: quum Albericus Cunij comes, & Petrinus Dertonenſis, cui Turco cognomẽ fuit, ex Octolengo ubi ſtatiua habebant, ſubito incurſu (diſtat enim id oppidum à Brixia octo fermè millia paſſuum) in ipſas propè portas delati, ingentẽ in urbe trepidationem fecere. Et iam ad quadringentos pabulatores in ſuburbanis locis oppreſſos agebãt: quum Petrus Lauretanus, cui ſumma tum Brixiæ poteſtas fuit, ubi hoſtẽ adeſſe ſenſit, inermis equo ſedens extra portam, quæ Nazarena dicitur, ſe proripuit: hic incompoſitam turbam ex urbe erumpentem imperio coërcens, neminem longius procedere eſt paſſus, quoad Paulus Vrſinus qui aderat, arma induiſſet. Tum illi trecentos, qui armati ante alios fuere, tradit equites: cum quibus per aueſa ab hoſte loca circumuectus, media ab Octolengo uia in inſidijs eſſet: inde reliquum equitatum hoſti obiecit, iubetque iniecto certamine tamdiu abeũtem hoſtem pugna diſtinere, donec ad locum inſidiarũ uentum eſſet: tum à fronte, à tergo circumuentos hoſtes maiore prælio adorti, ad unum opprimerẽt. Atque ita ſanè ut ille animo cõceperat, euenit. Præcipitatus in inſidias hoſtis malè habitus eſt: cæteris fuga dilapſis, Petrinus cum centum quinquaginta equitibus in Venetorum poteſtatem uenit. Eodem die quo ita res proſperè geſta erat, Carmaniola eſt Brixiam

Brixiam ingreſſus: qui ægrè tuliſſe dicitur, primum equeſtre prælium alienis, non ſuis auſpicijs feliciter commiſſum. Et iam omnibus quæ ad rationem belli attinebant in unum collatis, centurionibusq; ac turmarum ductoribus undiq; acerſitis, circa Idus Maias cum quatuordecim millibus equitũ & ſex peditum Venetus imperator Brixia profectus, ad Montemclarũ primò metatus eſt: ubi tam diu ſubſedit, quoad reliquæ copiæ quæ parari dicebantur, eò conuenirent, machinæq; & alia bellica opera curribus impoſita ad ſe comportarentur. Paucis in ea expectatione potius quàm obſidione diebus conſumptis (quia natura & armis munitiſsimus erat locus) nec circunſedendo quicquam ſe profecturum uidebat, motis caſtris Octolengum uerſus Carmaniola ire pergit. Erant ibi præſidio mille Philippi equites, quos cum ipſo oppido ſe breui interceptũrum ratus, haud procul mœnibus tumultuoſe conſedit. Per eos autem dies Guido Taurellus, Chriſtophorus Lauellanus & Nicolaus Guerrerius cũ ſuis equitum alis eò uenerant. Hi taciti, ut opportunius in hoſtem erumperent, aliquandiu intra mœnia ſe tenuere. Veneti ubi in conſpectu oppidi fuere, pars æſtiuo calore feſsi, humi corpora demittũt, alij ſomno indulgent: quidam curandis corporibus intẽti, nihil minus quàm eruptionem ab hoſte ullam expectabant: pauci Nanis Strocij ductu, quem cũ quadringentis equitibus Ferrarienſis Marchio ex fœdere in caſtra miſerat, in ſtatione erant. In eos iam ad multum diei equis ſedentes Philippi duces, ſubitò clamore ſunt inuecti. Suſtinuit eorum impreſsionẽ fortiter Strocius: ſed dum obſtinacius locum retinere nititur, à conferta hoſtium ſuorumq; multitudine preſſus exanimis cõcidit. Tum uerò ad ipſum clamorem excitatus miles, alij ſemiſomnes, alij præ nimio clamore incerti, quæ ſigna, cuius imperium ſequerentur, titubare: multi temerè arreptis armis in hoſtes ruẽtes turpiter fundebãtur. Nec res prius ſiſti potuit, quàm cum lectis cohortibus Carmanio la ſigna intulit: tum ſuperante Venetorum multitudine ad tubarum cantum hoſtis quaſi uictor ouans que ſe in oppidum recepit, mille & quingentis equitibus pugna illa tumultuaria amiſsis. Venetus imperator tam diu ibi eſſe uoluit, donec cohortes quę nuper Patauij fuerant cõſcriptę, in caſtra uenirent. Hæc Forliuienſis Blõdus, qui, ut ipſe ſcribit, Brixię per id tempus erat: ac neſcio an in caſtris quoq; fuerit, interim dum res ita geſta eſt. ſed ex commentarijs quos nobis tradidit Mariotus Montanus, qui omnibus his rebus interfuit, æquo Marte eo die pugnatum didicimus: nec ullam maiorẽ cladem præter paucos qui nimio æſtu ſub armis media pugna perierant, à Veneto acceptam. Poſt hęc Carmaniola nouam metandi uiam eſt ingreſſus: duobus millibus agreſtium qui in caſtris erãt, quiq; currus præ ſe agebãt diuiſis, horum ſingulis plutibũsue ductorum aliquis aut centurionum eſt datus, quibus illi parerent, ut quum mouẽda eſſent caſtra, certior eſſet machinarum conuectatio. Imperatum ad hæc, ut ubi ad metãdum locus captus eſſet, diſpoſitis in orbem curribus, quaſi uallo quodam exercitũ clauderent, hærerentq; ſingulæ ſuis curribus cohortes: pro uallo firmiſsimo ſiquis ab hoſte fieret impetus, id munitionis genus habiturę. Hanc metandi rationem ille ingreſſus, quanquam oppida adhuc multa in Brixienſi agro erant, quæ Philippi præſidio tenebantur. ne ijs recipiendis multum temporis abſumeretur, ſtatuit Carmaniola illis poſt ſe relictis Cremonam ſumma ope oppugnare: fore ratus, ut urbe tam illuſtri Philippo adempta, loca quæ poſt ſe reliquiſſet, ſine alio maiore certamine eſſent in Venetorum fidem conceſſura. Iungitur Ollius amnis, qui Cremonenſem agrum à Brixienſi & Mantuano diſterminat, duobus munitiſsimis pontibus: ſuperiore uno ac Bergomenſis agri collibus uicino, & ad imam planiciem altero, cui Bina eſt nomen. Hunc Venetus (quia breuior, & iccirco facilior) ex Mantuano agro in caſtra, ſi ultra flumen trãſlata eſſent, per eũ curſus patuiſſet, ſumma ope oppugnare eſt adortus. Accedebat ad id Padi propinquitas, per quẽ minore ac fermè nullo labore periculóue omnia oppugnationi neceſſaria nauibus ſubuehi poterant. Igitur paucis diebus ponte potitus, copijsque in hoſticum tranſmiſsis, ſeptem millia paſſuum à Cremona ſecundum Padi ripam caſtra locat. At Philippus audita hoſtium multitudine (erant enim in Venetis caſtris ad duodeuiginti equitũ millia, mercenariorum peditum octo: euocatorum, præter calones, lixas, & aliam imbellem turbã, circiter ſena millia: eratq; non procul hinc Bembeia claſsis, quæ ſupra decem uirorum millia habebat) motus tãtis hoſtium conatibus cœpit uehemẽter ſibi & ſuis rebus timere. Tum uicta eius pertinacia Mediolanenſes ad ſe uocatos (quod nunquam antea ut faceret adduci potuit) Veniſſe diem, inquit, quo apertè eſſet inſpecturus quos ueros, quosq; fictos ſimulatoſque ad id tempus amicos habuiſſet: nec ocium ſibi eſſe in tanto rerum diſcrimine, quid ſibi opus ſit in præſentia, longiore ſermone explicare. Quicunque res ſuas ſaluas eſſe uellent, ad tãtum incendium reſtinguẽdum ſecum irent: neq; omnium ſe operam ad id requirere, ſed eorum tantum, qui apti eſſent militare. Hæc eadem mandat per præconem publicè denunciari: atq; cum his domo profectus, ad hoſtem ire pergit. Multi Mediolanenſium, ac Ticinenſium non pauci eum ad bellum ſecuti ſunt: ipſe inter Cremonam & hoſtium caſtra tria millia paſſuũ à Veneto conſedit. Erant illi prius ad duodecim equitum millia, peditum uerò dimidio minus: euocatorum præterea pedites equitesq; ad quindecim millia: atq; ita eueniſſe aiũt, ut alterutra caſtra ſupra duo & triginta armatorum millia eodem tempore habuerint, quod uix antea acciderat, ut poſt res Romani imperij acciſas duo Italici nominis tãtis ualidi exercitus unquam aduerſa inter ſe caſtra contulerint. Erexerat Philippi præſentia uehementer militum animos ad aliquod pulchrum facinus audendum. Nihil proinde magis uelle, quàm pugnã: ad id omnium uota ſpectare, id cuncti alacri clamore poſcere: demum ſtructa acie in hoſtem alacri animo feruntur. Habebat tum Venetus caſtra ad locũ, cui Summæ eſt nomen: non foſſa, non uallo, nõ opere ullo, ſed curribus in orbẽ deductis, ac riuulo qui planiciẽ interſecabat, munita: aduerſam aciem nullo loco, niſi quà tribus penè ſtadijs à caſtris diſtans pons erat, admiſſura. Hic aliquantiſper hoſtis ſubſtitit, expectans an Venetus multitudine freturs ultra pontem eſſet dimicaturus. Sed ille in planicie quæ caſtris ſubiecta erat, ſtructam aciem tenebat, tranſgreſsis hoſtibus pugnandi copiam facturus. Pergulenſis & Taurellus ſuadere, ne pons ſuperaretur. Vicit tamen Franciſci Sforciæ & aliorum complurium audax conſilium, qui ad hoſtem eundum eſſe cenſebant. Iis igitur præire iuſsis, & iam pugnã cõſerentibus, reliqui ordinem ſecuti multi prælij iniuerunt: alij ſtructa acie circa pontem conſtitere, ut eo retento tutior ſuis eſſet in caſtra receptus. Pugnatum eſt à meridie ad ueſperam: tanto q; ardore & ſtrepitu concurſum, ut momento tẽporis puluis in ſpeciem atræ nubis excitatus, pugnantibus rerũ omnium conſpectum eripuerit: atq; ob id temerè magis quàm ratione in omne diſcrimen itum. nullus in tanta cœcitate erat oculorum uſus, nullum niſi uocis diſcrimen: anceps prælij, ancipites pugnãtium caſus: licuit ſine reprehenſione cuiq; gloriari, ſigna hoſtium pugnando adijſſe, aut quoduis aliud præclarum facinus eo die edidiſſe. Ferunt tam confuſo cõgreſſu, ex Philippi acie quoſdam ratos ſe ad

suos recipere qui circa pontem instructi steterant, A nō prius in castra hostium se delatos senssisse, quàm in ipsos penè currus inciderint: demum signo receptui dato, æquo utrinque Marte discessum. Ferunt Carmaniolam dicere solitum, eo die penè plures ex suis quàm ex hostibus cepisse: potuisseque se ab hoste sæpius intercipi, si cognitus fuisset. Id Sforcię, id Picinino, id alijs plerisque illustribus uiris euenisse creditum est. Philippus lætatus ijs quæ se præsente gesta erant, ac pro uictoria habens, quia non uictus fuisset, trepidissimis nuncijs excitus, quod Allobrogum Montferratensium; equitū alę per Vercellenses fines in Mediolanensem agrum erupisse, & ad portas urbis tumultuose obequitasse diceretur: facta euocatorum cohortibus potestate domū si uellent abeundi, ipse Mediolanum concessit. Venetus autem quum uideret Cremonam tam ualido præsidio munitam (nam præter multitudinē quam missam à Philippo diximus, reliquum copiarū post pugnam ad illius præsidium concesserat) ratus urbem tam ualidè munitam quantumuis magnis conatibus capi nō posse, ad Casale maius (ita loco nomen est) castra mouit. eò & Bembus copias continuò admouit. Carmaniolam abeuntem Franciscus Sforcia cum lectissima parte copiarum est insecutus: is ubi hostium exercitum undiq; militum robore septum uidit, nec temerè quicquam agi propter quod locus sibi ad insidias relinqueretur: omisso Veneto, retrò abiens, modico negocio Binam recepit: præcipitatis in subiectum flumen ijs, qui ad loci præsidium relicti fuerant, Venetorum exemplū imitatus, qui paucis antè diebus eodem modo in suos sæuierant. Casale aliquandiu terra aquisq; obualidum præsidium quo erat antea initum, frustra est à Veneto oppugnatum. Erat in eo Antonius Pisanus, homo impiger, qui die noctuq; pro uallo cū quadringentis lectis militibus, excubās, omnes ho B stium conatus maturo occursu irritos reddere. oppidum ipsum prętatis erat aggeribus munitum, nullisq; obid tormentorum ictibus magnopere obnoxium: sed turris una fuit, portæ quæ ad Padum ducit, imminens, eam ualidius cōcussam in exteriores fossas penè integram procidisse aiūt: qua parte quū Venetus facto impetu in oppidum perrumpere sępius tentasset, præsidiumq; intra munitiones cum cæde compulisset, uicta oppidanorū pertinacia Pisano insćio deditionem fecere. Ea erectus uictoria Venetus imperator, consilium cœpit iungendi Abduam ponte, ut in Mediolanēsem agrum copias ex proximo ad populationes & prædam transmitteret: sed commeatuum inopia laborabat, erantq; interim ad eam expeditionem necessaria comparanda: iccirco in Casalinis castris, quoad illa ex propinquo quæsita essent, se tenuit. Philippus interim, qa armorum ductores quorum opera utebatur, uirtute inter se & rerum gestarum gloria certabant ita, ut neq; consilio neq; auctoritate tempore ullo, aut loco, sibi cederent: appareretq;, ex ea discordia, aliqua insigni clade res suas deformatum iri, nisi intestinæ seditioni maturè occurreretur, imperium copiarum omniū Carolo Malatestæ demandauit. Ferunt ea electione non tam strenuitatem quæsitam, quàm imperatoris sapientiam, & familiæ splendorem: addunt quidam & gratiam, quod Brixiēsibus iam indè à Pandulphi principatu charissimus esset, per quem apparebat, illorum ciuitatem ad defectionem aliquam quandoq; impelli posse. Mouerat interim ex Casali Venetus. Nec Carolus recepto imperio aliquo modo desedit: sed transuersis itineribus ducens, omnibus illius conatibus maturè occurrere. Demum ad Maclodium (uulgò Macalū uocant, Cremonēsis agri oppidum) Veneta sunt signa admota. Indignè ferre Philippi duces ac multitudo omnis hostis audaciam, suam Caroliq; patientiā uehementer incusare: multa esse dicere & in Bergomensi oppida, & in Cremonensi quoq; non pauca, ab hoste relicta, quę tutius ab eo oppugnari potuissent: illum uerò ad Maclodiū castra admouisse, qua si in eius loci oppugnatione magnum aliquod uerteretur discrimen: sed id certè in Caroli & aliorum contemptum fieri: iret igitur ille, & si ueri imperatoris nomē habere cuperet, eam sibi & ijs qui eius auspicijs Philippo militabant, demeret ignominiam. Clàm hæc primò atq; inter paucos, inde palàm ac totis castris fremere: Sforcia & Picininus auctores pugnæ esse, contrà Pergulensis & Taurellus dissuadere: cum eo hoste sibi rem esse dicere, qui cunctando tutius quàm pugnando superari posset. Hoc ipsum esse quod Venetus imperator quæreret, ut Philippi duces secum ad acie dimicādum quoquo modo traheret: exploratum se habere, eo die quo cum hoste (qui uiribus & fortuna superior esset) cō curreretur, Philippi res clademomnino ingentem adituras. Audiebat hæc Carolus: sed oculos in Sforciam & Picininum intendebat, quos utique Hectoras publica prædicatione appellare solebat. Audiebat ad hæc libenter, multitudinem pugnam alacri clamore poscētem. Ferunt duos illos qui omnium ferocissimè prælium suadebant, quos etiam non parua pugnandi libido incesserat, Carolo sententiā roganti an cum hoste confligendum censerent, respodisse: Eum datum sibi ex reliquis à Philippo imperatorem: illius, non sua interesse, prospicere iubereque quid demum fieri uellet: quod si per se quid facto opus esset non facile discerneret, alios consuleret: nam quod ad se attinet, paratum utrunq; esse, quemcunq; iussi essent ordinem seruare: siue in prima fronte esse uellet, siue in extremo agmine. adeò nemo non alieno magis quàm suo periculo ardua & difficilia molitur. Inclinauit Caroli animus tandem ad pugnam, edicitque Taurellum & Pergulensem firmo claudere subsidio, Lauellanū & Sforciam prima fronte dimicare: Picininum cum lectis cohortibus post signa succedere. Sed Pergulēsis & Taurellus insigni se contumelia affectum iri rati, si eo nomine longè à pugnæ periculo ablegarentur, quia cum hoste confligendum nō putassent, in primam aciem prouolant, futurum uociferati, ut clademquā consilio auertere nequirent, uiribus quantum in se esset propulsarēt. Assentitur his Carolus, mutatisque ordinibus Picininum subsidio esse iubet: ac primus ipse quod ab initio facere constituerat, cum leui armatura in hostem uadit: post se Taurellum primā aciem tenere imperat, proximè Sforciam & Pergulensem: atq; inde alios ordine succedere iubet: obtorta, etsi æqualis à Pompeiano unde Philippi duces mouerant, ad Veneta castra ducebat uia, nullis culti soli coërcita fossis: quia hyeme circumiecta loca uliginosa sint, æstate pascua, uepres, uirgulta, herbæq; palustres passim solum uestiunt. Nec procul hinc feracissimi agri patens campus, in quem quia palus à fronte perpetua præiacet, palustres herbæ plerisq; locis solo æstate arefacto aditū prębebant: sed tramites ipsi flexuosi, quorum alios alta fossa Venetus muniuerat, alios tenui obice: quæ loca partim munita partim pro neglectis relicta Taurellus intuitus, ad Sforciam & alios cōuersus exclamasse dicitur: Deum optimum maximum omnia posse, cæterùm mortalium neminē eladem quæ Philippo & eius ducibus die illo immineret, depulsurum. Venetus imperator ubi hostem adesse sensit, confestim structa acie iubet Tollentinarem cum duobus millibus equitum palude quà Tarentianum spectat circumuectum, hostem pugnæ intentum à tergo inuadere: inde ingentem uim peditum utrinq; paluſtres uiaś insidere iubet: ipse cum reliquis copijs hosti ferociter occurrit. Primo concursu Carolus cum leui armatura & magna peditū

parte

parte temerè præmissa circumuentus esset, nisi Tau A rellus, Sforcia & alij illatis signis statim subsidio affuissent, qui copiarum robore, hostium ui aliqua ex parte compressa, pugnam eo loco æquarunt. Oritur itaque utrinque atrox prælium: sed pedites qui uias insederant, inter uepres, uirgulta, aliaque impeditiora loca incurśantes, sagittis iaculisque ingentem uim equorum momento temporis confecere: Taurellus qui post Carolum primus in hostem iuerat, iam undique pressus media strage reuulsus, per auersam paludem fugiens sibi salutem quæsiuit. Interim & à tergo exauditus clamor (iam enim Tollentinas aderat) Pergulensis & ipse pugna decesśit, ubi rem apertè inclinare uidit: eum Sforcia cohortibus penè integris est secutus. Verùm Picininus undiq;, à fronte, à tergo, à lateribus pugnare coactus, aliquanto ægrius est prælio defunctus: demum fretus & ipse militum robore, cuneo per confertā hostium aciē cum paucis elapsus, in tutum abijt. Tum uerò aperta fit fuga, & strages ingens passim ædita. Captus Carolus, penes quem copiarum omnium imperium fuisse diximus: ac cum eo equitum peditumque pari ferè numero circiter octo millia. Quidam sex peditum millia, & tria equitum capta memorant. Impedimenta quoque omnia in uictoris potestatem uenere quæ multum auri, argenti, uestium, militarisq; luxus habuere. Ferunt Carmaniolam potuisse Philippum præsenti clade affectum facile principatu deijcere, si penes se captiuos retinuisset, mouisseтq; continuò post pugnam in hostē præsenti clade consternatum. sed parta uti nescisse uictoria, aut certè noluit. Reuersus in castra nemine requisito captiuos omnes ea nocte quæ secuta est, liberandos curauit: unde ingentem apud Venetos contraxit inuidiam. Fuerunt qui præcipuam eius mortis causam hinc ortā crediderint: postridie circiter trecentos qui ad se noctu non fuerant deducti, B uetusto militiæ more se missos facere, palàm pronūciauit. Ad tam aduersæ pugnæ famam omnia Brixiensis agri oppida, præter Nouos Vrceos, uoluntariam deditionem fecere: id oppidum obsidione cinctū, paucis diebus Venetus imperator recepit. Sed dum illud obsidetur, Philippus diligentem ad affligendas opes reparandas curam adhibuit: saluisq; ductoribus cum omni militum robore paucis diebus facile arma & equos comparauit. Ferunt duos ea tempestate fabros Mediolani repertos, qui tot hominū millia armaturos se professi sint, quot eo prę lio capta dicerentur. Nec Sforcia interim & Picininus quieuere: sed cum ijs qui ex acie secum fugerant, Veneto commeatus intercipere: pabulatoribus, & ijs qui castra frequentabant, omnia infesta reddere. Tentauit ad hæc Picininus Pontolium nobis recipere: res tamē frustra tentata est. Perijt in ea expeditione Brixianus centurio multi nominis, à Potolianis incolis interceptus. Nec Philippus cum res suas in discrimen maximum adductas uideret, destitit interim omnia moliri, quibus Veneto uictorię cursum impediret: & à Sigismundo imperatore, suo olim non minus quàm Venetorum hoste, auxilium imploraut: ac per oratores egit, ut Brunoriū Scalam cum exercitu in Italiam aduersus Venetos mitteret. Cum Amadeo Allobrogum duce Vercellis datis non solum fœdus, sed affinitatem etiam cō traxit: eius filia in coniugem ducta, à cuius congressu post primos thoros pertinacissimè abstinuit. A Martino quoque Romano Pontifice petijt, ut quibuscunque posset conditionibus tentaret Florentinos à Venetorum societate auertere. Sed quantum hac uia Philippus res suas erigere conatus est, tantum aduersa fortuna ductorum quorūdam morte depressit. Paucis diebus Angelo Pergulensi fatali morte extincto, & cum eo Fabricio Capano, ac plerisque alijs uiris illustribus, qui continuatis propemodum funeribus breui interiere: tum demum nobilissima hac suorum clade affectus, ad pacem Vicecomes inclinauit. Res pontificij legati interuentu Ferrariæ aliquandiu agitata est, paxq; his conditionibus Philippo reddita, ut Brixiā cum suis finibus, ac Bergomum cum ea parte agri quæ ad Abduam spectat, Venetus haberet: castella ad hæc quæcunq; cum ipso agro in Cremonensi ad eam diem occupauit. Florentinis nihil additum, nisi ut propria signa triremibus præfigere liceret, quum prius ex fœdere cum Genuensibus icto Pisana habere consueuissent. Cautum Ferrariensi, Mantuano, Paluisino, Montferratensi, & Florentinorum nomine Senensibus socijs: nec nō Ligusticæ oræ quæ ad ortum spectat, Comitibus: Malaspinæ autem, Fregosij & Flischij, nobilissimi Genuenses, perentibus Florentinis ut in suis partibus censerentur, à Philippo obtineri non potuit: pollicitus est tamen in amicorum numero eos se habiturum. Carmaniolę uxor, liberi, & ædes ipsæ, quas Mediolani ante exilium sumptuosissimas struxerat, ex fœdere restitutæ.

Rerum Venetarum ab Vrbe condita, Secundæ Decadis finis.

IN LIBRVM I.

Epitoma.

CAusæ secundi belli Gallici primo loco referuntur: Nicolaus cognomento Stella, Guinisij Lucensis opes improuiso bello fregit: Foscarus princeps ab Andrea Contareno uiolatus est: Franciscus Sforcia in Hetruriam transijt, Lucensibusq; libertatem restituit: Nicolaus Picininus & ipse aduersus Florentinos in Hetruriam erupit: Philippus spem futuræ affinitatis Sforciæ prætendit: Thessalonica in Thermaico sinu à Turcis capta est: Suburbanæ aquæ alta glacie concretæ plaustris sunt peruiæ factæ: Florentini de Pisis retinendis uehemēter laborare cœperunt: Bellum circa Cremonam cum Philippo est renouatum: Veneta classis Padanis aquis profligata est: Genuenses in Rapallitano sinu à Venetis ingenti sunt prælio uicti: Lauretanus rem ecclesiæ ad Vrbem Veterem iuuit: Philippus cum Carmaniola ad Summam congressus, æquo marte dimicauit: Cremona penè capta est: Picininis Ligusticam oram multis cladibus afflixit: Montferratensem principem Venetorum socium principatu deiecit: Chius insula aliquandiu frustra est à Venetis oppugnata: Carmaniolæ fides apud patres suspecta esse cœpit: Carmaniola perfidiæ conuictus, secuti est percussus: Venetus in Camonica ualle parum prospere pugnauit: Pax cum Philippo secuta est.

M. ANTONII COCCII SABELLICI, RERVM VENETARVM AB VRBE CONDITA, DECADIS TERtiæ, Liber primus.

PERSVASVM mihi fuit ab initio operis, res Venetas quas ab Vrbe condita scribere sum orsus, hoc quem absoluimus librorum numero posse à me facile complecti: sed siue illorum breuitas fecerit, qua cõsulto sum usus, ne si legitimam magnitudinẽ impleuissent, prius lector eos fastidire, quã legere cœpisset: siue potius id acciderit nobis, quod & multis, qui non prius quantum negocij adierint respiciunt, quàm præcipua laboris parte sint defuncti. Ecce uicesimũ librum operis ad calcem perduxi, qui lucubrationis huius supremus esse debuerat, nec tamen ad exitum nostra spectare cœpit historia: quin tot & tanta adhuc dicenda restant, ut tertiam laboris huius partem scribenti mihi adhuc superesse intelligam. Verùm quantuscunq; ille labor fuerit, eo sanè iucundior erit, quo cætera quę deinceps sequũtur, ob rerum amplitudinem plus gratię, quàm illa quæ ad hunc locum scripsimus, sunt omnino habitura. Quiescebat igitur non solùm Gallia, sed (quod multis antè ætatibus rarò contigerat) tota etiam Italia, quum ocium illud Bononiensium à Martino põtifice turbare cœpit defectio. Nec multo pòst & bellum inter Venetos & Philippum renatũ, cuius causa, ne unde orta sit, minus quãdoq; intelligatur, aliquanto est altius reperenda. Post pacem Vicecomiti redditam, fines Cremonensis agri, qui Veneto fuerat iam antea adiudicatus, assiduæ disceptationis causam & quasi futuri belli fomitem præbuere: cuius rei cognoscendæ etsi Æstensis Marchio hinc inde arbiter ab initio erat dictus, renouandi tamen belli causa quædam & occasio uideri potuit. Cęterùm æstate illa quæ proximè pacem secuta est, cœpit Philippus Fliscos & Fregosios, Genuẽses extorres, acri bello uexare, quos in Florẽtinorũ partibus censeri, dum de pace ageretur, nõ fuerat passus: sed pollicitus erat, eos se in amicorum numero habiturum. Multas illis arces & oppida ademit, Genuensibus primò, inde Picinino cũ ualido exercitu in eos mouere iussis. Sed hæ quanquam non exiguę, omnino tamen leues causæ uisæ, quibus ad arma tam temerè recurri oporteret: alia quidem maior, & unde uix aliquis expectasset, futuro bello orta est materia. Paulus ex Guinisia gente Lucensis, iam triceſimo antè anno iniecto suis ciuibus freno, tyrannum se Lucensium constituerat, atq; ita interim rei summã suo nomine administrarat, quòd in multis magnisq; bellorum procellis, quibus terra Italia per id tempus agitata est, nunquam adduci potuit, ut cuiusquã arma aut fœdera sequeretur. Offenderat id non mediocriter Florentinorum animos, qui suorũ temporum nouitate nihil ab eo, ut uicino, fuissent adiuti. Odisse itaq; omnes publicè & priuatim Guinisium nomen, perpetuamq; illi felicitatem inuidere. Positis igitur cum Philippo armis, quærebant inter se principes ciuitatis, quo pacto illum aliquo nouo implicarẽt bello. Nec interim deerat causa, qua iure in eum res nouas moliri uiderentur. Ladislaus eius filius quum Florentinorum stipendia faceret, A eorum iniussu, quod minimè factũ uoluissent, Martino pontifici Bononiẽsi tumultu militarat. Sed populus longo bello fessus, nihil minus libẽter quàm arma respiciebat. Principes uerò, qui tyranni opes inuisas habebãt, in primis q; Cosmiana factio: quia aperto bello agere non licebat, occultiorem uiã ingressi, Nicolaum Brachij ductoris summi ex Stella sorore nepotem, qui adhuc penè adolescens Florentinorum stipendia faciebat, clandestinè subornant, ut publicè exauctoratus diceret, auunculi uestigia secutus uelle suis auspicijs militare: tum in Lucensem agrum impetum faceret: monstrare ad hæc illi causam, cur iure uideri posset id facere. Totam Hetruriam scire, Guinisium Brachij olim tributarium factum: hæreditario iure repetere se à tyranno tributum, quod post illius mortem nulli reddidisset. Nec audax iuuenis abnuit factũ: sed publicè dimissus ad duo hominum millia breui contraxit, substitítque in Florentinorũ finibus, quasi mox inde longiſimè abiturus: erat que interim motus ille magis Senensibus quàm Lucensibus suspectus. Impiger dux prima noctis uigilia ex statiuis citato agmine profectus, postridie tertia diei hora in Lucensem agrũ tumultuosè erupit: ubi omnia incauta adeptus, ingentem uim hominum pecorumque in prædam egit. Habuit biduum in Lucẽsi planicie castra, quo B tempore omnia incendio, rapina, fœdaq; populatione compleuit. Conuersus inde ad oppidorum oppugnationem, paucis diebus octo Guinisio castella ademit: ui capta diripuit uictor, quæ uoluntariam fecere deditionem, uiolari non est passus. Ad famã noui belli multi mortales spe prædæ adducti, paucis diebus in Brachiana castra confluxere. Tyranus Lucenses q; subito malo consternati, incerti primò unde subita illa tempestas sibi effusa esset, omnia timere. Vbi uerò quis esset, cognitum est, apparuitq; Florentinorũ eam esse artem: tradita Guinisijs iuuenibus urbis custodia, Florentiam primò oratores mittunt, qui præsentem iniuriam tanquam ab eis profectam quererentur: Florentini uelut eorũ quæ facta essent omnino ignari, calumniam constanti inficiatione discutere. Miserunt & ad Venetos de sociorum iniuria questum, nouissimè uerò ad Philippum & Senenses, quos ut opem rebus suis indignè afflictis ferrent, uehementer orabant. Florentini interim perpetuos Brachiani iuuenis successus uidentes, rati breui fore, ut Lucam tot malis concussam suo imperio adiungerent, si id bellum transigẽdum suscepissent: publico decreto in castra ad Nicolaum mittunt, qui per se tantum exercitum iam alere nõ poterat, ut Florentinorum nomine inchoatum bellum fortiter exequeretur: paratos esse se militem, commeatum, supplementa, pecunias, & breui omnia quę ad bellum essent necessaria, ei abundè ministrare: pergeret ipse modo eo animo quo cœpisset bellum ad finem perducere, unde ingentem gratiã, nomen q; esset indelebile laturus: cęterarum rerum curam penes Florentinum populum fore dicere. Senenses & ipsi interim ueriti, ne, Luca uicinis armis subacta, in libertatem suam tempestas illa grassaretur, ad Venetos suo nomine miserunt, ut Florentinos communes socios graui aliqua denunciatione, si alia oratione non possent, ab armis reuocarẽt. Accidit forte, ut per id tempus quo Senensium legati hac

hac de causa Venetias uenere, sanctiſsimus ciuitatis magiſtratus unius ſit uiolatus amentia: Andreas Cotarenus patricia alioquin familia natus, qui quũ ob aduerſam ualetudinem parum ſibi conſtare crederetur, Hadriatici ſinus præfecturam petebat: accidit ut is poſt repulſam in comitijs habitam, in adoleſcentes quoſdam inciderit, qui omnem repulſæ culpam per iocum in principem reijcientes, affirmare auderent nullam homini, Foſcaro incolumi, reliquam fore obtinendæ dignitatis ſpem. Is ira & dolore duobus acerrimis ſtimulis in apertum furorem euectus, Ducem in Aream ædem ſacrorũ hora deſcendentem, per ſecretioris colloquij ſpeciem medijs ſcalarum gradibus aggreditur: cedentibus qui proximi ſteterant, ut ad aurem commodius admitteretur, exerit repentè ille cupreſſeum pugionẽ, quem ſub pallio occultum habebat: iugulaſſetq; cõtinuò ſenem, niſi Senenſium legatorũ alter, qui proximo loco ſteterat, arrepto illius brachio, in faciem circa naſum uulnus detorſiſſet. Continuò Patrum apparitorum q; turba cruentatum ducem reumque uno tempore circumſiſtunt: hunc proterunt, illum fugam molientem, ad ſupplicium retrahunt: retractus eodem loco dextera truncatur, cum qua ad collum ſuſpenſa, ex ſuperiore parte curiæ, uel ut alij dicunt, ad geminas colũnas laqueo necatus eſt. Conſternata atroci caſu repub. reſponſum penè tumultuarium legatis datur: cupere Venetos libertatem Senẽſibus incolumem omni tempore manere: ſed ad ſe non attinere, quid rei Florentino populo cum Senenſibus ſit uelle cognoſcere, quos utique ille in omnibus fœderibus ſibi ſocios & aſcribi & cenſeri uoluerit. Cum his Senenſium legati dimiſſi. Florentini interim graui bello Lucam premere. Tum demum Senenſes & Guiniſius ad Philippum & Genuenſes miſere. Ille Florentinorum arte uſus, Franciſcum Sforciã ſubornat, ut miſſione à ſe impetrata cum quantis poſſet copijs in Hetruriam ad Lucã B bello leuandam tranſiret. Is quoque & ferox & glorię cupidus, non multo pòſt ſuperatis Alpibus cum ualidiſſimo exercitu ad Lucam conſedit. Sub eius aduentũ Stella, ne circa urbis mœnia cum Sforcianis & Guiniſijs uno tempore pugnare cogeretur, auunculi exemplo deterritus, quem Aquilana obſidione eo pugnæ genere oppreſſum non ignorabat, ſublatis repentè ſignis in Piſanos ſe fines recepit, rẽtãtiſper dilaturus, dum Sforciani rerum inopia Lucenſi agro diſcederent: quibus abeuntibus certus erat, tam diu obſidionem continuare, donec aut tyrannum, aut eo inuito ciues ad deditionem compuliſſet. Sforcia expugnatis ſub primum aduentũ hoſtium præſidijs, quæ circa portas urbis illi ab initio communiuerant, Lucam quaſi ouans eſt ingreſſus: ubi mutua gratulatione à Guiniſio acceptus nõ diu apud eum deſedit, ſed in Piſtorienſem agrum trãſgreſſus, aliquot oppida paucis diebus expugnauit. Guiniſius præſentis belli euentum ſecum reputãs, ratus ea auxilia quibus in præſentia uteretur, nequaquam ſibi diuturna fore: nec ſi perpetua eſſent, ea tamen uideri, quibus preſentis belli onere omni no leuari poſſet: atq; iccirco futurũ omnino, ut uellet nollet ad deditionem quandoq; faciendam cogeretur. Cæterum non ignarus, ſe longè meliore cõditione tunc, quum res ſuæ aliquanto tutiore loco eſſent, pacem, quàm poſtea tentaturum: cum Florẽtinis de ea clandeſtinè agere cœpit: communicatoque domeſticis conſilio factum eſt, ut eorum indicio quibus res credita erat, quę Guiniſius moueret, continuò Sforcia reſciuerit, qui Philippo auctore prius facto tyrannum & liberos in ſuam poteſtatem redactos Mediolanum miſit, preciоſiſſimam eius ſupellectilem ſuis diripiendam dedit, Lucenſi busq; in antiquam libertatem reſtitutis urbem ualido firmauit præſidio. Eum abeuntem ciues amA pliſſimis donauerunt muneribus: Florentini quoque non modico & ipſi uiatico ſunt proſecuti, triginta aureorum nummũm millibus ob pacem ſibi nuper redditam datis. Hetruriæ rebus in hunc modum compoſitis, ipſe opibus & fama, certiſſimis ad maiores rerum ſucceſſus gradibus, auctus, deductis ex Hetruria copijs in Galliam deceſſit. Eo decedente Florentini noua obſidione Lucenſes premere ſunt adorti. Ad quos præſenti periculo leuandos Philippus parum diuerſa à priore illa ingreſſus uia, Nicolaum Picininum Genuenſiũ nomine (in quorum fidem Lucenſes ueniſſe dicebantur) ad Florentinorum conatus euertendos miſit, qui cum ingentibus copijs magnoque tumultu in Hetruriam erupit. Audita Picinini in Florentinos expeditione, Veneti (etſi nullis Florentinorum adhortationibus antea adduci potuerunt, ut Lucenſis belli cauſa arma induerẽt) periculi quod ſocijs ex ea re imminebat, admoniti, ad Philippum miſerunt, qui dicerent, mirari ſe, Genuenſes qui alieni iuris eſſent, tam ualidũ exercitum aduerſus Florentinos comparaſſe: quan quam nemo ignoraret Picininum & qui cum eo in Hetruriam tranſiuerat Lauellanum, iampridem nõ Genuenſium, ſed Philippi ſtipendia facere: aut proinde ſtandũ eſſe fœderibus dicere, nec alterius partis ſocijs inſidiandum: aut ſi in animo habeat, Genuenſium miniſterio Lucẽſibus opitulari, ne grauaretur, ſi deinceps & Veneti Florentinos ſocios auxiliaribus copijs iuuare cœpiſſent: demum in eius arbitrio eſſe uellet nec ne, pacem quam cum Veneto ſanxiſſet, inuiolatam manere. Nam quod ad ſe attineret, tam diu fœdera ſe rata habituros polliceri, quoad ſociorum res per Philippũ & alios ocio florere uidiſſent. Quod quum longè aliter euenire cernerent: aut ſi uellet abſiſteret Philippus in ſocios res nouas moliri, aut ſi pergat Florentinum nomen lacẽſſere, ſciret Venetos pro eorum ſalute iamdudũ ad arma & bellum ſpectare. Secũdum hanc denunciationem, etſi nihil certi ab eo legati domum retulere: haud tamen placuit, tam citò arma capere: interim Picininus ingenti prælio Florentinos ad Auſerim uicerat. Quod ubi Venetias perlatum eſt, tum Patres haud ultra differendum rati, bellum decernunt: & ut Franciſcum Sforciam, poſt Lucenſem illam expeditionem in Mirandulanis ſe finibus tenẽtem, ad ſuum traherent ſtipendiũ, ſedulò dant operam. Florentini quoq; eum ſibi iungere ſtudio quęrebant, ad quos ille ob paternam amicitiam magis inclinabat. Sed quum ea reſciuiſſet Philippus ut alio quo arctiore uinculo ferociſimũ iuuenem ſibi deuinciret, unicam filiam, Blancam nomine, in matrimonium ei ſe daturum pollicetur. facit ad hæc illi ſpem, ſi nullam deinceps maſculã ſtirpem tuliſſet, fore ut eum in totius principatus ſucceſſorem inſti tuerer. Ex Montani commẽtarijs didicimus, ob copiarum imperium Picinino demandatum, ueritum Philippum ne Sforcia (quia æmulum ſibi prælatũ uideret) à ſe alienaretur, ſpem illi affinitatis feciſſe. Diſtulit aliquantiſper bellum, ad quod utrinq; iam animi ſpectabant, Martini Pontificis interitus. Hi atq; illi conducibilius rati, priuſquam arma caperẽtur, expectare qualem eſſent pontificem habituri. Gabriel Condulmarius, patria Venetus qui Eugenius ex pontificatu nominari uoluit, in demortui locũ ſuffectus eſt. Is etſi per legatos ab initio ſuæ creationis populos ac duces monuit, ne quid temerè mouerent: profeſſus uelle ſe utrorunq; cauſam cognoſcere, pacemq; ſublatis è medio armis componere: nihilominus ob patriam ſuſpectus Philippo eſſe cœpit, atque ob id occultè primò, mox uerò palàm in eum res nouas moliri adortus, non prius deſtitit omnia turbare, quàm domeſtico eum bello, Columnenſi factione Romæ ſubornata, implicuit. Tum Veneti quum appareret Philippũ non modò

in pontificis poteſtate non futurum, ſed apertè etiã in eum bellum meditari, quarto menſe ab Eugenij creatione renouato cum Florentinis fœdere ei bellum indicunt. Iuuant ad hæc pecunia Montferratẽſem & Paluicinos in noua fœdera acceptos. Decernitur prꝫterea claſsis ingens, quæ Pado flumine hoſti obijceretur. Carmaniola interim apud Nouos Vrceos ſtatiua habebat, ad primam belli famam in hoſtem moturús: ei Philippus Tollentinatem, & Franciſcum Sforciam cum florentibus copijs obiecit. Cremonæ, quò tota belli moles uidebatur incli natura, Lodouicum Columnam cum lectiſsima co horte præfecerat: Montferratenſi modicis copijs munito Lauellanũ oppoſuit. Dum hæc in Italia geruntur, primæ quædam ſcintillæ laboriоſiſsimi bel li (quod Veneti poſt aliquot annos cũ Maomethò Othomanno, potentiſsimo Turcorum rege, terra mariq́ laboriоſiſsimè geſſerunt) ad Theſſalonicã Macedoniæ oppidũ emicuerũt. Eſt ea urbs in Ther maico ſinu poſita, mira olim nobilitate inſignis: ætate noſtra ita infrequens, ut eam decem barbarorũ millia expugnarint. Erat tum Venetorũ locus: prꝫrantq́ publicæ adminiſtrationi Iacobus Dandulus, & Andreas Donatus: quo media captæ urbis trepidatione elapſo, Dandulus in hoſtium poteſtatem uenit. In urbe duplex nummus per id tempus percuſus eſt, qui maioris fuit ponderis, octonis taxatus ſolidis: alter uerò binis. Pons ad ædem Minorum tum quoque ex candido lapide conſtructus: ita ſuburbanæ aquæ alta glacie concreuere, ut ex urbe Torcellum, Medoacum, & (quod omnino longius fuit) Clodiam uſq; pedibus iretur. Proditum eſt memorię, ex Meſtra oppido ſponſam curru Venetias aduectam: quod nullis antè ætatibus acciderat, ut id aquarum, quod inter urbem eſt & continẽtem, fuerit aliqua ratione plauſtris peruium. Poſt cladem in Hetruria ad Auſerim fluuium acceptam tentaſſent Florẽtini reparato exercitu, Picinino abſente, Lucam denuo obſidere (ſeceſſerat ille poſt eã pugnam ad Pontem Tremulum, & alia Fliſcorum loca quæ circa Alpes erant oppugnanda) niſi Bartholomæus Fornarius Ligurticarum triremiũ quinque, duarumq́ onerariarum præfectus Liburniũ per eos dies inſediſſet. Quo motu ueriti illi ne aliqua Piſanorum ſequeretur defectio, partem copiarum ad prę ſidium urbis eò mittere ſunt coacti. Nec ita multo pòſt Picininus affuit, qui mira celeritate omnia Piſani agri oppida, pauciſsimis exceptis, in ſuam poteſtatem redegit. Florentini reliquis amiſſis, ueriti ne & Piſæ quoque ab uictore hoſte occuparẽtur, propoſito miſerabili edicto, ut priuſquam candela ardens abſumeretur, ciues omnes à quintodecimo anno ad ſexageſimum urbe decederent, ſuſpectam ciuitatem multitudine exonerarunt. Ex Piſano agro in Volaterranos hoſtis mouit: fuitq́ue expeditio illa nihilo Piſana deterior. Cæteris ademptis Volaterræ quoque in diſcrimen ueniſſent, niſi Michaël Attendulus, quem Eugenius pontifex Florentinis miſerat, oppidum maturo aduentu protexiſſet. Hæc in Hetruria. Mirari interim Philippus, quid eſſet quod Carmaniola, qui apud Vrceos copias iampridem inſtructas habere dicebatur, nihil ad eam diẽ mouiſſet: ueritus ne, uelut priore bello, ab aliquo non expectato facinore quod inſtabat auſpicaretur, circunſpicere res ſuas, atq; in omnes partes intentus eſſe, ne qua in ſe occultiore uia hoſtis graſſaretur. Et quum in id unum omnem curam intendiſſet, comperit factam eſſe Carmaniolæ ſpem Laudenſis arcis occupandæ. Proditione itaq; matura celeritate oppreſſa, conſtituit Philippus experiri, an & ipſe hoſtis ſuis artibus capi poſſet: cum Sonciniæ arcis præfecto occultè agit, ut ſpem Veneto imperatori faceret, ſi certam ſecum pactus eſſet mercedem, fore ut munitiſsimum locum cum præſidio ei A traderet. Ille conditionem non aſpernatus, grandẽ paciſcitur pecuniam: tempus conſtituit, quo cum copijs ſe adeſſe oporteret. Edoctus Philippus de his quæ acta erant, Sforciam & Tollentinatẽ quàm occultius poſſent, eò cum parte copiarũ ire iubet: uias & loca omnia occupare, inſidiasq́; Carmaniolæ uenienti quàm accuratiſsimè ſtruere, ut cum omnibus qui illum ſecuti eſſent, ſi fieri poſſet, infeſtiſsimum hoſtem opprimerent. Affuit ad diem, uti conuenerat, Carmaniola: ac præmiſsis qui arcem occuparent, ipſe urbi propinquus haud omnino proditori credens, cum reliquis copijs ſubſtitit. Iam qui præmiſsi erant, in partem arcis admiſsi in hoſtium poteſtatem uenerant: quum repentè ex ſumma turri clamore ſublato præfectus quàm alta poteſt uoce ſignificat (Carmaniolam identidem appellans) ſe non Philippi proditorem eſſe, ſed hoſtis illuſorem. ac cum his Sforcia & Tollentinas à tergo, à fronte, à lateribus ex inſidijs coorti, ingentem Veneto injiciunt terrorem. Senſit Carmaniola ſe ſuis artibus petitũ: ſolutisq́ue repentè ordinibus, quàm maxima potuit celeritate è conſpectu hoſtiũ ſe proripuit. Percrebuit rumor, illum mille & amplius equitibus amiſsis, Tollentinatis opera ſeruatum. Nec multis interiectis diebus, quum Veneti in Cremonenſi ſtatiua potius quàm caſtra haberent, ſecuriusq́ue prædam latè agerent, Lodouicus Columna, quem ad urbis præſidium miſſum diximus, palantes equites circa Padi ripam adortus aliquanto minoribus copijs Venetum fudit fugauitq́ue, trecentosq́; ademit equites. Sed de hac ſecunda clade apud quoſdam nihil reperio. Dum hæc in Gallia geruntur, graui bello erat Hetruria implicita: & in primis Florentinorũ res, Picinino aſsiduis expeditionibus eas affligente. Siquidem poſt multa quæ ille in Volaterranis geſſerat, in Arretinos mouit: ac parB rum abfuit quin & Arretiũ proditione occuparit. Qua poſtea ſpe deſtitutus, ad arces & oppida oppugnanda cõuerſus, multa ex hoſtibus loca, partim ui, partim uoluntaria deditione cepit. In hoc ſtatu res utriuſque prouinciæ erant. Tollentinas interim ægrè ferens, Franciſcum Sforciam & Picininum ſibi à Philippo gratia & dignitate prælatos, quorum alterum affinitatis ſpe, copiarum imperio alterum actum cernebat: quaſi ignominia ab eo affectus, Philippi partibus relictis cum non parua ſuorum manu in Flamminiam conceſsit. Hunc quoque Veneti & Florentini tentarunt ſuis armis adiungere, copiarum omnium imperio ſi in Galliam tranſire uellet oblato. Sed res longa cũctatione diſcuſſa eſt. Ille uerò Romani pontificis ſtipendia ſecutus, ex Flamminia ad bellum quod circa urbem cum Colũnenſi familia Eugenius contraxerat, profectus eſt. Tollentinatis digreſſu coactus eſt Philippus Picinum in Galliam reuocare. Interim Veneti, etſi parum lætis principijs bellum à ſe renouatum uidebant: nihilo tamẽ ſegnius militem, commeatus, & arma expedire: præter terreſtres copias ualidiſsimã etiam claſſem Cremonã admoueri iubent, quæ prꝫter remiges, decem bellatorum millia habuiſſe dicitur. Erat illius imperium penes Nicolaum Triuiſanum. Cæterùm præerant ſingulis nauibus patricij ordinis uiri. Inſtrumentorum ad hęc uis ingens, atque hominum numero nihilo inferior. Carmaniola & ipſe circa urbem bina caſtra parum interſe diſtantia fuerat metatus, in quibus duodecim equitũ millia, ac peditum ſtipendia facientium totidem fuiſſe dicũtur. Struxerat & Philippus in Ticino claſſem nauium, numero, milite, reliquoq́ue apparatu Veneta omnino inferiorem. Prꝫfecti uerò & gubernatorum uirtute ſi non potiorem, omnino parem. Fuit is Ioannes Grimaldus Genuenſis, maritimarum rerum peritia apud ſuos ea tempeſtate clariſsimus: quo monſtrante gubernatores aliquot lectiſsimosq́;

mosq́; Ligurtici nominis ſagittarios in naues Phi- A lippus impoſuit. Auxerat & terreſtres copias Picinini ex Hetruria reditus. Sed quãtum Philippi rebus illius præſentia in Gallia addidit, tantũ eius abſentia in Hetruria penè abſtulit: ſiquidem non multo pòſt quàm inde profectus eſt Albertus Cunij Comes, cui copiarum quæ in Hetruria ad bellum relictæ erant, demandatum fuerat imperium, ad Collẽ oppidum in inſidias præcipitatus, mille & amplius equites amiſit: uenitq́ue ob id in ſuſpicionem, quia ad hoſtes tranſire deſtinaſſet, eam ultro cladẽ adire uoluiſſe. Sed dum hæc in Hetruria gerebantur, omnis interim belli moles in Gallia circa Cremonam incubuerat: ubi quum terra & aquis hoſtium opes omnino Venetis inferiores eſſent: cernerentq́; Picininus & Sfortia, niſi ars aliqua infirmis rebus adhiberetur, utrobique ſe Veneto impares futuros, ingenio ſupplent, quod uiribus deerat: tumultuarijs certaminibus uelut hoſtium uires ſibi iam uileſcere cœpiſſent, circa caſtra Venetũ ſollicitare: & quaſi naualis rei obliti, quo magis Veneti aduerſo flumine propinquare dicebãtur, eo ferocius alterutra laceſſendo caſtra inſtare. Noctu uerò cum Grimaldo occulta colloquia habere, deq; Padanæ pugnæ ratione conſilia inire. Et iam cõſtiterat inter eos, qua arte ad uictoriam uſuri eſſent, quando audax Ligur ſpeculatorias Venetorum naues procul conſpicatus, continuò in hoſtem ſoluit, ut ille ad Triuiſanũ reuerſæ aduentum ſuum nunciarent. Appulſa intrim Cremonæ pomœrio claſſe, Picininum cum cataphractis militibus æqualiter in naues diſtributis ſpei & animorum plenus accipit: ſenſim inde ſecũdo fluuio in hoſtem delatus, ubi primum ab ijs qui in caueis erant conſpectus eſt, continuò ad arma cõclamatum. Venetus qui ad id ipſum paratus erat, confeſtim impelli remos, attrahiq; reſtibus ſuas naues edicit, ut iniecto certamine cominus cum hoB ſte confligeretur. quod Picininus non modò nõ detrectauit, ſed aliquanto à reliquis cum parte nauiũ prouectus ferociter etiam capeſsit. Venetus primò hoſtis audaciam miratus, ubi omnia armis micare uidit, ratus quod erat, cum terreſtribus copijs ſibi rem fore: cõtinuò trepidiſsimis nuncijs aliijs ſuper alios miſsis Carmaniolæ ſignificari iubet, Picininũ & Sfortiã cum ſuis copijs ſecum manus conſeruiſſe: orarent proinde, ut ſi rem Venetam ſaluam uellet, ſubitò & ipſe auxilio adeſſet. Ferunt, illũ ad eam nunciorum trepidationem, ut iracunda erat natura, exanduiſſe, altaq; uoce Venetorum errorem deteſtatum, qui ſuo ſpreto conſilio eam pecuniæ magnitudinem in terreſtres copias non contuliſſent: nec credere ſe, ita eſſe utilli nunciarent, ſed præfectum ipſum, armati hominis ſpeciem exhorrentẽ, in nauibus hoſtium gigantes natos ſomniare. Anceps interim prælii erat, & iam inclinante die quatuor Veneti Galeones harpagonibus ab hoſte comprehenſi, pugnam cominus conſerebant: gerebaq́; res iam non ut antè, bellicis tormentis ſagittís ue, ſed gladijs, ueruto, ſecuribus in hunc uſum comparatis. Demum quatuor illis ſub noctem amiſsis, reliquæ Venetorum naues quæ cum hoſte congreſſę fuerant, ſe in priſtinam ſtationem recepere. Picininus ſubductis nauibus quas ceperat, Sfortiaq́; cum cohorte una in naues accerſito, quarta noctis uigilia Grimaldum in hoſtẽ denuo mouere iubet. Certus erat Venetæ claſsis præfectus cõfligere, & quo magis terreſtrium copiarum auxilium deſperauerat, eo intentius accuratiusq́; ſuos ad pugnã inſtruxerat. Prima igitur luce ubi claſſes in conſpectu fuere, horrendis utrinque clamoribus prælium poſcebatur. Terreſtris pugnæ ſpeciem Venetus imitatus, naues uelut in procinctu ſtantes locauit: ratus fore, ut crebris machinarũ ictibus hoſtium turmæ, quæ bellatorum numero ſuis longè firmiores eſſent, pro cul diſtineret. Quod ubi ductores ipſi animaduertere (nam ita ſanè erat euenturum, ut ille animo cõceperat) continuò ſuos remis incumbere, perque omnia diſcrimina pugnam cominus conſerere iubent: quo repentè facto, manicis ferreis pari irruentium excipientiumq́ue cupiditate utrinque iectis, tam ferox prælium coortũ dicitur, quàm nunquam antè aliàs eorum quiſquam, qui maritimæ rei periti aderant, uidiſſe meminerit: lapides, iacula, uectes, omnia telorum genera in confertam bellatorum turbam cadere: incenſæ faces pugnantiũ ora perſtringere, gladijs, ueruto, clauis, ſecuribus uulnera inferri, multa mortis diſcrimina & uaria obuerſare oculis. Attulit ad hæc utriſque parem moleſtiam, uetus Genuenſium Venetorumq́; maritimis prælijs aſſuetorum inuentum. Demittebantur ex ſummis caueis propugnaculisq́ue in aduerſas naues teſtæ olei bitumine denſati, quibus fractis ita omnia in nauibus lubrica reddebantur, ut nemo ſuo ueſtigio poſſet conſiſtere, ſed diſcrimine ſa fieret tota naui titubantium cadentiumq́ue colluctatio. Viuæ calcis corbes ad obtenebrandum uiſum ſupernè deiectæ lubricitatem illam aliquanti ſper mitigarunt. Ibi deterior pugnæ conditio Venetis ab initio fuit, quòd & recentia ſubſidia ab hoſte nocte illa in naues fuerant accerſita: & quòd firmiore ille quàm Venetus utebatur armatura: ita ut nullum teli genus, quamuis cominus emiſſum, formidaret. Ea res memoriaq́ue cladis priore die accepræ fregerant Triuiſani & aliorum animos: quo factum eſt ut fortuna iamiam inclinatura, recordatus ille, penes ſe publicę pecuniæ ſummam eſſe nõ paruam: tanquam eam ſeruaturus, ex prætoria naui in paruum tranſcendit nauigium. Quo abeunte reliqua claſsis metu perculſa, fugam & ipſa circumſpectare cœpit. Inſtat interim hoſtis, Venetumq́ue ſua ſponte ad fugam ſpectantem fundit, fugatq́;. Quinque ex tam ingenti nauium numero, nec plures euaſere, quæ celeri fuga ad Paluicini fines delatæ, quum ibi quoque malè acceptæ eſſent, ad inferiora Padi curſum tenuerunt: reliquæ in hoſtium poteſtatem uenere. Ex utroque exercitu ad duo hominum millia deſiderata dicuntur: Venetorum ſena millia capta, & in his tredecim Patricij ordinis illuſtres uiri. Ex ingenti præda nihil Philippo nauibus ipſis gratius fuiſſe dicitur, quarum magnitudine præcipuas Ticinum aduerſo fluuio attrahi iuſsit. Armamenta nauibus adempta, in Cremonenſem arcem ſunt repoſita. Ad eam cladem, quæ omninò ingens fuit, Paluicini defectio acceſsit: & à gerendarum rerum curſu Carmaniola, ſuæ culpæ conſcius, obſtinato animo deſtitit: cuius iracundum ingenium ad id deſperationis dicitur proceſsiſſe, ut Patres pro magno negocio habuiſſent, uecordiam hominis, ne in maius aliquod facinus prolaberetur, per oratores delinire, atq; in officio continere. Ipſi uerò non modò non animum ad eam cladem remiſerunt, ſed ad omnem fortunæ impetum propulſandum erecti: quoniam nauali prælio uicti, Genuenſibus qui Philippi claſſem inſtruxerant, acceptũ referebãt, ſtatuunt id belli genus in eorum mœnia detorquere. Duo igitur deuiginti triremes naualibus eductas, remige, armis, commeatu, milite, continuò inſtruunt: Petrum Lauretanum, uirum rei maritimæ aſſuetum, claſſi præficiũt. Is omnium opinione celerius circumacta ex ſupero mari ad inferum claſſe, Liburnium applicuit: ubi triremibus quinque à Florentinis ſocijs auctus, Iacobum Adurnum, & Antonium Fliſcũ Genuenſes extorres, belli ſocios, tam honorificè ad ſe uenientes accepit, ut ſua, non Venetа claſſe illi uiderentur in patriam reducendi. Eſt enim Aduma gens popularium una, ex quibus ſolis Genuenſes aliquandiu ducem creare conſueuerunt: Fliſci uerò plurimũ in nobilitate ſemper pol-

luerunt. Creditum ab initio eſt, tantorum uirorum præſentia, quam ualida liberorum populorũ claſsis adhuc uenerabiliorem faciebat, Genuenſes ſe in libertatem uindicaturos fuiſſe, Philippiq; magiſtratibus electis ſuos ciues miro ſtudio amplexuros. Sed illi ad famam Venetæ claſsis iam antea exciti, quatuor & uiginti triremes ad bellũ parauerant, in quibus oneraria nauis una fuit. His Philippo auctore Franciſcus Spinula eſt præfectus, homo præter domeſticum ſplendorem, geſtarum rerum gloria admodum inſignis. Proceſſerat interim Veneta claſsis ad Rapallitanum ſinum, decem millia paſſuũ Genuæ propinquum: ibi in anchoris ſtabat, quum ad illius famam Spinula tanta celeritate ex urbe mouit, ut quædam è numero nauium prætoriã eo die aſſequi nequiuerint. Ibat Ligur animorum ac fiduciæ plenus, quam recens ſuorum ad Padum victoria faciebat. Quum prima igitur illuxit aurora, ad Rapalli promontorium (Caput montis hodie uocant) quia in conſpectu iam erant hoſtes, ſuos corpora curare iubet: inde quæ ad pugnam eſſent neceſſaria, expedire. Nec poſtea multum cunctatus, ſed ſecũda uſus aura, dato ſuis ſigno, ipſe quaſi eam aduerſarum nauium in quã primò fuiſſet inuectus, alto mari depreſſurus, uelis in ſummum mali ſublatis in Venetum uadit. Senſit Spinulæ conſiliũ Lauretanus: pugnamq; detrectanti ſimilis, quàm maxima potuit celeritate ſe ſinu proripuit. Sequitur eũ uelut fugiẽtem alacri clamore Ligur. ſed ubi eſt eò Venetus progreſſus, unde in hoſtem rediens uentũ à puppi haberet, continuò triremium proras in Ligusticam claſſem flecti iubet: quem in pugnam ferociter redeuntem Spinula intrepidè excepit, manuq; utrinq; auidè conſerta, cruentum initur prælium: uis telorum ingens dextra læuaq; & à fronte cadens, multos ex utraq; claſſe conficiebat. Et iam tres Venetorum triremes à Ligure premebantur, quas ille ab initio pugnæ circumſteterat: eas conſpicatus Spinula, ratus uel minima uiriũ acceſsione facilè à ſuis opprimi poſſe, impulſis uehementer remis aduolat: quem ui remorum & æſtu uadentem, longa Florentinorum nauis ex tranſuerſo inuecta ita impulit, ut parum abfuerit quin prætoria in latus depreſſa, ſit ibidem undis abſorpta. Verùm dum ea ægrè remigum nixu erigitur, hoſtis repentè proram occupat: atq; ita accidit, ut in eadẽ naui ex pupi Ligur, hoſtis ex prora acriter dimicarent. Sed tanto ardore hic atq; ille pugnam ciebat, ut æſtu aliquanto concitatiore pelagus feruens, utranque nauim penè obruerit. Apprehenderat interea harpagonibus iniectis octo hoſtium triremes Venetus, quæ acri ſe certamine tuentes, ubi prætoriã nauim in diſcrimen adductam uidere, facta deditione in Lauretani poteſtatem uenerunt: reliquas malè habitas, celeriq; fuga dilapſas, uictor Venetus iam pugna feſſus perſequi nõ potuit. Victrix claſsis ad Rechum admota eſt: quod oppidum Fliſcus uoluntaria deditione recepit. Inde Liburnium reditum: octingenti ex utraq; parte poſt naualem pugnã deſiderati: ſaucij ad quatuor millia fuiſſe dicuntur. Lauretanus Spinula præfecto cum octo nauium gubernatoribus & tribus conſiliarijs eo prælio captis, Florentiam primò, inde Venetias miſſo: ipſe in ſuperũ mare ſupplementi cauſa claſſem reducturus, quum ad urbem Veterem appuliſſet, Eugenij rogatu quoad munitiſsima arx quæ portui imminet reciperet, ſtationem illic habuit. Ea uerò paucis diebus recepta profectus inde, extremam Italiæ oram circũuectus Corcyram applicuit. Fliſcus & Adurnus poſt Lauretani digreſſum quum ex Piſis ſe Florentiam conferrent, ut in luce hominum eſſent uſq; ad Lauretani reditum, à Rufetio quodam Ticinẽſi inſidijs excepti, dum ſe fortiter tuentur ne in hoſtium poteſtatem uenirent, uulneribus confecti occubuerunt.

A Hæc in maritima inferi maris ora. In Gallia uerò poſt Padanam pugnam Philippus in melioris fortunæ ſpem elatus, quaſi ſuis præſentem uictoriã gratulaturus Cremonam uenit. Erant tum Veneta caſtra ad Summam, locum Pado propinquũ: quò Philippi duces poſt illius acceſſum dimicaturi, ſi per hoſtem pugnandi copia facta eſſet, quadrato agmine acceſſere. Nec Venetus imperator pugnam detrecta-
uit. Magno utrinq; animo in aciem eſt deſcenſum: ac tanto ardore dimicatum, ut (quod rarò accidere ſoleat) paucæ equitum turmę fuerint, pauci peditũ manipuli, qui eo die non manum conſeruerint. Demum fortuna adhuc neutrò inclinãte, datũ utrinq; eſt ſignum receptui. Reliquæ eius anni expeditiones omnino ignobiles fuerũt, niſi quod circa Octobris idus Caualcabouis induſtria (ducebat is hone ſtum in Venetis caſtris ordinem) Cremona penè capta eſt. Obrepſerat ille cum ſuis concubia nocte ad pomœrium uſq; urbis: ibi inter rubos & uirgulta quibus foſſa obtegebatur, tamdiu taciti delituere, quoad uigiles iam ſole penè exorto ex ſuis ſtationibus abijſſent: quas ubi deſertas uiderunt, ſcalis continuò admotis in ſummũ milites euadunt, firmátq; præſidio murorum ſummitates. Subſtiterat ad tertium lapidem cum legione una Carmaniola, præmi ſeratq; cum ſilentio expeditos pedites: qui quũ maturè affuiſſent, multi per ſcalas prius mœnibus admoras muros ſcandunt: illisq; intra urbem translatis, mira celeritate ad unum deſilientes, oppreſſa ſubito incurſu ſtatione proximam portam occupãt: per eam alij admiſſi irruentium ciuium turbã modico negocio ſuſtinent. Captа erat Cremona, ſi Carmaniola copias ſubſidio miſiſſet: quo ceſſante, tanquam exploratum habuiſſet, inſidias ſibi ab hoſte imminere, qui in urbe erant, paucis amiſsis ſe ad ſuos recepere. Sunt qui tradant, occupatum ſemel
B locum, biduum à Veneto milite retentum: alij (quibus facilius accedo) octo horas tantum. Ea potiundæ urbis occaſione manibus elapſa, Venetus imperator (appetebat iam hyems, ac crebri imbres, qui per autumnum ingruerant, aliquanto annum inclementiorem fecerant) copias omnes in hyberna dimiſit. In Liguria poſt Lauretani digreſſum res parũ feliciter geſta. Nam ubi ad Rapallitanum ſinũ malè à Genuenſibus eſt pugnatũ, Barnabas Adurnus trecentis equitibus à Montferratenſi duce acceptis, omnem ferè occiduam Genuæ oram ad defectionẽ compulerat. Ad eos motus opprimẽdos Picininus miſſus, Adurno cum ſuo equitatu ad Nauarũ uicto, nullũ fuit crudelitatis genus, quod in miſeros accolas non ille exercuerit: nam præter innumeros mortales, quos non uno prælio occiderat, eos etiam quibus fortuna belli pepercerat, carnificibus trucidandos obiecit. Vbi uerò cædis ſatietas cepit, maiores natu cum matronis, uerendisq; ſacerdotibus haſtę ſubiecit. Inde in Montferratenſem hoſtem mouit, cui paucis diebus caſtella circiter triginta ademit. Lauretanus præfectus ubi primùm Corcyrã uenit, ad ſenatum ſcripſerat, ſupplemento opus eſſe: & ut naues quæ proxima pugna concuſſæ fuerant, refarcirentur. Ea Lauretano aliquanto tardius data, ob alteram claſſem quam paucis antè diebus Patres ad Chium Genuenſium inſulam oppugnandam miſerant. Habuit claſsis illa onerarias naues decem: triremes uerò quatuordecim, ac minora alia nauigia, quibus Andreas Mocenicus præfectus eſt: is nauibus ad inſulam admotis, oppidum eiuſdem nominis in ea munitiſsimum terra marique obſidione cinxit: quod machinis alijsq; operibus bellicis duos & amplius menſes oppugnatum (quia ualido teneba tur præſidio) capi non potuit. Conſtans interim fama erat, uim nauium ingentem Genuæ parari, multosq; ad id milites longa obſidione ſibi deeſſe Mocenicus ſentiebat: quia omnino inde abire in animo erat:

mo erat, ne nihil actum uideretur, quod reliquũ in inſula fuit, iratus Venetus fœda populatione uaſtauit, uinetis felicibusq; arboribus paſsim ſuccisis. Antè Hadriaca claſsis inde abducta eſt, q̃ ex Genua ſubſidia ulla uenirent. Audito Venetorũ digreſſu triremes aliquot cum paucis onerarijs per hyemem in inſulam hoſtes miſere. Æſtate quæ ſecuta eſt, ualidior omnino claſsis Petro Spinula præfecto domo eſt profecta, quæ onerarias naues habuit quatuordecim, triremes ſeptem cum octo bellatorum millibus. Ad primam illius famam Veneti & ipſi claſſem quæ Corcyrę erat, maiorem in modum auctam: ita ut trium ſupra triginta nauium ſit numerus expletus, Genuenſium conatibus oppoſuere. Mouit Lauretanus ex inſula, ac mira celeritate, dum hoſtis Trinacriæ oram legit, Siculo freto ſuperato ad Liburnium, unde paucis antè diebus Ligur profectus erat, conſedit. Spinula & ipſe ocyus quàm ullius expectatio eſſet, circa Corcyram conſpectus, ingentẽ curam ciuitati attulit inſulæ præſidio muniendæ. Pro magno itaq; negocio Patres habuere, Lauretano per literas ſignificare in quanto diſcrimine Corcyrenſium res eſſent, ni maturo aliquo ſubueniret præſidio. Ille periculi admonitus, ſex lectiſsimas ex omni claſſe triremes eò ad præſidium miſit: quibus quatuor alijs adiectis, ſenatus Sylueſtrum Mauroce num præfecit: mandatumq; ei eſt, ut Ligurem quacunq; uorſum flexiſſet, perſequeretur, tutaretur q; maritimam oram cum ipſo ſinu. Quũ hæc mari gererentur, Picininus Montferratenſium principatu euerſo, in Cremonenſes reuerſus, Turriculã & Bordelanum paucis diebus recepit. Sed id eo magis omnes mirati ſunt, quo propius uiciniusq; Carmaniola copias habebat. Indignitate rei doloreq; adacti Patrum animi, quod iam antea parturierãt, tum demum parere cœperunt. Erant non pauci, quibus
A ab initio illius fides ſuſpecta fuerat: ij apertè in ſenatu uociferari, non modò non extinctam ſuſpicionẽ illam olim de homine à ſe conceptam, ſed ad eam diem uehemẽter etiam auctam: augeriq; propemodum indies amplius, quum nihil in eo uiro cernerent, quod præter imperatoris nomen non idẽ hoſtile, Veneto q; nomini inimicũ eſſet. Alij non prius adduci potuerunt, ut in ſuſpicionis crimen hominem deuocarent, q̃ manifeſta perfidiæ ſigna in eo extitere. Retulerunt & ad ſenatum nonnunquã publici aduocatores, redigendum eſſe hominẽ in poteſtatem: ac ſi quæſtione adhibita perfidiæ conuin ceretur, de eo ſupplicium ſumendum. Declarauit ea deliberatio, quæ diu tenuit, quanta Venetorũ patrum in agendis ſit rebus taciturnitas, quãta publicorum conſiliorum fides. Euocato nanq; ad hoc ſenatu, qui ex pluribus magiſtratuum ordinibus conficitur, quum ad primam faciem Patres curiam ingreſsi eſſent, uſq; ad lucem ea conſultatio protracta eſt. Erat tum Venetijs Carmaniola, qui dum manè principem ſalutatum ueniſſet, hilari frõte ab eo ex curia exeunte queſiuiſſe dicitur, Matutinã ne, an uespertina potius (quia poſt cœnam non quieuiſſet) uti deberet ſalutatione. Cui ſubridens princeps, ſenatum dixit magna animis uoluentem, peruigili illa diſceptatione nihil tam frequens quàm eius nomen in ore habuiſſe. Moxq; ne qua ex ea uoce inna
B ſceretur ſuſpicio, ſermonem ad alia conuertit. Interceſſerunt conſultationem illam ac ſupplicij diẽ mẽſes fermè octo, quibus adeò perpetuo conſtantiq; ſilentio res compreſſa eſt, ut ne minima quidem ſuſpicio aut coniectura ad Carmaniolam peruenerit: quum multi alioquin ex eo ordine, & longa familiaritate coniuncti, atque admodum inopes eſſent, quorum quiliber quantumuis auri ea confeſsione reo exprimere potuiſſet. Temporis igit ſpatio (quia cum Philippo iam de pace agi cœptum erat) accerſitus ille Patrum literis Venetias uenit. Eum Patauino flumine ſcapha deuectum, frequentes Patricij de more mutua gratulatione exceperũt, exceptũq; in curiam, haud ignari eorum quæ pararent, præcipua comitate perduxerunt. Hic ſubiectus queſtioni, & literis quas ſuas eſſe negare non poterat, & domeſticis teſtibus cõuictus, undetricesimo die poſtq̃ in cuſtodia eſſe cœperat, ad Geminas columnas ſecuri eſt percuſſus, eius bona in publicum ſunt redacta. Accuſationis capita fuere: ſubſidium Triuiſano denegatum, & Cremona perfida cunctatione Philippo ſeruata. Ante ſupplicium de eo ſumptũ, Mantuano principe illis ipſis diebus in quibus Carmaniola Venetias accerſitus erat, in Galliam ad exercitum dimiſſo, reipub. ſumma Georgio Cornario, & M. Dandulo legatis decreto permiſſa eſt: quibus in prouinciam nondum profectis, Picininus proſperarum rerum curſui inſiſtens, uictoriam uel Carmaniola præſente inchoatam ſtudio ſequebatur: & niſi pontem Ollio impoſitum oppugnans graue uulnus accepiſſet (quo aut pereundum illi, aut diutius langueſcendum medici iudicarunt) breui omnia quæ Veneti in Cremonenſi ad eam diem tenuerãt, recepiſſet. cuius cladis audaciſsimo hoſti inflictæ nuncius effecit, ut Montferratenſis Marchionis, quę principatu Picininus deiecerat, aduentus lætior ali quanto fuerit. Is poſtquam ſuas opes fractas uidit, Alpes tranſgreſſus per Taurinos in Germaniã trãſijt: inde Tauriſium delatus, ad Venetos belli ſocios confugit: ubi tanta patrum munificentia & liberalitate acceptus eſt, ut neq; patriæ, neq; amiſsi principatus (ut ipſe poſtea prędicare ſolebat) ſentiret deſiderium. Seneſcentibus interim in Gallia Philippi rebus, in Hetruria quoq; nihilo meliores erãt. Nam & Tollentinas pontificis ſtipendia emeritus, mox & à Florentinis accerſitus, facto in Senenſium fines impetu omnem maritimã oram prædabundus excurrit. Iunctis inde cum Attendulo copijs, cum quo ſciebat ſibi æquatum imperium, aliquot Seneſi populo locis ademptis, omnia Piſani agri oppida breui ex hoſte recepit. Demum ad montem Topulum cum Philippi copijs acie congreſſus, Bernardinum Vbaldinum ingenti prælio uictum cum tribus millibus equitum cepit: alij mille equites, nõ amplius captos dicunt. Eodem die quo ita ad Topulum pugnatum eſt, Sigiſmundus Caroli filius, Bohemiæ atq; Vngariæ rex, qui ingentibus Philippi adhortationibus cum quatuor millibus equitum in Italiã trãſierat, Lucam ingreſſus eſt. Fuerat is per aliquot dies Mediolani, ubi ferrea de more corona donat⁹, Romam profecturus Philippi ſuaſu, ne cum Florẽtinis hoſpitij nomine gratiam aliquam iniret, Lucam cõceſſerat, mox inde Senas tranſiturus. Eò Florentinorum iuſſu Tollentinas & Attendulus copias admouere: in quos circa urbem copias circumferentes tradunt impetum à Barbaro factum: fuiſſeq; Pannonij equitatus impreſsionem audaciſsimam, ita ut eorum nonnulli ad tabernaculum uſq; Attenduli peruenerint: in quibus Barbarus ingenti præditus ſtatura, prægraui q̃ clava dimicans ducem ipſum grauiter percuſſerit. Eum uerò ferrea caſſide ſeruatum, haud ultionem diſtuliſſe, ſed uibrato repente gladio medium tranſfixiſſe hoſtem. inde Barbaros cum Lucenſibus fuſos, aliquot fortibus uiris amiſsis, intra mœnia trepidè compulſos. Sigiſmundum poſt aduerſam pugnam Senas demum conceſsiſſe aiunt: ubi aliquandiu cum Eugenio graues exercuerit ſimultates: mox crebris legationibus citro ultroq̃ miſsis in gratiam cum Pontifice reuerſum Romam abijſſe, ubi poſtea imperij ſit inſignitus diademate. A Lauretano nihil ferè memoria dignum ea ætate in inferi maris ora eſt geſtum: Sigeſtini tantum terra mariq̃ aliquandiu obſidione preſi: ſed res parum feliciter tentata, amiſsis nanq; nauibus ſocijs ex his quos

quos cum Abramo Fregosio ad terrestrẽ oppugnationem miserat,infecta re inde classem abduxit.Fecit &in Clauarensem agrum impetum,unde leuem omnino abduxit prædam. Secundum hæc classis domo reducta est. Nec meliori Ligur æstate illa usus est fortuna,sed aliquanto etiá deteriore:etenim circa Trinacriam tẽpestate iactatus tres longas naues amisit: nec re ulla deinceps memorabili gesta sub autumni exitum classem & ipse domum reduxit.In Gallia interim Sanctes Venerius, qui Dandolo petenti suffectus fuerat,&Cornarius legati rempub.ab initio præclarè administrarunt,Bordelano, Ruminengo,Fontanella,ac nouissimè Soncino Philippo ademptis.Erantque in hoc uictoriæ cursu res Venetæ,quum Mantuano principe domum decedente cœptum est de pace agi:Montferratẽsis principis rogatu Patres Fantinum Michaëlem Ferrariá miserunt, auditurum tantum quæ pacis conditiones ab hoste afferrentur. Miserunt & Florentini eò Pallantem Strocium. A Philippo Franciscus Gallina ad hoc ipsum eò iam antea fuerat missus. Sed dũ Ferrariæ de pace agitur,legati mõtanos incolas adorti,uallem Camonicam primò, inde Tellinam armis subegere.Successit interim Venerio Daniel Victurius, qui Cornario in Tellina ualle coniunctus auctor fuit Abduam in hosticum ponte superandi. Sed ea expeditio terrore ab hoste iniecto Veneto irrita fuit:obtinebat nihilominus interea Cornarius trium millium hominum præsidio Tellinam uallem.Eò à principibus Gibellinæ factionis, quæ Philippo fauebat,Picininus accersitus, uallem tumultuose ingressus haud mediocri clade accepta repulsus est.Quo successu quum Veneti ferociam ad omnia audenda promptiorem factam callidus hostis non dubitaret:postero die reuersus, iniecto de industria certamine legatum ipsum cum toto præsidio insidijs excepit,exceptumq; adiuuantibus subi B ta defectione accolis cum omnibus ferè copijs oppressit.Trecenti equites eruptione per medios hostes facta in auersos saltus abiere. Capti eo prælio præter Cornarium,Thaddæus Æstensis,Cæsar Martinengius,Italus Foroiulianus,Baptista Capitius & Antonius Martinascus,clarissimi ea tempestate ductores.Nec circa Padum res in ocio fuere.Sed dum hæc in montibus geruntur, Philippi duces Casale maius & Brixellum recepere.Tellana clade nuncia ta confestim relatum est ad Patres de nouo imperatore eligendo.Senatus Mantuano principi,licet suffragijs aliquantisper uariantibus, copiarum omniũ imperium decreuit: quo recepto ad bellum continuò ille profectus est, ac uallem Camonicam, quæ interim defecerat,subito aduentu recepit: Contareno inde consentiente, quæ in Cornarij locum fuerat suffectus (iam enim bruma aderat) in propinquas ualles copias ad hyberna dimisit.Pax per eam hyemem agitata, demum sub uernum tempus his conditionibus secuta est,ut Philippus Brixiani Pergomensiq; agri locis, quæ interim quum de pace ageretur receperat, prorsus decederet : Montferratensem Veneti nominis socium, in amissum eo bello reduceret principatum (quanquam non desunt qui in Sigismũdi gratiam id antea à Philippo prẽsti tum dicant)Lodouico Vermio,& alijs qui Veneto imperio eo bello militassent,antiqua rerum redderetur securitas:captiui illustres ex fœdere utrinque restituerentur.In Volaterrano & Pisano oppida Florentinis adempta Philippus redderet:daretq; ad id operam, ut Senenses quoque quæ Florentinorum occupassent,intra mensem relinquerent:quod si illi facere recusassent,nullis eos postea auxilijs iuuaret.De Lucensibus Thoma Fregosio, & Lodouico Plumbinate (nam hic quoque Florentinos eo bello oppugnarat) ita comparatũ est, ut redderẽt quæ Florentinis ademissent:nec Plumbinas in Philippi A partibus censeretur:Fregosio uerò,ne earum quidẽ alteri liceret ascribi. De Ponte Tremulo tenuit aliquandiu disceptatio:obtinuit tamen Philippus,ut id oppidum retineret:uerùm ea conditione,ut quę in Florentinorum partibus mansuris ademit,restitueret.Cornarius non redditus ita Venetorum animos sollicitos habuit,ut pacem pro infecta habendam Patres censerent,nisi Philippus patricium suũ ex fœdere restituisset : sed legati ad hoc missi eum ante diem uita decessisse iureiurando affirmantes, Principi ac Patribus Philippi nomine satisfecere.

IN LIBRVM II.

Epitoma.

Franciscus Sfortia Picenum agrum & Vmbriæ partem occupauit:Eugenius pontifex ex urbe pulsus est:Omnes Sfortianæ & Brachianæ copiæ in Vetrallensi agro penè conflixere:Bellum à Picinino in Sabinia propemodum est reparatũ: Picininus sociales copias ad Himulam ingenti clade superauit:Marsilius Carrarius capitali supplicio est à Venetis affectus:Genuenses Alphonsum regem nauali prælio ad Caietam uicerunt : Genua à Philippo defecit: Luca graui obsidione à Florentinis pressa est: Constantinus Palæologus imperator & multi Christiani nominis antistites Ferrariam de re Christiana cum Pontifice acturi conuenere: Venetæ copiæ ad Abduam penè interceptæ sunt: Cosmus Medices Venetias publico nomine est missus:Sfortiæ & Picinini circa Alpes expeditiones : Sfortia cum Philippo & Florentinis fœdus percussit: Picininus multa in Bergomati & Brixiensi agro loca Venetis ademit : Benaci lacus descriptio : In Camonica ualle à Venetis prosperè pugnatum est. B

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARUM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER II.

CVm Philippo quatuor deinceps annis neq; certa pax, neq; bellum fuit, Eugenium illo clàm primò, mox aperto bello oppugnante:contrà Venetis aduerso fœdere nitentibus, ut & popularem suum in pontificia retinerent dignitate omnia molientibus . Multi interim citro ultroq; armorum conatus, multisq; locis uario euentu pugnatum:suspiciones adhæc mutuę & insidiæ,non solùm foris, sed domi etiam hostiliter intentatæ, de quibus abundè suo loco dicetur. Nunc quæ procul domo sunt gesta,breuiter explicabo,ut planè sciri possit, unde bellum sit Venetis postea cũ Philippo in Gallia renatũ. Implicauerat ile ab initio sui pontificatus Eugeniũ domestica, ut dixi, seditione,unde sub belli Gallici secũdi exitũ grauissimè discordiæ domi forisq; exarsere : quæ licet quandoq; cõpressæ uiderentur,nunquá tamen omnino restingui potuerunt: sed alijs atq; alijs locis emergentibus, ita demum longè lateq; furor ille armorum processit,ut nulla fuerit Romanæ ecclesiæ prouincia,nulla ciuitas,nullus deniq; locus,in quo non sit aliqua ex parte laboratũ. Et ne nimis longè repetatur historia,pacatis Cisalpinæ Galliæ rebus, Franciscus Sfortia ægrè ferens copiarũ imperium à Philippo iam antea Picinino demandatũ; etsi futuræ affi-

ræ affinitatis spem sibi à Vicecomite factam uidebat,non potuit tamen ferox iuuenis stomacho tẽperare:sed ab eo post longam efflagitationem exauctoratus, quasi Renati regis partibus militaturus, qui deNeapolitani regni possesione acri bello cum Alphonso rege disceptabat, ex Gallia cum duobus millibus equitum,ingentique peditum robore profectus,per Flamminiam in Piceenum agrum tumultuose erupit:ubi ita pacata omnia prædio; nuda offendit,ut post multam prędam & rerum agrestiũ rapinas,urbes, uicos, arces, omne denique Picœnũ nomẽ,partim uí,partim uoluntaria deditione subegerit. Præstitit ea expeditio commodissima Sfortia nis hyberna.Sub uernũ tempus Picininus(cui Sfortiæ successus semper suspectissimi fuere) Philippo auctore ad opprimendos illius conatus ex Gallia profectus cum mille lectis equitibus, quasi saluberrima quæ in agro Senensi sunt, balnea frequentaturus,in Hetruriam uenit: inde per internuncios cum Nicolao,cognomento Stella,egit,ut collatis in unũ copijs rem communi consilio in Pontificem & Sfortianos gererent. Tenebat Stella per id tempus aliquot oppida urbi circumiecta: Eugeniumq; ex propinquo Columnensiũ factione fretus, grauiter infestabat. Atque ita Romanæ ecclesiæ opes, uelut ad prædam in medio relictæ, uno tempore à duabus inimicissimis lacerabãtur factionibus : quæ etsi nõ multo antè erant in terra Italia ortæ, omnes tamen alias & uirtute armorum & potentia longè anteibant. Sfortia inter hos motus ex hybernis profectus,in Vmbriam primò transijt.hic miro rerũ successũ Turdeto,Ameria, & alijs plerisque locis subita deditione receptis, traiecto Tyberi omnia metu & trepidatione complens,in Viterbiensi agro consedit. Ciues illum commeatu iuuerunt, adhortatiq; dicuntur ad pontificis partes, quas ille Eugenio reconciliatus sequi cœperat, aduersus Brachianos hostes tuendas.Habebat tum castra Picininus ad Faliscum montem:quod ideo magis à Sfortia propera tum credibile est,ne ille cum Nicolai copijs(quę circa urbem tunc erant) suas per occasionem iungeret : malebat utique cum solo pugnare, si dimicandum fuisset, quàm de summa rei cum tota Brachiana factione(quod penè accidit) decernere. Interim Eugenius Brachianis opibus Columnensiq; familia annitente,pontificia domo eiectus, in Hadriani molem se trepidè recepit:mox uerò secundo Tyberi inter tela ex utraque ripa in eum coniecta Hostiã delatus Florentiam abijt. Eo ex urbe pulso Bactrianis uictor ad Sfortiam opprimendum animum adiecit.Ille Michaële Attendulo omnibus q́ue Sfortianis uiribus in unum contractis penè inuictũ comparauerat exercitum. Picininus & Stella inter Viterbium & Rispampanum castra contulere : eoq́ue & Sfortia copias admouit:quo accidit ut exiguo inter uallo omnes duarum illustrium factionum opes, (quod nunquam antea contigerat)bello decreturę coiuerint. Certus erat Sfortia acie dimicare, si pugnæ copia ab hoste fieret:& iam Vetrallensem saltũ peditum robore insederat: apparebatq́ue,Brachianos ingentem eo die cladem accepturos fuisse, nisi Vrbanus Dertonensis Philippi legatus interuenisset,qui medius inter utranque aciem uolitans,cum lachrymis nunc hos nunc illos orare, obtestariq́ue per Philippi nomẽ, ne tantum nefas committerẽt: ne obliuiscerentur,se sub uno principe stipendia fecisse,sub Philippo coalescere & florere cœpisse : Acies ipsas si non nomine, re tamen amicas & quodammodo cognatas inter se esse : alteratrius partis uictoriam Philippo funestissimam fore : respiceret eũ,cui se æquè charos esse non ignorarent: cui quic quid nominis , quicquid armorum in utrisque castris esset,acceptum referri oporteret. Valuit tanti principis uel absentis apud utrosque auctoritas:cõ A

B

presisque armis ad pacem continuò spectare cœperunt. Estque ita demum inter eos comparatum, ut Picininus in Galliam rediret : Sfortiæ uerò municipijs,quæ Stellæ præsidio circa urbem tenebantur,inuiolatis circumferre quà uellet arma liceret. Sed Picininus (cœperant credo displicere illi pacis conditiones)haud multo pòst in Sabinos, ubi bellum repararat,Sfortiam pertraxit, qui traiecto Tyberi Otriculum contendit : Brachiana castra haud procul inde ad Mallianũ erant. hic leuibus quibusdam prælijs commissis, pluribus Philippi legatis interuenientibus petijt Picininus, ut liceret sibi incolumi exercitu inde in Galliam abire.Quod à Sfortia iamdudum morbo implicito, haud grauatè impetrauit. Et iam per pacata eiloca erat Picininus Flamminiam ingressus,quando circa Himolam illi ab Eugenio Venetis & Florentinis,qui fœdus inter se iniuerant,ingens obiectus est exercitus.Contraxerant ij illustrium ductorum copias, ut Bononiã (quæ Cannedulis auctoribus ab Eugenio defecerat)graui bello premerent.Et iam aliqua Bononiẽsium oppida erant recepta,quum auersa ab ipso bello cura ad Picinini transitum impediendum Pontificis & sociorum consilia spectare cœperunt. Igitur demandato Tollentinati imperio,ad Himolam sociales copiæ castra muniuere. Picininus & ipse non multo pòst in Himolensi consedit.Erant cum Tollentinate ipso Paulus Vrsinus,Cata Mellita,Guidãtonius Fauentius,Thaddæus Æstensis, ac plerique alij uiri illustres. Acciderat interim quod Mellita tumultuario prælio ad ducẽtos equites hosti ademerat:quo factum est,ut alij tum æmulatione,tũ quoque prædæ cupiditate accensi, prælium immoderatius poscerent. Quo temerè commisso, fusis fugatisque reliquis Tollentinas cum Æstensi & Vrsino ac plerisque alijs,qui clara ad eam diem fecerát stipendia,in hostiũ potestatem uenere. Capta eo prælio equitum tria millia,peditum mille dicuntur: & quæ eius seculi fuit militaris mollicies, quatuor ea pugna non amplius occubuisse dicuntur,triginta leuiter uulnerati. Victor hostis Bononiam concessit, à quo incepto eum auertere Pontificem & socios uoluisse credere æquum est.Constabat enim Philippum (à quo ille in Hetruriam reuocabatur) apertè Bononiensibus fauere. Cannedulorum inde precibus Franco oppido aliquandiu frustra oppugnato, in Galliam Picininus, Francisco filio in Bononiensi cum sexcentis equitibus relicto,abijt.Creditum postea est,eum equitatum à Picinino cum filio dimissum,ut Marsilio Carrario,si Paduam occupassет, cõfestim præsidio adesset. Fuerat is eius Francisci filius,quem tricesimo antè anno in uinculis cũ duobus filijs iussu Patrum necatũ ostendimus.Eum ex Pannonia accersitum aliquandiu Philippus in Gallia occultum habuit:subornatisq́ue interim Patauinis quibusdam,magnis hortationibus persuasit, ut Marsilio in urbem accepto portas &arcem, quę nullo tunc tenerentur præsidio,occuparét : nec aliquo modo dubitarent unde sibi petenda essent auxilia: paratum se esse,confestim omnia eis subministrare, quæ ad urbis & ciuium salutem attinerent : militẽ, pecunias,commeatũ : &, quod omnium utilissimũ esset,se ipsum ualido exercitu affuturum : Veronenses adhæc Vincentinosq; dicere,clandestinè ad defectionem spectare. Quod ab eo confictum postea compertum est,ut commodius ad id facinus Patauinos impelleret. Quum his igitur alijsq́ue pollicitationibus facinorosos quosdam ad infandam illeproditionem compulisset: ad Idus Martias dies dictus erat, quo Marsilius Patauium ingrederetur: & iam mutata ueste uelut negociator ex Germania Romam profecturus Vincentinos fines paucis comitantibus attigerat: eratque sequenti die urbẽ ingressurus, dum à paucis (quibus iam inde à patris princi-

principatu notus fuerat) cum socijs captus Venetias perducitur. In eum & duos Philippi amicos, qui illius iussu Marsilio hærebant, ac Patauinos uiginti coniurationis consocios, capitali supplicio animaduersum est. Nec quidem multo pòst Picininus cum florentissimo equitatu in Flamminiam reuertitur. Ad cuius conatus euertendos Franciscus Sfortia ab Eugenio, cum quo certo fœdere iam in gratiam, ut diximus, redierat, ex Vmbria est accersitus. Fœderis conditiones fuere, ut Sfortia pontificis & collegij decreto quoad uixisset, Piceni agri Marchio esset, haberetque copiarum omnium quæ Romano pontifici mererent, imperium: annua ad hæc trium millium equitum ac peditum mille faceret stipendia. Laboratū igitur in eo motu aliquandiu in prouincia erat, uagataque citro ultroque Barchiana arma: & iam de pace agi cœptum erat, quum Florentini mira celeritate rescisuere, Genuenses Alphonsum regem ad Caietam nauali prælio uicisse: atque eum captum cum duobus fratribus, Ioanne rege, & Henrico infante, Ioanne Antonio Tarentino principe, & alijs trecētis illustribus uiris Genuam perducere. Quo factum est, ut pax æquioribus conditionibus utrinq; data & accepta sit, priusquam uictoriæ nuncius ad Philippum peruenisset. Ob eam pacem res Hetruriæ, Galliæ & Flamminiæ omnino quieturæ uidebantur, nisi quia per eos dies ob Cremonensis agri fines inter Philippum & Venetos renouatæ erant contentiones: ad quas è medio tollendas, præter Nicolaum Æstensem, ab initio eius rei utrinque arbitrium conditum: Eugenius quoque diligentissimam impendebat operam, quum inopinatè affertur, Genuam, Opicino Alzate præfecto urbis cęso, à Philippo defecisse. Defectionis causam inde aiunt orram, quòd Alphonsum & qui cū eo capti fuerāt, Philippus inuitis Genuensibus Mediolanum perducendos curauerat, eosq; regali apparatu acceptos, non ut hostes, sed hospites habitos à se, nō multo pòst dimiserat. Franciscus Spinula secundo bello Gallico à Lauretano captus, eius fuit defectionis auctor: is cum nobilibus aliquot Ligustici nominis, qui cum eo ad Ripallitanum finum uicti in Venetorum potestatem uenerant, Venetijs habitus: identidem à patricijs, cum quibus colloquia habere solebat, dicitur admonitus: indignum, ac penè miserabile uideri, Genuam splendore rerum terra marique gestarum insignem urbem, ad libertatem & imperium natam, & quæ tū quoque nonnullis urbibus in extrema Europa imperaret, ita uiuidos illos maiorū animos exuisse, ita prostratam, suique splendoris immemorem iacere, ut insolentissimo tyranno tam ociose pareret, q̄ quæuis ciuitas ad seruitutem nata. Irent, & quando non solum turpe esset, sed miserum etiam cuiquā seruire, sibi indignum illud superbę tyrannidis demeret iugum: non auxilia, non pecunias, non classem, non denique aliquid quod ad propulsandam attineret iniuriam, eis defuturum: paratos esse se cum Florētinis socijs (& in Philippi inuidiam, & quia æquū ducerent, eos qui liberi essent, aliorum libertati cōsulere) non minus Genuensium salutem, quàm propriam tueri. His uocibus animati illi Genuam uenere. sed Spinula postliminio reuersus, quia Philippo se suspectum senserat, Caietam uoluntario exilio concesserat. Sunt qui tradant, eò à Vicecomite missum, ut urbi præsidio esset: quam quum eius in primis opera ab Alphonsi regis incursu seruatā constaret, ratus ea ratione satis superq; se Philippo gratificatum, fidemque suam in eo abundè illi probatā: Genuam post Caietanam uictoriam redierat, ubi à magistratibus urbis parum amico uultu acceptus, auctor populo extitit sese in libertatem uindicandi. Genuensium igitur defectione nunciata, Picininus continuò in eos mouere iussus, nulla re memorabili gesta in Liguria aliquandiu fuit. Florētini Venetis auctoribus Genuenses frumento mercenarioque milite iuuare cœperunt: nihil fœdera reuerenti, quæ utique Philippus antea uiolarat: quippe qui contra pacis conditiones icto cum Alphonso fœdere se Neapolitani regni rebus immiscuerat. Sed de fœdere huiusmodi quod nō diu tenuit, apud quosdam nihil reperio. Pontifex Bononiam haud multo antè Cannedulis cedentibus receperat, ubi de instauranda pace cœptum erat agi. Ad cuius conditiones aliquanto æquiores ut Philippus inclinaret, Franciscus Sfortia fecerat, qui ex Picæno in Flāminiam pontificis iussu transiuerat. ferocissimo nanq; hoste ex propinquo conspecto nonnihil ille ex sua remiserat pertinacia. Erant ubique ferè induciæ ob spem componendæ rei à pontifice factam: quū subiti Genuensium motus Aragonio præsidio ex arce, quæ ad portum Veneris est, in maritima Ligurię ora eiecto, omnia turbarunt. Tenebat Alphonsus rex tria in ora illa littorali oppida, quæ à Philippo non multo antè dono acceperat. Ad eam igitur pulsi præsidij famam ex Parmensi Picininus excitus (Philippus apertè iam Alphonsi partes tuebatur) ad arcem recuperandam aduolat: quam quum natura & armis inexpugnabilem uidisset, conuersis aliò signis Serzanam occupat. Inde Castro nouo alijsque locis in eo littorali tractu captis, Macra fluuio contra antiqua recentiaq; fœdera superato, Lucam se contulit: compulsisque Lucensibus ad pacē, quam cum Florentino sanxerant, uiolandam, Pisanos fines adortus, confestim nonnulla ademit Florentinis oppida. Sunt qui tradant, Picininum à Lucensibus accersitum, qui Bargam oppidum à Florētinis repetebant: ac interim quum Bargenses oppugnantur à Ciarpellione & Petro Brunorio à Sfortia missis, feliciter in Picininum pugnatum. Afficisset ille omnino Florentinos subito illo motu aliqua maiore clade, nisi spe Genuæ per seditionem recipiendæ oblata, relicta Hetruria citato agmine in Liguriam abijsset. Interim Sfortia superato Amo fluuio, quæcunque hostis oppida in Pisano agro occuparat, breui recepit: admotisque ad Lucam castris, præsidijsque circa portas communitis, graui cœpit Lucenses premere obsidione. Picininus autem sua expeditione fruſtratus, in Parmensem se recepit, cō meatus & supplementi inde petendi consilio. Sed dum tardius omnia expediuntur, Lucenses interea segeribus, partim ante messem corruptis, partim ubi maturuissent ab hoste defectis, ad tantam rei frumentariæ inopiam deuenerāt, ut nisi aliena ope adiuti essent, appareret ciues non multo pòst uel inuitos deditionem facturos. Obiecerat adhæc Sfortia se Picinino Lucensibus auxilium ferenti in ipsis Apennini anguſtijs: reque parum feliciter tentata, hostis desperato transitu post uarios conatus cessit. Instabant Veneti qui in armis erant, ut accisis Lucensium rebus, ita ut ab illis deditio omnino fieret, Sfortia cum parte copiarum in Galliā trāsiret. Siquidem in animo habebant, Abdua superato, præsidioque in ulteriore ripa impositio, Mediolanēsem agrum inuadere, unde Philippum pecuniarū uim ingentem exigere constabat. Apparebat eo fœdè populato, ferocissimi hostis opes ita accisum iri, ut armorum (cuius rei appetentissimus esset) oblitus, ad pacem quibuscunque conditionibus amplectendam cogeretur. Id Florentini indignè ferre, Venetisque ex eo inuidiam facere, quasi pati non possent, Lucam, urbem in Hetruria non ignobilem, in sociorum potestatem uenire. Sed tantum abfuit ut Veneti in id crimen deuocari debuissent, quòd confestim desperato Sfortiæ accessu, Franciscum Gonzagam suarum copiarum imperatorem creatum ad eam expeditionem miserint. Erat tunc, ut dixi, Bononiæ Eugenius, quò se ex Florentia contulerat, ut certo

certo aliquo eam firmaret præsidio. Ad portam igitur, quę Galera dicitur, muro, fossis & aggeribus locum in speciem arcis summa ope muniendum curauit. Ea munitionis ratio, & Antonij Benteuolij cędes (quem nouiter in urbem restitutū, quia populo charissimum uidebat, Baldessar Offidanus urbis præfectus securi percusserat) ita Bononiensium animos à pontifice alienarant, ut defectio quę non longo interiecto tempore postea secuta est, his causis, non alijs ullis orta dicatur. Sed dum Eugenius Bononiæ esset, Ioannes Palæologus Græciæ imperator, cum Iosepho Constātinopolitano antistite, Demetrio Peloponnesi principe, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæque ecclesię procuratoribus, Trapezuntinis legatis, Iberorumque & Missiorum Metropolitanis pōtificibus, Venetias uenere: unde Ferrariam trāsgressi, cum Eugenio (qui eò ex Bononia processerat) de Christianę fidei unione frequentissimo conuentu egere. Ita sanè acciderat, ut quingentesimo antè anno ex una fide, quæ nomine & re una est, duæ factæ uiderentur: nam non pauca erant, quibus Græci à Romana ecclesia uariare credebantur: qui etsi sæpius ad officium rediere, Imperatorum culpa (quæ nonnunquam ex ipsa negligētia orta est) in antiquam hæresim aliquanto obstinatiore proposito, quàm inde auersi fuerant, recidere unt. Tenuit tantæ rei cogitio, immò disceptatio, non paucis mensibus: resq; ex pontificis sententia (ut postea dicetur) ad exitum perducta est. Sub id tempus, ut diximus, desperato Sforciæ aduentu negocium Abduæ fluminis ponte superandi Patres Mantuano principi demandarant, penes quem copiarum omnium erat imperiū. Militābant tunc Veneto nomini Mellita Tybertus, Brādolinus, Petrus Nauarinus, Guidantonius & Astur Fauentini, Sigismundus Malatesta, Bartholomæus Collio, Guido Ranchonius, Guerrerius Martianus, Antonius Martinascus, ac plerique alij illustres uiri. Mellita igitur, qui rationem ponēdi pontis primus monstrasse dicitur, primam aciem trans amnem ducere iussus, in tempesta nocte cum equitibus (quos ad id negocium paratos habuit) fluuium transnauit: ulteriorēq; ripa per ocium occupata, pedites lintribus noctu cōparatis miro sunt silentio traiecti. Et iam utrinque Venetus iungēdo ponti erat intentus, ut priusquā dies adesset, copiæ traducerentur: quum nocturni imbres ad Alpium radices per noctem effusi (quorum sensus ad exercitum non peruenerat) ita Lariū primò lacum, ac sub auroram Abduam, auxere, ut intumescēte alueo, aquisque circa utranque ripam strepentibus nō modò opus intermissum sit, sed nec lintribus quidem in tāta fluminis rapacitate ullus amplius esset usus. Tentarunt nōnulli ad suos nando redire. apparebat enim, ob ipsam excussorū pauicitatem quum primum illuxisset, essentq; illi qui in aduersa ripa steterāt, à proximis accolis conspecti, fore ut ad unum subitò trucidarentur. Sed qui primi rumidum amnē equis ingressi sunt, uorticibus absorpti alios à transitu deterruere. Postquam igitur lux omnia retexit, sole iam orto uicinorum collium incolæ hostem in utraque ripa fluminis conspicati, primò nouitate rei perculsi, parūper immoti stetere: inde paucitate eorum qui in citeriore parte erant, eorumq; trepidatione animaduersa, Lodouicum Seuerinatem, qui circumiectis uillis hybernabat, ducem secuti, ad fluuium facto agmine procurrunt. Sustinuit intrepidè irruentium impetum Mellita, donec pedites ad suos se reciperent: quorū multi impetu aquarum uicti periere, sed omnino plures fluminis magnitudine natandi peritia superata in ulteriorem ripam euasere. Deinde equite sensim dimisso ipse, Romanum Coclitem imitatus, omnium nouissimus ad suos annatauit. Reigitur parū prosperè tentata, in Abduanam terram Venetus imperator duxit: Lugnianoq; repētè occupato, alia quoque eius oræ oppida breui expugnasset, nisi Picininus eorum fama quę facta erant, excitus, cum ualidissimo exercitu affuisset. Ex Lunensi agro, ubi tūc erat quartis castris ad Padum progressus: hicq; die uno in traijciendis copijs cōsumpto, triduo pòst in conspectū hostium uenit. Venetus qui ferocissimi ducis aduentum aliquanto antea per exploratores compertū habuit, palustri loco occupato (qua unicus hosti patebat accessus) aliquandiu se tenuit: inde, siue inopia, siue metus, castra mutare coēgerit, profecti in pacatum se recipiebant: quum eos ultro cedentes, copijs per montium compendia celeriter actis, Picininus ferociter assecutus in castellū quod est ad Ollij pontem, penè præcipites egit, quingentis curribus qui cum impedimentis sequebantur, interceptis. Rebus igitur lōgè aliter quàm Venetus ab initio existimarat, cadentibus (quippe qui hostē lacessere adorti, ab eo ipsi bello premerentur acerrimo) à Florentinis uehemētius solito efflagitare cœperunt, ut Sforciam trans Padum ad se mitterent. Sed quum alia atq; alia causando, neq; ille neq; Florentini quod tantopere contendebant præstituri uiderentur, ob id saltem Regium usq; Lepidi mittendum postularunt, ut Parmæ timens hostis à gerendarum rerum cursu auerteretur. Siquidē Calepio in Bergomensi euerso, Treschoriam uallem Picininus occuparat: pōte ad hæc tria passuum millia ab urbe expugnato, arcem Bergomo incubante summa ope oppugnare erat adortus. Fatigatus Venetorum litteris Sforcia Regium cōcesit, qui uix bene ex Hetruria mouerat, quum eius aduentu explorato Picininus & ipse Parmam citato agmine contendit. Hic ille (quia iam inde ex quo cum pontifice in gratiam redierat, fueratq; Piceni agri princeps declaratus) haud multum Eugenio fidere. Nam hoc in primis malum in tyrānide est, ut amicorum etiam fides sit suspecta. Veritus ne quis imperus in fratres quos prouincię prętecerat, se absente fieret, Italum Foroiulianum cum una equitū ala in Picænos misit. Reliquerat ad hæc copiarum partem non paruam ad Lucensem obsidionem cōtinuandam. Quo accidit, ut Italo decedente uix cum dimidia legione ille ad Regiū subsederit. Cæterùm Venetis sic quoq; effligitatibus, ut Padum traijceret: cōtrà Sforcia postulante, ut copię sibi ex fœdere explerentur, tempus sine re ulla memorabili terebatur. Picininus interim nihil Lucensium oblitus, fabrorū agrestiumq; operariorum manu ingenti comparata, ad Lucam urbē obsidione leuandā ex Parmensi ire pergit. Sforciani & ipsi per Mutinenses celeri cursu ad Alpes contendunt. Multi hinc inde fuere conatus, prælia quę non pauca: sed ea ipsa leuia, & per occasionem commissa: ita ut quotiens Picininus (cuius uires longè maiores erant) congrederetur, eum Sforcia non solùm sustineret, sed strenuè etiā repelleret. Dum hæc in Alpibus geruntur, aut certè nō multo pòst, Franciscus Gonzaga ultro se imperio abdicans Mantuā concessit, signa, ut aiunt, odij in Venetos concepti & multa & magna prę se ferēs. Rumor erat, uenisse eum in suspicionem, quasi in copijs Abdua flumine traijciendis parum fidam Veneto nomini nauasset operam: in eo tamen temperauit, quod suorū equitum alam passus est in Venetis castris manere: sed quo id consilio sit factū, euentus ipse postea declarauit. Gonzaga decedente Fœdericus Contarenus legatus, copiarum imperiū decreto Patrum ad tempus recepit: inde ex urbe Paulus Thronus in castra est missus: is ductorum quorundam nunc ignauiā, nunc perfidiam, ex Patrum sententia liberius insectatus, ex eis nōnullis iampridem animo alienatis, ad missionem audacius efflagitandā aditum fecit: in quibus Antonius & Astur Fauentini, & Borsius Æstensis Nicolai filius fuere. His atq; alijs plerisq;

hoc nomine exauctoratis, qui cum eis militabãt ut optimus quisq; fuit, nec abire uoluit, ita honestissimo est stipendio ornatus. Instare interim Sforcia, & aurum sibi à Florentinis Venetisq; debitum reposcere: mittitq; Venetias qui emerita multorum mẽsium peteret stipẽdia. Huic in curiam admisso, quũ diceret, ueniss̃e se ut summam auri à Sforcia emeriti cum principe & Patribus recognosceret, pecuniamque illi debitam exigeret, ferunt Foscarum principem ex uoluntate senatus dixisse: Eam esse Venetorum fidem, ut uel cumulatam reddere soleant mercedem ijs, qui promissam reipub. operá aliquo modo nauassent: uerũ à Sforcia non solùm nõ nauatá, sed quum maximè etiam exhiberi oportuit Venetis, ab eo denegatam. Ad hæc illo, aut debitum stipendium reddi, aut fidem Sforciæ quã publicè obligatam haberet, remitti postulante, ut suis posset rebus liberius consulere: tum in eum ab omnibus reclamatum aiunt: Nihil magis libenter senatum facturum, quàm ut pro exauctorato iam inde Sforciã haberet. Iis ille commotus magis in Philippum reij cere cœpit animum, qui nullis antea cõditionibus adduci potuerat, ut à pontifice & socijs desciscereț: uerùm præsenti iniuria accensus ad id decurrit, ut à Florẽtinis peteret, quod aut sibi suo & Venetorum nomine debitum stipendiũ persoluerent, pecunias que emeritas expedirent: aut si id minus facturi essent, continuò se, ut Veneti, liberè missum facerent. Florentini utranq; pecuniã polliceri: rogare tamen ut tantisper adhuc in officio esse uellet, dum ab exhaustis ciuibus tributum exigeretur, mittereturq; Venetias ad Principem & Patres: satagere interim rerum omnium. Apparebat enim, Sforcia exauctorato non solùm potiundæ Lucæ spem omnem sibi ademptum iri, sed periculum etiam futurũ, ne noua aliqua belli tempestas sibi alicunde oriretur. Mittunt itaq; publico decreto Cosmum Medicen, uirũ præter summas diuitias, sapientem etiam ac popularem. Fuerat is paucis antè annis aliquandiu Venetijs, quum per inuidiam esset Florentia eiectus: quo tempore tanta comitate & modestia cum omnibus uixit, ut publicè & priuatim cunctis æquè esset charissimus. Quo accidit, ut in patriã restitutus (quia eius ciuitatis in qua tã hospitaliter uersatus esset studiũ retineret) à suis Venetus appellaretur. In curiam igitur ductus uehementi usus dicitur oratione, cuius summa hæc fermè fuit, ut repetito suo in Venetos studio (quo factum est ut non tanquam Hetruscus homo, ac Florentiæ natus, sed ut Venetus esset ad Venetos missus) ad eam pecuniarũ inopiam diceret Florentinum populum deductum, ut neq; uia neq; ratio ulla esset reliqua tributi ad alendum exercitũ à populo exigendi: nec renouati cum Lucẽsibus belli cuipam ullam penes suos ciues esse: Picininum, qui in Pisanum agrum, nulla Florentinorum lacessitus iniuria, impetum fecisset, Lucẽsesq; ad res nouas moliendas compulisset, se ad bellum nõ solùm prouocasse, sed inuitos etiam traxisse. Verùm ita Dei benignitate accidisse, ut arma capere coacti ad id Lucensem hostem redegissent, ut nisi spes pacis aliunde, & (ut rumor erat) à Veneto prętensa esset, fuisset ille uellet nollet in Florentinorum potestatem uẽturus. Accessisse ad id, quod eorum magis prudenti quàm felici consilio Sforcia Apenninum superare iussus, Regium concessisset, ad cuius absentiam non parum Lucensis hostis respirasset. Nec Florẽtinos in culpa esse, quòd Sforcia totiens ab eis requisitus Padum nunquã traijcere uoluisset: sed quia ille põtifici omnino parum fideret, ueritus ne si longius abscessisset, in Picœnum agrũ aliquis fieret impetus: ac quum uellet, nõ posset, eã terram, quam retinere in animo haberet, præsenti bello leuare. Compertum Florẽtinos habere, illum iamdudum, quia emeritum non redderetur stipendium, ad Philippum respicere cœpisse: nec dubium esse, quin, si Venetus pergeret eũ sua mercede fraudare, non multo pòst ad eum transiturus esset: quo amisso fore, ut non spe solùm potiundę Lucæ Florentini deijcerentur, sed in summum etiam suarum rerum adducerentur discrimen: orare proinde obtestariq;, & pro suo priuato in Venetũ nomen studio, proq; sociali fœdere, ut in tanto discrimine sibi socijsque cautius consulerent, redderentque Sforcię, quamuis immerito, quod se emeritum diceret stipẽdium. Quod si perstarent nolle reddere, atq; ob id ipsum transitionem ille ad hostem esset facturus, publicè se denunciare, quocunque Sforcia uerit, eum Florentinos, non ut ducem, sed (quando id effugere non possent) ut rectorem amplexuros. Hæc ille. Cui decreto Patrum ita à Foscaro principe respon- A sum accepimus: Rectè Florentinos facere, qui iam inde ex quo patria exul Venetijs fuisset Cosmũ pro Veneto habendum existimarent: quum ea post id tempus Venetorum & publica & priuata fuerit in eum uoluntas, id studium, ut omnia illi grata exhiberi, & ardua committi, quæ & uni ex primoribus Patrum, senatus & alij censuerint. Quo factum sit, ut multa Venetus Florentino nomini illius causa concesserit, quæ alioquin fuisset negaturus. Quod uerò Lucensibus spem pacis à Veneto prætensam quereretur, quo minus illi deditionem facerent, de eo se non habere quid respondere posset, quũ tunc primum eam fabulam audiret: sed aduerterent Florentini, ne Lucenses sint illi, qui occultissimis literis hæc suis significent, quando nonnulli populares uiri Luca oriundi Venetijs essent, atq; ijdem ditissimi: eorum, nec patricij cuiusquam, eas existimarẽt literas. Si aliter compertũ haberent, proderent certa indicia, aut eorum libellos ad hostes datos: factu ros se, ut quicunq; eius sceleris conuictus esset, alijs documento foret, quo minus contra Veneti nomi- B nis socios quicquam tale moliretur. Haud tamen negare se, Lucensiũ oratoribus publicè responsum, ut irent, & si per obsidionem non liceret, suos per literas in spem erigerent: fore, ut si à Philippo discederent, Veneti, qui Lucensibus consultum uellent, darent omnino operam, ut quoquo modo Florenti ni socij à se persuasi, obsidione & bello absisterent. nihilq; postea ab Lucensibus respõsum. Fateri, itaq; datam à se Lucensibus eiusmodi spem: præsidium uerò ullum aut datũ, aut promissum negare. Quod autem ad Sforcię stipendium attineret, non esse cur quisquam aut auaritiæ aut ingratitudinis Venetos accusare deberet, quòd illi promissum non redderent: credere se eo cõsilio mercenarijs militibus stipendium à maioribus constitutum, ut illorum opera qui aurum impenderent, quum opus esset uterẽtur: uerùm Sforciam, cui Florentini ipsi tantopere consultum uellent, non modò Veneto nomini non militasse, sed suam etiam operam tunc, quum maximè opus fuit, obstinatè denegasse. Irẽt igitur & ipsi, quibus ille studiosè semper obrẽperasset, promissi stipendij rationem haberent. Nam quod de uiolando fœdere multa minarentur, seq; Sforciam secuturos dicerent, facile esse Florentino populo, suã quũ uelit fidem præcipitare: uerùm sperare se, non multo pòst fore ut tam inhumani & perfidi consilij eos pœniteret, daturosq; & superis & hominibus (per quos olim seruati essent) meritas rupti fœderis pœnas. Cum his curia dimissus, post aliquot dies Cosmus Ferrariam ad pontificẽ est profectus. Erat tunc illic, ut dixi, Eugenius, cum quo egit ut suo nomine ad Venetos mitteret, experireturq; an de sententia moueri possent. Missus post Cosmum & Iulianus Deuantiatus, qui aliquanto minus comiter, quàm ille acceptus: homo uehementi ingenio, haud suos latere est passus, quàm Florentinorum omnia Veneto uilescere cœpissent. Picininus interim, ut dixi, ad Alpes

Alpes progressus, ubi eas à Sforcianis insessas supe- A rare nõ licuit, retro conuersus in Mutinenses abijt: inde per Bononiensem agrum in Hetruriam rursus iter molitus, per Æmiliam ducens ad Idicem fluuiũ consedit. Duabus hinc expeditorum equitum turmis ad Florentinorum fines populandos cum Astura Fauentino missis, ipse cum robore copiarum sub secutus, Aureolum oppidum expugnat ac diripit. Hic ille fit certior de nouo Sforciæ & Philippi fœdere, deq; eius formula quam huiusmodi fuisse accepimus: ut Florentini à Philippi fœdere excluſi, quia Venetorum iniussu id facere non liceret, in decem annos inducias cum Lucensibus haberent, retinerentque sex millia passuum ab urbe omnia quę Lucensibus ademissent: eius pacis arbiter Sforcia esset, & ultor iniuriarum quæ ab his uel illis proficiscerentur. Percussum inde inter Sforciam & Philippum fœdus has habuit conditiones: ut neque Picininus, neque alius qui Philippo militaret, Florentinos armis lacesseret: quippe quorum Sforcia, ut antea, stipendium faceret: cæterum ut Blancam filiam ei Philippus daret, quã ad fines Parmẽsis agri cum dotali pompa mitteret: mox inde in Firmianã arcem traducendam, ubi locus futuris nuptijs erat dictus. Tulit eam pacẽ Venetus iniquo animo, sed Picininus iniquiore: quippe qui multa de Philippi in se ingratitudine questus, aliquandiu per Flaminiam quasi consiliorum inops citro ultroq; cum exercitu uagatus, demum Ostasium Polentanum Rauennæ principem, qui in Venetorum fide diu fuerat, adortus, non prius ad defectionem compulit, quàm hostibus Rauennam circunsedẽtibus ab oppidanis Philippi partes sequi fuisset coactus. Rauẽna à Venetis alienata, maius inde facinus ille aggressus: eodem ferè tempore Himolã pontifici Bononiamque ademit. In hoc res Hetruriæ & Flammi- B niæ statu erant. Mellita interim (quem Mantuano principe abeunte, Veneti copijs omnibus cum imperio, suppresso tamen imperatoris nomine, præfecerant) quum ualles quas Picininus proxima hyeme occuparat, castellaq; Bergomensis agri recepisset, Cremonenses fines ingressus, præda & populationibus omnia compleuit. Ad eam famam Picininus excitus, Italo Foroiuliano & Francisco filio ex Vmbria accersitis, hunc his urbibus quas nuper in Flamminia occuparat, præsidio esse iubet, illũ cum sua ala equitum se in Galliam sequi. Ipse ex Flammia profectus, quartis castris circa Padum, qua parte Cremonam perstringit, cum robore copiarũ consedit, moxque traiecto exercitu Casale maius obsidione cinxit. Venetus audito hostis aduentu, tradita aliorum locorum oppidanis custodia, duo in Cremonensi oppida Casale maius & Soncinum ualido firmat præsidio. Iussus ad hæc Mellita cum omnibus copijs Ollij ripam asseruare, ac totis uiribus hostem transitu fluminis arcere. Ille castris ad Binam duodecim millia passuum à Casali communitis, & Casalinos obsessos protegere & ripam fluminis alteram crebris stationibus tueri. Interim manauit rumor, Gonzagam qui se Mantuę continebat, occultè cum Philippo fœdus percussisse. Quod ubi in curiam est ad Patres delatum, pro magno habuerunt negocio, eũ si fieri posset per oratores delinire, missis ex primoribus Patrum, qui illi & hospitio & familiaritate iam antea noti erant. Ii principis animũ præuertere adorti, postquam magnificentissima de illo uerba fecere, deque perpetua ipsius in Venetos fide, suoque in eum studio sunt locuti (quanquam compertum esset in castrensium ordinum recognitione, multos ei ad eum numerum quo militare oportebat deesse equites) remissa tamẽ militaris censurę pœna, quantumcunq; se emeritum dixit stipẽdium, benignè persoluerunt: rogarũt ad hęc, ut Veneto pergeret militare, oblato ei denuo copiarum omnium imperio, quo ipse se sua sponte abdicarat. Sed ille nunc rei militaris imperitiam, nunc ocium, cuius iam studiosissimus esset, causando, Venetorũ adhortationes auersari. Petentibus legatis, ut ubi animum ad ocium applicuisset, Lodouicũ Gonzagam filium sua sequi stipendia pateretur. Id quoq; neq; palàm denegare, neq; polliceri. Demum eò est decursum, ut id saltem præstaret si Veneto nomini militare nollet, in fide tamẽ & antiqua amicitia per seueraret. Quod ille non solùm oratoribus, sed sena tui quoq; per literas despondit: fore prædicans, ut non prius Philippi partes sequeretur, quàm Venetam (quod nollet) urbem ab eo captã & oppressam audiret. Summa rerum omnium ea fuit, ut se pacis cupidum militiam horrere diceret: nec Venetũ mirari oporrere, quod cohortes quas habere diceretur, supplemento expleret: id sanè ea se ratione facere, ne in tanto uicini belli ardore suos fines omni præsidio nudos, quum uellet, ab iniuria tueri non posset. Cum his Veneti oratores dimissi, Picininus interim undeuicesimo die summa ope Casale oppugnabat. Erant illi in castris ad uiginti armatorũ milia, quum Venetus dimidio minus haberet: sed longa illa oppugnatio spem fecerat senatui, terribiles Picinini conatus prius fractũ iri, quàm quæ animo mouebat consequeretur. Quippe qui in unius loci oppugnatione præter spem omniũ tam diu fuisset occupatus, nec adhuc multum profecisset, sperare ardorem illum in dies magis remissurum. Soncinũ præterea in Cremonensi adhuc esse dicere, & alia alibi loca, natura & armis non minus quàm id oppidum, quod tunc obsideretur, munita: quorum oppugnatio omnes hostium conatus nõ solùm remorari posset, sed prorsus etiã defatigare. Hæc illi. Sed ruina concussæ turris ita ad eam diem Casalinorũ animos fregerat, ut ad deditionem iam apertè spectare cœpissent. Eos se dedentes hostis primò non receperat, tam diu rem consilio dilaturus, quoad cũ Gotolengicis & Gammarensibus clandestinè motam trãsigeret proditionem. Adiecerant illi animũ ad defectionem, ad quam postea Picinini nuncij solicitati, aliud cum eo facinus omnino atrocius sunt adorti, ut Mellitam cum copijs per Brixienses cedẽtem intercluderent: ita ut uno tempore Venetę copię ab agrestibus hinc inde, & ab hostium copijs circunuenirẽ, delerentur. Compositis in hunc modum insidijs Casalini statim sunt in deditionem accepti: ratus erat Picininus sub primum suum ad Ollium accessum Venetum abeuntẽ opprimere. Iccirco nullam prius à Casalinis deditionem acceperat, quàm Veneto insidias à tergo comparatas resciuisset: ut uel manenti, uel (quod magis crediderat) cedenti pereundum esset. Casali igitur recepto, silentio noctis Ollium uersus mouit: præmisisq; leuis armaturæ equitibus qui uadũ fluminis tentarent, ex ijs cognouit, ulteriorem amnis ripam Venetorum prę fidijs teneri. Pergit tamẽ ille ire, atq; sub aurorã ad Ollij ripam quatuor passuum millia infra Binã consedit. Copijs inde ad locum admotis, omnia ad oppugnationem necessaria expediri iubet. Mellita ratus quod erat, esse illud hostis uaframentum, alioq; eius consilia quàm ad id quod specie pararetur, spectare: in omnes partes intentus esse, atq; attentiore cura perlustrare. Mantuanus princeps & ipse circa Macariam oppidum, quod medium intra Binã & Padum tenebat, tria millia hominum in armis habebat: hortabaturque identidem Venetum ducem ut secum copias iungeret, fore affirmans, ut collatis castris omnes hostium conatus facilius frustrarentur. Hæc ille: etsi eorum quæ ab ipsis hostibus parabantur, minimè erat ignarus. Mellita interim in animo habebat Christophorum & Ioannem Tollentinates Veronam cum suis alis equitum ad præsidium mittere. Id consilium Mantuanus magnope-

re improbare. Legati qui aderant, plus Gonzagæ A quàm tutum esset credentes, & ipsi aliter sentire. Contrà ille seu casu, seu quòd ea quæ parabantur, si non omnino, aliqua tamen ex parte explorata haberet, perstare in sententia, atque ita facto opus esse dicere. Circunferebat castra hostis, quibus sæpius interdiu, noctu etiam nonnunquam mutatis quasi modò hàc, modò illàc erupturus, Venetũ sollicitũ habebat. Huiusmodi mutua illusione aliquot diebus frustra consumptis (quia iam comparata erant omnia) Piceninus ponte à conspectu hostium auerso tertiam exercitus partem silẽtio noctis sine strepitu transmissam Gonzagę copijs subitò adiungit: ipse nihilo secius se in aduersa ripa ostẽtare, uarios assimulans conatus, ut sua facilius consilia hostem laterent: mox & ipse per Marcarię & Canneti pontes copias traiecturus. Actum erat de re Veneta, & hostium insidijs, & oppidanorũ perfidia circũuenta: sed Deus optimus maximus, cui, quemadmodũ sæpè diximus, omnis respub. & iucunda est & grata, atque eo gratior, quo & melius (ut Venetorum) ab initio instituta, non passus est ita euenire. Opportunè accidit ut Bareta quidam Gotolengicus ab hoste ad oppidanos ob id ipsum missus, quum in Venetos pabulatores incidisset, ad Mellitam sit perductus: ex eo promissa prius impunitate cognitũ est, in quo discrimine esset res Veneta. Nec mora ulla fuit: motis repentè castris incolumis Venetus cum omnibus copijs Brixiã uersus abijt: Piceninus quarta noctis uigilia ad Marcariam iam transmittere copias cœperat, quũ cohortes in Mantuana castra præmissæ præsto illi affuere. Nunciatur interea Venetũ citato abeuntem agmine iam passuum millia duodecim abesse: nec oppidanos, quia neminem cedenti agmini instare sensissent, aliquid in præsentia mouere ausos. Patefacta Mantuani principis defectione, ualidissima in hostem classis confestim decreta B est, quę galeones sexaginta, triremes quinque, aliaque minora nauigia haberet. Petrus Lauretanus, cui nauium imperium est datum, per Padi fluenta inuectus Mantuanos fines populari est iussus. Terrestres interim copię ad Balneolũ castra habebant, quæ Venetus diligenter metatus, fossa & uallo cõmuniuerat. Tentauit ad id partem copiarum in urbem quæ proxima erat, ad præsidium mittere: cui alterius factionis principibus renitentibus, postulantibusque ut portarum sibi custodia demandaretur, apparuit, parum tutiore loco rem Venetam in urbe esse quàm foris. Erat præsidio ciuitatis Franciscus Barbarus, ad eam diem ingenij & doctrinę gloria pacisq; artibus tantum clarus: is salubri consilio obstitit, quo minus id fieret: docuitq; in quantum discrimen ciuitatis status adduceretur, si alterius factionis hominibus credita urbis custodia, reliqui se pro hostibus, quia nulla sibi fides haberetur, iudicatos crederent: molituros eos res nouas, ac palàm in aduersæ factionis inuidiam omnia ausuros. Valuit uiri auctoritas: atque ita eo uolente comparatũ est, ut Veneti magistratus qui in urbe erant, portarum custodiam haberent: Martinengios ad hęc & Aduocaros principes factionum, noua affinitate iũxit. In quo negocio Paridem Ludronium castella in Brixianis montibus habentem Petro Aduocaro, cum quo maximas exercuerat inimicitias, per Leonardum Martinengium magno reipub. commodo reconciliauit. Cõstituit Piceninus lacu Benaco & Mincio amne Mellitanas copias omni Veneto præsidio excludere: quibus fame domitis (constabat enim non esse unde ali possent, nisi ex urbe commeatus mitterentur) non dubium erat, quin de Veneto actum esset imperio. Eo itaq; consilio bifariã mouit Gonzaga & Lodouicus Vermius in Veronensem agrum eruperunt: Vallegioq; cum ponte qui fluuio incubat, penè prius proditione recepto, quã ueniſſe dicerentur, quicquid intra Athesim & Mincium locorum est, paucis diebus occuparunt. Subita Vallegij amissio effecit, ut Ioannes Malauolta, qui trecẽtos equites ex Brixia Veronam ducebat, imprudẽs circa pontem in hostes præcipitatus, toto sit equitatu exutus. Redegit & omnes Benaci accolas, qui ad Veronensem agrum attinent, in suam potestatẽ: Mantuanus princeps Piscariam ad Mincij caput, & Lunatum in montibus, quod prius possederat. Est Benacus (ut de eo pauca dicam) amœnissimus Italiæ lacus, omnino longior quàm latus: longitudo illi ab occasu brumali ad Aquilonẽ triginta circiter millia passuum excurrens: quantum illi Mincius ad meridiem aufert, tantum Sarca fluuius & Ponalis à Borea & septentrione reponũt. Ipsius aqua ita perspicua, ut si non omnino medium nauiges (ubi constat immensæ esse altitudinis) ima ferè stagna perspicere liceat. Sed uix tam amœnus est dum nullo agitatur uento, quàm uiolentus & minax ubi turbari cœpit: unus ex omnibus Italię lacubus, si eminentissimo poëtæ credimus, quum uehementer concitus est, marino assurgit fluctu. Pisces alit optimos, in quibus carpiones principatum obtinent: eorum captura ab extremo autumno in uernum tempus extenditur: ex profundis stagnis summo piscantiũ labore eruuntur. utramque ripam cultissima oliueta uestiunt: his horti passim interiecti felicibus consiti arboribus, quæ citrea, medica, punica, & quæ accolæ ipsi Adamia uocant, habent mala. ora illa quæ ad Veronensem agrum spectat, ad dexterã post Piscariam Lagisium habet, Bardolinum, Gardam, unde postea lacus nomen accepit: Turres, Masecinum (quam & Malam silicem audio à quibusdam appellatam) Cõtrà uerò in ipsis aquis Sirmio est, Catulli poëtæ uenustissimi patria, cum uestigio uetustatis saxo, quod lacui imminet impositio Brixianorum. post Sirmionem Riuoltella, siue (ut alijs placere audio) Riualtella, Minerbium, Fœlicianum, Portuesium: extremo loco Salodiũ totius regionis caput. Montes inde ad Boream asperrimi ad Ripam usq;. Is locus cum Penetra, quæ non procul inde uiuo saxo assurgit, Tridentini olim agri fuere. Penetranæ arci Nacus prominet uicus, unde Benacum uetusto nomine lacum appellatum suspicari libet: ut quem mutata litera Benacum dicimus, quia penes Nacũ esset, prisci accolæ Penacum dixerint. Omnibus igitur ab ipso lacu citra ultraq; Minciũ occupatis, Mantuanus cum suis copijs ad Bidiciolum, ubi Piceninus castra habebat, se contulit. Blondus ex his castris eum profectum dicit, quum in Veronenses primùm mouit. Sed utcunque sit, satis constat, Philippi copias dum ea in Veronensi agro gererentur, ad eum uicum qui Clesio amni adiacet, ac penè æquis à Benaco lacu & Brixia distat spacijs, castra habuisse: quorum conatibus Mellita occursurus Gauardũ cum mercenario milite concesit. Ad eum ex Brixia Barbarus delectam iuuentutem misit: & ex mõtibus ingens armatorum eò factus est cõcursus, ita ut paucis diebus ad quinque & uiginti hominum millia in Venetis castris fuisse dicantur. His copijs auctus Mellita, ab Euphemiano ad Gauardũ quicquid soli est ad radices montium occupauit. Diremit florentissimos exercitus & ad pugnam instructos Clesius amnis, ea parte præaltus, nec cuiquam uadabilis fluens. Erat in animo Mellitæ cum hoste confligere: uerùm ubi Picinini copias Gonzagæ accessu auctas sensit, pugna abstinuit. Accedebat ad alia incommoda, quod haud multum ductoribus quibusdam credebat: quippe quos diu in Gonzaganis castris militasse non ignorabat. Sed quàm modica tum illis esset fides habenda, ipse postea euentus declarauit. Multi nempe eorum, ubi suam fidem suspectam Veneto senserunt, nec ullum fraudi locum sibi relictum, ad Mantuanum principem transfugere.

gere. Veritus igitur ne aliqua subita defectio rem A Venetam in discrimẽ adduceret, ut omnem res nouas molientibus præriperet occasionem, parte copiarum maxima Brixiam reducta, per municipia, quę adhuc in fide erant, quod reliquum uirium fuit Mellita distribuit. Tum demum facta est Picinino copia liberè circumferendi castra: qui in id unum intentus, ut Mellitanum militem ab omni urbani cõmeatus spe excluderet, Salodium omnibus circumsedit copijs: sed qui præsidio erant, intrepidè resistentibus, ad Fœlicianum & Minerbium castra admouit. Interim Forolani & Monclarenses ad Philippum defecere. Nec ita multo pòst, his cum Salodio & omnibus accolis, qui in ea sunt Benaci ora receptis, Balneolum se contulit. Mox uerò castra circumferens primò Pontolium, inde Palatiolum fine ulla oppugnatione, ac pleraque alia oppida præsens recepit. Hęc in planicie. In Camonica uallę per eos dies aliquãto meliore est euentu bellatum. Antonius Becharius cum duobus millibus equitum ea loca, incolis se ultrò dedentibus, occuparat: in eũ Barbari iussu Ioannes Comes, & Bartholomęus Collio, & Leonardus Martinengius cum ingenti montanorum manu, qui Martinengię factionis studiosissimi erant, uallem subito accessu adorti, post fœdam hostium stragem editam, rebellem terram incendio fœdaq; populatione uastarunt.

IN LIBRVM III.

Epitoma.

FAma prosperæ pugnæ ad Colonium commissæ ad urbem falsò delata, in discrimen nocturni tumultus ciuitatem abduxit: Mellita frustra tentauit ex Brixia Veronam transire: Nicolaus Aestensis res nouas in Venetos molitus est: Veneti Polesinum Aestensi restituere: Mellita per iuga Alpium per laboriosa expeditione Veronam transijt: Classis ingens per Padi fluenta in Mantuanos fines est adacta: Brixia uehementi pressa est oppugnatione: Patres de fœdere cum Sforcia renouando agere cœperunt: Mellita copiarum imperium adeptus, Brixiã commeatu leuare statuit: Paris Ludronus ad Sarcam fluuium prosperè in hostes pugnauit: Veneti classem circa Benacum instruere sunt adorti: Triremes per altissimos montes in ipsum lacum actæ: Sforcia cum Venetis & Florentinis fœdus percussit: Piceninus & Mantuanus princeps Athesi superato multa Veronensis & Vincẽtini agri oppida Veneto ademerũt: Veneti ad Benacũ prosperè in hostes terrestri prælio dimicauere.

M. ANTONII SABELLICI RERVM VENETARUM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER III.

DVm hæc in Camonica uallę geruntur, Clarenses interea ad Philippum defecere. Ad quam recẽtem unius populi defectionem maior omnino clades secuta est: Guerrerio Martiano & Michaëlo Gritto (quos cũ peditibus trecentis, equitatuque dimidio maiore Mellita eò ad præsidium miserat) interceptis. Admouit deinde castra Piceninus ad Rhoadum. Id Venetus ęgrè ferens, cum mercenario milite delectaq; ferociſsimorum iuuenum manu ex Trompianis ad hæc Serclianisque montium incolis multitudine haud contemnenda, ad suos obsidione leuandos ire pergit. Post solis occasum iam primis se tenebris intendentibus, Mellitanæ copiæ circa Passirianum & Paternum constitere: explorato hostium aduentu, repentè motis castris retro ad Coloniam triB passuũ millia à Rhoado Piceninus consedit. Sequenti die parte copiarum post proximos montes in insidijs locata, ut si in æquum campum Venetus acie explicuisset, circumuentus opprimeretur, ipse cum reliquo exercitu, quasi tota acie dimicaturus in hostem uadit. In eius conspectum ubi uentum est, subitò copiam pugnádi facit. Mellita neque pugnam detrectauit, neq; temerè suos in subiectam planicie demisit: sed iniecto certamine sensim turmas equitum mixto pedite hostibus obijciebat, fessosque ordinibus nihil turbatis recipiebat: atque ita cautè utrunque facere, ut Picinini cohortibus ex insidijs erumpentibus immotum illi fieterit agmen: ac prælio à prima fermè luce ad uesperam perducto, illorum tandem aliquanto maiore quàm Venetorum incommodo sit inde discessum. Hostis Veneto Brixiam se recipiẽte Coloniam copias recẽpit. Et quãuis neutrò fortunã inclinasset, ad confirmandos ciuium animos (quos in pugnæ illius euentum erectos uidebant) rumores tota urbe magistratus dissipandos curarunt, fudisse Mellitam hostium copias. Quæ fama haud intra Brixiæ mœnia se tenuit Venetias usque perlata, in tam effusam lętitiam ciuitatem prouexit, ut præ nimio gaudio undique sit in publicum concursum: atq; ob hoc ipsum respu. insuetum discrimen penè adierit. Multitudo ingens remigum sociorumque naualium in urbe erat, ex Histria & Dalmatia ob classem quæ studio instruebatur, accersita: horum non pauci quum uino incaB luissent, in publicum prorupere: atque ignibus non uno loco (ut in noua fit lętitia) accensis, dum ad eos alendos materiam ex proximo sibi quærerent, cœpissentque olitorias panitias que tabernas foro circũiectas demoliri, pulsis nocturnis custodibus qui id facere prohibebant, in unum ad tria millia coiuere: ij spretis magistratibus, & ex primoribus Patrũ quibusdam, qui ad eum tumultum sedandum accesserant, maiores tabernas refringere occœperant. Et iam res ad apertã uim spectare credebatur, quũ Petri Lauretani interuẽtu impetus ille compressus est: cuius nomine audito, ferunt Barbaros tumultuari desijsse, cœpisseque imperium quod dudum neglexerant, audire: ac fide abillo accepta, ne cui id fraudi esset quod nocturnus ille motus leui de causa ortus esset, se domum recepere. Ferũt tantã Laurerano gratiam ob res bene gestas, tantum omniũ ordinum studium iam antea conciliatum fuisse, ut non solùm illi, quorum conditio semper in nostra ciuitate infima fuit, sed amplioris quoque ordinis & fortunæ uiri, eius dignitati facile cessuri fuissent. Quæ omnia eo facilius ille consecutus fuerat; quo maiore erat preditus humanitate, pietateq; in respub. incredibili: quas uirtutes amplectitur Veneta ciuitas, ut superbiam & ambitionem detestatur. Accedebat ad id, quod uiginti propè annis nullum graue bellum gesserat Venetũ nomen, in quo resp. non esset illius opera feliciter usa: actum quoque, quum Galliæ res in summo essent discrimine; crederenturque Venetorum opes uix Philippi uiribus pares: quanquam iam grandę natu, prefecerat eum tamen senatus ualidissimæ classi quam aduersus Mantuanum hostem decreuerat. Habuit illa tantũ nauium numerum, quãtum fluuialis ad eam diem nulla. Quippe quæ omnium generum nauigia supra cẽtum sexaginta habuisse dicatur, in quibus triremes quinque fuerunt, singulæ altiora tabulata habentes, Galeones circiter septuaginta: cætera classis

sis minores habuit naues, agilitate & motu celocibus aſsimiles. Adijciunt & oblongam lintrem, quę uelut agmen à tergo clauderet. Ratem præterea eximiã, ex quadringentis quinquaginta trabibus abiegnis piceisque, triremium malos longitudine æquantibus, contextam. Vim ad hæc armorum naualiumque inſtrumentorum tantam, ut ſcaphæ ſexaginta his rebus magis quàm cõmeatu onuſtæ claſſem ſequerentur. Sed dum hæc domi comparantur, Picininus quatriduo poſt Rhoadanam pugnã copijs ex Colonia Rhoadum in caſtra reductis, oppidanos ad deditionem compulit: quam Bomadẽſes ſecuti ſunt, Paterniani, Paſsiriani, & ſequẽti die Monticuliani, Guglanenſes, Omiani, & Brixienſes demum Iſeo expugnato Trompiẽſes in montibus recepit. Et iam omnis Brixianorum planicies cum non parua eorum parte qui montes incolunt, in hoſtium poteſtatem uenerat: præter nouos Vrceos, ad quos oppugnandos Picininus non multo pòſt moturus erat: quum Mellita, Barbarus, & reliqui Brixiæ magiſtratus rati quod erat, Picinini conſilia nõ aliò ſpectare, quàm ut Venetas copias omni auxilio excluſas intra Brixiæ mœnia fame conficeret: quibus amiſsis (quia nullæ reliquæ erant quæ hoſtibus opponi poſſent) haud dubium uideri, omnia quæ in continenti ora Veneti haberent, breui in hoſtium poteſtatem conceſſura: clandeſtinè agunt ut Mellita relictis qui urbi præſidio eſſent, cum æerario exercitu quacunque fortuna uiam præbuiſſet, per hoſticum Veronam tranſiret. Tertia itaque noctis uigilia cum quinque millibus equitum peditumq; Brixia profectum Blondus tradidit. In Montani commentarijs haud quaquam tantas illum copias tunc habuiſſe reperio: Paſius Ariminenſis tria millia fuiſſe ſcribit: hos ego ideo libentius ſequor, quia uterque bello interfuit. Verùm quantacunq; fuit illa manus, citato agmine ad Mincij ripam perducta eſt: ubi quum non multum infra Vallegij põtem uadum tentare cœpiſſet, magnitudine aquarum, & hoſtium ſtationibus quæ ulteriorẽ ripam inſederant, tranſitu prohibita, nihilo ſegnius quàm uenerat, aliquot equis in tanta celeritate amiſsis, Brixiam eſt reuerſa. Mouerat Picininus Brixiã uerſus Veneti intercipiendi conſilio: ſed hoſtis celeritate præuentus ſuam ignauiam accuſaſſe dicitur, quòd in eam occaſionem parum omnino intentus fuiſſet, atq; iccirco ſua negligentia è manibus eſſet emiſſa. Nec ita diutius moratus, in Vrceanos (qui adhuc, ut diximus, in fide erant) mouit. A Mellita interim noua eſt tranſitio tentata: quæ etſi non minus periculi, quàm prior illa, feliciorem tamen habuit exitum. Dum hęc circa Brixiam geruntur, Nicolaus Æſtenſis apud Eugenium, qui adhuc Ferrariæ erat, multa de Venetorum in ſe odio queſtus: compertum ſibi eſſe dicere, illos ualidiſsimam per eos dies claſſem comparaſſe. Et quia certò ſciret, ſe in ſuſpicionem ueniſſe, quaſi Mantuanus princeps à Veneto nomine ſe auctore defeciſſet: meritò ſuſpicari, ingẽtem illam uim nauiũ in ſe potius quàm in alium quempiam comparatam. Nec Venetos ignorare, Mantuanum in quem moturi dicerentur, ſuis Philippique opibus nixum, iniuriam omnem à ſuis finibus facile depulſurum. Hæc & alia illum querentem leniſsimis uerbis pontifex cõſolari eſt conatus, atque in meliorem ſpem erigere: nihil eſſe affirmãs, quod à Venetis metui oporteret, aliò omnino illorum ſpectare conſilia: ac ſiquid ſuſpicionis ineſſet, daturum ſe operam ut omnia illi per Venetum ſalua eſſent ac tuta. Sed neque his propterea Æſtenſis deſtitit ingentem uim equitum comparare, Guidone Fauentino cum mille & quingentis equitibus, peditibus trecentis accerſito, reuocatoq; Borſio filio, qui tum Sforciæ militabat, cum equitibus ſexcentis: quæ omnia ad propulſandam, nõ in-

A ferendam iniuriam à ſe comparari prædicabat. Sucidit ad hæc eam ſoli intercapedinem, quæ eſt inter Padum & Paduſam, ingenti ac præcipiti foſſa à flumine ad paludem deducta: eſtq; Ferrarienſes hortatus ad arma cõparanda, curauitq; cohortes aliquot ex Mutina & Regio ſubitò conſcribendas. Quę omnia (quia aliò apertè tendebãt quàm ipſe uideri uolebat) cum Nicolao coràm, & cum Venetis per oratores, multa hortãdo monendoq; pontifex egit, ut arma iam propè ſumpta deponerentur, firmamque inter ſe ſancirent pacem: ſed ea conditione, ut Rhodigium cum ſeptem eius inſulæ, quam Polineſum uocant, caſtellis Æſtenſi Venetus relinqueret, quæ annos ſeptem & triginta oppignerata tenuiſſet. Victus Venetorũ munificentia, confeſtim mutato cõſilio cœpit ille Venetam claſſem, quæ iam aduerſo Pado agebatur, commeatu & rebus omnibus iuuare. Quod principis ſtudium Ferrarienſes ſecuti, & ipſi omnia Veneto libenter præſtitere. In Brixienſi interea Vrceani Philippi opibus pertinaciter reſiſtere. Sed quod neque uis neque conatus ullus tam citò fuit hoſti daturus, Petri Lucenſis proditio dedit: is à Mellita duce ad loci præſidium cum equitibus ducentis miſſus, non multos poſt dies quàm obſideri cœperat, Vrceanos cum ipſo oppido Picinino tradidit. Sed dũ in ea oppugnatione eſſet hoſtis occupatus, tentatus eſt iterum à Mellita tranſitus: ſic facto opus eſſe & Barbaro & alijs magiſtratibus uidebatur, ne urbs multitudine leuata, tam citò fame premeretur. Cæterùm conducibilius reipublicæ arbitrati eſſe, copias aliquas quas Veneti circa Veronam (ſi eò quoque Philippi arma peruenisſent) hoſti obijcere poſſent. Qua igitur parte occaſio data eſt, Mellita iter arripuit: quia per plana parum feliciter fuerat res tentata, per altiſsimos montes & ſaltus penè inuios ire conſtituit. Iacobus Anb tonius Marcellus, homo impiger, & Ioannes Villanus, equeſtris turmæ præfectus ad hoc ipſum præmiſsi, omnia prius diligenti cura explorarunt. Equitibus igitur cum Thaddæo Æſtenſi ſexcentis, ac peditibus mille ad præſidium urbis relictis, edictum eſt reliquis ut curarent corpora, ac ſecunda noctis uigilia cũ armis & rebus omnibus adeſſent ad profectionem parati. Intempeſta nocte copiæ ex urbe eductæ, per Sabienſium uallem iter ad montes intendunt. Multi Brixienſium perſuaſi quidẽ, ſed plures ſua ſponte Veneta ſigna ſunt ſecuti: in quibus fuit Petrus Aduocarus, Leonardus Martinẽgius, & Antonius eius frater: Sabienſes (qui Tridẽtini antiſtitis, cui parebant, in Venetos odium non ignorabant) conſpecto agmine conſternati arma capiunt: ſed aperta ui non auſi congredi, anguſtijs uiarũ quà Venetum ducturum ſciebant, abruptis, iter impedire ſunt adorti: aliquot etiam extra ordinẽ nacti, aut fœdè trucidarunt, aut per ſubiectas præcipitauere rupes. Diſſimulare eam iniuriam ductor Venetus, militem ut gradum adderet, ut ſigna ſequeretur, ue hemẽter hortari. Et iam die uno per hos labores acto, ſecunda uigilia noctis in arduo montis iugo, quod in ſuprema ualle fuit, agmen cõtinuit: feſſum militem cibum capere iubet, ac paululũ quieſcere. Inde ſub auroram motis ſignis quum agmen procedere cœpiſſet, Paris Ludronius iam antea Veneto nomini conciliatus, repulſis à fronte hoſtibus præſto affuit: eum miro gaudio complexum per aſperrimos Italiæ montes Mellita cum omnibus copijs ſine aliquo montanorũ metu ſecutus, ad ueſperam in pacato conſedit. Cenſebant omnes, hic refici iumenta oportere aſperitate locorum defatigata: nec nõ & militem, duorum iam dierum ac totidem noctium aſsidua itineris iactatione defeſſum. Quod fieri nullo modo Mellita eſt paſſus: quin properandum eſſe prius, quàm Tridentinus antiſtes Venetum per ſuos fines tranſiturũ reſciuiſſet, dicere. At li-

cet ma-

cet maturatum ſit, hoſtis tamen falli nõ potuit: Po- A remorari poſſent, interdiuq; ac noctu obſeruaretur:
loni Maclouienſes à Barbaro ſub ueſperam miſsi, excitis ad arma montanis copias omnes penè intercluſerunt: quod niſi ita, ut diximus, properatum eſſet, atrociſsima omnino clades in anguſtijs, ad quas uentum erat, quasq; hoſtis inſederat, fuiſſet accepta: quanquam ſic quoq; in ipſis anguſtijs eſt non mediocriter trepidatum. Hirti calles ac præpediti medijs montibus erant, quibus hinc rupes & ſaxorum ruinæ ingentes impendebant: inde profundiſſimi torrentis aquę deſpici, tam procul ab hominis aſpectu recedentes, ut quæcunq; in imo fundo iacentia caligantes oculi intuerentur, dimidio minora quàm eſſent apparerent. In hæc quoq; horrenda loca ab efferatiſsimis incolis quoſdam ordine aberrantes deiectos credidere. Has anguſtias Barbarus inſederat: at quid ſub noctem, quæ iam propè inſtabat, moliturus eſſet apparebat, ut deiectis ſaxorum molibus in ſubiectum agmen, ingentem ſubitò ederet ſtragem. Mœſticia & deſperatio non itineris ſolùm, ſed uitæ quoque in ore omnium eminebat: quod Venetus ductor ſentiens, Caualcaboué, Rangonium & Guidonem, impigros iuuenes, cum trecentis peditibus qui gladium & breuiores haſtas haberent, per anfractus montium & abrupta ſaxa ad hoſtem latenter ire iubet, ac cum Barbaro inermi manum conſerere. Quod quum illi nauiter feciſſent, pulſis imminenti iugo hoſtibus, per otium eſt agmen traductum. Trecenti illi liberatores grauioribus armis eo loco, unde hoſtes miſsi fuerant, relictis, per reliquum noctis itinera & ſaltus explorabundi agmen præceſſere: tertia inde aurora quũ ad Thenium uentũ eſſet, oppidani primò nihil mouere, inde extremum agmen repentè adorti, impedimentorum partem cum ducentis equis Veneto ademerunt. Demum in planicie Arcui ſubiecta inuictum agmen deſedit. Hic per exploratores cogni B tum eſt, Sarcam fluuium qui ex Tridentinis montibus in Benacum decurrit, ita nocturnis imbribus creuiſſe, ut uadari nullo modo poſſet. Poſtero die poſtquam tranſmittendæ copiæ ad flumen conſtiterunt, in aduerſa ripa eximprouiſo armati hoſtes apparuere, quos Lodouicus Vermius à Picinino p Benacum miſſus, eò celeri curſu traxerat. Sunt qui ad Penetranum ſaltum Vermium & Franciſcũ Vinciguerræ filium, Venetis occurriſſe dicant. Siue igitur hic, ſiue circa flumen (omnino enim loca penè contigua ſunt) ſeſe hoſtis obiecerit, ſatis conſtat ingẽti Venetum pauore perculſum (à fronte, à tergo, & ad læuam omnia hoſtium erant: dextram lacus ipſe claudebat) Leonardum Martinengium ad Vinciguerram Arcuenſium regulum miſiſſe, cui ille agnatione propinquus erat: mandatũ ad id, ut quantumuis amplis pollicitationibus niteretur hominẽ in ſuam trahere ſententiam: qui ſi Venetorum amicitiam complecti nollet, eo ſaltem beneficio Venetum demereretur nomen, ut nihil hoſtile in ſe moliretur, Penetren ſemq; ſaltum relaxaret. Quod ille ut faceret, non modò non adduci potuit, ſed continuò etiam contra ius gentium Leonardum in cuſtodiã coniecit, eumq; uinctum poſtea Mantuam miſit, ubi ille uitam cum morte commutauit. Martinengij caſus maiorem adhuc terrorem Mellitæ & alijs iniecit: apparebatq; actum eſſe de tot fortibus uiris, lacu, montibus, flumine incluſis: aut in hoſtium poteſtatem abiectis armis ueniendum, aut ſi ferro ſibi uiam facere tentaſſent, tam iniquo loco cadendum eſſe, niſi Piloſus centurio ad Penetranum ſaltum progreſſus, ut illum ſuis (ſi fieri poſſet) aperiret, cum mille (uel, ut alij dicunt) quadringentis militibus aſſuiſſet: is hoſtem noua arte ludificatus dicitur. Nã quum ſaltus, per quem unicum patebat uia, hoſtiũ præſidio teneretur, atq; ea eſſet locorum anguſtia, ut decem fortes uiri multa hominum millia facilè

Barbarus ipſe præſidij præfectus ſingula obeundo, eo quo erat animi uigore, circa mœnia ac portas uerſaretur, ſtationes diſponeret, milites ciues q; hortãdo in ſpem erigeret. Quod literis, & nonnunquam nuncijs aſſimulatis non ſolùm effecit, ſed ita etiam omnium animos cõfirmauit, ut nemo iam eſſet qui per uulnera & mortem non mallet Venetum nomẽ demereri, quàm in hoſtium poteſtatem uenire. Pugnatum eſt itaque nonnunquam feliciter in hoſte, nunc ex ipſis muris, interdum etiam eruptione facta extra urbis munitiones. Quantum interdiu crebri bombardarum ictus (ita enim fuſiles machinas ære conflatas appellare placuit) demoliebãtur, tantum noctu oppidani ſubitis aggeribus reponebãt. Enituit in eo opere non minus fœminarum quàm uirorum opera: in quibus in centurias decuriasq; diſtributis Braida, Aduocaræ gentis matrona, tam præſtantia animi, quàm domeſtica nobilitate illuſtris, diligentẽ reipub. operam nauaſſe dicitur. Inualeſcentibus interim duobus malis, fame & peſtilentia, facta eſt à magiſtratibus poteſtas ijs qui minus apti ad urbis propugnationem eſſent, quò uellent abeundi. Ad id edictum multi mortales, & in primis qui Gibellinæ erant factionis, ex urbe decedẽtes ita eam infrequentem reliquere, ut ex ſeptẽ millibus propugnatorum, quæ ab initio cõſcripta fuerant, ad tria millia tantũ cum magiſtratibus & præſidio remanſerint. Adiecit ea paucitas non parum audaciæ hoſtibus, ita ut aggeribus, uineis, cuniculo, alijsq; operibus bellicis aliquanto ferocius q̃ antea obſeſſos premerent. Contrà illi intrepidè hoſtium conatibus occurrere, nunc eminus, nunc coràm manum conſerere: non pericula ulla, non labores declinare. Ad Mombellam turrim iam cõplanato muro cominus congreſſi, non ſolùm hoſtem ſuſtinuere, ſed illum etiam qui in urbem penẽ euaſerat, ex ipſis murorum ruinis cum multa cæde deturbarunt. Nec id ſemel, ſed tum hoc loco, tum alibi atrociter, & cum multa utrinque cæde ſæpius eſt pugnatum. Demum ea fuit ciuium fides, is uigor & induſtria, tum Barbari, tum aliorum magiſtratuum, ut urbe ſtrenuè defenſa Picininus fremens gemensq; media bruma inde copias abduxerit, duobus millibus hominum & amplius ea oppugnatione amiſſis, in quibus plerique uiri illuſtres periere, quum ex oppidanis & mercenarijs militibus qui in urbe erant, dimidio minus occubuiſſent. Soluta obſidione in hyberna miles eſt dimiſſus. Sed dum Brixia oppugnabatur, interim Mellita ratus quod erat, pro amiſſis habenda eſſe quæcunque à tergo reliquiſſet: niſi uia aliqua aperiretur, qua obſeſſis commeatus & auxilia ſubuehi poſſent. Cum ijs copijs quas habebat profectus, in Lagarina ualle, ut Ariminenſis Paſius ſcribit, Burgum & Coruariam ui cepit. Penetram deinde adortus eam ex Franciſco Vinciguerræ filio recepit. Ferunt ea expeditione Piloſum (cuius uirtute illis ipſis locis Venetę copiæ fuerant non multo antè ſeruatæ) graue uulnus accepiſſe, ac poſtridie quàm ictus fuerat, uita deceſſiſſe. Audito eius caſu continuò iuſſu Patrum præſtantiſsimi ex urbe medici Veronam ad eum curandum miſsi, qui nunciata eius morte, ex itinere domũ abiere. Occupauit Venetus dux Turbulas quoque, uicum Penetræ ſubiectum, quibus locis hyberA Venetias profectus, quum in curiam fuiſſet introductus, fideliſsimæ urbis fortunam oculis Patrum ſubiecit: orare eos, ne tam fidæ ciuitatis obliuiſcerentur: ſcire ſe, ſuos ciues in animũ induxiſſe, prius diſcrimẽ omne adire, extremaq; omnia pati, quàm in Philippi poteſtatem uenire. Verùm illud ſe uereri, ne ij ſint quibus niſi nouis auxilijs commeatuq; ſubueniatur, diutius potẽtiſsimo hoſti reſiſtere nõ poſsint. Properarent igitur, & ſi ſuę dignitatis, ſi imperij, ſi ſuorum ſalutis memores eſſent, animum ad eam urbem retinendam adijcerent, cuius ſingulare in ſe fidem exploratam haberent: compararent pecunias, auxilia, frumentum: compertum ſe habere, Venetas opes eas eſſe, ut nullum ſit tam arduũ bellum, aut tam difficile, quod non facile ſuſtinere poſſint: uoluntate ad id & maturatione opus eſſe: cæteris tempus & Venetorum fortunam moderaturam. Hortabantur ſenatum ad hoc ipſum uehemẽtes Foſcari principis actiones. Quibus curis dum omnium animi deprimerentur, ecce affertur, Brixiam per eos dies obſidione leuatam. Quæ res non ſolùm iacentes animos erexit, ſed in ſpem etiã melioris fortunæ quodammodo adduxit. Additurq; huic ſpei alia quędam recens, Sforziam & Florentinos in ſuas partes, ſi ad eorum fœdera reſpicere uellẽt, reuocandi: quod primus omnium in ſenatu Nicolaus Æſtenſis monſtraſſe dicitur. Is cum Patribus in gratiam reuerſus, Venetias ad principem & ſenatum ſe contulit: atque albis ut erat ueſtibus cultus curiam ingreſſus, poſt multa quę de ſua in Venetos fide præfatus eſt, de ratione gerendi belli dicere orſus, ſenatum admonuit, oblatam eſſe Veneto nomini occaſionem non ſolùm Philippi opibus reſiſtendi, ſed ultra etiam illi arma inferendi. Eam uerò eſſe, ut Franciſcum Sforziam quem conſtans fama eſſet, ob filiæ nuptias nuper denegatas à Philippo omB nino alienatum, per oratores uel immenſis conditionibus accerſerent: haud dubium eſſe, uirum ferociſsimum, geſtarumq; rerum gloria inſignẽ, cùm ueteri Picinini æmulatione, tum recenti in Philippum odio omnia enixè facturum, ut è manibus hoſtium præſentem uictoriam extorqueat. Mouit uehemẽter Patres Æſtenſis oratio, actæq; ſunt illi gratiæ ingentes: & quòd ea temporum nouitate ſuam fidem, ut amicum fidumq; ſociũ decuit, ſenatui coràm probaſſet, & quòd de ijs quæ rei Venetæ conducere putaſſet, amicè diſſeruiſſet. Sed de illis poſtea matura conſultatione ſenatus erat uiſurus. Sũt qui tradant, tum illum Rhodigium cum tota inſula à Veneris dono recepiſſe: ſed ea potius approbatio quædam fuit, eorum quæ de Poleneſi reſtitutione nuper acta erant. His itaq; Patres in ſpem haud dubiam reſtituti, ex literis Iacobi Antonij Marcelli in ſenatu recitatis cognouere: poſt Penetrã & Turbulas receptas, cœpiſſe Mellitam circũſpicere, qua ui quáue arte ſubuenire poſſet Brixienſibus: atque iam apertè conſtare ſi parũ anniti uellent, lacus Venetis aperiendi occaſionem non defuturam. Ea re adhuc magis Patres bene ſperare iuſsi, plures legationes ſimul decreuerunt: Ioannem Piſanum in Picẽnum ad Sforziam mittunt, Franciſcum Barbadicum Florentiam: Petrum Aduocarum in curiam accerſitum, docent quæ Mellita de commeatu Brixiæ importando moliretur. hortantur itaq; illum ut primo quoque tempore ad exercitum iret, atque ibi cum ipſo duce de futura expeditione communi conſilio ageret: hortaretur q̃ Paridem Ludronium per literas, ut in Venetorum amicitia & fide perſtaret: Brixienſibus quoque ſignificaret, neque commeatus, neque auxilia eis defutura, durarent tantiſper, dum ea ſtudio expedirentur. Hæc domi. Mellita copia tritici maxima Penetram contracta (quia alia uia non poterat) per montes ſtatuit opẽ Brixienſibus ferre. Per nuncios igitur

igitur Paridẽ admonet, ut quàm longius poſſet frumentatoribus obuiam prodiret. Quatuor centurionibus datum eſt negocium, qui frumento militibus diuiſo ad Paridem primò, inde Brixiam tranſirent. Iniuerant hoſtes interim Arcum & Thenium, præſidio ad utrunq; locũ miſſo. Miſſuſq; Italus Foroiulianus cũ equitibus ſexcentis & peditibus mille, qui Veneros frumẽtatores inſidijs exciperet (reſciuerant nanq; hoſtes de illorum aduentu) Et iam Thenij ſaltum Mellitani milites euaſerant, ſeq; in tutum perueniſſe rati, in profundam uallem proceſſerant: quum hoſtis repentè obuius factus ſubitum iniecit terrorem. Fuit caſu quodam uiciniore loco præaltus montis uertex, quò trepidus miles cum ipſis ſarcinis ſe recepit: uerum ibidem circumfeſſus, ac pluribus prælijs fatigatus (ceciderant interim non pauci) cum frumento & armis triduo poſt quam obſideri cœperat, uenit in hoſtium poteſtatẽ. Erat Turbulis tunc Mellira, uulgoq; ferebatur, omnes eius cogitationes eò ſpectare, ut Brixię laboranti ſubueniret. Vt igitur illi omnem ferendi auxilij ſpem Philippus adimeret, cum ſex millibus militũ & Mantuano principe in Sabiorum uallem circa Ianuarias idus conceſsit: ibiq; tam diu fuit, donec caſtella tria, ad Nucem unum, alterum ad Cagros, tertium ad Toſecetum, erecta ualido firmaſſet præſidio: quibus ſtantibus apparebat, non eſſe cur Brixienſes alicunde auxilia ulla ſperare poſſent. Sunt qui tradant, præſidia illa ſub id tempus quo Brixia obſidione leuata eſt, à Picinino circa urbem firmata: unum ad Euphemiæ fanum, in monte alto alterum, tertiũ ad Mompeianos fontes. Italus poſt rem ultra Thenij ſaltum in Venetos geſtam, in Paridem mouere ſtatuit. Quod ipſum quia aliquanto poſtea cognitum eſt, continuò Barbarus præfectus, qui in omnes partes animum intentum habebat, ſexcentos pedites Paridi Veneti nominis amico, Gerardi B Danduli ductu auxilio mittit. Is non procul à præſidio quod ad Nucem erat, Philippentium equitum alam ſubitò adortus, ſine alio maiore negocio oppreſsit. Inde Tropienſium Guelphorũ multis Dandulæ cohorti ſe iungentibus factũ eſt, ut mille ſtipatus hominibus ad Paridẽ uenerit. Italus & ipſe ad duo millia agreſtium ex Mantuanis & Gibellinæ factionis Brixienſibus collegerat. Cum his, atq; eo pedituin numero quem ſecum ab initio duxerat, ſexcentisq; equitibus Sarca fluuio ponte qui in Romanij finibus eſt ſuperato, in hoſtẽ ibat: cœperatq; Italus proximos montes aſcendere, dum Paris per occultas ualles inſinuatus ex improuiſo præſidium quod ille ad pontem reliquerat, adoritur: iniectoq; hoſtibus pauore cędem momento temporis edidit ingentem. multi occidione occiſi, in quibus Itali filius, & Petrus Capocius, Pollonus, Tridentinarum cohortium ductor occubuere. Adeſt interim Italus, ſiue clamore, ſiue cladis nuncio excitus: eum uelut torrentẽ quendã montibus deiectum Paris fortiter excipit, exceptũq; non ſolũ ſuſtinet, ſed æquata pugna atroci prędio fatigat. Tribus horis cruento erat Marte dimicatũ, quũ Italus quà proximũ fuit ſe in altiora loca recepit. Carpit uictor Paris extremum agmen: ac niſi noctis umbra cedentem protexiſſet, ingentem omnino cladem accepiſſet hoſtis. Poſtero die orta luce Paris ſuos in hoſtẽ ferociter immittit: & iam in ipſos montes cœperat dirigere aciem, dum hoſtis pudore uictus in pugnã redit. Hic quoque aliquanto atrocius prælium quàm pridie commiſſum: multi ex hoſtibus prius occiſi ſunt, quàm fugam ullam fecerint: uicta tandem eorum pertinacia, terga uertunt. Agit ſolutos ordines Ludronius uictor, ingentemq; agreſtium cędem Guelphi auxiliares edunt, multos obtruncant, multos item capiunt: uenerunt in uictorũ manus ex hoſtibus mille uiui, totidemq; deſiderati. Italus perditis rebus per A aſperos montes Ripam oppidũ petijt: quò poſtea trecenti equites diuerſis itineribus, ac pedites mille fuga dilapſi peruenerũt. Audita ſuorum clade Picininus, accerſitis qui circa Brixiã in hybernis erant per Sabiorum uallem, perq; aſpera montium iuga præcipiti agmine Ludronium uenit: quod acri obſidione adortus, quintodecimo die ex quo locũ cœperat oppugnare, in ſuam poteſtatem redegit. Admota deinde ad Romaniũ caſtra (nam & hoc quoq; oppidum Paridis erat) id natura & opere munitum ubi ualido præſidio teneri hoſtis aduertit (quia adhuc hyems non exierat) ſub Februarias calendas ſoluta obſidione in Benaci oram hybernatũ conceſſit. Hæc in Alpibus gerebãtur, dum Lauretanus copijs ex urbe fruſtra expectatis, ne nihil omnino egiſſe uideretur, Sermenũ oppidum oppugnare ſtatuit: locũ ipſum ſumma ope Gonzaga antea, ut dixi, muniuerat, atq; ob id ea hominum paucitate expugnari non potuit. Venerunt Patres in ſuſpicionẽ ſupplementi, per inuidiam potius quàm inopiã negati: idq; paucis alienæ gloriæ obtrectatoribus datum, qui Laurenti fama feneſcere malebant, quàm præclaro aliquo facinore augeri. Ipſe uerò grauitate cœli preſſus in morbum incidit, quo indies magis ac magis inualeſcente Venetias eſt delatus. Stephanus Contarenus in illius locũ eſt ſuffectus. Petrus aliquandiu morbo conflictatus, ac demum conſumptus ut ipſe teſtamento mandarat, nudis calcibus, ſaxoq; ad caput conſtituto, ſine ulla funebri pompa, paucis comitantibus, ad Helenæ ædem elatus eſt. Mellita iam inde ex quo Penetram receperat, Patribus per literas ſignificare nõ deſtitit, factum eſſe Venero gradum ad hoſtem poſſeſsione lacus deijcien dũ: quo aperto, apparebat facile fore ut Brixię ſubueniri poſſet. Res ipſa in dubium ueniebat: ac id unum quęrebatur, qua ratione id fieri poſſet, ut claſſis in eo lacu pararetur, quum non ſyluæ eſſent, non fluuia ulla, per quæ naues eò attrahi poſſent. Tenuerat ea conſultatio aliquot dies, quãdo Sorbolus quidam Cretenſis (explorauerat is credo prius loca) ad ſenatum acceſsit, docuitq;, neq; animum neq; conſilium ex urbe in Benacum naues traducendi ſibi deeſſe. Quod ipſum quia impoſsibile omnibus uidebatur, ut per ducenta & amplius millia paſſuũ maiora nauigia attrahi poſſent, cœpit primò pro deliro haberi: ſed quum multis conſtaret, hominem non uulgari eſſe ingenio, perſtaretq; interim ille in ſententia, conſtantiq; aſſeueratione affirmaret, id omnino fieri poſſe, ſi ea darentur quę ad rem tranſigendam eſſent neceſſaria. Perſuaſus ſenatus id illi negocium demandauit: quo alacri animo ſuſcepto, continuò ſe ad opus accinxit. Data ei omnia quæ ad rem tantam opportuna uidebantur. Tractę itaq; naues aduerſo Atheſis fluuio Veronam uſq;: inde aliquanto laborioſius binis quaternisue iugatis bobus ad Mauri pagum eas Sorbolus attraxit: hic ſubiectis triremi lapſibus, quam unã Paſius faiſſe ſcribit, ingenti hominũ boumq; conatu in diui Andreę lacum ſex paſſuum millia per plana fermè loca moles illa traducta eſt, reliqua minora nauigia curribus inuecta. Blondus duas maiores triremes fuiſſe tradit, & tres aliquãto minores, ac cum his ſcaphas quinq; & uiginti. Ex quibuſdam aliis qui rebus interfuere didici, triremes, ut ille ait, grandiores duas fuiſſe: ſed earum alterã ſoluta adhuc materia ad locum deportatã. Imminebat lacui, huic in quẽ primũ naues delatę ſunt, rupes in muri ſpeciẽ ſuſpenſa: ad eã rectitudinẽ caſtigandã ingẽs agreſtiũ manus eſt adhibita, qui proximi tumuli parte in lacũ deiecta, uſq; adeò aſperitatẽ illã mitigauere, ut ſubuectæ ex aquis naues cũ tota mole in aduerſum iugũ ſenſim agi cœperint. Eſt nanq; mons arduus inter utrũq; lacũ, ſcindebatq; mõris decliuia quibus primò naues agenda erant, riuulus per abrupta ſaxa & rupẽ hinc

inde

inde faſtigiatam decurrens:hac utrinq; decuſſa,cau
tibusque & arborum truncis uirgultisque in riuũ
deuolutis tellure ſuperinie ta ita exequarũt, ut ſub
iectis lapſibus non multo maiore labore quàm in i-
pſa planicie naues in ſummum montis dorſum ſint
actæ. Spectaui ea loca non ſine ſtupore olim: nec
quiſquam mihi perſuadere potuiſſet, tantam molẽ
per eam montium aſperitatem ingenio aut ui ulla
actam,niſi ueſtigia adhuc quædam, & quaſi uetus
orbita, per ipſam iugi coſtam appareret, quæ rem
omnibus ſeculis memorabilem ita factam manife-
ſtè argueret.Ferunt,non minus poſtea in deſcenſu,
quàm prius laboratum. Timere omnes uehemen-
ter,ne ipſa moles per abrupta montium præceps
acta,ſubiectis cautibus illiſa ſolueretur.Tertio mẽ-
ſe poſtquam Venetijs abductæ erant,Turbulas de-
ſcendere:ubi triremibus diligenter inſpectis,conſti
tit,earum alteram priuſquam refarcta eſſet,haud tu
tò in aquas deiectum iri. Reliqua claſsis ad Sarcæ
oſtium inſtructa eſt, ac triplici palorum ſerie in he-
micycli ſpeciem utrinque,ut tutior eſſet, circumſe-
pta.Caſtellum præterea ad exitum fluminis Vene-
tus impoſuit, præſidioque firmauit, ueritus hoſtiũ
incurſus,qui triremẽ unam cum galeonibus & gan
zariolis aliquot ad Riuoltellam habere dicebãtur.
Creditum eſt,eam rem magis ad alendam Brixiano
rum ſpem Patribus intentatam,quàm quod ſpera-
rent naues ipſas aliquo modo uſui futuras: quũ in-
terim circa lacum & ubique tantum hoſtium obie-
ctum eſſet,ut non modò non ulla Brixiam inuitis il
lis penetrandi facultas eſſet, ſed cura etiam ingens
eorum animos inceſsiſſet,Veronam Vincentiamq;
futura æſtate retinendi. Imminebat omnino inges
periculum,dum Venetis rebus apertè inclinãtibus
fortuna benignius arriſit. Fuerat Philippus magna
parte hyemis illius Sforziam ludificatus,quòd Blã-
cam filiam ex fœdere,ut diximus,pactam, neq; da-
bat perenti,neque daturum ſe negabat: nunc puel-
læ ualetudinem,nunc hyemis inclemẽtiam cauſan
do, rem de induſtria in longum trahere. hæc fraus
tum primùm cognita eſt. Sforzia nuptijs comparan
dis intẽtus,nihil interim minus ſuſpicari quàm ſe-
cum dolo malo agi:uerùm ubi illum alia atque alia
ſubijcientem incõmoda,in puella abneganda per-
ſtare uidit,nouitque eam ludificationem eſſe,Troi-
lum (cui omnia credere ſolebat) Mediolanum ad
explorandum Philippi & ſponſę animum miſit.un
de ille quoniam nihil præter uerba reportaſſet, ira-
tus Sforzia Veneto (quod antea non fecerat) aurem
præbere cœpit. Acceſsit ad id alia recens ſuſpicio.
Ferunt Picininum dum magnopere ſuos ad Brixiã
oppugnandam hortaretur, ac quidam interim dice
ret, quid eſſet quod tam euidenti ſe ſuosque obijce
ret periculo,quum urbem ipſam ac cætera non ſi-
bi,ſed Sforziæ (qui futurus eſſet Philippi hæres) pa
rari non ignoraret,dixiſſe: Pergeret modò ipſe: per
gerent & alij Brixiam expugnare: qua capta, prius
in Picæno futuri eſſent,q̃ calamiſtratus ille ſponſus
affuturos ſuſpicaretur. Tum,Ibi ego, inquit ſponſa,
& uos ephebi ſaltatores eritis. Ea ubi Sforzia reſci-
uit,non ſolùm Venetum audire cœpit,ſed & Floré-
tiam quoque miſit. Erat ibi Franciſcus Barbadicus,
quem Paſium auctorem ſecuti iam antea miſſum
oſtendimus: Blondus Iacobum Donatum in He-
truriam miſſum ſcribit. Florentini etſi pro certo ha
bebãt, Venetorum opibus euerſis Philippum ſuas
non multo pòſt euerſurum, uoluiſſentque tyranni
conatibus aliquo modo occurſum iri: quia tamẽ ni
hil minus credebant fieri poſſe,quàm ut Sforzia à ſo
cero alienaretur, haudquaquam adduci poterant,
ut ad antiqua Venetorum fœdera reſpicerent. Ad
eam igitur mutationem erecti,Eugenio quoq; (qui
tum Florentiæ erat) hortante, idibus Februarijs cũ
Sforzia & Venetis in quinque proximos annos fœ-
A dus renouarunt: in quo ſanciendo illud in primis
expreſſum,ut utriuſque populi ſocius ac copiarum
omnium imperator ille eſſet,cui tria equitum, pedi
tum uerò duũm millium ſtipendia penderentur:&
ut Veneti Florentinique tantas mercenariorum mi
litum copias contraherent, quantæ ad gerendũ bel
lum ſatis illi uiderentur facturæ. Aſcriptus eſt belli
ſocius Nicolaus Æſtenſis, cum quo eſt actũ ut Gui-
donem Fauentinum cum mille & quingentis equi-
tibus,ac peditibus trecentis,&Borſium filium cum
equitibus mille,utriuſq; populi ſtipendio ad uſum
belli retineret. In Montani commentarijs nummũ
auri ducenta ac uiginti millia Sforziæ in ſtipendiũ
decreta reperio: quorum nonaginta millia Floren-
tini, quod reliquum erat, Veneti diſſoluerent: quæ-
cunque ad hæc ex Philippi principatu quærerẽtur,
præter Cremonam quæ Venetorum imperio cede
ret, reliqua Sforziæ quæſita uiderentur: ac ſi præter
Cremonam nihil caperetur, tum eam ipſe copiarũ
imperator haberet. Cæterùm illud quoque in pri-
mis eſt expreſſum, ut ad Venetos bello leuandos
Sforzia ſubitò in Galliam trãſiret. Paſius ait, fœdus
in Hetruria renouatum, dum adhuc Brixiana obſi-
dio teneret. Sed ſi ad idus Februarias eſt actũ, ut Blõ
dus ſcribit,non uideo qua ratione id fieri potuerit,
quum ante Ianuarij Calendas conſtet Brixiam op-
pugnari deſijſſe: quanquam tum quoque ſatis uexa
ta uideri potuit,cui ob præſidia opportunis locis di
ſpoſita,& itinera hoſtibus inſeſſa, neque arma neq;
commeatus importari poterant. Sed ſiue tunc,ut il
le ait,ſiue poſtea id acciderit, Philippus ad eam ge-
neri defectionem uehementer animum remiſit. At
Picininus nihil cunctandum ratus, nec aliquo mo-
do expectandum ut Venetorum opes Sforziæ ad-
uentu firmarentur, de Atheſi ſuperando cum Man-
tuano principe agitare cœpit. Apparebat, non me-
B diocriter id Philippi opibus conducturum, ſi in
Patauinum agrum aut Vincentinum,bellum tranſ-
ferretur. Quod facilè uidebatur futurum, ſi alteru-
tros fines adorti locum aliquem, ubi belli ſedes fi-
geretur,ex improuiſo occupaſſet. Sed id Mantuani
ducis conſilium fuiſſe tradunt,qui id bellum quàm
longiſsimè domo ablegandum primus omniũ ex-
cogitaſſet. Nauigia quæ in Pado circa Sermenum
erant (Contarenus enim claſſem iuſſu Patrum Clo-
diam reduxerat) per Tartari fluminis oſtium in ſta
gna & paludes trahere: atque inde in Atheſim,ſi a-
quis non poſſet,ſolo traducere. Quod hoſtium con
ſilium quum Mellita aliquanto antea per explora-
tores cognouiſſet,principem Patresque identidem
per literas monuit,ut continuò claſſem, quanta o-
pus eſſe uideretur,in Atheſim mitterent. Nec circa
Benacum res interim in ocio fuere. Petrus Zenus,
qui Turbulanæ claſsi præerat, ubi longius portu
paulatim annauigare cœpit,ita eam lacus partẽ que
eſt inter Turbulas & Ponalis hoſtium, ſuis aperuit,
ut nonnihil frumenti quod mercatores eò conue-
xerant,per montis anfractum,quà fluuius ipſe in la
cum præcipitatur, gradibus in hunc uſum uiuo ſa-
xo exciſis,in aſperos montes primò, inde Brixiã ſit
humeris deportatum. Sed dum hęc in Gallia gerũ
tur,ex legatorum qui in Hetruria & in Picæno erãt,
literis cognitum eſt de fœderis renouatione. Quæ
quum in ſenatu eſſent recitatæ,ferunt ipſam fœde-
ris formulam uarijs animis pro cuiuſque ſententia
exceptam. Multi quidem fremere, atque identidẽ
admonere,uiderent illi qui eam rem tantopere pro
barent, ne fraus aliqua fœderibus ineſſet: nihil ſibi
placere,quæ Florentini in conditionibus illis affin-
xiſſent: tutius uideri, uel iniquiſsimã à Philippo pa
cem (ſi impetrari poſsit) accipere, quàm rem Vene-
tam in diſcrimen aliquod conijcere. Mouerant ſena
tum huiuſmodi querelæ: uidebanturq; plurimi pe-
dibus in ſententiam ituri, ut pro infecto haberetur
fœdus,

fœdus,quod nouiter cum Florentinis & Sforzia eſ-
A ſet ictum, niſi labantes Patrum animos grauiſsima
Principis oratio confirmaſſet: quo ſenatum ſuæ pri
mò leuitatis admonuit,quod fœderis diu exoptati
ita leuiter pœnitere cœpiſſet:nec eſſe cur inſidiæ ul-
læ à Florentinis metui deberent, quòd in apertum
belli diſcrimen ſeſe ob rem Venetam conijcerent.
quin eos potius beneficij non immemores exiſti-
mari oportere: quippe qui Philippum hoſtem, Ve-
netorum auxilio olim ſuis ceruicibus repulſum nõ
ignorarent:eſſe igitur hoſtimentum illud, non frau
dem:cauerent ne eam retinendi imperij occaſionẽ,
potius diuinitus quàm humana ulla ope aut conſi-
lio oblatã,leuiter amitterent: uidere ſe uelut ea quę
oculis uiderentur,aut una illa uia,quæ in ipſo fœdere
oſtenderetur:aut nulla alia rem Venetã tam aduer-
ſo tempore ſiſti poſſe:irent, & ſi publicæ ſaluti con
ſultum uellent,ea fœdera amplecterentur,quę non
ſolùm præſens auxilium,ſed gradum quoque ad ui
ctoriam ſecum eſſent allatura. Ita uehemens fuit
principis oratio, ut mutatis ſubitò animis, omnia
quæ legati egiſſent, pro ratis habenda cenſuerint:
curarint etiam id publicum decretum aureis ſignis
munitum Florentiam & in Picænum deferri. Con-
flant ad hæc Patres pecuniæ uim ingentem, cuius
partem immodicam Sforziæ ex fœdere deſtinant.
Mittuntur & qui tota Italia militem conquirerent:
Chriſtophorum & Ioannem Tollentinates acceſ-
ſunt. Ii nauibus (quia ob Rauennæ defectionẽ ter-
reſtri itinere nõ poterant) Clodiã ſunt delati. Dum
hæc Veneti expediunt,Picininus ad Atheſim copi-
as admouerat:cui eas traijcere paranti Andreas Do
natus,qui Florentia reuerſus Patauium prætor miſ
ſus fuerat,& Hieronymus Contarenus cum ſubita
rio milite aduerſa ripa ſe objiciũt. Gonzaga interim
duo detriginta galeones, quos apud Hoſtiliam in-
ſtructos habuerat, per Tartari fluminis oſtium eius
B alueo ad hoc ipſum laborioſe aperto, in paludes
quæ inter Leniacum & Padanos aggeres iacent,tra
duxit. Nec alueo ſolùm purgato opus fuit, ſed uli-
gine etiam (quæ amnem ipſum paludesque interia
cebat) defoſſa uadum nauibus in Atheſim aperuit.
duobus locis fluuius ruptis aggeribus tertiam ferè
ſui partẽ in ipſas exonerabat paludes: ad Caſtagna-
rium uicum quadraginta infra Leniacum ſtadia, &
ad locum,cui Maloperæ nomen eſt. Sed Veneti ea
loca iam antea obiectis molibus obſtruxerant, lin-
triumque muſtarum ac celocium claſſe ad ea tutan
da Marino Contareno & Lodouico Molino præfe-
ctis appoſita. Primi igitur hoſtiũ conatus circa Ca-
ſtagnarium fuere,quibus obſtructum uadum refrin
gere parantibus, Molinus Contarenusq; ferociter
occurrunt: contractoque certamine hoſtis quum ſe
parum profecturum uideret, cerneretque ulteriorẽ
ripam ab ijs inſeſſum, quos Donatus tumultuoſe
eò traxerat,pauca quædam ſub ſolis occaſum ad o-
ſtentationem conatus, intempeſta nocte inde pro-
fectus ad Maloperæ uada annauigauit. Hic nullo
prohibente uadi munitionibus refractis, octo galeo
nes Atheſim ingreſsi ad mille uiros (quorum pluri
mi inerant ſagittarij) in ulteriorem ripam expoſue-
re. Donatus contempta hoſtium paucitate, quos u-
tique non ignorabat,facilè à ſe opprimi poſſe, ut in
hoſtes commodius pugnaret paululum infra Bal-
dum pontem iacere ſtatuit. In quo ponendo dum
occupatus eſſet,interim in hoſtes (qui traiecti fue-
rant) Tybertus Brandolinus cum trecentis equiti-
bus,quos habuit,ferociter impetum fecit:ipſi quo-
que claſsis ductores hoſtem ſecuti, medio flumine
cruentã pugnam ciebant, qua Contarenus tragula
ictus fortiter dimicãs occubuit: Brãdolinus quoq;
graue in dextro crure uulnus accepit. Hoſtes hinc
quoq; deſperato trãſitu profecti, ad Sanguinetũ ſe
receperunt: inde in Buſſetum fluuiũ tranſiere, ubi
A ſex millibus agreſtium adhibitis, foſſam ad Athe-
ſim ducere adorti ſunt: quam quum nocturna quã Veneti milites lintribus traiecti oppleuiſſent, mutato conſilio aliam uiam nõ multum diuerſam ingreſsi ueterem Panegi foſſam purgare cœperũt. Quod opus ne (ut aliud nuper intermiſſum) à Veneto impediretur, ad Anglarium rus duo paſſuum millia ab Leniaco Veronam uerſus caſtra poſuere. Foſſa itaque ex Panego in Atheſim deducta, ſuos galeones in flumen hoſtis tranſmittere cœpit. Sed dum hoſtium claſsis ad Maloperæ uada fuit, Veneti Darium Maripetrum non ſuffragijs, ſed (quia maturato opus fuit) extra ordinẽ claſsis imperio præfecerunt: accerſitus Mellita ex Penetra, cum octo equitũm millibus, & ſex peditum affuit: alij copias ipſas dimidio ferè extenuant. Venerat Maripetrus Leniacum cum quinque & triginta galeonibus, ex ea claſſe aſſumptis, quam ex Pado Clodiam, iuſſu Patrum nuper reductam diximus. Statuerat Picinus æneas machinas circiter quadraginta in Atheſis ripa:idque ad Molini claſſem deterrendam, quo minus naues quæ ſuperiore parte per Panegum & Veterem foſſam in flumen trahebãtur, impediret. Ea intuitus Mellita extẽſis aduerſa ripa copijs, Maripetrum & Molinum admonet, ut ſtatim in ſuperiora fluminis ducerent: hoſtes niſi claſsis obijciatur,inſcio ſe, uel potius inuito, tranſmiſſuros. Paruit Molinus, atque cum ſua claſſe & quinque ex Darij galeonibus qui eum ſecuti ſunt, ſtationes ho ſtium ac Panegi oſtium euaſit. Ferũt ex galeonibus unum hoſtium tormentis confoſſum in illorũ poteſtatem uenisſe. Quo uiſo nullis hortationibus Da rius adduci potuit,ut Molinum ſequi uellet. Venetorum metu animaduerſo confeſtim Picininus machinas ſedibus primo hoſtium aduentu ſublatas,in proprias baſes reponendas curauit: atque hinc Da-
B rio, inde Molino incertis quid agendum ſibi eſſet, nec diuiſa claſſe congredi audentibus (crebros tormentorum ictus uterque in primis declinabat) hoſtes per ociũ ſuas in Atheſim naues traduxere. Tum territi qui in aduerſa ripa ſteterant, inimicæ claſsis impetu non expectato fuga diſsipati diuerſi abiere:multi Mellitam,ſed plures Donatum turpiſsimę illius fugæ auctorem tradunt: ſed duo faciunt ut ci tius credam,apud Venetum culpam fuiſſe: & Paſij Ariminenſis auctoritas,qui ſcribit, mandatum Mel litæ fuiſſe Donati nomine, ut relicta fluminis ripa in tutiora ſe loca cum copijs reciperet: & quòd nõ multo pòſt à populi aduocatoribus eo nomine diẽ illi dictam reperio. Qui tradunt Donati iuſſu Mellitanas copias ripæ præſidio deceſsiſſe,Chriſtopho rum Tollentinatem aiunt cum ſua equitum ala Ve ronam miſſum: Tybertum Brandolinum cum eo equitatu quem habebat,Montagnanum, Ioannem Chriſtophori fratrem, Vincẽtiam: Mellitam ipſum cum reliquis copijs ad Aponi balnea cõſediſſe. Ho ſtes Atheſi ſuperato Leniacum adorti, pontes ſub primum impetum occupauere:in qua expugnatione Caroli Gonzagæ, iuuenis impigri, opera clarè enituit. Eſt Leniacũ uelut in duo oppida diuiſum, quæ ponte flumini impoſito iunguntur: pars quæ ad orientem ſolem ſpectat, Portum uocant: hanc hoſtis adortus modico negocio in ſuam poteſtatẽ redegit,circa reliquum magis laboratum. Clodienſium præſidio erat locus initus,quorum fida ac ſtre nua opera, ut ſemper aliàs, tum maximè illis ipſis diebus ad Maloperę uada Venetus uſus fuerat. Ade rant & Fœdericus Contarenus, & Petrus Quirinus cum aliquot alijs patricij ordinis. Quidam pro Pe tro Quirino Andream Mœnigũ habent: fueruntq; hi miſsi ut locum præſidio retinerent. Sed quemad modum euenire ſolet, ut neque conſilio neque ratione fortuna ſemel inclinata ſiſti poſsit: factũ eſt, ut ſubita oppidanorum deditione ipſũ cum Clodia
nis

nis in hostium potestatem uenerint. Leniaco recepto Picininus & Gonzaga in Vincentinos ac Patauinos fines irrupere: ad Baldum aliquandiu laboratum: inde eo capto, miro uictoriæ cursu Leonicū cepere, Prendolam, Monticulum, Arcinianū, Montursum cum Dresini ualle, & ea quæ Agni dicitur. Montanorum quoque nonnulli deditionem fecere. Sed hæc ferè omnia Vincentinorum sunt. In Veronensi Suauium & quicquid ferè eius terræ reliquum erat, in hostium potestatem concessit. Quo tanto rerum successu elatus Picininus, Veronā castra admouit, quò & Gonzaga cum omnibus copijs uenit. Erantque in hoc statu circa Athesim res Venetæ, quum ad Benacum aliquanto meliore euentu est pugnatū. Foroiulianus Italus Salodij cum equitatu non paruo, sed maiore omnino peditatu erat, & Gibellinæ factionis Brixienses cum eo plurimi: his copijs fretus ille, Materno, Penetra, Turbulisq; Venetū deijcere summa ope nitebatur. Aderat Petrus Aduocarus cum Guelphorum multitudine ad prohibendos hostium conatus. Ad Maternum itaque (nam id quoque oppidum tum Venetorū fuisse reperio) atroci prælio concursum est: Zenus qui Venetæ classi præerat, tam proximo pugnæ loco naues applicuit, ut nauales milites terrestri acie in hostem dimicarint. Pugna à tertia diei hora ad uesperam est protracta: inde dum sensim suos à prælio Italus reuocaret, perque angustam semitam lacui prominenti cliuo obiectam accuratè militem traduceret, Zenus ex ipsis nauibus assiduo telorum iactu expositum hostem & iniuriæ opportunū uehementer incessebat. Vrgebat interim Aduocarus extremum agmen, multaque cædes retardabat. Tum hostes ipsi à tergo & à latere multitudine telorum afflicti, solutis ordinibus fugam capessunt. Instat uictor Venetus, multos trucidat, multos quoque uiuos in suam redegit potestatem. Ingens agrestium cædes est edita, quadringenti & amplius capti, in quibus illustres uiri circiter quinquaginta fuere: Italus umbra noctis usus, Salodium se trepidè recepit.

IN LIBRVM IIII. Epitoma.

Sfortia per Flamminiam & Ferrarienses Clodiam primò, inde in Patauinum agrum ualidissimas transmisit copias: Mellita cum Sforzia castra contulit: Venetus exercitus per montes actus Veronam præsidio leuauit: Picininus cum omnibus copijs se ultra Athesim recepit: Veneta classis ad Benacum deleta est: Picininus in Ludroniæ ualle nocturno est prælio superatus: Sforzia hostes ad Thennium ingenti prælio uicit: Picininus & Mantuanus princeps Veronam, præter arces, furto occuparunt: Verona triduo postquam amissa est, à Sforzia est recepta: Commeatus media fermè hyeme per montes est Brixiam importatus: Mellita in morbum incidit: Picininus in Hetruriam aduersus Florentinos missit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER IIII.

QVerat interim ex Piceno Sforzia, multique cum eo uiri fortes: in quibus Alexander, Ioānes & Leo eius fratres, Rubertus Seuerinas, Dominicus Malatesta, Lodouicus Hadrię dux, filiam in uxorē Sforzia desponderat: Franciscus Ortonius, ac plerique alij uiri militari gloria insignes. Ex Æsio, quò edictum erat omnibus ut conuenirent, Fortunæ fanum, atque inde Ariminum petiere. Hic dum circa signa cæteri frequentes essent, unus Guido Fauentinus defuit, qui diuersarum erat partium factus. Quod ubi ille exploratum habuit, aliquandiu anceps stetit, incertus quò primum se uerteret: uidebat id Philippi cōsilio factum, ut suum in Galliam transitum per nouum hostem retardaret. Sed ut præsenti erat consilio, nihil ad institutam expeditionem æquè attinere ratus, quàm (ubi armis ad Venetos ueniendū erat) si Rauēnam & Forum Popilij hostibus ademisset, quibus receptis compendiosissimum sibi iter in Galliam aperiretur. Popilienses adortus postridie quàm eò castra admouerat, ad deditionem compulit. Inde dum fortè Rauennam duceret, ecce trepidissimis affertur nuncijs, hostes Athesi superato quicquid citra ultraque flumen Veneti tenuissent, præter Veronam & Vincentiam, propemodum occupasse: Veronenses ad id arcta premi obsidione: Paduæ & Vincentiæ eiectis præsidijs tumultuatū, periculum esse nisi properet ire, ne omnia in hostiū potestatem subitò concederent. Sed quod ad duarum urbium tumultum attinet, id militum culpa accidisse aiunt, qui nimia licentia peccantes, furta passim & rapinas in miseros ciues non aliter quàm in hostes bello captos edere auderent. Patauini iniuria adacti quum ad arma concurrissent, mox prætoris interuentu impetum tenuere. Vincentini & ipsi simili causa consternati eiecto præsidio suam in Venetos fidem prædicantes, haud sibi externis armis opus esse dicere, satis superque constantiā suā patribus notam esse: his munimentis urbem ipsam aduersus omnes hostium impetus tutiorem, quàm ullo mercenario præsidio futuram. Laudati sunt uehementer Vincentini à Mellita, qui sub primum affuit tumultum, hortatique ut in antiquo studio & fide permanerēt: permissum est ut suis uiribus quē admodum postularent, urbem tuerentur. Huiusmodi nuncij omnino auditu quàm re atrociores, effecerunt ut mutato consilio continuò Sforzia flexo à Rauenna cursu, ad Roncanum pontem citato agmine duxerit. Inde Guidone & Francisco Picinini filio, intra Foriliuij mœnia cum numeroso equitatu compulsis, quinto pòst die quàm eò uenerat, inde digressus sextis castris per Bononienses Bondomium uenit. Hinc secundo Pado impedimentis Clodiam missis, per Ferrariam patentibus portis Gorium se contulit: ex Gorio mox Hadriam transijt, unde proximus sinus Hadriacus primò, inde Hadriaticus nominatus est. Fuit id Thuscorum oppidū, atque diu præpotens. Verùm nos hæc ideo admonuimus, ne ab Hadria quæ in Picœno est, nomē marii inditum crederetur. Florentissimum hunc exercitum omnium spe celerius Venetæ opes in Patauinos fines traduxere, quatuor ingentibus uadis quibus erat transmittendus. Multis siquidem locis tractus ille littoralis, aut fluuijs in mare emittentibus, aut maris æstu perrumpitur. Ad Gorium primò ex fluminibus Padi unum ponte superatum, quē duo & triginta longiores scaphæ anchoris fundatæ expleuerunt: strata erat asseribus pontis longitudo tenui fabulo desuper aspersa, perticę hinc inde affixę, ne motu pontis equi perterriti in subiectas aquas præcipitarentur: erantq; ad illius præsidium duodecim naues ad pugnam instructę, quæ siquis superiore parte fluminis ab hoste impetus factus esset, pontem ipsum ab iniuria tutarentur. Ferunt his locis Sfortianos pro prodigio habuisse, & quòd Padus ita repentè intumuerit, ut parum abesset quin aggeribus refractis castra (quæ non procul ab ipso flumine metati fuerant) subita inundatione demerserit: & quòd uis ingens serpentum ipsa militum tabernacula circunfederit. Alterum uadum ad fornaces,

naces, quatuor & quadraginta lintres, arctissimo nexu iunctę exhibuere: hic locus (quia hostium infidijs aliquanto opportunior fuit) duodecim galeones armis & propugnatoribus instructos habuit: centum ad id sagittarij pontem præsidio tenuere. Tertius ad Athesis ostium circa Fossiones quaternis uicenis scaphis est compactus: quo superato secus maris littora ad Brundulū copiæ sunt traductę. Hac quoq; traiectus exercitus, quia amplissimum erat uadum, ponte omnium longissimo nonaginta nauibus expleto. Hinc ad portum quē Clodia Venetias uersus habet, Sforzia progressus, trecenta naugia ad conuehendas in continentem copias parata offendit, quibus eques cū omni multitudine peditum exceptus per stagna, quæ ipsum mare ac cōtinentem interiacent, secunda aura cœptus est deuehi. Iucundum erat multis, atq; ipsi Duci in primis, terrestribus expeditionibus nō maritimis assueto, spectaculū trecenta eodem tempore uolitantia uidere uela: mille ad hæc minora nauigia omniū promiscuè ordinū hinc inde circumfusa, quæ cùm officij causa, tum uidendi studio illi obuiam processerant. Aderant & qui publico nomine ipsi duci felicem gratularentur accessum, amplaq; ei munera deferrent. Ad Cōchas, Patauini agri locum, expositus in terram exercitus, ubi sex millia ducenti ac quatuor supra quadraginta sunt equites censi, pedites mille & sexcenti. Qui numerum extenuāt, quatuor equitum millia, ac duo peditum fuisse tradūt. Sforcia ubi copias in continentem exposuit, nihil antiquius habuit, quàm Mellitanas copias, & ubicunq; Venetarum uirium aliquid esset, in unum contrahere, ut quamprimum in hostem dimicaturus moueret. Nec Mellita audito Sforciæ aduentu multū desedit, sed postridie quàm appulsum erat, cum duodecim millibus equitum peditumq; præsto affuit. Quidā auctores sunt, in Colonienſi agro ipsos duces castra cōtulisse: ubi recognito exercitu quatuor decim equitum millia atq; octo peditum in Venetis sint castris numerata. Sed dum hęc in hostes cōparantur, Brixienses fame, pestilentiaq; non minus quàm assiduo hoste domiti. Nam Italus cum duobus millib. ad hoc ipsum relictis, ita assiduis incursationibus urbem uexabat, ut parū meliore essent conditione qui in urbe erant, quàm antea fuissent, quum à Picinino & Mantuano duce obsidebantur. Victi itaq; tot malis ciues fecissent tandem deditionem, ni Barbarus eam rerum omnium difficultatē mira prouidētia superasset. Nullam aiunt artem excogitari potuisse ad miserorum ciuium animos in fide & spe continendos, quam ille maturo tempore nō adhibuisset: ita ut supra fidem sit referre, quibus modis ad alendum præsidium pecunias hinc inde abraserit. Ab urbe stipendium nullum itineribus insessis mitti poterat. Pariq; consilio & industria mōtium incolis, Petri Aduocari usus opera, nuces, rapa, castaneas, aliaq; frugum genera ad leuandam famem expresserit. Et illud penè incredibile dictu, quotiens sit hostem hæc fingendo, illa dissimulando ludificatus, qua patiētia grauem in tanta rerum penuria tulerit multitudinem: nullius congressum aut colloquium euitare: ne illorum quidem, quorū domum sciebat pestilentia laborare: quum ipsa interim lues ita in miseram grassaretur ciuitatem, ut septuaginta penè quotidie efferrentur funera: omnibus horis ad eum patebat accessus: prandebatq; in aperto: nec in eius mensa alius panis ea temporū difficultate conspectus est, quàm hordeaceus, aut furfureus: triticeus nunquā. Ferunt & calones nōnunquam in urbem pro frumētatoribus induxisse saccis palea aliáue materia refertis: atq; hoc ipsum ad noui commeatus speciem ciuibus ostēdandam. Et in propugnaculis sagittas quasi extra urbē missas clandestinè affixit cum literis, quibus ciues ab aliquo publico aut priuato hospite qui in castris esset, moneri uiderētur: cauerent ne ab hoste spem ueniæ, quæ ab illis prætenderetur, ullam sperarent: statuisse eos si Brixia quandoq; potirētur, eam funditus euertere, citesque ad unum cum liberis trucidare. His artibus ille commissam urbem nō solùm tuebatur, sed id sanè consecutus erat, ut pater patriæ uulgò à Brixiensibus diceretur. Demū sub Aduocati reditum montanis fretus auxilijs, castella, quorum ad Crucis unum, alterum ad Mompeianū fuit, subito incursu oppressa demoliēda curauit. Eo successu erecti Brixienses (Italus enim iam antea ad Castanedulū statiua habebat, ut quàm longius posset pestilenti cœlo abesset) constituerunt Salodium oppugnatione tentare: rati fore, ut Venera classe aquis lacessēte, si à cōtinenti & ipsi locum acriador ti essent oppugnatione, ui aut uoluntaria deditione Salodienses ad imperium retraherentur. Gauardum itaque conuenere Thaddæus Æstensis cum equitibus trecētis, quos reliquos ex ala illa quæ ad Brixiæ prędidium cum eo relicta fuerat, Petrus Aduocarus cum montanis trecentis, & Theosaluius cum sex mercenariorum cēturijs. Italus explorato hostium consilio Felicianum cōcesit, in quem Brixienſis ferox confestim impetum fecit. Ille uerò signis ocyus illatis, contracto sub mœnibus oppidi prędio, quum ab ortu solis ad meridiem paribus animis utrinque pugnatum esset, Venetus fessus & reliqui pugna sensim excedere cœperūt. In eos pedes referentes tantus est impetus ab hoste factus, ut solutis ordinibus ui coacti sint dare terga. Thaddæus paucis āmissis perpetua fuga in Pedemontanos abijt: unde nō multo pòst cum copijs, quas ex Bergomo Barbarus subitò accersiuerat, ne aliqua maior clades adiretur, Gauardum reuersus prędidiū quod hostes ad Euphemianum habebant, expugnauit. In hoc statu Brixiēsium res erant, quando Sforcia iunctis, ut dixi, cum Mellita copijs in hostem mouit. Premebant illi interim Veronam, mœniaque bellicis operibus quatiebant. Explorato igitur eorū numero, factique de Sforcię aduentu hostes certiores, machinis impedimentisque subitò in Mantuanos missis, solutaque obsidione cum omnibus copijs Suauium abiere (est id Veronensis agri oppidum.) Hic illi fossam in subiectas paludes ad Athesim attinentes quinque passuum millia à Suauio ductam tenebant, obicibusq; & propugnaculis munitam. Qua defensa apparebat Sforciam ab omni ope Veronæ, Brixię & Bergomo ferenda exclusum iri. Ille interim Leonicum acri oppugnatione adortus, ante noctem ui capit, captumque militi (ut Pasius scribit) diripiendum tradit. Blondus plurimis certaminibus oppidanos frustra tentatos ait, locumq; pertinacissimè defensum: atque ubi Petrus Brunorus, Troilus, uterque Sforciæ charissimus, hic tragula, ille plūbea glande grauiter uulnerati occubuisse crediti sunt, tum ducem ipsum ira accensum, totis uiribus incubuisse, eo consilio, ut captum ui oppidum non solùm diriperet, sed funditus etiam euerteret: ac tum demum à Leonicenis deditionem factam, omnique ob id iniuria temperatum. Hostium munitiones haud multum à Leonico aberāt, nec, dum hæc in conspectu fierent, illi aliquid mouere sunt ausi. Eo oppido recepto Sforcia quadrato agmine in hostium duces ferociter mouit: aciem in eorum cōspectu circa Suauium explicat, facitque eis pugnandi copiam: sed quum ante nouam lunam dimicari non oportere responderetur, expressa hostibus metus confessione ad Vincentinorum oppida recipiēda se conuertit, quorum nō pauca proposita impunitate breui recepit. Sunt qui secundum hanc expeditionem, & non antea, castra ad Suauium admota dicant: ac tum demum cæteris amissis eum locum, uelut omnium opportunissimum, hostem insedis-

se, ut undequaque uersum Sforcia Veronam ire sta- A
tuisset, ille se ex propinquo obijceret. Et quia fossa
ad paludes usque deducta, sine multa cede iter suis
ea parte patere non poterat, per montes Veronam
ducere Sforcia & alij statuere. Ad Roneam igitur
oppidum, quod diui Ioannis dicitur, prius castra ad
mota sunt, quàm quid consilij Veneti duces cepis-
sent, Picininus resciuisset. Tollentinas & qui Vero
næ præsidio erant, facta repentè eruptione (quod fa
cere per internuncios iussi erant) ex munitionibus
(quas circa urbẽ Philippi duces erexerant) aliquot
incensis duas ui captas suo firmant milite. Interim
Sforcia admotis ad Roneam copijs, cum Picinino
circa præsidia, quæ ille aliquanto antea in promi-
nẽtibus iugis firmarat, acri prælio pugnauit. Primo
congressu turbatæ sunt Sforciæ cohortes: mox ue-
rò Troilo & Nicolao Pisano cum robore equitum
in hostes immissis, æquatum est certamẽ. & quum
neutrò adhuc inclinata acie sub noctem Picininus
Suauium cum copijs se recepisset, sine alio maiore
certamine Sforcia in montes, qui Veronam usque
protenduntur, euasit. Venetis igitur iuga montium
tenentibus circũegit aliquandiu copias Picininus,
ut oppida quæ proximis collibus occuparat, præsi-
dio protegeret: pugna tamen omnino abstinuit. Nã
præterquam quod Sforcia nullum ad insidias locũ
reliquum fecerat, aliquanto bellatorũ numero præ-
stabat. Blondus, qui mercenarios tantum milites
recenset, quatuordecim armatorum millia in ho-
stium castris fuisse ait, in Venetis sexdecim, multitu
dinem ad hæc cyronum in utrisq; ingentem: Veronã
ingressus Sforcia haud intra mœnia desedit, ad
tertium lapidem ab urbe Hostilienſi uia castra me-
tatus est. Sunt qui in Campo Martio, qui mœnibus
urbis adiacet, castra habita dicant: atq; ad primam
superandi Athesis mentionem, Picininum (qui in-
terea circa Porciliũ consederat) subitò flumen trãs- B
misisse, abijsseq; cum omnibus copijs Vigasium in
Mantuanis finibus. Tum Sforcia retro conuersus
Suauium obsidione cingit: quo recepto paucis die-
bus, omnia citra Athesim loca, præter Leniacensem
portum, recepit. Dum hæc circa Veronam gerun-
tur, secuta est Græcorum illa cum Romana eccle-
sia unio: quę res pertinacissimis disceptationibus Fer
rariensi conuentu iactata, diuino iuuãte spiritu (de
cuius processu summa erat quæstio) optimum for-
tita est exitum. Ita nanque compertum est, ut in eo
quo duæ gentes omnium aliarum peritissimæ, dis-
sentire uidebantur, idem omnino sentirent, uerùm
diuerso uerborum ambitu. Receptis, ut dixi, omni-
bus citra Athesim oppidis, quæ hostis occuparat,
Venera castra Benacum uersus sunt promota, Bar-
dolinumq; oppugnatione tentatum. Siquidem om
nia Sforciæ & aliorum consilia eò spectabant, ut si-
bi aliquo modo lacum apertum redderent: qua so-
la ratione apparebat, Brixiensibus subueniri posse,
qui pestilẽtia & fame iam propemodum in ultimũ
erant discrimen adducti. Nam præter cladem illam
quæ in urbis oppugnatione fuerat accepta, quinq;
hominum millia pestis illa teterrima miseræ ciuita
ti ademerat. Fames ad hæc aliquãto atrocior quàm
antea incubuerat, rapis, leguminibus, quibus ali-
quandiu inedia leuata fuerat, deficiẽtibus. Rumor
igitur erat, urbem ipsam tot malis breui pòst cessu-
ram, nisi aperto lacu primo quoque tempore com-
meatus & præsidia illi mitterẽtur. Et quia hostium
classis aliquanto Veneta ualidior erat, nõ ausus est
Zenus suis ad Bardolinũ sedentibus naues oppido
admouere: quo accidit, ut ubi Sforcia se nihil profe
cturum uidit (quoniam oppidanis auxilia aquis
subueherentur) soluta obsidione inde abierit. Quia
igitur parũ id processerat, Caualcabos, Guerrerius
Martianus & Ioannes Comes, Romani sanguinis
cum equitibus mille & pedibus trecentis, præter
Arcum & Tienium ad Brixiam commeatu & præ-
sidio subleuandum sunt missi. Hi per Sabienses in
Pedemontanos delati, statuerunt equos montium
asperitate fessos in herbido loco prius reficere, quã
urbem ingrederentur. Cœperat interim consilium
Barbarus, hostilis classis partem quæ ad Salodium
erat, comburere, Thaddæo Æstensi cum Andrea Va
lerio & Andrea Leone eò missis. Zenus quoque na
uium præfectus, monitus est per literas, ut & ipse
maturo accessu adesset, remq; fortiter gereret. Pi-
cininus & Gonzaga hostium consilio explorato, ex
Vigasio clandestinè cum equitibus ducentis profe
cti, per Piscariam ad Felicianum delati, se Aloisio
Seuerinati & Italo Foriuliano iunxerunt: quibus se
cum omnibus copijs sequi iussis, Venetum equita
tum qui in Pedemontanis adhuc statiua habebat,
impetu repentè facto impedimentis exuere, non-
nullisque ad id equitibus interceptis, cæteros in ur
bem trepidè compulerunt. Inde ad eos opprimen-
dos conuersi quos ad lacum missos audiuerant, tri-
partitò mouerunt. Seuerinas in naues impositus iu
betur aquis rem gerere, Italus Madernianos mõtes
cum pedite insidere, Gonzaga & Picininus uia, quę
mõtes ipsos à lacu diuidit, equitatum ducere. Tum
hostium classis Venetam repentè adoritur, concit
at Æstensis ex continenti turmas ut suis laboranti
bus auxilio adsit: tum à uertice & à latere hostes
coorti, in Venetos cum clamore irruunt. Thaddęus
tot difficultatibus circũuentus, suos quanta potest
ui tutari contendit. Sed tantus ab initio pauor cæ-
teris iniectus est, ut nullo fermè loco nisi circa Æ-
stensem sit hosti repugnatum. Momento itaq; tem
poris classis, & qui in continenti erant, ab hoste op
pressi sunt. Erant Veneto triremes duę, celoces qua
tuor, sex galeones, & ganzariolæ septem: quarum
duę conserta pugna ab initio dilapsæ, Turbulas tre
pida se fuga recepere: reliqua classis cum ipso Zeno
præfecto in hostium potestatẽ uenit. Capti ad hæc
Thaddæus cum Valerio & Leone legatis. Accessit
ad eam cladem, quod & Madernianam arcem po-
stridie quàm ita infeliciter est pugnatum, hostis oc-
cupauit. Ferunt, rem diu antea à Sforcia prouisam,
monitosque sæpius ab eo Patres, ut supplementũ
in lacũ mitterent: fore ut nisi id maturè facerent,
classis illa quam ad eam diem paratam habuissent,
hostibus paulo pòst prædæ esset. Ipse uerò Turbu-
las Penetramque (ne ab hoste uictoria elato, subito
incursu opprimerentur) ualido præsidio firmauit.
Ea clades Venetias allata ingenti mœsticia Patres
affecit: uerùm ne ob id animum remisisse uiderẽ-
tur, continuò nouam classem decreuere, diuersa ta-
men ratione ab illa priore ad Benacum statuẽdam:
ut soluta uidelicet materia sexcentis plaustris Tur-
bulas cõueheretur: ubi uelut nauali quodam aquis
proximo triremes octo texerentur, totidem galeo-
nes, ac celoces quatuor. Omnes Veneti naualis opi
fices ad opus subitò conficiundum destinati: classis
imperium Stephano Contareno demandatum, ac
singulis triremibus singuli patricij præfecti: missum
ad id stipendium in castra in aliquot futuros men-
ses: missa ex tyrone suppleméta & commeatus uis
ingens. Hæc tota ferè æstate illa gesta. Venerat iam
autumni tempus, qui per se morbificus tertiam fer
mè exercitus partem paucis diebus febre implicue
rat: quapropter Sforcia Gebetum cum omnibus co
pijs concesserat. Hostis ad Vigasium nihilo incolu-
miore exercitu statiua habebat: præter febrẽ atrox
quoque pestilentia castra illa fuerat adorta. Patres,
quos Brixiensium periculum torquebat, ea cura us
lut cunctarum maxima, animis hærebat: quæ eo
maior per eos dies incesserat, quo in maiorem de-
sperationem fama amissæ classis eos adductos exi
stimabant. Mittunt ad Sforciam qui publico nomi-
ne rogarẽt, ut priusquam in hyberna (quorum iam
tempus

tempus appetebat) miles dimitteretur, commeatu A
ac præsidio, si fieri posset, fidelissimam ciuitatem le-
uaret: & ut ea quæ à tergo Sfortia reliquerat, tutio-
ra esset, statuũt Patres Athesim ad quartum supra
Leniacum lapidem purgata ueteri fossa deriuare.
Quo facto constabat fore, ut aquis longè lateq; sta-
gnantibus Patauinus ager Vincentinus ac Veronẽ
sis, qui citra flumen erat, ab omni hostium seruare-
tur incursu. Allaturam ad hæc, rem ipsam commo-
ditatem maximam Veronam usq; nauigandi. Qua
tuor fossorum millia ad id opus destinata dicũtur.
Contarenus interim (quia nauium arbores tam lõ-
gis itineribus perferri nõ poterant) in castra primò,
inde in Tridentinos montes transgressus, syluas in
specturus, siquæ arbores tantæ proceritatis essent,
ut ad eum usum parari possent, adhibitis ad id co-
gnoscendum peritioribus fabris: cõstitit inter om-
nes, nõ solùm malos, sed omnem etiam multarum
nauium materiem nemus ipsum affatim præbitu-
rum. Accersiti eò præter aliam multitudinem, fabri
lignarij sexcenti. Picininus qui ea parari resciuerat,
ut aliquo modo hostium conatibus iret obuiam,
prima noctis uigilia, Ripa oppido (quò se clandesti
nè contulerat) profectus, uia secundum Benaci lit-
tus aperta, quà uenturum haud quisquam suspicari
potuisset, triremem nuper refarctam igni corrum-
pere tentauit. Forte accidit ut Troilus locum præ-
sidio teneret, qui hostis impetum non solùm susti-
nuit, sed conferto etiam ferociter prælio, continuò
pugnam adæquauit: Picininus medio conflictu e-
quo deiectus, trecentis eo prælio amissis ægrè ser-
uatus est. Re ad Sforciã delata, ueritus ne quod ho-
stis infeliciter tentarat, maiore postea nisu perfice-
ret: placuit Mellitam locis ipsis præsidio esse, qui u-
bi eò profectus est, à lacu ad montes Ripę imminen
tes ducentos circiter passus, maceriem militari ope
re duxit duodecim pedum altitudine, latitudineq; B
penè pari. Erexit & castellum in montis uertice ex
eadem materia, in muri speciem congesta, cum pro
pugnaculis frequentioribus. Quibus locis modico
præsidio retentis, apparebat naues quæ Turbulis
essent, quæq; postea erant futuræ, ab omni hostium
iniuria seruatum iri. Dum igitur classis instruitur,
& Athesis deriuatio mutato consilio intermittitur,
statuit Sforcia commeatum Brixiensibus per mon
tes importare. Contracta igitur frumenti ui ad Tur
bulas & Penetram ingenti, confisus fore, ut prece
aut precio montanos regulos deliniret: aut si mi-
nus id procederet, ui & armis locorum difficultatẽ
superaret: cum tribus equitum millibus, & pediti-
bus circiter mille, ex omni numero lectis, Penetra
profectus ad Thenium quingentos ab oppido pas-
sus consedit. Curauerat ad hæc machinas aliquot
comportandas, quibus (si ita opus fuisset) in oppi-
dorũ oppugnatione uteretur. Sed dum ille ad The
nium sedet, Philippi duces, qui consilio hostium an
tea explorato ad Ripam concesserant, Ludroniam
uallem tumultuario milite insederant: qua occupa
ta, cum peditibus octingentis & trecẽtis equitibus
Picininus cum Seuerinate ad Thenij saltum insidẽ-
dum relictis, qui occupata loca præsidio tenerent,
citato agmine retro mouerant. Insinuarant se inte-
rim ad caput lacus, qui in ea ualle est, Martianus &
Ioannes Comes cum toto equitatu, tacitique in ho
stium aduentum se ibi tenuere. Vbi uerò eò Picini-
nus & alij uenere, Venetis in illos coortis subitum
est prælium commissum. Quo accẽsi Martianorum
animi, certamine semel iniecto nõ solùm per diem
hostem distinuere, sed sub noctem etiam: & quia
lux paulo pòst erat defutura, proximis domibus in
censis, ad id lumen pugnam tam diu distraxere, ut
fessus Picininus sensim prælio excedere cœperit: in
quem pedem referentẽ tantus à Veneto milite iam
spei pleno factus est impetus, ut cõtinuò in fugam
uersus, toto equitatu ac peditũ robore amisso, præ-
cipiti cursu ad Ponalis iuga (quæ Benaci undis emi
nent) delatus, à Teutonico (quem penes se ad hos
usus habere solebat) per abrupta montium ægrè sit
seruatus. Vbi uerò ad subiectas lacus undas est uen
tum, tenui cymba ex proximo accersita Ripam an-
nauigauit. Seuerinas equitibus uiginti comitatus
Madernum per asperos montes se trepidè recepit:
octoginta ex omni captiuorum numero lecti Brix-
iam Barbari iussu perducti. Picininus haud quidẽ
ea clade territus, Seuerinate ad se accersito ad The-
nij saltus occupandos confestim ire pergit. Iam e-
nim uel per hostes transiturus Sforcia ad mõtes suc
cesserat. Est Thenium alto colle situm, ad lęuam de
xtramque prærupti montes: quorum alter, qui de-
xter oppido est, castellũ habet opere & natura mu-
nitum: qui è regione attollitur, sterilis omnino &
magis præruptus: hunc peditum robore hostis inse
dit: præter oppidum Carolus Gonzaga instructas
equitum alas tenuit. Hæserat Venetus dux ad radi
ces eius montis, quem à pedite ihsessum diximus:
uidebatque hostibus dextra lęuaque sedentibus si-
ne ingenti certamine locorum difficultates superari
non posse: & quum consilij anceps secum animo
agitaret, qua ui per hostes sibi uiam aperire posset,
ecce nouam inopinatò cohortem à Ripa Thenium
uersus tendẽtem procul aspicit: ratus ille reliquum
copiarum quod Vigasij erat, eò ab hoste accersitũ,
confestim omnem equitatum cum Troilo in Gon-
zagam mittit: ipse deinde ad pedites conuersus (ex
quibus cohortem unam quasi prætorianam penes
se habere solebat) uerticem insessum illis ostendit:
oratque simul, hortaturque, ut si eo honore in quo
apud se semper habiti essent, digni uideri cuperent:
si pro suis in singulos beneficijs, quæ multa & am-
pla esse non ignorarent, parem sibi gratiam quãdo-
que relatam uellent: si denique ut fortes fidosque
decet milites, strenuam operam, aut præclarum ul-
lum facinus aliquanto coram se ædere statuissent,
ex illius diei pugna, & præteritæ & futuræ militiæ
sibi gratiam omnem & laudem quęrerent: irent for
ti animo in hostem, quo pulso non solùm fidelissi-
mam Veneto imperio urbem seruarẽt, sed gradum
etiam sibi facerent ad amplissimam uictoriã. Hæc
ille. atque unà in aduersum iugum aciem explicat,
ipseque in primis breui hasta nixus in arduum ten-
dit. Miles, quanquam lubrico & abrupto montis a-
scensu uix consistere poterat, presentia tamen & uo
ce ducis adiutus cliuum impigrè superat: inde Sfor
cia suum Troilum cum equitatu circa oppidum pu
gnam ferociter cientem militibus ostendat: horta-
turque eos properare, atque eius uictoriæ palmam
equiti præripere. Ipse inde agili & rapido cursu ad
crepidinem delatus, unde à suis & uideri & exaudi
ri poterat, alacri uoce Troilum, Nicolaum Pisanum,
& alios appellans, hortatur iubetq; hostium agmẽ
cuneo perrumpere, iam se cum cohorte peditũ ho-
stes iugo summouisse. Ad pedestrẽ inde aciem con-
uersus, dum ad eos concitandos properat, ecce pro
cul iam occupato loco uidet suos disiectum hostẽ
per collis decliuia præcipitem agere: tum lætis cla-
moribus atque hastam quatiens: Eia, inquit, fortes
socij: instate, & timidum hostem ne pugnam repa-
ret, à tergo, à lateribus premite, atque ita prælio al-
tera parte defunctus ad equitem hortandum redit.
Hic recentis cohortis interuentu aliquanto uicto-
ria laboriosior fuit: sed ultima impressione à Sfor-
cianis facta: quia iam allatum erat, præsidium ex
summo iugo deiectum: quod unum effecit, ut flu-
ctuare cœpisset hostium acies, captoq; Cæsare Mar-
tinengio, qui medio prælio acriter pugnabat, sum-
moti loco in fugam hostes palàm sunt acti: eos pa-
latos Sforcianus miles uictor insequitur: multos
obtruncat, multos quoque abiectis armis deditos

capit. Post Cæsarem Carolus Gonzaga cum ducen A
tis equitibus & peditibus trecentis in Venetorum
potestatem uenit. Credidit ab initio Sfortia, Picininum quoque à suis interceptum: qui ubi inter captiuos non est relatus, quinq; aureorum nummûm millia proposuit, siquis eum ex fuga retraxisset. Ille uerò quum se trepidè in oppidum recepisset, latuit per diem: ne si uictor hostis resciuisset se Thenij esse, attentissima obsidione oppidum cingere perseueraret, omnemque euadendi adimeret facultatem. Intempesta igitur nocte pannis obsitus, pro lacero uulneribusque confecto milite humeris extra oppidum delatus, auersis itineribus Ripam oppidum peruenit, quò magna equitatus pars se ex fuga receperat. Sunt qui dicant, eum sacco obuolutum, ac pro uili sarcina à milite in tutum deportatum. Postridie quàm pugnatum erat, cinxit Sforcia oppidum obsidione: commissaque per eos dies quibus illa tenuit, leuiora quædam prælia, in quibus Malatesta Cæsenæ princeps, adolescens strenuus, dum ferocius in hostem inuehitur, est captus. Pasius Ariminensis ait, post Thenianam pugnam Venetum ducem ad Ripam oppidum quadrato agmine accessisse, atque in tumultuaria pugna, quæ ibi commissa est, Malatestam captum. Aleardus Veronensis in suo ad Sforciam Panegyrico ait, Picininũ postridie quàm prælio excesserat, structa acie ad Veneta castra dimicaturum uenisse. Cuius audacia eo magis terribilis fuit, quo recẽtissima pugna hostiũ opes magis ac magis accisæ credebantẽ. Etenim facile ex eo apparuit, Sforciæ & alijs rem cum eo hoste esse, qui neque uictor neq; uictus quiescere posset: utcunque tamen res sese habuit, satis conuenit, per eos dies aliquid commeatus Brixienses à Sforcia accepisse, fuisseque indies amplius accepturos, nisi Veronensis clades, quę per eos dies secuta est, ab ea expeditione Venetas copias auertisset. Agitauerant B
animo aliquanto antea Philippi duces, Ciuitatulã, quam urbs ad brumalem occasum habet, furto occupare. Cognouerãt eam ex gregario milite, Theutonici (ut Blõdus ait) generis, qui per id tempus in ea stipendia facere consueuisset, negligenter noctu custodiri. Pasius ex Mantuano quodam ait, id eos resciuisse, qui proxima æstate captus, penes Iacobatium Bononiensem præsidij præfectum aliquandiu fuerat, dum pecuniæ ad se redimendum exigerentur: atque interim liberè per muros & munitiones uagatus, omnia per ocium explorasset: iam antea, ut dixi, in animo erat id facere, sed rem tãtisper differendam censebant, dum in hyberna ab hoste esset concessum, ut prius partes suas Veronæ firmarent, quàm ex statiuis Venetus miles educeretur. Verũ ubi rem eò adductam uidere, quòd iam Sforcia se inuitis Brixiam penetraret: ut eum à præsenti expeditione auerterent, gerendæ rei consilium maturarunt. Accersitis itaque undique copijs Ripa clandestinè profecti, prius Piscariam appulere, quàm qui eò accersiti erant, cõuenissent. Sed illis sequi iussis, ipsi repentè Vigasium progressi, omne militum robur quod illic erat, ex statiuis secum rapiunt: atque tertiodecimo calendas Decembris, primis se iam tenebris intendentibus in subiectos Veronæ campos tacito agmine deuenere: inde intempesta nocte scalæ mœnibus admotæ, quibus ille, cuius indicio mota res erat, primus muros transcendit. Inde alij atque alij silentio secuti, donec custodibus cæsis, ac porta quę proxima fuit refracta, duces ipsi cum omnibus copijs sunt admissi. Cæsorũ gemitus, ac strepitus armorum uigilibus ijs, qui circa uererem arcẽ attentissima custodia publicos muros asseruabant, primò tanti mali suspicionem iniecit: inde alijs atque alijs emergentibus signis, quibus intelligi poterat hostem adesse, subitò est ad arma conclamatum. Ad has nocturnas uoces terrificosque clamores consternata ciuitas, cõfestim arma capit. Discurritur undique cum trepidatione in publicum: in primisque ad aream quæ prætorio subiecta est. Et iam hostiles uoces ex ea parte urbis quæ occupata erat, exaudiri: cœperantque Picininus & Gonzaga quarta noctis uigilia cohortes in urbẽ mittere. Quibus quum nocturno prælio resisti uidissent, mutato cõsilio (quia nondum omnes sui aderant) pugna abstinuerunt. Sunt qui dicant, diffracto præ nimio eorum pentium impetu Rafiolano ponte, ea parte quietuisse. Sed quacunque de causa sit cessatum, ad frangendos ciuium animos propinquas Ciuitatulæ ædes, quæ auersa parte erant, subito incursu diripere cœperunt. Interim multi Veneti nominis studiosi, in publicum uenerant: magistratibusque in re tam trepida uix quid facto opus esset, expedientibus persuadẽt, ut dum per noctis umbram liceat (quia nulla adessent præsidia, quibus aliquo modo perditis rebus succurri posset) in tutum se subitò reciperẽt, darentque operam ne arces amitterent: quibus retentis nõ dubium esset, quin hostes paulo pòst uellent nollent urbe excedere cogerentur: permitterẽt ad hæc miseros ciues iniquæ conditioni temporis cedere, incolumemque ciuitatem meliori fortunæ seruare. Bartholomæus Peregrinus, uir magnæ inter suos auctoritatis, sed egregiæ quoq; in Venetos fidei, eos ex publico cedentes ad pontem, qui lapideus dicitur, comitatus est, ne quid illis incommodi accideret, quo minus in tutum abirent. Vbi uerò illuxit, hostium acies sine ullo certamine per Rafiolanam portam in urbem erupit. Pasius ante lucem eruptionem factam affirmat. Occupauerat ciuium animos ingẽs pauor: quippe quibus ignotum erat, qualis futurus esset ciuitatis status: res in discrimine erat, uellẽtne uictor hostis eam seruare, an publicas & priuatas fortunas militi diripiendas subijcere. Erat in prima acie Alouisius Vermius, qui post Carmaniolæ soceri damnationem, quum diuersarum partium haberetur, uoluntarium sibi consciuerat exilium. Is Philippi opes secutus, ob strenuitatẽ animi & generis nobilitatẽ hostis clarissimus erat. Vbi igitur ad ipsius ædes processum est, in quibus preciosissimam Mellitæ supellectilem esse audierat, ira percitus cõtinuò suos ad Mellitanas opes diripiendas inuitat. Eo exemplo alij qui proximi steterant, cupiditate prædæ accẽsi ad priuatas domos occupandas discurrunt. Alij à Fráciſco Picinino Nicolai filio, qui ad Rasiolanæ portæ præsidium relictus erat, id factum tradunt. Sed siue hic siue ille auctor fuerit, inter omnes constat, cladem omnino ingentem eo die accipiendam fuisse, nisi Magius, homo iuris scientiæ ea tempestate peritissimus, ac inter suos populares multi nominis, ad Mantuanum principem accurrisset, orassetq; ne urbem nihil tale de eo meritam, quæ in id discrimen nulla ciuium culpa incidisset, ac semel occupata sine aliquo maiore certamine cessisset, tanta clade deformaret: satis superq; ei uideri debere, sine cæde, sine labore ullo, præclaram urbem subijcere contigisse. Mouit illum non magis utilis quàm uerus sermo: confestimque ut miles iniuria abstineret, edixit, signaq; ordine ad prætorium sequerentur, ubi ipse paulo pòst Veronensium est princeps declaratus. Constat, in eo fœdere quod in Venetos cum Philippo percusserat, in primis expressum fuisse, ut si Verona Vincentiaque bello captæ essent, Mantuano principi, nõ alij, quęsitæ uiderentur. Secundum eam declarationẽ conuersus hostis ad munitiora urbis loca recipienda, præter arces duas in colle sitas, & eam quæ in planicie Vetus dicitur, portas, põtes, mœnia in suam potestatem subito redegit. Adiecit præterea animum & ad ipsius ueteris arcis oppugnationem, quò Carolum filium captiuum nuper adductum cognouerat: habebatque in animo, aut pontem ipsum qui fluuio

fluuio incubat, rescindere: aut fossam illi cum uallo A
inducere, ne arx auxilia ulla amplius sperare posset. Misit & Ioannem Gõzagam fratrem ad superiores arces, eodem munitionis genere ab omni externa ope excludendas. Tentauit ad hæc Clusinas angustias occupare, quo minus Sforcia captę urbi subuenire posset. Misit & qui Iacobo Maranico, Policellæ uallis præfecto nunciaret, se Veronam proxima nocte occupasse, & cum ipsa urbe uxorem eius & liberos in potestate habere: fore, ut nisi primo quoque tempore daret operã ut omnia sibi ad Clusinas angustias obsidendas paterent, domum militi diripiẽdam daret, uxorẽ & liberos extremo supplicio afficeret. Quibus ille minis tãtum abfuit ut aliquo modo territus sit, quod repulso nuncio cum ingenti agrestium manu subitò Sforcię profectus sit obuiã. Eo nanque die quo urbs occupata est, tam trepidæ rei nuncius in castra ad uesperam est perlatus. Stetterat Sforcia (ad quem primum res delata fuerat) aliquanto nouitate rei defixus, uix tam atrocem nuncium pro uero habiturus, nisi per literas quoq; multorum id cognouisset, admonitusq; esset ut rebus propè perditis quàm primũ subueniret. Motis itaq; ante lucẽ castris, abductoq; ex Turbulis Mellita, cito agmine ad Athesim peruenit: quo superato sub occasum solis ad montium angustias cum paucis est progressus. Quà arx in asperrima rupe eminet, cogit sese ad exitũ Lagarinæ uallis Athesis fluuius, perq; arctissimas abrupti montis angustias, nõ sine horrore altissimarum rupium hinc inde in murorũ speciem ad sagittæ iactum prominentium, per mille & amplius passus defluit: estq; intra extremum amnem & rupes ipsas tam arcta semita, ut duorum expeditorum militum raris sit locis capax: sed circa arcem adeò coëunt montis latera, ut alto gurgite utranq; rupem fluuius perstringat. In ea igitur parte cui arx incubat, ad iactum teli uiuo saxo excisa se B
mita est, singulis peditibus equitibúsue peruia. Ausim ego affirmare, qui duo nunc sunt montes, unũ olim fuisse, quod ex ipso aspectu facile datur intelligi. nam & iuga utrinque prominentia, & ipsæ saxorum crepidines ita sibi respondent, ut nihil illis ipsis inter se similius esse possit. Huc, ut dixi, ad uesperam progressus Sforcia, ex ijs qui præsidio arcẽ tenebant cognouit, tentatum fuisse locum à Francisco Picinini filio: sed quum ille se nihil profecturũ putaret sine alio maiore certamine, retro abijsse. At Venetus dux ueritus ne in insidias præcipitaretur, Nicolaum Pisanum sub lucem cum expeditis equitibus prẽmisit, qui suspecta itinera, & in primis angustias ipsas, exploraret. Is haud multo pòst celeri cursu retulit, angustiarum exitum uim hostium ingentem insedisse. Ferunt tum Sforciam uehemẽter cõmotum, Marcellum, Mellitam, & alios pro concione allocutum: docuisseq; aut eo die sibi in angustijs illis locorum cadendum esse, aut per stragem hostium in apertum euadendum: exploratum habere se, & à frõte hostem uallis exitum clausisse, ac dubium esse, ne à tergo etiam insessa iam sint loca omnia: irent igitur, Sforciaque & eius fortuna duce in hostem ferociter irruerent: scirentq;, nullum esse tam infestum locum, nullam armorum uim, quam comite fortuna non uirorum uirtus domare possit. Et iam futuræ pugnæ intentus procedebat miles, dum certioribus nuncijs affertur, omnia loca tuta esse: Iacobum Maranicum cum mille uiris exitum uallis obseruare ne ab hoste infideretur: iuberet modò militẽ properare, nihil esse cur insidias ullas uereretur. Ea re lętatus Sforcia, signa procedere iubet, & militem pleno gradu sequi. Vbi uerò in apertum uentum est, ad Volarneam tam diu cõstitere signa, quoad in suos ordines miles redigeretur, ut inde quadrato ad urbem iretur agmine. Apud quosdam nihil de ea trepidatione, deq; Sforciæ concione re-

perio. Ad Ambrosij uicum, octo passuũ millia à Verona, sub noctem Veneti duces cõsedere: ibi certo res facti de ijs quæ toto triduo in urbe acta erant: quib. conatibus arces hostis adortus esset: quo modo Mantuanus princeps admotis ad eam quæ Vetus dicitur, bellicis machinis, admonitus à præfecto arcis, nisi ab eo genere expugnationis absisteret, fore, ut Carolum filium ea murorum parte quam primò quati uidisset, tormentis lacerãdum obijceret: quibus minis territus abstinuisset. Quarto itaq; die per montes ad Fœlicianam arcem duxere. Sunt qui tradant, hostes ipsos ex munitionibus, quas uenientibus Venetis obiecerant, aliquãdiu restitisse: inde iniquitate locorum & Sforcianorũ uirtute uictos, facile cessisse. Tum immisso per ocium in arcem peditatu, misisse Sforciam Alexandrum fratrem, Mellitá & alios fortes uiros cum toto equitatu ad eam portam quæ Episcopi dicitur: hortatumque ad id Veronensium quosdam (qui forte aderant) ut irẽt, & repentè portam ipsam, si bona uenia non liceret, ui suis refringerent. Quam ubi hostes occupatam, receptosque in urbem Sforcianos audiuere, subita fuga ultra flumen se recipere cœperunt: tantaq; circa pontem, qui Nouus dicitur, fuit equitum trepidatio, ut sublicius pons, qui lapideum à turri separat, diffractus, cum quinq; equitibus, uel, ut alij tradunt, nouem in subiectum flumen ingentem traxerit ruinam: ferunt omnes armorum pondere cum ipsis equis alto gurgite continuò absorptos: unum, non sine spectantium stupore, equo adiutum ad ripam incolumem annatasse. Immisit ex arce peditẽ Sforcia, ubi suos in urbe esse, & iam passim fugam ab hoste fieri audiuit. Circa pontes aliquandiu laboratum: sed iniectis repentè facibus in eum qui à proxima nauium statione nomen sortitur, ciuibus q; in trorsum inuantibus, factus est Sforcianis in mediã urbem erumpendi aditus. Hæc Blondus. Pasius uerò ait, ex ipsis arcibus bipartitò in subiectum hostẽ copias missas: ita ut præter Zenonis ædem, quæ in monte est, equitatus ad læuam, peditum robur præter Fœlicianam arcem, & alteram Diui Petri quæ in feriore loco est, sit in subiectam urbem demissum, atq; sub ipsum solis occasum dextra læuaq; ad pontem nouum in hostem dimicatum: postq; atrocissimum prælium fuga ab hoste facta, ad quam ob nimiam trepidationem sit ruina pontis secuta. Cæterùm idem auctor est, eo congressu Ioannem Gonzagam grauiter uulneratũ: nec multo pòst ex accepto uulnere interijsse: quem Blondus ait circa Fœlicianam arcem ante Sforciæ aduentum tragula ictum occubuisse. In eo utriq; cõuenit, Naualem pontem noctu igne iniecto expugnatum: quo refracto Picininus & Gõzaga (qui per multam noctem structa acie ante prætorium steterant) audita Sforcianorũ eruptione, se in Ciuitatulã receperunt. Sunt qui sub occasum solis id ab eis factum dicant. Sed siue tũc, siue ad altam noctem cesserint, in eo omnibus conuenire uideo, ante lucem Verona profectos citato agmine Vigasium abijsse. Troilus & Ciarpellio, ubi hostes abire cognitum est, ad insequendum missi, extremum abeuntium agmen assecuti, multa impedimenta, & cum his aliquot mortales oppressere, præter eos qui circa pontes perierunt. Mantuanorum agrestium uis ingens in urbe capta est: quidam etiam à ciuibus, quorum res direptę fuerant, in Gõzagæ inuidiam obtruncati. Ciuitas, quę ferè tota altera urbis pars metu clausis domibus se in priuato continuerat, ancipitis pugnæ euentum expectans, postquam rem iam apertè inclinatam, hostem q; trepidare uidit, multis in eum abeuntem conuicijs ex superiore loco iactatis, Venetisq; per noctem cibo, luminibus, & adhortatione adiutis, ubi primum illuxit, in publicum se proripuit: Sforciæ & Marcello circumfusi ciues uictoriam gratulari, suæ urbis libe-

ratores parẽtesq; cum lachrymis salutare, fortunas ad hæc publicas & priuatas eisdem commendare, orareq; ne cui ciuiũ esset fraudi, quòd urbs per eos dies fuisset ab hoste occupata: culpá omnino à ciuitate abesse. Quin etiá arma ad primos capræ urbis clamores à se capta prædicare, & in publicum procursum: itumq; populariter in hostem per noctem erumpere parantem: uerum cedentibus magistratibus, ciuibus quoq;, ne aliquam maiorem cladé adirent, cedendum fuisse. Nuper uerò cõspectis Venetis signis, nõ modò libenter illa excepta, sed ut quã primum inuisus hostis ex urbe eijceretur, à suorum multis arma capta, ac circa pontes Venetorũ uictoriam adiutam. Laudata est publica Veronensium fides: ac post multas congratulationes, & lachrymas præ nimia (ut fit) lęticia obortas, iussi sunt bono animo esse, ac nullam publicam aut priuatam cladem, præterquá eorum qui in culpa essent: si modò quisquam (quod non crederent) publici illius periculi auctor fuisset, metuendá: quin consolando, ac propè æquè dolendo Marcellus Sforcia & alij mœstos cies, & in tanta rerum nouitate attonitos, in spem melioris fortunæ erigere. Ferunt Magium penè præcipité à Ciarpellione cũ omnibus fortunis, ad quas diripiendas anhelabat, datum, tractumq; uioléter, tanquá maiestatis reum, ad Sforciam. Verum illum ita constanter suam, suorũq; ciuium causam dixisse, ut non modò quæ obiecta essent diluerit, sed culpá etiam à se & alijs, longè abesse monstrauerit. Quare summo omniũ consensu absolutus, & tanquam de Veneto imperio bene meritus magnopere laudatus. Dederat ex Clusino saltu literas ad Senatũ Sforcia de Veronę casu, quibus significabat, eo se animo in hostę ire, ut aut pauciſsimis diebus nobiliſsimã urbem Veneto imperio recuperaret, aut se cum fratribus & reliquo exercitu perditum iret. Expectarent igitur, ac bene interim feliciterq; euenire precarentur: breui futurum ut omnino alterum audirẽt. Erat itaq; assiduè in curia senatus, mœsta sollicitaq; circa forum nobilitas inter spem & metum dubia: erat & tota ciuitas in id unum erecta, quũ repentè publicis priuatisq; literis, alijs super alias allatis, Veronam quatriduo quàm occupata fuerat eiectis hostibus receptã, est cognitũ. Tantam ferunt lætitiam ad eum nunciũ ortã, ut præ nimio gaudio Patres lachrymas continere non potuerint, cõcursumq; ingentem in forum à tota ciuitate factũ: multas ad id & magnas inter Patres & plebẽ congratulationes. Decreta in triduũ supplicatio, & circa tẽpla gratiæ ingẽtes Deo optimo maximo actæ. Ex Tabellarijs quotus quisq; maturius affuit, ita alius alio maiore est pecunia donatus. Auditi & Veronẽsium legati, qui non multo pòst affuere. Expositi hi cum lachrymis miserabilem suæ urbis casum, docuerũtq; culpam quàm lõgissimè à ciuitate abfuisse: uenisse itaq; ut & publicam & priuatã fidem Patribus probarent, inde ut publico nomine præsentem eis gratularentur uictoriam. Benignè illi accepti: responsumq;, eorum fidem satis superq; iam antea Principi & Patribus notam: atq; ob id optasse semper se, fidelissimam ciuitatem incolumem esse: ac tum maximè lętari quòd ita acciderit, ut sine aliqua maiore clade ingẽti seruata esset periculo. Laudata Sforcię uirtus, Mellitę strenuitas, Marcelliq; & aliorum industria, qui opportuno accessu perditis iam propè rebus affuissent, ac uix bene uiso hoste uicissent: placere proinde sibi, ac uehementer probare, quòd obrem bene gestam decem aureorum mummũm millia Sforciæ, Mellitę duo magistratus urbis dono decreuissent. Cũ his legati è curia missi, & ipsi aliqua ex parte donati domũ abiere. Sforcia interim (quia iam hyems aderat) Veronæ hybernare constituit: sed Brixiæ cura illius & aliorum animum angebat: quo factum est, ut paulo ante calendas Ianuarias ex hybernis egressus, ad Arcus & Thenij oppugnationẽ redierit. Castra in Arcuana planicie aliquot dies habita, ubi multi ob immensa frigora absumpti dicuntur. Mellita quoque ob hyemis inclementiam subito corporis & animi lapsu concidit penè exanimis: Veronam secũdo Atheſi est delatus. Tum Sforcia frigoris magnitudine, hostiumque pertinacia uictus in hyberna concessurus, Ciarpellionem & Troilum cum uiris circiter trecentis & commeatu aliquo Brixiam per montes transmisit. Fama erat, Brixienses ad eam rerum omnium inopiam peruenisse, ut iam à nullo infando cibo abstinerent. Constabat ad hæc, per eos dies quibus Verona in hostiũ potestatem uenerat, desperatis rebus publicè cœptum fuisse agi de deditione facienda: quæ omnino secuta esset, nisi Barbarus opportunè in concionem uenisset, uehementique oratione rem tum primum motam oppressisset. Constabat ad hæc, Picininum & Gonzagam Philippi iussu misisse, qui aliquanto attentiore cura Brixienses intra mœnia cõtinerent, prospicerentque diligenter, ne quid commeatus alicunde illis importaretur. Post itaq; Sforcianorum aduentum ad Francacurtam, siue (ut alij dicunt) ad Gusaccum, in Philippi copias est pugnatum: qui antelucano Sforcianorum incursu territi ac fugati, trecentos equites amisere. Et ut urbé obsidione & fame aliqua ex parte leuatam, multitudinę quoque leuarent, per montes quà uenerant, ad Sforciam ductores ipsi in hyberna rediere. Clausis interim circa Turbulas studio instruebatur: quod opus iccirco est aliquanto segnius confectum, quia Verona capta fabris ea trepidatione dilapsis, per aliquot dies fuerat intermissum. Hic quum nauale opus atq; opifices ipsos frequens per brumam Mellita obiret, ob ingentia frigora concidisse, & non in castris, à quibusdam traditum reperio: reliqua hyberna ob hyemis magnitudinem aliquanto quietiora fuere. Percrebuit rumor, sub ueris initium Ioannem Cornetanum, Vitelia familia ortum, qui Eugenianis copijs præerat, quique ob ingentes quos alebat spiritus, meritò erat uel ipsi pontifici suspectus, cum Philippo & Picinino cladestinè fœdus percussisse, atque inter se comparasse, ut uno tempore ipse in Picœnum agrum cum ijs copijs quas habebat, Picininus traiecto Pado in Hetruriã duceret: hic ad Florentinorum opes, ille ad Sforciæ principatum euertendum. Quod uix prius credi potuit, quàm repentè allatum est, Picininum circa Februarias idus ex hybernis digressum, Pado copias traiecisse. Tũ Sforcia ea re commotus, Venetias se contulit, ut de ratione belli cum Patribus coràm loqueretur: uehementer uerebatur, ne subita ui aliqua Picœnum agrum omni præsidio nudatum Vitelius adoriretur. Ad pontificem igitur eo petente Veneti miserunt, qui cum illo egere, ut quæ de Picœni principatu Sforciæ concessa essent, illi inuiolata manerent: Florentinos quoq; hortantur, ut arma studio compararent: ac non solùm suis finibus communem hostem arcerent, sed darent etiam operam, si fieri posset, ne in Sforciæ opes aliquo modo impetum faceret. Multi interim uarijq; fuerũt eius in Flaminia conatus, quos Sigismundus Ariminensium princeps cum Malatesta fratre (qui ad Thenium captus, cum Carolo Gonzaga fuerat permutatus) fortiter sustinuit, peditibus mille à Veneto, totidemque à Thusco acceptis: & ex Picœno Sfortianæ equitũ alæ in exilium aduolauere. Omissa igitur Mugellana oppugnatione (ad quam obeundam Guidonem Fauentinum reliquit) Apenninum superare hostis est adortus, interea Malatestæ fratres ad hostes defecere. Picininus nonnulla in Appennini collibus oppida ui cepit, captaque diripuit. Sperauerat Philippus ea expeditione Sforciam omnino à rebus Galliæ auersum iri, ut res suas & uicinorum tueretur: alebatq; tum maximè eam spem, quum repentè nunciatum est, Ioannem Vitelium pontificis iussu ab Antonio Rido Patauino, Hadrianæ mollis præfecto, captum. Quo nuncio apparuit, primò Picininum præcipua spe gerendæ rei deiectum in Galliam abiturum: uerùm ille non modò nõ cessit, sed aliquanto etiam ferocius quàm antea Malatesta cũ Guidone & Asture Fauentinis accersito, per altiora Apennini iuga niuibus quà ducturus erat laboriosè discussis, in Hetruriam transmittere summa ope est aggressus. Nec Florentini in tanto motu quiescere, sed copias undiq; contrahere. Eugenius, qui in socium belli fuerat ascriptus, quicunq; duces sub Cornetano militauerant, in Hetruriam à Lodouico antistite, quem illis legati nomine præesse iusserat, traducendos curarat. Ipsi uerò Paulum Vrsinũ & Michaelem Attendulum cum multo equitatu ac ui pedítum ingenti stipendio conscribunt: dant operam ad hæc, ut Troilus (quẽ cum ala equitum Sfortia in Picœnũ miserat) his se iungeret: ut tot uiribus in unum collatis nõ solum hosti resisteretur, sed ultro etiam arma inferri possent. Dum Florentini hæc studio expediunt, Picininus interea, etsi à Primolcorio clade non mediocri repulsus fuerat: à Nicolao Pisano, qui tum Florentiæ erat, ac inde cũ tyronũ cohorte ad montium angustias insidendas missus: haud tamen multo pòst superata alpiũ asperitate, ad Policianum consedit. Apennini superati fama ingentem Florentinis terrorem iniecit: & quo omniũ opinione celerius id acciderat, eo magis ac magis animis omniũ consternatis, quid in re tam subita expediret, parum ab initio constare poterat. Nocturnæ per urbem uigiliæ, & circa portas stationes dispositæ. Leuauit tamen præsenti metu perculsam ciuitatem Bosij & Troili cum lecta Sfortianorum cohorte aduẽtus. Hoste ad Policianum sedente, duorum illustrium populorum cura Sfortiam aliquandiu in alternas distraxit sententias: unde accidit ut non tãcito quàm omnium fuerat expectatio, sub uernum tempus in hostem mouerit: hinc Florentini urgentissimis nuncijs reuocare, inde Veneti retinere, oraréq;, ne mutata belli ratione uictoriam, quam tanto certamine hosti penè extorsissent, iterum arripiendam relinqueret: posse Florẽtinorum res, si non suis opibus, at pontificis & aliorum sociorum facilè defendi: Venetas in ipso Martis theatro Gallia relictas, si ab eo proderentur, nõ posse. His curis distrahebatur ille, cœperatque eius cunctatio iam uulgò esse infamis, quũ Picininus Policiano capto in Casentinates transijt, omnia populatione & terroribus complens. Accessit ad præsentem cladem alia penè maior: quòd Borsius Æstensis (in cuius accessum ob ingentem equitatum, quem secum habere dicebatur, Florentinus populus uelut in unicá belli spem oculos coniecerat) ad Philippum ex ipso itinere transijt. Sed Picinini res in Hetruria haud iam inde tam secundæ fuere, quàm ab initio fuerant. Nam ad Arretini agri angustias progressus, quum nunc in Senenses, nunc in Pontificis res uideretur impetum facturus, tamdiu deliberandus fortunæ cursum remoratus est, donec Eugeniæ copiæ Arretium uenere. Eò Vrsinus quoq; Troilus & alij cum robore exercitus paucis diebus concesserunt. Ille tantas ab hoste uires comparatas intelligens, ad Apennini radices se trepidè recepit.

IN LIBRVM V. Epitoma.

Sfortia de Mincio fluuio superando agitare cœpit: Contarenus classis præfectus nauali prælio hostem in Benaco superauit, oppidáq; lacui adiecta, recepit: Venetæ copiæ Mincio traiectæ, omnia Brixiensis agri loca receperunt: Sfortia hostem inter Soncinum & Nouos Vrecos ingenti prælio uicit, copijsq; ad Abduam admotis, ingentem trepidationem Transabduanis iniecit: Leo Sfortiæ frater ad Caranagiũ bombarda ictus interijt: Picininus ingenti prælio ad Anglare in Hetruria superatus est: Sfortia appetente hybernorum tempore Venetias uenit: Spectacula & ampla & insignia in gratiam Iacobi Foscari, Principis filij edita, plures dies ciuitatem occupatam tenuere: Picininus in Galliam reuersus plura Brixiensis agri loca per hyemem occupauit: Validissimæ Veneto rum & Philippi copiæ ad Martinengum uno tempore consedere: Pax Philippo Sforciæ arbitrio reddita est: Sforcia Blancæ coniugis nuptias Cremonæ celebrauit: Ipse pacis conditionibus per ocium publicatis Venetias cum noua coniuge progressus, honorificentissimè est acceptus.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER V.

VEr nondum erat anni tempus, & iam æstas apparebat, quum Sfortia audito Hetruscarum rerũ successu (quia non erat cur magnopere rebus suis ac sociorum, ut antea, timeret) cum florentissimis copijs in hostem mouit. Ferunt rarò aliàs tam largum stipendium militi datum: quo factum est, ut non arma, non equi, nõ deniq; ornamentum ullum militare cuiquam deesset. Et ut quàm primum Brixiam subsidio & commeatu leuaret, per medios hostes statuit eò copias traducere. Augebat ingentes illius spiritus non parum, res in Benaco à Contareno aliquanto antea prosperè gesta: is, ut diximus, classi quam Turbulis instruendã Patres miro studio curarant, fuerat præfectus: & iam triremes pleræque cum alijs nauigijs in lacum erant deductæ. De longarum nauium numero parum inter auctores conuenit: Ariminensis Pasius quatuor fuisse ait, sex Lagisianus Veronensis, Montanus dimidio pauciores: nec qua parte lacus sit pugnatum, omnino constare uideo: quidam ex ripa soluisse hostes tradiderunt, atq; non procul à Turbulano portu dimicatũ: alij inter Ponalis ostium & Ripam. Non desunt qui Philippi classem uento & fluctibus aduersis ex Piscaria profectam, Venetæ medio lacu occurrisse dicant: illud uerò omnes affirmãt, naues longè plures tum hostẽ quàm Venetum habuisse, quibus Blasius Aseretus Genuensis præerat, homo rei maritimæ peritissimus, & cum eo plures Ligustici nominis, uiri naualibus prælijs assueti. Italus Foroiulianus classem militibus onerauerat, Contarenus Petrum Brunoriũ cum lectissimo peditatu secum habebat. Dum igitur ad Ripã Italus stationem haberet, ac nonnunquam in procinctu ante Turbulas classem explicasset, cum Veneto, si pugnandi copia facta esset, dimicaturus: pauciſsimi nauiũ ille diffisus pertinaciter pugna abstinuerat. Demum uerò quatuor (nam Pasium hoc quoq; loco ut in multis, libenter sequor) triremibus, & cũ ijs diuersi generis nauibus plerisq; instructis, audacior factus: conspicatus ad hęc, Benacum contrario hostibus uento agi: ad eos irritandos triremẽ immisit unam aduersum nauigia duo cõmeatu & armis plena, quæ Ripam oppidum cursum intenderant: eam ubi in suos irę hostis ex proxima statiõe uidit,

ut illis auxilio esset, in Venetam confestim mouet. Nec Contarenus in tanto discrimine desedit, sed subitò portu egressus, ferociter in hostem uadit. Et quanquam magnopere properatum esset, parum tamen abfuit quin Italus triremi illa potitus sit, quæ alias præcesserat. Sunt etiam qui dicant, in hostium potestatem antè redactam quàm subueniri potuisset. Sed ubi Venetus cũ reliquis triremibus & duodecim alijs nauibus affuisset, ad primum congressum subitò cruentum prælium ortum: ac non multo pòst æquata pugna diu ancipiti marte pugnatũ, harpagonibus & ferreis manicis iniectis, res cominus gesta est. Eratque talis dimicatio omnino aspectu atrox, quando multi utrinq; caderent: sed rem longè atrociorem uiolenti tormentorum ictus terribilesq; clamores faciebant, qui proximis montibus insinuati, fœdissima imitabantur tonitrua: aër, terra, aquæ uentis uiolentoq; nauium impulsu concussæ, uno tempore strepebant: multa & omnino uaria erant mortis discrimina, quorum illud in primis memorabile: funem aiunt inter duas triremes extensum fuisse, unde uno tempore quinquaginta in aquis diuersis casibus præcipitati pendebant: atque ita innixi ne profundissimis aquis mergerentur, uelut unicam spem uitæ tenaciter retinebant: uerùm altero capite recisо, miserabili modo ad unũ periere. Et iam res Veneta post longum certamen, Contareni & aliorum uirtute superior esse cœperat, quum Italus fortuna apertè inclinante, in paruum transgressus nauigium fuga dilapsus est: Aseretus & alij absentia ducis adhuc magis territi, & ipsi remissa pugna fugam circunspectare incipiũt. Tum ferocius instare Venetus, atq; trepidum hostẽ circunsistere, urgereq; : nec prius uti destitit uictoria, quàm duab⁹ ex omni numero dilapsis, reliquas hostium naues in suam potestatem redegit: eas ingenti lætitia Contarenus Turbulas pertraxit: cui ob atrocem pugnam ferunt galeã lapidibus alijsq; uiolentis ictibus cõtusam, aliquandiu eximi nequiuisse. Tam inclytæ uictoriæ fama Brixiam perlata, ingentem affectæ ciuitati attulit læticiam, erexitq; omnium animos in spem melioris fortunæ. Apparebat, lacu Venetis patefacto nihil amplius impedimento futurum, quo minus commeatus sibi & auxilia affatim mitterentur. Decernunt itaq; legationem quæ Venetias iret, coramq; præsentem uictoriam Patribus gratularetur: fuit illius princeps Petrus Aduocarus, qui aureum uexillum inscriptum, Brixia magnipotens cæteris urbibus fidei præbuit exemplum: futuræ uictoriæ omen in auream Diui Marci ædem, ubi hodie quoq; uisitur, publico nomine intulit. Nec Cõtarenus interim & Brunorius in tanta occasione cessarunt: sed subitò ex Turbulis terra & aquis Ripam adorti, oppidum pertinacius defensum ui capiunt, captumq; hostiliter diripiũt. Sæuitum aliquanto acerbius in oppidanos, atq; in omnẽ penè iniuriam itum: quia plus quàm hostes, crediti sunt habuisse Venetũ nomen inuisum: abducti pueri ex parentũ complexibus, constupratæ uirgines, matronæ cum ipsis uiris miserabiliter uexatæ. Nec ita multo pòst Gardam quoq; Venetus recepit, quam, ut antea Ripam, direptam, à quibusdã proditum est memoriæ: alij nulla maiore clade affectam dicunt. Post Gardam Bardolinum, Lagisium, & alia multa loca lacui adiacentia recepta, quæ nõ ultro imperium recepere, diripienda sunt militibus data: à reliquis omnino temperatũ. Dum hæc Contareni auspicijs in Benaci ora geruntur, iam Sfortia ad Mineruium castra admouerat: ubi audita (ut Pasius ait) Borsij Æstẽsis ad hostes defectione, ac multa hostium millia in Brixiensi esse, & Gonzagam hostem acerrimum cum ingentibus copijs ad Marmirolũ uenisse, ut à fronte, à lateribus suos infestarẽt: anceps aliquãdiu substitit, deberẽtne Minciũ trãsA mittere. Quod quũ fecisset, apparebat omnino per summum certamen Brixiam sibi eundum: sed cura in primis alendi exercitus (nam ad uiginti hominũ millia in Venetis castris erant) illius animũ incesserat. Ne quid igitur temerè fecisse uideretur, rem ad legatum & reliquos ductores detulit, eosq; idem monuisse dicitur, ut secum diligenter reputarent, quantum facinus adorirentur, quando flumine superato, per tot hostium millia Brixiam perueniendum esset: ne, quod nollet, si quid aduersi accideret, dicerent postea, non putauimus. Erat tũc Pascalis Maripetrus in castris legatus: Is, nec mecũ est, inquit, Sfortia, nec cuiusquam eorũ qui te duce Veneta sequuntur signa, pullas tibi belli leges præscribere: sed te, qui imperator es, quiq; rei militaris peritiam longa experientia calles, prospicere oportet quid opus sit facto, ac quum id prospexeris, imperare: nos uerò qui alienis militamus auspicijs, tua sequi consilia. Haud igitur tam citò expediturus ille uidebatur, quid potissimum facturus esset, quũ eum uarias animo curas agitantem, Petrus Aduocarus, qui in castra uenerat, uehementi perpulit oratione: docuit is, in quo statu Brixiensium res essent, quæ niſi tunc, quando maxima occasio data esset, commeatu, armis, præsidio iuuarẽtur, fore si (quod nollet) ut antea, minus maturè subueniretur, rerum desperatione fidelissima ciuitas ad deditionem cogeretur: orare proinde, ne urbem nobilissimam, studio, fide, constantia, in Venetum imperium ante omnes alias insignem, in tanta occasione desereret: nec commeatus inopiam (quando iam segetes in agris flauescere cœpissent) timendam dicere: quibus defectis, ut pro se desponderet, certò scire, tantum adhuc sibi ex priuatis fortunis superare, ut decem dies totum illum alere posset exercitũ. His uocibus motus Sfortia, materia pontis confestim cõB parata haud procul Monzambano copias omnes Mincio traiecit, oppidũ subita oppugnatione adortus ui cœpit, captumq; diripuit. Inde ad Riuoltellã castra admota, cuius accolæ cum terra & aquis se oppugnari uidissent, subitam fecere deditionẽ. Cõtarenus ad Salodium classem admouit, Sfortia ad Clesium amnem progressus, decem passuum millia à Brixia metatus est, quò Barbarus & primores urbis eum salutatum uenere: inde Brunorius & Scariotus Fauentinus ad Salodij oppugnationem cum duabus cohortibus missi, qui Contarena classe adiuti, oppidum post laboriosum certamen ui ceperunt. Id quoq;, quia ad uoluntariam deditionẽ compelli non potuit, miserabili modo uictor Venetus diripuit. Caluisani, Gauardini, Calcinati & Balneolani tantisper dum Sfortia ad Clesiam sedet, deditionem per legatos fecerũt. Ad hunc successum mutato consilio non Brixiam, sed in hostes uictor dux ire constituit: quod ipsum ut faceret, Barbarus (cuius uiri admiratione dux ipse tenebatur) uehementer hortatus est: satius affirmãs fore, inchoatã sequi uictoriam, quàm Brixiam, quæ in præsentia satis eius aduentus fama confirmata esset, ire. Ad Balneolum igitur progresso, ut in hostes impetum faceret (qui ad Manerbium castra habere dicebãtur) à Gotolengo & alijs plerisq; locis legati occurrerunt, pacem orantes: nunciantes præterea, hostes ad ipsius uenientis famam territos procul abijsse. Postridie mille lecti iuuenes ex Brixia in castra uenere, ut imperatorem salutarent: cui quoq; ob uetus odium & iustas in Philippũ iras, gratuitam obtulerunt militiã. Hi benignè à Sfortia accepti, ac signa sequi iussi. Lodouicus interim Seuerinas, Italus Foroiulianus, & Vermius, Philippi duces, munitissima inter Soncinum & Nouos Vrceos loca occupasse dicebãtur, in quos citato agmine Venetus imperator noctu mouit, eosq; loco duob⁹ Ollij põtibus fossisq; munito se tenẽtes, ferociter adortus equites à frõte immisit:

misit: inde dextra læuaq; circuniectis peditum cohortibus, sagittis alijsq; bellicis machinis hostem lacessere cœpit: moxq; eo citra flumen fugę simulatione pertracto, ingens est prælium commissum: Sfortia suos circuibat, promptissimi cuiusq; laudator aderat, castigator etiá ignauiæ, si quis minus impigrè pugnam obiret: nonnunquá & ipse inter primos prælium ciere: inde circunuectus equo certamen, si cubi intermissum uidisset, subito clamore & adhortatione reparare. Hostes & ipsi diu multũque locum retinere sunt conati: sed facta à Ciarpellione cum ueteranorum cohorte per subli cium põtem, qui Ollio incubat, eruptione, repleti fossis, alijsque munitionibus refractis, res iam semel inclinata, nulla ui amplius sisti potuit: turbatis ordinibus ingens fuga facta est: mille partim cæsos, partim uulneratos eo prælio, Pasius tradidit: duoq; ad hæc equitum millia, ac totidem peditum capta: alij dimidio ferè numerum extenuant. Hostium ductores fuga dilapsi, cum ijs qui ex tanta clade euaserũt, Cremam abiere. Ferunt quidam, uictorem Venetũ fugientium agmine mixtum Soncinum irrupisse, atque ita oppidum cum ingenti hostium multitudine captum. Alij post pugnam, uoluntariam ab oppidanis deditionem factam affirmant. Erat Borsius Æstensis cum mille & quingentis equitibus ad Ienepaltam uicum, bina passuum millia ab loco ubi gesta res erat, castra ad uesperá cũ Philippi ducibus collaturus. In eum igitur de euentu pugnæ quam ad Soncinum commissam acceperat sollicitũ, Sfortiani milites fugientem hostem secuti, ex improuiso impetum fecere: partim negocio (quia omnes copias adesse credidit) fusum impedimẽtis omnibus ac tertia equitum parte exuerunt. Sunt qui tradãt, eum nouissimè pugnam iniuisse, quando iam conserto prelio cum suo equitatu affuisset: uerùm re semel inclinata, quia restitui non posset, cum alijs acA cie uictum excessisse. Philippi rebus duplici clade accisis, Vrceani misso ex fœdere præsidio in fidem rediere. Nec hi solùm, sed omnia Brixiensis Bergomensisq; agri uici, arces, castella, oppida, & cum his Camonicæ uallis incolæ, ultro imperium recepere. Annona ad hæc mirũ in modũ Brixiæ relaxata est: decuplo minoris triticum, omniaq; frugum genera, quàm paucis antè diebus palsim uæniſſe constat. Bergomum quoq; eam sensit felicitatem. Ex utraq; ciuitate legati ad Sfortiá in castra uenere, qui uictoriam primò gratulati, ingẽtes ei gratias egere, quòd ipsius uirtute tam lõga laboriosaq; obsidione (quæ tres iam propè annos tenuisset) liberati essent: actum quum iam omnibus malis uicti amplius resistere non possent, maturo præsidio, imò insperato uictoriæ cursu, Veneto seruati essent imperio: prædicare itaque, prædicaturosq; semper, post Venetũ nomen, cui plus deberent quàm Sfortiæ, esse neminem: illi uni salutem suam, fortunas, omnia demũ diuina & humana, & quòd uiuerent (quo charius nihil mortalibus esse soleat) semper ei acceptum relaturos. Addiderunt Brixienses quædam munera, pro præsenti fortuna haud omnino contemnenda: orantes illum cum lachrymis, ut suorum Brixiensium animum, non rem inueretur, quæ tam tenuis esset, quàm reliquæ ciuitatis opes diuturno bello cladeq; multiplici accisæ. quanquam certò scirent, magnanimum & sapientem ducem, post animi gratitudinem nihil à suis ultra uires requisiturum. Secundum hanc uictoriam Ollio superato (quia iam segetes maturæ erant, atq; ob id sine rei frumentariæ metu ubiq; exercitus esse poterat) Casale maius, atq; alia multa eius terræ oppida, præter Caruagium, recepit: eum locum quum primum oppugnare tentasset, quia præsidio erat initũ, & ob Abduæ uicinitatem commeatum noctu atq; interdiu (si ita facto opus esset) subuehi possenõ ignorabat: ab ea re auersus Brugnanum primò, inde Triuilium & Riuoltam Abduanæ glareæ oppida recepit. Nec in Mediolanensi interim est mediocriter trepidatũ: pecus ipsum præceps ex agris in maiora oppida actum: nec non agrestes in ipsis urbium portis cum liberis, quos trahebant pauidi, incidentes metũ & trepidationem augebant. Vndiq; igitur uiribus cõtractis Abduæ ripam Philippus aggere crebrisque firmat stationibus: Picininum iam antea trepidissimis nuncijs, ex quo ad Ollium malè à suis pugnatũ acceperat, ex Hetruria reuocare non destiterat. Venetus imperator, quia non ignorabat quàm opportuna loca post se relicta essent, quæ adhuc hostium præsidio tenerentur: cæterùm constans fama erat, Picininum à Philippo in Galliam reuocatum: ueritus fortunæ mutationem, ne si casu aliquo coactus fuisset hostibus cedere, non omnino sibi integrum esset urgente necessitate id facere. etsi Abduæ trãsmittendi speciem sæpius ostentarat, ab eo tamẽ superando pertinacissimè abstinuit. Caruagium igitur denuo adortus, quum Leo eius frater tormẽto ictus paucis diebus expirasset, ira percitus longè infestius quàm antea oppidũ premere perseuerauit: assiduis inde minis nouisq; conatibus nõ prius hostem territare destitit, quàm ad deditionem faciendam compulit. Fuerunt qui scriberent, Leonẽ Sfortiæ fratrem post Caruagium receptum ex uulnere accepto uita decessisse. Picininus interim audita clade ad Ollij accepta, urgentibusq; Philippi nuncijs alijs super alios, quibus trepidè in Galliam reuocabatur: ratus quod erat, se Hetruria decedente belli socios, & oppida quæ ad se defecissent, paulo pòst ab hostibus oppressum iri, statuit acie dimicare, ut si prosperè pugnatum esset, acciſis Florentino rum & pontificis opibus, socij dediticijq; in fide cõmodius permanerent. Omni igitur potiundæ Perusiæ spe abiecta, quam per homines suæ factionis B occupare in animo habuerat, Tiphernoque frustra obsidione tentato, ad Burgum sepulchri transijt, inde ad Anglare, ubi Lodouicus antistes, Paulus Vrsinus, & alij castra habebant, quadrato agmine peruenit. Est id oppidũ ad radices Apenninj, residetq; locõ omnino edito, colleq; ab eo ad planiciem descenditur. Hunc, quia molliter accliuus est, insederant Hetruscæ & Eugenianæ cohortes: quanquam copiarum pars usq; ad torrentem progressa, qui in prima planicie ponticulo iungitur, quicquid intra illius ripas & cliuum plani soli fuit, ab initio compleuerat. Circa pontem igitur sub Picinini aduentum primò consertum est prælium. Ferunt persuasum illi fuisse, hostem à se incautum eo die oppressum iri, utpote qui ad tertio Calendas Iulias festa Apostolorum luce ob religiosum diem feriatos esse inuasurus. Spei ob id plenus, ex Burgo mouerat: milleq; fermè oppidanos, quasi ad indubitatæ uictoriæ spectaculum secum traxerat. Verùm ubi hostem in armis esse uidit, mutata pugnæ ratione, coactus est & ordines mutare. Circa pontem, ut dixi, & torrentis ripas primus fuit congressus: sed facta à Picinini filio fortius impressione, amisso ponte aliquantisper repulsus, ad primum cliuum Hetruscus eques constitit. Nicolaus Pisanus, uir acer, circa torrentis uadum, quà etiam hostes irruperant, interceptus est: ac parum abfuit, quin & Attendulus ipse, dum ferociter pugnam ciet, in hostium potestatem uenerit. In exigua igitur illa plani soli intercapedine, quæ intra ripas & collem iacebat, anceps inde prælium fuit: multi uarijque erant Picinini conatus, quibus ille hostium phalangem loco summouere studuit, summotáq; fundere ac fugare, sed illi ipsi omnes irriti. ubi uerò immotam ille stare aciem uidit, Asturem Fauentinum, & alios uiros fortes, cum robore equitum cuneo in aduersum hostem ire iubet: in quos acriter inuectos Eugeniani desu-

desuper impetum fecere, tantaque ui in subiectum hostem irruere, ut illum penè præcipitem cum ingenti fragore ad torrentem usq; reiecerint. Hic Asture & plerisque alijs uiris illustribus oppressis, cõtinuò ultra pontem hostes non sine trepidatione abiere. Credidit Picininus fore, ut reparatis ordinibus structo agmine liceret inde abire: sed longè aliter euenit. In eum nanque id molientem, Florentinus & Eugenianus eques, qui iam inde ex quo sensim referre pedem cœperat, acri prælio urgere ac uexare non destiterant, totis uiribus inuecti, non modò non reparari aciem permisere, sed dissipatis ordinibus fugam stragemq; ingentem ediderũt. Multi cæsi ac uulnerati, sed plures omnino capti. Nã præter Asturem, quem medio ardore pugnæ captũ diximus, duodetriginta turmarum ductores cum mille & octingentis equitibus Burgensibusque omnibus in uictorum potestatem uenere. Picininus uictus Burgum se recepit, quem relatis captiuorum capitibus apertè dixisse ferunt: Actum iam de Philippi principatu, si Italiæ militiæ florem, quem hostis in manibus haberet, nollet reddere. Lagisianus ait, præ nimio dolore bis se ferro transfigere uoluisse: fuisseque id haud dubiè facturum, nisi Franciscus filius consolando rogandoque illi die noctuque affuisset. Dum hæc in Hetruria geruntur, Sfortia Caruagio recepto, Aduocaroq; Brixiensi ad arcis oppugnationem relicto, inde mouit: ac tum demũ (ut quidam aiunt) Casale maius recepit, multaque Cremonensis agri oppida. Nec ita multo pòst Asulam, Canedum, Marchariam, Gonzagæ ademit. Caruagiana arce interim expugnata, Asulæ & Canedi arces, quæ adhuc hostium præsidio tenebantur, ultro deditionem fecere. Ad eam quæ Marchariæ fuit, aliquandiu laboratum: nec prius ad deditionem cõpelli potuit, quàm murorum partem machinis concussam demolitamque uiderunt ij, qui intus erant: tum uerò Sfortianis per ipsas murorum ruinas in arcem scandentibus cessere. Lunatenses & ipsi non multo pòst conspectis Sfortiæ signis, imperium accepere, quàm Monclarenses cum Caprianis & Volterinis studio secuti sunt. Admota demum ad Piscariam castra: est id oppidum (ut alio loco significauimus) ad Mincij caput: arx ibi nobilissima fluuio incubans, cum ponte ac turribus utranque ripam amplectentibus: hic Sfortiæ castra habenti Nicolaus Æstensis ex improuiso affuit: is de pace acturus, ad eum & Maripetrum legatum in castra uenerat: multaque de fortunæ uarietate præfatus (cuius aiebat Venetos Sfortiamque oportere esse memores) pacem cum Philippo suadere cœpit: eius se auctorem arbitrumque futurum, si ita eis uideretur, est pollicitus. Addidit ad hæc, quod Sfortiæ cordi esse sciebat, curaturum se ut Philippus Blancam filiam, quã ad eam diem dare recusasset, in castra usque (si ita illi placitum esset) cum ornatissimo apparatu mitteret. Ad ea Sfortia, se quoque quietis & ocij, à quo Venetum sciret non omnino abhorrere, auctorem, dimisit, modò Philippus ita euenire uellet. Quod ad Blancam attineret, ipse cum patre & alijs amicis in medium consuleret. Cum his Æstensis Mediolanum rectà ad Philippum abijt. Interim Piscaria quatriduo postquam cœpta erat oppugnari, Contareni naualiumque sociorum uirtute (nam classis eò sub Sfortiæ aduentum admota erat) ui capta, hostiliterque direpta est. Ad turrim demoliendam, quæ non solùm arci, sed oppido quoque prominebat, bombarda ingens (cuius ui Marcharię arcis mœnia non multo antè miræ crassitudinis diiecta fuerãt) admota est. Eius machinæ impetus tam uehemens fuisse dicitur, ut & domus aliquot oppidanorũ uehementi motu terræ, qui ad eius ictum sequebatur, repentè conciderint: & naues, quæ in ipso lacu ad quingentos & amplius passus procul aree in ancho-

A ris stabant, quotiens lapis excuteretur, fluctuantibus aquis inter se colliderentur. Turris igitur ea ui concussa, post decimum ictum procubuit: ad cuius ruinam territi qui in arce erant, deditionem fecerunt. Piscaria recepta Mincium Sfortia transmisit: Villam Francam, paucis diebus & Vigasium, inde Vallegium quoque cum ponte, qui fluuio est impositus, ac plerisq; Mantuani agri oppidulis hosti ademit. Dum circa Mincium hæc geruntur, Æstensis paucis diebus apud Philippũ absumptis, cum Blanca secũdo Pado uectus Mantuam uenit. Attulit ea res non mediocrem Venetis suspicionem, aliquid inesse ratis, quod tam citò Sfortia cũ socero in gratiã rediisset. Vehementer igitur addubitare, ne quid incommodi ex ea reconciliatione respub. caperet. Verùm rogatus ille ut in Marmariolum Mantuani agri uillam, ubi Blanca esset, de coniugio deque pace acturus se conferret: neque ad hostium loca iniussu Patrum se iturum respondit, neque illos, si sapiant, permissuros. Quę uox effecit, ut omni abiecta suspicione Veneti de eius fide prorsus ambigere desierint. Puella Pado flumine ex Mantua Ferrariã est missa, quam triduo pòst Æstensis est secutus. Picinus secundum cladem illam ad Anglare acceptam, ex Burgo (quò se ex prælio receperat) in Flamminiam transijt, suisque coram partibus firmatus Mediolanum magnis itineribus uenit. Nec multo pòst & Lodouicus Pontificij exercitus legatus in eam prouinciam duxit: reuocatisq; Sigismundo & Malatesta fratribus ad Eugenij stipendium (quanquã Malatesta iterum ad Philippum defecit) paucis diebus oppida quædam uoluntaria deditione recepit: quam Forliuienses & ipsi secuti, à Picinino defecissent, nisi præsidij, quo urbs inita erat, metu in fide retenta esset. Collatis ad hęc castris cum Iacobo Antonio Marcello qui ex Gallia in Flamminiam cum quinque equitum turmis missus erat, pro magno habuit negocio, Lodouicum Rauennam aggredi. Ostasius antiquam Venetorum amicitiam secutus, Marcelli fide implorata, Venetos intra mœnia accepit, urbemque ei tradidit: ipse uerò cum coniuge & liberis Venetias abijt. Quidam Ostasio inuito, à populo deditionem factam tradunt: quod ideo propius uero mihi esse uidetur, quia non multo pòst eum cum filio in Cretam relegatum reperio. uerùm siue ille deditionis auctor fuerit, siue potius ciues, planè constat, eam rem Lodouicum indignè tulisse, Bagnacauallumque quod armis subegerat, Nicolao Æstensi ob id ipsum postea dedisse. Et quia autumnus ille cõtinuis imbribus fermè actus fuerat, tam citò quàm rarò aliàs, ob anni inclementiam miles in hyberna concedere est coactus. Pontificiæ itaque copiæ re adhuc infecta ex Flamminia in Hetruriam, inde Romã abiere. Sfortia & ipse appetente hyeme, quum iam omnia recepisset præter Lenia cum, quod aliquandiu ob ualidum quo tenebatur præsidium frustra oppugnauit (quanquam nõ tam armis, quàm pluuijs & procellis assiduis constet defensum) in hyberna concessit: præter cohortem unam, quam penes se Veronæ esse uoluit, reliquas copias ab Abduæ ripa ad Taurinos usque municipatim uicatimque diuisit: hisque in prouincia gestis, ad Principem & senatum salutandum Venetias cum paucis uenit. Vix unquam aliàs imperatorum aliquis maiore lætitia à Patribus & uniuersa ciuitate est acceptus: quippe quem non solùm probabãt, sed admirabantur etiam: suspiciebantque ob clara ipsius gesta, quasi augustum aliquid & supra humanum in eo intuerentur. Itum igitur est illi obuiam ab omnibus frequenter ordinibus, ac demum in curiam adductus, magnificentissimisque uerbis laudatus. Est non parum quoque laudatus Franciscus Barbarus, qui uoluntate Patrum cum Petro Aduocaro & centum Brixiensibus nobilissimis uiris Ve-

netias

A netias non multo pòst Sfortiam uenerat. Vertit is quoque ob Brixiam seruatam, non minus quàm ille oculos omnium in se, summaque defixit admiratione, amplissimisque ad hæc honoribus ornatus. Brixienses & ipsi cum multis lachrymis præ nimia lætitia ac charitate ad principis complexus & oscula admissi: laudataque eorum fides, quam omnibus monumẽtis posteritati consecrandam cuncti aperta prædicatione censebãt, perpetua donati sunt immunitate. Et ut plebs sua quoque sentiret præmia, molarũ uectigal (quod uiginti millibus locari consueuerat) in perpetuum est populo remissum. Petrus Ludronius Paridis filius, ob sua & patris in rẽpub. merita, ampla & ipse munera accepit: ac cum his trinas ædes, Paduæ unas, alteras Vincentinæ, Veronæ nouissimas. Exhibita ad id in urbe spectaculá penè insueta: atque illa ipsa omnia in Iacobi Foscari Principis filij gratiam, qui uxoré per eos dies duxit splendidissimo nuptiarum apparatu. Sed spectaculorum omnium illud ut insuetum, ita maximè uoluptuosum, & ob id fortasis præ cunctis memorabile: quod à Samuelis æde ad Barnabę ripam, aquas ponte ad tempus extructo iunxit, ut equestri pompa in Leonis Contareni ædes transiret, qui illi filiam desponderat: eam paternis ædibus eductã, Bucentauro nobilissima naui purpura instrato excipiendam curauit: in quo ex omni nobilitate matronæ cultu & fortuna præstantes affuisse dicũtur. Hastarum ad hæc certamina, & aurigationes plures dies tenuere, & à pluribus in principis gratiam instauratæ. His erat ciuitas spectaculis occupata, dum Picininus (qui neque uictor, ut diximus, neq; victus quiescere poterat) satis ualido in Gallia exercitu reparato, media fermè bruma (tum dico, quũ nemo eum moturum speraſſet) in Brixianum agrũ repentè impetum fecit: tantoque tumultu & terrore omnia complcuit, ut priusquam Sfortia Venetijs B profectus sit, omnem Brixiani agri planicię (præter Vrceos cum omnibus quæ in Abduana terra inferioreque Bergomatis agri ora Venetus tenebat) ad deditionem compulerit, mille & ducentis equitibus ad Clarum oppressis. Sfortiani ex hybernis tumultuose exciti, in munitiora se receperãt loca: quo factum est, ut tãtus uno loco equitatus interceptus sit. Accessit ad eam cladem Ciarpellionis defectio, qui cum equitibus trecentis ad Picininũ transijt: cuius perfidiam dux Hadriæ secutus, & ipse cum nõ paruo equitatu Sfortiam deseruit. Mira locorũ defectio ad hos motus secuta fuerat: sed lõgè maior postea secuta est ad falsos rumores, quos de illo dissipandos Picininus curarat: fuisse eum Venetijs in custodiam conjectum, ac Patrum iussu clandestinè necatũ. Ea mendacij opportunitate usus hostis, tamdiu omnia sibi ad iniuriam opportuniora reddidit, quoad ille ad primam renouati belli famam, ad coarguendos rumores falso de se uulgatos, Brixiam aduolauit. Et quia ob immensa frigora nihil agi poterat, confirmatis sua præsentia qui adhuc in fide erant, ac bene sperare iussis, ipse Veronam redijt. Vbi audito Vallegiani pontis casu, quem Mantuanus princeps per eos dies occuparat cum ijs copijs, quas ex proximis hybernis tumultuose excierat locum adortus paucissimis diebus recepit, recepitque ualido firmauit præsidio. Quidam auctores sunt, sub illius ex Brixia digressum, Clarum, Soncinum, Martinengũ, & Casale maius ad hostes defecisse: nec eum cladem illa magnopere commotum, ratum satius fuisse ita euenire, quàm si ui capta aliquam maiorem cladem adijssent. quum planè constaret, loca illa eorum postea futura, qui proxima æstate plus armis essent ualituri. His demum locis Philippi copiæ quod hyemis supererat egere. Sub uernum autem tempus utrinque magnis conatibus bellum parari est cœptum: pecuniæ, arma, com-

B meatus, atque omnia quæ ad uictoriam facere creduntur, studio expediri: eratque non Gallia solùm, sed tota Italia in præsentis belli euentũ erecta. Apparebat enim, nisi altero ferocissimorum ducum sublato, aut omnino armis exuto, debellatũ iri nullo modo posse. Transuerat interim ex Hetruria in Galliam Michaël Attendulus cum duobus millibus militum, à Veneto hoc nomine accersitus, ut Mellitę loco (qui exigua spe animum trahebat) Venetis copijs præesset. Sfortia (cuius imperium longè maius erat: quippe qui non solùm Venetis, sed sociorum etiam omniũ moderabatur uiribus) quia iam tempus mouẽdi ex hybernis erat, uires omnes in unum cõtraxerat: quum hostis, qui uel minimos eius motus per exploratores cognoscere consueuerat, aliquanto maturius cum sexdecim millibus armatorum in Bergomensi agro ad Seriolæ amnis ripam cõsedit, castris propè Algisium cõmunitis ita, ut à fronte ripam haberet aquis & situ munitã: dextra uerò læuaque altas rupes, à tergo Ollium cum ponte præsidijs firmato. Apud quosdam Mellã pro Seriola scriptum reperio, & pro Algisio Cignanũ: sed quocunque ille loco metatus sit (nam satis constat, natura munitum fuisse) longa mora credidit se omnes Sfortiæ conatus frustraturum: sed longè aliter quàm animo conceperat euenit. Nam ubi Venetus imperator cum florentissimo exercitu in hostium conspectum uenit: explorata locorum natura confestim confligere, atque hostes ui loco summouere constituit. Suos itaque hortatus dicitur, ut subirò sese ad pugnam, omnino specie quàm re maioré expedirent: fore affirmans, ut Philippi militẽ cum timido duce in arctissimas angustias, uelut in nassam quandam, sua sponte inclusum, modico negocio uincerent: ex quo uicto, atque rebus omnibus exuto, ingentem prædam ingentemque gloriã essent postea laturi. fuisse se maiore hortatione usurũ, si exercitus totiens fusus, fugatus, captus, ac demum ignominiæ assuetus nõ omnibus notissimus esset: irent, & ad primum pugnæ signum timidum hostem, & iam sua confessione propè uictũ, à fronte, à lateribus circumsisterent: crederentq; interim, se ad uictoriam, non ad prælium mitti, quo se uirorumq; numero, uirtute, animo, felicitate, longè præstituros non ignorarent. Ac cum his admota proximè sagittariorum manu, signoque ad pugnam dato, confestim acre prælium est circa ripas consertũ: quo Caualcabos, uir fortissimus, ac plerique alij uiri illustres occubuere: multi quoq;, in quibus Troilus fuit, uulnerati: fuissetque eo die non sine ingenti cæde ibidem pugnatum, nisi prælium nuper initum nox ipsa oppressisset. Apud quosdam reperio, à mane ad meridiem pugnam distractã. Passus ait, Picinino à Philippo iussum ut pugna abstineret: atque ob id nocte quæ diem illũ proximè secuta est, Ollium silentio noctis transmisisse, ponteque præsidio firmato in Cremonensi agro consedisse. sed propius uero est quod Montanus tradit, fuisse non semel uario euentu pugnatum: nec prius hostẽ ultra flumen abijsse, quàm Pontolium quinque inde & uiginti passuum millia à Collione, uiro impigro, uel, ut alij aiunt, Antonio Martinengio, occupatũ, Venetasque copias in Cremonensem agrum transmissas audiuit. Vter altero prius amnem superauerit, quia auctores uariant, parum compertum habeo: illud uerò omnes affirmant, Sfortiam ubi primum in hostico consedit, confestim Martinengum obsidione cinxisse. Erat id oppidum à Iacobo Gaiuano cum ualido equitatu initum: aderant & pedites multi, ita ut mercenariorũ multitudo aliquanto oppidicæ præstaret. In Venetis castris triginta supra centum equitum turmæ fuisse dicuntur, peditumque uis ingens. His fretus uiribus Venetus imperator, oppidum corona cinxit: mox uerò castris,

ualla

uallo & foſſa communitis, obſeſſum hoſtem tamdiu premere conſtituit, donec ui aut fame domitū in poteſtatem redegiſſet. Picininus poſtridie quàm Veneta caſtra eò admota erant, mille paſſus à Sforcianis munitionibus conſedit, loco nemoribus & aquis munito, in omnes occaſiones intentus, ut ſi quid ab hoſte temerè committeretur, in pabulatores aut ſtationarios impetum faceret: totis uiribus in aciem deſcendere nullo modo in animo erat. In hoc ſtatu res Philippi erant, qui etſi iam antea tanta rerum omnium laborabat inopia, ut poſt Picinini reditum in reparādo exercitu ab aulicis quibuſdam pecuniam, ex officinis arma, equos uerò & cōmeatum à ſubditis urbibus accepiſſet. Quia tamen ſummum belli diſcrimen inſtare uidebat, ut inuicto erat animo, & ſemper in re bellica occupato, ſumma ope nitebatur partes ſuas nouis ſupplementis firmare. Veneti quoque & ipſi, quia in poſſeſsione uictoriæ iam propemodum erant: cæterùm ad oſtentandam ſuarum opum potentiam tam largo, quàm unquam aliàs, ſtipendio undique militē contrahebant: ita ut paucis diebus præter calones, lixas, & alia hominū genera qui ſordidum in caſtris faciebant quæſtum, triginta armatorum millia circa Martinengum in caſtris haberent. Diruerant interim aſsidui tormentorum ictus ipſius oppidi mœnia, ita ut iam facilè capi poſſe uideretur, ſi Sfortia illud aliqua maiore oppugnatione fuiſſet adortus. Abſtinuit tamen, ueritus, ut creditur, ne Picininus in ſuos eo negocio occupatos impetū faceret. Fuerunt ea tempeſtate, qui crederent de induſtria rem ab utroque duce ſine prælio diſtractam: atque inter eos fœdus clandeſtinè ictum, ut res Italiæ inter ſe diuiderent: rati, facillimè euenturum, ut tanto robore copiarum freti, uterque ſuam eſſet prouinciā feliciter obiturus: ſed res ſine certo auctore edita, aliquam fortaſſe apud alios fecit fidem: apud Venetos tamen, qui Sfortiæ ingenium exploratum habebant, nullam. Sigiſmundus Ariminenſis per eos dies in caſtra ad Sfortiam uenit, cui Polixenam filiam antea Malateſtæ deſponſatam, uxorem dedit. Oſtaſius Polentanus qui Taurifij erat, ex fuga quā ad hoſtes intenderat retractus, cum Hieronymo filio in Cretam eſt relegatus, ubi paucis diebus uterque morbo conſumptus eſt. Nec ad Martinengum interim noui aliquid mouebatur: Bina caſtra proximo ſibi loco erant: hæc in oppugnationem, illa ad inſidias intenta, ſed utrunque frigidius fieri. Philippus autem, ſiue rumoribus illis de fœdere inter duces nefariè icto, temerè uulgatis commotus: ſiue quia bellorum ob immenſa diſpendia iam tædere cœpiſſet: ſiue potius (quod quidam etiā affirmant) inſolentiſsimis Picininus & aliorum qui eius ſtipēdia faciebāt, poſtulatis repentè ab armis ad pacem conuerſus ſtatuit Blancam filiam, & cum illa fortunas omnes in Sfortiæ fidem & arbitrium conijcere. Occultè igitur Vrbanum quendam Roſanum, Ticinenſem (apud alios pro Vrbano Euſebium Caimū reperio) in caſtra ad Sfortiam miſit. Qui de ea re diligentius ſcripſere, tradunt Antonium Guidobonū Derthonenſem ab initio ad tentandam pacē miſſum: mox uerò cum quo res aucta ſit, Euſebiū Caimum: cum quo à ſecunda noctis uigilia remotis arbitris ad lucem de conditionibus pacis Sfortia dicitur locutus. Mane uerò ambo ex ſecretiore loco hilari uultu in mediū proceſſere. Conuenerant iam multi ad ipſius ducis tabernaculum officij cauſa, ut fit, in quibus erat Maripetrus legatus: ad eum & alios conuerſus Sfortia ſubridens inquit: Pacem nūcio uobis, uiri clariſsimi: nulla de bello & armis mētio futura eſt: paci & ocio eſt ſtudendum. Ea denūciatio, ut res noua & minimè expectata, Venetum & alios ſubito ſtupore defixit: quærentes inter ſe, quid eſſet quod tam citò Sfortiæ animus ab armis ad pacem inclinaſſet: & ex inimiciſsimo qui modò fuerat, factus eſſet tam repentè Philippi amicus. Occupauit rumor ille confeſtim tota caſtra: ſecutumq; inde imperatoris edictum, mandantis ut ab armis miles & iniuria abſtineret. Id ipſum Philippi legatus apud Picininum ſubitò faciendum curauit. Narrant hic quidem rem miram: eodem die mutuā inter milites congratulationem ſecutam, & quaſi ex binis caſtris una facta, tam frequens curſitatio hinc inde ad primam pacis mentionem orta ſit: poſtridie uerò duces ipſos in aperto congreſſos, complexu & oſculis ſeſe blandè excepiſſe. Miſerat interim Sfortia Venetias Angelum Simonetam, qui Principi & Patribus quid actum eſſet ſignificaret. Nec diu celauit dolorem ſuū Picininus, quin educto ex Martinengo præſidio in Laudenſem agrum conceſsit, ubi multa de fortuna & Philippo queſtus dicitur, quòd ſe claudū, ſenem, inopem, unà prodidiſſent: fors fortuna, inquit, tu quæ Philippe ingratiſsime, oportuit ne rem tantam me inſcio moueri? Hoccine eſt quod tot annos per ſudores & frigora, per æqua & iniqua præceps, ingratiſsimo principi ſeruiui? O inanes labores mei: O pericula quæ totiens adiui. Quid fides mihi profuit? quid induſtria? Quid illud, quod res Philippi perditæ noſtra ſunt ſæpius diligentia reſtitutæ? Seruaui ego, & in ſummo principatu retinui, qui me tandem pro hoſte haberet. habet certè: ac neſcio an pluſquam hoſtem me oderit: Sfortiæ filiam, Sfortiæ fortunas omnes tradidit. Picininum uerò infelicem, cuius fidem, ſolertiam, ſtudium & induſtriam exploratam habet: non modò non maioribus dignum cenſuit honoribus, ſed ne talem quidem, cui ocij conſilia crederentur. At uerius uero illud eſt, nihil magni principis gratia leuius, nihil incertius: neq; plus firmitatis in ſpe quæ ex illo pendet, quàm in furioſi hominis pileo eſſe. In hoc erat ille mœrore, quum Sfortia Martinengo & alijs Cremonenſis agri locis receptis, copijs Maripetro legato, Michaëli & Alexandro fratribus relictis Venetias profectus eſt: hic ubi in curiam eſt admiſſus, ita Patres allocutus dicitur: Dei, inquit, maximi optimiq́ue benignitate, ueſtraq́; Princeps & Patres felicitate, ita ad hunc diem ualidas Philippi opes acciſas reddidimus: ita ferociſsimos illius ſpiritus multis cladibus alijs ſuper alias fregimus, ut proximis diebus qui ſuo nomine pacem ſupplex peteret, in caſtra miſerit, cuius me auctorem & arbitrum eſſe uoluit. Veſter exercitus incolumis eſt: oppida quæcunq; ille uobis ademerat, recepimus, ſuntq́ue in ueſtri legati poteſtate. Pacem cum his uobis affero, ſi eam ex ueſtra dignitate ducitis: ſi talem, ut recepram reipub. ueſtræ conducere arbitremini: ut oblata eſt, ſi placet, ſumite: ſi uerò in armis adhuc eſſe cogitatis (quando utrunque ſequi uobis integrum eſt) dicite quid me facere uelitis. Nam quod ad me attinet, ea fide & conſtantia qua bellū hoc ſuſcepi, ſuſceptumq́ue ſuperis iuuantibus magna ex parte confeci, dabo operam (modò fortuna uotis reſpondeat) ut ex ſententia quandoque confectum audiatis. Gratus fuit Sfortiæ aduentus, gratior tā popularis oratio, pax uerò gratiſsima: quippe quæ ea uiſa eſt, ut æquiorem illa aut potiorē optaſſet nemo. Actæ itaque illi gratiæ ingētes, quod fide & uirtute qua cœpiſſet, bellum laborioſiſsimū ad optatum exitum perduxiſſet. Quod ad pacē attineret reſponſum eſt, Venetos eam ratam perpetuamq́ue habituros, quam ipſe cum hoſte ſanxiſſet: iret, & quod Veneto nomini eiq; bene uerteret, rem Venetam quo uellet ſtatueret loco. Certò ſcire ſe, nihil ab eo decerni poſſe, quod non idem è repub. Venetiq́ue nominis dignitate eſſet. Cum his ille à Patribus digreſſus, tam inclyta pace non minus q̄ uictoria lætus in caſtra redijt: hic dimiſſo in hyberna exercitu, ipſe Caprianæ eſſe uoluit, ubi ex tota

Italia

Italia legatos, quos ad ſe conuenturos ſciebat, audiret. Affuerunt uno tempore ab Eugenio pontifice Lodouicus patriarcha, quo poſtea decedente Blondus Forliuienſis hiſtoriarum ſcriptor apud Sfortiā remanſit. Nerius Capo & Angelus Acciarolus à Florētinis miſsi: Fráciſcus Barbadicus & Paulus Thronus à Venetis, ut ſi opus fuiſſet, nō deeſſent qui Venetam cauſam tuerētur. Ex Mediolano Philippi nomine aderant Nicolaus Arcimboldus & Fráchinus Caſtillionenſis. Multi præterea alij aliorum principum ac populorum nomine legati acceſſere. Philippus, ut ab initio erat pollicitus, Blácam filiam ex Ferraria iam antea reuocatam, Cremonam cum nuptiali pompa miſit. Miſsi ad hæc qui dotis nomine Cremonenſem arcem cum ipſa urbe Sfortię traderent. Ad eam cum puella recipiendam tribus millibus equitum ſtipatus ille profectus eſt: hic patentē arcem fulgētibus ſplendens armis cum delecta ſuorum manu ingreſſus, ubi ad puellæ conſpectum uenit, ita eam affatus dicitur: Diu multumq́; laboraui, dulciſsima coniunx, ne tuo optatiſsimo fraudarer connubio: nec amor in te meus, ex quo ad tuas nuptias animum adieci, paſſus eſt me unquā quieſcere, ſed die noctuq́; animo obuerſabaris, indignabarque uehementer mecum, quòd noſtræ felicitatis ę̄ multi tanti apud Philippum patrem tuum eſſent, ut te mihi per illum abnegarent. Certus quidem fui, aut fortiter mori, aut te mihi armis, ubi bona uenia non licebat, uendicare. Sumpſi arma fateor: bellum grauiſsimum ſuſcepi, ne non omnia tui cauſa moliri uiderer. Nec Philippum odi unquam, quia tibi & per te mihi pater erat: nec illi tātum obeſſe uolui, quàm ne me inſigni cōtumelia afficeret admonere. Quod nunc demum res ipſa declarauit. Voluit ille ut arma deponerem: depoſui. Fecit me ſanciendæ pacis arbitrum: pacem illi & ociū cum Veneto ſempiternum peperi. Quorſum igitur hæc multa? neignorares me neque tibi neq; tuorum cuiquam obeſſe unquam uoluiſſe. Nec quia armis me ſeptum uideas, ad hoſtem, non ad amantiſsimum coniugem te miſſam putes: ita ſanè, non aliter, decuit ſummi principis filiam à bellicoſo & martio cōiunge primū ſalutari. Supereſt igitur, ut mutuo ſtudio & charitate inter nos amemus: tuq́; des operam ut Philippus de nobis poſthac bene cogitet. Nā quod ad me attinet, pari tecum pietate uelut communem parētem amabo ſemper ac fouebo. Hæc ille. atque unà puellam certo arræ pignore ſibi deuinctam, preciоſiſsimis muneribus donauit. Hæc Ariminenſis Paſius. Non deſunt qui dicant, ad Sigiſmūdi fanum extra urbis mœnia ſpōſalia acta, omni interim Sforcianæ orationis ad coniugem mentione omiſſa. Nuptijs ritè celebrātis, ad cognoſcendas legatorum cauſas ſubitò ille redijt: quæ cognitio plures omnino tenuit dies. Nam & Eugenij legatus Bononiam à Picinino occupatam, Rauennamq́; à Venetis, repoſcebat. Veneti contrà Leniacum, & quæ in Abduana terra antea tenuiſſent, à ſuo imperio alienari egrè laturi uidebantur. Iactata quoque non parum Philippi cauſa: nec non & Gonzagæ principis, ab ijs qui eorum nomine aderant: ij Lunatum, Piſcariam, & alia pleraq; loca, illi Brixiam & Bergomum, urbes nobiliſsimas, repetebant. Demum poſt longas altercatiōes Sfortiæ declaratio huiuſmodi ſecuta eſt: ut Philippus nullum in Brixienſi agro Bergomenſiue ius haberet: ſed ipſæ urbes cum ſuis finibus, & quicquid intra illos contineretur, Venetorū eſſent: Cremona cum ſuo agro & quæ in eo includerētur, Blancæ coniugis dotalis haberetur: Romanengiū cum omnibus Abduanæ terræ oppidis Veneti Philippo redderent, Piſcariam ipſi Lunatumq́; retinerent: reliqua quæ Mantuanorū finium eſſent, Gonzaga reciperet: ita tamen, ut ipſe præſidio educto Leniacum cum portu Venetis relinqueret: Ripam, Turbulas, ac Penetram, quæ loca iure belli ſua Venetus feciſſet, poſsideret: haberet & Rauēnam. Eugenius poſt biennium à Picinino Bononiam reciperet: Aſtur Fauentinus, redditis Florentino populo oppidis, quę ſemel occupata, nec adhuc reſtituta eſſent, carcere emitteretur. Genuēſes liberi iuris eſſent, nec rei quicquā illis cum Philippo eſſe intelligeretur. Cæterùm pacem, cui in primis cautum uoluit, ſanctè ab omnibus cuſtodiri oportere pronunciauit. Sfortiæ declarationem alijs aſſenſu probantibus, Eugenij legatus (quia parum Romanæ eccleſiæ rebus conſultum credebat) neq; ipſe probauit, neq; cuiquam probandam cenſuit: quin, uelut iniuriam accepiſſet, paulo pòſt Florentiā profectus Romam abijt. Pax ſexto calendas Octobris, anno ab urbe condita uiceſimo ſupra milleſimū: ex quo uerò nouiſsimè cum Philippo bellari cœptum erat, anno quarto, hoc euentu ſecuta eſt. Supplicatio in triduum decreta, ac Deo optimo maximo circa diuorum aras ac templa gratiæ actæ, quòd ex ſententia bello periculoſiſsimo, non ſolùm incolumi, ſed aucto quoque imperio ciuitas defuncta eſſet. Vincula ſontibus adempta, rei carcere educti. Qui antea æraij facti erant, infra centūm libras omnino, ſupra uerò mulctæ dimidio abſoluti. Sfortia anno iā tertio ex quo in Galliam uenerat, Venetias cum Blanca coniuge uenit, cui à principe & uniuerſo ſenatu frequenter itum eſt obuiam. Principis uxor cum nobilium matronarum cœtu Bucentauro puellam excepit. Apud Bernardos ędibus ad hoc publicè inſtructis in hoſpitio fuere. Loca publica & tabernę omnes à Riuoalto ad Auream ædem ſtupendo merciū apparatu, inſuetum hoſpitibus ſpectaculum exhibuere: publici theſauri qui in parte ędis aſſeruātur, in apertum relati, ut per ocium ab omnibus ſpectarentur. Publica ad hæc munera in utrunque collata. Demum in Picenū abeuntes frequens nobilitas cum principe Medoacū uſq; offitij cauſa ſecuta eſt.

IN LIBRVM VI.
Epitoma.

Bello ab Eugenio & Philippo renato, Sfortianæ opes quadriennio & amplius bello in Picæno iactatæ, nouiſsimè ex ea terra ſublatæ ſunt: In Turcos per id tempus pluribus eſt locis pugnatum: Leonelli Aeſtenſis uxor honorificentiſsimè eſt Venetijs accepta: Bononiēſes ſeſe in libertatem aſſeruere: Franciſcus Picininus abſente patre copijs omnibus ad Vlmum exutus eſt: Ingens ductorum defectio, Sfortiæ opes in Picæno fregit: Nicolaus Piciminus Mediolani uita deceſsit: Michael Attēdulus reſumptis circa Cremonam armis, Philippi copias in Padana inſula profligauit: Patres quum de fœdere à Sfortia cum Philippo nouiter icto reſciuiſſent, omne publicū illi beneficium ademerunt: Venetæ copiæ bis Mediolanum ſunt admotæ: Multa circa Larium lacum damna ſunt à Veneto hoſtibus illata: Philippus dux uita deceſsit: Veneti Laudem & Placentiam in fidem recepere: Sfortia in Galliam tranſgreſſus Placentiam expugnatam diripuit, Venetam claſſem ad Caſale maius incendit, nouiſsimè Venetos ad Caranagium caſtris exuit: Veneti cum Sfortia fœdus in Mediolanēſes percuſſere: Medio lanenſes paulo pòſt icto cum Venetis fœdere libertatem aduerſus Sfortiam tuendam ſuſceperunt.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER VI.

POst Sfortiæ digreſſum aliquandiu pax in Gallia fuit: interim uerò res Venetæ haud omnino in ocio fuere: ſed Picœni belli cura & Bononiẽſium motus tam diu eas ſollicitas habuere, donec in Cremonenſi bellum à Philippo ſit renatum, quod longè inde lateq; poſt illius obitũ tota Gallia exarſit: ſed de eius cauſis & euentu aliquanto poſtea dicetur. Nunc uerò quando ita rerum ordo poſtulat, in ijs, quæ partim domi, partim extra Italiam ſunt à Venetis geſta, parumper immorabimur: quæ ideo illis præferenda duximus, quia in Venetis annalibus prius relata reperio. Pacato igitur Galliæ ſtatu Andreas Dãdulus ad Babylonium regem profectus eſt, publico illi nomine ſatisfacturus: quòd rumor erat, multos mortales Veneta naui ex eius finibus ad occidentem ſolẽ deuectos, ibique partim necatos, partim ſeruiliter diuenditos. Vt Barbarus igitur & omnes ſcirent, eã culpam publico conſilio abeſſe, iniurię auctor, quia accerſitus ad diem non affuiſſet, abſens damnatus eſt. quanquã non multo pòſt facta illi dicendę cauſæ poteſtate, non ſolùm ſe feciſſe, ſed quare etiam oportuiſſet id facere, Patribus monſtrauit: atq; obid ipſum dicitur omnibus ſuffragijs abſolutus. Mellita uir gloria militari inſignis, deque Veneto imperio optimè meritus, uita deceſſit: cui gratiſſimus ſenatus equeſtrem ſtatuam Paduę ad Antonij fanũ erigẽdam curauit. Procuratorum numero tres hoc anno addicti: primisque comitijs Alouiſius Laureta nus elit creatus, ſecundis Paulus Thronus, Frãciſcus Barbaricus, cognomento Dines, nouiſſimis: atque iam inde qui ſex antea fuerant, nouẽ eſſe cœperunt. Tres onerariæ cum triremi una ad mare Iatrocinijs purgandum eodem tempore in altum eductę: conſtans fama erat Gotholanos piratas latrocinijs maria infeſtare. Nec ita multo pòſt ad ſinus præſidium quatuor ſunt triremes profectę, quarum imperium Antonio Diedo eſt datum: is Antibarim in Epiro paucis per aduerſam factionẽ rem ad Venetos trahentibus, ui cepit, captumq; Veneto imperio ſubegit. Ad quartum idus Nouembris eodem anno qui uicesimus ſecundus ab urbe condita ſupra milleſimum fuit, ita maris inundatio omnia urbis loca obruit, ut aquis longè lateque uagantibus ingens uis mercium ſit corrupta: creditum eſt, decies centena millia aureorum nummũm cataclyſmum illum negociatoribus decoxiſſe. A Pannonibus proſperè in Turcos per hæc tempora dimicatum reperio. Nec ita multo pòſt & in inferiore Myſia, quã hodie Valachiam uocãt, maiore aliquanto Turcorum clade. Piratæ interim ita maria infeſtabãt, ut nihil uſpiam tota ſuperi inferique maris ora negociatoribus turum relinqueretur. Apuliæ Calabriæque portus, in quos ſe ex alto recipiebant, maiorem latrocinandi materiam animumque ad id facinus exhibebãt. Venetis eam iniuriam ſæpius ad Alphonſum queſtis, quum fermè ſemper illud redderetur: Dolere ſe uehementer, Venetos negociatores ulla ſuorum iniuria affectos, neq; illud mandatum fuiſſe cuiquam, neque ſatis credere id, quod illi dicerent, factum. Percitus ira Diedus Biſtonium, tunc piratarum tutiſſimum refugium, repẽtè adoritur (credo ego ita à maioribus appellatum maritimum in Frentanorum ora oppidum, quod hodie uulgò Beſticen uocant) Primò igitur ab oppidanis petit, ut latrones eò compulſos ſibi dederent: quo præſtito pollicebatur ſine cuiuſquam iniuria ſe inde claſſem abducturum. Biſtonienſibus id ſe facturos negantibus, uimque inſuper, ſi à Veneto aliquid moueretur, parantibus, arma Diedus intulit, qui oppidum oppugnatione adortus, adduxiſſet omnino hoſtem in diſcrimen, niſi ſubitò coorta tempeſtas Venetos diſiecta claſſe penè naufragos iniuriæ opportunos reddidiſſet. Quo accidit, ut ipſe triremium præfectus cum naualibus turmis in hoſtium poteſtatem ueneritit: hi poſtea Alphonſi regis iuſſu claſſe & rebus receptis ſunt dimiſsi. Additum & præſenti liberalitati, quod rex profeſſus eſt ſe Veneto perſoluturum, ſi quid diceret pugna illa amiſſum, quod ad eam diem nõ recepiſſet. Ductu & auſpicio Andreæ Quirini captiuæ naues ex Biſtonienſi portu ſunt abductæ: qui ad priſtinam ignominiam abolendam piratas perſecutus, multas Venetas ab illis uictis fugatisq; naues recepit, multas etiam proprias ademit. Ipſi haud ignari quid ſupplicij meriti eſſent, nein Veneti poteſtatem uenirẽt, Liburnicis relictis quà proximum cuiq; fuit, in littus abiere, ac tantiſper à mari abſtinuerunt, dum Venetam claſſem domum reductam audiuere: tum uerò aliquanto atrocius coorti, rurſus omnia latrocinijs fœdare. Sed neque ea licentia diuturna fuit, Philippo Canali cum tribus onerarijs & triremi una ad eorum curſum inhibendum, ſubitò ex urbe miſſo. In Turcos quoq; triremes aliquot per hæc tempora Venetijs inſtructæ dicuntur: uerùm neq; numerus ab his qui rem memoriæ prodiderunt, neque præfecti nomen traditur: ex negociatorijs quæ ex Syria onuſtæ redibãt, Contarena ſubita tempeſtate diſiecta perijt: turma naualis quæ in littus naufraga annatauerat, in onerariam Antonij Abrami impoſita, circa Methonem facto iterum naufragio perijt. Duplex clades ad id naufragium eſt ſecuta, uirorum uidelicet, quæ eo maior fuit, quo plures in eo mortales fuere: nec nõ & precioſæ mercis, quam quinquaginta millibus æſtimatam memorant. Duę quoque triremes Leonelli Æſtenſis nomine inſtructę, quarum altera purpurea habuiſſe uela dicitur, ex Ortona Pelignorũ urbe, Aragoniæ regis filiam illi matrimonio locatã Venetias aduexere: Victor Capellius & Franciſcus Lauretanus triremium præfecti fuere. Spõſa in amici principis gratiã magnificentiſsimo apparatu excepta eſt. Publicum nauale cum toto armamẽtario regiæ puellæ & illuſtribus uiris, qui illã officij cauſa ſequebantur (in quibus Salernitanus princeps fuiſſe traditur) ſpectaculo patuit: traducta deinde puella in Riuumaltum per Merceriã uiam, ad tempus ſtupenda mercium opulentia inſtructam. Proditum eſt memoriæ, tanto undique ſtudio ad eam uiſendam concurſum, ut præ nimia mortalium frequentia Riuoaltini pontis latera repentè conuulſa ingentem hominum uim in ſubiectas aquas ſecum traxerint, ad ducentosque eo caſu in altos fluctus præcipitatos, quorum uiginti prorſus obruti ſint, ac ferè totidem debiliati. Multis ad hæc honoribus ampliſsimisque muneribus eam abeuntem Patres proſecuti ſunt. Quo effectum eſt, ut non multis interiectis dieb. Leonellus Venetias uenerit, ut principem & ſenatum ſalutaret, ageretq; ei & omni Veneto nomini gratias, quòd tam honorificè ſplendideq; ſpõſam accepiſſet ſuam. Verno eius anni tempore octo in Turcos triremes Eugenij ſumptu Venetijs ſummo ſtudio inſtructę. Id negocium pontifex Ioanni nepoti ex Condulmaria familia Cardinali mandarat. Triremium præfecti fuere Alouiſius Lauretanus, Petrus Zenus, Marinus, Molinus, Paulus Lauretanus, Laurentius Maurus, Nicolaus Contarenus & Antonius Condulmarius: quatuor quoque præter illas Belgarum ducis nomine triremes

per

per eos dies inſtructæ, quæ & ipſę Patricios ex Veneria, Cõtarena, Lauretana, & Georgia familia præfectos habuere. Totius claſsis imperiũ (tam enim Gallicæ illæ, quàm Eugenianæ in Turcos moturæ erant) Alouiſio Lauretano eſt datum, qui cum Condulmario antiſtite omnibus proſperam nauigationem proſperumque ſucceſſum precantibus, domo profecti in altum abiere. Peropportunè Chriſtiana claſsis in Helleſpontum uenit. Forte acciderat, ut Armurathus Othomanus Turcorũ rex per eos dies ex Europa filio ad Salonicẽ relicto, ipſe (ut dicitur) Genuenſium opera in Aſiam transfretaſſet, quò trepidiſsimis reuocabatur nuncijs. Conſtans fama erat, Caramanum regem ingentibus in eum copijs mouiſſe. Tum uerò Aſiæ rebus cõpoſitis, quum in Europam tranſire tentaſſet, comperit Helleſponti angustias à pontificia claſſe inſeſſas attentiſsimè cuſtodiri: feceratque ea reſpem maximam, fore ut immaniſsimus hoſtis à ſuis excluſus aliquam ingẽtem in Europa cladem per abſentiam adiret: percrebuerát ad id rumores, Ladislaum Polonum tripartitò copijs Danubio traiectis ferociter in Turcos qui in Europa erant, mouiſſe. Tenuit aliquandiu ea expectatio: demum ſub exitum autumni cognitum eſt, trecenta Chriſtianorum millia cum ui Turcorũ incredibili conflixiſſe: pugnatumque à prima diei hora ad ueſperam, fortunaque neutrò inclinante utrinque datum fuiſſe ſignum receptui: duodequadraginta Turcorum millia eo prælio cęſa, Chriſtianorum decem: in quibus proditum eſt memoriæ, Gallum hominem inter ſuos populares illuſtrem, corpore & animo prędalidum, cum trecentis equitibus per cõfertiſsimas hoſtium cateruas ad Othomani præſentiam (qui iam ex Aſia ad ſuos traiecerat) perueniſſe, in eumque fortiter inuectum, cõto prius, inde gladio grauiter percuſsiſſe: & quia aureo erat paludamento ornatus, creditus uulgò eſt Ladislaus eſſe: ac proinde undiq; ferro petitus, coactus diu in orbem pugnare, ingentem circa ſe hominum ſtragem edidit: demum ſuperante hoſtiũ multitudine, cæſis ſocijs ipſe quoque multis confoſſus uulneribus concidit. Sed iam tempus eſt ut ad res Italiæ redeamus, quibus iccirco externa prætulimus, ut magis perſpicuè reliqua traderentur. Ægrè, ut diximus, tulerat Eugenius Bononiam Sforti ę arbitrio ſibi in bienniũ abnegatam: ſed longè ægrius Philippum ferre, omnia generi conſilia eò tendere, ut ſub uernum tempus cum quammaximis poſſet copijs aduerſus Alphonſum moueret. Sforti ę odiũ illud etſi quaſi hæreditarium, & à patre per manus acceptum uideri poterat (multa enim Sforti a pater circa Neapolim pro Ioanna regina ad frangendos omnes Alphonſi conatus geſſerat) accedebat noua rarum cauſæ, quòd Alphonſus omnia oppida quæ ille in Samnio & Apulia hæreditario iure poſſederat, armis occuparat. Atque ob id ipſum, quum adhuc Cremonæ eſſet, Nicolai Macei interuentu (qui ad hoc ipſum uenerat) fœdus cum Renato rege perfecerat ut illi auxilio adeſſet. Eius fœderis fama cõmotus Alphonſus, uehementer Philippum orare, ut hoſtiles generi motus aliquo modo, ſi fieri poſſet, retardaret. Amiciſsimi regis precib. motus Philippus: cæterùm iratus Cremonam Venetorum fidei ab illo potius quàm ſibi demandatam: & quòd poſt filiæ nuptias nihilo ſuarum partium ſtudioſior eſſet factus, non deſtitit Eugenio ſuadere, ut ſe auctore illi arma inferret, utereturque Picinini opera, quo uno neque dux melior, neque ad Sforti æ opes euertendas promptior parari poſſet. Sanciunt itaq; fœdus inter ſe: additus inde tertius Alphonſus rex. Certus erat Sforti a, Renatum regem, quem Alphõſus Neapoli incluſum terra marique premebat, auxilijs leuare: feciſſetque, niſi Eugenius priuſquam in Picœnum ueniſſet, domeſtico eum bello impli-

cuiſſet. Quare mutato conſilio, quia domo abeſſe non poterat, Ioannem fratrem ad opem Renato ferendam miſit. ſed res parũ proſperè ab eo geſta eſt: quippe cum Caudoliſtis iunctus, ac forte acie cum Alphonſo congreſſus, caſtris & omni equitatu ad Carperionũ exutus eſt. Rex uerò Neapoli potitus, in Sforti æ inuidiam Picinini rebus non ſolum faue bat, ſed in adoptionem etiam Aragoniæ familiæ recepit. Ille ab Alphonſo & Eugenio pecunijs in ſtipẽdium acceptis, tumultuoſe per Peruſinos in Vmbriam uenit, Turdetumque ſubito acceſſu Sforti æ ademit: mox per Aſiſinos in Picœnum trãſgreſſus, Belforte acri oppugnatione adoritur. Tradunt illi qui rebus interfuere, prius bellari in Picœno cœptũ, quàm Sfortia ex Gallia diſceſsiſſet: ac inde ingentem Ciarpellioni, qui iam ad Sfortiam redierat, inuidiam comparatam, quæ eius poſtea mortis cauſa fuiſſe creditur. Nam ut liberiotis erat naturæ, & linguæ immodicæ, coràm Sfortię conuicium facere, quòd dum Blancę coniugis ſuauiſsimos complexus & oſcula foueret, turpiter Picœnum agrum ſibi ab hoſte adimi pateretur. Ardente igitur bello ille in Picœnum tranſijt: ac nõ multo pòſt quàm in hoſtium conſpectum uenit, Picininum ad Amandulã in arcta quædam loca redactum, ad petendam pacem compulit. Icto itaque fœdere ut Picœno agro decederet, & à rebus Sforti æ abſtineret. Quum ita ille pacata prouincia in Alphonſum mouere cœpiſſet; forte accidit ut Tranſoniatum oppidũ in ipſius prouinciæ finibus Sforti æ diripuiſſet, quia eos minus obſequentes habuiſſet. Hinc arrepta Picininus occaſione, impellentibusque ad id pontificis legatis, quaſi Romanę eccleſiæ oppidum uiolaſſet, Tolentinum occupat, mox Gualdum Nucerinum: inde Alexandro Sforti æ fratre eiecto & Aſiſium. Huiuſmodi trepidis nuncijs Sforti a reuocatus, in Picœno coactus eſt hyemare. Interim Renatus deſperatis rebus in Galliã abijt. Nec ita multo pòſt Alphõſus arce regia, quæ ad eam diem in hoſtium poteſtate fuerat, potitus: rex Neapolitanus ab Eugenio ea conditione declaratur, ut in agrum Picœnũ ad Sforti ę opes euertendas tranſiret. Hic erat rerum ſtatus in Picœno: apparebatque, ingens dẽ eius poſſeſsione futurum certamen, quum Franciſcus Picinini filius ſub initium Picœni belli Bononiæ à patre relictus, Hannibalem Bentiuolum ob factionis potentiam iam antea ſuſpectum, in Varianenſem arcem relegauit: ille uerò Galeatij Maraſcotti & Virginij Maluecij opera inde dilapſus, Bononiam ſe contulit, populoque ad libertatem uocato, Franciſcum ipſum cum præſidij parte oppreſsit. Quo poſtea cũ Gaſpare & Achille Bentiuolis commutato, Bononienſes ut recuperatam libertatem cõmodius tuerentur, ad Venetos & Florẽtinos miſere, qui ab eis ſocietatem & auxilia peterent. utrunque benignè conceſſum. Duorum illuſtrium populorum ſocietate & uiribus freti, non ſolùm libertatem illi retinuerunt, ſed Alouiſio Vermio ex ſuis finibus eiecto municipia & arces ferè omnes breui receperunt. Et ut reipub. corpus facilius coaleſceret, placuit Baptiſtã Cannedolum, iam inde ex quo Eugenius Bononiã receperat extorrem, cum omnibus ſuæ factionis in patriam reſtitui: cuius neptem Hãnibal ad ueteres inimicitias abolendas, uxorem duceret. Sed neque recens affinitas, aliáue neceſsitudo ueteri odio obſtitit: Hannibal non multo pòſt à Betotio Cãnedolo & alijs eius nefarij conſilij conſcijs exceptus, in inſidijs fœdè trucidatus eſt. Eius indigna morte Bononienſes moti, arreptis armis Cãnedolanę factionis principes ac pleroſq; alios ſubitò obtruncant: & in primis Baptiſtam ipſum, cuius cadauer per urbem diſtractum in publico concrematum ferunt. Libertas interim ſociorum umbra ſuo ueſtigio conſtitit. Sed ne Bononia ſolùm, uerùm etiam Sforti æ

periculum utrunque populum uehementer sollici- A tum habebat. Angebantur Veneti, quòd non multo antea Christophorum Tollentinatem, ac plerosque alios uiros illustres exauctoratos dimiserant, & Bartholomæus Collio ad Philippum trâsfuerat: quare nõ sine ingenti difficultate uidebantur arma, si opus fuisset, reparaturi. Miserat Philippus Guilielmum Montferratensem & Carolum Gonzagã, qui Bononienses acri bello infestarent: Veneti uarijs curis circunuenti, Tybertum Brandolinũ, Thaddæum Æstensem, & Guidonem Ranconium Bononiensibus auxilio mittunt: Florentini Asturem Fauentinum & Simonetum aliquanto antea miserãt. Hi haud magno negocio fusos hostes ex Bononiensi agro breui deiecerunt. Atque rebus circa Bononiam pacatis, sociorum copiæ diuerse abiere: Veneti duces in Galliam, quò trepidissimis nuncijs ob bellum in Cremonensi renatum reuocabantur: Hetrusci in Piceenum agrum, ad opem Sfortiæ ferendam iussi sunt transire. Siquidem ille post Alphonsi regis Lodouicíq; pontificis legati aduentũ (quorum uterque cum magnis copijs in Piceenum uenerat) uarijs cladibus alijs super alias acceptis in summum erat discrimen adductus: sed nihil æquè Sfortiæ rebus obfuit, ac suorum defectio. Nam & Troilus cum mille equitibus ad regem transijt, tradita illi Æsi urbe, cui præsidio erat impositus. & Petrus Brunorius cum octingentis militibus transitionem fecerat. His & alijs cladibus consternatus dux, alio quin uictus, amisso interim Æstulo, ac ferè quicquid in Picœno ad eam diem tenuerat, ad fanum Fortunę se receperat, ac tum demum ad Philippum respicere cœpisse creditur, ac cum eo clàm fœdus percussisse, conuenisseque inter eos, ut Cremonenses fines Philippus infestaret. ad quos motus apparebat Venetos nullo modo quieturos, sed subitò arma & bellum pro Sfortiæ rebus reparaturos: quo B postea conserto, tum gener quasi coactus ad soceri opes conuersus, pro Philippo in Gallia militaret, grauíque bello Venetos urgeret: atque ita ut illi opinati sunt, bellum in Gallia est non multo pòst cõflatum, sed meliore omnino Venetarum rerum euẽtu, quàm hostes animo conceperant. Verùm priusquam ad ea quæ in Gallia secuta sunt, transeamus, de Picœni belli exitu pauca subijciam. Miserant Veneti ad eam Sfortiæ cladem Thaddęum Æstensem, Guidonem Ranconium & Tybertum Brandolinũ, Florentini Simonetum illi auxilio: erantque cum ipsis ducibus ad quatuor armatorum millia, qui ad Marenianum confederant: sed ne Sfortię iungerentur, Picininus ad montem Laureum confederat. Eam iniuriam aliquandiu ille passus, nouissimè undique uiribus contractis ad hostem contendit, quẽ ingenti præli o uictum castris exuit. Hæcque toto ferè triẽnio. Quarto uerò Picœni belli anno, quum sub uernum tempus Picininus & Alphonsus bellum reparassent, ille ad Mõtem Milonem à Ciarpellione uictus est. Alphonsus nõ contentus terrestres copias in Eugenij gratiam comparasse, octo quoq; triremes instruxit, quibus Sfortia mari quoque fatigaretur. Ad eam triremiũ famam Veneti (ut quidam annales habent) & ipsi nauigia aliquot ad bellum compararunt, ut Rauennatium oræ præsidio essent. Premebatur itaque Sfortia terra & aquis, dũ Philippus per Franciscum Landrianum Picininum ad se uocauit, quasi de ratione belli cum eo locuturus. Interim Franciscus eius filius cum copijs in Picœno relictus, ad montem Vulmeum à Sfortia uictus, castris, maioreque copiarum parte amissa cum Cardinale Firmano in castris legato, multisq; alijs in Sfortiæ potestatem uenit. Fuerunt ea tempestate qui crederent, Philippum uoluisse ita euenire, quòd Picinini copiæ delerentur, ut Sfortia gener præsenti bello leuaretur. unde intelligi potest, uerissimos fuisse rumores illos qui temerè in uulgus exierant, Sfortiam iam antea cum socero in gratiam redijsse, ac cum eo in Venetos occultum fœdus percussisse. Nec Picininus ad eius cladis nuncium dolorem suũ dissimulauit: Philippum identidem clamitans, nihil sibi præter uitam reliquisse: iam illud unum superesse, ut in eam quoque, si uellet, grassaretur: atque ita præ nimio dolore in morbum lapsus, prudentissimus omnium sui seculi imperatorum paucis diebus dum Mediolani adhuc esset, expirauit. Sfortia Franciscum Picininum Philippo petenti ex custodia relaxauit. Cum pontifice quoque pax secuta est, quum multa adhuc Picœni agri oppida Sfortia, multa quoque Eugenius teneret. Sub id tempus Ciarpellio, uir militari gloria insignis, ab Alexãdro Sfortiæ fratre, tanquam is qui ad Philippum fugam meditaretur, laqueo necatus est. Quinto deinde anno, quum põtifex reparato bello Lodouicum Aquileiensem antistitem in Piceenum agrum misisset, breui omnis fermè prouincia, præter Firmum, ad pontificem defecit. Nec ita multo pòst Firmum quoque cum arce ab Eugenio est receptum. Sfortia quum Pisaurum se cum coniuge recepisset, ibi reliquum hyemis egit. Sub uernum tempus ille priuatis amicorum consilijs sollicitatus, per Vmbros, inde superato Tyberi ad sollicitanda urbis ocia in Viterbiensi agro consedit: unde re infecta tumultuose profectus præter Trasimenum lacum in Flammiam reuersus, ad Metaurum consedit. Interim Alexander frater cum Pisauro ab eo defecerat. Vndiq; igitur hostibus circunuentus, ad primum lapidem circa Vrbinum castra posuit: nec ulli postea usque ad eius in Galliam accessus maiores hinc inde conatus extitere. Philippus interim Italum Foroiulianũ, & Iacobum Gaiuanũ, quia in suspicionẽ uenissent quasi cum Florentinis sentirent, in Picœno truncari iussit. Mox Ciarpellionis morte audita, uelut maiorem adhuc odij causam in Sfortiam nactus, Francisco Picinino filio, quem in Galliã ad se accersiuerat, mandat ut Cremonenses fines hostiliter inuadat. Ille uerò Cremonenses tumultuose adortus, post multas & uarias clades illatas, urbem quoque oppugnare aggressus, Venetos tandem ad bellum excitit. Sed ne temerè aliquid factũ uideret, priusquam ad arma Veneti respicerent, Alouisium Foscarenum ad Philippum misere, qui more maiorũ, nisi à Sfortiæ rebus abstineret, bellum ei indiceret. Per internuncios Veneto est responsum, Non uacare Philippo legationes ullas audire: cæterùm ubiq; eum tutiorem quàm Mediolani futurum: iret igitur, ac nisi uim experiri uellet, primo quoq; tempore urbe abscederet. Veneti rei indignitate moti, Michaëlem Attendulum suarum copiarum ducem in hostem, qui partem Cremonẽsis ágri maximam occuparat, statim mouere iubent. Confestim is, ut erat iussus, cum sex millibus equitum, ac peditum totidem Ollio superato, in Cremonensi ad Casale maius consedit: inde uerò digressus, repentè in hostem uadit, qui se in Padana insula non procul à Casali oppido cum omnibus copijs tenebat. Post itaque atrocissimum certamen, à prima luce ad altum diem distractum, castris exuit, ac quatuor equitum millia fugienti ademit. Nec Veneto uictoria gratuita fuit: sed plerique uiri fortes media pugna occubuere, quorum partem non paruam constat aquarum uorticibus absorptam. Capti ex hostibus plerique uiri fortes. Venisset & Picininus quoque in uictorum potestatem, nisi ubi fortunam inclinare uidit, in fluuiatilem cymbam transgressus ex acie fugisset. Alij eum ponte in ulteriorem Padi ripam abijsse tradunt. Post tam inclytam uictoriam Venetus dux receptis quæ in Cremonensi agro hostis occuparat, auctusque Lodouici Gonzagæ armis, in Abduanam terram castra transtulit. Hic ita prospe rères

rè res Veneta gesta est, ut paucis diebus nihil Atten- A dulus citra Abduam Philippo, præter Cremã & Laudem, reliquum fecerit. Inde copiæ fluuio traductæ, in cuius ripa iterum pugnatum tradũt: captosque ex hostibus ad sexcentos equites, & cum his duo agrestium millia: ganzariolas duas, totidemque galeones, qui ad pontem quo Venetus amnem circa paludes iunxerat, soluendum fuerant ab Alouisio Seuerinate missi. Petrus Aduocarus, Iacobus Antonius Marcellus, & Antonius Martinengius ob rem eo die bene gestam, quia præ cæteris feliciter in hostem dimicassent, quæstribus sunt ornamentis donati. Sfortia interim Venetis Gallico bello implicitis, quasi plus non posset, Eugenioque & Alphonso ad id hortantibus, qui iniquo animo ferebant, Venetorum potentiam felicissimo uictoriæ cursu in Gallia augeri: Picœni cura omissa ad Philippum apertè transijt. Sed Veneti illius artem iam antea resciuerant: atq; ubi res primùm ad Patres delata est, Angelum Simonetam (qui tum Venetijs erat) in custodia habendum censuerunt: stipendiumque Sfortiæ ademptum cum ædibus quas à principe & senatu dono acceperat. Ademptum & Sfortianis omnibus omne publicum beneficium: quæ ita & multa. & ampla fuisse constat, ut nullo modo abhorrere à fide uideatur illud quod in Venetis annalibus repperio: ultimo bello Gallico centies quinquagies centena aureorum nummũm millia à Venetis omnifariam expensa. Ex ipso igitur Simoneta Sfortię alienatio cognita est: qua noua Martij. ducis defectione moti Patres, continuò sagittarios quadringentos ad Rauennæ præsidium cum aliquot nauigijs decernunt: & à Florentinis in Bononienses missi, qui in Galliam transire uolenti iter inhiberent. Oratores post Philippi res in Gallia accisas ad patres uenere, de pace acturi: quibus præterquam quod hospitaliter sunt accepti, permissum est etiam ut in ur- B be per mensem essent: sed res aliquandiu iactata ad exitum non peruenit. Infecto itaque negocio Venetijs domum abiere. Attẽdulus post Abduanam pugnam quum pontem quo fluuium iunxerat, præsidio firmasset, in Mediolanensem agrum tumultuose erupit, atque media fermè bruma Mediolanum usque adequitauit, ędificijsque suburbanis quibusdam incendio absumptis, multos mortales, ac uim pecorum ingentem, in prædam abduxit. Dum hæc in Gallia geruntur, una ex ijs triremibus, quæ ad Tanaidis negocia exierat, cui Zeno Maurocenus præerat, in ora Pontici maris magnitudine tẽpestatis uicta perijt: merx preciosissima quæ in illa fuit, cum tota turma in proximũ littus dissecta, in Turcorum potestatem uenit: reliquæ incolumem Venetum littus tenuere. In hoc statu res Venetæ erãt, quãdo Eugenij mors nunciata est: cui Thomas Sarzanius est suffectus, ex pontificatu Nicolaus postea dictus, unicum humanæ felicitatis exemplum. Eodem anno Episcopus, mox Cardinalis, nouissimè pontifex creatus dicitur. Ad eum continuò legatio decreta est: Principes ferè nobilitatis missi Alouisius Lauretanus, qui post præclara facinora in Turcos edita classem Venetias reduxerat: Alouisius Venerius, Paschalis Maripetrus, & Christophorꝰ Maurus: hic populi aduocator, illi Diui Marci procuratores. At Maurus, quia aduersa ualetudine implicitus ire non potuit, Zacharias Triuisanus eius loco est missus. Iacobus Foscarus principis filius, à decẽuiris accersitus, quia ad diem non affuisset, absens damnatus est: uerùm non multo pòst, cognita credo eius innocentia, ex Tergeste quò se contulerat, publico decreto est Taurisium reuocatus, ea conditione, ut non solùm urbem egredi liceret, sed Mestrana quoq; prædia prętoris permisso inuisere: mox uerò, siue patri id sit datum, qui sapientia & singulari charitate in patriam unicus in Venetis ea tempe- A state fuit: siue, quod magis credo hominis innocentiæ, ex Taurisio est in patriam restitutus. Sed ut tenax est fortunę, ubi sæuire cœpit, tenor: ita sanè euenit, ut non multo postquam in urbem uenerat, in crimen cædis sit deuocatus, quasi eo auctore Hermolaus Donatus, dum noctu ex curia se domum reciperet, interfectus esset. post itaque acerbissimam quæstionem de ea re habitam, quum nulla maiora eius cædis indicia extarent, in Cretam insulam est relegatus: hinc quoque postea, quia res nouas per literas molitus crederetur, triremi ad hoc ipsum in insulam missa Venetias delatus, quum quæstioni adhibitus rogaretur, an auctor fuisset earum literarum quæ ad hostes scriptæ dicerentur: ita sanè esse affirmauit: cæterùm dedisse se operam, ut ad Venetorum magistratuum manus peruenirent: ratus fore, ut ob eam causam in patriam reuocaretur, si non qua uellet, qua saltem posset, conditione. Demum quum nihil alioquin noxæ in eo compertum esset, in insulam nouissimè ablegatus, uitam in ea cum morte commutauit. Sub id quoq; tempus Andreas Donatus Sfortiæ largitionis reus, ex Creta quam insulam Ducaria potestate administrabat, iussu Patrum aduectus, ad decemuiros causam dixit: eum quæstioni subiectum, Decemuiri mille ac quadringentis damnatum publica administratione priuatum: &, quod penè grauius fuit, per annum in uinculis esse uoluerunt. Dum hæc domi geruntur, Carolus Montonius Brachij summi Ducis filius, audita Sfortiæ & Philippi reconciliatione, ob aduersæ factionis odium ad Venetos transit. Veneti duces interim Casale maius, & alia his circumiecta loca Sfortię ademerunt, qui iam diuersarum partium ut dixi erat factus, mox Attendulus in Mediolanẽses fines iterum transgressus, Tybertum Brandolinum cum lecto equitatu portis adequitare iubet: Venetísque signis in conspectu hostium constitutis, Mediolanenses ad libertatẽ uocare. Sed ubi nihil mouet ab hoste apparuit, conuersis aliò uiribus Ticinum usque Venetus prædabundus peruenit: ingẽtique præda ex Ticinensi abducta, iterum publica signa sunt Mediolanum admota, iterumque ciues ad libertatem uocati. Hic quoque, ut ad Abduam, quatuor uiri sortes pro portis urbis equestri sunt dignitate donati: Tybertus Brandolinus, Theotesaluius Bergomas, Lodouicus Maluecius & Gilibertus Corregianus. Demum quia nullus in urbe tumultus secutus est, ea parte qua signa admouerat hostium agro fœdè populato, Brixium Venetus oppugnatione in Brigantinis adortus, subitò ad dedi tionem compulit, inde omnem Brigantinorum regionem armis oppressam diripuit. Ferunt hic crudelissimè in miseros oppidanos sæuitum, ita ut nõ uiri solùm, sed impuberes etiam usque ad bimulos sint trucidati: uirgines corruptæ, matrõnæ miserabili modo uexatæ. Nec ea iniuria à milite orta, sed ab hominibus aduersæ factionis, qui ut suum in uictos hostes explerent odium, uelut feræ in cædem & omne proruperint nefas. Præda ibi parta ducentorum millium summam exæquasse dicitur. Cæterùm Barrhium montem & ipsum ui captum, Attendulus diripuit. Leucum deinde Larij caput multis diebus oppugnatum, capi non potuit: pleræque ad hæc ualliculæ lacui uicinæ, quarum incolę, quia in fide mansuri non uidebantur, in prædam & ipsi cõcessere. Et quum iam omnia ab Abdua Comum usque cum utraque Larij ripa in Venetorum potestatem uenissent, miles præda onustus citra flumen est reductus. Cœperat interim ciuitas pestilentia laborare: qua indies ualescente, supplicationes circa sacras ædes sunt indictę, & preces ad aras diuorum, quæ uicatim per urbem religione occupatam ad id tempus erant instructæ: nocturni ad hęc ignes passim excitati, multis uarijsq; odoramentis ad aërem

mitigandum per plures noctes sunt instaurati. Est
præterea locus duo millia passuum ab urbe, Lazaretium uulgò appellant: huc quicunque pestilentia languere cœperant, deferebantur: senis cymbis ad id publicè paratis, ut singulis regionibus quibus urbs diuisa est, singulæ deseruirent. Verum quia res ipsa non solùm ad contagionem tollendam, sed ad subleuandos quoque inopes conducere credebatur (curabantur enim illic commodius ac longè accuratius infirmi) cœptus est locus paulatim ædificijs omniumque rerum apparatu ornari. Additum deinceps haud procul inde aliud recens opus, hoc nomine magnificè instructum, quod procul spectãtibus munitissimi oppiduli mentitur speciem. Erant res Philippi, ut diximus, ueheméter accisæ, quum Sfortia quatuor equitum millibus, ac duobus peditum ex Flamminia, quò se ad comparandas copias ex Picæno cõtulerat, profectus per Ferrarienses in Parmensem agrum transijt. Sub eius digressum omnia Picæni agri loca, præter Anconem, pontifex recepit. Anconitani nanq; dum terra mariq; urgerentur, (nam & Alphonsi naues à mari infestabant, & à continenti Eugenianæ copiæ) ueriti ne sitemerè se militi ad deditionem hortanti credidissent, urbs subitò diriperetur, Veneta signa erexerunt: affueruntque proinde confestim illis naues Venetijs missæ, quæ portu insesso urbi præsidio erant. Anconitani in socios (ut antea Bononienses) à Venetis & Florẽtinis ascripti Laurentius Minius cum septem triremibus eò missus, qui urbi præsidio esset. Hoc quidam annales habent: apud alios nihil de huiusmodi Anconitanorum motu reperio. Per id tempus onerariæ duę, quarum Iacobus Maurocenus unam, alteram Andreas Leo instruxerat, in piratas maria latrocinijs infestãtes domo sunt profectæ. Sub Sfortiæ in Galliam aduentum omnis equitatus, quem Patres uenienti illi obijcere statuerant si in Patauinos fines impetum fecisset: mox ubi aliò flexisse cognitum est, per Cispadanã oram in Attenduli castra ire est iussus. Erantque hinc inde magni bellorum conatus, quum Philippus omnium qui unquam in Vicecomitum familia fuere, bellorum studiosissimus, febre primò, inde uentris profluuio uita decessit. Cuius morte cõsternati populi qui illius ditionis erant, alij alia consilia agitare cœperunt. Laudenses libertatis nomen secuti, ultro in Venetorũ fidem concessere. Quatriduo postquam hi in fidem recepti erant, Placentini & ipsi Venetum intra mœnia acceperunt: utrãque urbem Iacobus Antonius Marcellus maturo præsidio firmauit. inde copijs Ollio transmissis Columbanum cum toto ferè Laudensi agro paucissimis diebus recepit. Mediolanenses interim magno animo bellum à Philippo inchoatum, suis auspicijs gerendum suscipiunt, Sfortiamq; suarum copiarum ducem aduersus Venetos his conditionibus declarant, ut si Brixia ex Venetis capta esset, Sfortiæ quæsita uideretur: si & Verona, tum Brixiam Mediolanenses haberent, ipse autem Veronam. Audita Philippi morte confestim eius duces per literas Sfortia hortatus dicitur, ut bono essent animo: affuturum se, si à Mediolanensibus uocaretur, ac tum iunctis copijs fore, ut Venetæ opes statim postea frangerentur. Declaratus igitur Mediolanensium imperator Cremonam transijt: inde Abdua ad Pisseonem superato cum Francisco & Iacobo Picininis, & alijs Philippi ducibus castra iungit. Hinc paulo pòst profecti, Columbanum paucis diebus oppugnatum receperũt. Venetæ interim copię, quia uiribus hostium se impares uidebant, in Laudensem agrum concessere. Ticinenses & ipsi sua studia secuti, Sfortiæ ex Blanca filium ob auitam memoriam suæ urbis Comitẽ declarant: Mediolanenses paucis diebus triplici legatione alia super aliam missa, res quę Philippi fue-

A rant, à Veneto repetunt. Eodem fermè modo semper legatis responsum est: etsi quæcunque Venetæ loca ex Philippi principatu ad eam diem occupassent, iure belli sua facta uideri poterant: ut omnes tamen intelligerent, Venetos magis studiosos pacis esse, quàm belli, paratos esse se omnia petentibus restituere, si immensum auri pondus quod bellorum sumptus hausissent, sibi bona fide Mediolanenses uellent dissoluere. At illi nihil promittentes infecta re iussi sunt abire. Patres, quia ingens bellum cum Sfortia & Mediolanensibus instare uidebant, ualidissimam classem per Padi fluenta ad intima Galliæ adigendam decernunt: triremes quatuor, galeones duos ac triginta: his Andreas Quirinus, triremibus Georgius Lauretanus sunt præfecti. Dum hæc Venetijs aguntur, Sfortia omni ferè Galliæ militiæ robore in unum contracto, Placentiam subita oppugnatione adoritur: demolita murorum parte inter Lazari & Raimundi portas, Padoque ad id sub autumni exitum ita stagnante, ut hostium nauigia mœnibus facile appellerentur, terrestri naualique pugna urbem cepit, captam militi tradidit diripiendam. Gerardus Dãdulus & Thaddæus Æstensis, qui ibi præsidio cum mille peditibus, atque equitatu non paruo erant, in hostium potestatem uenere: hic cum arce & præsidio per deditionem, ille ex fuga quam perditis rebus præoccuparat, retractus. Interim uerò dum Placentia oppugnabatur, Attendulus Abdua ad Columbanum superato tumultuosè in Ticinésem agrum erupit, unde ingens præda abducta est: inde ad Sfortiam præsenti negocio auertendum, in Mediolanensem agrum prædabundus transijt, ubi apud quosdam reperio Melcium ab eo occupatum. Adiecerat & animum, nisi Placentia tam citò capta esset, ad Cremonam oppugnandam. Marcellus per id tempus ex castris reuocatus Venetias abijt. Alouisius Lauretanus & Mattheus Victurius eo abeũte legati in prouinciã uenere. Et quia iam bruma instabat, ob hyemis magnitudinem castra fieri non potuerunt: hybernacula uillæ ac uici Veneto exhibuere, quibus militari seditione respublica penè in discrimen adducta est. Tentata iterum pax, ad quam componendam Veneti Mediolanensiumq; legati Bergomum
B conuenere: Insubribus Laudem reposcentibus, Venetis contrà, nisi bellorum sumptibus esset satisfactum, eam se redditurus negãtibus. Et quanquam Florentinorum Nicolaique pontificis legati multa precati utrosque ad pacem hortarentur, nulla tamẽ secuta est. Sub uernũ tempus etsi patres toti in Gallicum bellum uersi erant: quia constans fama erat, duas onerarias naues quæ ex Põtica mercatura domum tendebãt, à piratis interceptas, tres onerarias cum triremibus quinque ad latrones toto mari persequendos decernunt: his Laurentium Lauretanũ præficiunt, illis Alouisium Bembum. Nec Sfortia interim quieuit: quin ex hybernis profectus, nonnulla Venetis oppida ademit. Classis, quam aduersus piratas decretam diximus, Vitalem Sardum (qui non multo antè tres onerarias ad Cretensem uindemiam egressas interceperat) medio mari adeptum oppressit: eum in suam potestatem redactũ, & omnes qui cum eo erant, Venetus suspendio affecit. Nec multis interiectis diebus haud procul Neapoli duas alias latronum liburnicas intercepit: in quibus quicunque reperti sunt, præter paucos qui uincti erant, eodem genere supplicij necauit. Ea re Alphonsus commotus, toto suo regno Venetos negociatores capi, eorumq; bona in publicum redigi iussit. Patres ad regem miserunt, qui ab eo publico nomine sciscitarẽtur, bellúm ne an pacem cum Venero nomine sibi esse uellet: quid præterea esset, quod suos negociatores bello adhuc non indicto contra ius gentium uiolasset. Ad ea Alphonsus non

pauca

pauca de Venetorum in se iniuria questus, quod in
A conspectu regiæ urbis naues nulli infestas oppressissent: earumq; gubernatores ac remiges, qui nihil fortasse tale meriti essent, ignominiolo mortis genere affecissent: uerùm quantacunq; ea esset iniuria, nolle se in præsentia cognoscere, nec bellum aliquo modo quieti præferre: quin oprare potius, ut Venetij ij deinceps in se esse uellent, per quos in pace esse & ocio liceret: irent igitur, & suos negociatores cũ ipsis rebus uento & fluctibus secundis domũ abducerent. Atq; cum his mandauit omnes Veneti nominis, qui in custodia haberentur, relaxari, ablataq; illis restitui. Collio, quẽ Philippus aliquandiu in uinculis habuerat, quique post illius mortem facto nouo industrio carcere in Ticinensem agrum concesserat: ubi nouerat omnem equitatum quem sibi Philippus ademerat, sub Nicolao Guerrerio in hybernis esse, à quo studio & fauore acceptus, & à Mediolanensibus non multo pòst mille & quingentorum equitum stipendio auctoratus. Interim dum Placẽtia à Sfortia obsideretur, in Rainaldum Dresinésem, qui sub Philippi exitum cum ingenti Gallorũ manu à Carolo rege in Italiam missus fuerat, prosperè depugnauit. Receperant Galli Astam urbem à Vicecomite ex fœdere, quod cum eo non multo ante quàm uita decessisset, in Venetos rex ipse percusserat. Philippo uerò defuncto, Galli non Astam solũ, sed Alexandrini quoq; agri partem sibi armis uendicarant. Eos itaq; Boscum oppidũ obsidione prementes Collio cum Asture Fauentino adortus, prælio uicit ingenti, ac uictos castris exuit: multi ex Barbaris in acie cæsi, multi quoq; capti, in quos Alexãdrini ipsorum exemplum secuti, ferro sæuierũt: Collio huiusmodi uictoria insignis, cum mille & quingentis equitibus non multo pòst ad Venetos transijt. Exierat iam propemodum uernũ anni tempus,
B quum Sfortia ex hybernis egressus Mozanicã adortus, oppidanos subitò ad deditionem compulit: inde Abduanam terram tumultuose ingressus, præter Caruagium, omnia eius terræ loca breui subegit: ademit Veneto & Cassianum, quò se præsidium ex Melcio deiectum receperat. Attendulus & ipse cũ suis copijs ad Calcem ultra Ollium confederat: atq; his locis sine re ulla memorabili utrorumque castra aliquandiu fuere. Demum profectus inde Sfortia, in Venetam classem, quæ Cremonenses fines uexabat, terra & aquis mouit: omnes Quirini conatus eò spectabant, ut pontem quem Sfortia Placentinæ oppugnatione circa Cremonam Pado imponendũ curarat, refringeret. grauia circa illũ certamina fuere: nec ab illius oppugnatione prius Venetus destitit, quàm sensit hostem adesse. Habebat Sfortia galeones sex ac uiginti: atq; eos ipsos neq; armis, neq; milite magnopere instructos. sub eius aduentũ Venetus ad Casale maius compulsus est. Hic terra & aquis ab hoste loci iniquitate circumuentæ Venetę naues, ita crebris machinarum ictibus (quas dux peritissimus in extrema fluminis ripa locarat) sunt ad unã concussæ, ut desperatione actus Quirinus trãsfugis silentio noctis in proximum oppidum armamentis, illas ne in hostium potestatem uenirent, incendio absumpserit. quanquã sic quoq; ferunt nõnullas ab hoste interceptas. Sed ubi ille Venetias uenit, à Patribus ad populi Aduocatores est reiectus, qui in suspicionem uenisset, non tam non potuisse, quàm noluisse classem ipsam seruare: eum Aduocatores in uinculis habendum censuere. Fuerunt ea tẽpestate qui crederent, Quirinum ab initio in tutum cum ipsa classe abire potuisse: fuisseq; id facturum, nisi ab Attendulo spes illi facta esset, fore ut statim conserto prælio ipse subsidio cum omnibus copijs adesset: quod quum nullo modo præstitisset, prodi tus Venetus clademaliena culpa adierit. Profectus inde hostis (neq; enim erat cur Cremonæ timeret amplius) ad Caruagium Veneto præsidio munitũ castra locat. Attendulus (qui Sfortiam in Venetam classem euntem, usque ferè ad locum ubi res gesta est, secutus fuerat) ubi illum post cladem illatam in Abduanam terram reuersum accepit, Caruagiũq; obsidione cinxisse: ipse quoq; eò copias admouit, insignem locum Veneta clade facturus. Vix unquã aliàs tantus equitatus, tot uiri illustres Gallicis bellis unùm in locum coiere: nam præter Attendulum copiarum omnium imperatorem, erant in Venetis castris Lodouicus Gonzaga, Bartholomæus Collio, qui non multo antè ad Venetos transierat: Gentilis Leonesius, Carolus Mõtonius, Tybertus Brandolinus, Ioannes Comes, Romani sanguinis, Guido Ranconius, Albertus Bodiensis, Cęsar Martinẽgius, Nicolaus Guerrerius, & cum his ad duodecim equitum millia, ac uis peditum ingens. Apud Sfortiam Alexander Bosius & Corradus fratres, Robertus Seuerinas, Franciscus & Iacobus Picinini, Guilielmus Monferratensis, Carolus Gonzaga, Alouisius Vermius, Ioannes Tollentinas, Christophorus Torellus & Bartholomæus Quarterius, erantque in his castris sedecim equitum millia. Est itaq; paucis diebus sæpius dimicatum, ita ut ad uesperã nõnunquam sit prælium distractum: haud tamen totis uiribus in aciem descensum. Fœdericus Contarenus & Hermolaus Donatus per eos dies in castra uenerant, ut Venetos duces publico nomine hortarentur ad opem Caruagianis ferendam. Fœdericus morsu canis illis ipsis diebus extinctus est. Hermolao igitur & Gerardo Dandulo, qui iam anteà in castris legatus erat, hortantibus Attendulus & alij plerique duces, etsi certò sciebãt, oppidanos, nisi obsidione leuarentur, non esse diutius hostem laturos, pugnam tamen palàm dissuadere. Alijs uerò in eorum sententiam reclamantibus, eò res deducta
B est, ut satius sit uisum, ultimam belli fortunam experiri, quàm ociose sedendo expectare dum oppidani obsidione fessi deditionem facerent. Tenuit ea consultatio pluribus diebus. nec enim iniri poterat ratio, qua potissimum uia in hostem impetũ Venetus esset miles facturus: Tybertus Brandolinus per Forum nouũ, quà ob propinquas paludes Sfortia non multum castra muniuisset, primam impressionẽ fieri oportere ostendit: penetrauerat ille gregarij militis habitu per eos dies in hostium castra, omniaq; per ocium explorarat. Præmissi itaq; Tybertus ipse & Guido Ranconius & Albertus Bodiensis, qui festo die quo affuturum hostem nemo putasset, auersa castrorum parte impetũ facerent. Concesserat Sfortia sacrorum causa in ædem Caruagiæ Virginis, quæ nõ procul oppido est: ad eum expeditissimi equites alijs super alios missi, trepidè nunciant hostem prouallo adesse, qui magno impetu castra adortus, aut iam intra munitiones irrupisset, aut certè, ni subitò laborantibus subuenirẽtur, paulo pòst esset irrupturus. Sunt qui tradant, eũ ex sacris reuersum, aciam discumbere uolentem, ad primos inuecti hostis clamores suos in Venetũ misisse. Alij circa meridiem Forum nouũ uersus equitanti, tumultuosè nunciatum ferũt castra oppugnari. Sed quacunque hora & loco de aduentu hostiũ sit cognitum, constat, intrepidè illum se ad omnia moderanda conuertisse. Complerant interim Venetæ turmæ quicquid uiæ inter bina castra erat: Carolus Gonzaga, Alexander & alij Sfortiani primo Venetorum impetu intra munitiones reiecti, uix ab initio hostem sustinuere. Tradunt quidam, Carolum Gonzagam accepto uulnere non solùm pugnasse, sed castris etiam excessisse, ac metu consternatum, celeri fuga Mediolanum abijsse, affirmasseq;, Sfortiam castris à Veneto exutum. Is fuit ab initio hostium metus. Mox uerò Sfortiæ præsentia confirmati, qui cum robore copiarum ea parte qua con

fertum erat prælium, assuit, non solùm æquarũt pugnam, sed hostem quoque ex ipsis munitionibus summouere cœperunt: ac deinde fortius impressione facta (quia ob angustias locorum, quas propinquæ paludes faciebant, nullus dabatur in pugnam succedendi locus) fessi Veneti, qui in prima acie steterant, ab hoste & uiribus & animo superiore turbantur. Albertus & Guido Ranconius, dum inclinatam pugnam reparare, ordinesque suo loco retinere nituntur, hostium multitudine circumuenti opprimuntur. Tum uerò amissis ducibus aperta fit fuga, quam præter locorum difficultatem, hostiũ incursus etiam impeditiorem reddidit. Nam & milites qui Mozanicæ erant, ubi rem Venetam inclinatam uiderunt, se fugientibus obiecere: ita ut aut deditionem facere cogerẽtur, aut se in propinquas paludes præcipitare. Picinini adhæc fratres, qui ad Triuilium seorsum à Sforzia castra habebant, ex altera parte cum duobus equitum millibus impetũ in castra fecerunt: eos Collio qui ad eorum præsidium relictus fuerat, aliquandiu sustinuit: uerùm ubi suorum fugam aliò inclinare uidit, & iam castra inferiore parte ab hoste capta, pedestri fuga dilapsus in propinquum nemus abijt. Attendulus & alij, iam inde ex quo primum agmen solutum uiderunt (siue dolo id fecerint, siue quia fortunam semel inclinatam sisti nullo modo posse crediderint) ex acie fugerunt. Octo equitum peditumque millia cum ipsis legatis capta dicuntur. Ferunt, Dandulum legatum ab Attendulo & alijs admonitum ut fugæ se eriperet: respondisse, malle se circa publica signa mori, quàm turpi fuga se ad ignominiam seruare. Castris præterea mira rerum omnium opulentia refertis uictor hostis est potitus, atque cum his duobus millibus curruum. Attendulus Brixiam se recepit, quò hostis uictoriam secutus, paucis pòst diebus castra admouit. Neque Veneti ad tantam cladem animum remiserunt, sed subitò duobus legatis Alouisio Lauretano, & Paschale Maripetro nouiter creatis, arma studio præparant. Legati Brixiá cum triginta millibus aureorum nummũm missi, urbem hostibus circumsessam ingredi nequiuere. Siquidem Sforzia eò cum suis copijs Alouisio Vermio, Carolo Gonzaga, & alijs quibusdam illustribus uiris, diuiso Mediolanensium iussu exercitu, processerat. Veronæ igitur fuere legati die noctuque ad bellum reparandum intenti: ingentem largo stipendio ad se equitum peditumque uim breui contraxere: multique illustres uiri Venetum stipendium per literas & nuncios se libenter facturos sunt professi, confestimque (si ita Patribus uideretur) cum numero equitum ingenti affuturos polliciti. Victor Sforzia Casale maius, Riuoltellã, ac pleraque alia oppida ex Veneto recepit: Carauagium profligato exercitu, postero die deditionem fecerat. Sed dum ipse ad Brixiam sedet, reliquæ Mediolanensium copię Picinino duce castra Laudem admouerant. In hoc statu res Galliæ erant, quum Sforzia non iniuria Mediolanensibus suspectus esse cœpit. Verebantur illi ne ad principatum, qui Philippi fuerat, iam tacito aspiraret consilio. Studio itaque retinendæ libertatis, sensim illi uires detrahere, ac quotidie minus credere. Quod ubi ille ita euenturum putauit, ut aliquanto postea non Mediolanensibus magis quàm Veneto futurus esset amicus, cõfestim ad pristinam Venetorum amicitiam reflexit animum, cuius solius populi potentia gradum sibi ad principatum fieri posse intelligebat. Inter reliquos igitur illustres uiros qui captiui in Cremonensem arcem adducti fuerant, Clemens Thealdinus scribarum unus, cum Hermolao Donato erat. Nouerat eum iam antea Angelus Simonera, occulteq; ad Sforziam perduxit: ab eo ille ad principem & senatum est missus, ut Sforziæ nomine ab eis peteret, si pax cordi esset, mitterent secretò ad se Iacobũ Antoniũ Marcellũ, aut Paschalem Maripetrũ. Patres, etsi post Caranagianã cladem iure antiqui fœderis à Florentinis auxilia nõ parua impetrarant, reparauerantq; ad eam diem suas copias nõ mediocriter: incertos tamen bellorum exitus reputãtes, ad pacẽ subitò inclinarunt. Quia igitur Marcellus Veronæ præfectus erat, Maripetrus est missus ad Fornaces, locum non longè à Piscaria. Venetus & Simoneta secretò sæpius congressi, in has pacis conditiones descenderunt: ut Sforzia Venetiq; Mediolanensiũ hostes essent, darentq; Patres quatuor equitum millia illi, ac duo peditum, donec Mediolanũ subegisset: mitterent ad id quot mensibus in stipendium tria ac decem aureorũ nummũm millia. Expressum adhæc, ut quicquid citra Abduã Philippus tenuisset, Veneti haberẽt: ille uerò Mediolanũ cũ reliquo principatu. Apud quosdam Pandinum oppidum, quasi Laudensis agri, Venetis eo fœdere ademptũ reperio: quod si sic esset, non omnia citra Abduam Veneto imperio cessissent, quũ & Laudẽ intelligamus ademptam. Icto in hoc ipsum fœdere, redditisq; captiuis omnibus, Sforzia Abdua superato in Mediolanenses mouit: Veneti Attendulũ, abrogato prius illi imperio, in Taurisinũ agrũ ablegarunt. Laudenses ne Sforziæ subijcerentur, Veneto præsidio dimisso in Mediolanensiũ fidem uenere. Præter Laudem igitur & Nouicomũ, quicquid Mediolanenses inter Abduã & Ticinũ habebant, breui Sforzia occupauit. Hinc demum Mediolanum castra admouit, millia passuũ admouit. Eius anni bruma cruento est prælio à Turcis & Pannonibus in Hadrianopolitano agro dimicatum: aiuntque, octoginta Turcorum millia, Christianorum dimidio minus eo prælio atq; alijs eodem fermè loco cõmissis occubuisse. Venetæ triremes piraticam unam assecutæ, latrones suspenderunt: qui minus sontes fuerunt, in uinculis sunt habiti. Necita multo pòst & Gotholanicam unam onerariam, oleo onustam, intercipiunt: quam in eorum inuidiam qui piraticam exercebant, negociatoribus ademẽre. Cesserunt interea Sforzianis armis Dertona, Nouaria, Alexandria, ac nouissimè Parma. Cuius uictoriæ nuncium Venetias allatum, summo gaudio Patres excepere: fuitq; ea lętitia eo maior, quòd aliqua ex parte Marcelli auspicijs huiusmodi accessiones Sforzianis rebus factæ credebantur. Dederãt eum Patres ex fœdere cum duobus equitum millibus, & duobus legatis Lodouico Lauretano, & Paschale Maripetro, quem Sforzia cum Alexandro fratre ad pleraq; loca ultra Padum recipienda misserat. Transpadanis igitur locis magna ex parte receptis, præsidioq; firmatis, Venetas ad se copias ille accersit, Mediolanũq; ferocissimus dux obsidere pergit. Nunciatur interim à Lodouico Allobrogũ duce, qui cum Mediolanensibus fœdus in Sforziã percusserat, ingentẽ Barbarorũ uim ad Nouariæ fines infestãdos, Ioãne Cõpensio duce in Italiã missam. Tentauerant Barbari ab initio Nouariam occupare: quod quũ parũ illis processisset, in Nouarensis agri finibus belli sedem fixere. In hos (qui numero sex milia esse dicebãtur) Collio, qui cũ Marcello à Venetis ad Sforziã missus fuerat, mouere est iussus: is acie cũ Barbaris ad Siccidam fluuiũ cõgressus, eos fudit fugauitq; : ad quadringenti equites cũ ipso Compẽsio intercepti. Ingens eo die uictoria parta est, & quæ futuris Collionis successibus postea nõ parum cõtulit. Laurẽtius Pisaurius per id tẽpus triremi una ad Babylonium regẽ est missus. Legationis causam eam fuisse reperio, quòd Veneti negociatores in Syriæ emporijs parũ comiter à Barbaris haberi dicerenẽ. Duæ triremes aduersus maritimos latrones, Angelo Pisaurio pfecto per eos quoq; dies in altũ deductę. Mediolanẽses interim libatę libertatis studio plerosq; uiros illustres, qui rem ad Sforziam trahere dicebantur, facto repentè impetu incautos oppressere: mox populariter urbe egressi in hostẽ eunt. Obsidebat per id tempus Sforzia Melcianam arcem, qui audito hostium accessu (in quibus ad sexaginta Pilulariorum millia esse dicebantur) ita aciem in hostes aduentantes constituit, ut audito Sforziæ strategemate territi hostes ausi non sint congredi. Marcellus qui illi hærebat, inspecta summa ducis prouidentia, in re omnino satis trepida fertur Venetias scripsisse, imminere à tam inuicto duce non solùm Venetis, sed uniuersæ etiam Italiæ ingens periculum, si Mediolano fuisset potitus. Cedentibus itaq; hostibus Sforzia obsidionem continuare perrexit: sed omnia illius consilia ad urbem fame domandam spectabãt. Attenta itaq; armorum statione urbem domabat ita, ut nõnunquam intra munitiones erumpẽs suburbana tecta subito incursu incenderit. In hoc statu Mediolanensium res erant, quum nostra ciuitas ut inexpectatam, ita ingentem penè cladem adijt. Stamatus quidam, Graij sanguinis homo, Cretaque insula natus, dum fortè Venetijs esset, ostenderenturq; (quod magnis hospitibus præstari solet) Borsio Æstensi publici thesauri, qui in parte Aureæ ædis asseruãtur: ita accidit, ut quasi unus ex illius domesticis ignotus Græculus sit sacrarium ingressus. Tum uerò ille ad stupendum rerum aspectum non solùm non animum remisit, sed ad nobilissimũ furtum confestim adiecit. Est diui Marci ædes, quã ab initio Auream, quia penè tota purissimo fulget auro, appellatiimus: intus extraque circà irnum marmoreis tabulis cõpacta. Ea igitur templi parte qua puerorum ara sita est, marmoream tabulam fur ingeniosus exemit: inde nocturno opere defunctus (quia non tam citò murus penetrari potuit) applicita suo loco tabula, circumductoq; rectorio ita ut nullum fracturæ uestigium appareret, exhaustã inde materiem ante lucem asportabat: atque hoc modo plures noctes operatus ad intimum conclaue peruenit: tum inde eximere cœpit amplissimos thesauros, ad quos uidendos cum Fœderici imperatoris legato admissus olim non sine stupore spectaui. Nam præter ingentem gemmarum uim, alijs atque alijs operibus insertam, duodecim aureas coronas uidi, ac thoraces totidem, immensa gemmarũ multitudine munitos, quarum fulgor non minus mentem, quàm oculorum perstringebat aciem. Lebetes adhæc ex preciosissimis lapidibus, quorum testeru læ annulis insertæ magno soleant precio æstimari: tabernacula, candelabra, & alia plura sacrorum instrumenta: in quibus materia, quæ aurea erat, ob re liquum apparatum, qui diuersis gemmarum coloribus micabat, penè sordescere uidebatur. Transeo monocerotis cornu, immensi (ut aiunt) precij: Principis infulam, atque alia opera & multa & eximia, quæ ferè omnia ille per ocium sustulerat. Verũ neq; furtum, ut dicitur, neque adulterium ullum diu in occulto fuit: quia alia ratione tam citò scelus deprehendi non poterat: ita sanè accidit, ut ipse suo indicio sit proditus. Erat illi compater Zacharias quidã Grio, Cretensis & ipse, ac Patricij sanguinis, homo uel hoc uno exemplo miræ innocentiæ: huic sacræ aræ adhibito remomnem Stamatus ordine enarrat: inde in angustissimum domicilium, quod Græculus incolebat, abductum immensum illi furtum retexit. Ad cuius conspectum quum probæ uir naturæ, ac minimè facinorosæ obstupuisset, sceleris q; atrocitare pauitans, uix satis suo confisteret uestigio: ferunt sacrilego homini in animo fuisse, eum obtruncare, addidisseq; omnino scelus sceleri, nisi ille ita occurrisset, ut diceret, se præ nimia lætitia, quòd ex insperato uideret se ad tantas diuitias perductum, penè desipere. Quibus uerbis confirmatus ille, cæde abstinuit. Acceperat interim Grio donopreciosissimum ab eo lapidem, atque ob id notissimum. Ferunt eum fuisse, qui priore parte Ducariæ insulæ hodie conspicitur. Per speciem igitur expediendi negocij ab fure digressus, se in curiam proripuit: inde ad principis conspectum admissus, atrocissimum retegit facinus: celeritate opus esse dicere, ne ille (quem uix multo ambitu uerborum fefellisset) mutato repentè consilio se aliquò cum bona parte furti illa trahe rarer: & ne fides rei tantæ deesset, gemmam dono acceptam sinu deprompsit. Quã conspecta confestim missi sunt qui hominem comprehenderent: atque ita cum eo in potestatem redacto, omnia quæ sustulerat, sunt recepta, ut nihil ex tam precioso apparatu (cuius æstimatio uicies centena aureorum nummũm millia æquasse dicitur) defuerit. Furti auctor ad geminas columnas est laqueo necatus: indici præter aurum, quod in præsentia dono accepit, perpetuum est salarium ex publico decretum. Picinini interim filij cum tribus equitum millibus ac duobus peditum, à Mediolanensibus ad Sforziam transiuere. Verùm quia constabat, illius pollicitationibus Picininos adductos Mediolanenses deseruisse, quod per fœdus cum Veneto ictum, non licebat: erat enim in eo cautum (ut quidam tradunt) ne Venetus, neue Sforzia eorum quenquam conduceret, qui Mediolanensiũ stipendia fecissent. Alienauit ea res nonnihil Patrum animos à Sforziæ societate: quippe quibus ducis potentia iam plus quàm satis esset, suspecta esse cœperat: atque ob id tum primum ad Mediolanenses respicere cœperunt. Picinini autem, quum non multo pòst in suspicionem uenissent, capitales Sforziæ insidias parasse, à quibus ut caueret, identidem ille à Marcello monitus dicitur, ne aliquo ab eis incommodo afficeretur, repentè cum suis copijs Mediolanum concessere. Tradunt tamen quidam, eo consilio Picininos ex urbe ad Sforziam transiisse, ut per hyemem foris exercitum alerent: ac ubi æstas appetere cœpisset, tunc (quod fecerunt) ad suos cum omnibus copijs redirent. Vrgebat interea ille hostium urbem assidua infestatione, multisq; cladibus afficiebat: quando Alphonsus rex, ut Insubres aliqua ex parte bello leuaret, omnes Veneti nominis finibus regni publico edicto deiecit. Quæ aperta belli denunciatio effecit, ut Veneti continuò ingentem classem decreuerint. Quinque & triginta triremes, decemque onerarię aduersus regem sunt uiris & armis instructæ: earum omnium imperium Alouisio Lauretano est datum. Is maritimi belli apparatus fecit, ut Alphonsus per Leonellum Æstensem & legatos (qui Ferrariam usque progressi, Venetias uenire à Patribus sunt prohibiti) pacem impetrare tentarit: sed res semel irritatis animis frustra mota est. Interim uictor Capellius qui sinui præerat, biremem unam Gotholanicam, quæ Venetam nuper oppresserat, celeri fuga Ortonam usque insecutus, ubi hostes in littus euasisse, atque oppidanorum auxilio adiutos, uim parare animaduertit, obuersis triremium quas habebat proris, iubet suos in littus desilire. Quod quum illi nauiter fecissent, aeriter est in ipso littore dimicatum. Fusis hic hostibus, atque intra oppidum compulsis deducta eorum biremi, nauale quod proximum oppido fuit, cum aliquot nauibus subiecta flamma concremarunt. Direpta ad hæc eodem incursu suburbana tecta, peregrinis mercibus referta. Inde ad pristinam stationem uictor Venetus se recepit, ubi Capellius classem in Alphonsum structam expectare constituit. Tentarunt Veneti missis ad Sfortiam legatis, quia maritimum instabat bellum, terrestri se leuare. Vrsatus Iustinianus, & Paschalis Maripetrus ad eum publico nomine accessere: iussique cum eo agere de pace, quæ magnis conditionibus à Mediolanensibus proponebatur. Et iam tentata res erat, quum

quum Crema, quæ Sigiſmundo Malateſtę ductu e- A
rat (is à Florentinis poſt Caruagianam cladem cũ
duobus millibus equitum, & peditibus mille, iure
fœderis Venetis auxilio miſſus) laborioſe pluribus
menſibus oppugnata fuerat Andreæ Danduli ope
ra: nec non Sforția aliquid iuuante, qui eorum dedi
tionem non receperat, Veneto imperio ceſsit. Gen-
tilis Leoneſius ad eam recipiendam cum præſidio
ire eſt iuſſus. Per eos ipſos dies pax cum Mediola-
nenſibus iam penè confecta, ad Sforțiam his condi
tionibus eſt delata: ut ille ſeptem urbes, quæ Phi-
lippi fuiſſent, Cremonam, Ticinum, Placentiã, Par-
mam, Alexandriam, Dertonam & Nouariam habe-
ret: Laudem uerò, & (ut alij tradunt) Ticinum Me-
diolanenſibus relinqueret. Has conditiones ſi ille
accepiſſet, utriuſq; populi ſocius haberetur: habe-
rentq́ue Veneti Gallia pacata ſex equitum millia,
Mediolanẽſes quatuor, Sforția mille, nec amplius.
Sin pacem cum Mediolanenſibus nollet, utrorunq;
hoſtis eſſet: actum Venieti octo equitum millia ad
uſum præſentis belli conſcriberent: ſex ipſi Medio
lanenſes. Huiuſmodi pacis conditiones à Maripe-
tro ad Sforțiam delatas, neq; probauit ille, neq; re-
cuſare eſt auſus: cæterùm frendens gemens q́; mul-
taq́ue de Venetorum fide queſtus, reſpondiſſe dici-
tur: Se non Laudem ſolùm, quam Veneti Mediola-
nenſibus reſtitutam uellent: ſed illas etiam urbes,
quas ſibi ex fœdere decreuiſſent, relicturum, ſi ita
eos uelle ſentiat: quorum uoluntati, quantum in ſe
fuit, ſemper obtemperatum uoluiſſe: miſſurum ita-
queſe fratrem Venetias, qui coràm quæcunq; acta
eſſent, probaret. Alexander poſtea cum Angelo Si-
moneta & Andrea Birago eſt ab eo miſſus, qui re a-
liquandiu per altercationem iactata, paucis diebus
re infecta Ferrariam primò, inde ad Sforțiam abie-
runt. Apud quoſdam reperio, pacem ab eis ſolenni
more probatam: ſed Sforțiam, quaſi ſe nihil iuben- B
te id ab Alexandro & alijs eſſet actum, recipere no-
luiſſe. Exeuntibus igitur inducijs, quæ in aliquot
dies ad pacis conditiones probandas pactæ fuerãt,
pax inter Venetos & Mediolanenſes compoſita ac
publicata eſt: in qua, niſi manifeſtè appareret, quid
Veneti nouo illo fœdere ſint ſecuti, uiderentur ſuo
ueteri deceſsiſſe inſtituto, quippe qui Sforția relic-
to nouam ſocietatem eſſent complexi: ſed certè
(ne dicam meritò) id factum, quia à Sforția & ipſi
non multo antè deſtituti fuiſſent, neque enim ue-
nia dignus eſt, qui alieno peccat exemplo. Liberta-
tis ſtudium (quam nunquam minus ſtudioſe in a-
lijs ciuitatibus, quàm in ſua Veneti protexerũt) effe
cit, ut fœderum obliti nouos ſint ſocios ſecuti. Nec
eſt cur ob id aut perfidiæ eos aut auaritię inſimula-
re poſsit quiſquam, ſiquis dico rem æquè æſtimare
uoluerit: nihil enim ex fœdere quod cum Mediola-
nenſibus eſt percuſſum, plus ad Venetos ex Philip
pi rebus peruenturum erat, quàm ex eo, quod iam
anno antè cum Sforția fuerat ictum: neque amico
principi non conſultum uoluere: quippe cui omnia
ferè quæ Philippi fuerant (præter Mediolanũ, quod
in libertate retinere cupiebant: & Laudem, quæ il-
lius tributaria iam antea facta fuerat) reliquẽda cen
ſebant: rati, his conditionibus illum acquieturum,
de pace cum eo agere cœperunt: neq; occultè quic-
quam aut dolo malo cum illo actum: res ut erat, a-
pertè, & penes ipſum, ab initio tentata. Sic quoque
cum Philippo olim pro Florentinis ſumpta ſunt ar
ma: ſolenni denunciatione (ut liberum potẽt em q́;
decet populum) tam huic quàm illi illatum eſt bel-
lum. Verùm inuictus dux feliciſsimo conſilio ma-
luit uictoriam, in cuius poſſeſsione erat, quàm ue-
natum ſequi: bellumq́ue aduerſus utrunque popu-
lum ſuſcepit, ſuſceptumq́ue uirtute ſua & fortuna
ex ſententia confecit.

IN LIBRVM VII.

Epitoma.

VEneta claſsis ingentem uim nauium in Syracuſano portu combuſsit: Iacobus Piciniuus & Sigiſmundus Malateſta aliquid commeatus Mediolanum intulere: Mediolanenſes Veneto legato cæſo, Sforțiam Principem declarauere: Fœdericus Imperator & Leonora coniunx Venetijs quàm honorificentiſsimè ſunt hoſpicio accepti: Alphonſius rex Florentinos ingenti bello petijt: Veneti ductores intra Otholengum & Inſulellam feliciter in Sforțianos dimicarunt: inde non uno loco uario eſt euentu pugnatum: Renatus rex pro Sforția & Florentinis in Italiam aduerſus Venetos tranſijt: Stephanus Porcius capitali ſupplicio eſt Romæ affectus: Conſtantinopolis à Turcis expugnata ingentem Chriſtiano nomini terrorem incuſsit: Duplex in Turcos claſsis inſtructa eſt: Pax cum Sforția & Florentinis publicata: Fœdiſsima uentorũ procella urbẽ ſubito ſtrepitu & omnia circũiecta loca perculit: Multa ab Turcis in Græcia & Aſia geſta, ultimo loco referuntur.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER VII.

IAuretanus dum noua fœdera ſanciuntur, tota ſuperi maris ora emenſa, cum ualidiſsima claſſe ad fretum uſq; Siculum proceſſerat: hinc ſubito incurſu Meſſanam adortus, regiã cæteam eximiæ magnitudinis nuperinſtructam, & quę nondum aquas attigerat, iniecta flamma abſumpſit, & cum ea naues pleraſque, quæ in ipſo portu erant: triremes ad id, ac minora quædam nauigia, quæ ad ſubſidium earum quæ Meſſanæ fuerant, citato curſu uenerant, haud quidem multo pòſt, remigibus ſocijs q́; naualibus metu in continentem dilapſis, proximis littoribus oppreſsit: inde Siciliæ præteruectus oram, onerarias duas (mille ac quingentarum utranq; amphorarũ) Syracuſano ſe portu tenentes, facto repentè impetu inuaſit. Genuenſes, quorum alteram fuiſſe conſtat & alij multi, qui Venetorum metu ex alto eò ſe trepidè receperant, duas ad exitum portus onerarias depreſſerant: obiecerant ad id cathenam ingentem cum uallo, ita ut ab omni hoſtium incurſu iam tutiſsimi uiderentur: ſuſpenderant ad hæc pontes à mœnibus urbis ad naues, ut commodius (ſi opus fuiſſet) eas ab omni externa iniuria tueri poſſent. Conatus eſt Lauretanus ſub primum acceſſum diffractis munitionibus portum irrumpere: eſt q́; ſubitò circa illas contractum certamẽ. Verùm pòſt multam cædem quum nihil ſe proficere Venetus cerneret, in altum ſe recipit: nouam deinde uiam ingreſſus, qua in hoſtem graſſaretur onerariã ſarmentis & ſulphureo puluere refertã cum triginta fortiſsimis uiris (quos magnis pollicitationibus ad id facinus audendum cõpulit) uento & ſtuctibus ſecundis in portũ immiſit: uiolentiſsimo illa uentorũ ſpiritu cathenæ uallo q́; impacta, nihil obſtitit quo minus ſtupenti-

pentibus nouitate rei hoſtibus ad internas naues A
peruenerit. Hic dum eã ſubita trepidatione Ligur
& alij circumſiſtunt, qui intus erant, materia repen
tè incenſa in actuariam (quã ad hunc uſum eò per-
traxerant) deſiliunt: remiſq́; fortiter innixi, ad ſuos
incolumes euaſere. Interim uerò uehemẽs flamma
quæ ſubitò ex Veneta emicuit, proximas naues cor
ripuerat: neq; ulla ope improuiſæ cladi occurri po-
tuit. Abſumptæ itaq; incendio ante oculos ciuita-
tis, præter cæteas illas ingentes, aliæ multæ, quæ tũ
in portu naues fuere: multi quoq; mortales ſubito
igne abſumpti, qui ſiue opẽ nauibus ferre auſi ſint,
ſiue alijs operibus intenti eſſent, improuiſam decli
nare flammam non potuerunt. Venetus hinc profe
ctus in Corcyram curſum tenuit: unde Zachariam
Donatum cum triremi una Venetias miſit, qui prin
cipem & patres doceret de ijs, quæ à ſe ad eam diẽ
foris geſta eſſent: quod q́; miro uictoriæ curſu ſeptẽ
& quadraginta hoſtiũ naues incendio conſumpſiſ-
ſet. Sciſcitaretur itaq; ab eis, placerét ne claſſem fo-
ris eſſe, an piratis hoſtibus q́ue toto mari pulſis ſub
hyemis initium domum reduci. Rerum geſtarum
nuncius ingentem Patribus totiq́; ciuitati attulit
læticiam: laudatus iraq; abſens Lauretanus, eius q́;
nomen in ore omnium eſſe. Claſsis partẽ Venetias
reducendam Senatus cenſuit: reliquam uerò foris
ad præſidium maris remanere. Dum autem hæc in
aquis geruntur, Pontificis, Florentinorum, Mediola
nenſium, Sforțiæ & Allobrogum legati plures dies
Venetijs fuere: iactataq́; in primis eſt Sforțiæ & Me
diolanenſium cauſa. Sed ubi res, ut antea, ad arma
ſpectare uiſa eſt, tum Patres Sigiſmundum Malate
ſtam ſuarum copiarum legunt imperatorem: Flore-
tinis recuſantibus ſe Sforțiæ aduerſaturos, urbis cõ
mercio interdicunt. Nec ille ocioſe bellum quod ſi-
bi cum Venetis inſtabat, fuerat præmeditatus: ſed
interim quum de pace ageretur, ſuas opes non me- B
diocriter firmarat. Nam & Laudem & Piſſeonẽ ua-
lido præſidio iniuerat, cum Lodouico Allobrogum
duce pacẽ ſanxerat. Et ut omnem ſpem Veneti au-
xilij hoſtibus adimeret, Brepium quoq; tentauit oc
cupare. quod ubi efficere non potuit, proximo loco
caſtra fecit: erexitq́; ualidas non procul inde muni-
tiones, quibus præſidio firmatis (quia iam hyems
inſtabat) ſtatuit ex uicis & municipijs proximis
Mediolanum infeſtare. Sigiſmundus haud multo
pòſt ſubito incurſu Brepianas hoſtium munitiones
adortus, earum duas expugnauit, expugnatas q́; in-
cendit & euertit: occupaſſet & reliquas, niſi matu-
rè Sforția affuiſſet, cuius interuentu Malareſta citra
Abduam ſe recepit. Collio & ipſe per Saxinam ual-
lem ad Larium lacum inſinuatus, tentauit impor-
tandi cõmeatus gratia cum Iacobo Picinino (Fran-
ciſcus aliquanto antea uita deceſſerat) copias iun-
gere: ſed alæ equitum ab illo ex Mediolano miſſæ,
paucorum proditione in hoſtium poteſtatem ue-
nere. Secutus inde Sigiſmundus, qui in Brigantinis
cum Collione coniunctus, Bartum montẽ paucis
diebus ſubegere: tum furtim aliquid omnino com-
meatus in urbem eſt illatum. Sed, ut erat ingens in
ea multitudo, fames nihil propterea remiſit: quin
eò uſq; per id tempus inualuit, ut biſdenis nummis
aureis conſtet tritici modium uæniſſe. Tentarunt
interim Veneti duces Sforțiam, qui ad Vicũ Merca-
tum, Melcium & Caratum ſtatiua (immò ſtationes
potius) habebat, ad pugnam prouocare, à qua ille
pertinaciſsimè abſtinuiſſe dicitur. Videbat pruden
tiſsimus dux fore, ut continuata obſidione nõ mul
to pòſt Mediolanenſes fame domiti, uellent nollẽt
ad deditionem cogerentur: Venetæ copiæ recepto
Briantij monte ad Tricium ſe recepere. Erat iam, ut
dixi, brumę tempus: uerùm ne ſic quoq; omnino in
ocio fuere: ſed per occaſionem alterius partis circa
Brepianas munitiones, & circa pontes Abduæ im- B
poſitos, leuia quædam prælia paucis diebus ſunt
cõmiſſa: nec totis uiribus unquam in aciem eſt de-
ſcenſum. Mira fuit Sforțiæ conſtantia in obſidione
illa continuanda, qui præter Venetos & Mediola-
nenſes, Alphonſum quoq; regem apertũ in ſe mo-
liri bellum audiebat: ſed conſtanti, ut dixi, animo
tamdiu hoſtes obſidere perſeueraui t, donec in ex-
tremum diſcrimen Mediolanenſes fame humana-
rum uirium expugnatrice uicti, armis ſubitò corre-
ptis, Leonardoq́; Venerio, qui legati nomine eò ab
initio miſſus fuerat, in curia trucidato, deditionem
fecerunt, Sforțiamq́; in urbem euocatum principẽ
ſalutauere: Venetos, qui poſt Venerij cædem in uin
cula coniecti fuerant, factus iam uoti compos Sfor
tia, dimittendos curauit. Studebat ſapientiſsimus
dux Venetos omni officio demereri: quibus conci
liatis, uidebat non eſſe cur bellorum minas aliunde
timeret ullas. Audiuerat ille, cœptum fuiſſe de pace
agi cum Alphonſo rege: quæ ſi ad exitum perducta
eſſet, apparebat ingens ſibi nõ ſolùm cum Venetis,
ſed cum tota ferè Italia certamen futurum. Res ipſa
nuper Ferrariæ mota, ad quam tranſigendã Paſcha-
lis Maripetrus eſt miſſus, optatum tandem habuit
exitum. Circa nonas Iunias, quũ aliquot antè men-
ſibus tractari cœpiſſet, pax ſecuta eſt. Erat hic ma-
gnus annus, & quem Iubileum uocant: ob id q́; om
nes Europeæ gentes Romam confluebant. Accidit
itaq; ut nobiliſsima Germani ſanguinis fœmina, a-
liquot comitata equitibus per Mantuanos & Vero
nenſes fines peregrè tranſiens, non ſine ſuorum cæ-
de fuerit ad ſtuprum rapta: ea uerò ſcelus auerſata,
haud precibus minisue ullis adduci potuit, ut rapto
ris libidinibus obſequeretur: cæterùm pudiciſsimũ
corpus miſerabili modo uexatum, prius ferro uio-
lari paſſa eſt, quàm uoluntario ſcelere fœdari. Habe
bat tum in ijs locis caſtra Sigiſmundus Ariminẽſis,
qui illis ipſis diebus à Venetis fuerat exauctoratus: B
uenit in ſuſpicionem, quia iuuenis, & ferox, quòd
peregrinæ fœminæ pulchritudine captus, in eã ma
nus iniecſſet: ſed ille, quia id Patres iniquiſsimo tu
liſſe animo dicebantur, ad diluendam calumniam
quoſdam turmarum ductores, quaſi eius ſceleris
conſcios, Venetias uinctos miſit. Queſtione autem
ſuper ea re habita, quia nihil ad eos qui ad ſuppli-
cium traditi fuerant, noxam illam attinere comper
tum eſt, nullo maiore incommodo affecti ſunt. Pax
quæ nuper Ferrariæ fuerat compoſita, miro ciuita-
tis gaudio Venetijs præconis uoce eſt publicata.
Lauretanus, cui ſub uernum tempus antequam pa-
cis ſpes ulla certior affulſiſſet, biremes ſeptẽ in ſup-
plementum decretæ fuerant, parte nauium ad præſi
dium ſinus relicta, cum reliqua claſſe domũ uenit.
Fuit annus ille non ſolùm religione inſignis, ſed Fœ
derici quoq; Imperatoris & Leonorę coniugis in I-
taliam acceſſu, quos Nicolaus Pontifex in auguſtiſ-
ſimo diui Petri templo Imperatoria corona inſigni-
uit. Sunt eo quoq; anno Veneti ab eodem pontifice
aurato enſe, baltheo pileoq́ue donati. Nicolaus Ca-
nalis, qui apud illum publico nomine tunc erat, mu
nera domum attulit, quæ eo die quo pax publicata
eſt, ſolenni pompa ſunt circa Principem conſpecta.
Cum Sforția per id tempus nonnihil de pace per le
gatos eſt actum, Paſchale Maripetro Cremam ad id
ipſum miſſo, quò legati ex Mediolano de ea re a-
cturi uenerant. Miſsi & ad Borſium Æſtenſem,
qui nouum illi principatum publico nomine gra-
tularentur, quòd Leonelli defuncti loco miro po-
puli conſenſu princeps ſalutatus eſſet. In hæc quo-
que tempora incidit Hermolai Donati, uiri Pa-
tricij, cædes, de qua acerbiſsima eſt quæſtio ſe-
natuſconſulto decreta, ſtipendio in perpetuum
cum præſenti mercede indici propoſito. Dux Au-
ſtriæ imperatoris frater, ex urbe in Germaniam
abiens Venetias appulit: à principe & Patribus,
frequen-

frequenter illi itum est obuiam: Bucentauro nauiexceptus,in Æstenses ædes splendidè ad tępus instructas, uelut in publicum hospitiũ est adductus: urbe deinde per ocium inspecta in Germaniã abijt. Ad id fœdus quod cum Alphonso rege est ictũ, Senenses, Allobrogum dux, Montferratẽsis Marchio, & Corregiani reguli pacis belliq; socij ascripti sunt: eorum legati ad id missi uno tempore Venetijs fuere. Oratores ex ea Illyrici parte, quam nunc Bosinã uocant, à rege uenerunt: quatuor pulcherrimos equos,accipitres uenatorios, atque argenteas phialas dono Principi attulerunt:nunciarunt præterea, & munerum causa se missos,& ut coram duci ac patribus regis nomine filiarum nuptias gratularẽtur, quarum unam Stephano Vaiuodræ,alteram Caloianni,qui pro rege Pannoniam administrabat, matrimonio locasset: Optare proinde illum, sibi atq; amico populo bene euenire, quod duos fortissimos uiros noua sibi affinitate deuinxisset: despondere ad id perpetuã Veneto nomini amicitiam,quã sanctissimè,dum uiueret,esset culturus. Regi gratię actæ sunt,ac legati benignè habiti. Sed dum hęc domi aguntur,Gentilis Leonesius,& Tybertus Brandolinus (quidam pro Brandolino Piceninum scribunt) iussu Patrum Collionem mille &quingentis equitibus in Veronensi agro exuerunt,in quem res nouas molientem illi,ut erãt iussi, ex improuiso impetũ fecere:ipse media trepidatione dilapsus Mantuam ad Lodouicum principem abijt. Tum uerò (quia iam apertè ad arma res spectabat) Alphonsus rex, Veneti,& socij Florentinos suis finibus eiecere: atq; hoc ipsum in Sfortiæ inuidiam, quem ab illis pecunia iuuari constabat. Carolus Gonzaga & ipse ad Venetos sub primos bellorum motus transijt, publicam fidem aduersus Lodouicum fratrem implorant,à quo per iniuriam dicere ijs se locis iectũ, quæ ad eam diem legato patris tenuisset. Complexi sunt eum Veneti,bonoque animo esse iusserunt: daturos se operã,ut siue pax foret, siue bellum, ipse diutius non esset domo abfuturus: interim uerò acciperet quot mensibus ex publico mille aureos nũmos,quibus se suosque aleret. Aloisius Aquileiensis antistes Venetias uenit:nec adeò multis interiectis diebus Petrus Barbas Cardinalis,qui postea ex Pontificatu Paulus dici uoluit,subsecutus est: utrique frequenter itum est obuiam: magnis quidem honoribus ambo accepti. Sed longè quidem maioribus Fœdericus imperator,qui uerno sequentis anni tempore Venetias cum Leonora coniuge uenit: nulli unquam principum tanta uis nauium prodiuit obuiam. Ferunt præter Bucentaurum nauim, in qua aureo panno ad tempus instrata Princeps cum lectissima parte Patrum uehebatur, quatuor grandiora nauigia,à puppibus auro,cætera purpura adoperta,florem nobilitatis habuisse: hæc Bucentaurum uelut prætoriã nauim sequebantur: longo inde ordine triremes succedebant, Ganzariæ, Paraschermi,numero ad centum uiginti: haud quidem minori studio quàm patriciæ illæ instructę omnes: in his erant inferiores fortunæ uiri, ita tamen ut singuli opificum ordines singula ornauerint nauigia: certatumque inter eos splendore ac luxu: aurũ,purpura,coccus,& qui rarissimus in his fuit,amethystinus color, Venetam eo die uestiuit ciuitatem. Exaudiri passim uoces & cantus suauissimi, ad quorum concentum nemo non quasi amens animum intendebat: ad Clementis ædem, quò princeps processerat, ex Æstensi naui Fœdericus in Bucentaurũ transijt. Hic Foscarus senex gratulatus illi felicem accessum,aureo throno locauit,ipse iuxtà assedit. Per medium urbem ad Æstenses ingenti plausu & lætitia aduectus est: ibi omnibus publicè paratis in hospitio fuit. Leonora post aliquot dies Venetias applicuit: eam,ut maiore ornatu in urbem ueheretur,placuit triduo ad Nicolai ædem in littore esse:tum festa die Bucentauro, ubi Principis coniunx ducentæque patriciæ fœminæ, eleganti forma præditæ, cæterũ purpura,auro, gemmisque fulgentes erant, excepta est. Idem ferè nauium apparatus, qui & Fœdericum, illam tota urbe secutus est. Ad Eustachij fanum apud Victurios desedit. Ex primoribus Patrum eam manè uesperiq; officij causa adibant. Dicta interim dies,qua tanti hospites ad suauissimum spectaculum uenirent. Instructo itaque ad tempus comitio,iussæ eò conuenire ex patricio ordine forma & ornatu præstantissimæ quæque. Leonorę in publicum uenienti bullam auream, tribus gemmis precio dusum milliũ ac sexcentorum aureorũ nummũm prædităm, Patres dono misere: palliolum prę terea futuræ sobolis omen, cum stragulo cunali, ex purpura margaritis inserta. Saltauit uterque publicè ad tibias: per cantus & uarios iocos lux illa acta est,indulsitque ciuitas plures dies hospitio & lætitiæ,quum ingens alioquin Gallici belli cura instaret. Ex quo datur intelligi, Venetos præ cæteris Italici nominis hospitalis munificentię semper studios fuisse. Fœderico itaque abeunte, confestim Patres ad bellorum sumptus perferendos senatusconsultum fecere,ut urbani peregrinique magistratus, iudices,scribæ, cæterique inferiores ordines magistratibus ipsis subiecti, qui publicum aliquo modo salarium mererẽt,reipub. uectigales essent: & ut patricij magistratus post annuũ munus (etenim suũ cuique in id tempus est premium ascriptũ) gratuitam reipub. operam in sex proximos menses impẽderent. Hodie quatuor tantum exhibetur,unde suspicari libet,ut uectigalium (quod planè cõstat) ita quoque temporum rationem quandoque uariatã. Erat igitur uernum anni tempus, quando Sfortiæ bellum est illatum. ac sub primos motus Laudensi agro aliquandiu infestato Gotholengoque, Manerbio, Ponteuio,ac plerisque alijs oppidulis uoluntaria deditione receptis, Abdua ad Ripaltã ponte superato Veneta arma Leonesij ductu Mediolanum usque peruenere. facta nanque spes erat per exules, fore ut si Venetæ copiæ eò admotæ essent, populus omnino aliquid in urbe moueret. sed ad Venetorũ conspectum,quanquam in suburbana tecta expediti equites irrupissent, nullus motus est secutus. Nec multo pòst Venetus castra Soncinum admouit, cuius muros bellicis machinis adortus, attentissima urgere cœperat obsidione. Ad eam soluendam noua hostis uia ingressus, cum uiginti millibus hominum in Brixiensem agrum Ollio ad Cannedulum superato erupit, Gammariaque subito incursu capta, Pontem uicum obsidione adoritur. Veneti duces disiectis Soncini mœnibus oppidanos ad deditionem compellunt: inde Romanengio potiti, ad hostem ire pergunt. Receperat interim ille Pontem uicum, qui in Ollij ripa est: concesseratque ad Agellum, unde Brixiam ex propinquo infestaret. Leonesius & ipse non procul ab hoste opportunissimo loco metatus, paludis angustias occupat: his locis sæpius uario euentu pugnatum. Erant in utrisque castris copiæ omnino ingentes: in Venetis ad quindecim equitum millia ac sex peditũ, in Sforcianis tria peditum, equitum uerò ad octo & decem millia. Quidam annales habent, sub id tempus & ad Porcianũ oppidum tribus & amplius horis atroci marte dimicatum, duplicemque cladem utrinque accepta: sed equorũ, ob loci difficultates, omnino maiorem quàm hominum: fuissetque fortasis usque ad uictoriam alterius partis dimicatum, nisi fortuna adhuc neutrò inclinante, atrox pugna noctis interuentu direpta esset. Hæc circa Abduam gerebantur, quum Guilielmus Montferratensis cũ quatuor millibus equitum in Alexandrinum agrum tumultuosè erupit: inde Dertonensem Ticinensemq; ingressus,

ingressus, omnia terroris & populationis cõpleuit. Ad illius conatus inhibẽdos Sacromor Vicecomes, & Antonellus Burgẽsis à Sfortia missi, hostem tumultuario prælio Alexandrinis finibus uictum, in Castellum nouum præcipiti fuga compulerũt. Sed dum hæc in Gallia geruntur, Venetę interim triremes duodecim numero, Marco Zeno præfecto, superi inferique maris ora emensa Liburnium peruenerunt. Regiæ ad id copiæ Ferdinandi ductu, Cortona ad defectionem tentata, in Aretinum agrum transiuere: Folianumque adortæ, quadragesimo oppugnationis die post multa uulnera & labores, ex Florentinis hostibus cepere. Ferunt, bis Astutẽ Fauentinum,& dum ad Folianum Ferdinandus sederet, & aliquanto antea, à regio milite fugatum ita, ut publici prælio mille fermè equites amiserit, ac peditum cohortes nõnullas. Inde Aragonia signa per Senensium fines uagata, quum Castellinam frustra obsidione tẽtassent, in maritimam oram exercitus hybernatum concesit, cui omnia Sigismundus Arminensis, Tuscharum copiarum imperator, reddebat infesta. Florentini Aragonias Venetasque opes terra marique metuẽtes, Sfortia auctore Angelum Acciolum, equestris ordinis uirum, ad Galliæ regẽ oratorem mittunt, qui ueteri Florẽtinorum studio, in eum,& alios qui in ea domo antea regnarãt, memorato, Gallum perpulit ut Allobrogum duci (quẽ Subaudiæ hodie dicunt) se imperaturum promiserit, ut à Sforcia infestando absti neret: persuasurum ad hæc Renato regi, militem & pecuniam pollicendo, ut ad Siciliæ regnum recuperandum animũ adijceret. Hæc Florentini ad Venetorum & Alphonsi conatus auertẽdos extra Italiam moliri. Miserat & Sfortia ad ipsum regem, quem rogatum uolebat, ut auctor Renato esset, primo quoque tempore in Italiam transeundi. Curabant hęc hostes. In Cisalpina uerò Gallia res interim minimè in ocio fuere. Bartholomæus Collio, quem iussu Patrum armis exutum diximus, mille hostium equitibus fretus, magnam uim pecoris hominũq; ex Brixiensi agro abduxit. Per eos fermè dies Iacobus Picininus & Tybertus Brandolinus cum quatuor equitum turmis aduersus sex Sfortianas prosperè pugnarũt. Habuit fortè hostis exploratam Venetorum ducum expeditionem, qui ex Nouis urceis in hosticum prędatũ iuerant: ex Quinciano oppido, ubi tum fortè castra habebat, Sfortia ad Venetos opprimendos Bartholomęum Quarterium, Iacobum Salernitanum cum sex equitum turmis repentè immisit. Resciuerant Veneti de hostium aduentu, eos itaque maiore spe quàm ratione in pugnam ruentes, ad Iouenoltam Cremonensis agri oppidũ Picininus Brãdolinusq; fortiter excipiunt, exceptosq; modico negocio fundunt, ac fugant. Ferunt cẽtum sexaginta equites & amplius, eo die ex Sfortianis captos: nec ita multis interiectis diebus ingentem ex hostico prædã abductam. Impositio nanq; Abduę ad Cerretum ponte, munitionibusq; utrinq; firmato, miserat eò equitatus partem Leonesius, ut Mediolanensem prædarentur agrum,& Ticinensibus fines infestos redderent. Sfortia ad Venetas equitum alas opprimẽdas Alexãdrum fratrem cum parte copiarum ire iussit. Leonesius cognito hostiũ consilio Carolum Montonium cum pari equitatu hostem prœuenire iubet. Conseder at ille loco Venetis munitionibus proximo, nihil minus timens quàm hostium aduentum. Dum Carolus in eum impetum facit, terroreq; subito sine ullo maiore certamine fundit, fusumque castris cum omnibus impedimentis exuit, præter paucos qui cum ipso duce prœcipiti fuga se Laudem receperũt: reliqui in Venetorum potestatem uenere. Ea clade territus Sfortia, Gaido (ubi castra habebat) profectus, Quincianum concesit. Venetarum rerũ successu Matthæus Campanus elatus, cum equitatu quem habebat, in Mediolanensem agrum prædabundus erupit: in eum præda grauem Thadæus Æstensis, qui ad hostem transiuerat, ac plerique alij inciderunt, continuò utrinq; concursum, tumultuariumq; prælium cõmissum, quo Venetus uictor quadringentis hosti equitibus ademptis, cum tota præda in pacatum abijt. Sfortia Mella fluuio superato, quid in animo haberet haud satis perspectè poterat intelligi: iccirco Venetus dux & ipse ad Balneolum consedit. Nec ita multo pòst hostis Caluisano potitus est, ad quod ipsum uenerat, ut ibi castris cõmunitis in hostico hybernaret. Leonesius ad Gadium castra transtulit. Hæc per æstatẽ in Gallia gesta sunt. Circa medium autumni quum Veneti duces per exploratores cognouissent, uim cõmeatus ingẽtem in hostium castra deferri, ac mille equites præsidio adesse: Iacobus Picininus, Carolus Gonzaga, & Tybertus Brandolinus cum parte copiarum inter Otholengum & Insulellam, Brixiẽsis agri oppida, hostibus occurrũt: hic quasi ex insidijs coorti Sfortianum equitem primo congressu fundunt, fugãtq; ac fugato plurimos currus cõmeatu, sagis militaribus, alijsq; utensilibus onustos intercipiũt. Et iam opulentam prædam in castra agebant, quum Sfortia ea clade excitus, eos abeũtes ferociter inuadit. Conuersus repentè Venetus à præda ad prælium, uiolentissimam hostis impressionem fortiter sustinet. Atrocissimo itaq; prælio iniecto Hector Brandolinus Tyberti frater, uir impigerrimus, dum in prima acie dimicat, ferro occubuit. Ingens trepidatio circa illum cadentem facta est. Et quanquã iam dudum Venetus hostẽ impigrè sustineret: cessisset tãdem, nisi Leonesius cum reliquis copijs affuisset. Sub eius aduentum nõ solùm instaurata est pugna, sed æquato marte totis uiribus aliquandiu utrinque dubio euentu dimicatum est: demum superante Venetorum multitudine, coactus est Sfortia relicta hostibus præda in proximam Otholengici agri paludem cum suis se recipere. Constitit tamen illi integra acies. Veneti curribus potiti in castra cõcessere. Et iam appetebat brumę tempus, quum hostis impedimentis præmissis in hyberna concesit: uerùm priusquam sit inde discessum, ferunt Sfortiã dum adhuc Caluisani esset, Venetos duces ad pugnam prouocasse. Erant illi tum Gadij, qui acie dimicaturi cum uiginti millibus hominum quę in castris habebant, in æquum descendere. Verùm cessante hoste, aiunt Venetam aciem aliquanto propius à Leonesio admotam: atque ita sanè euenisse, ut ne prouocatus quidem ad pugnam Sfortia compelli potuerit. Apud quosdam reperio, Sfortiam cõposito exercitu in medium dimicaturũ uenisse: sed quum interim ingens pluuia coorta esset, aliquãto ante quàm Venetus in apertũ uenisset se in castra recepisse. Id propius uero est, quàm illud quod quidã annales habent, non ausum eum acie dimicare, apertè pugnam detrectasse. Quod si sic esset, nõ possem non mirari Martium ducem, qui totiens collatis signis ac per occasionem prosperè in hostem depugnasset: quem etiã si quis ex ijs quos nostra norunt ęcula, uigore animi, successu, dextroq; (ut sic dicã) genio Cæsari dictatori comparandus aliquo modo esset, unum certè, aut nullum alium nouimus, quẽ meo iudicio tãto uiro comparare possimus. Ita demum remisso animo post summum principatũ adeptum militaria munera obiuisse, ut quum florentissimas haberet copias, totuiros fortes, nulla adhuc maiore clade accepta, cõtinuo etiam lacessitus, acie dimicare noluerit: sed fortunę fortasis mutationẽ ueritus, cunctatior ad pugnam fuerat factus. Quod ingraueſcente ætate in eo quoq;, cuius modò mentionem feci, euenisse constat, qui post amplissimas victorias, non eo ardore quo prius pugnasse dicitur. Potuit & nouus principatus esse in causa, quẽ

undique hostibus circumuentum in summum di- A
ſcrimen adduci poſſe uidebat,ſi aliquo maiore prę-
lio uictus eſſet:ſed quæcunque fuit cauſa, ita eue-
niſſe aiunt,ut ſine certamine ullo in hyberna ſit con
ceſſum. Poſt eius digreſſum aliqua oppida ex ijs
quæ ille ętate prius,inde autumno occuparat, Ve-
neti duces receperunt. Hybernorum tempore Ty-
bertus Brādolinus ad Sfortiam tranſijt: Collio,uel
(ut alij tradunt) Alexander Sfortiæ frater præfidiū
quod ad Carretum Veneti erexerant, repentè ag-
greſſus proditione in ſuam poteſtatē redegit:inde
in Montferratenſem hoſtem iuſſus mouit,à quo im
pedimentis ac parte copiarum exutus, fugienti ſi-
milis in caſtra redijt. Veneti & ipſi minimè in ocio
fuere:ſed ex hybernis digreſſi, in Mantuanos fines
irruperunt: Striuerijs captis ac direptis, ingentem
inde prædam abduxerunt. Gibellinæ quoque fa-
ctionis uim, ex ualle Safina Bergomatis agri Caroli
Gonzagæ ductu eiecti ſunt, quibus pulſis tota ter-
ra in Venetorum poteſtatem conceſſit. Dum hæc
in Gallia geruntur, Alphonſi conatus ad Florentino
rum opes euertendas nihil interea remiſerunt: ſed
aliquanto maiores in uernum tempus bellorū mo-
tus ab eo inſtare putabantur. Fama erat, ſtatuiſſe eū
Liburnium occupare, quo inſeſſo apparebat fore,
ut & Piſas non multo pòſt hoſtibus adimeret: & iā
ad id cetheas duas immęſę penè magnitudinis ſtu-
dio texere dicebatur: dabant & Veneti ex fœdere
triremes aliquot uiris & armis inſtructas. Contrà,
Gallorū rex Allobrogum interim ducem ab armis
edicto reuocarat:impulerat & Renatum regem, ut
in Italiam aduerſus Alphonſum tranſiret:fore affir
mans, ut Florentinorum Sfortiæque opibus, qui
milites & pecunias in ſtipendium pollicerentur, a-
miſſum regnum breui recuperaret. Ex Gręcia quo-
que trepidè nunciabatur, Turcorum uires circa By-
zantium inualeſcere: Maomethum Othomanum,
eius gentis regem, opibus, paterna gloria, florentię
ętate ſuperbientem, haud procul à Thracio Boſpho
ro ad exitum Pontici maris caſtellum munitiſſimū
erexiſſe, ac planè apparere, illius conſilia ad euerten
dum Græciæ imperium ſpectare. His minis bello-
rum intra extraq; Italiam imminentium, Nicolaus
pontifex motus, enixè ſtudebat res Italiæ, quātum
in ſe erat, componere: quum domeſtica coniuratio-
ne penè oppreſſus eſt Stephanus Porcarius, ſiue Por
tius (ita memini ſolere ex ea familia ſe quoſdam ap
pellare, apud quos ego & frater admodum adole-
ſcentes Romę inſtituebamur, ſuū genus ad M. Por-
tium Catonē referre auſos: ſed domeſtica ſigna id
arguunt, quod uulgus tenet) Is inquam nobilitate
generis magis quàm diuitijs potens, eximiaq; elo-
quētia præditus, iam antea ob ingenij altitudinem
cœperat pontifici eſſe ſuſpectus. Ne quid igitur per
occaſionē domi moliri poſſet, publici muneris ſpe-
cie in Germaniam fuerat antea ablegatus: unde re
uerſus, Bononiæ eſſe iuſſus eſt: ea uerò conditione,
ut quotidie ad Niceni antiſtitis conſpectum, qui ur
bi legati nomine præerat, ueniret. Ille rerum noua-
rum cupidus, per fidos nūcios, ſiue potius obſcuris
ambagibus literarum (nam quid alioquin de ea re
affirmare poſsim, non habeo) aliquot facinoroſos
Romani ſanguinis uiros ad atrox atque impium fa
cinus perpulit, ut ad certum diem coniurationis ſo
cij Romæ adeſſent, facto repentè in pontificem &
collegium imperu, inter ipſa ſacrorum ſolennia op
primerent, oppreſsis populum Romanum ad liber
tatem uocarent. Simulata igitur corporis ægritudi
ne quaſi languere cœpiſſet, in publico non exibat.
Interim uerò factus certior, omnia iam Romæ à cō
ſpiratis comparata, ipſe arrepto equo magnis itine
ribus Romam contendit. Sed eius profectio nō diu
Nicenum latuit. ratus itaq; quod erat, expeditiſsi-
mis nuncijs alijs ſuper alios pontifici ſignificat, Ste-
phanum Portium, Bononiam ſe inſcio per eos dies
profectum, nec ſe adhuc compertum habere, quò i-
ter intenderit: uehementer dubitare ne ad euertē
da urbis ocia homo facinoroſus acceſſerit. Ille lon-
go peruigilio feſſus, quum aliquātiſper quieuiſſet,
ſpacium tabellarijs dedit ad literas maturè perferē-
das. Nam ita ſanè accidit, ut nocte quæ diem ad eru
ptionem conſtitutam præceſſit, literę pontifici ſint
redditæ, qui atrocitate rei cōmotus, ſtatim ad eum
opprimendum animum adiecit: Iacobo Lauaniolo
Veronenſi urbis Romæ tunc ſenatori, & alijs pleri-
ſq; negocium eſt datum. Hi quum ingenti manu
in Stephani ædes impetum feciſſent, ſtatim ille tur
batus in ſororis ædes occultò tranſijt: relicto domi
Baptiſta Sarra cum armatis, quos ad ſcelus perpe-
trandum cōtraxerat. Ille uerò, ut erat ferox animo,
ac manu promptus, ubi ſe ferro flammiſque circū-
uentum uidit, facta cum paucis eruptione per arma
torum cuneos ſibi ferro uiam fecit. Coniurationis
auctor apud ſororem repertus, ad ſupplicij tractus
eſt. Ea res pontificis animum à ſtudio conciliandæ
pacis nonnihil auertit. Verno huius anni tempore
Florentini ſuis Sfortiæq; opibus freti, prius Folia-
num, quod ſuperiore anno amiſerant, receperunt,
quàm ab Alphonſo ſit aliquid in Hetruria motum.
Sfortia per hyemem Cremonam uenerat, ut Lodo-
uico Gonzagæ auxilio eſſet, qui à Carolo fratre ex
propinquo infeſtabatur: ſed Manerbienſibus prius
ſubueniendum duxit, qui iam multis diebus à Ve-
neris oppugnabantur. Laceſsitus itaque ab eo Ve-
netus, etſi in apertum certamen nō exibat: repulſo
tamen à munitionibus hoſte in oppugnatione per-
ſtabat. Hic Leoneſius, dum omnia optimi ducis of-
ficia ſtudet obire, ſagitta ſaucius paucis diebus ex-
pirauit. Quidam tradunt, aliquanto prius eum ex-
tinctum, ac rei ſummā Picinino demādatam, quàm
Sfortia ex hybernis exiuiſſet. Acceſsit ad eam cla- B
dem, quòd Carolus Gōzaga in fraternas copias te-
merè inuectus, intra Godium & Villam Francā fu-
ſus ſeptingētos equites amiſit. Nec Picininus in o-
cio deſedit: Manerbio recepto, Quincianum paucis
diebus recepit, mox & Pontem uicum cum magno
hoſtium præſidio oppreſſum. Et iam Senigam op-
pugnare cœperat, quum Sfortia ad ſe ueniente ad
Pōtem uicum miſſa obſidione abijt. Hoſtis Gadiū
prælio adortus expugnat: nec procul hinc Picinini
interuentu acre prælium eſt commiſſum: fuiſſetq;
Lodouicus Gonzaga, qui eò à Sfortia accerſitus ue
nerat, ab hoſtibus profligatus (nam in eum primò
factus erat à Venero impetus) niſi Sfortia maturè
affuiſſet. Veneti inde digreſi, ad Porcianum inter
duas paludes metati ſunt. Sfortia interim Ruberto
Seuerinati & Tyberto negocium dat in Brixieſem
agrum erumpendi, ac planiciem omnem ſubita in-
curſione uaſtandi. In eos præda onuſtos repentè Pi
cininus impetum fecit, prædamque iniecto prælio
maiore ex parte recepit. In eū cum expeditiſsimis
alis equitū Sfortia aduolauit: ſed prelio maturè di-
rempto, incolumi exercitu ſe Venetus Dux in ca-
ſtra recepit. multa inter utraq; caſtra per id tempus
prælia commiſſa, ſed illa ipſa per alterius partis oc-
caſionem. Et iam media fermè æſtas exierat, quum
Renatus rex eiectis ex Alexandrino agro hoſtibus,
cum quatuor millibus equitum ad Sfortiam uenit.
Is ſub primum acceſſum per caduceatorem, quem
illi Araldum uocant, bellū Venetis indixit. His co-
pijs aucti hoſtes (erant enim in eorum caſtris cum
appendicibus Gallorum equitum turmæ centum
ac uiginti) ex Gadio profecti, Mella fluuio ſupera-
to ad Baſsianum inter Manerbium & Pontem ui-
cum conſedere. Veneti & ipſi (uenerant enim in ca
ſtra Iacobus Antonius Marcellus, & Paſchalis Ma-
ripetrus legati) Manerbium cōceſſere: inde ad Por-
cianum caſtra translata ſunt. Hoſtis Veneto decede-

dente Manerbiū per deditionem recepit: inde Sfor A
tia ac Renatus Pontem uicum adorti, aliquandiu
oppugnatum diſiectis muris ui ceperunt. Hic Gal
lorum feritas in miſeros oppidanos crudeliter de-
bacchata dicitur. Ea res ita deterruit populorū ani-
mos, ut omnia pauciſsimis diebus quæ Veneti in
Cremonenſi & in Brixienſi planicie habebant, prę-
ter Soncinum & Romanengium, nō expectato hoſ-
tium aduentu ultrò deditionem fecerint. Ad eam
defectionem coactus Picininus cedere, citato agmi
ne Brixiam contendit, ac inter urbem, montes &
Nauigium à Cleſio amne derivatum, loco munitiſ-
simo caſtra fecit, unde Pedemontanos incolas &
quicquid Brixienſis agri ad Benacum ſpectat, faci-
le defenſurus uidebatur. In hoc ſtatu res Venetæ in
Gallia erant. Sed non ſolùm præſentis belli pericu
lum Patrum animos uerſabat, quin & iam antea de
Byzantij oppugnatione ſolliciti erant. Tumultuoſe
enim ex Græcia fuerat allatum, Maomethum Tur-
corum regem cœpiſſe Byzantium bello infeſtare.
Ne igitur iam opportunus locus Chriſtiano nomi-
ni adimeretur (quò ādempto apparebat Pōtici ma
ris nauigatione ſuis negociatoribus perpetuò oc-
cluſum iri) decreuerant Patres triremes decem ad
ipſius urbis præſidium, quarum penes Iacobū Lau
retanum uoluerunt eſſe imperium. Statuerunt ad
hęc, ut duæ cetheæ naues fabricarentur, quarū urra
que duūm millium amphorarū eſſet. Nec ita multo
pòſt Lauretanus ipſe cum quinque triremibus do-
mo erat profectus, quum quinq; alias in Dalmatia
ac Creta Senatus ornandas mandauerat. Decem &
Alphonſus fuerat pollicitus, ac pōtifex totidem, ut
triginta triremium claſsis communi nomine exple
ta ad Byzantij præſidium mitteretur. Sed Othōma
nus interim cum trecentis & amplius bellatorum
millibus: nauibus uerò trecentis quinq; ac ſeptua-
ginta, in quibus triremes decem & ſeptem, reliquæ B
biremes minoraq; nauigia fuiſſe dicuntur, terrā ma
riq; Byzātium fuerat obſidione adortus. Hoc ij qui
gerendę rei interfuere. Veneti annales bellatorū ac
nauium numerum penè tertia parte extenuant. E-
rat tunc Græciæ imperator Conſtantinus Palęolo
gus: is uenienti hoſti cathenam eximiæ craſsitudi-
nis obiecit ad anguſtias ſinus, quas intra Byzātium
& Peram eſſe alio loco ſignificauimus. Ea à Gallo-
rum turri ad Peranæ Claræ pontem protēdebatur.
Ad eius præſidium tres Venetorum triremes erant,
quæ ex Pontica negociatione ſub id tempus redeū
tes ut Chriſtianæ urbi auxilio eſſent, in portu ſub-
ſedere. Erant & Cretenſes quędam naues, ac cethea
una Liguſtica eximiæ magnitudinis, cui Georgius
Aurius præerat. Inde tres aliæ Genuēſium, eiuſdem
penè magnitudinis ex Chio affuere, commeatus &
uirorum plenæ. Sub ipſum penè ingreſſum in con-
ſpectu urbis Barbarorum naues obuiam illis pro-
ceſſere. cruentum continuò prælium eſt utrinq; or-
tum, ac per multas horas dubio Marte diſtractum:
demum triremibus onerarijsq; ex proxima ſtatio-
ne auxilio ſubeuntibus, ceſſerunt Barbari, ſolutoq;
certamine ad columnas ſupra Peram quo ſinu ex-
cluſi ab initio ſe receperant, abiere. Nouiſsimè Ioan
nes Iuſtinianus Genuenſis, cognomento Longus,
cum cetheis duabus affuit: habebat ſecum ille tre-
centos bellatores: hunc Imperator magnis pollici-
tationibus amplexus, ad Romani portam ſtationē
habere mandauit. Nicolaus Molinus & Ioānes Lau
retanus Cherſinam portam præſidio obtinebant:
Baptiſta Grittus, ac plerique alij Veneti nominis, qui
ea temporum nouitate Byzantij deprehenſi fuerāt,
ipſam Palæologi domum tuebantur. Et quia Bar-
bara claſſe ſinu excluſa, cuncta circa aquas tuta e-
rant, omnes hoſtium conatus à continenti in cubue
rant: admouerant illi æneas machinas pluribus lo-
cis ingentes, & in primis ea parte, qua Sutrinæ no-
men loco fuit. Hic itaque & alibi crebri tormento-
rum ictus ingentem murorum ædiderant ruinam.
Sed ut propugnatorum uires Barbarus in plures di
ſtraheret partes, ac per hoc infirmiores redderet, ſta
tuit (quia alia ratione non poterat) partem nauium
terreſtri uia in ſinum perducere: quinque & ſeptua
ginta biremes à Peranis columnis præter oppidi
mœnia in internas aquas ſine ullo certamine pertrā
xit: datumq; id negocium ex Flambularijs uni, qui
cum ſeptuaginta hominum millibus Byzātium ab
ea parte adoriretur. Erat ille præſidio biremibus dū
in aquas traherentur, ne ſubito Chriſtianæ claſsis
incurſu incendio abſumerentur. Statuerat ad hæc,
tormenta aliquot in auerſa parte ſinus è regione ur
bis nō magis ad diſturbanda Byzātij mœnia, quàm
ad hoſtilium nauium acceſſus inhibendos. Ferunt,
Perenſes potuiſſe ab opere ducendarum nauiū Bar
barum auertere: ſed ideo noluiſſe, ne eam belli tem
peſtatem ex uicino littore in ſuum auerterent. Tra
ductis igitur in ſinū biremibus, quia manifeſtè ap-
parebat, ex tam propinqua ſtatione ingentem urbi
cladem imminere, etſi numero hominum nauium-
que inferiores erant: Venetus tamen & alij hoſtilē
claſſem inuadere ſtatuerunt, rati fore, ut eam ex im
prouiſo adorti terrore ſubito acceſſu iniecto facile
incendio abſumerent. Fuit nox illa caliginoſa, &
qualis uerno tempore eſſe ſolet: quo accidit, ut non
modò non ab hoſte proſpici, ſed ne ipſi quidem in-
ter ſe uideri in tanta aēris denſitate poſſet. Latuiſ-
ſet itaq; facile hoſtem noſtrorum incurſus; fuiſſetq;
forſitan Othomanica claſsis deletā: quo facile eue-
niſſet, ut aut fœda illa cladēs quę Chriſtiano nomi-
ni ex nobiliſsimę urbis amiſsione imminebat, omni
nō diſcuſſa eſſet, aut certè in plures dies diſtracta.
Sed Perenſes, qui proximū alebāt incendiū, ne res
ignoraretur effeciſſe creduntur, propugnatorū con
ſilio hoſtibus denunciato. Quo factū eſt, ut ad no-
ſtram claſſem opprimendam ſub nocte penè toti-
dem bellatorum millia, quot ab initio miſſa erant,
Othomanus properare iuſſerit. Mouerunt in hoſte
nauium ductores ſpei pleni, ſuum acceſſum latere
tati: quos uenientes Barbari ad pugnam parati non
ſolum fortiter exceperunt, ſed protinus etiam bire
mi una Cretenſi, cui Zacharias Grio præerat, tor-
mento concuſſa reliquas naues circumſiſtere cœpe
runt. Compreſſo igitur impetu territi qui in naui-
bus erant, ſubitò ceſſerunt: biremis una, in qua Iaco
bus Cochus erat, cum duobus alijs nauigijs in ho-
ſtem temerè inuecta, aduerſo bombardę ictu repē-
tè ſoluta, in conſpectu hoſtiū cum tota penè turma
fluctibus abſorpta eſt: tres ac triginta, qui in Barba
ri poteſtatem uenere, ante portas urbis nudi conſti
tuti, ad unum ferro trucidati ſunt. Procederat inte-
rim murus auerſa parte urbis circa Sutrinam, quan
tum penè tres turres continebant. Continuò muni
tiones tumultuario opere, ut fit, murorum loco ho-
ſtibus obiectæ. Tentauitq; interea Barbarus cuni-
culo urbem irrūpere: ſed his quoq; conatibus ma-
turè itum eſt obuiā. Multi quoq; ſubterraneā fouea
ſubita flamma ſunt ambuſti. Ad Romani portā tur
ris una cōcuſſa ruinam traxerat. atq; dextra læuaq;
crebri tormentorum ictus multum murorum di-
ſturbarant: excitaueratq; hoſtis proximo loco agge
rem aduerſus machinas cōmunitum: & circa Cher
ſinam portam mœnia late conciderat. Quo factum
eſt, ut Othomanus in ſpem potiundæ urbis adduc-
tus, atroci ſit eam oppugnatione adortus: uerūm
ut maiorem ciuitati incuteret terrorem, ante lucem
terribili clamore horrendiſq; uocibus ſubijt Barba
rus muniriones. Imperator intus obequitādo ſuos,
ut pro patria, pro liberis, pro ſua demum ſalute, fe-
rociter dimicarēt hortatur: ueniſſe tempus dicere,
quo niſi uiri eſſent, non ſolūm nobiliſsima Byzan-
tij mœnia caſura eſſent, ſed omne antiquæ Græciæ

nomen cum ipsa gente interiturum: durarent igitur, scirentque interim cum eo sibi hoste rem esse, à quo non uenia ulla, non clementia, speranda esset: cum ipsa patria aut standum esse, aut cum ipsius excidio cadendum. Hæc ille mœnia circũuectus suos monere. Sed quũ ad Romani portam uenisset, offendit ibi Iustinianum Longum, graui uulnere affectum, aciam de deditione cogitantem. De qua facienda ubi coràm etiam uerba facere est ausus, neq; precibus neq; hortationibus ullis confirmari posset, cerneretque circa illum pugnantes iam fractis animis fugam circumspectare: ferunt Palęologum ipsum locum subijsse cum paucis, quos penes sc̃ha bebat, tentasseque ui hostem iam muros scandentẽ repellere. Verum ubi propugnatorum infrequẽtia Barbarum irrumpentem sustineri non posse uidit, tum sibi manũ inijcere uoluisse creditur. Inde, quia id parũ Christiani hominis esse succurrit, suos hortatus est ut se ferro transfigerent. Quibus facere recusantibus, honestiore ad mortem uia ingressus, Imperatorijs insignibus depositis ne cognitus uiuus caperetur, stricto ferro in irrumpentium Barbarorũ cuneum irruit, fortiterq; pugnando princeps æterna memoria dignus, hostili manu concidit, cadensque nobilissimi Imperij excidio Imperatorum miscuit cadauer. Illi postea media cæsorum strage reperto caput Othomani iussu est abscissum, totaque urbe ac castris circumlatũ. Sunt qui dicant, eum ad Romani portam fugientium strage ædita cum multis in ea trepidatione exanimatum, ac paludamento postea cognitum. Capta urbe alijs aliò dilabentibus, quò uidelicet amens fuga, aut spes aliqua salutis, hos uel illos rapiebat: maximus mortalium concursus ad Sophiæ fanum, tanquam ad asylũ quoddam est factus: ibi magis tentata pugna quàm ædita. Perditis rebus & illi qui in templo erãt, deditionem fecere. Nec hostium classis in tanta opportuni B tate cessauit. Venetæ enim triremes, ac cætera classis cum multis qui sub primam hostium irruptionẽ ad nauem præcipiti se fuga contulerant, retinendæ urbis spe abiecta, continuò inde soluerant. Multos igitur mortales barbarę naues circa littora intercepere: urbs tota direpta est, puellæ ac pueri stuprati, matronæ nefandis concubitibus (ut gens intemperantissima est) uexatę: puberes, si quos fortuna à cę de seruauit, in seruitutem abducti. Multi Veneti nominis eo die aut cæsi aut capti sunt: in quibus septẽ ad quadraginta patricij sanguinis fuisse dicuntur. In hunc modum Constantinopolim, nobilissimam Græciæ urbem, à Maometho Turcorum rege captã accepimus. Ita uetustissimum imperium euersum anno suę conditionis supra millesimum ac centesimum primo & uicesimo. Capti Byzantij fama ingentem Christiano nomini terrorem iniecit. Continuò itaq; Nicolaus pontifex Venetias misit, qui ibi suis sumptibus quinque in Turcos triremes instruerent: proposito edicto, ut quicunq; Romanæ ecclesiæ in eos stipendium faceret, sumeretq; aduersus communem fidei hostem arma, plenam eorum quę ad eam diem deliquisset, consequeretur ueniã: si quis uerò exauctoratus militiã detrectasset, anathematis spiculũ incurreret. Veneti Bartholomæũ Marcellum ad Othomanum mittant, qui à Barbaro suos ciues eorumq; res repeteret: pręmissus ante Marcellum terrestri itinere, qui quinque & triginta dierum spacio se ex Byzantio rediturum est professus. Cupiebant Patres prius explorari, quæ esset illorum qui cum ipsa urbe oppressi fuerant cõditio: uiuerẽt ne, an ad unum cæsi essent: & ipsi uiuerẽt, liberi, an in uincula & seruitutẽ adducti. Triremes iam antea & onerariæ quædam in altum Iacobo Lauretano præfecto fuerant eductæ, quæ audita Byzantij expugnatione, in Eubœa subsederant. Incesserat hæc noua imminentis belli cura, quum in A Gallia interim omnia bello arderẽt. Siquidẽ Sforcia receptis quæ in planicie erant, Rhoadum quoq;, uelut & montium incolas, armis subacturus copias admouit. hic illi castra habenti, Romanum, Martinengium, Camonicæ uallis, & Brigantinatum oppida uoluntaria deditione cessere. Eam defectionẽ secuti sunt, quicunq; Abduanam terram incolunt. Mox Rhoado recepto Vrceos hostis attentissima oppugnatione adoritur. Sed dum Vrcei oppugnantur, Soncinenses ad hostes defecere. Nouissimè & Vrceis receptis (quæ oppugnatio in aliquot dies distracta est) Romanengium, quod unum adhuc in fide erat, & ipsum in hostium potestatẽ ultro uenit. Nec post id tempus maiores ulli in Gallia fuere conatus. Exacta maxima autumni parte quum iam hybernorum tempus appeteret, tentauit Sforcia in Lodouici Gonzagæ gratiam Asulam oppugnare: à quo incepto, modò ui maxima uentorum, quæ per eos dies coorta dicitur, modò per cõtinuos imbres, qui postea secuti sunt, repulsus, rem in aliud tẽpus distulit. Renatus & ipse media fermè bruma, iratus (ut creditur) Sforciæ & Florentinis, per Æstenses & Taurinos in Galliam abijt. Sed ad res Græcię redeamus. Post Byzatij expugnationem, quum sollicita esset ciuitas de salute eorum qui cum ipsa urbe in Turcorum potestatem uenerant: ex ijs qui nõ multo pòst oneraria naui Venetias uenere, cognitũ est, Venetos qui Byzantij intercepti fuerant, in uinculis esse: nec in eos quos fortuna seruasset, à uictore postea aliquo modo sæuitum. Paucis inde diebus Lauretani literis Senatus certior factus est de captiuorum redemptione, qui septem millibus aureorum nummũm datis, à Barbaro dimissi essent. Eo ipso die quo hæc allata sunt, Pontificis legatus Venetias applicuit, cui frequenter itum est obuiam: egit is cum patribus de pace, quam & Florẽtiæ prius egisse, & apud Sforciã deinceps acturum se est professus. Statuisse ad hæc Nicolaum pontificem, ob ingens periculum quod rei Christianæ à Turco immineret, Italiæ statum pacare, futurumq; se pacis arbitrum: quã si quis detrectasset, fore ut ille paulo pòst anathematis spiculo petitus, pro hoste nõ solùm Italiæ, sed Christiani etiam nominis haberetur. Cum hac denunciatione, cui Patres haud grauatè accedebant, Venetijs profectus ad Franciscum Sforciã iter intendit. Lauretanus, qui audita (ut dixi) Byzantij expugnatione in Eubœa subsederat, ad senatũ per eos dies literas dedit, quibus significabat, se tuendę insulæ consilio eo loco esse statuisse, oppressisse ad hæc se quatuor eorum triremes, ac biremes tredecim, earumque remiges in terram dilapsos, à proximis accolis ad unum trucidatos: qui in triremibus fuissent, capitali supplicio à se affectos. Haud multo pòst Lauretani literas in senatu recitatas, pontificię triremes in altum deductæ maiori se classi iungere sunt iussæ: quibus auctus Lauretanus, Alexãdrinas quoque Syriacasque triremes expectare constituit. atque ita ualida classe conflata, in Barbarum mouere: quem lacessendo prouocandoq; à præsentis uictoriæ cursu tam diu distinerent, donec pacatis Italiæ rebus alius longè maior nauium apparatus adesset: in quibus comparãdis iam dudum patres occupatos esse constans fama erat. Nec uani illi rumores. nam ut triremes decretæ aliquanto citius expedirentur, duo Alouisij, Capellius & Lauretanus, decreto Patrum in continentis oram ire iussi fuerant, qui materiem ex proximo conquirerent. Romam quoque non multo pòst Christophorus Maurus & Vrsatus Iustinianus sunt missi, de pace apud pontificem cum cæteris Italiæ oratoribus acturi in Gallia. Antequam legati ad pontificem profecti essent, Venetæ equitum alæ commeatum cum præsidio hostium interceperant: uerùm quia res iam ad pacem spectare cœperat, remiserat Venetus aliquanto à

to à Gallico bello animum: uerùm sic quoque, ne A prorsus prouinciæ patres obliti uiderẽtur, aliquot sagittariorum centurias ex urbe, nauigiaq; per Padi fluenta nouissimè miserunt. Fœdus ad hæc cum Genuensibus Lucensibusque est initum, ob quod ipsum supplicatio in diem decreta est. Collionem quoque per eos dies clandestinè ad suum retraxere stipendium. Sed dum illi hæc, quinque pontificis triremes, quæ principio autumni in Turcos mouerãt, ad uernum tempus, Lauretani iniussu, domum rediere: Ioãnes Dandulus, Antonius Quirinus, Marinus, Andreas & Nicolaus Contareni, earum præfecti, Patrum decreto in carcerem adducti sunt. Andrea Contareno & Ioanne Dandulo, ad quos eam ignominiam nihil attinere compertum est, absolutis: reliqui (rarij facti, semestriq́ue carcere mulctati, nec non nauali prefectura sunt perpetuò priuati. In quatuor alios humilioris fortunæ desertores, ad quos eam culpam in primis attinere cõstitit, haud minus sæuere animaduersum, quàm in patricios fuerat: à foro ad Riuumaltum flagris sunt cæsi, prę-cisoque eis naso in exilium sunt acti. Nec multos post dies pax cum Sforcia & Florentinis secuta est, quę à Põtifice desperata, per Simonem Camertem, hominem heremitanæ professionis, citro ultroq; meantem his conditionibus secuta est: ut Sforcia, præter oppida Abduanæ terræ, omnia quæ Venetis eo bello ademisset redderet: Mãtuanus Marchio Carolum fratrem in suum restituereret principatum: Florentini præter Castellionem, res suas ab Alphõso, à Florentinis Senenses reciperent. Et ut pax sanctior esset, Põtifex suam interposuit auctoritatem: atque in ea expressum, ut si quę deinceps discordię subortæ essent, earum tollendarum ius & potestas Romani Pontificis esset: ut uter alteri prius arma intulisset, cognita iniuria, is statim non solùm illius qui uiolatus esset, sed pontificis, & omnium qui in B id fœdus conuenissent, hostis haberetur. Atque ita omnibus his pacis conditionibus consultum est, præterquã Genuensibus, cum quibus cœptum bellum uoluit Alphõsus sibi integrum manere. Quod ipsum ideo ei cõcessum crediderim, quia pacis quæ secuta erat, parum cupidus omnino habebatur. Vix ciuitas, longo bello fessa, lętiorem unquam egit diẽ eo, quo præconis uoce pax populo denunciata est: supplicatio in primis & gratulationes circa aras decretæ: diuorum imagines & reliquię solenni pompa prælatæ: secutus uniuersus clerus, Princeps deinde cum senatu, ac reliquis ciuitatis ordinibus: nocturna lumina aliaque læticiæ signa tota urbe exhibita. Fuit hic annus salutis quinquagesimus quartus supra millesimum ac quadringentesimum: ex quo uerò ob Cremonam cum Philippo renatũ est in Gallia bellum, octauus, cum Sforcia uerò ob Mediolanenses socios, quintus. Quies & otium in Italia diu postea fuit, uel in primis in Gallia: cuius status iam inde ad hos fermè annos, quibus ob Ferrariense bellum grauem sensit armorum tempestatẽ, pacatissimus fuit. Zacharias Triuisanus, & Nicolaus Canalis ad Fœdericum Imperatorem in Germaniam oratores accessere. Euocauerat ille ad se ex tota Europa legatos, cum quibus de bello in Turcos comparando frequentissimo conuentu ageret. Bartholomæus Marcellus ex Byzantio interim reuersus est, qui cum Othomano, à quo omnia benignè impetrarat, publico nomine pacem sanxerat. Ad eam autem firmandam Maomethi legatus Marcellum est Venetias secutus. Patres uerò, ne quid temerè facerent, tam diu rem differendam censuere, quoad pax fœdusque inter Christianos ictum esset: tum uerò (magis enim Italię Christianoque nomini, quàm Barbaro consultum uelle) bellum cum eo non pacem erant habituri. Interim uerò ne potentissimi regis amicitiã contemnere uiderentur, Marcellum ipsum cum Barbaro Byzantium cum nouis conditionibus denuo misere: quas si Maomethus accepisset, pacem publico nomine sanciret, ac pro prætore illic esset. Sed uideo sic quoq; locum calũniæ relictum. Satis enim Veneti Christianorum societatẽ reliquisse uideri possunt (dixerit hoc nanq; calumniator aliquis) qui legato mandarũt, ut si Barbarus oblatas conditiones accepisset, pacem ac fœdus cum eo sanciret: quo semel inito, haud quidem amplius eis integrum fuisset, publica fide incolumi diuersum sequi. Sed certè id eos uidisse existimo: nam quid alioquin de hac re affirmare possim, non habeo: quia publica in Turcos conspiratio duobus antè mensibus apud Fœdericum imperatorem mota erat: ut res iam ad exitum spectare crederetur. Satis spacij sibi dari crediderãt ad deliberandum, quò tutius res Veneta inclinaret. Sentiẽt aliter fortasse alij: ast ego (ut apertè dicam quod sentio) prudentissimè tum Venetos, ut semper aliàs, feciśe existimo, qui tam graui bello temerè se onerare noluerunt, quod quum postea terra mariq́ue à se multo labore gereretur, reliqui Europæ principes Venetorum clades cum risu ocioso spectarẽt. Quod sanè non multos post annos euenit, qui ad id bellum cõpulsi, ab omni ferè Christianorum auxilio non solũ destituti sunt, sed intra Italiæ etiam fines insidijs petiti. Sed hæc suo postea loco dicentur: nunc ad ea redeo quæ ad Galliæ pacem secuta sunt, quorum illud maximè memorabile uidetur, quod uix penè positis armis aliud recens bellum propinquiore loco Veneto nomini penè renatum est. Reperebant patres à Borsio Æstensi Bagnacaualli, quod Rauennatium finium esse constabat, ac quædam Polinesi loca. Missus ad id Ferrariam, qui nisi res redditę essent, more maiorum bellum Borsio Æstensi indiceret. Ille uerò quietis Venetæq; amicitiæ studiosus, per legatum principi & senatui significauit, se pacẽ cum Veneto uelle, non bellũ: in eorum se fide & auctoritate futurum. Quo humanissimo responso arma, quæ iam propè sumpta erant, Patres continuerunt, prorsusq; ab omni iniuria abstinendũ censuere. A terrestri inde motu ad rem maritimã conuersi, duas onerarias aduersus Nauipactorẽ, hominẽ Veneti sanguinis, qui ignominia à suis popularibus affectus, piraticam exercere cœperat, instructas curarunt. Indignũ ducebant patres, ex Veneto nomine ad eam diem extitisse quenquã, qui maria latrocinijs infestaret, quæ ab initio urbis sui maiores à simili iniuria uindicassent. Sub id fermè tempus Victor Capellius ad Peloponẽsi principes est missus, qui quum ingens sibi periculum à Turcorũ imperatore imminere uidissent, Venetos miserant ad principem & senatum, qui de Peninsula eorũ imperio subijcienda agerẽt: uerum tantum sibi in Italia Veneti darent, quod satis esset, si non pro ueteri, pro recenti saltem fortuna, ad honestè uiuẽdum. Sub Capelli accessum Genuẽses triremibus decem, & onerarijs duodeuiginti freti, spe potiundæ terræ proximè classem admouerant: aderat & Lauretanus ipse cum suis triremibus, tam hic, quàm Ligur in suam occasionem erecti. Eo anno fœdissima Venetorũ tempestas terram Italiã, in primisq; oram Venetã, multiplici clade affecit: proditum memoriæ est, tot uitreas fenestras ea procella Venetijs disiectas ac solo afflictas, ut sena aureorũ nummũm millia uix satis ad eas relarciendas futura crederẽtur. Post Byzantium captum Venetis quiescentibus, Italorum principum aut populorum nemo, præter Calistum pontificem & Genuẽses, qui ob Peram ademptam (confestim enim Constantinopoli capta Perenses deditionem fecerunt) omnino aliquid mouerunt, bello Turcos lacessere est ausus. Calistus per literas & nũcios Europam ad arma euocare toto suo pontificatu nõ destitit: instruxit ad hæc in Barbaros ho-

ſtes triremes tredecim, quibus Lodouicũ Aquileiẽ ſem antiſtitem præfecit: is triennio maritima Aſiæ graui bello afflixit, quaſdam etiam inſulas Othomano ademit. Immaniſsimus interim hoſtis miro uictoriæ curſu Thraces, Triballos, Macedonas, in Europa ſubegit, & in Aſia Trapezuntis imperium fraude potius quã armis euertit: inde Folia noua, mox & uetera: ac bella bellis ſerendo Imbrũ, Smyrnamq; occupauit. Cateloſis Genuenſibus, cum quibus ob puerum bellum ſuſcepit, poſt deditionem certis conditionibus factam Lesbum abſtulit. Boſſinã deinde oppreſſo rege, ac fermè quicquid Chriſtiani principes à Byzãtio ad Epirum & Dalmatiã, inter Pannoniam & Danubium Ionium q; mare & Ægeum ad id tempus tenueré, armis domuit. Sed in tanto futurorum hoſtium ſucceſſu nihil Veneti mouerunt, quãquam à multis interdum in auxiliũ uocati: ſola Peloponeſus (quam Thomæ & Demetrio principibus illi nouiſsimè ademere) aliquot poſt annos in Turcos armauit, de origine & ſucceſſu cuius belli proximis libris dicetur. Interim uerò dum ab Othomano hæc geſta ſunt (quæ ideo carptim attigimus, quia ad noſtram parum attinere uidebantur hiſtoriam) Veneti toto ferè eo temporis ſpacio, quod decem circiter annos habuit, à bello & armis quieuere.

IN LIBRVM VIII. Epitoma.

PRinceps principem, quod nunquam antè, poſt ſublatam cooptandi collegæ conſuetudinem acciderat, extulit: Belli cum Othomano rege ſuſcepti cauſæ: Peloponneſi deſcriptio: Veneti Argis receptis Iſthmum communiuere: Venetæ copiæ fruſtra ſunt Corinthũ oppugnare adortæ: In Italia Venetus Tergeſte obſidione cinxit: Turci cogunt Venetos Iſthmũ relinquere: Ad Neapolim bis in Turcos proſperè pugnatum: Eodem tẽpore Tergeſtini & Ariminenſes ſunt obſidione leuati: Veneti ad Talamatã in Peloponneſo victi, inſignem cladem accepere: Vrſatus Iuſtinianus magna ſuorũ cæde bis Mitylenas in Leſbo oppugnare eſt adortus: Sigiſmundus Ariminenſis Lacedæmonem oppugnauit: Veneria triremis Dardanulos præternecta incolumis noctu ad ſuos redijt: Pius pontifex Anconẽ progreſſus, paulo pòſt principis & Venetæ claſſis appulſum uita deceſſit: Stipendium Pannoniæ regi publico nomine eſt à Chriſtianis decretum: Victor Capellius poſt multa præclara facinora in hoſtes ædita, clade ad Patras accepta mœrore affectus uita deceſſit: Bartholomæus Bergomas, cognomento Collio, in Flamminiam progreſſus, rem Venetã in noui belli diſcrimen penè traxit: Nicolaus Canalis claſſis imperator Oenum diripuit: Maomethus terra & aquis Chalcidem aliquandiu obſeſſam ingenti Venetorũ clade cepit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARUM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER VIII.

TAm diu rerum Venetarum ſtatus, aut certè non multo plus minúsue, terra mariq; pacatus fuit: ſed pax illa omnino ſollicitudine nõ caruit. Accidit tum Venetæ ciuitati, quod & illi qui uicinis rectis flagrãtibus: tametſi res ſuas adhuc incolumes eſſe uident, quia contractum incendium alia atque alia inuadendo, ſe pluſquam tutum ſit inſinuat, non poteſt non ſollicitus eſſe, & ad fontem (ut ſic dicam) reſpicere: ita Veneti, quanq; apertum cum Othomano rege bellũ non habebant: haud tamen ociosis oculis toto decennio ſpectarunt, quæ ab illo in Aſia & Europa gerebantur: quin & ipſi multa interim animo moliri, ac bellum, quod omniño ſibi cum Barbaro inſtare uidebãt, præmeditari: temperatum tamen tamdiu ab armis, donec profecta ab eo iniuria legitima eos arma induere coëgit. Sed de ea re mox dicere incipiam: nunc pauca de ijs quæ domi per id tempus, quo pax fuit, acta ſunt, referam. Foſcaro principe longè lateq; promoti erant imperij fines, quod tum publica felicitate, tum diuturno illius principatu prudentique adminiſtratione contigit: ſed non imperium ſolum, uerùm etiam & urbs ipſa nobilibus quibuſdam ædificijs eſt aucta. Ea nanque tempeſtate curiæ ueſtibulum cãdido marmore exteriore eſt parte munitum: Gregorij fanum à fundamentis inſtaurari cœptum, quod ſumptuoſiſsimo apparatu his nouiſsimis annis abſolutum uidimus: marmorea Zachariæ ædes ueteri incubans, tum quoque fundari cœpta dicitur: opus non tam magnitudine ſua, quàm materia, quæ nobiliſsima eſt, opificioque uetuſtiſsimi cuiuſque operis æmulo admodum inſigne: dux ipſe quum annis quatuor ac triginta & amplius reipub. præfuiſſet, eſſetq; iam nonagenarius, nec ob decrepitatem publicis muneribus omnino uacare poſſet, Paſchalis Maripetrus illi adhuc uiuenti ſurrogatus eſt. Poſitis itaque ſummi magiſtratus inſignibus, atq; in ordinem redactus (quia generoſus ille animi uigor in effœto corpore nondum erat extinctus) poſt noui principis creationẽ pauciſsimis diebus expirauit. Decreto Patrum inſignia quæ uiuo adempta fuerant, defuncto ſunt reſtituta: ducaria pompa ad ædem Minorũ elatus eſt: atque ita accidit, ut princeps principem extulerit, quod poſt morem collegæ in principatu cooptandi è repub. ſublatum, nunquã (quod ſciam) ad eam diem acciderat. Sepulchrum ex Pario marmore, puriſsimoq; auro nepotes illi ad aram templi maximã poſuere. Maripetri principatu ingens ille terræ motus factus eſt, quo circa nonas Decembris tota ferè Italia concuſſa eſt, uel in primis Neapolitanum regnum. Cæterùm multæ & amplæ in ipſo principe uirtutes fuere, ſanum ingeniũ, nihil ficti, nihil ſimulati habens: pacis ſtudioſus, religionis amicus, flagitiorum inſectator acerrimus: ſontes & ſceleris cõuictos, aut merito ſupplicio affecit, aut ſi id minus facere contigit, proſcribendos curauit: pacem à Foſcaro principe quaſi per manum acceptam, domi foris que cuſtoditam, ſucceſſori nullo modo uiolatã tradidit. Ad hanc & alias illius principatus felicitates acceſsit, quod librorum imprimẽdorum ratio tum primum eſt in Italia reperta: commentũ ipſum Germani hominis creditur. Sed quum tota Italia procedente tempore diuini operis officinæ conſtitutæ ſint, ſitq; aperta æmulatione inter opifices diligẽtia & ingenio certatum, Nicolaus Ienſon, quem Venetа ciuitas ſortita eſt, omnes alios in eo genere laudis poſt ſe procul reliquit. Maripetrus, quum annis quatuor & dimidio rempub. adminiſtraſſet, uita defunctus ad Gemellorum ædem honorificentiſsimè eſt elatus: Chriſtophorus Maurus ei ſucceſſit, cuius altero ducatus anno cum Othomano rege terra mariq; bellari eſt cœptum. Cauſa autem ſuſcepti belli breuiter repetenda eſt. Poſt multas clades Chriſtiano nomini in Græcia & alijs Europæ regionibus illatas, animum ad Peloponneſum occupãdam Barbarus adiecit. Eſt terra ipſa peninſula, atque unum (ut aiunt) ex tribus Europæ promontorijs: Corinthiaco Iſthmo continenti iungitur: parum abeſt quin hinc Ionium, inde Ægeum ui ſua inſulam efficiant.

ciant. Eſt Peloponneſus platani folio, ob maria quæ A ſe illi inſinuant, aſsimilis: à ſeptentrione Ionium irrumpit, ab occidente Siculum: inde Creticum à meridie urget, à brumali ortu Ægæũ, à ſolſtitiali Myrtoum: trecentorum, Iſidoro auctore, ſexagintaque trium millium paſſuum circuitu patet: circa Iſthmũ ad ſeptentrionem Corinthiacus eſt ſinus, quem hodie Patrenſem uocant: ex aduerſo Saronicus: in hoc Cenchreæ uetuſtiſsimum nauale, in illo Lecheum. Apie olim tota terra dicta, inde uerò Pelaſgia: diutiſsimè Peloponneſus, quo nomine libentius utimur: Morea hodie uulgò dicitur. Hanc igitur terrã, imperij finibus longè lateq; promotis, Othomanus à Thoma & Demetrio fratribus tũ peninſulæ principibus, uelut Græcanici imperij membrum repetere occœpit. Potuiſſent illi locorum ſitu freti, res ſuas diutius tueri, ſi aut à Chriſtianis matura auxilia affuiſſent, aut inter ſe fratres cõcordi animo eas defendiſſent: uerùm utrunq; defuit. ſed Demetrij ad Turcos defectio, euertendi principatus primaria fuit cauſa. Is filia Othomano in uxorem data, hoſtem in nobiliſsimam Græciæ prouinciam induxit. Fuerunt omnino aliqui Thomæ conatus circa Iſthmum, ſed illi ipſi irriti omnes. Perditis itaq; rebus immaniſsimum hoſtem fugiens, Romam uenit, diui Andreæ capite ſecum ſublato: ob idq; ei uenienti Pius pontifex uſq; ad Miluium pontem, cum frequenti clero obuiam proceſsit: atq; eo loco ubi apoſtoli caput primum ueneratus eſt, marmoreum ſacellum erigendum curauit: inde auguſtius aliud in diui Petri templo, ubi caput ipſum poſtea ſolenni dedicatione locauit. Sublato è Peloponneſo Græcorũ principatu, retinuerunt Veneti oppida quæ iam antea in ea terra poſſederant: ſed uiolenta perfidaq; hoſtis natura haud diu ab iniuria abſtinuit: quin Argis proditione occupatis, Venetos ipſos magis neceſſario, quàm utili bello implicuit. Ea re Patres ada B cti arma in Turcum iam inde comparare cœperũt: præraterq; tum maris imperio Victor Capellius, qui ſub id tempus quo Othomanus Lesbum Cateloſis Genuenſibus ademit, inuitatus à regulis per legatos ad inſulam tuendam, & rurſus Mitylenæis oppreſsis, à Theodoranis qui in parte inſulæ ſunt, rogatus ut ſe in fidem reciperet: licet cum ualida claſſe adeſſet, ne tamen temerario motu rempub. in apertum belli diſcrimen conijcere uideretur, abſtinuit: quanquam iure arma inferri potuiſſent, quum iam Othomanus contra antiquũ fœdus (quod cum Armuratho patre Veneti percuſſerant, inde cum eo renouarant) ultra Helleſponti anguſtias claſſem & arma promouiſſet. Sed hæc nos ab ijs, qui rebus interfuere. Nam omnia quę deinceps à nobis ſcribentur, neq; ex Venetis annalibus (quos utiq; iam nullos habemus) neq; ex ſcriptorum aliquo, præterquã ab uno Cepione, qui Petri Mocenici geſta eleganti & uenuſto ſcripſit ſtylo, accepimus: ſed ſparſim ab ijs qui rebus, ut dixi, gerendis interfuere, quorum alij alia partim libellis de hoc ipſo ad me datis, partim coràm ſubiecere. Verũ in eo hiſtoriæ cauimus, quòd non in multis ſingulos, ſed in ſingulis multos auctores habere uoluimus: ac ſi quid interim fuit in quo uariare mihi uiſi ſint, & pluris, & magis idoneos dignos duxi, quos potiſsimũ ſequeremur. Ab his igitur quid Capellio præfecto actũ ſit, uel quia nihil eius auſpicijs, ob claſsis tenuitatem, ſit geſtũ: uel, quod magis credo, quia quãdiu claſsi præfuit, bellum non ſit hoſtibus illatum, præter hæc quę dixi, non reperio. Illud ab Andreocio Chalcidenſi ſene accepimus: ad uiaticũ quantumuis magnæ claſſi expediendum, furnos quàm plurimos illo auctore in Chalcide conſtructos, urbemq; magna ex parte operibus munitam. Cæterùm conſtat ſub initiũ belli, quo tempore Venetus Iſthmum munire eſt adortus, in Corinthiaco ſinu firmiſsimum Venetos præſidium aliquãto antea paratum habuiſſe: quod ab illo prius quàm Alouiſius Lauretanus in prouinciam ueniſſet, militari opere conſtructum, ut affirmare, ita negare non auſim: ſatis cõſtat, decreto bello, in Peloponeſum, ubi iniuria erat accepta, primũ arma intentata. Tantiſper autẽ dum maiores ex Italia copiæ mitterentur, quædam peditum centuriæ quæ ad eam diẽ in peninſulam uenerant, Petri Palmerij ductu, & cum eo leues equites ducenti, quos ſtratiotas Græco nomine appellant, irruptione in hoſticum repentè facta, ignobile oppidum inter Arcadiam & Methonem ſubito incurſu ceperunt, præſidioq; cæſo ingentem ex circuniecto agro prædam abduxere. Paucis inde diebus Bertoldus Æſtenſis, Betinus Calcinatius, Ciccus Brandolinus, Ioannes Attellanus, Rubertus Tienius, Ioannes Maſſanus, Leo Illyricus, ac pleriq; alij illuſtres ea tempeſtate uiri Methonem cum ualidis copijs applicuere: hinc Neapolim omne robur militum celeriter traductũ. Nulla hic mora fuit, ſed cirato agmine Æſtenſis, penes quem copiarũ omnium fuit imperium, Argos duxit. Fuit ea urbs inter reliquas Græciæ, & origine ſua domicilio q;, & arce regum uetuſtiſsima, inſignis: oppidum modico negocio captum, militi diripiendum datur. Barbari, qui perpauci præſidio erant, in arcem trepidè confugerant. Biduo poſtquã eò uentum erat, quingenti Turcorum equites circa oppidum impetum in noſtros fecere, tumultuarioque certamine iniecto, centum milites & amplius obtrũcauere, & in his Martinum Dalmatam, qui honeſtum in Venetis caſtris ducebat ordinem. Quidam id prælium eo die, quo oppidum captum eſt, commiſſum affirmant: nec ulla maiore clade accepta, ſubitò diremptum. Qui in arce erant, haud multo pòſt deditionem fecere. Sacerdos qui urbẽ Othomano dederat, loco deprehenſus confeſtim trucidatus eſt. Bertoldus trecentis Cretenſibus ſagittarijs ad præſidium relictis, Neapolim copias reduxit. Aiunt quidam, in receſſu quoq; tumultuarij cum hoſte prelium commiſſum, pauciſsimisque utrinq; amiſsis, ſignum receptui datum. Breui pòſt Venetus dux ex Neapoli cum quindecim millibus hominum profectus, primis caſtris ad Baſilium cõſedit: oppidoque ſub primum acceſſum capto, poſtero die per Corinthiacum agrum ad Iſthmũ peruenit, atque circa Saronicum ſinum caſtra primò munita. Aderat Alouiſius Lauretanus cum ualida claſſe: auerſa Iſthmi parte iam antea, ut dixi, præſidium fuerat impoſitum, ſexque proximo loco triremes ſtationem habebant: continuò igitur (nam ad hoc ipſum nauales terreſtresque copiæ eò admotæ erant) arduum opus aggreſsi, miro quodam ſtudio & ardore, quindecim dierum ſpacio totam Iſthmi longitudinem, quæ ab Ægæo ad Ioniũ quatuor habet paſſuum millia, quanquam murorũ ambitus aliquanto eam reddit ampliorem, muro & duplici foſſa muniuere. Triginta hominum millia eo loco operata dicuntur. Sed non tam numerus, quàm materies quæ parata erat, effecit ut immenſum alioquin opus tam citò conſummari contigerit. Iacebant ueteris ſtructuræ ſaxa paſsim diſiecta, quadrata forma in hunc ipſum uſum aliàs comparata: ex his murus quadrante materia facilè eductus, caſtellaque illi impoſita, foſſaque ab utraque parte deducta, Iſthmum ipſum Xerxianis temporibus Græci muro clauſere. Conſtat, procedente tempore pleroſque principes tentaſſe nauigabili alueo eas anguſtias perfodere, Demetrium regem primò, inde Cæſarem Dictatorem, poſt hunc Caligulam, nouiſsimè Domitium Neronem, infauſto tamen (ut omnium exitu patuit) incepto. Quatuor Turcorum millia, qui ante Corinthi mœnia caſtra habebant, triduo poſtquam eò uentum eſt, conati ſunt ſubito incurſu Venetum ab inſtituto ope

re auertere: sed fugati, atq; in castra cõpulsi, sequen A ti nocte priusquam Isthmus muro clauderetur, per aperta adhuc loca tacito agmine abiere, nullo præsidio tota peninsula relicto. Eo impedimento Veneti duces leuati, illis ipsis diebus quibus adhuc circa opus erant occupati, leuissimas aliquot expeditiones per centuriones fecere. Benedictus Collio Misistratum est missus. Affirmant quidam locorum periti, id oppidum esse, quæ & Sparta olim fuit. Cæteris igitur subito incursu raptis, sola arx ab hoste retenta est. Cecidit in ea oppugnatione Collio, eius expeditionis princeps: Ioannes cognomento Magnus, & ipse cum ualida cohorte Londarium adortus, cæteris repentè occupatis, arcẽ expugnare non potuit, Isthmi opere perfecto, ualidisq; præsidijs firmato, Bertoldus cum reliquis copijs ad Corinthũ oppugnandam ire pergit. Est ea urbs tam arduo q̃ opportuno loco sita: quippe quam Philippus Macedonum rex, unam ex Græcię compedibus appellare solebat: medio ferè Isthmi interuallo colli applicita habitatur, olim Ephyre dicta, sexagenis ab utroq; littore stadijs. E summa sua arce, quæ Acrocorinthus uocatur, duo maria, Ioniũ hinc, inde Ægæum prospiciens. Tripartitò Venetus eam est adortus: Bertoldus ipse ad occasum metatus est, Ioannes Attellanus ad ortum, sub ipsis penè muris ad Boream Lazarus Pontolianus cum aliquot centurijs consedit. Bis oppidum oppugnatione tentatũ, sed prior pugna aliquanto felicior fuit: quippe qua munitissimum hostibus locum Attellanus ademit, quo occupato, in arctiorem eos orbẽ redegit. Quũ uerò altera oppugnatio pararetur, obiretq; nauiter Bertoldus bellica opera, seduloq; daret operam ut plutei muris quàm propius possent admouerẽtur: saxo superne deiecto graue cita tempora uulnus accepit, quo paucis diebus expirauit. Nec imperatoris uulnus à proposito certamine militem auertit, sed ad diem pugnæ ferociter hostium munitiones subijt: uerũ bellicis operibus, quibus tectus ad muros repserat miles, diffractis, pertinaciter locum semel occupatum retinuit. Sequenti uerò nocte eruptione ab oppidanis facta, qui mœnibus proximi constiterant, per scopulosa Acrocorinthi latera cum cæde multorum & strage sunt præcipites acti. Et quia rumor erat, ingentem Barbarorum uim appropinquare, soluta obsidione ad Isthmum omnes se copiæ receperunt. Hic Betinus Calcinatius, cui post Bertoldi mortem summa imperij fuerat delata, ac reliqui duces, de hostium numero certiores facti (ad octoginta equitum millia esse dicebantur) suorum paucitati diffisi: quippe qui abductis inde naualibus turmis quæ se ad mare continebant, tanto Barbarorum numero omnino impares futuri uidebantur, relicto sine alio præsidio Isthmo, Neapolim cirato agmine abiere. Vix eò uentum erat, quũ tumultuose nunciatur, hostem adesse. Ille nanq; Argis receptis, incensisq;, edita ad id ingenti agrestiũ strage qui hostium celeritatem effugere nequiuere, postridie sub lucem ad Neapolis mœnia tacito agmine adequitarunt. Sed multitudo ingens eos qui in oppido erant, non fefellit. Subito itaq; cognito eorum accessu, ex mercenarijs militibus temerè in eos inuectis triginta equorum pernicitate circũuenti, ante portas momento tẽporis trucidati sunt, reliquis intra munitiones trepidè compulsis. Barbarus tumulũ qui oppido imminet occupauit: tum uerò ad subitam telorum multitudinem, crebrosq; tormentorum ictus (quibus densæ hostium cateruæ non solùm afflictæ, sed propemodum obrutæ sunt) fœdissima est strages edita. Nec Venetus in ea occasione cessauit, sed pleriq; tumulum circũuecti, à lateribus & à tergo cum clamore coorti, ingẽtem hosti trepidationem iniecere: alij ad hæc, ut quisq; manu promptissimus erat, ante urbis munitiones in confertos equitum cuneos ferocissimè inuecti, uim maximam & hominum & equorum confecere. Quidam eorum qui rei interfuerunt, quinq; Barbarorum millia eo die cæsa affirmant: alij interfectorum numerum longè extenuant. Cęterùm in eo quoq; uariant, quod nonnulli aiunt hæc biduo gesta, ita ut sub primum hostium aduentum triginta militibus ante urbem cæsis, mox reliquis intra munitiones receptis, hostes citato agmine ad Argos recipiendum abierint: ac postero die quum aliquanto ferocius pro portis adequitassent, cladem illam eis illatam. Sed utcunq; sit, illud cõuenit, postridie illius diei quo tam malè habiti sunt, cum tumultu & clamore (ut mos est gentis) ante urbem subitò aciem explicuisse, sed non ita temerè, ut prius, inuectos. Circa fossas urbis tum quoq; tumultuaria incursatione pugnatum, ac Barbarum non sine cæde à munitionibus repulsum. Duplici igitur pugna fractus hostis, ubi se nihil circa Neapolim sedẽdo profecturum uidit, in Methonensem agrum ex improuiso erupit, in cuius finibus Molinas, & alia ignobilia quædam oppida, subita ui in suam potestatẽ redegit. In Coronensem quoq; tempestas illa non sine Græcorum clade effusa est. Inde ex Peloponneso profecturi, Iuncum triduo Barbari oppugnarũt: præsidio, cuius dux erat Ioannes Crassus Nouocomensis, & oppido impigrè defensis, inde hostes digressi in hyberna concessere. Nec Veneti duces post illorum discessum omnino in ocio fuere: sed in Arcadiam cum tribus millibus hominum erumpentes, ingentem inde prædam abduxere. Tentatũ ad hæc oppugnatione oppidum, quod Prouinciæ nũc nomen habet: suburbanis tectis direptis, & incensis, ipsum capi non potuit. Et hæc per æstatem & totum autumnum in Peloponneso gesta. Quo quidẽ tempore in Italia quoq; res Venetæ in motu fuere: B discordia inter Iustinopolitanos & Tergestinos de uectigalibus & publicis uijs orta: mox utrinq; iræ post mutuas iniurias eò usq; exarsere, ut Patres maiorem belli molem animo agitantes, in hanc quoq; partem reipub. coacti sint imperij uires intendere. Sed res ipsa ut facilior sit cognitu, aliquanto altius est repetenda. Consueuerant Germani negociatores quinq; passuum millia à Tergesti mœnibus rectà Iustinopolim & alias Histriæ urbes frequentare: quorum cõmercia quũ nihil ad suum usum attinere Tergestini cernerẽt ferrentq; id indignè, à Fœderico imperatore, in cuius fide erant, per legatos postulant, ut omnes Germani nominis negociatores qui in Histriam transirent, per Tergestinam urbem iter facere iuberentur: rati quod erat, fore ut breui ciuitas mercatorum frequentia fieret totius Histriæ emporiũ: tum uerò (quia Fœdericus illorũ postulata non omnino reiecerat) negociatores à ueteri cursu in suam urbem hospitali benignitate, aut si alia ratione non poterant, ui auertere cœperunt. Id Iustinopolitani indignè ferentes, ad Principẽ & Senatum mittunt, qui de Tergestinorũ iniuria questi, docerent omne Histricum nomen magno incõmodo noua illa uicinorum insolentia affectum iri. Ea querela Patres commoti, iubent nauigia aliquot circa Tergesti littora instructa stationem habere, ac diligenter prospicere, ne quid commeatus mari in oppidum conueheretur. Quod ipsum quum æquo animo Tergestini laturi uiderentur, constanterque incommodum dissimularent, placuit præsidio opportunis locis dispositio, à continentis ora præsentem ulcisci iniuriã. Sanctes Gauardus Iustinopolitanus, cum aliquot equitibus missus est, qui illorũ finibus, impetrato ad id à Goriciano Comite loco, insessis negociatores ad pristinum iter frequentandum hortaretur: quos si, ut prius, à suo cursu Tergestini ui auertere conarentur, rem armis uindicaret. Ita igitur accidit, ut ex equitibus qui cum negociatoribus missi erant, unus reliquis pulsis subitò Tergestinorum incursu sit cæsus. Ad quam nouã iniuriam Gauardus excitus, cum Histrianorum manu omnem Tergestini agri oram, quę parte mari auersa urbi adiacet, fœda populatione uastauit. Patres, quia res iam ad arma apertè spectabat, à Iustinopolitanis petunt, ut tres ad se legatos mitterent, per quos de statu prouinciæ erudirentur. His in curiam introductis, postquam ob ea quæ afferebãtur constitit inter patres, rem armis uindicandam, continuò bellum in Tergestinos decernitur. Ac secundum id decretum, Antonium Martianum, Bernardinum Caroli Montonij filium admodum adolescentem, Gerardum Martinengium, Antonellum Cornetanum, ac plerosq; alios uiros illustres, cum mille & quadringentis equitibus peditibusq; multis in Histriam misere: sed euocatorum militũ longè maior manus, quàm mercenariorum fuit. Quidã ex ijs qui rei interfuerunt, ad decem armatorũ millia fuisse aiunt: alij tantum numerum omnino fuisse negant: his (quantæcunq; fuerint) copijs Tergestũ obsideri placuit. Tripartitò Veneti metati sunt: ad Franciſci portam prima castra locata in tumulo qui urbi imminet: altera, auersa parte urbis quà Pucinum itur: tertia, non procul inde eminentiore loco, Cherſina uia. Balista primò oppidani petiti sunt, quibus quum tecta ingenti fragore dirui cœpissent, in triduum inducias petiuere, ut liceret de deditione facienda maturè consulere: eas haud grauatè impetrarunt à Vitale Lando, qui tum in castris legatus erat: quod iccirco facilè cõcesit, quia in animo habebat, æneas machinas ad Franciſci portam statuere: quod per ocium eo se triduo facturum putabat, quando id alioquin sine magno certamine fieri non posse appareret. Verùm ubi locum ad id communiri hostes uiderunt, statim uiolatis inducijs tela in agrestes, qui ad id opus adducti erant, conijcere cœperũt. Interim in castra allatum est, Germanorum equitum alam in subsidium urbis uenire: ad quam insidijs excipiendam Gauardus Iustinopolitanus cum ualido equitatu obuiam à legato missus est. In hoc statu ad Tergestum res erant, dum Iacobus Antonius Marcellus legatus in castra uenit: erat tum is Vtini prætor. Sub eius accessum mutata gerendi belli ratione factum est, ut hostium equitatus incolumis in urbem euaserit, qui repentè in castra, quæ Cherſina uia erant, facto impetu ad ducentos equos Venetis ademere: inde non solùm urbẽ tutati sunt, sed assiduis eruptionibus, quam diu obsidio illa tenuit, semper rem Venetam sollicitam habuere: sæpius Barbari ferociter inuecti in castra peruenere, sæpius & ipsi cum cæde in urbem compulsi. Et quia iam crebri tormentorum ictus nonnihil murorum discusserant, efflagitabatq; iam miles in hyberna dimitti, placuit acri oppugnatione urbem aggredi. Sed res parum feliciter mota. Per horam strenuè utrinq; pugnatum: primo impetu scalis muro admotis, quidam penè in summum euasere: præcipuum certamen ea parte fuit, qua murus conciderat: Germanorum equitum, oppidanorumq; uirtute urbs strenuè defensa est, militesq; infecta re in castra reductus. Tenuit obsidio per totum ferè autumnum: tenuisset q; tamdiu, quoad siue fama siue alia ui hostis domitus fuisset, nisi Pius pontifex, qui præter ueterem amicitiam quæ illi cum Fœderico intercedebat, uehementer Tergestinorũ periculo motus (fuerat enim illorum antistes) cum Venetis ab initio obsidionis agere cœpisset, ut ab iniuria abstinerent. Nec prius postea & monere & hortari desistisset, donec certis conditionibus hostem ex illorum ceruicibus depulisset. Ferunt itaque inter Venetum & Pontificem conuenisse, ut Pius Sigismundum Malatestam (quem à Fœderico Vrbinate acie uictum, bonaque principatus parte exutum, atque

A intra Arimini mœnia compulsum premebat) bello leuaret, Venetus uerò copias Tergesto abduceret: atq; ita ut inter eos comparatum fuerat, circa idus Nouembris Ariminenses Tergestinique bello liberati sunt. Sigismundus uenia à Pontifice impetrata, quòd Gallica secutus arma Flamminiæ ocia euertisset, pollicitus se in Pontificis & Venetorum fide futurum: æstate quæ hyemem illam secuta est, in Peloponnesum aduersus Turcos transijt. Sed hæc postea Lauretani classis, relicto à terrestribus copijs Isthmo, ipsa ex Saronico sinu abducta per insulas assiduè circumacta, quid dignum memoria egerit præter unum, non reperio, quòd Lemnum insulam ex Cominio pirata Peloponnesiaco recepit: is eam iam Othomani iure imperij factam, duabus triremibus occuparat, ac semel occupatam quum aliquandiu tenuisset, suis credo uiribus diffisus, Venetis tradidit habendam. Classis circa Methonem, Iuncum, Neapolim, ac Coronem hybernauit. Sub uernũ tẽpus Vrsatus Iustinianus Lauretano in maris imperium successit. Circa nonas Ianuarias domo profectus, ob hyemis inclementiam tertio tandem mense in prouinciam cum tribus triremibus uenit: ad Iuncum unam & uiginti triremes, quæ ibi stationẽ habebant, accepit. Cum his igitur atque illis quas secum duxerat, Methonem uersus nauigans, Lauretanum cum tribus rostratis nauibus medio cursu obuium habuit, qui post mutuam salutationem, tradito iussu Patrum illi imperio, ad Sapientiam concessit. Vrsatus tamdiu Methonæ fuit, donec tota eò classis coiret: inde duab⁹ & triginta triremibus profectus, Coronem concessit: mox Neapolim progressus, paucis diebus in Eubœam transmisit: inde Ægæas insulas circunuectus, earum statum diligenter recognouit. Sed dum Vrsatus hæc, in Parrensis sinus ora Nicolaus Ragius, & Ioannes cognomen- B to Crassus, cohortis unius præfectus, cum ijs copijs quas habebant, aliquot maritima oppidula hostibus ademere. Franciscus autem Sidicinus, Ciccus Brandolinus, & alij plerique Veneti ductores cum tribus millib. hominum ad Mantineam oppidum castra communierãt. hostes Pithimæ erant: quingenti eorum equites Talamatam progressi (quod oppidum intra utraque castra medium erat) statim Venetos in pugnam exciuere. Contempta Barbarorum paucitate, subito accessu hostium alam Venetus inuadit: sustinent illi iniecto certamine tam diu Venetorum impressionem, donec reliquus equitatus ex castris trepidissimis nuncijs excitus affuit: tum uerò illorũ interuẽtu oppressis qui ab initio manum conseruerant, reliquos incompto agmine, sine duce, sine signis, in ferrũ ruentes passim obtruncant. Ad mille & quingenti eo die cæsi dicuntur: & in his Brandolinus ipse, & Ioannes Attellanus, qui pridie illius diei ex Methona cum Andrea Dandulo legato ad Mantineam uenerat: Ioannes Massanus, ac pleriq; alij uiri illustres, qui in illis castris honestissimos ordines ducebant. Circa insulas quoq; nihilo melius resp. per id tempus gesta est: quibus recognitis nouissimè Vrsatus in Lemnum transmiserat: eaq; perlustrata in Eubœam reuersus: quum supplementum nuper ab urbe missum accepisset, expleuisset q; quadraginta triremium biremiumq; numerũ, in Lesbum insulam ferociter mouit. Ex Eubœa in Lemnum prima uelificatione peruenit, hostiumq; biremi inter eundum oppressa, decem negociatores Turcos qui in ea erant, trucidari iussit: reliquos partim laqueo, partim fluctibus necandos curauit. Ex Lemno noctu solués, tertia diei hora Mitylenen, oppidũ totius insulę illustrissimũ, tumultuose inuadit. Duplex est illi portus, ad septentrionẽ unus, alter ad meridiẽ: hũc aliquãto remotiorem classis insedit. Ingens ex agris fuga facta est, ac tota insula uehementer trepidatũ. Trecenti & amplius

plius Turcorum, qui ad naues ducti sunt, Vrsati iussu partim palo affixi sunt; partim fluctibus mersi, nonnulli etiam laqueo necati. Paucis inde diebus sub auroram à mari & à continenti urbem adortus est, præmissis Genuensi una oneraria, quam ad hoc ipsum suo cursu auerterat, & Dalmatica triremi, ad turrim quæ portui imminebat, occupandam: ipse interim auersa parte copias in terram exponit. Earum quæ missæ erant utraque sub primum appulsum ualidis tormentorum ictibus concussa cessit. Turmæ interea socijque nauales in terram expositi, ferociter urbem adorti munitiones subeunt, in apertumque mortis discrimen temerè ruunt: certa menque miro animorum ardore initum, in sex horas ingenti Venetorum cæde est distractum: telorum multitudine crebrisque uulneribus milites afflicti, post ingentem cladem demum uicti cessere: ad tria fortium uirorum millia eo die desiderata dicuntur. Nec ad eam cladem Venetus remisit animum: paucis diebus interiectis atrociore pugna hostem adortus, post uarios conatus penè pari cæde est mœnibus repulsus. Nunciatur interim, hostium classem appropinquare, quæ præter alia minora naugia, quinque & quadraginta haberet triremes: duo ad hæc equitum millia, auersa insulæ parte in littus exposita, iamiam affutura nunciabantur. His nuncijs Vrsatus territus, quinque hominum millibus amissis, reliquisque magna ex parte saucijs, ex Mitylenæo littore in Eubœam uenit: ubi homo uehementi alioquin spiritu, rei malè gestæ conscientia ita dolori indulsit, ut iam sibi parum constare crederetur. Ex Chalcide in Peloponnesum delatus, ubi Methonem uentum est, dum è naui à suis in littus exponitur, subito dolore, uelut ruina quadã, depressus, dimidio horæ expirauit. Hic fuit Vrsati Iustiniani finis, uiri inter suos & magnitudine animi, & sumptuositate illustrissimi. Iacobus Lauretanus post Vrsati mortem ad imperium classis est missus: eum in prouinciam profectum Sigismundus Malatesta cum mille uiris ex Italia secutus est, Pio Pontifice iamdudum cum Venetis, Pannoniæ rege, & Philippo Burgundiæ duce, maius in Turcos bellum molientibus. Verùm ubi ille in prouinciam uenit, Ioannis Attellani & Brandolini cæde audita, animaduersa ad id militum paucitate, dixisse fertur: Nunquam ad id bellum se exiturum fuisse, si prius de prouinciæ statu resciuisset. Sed ne frustra missus uideretur, cum ijs copijs quas contrahere potuit, Spartam (urbem olim inter reliquas Græciæ nobilissimam) quæ mutata facie mutauit, ut dixi, & nomen, subita ui cepit. Capto oppido, quod infrequens hodie habitatur, arcem ipsam bellicis operibus oppugnare occœpit. Tenuit obsidio illa plures menses, nec ob ualidum præsidium quo inita erat, expugnari potuit. Medio autem autumnó quatuordecim Barbarorum millia loco Venetis castris propinquo consedere: Sigismundus suorum paucitati diffisus (quippe qui ad duo millia hominum, non amplius, in castris habebat) neque totis uiribus dimicare est ausus, neque pugna omnino abstinuit: sed quandiu hostis affuit, partim consilio, partim armis omnes eius conatus ita elusit, ut nulla suorum clade Barbari, præsidio in arce immisso, inde abierint. Ipse quoque, quum uideret se ibi sedendo parum omnino proficere, combusto oppido Neapolim copias reduxit. Lauretanus dũ Sparta obsidione premebatur, ipse interim Rhodũ adortus, multiplici clade eam, direptis uillis, atque inde incensis, affecit. Vis insulanis ideo illata, quia Rhodienses aliquanto antea Syrios negociatores cum suis mercibus ex Venetorum nauibus quæ in portu erant, ui extraxissent, nec Veneto repetitis rebus, aliquo modo satisfacere curarant. Ex Rhodo classis in Eubœam redijt, inde Ægæi maris insulas

A sine expeditione ulla memorabili in reliquum anni circumacta est. Huius expeditionem illam fuisse constat, qua classis ad Hellesponti fauces admota dicitur: consilio ut remorum agilitate Dardanulis superatis, in Calipolitanam oram imperium faceret. Sunt ea castella duo ad Hellesponti aditum sibi ex aduerso respondentia. Hinc inde uis tormentorum ingens locata est, ad concutiendas præteruntium naues. Post euersum Byzantij imperium, Mahometus eorum alterum uetustate collapsum instaurauit: erexitque à fundamentis recens alterum, ut perpetua ibi statione Europeos omnes ab Hellespontico cursu auerteret. Quum igitur classis, ut dixi, eò uenisset, ita sanè accidit, ut Veneta triremis, quæ aliàs (ut fit) præsidij causa præcesserat, decepta, ut dicitur, signo prætoriæ triremis, quod apparuit sibi datum ad cursum per medios hostes tenendum, uelo & remis innixa, per crebros machinarum ictus angustias euaserit: alij primas eius periculi partes ultro sibi Venerium depoposcisse tradunt, atque in primam illam non omnem ab hoste uim effusam: sed Barbaros intentos ad reliquam classem concutiendam, quæ iam instabat, noluisse omnem tormentorum multitudinem in unam emittere: atque ob id factum, ut cum prima illa pluribus ictibus perfossa, ac non paucis è turma fœdè laniatis, in apertum discrimen adducta esset tota classis, periculo deterrita una intercluſa cursum auerterit: pro amissis habebantur, qui cunque in ea erant. Iacobus Venerius, qui etsi Veneti sinus præfectus erat, publica tamen signa Lauretani auspicijs sequebatur: homo præter rei maritimæ peritiam, uehementi & acri ingenio, suos hortatus iubet illos adhuc bene sperare. ac sub obscuram noctem conuerso cursu sine remorum impulsu cœpit retro in hostem paulatim annauigare:

B à quo (non enim omnino falli potuit) pluribus tormentorum ictibus petitus, paucis per noctem amissis, præter spem omnium ad suos redijt. Æstate illa qua hæc gesta sunt, Pius pontifex suam in Turcos expeditionem, iam antea Mantuano conuentu motam, principumque quorundam ambitione & auaricia intermissam, ad exitum perducere conatus. Etenim quanquam ex socijs quos nouissimè sibi ascisuerat, omnes præter Venetos cessare uidebat nihilominus ipse ad profectionem spectans, Anconem progressus est. Magna uis hominum ex Gallis & utraque Germania ad famam piæ expeditionis Romam ante eius digressum confluxerat: sed per Sabinos, Vmbros & Picœnos eunti, omnino maior occurrit. Horum non paruam partem concessa peccatorum uenia (quia sine uiatico uenissent, & quia parum idonei gerendo bello uiderentur) in patriam remisit. Affuit illi hic sedenti Christophorus Maurus princeps cum decem triremibus optimè ad bellum instructis, ut Veneti per partes bellum iuuarent: post cuius accessum Pius lenta febri nonnihil antea conflictatus, biduo uita decessit. Aurum omnino exiguum ad tantum belli onus, quod ille contraxerat Cardinalium decreto, Mauro datum his conditionibus, ut Matthiæ Pannoniæ regi assiduum cum Turcis bellum gerendi stipendiũ mitteret. Ferũt quinq; & quadraginta aureorũ nummũm millia fuisse: uerùm non solùm id aurũ Venetus illi deferendum curauit, sed pluribus etiam annis ei amplũ ex suo stipendiũ misit, ut Turcorũ motus in Dalmatiã & Histriam irrumpere parantiũ, armis remoraretur. Post Pij interitum, tanti belli onus soli Veneri suis uiribus multis deinceps annis sustinuere: non Italia solũ, sed omnibus Europæ gẽtibus, eos terra mariq; cum eo hoste, qui duo potentissima imperia, multa regna euertisset, armis disceptãtes securè & ociosè spectantibus. Quanquã non eo inficias, aliquando & à Ferdinando rege &

& à Romano pontifice maritima auxilia missa: sed A illa ipsa omnino rara, & tum, quum minimè opus fuit. In Græcia toto hybernorum tempore, neq; terra neq; mari actum est aliquid memoria dignũ. Æstate quæ secuta est, orta Neapoli pestilentia Sigismundus dux in Laconiam concessit: ad quem opprimendum decem Barbarorũ millia citato agmine uenere. Sed ille sub hostium accessum Mantineã cum suis abijt: quo abeunte hostes Pithimam adorti, cæso præsidio quo oppidum initum erat, ui capiunt. Victor Capellius interim Lauretano successerat: is accepta ad Sapientiam classe Methonẽ uenit, unde paucis diebus profectus, cum quinque & uiginti triremibus quas secum habuit in Eubœã concessit: inde in hosticum profectus, Aulidem è regione Chalcidis in continenti, & Larsum in Salonicensi sinu ui cepit: inde & Himbrum in Ægæo mari inter Thasum & Samothraciam ab Atho monte non multum distantem, armis subegit. Nouissimè classe ad Piræum appulsa, Athenas nobilissimam olim Græciæ urbem Venetus adortus, muro ante lucem perfosso, portisq; combustis repentè occupauit: Sethinas hodie uulgus appellat. Oppidum in hũc modum captum Capellius diripuit: præda, quæ omnino ampla fuit, remigem sociosq; nauales ditauit. Classis direpto oppido confestim ex Piræo abducta, in Eubœam transijt: hic commeatu accepto, Methonem perpetuo cursu Venetus uenit, unde in Corinthiacum sinum clandestinè accessit. Facta erat illi spes à Patrensibus oppidi per proditionem recipiendi, opprimendiq; præsidij quod illic erat. Habebat Capellius tres & uiginti triremes, cæterùm biremes aliaque minora naugia ad bellum instructa sex & triginta: ac præter turmas sociosq; nauales, aderat Nicolaus Ragius cum ducentis expeditis equitibus. Miles pridie undis iactatus, quũ uestigio uix cõsisteret, subitò à Iacobo Barbadico legato ad B oppidum ductus est: quatuor millia armatorum illum agmine secuti sunt. Vbi uerò ad uillam mille ab urbe passus uentum est, continuò milites cupiditate prædæ, sine imperio, sine signis, ad agrestiũ tecta diripienda discurrunt. Hos rapinę intentos, nec aliud minus quàm hostium aduentum expectãtes, trecenti Barbarorum equites à fronte, à tergo, à lateribus coorti, subito clamore inuadunt: iniectoq; simul pauore circumuentum militem, neque ferrũ neq; fugam satis expedientem, trucidant. Barbadicus mula sedens, dum fortè ea parte adequitaret, qua omnis uis hostium incubuerat, in arctissimum locum compulsus, & ad terram arbustorum densita te deiectus, à multitudine equitum obtritus expirauit: eius corpus postea paludamento & annulo agnitum, in Patrensem arcem sublatũ, alta turri hostes palo affixere. Ad mille ex tanto numero euaserunt. Ragius in hostium potestatem redactus, uiuẽs palo & ipse est affixus. Nec Capellius ad eam cladẽ omnino animum remisit, ratus id suorum temeritate potius quàm hostium uirtute accidisse. Octauo itaq; pòst die lectissimos quosq; cum reliquo copiarum quod ex recenti pugna supererat, ad urbẽ oppugnandam sub signis mittit, Vincimanica Siculus classis magister, quem Armiratum uulgò appellãt, cum Dominico Nigro & alijs uiris fortibus qui signifero assistebant, ante oppidum publica signa statuerunt. Nec hostes pugnam detrectarunt: sed oppido ferociter egressi, impigrè prælio iniuere: quatuor circiter horas atrociter est pugnatum: demum fortuna neutrò inclinante, Venetus ut hostem loco summoueret, sexaginta qui ex Ragiano equitatu supererant, per cliuum qui à latere erat, in hostẽ extransuerso mittere instituit. Sed illi nondũ in summum euaserant, quũ Barbarus & ipse ad hoc ipsum missus, in summo cliuo apparuit: quo cõspecto, extemplò Ragiani equites in fugam uersi, in confertũ

auxiliarium insulanorum agmen qui pone sequebantur, consternatos immittunt equos: continuò strages ingens equorũ hominumq; ædita est. Adest interim Barbarus, cuneosque per se turbatos ferro prosternit, stratosq; calcat, ac solo affligit: fuissetq; re iam semel inclinata, clades priore illa longè atrocior accepta, nisi puluis in atræ nubis speciem coortus, prospectum Barbaro Venetoque pariter ademisset. sic quoque ad mille desiderati sunt, reliqui præcipiti fuga cum signis se ad naues recepere. Duabus cladibus fractus Venetus, inde cõtinuò in Zacynthũ transmisit: ex Zacyntho Methonẽ: hinc paucis diebus profectus in Eubœam transmisit, ubi sine negocio ullo memorabili sex continuos menses fuit. Verùm post rem ad Patras malè gestam: quanquam Ioãne Diedo scriba, & alijs familiaribus hortantibus, admonentibusque, culpam acceptæ cladis nullã penes eum esse: tamen dolore uictus, nunquam amplius ridere uisus est: demum mœrore animi & perpetuo languore uictus, octauo post Patrẽsem pugnam mense sedens in Chalcide expirauit. Iacobus Venerius tamdiu classi præfuit, donec Iacobus Lauretanus, qui decreto Patrum in demortui locum surrogatus est, in prouinciam uenit. Is sexdecim mensibus quibus classis imperator fuit, & insulas, & omnem maritimam oram strenuè ab omni hostium incursu defendit. Per id quoq; tempus, nec multo pòst priusue, quàm Lauretanus ad imperium maris est missus, etsi res Venetæ quietæ alioquin in Italia erant: nescio tamen quonã modo Bartholomæi Bergomatis, summi ea tempestate ducis, subita in Flamminiam eruptio sollicitas habuit, ac penè nouo implicuit bello. Mouerat is ex Gallia ingenti ui peditum equitumque, ab Angelo Acciolo & Nicolao Sudorino Florentia extorribus impulsus, facta illi spe rei optimè per seditionem in Hetruria gerendæ. Hæc uulgò. Fuerunt qui crederent, illum Pauli pontificis consilio ex Gallia mouisse, ut per Flamminiam & Picœnum traductis copijs, Ferdinando regi, à quo tributum Romanæ ecclesiæ abnegari dicebatur, subitò illius nomine bellum inferret. Sed quocunq; ille consilio domo profectus est: constat tamen, eius conatus qui ab initio toti Italiæ terribiles fuere, breui omnium expectationem fefellisse. in Flamminiam nanque progressus, Galeacium Mariam Mediolani ducem, iuuenem ferocissimum, obuium habuit. Affuerunt & Ferdinandi regis & Florentinorum copiæ, illius quoque conatibus occursuræ, quibus dux ipse territus habenas inhibuit. Pugnatum semel est ad Molinellam (ita loco nomen est in Bononiensis agri finibus) dimicatumque Galeacio absente Fœderici Vrbinatis auspicijs. Ferunt qui prælio interfuere, nunquam hominum memoria maiore armorum contentione in Italia certatum: nec prælium diu antea commissum, in quo plures desiderati sint. Patres ueriti ne illius copijs deletis, quia ad eam diem Venetorum stipendia fecisset, at que ob id uulgò ei fauere dicerentur, principes & populi qui in armis erant, omnem belli molem in se uerterent: cohortibus aliquot turmisque equitum illi in supplementum missis sedulò curarunt, ut confecta pace in Galliam incolumem exercitũ reduceret. Fuerat in castris illis Hieronymus Barbadicus, uir consilio & prudentia singulari, atq; non multo antè diui Marci procurator declaratus: eum neq; recens dignitas, neq; amicorũ suasiones in urbe retinere potuerũt, quo minus in eo discrimine reip. adesse uellet. Sed quũ summa eius industria & solertia hostibus omnino suspecta esset, priusquã pax ulla secuta sit, factum est ut illorũ opera ueneno (ita enim creditur) fuerit sublatus. A Lauretano præter ea quæ diximus, nihil dignum memoria gestum reperio. Nicolaus Canalis illi successit: is duabus triremibus

domo

domo profectus,in Euboeã uenit,unde cum uiginti triremibus digressus,uillas & uicos aliquot in Thessalonicensi agro diripuit.Classe hinc abducta, Chalcidem redijt, ex Chalcide Methonem primò,inde Coronem uenit.Hic Lagosticium oppidum in Patrensi sinu à Barbaris relictũ (quia ad rationem gerendi belli opportunus uideretur locus) occupare, tumultuarioque opere munire constituit. quod ipsum nullo repugnante facilè est consecutus. Hieronymus Nouellus (iam enim Sigismundus Peloponneso abierat) oppidam ualido præsidio iniuerat:aderat adhuc & tota classis, quæ sex millia hominum habebat,quum duo Turcorum millia subito accessu tentarunt oppidum recipere, sed Barbarus cum cæde à munitionibus reiectus, paucis pòst diebus inde abscessit.Canalis Iacobo Venerio cum triremibus sex ad præsidium relicto, ipse cum reliquis nauibus in Euboeã uenit: hic classe nouis supplementis aucta,in Lemnum transijt: ex Lemno in Himbrum,ubi de Oeno oppugnando consiliũ coepit.Cum sex igitur & uiginti triremibus oppidum sub auroram adortus,scalas mœnibus admoueri iubet:qui eas admouerant, oppidanis subito pauore perculsis,muros statim occupant:portæ interim refringũtur,quibus patefactis immissæ copiæ in prædam discurrunt.direptum oppidum,atque ex parte iniecta flamma combustũ:multi cæsi,multi quoque in captiuitatem abducti: captiui promiscuè mares ac fœminæ miserabili modo uexati : omnia sacra ac prophana uiolata, nec ulla Christiani nominis habita ratio.Quanquam enim & Barbaro & impio victori seruirent, religionem non mutauerant. Ferunt præter cætera quæ nefariè ædita dicuntur, sacras uirgines,quibus Barbarorum libido ob religionem pepercerat,tunc ad stuprum raptas. Quod scelus Chalcidis excidio,ipsius que imperatoris exilio postea expiatum multi credidere. Præda ingés cum duobus millibus captiuorum in Euboeam abducta est.Nec multo pòst Noua Folia ui cœpit ac diripuit: inde & Vetera acri oppugnatione adortus, re parum feliciter tentata, cum cæde suorum Venetus à mœnibus est repulsus.Sub uernum autẽ tempus Barbari cum ualida classe Cocinum, in Lemno oppidum,subito incursu occupauere,captum,hosti literq́ direptum,abductis incolis desolatum reddiderunt. Ad eam famam Canalis excitus,cum quatuor triremibus in Lemnum uenit,ubi inspecta suorum clade(hostes enim iam inde abierant) in Chalcidem redijt.Hic sex triremes, quæ nouiter in supplementum classis ex urbe uenerant,offendit:cum his & alijs ueteribus Methonem transijt, quò undique suis ex hybernis excitis quinque & triginta triremium classem expleuit : qua fretus,consilio in hostes mouendi Chalcidem reuersus est. Sed dum ille quàm ualida potest ui classem exornat, in Epiro aduersus Turcos prosperè pugnatum est. Disceptabant inter se de principatu Alexius & Nicolaus Ducaini fratres,atque ob id diuersa secuti arma: Nicolaus Venetis opibus fretus, ad mille & ducentos uiros in armis habebat,aderatque Iosephus Barbarus,qui legati nomine summæ rei præerat. Alexius & ipse mille Turcos equites cõtraxerat: is cum suo equitatu in uallibus Nigri montis ad Drinonis ripam quum tumultuose consedisset,fratrem postridie in prælium traxit: à quo uictus præter ducẽtos equites,qui præcipiti fuga sibi saluté cum ipso duce quęfuere,reliqui ad unum cęsi sunt.Canalis adhuc in Euboea erat, quando in insulam allatum est, centum & amplius Turcorum triremes circa Tenedum esse,ac quotidie nouis supplementis illic classem augeri.His rumoribus ex Chalcide excitus, in Lemnum transmisit, atque ex Lemno in Himbrũ, ubi sub ipsum appulsum ex insulanis cognouit, ex altera parte insulæ Turcorum classem appulisse:atque quum ingentem nauium numerũ Latino uerbo nequirent exprimere, capillorum attactu innumeras esse significare conabantur.Venetus rem tantam neque temerè credidit, neque omnino contẽpsit.Apparebant omnia, ut solet, terribiliora quàm essent insulanis uisa,tumultuose referri. Vt igitur rẽ exploratam haberet, Laurẽtio Lauretano mandat, ut cum decem lectis triremibus in hostem eat : quę si,sexaginta & non amplius habere triremes senserit,in eum proras dirigat,affuturum se statim subsidio cũ reliqua classe : si plures essent,detrectata pugna in altum euaderet. Præmissus igitur Franciscus Quirinus cum triremi una, ut quàm posset ex proximo hostium classem exploraret: iussus certis bombardæ ictibus rem procul significare. Cognita Quirini signo Barbarorum multitudine, confestim Veneta classis retro auersa in altum festinat euadere:triremes quæ præcesserant,& ipsæ conspecta hostium classe,uelo remisque innixæ fugã capessunt, nec cunctatione ulla opus fuit. Nam speculatoria Veneta procul inspecta,inde reliquis quæ non longè sequebãtur, confestim decem hostium triremes ex sua statione digressæ,Venetam classem fugiendi studio disiectam, usq; ad noctem infesto cursu sunt insecutæ. Canalis cum quatuor triremibus Palecastri portum tenuit : Barbarus amisso obscuritate noctis Veneto,in Scyrum insulam cursum detorsit: manè sub lucem Venetæ triremes coiuere,atq; denso agmine in Scyrũ contendunt. Hostis auersa parte insulæ erat,oppidumq; quod in ea est, summa ope oppugnabat. In eum præsenti certamine occupatum decem triremes à Veneto immissæ, non ausæ cominus congredi, procul hoste tormẽtis lacessito pugna abstinuere. Verebatur Venetus ne certa mine iniecto maioris classis interuentu opprimeretur. Quod ita sanè euenisset,si præliũ aliquo modo contractum fuisset.Ex Scyro hostes in Euboeam transmisere, ubi sub primum accessum Storam insulæ oppidum ad occasum solstitialem, inde Basilicon expugnant:utrunq; locum captum diripiunt, direptumq; incendio absumunt.Inde rectà ad Chalcidem obsidendam Othomanica classis cursum intendit. Venetus ex Scyro ad Martelli caput se receperat:est is locus non longè ab Euboea : inde Venetus triremes trẽs commeatus plenas per Laureti canalem,priusquam omnia hostis occuparet,in Chalcidem misit:iussi ad hæc illarum præfecti ad præsidium urbis subsidere,si ita facto opus esse ipsis magistratibus uisum esset. Commeatus acceptus, triremes ad classem remissæ. Nec ita multo pòst Ioannes Thronus cum duabus triremibus ad urbem ire est iussus : sed aquis omnibus iam circa urbem insessis,alteraq; triremium in qua ipse erat, tormentis ab hoste cõcussa,retro abire coactus est. Sed hic de situ insulę pauca dicẽda, ut facilius intelligi possit obsidionis ratio.Est Euboea Bœotiæ aulsa,centum quinquaginta millium passuum longitudine ab Attica ad Thessaliam prætenta : suam latitudinẽ ultra quadraginta millia non extendit, nec infra uiginti contrahit:eius circuitus trecentorum sexaginta quinque millium passuum:duo habet promontoria,Gerasum ad Atticam uergens,& Caphareum ad Hellespontum:multis urbibus olim clara,nunc nulla ferè alia, præterquam sola Chalcide: quanquam id nomen toti insulæ olim fuisse Callidemus tradidit.Ea parte qua à Bœotia modico dirimitur Euripo,Chalcis urbs est è regione Aulidis sita:eam Barbarus oppugnaturus,ponte Euripum iunxit: sed id sub terrestrium copiarum accessum.Circa nonas Iunias classis,quæ nauis habuit trecentas , in quibus triremes centum &amplius fuere,ad urbem primò admota est:sed oppidanorum uirtute,& eorum qui in urbe ad præsidium erant, tentata in continentẽ eruptione,hostes ad naues compulsi sunt. Ad quartum

tum postea Idus mensis Othomanus rex cum centum uiginti millibus Turcorũ per Boëtiam affuit: sub eius aduentum pons ad diui Marci fanum mille circiter passus ab urbe Euripo impositus est. Hac copiæ in insulam traductę,Chalcidem corona cinxere.Machinę ad id ingẽtes pluribus locis admotę, quę quinq; quotidie & quinquaginta ictib⁹ muros concutiebant.Triginta circiter dies tenuit obsidio: quo tempore præter alia leuiora prælia circa muros per occasionem commissa, ter Barbarus totis uiribus urbem oppugnauit: quibus ad quinq; & uiginti hostiũ millia occubuisse postea ex recognitione exercitus constitit.Sunt qui dicant, Turcorum confessione auditum, quadraginta millia pòst Chalcidis expugnationẽ in castris desiderata. Sed interea dũ urbs terra mariq́; oppugnatur,cõmeatus inopia Veneta classis ex proxima Euboeæ statione paucis hostium biremibus per occasionẽ oppressis in Cretam concessit,ubi quatriduo fuit.Hieronymus Molinus insulæ dux,non solùm commeatum expedit dum curauit,sed breuissimo illo tẽporis spacio onerarias septem ad bellum instruxit. Cum his igitur celeriter instructis , & ea classe quam quinq; & triginta triremium tunc habuit, ad pristinam statiõnẽ redijt. Chalcidicę interim oppugnationis fama Venetias perlata,ingentem curam ac metum patribus iniecit:apparebat,nisi maturè subueniretur, foreut nobilissima insula,& omnium aliarũ quæ in Ægeo sunt opportunissima,ab immanissimo hoste ingenti reipub.detrimento subigeretur.Qua ille uictoria elatus, quia nihil esset amplius quod eius conatus remorari posset, ferociter Italiam esset inuasurus. Cõsestim igitur edictum est, ut quotquot triremes expediri possent,aliæ pòst alias irrequieto cursu ad Chalcidis subsidium mitterentur. Canalis interim ex sua statione profectus , ad angustias Euripi cum tota classe circa Lauretum consedit, inde plenis in hostem uelis uento & aquis secundis agitur.Qui in urbe erãt assiduis certaminibus fessi:iam enim tricesimum penè diem hostem pertulerant, dum interim ne ab illis ipsis qui intra mœnia erãt tuti essent. Nam & Thomas Illyricus, qui cum lectissima militum cohorte ad urbis præsidium erat proditiõis cõuictus,à magistratibus accersitus illorum iussu trucidatus est. Ferunt hominem fidissimis internũcijs Turcorum regem ad eam expeditionem inuitasse: atq; ab initio fuisse urbem proditurum,si ille sibi & uitam ciuium , & libertatem condonare uoluisset. Othomanus omnia, præter hæc quę postulabãtur, proditori se datuum polliceri.Ille nil præmij loco nisi id unum petere. Quum igitur ea res citro ultroq́; per transfugas & literas sagittis alligatas iactaretur,Chalcidicæ puellæ indicio ad magistratus delata est.Tot malis Chalcidenses circumuenti, unam adhuc spem in extremo discrimine alebant, si Veneta classis perfracto ponte qui in Euripo erat, opem laborantibus tulisset.Eam die noctuq́; in ore habere,eam lachrymis inter se requirere,quãdo repentè quatuordecim triremes, & onerariæ duæ, cũ quibus Canalis reliquam classem præcesserat,in cõspectu urbis apparuere. Tum uerò ingens alacritas in urbe orta est,clamoresq́; ex ipsis mœnibus ad hostium terrorem redditi. Mutuus fauor uocum, ora & animos hostium subito stupore defixit. Ferunt Othomanum renunciato classis aduentu, de fuga cogitare cœpisse,consendisseq́; equum expeditissimum,ad id ipsum paratũ, ut statim ex insula in continentem abiret.abijssetq́;, nisi à Maometho Asiaticę orępræfecto,uiro fortissimo, fuisset monitus ne id faceret:fore,ut si inde abiret,milites imperatoris discessu territi , & classis uno tempore in summum adducerentur discrimen : quin potius,si se audiret, urbem ipsam atrocissima omnium que urgentissima terra mariq́ adoriretur oppugnatione, eamq; militi diripiendam proponeret, ingentiaq́; præmia illi qui primus Othomanica signa in muris statuisset. Id cõsilium secutus continuò suos ad ultimum certamen Barbarus reuocat.Classis sub occasum solis ex Euripo mœnib. admota est:Venetę triremes, quæ alias cum ipso præfecto præcesserant, plenis (ut diximus) uelis ad mille passus ponti appropin quarãt:tum , quia uenti,mare, necessitas admonebant, ut in hostem eo impetu quo uenerant ageren tur, omnibus prædicantibus, tempus & occasionẽ gerendæ rei adesse, unus Canalis reliquam classem expectandam cẽsere. Illa ad Politicam subsederat, metũne,an quia ita nauium præfecti iussi essent,nemo affirmat. Suorum Canalis cunctationem uehementer incusare,qui aderãt,illi coràm inuidiam facere, ac fraudem in mora esse dicere. Piceamani fratres Cretenses , onerariæ unius magistri, alta uoce efflagitare, ut daretur sibi signum ad erumpẽdum: ituros se cum sua oneraria,pontemq́; ui natuis uento & undis uiolenter actæ rescissuros : aut si minus id procederet, non dubitaturos se & suos ob rempub. morti obijcere. Vetat præfectus eos & alios quicquam temerè agere : sed omnes eo quo erant loco iubet consistere, donec reliqua classis adesset: ad quam accersendam Piceamani filius & Domini cus Niger cum actuaria una aquis & uento aduersis subitò ire sunt iussi.Chalcidenses,quos atrocissima interim oppugnatio à terra & à mari adorta , uehementer ante lucem fatigare cœperat,ubi amicam classem cessare senserunt, fracti animo uix arma in tanto strepitu & clamore sustinebant. Cadebat ingens sagittarum multitudo in miseros ciues, crebri tormẽtorum ictus muros,propugnacula,tiros uno tempore affligebant. Aderant Leonardus Caluus, præfectus urbis,Ioannes Bondomerius legatus, & Paulus Hericius prætor, ac plerique alij patricij uiri : quorum alij stationes obeundo propugnatores hortabantur, alij intenti erant ad opem ea parte ferendam, qua suos maximè laborare audiuissent. Et quamuis tot millia hostiũ mœnibus hærerent,haud tamen ab ea parte , qua interdiu Venetæ triremes conspectæ fuerant,uultum auertere.Miseri Chalcidenses manus ad illas,oculosq́; ad cœlum intendere, nigra præterea signa præsentem fortunam testãtia, sub lucem summa turri præfigunt, quibus non solũm periculo,sed pietate etiam moti qui in Euripo erãt,miseris subuenirent. Oppugnatio hostibus sibi inuicem succedentibus eo ardore quo per noctem urbem adorta fuerat, eodem fine intermissione ad lucem protracta,ita Chalcidenses fatigarat, ut qui ad Burchianam portam erant,uulneribus,inedia, peruigilioq́; affecti, circa secũdam diei horam nudos hostibus muros deseruerint.Quà primum irruptione facta, ubi intra mœnia Barbatus conspectus est, confestim undique muri relicti sunt. Tum uerò longè lateq́ue in miseros ciues cædes tota urbe euagata:cæsi magistratus alij alio loco : Leonardus Caluus in foro, Bondimerius legatus in ædibus Pauli Andreotij, à quo commentarios de Chalcide excidio accepimus : Hericium, qui munitione se loco cum suis tenebat, accepta ab Othomano fide ubi in eius potestatem uenit,medium secari iussit : cauillatus perfidus hostis, pollicitum se ceruici non lateribus parsurum. Inde crudele edictum proposuit,ut puberes omnes ad unum obtruncarẽtur: ac capitale esset, si quis supra uiginti annos quenquam natum seruasset. Tum uerò in miseros ciues & alios quos aduersa fortuna ibi deprehenderat,licentia fæuitum : miserabilis cædes passim edita, nullum discrimen ordinum , nullius dignitatis ratio habita. Cæsorum capita in Diui Francisci area, pro curia & ante Patriarchicam domum coaceruata, luctuosum mulieribus ac pueris exhibuere spectaculum: ipsa cadauera passim iacentia , ne postea

suo fœtore cœlum inficerent, in proximum Euripũ A huc magis se inuidiæ obnoxium Canalis redderet,
sunt proiecta. Sub id ferè tẽpus quo urbs capta est, triremium præfectis ad se uocatis rem in consultationem detulit, uideretúrne è republica ut de summa rei eo die cum hoste decerneretur. Hic quũ sententiæ uariare cœpissent, chirographum à singulis requisiuit & accepit, ut quę tum cuiusque sententia esset, postea sciri posset. Breui pluribus negantibus rempublicam in apertum discrimen conjici oportere, sine ullo certamine classis ad Cæam reducta est. Ferunt, hostes ubi primum circa Chium Venetæ triremes sunt conspectę, statim fugam circunspectare cœpisse. Certi erant ob turmarum infrequentiá nullo modo cõgredi, ita ut in expeditissimas biremes quidam fugiendi consilio trãscendisse dicantur: alij relictis nauibus in proximũ littus annatare statuisse, ubi primum Venetus mouisset. Verùm ubi classem inde abductam senserunt, confestim ex Chio in Lesbum transmisere, ut naues remigio explerẽt: ex Lesbo inde Hellespontum uersus profecti, uehementer addubitare, ne ad Tenedum Veneta classis esset, illicque uellent nollent cogerentur manũ conserere. Vbi uerò per exploratorias naues omnia pacata nunciabantur, tum Tenedum præteruecti mira alacritate & clamore ingenti in tutum abierunt. Ferunt Hellespõti angustijs superatis, Barbarę classis præfectum ad suos læta fronte conuersum dixisse, Satis hospitaliter se à Venetis acceptos fuisse, qui à Tenedo in Eubœam primo comitatu secuti essent, inde rursus ex ipsa insula in Chium usque frequenti nauium apparatu reduxissent. Chalcidica interim expugnatio Venetias perlata tantum luctum & mœrorem Patribus ac toti ciuitati attulit, ut uix omnibus quæ terra mariq́ue Veneti nominis erant amissis, maior ullus afferri potuisset: uulgò prædicare omnes, eam cladem non solùm ad Veneti imperij, sed totius etiam Italiæ excidium spectare. quæ B insula, quis Euripus, quæ maris angustiæ essent amplius, quæ potẽtissimi regis conatus remorari possent. Venturum eum quotiés uisum fuerit, uel una uelificatione in Italiam usque: hoc suam, hoc aliorũ negligentiam peperisse, qui quum maturè ad id incendium restinguendum occurrere potuissent, suo mutuo odio auariciaq́ue noluissent: pigere ad hæc pudereq́ue, fidelissimæ urbi nulla auxilia à suis interim dum oppugnaretur, exhibita: odisse itaque uno ordine omnes classem, odisse præfectũ ipsum: fitq́ue senatusconsultum de imperio ei abrogando: & ut ex prouincia reuocatus causam ex uinculis diceret, quid esset quòd nullam Chalcidẽsibus opem tulisset: Petrus Mocenicus omnibus suffragijs ei surrogatus est, statimq́ue in prouinciam ut exiret, est iussus. Interim quum ad Cæam pluribus diebus classis fuisset, Canalis & alij consilium capere de Chalcide subitò inuadenda: tentareq́ue est uisum an inopinato accessu oppidum recuperari posset. Conuenit itaque inter eos, ut Ioannes Thronus, Nicolaus Molinus, & Fœdericus Iustinianus cum nouem triremibus, ubi ab Euripo classem urbi admotam uidissent, ipsi auersa parte in terram digressi repentè urbem inuaderent. Sed aliquanto nimis est properatum ab ijs, qui à terra Chalcidem oppugnaturi erant: prẽmaturè in hostem inuecti, multitudine Barbarorũ circunuenti ducenti & amplius momẽto temporis sunt ferro absumpti: in quibus fuit Ioannes Thronus, homo impiger, ac manu promptus, & cuius opera fuit eo certamine, quanquam imparibus pugnaretur uiribus, nõ obscura. Alij qui in litus egressi erant, suorum cæde consternati, & quia segniter ab Euripo omnia fieri uidebant, in fugam uersi se trepidè ad naues receperunt. Ita infecta re classis ad Aulidem mille & quingẽtos passus à Chalcide concessit. Eodem die non multo antè occasum solis Petrus Mocenicus cum tribus triremibus ỳò applicuit: ad primum uenientis conspectum

IN LIBRVM IX.
Epitoma.

O Thomanica classis præter spem incolumis Byzantium abijt: Canalis frustra Chalcidẽ recipere tentauit: Petrus Mocenicus in prouinciam ad classem uenit: Canalis ad Portũ Gruarium in Carnos relegatus est: Pax cum Othomano aliquandiu iactata, ad exitum non est perducta: Mocenicus in oram Ioniæ transmisit: nec multo pòst in eandem terram reuersus Pergamenum agrum ac Gnidium populatus est: mox & Cariæ oram prædatus: Attaliam urbem in ora Pamphiliæ auxiliaribus põtificis & Ferdinandi classibus adiutus expugnauit: Vsasani Persarum regis legatus ad Venetos missus, à Mocenico est benignissimè acceptus: Turci Epirum, Dalmatiam, & primam Italiæ oram infestare cœperunt: Ferrariæ nouitates rem Venetam nonnihil sollicitã habuere: Mocenicus Smyrnam expugnauit: Clazomenium agrum populatus est: Adolescens eximiæ indolis armamentarium Othomani quod Gallipoli erat, noctu incendit: Mocenicus Caramanum in regnum restituit: Cyprij regis defuncti coniugem, ex patricia Cornariorum familia, in regno confirmauit: Othomanus in Vsasanum felicissimè pugnauit.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARum ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER IX.

POst Chalcidis excidiũ Veneta classis per proximas insulas, uelut domo profuga, aliquandiu temerè euagata est: demum in pristinam stationem reuersa, paucissimis diebus, etsi parũ matura, mirificè tamen aucta est. Affuit Iacobus Venerius cum quinque & uiginti onerarijs ad bellum instructis: nec ita multo pòst quatuordecim rostratæ naues: has triremes sexdecim secutæ, inde aliæ post alias, ita ut breui centum triremium numerus sit expletus. Onerariæ, quia sine aura agi non poterant, ad Cæam insulã iuxta Eubœam subsedere: triremes hostium classem præda onustam Chium usque sunt secutæ. Othomanus enim ualidissimo ad Chalcidem præsidio relicto, cum omnibus copijs terrestri itinere aliquãto antea ex insula excesserat. Seder Chius inter Lesbum & Samum: Ephorus eã Ethaliam prisco nomine appellauit: Metrodorus & Cleobolus Chiam, à Chione nympha, alij à niue ita dictam existimarunt. Centum uiginti quinque millium passuum circuitu patet, ex aduerso Erythrarũ maximè sita: libera olim, nunc Genuensium, Siumque corrupto nomine appellant. Vbi igitur ad Mastichum promontorium uentum est, erat iam hostis in cõspectu, tum ne si malè pugnatum esset, ad-

ctum Canalis in auctuariam cymbam transgressus, A decesset, quum annos nouem & sex menses reipu-
subitò illi obuiam processit: ibi post mutuam salutationem continuò edocet, quid tum animo moliretur: conflasse se classem ualidissimam ut Chalcidem reciperet, ueniséque in spem eius recuperandæ, si diutius classi præfuisset: uerùm non desperare omnino euenturum, ut quæ ipse per imperij abrogationem consequi non posset, nouus imperator sua uirtute omnibus ad id paratis facile exequeretur. Ad ea Mocenicus: quin age potius, inquit, & tu, si qua spes est, perge urbem recuperare. Nam quod ad me attinet, tantum abest ut hoc nomine publicum ullum commodum impedire uelim, quod libẽs uel socium, uel comitem, me tibi in tam arduo negocio adiungere non recusem. Tum eo negante se alienis auspicijs aliquid gesturũ, euocatorũ nauibus dimissis (nam in animo nullo modo erat, oppugnationem iamdudum infeliciter tentatam, reipublicæ suæq́; æstimationis periculo exequi:) cum classe (iam enim hybernorũ tempus appetebat) in Peloponnesum eo consilio concessit, ut sub uernum tempus inde profectus aliquod præclarum ederet facinus, quo Chalcidicam resarciret cladem. Canalis ubi domum uenit, perpetua est relegatione damnatus: eum uidimus, ac sæpè allocuti fuimus in Portu Gruario, Carnorum oppido: obseruaui in illo præter miram eloquentiam, maiestatem etiam quandam imperatoriam. Rogatus à me, qua potissimum ratione patriæ desiderium leuaret: duplici respondit indagine, uenatoria & litteraria. Nec Mocenici hyberna omnino ociosa fuere: sed & naues reficiẽdas curauit, & circa Ægei maris insulas misit, qui Græcorum animos Euboico excidio consternatos confirmarent. Hæc ille pro imperio, quum Marinus Maripetrus & Alouisius Bembus legati, ad prima ueris signa in prouinciam sunt missi, ut cum eis Mocenicus communi cõsilio rem- B publicam administraret. Venit & Richaiensius ex Apulia cum decem rostratis nauibus, quem Ferdinandus rex miserat, ut ex Veneti imperatoris sententia bellum in Turcos gereret. Mouerat Chalcidis expugnatio omnes Italiæ principes, uel in primis regem ipsum, qui quo omnẽ Apuliæ Calabriæq́ue oram Barbarorum iniuriæ opportuniorem uidebat, eo magis ac magis illorum successus horrere. Othomanus ueritus ne si ob Chalcidem Venetis ademptam Christiani duces simul cõspirassent, ingenti aliquo bello opprimeretur, experiri statuit, an cum Venetis componere pacem posset: uel si id minus processisset, trahendo saltem tempus Chalcidicæ cladis atrocitatem lenire. Verùm ne metu id fieri uideretur, placuit nouercæ suæ Christianę fœminæ, filiæq́ue Georgij, olim Tribalorum principis opera in eo uti. Quæ cognito priuigni consilio, ex domesticis unum Venetias misit, qui Venetos suo nomine moneret ut ad Turcum, si placeret, legatos mitterent: fore ut si pacem uellent, eam quibus forte nõ sperarent conditionibus ab illo impetrarent. Missi Nicolaus Coccus & Franciscus Capellius, qui naui ad eam quæ in Macedoniæ uico erat primum sunt delati, inde uerò terrestri itinere ad Othomanum uenere. Actum hic de pace. Demum quum cõditiones quæ proponebantur, minimè placerent, essentq́; iam legati per literas domum reuocati: Capellius uehementi febre conflictatus, Byzantij decessit: Coccus piscatoria naucula in Lemnum delatus, ex ipsa insula triremi, quam ibi forte offenderat, in Cretam transijt. Atq́; ita dum legati proficiscuntur, dum de pace Byzantij agunt, dum deniq́; literæ citro ultroq́ue perferuntur, æstas illa sine ullo negocio acta est. Regia igitur classis appetente iam hyeme Neapolim est reducta: Legati quoque Patrum literis reuocati domũ abierũt. Nec ita multo pòst sub brumæ initium Maurus Princeps uita

publicæ præfuisset: ad Iobi fanum, quod ipse priuato sumptu cum proximo cœnobio instruxerat, situs est. Nec ea parte tantum ciuitas illius ducatu ornata, sed & pars interior Ducarij uestibuli iam à Mari petri principatu inchoata, sub eo ad summũ est deducta, ubi circa fastigium illius statua ex Pario marmore uisitur, atque duæ aliæ primorum parentum illi subiectæ, opus Antonij Crispi, statuarij nostra tẽpestate optimi. Turris quoq; per id tempus ex candido & quadrato lapide ad Oliuolensem ędem fundari cœpta est: opus sanè perspicuum, ac iam propemodum ad consummationem spectans. Nicolaus Thronus Mauro successit: huius principatus etsi breuis, longè tamen felix fuit, quippe quo fœdus cum Persarum rege est ictum, & Cyprus nobilissima insula Veneto accesit imperio: patres ad Romanum pontificem & ad Ferdinandum regem legatos misere, qui postularent, ut in Turcum communem hostem bellum in proximam æstatem cõpararent: nec longa opus esse cunctatione ostenderent, iam propemodum gerendarum rerum tempus appetere. Ab utroque benignè legati accepti, & ad bellum auxilia pro uiribus promissa. Mocenicus quoq; Cyprium regem, & Rhodiorum magistrum ad uires in Barbaros contrahendas, per literas hortatus est: ipse interim Ægeas insulas perlustrans, omnia sua præsentia erigere. Est Ioniæ uicus è regione Chij insulæ, Passagio nomen loco est: huc ex tota ferè Asia merces comportabantur ea tempestate, qua Chium uelut commune emporium Itali negociatores frequentabant. Hunc locum quum sine præsidio esse Mocenicus cognouisset, classe proximis littoribus sub lucem appulsa, socios nauales cum parte turmarum repentè ad opulentam prædam immisit. Vicanis subitò malo perculsis, fugaq́; in proximos mõtes dilapsis, tabernę Asiaticis mercibus refertæ per ocium sunt direptę: prædaq́; omnis in naues asportata, tecta subiecto igni Venetus concremauit. Mocenicus Methonem reuersus (nõdum enim bruma exierat) aliquot ibi dies stationẽ habuit: inde crebris rumoribus de hostium classe dissipatis, ex hybernis excitus (erat autem fama, Othomanum ad Lemnum occupandam triremes quadraginta instruxisse) celeri nauigatione in insulam cum tota classe se contulit. Hic uerò comperit, falsos fuisse rumores qui de hostium aduentu Peloponnesum usque percrebuerant. Sed ne frustra uenisse uideretur, Coccinum Lemni oppidum, terræ motu iam antea concussum, ac disiectis muris penè desolatum, magna ex parte restituit, restitutoq́ue milites quos ex Peloponneso adduxerat, præsidio imposuit. Insulæ rebus in hunc modum cõstitutis, Methonem repetens duos ibi nouos legatos inuenit, nuper ab urbe missos, Stephanum Maripetrũ, & Victorem Superantium, uiros ob res domi forisq́ue gestas patricij ordinis longè principes. Sub illorum igitur aduentum conuenit inter eos, ut præter remiges socios q́; nauales, deni equites, quos Græco (ut diximus) uerbo stratiotas uocant, in singulas naues imponerentur. Est gens illa militaris rapacissima, magis ad prædam quàm ad prælium comparata: scuto utitur, ense, hasta, pauci lorica: cæteri bombycinis thoracibus (Gasachas uulgò uocant) contra hostiũ arma se muniũt: equos uelocissimos, & ad longissimum cursum perferendum idoneos, habent: tota Epiro maritimaq́ue Peloponnesi ora Veneti mercenaria horum militia aduersus Turcos utebantur. Sed qui in Pelopõneso circa Neapolim erant, omnium optimi habebantur: ex his igitur lectissimi quique in naues impositi. Classe huiusmodi præsidijs instructa, ad Asiaticam oram deuastandam Venetus ire pergit: à Græciæ urbibus & insulis (quanquam Othomani imperio subessent) ob

Christianum nomen pertinacissimè abstinuit. Ex Peloponneso igitur in Lesbum trâsmissum: hic circa promontorium, quod ad ortum spectat, qua parte insula cultoribus deserta est, tutissimo portu classis consedit. E regione loci Pergameni agri oppidũ in littore est. Pergamus, minoris Asiæ olim urbs, nobilis pergameni inuento, & aulæorum usurpatione Romanis antea satis nota, Attali uerò hæreditate notiõr: nunc uestigia tantum ueterum ædificiorum solo penè æquata monstrari aiunt. Ager ob ejus feracitatem frequentibus colitur uicis. Ex Lesbo Venetus intempesta nocte profectus, in aduersum Asiæ littus sub lucem copias exposuit, negociumque Iacobo Parisoto, classis armirato, dedit, ut classiariorum parte in insidijs locata, in hosticum prædabundus erumperet, omniaque ferro & igni uastaret. Cum terrore igitur & fuga paganorũ subita in agros facta est excursio, ex quibus pecora mortalesque multi sunt in prædam acti. Sed Barbari equites ex proximis statiuis eiulatu & clamore fugientium exciti, in Venetos se ad naues recipientes impetum fecere, iniectoq; certamine militem prædagrauem inopinato prælio fatigant. Tum Peloponnesiaco equitum ala repentè in hostem conuersa, modico negocio in fugã uertit, fugatumq; cum multa cæde insequitur. Abscissa capita cum ijs quæ ex hoste capta erant, ad classem delata sunt: pro quibus singulis singulos aureos milites accepere. id præmiũ iam antea imperatoris edicto fuerat in Barbaros eunt ibus propositum, quod postea toto belli tempore est seruatum. Ex hostico profecta classis, in insulam inter Chium & continentem cultu desertam, satis alioquin portuosam, concessit: eam Diuam Panaiam uocant. Hic omnia in unum collata, sub corona ueniere: quæstores ad hoc ipsum creati, equitibus turmisque naualibus prædaceas pecunias diuisere. Hinc porrò ad insulas Cariæ adiacentes nocturno Venetus tempore transmisit, eam agri partem depopulaturus, quæ Gnidiorum olim fuerat. Fuit Gnidus inter Carię urbes, olim ob naualia & duplicem portum nobilis: monumentaq; ueteris apparatus adhuc extare dicũtur, & multa quidem & magna: agrum ipsum sine alia mitiori cultura pastores frequentant. Classe huc appulsa, eques milesq; in prędam discurrunt: multi mortales omnis sexus & ætatis sunt ad naues ducti: pecoris quoque quantum ad nauium usum usum est necessarium. Aliarum rerum, præter paucos tapetes & centones, ex quibus illi culcitras conficiunt, & taberna cula, quibus Numidarum more uagantes utuntur, nihil quæsitum. Classe in altum deducta Venetus in Delon Cycladum, Apollinis templo & mercatu olim clarissimam transijt: nunc deserta est & inhabitata: extant tantum templi & amphiteatri uestigia albi marmoris, ut Coriolanus ait: columnæ ad hæc ingensque signorum numerus cum colosso cubitorum quindecim. Ex Delo diuisa præda, in Peloponnesum commeatu deficiente Mocenicus cursum tenuit: cui uenienti circa Maleam promontorium Rachaiensis regiæ classis præfectus cum seprem ac decem triremibus occurrit: post mutuam gratulationem celeumate & alijs signis more nautico factam, Methonem unà deuenerunt. Hic Venetus cognouit, pontificis quoque classem non multo pòst affuturam. Sed ne diutius in mora esset, cibarijs sumptis cũ regio præfecto Methona digressus, in insulas Rhodiaci maris Asiæ adiacentes prospera nauigatione deuenit. Tenebant Rhodij oppidum, opere & præsidio munitissimum: diui Petri castellum uocant, in ea parte Cariæ quæ Coo insulæ ex aduerso respondet: unicum Christianorum seruitutem ex Asia fugientium asylum. Extra munitiones ipsas omnia hostes habebant, ita ut ne lignatum quidem ob assiduos Barbarorum incursus A

B

loci incolis liceret exire. Mira hic de cantum sagacitate & solertia Venetis narrabantur, habere oppidanos canes circiter quinquaginta, quos noctu extra munitiones custodiæ causa mitterent: atque ita euenire consueuisse, ut si in Christianum hominem silentio noctis incidissent, benignè illum exciperet, ac uelut plausu quodam in oppidum perducerent: contrà Barbarum hostem nacti, illius accessum latratu maximo, uelut classico quodam, primum testati, impetu inde facto fœdè lacerarent. Vt igitur oppidanis ad necessaria exigere, atque longius euagari liceret, circumiectos uicos ferro & igni Venetus uastare constituit. Nocte itaque tota nauigans, quum ante lucem hostium littus attigisset, relpiceretque penes se paucissimas esse naues, diem operiri statuit: ubi uerò illuxit, reliqua classis ex aduersa promontorij parte, quò per errorem noctu fuerat delata, præsto affuit. Iamque diei hora prima erat, quando regionis accolæ inspectis proximo loco hostibus, imbelli turba ad montes præmissa, ipsi locorum asperitate freti manum cum eis conserere statuunt. Venetus animaduersa uicanorum audacia, instructa acie eos ferociter inuadit. Nec illi pugnam detrectãt, sed subitò & ipsi cum clamore prælium capessunt. Anceps diu pugna fuit, qua nostri eo difficilius sunt defuncti, quòd præruptis cautibus hîc, ubi res gerebatur, impedientibus, equitum opera parum utilis fuit: nauales socij ac milites sagittis alijsq; telis eminus hostem feriunt, cominus uerò ense, hasta clauaque prosternunt: nec impunè. nam ex ipsis quoque non pauci interim à Barbaris saucij cadebãt. Fortuna neutrò inclinante, prælium dubium, ut dixi, aliquandiu fuit: demum Venetus & uirtute & numero superior, hostem loco summouet, summotum ingenti strage fundit fugatq;: multi abiectis armis uiui capti sunt, plures uerò locorũ non ignari in præruptos saltus, inuiosque mõtium anfractus se trepidè receperunt. Fusis hostibus Veneti ad prædam discurrunt, ferro ignique omnia uastantes: atque ita longè lateque per hostium terram uagati, ad naues tapetibus onusti redeũt. In ea Asiæ ora mulieres operariæ sunt, tapetumque textrices, quę non solùm ad domesticum usum, sed ad mercaturam quoque exercentur. Cæsorum capita sine numero ad imperatorẽ delata, captiui etiam multi ex acie abducti, ex agris alioquin & uicis pauciss imi. Quatriduo inde classis profecta, ad Tabiam Cariæ locum sub luce admota est: ibi duo ex aduerso maria penè coëuntia magnam Cariæ partem peninsulam efficiũt: ager olim Halicarnasseorum, urbs ipsa principum regia, Mausolique sepulchro ualde insignis. Visuntur adhuc, ut Coriolanus scribit, molis illius eximię inter cęteras urbis ruinas uestigia quędam. Locorum incolæ ab agrorum cultu abhorrentes, pecuariam passim exercent. Ex his quoque terris uim hominum ac pecorum ingentem prædatores abduxere: quibus ad naues receptis ad desertã insulam, cui Caprariæ est nomen, Mocenicus concessit. Hic dum præda diuiditur, nunciatur pontificis legatum cum classe adesse: cui propinquanti Venetus imperator instructis nauibus officij gratia obuiam processit, eumque alacri celeumate tubarumque concentu acceptum, post mutuam congratulationem ita affatus dicitur: Audiuisti credo præstantissime pater, quàm multa Veneti pro Christiana fide strenuè & magnificè ad hunc diem gesserint. Nonus iam annus agitur, ex quo cæteris Christiani nominis principibus populisque, præter Ferdinandum regem, cessantibus, terra marique cum hoste hoc immanissimo bellamus: nec uacat mutuas clades, labores, pericula, referre. Nullus quidẽ in tota Peloponneso locus est, nullum in tota Græciæ ora littus, nulla deniq; Ionij Ægeiq; maris insula, quę non aut nostro aut hostium sit sanguine imbuta.

buta. Laborum nunquam aut impensæ pertæsum est, modò quæ gesimus, quæq; gesturi sumus, Christiano nomini cõducant. Nũc uerò Æoliã Cariãq;, opulentissimas hostium regiones, ferro & igni populari, ecce tuo felicissimo accessu in maiore quandam gerendarum rerum spem adducimur. Quæcunq; enim tuis deinceps gerẽtur auspicijs, illa ipsa non nisi prosperè feliciterq; euentura arbitror. Tuũ igitur erit, quicquid è repub. Christiana fore duxeris, tuo diuino consilio id nobis maturè demonstrare, ac quid facto opus sit, dicere: nostrum uerò, omnia quæ te uelle dixeris, nauiter obire. Ad hæc ille: Noui ego, inquit, norunt & alij, quanto studio Veneti ad hunc diem rem Christianam defenderint: quot urbes, populos, insulas, suis opibus suorumq; uirtute seruarint. at tametsi aliarum classium imperatores semper rempub. fortiter gesserint: tu non solùm fortiter, sed feliciter etiam, & (ut sic dicam) penè diuinè gessisti. Quod quum ita sit, perge rogo ut cœpisti strenuè rem agere, nec cursum tuorum successuum nostris alterius ue ausp icijs interrumpi patiaris. Ego (ut sacris initiatũ decet) Deum diuosq; precabor, ut tua ritè secundent facta: copiæ quas adduxi, tuum sequentur imperium. Secũdum hæc in Samum insulam concessere, illic deliberaturi quò postea moturi essent. Est nunc Samos deserta (non enim de ea quæ Thracię adiacet, loquimur: sed quę potius ab illa diuersa est) hæc in Ioniæ ora, & (ut Isidorus tradidit) centum millium passuum circuitu, olim Parthenia appellata, inde Adrijsa & Anthemusa: Melamphilus, & Cyparisia nouissimè: ut nũc Samos, feris ob solitudinem referta est. Hic classis tam diu fuit, donec equi lõga iactatione fessi in herbido reficerẽtur. Interim milites socijq; nauales in terra expositi, uenationi & epulis indulgent. Classium præfecti cum Veneto imperatore statuũt Attaliam Pamphilię urbem, ab Attalo rege conditam, subita oppugnatione aggredi. Est ea ciuitas hoc tẽpore omnium maritimarum Asię maxima, portum habens ab utroq; latere turribus munitum, cathenaq; firmissima clausum: Ægyptij Syrijq; negociatores id commune totius prouinciæ emporium celebrant. Scalas itaq; & crates subitò à præfectis nauium parari Mocenicus mandat: quibus nauiter expeditis, ex Samo zephyro flante Attaliã oppugnatũ ire pergit: ad Chelidonias insulas delatus, duas auxiliares à Rhodiensibus triremes accepit. Erat uniuersæ classis numerus quinq; & octoginta, quarum uiginti pontifex miserat, Ferdinandus decem & septem, Rhodij duas, sex & quadraginta Venetorum erant. Ex Chelidonijs classis iam inclinãte die profecta, ad tertiam sequentis diei horam hostium littoribus est appulsa. Hinc Victorem Superãtium legatũ cum decem nauibus ad portum urbis occupandum Mocenicus mittit: Maripetrum alterum legatum cum naualibus copijs à continenti urbem auersa parte aggredi iubet: equitibus mãdat, ut collem Attaliæ proximum præsidij causa celeri cursu occupent: iubet ad hæc, omnes propriæ uirtutis esse memores, atq; interim non ignorare, cum imbelli, & (quod plus esset) imparato hoste sibi rem futuram: eam præterea urbem oppugnari, quę capta ad unũ omnes esset ditatura. Cum his è nauibus missi mira omnes alacritate ac spei pleni ad urbem tendunt, ipse cum sociorum legatis pugnæ spectator prætoria naui se continet: equites irrequieto cursu confestim ad collem peruenere. Superantius naui remis impulsa, per tela & sagittas primus omnium cathena abrupta portũ obtinet: secutæ reliquæ triremes turres circa portũ, trucidatis qui intus erant, cõtinuò capiunt. Occupant & suburbana tecta, ędificiaq; mœnibus subiecta. Ea maxima ex parte mercatores incolebant, mutandarum mercium causa: ij relictis rebus sub primum classis appulsum in ur- A

B

bem se trepidè receperant. Erant ibi tabernæ, pipere, cinnamomo, caryophyllo, thure, alijsque precio sissimis mercib⁹ plenæ. Direptis rebus, & in naues impositis, tecta subiecto igni Venetus ad oppidanorum terrorem incendit: inde (quia ob murorum altitudinem nullus erat scalarum usus) muros perrumpere milites aggrediũtur. Rhodiacę classis præfectus dum incautus portam urbis cum suis refringit, ingenti saxo ictus concidit: corpus exanime sui ad naues deferunt. Turbauit fortissimi uiri casus non mediocriter militum animos: sed magis flammæ, quæ uentorum turbine actæ pugnantium ora perstringebant, quibus undiq; ingruentibus coactus est miles remissa pugna se ad naues recipere. Maripetrus & ipse impigrè cum suis auersa parte, quæ duplici muro præcincta erat, urbem adortus, admotis repentè scalis exteriores muros cum Barbarorum cæde confestim occupat. ubi uerò ad secũdos uentum est, quia scalæ illorum altitudinem nõ æquabant, ab imo ferox miles mœnia diruere est adortus. Multi quidem uarijq; fuere nostrorum conatus: ac creditum uulgò est, urbem eo die capi potuisse, nisi militem mœnibus hærentẽ nox ipsa oppressisset. Ferunt, medio certamine fœminam Illyrici generis, quæ diu inter Barbaros seruierat, ex superiore parte clamoribus, nutu, hortatione, Christianos iuuare ausam: quum ex proximis quidam ei flagra minaretur, cõposita prius ueste summo muro desiluisse, moxq; suo pondere solo afflictam, inter suorum complexus expirasse. Legati relicto circa urbem præsidio, ne quis ingredi exiréue posset, ipsi cum reliquis sub noctem ad classem redeũt: ibi quia inter omnes constitit, oppidum mœnibus præsidioq; munitum, sine bellicis operibus, quibus muri dissiderentur, capi non posse: esset q; nimis longũ, expectare dum ex Peloponneso naubus peterentur: nec tam longum quàm periculosum, quum tota Pamphiliæ ora importuosa sit, Vulturno & Austro exposita, qui duo uenti id mare uiolẽtius agũt. Placuit postero die, suburbanis locis ferro & igni consumptis inde abire. Immissus itaq; miles amœnissimum totius Pamphiliæ agrum fœda populatione deformauit. Classis ex Attalia profecta, paucis diebus Rhodum applicuit. Hic dum Veneti & aliarum classium præfecti naues habent, Vsunasani regis Persarum orator Rhodum applicuit. Ex eo cognitum est, suasu & hortationibus Catharini Zeni, uiri patricij, Venetorum oratoris, Regem suum ad Othomani opes euertendas socia cum Veneto arma iunxisse: & iam eius duces cum expedita manu ferociter maiorem Armeniam, quę Othomani imperio parebat, inuasisse: Tocatamq;, opulentissimã eius regionis urbem, atq; alia quædam oppida non ignobilia, cepisse. Affirmat ad hęc, illum satis superque uiris & equis abundare: Persas quoq; hasta, ense, sagittis, ad pugnam idoneos, reliquorum operũ bellicorum ignaros omnino esse & inexpertos. Ad Venetos igitur & ad Romanum pontificem alios q; Christiani nominis principes se missum dicere: eos regis sui nomine orarurum, ut aduersus communẽ hostem Persicas opes bombardis ad urbium expugnationem & hostem eminus summouendũ iuuarent. Mocenicus & alij benignè oratoris postulata audiuere: hortatiq; sunt illum bene sperare, fore affirmantes ut omnia quæ petiturus uenisset, facile impetraret. Ostentant ad hæc illi ualidissimã classem & armis & uiris optimè instructam: eam dicere ubiq; regis imperio præsto affuturam, si ita euenire t, ut ea quãdoq; uti uellet. Barbaro cum his in Italiam dimisso, ipsi ad aliquid insuper agendũ, quoad per autumni tempestatẽ adhuc liceret, se accingũt. Sed dũ hæc mari gerũtur, Othomanica arma haud uno loco Venetas opes infestabant. Iam enim non Epirum solùm & Dalmatiã, sed Italiam quoq; subi

tis excursionibus uexare cœperant. In Epiro ab initio susceptibelli, quasi statis diebus bis quotannis circa Scodram, Lyssum, Croiam, & alia oppida quæ in ea ora Veneti tenebant, sub messiũ & uindemia rum dies Barbarorum equitum alæ erumpebant: quanquam ante bellum à Venetis cum Maometho Othomano susceptum, lõgè prius Turcorum arma Armurathi, qui Maomethi pater fuit, auspicijs in Epirum penetrarunt: uel tum maximè, quum Scanderbechus ab illo oppugnatus est. Ferunt hunc ferocissimum in armis fuisse, & qualem post Pyrrhũ, qui cum Romanis in terra Italia bellauit, Epiroticũ nomen nõ habuit. Solebat Ioannes Coccius, pater meus, qui Calabro bello sub Ruberto Vrsino, uiro fortissimo, aliquandiu militauit, adolescenti mihi enarrare, uidisse se Epirotam hominem, qui cum sexcentis equitibus Ferdinãdi nomine in Apuliam transuerat, exerto brachio nunc claua, nunc falcato ense pugnantem: totq; interim ac tanta belli facinora ædentem, ut meritò plus unus quàm tota equitum ala hostibus formidabilis uideretur. Is principatum sua industria in Epiro recuperatum, quoad uixit aduersus Turcos cum paucissimis fortiter defendit. Sexcentos lectissimos equites habuit semper: maiore ferè equitatu non utebatur: cum his sæpissimè Barbarorum copias suis longè maiores cõserto prælio fudit, fugauitq;. Quo factum esse aiunt, ut post eius mortem eximia uiri admiratione populi imbuti, quasi in illo aliquid uidissent quod humanum excederet fastigium, grati principis memoriã solennibus consecrarint carminibus. Retulerũt mihi fide digni uiri, uel medio ardore belli, & tũ quũ Barbarorum armis omnia strepebant, puellarũ cœtus in his urbibus quibus ille imperauit, octauo quoque die medijs triuijs coire solitos, ac defuncti principis (ut ueteres magnorum heroum in conuiuijs solebant) laudes decantare. Sed hæc, ut dixi, ali quanto antea. In Dalmatia quoq; & multę & uarię per hæc tempora fuerunt hostium excursiones: uerùm quia subitę, & latrocinij potius quàm legitimi belli speciem habentes, ideo parum memorabiles. Ac satis nobilcum feliciter actum esset, si prouincię solùm, & non Italia quoq; impia illorum arma sensissent, qthæ tum primum quum hæc, quæ diximus, à Mocenico in Asia gerebantur, Italiæ finibus transgressa Vtinum usq; peruenere. Erat medius ferè autumnus, quando sub occasum solis Barbarorum equitum alæ ad Sontium amnem tumultuose consederunt, cœperantq; hostium non pauci fluuium uado superare, quum in Veneta arma inciderũt, habebant turmæ equitum pleræq; in citeriore ripa & inuillis ripæ proximis stativa, qui sub ipsum hostium accessum transitum inhibituri, facto agmine affuerunt. Verùm quanquam satis maturatum esset, Barbarus tamen sua celeritate illorum cursum præuerterat atq; ex eo equitatu iam nonnulli fluuiũ transnauerant. Sed hos Venetus sub primum cõgressum ad aquas compulsos, in ulteriorem ripam ad suos confugere coëgit. Stetit & noster eques ad multam noctem in aduersa ripa: inde hostium multitudinẽ ueritus, in Ceruiam insulam cõcessit. Est locus hic non procul ab Aquileia, quem Rouedula, Amphora, & Alsa amnes suis occursibus insulam faciunt. Vbi uerò illuxit, nec Venetus in cõspectu apparuit, confestim flumine superato in patentes Carnorum campos tumultuose hostes irrumpunt. Ingens ex agris fuga facta est: & in oppidis non mediocriter trepidatum. Fumus uillarum procul ardentium terrorem oppidanis ingentem iniecerat: sed illum omnino maiorem faciebant ipsi agrestes pauidi, cum liberis, pecore, distractaque supellectile portis incidentes. Eram ego tum forte Vtini. Est id oppidum hodie omnium quæ in ea terra sunt, & conuentu & amplitudine maximè insigne: nũc regionem ipsam A uulgò Forumiulium appellant. Huc quum Barbarus ad tertium lapidem adequitasset, tantum insuete malo terroris omnibus iniecit, ut tanquam urbẽ irrupisset matronæ circa aras cum liberis pauidæ sederent. Discursum cum trepidatione in forum, & in arcem quæ foro imminet: creditum uulgò est, si ea consternatione Barbarus urbem oppugnare tentasset, facile in discrimen nobilissimum oppidum eo adduci potuisse: sed illi ueriti (credo) ne à tergo insidię pararentur (quia quò Venetus equitatus cõcessisset, parũ exploratum habebant) multis mortalibus cum pecore in prædam abductis, retro statim abierunt. Nec solùm hac Italiæ parte res Venetæ per id tempus sollicitæ fuere, sed circa Padum etiam Ferrariensium nouitatibus. Siquidem Borsio Æstensi defuncto, Veneti Herculẽ eius fratrem milite, nauibus, pecunia, adiutum in amplissimo principatu (de quo magnum alioquin illi cum Nicolao ex Leonello fratre nepote imminebat certamen) locauere: ac semel locatum, quum per id tempus paucorum cõspiratione penè eiectus esset, licet maiori bello impliciti, summa ope retinere perseuerarunt. Hæc foris. Domi uerò sublato argenteorum nummorum usu, quos magna ex parte adulteratos constabat, noua forma ac longè maior inducta est: Thronum dixere, ab ipsius principis imagine quæ in eo expressa est. In Asia dimisso Persarum regis legato, Mocenicus & sociorum præfecti, ne ocio tererent quod reliquum autumni erat, cõfestim in eandem ferè Asiæ orã, quę è regione Chij est circa Therm erium Mindiorum promontorium, transmisere: hic dextra læuaq; equites socijq; nauales immissi, frugiferum agrum passim olea & uitibus cõsitum uicisque frequenter habitatum, fœda populatione uastarũt: magnus mortalium numerus in prædam actus, humana capita ad septem ac triginta supra B centum ad naues relata. Captiuis sub hasta uenditis pecuniæ præda exactæ æqua portione sociarum classium turmis diuisæ. Inde in Naxon trãsmissum: hinc regiarum triremium præfectus (iam enim hybernorum tempus erat) à Mocenico bona uenia dimissus, cum tota classe domum abijt: Venetus cũ pontificis legato, ne non aliquod priusquam in hyberna concederent, à se facinus æderetur, ex Naxo non multo pòst profecti, ad Smyrnam, nobilissimã olim Ionię urbem, oppugnandam ire pergunt. Audiuerant illam, quoniam in remotissimo sinu sita esset, diu nullum belli impetum sensisse, atq; ob id loci incolas longa pace & ocio florere: quæ quo certiora erant, eo maiorem reparandorum mœniũ quę uetustate sua non uno loco collapsa erant, negligentiam pepererant. Ad Pśiram desertam insulam primò appulsum, inde nocturnis nauigationibus tertio die sub lucem Smyrneũ littus tenuere. Est pars urbis non parua monte sita, sed longè maior in planicie: uerùm mons frequentius colitur. Copiæ repẽtè in terram expositæ, hostium muros feroci adoriuntur oppugnatione. Ciues subito malo territi, cum metu & trepidatione in ipsis murorum ruinis Veneto occurrunt: sed illorum conatus parum uictoriam remorari potuerunt: eodem enim animorum ardore, quo oppugnatio inita erat, per scalas pluribus iam locis admotas, perq; murorum anfractus nauales socij scandentes urbem transcendunt. Ad cuius captæ sensum ingens fuga miserabilisq; comploratio orta dicitur: matronæ pauidæ in ipsa templa, quas Meschetas uocant, cum liberis confugerant, circumstabant aras Maomethum suum inuocantes: ciues in extremum discrimen adducti, ex summis tectis tegulas aliaque telorum genera in subiectum hostem deuoluunt. Venetus uictor per mediam urbem discurrens, uirgines, matronas ac reliquam imbellem turbam è templis distrahit: puberum alios abiectis armis capiunt, alios obstinatius

tius renitentes trucidant: uestes, aurum, argentum, A uasaque preciosè & magnificè cælata diripiunt, sacra prophanaque uiolant. Ferunt fœminam florenti ætate quum ad naues abduceretur, mariti sepulchro, in quod forte inciderat, procubuisse, ac flebili lamentatione illud complexam, dulcissimum maritimi nomen sæpius uocasse: En, inquit, coniunx dilectissime, extremus patriæ casus efficit, ut me, quam nullus amor, nulla uis unquã quo minus tua fuerim, semperque futura essem, uertere potuit, crudelissimi hostis manus in perpetuam captiuitatem abducat: separor infelix à tuo conspectu, nec dulcę patriam, nec monumentum hoc dulcissimum amplius uisura: has ego supremas lachrymas tuis misceo cineribus: his inferijs tuos manes supremum ciebo. Sed quid ita: moriar potius, quàm suauissimo hoc complexu diuellar. atq; ita sepulchro hærens quum neque minis neque alia ui facile diuelli posset, à temerario milite gladio traiecta hac sola refelix, quòd quo uoluit loco relicta est. Ad famam captæ urbis Balabanus, qui prouinciæ præerat, ex proximis statiuis subitò excitus, cum tumultuaria hominum manu non multo pòst affuit. Illi uenienti Peloponnesiacus eques primò occurrit, ac certamine uix bene iniecto, affuerunt & aliæ turmæ nauales, pugnatum aliquandiu est æquo marte: mox uerò Barbaro cadente, hostes fusi, ac cũ strage multa fugati sunt. Victor miles in urbẽ redijt, inde trãslata ad naues præda, igni domibus iniecto nobilissima ciuitas breui spacio in cineres collapsa est. Scribit Cepio, se hic inter alia uetera monumenta, Homeri poëtæ eminẽtissimi sepulchrum uidisse, cum ipsius statua Græcis literis inscripta. Nec urbs solũ, sed ager quoque illi circumiectus ferro & igni fœdè populatus est: cæsorum capita ad naues ducenta & quindecim relata. Classis inde abducta ad desertas insulas Ioniæ adiacentes appulsa est: hic præda B sub corona uendita, manubiæ ipsæ militi socijsque naualibus ac turmis ex pristino instituto diuisæ. Quarto deinde die in Clazomenium littus copiæ expositę. Est Clazomene in extrema parte Smyrnęi sinus: & ipsum quoque olim oppidum in Ionia insigne: ex agro urbi circumiecto exigua est omnino pręda acta. Nam Smyrnææ cladis fama effecerat, ut locorũ incolæ iam antea cum imbelli turba ad montes concessissent: pauci ad domorum custodiam relicti, cum camelorum ac reliqui pecoris copia intercepti. Inde, quia iam hybernorum tempus instabat, subsolano flante utraque classis ex Ionia in Peloponnesum paucis diebus incolumis est reducta. Vbi uerò Methonam est appulsum, Pontificis legatus Venetum complexa ita affatus dicitur; Ibo Mocenice, inquit, uir fortissime, rerum à te gestarum testis & publicus præco: faxim equidem (Italiam modò incolumes attingamus) ut non solùm pontifex augustissimusque ille noster senatus, sed Italia etiã tota, ac principes, & populi Christiani nominis uel ab Italia remotissimi, intelligant quid Veneti tuis auspicijs, tuo consilio & uirtute in Turcos communes hostes tota Asiæ, Lyciæ, & Pamphiliæ ora gesserint. Perge uir clarissime ut cœpisti, Venetum decus propagare, rem Christianam tueri, tuumque nomen per hæc immortalitati commendare: Deus Opt. Max. tuos secũder successus: spero fore, ut tua unius uirtute ingẽtes clades quas Christiano nomini immanissimus hostis intulit, breui maiore quodam Barbarorum incommodo resarciantur. Ad ea Mocenicus pauca de se, sed de Venetis magnificè multa est pollicitus: modò Christiani principes ij essent, qui ad id bellum cõficiendum Venetas opes iuuare uellent. Atque cum his Pontificis legatus in Italiam, Venetus Neapolim Peloponnesiacam diuersi abiere. Hic dum imperator muniendo oppido instat, Siculus adolescens, Antonio aiunt fuisse illi nomen, ad eum uenit (fuerat is Chalcidica expugnatione captus) edocet exploratam se habere classem, quam subductam Othomanus Callipoli haberet, cum toto armamentario, quia noctu non asseruaretur, facile concremari posse: ac si darentur sibi fidissimi comites, fore ut intra paucos dies audiret, à se nihil uani allatum. Exosculatus adolescentis in dolem Venetus, magnis onerat pollicitationibus: socijs & nauigio comparatis mox ille negociatorẽ mentitus, scapha pomis referta Dardanulos superat: inde quũ Callipolim applicuisset, sordido quæstui per diem intentus (quando maius omnino facinus animo agitaret) sequenti nocte armamentario cum centum nauium apparatu incẽso, in naues quæ proximo loco subductæ stabant, ob cõcursum hominum ad primam flammarum eruptionem factum, ignem injicere non potuit: ipse Hellespontum traijcere studens naui qua erat, ob ignem temerè disiectum incensa, in proximam syluam concedere coactus est, ubi cum socijs in quàm profundissimam potuit partem sese illatebrauit: sed ubi poma fluitantia passim conspecta sunt, nauiculaque proximo loco demersa, confestim rati quod erat, hesterni illius negociatoris opera id factum: ex fuga postridie uno ex socijs perempto qui non impunè occubuit, retracti, ad Othomanum Siculus & reliqui sunt missi: à quo rogatus adolescens, qua sua iniuria tãtum facinus patrare esset ausus. ferociter & intrepidè respondisse dicitur, communi Christiani nominis hosti nocere uoluisse: aggressum se facinus omnino pulchrũ, sed pulchrius adhuc aggressurum fuisse, si ut in nauticum apparatum flamma, ita in regis caput ferro grassari licuisset. Demiratus adolescentis in dolem Maomethus, non Porsenam regem, sed barbarã feritatem secutus, eum cum socijs medium secari iusit. Patres postquã illum suo præmio ornare non potuerunt, dote eius sorori ex publico data annuum fratri salarium constituere. Hybernabat Neapoli classis, eratque imperator (ut dixi) oppido & classi muniendę intentus, dum Persarum regis & Catharini Zeni literæ ad principem & senatum eò allatæ sunt, quibus idem ferè petebatur, quod & per legatum paucis antè mensibus: eas subitò Mocenicus triremi ad id parata Venetias perferendas curauit. Quibus patres moti, confestim ingentem tormentorum numerum undiq; expediunt: uasa ad hæc aurea magnificè cælata: Veronenses panni uim maximam & ex purpura multos, nonnullos etiam aureos regi dono destinant: centum præterea iuuenes, qui æneas machinas exercerẽt, quibus Thomas Himulanus est præfectus. Iosephus, Barbarus homo, magnus natu, uerũ Persicæ linguæ non ignarus, est missus, qui publico nomine ad regem munera deferret: quorum tanta uis fuit, ut tres onerariæ ad ea conuehenda instructæ sint. Omnibus itaque paratis Barbarus prospera usus nauigatione in Cyprum delatus est: mox ubi in maritima Ciliciæ aut Syriæ uenisset ad amicum regem transmissurus. Mandant ad hæc patres Mocenico per literas, ut ad Vsunasani iussa habeat classem paratam, confestim eò iturus, quò ab illo accersetur. Othomanus interim Byzantio præsidijs munito, ingentibus copijs in Asiam transmiserat ut tanti belli incendio occurreret. Venetus & ipse (quia fama erat, Caramanos fratres Persarum regis socios, quos Othomanus paterno regno spoliarat, maritima Ciliciæ oppida oppugnare) Persæ gratificaturus in Cyprum sub uernum tẽpus cum tota classe uenit, ut maritimis auxilijs Caramanas opes iuuaret. Idem fermè equitum aliorumque naualium sociorum fuit, qui & superiore anno apparatus. Rhodij duas instructas naues dedere Cyprius rex, & amicus, & belli socius, quatuor: atque ita aucta classe ad Ciliciæ littora Seleuciæ proxima

Venetus applicuit: ibi tum Caramanus Seleuciæ obſidendæ gratia caſtra habebat. Eſt portus, quem Theodori dicunt, eum Venetus claſſe occupauit. Fuit ibi olim Veneris templum, ac propter loci opportunitatem frequens piratarum habitatio: extra oppidi ruinas in ipſo littore uetuſtiſsimum extat fanum mirę magnitudinis, quadratoque lapide ædificatum: hic Caſſambetus ex Caramanis fratribus minor (Pirametus enim maior natu Ciliciæ rex in Perſicis caſtris erat) oratores ad Venetum mittit, qui eius acceſſum gratulati, memorant Caramanos fratres ſemper ob paternam amicitiam in Venetis ſpem maximam habuiſſe: docent adhæc, iam quartum menſem Caſſambetum tria Ciliciæ oppida obſidere, Sichinum, Seleuciam, & Corycũ: quibus ſi quandoque potiretur, fore affirmabat ut totum regnum breui recuperaret: deeſſe illi tormẽta, atque alia bellica opera ad urbes expugnandas. Orant igitur ut regi ſocio, & Veneti nominis amico, tantiſper auxilio eſſe uelit, donec paternum regnum, per iniuriam ab Othomano communi hoſte ereptum, recuperaret. Oratoribus bene ſpereiuſsis, Victorem Superantium legatum ad Caſſambetum Venetus mittit, ut cum eo de ratione adminiſtrandi belli ageret. ille coràm didicit, ex tribus oppidis quæ oppugnabantur, Sichino primũ expugnato opus eſſe: quo recepto apparebat reliqua continuò in fidem reditura. Tenebat id oppidum Muſtapha Cilix, homo perfidus, & qui cum fortuna fidem mutauerat: amicus olim Caſſambeti & fratris, ſed eorum principatu euerſo, Othomani ſecutus arma, id oppidum per iniuriam occuparat. Coriolanus Cepio Tragurinus ad explorandũ locum miſſus, retulit oppidum edito eſſe loco ſitum, murum tenuem, & ſine pinnis: imbellem turbam cæteraque uictoriam polliceri. Ad eam oppugnationem Venetus iturus, Lodouicum Lombardum Venetum cum decem triremibus ad Corycum mittit, ne quid commeatus à mari oppidanis ſubueheretur: à continenti Caramanus cum ſuis copijs hoſtem urgebat: ad Sichinum reliqua claſſis admota, oppidumque oppugnatione tentatũ, ob ſitus aſperitatem capi non potuit. Eo ſucceſſu oppidani elati, in Venetos pedem referentes inuecti: Ite, inquiunt Veneti, & mari & piſcibus imperate: continentis imperium Othomano relinquite. Tentauit per caduceatorem Venetus Muſtapham ad uoluntariam deditionem trahere, hortatus ut Venetam fidem potius quàm arma experiri uellet. Tum, quia à pace Barbarus omnino abhorrebat, oppidum graui oppugnatione adortus, bellicis machinis à parte Boreæ ſtaturis, quoniam muros diſturbare cœpiſſet, territum hoſtem ad deditionem compulit: Muſtapha cum ſuis abire permiſſo, oppidum Venetus Hiſupho Caramani præfecto tradidit. Inde quum ad Corycum rediret, Zancius regiæ claſsis præfectus cum decem triremibus illi medio curſu occurrit. Alluitur Corycus duabus partibus marino fluctu, reliquum à continenti profundiſsimam habet foſſam, duplici undique muro ualatam: portus illi ab occaſu æquinoctiali eſt, cuius aditum ipſa mœnia ab omni iniuria defendunt. Eleuſia inſula ad Auſtrum trecentos inde paſſus albo quadratoque lapide munita adiacet. Loci naturam aliquanto prius ex ſumma puppi Venetus contemplatus, mox dat ſuis ad irrumpendum ſignum. ad quod per crebros bombardorum ictus & tela, dextra læuaque cadentia, triremes portum occupauere. Copijs inde in littus expoſitis, Mocenicus mittit qui à præfecto urbis ſciſcitaretur, an deditione facta uellet inde abire: à quo quum ferociter reſponſum eſſet, non Muſtapham, uirum imbellem, illic eſſe, ſed eum qui regiæ cohortis militibus ad urbis præſidium miſsis præfici meruiſſet.

A Turcorum principum mos eſt, ex omni captiuorum numero quintam ſibi partem uendicare: pueros ferè à decimo anno ad ſextumdecimum legũt: ſi captiui deſunt, è prouincijs Chriſtiano nomini ademptis, uel parentibus inuitis per inquiſitores capiuntur: eos à pio cultu auerſos Maomethana ſuperſtitione imbuunt, imbutos præceptoribus militari diſciplina inſtruendos tradunt: ubi uerò adulti ſunt, cum principe militant, eosque Ianizaros uocant. Qui ingenio & indole præſtant, ad dignitatem promouentur: ex his Subaſſas, Flambularios, prouinciarum, urbium & arcium præfectos legunt: cætera turba partim ad oppidorum præſidia, partim ante ianuam principis excubant: illius latus, ſi quando domo egreditur, ferro ſtipant. Ex his lectiſsima illa & quaſi prætoriana cohorte in bello utuntur reges: ijs Corycum quoque per id tempus Othomanus firmarat: quorum uirtute fretus Hiſmaël oppidi præfectus, ad deditionem nullo modo inclinabat: ſed ubi uiribus opus eſſe, non minis apparuit, & à meridie, ab Eleuſia, & ab occidua parte Venetus æneas machinas ſtatuit: quibus quũ iam murus ea parte, qua ad Eleuſiam uergit, diſturbari cœpiſſet, incolumitate ſibi & ſuis pacta, deditionem fecit Hiſmaël: à quo oppidum receptum Venetus Caramano reſtituit. Inde ad Seleuciam oppugnandam ire pergit. Seleucus unus ex Alexandri Macedonis ſucceſſoribus eam quinq; millia paſſuum à mari condidit: urbs nunc uetuſtate collapſa eſt: arcem natura & opere munitam Neſembegus præſidio tenebat: qui etſi ab initio ab omni deditionis mentione abhorrere uiſus eſt: ubi tamen tormenta & alia bellica in ſe opera expediri uidit, & ipſe cum præſidio arcem Veneto tradidit, traditam ille per Superantium legatũ amico regi reſtituendam curauit. Caramanus recuperato regno equum argenteis ephippijs phaleriſq; ornatũ, pardumq; ad hæc cicurem Veneto imperatori dono miſit: egitq; ei gratias, quòd ipſius opera in paternum eſſet regnum reſtitutus: affirmans fore, ut quicquid deinceps fortunarum habiturus eſſet, acceptum ſe illud Veneto nomini cum fratre relaturũ. Profligato in Cilicia bello quum de Perſicis caſtris nihil afferretur, Lyciam adhuc bello intactã Mocenicus aggredi ſtatuit. Verùm quia nunciabatur, Iacobum Cyprium regem dyſenterico morbo grauiter laborare, in inſulam officij gratia diuertit: hic Venetus poſt mutuam ſalutationẽ, de morbo, deq; eius curatione nõ pauca, ut fit, percontatus ut bono eſſet animo, ac uim morbi fortiter perferret, regẽ hortatus eſt. Tum ille: Video, inquit, ac ſentio clariſsime imperator, me grauiſsimi morbi afflictatione in apertũ uitæ diſcrimen adductũ: & ne mihi placeã, quod de ſalute ſperẽ, nihil habeo: amantiſsimam igitur coniugẽ iam grauidam cum poſthuma ſobole hæredem inſtituo: ea, ut ſcis, Marci Cornarij filia eſt, quã Venetus ſenatus in filiam prius optatã mihi matrimonio locauit. Si igitur (quod uehementer uereor) uita deceſſero, & coniugem ipſam, & regnum Veneto nomini commendo: tuq;, ſi ita opus erit, pro noſtra amicitia, proque imperij maieſtate, eam cum ipſa prole totoq; regno ab omni quæſo tueare iniuria. Quin habes, inquit Mocenicus, rex inclyte, quod & ætate integra, & corpore adhuc ualido optimè ſperare debeas: ſed ſi, quod nolim, aliter euenerit, eam tecum ſpem feras, neq; me, neque Venetas opes tuis unquam defuturas. Atq; cũ his ab eo digreſſus celeri nauigatione ad inſulas Lycię propinquas cum tota claſſe deuenit: inde in continentis oram tranſgreſſus, ingenti primùm ex tota terra prædæ abducta, Mycrá (oppidũ non multũ à mari recedens) quia ſpes uoluntariæ deditionis nulla dabat, oppugnare eſt adortus: bellicis machinis à duobus lateribus admotis, & quà auxilia ſperari poterant, foſſa & uallo obiectis. Et iam murus aliqua ex parte concuſſus erat, quum Aiasbegus Lyciæ præfectus cum ingenti euocatorum manu affuit. Peloponneſiacus eques uenienti illi obiectus eſt: ac conſerto prælio utrinq; cruento marte pugnatum: demum Aiasbego cadente, fuſis fugatisq; cum cæde Barbaris, ad centum quindecim cæſorũ capita in caſtra ſunt delata, quę cum Aiasbegi capite haſtis præfixa, atque proximo loco, ut ab oppidanis conſpici poſſent, admota. Fractus ſuorum caſu Charagus Tribalus, qui cum ualida militum manu intus erat: diſiecta ad hæc iam murorum parte non parua, ſalutem ſibi & oppidanis paciſcitur, ut quò uellent incolumes abire liceret: oppidum Veneto relictum diripitur, direptumq; ſubiecto igni incendio eſt abſumptum. Hinc claſsis ad Piſcum admota, quod contra Rhodiorũ ciuitatem olim fuit, nũc ueſtigia tantum uiſuntur: circumiectus ager uicis habitatur, eum Peloponneſiacus eques in terrã expoſitus cum ſocijs naualibus prædatus eſt. Et iam ad Helleſponti anguſtias ſuperandas animum imperator adiecerat, edixeratq; nauium præfectis, ut ad eam expeditionem ſe accingerent, quum oratores à Carlota Cyprij regis ſorore (quæ multis antè annis à fratre regno pulſa, Rhodi exulabat) affuerunt: nunciant hi, Cyprum regem, à quo Carlota ſoror hęreditario regno (quia legitimè nata eſſet) per iniuriam fuerat ſpoliata, uita per eos dies deceſsiſſe: orant proinde opem, rogantq; ut amici olim regis filiam, & Allobrogum ducis nurum, auxilijs iuuare uellet, atque in paternum regnum reſtituere, unde per iniuriam à fratre, uerùm concubinæ filio, eiecta eſſet. Ad ea Venetus imperator, ueteri Iacobi regis fœdere & amicitia cum Venetis memorata, omnia dicere quæ iure præſtari poſſent, ſe publico nomine Carlotæ præſturum: uerùm mirari ſe, eam ignorare, regnorum iura in armis non lege conſiſte re: nec regnum illi ſoli, ſed Genuenſibus quoq;, qui ad id tempus non paruam inſulæ partem occupatã tenuiſſent, ademptum: ſcire ad hæc ſe, defuncti coniugem Veneri ſenatus per adoptionem filiam, quia grauida relicta eſſet, cum poſthuma ſobole hæredẽ ab illo ante mortem inſtitutam: huius igitur ut iuſtius, ita libentius ſe rationem habiturũ dicere, quæ & regis uxor, & ex eo mox futura eſſet mater: quæ Veneto ſanguine procreata, Veneti ſenatus per adoptionem filia eſſet: irent igitur, & aliunde quærerent auxilia aduerſus eam, quam ipſe pro maieſtate Veneti imperij eſſet ab omni iniuria uindicaturus. Cum his legatis à ſe dimiſsis iamiam Helleſpontũ uerſus moturus, literas à Catharino Zeno Mocenicus accepit, quibus docebatur, Perſarum exercitũ Othomanique non multum inter ſe diſtare, atq; eo conſilio caſtra penè contuliſſe, ut collatis ſignis de ſummarei acie dimicarent: operæprecium facturũ, ſi in maritimam Ciliciæ oram primo quoq; tempore cum tota claſſe ueniſſet, quò Perſarum rex diceret ſe copias admoturum, ut ibi cum eo de ratione gerendi belli ageret. His literis continuò ab Helleſpontiaca expeditione in Ciliciam Venetus curſum auertit, atque in Myreneorum agrum, qui Lycię eſt, excurſione ſubitò facta, in Cyprum diuertit: hic reginam, ob mariti mortem mœrore & luctu affectã, conſolatus, hortatuſque ut bono eſſet animo, nec ullius belli minas horreret: paratum eſſe ſe ad omnes nouos motus ipſius dignitatem tueri, ac procul regno iniuriam omnem propulſare: ſubitò in Ciliciam tranſijt. Et quum ad Corycum claſſem haberet, Lodouicus Lauretanus pontificiæ nauis præfectus, ad eum uenit: ait is, ſe à Spalatenſi antiſtite miſſum, qui pontificis legatus cum decem triremibus Rhodũ ueniſſet, ut ex eo ſciſcitaretur quid eſſet agendum: an in animo haberet, pulchrum aliquod in Turcos facinus edere: quoniam ſi id animo moliretur, ſe præſtò cum tota claſſe affuturum, diceret. Apparebat ea denunciatione, pontificium legatum ſine ſpe alicuius rei magnæ gerendæ, non ulterius progreſſurum: uidebaturque id poſtulare, quaſi nihil ad eam diem actum eſſet. Cuius rei indignitate Mocenicus motus, non potuit temperare quin diceret: Videri fortaſſe pro magnitudine animi parua nouo pontificis legato, quæ ad eam diem ipſe in hoſtem geſsiſſet: ſed illis qui ea paſsi eſſent, nõ modò non leuia uideri, ſed tam moleſta etiam & grauia, ut ne maiora quidem mala pati potuiſſent. Verùm integrum ei eſſe, uelit nec ne cum Veneta claſſe põtificiam iungere. Quod ad ſe attineret, ingenuè policeri, pontificis cauſa naues, uiros, legatum ipſum charisſimum futurum: atque eorum ſe non minorem quàm Venetarum rerum rationem & ubique & ſemper habiturum. Et iam plures dies circa Ciliciæ littora Veneta claſsis hæſerat, quum ex Catharini literis eſt cognitum, Perſas bis cum Turco conflixiſſe. Duo ſummi magiſtratus apud Othomanũ habebantur, Anatoliæ unus, alter Romaneæ: ille omnibus Aſiæ prouincijs, hic uerò Europæ præerat. Totam enim Pontici maris oram, à Tauricia Cherſoneſo uſque ferè in Peloponneſum, recentes Romaneam dixerunt. Suſpicari libet, id nomen factũ ſub id rempus, quo Romani imperij ſedes ex urbe Roma Byzantium translata eſt. Anatoliam contrà, & quæ Pontus olim dicebatur, cũ tota Helleſpontiaca ora, Cariæ, Lyciæ & Pamphilię tractu: horum rex, & quum de re aliqua quæ magni eſſet momenti agebatur, & in bellicis maximè gerendis utebatur opera, uterque Barbaro nomine Baſſa nominatur. Qui igitur Europeæ oræ præerat, cum Vſunaſani filio cõgreſſus, ingenti prælio uictus occubuit: Perſæ & uiris & equis Turcos præſtare creduntur: quod & pugnæ euentus eo tempore declarauit. Fuſæ nanque ac fugatæ à Perſis Othomanicæ copiæ, penè omnes cum ipſo duce occidione occiſæ ſunt: quadraginta Turcorum millia ea acie conſtixiſſe dicuntur, Perſarum triginta millia. Ea uictoria rex elatus, poſtero die Othomani caſtra circunſedit. Muniuerat interim ille ſibi locum medijs caſtris, quo ſe quaſi arce quadam tutiſsima continebat: inde circuitu quatuor millium paſſuum foſſam uallumque caſtris circumduxerat: poſt uallum circumquaque currus ferreis cathenis inter ſe connexis binas ſinguli machinas habentes: ingens ad hæc tormentorum uis ad tuendas munitiones undique diſpoſita erat: ad ea in hoſtes exercenda quindecim hominum millia parata erant. Intra uallum quinque & uiginti lectorum equitũ millia continebat, Thraces, Tribalosque omnes: peditum, quos Ianizaros uocant, uiginti millia, manum propè inuictam, & Macedonicæ phalangi aſsimilem. Sub primum igitur hoſtis acceſſum multa tormentorum millia uno tempore in confertas hoſtium cateruas excuſſa, ingentem hominum equorumque edidere ſtragẽ. Hic Vſunaſani regis filius, adoleſcens ferox, ac proxima uictoria ferocior factus, prima acie pugnans plumbea glande traiectus occubuit: Perſæ fœda ſuorum ſtrage territi, conſternatisque ad id inſoliti machinarum ſonitu equis, terga uertunt. Tum eruptione ex caſtris facta Turci uictis inſtant, paſſimque fugientes obtruncant. Omnis Perſarum exercitus equeſter erat: celeritate equorum proinde freti, ex Turcorum conſpectu præcipiti fuga abierunt: caſtris uictor potitus, fugientem ulterius perſequi non eſt auſus. Rex in Armeniæ montes, ubi uxor & liberi erant, ſe recepit. Othomanus quoniam hoſtem caſtris exuiſſet, quaſi uictor miſſo exercitu Byzantium eſt reuerſus. Perſarum trecenta ac quinquaginta bellatorum millia fuiſſe dicuntur, Turcorum trecenta ac uiginti: ſed horum quadraginta millia, illorum decem deſiderata: Perſæ uic-

sæ uirtute superiores, Turci arte & ingenio fuere. Hæc igitur quum ex Zeni literis imperator cognouisset, ex Cilicia in Cyprum concessit. nam ob aduersam pugnam Zenus scripserat, regem in mari timam oram eo anno non uenturũ. Mocenicus puerum, quem per eos dies regina enixa erat, ex baptismi lauacro sustulit: erat Andreas Cornarius in insula reginæ patruus, uir magni ingenij: huius consilio in rerum administratione præcipuè regina utebatur. Ab eo Mocenicus multa de statu insulæ scisitatus, cognouit omnia pacata esse: uerùm ne tantum regnum præsidio nudum relinqueretur, præter naues illas quæ cum muneribus eò sub initium æstatis uenerat, duas triremes addidit, quas omnes Phamagustæ præsidio esse uoluit, atque Cornarij dicto audientes esse. Eò pontificis legatus cum duabus triremibus uenit, reliquas Chium à quæstore abductas docuit. Inde non multo pòst ambo profecti, in Rhodum primò, inde in Chium transiuere: Cycladasq; circumuecti, in Peloponnesum uenerunt, unde Spalatino antistite in Italiam abeunte, Venetus Methonæ subsedit. Hęc æstate illa foris gesta. Thronus princeps medio ferè autũno uita decessit, quũ anno uno & mensibus octo rempub. administrasset: ad eḑem Minorum situs est, ubi Philippus filius magnificentissimũ illi ex candido marmore & auro sepulchrum secus aram maximam erexit. Nicolaus Marcellus, homo eximiæ pietatis, in demortui locum suffectus est: huius principatu in comitio uesta rerum series, quas Veneti pro Alexandro Romano pontifice aduersus Fœdericum imperatorem olim gessere, noua figuratione cœpta est instaurari: negocium gentili Bellino datum, uiro nostra tempestate pingendi peritissimo: quippe quem ad Othomanum Turcorum imperatorem, post pacem cum eo factam, Constantinopolim missum, quum & multa eximia eius artis experimenta edidisset, equestri *ille* dignitate, amplissimisq; muneribus donatum domum remisit. Eoq; principe argenteus nummus est percusus, quem Marcellum ab auctoris nomine dixere.

IN LIBRVM X.

Epitoma.

Cypri insulæ descriptio, atq; insulanorũ motus cum Cornarij cæde principio referuntur: Coniurati Venetæ classis interuentu insula excesserunt: Mocenicus statũ insulæ sua præsentia firmauit: Albaniæ, Epiroticæ, et Scodræ descriptio: Solimanus Eunuchus Scodram ingentibus copijs oppugnare adortus est: Veneti terra & aquis Scodrenses obsidione leuare conati sunt: Venetæ triremes in Boliana prosperè in Turcos depugnarũt: Turci ingenti strage à Scodræ mœnibus sunt repulsi: Triadanus Grittus Boliano cœlo affectus Cathari uita decessit: Pannoniæ rex sæpius per id tempus in Turcos prospere pugnauit: Scodra obsidione soluta est: Antonius Lauretanus, cuius præcipua opera Scodra seruata fuerat, imperium classis adeptus Naupactum primò, inde Lemnum opportuno accessu seruauit: Veneti in Epiro ad Groiam prælio uicti ingentem cladem acceperunt: Nec multo post in Italia ad Sontiũ amnem florentißimo equitatu amisso, Foroiulianus siue Carnicus ager à Turcis ferro & igni uastatus est: Scodra longè atrocius quàm quadriennio ante est à Turcis oppugnata: Turci nouißimè in Italiam eruperunt: Pax cum Othomano tandẽ secuta est, quum Scodrensis adhuc obsidio teneret: In insulis ob Zacynthi præsidium, bellum penè renouatũ est: In Hetruria post res cum Turco compositas, aliquandiu est pro Florentinis bellatum.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis tertiæ,

LIBER X.

A Yprus insula nouis inde motibus agitata, medijs Venetum hybernis exciuit. Erant multi in ea Gothola nici sanguinis uiri, quos Iacobus rex, nobilibus ferè omnibus ex insula cum Carlota sorore eiectis, magnis opibus donatos sparsim toto regno collocarat. Exercuerant illi iam antea piraticam, erantq; rapto uiuere assueti: actum mortuo rege (quanquam illius largitione amplas possiderẽt opes) nouas res tamen moliri cœperunt. Erat in his Cyprius quidã antistes, uir inter suos populares non minus ingenio quàm fortuna eminens: fungebaturque per id tempus, quo rex uita decessit, apud Ferdinandum regem oratoris munere. adiecit is animum ad regnum per tyrannidem occupandum. Quod ipsum ut commodius consequeretur, Ferdinando persuasit, ut se auctore curaret Iacobi regis filiam ex concubina natam, filio suo & ipsi notho, matrimonio locandam. ad quod negocium subitò transigendum, Antistes cum uno ex regijs purpuratis, cui multa & magna Ferdinandus credere solebat, duabus triremibus in Cyprum nauigauit. Venetus qui Methonę erat, regiarum triremium accessu audito, ratus quod erat, illas haud frustra in insulam missas: confestim & ipse Coriolanum, Cepionem, & Petrum B Tholmerium Dalmatus cum duabus triremibus in Cyprum ire iũbet, atque à regina scisitari, an insulani ad eam diem aliquid noui mouissent. Cęterùm si quid esset unde insidias timeret, diceret quid opus esset facto: paratum esse se cum tota classe, si res ita exigat, subitò in insulã proficisci: his nuper profectis ex literis à Cretensium duce redditis Mocenicus cognouit, iam Cyprios ad defectionem spectare: uerendum esse, nisi insulanorum consilia subitò illuc Venetæ classis appulsu opprimerentur, ne status insulæ in discrimen aliquod adduceretur. His literis motus classis imperator, statim Victorẽ Superantium cum octo alijs triremibus in Cyprum mittit: qui prius in Cretam uenit, quàm duæ illę triremes quæ præcesserant, inde profectæ essent. Iubet Superantius Coriolano ut ire pergeret, se cum reliquis nauibus subitò affuturum. Dum hæc Veneti properant, interim Cyprij cõspiratione cum suo antistite inita, sumptis noctu armis Polyzapam Cyprium, & Reginę medicum, qui subito clamore territi in illius cubiculum confugerant, obtruncant. Andreas Cornarius sub primum tumultum in arcẽ confugerat, à cuius præfecto non admissus, inter duos muros arcis delituit: mox uerò unius indicio proditus, accepta prius à coniuratis fide quum in equum descendisset, confestim & ipse cum Marco Bembo sororis filio trucidatus est: iacentium cadauera detractis uestibus conspirati nuda statuerunt. Patrata cæde ad prætorem, quem ex fœdere Veneti in ea insula habebant, ut suis popularibus ius diceret, pari consternatione concurrũt. Erat tũ prętor Nicolaus Paschalicus: eum cõiurati docent, Andreã Cornariũ à militibus quibus stipendiũ nõ soluisset, occisum: nolle se cædem illius noctis quæ ob unius auaritiam secuta esset, cuiquã suorũ apud Venetos fraudi esse: se quidem & in Reginæ fide, & in Venetorum amicitia perpetuò mansuros affirmant. Postulãt igitur ab eo, ut Venetæ classis imperatori scribar,

bat, Cornarium suã culpa cæsum uideri, quoniã milites stipendio fraudasset: missuros præterea se ad principem & patres, qui insulanorum nomine reginæ & filio perpetuam fidem, Veneto autẽ nomini amicitiam pollicerentur. Paschalicus, etsi aliò eorum consilia spectare uidebat, tamen pro ueris assimulans se ea accepisse, quæ coniurati dixerant, pollicetur ex eorum sententia ad Mocenicum se scripturum: illi interim regiam ingressi, regis filiam anorum sex Ferdinandi regis notho despondẽt: Galilæi principis titulum (quem regni successores libenter usurpare consueuerunt) prædiaque ad id & multa & magna, dotis nomine illi ascribunt. Quibus ita comparatis, confestim regium aulicum, qui Cypriũ antistitem secutus in insulam uenerat, cum altera triremium ad Ferdinandum dimittunt, cui omnia quæ acta essent, statim nunciari uolebant. Mittunt Venetias quoque, qui coram Patribus satisfacerent, lenirentque Cornariæ cædis atrocitatẽ: aut si nihil pacati redderetur, protraherẽt saltẽ quoquo modo possent bellum, ut non priùs à Venetis inferretur, quàm ipsi suas opes firmassent. Iubẽt ad hæc, ex sua sententia Reginam ad Mocenicum scribere, Andream patruum ob suam auaritiam à militibus cæsum: se cum filio liberè regnum administrare: Cyprios omnes in fide & officio esse. quæ puella à coniuratorum armis circumuenta, recusare nõ est ausa: ab his illi ad partes suas firmandas conuersi, arcibus fidos sibi uiros, & sceleris consios præficiũt. Affuit interim Coriolanus, qui dissimulata iniuria nunciat Reginæ, compertũ Venetis esse, Ægyptiorum regem Carlotæ Cypri regnum promisisse: prę-missum itaq; se ab classis imperatore, ut ipsi & Cyprijs nunciaret uti bono animo essent: aduẽtare Superantium legatum cum octo triremibus, ac breui pòst Mocenicum ipsum cum reliqua classe affuturum: paratos esse Venetos Reginam, & puerum ex B ea natum, cum toto regno ab omni externa iniuria tueri. Ad eum nuncium Regina cum omnibus bonis in spem erecta est. Coniurati contrà, suis uehementer rebus timere cœperunt. Quarto inde die legatus affuit, sub cuius appulsum duo ex coniuratis accepta fide ad eum uenerunt: hi multa de ijs quæ acciderant locuti, culpam cædis in unius Cornarij auaritiam reijcientes, pollicentur se & alios omnes in pristina fide mansuros: nec se antiquius quicquã habituros, quàm ut Venetam omni tempore colãt amicitiam. Superantius etsi uidebat insulanorũ uerba factis non respondere, tentauit tamen eos ad sanitatem retrahere: affirmans fore, ut Veneti nominis non amici tantum, sed amicissimi crederentur, si arces & uectigalia Reginę continuò restituerent. Nam quod ad Cornariam cædem attineret, eam in iuriam priuatam non publicam esse dicere: irent igitur, & ea ratione suum in Venetos studium probarent. Promiserunt illi secundum legati postulata se facturos: sed quum alia atque alia causantibus, ludificationem eam esse apparuit: tum Superantius & ad imperatorem & ad Senatum scripsit, Reginã nefaria paucorum cõspiratione cum filio oppressam: ac nisi maturè subueniatur, fore ut breui pòst & regno & regio nomine spoliaretur. Venerat interim ad Mocenicum coniuratorum orator, quo amarissimis uerbis increpito, ac sine spe ulla pacis misso, ipse periculo rei motus, etsi Triadanũ Grittum sibi successorem designatum sciebat: haud tamen in re tam atroci desidendum ratus, septem triremibus quæ ad Syriam & Alexandrinam negociationem exierant, retentis, Alexandrinas in Cretam mittit, Syriacas Neapolim, ut hæ Peloponnesiaco, illæ Cretensi explerentur equite. Mandat & insulæ magistratibus, ut quotquot onerarias nacti essent, cibarijs onerent, atque in Cyprum mittant: ipse præsidiario milite ex proximis urbibus in naues, quas A undique ex insulis & reliqua Græcia accersuerat, impolito, Rhodum uersus cum omnibus copijs abijt. Inter eundum Superantij legati literę de insulanorum coniuratione & aperta defectione reddũtur: quæ res effecit, ut adhuc magis properare perrexerit: ubi uerò Rhodum appulsum est, ac copias quæ nondum aderant, expectaret, ecce recentioribus literis fit certior, coniuratos audito armorum apparatu, ualidæque classis aduentu, Cypro insula excessisse, ac res omnes iam tuto loco esse. Reginæ autem literæ etsi ita esse affirmabant, nihilominus efflagitare, ut classis imperator, si reipublicæ commodo fieri posset, in insulam omnino annauigaret: superesse adhuc multos, qui scelerati consilij participes multa in se eo tumultu gesserãt: actum quoq; uiolenta usurpatione multa ad se trahentes, omnia turbarent: certò scire se, nisi paucorum potẽtia frangeretur, fore, ut breui pòst insulæ status in aliquod maius discrimen incideret. Huiusmodi literis commotus ille Rhodo profectus, paucis diebus in Cyprum uenit. Sedet ipsa insula in ambiguis fluctibus: ab occasu Pamphilio mari alluitur, à meridie Ægyptio: ab oriente Syrio, à Borea & Septentrione Cilicio: Acamantis olim dicta: Philonides Cerasim uocatam tradidit: Xenagoras Aspeliam, Amathusam, & Macaram: Astynomus Crypton & Colinią. oppida in ea olim quindecim illustria: nunc paucã omnino, in quibus Phamagusta littoralis ciuitas: Timosthenes eius circuitum quadringentorum uiginti nouem millium passuum prodidit: Isidorus trecentorum septuagintaquinque: longitudinem, quæ est ab ortu ad occasum inter Dinareta & Acamanta promontoria, centum sexaginta duũm millium Arthemidorus prodidit, Timosthenes ducentorum. Damastus falsò à Septẽtrione ad meridiem eius longitudinem significauit. Est Cyprus uirtute nulla insularum inferior: uino abundat ac oleo: frumenti quoque satis habet: habet & æris metalla, ac pleraque alia, quibus non minus quàm ob loci opportunitatem, quia Syriæ sit propinqua, à negociatoribus frequentatur. Hic igitur Phamagustæ, quò primum appulerat, copias in diui Nicolai campo, qui regiæ subiacet, per speciem recognitionis, Regina & Cyprijs stupentibus, in conspectum dedit. Lustrato exercitu subitò mercatorias naues & alias undique accersitas cum toto equitatu aliaque euocatorum turba domum dimisit, sagittarijs Cretensibus cum ueteri classe retentis: tum Veneti nominis uiros cum sagittariorum præsidio arcibus præfecit. acerbissima inde quæstione habita de ijs, qui Cornariæ cædis conscij fuerant, sceleris conuictos capitali supplicio affecit: alios in suspicionem criminis deuocatos, in exilium egit: multis noxijs uasta insula errantibus proscriptis, igni & aqua interdixit: qui in fide ea temporum nouitate manserant, coniuratorum bonis donati suæ fidei præmiũ accepere. Ita Cyprijs rebus compositis, literæ Marcelli principis eò perferuntur cum senatusconsulto, quo Cyprus prouincia Mocenico decernebatur. Ipse, etsi cuncta quæ ad insulæ ocium pertinebant, iam antea prouiderat, erantque omnia pacata: publico tamen decreto ad Cypriæ rei præsidium remanere est coactus. Venerat interim in prouinciam Iacobus Marcellus, noui imperatoris legatus: cui in Cyprum progresso decem Mocenicus triremes tradidit, quibus Ægæi maris insulas usque ad Triadani aduentum tueretur. Sed ubi eum quoque in Græciam uenisse per literas factus est certior, uideretq; insulæ statum pacatissimum, Superãtio legato (qui etiam decreto Patrum terrestribus copijs in insula præesse iussus erat) cum decem triremibus ad regni præsidium relicto, salutata regina, iussaque bono animo esse, Veneras opes nunquam ei ad regiã dignitatẽ tuendam defuturas: scuto eximij operis, purpu-

purpureoq; ab ea uexillo ob res bene gestas donatus, ex insula cum reliqua classe profectus: quanq; Etesijs ex aduerso flantibus (erat enim iam æstas) Rhodum primò, inde in Cretam, nouissimè Methonam uenit. Hic nunciatum est, hostem Scodram ingenti apparatu obsidere. Est id oppidum in ea Dalmatiæ parte, quam ab Epirotis occupatam recentiores peculiari nomine Albaniam dixere: sedetque arduo monte undiq; prono ac decliuo, aliquibus etiam locis præcipiti: habet ab occasu lacum, qui octoginta passuum millia circuitu patet: à nullo tamen ueterum scriptorum, quod sciam, celebratum: locorum incolæ Scodræ lacum appellant. Ex eo nauigabilis oritur fluuius, quem Bolianam appellãt: olim Drino fluuius ad ortum præter oppidum Plinij testimonio decurrebat, cuius alueus & pontis uestigia adhuc extare traduntur: nunc mutato cursu iuxta Lyssum duobus ostijs decem millia passuũ à Boliana in mare decurrit. Planicies quæ inter ipsa duo flumina iacet, & campi illis circuniecti, mirę feracitatis dicuntur: ita ut & semina temerè iacta, sine alio humano cultu coalescant, pecoraq; à pascuis depelli necesse sit, ne nimia sagina pereant. Maritimam regionis oram cæduæ ferè syluæ uestiunt, ad fabricandas naues apprimè idoneæ. Hanc locorum commoditatem Othomanus, qui ad Italię imperiũ anhelabat, secutus, Scodrá eius regionis caput expugnare statuit: qua capta uidebat omnino fore, ut & reliqua terra potiretur. Solimano igitur Eunucho, quem in eius præfecti locum qui Persico bello superiore anno occubuerat, Europæ prouincijs præfecerat, gerendæ rei negocium dedit: tribuit ad hęc ex imperatoria cohorte Ianizaros ad octo millia, & ad æneas machinas subitò conflandas opifices centum. Is accersitis omnium prouinciarum ducibus qui citra Hellespontum Othomano parebant, octoginta armatorum millia contraxerat. Oppido itaq; obsidione cincto, Bolianam quoque ponte iunxit, cui Alibegum Tribalorum audacissimum cum suis copijs præesse uoluit. Nec ita multo pòst quàm oppidum obsidere cœpit, quatuor æneas ingentis magnitudinis machinas ad muros disturbãdos fudit: earum materiem quadringentis camelis deportarat. Fudit & duodecim alias minores ad priuata tecta diruenda. Mocenicus audita Scodræ obsidione, subitò Corcyram uenit: ubi ei principis literæ cum senatus decreto redduntur, quo Scodræ tuendæ cum tota Epiri ora negocium sibi datum cognouit. Continuò itaq; in continentem transijt: ubi Bolianæ ostium ingressus Triadanum Grittum successorem suũ cum Alouisio Bembo legato inuenit. Tum ille, etsi omnia suis auspicijs geri poterant: tamẽ minimè ambitiosus, communi consilio cum Triadano prouinciam administrare statuit. Primum itaq; omnium Leonardum Buldonium cum quatuor triremibus Catharum mittunt: iubetq; Ioannem Cernouium, qui Illyricis lacum accolentibus imperabat, adire: eum q; suo nomine monere, ut (uti fidum decebat socium) contractis undiq; copijs tentaret aliquo modo Scodrensibus opitulari: Leonardus ipse nauibus studio fabricatis cum Cernouio aquis obsessæ urbi supperias ferret: quinq; deinde triremes per Drinonem fluuium ad Lysi præsidiũ mittunt. Est id oppidum plano loco situm: & ut natura, ita quoq; humano opere parum munitum. Efficit Dryino duobus ostijs in mare excurrens insulã, quò se sub hostium aduentum & rota ferè prouincia agrestes (qui uicatim plurimum habitant) cum liberis & expeditione supellectile receperant. Ad eam igitur tuendam, præter triremes ipsas, multa quoq; nauigia ad bellum instructa Veneti imperatores misere: Dyrrhachium quoq; quatuor triremibus, Epiroticoq; equitatu firmauere. Fuit id oppidũ primò Epidamnum, ab Epidamno cõditore dictũ, cuius nepos Dyrrhachius, ex filia portum urbi adecit, deq; suo nomine Dyrrhachium dici uoluit: unde urbs ipsa postea nomen sortita est. Is in eo bello quod ductu Herculis aduersus fratres gessit, Ioniũ filium amisit, qui ab Hercule per errorem occisus, & in proximos fluctus proiectus, mari nomen dedisse dicitur. Hæc Græci scriptores. Latini haud tã ueterem loci originem autumant, aiuntq; à Romanis pro Epidamno Dyrrhachium nũcupari cœptũ: quia uelut in damnum ituris id omen uisum esset. Illustris olim ciuitas, præcipueq; bellorum ciuiliũ temporibus celebrata: eò enim Pompeius omnes belli apparatus in Cæsarem contulit: nunc deserta, ac penè inhabitata est: eam Veneti ob portus commoditatem custodiunt. Post Dyrrhachium, Butuam, Antibarum, & Olchinum præsidio firmãt. Olchinum olim, auctore Plinio, Colchinum dictum, quia à Colchis conditum: ab ijs credo, quos ad Medeam insequendam in Adriatici & Ionij maris orã ueniisse manifestè constat. Grauissimos auctores habeo, adhuc loci incolas uetustissimam conditorum sapere feritatem, qui præ cæteris eius oræ accolis, hospitibus infesti habeantur. Imperatores ipsi ad Sergij fanum in oppidanorum conspectu cum reliqua classe consedere. Distat is locus à Scodra quinque passuum millia, à mari quatuordecim: ultra ædem fluuius, quia pluribus locis uadosus, triremibus nauigari non potest: ex eo loco mutua constantiæ signa, manè & uesperi accenso igne, ex classe & oppido reddebãtur. Colligit sese in arctissimas fauces Boliana: infra templum ad Scalam locum, qui octo millia passuum à classe aberat. Eas angustias Barbari ad triremes intercludendas cathena & trabibus obstruere adorti, adduxissent omnino Venetos in discrimen maximum, nisi id per transfugam maturè illi resciuissent. Qui periculo rei commoti, confestim structis nauibus ad fauces occupandas contendunt. Iam hostis sub nauium accessum confertissimo agmine ripam insederat. Coorta igitur subitò pugna, Barbari Venetum sagittarum multitudine, Venetus illum lapidibus, & glande plumbea machinis excussa affligebat: telaque adhæc cuiusque generis ingerens, fœdissimam ædebat stragem: tectus ipse ac munitus in hostem ad omnẽ iniuriam expositum pugnabat, nec telum aliquod in confertissimum agmen irritum cadebat. Quingentis igitur amissis, pluribus uulneratis, cessit hostis. Veneti uictores quatuor triremibus ad loci præsidium relictis, ad pristinam fani stationem rèdeunt. Pleriq; ex ijs qui rei gerendæ interfuere, prius Triadani auspicijs aduersus Barbaros ad Bolianam pugnatum memorant, quàm Mocenicus in prouinciã ueniisset. Dum hæc autem circa fluuium geruntur, Barbarus die noctuq; muros urbis, ac priuata tecta tormentorum ictibus quatiebat. Erat tum oppidi prætor, ac totius prouinciæ legatus, Antonius Lauretanus, homo inuicti animi: qui præsenti consilio omnia circumspicere: quà muros concussos, & ad ruinam iam pronos uidebat, crassissimo aggere interiore parte firmabat: dolia uinaria ruderibus referta aggeri, pinnarum loco imponebat. Et iam obsidio, quę circa Maias idus cœperat, plures dies tenuerat: quorum Lauretanus missо per stationes hostium adolescente, Venetis ducibus significat. Etsi ipse & alij bono essent animo, nec non parati diutius obsidionem ferre: tamen quia belli euentus dubius esset semper, uiderent ipsi si qua ratione possent, ut omnino subsidium aliquod urbi ferrent. Tentarunt Triadanus & Mocenicus id Lauretano præstare per Leonardum Buldonium & Ioannem Cernouium, qui paratis pedestribus copijs, & classe in lacu non inualida (quia omnia hostis præsidio firmarat) conserto prælio re infecta cesserunt. Et quia campos ab hoste insessos, & circa flumen quà

Scodram

Scodram annauigandum erat, omnia præsidijs firmata uidebant: apparebatq;, maioribus omnino copijs, & in primis ingẽti opus esse equitatu, si inuitis hostibus ad urbem penetrare uellent: omni spe in oppidi situ, legatiq; & oppidanorum uirtute reposita, imperatores ab omni maiore conatu in præsentia abstinuerunt. Triadanus interim & Bembus legatus ob palustre cœlum graui morbo laborare cœperunt: nec ipsi solum, sed tota ferè classis iam affecta iacebat: illi procurandę ualetudinis causa Catharum se contulerunt: Mocenicus (quãquam nec ipse omnino incolumis erat) Scodrinę tamen oppugnationis exitum cum Maripetro legato expectare statuit. Barbarus interim prostratis Scodrę mœnibus: nunc minis, nunc hortationibus aliquãdiu tentauit Lauretanum ad deditionẽ compellere: à quo cum nihil pacati redderetur, cratibus oppido pluteisq; admotis, quibus sui tutius munitiones subirẽt: hac pagonibus, manicis ferreis, falcibus, longis hastis præfixis, partem militum instruit, præmissis qui in pluteis testudineq́ sequentem militem protegerent: Ianizaros scuto & ense armatos subsequi iubet: his sagittariorum uim ingentem subijcit qui te lorum multitudine propugnatorum conficerent. atque ita acie instructa sub lucem oppidum oppugnatione adoritur. Scodrenses & ipsi ad summouẽdos hostes separarant. Erant in oppido uasa uiminea, fimo bubulo oblita, quibus oppidani frumenta seruare consueuerãt: ea pice, stuppa, sulphure compleant, in subeuntem hostem incensa demissuri: saxa ad hæc ingentia per munitiones disposuerant: referserantque æneas machinas paruis lapidibus, ut plures uno ictu lapides excussi maiorem hosti cladem afferrent. Quibus in hunc modum paratis taciti, quousque Barbarus munitiones subiret, expectarunt. Ille (ut mos gentis est) ingenti clamore ædito oppidũ corona cingit, perq; murorum ruinas munitiones subire conatur. Tum oppidani constanti animo uenientem hostem excipiunt, exceptum desuper telorum multitudine penè obruũt: uiminea uasa ardentia in confertos hostes deuoluunt: quę pestis erat illis maximè ineuitabilis. Densissimo enim agmine operta erant montis latera: orbiculata uasa per decliuia montis deiecta, subeuntes cuneos adurebant: saxa præterea grandia in subiectos hostes deuoluta, fœdissimam ædebant stragem: lapides machinis in murum excussi, cateruas hostium uno ferè tempore prosternebant. Verùm illi per cadauerum aceruos, ferarum more ruentes, intrepidè munitiones subibant. Contrà Scodrenses, saxa, ignem, hastas ingerentes, hostẽ affligunt, à murisq; & munitionibus summouent. Lauretanus interim nullo deerat loco: circumeundo cuncta prospiciebat: ficubi rariores pugnabant, saucios aut fessos uidebat, integros summittere: orare ad hæc, obtestariq; per egregiam ipsorum erga Venetum imperiũ fidem, à quo magna defensi oppidi præmia laturi essent, ut suæ uirtutis memores, patriam, liberos, coniuges, sacra & prophana à crudelissimo hoste defenderẽt. Nec Solimanus interea cessabat, suos claua ferrea in aduersum montem trudere, pulsare etiam, si quos minus impigrè pugnam capessere conspiciebat. Demum quum ante lucem pugnari cœptum esset, & iam quarta ferè exacta esset diei hora, nec aliquid Barbari proficerent, uicti propugnatorum uirtute, retrò abiere: in eos trepidè cedentes desuper Scodrenses cum præsidiario milite impetum faciunt, ac præcipites per suorum cadauera ad radices usq; montis cum strage fœdissima agunt: signis deinde militaribus atque hostium spolijs onusti, in urbem læti ouantesque sunt reuersi. Cepio, qui hęc omnia diligenter scripsit, tria hostium millia ea oppugnatione perijsse scribit, in quibus præfecti ac magni nominis quatuordecim sint desiderati: sed longè plures uulneratos, quorum pars maxima postea decesserit. Scodrenses ipsi affirmare mihi audent, oppugnatione alijsque casibus ad sexdecim millia Barbarorum ea obsidione perijsse. Re ad Scodram bene gesta (quia non erat cur amplius de oppidi oppugnatione timeret) ad suam Mocenicus salutem respicere cœpit. Nam fama erat, Alouisium Bembũ legatum Cathari diem obiuisse, ac Triadanũ ipsum animam exigua spe trahere: uitæ suæ metuens, ad medios Ragusium concessit. Est Ragusium Dalmatiæ urbs, quam Epidaurenses, patria à Gothis euersa, auspicatiore loco condiderũt: ciuitas libera, moribus ac legibus optimè instructa. Dum hic Mocenicus recuperandæ ualetudini dat operam, Solimanus Scodrã nihilominus obsidione premebat: perseueraretque tam diu illic esse, donec si non ferro, si ti saltem, aut fame hostem domitum ad defectionẽ compulisset, nisi Matthiæ Pannoniæ regis motus decedere coẽgissent. Veneti iam inde ex quo bellũ cum Othomano susceperе, Pannonum arma sibi socia iunxerũt, decreto bellicosissimo regi annuo stipendio: atque ob id Franciscus Venerius ab initio ad eum missus, cũ quo legati nomine in Barbaros communi consilio rem gereret: inde Ioannes Hemus secutus, cuius tempore bis in Pannoniæ finibus aduersus Alibegum feliciter pugnatum accepimus: post Hemum Franciscus Diedus & Fráciscus Iustinianus eo munere apud regem sunt functi. Nouissimè uerò Scodrensi obsidione nunciata, Patres Sebastianum Badouarium cum ingenti auri pondere ad illum miserunt: is sub primum accessum, non magis auro quàm ingenij dexteritate, ita regis animum in omnes partes uersauit, ut cõtinuò sumptis armis tãtum terrorem Othomano iniecerit, ut per literas Eunuchum ex Scodrensi obsidione reuocarit. Perrexit patrum decreto Badouarius apud regem esse, fuitque apud illum biennio & amplius: quo sanè tempore multa præclara Pannoni facinora in Turcos ædidit. Nam præter quod sexies prosperè aduersus eos dimicauit, Sabazam oppidum munitissimum cum mille ex regia cohorte, quos Ianizaros uocari diximus, Othomano ademit. Cæterùm illato Stephano Vaiuodæ bello, quum hostis Zuzanam urbem nobilissimam ingenti armorum apparatu oppugnare adortus esset, audito Pannonis motu, operibus bellicis impedimentisque relictis, soluta repentè obsidione turpi fuga inde abijt. Atque ita sanè euenit, ut aliquandiu res Venetа huiusmodi præsidio defensa, nullum prorsus ab hoste incommodum acceperit. Quo factum est, ut Venetis auctoribus communi plurium Italiæ populorũ ac principum nomine cẽtum aureorum nummũm millia per Arietensem antistitem & Antonium Victurium, qui Badouario successit, sint ei in Pannoniam missa. Solimanus ab Othomano reuocatus, machinis continuò diffractis tertio fermè mense postquam eò uenerat, soluta obsidione in Macedoniam cõcessit. Hoc magis placet, quàm illud quod aiunt quidam, eum territum quòd in Italia ingentẽ armorum uim in se comparari audiuerat, obsidionem soluisse. Scodrenses, quorum supra duo millia diuersis casibus occubuerant, quum ad id inopiæ aquarum uentum esset, ut uix modicum quid singulis distribuendo tres adhuc dies suffecturæ crederẽtur: abeunte hoste præcipites sitibundum agmen ad subiectum flumen ruunt, desideratamq; multis diebus aquam, tam cupidè hauriunt, ut multi ea repleti, stupidi rigentibus membris statim exanimes conciderint. Mocenicus audito hostium discessu, quum nihil Ragusij conualescеret, Venetias se contulit: paucisque pòst diebus Triadanus classis imperator iam octogenarius Cathari moritur. Stephanus Maripetrus, quem cum classe ad Sergij fanum Mocenicus reliquerat, soluta obsidione, iussisque

turmarum præfectis in ſalubriora concedere loca, omnes penè remiges ſocijq; nauales Boliano cœlo grauati iacebant: ipſe quoq; infirmus Venetias profectus eſt. Solutæ obſidionis nuncius, qui aliquãto Maripetri reditum præceſſit, ingenti gaudio ciuitatem affecit, quæ quandiu illa tenuit, mirè ſollicita fuit. Laudatus Lauretanus, publicaq; illi munera decreta. Laudati centuriones, qui præſidio fuerant: ſed in primis oppidanorum fides, ueraq; in defenda urbe uirtus: tam his ſua, quàm illis præmia reddita. Gratiæ ad id circa templa Deo optimo maximo actæ, quòd reſpub. in tanto belli diſcrimine ſuo veſtigio ſtetiſſet. Nec Mocenicus nõ ampla munera accepit, qui Marcello duce, initio brumæ quæ ſecuta eſt defuncto, miro patrum cõſenſu princeps declaratus eſt. Habuit Marcelli principatus annum unum ac tres fermè menſes: ipſe apud Carruſienſes honorificentiſsimè ſepultus eſt. Verno autem eius anni tempore Antonius Lauretanus, cui ob Scodrã ſeruatam meritò maris imperium fuerat delatum, inter Cyprum & Ciliciam, certeham Genuenſiũ unã preciouſiſsima Turcorum merce plenam oppreſsit: ſexdecim triremibus ab initio oppugnata, capi non potuit: Georgij inde Dragani interuentu, qui Venetæ præerat cetheæ, bombardæ ictu hoſtiũ cauea diſculſa, Liguſtica nauis capta eſt. Nec ita multo pòſt Solimanus, qui Scodram ſuperiore anno oppugnarat, cum triginta Barbarorum millibus Naupactum acri obſidione eſt adortus. Lepantum id oppidum uulgò hodie appellant. In Corinthiaco ſinu eſt ſitum, poſt Calidonem, inter Ætoliæ urbes præcipui olim nominis: nunc omnino infrequẽs habitatur, muris undique ferè ſua uetuſtate collapſis. Arx illi ad ſeptentrionem arduo colle mari auerſa conſurgit: foſſa igitur & uallo, & in primis propugnatorũ uirtute eſt defenſum. Affuit nanque maturo appulſu aliquanto ante hoſtis aduẽtum Lauretanus cum ualidiſsima claſſe: hoſtes bellicis operibus ad oppidanorum tecta diruenda uſi ſunt: ſocij nauales, & cum his quingenti expediti equites, nõ ſolùm munitiones tuebantur, ſed quotidie ferè per occaſionẽ tumultuaria cum Barbaro prælia committebant. Quatuor menſes renuit obſidio. Tum uerò quum nulla potiundi oppidi ſpes eſſet (nam præter ualidum præſidium quod intus erat, ſedebat Veneta claſsis in portu, commeatum, arma, militem, oppidanis aſſatim ſuggerẽs) fatigatus bello hoſtis abijt. Hi terreſtres æſtate illa fuerunt hoſtium conatus. Mari uerò Lemnum inſulam haud multo poſtquã Naupactum oppugnari deſijt, Othomanica claſsis inualit: aliquandiu Coccinum in ea oppugnatum, ac murorum parte tormẽtis diſiecta, parum abfuit quin Barbari oppidum irruperint: fuiſſentq;ue, ut aiunt, eo omnino potiti, niſi Lauretanus maturo acceſſu laborantibus ſubueniſſet, qui Lemniaca oppugnatione nunciata, legato cum quatuor triremibus ad Naupactũ relicto, ipſe cum reliqua claſſe ad Pſaram inſulam deſertã, haud procul à Lemno conſedit: ob affectas turmas cõgredi non eſt auſus: multi quidem ab ægritudine ſuperioris æſtatis, adhuc ægra non leuabant corpora: non pauci quoque circa Naupactum nouo morbo impliciti, cubare cœperant. uerùm hoſtis moram ipſam aliter interpretatus, quaſi tantiſper Venetus eo loco conſediſſet, dũque ad pugnam neceſſaria eſſent, expedirentur, deducta in aſtum claſſe abijt. Tum Lauretanus ad inſulam progreſſus eſt. Oppidani, & qui præſidio fuerant, ampliſsimis uerbis ſunt laudati. Ferunt Lemniacam puellam ad Lauretani conſpectum productam pugili corpore, cuius opera, omnium prædicatione, conſtabat oppidum in primis defenſum. Tradunt qui eam in medium productam uiderũt, ſe ex inſulæ præfecto audiuiſſe, cẽſo pro portis Coccini patre, qui fortiter pugnans occubuerat, ſtatim A ferociſsimam uirginem Marullam nomine, accurriſſe, ſcutoq; iacentis & enſe arrepto, Barbarum iam portam irrumpentem primò ſuſtinuiſſe, inde interuentu ſuorum adiutam, hoſtes ad naues uſque cum cæde reiecisſe: ob hæcq; ab imperatore maiore pecunia, à legatis uerò ſingulisq; nauium præfectis aureo nummo donatam. Cæterùm data illi optione, ut ex fortibus uiris ſumeret in maritum quem uellet, pollicente Lauretano, fore ut mox dotem ex publico acciperet: reſpondiſſe dicitur, habere oportere ſe rationem non fortitudinis ſolùm, ſed etiam probitatis: nulli itaque ſe prius nupturam, quàm planè exploratum haberet, qualis ille quem optaſſet futurus maritus eſſet. Qua unius indole ſi licet alias populares cenſere, planè affirmare auſim, nihil hodie Léniacas fœminas ab heroica illa Hypſipyles, & aliarum quæ cum ea inſulam tenuerunt, uirtute degenerare: ueriſimumq; eſſe illud, quod uulgò dici ſolet, Locorum fortunas ſæpius, incolarum uerò ingenia rariſsimè mutari. Hæc æſtate illa terra marique: inde in hyberna eſt conceſſum. Verno ſequẽtis anni tempore (quia fama erat Ferdinãdum regem conſilia de Cypro inuadendo agitare) Ioannes ex patricia Georgiorum familia cum triremibus quinque pluribusq; onerarijs eſt in inſulam miſſus: ſed rumores illi de Cyprio bello temerè diſſipati, paulatim remiſere. Lauretanus interim Peloponneſiacam oram cum circumiectis inſulis diligenti cura tueri: neque æſtate illa, neque alijs quæ ſecutæ ſunt uſque ad pacem, quæ eo quadriennio cum Turco ſecuta eſt, aliquid dignum memoria in inſulis geſtum reperio. Mocenicus princeps altero fui ducatus anno, menſe quidem ſecundo, ex humanis deceſsit: in Gemellorũ æde ſitus eſt, ubi magnificentiſsimum ipſius ſepulchrum è manubijs Aſiaticæ prædæ conſtructum uiſitur. Andreas Vendraminus in demortui locum princeps declaratus eſt. B Hæc domi. Foris uerò nihil interim eſt geſtũ. Æſtate autem quæ ſecuta eſt, quæq; ab Scodrenſi obſidione tertia fuit, in Epiro Croia oppugnata eſt: ad octo Barbarorum millia eam ſub uernum tempus adorti, totum annum & amplius obſidione premere perſeuerarunt. Eſt id oppidum ſub altiſsimo mõte ſitum, quem Croianum proximi incolæ uocant, in abrupto undique ſaxo: quo euenit ut omnes hoſtium conatus diu qui in urbe erant, fruſtrati ſint: fuiſſentq; diutiſsimè fruſtraturi, niſi fames eos (ut poſtea dicemus) domuiſſet. Exierat igitur iam prima obſidionis æſtas, proceſſeratq; aliqua autumni pars, quum Veneti ad duo millia & amplius circa Lyſſum coiuerant, ut Croianis laborantibus opem ferrẽt. Erant in his quingenti leues equites: erat & Nicolaus Ducainus, Epirotici ſanguinis homo, uir inter ſuos populares multi nominis. Italici equitatus ductores erant Antonatius Docius, & Lodouicus Tiphernas: primos peditũ ordines Carolinus ducebat & Leo Illyricus. Aderant & alij pleriq; uiri fortes, quorum alij alijs centurijs præerant: hi poſtridie nonas Septembris ad hoſtẽ quadrato agmine ire pergũt. Habebat Barbarus caſtra quatuor & amplius millia paſſuum à Croia, in planicie, quam incolæ Tyrannam uocant. Congreſsi igitur prælio celeritate equorum fretus hoſtis, Venetã aciem turbare nitebatur. Contrà Veneti pedites per occaſionem extra ordinem pugnantes, ubi hoſtem cum cæde repulisſent, ne forte à ſuis excluderentur, ſe inter confertos equites recipiebant: atq; multi interim ex hoſtibus ſagittis, aut plumbea glande cædebãt. Etiam id certaminis genus à ſexta diei hora ad ueſperam ſe extenderat, quũ Barbari aperta fuga (ueránne an ficta, dubitari poteſt) effuſi pro uictis terga uertunt: inſtat uictor Venetus, eumq; ad caſtra uſq; inſequitur. His captis, quia omnis opulentiæ erant referta, cõfeſtim uictor ad prædam diſcurrit: quàm pauciſ-

pauciſsimi uictoriam proſequũtur. Ex oppido quo A ripa conſederit. De hoſtium numero inter eos qui
que facta repentè eruptione, duo hoſtium caſtella in caſtris fuere, minimè cõuenit: decem millia fuiſ-
quibus illi uias ad urbem inſederãt, cum multo cõ ſe credidere quidam: augebant alij numerum, alij
meatu capiuntur, capta ſubitò Croiani euertũt. Sed extenuabãt. Ingens tumultus ad primum hoſtium
eius uictoriæ lætitia omnino breuis fuit. Nam dum conſpectum in utriſque caſtris ortus eſt, conclama-
Contarenus legatus & ipſi ductores conſultant, de tumq; repentè ad arma: fuiſſetq; in alterutra ripa cõ
berẽtne pulſis hoſtibus in eorum caſtris nocte illa curſum, niſi militem ſe ad pugnam expedientẽ nox
quæ inſtabat eſſe, an in ſua redire nondum remiſſo ipſa oppreſsiſſet. Venetæ utrorunq; caſtrorũ copiæ
prælio: ecce hoſtes in Venetum militem cum cla- inter ſe iunctæ inſomnem noctem egere: iuſſi equi
more coorti, cõtinuò eos qui in prima fronte dimi tes inſtratis equis armati corpora curare. Habuit in
cabant, circumſiſtunt. oritur hic fœdiſsima cædes: illis imperium Hieronymus Nouellus, à primis an-
Epiroticus equitatus circumuento pedite cõfeſtim nis militiæ aſſuetus, qui clara magnaq; ad id tem-
fugam capeſsit: fugiũt & Latini equites. Eos, quia pus fecerat ſtipendia: erantq; & alij complures illu-
pernox luna fuit, Barbarus inſecutus paſsim totis ſtres uiri, Ioãnes Antonius Caudoliſcus, cum filio,
cãpis trucidat. uſq; ad Ialmiſam fluuiũ cædes pro- Anaſtaſius Flamminius, Hercules Maluecius, Joan-
tracta eſt: multos eo die & nocte quæ ſecuta eſt ho- nes Iacobus Picininus, Iacobi Picinini ducis clariſi-
ſtis oppreſsit: ſed penè plures Epirotarum perfidia mi filius, Iacobus Badouarius, Philippus Nebulo-
perdidit, quorum ad octo millia quaſi pugnæ ſpec- nius, Georgius Galleſius, Ioannes Clericatus Vin-
tatores toto die immota acie ſteterant. Inde ubi rẽ cẽtinus, & alij qui honeſtos ducebãt ordines. Inter
Venetã inclinare uiderunt, nõ minus quàm hoſtes eos nocte illa conſultatum, apertóne campo cum
in ſyluis & circa flumina in noſtros graſſati ſunt: Barbaro confligendum eſſet, an caſtra potius tuen
mille & amplius ea pugna deſiderati, & in his Fran- da, quibus defenſis apparebat hoſtem haud multo
ciſcus Contarenus legatus, ac centurionum pleriq;. longius proceſſurum, ut tanto poſt ſe præſidio reli
Nec hoſtibus pugna fuit incruẽta. Quamdiu enim cto, nõ eſſet ſibi integrum retrò quum uellet abire.
acies Veneto conſtitit, multi aperto marte concide- ſed ſtrenuè magis quàm prudenter ſtatuunt, hoſti
rant. Attulit eius cladis fama ingentem ciuitati lu- quacunq; rumpere conaretur, occurrere. Omnem
ctum: ſed longè quidem maiorem, quæ in Italia nõ itaq; equitem in tres grandiores turmas diuidunt,
multo pòſt accepta eſt. Occluſerant Veneti perpe- ſingulisq; ſui ductores dati. Sed dum hæc in Vene-
tuò aggere poſt primam Turcorũ in Italiã eruptio- tis caſtris aguntur, Barbarus interim non magis a-
nem, præter Sontium amnẽ, quicquid uadi fuit in- perta ui, quàm inſidijs agendum ratus, ubi in aduer
ter Goricianum pontem & Aquileię paludes, anti- ſa ripa conſederat, confeſtim ſub occaſum ſolis cir-
quæ ripæ ſuminis, quæ à recenti alueo non multũ cumacta equitum ala caſtellum quod ponti immi-
abeſt, munitione impoſita. Admouerãt ad id opus nebat, modico negocio occupat. pars militũ in pro-
multa foſſorum millia ex tota ferè continentis ora, ximum pontem confugere, ſeq; pilis quibus impo-
quibus Citadinus Fratrinas, homo non uulgaris in ſitus eſt, ſoluta utrinq; pontis materia, tueri parant:
duſtriæ, præfuit: neq; una munitionis facies fuit: ſed illico telorũ multitudine penè obruti in ſubie-
ſed iuxta paludes quà denſiſsima erant nemora, ex B ctum flumẽ præcipitati ſunt. Aberat locus à caſtris
craſsis procerisq; arboribus conciſis, atq; inexplica quatuor millia paſſuum, quo accidit, ut neq; oppu-
bili quadã ratione inter ſe contextis conſtitit: aper- gnatio caſtelli ſit cognita, neq; quum nocte illa tu-
tis uerò campis glebæ ſolo reciſę in latitudinem ſe multuoſe nunciatum eſſet, præſidium pontis ab ho
ptenũm pedum locabãtur: ſuper illas ſaligni ramo ſte oppreſſum, crederetur. Marbegus (id enim Bar-
rum trunci, & uirgulta quędam ad radicandũ apta, baro duci nomen fuiſſe accepimus) ubi pontem in
ſubſternebãtur: mox alia glebarũ manus imponebatur: atq; ex huiuſmodi materia per aperta, ut dixi ſuam poteſtatem redactum uidit, locum ad inſidias
mus, loca productum opus, quod quidem pinnarũ circunſpicere cœpit: quo haud procul reperto, inté-
ſerie interiectis; turribus urbici muri ſpeciem pro- peſta nocte ad mille lectos equites tacito agmine
cul ſpectantibus prębebat. Iis uerò locis, quibus flu fluuium tranſnare iubet. Sunt qui credant eos pon
men uada habuit trãſitu faciliora, bina caſtra & foſ- te traductos. Mandant hos in inſidijs eſſe, atque in-
ſa & uallo ſunt munita: Gradiſcana altera nomina- tentos ſignum ad erumpendum expectare: quo ac-
ta, altera Folianica, uillarum nominibus quæ utro- cepto, ex improuiſo hoſtem inuaderẽt. Vbi uerò il-
biq; fuerant. Hęc poſt cladem ad ripam fluminis ac luxit, Barbarus expeditiſsimam equitum alam ſu-
ceptam penè deſerta mãſere: illa uerò ad hũc diem perato fluuio ad hoſtium caſtra, ſi nemo interim oc
præſidio retenta, atq; magna ex parte Frãciſci Thro currat, celeri curſu ire iubet, atq; portis obequitan-
ni cura, ad hocipſum in patriam miſſo muro circũ- do hoſtem ad pugnam elicere, iniectóq; certamine
data, & in munitiſsimi oppidi ſpeciem redacta. Ha cedendo ſenſim ad inſidiarũ locum trahere. His ue
buit longitudo operis ſtadia centũ & amplius. Spe rò haud multum à fluminis ripa progreſsis, Hiero-
ctauimus poſt aliquot annos munitionẽ ipſam plu nymus ſpeculatoria ſuorum manu ſit obuius: reli-
ribus locis penè ſolo æquatam, uel maximè ea par- quus equitatus ordinibus inſtructus non longè ſe-
te, qua glareoſa conſtitit materia, quam imbriũ co- quebatur: utrinq; ad primum conſpectum concur-
pia facile reſoluit. Erat & circa pontem, qui nõ long- ſum. ſed Barbari uix bene conferto prælio, de indu
gè à Goricia fluuio impoſitus eſt, agger in caſtelli ſtria ceſſere: cedentes uictor fundit, prælium̃que de
ſpeciem erectus, ad quem tuendum miſsi fuerãt ab trectabundos infeſtis armis urget. Hic Hieronymi
initio pauci peditum manipuli: inde bina caſtra mil filius, iuuenis impiger, omnium ferociſsimè Barba-
le inter ſe paſſus diſtantia maiore præſidio firmata: rum premere: hunc fortiter pugnãtem audax iuue-
ad tria millia equitum fuere pedites his adiecti, ſed num manus præſenti ſucceſſu elata ſequebatur. Fer
pro numero equitum nõ adeo multi. Apparuit ex re id ægrè callidus ſenex, atque identidem clamita
eo, quòd ualla quæ hoſti patuiſſent, inſuperabili ob re, non eſſe temerè inſtandum Barbaro: ſcire ſe, eam
ſtruſa eſſent munitione, & quòd eadem illa haud in gentem non niſi de induſtria tam leuiter meditari
firmo tenerentur præſidio, fore ut hoſtis Italia abſti fugam. Et quia in anguſtias locorũ iam propemo-
neret. Idcirco tota patria, uelut nullũ ab hoſte pe- dum uentum erat, erantq; omnia circũiecta loca ſuſ-
riculum impendiſſet, ocioſe agebat: ſed quo maior il picionis plena, iubet Nouellus dato ſigno ſuos ab
la ſecuritas fuit, eo fœdiore clade terra ipſa oppreſſa effuſo curſu reuocari. Tum Barbarus uerſus in pu-
eſt. Ita nanq; accidit, ut quũ minimè Barbarus affu- gnam prelium ferociter inſtaurat. Hieronymus pri
turus crederetur, infeſto agmine in ulteriore Sontij mam ſibi turmam ſubſidio adeſſe mandat: nam ex
altera ripa fluminis iam hoſtium ala, ut ſuis opem

ferret, tumultuoſe mouerat. Barbarorum interim uis ingens in citeriorem fluminis ripam euaſerat. Redintegrata hic pugna hoſtis ad Gramam uſque (qui torrens per Pogoretanas ualles præcipitatur) reiectus eſt. Dũ uerò hic totis uiribus Venetus hoſtem premit, ſtuderq; præſenti prælio defungi, dato repentè ſigno ex Liciniſij uertice, qui mons pugnantium capitibus ad læuam imminebat, Barbarorum manus ex inſidijs coorta, cum terrifico clamore & ſtrepitu in ſubiectam turmam effunditur. Tãtus pauor ad eam eruptionem Venetis iniectus eſt, ut momẽto temporis diceres Venetos non eos eſſe, qui modò tam ſtrenuè pugnabant: ſed ubi unã ſalutis ſpem in armis repoſitam uidere, paululum cedere conati ſunt, ut apertiore res loco gereretur: uerùm tam ſubita uiolentaq; deſuper impreſsio facta eſt, ut in arctiſsimum locum compulſi ſe prælio expedire nequirent. Interim ferox Barbarus à fronte & à dextra eos in orbem coëũtes, fœdiſsima ſtrage proſternit: ſic momento temporis prima turma hoſtium multitudine obruta eſt, & ad unum fermè omnes cæſi, præter pauciſsimos uiros illuſtres, qui ſe hoſti dediderunt. Ductores autem proximę turmæ, ubi primam aciem circunuentam uiderunt, atque undiq; hoſtes cum clamore (ut mos eſt gentis) inſtare, cedere cœperunt, ut in apertam planiciẽ euaderent. Sed id tanta trepidatione eſt factum, ut illico fugientium ſpeciem potiuſquam cedentium ijs qui in extrema erant acie, præbuerit. Continuò igitur omnes quaſi uicti circũſpectare fugam cœpere. Adeſt interim hoſtis, turbatosq; per ſe ordines cũ ſtridore inuadit, quibus minimo negocio ſolutis, aperta fit fuga: pro ſe quiſque, ſine ſignis, ſine imperio, in deuia & occultos ſaltus euadere conaſ. Hos Barbarus celeri curſu aſſecutus, paſsim ſternit. ad Moſſam uſq; & ulterius clades diſtracta eſt. Pauci relictis equis, & armis abiectis, in propinquos mõtes abiere. Ceciderũt ea pugna Hieronymus, penes quem totius equitatus imperium fuiſſe diximus, cum filio, Iacobus Badoarius, Anaſtaſius Flamminius, ac pleriq; alij uiri illuſtres: reliqui fermè omnes capti. Nec uictoria omnino hoſti incruẽta fuit, Marbego duce grauiter uulnerato, multisq; ignobilibus cæſis: ſed ille quicunq; ea pugna conciderant, in unum coaceruatos concremauit: idq; ex eo ſuſpicari libet (nam quid alioquin de eo affirmare poſſim, non habeo) quoniam in tanta noſtrorum cæde nullus Barbarus eſt repertus. In hunc maximè modum ad Sõtium amnem pugnatum accepimus: cuius cladis fama tantum terroris circuniectæ regioni attulit, ut ne intra mœnia quidem populi ſeſe tutos fore putarent: frequens fuga nocte illa quæ diẽ cædis ſecuta eſt, ex agris facta eſt: poſtridie autem quum iam multum diei proceſsiſſet, repentè circa Vtinum fumus non uno loco attolli cœpit: ex eo cognitum eſt, hoſtem adeſſe: atq; momento temporis (quaſi ita inter Barbaros conueniſſet) quicquid ferè uillarum inter Sontium & Tiliauẽtum amnes fuit, hoſtili manu cõflagrauit. Eram ego per id tempus Tarcẽti apud hoſpites meos Porpetanos reguloſ, quò ob peſtilentem annum ex Vtino conceſſeram: auditaq; clade ad Sontium accepta, in arcem quę uico imminet, me cum multis mortalibus receperam. Ex eo loco proſpectus in uniuerſam patriã latè longeq; patet. Inde atrociſsimum patriæ incendium ſpectaui. Fœdum equidem fuit, interdiu uidere tantum culti & amœni ſoli fumo & caligine opertum: ſed lõngè fœdius atrociusq;, ſub primas tenebras perq; reliquũ noctis cernere aciem unam flammarum à Sontio amne ad Tiliauentum extenſam, ut penè nihil medium eſſe uideretur, quod nõ ignis occuparet: quam ſpeciem ardentium uillarum denſitas, quæ circiter centum numero fuere, faciebat. Hoſtes ea nocte non uno loco caſtra habuere. ubi

A autem illuxit, onuſti præda ingentiq; captiuorum multitudine in unum coiuere, atq; in caſtra quę ultra Sontium fecerant, ſe læti receperunt. Poſtridie mota ſigna, & quum à flumine unius diei itinere receſsiſſent, abeuntium ſpeciem præbuere. Quod ubi ita omnibus perſuaſum putarunt, iterum haud minore tumultu quàm prius, in patriam erumpunt, denſo agmine ad Tiliauenti ripam contendunt: ſuperatoq; impigre fluuio, cis ultraq; amnem pleriſq; uillis incenſis ingentem Tranſtiliauẽtanis cladem attulere. plures fermè hinc mortales, quàm nuper ex reliqua patria abducti. Et quia terra mariq; copiæ ex urbe ad hoſtium curſus opprimendos miſſę aduentare dicebantur, cõtinuò ubi qui ſecũdo eruperant in caſtra rediere, Italiæ finibus Barbarus exceſsit. Tãtum terroris Sontiaca illa clades omnibus iniecit, ut Veronam uſq; uehementer ſit trepidatũ: Venetijs quoq; nocturnę uillarum ardẽtium flammæ ex alta ſpecula proſpectæ, non mediocres animorum motus conciuere. Erant qui palam proclamarent: indignum facinus, & à Veneti nominis dignitate alienum: amœniſsimum Veneræ terræ ſolum, ante oculos ciuitatis, ab immaniſsimo hoſte igni & ferro uaſtari: pecora, agreſtes, in prædam agi: neque terra neque mari arma ad propulſandam iniuriam comparari. oportuiſſe uel populariter ad primum tumultum ex urbe accurri: nec expectare ut Meſtrana tecta, ac ſi quod ædificium propius urbi eſſet, nefandæ manus diripiant, & incendant. Huiuſmodi querelis factum eſt, ut nauigia aliquot ſagittarijs ſocijſq; que naualibus plena, mari, & ex Tauriſino agro alijſq; proximis locis equitum turmæ, & ſubitariæ cohortes in hoſtes miſſæ ſint. Sed hi tũ demum in Carnos uenere, quum iam hoſtis longè abijſſet. Manſere aliquandiu utraque caſtra ſine præſidio: nec defuerunt qui cenſerent, ea prorſus diruenda: miſsiq; in patriam ex Patricio ordine Dominicus Georgius, qui ea legatione Vtini uita deceſſit: Zacharias Barbarus, Ioannes Hemus, & Cãdianus Bolanus, qui ſtatum prouinciæ recognoſcerent: inſpicerentq;, utrum ſatius eſſet diruere munitiones illas, an nouo præſidio denuo firmare. Conſtitit, nihil eſſe quo Barbarorum incurſibus tutius iri poſſet obuiam, quàm ſi altera ſaltem caſtra ualidiſsimo firmarentur equitatu. Carolus itaq; Montonius, qui ſuperiore anno fuerat exauctoratus, per oratores ex Hetruria reuocatus in patriam miſſus eſt: is Gradiſcana caſtra rurſus ualido præſidio inita, non ſolùm armis, ſed foſſa etiam & uallo in oppidi ſpeciẽ communiuit. Sed dum in eo opere ille occupatus eſſet, Vendraminus princeps altero ſui Ducatus anno aliqua ex parte acto deceſsit: ad Seruorũ ædem honorificentiſsimè elatus eſt: Ioannes Mocenicus Petri principis frater, uir ſpectatæ innocentię, miro omnium conſenſu princeps declaratus eſt. Erantq; res Venetę in eo, quo diximus, ſtatu in Italia, quum in Dalmatia iam inde ex quo Croiana cœperat obſidio, per annũ & amplius ſine intermiſsione tenuit. Circa aũt nonas Iunias Othomanus rex longè atrociore oppugnatiõe, q̃ quatriẽnio ante Scodra, adortus eſt. Sub illius acceſſum Croiani fame domiti, & ad terribilem aduentantis Barbari famam territi, deditionem fecerũt. Alibegus aliquanto ante illius acceſſum quindecim millibus bellatorum Scodrã obſidione cinxit: quatriduo pòſt Solimanus cum ſeptuaginta millibus ad ortum conſedit: ſecutus Aſiaticæ oræ præfectus cum paulo minoribus copijs: is ad meridiẽ metatus eſt: nouiſsimè rex ipſe circa idus Iunias affuit. Didici ego ab oppidanis ipſis & alijs qui obſidioni interfuerunt, tantam uim hominum circa urbem conſediſſe, ut planiciem mõtium, latera, ac quacunque longè lateq; extra oppidum patebat hominis proſpectus, omnia tabernaculis ac uelis contexerit. Alibegus poſt regis aduentum

ultra

ultra Bolianam caſtra tranſtulit: machinæ ac bellica opera ad demolienda mœnia continuò admota. In urbe mille & ſexcenti oppidani, mulieres ducentæ & quinquaginta erant: reliquam imbellem turbam ante hoſtiũ aduentum ex urbe emiſerant. Aderant & mercenarij milites ſexcenti, & in his centuriones Carolinus, Antonius Cortonius, Franciſcus Sanſcrobarius, Michaël Spalatinus, ac plerique alij uiri fortes: eratq; & prætoris & legati nomine Antonius Legius. Hæ copiolæ Scodræ erãt, quum tot millibus Barbarorum, tantisq; conatibus ſecundo ab hoſte oppugnari cœpit. quæ eo alacrius hoſtem expectauere, quo omnia paratiora erant ad perferẽdam obſidionem quàm quatriennio antè fuiſſent. Diſiectis mœnibus bis hoſtis oppidũ oppugnauit omnibus fermè inſtrumentis, quæ priore obſidione tam Scodrenſes quàm Barbari habuerant, tum quoque uſi dicuntur. Sed eo fœdior utrinque ſtrages edita, quo maiores belli apparatus hi fuere, quã illi: ac maioribus omnino conatibus ob regis præſentiam tum demum quàm antea Solimano duce res geſta eſt. Bis, ut dixi, paucis diebus Scodrenſes oppugnari: atq; utrunq; certamen in plures horas, multaq́ue cum cæde diſtractum. Ferunt tantam ſagittarũ uim in ipſos propugnatores à Barbaris conjectam, ut pluribus locis tres, quatuórue ſagittæ inter ſe confixæ repertæ ſint. Accepi à fide dignis, catellam clamoribus conſternatam, ex ſtatione ubi erat, trepidè fugientem undecim ſagittis tergo affixis domum ueniſſe: & breui (ne parum hæc fidei cõuenire credantur) illud omnes affirmant, multos mẽſes quibus poſt Othomani diſceſſum tenuit obſidio, & ad furnos calefaciendos, & ad cibaria coquenda, nullo ferè alio lignorum genere quàm ſagittarum faſciculis oppidanos fuiſſe uſos. Adijciũt, medijs certaminibus quum diri clamores & tormentorum ictus fœdiſsima tonitrua imitati, undique circunſonarent, milleq; mortis diſcrimina obuerſarentur oculis, tanto ardore & ab ijs qui in urbe erant, & illis qui munitiones ſubibant, pugnatum, ut nihil minus animis ſuccurreret, quàm mortis aut uitę diſcrimen. Conterebantur mole aliqua hoſtium caterua: intrepidè per ſuorũ cadauera ſubibant aliæ: mox his extinctis aliæ atque aliæ in pugnam ſuccedebant. Plenæ iam cadaueribus erant foſſæ, plena montis decliuia: & quamuis multi caderent, multi quoq; ſubibant. Scodrenſes & ipſi neque uulnera neque mortem formidantes, quanquã ſuorum corpora tormentorum ictibus laniari cernerent, ac uarijs caſibus non uno loco cadere: periculorum tamen omnium immemores, inuicto animo reſiſtunt, Barbarośque munitionibus hęrentes, fortiter detrudunt. Demum uicta Othomani pertinacia, admonentibusq; imperatorẽ ipſum quibuſdam, fruſtra tot uirorum fortium millia in apertũ diſcrimen mortis demitti: cum eo hoſte ſibi rem eſſe, qui certus ſit, malle mori quàm cedere: quiq; natura loci fretus, citius uel innumeras cateruas confi cere poſſit, quàm uinci. Tum ille frendens gemẽsque, ſuos in caſtra reuocari iuſsit, prorſusq; iam inde pugna abſtinuit: perſeueruit nihilominus oppidum machinis alijśque operibus bellicis uexare. Sed dum Scodrẽſes graui urgebat obſidione, haud Italiæ oblitus, ingentem ſuorum manum in ipſam terram, quo minus Veneti ſuos ullis poſſent leuare auxilijs, dimiſit, qui eo ſanè die quo priore oppugnatione Scodram adortus eſt, circa Sontiacas munitiones tumultuoſe conſedere: tum hic explicita acie Carolum ad pugnam euocare. Ille recentis cladis memoria nihil temerè auſus eſt cõmittere: ſed ſuos intra uallum ſtructa acie, quaſi mox per occaſionem erupturus continens, Barbarum ad altum diem longa expectatione fatigauit. Verùm quum fatis appareret, Venetum ad pugnam elici non poſ-

A ſe, profectus inde hoſtis, quatuor millia paſſuum à Gradiſcanis caſtris inter Medeę mõtem & Cremonem conſedit. Poſtridie uerò ſub lucem prẽter Maſanum per apertas ualles ad radices montium conuertit agmẽ. Triginta Barbarorum millia fuiſſe traduntur, qui per abrupta & confragoſa montium loca, uel ipſis Alpium incolis aditu difficillima, in Germaniam euaſere: multa ſanè, & horrenda facinora, & quę uix ſibi fidem uendicent, in ſuperanda Alpiũ aſperitate edidere, quorum illud ſilentio indignum mihi uidetur, quòd non uno loco, ubi ad rupes & aſperos montium anfractus peruenere, equos reſtibus alligatos in ſubiectas crepidines demiſſos accepimus, atq; deinde in alias, donec in profundiſsimas ualles ſit uentum. Interdum uniuerſus equitatus, uel certè maior illius pars (quod ex ipſis ueſtigijs poſtea intelligi potuit) per adeò ardua loca præceps datus eſt, ut per ducentos fermè paſſus nõ modò locis illis, quiſquam pedibus uadere poſsit, ſed ne conſiſtere quidem, niſi uirgulto ſe aliquo appliciuerit. Quid quod ubi per iuga Alpium uſq; in montanæ Carniæ fines decurrere, nunciatumq; interim eſſet, ab Alpium incolis iuga montis, qui Lanceę dicitur, quà unicum eis iter in Germaniam patebat, inſeſſa, intrepidè ad locum progreſsi, neq; montis altitudine qui in immenſum aſſurgit, neq; aſcenſus arduitate deterriti: ſed ſcutis ſubnixi per aduerſam rupem ad hoſtem repere, potiuſquã ſubiere. Quo audaci incœpto territi illi qui præſidio erant, trepidare cœperunt: inde in fugam turpiter dilapſi ingẽtis cladis inferendæ Barbaro materiam præbuere. Et hęc ultima Turcorum in Italiam aduerſus Venetos expeditio. Vbi dum hæc geruntur, Maomethus interim Scodram bellicis operibus oppugnare perſeuerabat: tenuitq; oppugnatio illa uſq; ferè ad Septembres nonas, quibus diebus Aſiaticæ oræ præfectus Driuaſtum tormentis concuſſum recepit: unde quingentos oppidanos adductos, in Scodrenſiũ conſpectu ferro confici mandauit. Atq; inde quatri duo pòſt Othomanus ſedẽdo feſſus, cum præcipua copiarum parte abijt. Eodem die quo Scodra profectus eſt, Lyſſum ad Drinonis ripã cum duabus Venetis biremibus in ſuam poteſtatem redegit: ducẽti remiges ſociq́; nauales in illis capti, quos ad Mathegum, qui cum octo millibus Turcorum ad continuandam obſidionem relictus erat ante Scodram, trucidandos miſit. Tenuit inde ea obſidio octo circiter mẽſes, duobus caſtellis ad Bolianæ caput cum præſidio impoſitis, ne quà ſubſidium ullum obſeſſis immitti poſſet. Interim uerò cœptum eſt per Ioãnem Darium ſcribã cum hoſte de pace agi, quę ſub exitum hyemis his conditionibus ſecuta eſt: ut præſidio & oppidanis, ſi abire uellẽt, ex urbe deductis, Scodram Venetus cum Tenaro Laconiæ promontorio, & Lemno inſula Othomano relinqueret: darentq; illi quot annos octo aureorum millia eo nomine, ut Põtica naigatio Venetis negociatoribus tuto pateret. Pace his conditionibus probata, Scodra præſidio & oppidanis ad unum deductis, qui ſuum uetus in Venetos ſtudium ſecuti, extorres fieri maluerunt quàm ſub Barbaro imperatore eſſe: pridie nonas Aprilis, ut in conditionibus pacis cõuenerat, dedita eſt: ex mille & ſexcẽtis uiris qui ad urbis præſidium remanſerant quadringenti quinquaginta uiui reperti ſunt, è mulierum numero ad centum deſideratæ: quæ ſuperſtites fuere, uiros ſecutæ per medias hoſtium cateruas (mirantibus interim Barbaris, immò ſtupentibus eorum fidem & conſtantiam) in pacatum ſilentio abiere. Scodrenſibus qui Venetias uenere, alijs perpetuum ex publico ſalarium, alijs arcium aliorumq; locorum præfecturæ cum publico ſtipendio, pro conditione & priſtina fortuna, cuiq; decretæ, ita ut nullus fuerit, qui non publico beneficio ſubleuatus ſit. hoc ipſum

Chalcidensibus, qui patrio excidio superfuere, iam antea præstitum accepimus. Pax aliquanto prius publicata fuerat, quæ uix tantum lętitiæ attulit Venetis diuturno bello fessis, quantum reliquis Italię populis & principibus sollicitudinis & metus, nec iniuria. Apparebat enim, Venetis quiescentibus Barbarum omnia ferocius ausurum: daturumque enixius operam, ut in ipsa Italię uiscera se quoquo modo insinuaret, cui tam propinquus iã esset, ut ex eo littore quod nouissimè occupasset, eam penè intueretur. Ac ita sanè non multo pòst euenit. Sed de Hidruntina oppressione postea dicetur. Interim uerò res in nouæ discordiæ discrimen ferè adducta est. Æstate siquidẽ illa quæ proximè pacẽ secuta est, ualida Turcorũ classis ad Cephaleniæ regulos (quos Diuæ Mauræ uocant) opprimendos in Ionium uenit: iacet ipsa insula ante Ætoliam. unde principibus eiectis cessit Cephalenia Othomani armis. In Zacyntho erat Perrus Bualius cum quingentis expeditis equitibus Peloponesiacis: ademeratis eam insulam aliquanto antea Cephalenis regulis, eamq; semel occupatã ad id tempus tenuerat. Vbi igitur Othomanica classis eò quoque appulsa est, tanquã ad insulam quæ Cephalenorum principum fuisset, confestim Lauretanus, qui classi adhuc prærat, Barbaras naues secutus est, affirmãs haud quidẽ se passurum insulam oppugnatũ iri, nisi prius equitatus inde Peloponesiacus abductus esset. Hortari ad id Othomanicæ classis præfectum, ne contra nouæ pacis fœdera pergeret Venetum equitatum oppugnare. Vterq; Constantinopolim scripsit: ad Othomanum Barbarus, Lauretanus ad Benedictũ Triuisanum, qui tunc legati munere apud illum fungebatur. Is re ad regẽ ipsum delata benignè impetrauit, ut non solùm equitatum inde Veneto educere liceret, sed omnes etiam qui ultro insula abire uellent. Ea opportunitate Venetus usus, multa insulanorũ millia, quæ alioquin in seruitutem inciderant, cum suo equite inde abduxit: quibus in Peloponnesum traductis, permissum liberè est, ut quibus uellent locis habitarẽt. Barbarus Zacyntho recepta, iam obita prouincia domum abijt. Hæc hactenus in mari. In Italia iam antea, ac priusquam Othomanico bello defuncti essent Veneti, pro Florentinorum libertate, ut sæpè aliàs, arma induerant. Acciderat superiore anno, ut Iulianus Medices sacrorum hora ad Liberatæ fanum noua coniuratione oppressus esset, ac parum abfuit, quin & Laurentius frater cum eo sit cæsus: sed ille sua uirtute ac suorum accursu nefarias coniuratorum manus euaserat. Florentini tanti uiri casu consternati, sumptis armis multos eius sceleris participes trucidant: Sixti pontificis nepote, qui tum Florẽtiæ erat, in custodiam adducto, Saliuatum Pisanum antistitem, cædis auctorẽ, cumplerisque alijs qui officij causa utrunq; Florentiam secuti fuerant, laqueo publicè suspendunt. Atrocitate rei pontifex commotus, duplici spiculo, anathematis & interdicti, in Florẽtinos misso arma aduersus eos comparat, Ferdinando rege & Senensibus in belli socios assumptis. Validus in Herruriã exercitus antequam æstas illa, qua hæc Florentiæ acciderãt, abiret, missus est: Fœderico Vrbinati summa rei cum imperio copiarum demandata, gestarũ autem rerum gloria penes Alphonsum erat, Ferdinandi regis filium, Calabriæ ducem, hostem acerrimũ, & qui auito paternoq; odio Florentinum nomen oderat. Erant cum eo Vrsus Comes, Rubertus Vrsinus, & Virginius ex Neapolione fratre nepos, Matthæus Campanus, & Rubertus Ariminensis. Sed is quem nouissimè nominaui, non multo pòst Florentinorum stipendia secutus, copiarum omnium imperator à Thusco declaratus est. Florentini suis sociorumque uiribus freti (nam præter Venetos, Mediolanenses quoque, Hercules Æstensis, & Fœdericus Gonzaga cum illis socia arma iunxerant) ferociter tantam belli molem exceperunt. At Venetis adhuc Othomanico bello occupatis, qui terra, mari, & (quod omnium grauissimum erat) intra Italię fines terribiles Barbarorum impetus alium super alium sustinebant: necnon Mediolanensium rebus adhuc Galeacij ducis morte consternatis (qui ad Protomartyris sacrorũ hora à Ioanne Lamponiano & paucis coniuratis superiore anno cæsus erat) ita sanè accidit, ut nõ tam citò auxiliares copię Florentinis affuerint. Sed tam hi quàm illi ultra uires nixi, arma si non pro amplitudine, utrorunque saltem pro temporum conditione satis ualida compararunt. Missus est prętera à Venetis Franciscus Michaël, qui in castris legati nomine bello interesset. Fuerat etiam aliquanto antea Florentiã missus Bernardus Bembus, qui toto fermè biennio, quo in Heturia bellatum est, laborantibus socijs publico decreto rerum omnium sollicitus affuit. Hostis interim florentissimis usus copijs, Rencium, Castellinam, Radam, Broiam, Cacchianum, & in Himbriana ualle Sabinum montẽ Florentinis ademit. Tum quia iam bruma instabat, in Senensem agrum hostis in hyberna concessit. Veneti autem, quia apparebat hostes sub uernum tempus ad Florẽtinorum opes euertendas aliquanto obnixius surrecturos: compertum prętera habebant, Christianorũ principum literis Othomani in se arma uel magnis pollicitationibus irritari, suo sociorumq; periculo moti, sub exitũ hyemis, ut diximus, se grauissimo bello exonerarunt. Verno eius anni tempore Veneti Carolum Montronium, Brachij filium, cum ualidissimo equitatu in Hetruriam misere. Sed ille sub primum penè accessum quum ægrotare cœpisset, non multo pòst Cortonę uita decessit. Res igitur ea parte prouinciæ Rubertæ Malatestæ auspicijs postilius mortem gesta est. Habuit is in armis turmas equitum quinq; & triginta, quibus fretus secus Trasimenum ducẽs, in Perusinos fines tumultuose erupit: hic ignobilibus quibusdam locis oppressis, Perusini (qui ad Caroli aduentum ob ueterem factionem omnino res nouas moliturí credebantur) eius morte audita: etsi per Bernardinũ Comitem, illius filium, aliquid postea tentatũ est, nihil tamen quod põtifici formidabile esset, mouere sunt ausi. Et iam media æstas erat, quum Rubertus ad montem Sperellum, Perusini agri uiculum, aduersus Matthæum Campanum, atque urbis Romæ præfectum, Sixti pontificis nepotem, penè pari equitatu conflixit, pugnatum utrinq; acriter duabus fermè horis. Sed primis hostium turmis quæ extra munitiones confluxerant, profligatis, continuò reliquæ copię suorum clade consternatæ, in fugam dilapsæ, ingẽtem illi uictoriam reliquere. Impedimenta omnia, magnaque equitum uis fugientibus adempta. Rubertus ueritus ne ad eam famam Alphonsus excitus, cum maioribus copijs ad se opprimendum ueniret, retro in pacatum cessit. Sunt aquæ in speciem stagni ex Arretino agro inter Senẽses & Perusinos fines in Paleam fluuium, ac inde cum Palea in Tyberim profluentes, eas Cheanas Hetrusca uoce appellant: aquæ ipsæ duobus pontibus sunt uadabiles: Clusino uno, & qui in hostium potestate erat, ac remotiore loco: altero, medio penè tractu, quem etiam Malatesta præsidio firmarat. Huiusmodi aquæ utrorunque castra dirimebant. Dum Aragonius dux ad Blusinum properabat pontem, Rubertus per ocium se & suos in pacatum recipiebat, atque hinc in Senẽses erumpebat fines, ubi ille opem Senensibus laturus, agmen retro flexerat: tum Malatesta Perusinos uexabat. Atque huiusmodi frustratorijs expeditionibus maxima eius ętatis pars sine alio memorabili facinore consumpta est. Demum sub medium autumnum, quum Fœdericus Vrbinas

Vrbinas & Alphonsus rescissent, copias, quas Florentini ad Podium imperiale habebant, ob Æstensium & Gonzaganorum militum discordiam magnopere extenuatas. Ita nanq; acciderat, ut orta nõ multo antè inter utrosq; seditione, parum abfuerit quin Hercules Æstensis in discrimen uitæ sit adductus. Multi ob Casianam prædam id accidisse existimant, alij Nicolai Æstensis mortem in causa fuisse suspicati sunt. Verùm undecunq; orta sit seditio illa, ita accidit, ut Hercule domum abeunte, Mantuanus & ipse, relictis ad præsidiũ loci duobus fratribus, Mediolanum concesserit: unde Rubertus Seuerinas illis ipsis diebus fuerat eiectus, quasi noua de inuadendo principatu cum hominibus suæ factionis consilia agitare cœpisset. Ne igitur aliquod maius res pareret discrimen, ad eum motum pacandum ille ex Hetruria in Galliã decesserat. Ad exercitum igitur sine ducibus hostes spei pleni duxere. Sub primam lucem in aduersum montem scutatorum peditum explicuere aciem: atq; per montis decliuia magnis animis in hostem itũ, Andreaq; Burgensi cum suis ex statione, quã munitiore loco medio ferè ascensu tenebat, deiecto, confestim leuis ar maturæ eques pediti subiectus, hostibus pauorem, suis uerò audaciam adiecit. Quo factum est, ut Hetruscarum copiarum turbatis ordinibus, ac in fugã dissectis, Aragonij Vrbinatesq; in summum iugum euaserint. Hostes castris potiti, magna ex parte Perusinam cladem resarsere. Inde ad Collem oppidũ castra admota, quo pòst laboriosam obsidionẽ capto, Florentini fractis animis ad pacẽ inclinare cœperunt. Quam ut æquioribus conditionibus impetrarent, Laurentius Medices ciuitatis longè princeps, qui & publica & priuata inuidia apud Pontificem & regem eminebat, Neapolim ut patriam periculoso bello solueret, nauigauit. Nec ita multo pòst quum pax secuta esset, Veneti copias quas in Hetruria Antonio Donato legato ad id tẽpus habuerãt, per Hieronymũ Marcellũ in Galliã reuocarũt.

Rerum Venetarum ab Vrbe condita, Tertiæ Decadis finis.

IN LIBRVM I.

Epitoma.

VEnetarum Romanarumq; rerum cõparatio primo habetur loco: Rhodos insula à Turcis frustra oppugnata est: atq; Hidrus in Italia oppressa: Coricta insula Veneto cessit imperio: Quæ Ferrariensis belli origo, quæue causæ fuerint: Consultatio de bello Herculi Æstensi inferendo: Decreti belli apparatus: Cisalpinæ Galliæ & Padi descriptio: Via per paludes in hosticum communita est: Ficariolum laboriose oppugnari est cœptũ: Classis per Padi fluenta inuecta est: Hadria & alia circumiecta loca à Veneto capta sunt: Hostes ad Policellam uicti sunt: Ficariolum nocturna est oppugnatione captum: Copijs palustri cœlo affectis multi mortales uita decesserunt: Rodigiũ cum toto Polimesо Venetis armis cessit: Alphonsus Aragonius Romanum agrum infestat: Rubertus Ariminensis in auxilium pontificis est missus: Aragonius dux in Veliterno agro ingenti prælio uictus, clarissimam Matelestæ reliquit uictoriam: Rubertus Ariminensis non multos pòst dies quum prosperè in Alphonsum pugnarat, uita decessit: Per eos quoq; dies Fœdericus Vrbinas Ferrariæ defunctus est: Sigismundus Aestensis & Hugo Seuerinas ad Argentiam à Victore Superantio prælio uicti sunt: Seuerinas Pado ad obscurum lacum ponte superato castra in conspectu Ferrariæ locauit: munitionem adhæc inexpugnabilem non procul à ripa fluminis magnis firmauit operibus.

M. ANTONII COCCII SABELLICI, RERVM VENETARVM AB VRBE CONDITA, DECADIS QVARTÆ, Liber primus.

REPETEBAM nuper animo, seduloque metiebar longissimam Venetarum rerum seriem, quam ab Vrbe cõdita scribere aggressus ad hæc usque tempora, diuina adiutus ope, omniũ spe celerius perduxi: ac quũ perpetua quadã æmulatione absolutam eorum omnium quæ Romani terra mariq; gessere, in his speciem recognoscerem, uno tantum bello, atque eodem grauissimo, illi mihi defuncti uidebantur, quod in Veneris rebus adhuc requirebam. Nam quod Romanis ab initio Hernici, Equi & Volsci fuerunt, hoc Venetis Dalmatæ, Liburni, & Histri. Grauissimus illis Gallicus hostis, quibus omnia prætèr Capitolium ademit: nec his quidem omnino leuis, quibus prætèr Riuum altum nihil reliquũ fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Theutones, & Ambrones: Gothi, Longobardi & Hunni, Hadriæ non contemptibiles. Infesta Latino nomini Carthago: infesta & Veneto Genua. Verùm tum ualde ferox illa, quum Philippum regem socium & Syracusanos nacta est: hæc quoq; nunquã ferocior, q̃ cum Lodouico rege & Patauinis Clodiaco bello est usa. Hostis Pyrrhus Romano, at Pœno mitior: nec Pipus Veneto amicus, sed Ligure lõgè placabilior. Diutissimè ab illis cũ Mithridate bellatũ: nec ab his cũ Philippo Vicecomite breui tempore. Magnus Antiochus, Othomanus uerò maior. Verũ sociale bellũ illi ac longè grauissimũ in Italia gesserat at Veneti, ne nõ per omnia eorũ æmuli crederent, ecce nouissimè & ipsi in cisalpina Gallia, omnes Italiæ opes nõ solũ sustinuere, sed (ut rerũ euẽtus facilè declarauit) fregerunt etiã. De causis aũt & processu Ferrariensis belli, unde postea sociale est ortũ, prius dicemus, ut quæcunq; inde secuta sunt, magis sint perspicua. Sed priusquam de eo dicere incipiã, pauca quæ belli ipsius initiũ præcessere, nobis referenda sunt, & in his duæ Othomani in Christianos expeditiones: quæ etsi ad nostrã historiam parum omnino attinere uidebuntur, operæprecium tamen duxi, quando unum corpus Christianos omnes religionis causa arbitramur, eas quoque rebus Venetis inserere. Anno itaque & amplius pòst pacem circumacto, Othomanus ipse nihilo mino-

re apparatu quàm paucis antè annis Chalcidē fue-
rat adortus, Rhodum intiasit: Est Rhodos omnium
insularum quæ in Ionio & Ægæo sunt, pulcherrima, ac liberi iuris: ut olim tribus quōdam urbibus habitata, Camyro, Lyndo, & Ialyso, nunc uerò Rhodo. Centum uigintiquinq; millibus passuum circuitu patet: quanquam Isidorus aliquanto breuiorem fecit. Multi igitur uarijq; fuerunt in ea oppugnāda Barbarorum conatus: nec uno prælio Christianorū pertinaciam frangere hostis est adortus: ac diffectis mœnibus nonnunquam intra oppidum irrupit: uerùm propugnatorum uirtute, quorum pars maxima Hierosolymitani fuerunt equites (penes huiusmodi religionis uiros in insula totius rei summa est) cum ingenti cæde hostis à mœnibus est repulsus, oppidumq; & diuina & humana ope seruatū. Ferunt postea ex ipsis Barbaris cognitum, duos uiros forma aliquanto humana augustiore, quamdiu tenuit obsidio, noctu incensis facibus circa muros excubare solitos: ac ubi iam propè captum esset oppidum, minaci occursu illos pro muris uisos ferrū identidem intentare: atque ita Barbaros religione perculsos cessisse. Creditum uulgò, Petri Apostolorum principis ac Pauli simulacra illa fuisse. Quod si ita accidit, haud absurdum erit dicere, Rhodon nō tam humano quàm diuino præsidio tunc seruatā. Cæterùm illud quoque non multo pòst miraculo datum: eo die quo Othomanus, acerrimus Christiani nominis hostis, uita decesserit, Rhodiacus portus ita marinis fluctibus repentè est destitutus (quando alioquin mirę esset profunditatis) ut naues quę in portu stabant, in ipsis uadis uelut in sicco euersæ sint. Sed illud anno fermè pòst, cuius uerno tempore maius omnino facinus ille adortus, Hidruntem subito incursu oppresit. Est id Calabriæ oppidū, quod Aulonis littoribus, modico maris interuallo respondet. est Aulon antiquum nauale, id breue maris spacium, quod locum ab Italia dirimit, quodq; quinquaginta habet passuum millia. Pyrrhus rex pedestri cōtinuare transitu pontibus iactis primus excogitauit: post eum M. Varro quū Pompeij classibus piratico bello præesset: sed utrumque aliæ impediuere curæ. Hidrunte à Barbaris oppressa, apparebat Othomanum totis imperij uiribus Italiæ incubiturum: imminebatq́ue ex eo Christiano nomini ingens discrimen, nisi matura illius morte manifesta Dei prouidētia terror ille discussus esset. Nam medio belli apparatu pestis ipsa humani generis extincta est: quo contigit, ut Ferdinandi regis potē tia oppidum terra mariq́ue aliquandiu oppugnatum, cum Barbarico sit præsidio receptū. Hæc Barbarus. Veneti interea Corittam, Dalmatiæ insulam (quam recentiores, ut alio loco significauimus, Vegliam dixerunt) suo imperio adiunxere. Fecerant hi, olim rerū in Dalmatia potiti, eam iure belli suā, habueruntq́; aliquandiu insulani ipsi Venetos magistratus. mox uerò Rainerio Zeno principe, Schinellis, familiæ ea tempestate in Corittanis illustri, tota insula uectigalis concessa est: mansereq́ue illi ac posteri in fide annos circiter ducentos. Sed procedente tempore regulorum studia Dalmaticis motibus uariare cœperunt, ut nunc Veneta, nunc Belę, Ladislai, Lodouici, & aliorum regum arma usque ad Ioānem Banis filium (qui omnium nouissimus Corittanorum princeps fuit) secuti sint. Is temerè occupatis Martini principis, fratris sui defuncti, oppidulis quibusdam, quæ ille intra cōtinentis oram Matthiæ Pannoniæ regi moriens testamento reliquerat: quum Barbara in se arma irritasset, ad Venetas opes confugit. Maërblasius, qui ex Pannonia in Dalmatiam ad id missus fuerat, non contentus loca quæ ille ab initio inuaserat, recepisse, in insulam copias transmisit. & iam cœperat Muselum oppidum oppugnare, quum Iacobus Venerius legatus A ab Antonio Lauretano, tum classis imperatore, ex Corcyra affuit: secutus inde Antonius Vinciguerra, scribarum unus, à principe & patribus ex urbe missus. Is quum publico nomine Barbarum monuisset, ut ab Corittanis iniuriam abstineret, qui nuper in Venetorum fidem uenissent: tantum abfuit ut ille ab incœpto destiterit, quòd Musselo recepto, continuò ad urbem copias admouerit. Erant insulanorum animi uehementer ab ipso principe alienati ob tributum, quod populis ab initio belli imperarat: quo accidit ut sub hostium accessum uulgò omnes ad defectionem spectare cœpissent. Desperatis itaque rebus Corittanus Comes, persuadentibus qui aderant, omne ius quod ipse (cuius tota tunc insula erat) ac maiores sui in ea quæsitum habuissent, Veneto nomini remisit: atque cum his Venetias, quò ab initio uxorem ac liberos miserat, tradita Venetis arce abijt. Affuerunt non multo pòst quatuor aliæ triremes, ad quarum accessum territus Barbarus, ne quum uellet, non esset sibi integrum in continentem abire, publica fide accepta pacatam Venetis insulam reliquit: eam Victor Superantius, qui in imperium maris Lauretano succebat (ita sane fortè euenerat, ut per eos dies illuc appulisset) opere ac præsidijs firmauit. Patres Corittano principi annuum mille aureorū nummūm stipendium in perpetuum decernunt, in filiæ dotē quatuor millia. Sed homo tyrannicæ uitę assuetus, æquitatis speciem in libera ciuitate auersatus, cum omnibus necessarijs clandestinè in Germaniā abijt. Nunc ad propositum bellum redeo. Perseuerarant diu Ferrariæ principes in Venetorum amicitia, ita sanè, ut Borsius qui Herculem præcesserat, si qua interdum de finibus contentio suborta esset, paucissimis comitatus quasi priuatæ fortunæ homo, ad principem & patres uenire consueuisset: ratus suum in Venetos studium nulla alia ratione tam facilè probari posse, quàm si subitò ipse principi & patribus coràm satisfeciſſet, & breui: nihil uir ille, ex quo Ferrariensium princeps fuit declaratus usque ad exitum uitæ, antiquius habuit, quàm Venetum nomen colere, colendoq́ue sub illius umbra pacis studia & ocium fouere. Huius igitur meritum, & spes quam patres ab initio conceperant, fore, ut nemo tam Borsio similis in Veneta amicitia colenda futurus esset, quàm qui illi maximè coniunctus esset, fecerunt, ut eo uita defuncto, Veneti miro studio Herculem eius fratrem, terra & aquis adiutum, in amplissimo principatu locarint: de quo magnū alioquin illi certamen instabat cum Nicolao Lionelli filio, cui Mantuanus princeps auūculus, & Gaeacius Vicecomes enixè fauebant. Verùm ita accidit, ut non longo interiecto tempore Hercules Leonoram Ferdinandi regis filiam uxorē duxerit: qua ille affinitate auctus, remissiore animo cœpit Venetam celebrare amicitiam, contraq́ue antiqua fœdera, aliqua mouere. Nam & circa Comaclum salem fieri ab hominibus suæ ditionis permiserat. Cuius iniuriæ ne postea auctor uideretur, passus est, Venetis id postulantibus, ingentem uim salis, quæ ibi conflata erat, per Benedictum Triuisanum ad hoc ipsum Ferrariam missum, in proximos fluctus proijci. Constabat ad hæc, in uectigalibus soluendis Venetos sua antiqua immunitate fraudari. Sed hæc aliquanto leuiora. Erexerat circa Caput aggeris munitiones quasdam, quasi non alios fines habiturus quàm quos ipse statuisset. Nouissimè autem magistratu, quem Veneti ex fœdere in ea urbe habebant, grauii ignominia affecto, ut quasi impius, ab urbis antistite Christiano sit cœtu exclusus, in apertissimam defectionē erupit. Patres interim non ignari quorsum motus illi tenderent, nunc per literas, nunc per oratores eum amicè monere, ne pergeret Venetum nomen, nil tale de eo meritum,

tum, huiusmodi iniurijs à se alienare: quin Borsium A ubi Herculem ad officium retrahi non posse uidit;
& alios suos maiores imitatus, in antiquo Venetorum fœdere perseueraret, quod ei non minus tutū esset, quàm honorificum. Eas adhortationes quum homo ingentis spiritus, & qui longè maiores noua affinitate imbiberat, auersaretur, rettarunt Patres per Xystum Pontificem illum in ueteri amicitia retinere. Sed quum hac quoque uia ingressi, parū omnino profecissent: tum uerò nouis pristinisq; iniurijs (quas Othomanico bello impliciti dissimularant) adacti, ad arma respicere cœperūt: bello uindicaturi, quæ pacis studio ad eam diem, magis humanè quàm honestè, tulerant. Tenuit tamen ea cōsultatio plures dies. Erāt ex senioribus Patrum qui sentirent, nullo modo bellum Herculi indicendū: non quia iure non deberet, sed quòd alieno tempore res tanta moueretur: monere illi identidem, uiderent qui bellum uellent, ne ulciscendæ iniurię cupiditate, in aliquod graue discrimen rempub. conijcerent: fessam dicere longo bello ciuitatem, fessas & uectigales urbes: quiescendum quandoque ab armis esse, ne bella bellis serendo, uiderentur Veneti rerum omnium magis quàm pacis studiosi. Cæterùm si omnia constarent, illud non esse negligendū, quod Æstensis Hercules præter excellentes ipsius in re militari uirtutes, duorum potentissimorū regum perneccessarius esset: procul dubio alienis illū stimulis incitatum, non sua sponte ea iampridem moliri: constare ad id, multos Italiæ principes cum eo fœdus percussisse. Quod quum ita esset, uideret illi qui bellum tantopere cupiebant; ne magis clypeo, quàm gladio indigerent. Ad ea maxima pars senatus, ut quisque ferocissimus erat, reclamare, nō esse ob ea quæ à timidis afferrentur, ulterius iniuriam ferendam: insultaturos unius exemplo alios finitimos principes, immo de industria quęsituros, qua ratione Veneti imperij fines inquietare possint: nec uerendum esse, ne ciuitas non omne belli onus sustinere ualeat: quippe quæ iamdiu armis assueta, ne concessum quidem ocium sit latura. Esse præterea Dei benignitate Venetas opes tam ualidas, ut quāuis Othomanico bello ingens auri pondus esset effusum, adhuc longè maius ac penè immensum supereſſet, quo uel gratuissimum bellū, ac longè grauius eo quo nuper defuncti essent, ex imperij dignitate confici posset: patēre adhæc ciuibus longè lateq́ue maria ad mercaturam, uectigaliaq́ue indies & portoria meliora fieri. Quid quod multi ex Senatorio ordine adessent, qui se magnam uim auri ad usum reipub. in medium collaturos pollicerentur, quibus appareret stipendium ad quantumuis magnos exercitus alendos non defuturum: nec Pannoniæ regis motus aliquo modo formidari oportere, qui præterquàm quod cum Fœderico imperatore perpetuum gereret bellum, Turcos quoque infestissimos haberet, qui eius fines incursare, populariq́ue non desinerent: satis superq́ue illum habiturum, si aduersus potentissimos hostes Pannoniæ fines tueri posset. Nec multo plus illo Ferdinandum metui debere, quippe qui uix bene adhuc ab Hidruntina respiret obsidione, qua pluribus mē sibus terra mariq́ue occupatus, post ingentem auri hominumq́ue iacturam, littoralem urbem à Barbaris ægrè recepisset. Infestaturam ad id Venetā classem maritimam Apuliæ & Calabriæ oram, quam si tueri ille nolet, à Ferrariensi bello uellet nollet temperaturum dicere: Sed fac, inquit, illius uires omnino eas esse, quæ in plures partes belli cōmodè diffundi possint: qua ille uia ingressus genero auxilia ferre poterit? habétne hic alatos milites, qui per aërem delati, ex Calabria in Cisalpinam Galliam deuolare possint? Xysti pontificis Roma est, Xysti Sabinia, Vmbria, Picenus ager, ac quicquid denique Italiæ à Tyberino ostio Anconem usque patet: ille

B gis impulsus, bellum miro cōsensu decernit, decretumq́ue ut omnia ex imperij dignitate fierent, pro concione populi hosti indicendum curauit. Ad cuius denunciationem tanto studio ex tota concione est reclamatum, tantus uocum fauor undique consecutus, ut manifestè appareret, nullum unquam bellum maiore omnium ordinum consensu fuisse aduersus quempiam susceptum. Decernitur itaque statim duplex classis: una quæ Apuliæ & Calabriæ oram, siquid Ferdinandus mouisset, infestaret, altera quæ per Padi fluenta in hostium fines ageretur: illi Victor Superantius, penes quem iam antea erat maris imperium, præesset, huic Damianus Maurus, uterque uir impigerrimus. Verùm non aquis solū, sed terra quoque bipartitò in hostem mouendū rati: ita belli partes ducibus comparant, ut Rubertus Seuerinas (quem aliquanto antea amplo stipendio conduxerant) rem citra Padum cum ualido egereret exercitu: ultra uerò ex Flamminiæ finibus Rubertus Ariminensis, copiarum omnium imperator. Multi ex plebe, non magis spe prædæ quàm odio in Ferrarienses, quorum superbiam uno ordine stomachari omnes, ad nouam belli denunciationem exciti, sine publico stipendio terra & aquis Veneta signa sunt secuti: mutuæ adhortationes alterius alterum ad id bellum inuitantium passim exaudiri: uoces præterea populares, excidium Ferrariæ ominantium: usque adeò totius ciuitatis odia in Ferrariense nomen exarserant. Vidisses itaque omnia statim murata: naues ad bellum instrui: uiros, arma, commeatum expediri. Etiam multitudo nauium ingens ex urbe profecta erat, quum Rubertus Seuerinas & Antonius Lauretanus, qui legatus illi est datus, Leniacum processerant: ij exploratis iam antea locis statuerunt per Tartari fluminis stagna, quæ sunt inter Athesim & Padum, in hosticum copias transmittere. Sed locus hic exigit (quando tota ferè Gallia, quæ infra Hostiliam,

liam, Mantuani agri oppidum, citra ultraque Padum usque ad mare aquis irrigua est) ut pauca de regionis situ, deque fluminum diuortijs dicamus. Includitur itaque terra ipsa cum Flamminiæ & Picœni agri parte, præterquam à meridie & brumali ortu quà Adriaco alluitur, undique ferè montibus: ita ut nisi à mari ad Apennini iuga quę Liguri immineant, porrectior esset, theatralem penè formam exprimeret. Quod si theatrum appellari posset, Martis quidem non alterius, ut Græcorũ quidam Bœotiam appellaremus: quando nullum sit in Italia solum, in quo sæpius oriantur bella, atq; orta diutius immorentur. Habet terra ipsa ab occasu Apennini iuga, quæ Liguriæ, ut diximus, incubant: hæc molli quodam ambitu aliquãdiu euagata, Hetruriam ad dexteram Vmbriaq; relictis, Anconem usq; procurrunt: hoc ferè Alpes ad Septentrionem & Boreã faciunt. Quicquid fermè soli his finibus continetur, Tyrrheni olim habuere. Hos Galli locorum specie & fœcunditate allecti, suis sedibus expulerũt, ipsiq; postea citra ultraq; Padum totam terram aliquandiu tenuere. inter fluuium ipsum & Alpes Lebetij, Galli, Insubres, & Cenomani habitasse dicunt, quorum urbes clarissimæ adhuc extant. Venetos quoque nonnulli Gallicam gentem existimarunt: atq; ideo falso à quibusdam crediti, quia ab illis qui in Gallia sunt, lingua tantum discrepare credantur, cæterùm moribus & corporis ornatu nihil dissimiles. Vltra Padum Boij, Eganes & Senones solũ ipsum incoluerunt: quo meritò est factum, ut postea Gallia sit dicta. Eorum inde opibus Romano imperio euersis, Italiæ pars esse cœpit: nouissimè à Longobardis (qui in ea terra diutius fuere, maximaq; eorum potentatus pars, ac regia ipsa circa Ticinũ fuit) Lombardia, detrita syllaba, nuncupata est. Amplissima huius terræ flumina, Padus, Ticinus, Ollius, Abdua, Mincius & Athesis. Padus, quem à Græcis Eridanum appellatũ quidam tradidere, in gremio Vesuli montis, qua parte maximè Ligurum finibus assurgit, ortum habet: in planiciem inde lapsus, ad meridiem primò defluit, inde ad orientem conuersus, sex ostijs in Adriaticum euoluitur: triginta auctus fluminibus ita inualescit, ut neque Danubio inferior, neque Nilo, à quibusdam sit iudicatus. Amnium qui se illi insinuant clarissimi sunt, quos nobilissimi lacus aliunde acceptos cum fœnore transmittunt. Alario, qui & Nouocomensis dicitur, Abduam accipit: à Verbano siue maiori lacu, Ticinum, à Benaco, qui & Gardæ est, Mincium, à Sebino, aliter Iseo, Ollium, ab Eupilis lacubus, quorum alterum Pucianum Ceruianum, alterum uocant Lambrum. Augent illum uehementer præter ipsa flumina liquatæ niues, idque circa Canis ortum: nec quũ maximè intumuit, tam nauigijs est infestus quàm agris: quo fit ut perpetuo accolarum labore utrinque coërceatur aggeribus: in eo satis uicinis campis æquus, quòd nihil ex rapto sibi uendicat. Ab ipso itaque fonte suis lætus incrementis, uno alueo Ficariolum usque defluit (est id oppidũ haud multum infra Hostiliam) tum uerò nimia aquarum crapula uictus, paululum sub illius mœnia luxuriari incipit: atque in duas scissus partes, primam insulam facit: accolæ Polesinum uocãt, transposita (credo) syllaba, ut quum Polesinum dicũt, Polynesum, id est longam seu multam insulam, dicere se credãt: & quia Ferraria non longè infra ipsum aquarum diuortium sedet, Ferrariensem Polynesum hanc uulgò nominant. Dexter amnis priusquam urbem attingat, ob pleraque flumina quæ breui spacio se illi insinuant, amissas nuper uires penè ex integro reponit: quo fit, ut noua mole pressus, in ipsis oculis ciuium, non præsentiam, non urbis ædificia ueritus, quasi noua seditione turbatus in duas diuisus partes diuersus abit: fitq; recentiore hoc diuortio alA tera insula, qua Argentia oppidum, qua item Comaclum stagnis circumdatum includitur. Dextra pars fluminis quum Argentinos fines perstrinxit, auersa ripa, qua Ianiolum oppidum sedet, ex Forocornelienſi agro Vatrenum amnem accipit: nunc accolæ corrupto nomine Santernum uocant. Hic quasi omnis incrementi impatiens, nõ multo pòst ubi circa Comaclum ad locum uenit, quem diuum Albertum uocant, tantundem penè aquarũ quantum ex Vatreno acceperat, temerè effundit, quæ per stagna Rauennam progressæ, nauigabili fluuio in mare dilabuntur: atque ita Rauennæ portus unum ex Padi ostijs dici potest: reliqua pars, ac longè maior, ex Alberto recto fermè cursu in mare euoluitur, eiusque ostium Primarium accolæ appellant: olim Vatrenum dictum, à fluuio qui se illi, ut diximus, insinuat. Læua pars Ferrariensis diuortij, eo aquarum impetu quo ab urbe digreditur, non amissis, non auctis uiribus, in mare decurrit: eiusque ostium Volanem uocant. inter hoc & Primarium, cuius proximè mentionem feci, Comaclina stagna ostium habent: immò portam potius, quem Magnauaccam appellant. Sed æstuaria maris illa sunt, quod ex salis concretione datur intelligi. Redeo ad primam illam fluminis scissuram, quam paululum infra Ficarioli mœnia fieri diximus. Eàm ut recentem esse existimem, non tam Ruberti Neapolitani regis, & Francisci Petrarchæ Italiæ figuratio facit (in qua id Padi diuortium neutiquam fuisse Forliuiensis Blondus affirmat) quàm Polybij, summi uiri auctoritas: quum duobus ostijs Padum in Hadriacum exire tradidit, Paduſa & Volane, quæ ad eum fluuium, cuius proximè mentionem fecimus, attinere non est dubium. Sed nunc ad reliquam partem redeo. Quæ ad
læuam inclinans cursum, sine aliquo maiore detri-
B mento in Hadrianos fines usque decurrit: hic uerò bifariam scissus, minor pars ad dexteram flectens, ipsam penè Hadriam alluit, ac priusquam pelagus attingat, duobus ostijs in mare elabitur. Id quòd Volanæ propinquus est, Abbatis uocatur: reliquum uerò Gorium. Maioris fluminis ostium, quod Hadriæ sinistrum in mare decurrit, Fornaces accolæ appellant. Et hæc de Padi ortu, deque eius cursu & ostijs. ipsum flumen ideo Padum quidam appellatum crediderunt, quia circa eius fontẽ multa arbor scirpea sit, quæ Pades Gallicè uocetur: Plinius Bondincum quoque, quasi fundo carentem, Ligustica lingua dictum affirmat, atque in argumentum rei adducit Bondincomacum, oppidum flumini propinquum. Athesis, qui & ipse plurifariam scissus Polesinum non unam facit, ex Tridentinis montibus lapsus Veronam mediam intersecat: inde infra Leniacum ad Castagnarium diuisus, pars illa quæ uicum perstringit ad dextram flectens, Tartaro ex suis stagnis emerso occurrit: qui unà mixti non multum procedunt, quum alteram Athesis partem ad Maloperam maiore alueo abruptam assequuntur: atque ita uno ex pluribus fluminibus facto, Rodigianam Polesinum à tergo claudunt: postremò in stagna dilapsa, prorsus fluminum nomen amittunt. Athesi uerò paululum supra Marchianam turrim in duas partes scisso, dexter amnis Lendenariam Rodigiumq; perfluens, priusquam ad Caput aggeris sit uentum, cognatis aquis quasi in gratiam reuersus, se placidè insinuat: hic mixto alueo per stagna & paludes decurrens, ubi locum quem Turrim nouam uocant attigit, nouissimè diuisus duobus ostijs in mare euoluitur: quorum dextrum Fossiones uocant, læuũ uerò Brundulum: Athesis trifariam, ut suprà ostendimus, diuisus duplicẽ Polesinum facit: ultra Rodigianas aquas uetus dicit, citra uerò, recẽs. Hęc itaq; fluuiorum diuortia & stagna, quæ passim interia-

teriacent, Venetas expeditiones longè difficiliores A
omnino factura credebantur, quum neq; pedibus uadari loca possent, neque ob aquarum tenuitatem ubique nauigari. Primum itaq; omnium Seuerinati Lauretano que legato placuit, circa Boariam non longè à Leniaco lembos plerosque in Tartari flumi nis stagna traduci: inde tribus peditũ cohortibus, quibus Andreas Parmẽsis & Thomas Himulanus præerant, in illos impositis ad locum quem Crucel lam uocant, primò, mox in Melarianos fines transmitti. Pridie Calẽdas Maias sub lucem Venetus mi les in hostico consedit: huc pauci ex ijs qui Mellarię præsidio erant, & Frãciscus Siccus ex Hostilia cum modico equitatu sub primum appulsum affuere, leuique iniecto certamine cesserunt. Nocte quæ diẽ illum secuta est, Antonius Marcianus, homo multi nominis, cum trecentis agrestibus cœpit uiam ad traducendas copias non longè à Casalone stagnis communire. Nihil ea nocte ab opere cessatum: stabant illi qui uiam muniebant, ad latera usque aquis limoq; demersi. ubi uerò illuxit, nec dum opus ad exitum spectaret, Seuerinas Lauretanusque, qui ad tertiam diei horam affuerant, non ignari in quanto discrimine illorum uita esset, qui in hostium fines transierant, confestim ex circunectis locis omnis generis & ætatis agrestes ad id opus accersunt. mille per reliquum diei & noctem quæ secuta est, ibi operatos quidã memorant, alij longè plures aiunt. Sed quantacunque fuit illa manus, satis constat, postridie illius diei, quo plures operarios ex proximo accitos diximus, tertia lucis hora ad Tartari ripam peruentum: ubi uerò illi qui aduersam ripam præsidio tenebant, in conspectu fuere, mox ponte flumini impositio unicuique licuit in hostile solum exire. Viam quatuor & uiginti stadijs stagno communitam, à multitudine fascium, ex qua ferè materia opus constitit, Fascinatam castrensi uerbo dixere: B
citra Tartarum non procul ab ipso ponte locus munitus est, præsidioq; firmatus, ut citro ultroq; commeandi facultas omnibus libera esset. Traductæ eodem die in Mellarianos fines copiæ, quæ quantæ fuerint, parum inter eos qui rebus interfuerũt, constare uideo: quidam uiginti millia fuisse memorãt, alij numerum longè extenuant: sed quantæcunque fuerint, cum his Seuerinas Mellariam quæ in Padi ripa est, adortus, primo ferè impetu hostium munitiones arci subiectas expugnat. Qua suorum clade moti qui in arce erant, continuò deditionem fecere. Mellaria capta hostis sub ipsum occasum solis in ulteriore Padi ripa conspectus, Veneto subitã trepidationem iniecit: cõtinuò itaq; captis armis ad flumen est concursum. Paucitate illorum animaduersa, tumultus ille subitò resedit: cognitũq; inde est, Fœdericum Vrbinatem adesse Holtiliam Pado traiecturum, ut inde Mediolanum proficisceretur. Ferdinandus rex, & alij qui Herculem ex fœdere tuebantur, illum summæ rei præfecerant, iusserantque subitò Ferrariam uenire, ut primis Venetorum conatibus circa Padum, aut quà satius uisum esset, se obijceret. Venetus in castra redijt, ac biduo pòst Mellaria profectus, ad Brigantinũ uicum, aliquanto antea occupatum, consedit. Hic Seuerinas exploratum habuit, Trecentam, & alia quædam ignobilia loca ab hostibus relicta. Operæprecium itaque uisum est, ponte in ijs locis posito, ea parte supplementa & cõmeatum ex Veronensi agro accersere. apparebat, iter illud si non Crucellano & Fascinatino compendiosius, utroq; tamen tutius futurum, ponti præsidium impositũ est. Paucis inde diebus ex Brigantino Castrum nouũ uersus mota sunt signa: hic profunda fossa, quam hostes à Pado ad stagna Veneto obiecerant, subitò repleta, copiæ ad oppidũ admotæ: triduo ibi laboratum, muriq; nonnihil bellicis tormẽtis diiecti; demũ post aliquot preA lia deditio ab hoste facta est. Nec Ieues interim excursiones in hosticum fieri cœptæ, ingensq; uis hominũ pecorumq; quotidie in castra agebatur. Cuius rei fama propinquas urbes peruagata, multos mortales spe prædæ in Veneta castra excitauit, ita ut breui ad triginta armatorum millia in illis fuisse trãdantur. Ex Castro nouo Ficariolum processum est; fossa hic quoq; ingens nonnihil uictoriæ cursum retardauit: sed ea superata, iam castra & bellicæ machinæ ea parte qua oppidũ oppugnandũ erat, expediri cœperant, quũ tumultuose ex Mellaria affertur, Fœdericum Vrbinatẽ cum ualidis copijs Hostiliam uenisse. Timuit Venetus dux, ne uijs post se ab hoste insessis, non esset sibi integrũ dum uellet in pacatum abire: continuò motis castris cum omni bellico apparatu Castrum nouum repetit. Hic uerò per exploratores compertum habuit, haud magnas eò copias adductas: nec eas esse hostibus uires, quibus citra Padum auderent aliquid conari. Tum Seuerinas Marciano comiti mandat, ut tumultuario opere Padanũ aggerem inter Mellariam & Hostiliã rescinderet: quo facto apparebat, nõ esse amplius curullus hostium incursus ea parte timeri posset: ipse Ficariolum denuo ire pergit. Interim uerò qui præsidio erant, fossam absente hoste iterũ cõmuniuerãt: statuerantq; in ulteriore ripa bellica tormenta, castrorum munitiones disturbarãt, & tabernacula ex palustri materia à Veneto erecta incenderant. Vrbinas ad hæc ex Hostilia secundo fluuio eò delatus, maiore præsidio locũ firmarat: unde postea Stellata oppidũ, quod in aduersa ripa est, transuectus: ibi, ut suis quũ opus esset, commeatũ, arma, uiros subministraret, esse uoluit: huc omnes hostium copiæ quæ tum comparatæ erant, illius iussu conuenere. Rubertus interim nonnihil his, quæ diximus, impedimentis fatigatus repleta iterum fossa citra ultraq; illam tandẽ meratus est: obiectæ ad id oppido munitiones, machinæq; ad muros disturbandos proximo loco admotæ. Sed dum hæc superiore parte fluminis geruntur, Christophorus Mula, uir impiger, qui lembis & minoribus nauigijs præerat (Damianus enim Maurus Padanæ classis præfectus hostẽ pręterue ctus erat) Hadriam urbẽ uetustissimã adortus cepit: primo certamine oppidũ militũ qui præsidio erant, & oppidanorum uirtute ualidè est defensum. Fuerat & auxilio non parum loci natura, quę aquæ magna ex parte claudũt, atq; illæ ipsæ nõ nisi per difficiles quosdam riuulos nauigabiles, quibus locis nauigia ægrè oppido aliqua ex parte admota sunt. Cecidit sub primos conatus Dominicus Hericeus, uir fortissimus, cuius cæde irritatis Venetorum animis atrocior oppugnatio oppidum adorta est: periculorum omniũ oblitus miles, hostium munitiones subijt. Demũ non prius ardor ille animorum remisit, quàm socij nauales ac reliqui urbẽ irruperant: tum uerò oppidani abiectis armis ueniã implorare. Multi mortales primo ingressu à uictore irato, & ultionis cupido, obtruncati sunt, tecta direpta, ac nonnullis locis incensa: fuisset que eo die Hadria omnino euersa, nisi Venetus suos à pręda & cędedicto reuocasset. De situ & uetustate loci alio loco diximus. Capta Hadria, totus ager & omnia quæ in eo fuere, in prædam concesserunt. Comaclũ quoque per eos dies in Venetorum potestatem uenit, ad quod recipiendum nauigia non adeò multa sunt missa. His alijsq; circumiectis locis, partim ui, partim uoluntaria deditione receptis, quũ classem interim aduersus Padum in hostem Maurus ageret, ingens citra ultraque flumen fuga facta dicitur. Eius accolæ Hadrianorum clade territi, Ferrariã, aut aliò ubi se tutos fore putabant, cum coniugibus & liberis præcipiti fuga abierunt. Cõmuniuerat Hercules Padũ ea parte, qua classis agebatur ad locum quem Pilosellam uocant, tribus ligneis castellis, medio a-

mne

mne uno, reliquis circa ripas cõstitutis, quibus ingens bombardarum telorumq; uis inerat. Validum ad id præsidium in medio erat, sed in ripis longè ualidius. Aderant Sigismundus Æstensis, Herculis frater, & Ioannes Bentiuolius Bononiensis cum equitibus sexcentis, ac peditum numero penè pari. Habebat secum Maurus uim nauium ingentem, galeones, lembos, ganzariolas, ac pleraq; alia diuersi generis nauigia circiter ducenta, omniaq; optimè ad bellum instructa. Ipse triremi inuectus, ferociter terra & aquis hostes adortus est. Tanto animorum ardore hic à Veneto res gesta dicitur, ut pulso equitatu, ac reliquis tota ripa turpiter fugatis, castella quę in aquis erant, post acerrimum certamen capta sint. Nec uictoria omnino incruenta fuit: multi alij alijs casibus, & in aquis & circa ripas conciderant: sed res læta effecit, ut si qua clades eo loco accepta est, illa ad sensum non peruenerit. Castellum quod in medijs aquis fuit, quodque grandiori nauigio impositum erat, Venetias est missum: reliqua incendio absumpta. Maurus uictor dextra læuaque naua les socios cum terrestri milite circa flumen prædatum mittit: illi uerò non tam prædæ studio, quàm ut suum in hostes odium explerent, uillas, uicos, & tecta circumpadanis campis sparsa diripiunt, direptaq; subiecto igni incendio absumunt, agrestes pecoraq; ad naues læti agunt. atq; ita classis prædabunda, sub idem ferè tempus, quo terrestres copiæ Ficariolum secundò circumsederant, eò & ipsa appulsa est. Prædatores qui classem aliquantisper sua celeritate præcesserant, hostium speciem primo aspectu suis præbuere, qui circa oppidũ castra habebant: mox uerò inter se cogniti, ingenti alacritate, mutuaque congratulatione congressi, hostem terra & aquis obsidere pergunt, muros oppidi & munitiones assiduo tormentorũ ictu disturbant. Nec Fœdericus, qui è regione erat, suorum discrimen ociose intueri: sed æneis machinis in aduersa ripa cõstitutis, cũcta Veneto infesta reddere, uiros ad hęc, arma, commeatum suis ex proximo submittere, omnia ad obsidionem præferendam maturè prouidere. Sed nihil erat quo ille grauior Veneto esset, q̃ fusilium machinarum iactu, quas à nimia celeritate Vertiuolantes appellant, non arma, non uallum, nõ denique munimentum ullum perniciosæ pesti resistere poterat: omnia more fluminis ænea pila uiolenter excussa traijciebat: non in tabernaculis miles, non extra tutus esse. Tum uerò quia id parũ militari exemplo ab hoste fieri constabat, quòd noctu, quodque intra castra milites his insidijs peterẽtur, denunciandum illi per præconem Seuerinas curauit, ut nisi ab eiusmodi belli ratione absisteret, fore ut & ipse bombardis, à Ficarioli mœnibus auersis, castra oppugnare inciperet. Quoniam igitur utrũque parum decorum uisum est, conuenit inter eos, ut quum oppidum oppugnaretur, aut Ficarioli muri tormentis quaterentur, his liceret machinamentis uti. Seuerinas præterea, ut Padus non uno hostibus loco clauderetur, nauigia quædam ab classis statione præter castra ad superiora fluminis loca solo attrahi iussit. Ad naues eas opprimẽdas, ex quinque & uiginti galeonibus, quos ex Mediolano missos constabat: nouem Vrbinas ex Hostilia accersiuit. Horum quinque cum ad insulam Venetæ stationi proximam peruenissent: quadringenti milites nauibus egressi, ut corpora aliquantisper æstu leuarent, se temerè sub umbra arborum in herbido prostrauere: Venetus in tali occasione haud cessandum ratus, auersa insulæ parte ad eos silentio annauigauit: atque ex ijs nauibus quæ admotæ erant, ad centum quinquaginta in terram digressi, subito clamore incautum hostem ac semisomnem adoriuntur. Ille uero inopinato malo perculsus: neque arma capit, neque se satis ad fugam expedit: demũ A urgente metu, alij aliò dilapsi, pauci ad naues confugere: quibus trepidè abductis in tutum abierũt: reliqui à suis destituti, alij ferro, alij in aquas præcipitati periere: septuaginta, qui uiui in uictoris potestatem uenerunt, ad Seuerinatis conspectum adducti sunt. Eos quum Mediolanenses esse constitisset, atque eosdem opifices, qui non militandi studio, sed principis iussu naues conscendissent: benignè acceptos, uestibus & uiatico adiutos, dux ipse ad unum dimisit. Eam cladem hostis maiore Venetorum incommodo non multo pòst ultus est. Scinditur, ut diximus, Padus quingentos infra Ficariolum passus. Statuerant Veneti duces in fronte eius insulæ, quam fluminis diuortia faciunt, subito opere præsidium communire: ut dexter fluuius, quò ex Stellatis Ferrariam nauigatur, hostibus clauderetur. Ferunt Antonium Marcianum primum omniũ loci opportunitatem ostendisse, atque iccirco præsidij communiendi negocium illi datum. Is cum Bartholomæo Falcerio, Thoma Imulano, duabus q̃ peditum cohortibus locum subitò occupauit, occupatumq; admota ad id opus ui agrestium ingenti communire cœpit. Milites interim socijq̃ naua les prædæ studio ab opere auersi, Ferrariam usque prædabundi processere: prædaque ingenti parta, ubi ad naues reditum est, Marciano cum operariorum manu paucis q̃ militibus relicto, in castra & ad stationem quæ in auersa ripa erat, sine imperio abierunt. Relictorum infrequẽtia effecit, ut per diẽ locus communiri nequiuerit. Hercules cognito hostium consilio (quod ut sciret, expeditissimis nuncijs Feltrius dux curarat) cõfestim ad eos opprimẽdos ire pergit. Haud enim ignorabat, quid periculi sibi Ferrariæque ex eare immineret. subito igitur accessu eos adortus turbat: primo inde certamine iniecto circa munitiones fatigat. Marcianus suos B hortando, ut se locumque fortiter tuerentur, uictoriam Æstensi aliquanto retardauit: inde superante hostium multitudine uictus, in eorum potestatem uenit. Captus cũ eo Falcerius, ac milites multi, multi quoque ibidem cæsi. Imulanus cum parte peditum ad fluuium se recepit, maturoque nauium accursu seruatus est. Perrexit postea Hercules locum communire, qui ualido præsidio firmatus, magnũ Ferrariæ adiumentum attulit. Seuerinas interim quum Ficariolanam oppugnationem haud tam cito, quàm ipse & alij sperarant, ad exitum perduci uideret: ne uno loco hostem fatigaret, copiarũ partem cum Fracasso & Ioanne Maria, & cum his Petro Marcello legato, Iacobi Antonij uiri clarissimo filio ad Rhodigianæ Polesini oppida expugnanda mittit. quicquid enim hostium intra Athesis fluenta erat, nullam uim belli ad eam diem senserat. Primo igitur accessu Castellum Guilielmum, & Turris Donatia stagnis circumflua, sunt capta: inde Rodigium, Lendenaria, Abbatia, & alia Polesini loca nõ sine certamine: quo Hieronymus Martiani Comitis filius, iuuenis impiger, occubit, Venetis armis cessere. Ad confirmandos autem populorũ animos qui in Venetam fidem uenerant, Augustinus Barbadicus, tum Patauij præfectus, uir claro ingenio magnaque auctoritate, decreto Patrum Rodigium transijt: missus ad hoc ipsum cum eo Petrus Triuisanus. Rebus prouinciæ cõstitutis Barbadicus iussu Patrum Paduam est reuersus: Triuisanus graui morbo implicitus, non multo pòst uita decessit. Rubertus Venerius, Francisci filius, Triuisano in prouinciam successit. Hic quoque populorum animos, in primis q̃ Rodigianos, non solùm in fide cõtinuit, sed mansuetudine & ingenij dexteritate magnopere etiam cõfirmauit. Dum hæc circa Athesim geruntur, Fœdericus Vrbinas graui morbo implicitus, ex Stellatinis castris, in quibus ægrotare cœperat, Ferrariã est delatus, Seuerinas interim quamuis copia-

copiarum pars cum filijs abesset, nihilominus hostẽ A die noctuq; assiduis conatibus fatigare: murisque iam propemodum bellicis operibus solo æquatis, longioris moræ impatiens statuit oppidum oppugnare. Priore certamine promurale arcis est ui captum: ac semel occupatum pertinaciter Venetus retinuit. Multi igitur remittente pugna in eo remanere: quidam etiam sub ipsis muris hæserant. Qua hostium audacia Herculani qui intus erant territi, spe oppidi amplius retinendi amissa: turrim quæ adhuc non prociderat, pontibus suspẽsam subiecto igni euertere. Cognita ex eo hostium desperatione, Seuerinas acriore oppidum oppugnatione adoritur: media nocte ad tertium calẽdas Iulias miles ferox Ficariolanas munitiones inuadit: pontes pluribus circa fossas locis nocturno incursu disponit. Æstenses & ipsi per umbram noctis oppidũ seq; forti ter tueri: pugna & specie & re atrocior diurna fuit. Terrebant nocturni clamores, cæci strepitus, fragores, ruinæ: & quod omnium maximè horrendum erat, subiti tormentorum ictus, qui tonitrua imitati, omnia terroris & sollicitudinis complebant: protractum est prælium ferè ad lucem: tum uerò Venetus uicta hostium pertinacia pluribus locis in oppidum irrumpit. Herculani ubi rem perditam uidere, abiectis armis alij præcipites in aquas dati sunt, alij ferro oppressi: paucissimi uiui in uictoris potestatẽ uenere. Venetus oppido potitus continuò illud penè solo æquatum irrequieto opere restituit. Seuerinas interim & Laureanus palustri cœlo grauati, ægrotare cœperunt: uterq; Patauium delatus est: sed dispari fato: Venetus seruato duce diem uitæ obijt. Maurus quoq; classis præfectus, & ipse à patribus reuocatus, paucissimis diebus postquam Venetias uenit uita decessit. Fuit æstas illa omnino grauis: sed autumnus qui secutus est, longè grauior: ita ut quidam eorum, qui de Ferrariensi bello nobis com B mentarios scripsere, quique rebus gerendis interfuerunt: affirmare audeant, perijsse ex ijs qui circa Ficariolum æstate illa terra & aquis fuere, ad uiginti hominum millia: alios alio casu, sed longè plures febri palustri loco contracta. Hæc æstate illa in Gallia. In Flamminia Rubertus Ariminensis & ipse ab initio belli nõnihil cum ijs copijs quas habebat hostem assiduis expeditionibus uexarat: ex Rauenna, ubi tunc Bernardus Bembus prætor erat, commeatus & omnia ad bellum necessaria illi maturè subuehebantur: media ferè æstate Patrum decreto Romam ad Xystum pontificem obsidione leuandum ire iussus est. Sub primos enim Venetorum motus Alphonsus Calabriæ dux cum quatuor millibus armatorum tentauerat ad Herculem sororium transire: uerùm quia per loca pontificis omnino erumpere cogebatur, in Marsos primũ, inde per Equos ducens Columnensibus & Sabellis, qui apertè à pontifice defecerant, iuuantibus, in Romanũ agrum descendit. Habet urbs Roma pleraſque nobilissimas familias, quarum Vrsini, Columnẽses, & Sabelli celebritate nominis & opibus clarissimi habentur: hos discordia multis antè annis, æmulatione primò, inde apertis odijs in perpetuum penè certamẽ traxit: sq̃pè accidit ut armis inter eos media sit urbe dimicatum: sed foris tâquam liberiore campo sæpius: quicquid oppidorum circumquaq; urbi adiacet, illorum penè ditionis est. Sed quum præter hos multi alij sint Romani sanguinis principes: Vrsini iam inde à multis annis & armorum uirtute & opibus cæteros longè præstare cœperunt. Extiterunt nostra memoria quatuor ex ea familia uiri clarissimi, Caroli filij, Latinus, Ioãnes, Neapuleo, & Rubertus: duo illi Eugenium pontificem (ut à maioribus accepimus) Florentiam secuti, tantum apud illum gratia & honore floruere, ut Latinus, qui omnium maximus natu fuit, non multo pòst Cardinalis sit creatus: Ioannes & ipse Tranensis antistes declaratus, amplissimis ad id sacerdotijs auctus, mirum in modum domesticam auxit dignitatem. Attulere hi quidem suis multum splendoris: sed plus omnino Neapuleo & Rubertus, qui militari uirtute in tantã nominis celebritatem euasere, ut uno tempore hic regiarum copiarum dux, ille pontificij exercitus imperator fuerit. His uirtutibus non solùm paternum principatum turati sunt: sed mirum etiam in modũ auxere, ita ut quicquid terræ à Tyrrheno fermè littore ad Fucinum Marsorum lacum longè lateq; patet, suæ ditionis fecerint. Is rerum successus adhuc maiorem apud æmulos peperit illis inuidiam: oppugnatiq; ob id nonnunquam uno tempore à Columnensibus, Sabellis, & Anguillarijs. Et quia per se non poterant ut unius familiæ opes euerterent: Calistum quoque pontificem in eos armarũt: cuius conatus nõ solùm illi sustinuerunt, sed fregere etiã: uel in primis, quum ad uicum Varronis, Borias Calisti nepos longè maioribus copijs cũ Ruberto Vrsino parum prospero Marte dimicauit: uerùm etsi semper aliàs æmulorum opes Vrsinis infestæ, Xysti pontificis temporibus infestissimę fuerunt, quippe qui nacti (ut eis persuasum erat) nocendi occasiõ nẽ: quia paucissimis annis quatuor illi uiri illustres extincti essent, enixè omnia moliri cœperunt, quibus Virginij Neapuleonis filij, qui unus in tantum principatum succesſerat, opes euerterent. Verum ille uiribus & ætate florens, maiorumque uestigia secutus, pontificem amplexus Romanæ ecclesiæ partes tueri: cum Hieronymo Vicecomite communi consilio rem domi forisque administrare. In huius iraq; potius quàm in pontificis inuidiam Columnenses Sabellicq; res nouas sub Alphõsi accessum in urbe & in municipijs moliri cœperunt: quo accidit ut duo ex utraq; familia Cardinales, uiri alioquin singulari innocentia & auctoritate, in perduellionũ suspicionem deuocati, pontificis iussu in Hadriana mole aliquandiu uelut in custodia habiti sint. Tum illorũ necessarij adhuc magis iritati, omnia Romæ per homines suæ factionis turbantes, Alphonsum uenientem non solùm commeatu iuuere: sed in sua quoq; oppida unde commodius urbem infestaret, ultro induxere. Hinc itaque accidit, ut quanquam pontifex per id tempus florẽtes haberet copias, essentq; in illis castris multi clari & illustres uiri, intra tamen urbis mœnia se tenerent: ueriti, ut uulgò ferebatur, ne si castra extra urbem feciſſent, aliquid interim domi per homines aduersę factionis moueretur. Ea Alphõsus occasione usus, aliquot oppidis pontifici ademptis Romanum agrum assiduis incursionibus infestare. Ob hęc pontifex ad Venetos misit, ut Rubertum Malatestam ad se obsidione liberandum mitterent. Patres etsi Ferrariensi bello satis occupati erant, maritimam tamen Apuliæ & Calabriæ oram ualidissima classe populandam Victori Superãtio decernunt: cęterùm Francisco Diedo mandant, qui oratoris munere apud pontificem fungebatur, ut suo nomine militem Romæ conducat: mandant & Ruberto Ariminensi, ut cum quàm maximis posset copijs ad urbem graui bello leuandam properaret: mittunt ad hæc Petrum Diedum, qui apud illum legati nomine esset: quique palsim mercenarium militem contraheret, ut Xysto nõ imperatore solum, sed milite quoq; opitulati uiderentur. Rubertus Romam ire iussus, ex Flaminia cum ualido equitatu mouit: nunciatur interim, Tiphernum à Nicolao Vitelio Florẽtinorum opibus freto occupatum. Eò quũ ille diuertisset, paucis Tiphernatium locis ui captis direptisq;, quia res Romanæ in discrimine erãt, urbem uersus magnis itineribus abijt. Sub eius igitur aduentum mutata belli ratione in hostem subitò mota sunt signa. Alphonsus audito hostium accessu, in Veliternum agrum, ad locũ

qui Campus mortuus dicitur,cõcesit.Venetus im A perator ubi hostem in conspectu habuit,socios (ut fit) hortatus, copias in certos ordines diuisit,inde spei plenus in hostem uadit.Faciebat illi animũ copiarum magnitudo,quibus fretus non multo post quam contractum fuerat certamen, coëgit Aragonium hostem in orbé pugnare.Habebat ille lectissimum equitatum,habebat & pedites:sed pro numero equitum,admodũ paucos. utebatur ad hæc Turcis quadringentis, quos Hidrunti superiore anno domitos ad deditionem compulerat.His copijs ille fretus, Malatestam uenientem ferocissimè excepit.Certatum ferunt sex & amplius horas,tãta animorum pertinacia, quanta hominum memoria in terra Italia rarò aliàs. Instabat Ariminensis dux, ae bellatorum numero melior undiq; hostem fatigabat.Cõtrà Calaber suorum uirtute nixus, aut mori, aut omnino locũ retinere certus erat.multi utrinq; cadebant, ubiq; atrox erat prælium:sed quà Turcorum manus dimicabat,atrocissimum.Demum põtificij Venetiq; militis multitudine superante,consilioq; & præsentia ducis uires iuuantibus, acies minus ac minus hosti cõtare cœpit: turbatisq; primò ordinibus tẽtauit Alphonsus pluribus locis aciem reparare:nonnihilq; ea ratione est uictoriam remorarus.sed ubi suos undiq; degrauari uidit, remq; semel inclinatam sisti non posse amplius, cum paucis equitibus elapsus,in pacatum trepidè concessit:reliqui uiri illustres, qui omnia prius experiri maluerũt quàm hosti cedere, cum omnibus fermè copijs in uictorum potestatem uenere. Rarò aliàs tantus ductorum numerus uno prælio captus dicitur.His cum alia ingenti captiuorum turba præ se actis, Rubertus uictor non multo pòst urbem ingressus,desuetam triumphi speciem Romanorũ oculis subiecit:ipse per hæc immortale nomen consecutus,paucis diebus uita decessit:cuius desiderium eo maius B fuit, quo minus inclytæ uictoriæ laudem liuor ullus fortunæ aut hominũ tá breui spacio uiolare potuit.Percrebuit rumor,eũ ueneno sublatũ:sed fama tenuit,eo die quo tam prosperè pugnauit,nimio ęstu & labore corpus affectum contabuisse, atq; ob id intra paucos dies grassantis ui morbi expirasse: Romę est situs, eiusq; sepulchrum hoc habet: Veni, uidi, uici : Lauream pontifici retuli : mors secundis rebus inuidit.Tradunt quidam, duos summos Italiæ imperatores eodem die interijsse : hunc de quo loquor,& Fœdericum Vrbinatem, quem ex Stellatinis,castris Ferrariam delatum diximus. Dum uerò hæc in Latio gerebantur, in Gallia Petrus Maria Rubrius Venetorum partes secutus, circa Parmam Sfortianas opes sollicitare nõ destiterat, assiduisq; incursionibus omnia hostibus infesta reddere: sed Veneti non tam nocendi studio Mediolanensium res Rubrianis armis uexabant, quàm ut domestico bello impliciti Æstensi Herculi illi auxiliari nõ possent.Ad hos motus comprimendos continuò Sfortianæ copiæ in Parmensem agrum transiuere, quæ Rubrium graui bello adortæ,non solùm intra suos fines compulerunt, sed Nucetum quoq; oppidum aliquandiu oppugnatum, illi ademere : nec multis pòst diebus & arcem Candidam. Erantq; in hoc statu Rubriorũ res, quum Petrus ipse uir fortissimus morbo implicitus uita decessit : Guido, qui ab eo hæres relictus erat, cum fratribus ad secundum oppidum, ubi belli sedem figere destinarat,se recepit: uerùm exclusis Venetorũ auxilijs: quippe quę tum propter Padum,tum quia à Venetis finibus longissimè recedebant nulla mitti poterant. Etsi Sfortianas opes ferocissimè diu pertulere, ac nonnunquá etiam fregere,ut in Parmensi agro, ubi duæ Rubrianæ turmę aduersus Sfortianas copias triplo maiores prosperè dimicasse dicuntur: longo tamẽ bello fatigati, ut postea dicetur, cessere. Erat iam autũni pars nõ parua exacta, quum Seuerinas morbo leuatus, in castra iam penè desolata redijt. Omnia erant languentium plena: quanquam ex ijs qui uim morbi euicerant, iam non pauci conualescere cœperãt. Summæ rei præerat Lucas Pisanus, qui ex Verona decreto Patrum,Lauretano morbo decedẽte,in castra uenerat,ut tantisper illic legati nomine esset,dũ Ioannes Hemus ex Brixiæ finibus reuocatus Fariolum uenisset. Præerat tum is cum Deiphobo copijs,quas patres futuris Mediolanensium motibus circa Ollium ab initio belli obiecerant. Sub Hemi aduentũ Pisanus,qui iam & ipse grauitate cœli languere cœperat, Venetias abijt. Ficariolana mœnia noui legati industria assiduo opere instaurabant,dũ Fœdericus Cornarius & Franciscus Sanutus legati in castra uenerunt:post quorum accessum miles ad Ficariolũ in castris,& naues in pristina statione aliquándiu sine re ulla memorabili fuere. atq; ideo cessatum,quia nõ adeò multi erant qui arma adhuc tractare possent: trahebãt longè plures ægra corpora, qui non modò non bellica munera obire poterant, sed ne pedibus quidem consistere. Vertente autem autumno,quũ ęris inclementia magis in dies magisq; remitteret, cœpissentq; passim qui ad eam diẽ iacuerant,leuari,ne amplius tempus tereretur,mittit Seuerinas Fracassum filium cum ualido equitatu ad præsidium oppugnandum,quod Hercules ad obscurũ lacum in ripa fluminis firmarat. Erat enim Venetis nauibus citro ultroq; commeantibus infestissimum.Ille bellicis machinis in aduersa ripa cõstitutis, ita hostium munitiones assiduo iactu paucis diebus comminuit,ut iam hosté minimo negocio loco deijci posse nemo dubitaret. Sed dum Fracassus hac parte hostem fatigat,Victor Superantius maritimæ classis præfectus,cum una & uiginti triremibus biremibusq;, & paraschermis circiter qua tuordecim aduerso Pado in Argentinos fines progressus,Ianiolum oppidum, quod ad Vatreni ostiũ sedet, oppugnare statuit : apparebat nisi eo expugnato,classem sine ingenti certamine ulterius procedere non posse. in aduersam igitur ripam è regione oppidi (Filo nomen loco est) quadringentos & amplius equites, milites sexcentos Superantius ex posuerat:cœperant hi aduersus hostiũ incursus Padi ripam cõmunire, ut inde per ocium oppidi mœnia bellicis operibus disturbarent. In eos præsenti operi intentos Sigismundus Æstẽsis, Nicolaus Coregianus & Hugo Seuerinas, alijq; nonnulli uiri illustres cum tribus & amplius hominum millibus ex Argentia oppido repentè impetum fecere:ac primò in Andreæ Burgensis stationem irrupere, ubi nonnihil à Venetis primo cõgressu est laboratum: inde uerò ubi hostem adesse cognitum est, sumptis repentè armis ferociter Venetus in pugnam ruit. Obiecerat Æstẽsis uenienti illi quatuor currus, quaternas singulos machinas habentes.Atrox hic prælium inter hostes & nauales socios coortũ erat,multiq; iam ex utraq; parte cadebant,dum trecenti Peloponnesiaci equites, qui cum Veneto uenerant, paululum circunuecti ut hostem pugnæ intentum circunsisterent, tantum à latere conspecti terrorem Herculanis iniecere, ut subito Sigismundus & alij duces territi fugam moliri cœperint. Valaresia ad hæc triremis iam aquas, quas hostis à tergo habebat, subito tumultu insederat.Quo cognito quum iam Æstenses circunuentos se uidissent,à prælio in fugam uersi,alij aliò diffugere conantur:Sigismundus celerrimo equo usus, præcipiti fuga Argẽtam penè solus abijt. Multi qui metu se præcipites in aquas dedere ui fluminis uicti perierũt:multi quoq; ferro absumpti, plurimi deditione facta in Victoris potestatem uenere : ingentem uictoriam ac ualde memorabilem eo die Superãtius est adeptus. Nam præter Hugonem Seuerinatem & alios circiter septuaginta

ptuaginta armorum ductores, quos classis impera A tor Venetias captiuos misit,ducẽtas & amplius cassides cataphracto hosti adempras (quod eximij trophæi speciem prębuit) publico loco suspendit. Respublica ad Argentiam pulchrè gesta, Seuerinas, ut & ipse facinus aliquod præclarum ederet,in Ferrariensem agrum transire statuit: pontem ex Galeonibus quos ad hoc ipsum demoliri fecerat,subitò cõstrui mandat: datq; Bassano Veronensi id negocij, qui cum paucis diebus opus confecisset, Barbadico ad Ficariolũ relicto, cum Hemo & Sanuto legatis nocte profectus,mille passus infra hostium præsidium copias traijcere cœpit:ac quò tum quodque nauigium præcesserat,ita suo ordine fluminis alueo iactis anchoris in pontis speciem disponebatur. Et iam ad mille & octingenti equites peditesq; in hosticum traiecerant,quando manifestè apparuit,non adesse tot naues quæ pontem explere possent: idq; illorum culpa euenisse,qui fluminis latitudinẽ non rectè dimensi fuerant.Stabat itaque in aduersa ripa fortissimorum hominum manus omni suorũ præsidio excusa:quo periculo Seuerinas cõmotus, uehementer excanduisse dicitur: superũm hominũq; fidem testatus,nisi quàmprimum naues expediretur,quibus pons ante lucem iungeretur,fore ut pauorum stultitia lectissimorum hominum manus se & suis spectantibus in aduersa ripa ab hoste trucidaretur. Sed legatorũ industria maturè prouisum, ut deducto in citeriorem ripam ponte, antequá hostis quicquam resciuisset reliquæ copiæ sint ultra flumen traductæ. Tum uerò Herculani milites loco quem præsidio tenebant diffisi, bellicis instrumentis in subiectum flumen deuolutis, iniectaque munitionibus flamma Ferrariam celeri cursu se receperunt.Horum exemplo & alij metu consternati plura loca quæ circa flumen Hercules cõmuniuerat deseruere:quo accidit,ut totam Padi ripam, prę B terquam quod in Polesini fronte præsidium unum ab hostibus est retentum,continuò Venetus occuparit.Miles,ubi non flumen, non munitiones ullæ erant,quæ suos successus remorari possent,in Ferrariensem agrum effusus,uillas & loca suburbana subito incursu diripit,direptaq; incendio absumit.Est locus mille passus ab urbe,Parcum uulgò appellãt: hunc primò Borsius muro circuiuerat,sed Hercules plus agri amplexus,illum maiorem in modum auxit intus : stagna,riui,nemora, campi & loca ad uenandum quæsita:circa hos muros, qui non multũ à flumine recedunt, Venetus primò consedit: nouusq; interim pons,ac priore illo firmior, Pado est impositus:onerariæ naues anchoris, superiore parte fluminis ferrea cathena ne recidi possent, deiectis,ordine ab una ripa ad alteram primò dispositę, inde trabibus inter se commissis ab utraq; parte cõpactæ,lapidei pontis speciem sua firmitate præbuere. Omnigenũm rerum uenalium tabernæ dextra læuaq; constitutæ, aquarum prospectum transeuntibus adimebant: pontes ad id pensiles eas medijs aquis uelut in insula quadam, posteaquam sublati erant,statuebant. Et ne pons ab hoste nocturno sol ueretur incendio,ducentos inde passus codices anchoris suspensos ferreis uncis prominentibus fluuio obiecere, qui ardentem materiam supernè demissam remorarẽtur, donec prorsus extincta esset, aut omnino cõsumpta.Ponte flumini impositio Seuerinas refracto muro per Parcum ipsum quadrato agmine ad mille passus Ferrariam adequitauit: hic quum in acie ante urbem stetisset, nec ab hoste moueretur quicquam,copias in castra reduxit. Cõuersus inde Venetus ad præsidium,quod hostes iuxta flumen reliquerant,muniendum, maiorem amplexus aream fossa uicenũ pedum profunda, æquis lateribus producta, circunquaq; illi aggerem cum propugnaculis & pinnis ad hostem procul summo uendum imposuit:opus sanè inexpugnabile,ac,nisi pax illud sustulisset,perpetuus Ferrariæ terror. Rebus hac quoque parte firmatis, hostium portis Venetus ociosè adequitat: omnia trepidationis & metus complet. Qui in urbe erant,pontem propinquo loco, præsidium propinquiore intuentes, uno ore omnes publicam priuatamque fortunam deplorare:actum dicere de Herculis principatu : actum de Ferrariensium salute:uulnus iam intra uiscera adactum,uenenumq; ad præcordia peruenisse: nunquá amplius à Veneto sperandam pacem, qui signa in conspectu urbis, quasi arce quadam munitissima, præfixisset : non paludes, non stagna, non Athesis aut Padi fluenta, illius uictoriam morari amplius: aut iniquissimas Padi conditiones,aut frænum accipiendum prædicare.Hæc illi.Venetus interim omnia moliri,quæ ad uictoriam attinere arbitrabatur:flumina, & eorum ripas insidere, præsidia non uno loco disponere:& breui,non aliter Ferrariensibus imminebant,quàm uictores uictis, quum subitò debellatum uolunt,imminere consueuerunt.

IN LIBRVM II.

Epitoma.

Romanus pontifex noua fœdera secutus, à Venetis defecit:Calaber dux Ferrariam accessit: Bellum in Venetos ab omnibus principibus & populis Italiæ decretum est: Patres Lothoringiæ ducem in Italiam stipendio accersiuere:Seuerinas cum maxima copiarum parte Abdua ponte superato ad Trecium consedit: Lodouicus Sfortia Rubrianas opes per ocium euertit: Alphonsus copijs ingentibus in unum contractis,multa Brixiensis & Veronensis agri oppida Venetis ademit:inde Mincio superato ad Athesim usq; tumultuose adequitauit: Aſulam nec multo pòst per deditionem occupauit:Venetus peditatus ad Stellata Herculis interuentu ad flumen præceps datus est: Alphonsus ex Asiula profectus irrequieto cursu ad opes Venetas circa Padum euertendas à Seuerinate præuentus, infecta re abijt : Iacobus Marcellus classis imperator Gallipolitana oppugnatione occubuit: Gallipoli à Veneto capta, Veneta arma in intima Calabriæ loca penetrare cœperunt:Castra nouissimè ad Balneolum collata, ubi pax quæ nõ multo antè Cæsenæ frustra mota fuerat,sancita est: Auriga tiones & hastarum certamina post pacem in urbe celebrata, postremo loco referuntur.

M. ANTONII SABELLICI, RERVM VENETARVM ab Vrbe condita, Decadis quartæ,

LIBER II.

IAm res Veneta superior, fuisserq; non multo pòst cum Hercule debellatum, nisi Xysti pontificis subita defectio Venetum non solùm possessione uictoriæ deiecisset,sed in summum etiam discrimen belli adduxisset.Nam post Malatestæ ducis mortẽ pontifex & Hieronymus Vicecomes,cuius ductu omnia gerebantur, sensim alienati, apertè tandem ad hostes defecissent. Nouerat ita euenturum Franciscus Diedus,qui tum, ut diximus, ad pontificem orator erat: idque per literas principi & patribus aliquãto

antea significarat, qui ut eos in fœdere retinerẽt, nul A
lum interim bonorum sociorum officium prætermisere. sua ne igitur sponte, an alieno impulsu defecerint, difficile est iudicare. Percusso cum hostibus fœdere tentauit pontifex per literas Venetos ab armis reuocare: atq; eò suadendo hortandoq; perducere, ut Ferrarienſi bello omnino abstinerent, restituerentq; Herculi Æstensi quæcunq; ad eam diem armis illi ademissent. Patres ea denunciatione moti, etsi certi erant, semipartam victoriam nolle abijcere, censuerunt tamẽ, Pontifici respondendum: ac per literas non illi magis quàm toti Italiæ, immò Europęis omnibus demonstrandum, contracti belli culpam à se quàm longissimè abesse: atq; id ipsum ex eo facile intelligi, quòd nisi Xysto ipso auctore, immò impulsore potius, arma in Herculem sumere noluissent, quæ magno reipub. dispendio sumpta, tum quum victoria iam penè parta esset, à se repeterentur: quasi facile omnino esset, grauissimum bellum grandi dispendio contractum, tam repentè soluere. Placuit itaq; Bernardum Iustinianum, uirum insigni eloquentia, ad pontificem publico nomine rescribere. Literarum, quas ille in Senatum attulit, quæq; Romam postea missæ sunt, hæc ferè summa fuit, ut diceret, Venetos ne iniuria quidẽ lacessitos arma prius induere uoluisse, quàm belli quod postea Herculi illatum esset, Pontificem non solùm auctorem, sed impulsorem etiam habuissent: nec tum quidem eos à pace multum abhorrere, quin ueteri ciuitatis instituto libẽter eam complexuros fuisse, nisi alieno tempore proponeretur: tunc sanè, quum iam propè debellatum esset, ac tam indignis conditionibus, ut nil aliud esset illam recipere, quàm Venetum nomen omnibus gentibus irridendum exhibere, certò se scire, Pontificis cõsilia, monitus, hortationes, ad commune ocium spectare, nec ab eo quicquam proficisci posse, quod non idem Christia B
no nomini conducibile esset. Verùm satis superq; apparere, secum in eo dolo agi, quòd dum ipsi uicesimum propè annũ Othomanico bello terra mariq; occupati fuissent, ut communẽ hostem procul Italia (ad cuius imperiũ apertè anhelabat) distinerent, hortarenturq; interim Italiæ principes ad incendiũ illud restinguendũ, unde ingens Christiano nomini discrimen imminebat: & publici & priuati periculi immemores omnes, tã ociosis auribus suas hortationes audissent, quàm se bellãtes nuper pacatis animis spectare consueuissent: nec tunc aut conspirare, aut socia inter se arma iungere curæ fuisse cuiquam. Iam uerò periclitante Hercule, quasi de summa rei ageretur, consternatos ad arma omnes concurrisse, bellum communi nomine parare, pacẽ uel inuitam ui & armis in Italia retẽturos, quam Venetis cum communi hoste bellãtibus ne respicere quidem uoluissent. Sed quod illi suo odio nequirent, ipse, qui omnia mira sapiẽtia & iudicio metiretur, uideret, utrum satius esset Æstensi Herculi, an Veneto nomini uelle consultum. Nam quod ad se attineret, statutum esse, bellum quod semel summo pontifice auctore suscepissent, bona ipsius uenia ad exitum perducere, quem tam felicem sperarent, quàm iusta uisa esset causa propter quã illud suscipere debuissent. Hæc & alia in hanc sententiam Venetus. Pontifex autem pristini fœderis oblitus, ubi Venetum in sententia perstare uidit, interdicti spiculum in eum detorsit: fœdus iam antea cum Ferdinando & alijs percusserat. Cæterùm dum hæc literis citro ultroq; iactantur, Alphonsus interim Calabrię dux cum duobus millibus hominum, in quibus ex ijs quos ille Hidrunti longa obsidione domuerat, Turci numero quadringenti fuere, Ferrariam uenit: at quantacunq; fuit illa Barbarorum manus, non multo pòst ad Venetos transfugit. Eius igitur interuentu leuia quædam prælia circa urbem utrinq; per oca
sionem commissa: nec diu ibi fuit, sed copijs cum Hercule fororio relictis, Mantuam primò, inde Mediolanum concesit. Tum uerò ad Casale maius, in Cremonẽsi concilio socijs indicto frequenti oratorum sociorumq; principum conuentu, bellũ quam maximo posset apparatu in Venetos communi nomine est decretum: imperium totiusq; rei summa Fœderico Gonzagæ, Mantuano principi est delata, sed rerum gestarum gloria penes Aragonium fuit. Patres, quia nihil non eorum quæ in hostium concilio erant gesta, resciuerant, secum reputantes quãta belli moles sub uernũ tempus sustinenda esset, præter Genuenses, quos Ioanes Franciscus Paschalicus ad hoc ipsum in Liguriam missus, summa industria & dexteritate quandiu bellatum est, in fœdere retinuit: nullius erat iam Italię populus, nullus quidem princeps, à quo non arma in se parari cernerent: ut & ipsi suas partes maturis uiribus firmarent, ex Gallia Renatum Lothoringiæ ducem ingenti stipẽdio accersunt. Fuerat ad eum missus aliquãto antea Antonius Vinciguerra, scribarum unus, non magis Veneto quàm pontificis nomine, qui magnis illũ pollicitationibus in Italiam aduersus Herculẽ traheret. Sed pontifice alienato, perstitit ille fidem quã apud Venetos oppigneratam habebat, seruare. Cum ducentis igitur equitibus, peditibus mille in Italiam transijt: Vinciguerra illum citra Alpes duxit: cui uenienti Bartholomæus Victurius & Nicolaus Foscarenus, Patricij uterq; sanguinis, Tridentum usq; in ipsis Italiæ finibus decreto patrum obuiam processere. Allobroges aliasq; Gallicas gentes, quas stipẽdio conduxerat, Austriæ dux alijq; Germaniæ regu li ac liberi populi in pontificis gratiam accessu prohibuerunt. Eratq; iam uernum tempus, quũ Petrus Priuolus & Marcus Antonius Maurocenus legati in castra uenerunt. Ingentes belli minæ ab hoste in stabant. Verùm etsi nihil adhuc illi mouerant, quia tamen spes Patribus facta erat, si Seuerinas Abdua copias traiecisset, fore ut Mediolani per homines eius factionis omnino nouus aliquis motus oriretur. Cõstans fama erat, Galeacij uxori cum Lodouico Sfortia in principatus administratione parũ conuenire: uariantibus itaq; aliquandiu in senatu sententijs, obtinuere tamen qui ita facto opus esse censebant, ut ille copiarũ parte circa Ferrariam relicta, cum reliquo exercitu in Galliam transiret. præmissusq; Deiphobus Anguillarius cum ualido equitatu, qui in Brixiensis agri finibus ad Asulam usq; ad Seuerinatis aduentum sederet. Nec ita multo pòst Rubertus ipse secutus est, Miradulano principe, & Bernardino Montonio, Antoniacio Dulciensi, Gaspare Perusino, Alexandro cognomento Turco, ac cum his & alijs armorũ ductoribus Thoma Himulano, Carolino, & Petro Illyrico centurionibus ad Ferrariæ obsidionẽ relictis. Missus & Gallicus dux in eadem castra, cum ijs copijs quas secũ duxerat, quasq; in Italia ad eam diem contraxerat. Sed eius accessus magis hosti terribilis, quàm Veneto utilis fuit, Gallis insita superbia assiduas seditiones serentibus: quo accidit, ut sæpius inter Italos & Barbaros milites sit cum cæde dimicatum. Seuerinas interim traductis in Brixiensem agrũ copijs, cum M. Antonio Mauroceno legato aliquãdiu apud nouos Vrceos fuit: inde impositio Abduæ supra Trecium ponte, præsidioq; utrinq; firmato, castra in Abduana ripa fecit: Venetus dux nullam interim iniuriam cuiquam inferens, eo loco quo primùm metatus erat tanquã in pacato se tenuit. Ea res non solùm nõ leniuit inuidiam, sed causa fuit, ut bellũ quod omnino instabat, ab hoste aliquãto citius sit illatũ. Mouerat per id tempus Lodouicus Sfortia cum ualidissimo exercitu in Rubrios Parmenses, qui principatũ à patre relictum ad eam diem armis tutati, ubi tantam belli molem in se uersam uidere, oppidis quæ adhuc

adhuc tenebãt præsidio firmatis, ne longa obsidione domiti in hostium potestatẽ uenirent, in Genuẽsium fines cum liberis concessere. Multitudo quæ ex principum fortuna pendet, cognita regulorũ fuga, non multo pòst Sfortianis armis cessere. Victor ea parte Lodouicus, subitò in Cremonẽsem agrum duxit, quò Alphonsus aliquanto antea uenerat: accersitus, ut quidã aiunt, à Mediolanensibus sub primos Seuerinatis motus, ut Lodouico absente suos fines tueretur. Alij eum ultro ex Cremonẽsi Mediolanum uenisse aiunt, iniuriæq; armis ulciscendæ se auctorem & ducem illis præbuisse, ac tum demum inferendi belli occasione oblata, collatis cum Lodouico castris Abduam traijcere statuisse. In hoc statu res erant, quum respub. duorum Seuerinatiũ iuuenum ad hostes transfugio, nouo quodam metu per culsa est. Erãt in Venetis castris quatuor Rubertꝰ filij, iuuenes florenti ætate & manu prõptissimi: horum Fracisci & Galeacius inscio patre ad hostes, magnis, ut creditur, pollicitationibus adducti trãsiuere: sed in eo temperarũt, quòd præter paucos domesticos comites, nulla maiore equitũ iactura rem Venetam affecere. Defixit primò rei nouitas patris animũ: mox in iram prouectus superos hominesq; grauiter incusare: natos nunc transfugas, nunc impios appellare, quòd sua perfidia patrem nõ solùm in famæ, sed in uitæ quoq; periculum adduxissent: sperare tamen se, fidem suam satis superq; Venetis ad eam diem exploratam: atq; enixè curaturum, ut indies & illis & omnibus foret perspectior. Misit itaq; Venetias qui patribus coràm satisfacerent, excusarentq; iuuenum temeritatẽ, fidem suam ad hęc, studium, industriam, diligẽtiam, illorũ oculis subijcerent, docerentq;, transitionis illius culpam ad se nihil attinere: quin daturum se operam, ut, quantũ in se esset, omnes breui intelligerent, nihil Veneti imperij incolumitate sibi charius esse. Hæc ille. Verùm tantum abfuit ut suspicio ulla ob id senatũ incesserit, ut pro magno etiam negocio patres habuerint, Ducis animũ literis, & eorum qui publico nomine in castris erant hortatu erigere. Placuit præter ea Seuerinate petente, Francisci coniugem ex Abbatia Polesini oppido Veronã perduci: datumq; id negociũ Ioanni Frisonio & Petro Francisco Summeripæ, Veronensibus uiris spectatæ fidei, quibus curantibus puella honorificè aliquãdiu Veronæ habita est. Alphonsus interim præter Cassianum pontem amni impositio in Abduanam glaream castra tumultuosè trãstulit, inde Bergomatum fines ingressus, Coloniam & Vguianum ad deditionẽ cõpulit. Tum Seuerinas audito hostiũ accessu, ponte & munitionibus circa illum præsidio firmatis, ipse cum copijs quas habebat Bergomum uersus se recepit, inde Ollio ad Palatiolũ superato, ad Nouos Vrceos consedit. Hostis Treciano præsidio expugnato, & ipse iam pontificijs Florentinisq; copijs mirificè auctus, inter Nouos Vrceos & Quintianum Ollium traiecit. Patres non ignari quantum periculi ab hoste impenderet (nam præter pedites, centum equitum turmas in castris habere dicebatur) confestim omnem reliquum equitatum quem circa Padũ habebant, Seuerinati mittũt, ut quàm enixius posset, terribiles hostium sustineret conatus. Occupauerat interim Alphonsus quicquid Brixiensiũ inter Mellam fluuium est & Nouos Vrceos: uberrimum solum, frequenterq; oppidis & uillis habitatum: sed oppida ipsa natura & opere parum munita, hostis terrifico accessu facile ad deditionem compulit. Venetus dux, quum se nullo modo hosti parem cerneret, satis habiturum putauit, si ad eius cursus inhibẽdos, nunc à fronte, nunc à latere se illi ex improuiso ostenderet. Antonio itaq; Scarioto Vrceis ad præsidium cum equitibus trecẽtis relicto, ipse auersis ineuntibus Maclodium primò, inde ad Zenonem tria A
passuum millia à Brixia consedit. Venerant aliquanto antea ex urbe in castra Augustinus Barbadicus & Zacharias Barbarus, uterq; ingenio & auctoritate clarus: sed Barbarus Mauroceno & Barbadico in castris cum Seuerinate relictis, Brixiam ad urbẽ præsidio & opere muniendam concesit. Fuit hic illius Francisci filius, qui olim urbem ipsam aduersus omnes Philippi conatus triẽnio seruauit: dignus certè ob ingenij altitudinem aliasq; ciuiles uirtutes, qui tanto uiro genitus credat: dignus & qui Hermolai filium procrearit, uirum Græca & Latina eloquẽtia nostra ætate clarissimũ. Alphonsus dux Mella amne superato Balneolum occupauit: quibus diebus Mantuanus princeps (nam ad eam diem ut socium non hostem se gesserat) apertè factus hostis, castra cum Alphonso contulit. atq; ita illius appẽdicibus auctus hostium exercitus, ut cẽtum triginta equitũ haberet turmas, pluribus locis per Brixiensem agrũ euagatus, omnia Veneto oppida citra Mellam, præter Asulam, ademit. Venetus sub hostis ad Balneolum accessum; ad Regianũ quinq; passuũ millia ab urbe, ut opportuniore esset loco, cõcesserat: Alphõsus uerò cæteris in fidem receptis, ad Calcinatũ castra promouit. Et hæc æstate illa usq; ad principiũ autumni in Bergomati agro & Brixiensi gesta dicũtur. Circa Padum Gallis magna ex parte morbo cõsumptis, eorum dux audita Lodouici regis morte, à quo tutor regni testaméto relictus esset, cum modico comitatu sub exitum æstatis in Trãsalpinam Galliã redijt. In mari uerno anni tempore (quia rumor erat, Ferdinandum regem à pontifice & socijs adiutum, ualidam classem cõparasse) patres ut hac quoq; parte hostium conatibus occurrerẽt, Iacobo Marcello, cui maris imperium pòst Superantiũ fuerat decretum, mandant, ut diligenter det operã, ne respub. incommodũ aliquod in insulis, aut intra finum circa Histriam Dalmatiamq;, ab hoste acciperet: ac si tutò posset, Apuliæ & Calabrię oram, quẽ admodum Superantius fecerat, excursionibus infestaret. Haud quidẽ multo antè Marcellus in prouinciam profectus erat, quum quadraginta hostiũ triremes biremesq;, quibus Fœdericus Aragonius Ferdinãdi filius, iuuenis impiger, præerat, Anconis portum insedere. Attulit ea res ingentem patribus curam: apparebat, ex ea statione hostem omnem maritimam oram Veneto clausurum. Totam itaq; ciuitatem in Marcellum oculos conjectos habere: illũ unũ, eius classem intueri omnes: actũ de possessione maris, actum de imperio credere, nisi hostis ex tã infesto loco subitò armis deijceretur, quod sine ingenti certamine fieri posse nõ putabãt. Tota itaq; ciuitas in eam expectationem erecta esse, ut Marcellus, qui tum ĩaderæ erat, aut subito incursu naues quæ in Anconitano portu erant, cremaret, aut hostium ad certamen compulsum, ingenti prælio profligaret. Sed dum ille properat turmas triremiũ ex Pado petitarum explere, quæ penè ad nihilum erãt redactæ, quod uix tam cito consequi potuisset, nisi proscriptis ex tota Epiro, Dalmatia & Histria impunitatem promisisset. Dum commeatus atq; alia quibus opus erat, expediuntur, hostis (quia parum tutum cernebat illic esse) sublatis uelis ex Ancone tri duo prius quàm Venetus affuisset, incolumis abijt. Peperit ea res ingentem Marcello inuidiam, & in primis apud uulgus, qui omnia ex euentu metiri solet: quasi ad hostem ire quum licuit, nõ esset ausus. Æquiores rerum æstimatores non modò non uituperare factum, sed apertè etiam tueri: affirmantes, satius fuisse id facere, quàm inermes naues, sine milite, sine remige hostibus in prædam objicere: facile esse loquendo uincere, certando uerò difficile. His rumoribus iactabatur Marcelli fama. Hostis interim ubi altum tenuit, ne non aliquid egisse uideretur, Lyssam Dalmatiæ insulam subitò aggressus,

eam ferro & igni penè desolatā reddidit. Ex Lyssa non multo pòst in Corcyram Nigram transmisit. erat tum insulę Comes Georgius Viarus, homo prę senti consilio, ac constanti animo: is ubi Aragonia classis in conspectu fuit, oppidanos uehementi oratione hortatus, omnia quæ ad sustinendas hostium uires attinere putabantur, subito consilio expediēda curauit: propugnatores, uariaque telorum genera per muros, circa portas, stationes, & prędidia collocat. Terribiles fuerunt ab initio illorum conatus: quippe qui multitudine freti, scalas pluribus locis uno tempore admouere. uis ad hæc ingens sagittariorum, crebrique bombardarum ictus eos qui in mœnibus erant, uehementer infestabāt: sed ea Viri & oppidanorum uirtus fuit, ut nō solùm hostem sustinuerint, sed aliquos etiam temerè in summum euadere conatos, cum cędę & fragore cum ipsis scalis in subiecta loca præcipites egerint. Verū tamen si res Veneta in hunc modum se haberet, strenueq; mœnia defenderentur: quia nihil interim oppugnatio iam in serum distracta, remiserat, uidereturq; Venetus, suos longo labore iam propemodum tessos, ueritus ne ad hostium pertinaciam aliqua animorū defectio sequeretur, rem nouam commentus dicitur: ut repentè rumores toto oppido dissipandos curarit, se compertū habere, Venetam classem paucissimis horis affuturam: iubet itaque toto oppido campanas pulsari, deq; mœnibus alacrem clamorē tolli, tanquam à Veneto noua adessent auxilia. Cuius rei periculo perculsus hostis quingentis circiter uiris amissis, trepidè in altum abijt. Veneta classis nō multo pòst Corcyrā uenit, ubi tota hyeme fuit: multæ per occasionem onerariæ hybernorum tempore hinc inde oppressæ, multę citro ultroq; clades illatæ & acceptæ: nunquam de summa rerum dimicatum. Confederat Aragonius dux ad Calcinatum, ut diximus: apparebatq;, rectà inde ad Lunatū oppugnādum iturum: idcirco Maurocenus legatus ex Regianis castris muniendi oppidi causa eò se contulit: accersitisq; ex Veronensi agro agrestibus operarijs, cum oppidanis & militibus qui præsidio erāt, fossa & uallo ualidè cōmuniuit. Aderat & Iacobus Medius, qui aliquanto antea cum trecentis militib. eò missus erat, ut Lunatensibus præsidio esset. Hi igitur cum expeditis equitibus qui in oppido erāt, & milite quem eò uenisse diximus, assiduis incursionibus omnia hostium pabulatoribus, quādiu ad Calcinatum fuere, infesta reddiderūt. Auerterat ad hæc Venetus dux Seriolæ aquam suo cursu, ne si castra eò hostis admouisset, haberet unde aquari posset. Ob id Calaber Gonzaga efflagitante, nunquam adduci potuit, ut in sticuloso loco diutius esse uellet: tentauit tamē Vidaciolum, ubi Seriolæ cursum Venetus auerterat, occupare. Deriuatur is fluuius ex Brixiensi nauilio. Locus Seuerinatis iussu præsidio initus, bis ab hoste oppugnatus capi nō potuit. Tum Alphonsus ne amplius in mora esset, Veronā uersus mouere statuit. Ferunt hinc Mantuanū principem Aragonio duci iratum, quia Lunatum & Pischarią oppugnare in pręsentia recusasset (quæ duo oppida in primis Venero adempta uoluisset) Mantuam abijsse. Sed id hostis consilium haud patres laturat: quippe qui aliquanto antea quàm ad Calcinatum castra admouisset, ganzarias plerasq; ad Pischarię & totius Benacensis oræ prędidium instruxerant: mandauerant ad hæc, ut & triremis quæ Lagisij erat, subitò in lacum deducta, armisq; & uiris instrueretur. Negocium primò Petro Marcello Andreæ filio datum, qui tam diu classi præfuit, donec Petrus Duodus iussu Patrum eò missus est. Nondū hostis ex Calcinato mouerat, quū Thomas Himulanus, qui circa Padum peditibus prærat, fluuio ante lucem superato cum paucis peditum centurijs suburbana Stellatorū tecta, & munitiones arci circumiectas repentè est adortus: aderāt & socij nauales militibus mixti. Tecta itaque modico negocio occupata diripiunt, direptaque incendio absumūt, æneas machinas & alia bellica instrumenta ex hostium munitionibus sublata, in naues deportant: in de animaduersa militum qui in arce erant paucitate, ferocissimè eos inuadunt. Tantus fuit militis naualiumque sociorum ardor, ut momento temporis pars arcis capta sit: tum qui superiore loco erant, de deditione facienda cum Himulano primò, inde cū Andrea Zancano, qui classis præfectus erat, longū de industria terūt sermonem: rati uidelicet fore, ut nō multo pòst ex Ferraria subsidium adesset. Quod ita sanè euenit. Nam ubi ad urbem tumultuose est allatum, Stellatinas munitiones cum parte arcis ab hoste occupatas, remque in discrimine esse, ut nisi maturè laborantibus subueniretur, uellent nollent cogerentur deditionem facere: Hercules subito cursu cum expeditissimo equite prægressus, reliquis cōposito agmine adesse iussis, ex improuiso se Venetis circa arcem ostendit. Tum certamine repentè iniecto, naualibus socijs ad naues se trepidè recipiētibus, miles hosti cædendus relinquitur. Sustinuit tamen ab initio nōnihil hostium impetum: uerùm ubi maiores copiæ affuere, præceps ad flumē datus est: multi abductis iam nauibus spe ad suos enatandi, in aquas proiecti impetu fluminis periere, nonnulli circa ripas ferro oppressi, plures tamen capti, in quibus Himulanus fuit. Is quum leue uulnus accepisset, quia præter spem omnium sequenti nocte expirauit, ueneno sublatus creditur. Qui ad obscurum Lacum erāt (ita enim inter eos & Himulanum conuenerat, ut hostium oculos à Stellatina oppugnatione auerterēt) Ferrariam quà proximum fuit adequitantes, nobilissimum cœnobium Chartusianæ professionis diripiūt, direptumq; subiecto igni aliqua ex parte incendunt. Ioannes Hemus qui in illis castris legatus erat, audita Stellatinæ arcis expugnatione, dū suis auxilio exire properat, gestitq; præ nimia lętitia, quasi arce illa capta breui cum hoste ea parte debellatum esset, peruicacissimo equo præceps effusus, paucis diebus homo ingētis animi expirauit: eius loco Iacobus, cognomento Medius, in castra legatus uenit, qui grauitate cœli pressus quum in graué morbum incidisset, Venetiasq; delatus esset, non multo pòst & ipse uita decessit. Nouissimè Franciscus Thronus, uir florenti ingenio & ætate, in eadem castra, nihilo tamē meliore fato est missus. Dum autem hæc quæ dixi, circa Padum gerebantur, interim Alphonsus Calcinato profectus, Carpinetum occupat, inde copijs Caprianam circumactis Mincium amnem supra Vallegium cum parte copiarum superat: hic locorum naturam contemplatus, mox ultra flumen se recepit: motis inde signis Godiū uenit, ubi Mincio ponte superato per Mantuanos fines ad Veronensis agri castra processit. Est Vallegium alto colle situm, Mincio amni incubās: hinc murus interiectis turribus per aliquot passuum millia usque ad Tartari paludes se extendit. Hoc tractu Villa Franca media planicie sedet, locus opere magis quàm natura munitus. Huc rescisso non procul inde muro castra dux Aragonius admouit, arceque nonnihil tormentorum ictibus concussa, prędium triduo postquam eò uenerat, ad deditionem compulit. Hinc uerò longè lateq; hostis in Veronenses campos effusus, usque ad urbis mœnia omnia prædæ & terroris cōpleuit. Missi & qui munitiora loca circuirent: hi modico negocio Vigatium, Scalanam in sulam, & Sanguinetum ad deditionem compulerunt. processum inde usque ad Athesis ripam, in qua hostes conspecti tantum terroris accolis qui aduersam ripam tenebant, iniecere, ut quasi fluuium superaturi adessent, passim cœptum sit trepidari. Peruasit ille terror Vincentiam ac Pa-

ac Paduam usque: fugaq; ingens ex agris in urbes & loca munitiora est facta. Habitus ad hæc utrobique tumultuarius delectus ab ipsis magistratibus, ut ad Athesis ripam hostibus occurrerent. Sed uix Alphonsus ad Villam Francam confederat, quum Seuerinas prętер Benaci ripam ducens, circa Vallegium loco eminentiore cum omnibus copijs consedit. Secutus inde M. Antonius Maurocenus legatus cum parte copiarū quæ Lunati erant: sub cuius accessum Augustinus Barbadicus collega, quia ægrotare cœperat, Venetias decessit. Calaber ubi Venetum in cōspectum sedentem, neque ad pugnam elici posse uidit, neq; turò oppugnari, motis repentè signis in Brixienses abijt, Asulamq; tumultuose circumsedit. Fuerunt qui crederent, non temerè eo impetu hostem omnibus posthabitis retro concessisse: sed spem illi Asulæ uoluntaria deditione recipiendæ ab oppidanis, aut ab illis qui præsidio erāt, fuisse factam. Illud sanè constat, oppido Venetis nō multo pòst ex fœdere restituto, pauciss imos decreto patrum proscriptos, qui culpæ sibi conscij sub belli exitum uoluntario exilio solum uerterant: un de intelligi potest, deditionis illius culpam à publico consilio prorsus abfuisse. Verùm quomodocunque id factum sit, ita accidit, ut sub primos eius conatus sine aliqua maiore oppugnatione (quum locus alioquin penè inexpugnabilis esset) deditio ab Asulanis sit facta, quam his qui in arce erāt secutis, omnia breui in hostium potestatem concessere. Venetus Calabro abeunte, omnibus locis quæ ille in Veronensi occuparat, receptis, relictoque Antonio Superātio ad Vallegij prædium, prætер Benacum in Brixienses reuersus ad Calcinatū confedit. Dum hæc autem foris geruntur, respub. non mediocrem domi cladem adijt. Ducarium nanq; magna ex parte noctu absumptum est incendio. Ferūt sacrorum ministrum candelam in sacello principis incēsam, per incuriam reliquisse, cuius lapsu contractum sit incendium: sed per diem paulatim serpēdo ignem sese aluisse, inde circa secūdam noctis uigiliam flammam subitò emicuisse: latius omnino, ut sępè aliàs, pestis illa euagata fuisset, nisi ciuitatis accursu maturè restinctus esset ignis. Seuerinas ubi ad Calcinatum castra communiuit, aucto nouis supplementis exercitu ad hostem ire in animo habebat, quū prætер spem allatum est, Asulam cum arce & prædisio in hostium potestatem uenisse. Defixit omniū animos subito stupore eius rei nuncius: quęrebant inter se multi, quid esset quòd Asulani, de quibus Venetum nomen optimè meritum esset, tam citò hostē intra mœnia accepissent: quid arx ipsa, quæ munitissima esset: oportuit ne eam tam citò hosti dedi tam? Proculdubio tam subitam deditionem fraude non carere: aliquid sanè fuisse, propter quod mutata belli sede præceps hostis in Brixienses reuersus esset. Hæc in Venetis castris. Aragonius autem dux tradito Mantuano principi oppido, statuit quoquo modo Herculem fororium suum obsidione leuare. Afferebantur ab illo literæ querelarum plenæ, nihil rebus suis profuisse, quòd ea ętate cum maxima autumni parte res ab eo in Venetos pulchrè gesta esset: spectare ad alios eam uictoriam, se & ciues suos nihilo magis quàm antea obsidione leuatos, Venetа signa in conspectu urbis esse, Padi ripas hostium stationibus teneri: nihil sese circa Ferrariam cernere, quod non Venetis prædidiis terra & aquis teneretur: orare proinde illum, uehementerque obtesta ri, ne se, ne Leonoram sororem, ne liberos quos ex ea procreasset, in tanto discrimine desereret. Appetere iam hybernorū tempus: quid futurum, si pertinacissimus hostis tota hyeme Ferrariæ mœnibus hærens, sue suorumque ciuium ceruicibus ut antea incumberet: quid futurum, quòd solo admonitu animus horreret, si sociorum ille consensus interim remittere cœpisset: aut si aliquo alio casu amicorū principum studia mutarentur? Nónne actum de se, deque suo principatu esset? Rogare proinde, ut quū tempus, quum occasio adesset, niteretur totis uiribus circa Padum Venetas opes aliquo modo frangere: si ita facere, ut urbs obsidione saltem ante hyemem leuaretur. Mouebant hæc, immò uehemēter solicitabant ferociss imi ducis animum: qua re præmissi qui secundo Pado Hostiliam ueherentur, ipse citato equitū agmine sub noctem Asula profectus, terrestri itinere Hostiliam ire pergit. Rubertus cognita hostis profectione, ratus quod erat, ad opes Venetas circa Padum euertendas illum properare: ipse quoque ante lucem digressus, Veronam cum duabus expeditissimis cohortibus magnis itineribus uenit: prędmiserat & qui magistratus urbis moneret, ut quotquot nauigia circa Athesis ripas com parari possent, illa continuò, ne quid in mora esset ad subitam profectionem, expedirent. Erat tum ibi prætor Franciscus Diedus, qui oratoris munere superiore anno, ut diximus, ad Xystum pontificē functus fuerat, & Franciscus Marcellus præfectus. Hi quum nauibus comparandis diei partem consumpsissent, nec adhuc parata essent omnia, sub noctem irrequieto opere non destiterunt naues quàm plurimas expedire, ita ut sub Seuerinatis accessum impositо in eas milite confestim in hostem secūdo Athesi sit itum. Venetæ copiæ, quæ ducem secutæ Pischariam usque processerant, bifariam diuisæ diuersum abiere: Maurocenus legatus & Fracassius cum nonnullis equitum turmis per Veronam ducētes, Seuerinatem sunt secuti, ut si forte opus esset, confestim illi adessent. Antonius Victorius, qui Veronæ legatus fuerat, cum Deiphobo Anguillario & reliquo exercitu ad Calcinatum in castra redijt. Venetorum fortuna ita tulit, quòd Austro flante Padus non ita facile nauigari potuerat ab his qui Calabri iussu Hostiliam uenturi erant. Quæ res tam diu illū distinuit, ut Seuerinas secundo fluuio uectus penè eodem tempore quo & hostis circa Castrum Nouū se suis ostēderit. Tum ad subitum clamorem hostis perculsus, miratusq; quid uellent sibi uoces illæ ex proximo redditæ: quæ copiæ, quæ præsidia ea essent, & unde tam citò accersita. Vbi uerò ex ijs qui in arce erant Seuerinatem cum copijs adesse cognouit, Alas ergo habuit hic senex, inquit, non pedes. Proh Deūm atq; hominū fidem, méne ab homine annis iam propemodum confecto, & cui longiore circuitu per flumina & stagna huc ueniendum fuit, celeritate & cursu uinci oportuit? Cōuersus inde ad suos centuriones, magistros nauium, uentū, aquas, omniaq; simul incusare: atq; ita frendēs gemensq; retro infecta re Hostiliam concessit. Victorius inter rim cum Deiphobo & Rodulpho Gonzaga ex Calcinato digressi, Castanedulas uenere. Hic trepidè nunciatur, Lodouicum Sfortiā summa ope Romanum in Bergomati agro oppugnare. Superato itaq; Ollio Venetus Palatiolum cōcessit, unde Thomas Primanius Bergomum, & Petrus Carthaginensis Martinengiū, ut prędidio his locis essent, sunt missi. Sed dum ad Palatiolum sedet Sfortia, ad deditionē oppidum aliquandiu oppugnatum compulit. Veneta castra mox ad Pontolium translata, inde uerò motis signis secus Ollij ripam Venetus ducēs, multa loca quæ æstate hostis occuparat, paucis diebus recepit. Conferunt interim cum suis castra Seuerinas & Maurocenus legatus, qui iam ex Padana expeditione redierant: rebus ubiq; ex sententia firmatis, Petro Marcello legati nomine ad Vallegium relicto, & ad Villam Fracam Dalmatico equitatu cui Nicolaus Enonius & frater, iuuenes impigri, præerant, alij quoq; alijs Veronēsis agri locis, quia Mantuanis iunguntur finibus, iussi sunt hyemare, qui assiduis incursionibus Mātuam toto hybernorum

tempore ſollicitã habuere. Seuerinas collatis cum Victorio & Rodulpho Gõzaga caſtris, Minerbium cum magno præſidio expugnauit. Hinc Maurocenus bona patrum uenia Victorio in caſtris relicto Venetias redijt. Poſt Minerbium Venetus dux Variolam, Scorſariolum,& breui omnia quæ hoſtis ęſtate occuparat(præter Aſulam,Quincianum,& Senicam)recepit. Inde media bruma copijs in hyberna dimiſsis, ipſe Venetias cum aliquot illuſtribus uiris uenit.Mocenicus princeps ac patres Bucẽtauro ad id magnificè inſtructo uenienti illi obuiã pro diuere, multis amplisq; muneribus ob prouinciam ſtrenuè adminiſtratam publicè donatus eſt:in Patauino agro Ciuitatula, oppido inſigni,in Veronenſi Montorio, ſuburbano amœniſsimo, in urbeq; preciosis ædibus.Decretum & uxori ſalarium, ut lautè ſplendideque pro præſenti fortuna ageret.Pari munificentia Senatus Rubrios Parmenſes, qui principatu deiecti illis fermè diebus Venetias uenerant, proſecutus eſt: benignè à principe & patribus acceptı, iuſsi ſunt bono animo eſſe,nunquam Venetum ſenatum Parmenſium Rubriorum in ſe meritũ obliuioni daturum: irent,& in præſentia aurum acciperent,quo ſe numeroſamque familiam honorificè alerent: atq; cum his datum eis ex ærario magnum auri põdus.Decretum inde Guidoni & Iacobo fratribus annuum ſtipendium duũm & triginta millium aureorum nummũm : tertio,qui initiari cupiebat,ſacerdotium in Veronenſi opulentiſsimũ.Hæc domi. In Gallia uerò poſt Seuerinatis digreſſum Iohannes Antonius Scariotus,qui quingentos equites Cremam hyematum ducebat, fraude eorum quos duces ſortitus eſt,in inſidias præcipitatus, omnem fermè equitatum amiſit: ipſe cum filio & modica equitum parte per medios hoſtes in pacatum euaſit. Reliqua hyberna etſi non bellicoſa,haud omnino tamen quieta fuerunt,pluribus citro ultroq; terroribus illatis, prælijsq; nonnullis,ſed illis ipſis tumaltuarijs, & ſine memorabili euentu commiſsis. Media fermè hyeme Seuerinas cum Nicolao Piſaurio legato Nouos Vrceos, ubi Fracaſſus cum bona copiarum parte hybernabat, uenit:poſt cuius reditum Antonius Victorius domũ dimiſſus eſt: fuitq; Piſaurius ſolus in caſtris legatus uſq; ad Lucæ Piſani aduentum, qui poſt Zachariam Barbarum aliquandiu Brixiæ præſidio fuerat:hi uſq; ad belli exitum in caſtris fuere. Et ne interim in ocio omnino eſſent,placuit pontem Ollio cum præſidio imponi: inde Triſtanniam turrim ultra flumen Venetus occupauit, ubi ingens tritici, uini ac fœni uis reperta, nõnihil hyberna ipſa molliora fecit. Et quia opportunus ad bellum locus uiſus eſt, & opere & armis ſubitò communiuit. Apperebat iam uernum tempus, quum percrebuit rumor, Conuentum, quem Aragonius dux Cremonæ ſociorum principum nomine celebrarat, parum optatum exitum habuiſſe: ac parum inter eos qui aderant, conſtitiſſe de bello in ſequentem annum reparando : id ſpem fecerat, pacem à pontifice per legatum in Flamminia motam,ad exitum æquis cõditionibus perduci poſſe: ad quam componendam Zachariam Barbarum & Fœdericum Cornarium Cæſenam uſq; patres miſere. Sed re diu per altercationem iactata, ex iniquis conditionibus quæ proponebantur, apparuit, non eam pacis actionem eſſe, ſed Iudificationẽ potius, ne Venetus pergeret illud conficere, quod per legatos ſuperiore anno in Gallia & Germania mouerat. Priore nanq; æſtate patres de euentu belli ſolliciti, ac Xyſto pontifici irati,quòd eius ductu &auſpicijs bellum ingens ſuſcepiſſent,ſuſceptumq; & iam penè confectum,ſubita illius defectione aut cum periculo ſuſtinere, aut turpiter deponere cogerẽtur, ad omnes Germaniæ & Galliæ reges oratores miſerant, qui illos ad publicum conuentũ ipſi põtifici ac Chriſtiano nomini indicendum impellerẽt,ubi fas eſſet de pontificis iniuria queri, fidemq; Chriſtianorum omniũ aduerſus illũ implorare.Miſsi itaq; fuerant ad Fœdericum imperatorem Sebaſtianus Badouarius eques, Antonius Lauretanus ad regẽ Galliæ:ad Auſtrię ducem Paulus Piſanus:in Belgas ad Maximilianum Fœderici imperatoris filium Nicolaus Foſcarenus,qui à Barbaris interceptus,nõ multo pòſt miſſus eſt.Hos motus pontifex ueritus,concilianda pacis prætextu rem diſcutere uoluiſſe creditur. Veneti interim,quanquã futuræ quietis ſpes prætendebatur, nihilominus ſub initium ueris bellum ſummo ſtudio repararunt. Nam præter Italas copias, quas nouis ſupplementis terra mariq; miriſicè auxere:ex Peloponneſo & inſulis circumiectis, Corcyra quoq;, Epiro & Dalmatia ad mille & ducentos expeditos equites amplo accerſiuere ſtipendio:hi partim in municipijs diſpoſiti, quà proximũ illis erat,in hoſtium fines crebris erumpere incurſionibus : pars circa Brixiam eſſe iuſsi, multi quoq; in caſtris. Et iam uer exierat, quũ Seuerinas milite exſtatiuis accerſito edicit, ut ad ſextum calendas Iunias omnes circa Variolam & Scordianum ſibi præſto adeſſent. Ibi itaq; copiæ omnes coiuere, factaq; primo loco caſtra. Dum uerò hæc in Brixienſi parãtur,naualis turma Dodanæ triremis,quę non multo antè ex Marcelli claſſe cũ quatuor alijs fuerãt in Padũ accerſitę:quia Chriſtophoro Dodo,qui graui morbo decubare cœperat, domum abeunte ipſa uelut emerita commeatum impetrare nõ poterat, primò tumultuari cœpit,inde quum capita ſeditionis, Thomæ Zeni iuſſu Padanæ claſsis præfecti, clãdeſtinè ſupplicio affecta reſciuiſſet,ad hoſtem qui iuxta Phelocinam in ulteriore ripa erat, tranſijt : uix Dodus ægrotus paucorum opera ſeruatus eſt. Remiges ipſi, ubi primùm ad hoſtes uenere, cõfeſtim ab eis ſpoliati,multifariamq; diſiecti peſsimè habiti ſunt.Patres,ut documento alijs eſſent, omnes nominatim proſcripſerunt, ut ſi quando intra imperij fines deprehẽſi eſſent,pro deſertoribus more maiorum capitali ſupplicio punirentur.Illis ipſis diebus quibus triremis una ita periclitata eſt, Porcus centurio plus quàm mercenarium decet,Veneto nomini infenſus : quũ ex Hoſtilia quotidie Mellariæ foſſis incurſaret,ac præter cætera Veneto ferociter inſultans,iureiurando Ioanni Canali (qui præſidio arcem tenebat) affirmaret,ſe paucis diebus Mellariæ portis clauum affixurum:omen malè illi uertit. Captus ad Canalis præſentiam eſt perductus:tum Venetus,Perfice,inquit, hoſtis uaniſsime, quod te facturum tam inſolenter iactabas : ac ubi uictor non potes, uictus clauum Mellarianis portis affige:accipe, ne periurus ſis,clauum : accipe & malleũ(ac cũ his iuſsit illi inſtrumenta afferri)quibus eum uſum non multo pòſt ad ſupplicium Venetias miſit. Ferunt Canalem non minus Porco infenſum fuiſſe, quàm illum Venetis. Quippe qui ſuperiore anno quum ad Comaclum præſidio eſſet,ab eo ſubito in curſu oppreſſus, Ferrariam captiuus perductus eſt. Hæc circa Padum.Marcellus autem maritimę claſſis imperator, Corcyra ſub ueris exitum profectus Gallipolim oppugnatum ire pergit. Eſt id oppidũ in breui peninſula,ea parte ſitum, qua maximè Calabria in Ioniũ mare excurrit, Adriaci ferè & Ionij confinium. Senonum eam oram Plinius fuiſſe ait,à quo loci nomen non omnino abhorret. Habebat Veneta claſsis naues ſex & quinquaginta, in quibus erãt triremes ſexdecim,onerariæ quinq;. Cum his Venetus Gallipolim adortus,non prius uim inferre ſtatuit,quàm oppidanorum tentarẽtur animi, poſſentne ſuadendo monendoq; eò adduci,ut uoluntariam facerent deditionẽ.Sed quum nihil indè pacati redderetur, tũ nauibus circa littora appulſis, militum pars in terrã exponitur, pars è nauibus ho

ſtem

ſtem telis laceſſunt. Oritur utrinq; laboriosum certamen:hortatur remiges ſociosq; nauales Marcellus ex prætoria naui : munitiones intrepidè ſubire iubet.parent illi imperatoris dicto: per tela,per ſaxa machinis excuſſa in hoſtẽ eunt:Dominicus Delphinus, Alouiſius Garzonius, Conſtantinus Lauretanus,Thomas Duodus,ac pleriq; alij triremiũ prefecti ante alios inuecti,hoſtem mirũ in modũ fatigant.Et iam nõ ſine multorũ cæde Venetus ſcalas muro applicuerat, alijq; muros ſcandere occœperant,alij reſcindere adorti erant,quũ Marcellus ex prętoria puppi fortiſsimũ quenq; appellans, ſignis & uoce ut muros occupẽt,hortatur:increpat etiã,ſi quẽ intuitus eſſet minus ſtrenuè pugnã ciere:quoſdam ad hæc in ſummũ euadẽtes,clamore adiuuat: ac deniq; dum imperatoris optimi munere defungi ſtudet,torméto ictus repentè cõcidit. uidit eum cadentẽ Sagodinus ſcriba, ſubitoq; pallio operuit: inde cadauere in occultiorẽ locũ translato, ſuos ut pergant uincere hortatur : accepiſſe Marcellũ leue uulnus,ac tantiſper abſuturũ,dum adhibito medico plaga obligaretur: ipſi uerò oſtenderẽt interim, etiam ſine duce ſe fortiter puguare poſſe : ſcirẽt ad hæc,oppidũ captũ in prædam habituros. Hæc ille. Dominicus Maripetrus onerariarũ præfectus,& ipſe ea parte qua pugnabat ſuos impellens, ut intrepidè muros tranſcendant edicit.Demũ poſt uarios conatus uicta propugnatorũ audacia, Venetus oppidũ prius irrumpit, q̃ ſciret ſe ſine imperatore pugnare:tum prædæ cupiditate uictores diffuſi, paſſim obuios trucidant.Edicitur, ut fœminarũ pudicitiæ & templis parcereẽ. Gallipolitani hoſte intra mœnia conſpecto,abiectis armis ueniã cum lachrymis implorãt.exaudiri ubiq; gemitus & fœminarũ ciulatus:plãgore ad hęc & ſtrepitu (ut in tali re euenire ſolet)omnia circumſonabãt. Cœpit ſubitò Venetũ uictorẽ præſentium malorũ pigere : edicitur proinde, ut à præda & cæde nauales ſocij abſtinerent.Gallipoli capta imperiũ claſsis conſenſu omnium Maripetro eſt datũ, ut is Marcelli loco tãdiu ſummæ rei præeſſet,donec Patres nouum imperatorẽ legiſſent. Venetus uictor captũ oppidum ſtabilem belli ſedem ſubito opere cõmuniuit. Neritũ interim Salentinorũ oppidum, Rachaliſca, & alia pleraq; uicina oppida,Gallipolitanorũ caſu territa, ultro deditionẽ fecere. Victoriæ nuncius quo minus ciuitati lætus eſſet,Marcelli interitus effecit:in eo tamen non parũ ciuitas ſibi gratulata eſt, quòd oppreſſa Gallipoli apparebat factam eſſe bello anſam,quo inimiciſsimi regis opes quandoq; ad libitum uexare poſſent.Nec Ferdinandi ferocia,ubi Veneta arma in mediterranea regni penetrare uidit, parum remiſit.Bellicoſiſsimus ille ſpiritus, quietis & ocij impatiens, ut ſe domeſtico bello implicitũ uidit,bello quidem omnino graui & difficili,ad pacem tum demum reſpexiſſe creditur. Quod ipſum ut ita eſſe exiſtimẽ, illud facit, quòd pax nõ multo pòſt ſecuta eſt. Alphonſus eius filius, qui in Cremonenſi erat,ubi per exploratores cognouit, Venetũ cum florentiſsimo exercitu ad Variolam ueterẽ prima caſtra feciſſe, cõfeſtim & ipſe cũ ijs copijs quas habebat(quæ cum Venetis collatę omnino exiguę erant)ad Quintianũ conſedit:hic munitis caſtris ſine negocio ullo memorabili quotidie exercitũ ſociorum appendicibus augebat.Placuit interim Seuerinati,ne omnino in ocio eſſet,ut Nicolaus Piſaurius legatus & Franciſcus filius cum nõnullis equitum turmis in hoſtiũ fines irrumperent. Illi Ollio ponte ſuperato,Calcem, & alia quædam ignobilia oppida ſubito incurſu recepere:horũ nõnullis præſidio firmatis,reliqua in prædam militi dedere. Hoſtis interim,etſi nõ procul hæc gerebantur, haud aliquid tamen mouit: nec toto meſsium tẽpore ulla alia memorabilis expeditio fuit.Nouiſsimè tamen Calaber ſociorũ uiribus in unum cõtractis,ita ut ſupra centũ & uiginti equitum turmas habere dicetur,ac pro numero equitum peditatum non paruũ, motis repentè ſignis Nouos Vrceos uerſus mouit. Seuerinas etſi equitum numero aliquanto inferior erat,quippe qui tres & nonaginta nõ amplius equitum turmas habebat : quia tamen peditum robore præſtabat,ad Veteres Vrceos,quò hoſtem uenturũ arbitrabatur,ſe cum omnibus copijs cõtulit. Affuit & Nicolaus Triuiſanus,Brixiæ præfectus,qui ualido præſidio Nouos Vrceos injt. Alphonſus interim Metellã adortus,ſubitò ad deditionẽ compulit:inde alia oppida,ignobilia quidẽ, nec adeò multa,breui recepit. Hinc porrò digreſſus Variolam & Scorſariolum occupauit, nouiſsimeq; ad Balneolũ conſedit.Venetus uerò,qui nõ procul ſequebatur, quiq; tempus obſeruabat,ut per occaſionem in hoſtem depugnaret,Maclodio profectus Turbulas cõceſsit:mox hinc ad Zenonem inter Brixiã & hoſtiũ caſtra metatus eſt.Hic de pace meliore euẽtu,quàm non multo antea Cæſenæ, cœptum eſt agi : & quo melioribus initijs mota res eſt, eo felicioré habuit exitum. Nam (quod rarò unquã accidit) ipſi duces & qui à pace præter cæteros abhorrere conſueuerant,ſe pacis auctores & arbitros prębuere: hinc Seuerinas, inde Lodouicus Sforcia nuncijs citro ultroq; miſsis rem non ſolum Galliæ,ubi res gerebatur,ſed toti Italię optatam mouerunt. Sed dum de pace agitur,aut certè non multo antè, circa Ferrariã reſpub. parũ proſperè geſta eſt.Irruperant ex Veneta ſtatione quæ ad obſcurũ lacũ erat, plures peditũ centuriæ, omniaq; ſuburbana loca circa Ferrariam terroris cõpleuerant:tentarãt adhæc Veneti ductores,hoſtẽ inſidijs excipere.ſed ille tamdiu intra urbis munitiones ſe tenuit,donec compoſito agmine Venetũ ſe in caſtra recipere uidit.tum paucas equitum in eum turmas immiſit,quę per equitem lenis armaturæ certamine iniecto,uſq; ad id Parci latus quod Caſagiam reſpicit,hoſtẽ pugnando diſtinuerunt.Hic uerò turbatis ordinibus Venetus in fugã actus,per foſſas & aggeres uijs circumiectos præceps datus eſt:multi cæſi ſunt,plures uulnerati,capti autẽ plurimi:quadringenti & amplius in hoſtiũ poteſtatem uenere,qui ademptis armis (ut Italicæ militiæ mos eſt) dimiſsi ſunt. Thronus ad obſcurum lacum legatus,per hos dies, aut certè non multo antè,morbo implicitus,ubi Venetias delatus eſt, ex humanis deceſsit. Pax interim ad exitum ſpectabat:inducijsq; utrinq; indictis ex Verona uidendi ſtudio in caſtra me cõtuli,ubi à Nicolao Piſaurio & Luca Piſano legatis(ad quos cum Triuiſani literis ueneram)benignè acceptus utraq; caſtra perociun luſtraui: ea haud multum ſunt mihi uiſa inter ſe diſtare.In eo magnum apparuit diſcrimen, quòd ubi ad Alphonſi tabernaculum acceſsi, non ſine ſtupore publica omnium Italiæ principum ac populorum ſignain eius ueſtibulo præfixa intuitus ſum: quo ſpectaculo iudicaui, quantam belli molem Venerum imperium ad eam diem ſuſtinuiſſet. Pax, ut dixi, aliquanto antea à ducibus mota, per eos dies his conditionibus ſecuta eſt : ut Veneti Aſulam, Romanium, & quicquid eo bello in Gallia amiſiſſent, reciperent : ipſi uerò deductis citra ultraque Padum præſidijs, munitionibus circa ripas demolitis, ex ijs quæ Herculi Æſtenſi ademiſſent, Rhodigianam Poleſinum retinerent,omniaque antiqua & recentia iura Ferrariæ & eius finium reciperent : Gallipolim, & quæ in Calabria ad eam diem occupaſſent,Ferdinando reſtituerent : Seuerinas adhuc Venetorum ſtipendia faceret, eſſetq; interim omnium principum Italiæ ac populorum imperator. Hunc exitum habuit ſociale bellum, quod Veneti aduerſus totam fermè Italiam terra & aquis geſſere:cuius quidẽ apparatus quàm ſum-

ptuoſi fuerint,uel ex eo intelligi poteſt,quòd bien-
nij ſpacio,uel paulo plus, quo bellatum eſt, tricies
ſexies centena aureorum nummûm millia in terre-
ſtribus maritimisq; copijs ornandis alendisq; pu-
blicè appenſa dicũtur.Rarò aliàs pax tam grata Ve-
netis fuit quæ quo ſpecioſior, eo lætitiæ & gaudij
plenior fuit. Paſsim per urbes & oppida quæ Vene
to parent imperio,nocturni ignes & alia lætitiæ ſig-
na edita ſunt:indicta ad id haſtarum certamina &
aurigationes, quæ ſolenni conuentu plures dies ce
lebrarentur:ludi ipſi poſt aliquot menſes ſub Car-
niſpriuij ferias editi ſunt: aureus & argenteus pan-
nus certantibus propoſitus: magnus mortaliũ un-
diq; ad id ſpectaculum concurſus eſt factus. Affuit
Æſtenſis Hercules,& Iulius Camertiũ Comes,qui-
bus à Principe & Patribus frequenter itum eſt ob-
uiam:& ex Mediolano Leo Lodouici Sfortię filius
cum Galeacio Seuerinate: Seuerinas ſenex præeſſe
magis quàm præſidere ludis uoluit. Affuerunt &
Rubrij Parmenſes,Mirandulanus princeps, ac ple-
riq; alij uiri illuſtres, quorum certandi ſtudio alij,
alij ſpectaturi uenerant: multitudo ad hæc ingens
terra mariq; profecta,urbem mirum in modum re-
pleuit. Area quæ ab Aurea æde ad Geminiani fanũ
longè lateq; excurrit,per id tẽpus inſtructa eſt. Sum
ptuoſiſsimi fuerunt illorum apparatus qui in certa
men uenerunt. Tres Seuerinatis filij, qui diuerſo tẽ
pore in medium proceſſere, ſinguli uicenos quinos
deſultorios equos,partim auro,partim purpura in-
ſtratos,præ ſe egerunt. Eadem fermè Parmenſium
Rubriorum pompa fuit: Iulij principis ex fratre ne
pos longè conſpectior proceſsiſſe dicitur. Ad centũ
hominum millia interdum ſpectaſſe dicuntur, qui-
bus Mocenicus princeps cũ primoribus Patrum &
urbis magiſtratibus præſedit: unde Æſtenſis Her-
cules,acerrimus nuper hoſtis, inter alios principes
ſpectauit:aurigationes,& haſtarum certamina ciui
tatem plures dies occupatam tenuere. Demũ tres
Seuerinatis filij uictores iudicati:Fracaſſus & Anto
nius Maria aureum pannum ex æquo ſortiti ſunt,
Galeacius argenteum:Iulij nepos, qui omnium iu-
dicio ſtrenuè haſta decertarat,trecentos aureos nũ-
mos ſibi publicè decretos accipere recuſauit. Cre-
ditum uulgò eſt,indignè tuliſſe, quenquam eo cer-
tamine ſibi prælatum. Ex Rubrijs Parmenſibus Ma
riottus puer, quia ultra quàm ætas illa præſtare poſ
ſet,haſta & aurigatione populo placuerat, phalera-
ti equi precium accepit. Plures ad hæc,ut cuiuſque
uirtus eo certamine enituit, alij alijs muneribus
donati ſunt:multi quoq; uiri fortuna & uirtute in-
ſignes,ad equeſtrem dignitatem ſunt promoti: Iu-
lius Camertium princeps,quoniam Seuerinas Ita-
liæ rebus præeſſet,Venetarum eſt copiarum impe-
rator declaratus.

IN LIBRVM III.

Epitoma.

*Dvcarium quod medio belli tempore conflagrarat, ſum
ptuoſiſsimè cœptum eſt inſtaurari: Grauis peſtilentia
initio æſtatis orta,ingentem per autumnum fecit in urbe ua-
ſtitatẽ: Maritimæ negociationis breuis explicatio: Quatuor
Venetæ triremes, quæ ad Gallicam exiuerant mercaturam,
circa Luſitaniam à piratis intercepteæ: In Carnis nonnihil ſu-
bito Barbarorum acceſſu tumultuatum eſt: Rubertus Seueri
nas cum florentiſſimo equitatu ad bellum circa urbem nuper
ortum profectus eſt: M.Barbadici principis declaratio, qui
Io.Mocenico ſucceſſit: Romani belli inter Innocentium pon-
tificẽ & Ferdinandum regem cõflati breuis expoſitio: Triũ-
uiri creati ad ea quæ ad contagionem è ciuitate tollendam at-*

*timerent,prouidenda: Seuerinas copijs exutus in Venetos re-
uerſus eſt: Mos patrius funerandi ducis,atq; exequiarum ra-
tio: Cauſæ belli cum Auſtriæ duce in ipſis Italiæ finibus contra
cti.ſubitiq; hoſtium conatus,ultimo loco referuntur.*

M. ANTONII SABEL-
LICI, RERVM VENETA-
rum ab Vrbe condita, Deca-
dis quartæ,

LIBER III.

Ars illa ducariæ ſedis quæ medio belli tempore conflagrarat, eodem anno quo in Gallia eſt debellatum, cœpta eſt à fundamentis reſtitui: opus ſanè conſpicuum, diutiſsimeq; duraturum: tota facies quæ aquis incubat,candido ſaxo, & in adamantis ſpeciem faſtigiato,ſuperbè conſtructa. Eſt & à fronte, quà forum ſpectat, Aureæ ædis ueſtibulum nonnihil pere grino lapide munitum. Principio æſtatis quę ſecuta eſt, ciuitas graui cœpit peſtilentia laborare, quæ poſtea in autumnum aucta, ingentem fecit in urbe uaſtitatem. Acceſsit ad hanc domeſticam cladem alia omnino quidem atrox, ſub exitum æſtatis illius procul domo accepta. Sed de ea priuſquam dicere pergam,non ab re uiſum eſt, memorare preſen tem Veneræ urbis in re maritima induſtriam & opulentiam. Nullum ſanè eſt emporium interni maris, quod à Gaditano freto inter Africam & Europam in Syriam & Ægyptum ad ortum excurrit: ad ſeptentrionem uerò & boream ad Boſphorum & Mæotidem paludem,nullus tam ignoti littoris receſſus, quem Venetæ triremes ex antiquo ciuitatis inſtituto nõ negociorum cauſa frequentent: ſupra fidem eſſet enarrare, quæ uis nauium, non Italiæ ſo lùm,ſed Liburniæ quoque, Dalmatiæ, Macedonię, ac totius Græciæ littora uelut ſuburbana quædam loca aſsiduè ſcrutentur. De ijs igitur dicam, quæ ſta tis anni temporibus ad merces ex remotiſsimis lo cis petendas publicè inſtruũtur. Ex his quatuor lõgæ naues, ex Syria atque ex Ægypto totidem, aro mata, ſericum, gemmas, uniones in Italiam deferũt. Ex Libya tres, aurum, gemmas & mancipia. Duę ex interna Gallici maris ora preciosiſsimum uellus, & Hiſpanum ſericum omnium longè nobiliſsimum. Quatuor à Tanai & Męotide palude, ſalſamenta, ta peras, & ſmaragdos: ac præter eum numerum, qua tuor ex Gallici Oceani emporijs, lanas, aurum, aulæa, & Flandrenſis panni uim omnino ingentẽ. Ad hæc negocia de more exierant triremes quatuor: earum imperium penes Bartholomæum Minium fuit. Sed cum hæ Ibericum nauigarent Oceanũ, Co lumbus iunior Columbi piratæ illuſtris, ut aiunt, nepos, cum ſeptem nauibus ad pugnam inſtructis circa Sacrum promontorium, hodie Vincentij ca put appellant, ſub noctem factus eſt Veneto obui us. Ille uerò, tametſi ſub primũ occurſum animũ ad Venetas naues opprimendas adiecerat, abſtinuit ta men pugna per noctem: cæterùm futuro certamini intentus, ita interim abeunti inſtitit, ut piraticarum proræ Venetis hærerẽt puppibus. Poſt ubi illuxit, cõtinuò uis à Barbaro illata eſt. Tum uerò iniecto certamine ſuſtinet Venetus hoſtẽ, & nauium & bel latorũ numero potiorẽ: pugnatũq; eſt atrociſsimè plures horas. Rarò aliàs cũ eiuſmodi genere hoſtiũ (quippe qui niſi per occaſionem uix pugnam conſe rere ſoleant) maiore eſt cæde dimicatum: ad trecen

tos

tos fermè ex Venetis turmis eo certamine occubu-
iſſe quidam ex ijs affirmant, qui pugnæ interfuere:
alij nonnihil numerũ extenuant. perijtq; in ijs Lau-
rentius Michaël triremis unius præfectus, & Ioan-
nes Delphinus alterius præfecti frater. Proceſſerat
pugna à prima luce inita ad uicesimã diei horam: e-
rantq; interim Venetæ turmæ uehementer acciſæ.
Venerat iam & Delphina in hoſtium poteſtatẽ, cũ
reliquæ alia poſt aliam deditionẽ fecere. Memine-
re quidam atrociſsimæ illius pugnæ participes, nu
meraſſe ſe ea naui qua tum forte fuerunt, octoginta
fortium uirorum cadauera à prora ad puppim diſſe
cta: ad quorũ cõſpectum uictor hoſtis ingemuiſſet,
non ſine indignatione profeſſus, ita Venetum cum
ſua pertinacia euenire uoluiſſe. Cæſorum corpora
in altos fluctus proiecta ſunt, uulneribus debilita-
ta in proximum littus expoſita: qui ſuperſtites fue
re, uictorem ipſum Lisbonam uſq; cum captiuis na
uibus ſunt ſecuti, ibi facta eſt omnibus poteſtas ab-
eundi. Eſt Lisbona maritimum Luſitaniæ oppidũ,
libertq; ſuſpicari id eſſe, quod Oliſiponum olim di-
xere: hodie ob regiam ſedem celebritate nominis
& rerum opulẽtia maximè inſignis. Hic Veneti ho
ſpitaliter à rege accepti, quibus medico opus fuit,
diligenter illius iuſſu curati, reliqui uiatico & ueſti-
bus pro conditione donati. Ferunt uetuſtum hoſpi
tium Veneto nomini cum Luſitanię regibus inter-
cedere, quod illi à maioribus quaſi per manus acce-
ptum, hoc quoq; tempore omni officio & comita-
te ſtudeãt ſeruare: eius neceſsitudinis cauſam à Ve
neta hoſpitalitate ortam affirmant. Fama eſt, anti-
quiſsimum ex ea gente regem cum paucis olim Ve
netias appuliſſe, eiusq; uiſendæ ſtudio aliquandiu
in urbe uerſatũ, diſsimulata interim perſonæ quã
gerebat magnitudine: ſed tantus hoſpes diu in oc-
culto eſſe non potuit: conſtare cœpit patribus, emi-
nentioris fortunæ uirũ, qui regium genus propin-
quitate ſanguinis attingeret, iam dudũ in urbe eſſe:
continuò igitur benignè ab eis appellatus, in publi
cum eſt hoſpitium adductus: dati adhęc ex patricio
ordine pleriq;, qui urbẽ illi per otium monſtrarent,
quiq; ipſius latera ſtipantes, benignè ac comiter ho
ſpitem haberent: data & abeunti ex publico mune
ra, miſsiq; nõ pauci, qui eum procul urbe officij cau
ſa comitarentur. Hæc Venetus, cum ſe priuato ho-
mini id præſtare, non regi arbitraretur. Barbaro pu
blica illa hoſpitalitas eo gratior fuit, quo magis om
ni ambitionis ſuſpicione caruit. Vbi itaq; in Iberiã
uenit, rem omnem poſteris tradidiſſe dicitur, Ve-
netamq; in ſe liberalitatem perpetuo monumẽto
ſuis conſtare uoluiſſe, atq; ob id ipſum mutuum ho
ſpitium Venetis cum regia illa familia in hunc diẽ
durare. Ea cauſa fuit, quòd rex Venetos maritima
illa pugna malè habitos, hoſpitio & commeatu iu-
uit, ut diximus. Acceſsit & illud, quòd toto regno
uetuit quenquam ex Veneta præda à piratis quicq;
coẽmere. Nuncius acceptæ cladis ciuitatem haud
paruo dolore affecit. Conſtabat ad ducenta & am-
plius aureorum nummûm millia in preciosiſsima il
la merce amiſſa, ſed clades illa priuata. Cæſorum ho
minũ dolor omnino maior fuit. Per eos ipſos dies
quibus id nunciatum eſt, peſtilentia aliquanto atro
cius q̃ antea incubuerat: quo accidit, ut ciuitate do-
meſtica clade implicita, Patres præſentem iniuriã
nullo maiore motu uindicandam cenſuerint, ſed ul
tionem in aliud cõmodius tempus differendam. In
Foroiulienſi agro ſub id tẽpus nõnihil tumultuatũ
eſt: eruperant aliquot equitum alæ repentè in ipſos
Italiæ fines, quæ à Pannoniæ rege ad portum Nao-
nem (ut poſtea compertũ eſt) ſubito acceſſu oppri-
mendum miſſæ fuerant. Eſt id oppidũ ad Liquen-
tiæ fluminis ripã. Barbari in Tergeſtino agro prius
conſedere: Patres uerò tametſi non ignorabant, re-
gem ipſum cum Fœderico adhuc in armis eſſe, atq;

eum equitatum iccirco in Italiam miſſum, ut portũ
Naonem ac Tergeſte, quæ duo oppida ille in Italia
haberet, hoſti adimeret. Quia tamen regis animum
haud ſatis exploratum habebant, confeſtim partẽ
equitum non paruam, qui circa Veronam & Pata-
uium ſtatiua habebant, in Carnos miſere. Barbari
uerò per Vtinenſem agrum pacatiſsimè progreſsi,
cum ſubitò oppidum, cuius potiundi ſpes ab extor
ribus facta erat, opprimere nequiuiſſent, paucis die
bus ſine alio maiore motu Italia exceſſere. Exierat
iam medius autumnus, cum Rubertus Seuerinas
(qui iam inde ex quo in Gallia fuerat bellatum, Ve
netorum ſtipendia fecerat) magnis pollicitationi-
bus ab Innocẽtio Romano pontifice, qui Sixto ſuc
ceſsit, per legatos accerſitus, patribus non permit-
tentibus, neque omnino recuſantibus (quippe qui
pacatè tunc terra mariq; agebant) cum Fracaſſo &
Galeacio filijs, duabusq; & triginta equitũ turmis
in Flamminiam primò, inde Romam media fermè
bruma tranſijt: ſed ipſe aliquanto ſuos præceſſerat.
Vrgebatur enim pontificis nũcijs, qui proximo bel
lo ab Alphonſo Calabriæ duce premebatur. Con-
tracti autem belli cauſa ab Aquilanorum motu, ac
principum quorundam, qui à Ferdinando rege ſu-
bita conſpiratione defecerant, qui cum Innocentij
fidem aduerſus regem imploraſſent, eosq; pontifex
dignos duxiſſet, quos non ſolùm ſui nominis auc-
toritate, ſed totis etiam Romanæ eccleſiæ uiribus
ab iniuria tueretur: ita euenerat, ut Virginius Vrſi-
nus, qui (uelut alio loco oſtendimus) præter oppi-
da non pauca urbi proxima, quæ citra ultraq; Tybe
rim tenebat, multa etiam in Marſis uſq; ad Fucinũ
lacum intra regni fines iam antea poſsidebat, in fide
regis adhuc eſſet. Fuitque illi ab initio, ut fertur, a-
nimus, neq; à rege omnino deficere, neq; aduerſus
Romanum pontificem aliquo modo arma indue-
re: ſed maiorũ ſtudia ſecutus, cum Ferdinandi par-
tes in regni finibus tutatus eſſet, nihil circa urbem
mouere. Sic itaque medius ſub nouos bellorũ mo-
tus pacatè agebat, cum poſt Seuerinatis acceſſum
(ſuaſu, ut creditur, principum aduerſæ factionis)
Vrſinorum ædes, quę ad montem Iordanum (id eſt
nomen loco in parte urbis) fuere, ſubito militũ in-
curſu direptæ & incenſæ ſunt. Qua iniuria ille ada-
ctus, cum reliquis Vrſinæ familiæ regulis apertè ab
Innocentio defecit. Huius opibus Alphonſus fre-
tus, occupatis nõnullis circa urbem pontibus, poſt
Seuerinatis acceſſum Romanum infeſtare agrum
occœpit. Sed hæc eò tendunt, ne belli inter Pontifi
cem & Ferdinandum regem conflati cauſa ignora-
retur. Quæ uerò ſecuta ſunt, perſtringam potius,
quàm longiore exequar narratione, utpote ad rem
Venetam nihil attinentia. Sed dum res circa urbem
in hoc ſtatu eſſent, Mocenicus interim princeps ui-
ta deceſsit, anno ſui ducatus ſeptimo. Marcus Bar-
badicus, uir prudentia ſingulari, atque ob antea ſtæ
uitæ merita egregia inter Patres auctoritate, om-
nibus fermè ſuffragijs in demortui locum dux de-
claratus eſt. Is republica domi foriſq; pacata, ad
ducarij refectionem, opus iam antea inchoatum,
animum adiecit: eiusq; cura & diligentia eſt ef-
fectum, ut pauciſsimis menſibus, quibus ille prin-
ceps fuit, tota loci moles quæ ad ortum ſpectat,
ſuperbo opere ad ſummum fermè ſit perducta. Pe-
ſtilentia quæ ne per brumam quidem multum re-
miſerat, mirum in modum ſollicitam ciuitatem ha
bebat. Placuit itaque Triumuiros creari, quibus
negocium daretur, ut quantum humana ope pro-
uideri poſſet, omnia curarent, quæ ad leuandam
cladem attinerent. Ii igitur ad omnem contagionis
cauſam tollendam, uim exuuiarum ingentem à ue-
ſpillonibus fraude contractam, publicè concrema-
runt. Cæterũ ad exonerandam multitudine ciuita-
tem, pars uulgi procul urbe ablegata eſt. Sub id tẽ-

pus ę

pus è regione fori, & antè geminas columnas cœ-
ptus eſt canalis maximus purgari: quem quantuſ-
cunque eſt, quamq; longè ac latè per urbem ſpacia-
tur, reparandum Patres cenſuere. In Cyprũ aliquot
peditum centuriæ ad præſidium inſulæ, ex conſue-
tudine ſunt conſcriptæ. Bellum interim circa urbẽ
inter pontificẽ & Vrſinos (qui apertè, ut diximus,
ad Ferdinandum defecerant) ſuſceptum: poſtquã
Seuerinatis copiæ in urbem uenere, maiorem in
modum exarſit. Nomentano nanque ponte, quem
illi haud procul ab urbe præſidio occuparant, rece-
pto (in cuius oppugnatione Fracaſſus Roberti fi-
lius tormento ictus penè concidit) omnis armorũ
impetus in Paulum Vrſinum, & reliquos Virginij
neceſſarios uerſus eſt. Siquidem Nomentum ui ca-
ptum ac direptum, aliqua eſt ex parte dirutum. E-
ratq; iamiam & Montem Rotundum Seuerinas
petiturus, cum Baptiſta ex Vrſina familia Cardina-
lis, Romam profectus ad pontificis conſpectum ue
nit: hic ſe ac ſuos in Apoſtolicæ ſedis poteſtate fu-
turos eſt profeſſus. Neque maiores ulli circa urbem
armorum conatus fuere. Infeſtarunt Virginianę e-
quitum alæ Romanum agrum ſubitis excurſioni-
bus uſque ad Alphonſi ex Hetruria reditum, qui cũ
florentiſsimum equitatum à Florentinis & Medio
lanenſibus ex fœdere accepiſſet, ac celeri curſu Ro-
mam duceret, Seuerinas cum aliquãto minoribus
copijs in Faliſcis ſeſe illi obiecit. Hic tumultuariũ
prælium commiſſum, aliquot equites ſunt hoſti-
bus adempti. Verumenimuero Calaber ſuis fre-
tus uiribus, omnes Seuerinatis conatus nouiſsimè
fruſtratus, in Romanum agrum tumultuoſe erupit.
Hic pontifex, qui conſtanti animo tantam belli mo
lem ad id tempus pertulerat, etſi de accerſendis ex
Gallia auxilijs iam antea, ut fertur, conſilium cepe-
rat, accerſueratq; per literas & legatos (ut con-
ſtans fama erat) in Italiam Renatum Lothoringiæ
ducem, quem in Ferdinandum regem armare in a-
nimo habebat, & ad Venetos Nicolaum Francum,
Tauriſinum antiſtitem deſignatum, miſerat, ſi eos
ad belli ſocietatẽ aliquo modo trahere poſſet. Quia
Gallica auxilia omnino ſera creduntur, & Veneti
fœderibus aſtricti, quæ ſub Ferrarienſis belli exitũ
in Gallia cum Lodouico Sforcia, Alphonſo, & Flo-
rentinis ſanxerant, nihil moturi uidebantur. Deſpe
ratis undique auxilijs, ne rerum Romanarum ſta-
tum in aliquod maius diſcrimen conijceret, pacem
haud iniquis ab hoſte conditionibus oblatam, ho-
mo etſi pontificiæ dignitatis aſſertor, pacis tamen
& ocij non inimicus, libens complexus eſt: in qua
fancienda, iuxtà Romanæ eccleſiæ ac ſociorum for
tunis, quantum in ſe fuit, cautum uoluit. Rubertus
continuò poſt pacem exauctoratus, cum ſuũ equi-
tatum in Galliam reducere ſtatuiſſet, per literas &
nũcios à Patribus petijt, ut liceret ſibi cum duobus
millibus equitum intra Veneti imperij fines ſe reci
pere. Quod ipſum cum ſenatus nullo modo tribu-
endum cenſuiſſet, conſiliorum inops, ac deſtituto
ſimilis, quum nullus eſſet locus quò tutò diuertere
poſſet, hæreretq; interim ueſtigio Alphonſus, qui
citato agmine eum abeuntem in Flamminiam uſ-
que fuerat inſecutus, ſine aliquo maiore certamine,
copias quaſcunque ſecum habuit, hoſti in fidem re-
cipiendas reliquit, ipſe paucis comitatus celeri cur
ſu in Rauennatium fines ſe recepit. Hunc exitũ ha-
buit celebris illa Ruberti & filiorum ex Gallia ad
Romanum bellum profectio: de qua non tam hæc
breuiter referenda duxi, quòd ad eam diem ille Ve
netum ſtipendium feciſſet, quàm ut Venetorũ con
ſtantia ac fides nota eſſet. Quippe qui quum per oc-
caſionem Ferdinandi regis domeſtico bello, ac per
hoc grauiſsimo impliciti, opes facilè aut euertere,
aut certè in diſcrimen maximum adducere potuiſ-
ſent, ſi eius belli partes, ad quod ampliſsimis inui-
A tabantur conditionibus, ſequi uoluiſſent: ne tamẽ
aliquo modo fœdus uiolarent, pertinaciter ab omni iniuria abſtinuerunt. Dum igitur hæc, quæ dixi,
circa urbem gerereintur, ex Gallia allatum eſt, Maxi
milianum Fœderici imperatoris filium, Romanorũ
regem declaratum: quam nominis Romanæ ciuita
ti ſemper alioquin inuiſi, uſurpationem iam inde
ab eius Caroli temporibus, qui Longobardicas o-
pes in Italia afflixit, initiũ ſumpſiſſe ſuſpicari libet.
Siquidem Pipinum eius filium, regio nomine po-
ſtea Italiæ pręfuiſſe, plerique rerum ſcriptores pro-
didere, quum pater interim imperatoris nomẽ ob-
tineret. atq; ita factum, ut procedente tempore nõ
ſolùm Italiæ, ſed Romanorũ quo que rex ſit dictus,
qui ea poteſtate qua ille olim, emineret. Duxerat
Maximianum Caroli Belgarum ducis, qui Heluẽ-
tio bello perijt, filiam in uxorem: atque ob eas nu-
ptias in ampliſsimum principatũ receptus, per no-
uos motus difficiles q; bellorum minas audax iuue
nis, & ad arma & pacis ſtudia æquè promptus, fero
ciſsimã alioquin gentem ſuo aſſuefcere coëgit im-
perio. Eam igitur declarationem ille & Fœdericus
pater Venetis, uelut amiciſsimo populo, per literas
ſignificarunt. Quo nomine ad utrunque decreta eſt
legatio: Dominicus Triuiſanus & Hermolaus Bar
barus (uir non in Venetis ſolùm, ſed tota etiã Italia
literarum ſtudijs maximè inſignis) miſsi, qui publi
co nomine illis præſentem regiæ appellationis de-
clarationem gratularentur. Ambo equeſtri ſunt di-
gnitate donati. Decreta & in Luſitaniam altera le-
gatio, ad gratias ipſi regi principis & patrum nomi
ne agendas, quòd paucis antè menſibus Venetarũ
triremium turmas, poſt piraticum prælium ſuis lit
toribus diſiectas, hoſpitio & uiatico iuuiſſet. Hiero
nymus Donatus, uir & ipſe ſtudijs philoſophię cla
riſsimus, per eos fermè dies quo illi in Galliam ſo-
B lus ad id munus profectus eſt. Remiſit ſub uernum
tempus peſtilentia, atq; ita prorſus circa ſolſtitium
euanuit, ut multis antè annis nullus ſalubrior fue-
rit ciuitatis ſtatus. Secuta & alia felicitas, Barbadici
principis ſolertia diligentiq; adminiſtratione orta.
Tam larga rerum omnium annona, oneroſam alio-
quin ciuitatem aluit: tanta uis tritici, uini, olei, om-
niumq; obſoniorum tempeſtiuè eſt in urbem im-
portata, ut rarò aliàs conſtet, Venetam ciuitatẽ ma-
iore ocio & ſecuritate floruiſſe. Accedebat ad hanc
temporum læticiam, quòd Veneti tunc terra ma-
riq; pacatè agebant: qua re uulgò perſuaſum eſt, ab
urbe condita ad id tempus nullum beatiorem fuiſ-
ſe ciuitatis ſtatum, in quo non ſolum retinendo, ſed
augendo etiam, quum maximè ille eſſet occupatus
morte quidem fatali, ſed quæ poſtea tanti uiri deſi-
derio inuidia non caruit, menſe ſuæ adminiſtratio-
nis nono uita deceſsit. atq; eo fortaſſe eorum om-
nium, qui ante illũ reipub. præfuere, felicius, quòd
præter egregiam ſobolem, quam ſoſpitem reliquit,
quodq; de religione, de patria, deq; omnibus ciuita
tis ordinibus optimè meritus credebatur: patriam
ipſam ſalubritate cœli, rerũ omniũ opulentia æquè
domi foriſq; florentẽ reliquiſſet: & quòd illius for
tunæ aſcribere poſsis, illis ipſis diebus quibus hu-
manis deceſsit, à Baiſſeto Maomethi filio, ac Græcię
imperatore legatus ad eum cubantem cum amplis
muneribus uenit. In eo fortaſſe minus felix, quòd
ad pietatẽ ſuam in remp. oſtendendã parũ omnino
tẽporis ſit datũ. percrebuit rumor, eum iam animã
exigua ſpe trahentẽ, quatuor filios, quos ſuperſtites
reliquit, ad ſe accerſitos grauiſsimo ſermone allocu
tũ: quos utiq; ad remp. perpetuo ſtudio & pietate
colendã hortatus, identidẽ admoniſſet, oportere
eos beneficij ab ea accepti perpetuò eſſe memores:
quæ quo magis de patris æſtimatione merita eſſet,
quẽ ex priuato ordine ad ampliſsimum dignitatis
faſtigium euexiſſet, eo impenſius niti, ut quam ipſe

ob bre-

ob breuem adminiſtrationem non poſſet, filij debi
A tam patriæ pietatem exoluerent. Ciuitas uehemen
ti ob eius interitum mœrore affecta eſt: miro om-
nes deſiderio lamentari: prædicare uulgò illius in
omnes manſuetudinem & clemẽtiam: quippe qui
præter alia multa in humilioris fortunæ uiros beni
gnitatis exempla ſtatim ab initio ſui regiminis au-
ctor fuiſſet, ne ob curarum multitudinem minus
ad ſe aditus inopibus pateret, ut omnium qui audi
ri uellent, nomina in ſortem octauo quoq; die con
icerentur: atque ita quorum nomina primò edu-
cta eſſent, illi ad ſuum tribunal prius aditum habe-
rent. quo pientiſsimo decreto eſt factum, ut neque
ambitio neque gratia inopiæ obſtaret, neque ſpes
illius adeundi cuiquam adimeretur. Frequens ciui
tas funus ad Gemellorum ædem extulit: ipſe ad fa
num Publicæ Caritatis eſt ſitus. Libet hic breuiter
memorare, quæ ſit hodie funerandi principis ratio.
Poſt eius obitum cadauer exenteratum, balſamoq;
delibutum ſub aureo amiculo, enſe aureiſq; que calca
ribus inuerſis, publicè in foro triduo aſſeruatur:
moxuerò omnia ciuitatis collegia (quæ tot fermè
numero ſunt, quot & opificum genera) ſub ſignis
religioſa quadam ac ſolenni pompa ordine præce-
dũt. Succedit inde numeroſus clerus. Funus ipſum
pullatorum uis ingens mœſto ſilentio ſequitur, iu-
xtaque patriciorum non parua manus, purpura &
cocco culta: quo datur intelligi, in quantumuis o-
ptimi principis funere ciuitatem quæ libera eſt, in
luctu eſſe non oportere. Hic lætiore cultu ornati,
ubi funus templo eſt illatum, ſuggeſtum quo cada-
uer imponitur, uenerabili conſeſſu cingunt, dum in
terim defuncti memoria pro concione populi mo-
re maiorum laudatur. Hinc patricijs reuerſis prima
ad nouum Principem creandum comitia indicun-
tur. Sed idcirco ad hunc ciuitatis morem deſcriben
dũ acceſsi, ut ex ijs quæ diximus appareret, repub.
B incolumi eundem ſemper ciuitatis uultum eſſe ſo-
lere, nec priuatum dolorem aliquo modo illius fa-
ciem uariare. Auguſtinus Barbadicus, defuncti prin
cipis frater, uir & uitæ innocentia & grauitate ſena
toria inſignis, ac tum diui Marci procurator, fratri
ſucceſſor eſt datus. Fuit ea declaratio eo ciuitati gra
tior, quo facilius eſt omnibus perſuaſum, qui defun
cto ſimilior futurus eſſet, potuiſſe creari neminem.
Quod & ipſe ita futurum poſtridie quàm ad digni
tatem fuerat prouectus, pro concione populi man-
ſuetiſsima oſtendit oratione. Accedebat his præſen
tiæ dignitas ac maieſtas quædam, quam cana barba,
& ad pectus propexa, adhuc uenerabiliorem fa
cit. Poſt eius declarationem quum omnia ocio &
luxu, ut antea, florerent, fratris ueſtigia ſecutus, &
ipſe à Ducarij inſtauratione ſuam eſt adminiſtratio
nem auſpicatus: quod opus à fronte quà ueſtibu-
lum ſpectat, magnifico & ſumptuoſo apparatu ma
gna eſt ex parte confectum. Antonius Ferreus hye-
me illa quæ ſecuta eſt, ac non multo pòſt Ioannes
Darius, Byzantium ad Turcorum imperatorẽ ſunt
miſsi. Antonius Lauretanus, qui legati munere a-
pud pontificẽ fungebatur, ex urbe reuocatus: quia
rempublicam parum ex ſententia Patrum adminiſ-
traſſe credebatur, homo alioquin præſtanti inge-
nio & eruditione præditus, in decem annos eſt ur-
be ablegatus. Sebaſtianus Badouarius & Bernar-
dus Bembus non multo pòſt ad pontificem orato-
res ſunt lecti: cum quo Veneti poſt Lauretanũ re-
uocatum, Antonio, Vinciguerra ſecretario rem Ve-
netam apud illum interim iuſſu Patrum procuran-
te, fœdus percuſſerant. Per eos fermè dies quibus
id fœdus eſt publicatum, imperium maris Franci-
ſco Priuolo eſt demandatum: is ſub uernum tem-
pus publicis ſignis in æde Aurea manu Principis ac
ceptis, urbe eſt profectus. præceſſerant eius digreſ-
ſum triremes aliquot ad maritimæ oræ præſidium
inſtructæ: nõ nullæ etiam poſtea illum ſecutæ ſunt.
Hæc erat tum Patribus rei maritimæ cura, quum
inopinatum ex Germania bellum ob finium con-
tentionem eſt Venetis exortum: de cuius
initio & ſucceſſu quum certius
nobis omnia conſtabũt,
abundè dice-
mus.

DVCVM

DVCVM VENETORVM SECVNDVM ORDINEM, CATALOGVS.

Paulutius Venetorum dux I	Folio 1095	Vitalis Michaël ſecundus XXXVIII	1159
Marcellus Heraclianus II	1096	Sebaſtianus Cianus XXXIX	1162
Horleus Vrſus III	1096	Aureus Maſtropetrus XL	1169
Theodotus Vrſus IIII	1097	Henricus Dandulus XLI	1171
Galla V	1097	Petrus Cianus XLII	1178
Dominicus Monegarius VI	1097	Iacobus Tepulus XLIII	1188
Mauritius Heraclienſis VII	1098	Marinus Maurocenus XLIIII	1194
Ioannes Heraclienſis VIII	1098	Rainerus Zenus XLV	1197
Obelerius Medoacenſis IX	1099	Laurentius Tepulus XLVI	1204
Angelus Particiatius X	1103	Iacobus Contarenus XLVII	1206
Iuſtinianus Particiatius XI	1105	Ioannes Dandulus XLVIII	1208
Ioannes Badoarius XII	1107	Petrus Gradonicus XLIX	1210
Petrus Tradonicus XIII	1108	Marinus Georgius L	1218
Vrſus Particiatius XIIII	1111	Ioannes Superantius LI	1220
Ioannes Badoarius XV	1112	Franciſcus Dandulus LII	1222
Petrus Candianus XVI	1112	Bartholomæus Gradonicus LIII	1235
Petrus Tribunus XVII	1113	Andreas Dandulus LIIII	1237
Vrſus Badoarius XVIII	1115	Marinus Phalerius LV	1250
Petrus Candianus XIX	1115	Ioannes Gradonicus LVI	1253
Petrus Badoarius XX	1116	Ioannes Delphinus LVII	1255
Petrus Candianus XXI	1116	Laurentius Celſus LVIII	1256
Petrus Candianus XXII	1117	Marcus Cornarius LIX	1262
Petrus Vrſeolus XXIII	1119	Andreas Contarenus LX	1265
Vitalis Candianus XXIIII	1121	Michaël Maurocenus LXI	1314
Tribunus Memus XXV	1121	Antonius Venerius LXII	1314
Petrus Vrſeolus XXVI	1123	Michaël Steuus LXIII	1316
Otho XXVII	1127	Thomas Mocenigus LXIIII	1327
Petrus Centranicus, ſiue Barbolanus XXVIII	1128	Franciſcus Foſcarus LXV	1329
Dominicus Flabanicus XXIX	1129	Paſchalis Maripetrus LXVI	2456
Dominicus Contarenus XXX	1129	Chriſtophorus Maurus LXVII	2456
Dominicus Syluius XXXI	1130	Nicolaus Thronus LXVIII	2474
Vitalis Phalerius XXXII	1132	Nicolaus Marcellus LXIX	2487
Vitalis Michaël XXXIII	1133	Petrus Mocenicus LXX	2495
Ordelaphus Faledrus XXXIIII	1147	Andreas Vendraminus LXXI	2496
Dominicus Michaël XXXV	1150	Ioannes Mocenicus LXXII	2500
Petrus Bolanus XXXVI	1157	Marcus Barbadicus LXXIII	2538
Dominicus Maurocenus XXXVII	1158	Auguſtinus Barbadicus LXXIIII	2542

SECVNDI TOMI FINIS.